






ANTVERPIÆ APVD MICHAELEM CNOBBARVM ANNO MDCLXXV.

ACTA SANCTORUM

APRILIS.

TOMVS II.

REVERENDISSIMO ET CELSISSIMO PRINCIPI

FERDINANDO

EPISCOPO PADERBORNENSI,

COADIUTORI MONASTERIENSI,

S. R. I. PRINCIPI,

COMITI PYRMONTANO,

LIBERO BARONI

DE FURSTENBERG



Cum huic de Sanctorum Actis, ad Aprilem pertinentibus, tomo secundo placuisset præstruere Propylæum antiquarium, quale conspicis PRINCEPS CELSISSIME; simul ea animis sententia stetit, nullius nomini ipsum justius posse inscribi quam Tuo: qui quo studio sacras profanasque antiquitates complectaris, probant PADERBORNENSIA MONUMENTA, Tuis insignita titulis, expressa impendiis, ornata versibus, commentariis illustrata. In his nobis finiebatur præsentis Mensis Tomus primus, cum memoria B. PATERNI Paderbornensis Reclusi concludens decem primores dies: ab iisdem ordimur hunc alterum, ei inter alia præfigentes specimen Diplomatis, à Carolo Magno PATRESBRONNÆ FISCO REGIO subscripti; & ordinamus chronotaxin annorum Regni & Imperii ejus, quam vel ex epistola privatim cognitam dignatus es

cum

cum approbatione suscipere, ut solidum lapidem in PADERBORNENSIS HISTORIÆ fundamentis ponendum. Plura utinam conferre liceat ad editionem desideratissimæ lucubrationis, unde aliis Saxoniæ Episcopatibus, ab eodem Carolo suam originem repetentibus, præbeatur exemplum explicandorum chronicorum propriorum; ceteris vero per Germaniam Ecclesiis excitanda æmulatio faciat sua quamque monumenta æstimare carius, & publicæ utilitati eadem promptius commodare. Etenim ea demum verissima certissimaque historia est, quæ coævorum auctorum scriptis, & publicarum actionum nititur instrumentis. Verum, quam prosunt hæc, cum sincera habentur ac genuina; tam turbant adulterata atque supposititia. Iniri ergo ratio debet secernendi certa ab incertis, falsa à veris. Huic inveniendæ conamur viam sternere; & digitum intendendo in pauca, quorum malam fidem detegimus comparatione instituta cum melioribus; alia plura cavenda monemus, easdem aut similes sequioris fidei notas præferentia. An scopum attigerimus, Tui esto judicii, PRINCEPS CELSISSIME; cui sicut in Paderbornensem diœcesim ingresso nihil fuit antiquius, post impendendam publicæ saluti & quieti curam, quam omnia Ecclesiæ istius tabularia, Collegiorumque & Cœnobiorum archiva pervestigare; ita veri falsique discernendi multo usu accessit facultas promptissima.

Nunc vero quod ipsa Sanctorum Acta spectat, quorum occasione talia tractantur à nobis; Tuum ante ea nomen legi pridem postulant multa ac magna in nos opusque hoc nostrum collata beneficia; ex

eo

eo ſcilicet tempore, quo emiſſus in lucem Februarius per manus Tuas tranſiit; ut coram FVRSTENBERGII amantiſſimo Pontifice ALEXANDRO VII gratior appareret. Quem enim ab ipſo, adhuc Apoſtolico ad Rheni Principes Nuntio Coloniæ; ac deinde S. R. E. Cardinali Romæ, hauſeras erga res vitaſque Sanctorum affectum; probe intelligens quantum eæ adjumentum conferant ad civilem ecclesiaſticamque hiſtoriam; is novis minimeque vulgaribus ejuſdem Pontificis de operis utilitate judiciis auctus, non prius acquievit, quam apud nos, hortando; apud Sanctiſſimum Dominum, noſtri memoriam renovando; efficeres, ut hic Bollandum Romam invitandum cenſeret, nos pro eo ætatem excuſante eundum decerneremus; unde qualis ad operis cœpti inſtructionem relatus ſit fructus, luculenter extat declaratum in Tractatu ad Martium præliminari, de vita, operibus, & virtutibus Bollandi. Hic autem fructus, quantumcumque magnus, Tibi inprimis debet acceptus referri. Per Te, qui conſilii auctor fueras, & adjutor operis eſſe volebas, acceſſus nobis obtigit ad Pedes Sanctiſſimi Patris. Per Te facultas pleniſſima impetrata inſpiciendi deſcribendique Vaticanæ Bibliothecæ pretioſiſſimos Codices, quotquot ex uſu fore cenſeremus. Poſtquam vero amicus noſter communis, Illuſtriſſimus Lucas Holſtenius, inter Tuas noſtraſque manus religioſiſſimum ſpiritum ſuo tradidit Creatori, factum per Te eſt, ut, æque ac ſi vixiſſet ille, omnes Romanæ Vrbis bibliothecæ nobis paterent; cum de Sanctiſſimi propenſa erga opus noſtrum voluntate commonefaceres eos, penes quos ſciebas ipſarum eſſe cu-

ſtodiam. Denique nihil magnæ alicujus rei à nobis in Vrbe actum eſt, ad quod non uſi fuimus promptiſſimo fidiſſimoque conſilio & auxilio Tuo. Cum vero diſceſſurus inde, ab IVLIO CARD. ROSPIGLIOSIO poſtea CLEMENTE PAPA IX conſecratus eſſes Paderbornenſis Epiſcopus, quidquid in eo gradu pro nobis poſſes, obtuliſti prolixe, benevoleque. Quippe per ejuſmodi provectionem Tuam ingreſſus in propinquiorem ſpem perficiendæ Paderbornenſis Hiſtoriæ, quam dudum animo deſignatam habebas, voluiſti ut quam fidentiſſime recurreremus ad Te, quoties de aliquo Saxonicarum partium & Tuæ imprimis diœceſeos Sancto quæſtio incideret; neque dubitaremus, quin libenti animo facturus eſſes nobiſcum communia, quæcumque de argumento tali collecta haberes in adverſariis, vel deinceps ſperares colligenda.

Tot igitur tantiſque obſtricti nominibus, non tam exolvimus debiti maximi partem exiguam hunc Tomum offerendo; quam novo nos obligamus nexu, dum petere audemus, ut patiaris ſplendorem FVRSTENBERGICI Nominis lucere in fronte libri; utque ei ornando commodare digneris tot illa decora, ob quæ Muſarum Delicium, Saxonicæ hiſtoriæ Promptuarium, cultioris omnis litteraturæ Exemplar audis, ad Germaniæ totius inſignem laudem, ipſiuſque, quod rarum, admirationem Italiæ. Sunt illa quidem debitorum Tibi elogiorum minima infimaque, PRINCEPS CELSISSIME; neſcio tamen quo modo ſuavius arctiuſque devinciant animos ſimilia ſtudia profitentium, atque ad Patrocinium Tuum ambiendum alliciant potentius; quam eminentiora

illa

illa ac vere maxima encomia Nobilitatis, Prudentiæ, Iustitiæ, Religionis, quarum virtutum præsidio fultus, Episcopalis gubernationis onus, Angelicis etiam humeris formidandum, ita SVAVITER & FORTITER sustines, ut omnes officii tanti numeros expleas, Tuis Paderbornensibus carus, pene ad invidiam vicinorum: quæ ut ne esset, sed communione tam grandis boni etiam hi lætarentur, providit fortissimus idem ac religiosissimus & prudentissimus Heros BERNARDVS Monasteriensis Episcopus & Princeps, Te viventi sibi Coadjutorem, morienti Successorem legendo. At ista, longissimam factura orationem, si vel delibare liberet singula, commemorare omittimus: & sola intuentes illa, quæ CELSITVDINEM TVAM ad nos nostraque curanda inclinant propius, oramus & obtestamur, ut opus de Sanctorum Actis, privata pridem obligatione nostra, nunc etiam publica professione Tuum, juvare pergas ac promovere; simulque suscipere humilitatis nostræ sæpius iterata atque iteranda vota, quibus oramus Deum, ut bonis litteris, ut Saxonicis Diœcesibus, ut Ecclesiæ Catholicæ diu incolumem & felicem te servet. Antverpiæ MDCLXXV, XIII Kalendas Aprilis.

CELSITVDINIS TVÆ

Obligatissimi famuli
GODEFRIDUS HENSCHENIUS
DANIEL PAPEBROCHIUS
Societatis IESU.

APPROBATIO CENSORIS.

Infrascriptus fidem facio, me legisse ACTA SANCTORUM APRILIS, à Reverendis Patribus Godefrido Henschenio & Daniele Papebrochio, Societatis IESU Presbyteris, magno labore nec minori doctrina, collecta, digesta, & illustrata: Opus, olim per Summos Pontifices desideratum, atque Apostolicis Notariis demandatum; tractu temporis, per hæreticorum nequitiam & simpliciorum inscitiam, varie obscuratum; nostro hoc ævo, per dictæ Societatis Scriptores, cœptum nova methodo elucubrari; & in antehac vulgatis Ianuarii, Februarii, Martii mensibus, per ALEXANDRUM VII & CLEMENTEM IX, utrumque recordationis felicis Romanum Pontificem, insigniter laudatum; atque per Eminentissimos Cardinales, Illustrissimos ac Reverendissimos Archiepiscopos & Episcopos, Religiosorumque Ordinum Generales, & doctissimos viros quamplurimos, magnificis judiciis approbatum, communique Christiani Orbis plausu exceptum; in quo prudens ERUDITIO, ANTIQUA REDUCIT; & simplex VERITAS, OBSCURA REVELAT. Igitur & hunc Aprilem, tribus tomis comprehensum, præmemoratis mensibus nihilo inferiorem; quin etiam, pro modo crescentis usu scientiæ, ipsis præstantiorem; luce publica dignissimum censeo; ut qui nihil contineat, quod Orthodoxæ Fidei adversetur, multa autem scitu utilia detegat ac manifestet. In quorum fidem hisce subscripsi. Antverpiæ XVI Februarii, anno Domini MDCLXXV.

AUBERTUS VANDEN EEDEN I. V. L.
Protonotarius Apostolicus, Canonicus & Archidiaconus,
Illustrissimi ac Reverendissimi D. Episcopi Antverpiensis Vicarius Generalis;
Librorum Censor.

FACULTAS
R. P. PROVINCIALIS FLANDRO-BELGICÆ SOCIETATIS JESU, ET SUMMA PRIVILEGII CÆSAREI.

Cum Acta Sanctorum mensis Aprilis, collecta digesta & illustrata labore & studio Godefridi Henschenii & Danielis Papebrochii, è Societate Jesu, tres dictæ Societatis Theologi legerint, opusque laboriosum, eruditum, ac luce publica dignum judicarint; Ego infrascriptus Societatis præfatæ per Flandro-Belgicam Præpositus Provincialis, potestate ad id mihi facta à Reverendissimo Patre Nostro Joanne Paulo Oliva Præposito Generali, concedo Michaeli Cnobbaert, Typographo Antverpiensi, facultatem eadem Acta excudendi.
Cumque sacræ Cæsareæ Majestatis decreto cautum sit, ne qui libri à Societate Jesu conscripti, in provinciis Romano Imperio subjectis, excudantur aut venales proponantur absque ejusdem Societatis consensu, hisce declaro eumdem Typographum isto privilegio legitime frui. In quorum fidem hisce, officii mei sigillo munitis, manu mea subscripsi. Actum Antverpiæ, die VI mensis Decembris, MDCLXXIV.

LAURENTIUS VAN SHOONE.

SUMMA PRIVILEGII
REGIS CATHOLICI.

CAROLUS, Dei gratia Hispaniarum, Indiarumque, &c. Rex Catholicus, Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Brabantiæ, &c. Serenissimus Belgarum Princeps, diplomate suo sanxit, ne quis Acta Sanctorum mensis Aprilis, auctoribus Godefrido Henschenio, & Daniele Papebrochio Societatis IESU Sacerdotibus edita, præter voluntatem Michaelis Knobbari proximis novem annis ullo modo imprimat, aut alibi terrarum impressa in has nostræ Germaniæ Inferioris ditiones importet, venaliave habeat: qui secus faxit, confiscatione librorum & alia gravi pœna multabitur, uti latius patet in litteris datis Bruxellæ XXIII Iunii MDCLXXIII.

Signat


LOYENS.

AD TOMVM II APRILIS PROPYLÆVM ANTIQVARIVM

CIRCA VERI AC FALSI DISCRIMEN IN VETUSTIS MEMBRANIS.

PRÆFATIO.

Alexandro Papa VII hortante & approbante



Lexādri VII Pontificis Maximi extremo dignati alloquio, priusquā Roma discederemus in Belgiū anno MDCLXI, ad opus de Sanctorum Actis majori indies cum cura prosectuq; expoliendū, non tantū alacriores ex illius approbatione revertimus, sed etiā instructiores ex admonitione. Notaverat vir ille sapientissimus, lecta de tribus Dagobertis Francorum Regibus Diatriba, tam novis ac curiosis quæ istic tractantur quæstionibus definiendis præsidium magnum ex veterum ecclesiarum monasteriorumque archiviis peti. Audiverat idem à Vaticanæ Bibliothecæ Custode Allatio, non tantum probatas Sanctorum Vitas, sed etiam fabulosas aliquas transcribendas per nos designari. Hoc cur faceremus, voluit causam intelligere; istud mirifice commendavit; Si tamen, inquiebat, supposititia à genuinis, interpolata à sinceris maturo secernantur judicio; in vetustis enim diplomatis chartisque recipiendis ad historicam probationem, non minori versandum est cautela, quàm in numis; quorum multi sub larva antiquitatis inducunt in fraudem, vix à paucis oculatioribus agnoscendam. Ei igitur, qui falli nolit, curandum censebat, non tantum ut cognitas habeat formularum notarialium rationes, pro seculorum atque locorum varietate diversas, sed ipsos quoque litterarum ductus dignoscat curiose, si quando offerentur chartæ, quæ autographa esse dicantur. Idque confirmaturus Sanctissimus, sublatos de genibus jussit ad interius conclave sequi; ubi habebat conventionem quamdam autographam, à Carolo Magno in Hetruria confirmatam; dignatusque est ipse eam prælegere nobis atque indicare singula, quæ diligentius merebantur considerari. Quod autem ad fabulosa quædam Sanctorum Acta attinet; de iis à nobis edoctus vicissim, ipsorum exemplar ideo peti, quod aliter nequeat certo dilucideque convinci falsitas, quam relegendo ipsamet fraudis numquam integre se occultantis vestigia; probavit consilium, agnovitque etiam id habere locum in diplomatis; neque minus ad veri falsique discretionem acquirendam valere chartarum suppositarum exempla, quam autographa verarum.

chartarum veterum studium & fabulosarum examen,

majore in utroque scientiam paulatim assecuti

2 Exinde, quod antea faciebamus studiose, cœpimus multo adhuc diligentius facere auctore tanto; & utrorumque sæpius inter se collatorum frequenti usu paulatim facti peritiores, multa deprehendimus manifesto falsa, in quibus dubii antea paventesque hærebamus: nonnumquam etiam hos ipsos correximus, retractando fidem quam talibus antea dederamus. Hujus studii ad illustranda Sanctorum Acta tantum valentis, fructus aliquos exhibebit præsens Propylæum, ad hoc comparatum, partim ut sopiantur querelæ amicorum, arguentium nos de importuna morositate circa antiquitates suas, de quibus nollent dubitari: partim ut constitutis semel generalibus quibusdam discriminis inveniendi principiis, expeditius progrediamur in nostris ante ipsa Acta commentariis aut observationibus postea subjiciendis; partim etiam ut, cum lector invenerit in hoc aut subsequentibus mensibus quædam aliter atq; in præcedentibus tractari à nobis, mutati judicii causas intelligens, tanto sequi possit securius, quanto promptius à nobis videt retractari ac corrigi, si quid alibi minus explorate videmur recepisse. Constabit autem Propylæum hoc partibus tribus: quarū prima erit de Diplomatis, præsertim iis quæ ante nongentos aut mille annos à primis Francorū Regibus signata dicuntur, in quibus erratur eo periculosius, quod hæc sæpe unica ratio sit constituendæ chronologiæ. Secunda examinabit monasteriorum quorumdam Carmeliticorum per Europam antiquitates, nuper prætendi cœptas. Tertia quasdam Brixienses tabulas, multa Martyrum nomina continentes, in hoc opere nusquam habituras locum.

Propylæum tripartitum exhibemus.

PARS PRIMA

De veterum fundationum, donationum, privilegiorum instrumentis discernendis.

A suppositiorum chartarum distinctione

3 Ecclesiasticorum Annalium integerrimus atque eruditissimus scriptor Cæsar Cardinalis Baronius, ad annum CCCXXIV fraudes atque imposturas retecturus Edicti ejus, quod sub Constantini Magni nomine profertur ab aliquibus, tamquam continens donationes à piissimo illo Imperatore factas Romanæ Ecclesiæ; non credidit se, id faciendo, juribus ejus detrahere quidpiam, quibus tuendis satis esset antiquæ ac justæ possessionis titulus. Antiquæ, quod Francorum Christianissimi Principes suis ipsorum diplomatis, ea, à Longobardis ablata, se Romanæ Ecclesiæ restituere professi sunt. Iustæ, quia si Romana Ecclesia, ante illa à Francorum Regibus collata privilegia, jam potiebatur rerum dominio; unde illud nisi jure debitum sibi potuit vendicasse? cum certum sit nulla id factum armorum vi atque violenta grassatione: silentibus præsertim nec minimum quidquam reclamantibus, qui illis temporibus regnabant in Oriente, Imperatoribus, alioquin in Romanam Ecclesiam parum æquis. Hæc ille, occasione Edicti, seu ficti seu depravati, ideoque indigni quo Silvestri Pontificis historia augeatur.

nullum ibi minus discrimen possessioni justæ & antiquæ.

4 Similia hic quoque videor posse ac debere præfari, de fundationibus, donationibus, privilegiis variis actutus; de quibus, cum scripta instrumenta vel ab initio nulla fuerint, vel abolita autographa sint, hodiedum monstrantur chartæ, vel prorsus fictitiæ vel à rescribentibus audacter interpolatæ. Scilicet antiquæ ac justæ possessioni nihil derogatum iri putamus per ejusmodi chartarum rejectionem; non alio fine institutam, quam ne temporum vetustissimorum historia, satis per se obscura, per ipsas inextricabiliter confundatur. Initium sumo ab Horreensis monasterii Treviris diplomate quodam, fabricato sub nomine Dagoberti Francorum Regis primi; quasi is ipsum consignasset, rogatu uxoris suæ Nantbildis, & intuitu filiæ communis Irminæ, anno regni sui XI. Incarnationis vero Dominicæ DCXLVI. Quam Irminam quia Dagoberti, non primi, sed secundi filiam fuisse diximus; Henschenius in Diatriba lib. I cap. 10, itemque I Februarii in Analectis de S. Sigeberto § I, & ego eum secutus in Præliminaribus ad tom. 3 Martii; priusquam ipsius chartæ vitia examinentur, retractandæ sunt paucis rationes sententiæ nostræ & cum alienis effugiis comparandæ.

AUCTORE D. P.

CAPUT I.

S. Irminam (cujus patri adscribitur diploma Horreense) Dagoberto, non I, sed II natam esse, longe verosimilius dicitur.

5 Trevirensem urbem ac territorium, seculo Christi VII exeunte & ineunte VIII, illustraverunt duæ egregiæ nobilitatis feminæ, Dagoberti Francorum Regis filiæ, Irmina & Adela; maritis præmortuis ad Agni nuptias transgressæ; cui etiam sacrarum virginum contubernium collegerunt, Irmina in Horreo, Adela in Palatiolo, quæ deinde monasteriis ipsis hæsere nomina. Prior ut Sancta colitur XXIV Decembris, in quem diem servamus integre danda instrumenta illius duo, omni vitii suspicione carentia, quibus fundato à se Epternacensi S. Willibrordi monasterio possessiones quasdam suas donat, anno IV Domni Childeberti Regis, qui fuit annus Christi DCCII. Eadem, per aliud sequentis anni scriptum, donatis prius possessionibus addidit Montis-villam in pago Zulpiaco, obstricta insigni beneficio, quo Treviros adveniens sanctus Episcopus, monasterium Horreense à grassante pestilentia liberarat. Eadem denique, Childeberti Regis prænominati anno X, Christi DCCVIII, signavit donationem alterius possessionis, sitæ in Villa Stankeim super fluvio Sura. Hæc constat fecisse Irminam: quid autem soror ejus Adela? Apostolicum virum S. Bonifacium excepit hospitio, ejusque disciplinæ commisit S. Gregorium nepotem suum, uti ex horum actis constat. Id Masenius putat anno DCCXX fieri potuisse; quod nolim, propter decennium forte adjiciendum, disputare.

S. Irmina post an. 708 & Adela post an. 720 nota

6 His ita positis, nec à quoquam in controversiam revocandis, quæritur utrum verosimilius sit, Irminam & Adelam filias Dagoberti Primi, qui anno DCXXII Rex Austrasiorum constitutus, obiit anno DCXXXVIII, totius Francici Imperii monarcha: an Secundi, qui anno DCLXI regressus ex Hibernia, in Adrhenanis provinciis regnum exorsus, post annos XIV reliqua potitus Austrasia, occisus est anno DCLXXX, juxta Chronologiam, in exegesi præliminari ad tomum III hujus mensis innovatam ac stabilitam ab Henschenio; qui hujus Dagoberti regnum prior in lucem extulit, eumque à primo ultimoque distinguere docuit. Si nobiscum sentias, & Dagoberti secundi filias fuisse dicas; Irmina annorum fuerit plus minus quadraginta, cum prænotatas donationes signavit: Adela vero, licet ante annum DCLXX nata fuisse diceretur, non debuit multum excessisse ætatis annum quinquagesimum, quando suum nepotem à se dimisit.

si non fuisset Dagoberti II filia,

7 Si velis ex Primo Dagoberto genitas, consequens est, ut Irmina minimum nonagenaria fuerit, anno DCCVIII utpote ante obitum Patris viro nupta, eoque mortuo fundatrix facta monasterii, & quidem ex bonis non tantum paternis, sed etiam à sponso relictis, quorum proprietas ante consummatum vel plene saltem contractum matrimonium ad eam non pertinuisset. Adela vero, quam anno DCXXXVI natam vult Masenius, & saltem ultra DCCXX vixisse concedit, proxima fuisset centenaria.

dicenda essent, Irmina ad 80, Adela ad 100 annos vixisse:

8 Neutrum inquies impossibile est. Non ego id assero: sed hoc quæro, utra ætas congruentius admittatur, si eligenda est alterutra; & quidem positis aliis rationibus utrimque paribus. Atqui nec pares quidem sunt: nam contra Secundum Dagobertum nihil obiici potest, quod non habeat facillimam solutionem, ut mox apparebit; & Horreense diploma, quo maxime nititur sententia adversa, undequaque ruinosum est ac prorsus fictitium: Testamentum vero Adelæ, factum anno XII Theodorici Regis, in favorem Palatioli, quod ipsum, inquit illa, à Pippino Majoredomus Treviris permutatione quæsivimus, cum defenditur ut genuinum (quale fateor mihi nullo modo videri, ob varias & hic prætereundas causas) in magnas angustias necesse est conjiciat defensores suos. Pippinum enim, sub Dagoberti I imperio potentem, quem volunt illi, ostendimus XXI Februarii anno altero ab obitu dicti Regis è vivis excessisse. Cum autem jam constet Regem obiisse Christi anno, non DCXLIV, sed DCXXXVIII; dicendus erit mortuus esse Pippinus anno DCXL, quando Adela in Masenii sententia solum egisset ætatis annum IV aut V. At si ipsa fuerit filia Dagoberti II, potuit jam matura ætatis vidua, à Pippino Herstallio, ante annum DCCXIV, quo hic obiit, acquisivisse Palatiolum, & fundato ibi à se monasterio novam aliquam donationem fecisse, XII anno ultimi Theodorici, qui fuit annus Christi DCCXXXI. In Irmina, ut Primi Dagoberti filia dicatur, majores etiam difficultates occurrunt; hic enim illam non posset genuisse nisi ex fornicario vel etiam adulterino concubitu. Quod si matrem quoque Nanthildem defendas, in novas tricas incurras necesse est, à quibus te non poteris expedire, nisi gratis asserendo aliqua, satis incongrua dictu, & difficilia creditu absque ullius antiqui scriptoris auctoritate. Scio quod Dagobertus iste fuerit, Fredegario teste, luxuriæ supra modum deditus: nam, ut idem ait, tres habebat maxime ad instar Reginas & plurimas concubinas. Reginæ vero hæ fuerunt, Nanthildis, Wulfgundis, & Berthildis. Nomina concubinarum, eo quod plures fuissent, increvit chronicæ inseri. Scio Nanthildem, non ex monasterio raptam, uti Fredegarium legit & intellexit Aimoinus; sed unam ex puellis de ministerio dici, in variis Fredegarii MSS. Sed ut hæc tibi faveant, oportet insuper gratis assumere quæ sequuntur.

nec tamen potuisset Adela à S. Pippino emisse Palatiolum,

vel Irmina ex Nanthilde nasci nisi turpiter,

9 Primo, quod illa Dagoberti incontinentia, non habuerit principium à fastidio legitimæ conjugis Gomadrudis, anno DCXXV ductæ, & DCXXVIII propter sterilitatem repudiatæ; sed à prima adolescentia invaluerit, aut saltem annis aliquot ante conjugium cum Gomadrude, ut ante patris obitum potuerit viro desponderi Irmina. Secundo quod Gomadrudis Regina, magna mulier auctoritatis, cujus soror nupta erat Clothario ipsius Dagoberti patri, in suo puellari ministerio, in quod non alias adsciscі consueverunt quam primum florentis pubertatis virgines, consenserit habere, pro integræ vitæ ac famæ puella, mulierem jam ab annis aliquot regiis amoribus infamatam, ex eoque matrem, ac proinde æmulam, tanto certiorem, quanto ipsa minorem spem dabat prolis. Tertio quod eadem ita pridem deflorata, non ex libidine Regis impotenter amantis, sed cum consilio Francorum, in matrimonium accepta, & in Reginam sublimata fuerit, ubi tanta nobilium integerrimarumque juvencularum suppetebat copia. Quarto, quod Dagobertus, ob desiderium gignendi successorem repudians Gomadrudem, quam solum quatuor annis expertus fuerat, eidem superinducere voluerit alteram, cujus consuetudine longe diutius usus nihil nisi feminam ex ea natam viderat.

& ipsa Nanthildis regio conjugio incepta fuisset

10 Vide autem quam gratis assumantur hæc omnia: cum primo nemo unus vel minimam turpitudinis alicujus notam inusserit Dagoberto ante prædictum repudium; sed omnes optimam ejus educationem, sub sanctissimis Episcopis Arnulpho ac Chuniberto, incomparabilem justitiæ severæ tenorem, aliasque ipsius laudes commendent, à quibus laudibus non debet absque probatione secludi continentiæ virtus, in Rege adolescente, & qui ætatis anno circiter XXV justis nuptiis illigatus, credi possit non prius luxuriæ frena laxasse, quam prolem ex conjuge primum ducta desperans, persuaderi sibi sivit justam eam esse divortii caussam; ex quo tempore totus cœpit deficere ab eo qui prius fuerat. Deinde non est tam levis, ut volunt aliqui, auctoritas Aimoini, Nanthildem puellam de monasterio raptam afferentis; quale enim exemplar Fredegarii secutus est ipse, auctor antiquior quam fortassis sint omnia exemplaria in quibus de ministerio legitur; ejusmodi exemplaria plura inveniuntur alia, unde etiam facta impressio est. Neque propterea consequens fuerit monacham fuisse Nanthildem, aut Vestalem (qua voce utitur ineptus ille, qui Aimoini contextui interjecit titulos Capitum multo recentiores) sed pro more

quis igitur parcitur famæ utrimque eatenus integræ?

nunc illius avi, etiam nunc vigentis, causa castioris educationis in monasterio collocatam à parentibus aut tutoribus; ideo vero raptam, quod cum bona eorumdem atque Abbatissæ gratia non speraretur educenda ad nuptias; quas licet pro legitimis haberi Rex volebat, credibile tamen non est à Sanctissimis Galliarum Præsulibus permissas fuisse.

11 Hæc omnia vel non consideravit vel dissimulavit amicus noster Iacobus Masenius, in nupera Trevirensium Annalium recognitione, totis decertans viribus pro asserenda Horreensis diplomatis veritate: quod, seculi exploratores gnari, statim ut solos conspexere absque signis litterarum ductus, Gothico more formatos; uncialibusque in principio & fine characteribus insignitum, repente Dagobertinum esse pronuntiaverunt. Ego vero libens cedam omnia, nisi pluribus evicero rationibus, diploma istud non tantum non esse autographum ullius omnino Dagoberti, sed nec ex autographo quidem, si unquam ullum extitit, transcriptum fideliter; ast pluribus post omnes Dagobertos seculis fuisse imperitissime consarcinatum. Sed prius quam ad ista transeo, quærere lubet ex Masenio, quomodo pro Dagobertino prudenter haberi, & istius ævi censeri characteres potuerint, quibus exaratum est Horreense diploma; si nulla est characteris diversitas inter ipsius diplomatis tenorem, quem propugnare nititur; & subscriptionem, qua notatur annus Dominicæ Incarnationis DCXLVI, regni II, Indictio IV, de quibus fatetur quod adjecta corrupte fuerint, cum nec ipsi sibi anni constent? Quis enim sic corrupte adjecit? Idemne qui reliquum diploma scripsit? At concipi nequit quomodo Notario regio possit in mentem calamumque venisse, ut currentis anni characteres ipsiusque Regis annos corrupte notaret: Ejusmodi errores contingere solent, cum ab imperitis librariis aliquid post multos annos transcribitur; sive per scribendi præcipitantiam, sive per antiquorum characterum ignorantiam: non vero quando scribitur annus aliquis præsens. Adjecitne longo post tempore alius? Tum vero notabilis foret manus & atramenti diversitas, qualis nulla percipitur in dicta charta; & necesse foret prius abrasam obolitamque fuisse subscriptionem antiquam & veram (neque enim credo dicet absque ulla omnino temporis nota primitus expeditum fuisse diploma) talis autem rasuræ aut abolitionis multo magis deberent vestigia deprehendi: & tum quoque difficulter caperetur, cur pro anno regni primitus notato, qui vel in Masenii sententia debuit postremorum fuisse aliquis, notatus sit annus Regni II. Oportet igitur ut fateatur, vel non haberi scripturam originariam, vel ipsam quoque subscriptionem originariam esse, & paris utramque fidei, id est certissimæ: quod tamen de subscriptione nec audet ipse dicere, nec ulla ratione dici potest; non dico secundum Æram annorum in Austrasia usurpatam, in qua tamen erant Treviri; sed nequidem secundum initium regni ejus in Neustria, quod omnino sedecim annorum fuisse contendit Masenius, & tamen in anno DCXLV finit.

Tanti nobis non est fictitiũ diploma,

cujus vitiosã subscriptionẽ esse, ipse ejus defensor agnoscit.

12 Ceterum non miramur, quod ad tot difficultates, undique se offerentes, obfirmarit animum Masenius: utpote non tantum persuasus, potuisse ex Dagoberto I natas quomodocumque fuisse Irminam & Adelam: sed Dagoberto II easdem nullatenus tribui posse, nisi sus deque vertantur omnia, quæ nulli dubitationi putat objici debere. Nempe compertissimum esse credit, Horrei ac Palatioli monasteria fundata esse sub S. Modoaldo Episcopo Trevirensi, Primi Dagoberti synchrono, & prius vita functo quam Secundus Dagobertus reverteretur ab exilio, aut ullam materna paternave hereditatis reciperet portionem: deinde censet hunc Dagobertum fuisse improlem. Ad Modoaldum quod attinet, mox ostendam, non nisi per meras hallucinationes aliquam ei partem tribui in Horreensi ac Palatiolensi fundatione.

credit tamen accipiendum Dagobertũ I,

quasi improlis fuerit secundus,

13 Quod autem Dagobertus II improlis fuerit, tam longe abest, ut inter copiosos illius liberos etiam aliquos Reges numerandos putemus; quorum primus Sigebertus, regni paterni consors, cum patre vel paulo ante eum obierit; Clotharius, anno DCCXVIII Monarchiæ Francicæ non tam datus, quam ostensus fuerit; Theodoricus vero IV (qui ab anno DCCXX usque ad DCCXXXVII regii nominis umbram sustinuit, transmisitque ad filium Childericum, Merovingiorum Regum ultimus) si fuit alicujus Dagoberti filius (ut passim creditur) tanto firmius teneri potest fuisse Secundi, quanto certius est Tertium juvenculum ac pene impuberem, adeoque improlem obiisse, Anno DCCXV; Theodoricum vero constat tam provectæ fuisse ætatis, cum anno DCCXX est assumptus, ut Dagoberti III pater esse potuerit per ætatem; certe ut jam tunc filium videatur habuisse Childericum, suum postea successorem, nec non paulo post ex eo nepotem Theodoricum, eum qui anno DCCLI, cum Childericus abdicare regnum cogeretur, in Fontanella monasterium retrusus & attonsus est.

AUCTORI D. P. cui verosimilius proles multiplex fuit;

14 Ast si hæc ita sunt; & Secundus iste Dagobertus, qui in morte sui patris S. Sigeberti anno DCLVIII potuit plusquam XII annorum fuisse, adeoque justam matrimonio ætatem attigisse, quando anno postea quarto cœpit regnare in Alsatia; & mox ibi genuisse Irminam, quæ anno DCLXXV restitutum in Austrasia regnum parentem secuta Treviros, atque Hermanno desponsa & Horreensis monasterii fundatrix facta, fere vicennis esse potuit cum moreretur genitor suus: si, inquam, Dagobertus hic adeo fœcundus liberis fuit, ut, præter alios forte ignotos, filias quinque genuerit, ut alibi dictum est iterumque dicetur; quid judicandum erit de Argentinensi diplomate apud Iacobum Coccium; quod ostentatur scriptum IV Nonas Aprilis, Luna VII anno ab Incarnatione Domini DCLXII, Indictione V, Regnante Tageberto Rege anno regni ejus XXXII? Illud diploma sic inchoatur, In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Tagebertus divina favente clementia Rex nobilissimus. Notũ sit omnibus sanctæ Dei Ecclesiæ fidelibus, natis & nascendis; qualiter ego Tagebertus, exhereditatus propriis filiis, S. Mariam mihi in hereditariam heredem acquisivi, dans in honorem matris Dei, ad Argentinensis Ecclesiæ monasterium, tres curtes meas optimas & electas. Nimium hæc favebant Masenio, ut vel ex lunatica illa prorsusque monstrosa subscriptione malum istius chartæ fidem cognosceret: sed omnia salva credidit, si anni regni iidem qui vitæ nominarentur, exemplo novo nec in ullis genuinis diplomatis inveniendo. Non vidit autem Dagobertum istum, cujus pater solum natus erat circa annum DCXXIX, ut summum fuisse annorum XVI adolescentem, eo anno quem XXXII in regno numerasse fingitur. Dico ergo, diploma istud, non solum ex subscriptione, sed ex toto suo contextu fictitium apparere; neque in eo ad sanum aliquem sensum adducendo laboraturũ fuisse Henschenium, cum ante annos circiter viginti Diatribam componeret, si quam facile tunc notabat chronologiæ vitia, tam etiam cognitos habuisset styli diplomatici characteres; prorsus enim, ut nunc facit, & ipsum & plura apud Coccium diplomata fictitia esse judicasset.

fictitium namque est quod objicitur Argentinense diploma.

15 Tandem miratur Masenius, quomodo præsumamus pro Dagoberto I, Treviris nominatissimo, substituere nomen Dagoberti II, in Alsatia fere vivẽtis, cujus nullum apud Treviros aulæ vestigium, nulla beneficiorum memoria. Miror & ego admirationem istiusmodi, post tot alias, certissimas quidem, sed tamen eatenus occultissimas veritates, in Diatriba de tribus Dagobertis magno eruditorum omnium plausu ipsiusque Masenii assensu firmatas. Quæ enim obsecro æquitas est, exigere ut indicentur monstrenturq; nunc Treviris clara atq; distincta memoria Dagoberti Secundi, ut Secundus fuit; cum à mille annis in toto Francorum Imperio, inter tot scriptores Chronicarum, nemo unus fuerit, qui Dagobertum istum sciret à Primo distinguere, quamvis ille post annos quatuordecim in Alsatia actos, quinque integros egerit cis Rhenum toti imperitans Austrasiæ? Confusis igitur utriusque memoriis, neque inter Primum & Ultimum Dagobertum, medium aliquem cognoscentibus historicis tot seculorum; quid miramur omnes memorias Dagobertinas, quæ ad Ultimum referri non poterant, ad Primum relatas esse à Trevirensibus? Nunc vero cum detectus est ille, cui plures earum

Si Trevirenses eum, qui ante 1000 annos in oblivionem scriptorum venit,

AUCTORE D. P.

earum, ac specialiter filiæ Irmina atque Adela, possint adscribi, ita ut evitentur tam multa, si non ἀδύνατα, *saltem* ἄδηλα καὶ ἀνάρμοστα, *quæ Primum Dagobertum comitantur, cur non illum ambabus, ut dicitur ulnis, tamquam alterum benefactorem suum, amplectantur Trevirenses?*

à Dagoberto I scivissent distinguere,

16 *Si Treviris, prima post Metas Austrasiæ civitate, regium aliquod palatium fuit, uti credo fuisse; nihil dubito quin uterque Rex eo fuerit æque usus, cum uterque pari fere annorum numero in Austrasia habitarit; Primus quidem sex primis regni sui annis, Secundus quinque ultimis. Nam, sicut Secundum scimus fere in Alsatia vixisse, quamdiu à reliquo Austrasiæ regno excludebatur; ita etiam scimus ex Fredegario, quod Primus, Neustriæ regnum adeptus, Austrasiam deseruit, & Parisios* sedem patris sui deligens, assidue habitare disposuit. *Quo autem minus dubites quin Secundus, dimissa Germania, statim ac potuit, elegerit Galliam & patris sui Sedem similiter habitare; occurrit Vita S. Wilfridi Episcopi Eboracensis, ex qua emanavit prima Secundi Dagoberti notitia, narrans num. 35 quomodo sanctus iste Episcopus, Romam proficiscens ex Frisia, ubi honestum exilium fructuose egerat, &* Galliam perveniens, nota sibi Regis Dagoberti mœnia subiit; quem ipse Rex visum mox recognovit, *gratanterque professus coram hominibus suis est, quod per ipsum servatus esset adjutusque ad reditum. Vrbem quidem Metas ibi designari, potius quam Treviros, persuadet ipsius S. Sigisberti Vita, ubi expresse dicitur num. 17, quod* sepeliri elegit in urbe Metis, quæ regni sui sedes fuerat: *sed quis credat huic Sedi sic affixum fuisse aut ipsum aut filium, ut Treviros, solis XII leucis distantes atque ad eumdem Mosellam sitos, non sæpe descenderint? eodem plane modo, quo prior Dagobertus Treviris aliquando fuit, licet alias verosimilius sit, eum Metis præcipue habitasse, & ideo eodem direxisse filium suum triennem, cum eum suo loco constituit Austrasiæ Regem.*

de utroque poterant æqualiter gloriari;

17 *Quod igitur spectat ad præsentiam, Trevirensibus subinde exhibitam, pares censeri debent uterque Dagobertus, avus ac nepos: quod ad beneficia istic posita attinet, etiam pares, ac forte etiam superior nepos, cui Horreensem fundationem tribuimus; cum de avo aliud nihil sciamus, quam quod Moguntiæ existens regni sui anno XII, cum jam pridem Parisiis sedem statuisset, fundos aliquos donaverit vetustissimo S. Maximini monasterio. Scio magnifice jactari à Trevirensibus privilegium quoddam, sub illius nomine, absque nota anni, diei, aut loci; quo idem Rex confirmasset ecclesiæ S. Petri cuncta prædia monasteriaque, eidem S. Petro jam olim subjecta donataque, & ante omnia* Cellam S. Hilarii, quæ nunc appellatur S. Maximini, quæ est in prædio S. Petri constructa. *Sed hujus privilegii instrumentum, quod autographum esse nec ipsi credo Trevirenses probaturos se sperant, eadem fere suæ suppositionis exhibet argumenta quæ privilegium Horreense, cujus peccata Capitibus sequentibus pergo denudare; & quædam alia etiam absurdiora continet, quæ Nicolaus Zyllesius propalavit in defensione Abbatiæ Imperialis S. Maximini, quam merito negat unquam fuisse appellatam* cellam S. Hilarii: *& à pag. 57 usque ad 71 hunc lapidem pulsans, tot validissimis arietibus ipsum evertit conteritque, ut ejus impostorum erigendi spem omnem adversariis ademisse videatur. Loquor de instrumento scripto: nam de jure jurisque possessione, sicut ad me non attinet quærere, ita nec volo censuisse videri, & nuper bene sopitas controversias resuscitasse.*

& magis forte de Secundo;

quia quod à Primo credunt habere privilegium, fictitium est.

18 *Interim ex Scripto, cujus authentiam nemo post istam Zyllesii evictionem præsumpsit defendere, objicitur nobis à Masenio, indicata superius, de S. Modoaldo difficultas, tamquam præcipua ratio, ob quam sic pugnat pro Irmina, Dagoberto Primo asserenda: dum scilicet, inter alia loca multa S. Petro subjecta, nominatur* Monasterium S. Mariæ, quod præfatus Pontifex Modoaldus in territorio S. Petri nuper à fundamento construxit, & vocatur Horrea. *Ex hoc enim fundamento*

Et hoc illud est, ex quo asseritur S. Modoaldus fundasse monasteria

Ordulphus, Balduini Archiepiscopi Trevirensis ante annos trecentos Secretarius, ita de S. Modoaldo scripsit: In Palatio Dagoberti Regis, quod vocatur Horreum, *(quasi publicum Horreum nequiverit sacris virginibus recipiendis aptum esse, nisi idem regium Palatium fuerit)* ecclesiam in honorem B. Mariæ Virginis construxit, ubi & congregationem Virginum instituit, quibus prefecit Matres, primo dilectam Deo Virginē Irminam, ipsius Dagoberti Regis filiā; deinde Modestam, vita & nomine, quamdam sacratissimam virginem, alumnam cœnobii S. Romarici, quæ fuit filia sororis B. Modoaldi, contemporanea B. Gertrudis. *Simili postea modo de Adela ejusque monasterio loquitur idem auctor. Ast Adela in testamento suo sic creditur scripsisse:* Cū pervulgatum notumque omnibus sit, quemadmodum nos monasterium in villa quæ dicitur Palatiolum.... jam dudum ad proprii monasterii usum extruximus, in eaque monacharum cœtum.... adunavimus. *Irminam fundatricem suam similiter credunt & appellant Horreenses, talemque in Vita facit Theofridus Abbas Epternacensis: qui vero S. Modoaldi Vitam conscripsit Stephanus Abbas S. Iacobi Leodii, Theofrido ætate suppar, quæcumque suo tempore superstites istius sancti Præsulis memorias scrutatus, nullam ejus aliam fundationem invenit, quam monacharum S. Symphoriani, apud quas & sepultus est. Allegat quidem Browerus ad annum 645 Epitaphium, in S. Paulini ecclesia positum, his verbis:* Hoc est sanctuarium Deo dilecti Trevirorum Archiepiscopi Modoaldi, cujus Rex Dagobertus sanctitatem, sicut in ejus precepto de Treviris continetur, inter Ligerim & Rhenum magnifice extulit & dilatavit: *sed ea aliam nobis cogitationem non ingerunt, quam quod istiusmodi lapis occasionem præbuerit posteris, ipsius Præcepti exemplum non habentibus, istud fingendi quod modo in manibus est, & confutatur à Zyllesio, uti diximus.*

Horreense & Palatiolense,

19 *Browerus, ad annum 708 Abbatissarum Horreensium seriem describens ex Trithemio, Ordulfum secuto, & Irmina* Modestam, sororis S. Modoaldi filiam, cœnobii Romarici alumnam, *substituente; monuerat in margine prima suæ impressionis, quod* Ordinis illius successio non esset certa. *Huic accedens Henschenius lib. 2 cap. 12 Diatribæ, & rursum 17 Martii ad Vitam S. Gertrudis (qua Modestæ, sibi dum viveret familiari, dicitur post mortem apparuisse* in monasterio Trevirensi) *notaverat videri legendum* Avendensi. *Vtrumque frustra hic hæsitasse Masenium cēset; & insuper servare nititur verba cujusdam Privilegii, sub nomine nescio cujus Leonis Papæ scripti, ubi dicitur,* Cœnobium Horreense à Modwaldo Trevirorum Archiepiscopo, subministrante B. Modesta, filia sororis ejus.... ad divini cultus officium restauratum post decessum B. Irminæ, quæ prima hunc locum provehendum suscepit: Ubi cum manifesto dicatur ante Modestam præfuisse Irminam, & hanc constet Modoaldo fuisse superstitem, *ne quis ex hoc capite scriptum supposititium arguat, quasi Modoaldi ac Modestæ regimen in unum conflentur tempus; censet ipse privilegii verba sic intelligenda, ut quod ibi dicitur fecisse Modoaldus, id est restaurasse monasterium quod pridem Irmina constituerat, id fecerit* non *quidem* per se, sed per Modestam à se pie quondam institutam.

& Horreensi Abbatissam dedisse Modestam,

neptem suam ex Avendisi cœnobio,

20 *Receptibilisne hæc sit evasio, ut Privilegium istud credatur sincerum ac genuinum Leonis II aut III diploma, viderit Masenius: mihi sane non videtur: atque ut his adeo turpis anachronismus abesset, ipsum non modo interpolatum cum Browero, sed prorsus fictitium esse arbitror, ab initio ad finem. Sic enim incipit:* Ego Leo Vicarius S. Petri Principis Apostolorum, meritis quidem impar, vice tamen ipsius dignitate Romani fungens Præsulatus. *Finit autem:* Quod tanta auctoritate subnixum ut in æternum stabile permaneat ac fixum, in nomine Jesu Christi Domini nostri, sanctique prædecessoris Petri & omnium Electorum

propter Breve Leoni Papæ affictum.

electorum Dei; æterno serVetur damnandus judicio, si quis Prælatus tanto hic commorantes exinaniverit privilegio. Fiat, fiat. Amen, amen. *Existimo quod figmenti hujus fabricator Leonem II intelligi voluerit, anno* DCLXXXII *vix undecim mensium Papam, quando jam mortuam arbitrabatur Irminam, fortaßis & Modestam. Plane etiam mihi persuadeo, quod idem suo hoc figmento credulum nimis Scriptorem Ordulphum induxerit, ad Modoaldum Horreensi fundationi admiscendum: qui si revera habuit in Avendensi S. Romarici cœnobio neptem, potuit ea per Irminam Treviros adducta fuisse, monastica disciplina magisterium novo cœtui ipsique Irmina adhuc juvencula præstitura, & sic velut confundatrix habita, titulum Abbatissa meruisse apud posteros: sed non potuit à S. Gertrude, ipsa qua hac obiit hora die* XVII *Martii anno* DCLIX *visitata fuisse in monasterio Horreensi, needum condi cœpto.*

Refine credenter dua fuisse Modesta:

21 *Malim igitur opinari duas Modestas à posteris in unam personam confusas fuisse, quarum una ex Avendensi monasterio adducta Treviros, sub S Irmina monasterium rexerit Priorissa, & in Horreo sepulta nunc colatur ut Sancta. Quam si quis omnino velit Abbatissam Horreensem dicere post Irminam, ei ego non repugnabo: quia nihil invenio quod cogat Anastasiam Irmina immediate suffectam asserere: assentiar autem etiam facilius, si non etiam sustineatur quod ipsa fuerit S. Modoaldi neptis; quia hoc difficilius creditu faceret hujus atas, quem scimus Concilio Remensi interfuisse Episcopum, & hoc concilium celebratum fuisse anno* DCCXXIV *demonstratur in Diatriba pag. 195. Altera Modesta, eademque verosimilius S. Modoaldi neptis, Prælaturam gesserit in fundato per avunculum S. Symphoriani monasterio (quod quia adhuc unicum erat Treviris cum moreretur* Gertrudis, *bene potuit* Trevirense *simpliciter nuncupari) & S. Gertrudem ibi habuerit à morte conspicuam. Sed tunc vel Episcopus civitatis, cui suam illa narrasset visionem, non esset S. Chlodulphus Metensis, cujus fratri Ansegiso nupta recenter erat S. Begga soror ipsius S. Gertrudis, vel potius ad vocem civitatis addenda erit vox* Metensis. *Sane quam facile Crodulphus iste potuit ob sua quadam negotia tunc fuisse Treviris; tam facile labi potuit aut scriptor Nivellensis in Belgio, existimando eum qui Episcopus erat, & cui hac Treviris narrabantur, fuisse ipsius Trevirensis civitatis Episcopum; aut scripta ab illo Vita transcriptor, omittendo vocem* Metensis, *de qua dubitabat an non esset per errorem scripta pro* Trevirensis.

quarum junior S. Irminæ monasterium,

S. Symphoriani, rexerit senior eadèque S. Modoaldi neptis,

CAPUT II.

Diploma Horreense suppositititium cum San-Maximiniano indubitato confertur: quod ad stylum & formulas

Vera charta Dagobertina genuinum exgraphium

22 P*Remissis suppositisque rationibus, qua nostram de S. Irmina sententiam firmant, & alienam refellunt; veniendum est ad totius fabula principium & caput, ipsum scilicet Horreense diploma: quod non satis est verosimiliori chronologia dixisse contrarium (non enim chronologia monumenta, sed monumentis confirmanda est chronologia, ut solida sit) verum ostendi debet, ipsum tale esse, ut, quamvis characteres temporum omnes essent absque errore positi, nequiret tamen haberi pro vero Dagobertini temporis scripto, sed deberet post multa deinde secula & scriptum & compositum credi. Hoc ut facerem occasionem dedere Annales San-Maximiniani, ab Alexandro Wilthemio accuratissime elaborati, & ex voluntate eruditissimi auctoris à me studiose perlecti: quos licet nunc demum, cum sopita est diuturna inter Archiepiscopum & Abbatem controversia, publica luci dandos sperem; hic tamen quid ex iis profecerim gratanter Lectori exponendum puto. Habet Imperiale istud cœnobium, suum adhuc archivium optime conservatum, in eoque originalia, & qua in suspicionem suppositionis interpolationisve vocari ne queant diplomata tot antiqua, quot forte alibi extant nusquam. Nam in Sandionysiano prope Parisios monasterio, quamvis multa sint, tum Dagoberti fundatoris, tum subsequentium prima stirpis Regum; nullum est tamen quod originale, pauca qua possint sincera credi. In istis autem San-Maximinianis primum & antiquissimum est Dagobertinum, quod Zyllesius verbatim exhibet, cum signo & sigillo Dagoberti I ad verum expressis. Eo non contentus Wilthemius, ipsam membranam curavit transferre in paris magnitudinis chartam, & veteres characterum formas in ea sic excepit ad vivum, uti volebat totum tam venerandi monumenti contextum ari incisum expandere, & oculis sui Lectoris subjicere. Contextus ipse talis est.*

AUCTORE D. P. ab Alexandro Wilthemio accepimus,

23 In nomine Patris & Filii & Spiritus sancti. Omnium Christianorum noverit industria, qualiter ego Dagobertus Rex potentissimus, convenienti consilio Episcoporum meorum Comitumque, legatos de mea parte ad Abbatem Memilianum direxi, mandans ei ut diligenter inquireret, mihique per seipsum indicaret, quibus auctoribus illud monasterium S. Maximini constructum, vel cujus imperio à pristinis temporibus esset subjectum. Hanc legationem Abbas cum Fratribus solicite percipiens, perlectisque in eodem loco quibusdam vetustissimis chartis; inventum est ipsum monasterium Constantini Imperatoris fuisse regale palatium, atque jussu ejus dedicatum fore in honore S. Joannis Euangelistæ à S. Agritio venerabili Archiepiscopo. In quo videlicet templo, ut idem Pater nostræ Regalitati certa relatione patefecit, Helena sacra famula petente & favente, supradictus Imperator pauperes Christi congregavit, eisque virum Dei Joannem præposuit, ut in servitio Dei semper vacarent, & pro se orationibus insisterent: & insuper illius loci habitationem aliæ personæ noluit subdere, nisi suæ successorumque Imperatorum potestati. His rebus ita esse firmiter intellectis, regio more constituo atque firmissima jussione præcipio, ut nullus umquam proterve illud monasterium, in quo Abbas supradictus præesse videtur, audeat inire vel ullam inhumanitatem illi violenter inferre. Igitur ut assidue recordatio mei meorumque parentum maneret in prædicto monasterio, ipsorum S. Maximini præbendariorum victualia, sub præmemorato Imperatore constituta, additis mea ex parte prædiis augere curavi: quorum nomina sunt hæc: Kannis, Cressiacum, Luncwich, Regiodola, Vallis-Polich, Budeliacum, Talevant, Loavia. Hæc loca ad regiam Curtem, quæ dicitur Decima, pertinent: quam Curtem cum omnibus rebus ad eam pertinentibus, hoc est quidquid prædii visus sum habere, à fluvio qui nuncupatur Rubeca usque ad silvam quæ dicitur Sedes, S. Maximino Præsuli in perpetuam hereditatem contradidi. Insuper etiam, cum consilio & rogatu meorum Principum, catervis inibi Deo deservientibus hanc legē, firmiter ac perpetualiter in posterum habendā, decrevi; scilicet ut centenorum ibidem summa Monachorum semper integra maneat & inconvulsa; excepto si Imperatorum Principumve per secula succedentium benevolentia prædiis augmentetur vel thesauris. Et si propter paganorum vel infideliū Christianorū devastationē, eisdē Christi servitoribus penuria ultra modū ingruerit, & per thesauri effusionē expelli nequiverit, Dei omnipotētis & mei meorumq; successorū habeant licentiā, alodium & familiā à fidelibus illic contraditā dandi & vendendi, anteqūā Dei destruantur servitia. Et ut istius chartulæ confirmatio firma in ævum permaneat, describi eam præcepi & nostro sigillo eā inde firmavi. Actum pridie Nonas Aprilis. Anno regni nostri XII. Moguntiæ feliciter. Amen.

quod hic editur,

Signum ✠ Dagoberti Regis.

Heriveus Cancellarius ad vicē Ricolfi Archicapilani.

24 Heri-

Auctore D. P. quod sub Ricolfo Archicapel. scriptu

24 Heriveus, *inquam*, non Henricus, *uti legit Zyllesius; de quo non attinet plura quærere, cum Cancellarii titulus, qui nunc inter togatos supremus est, tunc inferioris ordinis fuerit.* De *Ricolfo Archicapellano justius petitur notitia plenior, quoniam ejus summum munus erat in recognoscendis signandisque privilegiis, imo in tota Capella regia, id est, Clero ad palatium pertinente, ad quem spectabant etiam Cancellarii. Omnia vero circumspicienti occurrit* Ricolfus Coloniensis Archiepiscopus, *in ordine decessorum successorumque suorum ideo fortassis relatus ad tempora Caroli Magni (cum alias ejus ætas & acta in obscuro laterent) quod ad illa tempora spectet* Richulfus Archiepiscopus Moguntinus, ex Archicapellano Palatii & Consiliario Caroli Magni, *ut aiunt Sammarthani, ordinatus anno* DCCLXXXV, *idemque legationibus obitis, conciliisque celebratis notissimus: quod in causa fuisse videtur, eum qui Coloniensis fuerat cum ipso confundendi, etsi forsitan seculo integro anteriorem. Expendant eruditi viri, an recipi hujusmodi conjectura mereatur. Annus in Privilegio notatus Regni* XII *fuit, in Austrasia videlicet, quo anno Moguntiæ fuisse Dagobertum, verosimile facit* pactio, *tunc* cum Austrasiis firmata, *de totius Imperii Francici divisione inter duos Dagoberti filios. Erat is annus Christi* DCXXXIII, *quando idem Dagobertus numerare poterat annum: regni in Neustria & Burgandia quintum, monarchiæ vero mortuo Charoberto ac filiis in ipsum devoluta quartum: ratione cujus triplicis regni merito* Rex potentissimus *dicitur, & trisidum sceptrum assumptum videtur, de quo plura alibi dicta sunt.*

esse I Dagoberti probatur,

Dubitavimus fateor ad Vitam S. Basini, IV *Martii, essetne Dagoberti I an II diploma istud, quia tempus Memiliani Abbatis ignotum nobis erat, neo ex ipso contextu eruere poteramus aliquid unde certior fieret conjectura. At nunc, post quam ipsos litterarum antiquarum ductus videre licuit, adeo mirabiles & implexos, ut nisi olim legissent majores & legibilia exempla descripsissent, vix quisquam eos assequi posset; omnino persuasi manemus, esse Primi, quandoquidem tempore Secundi cultior aliquanto scriptura fuerit usitata. Accedit quod in San-maximiniano obituario ad* XIV Kal. Februarii *notetur* obitus Dagoberti Regis, *tamquam benefactoris: atqui non Secundus sed primus Dagobertus isto die obiit: qui etiam cum esset studiosus æmulator Constantini Magni; credi potest hac potissimum de causa motus fuisse, ut inquireret adeo curiose,* quibus auctoribus monasteriũ S. Maximini extructum fuisset; *ut scilicet si, quemadmodum fama ferebat, auctores ejus probarentur Helena atque Constantinus, ipsi hoc nomine bene faceret. Qui autem Abbates & quo ordine monasterium istud rexerint, in præcitatis Annalibus speramus clarius deductum videre. Audiamus interim Horrensis diplomatis tenorem, in Additamentis Tomi* I *productum à Masenio, hic autem necessario rescribendum, ut utriusque styli ad invicem collatio hujus præ isto novitatem manifestiorem faciat, & considerationibus reliquo hoc capite faciendis viam sternat. Est autem talis.*

Horreense autem diploma ostenditur habere

25 In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Dagobertus divina præordinante providentia Rex. Si ecclesiasticis negotiis, & servorum & ancillarum Dei utilitatibus quæque necessaria providerimus, & de nostris rebus aliquod beneficium conferre studuerimus; id nobis ad temporalis nostri regni statum, & æterni promerendum præmium, incunctanter credimus profuturum. Comperiat ergo omnium sanctæ Dei Ecclesiæ fidelium, præsentium & futurorum industria, quia rogatu dilectæ Conjugis nostræ Reginæ Nanthildis, monasterio in Treverica valle, in honore sanctæ Dei Genitricis, ab Irmina filia nostra constructo, & sanctimonialium coadunatione decorato, ex rebus proprietatis nostræ in pago Murlense, in Marca Burense, has villas Machera, Cornihe, Baldebruno, Hildenisheim, Walleheim, Spela [cujus termini incipiunt in Disenidene, & sic ubi agri coli possunt; & sic usque Entire, & inde in ripam Dinkolter, & inde sursum ripam usque ad Aldenfalkenborne, & sic usque Spalden, & inde ad viam quæ ducitur Retwech usque Richenheiden, & inde inter silvam de Cameric & Breidenwisen, & sic inferius usque Beiheiden, & inde usq; Engelmannescuren & ad fontem S. Humberti, & ad Engelburne, & sic usque ad Aldenbuche, & inde per rectam viam usque ad Odenburne usque ubi Bure terminatur, & inde in Gisenhelden usque ad ripam quæ cadit super molendinum, & inde usque Engelgere, & sic superius usque viam saxorum, & inde usque Fredebertisciben, usque in Renum Bruniche,] cum terris cultis & incultis, vineis, molendinis, pratis, pascuis, silvis, aquis aquarumque decursibus, viis & inviis, exitibus & regressibus, & quidquid habuimus, legali auctoritate contradidimus: ea scilicet conditione, ut pauperes Christi, inde in reliquum temporalia subsidia habituræ, æternæ vitæ subsidia nobis supplicationibus suis apud Deum possint præparare. Præterea fidelibus nostris, tam præsentibus quam futuris, notum fieri volumus, qualiter dilectissima filia nostra Irmina allodium suum, quod in Laudunensis Episcopatu, in his locis, Ludula, Ancia, Balbengeis, Wartengeis, cum omnibus appendiciis, ad eadem loca juste & legaliter pertinentibus, à sponso suo, Hermanno scilicet Comite, in dotem legali traditione suscepit, pro remedio animæ suæ & prædicti sponsi sui, ad idem monasterium, quod vocatur Horreum, cum XL mansis in ipsa Treverica valle sitis, & extra urbem istis villis, Ornava, Muntzenfeldt, Villarei, Routzourt, Winterstorff, Rubera, per nostram manum cum omni integritate contradidit; ea scilicet ratione, ut sanctimoniales inibi Deo sanctæque Genitrici ejus perpetualiter famulantes, in eisdem bonis nullius personæ, magnæ vel parvæ, violentiam patiantur; sed victum & vestitum inde semper absque omni inquietudine consequantur. Et ut hæc præsens traditio, tam sua quam nostra, stabiliorem in Dei nomine semper possit habere firmitatem; præceptum hoc inde conscriptum manu propria subter firmavimus, & sigilli nostri impressione insigniri jussimus. Actum anno DCXLVI Incarnationis Dominicæ, Indictione IV, sept. Kal. Sept. [per manus Grimoaldi Majoris-domus] anno regni Domini Dagoberti II. [Actum] Treviris in nomine Domini feliciter. Amen.

Signum Dagoberti Regis ✠

longe posterioris ævi stylum.

26 *Hactenus Horrense diploma: cujus, ut ipsi vidimus & testatur Masenius, duplex, sed eadem manu scriptum, servatur exemplum; alterum paulo brevius (in quo scilicet desunt loca, à Masenio prætermissa, & hic [ ] inclusa) scriptum in obsoletiore pergameno, cui adhæret sigillum: alterum, quod in Diatriba exhibuit Henschenius, quodque eadem prorsus manu scriptum in mundiori pergameno nec sigillum nec sigilli vestigium exhibet, sed habet illa quæ seclusimus verba, & à Trevirensibus æque habetur pro Dagobertino; qui obsoletioris nitidiorisve pergameni differentiam dicebant, non ex eo provenire quod alterum altero esset posterius, notabili longioris temporis intervallo; sed quod postremum, velut deficiente sigillo minus legitimum, parcius tritum fuerit legentium & examinantium manibus, quam primum, sæpe in judicio productum. Nunc legat, qui volet, temporis Henriciani diplomata, donationesque sub hujus nominis Imperatoribus factas; comperietque tum exordium ubique simile huic Horreensi; tum limitum accuratissime & sigillatim nominandorum sollicitudinem, tum locorum inibi expressorum nomina nominumque ortographiam, tum appendiciarum omnigenarum designationem, tum denique traditionis & confirmationis formulas aliaque innumera prorsus talia qualia in hoc Horreensi diplomate videntur, & quæ in progressu hujus tractatus, sparsim indicamus; variorum diplomatum falsorum exemplis, verorum auctoritatibus usi, ne si unum hoc*

Horreense

AUCTORE D. P.

Horreense saxum toto hoc discursu volveremus, fastidio esset lectori prolixitas, quam econtra varietas oblectabit.

27 Henriciani avi diplomata, transcripta vel impressa, inveniuntur tam multa, ut iis vel alicui eorum integre transcribendo immorari opera pretium non sit; unius tamen initium ac finem accipe ex Zyllesio, part.3 pag.41 quod est Henrici III Imperatoris de anno MLVI, In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis Henricus; divina favente clementia, Romanorum Imperator Augustus. Si locis divino cultui mancipatis alicujus honoris & augmentationis sublimentum præbuerimus, divinitus nobis remunerari procul dubio credimus. Quapropter omnium sanctæ Dei ecclesiæ fidelium, præsentium ac futurorum, solers comperiat sagacitas, quomodo &c.... Et ut hæc nostra Imperialis donatio stabilis permaneat; hanc paginam inde conscriptam manu propria corroborantes, sigillare precepimus.... Henricus autem IV sequentem mox ibidem Bullam sic finit: Et ut hoc auctoritatis nostræ præceptum firmum & stabile permaneat, manu propria corroborantes, sigilli nostri impressione insigniri jussimus. Data anno Dominicæ Incarnationis MLXV, Indictione III; anno autem Ordinationis Dominis Henrici Quarti Regis XII, regni vero IX. Actum Treviris in Dei nomine feliciter. Amen. Similia sunt omnia ejus temporis diplomata, formulis eadem, verbis nonnihil variantia, quibus suum Dagobertinum adaptavit Horrensis charta fabricator.

Invocatio sanctæ & individuæ Trinitatis,

28 Quod attinet ad formulam instrumentorum publicorum, In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis scribendorum; ea non modo non obtinuit sub primæ stirpis Regibus, sed neque sub Carolo Magno cœpit. In nomine Patris & Filii & Spiritu sancti scripta sunt, quotquot usquam extant ante Carolum indubitata diplomata & ipsius et iam Caroli. Si qua aliter inchoata ostenduntur, fidem non faciunt, utpote aliis quoque indiciis suam falsitatem prodentia. Sic ad calcem Monumentorum Paderbornensium unum ponitur datum ecclesiæ Osnabrugensi, sub sigillo vetustate detrito & data XIV Kal. Jan. anno III Christo propitio Imperii.... Indictione XI. Actum Aquis palatio publico in Dei nomine feliciter. amen. Ast aliud quod ibidem subjungitur, sub data anni sequentis Aquisgrani palatio, præmissa sanctæ & individuæ Trinitatis invocatione, si cum priori conferatur, multis modis stylum præfert ætatis posterioris, & insignes complectitur nugas, de obligatione suscipienda in Græciam legationis, imposita ecclesiæ illius Episcopo, si forte contingat ut Imperator Romanorum vel Rex Græcorum conjugalia fœdera inter filios eorum contrahere disponant, eo quod in eodem loco Græcas & Latinas scholas in perpetuum manere ordinavit Carolus, ideoque confidat numquam ibi defuturos Clericos utriusque linguæ gnaros. An pro Aquis palatio Carolus unquam scripserit Aquisgrani palatio, disputent alii, & multa quæ circa contextum prætensi hujus diplomatis quæri possent: vel sola sigilli annularis forma, longe alium Caroli vultum exprimens, quam eum Eginhartus in Vita describat, sufficit fictioni convincendæ. Sed hac de re commodius agetur infra, proposito vero atque germano ejusdem sigillo ex Sanmaximinianis tabulis.

non nisi in fictitiis diplomatis invenitur

29 Possem aliorum Carolo Magno attributorum, & ab invocatione Trinitatis cœptorum diplomatum exempla proferre, simul & eorum retegere vitia: sed credo fidem mihi habendam si dixero examinasse me plura; & cum nullum non vitiosum invenirem, quod tali inchoaretur initio; statuisse omnino verum esse, quod Carolus Magnus solitus fuerit sua diplomata aliter, ut dixi, inchoare. Ludovicus Pius, Caroli filius, primus mihi fuisse videtur, qui mutata formula scribere cœpit, In nomine Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi; Ludovicum patrem avumque Lotharius Imperator & Ludovicus Iunior secuti, idem usurparunt, vel scripserunt, In nomine Domini nostri Jesu Christi Dei æterni, vel simile quid. Ast vero Ludovicus, Ludovici pii filius alter, Germaniæ Rex, ejusque frater Carolus Calvus postea Imperator, elegerunt, & quidem quantum censeo primi; scribere In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Secutus exemplum est Carolus Crassus; exindeque ea formula obtinuit adeo universaliter, ut etiam qui pro temporibus multo anterioribus supponenda diplomata componere præsumebant, nihil se acturos plerumque crederent nisi sic inchoarent, nescientes aliud aliquid in usu unquam fuisse. Idem Horreensis diplomatis fabricatori contigit: qui dum etiam annos Indictionis Romanæ numerandos esse putavit, satis ostendit ignotum sibi quoque eorum numerandorum principium esse. Numerabant illos Imperatores Romani post Constantinum & sub iis Romani Pontifices; ac denique Longobardorum Reges in Italia, eumdem usum amplexi, tenuerunt. Francis primæ stirpis ignotæ Indictiones fuere; nec in secunda stirpe receptus earum usus prius fuit, quam Carolus Magnus, Romanus Imperator creatus, congruum duxit Romanorum Imperatorum eatenus servatam consuetudinem sequi. Idem annos sui Imperii numeraturus, addere cœpit Christo propitio: neque contentus finire apprecando feliciter, scripsit in Dei nomine, aut in Christi nomine feliciter. Amen. Quæ si invenias in chartis, majorem vetustatem & nomina Regum primæ stirpis ferentibus, scito cavendum esse ne eas pro genuinis sincerisque recipias.

usque post Ludovicum Pium.

Indictionis annos Carolus M. cum Imperio recepit.

Annus Christi, forte ab an. 737 ad 743 notari cœptus, quia Rex nullus erat.

30 De anno Christi incarnati quæsiturus, quandonam is primum accesserit diplomatis Francicis; suspicor initium aliquod ei rei datum post mortem Theodorici ultimi, anno DCCXXVII sub Carolo Martello; qui neque defuncti filium curavit coronandum, ut is nudum saltem titulum regni gereret; neque ipse, qui potestatem regiam usurpaverat pridem, titulum quoque voluit usurpare. Non habentes igitur Regem cujus annis signarent Acta publica, & videntes apud Historicos æram Christi, eo commodiorem quo posset ad omnes Christianos extendi, cœptam usurpari: quid poterant aptius facere, quam similem annos numerandi modum asciscere? Itaque si aliud nihil obstaret, haud gravate admitterem, pro sinceris Synodi Ratisponensis Acta, sic ordientia. In nomine Domini nostri Jesu Christi, ego Karlomannus Dux & Princeps Francorum, anno ab Incarnatione Domini DCCXLII, II Kalend. Maji, cum consilio servorum Dei & Optimatum meorum, Episcopos qui in regno meo sunt cum Presbyteris ad Concilium & Synodum pro timore Christi congregavi.... Itaque per consilium Sacerdotum religiosorum & optimatium meorum ordinavimus per civitates Episcopos, & constituimus super eos Archiepiscopum Bonifacium &c. Sed cum hæc omnia excedant potestatem secularem, & Principem laicum faciant conventui ecclesiastico præsidere, eaque ordinare quæ disciplinam & correctionem cleri ac monachatus concernunt, absit ut ea habeamus pro genuinis: multo minus Acta Synodi Suessionensis, quæ In Dei nomine & Trinitatis, anno DCCXLIV ab incarnatione Christi, sub die VI Nonas Martii & luna XIV, in anno II Childerici Regis Francorum, promulgare fingitur Karlomanni frater Pippinus, Dux & Princeps Francorum, circa eamdem materiam aliaque pure ecclesiastica. Extant ea quidem in vulgatis Conciliorum collectionibus, atque ac alia spuria non pauca, suisque Annalibus haud indigna Baronius censuit: sed, quod salva tanti scriptoris reverentia dictum sit, severiori fuerant examine ponderanda, nec propter eam quam præferunt speciem utilitatis, statim recipienda.

non satis probatior ex Actis synodi Ratisponensis aut Suessionensis.

31 Interim censeo annum Christi, si fuit cœptus notari a Francis tempore septennii inter Theodorici mortem & Childerici coronationem medii (quod vellem exemplis certis doceri posset;) rursum plane cessasse sub Childerico, quamdiu ille Regis titulum gessit; proinde sicut Suessionensium Actorum fictio se prodit per lunam, principio annotatam, præter omnem publicorum Actorum formam; sic & suspectam se reddit per annum Christi, anno Regis adjunctum. Postquam vero Francorum Regnum a Merovingicis ad Carolingos translatum fuit,

Talis anni numerum neque Karolo Magno,

AUCTORE D. P. *fuit, jamque per annos regni ipsorum signarentur Acta, satis id fuit Pippino Regi, Carolo, Ludovico, Lothario Imperatoribus: nec eorum quisquam invenitur annum Christi notasse, nisi in iis scriptis quorum mala fides multis etiam aliis argumentis se prodit, Talia sunt plurima quæ alias legimus apud Alexandrum Wilthemium ex Chartulario transcripta cœnobii Gorziensis, in quorum uno post* signum Hludovici serenissimi Regis *sunt subscripta hæc verba:* Ego Durandus ad vicem Helizaar recognovi. Data x Kalendas Aprilis, anno ab Incarnatione Domini DCCCXV, Indictione VIII, Epacta VII, Concurrente II, anno vero II regni Hludovici Imperatoris. Actum Aquisgrani palatio regio feliciter. Amen. *Vides non solum expressos annos Indictionis & Christi, sed etiam numerum Concurrentis & Epactæ: quarum tamen nullus unquam usus fuit in hujusmodi scripturis regiis, imo nec in politicis ac publicis ullis, quod ego quidem sciam. Notabile porro est, quod omnia diplomata Gorziensis istius Chartularii sic sint interpolata, ut etiam in iis quæ ante Carolum Magnum condita describuntur invenire possis annos Christi notatos, & Concurrentes atque Epactas ubique signatas, quasi per hoc salva essent omnia ad fidem obtinendam.*

neque Ludovico Pio

32 *Ast nihil ejusmodi habent sincera Ludovici Pii scripta in San-Maximiniano Archivio & Annalibus inde collectis, quæ omnia* Durandus Diaconus ad vicem Helisachar recognovit, anno, Christo propitio, imperii Domni Hludovici, piissimi Augusti III, IV, V, VI & XI Indictione IX, X, XI, XII, & II. *Eadem testandæ recognitionis forma, ab eodem Duranto vicem Helizachar Archicapellani gerente plerumque usurpata, invenietur, tum in duobus instrumentis Benedicto Andegavensi expeditis Salmantiaci in agro Laudunensi atque Compendii, & à prælaudato Wilthemio transcriptis; tum in altero apud Beslium de Regibus Aquitaniæ in probationibus pro anno Imperii IV ex Tabulario Lemovicensi pag. 18, tum alibi sæpius. In quibus omnibus cum semper unus idemque inveniatur modus inchoandi,* In nomine Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi, *unus item idemque signandi ac finiendi modus jam expressus, & nomen semper inchoetur per H quod & Regium monogramma & sigillum principaliter repræsentat; non potest mihi non esse suspectum, unum quod præ aliis omnibus Zyllesius protulit, in quo semper scriptum* Ludovicus *absque H, idque sub invocatione* Sanctæ & individuæ Trinitatis, *absque nota* Indictionis, & Durandus (*Donandum perperam legit Zyllesius*) Diaconus recognovit, *non ad vicem Helisacharis ut alias, sed quasi propria auctoritate. Interim tam est verum, quod ante Caroli Magni nepotes nullus Francorum Regum aut Imperatorum annos Christi notaverit, ut nec nepotum præcipuus Hlotharius eamdem inveniatur usurpasse, cujus rei exemplum videbitur infra num. 51, ubi dabitur integrum de villa Bettinga privilegium, etiam æri incisum.*

aut Hlothario Imperat. usurpatum

primus apud nos scribere cœpit Lotharius Rex,

33 *Primus inter eos sub quorum potestate Treviri fuere, qui signate annum Christi expresserit, (quantum hactenus quidem scrutando cognovi) fuit Lotharius Hlotharii Imperatoris filius tertio genitus: cui attributa à suo patre pars regni, Lotharingiæ appellationem à nomine ejus obtinuit. Hic autem Lotharius resumpsit veterem inchoandorum diplomatum formulam,* In nomine Patris & Filii & Spiritus sancti, *& in favorem San-Maximiniani monasterii* Chartam scribi & annuli impressione muniri *jussit, cujus ectypo infra exhibendo juvenies hæc verba subjecta* Ego Grimlandus ad vicem Adventii Archicapellani recognovi. (*Erat is Adventitius Ecclesiæ Metensis tunc Episcopus*) Data Metis civitate, XVII Kl. Maji, anno Dominicæ Incarnationis DCCCLXVIII, Indictione I, anno Serenissimi Regis Lotharii XV, in Dei nomine feliciter. Amen. *Lotharii Regis Fratres Karolus & Ludovicus annis Christi notandis iterum abstinuerunt: in Germania resumpta citius consuetudo est illius notandi, & in perpetuum stabilita: in Francia ante annum Christi MLX nemo invenitur ex Regibus usque ad Philippum I annos Christi notavisse, ne quidem in San-Dionysiano chartulario, cui tamen Indictionis annos ferme ubique infartos reperias. Unde colligi datur, vetustiorum Regum chartas ibidem nunc asservatas, vel ante istius consuetudinis inductæ tempus fuisse transcriptas & interpolatas; vel eumdem scriptorem interpolatoremque de industria abstinuisse signandis Christi annis, gnarum quam id esset ab antiquioris temporis usu alienum: Indictiones autem notavisse, quod putaret eas etiam à primis Francis fuisse observatas, utpote institutas à Constantino primo Imperatore Christiano.*

quod Franci circa 1060 etiam receperunt,

Prædictis accedit alia convictio contra dipl. Horreense

34 *Hæc porro de initio notandorum in diplomatis Regiis annorum Christi & Indictionis, non ideo tam accurate descripta hic sunt ut Masenii objectioni fiat satis: sed ad majorem & evidentiorem lectoris instructionem: cui de hac veritate propter multitudinem vitiosorum diplomatum, tales annos notantium forsitan posset oriri dubitatio, an non aliquando antiquis isti Reges tales annos notaverint; cum constet Dionysium exiguum, Christianæ Æræ inventorem primum, floruisse circa annum* DXXXIII, *& S. Willebrordum ad suum Kalendarium propria manu signasse sui adventus in Franciam, ordinationis in Episcopatum, & memoriæ istis descriptæ annos ab Incarnatione Domini* DCXC, DCXCV & DCCXXVIII; *atque hujusmodi temporariam tabulam describi jussisse usque ad annum* DCCXCVII. *Venerabilem denique Bedam, qui anno* DCCXXXV *è vivis abiit, scimus sua historia Anglicana annos Christi intexuisse, tamquam rem suo tempore usitatam saltem apud eruditiores monachos. Propius ad arguendam Horreensis subscriptionis falsitatem faciunt hæc verba, alteri exemplarium inserta,* per manus Grimoaldi Majoris-domus: *quia Grimoaldus B. Pippini Senioris filius, SS. Gertrudis & Beggæ frater, non gessit titulum Majoris-domus in Austrasia ante obitum patris, id est non ante annum* DCXL. *In Neustria vero,* cum Regina Nanthilde, quam Dagobertus reliquerat, regebat Palatium Æga, *tamquam ibidem Major-domus. Accedit ex illius seculi ac sequentium usu, tum ipsam hanc formulam,* per manus, *Pontificiorum diplomatum esse, non Regiorum; tum munus non fuisse* Majoris-domus, *sed* Archicapellani, *vel, ad vicem hujus,* Cancellarii, *id est* Secretarii, *diplomata recognita subsignare. Denique Rex Dagobertus in San-maximiniano diplomate de seipso non nisi in numero singulari loquitur; nec ullum hactenus diploma reperi, satis sincerum, quod persuadeat antiquiorem Regem aliquem Francorum, vel ipsummet Dagobertum aut filios ejus, Sigibertum & Chlodovæum, plurali numero usos fuisse in diplomatis scribendis; adeo ut ea loquendi forma credi possit primum suum initium sub Dagoberti nepotibus habuisse, si tamen satis certa sunt etiam illa instrumenta, quæ sub eorum habentur nominibus.*

ex Grimoaldo Majore-domus,

& usu pluralis pro singulari,

CAPUT III.

Horreensis membranæ impostura ex ipsa characterum forma dijudicanda proponitur.

Ectypa chartarum San-Maximiniana

35 **N***Unc ego attentum, non tam lectorem, quam spectatorem deposco, ut ipso oculorum arbitrio dignoscatur discrimen ingens, inter eam quam Horreense diploma mentitur ætatem, & quam ipsa litterarum ac Regii monogrammatis forma indicant. Incipio à forma litterarum: ac primo exhibeo San maximinianæ membranæ initium ac finem, qualiter ea ex autographo, non tam descripsit quam depinxit accuratissimus quem supra laudavi patriarum antiquitatum scrutator Alexander Wilthemius. Tum Horreensis membranæ initium cum parte subscriptionis, qualiter ea ad me misit Henricus Turck p. m. tunc cum Treviros accessimus & Horreenses chartas coram vidimus, nostra ibidem Societatis Rector: qui assumpto secum Ioanne Dirking, nostra item Societatis tunc Græcarum litterarum professore, nonnullum delineandi usum habente, cum bona Abbatissa D. Irminæ*

& Horreensis qua fide accepta,

Pistordia

Pistoriæ gratia, id solum curavit exprimi, quod brevitas concessi sibi temporis permittebat; & intento meo satis fore judicabatur. Hac de re prænominatus ejus socius ad me scribens, Conatus sum, *inquit*, singula perquam accurate primum ad fenestram vitream, ut litteræ per suppositam membranæ chartam transparerent, dilineare singula: tum, separatâ à pergameno chartâ, unumquemque characterem sigillatim pressiore calamo sum remensus: quos si ære incidendos curare velis, secure id facere poteris. Admiratus enimvero etiam sum diploma, mille annis antiquius (*sic enim credebat ipse, nec sciebat habere me, cur dissentirem, rationes*) adeo illæsum integrumque perstitisse, litteris omnibus tam perfectis ac vividis. Sigillum tamen cereum, fugiens erat & obtritum, ideoque illud non potui repræsentare satis distincte: similis nihilominus est effigies illi quam ruditer delineavi. *Sed, ô! quam dissimilis à vero veri Dagoberti sigillo! Et tamen bonus Masenius, non dubitans de Horreensis membranæ veritate, nihil se peccaturum credidit, si pro obscuris illis Horreensis ceræ & quidem longe minoris ductibus, repræsentaret formam San-maximiniani sigilli, tamquam si illud ipsum etiam Horreensi membranæ impressum inveniretur. Majorem à nobis inibit gratiam, qui Horreense sigillum, sic uti nunc invenitur extritum exprimet accurate, quomodo inferius expressum videbitur Henricianum unum in tabula 5, nullo addito ductu qui in cera non appareat.*

in hoc diversum à priori sigillo

& monogrammate;

36 *Monogrammaticum porro signum nominis Dagobertini, quam est in San-maximiniano diplomate ipsi nomini ac primæ stirpis Regum tempori congruum, tam ab utroque diversum subjungitur Horreensi; ubi conjectando difficulter invenias litteras ipsius nominis, difficilius autem easdem colligas; formam vero notes quadratam, quæ post Carolum Magnum cœpta usurpari, ad similitudinem istius Horreensis vix demum pervenit seculo* XIII *aut* XIV. *Sed hæc infra plenius declarabuntur: prius enim agendum est de ipsis litteris, tum iis quibus proponitur* sanctæ & individuæ Trinitatis *invocatio, &* signum Dagoberti, *ex parte repræsentatur; tum quibus hæc verba exprimuntur,* Dagobertus divina præordinante providentia Rex, *quibus etiam respondet reliquus prætensi istius diplomatis contextus. Postrema, ut non sunt toto genere diversa, ita sub eadem Teutonici characteris specie ab hodierni usus ductibus adeo parum recedunt, si solam litteram* r *excipias, ut annorum quadringentorum ætatem ægre eis ausis conjectando tribuere. Priores at ceteris longiores, & quadam affectata antiquitatis barbarie implexa, speciem habent vetustatis majoris; præcipue vero longissimæ illæ & unciales litteræ, quæ tres in principio, & plures in fine ad subsignationem, fuerunt adhibitæ. Sed has alieno tempori suppositas esse, ipse ille enormis excessus longitudinis probat, qui in San-maximiniano nusquam notatur, & primum initium videtur habuisse à Carolo magno.*

diversa quoque litterarū forma;

37 *Age autem de forma litterarum, eo tractu usurpatarum qui olim Austrasiæ nomine censebatur, potissimum Treviris & vicinis provinciis; quoniam quæstio est de instrumento, quod Treviris scriptum fuisse prætenditur. Ut ergo demonstrarem in publicis privatisque scripturis, Dagoberti I ævo, haud alias fere litteras usurpatas, quam quibus San-maximinianum diploma exaratum cernitur, quæque succedentium sibi seculorum fluxu paulatim evaserint molliores planioresque; utriusque generis quærenda fuerunt exempla. Et privata quidem scriptura nullum certius exemplum optare debui, quam quod tot annis fuit in manibus nostris, quodque media sui parte pridem habetur viginti quinque æneis insculptum laminis, Hieronymiani martyrologii vetustissimum ecgraphum. Hoc enim quin vere scriptum sit Epternaci, per S. VVillibrordum fundato & tribus ab civitate Trevirensi leucis dissito monasterio, dubitare non possumus, quando animum advertimus ad verba in Præfatione Generali ante Ianuarium cap. 4 § 4 à Bollando transcripta (prout illa eâdem antiquâ manu sed charactere paulum minori in margine Codicis ipsius legebantur ad Kalendarium Martyrologio subjectum, tamquam anno Incarnationis* DCCXXVIII *appositâ)* Clemens Willibrordus:... anno DCXCV ab Incarnatione Domini; quamvis indignus, fuit ordinatus Episcopus in urbe Roma, ab Apostolico viro Domno Sergio Papa. *Unde enim, quamvis indignus, adscribi potuit priori exemplari, nisi ab ipsius S. VVillibrordi manu? Ubi autem nisi Epternaci? cum extremos vitæ suæ annos, atque adeo etiam annum Christi* DCCXXVIII, *Epternaci & circa Treviros egerit Apostolicus Præsul.*

quam genuinum in San-maximiniano inveniri, non in Horreensi.

probat specimen ex Martyrologio Epternaci descripto

circa annum 740

38 *Quod si priori exemplo, tali anno & loco id adscriptum probatur; consequens est, ut eodem quoque loco transcriptum fuerit hoc de quo agimus ecgraphum, eo solo discrepans ab exemplo VVillebrordiano, quod hoc in Anglia scriptum anno* DCLXXXIV *(ut indicat Paschalis tabula Kalendario adjuncta ab isto anno incipiens & ad annum* DCCXCVII *dumtaxat pertingens) additionibus quibusdam partim in fine quorumdam textuum & partim in margine auctum fuerit Epternaci, manu haud dubium diversâ; istud uniformi prorsus tam in textu quam additionibus calamo exaratum sit. Quo autem tempore? id tuis ipse oculis æstima lector, & vide num ex mollioribus aliquanto tractibus litterarum* c, d, e, s, u, *possis judicare, quod plus quam centum annis à primi Dagoberti ævo deflectat codicis hujus scriptura.*

39 *Itaque exhibeo tibi, post specimina ex San-maximiniano & Horreensi diplomatibus accepta, aliudque* XI *seculi, in specimen characteris circa Treviros privatim seculo* VIII *usurpati, ex jam dicto Martyrologii VVillebrordiani ecgrapho, Epistolas prævias Chromatii & Heliodori Episcoporum ad Hieronymum Presbyterum, & Hieronymi ad illos: quarum & veritatem ex sententia Cassiodori contra censuram Baronianam egregie vindicavit, & contextum eruditissimis annotationibus illustravit Franciscus Maria Florentinius, in laudatissima Martyrologii Hieronymiani editione. His addo ex ipsius San-maximiniani monasterii, ad civitatis Trevirensis muros siti, membranis vetustis, partem cujusdam, ut conjicimus, Diptychi,* X *seculo verosimiliter ibidem descripti, quando scilicet adhuc vivebant, quorum isthic nomina recensentur; videlicet* Otto, *Magnus ille ac primus hujus nominis Imperator;* Athalheit, *uxor ejus secunda, post annum* DCCCCXLVII *ducta;* Otto II, *Magni filius & successor, tum* Mahtild, *Magni filia ex primo thoro ac postea Abbatissa Quedlinburgensis, cujus forte soror fuerit proxima* Walburg: *sequuntur alii ex Saxonica nobilitate aulaque Ottoniana primarii viri feminæque. Quod ne per meram conjecturam dici putes, succurrunt Episcoporum, de quorum ætate dubitari non potest, coævorum nomina; & sunt,* Bruno, Archiepiscopus *Coloniensis, Magni frater;* Wiefriht, Episcopus *Virdunensis;* Gerhardus, Episcopus *Tullensis, Sanctus;* Willehelm Episcopus, *non Moguntinus Magni filius (hic enim scribi debuisset Archiepiscopus & aliis præponi) sed Mimigardifordensis seu Monasteriensis;* Everacear Episcopus *Leodiensis, alias* Everaclus *&* Heraclius, *quorum ætatibus computatis, oportet hæc scripta esse intra annum* DCCCCLXIII, *quando consecratus est Gerardus, & annum* DCCCCLXV, *quando obiit Bruno. Reliquorum hic nominatorum distinctior notitia nulla offertur, quæ potissime optanda esset circa Abbatissas. Hujus autem Diptychi & Martyrologii illius characteres inter se comparans, sicut facile judicabit hoc isto esse annis ducentis antiquius; ita utrumque conferens cum ea littera qua scriptus est cõtextus Horreensis diplomatis, haud difficulter persuadeberis, Horreensem scriptorem, quoad litteras minusculas, imitatum esse scripturam quamdam ætatis inter utrumque mediæ.*

& diptychon San-maximinianum scriptum seculo 10.

40 *A privatis ad publicas scripturas transire volenti, eo minus parabilis fuit earum copia, quo solicitius ipsæ custodiuntur. Itaque primo aliam nullam habui, cum qua Horreense diploma compararem, quam Henrici IV Privilegium, pro ecclesia S. Servatii* datum Aquisgrani Palatio, anno Dominicæ Incarnationis MLXXXVII, indictione X,

ad quod & ad alia seculi 11 scripta proprius accedit Horreense.

AUCTORE D. P.

ne x, anno Regni ejus XXXII, Imperii IV, Henrico Episcopo Leodiensi, Godescalco Trajectensi Præposito, Dudekino Decano. *Sed & in hoc non pauca se offerebant, quæ fidem ipsius originalis nobis suspectam reddebant, cogebantque dubitare ne totum & scriptum & confictum esset seculo XIII. Tamen, quia certius exemplum non suppetebat; illius qualiscumque seu veri seu falsi diplomatis primam lineam prædictis speciminibus chartæ San-maximinianæ & Horreensis subjunxi, ut ex ejus consideratione quadamtenus appareret, tantum fere à San-maximiniana recedere Horreensem, quantum ad Trajectensem accedit. Verum ubi hæc sic ari incisa conspexit Reverendissimus Abbas S. Maximini Maximinus Gulich; & consideravit, quantum monasterii sui diplomatibus antiquis, accuratissime in hunc diem conservatis; auctoritatis posset accedere, si plura hujusmodi specimina ex archivio suo depromerentur; ejus denuo scrutandi facultatem amplissimam Wilthemio nostro dedit, quam eatenus concedere recusarat; eique permisit, ut omnium quas vellet chartarum formaret ectypa, eadem ratione qua primum Dagobertinum expresserat, nobisque transmitteret.*

Vnciales litteras in principio primus Carolus M. usurpavit.

41 *Hinc nata est igitur secunda, & totam autographorum latitudinem adæquans tabula, quæ exhibet primo Caroli Magni Privilegium, pro monasterio S. Maximini datum* Patresbronnæ, fisco regio, *leucis quidem quadraginta aut pluribus Treviris dissito, sed tamen ad idem Austrasiæ regnum adjecto ipsius Caroli armis per Saxonum subactionem: in quo Privilegio videre est unciales litteras, quæ nulla in vero Dagobertino sunt, initio ac fine usurpatas; quod deinceps in usu successorum permansit. Reliquarum litterarum forma, quam parum à Dagobertinis characteribus discrepat, tam certo nostram assertionem confirmat, de simili scriptionis specie, jam inde ab initio Austrasiensis regni usque Carolum & deinceps, in scripturis publicis usurpata, sub modica leniorum paulatim ductuum declinatione. Idem probat haud multum absimile Lotharii Regis, ejus à quo Lotharingia factum est nomen, diploma alterum, in eadem tabula delibatum, scriptum* Mettis civitate, *proxima Treviris ad eamdem Mosellam metropoli, anno Dominicæ Incarnationis* DCCCLXVIII. Advencius Archicapellanus *in Lothariano notatus, Metensis ecclesiæ ac civitatis regiæ Episcopus fuit, ab anno* DCCCLV *ultra* DCCCLXX. *Qui Carolinum ipse per se* relegit Rado; *idem quod Advencius officium exercuit, nescio an etiam cum eodem titulo: nam in aliis pluribus, per alios ejus vice notatis, simpliciter dicitur* ad vicem Radoni *vel* Radonis. *Exemplum habes in nuper editis monumentis Paderbornensibus ad calcem, & plura apud Labbæum in Historia Cancellariorum Franciæ pag.87; qui etiam notat, eum in Chronica monasterii S. Vincentii prope Capuam,* Archicancellarium *dici, & in epistola quadam Hadriani I ad Carolum Magnum* Protonotarium atque Abbatem: *utique* Abbatem Nobiliacensem *seu Vedastinum Atrebati in Belgio, cujus præceptum secutus Alcuinus Vitam S. Vedasti emendare studuit, uti ad eamdem præfatur; cum scilicet multa jam canitie venerabilis Rado, institutus esset Abbas anno* DCCXCV.

aliique post eum.

quorum hic dantur specimina,

omissis Pipini & Ludovici suppositiis chartis,

42 *Duo hæc Caroli & Lotharii diplomata, quam nobis sunt indubitata, tam falsa videntur alia duo, ipsorum parentibus Pippino Regi ac Hludovico Pio Imperatori attributa apud Zyllesium; omnino enim supposita dixeris pro veris eorumdem privilegiis, quorum perierunt originales membranæ, neque notitia ulla indubitabilis superesset, nisi paternarum præceptionum meminissent filii in suis: quæ unicum credo fuisse aliorum refingendorum fundamentum. Pippinianum certe quod ostentatur privilegium, litteris quidem ad ævi sui similitudinem satis apte efformatis expressum est; sed prorsus deficit ab regiorum diplomatum stylo, signanterque in fine ac principio; nec tantum caret subscriptione regia cum monogrammate (quod etiam Lothariano vero privilegio accidit) unde solum colligimus Rege jubente quidem sed absente expeditum; verum etiam impressum habet sigillum prorsus fictitium, cum circumscripto* ✠ PIPINUS IMPERATOR, *quod nescio quomodo alicui in mentem venisse potuerit. Hludovicianum cur admitti pro genuino non possit dixi supra num.33.*

43 *Ne vero de ipso quoque Carolino dubitet aliquis, corrigendus est Zyllesius, & pro* anno regni quadragesimo, *legendum* undecimo. *Nam quod Zyllesius credidit esse* XL, *revera est* XI, *prout demonstrari potest ex sæpius recurrente littera* l *& verticem longe aliter inflexum habente. Annus autem Caroli* XI *pro mense Augusti, quo datum est Privilegium, est annus Christi* DCCLXXIX. *Eadem correctio videtur adhibenda Marquardo Frehero, in Monumentis Lupodunensibus referenti pag.23 donationem, quam Erkanbalt Presbyter fecit monasterio Laurishamensi,* Anno XL regni Domni Karoli Regis nostri gloriosi, *ubi solus Regis titulus parum idoneus foret, nisi annus* XI *legatur. Is certe annus in hoc San-maximiniano Privilegio legi debet, utpote scripto Padresbronnæ in Saxonia, quo Carolum excurrisse anno regni* XL *non patiuntur historici, quotquot ejus gesta per annos explicarunt. Annus enim regni ejus primus (initium sumens vel ab obitu Pippini patris, qui accedit anno* DCCLXVIII XXIV *Septembris, vel à Coronationis die quæ fuit* IX *Octobris) ad sequentis anni* DCCLXIX *autumnum extenditur; adeoque Augustus mensis, quo datum fuit diploma jam dictum, si ad annum regni* XL *differatur, dicendus erit ad annum Christi* DCCCVIII *pertinere. Atqui anno isto (ut expresse scribit auctor Annalium, à du Chesne ex Ms. Thuano editorum, & ab anno* DCCXLI *ad* DCCCXIII *deductorum)* Imperator, ædificatis per legatos suos super Albim fluvium duobus castellis, præsidioque in eis contra Slavorum incursiones deposito, Aquisgrani hiemavit, Natalem Domini & sanctum Pascha ibidem celebravit, *utique die* XVI *Aprilis, sicut prius Pascha Neomagi actum erat* XXVIII *Martii. Nec ante annum* DCCCX *Imperator revisit Saxoniam.*

Ex illis Carolinum, in Augusto datum, anno regni, non 40,

44 *At vero anno* DCCLXXVII *Christi & regni anno* IX *adhuc currente, Carolus, cui eo tempore annuæ fere erant expeditiones in Saxoniam, ibidem fuit, &* Maji campus in Saxonia ad Pedebrunna *est celebratus, ut habent Annales vetustiores ab anno* DCCVII *ad* DCCXC *ducti; sive ut Annales Petaviani, ad* DCCCVI *protracti, explicant;* Habuit Carlus conventum Francorum, id est Magis-campum; in Saxonia, ad Padresburnon, & ibi paganorum Saxonum multitudo maxima baptizata est. *Et iterum anno* DCCLXXIX *Christi, regni vero* XI *(eo scilicet de quo agimus, & quo datum esse San-maximinianum privilegium asserimus)* fuit Mai campus ad Dura: & Franci cum Carolo Rege eorum in Saxoniam jam absque bello: *sive, ut posterius citati Annales habent,* Carolus Rex iterum in Saxonia usque ad fluvium Wiseraha: & Saxones pacificati dextras & obsides dederunt. *Eginhartus, in ipsius Caroli aula enutritus, ejusque gesta per annos digerens, rem totam clarius & distinctius explicat his verbis:* Rex... animo ad Saxonicam expeditionem intento Duriam venit, habitoque juxta morem generali conventu Rhenum trajecit, & usque ad Lippiam cum exercitu pervenit. Cui cum Saxones in quodam loco, qui Bucholt vocatur, vana spe ducti resistere tentarent, pulsi fugatique sunt. Rex Westphalorum regionem ingressus omnes eos in deditionem accepit. Inde ad Wiseram veniens, castris positis in loco nomine Medufulli; stativa per aliquot dies habuit. Ibi Angari & Ostfali venientes & obsides dederunt & sacramenta juraverunt. Quibus peractis Rex trans Rhenum ad Wormaciam civitatem in hiberna se recepit. *Æstatem ergo in Saxonia adeoque & Augustum mensem, quo diploma datum, transegit Carolus; & dubitabimus credere eodem tempore in itu & reditu vel saltem alterutro fuisse Paderbornæ, ubi ante biennium comitia celebrarat, & fiscum seu palatium suum habebat? cum solis sex vel septem leucis urbs illa distet à ripa Wiseræ.*

sed 11,

quando ad Wiseram usque venit,

in æstate anni 779;

45 *Causam*

45 *Causam tamen dubitandi de præsentia Caroli Paderbornæ anno regni ejus* XI, *forte prætexet aliquis ex prælaudato Eginharto, ipsiusque Caroli Epitaphio, ad finem Vitæ relato, quo dicitur*, quod regnum Francorum nobiliter ampliavit, & per annos XLVII feliciter rexit: decessit *vero* anno ab Incarnatione Domini DCCCXIV Indictione VII, V Kalendas Februarias: *quæ videntur non posse subsistere, nisi primi anni* DCCLXVIII *tres ultimi menses pro anno computentur, itemque ultimi anni* DCCCXIV *unicus mensis pro anno, sic enim inveniendi sunt* XLVII, *qui in rigore loquendo solum fuerunt* XLV *& menses* IV. *Hinc porro sequeretur, talem numerandi modum ab ipsomet Carolo servatum in publicis actis, adeoque annum regni* XI *dicendum esse Christi* DCCLXXVIII; *quem non in Saxonia, sed in Hispania à Carolo traductum esse constat: & sic nec isto quidem, quem dicimus*, XI *regni anno diploma prædictum potuisset esse Paderbornæ signatum. Ad hujus nodi solutionem volo primum manere extra controversiam, quod passim omnes tam Reges quam Pontifices & Episcopi, à die suæ evectionis communiter numerarint, uti etiam nunc numerant, annos Regni, Pontificatus ac Sedis suæ, nulla habita ratione anni civilis vel ecclesiastici, suum seorsim principium habentis: & sicuti diei illius tamquam Natalis sui annuam lætitiam celebrabant, & Romani Pontifices etiam nunc celebrant, gratulatione publica; ita & in eo mutasse ac mutare numerum anni publicis Actis inscribendi. Quid igitur Carolus? Dico eumdem morem ipsum tenuisse, & annos regni ab Autumno in Autumnum numerasse, quamdiu solum Regis titulum gessit. At vero cum in Natali Domini, Kal. Ianuarias anni* DCCCI *præcedente, Imperator Romæ coronatus esset ac salutatus; nobiliorem jam Natalem nactus, quem deinceps teneret, ut is cum annis Imperii, quorum tunc primum auspicabatur, pari progrederetur passu, & solum semel in unoquoque anno communis formula notarialis mutaretur; tres menses, ex anno* XXXIII *Regni jam decursos & eatenus notatos, dimisit pro anno integro, & annum Regni* XXXIV *cum anno* I *Imperii conjunxit.*

& solum in Octobri incipiebat 12 annum regni

licet postea annum I *Imp. conjungens cum 35 regni, utriusque ab anni 801 initio sit exorsus,*

46 *Idem quin fecerint quotquot annos regni, pridem numerari cœptos, post acceptam Imperii coronam novo illi annorum numerandorum initio conformare debuerunt, nequaquam dubito; sed non vacat omnia singulorum percurrere diplomata, ut ex iis hæc veritas comprobetur. Pro omnibus sit nobis Otto primus. Hic anno Christi* DCCCCXXXVI, *exeunte Iunio, heres & Rex coram omni populo declaratus à patre, mortem instantem præveniente; in diplomatis apud Zyllesium, anno* DCCCCXL, III *Nonas Iunii, & anno* DCCCCXLIII, *Kal. Februarii, annos regni sui numerat* IV *&* VII, *tamquam adhuc durantes usque ad finem Iunii. In eo autem quod apud eumdem Zyllesium legitur datum Veronæ*, III *Kal. Aprilis anno* DCCCCLXX, *quando adhuc currere debebat annus Regni* XXXIV, *numerat annum* XXXV. *Scilicet sub initium anni* DCCCCLXII *Romæ coronatus Imperator, exindeque incipiens annum Imperii primum nominare; abrupto regni anno* XXVI, *qui solum dimidius effluxerat; incepit numerare annum* XXVII, *ut esset idem initium annorum regni & Imperii: & sic cum anno regni* XXXV, *conjungitur annus Imperii* IX.

quod idem fecisse invenitur Otto I.

47 *Atque hæc sufficiant, ut in San-maximiniano Caroli Privilegio annum regni* XI *posse ac debere intelligi, adeoque ipsum nulli dubitationi esse obnoxium, manifesto pateat. Nunc reliqua quæ sententiam confirmant argumenta, ex eodemmet instrumento sumenda, percurram paucis. Ac primo circa titulum testimonium feret Eginhartus, in Annalibus sic loquens*; Cum die sacratissima Natalis Domini ad Missarum solennia basilicam B. Petri Apostoli fuisset ingressus *Carolus*; & coram altari, ubi ad orationem se inclinaverat, assisteret; Leo Papa coronam capiti ejus imposuit, cuncto Romanorum populo acclamante; Karolo Augusto, à Deo coronato, magno & pacifico Imperatori Romanorum, vita & victoria: ac deinde, omisso Patricii nomine, Imperator & Augustus appellatus est. *Itaque non jam amplius exorsus est diplomata sicut in San-maximiniano vides; sed hac vel simili phrasi; quæ datum legitur in Monumentis Paderbornensibus Osnabrugense privilegium*, Karolus Serenissimus Augustus, à Deo coronatus, Magnus Pacificus, Romanum gubernans Imperium, qui & per Misericordiam Dei Rex Francorum & Longobardorum. *Deinde pro eo quod antea dicebatur* Signum Karoli gloriosissimi Regis; *postea notabatur* Signum Karoli piissimi ac gloriosissimi Imperatoris: *& ubi simpliciter scribebatur* data mense Augusto *v. g.* XI anno regni nostri; *cum pompa multo majori in prædicta Osnabrugensi charta legitur*, Data XIIII Kal. Ianuarii, anno III Christo propitio & XXXVI regni nostri in Francia, atque XXX in Italia Indictione XI. *Ubi annus* XXX *regni Italici, qui ante Majum istius anni nominandus fuisset, similiter ut annus regni ad initium anni Imperatorii retractus invenitur. Sed nota, quod distinctio annorum Francici atque Italici regni seorsim numerandorum; non fuerit è Carolo usurpata ante susceptam Imperii coronam, saltem in diplomatis cis Alpes conditis; quare non mireris Italici regni annum in San-maximiniano privilegio non exprimi.*

Eadem privilegii Carolini ætas probatur ex formulis

AUCTORE D. P.

aliis quam quibus postea Imperator est usus.

48 *Quoad vultum in sigillo expressum, cum apud Zyllesium nullam formæ venustioris gratiam, quæ etiam seni Carolo fuit, rugisque exaratam frontem viderem; non fui ausus talem exprimere, qualem forsitan Zyllesius sibi imaginabatur, juxta errorem quo credebat anno Regni* XL *scriptum Privilegium; sed curavi à peritissimo pictore eumdem ab originali quam fidelissime exprimendum, eo successu ut Wilthemius judicaverit non posse majorem similitudinem optari. Est autem vultus, amabilis majestatis plenus, ac propter rasam ad cutem barbam propemodum juvenilis. Neque vero credendum ullo modo est, barbam aliquando aluisse Carolum: nam quomodo alias de ea nihil notasset Eginhardus? Hic autem hujusmodi Caroli staturam describit in fine Vitæ apud nos num.* 27 Corpore fuit amplo atque robusto..... apice capitis rotundo, oculis prægrandibus ac vegetis, naso paululum mediocritatem excedente, canicie pulchra, facie læta & hilari: unde formæ auctoritas tam stanti quam sedenti plurima acquirebatur: & quamquam cervix obesa & brevior, venterque projectior videretur, tamen hæc ceterorum membrorum celabat æqualitas. *Quod si hæc fuerit jam cano & seni in vultu decor amœnitasque, quanto magis in ipso virilis ætatis flore? Marquardus Freherus apud Duchesne tom 2 fol.* 231, *summi & eminentissimi, non solum in Augustana republica sed in omni regno litterario viri (Marcum Velserum intelligi credo) epistolam ad se datam recitat, quæ* barbam non pavisse Carolum *confirmat* veteri moneta Carolina, puro mento, *& addit*: Non nego fieri potuisse, ut interdum tonsoris negligentia mentum & labra pili nonnihil inumbrarent: hac enim specie Romæ in musivo opere illius ætatis conspicitur: sed prolixam & squallidam barbam abominor.

ejusdem in veris sigillis vultus barba semper rasa.

49 *Talem tamen vulgo jam ei attribuunt pictores sculptoresque, & talem exhibent sigilla quædam ex archiviis monasteriorum S. Dionysii & S. Germani de pratis pro anno Regni quinto, quæ sequitur & allegat Iacobus de Bie inter effigies Regum Francorum æri incisas; talemque pro anno regni* XXXVII *refert Osnabrugense diploma secundum, in monumentis Paderbornensibus, cujus vitia supra notavi. Quæ omnia non esse vera authenticorum diplomatum sigilla, non tantum ex silvescente barba notes, sed etiam ex longiori colli spatio quam Eginharti descriptio ferat; itemque ex vertice turbinato potius quam globoso. Idem Iacobus de Bie alio in opere, cui Francia Metallica titulum fecit, à Faramundo exordiens, nummos Francorum Regum proponit; sed tales omnes, ut præter paucos Caroli VII ne unus quidem inter omnes sit, qui veræ antiquitatis speciem aliquam præferat. Nam si excipias formam Romani sagi, Francis*

qui in adulterinis aliquibus juxta vulgi opinionem plene barbatus,

perperam

AUCTORE D. P.

perperam injecti, cetera vestes profana ac sacra, viriles ac mulieres, urbana atque castrenses, ipsarumque loricarum ac cetera armatura equestris formas, ubique tales videntur, quales ex more usus hodierni pleraque pingerentur; adeo ut neque Romanis Pontificibus tiara triplicis, & altius fastigiata mytra Episcopis, nec lilia per togam sparsa fecialibus, nec denique annus Christiana Æra jam inde ab anno DCCLIII constanter subscriptus desideretur. Quare nihil dubitem affirmare, exempla istarum expressionum, sibi perfectissime quoad elegantiam, vestitum, charactetem similium, si qua vere habentur aurea, argentea, æneave, novissima quadam esse inventa, & indigna qua veris historiis admisceantur; ideoque parum curandum, quam macilentus istic Carolus, quamque barbatus conspiciatur.

50 Carolino Privilegio in hunc modum defenso & explicato, subjungo Hlotharii Imperatoris Privilegium, sicut privato cuidam subdito datum, sic in minori membrana minori charactere expressum quam priora, minori etiam sigillo quantum (ex vestigio colligere licet) consignatum: cujus formam quoad linearum mensuram, non fuit opera pretium observare curiosius. Itaque primam ultimamque lineam, exhibeo in tres partes divisam: eam vero, qua Regis atque Notarii Regii subsignatio continebatur, bifariam secui, ut majori tabula secutura commodius præponatur. Ad meliorem ejus intellectum nota, Hlotharium Imperatorem numerasse annum in Italia primum post DCCCXVII, quando ab Ludovico patre dictus mense Iulio est Imperii consors; primum vero in Francia, ipsum quo suus pater in Iunio obiit annum DCCCXL; unde ex anno qui hinc III, inde XXV est, annus Christi DCCCXLIII exurgit pro mense Martio, quo fuit hoc Privilegium Aquisgrani scriptum. Tenorem reliquum, quoniam alibi impressus nusquam extat, à Wilthemio nostro descriptum ex autographo, quod in archivio quoque S. Maximini servatur, hunc habe: Igitur omnium fidelium sanctæ Dei Ecclesiæ ac nosttorum, præsentium scilicet ac futurorum comperiat industria, quia Matfridus fidelis ministerialis noster, ad nostram accedens Majestatem, deprecatus est, ut cuidam fideli nostro, Fulcrado nomine, quasdam res nostræ proprietatis, in pago Eifiense constitutas, concederemus ad proprium. Cujus petitionem propter suæ fidelitatis meritum libenter acquiescentes, hos excellentiæ nostræ apices decrevimus fieri, per quos in memorato pago, in villa quæ Bettinga nominatur jam fato Fulcrado mansum indominicatum unum, ad quem pertinere noscuntur alii mansi VIII, quos ipse prius beneficiario possedit munere, cum eorum pertinentiis, scilicet cum ecclesia, domibus ceterisque ædificiis, terris cultis vel incultis, silvis, campis, pratis, pascuis, aquis aquarumve decursibus, ad molendinum exitibus & regressibus, mancipiis utriusque sexus & ætatis ad eos pertinentibus, nec non & cum reliquis appendiciis, concedimus ad proprium, & de nostro jure in jus ac dominationem illius transfundimus; ita videlicet ut quidquid ab hodierna die & deinceps ex eis facere, ordinare, atque disponere voluerit, liberam in omnibus habeat potestatem, sicut & de reliquis hereditatis suæ rebus, ita dumtaxat in nostra inviolabiliter persevere ut fidelitate. Et ut hæc nostræ largitionis auctoritas firmior habeatur, manu propria subter firmavimus, & annuli impressione adsignari jussimus nostri.

Hlotharii Imp. Privilegium

51 Hactenus dictum Hlotharii Imperatoris Privilegium, post quod sequuntur in ultimo folio expanso duo alia Privilegia Ottonis I & Henrici III; ex quibus Henricianum quidem in Zyllesio legi totum potest æque ac Carolinum & Lotharianum prægressa: Ottoniani tenor hujusmodi est I. N. S. E. I. T. Otto D. F. C. I. A. Noverit omnium f. n. t. p. q. f. industria, quatenus nos.... pro statu & incolumitate Regni vel Imperii nostri filiique nostri charissimi Ottonis, quamdam villam de proprietate almi Confessoris Christi Maximini, in comitatu vel suburbio Trevirorum sitam, Ad-valles nominatam, quam antecessor noster divæ memoriæ Dagobertus Rex Francorum, pro suæ animæ absolutione, uti singulis Kalendis pro eo vigiliæ agerentur, monachique Deo & S. Maximino famulantes in eisdem Kalendis inde pascerentur, sed & æstivo tempore post meridianam quietem, ob ejus memoriam, inde vini vel potus clementia reficerentur, regali munificentia obtulit; multis retro temporibus ab antecessoribus nostris in beneficium datam; monachis Deo sanctoque Maximino famulantibus, in cœnobio, quod in suburbio Trevirorum situm est, ex toto & integro Imperiali benevolentia concedimus & remittimus: & ut calices aquæ, quos hactenus ob paupertatem, pro calicibus vini quos Dagobertus Rex instituit, accipiebant, in antiquum & pristinum statum redeant & mutentur, volumus & firmiter jubemus: ita sane nostra Regia vel Imperatoria auctoritate jubentes, ut prænominata villa cum integritate, sicuti à prædicto Rege Dagoberto sancto Confessori Christi oblata est, monachis prælibati cœnobii perpetualiter deserviat; nullusque successorum nostrorum eam hinc auferre aut in beneficium dare præsumat; ut nobis in Regni negotiis occupatis, monachos eo devotius pro nostra salute Dominum exorare delectet. Et ut hoc nostræ auctoritatis præceptum firmum & stabile permaneat, chartam hanc conscribi & annuli nostri impressione signari jussimus, quam & propria manu subtus firmavimus. Si plus quam unius Dagoberti memoria in San-maximinianensi obituario recoleretur, dubitare possemus primine an secundi Dagoberti ea donatio fuerit, quam Otto renovavit: nunc, quia unius ejusque primi mors ibidem recolitur, tutius est ad eumdem primum etiam hanc liberalitatem referre, & credere, aliquantis post primam dotationem annis hoc ei auctarium accessisse. Qui autem Ottonis Archicapellanus fuit, cum ista firmarentur, Willihelmus; fuisse videtur ipsiusmet Imperatoris filius naturalis, anno DCCCCLIV factus Moguntinus Archiepiscopus.

aliaque duo Ottonis I & Henrici 3 producuntur

52 Porro diplomata ista Ottonis & Henrici eatenus solum delibavimus, quatenus satis est, ut à primo Dagobertino usque ad ultimum Henrici quarti, gradatim molliores considerans characteres, omnino convincatur, verum esse quod principio demonstrandum assumpsi, eum qui Horreensem chartam scribere præsumpsit, non habuisse præ oculis scripturam aliquam Dagobertinam, sed longe recentiorem aliam, ætatis scilicet Henricianæ. Nam, ut non loquar de mollitie litterarum quibus exprimitur Dagobertus divina præordinante providentia Rex; crispati illi characteres, quibus ex parte Signum Dagob. &c. exprimuntur, initium habuerunt (ut vides) primum in Otthone, sub quo nonnulla littera uno crispantur flexu; qui flexus in Henricianis majusculis geminus, nec in illis tantum sed etiam in minuscularum apicibus invenitur. Denique (si genuinum est Trajectense diploma) undosa illa litterarum forma sic placere cœpit sub Henrico quarto, ut majuscula omnes, tota & uni formiter crispa, adhibita sint: qui etiam Henricus majusculis suis usus ad solam invocationem initialem, communibus deinde litteris quibus contextum reliquum, primam diplomatis sui lineam, consequenter absolvit, prout etiam fit in Horreensi membrana. Neque te moveat in Carolino ac Lothariano majuscularum quarumdam subobscura & irregularis crispatio: hanc enim abesse ab originalibus, atque soli senilis manus suæ tremori adscribendam monuit Wilthemius, statim ac perfectam celaturam vidit; quod hic monere maluimus, quam absque præsenti originali quidquam mutare in tabula, juxta ecgraphum nobis missum celata.

evinciturque Horreensis charta habere characteres seculi XI

53 Vnum est in quo Dagobertinum stylum tenuisse, casu potius quam consilio, videtur Horreensis impostor; quod

notas

PRIVILEGIVM DAGOBERTI I. R. FRAN. P

In nōm pa tris & filii et sps sci omniū Xpiānorū nouerit industr

consilio episcoporū meorū comitum q lega tos de mea part

inquireret mihiq per seipsū indicaret. quibus auctoribu

imperio à pristinis temporibus esset subiectū hanc

Hactenus tres primæ lineæ originalis membranæ, quæ ferme quadrata est: aliæ quindecim, forma litterar

post has sequitur subsignatio Regis et Cancellarii, hac forma; nisi quod penultimu

actū pridie nonas aprilis anno regni nri xii

signum da goberti regis herivei

m archicapilani recognovi

SPECIMEN PR

sub eodem Rege

suæq fictionis evi

in nomine scę et indiuiduę trinitatis da gober

INITIVM PRIVILEGII HENRICIANI

Anno MLXXXVII dati pro Basilica S. Servatii Trajectensis

ex originali membrana, quæ in Archivio Capituli asservatur.

in nomine sancte et indiuidue trinitatis et uictoriosissime crucis

Iisdem litteris, sed paululum minoribus, exprimitur Signum Domini Heinrici Quarti, Regis et Imperatoris. *Monogramma m*

PRIVILEGIUM DAGOBERTI I. R. FRAN. PRO MONASTERIO S. MAXIMINI TREVIR.

In nom pa tris & filii et sps sci omniū Xpianorū nouerit industria qualiter ego dagobertus rex potentissimus cum consentienti

consilio episcoporū meorū comitum & legatos de mea parte ad abbatem memilianū direxi mandans ei ut diligenter

inquireret mihiq per seipsū indicaret quibus auctoribus illud monasterium scū maximini constructū vel cuius

imperio a pristinis temporibus esset subiectū hanc legationem abbas cū fratribus sollicite percipiens

Hactenus tres primæ lineæ originalis membranæ, quæ ferme quadrata est: aliæ quindecim, forma litterarum et linearum distantia ac longitudine per [[definita, pares sunt. post has sequitur subsignatio Regis et Cancellarii, hac forma; nisi quod penultimum verbum referri debeat ad priorem lineam.

actū pridie nonas aprilis anno regni nri XII mogoncie feliciter amen

signum dagoberti regis heriveus cancellarius advicē ricolfi

m archicapilani recognovi



SPECIMEN PRIVILEGII HORREENSIS

sub eodem Rege ut prætenditur conscripti, suæq fictionis evidentia indicia continentis.





in nomine scē et indiuiduę trinitatis dagobertus divina preordinante providentia rex

INITIUM PRIVILEGII HENRICIANI

Anno MLXXXVII dati pro Basilica S. Servatii Trajectensis

ex originali membrana, quæ in Archivio Capituli asservatur.







innomine sancte et indiuidue trinitatis et uictoriosissime crucis et sancte dei genitricis marie Heinricus dei gra

Iisdem litteris, sed paululum minoribus, exprimitur Signum Domini Heinrici Quarti Regis et Imperatoris. *Monogramma nominis, quod hic contractum vides, duos pollices per omnem dimensionem adæquat. Sigilli fragmen, quod restat, supra loco vacanti expressimus.*

In Propylæo tom. 2. Apr. Post pag. 12. Tab. 1.

MARTYROLOGIVM
S. HIERONYMI.

quale in membranis Epternacensibus ante annos nongentos scriptum servatur, et anno 1626 æri incisum usq; ad Iulium habetur in officina Plantiniana, cura R.P. Heriberti Rosweidi S.I, sumptu CL.V. Balthasaris Moreti.

Domino sco fratri hieronimo prb
Chromatius & eliodorus episcopi in dno salt
Cum religiosissimus theodosius agus mediolanensium urbem
fuisset ingressus uniuersos & episcopos italiae ad se inui
tasset ob causam aliquantorum episcoporum qui ex arria
na fece suas animas inquinassent contigit & nostram paruitatem
In eodem deuenisse concilio inquo cum dicenda dicta essent & difinienda episcoporum
difinita cepit xpianissimus princeps scm gregorium cordubensis
ecclesiae ineo praefare antestitem quod omni die siue non ieiunans
matutinas siue ieiunans uespertinas explicans missas eorum marty
rum quorum natalicia essent plurimorum nomina memoraret
Factumq; est ut omnes pariter statueremus ad uestram nos scribere
caritatem ut famosissimum feriale de archiuis sci eusebii caesareae
palestinae sacerdotis inquireretis martyrum ad nos dirigatis festa
ut possit hoc officium per uestram sanctam industriam melius & perfectius
di martyribus exhiberi. Item hieronimus
Chromatio & eliodoro scis episcopis
hieronimus indo aeterno salutem
Constat dnm nm omni die martyrum suorum triumphos
excipere quorum passiones asco eusebio caesariensi episco
scribtas repperimus nam constantinus agus cum caesaream
fuisset ingressus & diceret memorato antestiti ut peteret aliqua
beneficia caesariensi eccl profutura legitur respondisse eusebium
opibus suis ditatam esse ecclesiam nulla petendi beneficii necessitate quis
conpelli sibi tamen desiderium inmobile extitisse ut quid ubiq; in re
publica romana gestum sit erga scos di iudices iudicibus succedentes
In uniuerso orbe romano sollicita perscrutatione monimenta
publica discutiendo perquirerent & quis martyrum aquo
iudice inqua prouincia uel ciuitate quo die qua ue passione
perseuerantiae suae obtinuerint palmam depresis archiuis sub
latam ipsi eusebio regio iussu dirigerent unde factum est ut idonei

relator Eusebius ecclesiasticam historiam rexerit omnium
paene martyrum provinciarum omnium romanorum diligenter
historiographus declaraverit et quoniam omni die sacrificium deo offerebatur
eorum nomina meminisse studentes qui die ipso quo offertur sacrificium
pollentes victores diaboli existentes martyrii suo triumpho opulantes atque
obantes ad regem suum pervenerunt xpm hac de causa singulorum
mensium singulorumque dierum festa conscripsimus ut iubere
dignati estis per omnem nostrae parvitatis memoriam fore cre
dentes cum diebus omnibus per tota anni spatia sanctorum fuerit
nominum festivitas celebrata et quoniam per singulos dies diversa
rum provinciarum diversarumque urbium plusquam octingentorum
martyrum nomina sunt nominanda ut nullus dies sit qui intra
cccxv quingentorum numerum repperiri possit ascribtus excepto die
Kl. ian. considerans inter innumeras turbas lectorum animum intra
unum mensem posse lassescere ne idem eveniat succincte et
breviter eorum qui sunt in amplissima civitate in suis locis
tantum pro omnibus memoratus sum ut amputato fastidio unus
de omnibus sufficiat libellus ascriptus sane in prima parte
libelli omnium apostolorum festa conscripsimus ut dies varii non
videantur dividere quos una dignitas apostolica in caelesti gloria
fecit esse sublimes.

FRAGMENTUM
VETERIS DIPTYCHI

continentis, ut remur, nomina benefactorum
imperialis monasterii S Maximini prope Treviros
in specimen characteris circa an. DCCCCLXIV ibi usitati

arnona
otdo athalheri otto· mahthild· uualdburg·· fritharuni
amalric· Riciuin· Riegouo· Baltharinn· euerard· Berenger· 'derat
Heinric· erp· Heinric· uuinatheri· thedrauan· uualthusi alphusi· ormi
uoda. blitrut· luitbraht· meginburg· risolf· Ida· richild· luishilt·
luithard·

Bruno archi eps· Basco. Aluan· Blizo· Reginbolt·
Uuicfriht· eps· Mezilin· Ruotbraht·· Suidger manac· Suitger·
Gerhard· eps· Uuih man· Reginnolt· Adalbold pr· Alfrat·
Uuillehelm· eps· Folraht· Rapilo· Gisilbertus· m· Bertsiunt abb·
Folcmar· Meginheri· Erlwif· Richeri· Uuendilburh abb·
Thiedirchc· Uuerin· Xpian· Erecanbraht· Heiluuig· abb·
Fuerxcear eps· Uirdun· Uuicman monac· Helmrihc· Gerburh. abb·
Reginbolt· Aluan· it· Engilbraht monac· Athalbraht· lant·
Uuerinheri· Uualdolf· Engilram manac· Richolf·

In Tropylaeo tom. 2. Apr. post pag. 12. Tab. 2.

ET FINIS PRIVILÆGII A CAROLO MA

p atris et filii et sp̄s sc̄i Notū sit omnibus in xp̄m

ancorū longobardorū ac patricius romanorū pr

caroli gloriosissimi reg

ense augusto anno XI regni nr̄i Actā patres

ALIVD LOTHARII RE

s et filii et sp̄s sc̄i cum regalis officii sit diuersarum partium

t hoc et in aecclesiis stabiliendis seu confirmandis ab antecesso

s ad uicem aduencii archieapellani recognoui

ciuitate XVII kł mai anno dominice incarnationi

nissimi regis lotharii XII in dī nomine feliciter ame

INITIVM ET FINIS PRIVILÆGII A CAROLO MAGNO DATI MONASTERIO S. MAXIMINI TREVIREN.

in nomine patris et filii et sp̄s sc̄i Notū sit omnibus in xp̄m fideliter credentibus regibus ep̄is ducibus q̄mo ego carolus

grā dī rex francorū longobardorū ac patricius romanorū pro remedio animę meae atq; stabilitate regni nr̄i scōrū monasteria

signum K R L S caroli gloriosissimi regis rado relegi



data mense augusto anno XI* regni nr̄i ata* patres bronna fisco nr̄o

sup ipsa

* Nota

non esse, quod vides, l, numeri quinquagesimi signum: sed longū I, quale in sequenti tabula videbis sæpius. nam littera l in hoc privilegio longe aliter notatur, videlicet apice anguloso et in dexteram declinato. Corrigendus ergo Zillesius, qui annum XL scripsit pro XI, quem hic notari ex historia Caroli Magni scimus.

* Item

Notarii precipitantia factum videri, quod ata scriptum sit loco acta.

ALIVD LOTHARII REGIS.

in nomine patris et filii et sp̄s sc̄i cum regalis officii sit diversarum partium negocia pia sollicitudine preuidere maxime tamen in his quae ad dm̄ pertinent hoc est in aecclesiis stabiliendis seu confirmandis ab antecessoribus nr̄is in honorem dī constructis summum necesse est studium impendere

ego grimlandus ad uicem aduencii archicapellani recognoui



Nota

Deest regiæ manus subscriptio et nominis monogramma: ex quo discas, Rege, iubente quidem, sed absente, expeditum fuisse hoc Privilegium.

data mettis ciuitate XVII kl mai anno dominice incarnationis dccc lx VIII indictione prima

anno serenissimi regis lotharii XII in dī nomine feliciter amen

In Propylæo tom. 2. April. post pag. 12. tab. 3.

Noticia de locis sanctorum apostolorum

III kl iul nat apostolorum sci petri & pauli romae
II kl decemb nt sci andreae apos in ciui patras puinc achias
VI kl ian nt apos sci iacobi fr dni & iohan euang
VIII kl iul Nt dormitionis sci ioh apos & euang in ephesO
XII kl ian Nt sci tome apos in india & translatio corp eius in edessa V kl iul
VIII kl agus nt iacobi apos fr ioh euang in hispanis
kl mai nt sci philippi apos in ciui hierapoli puin assiae / ierast agis
VIIII kl sept nat sci bartholomei apos qui decolatus est in india iussu re
XI kl oct nt sci mathei apos qui passus est in persida
V kl nouemb nat apos simonis cannanei & simonis zelotis qui a templorum pontificibus occisi sunt in suanis ciuit persarum

Ianuarius dies XXXI

A I KL IAN Circucisio dni nt coronae qui iubente asclepio urbis praefecto cum diceret hodie octauae dei caeli sunt cessatae a superstitionib: idolorum & sacrificiis pullitas a gladiatoribus hac decausa occisus est. In nomine stefani nicomedi eufrosini epi priani & aliorum IIII. In rtia euarti heremitae In bononia gai iacti heracli. In afr uictoris felicis narcissi argini & aliorum IIII. papa primiani saturnini it saturnini uictor honorati leusi heremitae : : : & milit XXX.

Rauenn depos sci seueri cum fr: suis. agustoduno depos agrippini epi

b II IIII Non ISIDORI epi antioc & in alio loco stratonici maccari abbani saturi possessoris firmi maximiani acutionis timothei herussi antaxi uit acuti tobiae argiridae & in ethiop natale claudiae auxigae uitalis de hino sol stefani : : //tomis claudonis

C III III No in helispon ciui panethia ciuici primi theogenis & in ciui eugenii nodi trium frm arge narcissi & marcellini pueri xpiani & diogini eugenii nodonis primae In afr martialis statu liani constanti possesoris hilarini firmi candidi nouatiani eugeniae lucidae acutae pabricae parisi genereuae uirgin uien depos flo rentii

D IIII Prid Non In afr aquilini gemini eugenii marciani quinti theodori triponis. In ciui bonania heremitae agg gai aedui epi / riae

E V Non In afr felicis secundi honori luciani candidi ianuariae caelifloriae iocundi acuti petri marci seueri anastasi in antioc simeonis mona

F VI VIII idus epifania dni In afr talesfori flori iocundi petri marci acuti ianuariae. & alibi honori iuli antonini. apit firmiani anastasi. In antio par scorum iuliani & basilissae. In india celsi iuliani

SPECIMEN PRIVILEGII A HLOTHARIO IMP. DATI A.D. DCCCXLIII AQVISGR.

ubi maiores primae lineae characteres, hic trifariam divisi, implent membranae longitudinem.

Innomine dni nri ihu xpi di aeterni Hlotharius diuina ordinante prouidentia

Impr augus ∴ dignum est ut imperialis maiestas procerum suorum rationabilibus

precibus aurem suae pietatis accomodet et ad effectum perducat quatenus insuis semper obse-

quiis eorum animos reddat efficatiores Igitur omnium fidelium stae di aecclesiae

Signum Hlotharii serenissimi augusti

Nota quod hae duae subsignationes in eadem fere continuabantur linea, hoc modo. augusti hrodm *paulum subtus signante (cuius signum cum vestigio revulsae cerae vide in ultima tabula) Hrodmundo Notario.*

hrodmundus notarius ad uicem hilduini recognoui et

data xiii kl mar anno xpo pitio Imperij domni hlotharij pij Impris

in italia xxv et infrancia iii indictione viii

haec rursum est una linea, respondens toti membranae ad infimum marginem

Actum aquisgrani palatio In di nomine feliciter amen

In Propylaeo tom. 2 Apr. post pag. 12. Tab. 4.

PRIVILEGIVM DAGOBERTI I. R. FRAN. PRO MONASTERIO S. MAXIMINI TREVIR.

In nom pa tris & filii et sps sci omniu xpianoru nouerit industria qualiter ego dagobertus rex potentissimus cum consentienti

consilio episcoporu meoru comitum& legatos de mea parte ad abbatem me milianu direxi mandans ei ut diligenter

inquireret mihiq per seipsu indicaret quibus auctoribus illud monasterium scu maximini constructu vel cuius

imperio a pristinis temporibus esset subiectu hanc legationem abbas cu fratribus sollicite percipiens

Hactenus tres primæ lineæ originalis membranæ, quæ ferme quadrata est: aliæ quindecim, forma litterarum et linearum distantia ac longitudine per [[*definita, pares sunt. post has sequitur subsignatio Regis et Cancellarii, hac forma; nisi quod penultimum verbum referri debeat ad priorem lineam.*

actu pridie nonas aprilis anno regni nri xii mogoncie feliciter amen

signum dagoberti regis heriveus cancellarius ad vice ricolfi

m archicapilani recognovi

DEI GRACIA DAGOBERTVS REX

SPECIMEN PRIVILEGII HORREENSIS

sub eodem Rege ut prætenditur conscripti, suæq; fictionis evidentia indicia continentis.

Fragmen Sigilli Heinriciani.

HEINRICV

in nomine scę et indiuiduę trinitatis da gobertus divina preordinante providentia rex

signu dagob.

INITIVM PRIVILEGII HENRICIANI

Anno MLXXXVII dati pro Basilica S. Servatii Trajectensis *ex originali membrana, quæ in Archivio Capituli asservatur.*

in nomine sancte et indiuidue trinitatis et uictoriosissime crucis et sancte dei genitricis marie Heinricus

Henricus dei gra

Iisdem litteris, sed paulum minoribus, exprimitur Signum Domini Heinrici Quarti, Regis et Imperatoris. *Monogramma nominis, quod hic contractum vides, duos pollices per omnem dimensionem adæquat. Sigilli fragmen, quod restat, supra loco vacanti expressimus.*

In Propylæo tom. 2. Apr. Post pag. 12. Tab. 1.

MARTYROLOGIVM
S. HIERONYMI.

quale in membranis Epternacensibus ante annos nongentos scriptum servatur, et anno 1626 æri incisum usq; ad Iulium habetur in officina Plantiniana, cura R.P. Heriberti Rosweidi S.I, sumptu CL.V. Balthasaris Moreti.

Domino sancto fratri hieronimo presbytero
Chromatius et eliodorus episcopi in domino salutem.

Cum religiosissimus theodosius agustus mediolanensium urbem fuisset ingressus universos fere episcopos italiae ad se invitasset ob causam aliquantorum episcoporum qui ex arriana faece suas animas inquinassent contigit et nostram parvitatem in eodem devenisse concilio inquo cum dicenda dicta essent et diffinienda diffinita coepit christianissimus princeps sanctum gregorium cordubensis ecclesiae in eo praeferre antistitem quod omni die siue non ieiunans matutinas siue ieiunans vespertinas explicans missas eorum martyrum quorum natalicia essent plurimorum nomina memoraret. aepiscoporum

Factumque est ut omnes pariter statueremus ad tuam nos scribere caritatem ut famosissimum feriale de archivis sancti eusebii caesareae palestinae sacerdotis inquireres martyrum ad nos dirigas festa ut possit hoc officium per tuam sanctam industriam melius et perfectius domino martyribus exhiberi.

Item hieronimus
Chromatio et eliodoro sanctis episcopis
hieronimus in domino aeterno salutem.

Constat dominum nostrum omni die martyrum suorum triumphos excipere quorum passiones a sancto eusebio caesariensi episcopo scriptas repperimus nam constantinus agustus cum caesaream fuisset ingressus et diceret memorato antestiti ut peteret aliqua beneficia caesariensi ecclesiae profutura legitur respondisse eusebium opibus suis ditatam esse ecclesiam nulla petendi beneficia necessitate compelli sibi tamen desiderium immobile extitisse ut quicquid in re publica romana gestum sit erga sanctos dei iudices iudicibus succedentes in universo orbe romano sollicita perscrutatione monimenta publica discutiendo perquirerent et quis martyrum a quo iudice in qua provincia vel civitate quo die quaue passione perseverantiae suae obtinuerit palmam de ipsis archivis sublatam ipsi eusebio regio iussu dirigerent unde factum est ut idonei quis

relator eusebius ecclesiasticam historiam necnon omnium
pene martyrum prouinciarum omnium romanorum diligenter
historiographus declarauerit et quoniam omni die sacrificium deo offerebatur
eorum nomina meminisse studebat qui die ipso quo offertur sacrificium
pollentes uictores diaboli extiterunt martyrii suo triumpho copulantes atque
obantes ad regnum suum peruenerunt xpm hac de causa singulorum
mensium singulorumque dierum festa conscripsimus ut iubere
dignati estis per carmen nostrae paruitatis memoriam fore cre
dentes cum diebus omnibus per tota anni spatia sanctorum fuerit
nominum festiuitas celebrata et quoniam per singulos dies diuersa
rum prouinciarum diuersarumque urbium plus quam octingentorum
martyrum nomina sunt nominanda ut nullus dies sit qui intra
cccxv quingentorum numerum repperiri possit ascribitur et certo die
kl. ian. considerans inter innumeras turbas lectorum animum intra
unum mensem posse lassescere ne idem eueniat succincte et
breuiter eorum qui sunt in amplissima ciuitate in suis locis
tantum pro omnibus memoratus sum ut amputato fastidio unus
de omnibus sufficiat libellus ascribitur sane in prima parte
libelli omnium apostolorum festa conscripsimus ut dies uarii non
uideantur diuidere quos una dignitas apostolica in caelesti gloria
fecit esse sublimes.

FRAGMENTUM
VETERIS DIPTYCHI

continentis, ut reimur, nomina benefactorum imperialis monasterii S Maximini prope Treviros in specimen characteris circa an. DCCCCLXIV ibi usitati

amona
ordo athalheit otto· mahthild· uualdburg·· frithamuu
amalric· Ricuuin· Riegouo· Balthamnn· euerard· Berenger· ·derat
Heinric· erp· Heinric· uuinatheri· thedkauan· uualt husi alphusi· ornu
uoda. blittrut· liutbraht· meginburg· pisolf· Ida· richild· Uuishilt
liuthard·

Bruno archi	eps·	Basco. Aluan·	Blizo.	Reginbolt.	
uuicfriht.	eps·	Mezilin·	Ruotbraht.	Suidger manac·	Suitger.
Gerhard·	eps·	uuih man·	Reginnolt.	Adalbold pr·	Alfrat.
Uuillehelm·	eps·	Folraht·	Rapilo.	Gisilbertus· m·	Bertsiunt abb.
		Meginheri·			uuendilburh abb.
Folcmar·		Uuerin·	Erlolf.	Richeri·	Heiluuig· abb.
Thiedirchc·		Uirdun·	Xpian.	Erecanbraht.	Gerburh. abb.
Euerachear	eps·	Aluan· it·	Uuicman monac.	Helmrihc·	lant.
Reginbolt·		Uualdolf·	Engilbraht monac·	Athalbraht.	
Uuerinheri·			Engilram manac·	Richolf·	

In Tropylæo tom. 2. Apr. post pag. 12. Tab. 2.

DAT

G II A CAROLO MA

i N otũ ſit omnibus in x p̄m

i acp atricius romanorũ pr

caroli glorioſiſſimi reg

regni nr̄i ata patres

D LOTHARII RE

s officii ſit diuerſarum partium

is ſeu confirmandis abanteceſſ o

i capellani recognoui

o dominice incarnationi

n dĩ nomine feliciter am

INITIVM ET FINIS PRIVILÆGII A CAROLO MAGNO DATI MONASTERIO S. MAXIMINI TREVIREN.

in nomine patris et filii et sp̄s sc̄i Notū sit omnibus in xp̄m fideliter credentibus regibus ep̄is ducibusq. mo ego carolus

grā dī rex francorū longobardorū ac patricius romanorū pro remedio animę meae atq. ſtabilitate regni nr̄i ſcōrū monaſteria

ſignum K R L S caroli glorioſiſſimi regis rado relegi



data menſe auguſto anno XI* regni nr̄i ata* patres bronna fiſco nr̄o ſup ipſa

* Nota
non esse, quod vides, l, numeri quinquagesimi signum: sed longū I, quale in sequenti tabula videbis sæpius. nam littera l in hoc privilegio longe aliter notatur, videlicet apice anguloso et in dexteram declinato. Corrigendus ergo Zillesius, qui annum xL scripsit pro XI, quem hic notari ex historia Caroli Magni scimus.

* Item
Notarii precipitantia factum videri, quod ata ſcriptum sit loco acta.

ALIVD LOTHARII REGIS.

in nomine patris et filii et sp̄s sc̄i cum regalis officii sit diuersarum partium negocia pia sollicitudine preuidere maxime tamen in his quae

ad dm̄ pertinent hoc eſt in aecclesiis ſtabiliendis ſeu confirmandis ab antecessoribus nr̄is in honorem dī conſtructis ſumum necesse eſt ſtudium impendere

ego grimlandus ad uicem adueneii archicapellani recognoui



Nota
Deest regiæ manus subscriptio et nominis monogramma: ex quo discas, Rege, iubente quidem, sed absente, expeditum fuisse hoc Privilegium.

data mettis ciuitate XVII kl mai anno dominice incarnationis dccc lx VIII indictione prima

anno sereniſſimi regis lotharii XII in dī nomine feliciter amen

In Propylæo tom. 2. April. post pag. 12. tab. 3.

Notitia de locis scorum apostolor

III kl iul nat apostolorum sci petri & pauli romae
II kl decemb nt sci andreae apos in ciui patras puinc achias
VI kl ian nt apos sci iacobi fr dni & iohan euang
VIII kl iul Nt dormitionis sci ioh apos & euang in epheso
XII kl ian Nt sci tome apos in india & translat corp eius in edessa v kl iul
VIII kl agus nt iacobi apos fr ioh euang in hierus
kl mai nt sci philippi apos in ciui hierapoli puin assiae / sirast agis
VIIII kl sept nat sci bartholomei apos qui decolatus est in india iussu ne
XI kl oct nt sci mathei apos qui passus est in persida
V kl nobmb nat apos simonis cannanei & simonis zelotis qui a
templorum pontificibus occisi sunt in suanis ciuit persarum

Ianuarius dies xxxi

A I KL IAN circumcisio dni nt coronae qui iubente asclepio
urbis praefect cum diceret hodie octauae di caeli sunt
cessate a superstitionib: idolorum & sacrificiis pullutas a
gladiatoribus hac de causa occisus est. In nomente stefani
nicomed eufrosini epi priani & aliorum IIII. In retia euaria herm ear
In bononia gai iaco heracli. In affri uictoris felicis narcissi
argini & aliorum IIII. papa primi ani saturnini fr saturnini uictor mir
honorati leusi hermetis : : : & milit xxx.
Rauenn depos sci seueri cum frb: suis - agustoduno depos agrippini epi
b II IIII Non Isiridoni epi antioc & in alio loco stratonici maccari
abbani satum possessoris firmi maximiani acutionis timothei
herussi artaxi uit acuti tobiae argirdae & in ethiop natale
claudiae aurigae uitalis de hino sol stefani :: //tomis claudonis
C III III No in hellespon ciui panethia ciuici primi theogenis & in ciui
eugenie nodi trium frm, argi narcissi & marcellini pueri xpiani
& diogeni eugenia nodonis primae In aff martialis statu liani
constanti possesoris hilarini firmi candidi nouatiani eugeniae
lucidae acutae pabicae parisi genereuae uirgin uien depos flo rentii
D IIII Prid Non In aff aquilini gemini eugenii marciani quinti theodoti
triponis. In nomen ciui bonania hermetar aggei gai aedui epi / riae
E V Non In aff felicis secundi honori luciani candidi ianuariae caeliflo
iocundi acuti petri marci seueri anastasi in antioc simeonis mona
F VI VIII idus epifania dni In aff talefori flori iocundi petri marci
acuti ianuariae. & alibi honori iuli antonini apiti firmiani anas
tasi. In antio par scorum iuliani & basilissae. In india celsi iuliani

SPECIMEN PRIVILEGII A HLOTHARIO IMP. DATI A.D. DCCCXLIII AQVISGR.

ubi maiores primae lineae characteres, hic trifariam divisi, implent membranae longitudinem.

Innomine dni nri ihu xpi di aeterni Hlotharius diuina ordinante prouidentia

Impr augus : : : dignum est ut imperialis maiestas procerum suorum rationabilibus

precibus aurem suae pietatis accomodet et ad effectum perducat quatenus insuis semper obse-

quiis eorum animos reddat efficatiores Igitur omnium fidelium stae di aecclesiae

Signum Hlotharii serenissimi augusti

Nota quod hae duae subsignationes in eadem fere continuabantur linea, hoc modo. augusti hrodm paulum subtus signante (cuius signum cum vestigio revulsae cerae vide in ultima tabula) Hrodmundo Notario.

hrodmundus notarius ad uicem hilduini recognoui et

data xiii kl mar anno xpo pitio Imperij domni hlotharij pij Impris

in italia xxv et infrancia iii indictione viii

haec rursum est una linea, respondens toti membranae ad infimum marginem

Actum aquisgrani palatio In di nomine feliciter amen

In Propylaeo tom. 2 Apr. post pag. 12. Tab. 4.

I MP. DATVM COLON. MO

otto diuin a fauente clementia i

interuentu dilecte coniugis nrae ad
interuentu dilecte coniugis nrae a

magni et inuictissimi impe


hui dolf us cance llarius ad uicem willi

cccc lxvi indict viii anno regni domni ottonis
cccc lxvi. indict viiii anno regni domni otton

ENRICO III. IMP. DA

Heinricus diuina fauente claementi

utilitatib; consulere nos decet in omnib; p qua
utilitatib; consulere nos decet in omnib; p quã




ssimi

uice d̄oni bardonis archicancellarii recogn


no aut domni HEINRICI tertii ordination' ei XVI Reg
no aũt d̄oni HEINRICI tertii ordination' ei XVI Reg

PRIVIL. AB OTTONE I. IMP. DATVM COLON. MONASTERIO S. MAXIMINI A.D. DCCCCLXVI.

In nomine scãe et indiuiduae trinitatis otto diuina fauente clementia imperator augustus. nouerit omnium fidelium nostrorum tam presentium quam futurorum industria qualiter nos interuentu dilecte coniugis nrãe adelheidis fideliśque archiepiscopi uuillihelmi pro statu et incolomitate regni uel

signum domni ottonis  magni et inuictissimi imperatoris augusti 





liudolfus cancellarius ad uicem uuillihelmi archicappellani recognoui


data viii id. ian. anno dominice incarnationis dcccclxvi. indict. viiii. anno regni domni ottonis xxx imperii uero v. actum colonię in dĩ nomine feliciter amen

NOTA

In utroq; hoc Ottonis atque Henrici Privilegio linearum intervalla, ipsaq; adeo apicum fastigia, tertia sui parte contractiora hic spectari, quam sint in membranis originariis: alias lamina una utrumq; specimen capere non potuisset. Similiter contracta est amplitudo signi notarialis primi. Signum quoq; Henricianæ manus quadr.° majus erat, et quidem non calamo, sed typo expressum. Ast sigillorum integra magnitudo mansit, minuto dumtaxat circulo abundantis circumquaq; ceræ, medium fere pollicem lato, in Ottoniano æque ac Henriciano.

ALIVD AB HENRICO III. IMP. DATVM MOGVNTIÆ A.D. MXLIII.

in nomine sanctae et indiuiduae trinitatis Heinricus diuina fauente claementia rex. cum regie dignitatis officium sit diuersarũ partiũ negotia pia sollicitudine preuidere maxime tamen et magis ppriae illi aecclię utilitatib; osulere nos decet in omnib; p qua regni nri statũ ofirmare et otectal nram dotali lege et legitimo iure in regnum nobi associare et sublimare


signũ domni Heinrici tercii regis inuictissimi  

Eberhardus cancellarius uice doni bardonis archicancellarii recognoui

Data viii kl Aug. Anno Incarñ dñi mill xliii. Indict. xii Anno aũt doni HEINRICI tertii ordinationis ei xvi Regni ũ i



Actum Mogontie in dĩ nomine feliciter Amen



Ne spatium vacet, exhibetur Notariale signum cum vestigio revulsi sigilli, quæ in specimine Priuilegij Hlothariani omissa fuerunt.

In Propylæo tom. 2. Apr. post pag. 12. Tab. 5.

notas temporis seu data, quas omnes omnino Imperatores (uti apud Zyllesium licebit successive videre) post suam & recognoscentis subsignationem, pro infima totius diplomatis linea reservabant, præmiserit regiæ subsignationi sigilloque, prout aliis fortasse minoribus Principibus Magistratibusve post x seculum in usu fuit; cum jam non ipsi membranæ apprimerentur sigillares bullæ, sed appenderentur. Vtinam vero ei qui Pseudo-dagobertini exempli exiguum, quod dedi, specimen ad nos misit, totam finalem clausulam regiamque subsignationem expressam dare licuisset; vix enim dubito quin alia quoque novitatis indicia inibi deprehendissem. Nunc solum hoc dicere possum, præter omnem omnino usum, vel Regum Francorum primæ secundæque stirpis, vel Romanorum Imperatorum, usque post Fridericum Ænobarbum, fuisse, quod expedirentur diplomata sub solius Regis vel Imperatoris signaculo, sic ut non adderetur Cancellarii, Notarii, Archicapellani vel Archicancellarii recognoscentis auctoritas: qui etiam eo loco, quo vel juxta quem apponi sigillum debebat, suum aliquod proprium signum calamo ducere plerumque solebant. Tale quid, perplexissima confusarum in orbem tricarum congerie, sub Dagobertino sigillo notavit Wilthemius; notavit etiam in Carolino Privilegio aliisque prioribus ac posterioribus simile lineolarum rectarum contortarumque chaos, neque dignum credidit in quo exprimendo se fatigaret. Ast quia in Hlothariano, Ottoniano, Heinricianoque distinctius apparebat Notariale istud signum ipsum, in illis expressit. Hoc vero in Hlothariano notas aliquas videtur complecti, ex earum genere quas Gruterus vulgavit sub nomine Tironis & Senecæ. Certe particula conjunctiva &, post verbum recognovi maximis expressa litteris, credere jubet, sequentibus ductibus implicari signavi, registravi, vel quid simile: & eodem forte, sive ad indicandum Registri Regii vel Protocolli locũ, spectant sub Dagobertino littera m, sub Carolino $\frac{d}{t}$ Itaque omnia hæc curavi subjicere oculis curiosi lectoris; licet in iis quæ Luidolfus & Eberhardus Cancellarii sub exiguo formæ discrimine usurpavere in Ottoniano Henricianoque diplomate, nulla sit species alicujus significativi ductus. Ista enim quamvis nihil fortasse significent, ostendunt tamen originem, usum, & antiquitatem eorum signorum, quæ publici Notarii etiam nunc pro suo quique ingenio propria sibi sat curiose formant, præsertim in Italia, & una cum nominis subscriptione, confectis à se instrumentis vel typo imprimunt vel calamo appingunt. Interim nihil hujusmodi in Horreensi charta vidimus; ut eam etiam hinc judicemus illegitimam, scriptam ab homine styli notarialis, qui sub prima secundaque stirpis Regibus obtinuit, imperito.

& imperite ficta esse absque signo Notariali.


CAPUT IV.

Monogrammaticum chartæ Horreensis signum, quam sit à Dagoberti ævo remotum, ostenditur.

54 Quamvis ipso oculorũ arbitrio satis pateat unicuique, Regiorum monogrammatum usum aliquem habenti, quam nullam vetustatis grandioris speciem præferat signum Dagoberti Regis, prout est charta Horreensi appictum; nec Masenius illud dignum censuerit, quod, æque ac alia diplomatum à Browero allegatorum monogrammata, curaret exprimendum; operæ pretium tamen esse videtur, ad istius imposturæ evictionem clariorem, monogrammaticorum istorum signorum usum atque originem breviter explicare, eorumque formas simul & ætates distinguere, donec ad ea deveniatur Signa, quæ quam sunt Horreensi affinia magis, tanto à Signi vere Dagobertini dispositione ac simplicitate recedunt longius; ac tandem nihil minus exhibent, quam, quæ juxta primam monogrammatum institutionem præcipue repræsentari debebant, regii nominis litteras, saltem initiales. Sciendum igitur, morem apud Christianos antiquissimum fuisse, in signandis contractibus & aliis quibusque instrumentis, formare Crucem ✠, cui is qui subsignabat, sua vel aliena manu, prout litterarum erat peritus aut rudis, proprium adscribebat nomen. Hujusmodi simplici Cruce Reges ac Principes non contenti, eamdem instruxerunt ornaveruntque nominis sui litteris, ipsi Cruci adnexis. Hæc vero cruciformia monogrammata, cum sint omnium antiquissima (ut apparet ex Dagobertino San-Maximinianensi & Carolinis ubique obviis) datur fundamentum opinandi, quod omnes ante Carolum magnum Reges ac Principes, ipseque Caroli pater Pippinus, si quando sunt monogrammatis usi, eamdem formam tenuerint, ut hic vides.

formæ crucis in subsignationibus ussitata

AUCTORE D. P.




Primum est Carolorum Magni, Calvi, Crassi; alterum Arnulfi Imperatoris; & in utroque medius pro centro rhombus, supplet locum vocalium, in ipso nomine occurrentium, prout etiam in Dagobertino videre est.

primum accesserunt littera nominis regiorum.

55 Similem formam, & quidem magis ordinatam ac distinctam servaverunt Principes Capuani, Beneventani, aliique in Italia sanguinis ac nominis Longobardici, prout apud Michaelem Monachum in Sanctuario Capuano pag. 648 videre licet, & apud Ferdinandum Vghellum tom. 8, nisi quod hic, sumptibus parcens, rem expresserit per litteras ordinarias & dissolutas, in modum Crucis dispositas, quas originaliter colligatas haberi non dubitamus; hoc scilicet modo.






quæ sic leges ATENOLFUS, ROBBERTUS. Tantum notabis hujusmodi Signa, & cetera de quibus consequenter hic sermo erit, multo grandiora plerumque inveniri quam exprimenda curavimus, nec ita æqualiter formatas litteras. Cum enim ipsa, non ex originalibus membranis, quæ ad manum non exstant, sed ex libris editis assumeremus; credidimus ad cognitionem originalis formæ sufficere posse qualemcumque mensuram; ad usum autem impressionis ordinandæ multo fore concinnius, sub una eademque dimensione & simili figurarum ductu repræsentare omnia.

56 Post Carolum Magnum paulatim evanuit distincta illa Crucis forma, quam illius monogramma præfert; nec alii fere ea sunt usi, quam quos supra dixi homonymi ejus duo Calvus atque Crassus, & supra indicatus Arnulphus. Nam quod est apud Ioannem Beslium de Regibus Aquitaniæ pag. 18 Hludovici Pii monogramma, suspectum redditur ex formula subscriptionis quæ integra magis, & cum alio atque indubitato ejusdem Hludovici monogrammate, reperitur sub altero diplomate, ibidem immediate sequenti. Securius credas verum esse Hlotharii Regis Franciæ signum, quod idem habet in historia Comitum Pictaviensium Ducumque Aquitanorum pag. 259, pro anno regni illius x, qui fuit Christi DCCCCLXIII & tale signum usurpasse potuit imitatione aliorum ex prima stirpe ejusdem nominis Regum. Ipsum hic vide una cum suspecto Hludoviciano.

quod pauci post Carolũ M. servarũt.




57 Ceteri Reges atq; Imperatores quadratam monogrammaticis suis signis figuram praelegere, nulla deinde vel exigua habita ratione Crucis, usque ad S. Henricum. Initium huic signo quadratæ formæ

Hludovicus Imp. cœpit quadrato uti,

AUCTORE D. P.

forma fecit prænominatus Hludovicus Pius, *Caroli Magni filius, eo quod ad primam nominis litteram, scilicet* H *(quam tamen notarii, nomen ipsum extendentes, in diplomatis frequentius omisere) cetera littera aptius quam ad Crucem appingerentur. Itaque signum suum tum ipse, tum filius ejus.* Imperator Hlotharius, *sic composuere.*




quod etiam ad Italos transiit:

58 *Similia fere fuerunt monogrammata Pippinorum in Aquitania, quale unum ex pracitato Beslio infra dabimus In Italia quoque quadrata forma Regibus placere cœpit, sed ad primam nominis litteram minus adstricta. Nam* Karlomannus *apud Vghellum tom.* 2 *col.* 184, *juxta exemplar Vaticani Archivii anno* DCCCLXII *Papia scriptum; &* Berengarius *item Italia Rex, anno* DCCCXCIX, *apud eumdem Vghellum tom.* 3 *col.* 37, *his Signis usi indicantur, ita tamen ut in posteriori haud facile invenias omnes litteras, Berengarii nomen constituentes.*



Eamdē formam secuti Ottones

59 Ottonibus *Imperatoribus facilius id fuit, imo facillimum; quia e monogrammata sua, apud auctores varios, alterutro fere horum modorum formavere, utentes nunc quadratis, nunc rotundis vocalibus* O; *easdem nunc substernendo litteris* T, *simul per modum* H *connexis, nunc inter easdem locatas per lineolam perpendicularem colligando.*



ex solis nominis litteris;

60 *Hac & his similia triū Ottonum signa, usq; adeo nota & obvia sunt; ut hoc ipso quo formā aliā pratendunt monogrammata, iis qua Ottoniana esse dicuntur diplomatis appicta, suspecta esse omnino debeat. Talia autē imprimis nobis sunt hac duo.*



Primum reperitur inter Ottonis Magni diplomata, ab Henrico Meibomio collecta, apud quem cum pluries referatur verus vera forma ac litteris OTTO, *penultimo tamen loco ponitur istud* Signū Domini Ottonis Magni ✠ & invictissimi Imperatoris nostri. *Mirū est porro, quomodo eadē fictio inveniatur supposita diplomatis, Ottoni* II *&* III *attributis, apud Vghellum tom.* 5 *col.* 664 *& tom.* 1 *col.* 495 *&* 900. *Nihilo minus, ob similis signi abnormitatem, etsi alia multa rationes nō adessent, mereretur pro supposititio haberi diploma, quod Trevirenses apud Browerū ostentant sub nomine Ottonis III, quasi is anno* DCCCCXCIII, *Egberto Trevirensi Archiepiscopo restituisset Abbatiā Trajectensem, quā Henrico Præsuli Trevirensi Otto Magnus abstulerat. Et tale esse censuit Kyriander parte* III *commentarii sui de Augusta Trevirorum: quid enim monstrosius fingi potest quam quod superius secundo loco expressum vides signum?*

61 *Hactenus quoq; solas nominis litteras implicare in monogramma usus ferebat. Primus* S. Henricus, *qui dum Rex solū dicebatur aliud nō expresserat quā litteras* HEINRIC, *sicut infra vides, colligatas; postquā coronatus Imperator supremū in republica Christiana titulum tulit, censuit consueto suo monogrammati addendum aliquid, quo id ipsum declararetur. Itaq; litterā* X, *qua Christi nomen inchoatur, quamq; primus Christianus Imperator Constātinus labaris suis inseruit, in pradicto suo Signo absolvit, alia linea transversim secans eā lineā, qua prius formabat litterā* N; *& alias adjecit litteras, quibus integre legēdis dici videtur,* DEI GRATIA IMPERATOR AUGUSTUS, *prout expresse & ad longum legitur circum oram sigilli Imperialis, apud Zyllesium expressi. Hic satis est monogramma poni, primum quo Rex, alterū quo usus est Imperator.*

S. Heinricus, Imperator factus, litteris nominis addidit X;




62 *Henricum excepit* CHUONRADUS, *cujus monogrammatica Signa, in Chronico Episcoporum Mindensium, inter Scriptores Germanicos à Pistorio editos hac reperi*

quem imitati Chuonradus.



Primum, quod Regis est, habetur pag. 743, *cum anno* MXXV; *estq; simplicius quidē quam secundum, quod est Imperatoris & habetur pag.* 741 *cum anno* MXXXI; *plus tamen aliquid in eo etiam notes, quā solas nominis litteras, quarum* V *&* A *videntur formari per* X *littera* H *impositum: posterius imitatur in multis Imperatorium signū S. Heinrici. Similiter* Heinricus, *cognomento* Niger, *hujus nominis Rex tertius, Imperator secundus; ejusq; successor* Heinricus, Senior *Baronio dictus respectu cognominis filii, Regum ea appellatione quartus, Imperatorum tertius, suscepta corona Imperii, Signum quoque suum ductibus aliquanto pluribus ornaverunt, quam cum solo Regni titulo eminerent; ut vides.*

& Heinrici duo, decussatas cruces adhibuere,



Decessorum tot suorū homonymorumq; vestigia sequēs, Heinricus *Rex* V, *Imperator* IV, *similis forma monogramma usurpavit. At* Fridericus, Ænobarbus *dictus, notabiliter deflexit; nec facile dixeris quid spectaverit, quando in similitudinem littera* N *totum suum Signum composuit; qua littera nullum in ejus nomine locum habet: ipsum tamen hic etiam ex Zyllesio pono, ut intelligatur minime gratis dicendum infra, ubi Epternacense quoddam signum Pippini reprobandum erit, litteras ei monogrammati innexas referre ætatem Friderici Imperatoris. Ipsum nunc vide, & illud quod dixi Heinrici, ultimo nominati.*




63 *Atque*

Fui cum propria manu fui cum aliena firmabit chartas.

63 *Atque hæc de forma Regalium monogrammatum, pluribus successive lineis litterisque ornata, dixisse sufficiat. Circa mensuram qualitatemque eorum quidpiam scitu dignum observavit Wilthemius; cum San-Maximinianensis archivii diplomata autographa curioso examine denuo scrutaretur; videlicet alia esse quæ* propria manu *Rex ipse vel Imperator firmasse se scribit, alia quibus nulla additur propria manus mentio: & hujus posterioris generis omnia habere monogramma grande, æquabile atque elegans satis, utpote à Notariis ipsis formatum: prioris autem generis vidisse se in prædicto archivio diplomata minimum viginti solorum Otthonum vel Henricorum, in iisque magnam notasse monogrammatum diversitatem. Nam aliqua quidem, tota picta ab Imperatoria vel Regia manu, exilia ac rudia esse pleraque & in æquali ac vacillanti ductuum tractu (quale etiam sculpi debuit Hlotharii Imperatoris monogramma, quod chalcographus præter fidem originalis perfectissimum fecit in specimine supra posito) alia grandiora, satisque uniformia, præterquam in unica transversa linea, quæ vel exilior multo est aliis, vel minus recta, & quandoque ultra procurrit quam opus sit: semper autem notabilis est varietate styli & atramenti; istam vero lineam solam esse à propria firmantis manu, reliquos ductus non ita. Denique significavit inveniri aliqua Henrici Regis* IV, *Imperatoris* III, *tamquam propria ejus manu firmata, cum monogrammate grandi, æquabili & eleganti; sed quod clare apparet typo impressum esse, non calamo ductum: & hujusmodi est id quod supra in Specimine ultimo cernitur. Talis autem typus videtur apud posteros fuisse frequentior, à quibus similis usus ad publicos Notarios transiit, & à quam plurimis servatur etiam hodie, cum magno temporis & uniformitatis servandæ compendio.*

64 *Quod attinet ad singulas litteras, Henricianis aliisque post factis monogrammatis insertas; iis per conjecturam explicandis non immoror. Facere id poterit alius, cui libuerit omnium successive Regum & Imperatorum Signa Sigillaque colligere atque illustrare. Pauca supra posita, eaque non studiose conquisita selectaque, sed prout à Zyllesio fere offerebantur accepta, & per alia eorumdem Principum diplomata facile confirmanda, abunde sufficiunt, ut cum antiquioribus, ante & post Carolum Magnum usurpatis, collata, unicuique non obstinatissimo persuadeant, quadratorum Signorum, & quidem decussatis crucibus ornatorum, inventum, multo esse recentius, quam ut ad aliquem ex tribus Dagobertis denotandum potuerit fuisse adhibitum: atq; adeo Horreense diploma, cujus causa hæc tractavimus, purum putum esse figmentum, quando Signi in eo descripti forma, nec Henricianis quidē Signis perfecte assimulatur. Perfecte simile, fateor equidem, necdum ullum reperi. Suspicor tamen, eo saltem quod inter Fridericum Ænobarbum & Carolum IV fluxit tempore, tessellam (quali constat pseudo-dagobertinum Signū) cum decussatione crucis gemina, & nonnullis intra circaque lineas litteris (quomodo ipsum pingitur) cœpisse usurpari. Observo enim quod Signorum Imperialium forma ex tunc cœperint evagari magis magisque; adeo ut is quem ultimo nominavi Carolus IV, non tantum tessellas tales pro Signo expresserit, sed etiam identidē variaverit litteras iisdē inscriptas, ut videre est apud Vghellum tom. 1, 2 ac 3 col. * 371, 231, 200; & in prætitata collectione Pistorii pag. 748 & 750. Vtrimq; exemplum unum adduxisse sufficiet, tertiumque accuratissime expressum à nostro Bohuslao Balbino, Bohemicorum monumentorum scrutatore indefesso, quod sua manu nobis descripsit, in propria forma seu magnitudine, quadruplo majori quam hic, ex diplomate confirmatorio Privilegii, à Gregorio Papa X dati cœnobio Virginū Ordinis Præmonstratensis anno* MCCCLVIII; *addens quod hujusmodi signa plura quam octingenta viderit, tum in archivio Regni, tum in variorum cœnobiorum & capitulorum tabulariis. Vltimum autem istud, quod inter alia duo medium locum hic occupat, eo magis à nobis considerari meretur, quod in eo habeatur perfecta duplicis crucis decussatio, qualis in fictitio Horreensi signo.*

Tessella usus Carolus IV



65 *Neque variari tantum & alterari post Fridericum cœpere ea de quibus agimus signa, sed etiam evilescere ac negligi. Inveniuntur enim apud Zyllesium Conradi II Regis Rudolfique Imperatoris (quem alias cruciformi Signo usum reperio) & ipsius Caroli IV diplomata, insigniter bullata, absque ullo monogrammatico signo; & alibi plura talia poterunt haud dubie inveniri. Apud Francos vero idem usus adhuc citius evilvit quam apud Germanos; neque scio an ullus ex tertia Capetidarum stirpe Rex monogramma nominis signando expresserit. Extat quidem apud Lucam Acherium tom. 2 Spicilegii pag. 600* Signum Philippi Francorum Regis *cruciforme, instar Karolini, cum majori rhombo litteram Y complexo, ad cujus angulos pinguntur* P. L. P. S. *litteræ; & hoc signum subjicitur privilegio, quod Compendiensi ecclesiæ confirmatum fuit ab Episcopis, ut præfertur, novem, Abbatibus novemdecim, in Concilio ibidem celebrato, anno* MLXXXV, *coram Rege Philippo, & Raynaldo Remensi Archiepiscopo. Sed quam aperte falsa est narrativa pars istius privilegii, quâ dicitur eadem ecclesia*, fundata à Domno Karolo, illustri Francorum Rege ac Imperatore Romanorum... à S. Joanne Romano Pontifice, cum septuaginta duobus Episcopis solenniter, celebri honore ac decore speciali, consecrata; *tam merito suspectum est ipsum totum memoriale (sic enim vocatur, nomine in talibus hactenus non lecto) ecclesiam prædictam à cujuscumque Primatis, Metropolitani, Episcopi aut Iudicis potestate exemptam declarans; absque nota diei, cum cruciformi ut dictum Regii* nominis charactere *(& hæc vox rursum nova in diplomatis atque extravagans est) aliisque nonnullis abnormitatibus ab ordinario stylo: quæ omnes etiam notari poterunt in eo privilegio, quod ibidem pag. 604 proponitur, sub simili narrativa & cum simili monogrammate, expeditum Parisiis anno* MXCI.

ante quem aliqui, omni quandoque signo abstinuere

sicut & Reges Franc. stirpis tertiæ.

Num fidem non mereatur signum Philippo affictum.

66 *Fuit quidem in Galliis Ioannes Papa* VIII *(qui solus ibi intelligi potest) non sub Carolo Calvo, sed sub Ludovico Balbo, causa celebrandi Tricassini Concilii; ibique habuit collectos Episcopos triginta. Verum quis credat, quod is vel Compendium usque excurrerit, unius ecclesiæ dedicandæ causa, idque mortuo jam fundatore, cujus viventis honori poterat aliquid indulgendum videri; vel ad ejusmodi actionem, intervallo leucarum triginta, non solum traxerit omnes Concilii Tricassini Patres; sed duplo majorem numerum quam Trecis habere potuerat, Compendii numeraverit? Quapropter nolim seriem Gallicanarum Synodorum augere duabus, velut tunc sub Philippo celebratis Compendii atque Parisiis, quamdiu de earum veritate non ex aliis quam dictis jam chartis constat; neque credere, Philippum istum in signandis diplomatis usum esse monogrammatico Signo.*

nec eo satis probantur Synodi Compendien. & Parisienses.

CAPUT V.

Alexandri Wilthemii de hac materia judicium.

67 CVm ea quæ superioribus Capitibus deducta jam sunt, & quæ sequentibus deducenda restant, jam fere haberem parata prælo, placuit eruditissimo nostro Alexandro Wilthemio, ei tractatui, cujus scribendi consilium animumque ab illo acceperam, suum quoque judicium suggerere scripta epistola: quam congruum duxi hic innectere; quia propter longævam experientiam, & continuam ejusmodi rerum tractationem, maxima apud me auctoritatis est; eritque haud dubie apud eos omnes, qui doctrina, qua pollet, raræ; profundæ;

Censet antiquarius expertissimus diplomata quædam

AUCTORE D. P. *profundæ, ac solidæ gustum aliquem ceperint ex illius Diptycho Leodiensi, additaque ad illud Appendice, antiquariæ scientiæ plenissimis opusculis, vel ex recentius vulgata dissertatiuncula de Iconibus Constantini Magni & D. Helenæ Augustæ Matris ejus. Iuvabit autem illud ejus iudicium tum ut modus, quô scribi diplomata istiusmodi & probari etiam potuerunt, intelligatur clarius; tum ut mitigetur doloris sensus, siquis ex veritate, apertius prolata aut proferenda in subsequentibus hujus Tractatus Capitibus, existat apud illos, qui non obstante cautela admonitionis ad hoc Caput praviæ, periculum aliquod suis juribus metuerent. Is igitur litteris Luxemburgo datis anno* MDCLXX, VIII *Kal. Decembris, sic pronuntiat. Non est facile hoc doctissimo seculo scriptis confictis atque suppositiis decipere ingenia. Ipsis elementis ac litterarum apicibus sæpe se prodit infelix fictio; ne alia falsitatis indicia commemorem, styli saporem, errores chronologicos, res personasque à temporibus atque locis alienas, & alia hujusmodi.* etsi ad historiam inutilia valere tamen in judiciis. *Ipsa adeò publica instrumenta, recepta in judiciis, obsignata ceris, magnorum nominum roborata scriptionibus; vocantur in controversiam ab historicis; & sæpe quod in foro probavit judex, in musæo condemnat litteratus. Quæ in re modum ego adhibuerim, atque ita attemperem omnia, ut diplomatis talibus, quamvis ea merito rejiciant eruditi à testimonio ferendo in re historica, sua tamen fides & auctoritas coram Prætore & assessoribus maneat. Quod utrumque quomodo fieri possit, paucis exemplis declarabo.*

Tale est privilegium Ecclesiæ Trevir. datum à S. Silvestro, 68 *Traditum est in libris provincialibus Trevirorum, Silvestrum Pontificem maximum Agricii causa scripsisse epistolam, & exempla circumferuntur. Antiquissimum Virodûni in codice MS. collectionis Canonum reperit mecumque communicavit Iacobus Sirmondus, dum Conciliorum Galliæ tomis, homo diligentissimus, materiam undique conquireret. Istius exempli ecgraphum, nescio unde mihi elapsum, sublegit, qui nuper additamenta ad Annales Trevirenses edidit; inter quæ ipsum nunc excusum legitur; sed omissa, quæ imprimis lucem merebatur, clausula hac:* Privilegium.... quod Volusianus Archiepiscopus rescribi jussit. *Fuit Volusianus Episcopus Trevirorum v seculo, Marci successor, de quo ita in Gestis Pontificum Trevirensium:* Hic privilegium, dudum à B. Silvestro Papa huic urbi per B. Agritium destinatum, sed, proh dolor! jam suo tempore neglectum & deletum, à Pontifice Maximo Romanorum renovari & roborari curavit. quod Volusianus, Ep. curavit ab Hilaro innovari; *Item Cono à Falchenstein Archiepiscopus Trevirensis in Chronico suo:* Hic Privilegium, dudum à Papa Silvestro huic urbi per B. Agricium delegatum, sed jam suo tempore deletum, à Romano Pontifice rescribi fecit, & honorem pristinum suæ civitati renovavit. *Erit fortassis in hoc Privilegio quod carpat historia: quale est illud, quod quem consensus omnis memoria appellat Maternum Episcopum Trevirorum, Martinum nuncupet. Non ideo tamen vim auctoritatemque civilibus in causis non obtineret, si extaret hodie, quod Volusianus ab Hilaro Pontifice maximo describendum curavit. Etsi enim non erat illud autographum Silvestri, rem tamen ejus continebat, verbis vel ex Protocollo (si illud in Romani Pontificis scriniis adhuc erat) desumptis, vel ad ejus sententiam Pontificia auctoritate de novo accommodatis. Ac proinde, (ut absit odium vocabulo) non confictum, non suppositiium, spuriumve; sed suffectum aut vicarium, exemplum illud à Volusiano curatum, appellaverim.*

talia forte itidem sunt Epternacense Pippini 69 *Seculo* VIII *adulto, Pipinus Rex Epternacensi cœnobio donavit Croviam, luculentum ad Mosellam ac nobilem vicum. Extant Donationis tabulæ, in membrana de more scriptæ & à me lectæ, à Myræo editæ, à Criticis multifariam reprehensæ, ob peccata historica atque chronologica: sed, si de jure agitur, prorsus validæ atque legitimæ. Neque enim autographæ sunt ipsius Pipini: sed autographis perditis aut corruptis (nam quid non perdunt atque corrumpunt injuriæ temporum innumerabiles?) substitutæ; idque vel ex libris commentariisque domesticis, vel ex corruptis illis detritisque autographis. Restitutas autem esse auctoritate Regia vel Imperatoria suadere mihi videtur apposita cera: quippe in qua sedeat Imperator aut Rex in throno, dextera gerens sceptrum liligerum, sinistra globum imposita cruce: corona species quadrata est aut quadrata similis: litteræ circumscriptæ fugiunt oculos, demptis hisce ultimis* GRACIA REX, *plane ut Henricianum esse sigillum jurare possis, si talium usum ac notitiam habeas.* innovatum sub Rege Henrico: *Monogramma Pippini nomen implectit, sed non ea forma qua erant monogrammata tempore Pippini, sed qualia regnantibus Henricis. Prisca enim illa à Dagoberto usque ad Ottones (ut ex Maximinianis autographis mihi constat) procurrebant in aliquam longitudinem. Ottones ea quadrare maluerunt, eumque morem custodiverunt deinde Henrici eorumque posteri, insertis hinc inde ceteris eorum nominis elementis: qua prorsus specie est hoc Epternacensium tabularum Pippini Signum. Ex quibus omnibus colligo, Henricum aliquem Regem, corrupto aut perdito autographo, has tabulas suffecisse, ut essent illius, ubi res posceret, in forensi negotio vicariæ.*

70 *Seculo eodem exeunte Carolus Magnus, Pippini Regis filius, Episcopatum Verdensem ad Aleram flumen instituit, ejusque rei diploma ex scriniis Verdensis Ecclesiæ acceptum publicavit concinnator Additamentorum ad Annales Broweri.* & Verdense Caroli M. *In hoc quoque manifesti errores historici, chronologici, aliique occurrunt. Ceræ locum tantum annotavit diplomatis hujus editor: monogramma posuit, qualia supra dixi Henricos efformare consuevisse, diversissimum ab eo quo Carolum usum constat, exemplis apud quam plurimos historicos obviis. Non est igitur autographum Verdense illud diploma: sed addendum ceteris illis vicariis atque substitutis: quibus quoad historias fidem nullam, quoad res ipsas vim omnem suam ad tribunalia relinquimus. Non me quidem fugiunt Iurisconsultorum scita severa, adversus scripta falsa atque conficta.* licet suos omnia errores habeant. *Sed valuerint istæ leges contra falsarios: hæc vicaria diplomata pro confictis atque falsis non habebantur: quippe scripta auctoritate Regum atque Imperatorum, ut summam rei ex vero continerent, hoc est, donationes, fundationes, privilegia & id genus alia: quæ de cetero Notarii, homines candidi & antiqui moris, condebant ex suo vel dictantium ingenio, iis adhibitis verborum formulis, personarum nominibus, temporum notis, quas pro suo captu ad rem esse arbitrabantur. Atque ut ista sine dolo malo in publicum emittebantur; ita minime argute aut scrupulose excutiebantur in Curia; judicibus in summam rei dumtaxat intentis, nihil autem solicitis an talia scripta essent cancellata, an signata, an ceris affixis munita, an dies & Consules recte aut perperam notata haberent.*

71 *Atque hæc præmittere volui, velut qui ponte strato ad palustria uliginosaq; loca patefaciunt ac prastruunt viam, ut veniam ad Dagobertinum illud diploma, de quo me consulitis, quodque pro autographo nuper adtextum est magnificis illis Trevirorum Annalibus.* Horreense quoque diploma, *Vtor autem circumspectione tanta: non quia res seipsâ difficilis atque perplexa est, cum sit clarissima; sed quia metuo rixas & altercationes contrapugnantium, & putantium auctoritati judiciali sui diplomatis detrahi. Contendit illius editor esse autographum. Ipsum ego vidi, legi, manibus contrectavi: autographum esse mihi nemo persuaserit: mihi, inquam, qui in veteribus litterarum publicarum monumentis, legendis, versandis, excutiendis (præsertim Maximinianis diplomatibus, genuinis illis & autographis, si qua alia uspiam) triginta & plures annos non vulgari studio atque diligentia impendi.*

73 *Quæ me vetant Dagobertinum illud autographum credere, sunt vitia quæ deprehendo in elementis atque litteris, in cera, in annis.* non est autographum *Singula ostendo. Est in scriniis antiquissimi cœnobii D. Maximini Dagoberti primi diploma, sincerum atque integrum, neque in annorum numero aut subscriptionibus vitiatum, scriptum in ingenti membrana, sed litteris venerandæ antiquitatis plenissimis, at me non piguerit diploma totum, ea prorsus forma atque magnitudine qua est, non tam exscribere quam depingere, redditis ex vero omnium elementorum sive litterarum ductibus*

AUCTORE D. P.

bus atque apicibus. His porro elementis longe abludunt elementa diplomatis ejus de quo controvertitur, formata nempe ad eum modum, quo solebant uti seculis longe posterioribus. De cera autem quid? Quantum recordor (nolim enim asseveratione summa uti hoc loco) forma sigilli ceræ impressi non est quidem prorsus absimilis Maximiniana: sed materia multum discrepat. Maximiniana, ex flavo cum aliqua sorde pallescit: Horreensis, fusca magis est & cinerei saturi coloris. Illa, vetustate mire exucca aret: hac, pingui quodam sana est; ut ex ceteris antecedentibus argumentis appareat, ad exemplum vetustioris ceræ expressum. De die & Consule, seu annis vitiose positis, non est opus pluribus, cum ipsa res pateat.

sed anno 1307 debuit innovari,

73 *Hoc porro diploma Philippus IV Galliæ Rex anno* MCCCVII renovavit & confirmavit, *ut ipse loquitur, facto insigni diplomate, quod etiam vidi legique, & nunc editum est ab auctore Additamentorum ad Trevirenses Annales. Narrat in hoc suo diplomate Philippus, à Virginibus monasterii Horreensis exhibitum sibi* antiquissimum Privilegium, *nempe* Dagoberti Regis; *seque rogatum* ut, cum propter ipsius vetustatem privilegii dicto monasterio possit in proximo dispendium imminere, privilegium ipsarum RENOVARE misericorditer dignaretur, *Et mox addit:* Privilegium ipsarum tenore præsentium renovamus & confirmamus. *Ast diploma de quo controvertitur, integrum est & sanum; non lacerum, non mutilum, non cancellatum, non detritum, nec vetustius quam ipsum Philippi confirmatorium: quomodo ergo esse potest Dagoberti primi autographum, à Virginibus illis Regi oblatum, quod erat* antiquissimum, & *tam quidem antiquum,* ut ob vetustatem illius dicto monasterio possit in proximo dispendium imminere? *Cæcum esse oportet, qui non videat; pertinacem, qui non fateatur, aliud esse diploma de quo disputamus, aliud quod Virgines Horreenses Philippo Regi renovandum obtulerunt. Hoc nimirum fuisse autographum; illud vero in locum autographi, ætate aut alia temporum injuria corrupti, suffectum & substitutum. Suffecit autem atque substituit Rex Philippus, qui diserte testatur, se rogatum illud Dagoberti diploma antiquissimum* RENOVARE. *Renovavit vero modis duobus. Primo jussit conci diploma & in membrana describi, quod rem autographi Dagobertini contineret, Notariis cetera ex suo arbitrio adjicientibus (Et hic primus est renovandi modus) deinde diplomatis ita renovati contextum diplomati suo inseruit (& hic est modus alter) simulque* tenore præsentium *suarum tabularum confirmavit.*

quia ab ejus nimia vetustate damnũ proxime imminebat;

innovatum est autem nõ sine mendis

74 *Firmatur hæc renovatio alio non levi argumento. Extat apud Virgines Horreenses exemplum alterius hujus suffecti diplomatis absque sigillo, iisque verbis conceptum quibus à Doctissimo Henschenio est editum. Vidi ipse ego hoc quoque exemplum & legi: autographum esse etiam ipsum credit Dagobertini illius suffecti editor: ita enim loquitur:* Utriusque penes Virgines autographum deprehendi. *Atqui in illo Henschenianæ editionis habentur hæc verba* Usque ad fontem S. Humberti. *Est ille Divus Humbertus Maricolensis Abbatiæ fundator in Cameracesio, cujus vitam dedit XXV Martii, & Chronologiam ordinavit Henschenius V Februarii ad Vitam S. Amandi, quicum prænominatus Sanctus, adhuc secularis, Romam profectus est, nec nisi aliquantis post annis monasticæ congregationis apud Maricolas jecit initia. Dicitur autem claruisse tempore Hilderici Regis, quia anno ejus XII, qui fuit Christi DCLXXI scripsit & signavit diploma donationum monasterio factarum, postea autem quamdiu vixerit incompertum est. Hoc certum, annis minimum triginta obiisse Dagobertum prius quam Humbertum: quomodo igitur hic in illius diploma irrepsit? & quidem ut Sanctus, & fama miraculorum usque in Treviros notus, adeo ut ibi fontem haberet suo nomine sacrum? Quamvis enim in pia peregrinatione aliqua, puta Romana, ipsemet fontem illum excitasset miraculo, sicut postea circa annum DCLXX excitavit eum, cujus mentio est in Vita ipsius num. 14; non potest tamen concipi id factum ante obitum Dagoberti. Et hoc diploma pro autographo habes, vir bone? & quidem pro autographo Dagoberti I? Si secundum fatearis, cujus fuisse donationem olim permisit Henschenius, ne hunc quidem puto nominaturum fuisse,* fontem S. Humberti. *Neque dixeris alium à Maricolensi esse S. Humbertum, de quo in tabulis: tibi enim incumbet probare, aliquem alium Sanctum hisce in partibus notum fuisse, ætate priorem Maricolensi, sed eodem quo iste nomine: si tamen hoc nomen antiquum est, ipseque Sanctus suo tempore & diu post non vocabatur* Hubertus *vel* Hugbertus, *quod ætas posterior in* Humbertum *vertisse videtur; nam ita fere solent Galli cum de S. Huberto Leodiensi Episcopo ubique celeberrimo loquuntur, & ita scribebatur tempore Philippi Regis: quocirca etiam hoc secundum exemplar ad ejusdem Regis tempora me auctore retuleris. Ceterum ista in hunc modum disputans, nihil detractum velim diplomatis Horreensis auctoritati quoad res donatas, præsertim post confirmationem Philippi Regis; quin potius ipsum, hoc nomine quod sit à tali Rege confirmatum, veneror atque suspicio, Virginibusque Horreensibus de eo etiam atque etiam gratulor.*

ut cum in eo nominatur fons S. Hũberti

qui an. 676 adhuc erat in vivis

75 *Hactenus Wilthemius, cui pene per omnia consentimus: neque enim, sicut ante dixi, hoc agimus, ut à judiciis talia repellantur, tamquam levis aut nullius fidei, vel ut falsariorum crimine denigrentur qui ista sic scripsere, præsertim monachi, quorum ut vita omnis à culpa, sic verba & scripta censeri debent à fraudibus & mendaciis aliena. Removebuntur autem ab iis quam maxime, si in Notarios Regios refundatur culpa, ipsique Reges jussisse credantur, ut secundum primum Wilthemii modum antiqua privilegia renovarentur. Recipiat igitur hunc modum qui volet, & secundum eum judicet de diplomatis minus sinceris. Ego fateor mihi difficile creditu videri, primum, quod Reges jusserint aliquando tali modo innovari privilegia, ut hujus suæ jussionis nulla in ipso innovato diplomate signa extarent: nam quod de Epternacensi cera dicitur, eam videri esse Regis, innovationem approbantis, haud possum admittere: cur enim Horreense aliaque sic innovata, in cera habent effigiem Regis, non innovantis, sed primum condentis ut putabant ipsum instrumentum? cur in Epternacensi tam solicite extrita sunt illa præcise litteræ quæ monere intuetem potuissent, non esse hanc ejus Regis ceram, cujus subsignabatur nomen? Secundo, innovationes istæ studium requirebant nonnullum, uti ex ipsarum examine patuit: non est autem credibile Notarios Regios, antiquæ historiæ minime curiosos, laborem hunc sibi voluisse assumere, quo invenirent temporum, personarum ac formularum circumstantias, quæ possent innovandæ donationi applicari. Denique Notariorum fides publica non potuit permisisse, ut delatis ad se rebus affingerent ipsi, quas vellent, particularitates. Quare, cum omni libertate dicendi scribendique quod verius existimavero, ingenue fateor, probabilius mihi videri, tales innovationes privatim à monachis ipsis fuisse factas; vel saltem descripturis eas Notariis præparatas ex iis quæ ad manum haberi poterant documentis, per illos quorum agebatur causa: & neque deberi pro legitimis tabulis agnosci, quæ revera non sunt ipsa quod præferunt, sed pro aliis supposita, nisi postquam expresso privilegio id sanciverit Princeps, qui etiam nothos ac spurios ad legitime genitorum jura potest evehere. Quamdiu vero constat de suppositione, non constat autem de legitimatione, ut sic loquar, privilegio; siquis ejusmodi tabulas, verarum donationum testes non veras, pergat vocare spurias, eorum more qui scapham scapham, ligonem ligonem nuncupant; non ausim ego ejusmodi arguere nimiæ severitatis, maxime quando ad autographiæ defectum, alia graviora accedunt vitia affictarum ex conjectura personarum, temporum, ac formularum.*

An jusserint Reges nova scribi quæ pro autographis ostenderentur;

& an isti errores imputari debeãt Notariis?

nobis neutrũ videtur dici posse.

AUCTORE D. P.

CAPUT VI.

Quomodo Horreense diploma fabricatum & errores chronologici ex Reginone accepti fuisse videantur.

76 QUoniam ex præcedentibus satis liquet, neque autographum esse Horreense diploma, neque ex autographo desumptum iisdem verbis exemplar: quæret forsitan aliquis de ipsis controversis membranis, quomodo eæ sic adornatæ fuerint, ut olim ostensæ pro fidelibus ecgraphis non amplius existentis vel minime legibilis originalis, nunc pro ipso ostendantur originali; idque cum tot tamque manifestis historicis mendis, ac posterioris ætatis notis. Res dictu captuque facilis. Constabat S. Irminam, Horreensis monasterii fundatricem, filiam Dagoberti Regis fuisse, & certa perseverabat fundorum ab ipsa monasterio contraditorum possessio: hi autem duplicis generis erant, & partim à patre obvenerant Irminæ, partim à sponso: fortassis etiam extabant ibidem veterum instrumentorum lacera mutilaque pittacia; tum ejus, quo filiæ suæ in matrimonium tradendæ dotem assignabat Rex pater; tum illius, quo sponsam heredem instituebat Hermannus; tum denique alterius, quo filiæ donationem Rex pater laudabat. Extabat certe ibidem, quoddam Dagoberti III diploma, in confirmationem donationum ab Irmina factarum: ab hoc enim acceptum videtur cereum sigillum, quod Horreensi chartæ nunc inhæret, itemque annus II regni, & nomen Grimoaldi Majoris-domus. Cum igitur fundationis suæ tabulas & alia eodem spectantia instrumenta antiquiora perdidissent penitus Horreenses; & confirmatorium Dagoberti III privilegium antiquissimum, tale jam esset, ut propter ipsius vetustatem privilegii, posset in proximo dispendium imminere; voluerunt huic defectui & periculo prospicere, petendo illius innovationem à Franciæ Rege Philippo IV.

Pro cujusdã Dagoberti diplomate innovando

77 Cur autem à Philippo, cum ad Imperium spectent Treviri, illudque teneret Albertus Austrius? Masenius, de bonis quæ in Gallia possidebant Horreenses litem Parisiis agitatam divinat; eaque occasione productum istic innovatumque esse Dagobertinum Privilegium. Verior fortasse conjectura sustinebit, Treviros contra Archiepiscopum suum contraque Albertum Cæsarem eo tempore armatos, democratiam suam tutelæ Francicæ commisisse; defendendam tum contra illos, tum contra Lutzenburgensem Comitem, gravem utique vicinum, & bello identidem inferendo molestum; & ideo ad Philippum potius tunc fuisse recursum ab Horreensibus, quam ad Albertum Imperatorem. Vt ut sit, videntur illæ, ut dixi, habuisse Dagoberti cujusdam diploma; & suam fundatricem scientes Irminam Regis Dagoberti filiam dici; eumdem esse & hujus patrem & illius diplomatis conditorem credebant; cumque ipsum prorsus illegibile jam esset, propter obscuritatem veterum characterum, aut fugam evanidi atramenti, vel etiam parte prima revulsa lacerum, innovatio illius petenda opportune videbatur, ab eo qui facile & absque grandi examine concessurus illam esset, oblata occasione jurisdictionis circa Trevirenses exercendæ. Hoc consilio capto, scriptum primo fuerit novæ compositionis diploma, antiquiori charactere & in obsoletiori membrana; cera autem ex antiqua Dagobertinæ confirmationis pittacio revulsa, & membranæ prædictæ applicata. Adversus quam technam, in praxi facillimam, posterorum prudentia excogitavit securiorem alium sigillandi modum; quæ scilicet non ipsi membranæ applicatur cera, nullo negotio (ubi modice ad ignem membrana incaluerit) filo subtili abradenda, & quo volueris integre transferenda; sed sigillum cereum, trajecto per membranam funiculo, applicatur, & sigillo secundario, quod clavem vel secretum appellabant, sive (ut nunc loquuntur) contra-sigillo sic munitur in dorso, ut illæso funiculo aut sigillorum altero nequeat auferri, multo minus alio transferri, sic ut fraus non appareat.

Philippũ IV Fr. Regem adiisse Horreenses

novas composuere membranas

78 Ceterum Horreenses, justo metu subintrante, ut illud sic adornatum diploma (utpote integrum & nulla sui parte læsum) aut tam antiquum crederetur quam volebant, aut persuaderet magnam esse innovationis petendæ necessitatem, dimisso eo quod jam scriptum & signatum erat exemplari; aliud scribi jusserunt eadem manu, quod non tamquam originale, ab annis sexcentis sexaginta exaratum, offerretur Philippi Regis consiliariis; sed tamquam exemplar, ab annis ducentis trecentisve transcriptum fideliter, ex iis quæ in monasterio manserant antiquissimis & jam evanidis nec legendis pittaciis: cui quia non aderat publicæ auctoritatis fides, petebant novum jussu Regis conscribi, cui tenor oblatæ copiæ insereretur verbotenus: idque vel suo vel alieno favore haud difficulter impetrarunt. Nova autem in secunda membrana descriptionis occasione accesserint ea, quæ tamquam primo exemplo superaddita [] inclusimus, ubi ipsum ejus contextum dedimus; quæque ad rem facere haud parum videbantur, esseque ex usu temporum antiquiorum. Hoc est totum quod de modo prænarratæ fictionis (nam fictio certa est) potui divinando assequi: & credo verosimillimam esse conjecturam, saltem quoad substantiam rei: accuratiorem si quis proferat, libenter acquiescam.

quarum unã ut alterius jam evanidæ ecgraphum obtulere:

79 Porro, cum is, qui Horreense diploma composuit, antiquiorem Irminæ Dagobertum nullum nosset, quam Chlotarii II filium, totius Francici Imperii aliquando Monarcham; ut annum Christi, prout seculorum aliquot usu invaluerat, & Indictionis inveniret (nam hi ita solicite adduntur in omnibus medii ævi diplomatis, ut absque his nulla valida vulgo censerentur, & antiquiora iisdem carentia si quando in manus veniebant imperitorum, vel eo solum titulo haberentur suspecta) assumpsit Chronicon Reginonis Prumiensis, per omnia ejus tractus monasteria notissimum ac receptissimum, cui Regum Francorum primæ stirpis gesta sic innectuntur, ut referantur, non ad annos Christi (quos nullos in primo libro notavit Regino) sed ad tempora Orientalium Imperatorum, quæ facile erat ad annos Christi utcumque aptare. Quia autem laudabili Reginonis conatui, non semper respondit successus optatus, propter chronologiæ verioris ignorantiam: hinc factum ut Regum & Imperatorum, quos dixi, tempora comparans Regino, & ipse in graves errores frequenter impegerit, & alios vestigia sua prementes sæpius abduxerit à tramite veritatis, ad quam iis seculis nulla erat expedita via, nec querebatur alibi quam in ejusmodi Chronicis.

earum auctor chronologiã sumpsit ex Reginone,

80 Inveniens igitur novæ chartæ Horreensis scriptor, in prædicto Reginonis Chronico, initium Regis Dagoberti componi cum Imperio Constantis, qui fuit filius Constantini, filii Heraclii, quique anno DCXLI thronum conscendit; facile sibi credidit esse, congruum fabricando diplomati tempus comminisci: & huic composuit annum Regni secundum, quem, ut dixi, non ex Primi aut Secundi Dagoberti diplomate aliquo, sed ex Tertii accepisse videtur; qui juvenis, imo puer, patri Childeberto suffectus à Pippino Herstallio ejusque filiis, solo nomine tenus Rex dicebatur, imperio manente penes Majores-domus. Erant autem illi, Pippinus quem dixi, & filius ejus junior Grimoaldus: qui anno dicti Dagoberti secundo, Christi DCCXII aut XIII in Austrasiam excurrens, Regis sui nomine Treviris dedisse & sigillasse potuit Horreensis fundationis confirmatorias litteras: quas tanto magis persuadeor fuisse unicum totius fictionis fundamentum, quo plura signa Dagoberti tertii habet evanida Horreensis cera, ubi neque barbæ neque sceptri vestigia inveniuntur, sed criniti simpliciter juvenis; & residuæ nominis litteræ aliter quam in San-maximiniano ductæ conspiciuntur. Sed in iis, utpote absentis Regis manuali subsignatione destitutis, deerat nomen Cancellarii pro Archicapellano chartam scribentis; deerat Dagobertini nominis consuetum isti seculo monogramma, quod non debuit à Dagoberti primi monogrammate discrepasse; sicut non discrepant Karolorum Magni & Calvi ac Crassi monogrammata. Ipsum autem quale fuerit ignorans scriptor Horreensis, fabricavit aliquod ex forma monogrammatum sibi seculo XIV nota,

annum regni & nomen Majoris-domus

ex diplomate Dagoberti 3,

ante, & fictionem suam numeris omnibus credidit absolvisse.

Regino non notavit libro I sui Chronici annos Christi:

81 Restat ut, quoniam dixi, Horreensis diplomatis innovatorem Æræ Christianæ annum sibi finxisse, qualem concipere potuit consulendo Chronicon Reginonis, in quo Dagoberti initia referuntur ad imperium Constantis Junioris; restat, inquam, ut scrupulum removeam, quem facere possent anni Christianæ Æræ, in omnibus Reginonis scriptis impressisque exemplaribus, ad illius primum librum non nisi quam ad posteriorem notati, & initium Constantis regnare exorsi post Constantinum patrem & avum Heraclium, componentes cum anno DCXLVI. Dico igitur iterum, quod in Diatriba Dagobertina pluribus dixit Henschenius, ipsummet Reginonem in fine libri prioris profiteri, quod à morte duntaxat Caroli Martelli per Incarnationis Dominicæ annos tempora Principum & gesta declarare proposuerit; ante illum, summatim demonstrare contentus, quo loco vel quid actum sit sub unoquoque Principe, id est, unoquoque Imperatorum Græcorum: quorum successionem non curavit ad annos Christi reducere, quia hoc nusquam ex voto suo factum inveniebat.

sed eos postea alius adjecit valde imperite.

Quamvis autem Regino, etiam in hoc ipso quod solum sibi primo libro proposuit, erravit graviter, Dagoberti primi initium componens cum initio illius Imperatoris, sub quo regnare non cœpit, sed desiit: si tamen voluisset annos Christi adscribere etiam priori libro, non puto eum tam enormiter fuisse exerraturum, sicut exerravit is qui dictos annos præfato libro priori aptavit; adeo parum rei suæ attentus, ut ubi partem priorem finit Regino, & annum decimum Caroli Martelli nominat, ibi scripserit annum Christi DCLV. Interim ipse Regino librum posteriorem notatis Christi annis exordiens, sicut se facturum promiserat, Caroli Martelli obitum accidisse scribit anno Christi DCCXLI; quod cum prænotato anno X componere nemo potest, nisi qui sustinere vellet totis XCV annis Martellum regnasse. Quod tam grande mendum absit ut Reginoni imputet aliquis, auctori satis antiquo, mortuoque, ut ex epigraphe sepulchrali liquet, anno DCCCCXV. Obiit autem, à sua Abbatia Prumiensi exul, in monasterio S. Maximini prope Treviros, ubi non ita pridem repertum corpus, cum apposito pedo Abbatiali fracto, ad ejus depositionem significandam.

eoque imperito pro autographo Reginonis ostenditur liber, scriptus anno 1084.

82 Ast, inquies, in ipso Reginonis autographo, quod adhuc Prumiæ adservatur atque ostenditur, non tantum secundo, sed etiam primo Chronicorum libro, anni Christianæ Æræ adnotati inveniuntur. Vidimus etiam ipsi nos memoratum codicem, eumque autographum dici à monachis Prumiensibus audivimus patienter. Vidimus autem, quod dictus codex una perpetuaque manu descriptos haberet Francorum Annales, & Eginharti Commentarium de Vita Caroli Magni, ac demum ipsum Reginonis chronicon: eademque manu ad calcem libri scriptum legimus, Anno Dominicæ Incarnationis MLXXXIV scriptum est hoc volumen, ab Arnoldo Scholari, præcipiente Domno Wolframno, pio ac venerabili Abbate Prumiensis cœnobii. Atque ita probatum manet, quod in Diatriba dixit Henschenius, istam Reginonis corruptelam, per appositos Christi annos, satis esse antiquam: quod tamen non prohibet quo minus Horreensis diplomatis innovator, etiam seculo XIV, invenerit & consuluerit aliquod exemplar Reginonis incorruptum. Si enim habuisset illud Chronicon, sicut ipsum nunc habemus, vidisset initia Dagoberti ad annum ut diximus DCXXX relata, mortem vero ad annum circiter DCXX: & hoc sequens, longe gravius erravisset in defectu, secundum annum Dagoberti cum anno DCXXXI componendo; quam nunc erravit in excessu, eumdem annum secundum componens cum anno Christi DCXLVI.

Alia similis charta, in judicio aliquando producta,

83 Porro si post hæc omnia pugnare aliquis pro Horreensi diplomate pergat, non quidem ut originali, sed tamquam indubitatam historiæ fidem faciente, velut quod verbotenus & fideliter ex originali transcriptum habeatur; dicatque, nisi id certo & irrefragabiliter constitisset & probatum fuisset, numquam ipsum fuisse à Philippo ejusque Consiliariis probandum vel innovandum: poterit is opinioni nostræ magis credulus fieri, si examinet diplomata pleraque eorum quæ producuntur in libro Iudoci Coccii, cui titulus Dagobertus Rex, Argentinensis Episcopatus fundator. Etenim in toto illo opusculo nullum est genuinum Dagoberti cujuscumque Regis diploma, sicuti clare apparet ex iis quæ Henschenius, parce quidem ac stricte, sufficienter tamen clareque deduxit, in Diatriba Dagobertina, ut cognosci adulterationes possint tabularum ex Argentinensi aliisque archiviis à Coccio productarum, fœdisque anachronismis scatentium. Et tamen inter ibi citata & refutata diplomata nonnulla sunt, quæ cum aliis compluribus Rudigerus, Abbatum Weissenburgensium postremus, anno MDV exhibuit Maximiliano Augusto ejusq; filio Philippo & frequentissimo Principum S. R. I. cœtui, jus dicenti contra Philippum Comitem Palatinum Rheni.

fidem sæpe obtinuerunt:


Ea autem ab ipsis recepta in judicio non improbo, imo, si confirmata innovataque indubitabili aliquo succedentium Regum aut Imperatorum diplomate fuisse constiterit, omnino recipi debuisse contendo, quod attinet ad firmandam & non inquietandam fundorum possessionem. Sed quod ad historiam, nego ullam talium esse auctoritatem, nisi quatenus cum rebus aliunde certis aut consentiunt aut certe non pugnant.

uti & Epternacense Pippini Regis diploma

84 Omnium instar in hoc genere (nam singula persequi infinitum foret, & ista Coccii satis delibata sunt) Epternacense diploma sit, cujus mentionem supra fecit Wilthemius, velut quod à Pippino Rege conditum ostenditur, & ut tale legitur apud Miræum in Notitia Ecclesiarum Belgii cap. 20. Ipsum siquidem autographum (nescio an Miræo visum) in judicium productum fuisse plus vice simplici, etiam hoc eruditiori seculo, asseruit nobis prædictus Wilthemius: & tamen nec esse genuinum nec sincerum testatus est supra. Quod ibi in transitu dictum, meretur paulo uberius explanari. Genuinum non esse, sed pro originali suppositum, probat nominis monogramma, non ejus formæ quam adhibebant primæ aut secundæ stirpis Reges in Francia vel Austrasia: sed quæ diu post usi sunt Henrici in Germania, quantum quidem ad lineas, in duplicis crucis formam decussatas, attinet; quantum vero ad litteras, erectis annexas lineis, Fridericianum monogramma in hoc Epternacensi propius exprimitur.

signum fere habens Fridericianum

Fridericianum signum hujusmodi supra proposuimus: hic Epternacense signum accipe, una cum vero signo alterius Pippini, qui Regis Pippini pronepos Aquitaniæ regnum tenuit, & in posteris suis alios Pippinos reliquit, omnes hoc fere monogrammate usos, secundum Ioannem Besly, in eo opere quod scripsit de priscis Aquitaniæ Regibus.



85 Si Francorum Rex & Caroli Magni pater Pippinus quadratum nominis signum usurpavit (de quo vehementer dubito, nullum quadratæ formæ signum indubitabile inveniens ante Hludovicum Pium) nequaquam puto ambigi debere, quin illud postea usurparint ejusdem nominis pronepotes; sin usus est signo cruciformi (quod magis reor) multo longius recessit ab istius Epternacensis figmenti forma, prout ex supra deductis apparet. Interim ipsi, quam dixi, fictioni evidentius adhuc repugnat sigillum ceræ impressum, cujus circumferentiæ inscriptum fuisse ✠ HENRICUS. DEI. GRATIA. III. REX. ROMANORUM. etsi nunc legi non possit, extritis de industria litteris omnibus præter voces DEI. GRATIA. REX; evidens tamen est, ex imagine Regis, manu dextera liligerum sceptrum, sinistra globum cruce insignem efferentis, qualem ex indubitati diplomatis sigillo incisum æri expressit Nicolaus Zyllesius parte 3 defensionis San-Maximinianæ pag. 36. Ita igitur Pippinianum istud non esse genuinum fit evidens, neque dubito quin id judicasset

AUCTORE D. P.

judicasset Miræus, si ipsum autographum ita signatum sigillatumque vidisset. Idem non esse sincerum, sed ad posterioris temporis formam quoad verba mutatum, in eo quod inchoetur in nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, *& aliis forsan formulis, quodque habeat notam Æra Christianæ & Romanæ Indictionis, ex supradictis patet.*

86 *Nunc monendus mihi lector est, non tantum ideo hoc exemplum à me allatum, ut credibile faciam Philippi ministros, decipi potuisse in eo quod putarint Horreense diploma esse genuinum, aut saltem invariatum verbis Dagoberti primi instrumentum: sed etiam ut retractem alibi à nobis constituta ex fide Pippiniani istius diplomatis, antequam adulteratum esse cognovissemus. Satis quidem Magister meus, in ipso Dagobertinæ suæ Diatribæ ingressu, docuerat, quod* Epocha annorum ab ortu Christi serius ad ordinandam chronologiam adhibita *sit, &* priscis historicis *atque* diplomatis inscienter à posteris inserta; *quodque ab iisdem à principio abfuerint anni Pontificum, Imperatorum externorum, atque Indictionum: & hoc sciebat per totam Regum Francorum primæ stirpis seriem debere animadverti, suspectaque habenda omnia, quibus alii quam anni ipsorum Regum notarentur adscripti: non tamen habebat præcise definitum, quandonam anni Christi & Indictionum cœpissent usurpari in regiis diplomatis. Itaque cum ex una parte videret initium Pippini Regis ab antiquioribus seculi* IX *chronicis referri ad annum Christi* DCCL, *ex altera autem parte consentiret cum iis præallegatum ex Miræo diploma; tanto minus de veritate illius chronotaxis dubitabat, quanto putabat se certiorem esse de sinceritate & antiquitate chartæ originalis. Certum autem se putabat: quia fide publica adscriptum erat ecgrapho ad ipsum misso, quod cum originali erat* collationata copia, & verisona reperta de verbo ad verbum & de litteris ad litteras, per Concilii regiæ Majestatis Luxemburgensis Prographeum V. Strengh. *Ab eo etiam qui collationem faciendam curarat, quique putabatur absque sufficienti regiorum monogrammatum notitia non fuisse judicaturus de Pippiniano, scriptum erat Luxemburgo, subjectum originali chartæ videri* signum Pippini, litteris, nomen ejus more illius ævi continentibus, efformatum. *Nunc autem per ocularem experientiam cognita fundamenti primarii falsitate, & chronicis quamtumvis antiquis certam chronologiæ fidem pro Pippino non facientibus; idem Henschenius cœpit formidare, ne falsius esset, annum primum Pippini Regis cum anno Christianæ Æræ* DCCL *conjungendo; & multo magis, existimando quod sub eodem Pippino factum esset initium annorum Christi in regiis diplomatis signandorum: Ego vero, qui in Exegesi Dagobertina ante Tom. 3 Martii ex una quidem parte persuasus, propter Epternacense diploma, ipsummet Pippinum primum sui regni annum numeravisse* DCCL; *ex altera autem certus mihi videbar scriptores coævos primum illius annum signavisse* DCCLII; *existimavi unicum hujus contradictionis tollendæ medium esse tenendum, quo Pippinus quidem diceretur regni sui annos cœpisse numerare à tempore suæ electionis per Francos factæ; alios autem scriptores à primo post unctionem ejus anno: quod nunc minime necessarium arbitramur, putamusque nihil obesse, quo minus Pippini electio per Francorum Principes, approbatio per Romanum Pontificem, & unctio per Episcopos Galliarum, facta sint uno eodemque anno* DCCLI; *quem annum sequens annus* DCCLII, *ab ipsomet Pippino & ab omnibus aliis fuerit communiter appellatus primus annus Regni, neque habendam censemus rationem chronicorum in quibus citius Pippini regnum inchoatur, utpote diu post scriptorum.*

quod non scientes, erravimus in constituta Pippini R. Epocha,

una in anno 750

altera in anno 752

87 *Quomodo autem Epternacensis illa charta, Pippini Regis nomen prætendens, aliquando nobis imposuit; ita & aliud sub nomine Dagoberti, apud Marquardum Freherum inter Lupodunensia monumenta, visum aliquando est omnem fidem mereri, quod diceretur à Carolo Magno atque Ottone Imperatore aliisque confirmatum, & cum Chronologia Dagobertina optime conveniret; utpote quod anno* VI *regni signatum Moguntiæ pro Wormaciensi ecclesia, continebat donationem eidem factam immunitatesque concessas, ex consilio Procerum* Pippini, qui erat Major-domus, Arnolfi Metensis Episcopi, & Chuniberti Coloniensis Archiepiscopi: *qui tunc simul florebant. Nunc vero singulis penitius inspectis, deprehendimus tam ipsam Dagoberto imputatam chartam, quam confirmationes attributas Carolo Ludovico atque Hlothario, nec originales nec saltem sincere descriptas haberi. Nam primo Ludovici atque Lotharii commune diploma, annum Christi* DCCCXXIX *adscriptum habet, præter eorum morem, ut apparet in alia eorumdem sinceriori charta apud Labbæum in libro de Cancellariis pag. 97,* data Idibus Augusti anno Christo propitio XVII Imperii Domni Ludovici Serenissimi Imperatoris & Lotharii Augusti VIII. *In Carolino vero pro* Lupoduno (*quod Caroli ac filiorum ævo,* Lobodunum, *composite autem simulque contracte vulgariter* Lobdenburg *dicebatur) scribitur* Laudenburg, *ex usu posterioris longe temporis, ex quo nunc etiam* Ladenburg *perseverat; ipsumque vocatur* civitas, *& dicitur à Dagoberto Wormaciensi ecclesiæ tradita. Neque tantum in genere tradita dicitur* cum omnibus rebus ad illam pertinentibus; *sed specificando per hoc est, idem Dagobertus nominasse fingitur,* ædificia, mancipia, vineas, terras, cultas & incultas, agros, prata, campos; omne silvaticum in silvis ottenwalt, cum omni utensilitate in omni pago Laudenburgensi, in undique, in intraha, in pascuis, in materiaminibus, aquis, aquarumque decursibus, piscationibus, quæsitis & inquirendis; item theloneum, mercatum, & quidquid ad fiscum pertinebat, excepto stipe & comitatu: *quodque ipse Dagobertus* ex integro *ea* omnia concessit & sub integra erumnitate (*forte* immunitate) omnia ad eamdem basilicam pertinentia sua præceptione confirmavit; *uti hæc ipsa leguntur in eo quod Dagoberto attribuitur privilegio.*

ut confirmatam à Carolo M. & successoribus,

Simili errore approbavimus chartã Dagoberti de Laudenburga ecclesiæ Wormac. donato

88 *Verum non modo hic multæ occurrunt voces alienæ ab ævo Dagobertino; sed etiam tam minuta appendiciarum omnium enumeratio alienissima est à tanta antiquitate. Ipsum denique quod prætenditur Dagobertinum, totum in numero plurali decurrens, præter verum ejus ævi stylum, ut diximus, multa etiam peccat in modo subsignationis, quæ est* Dagobertus Rex Francorum. Godefridus recognovit, datum sub die II Kalendas Octobris, anno regni nostri VI. Actum Moguntiæ palatio nostro, feliciter satis, *quæ singula dignabitur expendere lector, & cum genuino San-maximiniano conferre. Credo interim quod, cum vere* Richovicus, sanctæ Wangionensis ecclesiæ Episcopus, detulisset præceptum Domini & Genitoris nostri Caroli bonæ memoriæ simul & avi nostri Pippini Regis *(ut loquuntur in suo, licet interpolato, diplomate Ludovicus & Lotharius)* in quo continebatur, quod & ipsi & prædecessores eorum, Reges videlicet Francorum Dagobertus, Sigebertus & Hilpericus concessissent, ut quanticumque negotiatores vel artifices seu frisiones apud Wangionem civitatem devenissent, omne theoloneum (undecumque fiscus theoleonium & in prædicta civitate & in castellis Lobdenburg & Wimpina exigere poterat) ad integrum per eorum auctoritates eidem ecclesiæ concessissent. *Credo, inquam, quod cum hujusmodi diploma confirmatorium haberetur, simulque diceretur ecclesia illa, ex Dagoberti donatione, civitatem* Laudemburg, *olim* Lobdenburg *castellum, cum toto* Lobodonowa *seu agro circumjecto possidere; sumpta fuerit occasio Dagobertinum istud Carolinumque fingendi, ad supplendam veterum instrumentorum jacturam; idque cum antiqui styli incuria ea, ut pro Da*goberto *&* Chuniberto *sive* Huniberto, *irrepserit* Dagebertus *&* Humbertus. *Quidni vero hæc sic conscripta Ottoni & successoribus offerri potuerint, ab iisque confirmari*

quod nunc improbamus.

CA-


CAPUT VII.

Ad eumdem modum examinantur & rejiciuntur Chartæ quædam Lobienses & Cameracenses.

Lobienses chartæ,

89 *HActenus dicta ne possint à quoquam revocari in dubium, objectis variorum monasteriorum chartis, quarum exempla libris impressis inserta passim in oculos manusque incurrunt; visum est, ad pleniorem lectorum instructionem, per varias regiones discurrere, & examinare imputata Regibus primæ stirpis diplomata adhuc aliqua. Vitiis autem suis & subjectorum monogrammatum absurditate, notabilia imprimis videntur ea, quæ post Sanctorum Lobiensium Vitas, in Chronico monasterii jam dicti Gallice conscripto, habet Ægidius Waudæus. Etenim vir ille bonus, nihil de eorum originaria & authentica fide dubitans, ad certiorem probationem, Dagoberti atque Pippini monogrammata commentitia celanda curavit, quorum hæc est forma.*

præter fictitia Dagoberti & Pippini signa,



Ex his Dagobertinum monogramma factum est ad ejus similitudinem, quo usus est Caroli Magni filius Ludovicus Pius: Pippinianum mysteriis plenum est, quorum rationem requirere, idem esset, quod ab ægro capite somniorum suorum exigere connexionem.

contra stylum & historiam

90 *In primo notabilia sunt hæc verba,* Quare ego Dagobertus Rex Austrasiorum, pro anima Lotharii piissimi Regis patris mei, qui quadraginta quinque annis regnavit in Francia, persuasione & monitis salutaribus viri venerabilis Autberti Cameracensis Episcopi inductus, concedo & dono Landelino Mauroso, ex prædone converso, prædium meum in Fania &c. *Notabilis etiam subsignatio, qua, post* Signum Domini Dagoberti Regis Austrasiorum, *sequuntur signa duorum testium, sic*

S. Arnulphi Metensis } Seniorum Palatii.
S. Pippini Neustriensis }

ac denique S. Ansonis Cancellarii, vice Cuniberti Archicancellarii recognovi. Data Cameraci XVI Kal. Maji, anno Dominicæ Incarnationis DCXL, Indictione XIII. *Annus Christi & Indictionis conveniunt: & salva putantur omnia: interim omittitur annus Regni, qui tamen præ omnibus aliis temporis notis, aut unice aut saltem præcipue, debuerat exprimi. S. Sigebertus, Dagoberti istius filius, & nepos ejusdem Dagobertus II,* Francorum *se* Reges *absolute scribebant, quamvis in sola imperitarent Austrasia: & totius Francici imperii Monarcha, jam inde ab anno* DCXXIX, *minori titulo, qualem usurpasse nemo scitur, contentus fuerit?* Clotharium *non* Lotharium *scripsisset antiquitas: neque quot annis rexerit addendum erat, nisi ineptus scriptor in Chronicis versatum se indicare voluisset. An jam tum Episcopus fuerit Autbertus vehementer ambigimus: fuit enim usque ad annum* DCLXXVI *superstes: sed non dubitamus quin S. Landelini conversio ad annos multo post secutos spectet, si puerum (ut in Vita dicitur) de sacro fonte susceperit idem sanctus Antistes. Quam autem incongruum est, sancto Abbati cognomentum addi, quod ei datum à sociis prædonibus fuerat; aut perditæ quondam vitæ tali loco ac scripto mentionem inseri? S. Arnulphus, non tantum aula sed & Episcopatu relicto, ante annos fere decem ad eremum abiens, ibidem usque ad mortem remanserat. S. Pipinus, qui novo vocabulo* Neustriensis *hic dicitur, & novo titulo* Senior Palatii, *in Austrasia natus, in eadem fere exercuit dominatum sub Dagoberto patre ac Sigeberto filio, cum titulo* Majoris-domus. *Cetera dissimulo.*

multipliciter peccant,

91 *Huic porro Dagobertino figmento prorsus similis subtexitur confirmatio, & ipsi S. Auberto tribuitur, cum iisdem de Lothario & Landelino ineptiis, atque concluditur:* Actum Castri loco, anno Dominicæ Incarnationis DCXLII, Indictione XV, regni Domini Dagoberti inclyti Regis tertio decimo, Sigeberti filii ejus quarto. *Atqui Dagobertus I jam inde ab anno* DCXXII *cœperat Austrasiis imperare, Neustriis vero & Burgundis post obitum patris anno* DCXXVIII. *Sigebertus quoque illius filius, Austrasiis Rex à patre est datus anno* DCXXXI; *ut proinde undecimus ejus annus, non quartus fuerit numerandus. Fabulosa igitur hæc sunt omnia, nisi quatenus hausta videntur ex* perantiquis membranarum pitaciolis; *quas suo tempore, id est seculo* X, in ecclesiæ *Lobiensis* Archivis *extitisse, testatur Fulcuinus Abbas in Chronico sui monasterii. Equidem existimo in his fragmentum fuisse aliquod, Regum Dagoberti ac Sigeberti nomina continens: quos imperiti chronologi eos rati, qui soli in chronicis notabantur; ad annos ipsis assignatos conati sunt suum figmentum aptare. Dagoberto II æque ac I fuisse filium Sigebertum regni consortem, est in Exegesi Dagobertina num.* 25 *probatum: quare si alicujus Dagoberti liberalitate, quam Autbertus Episcopus confirmarit, crevit Lobiense monasterium; nihil dubitare possum quin ea laus, æque ac multa alia, à secundo ad Primum translata fuerit per meram verioris historiæ ignorantiam: cui deinde præsumpserunt figmenta sua diplomataque inædificare Lobienses monachi, fortassis post scriptum Fulcuini chronicon: qui, ob prænotatam causam graviter in chronologia aberrans, fundationis anticipando tempora; aliis quoque post se dedit exerrandi occasionem, tum in istis, tum in aliis simili temeritate fabricatis Pipini regis diplomatis.*

Dagobertum I pro II assignata,

92 *Ad eorum suppositionem commonstrandam (ut de stylo nihil dicam, deque monogrammate jam rejecto) vel solæ sufficiunt subscriptiones, quarum prima est talis:*

cum ridiculis subsignationibus,

Signum Domini Pipini Senioris.
Signum Hydulphi, Ducis Lotharingiæ.
Signum Philippici, Ducis Metensis.

Ego Aldolgus Cancellarius, ad vicem Rhuotperti Archicapellani recognovi & subscripsi. Data Lephstinis decimo septimo Kal. Decembris. Anno Dominicæ Incarnationis sexcentesimo primo, indictione quarta, contrito Theodorico Rege superbo feliciter, concessionis hujus eodem anno. *Alterius charta est subscriptio:*

Signum Pipini Regis invictissimi ✠

Ego Adelgus Cancellarius ad vicem Ruothperti Archicapellani recognovi & subscripsi. Data decimo septimo Kalendas Decembris Lestinis, anno Dominicæ Incarnationis sexcentesimo nonagesimo septimo.

93 *Nolo quærere quomodo unus idemque Cancellarius nomen suum ita difformiter scripserit, nunc* Aldolgus *deinde* Adelgus; *utrumque enim barbarum est, & videtur pro* Adelgis *vel* Adelgisus, *quod vere Teutonicum, excidisse figulo hujus subsignationis, antiquitatis speciem affectante. Non quæro item quis sit,* Ruothpertus (Robertum *vocassent Mosellani) nusquam alibi notus. Invenio enim apud VVaudæum veriora diplomata duo, Conradi Regis & Ottonis II; quorum alterum* Aldelgus Cancellarius, ad vicem Theotmari Capellani; *alterum* Vullegis Cancellarius, ad vicem Ruothperti Archicapellani recognovit: *neque ambigo quin utrimque mutuatus sit aliquid priorum compilator. Ex usu etiam multo recentiori nunc* Lephstinæ, *deinde* Lestinæ *scribuntur, quas Fulcuinus, qui originalia vidisse potuit,* Liptinas *vocat, fiscum tunc regium; quomodo etiam nominatæ inveniuntur in canonibus Synodi ibidem anno* DCXLIII *celebratæ. Non interrogo quis unquam victoria sua, quantumvis magna, usus sit pro nota temporis inter Francos, uti hic inepte facere Pippinus fingitur, qui non tam contra Theodoricum Regem suum, quam contra Ducem ejus Bertharium rebellare profitebatur; sicut etiam*

aliisque ignorantiis;

AUCTORE D. P. etiam nostra memoria Franci, arma ferentes sæpius contra partem regiam, ipsius Regis obsequium, libertatem, & salutē semper prætexuerunt. Mitto hæc & alia similia quærere, solum indicabo quædam, ubi manifeste contra istius temporis historiam peccavit diplomatum prænotatorum auctor.

imprimis quod Pippinum Herstallius se vocet Regem, 94 *Primum igitur Pippinum Herstallium (quo se pro Majori-domus gerente usque ad annum mortis ejus id est* DCCXIV, *numquam defuere Francis legitimi Reges) Pippinum inquam Herstallium dico, neque Regem unquam indigetasse se aut à scriptoribus coævis sic esse vocitatum; neque (quod solius Regis erat) Cancellarium vice Archicapellani recognitorem suis chartis unquam adhibuisse. Etenim quamvis, post victum cum suo Theodorico Berthariùm anno Christi* DCXCI, totius regni gubernacula Thesaurosque regios & universi exercitus dominationem propriæ facultatis jure disponenda susceperit, *ut loquitur Metense Chronicon: tamen, ne tyrannidem videretur* exercere, nomen Regis Theoderico ejusque successoribus, inæstimabili pietate reservavit: *& in commutatione, per ipsum ejusq; uxorem facta anno Christi* DCCV *(quatum alibi tum in Diatriba Dagobertina pag.* 159 *legi potest) solum vocatur* Vir illuster, *ipsaque charta sic consignatur:* Facta hæc commutatio sub die XIII Kal. Febr. anno VII regni Domni nostri Childeberti Regis. Ego Hardricus, jubente Domno Pippino ejusque illustra matrona Plectrude, hanc chartam scripsi & subscripsi. *Fateor tamen seculi* X *scriptores Regis titulo Pippinum istum insignivisse: unde ad calcem libri, de Vitis SS. Wenceslai & Adalberti Martyrum scripti sub Otthone II, & cum capite S. Adalberti Aquisgranum transmissi ab Otthone III, eâdem cum ceteris manu hæc addita legimus:* De Pipino Comite Palatino & Iduberga, natæ sunt B. Gertrudis & B. Begga. De Ansigiso & B. Begga natus est Pippinus Rex. De Pippino & Alpaida adultera, sorore Dodonis, injuriam ferente Plectrude Regina, natus est Karolus Martellus. De Karolo Martello natus est Pippinus Pusillus, pater Karoli Magni,

uxorem suā nominet Brunihelda, 95 *Atque hic rursum inculco, quod alibi fusius demonstratum, eumdem Pippinum, etsi aliquando adamarit Alpaidem,* pro alia uxore, id est, concubina *(promiscue enim has duas voces usurpant scriptores) numquam tamen à Plectrudis consortio conjugioque fuisse sejunctum; idque etiam in prœcitato Codice Aquisgranensi eleganter expressum videri potest per hæc verba,* injuriam ferente, id est, dissimulante Plectrude. *Pro hac interim, & marito vivente, & ipso etiam mortuo per unum alterumve annum; adhuc rerum Domina, atque procul habito Martello, sibi ob memoriam injuriæ inviso, rempublicam gubernante una cum Thebaldo puero, titulum gerente Majoris domus, qui erat suus ex Grimoaldo filio nepos: pro Plectrude, inquam supponitur in secunda Lobiensi charta, nescio quà aut unde accepta,* Brunihelda. *Quod audacissimi interpolatoris erratum excusare nitens vir nimium bonus ac simplex Waudæus, ita scripsit in margine:* Uxor Pippini videtur fuisse binominis: alias enim vocabatur Plectrudis, vel cognominabatur Brunihelda. *Quid est omnem antiquitatem sus deque vertere, si hoc non est? aut quid in rè historica intelligit, qui tales excusationes valituras existimat?*

atq; Hydulphum Lotharingiæ Ducē: 96 *Paris ignorantiæ fuit* S. Hydulphum *(ita enim nunc nominant Lobienses: ast Folcuinus ex sinceris monumentis & ejus omnes antiquæ vitæ,* Hildulfum*) inducere priori diplomati subscribentem cum titulo* Ducis Lotharingiæ; *annis utique* CLX *citius, quam Lotharius, Lotharii Imperatoris filius, ditiones eas obtinuit, quæ ab ipso tunc dici cœpere* Lother-ryk *id est* Lotharii regnum, *& incolæ earum* Lother-lingi *atque contractius* Lothringi, *unde* Lotharingiæ *nomen sequior ætas formavit. Fulcuinus ait, quod Hildulphus fuit* unus de proceribus regni majoribus, *quibus, ex officio quod gerebant, aliquando datum Ducis titulum non ignoramus; sed quod titulus Ducatus regionibus certis adstrictus ac proprius fuerit, omnino negamus. Etenim hoc ad Vitam S. Pippini* XXI *Februarii satis ostendimus, consentiuntque eruditi omnes; quidquid anonymus quidam tenebrio, se* Veridicum Belgicum Pupilli Advocatum *indigetare ausus, nuper obganniit, in* Vindiciis Ducum Brabantiæ, Pippini præsertim primi, dicti à Landis.

97 *Cum hic libellus in manus Alexandri Wilthemii nostri devenisset, de eo necdum nobis viso sic scripsit:* Cœpi legere, sed brevi cum indignatione abjeci tam magnas nugas. Vult per fas & nefas Ducatus fuisse hereditarios diu ante Reges Francorum secundæ stirpis. Excitat Brabones, commovet equum Troianum, & ejusmodi fabulas: cumque sit tantus nugator, audet in vos insurgere pag. 143 tamquam RIDICULOS ET EXPLODENDOS, qui antiquitati toti, proprio cerebro, nullo auctore adducto resistere audeatis, argumentis tam debilibus & infirmis, ut docti alicujus calamum non mereantur. Dicite illi quæso, quod corvus vester dicebat pueris Alostanis, Ad scholas; Ad scholas. *Sed præter meritum suum digniorem nactus magistrum est, I. B. de Vaddere, Presbyterum Anderlacensem, vere polyhistorem magnâque lectionis ac judicii virum, qui in* Responsione Præcursoria, tractatui pleniori de vera origine Ducatus ac Ducum Brabantiæ mox secuturo præmissa, *Brabanticæ antiquitati, fabulis obscuratæ, facem extulit; irrisorem autem nostrum sic agitavit, ut succedente in risus locum facti pœnitentia & pudore, sui libelli exemplaria, quotquot apud Typographum restabant, flammis aut tenebris damnarit æternis, ut in eo qui seipse damnavit refutando neque nobis nec alteri cuiquam sit amplius laborandum. Non erat tamen æquum, occasione oblata, reticeri à nobis doctissimi viri meritum, & pro nostra qualicumque doctrina zelum; quatenus tali quoque admonitu speretur, quod sperari jubet libelli Censor ecclesiasticus, scilicet* præstiturum Brabanto Auctorem, ne ulterius domi sit peregrinus, suorumque Principum originem quærat in Troiæ cineribus & fictis nominibus. *De Philippico Duce Metensi quid dicam? Meurissius in Historia Episcoporum Metensium, pag.* 140 *originem Metensium Comitum ac postea Ducum usque in ipsis requirens fabulis, eumdem prorsus ignoravit; primumque posuit Petrum, Hydulphi filium, patrem Hervai, qui titulum istum (si vel hoc credere libet) acceperit sub Abbone Episcopo* XXXIII, *adeoque post annum* DCCIII. *Viderit Waudæus quid de hoc sentiat: nobis certum est, quoad talia non credere chartis, in quarum contextu (ne solius subscriptionis vitia esse putes) nominatur* Hydulphus Dux; *& quidem in secunda,* Dux Lotharingiæ.

(quod non magis fuit quam Pippinus Dux Brabantiæ) & Philippicum Ducem Metensem.

98 *Venio ad annum datorum diplomatum. Legerat in antiquis pittaciolis eorumdem innovator aliquid simile hisce verbis (nam ipsamet verba sic legisse non existimo)* Ego quidem Pippinus Senior, eo favore & desiderio ductus, maxime quia de Rege superbo Theoderico per gratiam Dei cum victoria sum liberatus, monasterio religiosissimi viri & eximii Prædicatoris Ursmari Pontificis, quod est in Laubias super Sambrum fluvium, concedo & dono &c. *legerat, inquam bis verbis simile quidpiam; seque ad Chronicon Sigeberti convertens, in eodem reperit, quod anno* DCXCI Theodoricus Rex cum Berthario vincitur & à Pippino capitur. *Ergo jam manibus tenere se credidit verum donationis factæ annum: neque advertit, à jam dicto Sigeberto solum anno* DCXCVIII *dici S. Ursmarum in Laubiensis cœnobii possessionem inductum, uti ad ejus Vitam* XVIII *Aprilis dicetur. Non etiam advertit Fulcuinum, Abbatem Lobiensem, Sigeberto seniorem, cap.* 4 *Chronici Lobiensis de Ursmaro scribere, quod* in exordio regiminis sui ecclesiam, quæ ante id temporis erat incon-

quodque adedatur anno 691 ex Sigeberto male intellecto.

inconsecrata, consecravit; *atque mox addere:* Facta est autem hæc dedicatio anno qui est sexcentesimus nonagesimus septimus Dominicæ Incarnationis, decimo septimo Kalendas Septembris. *Iam cur nomina terminorum, quibus donata monasterio Lobiensi possessiones continentur, maluerit sui ævi forma exprimere hujus diplomatis fabricator, designando* locum qui dicitur Ralhiers, & nemus totum quod dicitur Eumont, *aliaque ejusmodi, evitatis interim barbarismis, quibus Pippiniani ævi diplomata scatebant, ipse viderit. Suspicor cavere voluisse ne esset contemptui risuique barbaries, nec satis nota ipsa loca, quorum vel tantillum videretur mutata appellatio, si stylo Pippiniano (qualem in præallegata Pippini atque Plectrudis chartula est videre) scripsisset* locum nuncupante Ralherias & totam silvam nuncupante Eudonis-Mons. *Eadem styli novitas, maxime in designandis limitibus locorumque appellationibus, etiam in Horreensi invenietur diplomate, quod tamen circa hoc noluimus operosius examinandum suscipere.*

& stylus multo fit recentior.

99 *Hactenus hæc deduxeram, quando in manus meas venit Historia Cameraci & Cameracesii, ante hos decem annos Gallice excusa Lugduni Batavorum, auctore Ioanne le Carpētier; cujus pars quarta, continens ipsius Historiæ Probationes, initium sumit à duobus diplomatis, sub nomine* Dagoberti Austrasiorum Regis & Pipini Senioris *compositis, eo verborum contextu eoque stylo, ut si non fuerit idem utrobique fabricator horum ac Lobiensium diplomatum, dubites, utra prius confecta alteris confingendis exemplum & formulas subministraint. Dagobertinum utrobique incipit* in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti Amen: *quod solum est ex stylo antiquo. Sequitur utrobique exordium, pompaticum satis, neque ex usu veteris ævi: in Lobiensi quidem tale* Regiæ majestatis excellentiam latere non convenit, quod unus est & solus & sempiternus Rex regum & Dominus dominantium, à quo etiam omnis potestas & fuit & erit in ævum; cujus & est totum quod sumus & esse possumus, vivimus & movemur; cui pro viribus ab eo præstitis adstare debemus, & unicæ sponsæ suæ sacrosanctæ Ecclesiæ cultum & decorem speciali devotione (quo magis efferimur) quantum in nobis est regali munificentia ampliare Quare ego Dagobertus &c. *Cameracense sic orditur* Ammonente ac docente Filio Dei, Date eleemosynam & ecce omnia munda sunt vobis. Idcirco ego Dagobertus &c *prosequuntur deinde utraque verbis supra notatis cum hoc solum discrimine, quod istic dicitur* Pro anima Lotharii piissimi Regis, patris mei; *hic vero,* Pro anima patris mei karissimi, Lotharii Francorum Regis Augustissimi: *& ad titulum* Venerabilis, *qui solus ibi datur* Auberto, *hic* Aoberto, *additur* & consanguinei mei. *Tum exprimuntur fisci duo concessi Fratribus oratorii Sanctæ Mariæ, sicut ibi concessi Landelino: sed dum istic solum dicitur* cum omni territorio suo, *hic expressius ad stylum antiquum legitur* cum omnibus suis appenditiis: *mox autem se prodit affectatus antiquarius, quando addit,* id est, utriusque sexus slavis & mancipiis, villis, terris, silvis, pratis, aquis aquarumque decursibus &c. *dantur etiam eadem forma* ecclesiæ S. Petri Cameracensis, in qua sanctissimus Pater Vedastus Canonicos constituit, villa duæ. *Sed vellem certiorem auctorem alium, qui Canonicorum nomen S. Vedasti ætate, vel etiam Dagoberti primi ævo usurparit. Et hæc omnia* approbantibus, *qui supra,* Principibus & Senioribus, *signant eodem quo supra modo ac verbis iidem Rex, Seniores, Cancellarius; anno quoque* D. I. *eodem, sed* XVII Kalendas Maji, *pro* XVI; *& Indict.* XIIII *pro* XIII, *qui novus est error.*

His prorsus similia sunt Cameracensia duo

sub nomine Dagoberti Regis

100 *Magis adhuc conveniunt Pippino imputata diplomata, sic enim incipiunt utraque.* In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Amen. Universalis mater & virgo singularis Christiq; sponsa Ecclesia catholica, fœcundacastitatis prærogativa promeruit, quod devotū suis utilitatibus inclinemus assensum; præsertim sacrosanctæ religionis tranquillitatē & quiete cura vigili providentes, quo liberius divinæ contēplationi & orationi pro nostra salute & regni stabilitate vacando, possit ad Deum interesse; quatenus inimicis Christianæ fidei eliminatis, tota sui corporis incolumitate, sub nostro sudore, regnum vigeat & crescat; & hostilis ubique curiositas se sentiat subjugatam. Ego quidem Pipinus Senior, eo favore & * desiderio ductus, maxime quia de Rege superbo Theodorico per gratiam * Dei cum victoria sum liberatus. *Exprimuntur deinde fundi vel monasterio Lobiensi vel ecclesiæ S. Petri donati: & eadem quæ supra subsignationes Pipini, Hidulphi, Philippici; at denique in Cameracensi charta,* Ego Asdolgus Cancellarius recognovi. Data Kambraci an. I. V. sexcent. nonages. primo Ind 2 Principatus nostri anno quinto. *Numquam Pippinus scripsisset* Kambracum, *nec annos* Incarnati Verbi, *aut Indictionis: & hac pro tali anno, non* 2, *sed* 4 *notari debuerat; ut vero eam notasset ille, numeris usus esset Romanis, non autem Arabicis cyfris, tunc adhuc nostræ Europæ ignotis; ut de anno Principatus nihil dicam, per summam insolentiam hic appicto.*

& Pipini Principis:

AUCTORE D. P.

* *Cameracens.* Animo

* *ibid.* Omnipotentis

101 *Quomodo autem Lobiensia ac Cameracensia ista nullius quoad historiam fidei esse ostendi; sic etiam de infinitis aliis possem facere, si vellem hunc tractatum in volumen magnum extendere. Retinet tamen adhuc me Dagoberti I titulus & stylus, in San-Maximiniano lectus probatusque diplomate; jubetque examinare aliud sub nomine ejusdem Regis diploma, continens donationem S. Amando factam de fundo Elnonensi, qui nunc S. Amandi monasterium dicitur. Habent istius monasterii ascetæ ex originaria charta fideliter transcriptum Regis Childerici, adhuc pueri, & Reginæ Imnichildis amitæ ejus, pariter in Austrasia regnantium, diploma de fundo Barisiaco: utinam æque fidele haberent, de ipso fundo Elnonensi! Nunc solum superest Dagobertino tempori, cujus notam præfert, parum conveniens, quale à nobis est ex Myræo productum num. 16 Commentarii prævii ad Vitam S. Amandi VI Februarii. De substantia non disputo: quia de donatione & donationis auctore non dubito; vehementer tamen vereor, ne contextus, non tam innovatus sit, quam totus novus; prout ei qui descripsit congruum videbatur ejusmodi donationem scribi & securitatibus ac privilegiis additis muniri.*

item Amandinum de fundo Elnonensi per Dagobertum datū,

105 *De initio & fine nullus qui hæc legerit ambiget, quin sint ab isto ævo aliena. Incipit illud:* In nomine Domini nostri Jesu Christi: *quod noni seculi saporem habet. Tum sequitur:* Dagobertus divina ordinante Clementia Rex, *quomodo fere Horreensis diplomatis auctori scribere placuit. Sed nec hanc formulam primæ stirpis Regibus usitatam fuisse probaverit aliquis, simpliciter* Dei gratia Rex *notabatur circa oram sigilli regii: neque in phrasi variatum quidquam ante Reges Carolingos. Verus Dagobertus San-maximinianam chartam sic concludit:* Et ut istius cartulæ confirmatio firma in ævum permaneat, describi eam præcepi, & nostro sigillo inde eam firmavi. *Ita in singulari omnes primæ stirpis Reges locuti inveniuntur usque ad Dagoberti magni nepotes, in iis quæ quidem incorrupta sunt diplomatis. Ast in Amandino diplomate, hæc fingitur conclusio:* Et ut hæc regalis auctoritas firma ac inconvulsa perpetuo perseveret, præsens præceptum manu propria supterfirmavimus, & annuli nostri impressione firmavimus. *Tum, ne tempus ignoretur, additur:* Datum Kalendis Maji, Indictione II, anno XI regni Domini Dagoberti. Actum Parisiis civitate feliciter. Amen. *Et hic præter normam antiquitatis multipliciter peccatur: omittitur enim propria manus subscriptio, quæ promittebatur: & ubi Dagobertus aliique ultra Carolum Magnum scripsissent* anno regni nostri, *hic Notarius loquitur more eorum qui post*

ab illius ævi forma, principio & fine;

vocibusque nonnullis differens,

AUCTORE D. P.

Carolum scripsere diplomata, & quidem addito nomine Domini, *ex usu avi posterioris. Denique* Gerardus Notarius ad vicem Dadonis Cancellarii recognovit, *qua formula numquam fuit prima stirpi regia usurpata, nec facile est dicere quandonam in istis pracisis terminis caperit in secunda. Notarios enim aliorum vice invenio subscripsisse, etiam sub Ludovico Pio; sed eorum nominibus, quorum vice subscribebant, additum titulum Cancellarii, non reperio; quamvis dubium non sit Cancellarios vel Archicapellanos aut potius Episcopos fuisse, quorum vice (si quidem ipsi per se non scriberent, ut scribebant sape) Carolingorum tempore fiebant subscriptiones. Imprimis autem notanda est* Indictio I I, *Amandino diplomati importune & imperite affixa. Componitur illa cum anno* X I *Dagoberti, apud Neustrios scilicet, qui fuit Christi* DCXXXIX, *quando* X I I *Indictio currebat; unde igitur* I I *Indictionem accepit innovator? Caute interim & ex destinata antiquitatis affectatione egisse eum putamus, quod annum Christi, quem si iebat à vetustioribus diplomatis, ante seculum* IX *scriptis, constanter abesse, non expresserit.*

& 2 Indictionem imperite componens cũ anno 11 Dagoberti.

CAPUT VIII.

Similes Ecclesiarum aliquot aliarum chartæ historico examine reprobatæ.

Unde nata hac fingendi licentia & infelicitas tanta.

103 V*Ndecimo Christiana Æra seculo & sequentibus, dum Ecclesia universalis pacem tot undique schismata seditionesque turbarent, ea erat morum corruptela, ut qui Dei famulatum erant professi, & videbant à potestatibus secularibus undique accidi immunitates & possessiones suas, non magno crimini sibi ducerent, pro ipsis tuendis fingere, qua in nullius cessura prajudicium, solum videbantur conductura tenenda aquitati. Quemadmodum autem monasteriorum Superiores innocens quadam, uti ipsi putabant, vafrities permovebat, ad ejusmodi fictiones procurandas; ita sciolorum quorumdam, ad hoc inductorum, manus atque stylum animabat profunda quadam chronologicarum rerum istis temporibus ignorantia, per quam sciebant impune quidlibet se scripturos, modo secundum aliquam publicorum instrumentorum formam, neque testium insignium deessent nomina, neque temporum characteres undecumque accepti. Sic Vedastino diplomati, in conventu Episcoporum atque Abbatum Atrebati, subscripsisse cum S. Vindiciano finguntur, anno* V I I *Theodorici, in Neustria tandem etiam regnantis adeoque Monarcha, qui fuit annus Christi* DCLXXXVI, SS. Austregisilus, Eligius, Wandregisilus, *pridem vita functi; item* SS. Lambertus *&* Philibertus, *tunc exules, quod in exegesi Dagobertina num. 29 demonstravimus. Alibi autem imputavimus boni scriptoris simplicitati; quod Sanctos, quos in tuendis monasterii juribus optabat patronos, allegerit in testes actionis, qui nec interfuerant nec interesse potuerant: ratus forsitan tanto magis certam obtenturum se fidem, quo plurium illustriorumque nomina collegisset.*

ut etiã viri docti talia reciperent?

104 *Et vero successu non caruerunt ejusmodi fraudes, non tantum seculis diu post secutis, sed ipsis illis quibus nascebantur temporibus, etiam apud viros alias non ineruditos, sed rerum historice pensandarum radiores; uti colligitur ex eo, quod cum toties tamque abnormiter peccaretur in hoc genere, nemo unus inventus sit, inter tot medii avi scriptores, qui vel unicum istiusmodi diploma falsitatis & interpolationis arguerit, etsi multi historiam ex professo tractarent. Quis non miretur Baldericum, Noviomensem ac Tornacensem Episcopum seculo* X I, *& Sigeberto Gemblacensi seniorem; si, hoc commentario lecto, legat Caput 25 Chronici Cameracensis & Atrebatensis ab eodem conscripti? Videbit enim dicto Capiti inseri, cum multis subscriptionibus, Rescriptum Ioannis Papa quinti, quo ad petitionem S. Vindiciani idem Pontifex confirmasset privilegium, à dicto Sancto datum Ecclesia S. Maria Atrebatensis: qua quia ab initio Clericalis fuit, uti & Argentoratensis, cujus suppostitia diplomata ante rejecimus, apparet mali exempli licentiam etiam ad Clericos pertinuisse. Atqui Rescriptum istud, nec modum nec formam habet Pontificalis Bulla, ita enim incipit:* Audite sententiam quam dico. Si quis &c, *deinde absque ullo indicio diei, anni Pontificalis, aut scribentis Notarii, ita ex abrupto subsignare dicitur Papa:* Ego Joannes Papa, hoc privilegium, à mea parvitate editum, firmavi ac roboravi. *Deinde sequitur:* Ego Marinus Vicarius Sedis Apostolicæ firmavi ac roboravi.

inter quos Baldericus Ep. deceptus fuit,

105 *Equidem existimo ejusmodi Privilegiorum, à Romanis Pontificibus petendorum, eo & pracedentibus seculis omnibus nullum usum fuisse. Certe ex Gregorianarum epistolarum amplissimis voluminibus nihil tale apparet. Sed nec hujus Ioannis ulla omnino extant littera, quas cum illo decreto conferamus: satis tamen falsitatem suam hac probare videtur inscriptio,* Vindiciano cum Coepiscopis degentibus Galliarum finibus fraternam visitationem & paternam benedictionem. *Neque Agatho, ipsis Imperatoribus scribens epistolas, Constantinopolitano Concilio* I I I *Act. 4 insertas, sub annum* DCLXXXI; *neque Leo II, scribens* Dilectissimis Fratribus Ecclesiarum Christi Præsulibus per Hispaniam constitutis *(si tamen vere sunt bujus epistola, qua nomen ejus prafe unt) sub annum* DCLXXXIII; *neque alius antecedentium vel subsequentium Pontificum ullus, inveniuntur per ejusmodi aliquam apprecationem suas epistolas aut decreta auspicati.* Salutem in Domino *siquis addidit, multum addidisse videbatur. Primus Ioannes bujus nominis* X I I, *auctiori usus phrasi,* Confratri Dunstano Dorobernensis Ecclesiæ Archiepiscopo vitæ perpetuæ permanendam in Christo salutem *apprecatus est. Ioannes postea* X I I I *incerta phrasi; modo* salutem in Christo & visitationem, *modo* Christianam salutem & Apostolicam benedictionem *modo* Apostolicam benedictionem & salutem *impertiens per eas qua extant epistolas, nihil ad posteros stabile reliquit: & seculo* XI *ad medietatem vergente, Clemens II non nisi* perpetuam in Domino salutem *scripsit: quem post annos tres secutus Leo Papa* IX *in certum ac stabilem morem assumpsit,* Salutem & Apostolicam benedictionem *suis scriptis pramittere, quod alii post eum tenuere. Scio ab aliquibus viris eruditis ejusmodi formula auctorem dici S. Cletum: sed hoc pariter scio, nihil tale in antiquis Pontificum Vitis aut Breviariis ecclesiasticis legi. Primus qui hoc asseruisse invenitur, Martinus Polonus est; in hoc aliisque multis non majori fide dignus, quam in fabula Ioannæ Papissa, ex aliquo trivio vel leviori auctore temere arrepta, & cum aterno nominis sui probro cavillatoribus hareticis, ad obganniendum Sedis Apostolica integritati, nimis inconsiderate oblata.*

per bullam falso imputatam Ioanni quinto,

cum formula salutandi ante S. Leonẽ insitata,

nec S. Cleto adscribenda,

106 *Porro ex eo quod diximus, de Salutandi formula veteribus Pontificibus usurpata, pariter discas, cujus auctoritatis sit illud San-maximinianum Privilegium apud Zyllesium, quod Gregorio II Papa imputatur, quodque inter tot optime conservata & originaliter legenda diplomata fere solum caret originali & tantum profertur ex fide transcriptorum, quorum nullum est annis trecentis aut quadringentis antiquius, ut inibi certa constat relatione. Primum sic incipit:* Gregorius Episcopus Servus servorum Dei, Bassino, Abbati Venerabili monasterii S. Joannis Apostoli & Euangelistæ atque sanctissimi Confessoris Christi Maximini, cujus corpus ibidem quiescit, tibi tuisque successoribus salutem & Apostolicam benedictionem. *Itane Gregorius II? Quanto ille ad Carolum Martellum, Principem tanta auctoritatis & nominis, scripsit simplicius;* Domino glorioso filio, Carolo Duci, Gregorius Papa? *Non dico quàm ab illius temporis usu ac monachorum primava simplicitate aliena sint privilegia ibidem contenta, quale inter alia est, ut in* præcipuis festivitatibus Mitra, Dalmatica & Sandaliis Abbas inter sacra utatur; *sed hac aliis disputanda relinquens*

& alteri, quod Gregorio II falso adscribitur, simili:

quetas, *solum noto hanc clausulam*; Scriptum per manum Benedicti Scriniarii S. R. E. in mense Januario Indictione XII. *Non ita verus Gregorius II; sed in favorem S. Bonifacii, Germanicarum partium Apostoli Episcopis ac Ducibus, Clero & plebi scribens litteras, quas in corpore Conciliorum habemus, easdem sic terminat*: Data Kalendis Decembris, Imperante Domino piissimo Augusto Leone, imperii ejus anno septimo; sed & Constantini Imperatoris ejus filii anno quarto, Indictione sexta, *id est Christi* DCCXXIII.

illam etiam Ioannis non esse probat clausula moris recentioris

107 *Sesquisæculo post invenitur solennitas major, litterarum Pontificiarum subsignationibus addita; dum & Secretarii, epistolam seu decretum scribentis, nomen apponitur, & Cancellarii sigillantis. Secundum hanc formam Marinus Pontifex apud Vghellum Tom.* I *col.* 133 *scribens* dilecto Abbati Danieli, & cœnobio S. Petri Solenniacensis, ac monachis inibi nobiliter degentibus, *indulsit ipsis privilegium, quod hoc modo concluditur* Scriptum, per manum Zachariæ scriniarii S.R.E. mense Majo Indictione I. Bene valete. *Tum signati privilegii tempus additur hoc modo*, Pridie Idus Junias, per manum Valentini Ecclesiæ Portuensis Episcopi, Regnante in perpetuum Domino Deo nostro, Anno Pontificatus Domini Marini universalis Papæ primo, Indictione prima. *Scilicet Imperatoribus Constantinopolitanis in heresim toties relabentibus atque relapsis, & urbe Roma ab eorum jurisdictione prorsus liberata, novoque imperio in Occidente constituto per ipsummet Romanum Pontificem, desierunt Romani annos Imperatorum numerare, & absque numero scribere cœperunt*, regnante Domino nostro Jesu Christo, *aut simile quidpiam: quod aliqui postea etiam adhibuere ad annos à Christi incarnatione designandos, addito eorum numero, juxta Æram tunc usurpari incipientem. Vide de hac formula, pluribus seculis, sed nusquam universaliter usurpata, Ioannem Bestium. Hæc sufficiunt, ut intelligatur, neque San-maximinianum privilegium, Gregorio II adscriptum; neque Atrebatense, Ioanni V attributum, habere stylum aut formam ejus temporis cui imputantur. Fateor etiam suspectum mihi esse Privilegium Ioannis* XIII *apud Zyllesium, cujus æque ac supra refutati Gregoriani nullum apparet originale, tum ob alias causas, tum maxime quia pro eo quod signare oportuisset annum Pontificatus & Indictionis, dicitur privilegium istud* lectum in Synodo Romæ habita, assidentibus Divis Imperatoribus Ottone Magno filioque ejus æquivoco, anno Imperii Majoris sexto, Junioris primo: *quæ formula modo plus quam uno offendit, sed nolo immorari.*

108 *Non possum tamen quin adhuc addam verbum unum de portentosis Atrebatensis chartæ subsignationibus. Etenim post qualem qualem Pontificis & Vicarii ejus subscriptionem, dictam chartam pariter subsignando confirmant Episcopi*, Andreas, Bonibertus, Laurentius, Pedelbrandus, Nautor, Hilarius, Constantius, Martinus, Christophorus, Thomas, Felix, Audoënus, Austregisilus, Ravengarius, Silvinus: *ex quibus Austregisilus, ut dixi, pridem objerat*; Audoënus *etiam è vivis excesserat, eratque nonagenarius anno* DCLXXXIIII *ceterorum nemo invenitur nominatus inter omnes, quos eo toto seculo florentes in Gallia universa, exhibent catalogi Episcoporum apud San-marthanos. Neque hic tot absurditatum finis; sequitur enim*; Ego Leodegarius, ab impio judice Ebroino cathedra Augustodunense depositus, scripsi & subscripsi. Data octavo Idus Maji, anno VII regni Domini nostri Theoderici Regis, Indictione II. *Indictionem* XIV *scribere oportuerat, ut cum anno Regni* VII, *quem diximus fuisse annum Christi* DCLXXXVI *illa quadraret; quamvis, ut dixi, nullas tum Indictiones nosset Gallia. Sed hoc levissimum est. Illud quis dissimulet? quod S. Leodegarius anno* DCLXXV *captus ab Ebroino, oculisque evulsis custodiæ mancipatus; & biennio post eductus è latebris cœnobii ad quod confugerat,*

pontificii subscriptoris,

post multa coram Rege Theodorico opprobria linguamque exectam, & post biennalem in Fiscanensi monasterio quietem occisus anno DCLXXIX, *fingatur septennio post scripsisse ac subscripsisse; æque ridicule, ac in Vedastino, de quo supra, privilegio legitur*, Ego Audomarus Episcopus absque ocellis subscripsi. *Denique qui primus esse debuerat S. Vindicianus, utpote cujus rogatu cuncta fiebant, ita scribere fingitur:* Ego Vindicanus Episcopus jussu Theodorici Regis & rogatu Joannis summi Pontificis scripsi & subscripsi.

AUCTORE D. P.

atque subscriptionum formula absurda.

109 *Nihil horum quamvis palpabilium errorum suffecit, ut vel Baldericus Episcopus, vel Wulterus S. Sepulchri Cameracensis Abbas Balderico coævus, Vitam S. Vindiciani scribens, venirent in suspicionem imposturæ. Georgius quoque Colvenerius, multæ lectionis & cognitionis historicæ vir, suas ad Baldericum Notas subjungens, & studiose hoc privilegium illustrans, non advertit animum ad horum quidpiam, ut lectorem suum moneret de fide non magna tali scripto habenda. Quid autem alios dico? Numquid & nos ipsi, in hactenus edito Trimestri, hujusmodi instrumenta varia partim citavimus mutila, partim attulimus integra, contenti solas annorum Christi & Indictionum notas, velut à posteris adjectas, repudiasse; quæ nunc aliis pluribus vitiis deprehendimus laborare, postquam serio hanc disquisitionem suscepimus? Etenim in materia de Sanctis (quorum gesta, virtutes, miracula pleraque in bona narrantium, maxime coævorum auctorum, fide suscipimus) putamus piam credulitatem, magis quam argutam suspicacitatem tenendam nobis esse; & ubi non offertur verosimilior auctoritatis dignioris aut certioris chronologia contradictio, libenter excipere solemus quæ à majoribus tamquam vera traduntur: quia non possumus uno eodemque tempore omnia scrutari & assequi. Quoties tamen evidens nobis se aperuit falsitas, semper putavimus talia resecanda; parcius quidem in principio (quia minus ad verorum falsorumque discrimen exercitatis, quandoque nec dubitare quidem venit in mentem) progrediente autem opere, liberius frequentiusque, proportionate ad crescentem usu experientiam.*

Cavimus nos ne talia præbaremus.

110 *Sic ad Vitam S. Aldegundis* XXX *Ianuarii cap.* 3 *littera* e *in Annotationibus, repudiavimus Testamentum eidem Sanctæ attributum, cujus initium ac finem legeramus in Vita Gallica, per quemdam Capucinum composita lib.* 2 *cap.* 5. *Apparebat enim ipsum undequaque supposititium ac ruinosum esse, ideoque non curavimus ex Malbodiensi archivo habere integrum, Incipit*: in nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, *præter ejus ævi morem, ut ostendimus: huic tamen fundamento innititur divinatio asserentium, Aldegundem, Sanctissimæ Trinitati pie devotam, tres ecclesias Malbodii ædificasse. Ipsam porro Sanctam, loquentem ore non suo, audiamus.*

ideoque rejecimus testamentum S. Aldegundis anno 20 Dagoberti notatum;

Ego Aldegundis..... possessiones meas, quas ex patris & matris hereditario jure obtinebam, tradidi, assensu Domini Hilderici Imperatoris, quin & Dagoberti & Principum ejus.... in ministerium ancillarum Dei, ad illud sacrum monasterium quod vocatur Malbodium, ubi venerabiles Episcopi Autbertus, Amandus, Audoënus, Ursmarus altare Domini.... dedicaverunt quarto Idus Junii. *Itane vero? quatuor ad unum altare consecrandum Episcopi? At quo tempore? Utique paulo antequam hæc dicitur facta donatio aut forte ipso die, nec enim alius deinceps dies exprimitur, nam iidem pariter subscripti inveniuntur: idque anno* XX Dagoberti, *videlicet Primi, nam Secundum charta hujus fabricator ignoravit, Tertius vix quadriennio regnum tenuit. Primus autem quamdiu? Utique annis dumtaxat* XVI, *ab eo quo primum Austrasiæ præfectus est tempore. Quid vero Secundus? Potuisset hic ab obitu patris, quantumvis exul regni sui annos numerare, ratione juris quod habebat ad illud: id tamen fecisse nullo probatur documento: sed contra exemplaria donationis factæ S. Remaclo per Grimoaldum, post hujus obitum scripta* anno quarto Regni Domini nostri Dagoberti Regis,

videtur ipsa Malbodiensi monasterio cessisse bona sua

AUCTORE D. P. intelligi debent signari cum respectu ad regnum Austrasiæ recuperatum.

111 Demus tamen quantumvis longam Vitam Primo Dagoberto, annus illius XX apud Austrasios in annum DCXLII caderet; quando infantula adhuc erat Aldegundis, circa annum dumtaxat DCLV sacro velo in prima ætatis flore donata. Et condi quidem statim cœpit Malbodiense monasterium, sed annis aliquot opus fuit ut completo opere ac disciplina stabilita, credi possit fundatrix pia suis bonis cessisse: quod cum fecisse dicatur ex consensu Domini Hilderici Imperatoris, quin & Dagoberti & Principum: quidni (quamvis ineptus hic sit Imperatoris titulus) putemus id fecisse intra annum DCLXXI & LXXV, quibus Childericus, Chlodovæi secundi filius, totius fere Imperii Francici obtinebat monarchiam; Dagoberto II, S. Sigeberti filio, post reditum ab Hibernico exilio, in Adrhenanis partibus dumtaxat regnante, quoad vixit idem Childericus: ut alterius quam Childerici consensum requisitum fuisse à S. Aldegunde minime credam. Quia tamen idem ille Dagobertus anno DCLXXV paternum Austrasiæ regnum recuperavit; si tunc adhuc superfuit Sancta, annū vitæ circiter quadragesimum agens, (quod nobis satis videtur probabile) potuit ab ipso quoque donationis prius factæ confirmationem petivisse, & hæc etiam potuit esse causa, cur regno Dagoberti ipsa cessio fuerit attributa à scriptore, non distinguente primum actum à secundo, nec Dagobertum Iuniorem ab illius nominis primo. Ita ergo suam chartam conclusit. Actum Malbodio monasterio, ante altare S. Mariæ & sanctorum duodecim Apostolorum. Datum anno vicesimo regni Dagoberti inclyti Regis (oblivisicitur mensem diemque notare) sub præsentia virorum & ancillarum Dei, quorum nomina & signacula subter tenentur inserta. Ego similem formulam nusquam alibi legi; cui tamen insistere nolim, quia trahunt me ad se subsignationes prodigiosæ, prorsusque tales, ut appareat bonum scriptorem votorum sibi Sanctorum texere litanias voluisse.

circa annum 676 sub Childerico,

Dagoberto 2 postea cessionem confirmante.

Testamenti istius subscriptiones ridiculæ:

112 Signant igitur consequenter, Autbertus Episcopus, quem licet epistola quadam, Fulberto Carnotensi imputata, sed in posterioribus editionibus prudentius omissa, fingat S. Aldegundis corpori sepeliendo adfuisse; nos tamen ante ipsam obiisse tenemus, anno DCLXXI; Amandus Episcopus (qui senex forte adfuisset) Audoënus Episcopus, quem octogenario propinquum, tam procul à sua Sede in regnum alienum excurrisse, non credimus. Ursmarus Episcopus, tunc necdum quadragenarius, & probabiliter nec Episcopus. Deinde Vincentius Abbas, Humbertus Abbas, Eloquius Abbas. Primus est S. Waldetrudis maritus, S. Aldegundis sororius, qui cœnobio Castrilocensi, in quo monachus vixit, numquam præfuit. Secundus, Maricolensis fundator, an unquam Abbatis titulum gesserit, vehementer addubito. Tertius Latiniacensis in Neustria Abbas circa Parisios, sub Chlodovæo II, circa annum DCL, si tum vivebat (quod quæremus III Decembris) non erat tamen advocandus tam longe. Erminus vir sanctus, neque cum hoc titulo suum nomen signasset, aut signari ab alio permisisset; neque vir dici potuisset, tum adhuc adolescens, utpote mortuus anno DCCXXXVII. Etto Abbas, colitur X Iulii cum titulo Episcopi Hiberni, videturque prædicto S. Waldetrudis marito Vincentio notus fuisse in Neustria: cetera fabulis obsita sunt, alias examinandis. Sequuntur subsignando Waldetrudis, soror S. Aldegundis; Gertrudis Nivellensis, mortua DCLIX; Aldetrudis & Madelberta, prædictæ Waldetrudis filiæ juvenculæ; omnes cum titulo Abbatissæ: ac demum Geruida, amita Beatæ Aldegundis, quæ eam de sacro fonte suscepit. Ridiculus sim, si velim ostendere nihil sic originaliter scriptum fuisse, ideoque hic finem facio plura hujus testamenti vitia exaggerandi: tantum moneo, Vitam S. Aldegundis, ex MS. Gisleniano editam à nobis tertio loco, cum alias à nobis non magni fieret, nunc etiam æstimari minoris, eo quod num. 12 meminerit S. Amandi, una cum prænominatis Episcopis & Abbatibus aliisque quam plurimis locum dedicantis, eumdemque cum suis appendiciis Catholica auctoritate & Apostolica firmantis. Quamvis enim auctor (quem credimus multo juniorem fuisse Hucbaldo, secundæ Vitæ scriptore) istius auctoritatis & firmitatis præceptum, ne lectori fastidium generet, præterire se dicat; vix tamen dubitamus, quin id quod allegat ipse, vel ejusdem plane farinæ sit cum hoc testamento, vel unum idemque.

quibus tamē auctor 3 Vitæ S. Aldegūdis fidē habuit,

113 Tempus nunc est, ut, post tam longinquam peregrinationem, Treviros, unde excursi sumus, revertamur, revisamusque Annalium conditorem Browerum eorumque editorem Masenium: quos, licet alias eruditos viros, fuisse tamen in dignoscendis veris falsisque diplomatis deceptos pluries si demonstravero, credo eorum auctoritatem, dum pro Horreensi quoque diplomate stant, nobis à nemine objiciendam. Gliscebat inter Archiepiscopos Trevirenses & Sanmaximinianos Abbates contentio: hi vero pro sua causa allegabant primo Dagobertinum diploma, quo dicebatur Constantinus magnus ita fundasse monasterium, quod illius loci habitationem aliæ personæ noluit subdere, nisi suæ successorumque Imperatorum potestati: & hanc immunitatem qualitercumque probatam, velut certo compertam, confirmare docebatur isto suo diplomate Dagobertus: addebant Pippini Regis ac filii ejus Caroli magni rescripta, quibus decreverint, ut tam Abbas quam monachi sub Regum mundiburdio in secula manerent. Ut ergo talium diplomatum retunderetur auctoritas, zelo fortassis bono, sed non secundum scientiam, præsumpsit aliquis, sub eorumdem aliorumque Regum Francicorum nominibus, chartas contrarias fingere, quibus crederetur cella S. Maximini fuisse in prædio seu territorio ecclesiæ S. Petri Trevirensis constructa: aut in ejusdem ecclesiæ ejusque Pontificis æterna possessione manere jussa.

uti etiam Browerus.

pro legitimis chartis suscepit eas,

114 Duo prima, Scilicet Dagoberti ac Sigeberti Regum, minus nos tangunt, quia nec prætenduntur quidem usquam extare originaliter: sed in solius Francisci Roserii fide citantur à Browero: quæ fides quam exigua sit docere poterit Arrestum Concilii Statuum, coram Henrico III collectorum anno 1583, insertam habens confessionem auctoris, ignosci sibi postulantis, quod in libris Stemmatum Lotharingiæ (unde ista proferuntur) plurima fraudulenter & malitiose excogitaverit. In his etiam ista duo fuisse nemo negaverit, qui dignatus fuerit Zyllesium ipsa refutantem legere, aut hic in genere dicta illis in particulari applicare: nam sigilli fabulosa fabricatio, signi monogrammatici defectus, tituli subscribentium ævo incongrui, errores chronologici gravissimi, characteres temporum peregrini, loco non suo & quidem imperite positi, in istis æque ac aliis hactenus refutatis inveniuntur. Considerationem nostram magis merentur alia duo Pipino & Carolo imputata, habentur enim apud Browerum, de cujus optima fide dubitare nefas, tamquam descripta ex originalibus litteris, quas ipse viderit suis signis & sigillis munitas, ad annum 769 & 773.

quas finxit Roserius in stemmatibus Lotharingiæ.

115 Habent ambo prænotatam hanc formulam: In nomine Domini Dei æterni & Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovico Iuniori Lotharii filio ferme usitatam. Ambo hoc inchoantur exordio: Si liberalitatis nostræ munere locis Deo dicatis quiddam conferimus beneficii, & necessitates ecclesiasticas ad petitiones Sacerdotum nostro relevamus juvamine, atque Regali tuemur munimine; id nobis, & ad mortalem vitam transigendam, & ad æternam feliciter obtinendam, profuturum liquido credimus. Proinde noverit omnium fidelium nostrorum tam præsentium quam & futurorum sagacitas &c. sic progrediuntur iisdem pene verbis ambo, nisi quatenus necesse fuit patrem, à filio; primam privilegii concessionem, ab ejusdem confirmatione distingui: quod antiquis Regibus fuisse usitatum nullis ostendetur exemplis, & contrarium apparet ex verioribus Pippini atque Caroli diplomatis apud Zyllesium, datis Utilrado

aliorum Pipino & Carolo Regibus imputatorū

rado Abbati, quibus ista videntur fuisse ex diametro opposita, sed fictione prorsus infelici. Etenim si requiras diplomata Ludovici Regis Germaniæ, invenies aliquod eorum, verbotenus descriptum, materiam præbuisse figmento. Tale est privilegium quod Ludovicus, Ludovici Pii filius, Germaniæ Rex, anno regni sui XVII, *qui fuit Christi circiter* DCCCXLII, *dedit Ecclesiæ Paderbornensi, quod invenietur in Monumentis Paderbornensibus pag.* 205 *prima editionis. Carolus etiam Crassus, simili fere stylo, similes donationes aliquas legitur conscripsisse: quæ satis est hic leviter indicasse.*


& sumptoriū ex diplomatis Ludovici R. Germaniæ.

116 *Pratensium porro Pippini diploma concluditur hoc modo:* Ego Joseph Subdiaconus ad vicem Welfardi recognovi. Data XV Kalendas Julii, Indictione quarta, anno nono regnante Pippino inclyto Rege. Actum Tulpiaco in Dei nomine feliciter. *Primum Pippini annum exordientibus in anno Christianæ Æra* DCCLII, *qui habuit Indictionem quintam, nonus ejus annus deberet cum decima tertia Indictione concurrere: aut cum undecima, si erroneam plurium chronicorum rationem sequaris: non tantum igitur alieno tempore, sed etiam imperite adhibetur Indictio.*

fictio se prodit per indictionis vitium.

117 *Nibilo hac quam jam refutavimus Pippiniani commenti subscriptione felicior est subscriptio secundi figmenti, Carolo Magno apud Browerum attributi, his verbis,* Suavis ad vicem Ereambaldi recognovi. Data Kalend. Septembr. anno VI, regnante Carolo piissimo Rege, Indictione XI, Aristalio palatio in Dei nomine. Amen. *Exorsus est regnare in Francia Carolus anno* DCCLXVIII, *proinde* VI *regni annus convenit cum anno Christi* DCLXXIII, *qui vere habuit Indictionem* XI. *Huic convenientia fidens Browerus, qui non fuerat ausus Pippino attributum diploma integrum dare, quomodo illud habemus scriptum ad calcem Chronici Trevirensis per Cononem à Falckenstein Archiepiscopum compilati, Carolinum hoc integrum exhibuit. Neque animadvertit, quod si suppositionem non manifestet Indictio à vero oberrans; prodat tamen eamdem ipsa præmature adhibita, ante susceptum Romani Imperii titulum. Quid quod Carolo Magno affingatur monogramma moris Henriciani; cum tamen Carolini signi tam multa apud varios exstent testimonia, omnia formæ supra descriptæ conformia. Pippini monogramma ad imitationem ejus fictum est, quo usi fuisse sciuntur posteriores Pippini in Aquitania. Ipsa si videas, satis est ut rejicias. Eccum ergo illa, ut sunt apud Browerum expressa.*

ac posterioris ævi monogrammata.



CAPUT IX.

Indicantur aliæ plures Chartæ, Regibus Merovingicis affictæ.

118 PHilippus Labbe, *nova auctiorique Conciliorum editioni cum totius Galliæ omniumque Eruditorum luctu immortuus, inter cetera magnæ utilitatis opuscula, quæ dedit in lucem, post Historica Regum Francorum elogia subtexuit exactam Cancellariorum regiorum historiam, & veterum instrumentorum* Miscellanea, *vere* curiosa; *prima stirpis Regum chartas, quas potuit invenire omnes, quinque primis Capitibus aut proferens ipse, aut ab aliis jam prolatas attingens. Prima, & omnium hactenus notarum in eo genere antiquissima (si vera) est Clodovæi primi Christiani Regis; data, ut præfertur, monasterio S. Ioannis Reomaensis in Burgundia cum hac clausula:*

Tales sunt qua tribuuntur

✠ Signum Clodovei, fortissimi Regis.
Datum sub die IV Kal. Januarias, Indictione V,
Actū Remis civitate. In Dei nomine feliciter. ✠
Ego Anachalus obtuli, anni Magni Clodovei XVI.

AUCTORE D. P.

Primum Chlodovei annum incidere in Æra Christianæ annum CCCCLXXX, *demonstratum est ad vitam abnepotis ejus S. Sigeberti, 1 Februarii num. 12: alii biennio serius auspicantur: Baronius quadriennio. Secundam sententiam tenuit qui Indictionem* V *cum anno regni* XVI *composuit; pro quo etiam facit Petrus Royer in historia dictæ Abbatiæ, multis conatus à suppositionis suspicione liberare hanc chartam: sed conatu irrito. Vt enim recte notat Labbe,* anno CCCCXCVII necdum Burgundiam obtinebat Chlodovæus; cum victoria illius de Gundibaldo Burgundionum Rege, circa Divionem, relata dumtaxat sit sub Consulatu Patricii & Hypatii, teste Mario Episcopo *Aventicensi, annis circiter* XXV *post eam victoriam nato.* Consulatus autem iste annum vulgaris Æræ quingentesimum signat: ideoque, *inquit idem Labbe,* piget plura nullitatis indicia colligere, eaque lectori consideranda relinquere malo.

Chlovodæo pro anno Chr. 497

119 *Secundum eidem Regi imputatum diploma continet fundationem monasterii S. Petri Vivi, apud Senones,* Actum publice in urbe Parisina, anno Domini quingentesimo, regni vero sexto decimo, à baptismo autem anno tertio. Ego Clodoveus in Dei nomine Rex Franciæ manu propria signum firmavi & subscripsi. Ego in Dei nomine Crothildis Regina. Ego in Dei nomine Theodoricus filius ejus Rex: *& sic consequenter* Chlodumirus, Childebertus, Chlotharius, Reges, filii ejus: *deinde* Theodechildis, filia ejus carissima; Heraclius Archiepiscopus Senonensis, *tum alii septem Episcopi &c, ac denique concluditur* Data mense Octobris, Indictione I, in Dei nomine. Parisius urbe Regia. *In annis Christi, Regni & Indictionis conjungendis erratum esse satis per se apparet: Labbæum audiamus de ipsa charta judicantem.* Multi qui hanc numquam viderant, suam de ea sententiam dicere præsumpserunt; ideo integram lectori exhibendam putavi, eique æstimandum relinquere volo an possibile fuerit, ut anno Christi quingentesimo, quatuor hujus Monarchæ filii jam tum gererent titulum Regis; ut S. Theodechildis, dato quod fuerit nata ex matrimonio Clodovei & S. Clothildis, eam egerit tunc ætatem qua se potuisset devovere Deo & fundare monasterium; ut Clodovæus daret terras in provincia Arvernica, & in Lemovicino pago, & in Caturcensi pago, & in Petragorico pago, & in Galvadano pago, eo tempore quo necdum pugillum terræ possidebat in Aquitania, à Visigothis usque ad annum DVI detenta; ut denique tali anno subscripserit Remigius, jam senex, Remorum Episcopus (*hunc ostendimus ad Acta S. Vedasti* VI *Februarii* § 2 & 3, *natum anno* CCCCXXXV, *Baptizasse Chlodoveum* CCCCXCIV, *obiisse* DXXX) & cum eo subscripserint jam tunc Episcopi, tum alii qui ibi nominantur, quosque non omnes fuisse synchronos eruditi sciunt, tum Austregisilus Bituricensis Archiepiscopus, ad hanc primam totius Aquitaniæ cathedram promotus, anno dumtaxat DCXII.

pro 500

120 *Tertium incipit,* In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis Chlodoveus, *& de Myciacensi, Cambiacensi, ac Latiniacensi fundis, donatis S. Eusicio & S. Maximino, significat omnibus* Episcopis, Abbatibus, Comitibus, Missis, Vicedominis, Vicecomitibus, Vicariis, Telonariis, Centenariis, Villicis. *Desideratur nomen Cancellarii, dies, locus, annus, & subscriptiones: quia, inquit Labbe,* ea fuit temporum superiorum ignavia, ut qui monastica transcribebant chartularia, sæpe appendices istas tamquam inutiles resecarent, quas nunc maxime requirunt eruditi, tamquam lucernam in loco caliginoso;

higinoso; *alias etiam hæ manifestius declarassent istius chartæ fictionem. Quartum, in favorem monasterii S. Hilarii Pictaviensis fabricatum, incipit:* Ego in Dei nomine Chlodoveus, *& integrum legitur in Supplemento Annalium Aquitanicorum Boucheti pag. 41 nobis necdum viso: quare nec de eo amplius docere possumus, quam quod dicat Labbæus ita haberi in fine:* Factum est hoc Aurelianis, anno ab Incarnatione Domini DXXIV, Justiniano Romæ Imperatore &c. *Post quæ hanc censuram idem Labbæus addit:* Vehementer obstupui, quod de novo ineptissimum hoc diploma typis mandatum sit, dignumque censuerit aliquis cui Gallice reddendo operam impenderet. Annus ab Incarnatione Domini DXXIV, quando non amplius vivebat Chlodoveus, mortuus circa an. DXI, aut ut tardissime aliqui DXIV; neque ad Imperium evaserat Justinianus, qui regnare cœpit DXXVII; neque Pontifex erat Vigilius, anno primum DXL electus; hic inquam annus, & aliæ similes circumstantiæ, testantur prodigiosam ignorantiam impostoris, talem chartam machinati; & negligentiam aut malam fidem eorum qui ipsam publicant, Lectore, exiguam sæpe antiquitatis ac veræ chronologiæ notitiam habente, non præmonito cavere insidias, quibus nimium credulæ simplicitati illuditur.

& 524.

Childeberto, pro an. 526,

121 *Pergit deinde prælaudatus auctor ad diplomata Childeberti, qui patri Clodovæo successit, & usque ad* DLVIII *regnum tenuit; cujus diploma de Villa Cellensi ecclesiæ Parisiensi donata, in gratiam S. Germani, à quo Rex sanitati redditus per miraculum fuerat, sic concluditur:* Et ut hæc auctoritas firmior habeatur & per tempora perseveret, manu nostra eam firmamus & roboramus. Actum anno decimoseptimo regni nostri in mense Januario. *Demonstravimus nos ad Acta S. Sigeberti num. 71 obiisse Chlodoveum anno* DIX; *itaque; annum si sequentem primum facias Childeberti, per hujus annum* XVII, *Christi annum dumtaxat* DXXVI *habebis: atqui S. Germanus (quem* Dominum ac patrem suum & Parisiacæ urbis Episcopum *hic vocare Rex fingitur) anno* DLV *necdum erat Episcopus.* Itaque hoc scientibus, *inquit Labbe,* non est cur pluribus inculcem ut chartam hanc suspectam habeant. *Stylum etiam non illius ævi facile quis deprehendet, eo in primis notabilem, quod in plurali numero Rex loquatur, forma ante seculum septimum insusitata; ob quod etiam suspecta, imo supposititia haberi debent diplomata, quorum unum profert Labbe, datum in gratiam S. Carilefi* anno decimo quinto regni, *& alterum datum* anno quarto, *nec non tertium in favorem Cœnobii S. Germani de pratis* Datum quod fecit mensis Decembris die VI, anno XLVIII, postquam Childebertus Rex regnare cœpit. *Cœpit autem à morte patris die* XXVII *Novembris anni* DIX, *& desiit* XXIII *Decembris anni* DLVIII, *ut ex hac quidem parte difficultas non sit in sententia nostra: quantumcumque tamen hoc eatenus subsistat, &* Archetypi integri, chirographo ac sigillo regio muniti, *fidem appellet Iacobus de Breul (qui illud ad cap 20 lib. 2 Aymoini reperit ab interpolatore insertum, & notis conatus est illustrare) supposititium tamen esse, non tantum deprehendas stylo indice, & scrupulosa quarumvis minutiarum enumeratione, veteribus nequaquam usitata; sed eo imprimis, quod facta dicatur fundatio monasterii,* cum consensu & voluntate Francorum & Neustrasiorum. *Hic enim &* Neustrasii *præpropere nominantur; & iidem distinguuntur à* Francis: *quasi solum Parisiense regnum, quod ab initio factæ divisionis obtinuerat Childebertus, diceretur regnum Francorum; cum Francorum nomen tunc fuerit commune; & ex quo distinctim ab Austrasia cœpit nominari Neustria, huic accensa fuerit Lutetia Parisiorum, regno, jam non quadrifariam, sed bisariam dumtaxat, diviso inter filios magni Dagoberti ac stabili principatu utrobique constituto. Seculo* VIII, *& sub Merovingicæ stirpis occasum, prærogativam dignitatis tenentibus Parisiensibus, cœperunt illi metonymicôs sese Francos dicere, ceteros Neustrios vel Neustrasios seorsim appellare: unde factum ut in hodiernum usque diem Parisiensis ager & præfectura vocentur* le Gouvernement & l'isle de France; *& inter antiqua nomenclaturæ amantiores litteratos, pro* Normannia *usurpetur* Neustriæ *vocabulum.*

& aliis annis.

122 *Eodem recentioris longe styli & numeri pluralis vitio laborant, quæ sub Chilperico passim data creduntur: quorum unum extat apud Labbæum, &, præter publicorum diplomatum consuetudinem, has compendiarias notas continet,* O. F. D. E. & n. p. & f. n. e. v. *quæ sic legenda sunt* Omnibus fidelibus Dei Ecclesiæ & nostris, præsentibus & futuris, notum esse volumus, *ut omittam dictiones & phrases alias, ævo isti insolitas. Alterum extat apud Miræum in Donat. Belgicis cap. 2 & incipit* In nomine Omnipotentis & Salvatoris nostri Jesu Christi, Chilpericus divina præveniente clementia Rex Francorum: *finit autem,* Datum Bibrax, Chilperici anno primo, Indictione XIII. *Si annum accipias, quo, mortuo fratre Sigeberto Austrasiæ Rege, ditionem ejus dicitur invasisse Chilpericus, sed brevi pulsus, prævalentibus qui pro Childeberto Sigeberti filio adversus invasorem patruum stabant; esset is annus Christi* DLXXV, *quo currebat* VIII *Indictio. Si annum quem ille Parisiensis regni primum habuit, & quo nihil juris potuit exercere in Belgio, sumere velis; fuit is* DLXI, *& tunc currebat Indictio* IX. *Quid autem dicemus de alio, inter Memorias Bellovacenses impresso per M. Antonium l'Oysel, velut dato pro Abbatia S. Luciani? Ea & in plurali ubique, & stylo valde recenti loquitur, & hoc modo signatur:* Ego Eltritus Palatinus scriptor recognovi, *insusitato exemplo: atque additur,* Datum anno Dominicæ incarnationis DCVI, Indictione nona, anno regni Chilperici Regis XXII. Actum Rotomagi, in conventu generali, III Nonas mensis Maji. *Indictio & annus sic conveniunt ut non possit quis errorem librarii suspicari: annus item regni* XXII *aliaque adjuncta vetant, ne de Chilperico II cogites, qui annis solummodo quinque idque octavo seculo regnavit: Chilpericus autem primus occisus est anno* DLXXIV *anno regni sui* XXIV: *& quomodo hic potuisset annis post mortem suam* XXXII *talem chartam condidisse? Notavit autem Petrus Pitthou, qui chartam descripsit & contrectavit,* Sigillum esse ex cera alba, in qua impressa est imago Imperatoris juvenis armati, *qualem forte Ottbonem III exprimit Zyllesius ex genuino sigillo.*

Chilperico pro anno 575

123 *Neque plus sinceritatis est in ea charta, quæ Chilperici fratri S. Guntramno tribuitur, extatque apud nos ad ejus Acta* XXVIII *Martii num. 6 hoc principio:* Divina disponente gratia, Servus servorum Domini, Guntrannus Rex, regnante Deo, universis sanctæ matris Ecclesiæ filiis salutem. *Quot hic sunt verba tot etiam sunt novitatis indicia, quæ pluribus non merentur exagitari: tantum hæc posui, ut sciat Lector nos imposterum futuros cautiores, quam ut deinceps talia, absque censura congrua operi nostro inseramus. Denique, antequam veniat ad Dagoberti Magni chartas Labbæus, ex archivio Abbatiæ S. Sulpicii Bituricensis producit diploma cujusdam Clodomiri, qui se* Francorum Regis Chlotharii filium *scribit, hoc principio,* In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritus sancti; Ego Chlodomirus Dei gratia Francorum Rex: quod diploma, *inquit ille,* absque dubio supposititium est. *Res ex stylo patet: annus desideratur: Chlotarium II, cujus hic filius fingitur, intelligit Labbæus: Chlodomirum inter Franciæ Reges nullum agnoscit historia, nisi Chlodovæi magni secundo genitum.*

Guntramno;

Chlodomiro;

124 *In tomo I Conciliorum Galliæ, Chlodovæi II pro San-Dionysiano monasterio, & Chlothatii III pro Corbeiensi, præcepta inveniuntur: sed quæ sincera esse non permittit credere stylus ac forma. Primum autem suspectum valde faciunt nomina viginti quinque subscribentium Episcoporum, quorum vix quarta pars pro anno Chlodovæi istius* XVI; *qui esset*

esset Christi DCLIX, nota habetur. Subscribunt autem non expresso Sedis suæ titulo: quod merito suspectum est, & in hac & aliis similibus chartis, secus atque fecerunt in decretis Concilii Cabilonensis anno DCL celebrati; cui plerique eorum qui Sandionysianæ chartæ subscripsisse finguntur, debuissent interfuisse; nec enim tam cito potuerunt omnes esse novi. Aliud eidem Chlodovæo affictum diploma invenio apud Claudium Laboureur, in collectione historica rerum memorabilium ad regalem Abbatiam Insulæ-barbaræ prope Lugdunum pertinentium, quam placuit les Masures, id est, Rudera cœnobii antiquissimi appellare. Principium pro anno III regni, qui fuit DCXL circiter æra communis, tale est: In nomine Dei æterni & Salvatoris nostri Jesu Christi, Chlodovæus, divina ordinante providentia Imperator augustus.... omnibus Dei fidelibus, Episcopis videlicet & Abbatibus, Regibus, Ducibus, Comitibus, Vicedominis, Vicariis, Teleonariis & omnibus rempublicam adgubernantibus. Sumptum est hoc principium verbotenus ex alio diplomate quod idem Laboureur recitat, sub nomine Ludovici Imperatoris pro anno Christi DCCCXVI, hoc solum dempto, quod in isto Ludovici non nominentur Reges; nominetur autem annus Christi, qui nobis indicio est, ne hanc quidem chartam, puram incorruptamque haberi. Verus Ludovicus, abstinuit charactere Christianæ Æræ, nondum ad usum regiæ Cancellariæ recepto: scribebat autem universis Episcopis Abbatibus, Ducibus & Comitibus seu omnibus publicæ rei servientibus: quod pro tempore Ludovici Pii erat abunde satis, pro tempore autem Chlodovæi II fuisset plus quam satis & superabundans, qui solos Episcopos Comitesque nominasset. Hæc ergo si examinasset scriptor prædictus, non magnopere appendisset titulum Imperatoris, quem istic sibi fingitur Chlodovæus arrogare; neque consideratione dignum censuisset, quod istic nominentur monachi sub regula B. Benedicti Deo famulantes, nec quia dicitur, Actum Monte-Lauduno, præsente populo, conclusisset, consuevisse Reges pro donationum suarum similiumque actuum validitate convocare extra ordinem Parlamentum regni, aut ipsius convocandi tempus præstolari: sed ex istius clausulæ insolentia aliisque ineptiis fuisset persuasus, tam certo chartam istam Chlodovæo Regi affictam fuisse, quam indubitanter credidit ex alicujus monachorum suorum somniculoso cerebro olim fabricatam esse chartam, qua monasterii illius primus fundator fuisse asseritur S. Longinus, Euangelicus miles, qui Domini latus perforavit; & ex simili officina prodiisse Epistolam, quam Summo Carolo Imperatori Leydradus Episcopus Lugdunensis scripsisse dicitur. Æque facile fuit falsitatis convincere privilegium, quod Chronico Besuensi insertum edidit Acherius tom. I Spicilegii sub nomine Chlotharii III pag. 499 tamquam datum mense Augusto, anno ab incarnatione Domini DCLVIII, indictione I anno VIII regni Clotarii, non tantum propter annum Christi male comparatum cum anno regni, qui II aut III nominandus erat, sed etiam propter stylum totius chartæ: in quo licet non adeo evidenter excedat Præceptum ibidem subsequens, datum mense Septembris die IV, anno IV regnante Theodorico Rege, hujus nominis III, & fratri Chlothari prænominati; vereor tamen ut apud omnes fidem inveniat, tum aliis de causis tum quia collector Chronici omisit formulam initialem per quam fraus detegi forte potuerat; & saltem constare debebat quinam sint ii, quos insolito prorsus titulo Rex compellat, dicens, Cognoscat utilitatis vestræ magnitudo.

Et Chlodovæi II — *Chlotarii & Theoderici.*

CAPUT X.

Conclusio hujus materiæ, cum evictione Bullarum aliquot, Romanis Pontificibus suppositarum.

125 Potro hactenus deducta considerans, & in toto Francorum regno nullam omnino chartam sinceram ac genuinam reperiens ante Regnum primi Dagoberti; paucissimas item sub illo atque post illum, usque ad secundæ stirpis Reges scriptas haberi, quæ vel autographa dici possent, vel ex autographo fideliter desumpta; vehementer laudo monitum Ioannis Marshami, heterodoxi quidem circa religionem, sed à monachis reque monastica minime alieni, datum in propylæo ad Monasticum Anglicanum: Caute intuendæ sunt istiusmodi chartæ; quæ fidem habent eo minorem quo majorem præferunt antiquitatem. Rudis olim & iners gens nostra (de Anglo-Saxonibus & de communiori usu loquitur) absque scripto donationes conferre solebat. Ex Beda sane non constat, scripturam adhuc illius ætate in transferendis prædiis aut concedendis privilegiis usurpatam fuisse. Nihilo plus de eadem apud Francos usurpata constat nobis ex Gregorio Turonensi. Quod igitur, proclivis in partem mitiorem Wilthemius maluit opinari, veteribus instrumentis deperditis aut corruptis, nova novo stylo, cum multa interpolatione cusa fuisse, quæ pro veteribus supponerentur; id nobis nunc multo magis ambiguum redditur, ac pene persuademus, partem majorem fallaciam istarum chartarum, in archiviis monasticis & ecclesiasticis reperiendarum, non habere principium ac fundamentum in veris, quæ aliquando extiterint, tabulis; sed solum in possessione aut vera aut prætensa; quam ut firmarent, ejusmodi diplomata confingere elegerint. Hoc autem dum facerent existimo illis etiam usitatum fuisse, ut non solum fundos ab illo cujus nomine diploma cudebatur, primum acceptos: sed & alios postea à quibuscumque donatos, de quibus nihil scripto docere poterant, eodem diplomate comprehenderent. Nam sæpe tanta & tam multa possessiones una exprimuntur in charta, ut prorsus incredibile sit, eas omnes uno eodemque tempore, ab uno Rege, alicui monasterio vel ecclesiæ primum surgenti fuisse condonatas.

AUCTORE D. P. — *Cogimur credere donationes multas esse factas absque scripturis,* — *hinc autem fuisse diu post fabricatas,*

126 Quod de possessionibus dixi, quarum pars magna longe post obtigit locis piis, quam facta aut etiam scripta esset prima fundatio, cujus instrumento tamen eadem finguntur inserta; id libenter etiam intellexerim de talium possessionum immunitatibus ac libertatibus (unde & privilegia vulgo nominantur testes earum chartæ) ita scrupulose soliciteque & determinate quandoque expressis, sicut post seculum nonum aut decimum exprimi cœpere; quando hominum, ecclesiasticis bonis & juribus carpendis inhiantium cupiditati reprimendæ, aut monasteria gravantium importunitati avertendæ, ejusmodi privilegia quæsita fuere. Cum enim donata ecclesiis bona jure divino immunia sint ab oneribus servitutis secularis, primis monasteriorum fundatoribus ac dotatoribus non incidit cavere ab eo malo, quod in nova Francorum Christianitate necdum cœperat pullulare, dum Reges ac Principes adhuc zelo religionis æstuarent.

additis etiam expressis immunitatibus

127 Simili fere modo licebit ratiocinari de privilegiis Apostolicis, quibus ab Episcoporum jurisdictione exempta monasteria, & sub immediatam Sedis Romanæ protectionem suscepta sunt. Quo tempore ea res cœperit, difficile est definire: esse tam antiquam quam videri faciunt nonnulla quæ proferuntur privilegia, nemo mihi persuaserit. Nam quod apud Baronium ex Papirio Massono habetur, velut ab Adeodato Papa sub annum DCLXXV concessum Turonensi monasterio & monachis S. Martini; id, licet sit mutilum extrema parte, satis tamen habet unde novitia fictio deprehendatur, dum identidem Religiosi Abbatis meminit; ex usu scilicet ejus temporis, quo res monastica tantum dispendii accepit, quantum queri vix fas est, per Abbates seculares. Habet San-Dionysianum juxta Parisios monasterium plurima, tam Romanorum Pontificum quam Francorum Regum, diplomata; & quidem, ut prætenditur, originalia; etiam in corticibus arborum scripta quædam: de quibus omnibus, quod quidem attinet tempora primæ stirpis regiæ, illud omnino tenendum est, tanto minus eis adhibendam fidei, quanto plus præferunt antiquitatis.

& privilegiis qualia postea obtinuerant. — *idem factum Apostolicis litteris*

AUCTORE D. P.

128 *Inter illa primũ locum occupat, post Landerici Parisioru Episcopi privilegium, quod alteri excutiendum relinquitur, Zacharia Papa rescriptum ad Pippinum Regem: ad quod etiam falsitatis convincendum, servient qua subjungo, de duabus immediate sequentibus in ista collectione Bullis Stephani Papa eo nomine* III. Utraque scripta est in cortice, utraque munita bulla plumbea, ex cordulis pendente, cujus faciei anticæ inscriptum, STEPHANI; posticæ, PAPÆ; cum cruce sub utroque vocabulo, superne autem in prima quidem facie videtur crux duplex cum tribus intra brachia seu ramos crucis punctis, uno autem puncto ad basim ejusdem; in aversa autem facie, supra vocem PAPÆ, conspicitur rosa. *Ita Historia & antiquitatum Sandionysianarum evulgator* Doubletius: *qua omnia ut magnam speciem auctoritatis minima vulgaris pratendunt; ita singula sufficiunt talium rerum peritis ad imposturam cognoscendam. Norunt illi corticibus arborum aliquando usos dici antiquos, adeo ut* LIBER *hinc dictus Latinis sit, qui Gracis* βίβλος: *sed iidem sciunt usum istum tam esse antiquum, ut quandoquam desierit omnem hominum memoriam fugiat, nullis fere ejusmodi scriptura reliquiis perennantibus, postquam agninas atque ovinas pelles in membranam distendere usus docuit, qua & complicari, & convolvi, & in grandes compingi codices tam commode possunt, ut totis* XVIII *seculis nulla fere ad scribendum materia alia adhibita sit. Quis autem dubitat multas hujusmodi arboreas scripturas alibi quoque inveniendas esse, multam earumdem apud scriptores ipsos mentionem? si* VIII *seculo tum fuisset ordinarium in cortice scribere, ut etiam Pontifices in tali materia suas expedirent Bullas? Bullas dico, non quasi ita tunc vocarentur, sed quia ita dici cœpere, postquam usu valuit ut bulla seu plumbea seu cerea, annulo Pontificali insignita, appenderentur Brevibus: cum antea non appendi, sed ipsi membrana inprimi sigillum soleret.*

quarum aliqua in Sandionysiano archivio.

etiam in cortice scripta,

suppositia tamen esse convincuntur, ex bullis appensis,

129 *Sed hac & horum singulorum initia explicabit, in suo Eruditarum imaginum opere, Claudius Menestrier Societatis nostra; delibanda tamen mihi fuere, ad eximendum minus expertis scrupulum. Ridiculum autem in prima epistolarum istarum accidit, quod* Landricus, Parisiacæ Urbis Episcopus, *ditatur*, cum consilio suorum Canonicorum, cœnobium *istud* & omnes ad ipsam servientes Clericos *absolvisse à sua jurisdictione. Nam quis antiquorum Episcoporum sic unquam locutus?* Fratrum suorum consilio, *rem actam scripsissent illi, non Canonicorum. Additur* Datum IV Kal. Martias, Imperante Domno piissimo Augusto Constantino à Deo coronato magno Imperatore, anno XVIII imperii ejus, sed & Leone Majore Imperatore ejus filio anno quarto, Indictione x. *Indictio hac annum Christi* DCCLVII *indicat, sed initium Copronymi retrudit ad annum* DCCXL, *cum constet eum sequenti dumtaxat anno, & quidem ad Iunium mensem perducto, regnare cœpisse. Quid est autem quod ejus filium* Leonem *hic Pontifex cognominet* Majorem? *& quomodo eum tam honorificis dignatur titulis, aut etiam sola nominis mentione*, de quo per invectivas epistolas, *ut S. Stephanus Martyr testatur*, tam insigniter triumphabat; Apostatam ipsum ac Dei hostem vocans, utpote adversus Christi imaginem male ac pestifere concitatum. *Ne autem ad alias similes sequentium Pontificum Bullas progrediar, sufficit dicere, genuinas & originarias credi non posse, in quibus per Caroli & Ludovici Imperatorum annos signata tempora subnotantur, quasi hic Romanis Pontificibus mos umquam fuerit; & quidem sic ut ad nomen* Caroli, *& titulos* Excellentissimi Regis Francorum & Longobardorum atque Patricii Romanorum, *addatur hoc elogium historicum*, à quo capta fuit Italia. *Si porro etiam offerantur aliqua, annis Incarnationis notata, eas certissime scias esse aut falsas aut corruptas. Nam à paucis anteactis annis, inquit Paulus de Middelburgo Episcopus Forosempronienfis scribens initio seculi superioris, lib. 13 sua Paulina cap. 6,* præsidente Eugenio IV, adhortante Blondo Foroliviensi, Pontificii Collegii à secretis Notario, in bullis atque rescriptis Pontificialibus, annorum à Christi Incarnatione supputatio scribi primum cœpit; etsi longioris temporis tractu in cereis Paschalibus annotata.

& annis Imperatorii.

130 *Et hac circa Pontificia Brevia, qua deinde sequuntur plura & singula excutere non est animus negotium; Dagoberti Regis & fundatoris privilegia septemdecim, filiorum ac successorum ejus septem alia, tum octo Pippini Regis, ac rursum septemdecim Caroli Magni subjiciuntur, & sic deinceps, qua vel omnia vel pleraque mala fidei sunt, ut ex jam dictis facile poterit dijudicare diligens Antiquitatum Sandionysianarum scrutator. Quod si ex solo istius monasterii archivio tanta prodiit farrago chartarum, Romanis Pontificibus ac Francorum Regibus fidenter aque ac ignoranter suppositarum, quantam Doubletii collectio indicat; quam grandem putas inveniret hujusmodi zizaniorum messem, & quot volumina impleturam, qui censorios oculos per omnem circumferret Galliam, simul & per Italiam, Hispaniam, Angliam. Noster hic finem jam spectat labor, & pridem lassus calamus recondi in aliud tempus postulat. Quia tamen alias in transcribendis Eveshamensis & Glastoniensis monasteriorum chartis ipse sibi indulsit plura, quam nunc probare potest mens exercitatior; cogendus est operi immorari tantisper, donec iis ipsis obelum fixerit, qua citius debuerat damnavisse.*

Et hujus generis sunt plurima apud S. Dionysium

& alibi.

131 *Talis inprimis est Epistola Constantini Papa, qua* Britwaldo, Britanniarum ecclesiæ Primati, injungit, ut totius Angliæ concilium cogat, Episcopos sacrique Ordinis religiosas personas, optimatesque regni cum proceribus suis adesse præcipiat; quibus in Dei nomine congregatis denuntiamus, *inquit*, quod Duo Reges Angliæ, Kenredus & Offa, cum quibus Egwinus Episcopus ad limina Apostolorum venit, in loco ostensæ dicto Episcopo visionis, plurima de suis beneficiis, in præsentia nostra, regia liberalitate donata & Apostolica auctoritate confirmata, contulerunt; quatenus ibidem congregatio monachorum possit instaurari, & indesinenter Christo famulari. *Hac, inquam, epistola, prout in vita S. Egwini ex Capgravio ad* XI *Ianuarii recitatur à nobis, præterquam quod* salutem & Apostolicam benedictionem impertiatur, *ita finit*: scripta est hæc epistola anno gratiæ 709, in Ecclesia Salvatoris Lateranensi, præcipiente & confirmante Constantino Apostolicæ Sedis Antistite, adstantibus & confirmantibus Regibus Angliæ Kenredo & Offa, rogante venerabili viro Egwino Episcopo, coram pluribus Archiepiscopis & Episcopis, Principibus & nobilibus diversarum provinciarum, cunctis acclamantibus, Laudamus, concedimus, & confirmamus.

Eveshamensis charta rejicitur ob multas ineptias

contra stylu curiæ,

132 *Qua hic* (*ut de* anno gratiæ *nihil dicam*) *Apostolicarum litterarum forma? Qua verisimilitudo, quod pro re tantilla tantus fuerit Roma, non Episcoporum tantum, sed etiam Archiepiscoporum conventus? quod pro unius monasterii fundatione stabilienda jussus fuerit totius Anglia conventus cogi, tam secularium quam ecclesiasticorum? quod Anglia titulum & nomen usurparint Kenredus Mercia, & Offa Orientalium Saxonum Reges? Id autem fecissent eo tempore, quo Anglorum Natio, inter occupatrices Britannia gentes non maximi nominis, multo inferior erat Saxonica, pracipuas ad Austrum provincias obtinente: unde etiam hodie, inter incultiores Hibernos ac Scotos, non alio quam* Saxonicæ linguæ *nomine nota est, quam nos Anglicanam dicimus; & Ioannes Diaconus*, Saxoniam *appellavit regionem, ad quam missus erat Augustinus cum suis; licet ad conversionem Anglorum illi potissimum fuerint destinati, quorum pueros Roma venales viderat & amarat Gregorius. Vide autem pulchras subscriptionum formulas* ✠ Ego Constantinus, Romanæ Sedis Episcopus, has donationes subscripsi & confirmavi. ✠ Ego Egwinus, humilis Episcopus, confirmavi. ✠ Kenred corroboravi. ✠ Ego Offa consensi. *Varianda, ut apparet, phrasi auctor studuit: ego ejusmodi varietates in genuinis subscriptionibus non invenio, nec puto posse reperiri.*

nomina regnorum tunc usitata,

subscriptionum formam,

133 *Ipsa porro Regum charta, cui pulchra illa Pontificia Bulla super-*

superstruitur, qualis est? Condunt eam Kenredus, Dei dono Rex Merciorum; & Offa, divina permissione Anglorum Orientalium Gubernator. *Novitatem sane haud obscuram redolet istud,* Dei Dono, *&*, Divina permissione: *sed Orientales Anglos poni pro Saxonibus Orientalibus, quamvis collimitanea regna fuerint, quis ferat à talibus, tali loco ac tempore? Deinde designantur agrorum monasterio Eveshamiensi contraditorum limites, tam minute & accurate, ut paginam integram sola locorum aut comprehensorum aut confinium nomina impleant. Postremo subditur:* Acta sunt hæc anno Dominicæ Incarnationis DCCVIII in Ecclesia &c, *ut supra, iisdem prorsus verbis, formulis, ac subscriptionibus, nec apice quidem variato. Ipsius Egwini charta, quæ signare & confirmare deberet omnia, fertur* scripta anno Dominicæ incarnationis 714, *in eaque designantur* 120 *mansæ*, quas prædictæ ecclesiæ Christi acquisivi; *inquit Egwinus*, sicut scriptum est & confirmatum in chartis ecclesiæ, & in libro manifestatur terra & termini ejus quem scripsit Britwaldus Archiepiscopus, & dictavit precepto Romani Pontificis, cum consensu Principum totius Angliæ: *hæc inquam charta præ ceteris vacillat maxime. Adduntur enim subsignationes hæ:* ✠ Ego Egwinus, per signum sanctæ Crucis. ✠ Ego Kenredus Rex subscripsi. ✠ Ego Offa, per signum Sanctæ Crucis, confirmavi. ✠ Brithwaldus Archiepiscopus subscripsi. Ego ✠ Oswardus frater Regis confirmavi. *Si cum consensu* Principum totius Angliæ, *ergo in ipsa Britannia, inque conventu ad hoc per Pontificem imperato, quarto post reditum Egwini anno, completa jam fabrica monasterii. Idem fateri cogent subscriptiones Britwaldi & Oswardi, qui ex insula pedem non extulerunt. Hoc autem posito, quomodo subscripserunt Kenredus & Offa, pridem deposito dignitatis secularis fastu monachos Roma induti? & quomodo subscripserunt cũ titulo regio?*

confusionem locorum ac temporum

134 *Beda lib.5 cap.20 ita de iis scribit:* Anno Imperii Osredi quarto (*fuit is, ut patet ex Capite præcedenti, Christi* DCCVIII *vel* IX) Coenred, qui regno Merciorum nobilissime tempore aliquanto præfuerat, nobilius multo sceptra regni reliquit. Nam venit Romam, ibique attonsus, Pontificatum habente Constantino, ac monachus factus, ad limina Apostolorum, in precibus, jejuniis & eleemosynis usque ad diem permansit ultimum. Venit autem cum illo & filius Sigheri Regis Orientalium Saxonum, vocabulo Offa.... qui pari ductus devotione mentis, reliquit uxorem, agros, cognatos, & patriam propter Christum.... Et ipse ergo, ubi ad loca sancta Romam pervenerunt, attonsus, & monachico habitu vitam complens, ad visionem beatorum Apostolorum in cælis diu desideratam pervenit. *Hæc ibi tam ampliter cum narret Beda, merito miratur Malmesburiensis de gestis Pontif. lib.4* ouid miraculi sit, quod tacuerit *hanc Eveshamensem fundationem, & addit* neque per se id potuisse advertere, neque per alios addiscere. *Sane monasteriorum omnium celebriorum exordia attigit Beda; ut exigui nominis fuisse oporteat illud, quod triginta annis ante Bedæ mortem Egwinus struere cœpit in sua Wigorniensi diœcesi. Sed ut fundatio illustrior fieret, placuit ex Beda tempus sumere & occasionem splendidam adornandæ fabulæ, eo quod forte aliunde sciretur, eodem ferme tempore, quo seculum abdicabant Reges, Romæ Egwinum adfuisse.*

Et nomina Regum qui Romæ pridem degebant monachi.

135 *Utinam quam nunc est facile, rebus hisce ad fundum examinatis, similes imposturas agnoscere & damnare; tam cito possent in operibus nostris ea omnia expungi & innovari, quæ de S. Egwino in hac materia scripsimus! Si Inam Regem Occidentalium & Australium Saxonum, virtute quidem bellica & religionis studio nobilissimum, sed cujus nullus aut Romæ, ubi mortuus; aut Glastoniæ, quam dotavit, cultus antiquus doceri potest, retulissemus inter Prætermissos, quod nunc factum vellemus; non extarent modo ad* VI *Februarii duæ confictæ sub ejusdem Regis nomine chartæ; quasi datæ* anno ab Incarnatione Domini DCCIV & DCCXXV, *idque* Indictione IV, *cum scribi debuisset* VIII: *Harum postrema, fabulosam Glastoniensis loci sanctitatem deprædicans (quam agentes de S. Patricio & S. Iosepho ab Arimathia ad* XVII *Martii utcumque ventilavimus) variis eidem concedit prædia, asseritque Kentwinum Regem*, ab omni seculari & ecclesiastico obsequio immunem constituisse *locum*, & hanc ei privilegii dignitatem concessisse, ut habeant Fratres ejusdem loci potestatem eligendi & constituendi sibi Rectorem, juxta Regulam S. Benedicti. *Deinde*, Summo Pontifice Gregorio annuente (*secundum hujus nominis intellige*) & consentientibus etiam omnibus Britanniæ Regibus, Archiepiscopis, Episcopis, Ducibus atque Abbatibus, *privilegia indulgentur, quanta possunt concipi maxima; & monasterium eximitur ab omni jurisdictione Episcopali; idque sub conditionibus adeo multis & Episcopo duris, ut vix ullum immunitatis ejusmodi privilegium in ampliori forma datum esse existimem seculis diu post secutis, quando insolentia Episcoporum quorumdam, seipsos magis quam gregem Christi pascentium & Apostolicæ Sedi subinde rebellium, ad ejusmodi indulgentiam descendere fecit Romanos Pontifices; ne visitationis aut provisionis spiritualis prætextu expilarentur monasteria, & disciplina monastica penitus in iis collaberetur. Sed quid habuit Ina, quantumvis armis formidatus ac potens, quod totius Britanniæ Regibus præciperet? quid Archiepiscopis, quorum in utroque ejus regno nullus? Si eadem, quæ nunc Aprilem absolventibus, adfuisset scientia Februarium tractantibus, explodi ista potuissent; sicut ibidem §.5 explosa sunt Galfridi Monumethensis de eodem Ina fabellæ, quibus fingit, ex Britonibus seu Wallis oriundum Inam, sociata sibi conjugio Guala Regina Britonum, qui ab ea Wallorum nomen traxerint, Cambriam dotalem tenuisse, Anglos domuisse, iisque & Britonibus atque Scottis mutua præcepisse connubia, oppugnatumque à Danis & Norvegis regnum egregia virtute defendisse.*

Etiam charta Reginæ,

anno 704 & 725 alii scripta

explodi debuissent æque

136 *Fabulis hisce annumeranda etiam venit dicti Inæ portentosa largitio, ex MS. Glastoniensi descripta num.8 sub hoc titulo,* De capella argentea, quam fecit ibidem, *id est Glastoniæ, idem* Rex cum vasis suis: *quæ postquam singula enumerata sunt, adnotato cujusque pondere, exurgunt argenti pondo* MMDCCCXLVII *cum dimidio, auri vero* DCCLV *cum* LX *marcis; quantum argenti & auri, non jam dico in utraque Saxonia Britannica, sed forte nec in tota fuit heptarchia, exinanitis primum per Romanos provinciis, deinde per Pictos Scottosque depopulatis, ac tandem barbarorum, in auxilium à Britonibus accitorum, avaritiæ crudelitatique derelictis. Fluxerant quidem à Cerdico & Cenrico, Inæ tritavo attavoque, regni Saxonici fundatoribus, usque ad Inam anni centum; impossibile tamen fuit uno solo seculo, in gente bellicosa ac perpetuo inquieta, tantas opes colligi & servari; incredibile autem est simul omnes effusas fuisse in ornatum lignea unius Basilicæ, plumbeis contectæ laminis, qualis describitur à Glastoniensibus; cum in ipsam solidiori ac regia majestate digniori opere ædificandam prudentius illa impendi potuerint. Et tamen dicitur illa, usque dum conflagravit, multo post Inam tempore, in sua illa prima simplicitate ac paupertate mansisse; quod sane factum non fuisset, si revera tantis latifundiorum possessionibus, quanta nominantur, jam inde à principio, dotati monachi Glastonienses, proventibus annuis abundassent, tantoque auri & argenti pondere fuissent instructi.*

atque alia de eodem Rege fabella.

PROPYLÆI ANTIQVARII
PARS SECVNDA.
De prætensa quorumdam Carmeliticorum Conventuum antiquitate.



TErra Sanctæ amissionem, cœptam cum jactura Hierosolymitanæ metropolis anno MCLXXXVII à Turcis capta, & cum excidio Acconensis urbis anno MCCXCI consummatam mœrentibus Christianis in Europa magnum divinitus obtigisse solatium, translato huc interim Carmelitarum Ordine pro singulari suo erga ipsum affectu, scripsit ad XXIX Martii Magister meus Godefridus Henschenius; de primo Carmeli Priore Bertholdo dicturus ea, quæ sola & pauca occurrebant dicenda, nolenti in Carmeliticæ antiquitatis labyrinthum ante tempus implicari. Dictum cum Ordinis commendatione insigni, si prodiisset seculo præcedenti, magno haud dubie plausu exceptum fuisset; necdum enim cuiquam in mentem venerat, ante XIV seculum translatos in Europam Carmelitas, dicere. Nunc vero cum offensione multa acceptum est; eo quod sic tacite repudiarentur documenta nonnulla, in quibus magnum probandæ antiquitatis subsidium repositum esse volebant illius zelatores. Equidem professus sum ad VIII Aprilis in B. Alberto, & iterum hic protestor, nolle me prætensam Ordinis ab Elia Propheta successionem attingere, nedum impugnare. Abundent ut volent in isto suo sensu Carmelitæ; tantum ne patiantur pro eo confirmando imponi sibi figmenta recentia, vetustatis pallio obtecta; neque indignentur, quod ea recipienda non putemus: sed circa tempus translati Ordinis ea nos sinant credere, quæ ex Innocentii IV Bulla, ex Breviario Carmelitano, & Sanwici chronica discimus, & ante centum annos a nemine fuerunt in dubium revocata.

Seculo 14 primum migrasse in Europam Carmelitas,

2 Innocentium audiamus. Suas ille litteras, anno MCCXLVI ad Archiepiscopos & Episcopos datas, quæ in Annalibus Lezanæ possunt integræ legi, sic exorditur, Paganorum incursus dilectis filiis, Fratribus Eremitis S. Mariæ de monte Carmeli, necessitatem induxisse dignoscitur, quod se ad has cismarinas partes, non sine afflictione multa spiritus, contulerunt; cum eis, contemplationis dulcedine recreari solitis, ex hujusmodi transitu turbata non modicum fuerit quies mentis. Cum itaque ad hoc aspiret affectio, ut, per Apostolicæ pietatis auxilium, statum consequi valeant, in quo sibi & proximis, Deo propitio, ad salutem proficere hilarescunt; Fraternitatem vestram rogandam duximus & monendam, per Apostolica vobis scripta mandantes, quatenus.... ipsis celebrandi divina, & habendi liberam Fratrum sui Ordinis sepulturam licentiam, si expedire videritis, sine juris alieni præjudicio, concedatis. Hæc ille, clare supponens eos in Europa, utpote recenter translatos, statum eatenus non habere sed quærere. Lectiones pro Commemoratione solenni Beatissimæ Virginis Mariæ ad diem XVI Julii ab omnibus recitandæ, quæ certissimum de sensu totius Ordinis testimonium dant, sic loquuntur: Cum olim in Europa Ordo esset ignotus, & ob id apud Honorium Quartum non pauci pro illius exstinctione instarent, adstitit Honorio noctu purissima virgo Maria, planeque jussit ut institutum & homines benigne complecteretur. Eædem lectiones ad examen denuo revocatæ sunt anno MDCXXVIII, ac ne tunc quidẽ aliud occurrit quod mutaretur, quam numerus nomini Pontificio additus; cum essent qui sustinere nt, revelationem prædictam, non Quarto, sed Tertio Honorio, antequam scilicet in Europam ordo transisset. Revera enim ab hoc Pontifice primum approbata ejus Regula est, post annorum aliquot solicitationem, anno Christi MCCXXVI, uti plenius V Maji ad Vitam S. Angeli dicetur: & econtra ante tempus Honorii quarti notissimus in Europa & late propagatus Ordo fuit, multisque variorum Pontificum diplomatis ac privilegiis communitus, prout ad Vitam B. Simonis Stock XVI die ejusdem Maji manifestum faciemus. Denique ex Chronica de excidio monasteriorum Terræ-sanctæ & multiplicatione Ordinis per Europam, a variis scriptoribus Carmeliticis citantur hæc expressissima verba: Professores hujus Religionis numquam proposuerunt extra Terram-sanctam (quamdiu scilicet res Christianorum utcumque ibidem subsistebant & porro sustineri posse videbantur) habere ad habitandum aliquam mansionem suæ Religionis. Venit autem Chronicæ istius auctor Guillelmus de Sanwico, Sanvico, vel Sambuco (nam varii varie nomen scribunt) post amissam ultimo Acconem anno MCCXCI in Europam: nec facile invenient Carmelitæ antiquiorem illo rerum suarum scriptorem.

probatur ex Bulla Innocentii 4,

Breviario Carmelitico,

Chronica Sanwici,

3 Quid ad hæc illi? Dicunt scilicet, auctoritates allegatas solum respicere novissimam ac generalem, ideoque præ ceteris famosam migrationem: idque eo sustinent confidentius, quo existimant monasteriorum aliquorum majorem antiquitatem demonstrari certius. Ergo ne pergerent quæri, præjudiciis abreptos nos contra evidentissimam veritatem niti, cum interim nihil optarem magis quam opinioni ipsorum firmandæ solidum aliquod invenire fundamentum; totos Lezanæ Annales evolvi. & quæ ille statuit Conventuum singulorum initia solicite scrutatus, ex triginta circiter quos nominat, velut ante annum MCCXXVIII inchoatos, nec unum quidem reperi, cujus probationem difficile esset manifestæ vanitatis aut etiam falsitatis convincere. Hoc agenti sub manibus crevit haud spernendæ molis Commentarius, quem dare hoc loco totum proposueram: sed iis quibus obsequi me decet, visum est sufficere posse exemplum unum alterumve, ex quo de ceteris qualia sint, æquus lector judicium ferat. Ipsis certe Carmelitis suffecturum id credo, ne existiment amplius antiquitates suas ex mero præjudicio rejici; neve porro nos urgere velint ad dandam de singulis rationem, cum viderint ea quibus potissimum nitebantur, & quæ nobis præ aliis semper voluerunt esse commendata, adeo solide confutata. Hæc autem duo sunt, Thomæ Episcopi Florentini attestatio anni DCCXLIII, & epitaphium quoddam Bopardiense, anni MCXIII. Plura si post hæc desiderentur, parata sunt omnia, nec deerit locus idoneus in Majo, sive ad Vitam S. Angeli, ex qua nonnullorum ejusmodi conventuum fides pendet; sive ad Catalogum Hierosolymitanorum Episcoporum ac Patriarcharum, quorum unus dicitur fuisse Enoch idemque Vitæ istius auctor, sive ad Acta B. Simonis.

majorẽ antiquitatem prætendentes

unius alterius-ve exempli declaratione confutantur.

CAPUT I.

Examinatur Florentinæ fundationis antiquitas, hoc seculo primum excogitata.

4 ANte annos non admodum multos, triginta forsitan aut quadraginta, in Florentini Conventus claustro posita est inscriptio, his verbis concepta: A Christi nativitate anno DCCXLIII Kalendis Maji, ad honorem Dei & B. Mariæ Virginis de monte Carmelo, erecta fuit parva quædam ecclesia, cujus primum lapidem posuit Rev. DD. Thomas Episcopus Florentinus, in recessu prope civitatem, juxta viam Pisanam & flumen Arni, pro Eremitis quibusdam montis Carmeli: Genesio scilicet, Basilide, Cyrillo, Enoc, Phronto, Honuphrio, & Elpidio, Humar Arabiæ Regis, Mahometi successoris, tyrannidem fugientibus, nutu divino in hanc urbem perductis. Deinde anno MCCLXVIII Kalendis Julii, extra civitatem, fundata fuit hæc Ecclesia secunda, per Reverendiss. DD. Joannem Florentinum Episcopum,

Florentiæ primo eremitorium anno 743 fundatum,

tum alio loco ecclesia anno 1268

scopum, sub titulo Fratrum ejusdem Ordinis, præsentibus pluribus personis secularibus ac regularibus: qui Antistes donavit pedem S. Agnetis Virg. & Mart. & caput S. Cordulæ itidem Virg. & Mart. S. Ursulæ sociæ, quæ sunt adhuc in eadem ecclesia. Post fundationem vero anno MCCCCXXII Dominica in Albis, die XIX Aprilis, ex concessione Martini Papæ V, ad preces D. Francisci de Soderinis, per Reverendiss. DD. Americum Corsinum, primum Florentiæ Archiepiscopum, solenniter consecrata fuit, assistentibus RR. DD. Antonio Fidei Carmelita Episcopo Suanensi, & Benotio Federigo Episcopo Fesulano, Florentinis: in qua consecratione idem Reverendissimus donavit Reliquias de Sanctis Bartholomæo, Thoma & Barnaba Apostolis, Marco Euangelista, Clemente & Antero PP & MM. Laurentio, Sebastiano, & Pancratio MM. quæ in eadem ecclesia conduntur: quam cuilibet contrito & confesso, in Dominica in Albis visitanti, idem Archiepiscopus pro tunc Indulgentiam quadraginta dierum concessit: quam plenariam & perpetuam fecit SS. D. N. Gregorius fel. record. Dat. PP. XIII, anno salutis MDLXXXV, ut constat ex originalibus in Arca conventus positis, quorum copiæ fide dignæ in sacristia extant affixæ.

qua demum an. 1422 consecrata fit,

& Indulgentiis dotata an. 1585.

5 *Italiæ sacræ auctor Ferdinandus Vghellus tom. 3 columna 166, citat Ferrinium, in Catalogo Florentinorum Episcoporum asserentem, quod* Joannes *anno* MCCLI *ad Florentinam Sedem subvectus*, anno MCCLXXV die III Januarii jecit primum lapidem ecclesiæ Carmelitarum. *Ita illum ex ipsius aut Episcopii aut Conventus monumentis accepisse nullus dubito: sed errorem obrepsisse in anni numero assentior Vghello, vetus Kalendarium citanti, in quo Ioannes iste dicatur obiisse die ultimo anni immediate præcedentis. Facile fuit unam cyfram (nam per Cyfras Ferrinius annos notat) pro altera irrepere & 75 pro 65 scribi: at unius mensis nomen substitui pro altero, non æque facile. Quare existimo revera die* III *Ianuarii jactum esse primum lapidem à Ioanne, sed anno* MCCLXV: *anno autem post tertio, die* I *Iulii tunc in Dominicam cadente, ipsam ecclesiam esse consecratam: pro qua vel nimium exigua, vel temporis diuturnitate ruinam passura, post annos circiter centum quinquaginta, amplior alia extructa sit, quæ etiam nunc extat. Quis enim credat tanto tempore usos esse Fratres ecclesia non consecrata? Vnde ante omnia hic noto, inscriptionis istius auctores, in tempore tanto nobis viciniore adeo hallucinatos, ut inter fundationem ac consecrationem tam immane intervallum ponerent, non magnam fidem mereri in iis, quæ de seculo longe anteriori scripsere.*

Ast in anno 2 fundationis error invenitur,

& indilata per an. 150 cõsecratione;

6 *Ad Thomam Episcopum quod attinet, ejus nomen non invenitur in ullis Florentinorum Episcoporum catalogis, uti testatus est nobis Tiberius Petraccius, Vallumbrosanæ Congregationis vir eruditus, & ejusmodi rerum scrutator diligens. Primus illum in serie Episcoporum collocavit Vghellus, nullo alio fundamento, quam quod nomen ejus inveniatur subscriptum Canonibus Concilii Romani, sub Zacharia Papa anno* DCCXLIII *celebrati secundum Baronium, num. 27. Sed appendicula illa Romani Concilii, quam mendosissimam esse idem Baronius agnoscit, inepti cujusdam hominis est, ita eam exordientis,* Factum est hoc Concilium anno II Artabasdi Imperatoris, nec non Luitprandi Regis anno XXXIII, Indictione XII. *Etenim Indictio* XII *& annus Luitprandi* XXXII, *non cum Artabasdi anno* II, *Christi* DCCXLIII, *sed cum sequenti concurrebant, ut patebit examinanti. Cum igitur persuasum vellent auctores inscriptionis, conventum suum antiquissimam habere originem in illo suburbano secessu; & cum de Humari persecutione aliquid itidem credetur, ex opinione tum primum invalescente, de Barratarum capparum auctore; ad istum annum, quo congruum intento suo Thomam invenerunt, à Baronio nominatum, omnia retulerunt, cum summa rerum ac temporum confusione. Nam Vmar iste Arabum Dux, & Solymanno mortuo summus Ameras factus anno* DCCXVIII, qui Christianos ad fidem Religionemque fœda desertione conspurcandam adegit, ex quo plures Martyres effecti sunt *(ut scribit ad istud tempus Theophanes)* anno DCCXXI, post principatus annos duos & menses quatuor, extinctus est, *juxta eumdem Theophanem: Vmaro autem Izid, Izido Isam, Isamo Valid successore, annis* DCCXXI, XXV, & XLIII. *Gratis vero assumitur à nonnemine, hæc excusare volente, Humari persecutionem dici, quia ab ipso cœpta, a posteris fuerit continuata; nam de hac continuatione nihil legitur apud scriptores: & quamvis legeretur de ea aliquid, apparet sensum inscriptionis eo non posse nisi per vim trahi.*

prima vero auctor Thomas, nec invenitur in catalogo Episcoporũ,

neque potuit ab Humari tyrannide profugos percepisse.

7 *Sed juvat primam fictionis totius causam discere ex prælaudato Petraccio, nobis circa hac quæstionem habentibus ita scribente:* Lis erat inter Carmelitas Senenses ac Florentinos de primatu suorum conventuum, quos in Thuscia possident: & cum Senensis locus primas habere in fundatione prætenderet, exhibendo donationem aliquam viris religiosis illius loci factam à Carolo Magno; Florentini (sicut à nobili viro Antonio Contalberti fidelissime accepi) composuere diploma, sub nota anni DCXLIII & Thomæ Episcopi nomine. *Sic autem composito diplomate, quod mox proferemus, & quod ego, inquit Pertraccius,* post multam operam & industriam ad id positam, tandem oculis propriis vidi ac manibus contrectavi; curaverunt ipsum (sicut Antonius Contalberti testatur) scribendum in membrana à quodam Fratre Polono, qui tunc in Florentino degebat Carmelo. Sed à viris emunctæ naris facile observata impostura fuit, cum neque loquendi, neque litterarum formæ eæ essent, quibus antiquitus assueverant Florentini. Ideoque difficillimum est originale illud apud Carmelitas conspicere: quod utique, pridem falsitatis convictos, pudeat ipsum amplius exhibere aliis quam sui Ordinis opinionisque hominibus; etenim omni ex parte novitatem redolet, uti optime notarunt Illustrissimus Senator Carolus Strozzi & Capitaneus Cosmus della Rena. *Hactenus ille.*

Occasione contentionis de antiquitate cum conventu Senensi,

Florentini quidã adornavere fabulam,

8 *Quorum autem judicium finiens laudat, eos nos vidimus audivimusque Florentiæ pro antiquariis peritissimis haberi, & reipsa tales sumus experti. Rogaveram ego ut istius diplomatis paucul as lineas, alteriusque seculo* VIII *scripti etiam paucas, peritiori manu sic curaret excipiendas, ut æri incisa ipsis oculis exhibere possent suæ ætatis differentiam. Sed respondit, utrumque difficillime impetrandum a suspicacibus custodibus; à Carmelitis fortassis nulla ratione:* videri autem superfluum fore laboris & pecuniæ impendium, cum illud Carmeliticum plurimi ante hac viderint, testarique possint ipsum nec Romanis nec Gothicis, nec Longobardicis litteris, sed prorsus barbaris esse exaratum, *quales scilicet Polonus Frater noverat, & sui insolentia antiquitatis fidem obtenturas apud Senenses credebant alii. Nos quibus de dicti Conventus certissimis antiquitatibus multa à variis dicta erant, cum anno* MDCLXI *essemus Florentiæ, illuc quoque spectatum ivimus: atque à claustro, ubi inscriptionem prædictam legeramus, ducti ad sacristiam, aliud ibi non invenimus, quam Indulgentiarum postremo concessarum copias supra memoratas, & nescio qua alia, nihil proficientia ad conciliandam promissæ antiquitati fidem. Requirentibus autem, numquid in eam rem ultra haberetur quod posset monstrari, responsum est, nihil haberi præter constantem in loco traditionem. Recessimus igitur, nullum aliud operæ pretium referentes, quam quod satis certi nobis videremur, primam de Thoma Episcopo narrationem novitiam esse, æque ac istius generis plures jam antea pro novitiis agnitas. Diploma ipsius Thomæ aut illius copiam neque nos videre petiimus, qui de eo nondum audiveramus; neque nobis ultro indicandum putavere, quibuscum agebamus Patres.*

viris Florentiæ eruditis notam,

à nobis anno 1661 lecta.

9 Interim Theologiam suam Carmeliticam anno MDCLXV

d 3 Roma

AUCTORE D. P.

Romæ evulgavit Reverendissimus Pater Philippus à sanctissima Trinitate, Discalceatorum Generalis, & qu. 12 art. 2 innectens relationem antiquitatis Florentinæ, eidem contrariam nobis ac veritati notationem subdidit, quæ Antwerpiæ postea recusa est, ne eam possemus ignorare. Illa autem talis est: Nota, quod anno MDCLX, data occasione, bis disserui de antiquitate nostræ Religionis Carmelitanæ cum R. P. Godefrido Henschenio Belga Societatis Jesu, qui plurimum in historia eruditus, negabat Carmelitas esse antiquiores S. Alberto Legislatore nostro, qui à quingentis fere annis vivebat. Sed cum præsentem ei discursum fecissem, per tot secula retrocedendo; tandem respondit, se non amplius dubitaturum de nostra successione hereditaria ab Elia Propheta absque interruptione, si vera essent quæ modo scripsi de fundatione Conventus Florentini: & quod in reditu foret transiturus Florentia, ad comprobandam hujus rei notitiam. Intererant ejus socius junior, item Belga, successor electus in scribendo; & ex nostris P. Cælestinus à S. Lidovina Batavus, in nostro Conventu S. Mariæ de victoria ad montem Quirinalem Romæ. Postmodum rescivi à R. P. Gabriele ab Annuntiatione Carmelita, ejus olim in Græca lingua discipulo, quod ipsi Florentiæ existens scripserat, se ibi vidisse monumenta antiquitatis nostræ, de quibus jam non dubitabat: quod etiam confirmavit alteri Patri Carmelitæ in Belgio, ut litteris inde missis didici.

sed nulla ratione approbatam;

10 *Hæc sic impressa vel imprimenda esse si cognovissemus tunc (neque enim ante annum MDCLXX ad aures oculosve nostros pervenere) curavissemus omnino ut Reverendissimus ille Pater intelligeret, quantum sua eum fefellerit memoria, & quam longe abfuerimus ab ea certitudine, quam alii, suæ opinioni faventes nimium, ad ipsum perscripsere. Qui nos ad Conventum Florentinum deduxere viri illustrissimi & eruditissimi duo, Andreas Cavalcantius & Antonius Magliabechius, testari poterant; nos, visa inscriptionis dicta novitate, obstupuisse vel simplicitatem vel confidentiam hominum, in tanta rei argumentum hoc solum ostentantium; adeoque contempsisse, ut nec in pugillares quidem dignatus fuerim annotare ætatis tam parvæ scripturam, sicuti passim alias alibi scripturas annotabam. Antverpiam autem reversi, quoties cum Patribus Carmelitis egimus (egimus autē cum multis & sæpe, quia cupiebamus in Bertholdo scribere aliquid, in quo posset & Ordini & veritati sic fieri satis, ut tamen dici non possemus Successionem Elianam probare vel improbare) identidem quærentibus quid de sua antiquitate essemus dicturi, & instantibus ut suæ parti accederemus, semper respondimus, nos inter amicitiam & veritatem medios, silentium de illa quæstione servaturos; quippe cui in ipsorum favorem decidendæ nullum idoneum argumentum suppeteret; & quæ ad institutum nostrum parum aut nihil faceret. Itidem haud diu post respondimus ipsi Reverendissimo P. Philippo, Antverpiam venienti, & in corona plurium suorum nos excipienti, eumque sermonem quem Romæ habuerat retexenti, ac nominatim de Florentina fundatione quærenti, numquid ea nobis probata fuisset: ad quod diximus nihil ibi à nobis visum, quod fidem faceret tantæ antiquitatis: ceterum si qua probatio sufficiens afferretur, non defuturos nos ei affectui, quem erga Ordinem habere nos benevolentissimum profitebamur.*

prout abunde testati sumus ea Florentia

quam Antverpiæ,

11 *Horrebamus fateor in Carmeliticam antiquitatem, cujus fallaces probationes pluribus experimentis habebamus delibatas, tamquam in asperum aculeis senticetum ingredi. Cum autem mensis hic advenit (in quo propter multiplicatas ipsorummet querelas nefas fuit diutius tenere silentium) nihil prius aggressus sum examinare, quam illius toties nobis objectæ Florentinæ inscriptionis fundamentum. Hoc vero in tomo 3 Annalium apud Lezanam reperiens, nullumque pene verbum in eo legens, quod non præferret manifestum evidentis imposturæ indicium; iterum exhorrui, dubitavique, utrum, salva religiosa modestia & caritate, liceret tam insignem fœditatem redarguendo denudare. Sed locus tergiversationi nullus erat, cogitavique paucorum culpam non posse trahi in alicujus integri Ordinis infamiam. Imo hinc potissimum censui incipiendum: ut viri inter Carmelitas cordati ac veritatis studiosi, hoc tam claro exemplo admoniti, exuant præjudicium, de suorum quorumdam scriptorum fidelitate conceptum, quod eos non patitur de re quapiam dubitare, quæ favere videtur nimis ardenter concupitæ certitudini successionis Elianæ. Sed ipsum pulchrum Thomæ diploma, quo tantopere sese nunc passim Carmeliticæ historiæ tractatores defensoresque efferunt, tamquam ineluctabili argumento, prius totum exhibeamus, quam singula aggredimur examinare. Est igitur tale.*

Nunc eamdē cogor refutare expressius,

& explodere

12 Nos Thomas, miseratione divina Florentiæ Episcopus, protestamur expresse, ad perpetuam rei memoriam & posteris futuram fidem, quod ad honorem Dei & B. Mariæ Virginis de monte Carmelo & omnium cælestium civium in cælestibus triumphantium, præsentibus Mauritio, Cionio, Cotterio, Ardinghio à S. Geminiano & Gottifredo Cuffa, omnibus ecclesiæ Florentinæ Presbyteris, nec non & præsentibus Eremitis ejusdem Carmeli montis, Gennesio, Basilide, Cyrillo, Enoc, Phronto, Honuphrio, & Elpidio, ex eodem sancto monte ab Arabiæ iniquo Rege, Machometti successore & discipulo Humar, fugientibus, & in hanc provinciam decursis, hac præsenti die infrascripta, primum lapidem parvæ ecclesiæ, in remoto loco pro eisdem eremitis Carmeli, ad totius Florentini populi placitum & concursum, propriis nostris manibus, Deo dante, posuimus, prope civitatem, juxta Pisanam viam & fluvium Arni. Acta sunt hæc Florentiæ in Palatio Episcopali, testibus ad omnia vocatis, Joseph à S. Vivaldo, Balduino Balduini de Colle vallis-Elsæ, & Gualterio quodam Vicedomino Florentino, sub anno Domini 743, mense Majo, ejus vero die prima, indictione decima tertia &c. Ego Raynerius Simeonis à Signa, Apostolica & Imperiali auctoritate Notarius Florentinus, rogatus manu mea confeci, & signum mei Tabellionatus apposui &c.

attestationē Thomæ Ep. affictam,

locus ✠ signi

13 *Ferdinandus Ughellus tomo 1 Italiæ sacræ similis farinæ instrumentum col. 451 proposuerat, cujus primarium exemplar in archivo Cathedralis ecclesiæ Aretinæ haberi prædicabatur, quoque sub annum à nativitate Domini circiter CCCLXX Zenobius tribunus filius Landerici fingebatur, in gratiam baptizatoris sui S. Donati, episcopales census ad miraculum locupletavisse: eo autem proposito,* Hoc ego, inquit, instrumentum in medium adduxi, non quod, ut ex meo discursu colligo, verum illud arbitrer; sed ut lectorum curiositatem expleam, qui aliquorum hominum artes, quibus vel ad suam illustrandam exornandamque patriam, vel ob alias utilitates aucupandas, fabulas non inelegantes adornant ac instruunt, inspicere delectantur. *Nobis in hoc tam vasto opere non licet usque ad delicias exspatiari, maxime in refutandis opinionibus iis quas integræ communitates sic propugnant, ut vel in dubium eas revocasse piaculum habeatur. Præcisa necessitas ad hæc nos adigit; uti sciunt qui scripta quædam legerunt, ad hoc nuper vulgata, ut nobis & insignibus aliquot nostræ Societatis Scriptoribus, apud Ordinem imo Orbem universum, actio intendatur contumaciæ, nisi vel fateamur fidem nobis factam esse Carmeliticæ, etiam in Europa, antiquitatis, per ejusmodi probationes; vel palam edicamus, quæ nos argumenta contraria cogant ipsis illam negare. Operæ pretium erit Aretinum figmentum videre apud Ughellum, ac deinde legere quibus argumentis vir iste doctissimus manifestam faciat imposturam: nos, eo omisso, ad Florentinam fictionem, partim iisdem partim diversis ac pluribus notis revincendam, convertimur.*

quemodo Zenobio cuidam sub an. 370 affingitur dotatio ecclesiæ Aretinæ.

GA-

CAPUT II.

Indicantur novitiæ impostura, tot pene argumenta, quot sunt fictitiæ Attestationis verba.

Idem quod reliqui Florentini.

14 QVam parum sit authentica fides attestationis Florentinæ, & quam imperite ei à Lezana recentioribusque scriptoribus credatur, non est opus exponere ei qui vel minimum istiusmodi rerum usum habet. Sed quoniam non omnium ea experientia est; & cum iis incidit disputatio, qui licet nihil frequentius quam summam antiquitatem in ore habeant, illius tamen gustum verum nec primis videntur percepisse labris: enucleandæ res accuratius est. Ne autem in hoc, nostrum dumtaxat judicium interponere videremur, voluimus totius Florentinæ nobilitatis, patriarum antiquitatum studiosissimæ, exquirere sensum, circumlata per omnium manus copia attestationis prædictæ; qui omnes manifestam esse imposturam pronuntiavere. Longum esset singulorum proferre verba, loquetur pro omnibus Ferdinandus Vghellus prælaudatus, qui totam eamque longissimam vitam impendit, Pontificum, Regum, Principumque diplomatis, publicarumque ac privatarum personarum conventionibus, atque Italicorum tabulariorum scriniis perscrutandis, maxime autem versatus in Florentinis rebus, inter quas lucubrationum suarum exordium fecit. Hic de proposita sibi attestatione sensum suum aperuit his litteris anno MDCLXIX, die XVIII Octobris Romæ ad me datis.

sentiens Ferdinand. Vghellus;

declarat attestationem esse suppositiam

15 Attestationem Thomæ Episcopi pluribus de caussis suppositiam existimo: neque enim ejusmodi ecclesiæ tunc ædificatæ, ulla extat memoria in archivio ecclesiæ Florentinæ, quod olim diligentissime perscrutatus sum, & stylus ab antiquis monumentis diversissimus est. Numquam aliquis veterum Episcoporum à prænomine, Nos, auspicatus est: majorem illi humilitatem præseferebant. Miseratione divina Episcopi quidem erant, phrasis tamen ipsa moderna est inter recentiores. Eo quod prætenditur tempore scripta instrumenta, si quando locum in quo condita notant; scribunt, Acta in atrio Episcopii S. Joannis: ipsique Episcopi, non se Florentinos, sed B. Joannis Episcopos dicebant, ut in pluribus eorum instrumentis observavi. Numquam etiam Florentinus ullus Notarius Apostolica & Imperiali auctoritate subscripsit, usque ad nostra tempora: sed bene Ego N. Imperiali auctoritate Judex vel Notarius. Denique ad totius Populi Florentini placitum & consensum, primus Carmeliticæ fundationis lapis positus dicitur, anno DCCXLIII, quando Florentina civitas tota pene jacebat diruta, & populus omnis erat dispersus; donec post annos aliquot, id est circa finem istius seculi, Carolus Magnus hunc colligere, istam reædificare cœpit: exindeque obtinuit, ut Populus Florentinus per Iudices Imperiales regeretur. Et hanc formam servarunt ceteri Imperatores usque ad Henricum, qui Florentinis vendidit libertatem, qua ad Medicæos usque Duces & Caroli V tempora fruiti sunt. Hæc erant quæ raptim & primo intuitu observata scribere volui, & eximiæ Paternitatis tuæ eruditioni per omnia submittere.

argumentis sex,

16 Hactenus Vghellus, membranarum veterum usque adeo non severus censor, ut, cum earum multis, quarum ecgrapha sibi mittebantur obelum figere posset, tamquam non ea quam præferebant ætate confectis, vel non bona fide transcriptis, non tamen nisi rarissime id fecerit; longe quidem melius de re litteraria id faciendo meriturus, sed multum amissurus de gratia amicorum talia submittentium, nec parvam molestiam suscepturus æmulorum illa reprobari non ferentium, moram etiam longiorem injecturus properanti operi & intra octodecim annos ad novem volumina excrescenti. Ita in tomo suo VIII de Beneventanis Episcopis agens, ex fide codicis Vaticani, anno MCXIX in Beneventano S. Sophiæ monasterio compilati, non tantum protulit chartas aliquas sub nomine Alphani Episcopi & Arithis Principis Longobardorum, aliorumque ejusdem gentis Procerum pro seculo VII, absque ulla, quam sane merebantur, animadversione; sed totum eum librum tomo isti subjunxit, sub titulo Chronici, nusquam interponens judicium suum; quod merito maximi lectores fecissent, plus quam ducentorum triginta instrumentorum thesauro longe usuri securius, si eos de cujusque bona aut mala fide docere commentando voluisset. Hoc autem ideo notandum à me fuit, ne quis contra prænotatam Vghelli epistolam ipsummet forte jubeat testimonium dicere, allegando quædam in ejus operibus relata diplomata, sic dictata, quasi vel Episcopus quispiam antiquus Nos scripsisset, vel Notarius aliquid aliud usurpasset eorum, unde nunc arguitur novitas fictionis. Nempe hæc, tum sint pauca in singulis, nec nisi à pautioribus observanda, dissimulare se posse credidit propter Mss. exemplarium vetustatem: Attestationem autem Thomæ maluit ignorasse videri, quam undique præbentem recentissimæ compositionis indicia, adhibere ad implendam centum annorum lacunam, quibus Episcopum nullum Florentini catalogi nominabant; esto ipsius Thomæ nomen, velut aliunde cognitum, noluerit præterire.

ponens alias in censura ferenda,

17 Cum vero judicium suum rogatus est declarare; ecce ut in tribus primis verbis, Nos Thomas, miseratione divina, & Florentiæ Episcopus, totidem indicia falsitatis redarguit. Et forte is erat anno DCCXLIII rerum status, ut neque Thomas, cujus vera existentia non satis fideli auctoritate cognoscitur (utpote cujus nomen primus Baronius in lucem protulit ex fide unius tituli, ut ait mendosissime scripti, aut potius suppositi ante Synodi cujusdam Romanæ Acta) neque omnino alius quispiam Episcopus fuerit, aut tunc aut usque ad Carolum Magnum. Ad futuram rei memoriam scribebantur quidem Acta: sed phrasim istam ante XII seculum nescio an uspiam sis inventurus. Nunc vero, ut de reliquo totius Attestationis stylo judices commodius, considera mihi quomodo Speciosi Episcopi, anno DCCXXIV sedentis, inchoetur diploma, & formam seculo VIII usitatam cognosce. Ita is orditur apud Vghellum col. 27, paterna latifundia ecclesiæ transcribens. In Nomine Domini & Salvatoris nostri Jesu Christi, regnante piissimo atque perpetuo à Deo conservando Domno Luiprando, Excellentissimo Rege gentis Lungubardorum, anno felicissimi Regni ejus duodecimo, pro Indictione septima, feliciter. Et ideo Christo auctore ego speciosus Episcopus, nimis peccator & indignus, per præsentem salutem & æternam, sic volo atque dispono, qualiter &c. Simili fere forma inchoatur alterum col. 29 quod ad annum DCCXC pertinens pro monasterio S. Bartholomæi de Ripoli, in favorem Euphrasiæ Abbatissæ amitæ suæ, conficiendum nepotes curarunt. In nomine Domini, Regnante Domino nostro Carolo & Pipino ejus filio, viris excellentissimis Regibus, anni regni eorum in Italia septimo decimo, & decimo, indictione decima tertia. Et ideo in Christi nomine constat, nos Atroald, Adouald & Adopald, germani filii quondam Atriperti, per præsentem &c.

Sex istis accedunt, præter alia,

Stylus 8 seculi diversissimus in diplomatis ordiendis,

18 Ipsi deinde positioni lapidis non dicuntur adfuisse, qui primi solebant in Actibus publicis adesse Episcopo, Archipresbyter, Archidiaconus, Primicerius, quique reipsa primi subscripsere diplomati Episcopi Speciosi: sed gesta res dicitur præsentibus Mauritio, Cionio, &c. omnibus Eccl. Florentinæ Presbyteris: ubi & id omnibus novitatem phrasis maximam indicat, & Ardingus à S. Geminiano nominatur tanto prius quam oppidum illud ædificaretur, quod solum anno DCCLVIII factum sub Desiderio

in conditione testium,

AUCTORE D. P. eorumque nominibus scribendis,

Desiderio Rege notavit Reverendissimus Eugenius Gamurrini, Ordinis Casinensis Abbas, & Magni Hetruriæ Ducis familiaris Theologus, Historia Genealogica illustrium familiarum Hetruriæ atque Umbriæ feliciter elucidata clarissimus. Quid quod universim insolens seculo VIII fuerit aliqua usurpare cognomina, quæ tamen ibi tam præsentium quam testium ipsiusque Notarii nominibus inveniuntur adscripta. Fortassis etiam ante XI seculum nil tale invenias in publicis Actis; nā prima, in quibus cognomina occurrunt, aut in Terra-sancta aut tempore belli sacri sunt confecta; quando plurium confluxus nationum, & eorum qui uno eodemque nomine vocabantur multitudo, talis usus necessitatem induxisse videtur. Sic apud Ughellum tomo 3 col. 465 & 489 invenies diplomata Almerici Comitis Ascalonis & Conradi Monsferratensis, confirmata testimoniis Francorum in Terra sancta militantium, qui omnes cognomentum habent à patre, patria aut possessione. Primum autem fuit homines, addito paterni nominis genitivo distingui: sic instrumento quod habetur Col. 87 pro anno MVIII apponuntur signa manuum Martini, filii Joannis; Donati, filii Boni &c rogatorum testium. Qui autem Beatam Virginem Mariam de Monte Carmelo cognominaverit, nemo puto invenietur ante seculum XIII.

19 Sequuntur nomina Eremitarum; quæ si Latina forent, aut omnia aut pleraque, possemus suspicari sub Alano aut Simone Generali primorum colonorum, in Florentino agro receptorum, vera esse nomina, quæ posterorum memoria conservarit: nunc vero cum Græca sint omnia, restat ut arbitrio compositoris delecta credantur. Quamvis enim non superaret fidē, si quis diceret Orientales aliquos Eremitas, ritus Græci, Armeni aut Syriaci, prope Florentiam aliquando consedisse; quorū eremitorium prioribus incolis vacuum postea cesserit Carmelitis, hoc tamen absque alio fide digniori indicio cogitari prudenter non potest, nedum affirmari. De Humar Arabiæ Rege à quo fugisse illi dicuntur, jam dictum est supra tunc nullum fuisse: & illa de successoribus persecutionem continuantibus evasio; multo minus in hujus attestationis phrasim quadrat, quam in eam qua usus est auctor Inscriptionis. Ab eodem autem fonte acceptus videtur hic Machometti successor & discipulus, pro anno DCCXLII, unde auctori epistola Cyrillo afficta, pro anno DCXXXIX, innotuit quidam Rex Arabiæ, nomine Humar, discipulus perfidi Mahometi, atque regni ejus successor tertius. Hic enim capta anno DCXXXVI (non autem IX, ut Pseudo Cyrillus) Hierosolyma, etsi Judæis favebat impensius, nusquam tamen legitur Christianos persecutus, cum quorum tunc Patriarcha S. Sophronio etiam perquam humaniter egisse invenitur. Adeo ut appareat hinc quidem Pseudo-Cyrillus duos Humaros, annis LXXX distantes, conflavisse in unum, quando Mahometis successori adscripsit sævitiam in Christianos exercitam; inde Florentinus impostor, Mahometi discipulatum à primo ad ultimum transtulisse; per parem utrimque anachronismum. Sed huic minus ignoscendum quam illi: nam ipsemet S. Cyrillus facile errare potuisset in rebus ante annos plus quam sexcentos gestis, non item Eremitæ in ea quam finguntur ex præsenti notitia indicasse Episcopo suæ fugæ causa.

(ut de duobus Humaris in unum cōflatis nihil dicam)

20 Interim Acta hæc dicuntur Florentiæ, quæ scilicet tunc nulla erat, in Palatio Episcopali: pro quo scribendum fuisset VIII seculo, Actum Florentiæ feliciter in atrio Domus S. Joannis: seculo autem XI invenio primum Palatium domus S. Joannis dictum in quodam Mathildæ Comitissæ diplomate col. 114. Deinde nominantur testes nulla ecclesiastica dignitate insignes, cum tamen semper primaria nota Canonicos subscribere talibus isto avo videamus; nominatur autem etiam inter eos quidam de Colle vallis Elsa, quæ tamen urbecula, Sigonio aliisque scriptoribus attestantibus (uti nos Abbas Gamurrinus docuit) anno dumtaxat MC assurrexit. Nominatur etiam Vice-dominus Florentinus, qui titulus, teste Borghino Historico Florentino, sicut Petraccius nos monuit, circa annum dumtaxat millesimum cœpit Florentiæ usurpari. Tum additur annus Christi, & quidem per Cyfram 743: qui si notandus fuisset illo tempore (neque enim exempla habemus in Italia nisi pro seculo IX) non fuisset notatus

in notando loco,

& anno Regni sive Christi,

in fine, sed principio, idque integre, aut saltem per numerales Latinas litteras, non autem per Arabicas Cyfras, quarum usus ante bella sacra minime notus erat Europæis; imo (si Kirchero credimus) anno solum DCCCC ad Arabes ex India transiit, postquam scilicet Mahometanorum imperium, quod armis creverat, etiam commerciis Indicis uti cœpit, unde illas cyfras ipsi Arabes vocant Harupb el Hend, id est litteras Indicas.

21 Christianæ Æræ notandæ & ab ea inchoandi instrumenti exemplum, hoc habe ex sæpe citati tomi 3 Ughelli col. 46 In nomine Domini nostri Jesu Christi, anno ab Incarnatione nongentesimo nonagesimo, mense Februario, Indictione III feliciter. Et ideo Christo auctore ego Maria. Eaque forma ab Hetruscis Notariis observata perseverabat adhuc anno MCCLXXXVII, quando scripta sunt de B. Ambrosii Senensis miraculis instrumenta plurima, quæ dedimus XX die Martii. Nolim tamen negare, anno, sive Regis (ut seculo VIII moris erat) sive Christi (ut postea invaluit) sic in fronte notato, inveniri instrumenta, quibus idem annus etiam repetatur in fine: sed diversissima forma. Speciosi Episcopi diploma clauditur cum sola loci expressione: Actum Florentiæ feliciter: Ripolense autem, annis LXVI post illud conditum, insuper addit, XIV die mensis Julii Indictione & Regno exemplatis, id est, in principio notatis. In ceteris porro quanta diversitas hujus figmenti ab usu octavi seculi & multorum diu post sequentium seculorum! Subscribebat scilicet sua quisque manu, aut saltem pro se crucem formabat cetera scribente Notario; & primum quidem subsignabat is, qui fieri instrumentum rogarat, deinde testes, ac denique Notarius hoc modo

idque initio non fine diplomatum,

in subsignatione testium

Ego Speciosus Episcopus, hanc offersionem à me factam manu subscripsi.

Ego Deitifidi Archipresb. rogatus à D. Episcopo, subscripsi.

Ego Utto, Archidiaconus, rogatus à Domno Specioso Episcopo, subscripsi.

ac denique post alios tres, simili modo signantes, postremus omnium ipse Notarius sic,

& Notarii,

Ego Dardanus, scriptor hujus chartulæ, post testium roborationem, complevi & dedi

Atque ita per plura deinceps secula, pro eo quod nunc signare dicimus, complendi verbo usi inveniuntur Italici Notarii. Etc., quod in ficta attestatione bis notatur, à paucissimis seculis cœptum est usurpari.

22 Tabellionatus signum, quod apposuisse se dicit Notarius (ut de Tabellionis & Tabellionatus nominibus, usurpationis tunc pridem antiquatæ & nunc recentissimæ vocibus nihil dicam) an ea ætate in usu fuerit Notariali apud Italos vehementer dubito; vix tenuia ejus rei indicia apud Francos reperiens parte I num. 53 notata. Sub Imperatoribus Germanis ea res spectabilior ac distinctior fuit, uti ex speciminibus Ottoniani Henricianique diplomatis apparet; & hinc paulatim ad Italicos Imperiali auctoritate Notarios ejusmodi signorum fluxisse usum verosimiliter dici existimo: certus autem sum, neque tunc neque diu postea, istius sui signi expressam mentionem illos fecisse. Equidem ex Julio Sansedonio Episcopo Grossetano, ad Vitam B. Ambrosii Senensis XX Martii, dedi fere triginta notarialia instrumenta, de ejusdem Beati miraculis ex ore testium juratorum, confecta à diversis Notariis: sed eorum pleraque finiuntur ✠ Ego N. sacramento prædicto interfui, & quæ superius continentur scripsi & publicavi rogatus: locum notarialis signi, quod Julius Episcopus expressum repræsentat, nobis tenet ✠ crux pro eo substituta. Qui vero signum à se appositum expresse diceret verbis, idque faceret post suam subscriptionem, unicus fuit Bartholomæus Angelus de Bulseno, isque non tantum Notarius, sed & Judex ordinarius, qui majori cum pompa ait, scripsi & publicavi, signum meum prædictis proprium apponendo.

idque sine signo Notariali,

Signum prædicti Bar ✠ tolomæi Notarii
& Judicis ordinarii.

Hic ergo est primus quem anno MCCLXXXVII stylo Senensi, alias

alias LXXXVI, *figni sui invenio meminisse: necdum tamen aut ipse aut alias seculo isti vicinus* fignum tabellionatus *nommat; quod quando pracise dici cœperit, non vacat scrutari curiosius. Extrema porro amentia fuit; pro eo tempore, quo Italia dominabantur Longobardi Reges, & de restituendo Occidentis Imperio nemo nec cogitabat quidem;* Imperiali auctoritate *Notarium fingere. Si attestationis numquam satis explodenda figulis tantam adhibere voluisset ad scribendum cautelam, quantam attulit ad fingendum audaciam, curavisset invenire aliquod veteris temporis diploma ex multis qua Florentia habebantur; & litterarium ductus ac locutionum formam imitans, inspersisset aliquot seculi barbarissimi solœcismos. Sed previdit Deus ne faceret: quis enim tunc potuisset à talis figmenti defensione abducere Carmelitas, qui tam evidentem fabula totius novitatem vix etiam nunc intelligere aut possunt aut volunt, variis occasionibus moniti. Adeo enim his monitionibus nihil profeci, ut novissime prodiens quidam cum hoc insigni scuto aliisque similibus, prafari fit ausus; Carmelitanam historiam sic undique esse munitam,* ut subsistere *ipsa* debeat, aut nulla. *Alius minus benevole affectus reponeret, tam ruinosis totam fundamentis niti, ut fabulosa haberi debeat ipsa, aut nulla.*

de fine Imperiali auctoritate.

CAPUT III.


Expenditur Epitaphium Boppardiense.

23 **E***St Boppardia oppidum modicum ad Rhenum, in eoque monasterium Carmelitarum, & in monasterii claustro sepulcralis lapis, anni* MCXIII *inscriptus numero: de quo priusquam dicere aggrediar aliquid, ipsam ejus delineationem spectandam exhibeo, qualem anno* MDCLXX *accepi beneficio R. P. Georgii Seltzer, tunc Prioris. Huic autem ex latere jungo lamellam similis Epitaphii, Yolanda, Priorissa Sanctimonialium Ordinis S. Dominici in Valle S. Maria, geminis ab Luciliburgo leucis intra Arduennam, positi annis centum ac septuaginta post mortem ejus, quem lapis Boppardiensis exhibet. Hos autem lapides, quamvis avi dissimilis, ideo conjungo, quod cum ex posteriori luberet nonnihil observare in ordine ad illustrationem prioris, etiam secundum istud antiquitatis monumentum gratum crederem lectori futurum; eoque magis quod ita propagaretur notitia Vita, ex vetusto Germanico Hermanni rythmo Latine reddita, & cum commentariis valde eruditis Comitumque Viennensium in Arduenna (unde genus Principes Auriaci ducunt) genealogia edita anno superiori, à sæpe laudato Alexandro Wilthenio, qui de Yolanda sepulcro hæc notat:* Visitur hodie tumba ejus, pedibus ferme duobus à pavimento educta. Lapidis planities effigiem Yolandæ refert, vitri segmentis apte cohærentibus, & encausto inferne pictis expressam habitu Sanctimonialis. Circumscriptum epitaphium litteris uncialibus in crusta vitrea, encausto, subjectaque auri tenuissima bractea, fulgente. Opus integrum vidi adolescens, nunc injuria temporum superiora à capite ad pectus diffracta sunt. *Epitaphii verba, cum multis implicata contractionibus, difficulter legi possint in lapide, sic explicatius posita habe.* Hic jacet piæ memoriæ soror Yolandis, Priorissa hujus loci, illustris viri Henrici Comitis & Margaritæ Comitissæ Vian. filia: cujus hæc mater prædicta soror fuit Baldewini Imperatoris Constantinopolitani. Sub ea autem ordo sanctissime vixit, incrementum acceperunt religio & res Ordinis. Obiit Prioratus sui anno XXV, ætatis vero suæ circiter L, anno Domini MCCLXXXIII, XVI Kalendas Januarii. *Singula videri possunt apud Wilthemium illustrata: ego ad Boppardiensem lapidem redeo, cujus occasione Mariavallensis iste locum invenit in præsenti opere.*

Lapis sepulcralis anni 1113.

AUCTORE D. P.





AUCTORE D. P. *anno 1603 à Generali Sylvio erectus,*

24 Lapidem *Boppardiensem, inquit Lezana,* in ambitu ad lævam ingressus ecclesiæ positum, è terra elevari & in altum erigi fecit Reverendissimus Pater *Mag. Henricus Sylvius, Prior Generalis, anno* MDCIII *locum visitans*, ne tale monumentum antiquitatis, paulatim pedibus attritum, penitus periret. *Idem deinde* Reverendissimus Pater cum socio *P. Mag. Dominico Provana*, Provinciali Neapolitano, sedulus fuit per duos continuos in pervestigandis characteribus dicti lapidis sepulcralis, propter eorum vetustatem & verborum quorumdam abbreviaturas. *Utrumque factum bene, neque succensendum aut ipsis aut aliis, qui ejusmodi epitaphiorum legendorum nullum usum habentes; sumpto unde minime oportebat legendi initio*, duobus aut tribus verbis exceptis (quæ, *ut ait apud Lezanam Zegerus Pauli*, conjecturare nullus nostrum potuit) *hunc excepere sensum.*

descriptus,

Anno milleno cum bis deno nonageno,
Et terno pleno. . . . .
Floribus ornatum virtutum fac tibi gratum,
Rex pie, sic ratum facies ei famulatum.
Henricus dictus Prior hic, non crimine victus
Horrens conflictus fit dum mite necis ictus
Sereno Octobris fine
Talis memor esto ruinæ.

& paraphrastico explicantur,

25 *Turbato versuum ordine naturali, mirum non est, si confusus etiam habeatur sensus, aut verius nullus: hoc mirum, totius Ordinis Generalem persuadere sibi potuisse, qualemcumque sic lecti epitaphii sensum fideliter exprimi sequenti paraphrasi, quæ nunc ibidem legitur ejus jussu supra tabulam ligneam muro affixa, rubroque ac nigro colore alternis versibus descripta.*

Dum sol mille suo cursu compleverit annos
Virgineo à partu, centum simul & duo lustra
Et tres exactos, fatalis terminus instat,
Octobris, nigro vere signanda lapillo,
Ultima lux. Rapuit virtutum luce coruscum
Parca severa virum: rara virtute Priorem
Ordinis agnoscit sacri sententia, nomen
Qui sibi Carmeli divino munere poscit,
Atque urbs fausta colit sancte Boppardia. Saxum
Ossa tenet. Jacet hic gelida tumulatus arena
Virtutum exemplar fulgens Henricus: at astra
Mens tenet & Superûm felici sede locatur.

tamquam positus esset priori Carmelitico

& quidem ut Sancto:

26 *Hæc Paraphrasis à recentioribus nonnullis sic producta, tamquam si esset ipsum anni* MCXIII *epitaphium, magnam nobis principio incussit solicitudinem. Quamvis enim nulla hic appareret epitaphiorum seculo* XII *usitatorum forma, nec dubitaremus, quin periti verum judicaturi essent, ipsum hoc seculo primum esse compositum; apparebat tamen difficulter extorquenda impostura confessio. Verum ubi lapis ipse apparuit veris sui ævi versibus inscriptus, conversa est solicitudo illa in admirationem animorum, usque adeo occupatorum opinationibus suis, ut quidquid imaginando præconceperint, id clamare etiam lapides credant. Lege ergo primo ipsum lapidem, exordiendo à capite, sicut æquum est, & hunc sensum habe.*

hic accuratius descriptus proponitur,

Floribus ornatum virtutum fac tibi gratum,
Rex pie, sic ratum facies ei famulatum,
Henricus, dictus Prior Hein, non crimine victus,
Horrens conflictus fit, dum mitem necis ictus,
Anno milleno cum viceno nonageno
Et trino pleno, prostravit, corde sereno,
Octobris fine, talis memor esto ruinæ.


Elias Propheta, in veteri habitu Carmelitico, Salmanticæ super altare maius antiquæ Cathedralis.



Ex tabella ecclesiæ S. Catharinæ PP. Carmel. Lovanii posita circa annum Domini 1620.

ubi verior explicatur paraphrasis,

27 *Nunc si placet aliam horum versuum paraphrasim accipe, haud paulo propriorem genuinæ.* Rex pie, Christe Domine, fac ut appareat, gratum esse tibi virum hic sepultum, ut pote ornatum floribus virtutum: sic ei famulatum, quo tibi servivit, facies ratum & probatum manere. Quis autem hic? Utique Henricus, vulgo Prior Hein dictus: qui non aliquo suo crimine, sed civili tumultu innoxius occubuit. Fuit enim horribilis conflictus hic Boppardiæ partium adversarum, quando, anno millesimo centesimo decimo tertio fere exacto, virum mitem & sereno nihilque conscio corde inter nos versantem, necis immeritæ crudelis ictus prostravit; idque in fine mensis Octobris: quo recurrente, etiam tu viator, talis in hac urbe ruinæ factæ memor esto, & pro defuncto precare. *Commodiorem sensum si dederit alius, audiemus libenter, nec incunctanter probabimus; maxime circa initium versus tertii, in quo fatemur conjectura fuisse opus, eo quod obscuras nec passim usitatas contractiones litterarum* hēr^o *&* PR *contineat; & extrema ad angulum littera non compareant integra. Quomodocumque tamen hæc legantur suppleanturque, fieri nulla ratione potest, ut vel Carmelitici Ordinis mentio huc inseratur, vel habeatur indicium cultus alicujus sacri, ibidem sepulto delati à Boppardiensibus quod utrumque præcipue intendit Reverendissimi Patris Generalis explicatio. Quid facturi fuerint Boppardienses, si pro Beato defunctum habuissent, conjectare licet ex Maria-vallensi Iolandæ epitaphio; supra cujus caput repræsentatur anima, Sanctorum more diademata, subvectantibus & incensantibus Angelis: quo haud dubie expressum piæ filiæ voluerunt, quam certam de æterna matris beatitudine fiduciam concepissent: quemadmodum ab eadem conditam ædem suam sacram, itaque auctum monasterium ut ipsius posset fundatrix censeri, expresserunt per effigiem templi dexteræ manui impositi, uti monstrant reliquiæ & vestigia in lapide.*

atque ostenditur nullam habere speciem cappæ Carmelitanæ,

28 Nunc si transeo à versibus circum oram lapidis Boppardiensis positis, *atque oculos ad interioris sculpturæ lineamenta converto, nihil minus video quam ex eremo Carmelitana monachum, qualem priori tomo, agentibus de S. Alberto, Carmelitarum Eliam nobis exhibuit vetus pictura Salmanticensis, barbato insigniter mento, quod eremitis veteribus maxime proprium; & in carpita seu cappa barrata, quam esse suæ* Religionis signum, *paulo ante inductam habitus mutationem, pronuntiavit generale Capitulum Lugduni. Ego quidem barras istas in veste Carmelitana antiquiores esse nego Alberto Patriarcha & seculo XV: ipsi tamen Carmelitæ, dum eas volunt vel jam inde ab Eliæ temporibus vel saltem à seculo æræ Christianæ septimo usque ad Honorii IV Pontificatum à sui Ordinis Religiosis usurpatas, coguntur aut easdem in hoc lapide invenire, aut fateri, gratis omnino ab illis credi Carmelitam fuisse qui absque barris hic exprimitur, quas ductis transversim lineamentis facilius erat quam rugas plicasve repræsentare. Ut ergo appareat evidentius differentia habitus in lapide expressi, & à Carmelitis pro eo qui notatur anno* MCXIII *prætensi; Salmanticensem Eliam iterum hic colloco, eique ex latere conjungo ectypum cujusdam picturæ, in ecclesia Carmelitarum Lovanii visendæ: non quidem antiquioris hoc seculo, sed cui pingendæ præluxisse videtur antiquior alia, ipsique veritati conformior quam sint apud Antverpienses & Colonienses expressæ: cum & hic inveniantur veri nominis* barræ, *& vestis cernatur manicata, qualem fuisse monachorum Palestiniorum supremum habitum hodierno quoque usu confirmatur, licet chlamydem vocet epigraphe, quæ rectius toga diceretur vel penula. Illa autem Lovaniensis pictura exprimenda etiam hoc loco fuit, ne, ex dictis in Commentario de S. Alberto num. 131, omnium omnino Carmelitarum communis error fuisse credatur, ut, pro barratis cappis majorum suorum, imaginarentur sibi cappas perpendiculariter striatas. Quomodo porro Lovanienses isti potuerint persuaderi, Ordinem suum in Palæstina tempore Homar tyranni septem monasteriorum millia implevisse, viderint ipsi; haud difficulter agnituri impudentis hyperboles enormitatem, si velint considerare, quantum is numerus excedat collectionem omnium conventuum, quos nunc habet Ordo toto orbe diffusus.*

29 *Interim ex visis dictisque apparet satis, nihil Carmeliticum videri in lapide Boppardiensi: quem tamen, ut præcipuum solidissimumque suæ in Europa antiquitatis fundamentum ostentant aliqui, majori præjudiciorum tuendorum zelo ducti, quam rerum veterum cognitione instructi. Quoniam vero de istic sepulto facilius est pronuntiare non fuisse Carmelitam, quam distincte definire quis fuerit; optarem plura* XI *ac* XII *seculi monumenta sepulcralia in provinciis Rhenanis earumque vicinia superessent. Vix enim dubito quin Priorum seu Præpositorum secularium lineamenta omnia similem fere habitum repræsentarent. Siquidem paulo post exorti Canonici Præmonstratenses (quos credibile est in principio suo distinctos à secularibus fuisse solo colore) haud multum absimili forma tonsuræ atque vestitus usi sunt, quemadmodum colligere nobis licuit ex antiquis picturis, B. Hermannum Steinfeldensem, seculo* XIII *mortuum, repræsentantibus. Quod si penes Boppardiensem magistratum adhuc haberentur Actorum post annum millesimum conscriptorum Registra, possemus forsitan tum de hoc Henrico causaque cædis ejus, tum de eo quem ibi Carmelitæ nunc incolunt loco plura distinctioraque docere. Suspicari autem tantisper licebit, Prioratum ibi primo Regularem Benedictinorum monachorum, deinde secularem fuisse Clericorum; quibus post Henrici cædem dilapsis, uti in talibus frequentissime contigit, denique successerint Carmelitæ, postquam hi Metis Trevirisque suos jam Conventus constitutos habebant. Horum siquidem mutuæ inter se communicationi opportuna omnino Boppardia erat, via utrimque fere media. Sic Dunckelspilense prædium, quod Herbipolitanis monachis à S. Burchardo fundatis, quoties ad Augustanam S. Udalrici Abbatiam eundum erat, opportunum solebat præbere hospitium; conversum primo in Prioratum est, Herbipolensi Abbati subjectum; deinde post casus varios, in jus transiit Carmelitarum.*

& verosimiliter positum esse Priori seculari:

quales videtur Boppardia successisse Benedictinis

30 *Porro sicut monasterio illi principium suum debet Dunkelspilense oppidum haud ignobile; quomodo alia multa loca, circum Benedictini Ordinis claustra sedem figentibus eorumdem colonis atque ministris, in spectabilem crevere amplitudinem; ita forsitan & Boppardia, isti, quem dixi, Prioratui debet originem primam. Verum quam male idcirco dicerent Boppardienses Carmelitæ, suum istic institutum viguisse antequam oppidum esset, tam incongrue faciunt Dunkelspilenses, dum suam antiquitatem ab ejus quod incolunt domicilii vetustate metiuntur. Quod idem dictum intelligo de locis quæ Romæ, Senis, Venetiis habet Ordo; & si quæ sunt alia, quorum veteribus inquilinis facta donationes, signata privilegia, contractus celebrati in publicis tabulis inveniuntur. Illa enim ut ad se pertinuisse jam tunc probarent Carmelitæ, deberet in ipsis instrumentis quæ allegantur inveniri expressior eorum mentio; vel ut minimum ante omnia deberet constare ex certis atque irrefragabilibus testimoniis, aliqua ipsos revera habuisse monasteria in Occidente ante seculum* XIII. *Nunc quamdiu id non probant, imo contrarium suadent ipsorummet certiora documenta; licebit nobis, cum bona eorumdem gratia, novitias istas & hoc primum seculo allegari cœptas antiquitates reprobare. Quod si de singulis nominatim à me causam reddi velint, faciam, ut initio promisi, libens; nunc autem abstineo, ne non tam docere ipsos origines suas, quam insultare videar conviciis, accumulando exempla nimia vel temeritatis vel credulitatis.*

sicut in illorum locum postea venerunt Carmelitæ.

31 *Finio igitur & rursum affirmo Carmelitas ante annum* MCCXXXVIII *nulla in Occidente habuisse monasteria; & irrefragabilem hujus meæ assertionis testem adduco Iacobum de Vitriaco, qui circa annum* MCCXX, *post scriptum primum de Historia Orientali librum, secundum de Historia Occidentali composuit, in eoque totam Religiosorum*

ignotis in Occidente cum suam historiam scriberet à Vitriaco sub an. 1220.

AUCTORE D. P. *sorum sui temporis institutorum, in Gallia Teutoniaque præsertim vigentium, varietatem descripturus, Cum, inquit,* à priscis temporibus in partibus Occidentis duæ tantum fuissent Regularium diversitates, monachi scilicet nigri, S. Benedicti Regulam profitentes; & Canonici albi, secundum Regulam B. Augustini viventes; postquam peccatis exigentibus, primo modica negligentes paulatim cadere cœperunt, tandem ad tantam dissolutionem plures Regularium conventus devenerunt, quod viri timorati, & prudentes sub alio habitu & aliis institutis Domino militaturi, ab ipsis recesserunt. *Tum sigillatim per capitula totidem progreditur ad describendos Cistercienses, Cœlestinenses, Valli-callienses, Cartusienses, Grandimontenses, Tironenses, Præmonstratenses, Arvasienses, San-Victorinos, Prædicatores, Minores, & alios quotquot noverat generum diversorum cœnobitas, absque ulla mentione eorum quos in Oriente viderat, & in primo historiæ libro laudaverat,* ad exemplum & imitationem sancti viri & solitarii Eliæ Prophetæ in monte Carmelo.... vitam solitariam agentes, in alvearibus modicarum cellularum, dulcedinem spiritualem mellificare: *quorum Colonias, si quas tunc habuissent cismarinæ in Gallia ac Teutonia regiones, dubitari non potest quin earum quoque mentionem fecisset eo loco, ubi ex professo suscepit singulorum Ordinum enumerationem.*

PARS TERTIA

De Martyrologio Brixiensi, aucto ex Catalogis ecclesiæ S. Afræ.



Summa Bernardini Fayni benevolentia,

B*Ernardinus Faynus, Brixianæ ecclesiæ dignissimus Presbyter, & patriæ historiæ præsertim sacræ illustrandæ studiosissimus, à cujus erudito calamo urbs ista habet opuscula varia hanc materiam concernentia; & adhuc nisi mors intervenisset grandius volumen expectabat de Actis Vitisque Sanctorum Brixianorum Italica lingua, cui titulus fuisset* Brixia sacra; *ut primum ex trimestri hactenus à nobis vulgato æstimare potuit, quantam universali Ecclesiæ utilitatem & commodum allatura esset nostra hæc molitio, nihil potius sibi curandum statuit, quam ut nobis transcribenda transmittendaque curaret, quæ de patriæ Sanctis collecta habebat monumenta antiqua, quibus numquam uti poterimus absque debita animo tam benevolenti gratitudine. Addidit etiam mittere* Martyrologium Brixianum, jussu Marini Joannis Georgii Episcopi Brixiensis *à se* collectum *editumque anno* MDCLXV, cum Annotationibus, indicantibus fontes unde scaturiit, & varia ad ecclesiasticam historiam spectantia elucidantibus. *Continet hoc Martyrologium eos Sanctos, qui modo in Ecclesia Brixiana notum habent Natalis superni diem, aut Inventi Translative Corporis anniversarium; post quorum alphabeticum indicem, alius secundus, similiter alphabeticus & priori copiosior, additur,* Sanctorum nominatorum Brixianorum, *ducentorum & amplius,* quorum nomina ex tabulis ecclesiæ S. Afræ aliisque monumentis conquisita sunt; *etsi diem certum nullum habeant.*

nacti præcipua Eccl. siæ Brixien. monumenta,

2 *Harum tabularum fidem atque originem indagantibus nobis; omnino præter opinionem & votum accidit, ut non modo nobis fierent multimodis suspecta, sed etiam incertos facerent de judicio ferendo circa varios Sanctos in ipsomet Martyrologio notatos, ac nominatim circa SS. Angelinum & Orieldam conjuges, Paulinum & Gentilem eorum filios,* XIX *Aprilis adscriptos, tamquam sub Aureliano Comite, sub Hadriano Imperatore, coronam martyrii præcipitio assecutos. Atque utinam ipse adhuc viveret Faynus; cum eoque hanc causam & nostræ dubietatis rationes conferre liceret; sperarem fore ut ab ingenuo ejus animo elicerem approbationem eorum quæ hic dicturus sum. Nunc cum ipse nobis ereptus est, amicos ejus rogo, ne me putent memoriæ ipsius injuriam facere, quod acceptorum beneficiorum & gratitudinis debita præmissa professione, huc referam quæ alibi de dictis Sanctis fueram commentatus; ac deinde solius veritatis studio ductus proponam rationes, quæ istas S. Afræ tabulas convincunt esse fabulosas.*

dolemus non posse admittere cetera

quæ insuper ex dictis Catalogis suggeruntur.

CAPUT I.

De SS. Angelino & Orielda, Paulino & Gentili inter primævos Martyres numeratis.

3 M*Artyrologium, quod dixi, Brixianum, ad* XIII *Kalendas Maji, hæc offert Legenda:* Brixiæ Natalis sanctorum Martyrum conjugum Angelini & Orieldæ, cum Paulino & Gentile filiis, in ecclesia S. Aphræ: qui sub Aureliano Comite Christum confitentes, è sublimi loco præcipites dejecti, Martyres effecti sunt. *Diem & genus mortis unde acceperit Faynus, hactenus quærendo assequi non potuimus: Tabulæ quas allegat, aliaque documenta quæ submisit, neutrum indicant; utrumque tamen bona fide nec sine auctoritate aliqua ab eo sic definite tradi lubet credere, ut transeam ad tempus, quo martyrium hoc dicitur accidisse.*

Dicuntur 19 Apr. præcipitati pro fide,

4 *Habemus S. Alexandri Papæ & Martyris Acta, antiquissima pariter & sincerissima, illustrata & prælo parata pro* III *Maji, ex quibus constat* Aurelianum Comitem utriusque militiæ, à Seleucia Isauriæ, ad interfectionem omnium Christianorum *Romam missum à Trajano Imperatore, sub eoque passum esse sanctum Pontificem cum Eventio & Theodulo. Et iste quidem Aurelianus, percussus divinitus, corpora eorum à Severina uxore sua Christiana sepeliri permisit, ipseque ea ab hoc officio regressa,* mox expiravit, masticans linguam suam; *nomen tamen ejus, tamquam* Principis, Judicis, Præfecti, *occurrit in variis Martyriis Sanctorum, sub Traiani successore Hadriano passorum; idque vel quia propter insignem ejus crudelitatem visum fuerit scriptoribus, isto nomine notare anonymos aliquos ipsius imitatores & successores; aut quia revera eodem nomine appellatus aliquis sub Hadriano Traiani successore sæviit.*

sub aliquo Comite Aureliano juniore

5 *Ita in secundis Actis SS. Faustini & Iovitæ Brixianorum Martyrum, die* XV *Februarii ex MS. Neapolitano editis, nominatur Aurelianus Comes, ad dictos Martyres à Christo retrahendos missus, sed invasus à dæmone, ac rursus Sanctorum precibus liberatus: quod ei ad emendationem sufficisse nusquam legitur: scimus autem apud plures hujusmodi correptionibus castigatos magis valuisse Imperatorum gentilium respectum, quam evidentiam cognitæ veritatis: quare nihil mirandum fuerit, si hic etiam postea Roma Brixiam directus fuerit; ac proinde poterunt ei tribui plurium civium martyria, quorum in ista civitate est antiqua veneratio. Quamvis enim sub Decio multi, nonnulla etiam millia sub Domitiano neci data ferantur, quibus S. Latinus Episcopus,* XXIV *Martii commemoratus,*

cujus fit mentio in Actis SS. Faustini & Iovitæ

atque sepulti juxta corpus S. Afræ,

moratus, cœmeterium prope urbem dedicaverit: videntur tamen ad promiscuam cujusvis conditionis, sexus & ætatis lanienam differri non debere illi, quorum nomina in sepulcralibus aut aliis monumentis servata huc usque durarunt; & corpora, una cum corpore S. Afræ sub Hadriano passæ, peculiari Christianorum cura recondita fuerunt, atque intra S. Latini cœmeterium per ejus successorem Appollonium extructo oratorio illata, eo loco ubi nunc extat insignis S. Aphræ Basilica. Fuerunt ea, dum prædicta Basilica anno MDLXXX renovaretur, die XIX Septembris in turris imo decenter deposita, uti ad VI Aprilis scribit Faynus, ex monumentis Scipionis de Covis civis Brixiani, tum viventis; addens, eamdem Translationem notatam inveniri in libro provisionum civitatis; & in tabella sacrarii D. Aphræ, sub ritu Officii duplicis celebrandam notari.

tum quo an. 1580

iterumque an. 1603 translati sunt,

6 Anno autem MDCIII, prædicta die VI Aprilis, tunc cum Dominica in Albis concurrente, eadem sacra corpora, in octo arcis optime composita, præsente Marino Georgio Episcopo (*sedit hic ab anno MDXCV usque ad hujus præsentis seculi annum XXXII*) cum Capitulo Cathedralis & utroque Clero, universisque ordinibus & sodalitiis, nec non & civitatis Rectoribus, cum publicis proceribus universoque populo; summa religione, summoque honore & apparatu per civitatem prius delata; atque per tres dies publicæ omnium devotioni & lætitiæ in nova ecclesia exposita, tandem cum miraculorum gloria per aras sacras distributa atque recondita fuere, in quibus quotidie digno cultu afficiuntur. *Hæc ibi Faynus: ex cujus scriptis licet assequi non potuerim, quo fundamento Barignana familia quatuor prænotatos, una cum SS. Alexandro, Angelo, Dominico, Valerio, sibi ut proprios arroget; laudo tamen pietatem, qua eis sacellum proprium in superiori ecclesia S. Aphræ egregio opere construxere, & capita bustis argenteis condidere. Testem istius munificentiæ habemus Faynum, & verba sequentia, marmoreis sacelli postibus incisa,* Sanctorum Christi Martyrum Angelini, Orieldæ, Dominici, Gentilis & Paulini, ex antiquissima Bargnanorum familia, capita argento condita inspice & venerare. Incomparabilis thesauri monumentum, Julii Cæsaris Bargnani legati, Hippolytus & Camillus, illius ex Guelfino fratre nepotes, sacello extructo, dicato, dedicarunt MDCXXXIII. *Consonat his inscriptio aræ, quæ talis est:* Angelini & Orieldæ, patris & matris, Paulini & Gentilis, ex nobili & antiquissima Bargnanorum gente, aliorumque Sanctorum Martyrum ossa hic sepulta sunt.

ad proprium sacellum,

& capita argento inclusa.

Sed quia etiam ipsis fuere multi alii translati,

7 *Et hæc quidem de præsenti cultu, certa satis; de Martyrio sub Aureliano, utcumque verosimilia fient, in eorum opinione, qui ipsos primis Christianæ religionis seculis occisos tradunt. Sed, ut dicam quod res est, rei tam antiquæ affirmandæ desunt congrua vetustatis argumenta. Imo si considerentur nomina eorum, quorum pariter anno MDLXXX in imo turris deposita sunt corpora, & anno MDCIII octo in ferculis circumlata (nam passos hos omnes esse eodem fere quo SS. Faustinus & Iovita tempore par credulitas tradit) de omnium vetustate cogemur æqualiter dubitare. Ecce autem ipsa nomina, à Fayno in ordinem redacta alphabeticum:* Aphra, Angelus, Angelinus, Albertus, Aimerius, Angelinus alter, Alventus, Balthasar, Barnabonus, Bonfantus, Bonacursus, Bernardinus, Beniaminus, Camillus, Calocerus, Calocerus alter, Cæsarius, Cælestinus, Constantius, Corradus, Corradinus, Ducchus, Æmilianus, Eusebius, Eustachius, Franciscinus, Felix Episcopus, Gentilis, Haymonus, Henricus, Jacobinus, Josaphatus, Julius, Latinus Episcopus, Maximus, Martialis, Orielda, Otho, Paulinus, Peregrinus, Robertus, Sapritius, Severinus, Sigismundus, Silvanus, Stephanus, Valerianus, Valentinus, Verzerius, Ugozzonus.

AUCTORE D. P.

8 *Ex his quinquaginta nominibus solum viginti, Latina aut Græca, sunt ejus generis, ut ea Brixiensibus, æque ac ceteris Italis sub florente Romano imperio linguam, mores, leges ac jura Romana tenentibus, dicenda sint in usu fuisse:* Angelos, Dominicos, Cælestinos, *quamvis ex Latinis Græcisve fontibus haustos; itemque ex Hebrais Chaldaicisve* Balthasares, Josaphatos, Beniaminos, *an nominare Italia cœperit ante datam Christianis sub Constantino pacem, controvertetur forsan non immerito. Omnino autem & fidenter asserimus,* Alberti, Alventi, Aymerii, Corradi, Haymoni, Henrici, Othonis, Roberti *ac* Sigismundi *nomina, ut sunt ab origine Teutonica omnia, sic ante Francorum Germanorumque in Italia dominatum inter cives Brixienses usitata non fuisse; & recentioris etiam fabricæ esse diminutiva ista,* Bernardinus, Franciscinus, Jacobinus, *nec non augmentativa hæc duo* Barnabonus *atque* Ugozzonnus, *laiaque ex vulgari nunc Italis idiomate* Bonacursius, Bonfantus, Ducchus, Verzerius.

qui neque omnes credi esse tam antiqui,

9 *Vt igitur concedamus Brixiensium vel traditionibus vel tabulariis, eos omnes quorum in S. Aphræ consignata sunt nomina, & corpora in specialibus arcis vel jam olim vel præcedenti primum seculo præposita, vere Sanctos fuisse à majoribus habitos; vix tamen videtur esse dubitandum, quin plerique eorum fuerint temporis longe posterioris. Accedit quod sicut isti quatuor in titulo nominati tribuuntur familiæ Barignanæ, ita & ceteri omnes similibus Brixianis familiis attributi inveniantur, leganturque cognominati* De Scaligeris, Mazzis, Brusatis, Massacaninis, Martinengis, Marinis, Altafoliis, Calinis, Duchis, Gratacosolis, Bornatis, Bonis, Blanzanis. *Atqui satis constat ejusmodi civicarum familiarum cognomina, partim patronymica, partim à possessione aut natali loco sumpta, post annum Christi millesimum cœpta esse usurpari; & pleraque ex hodierna Italica lingua, quæ primis seculis necdum nata erat, accepta intelliguntur. Proinde aut ridicula est vanitas, antiquos Martyres distribuentium per familias, ante non multa secula cœptas nominari; aut refutanda credulitas opinantium, eos quibus vere cognomina ista fuerint, heroicis primorum Christianorum temporibus claruisse.*

dubium manet de tempore Martyrii,

quod auget cognomen familiæ Barignanæ.

10 *Legat qui volet præcitatum Fayni alphabeticum indicem, ibique inter alios videat,* Aliprandum, Aloysium, Amadeum, Alphonsum, Arnoldum, Bertolinum, Bonhomum, Bontempum, Carolum, Federicum, Franciscum, Gerardum, Gotardinum, Guilielmum, Lanfrancum, Luchinum, Oliverium, Otthobonum, Ricciardum, Rubertum, Saitabenum, Santolinum, Toninum, Thebaldum Tenchettum, Venturinum, Viscardum, Zanolinum. *Consideret etiam addita iisdem cognomina* Corthesii, Milanæi, Rainerii, Bonnetti, Bannotti, Sacchetti, Medices, Borghini, Moreschi, Piccinelli, Confalonerii-Banierii, Pregabosci, de Ducchis, de Petiis, de Aldigeriis, de Frascatis, de Rossis, de Allegris, de Pregnacchis &c. *Legat, inquam & consideret hæc, quisquis est veri quam placita discendi amantior; & futurum putamus ut nobiscum judicet, in censum Martyrum antiquorum traducta esse plurimorum nomina, qui neque Martyres, nec antiqui sint habendi; atque adeo Brixiensia hæc egere discreto examine, ne quæ ex Actis SS. Faustini, Iovitæ, & aliorum veterum atque indubitatorum Martyrum certa sunt, aliis minus certis aut probabiliter erroneis permisceantur.*

ut & similia cognomina in aliis,

quos tamen non est omnes pro Sanctis admittere.

CAPUT II.

Catalogus S. Afræ & Martyrum Brixianum Ms.

11 **D***ubiis de veritate & auctoritate Catalogi, talia Sanctorum nomina & cognomina continentis, ob rationes superiori paragrapho deductas, recurrere volui ad notam Bernardini Fayni benevolentiam: eumque*

rogari

AUCTORE D. P.

rogavi ut Catalogi toties à se laudati exemplum mitteret, videretque quid posset ad caussas circa eum dubitandi reponi. Caussas probasse suo silentio visus est, nostroque judicio rem commisisse, quando Catalogum misit, in folio expanso Italice expressum sub hoc titulo; Catalogus Sanctorum, quorum corpora aut reliquiæ inveniuntur in devotissima ecclesia S. Afræ, olim dicta S. Faustini ad sanguinem, civitatis Brixiensis antiquissima, quam modo possident & administrant Canonici Regulares Lateranenses, anno MDLXXX destructa & intra decennium reædificata, ea perfectione & splendore, quem videre nunc est. Est autem ecclesia duplex; altera inferior, administrandis populo sacramentis deserviens; altera superior, divinis Officiis noctu diuque celebrandis accommodata.

quomodo in duplici ecclesia S. Afræ,

11 Superioris ecclesiæ altare majus continet integra corpora SS. Faustini & Jovitæ Fratrum, & hujus civitatis Protectorum, quemadmodum publico instrumento constat: & corpus S. Faustini Episcopi. Altare ad latus Euangelii, quod modo fabricatur, erit nobilissimum reliquiarium, pluribus Sanctis Martyribus dedicatum, sub titulo S. Mariæ Magdalenæ; continebitque certissima lipsana Angelini, Alberti, Dominici, Angeli, Camilli, Roberti, Eusebii. Duo alia ex eodem latere dicantur, unum S. Afræ, cujus integrum corpus habet; alterum S. P. N. Augustino, & adservat corpus S. Felicis Episcopi. Altare ad cornu Epistolæ privilegiatum est, & S. Latino Episcopo, cujus etiam corpore ditatur, sacrum. Sub Altari Assumptionis habentur Reliquiæ SS. Constantii, Cæsarii, Corradi, Barnabonis, Aimeri, Baltassaris, Caloceri, Bonsantis. Intra altare S. Apollonii concluduntur. SS. Valerianus, Sapritius, Haymo, Bonacursus, Bernardinus, Jacobinus, cum carbonibus SS. Faustini & Jovitæ. Intra altare S. Elisabethæ, Josaphat, Cælestinus, Maximus, Angelinus, Orielda, Paulinus, Gentilis, Maximus, Beniaminus. Hæc superius. Inferiori in templo altare majus S. Caloceri est, ejusque & SS. Martialis ac Severini corpora continet. Ad cornu Euangelii depositum est corpus integrum Venerabilis Matris Angelæ, institutricis Virginum Ursulinarum: ibidemque etiam sunt carceres, in quibus detenti fuere martyres 3290 omnes die uno coronati. Ad alterum vero ejusdem chori latus B. V. Mariæ altare est, cum corporibus SS. Julii, Verzeri, Ugozonis, Corradi, Duchi, Peregrini, Sigismundi, Æmiliani, Silvanii, Eustachii, Franciſchini, Ottonis, Alexandri, Aluenti, Henrici. *Hæc scilicet sunt illa Corpora, quæ anno MDCIII octo in arcis circumlata & totidem inclusa altaribus supra diximus: post quam translationem oportet primo impressum catalogum credere, saltem cum ista quam nunc legimus designatione altarium: nam antea anno MDLXXXVIII etiam impressum esse aliquem post Vitam SS. Faustini & Iovitæ, sæpe indicat Faynus. Cetera idem Catalogus sic prosequitur.*

per altaria distribuantur Sanctorum corpora:

13 Porro in eadem inferiori ecclesia est etiam in illius medio altare, supra gloriosum puteum, tot centenos martyres continentem, interque eos etiam hos, quorum infra sequuntur nomina, una cum eorum nominibus, qui sunt per ecclesiam distributi. *Et iterum tum iidem qui supra Martyres, tum alii aliquot, universim ad quinquaginta (quos omnes fere ex Fayno & ordine Alphabetico supra protulimus) recensentur: hic autem ponuntur ordine familiarum, quarum cognominibus indigetantur: tum subjungitur:* Sunt alii Sancti Martyres, quorum, quia advenæ fuerunt, ignota mansere nomina, sepultique jacent ante arcam S. Caloceri & sociorum. Alii vero, infra nominandi, ab infidelibus & idololatris Brixianis martyrizati sunt, & occisi in quodam conflictu, propterea quod intrepide confitebantur & propugnabant veram & sanctam Christi fidem; suntque similiter sepulti in oratorio ante arcam S. Caloceri, numero centum & octoginta quatuor. *Hi sunt de quorum nominibus & cognominibus, uti hic & apud Faynum leguntur, supra egimus: quosque idem Faynus, non contra gentiles idololatras primis illis seculis, sed contra Henricianos schismaticos seculo XI vult pugnasse, & pugnantes occubuisse. Quibus omissis, venio ad hujus Catalogi antiquam & authenticam, ut Brixiensibus videtur, probationem, seu potius fontem totius credulitatis de martyrio & familiis eorum, qui dicto catalogo continentur. Est autem MS. Italicum sub titulo Martyrii Brixianorum compositum, à jam dicto Fayno communicatum: de quo ut possit judicare lector, bonam ejus partem hic Latinam damus.*

deinde designat eorum nomina & familias;

quemadmodum habentur in Martyrio Brix. Ms.

14 Ad laudem Dei omnipotentis, & matris suæ Virginis Mariæ, & Apostolorum SS. Petri Pauli & Barnabæ, Martyrumque gloriosorum Julii, *a* Verzeri, Donati *b*, Bonifacii, Faustini, Jovitæ, Caloceri, Marciani, Severini & Afræ. Incipit Martyrium & numerus Martyrum Brixianorum, ex parte per nomina *c* & cognomina expressorum; qui sunt martyrizati sub crudelissimo imperatore Adriano ejusque vicariis, videlicet Sapritio, Aureliano & Liberio *d*, dicti Imperatoris Camerario: quod Martyrium cœpit anno post incarnationem D. N. Jesu Christi CXVII, & duravit usque ad annum CXLI. Tempore enim S. Apollonii *e* de Oropellis, Nobilis Brixiani, & Episcopi Brixiæ, ibant Martyres ad carnificinam sicut oves ducuntur ad macellum, & propter amorem D. N. Jesu Christi patiebantur se occidi: ut merito nos Brixiani possimus gloriari oblatione tot Martyrum, & eorum majori ex parte nobilium, & credo quod in tota Italia non inveniatur tam numerosum martyrium, quam sit civium Brixianorum, quorum caussa Christus vocare posset Brixiam, alteram Romam.]

a b

c *seu historia Martyrum Brixiæ sub Hadriano passorum.*

d

e

in quo dicuntur Martyres obiisse,

15 Excellentissimo Doctori & Equiti, Anciano Excellentissimi Consilii Magnificæ Communitatis Brixianæ, D. Pandulfo de Arigonis; & Excellenti Cancellario dictæ Magnificæ Communitatis D. Oysato Chizolæ; & Excellentissimo Comiti Æmiliano Scaligero, Advocato Ecclesiæ, pro d. Magn. Communitate; ad laudem Omnipotentis Dei incipio hunc librum, intitulatum Martyrium Brixianorum.

16 Corpus B. Olivæ *f* de Aldigeriis est prope altare S. Faustini sub terra. Beati Valerianus & Valentinus pueri de Brusatis, & B. Sapricius de Gratacasulis, sunt prope altare majus; omnes tres involuti linteo *g*. B. Samaritana, *h* ancilla S. Afræ, est ad manum dexteram prope murum, intra portam. Corpora SS. Caloceri, Marciani, & Severini *i*, qui omnes sunt ex familia de Bornatis, translati sunt Albina & Dertona Brixiam per supranominatum B. Sapricium, conversum post mortem SS. Faustini & Jovitæ: suntque simul intra unam sepulturam sub terra. B. Leonardus *k* de Griffis, Presbyter, est prope puteum Martyrum: & similiter B. Justinianus de Raineriis, Subdiaconus: alia quædam chronica dicit, esse in puteo. BB. Faustinus & Jovita secundi *l* de Pregnacchis, sunt prope turrim. B. Dignamerita de Lavallo-longo, est in fundo altaris *m*, ubi asservatur Sanctissimum Sacramentum, cum duobus filiolis deorsum ex fenestra præcipitatis. BB. Benvenutus & Bernardinus de Mazzis, & B. Jacobinus de Oldofredis fuerunt martyrizati sub Adriano

Oliva;

f *Valerianus Valentinus & Sapritius,*

g h

i

k *Leonardus & Iustinianus,*

l *Faustinus & Iovita secundi,*

Dignamerita,

m *Benvenutus, Bernardin. Iacobinus,*

driano Imperatore, post mortem SS. Faustini & Jovitæ primorum; & fuerunt sepulti ante capellam oratorii subterranei simul, in medio transitu.

s Calocerus & Bonafantes, 17 BB. Calocerus & *s* Bonafantes fratres de Benachis, quæ familia nunc dicitur Ugoniorum; jacent sub primo arcu prædicti transitus. B. Benjaminus *o* de Blanzanis, est juxta altare dicti oratorii. Presbyter Marinus, *p* & Stephanus Clericus, ejus nepos, de Marinis, fuerunt decapitati sub fornice S. Andreæ in ecclesia Cathedrali; ibidemque sepulti, postea autem inde translati & delati ad ecclesiam S. Faustini, collocatique sub terra ad manum dexteram retro ad murum, ex opposito oratorii, quod est sub sepulcro B. Calocerі de Bornatis. B. Angelinus de Barignanis, B. Orielda uxor ejus, Paulinus annorum octo, Gentilis annorum duodecim, filii eorumdem, *q* simul sepulti sunt sub terra, juxta altare oratorii. Maximus de Renachis, nunc Ugoniis, jacet ad dexteram altaris in oratorio.

o Beniaminus, p Marinus & Stephanus, Angelinus, Orielda, Gentilis Paulinus, q Maximus,

r Naymus, 18 B. Naymus *r* de Mazis, germanus SS. Faustini & Jovitæ primorum, fuit decapitatus & postea combustus; sed ossa ejus comburi non potuere, manserequе instar vitri lucentia, & fuerunt una cum carbonibus & cineribus totius foci sepulta sub fornice *illo* majori cathedralis, quo loco nunc est *altare* SS. Savini & Cypriani, antea autem erat templum Dianæ, à Naymo subversæ.... [Notandum est porro quod carbones ii qui SS. Faustino & Jovitæ injecti fuerant, eorumque sanguine & adipe consecrati, humati fuerint ad dexteram portæ, ubi est sepulta B. Samaritana de Sacchettis. Collegerat autem eos quidam Christianus de Gataldis, Silvanus Scaliger, dictus de Advocatis.

quatuor fratres de Trenzanis, 19 Conradus, Ducchus, Peregrinus, Ugozonus *s* Fratres, filii D. Joannis de Trenzanis, quæ familia modo appellatur de Ducchis; Felix item & Gedeon de Lavello-longo, fuerunt Martyrizati simul cum ter mille ducentis nonaginta, tam viris quam feminis, ante portam SS. Faustini & Jovitæ: & per dictam stratam currebat sanguis altitudine unius cubiti, à porta Motelsa usque ad Furcam canum. Dictus autem locus vocatur Furca canum, quia Fredericus quidam de Magiis, ascendens illuc per stratam Cremonensem, quousque sanguis fluxerat; & videns, quod canes sui d. sanguinem lamberent, comprehendi eos & suspendi ibidem fecit. *t* Ipse non potuit illac unquam in urbem ingredi, sed necesse habuit intrare per aliam portam. Fuerunt autem omnes isti Martyres combusti, & postea eorum ossa sepulta in puteo qui est in ecclesia S. Faustini, exceptis supra nominatis, quorum primi quinque positi sunt ad dexteram portæ, juxta corpus B. Samaritanæ. Corpora vero BB. Felicis & Gedeonis de Mazis sunt posita *v* ad dexteram altaris majoris: & B. Calimerius *x* fuit sepultus in Cathedrali; postea, cum titulus cathedræ ab ecclesia S. Andreæ ad S. Petri est translatus, depositus fuit S. Calimerius in ecclesia S. Floriani. Faustinus & Sacettus, fratres de Sarano, fuerunt martyrizati ante SS. Faustinum & Jovitam; eorumque corpora tumulata in oratorio, quod nunc appellatur S. Faustini de Sarano.

s Felix & Gedeon, & alii 3290, t, v, x, Faustinus & Sacettus,

y Girardus, Verzerius, Sigismundus Comites, 20 Fuerunt etiam decapitati tres viri nobilissimi & equites, dicti Comes Girardus *y* de Constantia Alemanniæ, Comes Verzerus de Alta-folia, & Comes Sigismundus Scaliger de Advocatis, omnes tres Capitanei ecclesiæ, fueruntque sepulti per manus SS. Faustini & Jovitæ. [Notandum autem est, quod dictis Comitibus ad fidem conversis imposita fuerint alia nomina; B. Gerardo, Renati; B. Terzero, Julii, & B. Sigismundo, Bonifacii: sed omnes eos passim perrexerunt appellare primis propriisque nominibus] Comes Constantinus de Alta-folia, Cæsar Celsus de Martelongis ex Constantia Allemaniæ, Coradus de Bornatis, Barnabas & Aymerus de Mazis, Baltassar de Rena, omnes *z* nobiles Brixiani, fuerunt simul decapitati cum SS. Faustino & Jovita. Fuerunt etiam tunc eodem supplicio affecti alii quinquaginta tres; quorum, quia ex aliis regionibus venerant, ignorantur nomina; & fuerunt omnes sepulti sub terra, in ingressu oratorii ad primum fornicem. [Notandum est autem quod Comes Constantinus fuerit staturæ quasi gigantæ, reliqueritque post se uxorem D. Virginiam de Barignanis, cum duobus filiis & unica filia; ex quibus directe descendit familia quæ nunc dicitur Luzagha.

AUCTORE D. P.

z alii quatuor, anonymi 53,

Æmilius, 21 B. Joannes Æmilius, Doctor & Eques conversus est ad fidem, quando, post decollationem B. Naymi de Mazis affinis sui, vidit ejus animam per manus Angelorum in cælum vehi.... *aa* susceptoque baptismo & bonis distributis omnibus in pauperes, captus à Paganis & decollatus est, atque sepultus die x Augusti in ecclesia S. Faustini extra urbem, ad sinistram majoris altaris. Habuerat autem uxorem D. Julianam, sororem B. Naymi; ex qua non habuit liberos; habuit vero fratres Aloisium & Danielem, qui fugerunt in Allemaniam, nec nisi post mortem crudelis Imperatoris Brersciam sunt reversi. BB. autem Marinus & Stephanus de Marinis, qui B. Joannem baptizarant & sepelierant, capti mox etiam ipsi, & ad boum caudas raptati, ac denique ad xv Augusti diem sine cibo potuque relicti, decapitati tandem sunt, uti dictum est supra.

aa

fabula de nominibus Martyrum Papæ revelatis, 22 Cum R. D. Paulus de Bononia, Canonicus Regularis Ord. S. Augustini, esset Præpositus ecclesiæ SS. Faustini & Jovitæ ad sanguinem, scripsit ei Pontifex epistolam ut ad se mitteret nomina omnium Martyrum, in d. ecclesia quiescentium: ipse autem non sciens quomodo posset ejus voluntati satisfacere, fusis in oratorio S. Faustini precibus, inspirari se sensit, ut pugillum arenæ ex d. oratorio sumptæ sudario includeret mitteretque Pontifici, qui ut sudarium in manu habens contrectavit, Hæc, inquit, arena mihi esse videtur: apertoque sudario invenit pro arena schedulas, Martyrum singulorum nominibus inscriptas, litteris sanguineis, quæ nomina in catalogum referri jussit Pontifex Urbanus *bb* (hoc enim ei nomen erat) accersitumque ad se jam dictum Præpositum in maximo deinceps honore habuit.

bb

alii 6 præsl. Martyres, cc 23 Eustachius de Chizzolis, Otto & Alexander de Calinis, Franceschinus de Pescheris, Alventinus de Alventis de Colonia Alemaniæ, *cc* fuerunt martyrizati & decapitati simul propter fidem, sepultique sunt noctu propter metum Aureliani, prope B. Constantinum & socios, ad ingressum oratorii. B. Æmilianus Scaligerus de Advocatis prope altare majus. [.... *dd*] B. Archangela de Pregnachis, postquam SS. Faustinum & Jovitam collegit in arculam plumbeam, eamque deposuit in capella majori post altare, ad eremum abiit, indeque post septennium extracta ad Comitem Italicum, *ee* Idolum Dianæ deiecit, & Aquilinam Italici filiam à dæmonio liberatam, jam sub ictu gladii constituta, baptizari fecit à Carolo Confalonerio Presbytero: qui deinde & ipsam & Aquilinam simul capite plexam sepelivit, in ecclesia S. Petri in ulmo, juxta quam passæ fuerant: ipse autem Carolus, una cum pii laboris socio Hieronymo Buzetto, captus conjectusque infra turrim palatii, sepultus est eo loco, ubi nunc S. Benedicti ecclesia visitur. [....] *ff*

dd item Archangela & Aquilina, ee Carolus & Hieronymus, ff

24 Eucte-

AUCTORE D. P. Huic libello, forte circa annū 1500 scripto,

24 *Hactenus de MS. illo, sub titulo Martyrii Brixiani; cujus uti duplex exordium est, ita duplex est auctor. Eorum alter à dedicatione exorsus, quando vixerit, certo scire poterunt Brixienses ex nominibus Anciani & Cancellarii, si publica sua chartularia evolvere curent: nobis satis est ex grandioribus titulis* Excellentissimi *&* Excellentis, *quibus auctor utitur, intelligere, eum non vixisse cum adhuc simplicioribus titulis etiam Duces & Comites utebantur; sed seculo XV jam ad finem vergente, aut etiam sequenti seculo inchoato; prius tamen quam anno* MDXXIV *ecclesia S. Afræ, jam pene deserta, traderetur Canonicis Congregationis Lateranensis. Isti porro in illam possessionem introducti, priusquam de veteri templo destruendo novoque ædificando cogitaretur, vel idem iste scriptor, vel alius ejusdem genii, libellum hunc auxit in duplum; addita nova præfatione, & interjectis annotationibus iis, quas uncis [inclusimus], ac demum plane omisimus, quia nihil continent nisi merissimas nugas, de origine, adventu, vel propagatione familiarum hic nominatarum. Tantum observa post narrationem de Archangela & Aquilina, & annotationes aliquas, hanc demum subjici:* Inventores chronicæ *(ex qua scilicet supradicta omnia & quæ deinceps sequentur accepta sunt)* tres fuere, videlicet Bonifacius & Paulus de Borellis & Archangelus de Curno, cives Brixiani: *quos Faynus sæpe in suo Martyrologio citat, tamquam auctores hujus libelli: quod ex hoc loco perperam intellecto accepit, & vanum esse apparebit ex præfatione tertia affixa huic eidem libello, post annum* MDLXXXVIII *aut etiam hoc seculo ineunte.*

post an. 1524 multa adjecta sunt;

quæ omnia accepta ex Chronica Italica vetustiori,

25 *Nunc antequam ad secundam MS. hujus partem, unde pars altera catalogi confirmari deberet, transeamus; volo & ego quædam circa jam relata annotare.*

CAPUT III.

Annotationes ad primam partem Martyrii Brixiani.

Honor Luzagha familiæ in hoc MS. habitus.

a *Quia primo loco, ante ipsos civitatis Protectores, Faustinum atque Iovitam, hic locantur duo familia Luzaga adscripti, & infra ipsum nomen* LUZAGHI *exprimitur litteris capitalibus, quod alias nusquam; hinc colligimus auctorem hujus præfationis & ceterorum deinceps additamentorum, aut ipsummet ex ista fuisse familia, aut saltem scripsisse in gratiam alicujus ex illa. Idem deinde confirmatur ex eo, quod inter chartas Alexandri Luzaghi, cujus vita sancte in seculo acta historia in manibus est, hoc MS. Faynus invenerit.*

b *Antiquos Martyres hic signari, quorum Donatus 7 Augusti, Bonifacius 14 Maji colitur, vel hinc persuadeor; quod in toto hoc libello nulla fiat mentio alicujus* Donati, *tamquam Martyris Brixiensis: cur autem hos externos duos Brixiensibus suis Patronis auctor præponat, caussam non divinamus.*

c *Sed ea nomina & cognomina, ætatis & formæ tam recentis sunt, ut cum ipsa affinguntur seculo 2, totam rem faciat de impostura suspectam, licet cetera deessent argumenta.*

d *Horum omnium fit mentio in Actis SS. Faustini & Iovitæ, quæ elucidavimus ad 15 Februarii, passi sunt autem anno* Christi *120.*

e *Colitur 7 Iulii, ab eoque baptizati creduntur prædicti Martyres, ac tota pene civitas ad Christi fidem paulatim conversa: sed ei cognomen fuisse* de Oropellis *nemo mihi persuaserit.*

f *Egimus de ea 5 Martii: quem diem Faynus, ad 18 Aprilis ejus Natalem, scribit fuisse diem inventionis factæ anno 1518, ob quam caussam, & quia Corpus Salodium ad Capucinos translatum est, non debemus absque novo fundamento de ea dubitare; modò à cognomine eidem affingendo abstineatur.*

g *Et omnes tres, una cum aliis quatuor minus probandis, sunt modo sub altari S. Apollonii.*

h *In Vita S. Afræ danda 14 Maji, nulla hujus ancillæ mentio, & gratis esse confictam vel inde magis suademur, quod nulla usquam mentio reliquiarum ejus.*

i *Et hi in ecclesia inferiori majus sibique proprie dicatum altare aliqua suarum reliquiarum parte consecrarunt: reliquum S. Caloceri corpus adhuc* Albingauni, *quæ hic* Albina *dicitur, servari nobis videtur probabilius. S. Marcianus Episcop. Dertonensis & Martyr occultus delituit usque ad seculum 4, quando corpus ejus inventum est à S. Innocentio. Vtriusque ac S. Severini alicujus Reliquias quasdam, Brixiam aliquando allatas, & intra arcam communem venerabiliter conditas facile crederemus, nisi suspectus nobis esset hic nominatus Sapricius. Veremur enim ne accipiatur Iudex ille qui ambos affecit martyrio, de cujus conversione Brixiæ facta, si in silentio Antiquorum Actorum, credere merito cuncteris, quomodo persuaderis ipsum Dertonam & Albinganum revertisse, ut scrutaretur corpora Martyrum à Christianis studiosius occultata?* *Reliquiæ SS. Caloceri & Marciani.*

k *Huic Faynus diem 13 Iulii attribuit, nec dubitat quin sit sub Aureliano passus: sed quid ad nomen Leonardi? Teutonicum est.*

l *Quo fundamento distinguantur ab aliquibus duo paria homonymorum Martyrum, infra videbimus.*

m *Quomodo igitur corpus ibi repertum non est? In MS. Martyrol. Brixiensi absque ulla filiorum mentione sic habetur ad 17 Iulii;* Brixiæ S. Dignemeritæ Mart. quæ sub Adriano Imp. cum multa pro Christi nomine sustinuisset, cum palma martyrii ad cælos emigravit. Cujus corpus Christiani suscipientes, sepelierunt prope sepulcrum SS. Faustini & Jovitæ.

n *Hi duo cum aliis sex, æque difficulter probandis, nunc sunt sub altari Assumptionis.*

o *De hujus & S. Maximi inventione agit Martyrol. MS. ad 7 Ianuarii & addit;* Horum corpora habentur in ecclesia S. Faustini ad sanguinem. *Ea nunc cum aliis habentur sub altari S. Elisabethæ. De S. Maximo seorsim agitur in MS. Martyrologio 12 Iulii.*

p *Infra dicuntur passi 15 Augusti, & sic referuntur à Fayno: sed tacente Martyrologio MS. & antiquis monumentis deficientibus, nihil de iis audemus credere.*

q *Nulla hic notitia mortis per præcipitium obitæ: unde ergo id accepit Faynus?*

r Hujus sacri cineres, *inquit Faynus,* in ara S. Apollonii servantur: *est ergo is qui in catalogo habetur sub nomine Francisco Haymonis. Refertur autem ad 15 Februarii, quo die passi sunt SS. Faustinus & Iovita, quorum hic fingitur fuisse frater: quod absque graviori testimonio non credemus; & ideo quæ hic de eo & miraculis in sepultura factis dicuntur, restrinximus.* *Haymo vix Frater SS. Faustini & Iovitæ.*

s *Hi, cum aliis æque incertis undecim, habentur sub altari B. Mariæ.*

t *Hanc insignem fabellam non est opus pluribus exagitare; ipsa suâ se refutat absurditate. Tantumne silvarum circa Brixiam fuit, ut corporibus 3290 simul comburendis sufficerent? quantum autem puteum fuisse oportet, in quo potuerint tot cadaverum ossa condi?*

v *Quomodo nulla eorum in ecclesia majori notitia aut veneratio?*

x *Creditur hic esse Calimerius, à SS. Faustino & Iovita, Romæ conversus, eorumque postulatione factus Episcopus Mediolan. quod examinabimus 31 Iulii: hoc certum, quod anno 1458 die 28 Decembris in ecclesia S. Floriani inventum sit corpus, cum plumbea lamina, continente hæc verba:* Corpus S. Calimerii, Episcopi & Martyris, quem sepelivit B. Apollonius Episcopus; *qualis scriptura non potuit corpori apposita fuisse ab ipsomet B. Apollonio. Discernenda est igitur forma litterarum, plumbeæ isti laminæ inscriptarum, & ex iis judicandum de tempore elevati & recogniti corporis.* *S. Calimerii Ep. M. inventio.*

y *Scilicet duobus seculis prius quam Constantia urbis nomen innotuisset: additur hic, quam transsilimus, fabula alia de Angelis per tres dies ad eorum corpora visibiliter excubantibus, & claritate eodem tempore tanta, quæ toti Brixianæ civitati fiebat, ut nox videretur dies: interim sub horum trium nominibus habentur ossa in altari B. Mariæ.*

z Hi

fabula varia exposita,

z *Ili quinque juxta Catologum, sub altari Assumptionis sunt: sed in hoc nominantur* Constantius & Cætareus. De Corrado, Barnabone & Aimero *certum est non esse nomina Italica 2 seculi.*

aa *Contraximus in pauca fabulam latius extensam: satis est lector si titulum* Doctoris *legas, & videas videns eum seculo 2 applicari. Baptizasse Ioannem dicitur Marinus, de quo supra ad litt p. Faynus ad* 10 *Augusti eum refert in fastos, sed solo hoc MS. nixus.*

bb *Vix dubito quin hic agatur de Urbano VI, qui, post restitutum Italiæ Pontificatum, primus Romæ sedit ab anno 1378: sed æque certum habeo fabulam esse quæ hic narratur. Talem enim sanctorum Martyrum Catalogum, ex nominibus tam miraculose cognitis, si scribi jussisset Pontifex: quomodo neque istius miraculi memoria alia, neque catalogi exemplar ullum extaret? Nam hunc quem proferunt Brixienses non esse Martyrum antiquorum, quales esse finguntur, per se liquet.*

& interpolationes ridiculæ.

cc *Sub horum quoque nominibus ossa aliqua condita sunt sub altari S. Mariæ.*

dd *Sequuntur tres insignes Notationes* de filiis Constantini, *post Aureliani mortem ad Bresciæ incolatum reversis, quorum alteri* Luzaghi *nomen fuerit, posterique idem nomen tenuerint; alter dictus sit* Florinus: *de Æmiliano, qui fuerit Comitis Petri Scaligeri filius, cognomento* Advocati, *quoniam esset ecclesiæ Advocatus: de familiis* Advocatorum *tota Italia sparsis, eo quod in omnibus civitatibus Ecclesia haberet suos Advocatos, qui cognomen posteris reliquere: & ut infra notatur, non poterant esse nisi ex origine Comites; quasi Comitũ ac Ducum tituli, jam tum fuissent hæreditarii.*

Aquilina & Archangela filia Martyria.

ee *Qui fieri hæc potuerunt, quando quidem* Italicus Comes, *prout in SS. Faustini & Iovitæ Actis legitur, in ipso eorum certamine devoratus fuit à feris contra Sanctos eductis? Neque hic neque in Actis S. Afræ hinc acceptis, ulla Archangelæ vel Aquilinæ fit mentio; neque Faynus, ad 3 Septembris fuse de his agens, aliunde quam ex hoc MS. habuit earum notitiam: neq; corpora earum uspiam reperta dicuntur. Ideo quæ hic de anachoresi, miraculis, ac martyrio Archangelæ, & Aquilinæ conversione multis dicuntur, contraximus in pauca.*

de antiquis Scaligeris fabula,

ff *Subnotatur, quod ex fratribus Ugozanis, Conradi & Peregrini, Siorino & Pasino, descenderint familiæ Sirogniorum & Pasinorum, Duccborum & Coradellorum. 2 quod Comites Sigismundus & Æmilianus fuerint fratres inter se, cognati autem B. Silvani. 3 quod ex Christophoro de Marinis & Leonardo de Rainerlis, Venetias migrantibus, descenderint duæ ibidem familiæ nobiles istorum nominum. 4 quod Mattheus & Laurentinus Scaligeri, fuerint cognati, tam Æmiliani & Silvani quam Comitis Sigismundi, cum iisque Roma Brixiam habitaturi migrarint, deducta origine familiæ à quodam Consule Romano, cui nomen fuerit Marcus Cato.*

Civitatum familiarum hodierna cognomina

Taceo cetera æque ridicula figmenta; tantum considerandum lectori relinquo, quam inepte seculo Christi secundo affingantur nomina & cognomina, ab usu istius temporis prorsus abhorrentia: quæ si accepta sunt ex Chronica trium Brixianorum, quemadmodum videtur indicari; profecto non est illa pluris facienda, quam Historia Belgica Marci van Vaernewyk, omnium anilium fabularum, ad Belgicarum urbium antiquitatem nobilitatemque coram imperito vulgo extollendam excogitarum, inutilis farrago. Habet urbs Brixiensis vera & minime fabulosa decora, quibus ad virtutis & religionis cultum excitetur: familiis autem in ea nobilibus sufficere debet continuus per aliquot secula nominis sui splendor. Putidum quippe est, saltu inverecundo in ea se suumque nomen inferre secula, quibus nulla demonstrantur apud antiquos scriptores nominis talis vestigia. Quis enim credat de tam antiqua origine ultra testem glorianti ei, qui congruum nequit adferre documentum quo vel ad annum millesimum Christi attingat.

frustra ante annum 1000 quæruntur,

Etenim eæ familiæ & sunt & merito habentur antiquissimæ, quæ suum nomen ad quatuor aut quinque secula sursum ducere ac probare possunt, ex publicis eorum de quibus agitur temporum documentis: sine quibus ascendere qui nititur, somniculosos genealogistas inveniat oportet, etiam ad Remum ac Romulum, ipsumque Adamum, qualemcumque familiam adulatoria fictione perducturos.

AUCTORE D. P.

CAPUT IV.

Reliqua pars Martyrii Brixiani, æque ac prior fabulosa.

Fingitur conflictus Brixiæ inter fideles & paganos, sub Adriano,

26 A*Uctor Martyrii Brixiani fabulosam suam narrationem hoc modo prosequitur:* Infrascripti fuerunt decapitati & in partes secti, per quosdam Capitaneos Brixienses, qui paganorum religionem pro Adriano sectabantur: occisi autem sunt in prælio, pro tuenda Christiana fide inito, in quo Christiani, licet multis suorum desideratis, tandem victoriam obtinuere. Cæsorum nomina hæc sunt, Georgius de Calcinado, Nazarius de Confaloneriis, Fredighinus de Bornatis *&c usque ad centum octoginta quatuor nominati in MS. quos nihil attinet enumerare, præter duos: Scilicet* Ottobonum de Baiveriis, avum SS. Savini & Cypriani; *&* R. D. Guillelmum Pregnaccam, Rectorem ecclesiæ SS. Petri & Marcellini. *Coluntur* SS. Petrus & Marcellinus 11 *Iunii, sub Diocletiano tyranno, annis circiter septuaginta post obitum Adriani, fidem professi: & tamen sub hoc finguntur ecclesiam habuisse Brixiæ, cui cum titulo* Rectoris *&* Reverendi Domini *Sacerdos præfuerit. Sed hoc scriptori huic familiare est, ut quas, re Christiana florente, Brixiana urbs ecclesias habuit, eas sibi fingat extitisse sub paganis; cum dicit* quo loco, *& ad quam partem altaris, fuerint martyres à sociis, in eadem persecutione paulo post cæsis, tumulati.*

in quo Rector ecclesiæ SS. Petri & Marcellini,

& avus SS. Savini ac Cypriani, aliique ad 184 occubuerint;

27 Sanctorum Savini & Cypriani *notitiam* Petrus *de Monte Brixiensis Episcopus, è Gallia (ubi pro fide quam prædicarant passi sunt, & credebantur* Brixiæ in Italia nati) *primus ad suos detulit, sub annum* MCCCCXLV, *eorumque festum ut civium coli voluit: exinde in Martyrologiũ Brixiensẽ Ms. & in hodiernum Romanum transiere: quamvis Capreolus in Brixiana Historia errorem subesse putet, quod Brixiæ tribuantur, quia ex Galliæ Lugdunensis parte, quæ nunc* Bressia *dicitur, ortum duxissent. Agemus de iis ad* XI *Iulii, disquiremusque an eorum passio recte attribuatur temporibus Marciani Christianissimi Imperatoris, & anno* CCCCLVIII; *an vero pro nomine* Maximiani *irrepserit* Marcianus, *& sic ad initium* IV *seculi illa retrahi possint, quando etiam vivebant* Laodicius *&* Maximus *Præsides ethnici, quorum sit mentio in eorumdem Actis, haud levi correctione egentibus. Hoc certum, quod* Ottobonus de Baiveriis, *si fuerit (ut hic fingitur) SS. Savini & Cypriani avus, non potuerit occubuisse in conflictu contra Henricianos; quod tamen de hisce centum octoginta duobus Faynus credit, ratus sic evadi contradictionẽ, quam important tot nomina & cognomina recentioris formæ, quale est ipsum etiam* Ottoboni *nomen. Sed prosequamur MS. nostrum exhibere, minime talem evasionem indulgens.*

manditur postea Christianis cruenta victoria

28 Duces illorum, *scilicet Christianorum contra paganos sub Adriano pugnantium*, fuerunt Manuel Confalonerius, Antonius-Franciscus Mattilengus: Ugozzo Comes Pralbaini, Datarius Ecclesiæ; Faustinus Gataldus, & Taverius de Tavetiis de Roccado. Ex quibus soli duo Manuel & Ugozzo occubere, sepultique sunt simul in oratorio S. Faustini sub terra, eodem loco ubi & sepulti fuerunt isti quinquaginta tres advenæ, una cum SS. Faustino & Jovita decapitati. [.....] Ex parte contraria multo plures cecidere, nam quidam Carolus de Lavel-longo dictus, & Matthæus & Laurentinus Scaligeri venerunt cum subsidio quadringentorum virorum, & fuerunt pagani, cæsis eorum ducibus Ugone Mascanino de Benacho, & Ferrarino Cajetano, cum aliis circiter quingentis. Ex eoque die cœperunt vim vi repellere Christiani,

AUCTORE D. P.

posita formidine paganorum, electusque est Capitaneus Mattheus Scaliger de Advocatis.

postquam reductus S. Apollonius in urbem sit.

29 Nota porro quod hic Mattheus, reduxerit in civitatem S. Apollonium Episcopum, qui gentilium metu ad latebras fugerat; cum quo redierunt alii cives quam plurimi; statimque templum quod dicitur S. Jacobi in silva, à S. Apollonio erectum est, multique Presbyteri ordinati, & magnum religio incrementum sumpsit. Consecrata est etiam ecclesia alia, & nominata S. Faustini ad Sanguinem.] *Ad hanc tam absurdam notationem, Matthei Scaligeri & S. Apollonii tempora confundentem, non potuit se continere viri optimi Fayni patientia, quin adscriberet margini,* apocrypham rem *esse; utique certo persuasus, hunc conflictum non contra Paganos secundo seculo, sed anno* MXCII *contra schismaticos Henricianos fuisse. Et merito quidem à primis Christianis, ferendis injuriis, patientiam Christianam; non repellendis, fortitudinem militarem exercere & probare solitis; rejicit Faunus tam alienam ab innocenti eorum simplicitate narrationem. Nam si vera fuisset, quantam præbuisset Imperatoribus ethnicis contra Christianos palam rebellantes insaniendi materiam! quantam adversariis nostræ religionis scriptoribus, insultandi calumniandique! quam valide obtundi poterant Sanctorum Patrum ora, nihil crebrius in suis apologiis quiritantium, quam vanos de Christianis metus spargi & immerito credi formidolosas Imperio coitiones eorum, qui majori numero Regios carceres captivi implebant, quam sua oratoria precabundi: quibus prima lex esset ferre magistratuum, etiam iniqua imperia: nulli malum pro malo reddere, pro persequentibus se orare, aliaque hujusmodi. Quid autem dicendum fuisset de S. Apollonio, tali occasione cæsos cum Martyribus tumulante? quid de Brixiensi tota ecclesia, eorum nomina in sacris fastis recensente ac venerante? Ergo non sub paganis hæc acciderunt: an autem sub Henritianis?*

Merito hæc rejiciuntur à Fayno;

30 *Vereor ne absque solida auctoritate hæc à Fayno arripiatur evasio. Quis enim est ille conflictus, quem Historiæ Brixianæ scriptores omnes ante Faynum ignorarunt? aut quibus testimoniis nititur illius veritas? Occupatâ anno* MXCI *per proditionem Mantuâ, pleræque Lombardiæ oppida venerunt in potestatem Henrici, isto & sequenti anno. An & in his Brixia fuerit ignoratur. Aliqua hinc inde commissa certamina, nihil est ambigendum: sed quod in iis Ecclesiæ partem sustinuerint Brixiani, aut omnes aut aliqui, nullo docemur argumento. Si ex Episcopis, qui eo tempore præfuere, facere conjecturam de civibus liceat; judicare poterimus, nihilo saniorem suis pastoribus gregem fuisse. Audi in Italia sacra Ferdinandum Vghellum:* Joannes *(quem Faynus in suo Cælo Brixiano scribit anno* MLXXXVII *creatum Episcopum)* sibi creditam dilapidavit Ecclesiam, teloque Christianæ religionis ictus occubuit. Ombertus, agnomine Baltricus, ab Henrico Rege hujus Episcopatus investituram accepit; Episcopatu mulctatus est anno MXC. De quo Landulphus de S. Paulo cap. I. Plura corpora reperit atque decentiori loco collocavit, ut prodit ejus sepulturæ affixum epitaphium à Rubeo relatum. ✠ Hic jacet Ombertus, bonus Pastor Brixianus: qui multa corpora Sanctorum, post cruentum conflictum, consecravit. Anno MXCIII. *Ecce ut schismatis causa depositum Episcopum, contemptaque Romana Sede in gradu persistentem,* bonum Pastorem *vocant auctores Epitaphii.*

sed nihilo majori cum fundamento traducuntur ad finem sec. II.

quando ipse Episcopus erat schismaticus.

31 *Quis porro ex isto epitaphio exundat, quod vel conflictus ille inter Brixianos fuerit, sub ipsis urbis mœniis? vel quod Brixiani pro Papa contra Henricianos pugnarint, potius quam contra Papam pro Henrico? vel quod corpora ab Omberto consecrata, id est (ut recte intepretatur Landulphus) decentiori loco collocata, non fuerint corpora Sanctorum antiquorum, qui suo vel sanguine vel exemplo Brixiam sanctificarunt; potius quam recens occisorum in pugna aliqua militum: quos, utcunque contra fidei hostes pugna sit, pro Martyribus habendos atque colendos constanter negavit Romana ecclesia, quamvis ad hoc decernendum imperiosius aliquando à seculi potestatibus solicitata? Hæc expendenda prius Fayno erant, quam ita asseveranter scriberet,* quod anno post conflictum secuto, Ombertus Brixiæ Episcopus, ex consensu Urbani II & consultu Synodi Diœcesanæ, eos, quorum in catalogo habentur nomina, multosque alios eodem prælio cæsos, quorum nomina ignorantur, canonizavit & Martyres declaravit, secundum usum istorum temporum. *Nos abundantis nimium pietatis & religionis excessum libenter condonamus virorum optimo & amicissimo, deque ipsius ingenita animi rectitudine nobis pollicemur, quod facilitate qua Martyrium hoc Brixianum, tamquam patriæ suæ & tot nobilium familiarum honori favens, amplexus est; nunc esset ipsum repudiaturus, si viveret; suumque repurgaret Martyrologium, Catalogis S. Afræ inscriptos secernendo ab aliis; ne officiant honori eorum, quorum martyrium vel sanctitas ex SS. Faustini & Iovitæ Actis, & immemorabilis temporis cultu probari potest. Sed quæ reliqua hujus MS. sunt, & tandem aliquid verioris historiæ videntur continere, audiamus.*

à quo finguntur canonizati qui pugnando ceciderant.

32 Ecclesia ista, *scilicet SS. Faustini & Iovitæ ad sanguinem,* data fuit Abbati S. Petri Papiensis in Cælo-aureo, cui nomen Benedictus de Mediolano. Hic successu temporis ibidem instituit congregationem sui Ordinis Canonicorum Regularium S. Augustini, ibidemque exstrui curavit monasterium, in cujus fundamenta ipse & D. Mattheus Scaliger primum lapidem posuere: instituitque, ut ejusdem loci Rector, Præpositus S. Faustini ad sanguinem vocaretur..... *Facta hæc fuerint post annum* MCCXXI, *quo dictum Papiense monasterium (quod Luitprandus Longobardorum Rex sacro S. Augustini corpore nobilitaverat) deficientibus Monachis Benedictinis, traditum est Canonicis Regularibus Mortariensibus, uti fuse describit Pennottus lib. I cap. 62. Sed rursum exerrat observandorum temporum ignarissimus auctor MS. prælaudati, quando jam inde à temporibus Luitprandi* conventum Papiensem dicit fuisse caput Canonicorum Regularium S. Augustini *(qui nondum sub ea appellatione ulli erant)* eorumque tunc Abbatem, qui corpus sancti Doctoris ex arca cum qua fuerat advectum extulit, fuisse Beatum Basilium de Florentia Ordinis S. Augustini Regularis observantiæ. *Deinde prosequitur quomodo Naymus quidam Bavariæ Dux, post mortem Caroli Magni, de Francia in Allemanniam proficiscens, transierit Brixia; motusque miraculo, in translatione SS. Faustini & Iovitæ facto, ibidem Brixiæ substiterit; ac tandem, post multa ecclesiæ S. Faustini ad sanguinem largiter donata, ibidem obierit anno* DCCCXXXV *die* XXX *Aprilis, corpus autem quinquaginta post annos relatum sit in Allemaniam.*

Ecclesia S. Afræ Canonicis Regul. Mortariensibus data,

(qui male creduntur Papiæ à R. Luitprando constituti)

33 Quando deinde, *inquit MS.* Brixia vindicata fuit à jugo Dominorum Veronensium de la Scala *(quod anno* MCCCXXXVII *accidisse notavit Faynus)* D. Vivianus de Bavaris multa insignia opera fecit.... in favorem ecclesiæ, dictoque Duce & Papiensi Comite intervenientibus, ecclesia SS. Faustini & Jovitæ, quæ in commendam deciderat, reddita fuit præfatis Canonicis: sed ab iisdem rursus propter injurias bellorum deserta est. *Addit porro:* In media navi ecclesiæ sunt corpora undecim Beatorum & quatuor loca occupant, ultra modo nominatos, in quorum censum etiam non veniunt illi, qni sunt in capella majori, & magna ex parte sua singuli habent nomina. Numerus autem omnium Martyrum, quorum corpora tam in puteo quam in variis ecclesiæ aut conventus locis sepulta sunt, universus adscendit ad novies mille nongentos sexaginta tres. *Hoc scilicet sic determinate oportebit*

multis dotatur possessionibus

temere definitur numerus Martyrû in ea sepultorum:

lit credere homini, post duodecim secula præsumenti definire eorum numerum; quem subducunt fuisse à Christianis, inter persecutiones trepide sepelientibus pro fide cæsos; & absque litterarum monumentis, ad tanto post secuti temporis notitiam pervenisse, nemo mihi persuaserit. Sed reliqua videamus.

eadem anno 1524 obtingit Canonicis Reg. Lateranensibus.

34 In capella majori, ex opposito portæ descenditur in carceres, quos sua patientia & præsentia Brixiani Martyres consecrarunt: in eademque capella sepolta sunt instrumenta passionis SS. Faustini & Jovitæ: ibidemque est loculus S. Afræ, multaque res aliæ omni reverentia dignissimæ. [Notandū est deniq; quod ecclesia S. Faustini ad sanguinem redierit tandē ad R. D. Ludovicum Castioli de Salo; Honorandum Præpositum & Canonicum Regularem Ordinis S. Augustini, in illam possessionē introductum per Reverendissimum Dominum D. Thomam Capreolum, Canonicum ecclesiæ Cathedralis & nobilem Brixianum, die XIV Martyrii, anno MDXXIV, tempore Papæ Clementis VII, mediante hujus decreto, & consentiente Illustrissimo Senatu Veneto, atque Reverendissimo Episcopo Brixiensi D. Paulo Zano, sub Ducatu Serenissimi Andreæ Gritti Venetiarum Ducis septimi. *Atque ita, post ridiculam unam de equi antei pede reperto notationem, quam omittimus, finitur totus hic libellus: cujus interpolatorem appares scripsisse cum jam Canonici Regulares Lateranenses in monasterio Papiensi, Mortariensibus successissent, quod anno* MDX *factum scribit Pennottus: nam inde deducti iidem Lateranenses Brixiam, possident hanc, quæ nunc S. Afra dicitur, ecclesiam.*

CAPUT V.

Examinatur postrema Martyrii Brixiani defensio, eidem in MS. ecgrapho recentius præfixa.

Traditio de multis Martyribus in S. Afra sepultis,

35 R*Estat Prologus, omnium novissime libello prædicto præpositus circa præsentis seculi initium: qui cum totus eo dirigi videatur, ut Martyrio isti Brixiano, sic nominatim singulos recensenti, fidem adstruat; debuit in finem reservari: quatenus expensis singulis, appareat nos prudenter fecisse, quod in usu Brixiani Martyrologii, non satis solide fundati, circumspectius agendum nobis proposuerimus. Est autem hujusmodi:* Antiqua & constans traditio, à patribus in filios, & à filiis in nepotes derivata est, quod olim, dum Christi staret vetus ecclesia, Reliquiæ istæ *(quæ nempe sub Altaribus in ecclesia S. Afræ, vel jam tum, cum scriberet auctor prologi, condita servabantur; vel eo transferendæ post absolutam novi templi fabricam; adhuc detinebantur sub turri)* quod, inquam, Reliquiæ istæ, tamquam Sanctorum, maxima cum religione veneratæ fuerunt à patribus nostris & avis & proavis. Nec levi fundamento nitebatur hæc traditio: constabat siquidem apud omnes, locum hunc Sanctorum Faustini & Jovitæ ad sanguinem, à temporibus usque primitivæ Ecclesiæ, non modo cædibus & martyriis, verum etiam corporibus plurimorum Sanctorum, qui ibi fuerunt tumulati, esse insignem. *Ita ille.*

non favet eorundem nomenclaturæ à nobis refutatæ:

36 *Ego traditionem ejusmodi existimo non egere multa probatione, nisi quatenus dubitatur, an antiqua & fundata traditio sit, quod ista Reliquiæ sint eorum, sub quorum nominibus & cognominibus nunc censentur: aut si eorum quædam sint, an satis prudenter fuerint promiscuæ omnes æstimatæ Reliquiæ Sanctorum, qui primitivam ecclesiam Brixianam suo sanguine fundaverunt; aut etiam eorum qui seculis diu post secutis, propter virtutum eximiarum famam, apud Brixienses, etiam sine sanguine, venerationem publicam meruerunt. Audiamus tamen probationes; quibus quam bene generalis fulcitur assertio, de multis Martyribus istic tumulatis; tam ineptæ omnes sunt, ad statuendum id, quod in nostra quæstione versatur.*

AUCTORE D. P. minus eam probant edita de Nicolao & Hieronymo Pedroccis, velut de antiquis Sanctis

37 Hoc testantur, *inquit cœptum discursum continuans auctor Prologi,* non solum chronica, per D. Paulum & Bonifacium de Borellis & Angelum de Cumo cives Brixiæ compilata *(unde scilicet desumpta tota subsequentium Martyrum designatio)* quæ apud multos in hac urbe reperitur *(nunc autem sic evanuit ut diligentissimus Faynus, ipsam ubique perquirens & nusquam inveniens, tandem sibi persuaserit hoc Martyrium Brixianum, quod nullam Chronicæ formam habet, ipsam esse Trium-virorum prædictorum Chronicam)* sed etiam Fabius Brusatus, civis Brixiæ, in vita SS. Nicolai & Hieronymi, ex nobilissima Pedrocca familia progenitorum, quam is anno MCCCCXVI conscripsit. *Eam Vitam, I Iulii dandam sperans, ad nos misit Faynus, ex impresso anni* MDXCI: *sed quia iisdem omnibus laborat vitiis quibus Martyrium Brixianum, non potest eidem conciliare fidem, nec locum in opere nostro meretur. Equidem existimo Pedrocchæ familiæ, in chronica prætérita absque ullius nobilis martyrii honore, datum esse ab aliquo ex inventoribus Chronicæ, ut de his duobus comminisceretur, quæ numquam veteres Brixienses audiverant, tamquam in eadem Adriani persecutione Martyrium passis: quæ deinde Fabius elegantiori stylo Latine studuerit adornare.*

hæc enim pari fabulositate conficta sunt,

38 *Pedrocca familia suum istud agnomen procul dubio sumpsit ab aliqua sua in agro Brixiano possessione, sic dicta, quod esset ad pedem roccæ alicujus, id est, rupis, sita. Sicut autem nomen Longobardicum ac minime antiquum est, ita ejusdem avi ac soli reputanda est familiā, quæ sic nuncupatur. Interim dictæ Vitæ auctor, stirpem ex nobilissima inter Romanas gente deductam fingit, & primum ex ea Christianum Ægidium Pedroccam, à S. Apollonio baptizatum, gentis Porciæ affinitate decorat, data ei uxore Porcia; ex quibus Erastus, in baptismo Nicolaus dictus, uxorem habuerit Iulianam, cui antea fuerit Eleonoræ nomen; qui una cum suo patrueli Hieronymo, ante baptismum Attilio, ad Præsidem vices Imperatoris in Cisalpina Venetiaq; gerentem (tanto scilicet prius quam Venetiæ nomē audiri cœpisset) semel, iterum, tertioque delati Christianam fidem proseminare, tandem anno Christi* CXXXIII, *Pontificatus Telesphori II, Ælii Adriani* XIV, *post varios cruciatus agonē consummarint. Inivit Pontificatum Telesphorus anno* CXXVII *ex nostro calculo, super antiquos Pontificum catalogos fundato; alii ad annum* CXL *aut* CXLII *initia ejus differunt: in Hadriano fere consentiunt omnes, anno* CXVII *cœpisse regnare. Interim nihil horum concordat cum anno Martyrii signato. Sed ejusmodi errores facile ignoscentur & homini & seculo, rerum chronologicarum imperito: magis dolemus, hac fictione inductos fuisse Episcopos Brixienses, ut festum Nicolai & Hieronymi, tamquam Sanctorum, Officio ritus Duplicis agendum decernerent; de quibus an in rerum natura unquam fuerint, nullo antiquiori testimonio credimus fuisse probatum.*

39 *Verum hæc dicta sunto pro tempore, quo Iulius mensis elaborandus veniet: ipsa Vita, qualiscumque demum sit, Martyrum Brixianorum virtutem non nisi in genere tangit. Idem dici potest de ceteris; quos auctor Prologi tertii his verbis indicat:* Hoc etiam aperte fatetur Elias Capreolus, historicus Brixiæ insignis, libro 2: *sed non fatetur aliud, quam constantes fuisse in fide Christianos Brixienses, & multos eorum martyrio coronatos.* Idem etiam habet & Malacsius *(quem non vidimus)* & Historia quædam manuscripta SS. Faustini & Jovitæ, magnam præferens vetustatem, quæ in monasterio nostro asservatur. *Ea historia est conscripta Italica lingua, & eadem prorsus transcripta manu qua Martyrium Brixianum, simul cum ipso transiit in potestatem Alexandri Luzzaghi, per Bernardinum Faynum ad nos missa; incipit autem hoc modo:* Beati Faustinus & Jovita secundi, filii Adionis de Pregnacchis & Theopistæ, nobiles Brixiani & dignissimi

qua legenda SS. Faustini & Jovitæ secundorum de Pregnacchis,

AUCTORE D. P.

mi equites, eo quod Christiani erant, capti sub à Quinto Centurione Trajani Imperatoris anno Domini CXVII. *Vides opinor stylum ubique recentem, quod tamen monitum te lector opportuit, ne forte ex antiquiori Legenda Latina, in vulgarem linguam traducta hæc credas. Interim tota narratio (quæ ejusdem farinæ est cum historia Nicolai & Hieronymi Pedrocchiarum) post narratum Iosaphati cujusdam de Chizzolis, ante id ignoti, æque suspectum martyrium, & sepulturam XVIII Martii anni CXXXV curatam, sic concluditur.* Ego Guerinus Ceretus vidi & audivi omnia supralcripta: & in eorum fidem singula descripsi manu propria. *Teneo, te, certitum caput, quisquis es. Tunc cum isto sermone quo uteris, vix modice differenti ab hodierno Brixiano; cum ista annorum Christi supputatione, quatuor primus seculis ignota; cum isto Guerini Longobardico nomine, speravisti te alteri quam tuo indoctissimo seculo persuasurum, rebus à te confictis interfuisse præsentem sub Hadriano Imperatore? Scio quid egeris & quare: sed altius repetenda est caussa, à nobis, dum Februarium conderemus, ignorata.*

40 *Amphrigius Brixiensis Episcopus, excitata in honorem S. Faustini ecclesia in suburbiis civitatis, ubi olim ædicula steterat S. Mariæ ad nemus dicta, illuc, sub initium IX seculi, solenni pompa, die XIII Maji, transtulit ab ecclesia SS. Faustini & Iovitæ ad sanguinem eorumdem Sanctorum corpora. Amphrigio Petrus, Perro Rampertus successit, qui anno DCCCXLII, IX Maji ad novam forte aram dictas Reliquias transtulit; & Leutgarum Abbatem atque Hildemarum monachum, sanctimonia laude doctrinaque præstantes evocavit ex Gallia; conditoque eisdem monasterio, attribuit ecclesiam novam S. Faustini, Majoris ab amplitudine dictam. Sub his quantum novus locus celebritate & opibus crevit, tantum in priori, S. Faustini ad sanguinem dicto, minuta est frequentia civium Brixiensium; cum nemo de veritate dictæ translationis dubitaret. Tandem tamen anno MCLXXXVII,* à Fratribus, *id est, Clericis, & vicinis alterius ecclesiæ rogatus Ioannes Episcopus, ipsa Sanctorum corpora (quæ illi adhuc penes se esse dicebant) in aptiorem locum collocare, marmoream arcam aperuit,* in qua duo corpora magnifice collocata invenit: erant enim pluribus sericis palliis cooperta.... ipsa vero corpora decollata fuisse videbantur, sed caput unius nullo modo reperiebatur, sanguis vero plurimis in locis sepulturæ adhuc rutilabat. Erat etiam cum ipsis corporibus gubernata sanguinis ac terræ mixtura, insimul quasi panis coagulata in multis frustis, palliis involuta, prout in effusione sanguinis eorum fuit collecta. Collectis autem jam dictis duobus corporibus, ab eodem Episcopo, in duobus palliis, nullam scripturam juvenit in ipsa arca, quæ eorum nomina declararet, sed ipsa rei qualitas eos Martyres fuisse monstravit: invenerunt tamen tabulam marmoream sub capite ipsius arcæ, quæ talem litteram continebat, FAVSTINO ET IOVITÆ CHR. MARTIR. VICTOR MAVRVS EX VOTO POSVIT MENSAM CIVIBVS SVIS....

composita ad sopiendam controversiam,

super inventis in S. Faustini ad sanguinem corporibus,

His ita peractis alio die, ... cum jam venturus esset Episcopus, ut altare majus restauraret, in eoque dicta duo corpora, cum aliis duobus in altari destructo inventis, reconderet; cucurrit Abbas S. Faustini cum magna multitudine, multas minas Episcopo inferens; & ne ad locum propositum se repræsentaret prohibendo, exinde ad Apostolicam audientiam proclamavit. Episcopus timens tunc, exinde amplius non processit: sed tamen prima die Septembris venit, & illos duos Martyres in arca reposuit; & in ipsa arca posuit cassiam, in qua erant illa alia duo Sanctorum corpora: quæ quidem quatuor Sanctorum corpora, una cum tabula supradicta, in arca sunt clausa.

inter Can. Regulares & Benedictinos,

Tunc vero idem Episcopus dixit, quia nolebat scandalum provocare: & ideo neque dicebat illos esse Faustinum & Jovitam Martyres, vel quod non essent. *Hæc breviter ex antiqua relatione, alias integre danda.*

41 *Ast Abbas S. Iustini, Ioannes item dictus, non jussit suam quoque aperiri arcam, ut de qualitate ac quantitate Reliquiarum in ea collocatarum cognosceret; & usque ad annum MCCCLV succedentium Abbatum nullus, renovata sæpius controversia, id facere curavit: sed vulgari traditione variisque Principum ac Pontificum litteris, de sua ecclesia tamquam dictos Sanctos continente, mentionem facientibus, satis se instructum ratus ille, ad Vrbanum III, Veronæ tunc agentem recurrens, Episcopo caussam deferente, haud difficulter impetravit, ut per Bullam datam XII Kal. Octobris, juberet Papa,* dicta duo corpora in loco, in quo primo fuerant, sine dilatione recondi; districtius Episcopo inhibens, ne eis ullam reverentiam Sanctis debitam exhiberet, nec ab aliis exhiberi permitteret; sed ea dimitteret justo judicio Dei, qui potens est eorum quos diligit memoriam suscitare; & SS. Faustini ac Jovitæ corpora, sicut consuetum eatenus erat, venerarentur in ecclesia S. Faustini majoris. *Huic judicio inhærens Clemens Papa III, ipsum confirmavit Bulla data Senis VII Kalend. Februarii Indict. VI, id est anno Christi MCLXXXVIII; & Petrus Cardinalis S. Cæciliæ, Sedis Apostolicæ Legatus, anno MCXCI, XV Kalendas Augusti, decretum Mediolani condidit, de dicta Translatione festo annuo recolenda ad diem IX Maji.*

nixa Pontificiis bullis,

42 *Post hæc, cum circa annum MCCXX Brixiam venisset S. Dominicus, & novi Ordinis excipiendi desiderium in animo Alberti tunc Episcopi reliquisset, videntur FF. Prædicatores hospitium saltem habuisse juxta ædem S. Faustini ad sanguinem, cum illius procuratione, usque dum novum monasterium construeretur. Horum zelo renovata vetus controversia est, & Benedictinis, sive ex negligentia nimiaque possessionis fiducia, sive alia ex caussa nihil repugnantibus; dictus Albertus Episcopus, supramemorata duo corpora, una cum corpore S. Faustini Episcopi in eamdem conclusit arcam & publicæ venerationi exposuit coram Fr. Iordano, Ordinis Prædicatorum Magistro, & Fr. Gualla, Priore ejusdem loci ac Fratribus suis. Cum enim de S. Faustini Episcopi corpore certo constaret, esse publico cultu venerandum; videbatur aliorum duorum corporum anonymorum honori sic consuli per hanc conjunctionem, ut tamen non violaretur mandatum Pontificum præmemoratorum. Patent hæc ex instrumento quod exhibemus ad 15 Febr. in Comment. prævio num. 17. Dominicanis postea locum deserentibus successere Canonici Regularis Congregationis Mortariensis, ex cœnobio Papiensi directi; sub quibus aut sub eorum decessoribus, una cum nova institutionis odore bono refloruit antiqua loci veneratio, simulque resuscitata est vetus controversia: quæ cum duceretur in longum, fortassis non absque scandalis, & in æde S. Faustini majoris sancta Corpora loco non satis condigno haberi viderentur, placuit ecclesiasticis ac secularibus magistratibus veterem arcam reserare. Factum id anno MCCCLV die IX Decembris, per Abbatem loci Bernardum Marcellum: unde secutum est, ut nemo deinceps potuerit dubitare de eorumdem vera existentia ad S. Faustini Majoris: quæ certitudo iterum confirmata est recognitione nova, anno Domini MDCXXIIX die VII Februarii: quem utrumque diem suo Brixiensi Martyrologio Faynus adscripsit.*

& antiqua certaque possessione,

43 *Desperata in hunc modum Regularium caussa succurrere volens ex eorum fortasse numero quispiam; & lenire invidiam, prioribus contentionibus excitatam; ut Brixianis civibus persuaderet, non omnino vanum fuisse cultum quem SS. Faustino & Iovitæ ad S. Afræ eatenus exhibuerant aliqui; novam istam Legendam Italico sermone fabricavit, valde diversam ab Legenda vera eorum, qui ad S. Faustini majoris coluntur; implicitam tamen cum historia*

historia eorumdem, velut consanguineorum & sub iisdem *juxta quam Legendam, velut à teste oculato scriptam,* *Præside ac Imperatore passorum. Hos autem Secundos Faustinum atque Iovitam attribuit familia Pregnaccha, cum inserta Chizzolorum & Massacagninorum mentione; haud ex vano ratus, patronos sibi ad caussam accessuros, quorum nominibus tanta adscribebatur antiquitas: sed non cogitans quam in seipsis nova ista essent cognomina, ex vulgari posteriorum seculorum lingua accepta, in qua* Massacagnino *est mactator caniculi,* Pregnaccha *idem valet quod* pregno di acqua, *aqua plenus.* Chizzolo *quid sit, non divino, Latina saltem vox non est, qua sola lingua Brixianis civibus, Romanorum colonis, Adriani tempore erat in usu. Interim Regularibus adeo tunc placuit inventio, caussam suam ut putabant in tutum subducturam, ut cum templi sui parietes nova incrustatione obducendos, in eaque Sanctorum Brixianorum imagines de-* *distincta sunt duo paria Sanctorum,* *pingendas curarent, pingi jussserint duo paria Fratrum Martyrum, alterum Sacerdotali, alterum militari habitu, uti eas picturas in veteri ecclesia vidisse se meminit Iacobus Tribescus infra nominandus. Postea vero succedentibus in desertum à Mortariensi Congregatione locum Canonicis Lateranensibus, & antiquatam pene SS. Faustini ac Iovitæ venerationem resuscitare satagentibus, placuit concordiæ caussa eamdem inire viam: & sic anno* MDXXXVIII *Indict.* XI, *die* VII *Februarii, facta nova eorumdem corporum inspectione & translatione, in instrumento desuper confecto & per Faynum ad* XV *Martii in Annotationibus relato, expresse dicitur,* aperta .... arca SS. Faustini & Jovitæ Secundorum de Pregnacchis, civium Brixianorum. *Concordiam inter Religio-* *Ab secundi Pregnacchis adscripti.* *sas familias equidem sartam tectam manere semper velim: non placent tamen qui consuunt pulvillos sub omni brachio; ideoque censeo longe consultius facturos fuisse Regulares, si post Sanctorum Corporum apud Benedictinos revelationem indubitatam, ingenue fateri voluissent leviorem jam esse auctoritatem Tabellæ extra tumbam repertæ & cum translatio antiqua fieret ibidem neglectim relictæ, alterique sepulcro postea applicatæ: tunc enim sperare potuissent haud difficulter concedendum, ut etiam suos quoque certos Martyres, quantumvis Anonymos, publice colere liceret. Plenius hæc in Supplemento Februarii tractabuntur: attingenda tamen hic fuere, ne nova istius Legendæ auctoritas nobis possit opponi, ad asserendam Italicorum cognominum antiquitatem.*

44 *Redeo ad Prologum, sic porro ante dicta firmantem:* Clarius omnibus id habet Vita S. Latini, *Frustra etiam allegatur, Vita S. Latini,* quæ est venerandæ antiquitatis: hæc enim fatetur, non modo plurimos Sanctos in hoc loco, tempore necis BB. Faustini & Jovitæ una cum ipsis fuisse sepulturæ traditos; verum etiam plurima alia Sanctorum corpora, longe ante eorum passionem, B. Latini Episcopi fuisse tumulata in istum locum. *Ista S. Latini Vita necdum in manus nostras aut diligentissimi Fayni venit: quædam Italica satis recens in Mss. Alexandri Luzzaghi reperta, nobisque communicata, nihil habet de Martyribus ante SS. Faustinum & Iovitam* *Chronica impressa an. 1511,* *Brixiæ passis, nedum de loco sepulturæ eorum.* Faciet etiam huic rei fidem chronica quædam antiqua, anno MDXI impressa Brixiæ, opera & impensa Mag. Joannis Antonii Brixiani: quam Jacobus Riccius, Decretorum Doctor & Canonicus Brixiæ, Faustino seu Philastrio Sanctissimis Brixiæ Episcopis adscribit. *Chronicam istam vel non habuit vel merito contempsit Faynus; quia scribendarum Chronicarum particularium inventum multis seculis est recentius. Erravit igitur Riccius, quando tam antiquos sua Chronica auctores dedit.*

45 Faciet huc etiam, *inquit auctor Prologi ad rem eamdem confirmandam,* *Vinea Bergomensis,* Bartholomæus de Peregrinis in sua Vinea Bergomensi parte 2 cap. 2, ubi inquit, quatuor sanctos viros Bergomenses, ob mirabilia quæ de sanctis Faustino & Jovita audierant Brixiam venisse, ibique post eorum necem cum plurimis aliis pro Christo Martyrium subiisse, eorumque corpora à Christifidelibus in via Cremensi sepulta fuisse: quæ omnia narrat se ex libro de antiquitatibus & gestis virorum Bergomensiû accepisse. *AUCTOR D. P.* *Ita sit sane (nam Bergomensia ista cui fundamento nitantur, alias licebit examinare) nihil hinc aliud efficitur, quam locum illum qui nunc S. Afræ ecclesia dicitur, fuisse cœmeterium Christianorum, quod nemo negaverit: neque Christianorum tantum, sed etiam Martyrum, quod lubens concesserim. Ad intentum tamen nostrum, de Martyrum in ecclesia S. Afræ, quiescentium nomenclatione præpostera, non magis hoc facit,* *aut pictura antiqua.* quam quod accedit tandem, quod in ecclesia veteri, ac presertim in majori capella ab interiori parte, aderant picturæ antiquæ, quibus cernebatur innumera Sanctorum multitudo, diversas in classes distributa, à carnificibus cædi ac trucidari: hoc enim pictores non proprio ex capite suo pinxerunt. *Non sane, sed ex antiqua traditione, de magno sed indefinito numero Martyrum Brixianorum, quorum istic potissimum servanda erat memoria, ubi, tamquam in loco reorum suppliciis destinato, eorum sanguis fluxerat; unde & nomen ei fecerant posteri, S. Faustini ad sanguinem.*

CAPUT VI.

Corporum in templo S. Afræ anno 1527 refossorum nomenclatio qualiter facta videatur.

46 *Qvæcumque hactenus ad comprobandam Martyrii Brixiani, ut supra descripti, veritatem auctor Prologi adduxit, leviora sunt, & nihil omnino docere possunt de corporibus, in ecclesia, postea S. Afra dicta, ante annos circiter centum & quinquaginta refossis; sive de vera eorum sanctitate, sive de nominibus singulorum. Propius igitur ad rem veniens auctor Prologi, sic eum continuat.* Quod antiqua docuerat traditio (nempe in hoc sacro loco plurima Sanctorum millia & martyrio fuisse coronata & sepulturæ commendata, *quamvis de millibus nusquam legatur*) postremo comprobat testimonium validissimum R. P. D. Jacobi Tribeschi Brixiani, viri in sacris litteris ac *Invenitur à quodam Notario Chronica Italica,* Theologia doctissimi, & vitæ integritate conspicui: is enim in libello, Italico idiomate exarato & manu ejus propria conscripto, confitetur, quod anno Domini MDXXVI (*tertio scilicet anno ab adventu Canonicorum Lateranensium ad ecclesiam S. Afræ*) & MDXXVII, dum ipse esset in religione nostra novitius & comes Sacristæ, qui erat R. D. Augustinus Cremensis, à Notario quodam, qui Calabria dicebatur, dum varias nobilis cujusdam, cujus ipse negotiis præerat, scripturas evolveret, inventa fuerit antiqua Chronica, charta pergamena exscripta, tantæ vetustatis, ut ejus characteres corrosi alicubi essent, & non nisi cum maxima difficultate possent legi. In hac descriptæ erant cædes Sanctorum, qui in hoc templo sunt conditi: & quo etiam in loco quave ratione jacerent, sigillatim patefiebat.

47 Hac re ad Patres nostros per eum delata, Patres ipsi locum effodere, & Reliquias Sanctorum inquirere cœperunt; atque indies (prout Notarius ille ex Chronica dictabat) omnino reperiebant: multaque Sanctorum corpora hoc modo & reperta & contracta sunt, quæ ipse D. Jacobus propria manu se extulisse testatus est, cum jam esset decrepitæ ætatis, annorum scilicet LXXVIII, anno Domini MDLXXXVIII. *Tale nihil* *loca sepulturæ & nomina ac cognomina Martyrû fingentis.*

VICTORE D. P.

hil cum legatur in opusculo præexposito, non potest ex hoc Prologo sumi occasio suspicandi, quod iste D. Iacobus fuerit vel primarius vel secundarius illius auctor; ideoque dolemus ipsum ejus libellum (qui forte bona conscriptus fide multam his tenebris lucem affudisset) non extare amplius: ex iis tamen quæ inventa sunt post Notarii illius indicium, quæque adhuc supersunt, conjectare licet quomodo res acta fuerit: quam enim solide aut credule illa ageretur, non poterat dijudicare annorum dumtaxat sexdecim adolescens, qui post tot annos ea testatus est.

scripta circa an. 1400

48 *Potuit igitur acta esse hoc modo. Invenerat Notarius iste vel ipsum libellum qui Martyrium Brixianum inscribitur, vel potius illas unde ipsum desumptum est chronicas, circa annum* MCCCC *scriptas (nam lingua vulgari scripta chronica aut simile quidpiam ad posteritatis totius memoriam serviens, ante annum istum vix quidquam reperias in Italia, ubi Latinæ usus diutius in talibus servatus est) eas tamen antiquissimas videri faciebat intuentium imperitia, & squallor membranis inductus vel per negligentiam eas asservantium, vel per fraudem auctoris volentis easdem sic facere digniores fide. Ex his cum bonus iste Notarius, bono (sit enim credere libet) studio ductus, novis loci istius inquilinis gratulabunde attulisset distinctam notitiam plurium Sanctorum, in ecclesia ista, ut quidem Chronica suggerebant, quiescentium; Patres isti, æque ac Notarius, boni, & quibus gratius nihil accidere posset quam occasio tam optata restituendi loco isti antiquam celebritatem, statim manum admoverunt operi; & ubicumque ex designatis in Chronica locis aliqua invenerunt corpora, ea crediderunt esse istorum, quos tali loco sepultos ipsa Chronica indicabant; etsi alias nullum adesset signum, quo certiores redderentur, non esse alia ab iis quæ requirebant. Debebat tamen de eorum quæ inveniebantur veritate dubios facere, tum ipsa conditio loci à tot seculis parochialis, in quo plurima Christianorum corpora erant successive humata; tum indicii ex Chronica desumpti incertitudo: neque enim reperta sunt iis omnibus locis, in quibus aliqua condita notabantur. Quæcumque tamen sic reperta sunt, ea sub notatis in chronica nominibus in quinque capsas sunt collecta; eas scilicet, de quibus sub Altaribus Magdalenæ, Assumptionis, Apollonii & Elisabethæ, nec non inferiori Beatæ Virginis collocatis, agit Catalogus: quæ utrum Sanctorum saltem ossa essent, divino erat relinquendum judicio, nisi vel inscriptiones sepulcrales, quas nemo inventas dicit; vel alia simul reperta signa, quorum nullus meminit, certum de inventis testimonium darent. Quod autem prænominatus Notarius secutus sit non Martyrium Brixianum, de quo hactenus, sed prolixiorem tractatum de tota Brixiana historia, qualitercumque digestum per annos & secula, unde Martyrii auctor excerpserit ea sola quæ propositam sibi spectabant materiam; videor mihi non obscure colligere, tum ex titulo Chronicæ, tum ex nominibus* Angelini, Alberti, Dominici, Angeli, Camilli, Roberti, Eusebii, Josaphat, Cælestini, Henrici, Silvani, *quæ nusquam apparent in Martyrio, præcipitantius & manu leviori collecto.*

cujus indicio reperta corpora aliqua,

absque alio ullo documento,

credita sunt vere Martyrum esse,

eo facilius quod antiqui Martyres aliqui ibi scirentur humati.

49 *De corporibus SS. Afræ Martyris, Apollonii & Felicis Episcoporum, & paucorum forsitan aliorum; quin vere ipsorum sint, quorum nomina præferunt, nolim equidem dubitare, cum non fuerint Notarii prænominati reperta indicio, in fide chronicæ tam fabulosæ fundato: sed ab antiquiori retro memoria suam habuerint venerationem, propriisque in arcis sint reperta cum titulis, certum facientibus quorum istæ Reliquiæ forent. De Puteo quoque, quem antiqua traditio Sanctorum Martyrum ossibus plenum esse ferebat, quemque Canonici Lateranenses, veteris ecclesiæ demolitione occupati, in oratorio S. Caloceri die* XXIX *Octobris feliciter detexerunt, anno* MDLXXX, *annuam inventionis memoriam exinde celebrantes; de hoc, inquam, puteo nolim similiter ambigere quin vere Martyrum, & quidem antiquorum ossa contineat; cum frequens ecclesiæ veteris consuetudo fuerit (ut pulchre in Annotationibus probat Faynus) Martyres, majori numero cæsos quam ut singulis posset sepultura aptari, in puteis ad hoc desiccatis componere. Numerum ac nomina novit Deus: non placent ii qui multa putant fuisse millia (tot enim puteus unus non caperet) multoque minus probandi sunt, qui iis affinxere nomina, qualia ætate ista non capiebat Brixia: absit tamen ut turpis imposturæ excusandæ caussa, credamus isto in puteo conditos esse, qui Henrici Imperatoris tempore in aliquo conflictu cecidere.*

50 *Quæret interim aliquis, quod fundamentum habere potuerint auctores Chronicæ, ut potius ista quam alia nomina suis fastis inscriberent, ipsaque istarum potius quam aliarum familiarum cognomentis geminarent. Id sane difficile est conjectare, nam fingere paratis facile fuit nomina & cognomina accipere ex vulgo notis & usitatis: potuerunt tamen eidem habuisse præ oculis Necrologion aliquod, in quo descripta erant nobilium personarum nomina, & locus sepulturæ earum adnotatus, ex quibus ipsi sanctos Martyres fecerint; non animadvertentes talia esse nomina, quæ paucorum seculorum admittebant ætatem. Quid autem si in eodem obituario vel in ipsis sarcophagis (nam fere soli nobiles tempestate illa sepeliebantur in templis, vulgus ad commune cœmiterium deferebatur, & arcis lapideis eidem utebantur) quid, inquam, si litteræ B. M. aut aliæ similes adscripta nominibus fuerint; indeque acciderit ipsis id quod Sardis usu venisse conjectamus in templo S. Ephisii, cum nostra memoria multa essent detecta inibi sepultorum monumenta: sicut enim litteras B. M. (quas gentiles quidem,* BONIS MANIBUS *scribebant; Christiani vero,* BONÆ MEMORIÆ) *Sardi interpretati sunt,* BEATUS MARTYR; *ita fieri potuit, ut Brixiani quidam, antiquariæ rei expertes, putarent se invenisse notam Martyrii & Sanctitatis, quæ tamen revera talis non erat.*

Nomina fors accepta ex Necrologio illius ecclesiæ,

51 *Petrus Galesinius, vir sane studiosus & pro modulo ætatis suæ, quæ historiis ecclesiasticis restituendis cœpit dari initium, eruditus, de ecclesia optime meritus credebatur, conscripto, quod in manibus est, martyrologio; nec aliter in principio operis nos sentiebamus. Verum ubi, progrediente labore & crescente simul experientia, magis magisque cœpimus cuncta ad Lydium veritatis lapidem, id est originaria cujusque rei documenta conferendo explorare; apparuit illius auctoritati & fidei parum tuto credi, qui sæpe vel proprias conjecturas vel novitias scriptiones secutus plurima peccavit, ex documentis certioribus refutanda; quorum errorum aliqua pars utinam non fuisset deinde traducta in Romanæ Ecclesiæ Martyrologium. Legit auctor iste & sæpe citat quosdam* publicos Brixiensium Annales, *quos arbitramur esse* libros Cancellariæ civitatis, *sæpe laudatos à Fayno & sub Annalium nomine indicatos, ex quibus* VII *Ianuarii accepit Inventionem* SS. Beniamini & Maximi; XII *ejusdem,* SS. Nainii, Jacobini, & Anselmi; XVI, SS. Marini Presbyteri & Stephani Diaconi; XIX. SS. Peregrini Felicis & Sylvani; *Februarii autem die* XII, *Inventionem* SS. Valeriani, Valentini, & Sapritii, *velut* qui una cum Faustino & Jovita; *aut circa idem tempus,* pro Christo Domino Martyrium subierunt: *& in Notis identidem adscribit eas Inventiones anno* MDXXIX.

Aliquorum sic inventorum meminit Galesinius;

52 *Apparet igitur, hæc non alia fuisse corpora, quam quæ ad indicium Calabriæ Notarii, ex fide chronicæ, quæsita sunt: quæ tamen quia Sanctorum esse credebantur, visa Annalibus publicis digna res est; sed quia ejusmodi inventiones identidem novæ ac novæ nuntiabantur, nec erat operæ pretium singularum annuam memoriam facere, in unum diem collecta est plurium commemoratio, quam Novum Martyrologium Brixianum Fayni sic faciendam præcipit:* VII Idus Martii Brixiæ, inventio multorum Sanctorum Martyrum apud ecclesiam S. Aphræ, qui sub Hadriano Imperatore martyrio affecti, ibidem in honestiori

quem secuti, re nondum examinata.

AUCTORE D. P.

nunc vellemus ei non credidisse.

nestiori loco siti sunt: *deinde in Notis*. Agunt de hac libri provisionum civitatis anno MDXXVIII & XXIX, & historia SS. Martyrum Faustini & Jovitæ, Brixiæ anno 1528 impressa apud Jo. Bapt. Borellam, in catalogo eorumdem Sanctorum ad calcem libri posito. *Non dolemus, quod, mensem Martium componentes, istius inventionis notitia caruerimus, & quod catalogus iste in manus nostras numquam venerit: nam hunc præsumere licet similem esse ei quem accepimus; & quamdiu non constat vere Sanctorum fuisse corpora quæ fuerunt inventa, non debebat talis inventionis memoria locum habere in opere nostro. Potius vellemus ut à libris prioribus abessent ea, quæ de prænominatis Brixianis, velut Martyribus, in Ianuario ac Februario ad supra notatos dies habemus ex Galesinio. Sed difficile fuit non sequi citantem publicos civitatis Annales, nobis non visos; aut absque majori luce dijudicare, quam parum fundata fuerit de vera ipsorum Sanctitate opinio. Quare æqui bonique consulat lector, quod ista expuncta cupiamus, juxta sæpe factam protestationem, candide ingenueque retractandi, quæ minus recte à nobis scripta vel deprehenderemus ipsi per nos, vel ab aliis moniti agnosceremus.*

Confido autem neque culpandum quod hæc refutarim,

53 *Uni scribimus & studemus veritati, idque citra alicujus, quantumvis amicissimi, offensionem, facere nos posse confidimus; ideoque cives omnes Brixianos rogo atque obtestor, ut ne eos pœniteat monumentorum patriorum nobis per Faynum communicatorum; neque indignetur non eo omnia loco, quo habuit ipse, habita fuisse à nobis. Bene meritus ipse de Ecclesia Brixana est deque nobis, plurima, hactenus vel ignorata vel obscurata, illustrando atque docendo; spero vicissim de eadem Ecclesia deque ipsomet bene meruisse me, discernendo ea, quæ permixta melioribus ac certioribus, Sanctorum Brixianorum honori haud leve creare poterant præjudicium apud æquos rerum æstimatores. Tales quia vix esse solent homines, in caussa propria familiæ aut patriæ; hinc nimium quam frequenter contingit, ut quæ ipsi indubitanter suscipiunt, neque suspecta habere sciant, amore isto affectuque occupati; ea alii, ab ejusmodi præjudiciis vacui, apocrypha reputent.*

neque ægre laturam nobilitatem Brixianam quæ de cognomentis dixi.

54 *Vix ullam esse illustrem familiam, cujus primordia vero antiquiora & angustiora non fecerit adulatio, heroes fingendo, qui numquam fuerint; facinora comminiscendo, quæ nemo viderit; notum apud omnes est. Ejusmodi fictionibus scatere vulgatas urbium quarumcumque chronicas, ante duo aut tria secula scriptas, scimus, nec miramur: easdem tamen refutare operæ pretium non putamus, nisi quando videmus haustos ex iis errores inducere confusionem rerum sacrarum, quemadmodum Brixiensibus contigit; & antehac ostendimus in Martio contigisse Brugensibus, propter fabellas de Caroli Boni Comitis nece ante pauca secula excogitatas. Ut autem his gratum fuit ipsas dedoceri; sic spero non displiciturum Nobilitati Brixianæ, quod negaverim temporibus Hadriani nota fuisse familiarum suarum nomina. Generatio præterit & generatio advenit, inquit Sapiens: qui tunc fuere nobiles, eorum nunc posteri vel nulli sunt, vel delitescunt obscuri: econtra nunc nobiliter fulgent, qui à Longobardis, Francis aut Alemannis, rerum post Romanos in Italia potitis, originem ducunt. Ea est humanarum rerum vicissitudo; cui pertinaciter obniti, & inter Romani Imperii ruinas, nunc ignobiles, vetustam quærere claritatem, hominis est nimium se suumque nomen amantis, & quod nusquam est, invenire cupientis. Recte Carolus V Imperator, vere maximus, ultra Rudolfum Habspurgium vetuit quæri majores suos: nec est cur tali exemplo non moveatur aliquis, ad vera certaque familiæ suæ decora, licet minus antiqua; præ incertis meritoque suspectis, licet maximam antiquitatem promittentibus, ostentanda.*



IN

INDEX SANCTORUM
AD XI MEDIOS DIES APRILIS.

C

D

12 Janua-

M

N

O

12 Sa-

T

V

W

Z

INDEX

INDEX CHRONOLOGICUS.

SECULUM I

SECULUM II

SECULUM III

SECULUM IV

SECULUM V

Anno 1003

SECULUM XII


SECULUM XIII

SECULUM XIV

SECULUM XV

SECULUM XVI

SECULUM XVII



PROTESTATIO
AVCTORVM.



Quandoquidem benevolis eruditisque Lectoribus cordate & ingenue sæpius denuntiavimus, atque adeo inculcavimus; si quæ ipsis sinceriora, quam quæ habuimus, Sanctorum Acta monumentaque alia occurrent; aut si in ipso nostro opere quidpiam reperient, ubi quod verum rectumque erat haud simus assecuti, deque his admonere nos dignabuntur; nos illis maximas habituros esse gratias, & quæ perperam scripseramus emendaturos; multo sane æquius est, nos Sanctæ Apostolicæ Sedis judicio ac decretis obtemperare. Nam Cælites omnes Deumque ipsum sancte testamur, nos eamdem sacrosanctam Sedem, ut Veritatis (quæ unice proposita esse historiam scribentibus debet) Magistram revereri; neque ab ejus scitis jussisque vel latum unguem declinare velle.

Quare (quod est alias Vrbani VIII Pont. Max. iteratis Constitutionibus vetitum) nulli, quantum quidem per imbecillitatem humani judicii provideri à nobis potuit, Sancti aut Beati appellationem adscripsimus, cui non eam vel Sedis ejusdem sententia, vel Majorum religio, vel veterum Scriptorum auctoritas contulerit. Neque item cujuspiam, qui non videatur, *per communem Ecclesiæ consensum vel immemorabilem temporis cursum, aut per Patrum virorumque sanctorum scripta, vel longissimi temporis scientiâ ac tolerantiâ Sedis Apostolicæ vel Ordinarii*, venerationem obtinere, commemoravimus miracula, prædictiones, arcanorum manifestationes. Si tamen videamur uspiam hoc in genere hallucinati, admoneat nos quivis amator Veritatis, atque illico corrigemus. Etenim hosce Commentarios nullum aliud habere momentum volumus, quam Historiæ Humanæ, ab hominibus errori obnoxiis compositæ: nisi siqua ex Divinæ Scripturæ libris descripta, aut Ecclesiæ Catholicæ Conciliis, Pontificiisque Bullis Canonizationum, quibus sua sacrosancta constare debet auctoritas, accepta sint.

ACTA SANCTORVM APRILIS.

TOMVS SECVNDVS.

MVltorum illustrium Sanctorum præclara Acta Tomus hic secundus Aprilis offert, ab undecimo mensis die exordiens, & cum vigesimo primo finiendus. Præ omnibus tamen singulariter excellunt eximia pulcherrimaque monumenta, quæ de sancta virgine Schidamensi Lidwina collecta hic dabuntur. Nihil illis toto hoc mense mirabilius, sed nec quidquam certius ab oculatis testibus publica & privata auctoritate probatum. Par fides & auctoritas eorum est, quæ de S. VVernhero puero, à Iudæis ad Rhenum interfecto, huic etiam Tomo inserentur. Vtraque autem illustranda nobis tanto sunt diligentius, quanto solicitius egere hagiomachi ut omnem utriusque memoriam abolerent. Videant illi tabescantque videndo quam nihil egerint, in saxa & ligna debacchantes, quamdiu supererant scripta, quæ nunc in lucem veniunt suam illis exprobratura vecordiam; interim dum pii fideles, ad quos translata sacra corpora sunt, discent pluris æstimare thesaurum sibi divinitus oblatum. Idem efficient aliorum Sanctorum gesta, accurratius explicata, apud eos præsertim qui sacris eorumdem pignoribus gloriantur. S. Iulium Romanum Pontificem cum duobus Sanctis Leonibus hic inveniet Italia; Herminigildum, Turibium, Fructuosum Hispania; Gallia Godebertam & Bernardum Tironiensem; VVicterpum Germania; Anglia Guthlacum, Elphegum, Anselmum; aliæ denique regiones alios, singulæ sibi proprios eoque cariores. Quorum & ceterorum toto hoc opere productorum ac producendorum exempla domestica, utinam sic afficiant lectores scriptoresque, ut unico totius sanctitatis auctori Christo efficiantur quam simillimi, agendo fortiter & patiendo, atque ita cum Sanctis omnibus eidem similes fiant in gloria sempiterna.

XI DIES MENSIS APRILIS.

SANCTI QVI III IDVS COLVNTVR.

SAnctus Antipas Martyr, Episcopus Pergami in Asia.

S. Domnius, seu Domnio, Episcopus salonitanus.

S. Anastasius,
S. Maurus,
S. Asterius,
S. Septimius,
S. Sulpicianus,
S. Thelius,
S. Antiochianus,
S. Paulianus,
S. Caianus,
} Martyres Dalmatæ, Salonæ, Spalatæ, & Romæ.

S. Domnio seu Domnius Cubicularius Maximiani Dalmata

S. Salon,
S. Maximus,
S. Hilarius,
S. Concessus, & ceteri Sancti,
} Martyres, in Mauritania passi.

S. Philippus, Episcopus Gortinæ, in insula Creta.

S. Fortunatus,
S. Donatus,
& alii CCXI
} Martyres, in Africa.

S. Eustorgius Presbyter,

A S. Nestor, S. Filonus, S. Ceremonius, Martyres Nicomediæ in Bithynia.

S. Cancianus, S. Gaianus, S. Iovinianus, S. Marcellus, S. Vitalis, Martyres.

S. Siagrius, S. Patricius, Lugduni in Gallia,

S. Pharmutius, eremita in Armenia.

S. Leo Magnus, Pontifex Romanus. D.

S. Barsanuphius solitarius, prope Gazam in Palæstina,

S. Isaac Abbas, Spoleti in Vmbria.

S. Agericus, Abbas monasterii S. Martini, Turonibus.

S. Godeberta Virgo, Noviomi in Gallia

S. Guthlacus Presbyter, anachoreta, Croylandiæ in Anglia.

B. Raynerus Solitarius, Osnabrugi in Westphalia.

PRÆTERMISSI ET IN ALIOS DIES REIECTI.



Hilippus, Archiepiscopus Bituricẽsis, *memoratur à Ghinio in Natalibus Sanctorũ Canonicorum. Mortuus is est V Idus Ianuarii, ac de eo egimus inter Prætermissos* IX Ianuarii.

S. Tryphænæ, Mart. in Cyzico, *hodie memoria repetitur in Menæis & Maximo Cythetao: de eademque videntur agere, absque expreßione loci, varia MSS. Synaxaria* IX *Maii: nos plenius de illa, cum Romano Martyrologio,* XXXI Ianuarii.

B Notgerus Episcopus Leodiensis *cum titulo* Sancti *memoratur in MS. Florario, de eo inter Prætermissos egimus* X Aprilis.

Sancti novem milites Martyres *memorantur in Kalendario Breviarii & Missalis Ambrosiani. Forsan de Martyribus hic aßignatis.*

Dalmata *seu* Dalmatus Martyr *refertur in MSS. Atrebatensi Tornacensi & aliis: ut duo distincti memorantur in MS. Tamlatensi. Celebramus hoc die plures Martyres in Dalmatia passos: ad quorum Acta dubitamus, an* Dalmatus *seu* Dalmata *debeat appellari, vel sumi, & in titulo propositum mallimus expungi.*

Didymus, in quo multa erat gratia, qui scorpiones & cerastas, id est bestias cornutas, & angues, & cetera venenata illæsus calcabat, *memoratur à Ruffino lib. 2 de Vitis Patrum cap. 24, & ex eo in Martyrologio Coloniæ & Lubecæ an. 1490 excuso, in Viola Sanctorum Hagenoæ an. 1508 impressa, in Additionibus Greveni ad Vsuardum, & in Martyrologio Germanico Canisii. In* MS. *Florario legitur,* S. Dronni eremitæ, *pro quo Rosweidus in Notatione 42 ad Ruffinum impreßit,* S. Didymi eremitæ, *addens se memoriam ejus in aliis Fastis sacris non invenisse. Deest etiam Palladio, qui fere de reliquis Eremitis à Rufino relatis agit. Nos certiora venerationis monumenta requirimus.*

C Artelas, Episcopus in Mesopotamia, *memoratur à Withfordo, in Martyrologio Anglice edito.*

Thallacus, Presbyter & Confessor, *memoratur à Petro de Natalibus lib. 11 Catalogi cap. ultimo num. 127, & ex eo Ghinius in Natalibus Sanctorum Canonicorum: non addito loco aut tempore vitæ, aut re ulla gesta.*

S. Senior, Moeldavani filius, Primas Armacanus, *ex Tamlactensi & Mariani Germani Martyrologiis refertur à Colgano, in Append. ad Acta S. Patricii parte 4.*

Laustranus, qui Scotis suis veram Paschatis observationem persuasit, *memoratur in Menologio Scotico Dempsteri, citato Scoti-chronico à Magno Macculovio conscripto, Dempsterum sequitur Ferrarius. Meminit cujusdam S. Laustrani Episcopi idem Dempsterus in Hist. Eccl. Gentis Scotorum lib. 11, sed nescit cujus loci.*

Maccæus Vates, discipulus S. Patricii in insula Buta, *inscriptus est Menologio Dempsteri, & ex eo Notis Ferrarii.*

Mardocus Hua Dunlange in Cluain-Mor, Ardanus Echdromensis & Echforadensis, Scellanus & Salomon, Senanus & Brocanus, Frossacus anachoreta, Dadnanus Episcopus de Kell-Cunga, Hiberni, *ut* Sancti. *Memorantur in Martyrologio* MS. *Tamlactensi Hibernico.* E

Wikeranus, Abbas Luxoviensis XVI, *memoratur cum titulo* Beati *in Catalogo Ferrarii, & citantur monumenta cœnobii: ex quibus Sanmarthani solum habent* defecisse XI Aprilis. *Silent alii.*

Stephanus Abbas & Ildebrandus Conversus, Ordinis Cisterciensis, ab hæreticis Albigensibus occisi anno MCCIX, *referuntur cum titulo* Beati *in Menologio Chrysostomi Henriquez, qui etiam lib. 2 Fasciculi SS. Ordinis sui, distinct. 39 cap. 3 de iis agit, asseritque se nomina eorum reperisse in MS. Dunensi, cum sine propriis nominibus essent inscripti Kalendario Ordinis Cisterciensis Divione anno 1617 excuso: & Bzovius ad an. 1209 num. 10 de iis agit sub titulo Abbatis Elnensis & socii Conversi. Saussaius inscripsit Martyrol. Gallicano, & titulo Sancti honorat. Chalemotus & Bucelinus* Beatos *appellant: sed requirimus de veneratione majorem certitudinem.*

F Angelus de Victoria Ordinis Cisterciensis, monachus cœnobii Ferraræ, vulgo Herrera, in Hispania, & Generalis Reformator regularis Observantiæ, virtute eminens, *memoratur cum titulo* Beati *in prædicto Menologio Cisterciensi Chrysostomi Henriquez, qui Vitam ejus inseruit Fasciculo Sanctorum ejusdem Ordinis lib. 2 distinct. 28, sed ibi, absque titulo* Beati, *eum appellat* Reverendissimum Patrem: *Chalemotus eumdem refert, sed solum cum titulo* Venerabilis Patris.

Joannes Etheus Ordinis Minorum, qui victus tormentis, fide abnegata, triennio in Mahometismo vixit: sed facti pœnitens, ob fidem Christi, inter varia tormenta, apud Cairum Babyloniæ vitam finivit circa an. 1373, *& ad hunc diem cum titulo* Beati *inscriptus est Martyrologio Franciscano Arturi à Monstier. Quem lector consulat aliosque ab eo citatos, dum ejus martyrium Ecclesiæ auctoritate vindicabitur.*

Franciscus Senensis Ordinis B. M. V. de monte Carmelo, *concionator zelosus, cum in urbe Cremona acrius blasphemos insectaretur, hac die anno* MCCCLXXV *Martyr dicitur obiisse, à fæce plebis lapidibus obrutus. Habemus illius vitam quamdam sive elogium MS. Gallicum recentius compositum, cum titulo* Beati, *quem si forte etiam alii eidem tribuant nil putamus nostra interesse, quandoquidem, studiose requirentes à Cremonensibus num quid de*

de tali Beato scirent, & corpus aut, sepulcrum esset in veneratione aliqua, responsum accepimus, de ejus morte sic obita rumorem quidem aliquem vigere, sed de cetero nihil fieri quod ad rem faciat. Quod hic fuit indicandum, ne sine caussa prætermissum queratur aliquis. Apud Historiæ Cremonensis auctores nihil de eo invenimus.

A

Martinus à Guarda, Ludovicus Amaranthus, } In India occisi,
Angelus à Clavasio in Pedemonte,
Antonius Citrarius in Calabria,
Franciscus à Melo, Ioannes de Arcu } in Hispania;
Bartholomæus à Middelburgo in Belgio,
Beatrix à Bello-monte, Granatæ
} Ordinis Minorum S. Francisci, *referuntur in Martyrologio Franciscano Arturi à Monstier, quos auctor* Beatis *adscribit: sed sua, non Ecclesiæ auctoritate. De* Bartholomæo *late agit Raissius ad Natales Sanctorum Belgii, sed absque titulo Beati.*

B S. Drogo Confessor in civitate Syburigensi (*imo* pago Sebourch prope Valencenas) *memoratur in MSS. additionibus Carthusiæ Bruxellensis. Colitur die* xvi Aprilis.

S. Joannes, discipulus S. Gregorii Decapolitæ, *& postea in veteri Laura monachus, hoc die elogium in Menæis habet: integrum Officium, ibidem & in Typico indicatum,* xviii Aprilis.

S. Stanislaus, Episcopus Cracoviensis & Martyr, *inscriptus est Florario MS. Additionibus Greveni & Molani primæ editionis ad Usuardum, Martyrologiis Canisii & Galesinii, & Catalogo Ferrarii. Colitur* vii Maii.

B. Dympnæ Virginis & Gerberni Sacerdotis adventus Antverpiam, & illinc ad Ghelæ villam, ubi uterque est martyrizatus. *Ita collectio Carthusiæ Bruxellensis. De iis agetur* xv Maii.

S. Landfrancus, Archiepiscopus Cantuariensis in Anglia, *inscriptus est MS. Florario, ab aliis ad dies valde diversos, uti diximus XXIV Martii inter Prætermissos & transmisimus ad XXIV, aut* xxviii Maii.

S. Leo Papa III, qui tempore Caroli magni sedit, eidemque Augusto diadema contulit, *memoratur hoc die in Martyrologio Coloniæ & Lubecæ anno 1490 excuso: à Ferrario & aliis ad diem, quo obiit,* xii Junii.

C S. Juliani, Episcopi Conchensis in Hispania, translatio corporis *refertur à Tamayo Salazar in Martyrol. Hispan. à Ferrario in Catalogo generali & à Marietta. Illa cum reliquis Actis danda erit* xi Septembris.

S. Eustorgius, Episcopus Mediolanensis, *memoratur à Maurolyco & Felicio: eum esse,* qui Magorum corpora è Byzantio Mediolanum transtulit, *asserunt Ferrarius in sua Tographia, & Carthusiani Bruxellenses in MS. collectione. Colitur* xviii Septembris. D

S. Leodegarii, Episcopi Augustodunensis & Martyris, receptio Reliquiarum in Brono monasterio, *memoratur à Molano, Wione, Menardo & aliis: de ea agendum erit die ejus natali.* ii Octobris.

S. Bienerius, anachoreta, apud Uxamæ-burgum in Hispania, *celebratur à Tamayo-Salazario in Martyrol. Hispanico, ex solis verbis Iuliani Petri; & conatur probare eumdem esse,* Bernerium, *Laudatum à Ferrario in Catalogo Sanctorum Italiæ & Catalogo generali; sed ad diem, quando ista commodius discutientur, & plenius tractabuntur* xvi Octobris.

S. Theodorus in Antiochia Presbyter: quem cum Julianus, avunculus Juliani apostatæ, comprehensum crudeliter mactasset, novissime gladio præcepit occidi; *memoratur in Martyrologio Bellini secundum morem Romanæ curiæ excuso anno 1498 & sequenti seculo sæpius. Illum secuti Maurolycus, Felicius, Grevenus, Molanus, Canisius, Galesinius. Omittitur in Martyrologio hodierno; Ferrarius vero qui primo loco retulit ad hunc diem, asserit eumdem in Martyrologio Romano referri ad diem* xxiii *Octobris, quando Bellinus cum majori elogio eum refert, &* gladii occisione martyrium consummasse *tradit. Ad quem diem Baronius tradit duos fuisse sub Iuliano Antiochiæ passos Presbyteros, Theodori nomine appellatos. De eorum aliquo, cum sociis relato* xxix *Martii istic egimus: totum autem de plurium distinctione examen commodius fiet, quando necessario de alterutro agendum erit* xxiii Octobris.

S. Felix, Episcopus Trevirensis & Martyr, *celebratur in* MS. *Florario Sanctorum. Videtur hic esse sextus Ecclesiæ Trevirensis Episcopus, & secundo Christi seculo floruisse. Browerus lib. 2 Annalium Trevirensium p. 187 ait,* sine corona martyrii è medio abiisse haud levem ad credendum movere suspicionem, *& ita absque mentione martyrii refertur in Martyrologio Coloniæ & Lubecæ anno 1490 excuso: & à Greveno in Additionibus ad Usuardum appellatur* Confessor; *sed die quo iterum refertur in Florario,* xxiv Octobris.


S. Gregorius primus Abbas in Finsterwoldt, quod modo dicitur ad Eremitas, filius Regis Anglorum, *memoratur in Kalendario Ordinis Benedictini, scripto Delfis in Hollandia anno 1473. Murerus in Helvetia sacra de eo agens morti ejus assignat annum 996; & diem, quo de cultu ejus inquiremus,* viii Novembris. E

D. P. # DE S. ANTIPA MARTYRE

Episcopo Pergami in Asia.

An. XCII

Martyrii sancti



Cum Epistolam, mittendam Angelo sive Episcopo Pergamenæ Ecclesiæ (quæ ex septem primis Asiæ una est) dictavit Christus Dominus, Ioanni Apocalypsim scribenti apparens; laudat eum, quod fidem non negaverit in diebus illis, *quibus* occisus est Antipas, testis fidelis *divini nominis. Istius urbis Episcopum fuisse habet recepta apud Græcos traditio, expressa in Actis, quæ Romæ ex Vaticano codice 1660 Græca transcripsimus, & ex Veneto MS. Latine redditam à Francisco Zino apud Lipomanum damus. Auctorem fuisse, non Metaphrastem (sub cujus nomine ex Lipomano eam accepit Surius) sed è Pergameno Clero aliquem, nequaquam poterit dubitare, qui ultimo encomii hujus capite seu numero volet observare hæc verba:* Reliquias in hoc loco Pergami collocarunt, ubi nos congregati gratias agimus Deo. *Encomium dixi, quia absque peculiari rerum in vita gestarum notitia, longo post tempore, quietis & florentibus Christianorum rebus compositum, aliud non complectitur, quam mortem Sancti; & quidem prout eam, ex sola majorum traditione, servabat memoria posterorum; addito colloquio Martyris cum Præside, quale animo suo concepit Auctor, ut sancti viri constantiam sub rhetorico schemate lectoribus suis repræsentaret.*

à Clerico Pergameno descriptum,

2 *Andreas, Cæsariensis in Cappadocia Archiepiscopus, magno quidem Basilio posterior, antiquus tamen & egregius super Apocalypsim commentator,* Quidam, *inquit,* Antipas nomine, scitissimus constantissimusque Martyr extitit Pergami: cujus ego Martyrium olim legi. Facit autem Evangelista peculiarem ipsius hoc loco mentionem, tum quo fidelium civitatis illius virtus atque constantia plana fiat; tum etiam quo seductorum in ea immanitatem ob oculos nobis ponat. Andreæ Cæsareensi

AUCTORE D. P.

ejusque successori Aretæ laudatum, ponat. *Extabat ergo jam tum, & quidem non ita recenter scriptum Martyrium; ipsum probabiliter, quod hic damus: de eodemque, Aretas Andreæ successor & Compendiator sic loquitur:* Antipas Martyr Pergami martyrium consummavit: cujus martyrium ac testimonium in hunc usque diem incolume est; qui multa in adversarios libertate usus, quantum ad ipsum spectat, ad mortem usque processit: *ubi Martyrium & Testimonium veluti condistinguens auctor, videtur indicare, non solum confessionis generosæ narrationem, sed ipsum Martyris sepulcrum adhuc Pergami superfuisse cum scriberet, sub initium octavi seculi.*

3 *Habemus egregium Ecclesiæ alicuius Constantinopolitanæ synaxarium MS. nobis à nostris Collegii Claromontani Patribus Parisiis commodatum, cum prolixiori, quam Basilii Imperatoris menologium contineat, S. Antipæ elogio, ad hunc XI diem Aprilis, sub hoc titulo:* Certamen sancti Hieromartyris Antipæ, Episcopi Pergami Asiæ, & unguentum indesinenter fluentis: *elogium ipsum ex encomio mox dando desumptum, ubi pervenit ad exponendam orationem à Martyre fusam ante mortem, addit insuper* precatum eum, ut qui sui memoriam facerent, ab aliorum quidem morborum molestia, sed imprimis à dentium intolerabili cruciatu immunes servarentur, & suorum delictorum consequerentur remissionem atque misericordiam in futuro judicio: eoque impetrato emigrasse ad Dominum, Positus est autem, *inquit* in ea quæ est apud Pergamum ecclesia, unguenta & sanitates perenniter scaturiens. Celebratur vero synaxis ejus, in venerabili Apostolio sancti & celeberrimi Apostoli atque Evangelistæ, Joannis Theologi, juxta sanctissimam majorem ecclesiam. *Sed & de martyrii à S. Antipa tolerati instrumento, Constantinopolim translato, hac habet Cedrenus, in Compendio historiarum num. 116, enumerans ornamenta à Theodosio Magno illata in urbem:* Bos æneus Pergamo advectus est: fuit autem fornax, in qua ustus est Antipas sanctus Martyr.

tumulus unguento fluens;

B

cultus Constantinopoli,

ubi & instrumentum martyrii erat:

4 *Præcipuum est hoc die apud Græcos S. Antipæ Officium, uti ex Typico Hierosolymitano, Ephemeride metrica & excusis menæis intelligi datur; in quibus vel solus Antipas nominatur, vel solus proprias Antiphonas & odas habet: Odarum autem sive Canonis auctor Ioseph Hymnographus hoc concepit Acrostichon, in singularum stropharum initio cum suo nomine inveniendum.*

officium à Iosepho Hymnogr. compositum

Τὸν φαιδρὸν ἐν Μάρτυσιν Ἀντίπαν σέβω ΙΩΣΗΦ, *quod totidem litteris sic Latine reddas:*

Decorum inter Martyres colo Antipam. JOSEPH. *Canon ipse in quarta ode suppenit, eumdem fuisse* impletum Spiritus sancti charismatibus, haustis à Theologi illius ore, qui supra pectus Domini recubuit. *Ode autem nona hanc stropham exhibet.* Hodie gaudet Pergamus in sacra solennitate sanctissimi sui Pastoris, & omnes per circuitum civitates convocat: cui & ei nos congaudentes ipsum hymnis coronamus. *Græcos sequuntur Moscovitica & Ruthenica Kalendaria, quorum jam sæpius facta mentio.*

C

5 *Festum hoc die agendum Latini ex Lipomanno primum didicere: à quo accepit & transtulit in propriam suam ad Usuardum additionem* Molanus *anno* 1568: *omisit autem in secunda anni* 1575 *editione. Sed postquam vidisset Græcorum Kalendarium à Genebrardo excusum Parisiis anno* 1577, *satis hoc esse credidit auctoritatis, ut in editione anni* 1583 *reponeret Antipam. Molanum Galesinius atque Canisius secuti sunt; & hos demum in Romano Martyrologio, à se recognito auctoque Baronius, ita scribens:* Pergami in Asia S. Antipæ testis fidelis, cujus meminit S. Joannes in Apocalypsi. Is sub Domitiano Imperatore in bovem æneum candentem conjectus, martyrium consummavit. *Citat Baronius Græcorum Menologium, à Sirleto videlicet ex Meneis ac Synaxariis Græcorum compendiose collectum: in quo verba præcitata de cultu sancti Antipæ Constantinopoli legere est, omissa prolixiore martyrii relatione.*

nomen Latinis fastis additum.

D

MARTYRIUM,

Ex MS. Græco, Veneto, interprete Franc. Zino, collatum cum Græco MS. Vaticano.

Mota sub Domitiano persecutione a

1 CUm adversus Christianos persecutionem excitasset *a* Domitianus, qui Apostolorum tempore Romanum Imperium obtinuit; per orbem universum ad omnes magistratus missæ sunt literæ, ut homines Christiani decretis Imperatoris parerent, & sine ulla excusatione stultam idolorum religionem colerent, eorumque templa omni honore venerarentur. Tunc fidelis verum Deum confitentium multitudo patefacta est, & magna Martyrum pro Christi Salvatoris fide ubique decertantium, virtus apparuit. Tunc & Ecclesiæ fideique basis, & Christianæ veritatis fundamentum, atque æternæ Divinitatis unigeniti præco, Joannes, Apostolus præstantissimus, in Patmum insulam relegatus est. Ubi dum magnum Christi Martyrum cœtum iis, quæ de septem Ecclesiis scripsit, confirmaret; Antipas testis meus fidelis, inquit, qui occisus est apud vos, ubi satanas habitat. Ex iis Apostoli verbis intelligi potest, quibus essent moribus prediti homines illi, qui Pergamum incolebant, ubi erat satanæ domicilium. Ibi nec naturæ lex servabatur, nec ulla erant judicia: tantum sibi quisque juris vindicabat, quantum viribus & robore valebat: sibique satis justi videbantur, & fortes ac boni, qui Christianum aliquem detulissent.

Apoc. 2. Antipas Pergami

E

dæmones ab idolis fugans,

2 Cum igitur Christianorum cœtus magno in discrimine versaretur, Antipas vir strenuus & constans nihil turbabatur: sed tanquam in Angeli naturam esset ex homine conversus, fortiter resistebat, nec ulla prorsus in re formidabat, quin immo sæpius prodibat in publicum, & tortorum minas negligens, in medio ipsorum fulgebat; & puræ sinceræque fidei splendore tenebricosos idololatriæ errores discutiebat. Quamobrem omnes, qui putabantur dii, fugiebant: & ne unus quidem eorum audebat in ea urbe manere, in qua Sanctus ipse commorabatur. In somnis igitur sacrificulis suis dæmones apparebant, dicentes, se nec sacrificiorum esse participes, nec nidorem suscipere, propterea quod à Christianorum principe Antipa fugarentur. Quare indignata multitudo, in Antipam impetum facit, eumque comprehendit, & in locum, ubi fieri sacrificia solebant, trahit.

F

b Præfecto sistitur,

3 Et *b* Præfectus sic eum alloquitur: Tune es Antipas ille, qui nec ipse decretis Imperatorum obtemperas, & alios ne obtemperent adhortaris; & sacrificia, quæ fieri à nobis solent, ita perturbas, ut deorum neminem pinguedine aut nidore frui permittas? ex quo factum est, ut dii omnes recesserint, *c* & periculum imminet ne tueri civitatem amplius velint. Satis sit tibi ad hunc usque diem Christianæ superstitioni vacasse: resipisce jam, & legibus nostris pare, ut dii, qui pulcherrimæ huic urbi præsunt, curare nos ac tueri queant. Quod si facere recusaris, & partium tuarum studio deorum neglexeris religionem, ex Romanarum legum præscripto meritis suppliciis afficieris. Respondit B. Antipas: Unum hoc scito, me Christianum esse, & impio Imperatoris decreto, ab omni ratione alieno, parere omnino nolle. Et quoniam quæstionibus tuis respondendum est, id faciam libenter: si enim dii, quos adoratis, & quos totius orbis dominos asse-

A asseritis, sic ab homine mortali fugari se dicunt, ut cum vestri defensores ac vindices esse debeant, opem vestram implorent; facile potestis errorem vestrum agnoscere: qui enim seipsos ulcisci non possunt, & ab homine uno vinci se confitentur, quomodo gentem universam in aliquo periculo constitutam aut civitatem aliquam poterunt liberare? Hoc considerantes, debetis nunc saltem à pernicioso errore vestro discedere, & in Christum credere, qui descendit de cælis, ut hominum genus conservaret: qui sane Christus in fine seculorum venturus est judex omnium, daturusque singulis congruentia factis eorum vel præmia vel supplicia.

& deorum impotentiam arguit;

4 Respondit Præfectus: Vos novis à vobis inventis legibus & institutis vultis obtemperare, neglecta deorum religione, quam iam inde ab initio nobis à majoribus per manus traditam accepimus, à quibus & hæreditas d ad nos pervenit: idcirco enim nos illorum vestigiis inhærentes, ab eis discedere tutum non arbitramur; cum vetera recentibus præstent, & quæ temporis longitudine sunt confirmata novis sint laudabiliora. Quamobrem ipse quoque mutare sententiam debes, nec eum hominem in vivendi ratione sequi, qui paulo ante cognitus est, & præstigiis quibusdam vitam mortalium perturbavit, præsertim cum in crucem suffixus sit sub Pontio Pilato Præside. Imperatorum igitur decretis pare, ut nobiscum sine periculo vitam transigas: habebis enim nos omnibus in rebus propitios & amantes, ut filios; quandoquidem ætas id postulat tua, ut te perinde ac patrem diligamus. Ad hæc vir sanctus; Licet, inquit, innumerabilibus argumentis aures meas obruas, non tamen ero tam stultus & imprudens, ut cum jam ad extremam senectutem pervenerim, nec à morte procul abesse possim, sententiam mutem, & vitæ miserabilis ignominiosæque gratia à confirmata fidei confessione discedam. Noli igitur mentem meam circumvenire, in rerum divinarum assidua lectione versatam. Neque ab initio fuit ullus deorum vestrorum, nec quidquam ab illis utile ad vos unquam profectum est: sed ipsi turpibus & obscœnis hominibus, prave vivendi materiam afferentibus & turpium voluptatum occasionem demonstrantibus, vos addixistis. Quod si vetustissima quæque sunt observanda, cur non & Cain fratricidii inventorem imitamini? cur non eos vobis proponitis imitandos, qui cælum conscendere conati sunt, aut qui se cum propriis sororibus commiscere non sunt veriti; unde diluvium genus eorum delevit, quia piam ac rectam vivendi semitam ingredi neglexerunt? Quamobrem si vos item istos propter antiquitatem & eorum flagitia imitari

& improperantem, quod nova sit Christi religio, B

sapienter confundit: C

voluerítis; non per aquam amplius, sed per ignem æternum, & vermem, qui nunquam dormit, consumemini, nisi resipueritis.

EX MS GR. D

5 Hæc atque multa alia loquentem virum justum corripiunt homines impii, & ad Dianæ templum trahunt, ubi erat statua bovis ænei, quem igne succenso multò ante inflammarant: in hunc beatum Martyrem conjecerunt. At ille cum se Christi signo munivisset, dum ejusmodi cruciatu diu torqueretur, ad hunc modum precabatur: Deus, qui mysterium in arcanis bonorum thesauris reconditum nobis aperuisti, Dominum nostrum Jesum Christum, per quem & arcana consilii tui patefecisti: gratias ago tibi pro universis beneficiis tuis, qui nos in te sperátes servas, & me hac hora dignum fecisti, ut ad eorum adscriberer numerum, qui pro nomine sancto tuo martyrium pertulerunt: spiritum meum, ab hac hodie vita discedentem, suscipe, & concede, ut apud te atque unigenitum filium tuum, Dominum nostrum Jesum Christum, gratiam inveniat: ut & qui postea futuri sunt benignitatis participes tuæ, nomen sanctum tuum collaudent in Christo, per quem honor habetur tibi in secula seculorum. Amen. Facto precandi fine, tamquam gravi somno captus, spiritum reddidit; & gloriosa martyrii corona redimitus, in cælum evectus est.

atque in bovem æneũ inclusus

Martyr obit: E

6 Tunc viri quidam pii Reliquias ipsius, magno studio collectas, in hoc loco Pergami collocarunt: ubi nos congregati gratias agimus Deo, pro iis quæ in nos benigne egit. Hunc enim Martyrem nobis largitus est, qui tanta præstitit virtute, ut locus hic, ubi martyrium pertulit, in hodiernum usque diem miraculis excellat, & magnæ in eo fiant curationes; quibus & Deus, qui præstat omnibus, & unigenitus filius eius Dominus noster Iesus Christus, cum sancto Spiritu laudatur; & pia sanctorum in Christo Martyrum memoria celebratur, quæ animos nostros quadam voce quotidie incitat, ad eum in Sanctis ipsius imitandum: cui gloria & imperium in secula seculorum. Amen.

& sepultus miraculis clarescit.

ANNOTATA.

a *Anno Domitiani 13, Æra vulgaris 93 resuscitatam persecutionem sentit Baronius, & scriptores ceteri consentiunt.*

b *Græce* Στρατηγὸς, Dux Tribunus: *sed postea num.* 4 Ἡγεμὼν Præses.

c *In Græco additur*: quia te tyrannico quodam & insano modo iisdem adversarium obiicis.

d *Textus Græcus explicat quæ ea sit hæreditas, scilicet* manifestorum, quæ circa & per Deos facta sunt, miraculorum. F

De Sanctis Martyribus Dalmatis,

DOMNIO, SEU DOMNIONE EPISC. SALONITANO, ANASTASIO, MAURO, ASTERIO, SEPTIMIO, SULPICIANO, THELIO, ANTIOCHIANO, PAULIANO, CAIANO, ET ALIIS MULTIS, ITEM DOMNIONE SEU DOMNIO CUBICULARIO, ET DALMATA.

Salonæ, Spalati, & Romæ.

XI APR.



Alona urbs Dalmatiæ olim celeberrima, ob situm, Romanis opportunissimum, ceteras Illyrici civitates præcelluit. Eius magnificentiam, demonstrari vestigiis amphitheatri, templorum, aquæ ductus, & aliorum ædificiorum, nec non numero pene infinito columnarum lapidumque sepulchralium, per diversa in Dalmatiam loca transportatorum, inscriptionumque insignium fragmentis, asserit Ioannes Lucius in erudito de Regno Dalmatiæ & Croatiæ commentario lib. 1 cap. 6. In hac urbe & Magistratus provinciales sedem habuere, & Christianitatis Dalmaticæ cœpere exordia. Nam, ut Thomas Archidiaconus Spalatensis, in historia Salonitarum

Ad Salonitanos in Dalmatia.

 atque

AUCTORE G. H.

A

atque Spalatensium Pontificum, à memorato Lucio edita, tradit cap. 3. Primus B. Paulus Apostolus ab Hierusalem usque Illyricum replevit Evangelio Christi: non tamen ipse per se intravit Illyricum prædicare, sed misit Titum discipulum suum, sicut dicit ad Timotheum: Crescens abijt in Galatiam, Titus in Dalmatiam. Hic ergo Titus ad Dalmatiæ partes adveniens, & verbum salutis gentibus illis prædicans, non longo illic tempore mansit: sed audiens quod B. Paulus à Præside Festo iussus esset Romam pergere, statim omissis omnibus, præveniens eum expectavit in Urbe: quo cum beatus Apostolus accessisset, ibi verbum Dei diutius prædicavit. Cum autem per Spiritum sanctum cognosceret in eadem Urbe suum martyrium consummandum, de Ecclesijs Græciæ disponere curavit: quamobrem B. Titum non remisit ad Dalmatiam sed ad Græciam: ubi magis erat notus, Pontificem eum constituens apud insulam Cretam. *Hæc ibi. Colitur S Titus IV Ianuarij; S. Crescens, in Galatia sub Traiano martyrium passus, XXVII Iunij: quæ vero ad* S. Domnium *spectant, ita prosequitur idem Thomas Archidiaconus.*

à S. Tito fidem Christi edoctos,

2 Tim. 4. 10.

2 Huius Titi loco B. Petrus Apostolorum Princeps direxit quemdam discipulum suum, nomine Domnium, natione Syrum, patria Antiochenum, qui Dalmatiæ populis verbum vitæ, quod per Titum inchoatum fuerat, prædicaret. Hoc enim B. Petrus statuerat, ut Pontifices Christianæ religionis sic disponerentur per urbes singulas totius Orbis, quemadmodum apud Gentiles fuerat antiquitus constitutum; in illis enim urbibus, in quibus erant Gentiles Antistites, qui dicebantur Protoflamines, fecit ordinari Episcopos: in metropoles vero provinciarum, ubi erant Archiflamines, Archiepiscopos censuit statuendos. Unde per oras Adriatici sinus tres direxit Pontifices, Apollinarem Ravennæ, quæ est metropolis totius provinciæ Æmiliæ; Marcum Evangelistam Aquileiæ, quæ præerat Venetiæ & Istriæ; Domnium vero in Salonam direxit, quæ caput erat Dalmatiæ & Croatiæ; in qua denique civitate diutius prædicans, multosque per totam provinciam à gentilitatis errore convertens, non parvam Christo Ecclesiam adunavit, ibique agonem sui martyrii felici cruore peregit. Ab huius ergo præeminentia Apostolicæ dignitatis omnes successores sui Archiepiscopalia insignia per Sedem Apostolicam sortiuntur. Hic autem cum multis alijs passus est, qui eum uno mense ad martyrii gloriam præcesserunt. *Hæc Thomas Archidiaconus; ad quæ verba lib. 2 cap. 14 relata, ista advertit Lucius.* Imitatione Gentilium Antistites Christianos in primitiva Ecclesia institutos Gregorius VII testatur lib. 6 epist. 35. Sed Archidiaconus in relatione Flaminum ordinem invertit: nam quos ipse Protoflamines vocabulo Græco vocat, hos Primos Flamines à Romanis dictos, præter Gregorium, lapides antiqui, à Petro de Marca in tractatu de Primatu Lugdunensis Ecclesiæ relati, demonstrant. Cum enim in loco Primorum Flaminum non Episcopos, ut Archidiaconus, sed Primates seu Patriarchas subrogatos Gregorius referat; ideo Archidiaconum inferiore in loco Protoflamines ordine inverso posuisse apparet: quibus Episcopi singularum civitatum respondent. Archiflaminum vero memoria, sicut apud antiquos non reperitur, ita primitiva Ecclesia Archiepiscopos non habuit: ideo Archidiaconum de S. Domnio scribentem, vocabula sui temporis usurpando, Croatiam quoque perperam nominasse constat. Sed sicuti Præses Gentilium vel Proconsul provinciæ residebat Salonæ, ita metropolitica quoque jura Episcopum eius habuisse Zosimus Papa, epist. 1 Hesychio Salonensi Episcopo scribens, testatur; & clarius Gregorius Magnus lib. 7 epist. 130, Maximo eiusdem Episcopo pallium mittens.

S. Domnius, à S. Petro missus

B

Episcopus, plurimos circumcirca convertit,

Martyr obit

cum multis aliis.

C

Successores metropolitica jura habuerunt.

3 *De S. Domnione ista adiungit Archidiaconus:* Postmodum vero tempore Diocletianæ & Maximianæ persecutionis alter simili nomine Martyr fuit, qui Domnionis vocabulo à Pontificis Domnii nomine modicum differt. Sed hic fuit unus ex cubiculariis Maximiani Tyranni. Cum ergo iste Domnio majoris dilectionis apud Imperatorem prærogativa gauderet; ipse coronam Imperii conservabat, & ipsam tempore debito super Imperatoris verticem imponebat. Erat autem occulte Christianus: & cum videret Maximianum adeo crudeliter in Christianos desævire, ut multos à sancto proposito deterreret; ipse, utpote Christianissimus & devotissimus, exhortabatur Martyres in sancto proposito finaliter perdurare: Tunc fecit opportunitatem eis effugiendi Tyranni rabiem, & ad Romanam urbem divertendi. Quod cum ad Maximiani devenisset notitiam, acrius in eum persecutionis desævit insania: ita ut ad propriam confessionem Christiani nominis, expoliatus regio habitu, nisi idolis immolaret, illico susciperet sententiam capitalem. Sed B. Domnio Tyranni declinans sævitiam, Romam fugiens properabat: & dum iret via Claudia prope civitatem quamdam, quæ Iulia Chrysopolis appellatur, satellites Imperatoris post ipsum currentes, invaserunt eum, & strictis mucronibus circumdantes, amputaverunt caput eius. Ipse vero Martyr virtute divina propriis manibus caput suum de terra dicitur elevasse, & ibidem quemdam fluvium qui Sytirion nominatur, firmis gressibus trasvadasse: ibique sepultus aliquo tempore quievit. Cum autem Dominus multa per eum miracula operaretur, ex multis provinciis pro sanitate adipiscenda, ad locum ipsum confluebant. Tunc Salonitani cives, quia æquinominis erat B. Domnio Pontifici, abeuntes rapuerunt corpus B. Domnionis, & cum magna reverentia locaverunt Salonæ. Qua de re propter nominis consonantiam multoties vocabulum Domnionis pro nomine Domnii, & è converso confuse describitur.

D

S. Domnio Cubicularius Maximiani Imp.

Martyres confortat,

Romam fugiens occiditur.

E

Miraculis clarus Salonam defertur.

Nomina utriusque confusa.

4 *Hactenus Thomas Archidiaconus, qui floruit seculo XIII, ac bene dubitat in vocabulis* Domnionis *&* Domnii, *utrum horum sit censendum nomen Episcopi Salonensis, quem ipse* Domnium, *alij* Domnionem *&* Dominionem *appellant. Porro antiqua apographa Martyrologii Hieronymiani ita hunc diem auspicantur:* III Idus Aprilis. In Mauritania natalis Saloni, Maximi, Hilarii, Concessi, *de quibus seorsim agimus, dein ista addunt:* Et Domnini Episcopi. In Salona Dalmatiæ Domnionis, *sive* Dominionis Episcopi & militum octo Dalmati. *Quæ verbis transpositis posse imo debere sic legi probabilius arbitramur:* In Salona Dalmatiæ S. Domnionis Episcopi & militum octo *sive* novem, *&* Domnini Dalmati *seu* Dalmatæ. *In vetusto* MS. *Barberiniano ista leguntur:* In Salmona, *imo* Salona, Domionis Episcopi & militum octo & Dalmati. *At* MSS. *Atrebatense & Atrebatense ista habent:* Et Domnini Episcopi & S. Dalmatii. *En quod supra ex Thoma Archidiacono monuimus, nomina hæc* Domnius, Domnio, *uti etiam* Domninus *confuse sumuntur. Si qui malint* Domnium *sive* Domninum Episcopum *iungere Martyribus Mauritaniæ, & à* Domnio Episcopo Salonitano, *&* Domnione Maximiani Imperatoris cubiculario *alium constituere, &* Dalmatum *seu* Dalmatium Martyrem *dicere alibi quam in* Dalmatia *passum; per nos licebit modo id fiat propter monumenta antiqua & jam allegatis meliora: De aliis ista habet Usuardus hoc XI Aprilis.* In Dalmatia, civitate Salona, S. Domnionis Episcopi cum militibus octo. *Consentiunt quam plurima MSS. cum Notkero Petro de Natalibus, Bellino, Maurolyco & hodierno Martyrologio Romano: ubi à Baronio in Notis ex veteribus monumentis Ecclesiæ Lateranensis dicuntur octo illi Milites appellati,* Paulinianus, Telius, Asterius, Anastasius,

Cultus fuit cor XI Aprilis.

F

Maurus,

A Maurus, Septimius, Antiochianus, & Caianus. *De quorum translatione Romam infra agemus, ubi nonus additur* Sulpicianus. *A Thoma Archidiacono supra dicitur* S. Domnius Episcopus cum aliis multis passus, qui eum uno mense ad martyrii gloriam præcesserunt. *Infra in Actis num. 5 asseruntur* quadraginta comprehensi, nolentesque idolis sacrificare, statim omnes capite trucidari jussi. *Quod ad hunc XI Aprilis factum videtur, ac deinde fere mense elapso dicitur* S. Domnius Nonis Maii ad cælum migravisse: *ad quem diem* ex tabulis Ecclesiæ Spalatensis *Ferrarius in Catalogo generali ista tradit*: Nonis Maii, Spalati S. Domnini Episcopi Salonensis & Martyris, *& mox in Notis* Domnionis *appellationem usurpat.*

& S. Domnii 7 Maii,

5 *Floruit seculo Christi undecimo Laurentius Archiepiscopus Spalatensis, à Sede Apsariensi, permittente Nicolao II Pontifice, ad eam dignitatem promotus, uti pluribus deducit Thomas Archidiaconus cap. 16, ubi inter alia scribit ista:* His temporibus Adam quidam Parisiensis, optime in artibus elimatus, pergendo Athenas ad Græcorum studia, devenit Spalatum. Et cum fuisset à Laurentio Antistite honorifice susceptus, rogatus est ab eodem, ut passiones beatorum Martyrum Domnii & Anastasii, quæ inculto fuerant antiquitus sermone B conscriptæ, luculenta faceret compositione nitere. Quod ille gratanti corde consensit, sumptoque themate à veteribus historiis, Legendas utriusque Martyris lepido satis dictamine innovavit: hymnos etiam composuit, ac quidquid de B. Domnio musice canitur, metrico sermone conscripsit. *Hæc ibi. Hoc totum officium Ecclesiasticum nobis Romæ donavit Vir clarissimus & eruditissimus D. Ioannes Lucius: ex quo Vitam S. Domnii per lectiones ad Matutinum recitari solitas divisam damus: Lectiones tertii Nocturni præscribuntur sumendæ ex Homiliis S. Gregorii Papæ in Evangelium secundum Lucam, hoc exordio*: Designavit Dominus & alios septuaginta duos, *quæ in Communi Evangelistarum legi solent. Ea propter non male forsitan conjectabimus, hunc eumdem ad diem XVII Aprilis celebrari in MS. Martyrologio Ecclesiæ Pragensis, item apud Grevenum in Auctario Usuardi & Canisium in Martyrologio Germanico, tali ubique phrasi*: In Italia S. Domnini Martyris, qui fuit ex septuaginta duobus discipulis. *Celebratur eodem die* S. Domninus Martyr *in* MS. *Martyrologio Cardinalis Barberini.*

Vita olim scripta seculo XI exornata.

Colitur 17 Aprilis.

VITA
S. Domnii Episcopi

Ab Adamo Parisiensi seculo XI illustrata, & ex Breviario Spalatensi à Ioanne Lucio communicata.

C Domnii Archiepiscopi Salonitani Christi Martyris Vitam scripturus, non immerito à parentibus ordiar: quoniam per eos non solum natum, sed & renatum fuisse constat. Theodosius igitur Antiochiæ urbis colonus, natione Syrus, vir optimus, divitiis plenus, & morum probitate insignis, attamen colendorum deorum errore implicitus, de Mygdonia Græca uxore filium hunc suscepit. Petro autem Apostolo Antiochenam regente Ecclesiam, & Christum prædicante credidit, abdicatoque idolorum cultu, una cum conjuge sua atque filio, baptizatur. Sed Domnius, accepto baptismate, licet puer adhuc septenis annis, divinitus inspiratus, & iam Christi amore fervens, parentes dereliquit & Apostolum secutus est. Non ille ad divitias, sicut mox hæres futurus erat, non ad patris atque matris blandimenta respexit; sed contemptis omnibus eas divitias quærere decrevit, quas neque tinea corrumpere, neque fur auferre possit.

Antiochiæ natus

à S. Petro cum parentibus conversus,

2 Discipulus ergo Petri factus, brevi & Magistro suo & condiscipulis *a* Pancratio atque *b* Apollinari (qui postea Ravennæ Episcopus fuit) carissimus evasit. Deinde vero Petrus, Antiochenis hominibus jam ad fidem receptis, cum iisdem discipulis Romam versus profectus est; miseratus Urbem, toto provinciarum orbe Dominam, idolorum & diaboli subditam esse servituti. Interim dum iter ageret, quocumque diverti contigisset, religionem audacter & intrepide prædicabant. Fidelis itaque prædicationis officio solicite fungentes, peragrarunt Cæsaream, *c* Sebasten, Cappadociam, Galatiam, Pontum, Bithyniam, Ephesum, Pathmos, Athenas, demum ad Ostia Tiberina applicuere, Urbemque ingressi sunt, ubi Petrus multis jam ad fidem Christi conversis, alias quoque partes orbis terræ ab erroris pernicie liberare cupiens, Pancratium destinavit in Siciliam, Apollinarem Ravennam, Domnium Salonas, sui quemque loci Episcopum constituens. Domnius igitur [postquam] satis prospero cursu mare emensus Salonas devenit, Christique mysteria publice ac palam exponere cœpit; plerique, & veritatis argumentis & magnitudine miraculorum permoti, contemptis idolis, Christo adhærere credentes: quos Domnius, de proximo flumine aqua hausta, baptizabat.

EX BREV. SPALAT.

D

cum SS. Pancratio & Apollinari S. Petrum sequitur, a b

c Romam venit:

& Episcopus Salonas mittitur:

& multos convertit;

E

3 Tunc quidam, Pirgus nomine, Philosophum se profitens, sed magis sophismatum captiuncularumque argutiis quam Philosophiæ deditus, virum aggreditur, & quasi veritati comparari [posset] mendacium nititur ostendere, an quoque ex Philosophiæ inventis unum Deum esse credi possit, & ab ipso mentem deditam & genitam, ac deinde ipsam mundi animam; proinde ac si Trinitatis mysterium, quod à Domnio prædicabatur, & ipse, ut audierat, teneret. Ceterum cum Trinitatem hanc ad Unitatem substantiæ referendam didicisset, Patrem & Filium & Spiritum sanctum esse unum Deum, qualiter videlicet se haberet, quoniam ratione comprehendere non poterat, veluti deliramenta despexit. Dimisso itaque cum sua obstinatione Pirgo, Domnius ad ceteros doctrina salutis imbuendos perrexit, signis miraculisque verba confirmans: ut quia rem supra naturam astruebat, Christum scilicet de Virgine natum, & eumdem esse Deum & hominem, & crucifixum ac sepultum resurrexisse, ad cælumque ascendisse, opera quoque supra naturam facta, id verissimum esse testaretur; desperatissimo quosque morbo affectos, Iesu tantum nomine invocato, è vestigio sanabat. Quo modo autem talia faciendi facultatem homini dedisset Deus, nisi vera rectaque asserenti? Exinde aucto credentium numero, ecclesiam ædificant, quam Dei Genitrici Mariæ consecrarunt. Ea adhuc extat, solaque post tantæ urbis excidium integra permanet. Tunc Domnius latius etiam prorogare Christi nomen cogitans, Presbyteros Levitasque ordinat: quibus per Dalmatiam dimissis brevi tempore omnem fere provinciam, diabolo ereptam Deo lucratur.

cum Pirgo nugaci Philosopho disputat:

fidem miraculis confirmat:

Ecclesiam S. Mariæ extruit.

F

Presbyteros ordinat:

4 Post tot autem veræ perfectæque caritatis labores, cum jam tempus esset, ut ad capiendum cælestis gloriæ præmium vocaretur, dicente Domino; Euge serve bone & fidelis supra multa te constituam, intra in gaudium Domini tui; Maurelius Salonarum Præfectus, pro tribunali sedens, ipsum coram sisti jubet, accusantibus eum idolorum sacerdotibus, quod Deos contemneret, & novam religionem contra Augustorum leges induceret, unum Deum prædicans & Filium ejus crucifixum. Interrogatus igitur Domnius de nomine parentum & patriæ, Maurelio indicat, & se vere Christianum esse confitetur: & ad hoc, inquit, missus sum, ut Christum prædicem, & ido-

captus fidem professus coram Maurelio Præside.

Ex Brev. Spalat.

A

& idola vana esse ostendam. Cumque in medium proponeretur Senatus populique Romani edictum, ut si quis intra fines Romani Imperii talia dicens repertus esset; eum, nisi diis sacrificare voluerit, capite puniri, vel multiplici suppliciorum genere absumi oporteret; respondit: Non me ista terrent iniqua. Christum Dei filium & colo & prædico: Deos autem tuos contemno, minas irrideo. Pœnas omnes in me unum confert cuncta potius pati paratus sum, quam asserendæ veritatis mutare sententiam. Contemptum se cernens Maurelius, in furorem concitatur: Domnium in carcerem trudi jubet, postea eductum largitionibus corrumpere aggreditur, multa pollicens, si idolis thura ponere vellet. At ille inquit: O insane Maureli, pecunia me moveri speras, cum ego multo majus patrimonium sponte reliquerim, ut cum Christo paupere viverem? Non est opus Christiano divitiis istis, sed fide atq; virtute, quibus divitiæ numquã interituræ parantur in cælo.

spernit minas

& oblatas divitias:

5 Videns autem Maurelius omnia quæ tractaverat incassum cadere, expoliari hominem jussit, & fustibus nudum cædi. Dum autem Domnius cæderetur, fit Christianorum concursus ad Prætorium: insultant Maurelio, frementes præ dolore, & opprobriantes quod inique actum esset, hominem innocentem per ludibrium suppliciis opprimi. Ille vero his ita peractis, repente emissa armorum manu, quadraginta ex his comprehensos, nolentesque idolis sacrificare, statim omnes capite trucidari jussit: quorum corpora à fidelibus noctu inde sublata, & ad radices montis *d* Massari sepulta sunt.

fustibus cæsus à Christianis defenditur,

B

40 Martyres coronantur.

d

6 Infra illos dies dum talia aguntur, Febroniæ viduæ filius vita functus est, cujus pater, nomine Dignatius, Urbis Romanæ Senator fuerat. Ob id Præfectus ipse, mortem ejus ægerrime ferens, nec ignarus à Christianis interdum & mortuos ad vitam fuisse revocatos, Domnium urgere cœpit, ut in eo ostenderet quanta Christi sui esset virtus: non quod ipse quidquam virtuti Christi tribueret, qui talia magicis artibus quibusdam adscribere soleret. Volens autem, quo modo posset, vitæ defuncti consulere, simulat se Christo credere dudum, si per ejus invocationem is qui mortuus fuerat revivisceret. Ad hæc Domnius, Qamvis, inquit, sciam te ita laqueis diaboli colligatum atque constrictum, ut ad sequendam veritatem explicare te omnino nequeas; illos tamen perspiciens, qui credunt & qui credituri sunt, ne quid virtuti Christi impossibile esse arbitrentur, mortuum istum pristinæ sanitati restituam & vitæ. Ecce enim, quia duo sunt præcepta caritatis, Dei amor & proximi, & scimus quod inter duos haberi caritas dicitur, & dilectio in alterum tendit ut esse caritas possit, binos ad prædicandum Dominus discipulos mittit: quatenus hoc tacitus innuat, qui caritatem erga alterum non habebit, prædicationis officium nullatenus suscipere debet. Tunc juxta cadaver flexis genibus, manibus vero atque oculis in cælum sublatis cum orasset, impetravit mortuo in nomine Christi vitam, vt resumpto spiritu sese in pedes erigeret, atque iterum vivere super terram inciperet. Vix verba finierat cum secutus est eventus: visusque est adolescens non quasi à morte suscitatus sed à somno expergefactus, tam facile surrexit.

adolescentem mortuum

à Præside rogatus,

in gratiam credentium

C

resuscitat.

7 Eo viso miraculo plurimi ad fidem conversi sunt: Maurelius vero, tametsi vita adolescenti restituta esset, & vehementer gauderet, in sua tamen obstinatione idololatriæ firmus fixusque permansit: jam enim ita obduratum erat cor ejus, ut nulla signorum magnitudine posset mollescere. Quinimo ab idolorum sacerdotibus ad maturandam Domnii necem magis incitatur: dona illi plurima offerunt, atque insuper suspicionibus implent, sibi jubentes caveri, ne si hominem impunitum vivumque dimitteret, & ipse, tamquam Augustalium legum edictorumque contemptor, pœnas dare cogatur, & imprudenter factum aut exilio aut bonorum proscriptione aut morte luat. His verbis Maurelius impulsus, nihil cunctatus legem tulit dicens: Domnium, contra leges Imperatorum nostrorum agentem, deosque nostros contemnentem, capite puniri jubeo. Ereptum foras extra murum & eductum extemplo, cum oraret, obtruncarunt. Gloriosus itaque Martyr, Nonis *e* Maii terras relinquens, ad cælum migravit; ab ipso Conditore omnium immortalitatis coronam accepturus, pro cujus amore mortem contempserat. In eodem autem loco ubi expiraverat, noctu à Christianis sepelitur.

plurimis conversis

D

morti adjudicatus

e

obit 7 Maii

8 Non post paucos deinde annos, cessante persecutione, Martyris corpus intra urbem ad ecclesiam B. Mariæ, quam primum positam ibi à fidelibus diximus, translatum est. Postea vero, *f* Gothorum irruptione diruptis funditusque eversis Salonis, concives ad proximas *g* insulas confugerant, ac deinde reversi, in Diocletiani ædificio, quod tribus ferme millibus à Salonis distat, Spalatum appellatum, sedem sibi posuerunt; templumque olim Jovi dicatum, ejectis idolis, per Joannem Archiepiscopum sanctæ Dei Genitrici Mariæ consecrarunt, & ipsum Martyris corpus à Salonis quarto Kalendas Sextiles *h* transtulerunt, in eodemque templo collocarunt: ubi ad hanc usque diem in magna veneratione habetur & colitur, miraculis clarum & martyrii gloria conspicuum. Cujus Martyris meritis & intercessione nos Deo commendari credimus, & beatos fore speramus; adjuvante Domino nostro Iesu Christo, qui cum Patre & Spiritu sancto vivit & regnat Deus per infinita secula seculorum. Amen.

f

g

Corpus Spalatum transfertur.

E

ANNOTATA.

a S. Pancratii *Acta illustravimus 3 Aprilis, qui in MS. Græco Synaxario dicitur* traxisse genus suum ex confinijs Antiochiæ.

b *Colitur* S. Apollinaris 23 Iulii, *quem etiam* Antiochia Romam in comitatu S. Petri profectum, *Acta testantur.*

c *Notæ sunt hæ urbes & provinciæ. Est autem* Cæsarea *metropolis Cappadociæ, uti Sebaste Armeniæ primæ isti vicina. In Actis SS. Petri & Pauli ex MS. Græco apud Lipomanum & Surium plurima ex his locis notantur à S. Petro visitata. Ratio itineris hic notata satis congrua, & nusquam perturbata est, eoque majorem fidem meretur.*

F

d *Thomas Archidiaconus apud Lucium pag. 94 parochias has conjungit,* Cetinam, Cliffam, Maffarum, Almiffarum: *& in mappis Geographicis inter Clissam & Cetinam collocatur* Macharis, *forsan* ad radices montis Massari.

e *Hoc die eum adhuc in ecclesia Spalatensi coli supra ex Ferrario diximus.*

f Salona, *subdita fuit Gothis in Italia dominantibus & muris nudata, quos Constantianus à Iustiniano missus victis Gothis restauravit: at postmodum à Sclavis occupata fuit & destructa: uti late describunt Thomas Archidiaconus cap. 7, & Ioannes Lucius lib. 1 cap. 7 & sequentibus.*

g *Idem Thomas cap. 8 vicinas Salonæ* insulas *appellat* Solutam, Prachiam, Pharon, Lysiam, Corcyram.

h *De hac translatione sequentia invenimus.*

HISTO-

A

HISTORIA Translationis.

Ex codice pergameno Ecclesiæ Spalatensis S. Domnii, extracta a Luca Gaudentio, dictæ Ecclesiæ Archiacono.

a IOannes *a* hujus nominis primus Archiepiscopus Ecclesiæ Spalatensis, cum dedicasset in honorem Beatæ Virginis Mariæ insigne fanum Jovis, à Diocletiano Imperatore in ipsius palatio olim extructum, cupiens sacras reliquias Sanctorum Martyrum *b* Domnii & Anastasii ex ruinis celeberrimis urbis Salonarum eruere, & in templo à se repurgato & consecrato collocare; convocata pii populi multitudine, ad Salonarum ruinas, ubi *c* basilica fuerat, se alacer confert. Locus, in quo sacri loculi latitabant, subterraneis fornicibus inclusus, etsi notus quibusdam esset, vepres tamen & virgulta illum maxime contegebant. Primus omnium ad pium opus fidelis Pastor accingitur, oves Pastorem imitantes, certatim omnes labori incumbunt: virgulta & vepres amovent, cæmenta & lapides ingentes absportant, suggerente Deo vires laborantibus. Effossa jam aliqua profunditate, miræ suavitatis odor exhalat: loculus unus detegitur, & odor augetur. Accurrit pius Pontifex cum Clero, metuentesque ne forte à Sclavis turbarentur suis æmulis, magna cum celeritate loculum, qui prius apparuit, ita ut erat clausum Spalatum detulerunt: quem quidem aperientes, non corpus S. Domnii ut sperabant, sed sancti Martyris *d* Anastasii invenerunt.

b Sacra corpora inter ruinas Salonenses inquiruntur: *c*

B

2 Sequenti die Salonas revertuntur, instant operi, paulo altius locum eumdem effodiunt, & sarcophagum S. Domnii inveniunt: ipsum quoque pari cum sollicitudine & festinatione Spalatum convehere satagunt. Substitit tamen & hæsit pondere gravissimo, fortissimis quibusque & robustissimis viris redditum immobile. Ab innocentibus igitur & immaculatis manibus convehi velle sacrum pondus, ratus pius Antistes; imbecillem puerorum turbam cogit, & oneri ferendo supponit, quod leve factum à pueris alacriter vehebatur. Cum tamen solis æstu fatigarentur, ardore nimio maxime sitis affligi cœperunt; in loco aridissimo, qui Saline nuncupatur. Mirum dictu! erumpit ex silice latex vivus, apparetque novus fons numquam antea visus, adhuc etiam B. Domnii-aqua nomen retinens, & virtutem in *e* anniversario hodiernæ translationis præstans. Refocillati pueri inferunt arcam in locum paratum: qua aperta mirus odor effunditur. Reliquiæ sancti Martyris integræ inveniuntur, & in pectore liber erat Evangeliorum thecis inclusus, litteris Apostolicis antiquo more ipsiusmet, ut fertur, manibus formatis. Horum duorum Martyrum sacra corpora *f* adhuc in Ecclesia metropolitana Spalatensi honorifice recondita conquiescunt.

d primo invenitur S. Anastasii: tum S. Domnii, immobile tamen, *à pueris transfertur,* *fonte ultro erumpente,* C *e* *in pectore liber Evangelia.* *f*

ANNOTATA.

a Joannis *hujus laudes late describuntur à Thoma Archidiacono cap. 11, & Ioanne Lucio lib. 2 cap. 13. At quando ipse, patria Ravennas, Legatus à Summo Pontifice, & quo anno ad partes Dalmatiæ missus fuerit, & in Archiepiscopum ordinatus, non indicatur: Videtur seculo VIII vixisse, quia post ipsum dicuntur sedisse Petrus, Marianus, Martinus, Leo, Petrus ac dein circa annum* 840, *Iustinus: ut de hoc Thomas cap. 13 tradit, & omnes referuntur in Memoria Archiepiscoporum Salonitanæ & Spalatensis Ecclesiæ apud Lucium pag. 385.*

AUCTORE G. H. D

b *Imo filius* Domnii reliquias levare *voluisse innuit Thomas cap. 12 ubi de hac translatione agit: & hic infra innuitur, inventionem S. Anastasii præter spem fuisse.*

c *Addit Thomas*: Basilicam Episcopii ingredientes, confusa & dissipata omnia repererunt.

d S. Anastasii *translatio celebratur à Spalatensibus 28 Iulii, at martyrii natalitius 21 Augusti, quo die inscriptus est Martyrologiis Usuardi, Adonis & aliorum; cum hodierno Romano: & dicitur* Cornicularius, *passus sub* Imperatore Aureliano, *aliis* Aurelio, *Galesinio* Alexandro; *quod ad dictum diem erit discutiendum. Fuisse autem* corpus B. Anastasii anno 1209 à Bernardo Archiepiscopo ab altari vetere extractum, & in novo altari in eodem loco collocatum, *testatur Thomas cap. 25.*

e Quarto Kalendas Sextilis *indicatus supra ab Adamo, is est 29 Iulii.*

f *Idem indicat Thomas cap. 12, qui seculo 13 suam historiam scripsit.*

ANALECTA

§. I. Gloria posthuma S. Domnii apud Spaletenses & in insulis Tremitanis.

1 C*Onstantinus Porphyrogenitus filius, Leonis Sapientis, Imperator Orientis, in libro de Imperio administrando ad Romanum filium (qui illi anno* DCCCCLIX *mortuo successit) capite 29 Dalmatiam ejusque populos describit, atque ita dictum caput exorditur:* Diocletianus Imperator valde Dalmatiam amavit, unde etiam populi Romani colonias eo deduxit... Hic autem Imperator urbem illic Aspalathum condidit, & in ea palatia omni descriptione majora, quorum etiamnum reliquiæ supersunt veteris magnitudinis testes; quantumvis longi ea temporis iniquitas in nihilum redegerit. *Et deinde magis prope finem ista habet:* Aspalathi urbs, quæ parvum palatium significat, Imperator Diocletianus extruxit; habuitque illam ut domum propriam, aulamque ibi ædificavit & palatia, quorum pleraque perierunt. Quæ autem etiamnum supersunt valde pauca sunt; ex quibus Episcopium urbis & templum Sancti Domni, ubi ille ipse Sanctus sepultus est, quod cubiculum erat ejusdem Diocletiani. Subter sunt rotundi fornices, olim custodiæ, in quas Sanctos immaniter à se cruciatos compingebat. Ibidem etiam situs est S. Anastasius. *Ast in anteriore parte ista subduntur:* Prope mare sub hac ipsa urbe urbs est Salona, dimidium habens ejus magnitudinis quam Constantinopolis: in ea congregati Romani arma sumebant, & inde proficiscebantur ad Clusuram, quatuor millia passuum distantem, quæ in hunc usque diem Clusa appellatur, quod illac transeuntes quasi concludat... In hanc intromissi Sclavi sive Avares, qui trans flumen habitabant, Romanos expulerunt & Salonam urbem occupaverunt; ibique sedibus positis paulatim incipientes prædari, Romanos in campis & editioribus locis habitantes deleverunt, eorumque loca tenuerunt... Cum Romanum Imperium, per imperantium ignaviam atque socordiam, maxime Michaëlis Amoriensis Balbi, tantum non exspirasset, qui Dalmatiæ oppida habitabant, sui juris extiterunt, neque Romano Imperatori, neque cuiquam alteri subjecti... suisque non alienis legibus usi fuerunt. *Hæc Constantinus Imperator. Dictus Michaël Balbus, Leoni Armeno, ipso Natali*

E *Spalatum à Diocletiano conditum,* *in eo & ecclesia S. Domnii,* F *Salona urbs magna* *occupata à Sclavis,* *excusso jugo Romano liberis.*

AUCTORE G. H.

A

talis Dominici die sub finem anni DCCCXX *inter sacra ipsa trucidato, subrogatus est, cujus tempore & Creta & Sicilia fuerunt à Saracenis occupata: & jam indicata Dalmatiæ pars ejectis Romanis à Sclavis detenta. Mortuus est Balbus anno* DCCCXXIX.

Seculo 9 donationes facta cœnobio SS. Domnii & Anastasii à Ducibus Croatarum.

2 *Ioannes Lucius lib. 2. de Regno Dalmatiæ & Croatiæ cap. 2. deducit res in Adriatico gestas Ducum Croatarum tempore, & inter alia profert* Privilegium Tirpimiri Croatarum Ducis, signatum IV Nonas Martii, regnante in Italia Lothario Francorum Rege, Indictione XV, *is fuit annus* DCCCXXXVII, *& in dicto privilegio offert plurima bona & possessiones* Sanctæ Salonitanæ Ecclesiæ in cœnobio sanctorum Martyrum Domnii & Anastasii Cosmæ & Damiani, *& signant* Tirpimirus Dux, *varii* Zuppani, & Presbyteri, *& indicantur* nomina Servorum de Masaro in sancta Matre Ecclesia B. Domnii. *Cum postmodum, dicto Tirpimiro Duce Croatarum mortuo, lis de ea donatione fuisset exorta, filius ejus* Muncimir Dux Croatarum *novo privilegio*, IV Kalendas Octobris anno DCCCXC, Indictione XI *tunc cœpta*, in honorem Sanctorum Martyrum Domnii & Anastasii *signato, eamdem patris sui donationem confirmavit; & post variorum signaturam ipse Dux ista subjunxit*: Sequenti die, quæ est tertio Kalendas Octobris, veniens ego sæpe fatus Dux in civitate Spalati ante Sanctissimorum dictorum altaria, & Privilegii paginulam manu propria inter cetera munuscula, quæ manus meæ invenire valuerunt, super sacrosancti Domnii altario obieci, & donatione prædicta mancipata S. Domnii abivi. *Hæc ibi: è quibus colligimus cœnobium supra memoratum, licet adhuc diceretur* sanctæ Ecclesiæ Salonitanæ, *tamen extitisse in urbe Spalatensi: item Ecclesiam sanctæ Dei Genitricis Spalatensem, in quam horum Martyrum corpora fuisse illata supra in Actis dicuntur, assumpsisse nomen S. Domnii: quod sæpe memoratus, Thomas Archidiaconus confirmat cap. 13.* Igitur, *inquit*, Duces Sclavoniæ habere cœperunt in magna veneratione ecclesiam B. Domnii, donantes ei prædia & possessiones multas, decimas & oblationes corde hilari offerentes.

B

& altari S. Domnii

& à Ducibus Sclavoniæ facta ecclesia S. Domnii.

Idem Thomas cap. 16 de Laurentio Archiepiscopo Spalatensi, quem seculo XI floruisse supra diximus, ista adjungit. Et quia Laurentius talis erat vir, in magna reverentia habebatur à Regibus & Principibus Sclavoniæ, tribuebantque Ecclesiæ S. Domnii villas & prædia multa, facientes confirmationes & privilegia super novis collationibus & antiquis. *Et pluribus interpositis ista tradit*: Venerabilis Gerardus, Legatus Gregorii septimi Spalati positus, invenit ibi Ulfum Presbyterum, cui Golfangus agnomen erat, ab annis jam duodecim Papali jussu gravissimis compedibus alligatum, propter schismatis nefarium scelus, quod cum Cededa exercuerat in regionibus Dalmatiæ atque Croatiæ. Hunc ergo fecit absolvi, dicens: Quia Dominus Alexander felicis memoriæ in suo decessu præcepit universos suo jussu incarceratos absolvi. Prius tamen fecit eum super Evangelium & super corpus B. Domnii subire corporaliter juramentum, ut in abjuratam hæresim numquam relabi deberet, & de his partibus egrediens numquam rediret. *Hæc ibi. At mortuo memorato Alexandro Papa II anno* MLXXIII *die* XXII *Aprilis successit S. Gregorius Papa VII, qui vixit usque ad annum* MLXXXV, *& diem* XXV *Maii, cujus Acta ad diem dictum illustrabimus.*

& seculo XI à Regibus Sclavoniæ:

C

juramentum super corpus S. Domnii:

3 *Inter alios deinde Archiepiscopos fuit* Bernardus, patria Perusinus, anno MCC ab Innocentio III Papa consecratus, vir litteratus & eloquens, qui satis vigilanter curam Pastoralis officii impendit. Eum Emericus, *aliis* Henricus, filius Belæ III, Rex Ungariæ quasi patrem venerabatur, & ad ipsius petitionem donavit Ecclesiæ S. Domnii sextariolos molendinorum Salonitani fluminis, qui septimanaliter pertinebant ad Banum, *uti refert Thomas cap. 24, qui cap. 26 de Andrea Rege, altero Bela III filio, ista tradit.* Anno redemptionis nostræ MCCXVII, Mense Augusto, die XXIII advenit Rex Andreas ad civitatem Spalatensem... Ipse viso processionis cœtu solenni universorum civium, descendit de equo, magnaque suorum Principum vallatus caterva, tenentibus eum hinc inde Episcopis qui convenerant, pedes usque ad Ecclesiam S. Domnii processit: ubi celebrato Missarum officio, & data oblatione super altare, ad hospitium secessit... Cum autem Andreas Rex aliquantam moram faceret, Bernardus Archiepiscopus mortis debitum solvit, sepultus juxta ecclesiam S. Domnii. *Hæc ibi. De dictis Regibus Vngariæ consuli potest Bonfinius decade 2 Rerum Hungaricarum lib. 7.*

seculo 13 donationes factæ à Regibus Vngariæ:

D

4 *Memorato Bernardo successit in Archiepiscopatu Guncellus, cujus tempore contra Malduci cujusdam piratæ insolentiam pugnaturi Spalatenses, exhortatione cujusdam Præfecti* exhilarati omnes, cœperunt commendare se Deo & B. Domnio. Et tunc ordinantes se cœperunt contra hostes audacter incedere, *& insignem de hostibus victoriam reportarunt, uti apud dictum Thomam cap. 36 legi potest. Præterea in Memoria Archiepiscoporum Salonitanæ & Spalatinæ Ecclesiæ, à Lucio pag. 385 edita, primus censetur* S. Domnius, *& nonagesimus octavus* Petrus natione Pagensis. Hic, *inquit auctor*, multa bona suo tempore fecit: erexit capellam S. Domnii, & eam pulcherrimè pavimentis edoravit, domos & possessiones Archiepiscopi erexit, ecclesiam S. Domnii divinis officiis bene fulcitam tenuit. Hic sedit annos sex, menses quatuor, obiit anno Domini MCCCCXXVII die primo Decembris, tumulatus est ante dictam Capellam S. Domnii in ecclesia ejusdem.

auxilium in bello invocatum.

E

capella erecta seculo 15.

5 *Hactenus, egimus de cultu & veneratione S. Domnii eidem exhibita in Dalmatia & potissimum in ecclesia Spalatensi, ubi sacrum ejus corpus adservatur; subjungimus aliqua de honore, ipsi in insulis Tremitanis exhiberi solito. Vulgo creduntur ab antiquis Diomedea insula dicta, quamvis & Tacitus lib 4 Annalium cap. 71 memorat* Julium neptem Augusti, convictam adulterii, ab hoc fuisse damnatam & projectam in insulam Trimetum, haud procul Apulis littoribus. *Spalatenses ad hac littora navigaturi, in conspectu suo dictas insulas habent, ex adverso Capitanatæ provinciæ sedecim Italicis à littore milliaribus distantes. Eæ accurate in mappis Geographicis regni Neapolitani exhibentur, quarum præcipua appellatur* Sancto-Nicola de Tremito, *altera* San-Domino *de qua hic agimus. Ferrarius in Catalogo Generali ad diem* VII *Maii, quo S. Domnium Episcopum martyrio fuisse coronatum Acta indicant, ista addit*: In insulis Diomedæis S. Domni, Episcopi & Martyris: *& annotat.* ex monumentis Canonicorum Regularium, qui insulas memoratas, vulgo de Tremiti, possident, *se ista tradere. Late de iis agit Gabriel Pennotus lib. 3 historia tripartita Canonicorum cap. 13 sed absque mentione S. Domnii. Quod autem Ferrarius eodem die, cum primo omnium de eodem S. Domnio ut Patrono Spalatensi ageret, annotet* corpus illius in insula una ex Diomedæis, quæ ex eo nominatur, asservari & præcipue coli; *nullo modo probamus. Vt summum arbitramur ibidem aliqua corporis ossa ex ecclesia Spalatensi delata, in honore fuisse, & forte adhuc esse.*

Vna ex Tremitis insulis S. Domnio sacra.

F

an aliqua ibi ossa?

§. II Corpora S. Domnionis & aliorum Romam delata.

6 IN *sacrosancta Lateranensi Ecclesia, omnium Vrbis & Orbis Ecclesiarum matre ac capite, hoc die* XI *Aprilis recitatur* Officium Ecclesiasticum sub ritu duplici de S. Domnione Episcopo & Martyre & sociis, quorum corpora habentur in proprio altari in oratorio beatæ Virginis

Cultus sacer S. Domnioni & aliorum XI. Aprilis.

A Virginis Mariæ ad Fontes: & festum duplex S. Leonis Papæ Romani transfertur in proximum diem, cujus in secundis Vesperis solum fit Commemoratio, nisi contingat ulterius differri. Omnia autem fiunt de Communi plurimorum Martyrum, & in Missa dicitur Credo, *uti refertur in Ordine Officiorum, qui pro dicta Ecclesia solet excudi. Ex quibus colligimus antiquissimam ibi viguisse consuetudinem Officio Ecclesiastico colendi* S. Domnionem & alios Martyres: quorum corpora, *inquit Baronius, in Notis Martyrologii ad hunc* XI *Aprilis*, Joannes Papa Quartus Dalmata, translata è Dalmatia, prope baptisterium Constantini recondidit, in oratorio à se decentissime exornato. *Similia tradit Baronius in Annalibus ad annum* DCXLI, *quo Ecclesiæ præerat dictus Ioannes IV Papa, de quo Anastasius Bibliothecarius in libro de Vitis Pontificum ista habet*: Joannes, natione Dalmata, ex patre Venantio Scholastico, sedit annum unum, menses novem, dies octodecim. Hic temporibus suis misit per omnem Dalmatiam seu Istriam multas pecunias, per sanctissimum & fidelissimum Martinum Abbatem propter redemptionem captivorum, qui deprædati erant à Gentibus: *quos fuisse Sclavos ex supradictis arbitramur. At pergit Anastasius*: Eodem tempore fecit ecclesiam beatis Martyribus Venantio, Anastasio, Mauro & aliis multis Martyribus, quorum reliquias de Dalmatia & Istria adduci præceperat: & recondidit eas in Ecclesia suprascripta *Lateranensi* juxta fontem Lateranensem, juxta oratorium B. Joannis Evangelistæ: quam ornavit & diversa dona obtulit.

Cultus ecer S. Domnionis & aliorum XI Aprilis.

à Ioanne Papa IV horum Corpora Romam translata,

B

& in ecclesia Lateranensi deposita.

12 *Cesar Rasponus lib. 3 Basilicæ seu Patriarchii Lateranensis cap. 12, cum captivos à dicto Ioanne Papa libertati restitutos dixisset, ista addit*: Sanctorum reliquias, ne Christianæ religionis ludibrio esse possent, plurimas iisdem è terris exportandas, Romamque adducendas curavit. Fuerunt autem SS. Venantii, Domnionis, Anastasii, Mauri, Asterii, Sulpiciani, Theli, Antiocheni, Pauliani. *De S. Venantio Episcopo & Martyre ejusque corpore Romam translato, egimus Kalendis Aprilis: ad quem diem annotat Baronius*, Corpus S. Venantii asservari una cum corporibus S. Domnionis Episcopi & aliorum Sanctorum Martyrum, quorum omnium dies anniversaria agitur hoc eodem mense, tertio Idus Aprilis: *quo die ista leguntur in Martyrologio Romano*: Salonæ in Dalmatia Sanctorum Martyrum Domnionis Episcopi cum octo militibus. *Verum Domnionis, aliis Domnii corpus non est tempore Ioannis IV Papæ Romam delatum, sed integro seculo serius à Ioanne, Archiepiscopo Spalatensi una cum corpore alicujus Anastasii ad suam Sedem Spalatensem translatum, & in ecclesia* S. *Mariæ Deiparæ nunc* S. *Domnii dicta depositum, & hactenus summa cum veneratione adservatum, uti ex supra relatis liquido constat. Alterius ergo ab istius Domnii corpore necessario censendum est* S. *Domnionis hujus corpus Romam translatum, sive is fuerit* cubicularius Maximiani Imperatoris *cujus Acta martyrii etiam supra retulimus, sive aliquis* Episcopus *supra in antiquis Martyrologii Hieronymiani apographis indicatus. Huic octo milites attribuuntur à Baronio ad* XI *Aprilis his nominibus*: Paulinianus, Telius, Asterius, Anastasius, Maurus, Septimius, Antiochianus *&* Cajanus. *Horum ultimus deest apud Rasponum, & pro* Septimio *collocatur* Sulpicianus: *& qui hic scribuntur* Paulinianus, Telius *&* Antiochianus, *apud Rasponum sunt* Paulianus, Thelus *&* Antiochenus. *Ioannes Severanus, in Memoria sacra septem Ecclesiarum Romanarum anno* MDCXXX *Romæ excusa pag. 501, conjungit novem socios, his nominibus*: Anastasius, Maurus, Asterius, Septimius, Sulpicianus, Lelius, *supra* Telius, Antiochianus, Paulianus *&* Cajanus. *Quos omnes in titulo proposuimus, quia in apographo Martyrologii Hieronymiani Corbeiensi Parisiis excuso statuuntur* novem milites.

Nomina Martyrum relata à Raspono,

C

AUCTORE G. H.

D

Baronio;

& Severano:

E

13 *Addit indicato loco Rasponus ad murum dictæ ecclesiæ*, hinc inde videri è musivo effigies Sanctorum Martyrum, quorum corpora hic requiescunt... In Absidis medio cernitur ara, gradibus quatuor elevata, cui impositum est ciborium marmoreum, fultum quatuor nobilibus columnis item marmoreis, opere accuratissimo in spiram striatis, cum capitellis ornatissimis, & sub hoc altari proxime enumerata S. Venantii & sociorum Corpora requiescunt... Canonici Lateranenses sacra ibidem facere præcipuis quibusque beatæ Virginis solemnitatibus consuevere: quod munus ceteris anni diebus à certis Clericis & Capellanis, ab iisdem Canonicis impositis, obiri mos est.

Effigies Martyrum;

Altare sub quo requiescunt.

F

De Sanctis Martyribus Mauritanis,

SALONE, MAXIMO, HILARIO, CONCESSO, ET CETERIS SANCTIS.

G. H.

XI Apr.

Nomina Martyrum.

HOrum Martyrum Antesignanus Salon *memoratur in MS. Martyrologio Aquisgranensi. Verum in MSS. Augustano S. Vdalrici & Parisiensi Labbei nostri, jungitur* Maximus, *sed aliis immistus, & nullus in his indicatur locus Martyrii. In MSS. Rhinoviensi & Richenoviensi ista habentur*: In Mauritania Hilarii, Maximi. *Tres Martyres nominat Notkerus his verbis*: In Mauritania Salonis, Maximi & Concessi, cum ceteris Sanctis. *Deest* Hilarius, *qui indicatur in MS. Reginæ Sueciæ ab Holstenio æstimato, & alio Trevirensi S. Maximini, & etiam* Hilarius *scribitur. Apographa quatuor Martyrologii Hieronymiani ab his Sanctis ita auspicantur hunc diem*: III Idus Aprilis. In Mauritania natalis Salonis, Maximi, Hilarii, Concessi, cum ceteris Sanctis. Et Domnini, *qui in nonnullis* Episcopus *appellatur & in Blumiano MS. refertur ad præcedentem diem. Loco* Salonis, *etiam* Sylonis *&* Saloni *scribitur. Florentinius suspicatur* nomine ceterorum Sanctorum posse contineri sacrum aliquem Clericorum cœtum, cui pressius sanctitatis titulus deberetur more antiquo: & sub finem addi Domninum Episcopum, qui post eosdem, tamquam præcipua veneratione dignus, reponitur. *Nos aliam habuimus considerationem de* Domnino, *arbitrati eum spectare ad Sanctos Dalmatas, de quibus jam egimus: inter quos reperiuntur SS.* Domnio *&* Domnius. *Si quis tamen ex jam allatis Martyrologiis aut aliis monumentis, eum hic apponendum censeat, per nos semper licebit. In antiquo Tamlachtensi apud Hibernos Martyrologio, ab his Sanctis incipit hic dies hoc modo*: Hilarii, Saloniæ, Maximi; Concessi; *absque expressione loci, quæ passim in MS. isto negligitur.*

an iis jungendus S. Domninus,

DE S. PHILIPPO EPISCOPO

Gortynæ in Insula Creta.

G. H.

CIRCA AN. CLXXX.

Laudatur ab Eusebio,

EUsebius Pamphili, libro IV *Historiæ Ecclesiasticæ*, tertio meminit hujus Sancti Episcopi Philippi: primo cap. 21, ubi Scriptorum Ecclesiasticorum, qui sub Imperatoribus M. Aurelio Antonino & L. Ælio Vero floruerunt, nomina & virtutes suggerit, his verbis: Iisdem temporibus in ecclesia floruit Hegesippus, de quo in superioribus libris jam abunde dixi; & Dionysius Corinthiorum Episcopus; Philippus præterea & Apollinaris ac Melito; Musanus etiam & Modestus, ac postremo Irenæus. Quorum omnium libri, sinceram Apostolicæ traditionis ac veræ fidei doctrinam continentes, ad nos usque pervenerunt. *Sequentibus capitibus de singulis seorsim agit Eusebius, & cap. 22 de S. Hegesippo, cui dies VII Aprilis sacer est, dein cap. 23 de S. Dionysio Episcopo Corinthiorum, cujus Acta dedimus VIII Aprilis. Hic in Epistola quarta, ibidem indicata, laudat & summopere commendat Gortynensem in insula Creta Ecclesiam, ut eximiis & testatu virtutibus notam: tum ejus Antistitem Philippum, velut illius gloriæ ac splendoris, secundum Deum, auctorem atque conservatorem. Verba Eusebii de ista Epistola sunt hujusmodi.* Ecclesiæ præterea Gortynensium & reliquis simul Ecclesiis Cretæ litteras scribens Dionysius, Episcopum ipsorum Philippum magnopere prædicat: quippe cujus Ecclesia egregiam laudem fortitudinis & generosi animi communi omnium consensu retulisset: monetque ut ab hæretica fraude ac versutia sibi caveant.

& S. Dionysio Ep. Corinthiorum.

B

2 *Quam præclare hanc admonitionem observarit S. Philippus, testatur ejus contra Marcionem hæresiarcham accuratum opus, quod cap. 25 ita commendat idem Eusebius:* Sed & Philippus, quem ex verbis Dionysii proxime citatis Gortynensis Ecclesiæ Episcopum fuisse cognovimus, ipse quoque luculentissimum librum adversus Marcionem composuit. *Hic est ille Marcion, cui S. Polycarpus occurrenti sibi & dicenti,* Cognosce nos, respondit: Cognosco te primogenitum Satanæ, *uti de eo testatur S. Irenæus apud Eusebium lib 4 cap. 13. S. Hieronymus libro de Scriptoribus Ecclesiasticis cap. 30 ita Philippi meminit:* Philippus Episcopus Cretensis, hoc est urbis Gortynæ (cujus Dionysius in epistola sua meminit, quam scripsit ad ejusdem civitatis Ecclesiam) præclarum adversus Marcionem edidit librum temporibusque M. Antonini Veri & L. Aurelii Commodi claruit. *Hisce addit Trithemius, de Scriptoribus Ecclesiasticis similiter agens:* Scripsit etiam quasdam ad diversos epistolas, variosque tractatus, qui ad nostras manus adhuc minime pervenerunt. *Verum neque ad manus Eusebii aut Hieronymi pervenerunt, qui alias id indicassent.*

Librum edit contra Marcionem.

C

3 *Cultum ejus sacrum ad hunc XI Aprilis indicat Usuardus his verbis:* Apud Cretam, urbe Gortina, S. Philippi Episcopi, qui magnis virtutibus & optimis studiis præditus fuit. Floruit autem temporibus, Antonini Veri, & Lucii Aurelii Imperatorum. *Ado etiam & Notkerus ajunt,* vita & doctrina claruisse. *In Martyrologio hodierno Romano exornatur hoc elogio:* Gortynæ in Creta S. Philippi Episcopi, vita & doctrina clarissimi, qui temporibus Marci Antonini Veri & Lucii Aurelii Commodi Ecclesiam sibi creditam regens, à furore Gentilium & hæreticorum insidiis eamdem tutatus est. *Qua phrasi simili aut aliquantum alia referuntur apud Maurolycum, Felicium, Ghinium, Galesinium, Canisium & in nonnullis* MSS. *Meminit ejusdem Petrus de Natalibus lib. 4 cap. 44. Iterum VIII Octobris inscriptus est primo loco Adonis Martyrologio, à Mosandro ad supplementum Surii excuso, & in aliis* MSS, *ubi ista habentur:* Apud Cretam urbe Gortynæ, B. Philippi Episcopi, magnis virtutibus & optimis studiis præditi viri. *Quæ fere eadem leguntur apud Notkerum & Bedam suppositititum. Paucioribus refertur in Martyrologio vetere Romano, uti illud appellavit Rosweidus, item apud Grevenum, Maurolycum & alios.*

Colitur XI Aprilis

E

& 8 Octobr.

4 *Primus, Cabilunensis Episcopus, in Topographia Sanctorum ad calcem Martyrologii Maurolyci edita,* Augustam civitatem Rhetiæ Vindelicorum *appellat, & inter Sanctos Augustanos constituit* Philippum Episcopum, sub Antonino Vero Martyrem. *Eumdem Augustanis adscribit Franciscus Irenicus lib. XI Germanicæ exegeseos fol. 202. Egimus nos de S. Dionysio Episcopo Augustano Martyre ad diem XXVI Februarii, ostendimusque hunc Philippum perperam ex Creta ad Rhætiam translatum esse, & apud Petrum de Natalibus lib. 7 Catalogo cap. 28 tradi* S. Afram martyrium passam apud Cretam in civitate Augustana, *ubi* apud Rhætiam *legendum est.*

perperam Augustanus Episcopus habitus.

F

De Sanctis Martyribus Afris

FORTVNATO, DONATO ET ALIIS CCXL.

G. H.

XI APRILIS.

EX *unico antiquissimo fonte omnia Martyrologia originem duxisse eadem hac loquendi ratio ostendit:* In Africa SS. Fortunati, Donati, & aliorum ducentorum quadraginta. *Ita tria apographa Martyrologii Hieronymiani, Notkerus, Grevenus,* MS. *Leodiense S. Lamberti, cum* MS. *Florario & aliis. In* MS. *Barberiniano, Ultrajectino S. Mariæ, Coloniensi itidem S. Mariæ ad Gradus, omissus est* Donatus. *Contra deest* Fortunatus *in* MSS. *Trevirensi S. Martini, Casinensi, & Vaticano S. Petri, & in hoc adduntur* alii CCXLI. *Absque sociis memorantur in* MS. *Richenoviensi: absque loco indicantur cum sociis in* MSS. *Augustano & alio Parisiensi. Demum in unico codice nominantur* Fortunata *&* Donata. *In* MS. *Tamlachtensi, fit memoria* Fortunatæ *&* Domitionis, *cui adduntur* multa millia: *& dein subjungitur* Fortunatus. *At* Filono, *de quo mox agemus junguntur* alii CCXLIV, *qui huc spectant.*

DE

DE SS. EUSTORGIO PRESBYTERO, NESTORE, FILONO, CEREMONIO, Martyribus Nicomediæ.

XI APR. S. Eustorgius Presbyter. G. H.

Nicomediæ S.Eustorgium Presbyterum, adscribunt Usuardi exemplaria omnia, & typis excusa & manu exarata, nec non Tabulæ hodierni Martyrologii Romani, cum iisque Bellinus, Maurolycus, Felicius, Grevenus, Molanus, Canisius, Galesinius. Titulum Martyris addunt Florarium MS. & Martyrologium Coloniæ & Lubecæ anno 1490 excusum. At loco omisso S. Eustorgius refertur in MS. Aquisgranensi. In MSS. Richenaugiensi, Augustano & Parisiensi additur socius Nestor seu Nestorius. In tribus apographis antiqui Martyrologii S. Hieronymi quatuor nominantur Martyres, Nicomediæ passi. Eustorgius Presbyter, qui Eastorgius, Eostorgius & Eustoius scribitur, Nestor, Filonus seu Filon aut Filontius & (socii tres.) Ceremonius seu Ceremonia. In Apographo Blumiano ejusdem S. Hieronymi, deest Nestor, & reliqui tres referuntur. Masinus in Bononia perlustrata celebrat ad hunc diem S.Eustorgium, quod aliquæ reliquiæ sub hoc nomine asserventur in ecclesia S. Dominici: sed quis divinando affirmabit illas esse hujus sancti Martyris Nicomediensis? Nec major certitudo est in tempore martyrii definiendo. Ad notas Martyrologii Romani legitur margini appositum: circa annum CCCCX. Putaremus potius in persecutione Diocletiani hos passos esse: de qua ad sequentem diem agemus. (quando passi.) In MS. Tamlachtensi celebratur memoria SS. Eustorgii, Nestoris, Filonis & aliorum CCXLIV, sed hi postremi ad præcedentem turmam spectant.

De Sanctis Martyribus CANCIANO, GAIANO, IOVINIANO, MARCELLO ET VITALE.

B XI APR. G. H. E

Diximus diebus proxime elapsis inter monumenta, à nobis in Archimonasterio Casinensi reperta, fuisse vetustissimum aliquod Martyrologium, antiquo charactere Langobardico conscriptum, & ex eo aliquot Sanctos Martyres dedimus: quod iterum hoc die facimus, quia in eo ista indicantur: III Idus Aprilis. Natalis Sanctorum Martyrum Canciani, Gajani, Joviniani, Marcelli & Vitalis. Celebris est memoria SS. Cantii, Cantiani & Cantianillæ fratrum, Aquileiæ sub Diocletiano passorum, qui XXXI Maii, XV & XVII Iunii referuntur. Aliquis etjam Cantianus memoratur ad dictum XV Iunii in Lucania passus, sed nullus horum Sociorum iungitur. Gajanum Martyrem dedimus die proxime elapso X Aprilis, qui ab aliis traditur in Thracia, ab aliis in Dacia passus, & dubitavimus, num essent diversi collocandi. Forsan aliquis huc transferendus. Jovinianus & Marcellus inter Martyres Siculos, in primario apographo Martyrologii Hieronymiani, reperiuntur die XI Octobris. Aliquis etjam inter Martyres in Asia Jovennianus, sive Jovenianus habetur XII Martii. At Martyres Marcelli aut Vitales nominati plures sunt: sed qui ad hunc diem aut simul cum aliis iuncti colantur, necdum reperimus. Hos ergo Martyres propter antiquitatem dicti Martyrologii indicavimus, benevolo Lectori ulteriorem indagandi materiam præbentes.

DE SS. SIAGRIO ET PATRICIO Lugduni in Gallia.

C G. H. F

Lugdunum, Galliarum emporium antiquissimum, sicut populi frequentia, mercatura & opibus semper excelluit, ita sancta religione & prisca in Christo pietate, etiam sub Ethnicis Imperatoribus, primis Christianæ æræ temporibus eminuisse satis testantur sancti Martyres, qui ibidem variis temporibus fidem suam sanguinis effusione professi sunt. Verum quia Duces eorum & Antesignani sæpe soli suis nominibus indicantur, plurimi latent sub aliis numero generali comprehensi. Ita cum S. Irenæo Lugdunensium Episcopo traduntur novemdecim millia, quorum nomina ignorantur, martyrio coronata. (Nam inter antiquos Martyres Lugdunenses hi sunt censendi,) Quidni tamen aliquorum Martyrum nomina, hinc inde in antiquis monumentis abscondita, subinde in lucem possint extrahi? Ex his forsan censendi, qui in antiquissimo apographo Martyrologii Hieronymiani, quo passim usi sumus, ante mille circiter annos exarato, his verbis habentur: Lugduno Galliæ Siagrii & Patricii. Ex his verbis videremur, quod toto hoc opere fecimus, posse apponere nomen Martyrum; (an potius Confessores habendi?) sed illud in titulo omisimus, quod in aliis, sed recentioribus, apographis sit appositum nomen depositio, uti etjam in MSS. Tornacensi & Laetiensi, sed in illo, vitio librariorum, est Fiagrii, loco Siagrii. In MSS. Ultrajectino S. Mariæ, & Trevirensi S. Martini ista leguntur: Lugduno Siagrii Confessoris, nulla Patricii facta mentione. Celebratur etjam non indicato loco memoria Siagrii Confessoris in MSS. Augustano S. Udalrici & Parisiensi Labbæi. An ergo post vincula, carceres, aliosque cruciatus dimissus, in pace obdormierit? In Bellini editione Parisiensi anni 1521, Siagrius Episcopus appellatur. Verum quia inter Episcopos Lugdunenses nullus reperitur Siagrius, Molanus mutavit nomen & scripsit Lugduno Sicarii Episcopi. (Videtur Siagrius alius à Sicario Episcopo Lugdunensi.) Secuti mox fuerunt Galesinius, Canisius, Ginnius, Ferrarius, & potissimum Saussajus in Martyrologio Gallicano, qui in Indice ordinationem ejus facit: sed, ut alias ostendimus, ex conjectura, quod S. Sicarius habeat natalem XXV Martii, quo die de S. Sicario & hoc Siagrio egimus, & proposuimus ista viris apud Lugdunenses antiquitatum Ecclesiæ suæ amantibus, ut si certiora monumenta possint indicare, ad hunc XI Aprilis ea ederemus: quod iterum per litteras rogavimus virum antiquitatis Gallicanæ gnarum, Ioannem de Bussieres, libris editis celebrem: qui respondit XXIX Ianuarii anno MDCLXX se nihil de hac controversia à quoquam potuisse pernoscere. Siagrium ergo, ut alium à Sicario Episcopo, relinquimus cum S. Patricio: & ambos istic Martyres, aut saltem Confessores, arbitramur Lugduni Vitam hanc mortalem cum æterna & immortali commutasse.

D. P.

DE SANCTO PHARMVTHIO

Eremita in Armenia.

SEC. III

Ætas & anachoresis Sancti,



Vitam S. Ioannis in Puteo dedimus die XXX Martij, ex MS. Vaticano, Latine redditam à Cardinali Sirleto. Armeniæ autem eumdem adscripsimus, quia Cybistra, unde in propinquam solitudinem processerat, sub Comana metropoli ab accuratioribus Geographis constituitur: licet eam Carolus à S. Paulo in Geographia sacra Tyaneo Cappadociæ secundæ Metropolitæ attribuerit. Nam quomodocumque olim fuerit, posteriori sane tempore Armeniæ nomen latius patuit: ipseque modo citatus Paulus Cybistram hodie Armenach dici, aque ac Comanam ipsam, scribit; nescio an satis sui utroque loco memor. Tempus quo idem Ioannes vixit alicujus contra Christianos persecutionis fuit, nec videtur alia commodius accipi, quam ultima & dirissima illa, quæ usque ad Constantini Magni imperium duravit; quando suppliciorum metu plurimi in avias solitudines abdiderunt sese: quos inter Ioannes iste unus fuit; uti patet ex Actis.

B

Acta cum S. Ioanne ἐν τῷ φρέατι,

Hæc autem de loco & tempore eo dicta hic sint, ut intelligatur, ubi & quando vixerit Pharmuthius, Ioannis prenominati institutor & altor. Cybistra enim egressus Ioannes, ad hujus sancti senis, patria Ægyptij, speluncam se contulit: deinde cum descendisset in puteum, in eoque quadraginta diebus absque cibo & potu perseverasset, venit Angelus ad Ægyptium cibum illi afferens, & dixit: Surge Pharmuthi & affer cibum Joanni. Pergit porrò eadem Vita narrare, quomodo allatum à Pharmuthio cibum Ioannes sumpserit, & contra diabolicas tentationes ipsius doctrina confirmatus, rogarit ne amplius esset pro se solicitus. Brevi autem instructore suo instructior ipse discipulus apparuit. Moliebatur diabolus educere è puteo juvenem quacumque ratione. Ergo materni famuli mentitus speciem Pharmuthium adijt, eique persuasit ut auctor Ioanni revisendæ matris fieri vellet. Pharmuthius noctis unius postulavit inducias, & inter precandum perpetuas passus est cogitationum agitationes: adeo ut preces suas non posset absolvere; & vel hinc potuit debuitque suspectam habere

C

hospitis ignoti caussam. Postera tamen die cum illo ad Ioannem perrexit, meritamque tulit reprehensionem: per quam ad erroris sui agnitionem adductus, recessit flens ac dicens; O diabole, quantum me decepisti: sed me pro ludo habens illusisti, & puer te devicit: nunc vero & ipse senex tibi certamen novum proponam, & actiones tuas superabo.

Egregio proposito respondisse effectum, adjuvantibus ipsius S. Ioannis pro suo curatore precibus, credibile est: sed deficientibus vita Actis nihil certum possumus pronuntiare. *cultus apud Græcos:* Quæ vero hactenus deduximus & plene legi in præcitatis Actis possunt, præsumunt eum, de quo egimus, ipsum esse, cujus in Græcorum Menæis, & ex his apud Maximum Cytheræum, memoria agitur cum titulo, Sancti Patris nostri, unoque disticho, ad nomen ipsius, quod cum octavo Ægyptiorum mense commune habet, alludente, in hunc modum: E

Ἔξῆλθε Φαρμοῦθιος ἐκ τῶν ἐνθάδε,
Φαρμουθὶ μηνὶ δῆλον ὡς Ἀπριλίῳ.
Terrena liquit mense Pharmuthi, cui
Mensis hic (Aprilem dicimus) nomen dedit.

Scilicet cum Aprili nostro hic Ægyptiorum Pharmuthi, Coptorum Barmuda, sic coincidit, ut in XXVII Martij exordium sumens, Kalendas Aprilis attingat suo die sexto, ut apparet ex Seldeno libro 3 de Synedrijs Hebreorum cap. 15. Ab illo autem mense deductum nomen penultima longa esse pronuntiandum docet Græci versus mensura. *nominis ratio.* Præsumptionem porro quod Pharmuthius iste in Actis S. Ioanni nominatus idem sit, quem hic Menæa commemorant, confirmat ratio Geographica, docens quod ad Constantinopolitanum Patriarchatum (ex cujus hodierno usu fere sunt accepta Menæa) pertineat Cappadocia, Lycaonia atque Armenia, quarum regionum confinia sua anachoresi illustrasse Sanctus iste debuit; siquidem haud longe à Ioanne, adeoque à Cybistra atque Baratta (nam hinc venit qui Ioannem sepelisse se dicit Chrysius) speluncam supra indicatam habitavit. D

DE S. LEONE MAGNO

Pontifice Romano.

G. H.

COMMENTARIVS PRÆVIVS.

§. I. Acta Vitæ & cultus apud Latinos.

ANNO CCCCLXI XI APRILIS



Sanctus Leo, Ecclesiæ Romanæ & Archidiaconus & Pontifex maximus, tunc vixit, cum Ecclesia assiduis quateretur hæreticorum procellis, & pluribus in locis à barbaris infestaretur. Quo tempore ejus generosa virtus & eminens doctrina adeo excelluit, ut Magni cognomen ei procurarit. *Res gestæ in Annalibus Ecclesiasticis deducta.* Vnum dolemus res ab eo præclarissime ac sanctissime gestas non fuisse ab illustri aliquo & prudenti historico oculatoque in pluribus teste conscriptas: quas ideo ex ejus potissimum epistolis & Actis Concilij Chalcedonensis, nec non ex historicis varijs deducit Baronius tomo VI Annalium Ecclesiasticorum, quem ab hujus Pontificatu auspicatur, & tertiam dicti tomi partem complet narratione rerum sub ejus Pontificatu gestarum: quas ibi sub oculis omnium positas benevolus lector habere potest. Est aliqua de eo relatio in antiquo Pontificum Catalogo, alibi à nobis danda, quæ aliquanto latius est ab Anastasio bibliothecario deducta, & in libro Pontificali etiam contenta: unde etiam nos aliqua proferemus.

2 Sanctissimi hujus Pontificis Sermones, epistolas ac reliqua ejus opera, olim à se recognita & summa cum utilitate perlecta, obtulit Paulo II Pontifici Romano Ioannes Andreas, Episcopus Aleriensis & celeberrimus Legum Doctor, *Opera ejus edita à Ioanne Andrea* cujus epistolam dedicatoriam edidit Petrus Canisius, qui eadem S. Leonis opera typis Coloniensibus anno MDXLVI vulgavit, ijsque præfixit Vitam Leonis Magni, vere Summi sanctissimique Pontificis, uti in titulo indicat. *& Petro Canisio, (cum ejus vita, quæ hic datur)* Hanc proponimus more nostro distinctam & suis Notationibus illustratam. Est aliud Vitæ compendium alibi Operibus præpositum, quod cum elogijs ex Nicolai primi Pontificis epistola, & ex Gennadij & Tritbemij Catalogis de Scriptoribus Ecclesiasticis, edidit ante opera ejusdem Pontificis Theophilus Rainaudus: qui præterea tomo XI operum, cui Critica sacra titulum inscripsit, pag. 289 ostendit aliquas epistolas S. Leoni suppositas fuisse; *& à Theophilo Rainaudo,* & aliquot sermones esse ejus germanum fœtum, qui perperam sint S. Augustino tributi. Præclare de ejus Scriptis agit Philippus Labbe, & contra hæreticos propugnat lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis à Cardinale Bellarmino collectis.

3 De

A *duplex Vita MS. omittitur:* 3 *Duplicem etiam S. Leonis Vitam ex codicibus MSS. desumptam accepimus, sed neutram dignam prælo æstimamus. Altera harum descripta est Pragæ cum hoc titulo:* S. Leonis Papæ IV Kalendas Iulij, tam ex gestis Pontificum Romanorum, quam ex Chronicis, maxime S. Prosperi, qui Notarius ejus fuit. *Sed qui* IV Kalendas Iulij *colitur est* S. Leo II. *Indicatur sub finem, ab Vsuardo referri ad* III *Idus Aprilis: cujus diversitatis caussam se ignorare auctor fatetur. Altera Vita extat in Boduensi cœnobio Canonicorum Regularium diœcesis Paderbornensis: in hac* pater ejus dicitur Romanus ex genere Aniciorum nomine Petrus, & mater ejus appellatur Pia, *fingiturque* de sanguine Imperatoris, filia fratris ipsius videlicet Theodosij; *& mira fabella texitur, tum de visione utriq; parenti ante ejus nativitatē facta, & miraculo eamdem secuto, tum de electione ejus in Imperatorem post obitum Theodosij Magni, & non admissa dignitate. Inseritur etiam fabella à Baronio ad ann. 461 num. 8 explosa*, nempe S. Leonem, cum formosa mulier ejus manum esset exosculata, passum quid oblectationis humanæ, & ideo manum excidisse: sed oranti ipsi Dei genitricem, fuisse ab hac restitutam. *Addit Baronius, hujus rei* imaginem pictam, jussu Clementis Papæ VIII, consultis viris doctis, abrasam. *Vtraque ergo hac collectione prætermissa, nonnulla analecta adjicimus,*

harum alteri multa fabellæ inserta.

B *Memoria sacra in Martyrologiis 11 Aprilis,* 4 *Veneratio ejus sacra indicatur ad hunc* XI *Aprilis in variis Martyrologiis MSS. uti etiam in genuino Beda: cujus ista verba sunt.* III Idus Aprilis. Romæ Leonis Papæ & Confessoris. *His adjunxit Vsuardus:* cujus temporibus extitit sacra Synodus Chalcedonensis. *Magno cum elogio exornarunt Rabanus, Notkerus Galesinius, & reliqui recentiores. In hodierno Romano ista leguntur:* Romæ S. Leonis Papæ & Confessoris, qui virtutum excellens meritis, dictus est Magnus. Ejus temporibus celebrata fuit sancta Synodus Chalcedonensis, in qua ipse per Legatos Eutychem damnavit: cujus etiam Synodi decreta auctoritate sua confirmavit: cumque multa sanxisset & luculenter scripsisset, de sancta Dei Ecclesia & universo grege Dominico Pastor bonus optime meritus, in pace

14 Martii, quievit. *Die* XIV *Martij S. Leo Papa Officio IX Lectionum celebrandus præscribitur in Kalendario Missalis mixti secundum regulam B. Isidori, dicti Mozarabes, jussu Francisci Ximenes Archiepiscopi Toletani anno* MD *excusi: quo etiam die memoratur in MS. Atrebatensi Martyrologio, & in Breviario MS. Montensi S. Waldetrudis. Arbitramur porro intelligi S. Leonem Papam I & Magnum, quod ejus in dicto Mozarabico non fiat alibi mentio. In MS. Adone monasterij S. Laurentij apud Leodienses, se-*

15 Martii, *quenti die* XV *Martij, reperitur etiam* Leo Papa. *Sed dies*

C *decimus Novembris forsan in antiquitate cultus assignati prævalet, imo sibi depositionem requirit, quasi dies* XI

10 Novemb. in pluribus fastis vocatur dies depositionis, *Aprilis contineret celebritatem alicujus translationis aut elevationis. Habemus quatuor apographa Martyrologij Hieronymiani, in quibus statim post Martyres ista referuntur:* Romæ depositio S. Leonis Episcopi. *Quæ eadem leguntur apud Notkerum & in MSS. Martyrologijs Vaticano S. Petri, Atrebatensi, Divionensi, Tornacensi, Latiensi, itē monasterij S. Cyriaci sæpius à Baronio laudato; & (quod valde notandum) primo loco in MS. antiquo Cardinalis Barberini; ex quibus omnibus dedimus genuinum Martyrologium S. Bedæ, sub initium tomi secundi Actorum Martij excusum. Memoratur etiam ad dictum diem* X *Novembris in vetustis MSS. Altempsiano, duplici Treuirensi S. Maximini & tertio S. Martini, item in duplici Leodiensi, scilicet S. Lamberti & S. Laurentij, Bruxellensi S. Gudilæ & aliis.*

5 *Favet valde hisce antiquissimis Martyrologiis & tempus Sedis vacantis & electio successoris Hilari, quæ cadit in* XV *Kalend. Decemb. sive* XVII *diem Novembris, cum à dicta depositione seu die* X *Novembris cessavisset Episcopatus dies septem: uti indicatur in Pontificali Romano, & in* MSS. *Gestis Pontificum ad Martinum V deductis; item apud Luitprandum, Abbonem Floriacensem & alios qui de Pontificibus Romanis olim scripserunt. In antiquo Catalogo MS. seculo Christi sexto confecto, solum dies sex pro Sedis vacatione assignantur, qui scilicet inter medij fuerunt inter diem* X *&* XVII, *quando* Flavio Basilisco & Hermenerico Coss. sub die XV Kalend. Decemb. *anno* CCCCLXV *habita est Synodus Romana, & unica sessione completa, ipso die natali Pontificis, sive anniversario electionis ejus in Pontificem facta anno* CCCCLXI, *uti ipse testatur epistola ad diversos Galliæ Metropolitanos his verbis:* Præsidente Fratrum numeroso Concilio ex diversis provincijs, ad diem Natalis nostri, in honorem S. Petri Apostoli per Dei gratiam congregato. *Et rursus epistola secunda ad Tarraconenses:* Lectis ergo in Conventu fratrum, quos Natalis mei festivitas congregaverat, litteris vestris *&c. Aberravit non multum Marianus Scotus, dum asserit* pridie Idus Novembris ordinatum Hilarium *in locum* Magni Leonis, *cujus obitum retulit* ad IV Kalendas Julii, *quo die diximus festum S. Leonis Papæ* II *peragi: quo tamen die ante Marianum Scotum ducentis & amplius annis Leonem Magnum retulerat Rabanus in suo Martyrologio his verbis:* Leonis Papæ, qui post Petrum Apostolum quadragesimus septimus in urbe Romana sedit annos viginti & unum, & mensem unum & dies tredecim. Hic tempore Pontificatus sui multa dogmata utilia fecit, & errores noxios ab Ecclesia Dei expulit. *Tempus illud sedis in antiquo Catalogo Pontificum diu ante insertum erat, & habetur etiam cum majori elogio ad dictum* XXVIII *Iunij in Martyrologio Notkeri, & alio sub nomine Bedæ excuso: nam in genuino Beda solum habetur:* Ipso die S. Leonis Papæ. *Nec plura habentur apud Vsuardum, Bellinum & alios.*

AUCTORE G. H.

D *& favet dies electionis S. Hilari successoris.*

item 28 Iunii.

E

§. 2. Cultus S. Leonis apud Græcos, ætas, patria.

6 *Veneratio S. Leonis Papæ apud Græcos initium sumpsit in Concilio Constantinopolitano Oecumenico, anno* DXXXVI, *sub Menna Patriarcha habito, in cujus Actione prima ista leguntur statuta:* Quoniam Chalcedonensis Synodus non solum Leonis sanctæ memoriæ, verum etiam & Cyrilli Alexandrinorum à Deo amati Pastoris memoriam in orthodoxa fide fecit, & Cyrillus quidem Alexandrinus in diptychis prædicatur, Leo autem Sanctæ memoriæ non prædicatur; justum putamus, ut quod defuit suppleatur: & quia æqualiter ab hac sancta Synodo pro statu orthodoxæ fidei honorati sunt, similiter & in sacris diptychis pro utilitate & pace Ecclesiæ prædicentur. *Hæc ibi.* *à Græcis inscriptus diptychis anno 536.*

F

7 *Diem autem ejus venerationi assignarunt Græci* XVIII *Februarij, ad quem diem in Menologio, jussu Basilij Imperatoris seculo* X *conscripto, hoc elogium legitur:* Leo admirabili virtute animi, sapientia & sanctitate præditus, Romanæ Ecclesiæ Pontifex, præclarissimis monumentis virtutem suam, præcipue autem rectam fidem, testatam reliquit. Coacta est enim Chalcedonensis Synodus sexcentorum triginta Patrum adversus eorum hæresim, qui unam tantum voluntatem in Christo, unamque actionem & vim esse dicebant; cumque ijs præscriptis & decretis, quæ ad veritatem spectabant, hæretici stare nollent, in eam sententiam omnes discessere, ut quidquid Leo sanctissimus Ecclesiæ Romanæ sanxisset id gratum, ratum firmumque haberetur. Rogatus itaque Leo ab omnibus Patribus, factis precibus conscripsit epistolam, in qua arguebat duas in Christo voluntates duasque actiones, quam orthodoxiæ columnam appellarunt. Post hæc in pace quievit. *Eadem, sed multo latius in MS. Synaxario Parisiensi col-* *colitur 18 Februarii in Menologio Basilii Imp.*

legij

AUCTORE G. H.

A

Synaxariis & Menæis,

legit Claromontani & in Magnis Menæis, tam manu conscriptis quam excusis, leguntur. In his dicitur à Spiritu sancto creatus Pontifex, multorum dierum jejuniis, vigiliis, precibusque assiduis ad Deum effusis; à Spiritu sancto vitæ auctore edoctus, *citatam ante* epistolam ad Synodum misisse: quam omnis venerandorum Patrum conventus & cœtus obviis manibus acceptavit, ratus hanc esse Catholicæ & orthodoxæ fidei regulam, quasi à Spiritu sancto dictatam & prolatam ... Divinus autem Leo Pontifex, vita adhuc diu propagata, velut astrum quoddam virtutibus refulgebat: ac tandem longo senio fatigatus, ad Dominum profectus est.

cum festo in ecclesia S. Sophiæ,

8 *Addunt Menæa, & cum iis Anthologium:* Peragitur illius memoria in sanctissima ecclesia magna, *scilicet S. Sophiæ Constantinopoli: & præclarissimum Officium de eo peragi solitum præscribitur, odis & hymnis illustribus, ex acrostichorum lege compositis, præposito hoc versu:*

Τῷ Πανσόφῳ Λέοντι τοὺς ὕμνους πλέκω.

Sancto Leoni Pansopho laudes canam.

Ad triginta dicti versus litteras totidem Odæ, à singulis indicatis litteris incipientes, proferuntur: & hoc versu Heroico, tamquam is esset natalis in cælis, ejus obitus indicatur in eisdem Menæis.

B

Ὀγδοάτῃ δεκάτῃ τε Λέων ἠρεύξατο θυμόν.

Octava decimaque anima est avulsa Leonis.

non fuit hic dies obitus,

9 *Deprehendimus alias, Ephemeridis istius Metricæ auctori satis fuisse familiare, ut quo die quis fastis ecclesiasticis Constantinopolitanis festum habet inscriptum, eodem & obiisse dicat. Nam (ut alios taceam) de S. Alexio (cujus Natalis Romæ, ubi obiit, colitur XVII Junii) ad XVII Martii, quando festum eius agunt Græci, ex alia absque dubio causa quam mortis tunc obitæ; in Ephemeride tamen præcitata legitur,*

Ἑβδομάτῃ δεκάτῃ Ἀλέξις πότμον ἀνέτλης

quod sic ad verbum redderetur Latine: Decima septima die, Alexi, mortem tolerasti. *Similiter de S. Saba Gottho, XII Aprilis certissime mortuo, ad XVIII hujus mensis dicitur:*

Ὀγδοάτῃ δεκάτῃ ποταμῷ Σάββαν κλύσε ῥέεθρον

Octava decima fluvii Sabbam necat unda.

aut Ordinationis:

Si credi posset S. Leo eodem quo nunc colitur XI Aprilis etjam mortuus fuisse, per annos viginti unum, mensem unum, dies viginti tres retrogradiendo; pervenietur ad XVIII Februarii, qui fuisset ejus in Pontificatu Natalis, quemadmodum ex usu sui seculi appellat Leonis successor Hilarus. Verum neque credibile est Græcos, si à Latinis sumere voluissent Leonis colendi diem, hunc potius quam celestem natalem solenni ejus festo consecraturos fuisse; & certum est Hilarum suum in Pontificatu Natalem ducere diem XVII Octobris, sex autem vel septem dierum dumtaxat interregnum fuisse consentiunt catalogi: ut omnino tenendum videatur X Novembris obiisse Leonem, quo die habent antiquiora omnia Martyrologia.

C

quia Sixto mortuo 28 Martii,

10 *Quandonam vero electus & ordinatus?* S. Sixtus *Leonis decessor Martyrologiis antiquis inscriptus est XXVIII Martii, & hunc ei fuisse mortualem diem satis tuto possumus credere; neque longe dissidet Prosper in chronico, cujus hæc sunt verba.* Defuncto his Consulibus, *scilicet Valentiniano V & Anatolio, qui fuit annus Christi CCCCXL,* Sixto Romano Pontifice Kalendis Aprilis (*seu potius V Kalendas*) quadraginta amplius diebus Romana Ecclesia sine Antistite fuit, mirabili patientia atque concordia adventum Diaconi Leonis expectans: quem tunc inter Aëtium & Albinum, Romani exercitus Duces, amicitiæ reintegrandæ causa Galliæ detinebant; quasi ideo longus esset adventus, ut electi meritum & eligentium judicium probaretur. Itaque Leo Diaconus legatione publica accitus, & gaudenti patriæ præsentatus, quadragesimus tertius Romanæ Ecclesiæ Episcopus ordinatur. *Hæc Prosper. Interest autem utrum quadraginta illos dies ab obitu Sixti*

Leo in Gallia absens,

D

an ab electione Leonis incipias numerare. Nobis videtur congruentius ut à die electi Leonis numerentur; quandoquidem iter Legatorum Roma in Galliam, adventusque Electi, haud levis momenti negotiis nec subito abrumpendis peregre occupati, vix minori spatio possunt comprehendi, quam dierum quadraginta: quibus si addas dies viginti duos usque ad electionem numerandos (tot enim diebus vacasse Sedem scribit Anastasius Bibliothecarius) hæc exurget ratio, ut electio facta dicatur die XVIII Aprilis, ordinatio autem die XXVIII aut XXIX Maii. Unde per annos viginti unum, menses quinque, dies tredecim assurgendo ad Consulatum Daglaifi & Severini (his enim Consulibus obiisse Leonem Prosper & Marcellinus consentiunt) pervenies ad annum CCCCLXI & diem X Novembris. Ast ultra annos & dies jam dictos solum mensem unum habent Anastasius & antiqui Catalogi. Fateor: sed cum alicubi corrigendum esse numerum ex dictis fit evidens; videtur hæc correctio convenientior, qua pro uno quinque menses substituuntur, ceteris omnibus salvis. Quia autem novum fuit absentem eligi, atque adeo non eodem die sed diu post coronari; mirum videri non debet, quod interregni tempus non prorogetur usque ad eum diem quem Natalem suum Leo censuit, & à quo propterea cœptus est illius Pontificatus numerari usque ad obitum.

videtur electus 18 Apr. & ordinatus 28 Maii,

E

quid si 18 Febr dedicatum CP. sacellum?

11 *Si quæras quid spectaverint Græci in S. Leone, S. Alexio, aliisque multis extra Patriarchatum Constantinopolitanum defunctis, tali quo in Menæis notantur die potius quam suo vero Natali colendis; nulla nobis verosimilior magisque late patens occurrit ratio, quam quod Menæa impressa & plerumque etjam scripta habeantur ex usu Constantinopolitanæ ecclesiæ: ibi autem tali die, quem illa observant, solita fuerint celebrari encænia altaris, sacelli, sive ecclesiæ ipsi Sancto erectæ: quale quid S. Leoni consecratum esse, post inscriptum Diptychis nomen ab aliquo Chalcedonensis Concilii Zelatore Patriarcha vel Imperatore, haud sane absurdum fuerit suspicari. Diem autem XI Aprilis esse eum, quo ante finem VII seculi corpus ejus à Sergio I Papa refossum & expers corruptionis repertum, in novam capsam subtus altare proprium est depositum, omnino existimamus: ab eoque tempore cœpisse eum Aprili mense solennius coli, ideoque à Beda aliisque isto die inscriptum eorum Martyrologiis inveniri. Apud Baronium ad annum obitus ejus exhibetur numisma Leonis, & nonnulla alia, quæ apud eum videri possunt. De miraculis factis per brandeum, pro reliquiis Sanctorum datum à S. Leone, egimus XII Martii in Vita S. Gregorii Magni lib. 2 num. 42 & lib. 3 num. 56, quæ non est necesse hic repetere.*

Corpus autem elevatum sit 11 Apr.

Creditur Volaterris natus,

F

12 *Commentarius de Sanctis & Reliquiis Volaterranensibus, à nobis III Februarii ad nomen S. Candidi Martyris laudatus, multis conatur persuadere, hunc S. Leonem Volaterranensem fuisse; non tantum quia Leonis, quem Hetruscum fuisse omnes admittunt, festivitatem annuam sola Volaterrana ecclesia, ex omnibus Hetruriæ urbibus, peculiari festivitate celebrat; sed etiam, quia Plinius lib. 3 cap. 5 dicit,* Volaterrani cognomine Hetrusci: *unde, inquiunt illius commentarii auctores,* concluditur, Volaterranum eumdem esse, qui Hetruscus. Cum enim Vulterra olim caput & regia fuerit Hetruriæ, tum dignitate tum consuetudine, Hetruriæ & Hetruscorum nomen, Vulterræ & Vulterranis adscribebatur. *Plinii locum non carere omni suspicione mendi ex Dalechampii annotationibus liquet. Nihil tamen propterea volumus Volaterranis detractum circa suam de S. Leone opinationem, sed uti ex archivii publici tabulariis accepimus, ita hic adnotamus, ad Cap. 154 Constitutionum urbis in membrana scriptarum, Additione 90 anni MDXLIII, & Additione 93 anni MDXLVII, legi præceptum his verbis conceptum:* Ad honorem, pacem & bonam gubernationem hujus urbis, voluerunt Domini Reformatores, ut quovis anno in perpetuum dies XI Aprilis habeatur & haberi debeat festivus in civitate Volaterrana, & ab unoquoque, sicut alii dies festi, solennizetur, sub pœna XLVIII solidorum: quia tali die S. Leo noster fuit assumptus ad gloriam Beatorum.

ubi festum ejus est celebre,

13 *Quam*

13 *Quam ad ultimum proponimus elevati ac translati* A *Corporis historiam, eam descripsimus ex* Catalogo sacrarum Reliquiarum almæ Vaticanæ Basilicæ, qui, Paulo Bizono & Marco Aurelio Maraldo S. D. N. Pauli Papæ V Datariis, ejus Basilicæ Canonicis, majoribus Sacristis curantibus, fideliter scriptus anno MDCXVII, *servatur MS. supra sacristiam dictæ Basilicæ, inter reliquos illius libros: ubi etiam adumbrata invenitur species corporis, qualis anno* MDLXXX *conspecta & lineamentis coloribusque in dicto Vaticano codice expressa cernitur; quam inde pictoris manu excipiendam atque in Belgium transmittendam, curavit vir de studiis nostris optime meritus Carolus Alexander à Manderscheidt S.I. Pœnitentiarius Belga ad S. Petrum: quamque ut suis oculis videre possit Lector, ari curavimus incidendam.*

Corporis anno 1580 expositi species.

VITA

A Petro Canisio edita.

CAPUT I.

Electio in Pontificem. Ejus doctrina & virtutes.

B Tuscus natione, a à Galliis evocatus, b Pontifex creatur: c agit gratias electoribus, d lætus simul & tristis: C e

1 Leo Papa, ejus nominis primus, & Tuscus natione, & Quintiano patre, in demortui Sixti III locum Pontifex creatus est, idque non sine singulari suffragantium omnium concordia. Fuit hic annus à Christo nato plus minus *a* CCCCXLI juxta cyclum Dionysii: quo tempore Diaconus adhuc in Galliis procul agens, magno sanctoque studio resarciendæ pacis inter *b* Aëtium & Albinum ipse distinebatur. Hinc igitur publica legatione Romam accitus, (ut quem non ambitio, sed virtus; nec tam favor humanus, quam propitii Numinis voluntas ad summæ dignitatis Pontificiæ fastigium evexisset) jam ardenti cunctorum desiderio magnaque patientia diu expectatus accessit, & egregie confectis rebus apud Gallias, magno omnium applausu Romæ Pontifex Maximus consalutatus est. Tum vir ille contra nominis rationem humanissimus, ad collectam Episcoporum coronam vicissim gratias dixit, partim quod ex *c* longa peregrinatione salvum & incolumem se conspiceret, apud incolumes illos Patres; partim quod, singulari Dei Optimi Maximi benignitate & illorum *d* concordi voluntate, munus amplissimum sibi concreditum esset. Sed acceptam divini præsidii spem, fore scilicet ut susceptæ provinciæ Christo juvante satisfaceret, solicitus quoque temperabat animi *e* mœror, ut non perinde lætandum ac tristandum sibi putaret: hac parte quidem non dissimilis illi Regi, qui perpensis curis regiæ dignitatis, ne humi quidem ante oculos jacens diadema, sustollendum in caput arbitrabatur.

f g h ab adolescentia singularibus dotibus instructus,

2 Quare quod ad boni Pastoris imaginem exprimendam attinet, cum fide in *f* Christum ardenti modestiam maximam conjunxit, ut obscurum esse nemini potest, si vel primos, qui nunc leguntur hoc auctore, sermones obiter inspiciat. Occupavit Apostolicam illam Cathedram Pastor Apostolicus *g* annos unum & viginti, jam inde à B. Petro Apostolorum Principe quadragesimus *h* quartus Christianæ Ecclesiæ Curator & Antistes. Porro veluti futurorum præscius, per omnem vitam excellenti Pontificatus muneri se diligenter præparare voluisse videtur, dum præcipue quidem his rebus instructum habere pectus ab adolescentia curavit; nempe sacrorum voluminum recondita intelligentia, multa Scripturarum exercitatione, varia doctorum lectione, judicio sano, prudentia non vulgari, sincero fortique animo, ut ratio sui nominis flagitabat; denique parata linguæ copia, sed paratiore simul & purgatiore corde, qui fons est orationis & efficax dicendi docendique magister. Proinde satis illi nequaquam fuit purum esse ab omni crimine, nisi juxta ejusdem B. Pauli monita, sese abstineret ab omni specie mala, ne qua videlicet in suspicionem criminis incurreret. Nihil in ejus puro pectore, quod sævus ille tyrannus amor divitiarum, vel gloriæ mundanæ sitis, vel ambitionis fœda lues sibi vendicaret. Christianam philosophiam nec apte satis à se doceri, nec constanter retineri posse putavit, nisi voluptatum illecebras & cupiditates noxias à sensibus omnibus procul submovisset. Hinc, quod consequens est, extinctis vitiorum fomentis, indies magis ac magis ardebat in eo fides, magna vi tandem erumpens, ut verum Dei timorem, religiosam Divinæ majestatis venerationem, & infractum animi robur adversus omnia terriculamenta perficeret magis quam conferret. Fides porro gignebat illi caritatem, quemadmodum caritas vicissim alebat fidem bonis operibus. Per oculum ac lumen fidei citra errorem omnem cernebat, quid expetendum, quid fugiendum esset: rursus per caritatem, quod fides dictasset, exequens, eam naturæ vim, quæ voluntas dicitur, perficiebat. Jam inter malorum agmina, quæ piis viris desunt numquam, ita spe vice baculi sese sustentabat, ut nec animum in adversis dejiceret, nec in prosperis insolentem redderet, homo tranquillæ semper securæque conscientiæ.

Auctore Canisio. D & à vitiis remotus, excellit timore Dei, Fide, caritate, spe: E

eminens orator, & ideo Magnus cognominatus, i F k

3 Tum sicut mentem habebat igneam, & ad bene merendum de omnibus flagrantem, ita Christi spiritus inhabitans cor ejus, movebat oris plectrum, & vim arcanam verbis promanantibus adferebat. Quo factum est, ut Christianum Demosthenem, imo cælestem oratorem sonare passim omnibus videretur. Manat enim etiamnum è sanctissimo Leonis pectore gravis & auctoritatis plena oratio, qualem in aliis reperire sit multo difficillimum. Etenim licet omnibus quoque dicendi virtutibus excellant, quod Leoni maxime concessum est, ægre tamen fiet, quin aliquando remittant æquale solidumque pondus illud verborum atque sententiarum. Taceo quam operosum molestumque sit, in homiliis perpetuam unius dictionis gratiam fortemque splendorem apud populum servare: sed hac in parte sic Leo regnat, ut ob sapientissimam eloquentiam & eloquentissimam sapientiam *i* Magni cognomen apud posteros obtinuerit, sic eloquentia nemini Theologorum cedens, uti multos excedit sapientia. Et quis demum hoc hodie præstare queat, quod suis tot tantisque scriptis Leo? ne ex istis quidem opinor aliquis, qui studium omne collocarunt in paranda dictionis facultate. Tanta autem erat in Leone tamque mirabilis ingenii facilitas, tanta sanitas, tantaque præsentia, ut paratam orationis hujus copiam, cum singulari gravitate, sed & jucunditate quadam conjunctâ, nullus non impendio miraretur. Sunt sane viri *k* & auctoritate graves & eruditione spectabiles, qui Leonem appellare non vereantur, Ecclesiasticæ dictionis Tullium, Theologiæ Homerum, rationum fidei Aristotelem, & quod multo est amplius, Petrum ipsum in Pontificio throno, simul & Paulum in pulpito Christiano disserentem. Ita enim demulcet, inquiunt, ut vinctos auditores teneat: ita docet, ut sensibus divinis aures impleat: ita exhortatur, ut ardoribus virtutis animos incendat. Oratione quidem parcus, sensibus vero sublimis inprimisque cælestis, & quod est ante omnia admirabile, profundissimus atque planissimus. Ad hæc Pontificia majestate disserens, & Apostolico facundus eloquio, modestia illa vere Christiana virtuteque divina cum nusquam non admirabilis existat,

cum Pontificia majestate servat modestiam Christianam:

AUCTORE CANISIO.

A istat, tum in suis præcipue sermonibus, ut nemo alius, effulget; quod brevitatis magister & unicus pene artifex latissima rerum divinarum mysteria perstringat, & secundum canonicas Scripturas quemdam sacri eloquii principatum includat.

4 Quid vero in ejusdem epistolis ultro citroque missis usquam desideres, quod non à Maximi Pontificis throno, & excultissimi pectoris domicilio dignissime profectum videri possit? Quamquam interim Pontificalium negotiorum ingens ille & numquam æstimandus premebat labor, noctu diuque cruciabat omnium in orbe Ecclesiarum non desitura cura, misere solicitabant tot animorum pestes humanam superantes industriam, augebant denique continuum illi mœrorem nuntiata piorum pericula, exilia, *l* cruces & ignominiæ. Nihilo secius ad sapienter conficiendas tot tantasque causas, licet etiam novæ incidetent quotidie, semper illi præsens erat animus, & (quod incredibile videtur) ad scribendum æquabilis ubique stylus. Partim autem bonæ conscientiæ securitate, partim æternæ felicitatis expectatione sic manebat alacris, ut nullis prorsus humanæ vitæ vel illecebris vel terriculamentis, à cursu pietatis ac ferventissimo de omnibus bene merendi studio retardaretur. Quid ni? Vel ipsa sui nominis ratione provocatus, illud à Sapiente sapiens in Proverbiis didicerat: Justus quasi leo confidens absque terrore erit. Et illud: Leo fortissimus bestiarum ad nullius pavebit occursum.

inter adversa semper alacris.

Prov. 28.1. & 30.30.

B

ANNOTATA.

a *Imo annus 440 ut supra probatum.*

b Aëtius & Albinus, Duces *Romanorum exercituum in Gallia, inter quos ut amicitiam redintegraret, in Gallia detentum fuisse S. Leonem scribit Prosper in Chronico. Ex his Aëtius postea an. 451 Attilam coegit ab obsidione Aurelia urbis discedere, ejusque exercitum ad internecionem prostravit, ac tandem anno 454 factus Consul, trucidatus est in palatio Valentiniani Imperatoris. Consuli possunt Chronicon Marcellini, & Historia Francorum Gregorii Turonensis.*

S. Leonis assumptio,

c *Ita S. Leo sermone 1 de Assumptione sua ad Pontificatum Deum laudat,* quia, *inquit*, fecit mihi mirabilia magna solus, ut præsentem me cerneret vestræ sanctitatis affectio, quem fecerat necessitas longæ peregrinationis absentem.

d *Ibidem ait,* hanc pietatem, erga humilitatem suam unanimiter *exhibitam.*

fiducia timori mixta,

C

e *Hunc mœrorem exprimit sermone 2 de Assumptione sua ad Pontificatum, ubi inter alia habet ista.* Quid tam insolitum, tam pavendum, quam labor fragili, sublimitas humili, dignitas non merenti. Et tamen non desperamus, neque deficimus: quia non de nobis, sed de illo præsumimus, qui operatur in nobis.

f *Ibidem ait:* Ille in persona humilitatis meæ intelligitur, ille honoratur, in quo & omnium Pastorum solicitudo cum commendatarum sibi ovium custodia perseverat, & cujus etiam dignitas in indigno herede non deficit.

g *De annis Sedis supra egimus.*

h *Prospero solum* XLIII *dicitur, sed ut alibi deduximus, in antiquis Catalogis est* XLVII.

summa eloquentia.

i *Baronius an. 461 num. 3.* Hic ob excellentem virtutem, doctrinam & in cura pastorali vigilantissimum studium, à majoribus Magni cognomento jure meritoque meruit appellari. *Ioannes Andreas, in Epistola ad Paulum II Papam, operibus præfixa, ita scribit:* Hic est Leo ille, cognomento Magnus, primus dignitate, eloquentia nemini cedens, multos excedens sapientia, brevitatis Magister & pene unicus artifex: qui tantæ appellationis nomen sanctitatis tamen merito superavit, à sacrosanctis Apostolorum memoriis numquam discedens.

k *Sunt sequentia eisdem verbis à Ioanne Andrea olim recitata.* D

l *Respicit persecutionem Wandalicam in Africa, & clades à barbaris Hunnis aliisque Imperio Christiano illatas.*

CAPUT II.

Acta S. Leonis cum Attila Rege.

5 TRiste quidem dictu ac miserabile prorsus, si quis horrendos etiam illius seculi motus æstusque sermone consequi aliqua saltem ex parte conetur. Nos unius hominis Attilæ nihil obscurum exemplum cum illa singulari Leoninæ virtutis magnitudine componemus. Igitur Attila Hunnorum dux, qui flagellum Dei vocitatus est, cujus omnium efferatissimi barbari ardebant oculi, totoque ex ore crudelitas emicabat, inflammatus furore in Italiam venit, simul atque jam Thracias & Illyricum, Macedoniam & Mœsiam, Achajam & Græciam, Pannoniam & Germaniam *a* rabie immanissima devastasset, adeoque germanum fratrem *b* Budam, regni consortem, alter ipse Romulus jugulasset, crudelis totus in suppliciis, avarus in rapinis, superbus in contumeliis. Quam obsecro tam immanem charybdim Poetæ fingendo exprimere potuerunt, quæ tantos exhaurire gurgites posset, quantas iste provinciarum Occidentalium prædas exorbuit? *c* Concordiam incendio consumpsit, *d* Aquileam funditus evertit, Ticinum & Mediolanum regias urbes excidit. Hinc ceteris Italiæ civitatibus, partim direptis & incensis, partim metu deditis, late porro inter Abduam & Athesim pervagari cœpit: ubi præter commemoratas urbes, *e* Mantuam, Brixiam, Cremonam, Bergomum & *f* Ravennam pari clade afflixit. Jamque vastatis circumquaque tot tantisque urbibus, Hunni velut ruptis claustris Attila Duce, Romam irrumpere festinarunt. Quo tum Leonem esse animo oportuit? quæ hic faceret tali in re ac tempore? cum ignaviæ ratio in fugam atque latebras fortissimum quemque impelleret, improbitas autem & furor hostis ad desperationem cogeret, populi denique clamor crudelissimum & luctuosissimum exitum promitteret; ita ut incensionem urbi, internecionem civibus, vastitatem Italiæ, atque adeo interitum totius Christianæ Reipublicæ vicina quæque portenderent. Certe cum jam esset hostis propemodum in conspectu, ut copias etiam, qua Mincius Padum influit, trajicere pararet; mirum dictu, occurrit Leo vir sanctissimus, utpote calamitatem tum Italiæ tum urbis Romæ miseratus, ac Leoninæ mentis numquam interiturum editurus argumentum; occurrit inquam, grandis jam natu, cum *g* altero Consulum & parte non modica Romani Senatus.

Attila ob ingentes victorias insolenti,

a b

c d E

post plures Italicas urbes devastatas,

e

f

Romam properanti occurrit:

F

g

6 Occurrit omnia depopulanti tyranno senex innocuæ simplicitatis, & multa idem canicie simul & augustiore habitu venerabilis, qui sese totum pro servandis ovibus impendere vel non rogatus jamdudum exoptabat: atque illic circa Mincium amnem ita Regem truculentum affatus dicitur: Senatus populusque Romanus, quondam orbis victor, nunc vero victus, suppliciter abs te veniam & salutem precatur, Rex Regum Attila: Nihil tibi in tanta rerum gestarum gloria contingere potuit, aut ad præsens decus pulcrius, aut ad posteros memorabilius, quam ut is populus supplex ad tuos pedes jaceret, ante quem olim omnes gentes & Reges supplices jacuerunt. Subegisti quidem, Attila, omnem terrarum orbem, cui Romanos omnium victores gentium subigere tributum est: nunc tantum precamur, ut te ipsum vincas, qui vincis cetera. Nec est, quando jam omne humanitatis fastigium transcendisti, in quo

mitiorem reddit modesto alloquio,

quo Deo immortali similior esse possis, quam quo plures viceris, plures per te salvos esse velis. Senserunt mali flagellum tuum: sentiant nunc supplices clementiam; vel quia se victos fatentur, vel quia sunt ultro imperata facturi. Hæc bona conscientia invictus Leo dixerat, in cujus habitu venerabilique aspectu contemplando cum tacitus staret Attila, deliberabundo similis; en *b* duo quidam dextera levaque viri, Petrus nimirum & Paulus Apostoli, subito ipsi conspecti sunt, qui non solum augustiore habitu pro Pontifice quoque adstarent, verum etiam supra ipsius caput strictos tenerent intenderentque gladios, ac mortem demum minitarentur, nisi dicto Pontificis obtemperaret. Quamobrem hac Leonis intercessione placatus Attila, quamvis alioqui furiosus, confestim promissa pace firmissima ultra Danubium non rediturus abscessit. Nec enim diu post rebus humanis excessit, & humani generis diutinæ vexationi finem aliquando vel mortuus imposuit. Rogatus autem ab his qui proxime adstiterant Leoni supplicanti; quid in causa esset, cur tam facile pulcherrimam precibus hostium victoriam condonavisset, & prostratos ante pedes surgere ac stare jussisset (Bono sitis, inquiebat, animo, datur vobis venia) respondisse fertur palam, oportuisse sic fieri, quando medio affatu supplicantium, tales tantique viri sibi visi fuissent, ac subito mutare sententiam coëgissent. Videas igitur alterum in Leone Mosen, qui spiritalibus armis barbarorum vires expugnet, iratumque Deum peccatrici genti conciliet. Proinde hoc tam insigni beneficio Principem Valentinianum urbemque totam, sicut numquam antea, sibi devinxit; & vulgo receptam suæ sanctitatis opinionem etiam atque etiam apud omnes confirmavit. Sub hæc ad Urbem rediens, non sine communi omnium applausu (ut qui Patrem patriæ conspicerent, cui secundum Deum fortunas omnes, incolumitatem suam, nec minus orbis, quam Urbis salutem acceptas merito ferrent) in primis Deo optimo Maximo & Apostolis ejus Petro & Paulo gratias dixit; his omnem rei bene gestæ gloriam adscribens, quorum & patrocinio concessæ Sedis Romanæ consortium tribuere solet.

b apparentibus SS. Petro & Paulo,

ultra ex Italia recedentem videt.

Romam redux ut Pater patriæ salutatur.

ANNOTATA.

a *Imo & Gallias, in quibus* Attila *Atrebatum vastavit, cujus templa restauravit S. Vedastus, ut in ejus Vita dictum 6 Februarii; quando & precibus eum Parisiis avertit S. Genovefa, ut Acta hujus testantur 3 Ianuarii.*

b *Hunc* Budam *aliqui* Bledam *vocant. Necem ejus refert Prosper contigisse Theodosio* XVIII *& Albino Consulibus, anno* 444.

c Concordiam, Altinum, sive Patavium solo coæquavit. *Ita Paulus Diaconus lib. 15.*

d *Aquileia diruta est, cum Ticino Mediolano & aliis, anno* 452.

e Vicentiam, Veronam, Brixiam, Bergomum, *inquit Paulus Diaconus.*

f *Ravennæ pepercisse creditur Attila, inductus precibus S. Ioannis Episcopi, ut dictum 12 Ianuarii in ejus Vita. Eidem portas urbis Mutinensis, per quas innoxie transivit, aperuit S. Geminianus Episcopus, uti Acta habent 31 Ianuarii.*

g *Prosper*, cum viro Consulari Avieno, & viro Præfectorio Trigetio.

h *Eadem ex monumentis antiquis Romanis scribit Baronius, & habentur in antiquis Breviariis, & apud Paulum Diaconum lib. 15, sed de uno solo, qui creditur S. Petrus, apparente agitur, & loco Pauli Diaconi citabatur hic Eutropius, cujus nomen delevimus.*

AUCTORE CANISIO.

CAPUT III.

Hæreses profligatæ. Concilium Chalcedonense habitum.

7 DEin totus ad confirmandam tuendamque Catholicam fidem convertitur, quæ tunc a multis quidem hæreticis, uti Manichæis, Donatistis, Arianis, Priscillianistis, præcipue vero a Nestorianis & Eutychianis hostiliter impugnabatur. Certe Nestorius ille Constantinopolitanus Episcopus, genere Germaniciensis, cujus hæreses a D. *a* Cyrillo confutatas prima Synodus Ephesina damnaverat, incomparabilem illam terque beatam Virginem Mariam negavit esse Deiparam, hoc est, hominis dumtaxat genitricem esse censuit, ut aliam carnis, aliam divinitatis personam in Christo faceret, ac proin sejunctim alterum Dei filium, alterum hominis impie statueret. Eutyches vero Presbyter & Archimandrita Constantinopolitanus, homo senex, versipellis & impudens, qui tantum Leoni simul & Chalcedonensi Concilio negotium facessit, ne interim blasphemo Nestorio palam consonare videretur, divinam cum humana naturam docuit in unum idemque compositum recidisse, unumque factum, nec ullo modo debere distingui. At Cyrilli successor in Alexandrina Ecclesia Dioscorus, homo vafer, violentus & seditiosus plane, cum Imperatoris Theodosii & Ephesini conciliabuli auctoritatem pro se stare magna vi coegisset; repulsis etiam Sedis Apostolicæ, qui præsiderent Synodo, Legatis; ac iniquissime damnato, cum reliquis orthodoxis Episcopis, *b* Flaviano Constantinopolitano; sic Eutychetis causam perfidus apud perfidos egit, ut nisi Leonis cura Imperator & Augusta Pulcheria Synodum apud Chalcedonem innovassent, oppressa certe pietas & deserta Ecclesiæ causa jacuissent. Adeo quidam, omnis pudoris & reverentiæ metas transgressi, jam tum eo temeritatis *c* proruperant, ut insignes Ecclesias, quæ domus orationis hactenus efflorebant, in speluncas latronum ignominiose converterent, monasteria profanata everterent, Sacramentorum lumen extinguerent, sacrificii oblationem interciperent, sanctificationem chrismatis auferrent; ut jam parricidalibus manibus impiorum omnia demum mysteria sese subtraxerint.

Ecclesiam contra hæreses propugnat, maxime Nestorii,

Eutychetis,

Dioscori:

8 Et hæc velut infanda sacrilegii genera peracerbe sugillat Leo *d* epistola LXXV ad Leonem Augustum. Neque tantum literis absens, sed Nicephoro teste, lacrymis etiam præsens, quo scandala tam horrenda corrigerentur, optimates tum admonere tum obtestari non desiit. Et quæ gravior obtestatio, quam dum hisce verbis Theodosii fidem officiumque implorat? Ecce ego, inquit, Christianissime & venerabilis Imperator, cum consacerdotibus meis implens erga reverentiam clementiæ vestræ sinceri amoris officium, cupiensque vos placere per omnia Deo, cui pro vobis ab Ecclesia supplicatur, ne ante tribunal Christi Domini rei de silentio judicemur, obsecramus coram unius Deitatis inseparabili Trinitate, quæ tali facto læditur (cum ipsa vestri sit custos & auctor Imperii) & coram sanctis Angelis Christi, ut omnia in eo statu esse jubeatis, in quo fuerunt ante omne judicium, donec major ex toto orbe Sacerdotum numerus congregetur. Nec alieno peccato patiamini vos gravari, quia quod necesse est nos dicere, veremur, ne cujus religio dissipatur, indignatio provocetur. Præ oculis habete & tota mentis acie reverenter aspicite B. Petri gloriam, & communes cum ipso omnium Apostolorum coronas, cunctorumque Martyrum palmas. Verum ist-

contra eas agit apud Theodosium Imperatorem,

AUCTORE CANISIO.

A

hæc in promovenda Synodo vehementia minus apud Theodosium profecit, sive quod is inter vivos *e* diu superesse non potuit, sive quod in tuenda religione, sicut & in administrando Imperio, segnior haberetur, ad omnem fere auram mobilis, adeoque incurius, ut chartis à se non perlectis facile subscripserit. Constantior autem & spectatæ pietatis prudentiæque fuit Marcianus, quem defuncto Theodosio Imperatorem *f* Pulcheria Augusta, Theodosii soror, pronuntiarat. Religiosam ejus mulieris solicitudinem, & præcipuum erga Christi Ecclesiam studium variis amicisque literis Leo designavit. At Marcianus Imperator ad *g* celebrandam Synodum Chalcedonensem & componendos Ecclesiæ motus omne suum studium convertit. Id quod Leoni rursus acceptum ferre oportet, qui magna & irrefutabili constantia necessariam cogendæ Synodi rationem illi *h* commendarat: æquissimum esse dicens, ut Christi legibus & Ecclesiæ commodis serviret humanæ potentiæ fastigium.

e eoque mortuo apud Marcianum & S. Pulcheriam,

f & suadet Concilium Chalcedonense habendum.

g

h

ANNOTATA.

a *Colitur* S. Cyrillus 28 *Ianuarii, ad quem hæc exacte sunt discussa.*

B

b *De* S. Flaviano *& hæresi Eutychiana detecta & damnata, late egimus ad illius Vitam* 18 *Februarii.*

c *Consulenda Vita* S. Proterii, 28 *Februarii à nobis deducta, qui in depositi Dioscori locum successerat.*

d *Scripta ea epistola est* Constantino & Rufo *Coss. primo Imperii Leonis anno & Christi* 457.

e *Mortuus est Theodosius, eique successit Marcianus anno* 450.

f S. Pulcheria *Augusta colitur* 10 *Septembris.*

g Concilium Chalcedonense *celebratum est anno* 451, *à die* 8 *Octobris ad Kalendas Novembris. Ei etiam interfuit Marcianus cum S. Pulcheria. Fuit S. Auxentius Presbyter Archimandrita in Bithynia evocatus ad illud Concilium, de quo in illius Vita* 14 *Februarii multa habentur. Interfuerunt etiam discipuli S. Euthymii, uti in hujus Vita traditur* 20 *Ianuarii.*

h *Epistola* 42 *illi scripta, & à Baronio relata ad hunc annum* 451 *num.* 6. *Est præclara S. Leonis epistola* 47 *ad Patres in Cōcilio congregandos: & absoluta Synodo prædicti Patres Synodalem epistolam scripserunt ad S. Leonem Romanum Pontificem, de cunctis rebus in Synodo peractis, petiveruntque ab eo cuncta rata haberi atque confirmari.*

C

CAPUT IV.

Illustris epistola ad S. Flavianum. Regis in direptione Vrbis mitigatur. Templa restaurata. Obitus. Furor Genserici.

9 INter amicos præcipue coluit *a* Prosperum Aquitanicum, postea Rhegiensem Episcopum; & Flavianum, cuius & antea mentionem fecimus, Archiepiscopum Constantinopolitanum. Vterque pietatis & religionis omnis observantissimus fuit, nec minus eruditus, quam sanctus: de illo agemus paulo inferius, in hoc ne martyrii quidem gloria desideratur; sic nimirum agente Dioscori apud Ephesum tyrannide, quod accusatum ab Eusebio Eutychen hæresiarcham apud suos primus ille condemnavisset: unde Flaviani nomen honorifice passim citatur à Leone, multis etiam datis ad eum litteris cohonestatum: nec est inter Leonis epistolas ulla celebrior, quam quæ ad Flavianum *b* decima legitur, à Concilio *c* Chalcedonensi summopere comprobata; cuius etiam unice Gennadius meminit, reliquis omissis Leonis operibus. Quin exacti judicii Papa Gelasius, ubi de receptis probatisque Patrum scriptis pronuntiat, præterquam quod inter primos illic B. Leonem numerat, certe tanta religione dictam epistolam prosequitur, ut anathema dicat ei, quisquis vel textum illius vel jota unum improbarit contentiosior, vel non singulatim in ea susceperit omnia venerabundus. Putant nonnulli divino magis spiritu quam humano ingenio factum, ut Eutychetis perplexa impietas tanta veritatis luce detecta profligaretur. Nam hic suis etiam Leo diffisus viribus, priusquam epistolam illam aliquo destinasset, *d* altari B. Petri utcumque scriptam imposuit; se vero per quadraginta dies tum jejuniis tum precibus exercens, hoc unum ab Apostolorum Principe votis flagrantibus contendit, ut si quid forte corrigendum haberet epistola, quæ causam fidei longe difficillimam tractabat, id omne suis ille manibus correctum absolveret. Nec fefellit sanctam precatoris expectationem etiam rarus eventus. Tersam enim & elaboratam epistolam dies reddidit * quadragesimus, addita simul revelatione certissima, successum Apostolo illi tribuendum esse, cujus pia dignatio & fida dilectio, ne in persona quidem imparis tepescit hæredis *e*.

a Inter amicos maxime coluit S. Prosperum Aqu.

& S. Flavianum CP. Martyrem,

b

c

ei epistolam scripsit, à Gennadio

D

& S. Gelasio Papa laudatam:

d creditam S. Petro adjutore elaboratam.

* *al.* Quartus.

e

10 Porro tamquam armis, omnium valentissimis, continenter usus est vigiliis, jejuniis, lacrymis, & quibus rebus potissimum Leoninas vires collegit, constanti in Deum fiducia, nec non ardenti in precando instantia. Sic urbem defendit, Italiam servavit, Imperium Romanum erexit, dum placato Attila tyranno tam sævum Hunorum jugum à suorum cervicibus excussit. Sed quale illi quæso certamen cum Genserico, barbarorum omnium immanissimo? Is Alanorum & Wandalorum Imperator, præterquam quod Arianæ factioni patrocinaretur, expulsis passim Episcopis, nihil non juris & bonorum Episcopalium sibi vendicabat, ac præsertim Carthagine Clericorum ministeria, templorum cultum, sacra omnia profanavit, corrupit, evertit, cum in universum captivi populi ordinem sævus, tum præcipue nobilitati & religioni infestus. Hinc ab Eudoxia in auxilium vocatus, ut ejus defuncti conjugis Valentiniani Cæsaris mortem ulcisceretur, vacuam præsidio Urbem hostili manu *f* invasit. Prodierat autem Leo Pontifex obviam venienti, non aliis quidem armatus præsidiis, quam quæ talem decent Pontificem, lingua, precibus & vitæ sanctimonia: qui precatus est inflexibilem tyrannum, ut ab ea Urbe prohiberet injuriam, cui Attila, omnium hominum immanissimus, victor pepercisset: aut si Urbem suis diripiendam dare in animo haberet, parceret saltem templis, parceret ædificiis publicis & privatis: Urbem nobilissimam civibusque magna ex parte vacuam ab excidio servaret. Ergo, quamquam nec personæ dignitas barbarum, nec religionis pietas Arianum Regem satis mitigaret, ab igne tamen & cæde suppliciisque tyrannum avocavit, præda contentum abductisque spoliis.

E

Gensericum Regem Wandalorum Arianum inducit,

f

F

ut in direptione Vrbis abstineat à templis, ab igne & cæde.

11 Quo majori deinde cura Leo tum ad reparandam Urbem, tum ad consolandos afflictos conversus est. Templa diffracta restituit, sacrorum *g* vasa vel à barbaris comminuta vel ablata reformavit, Demetriam ad B. Stephano condendam in fundo suo basilicam impulit; aliam in Episcopi Cornelii honorem *h* ipse constituit; Apostolorum sepulcris Clericos *i* cubiculares addidit; ac præter alia religioni consecrata *k* loca & deputata *l* officia, monasterium *m* prope S. Petrum extruxit. De Prospero Aquitanico dicere supersedemus, quando familiarem illius cum Leone convictum Antonius Flaminius Imolensis exposuit: neque Chalcedonense Concilium attingemus, quod abunde quidem Leonis exhaustas pro Ecclesia curas, laboresque commendat. Nisi forte parum sit, à tot tantisque Patribus ter sanctum acclamari, & hoc à sapientissimis elogium consequi: Leo Sanctissi-

g templa restaurat & ædificat,

h i

k l m

à Patribus Chalcedonensibus summe laudatur.

Sanctissimus, Apostolicus & Oecumenicus seu Uni-
A versalis Patriarcha per multos annos vivat. Vixit ad ætatem usque decrepitam vere magnanimus ac plane gloriosus Leo *n*: sed ut non minus in suis monumentis orbi superfit, etjam defunctus.

ANNOTATA.

a *Colitur* S. Prosper 25 *Iunii, ad quem multa erunt extricanda.*

b *Data ea epistola est Idibus Iunii, Asterio & Protogene Coss. anno* 449.

c *Actioni seu Sessioni secunda inserta.*

d *Hoc miraculum narratur à* Sophronio *in Prato spirituali cap.* 147 *&* 148, *ubi Menas Abbas illud refert ex narratione Eulogii Patriarchæ Alexandrini, citantis Gregorium Romanum Archidiaconum: & additur visio facta Eulogio, cui* S. *Leo apparens gratias egit, quod dictam epistolam defenderit.*

e *Hic inscribatur historia manus abscissæ, & à Deipara restituta, de qua supra egimus.*

f *Anno* 455, *quæ hic de* S. *Leonis occursu habentur, à Paulo Diacono referuntur.*

g *Anastasius in Vita eius:* Hydrias sex, duas basilicæ *Hydriæ factæ.*
B Constantinianæ, duas basilicæ B. Petri Apostoli, duas basilicæ B. Pauli Apostoli, quas Constantinus Augustus obtulerat, quæ pensaverunt singulæ libras centum. Quæ omnia vasa renovavit sacrata.

h Juxta cœmeterium Callisti via Appia. *Ita Anastasius.*

i *Hi modo Capellani dicuntur.*

k *Addit Anastasius:* Hic fecit cameram basilicæ *Camera & basilica,* Constantinianæ, & aliam cameram basilicæ S. Petri ornavit, *&* basilicam B. Pauli Apostoli renovavit, *cum hæc esset fulmine tacta & incensa: ubi curavit in Musivo depingi* Salvatorem nostrum Jesum Christum, *&* viginti quatuor seniores *teste Hadriano Papa in epistola ad Carolum Magnum.*

l *Idem*: Hic constituit ut monacha non susciperet velaminis capitis benedictionem, nisi probata fuerit *constituta,* in virginitate sexaginta annorum, *sive, ut alibi legitur,* quadraginta annorum, *additurque*: Hic constituit ut intra actionem Sacrificii diceretur, Sanctum Sacrificium, immaculatam hostiam.

m Nuncupatum SS. Joannis & Pauli. *ordinationes.*

n *Antiquus Catalogus Pontificum.* Hic fecit ordina-
C tiones quatuor per mensem Decemb. Presbyteros LXXXI, Diaconos XXXI, Episcopos CLXXV, aliis CLXXXV.

HISTORIA
elevati & translati Corporis S. Leonis.
Ex MS. Catalogo ecclesiæ S. Petri.

1 Capsa rubro serico tecta, continet Reliquias Sanctorum Leonum primi, secundi, tertii, & quarti Summorum Pontificum, quorum sacra corpora in Vaticana Basilica requiescunt: quæ quidem Reliquiæ in magno involucro serico albo asservantur. *Corpora SS. Leonum ostensa sunt anno 1580, 1 Augusti.* Ex libro rerum memorabilium Vaticanæ Basilicæ ab anno MDLXXV habetur instauratio altaris seu oratorii dictorum Sanctorum, apertio sepulchri, & inspectio corporum eorumdem die prima Augusti anno MDLXXX, Gregorio XIII Summo Pontifice; Guilielmo Cardinale Sirleto, multisque Prælatis & Canonicis dictæ Basilicæ præsentibus & inspicientibus. Ejusdem Pontificis jussu erectum ibi fuit altare, sub novi pavimenti fornice, plenaria perpetua Indulgentia concessa in festo SS. Leonum primi & secundi, quorum officia ab ecclesia celebrantur, sub dato IV Aprilis MDXXXI. In ea igitur apertione sepulcri acceptæ fuerunt supra dictæ Reliquiæ, fidelium aspectui perpetuo præsentandæ. Anno MDCVII die XXV *Ex MS.* D
Maii, Dominica infra octavam Ascensionis, solenni processione sacra ipsa corpora in ara Deiparæ Virginis in columna honorifice collocata fuerunt. *& iterum 25 Maii anni 1607.*

2 Corpus S. Leonis Magni conditum erat in capsa lignea, quæ continebatur intra nobilem & pulcram tumbam, latam palmis tribus, unciis octo; longam palmis decē minus uncia, profundā palmis quinque cum sextante, expolitis & venatis marmoribus albis insigniter exculptam; in qua siquidem capsa, ex uno ligno fabrefacta, quiescebat corpus sanctissimi Leonis Magni Papæ primi, à *a* Sergio I reconditum: *Corpus S. Leonis Magni conditum in capsa tumba inclusa.* *a à Sergio I, b* tabula marmorea, quæ tumbam claudebat, imposita erat quatuor ferreis hastis sive *b* spranghis per transversum positis. Capsa habebat quatuor annulos ferreos, binos per latera, quibus intra tumbam facile immitteretur: sustinebatur in altum suspensa etjam aliis quatuor ferreis hastis, per transversum positis, quæ modo in archivio dictæ basilicæ asservantur: pedes versi erant ad altare majus. Erat capsa in longitudine palmorum duorum, unciæ unius: præ se ferebat maximam antiquitatem; nam ex ferreis hastis quibus lignea capsa nitebatur, una præ nimia vetustate fracta conciderat. Ductile habebat E
operculum. Sacrum ipsius S. Leonis Magni corpus adhuc integrum, staturæ erat palmorum septem & quartorum trium; & ut coniici poterat (licet longitudine temporis & antiquitate satis consumptum *integrum apparebat,* esset) sanctus hic Pontifex corporis fuit gracilis & extenuati. Erat indutus Pontificalibus indumentis, scilicet planeta sive casula, lata more antiquo, ex purpura coloris castanei. *cum Pontificalibus indumentis,* Manus habebat complicatas, quæ tegebantur à planeta, & in ossa abierant. Tunicæ & dalmaticæ fragmenta habebat. Crus dexterum, & pedes in ossa itidem redacta cernebantur. Caput consumptum erat in plura fragmenta ossium, & denigratum. Conspiciebantur pontificiæ mitræ reliquiæ, ob summam vetustatem laceræ & offuscatæ. Circa collum relucebant quædam fila aurea, item supra manus. Remanserat super humero dextero Crux parva rubri coloris, quæ erat pallii *& duplici Cruce pallii,* Pontificalis; item aliam Crucem paulo longiorem ejusdem pallii, juxta pectus in parte dextra, tenebat. F
In medio pectoris conspiciebatur aurea una spinula pallii, infixa planetæ; de pallio vero nihil extabat: planeta pedes attingebat. Tactu cuncta dissolvebantur, tum ob maximam antiquitatem, tum ob locum madentem. Quamvis enim optime clusum corpus sensit tamen detrimenta, præsertim in demolitione basilicæ sub Julio secundo, incuria hominum & negligentia penetrantibus imbribus per multos annos expositum: cujus sancti corporis ut in eadem capsa jacebat, hic similem imaginem depictam habes.

3 Sacrum ipsum corpus, una cum ossibus aliorum Leonum, secundi, tertii & quarti, solenni ritu in novum templum translatum fuit, memorata die XXVII Maii, Dominica infra Octavam Ascensionis, MDCVII, post cantatas Vesperas. *Corpora SS. Leonum in novum templum delata,* Huic translationi præsentes fuerunt, præter innumerabilem populum & totum ejus Basilicæ Clerum, Illustrissimus & Reverendissimus Dominus Evangelista Pallotus Cardinalis Cusentinus, ejus templi Archipræsbyter; Fabius Blondus Patriarcha Hierosolymitanus, Pontificiæ familiæ Præfectus; Alexander Martius Medices, Archiepiscopus Florentinus; Marcus Cornelius, Episcopus Patavinus; Alexander Guidiccionius, Episcopus Lucensis; Stephanus Spinola, Episcopus Vintimigliensis; Horatius Myrtus, Episcopus Rubensis Provinciæ Barii; Raphaël Invitiatus, *præsentibus Cardinali, Patriarcha & 10 Episcopis,* Episcopus *c* Zachynti & Cephaloniæ; Georgius Perpinianus, Episcopus *d* Altinæ; Frater Angelus *c d*

AUCTORE CANISIO. A

Rocha Augustinianus, Episcopus Tagastensis, sacri Palatii sacrista; Sextilius Mazucha, Episcopus Alexanus; Metellus Bichius, Episcopus Suanæ, nunc sanctæ Romanæ Ecclesiæ e Cardinalis; & Antonius Victorius, utriusque signaturæ Referendarius, dictæ basilicæ Vicarius; cum multis aliis Prælatis. Sanctissimus Dominus noster Paulus Papa V voluit videre corpora eorumdem Sanctorum, viditque illa multo animi sui solatio, una cum Illustrissimis Dominis Francisco Sfortia S. Mariæ in Via-lata, & Odoardo Farnesio S. Eustachii Diaconis Cardinalibus, cum suis familiaribus & aliquibus Prælatis: inter quos dictus Patriarcha, nec non Galeatius Sanvitalis, Archiepiscopus Barensis; Horatius Capponus, Carpenctoratensis; idem Illustrissimus & Reverendissimus Cardinalis, Archipresbyter, Vicarius & Canonici ejusdem sacri templi, prout de his omnibus publica extant monumenta, à me desuper confecta. f

conspecta à Paulo V Papa, Cardinalibus & Episcopis variis.

ANNOTATA.

a *Sedit* Sergius I *ab anno* 687 *ad annum* 701. *Epitaphium à Sergio de S. Leone compositum circumfertur, & apud Baronium & alios habetur.*

b Spranga *vox Italica, tignum, seu lignum transversum.*

c *Episcopi hactenus relati referuntur ab Ughello in Italia Sacra, nec dubitandum quin reliqui conveniant. De Episcopis Zacynti in Mari Ionio non egit.*

B

d Atinenses Episcopi *dicuntur nunc suppressi, ex iis celebravimus Kalendis Aprilis S. Prudentium, & 28 Aprilis celebraturi sumus S. Marcum, cujus varia Acta dabimus. Videtur saltem titularis Episcopus, uti sequens Tagastinus: cum Tagasta sit urbs Africa.*

e *Creatus est Bichius Cardinalis titulo S. Alexii anno* 1611, 17 *Augusti, annis* 4 *post hanc Translationem.*

f *Hoc loco sequebatur imago; sed antequam eam demus dissimulari non debent quæ de cujusdam S. Leonis Corpore apud Petrocorios extant: ac primo Saussajus in Supplemento Martyrologii Gallicani ad hunc diem ista habet:* Hujus sanctissimi Pontificis corpus, tot divinorum mirabilium instrumentum, lapsu temporis Roma in Aquitaniam translatum, in majori Petrocoricorum ecclesia sub titulo S. Stephani Protomartyris honorifice collocatum, una cum sacris ossibus S. Patrocli & S. Sabinæ Virginis, Sixtus Papa IV in suis Bullis quiescere testatur. *Ioannes Puteanus, in libro de Episcopis Petrocoricensibus Gallice edito, asserit* Joannem Aurienum Episcopum, anno MDIV, die S. Thomæ Apostoli, elevasse & transtulisse in novam argenteam thecam sacra ossa S. Leonis Magni Papæ, quæ ante plurimos annos fuerant portata ad Ecclesiam Cathedralem S. Stephani. *Meminerunt Sammarthani hujus elevationis & vocant* ossa S. Leonis, *absque dignitate Papali aut etiam Episcopali. Armandus Gerard Canonicus Sarlatensis, vir in simili antiquitate versatus, indicavit nobis in antiquis Breviariis dici Leonem III, Adriani Papæ successorem, & varias interseri fabellas. In Officiis novis diem Natalem celebrari* 28 *Iunii, quo die in Breviario Romano colitur Leo II, & translationis festum peragi* 14 *Novemb. Quid igitur censendum? Forte repererint adscriptum titulum* S. Leonis Pontificis, *& statim crediderint esse Pontificem Romanum, cum titulus iste sit aliis Episcopis communis, nisi dicatur Summus Pontifex aut Pontifex Romanus. Si qua autem sunt Sixti IV Bulla, hujus corporis mentionem facientes, tamquam si apud Petrocorios esset corpus S. Leonis Magni; sunt ea integro seculo priores apertione sepulcri, facta sub Gregorio XIII, ante quam facile potuit, tot seculorum à Sergio I lapsorum decursu, in oblivionem Romanorum venisse corporis sancti præsentia: & ejusmodi Bullæ, sicut ex bona supplicantium fide iisdem plerumque verbis concipiuntur, quibus supplicatio concepta fuerat; ita non majorem habent in re historica certitudinem, quam ea monumenta quorum fidei innituntur; quando scilicet factum aliquod sic attingitur per Bullam, ut non intendatur ipsius facti confirmatio, serio veritatis examine præmisso facienda, quod in ejusmodi incidentibus casibus fieri non consuevit.*

D *Cujus S. Leonis corpus sit apud Petrocorios.*

E

IMAGO. CORPORIS. S. LEONIS. MAGNI. PAPÆ. PRIMI. VT. IN. SEPVLCRO. IACEBAT. SIMILIS.



DE S. BARSANUPHIO,

Solitario, prope Gazam in Palæstina.

D. P.

CAPUT I.

Cultus Sancti: encomium ex Evagrio.



INITIO SEC. VI. Imago ejus in sacrario CP. honorata.

Imago Barsanuphii in divino sacrario magni templi, *videlicet Constantinopolitani S. Sophiæ*, una cum sanctis Patribus, Antonio, Ephræmo aliisque collocatur, *inquit Anonymus Studita in prologo, quem S. Dorothei institutionibus Asceticis præfixit; hoc inter alia argumento probans*, duos fuisse Dorotheos & duos Barsanuphios, illos quidem Severi erroribus infectos Acephalorum propugnatores; hos vero rectam doctrinam atque perfectam vitæ rationem complexos: quos ego (*inquit apud eumdem Theodorus Studita in suo testamento*) per examen sanctissimi Patriarchæ Tharasii; nec non aliorum fide dignorum hominum, tam indigenarum quam

quam Orientalium, testimonio probatos, ex paterna traditione amplector; *scilicet tamquam diversos* A *ab iis*, qui à S. Sophronio tabella anathematis confixi sunt. *Extant S. Dorothei institutiones, quas diximus, pauca de multis: ex quibus tamen nonnulla vita ejus historia texi posset, si uspiam ipse inveniretur fastis ecclesiasticis adscriptus. Barsanuphij scripta, si qua similiter superessent, possemus forsitan de ejus Actis eruere aliquid operis non pœnitendi: nunc satis habemus vestigia alibi inventa relegere.*

Doctrina probata à S. Theodoro Studita.

2 *Et primo quidem ad cultum quod attinet, nomen ejus in Romani Martyrologij recognitione Sanctis adscriptum est ad hunc diem his verbis*; Apud Gazam Palestinæ S. Barsanuphii Anachoretæ sub Justiniano Imperatore. *Allegat in Annotationibus Baronius auctoritatem Evagrij & Nicephori. Illius libro 4 capite 32 hæc sunt verba*: Vixere per idem tempus (*quo scilicet Iustinianus imperabat*) viri plane divini: qui multis in locis magna edebant miracula, & quorum gloria ubique pervagata fuit: ex quorum numero erat Barsanuphius, genere Ægyptius. Iste vixit in monasterio prope urbem Gazam, & in carne vitam carni adversariam degit, adeo ut multa memorabilia ederet miracula. Creditur porro eum in ædicula quadam conclusum ætatem egisse; atque à tempore quo in eam ingressus est, ad spatium quinquaginta annorum & amplius, neque à quoquam visum esse, neque quidquam alimenti vel aliarum rerum in terra cepisse. B Quibus rebus cum Eustochius Episcopus Hierosolymorum minime fidem adhiberet, cumque ædiculam, in qua vir ille divinus conclusus erat, perfodere constituisset; parum aberat quin ignis ex ea erumpens, omnes qui cum eo illuc venerant combussisset.

Martyrologio Romano inscriptum nomen, sanctitas laudata ab Evagrio,

3 *Eadem fere verbotenus transcripsit Nicephorus Callistus lib. 17 cap. 22; nisi quod* Salustium *pro* Eustochio *nominet. Magna hic esse debet auctoritas Evagrij; utpote qui historiæ suæ finem imposuerit, in anno* XII *Mauritij Imperatoris, à quo & munus tabularum servandarum, quibus Præfectorum nomina inscribebantur, in præmium istius scriptionis se adeptum profitetur. Atqui annus Christi* DXCIV, *cum* XII *Mauritij coincidens, à Iustiniani exordio annorum dumtaxat* LXXIII *intervallo distat. Hoc tamen nihil obest, quo minus in nomine Hierosolymitani Episcopi magis credamus Nicephoro; non tamquam veritatem melius quam Evagrius assecuto; cum solum hunc auctorem habuerit ipse, annis septingentis Evagrio junior: sed tamquam correctius Evagrij exemplar nacto, quam fuerint ea ex quibus ipsum impressum habemus. Nam ratio temporis, mox deducenda, plane suadet, ut Salustio potius quam Eustochio synchronum faciamus Barsanuphium.* C *Eustochius enim, circa annum* DLXVIII *per vim intrusus, pauculis mensibus Sedem tenuit: Salustius autem, anno* DIII *creatus, nec ante* DXI *mortuus, juxta concordem Theophanis atque Nicephori calculum, potuit Barsanuphio convixisse: non quidem tempore Iustiniani Imperatoris (hic enim solum cœpit anno* DXXVII, *quod forte Evagrij transcriptorem aliquem impulit, ut pro Salustio substitueret Eustochium, hominem manifesto impium, quali judicabat prænotatam violentiam convenire) sed tempore Imperatoris Anastasii.*

exploratu ab Ep. Hierosol. non Eustochio, sed Salustio;

4 Nunc vero cum S. *Dorothei ætatem considero (qui junior debuit Barsanuphio fuisse) convincor credere, Evagrij verba non esse restringenda ad tempus Imperantis Iustiniani; sed satis verificari si initio sexti seculi vixerit Barsanuphius, nato, sed necdum imperante, Iustiniano. Etenim* Clerici *Apamenses, litteris ad Episcopos Syriæ datis, de enormitate excessuum, quibus à Petro hæretico Episcopo sua gravabatur Ecclesia (quæ epistola producta est in* I *Actione Concilij Constantinopolitani, scriptaque fuit circa annum* DXVII) *inter alia conqueruntur, quod* armatis sceleratorum turbis impetum fecerit in monasterium S. Dorothei: *qui modus loquendi, si non præsupponit jam mortuum Dorotheum; exigit saltem, ut pridem ille Gazâ discesserit ex monasterio* S. *Seridi, sub quo monachus fuerat, &* S. *Dositheum discipulum habuerat; sanctumque Barsanuphium, in eodem S. Seridi aut alio vicino monasterio degentem, cognoverat admodum senem. Ita enim loquitur Institutione* 4. Cum adhuc essem apud Abbatem Seridum, senis illius Abbatis Joannis, contemporanei Abbatis Barsanuphii, minister ægrotavit; mihique præcepit Abbas ut seni ministrarem. *Ergo jam senex erat Barsanuphius, cujus contemporaneum Abbatem Ioannem, exinde pro directore & patre suo spirituali Dorotheus habuit, utique adhuc juvenis & vitæ spiritualis tiro: proindeque prædictus Barsanuphius vix potuit Salustio Episcopo supervixisse, etsi centenario propinquus aut major concipiatur obiisse. Quod sane concipi debet, quia arctam istam clausuram non est credendus statim in suæ conversionis initio suscepisse, sed ætate provectus, & diu multumque in monastica vita exercitatus, ac multis jam editis antea miraculis clarus.*

...tus, sed necdum imperante, Iustiniano. ...tum S. Dorotheo, claro circa an. 517. multo senior fuerit Barsanuphius:

5 *Claromontani nostri Parisiis Collegij MS. Synaxarium (quod alicujus Constantinopolitanæ ecclesiæ tam multis fuisse docemur argumentis, quam multa ecclesiarum Constantinopolitanarum Dedicationes, sacrorumque corporum eodem factas Translationes, vel propria ipsis festivitates adnotantur) ad* VI *Februarij pauca hæc habet verba*: Καὶ μνήμη τοῦ ὁσίου Βαρσανουφίου, Et memoria S. Barsanuphii. *Ex hoc autem paucorum verborum compendio innotescit nobis, primo aliquem Constantinopoli ejus cultum fuisse, sicut & imago depicta erat in sacrario: deinde nullam ejus extitisse vitam vel omnino scriptam, vel saltem Constantinopoli notam, ex qua, juxta Synaxariorum communem stylum, texi prolixius elogium potuisset. Cum illo autem cultu quem Constantinopoli Sanctus habet* VI *Februarij, satis convenit, quod de Oritana in Sipontinis ecclesia habet in Catalogo generali Ferrarius, & attestatur tom. 9 Italiæ sacræ Vghellus, ibi* S. Barsanuphium, *sive (ut Vghellus scribit)* Barsanolphum, *tamquam urbis istius Patronum coli* VIII *Februarij, eodem mense, & fortassis die, quo colebatur in Oriente; quod tunc vel elevatum solenniter corpus sit, vel ipse circa id tempus mortuus. Diem autem* XXX *Augusti, quo rursum illius festum ab Oretanis agi dicunt; fuisse suspicamur diem translati in Occidentem, vel denuo inventi elevatique corporis; de qua inventione & elevatione agemus infra* §. 3. E

qui Constantinopoli 6 Febr. Oria 8 Febr. & 30 Aug. colitur,

CAPUT II

S. Barsanuphii Vita quædam, partim fabulosa, partim incerta.

6 H*Abemus pridem ex Bodecensi diœcesis Paderbornensis Codice à Ioanne Gamansio nostro erutam aliquam S. Barsanuphij Vitam, quam de S. Dositheo agentes in Februario, nec non in prætermissis ad* VIII *ejusdem, hoc die dandam promisimus. Adscripta est autem Codici illi, sane antiquo,* Idibus Septembris, *cum titulo* S. Barsanofil Confessoris. *Auctorem fuisse ecclesiæ Vritanæ Clericum aliquem, fiet ex infra dicendis probabile. Scripsit ille sub finem seculi* XII *aut initio sequentis, & quidem satis eleganter: putares ex Græco traductam, propter verborum copiam & Græcis seculi* VIII *atque* IX *scriptoribus familiarem libertatem usurpandi sermones prolixiores, qui vel habiti sint vel haberi potuerint, inter eas de quibus agitur personas. Suo tamen eoque Latino stylo usum scriptorem apparet ex gradationibus, nulli nisi linguæ Latinæ proprijs: ut cum discipulos suos Barsanuphius docet*, fortitudinis esse, ad congressum hostis, non cedere; sed fortiter dimicando, ejus ictus excipere, excipiendo, patienter sustinere; sustinendo, constanter usque ad victoriam perseverare. *Hoc tamen non impedit, quo minus præ oculis habuerit antiquiorem aliquam vitam, ab eo qui Reliquias Vriam attulit monacho, seculo* IX *scriptam dictatamve: qualem scilicet suggerere memoria poterat, incerta fama tra-* F

Ex Actis in MS. Bodecen. repertis, scriptisque sub an. 1200

AUCTORE D. P.

traditionique innixa & fiducia, impune comminiscendi aliquid de Sancto, cujus nemo scripsisset Acta. Talem Vitam auctor iste recentior optima secutus fide, solum reddiderit elegantiorem; addens, quæ de sancti Corporis prima translatione accepta à majoribus servabat traditio, quaque de alia posteriori ipse poterat accuratius meminisse. Hæc vero ultima, sola prælo digna visa sunt. Nam licet in Commentario Annotationibusque ad Vitam S. Dosithei in Februario conati fuerimus, Vita prædicta, necdum penitius examinata, accommodare scriptionem; nunc maturiori examine adhibito, vellemus in Commentario illo expunctam bonam partem numeri 4 & 5: totamque de S. Barsanuphio narrationem, prout ex Bodecensi Codice ibi explicatur, rescandam ab opere nostro æstimamus.

solam damus historiam geminæ translationis.

7 Etenim Barsanofium (sic enim semper hic scribitur) natione quidem Ægyptium facit, sed oppido Petrodi oriundum; quale nullum Ægyptus habuisse scitur: videtur autem πετρώδης appellativum loci alicujus petrosi indicium, acceptum pro nomine proprio esse. Tum eidem Barsanofio, ad loca sacra visenda peregrinato, duos ex Britannia socios advenire facit, Amonium & Akacium, quod sane non convenit. Vnde enim Britannis adolescentibus, eo seculo, vel Græca nomina, vel linguæ Græcæ Ægyptiæve notitia tanta, ut possint homini Ægyptio se conjungere. Inde ad Ægypti solitudinem 40 dierum itinere eos ablegat, quibus vel ad ultimam usq; Syenem perveniri potuisset. Vbinam ergo fuit Siridi Abbatis monasterium, solum viginti diebus è loco, ubi Barsanuphius commorabatur, adeundum? uti in eadem Vita dicitur; & unde in sanctam civitatem rursus iter erat haud paucorum dierum? Vtique alicubi in media via, procul extra Palestinam. Atqui ex S. Ioannis eleemosynarij Vita scimus, S. Seridi sive Seridonis monasterium fuisse in Gaza, aut saltem in territorio Gazensi, ibidemque Barsanuphium collocat Evagrius, utique non totis centum passuum millibus à Ierusalem, quæ intra quinque vel septem dies facillime emetiatur viator minime celer. Nec vero, posito quod Hierosolymis esset consultandum aliquid in commune (uti hic ad consultationem missus nomine omnium Palæstiniorum monachorum, in S. Siridi monasterio collectorum, dicitur Barsanuphius) ex alienis Patriarchatibus accersendi erant consultores; quod tamen factum esse consequeretur, admissa tam enormi distantia monasterij prædicti à sancta Civitate.

quia Acta fabulosa nec patriam,

nec socios,

B

nec ascesees locum verosimiliter exprimunt:

8 Hic vero, ubi attingimus concilium Hierosolymis à Theodoro Archiepiscopo coactum, occasione litterarum ab Orthodoxis, qui Constantinopoli erant, in Palæstinam directarum; quibus significabatur Iustinianum, pro hæreticis zelantem, tum alios ubique omnes in Imperio velle ad sua dogmata profitenda cogere, tum in Syriam Marium quemdam destinare, qui resistentes Clericos laicosque, monachos atque Episcopos in exilium expelleret; inevitabili Ecclesiæ ruina, nisi missus è concilio Constantinopolim Barsanuphius, Iustinianum, morbo gravi domitum, & beatæ Virginis Mariæ apparitione jussum obtemperare, ad rectam fidem reduxisset: hic, inquam totius tenemus fictionis caput. Nam neque ante annum DCXXXVIII, quo mortuus est S. Sophronius, ullus Hierosolymis sedit Theodorus: neque Iustinianus postquam anno DLXIII in hæresim demum prolapsus est (dum homo laicus de fidei punctis præsumit decernere) male cœptum negotium peius urgere desiit ad extremum usque vitæ tempus; felix, si vel tunc eum pœnituerit turbata toto Imperio ecclesiastica quietis: neque Barsanuphius, postquam semel sua se cella inclusit, ulli umquam se præbuit per annos quinquaginta & amplius conspiciendum, quem ad modum ex certiori Evagrij testimonio novimus: tunc vero cum adversus Ecclesiam insaniebat Imperator, pridem debuerat excessisse è vivis, uti supra est ostensum.

fingitur autem Barsanuphius, missus à Theodoro Ep. Hieros. (qui nullus tunc fuit)

C

Iustinianum (qui pertinax mansit) convertisse,

prius mortuus quam hic regnaret,

9 Quam autem ab omni verisimilitudine alienum est quod additur? Iustinianum, Barsanuphij miraculis, sanctitate & eloquentia captum, non tantum fecisse cum magna devotione & hilaritate quidquid Sanctus monuit: sed etiam addidisse ut omnes reditus, qui à Palestina regione colligi & in thesauros suos recondi consueverant, per ecclesias Palestinæ distribuerentur, de eaque re chirographum Imperiali sigillo roboratum Barsanuphio tradidisse: vi cujus, statim atque Hierosolymas ille redijt, tributa & vectigalia omnia, quæ Palatij exactoribus solita erant solvi, prompte oblata fuerint Hierosolymitano Episcopo, pro ejus arbitrio per omnes ecclesias distribuenda. Omitto levioris momenti alia: ut, quod illius Marij (qui, ad Orthodoxorum persecutionem destinatus in Palæstinam, fingitur rabidus obijsse in via) nulla uspiam mentio inveniatur. Fortassis comminiscendi ejus occasionem potuit dedisse Marcellus, unus ijs qui Principi ad tuendum errorem inhærebant impulsores, & paulò post deprehensi conjurationem adversus eumdem conflasse, cita morte pœnas dedere læsæ divinæ humanæque majestatis, ut ad annum DLXIV docet Baronius. Simili certe modo ex S. Marco, ante Barsanuphium & Dorotheum in testamento S. Theodori commendato, vitaque sanctitate & integritate doctrinæ conspicuo, natus videtur S. Marcellus, sub quo prima monastica vitæ tirocinia S. Barsanuphius cum socijs fingitur in Palestina fecisse, nec nisi illo mortuo in Ægyptum remigrasse.

ab eoque pro ecclesijs obtinuisse vectigalia Palestinæ;

D

præter alia in dictis Actis dubia

10 Neque refutari meretur, quod Constantinopolim proficiscens Barsanuphius, & in civitate, quæ Galatia dicitur, ab Episcopo ejus exceptus hospitio, panem fecerit in ea domo abundare, in qua is ex longo tempore penitus defuerat. Quæ enim tanta potest annonæ caritas concipi ex unius anni sterilitate, ut nec unum quidem panem tam grato hospiti subministrare potuerit mensa Episcopalis, vel civium munificentia, tantis curationum miraculosarum prodigijs, ut refertur in Vita, provocata? Galatiam autem quis nescit non civitatem esse, sed integram regionem, in qua Episcopatus complures erant? Fortassis pro Galatia supponi posset Gabala, cum dicatur noluisse consentire Barsanufius ut vel triduo apud præfatum Episcopum maneret, quia propinquus erat Antiochiæ, ad quam perveniens, & navim paratam inveniens, infra paucos dies in portum regiæ urbis, quæ nova Roma dicitur applicuit. Antiochia enim Syria petenda erat ab eo, qui maritimo itinere vellet Constantinopolim proficisci; & Gabalitana diœcesis transeunda, prius quam ad Metropolim (unde tamen non longe abest Gabala) perveniretur.

& mendosa

E

11 Ceterum cum Vita hæc numquam fuerit impressa, poteramus eidem operosius refutandæ supersedere, nisi eam quadamtenus probasse videremur in commentario notisque ad Acta S. Dosithei, quemadmodum est præmissum: voluimus autem stare proposito nostro protestationique sæpius iterata, de eo quod perperam dictum inveniremus, idonea occasione retractando. Iuvat etiam subinde probare exemplo, ex una quidem parte, quam non temere ullas Sanctorum Vitas, aut vulgo aut viris quibusdam magnis probatas, inter commentitias referamus; ex altera autem, quam nullo cujusquam ne quidem proprij præjudicij respectu nos patiamur abduci ab agnita falsitate repudianda, eo loco ubi dissimulationi diuturniori nulla amplius relinquitur excusatio: quemadmodum hic nobis accidit, de S. Barsanuphio expresse coactis agere; & antehac occasionibus varijs usu venit, potissimum ad Acta S. Alberti Hierosolymitani Legislatoris Carmelitarum, ubi non potuimus absque censura dimittere vulgatam S. Angeli Carmelitæ Vitam, utpote veritati à nobis ibidem demonstrata multi-modis contrariam. Quod cum facimus, non modo non timemus, ne quis existimet ceteras Sanctorum Vitas omnes aut plerasque eodem jure posse rejici, si pari cum rigore examinentur; ut econtra existimemus operi nostro multum fidei accedere per hoc ipsum, quod certo commentitia & alienis nominibus supposita scripta non admittamus ad testimonium in ulla re, præsertim controversa, ferendum.

ideoque expedit ea ab hoc opere rescindi,

F

12 Videtur autem Palestinus ille monachus, qui primus S. Barsanuphij Reliquias & notitiam Oretanis attulit, hausisse nonnulla ex scriptis S. Dorothei, quemadmodum supra insinuavimus, expressam S. Barsanuphij mentionem facienti-

etsi alias admixta sint quædam,

A

cientibus. Tale est illud de Xenodochio, aut potius Nosocomio, juxta S. Seridi monasterium erecto, eidemque præfecto ipso Dorotheo. Et quoniam S. Barsanufium multis claruisse miraculis constat, non prorsus rejicimus, quod in Vita habetur, ibidem loci fontem fuisse ipsius precibus excitatum, ad usum monasterii, aquæ penuria laborantis; ipsumque dedisse S. Serido consilium Nosocomii ibidem struendi. Ioannem quoque Abbatem corpus curasse mortui Barsanuphii Magistri sui, comminisci potuit; vel etiam in aliis, qui nunc interiere Dorothei scriptis legisse: quandoquidem in superstitibus Instructionibus tam frequens laudataque mentio fiat Ioannis Abbatis, ut S. Dorotheo coævi. Neque displiceret quod dicitur etiam à morte repertum esse genibus flexis, quemadmodum de Paulo primo Eremita, deque Ioanne de Deo 8 Martii multisque aliis Sanctis constat; si sciremus unde id acceperit auctor. Idem dictum puta de die mortis, qui assignatur XIII *Septembris; deque loco sepulturæ in monte Calvariæ, ad quem mortis suæ præscius Sanctus dicitur abiisse: donec enim appareat, quo fundamenta hæc narrentur, permixta aliis tam manifeste falsis; pro mense Februario, in quo Constantinopoli fiebat ejus commemoratio, & adhuc festum ejus, sed die* VIII *agunt Oretani; proque Gazensi, in qua reclusus vixit cella, stabit præsumptio securior: & ibi etiam opinari malim à sancta vita Sacerdote Theoctisto petiisse & accepisse Barsanuphium extrema Sacramenta, quam in Gethsemniana S. Mariæ Ecclesia: hoc ipsũ tamen & parentum nomina, quæ scribuntur fuisse* Elias *atque* Eulampia, *aliaque plura paratus credere, si aliquando confirmentur ab antiquiori & nullis fabulis permixta historia. Talis autem cum non sit Vita S. Cataldi Tarentini Episcopi, de qua agendum erit* VIII *vel* X *Maii, non veremur, ne quis in dubium revocet, utrum qui ab Evagrio laudatur Barsanuphius sit idem ille qui Uriæ Patronus colitur; propterea quod in aliqua S. Cataldi Legenda dicatur Cataldus Hydrunti socios ascivisse SS. Euprepium, Leucium & Barsanofium*, qui mortuus est Abbas & Confessor in civitate Oriæ: *aut ne ob alia similia Acta existimet aliquis, dictum Barsanuphium fuisse primum Uritanis Episcopum à Cataldo datum, idque Christianæ æræ seculo secundo, cui an ipse Cataldus tribui debeat vehementer ambigimus.*

quæ sensim accepta vera esse possint,

non fuit S. Cataldi socius Barsanufius.

B

CAPUT III.

Sancti corporis Translatio duplex.

Uria Episcopalis urbs,

C

13 I*Nter Brundusium atque Tarentum* Uria *est, Græcis* Οὐρία *atque* Οὐρητῶν, *Episcopalis ab antiquo civitas*, Oria *his temporibus nuncupata, in Salentinis seu Iapygia antiqua, vulgo Terra Otranti dicta. Ea, uti & tota ferme major Græcia, ingentes à Saracenis passa est calamitates: nam, sicut in Lupi Protospatæ Chronico legitur*, anno DCCCCXXIV mense Julii, Oria capta est, & interfecerunt cunctas mulieres, reliquos vero deduxerunt in Africam, cunctos venumdantes. *Et rursum*, anno DCCCCLXXVII incenderunt Agareni civitatem Oriæ, & cunctum vulgus in Siciliam deduxerunt. *Prius autem quam ista fierent, sedem istic Episcopalem Theodosius tenuerat, is qui ex S. Leucii reliquiis (post eversum circa annum* DCCCXXVIII *à Saracenis Brundusium, Tranum avectis; ipsaque Tranensi Metropoli ab iisdem Barbaris excisa, Beneventum translatis) partem dimidiam (nam alteram dato pretio Tranenses redemerant) obtinuit à* Principe *Beneventano; Brundusinisque, patriæ suæ ruinas*, parvissimi sub specie oppidi, *usque ad annum circiter millesimum incolentibus, restituit, præteritæ cladis solatium non leve; ut scribit, in libello de Translatione S. Leucij, ad suum Archiepiscopum Ioannem, seculi undecimi initio, ejusdem Archiepiscopi Syncellus: quæ ad* XI *Ianuarij à nobis edita videre licet.*

& post eversum Brundusiũ,

14 *Cur autem Sacrarum Reliquiarum amantissimus Episcopus, de Brundusina ecclesia pignoribus S. Leucij restitutis recreanda, potius quam de sua Uritana eisdem ornanda cogitavit? nisi quia jam tum communes utrique urbi Episcopi erant, & utroque dicebantur nomine? sed quia Uriæ non Brundusii commorabantur, ab exteris Uretani potius quam* Brundusini *nuncupabantur. Abstinebant illi tamen à tituli Archiepiscopalis usu, utpote qui esset jam æstimationis minoris. Hinc ex* Brundusina *Ecclesiæ monumentis Ughellus docet, Episcopum Marcum, qui anno circiter millesimo sedit, attitulare se solitum* Dominatorem sanctæ Sedis Oritanæ, Brundusinæ & Hostunensis sive Monopolitanæ, *ubi, ut vides, Brundusium in secundis habetur. Primus Archiepiscopi titulum resumpsit* Eustachius, *servato nihilominus titulo Oretani: qui titulus in Urbani II atque Paschalis itidem II Papæ litteris, ad Godinum* Eustachii *successorem datis, solus invenitur. Postquam vero idem Godinus, Pontificiis constrictus mandatis*, Brundusinæ Ecclesiæ, cujus filiam esse Oretanam constabat, primatum, per annos centum viginti ablatum, anno MXCIX restituit, *urbe ipsa per præcitatum Lupum Protospatam temporibus Urbani II reædificata; cœpit Godini successor* Balduinus, *non jam amplius Uriæ, sed* Brundusii *residens, scribere se* Brundusinæ & Oritanæ Ecclesiarũ Archiepiscopũ: *eumque signandi modum ceteri deinceps tenuere, usque dum Gregorius XIV, Philippi II rogatu separavit* Ecclesias; *& finem imponere volens dissidiis scandalisque, inter utriusque urbis cives ex diuturna æmulatione subnascentibus, exemptum à* Brundisini *Archiepiscopi potestate Oritanum Episcopum (non vero Archiepiscopum, ut Uretani postulabant) creandum decrevit; ipsumque Tarentino Archiepiscopo suffraganeum subjecit.*

AUCTORE D. P.

Archiepiscopalis habita,

diuque cum Brundusina unita,

E

15 *Hæc præmittenda fuere historiæ Translationis S. Barsanuphii, quam mox dabimus ex* Bodecensi *manuscripto, ab eodem prorsus à quo est Vita auctore descriptam, una cum inventione & translatione secunda anno* MCLXX *facta.* Est *autem in his tanto quam in Vita fide dignior auctor, quanto suis propriora temporibus scribit, quorum partem aliquam ipse præsens spectasse potuit, Oritanæ Ecclesiæ minister aliquis. Hoc enim probat æmulationis adversus* Brundusinos *zelus, in eo elucens, quod* Lupum *sive* Luponem, *sub quo inventa sunt sacra Reliquiæ, & ejus jussu à* Petro *Hostunensi* Episcopo *translata, solum nominet* Oritanum Archiepiscopum, *omisso titulo* Brundusini, *quem usque ad annum* MCLXXII *gessit; ipse quoque; ut multi ante, & ceteri post eum*, Brundusii *solitus residere. Porro Theodosium Episcopum existimamus vixisse sub annum* DCCCL *aut* LX; *ut saltem ab ejus morte, usque ad Uritanæ urbis calamitatem primam, intercesserint anni* LX *vel* LXX. Est *autem* Relatio translationis, *hujusmodi:*

residens Episcopus Theodosius,

circa annũ 850,

16 Venerabili Episcopo Domino Theodosio, Orianæ Ecclesiæ Sedem vitæ splendore illustrante, monachus quidam religiosus & consummata virtute clarus; cui ob meritorum integritatem claro, corporis S. Barsanofii custodia commissa fuerat; cum sæviente Saracenorum perfidia, totam jam Palestinæ regionem cognosceret devastari; congregationemque in oratorio, ubi sanctum corpus servabatur, Domino ejusdem Sancti doctrinis & institutionibus militantem, cerneret mortis timore perterritam jamque dispersam; metuens ne sacratissimum corpus à profanis gentibus & Christiani nominis inimicis injuriose tractaretur, cœpit anxiari, vigilantis meditationis solicitudine secum deliberans, ubi tam pretiosus thesaurus posset committi. Cumque in partibus illis nullus ad hoc tutus locus videretur, tandem divino monitus consilio, ipsas sanctas Reliquias, cum theca in qua continebantur, digna veneratione assumens, transfretato mari Adriatico in Apuliæ partes transvexit.

F

ex Oriente allatas S. Barsanuphii Reliquias

17 Cumque de moribus & vità Domini Theodosii multa bona didicisset, & eum in recondendis Sanctorum Reliquiis laudabilem & dignam impendisse diligentiam intellexisset; nulli competentius ac securius posse committi quod ferebat existimans,

solenniter excipis;

AUCTORE D. P.

Oriam advenit; & appropinquans urbi, præfato Episcopo quod detulerat curavit intimari. Episcopus vero, cujus mens ad studium colligendorum corporum Sanctorum flagrabat, tali tamque grata relatione, quo certiori eo lætiori, affectus; convocato universo Clero & populo Oritano, cum psalmis & canticis & laudibus divinis, inæstimabili & cælesti dono obviam exivit: & corpus esse B. Barsanofii cum suis titulis tum certis experimentis comperiens, ipsumque maxima veneratione suscipiens, usque ad portam quæ Hebraica nuncupatur, suis sacris humeris deportavit. Sed cum vellet mœnia ingredi civitatis, ita quod portabatur gressus portantis fixit, quod nullatenus se movendi & in civitatem ingrediendi facultas eis daretur; ut apertissime cerneretur ille potius portare Episcopum, qui portari ab Episcopo putabatur.

easque in urbem inferre prohibitus,

18 Quo accidente miraculo perterritus Episcopus, Clerus obstupefactus & populus, quid hoc signi portenderet, apud se vehementi ac solicita investigatione perquirebant. Sed omnes uno eodemque spiritu edocti causam, quia extra muros urbis mallet sibi habitaculum parari, perceperunt. Cum enim satis sufficienti sanctæ Genitricis & perpetuo Virginis Mariæ, corporum etjam sanctorum Martyrum Chrysanthi & Dariæ juvamine urbs Oritana muniretur intrinsecus; commodum arbitratus est Sanctus extrinsecam civitatis ejusdem sibi assumere custodiam, & suæ suffragium intercessionis, contra multiformes hostilium insidiarum, tam visibilium quam invisibilium, incursus, murum quasi inconcussibilem opponere. Reperto igitur iuxta præfatam portam apto & competenti, ad reponendum corpus sanctissimum, loco; ipsum, cum digna veneratione jucundæque ac debitæ venerationis obsequiis, ibidem collocaverunt. Multas autem & maximas miraculorum virtutes ostendere, & copiosam sanitatum gratiam cunctis infirmis, illuc convenientibus, divina pietas, in recondendo sui electi corpore, per ipsius interventum largiri dignata est. Unde ad honorem Dei & S. Barsanofii præfatus venerandus Episcopus templum condidit, & ipsis sanctissimis Reliquiis dedicavit.

B

Ecclesiam sub Sancti nomine ante portam condit,

19 Ad indubitabilem quoque hujus rei certitudinem, & perpetuam memoriam, jugem quoque corporis sancti venerationem, titulum super limen loci, quo corpus ipsum continetur, fecit designari: in ipso vero templo Clerum, qui jugiter ibi divina Officia celebraret, constituit: quorum supplici & continua deprecatione populus Oritanus tanti Patroni auxilium imploraret: quatenus interventu ipsius & à mundi huius insidiis liberari, & ad supernæ civitatis gaudia pervenire mererentur. *Hactenus Translationis primæ historia: ad quam observo, ædem Cathedralem antiquam, ab ipsomet Theodosio ædificatam (quod adhuc testatur columna in loco, ubi nunc arx munitissima est, inscripta disticho, quod apud Ughellum legi poterit) etsi fuerit in Deiparæ Virginis honorem consecrata, tamen à Sanctis Martyribus Chrysantho & Daria, quorum inibi Reliquiæ ab eodem Theodosio fuerant collocatæ, vulgarius solitam nuncupari. Agetur de iisdem Martyribus* XXV *Octobris, ubi indicabitur quam multæ sint ecclesiæ, quæ partem aliquam Sanctarum Reliquiarum adeptæ, eorum corpora habere gloriantur; quomodo hic contigit Oretanis. Etenim Sacra pignora in noua cathedrali asservata enumerans Ughellus tom. 9 col. 225, specificatis iis quorum sunt ossa integra, videlicet* S. Apolloniæ Virginis & Martyris Maxilla, S. Barsanulphi Divi tutelaris brachio & ossibus aliquot, duobus Ossibus Sanctorum Innocentium, *de ceteris indistincte scribit esse aliquas Reliquias, etiam SS. Chrysanthi & Dariæ. Ibidem dicit, ab Ordine Minimorum teneri* Ecclesiam S. Barsanulphi civitatis Patroni, ubi creduntur sacra ejus lipsana jacere. *Quæ persuasio ex eo fortassis nata est, quod in æde, ut diximus Cathedrali, non nisi quædam ossa serventur; licet alias credibile sit illa fere sola, non vero omnia totius corporis ossa, à præfato Monacho fuisse transportata. Quomodo autem ea post urbis restaurationem reperta sint translataque, in Ms. Bodecensi sequitur sub hoc titulo.* ITEM VERSICULUS QUOMODO AB EODEM LOCO TRANSLATUS SIT.

C

cum Cathedralis in urbe haberet SS. Chrysanthum & Dariam,

priorem nunc habent Patres Minimi;

D

20 Post obitum vero Domni Theodosii, Venerabilis Oritani Pontificis, qui corpus B. Barsanophii, juxta portam quæ Hebræa nominatur, deposuit, multis annorum curriculis evolutis; cum Oritana civitas, peccatis suis Deum ad iracundiam provocantibus & Sancti patrocinium demerentibus, immani Saracenorum, tam Siculorum quam Afrorum, crudelitate, vastata & acerrimis incendiis conflagrata, hostium sævitiam natorum sanguine, & cupiditatem rerum amissione replevisset; in tantâ negligentiam locus ille celeberrimus omnique veneratione dignissimus, in quo sanctissimum B. Barsanophii corpus conditum erat, devenit; quod vix in eodem loco relictus esse tam pretiosus thesaurus crederetur. Sed cum divina clementia, quæ in ira non continet misericordiam, ipsius civitatis populo, ad reconciliandum eum sibi, vellet misericorditer subvenire, & manifestare eum mediatorem suum apud se habere; cujusdam Sacerdotis, Marci nomine, cum timore jugiter dediti divino servitio, & alumni sanctæ Matris Oritanæ Ecclesiæ, ad inquisitionem Reliquiarum prædicti sancti Patris, mentem inflammavit: qui trina revelatione divinitus admonitus, & eodem Sancto sæpius, sub eadem specie in qua depingitur, sibi apparente certificatus; piæ investigationis studio tanto se præbuit diligentiorem, quanto divina revelatio certiorem, certitudo devotiorem, devotio fecerat instantiorem.

ubi, restaurata post Saracenicam cladem Uria,

E

inventæ per revelationem Reliquiæ jam dictæ,

21 Quia igitur Deo inspirante optavit, revelante didicit, Sancto etjam certificante cognovit locum, in quo lipsana ejus recondita erant; multis jejuniis, assiduis psalmis, & orationibus, & jugibus insistens vigiliis, quod superna præveniente gratia desideravit, subsequente desiderando quæsivit, adjuvante quærendo perseveravit, efficiente perseverando invenit incomparabilem Margaritam, à prænominato Reverendissimo Oritano Episcopo Domino Theodosio, ex multis retro temporibus, in ecclesia quam ejus nomini dedicavit, depositam. Quod ipse quidem Clero sanctæ Matris Ecclesiæ secreta revelatione manifestavit, Clerus autem sub magna celeritate & mentis jucunditate Domino Luponi, Venerabili Oritano Archiepiscopo, curavit intimare. Quia vero negotiis ecclesiasticis detentus & maxime infirmitate impeditus, suam præsentiam tanto officio non valuit exhibere; tam Deo dignum opus, transferendi in sanctam Matrem Oritanam Ecclesiam ipsum sanctissimum corpus, Domino Petro, Reverendo Hostunensi Episcopo, suoque devotissimo filio, vice sua mandavit exequendum. Qui ex auctoritate præfati Episcopi sanctissimas ipsas Reliquias, honore & solennitate decenti, in prædictam ecclesiam S. Mariæ Oritani Archiepiscopatus deportavit, anno ab incarnatione divini verbi MCLXX, Regni autem Domni nostri præcellentissimi Wilhelmi Regis anno V, Præsulatus vero præfati Domini Luponis Archiepiscopi anno XXVII. In qua ecclesia, Dei Omnipotentis operante dextera, crebris & maximis coruscat signorum virtutibus, ad laudem & gloriam Domini Salvatoris nostri Jesu Christi, qui cum Patre & Spiritu sancto vivit & regnat per omnia secula seculorum. Amen.

in novam Cathedralem transferuntur,

F

anno 1170

22 *Hactenus Bodecensis insignis & valde antiquus Codex, in regione, aspirandis vocalibus & liquidis geminandis assueta,*

assueta, exaratus; unde in eo semper Horritanus scribitur, deductum ab Oria sive Vria urbe adjectivum: quod satis fuit hic monuisse. Cum autem Scriptores Siculi conveniant Wilhelmum II, cognomento Bonum, suscepisse regnum anno MCLXVI; annus ejus quintus optime cum anno Translationis præmemorata convenit: sed quoad annum Præsulatus, vel in ejus notando initio apud Vgellum mendose 1145 irrepsit pro 1147, vel hic pro XXVII debuit XXV scribi. Ibidem autem præfatus Lupo sedisse dicitur usque ad annum 1173. Hostunensium Episcoporum seriem non nisi ab anno MCCCXXIX deducere idem Vghellus potuit, aliquot tamen præcedentium habuit ex antiquis monumentis notitiam; videlicet Datti, qui anno MLXXI interfuit Dedicationi Casinensi; tum alterius anonymi, qui cum Metropolitano suo Brundusino Archiepiscopo honestavit translationem S. Nicolai Peregrini apud Tranum anno MCXLIII; & Maroldi, qui anno MCLXXXV donationi cuidam à Tancredo Comite facta subscripsit. Quos inter hunc Petrum ponas licet, ut immediatum decessorem Maroldi: qui etiam curasse credi potest, ut ex inventis translatisque à se Reliquiis particulæ aliquæ Brundusium mitterentur ad Archiepiscopum, quarum mentio fit in Catalogo Reliquiarum Brundusinæ metropolitanæ ecclesiæ, impresso Romæ post officia Patronorum ejusdem Ecclesiæ anno 1583.

A
à Petro Ep. Hostunensi.

AUCTORE D. P.

DE S. ISAAC ABBATE

D. P.

Spoleti in Vmbria.

CIRCA AN. DL

EGimus III Februarii de duplici Sanctorum advenarum è Syria in Italiam classe, nominibus personisque confusa, licet valde distent tempora utrorumque; cum primi sub Diocletiano ac Maximiano venisse dicantur, posteriores sexto Æræ Christianæ seculo constet floruisse. Ex his S. Laurentius Illuminator fuit, creditus à plerisque Spoletinus Episcopus, deinde Sabinensis, ac demum depositis infulis Farfensis in Vmbria monasterii fundator. S. Laurentii nepotem, nec non in Farfensis monasterii regimine per annos aliquot successorem fuisse, eum, de quo nunc instituimus agere, Isaacum, volunt auctores, præcitato Februarii die ad Vitam S. Laurentii, nec non in Addendis ad eamdem citati: quæ ibi sufficienter dicta, cum nullo novo argumento infirmare vel confirmare possimus, nihil attinet hic repetere; multo minus denuo expendere chronologiam Vitæ S. Isaaci, à Gregorio Romano S. Matthæi Abbate in MSS. Annalibus Farfensis monasterii constitutam; quia satis ibi ostensum est, nulla verisimilitudine tantam Isaaco ætatem dari, ut ad annos centum septuaginta octo vitam prorogaverit. Tantum dicimus, eamdem, quæ tunc erat, nunc etiam nobis perstare sententiam, & priora Gotthorum tempora, quibus juxta Spoletum vixisse Isaacum testatur Gregorius Magnus 3 libro Dialogorum cap. 14, debere sumi à firmato Ostrogothorum in Italia Regno, sub finem quinti seculi: ultima vero eorumdem Gotthorum tempora ad quæ pervenisse dicit, spectare prædictum regnum, à Narsete extinctum anno DLIV: quam nostram sententiam amplexus etiam est Ioannes Mabillon in I seculo Benedictino.

Syria advectus circa an. 500

B

in Vmbria vixit ad annum circiter 550.

C
Acta in Legendario Spoletino

2 Extabant S. Isaaci Acta, descripta in Legendario Spoletinæ ecclesiæ, quod in plura distinguebatur volumina & sæpius à Iacobillo & scriptoribus Spoletinis citatur; nunc amissum esse dolent omnes, qui patriæ suæ antiquitates amant Spoletini cives. Horum facile eruditissimus Bernardinus Campellus, super eodem à nobis per litteras requisitus, cum anno MDCLXI X kal. Sept. Romæ versantibus responderet, Utinam inquit, cum præfati Legendarii voluminibus, nihil aliud amissum esset præter gesta S. Isaaci: levis enim fuisset jactura, cum ex prototypo Gregoriano non solum integra, sed nullius alterius testimonii indiga, ejus Acta habeantur. Credimus sane ea istic solum descripta fuisse, quæ præcitato libro & capite refert S. Gregorius quæque ex eo decerpserunt Petrus de Natalibus in Catalogo lib. 5 cap. 84 & Surius ad hunc diem; atque prædictus Mabillon: debent autem etiam nobis hoc loco sufficere, velut omni acceptione dignissima. Expendemus tamen prius quæ ad conditum ab Isaaco monasterium spectantia tomo I de Sanctis Vmbriæ habet Iacobillus; ac deinde per modum Appendicis subnectemus, quæ de scriptis huic Sancto imputatis deque ejus cultu dicenda supererunt.

accepta ex libro Dial. S. Gregorii.

F

Iussus à Deipara in Monte-luci discipulos admittere,

3 Spoletanæ urbi (quemadmodum ipsi ex edita arce conspeximus) paris aut majoris cum arce altitudinis mons adjacet, densis opacus arboribus, indeque sortitus nomen, ut Mons-luci, vulgo Monte-luco dicatur. In hoc primis seculi VI annis solitariam vitam ducebat Isaac, notæ Spoletinis Sanctimoniæ eremita: cui inquit Iacobillus, nocte quadam apparens Deipara Virgo, jussit ut eo loci extrueret monasterium, recipiendis in eo monasticoque habitu induendis, qui divino instinctu illuc confluerent, ipsius disciplinis informandi. Sumptus præstandos pollicebatur Diva à Spoletana quadam Virgine. Gregoria hæc fuit, quæ à S. Isaaco in proposito consecrandæ Deo virginitatis adjuta, eidem ad prædictum finem contulit ipsius montis proprietatem. Addit idem auctor, Et villas aliquot animaliumque servitia, quemadmodum legere est in MS. Tabulario Abbatiæ S. Juliani, hodie S. Ansani dictæ. Sed quia hoc ipsius S. Gregorii verbis num. 3 legendis repugnat: malumus credere, si quid tale Fratribus collatum à Gregoria est, post mortem S. Isaac esse ab eis acceptatum. Eorum disciplinam ab initio fuisse cœnobiticam, cui successu temporis Regula S. Benedicti accesserit, existimat idem Iacobillus: nobis verosimilius longe est, duodecim illas cellas, quæ ad hunc usque diem visuntur in prædicto monte & ab eremitis incoluntur, reliquias & indicia esse, non cœnobii sed Lauræ, ad Palestiniarum in Syria Laurarum normam, ibidem à S. Isaaco collectæ: ipsosque eremitas, veros esse ac primos S. Isaaci successores: qui singuli nunc suum quisque oratorium, hortum, ac cellam habent, unique ex numero suo Sacerdoti subsunt, ad quem statis horis quotidie accedant sacrorum causa & spiritualium collationum.

E

non cœnobium sed Lauram videtur condidisse.

4 Extat apud Gabrielem Penottum, lib. 3 cap. 35, longum Vrbani III diploma, quo Abbati monasterii S. Juliani de monte Spoletano, ejusque Fratribus & successoribus, confirmat amplissimas possessiones & jura, interque ea enumerat, Eremum S. Mariæ Montis luci cum pertinentiis suis, & in civitate Spoletana monasterium S. Isaac cum cappellis & pertinentiis suis. Eremum si illam esse dixerimus, quam S. Isaac & sui discipuli successive incoluerunt, majorem videbimur verosimilitudinem secuti: licet Iacobillus Isaacum faciat ipsius Iulianæi monasterii fundatorem, utique non alio argumento, quam quod illud celebritate sua postea notius fuerit. Vrbanum monasterium suspicamur annis haud paucis, & forte non uno seculo, esse eremo ipsa recentius; conditum scilicet ad honorem sancti corporis, quod in paupertina eremo diutius retineri noluerint cives Spoletini; si non & ipsum statim à morte ad se acceperint, propter sanctitatis famam & miraculorum multitudinem. Sed hæc omnia putamus in oblivionem venisse, postquam Benedictini instituti monachis conditum est in Monte Luci amplissimum illud S. Iuliani monasterium, suaque celebritate obscuravit priora & vetustiora loca; unde factum sit ut à S. Isaaco repetere ejusdem exordia maluerint monachi Iulianæi, majoris antiquitatis studiosi ipsumque Ordini suo adscribere. Quod quia non poterat Mabillono probari, omisit in indice addere nomini Isaaci asteriscum, quo germanos S. Benedicti alumnos discrevit ab ascititiis.

cujus adhuc reliquiæ sunt Eremus S. Mariæ:

F

accessisse postea S. Iuliani monasterium

sed prius in urbe erectam ecclesiam S. Isaaci.

AUCTORE D. P.

deinde SS. Isaaci & Ægidij,

5 Fortassis etiam ex urbano S. Isaaci, quod diximus, monasterio, possessionibus aucto, deducti sunt ad montanum S. Iuliani monasterium primi incolæ: & in eodem urbano monasterio, non autem in montano, primus Abbas fuerit S. Ægidius: sub cujus nomine (si tamen non est hic S. Ægidius, per Benedictinorum monasteria celebri cultu tota Europa notissimus, cujus reliquiæ aliquæ ex Gallia huc allatæ sint) & nomine S. Isaaci Honorius Papa III anno MCCXVI die 1 Septembris, Iacobillo teste, consecravit ecclesiam istam urbanam: quæ tempore Vrbani III anno MCLXXXV ad huc solius S. Isaaci nomine dicebatur; & nunc, ab illatis in eam S. Ansani Martyris Romani reliquijs, notius in vulgo nomen obtinet; desertoque pridem Iulianæo monasterio, Abbatiæ servat dignitatem; non tamen sub instituto Benedictino, sed Regularium Canonicorum: quibus S. Iuliani monasterium anno MDII (ut auctor est præcitatus Pennotus) transcripsit Alexander VI: hi vero intra paucos postinde annos, rogatu civium ad S. Ansani ecclesiam commigrarunt. Iacobillus de Sancto isto Ægidio, (quem facit immediatum S. Isaaci successorem) deque eum secutis Ioanne, Cecco, Andreuccio, Manno, Guilielmo, Vannuccio, Lavarino, Laurentio, Antimo, Balarino (quos omnes etiam Beatos appellat, dicitque in SS. Iuliani & Ansani ecclesijs tumulatos) nihil reperitur scripsisse in toto reliquo opere de Sanctis Vmbriæ, quod vel ipsos nobis notiores reddat, vel locum quem rexere illustriorem: quare & nos ab ulteriori de eis disquisitione per conjecturas facienda abstinemus.

postea S. Ansani dictam,

& à Benedictinis ad Canonicos Reg. translatam.

B

V I T A

Ex libro 3. Dialogorum S. Gregorij.

Gregoriam nuptias fugientem juvat,

a

1 PRioribus Gotthorum temporibus fuit juxta Spoletanam urbem vir vitæ venerabilis, Isaac nomine, qui usque ad extrema Gotthorum tempora pervenit; quem nostrorum multi noverunt, & maxime sacra virgo Gregoria, *a* quæ nunc in hac Romana urbe juxta ecclesiam B. Mariæ semper virginis habitat. Quæ dum adolescentiæ suæ tempore, constitutis jam nuptiis, in ecclesiam fugisset, & sanctimonialis vitæ conversationem quæreret, ab eodem viro defensa, atque ad eum quem desiderabat habitum, Domino protegente, perducta est: quæ quia sponsum fugit in terra, habere sponsum meruit in cœlo. Multa autem de eodem viro, narrante venerabili Patre *b* Eleutherio, agnovi; qui & hunc familiariter noverat, & ejus verbis vitæ fidem præbebat.

b

triduo orans perseverat in templo:

C

c

2 Hic itaque venerabilis Isaac, ortus ex Italia non fuit: sed ea illius narro miracula, quæ conversatus in Italia fecit. Cum primum de Syriæ partibus ad Spoletanam urbem venisset, ingressus *c* ecclesiam, à custodibus petijt, ut sibi quantum vellet licentia concederetur orandi, eumque horis secretioribus egredi non urgerent. Qui mox ad orandum stetit, diemque totum peregit in oratione, cui sequentem continuavit & noctem. Secundo etiam die, cum nocte subsequenti indefessus in precibus perstitit, diem quoque tertium in oratione conjunxit. Cumque hoc unus ex custodibus, superbiæ spiritu inflatus, cerneret; unde proficere debuit, inde ad defectus damna pervenit. Nam hunc simulatorem dicere, & verbo rustico cœpit impostorem clamare, qui se tribus diebus & noctibus orare ante oculos hominum demonstraret. Qui protinus currens, virum Dei alapa percussit, ut, quasi religiosæ vitæ simulator esset, de ecclesia cum contumelia exiret. Sed hunc repente ultor spiritus invasit, & ad viri Dei vestigia stravit, ac per os illius clamare cœpit: Isaac me ejicit. Vir quippe peregrinus, quo censeretur nomine, nesciebatur: sed ejus nomen ille spiritus prodidit, qui se ab illo posse ejici clamavit. Mox autem super vexati corpus vir Dei incubuit: & malignus spiritus, qui eum invaserat, abscessit.

percussorem suum à dæmone liberat,

D

3 In tota urbe tunc statim, quid in ecclesia factum fuisset, innotuit. Currere viri & feminæ, nobiles atque ignobiles, pariter cœperunt, certatimque eum in suis rapere domibus conabantur. Alij ad construendum monasterium prædia, alij pecunias, alij subsidia quæcumque poterant offerre viro Dei suppliciter volebant. Sed servus omnipotentis Domini horum nihil accipiens, egressus urbem, non longe desertum locum reperit, ibique sibi humile habitaculum construxit. Ad quem dum multi pergunt, exemplo illius, æternæ vitæ accendi desiderio cœperunt, atque sub ejus magisterio in omnipotentis se Domini servitium dederunt. Cumque eum crebro discipuli humiliter admonerent, ut pro usu monasterij possessiones, quæ offerebantur, acciperet; ille sollicitus suæ paupertatis custos, fortem sententiam tenebat, dicens: Monachus, qui in terra possessiones quærit, monachus non est. Sic quippe metuebat paupertatis suæ securitatem perdere, sicut avari divites solent perituras divitias custodire. *d*

recusat oblatas possessiones,

d

prophetico spiritu detectus venturos fures

E

e

4 Ibi itaque prophetiæ spiritu magnisque miraculis, cunctis longe lateque habitantibus vita ejus inclaruit. Nam die quadam ad vesperum in horto monasterij fecit jactari ferramenta, quæ usitato nos nomine *e* vangas vocamus. Dixit itaque discipulis suis: Tot vangas in horto projicite, & citius redite. Nocte vero eadem, dum ex more cum Fratribus ad exhibendas laudes Domino surrexisset, præcepit, dicens: Ite, & operarijs nostris pulmentum coquite, ut mane primo paratum sit. Facto autem mane, fecit deferri pulmentum, quod parari jusserat, atque hortum cum Fratribus ingressus, quot vangas jactari præceperat, tot in eo laborantes operarios invenit. Ingressi quippe fures fuerant; sed mutata mente per spiritum, apprehenderunt vangas, quas invenerunt; & ab ea hora, qua ingressi sunt, quousque vir Domini ad eos veniret, cuncta horti illius spatia, quæ inculta fuerant, coluerunt. Quibus vir Domini, mox ut ingressus est, ait: Gaudete, fratres, multum laborastis: jam quiescite. Quibus illico alimenta, quæ detulerat, præbuit; eosque post tanti laboris fatigationem refecit. Sufficienter autem refectis ait: Nolite malum facere: quoties de horto aliquid vultis, ad horti aditum venite, tranquille petite, cum benedictione percipite, & à furti pravitate cessate. Quos statim collectis oleribus onustari fecit: actumque est, ut qui ad hortum nocituri venerant, cum laboris sui præmio, & repleti ab eo, & innocui redirent.

eis operâ & mercedem parat;

F

5 Alio quoque tempore ad eum accesserunt peregrini quidam, misericordiam postulantes: scissis pannis obsiti, ita ut pene nudi viderentur. Cumque ab eo vestimenta peterent, eorum verba vir Domini tacitus audivit: qui unum ex discipulis suis protinus silenter vocavit, eique præcepit, dicens: Vade, atque in illa silva, in loco tali, cavam arborem require; & vestimenta, quæ in ea inveneris, defer. Cumque discipulus abiisset, arborem, sicut jussus fuerat, requisivit: vestimenta reperit, latenter detulit magistro. Quæ vir Dei suscipiens, peregrinis nudis atque petentibus ostendit & præbuit, dicens: Venite, quia nudi estis: ecce tollite, & vestite vos. Hæc illi intuentes, recognoverunt quæ posuerant: magnoque pudore consternati sunt: & qui fraudulenter vestimenta quærebant aliena, confusi receperunt sua.

nuditatem simulantibus vestes suas reddit,

6 Alio quoq; tempore quidam se ejus orationibus commendans, sportas duas plenas alimentis ei per puerum transmisit: quarum unam idem puer surripuit,

furtum occultum revelat.

puit, atque in itinere abscondit; unam vero ad Dei
A hominem detulit, & petitionem illius, qui se ei per xenium commendaverat, enarravit. Quam vir Domini benigne suscipiens, eumdem puerum admonuit, dicens: Gratias agimus: sed vide, sportam, quam in itinere posuisti, ne incautus tangere præsumas: quia in eam serpens ingressus est. Esto ergo solicitus, ne si tollere incautus volueris, à serpente feriaris. Quibus verbis puer valde confusus, exultavit quidem, quod evasit mortem; sed tristis ad modicum factus est, quia quamvis salubrem pœnam evaserit, tamen pertulit verecundiam suam. Qui reversus ad sportam, caute ac solicite attendit: sed eam jam, sicut vir Dei prædixerat, serpens tenebat. f Hic itaque cum virtute abstinentiæ, contemptu rerum transeuntium, prophetiæ spiritu, orationis intentione esset incomparabiliter præditus, unum erat, quod in eo reprehensibile esse videbatur: quia non numquam tanta ei lætitia inerat, ut illis tot virtutibus nisi sciretur esse plenus, nullo modo crederetur. g

ANNOTATA.

a *Hanc Gregoriam Sanctis adscriptam invenimus 13 Ianuarij.*

b *Colitur* S. Eleutherius *6 Septembris, priusquam Romam migraret*, Pater monasterii beati Evangelistæ
B Marci, quod in Spoletanæ urbis pomeriis situm est, *inquit S. Gregor. 3 Dial. cap. 33. Nunc (uti colligitur ex Iacobillo) muris inclusa ejusdem nominis ecclesia superest: unde corpus dicti Eleutherij 18 Apr. ad ecclesiam S. Petri, olim Cathedralem, translatum est. Gregorius Romanus in Ann. Farfensibus, ipsum putavit esse, quod S. Isaac exstruxit, errore manifesto.*

c *Ecclesiam prænominatam* S. Petri *Iacobillus intelligit.*

d *Addit Iacobillus, ex picturis in S. Iuliani ecclesia visendis*: conatos aliquando dæmones, assumpta Angelorum specie, discipulos ejus tentare: sed ab Isaaco, quem latere non poterant, aquæ benedictæ aspersione fugatos. — *Miracula alia S. Isaac.*

e *Vossius in Append. ad libros de vitiis sermonis pag. 813, suspicatur* Vangam *instrumentum esse, quod pro numero dentium* bidens *aut* tridens *nuncupatur, Belgis* vorke; *addubitatque, nisi constans* MS. *lectio haberet* Vanga, *an non deberet scribi* Varga. *Vtraque suspicio vana est, nataque ex non satis intellecto* bipalii *etymo, & inobservato linguæ Italicæ usu*, Vangas & zappas *etiam hodie appellantis*, ligones & bipalia, *ut videre est apud auctores Vocabularij Tusci.* Fossorium *certe instrumentum*
C *esse* vangam, *ipse ex* MSS. *suis Glossis agnoscit Vossius, ad quid bidentes tridentesve nihil faciunt. Dici autem Latinis* Bipalium *& in hoc à* Ligone *distingui arbitramur, quod* ligo *totam palam ferream habeat;* bipalium *vero palam ligneam, sed ferrea præmunitam, ut minus gravis, & tamen ad profundiorem fossionem duplicis palæ geminata mensura habilior sit.*

f *Aliud simile ex prædictis picturis addit Iacobillus*, Cæmentarium fabrum, jussum à Domino suo geminas piscium fiscellas Isaaco ferre, alteram earum intra castaneæ truncum abdidisse; serpentesque, ut Sanctus præmonuerat, pro piscibus invenisse.

g *Hic dubitanti Petro* Spontene sibi lætitiæ frena laxaret *Isaacus*; an tot virtutibus pollens animus, ad præsens gaudium etiam invitus raperetur; *respondet Gregorius*: Magna est, Petre, omnipotentis Dei dispensatio, & plerumque contingit, ut quibus majora bona præstat, quædam minora non tribuat: ut semper eorum animus habeat, unde se ipse reprehendat: quatenus dum appetunt perfecti esse, nec possunt; & laborant in hoc, quod non acceperunt, nec tamen elaborando prævalent; in his quæ accepta habent, se minime extollant; sed discant, quia ex semetipsis majora bona non habent, qui in semetipsis vincere parva vitia atque extrema non possunt. — *ut Sancti quandoque in aliquo sinantur deficere,*

AUCTORE D. P.

APPENDIX.

7. Non solis virtutum exemplis & miraculorum insigniis, sed etiam scriptis Isaacus floruit: cujus rei monumentum extat egregium, volumen scilicet sermonum diversorum sexaginta trium, sententiis grave, verbis facundum, de contemplationis perfectione, de vita solitaria, de ordine monasticæ vitæ, excusum postea Venetiis anno MDVI. *Ita Iacobillus, cui propterea quod liber ipse ad manum non sit (certiùs fortassis de sui auctoris ætate, per eos qui citati invenientur Patres, daturus testimonium) non absque formidine assentimur: asserit enim in sua bibliotheca Gesnerus, cujusdam Isaaci sermones asceticos exstare Græce in Vaticana Romæ, quos ipse putat esse Presbyteri illius Antiocheni, cujus tamquam sub Leone & Martiano mortui, meminit cap. 66 de Scriptoribus ecclesiasticis Gennadius. Nos omnino credimus saltem hujus, de quo agimus Isaaci, non esse, Græcos istos sermones; nulla affulgente probabilitate, quod vel in Vmbria Græce scripserit ipse Syrus, vel ibidem Latine scriptos sermones, Græcos aliquis facere curarit: de iis autem qui Latine Venetiis impressi dicuntur, veremur ne plane alterius sint, & hic noster Spoletinus advena prorsus fuerit illiteratus.* — *sub hujus Isaaci nomine vulgati sermones, forte sunt Isaaci Antiocheni.*

E

8 *Res sane admodum incerta & errandi periculo plena est, ex solo nomine, quod plurimis commune fuit, alicujus operis auctorem definire. Est in magna* Patrum *Bibliotheca Margarini Bignij, inter ascetica seculi sexti scripta, opus unum; hoc principio:* Anima quæ Deum diligit; *cui titulus*, S. Isaaci Presbyteri Antiocheni de contemptu mundi liber unus, *in capita 45 divisus: Ejusdem operis, velut in libellos duodecim sub totidem diversis titulis divisi, meminit Trithemius; & singulorum libellorum principia ponit, ea præcise verba, quæ immediate subsequuntur invocationem sanctissimæ Trinitatis: quæ quia mos erat libellos qualescumque finiri, ideo evidens apparet magis genuinam & ex ipsius auctoris mente divisionem esse eam, quam præfert Trithemius; & omnino perperam fecisse, qui istos duodecim diversos libellos, sub titulum unum eumdemque, argumentis ipsorum valde incongruum, describere maluit. Hoc opus, Gennadio ignotum licet, non dubitarunt Trithemius & Trithemium secutus Possevinus, Antiocheno illi, qui sub* Theodosio Juniore *floruerit, attribuere, licet stylus nulla ex parte Græcam vel Syriacam originem sapiat. Bignius econtra, in præfatiuncula ad opus prædictum, ait, non dubitare se* Sanctum hunc Patrem Isaacum eum esse, quem Gregorius magnus de Syriæ partibus ad Spoletanam urbem venisse asserit; de eo porro multa narrans, in primis (quod istius libri argumentum reddit quam proxime) monachum, qui in terra possessiones quærit, non esse monachum. — *alii sermones, à Trithemio laudati, neutrius horum sunt;*

F

9 *Nos ipsum attentius perlegentes, primum quidem vix dubitamus quin medij ævi scriptor aliquis, & quidem Latinus, auctor operis prædicti fuerit: qui cap. 17* Religiosos, *&* Idiotas *loco non uno nominat, in propria solis Latinis scriptoribus acceptione: quæ autem initio cap. 3 verba citantur ex Gregorio;* Bonum est Theologiam edere propter Deum: sed melius est quod seipsum quis mundet propter Deum; *si esse Gregorij Magni, uti esse videntur, ostendere quis possit (nobis enim non vacat hujus unius investigationis causa omnes utriusque Gregorij, Nysseni & Romani, libros evolvere) haud dubie opinionem nostram certam faceret, simulque probaret non tantum Antiocheno illo Presbytero, de quo supra; sed etiam nostro apud Spoletum Isaaco, juniorem esse libri auctorem. Qui idem cum suam doctrinam confirmet per exempla, accepta è libro de Sanctorum Patrum dictis, à* Pelagio *& Ioanne Diaconis Latine reddito, & inter libros de Vitis Patrum* — *sed auctoris Latini recentioris qui fortè sec. 10 vixerit.*

AUCTORE D. P.

à Rosweido editos quinto & nominatim eo, quod est cap. 19, de Abbate S.Sisoi, discipulum suum præ summa simplicitate seu potius mentis à sensibilibus abstracta elevatione continua, interrogante comedissetne an non, quod est in dicto libro § 38: posset hinc quoque de ætate auctoris multo posteriori conjectura fieri, si certius nobis constaret, quam constet, de tempore quo liber ille est Latine redditus. Nam Ioannes, Diaconi nomine antonomastice notus, seculo nono floruit; sed Pelagiū non invenimus, nisi ipso magno Gregorio seniorem.

10 Atque hæc de rebus incertis sufficiant: transimus ad cultum, quem Spoleti constantem semper fuisse, indubitatum facit monasterii ante tot secula sub ejus nomine consecrati titulus; parique certitudine confirmarent, si superessent, Spoletinæ ecclesiæ Legendaria ac Martyrologia. Apud externos primam ejus mentionem invenimus in Bibliotheca Vallicellana Romæ in Kalendario præfixi MS. Operibus S. Isidori, antiquitatis minime contemnendæ, in quo ad hunc XI Aprilis notabatur nomen S.Isaac Spoleti. In MS. Florario Sanctorum, haud adeo antiquo, legitur, Item Ysaac monachi & Confessoris. Vsuardi Martyrologio, Coloniæ à Patribus Carthusianis vulgato anno 1521, longum præter morem elogium attexitur in hæc verba. Isaac monachi & Confessoris, qui ut refert S.Gregorius, III Dialogorum cap. XIV, de Syria veniens, apud Spoletanam urbem humili constructo habitaculo, virtute abstinentiæ, contemptu rerum transeuntium, prophetiæ spiritu, orationis intentione incomparabiliter præditus fuit. Unum erat quod in eo reprehensibile videbatur, quod nonnumquam tanta ei lætitia inerat, ut illis tot virtutibus, nisi sciretur esse plenus, nullo modo crederetur. Quæ eadem verbotenus habet Molanus in solis additionibus anni 1568: alias ne nomen quidem ejus posuit. Molanum secuti sunt in recognitione Romani Martyrologii Baronius, Canisius in Germanico, Ferrarius in Catalogo sanctorum Italiæ, Wion, Menardus, aliique Benedictini ex auctoritate Trithemii, S.Isaacum adscribentis illustribus viris ordinis S.Benedicti, licet ipsi S. Benedicto synchronum, & forsitan annis haud paucis seniorem.

Nomen Isaaci Syri in fastis,

etiam Benedictinis,

11 Festum ejus sub ritu duplicis in civitate & diœcesi Spoletana celebrari Iacobillus scribit: corpus vero in prædicta S. Ansani ecclesia, olim ab ipsius nomine dicta, asservari supra altare majus, in arca marmorea, cum hac epigraphe: OSSA SYRI ISAAC SUNT HIC. Quod autem utrimque in muro etiam legantur hæc verba RELIQUIÆ SANCTORUM, id ex vulgari opinione interpretatur, de pluribus Beati Isaaci discipulis, ibidem conditis, testimonium esse. Porro hujus S. Isaaci cultus, nescio qua occasione, in ipsam usque Germaniam est propagatus: siquidem in Breviario Bambergensi, quod habemus anno 1575 excusum, invenitur ad hunc quoque diem Officium de eo faciendum cum tribus Lectionibus, de Vita ex S. Gregorii Dialogis & hac propria Oratione: Votivus nos, Domine, quæsumus beati Confessoris tui Isaac Natalis semper excipiat, qui & jucunditatem nobis suæ glorificationis infundat, & tibi nos reddat acceptos.

cultus Spoleti.

& Bambergæ

G. H.

DE SANCTO AGERICO

Abbate Turonensi S. Martini, in Gallia.

CIRCA AN. DCLXXX.



INter illustres codices manuscriptos, qui Romæ adservantur in palatio Ducis Altempsii, extat aliquod in membranis Martyrologium Vsuardi, sed auctum (ut apparet) in Anglia, quod in illo sint plurimi sancti Angliæ & Normanniæ adjuncti. In hoc ad diem XI Aprilis ista leguntur: Turonis S. Agrici Abbatis. Simili usus est codice, qui auxit Martyrologium Bellini de Padua, Parisiis anno MDXXI excusum: & hoc secutus Molanus, qui constanter in suo Auctario ad Vsuardum tertio editum ista cum Bellino habet: Turonis Agirici Abbatis. Molano citato eumdem Martyrologio monastico inscripsit Arnoldus Wion: secuti Dorganius, Menardus & Bucelinus. Eumdem etiam celebrant in Martyrologio Germanico Petrus Canisius & in Catalogo generali Ferrarius. At Saussajus in Martyrologio Gallicano hæc pauca habet: Eodem die Turonis S. Agerici Abbatis, egregia Sanctimonia præclari. Reliqua de tempore quo floruit, asserit Wion ignorari.

Cultus sacer,

2 S. Audoenus in Vita S. Eligii meminit Agerici Abbatis Basilicæ S. Martini, occasione capillorum ejusdem S. Eligii, quos, cum hic tonderetur, pia matrona collegerat, & in linteo quodam involutos in arcam sibi reposuerat. Cumque post obitum S. Eligii audiret dulci modulamine celebrari Psallentium, & videret radiantia nimis micare luminaria; evocato Agerico, basilicæ S.Martini Abbate, causam ei per ordinem exponit, deflens se non posse securam noctibus quiescere in domo sua. Accedens autem prædictus Abbas ad domum, in qua fiebat portentum, cœpit inquirere à femina, utrumne aliquando ibidem servorum Dei manserit quispiam? Anne etiam ei oblatum esset aliquid à viris sanctis pro munere vel eulogiis? vel utrum ipsa non rapuerit aliquando aliquid munus ex Sanctorum pignoribus? Tunc verò illa, veluti per somnum, utpote ex longinquitate temporum, S. Eligii capillorum reminiscens, pectusque ilico pugnis sæpius cædens, rei ordinem exponit, qualiter videlicet aliquando ibidem capillorum beati viri decisiones ex fide condiderat. Statim ergo perscrutantes loculum, repererunt easdem reliquias veluti aromaticis unguentis odoriferas, ut ipsas quondam collegerat illibatas.

Reliquias S. Eligii examinat:

3 Peregrinatus est S. Agericus Romam ad limina Apostolorum & à Papa Adeodato impetravit diploma immunitatis pro suo monasterio, quod ex archivo Turonensi acceptum publicavit Papirius Massonus, & dein Annalibus Ecclesiasticis inseruit Baronius ad annum DCLXXVI, quo mortuus est Adeodatus VI Kalendas Iulias. Aliqua inde huc transferimus quæ sunt hujusmodi sub isto titulo: Dilectissimis Fratribus, universis Episcopis in Galliæ partibus Adeodatus. Æquitatis nos admonet norma... dum Ægiricus religiosus Presbyter & Abbas monasterii S.Martini, in quo & venerabile corpus ejus est situm, visendas ex desiderio veniens Apostolicas confessiones & atria, nostris se repræsentaret obtutibus, commendationemque Fratris nostri Crotberti Turonicæ Ecclesiæ Præsulis obtulisset; supplici voce precatus est, ut privilegium Apostolica auctoritate subnixum, ob munitionem venerabilis monasterii, quod beatæ recordationis Confessor Christi Martinus, Turonensis Ecclesiæ Episcopus, in Gallicanis partibus ad conversorum salutem sui sacratissimi corporis consecratione decoravit, cui nunc præesse se perhibens scriptis ostenderat, ei concedere deberemus. Parumper autem ambigimus, idcirco quod mos atque traditio sanctæ nostræ Ecclesiæ plus non suppetat, à regimine Episcopalis providentiæ religiosa loca secernere.

Romam profectus

impetrat à Deodato Papa

4 Verum ubi & prædicti Fratris nostri Crotberti Turonensis Ecclesiæ Præsulis, monachicam libertatem, hoc est liberam dispensandi licentiam scripto concessam, religiositate ejus exemplaria proferente com-

A comperimus... Proptereа & nos.. identidem firmari concessimus, ut Apostolica fulti auctoritate per privilegii seriem, nullas gravedines à quolibet Episcoporum, sub prætextu discussionis, religiosus Abbas vel monachi ibidem degentes sustineant: neque rursus hospitandi apud eos licentiam vendicantes, dispendia his atque insolentias angariarum imponant: neque per occasionem regularis disciplinæ tuendæ atque servandæ quaslibet importent injurias: sed liberam licentiam habere statuimus, salva profecto monachicarum regularum custodia, religioso Abbate quicumque pro tempore præerit præfato venerabili monasterio, id procurante, ut erga quod priscæ traditionis ejus articulus continet, & ipse conservare nitatur; & qui sub ejus reguntur dispensatione, solerter custodire commoneat districteque compellat. Reverendissimo vero Episcopo, in cujus parœcia memoratum venerabile monasterium vel res ejus ac possessiones constiterint, faciendæ tantum ordinationis ac promotionis Sacerdotum atque Levitarum, vel conficiendi chrismatis sit tantum concessa licentia. Dispositionem autem venerabilis loci gerere, ac conversationem monachicam exquirere, religioso Abbati ejusque Præposito, vel qui probatissimi in eodem monasterio fuerint, quod etiam præfati Præsules consona sententia definierunt, decernimus. Quisquis igitur *&c.*

privilegium immunitatis.

AUCTORE G. H.

Pontificium hoc diploma impugnavit Ioannes Launoyus in Assertione Inquisitionis in Privilegium San-Medardense par. 3 cap. 20, sed contra eum Radulphus Monsnyerus propugnavit: quod monuisse sufficit. Quamdiu postea vixerit S. Agericus non constat.

DE S. GODEBERTA VIRGINE

D. P.

Novioduni in Belgica secunda.

CIRCA AN. CHR. DCC.

Noviomensis patrona



1 *Noviodunum sive Noviomum, secunda Belgica urbs antiqua, ad Isaram, sub Romensi metropoli Episcopalis, insigni religione prosequitur sanctos duos Patronos Eligium atque Godebertam; quorum iste Kalendas Decembris suo nomine consecravit, hæc III Idus Aprilis colitur. Festum ejus, tamquam etiam in populo feriatum &* duplex II classis seu annuale minus, *notatur in Kalendario Breviarii Noviomensis, Episcopali auctoritate recogniti impressique anno 1630, cum tribus propriis ad secundum Nocturnum Lectionibus, propria item Oratione, & propriis ad Benedictus atque Magnificat Antiphonis. Quod festum in prædicta Ecclesia ad Martyrologii lectionem cum hoc elogio indicatur*, Noviomi depositio S. Godebertæ, quæ in pago Ambianensi nobili prosapia orta extitit: cujus sacram virginitatem Beatissimus Eligius, jam in Episcopatu sublimatus, annulo suo, in conspectu Chlotharii Regis, Christo immortali sponso æternaliter subarrhavit. Quam Dominus, cui vitæ suæ subsidium dedicavit, adeo virtutum miraculis coruscare permisit, ut per orationum ejus suffragia, gladius mortalitatis cessaret, & cœcis lumina redderentur, & infirmitates plurimæ fugarentur.

B

Inscripta fastis,

2 *Nomen ejusdem nonnullis etiam Usuardi exemplaribus ascriptum invenere Carthusiani Colonienses, Molanus, Maurolycus, Galesinius, cum titulo* Virginis: *ex quibus eamdem accepere Ferrarius, Canisius & alii. MS. Carmeli Coloniensis* Gothobertam *vocat. MS. Atrebatense antiquum, ampliori aliquantum elogio:* Eodem die Noviomi depositio S. Godebertæ, eximiæ Virginis, quæ in pago Ambianensi nobili prosapia orta extitit. *His accedant auctores fastorum Benedictinorum, Wion, Menardus, Bucelinus & similes, suum hoc solenne tenentes, ut antiquos fere omnes Sanctos, vitam monasticam sub quocumque instituto professos, Ordini Benedictino adscribant. Contra eos definire aliquid mens nobis non est: hoc tamen scimus, ex Luxoviensi cœnobio & S. Columbani disciplina accepisse Eligium Religiosos, quos in suo Solenniacensi monasterio, itemque in S. Lupi Noviomensi & S. Martini Tornacensi à se fundatis constituit; ut verosimile videri possit sub eadem quoque S. Columbani Regula Sanctimonialium monasteria ordinasse.*

C

etiam Benedictinis:

Christo desponsa à S. Eligio,

3 *Fuit autem Episcopus ordinatus Eligius anno Æra Christiana DCXL. Dum igitur coram Rege Chlothario desponsam Christo Godebertam legis, cave cum Baronio secundum illius nominis Regem intelligas, qui anno DCXXVIII è vivis abiit. Impegit in hunc lapidem Ferrarius in Annotationibus ad Catalogum generalem, qui cum apud Baronium ad an. 615 legisset, secundo Chlothario in veneratione fuisse S. Gaugericum Episcopum Cameracensem, circa annum DC vita functum; & S. Godebertam, non recte ad has tempora relatam inveniens; novum ipse errorem addidit, dicendo hanc sub S. Gaugerico floruisse, velut si spiritualiter ei subjectam significare voluisset: cum Antistitibus Cameracensibus nihil in Ambianenses, apud quos orta; & Noviomenses, apud quos consecrata est Godeberta, juris umquam fuerit. Clotharii porro III initia ad annum DCLVI spectant. Quando ergo S. Eligium triennio post constat abiisse è vivis, ad ultimos vitæ ejus annos differre oportet consecrationem Godebertæ: ac proinde minus mirum est tam illustrem actionem in Vita Eligii fuisse præteritam à S. Audoëno, eo loco ubi dicit,* quod in oppido Noviomensi extruxit ancillarum Christi *(quibus utique hæc S. Godeberta præerat)* monasterium, cui magnam congregationem & vitæ severam institutionem adhibuit terræ quoque reditus sufficienter delegavit, & omnia quæ essent illi necessaria solerti cura providit. *Nempe extrema Eligii tempora parcius attigit Audoënus: tunc à caro suo amico remotior, & in ordinandis diœceseos suæ rebus occupatus. Sic neque duorum, quæ diximus à S. Eligio Noviomi atque Tornaci ædificata, monasteriorum meminit; & infinita alia relatu dignissima, quemadmodum ipsemet profitetur, obrutus multitudine, prætermisit. Quia vero in prima juventutis flore tunc erat Godeberta, haud incongruum fuerit ejus mortem ad seculi VII finem atque ultra etiam dilatam existimare.*

E

coram Clothario non II sed III,

vix ante an. 700 mortua est,

4 *Vita diu post scripta auctor nomen suum non prodidit. Surius, qui eam longe contractiorem & emendatiori nonnihil stylo inseruit operi suo,* fide dignum *censuit. Ludovicus de Montigny, in ecclesia S. Godobertæ Presbyter, Canonicus & Archidiaconus, qui eamdem ex sua ecclesia* MS. *(unde ipsam quoque hic dare primigenio stylo curamus) Gallice reddidit, & eruditis Annotationibus illustratam Ursulanis Noviomensibus an. 1630 dedicavit; auctorem esse putat Ratbodum, anno MLXVII electum Episcopum Noviomensem. Hic suam opinionem fundat in eo, quod Vita prædicta reperiatur in quodam Cathedralis Noviomensis Codice* MS. *Ratbodi nomine intitulato, una cum duobus ejus sermonibus in Nativitatem & Annuntiationem Beatæ Virginis; stylo quidem (utpote, pro materia exigentia, encomiastico) ab hac Vita diverso (quippe quæ simplicem contineat narrationem) sed simili ei, quem eumdem Ratbodum constat tenuisse in describenda S. Medardi vita, quam sub illius nomine dicta Noviomensis ecclesia servat.*

Vita scripta diu post,

F

forte à Ratbodo Ep. Noviom.

5 *Quidquid ejus sit, apparet scriptam esse Vitam per modum sermonis, in festo anniversario Sanctæ recitandi: ex quo cognoscitur memoriam ejus non tantum fuisse consecratam, ut Sanctæ; sed etiam, ut specialis Patronæ, & cujus publice festum ageretur. Idem probat nomenclatio ecclesiæ ab ipsa dictæ, eo loco ubi primum fuerat S. Georgii oratorium, quod postea in Apostolorum Petri & Pauli basilicam est conversum, & nunc S. Godebertæ nuncupatur; in qua usque hodie* ad

Ejus festum annuum,

ecclesia propria,

AUCTORE D. P.

ad latus sinistrum, juxta portam Episcopalem, vetus lignea cathedra visitur, S. Georgii insculpta imagine: & supra altare majus ad utrumque cornu spectantur Sanctorum Apostolorum effigies, quorum etjam Antiphona canitur in processionibus ibidem haberi solitis. Ecclesia hæc speciali gaudet prærogativa, quod Episcopi noviter consecrati, cum urbem prima vice ingrediuntur, ibidem posita viatoria veste, inter Proceres distribuenda, Pontificalibus induantur, per portulam in sinistro latere exiguam ingredientes, quæ tunc demum aperitur, reliquo autem omni tempore clausa permanet. In eadem ecclesia fons est, infantibus ægrotantibus salutaris: & campanula, quam ipsi S. Godebertæ in usu fuisse dicunt: quod etiam argumento esse posset eam vixisse ex institutione Scotorum Monachorum, quibus ita proprium fuit suam habere & secum semper ferre campanulam, ut nullius fere exinde propagati Sancti Vita inveniatur absque campanulæ mentione.

ecclesia propria, *fons & campanula.*

6 Eadem ecclesia hodieque inter sacras Reliquias possidet & ostendit notabiles particulas ex corporibus SS. Eunuci & Godebertæ, quorum & S. Mommoleni, in eadem quoque ecclesia sepulti, elevatio, in Martyrologio ecclesiæ Cathedralis notatur ad XXVII Aprilis. Andreas Saussayus in Martyrologio Gallicano Translationem vocat, & sic quidem ut intelligat secundam: nam post elogium præ enti die Sanctæ datum, adjungit, eodem die facta est translatio prima sanctæ ipsius Godebertæ, miraculis illustris: quod unde acceperit non videmus, nec in hoc loquendi modo satis distinguimus, an velit significare, ipsam translationem, an vero Sanctam fuisse miraculis illustratam. Ast quod de Sancta præmittit, eam in oratorio S. Georgii vixisse reclusam, in cujus honorem ecclesia cum monasterio postea ædificata sit, ubi sacræ virgines adunatæ tramitem ejus pulcherrimum consectando, per longa temporum curricula, Christo Domino puræ mentis odoramenta obtulerint, hoc sane ex Vita hausisse non potuit. Nam hæc eam statim à consecratione sua illuc inducit, cum duodecim feminis quæ illius regimine continerentur; & deinde narrat punitionem petulantis discipulæ, quæ cum Deo in S. Godebertæ monasterio se devovisset, valde erat impatiens; meruitque ab ipsa Sancta in faciem conspui, & sic oculorum usu privari. Quæ omnia declarant monasticam & communẽ vitam ibidem viguisse jam inde à principio, non vero post sanctæ mortem primum eo introductam: licet non negem monasterium illud novis ædificiis & possessionibus auctum; & veteri oratorio destructo augustioris basilicæ formam successisse.

corporis Reliquiæ, *elevatio 27 April.* B *monasterium,*

7 Sanctorum Mommoleni & Eunucii corpora (hic autem x Septembris, ille XVI Octobris colitur) è suo elevata sepulcro, fuerunt partim in Cathedralem Noviomensem, partim in Abbatialem S. Eligii translata. Ipsius S. Godebertæ depositum creditur terræ mandatum fuisse in sacello, quod hodieque nomen ipsius retinet, ad dextram partem chori, infra sacellum sanctæ Crucis. Ibidem enim adhuc superest veteris tumbæ pars magna, insculptas habens duorum Episcoporum imagines, & inter eas tertiam unam mediam in habitu Sanctimonialis: similisque repræsentatio videtur in ecclesiæ propylæo ex parte cœmeterii. In uno quoque trium grandium Cathedralis templi propylæorum, ad latus sinistrum, sub imagine S. Godebertæ, spectatur effigies Religiosæ, vestis suæ sinu tenentis ardentes prunas, quas ex proxima pistoris domo allatas, & in rosas ac flores transmutatas fuisse, antiqua habet traditio parochianorum: idque unum fuisse ex multis miraculis, scriptori Vitæ præteritis, pie credere licet.

sepultura, C *miraculum.*

8 Atque hæc sunt, quæ selecta ex eruditis præmemorati Ludovici Montiniacensis Annotationibus, & in linguam Latinam translata; visum fuit præmittere Vitæ, quam hic damus, beneficio adm. Reverendi atque Amplissimi Domini Nicolai de la Haye, Decani Noviomensis; qui nos insuper docuit, ecclesiam S. Godebertæ ab Hindulfo seu Lindulpho, Noviomensi Episcopo, ab anno circiter DCCCCLXXVIII usque ad XC sedente, concessam esse Canonicis ecclesiæ Cathedralis eo tenore (prout loquitur Ioannes XV in quodam diplomate, paucis post obitum Lindulphi annis dato) ut quatuor Canonici, ex ipsis sexaginta, serviant quotidie corpori ejusdem beatæ Virginis, in quocumque loco civitatis jacuerit, divinum ibidem officium decantando: quod ut in ipsa Sanctæ festivitate fieret ad normam festivitatum aliarum, composita fuerit à Ratbodo, tum fortassis Canonico, post mortem autem Lindulphi Episcopo, Vita hæc publice prælegenda. Quamdiu post (nam istud, In quocumque loco jacuerit, arguit jam tum cogitatum fuisse de aliqua Translatione facienda) ipsa sacra ossa in ecclesiam Cathedralem sint translata, incertum nobis est: hoc certum translata esse ante finem seculi XV. Nam ut eorum conditorium argenteum fieret statutum est capitulariter anno MCCCCXCIX, intraque illud anno seculi XVI quarto, III Idus Aprilis facta nova Translatio: quæ ne sua deinceps careret memoria, composita est Lectio, quam ex prægrandi Ecclesiæ Noviomensis Legendario, ipse ejus Decanus supranominatus transcribi nobis jussit: simul indicans thecam illam argenteam fuisse servatam juxta reliquias S. Eligii (quod & Lectio indicat) usque ad annum MDCXXV, quando sancti Antistitis cineres in arcam speciosiorem transferendos Capitulum censuit. Addit idem Decanus caput S. Godebertæ in publicis supplicationibus efferri, cum de pluvia impetranda aut lue quapiam averruncanda cogitatur, & ad eadem ejus sacram plerosque infirmos confugere, cum spe magna impetrandæ ejus patrocinio sanitatis.

D *Translatio,* *in ecclesiam Cathedral.* E

VITA

Auctore, ut videtur, Ratbodo Episc. ex MS. Cathedralis Noviomensis.

CAPUT I.

S. Godebertæ educatio pia & consecratio.

1 Diem hanc gloriosam egregiæ Virginis Godebertæ, Fratres, solenniter celebraturi, eam ipsam nos, cui Sacrata est, devotissime condecet exorare, ut quicquid in laudibus ejus attentaverimus, suis orationibus in Dei gratiam impetret redundare. Pro certo enim credendum est, omnes qui Sanctos Dei quoquo modo venerantur, ipsa Sanctorum veneratione, ipsam Dei majestatem, cujus gratia tantæ sunt venerationis, non parum honorare. Ad ejus ergo gloriam insignis hæc Virgo, cujus transitum celebramus, unde nata sit, & quomodo in hac humanitate Domino deservierit, quæque per eam Deus operatus sit miracula, quove fine hominem exuerit, ipsius ejusdem subnixi orationibus, dilectioni vestræ, Deo annuente, subnotare properamus.

Præfatiuncula auctoris. F

2 Hæc quidem in pago Ambianensium a Christianis edita parentibus, sancto in baptismate ex aqua renata & Spiritu, Fidei sanctæ institutiones, undecumque poterat, & libenter suscipiebat & reverenter exequebatur. Sentiens nempe mortiferæ se conditioni obnoxiam ex debito, tenerositatem ætatis suæ sanctæ Crucis jam tunc communiebat signo; noctuque ac die piis Sanctorum sese orationibus humillime commendabat. Adolescentularum, quas irreverentes audierat, lascivos evitabat conventus; quas autem utili & honesto intentas noverat, eis & libenter intererat & intente imitabatur: audierat etenim pravis confabulationibus mores bonos corrumpi: audierat etiam cum sancto sanctum esse, & cum perverso perversitatis quemlibet infamia notari.

a *Nobiliter natam,* *pie educatam,*

3 A parentibus ergo diligenter educata, cum ad nubilem pervenisset ætatem, nobilium eam quamplures, utpote de nobilibus nobiliter natam, ad thorum

à multis expetitam,

A rum asciscere conabantur conjugalem. Parentes autem ejus, quia ex manu regia suum susceperant beneficium, nemini, Rege inconsulto, hujuscemodi conjugii dare præsumebant assensum. Cumque in conspectu Regis Lotharii de Virginis hujus ageretur sponsalibus, omniumque ad regiam super hoc dispositionem penderet intuitus; in medio eorum, Domino sic præordinante, Sanctus sese injiciens Eligius, Virginem illam aureo suo annulo subarrhavit, ac Christi sponsam in conspectu Regis & parentum suorum confidentissime assignavit. O inæstimabilis gratia Spiritus sancti! Illico puella, divini amoris spirituali, ut post patuit, jam conceptione gravidata, spreta omni carnali voluptate, postposita etiam desiderabili succedentium propagine, imo despectis delectabilibus puellaris vitæ illecebris, Regi & parentibus constanter abrenuntiavit, seseque in eorum præsentia beatissimo Præsuli Eligio, Domino consecrandam, gratanter commendavit.

S. Eligius Deo consecrat, coram parentibus & Rege:

4 Ipse quidem sanctissimus Episcopus tunc temporis sanctam Noviomi regebat Ecclesiam; cujus exemplo & prædicatione quam multi ab errore conB versi, abjectis idolorum cultibus, sub tanto Pastore fidem se suscepisse catholicam non parum gratulabantur. Hanc igitur benignissimæ indolis oviculam benignissimus ipse Pastor ovili suo desiderantissime aggregavit, cum eam spirituali divinæ desponsationis annulo ab activa vita in contemplativam evocavit. Sic itaque Virgo egregia, in conspectu Regis & Principum, blandas parentum suorum libere abdicans persuasiones; Eligium, quem Spiritus sancti gratia spiritualem in patrem susceperat, omni submota dilatione, secuta est. Ex tam improvisa sancti Spiritus inspiratione astantes stupor multus invaserat: pater ejus flens quam familiariter rem considerabat. Rex etiam Lotharius, nuptiarum subita mutatione, magnificam divinæ gratiæ virtutem non minimum admirabatur: ut tamen ejusdem Virginis felici apud Dominum commendaretur oratione, benevolam ejus devotionem regali munificentia primus ipse properavit confortare. Assentientibus siquidem eis qui aderant, dedit ei cum oratorio S. Georgii suum quod Noviomi habebat *b* Palatium; duas quoque villas, *c* cum duodecim feminis ex fisco regali, sub sanctæ Virginis regimine ad divini cultus subscribi jussit supplementum.

qui ipsi palatium suum attribuit,

C 5 Convenientes itaque in suburbium Urbis Noviomicæ, *d* in oratorium scilicet quod à Rege susceperant, die noctuque Deo deservire infatigabiliter elaborabant. Ipsa quidem Virgo, à Sancto edocta Eligio, cohabitantes secum non solummodo prædicatione, verum etiam multimodo virtutum informabat exemplo. Secularium etenim conventicula diffugiens, biduana seu triduana continuabat jejunia; esurientibus cibum, sitientibus potum, nudis vestimenta, cum omnibus his ipsam egere videres, incessanter ministrabat: pernox quoque in vigiliis & orationibus, pro universali omnium salute assidue Dominum deprecabatur. His & his similibus jugiter insistebat: & licet adhuc in mundo corpore teneretur, placabile tamen Domino sese holocaustum quotidie mactabat. Tantam dilectæ suæ Dominus perseverantiam perspiciens, ejus in palam, dum adhuc fragili maneret in corpore, non dedignatus est clarificare devotionem: operabatur siquidem Deus crebra per ejus intercessionem miracula: cæcis visum, claudis gressum, paralyticis sanitatem restituebat: quodque gratiosius Deo esse credimus, ejus exhortatione infideles frequentius suscipiebat ad fidem. Ut igitur ad certum exemplum quibusque fiat fidelibus, æmulorum postposita detractione, de multis vel pauca proferemus.

cum sacello S. Georgii,

ubi Deo servivit:

miraculis honoratur.

ANNOTATA.

AUCTORE RATBODO EX MS

a *Fortassis in terra, seu castro* Bova, *seu de* Bovis, *vel* Bobarum, *aut etiam* Bothua, *vulgo* Boves, *distante duabus circiter leucis Ambiano, titulo Baronatus olim, nunc etiam Marchionatus insigni: unde nata vulgi traditio sit, eam* ex familia de Boves *ortam. Sane si ibi nata est Sancta, vix dubitamus, quin ipsius loci Domini fuerint ejus parentes, quos apparet ex sequentibus admodum nobiles fuisse: an autem familia de Boves, ab Adriano de la Morliere post opus de Antiquitatibus Ambianensibus egregie illustrata, tam sit antiqua ut hanc Sanctam sibi arrogare possit, aliis investigandum relinquimus.*

Terra de Boves:

b *Palatium Regis quidam ibi fuisse putant, ubi nunc est domus Beguinarum: quod absque fundamento ullo proferri censet Montignius.*

c *Idem concedit posse credi, quod hæ villæ fuerint in* Vauchelles, *quinque circiter leucis Abba-villa: eo quod istic Beguinæ adhuc habeant aliquas possessiones: ut videatur agnoscere, eas venisse in partem bonorum, monasterio S. Godebertæ olim attributorum, & forte sub novo instituto sanctimonialibus extinctis successisse.*

Vauchelles.

d *Ad portam olim Castelli dictam, quæ tunc fuit prope eum locum, ubi nunc sunt puteæ in foro frumentario.* E

CAPUT II.

Miracula S. Godebertæ viventis.

6 Dicamus ergo quod prius memoriæ occurrit, quatenus fidelium, quos audire contigerit, corda corroborentur; frontes infidelium durissimis miraculorum ejus lapidibus conterantur. Contigit ejus in tempore, sic exigentibus plebis Noviomicæ peccatis, pestiferum in eadem civitate gladium desævire mortalitatis: ira enim implacabilis à Deo egressa, indigenas illos circumquaque devastabat, parentes cum filiis, sponsos cum sponsis, dominos cum domesticis incessanter enecabat; & tam in potentes quam in plebeios immoderate grassabatur. Fugiebant circumquaque qui evadere poterant: jamque, maxima ex parte subtractis habitatoribus, vacuæ in civitate domus quamplures remanserant. Tantæ huic miseriæ infelicior, proh dolor! Successit miseria, cum omnibus metu mortalitatis exterritis, inhumata mortuorum corpora projicerentur: qui enim mortuum sepeliebat, mortuus subito & ipse sepeliendus mox efferebatur: de imminenti sibi mortis periculo, nemo prorsus desperabat, cuicumque mortuum quempiam sepelire seu contingere contingebat. F

Grassante Noviomi peste

7 In mortalitatis tanto periculo, Virgo insignis Godeberta, universalem attendens dolorem civium, universali Ecclesiæ triduanum jejunium indixit; docens eos orationibus lacrymabiliter insistere, jejuniis & eleemosynis indignationem divinam placare: Quia, inquit, sicut aqua extinguit ignem, ita eleemosyna extinguit peccatum. Et docebat eos Virgo egregia salutarem Ninivitarum pœnitentiam, quomodo in cinere & cilicio positi, per jejuniorum & orationum mysteria, divinæ maledictionis jamjam super se imminentem repressere sententiam. David quoque Regis, qui secundum cor Dei Deo ipso teste inventus est, admirabile illis recitabat exemplum, quam facile, per pœnitentiam perpetrati adulterii, susceptus sit ad remedium. Adjiciebat etiam Petri negationem, Latronis in cruce confessionem, lugubrem peccatricis Mariæ lamentationem, quam facile lacrymis pœnitentialibus factionum suarum promeruerint remissionem. His & aliis gloriosæ Virginis respirantes exhortationibus, per maxima devotione triduum illud suscepere jejunii: & statim, meritis ejus & intercessionibus, pestiferum illum mortalitatis gladium pia Dei gratia cessare fecit.

pœnitentiam prædicat Godeberta,

& Latronis.

AUCTORE RATBODO EX MS.

8 Paucis postmodum diebus eadem Virgo (utpote quæ nimis austere teneram suam maceraverat carnem) molestissimam corporis sui decidit in infirmitatem; sicut multoties a contingit eos, qui quoquomodo assuetis desuescunt dapibus, diu tabescere seu subito corrumpi. Jacebat ergo Virgo fessa in lectulo, verum toto ad Dominum mentis desiderio respirabat; gravida quidem corpore, spiritu tamen alacris in Dei semper laudibus perseverabat. Contigit hac ejus in infirmitate circa S. Mariæ principalem ecclesiam inopinatum ex improviso erumpere incendium, & ejus subitanea excursione totius ecclesiæ omne penitus exuri ornamentum. Flamma circumvolans omnia diripiebat, cujus ante faciem, quia resistere non poterat, fugiendo sibi unusquisque consulebat. Omnia penitus huic subjacebant periculo, dum jam alia consumpta essent, alia nihilominus absumenda irruenti remanerent incendio. Civitatis indigenis, ut prædiximus, circumquaque diffugientibus, sanctæ Virginis Mariæ mater ecclesia [desolata] remanserat: quam devotissimis Deo lacrymis, (quia jam flamma eorum superior erat viribus) tristis admodum populus Deo soli commendabat. Tanto plorantium gemitu [mota] Virgo Godeberta, gravissima licet infirmitate premeretur, jussit tamen se in cathedra deportari, ac contra incendii violentiam, quocumque se flamma impingeret, confidenter deponi. Deposita vero in ipso prope flammiferæ voraginis incendio, cum multi jam de ipsius vita desperarent, sanctæ Crucis signum, quod omnibus in periculis saluberrimum noverat, confidentissime opposuit: & statim ignis illa vastatio extincta est.

a Ægrotans Godeberta, — *grassanti ad templum incendio,* — *B opponi se jubet, & flammam sedat,*

9 Accidit alio in tempore cæcam quamdam Trasiricam nomine, ad sanctam devenisse Virginem, quatenus pia ejus intercessione oculorum, quod ab infantia perdidit, temporale recipiat lumen. Cumque spe certa, sua pro illuminatione, lacrymosis insisteret precibus; Virgo egregia, præmissis Deo intercessionibus, super oculos ejus manum imposuit; factoque leviter sanctæ Crucis signo, ad ejus orationem miserationis divinæ optata propitiatio, corporale illi lumen restituit: sicque factum est, ut dum visum temporalem reciperet, spirituali quoque animæ vivificatione animata, omni postmodum vitæ suæ tempore apud illuminatricem suam Deo inibi deserviret.

cæcam illuminat,

C

10 Hoc itaque modo Trasirica hæc illuminari promeruit ex devotione: Vulgudis autem, de qua modo dicendum est, pro inobedientia, interminabili ab eadem Virgine multata est excæcatione. Hæc siquidem Vulgudis in cœnobio S. Godebertæ Deo se devoverat: verum animi sui nimis impatiens, contentiose se adversum alias & irreverenter habebat. Ea de causa frequentius à sancta castigata Virgine, contra eamdem ipsam tumulentuose rixabatur, & in conspectu ejus turpia nimis & maledicta verba loquebatur. Sancta vero Virgo, nimia stultæ illius commota stomachatione, cum eam incorrigibilem & obedientiæ stimulo irreverenter recalcitrantem persensisset, die quadam, in ipso ejus rixarum turpiloquio, in faciem ejus admodum irata expuit: & statim infelix illa, oculorum lumine amisso, omnibus vitæ suæ diebus cæca permansit.

& turbulentam excæcat:

11 His & aliis miraculorum relationibus Virgo hæc ubique divulgabatur, & ejus celeberrima opinio longe lateque diffundebatur; unde ad eam ex longinquis terrarum partibus multitudo multa languentium confluebat, quibus Virginis sanctæ intercessione multimodæ sanitatis beneficium benignissima Dei miseratio ministrabat. Potestis siquidem ex his conjicere, quæ ad nostram pervenere cognitionem, Virginem hanc & alia quam multa perpetrasse miracula, quæ humanam jam excessere mentionem. Quamquam autem nos lateat, soli tamen Deo vera ejus cognita est devotio; qui vitam ejus mortalem immortali æternę perpetuitatis remuneravit præmio. Perspiciens nempe Dominus dilectæ suæ spiritum immutabiliter in sanctæ fixum proposito religionis, ne qua ulterius malitia immutaret cor ejus, neve aliqua fictio animam illius deciperet, de terrestribus eam ad cælestia, de labore ad requiem, de temporalibus miseriis ad felicitatem perpetuam evocavit; ac corruptibili eam humanæ fragilitatis corpore clementer denudans, animam ejus incorruptibili Angelicæ societatis indumento clementius adornavit.

multis aliis miraculis ornata, — D — *à bonorum remuneratore Deo,*

12 Sic itaque sanctissima Virgo Godeberta, terrenæ inhabitationis feliciter expleto tempore, cum sanctarum choreis Virginum in cælestis paradisi collocata est amœnitate: ibi Domino cum ceteris Sanctis canticum novum exultanter decantat: ibi futurum judicii diem voto fiduciali expectat. Licet enim ipsi Archangeli diem illam tremere ac contremiscere habeant; ad humanæ tamen, non suæ, perditionis compatientes trement sententiam. Hunc ergo, ut prædiximus, terminum Virgo hæc jam Deo sociata expectat; & pro nostris criminibus incessabiliter Deum in cælis exorat. Sepulta est itaque egregia Dei famula tertio Idus Aprilis, in Oratorio B. Georgii, in ecclesia quæ modo dicitur Sanctorum b Apostolorum, ubi & corpus S. Mommoleni ejusdem Civitatis Episcopi honorifice sepelierunt. Multa ibidem, sancta intercessione ejus, infirmis & egentibus præstantur beneficia, ad laudem & gloriam nominis ejus, cujus honor & imperium sine fine perseverat in secula.

transfertur in cælum: — E — *corpus in S. Georgii sepelitur, b*

ANNOTATA.

a *Ita ex conjectura correximus: in MS. legatur,* Multoties quidem contigit eos qui quomodo assuetis.

b *An ergo, si Vita auctor Ratbodus, fatebimur post ablatum ab illa ecclesia S. Godebertæ corpus, ipsam primum cœpisse ab ea nominari? Non erit quidem absonum, ut successu temporis collapsa ecclesia postea fuerit sub S. Godebertæ nomine restaurata & consecrata, quamvis pridem ibi desiisset asservari corpus: fatemur tamen contrarium videri congruentius; ideoque de prima S. Godebertæ Translatione dubitavimus, an non esset longe serius facta, puta seculo XIII cum taderet Canonicos suo ex corpore semper allegare quatuor, in diversa ecclesia ministraturos.*

F

CAPUT III.

Miracula ad sepulcrum S. Godebertæ facta.

13 Verum ne aliquis de cælica Virginis hujus diffidat remuneratione, miracula etiam illa, quæ à Deo ad sepulturam ejus perpetrata sunt, non renuimus scripto commendare. Contigit siquidem post ejus transitum, Agildrudem, ab infantia cæcam, celeberrimam sanctæ Virginis famam audisse, & quod de aliis audierat de semetipsa certissime sperantem, non sine multa difficultate, Noviomum devenisse. Cumque oratorium, in quo Virgo jacebat, ingressa fuisset; ab illis qui aderant, se deduci exegit ad tumulum, ubi beatæ Virginis corpus audierat esse sepultum. Quo cum pervenisset, diu illacrymata in pavimento, gravibus exorabat suspiriis, visum, quem diu amiserat, sanctæ sibi Virginis precibus à Domino reimpetrari. Nec mora, quia fideliter oravit, & in oratione de Dei gratia & S. Godebertæ potenti virtute non desperavit; ea interveniente, corporali visu meruit illuminari. Nec vero corporalibus solum, verum & spiritualibus eam oculis non diffidimus illuminatam;

Ad sepulcrum, — *illuminatur cæca,*

A luminatam; cùm eam omni postmodum vitæ suæ tempore, in eodem loco, regularem cum aliis in Dei servitio audierimus percurrisse disciplinam. Sicque Deo annuente factum est, ut dum lumen carnale deprecaretur, spiritualibus quoque animæ oculis, Virginis hujus intercessione, illuminaretur.

a virgine paralytica,

14 De Audemia quoque non nobis videtur prætereundum, quomodo de Vico Raugia *a* illuc delata, ad ejus curata fuerit sepulcrum. Hæc nempe ab infantia tamquam paralytica toto dissoluta corpore, ut sanctæ Virginis tam celebrem audivit opinionem, ab amicis suis, quibus pro diutina infirmitate jam tædio erat, suam vix illuc impetravit deportationem. Portata tandem ad præfatam basilicam, jussit se quam propius possent ante sanctæ Virginis exhiberi præsentiam. Quo impetrato, reptans utcumque poterat in pavimento, toto cordis & oris Virginem sanctam interpellabat desiderio, quatenus per ejus sacratissimam intercessionem moribundæ paralysis à Domino mereretur curationem. Cum subito basibus suis valitudinem redditam persensit: validaque effecta, suis ipsius pedibus, quæ vehiculo venerat alieno, admodum gratulabatur reverti.

oculorum albugo abstergitur,

15 Gislegardis etjam illuminatio modo memoriæ occurrit: quæ cum ab infantia oculorum cæcitate multata esset, Virginis hujus interventu visum recepit, Stillante nempe ab oculis albugine, quæ ab ipsis B crepundiis tenebrosam oculis ejus prætenderat caliginem, sub universali astantium aspectu, exhilarato vultu gratuitam ante sepulcrum Virginis suscepit illuminationem.

omnibus membris capta,

16 Sed nec Imperiæ cujusdam, quæ sic nominabatur, curationem tacebimus; quæ fere ab ipsa resuscitata est morte S. Godebertæ intercessionibus. Hæc quidem jam præmortua, omnia pene corporis amiserat officia: visus, auditus, linguæ quoque facultas fere jam ex toto ei defecerat: & ut omnia in brevi concludantur, in lectulo tamquam abortivum quoddam jacebat. Cognitis ergo tantis hujus Deo devotæ miraculis, ad ejus orationis memoriam exhiberi se impetravit. Quo cum allata fuisset, secus sanctam illius sepulturam projecta, suum quoquo modo poterat Virgini sanctæ commendabat desiderium; tantæ suæ passionis à Domino per eam aliquod suppliciter immurmurans remedium. Quid ageret? Corde suspirabat, oculis lacrymabatur; ore vero, cum ad plenum verba formare nequiret, inter præcordiales gemitus ululare potius quam loqui videbatur. Verum, cessante cordis lingua, quantamcumque poterat præferebat C devotionem, & motu potius interiori sanctam Virginis super debilitate sua sollicitabat intercessionem. Tantam præmortuæ illius Virgo perspiciens instantiam, felici apud Dominum intercessione, invalitudinis ejus impetravit resolutionem, & infelicissimo miserrimæ illius corpori diu optatam restituit sanitatem. Mox etenim quæ paralytica diu jacuerat, lumen oculorum, auditum aurium, linguæ quoque recepit absolutionem: & sic gratias Deo & sanctæ reddens Virgini, ad propriam incolumis reversa est mansionem.

sanitas redditur,

17 Tædet vos forsitan, dilectissimi, tot & tanta sanctæ miracula Virginis audire? Verum licet vobis sint fastidio, Dei tamen & Sanctorum nos magnalia condecet non tacere. Ipse etenim Deus, per quem omne sanctum sanctificatur, se in Sanctorum susceptione seu abjectione suscipi seu abjici Evangelica voce testificatur, dicens: Qui vos spernit, me spernit; & qui vos recipit, me recipit. Oportet ergo, Fratres, ut & audita grataner, retineatis, & quæ adhuc adjicienda sunt hilari animo & intente suscipiatis.

Lu. 10. 16.

Celebratur dies anniversarius,

18 Inter hæc & alia quædam quæ per eam Deus operatus est, annualem cyclum contigit revolvi, & diem anniversariam, qua ex mundo Virgo sancta transierat, fideli populo repræsentari. Diem illam qua & quanta exultatione susceperint, qua & quanta devotione celebraverint, neque meditationi nostræ ad plenum recogitare, neque imperitiæ nostræ ad vivum concessum est explanare. Quis enim tantum populi conventum, quis eorum qui convenerant devotionem & lacrymabile gaudium, quisve spontaneas explicare oblationes posset eorum? Videres undique promiscui sexus [turbas] concurrentes tamquam apes ad alvearium, Clericorum ordines, Monachorum congregationes, turbas quoque Virginum, omnem prorsus utriusque sexus conventum in eamdem confluere lætitiam, unoque animo ac pari consensu Virginis sanctæ felicem sollicitare memoriam. Facto itaque solenni Missarum Officio, post multiplices Deo & Virgini redditas actiones gratiarum, universi ad propria reversi sunt. Custodes etjam ecclesiæ, omnibus fere luminaribus extinctis, cum ostia ecclesiæ clausissent, hora competenti suam egressi sunt ad refectionem. Post refectionem vero quam plurimis eorum, ut gratias Deo ex debito referrent, ad ecclesiam illam reversis; ut januas ostiarii aperuerunt, lampades cum cereis, quas in conspectu omnium extinxerant, omnes divinitus inflammatas reperiunt.

AUCTORE RATBODO EX MS.

& extincta post Officium luminaria,

divinitus reaccensa inveniuntur,

19 Super hoc Dei & sanctæ Virginis miraculo multus erat plausus omnium: in eamdem omnes confluebant lætitiam: uno & eodem animo, unanimi & pari consensu ad Virginis sanctæ concurrebant oratorium: mentis eadem devotio, idem & universale pro ineffabili Dei beneficentia cunctis inerat gaudium; intrantibus aliis, aliis regredientibus, una omnes consolatione ad laudem divinam sese invicem cohortabantur. Retractabant alii sanctæ Virginis meritum: suspirabant alii divinæ recompensationis admirabile donum. Ille nimirum, qui januis clausis ad discipulos intravit, obseratis etiam nunc foribus ingressus, per lampadum inflammationem, Virginem hanc unam earum absque dubio esse declaravit, quas suo ipsius testimonio accensis lampadibus Evangelicus ille sponsus secum ad nuptias introduxit. Nec solum hoc Virgini suæ largitus est, verum eosdem cereos ac lampades, absque aliqua ceræ diminutione vel olei, septē illis subsequentibus diebus, sub totius populi testimonio ardere mirabiliter concessit *b*.

E

cum magno plausu populi,

ac toto septiduo ardent.

b

20 Eodem in loco multa fieri miracula frequenter audiuntur, quæ sui assiduitate, sicut plerumque fieri solet, partim memoria excidisse, partim viluisse noscuntur: quæ tamen occurrunt memoriæ nostræ, vestræ fraternitati nos non piget renotare. Hæc eadem beatæ Virginis fama celeberrima, quæ alios quamplures excitaverat, ad aures paralytici cujusdam, Gregorii nomine, delata est. Hic quidem adeo paralysis morbo dissolutus languebat, ut nec quidem manum vel pedem movere posset; immo corpore jam præmortuo, in solo vix ejus pectore vitalis spiritus anhelaret. Nisus tamen quoquo modo repere per terram, vix tandem ad desideratam sanctissimæ Virginis pervenit sepulturam. Multa ibi cum devotione multos fundens rivulos lacrymarum, per sanctæ Godebertæ Virginis meritum, invalitudinis suæ efflagitabat medicamentum. Cumque in gemitu & lacrymis, usque ad vesperam flens & eiulans, indefesse perseverasset; pio sacratissimæ Virginis obtentu in momento corporis totius sanitatem plenam recepit, acsi nullam umquam læsionem pertulisset. Lacrymabantur omnes præ gaudio, quia quem fere suspicabantur exanimem, ambulare videbant sanum & incolumen. Sed nec illud prætereundum putamus quod de Harveo *c* per Virginem hanc factum miramur.

F

Sanatur paralyticus,

c

AUCTORE RATBODO EX MS.

illuminatur cæcus.

21 Ipse quidem Harveus, multatus oculis, multa super hoc peragraverat loca Sanctorum, ipsorum etiam ea de causa adierat orationes Petri & Pauli Apostolorum; aliquotque diebus ibi expectatis, cum nil sibi proficere sentiret, infecto negotio tristis ad propria repedavit. In tenebris itaque & fere in umbra mortis residens, dies suos lugebat; quippe qui cũ aliis qui a videbant inhabitans, ad augmentũ doloris sui lumẽ eorum retractabat. Peragratis ergo, ut prædiximus, multorum Sanctorum oratoriis, ejusdem desiderij causa devote ad Virginis hujus memoriam pervenit. Ibi fidei fervore succensus, extensis in cælum manibus, in abdito cordis illud Davidicum decantabat, Dominus, inquit, salus & illuminatio mea. Ex toto quoque corde ad sanctissimam conversus Virginem, suam ei attentius commendabat devotionem. Exaudita est ergo & in hoc devotissima sanctæ hujus Virginis interventio; & ad ejus supplicem deprecationem Harveus, quia fideliter in oratione præstitit, non est fraudatus à desiderio suo. Sunt & alia multa, Carissimi, Virginis hujus miracula, quæ, sicut diximus, ad nostram non pervenere notitiam; verum super manifestis & incognitis sanctissimam nos Dei oportet collaudare magnificentiam, qui, per imitabile fragilioris sexus exemplum, tam fragiles ad æternæ vitæ incessanter invitat præmium sempiternum.

Ps. 26, 1

B

alia plura miracula fiunt.

Epilogus.

22 Nos itaque, fratres, qui licet corporalibus utamur oculis, cæci tamen sumus in anima; qui terrestribus nimis intenti, prave postponimus cælestia; qui temporalibus inhiantes, nihili pendimus spiritualia; jam vel sero hujus Patronæ nostræ, beatissimæ videlicet Virginis Godebertæ, virginitatem sedulo imploremus: utque apud divinam, cui infatigabiliter deservivit, majestatem, pro nobis suppliciter intercedere dignetur, retractemus devotam in Dei famulatu Virginis hujus instantiam; admiremur ejus precibus acclinem, ut ita dicam, Salvatoris nostri clementiam. Audivimus modo quia cæcus hic Harveus, cum super cæcitate sua nihil à Sanctis impetrasset Apostolis, per hanc tantam Virginem visum recepit: credamus & nos per eamdem, cordium nostrorum cæcitatem, si bene quærimus, à Deo vere illuminari. Audivimus paralyticum Gregorium, paralysis suæ, hac mediante, suscepisse remedium: credamus & nos, si ex corde pœnituerimus, per eam sanandos, qui omnibus, proh dolor! animæ destituti officijs, viam incedere pigritamur virtutum. Legimus lampades, quas in ejus extinxerant oratorio, subito igne inflammatas: credamus & pro certo habeamus, spirituales animarum nostrarum tenebras, hac interveniente divinitus posse inflammari. Jam vero, dilectissimi, corda cum manibus ad Dominum erigamus in vera confessione, & in indissimulata pœnitentia precibusque multimodis faciem ejus præveniamus; quo Virginis hujus meritis, quam nobis proposuit in exemplum, quæque pro ejus vera dilectione carnalium abdicavit fœdera nuptiarum, gravi nos exutos corpore, unigenito filio suo Christo Domino nostro concorporari concedat, in cælesti collegio sanctorum Angelorum, per eumdem Christum Dominum nostrum. Amen.

C

ANNOTATA.

a *Ita Ludov. de Montignij, cui in nomenclatione loci, in Noviomensi diœcesi siti, magis credendum putaremus, quam* Surio, Rangiam *scribenti: sed quia ambigua est ecgraphi nostri scriptio, & ipse in annotationibus nusquam indicat ubinam locus hic sit, veremur ne æque ei ignotus is fuerit.*

b *Surius, qui miraculorum hujus capitis narrationem valde constrinxerat; deinceps paucas lineas solum habet, & sic totam narrationem absolvit.*

c *Idem Surius* Harneum *vocat: ecgraphum nostrum semel iterumque* Haureum.

APPENDIX.

Translatio S. Godebertæ in capsam argenteam anno 1504.

23 GLoriosus Deus in Sanctis suis, & in majestate mirabilis (cujus ineffabilis profunditas prudentiæ, nullis inclusa limitibus, nullis comprehensa terminis, recti censura judicij cælestia pariter & terrena disponit) & si cunctos ejus ministros ancillasque magnificet, amplificet, altis decoret honoribus; illos tamen potioribus attollit insigniis dignitatum, & præmiorum uberiori retributione prosequitur, ne dum quos excellentiores ac inter ceteros digniores agnoverit commendaveritque meritorum ingentiorum copia, verum etiam quos suis fidelibus eorumque æternæ saluti providentiores ubilibet terrarum elegerit ac propensiores. Sic & pia mater Ecclesia, ejus sacra vestigia prosequens & exemplo ducta laudabili, licet universos in regnis cælestibus constitutos studijs honoret solicitis, & sonoris efferat præconijs; illos tamen maxime, quos aut Patronos habet assiduos, aut quorum apud se sacra custodit ac veneratur pignora: utpote in quibus, suæ necessitatis ingruente periculo, salutis ac spei anchoram nihil hæsitans reponit & collocat.

a Sicut Deus omnes quidem Sanctos,

quosdam tamen honorat impensius,

sic & Ecclesia suos Patronos.

E

24 Hinc magno maturoque consilij fulcimento, hujus insignis Ecclesiæ Noviomensis Clerus, divino spiritu & piæ devotionis affectu illustratus, suam gloriosam patronam, margaritam Christi præfulgidam; Beatissimam Godebertam, transferri sategit hoc Incarnationis Dominicæ anno millesimo quingentesimo quarto, tertio Idus Aprilis, regnante in Francia Ludovico XII, de theca lignea, vase quasi testeo, in præfulgentissimum mauseolum, tota purissimi argenti massa deauratum, miræ pulchritudinis opificio, iconarumque cælestium divina potius arte decoratum; ut ab architectis & artificibus summis in dubium vertatur, an opus materiam, an ipsa massa opificium excellat & superet.

quare Clerus Noviomensis

corpus S. Godebertæ locavit magnificentius.

25 Ad tam præclarum & magnificum Translationis decus & spectaculum, cum Venerabilibus Diocæsanis Abbatibus, astiterunt non modicæ reputationis Clerus, nobilitatis utriusque sexus copia numerosa, inferiorisque plebis affluentia densissima: & à voltis *a* sursum, & à pavimento undecumque deorsum avidissime circumspicientes, Quod per Reverendum in Christo Patrem Carolum *b* præfatæ Noviomensis Ecclesiæ Episcopum, tractabatur mysterium; ut quæ tam sancta & Deo grata fuerat, velut altera Iudith viduitatis indumento exuta, ad sponsi Beatissimi Eligij latus & dexteram assumenda, in vestimento jucunditatis & lætitiæ astaret; aut tamquam Regina in die desponsationis suæ à dextris Regis sponsi, in vestitu deaurato circumdata varietate, feliciter, gloriose & perenniter resideret; tantamque lucernam super candelabrum in domo Domini fulgentem videant & agnoscant, ad dirigendos pedes suos in viam pacis, universi, qui ejusdem Deo prædilectæ Virginis meritis & interventione confidunt, præstante Domino nostro Jesu Christo, in quo est salus & vita & resurrectio nostra, qui vivit & regnat in secula seculorum. Amen.

a juxta S. Eligium.

b

F

ANNOTATA.

a *Vulgari Francico* voulte: *videtur autem* volta *à* volvendo, *quasi* voluta, *dici arcuosus fornix.*

b *Anno* 1501 *electus* Episcopus Carolus *& sequenti consecratus, suo ex fratre nepoti Ioanni de Hangest Episcopatum resignavit anno* 1525, *sola administratione sibi reservata, quam tenuit usque ad an.* 1528, Boni Episcopi *cognomen apud suos promeritus. Ita Sammarthani.*

DE S. GUTHLACO PRESBYTERO,

Anachoreta Croylandia in Anglia.

G. H.

ANNO DCCXIV.

S. Guthlacus natus an. 673.

Nter illustriores Ecclesiæ Occidentalis anachoretas eminuit S. Guthlacus, è regia Merciorum apud Anglo-Saxones stirpe oriundus: quem, circiter annum Christi DCLXXIII prognatum, excepit dicti regni Occidentalis plaga, & in strenuum virum educavit; viditque octo seu novem annis cum vicinis Britonibus seu Cambris, in hodierna Wallia degentibus, arma tractantem, & de hoste suo frequentes victorias reportantem. Annos natus viginti & quatuor, circa annum DCXCVII, Christi miles futurus vixit in antiquo Reponiensi monasterio, vulgo Reppington dicto, atque in Cestrensi Comitatu, apud antiquos Coritanos sito; & plurimorum Regum Sepultura nobilitato. Biennio ibidem transacto, anachoresin amans, secessit in insulam Croylandiam, in Orientali Merciorum ditione sitam, & Comitatui Lincolniensi hoc tempore adscriptam: ubi post annos quindecim peractos, virtutibus & miraculis clarus, obiit, die XI Aprilis, feria quarta hebdomadis Paschalis, anno DCCXIV. quomodo autem infra in Vita habeatur annus sequens DCCXV, ibidem commodius explicabitur. Præerat tunc regno Merciorum Coëlredus Rex, S. Ethelredi filius: cui post biennium successit Ethelbaldus, uti huic à morte apparens S. Guthlacus verissimo vaticinio prædixerat.

ingressus monasterium an. 697.

Croylandiæ anachoreta an. 699

mortuus an. 714.

B

2 Vita S. Guthlaci, paucis post obitum ejus annis elapsis, ab auctore coævo conscripta est: qui in Prologo asserit, se nihil sine certissima rerum gestarum inquisitione de tanto viro scripsisse, & eadem orthodemia, prout à dictantibus idoneis testibus, quos indicat, audiverat, depinxisse. Nomen auctoris sui Felix, & se Catholicæ Congregationis vernaculum appellat. Nicolaus Harpsfeldius in Historia Anglicana Ecclesiastica seculo 8 cap. 19 de S. Guthlaco agit, & Felicem, Vitæ illius auctorem, scribit fuisse monachum Croylandiensem: quod idem faciunt Michaël Alfordus in Annalibus Ecclesiæ Anglo-Saxonicæ, ad annum 714 num. 5. & passim recentiores, secuti mendacissimum apostatam Balæum, qui asserit Felicem Crolandiensem claruisse anno DCCXXX, & præterea scripsisse librum de Gestis Abbatum Crolandiæ, cùm monasterio recens extructo primus tantum præesset Kenulphus. Ad hæc dicit idem Balæus Felicem scripsisse de Translatione, ejusdem Guthlaci lib. 1 sub hoc initio: Erigite carissimi aures. Quam historiam Translationis infra damus, sed contigit ea anno primo Stephani Regis & Christi MCXXXVI. Nec sufficiunt Balæo ista, quin addat eumdem scripsisse de miraculis ejusdem Guthlaci librum unum hoc exordio, Quodam tempore jucundæ recordationis. Quæ etiam miracula infra damus, & contigerunt sub finem seculi undecimi & seculo duodecimo, imo annus XII Stephani Regis indicatur, id est, Christi MCXLVII. Denique asserit ab eodem Felice scriptam Epitomen Vitæ Guthlaci hoc initio: Vitam B. Guthlaci Confessoris, quam eamdem habemus manuscriptam, & prælo apparatam omittimus, in cujus præfatione auctor dicit, se jubente venerabili Goffrido, aliis Godefrido eam scripsisse, id est circa annum MCXXX aut etiam serius. Ioannes Pitsæus de Illustribus Angliæ Scriptoribus, ad annum 730, omnia eadem ex Balæo describit; nec videtur ullum Felicis tractatum habuisse aut inspexisse.

Vitam scripsit ex certa scientia coævus Felix,

non tamen monachus Croylandiensis,

cui posteriora scripta perperam tribuuntur:

C

3 Auctor indicatæ epitomes est Ordericus Vitalis Angligena, cœnobii Uticensis sive S. Ebrulfi in diœcesi Normanniæ Lexoviensi monachus, qui eamdem epitomen historiæ suæ Ecclesiasticæ, ad annum usque MCXL deductæ, inseruit; asseritque, se in Angliam profectum, quinque septimanis Croylandiæ commoratum esse; &, ex ... monachorum Croylandiensium, scribit. gesta sanctissimi anachoretæ Guthlaci edita esse à Felice quodam Orientalium Anglorum Episcopo, natione Burgundo. Verum Felix iste, Sanctis adscriptus, vita functus est anno DCLIV, id est annis circiter novemdecim, antequam S. Guthlacus nasceretur. Acta S. Felicis illustravimus ad diem VIII Martii. In hunc errorem abductus videtur Ordericus Vitalis cum monachis Croylandensibus; quia auctor inscripsit hanc Vitam Alfwaldo Regi Orientalium Anglorum, eumque sibi, præ ceteris Regalium Primatum gradibus, dilectissimum tradit; ejusque jussionibus & eximiæ dilectionis imperiis obtemperantem, textum præsentis chartulæ digessisse, Catholicæ congregationis vernaculum. Quæ profecto non scripsisset aliquis monachus Croylandiensis, cum jam tum Ethelbaldus Rex, ut infra num. 39 asserit Felix, Sepulchrum S. Guthlaci miris ornamentorum structuris, in venerantiam divinæ potentiæ, ædificasset: imo, ut infra ex Ingulpho constabit, ipsum monasterium Croylandiense regiis expensis statueret, aut etiam incepisset construere: cujus regiæ magnificentiæ necessario fecisset mentionem, si ibidem monachus fuisset. Quisquis ergo iste Felix fuerit, videtur in regno Orientalium Anglorum vixisse: qui, ut Ingulphus ait, de vita ac miraculis S. Guthlaci omnia clare, luculente & seriatim pandit.

non etiam S. Felix Episc. Orientalium Anglorum,

sed horum Regi est Vita ab aliquo ejus subdito dicata.

E

4 Vitam hanc hactenus ineditam prælo paravimus, acceptam ex vetustissimo codice MS. monasterii Bertiniani apud Audomaropolim; ubi monachus vixit circa annum MC Goscelinus seu Gotselinus & quam plurimas Vitas Sanctorum collegit, varias illustravit, aut etiam stylo cultiore emendavit. Hanc S. Guthlaci Vitam primævo stylo relictam fuisse scimus, tum ex stylo & alia MS. Vita, nobis à Benedictinis Anglis Duaco submissa, cum qua partem contulimus; tum ex variis compendiis inde confectis. Horum aliquod habemus ex iisdem MSS. Duacensibus, &, ut diximus prælo paraveramus: prætermisimus tamen; tum quia postea reperimus id ab Orderico Vitale confectum, & ejus historiæ Ecclesiasticæ insertum, tum quia etiam inter Scriptores antiquos Historiæ Normanniæ ab Andrea du Chesne est vulgatum. Aliud compendium ediderunt Ioannes Capgravius in Legenda Angliæ, & Laurentius Surius ad hunc XI Aprilis: Incidebat forsan confectam fuisse à Gulielmo Ramesejo; circa annum MCLXXX monacho Croylandiensi, quod is tradatur varias Vitas Sanctorum conscripsisse: sed Balæus & Pitseus asserunt eum carmine heroico Vitam S. Guthlaci composuisse, quam non vidimus. Aliud compendium Vitæ dicitur scripsisse Petrus de Blesis Archidiaconus Bathoniensis, & claruisse anno MCLX. Hujus exordium à Molano citatur his verbis, Quia gesta illustrium virorum. Meminerunt S. Guthlaci passim alii Scriptores Angliæ, Malmesburiensis, Wigorniensis, Dunelmensis, Westmonasteriensis, qui etiam illustre compendium hujus Vitæ habet; unde in suo Chronico plurima descripsit Ioannes Brompton.

editur ex MS.

Compendia Orderici Vitalis,

Capgravii & Surii,

an Gulielmi Ramesei?

F

Westmonasteriensis

Bromptoni.

5. Omittimus recentiores enumerare, qui sua è Surio & Capgravio potissimum contraxerunt: ad eos transimus, qui ea attigerunt quæ post tempora Felicis prædicti scriptoris contigerunt: inter quos præcipuus est Ingulphus Abbas Croylandiæ, in sua Historia seu Descriptione compilata à temporibus monasterii Croylandiensis constructi, ex qua, ejus verbis servatis, Analecta excerpsimus, quæ potissimum notitiam cultus, Reliquiarum & miraculorum S. Guthlaci conferunt. His subdimus historiam translationis anno MCXXXVI factæ, & conjungimus miracula potissimum seculo XII meritis S. Guthlaci patrata: quæ damus ex MSS. à Benedictinis Anglis Duaco missa & communicata: verum quo ea sint auctore conscripta, nescitur, ex quibus omnibus antiquus cultus S. Guthlaco exhibitus constat. Fuimus anno MDCLXI, in cœnobio Gemeticensi, ac reperimus ibidem MS. Missale Angli-

Eduntur analecta ex Ingulpho.

Historia Translationis & miraculorum.

Cultus sacer ex antiquo Missali.

AUCTORE G. H.

& Martyrologijs.

Anglicanum à Roberto Archiepiscopo Cantuariensi donatum circa annum ML, *in quo tabula præfigitur Paschale tempus indicans ab ipso millesimo anno. In hoc Missali cultus & veneratio S. Guthlaci præscribitur ad hunc* XI *Aprilis: ejusque patrocinium in Litaniis adjunctis imploratur. In antiquo Martyrologio* MS. *Vltrajectino ecclesiæ collegiatæ S. Mariæ recoluntur plurimi Sancti Anglicani, & ad hunc* XI *Aprilis ista traduntur:* In Britannia depositio S. Guthlaci Confessoris Christi & Anachoretæ, qui pro Christo multa & inaudita tormenta à malignis spiritibus perpessus, ad ultimum eorum machinamenta superans, in optima conversatione migravit ad Dominum. *Memoratur in antiquissimo Kalendario præfixo Computui Ecclesiastico* MS. *Beda, & variis Martyrologiis, tam manuscriptis quam prælo excusis. Item apud Grevenum & Molanum in additionibus ad Vsuardum. In Martyrologio etiam Anglicano, & monasticis Wionis, Menardi, Dorgani, Edoardi Maihew & Bucelini. Colganus agit de S. Guthlaco die* V *Februarii ad Vitam S. Indracti, quasi ad hujus sepulchrum accepisset scientiam infusam. Verum id tunc rejecimus, & ostendimus S. Guthlacum octoginta aut pluribus annis ante S. Indractum vita functum esse.*

B

VITA

Auctore Felice coævo.

Ex pervetusto MS. Bertiniano collato cum editione Acheriana.

PROLOGUS AD REGEM a ETHELBALDUM.

a

1 IN Domino dominorum domino meo, mihi præ ceteris regalium primatuum gradibus dilectissimo, Athelwaldo Regi, orientalium Anglorum rite regmina regenti, Felix Catholicæ congregationis *b* vernaculus, perpetuæ prosperitatis in Christo salutem. Jussionibus tuis obtemperans, libellum quem de vita Patris beatæ memoriæ Guthlaci componi præcepisti, simplici verborum vimine textum, absque procacitatis imprudentia institui. Ea tamen fiducia coram obtuli, obsecrans ut si nullatenus (ut fore arbitror) illic vitiosus sermo aures eruditi Lectoris perculserit, litteram in fronte paginæ veniam poscentem intendat. Reminiscatur quoque efflagito, quia regnum Dei non in verborum facundia, sed in fidei constantia persistit; salutemque seculo non ab Oratoribus, sed à Piscatoribus prædicatam fuisse sciat; Sancti quoque Hieronymi dicta meminerit, qui rem ridiculam esse arbitratus est, ut sub regulis Donati Grammatici, verba cælestis oraculi restringeret. Sed si forsitan alius animositatis nostræ fastibus imputat hoc opus arripere, dum alii [sunt] plurimi Anglorum librarii, quorum ingeniositatis fluenta inter flores Rhetoricæ per virecta litteraturæ, pure, liquide, lucideque rivantur, qui melius luculentiusve componere valuerunt; sciat nos hoc opusculum non tam *c* volentiæ quam obedientiæ gratia incepisse. Propterea laboris mei votis, ô Lector, quisquis es, faveas. Si etiam, ut adsolet, more obtrectatoris succensueris, cave ut ubi lucem putaveris, ne à tenebris obcæceris, id est, ne cum recta reprehenderis, ignorantiæ tenebris fusceris. Mos enim cæcorum est, ut cum in luce perambulant, tunc in tenebris errare se putent: lucem enim nesciunt, sed in tenebris semper oberrant. Cæcitas ex parte, in Scripturis ignorantia est, ut ait Apostolus: Cæcitas ex parte contigit in Israël, donec plenitudo gentium subintraret. Origo quidem totius mali ab ignorantia venit. Quapropter admoneo te, Lector, ut aliena non reprehendas, ne ab aliis quasi alienus reprehendaris. Sed ne sensus legentium prolixæ sententiæ molesta defensio obnubilet, pestiferis obtrectantium incantationibus aures obturantes, velut transvadato vasti gurgitis æquore, ad vitam S. Guthlaci stylum flectendo, quasi ad portum vitæ pergemus.

b

Auctor tenuitatem styli excusat,

C

c

& obtrectatores reprehendit:

Rom. 11. 25

D

2 Quoniam igitur exegisti à me, ut de vita S. Guthlaci vel conversatione tibi scriberem; quemadmodum cœperit, quidve ante propositum fuerit, vel qualem vitæ terminum habuerit, prout à dictantibus idoneis testibus, quos scitis, audivi, addendi minuendique modum vitans, eadem *d* orthodemia depinxi. Ad hujus utilitatis commodum hunc codicellum fieri ratus sum, ut illis qui sciunt, memoriam tanti viri revocandi nota fiat; his vero qui ignorant, velut late pansæ viæ indicium innotescat. Non enim sine certissima inquisitione rerum gestarum aliquid de tanto viro scribere, nec tandem ea quæ scripsi, sine subtilissima indubiorum testium cautione, libratim scribenda quibusdam dare, præsumpsi; quin potius diligentissime inquirens, quantacumque scripsi, investigavi à reverendissimo quodam Abbate *e* Wilfrido, & à Presbytero puræ conscientiæ, ut arbitror, *f* Cissan, vel etiam ab aliis, qui diutius cum viro Dei conversati, vitam illius ex parte noverant. Ergo quantacumque de vitæ ipsius orthonomia stylo perstrinxero, minima de magnis, pauca de plurimis audisse æstimate. Non enim ambigo illos dictatores non omnia facta illius potuisse cognoscere, nec ab illis tota dictata me descripsisse glorifico.

refert accepta, à testibus idoneis,

d

E

e

Wilfrido Abb. Cissa Presbytero, & aliis,

f

3 Sed ut tanti viri tantique nominis relatio compleatur, prout ubique miracula ipsius fulserunt percunctamini, ut referentibus singulis quæ novere percunctantibus, *g* sequentis libelli materia adgregetur. Igitur eximiæ dilectionis tuæ imperiis obtemperans, textum præsentis chartulæ prout potui digessi; majoribus, scientiæ auctoribus, majorem partem linquens, principium in principio, finem in fine compono. *h*

Librum de miraculis promittit.

g

h

ANNOTATA.

a Ethelbaldus, *aliis* Athelwaldus & Alfwaldus Rex Anglorum Orientalium, *qui traditur imperasse ab anno 720 ad 749. Extat epistola ejus ad S. Bonifacium num. 76 apud Serrarium. In regno ejus erat Cantabrigia cum insula Ely, adeoque in limite regni ejus & Merciorum Croylandia.*

F

b *In codice MS. Vedastino apud Mabillonum interponitur,* Sancti Bedan, *ex quo colligit dictus Mabillonus, Felicem auctorem Vitæ fuisse monachum Girvensem. Verum quia dicta verba desunt in pervetusto codice & aliis monumentis, videntur ea intrusa à posteris, cum jam Beda inter Sanctos relatus colebatur: quo vivente aut mox ab ejus obitu, est hæc Vita conscripta.*

c *Auctori familiares sunt voces* Volentia, Venerantia *& similes pro* voluntate, veneratione *&c.*

d Orthodemia, *recta constructio, ab* ὀρθὸς *rectus* δέμω *construo, ædifico ita mox vita* orthonomia *recta regula dicitur, & iterum num. 16.*

e Wilfridus Abbas *alicujus vicini monasterij, forsan Medeshamstedensis seu Petroburgensis, aut Bardneiensis, quorum monasteriorum postmodum Abbates subscripserunt fundationi monasterij Croylandensis. Infra num. 25 & 26 sæpius* Wilfridus *memoratur, absque titulo* Abbatis.

f *Lelandus in Monastico Anglicano pag. 163,* Sanctus Cissa, *inquit,* ex Pagano factus Christianus successit S. Guthlaco. *Ingulfus ait ad dexteram tumbæ S. Guthlaci fuisse tumulum S. Cissæ Sacerdotis, & inter* sarcophaga Sanctorum *recenset. De Wilfrido & Cissa infra agitur.*

g An

g An hic libellus à Felice etiam editus fuerit non liquet: Ordericus tantum librum de Vita ejus citat.

A

h Sequebantur varij tituli interpositi, quibus omissis res ipsa in additionibus marginalibus explicantur, & alia Capita more nostro confecta notantur.

CAPUT I.

Genus illustre, nativitas prodigiosa, baptismus, educatio. Vita militaris, dein monastica.

a b 4 Fuit itaque, in diebus *a* Ethelredi Regis Anglorum, quidam vir de egregia *b* Merciorum stirpe, cognomine Penwall, cujus mansio in *c* Mediterraneorum Anglorum partibus diversarum rerum fluxu prædita constabat. Hujus etiam viri progenies, per nobilissima illustrium Regum nomina, antiqua ab origine *d* Icles digesto ordine cucurrit. Itaque cum juvenilis ævi viridante vigore floreret, adoptata sibi coætanea virgine inter nobilium puellarum agmina, condecretis nuptiarum legibus, uxorem duxit vocabulo Tetthe, quæ à primævis rudimenti sui diebus in puellari verecundia vivere studebat.

Guthlacus Anglus, regia stirpis, c d

designatur cælesti prodigio:

5 Evolutis ergo aliquot temporum curriculis, quibus se conjugalis juris conditionibus indidissent; contigit, humana natura cogente, ut concipiens prægnasset. Peractis vero mensium *e* hebdomarumque cursibus, cum parturiendi tempus immineret, & viscera, nixandi inscia, ignota violentia vexarentur; extemplo divinum prodigium, cælestis oraculi portentum, circumadstantibus & undique concurrentibus turbis videbatur. Nam pius Omnitenens, futurorum præscius, cui omnia præsentia præsistunt, sigillum manifestandi militis sui, in æternæ memorationis indicium, præmisit.

e B

natus cælitus illustratur,

f 6 Igitur cum nascendi *f* tempus advenisset, mirabile dictu! ecce humana manus, croceo rubri nitoris splendore fulgescens, ab æthereis olympi nubibus ad patibulum cujusdam Crucis, ante ostium domus in qua sancta puerpera futuræ indolis infantulum puerum enixa est, porrecta videbatur. Cumque insolito stupore omnes ad prospiciendum miraculum concurrere certabant, en subito, signato prædictæ domus ostio, æthereas in auras manus reducta abscessit. Hoc novo stupefacti prodigio omnes qui interant, in loco sanctæ apparitionis prostrati, supplices pronis vultibus Dominum gloriæ magnificabant.

cunctis stupentibus.

C

7 Transactis vero orationum deprecationibus, concurrentes ad invicem versare cœperunt, quidnam esset hoc novum, quod scrupulum plurimis excitavit. Illis ergo cum immenso stupore variis sermocinationibus multa inter sese conferentibus, ecce ex aula propiante, qua supradictus infans nascebatur, mulier immensa velocitate currens, clamabat: Stabilitate, quia futuræ gloriæ huic mundo natus est homo. Alii vero hæc audientes, ex divino præsagio, ad manifestandam nascentis gloriam, illud fuisse perhibebant. Alii autem, sagacioris sententiæ conjectutis, promere cœperunt, hunc ex divina dispensatione in perpetuæ beatitudinis præmia prædestinatum fore. Erat ergo magna admirantium turba, in tantum ut illius miraculi vagabundus rumor, priusquam mellisflua solis astra occiduis finibus mergerentur, Mediterraneorum Anglorum totos pene terminos impleret.

baptizatus patrium nomen obtinet.

8 Igitur decursis bis quaternis dierum voluminibus, cum ad salutaris lavacri sacratas undulas propinquasset, ex appellatione illius Tribus, quam dicunt Guthlacingas, proprietatis vocabulum velut ex cælesti consilio Guthlacus percepit, quod ex qualitatis compositione consequentibus meritis conveniebat. Nam ut illius gentis gnari perhibent, Anglorum lingua hoc nomen ex duobus integris constare videtur, hoc est Guth & Lac, quod Romani sermonis nitore personat *g* Belli-munus: quia ille cum vitiis bellando æternæ beatitudinis præmia, cum triumphali infula perennis vitæ, percepisset, secundum Apostolum dicentem: Beatus vir qui suffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se.

AUCTORE FELICE EX MSS.

g

Iac 1, 12.

In pueritia

9 Postquam igitur sacri fontis lymphis spiritualibus, divino gubernante numine, abluit parentum delicta, infans miræ *h* indolentiæ nobilibus antiquorum disciplinis, aulæis in paternis, imbuebatur. Igitur transcensis infantiæ suæ temporibus, cum fari pueriliter tentabat, nullius molestiæ parentibus nutricibusve seu coætaneis parvulorum cœtibus fuit. Non puerorum lascivias, non garrula matronarum deliramenta, non vanas vulgi fabulas, non ruricolarum *i* bardigliosos vagitus, non falsidica parasitorum frivola, non variarum volucrum diversos crocitus, ut adsolet illa ætas, imitabatur: sed eximia sagacitate pollens, hilari facie, sincera mente, mansueto animo, simplici vultu, in pietate parentibus, in obedientia senioribus, in dilectione collactaneis; neminem seducens, neminem increpans, neminem scandalizans, nulli malum pro malo reddens, æquanimis utebatur. Erat enim in ipso nitor spiritualis luminis radiascens, ut per omnia omnibus, quis venturus esset, monstraretur.

h

vitia fugit

i

virtutem discit:

E

adolescens armis adsuescit:

10 Igitur cum adolescentiæ vires increvissent, & juvenili in pectore egregius dominandi amor fervesceret; tunc valida priscorum heroum facta reminiscens, veluti ex sopore evigilans, mutata mente, aggregatis satellitum turmis, sese in arma convertit: & cum adversantium sibi urbes & villas, vicos & castella igne ferroque vastaret, corrasisque undique diversarum gentium sociis immensas prædas congregaret; tunc velut ex divino consilio edoctus, tertiam partem aggregatæ gazæ possidentibus remittebat. Igitur transcursis *k* octo circiter annorum orbibus, quibus persecutorum suorum adversantiumque hostium famosum excidium, crebris vastationum fragoribus, peregissent; tandem defessis viribus, post tot prædas, cædes, rapinasque, quos arma triverunt, lassi quieverunt.

k

inde melioris instinctu correptus

11 Itaque cum prædictus vir beatæ memoriæ Guthlacus, inter dubios volventis temporis eventus & atras caliginosæ vitæ nebulas, fluctuantisque seculi gurgites jactaretur; quadam nocte, dum fessa membra solitæ quieti dimitteret, & assueto more vagabunda mente solicitus, mortalia intenta meditatione cogitaret; mirum dictu! extemplo velut percussus pectore, spiritualis flamma omnia præcordia supra memorati viri incendere cœpit. Nam cum antiquorum Regum stirpis suæ per transacta secula miserabiles exitus & flagitiosum vitæ terminum contemplaretur, necnon & caducas mundi divitias, contemptibilemque temporalis vitæ gloriam pervigili mente consideraret; tunc sibi proprii obitus sui imaginatam formam ostendit; & finem inevitabilem brevis vitæ curiosa mente horrescens, cursum quotidie ad finem cogitabat, immo etiam audisse se recordabatur, Ne in hieme vel sabbato fuga vestra fiat. Hæc & alia his similia eo cogitante, ecce subito, instigante divino numine, seipsum famulum Christi venturum fore, si in crastino vitam servasset, devovit. Ergo exutis umbrosæ noctis caliginibus, cum sol mortalibus ægris igneum emoveret ortum, in quo matutinæ volucres avido *l* forcipe pipant; tunc indutos artus agresti de spatulo *m* surgens arrexit,

F

Mat. 24, 20

socios deserit

l m

AUCTORE FELICE EX MSS.

xit, & signato cordis gremio salutari sigillo, se comitantibus præcepit, ut alium ducem itineris sui eligerent, nam se divinæ servituti destinasse perhibebat. Hoc audito comites ipsius, immenso perculsi stupore, supplicibus obsecrationibus, ne hoc quod dicebat incepisset, exorabant: qui contemptis eorum precibus in eo quod inceperat immotus perstabat. Ita enim in illo divinæ gratiæ inflammatio flagrabat, ut non solum regalis indolentiæ reverentiam despiceret, sed parentes & patriam comitesque adolescentiæ suæ contempsit. Nam cum ætatis suæ *n* vicesimum quartum annum peregisset, abrenuntiatis secularibus pompis, spem indubitatæ fidei fixam in Christo tenebat,

cum patria & parentibus

anno ætatis 24.

12 Exin accepto itinere, relictis omnibus suis, monasterium, quod Anglorum vocabulo nuncupatur *o* Ripadum, usque pervenit: in quo mysticam sancti Petri Apostolorum Principis tonsuram accepit sub Abbatissa nomine *p* Oelfryd; ac deinde accepto *q* Clericali habitu, præterita piacula expiare certabat. Ab illo enim tempore quo Apostolicæ tonsuræ indicium suscepit, non ullius inebriantis liquoris aut alicujus delicati libaminis haustum, excepto Communicationis tempore, gustavit. Hac igitur ex causa omnibus *r* Fratribus illic cohabitantibus aspero odio habebatur: probantes vero vitæ illius sinceritatem & serenæ mentis modestiam, cunctorum animos in affectum suæ caritatis convertit. Erat enim forma præcipuus, corpore castus, facie decorus, mente devotus, aspectu dilectus, sapientia imbutus, vultu floridus, prudentia præditus, colloquio blandus, temperantia modestus, interna fortitudine robustus, censura justitiæ stabilis, longanimitate patiens, patientia firmus, humilitate subjectus, caritate solicitus: ita enim omnium virtutum decorem sapientia in eo adornabat, ut secundum Apostolum sermo illius semper sale divinæ gratiæ conditus fulgeret.

in Ripadunense monasterium admittitur.

austerus sibi, aliis amabilis,

B

Col. 4, 6

13 Dum enim litteris edoctus Psalmorum canticum discere maluisset, tunc frugifera supra memorati viri præcordia roscidis roris cælestis imbribus divina gratia ubertim rigabat. Summis autem providentibus magistris & auxiliante gratia supernæ pietatis, sacris litteris & monasticis disciplinis erudiebatur. Igitur psalmis, canticis, hymnis, orationibus moribusque Ecclesiasticis per biennium imbutus, proprias singulorum secum cohabitantium virtutes imitari studebat. Illius enim obedientiam, istius humilitatem; illius patientiam, alterius longanimitatem; illorum abstinentiam, utriusque sinceritatem, omnium temperantiam, cunctorum suavitatem; & ut brevius dicam, omnium in omnibus imitabatur virtutes.

litteris vacat & virtutibus.

C

ANNOTATA.

a Ethelredus Rex Merciorum *fratri suo Vulfhero successit anno 675, dein abdicato regno anno 704, in Bardneiensi monasterio factus est monachus.*

b *Amplum Merciorum regnum descripsimus 2 Martij in Vita S. Ceadda, Episcopi Merciorum & Lindisfarorum.*

c Mediterranei Angli, *alijs* Middelangli *vixerunt in Comitatibus Merciorum magis vicinis Cambria sive Wallia, & sunt Staffordiensis, Darbiensis, Cestrensis, cum parte Warricensis & Salopiensis.*

d Icles, *Orderico* Iclesheri, *aliquibus* Icelius, *statuitur proavus* Criddæ *primi* Merciorum Regis, *&* Cridda *proavus* Pendæ Regis, *quo patre nati sunt* Vulfherus *&* Ethelredus *jam memorati.*

e *In aliquibus* MSS. epipendarumque, *& omissa copula* epipendarum, *quasi interpendentium temporum cursibus.*

f *Natus est anno 673*

g Belli-donum sive bonum donum secundum idioma Anglorum *inquit Capgravius: quam etymologiam Anglo-saxonicæ veteris peritioribus relinquentes, solum indicamus, ex hodierna Anglica prorsus diversam explicationem formandam.*

D

h Indoles *ab* inoleo *dicitur sumi: pro ea voce maluit auctor* indolentiam *dicere.*

i Bardigiosi *vagitus, à* bardis *&* rudibus *prolati.*

k *In* MS. *Bertiniano*, novem.

l Forcipe, *id est* rostro, *quod rursum num. 23, 26 & ut hic masculine* avino forcipe *num. 26. Nescio an quis alius in hac significatione* forcipem *scripserit, &* avinum *derivarit ab* avis. *In Bertiniano pro* avino *hic legitur* avido: *infra tamen etiam* avino.

m Spatulum *an pro* stratulo *hic irrepsit ut referatur ad τὸ* surgens? *an vero refertur ad* indutos, *& ponitur pro* spathula *seu gladio breviori quo se Guthlacus accinxerit?*

n *Hi anni ætatis perperam ad initium militiæ sumptæ referuntur apud Capgravium & Surium.*

o Ripadum, *Orderico* Ripaduum, *alijs* Rependonum, Rependonia, *vulgo* Reppington, *in Australi parte agri Darbiensis apud Mediterraneos Anglos: de quo Lelandus, agens de sepultura Merwala Regis Merciorum, ista scribit:* Reopeduna monasterium, olim satis nobile conversatione virorum insignium & sanctimonialium feminarum, *ubi penes harum Abbatissam fuit totius cœnobi regimen, uti apud Belgas, Nivellis, Montibus, Malbodij & alibi hoc tempore nobilium Canonissarum monasteria habentur. Cum dictum monasterium per Danos esset eversum, ibi postmodum Prioratus Canonicorum Regularium fuit erectus. Fuerunt ibidem sepulti Ethelbaldus infra sæpius memorandus, Wilasius, & alij Reges Merciorum. Hinc patet male ab Edouardo Machero & alijs amandari S. Guthlacum ad Ripponense monasterium, in agro Eboracensi extra regnum Merciorum, à S. Wilfrido, ut in hujus Vita 24 Aprilis dicetur, constructum.*

E

p Oelfrid, *Orderico* Elfrid, *alijs* Elfrida *&* Elfreda, *cujus nominis etiam filia Offæ Regis fuit, quæ Croylandiæ inclusa sanctissime vixit, sed hæc Elfrida multo junior.*

q *Ita Clerici aut etiam Canonici degunt in Belgio, qui in ecclesia dictarum Canonissarum sacrificium Missæ & Officium Ecclesiasticum peragunt. Mabillon mavult* monachos *&* monasticum habitum *intelligi.*

r *Suspicamur non absolute* omnibus, *sed* omnibus segnioribus Fratribus *esse legendum. Nihil tamen ex conjectura mutare volumus.*

F

CAPUT. II.

Vita eremitica S. Guthlaci in insula Croylandiæ, Insidiæ dæmonum generose superatæ.

14 Decursis itaque bis denis bis binisque mensium circulis, quibus sub Clericali habitu vitam immensæ moderantiæ peregit, eremum cum curioso eximiæ solicitudinis animo petere meditabatur. Dum enim priscorum monachorum solitariam vitam legebat, tamen illuminato cordis gremio avida mente eremum quærere fervebat. Nec plura, intervenientibus aliquorum dierum cursibus, cum seniorum licita volentia, in cœpto prosperitatis æternæ itinere solitudinem invenire perrexit. Est in Mediterraneorum Anglorum Britanniæ partibus immensæ magnitudinis acerrima palus, quæ à *a* Grontæ fluminis ripis incipiens, haud procul à castello quod dicunt nomine Gronte, nunc stagnis, nunc *b* flactris, interdum nigris fusis vaporibus & laticibus, necnon crebris insularum nemoribus intervenientibus, & flexuosis *c* rivigarum anfractibus ab

In eremo victurus,

ab austro in aquilonem maritenus longissimo tractu protenditur. Igitur cum supradictus vir beatæ memoriæ Guthlacus illius vastissimæ eremi inculta loca comperisset, cælestibus adjutus auxiliis, rectissimo callis tramite perrexit. Contigit ergo cum à proximantibus accolis, illius solitudinis experientiam sciscitaretur, illisque plurima spatiosæ eremi inculta narrantibus; ecce quidam de illic adstantibus, nomine d Tatwinus, se scisse aliquam insulam in abditis remotioris eremi partibus asserebat, quam multi inhabitare tentantes, propter incognita eremi monstra & diversarum formarum terrores amiserant. Quo audito vir beatæ recordationis Guthlacus, illum locum sibi monstrari à narrante efflagitat. Ipse autem imperiis viri Dei annuens, arrepta piscatoria scaphula, per invia lustra, inter tetræ paludis margines, Christo viatore ad prædictam insulam, quæ lingua Anglorum * Cruland vocatur, pervenit, quæ ante propter remotioris eremi solitudinem inculta & ignota manebat. Nullus hanc ante famulum Christi Guthlacum solus habitare colonus valebat, propter videlicet illic demorantium dæmonum phantasias: in qua vir Dei Guthlacus contempto hoste, cælesti auxilio adjutus, inter umbrosa solitudinis nemora solus habitare cœpit. e Igitur adamato illius loci abdito situ, velut à Deo sibi donato, omnes dies vitæ suæ illic degere directa mente devoverat.

A — d — in insulam Croylandiam venit. — * al. Crugland. — B — e

15 Aliquot itaque diebus illic permanens, quæque illius loci diligenti investigatione considerans, versari cœpit, ut ad sodalium suorum colloquia perveniret, quos sibi eximiæ fraternitatis caritas in gremio Catholicæ congregationis jungebat: nam eos ante insalutatos dimiserat: iterum resalutatis se commendare disposuit. Interea mortalibus ægris lux crastina demoverat ortum, cum ille inde egressus remeare cœpit. Itaque intervenientibus f ter trigenarum dierum circulis, ut sodales suos fraternis commendaret salutationibus, ad supradictum locum quasi ad paternæ hereditatis habitaculum, binis illum comitantibus pueris, unde venit regressus est. Deinde peracto itinere, die nono Kalendarum Septembrium, quo S. Bartholomæi solennitas celebrari assolet, in cujus suffragio omnia incepta eremi habitandi ex divina providentia inchoaverat, Cruland pervenit. Erat ergo annorum circiter viginti sex, cum se inter nubilosos remotioris eremi lucos, cum cælesti adjutorio, veri Dei militem esse proposuit. Deinde præcinctus spiritalibus armis adversus teterrimi hostis insidias, scutum fidei, loricam spei, galeam castitatis, arcum patientiæ, sagittas psalmodiæ, sese in acie firmans, arripuit: tantæ enim fiduciæ erat, ut inter torridas tartari turmas sese contempto hoste interjiceret. O quam admiranda est divinæ miserationis indulgentia, & quantum glorificanda paternæ dilectionis providentia, & quantum laudanda sit Deitatis prædestinatio, quam inscrutabilia sunt perpetui Judicis arbitria, ut Apostolus confirmat, quam inscrutabilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ipsius! Nam sicut egregium Doctorem gentium Damascum pergentem, quem ante secula Evangelium Filii sui nuntiare prædestinavit, de tenebrosi Judæorum erroris caligine cælesti voce deduxit; sic & sanctæ memoriæ virum Guthlacum, de tumido æstuantis seculi gurgite, de obliquis mortalis seculi anfractibus, de atris vergentis mundi faucibus, ad perpetuam beatitudinis militiam, ad recti itineris callem, ad veri luminis prospectum perduxit: & non solum præsentis seculi famosa venerantia beavit, sed gaudium perennis gloriæ æternæ beatitudini constituit, sicut Apostolica veritas deprompsit: Quos prædestinavit, hos & vocavit; quos autem vocavit, illos glorificavit.

Sodales revisit. — f — de hinc in eremum redit cum sociis quatuor, ipso S. Bartholomæi festo. — C — Rom. 11, 33 — AUCTORE FELICE EX MSS. — Rom. 8, 30.

16 Igitur ut de S. Guthlaci solitaria vita, sicut proposui, scribere exordiar; sicut à frequentatoribus ejus Wilfrido & Cissan audivi, eodem ordine quo comperi, easdem res narrare curabo. Erat itaque in præfata insula tumulus agrestibus glebis coacervatus, quem olim avari solitudinis frequentatores causa lucri acquirendi defodientes scindebant, in cujus latere velut cisterna inesse videbatur: in qua vir beatæ memoriæ Guthlacus desuper imposito tugurio habitare cœpit. Vitæ scilicet illius hæc immota orthonomia fuit, ita ut ab illo tempore quo eremum habitare cœpit, non laneo, non lineo vestimine, nec alterius cujuscumque delicatæ vestis tegminibus usus est; sed in pellicees vestibus omnes dies solitariæ conversationis suæ exigebat. Quotidianæ ergo vitæ ipsius tanta temperantia fuit, ut ab illo tempore quo eremum habitare cœperat, excepta hordeacei panis particula & lutulentæ aquæ poculamento, post solis occasum nullis alicujus alimenti usibus vesceretur. Nam cum sol occiduis finibus vergebatur, tunc parvam annonam mortalis vitæ cum gratiarum actione gustabat.

tugurium excitat: — pelliceis vestibus induitur — E

17 Sub eodem denique tempore, quo præfatus vir beatæ memoriæ Guthlacus eremitare initiavit, cum quadam die assueta consuetudine psalmis canticisque incumberet, tunc antiquus hostis prolis humanæ, ceu leo rugiens, per vasti ætheris spatia, tetra numina comitans, novas artes novo pectore versat. Dum enim omnis nequitiæ suæ vires versuta mente tentaret, tunc veluti ab extenso arcu venenifluam desperationis sagittam totis viribus jaculavit, quousque in Christi militis mente umbone defixa pependit. Interea cum telum toxicum atri veneni succum infunderet, tunc miles Christi totis sensibus turbatus, de eo quod inceperat desperare cœpit; & huc illucque turbulentum animum convertens, quo solo sederet nesciebat. Nam cum sua ante commissa crimina immensi ponderis fuisse meditabatur, tunc sibi de se ablui ea non posse videbatur: intantum etiam desperare cœpit, ut infinitum opus & importabile onus se incepisse putaret. Dein Christi famulus, trium dierum vicissitudinibus, quo se verteret nesciebat: die autem tertio, sequenti nocte, cum validissimus Christi miles robusta mente pestiferis meditationibus insisteret, velut Prophetico spiritu psallere cœpit, In tribulatione mea invocavi Dominum. Et ecce B. Bartholomæus, fidus auxiliator, in matutinis vigiliis sese coram obtutibus illico obtulit: nec sopor illudebat, sed palam splendentis Cælicolæ agnovit vultum. Igitur vir præfatus, veluti miles inter densas acies dimicans, cum cæleste adjutorium Angelicæ lucis adventasse persensisset; extemplo excussis nefandarum cogitationum nebulis, illuminato turbulenti pectoris gremio, velut triumphali voce psallebat aiens: Dominus mihi adjutor est, & ego ridebo inimicos meos. Exin S. Bartholomæus coram eo persistens, illum præceptis spiritalibus confortare cœpit, pollicens ei in omnibus tribulationibus adjutorem sui venturum esse. Sanctus autem Guthlacus, his auditis & creditis fidelissimi sui amici dictis, spiritali gaudio repletus, indissolutam eximiæ valitudinis fidem in Domino Jesu defixit. Nam ex primi certaminis triumphali successu spem futuræ victoriæ robusto pectore firmabat: ex illo enim tempore numquam g zabulus adversus illum desperationis arma arripuit; quia ab illo semel infracta, contra

diabolo tentante pene fractus animo, — F — Psal. 17, 7. — animatur à S. Bartholomæo. — Psal. 117, 7. — g

AUCTORE FELICE EX MSS.

contra illum ultra prævalere nequiverunt.

Dehinc illius technas ludit:

18 Quadam quoque die, dum de conversationis suæ quotidiano moderamine meditaretur, subito coram illo, velut ex aere lapsi, efferis vultibus duo zabuli humano habitu se obtulerunt; ac veluti cum familiari fiducia loqui cum illo exorsi sunt, dicentes: Nos experti sumus te, & fidei tuæ valitudinem comperimus, perseverantiamque patientiæ tuæ invincibilem probantes, variarum artium adversus te arma suscepimus: propterea insultare tibi ultra desistere conamur; & non solum propositi tui orthonomias dirumpere nolumus, sed te antiquorum eremitarum conversationes erudiemus. Moyses enim & Elias, & ipse humanæ prosapiæ Salvator, primo omnium ad jejunii fastigia conscenderunt: sed & famosi illi monachi habitantes Ægyptum, humanæ infirmitatis vitia abstinentiæ framea interimebant. Et idcirco, si tu vis ante commissa crimina abluere, imminentia necare; carnem tuam abstinentiæ flagellis afflige, & animi tui insolentiam jejunis faucibus frange. Quanto enim in hoc seculo frangeris, tanto in perpetuum solidaris; & quanto in præsenti affligeris, tanto in futuro gaudebis: nam cum jejunio prostratus jacueris, tunc excelsus coram Deo elevaris. Jejunium ergo non bidui aut tridui, aut quotidiana abstinentia gastrimargiæ sit; sed septenarum dierum valida castigatio, jejunium est. Sicut enim sex diebus Dominus mundi plasma formavit, & septimo die requievit; ita etiam hominem decet sex diebus per jejunii plasma spiritu reformari, & septimo die comedendo carni requiem dare. His auditis B. Guthlacus exurgens, psallebat: Convertantur inimici mei retrorsum. Quo audito, hostis *b* strophosus, velut fumus, à facie ejus vacuas in auras evanuit: ille vero zabuliticum magisterium despiciens, ne ullus locus consentiendi illis in eo videretur, tunc assumpta hordeacei panis particula victum suum quotidianum vesci cœpit. Maligni vero spiritus se esse contemptos intelligentes, lacrymoso clamore, flebili ululatu, diversis singultibus plangentes, late loca mœstis questibus impleverunt. Exin vir Dei immundorum spirituum phantasmata, percepto ubique certandi * brachio, contempsit.

suadentis jejunium Eliæ Moysis & Christi,

B

aut ut 7 die solum comedat,

Psal. 55. 10.

b

* *an bravio?*

A dæmonibus male excipitur,

C

19 Per idem fere tempus, paucis intervenientibus dierum cursibus, cum beatæ memoriæ Guthlacus, adsueto more vigil, [in non] intermissis orationibus cujusdam noctis intempesto tempore perstaret; en subito teterrimis immundorum spirituum catervis totam cellam suam impleri conspexit. Subeuntibus enim abundique illis porta patebat: nam per cryptas & cratulas intrantibus non juncturæ valvarum, non foramina cratium illis ingressum negabant; sed cælo terraque erumpentes, spatium totius aëris fuscis nubibus tegebant. Erant enim aspectu truces, forma terribiles, capitibus magnis, collis longis, macilenta facie, lurido vultu, squallida barba, auribus hispidis, fronte torva, trucibus oculis, ore fœtido, dentibus equinis, gutture flammivomo, faucibus tortis, labro lato, vocibus horrisonis, comis combustis, buccula crassa, pectore arduo, femoribus scabris, genibus nodosis, cruribus uncis, talo tumido, plantis aversis, ore patulo, clamoribus raucisonis: ita enim immensis vagitibus horrescere audiebantur, ut totam pene à cælo in terram intercapedinem clangisonis boatibus implerent. Nec mora ingruentes irrumpentesque domum ac casellam, dicto citius virum præfatum, membris ligatis, extra cellulam suam duxerunt, & adductum in atræ paludis cœnosis laticibus immerserunt: deinde asportantes eum per paludis asperrima loca, inter densissima veprium vimina dilaceratis membrorum compagibus trahebant. Inter hæc cum magnam partem umbrosæ noctis in illis afflictionibus exigebant, sistere illum paullisper fecerunt, imperantes sibi ut de eremo discederet. Ille stabilita mente, tandem respondens Prophetico velut ore psallebat: Dominus à dextris est mihi ne commovear. Et iterum assumentes, flagellis velut ferreis eum verberare cœperunt. Cum autem post innumerabilia tormentorum genera, post flagellorum ferreorum verbera, illum immota mente, robusta fide, in eo quod inceperat perstare viderent; horridis alarum stridoribus, inter nubifera gelidi aëris spatia, illum subvectare cœperunt. Dum ergo ad ardua aëris culmina deventum est, horrendum dictu! ecce septemtrionalis cæli plaga fuscis atrarum nubium caliginibus nigrescere videbatur: innumerabiles enim immundorum spirituum alas inobviam dehinc venire cerneres. Conjunctis itaque in unum turmis, cum immenso clamore leves in auras iter vertentes, supra memoratum Christi famulum Guthlacum ad nefandas *i* Tartari fauces usque perducunt. Ille vero fumigantes æstuantis inferni catervas prospectans, omnia tormenta quæ prius à malignis spiritibus perpessus est, tamquam non ipse pateretur, obliviscebatur: non solum enim fluctuantium ignivomos gurgites illic turgescere cerneres, imo etiam sulphureos glaciali grandine mistos vortices, globosis sparginibus sidera pene tangentes videbantur: maligni vero inter favillantium voraginum atras cavernas discurrentes, miserabili fatu animas iniquorum diversis cruciatuum generibus torquebant. Igitur vir Dei Guthlacus, cum innumerabiles tormentorum species horresceret, satellitum sibi, velut uno ex ore, turmæ clamabant, dicentes: Ecce nobis potestas data est te trudere in has pœnas, & illic in atrocissimarum gehennarum tormento variis cruciatibus nobis te torquere commissum est. En ignis, quem in delictis tuis accendisti, te consumere paratus est: en tibi patulis hiatibus igniflua erebi ostia patescunt: nunc stygiæ fibræ te vorare volunt, tibi quoque æstivi Acherontis voragines horrendis faucibus hiscunt. Sed illis hæc & alia plurima his similia dicentibus, vir Dei minas eorum despiciens, immotis sensibus, stabili animo, sobria mente respondens, ajebat: Væ vobis, filii tenebrarum, semen Caïn, favilla cineris. Si vestræ potentiæ sit istis me tradere pœnis, en præsto sum: ut quid falsivomis pectoribus vanas minas depromitis? Illis vero veluti ad trudendum illum in præsentium tormentorum gehennas sese præcingentibus, ecce S. Bartholomæus, cum immenso cælestis lucis splendore, medias furvæ noctis infuso lumine interrumpens tenebras, sese ab æthereis sedibus radiantis olympi coram illis, aureo fulgore amictus, obtulit. Maligni vero spiritus, non sustinentes cælestis splendoris fulgorem, frendere, tremere, fugere, timere cœperunt. Sanctus vero Guthlacus, adventum fidelissimi auxiliatoris sui persentiens, spiritali lætitia gavisus est. Tunc deinde S. Bartholomæus catervis satellitum jubet, ut illum in locum suum cum magna quietudine, sine ulla offensionis molestia, reducerent. Nec mora, præceptis Apostolicis obtemperantes, dicto citius jussa facessunt. Nam illum revehentes cum magna suavitate, velut quietissimo alarum remigio, ita ut nec in curru nec in navi modestius duci potuisset, subvolabant. Dum vero ad medii aëris spatia devenissent, sonus psallentium convenienter audiebatur dicens: Ibunt Sancti de virtute in virtutem. Imminente ergo aurora, cum sol nocturnas cælo demoverat umbras, præfatus Christi athleta, adepto de hostibus triumpho, in eodem statu à quo prius translatus est, grates Christo persolvens, constitit. Deinde cum solito more matutinas laudes Domino Jesu impenderet, paullisper lumina devertens, à sinistra stantes duos satelli-

per paludes trahitur:

D

Psal. 15. 8.

E

i

ad pœnas inferorum videndas ducitur,

quasi illis injiciendus terretur:

F

iterum à S. Bartholomæo protectus,

reducitur,

& suavi cantu recreatur:

Psal. 83. 8.

A satellites lugentes, sibi præ ceteris aliis notos, conspicit: quos cum interrogasset quid plorassent, responderunt: Vires nostras ubique per te fractas lugemus, & inertiam nostram adversus valetudinem tuam ploramus: non enim te tangere, aut tibi appropinquare audemus. Hæc dicentes, velut fumus à facie ejus evanuerunt.

k Brittonum species, dæmones sibi infestos fingit.

20 Contigit itaque in diebus *k* Coinredi Merciorum Regis, cum Brittones, infesti hostes Saxonici generis, bellis, prædis, publicisque vastationibus Anglorum gentem deturbarent; quadam nocte gallicinali tempore, cum more solito vir beatæ memoriæ Guthlacus orationum vigiliis incumberet, extemplo, cum velut imaginato sopore opprimeretur, visum est sibi tumultuantis turbæ audisse clamores. *l* Tunc dicto citius levi *l* somno expergefactus, extra cellulam qua sedebat egressus est, & erectis auribus adstans, verba loquentis vulgi Britannicaque agmina tectis succedere agnoscit: nam ille aliorum temporum præteritis voluminibus inter illos exulabat, quoadusque eorum * strimulentas loquelas intelligere valuit. Nec mora, per palustria tectis subvenire certantes, eodem fere momento omnes domus suas flamma superante ardere conspicit; illum vero intercipientes, acutis hastarum spiculis in auras levare cœperunt. Tum vero vir Dei, tandem hostis pellacis millenis artibus millenas formas persentiens, velut Prophetico ore sexagesimi septimi Psalmi primum versum psallebat, Exurgat Deus, & reliqua. Quo audito, dicto velocius, eodem momento, omnes dæmoniorum turmæ, velut fumus, à facie ejus evanuerunt.

** al. stridulentas?*

B

Beccelini insidias detegit.

21 Post non multum tempus, cum vir vitæ venerabilis Guthlacus contra insidias lubrici hostis sæpe certando triumphabat; ecce zabulus, vires suas fractas comperiens, novas versutias adversus eum sub toxico pectore versare cœpit. Erat enim quidam *m* Clericus, nomine *m* Beccelinus, qui seipsum famulum fieri tanti viri sponte obtulit, ac sub disciplinis ipsius caste Deo vivere proposuit: cujus præcordia malignus spiritus ingressus, pestiferis vanæ gloriæ fastibus illum inflare cœpit: ac deinde postquam tumidis inanis fastus flatibus illum seduxit, admonere quoque ipsum exorsus est, ut dominum suum, sub cujus disciplinis Deo vivere initiavit, arrepta letali machæra necaret; hoc ipsius animo proponens, ut si ipsum interimere potuisset, locum ipsius postea cum magna Regum Principumque venerantia habiturus foret. Quadam ergo die, cum præfatus Clericus C virum Dei Guthlacum, ut assolebat, post bis denos *n* dierum cursus *n* tonderare devenisset; idem ingenti dementia vexatus, viri Dei immenso desiderio sanguinem sitiens, indubius illum occidere successit. Tunc sanctus Dei Guthlacus, cui Dominus assidue futurorũ præscientiam manifestabat, comperto novi sceleris piaculo, illum sciscitari cœpit dicens: O mi Beccelinе, ut quid hebido sub pectore antiquum hostem occultas? quare amari veneni pestiferas lymphas non vomis? Scio enim te à maligno spiritu deceptum: quapropter flagitiosas meditationes, quas tibi generis humani hostilis criminator inseruit, ab illis convertendo confitere. Tum ille cum se à maligno spiritu seductum intellexisset, prosternens se ad pedes sancti viri Guthlaci, delictum lacrymabili voce confessus, supplex veniam orabat. Itaque vir beatæ memoriæ Guthlacus, non solum illius culpæ veniam indulsit, sed & in futuris tribulationibus adjutorem illius se venturum fore promisit. Verum quia superius, quantum idem Guthlacus venerabilis adversus feras apertasque diabolicas insidias valuit, explicavimus, nunc quoque, quid adversus simulatitias malignorum spirituum fraudes prævaluit, exponemus.

22 Iisdem fere temporibus, cum vir sæpe memoratus quadam nocte in assiduis orationibus assueto more perstaret, ingenti sonitu totam insulam qua sedebat fremere circum putabat: deinde parvi temporis succedente intervallo, ecce subito velut concurrentium armentorum crepitum cum magno terræ tremore domui succedere audiebat. Nec mora domum, abundique irrumpentes, variorum monstrorum *o* diversas figuras introire prospicit. Nam leo rugiens, dentibus sanguineis morsu rabido imminebat, taurus vero mugitans, unguibus terram fodiens, cornu cruentum solo defigebat; ursus denique infrendens, validis ictibus brachia commutans, verbera promittebat; coluber quoque squamea colla porrigens, indicia atri veneni monstrabat: & ut brevi sermone concludam, aper grunnitum, lupus ululatum, equus hinnitum, cervus *p* axatum, serpens sibilum, bos balatum, corvus crocitum, ad turbandum veri Dei verum militem, horrisonis vocibus stridebant. Sanctus itaque Christi famulus, armato corde signo salutari, hæc omnia phantasmatum genera despiciens, his vocibus usus ajebat: O miserrime satana, manifestæ sunt vires tuæ. Nonne nunc miserarum bestiarum hinnitus, grunnitus, crocitusque imitaris, qui ante æterno Deo te similare tentasti? Idcirco impero tibi in nomine Jesu Christi, qui te de cælo damnavit, ut ab hoc tumultu desistas. Nec mora dicto citius, universa phantasmata vacuas in auras recesserunt.

AUCTORE FELICE EX MSS.

dæmonum terricula-menta ridet.

o

p

E

& nomine Jesu [...]

ANNOTATA.

a Gronta *flumen, aliis* Grant *&* Gleane. *Cambdenus de hac palude agens, ista scribit:* Hæc exæstuatio plerumque prosilire solet ex quatuor fluminibus, Onse, Wolland, Neane & Grant. *Ex his extimo loco versus Lincolniam est* Gronta, *dein in Wollandum illapsus in mare effluit.* Wollandus, *infra* Wellanda, *ambit Croylandiam, uti* Neane *Petroburgum, &* Onsa *Elyense monasterium. Mabillon per* Grontam *procul dissitum* Trentam *accepit.*

b Flactra, *sive* flactria, *videntur inter stagna esse partes terræ extantes, non firmæ sed flaccidæ.*

c Rivigæ *videntur* Ripæ *intelligi. Galli ab eadem voce deducunt in eadem significatione suum* Rivage, *quod barbaro ævo dicebatur* Riparia *sive* Ripuaria.

d *Ingulfus in Historia Croylandiæ de* Tatwino *agit, &* Sanctum *appellat.*

e *Additur in MSS.* Contigit enim ut æstivis temporibus, divina dispensante gratia, die quo Missa S. Bartholomæi venerari debet, insulam Cruland B. Guthlacus devenisset: qui in S. Bartholomæi auxiliis cum omni fiducia eremum habitare cœperat. *Apud Mabillonum, pro* Missa S. Bartholomæi, *legitur* festivitas. *Verum ex repetendis num. sequenti patet, diem S. Bartholomæi fuisse eum, quo reversus ad suos, mox illuc redirit & stabiliter cœpit habitare: ideoque hæc, ut alieno loco intrusa, à textu removimus.*

f Ter trigenarum, *Mabillono* ter tricenũm, *qui essent ter triginta, id est nonaginta.*

g Zabulus *&* Zabolus *à Cypriano, Paulino, Hilario & aliis pro* diabolo *sumitur; uti* Ζαβάλλειν *&* διαβάλλειν *calumniari significat. Est qui ingeniose à* Zable, *in antiqua Gallica lingua & adhuc in rebus tessariis usitatissima voce, deducat, quod hæc vox significet* colorem nigrum, *& ab eo colore plurima in Europa nationes forment nomina ad diabolum resque diabolicas significandas: Sic ergo* Zabulum *quasi* nigrum *antiquitus dictum opinatur.*

h Strophosus *versutus, fraudulentus. Ita Rabanus ad Ludovicum Imper.*

Nec fur strophosus foveam detrudat in atram.

i *Conferri hæc possunt cum visione S. Baronti eremitæ Pistoriensis in Italia: qui tormenta inferorum conspexit, &*

AUCTORE FELICE EX MSS. *ab Angelo Raphaële reductus est. Ejus Acta dedimus 25 Martii.*

k Coenredus, *seu* Kenredus, *regnare cœpit anno* 704, *qui in Coelredum filium Ethelredi translato regno, anno* 709 *Romam profectus, & in monachum attonsus, ibidem permansit, uti habet Beda lib.* 5 *Hist. cap.* 20.

l *Ita* MSS *nostra, at Mabillon ex suis* MSS. Sono.

m Beccellinus, *alii* Bettelinus, *seu* Bertellinus. *Hujus Sancti Vitam habemus* MS. *dandam* 9 *Septembris. Traditur is* Filius Regis, *seu Reguli*, Straffordiensis populi, *prope memoratum Reppington cœnobium.*

n Tonderare *pro* tonsurare *videtur frequentativum à* tondere.

o *Similia scripsit S. Athanasius in Vita S. Antonii* 17 *Ianuarii.*

p Axatus *forte* Coaxatus, *ranis proprius, nihilo aptius hic aptatur cervo, quam mox* balatus, *qui ovis est, tribuitur bovi, qui mugire dicitur.*

CAPUT III.

Volucrum & piscium familiaris accessus. Futura prædicta. Energumeni liberati.

B

Chartulam hospitis à corvo subreptam

23 Contigit quoque sub cujusdam temporis cursibus, cum quidam alius Dei famulus ad colloquium Dei viri Guthlaci pervenisset, aliquot diebus in insula præfata habitare cœpit. Quadam autem die membranam quamdam scribens, cum ad finem scripturam suam deflexisset, extra domum recedens; cum in quodam oratorio orationibus incumberet, ecce quidam corvus, accola ejusdem insulæ, intrans domum prædicti hospitis, ut chartulam illic prospexit, rapido forcipe arripuit. Præfatus vero hospes cum visus suos forte foras devertisset, volantem alitem chartulam in ore suo portantem prospicit: confestimque cum chartulam suam defuisse comperit, ab alite corvo raptam fuisse cognoscit. Forte denique eadem hora S. Guthlacus extra oratorium egrediebatur: qui cum præfatum Fratrem subita mœstitia correptum prospiceret, consolari illum cœpit, pollicens ei chartulam suam cum Dei omnipotentis auxilio sibi recuperari posse, sine cujus potestate nec folium arboris defluit, nec unus passerum ad terram cadit. Inter hæc avis longe in austrum avolans cernitur, cursumque suum inter stagnosa paludis ligustra deflectens, sese subito ab eorum obtutibus velut evanescens abdidit. Sanctus vero Guthlacus, firmam fidem firmo pectore gestans, Fratri præfato præcepit, ut naviculam in contiguo portu positam conscenderet, & ut inter densas arundinum compagines, quo via sibi monstraret, incederet. Ille autem præceptis sancti viri obtemperans, quo se tramite ducebat; perrexit: qui cum ad aliquod stagnum haud procul à præfata insula situm devenisset, conspicit non longe in media planitie stagni unam arundinem curvato cacumine stantem, quæ stagni tremulis quassabatur undique lymphis: in cujus fastigio æquiparatam schedulam, æquali lance pendentem, velut ab humana manu positam, cernebat. Mirabile dictu! tangi non tacta vicinis videbatur ab undis. At ille Frater, arripiens de arundine chartam, cum magna admiratione grates Deo persolvens, venerantiam validæ fidei de eo quod contigit venerabili viro Dei Guthlaco conferens, inde egressus, domum reversus est: præfatus vero Christi famulus Guthlacus, non sui meriti quod contigit, sed divinæ miserationis fuisse confirmabat.

prædicit recuperandam,

C

& modum suggerit:

Benignus in corvos insolentes.

24 Erant igitur in supradicta insula duo alites corvi, quorum infesta nequitia fuit: ita ut quidquid frangere, mergere, diripere, rapere, contaminare potuissent, sine ullius rei reverentia perderent. Nam veluti, cum familiaribus a ancis intrantes domum, omnia quæcumque intus forisque invenissent, veluti improbi prædones rapiebant. Supramemoratus autē Dei famulus, varias eorum injurias perferens, longanimiter pio pectore sufferebat; ut non solum in hominibus exemplum patientiæ ipsius ostenderetur, sed etiam in volucribus & in feris manifesta esset. Erga enim omnia eximiæ caritatis ipsius gratia abundabat, intantum ut incultæ solitudinis volucres & vagabundi cœnosæ paludis pisces, ad vocem ipsius, veluti ad pastorem, ocius natantes volantesque devenirent: de manu enim illius victum, prout uniuscujusque natura indigebat, vesci solebant. Non solum vero terræ aërisque animalia illius jussionibus obtemperabant, immo etiam aqua aerque ipsi veri Dei vero famulo obediebant. Nam qui auctori omnium creaturarum fideliter ex integro spiritu famulatur, non est mirandum si ejus imperiis ac votis omnis creatura deserviat: & plerumque idcirco subjectæ nobis creaturæ dominium perdimus, quia Domino universorum creatori servire negligimus, secundum illud: Si obedieritis mihi & audieritis me, bona terræ comedetis. Item: Si abundaverit fides vestra ut granum sinapis, & reliqua.

D

a

volucres & pisces ultro accedentes pascit;

Isa. 1, 19
Mat. 17, 19.

E

25 Licet etiam beatissimi Dei famuli Guthlaci quoddam spiritale miraculum explicare. Contigit enim quadam die, cum quidam vir venerabilis, nomine Wilfridus, jamdudum viro Dei Guthlaco spiritalis amicitiæ fœdere copulatus, ita ut adsolebat, cum eo loqueretur; forte hirundines duæ, subito domum intrantes, velut magna lætitia avino forcipe flexuosi gutturis carmen canentes, veluti ad assuetas sedes devenissent, sese non hæsitantes humeris viri Dei Guthlaci imposuerunt, ac deinde cantulosis vocibus garrulantes, brachiis genibusque pectorique illius insidebant. Wilfridus vero stupefactus, efflagitata sermocinandi licentia, sciscitari ab illo cœpit, ut quid incultæ solitudinis volucres, humani successus insuetę, illam propiandi fiduciam habuerunt. Sanctus vero Guthlacus è contra respondit: Nonne legisti, quia qui Deo puro spiritu copulabitur, omnia sibi in Deo conjunguntur; & qui ab hominibus cognosci denegat, agnosci à feris, & frequentari ab Angelis quærit? nam qui frequentatur ab hominibus, frequentari ab Angelis nequit. Tunc assumens quamdam b ventinulam, posuit in ea festucam: quod cum alites prospicerent, velut notato signo imbuti, illic nidificare cœperunt. Cumque veluti unius horæ spatio transacto aggregatis quisquiliis nidum fundarent, S. Guthlacus exurgens, sub testitudine tecti quo sederat ventinulam posuit; volucres vero, quasi adepto propriæ mansionis loculo, illuc manere cœperunt: non enim sine licita volentia viri Dei locum nidificandi sibi eligere præsumebant, sed in unoquoque anno, petentes mansionis indicium, ad virum Dei veniebant. Nulli ergo absurdum sit a volucribus formam obedientiæ discere, cum Salomon dicat: Vade, piger, imitare formicam, considera vias ejus, & disce sapientiam.

hirundinibus sibi familiaribus nidum assignat:

b

F

Prov. 6, 6.

26 Neque tacendum quoque esse arbitror quoddam præfati viri providentiæ miraculum. Erat itaque sub eodem tempore quidam exul de inclyta Merciorum plebe, vocabulo c Ethelbald, qui quondam, ut adsolebat, virum Dei visitare malens comite præfato Wilfrido, adepta rate usque ad præfatam insulam pervenit. Wilfridus vero ratis de prora saltu terram petens, ambas manicas suas puppi dimisit: ac deinde ad colloquium sancti viri venientes, postquam adinvicem se salutaverunt, inter alia sermocinandi colloquia, supramemoratus vir beatæ memoria

Ab Ethelbaldo exule invisitur:

c

A riæ Guthlacus, cui Dominus absentia monstrabat, velut prophetiæ spiritu inflatus, cum domi sedisset, & nihil aliud excepto domus vestibulo prospicere potuisset, subito ab aliis sciscitari cœpit, utrumne rem aliquam in navi dimisissent. Cui Wilfridus respondens, duas manicas suas illic obliviscendo dimisisse se aiebat. Ille vero corvos suos tunc manicas possedisse, sicut eventus rei probavit, dicebat. Nec mora extra domum egredientes, conspiciunt corvinæ sobolis atrum prædonem, in fastigio cujusdam casæ, improbo forcipe manicam lacerare. Sanctus vero Guthlacus alitem leni sermone comprimebat, velut criminis sui conscius esset: & ales manicam in culmine casæ linquens, velut fuga facta occiduas in auras volabat. Wilfridus vero de culmine tecti in summitate virgæ manicam reducere fecit, ac deinde comperiens tanti viri potentiæ fuisse, alteram sibi reddi sicut & illam, solicitus de alterius manicæ damno fieri cœpit: ac vir Dei, illum ægrota mente damnum rei graviter pertulisse sentiens, ludibundo verborum famine illum consolari cœpit, pollicens ei possibilitatis Dei fuisse, cito sibi rem perditam recuperari, si fides eorum non titubasset. Nec plura inter verba, ecce tres viri fratres pulsato signo ante portum præfatæ insulæ steterunt, ad quos dicto velocius S. Guthlacus, ut adsolebat, hilari vultu secessit; nam B semper gratia eximiæ caritatis in ore ipsius & vultu fulgebat. Salutatis vero fratribus, confestim unus eorum, inclinato sibi capite efflagitata venia, forte in via quamdam manicam de uncis pedibus corvi demissam invenisse fatebatur, & manicam sibi ostendit. Guthlacus parumper subridens, de manu illius manicam tenuit; & admiratus divinæ clementiæ benignitatem, loquente spiritu gratias egit; ac deinde salutatis illis, sicut ante promisit, Wilfrido manicam reddidit.

manicas ejus à corvis ablatas novit, & restitui curat;

27 Fuit itaque in eisdem fere temporibus, in orientalium Anglorum terminis, quidam juvenis, nomine d Huvetred, inclytæ quidem (ut ferunt) sobolis; qui cum quotidianæ pietatis parentibus jura impenderet, quadam die domi sedens, subito in illum nequam spiritus grassari cœpit. Intantum autem immensa dementia vexabatur, ita ut membra sua propria ligno, ferro, unguibus, dentibusque, prout potuit, laniaret: non solum enim seipsum crudeli vesania decerpebat, quin etjam omnes quoscumque tangere potuisset, improbi oris morsibus lacerabat. Eo modo autem insanire cœpit, ut eum prohibere aut alligare nullus auderet. Nam quodam tempore C congregata multitudine, cum aliqui illum ligare tentarent, arrepta limali * bipenne tria virorum corpora e letabundis ictibus humi sternens mori coëgit. Et cum bis binis annorum cursibus dira peste vesaniæ vastaretur, & f exerti macilentia arido in corpore vires distabescerent; tum demum à parentibus suis ad sacratas Sanctorum sedes adductus est, ut à Sacerdotibus Episcopisque sacratis fontibus lavaretur. Cum vero nullus eorum pestiferum funesti spiritus virus extinguere valuisset, tandem exploratis reprobatisque omnium remediorum stigmatibus, domum reversi sunt. Quadam die namque cum mœsti parentes nati mortem magis quam vitam optarent, fama volat quemdam eremitam in mediæ paludis insula Cruland sedisse, cujus rumor diversis virtutum generibus fines pene totius Britanniæ longe lateque replebat: quo comperto, orto mane illuc ducere vexatum certo consilio parant. Excussa ergo opacæ noctis caligine, cum sol aureum demoverat ortum, ligatis membris vexatum ducentes, cœptum iter vadere cœperunt. Vesperascente vero die, cum illuc iter divertissent, in quamdam insulam haud procul à Cruland noctem duxerunt; ac deinde jubare exorto ad portum prædictæ insulæ subvenientes, pulsato signo colloquium tanti viri efflagitabant. Ille autem more suo solito eximiæ caritatis ardore fervescens, sese coram illis obtulit: & cum ipsi causam suam à primordio explicarent, vir Dei parentum solicitudinem & vexatæ humanitatis labores miserescens, velut paterno pectore illis propitiari cœpit. Confestim enim manum vexati arripiens, intra oratorium suum duxit: & illic continuis tribus diebus jejunus, flexis genibus orare cœpit: tertia vero die, orto jam sole sacrati fontis undis abluit; & inflans in faciem ejus spiritum salutis, omnem g valitudinem maligni spiritus de illo repulit. Ipse autem, velut qui de æstuantis gurgitis fluctibus ad portum deducitur, longa suspiria imo de pectore trahens, ad pristinam salutis valetudinem redditum se esse intellexit: ab illo enim tempore usque in diem exitus sui molestiæ inquietudinem ab immundo spiritu non pertulit.

à maligno spiritu vexatum, per quadriennium, d

* *al. limali*

Auctore Felice ex MSS.

post jejunium & orationem 3 dierum g

pristinæ saluti restituit;

28 Alio ergo tempore, cum præfati exulis Ethelbaldi comes quidam, vocabulo h Egga, ab immundi spiritus validissima violentia miserabiliter grassaretur, ita ut quid esset, vel quo sederet, vel quid parabat facere nesciret (Corporis autem & membrorum vigor illæsus permansit: facultas vero loquendi, disputandi, intelligendique penitus defuit) E quadam die propinqui sui formidantes perpetuam vesaniam sibi venturam, ad præfati viri Guthlaci limina duxerunt: confestimque ut se cingulo illius succinxit, omnem amentiam de se ablatam, animumque sibi integre redditum persensit: se quoque illo cingulo semper præcingens, usque in ultimum diem vitæ suæ, nullam à satana molestiam perpessus est.

Eggam sanæ menti reddit, h

ANNOTATA.

a Aucas *dici anseres sæpe in hoc opere significamus. Impressum à Mabillon* cum familiaribus ausis.

b *Eodem modo Ordericus*: Festucam in ventinula posuit. *Silet de ea Capgravius & ait*: certa nidificandi loca singulis assignavit. *Videtur nidi fundamentum esse, prope fenestram poni solitum, & sic* ventana *apud Hispanos fenestram significat.*

c Ethelbaldus, *teste Ingulfo*, pronepos Pendæ *ex* Alvio fratre, elegantis staturæ, validus corpore, bellicosus animo, corde nimium elatus, & lubricæ temeritatis sectator immoderatus: quem Rex Coëlredus valde persequebatur. *De regno postea illi collato infra agitur.*

d Huvetred, *aliis* Huctredus, Vethredus.

e Letabundis ictibus, *id est* letalibus, *duciturque velut à* letare, *occidere.* F

f *Videtur usurpari* exers, *eo sensu quo dicitur* iners.

g *Ita jam sæpe pro potestate sumitur & scribitur per* i, valitudo.

h Ebba Comes Lincolniensis *dedit consilium Ethelbaldo facto Regi ut monasterium Croylandense fundaret, uti indicatur in charta fundationis. Infra num.* 31 Obba Comes *ejusdem* Ethelbaldi *occurrit, ac diversus videtur ab hic nominato* Egga, *Mabillono* Egiga. *Utrum autem aliquis horum sit* Ebba Lincolniensis, *non liquet.*

CAPUT IV.

Spiritu prophetico futura & absentia cognita, & indicata per S. Guthlacum.

29 Cœpit etjam inter ista vir Dei Guthlacus prophetiæ spiritu pollere, futura prædicere, præsentibus absentia narrare. Aliquibus enim diebus cum quidam Abbas, ut assolebat, ad verbocinium præfati viri devenire proposuisset; incœpto itinere, duo ministri ipsius, simulata cujusdam causæ necessitate,

Abbati post datam licentiam à Clericis alio eundi,

AUCTORE FELICE EX MSS.

necessitate, Abbatis licentiam poscebant, ut in aliam viam, quia causa cogebat, divertissent. Ille autem illis concessa licentia quo proposuit perrexit: ac deinde veniente illo ad colloquium viri Dei Guthlaci, cum sese alterutrum divinarum Scripturarum haustibus inebriarent, S. Guthlacus inter alia ab illo sciscitari cœpit ajens: Ut quid duo isti Clerici, (quos vocabulo nuncupavit) ut assolebant, huc te comitari noluerunt? Abbas autem illos efflagitata licentia, alterius causæ necessitate, in alteram viam divertisse dixit. At S. Guthlacus, cui Dominus ex divina inspiratione absentia præsentabat, paullisper demissa fronte subridens, vultum deflexit. Abbas autem cum persensisset, quod viro Dei aliter præsentaretur, obsecrans in nomine Jesu, ut evidenter monstraret, quod sibi de illis visum est, suppliciter rogabat. Guthlacus vero supplicibus obsecrationibus amici, qui sibi spiritali fide in Christo copulabatur, annuens, iter eorum per ordinem sibi pandere cœpit. Dicebat enim illos ad cujusdam viduæ casam divertisse, & dum non adhuc hora tertia esset, *a* in delicatis viduæ fulcris inebriari cœpisse. Non solum ergo vir Dei iter illorum à primordio narravit, quin etjam victum eorum & verba ex ordine monstrando explicavit. Non aliter enim sibi ex divino numine præsentabatur, quam ut in Helisæo cognitio furti facti à Giezi, Domino manifestante, monstrata est: intantum enim gratiæ divinæ spiritus in eo pollebat, ut absentia persentiret, & futura ut præsentia arbitraretur. Abbas itaque, perceptis salutaribus documentis viri venerabilis Guthlaci, remeabili cursu domum suâ migravit. Dum vero, ut assolebant, duo præfati Clerici ministerio Abbatis obviarent, omnes de domo exceptis duobus illis discedere jussit: dumque in domo sederet, ab illis Abbas ubi moram hesternæ diei duxerint sciscitabatur. Illi simulato pectore in alicujus amici sui se moratos casa dicebant. Abbas autem illos fuisse in domo viduæ, quam proprio vocabulo nuncupavit, alium sibi nuntiasse aiebat: illi contradicentes cum maxima procacitate illius dicta negabant. Abbas vero eorum impudentiam comprimens, nota signa monstrando, culpam suam confiteri jussit. Ipsi autem cum contra nota indicia calcitrare nequivissent, tandem se solo prementes, iter suum uno eodemque ordine, quo vir Dei ante narravit, confessi sunt.

Indicat horum apud viduâ ebrietatem, victũ & colloquium: a

B

quod coacti fatebantur;

C

30 Venerunt quoque his fere diebus de quodam monasterio duo viri Fratres, ut S. Guthlaci verba doctrinæ audirent: nam illo tempore tanti viri fama ubique notabunda vagabatur. Deinde cum insulam devenissent, habentes secum binas *b* flasculas celia impletas, facto consilio illas in via sub quodam palustri sablone absconderunt, ut iterum revertentes iter suum illa annona relevarent. Dumque præfati Fratres verbocinio venerabilis viri potiti uterentur, & præceptis salutaribus illos admoneret; hilari vultu leviter subridens, ludibri famine inter alia ab illis sciscitabatur dicens: Ut quid, filioli, huc portare noluistis binas flasculas, quas sub agrestis glebæ umbraculo abdidistis? Quo audito, illi immenso stupore perculsi, se solo prosternentes, veniam perpetrati criminis orabant. Sanctus vero Guthlacus, sublevatis eorum cervicibus, veniam indulsit, pacem concessit, iter signavit.

flascones absconditas à monachis revelat, b

31 Sub eisdem fere temporibus ad virum Dei Guthlacum multi diversorum ordinum gradus, Abbates, Fratres, Comites, divites, vexati, pauperes, non solum de proximis Merciorum finibus, verum etiam de remotis Britanniæ partibus, fama nimirum virtutum acciti, confluebant; quos aut corporum ægritudo, aut immundorum spirituum infestatio, aut commissorum errorum professio, aut aliorum quorumque criminum quibus humanum genus alluitur, vel varietas uniuscujusque vel necessitas cogebat, à tantæ sanctitatis viro consolandos fore sperabant. Nec illos vana spes fefellit: nam nullus ab illo ægrotus sine remedio, nullus vexatus sine salute, nullus tristis sine gaudio, nullum tædium sine exhortatione, nulla mœstitia sine consolatione, nulla anximonia sine consilio ab illo reversa est: sed vera caritate pollens, omnium labores cum omnibus unanimiter pertulerat. Contigit ergo, cum omnes è diversis partibus variis causis ad tanti viri colloquium abundique confluebant; veniebat inter alios quidam Comes prædicti exulis Ethelbaldi, Obba nomine, ad verbocinium beati viri Guthlaci: & cum alio die quædam loca spinosa perlustraret, *c* sine calle agrestia rura gradiendo, irruit in quamdam spinulam, sub incultæ telluris herbis latentem, quæ medelamium plantæ ipsius infigens, talo tenus rumpendo, totius pedis cratem perforavit. Ille denique contra vires cœptum iter carpens, ad insulam prædictam, in qua vir Dei permansit laboriose pervenit: & cum illic unam noctem exegisset, inflatico tumore dimidia pars corporis ipsius à lumbis planta tenus turgescens, intantum eum novi doloris molestia angebat, ut sedere aut stare vel jacere nequivisset. Nam fervente membrorum compagine, ab imis ossium medullis immenso ardore coquebatur, ut morienti similior quam languenti videretur. Quod cum viro Dei Guthlaco nuntiaretur, illum ad se duci præcepit; ac deinde cum causam vexationis suæ à primordio narraret, vir Dei Guthlacus exuens se *d* luterio melotinæ, in quo ille orare solebat, ipsum circumdedit. Confestimque dicto citius, postquam veste tanti viri se indutum persensit, eodem momento spinula, velut sagitta ab arcu demissa, statim de pede ipsius detruditur, quousque procul quasi jaculata institit; eademque hora omnis tumidi fervoris violentia, ex omnibus membrorum ipsius compaginibus, secessit. Confestimque exsurgens, pede reducto, gradi cœpit: & postera die, allocuto viro Dei Guthlaco, qui totius sui corporis ex unius membri languore damnum præstolabatur, hilari animo sine ullius valetudinis molestia pergebat. Tunc omnes qui testimonio virtutis intererant, viri Dei valitudinem fidei mirantes, gloriam Domino reddebant.

& multos ad se cõfluentes.

D

c

ex spina pedi infixa misere languentem,

E

d

veste sua indutum sanat

32 Non est prætereundum silentio quoddam miraculum præsagæ providentiæ venerabilis viri Guthlaci, cui ex divina donatione largitum est, ut verba absentium quasi scripta videret, cogitationesque præsentium velut locuta cognosceret. Cum enim quidam Episcopus, *e* Hedda nomine, quasi cælesti consilio imbutus, ad colloquium venerabilis viri Guthlaci aliquando veniret, habuit in comitatu suo virum librarium Wigfrid nomine: qui cum inter alios Episcopi ministros equitabat, alii eorum coram illo de virtutibus & miraculis sancti viri Guthlaci mirari cœperunt, alii asperitatem vitæ ipsius & perseverantiam virtutesque per ipsum factas, ab ullo alio ante inauditas, disputabant; alii in cujus virtute miracula illa quæ faciebat dubitantes, erumpebant: *f* Wigfrid autem se posse discernere & scire utrum divinæ religionis cultor esset aut pseudo-sanctitatis simulator, si umquam illum vidisset, pollicebatur. Dicebat enim inter Scottorum se populos habitasse, & illic pseudo-anachoretas diversarum religionum simulatores vidisse, quos prædicere futura & virtutes alias facere quocumque nomine nesciens comperit. Alios quoque illic fuisse narrabat veræ religionis cultores, signis virtutibusque plurimis pollentes, quos ille crebro alloqui, videre, frequentareque solebat: ex quorum experientia aliorum religionem discernere se potuisse promittebat. Ergo cum prædictus Episco-

F

e

Guthlaci virtutem exploraturum se iactas quidã coram Heddâ Episcopo,

f

AUCTORE FELICE EX MSS.

Episcopus ad colloquium venerabilis viri Dei Guthlaci pervenisset, fraternis salutationibus peractis, sese alterutrum Evangelici nectaris rore circumfundere cœperunt. Erat autem in viro Dei Guthlaco divinæ gratiæ luculentia intantum, ut quidquid prædicaret velut ex Angelico ore expressum videretur: erat in eo tantæ sapientiæ affluentia, ut quæcumque dixisset divinarum Scripturarum exemplis firmaret. Ergo prædictus Episcopus, postquam colloquiis ejus potitus est, & melle dulciora præcepta sapientiæ ipsius gustavit; ecce repente in medio sermone, summissa cervice supplex, adjurare cœpit illum ut Sacerdotale officium per eum susciperet. Guthlacus vero petitioni Episcopi nolens resistere, ocius se solo prosternens, voluntatiæ illius obediturum esse promittit. Episcopus autem ovanti animo exurgens, consecrata prius ecclesia, fidelem Sacerdotem summo Deo consecravit. Peractis ergo consecrationis obsequiis, rogatu summi Pontificis, contra rem solitam, vir Dei illo die ad prandium venire cogitur. Appositis ergo dapibus postquam prandium cœperunt, aspiciens S. Guthlacus prædictum Fratrem Wigfridum procul sedentem, inquit: O Frater Wigfride, quomodo tibi nunc videtur ille Clericus, de quo hesterno die judicare promisisti? Wigfridus vero hæc miratus, confestim exurgens se totum solo tota mente prosternit, supplexque veniam precatus sese peccasse fatetur. Mirantibus omnibus qui intererant, stupescere ad invicem cœperunt: Sanctus vero Guthlacus dicebat: Comprobamini alterutrum, sciscitantes si quis hæc mihi nuntiavit. Contigit ergo consecratio insulæ Cruland, & constitutio B. Guthlaci in officium Sacerdotale, in autumnali tempore, retro calculatis quinque diebus ab illo die, quo Missa S. Bartholomæi celebrari solet.

ab hoc Presbyter consecratus;

inter prandendum narrat quid alter jactarit.

33 Alterius denique temporis præterlabentibus circulis, reverentissima Virgo Virginum Christi & sponsarum g Egburgh Abbatissa, Aldulfi Regis filia, ad sublimium meritorum venerabilem virum Guthlacum, sarcophagum plumbeum linteumque in eo volutum, quo virum Dei post obitum circumdari rogabat, adjurans per nomen terribile superni Regis, seque ad patibulum dominicæ Crucis erigens, in indicium supplicis deprecationis extensis palmis, ut in officium prædictum vir Dei illud munus susciperet, per nuntium alterius fidelis Fratris præcipiens, ut hoc indicium coram illo faceret, supplici rogatu mittebat. Addidit quoque ut ab illo sciscitaretur, quis loci illius post obitum suum heres futurus foret. Qui cum sanctæ Virginis fidele munus gratanter suscepisset, de eo quod interrogatur respondisse fertur, illius loci heredem in gentili populo fuisse, needum ad baptismatis lavacrum devenisse: sed mox futurum fore dicebat. Quod spiritu providentiæ dixisse, eventus futuræ rei probavit. Nam ipse Cissa, qui nunc nostris temporibus sedem viri Dei Guthlaci possidet, post annos h (ut ipse narrare solet) lavacrum baptismatis in Britannia percepit.

Egburga sarcophagum mittenti successorem suum prædicit,

34 Non me quoque supramemorati viri Guthlaci vaticido pectore quoddam spiritale præsagium narrare piget. Quodam enim tempore, cum exul ille quem supra memoravimus Ethelbaldus, huc illucque persequente illum Ceolredo Rege, in diversis nationibus jactaretur; alio die deficiente virium ipsius valitudine suorumque inter dubia pericula, postquam exinanitæ vires defecere, tandem ad colloquium i sancti viri Guthlaci, ut assolebat, pervenit: ut quando humanum consilium defecisset, divinum adesset. Illo vero cum beato viro Guthlaco loquente, vir Dei velut divini oraculi interpres, pandere quæ ventura erant sibi ex ordine cœpit, dicens: O mi puer, laborum tuorum non sum expers, miseriarum tuarum ab exordio vitæ non sum inscius; propterea misertus calamitatis tuæ, rogavi Dominum ut subveniret tibi in miseratione sua, & exaudivit me, & tribuit tibi dominationem gentis tuæ, & posuit te Principem populorum, & cervices inimicorum tuorum subtus calcaneum tuum rediget, & possessiones eorum possidebis, & fugient à facie tua qui oderunt te, & terga eorum videbis, & gladius tuus vincet adversarios tuos. Et ideo confortare, quia Dominus adjutor tuus est; patiens esto, inquit Sanctus Ethelbaldo, ne declines in consilium quod non potest stabiliri. Non in præda, nec in rapina regnum tibi dabitur, sed de manu Domini obtinebris: expecta eum cujus dies deficient, quia manus Domini opprimet illum, cujus spes in maligno posita est, & dies illius velut umbra transibunt. Hæc & his similia illo dicente, ex illo tempore Ethelbaldus spem suam in Domino posuit: nec vana spes illum fefellit: nam eodem ordine compositioneque omnia, quæ vir Dei prædixerat, non aliter, contigerunt, sicut præsentis rei præsens effectus comprobavit.

Ethelbaldo Regni restitutionem.

ANNOTATA.

a *Ordericus:* Ad casam viduæ pro appetenda ebrietate divertisse. *Capgravius:* Crapulæ, ebrietati atque impudicitiæ scelerate indulsisse. *Quod forsan Felix modesta metaphora dixit*, in delicatis fulcris inebriari.

b *Ordericus eodem modo ait*, binas flasculas, cælia impletas, sub palustri sablone abscondisse. *Capgravius:* duo flascula, vino plena, in sabulo reponunt. *Surius:* duas lagunculas, potu plenas, in arena deposuerunt. *Est autem* flascula *seu* flasculum *lagena à Saxonico* Flasch. *Papias*: Flascæ pro recondendis phialis factæ. *S. Gregorius Magnus in Vita* S. *Benedicti cap.* 4. *Defert vino plena duo lignea vascula, quæ* vulgo flascones vocantur. *Ardo in Vita B. Benedicti Abbatis Anianæ 12 Febr. cap.6.* flasconem vini in stratorio *defert.* Cælia *autem hic indicata, non vinum sed potus ex frumento explicatur à Floro lib.2 cap. 18 ubi de bello Numantino agit.*

c Sine calle, *id est extra viam tritam. Mabillon* sine cella agresti.

d Pro luterio melotinæ, *etiam ab Orderico scripto, Capgravius & Surius habent* cilicium. *De* Melote, *id est tunica pellicea egimus 17 Ianuarii ad Vitam* S. *Gregorii* §. 15 *in Commentario prævio. De* luterio *nihil hactenus observavimus. Videtur esse vestis exterior, protegens interiorem à luto & sordibus, quæ sæpius ablueretur.*

e Hedda, *apud Ordericum* Headda, *& alibi* Eadda, *videtur esse, qui colitur 7 Iulii, inscriptus Martyrologio Romano*, Episcopus Occidentalium Saxonum, *mortuus anno* 705. *Hunc simul tredecim ultimis annis præfuisse etiam Ecclesiæ Lichfeldensi tradit Alfordus, qui deinde asserit ad an.706 num.7 Guthlacum à S. Wilfrido consecratum Sacerdotem, forsan abreptus nomine Wigfridi, in comitatu Heddæ Episcopi hic memorati.*

f Wigfrid, *Orderico* Wigfridus, *Mabillono* Wilfridus.

g Aldulfus, *Rex Orientalium Anglorum, imperavit apud Alfordum ab anno* 664 *usque ad annū* 693, *quo anno data citatur epistola Sergii Papæ, si tamen Suppositia non sit, quasi* Ethelredo, Alfrido, Aldulfo, Regibus Anglorum scripta. *Brempton filiam ejus* Edburgam *appellat, & Aldulfum sive* Ealdulfum *perperam scribit* Regem Northanhimbrorum, *quod sequitur Mabillon.*

h *Excidit forsan numerus annorum. Ordericus* post aliquot annos, *& sic accipi videtur.*

i *Verba hinc desumpta leguntur apud Ingulfum in Historia Croylandiæ.*

CA-

AUCTORE FELICE EX MSS.

CAPUT V.

Morbus, obitus, sepultura: inventio incorrupti corporis. Apparitio Ethelbaldo facta: Cæcus illuminatus.

35 VErum quoniam humanum genus ab initio mortalis miseriæ quotidie ad finem decurrit, mutatis temporibus generationes & regna mutantur, ad quem terminum dominus & servus, doctus & indoctus, juvenis & senex pari conditione demerguntur: & licet meritis, pœnis, præmiisque disjungamur; tamen nobis omnibus restat exitus idem. Nam sicut mors in Adam est, ita & in omnes dominabitur: quisquis enim hujus vitæ saporem gustaverit, amaritudinem vitare nequit. Contigit ergo inter hæc, postquam dilectus Dei Guthlacus ter quinis annorum voluminibus, devoto famulatu superni Regis, vitam duxit solitariam; ecce Dominus Jesus, cum famulum suum de laboriosa hujus vitæ servitute ad perpetuæ beatitudinis requiem assumere voluisset; quadam die, cum in oratorio suo orationibus vacans perstaret, subita illum intimorum stimulatio corripuit: statimque cum se subita infirmitate diri languoris vir Dei arreptum persensisset, confestim manum Domini ad se missam cognovit. Tunc se ovante spiritu ad perennis regni gaudia præparare cœpit: septem enim diebus dira ægritudine decoctus, octava die ad extrema pervenit. Siquidem quarta feria ante Pascha ægrotare cœpit: & iterum octava die, quarta feria, quarto etiam lumine Paschalis festi, finita ægritudine ad Dominum migravit. Habitabat ergo cum eo sub illo tempore unus Frater, Beccelinus nomine, cujus relatione hæc de obitu viri Dei Guthlaci descripsimus: qui cum illo die inchoatæ molestiæ ad eum venerit, cœpit illum virum Dei, ut assolebat, de aliis interrogare. Ille autem tarde respondens, demum cum sermone suspirium traxit. Cui ipse Frater inquiens ait: Domine mi, quid novi tibi accidit? an forte nocte hac ulla infirmitatis molestia te tetigit? At ille: Etiam, inquit, molestia me tetigit nocte hac. Quem item interrogans ait: Scisne, Pater mi, tuæ infirmitatis causam, aut quem finem hujus molestæ ægritudinis esse putas? Cui vir Dei respondens inquit: Fili mi, languoris mei causa est, ut ab his membris spiritus separetur; finis autem infirmitatis meæ erit octavus dies, in quo peracto hujus vitæ cursu debeo dissolvi & esse cum Christo: expedit enim, sarcina carnis abjecta, Agnum Dei sequi. His auditis prædictus Frater, flens & gemens, crebris lacrymarum rivulis mœstas genas rigavit: quem vir Dei consolans ait: Fili mi, tristitiam ne admittas; non enim mihi labor est ad Dominum meum, cui servivi, in requiem venire æternam. Tantæ ergo fidei fuit, ut mortem, quæ cunctis mortalibus timenda formidandaque videtur, ille velut requiem aut præmium laboris judicaret. Interea decursis quaternarum dierum articulis, dies Paschæ pervenit: in qua vir Dei contra vires exurgens, immolato Dominici Corporis sacrificio & Sanguinis Christi libamine, præfato Fratri Verbum Dei evangelizare cœpit: qui numquam ante, neque post tam magnam profunditatem scientiæ se ab ullius ore audisse testatur. Denique cum septimus dies infirmitatis ipsius devenisset, præfatus Frater illum circa horam sextam visitavit, invenitque eum recumbentem in angulo oratorii sui contra altare: nec tamen tunc cum eo loquebatur, quia pondus infirmitatis facultatem loquendi exemit. Denique illo poscente ut dicta sua secum dimitteret, antequam moreretur; vir Dei cum fessos humeros parumper à pariete levaret, suspirans ajebat: Fili mi, quia tempus nunc appropinquat, ultima mandata mea intende. Postquam spiritus hoc corpusculum deseruerit, perge ad sororem meam *a* Pegam, & dicas illi, quia ideo aspectum illius in hoc seculo vitavi, ut in æternum coram Patre nostro in gaudio sempiterno adinvicem videamur. Dices quoque ut illa corpus meum imponat in sarcophagum, & in sindone involvat, quam mihi Ecgburch mittebat. Nolui quidem juvenis ullo lineo tegmine corpus meum tegere: sed pro amore dilectæ Christi Virginis, quæ hæc munera mihi mittebat, ad volvendum corpus meum reservare curavi. Audiens autem hæc præfatus Frater, exorsus inquit: Obsecro te, Pater mi, quia infirmitatem tuam intelligo, & moriturum te audio, ut dicas mihi unum de quo olim te interrogare non ausus diu solicitabar: nam ab eo tempore quo tecum, Domine, habitare cœperam, te loquentem vespere & mane audiebam nescio cum quo. Propterea adjuro te, ne me solicitum de hac re post obitum tuum dimittas. Tunc vir Dei, post temporis intervallum, anhelans ait: Fili mi, de hac re solicitare noli, quod enim juvenis ulli hominum indicare nolui, nunc tibi manifestabo. A secundo etenim anno, quo hanc eremum habitare cœperam, mane vespereque semper Angelum consolationis meæ ad meum colloquium Dominus mittebat, qui mihi mysteria, quæ non licet homini narrare, monstravit: qui duritiam laboris mei cælestibus oraculis sublevabat, qui absentia mihi monstrando ut præsentia præsentabat. O fili, hæc dicta mea conserva, nullique alii nuntiaveris, nisi Pegæ aut *b* Ecgberto anachoretæ, si umquam in colloquium ejus tibi venire contigerit, qui solus hæc sic fuisse cognoscet. Dixerat, & cervicem parieti flectens, longa suspiria imo de pectore traxit, refocillatoque rursus spiritu cum parumper anhelaret, velut melliflui floris odoratus de ore ipsius processisse sentiebatur: ita ut totam domum qua sederet, nectareus odor infunderet. Nocte vero sequenti, cum præfatus Frater nocturnis vigiliis incumberet, igneo candore à mediæ noctis spatio usque in auroram totam domum circumsplendescere videbat. Oriente autem sole vir Dei sublevatis parumper membris velut exurgens, cum supramemorato Fratre loqui cœpit, dicens: Fili mi, præpara te, iter tuum perge; jam me nunc tempus cogit ab his membris dissolvi, & decursis hujus vitæ terminis ad infinita gaudia spiritus transtolli malit. Dixit, & extendens manus ad altare, munivit se communione Corporis & Sanguinis Christi, atque elevatis oculis ad cælum extensisque manibus, animam ad gaudia perpetuæ exultationis emisit, anno ab *c* Incarnatione Domini nostri septingentesimo *d* quintodecimo. Inter hæc præfatus Frater subito cælestis luminis splendore domum repleri, turrimque velut igneam è terra in cælum erectam prospicit: in cujus splendoris comparatione cum tunc sol in medio cælo steterat, velut lucerna in die pallidescere videbatur. Cantibus quoque Angelicis spatium totius aëris detonari audiebatur: insulam etiam illam diversorum aromatum odoriferis spiraminibus inflari cerneres.

36 Deinde supramemoratus Frater, immensa formidine tremefactus, eximii splendoris coruscationem sustinere non valens, arrepta navicula portum reliquit, ac deinde quo vir Dei præceperat cœpto itinere perrexit. Deveniens quoque ad sanctam Christi virginem Pegam, fraterna sibi mandata omnia ex ordine narravit. Illa vero his auditis, velut in præcipitium delapsa, se solo premens, immensi mœroris molestia medullitus emarcuit, lingua siluit, labrum obmutuit, omnique vitali vigore velut exanimis

Post vita solitaria annos 15 moritur,

quarta feria post Pascha,

prænuntiato die,

celebrata Missa in Paschate

ordinata sepultura

& viatico accepto obit.

anno 715. nobis 714.

A Pega sorore sepelitur ejus corpus.

B C D *a* E *b* F *c* *d*

A mis evanuit. Post vero interventum temporis, ceu somno expergefacta, imi de pectoris fibris longa suspiria trahens, arbitrio Potentis grates egit. Postera vero die, secundum præcepta beati viri, insulam devenientes, totum locum omnesque domos velut ambrosiæ odore repletas invenerunt. Illa vero Dei famula trium dierum spatiis fraternum spiritum divinis laudibus cælo commendavit: tertia die, secundum præceptum illius, felicia membra in oratorio suo humo tecta condiderunt.

post menses 12 inventum incorruptum.

37 Volens autem divina pietas latius monstrare, quanta in gloria vir sanctus post obitum viveret, cujus ante mortem vita, sublimibus crebrisque miraculorum indiciis, populis, tribubus, gentibus late ubique fulgebat; addidit quoque æternæ commemorationis indicium. Transactis enim sepulturæ ejus bis senis mensium orbibus, immisit Dominus in animum sororis ipsius, ut fraternum corpus alieno sepulcro reconderet. Aggregatis ergo Fratribus, Episcopis, Presbyterisque, imo & aliis Ecclesiasticis gradibus, die exitus ipsius aperientes sepulcrum, invenerunt corpus totum integrum, quasi adhuc viveret: & lentis artuum flexibus, multo potius dormienti quam mortuo similis videbatur. Sed & vestimenta omnia, quibus involutus erat, non solum B intemerata, verum etiam antiqua novitate & pristino candore splendebant. Quod ubi qui intererant prospexerunt, statim tremefacti stupentes steterunt, adeo ut vix fari possent, vix miraculum intueri auderent, & vix ipsi quid agerent nossent. Quod ubi Christi famula Pega prospexit, spiritali gaudio commota, sacratum corpus cum divinarum venerantia laudum in sindone, quam eo vivente Ecgbertus anachoreta in hoc officium mittebat, revolvit: sed & sarcophagum non humo terræ condidit, imo etiam in memoriale quoddam posuit, quod nunc ab Ethelbaldo Rege miris ornamentorum structuris, in honorem divinæ potentiæ, ædificatum conspicimus; ubi triumphale corpus tanti viri, usque in hodierni temporis cursum, feliciter pausat; per cujus intercessionem, miserationis divinæ indulgentiam, quisquis integra fide pulsaverit, impetrabit.

in mausoleo à Rege postea adornato ponitur.

Elogium ejus.

38 O virum beatæ memoriæ! ô magistrum divinæ gratiæ! ô vas electionis! ô medicum salutis! ô præconem veritatis! ô thesaurum sapientiæ! ô quanta gravitas, ô quanta dignitas in verbis & confabulationibus ejus erat! quam alacer, quam efficax in discernendis causis fuit! quam in absolvendis Scri- C pturarum quæstionibus promtus & facilis! quam irremisso famulatu Deo servierat! intantum quod numquam in illius ore nisi Christus, numquam in illius corde nisi pietas, nihil in illius animo nisi caritas, nisi pax, nisi misericordia, nisi indulgentia perstabat. Nemo vidit illum iratum, nemo elevatum, nemo superbum, nemo commotum, nullus mœrentem: sed unus idemque semper permanens, lætitiam in vultu, gratiam in ore, suavitatem in mente, prudentiam in pectore, humilitatem in corde præferebat, ita ut extra humanam naturam notis ignotisque esse videretur.

Ethelbaldo de morte sua mœrenti apparet,

39 Postquam ergo præfatus exul Ethelbaldus, in longinquis regionibus habitans, obitum sancti Patris Guthlaci audivit, qui ante solus refugium & consolatio laborum ipsius erat; subita arreptus mœstritia ad corpus ipsius pervenit, sperans in Domino, daturum sibi refocillationem aliquam laboris sui per intercessionem sancti viri Guthlaci. Qui cum ad sepulcrum ipsius pervenisset, lacrymans ajebat: Pater mi, tu scis miserias meas; tu semper adjutor mei fuisti; te vivente non desperabam in angustiis, adfuisti mihi in periculis multis: per te invocabam Dominum, & liberavit me. Modo quo vertam faciem meam? unde erit auxilium mihi, aut quis consolabitur me? & quis, Pater optime, me consolabitur si me dereliqueris? In te sperabam, nunc me spes fefellit. Hæc & alia multa proloquens, se solo sternebat; & supplex orans, crebris lacrymarum fluentis totum vultum rigabat. Nocturnis autem appropinquantibus umbris, cum in quadam casula, qua ante vivente Guthlaco hospitari solebat, pernoctans, mœstam mentem huc illucque jactabat. Parumper ibi nocturnis orationibus transmissis, cum lumina levi somno dimitteret; subito expergefactus, totam cellulam, in qua quiescebat, in immensi luminis splendore circumfulgescere vidit: & cum ab ignota visione terreretur, extemplo B. Guthlacum, coram adstantem, Angelico splendore amictum, prospicit, dicentem ei: Noli timere, robustus esto, quia Deus adjutor tuus est: propterea veni ad te, quia Dominus per intercessionem meam exaudivit preces tuas. Noli tristari; dies enim miseriæ tuæ præterierunt, & finis laborum tuorum jam advenit: nam priusquam sol *e* bis senis voluminibus annilem circumvolverit orbem, sceptro regni dominaberis. Non solum autem, ut fertur, Regnum sibi prophetavit, sed & longitudinem *f* dierum suorum & finem vitæ suæ sibi in ordine manifestavit. Ille vero econtra dicebat: Domine, quod signum mihi erit, quia omnia sic evenient? Guthlacus respondit: signum hoc tibi erit: cum crastina dies advenerit, antequam tertia hora fiat, his qui hoc loco habitant, unde non sperant, solatia alimentorum donabuntur. Hæc dicens, lux, quæ coram apparuit, ab oculis illius recessit. Nec mora, dicta effecta secuta sunt: nam priusquam tertia diei hora propinquasset, signum in portu pulsatum audierunt, hominesque illis insperata solatia portantes conspiciunt. Exin ipse omnia quæ sibi dicta erant recordans, indubia spe futura fore credebat, fidemque inseducibilem in vaticiniis viri Dei defixit: nec illum fides fefellit. Ex illo enim tempore usque in hodiernum diem, infulata regni ipsius felicitas, per tempora consequentia, de die in diem crescebat.

AUCTORE FELICE EX MSS.

eique regnū prædicit,

Cæcus ad ejus tumulum recipit lumen.

40 Nec etiam defuncto ac sepulto Christi famulo Guthlaco signa virtutum ac sanitatum, quæ per illum viventem Dominus hominibus donavit, per invocationem intercessionis ipsius ubique candescere præsentem adusque diem cessaverunt: ut qui vivens pomposis virtutum rumoribus se elevare noluit, quanti meriti vel quantæ valitudinis erat, post obitum suum per plurima miraculorum tropæa monstraretur. Erat namque quidam vir paterfamilias in provincia *g* Wissa, cujus oculi, bis senis mensium orbibus adepto videndi lumine, furvis albuginis nubibus tegebantur, ita ut splendentis diei lumina à furvæ noctis caligine secernere nequiret. Qui cum reprobatis pigmentorum auxiliis medendi salutem desperaret, perpetuamque sibi luminis orbitatem imminere comperiret, tandem invento salubri consilio, ad corpus sacratissimum viri Dei Guthlaci se duci rogavit, dicens: Scio certe & confido, quia si aliqua de rebus ab eo sacratis lumina mea tetigerint, cito sanabor, & visum oculorum meorum mihi reddet. Amici autem illius ut ipse rogaverat fecerunt, duxeruntque illum ad portum insulæ Cruland, & illi navi ascensa devenientes insulam, appetiverunt colloquium venerabilis Christi Virginis Pegæ: quæ ferventis fidei illius spem indubiam comperiens, intra oratorium, quo corpus B. Guthlaci recumberet, duci permisit. Illa ergo partem glutinam salis, à S. Guthlaco ante consecratam arripiens, in aquam *h* operatoriam levi rasura mittebat: ipsam denique aquam cum intra palpebras cæci guttatim stillaret, mirabile dictu! ad primum tactum primæ guttæ, detrusis cæcitatis nubibus, oculis infusum lumen redditum est:

est: priusquam enim alterius oculi palpebris salutaris lympha infunderetur, quidquid in domo esset in ordine narrabat; visumque sibi in eodem momento donatum fatebatur. Deinde postquam diu clausas gratia per gratiam frontis reclusit fenestras, cognovit inventum olim quod perdidit lumen, dux se ducentibus factus est revertens cursus. Exin ubi lumen de fonte luminis hausit, ibat quo venerat, nec sic reversus ut erat: viditque videntes, quos prius videre negavit, grates Deo persolvens dignas, quas nullus reddere nescit. i

ANNOTATA.

a S. Pegæ *Vitam dedimus 8 Ianuarii. Ejus cella ab habitatione S. Guthlaci distabat 4 leucis ad plagam Occidentalem: ubi nunc oppidum Peag-kirke, id est ecclesia S. Pegæ.*

b Egbertus secretorum ejus præ ceteris conscius. *Ita infra Ingulfus.*

Annis ab Incarnato verbo.

c *Auctor hic ab Incarnato Verbo (id est novem mensibus ante vulgarem Æram, à Christo nato, sive à Ianuario sequente inchoari solitam) annos suos enumerat, secutus Dionysium Exiguum: cujus fuisse istam methodum numerandi, demonstrat Petavius, lib. 2 de Doctrina temporum cap. 2 & 3; & paucis, part. 2 Rationarii temporum lib. 4 cap. 1. Hanc rationem computandi annos à Verbo Incarnato, adhuc in usu fuisse in Etruria seculo Christi 15, infra ostendemus 17 Aprilis, ad Vitam B. Claræ Gambacurtæ.*

Annus obitus S. Guthlaci.

d *Hic annus nobis est 714, quando cyclo Lunæ 12, Solis 23, littera Dominicali G, Pascha celebratum fuit 8 Aprilis, & feria 4 proxima incidit in undecimam Aprilis: qua feria & die mortuus est S. Guthlacus. Eumdem annum 15 etiam detinuit Ordericus. At Chronologus Anglo-Saxonicus Westmonasteriensis & alii annum nostrum 714 assumpserunt.*

Ethelbaldus Rex.

e *Ita mortuo Coelredo anno 716 successit Ethelbaldus. Ingulfus hinc sua descripsit, & habet:* Ante præsentis anni cursum circularem. *Ordericus:* Antequam annus finiretur. *Capgravius:* Infra biennium labores tui finem habebunt: *& hic respexit ad obitum S. Guthlaci, alii ad tempus corporis incorrupti reperti, aut certe ubi Felix scripsit,* bis senis voluminibus, *id est mensibus; ipse legit,* bis suis voluminibus, *& annos 2 interpretatus est.*

f *Traditur regnasse annos 41, & anno 757* Secandunæ occisus, cujus corpus Repandunæ sepultum jacet. *Ita Chronologus Anglo-Saxonicus.*

g Wissa, *in hodierno Cantabrigiensi Comitatu, contigua Lincolniensi & Norfolciensi Comitatibus: ubi castrum* Wisbich *postea ab Episcopis Eliensibus constructum fuit.*

h *Ita MSS. at dubitat Mabillon, an legendum,* apertoriam, *ab effectu sic dictam? an* adspersoriam, *aut* offertoriam? *Verum potuit dici* aqua opertoria, *quod certo operculo tegeretur: ut solet aqua pluvialis excepta tegi.*

i *Hic desinunt MSS. Bertinianum, & Vedastinum.*

APPENDIX,

auctore Orderico, ex relatione Ansgoti Suppriorіs Croylandensis.

Ethelbaldus Crulandense Monasterium ædificat.

Multi ergo diversis infirmitatibus gravati, auditis rumoribus miraculorum beati Guthlaci paludstrem Croilandiam, ubi sanctum corpus quiescit, adeunt, precibusque ejus sanitatem integram adepti Deo gratias referunt. Rex autem Ethelbaldus, ut beatum consolatorem suum miraculis coruscare comperit, locum sepulturæ ejus gaudens expetiit, & ea quæ beato viro jam regnum adeptus donaverat, servientibus ei perenniter concessit. Nam quodam tempore, dum idem Rex, causa visitandi Patronum suum, antequam migraret, Croilandiam adiret, & vir Dei quietam mansionem in eadem insula sibi ab eo concedi postularet, quinque milliaria ad Orientem, id est usque ad fossam quæ Asendic dicitur, & tria ad Occidentem, & quinque ad Aquilonem concessit, & ab omni redditu atque consuetudine seculari omnibus modis absolvit: & inde chartam, sigillo suo signatam, in præsentia Episcoporum Procerumque suorum confirmavit. Et quia palustris humus Croilandiæ, ut ipsum nomen intimat (Croilandia enim crudam, id est, cœnosam terram significat) lapideam molem sustinere non poterat; præfatus Rex ingentes ex quercu palos innumeræ multitudinis humo infigi fecit, duramque terram novem milliariis per aquam de Upolanda *, id est superiori terra, scaphis deferri, & paludibus commisceri statuit: & sic lapideam (quia sacer Guthlacus oratorio contentus est ligneo) Basilicam cœpit & consummavit. Deinde religiosos viros ibi aggregavit, cœnobium condidit, ornamentis & fundis aliisque divitiis locum ditavit, ad honorem Dei & sancti Anachoretæ, quem valde dilexerat, pro dulci consolatione, quam ab eo dum exulabat multoties perceperat. Eumdem itaque locum omni vita sua dilexit, nec umquam post primam instaurationem, quam idem Rex fecit, sedes Croilandiæ religiosorum habitatione monachorum caruit, præstante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Deo Patre & Spiritu sancto vivit & regnat Deus, per omnia secula seculorum. Amen.

** Ord. Uppalanda*

ANALECTA

Excerpta ex Historia a Ingulfi, Abbatis Croylandensis.

Rex Ethelbaldus ob miracula S. Guthlaci,

1 Rex Ethelbaldus, ut beatum consolatorem suum miraculis coruscare comperit, locum sepulturæ ejus gaudens & devotus expetiit: & ea quæ dicto viro Dei adhuc viventi ante promiserat, jam regnum adeptus plene persolvit. Accersito namque quantocyus quodam famosæ religionis monacho b Eveshamensi, nomine Kenulpho, ut ibi cœnobium aggregaret, sibi & Deo servientibus perenniter concessit, dedit & cōfirmavit, & ab omni redditu & consuetudine seculari totam insulam Croylandiæ omnino absolvit: & inde c chartam suam, in præsentia d se, Episcoporum Procerumque regni sui, securam statuit... Et quia palustris humus Croyland (ut ipsum nomen indicant, nam crudam terram & cœnosam significat) lapideum molem sustinere non poterat; præfatus Rex ingentes palos quercinos & alninos innumeræ multitudinis humi defigi fecit, duramque terram novem milliariis per aquam de Uplanda, id est de superiori terra, schaphis deferri, & paludibus commisceri jussit: & sic lapideam (quia S. Guthlacus prius oratorio contentus erat ligneo) basilicam cœpit & consummavit, cœnobium condidit, ornamentis & fundis, aliisque divitiis locum illum ditavit, eumdemque locum in tota Vita tenerrime dilexit. Nec umquam post primam fundationem, quam idem Rex statuit & fecit, monasterium Croyland religiosorum inhabitatione monachorum caruit, usque in diem hodiernum.

extruit monasterium Croylandense; ubi ligneum illius oratorium fuerat:

2 Etiam in eadem insula illis in temporibus erant nonnulli vitam eremiticam ducentes, qui viro Dei sancta familiaritate quoad vixit adhærentes, tamquam infirmi ad medicum in ejus informatione & exemplo frequentem carpebant animæ salutem. Ex quibus unus erat noviter ad fidem Catholicam conversus, nobilitate generosus, quondam præpotens in mundialibus, nomine Cissa, qui relictis omnibus secutus est Dominum suum Christum. Alius erat Bettelinus, servus præfati Patris familiarissimus. Tertius erat Egbertus, secretorum ejus præ ceteris conscius. Quartus erat Tatwinus ad eamdem insulam quondam

ibi eremitæ vixerant eius discipuli Cissa, Bettelinus, Egbertus, Tatwinus,

dam ductor ejus & nauclerus. Qui omnes in singulis casulis, non longe ab oratorio sancti Patris Guthlaci, de licentia supra memorati Kenulphi Abbatis, usque ad vitæ terminum separatas mansiones habuerant. Sancta vero Pega, soror sancti Patris nostri Guthlaci, cito post primi anni revolutionem ab obitu eiusdem, relicto prius ibidem in manibus Kenulphi Abbatis flagello S. Bartholomæi, & psalterio fratris sui, cum nonnullis aliis Reliquiis; ad cellam suam navigio remeavit, ab oratorio præfati fratris sui per quatuor leucas ab Occidentali plaga distantem...

A

& S. Pega soror 4 leucis inde distans.

3 Prædictus vero Rex Ethelbaldus, perfecto ac plene consummato monasterio suo Croyland, ad promovendam sanctam Ecclesiam, ubique per regnum suum, & ad alia etiam religiosorum virorum ac mulierum cœnobia dignitatibus ac privilegiis emancipanda, jugiter animo intendebat... Cumque quadraginta & uno annis regnasset, juxta prophetiam sancti Patris Guthlaci, bello minus provide inito, super Seggeswold, à Bernredo tyranno exstitit interemptus,... & apud Ripadium, id est Ripedum, tunc temporis celeberrimum monasterium, tumulatus, regnum Merciorum nepoti patruelis sui, videlicet Offæ filio Digniferti, filii e Anulphi, filii Osmodi, filii Loppæ, filii Pibbæ, patris Regis Pendæ, consentientibus totius Merciæ proceribus, reliquit ... qui Domino Patricio Abbate Croylandiæ, qui Kenulpho primo ejus Abbati successerat, monasterium suum Croylandiæ per f chartam suam confirmavit, anno Incarnationis Domini nostri Iesu Christi septingentesimo nonagesimo tertio. Porro proximo anno sequenti, prædicto Regi Offæ IV Kalendas Augusti defuncto, filius ejus Egbertus in regni gloriam successit, & centum quadraginta & uno diebus regnavit, morboque correptus obiit. Cui vir magnificus & sancta sobole felix Kenulphus successor, in pace, pietate ac justitia per viginti sex annos regni gubernacula gloriosissime sustentavit... Cui carne propinquus Siwardus, tertius monasterii Croylandiæ Abbas, & multa religione confessor familiarissimus, ex munificentia regia chartam hujusmodi impetravit... Omnes & singuli scitote, quia Dominus Sanctum suum mirificavit signis celeberrimis & præclaris prodigiis, beatissimum Christi Confessorem Guthlacum, in monasterio Croylandensi corporaliter quiescentem, & novis ac innumeris miraculis (prout ego ac Regina mea in nostra peregrinatione nuper oculis nostris vidimus) quotidie clarius, ad totius mundi notitiam, coruscantem. Unde consulente idem ac commovente venerabili Patre, Domino Wilfredo Archiepiscopo Dorobernensi, tunc nostræ peregrinationis comite, dictum monasterium Croylandiæ ... in custodiam capto meæ protectionis. Insuper peregrinos omnes, illuc causa devotionis accedentes, & cum signo S. Guthlaci in suis capuciis vel capellis recedentes, liberos & solutos ab omni passagio & telonio, ubicumque venerint, per totam regnum Merciæ perenniter esse volo. Sed & eleemosynas.. datas Deo ac S. Guthlaco, dictoque monasterio ac monachis in eo Deo servientibus, in perpetuam possessionem concedo, confero & confirmo, anno Incarnationis Christi octingentesimo sexto...

Ethelbaldo Regi interfecto anno 356

succedunt Offa,

e

B

(à quo confirmatur privilegium anno 793)

f

Egbertus.

Kenulphus, testis oculatus miraculorum S. Guthlaci,

C

dat privilegium peregrinantibus ad ejus tumbam, anno 806.

4 Kenulphus Rex Merciorũ anno Christi Domini DCCCXIX temporalis vitæ finem fecit, & filium suum S. Kenelmum, g puerum septennem, regni reliquit hæredem... Post cujus Martyrium Ceolwolphus Patruus ejus, frater Kenulphi Regis successit... quo expulso, Bernulphus, & Ludicanus.. Sublatis vero in brevi tyrannis, omnium consensu Witlasius in Regem levatus est, & tredecim annis regnavit... Hic postmodum chartam, h pulcherrima privilegia continentem, dicto monasterio Croylandiæ fecit anno DCCCXXXIII in his verbis ... volo etiam & præcipio, quod quicumque in regno meo, pro quocumque reus inventus & legibus obstrictus fuerit, si fugerit ad dictum monasterium, & coram Abbate dicti monasterii, qui pro tempore fuerit, gratiam sanctissimi Confessoris Guthlaci, ibidem corporaliter quiescentis, invocans, fidelitatem ei & servitium juraverit sempiternum; salvus & securus, protectione Abbatis & monachorum suorum, in quocumque servitio per totam insulam Croylandiæ ipsum posuerint, sicut in azylo vel in camera mea propria, pace mea & impunitate gaudeat; nullusque ministrorum meorum ultra illum insequi audeat, nec in aliquo molestare, sub pœna perditionis dextri sui pedis, quicumque in meo regno istud meum privilegium tentaverit in aliquo violare... Perseveravit iste Rex Withlasius constantissime usque ad mortem suam in amore, quem ad monasterium Croylandense conceperat: ita ut omni anno vitæ suæ, saltem semel, feretrum S. Guthlaci cum multa compunctione visitaret, & aliquod pretiosum notabileque iocale offerret...

succedunt Kenelmus

g

Ceolphus & alii

h

EX HIST. INGVLFI.

Witlasius dat azylum reis fugientibus ad S. Guthlacum, an. 833.

quotannis ad eum peregrinatur.

5 Mortuus est Witlasius Rex anno regni sui decimotertio, & in Ripadio monasterio sepultus: cui successit in regnum Bertulphus frater suus, regnavitque similiter tredecẽ annos. Hic transiens per Croylandiam, quæcumque frater suus Witlasius vel alii Reges Merciorũ iocalia plurima, in sanctæ Ecclesiæ ornamentum, larga manu contulerãt, omnia una cum tota pecunia, quam in monasterio invenire potuit, sceleratissime diripuit. In recompensationem tamen aliqualem pecuniæ direptæ, chartam plurima privilegia continentem fecit Croylandiæ de terris suis & libertatibus his verbis ... pro Withlasii quondam Regis, fratris & prædecessoris mei, proque redemptione meorum peccatorum, cum communi consilio, gratuitoque consensu omnium Magnatum regni mei, concedo Deo & beatissimo Confessori suo S. Guthlaco, sacratissimoque monasterio vestro Croylandiæ, quod per totum regnum meum Merciæ, Abbas, Monachus, Conversusque sacri monasterii vestri, qui nunc estis, vel qui vobis succedent infuturum post vos, ibidem Domino servituri, pro quocumque negotio processerint, de fugitivis viæ suæ famulos licenter sibi faciant ac producant, in que præsentia dicti Abbatis, monachi vel Conversi ubique per regnum meum, sicut in Ecclesia sua Croyland, salui permaneant & securi, ac ab omni periculo immunes penitus & indemnes, sub mutilatione membri magis dilecti, si quis istud privilegium meum in aliquo temere violarit...

E

Bertulphus Rex diripit bona Croylandia,

dat immunitatem per totum regnum an. 851,

6 Confirmo etiam vobis & successoribus vestris, regulam S. Benedicti sub habitu vestro tam nunc professis quam post vos professuris, principalem vestram Ecclesiam Croylandiæ, in qua venerandæ Reliquiæ sanctissimi Christi Confessoris & Patroni vestri B. Guthlaci, corporaliter tumulati ultimam resurrectionem feliciter expectant: totamque insulam adiacentem ... in sedem separalem Abbatiæ vestræ in situm specialem monasterii vestri trado... Hæc est hæreditas Domini, dos Ecclesiæ Christi, solium S. Mariæ & B. Bartholomæi Apostoli, S. Guthlaci monachorumque suorum sanctuarium sacratissimum, & monasterium ab omni terreno servitio liberrimum, Illustrissimorum Regum eleemosyna specialis, mansio Sanctorum perpetua, & possessio viris religiosis communi regni consilio specialiter appropiata, proque frequentibus miraculis sanctissimi Confessoris inter vineas Engaddi balsami mater semper fertilis, & Regum privilegiis in solitudine Bosor omnibus pœnitentibus civitas gratiæ & salu-

F

confirmat regulam S. Benedicti,

EX HIST. INGULFI. A salutis... Confirmo etiam Deo & S. Guthlaco sacroque monasterio vestro, de domo Fregisti ecclesiam de Langtoft.

7 *Ita deinde sexies cum eadem formula*, Confirmo Deo & S. Guthlaco, *stabiliuntur illustria dona eidem monasterio oblata, eo fine inquit*, ut gratiam beatissimi Confessoris Christi S. Guthlaci, apud vos corporaliter quiescentis, in nostris adipisci necessitatibus jugiter mereamur. Anno ergo Incarnationis Christi DCCCXXI, feria sexta, in hebdomada Paschæ, istud meum regium chirographum sanctæ Crucis signo stabilivi... Ego Berthulphus Rex Merciorum divinam deprecor majestatem, quatenus per intercessionem sanctissimi Confessoris sui Guthlaci omniumque Sanctorum suorum, dimittat mihi, & omni populo meo peccata mea; & sicut per aperta miracula sua nobis ostendere dignatus est misericordiam suam; sic super Paganos hostes suos dare dignetur in omni certamine victoriam, & post præsentis vitæ fragilem cursum in consortio Sanctorum suorum gloriam sempiternam. Amen.

implorat intercessionem S. Guthlaci,

& asserit aperta esse miracula ejus.

8 Fecit Deus in isto Concilio ad honorem sanctissimi Confessoris sui Guthlaci celeberrimum miraculum, quo devotio totius terræ ad peregrinationem peragendam Croylandiæ, jam plus solito tepida, deinceps fieret frequentissima, & per omnes vias ab omnibus provinciis redderetur quotidie rediviva. Cum enim totam Angliam contereret hoc anno quidam morbus, quasi paralysis, nervis hominum, mulierum ac infantium frigore repentino & excessivo, venis durius orientibus, nullo prævalente pannorum remedio repercussis, ac maxime brachiis ac manibus hominum inutilibus factis & totaliter arefactis (Quem quidem morbum præiens, quasi nuntius ejus certissimus, dolor intolerabilis membrum sic ægrotans præoccupabat) contigit in hoc Concilio plures tam majores quam minores dicto incommodo laborare. Cumque regni negotia proponerentur, Dominus Ceolnothus Archiepiscopus Dorobernensis, qui dicto morbo vexabatur, aperte consuluit, divina negotia debere primi proponi, & sic humana negotia, Christi suffragante gratia, finem prosperum posse sortiri. Assentientibusque universis, cum Dominus Siwardus Abbas quæreretur... ac pro nimia senectute non adesset, ipsemet Rex Bertulphus, querelæ Ecclesiæ Croylandiæ reminiscens, coram Cōcilio injurias, Domino Siwardo Abbati ac monasterio suo Croylandiæ, adversariorum suorum fatuo furore, sæpius illatas, patenter exposuit, & ut remedium apponeretur, decerni communi consilio imperavit. Cum ergo istud negotium in medio versaretur... i Dominus Ceolnothus Dorobernensis Archiepiscopus alta voce, de morbo suo se sanum & incolumem exclamavit, meritis sanctissimi Confessoris Christi beatissimi Guthlaci, cujus negotia tunc in manibus tractabantur. Exclamant item plures alii potentissimi in dicto Concilio, tam Pontifices quam Magnates, se dicto morbo laborasse, sed jam per Dei gratiam & sanctissimi Guthlaci merita nihil doloris ex prædicto morbo in membris aliquibus se sentire: omnesque ad visitandam sacratissimam tumbam sanctissimi Guthlaci in Croyland, devota peregrinatione, quam citius poterunt, voto mox arctissimo suas conscientias astrinxerunt.

B *Grassante per Angliam difficili paralysi,*

meritis S. Guthlaci sanantur C *Ceolnothus Archiep: Cantuariensis,* i

alii Episcopi & Magnates,

9 Quapropter Dominus Rex Bertulphus k Episcopo Londoniensi (qui dicto morbo contractus jam se sanatum maximo gaudio prædicabat) præcepit privilegium Croyland in manus assumere, & medicum suum S. Guthlacum chirographo suo, prout Concilium statueret, insisteret honorare. Quod & factum est. Ideo in subscriptionibus regii chirographi Archiepiscopus Dorobornensis Ceolnothus se sanum & incolumem fatetur; l S. Swithunus Episcopus Wintoniensis, de Domini miraculis lætatur; m Alstanus Schireburnensis & n Orckenwaldus Lichenfeldensis Episcopi, de profectibus Ecclesiæ gratulantur; & o Rethunus Legerecensis Episcopus, se S. Guthlaco famulum, quoad viveret, pollicetur: universique Concilii optimates affectu ardentissimo regiæ benevolentiæ penes S. Guthlacum in omnibus obsequuntur. Confluentibus itaque quotidie de tota terra populis innumeris languidorum ad sacratissimam S. Guthlaci tumbam, & devotione debita per merita sanctissimi Confessoris divinam gratiam implorantibus, Dominoque aperiente universis fontem largissimum medicinæ salutaris, ita ut una die aliquoties ultra centum hujusmodi paralytici sanarentur; ditatus est Abbas Siwardus supra modum....

k *Episcopus Londinensis,*

D. l m n o

& sapius una die 100,

10 Bertulpho Rege Merciorum mortuo, Beorredus in regnum successit: in cujus tempore venerabilis Pater, Dominus Siwardus plenus dierum & decrepitus, sexaginta duobus annis officio Pastorali strenuissime administrato, obiit: cui ad officium Abbatis monasterii Croylandensis Dominus Theodorus succedebat. In ejus tempore Dani ubique per terram prædas agentes, maxime Northumbriam & Merciam devastarunt;.. & apud Nothingham anno Domini DCCCLXVI hiemarunt ..... & anno DCCCLXXI pauci juvenes vix evadentes, proxima nocte sequente monasterium Croyland ingressi, stragem Christianorum lugubri ac lacrymabili ejulatu clamantes, ad ostium ecclesiæ nuntiabant. Cunctis itaque de nuntio confusis, Abbas retentis secum senioribus monachis & paucis infantibus, omnes fortiores & adolescentiores, assumptis secum sacris Reliquiis, scilicet sacratissima gleba corporis S. Guthlaci, flagello psalterioque suo, aliisque præcipuis jocalibus... præcepit in proximas paludes fugere & ibidem belli exitum expectare. Qui cum multa cordium suorum mœstitia jussis obtemperantes, onerata navicula cum prædictis Reliquiis & Regum monumentis..ad silvam de Ancarig, contiguam insulæ suæ versus Austrum, perveniunt: & cum fratre Toreto anachoreta, ac aliis fratribus tunc ibidem commanentibus, quatriduo commorati sunt, numero triginta: de quibus decem Sacerdotes, ceteri inferiorum graduum extiterant...

E *Danis accedentibus an. 871*

Reliquiæ S. Guthlaci translatæ ad silvam Ancarig.

11 In monasterio vero induentes se sacris vestimentis, tam Abbas quam ceteri omnes, & in choro coadunati, regulares Horas officii divini, posteaque Davidicum Psalterium ex integro persolvunt: deinde magnam Missam ipse Dominus Abbas celebrabat, ministrabantque frater Elfgetus Diaconus, frater Savinus Subdiaconus & fratres Egelredus & Walricus pueri ceroferarii. Cumque completa Missa Abbas & ministri sui prædicti sacris mysteriis communicassent, irruentibus in ecclesiam Paganis, venerabilis Abbas super sanctum altare per manum crudelissimi Regis Osketuli, verus Martyr & Christi hostia immolatur. Ministri circumstantes omnes per barbaros capitibus detruncati: senes & infantes incipientes de choro fugere, capti & durissimis tormentis, ut ecclesiæ suæ thesauros ostenderent, examinati & exanimati sunt: Dominus Askerus Prior in vestiaria, Dominus Lechtwinus Subprior in refectorio: quē frater Turgarus infans decem annorū, facie corporisque forma venustissimus, gressu individuo in refectorio consecutus, cum seniorem suum cerneret occidi; commori & simul interfici cum eo instantissime supplicabat. At junior Comes Sidrock, misericordia motus super puerum, exuebat eum de cuculla sua, & dato Danico colobio jussit eum ubique vestigia sua imitari: sicque de omnibus senioribus-

F *Occiduntur à Danis Theodorus Abbas cum reliquis Monachis,*

Turgarus puer servatus,

A nioribus & junioribus remanentibus in monasterio solus servatus est . . .

videt corpora Sanctorum cum ecclesia & monasterio combusta

12 Dani vero omnia sarcophaga Sanctorum qui altis tumulis marmoreis circa tumbam sancti Patris Guthlaci ad dexteram & sinistram ejus quiescebant, cultris & ligonibus confregerunt, scilicet ad dextram tumulum S. Cissæ Sacerdotis & anachoretæ, & tumulum S. Bettelmi viri Dei & quondam ministri S. Guthlaci, tumulum etiam S. Tatwini quondam ducis ad Croyland & naucleri S. Guthlaci . . . sed cum speratos thesauros non invenirent, nimium indignati, universa Sanctorum corpora, in unum acervum miserabiliter contracta, immisso igne die tertio adventus sui cum ecclesia & omnibus monasterii ædificiis, scilicet VII Kalendarum Septembris, funestissime combusserunt. Quarto tandem die cum animalium & jumentorum innumeris gregibus versus Medeshamsted transmigrarunt . . . . Postea frater Turgarus, per fugam elapsus in proximam silvam, perque totam noctem ambulans, summo diluculo Croylandiam ingressus est. Quem cum sanum & incolumem cernerent, aliqualiter confortati sunt: sed audientes ab eodem quibus in locis tam Abbas eorum, quam ceteri seniores & confratres sui occisi jacebant, & quomodo omnia Sanctorum sepulcra contracta, & monumenta omnia sacraque volumina B sua cum corporibus Sanctorum erant combusta, inæstimabili dolore omnes consternati sunt, planctusque & ploratus diutissime factus est. Tandem . . . de Pastore inter eos eligendo invicem colloquuntur: celebrataque electione, venerabilis Pater Godricus omnium consensu, licet invitus & multum renitens, Abbas tandem est effectus . . .

reversus indicat aliis ex silva reducibus, omnia quæ gesta erant.

Alia bona diripiuntur à Regibus Merciorum.

13 Beorredus autem Rex Merciorum, contracto maximo exercitu, quasdam terras monasterii S. Guthlaci de Croyland stipendiariis militibus distribuit, quasdam sibi confiscavit. Et licet venerabilis Pater Godricus sæpius repetendo multos sudores penes Regem & ministros suos consumeret, & chartas donatorum, Regumque confirmationes, una cum suo proprio chirographo sæpissime ostenderet; nihil semper nisi vacua verba reportans, demum de negotii sui proposito penitus desperabat . . . Anno DCCCLXXIV Beorredus Rex Merciorum Romam petens, in paucis diebus defunctus, ibidem in schola Anglorum sepultus est: cui successit quidam servorum Beorredi Ceolwulphus, Anglicus genere, sed C barbarus impietate . . . Unde inter plurima mala quæ fecit, etiam venerabili Abbati Croylandensi Godrico miserisque Fratribus suis vectigal mille librarum imponens, monasterium Croylandense fere adnihilavit. Qui tandem depositus, misero fine vitam terminavit.

Sub Regibus Occidentalium Saxonum,

14 Regnum quoque Merciorum hoc temporis momento, prævalente contra Danos Alfredo Rege suo, regno Westsaxonico sociatum est, & usque ad præsentem diem deinceps adunatum . . . Regi Alfredo successit in regnum filius Edwardus, & huic Athelstanus filius suus primogenitus . . . Hic Abbatem Croylandiæ Godricum, longo senio gravatum, ceterosque confratres suos septem in suam curiam assumens, monasterium Croylandiæ restaurare proposuit: sed prepropera morte preventus, fratribus suis propositum perficiendum reliquit. Sucessit ei frater suus Edmundus. Eodem anno Godricus Abbas Croylandiæ obiit: quem duo senes secuti sunt: ex aliis unus monasterium Wintoniæ, alius monasterium Malmesbyriæ adierunt. Verum trium fratrum in monasterio Croylandiæ commorantium sancta trinitas in Domino confidebat . . . Rex Edmundus à quodam latrunculo occisus est, cui successit frater suus Edredus, tertius filius Edwardi Regis.

tres solum monachi Croylandiæ degunt:

EX HIST. INGULFI.

sub Edredo Turketulus Cancellarius invisit Reliquias S. Guthlaci,

15 Hujus regni anno secundo, Turketulus venerabilis Cancellarius versus Eboracum per monasterium Croyland iter assumpsit. Quod cum pertransire disposuisset, occurrentes ei tres dicti monasterii venerandi senes, multa supplicatione, advesperante jam die, ad eos intrare compulerunt: & ducentes eum ad orationem in oratoriolum suum, quod in quodam angulo ecclesiæ dirutæ construxerant, Reliquias sanctissimi Guthlaci Confessoris ostendentes, omnem historiam suæ desolationis exposuerunt. Ille vero inæstimabili pietate miseratus, universa devotissime auscultavit . . . & miseriæ tanti monasterii multum compassus, præcepit servis suis victualia usque ad reditum suum sufficientia senibus relinquere, & pro aliis necessariis emendis jussit centum solidos erogare . . . Revertendo per Croylandiam rediit, & sancto ductus Spiritu ad prædictos senes declinavit; datisque viginti libris argenti dictis senibus, ad Dominum suum Regem reversus est: & facta amicabili collatione . . . se monachum ibidem futurum promisit, & regium favorem suo proposito affore, animo devotissimo requisivit . . . Evolutis itaque paucis diebus, veniens cum Rege ad Croylandiam, mox ad Wintoniam & Malmesbyriam pro duobus fratribus nuntios misit: qui gaudentes & alacres ad suum monasterium regressi sunt. In festo ergo S. Bartholomæi Apostoli, cum venerabilis Turketulus, deposito habitu seculari, inter prætactos senes quinque, monachicum schema suscepisset, etiam baculo pastorali à Rege donatus est, & à Cedwulpho, Episcopo Dorcacistrensi, more Ecclesiastico benedictus . . .

monachos consolatur, *eleemosynis juvat:* *fit monachus* E *& Abbas Croylandiæ,*

restaurat ecclesiam & monasterium,

16 Tunc expensis de fisco Regis assumptis, in brevi ecclesia fabricata est, claustrumque cum ceteris officinis necessariis ædificatum . . . In festo Nativitatis B. Mariæ anno DCCCCXLV II, cum universi Magnates regni Londoniis convenissent, Rex Edredus dedit Domino Turketulo Abbati monachisque suis monasterium Croyland, per chartam suam his verbis . . . Vobis liqueat omnibus, quod per devotam suggestionem dilecti Clerici & cognati mei Turketuli, mihi factam super reparatione, restauratione ac libertate sacrosanctæ Ecclesię & monasterii Croylandensis, in quo reconditæ sunt Reliquiæ S. Guthlaci, Confessoris & anachoretæ; non modicum dolui & compassus sum, tam pro depopulatione sanctæ matris Ecclesiæ, quam pro minoratione beneficiorum spiritualium, pro animabus progenitorum meorum per opera misericordiæ multipliciter & frequenter impositorum . . . Aliud privilegium sancitum est, ad honorem Dei, & sanctæ matris Ecclesiæ relevationem, ac S. Guthlaci Confessoris reverentiam, in præsentia Regis, Prælatorum Procerumque suorum anno Dominicæ Incarnationis DCCCCLXVI apud London collectorum, in Octavis Pentecostes, in ecclesia S Pauli Cathedrali . . . Fecerat fieri Dominus Turketulus unam maximam campanam, nomine Guthlacum, qua cum aliis campanis composita, fiebat mirabilis harmonia: nec erat tunc tanta consonantia campanarum in tota Anglia.

impetrat confirmationem privilegiorum, an. 948. F *iterum anno 966.* *maximam campanam nominat S. Guthlacum,*

Rex Cnutus confirmat privilegia.

Anno MXXXII Cnutus Rex confirmavit omnes ecclesias & capellas, terras & tenementa, libertates & privilegia, cum quibus Rex Edredus monasterium Croylandiæ, ad honorem Dei & S. Guthlaci Confessoris sui, corporaliter in eo requiescentis, dotavit, donavit, & ditavit.

ANNOTATA.

a Ingulphus *asserit pag.* 901 *se Abbatem benedictum in festo natalitii Domini, & in Conversione S. Pauli se Croylandiæ installatum anno* 1076.

b Eveshamense cœnobium *in agro Wigorniensi funda-*

EX MSS.

A *fundatem est à S. Egwino Episcopo Wigorniensi, cujus Vitam illustravimus ad diem XI Ianuarii, ubi cap. 2 late deduximus dicti monasterii fundationem.*

c *Chartam hanc ediderunt Ingulphus & auctor Monastici Anglicani: Non videtur data anno 7 6, sed multo serius, post scriptam à Felice Vitam S. Guthlaci.*

d *Episcopi sunt* Brithwaldus Dorobernienfis, Winfridus Merciorum, Ingualdus Lodonienfis, Ædwinus Lichefeldienfis, *&* Tobias Roffenfis.

e *Hujus* Anulphi *filia, amita Offæ Regis, Abbatissa* Egburga, *misit* S. *Guthlaco sarcophagum, ut supra num.* 33 *legitur.*

f *Hac charta privilegii à Rege Offa data extat etiam in Monastico Anglicano pag.* 165 : *de cujus aliarumque similium veritate aut falsitate nil quærimus, contenti iis quæ in Apologia ad hunc Tomum prævia late deduximus.*

g Kenelmus *Rex in Martyrol. Angl. memoratur* 9 *Iulii.*

h *Extat etiam hac charta in Monastico Anglicano, & apud Spelmannum in Conciliis Britanniis pag.* 336 *& seqq.*

i Ceolnothus *præfuit Ecclesiæ Cantuariensi ab an.* 830 *ad an.* 863.

k Switulphus *appellatur in subscriptione, & traditur sedisse ab anno* 850 *usque ad annum* 863.

l S. Swithunus *colitur* 2 *Iulii, sedit ab an.* 838 *ad* 862.

B m Alstanus *fuit fere annis* 50 *Episcopus, ab an.* 818 *ad an.* 867.

n Orckenwaldus *etiam in subscriptione appellatus,* Ethelwaldus *dicitur apud Malmesburiensem, Godwinum & Alfordum, qui scribit sedisse ab an.* 835 *usque ad an.* 858.

o Rethunus *traditur sedisse ab an.* 814 *usque ad an.* 861.

TRANSLATIO S. GUTHLACI.

Ex MSS. Anglicanis.

PROLOGUS.

1 ERigite, cariſſimi, aures, omnes qui nomen Dei non in vanum accepiſtis, qui fideles vos eſſe confitemini; & aurium fiſtulas auditu nuntio intromittite; & intra mentis cubiculum recondite, quanta & qualia Dominus noſter quotidie, per venerabilem ſervum ſuum Guthlacum, ſigna operatur & mirabilia; quæ licet extra numerum fiant, & memoriam hominum excedant; tamen temporis brevitate conſtrictus, prout tenuitatis noſtræ viribus ſuppetit, de magnis minima, de multis admodum pauca perſtringam. Sed quid ego tantillus, cum prædeceſſores noſtri, viri illuſtres, totius eloquentiæ primates, omni dogmate ad unguem inſtructi, de ejus vitæ ſanctitate, de miraculorum multiplicitate, vineam uberem & fructuoſam vindemiantes, de oliva fructifera in domo Dei puſillum fructum evulſerunt. Nec mirum? Quis enim ejus virtutes & magnalia enodare ſufficiet? Quæ vox patrata per ipſum inſignia explicare poterit? Unde duplici angore coarctor; hinc prohibente à præſenti opuſculo ſenſus noſtri hebetudine ac ſermonis ruſticitate, quia ſcriptum eſt, Altiora te ne quæſieris; & fortiora te ne ſcrutatus fueris; hinc inſtigante jucundæ Fraternitatis præcepto, cui contradicendo obviare nefas cenſetur. Onerofum pondus imponitur, qui ſenſu premor, ſermone impedior, officio terreor. Ego vero in Domino confidens, cui duo accepta ſunt viduæ minuta; illa auctoritate exhilaratus, quoniam ſæpe vaſis fictilibus theſaurus committitur, & Evangelica veritate roboratus, Nolite cogitare quid loquamini; dabitur enim vobis; quodammodo ſolem facibus illuminare, arenas maris calculare præſumo. Et iterum: Vobis commiſſum eſt talentum; negotiamini, dum venio; & eritis mihi

Auctor excuſat ſuam tenuitatem:

C

Eccli. 3. 22.

Mat. 10. 19.

D pluris auro & ſaphiris. Apud Deum nec minus eloquens ignoratur, nec facundus collaudatur; nec imperitus dejicitur, aut edoctus rejicitur: in cujus examine nec ætas ſcientiæ præjudicat; ſed quod vitæ dignitas, & morum æqualitas commendat. Eapropter qui veritatem rei, non verborum complanationem ſcrutamini, nolite in præſentiarum falcatas ſententiarum methodos, nec ſubaratas verborum blanditias quærere, quæ ingenioli noſtri imbecillitas non obtinet: quæ tamen ſi opus eſſet, qui rudentem humanæ linguæ uti fecit officio rationali, facile poſſet præſtare, ac torrentem eloquentiam complanatamque facundiam commodare. Contingit vero plerumque, ut dum ſcriptor eloquentiæ pompam requirit, verborum fucis veritatem obducat. Sed, ut Doctorum quidam ait, Ubi thema honeſtum eſt, non eſt opus benevolentiam captare, nec cauſam ſchemate rhetorico picturare. Quoniam autem veritas non quærit angulos, ſed per ſe placet; ſuperſedendum eſt extrinſecorum audientium veſtituræ; dum ad hoc ſolum conor, ut ex ſententia luceat veritas, & in ſermone metiatur brevitas. Dum enim nulla favoris acquiſitio, nulla elationis præſumptio vel arrogantia, ſed individuæ ſocietatis ſuggeſtus ad præſentis negotii inſtantiam compellit; quidquid ſolœcizatum minus grammatice, minus lepidum inventum fuerit; caritas (quæ ſola nomen difficultatis erubeſcit, quæ omnia tolerat) veniam & correctionem pollicetur: quod vero congruum vel honeſtum dictum, urbanum & eleganter, de ejus munere venit, qui ait: Non enim vos eſtis, qui loquimini; ſed Spiritus Patris veſtri. Propterea non perſonam tantillitatis noſtræ contemplantes; neque propter ſpinas quæ producunt, roſam quæ producitur ſpernatis; neque propter caniſtrum, mellis dulcor aceſcat: ſed tanti Patroni magnalia attendite: imitationis exemplar, bonæ actionis ſpeculum, omnibus conreformetur. Verumtamen, quoniam non omnia poſſumus omnes; quoſdam ceu prato libuit decerpere flores, quorum odor ſicut agri pleni, quem benedixit Dominus; & nova & inaudita miracula lectoribus incognita, quæ auditores ædificent, ad laudem & honorem Salvatoris noſtri & venerandi ſui S. Guthlaci, in medium proferre.

promittit ſimplicem veritatem

E

breviter explicandam,

Mat. 10. 20.

& inaudita miracula,

CAPUT I.

Hiſtoria tranſlati corporis S. Guthlaci. Aliqua tum facta miracula.

2 AD ſingularem hujus diei celebritatem digne recolendam, in qua Tranſlationem almi patris Guthlaci ſolennizamus; habitatorem ejus Spiritum ſanctum invocemus, ut qui illi virtutes largitus eſt, nobis ad enarrandas eas ſermonem tribuat. Sed quoniam ad tantum myſterium nos minus cenſemus idoneos; Jeſu Chriſti gratiam impetremus, cujus inſtinctu omnia patrantur pietatis exercitia. Igitur ſub cujuſdam temporis articulo, cum cœnobitarum venerandum collegium, in loco, ubi S. Guthlaci inſigne corpus quieſcit, Deo militans, multo humilitatis & devotionis lumine radiaret; veræ caritatis fervor ad ejus ſanctum Corpus intuendum omnes inflammaverat. Hinc ſummo anhelantes deſiderio, quaſi ſitientes optatas aquas, humili ſermone Abbatem a Waldevum, tunc temporis curam Paſtoris moderantem, januam clementiæ ſuæ ſuper hoc pulſantes, filialiter conveniunt: ajunt enim, Nequaquam, pie Pater, opportunum, eſt, ut Patroni noſtri Guthlaci venerandæ Reliquiæ vili ceſpite tegantur, luteo vaſculo concludantur, quem Agnus, qui in medio throni eſt, omni majeſtatis ſuæ

F

Abbas Waldevus à ſuis rogatus,

a

ut corpus S. Guthlaci elevetur

A suæ fulgore illustrat: sed illius ossa venerabiliter sunt sublimanda & sublimiter veneranda in terris, cujus patrocinia nobis expedire confidimus in cælis. Quos præfatus Abbas, tantæ caritatis stimulo punctos, tanto Dei zelo erga virum Dei Guthlacum exæstuantes cognoscens; Illa, inquit, qua animus noster vobis conglutinatur, dilectio, justæ petitioni vestræ repulsam parturire erubescit. Absit ergo in tanto divinæ operationis mysterio, ut vestram obviando contristem sinceritatem: quinimo in hac devotione perseverantes, dummodo divinum adsit suffragium, dignum aggrediamur propositum. Hoc autem competenter facimus, si jejuniis affecti, orationibus in-
indicit jejunium 3 dierum stantes, à Deo impetremus: taliter enim sancti Patres magna lanxerunt mysteria, digna dicarunt sacramenta, Christo jejunium sanctificante. Hoc Elias aërio in cælum curru subvectus, Daniel in specu à pastu leonum illæsus; Hoc Moyses, typici legis Decalogi lator factus; Joannes, mundi hostiam lymphis intingens, fertis tricenteno fructu cumulatis ornatur.

4 monachi selecti, 3 Indicta itaque triduo ciborum abstinentia, & in spiritu puritatis & animo contrito, orationum instantia; eliguntur ex omni Fratrum agmine seorsum quatuor Fratres, ad tantæ divinitatis officium
B idonei; quos omnium auctoritas approbat, vita commendat, ætas excusat, qui se desponderunt uni viro virginem castam exhibere Christo. Qui, in quantum fas erat, renitentes, fragilitatis suæ excusationem opponentes, tanto se mysterio accusantes indignos, ad opus injunctum cum timore & tremore colla submittunt: fides enim fiduciam dabat, certis, quod omnia possibilia sunt credenti. Abbas autem illos monitis instruens, constantia erigens, fide certissimos reddens, ait: Confido, Fratres, ut Christi pietas, ad ejus invocationem, universa peccata non respiciat; sed quæ fides credentis postulat, conferat. Facto autem vespertino diei tempore, quo concludendum erat jejunium, præscripti Fratres sub noctis crepusculo, gravi incessu, quieto silentio, ad beati viri sepulcrum incedunt, pallentes mente & spiritu; non quo dulcedo vocis, sed mentis affectus
accingunt se operi; quæritur: ubi in orationibus excubantes, humilem repausationis ejus locum & abjectum, summo studio ab undique scrutantur, quonam modo, ad abvolvendum lapidem, commodior pateret aditus. Cumque diutine absque emolumento luctantes, nec securi & ascia, nec fossorum ligonibus, nec crebra malleorum contunsione desudarent; circa gallici-
C nium, lux, quasi fulgur oculis intolerabilis, per me-
& luce magna obruta diam fere horam emicuit; quæ omnium mentes exterruit, & aspectus obtexit. Illi nihilominus fide roborati, divini respectus fore indicium, nec incassum, suspicantur: respexit enim Deus orationes humilium, & non sprevit preces pauperum; ne longum tempus humanæ intolerantiæ tardum videatur,
removent lapidem: quin Dei sequatur suppetia dicentis, Tempore acce-
2. Cor. 6. 2. pto exaudivi te. Nam extemplo lapidem cavando perforant, retinacula & compagines laxantes colliduntur: sicque eruderato locello, optatum & incomparabilem reperiunt thesaurum. Ingrediuntur viri Dei tumulum, ascendunt in lectum strati ejus,
Corpus sanctum reperiunt, ubi dederat oculis somnum, palpebris dormitationem, requiem temporibus, ut inveniret locum Domino, tabernaculum Deo Jacob. Provoluti ergo Deum adorant in loco, ubi jacuerunt pedes ejus; manibus sacra ossa tractant, amplexantur, & deo-
suavissime redolens; sculantur. Ex continenti longe dulcior, quam cinnamomi virgultum gignit, quam ex balsamorum arbustis prorumpit, suaveolentis fragrantiæ mellitus dulcor, cujus odor super omnia aromata, efferbuit.

4 Illis itaque spirituali jucunditate exsultantibus, unus eorum quantocius accurrens, universis Fratribus, in monasterio matutinæ synaxeos laudes decantantibus, rem annuntiat, voce facta in sublime exclamans: Gaudete Fratres, iterum atque iterum dico, gaudete: invenimus pretiosum thesaurum, quem sitivimus; & sanctarum Reliquiarum margaritas, quas quæsivimus. Qui mox oculis ac manibus ad cælum erectis, in spirituali melodia laudes Deo depromunt: cereorumque accensis thyasis cum odoriferi thuris honore, ordine festivo incedentes, sepulcrum collustrant; & repertas sancti Corporis glebas examinant (O singulare gaudium! ô lætitia super lætitiam!) mixtoque præ gaudio cantum convertunt in luctum, & organa in voces mœrentium. Certatim tam digno oneri cervices subjicientes, mausolæum sustollunt, & coram altari B. Mariæ cum summa reverentia collocant; ut illic sustinerent, donec augustæ memoriæ Præsul b Alexander, omnium virtutum ac ornamentorum Pater, specimen sanctitatis, sermone luculentus, vita beatus, tantis interesset mysteriis: non enim deceret, ut absque ejus præsentia tam magnifica divinæ operationis officia exolverent. Voluit igitur præfatus Abbas, cum honesto Fratrum comitatu, Episcopum adire; taliterque eum humili sermone est affatus: Divino consultu, sancte Pater, B. Guthlaci mausolæum sustulimus, pretiosas ejus reliquias introspeximus, & in monasterium usque transtulimus. Hinc clementiæ vestræ in Deo, & Deum pro te supplicamus, quatenus summi Pontificis culmen obtineas, Davidicum regnum possideas, Salomonis imperium ascendas, si tantis interesse digneris mysteriis. Ad quorum preces majestatis ejus serena facies, aures propitiæ, blandus sermo, exauditionem pollicentur; sed dignitas tunc temporis ad favorem mendicabat. Verum ex occasione curæ Pastoralis multorum condescensioni obnoxius, secularium negotiis inclinare cogebatur: verumtamen quantocius ab agendis officialibus expediri valuit, quasi ad convivium invitatus, suum gratanter maturavit accessum.

5 Inter hæc, quod ad cumulum laudis servi sui Guthlaci Dominus ostendere dignatus est, non debet silentio contegi. Sanctimonialis quædam, Gumulda nomine, extra cellam monachorum morabatur; quæ vitæ honestate pulchrior, quam corporis superficie esse studeret; quæ mente, sicut habitu, Deo se consecraverat. Hæc media nocte consurgens ad confitendum Deo, monachorum matutinis laudibus rite interesse consueverat; ut totis diebus & noctibus juges orationes excubiasque pervigiles diceret: quippe ejus perseverantia curiositatem quamdam aliis inferebat, ut non modicum emolumenti ex tanta devotione exequerentur. Eadem vero nocte, qua ad S. Guthlaci sepulcrum fiebant excubiæ, aër nubilus cælum nubibus obduxerat, & tetra caligine terras obtexerat; ut nullum iter viatori foret pervium, nullus plateæ transitus indulgeretur, nec procedendi usquam libera esset facultas: nam nec luna nec stellæ præbebant lumina mundo. Cum sidus eximium, quasi globus ignis, roseo nitore coruscans, sicut sol mane oriens, ignitos quadrifarie spargens radios, adinstar fulguris omnem penetrans intuitum, apparuit: quod recto Orientis tramite ab avexo poli climate deorsum inclinans, ad S. Guthlaci sepulcrum usque protenditur; sicque fit, ut detersa omni nube, lætus dies solito clarior terras illustraret. O mira novitas, & admiratione stupenda! Sicut enim stella prævia Magos duxit ad Christi cunabula; ita nunc sidereus nitor ancillæ Christi fit dux itineris ad assueta divinæ pietatis studia, ac si esset hora diei sexta, palam ostendens monasterii limina.

Marginalia, right column: EX MS. D — *evocati reliqui monachi accedunt,* — *& illud deponunt in altari S. Mariæ:* b — *advocatur Episcopus:* E — F — *inter excubias ad sacrum Corpus ingens lumen apparet:*

Quam

Ex MS. A

Quam plures etiam utriusque sexus de tanto vestigio prædictæ mulieri fidem perhibebant; quia sic se vidisse asserebant. O magna & inclyta hujus Sancti gloria, cujus laudabile meritum tali voluit omnipotens indicio monstrari!

6 Ad hæc dignum relatu videtur, quod mulier quædam bonæ conversationis, infra cœnobii capacitatem, de reliquiis, quæ supererant Fratrum refectioni, vivebat: cui in superficie pedis tumor obortus, momentatim ad superiora serpendo, gravi corruptela totum corpus extrinsecus excoquebat, & in medullis vario dolore obseptis vastum condebat incendium, ut ex omni parte angore obsessæ, nullæ sufficerent vires ad tolerantiam. Erat enim morbus, quem dicunt homines iniquum; ex re nomen vendicans; quia nec humanus, nec ab hominibus curari consuevit. Quæ cum cognitum haberet, quod monachi ad B. Guthlaci mausolæum excubias celebrarent; eadem nocte intra monasterium delata, in oratione prosternitur. Amarior vero in nocte dolor urgebat, ut non stare, neque incedere posset. Ubi cum veniam & misericordiam à Deo, obtentu B. Guthlaci, pervigili nocte impetrans, vocem & sermonem orando fatigaret; solita pietate Dominus super ejus angoribus motus, in nictu oculi omnem ejus molestiam mitigavit. Enimvero tuber crepuit medius, pustulis superficie tenus perforatis; purulentisque meatibus apertis, humor luridus cum tabo virulento de putrefacti vulneris venis undatim ebullire cœpit. Nec mora: consolidatæ sunt bases ejus & plantæ, & pristinus nervorum compagumque usus & agilitas redhibetur.

gravi tumore pedis vexata, sanatur:

B

7 Post aliquot dies venerabilis Antistes, cum honestis viris & authenticis personis utriusque ordinis, totiusque Diœcesios Optimatibus, ad sæpe dictum cœnobium accessit. In cujus adventu Fratres monasterium scopis mundant, ruderibus pavimenta purgant, parietes cortinis & tapetibus vestiunt, scrinia & capsellas spoliant, epistylia pyxidibus eburneis & argenteis decorant, palliis sericis desuper auro textis altaria distinguunt. Convocaverant autem Fratres ab undique vicinos & amicos, ad gratulandum scilicet de drachma reperta: inter quos aderat dignæ memoriæ Abbas *c* Rodbis, Thorneiensis, fluvius eloquentiæ, fidei constantia & multarum virtutum dote vallatus. Sed & piæ recordationis Abbas *d* Walther us Rameseyensis, sacræ religionis Patronus, in rigore justitiæ strenuus, ecclesiasticæ observantiæ vexillum: & Eduwardus, ejusdem loci Prior, vita & moribus insignis, qui postmodum pro vitæ sanctitate & morum æqualitate in monasterio S. Guthlaci *e* Abbas subrogatus, strenue Deo militavit: sed & vir magnæ gravitatis, Priorum comprovincialium primas *f* Eliensis Prior Wilelmus. Igitur completis omnibus, quæ ad tanti mysterii opportunitatem decebant; Abbatum, Sacerdotum, Monachorum adunato cœtu, cum innumera utriusque sexus plebe, illam pretiosissimam corporis glebam, palam cunctis revelatam, in eminentiorem monasterii locum transtulerunt, præmissis variis cereorum facibus, & Sanctæ Crucis vexillis, cum thuribulis thymiamata vaporantibus. Magnæ æstimationis monachus præibat, caput viri Dei intra pyxidem, crystallis & margaritis distinctam, bajulans. Universi vero sequentes, canticorum divinorum laudes dulci modulatione canentes, & diversis linguarum choris clamorem consonum reddentes, sonantibus organis hymnorum, qui ad laudem æterni Regis decantantur, summo favore omnes plaudebant. Quia ut valde lætum erat, ecclesiam suum recepisse Advocatum; ita valde jucundum, populum talem promeruisse Patronum.

omnibus adornatis,

c Abbatibus & aliis accurrentibus, d

C *e* *f*

Corpus transfertur,

sacro Capite prælato,

8 Illud quoque, ad laudem almi Patris Guthlaci, memoriæ intimandum arbitror, quod architectum quemdam de eodem cœnobio, Alwoldum nomine, pestifera passio diutine intolerabili languore, scilicet capitis vertigine dementatim torquebat; ut ex cerebri læsione discretionis absurditatem, & infrunitatis maculam per intervalla pateretur. Hic ab Episcopo pura mentis devotione impetravit, quatenus scrinium cum S. Guthlaci capite cervici suæ desuper imponeret. Quod ut factum est, ita omnis capitis dolor & amaritudo evanuit, ut deinceps omni vita sua sano cerebro, & pristina passione illæsus viveret. Celebratis ergo rite ab Episcopo in tantis præconiis Missarum solenniis, venerandum corpus in monumento novo, ab eo consecrato, tanti Confessoris repositioni digno, ad Orientalem altaris plagam, feliciter collocarunt: lucernam ponentes super candelabrum, ut luceat omnibus qui in domo sunt: ubi quotidie ejus celebris recolitur memoria, cum sanctarum Missarum aromata in aureo altari incenduntur, ubi diversorum Sanctorum reposita sunt gloriosa pignora. Lapidem autem signantes, retinaculis & institis ferreis tantum thesaurum munierunt: unde suaviolentis dulcoris fragrantia emanavit, quasi diversorum aromatum floribus ac balsami guttulis universa repleretur ecclesia. Super lapidem vero decurio quidam, Robertus de Guardineto, miræ gravitatis veteranus, omnium religiosorum amator, conductis aurifabrorum & gemmariorum primoribus, elimatæ amplitudinis artificiosa sculptura *g* repam in sublime suspensam construxit: quam ex diversorum metallorum lignorumque generibus conpactam, auri argentique laminis vestitam, crystallis variisque gemmis adornatam, ditavit sicut usque in hodiernum humanis visibus apparet. Ubi omnipotens Dominus diversarum virtutum operatur insignia, cæcis visum, claudis gressum, surdis auditum, energuminis rationem, aridis membrorum usum, mutis verborum seriem restituens. Quæ si quis retexere vellet; dies, ut opinor, prius quam sermo deficeret.

D

sanatur ex vertigine capitis quasi demens;

corpus reponitur in monumento novo,

suavi fragrantia redolente

E

g & prælato adornatur.

claret miraculis.

9 Facta est autem hæc beati Guthlaci translatio anno ab ejus transitu *h* CCCCXXII, à Christi Incarnatione MCXXXVI, anno primo Imperii Regis Stephani *i*, præsidente Wilelmo Archi-præsule Cantuariæ. Quæ dies, per cujusque anni revolutionem, quadam prærogativa & amoris privilegio festiva & præ ceteris votiva, pro tanti mysterii sanctitate, cum summa veneratione recolitur. Exultemus itaque & nos unanimiter omnes in insigni die solennitatis nostræ: celebremus diem festum, non humana elatione, sed divina devotione: reformemus hujus Sancti exemplum in nobis, qui de gentium prædone factus est præco Dei, de populorum persecutore cælestis Ierusalem contemplator; qui prostratis populis, domibus incensis, facultatibus abstractis, omnia vendidit, & fecit sibi amicos de mammona iniquitatis; qui elongavit fugiens & mansit in solitudine, dicens cum Propheta, Heu mihi quia peregrinatio mea prolongata est: suspiravit enim terram melle & lacte manantem, ubi credidit videre bona Domini in terra viventium; quæ nec oculus vidit, nec auris audivit, quæ possidet cum perenni gloria. In hujus seculi militia laboravit, ut in futuro coronaretur: auro tecta fulgentia pro informis luti vilitate mutavit: stemmate generosus, divitiis & nobilitate celsus, omnia dimisit, & modo centuplum recepit & vitam æternam. Minimus omnium fuit, ut omnibus major esset; sed quanto se plus deiiciebat, tanto amplius à Christo sublimabatur: latebat, & non latebat: gloriam fugiebat, & gloriam merebatur: seminabat carnalia, ut meteret spiritualia: dabat

h Translatio hæc facta est anno 1136

i quotannis recolenda

F

ob miram sanctitatem ejus,

Ps. 119. 5

A dabat terrena, ut tolleret cælestia; brevia concedebat, ut æterna sibi mutaret: cursum consummavit, fidem servavit; ideo fruitur corona justitiæ, & sequitur Agnum quocumque ierit. O mira commutatio! flevit, ut semper rideret; lacus contritos despexit, ut fontem vivum reperiret: vestitus cilicio, jam operitur vestibus albis, dicens cum Propheta: Conscidisti, Domine, saccum meum, & circumdedisti me lætitia. (Psal. 29, 12.) Honoremus ergo, Fratres, Sanctorum Reliquias, ut eum, cujus facti servi, adoremus; honoremus Sanctos, ut honor servorum redundet ad Dominum, de quibus ipse ait: Qui vos suscipit, me suscipit: qui est in Sanctis suis gloriosus, (Matt. 18, 5) cum quibus nos collocet in cælesti patria, & cum electis ditet æterna gloria, qui est benedictus in seculorum secula. Amen.

ANNOTATA.

a Waldevus *successor Ioffridi, de quo supra actum.*

b Alexander, Episcopus Lincolniensis, *sedit ab anno* 1124 *ad* 1148, *quo sancte mortuus est.*

c Robertus, *hic* Rodbis, *fuit* Abbas Torneiensis, *ab an.* 1113 *ad annum* 1151; *ut legitur in Monastico Anglicano, ex antiquis monumentis pag.* 257.

d Walterus *creatus est* Abbas Rameseiensis *anno* B 1133, *& præfuit annis* 27, *ut ex Registro monasterii habetur in Monastico Anglicano pag.* 241.

e *Post* Waldevum *Croylandiæ successit* Godefridus; *tum hic memoratus* Edowardus. *Ita MS. Catalogus noster:*

f *Erat ab anno* 1109 Eliensis Episcopatus *institutus, cujus primus Episcopus loco Abbatis erat* Hervæus; 2 Nigellus *hoc tempore, sub quo* Wilelmus Prior *præerat monasterio.*

g *S. Audoenus in vita S. Eligii, de S. Bathilde Regina ait:* Jussit præterea & crepam ex auro & argento mirifice fabricari, quam super Confessoris membra deponere deberet: *hic* Repa *scribitur: utrum melius, necdum divinamus; quia necdum patet vocis etymon. Non significari loculum (quod ad* crebbe *Teutonicum trahi posset) satis ex hoc utroque loco patet:* Repe *circulum Teutonibus notat, & forte significatur hic corona varii ornatus & congruæ magnitudinis, supra sepulcrum instar conopæi suspendenda.*

h *Erant numeri perturbati in apographo nostro, sic ut ab obitu Sancti annus* CCCCL, *Christi* MCVI *notaretur: sed veros annos restituimus ex anno primo Stephani Regis: & hæc correctio confirmatur ex eo quod hic nominatus*

C i Wilelmus Archiepiscopus *Cantuariensis, qui Stephanum coronarat, adhuc eodem anno* 1136 *vita functus sit.*

CAPUT II. a

Ad invocationem S. Guthlaci submittitur divinitus annona & injustus usurpator subita morte punitur.

10 QUodam tempore jucundæ recordationis Abbas Jngulfus, multæ sanctitatis Pater, immensæ virtutis in semetipso, claræ æstimationis in populo, curam Pastoralem & animarum regimen, in domo Dei & S. Guthlaci, nutu divino susceperat. Qui suscepto Abbatis officio, soli Deo intrinsecus in cella vacans, (Ingulphus Abbas sanctus) nullo seculari involucro implicitus, nec diebus nec noctibus à colloquiis Dei & orationibus cessabat; interiorisq; hominis sui & gregis sibi commissi studens profectibus (ut scriptum est de eo qui discipulis præesse debet) omnia bona & sancta operibus magis quam sermonibus docebat; divinum illud esse, quod super omnem est mentem, tota mentis puritate consectans. Unde Fratrem quemdam, extrinsecus in humanis curis & colloquiis idoneum, ad ministrandum Fratribus advenientibusque hospitibus & peregrinis subrogaverat: (& vir hospitalis,) qui quasi pater totius congregationis; annonam constitutam absque molestia & offendiculo omnibus manciparet. (EX MSS. D consumpta omni annona;) Quem ex obedientiæ vi, & auctoritatis suæ edicto astrinxerat, ut pauperes & peregrinos tamquam Christum in eis acciperet; ut nullus super rogatis, si fieri posset, repulsam pateretur; nullum dimitteret à cella absque viatico, sed quæ necessaria forent, præberet: qui, opus injunctum læto complevit effectu. Quadam autem die quidquid ad vescendum de victu humano paraverat Fratribus, quibuslibet adventantibus erogaverat, ita ut de aliquo cibi genere nil foret residuum; quod mox indicavit Abbati, affirmans se nihil cibi vel panis in promptuario vel extra habere, vel materiam unde fieret, quod in refectione Fratrum apponeret. Provideat itaque, Pater, industria vestra, quid in tanti periculi discrimine acturi simus: jam enim hora refectionis accedit. Etenim, propter importunitatem temporis & difficultatem itineris, pensam statutam ad victum Fratrum, conductores nostri deferre nullo vehiculo possunt. Gyrabatur tunc temporis sol in Aquario; à Septemtrione horrifer perflabat Boreas; bituminææ insulæ palus congelata, (& gelu accessum impediente,) viatoribus accessum vel abcessum pro itineris periculo irretiverat; hiemali vero pruina fluminis E glarea (labitur enim ibi *b* Welanda) glacie constricta pendens, omnino se inhabilem præbebat. *b*

11 Quo agnito Abbas oratorium ingressus, ante S. Patris Guthlaci cancellos genibus provolutus, (ante Reliquias) Fratribus circumquaque orationi insistentibus, gemens atque suspirans, intente in cælum oculos defixit; sicque grandem Fratrum tristitiam, consequenti visitationis jucunditate consolans, dixit: (S. Guthlaci) Nolite, filioli, vos mœrori aut mœstitiæ penitus dedere: sicut enim Salvator, nostris exigentibus delictis, (suos monachos consolatur:) vel oblitus vel nobis iratus est; sic rursus pietate pacatus miserebitur, & optata beneficiorum nobis ubera præstabit; Vos enim minime convenit diffidere: Salvatoris promissio est dicentis, Si habueritis fidem sicut granum sinapis; dicetis monti transferre. (Matt. 17, 19) Et iterum: Quidquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis: petite, & accipietis. (Ioa. 16, 23) Confido in Domino, quia *c* cibum nobis sufficienter ministrabit, juxta verbum Sapientis, Non necabit Dominus fame animam justam. (*c*) (Prov. 10, 3) Ipse vero ait: Nolite cogitare, quid manducetis, aut bibatis; scit Pater vester, quia his indigetis. (Matt. 6, 31) Quærite regnum Dei, & justitiam ejus; & hæc omnia adjicientur vobis. F Si autem regnum Dei quærimus, de escis corporalibus minime cogitemus. Scriptum est: Maledictus, qui prius refectionem corporis, quam animæ quæsierit. Ergo fratres, oremus, psallamus, reddamus officium, ut consequamur optatum. His dictis, lacrymæ orationi succedunt, singultus occupat vocem, lingua fletibus præpeditur, & in medio conatu sermo gemitu interrumpitur. Oravit autem sic: Gloriosissime Pater Guthlace, in cujus veneratione hic congregamur & servimus; (invocat Patrocinium S. Guthlaci,) pro nobis quæso in cælis interventor apud divinæ pietatis aures existas; obtine Christum nobis fore placatum, quem credimus pro nostris culpis iratum; redde nobis propitium, quem non dubitamus piissimum; ut qui humanam infirmitatem scit non posse absque escarum usu subsistere, panem nobis quotidianum hodie tribuat. Ulla si ira est; percutiat me Pastorem inutilem, ne dispergantur oves gregis mihi commissi nec pereant.

12 O multiplex ineffabilis Dei misericordia! Cum enim tota nocte juges vigilias in orationibus & fletibus egissent, Psalmosque corde contrito decantassent; mane post *d* lucubrationem, Dominus misertus & adjutor factus, servos suos per Angeli- *d*

EX MS.

A

Angelica voce confortantur:

cum sonum confortavit. Nam cum in prima diei synaxi ad psallendum Deo in oratorio consisterent; in cellæ confinio vox ab alto facta est, quæ producto sonitu clamabat, dicens: Venite, deferte monachis cibum; venite, parate Fratribus ad vescendum. Parvoque momento, quæ missa fuerat vox, siluit. Quo audito, Abbas, accito Cellario & aliquot cum eo ministris, misit eos illuc. Qui euntes per asperitatem, quaquaversum vocem factam audierant, invenerunt quatuor saccos, binos frumento plenos, binos farina refertos. Quæ onera mox humeris imponentes cum gaudio, gratias Deo multiplicantes, cum sarcinulis intra cœnobium repedarunt; ut ex hac, quæ à Deo missa fuerat alimonia, ad usum Fratrum escam pararent. Omnes vero qui à Deo votivum meruerunt videre miraculum, corde compuncti, & ab omni mentis inanitate conversi, in brevi devotiores & multo meliores fiebant. O quam pulchrum spectaculum dies illa præbuit! Erat autem feria quinta, qua die quoniam Deus servos cibariis angustiatos cælitus visitaverat, & divinæ gratiæ munere ditaverat obtentu B. Guthlaci; sanctæ memorationis Abbas præfatus, in honore Dei & ipsius Patris Guthlaci, statuit Missarum solennia in Cappis & Tunicis Dalmaticis, cum incensis cereorum luminibus, & thuris aromatibus, & spiritualis melodiæ organis, omni laudum reverentia celebrari. Quæ institutio & mos usque in hodiernum, evoluto cujuslibet septimanæ curriculo, feria quinta, cum summa honorificentia, servatur, ad laudem & gloriam nominis Dei, quod est benedictum ex hoc nunc, & omne per ævum.

& 4 saccos frumento & farina repletos accipiunt:

quare singulis hebdomadis solennis Missa celebratur.

B

13 Quia semel [cœpi, iterum] loquar de Domino meo & Advocato B. Guthlaco, cum sim vilis & indignus, abjectorum novissimus; inutile enim est silentio præterire & scripto non committere tot præclara & tanta ejus magnalia: quæ quia non signantur scriptura, multorum sepelit memoria, & à quam plurium delentur notitia. *e* Igitur inter ceteros Prælatos, qui in domo Dei & B. Guthlaci, tamquam candelabra aurea circumquaque fulgentia, mirifice rutilabant, Abbas *f* Hulchetellus probatissimus habebatur; à primordiis sanctæ conversionis, spiritali contemplationi zelo ferventissimo inhians; qui, ut monachum re & nomine faceret, solitarius incedebat, quasi mundo mortuus, ut Deo viveret. Suscepta nimirum Pastorali regendarum animarum cura, soli Deo & officio suo vacare, quam secularium negotiorum tumultibus implicari contendit. Sed quia, teste B. Gregorio, in monastica regula devote persistere, & ecclesiasticis negotiis simul deservire nullus potest; ne sanctæ contemplationis incurreret dispendium, ab omni actione & cura forinseca se fecit alienum; & ut quietius & solicitius super gregem sibi commissum invigilaret, fundum ecclesiæ & prædia, ad tenendum & tuendum, sub annua pensione distribuit. Inter quos ruticola quidam, sed prædives Asfordus nomine, in prato terrulam quamdam, statuta pensa ab eo annuatim tenendam, obtinuit. Demum prædictus Abbas viam universæ carnis ingressus, postquam ad Dominum feliciter migravit, successor loco illius Abbas Ingulfus subrogatus est; morum reverentia, & vitæ sanctitate egregius; qui utraque vita apprime eruditus, virgam & baculum utrumque æquanimiter moderabatur. Iste in domo Dei fracta resarcire, imperfecta perficere, divisa sociare, male dispersa recolligere, tam in prædiis quam in aliis possessionibus, satagebat: sed & terrulam à prædicto Asfordo sibi reddi institit, & in proprium restitui dominium. Ille vero ut proprium jus vendicans, sibi illam sub cautione facta datam, & jure hereditario tenendam injuste asserebat.

e

f *sub Abbate Hulchetello*

C

elocata prædia

Ingulfus Abbas repetit:

D

14 Orta itaque super hac re inter eosdem lite, præfato Abbate impetente, Asfordo defendente & negante; postquam exactio coram comprovincialibus senibus & primatibus diu ventilata fuerat, tandem ad locum determinatum & diem peremptorium citantur; ubi famosis Judicibus præsentibus, & patriæ *g* Justitiis coram positis, controversia legitimo fine decideretur. Abbas vero interim & tota Fratrum congregatio in orationibus persistentes, Deo & B. Guthlaco incessanter supplicabant, quatenus domum suam nullum gravare judicium, nullum permitterent incurrere dispendium. Verum Asfordus, fraudis & mendacii sibi conscius, juris æquitati non nitens, sed divitiis, & dolorum versutiis quibus plenus erat confidens, Judicum & Justitiarum animos, muneribus datis majora promittens, ita excæcaverat & corruperat, ut quaquaversum jus se haberet, Asfordo terram indubitanter adjudicarent. Dominus autem, qui reprobat consilia populorum, inaudito miraculo judicium dissipavit iniquorum. Cum enim ad locum præfinitum liti discutiendæ cum complicibus suis migraret, equo suo in præceps corruente ad terram lapsus, fracta cervice subitæ necis occasu expiravit. Quod videntes, qui præsentes aderant, de divina ultione stupefacti, ne consimile quid pro iniquitatis conniventia incurrerent, timuerunt. Qui illico ad genua Abbatis provoluti, se peccasse, se reos esse confitentes, & veniam postulantes; prædictam terram ecclesiæ S. Guthlaci & Abbati, juxta beneplacitum ejus, cum juramento confirmantes, nequando irritum fieret, adjudicaverunt. Ille vero, lite finita & terra ad integrum reddita, quod suum erat, transgressionem & commissum eis misericorditer indulsit; & sic hilaris ad propria remeavit. Sed ô miraculum in miraculo! Cum enim corpore defuncti, in feretro, ut mos est, composito, amici & clientes ad Burgense cœnobium, ubi sepeliendus erat, deferrent; prætereuntes juxta ubi pratum sub lite positum fuerat (à latere namque illius iter ducebat) feretrum *h* cum cadavere ad terram usque corruens, per frusta divisum est; ut sic divina ultio obtentu B. Guthlaci evidentior cunctis appareret, cui sit laus & gloria per seculorum secula. Amen.

horum aliquod sibi vendicans rusticus,

g

& judices corrumpens donis,

subita morte punitur,

E

& feretrum defuncti dissipatur,

h

ANNOTATA.

a *An unus idemque auctor ista omnia, cum historia Translationis scripserit, non satis constat.*

b Welanda *fluvius, inde defluit in Metaris æstuarium, & devolvitur in mare Germanicum.*

c *Delevimus, quia sensum congruum assequi non potuimus, quæ sequuntur verba,* nec serio refectionis torpor.

d *Videtur* lucubratio, *hic poni pro* aurora.

e *Historia sequens describitur etiam ab Ingulpho.*

f Wulketulus *appellatur ab Ingulpho: in MS. nostro* Wlfketelus.

g *Forte legendum*, Justitiariis, *de quorum nominatissimo apud Anglos munere, alias egimus, & plura videri possunt in Glossario Spelmanni.*

h *Hæc ita narrantur ab Ingulpho:* Cum versus cœnobium Burgi portaretur ··· ecce nigerrima nube in suo circuitu solem obducente, & quasi nocturnas tenebras adducente, tale pluviæ diluvium cælum defundebat, quod utique fluentibus aquis dies Noëtica credebatur: quin etiam subito feretrum frangitur, & corpus defuncti corruens in terram, in sordido cœno diutissime volutatur.

F

Pluvia ingens.

CAPUT

A

CAPUT III.

Cæcitas contracta, & sublata. Incendium immissum dementia curata, meritis S. Guthlaci.

a Prior Spaldingensis, *ecclesiam S. Guthlaci inique molestans*

15 Illud quoque, inter cetera à Deo per servum suum Guthlacum gesta magnalia, memorare, opportunum ducerem; quoniam dispensator quidam ecclesiæ S Nicolai a Spaldingensis, Prioris functus officio, domum S. Guthlaci perversæ mentis immanitate infestabat; & Fratres in ea morantes, de ecclesiæ & possessionum fundo, jure sæpius causando, inquietabat: nam quadam indiscretionis absurditate, illius intolerabilis audacia, magis fraudulentis versutiis & cautelæ perorandi inhians, quam de justitiæ æquitate & veritatis sinceritate confidens, ecclesiam vexaverat & ejus adjacentias, & ornamenta falsis causationibus diminuerat. Sed hæc melius est silentio præterire, quam in medium proferre. Sicut enim monasticæ professionis conditioni non congruit à juris rectitudine declinare, & à veritatis tramite flectere; ita non decet ulla mentis nequitia, aliquibus injuriarum molestiis supernam caritatem offendere, ulla cupiditatis aut invidiæ infirmitate Confratres exheredare. Sed ut modestius de eo loquar, & taceam quas ab eo ecclesia B. Guthlaci & ejus incolæ sustinuerint molestias; falsis falsorum suggestibus institit, importune magis quam opportune, ut postmodum confessus est. Circuierunt eum canes potius quam homines: panem suum comederunt, & dolos ei supplantaverunt. Cum autem controversia diutine, coram examine affinium & provinciæ optimatum utriusque ecclesiæ partibus faventium, foret agitata; demum die peremptorio ad locum, qui Romano idiomate Monachorum-lacus sonat, ventum est: qui meta & finis inter utriusque ecclesiæ agros, certo discrimine tenuras & extensiones utrimque disterminat & certificat. Ubi re illa, audiente & vidente innumera utriusque ætatis plebe, multiformiter ventilata; cum nulla oratorum cautela amicorũ nulla prece persuaderi potuisset, ut fraternæ paci & concordiæ adquiesceret; ut schismaticus & pestilens contumaciter abscessit.

B

neque ulli concordiæ acquiescere volens,

C

cæcitate punitur; *sed in basilica S. Guthlaci culpam agnoscens*

16 O ineffabilis divinæ pietatis ultio, quam repentina, quam omni admirationis novitate stupenda! Dum enim suis eum vallantibus complicibus, adhuc ira fervens, versus cellam suam repedaret; Deus qui justificat impios, manifestum indignationis suæ ei immisit characterem. Nam oculis paulatim caligantibus, visu privatus orbatur. Quid plura? Vehementer cæcutiens, priusquam domus suæ limen subiret, extincta corporis lampade, omnino cæcus factus est. Quippe multoties Deus hic perversos flagellat, ut percussi convertantur. Verumtamen cum per temporis successum se visu orbatum graviter indoluisset; ad se reversus, recordatus est, quia cor ejus non erat rectum cum Deo, nec fidelis habitus est in testamento ejus: sicque pœnitentia ductus, totus lacrymis profluit. Attendensque justo divinæ ultionis judicio, pro injuriis servis S. Guthlaci irrogatis & damnis, se vapulare; arrepto phaselo Crolandam usque, cum votiva cerei oblatione, devenit: ibique in basilica B. Guthlaci ad Fratrum vestigia provolutus, culpam recognoscens, se peccasse, se proterve egisse, fallaci suggestu caussasse & inquietasse, palam confessus est. Isthinc toto corpore coram locello sancti viri Guthlaci prostratus, pretiosas ejus Reliquias ulnis amplexans, flebiliter lamentans, veniam implorat, gemebunde clamans cum Propheta: Lava me Domine ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me. Quoniam iniquitatem meam ego cognosco, & peccatum meum adversum me est. Enimvero de cetero me ab antiqua infrunitate & solita protervia & mentis nequitia destituturum pollicеor & paciscor. Mira res! simul ac omnis injustæ calumniæ venia à Fratribus, quos immerito vexaverat, indulta est; [& facta est deprecatio] solenniter ab ecclesia pro eo, in spiritu humilitatis, & corde contrito, fraterno ad Deum & S. Guthlacum interventu, subito exaudita est eorum oratio. Omnipotens namque Deus, cujus velle est quasi factum fuisse, obtentu B. Guthlaci, oculorum lumen tanta celeritate ei reddi fategit, ut absque ullo disterminio, qui prius foret visionis privatio, ejusdem habitus crederetur; ut contendi posset idem duorum oppositorum simul susceptibile. Quo facto, terram sub lite diu positam, quietam & absolutam, absque omni reclamatione, ecclesiæ S. Guthlaci in perpetuum restituit & resignavit. Demum accepta benedictione, datis utrimque sub fœdere pacis & dilectionis osculis, hilaris remeavit ad propria, Deo persoluens gratiarum munera; cujus ineffabilis misericordia tot operatur miraculorum genera. Amen.

Psal. 50. 4.

D *ex MS.*

visum recipit.

17 In partibus Angliæ mediastinis, villula quædam, patrio idiomate Cavæ nomen sortita, sita est in confinio fluminis Umbrensis, qui est magni nominis & fama celebris, atque transmeantibus frequens, piscibus refertus, impetuosus, tumens, surgens ex inferiori, in mare fert dulces aquas. In hac ruricola quidam fundum casalem paucaque novalia possidebat; expensisque & facultatibus extenuatus, in sudore vescens pane, manuum quæstu victualia sibi comparabat. Quodam vero labentis temporis curriculo (sicut ipse veridica assertione, cum multa vicinorum constantis fidei allegatione, perhibebat) porcum quasi bimum, spe futuræ utilitatis, nutriverat, & siliquis & cossis & migmate depastum impinguaverat, ut eo sub convenienti pretio venumdato, ex aliqua portione victus inediam sibi alleviaret; & ex aliqua Domino, cujus ditioni serviebat, annuam pensionem persolveret. Consueverat autem singula anni evolutione, gloriosum Martyrẽ b Edmundum, sincero dilectionis tenore, cum oblatione, labore manuum acquisita, visitare: in quo itinere sanctissimo Patri Guthlaco modicum exenium, sed votivum, deferebat; quem spiritali devotione præ ceteris Sanctis, quadam prærogativa & amoris privilegio venerabatur, diligebat, & in agendis adjutorem & patronum interpellabat; & annuatim, quasi penso constrictus, de substantiæ portione venustabat. Sed adversitatis hunc angina improbior quassaverat, felicitatis noverca, quæ semper amarum quiddam humanis interserit negotiis: erat enim ei convicaneus quidam, cui cupiditas dominabatur & amor insatiatus habendi, qui alienis successibus intabuerat. Hic in eodem vico à Domino officium Prætoris, vel ut potius dicam, præconis susceperat; qui in tantam avaritiæ rabiem erupit, quousque ab insanientis cupiditatis grassationibus ad furta usque perventum est. Nam ille iniquitatis filius, sub furvæ noctis silentio, præfatum porcum, laxata clausula à casula fraudulenter abductum, furabatur, atque in horreo suo clanculo occultans, obserat, ut illic quasi tutioris abditi diversorio sustineret, donec temporis opportunitas loco competeret, ut trucidaret. Mane vero facto, cum pauper suem furto ablatum comperit, Ah damnum irremediabile! exclamat; questusque congeminans, lacrymis rigat ora profusis, & solicita investigatione viciniam circumit, rumorem sermone fatigans, sicubi à quoquam aliqua sibi indicaretur de furto notitia. Demum aliquorum hortatus relatu, vel signis & conjecturis eruditus; præfatum Prætorem, nullum furti discrimen innuens, ita gemebundus

F

rusticus devotus erga S. Edmundum Martyrem b & S. Guthlacum,

E

porcum à Prætore furto abductum,

primum modeste repetit,

EX MS. A

bundus affatur! O Domine & amice, porcus ille meus, quem diligenti cura alueram, fracta clausula nostro se elongavit aspectui; si autem per te vel per aliquem de clientela tua possit mihi redhiberi, condigna vobis pro mercede respondebit recompensantis exhibitio. Cui ille: Non modico admirationis stupore afficior, quod à me hujusmodi incognita sciscitaris; qui revera, si ulla mihi de quæsitis daretur certitudo, absque mutuo ante interrogato tibi patefacerem. Iterum certis de causis & nutibus illum habens suspectum, ascita secum vicinorum presentia taliter illum alloquitur: Significatum est mihi à pluribus, quoniam sus meus, noctu furtim ablatus, vel per te vel per aliquem de vestris mihi potest reddi; quod si fiat, præsto ero ad bene placitum vestrum, paratus ad obsequium, quidquid possum vestro militabit honori. Quæ verba propter circumstantes graviter ferens, in has voces prorupit: Infelix latruncule, ut quid mihi vel meis mancipiis tantum imputes facinus? ego vero & quotquot mei ruris sunt, à maternis uberibus ab omni scelere immunes viximus.

dein coram testibus;

18 Tum pauper pauca adjecit: Ex quo nulla perorandi cautela poterit tibi à me persuaderi, ut reddatur; te in judiciali examine coram tribunali publice causabor. Tum Prætor: Nisi citius à protervitate tua resipiscas, sanguinem tuum manu mea requiram. Qui post multas contumelias illatas, post varias injurias irrogatas, minatus est, quod tamquam furem convictum, juxta latrocinii sententiam, faceret illum in equuleo suspendi. Ad hæc pauper: Quoniam facultatibus extenuatus, humano destitutus sum adminiculo, divinum impetrabo auxilium, & S. Guthlaco Patrono meo querimoniam exponam, in cujus misericordia tutissimum est refugium. Mox flexo poplite, erectis ad cælum manibus, hac prece utitur: Redemptor generis humani, & auctor æternæ salutis, scrutans corda & renes Deus, qui cuncta cognoscis antequam fiant; qui justus es, & rectum judicium tuum; qui custodis advenas,& pupillos suscipis; qui judicium facis, injuriam patientibus: precibus & meritis exoratus S. Guthlaci Patroni mei, cui dedisti dicta & facta absenter spiritu Prophetico prænoscere, dæmonum impugnationes superare, varias dolorum molestias fugare; supplicationem mihi concede efficacem, & ejus obtentu in præsenti furto potentiæ tuæ ostende virtutem; ut sit aliis in correctionis signum, & videntes, glorificent te & S.Guthlacum. Mira res! Vix oratione completa, horreum, præfatum porcum intra se continens, ex omni parte flammæ circumdederunt. O digna Dei ultio! Nam adeo vehementer & subito omnia in cineres & favillas conflantur, ut dicerentur flammivomis ætherei flulminis incendiis depopulata: nam nec minimum pessulum ab aliquo evulsum servatur incombustum; porcus autem, ad modum Chaldeorum in camino ardenti illæsorum, inter omnes prunarum fervores cute intacta, incontaminatus reperitur.

B

sed frustra.

S. Guthlacum invocat,

C

mox horreo furis combustio.

porcum illæsum recipit.

19 Anno Imperii Regis Stephani XII, Decurio quidam, magnæ audaciæ miles, Reinaldus de Cornubia, Comitis c Gileberti Gandensis ditioni & honori militabat, & in ejus expeditionibus ad tempus tirocinabatur. Cum vero Comes ille in transmarinis partibus iter agens, non modicum nummorum censum à negotiatoribus mutuatus fuisset; eumdem Reinaldum vadem & obsidem eorum mancipatui obligavit: cui in patriam & in propria recepto, de debito persolvendo nulla erat mentio, de Reinaldo redimendo nulla vel ultima quæstio. Reinaldus diu Domini præstolans legationem, & nullam adeptus alleviationem, graviter indoluit: & ut erat exul & extorris, alienis fœnoribus & usuris irretitus, fidem interposuit quaquaversum potuit, abscessumque ab eis extorsit. Qui ad patriam redivit, intra maris pericula turbidis jactatus procellis, jejuniis & fame cruciatus, pavore attritus, totaque mente resolutus (quippe commovit cerebrum permoti vis elementi, exegit stomachum nausea crebra suum) sicque totis viribus destitutus, omnibus membris enervatus, gravissimum incidit in morbum, ita ut ulterius incedere nequivit. Verum apud castrum Cantebrigense phaselum cum utensilibus comparans, per longi tractus maris versus propria est advectus: erat autem naturaliter arreptitius, phreneticique persæpe laborabat infrunitate. Cumque magis ac magis Crulandiam accederet, cateruatim emergebat phrenesis, ebulliebat rabies. Quid plura? Jam raptus in reprobum sensum, portenta verbornm evomuit, jam navigantibus reluctans, vix prohibetur quin navim volutando submergeret. Dum autem intra pagum ventum est, nolentem & diu renitentem introduxerunt eum in casam cujusdam, qui fidem narrationi adhibuit: ubi in tantum rabies grassabatur, ut fere nullus secum infra domum morari auderet. Quidam autem clientum, cum pelvi aquam hauriens (ad ostium vero domus labitur Welanda) sine intermissione totum ejus corpus rorabat, credens ardorem furiæ tanto refrigerio posse extingui. O feralem insaniam! Cum vero ab ejusdem loci monachis ad basilicam S. Guthlaci traheretur, ad illius clamorem totum cœnobium insonuit. d O quot satellitibus irrogabat injurias! quoties, si quos deprehenderet instigatos, canini dentis morsu quasi lupus mordicus vorabat! Cruciculam processionalem, ejus aspectui præsentatam ad Christi passionis & mortis memoriam, nisi citius ab ejus unguibus fuisset extorta, per frusta minutasset. Quam sæpe rabiei immanitas ad nepotem suum trucidandum eum stimulavit! e

D

Reinaldus pro debitis Comitis obses datus,

rediturus in Angliam,

in morbum & amentiam incidit

E

ad ecclesiam S. Guthlaci trahitur.

F

& videtur sanatus.

ANNOTATA.

a Spaldyng *oppidum ad Wellandam fluvium, prope æstuarium Metaris.*

b S. Edmundus Rex *&* Martyr *colitur* 20 Novemb.

c *De variis* Gilbertis, *ex familia Flandrica de Gande seu Gandavo, degentibus in Comitatu Lincolniensi & ditione Chestrevena, egimus* 4 *Februarii &* 1 *ad Vitam S. Gilberti Fundatoris Ordinis Sempringhamensis pag.* 567.

d *Ecgraphum nostrum addit*: sed super quemdam, manibus suis ore obstructo, vocem oppilavit: *qua quia sensum interturbant, omittere maluimus.*

e *Reliqua desunt: & videtur hic demens ad sepulchrum S. Guthlaci sanatus & ideo hæc relatio facta.*

A

DE B. RAYNERO SOLITARIO

G. H.

Osnaburgi in Westphalia.



Vm abhinc annis ducentis ars typographica per Europam increbresceret, fuerunt varii viri doctrina & pietate eminentes, qui ad honorem Sanctorum amplificandum varia Acta Sanctorum ederent, & non solum de aliquot Sanctis in particulari, sed generatim de quibusvis Sanctis collectionem facerent. Ita Boninus Mombritius Mediolanensis edidit duo illustria volumina de Sanctis: & alius in Germania inferiore collegit historias plurimorum Sanctorum; quarum duas editiones novimus, alteram Coloniensem anni MCCCCLXXXIII, *alteram Lovaniensem anni* MCCCCLXXXV. *In hac folio* LIII *& sequenti continentur Acta* S. Reyneri Confessoris, Solitarii in civitate Osnaburgensi, *ut titulus scribitur. Quæ de illo inde huc translata damus, nobis etiam manuscripta à Domino Bernardo Schenckinck, Scholastico Osnaburgensi & Canonico Mindensi, transmissa sunt. Eamdem prædicti Reyneri Vitam, sed contractam, ex* MS. *edidit Franciscus Haræus de Vitis Sanctorum ad hunc* XI *Aprilis, &* Beatum *appellat.*

Vita ejus olim edita.

B

Memoria in Martyrologiis.

2 *In* MS. *Florario Sanctorum memoria hujus viri ad hunc* XI *Aprilis, quo obiit, assignatur his verbis:* In civitate Osnaburgensi B. Reyneri Solitarii & Confessoris. *Grevenus Carthusianus Coloniensis, in Auctario Usuardi edito anno* MDXV *&* MDXXI, *hoc eum elogio exornat:* Item beatæ memoriæ Reyneri Solitarii, qui apud ecclesiam Osnaburgensem reclusus, vita & miraculis admodum effulsit. *Qua phrasi eadem descripserunt & ediderunt Molanus in additionibus ad Usuardum, Gelenius in fastis Coloniensibus, & Canisius in Martyrologio Germanico. Ferrarius in Catalogo generali ista habet:* Osnaburgi in Germania S. Raynerii Solitarii. *Eodem modo* Sancti *titulo eum honorat Petrus Cratepolius, in libello de Sanctis Germaniæ, ubi pag. 130 sic scribit:* S. Reynerus in ecclesia Osnaburgensi miraculis in vita & in morte claruit. *Eadem repetit idem Cratepolius in Annalibus Episcoporum Osnaburgensium, in Episcopo* XII *Warmodo. Verum diu postea Reynerus vixit sub Gherbardo de Lippia, ab eoque in clusorio suo constitutus est tempore Innocentii Papæ* III, *qui sedit ab anno* MCXCVIII *usque ad* MCCXVI. *Vixit autem reclusus annis* XXII, *mortuus secundum Haræum anno plus minus* MCCXXXVII, *cum dictus Gherbardus, aliis Gerardus, viveret Archiepiscopus Bremensis, ad hanc Sedem ex Osnaburgensi translatus: cujus tempore videtur Vita B. Rayneri primitus conscripta, ab auctore ejus fere æquali, ut censet Haræus.*

Ætas illius.

C

3 *Arnoldus Wion, citatis solum Molano & Cratepolio, inscribit suo monastico Martyrologio Ordinis Benedictini Raynerum Solitarium; secuti sunt vestigia Wionis, Dorganius, Menardus, Bucelinus, qui etiam Annales suos Benedictinos allegat. Adfuerunt ei in morbo Fratres Prædicatores, & in obitu Ernestus Bremensis Prior Prædicatorum, Ioannes Decanus Osnaburgensis & alii; nec ulla uspiam Ordinis Benedictini fit mentio. Ioannes vande Velde in fastis Westphalicis, necdum editis, ad hunc diem memorat* S. Reynerum Osnaburgensem. *Edita sunt anno* MDCLII, *auctoritate & jussu Francisci Gulielmi Ratisponensis & Osnaburgensis (postmodum S. R. E. Cardinalis) Officia propria Ecclesiæ & diœcesis Osnabrugensis, sed absque ulla mentione hujus Solitarii Rayneri: quod signum est in ejus honorem hactenus non fuisse celebratum Officium Ecclesiasticum. Annuam tamen aliquam memoriam, & quidem ex voto, fieri solitam à Canonicis, eodem modo ac ritu quo de Episcopis defunctis solebat, indicat Vita: sed quisnam hic modus fuerit, necdum comperimus. Est porro* Osnaburgum *seu* Osnabrugum *notissima urbs Westphaliæ, eademque Episcopalis.*

An spectet ad Benedictinos?

Non fit de eo Officium Ecclesiasticum.

VITA

Ex MS. & antiqua editione.

1 BEatus Reynerus, Dei fidelis famulus, à pueritia zelo devotionis accensus, ita innocenter & laudabiliter vixit, ut lux sibi divinitus collata, luceret coram omnibus hominibus, cum quibus conversabatur: & quod sedulum habebat cogitatum in præceptis Dei, ex abundantia cordis omnis narratio erat in præceptis Altissimi. Qui in ætate virili, sub Innocentio Papa tertio, per venerabilem Patrem Gherberdum Archiepiscopum Bremensem, tunc Episcopum Osnaburgensem, cum multa devotione & reverentia clausus est in clusorio, juxta ostium majoris Ecclesiæ Osnaburgensis. In quo viginti duobus annis ita contemplative vixit, ut in eo impletum inveniatur dictum Apostoli *Nostra conversatio in cælis est.* Sciunt id etiam & testantur nedum religiosi, verum etiam laici plurimi, qui verbis & exemplis illius minus devoti ad devotionem, magis autem devoti ad majorem devotionem provocabantur. Seculares etiam potentes & mundo dediti, quos in multa simplicitate solebat monere, & pro suis vanitatibus & insolentiis cum multa mansuetudine redarguere, ad ipsius simplicem admonitionem corrigebantur.

Inclusus Osnabrugi 22. annis: omnibus prodest.

Phil. 3. 20

E

2 Portabat autem beatus vir Reynerus ad carnem loricam militarem, & super loricam indumentum de sago, valde grosso, de quo intus maximum & assiduum sustinuit incommodum. Super quo habuit aliud tegumentum de ferreis catenis, in modum retis cancellatum, admodum ponderosum, quod tegebat tunica de panno viliori: hiemali autem tempore, necessitate cogente, utebatur pellicea ex pellibus, sub quibus tamen corpus suum raro vel nunquam, calefiebat. Præter onera supradicta, membra sua, quantum poterat, singulis gravaverat ferramentis: oneraverat enim collum, brachia, pectus, crura singula, non singulis sed plurimis catenis & aliis ferramentis, quæ adhuc ad sepulcrum ejus inveniuntur & ostenduntur. Præterea digitos pedicos puniebat annulis ferreis & crineis. Et dum ab eo interrogaretur, cur ista faceret, respondit: Sicut Dominus noster Iesus Christus in omnibus suis membris pro me passus est ita & ego vellem pati in omnibus membris.

Induitur lorica & catenis ferreis,

in memoriam passionis Christi.

F

3 Nullo tempore, quantumcumque infirmus, vescebatur carnibus aut lacticiniis, nec etiam piscibus, nisi in præcipuis festis; & difficulter tunc cum consilio sui Sacerdotis piscibus utebatur. Dominicis diebus comedit de uno pulmento, videlicet oleribus & allio, tertia feria & quinta similiter; secunda vero feria, quarta, & sabbato, pane & cerevisia; sexta feria & Vigiliis atque Quatuor temporibus simplici pane siligineo & aqua contentus erat. Panem etiam triticeum diebus profestis comedere, nimis delicatum sibi videbatur.

arctissime ieiunat:

4 Sub prædictis oneribus, divino fultus adjutorio, supra quod cor humanum comprehendere valeat, in orationibus hoc modo laborabat. Omni die Horas diei, sancti Spiritus & beatæ Virginis, insuper & Psalterium & Vigilias atque alias orationes speciales, quas pro familiaribus suis vivis & defunctis facere solebat, suo more explevit. Circa quas tanto tempore detinebatur, quod etiam æstivo tem-

plurimas preces fundit,

EX MS.

A tempore, cum dies sunt longiores, vix vacaret ei tempus ad comedendum. Propter quod etiam se raro posuit ad dormiendum: sed ubicumque eum sopor deprehendit, ibi sedens quievit. Habuit tamen lectum, in quo ex transverso posuerat aliqua ligna, & desuper mattam in quibus cubare solebat; ut nec etiam tempus quietis à merito vacaret. *& in duro lecto dormit.* Ad caput loco cussini habuit lignum durissimum, in quo concavitatem fecerat, quæ tantum caput ejus capere poterat. Tempore infirmitatis vix coactus à Confessore suo inducebatur ut capiti suo pauca stramina supponeret. Et si aliquando tempore infirmitatis, ex præcepto Superioris, lacticinia vel pisces comedit, post sanitatem corporis recuperatam tot diebus à cibis prædictis abstinebat.

5 Silentium vero tanta solicitudine servabat quod rarissime loquebatur, nisi cum religiosis vel valde familiaribus amicis; *arcte silentium servat,* sciens quod de omni verbo otioso reddenda sit ratio in die judicii. Quapropter ut sibi caveret à verbis superfluis, lapidem in ore tenuit; qui sibi, ne ultra necessitatem vel utilitatem ex humana fragilitate aliquid proferret, silentium imponeret. Solebat etiam hominibus indicare nutibus & signis quæ sibi necessaria essent, sed pauci vel nulli signa ejus intelligebant: B propter quod etiam sæpissime in suis necessitatibus habuit defectum, ita quod aliquoties per aliquot dies sine omni cibo permansit, quia sine multa necessitate non loquebatur, nisi diebus festis & solennibus. Et ea verba quæ prædictis diebus vel ad honorem Dei vel ad correctionem proximi loquebatur, proximo die sequenti confitebatur, timens ea se minus utiliter protulisse. Et quia culpam cognovit ubi culpa non fuit, circa confessionem valde solicitus fuit. Confitebatur autem omni die Dominica & aliis festis, quando ad Corpus Domini se recipiendum præparavit: *sæpe confitetur:* quod cum multa devotione recipere consuevit. Confitebatur etiam omni secunda feria, quarta & sexta. Confessio autem ejus erat de minimis seu minutis, ut de negligentiis & somniis, quæ sibi tamen grandia & difficilia reputabat. Singulis etiam diebus profestis, non solum flexis genibus, sed & toto corpore prostratus trecentis vicibus orabat ad Dominum. Interdum etiam genibus laboraverat, quia quædam caro corrupta & grossa ex genu ejus excreverat; non tamen propter hoc, licet multum doleret, à genuflectione cessabat. Castigavit etiam corpus suum, C ubi tangi potuit, non virgis sed corrigiis: in quibus nodos connexuerat, *& dire castigat corpus.* qui à Confessore suo sanguinolenti inveniebantur, cum coactus ipsi corrigias ostenderet.

6 Cum autem Dominus tantis laboribus finem imponere decrevisset, tempus obitus sui divinitus sibi fuit revelatum. Qui viam universæ carnis ingredi incipiens, cum per aliquot dies decubuisset, aperto inclusorio, Conventus ecclesiæ, cum quibusdam Fratribus Prædicatoribus ac aliis Religiosis, D cum debita reverentia, Sacramentum extremæ Vnctionis sibi ministrantes imposuerunt. *æger extremis Sacramentis munitur.* Quod cum multa & solita devotione recepisset, in eadem devotione, usque ad tempus obitus sui compos mentis suæ per omnia, permansit. Erant autem in agone & obitu suo glorioso Ernestus, *Obit II Aprilis.* Prior Fratrum Prædicatorum Bremensis, cum socio suo, Ioannes Decanus Osnaburgensis, & alii plures Clerici atque laici religiosi. Tertio igitur Idus Aprilis feliciter migravit ad Dominum.

7 Cum vero Dei famulus spiritum jam exhalasset præfatis præsentibus; *claret miraculis.* Hermannus majoris ecclesiæ Canonicus & Presbyter tantum patiebatur dolorem dentium, ut de dolore mentis amentia timeretur: qui maxilla sua posita supra maxillam præmortui, à præsenti dolore vehementi, meritis viri Dei misericorditer liberatus est in continenti. Quædam mulier, inveniens puerum suum in aquis submersum, cœpit cum luctu clamare, & divinum auxilium & Fratris Reineri suffragium, una cum ceteris fidelibus vicinis suis, invocare. Et ecce puer, qui æstivo tempore circa horam nonam submersus fuerat, inventus circa vesperas, meritis famuli Dei revixit. E Priorissa de Querenheimb, Ordinis S. Augustini, liberata est à calculo meritis Sancti Reyneri. Quidam læsus morsu araneæ ad tantum venerat dolorem, ut vix loqui posset, & ex vehementia veneni inflatus mori timeret. Cujus frater rogabat eos, qui circa infirmum erant, ut Deo & Fratri Reynero pro ipso supplicarent, & voverent, si sanitati restitueretur, quod sepulcrum ejus cum quinque sociis visitaret. Hortabatur etiam infirmum ad devotionem signis & clamoribus: fuerat enim fere surdus ante infirmitatem multo tempore. Voto facto, visum fuit infirmo ut Religiosus quidam, quasi Inclusus, ad ipsum veniret: cujus etiam strepitum advenientis audivit: qui manu collum infirmi, inflatum valde, tetigit dure, sine dolore tamen, dicens: Sanitati restitutus es. Et sic factum est. Recepit enim in continenti auditum, quo diu caruerat; & dolor tumoris de veneno quievit. Quædam monialis tenuit acum in ore, quæ casu lapsa est in collum ipsius: de quo cum valde torqueretur, cœpit cum sociabus suis auxilium S. Reyneri invocare. Et ecce, per viam qua intraverat, acus miraculose est egressa. Canonici etiam Osnaburgensis Ecclesiæ, in quadam necessitate positi, F voverunt Deo & Fratri Reynero, ut si de eadem necessitate liberarentur, omni anno memoriam ipsius, sicut Episcopi, solenniter agerent. Statim igitur voto emisso, omnia quæ desideraverunt prospere eis evenerunt. Multa etiam alia miracula per ipsum facta & conscripta, brevitatis causa, quia, quasi innumerabilia sunt, hic omissa scias.

XII APRILIS

SANCTI QVI PRIDIE IDVS COLVNTVR.

SAnctus Lazarus Diaconus, Martyr, Tergesti in Istria.

S. Zeno, Episcopus Veronensis, in Italia.

S. Victor, Mart. Bracaræ in Portugallia.

S. Demes,
S. Protion, } Martyres apud Græcos.

S. Agapus,
S. Valerius,
S. Publius,
S. Bassus,
S. Iulianus,
S. Felix,
S. Paulus,
S. Maurus,
S. Herrula,
S. Verecunda,
& alij XLII, } Martyres.

S. Quartus,
S. Saturninus,
S. Secundinus
S. Decimus,
S. Darius,
S. Quartus II,
S. Ianuarius
S. secundus,
S. Quintus,
S. Dexter,
S. Victor,
S. Donatus,
S. Varicus,
S. Bruttus,
S. Venustus
S. Titianus,
S. Victor II,
S. sittilla,
S. Lucius,
S. Orbana,
S. Orbana II,
S. Marcus,
S. Iustus,
S. Cittinus,
S. Paternus,
S. Patinus,
S. Puttus,
S. Maricus,
S. Optatus, } Mar-

S. Victor III,
S. Megonus,
S. Demetrius,
S. Flavianus,
S. Mares,
S. Vitalis,
S Minalia,
S. Clementia,
S. Victuria,
S. Felicia,
S. Maxima,
S. Musta,
S. Marcus II,
S. Honoratus,
S. Laurentius,
S Arburus,
S. Crispinus,
S. Tertius,
S. Quintulus
S. Restitutus,
S. Revocatus,
S. Saturninus II, } ty-
S. Buttarus,
S. Baricus,
S. Paulus,
S. Optatus II,
S. Spinus,
S. Donatus II,
S. Manilus,
S. Petrus,
S. Proculus,
S. Donatus III,
S. Gemella,
S. Euantus,
S. Lazarus,
S. Venustus II,
S. Flavinus,
S. Rufinus
S. Valerius,
S. Paulus II,
S. Crispinus II,
S. Felix,
S. Nabor,
S. Victorinus
S. Donatula,
S. Tertius II,
S. Victor IV,

S. Acu-

S. Acutina,
S. Tertia,
S. Mamerus,
S. Severianus,
S. Saluftus, res.
S. Cyprianus,
S. Mufcula,
S. Donata,
S. Novella, Martyres Capuæ
S. Ianuarius, in Italia.
S. Silvanus,
S. Mucianus,
S. Saturus,
S. Iulius,
S. Primus,
S. Carus,
S. Cyrillus,
S. Macarius,
S. Hilarius five Iftialis,
S. Venuftus Martyres,
S. Venuftus II,
S. Iulia,
S. Felix,
S. Verecundus,
& alii VI,
S Eocapus,
S. Tertula,
S. Antonia,
S. Muftilla, Marty-
S Maggina, res.
S Acutina,
S. Donata
S. Euphemia
S. Felix,
S. Macarius, Martyres.
S. Primus,
& alii IX,

S. Vifsia Virgo, Martyr, Firmi in Italia.

S. Menas,
S. David, Monachi Martyres apud Græcos.
S. Ioannes,

S. Iulius, Romanus Pontifex.

S. Sabas Gothus, Martyr, in Cappadocia.

S. Conftantinus, feu Conftantius, Epifcopus Vapincenfis, in Gallia.

S. Damianus, Epifcopus Ticinenfis, in Italia.

S. Erkenbodo, Epifcopus Tarvanenfis & Abbas Sithivenfis, in Belgica.


S. Tetricus, Martyr, Epifcopus Autifsiodorenfis,

S. Bafilius, Confeffor, Epifcopus Parii in Myfia.

S. Alferius, fundator & primus Abbas Cavenfis, in Italia.

B. Petrus, Ordinis Vallumbrofani; in Abbatia Montis-plani diœcefis Piftorienfis.

PRÆTERMISSI ET IN ALIOS DIES REIECTI.



Anctus Odilo, Abbas Cluniacenfis, *fub ritu femiduplicis colitur in ecclefia Carnotenfi juxta Breviarium anni 1633: Vitam dedimus* I Januarii.

Joanna de Lambertinis, Virgo, Bononiæ, *quæ prima Vicaria cum B.* Catharina Bononienfi cœnobium Corporis Chrifti incepit, *refertur hoc die in Martyrol. Francifc. Laudatur in Vita B. Catharinæ auctore Iacobo Griffetto num.* 68 *&* 147, *diciturque* communi populi voce Beata appellari. *De ea ibi actum est* IX Martii.

Zofimas Abbas, de quo in Vita S. Mariæ Ægyptiacæ, *refertur hoc die in MS. Florario & in Martyrologio anno* 1490 *Coloniæ & Lubecæ excufo, nec non a Greveno & Canifio. Nos de ipfo, una cum S. Maria Ægyptiaca, egimus* II Aprilis.

S. Walteri Abbatis, in Francia, Ordinis S. Benedicti, mortui anno 1091 depofitio, *infcripta eft MS Florario Sanctorum: ejus Vitam dedimus* VIII Aprilis.

Cerdo, Epifcopus IV Alexandrinus, conftitutus *traditur* primo anno Trajani Imperatoris, vir continens, humilis & manfuetus tota vita fua. *Memoratur in MS. Florario: quem alibi non reperimus.*

Silvefter, Cucufas, Torquatus, Sufanna, Martyrio Bracaræ coronati *dicuntur a Garibajo, una cum* S. Victore, *quod ad hujus Vitam rejecimus.* De Silveftro & Cucuphate *egimus* XII ... *Vitæ* *Prætermiffos, uti & de* Torquato 24 *Febr.* Sufanna *hoc die feorfim refertur a Tamajo Salazar, fed nixo auctoritate Pfeudo-Dextri, cujus Chronicon jam fæpius ut confictum rejecimus.*

Sufanna *alia*, Virgo & Martyr, Iriæ-Fláviæ in Gallæcia, *memoratur ab eodem Tamajo-Salazar, quod ea verba legantur apud Dextrum in Pfeudo-chronico: De his omnibus meliora monumenta expectamus. Poterunt legi, quæ de* Tranflatione corporum SS Silveftri & Cucuphatis Martyrum & S. Sufannæ Virginis & Martyris *damus* XVI *Aprilis, ad Acta S. Fructuofi, Epifcopi Bracarenfis: cujus corpus fimul tranflatum fuit Compoftellam.*

S. Parcius, Martyr Romæ: *ita Ferrarius* ex Tabulis ecclefiæ S. Silveftri, *addens* cetera latere. *Nos inter antiquos Martyres hodie relatos nomen non reperimus.*

S. Repedonis, Epifcopi & Martyris, *memoria afservata eft in MS. Florario Sanctorum; fed nullo aut tempore aut loco indicato.*

SS. Zeno Epifcopus & Verona, Martyres, Terracone, tempore Galieni Imperatoris, *recoluntur in Martyrologio Hifpanico Tamaji-Salazarii, citatis verbis Reginonis in Chronico, ubi ifta habentur,* In Hifpania urbe Terragone, Verona, Zenon Epifcopus, & Confratres. Fructuofius Epifcopus, Augurius & Eulogius Diaconi. *Quæ per ofcitantiam aut Reginonis aut amanuenfium tranfpofita, fic legi debent:* Veronæ

A næ Zenon, Episcopus & Confessor, uti MS. habet. Dein, In Hispania, urbe Tarracone, Fructuosus Episcopus &c. Hæc ipsa cum eadem negligentia sunt apud Marianum Scotum descripta. Interim Tamajus addit Acta ex MS. Legenda Segobiensi, sed forsan ætate Tamaji ipsius exarata. De S. Zenone Veronensi Episcopo hoc die agimus.

S. Balduinus, Conf. civitate Hiltrensi,
S. Moyses Confessor,
S. Decentius Conf. in Perusia.
} referuntur in recentioribus Additionibus ad Grevenū per Carthusianos Bruxell. collectis.

Dobanus, Socius S. Bonifacii Scoti, Episcopi Trehetensis, memoratur cum titulo Sancti à Camerario in Menologio Scotorum. Vterque ignotus nobis & Dempstero, nisi sit ille S. Bonifacius Kiritinus, de quo cum Camerario & aliis egimus XVI Martii, absque mentione Dobani.

Engeburga Virgo, filia Regis Angliæ, cum titulo Sanctæ memoriæ refertur à Greveno, quem secuti Canisius & Ferrarius. Omittitur in Martyrologio Anglicano, nisi sic Edburga, Edelburga, aut Ethilburga, quæ aliis diebus suum cultum habent.

Helias Scotus, obiit II Idus Aprilis, anno 1042, vir prudens & religiosus, qui monasteria S. Pantaleonis & S. Martini Coloniæ pariter rexit. Ita Marianus Scotus, in Chronico ad an. 1083 deducto. Tritbemius lib. 3 de Viris illustribus Ordinis S. Benedicti cap. 141 eum cum titulo Sancti celebrat, asserens post mortem in multis fuisse comprobata ejus merita. Trithemii B exemplo inscriptus est Martyrologiis monasticis Wionis, Dorgani, Menardi, Bucelini, Scotico Dempsteri & Catalogo Ferrarii, Ægidius Gelenius in Fastis Coloniensis eum tantum Beatum appellat. In Vita S. Heriberti Archiepiscopi 16 Martii, auctore Lamberto, num. 28 appellatur servus Dei præcipuus: at Rupertius num. 29 solum Abbatem vocat.

S. Simplicia, Virgo & Martyr, in monasterio S. Pontii apud Nicæam, celebratur à Ferrario in Catalogo generali, & Saussajo in Supplemento Martyrologii Gallicani. Citat Ferrarius tabulas dicti monasterii, addens corpus ibi haberi, cetera latere. Nos ergo majora documenta desideramus: & forsan corpus ex cœmeteriis Romanis eo delatum est.

Celsus,
Annodus,
Zefanus,
Prodina.
} memorantur in Martyrologio Tamlachtensi MS.

Emenus Episcopus, in Hibernia,
Connathus, Abbas de Doire, apud Ultonios
} referuntur in MS. eodem alibi ignoti.

C Folcoldus, ex Comitibus Teisterbandiæ oriundus, Fundator monasterii Bernensis Ordinis Præmonstratensis, & in eo humilis Conversus, in Territorio Heusdano, in confiniis Hollandiæ & Brabantiæ, cum titulo Beati refertur à Chrysostomo vander Sterre, in Natalibus Sanctorum Ordinis Præmonstratensis.

Hugo, Abbas Radingensis, anno 1130 in Archiepiscopum Rotomagensem electus, cum titulo Confessoris inscriptus est Martyrologio Anglicano prima editionis, & cum titulo Sancti Catalogo Ferrarii. Verum in posteriore editione Martyrologii Anglicani prudenter omissus est.

Hugo, Abbas Cisterciensis Novi-monasterii in Anglia, ut crebris miraculis & spiritu prophetiæ clarus, refertur cum titulo Beati à Chrysostomo Henriquez & Bucelino: omittitur à Chalemoto.

Theodoricus, monachus Eberbacensis in Germania, Ordinis Cisterciensis, ut virtutibus plenus, inscriptus est Menologiis prædictorum Henriquez, Bucelini, & Chalemoti.

Mechthildis Virgo, ex Regibus Scotorum oriunda, quæ cum fratre juniore in Franciam secreto peregrinata, eoque in monasterio Ordinis Cisterciensi constituto, solitaria in magna austeritate circa annum 1200 vixit, refertur hoc die in Martyrologio Anglicano & Ferrario: diciturque Vita ejus extare MS. apud Robertum Bucklandium. Est hæc Mathildis Virgo, à Cantipratano plurimum laudata, lib. 2 Apum cap. 1. Venit autem Alexander ad Claustrum Fonii, seu Fusniacum, in Landunensi Episcopatu, secundo à Veruino oppido lapide, unde ad novem milliaria discedens Mathildis sancte vixit. Agunt etiam de ea & fratre Alexandro Baptista Fulgosius, lib. 4 factorum dictorumque memorabilium cap. 4, & Andreas Eborensis in suis exemplis, titulo de Paupertate. Non fit ejus mentio in Martyrol. Gallic. Saussaji, neque arbitramur ullam venerationem Ecclesiasticam eidem concessam.

Ericus, Rex Daniæ, dicitur assumpto habitu Cisterciensi, in cœnobio S. Mariæ de Fionia à se fundato, sancto fine quievisse, & cum titulo piæ memoriæ celebratur ab Henriquez, Bucelino & Chalemoto.

Margareta Virgo, apud Bellum-Pratum in Belgio, Ordinis Cisterciensis, cum titulo Beatæ refertur in sacro Gynæceo Arturi de Monstier, citato solum Arnoldi Raissii Auctario ad Natales Sanctorum Belgii Molani: sed ibi solum Venerabilis appellatur.

Almericus, XII Generalis Ordinis Prædicatorum, mortuus anno 1327, sub lapide marmareo sepultus Bononiæ, cum titulo Beati refertur à Masino in Bononia perlustrata.

Radulphus, in Gallia,
Gerardus, Cajetæ in Italia,
Simon,
} Ordinis Minorum Confessores, cum titulo Beati in Martyrol. Francisc. memoratur.

Stephanus à Barguello Ordinis Minorum, Sagii in Normannia à Calvinianis hæreticis plurimis confossus vulneribus, gloriose pro Christo interiit anno 1568 aut sequenti. ita Arturus à Monasterio in Martyrologio Franciscano: qui eum primo loco collocat, Martyrem cognominat, & præposito titulo Beati honorat.

Joanna Virgo, Ordinis S. Dominici, Ferrariæ anno 1511 hoc die sancte mortua, refertur ab Arturo du Monstier in Gynæceo sacro, cum titulo Beatæ: qui etiam varios de ea auctores citat.

S. Carpus Episc. Pergami
S. Paulus,
S. Isaac
S. Agathon
& XLIV Socii
} Martyres, referuntur in Martyrologiis S. Hieronymi Richenoviensi & Notkeri, qui Polycarpum appellat. Ab aliis celebrantur iidem XIII Aprilis.

S. Drogo Confessor, inscriptus est Martyrologio MS. Antverpiensi S. Michaelis. At præcipue colitur XVI Aprilis.

S. Anthusa, Filia Constantini Copronymi, memoratur hoc die in Menæis excusis & MS. Chiffletianis, item apud Maximum Cytheræum, & in tabulis Kalendarii Moscovitici. Colitur præterea die XVIII & XXI hujus mensis: sed in antiquioribus monumentis, quando de ea agemus, die XVII Aprilis.

S. Dominicus Calciatensis, Victoriæ in Hispania, citato Marietta memoratur à Ferrario in Catalogo generali, conjectante esse diem Translationis: at Natalem ejus, quando celebratur in Martyrol. Rom. esse XII Maii.

B. Guilielmus Confessor, Ordinis Augustiniensium, in civitate Tolosana, memoratur in recentioribus Additionibus Carthusiæ Bruxellensis ad Grevenum. Herrera in Alphabeto Augustiniano multa de illo quærit pag. 279, & ex Simpliciano de S. Martino mortuum tradit die XVIII Maii.

S. Mancii Translatio corporis Bracaræ, inscripta Hagiologio Lusitanico Cardosi. Fingitur fuisse Catalaunensis Episcopus in Galliis, S. Memmius priori nomine istic dictus: quam fabulam refutabimus V Augusti: interim nihil dubitamus, quin verus S. Mancius, à S. Memmio diversus, sit ille cujus Martyrium ipsi à Iudæis illatum describi

A scribit Florus in supplemento ad Bedam, quod vide ante tomum 2 Martii die XXI Maii.

S.Florentinus, Abbas Arelate, *memoratur in Catalogo generali Ferrarii, & in Notis dicitur* primus Abbas ecclesiæ S.Crucis, mortuus anno DLIII. *Magno etiam encomio celebratur in Martyrologio Gallicano; diciturque* ductu & monitu S. Cæsarii junioris, Episcopi Arelatensis, monachus Ordinis S.Benedicti factus. *Fuit unicus solum Episcopus Cæsarius, & seculo sexto, quando vixisset Florentinus, cujus nulla mentio est in Martyrologiis Benedictinis, aut Actis SS. Ordinis Benedictini anno 1668 Parisiis editis. Honoratus Bouchetus in Chorographia Provinciæ, lib.4, c.4, § 1, late describit urbem & diœcesim Arelatensem, & pag. 313 meminit ecclesiæ Parochialis sanctæ Crucis, & ecclesiæ collegiatæ Majoris dictæ, in qua ex relatu cujusdam Arnoux asserit asservari* caput S.Florentini. *Idem in Historia Provinciæ, lib. 4 & 5, enumerat Sanctos, qui sexto seculo floruerunt absque ulla mentione S.Florentini. Hinc quia Saussajus ad hunc diem subjungit* festivitatem ejus magna populi veneratione, præsertim x Kalendas Julii celebrari, *quo tamen die ejus non meminit; sed* XII Kalendas Junii, (*quo die tradit*, in Ecclesia B sanctæ Crucis translationem S. Florentini Abbatis *recoli, & quæ Ferrarius refert* S.Florentinum Abbatem monasterii Regalis) *nos quoque interim sperantes certiora monumenta & venerationis & vitæ ejus assequi, eum differrimus in* XXI Maii.

SS.Crispulus & Restitutus, sub Nerone passi in tractu Tudensi ad Aquas Celanas, *referuntur in Martyrologio Placentino apud Prudentium Sandovallium in Historia Tudensi fol. 17, & ex eo Tamajus Salazar in Martyrol. Hispan. quos contra hunc cum Sandovallio eosdem potius censemus, qui coluntur in Martyrol. Romano* X Junii.

Zeno monachus, discipulus Abbatis Silvani, (qui in Ægyptia regione, in ardentissimi solis caumate, quinque diebus se desiccans stetit, probare volens D utrum tormenta futuræ vitæ tolerare posset) *occasione S. Zenonis Episcopi Veronensis refertur à Greveno, Maurolyco, Felicio & Canisio, post Petrum de Natalibus lib. 4 cap. 47. At Græci in Menæis de eo agunt die* XIX Junii.

S.Tatwinus, Episcopus Cantuariensis in Anglia, *memoratur in Florario MS. sed in Martyrol. Anglicano* XXX Julii.

S.Emygdii, Episcopi Asculani in Piceno, Translatio, *memoratur in Catalogo generali Ferrarii. Dies ejus natalis est* V Augusti.

S.Mariæ Virginis Deiparæ *aliqua solennitas est Constantinopoli, ob Zonam ejus ad dictam urbem relatam: de qua posset agi in Festo Assumptionis* XV Augusti.

S.Artemon, Presbyter & Martyr Laodiceæ, sub Diocletiano, *inscriptus hodie est cum insigni elogio MS. Menologio Basilii Imperatoris & Synaxario Parisiensi & cum aliquo disticho Menæis excusis; in his autem plenius colitur* XXIV *Martii. Verum, uti ibidem inter Prætermissos diximus, iterum in illis & variis MSS. & Menologio Sirleti, uti & Romano Martyrologio, de eo agitur ad diem* VIII Octobris.

SS.Servandi & Germani Martyrum translatio sacrarum exuviarum, Hispali facta, *recolitur, ex antiquorum Breviariorum Kalendariis & Rubricis Ecclesiæ* E *Hispalensis, in Martyrologio Hispanico Tamaji Salazarii. Natalis eorum est* XXIII Octobris.

S.Renati, Episcopi Andegavensis, relatio ex Italia, *inscripta est Additionibus Molani ad Usuardum primæ editionis, & Martyrologio Germanico Canisii: & in Breviario Andegavensi anni 1624 sub ritu duplici præscribitur recolenda. Colitur ipse ibidem cum Octava die* XII Novembris.

S.Andreæ Apostoli translatio capitis Romam, anno 1462, *memoratur in MS. Florario Sanctorum. Dies natalis est* XXX Novembris.

DE S. LAZARO DIACONO,

Martyre Tergesti in Istria.

D. P.

CAPUT I.

Acta Martyrii ex traditione accepta.

Sub Antonino.

Corpus in Cathedrali cum aliis servatur:



Ntiquissima eademque nobilissima civitas Istriæ Tergestum est, post Romani occasum Imperii variis afflicta calamitatibus etiam ipsa, partim à Barbaris hostibus partim à sociis vicinis, dum succrescenti eorumdem dominatui identidem nititur colla subducere. Hujus urbis Cathedralis 4 Basilica, S. Justo Martyri sacra, sita est in editissimo C propè arcem colle, *ut scribit Italia sacra tom. 5 Ferdinandus Ughellus; qui post laudatas in ea tessellati operis imagines plurimas, quibus nihil pene Italia habeat vel pretiosius vel elegantius,* alia sunt *inquit*, in ea quatuor vel sacella vel altaria, quorum singula ditata singulis corporibus Martyrum SS. Servati, Lazari, Apollinaris & Sergii. Opinio porro, jam inde à patrum Memoria longissime ducta, per omnium hic animos quasi proseminata est, hos Sanctos Tergestinos fuisse. Confirmandæ opinioni ad ferunt Annales, quibus id tantum auctoritatis inest, quod sint antiqui.

Acta antiqua desunt:

2 *Omnium Acta eversæ sæpius urbis ruinis involuta periisse, verosimillimum est: quos autem Ughellus laudat Annales, eosdem non admodum esse vetustos persuademus nobis, propterea quod non Latino, sed Italico vulgari conscripti videantur. Certe non nisi in Italicis MSS. invenire potuit R. P. Franciscus Basellus, nostræ ibidem Societatis Rector, quæ de* S. Justo II *Novembris*, S. Servulo XXIV *Maij*, S. Apollinare VIII *Decembris recolendis, atque de hoc S. Lazaro Ferrariam misit, ad P. Andream Lazarum, hujus operis studiosissimum senem, quaque hic Latine à se reddita curavit ad nos Romam una cum originali Italico mittenda anno* MDCLXI. *Quæ, ut sunt, ita nunc exhibuisse contenti, rogabimus viros in ea urbe doctos & patriæ antiquitatis amantes, ut si quid de sanctis illis Patronis suis aliisve ad Istriam spectantibus antiquius & magis authenticum, si non ex membranis, saltem ex vetustis lapidibus similibusve monumentis* F *adferre poterunt, ad eorum illustrandam memoriam, id velint nobiscum communicare.*

quædam Italica MSS. recentiora

dicunt, sub Antonino Imp. Diaconum Tergesti fuisse,

3 Celebris est in Ecclesia Dei acerrima ejusdem Ecclesiæ persecutio sub Antonino Imperatore: cujus quidem nomine in omnibus locis Imperio subjectis promulgatum fuit edictum, ut si alicubi aliquis se Christianum appellare auderet, acerrimis cruciatibus & demum morte ipsa crudelissime puniretur. Erat tum temporis in civitate Tergesti pius quidam vir, Lazarus nomine, jam inde à pueritia Christianus, utpote qui erat ex familia & parentibus Christianis. Hic à prima ætate in ecclesia Christianorum magno cum fervore ministrare cœpit: & cum non pauca futuræ sanctitatis signa puer daret, toti civitati fuit unice carus, magnoque in honore habitus est. Quare cum jam ad ætatem, quæ est sacrorum Ordinum capax, pervenisset, sacro Diaconatus Ordine Lazarus est inauguratus: qui statim quidquid habebat patrimonii, juxta Domini consilium, dispersit & dedit pauperibus.

4 Per

& sub Pompeio Præside comprehensum,

4. Per id tempus Tergestinæ civitati præfecerat Imperator Pompeium quemdam, Præsidis nomine & officio: qui nocturno tempore & magno cum silentio Tergestum appulit; ingressusque civitatem, statim magistratus omnes & primaria capita convocavit, à quibus sciscitatus est, an ibi aliquis esset qui fidem Christianam profiteretur, seque Christiani nomine appellaret. Non diu laborandum Præsidi fuit; statim enim ab uno accusatore delatus est Lazarus Diaconus, qui Christianorum ecclesiam frequentabat, magnoque apud populum in loco erat. Iussit illico adduci ad se Pompeius hunc populi (sic enim appellabat) seductorem: qui ab ejusdem Præsidis ministris diligenter perquisitus, inventus est cum aliquibus Christianis, qui in domo ejusdem sancti viri divinum officium piasque ad Dominum preces recitaverant: quibus quidem precibus, pronus ad terram tunc Lazarus, hunc finem dabat: Domine Iesu Christe, debilium fortitudo, da mihi virtutem & robur, ut in me non prævaleat homo, iste, inquam nequissimus judex, nec me deterreant ejus inanes minæ. Da mihi in tuo sancto famulatu perseverantiam atque constantiam, ut istis possim ostendere te solum esse verum Deum, cui soli debetur honor & gloria.

B *atque ante tribunal ejusdem confessum;*

5 Hæc & alia hujusmodi iniquo ferentes animo satellites, non sine jurgiis atque improperiis, vinctum duxerunt ad Præsidem Pompeium: qui Lazarum trusit in carcerem, donec illucesceret dies. Hanc noctem insomnem duxit sanctus Diaconus, totamque in sanctis precibus fundendis & hymnis ac Dei laudibus decantandis insumpsit. Sub auroram jussit eum adduci Præses, eumque interrogavit de nomine & religione quam profiteretur. Cui sanctus Diaconus respondit: Meum nomen est Lazarus: religione sum Christianus, & Christianam fidem profiteor: neque enim erubesco Euangelium Dei. Alium autem Deum non novi quam Patrem æternum, unicum ejus Filium Iesum Christum, & Spiritum sanctum qui ab utroque procedit: tresque istas divinas Personas sanctissimæ Trinitatis nomine appello, veneror & colo: proque ejusdem honore tuendo paratus sum quamlibet mortem subire.

& ad defectionem frustra sollicitatum,

His auditis Præses gravi supercilio dixit ad Martyrem: Vere vanitas hæc tua & anicularum deliramenta, tanto minus tolerabilia sunt in te, quanto magis es ætate jam grandævus. Quod si in viridi ætate eo insipientiæ te adduci passus es, ut hæc crederes & profitereris, aliqua dignus excusatione fuisti: nunc vero, quando jam prope confectus senio es, quod in tantam phrenesim animum induxeris, ut pro Deo habeas hominem nequam, qui à Judæis cruci, propter perpetrata delicta, affixus fuit, hoc enimvero tolerandum minime est. Quapropter, non ut judex, sed ut amicus, hortor te atque obsecro, ut errorem hunc tuum tamque diuturnum, in quo versatus es, tandem corrigas; ne gratiam Imperatoris amittas, teque reum mortis facias, si in tuo errore pervicaciter perstiteris. Audi me, qui salutem & incolumitatem tuam omniumque tuorum civium curo & exopto: vade & diis nostris immortalibus sacrificium offeras: sic enim & ipsis & Imperatori rem gratam facies, tuæque saluti consules.

C

eum interpellando judicem arguisset,

7 Expectabat responsum Præses, sed non ejusmodi quale datum est à sancto Diacono, qui ait: O impudentissime hominum, tu dicis me in errore versari, quia omnipotentem Deum colo, qui fecit cælum & terram: ego autem dico tibi, te omnino cæcum & ducem esse cæcorum, quos tecum trahis in gehennam ignis. Tua est insipientia & phrenesis, tuus est error in quo versaris plane non ferendus; cum adores Deos lapideos, hominum manu factos, qui neque te neque qui eos colunt juvare quidquam possunt, sed neque ipsos se tueri ab iis qui eos in frusta concidunt aut ignibus traditos in cinerem redigunt. Quamobrem dico tibi, sicut iterum dixi, Deum meum unicum colo, eique soli offero sacrificium acceptabile, offeramque donec vixero, non autem diis tuis, simulacris gentium, in quibus habitant dæmones. EX MS. IT. D

os contundi

8 Explicari haud facile potest quanta cum rabie id responsi acceperit Præses: qui propterea sancti Martyris os, quo tanta libertate contra deos Romanorum verba protulerat, percuti jussit dentesque contundi. At sanctus invictusque Martyr plane interritus, Si dii tui sunt veri, inquit, atque omnipotentes, ut asseris, atque ita esse credis, jubeas eos ambulare & loqui. Vere mente capti plane vos estis; qui in tanta infelicitate versamini, ut deos veros fateamini opera manuum hominum, quæ os habent & non loquentur, pedes habent & non ambulabunt, nec clamabunt in gutture suo. Permultis igitur in hanc rem ultro citroque dictis, tandem non ferens constantissimi Martyris animi magnitudinem impiissimus tyrannus, crassis ac nodosis fustibus eum per validos & robustos ministros acerrime percussit: qui imperturbata vultus animique serenitate, inter crudelium verberum procellas, cum Domino Deo, pro quo patiebatur, ita suavissime colloquium inivit: Ecce optatissimam diem, ô mi Domine Jesu Christe, à me tamdiu expectatam, in qua licet jam mihi indignissimo servo tuo ad te venire. Securus & gaudens ad te venio, ô gaudium meum & corona mea, agoque tibi gratias immortales, qui mihi concedis pro tua benignitate & misericordia vincere tormenta carnificum, ineptasque hujusce tyranni minas pro nihilo habere.

ac fustibus cædi jussus

E

insultasse tyranno;

9 Atqui nondum erat in ultimo certamine invictus Christi Athleta: nam tyrannus, ne ministri verberantes ulterius progrederentur, vetuit: contra quem sanctus Diaconus, zelo divinæ gloriæ & mortis desiderio magis ac magis inflammatus, vehementer invehebatur dicens: Ubinam sunt, ô iniquissime judex, minæ tuæ? ubi terriculamenta, quibus me à veri Dei cultura avertere satagebas? Recte nosti, hominum infelicissime, si mecum contendere vis & cum Dei gratia, quæ mecum est & in cujus virtute possum id quod possum, hoc nihil aliud esse quam tempus inaniter terere: jamque tibi persuasum est, ut puto, pro iis qui Christum verum Deum confitentur & profitentur semper stare victoriam: quare tu victus atque confusus jubes, ne amplius me torqueant, utque à verberibus desistant.

F

ejusque sententia

10 Tunc enimvero, si unquam antea, in iras exarsit Pompejus, vidensque sanctum Diaconum propter senectutem (erat enim annos natus septuaginta octo) non posse diutius tormenta perferre, caput ei obtruncari imperavit dicens: Vitam tandem absolvat rebellis hic & populi seductor, qui verum cultum negat nostris immortalibus diis, quique sapientissimis nostri Imperatoris legibus parere recusavit. Qua sententia audita gloriosus Christi miles, sublatis oculis manibusque ad cælum, unde sibi omnem opem expectabat & exposcebat, Domine, inquit, Jesu Christe, qui cum Patre tuo coæterno una cum Spiritu sancto vivis & regnas, gratias tibi ago quam maximas possum, qui spatio septuaginta & octo annorum me custodire dignatus es, meque in via mandatorum tuorum ita direxisti, ut non solum ea ego custodierim ac servaverim, sed potuerim etjam docere iniquos vias tuas, cordaque impiorum ad te, summum bonum, convertere. Suscipe jam spiritum meum, Domine mi Jesu Christe, ut qui pro te nunc libenter morior, tecum in seculum seculi feliciter vivam. Amen.

post fusas preces

AUCTORE D. P.

decollatum atque ab Eutropia tumulatum fuisse: 11 Absolutis ad Deum precibus duxerunt illum ministri extra civitatem, ad locum talibus suppliciis destinatum: quo cum pervenisset; caput ei minister amputavit. Subsequenti nocte, pia quædam femina, Eutropia nomine, ex parentibus Christianis, venit cum tota sua familia, quæ erat ex præcipuis & clarioribus Tergesti, & acceptum sacrum depositum, pretiosis unguentis prius delibutum, involvit in candida sindone, honestoque sepulcro condidit: dum interea Christiani omnes qui aderant, summas laudes & gratias, ob tantum beneficium sibi concessum, Domino Deo persolverent, cui sit honor & gloria. Amen. Accidit Martyriũ hujus sancti Diaconi Martyris anno salutis nostræ CCXLII, die primo Aprilis.

CAPUT II.

Tempus Martyrii, cultus sacer, translatio Corporis Veronam.

Martyrium istud, juxta jam dicta 12 *Quæ dedimus S. Lazari Acta, ex MSS. recentioribus accepta, concionatorio stylo deducta sunt, dum qualia fere ejusmodi in articulo Martyres omnes dicere debuere ac potuere, dixisse Lazarus sanctus concipitur; ne si solum id scripto mandaretur quod simplex vetustæ traditionis conservarat memoria, paucis res tota absolveretur. Nam Diaconatus Ordinem, Pompeium Præsidem, oris contusionem, inflicta* B *fustibus verbera, annorum septuaginta octo ætatem, martyrii seu annui cultus diem, Eutropiæ de funere solicitæ nomen, & siqua sunt ejusmodi alia, potuerunt etiam post multa secula temporis injuriis superfuisse: Antonini quoque Imperatoris nomen lubet credere non ex vano acceptum esse: certe sub Antonino Pio impiissima & iniquissima exercita esse toto imperio adversus Christianos iudicia, probat Iustini Philosophi justa de ejus temporibus querela; ipsiusque Imperatoris rescriptum, jubentis cessare omnem adversus Christianos persecutionem, & Provinciarum Præfectos de sævitia contra eosdem usurpata arguentis: quod apud Baronium anno XV Antonini, quo datum est, videre licebit. Imperavit autem Pius hic ab* *non potuit contigisse an. 242* *anno CXXXVIII usque ad CLXI: adeo ut error aliquis, non tam auctoris quam librarii, in precitato MS. Italico notari debeat, quandoquidem Antonini nomen seculo dumtaxat secundo adversus Christi nomen pugnavit: & qui eodem insigniti fuere seculo tertio, Caracalla atque Heliogabalus, neque Christianis fuere molesti, neque ultra CCXXIV pervenere vivendo.*

Sed 151 sub Antonino Pio Imp. 13 *His prælo paratis accepimus Goritia à P. Martino Bantzer, Societatis nostræ, sacrarum iis regionibus antiquitatum studiosissimo sene, paulo prius quam excederet è vita,* C *(quod ei, anno circiter 1669 accidit) Sanctorum Tergestinorũ Acta, brevi epitome Latina comprehensa; in quibus hujus S. Lazari elogium, per omnia (si brevitatem excipias) simile iis quæ jam ex Italico Latina fecimus: in quibus dicitur quod S. Lazarus* ad cælum decusso capite migravit anno Christi CLI pridie Idus Aprilis. *Annus cum Antonini Imperio, usque ad annum vulgaris æræ CLXIII protracto, convenit optime: & sic prioris scriptionis error corrigitur. Eutropiæ nomen in prælaudato encomio deest: sed adest in narrationis principio nomen Martini Episcopi Tergestini; cujus,* *quando Martinus Ep. fuisse dicitur.* *propter sævientem persecutionem latentis, vices dicitur Lazarus Diaconus impigre sustinuisse, quamvis ætate grandævus. Utinam hæc certioribus possent monumentis firmari! nunc primus ejus urbis Episcopus, qui Ughello innotuit, Gaudentius est, subscriptus epistolæ Agathonis Papæ ad Oecumenicam VI Synodum anno DCLXXX. Diu ante tamen suos habuit urbs illa Episcopos: & S. Gregorius lib. 10 Epist. 37.* Firmino Episcopo Histriæ *gratulatur* reditum ad Ecclesiæ unitatem, à qua pertinacium & imperitorum hominum instinctu disjunctus fuerat: *quod Carolus à S. Paulo in Geographia sacra de Episcopo Tergestino intelligit.*

14 *Martyrologium Usuardi, sed variis Sanctis auctum, reperimus manuscriptum Florentiæ, apud Illustrissimum Senatorem Carolum Strozzium, in quo ad hunc diem XII Aprilis ista leguntur:* Item S. Lazari Martyris, qui passus est tempore Antonini Imperatoris apud Tergestinam civitatem sub Præside Pompeio: qui cum esset Diaconus & fidelis Christi, & in domo sua continue convenientes reciperet; accusatus, quod esset Christianus, cum fidem Christi coram Præside constanter prædicaret, jussus est ore contundi, deinde virgis cædi: ad ultimum capite truncatus, ad æterna regna feliciter pervenit. *Hæc ibi: quæ eadem leguntur in Martyrologio, per Franciscum de Bonaccursiis Presbyterum edito Florentiæ anno MCCCCLXXXVI.* D *Elogium Martyrii ex Fastis MSS. & editis.*

15 *Inter Episcopos Veronenses floruit VIII seculo S.* Anno, *cujus soror dicta* Maria consolatrix, *etiam Sanctis adscripta, traditur in* urbe Tergesta emisse corpora sanctorum Martyrum Marci Diaconi, Lazari, Primi & Apollinaris, & in urbem Veronensem transtulisse, & ibidem requiescere in ecclesia S. Firmi majoris. *Ita Franciscus Corna in libro de Reliquiis Sanctorum Veronæ quiescentium apud Raphaëlem Bagatam, Baptistam Perrettum & Augustinum Valerium, libro de Antiquis monumentis sanctorum Episcoporum Veronensium, & aliorum Sanctorum, quorum corpora habentur, fol. 17. ubi dicuntur post altare majus hæ litteræ in duabus tabulis depictæ legi.* Translatio sanctorum Martyrum hic quiescentium facta fuit XI Calendas Junij, anno Domini DCCLV, per Beatum Annonem, tunc Episcopum Veronensem, cum universo Clero ac populo solennizata. E *Reliquiæ translatæ Veronam. anno 755 22 Maji.* *Eodem die XI Calend. Iunij in Martyrologio Monialium S. Mariæ Magdalenæ in Campo Martio ista solebant recitari.* Item Veronæ translatio sanctorum Martyrum Firmi & Rustici, Primi, Marci, Lazari & Apollinaris. *Idem testatur Raphaël Bagata se vidisse, anno MDLXXIV, in Missali antiquo ex membranis ecclesiæ S. Iacobi in Monte Grigiano.*

16 *In iisdem Antiquis monumentis fol. 26 ista traduntur:* S. Lazari Diaconi & Martyris corpus requiescit in ecclesia majoris S. Firmi, & festum S. Lazari celebratur in Martyrologio Ecclesiæ Cathedralis die XII Aprilis *diciturque ibidem* ejus Vita describi in pluribus libris antiquis ex membranis hujus civitatis. *Demum folio 79 hæc continentur:* In ecclesia S. Firmi Majoris sive monasterio condita sunt corpora SS. Firmi & Rustici, & SS. Primi, Marci, Apollinaris & Lazari Martyrum. *Ecclesia S. Firmi Majoris hodie Franciscanorum Conventualium est, quos à pedibus calceatis Scarpantes vulgus nominat: apud hos anno MDCLXXIII diligentissime quærens Alexander Salvaticus, Collegii nostri Veronensis Rector, nullam aliam S. Lazari notitiam invenit, quam in antiquo Legendario hæc verba:* Eodem quoque tempore in urbe Veronensium Annon Præsul gubernabat Ecclesiam Dei. Comperiens itaque Beatorum Martyrum corpora, *scilicet SS. Firmi & Rustici*, evidenter fuisse reperta; cum inexplicabili exiens gaudio & exultatione, una cum Sacerdotibus, Clericis, universisque populorum agminibus, pervenit festinanter ad locum ubi Sancti Dei sub una veneratione conditi habebantur. Dedit igitur argenti & auri pondus immensum; emitque sanctorum corpora Firmi & Rustici, pariterque Primi, Marci, Apollinaris & Lazari. *Amplius nihil potuit vel in Legendario prædicto, vel in aliis quibuscumque Veronensium libris inveniri. Credunt illi tamen se hujus & aliorum jam nominatorum integra habere corpora. Verum cum Tergestini, ut supra ex Ughello diximus, adhuc habeant in ecclesia Cathedrali altare seu sacellum S. Lazari, & in eo credant se habere corpus ejusdem Sancti, opinamur solum aliquas ejus Reliquias datas esse S. Mariæ Consolatrici, cujus festum dicitur peragi Kalendis Augusti: at frater ejus, S. Anno Episcopus, colitur XXIII Maij & S. Apollinaris Martyr & Subdiaconus Tergestinus VI Decembris.* *servantur in ecclesia S. Firmi majoris.* F

DE

DE SANCTO ZENONE,

Episcopo Veronensi in Italia.

G. H.

CAPUT I.

Sententia asserentium S. Zenonem obiisse Confessorem, & floruisse seculo IV.

XII Apri.

INtricata plurima & valde controversa de S. Zenone Episcopo Veronensi *reperiuntur, ac potissimum quoto Christi seculo floruerit, & quo mortis genere obierit: quod alii violentum volunt,* & Martyrem *esse contendunt;* alii Confessorem *malunt appellari, & in pace obdormivisse. Nos, ut viam lectori pandamus, qua melius possit investigare exitum hujus difficultatis; primo suggerimus, qua Onuphrius Panvinius Veronensis libro 4 Antiquitatum Veronensium proponit his verbis:* Post Probum XI Episcopum Veronensem, usque ad annum Christi DCCLX, ordo Episcoporum Veronensium, quamquam ut existimo integer, non tamen continuatus est. Nam quis invicem successor fuerit incompertum. Tempora etiam, quibus singuli vixerint (præter sex quos suis locis & seculis exponam) & singulorum gesta, obscurissima sunt & incerta. Quæ res nimia jam vetustate, majorumque nostrorum fatali ignavia, tenebris vetustatis oppressæ sunt. Ego autem, ne quod à me fieri potest omittam, ullaque in re diligentia mea desideretur, omnium Episcoporum Veronensium, quorum, tam gesta quam tempora & ordo incomperta sunt, nuda nomina ordine alphabetico suggeram. *Hac Onuphrius Panvinius: qui debuisset hanc suam censuram etiam transferre ad undecim Episcopos, quos primo omnium cum quadam successione recenset. Inter hos est S. Proculus quarto loco positus, quasi secundo Christi seculo floruisset: de quo egimus XIII Martij, ac demonstravimus, quarto Christi seculo, pace Ecclesiæ reddita, ex vita hac mortali decessisse. S. Proculi successor statuitur à Panvinio S. Saturninus, quintus inter Episcopos Veronenses, quasi etiam seculo secundo vixisset. Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ, & in Topograghia ad Martyrologium Romanum statuit S. Saturninum decimum quartum, uti diximus VII Aprilis die ejus natali. Ita supra memoratus Probus collocatur undecimus à Panvinio, sextus à Ferrario, & tamen dicitur circa annum CCXXXVI rexisse Ecclesiam, uti dictum XI Ianuarij, quo colitur, de aliis suo tempore acturi. Raphael Bagata, Matthias Vgonius & Augustinus Valerius Episcopus Veronensis, de his sanctis Episcopis Veronensibus (quos sex & triginta enumerant) sua elogia ordine alphabetico proferunt, quod tempora, quibus singuli vixerint, sint obscurissima & incerta. Et hoc primum monitum est: cui subiungimus alterum supra à Panvinio indicatum, scilicet* ordinem Episcoporum Veronensium integrum haberi, *& in hoc non nisi* unicum Zenonem *censeri, quem etiam unicum habent Ioannes Franciscus Pintus lib. 5 de Nobilitate Veronensi, Hieronymus della Corte lib. 2 Historiæ Veronensis, & ante memorati Bagata, Vgonius & Augustinus Valerius.*

Successio Episcoporum Veronensium usque ad an. 760 incerta:

etiam inter XI primos

unicus habetur S. Zeno Episc. Veronensis,

2 *Quibus positis, dicimus, antiquissimam mentionem S. Zenonis fieri à S. Ambrosio Episcopo Mediolanensi, in epistola ad Syagrium, ejusdem Ecclesiæ Veronensis Episcopum, & S. Zenonis successorem; quem graviter redarguit, quia Indiciam puellam Deo sacram, non per judicii formam, sed per mulierum inspectionem male judicaverit. Est hæc epistola prima libro sexto Epistolarum, & sic incipit.* Prospiciendum esse, ne de nostro obloquantur judicio carissimi nostri Veronenses, propriis texuisti litteris. Non arbitror fore, certe non solent: aut si obloquantur, de quo obloqui soleant, haud dubie liquet, cum exasperati huc veniant, pacifici ad te revertantur: præsertim cum hoc judicium nostrum cum fratribus & consacerdotibus nostris participatum processerit. Tu autem sine alicujus fratris consilio hoc judicium præjudicium feceris, ut puellam, Zenonis sanctæ memoriæ judicio probatam, ejusque sanctificatam benedictione, post tot annos sine auctore criminationis, sine accusatore, sine professore delationis, in periculum reatus deducendam arbitrarere. *Hactenus S. Ambrosius, approbans judicium Zenonis Episcopi Veronensis, quem ipse titulo* sanctæ memoriæ *honorat: & ejus exemplo, Ecclesia Mediolanensis Breviario & Missali Ambrosiano inseruit ejus venerationem & cultum ad diem VIII Decembris. Iacobus Pamelius, vir in antiquitate Ecclesiastica proponenda diligentissimus, in suo Liturgico Latino sive Missali sanctorum Patrum Latinorum, edidit tomo primo Missas Ambrosianas ex antiquis codicibus, & pag. 438 ista habet:* In festo S. Zenonis Episcopi VIII Decembris, *Oratio* super populum, Omnipotens sempiterne Deus, qui B. Zenonem Confessorem tuum Pontificalibus infulis decorasti; fac nos, quæsumus, ejus exemplo & magnifico interventu, mundi gloriam despicere, & cælum semper ambire, per Dominum. *Alia Oratio* super Sindonem. Deus qui præsentem diem B. Zenonis Pontificis tui glorioso exitu fecisti solennem, præsta ipsius nos apud te continuis adjuvari suffragiis, & magnificis intercessionibus consoveri, per Dominum. *Tertia Oratio* super oblata. Adsit Ecclesiæ tuæ, Deus, præclara B. Zenonis intercessio, quæ & munera nostra oculis tuæ majestatis acceptabilia faciat, & te nobis placabilem reddat, per Dominum. *Dein sequitur Præfatio cum aliquo Vitæ compendio hoc modo:* Æterne Deus, Beati Pontificis & Confessoris tui Zenonis merita recolentes, quem tua benigna gratuitate ita Pontificatus officio & fidei munere sublimare dignatus es, ut & immensis virtutibus coruscaret, & sanctæ humilitatis officium non desereret. Nam & Galeni Principis filiam, à potestate dæmonis eripuit, & multorum infirmitates potenti virtute curavit. Persensit etiam Athesis fluvius, quid tanti valeat Præsulis virtus; dum suum ultra morem excedens littus, templi sacrati non ausus est ingredi aditus. Digne igitur in tuo nomine ipsius præconia non tacemus; digne ipsius miracula festivis laudibus conclamamus; digne cum ipso, tibi, Domine, bonorum omnium largitori, gratiarum vota persolvimus, per Christum Dominum. *Denique ista Oratio recitatur* post Communionem. Beati Pontificis & Confessoris tui Zenonis, quæsumus Domine, à malis omnibus gloriosa nos semper merita tueantur, in cujus solennitate percipimus tua sancta lætantes. Per Dominum. *Hæc in antiquo Missali quæ adhuc anno MDXXII & MDLX solita recitari, indicant Missalia dictis annis excusa, in quibus nulla martyrii fit mentio, sed nomen* Confessoris *ei tertio tribuitur. Eodem modo in Breviario Ambrosiano, quod habemus anno MDXXXIX excusum, duæ priores Orationes referuntur, & aliæ duæ Orationes adjunguntur, in quarum altera dicitur* Confessor & Pontifex *in altera* Zeno Pontifex *& in tertia Lectione quæ ad Matutinum recitatur, sunt ista:* Plurima peragens beneficia, quievit in Domino Confessor. *Hic ergo titulus isti datur, eo modo quo S. Martino Episcopo Turonensi & ipsi S. Ambrosio, & hujus fratri S. Satyro assignatur; qui simul eodem tempore vixerunt: si tamen, quod disceptatur, S. Zeno fuerit ante memorati Syagrii*

Vixit Zeno Episc. tempore S. Ambrosii, Seculo 4.

In Missali Ambrosiano Confessor habetur.

AUCTORE G. H.

Syagrii decessor, uti hinc videtur posse probari.

& in antiquis Martyrologiis,

3 *Dies jam memoratus* VIII Decembris, *supra* solennis glorioso ejus exitu factus, *celebratur in variis Martyrologiis eodem die: ita MS. Pragense Ecclesiæ Cathedralis, & aliud quod reperimus MS. Florentiæ apud Illustrissimum Senatorem Carolum Strozzium, & ibidem etiam à Francisco de Bonacursiis Presbytero anno* MCCCCLXXXVI *in lucem editum: in quibus ista habentur* Veronæ natalis S. Zenonis Episcopi & Confessoris *Eadem omissa urbe Verona habentur in MS. Adone Florentino monasterii Conventualium S. Francisci.* Eodem die S. Zeno Confessor *memoratur in MS. Trevirensi S. Martini, & Vltrajectino S. Mariæ, quod ante quingentos annos ex Martyrologio aliquo Anglicano videtur transcriptum. Witfordus etiam in Martyrologio Anglice olim edito, celebrat* S. Zenonem Episcopum, doctrina, prædicatione, & miraculis variis illustrem. *Bellinus in Martyrologio secundum morem curiæ Romanæ, anno* MCCCCXCVIII *& postea sæpius excuso, ista habet:* Eodem die apud Veronam S. Zenonis Episcopi & Confessoris. *Quæ eadem citato Martyrologio Romano, scilicet dicti Bellini, habet in triplici editione auctarii ad Vsuardum Molanus. Maurolycus ad eumdem* VIII *Decembris ista tradit:* Veronæ S. Zenonis Episcopi, qui claruit temporibus Galeni, cujus filiam à dæmonio liberavit. *De Galeno mox agemus. Maurolycum sequitur Felicius. In antiquo MS. Kalendario Ecclesiæ Aquileiensis celebratur festum* S. Zenonis Episcopi & Confessoris *cum tribus ad Matutinum lectionibus, sed ad* XII *Decembris translatum. Ita cum antiquo Missali Ambrosiano, circa cultum* S. Zenonis Episcopi & Confessoris *& ad diem* VIII *Decembris relatum, concordant Martyrologia, quæ olim in Ecclesia Romana & aliis Ecclesiis Italicis, Germanicis, Belgicis & Anglicanis solebant recitari: sed quod maximi in simili argumento ponderis æstimari debet, in Ecclesia Veronensi, in qua S. Zeno præcipuus Patronus est, per integra secula decem aut undecim officium de eo fiebat, tamquam Pontifice Confessore. Certe in Ludovici Pii Imperatoris diplomate signato anno* DCCCXVI *infra referendo, ex petitione Rotaldi Episcopi & Austreberti Abbatis S. Zenonis* Confessor *appellatur; uti etiam appellant Hugo Rex Italiæ in diplomate anno* MCCCCXXVI *concesso, Beatrix Comitissa & filia Beatrix in privilegio anni* MLXXII, *& Bernardus Episcopus Veronensis in documento dato anno* MCXXVII. *Andreas quoque Aquileiensis Patriarcha recondit reliquias aliquas* S. Zenonis Confessoris *anno* DCCCXXVIII *in ecclesia S. Georgii prope altare S. Helenæ; easque recenset Peregrinus Patriarcha Aquileiensis anno* MCXL, *& vocat reliquias* SS. Zenonis & Eusebii Confessorum. *Quæ possunt videri apud Vghellum in Episcopis Veronensibus, & Bagatam, qui testatur, se anno* MDLXXV *vidisse ultimas reliquias* S. Zenonis Confessoris, *cum aliis Reliquiis olim in capsula argentea à Peregrino Patriarcha Aquileiensi depositas. In Chronico MS. Reginonis appellatur* Zenon Episcopus & Confessor Veronæ, *sed ad tempora Gallieni & Valeriani relatus. Onuphrius Panvinius lib. 4. Antiquitatum Veronensium cap. 6 testatur,* Ecclesiam Veronensem ab antiquo, usque ad sua secula, anniversariam de eo tamquam de Pontifice Confessore commemorationem fecisse. Primum Aloysium Lippomanum, ejus solennem memoriam, tamquam Pontificis Martyris, in Ecclesia Veronensi fieri instituisse. *Idem testantur supra indicati Bagata, Perettus & Augustinus Valerius folio 15. Præfuit Aloysius Ecclesiæ Veronensi ab anno* MDXLVIII, *& inde ad Ecclesiam Bergomensem anno* MDLVIII *est translatus. De martyrio S. Zenoni adscripto infra agemus, & dicemus illud perperam intrusum esse Martyrologiis Bedæ & Vsuardi. Porro Bellinus de Padua, quamvis Vsuardi Martyrologium duxerit, ut in Præfatione ait, præ aliis tenendum, & pro majori parte eligendum; tamen quæ* XII *die Aprilis de martyrio S. Zenonis inserebantur, judicavit illius non esse & plane omittenda; ut qui sciret contraria illa esse antiquæ traditioni Ecclesiæ Veronensis, à suo Patavio sive Padua haud procul dissita: ea tamen ab aliis postmodum editioni Parisiensi anni* MDXXI *fuerunt inserta.*

B

Principumque diplomatis.

C

quomodo cœptus coli ut Martyr,

D

Acta antiqua à Coronato Notario scripta.

4 *Acta S. Zenonis scripsit olim Notarius quidam, nomine* Coronatus, *habetque eum in pace quievisse: edidit ea ante ducentos circiter annos Boninus Mombritius, & nuper anno* MDCLIII *ex vetusto codice badino Abbatiæ S. Salvatoris Montis-Amiati Ferdinandus Vghellus tomo 5 Italiæ sacræ in Episcopis Veronensibus pag. 555 & sequenti. Nos eadem Acta nacti sumus Romæ ex antiquo codice bibliothecæ Cardinalis Barberini, & duplici MS. Vallicellano Patrum Congregationis Oratorii: erant autem illa distributa in Lectiones, quæ in Officio divino ad Matutinum recitari solebant. Alia habuimus ex MS. Legendario Vrbevetano: alia submisit Antonius Beatillus noster ex codice Neapolitano; alia denique Antverpiæ ex MS. Trevirensi S. Maximini, descripsimus: extabant etiam in MS. Vltrajectino S. Salvatoris sed contracta, ex quibus inter se collatis damus quæ sequuntur. Omittimus autem quæ nobis submisit Ioannes Gamansius ex Paßionali Blatunensis cœnobii Ordinis Benedictini & ex Paßionali Carthusiæ Herbipolensis, quia sunt ea contracta aut ex variis relationibus consarcinata. Vitæ compendium habet Petrus de Natalibus lib. 1. cap. 43.*

VITA

Auctore Coronato Notario.

Ex VII antiquis MSS. Codicibus, collatis cum editione Mombritii & Vghelli.

E

1 IN *a* provincia Italiæ, Civitate, Verona, Beati Zenonis acta claruerunt. Cujus viri virtutes ad liquidum, quas in conversione vel miraculis peregit, explicare non sufficientes; aliqua tamen, juxta quod attingere possumus, enarrare veridica ratione conamur. Fuit itaque à matris utero sanctificatus, & à cunabulis benedictus, ut assertione divina in eo repeti videretur, quod Jeremiæ Prophetæ dictum est. Priusquam te formarem in utero novi te; & antequam exires de ventre sanctificavi te. Denique probitatis atque scientiæ jugibus incrementis ad hoc pertingere meruit, ut per sacerrimam vitam Sacerdos in populo fieri mereretur. Nempe audiant populi omnes, qui ejus cupiunt nosse miracula, quia in omnem terram sonus exivit conversationis ejus, & sanctitas luculenter emicuit.

a

S. Zeno ab initio Sanctus,

Ier. 1. 5.

& ideo Sacerdotio dignus.

2 Erat enim sedens in *b* monasterio, in secretiori parte oppidi Veronensis, continuis jejuniis & orationibus à Domino petens, ut sibi dignaretur aditum prædicationis melliferæ in populo aperire. Igitur ad convertendas in amorem Christi animas hominum die noctuque deditus erat: revera quia sanctus ei Spiritus, purarum illuminator mentium, Doctor existebat, sicut ipsa Veritas loquitur dicens: non enim vos estis qui loquimini, sed spiritus patris vestri, qui loquitur in vobis; ita sane affabilis erat in sermone, & in mansuetudine, seu habitu mitis, ut jure Deus laudaretur ab omnibus venientibus; ita alacer & splendifico nitore facundiæ vividus, ut ad eum properantes mox relictis idolis & pravitate gentilitatis, crederent Domino Jesu Christo.

b

F

Affabilitate & mansuetudine attrahit omnes:

Mat. 10, 20.

3 Per idem tempus juxta urbem Veronam, dum egrederetur idem vir Dei à monasterio, ut in Athesi fluvio piscatoris exercitio fungeretur; erectis sursum oculis, vidit ex adverso quemdam hominem, in plaustro sedentem, bobus subjunctis per præceps in amnem demergi. Tanta quippe velocitate miserabilis ferebatur, ut palam cunctis cernentibus daretur intelligi, hoc diaboli arte fuisse peractum. Sanctus itaque vir, dum intentis luminibus hoc à longe prospiceret, cognovit, lymphaticam viri ruinam factum diaboli esse. Interea vir Dei, elevata sursum manu, fecit

signo Crucis impedit ne diabolus hominem submergat.

fecit sanctæ Crucis signum frequenti vice, & dixit: A Revertere retro satana, ne perimas hominem quem Deus creavit. Quod videlicet signum ut diabolus aspexit, velut fumus vento raptus evanuit, ita ut clamoribus nimiis ac stridore nefando, quasi de alta rupe, cum impetu decideret, dicens: Etsi hic non me permittis animas hominum mea obsessione lucrari; c tamen paratus sum in c patrias notas quæ, circumquaque sunt, ad tuum perniciter abire impedimentum. S. Zeno dixit: Non te permittit Deus dire aliquid agere adversus servum suum.

d filiam Galieni Principis, à dæmone obsessam,

4 His ita peractis, cum detestabili ululatu & clamore, discessit. Festinans itaque dæmon ingressus est concite domum Palatii d Galieni arreptamque filiam ejus, quæ tunc temporis unica parentibus erat, cœpit crudeliter vexare. Miserabilis ergo pater simulque tota domus regia, in tristitiam versa, cruciatu & mœrore ingenti affligebantur, eo quod tam acriter puella suffocaretur. Quæ dum crudeli vexatione corriperetur, cœpit per os famulæ Regis filiæ dæmon clamare, dicens: Non egrediar à corpore isto, nisi venerit Zeno Episcopus, ac per istius imperium coactus migrabo. Mox itaque ut Regi Galieno hoc innotuit, missis apparitoribus solicita intentione cœpit investigare, sicubi posset invenire B virum. Ex jussu autem Regis velocibus ad virum Dei gressibus pergunt. Ille vero sedebat super lapidem, qui in proximo monasterii erat, & actu Apostoli documenta perficiens, ex more piscabatur in flumine. Venientes ergo milites cœperunt eum solicite interrogare, dicentes. Quis es tu homo Dei? Indica nobis, si vidisti Zenonem Episcopum, quem nos ex jussu Regis perquirimus. At ille respondit: Ad quod missi estis edicite. Ego enim, quamvis tantillus, tamen servus Christi Zeno vocor: Igitur conferentes ad invicem milites, dicebant inter se. Quid multa colloquimur? Indigemus pro qua re istum destinati sumus ad virum Tunc patenter intimantes beato Sacerdoti dixerunt: Rogat te Rex venire ad se; quia vult faciem tuam videre. Dixit ad eos B. Zeno: Quid meam Rex faciem vult cernere, qui omnium Christianorum manifestis indiciis inimicus esse non desinit? At illi respondentes dixerunt: Obsecrat te Rex, ut filiam ejus, quæ immani atrocitate à dæmonio vexatur, sanitati restituas: quia unica est Ille vero dixit eis: Dominus Jesus Christus omnipotens est. Ite, inquit, ecce paulatim subsequor vos: oportet enim ut mirabilia Dei luce C clarius omnibus manifestentur. Quo dicto milites via qua venerant repedarunt.

per milites vocatus

in nomine Jesu Christi liberat.

5 Exurgens igitur beatus Sacerdos, ne diutius absconderetur civitas supra montem posita, fecit orationem, & perrexit ad palatium, ubi cruciabatur & lamentabatur pro sua filia Rex. Sanctus vero Episcopus, dum celeri peragratione iter ageret, ante eo pervenit, quam hi qui missi fuerant milites. Ingrediente siquidem Christi Sacerdote palatium, & facto Cujus signo, confestim cœpit per os infantulæ dæmon clamare, dicens: Ecce tu, Zeno, venisti ad expellendum me; & ego propter pavorem tuæ sanctitatis hic stare non possum. His ita auditis tenens Sacerdos manum puellæ, dixit: In nomine Domini Jesu Christi præcipio tibi, exi ab ea dæmon. At ille publica voce cœpit clamare, dicens: Etsi hinc à te fuero expulsus, eo Veronam, ibique invenies me. Christi autem Sacerdos sanam mox ab omni dæmoniacæ incursionis illusione restituit filiam Regis.

coronam oblatam & confractam in pauperes distribuit,

6 Protinus autem ut Rex Galienus vidit hoc factum, attonitus admiratione, coronam regalem, quam capite gestabat, Sacerdoti obtulit dicens: Tam salutiferum medicum, qui sanam restituit filiam meam nullis muneribus placare possum, nisi ipsam ei quam habeo offeram coronam. Cumque hoc gestum multitudo vidisset populi, quæ ad palatium convenerat, à tenebris infidelitatis & errore conversa gentili, crediderunt unanimiter in Jesum Christum Dominum nostrum, obsecrantes Sacerdotem Christi, ut docerentur viam salutis, & baptismum mererentur in remissionem percipere peccatorum. At ubi Sacerdos coronam accepit à Rege, statim in partes divisam distribuit pauperibus, dicens: Si Dominus operatur excelsa ipsi perpetuæ laudis offeratur gloria.

AUCT. CORONATO EX MSS.

idolis destructis ecclesias construit,

7 His ita gestis petiit beatissimus Zeno, ut ei licentia tribueretur, omnia idola destruendi, & basilicas in Christi nomine fabricandi. Cujus almificis precibus acquievit Rex affatim, in omnibus quæ ille proposuerat. Nempe talibus & his similibus incedebat opinatus virtutibus, ut compleretur in eo, quod Dominus suis discipulis ait: Ecce dedi vobis Luc. 10, 19. potestatem calcandi supra serpentes & scorpiones & supra omnem virtutem inimici. Post hæc igitur ingressus Sacerdos in civitatem Veronam, intrepidus prædicabat in Christi nomine verbum: & hoc instanter agebat, ut funditus idola destruerentur, & in honore Domini ædificarentur ecclesiæ. Denique cum hæc agerentur, multitudo populi Paganorum sæviens, incessanter moliebatur, ut impedimentum E Christi famulus pateretur; sed vigilante in servis suis Christo, vincebatur mendacium, quod pura & rectissima fides ab infidelibus cordibus abigebat.

frustra obsistentibus Paganis.

in pace obdormit.

8 His equidem ita patratis sacrosancta agebat Antistes pro populi intercessione mysteria; sicut ab ineunte ætate solitus erat. Qui nimirum dum hæc indesinenter ageret, operante manu voluntatis Dei, cujus in omni vitæ transeuntis tempore nutui obedierat, non multo post e in pace receptus est. Porro quia in virtutibus exhibitæ sanitatis velut lucidissimum sidus omni populo claruit, in honore ipsius Sacerdotis, f quidam ex genere Galieni fecit reverendo ejus nomini basilicam, haud procul à fluvio g ubi nunc sanctum corpus ipsius requiescit: qui etiam venerabilis locus in nomine Christi miraculis coruscat.

ecclesia in ejus honorê erigitur:

h in quam aqua fluvii exundantis non illabitur,

9 Post aliquod vero h tempus, dum die sancto Natalitii ipsius devote populus una cum Clero ad Missarũ solennia convenirent, fluvius ipse super ripam tanta inundatione accrevit, ut aquæ usque ad fenestras vel tectum excrevissent. Quod videns etiam populus, F facti admiratione comprehensus, qui illuc ad honorem Dei & sancti Zenonis Sacerdotis convenerant, fame sitique se perire acclamabant. Sed cum tanta esset inundatio aquæ, quod velut murus circa basilicã erecta undiq; erat, ea tamen intro minime ingrediebatur: tantum enim virtus orationis ipsius S. Zenonis apud Dominum obtinere poterat, ut aquæ in speciem muri erectæ essent, & ingredi locum venerabilem non auderent. Unde accrevit veneratio & timor adversus Christi Sacerdotem, ut etiam infirmi curarentur, dæmoniaci liberarentur; & multi ex longinquis regionibus venientes, obsessi diversis infirmitatibus, per intercessionem S. Zenonis liberati, cum gaudio ad propria remearent. Ecce de multis ejus miraculis ego inutilis Coronatus Notarius, quod compertum tenui, in parvo conclusi, ne legentibus vel audientibus fastidium generarem. i

& varia fiunt miracula.

ANNOTATA.

a *Prologus in plerisque MSS. diversa phrasi proponitur, sed absque ullo Historiæ detrimento, uti etiam apud Mombritium & Ughellum potest videri.*

b *Hæc Monasterii notitia, ubique indicata magis favet 4 seculo, quando cœperunt in Italia extrui monasteria.*

c *Et hæ* patriæ notæ, quæ circumquaque sunt, *in*

AUCTORE G. H.

A

Galienus quis?

in omnibus Actis observantur, adeoque non permittunt procul discessisse dæmonem, sed ad vicinum aliquem locum, quod propter sequentia notandum.

d Galieno, *seu* Galeno, *aut* Galveno *summa exoritur quæstio, quis ille fuerit, qui suum* palatium in viciniis notis *habuerit. In Missali antiquo Ambrosiano supra relato vocatur* Princeps, *hic mox appellatur* Rex. *An fuerit ergo aliquis* Regulus, *in vicinis Alpibus degens, & inter suos fovens paganismum, maxime sub Iuliano Apostata, quando S. Zeno à S. Ambrosio laudatus cœpit florere Episcopus Veronensis,* φιλαληθέσι *Veronensibus indagandum relinquimus.*

e *Eadem verba,* in pace receptus est, *aut* in pace à Domino receptus est, *leguntur in omnibus exemplaribus excusis & manuscriptis. In unico MS. Sed contracto habetur* requievit in pace: *quod coincidit. Petrus de Natalibus,* in pace migravit ad Dominum VI Idus Decembris.

f *Ita pleraque MSS.* Quidam ex genere Galieni, *aut* quidam timens Deum, *aut quidam* nobilissimus ex genere Galieni. *At Vghelli exemplar & unicum MS.* Rex Galienus fecit basilicam. *Quæ forsan alicui Principi aut Regulo magis conveniunt.*

B

g *Hinc colligimus Acta hæc conscripta, ante Translationem corporis factam sub Pippino Rege Italiæ, filio Caroli Magni: sed quamdiu post annum 588, quo miraculum Athesis exundantis contigit, non liquet. In unico MS. legebatur* ubi longo tempore corpus ipsius requievit. *Quæ correctio facta fuit post dictam Translationem: & in illo MS. dicebatur* Gallienus Imperator, *forsan corrupta Vsuardi Martyrologia auctor secutus est, ut infra dicetur.*

h *Post duo minimum secula ab obitu S. Zenonis, scilicet anno Christi 588, ut mox ex relatione S. Gregorij Magni constabit.*

i *Additur apud Mombritium:* Venerabilis viri Acta, quo usque mundus voluitur, fulgida cunctis patebunt, regnante Domino nostro Iesu Christo *& in MS. aliquo & apud Vghellum.* Quod tamen fulget, agitur in Veronensi urbe.

CAPUT II.

Sententia S. Gregorii & aliorum asserentium S. Zenonem obiisse Martyrem; an sub Gallieno Imperatore?

S. Gregorius Magnus

1 Sanctissimus *Papa Gregorius Magnus, lib. 3 Dialogorum cap. 19, describit miraculum supra indicatum, quod aqua Athesis fluvii, inundantis ultra portam apertam ecclesiæ S. Zenonis, eam non intraverit: & testes adfert Pronulfum Comitem, & Ioannem Tribunum: aitque Zenonem Martyrem ac Pontificem fuisse, atque post narratum miraculum de tribus pueris in fornace Babylonis illæsis, ista subjungit:* Huic tam antiquo miraculo diebus nostris res similis ex contrario evenit elemento. Nam nuper Ioannes Tribunus revelatione sua me docuit, quod Pronulfus Comes cum illi adesset, se cum Rege Autharo eo tempore in loco eodem, ubi mira res contigit, affuisse, eamque rem cognovisse testatus est. Prædictus enim Tribunus narravit, dicens: Quia ante hoc fere quinquennium, quando apud hanc Romanam urbem alveum suum Tiberis egressus est, tantum crescens, ut ejus unda super muros urbis influeret, atque inde jam maximas regiones occuparet; apud Veronensem urbem fluvius Athesis excrescens, ad B. Zenonis, Martyris atque Pontificis, ecclesiam venit: cujus ecclesiæ cum essent januæ apertæ, aqua in eam minime intravit. Quæ paulisper excrescens, ad fenestras ecclesiæ, quæ erant tectis proximæ, pervenit: sicque stans aqua, ecclesiæ januam clausit, ac si illud elementum liquidum in soliditatem parietis fuisset mutatum. Cumque essent multi inventi interius; sed aquarum multitudine omni ecclesia circumdata, qua possent egredi, non haberent; ibique se siti ac fame deficere formidarent, ad ecclesiæ januam veniebant, & ad bibendum hauriebant aquam; quæ ut prædixi, usque ad fenestras excreverat, & tamen intra Ecclesiam nullo modo diffluebat. Hauriri itaque ut aqua poterat, sed diffluere ut aqua non poterat. Stans autem ante januam, ad ostendendum cunctis meritum Martyris, & aqua erat ad adiutorium, & quasi aqua non erat ad invadendum locum. Quod ego antiquo antedicti ignis miraculo vere prædixi non fuisse dissimile, qui trium puerorum & vestimenta non contigit, & vincula succendit. *Hæc S. Gregorius, qui libros Dialogorum edidit anno* DXCIII, *adeoque dictum miraculum contigit anno* DLXXXVIII. *Miraculi hujus veritas confirmatur supra à Coronato Notario, sed is asserit Zenonem* in pace receptum esse, *& post hoc miraculum* accrevisse venerationem erga S. Zenonem: *qui saltem tunc videtur in Patronum à Veronensibus assumptus, sed sub titulo* Confessoris. *Exemplo Veronensium idem per Lombardiam factum videtur: prout de Mediolanensibus supra ostendimus, qui in Missali Ambrosiano indicant & miraculum Athesis exundantis, & eum* Confessorem Pontificem *appellant: nec videntur Pronulfus Comes, aut Ioannes Tribunus satis distinxisse inter titulos Martyris & Confessoris, & unum pro alio accepisse.*

C

ex relatione Pronulfi Comitis

describit miraculum aquæ in Athesis exundantia non ingressæ templum S. Zenonis.

Martyris ab ipso dicti.

D

2 *Interim Paulus Diaconus, lib. 3 de Gestis Langobardorum cap. 23 eum Martyrem appellat, & inundationem aquarum ita describit:* Eo tempore fuit aquæ diluvium in finibus Venetiarum & Liguriæ, seu ceteris regionibus Italiæ, quale post Noë tempus creditur non fuisse. Factæ sunt lacunæ possessionum seu villarum, hominumque pariter & animantium magnus interitus. Destructa sunt itinera, dissipatæ sunt viæ, tantumque Athesis fluvius tunc excrevit, ut circa basilicam B. Zenonis Martyris, quæ extra Veronensis urbis muros sita est, usque ad superiores fenestras aqua pertingeret, licet B. Gregorius post Papa scripsit, in eamdem basilicam aquam minime introiisse. Urbis quoque ejusdem Veronensis muri ex parte aliqua eadem sunt inundatione subruti. Facta est autem hæc inundatio sexto decimo Kalendas Novembris. Sed & tantæ coruscationes & tonitrua fuerunt, quanta fieri vix æstivo tempore solent. *Hæc Paulus Diaconus, qui floruit tempore Caroli Magni, & sicut allegata auctoritate S. Gregorii Magni scribit, aquas Athesis non introiisse basilicam S. Zenonis; ita etiam* Martyrem *appellat, secutus relationem ejusdem Gregorii Magni. Eodem citato Ioannes Diaconus, in Vita ejusdem S. Gregorii circa annum* DCCCLXXX *scripta & à nobis die* XII *Martij illustrata, lib. 1. num. 35 idem miraculum refert, nominatque* S. Zenonem Martyrem atque Pontificem.

S. Gregorium secuti Zenonem Martyrem appellant Paulus Diaconus,

E

Ioannes Diaconus,

F

3 *Inter Martyrologos reperitur Rabanus, qui tempore Ludovici Pii & filiorum floruit, & hoc elogio ad diem* XII *Aprilis honoravit S. Zenonem:* Eodem die, *inquit,* civitate Verona, passio S. Zenonis Martyris, de quo B. Gregorius refert in libris Dialogorum, quod Athesis fluvius exundans, in ecclesia, ubi corpus ejus jacebat humatum, usque ad superiores tecti fenestras excreverit; sed intra ecclesiam, ubi fuerat congregata fidelium turba, intrare non poterat. *Idem Rabanus ad diem* VIII *Decembris de eodem Sancto ista tradit:* In civitate Verona Natale S. Zenonis Martyris, quando aquæ fluminis usque ad superiores tecti fenestras ecclesiæ illius excreverunt, nec in eam intrare potuerunt, virtutem Martyris ostendentes. *Et* Martyrem *celebrat, & nusquam* Pontificem *aut* Episcopum *appellat, & insinuat* sexto Idus Decembris *Athesis inundationem contigisse, & festivam memoriam, quam natalem appellat, isto die celebratam fuisse. Verum Acta supra habent ipso die Natalium S. Zenonis populo in ecclesia congregato contigisse dictam exundationem. Secutus VVandelbertus, qui* VIII *Decembris* Zenonem Martyrem *consignat. Notkerus ad diem* XII *Aprilis descripsit dictum*

Rabanus,

Wandelbertus,

A *ctum Rabani elogium. Qui composuit Martyrologium sub nomine Bedæ protrusum,* VIII *Decembris ista habet :* In civitate Verona natale S. Zenonis Martyris. *Ast* XII *Aprilis mutata phrasi ita scribit :* Apud Veronam civitatem passio S. Zenonis Martyris, de quo B. Gregorius in libro Dialogorum refert. *Quæ sunt ex relatione Rabani decerpta.*

Notkerus, auctor Martyrologii Bedæ suppositi :

4 *Genuinum Martyrologium Bedæ* VIII *Decembris vacat, &* XII *Aprilis solum commemorat S. Iulium Papam, de quo hoc die agimus. Baronius in Notis ad* XII *Aprilis, præter Bedam, citat Vsuardum, de cujus Martyrologio late egimus in Præfatione generali ad tomum I Ianuarij cap. 4 § 7, ostendimusque exemplar, quod Parisiis curavimus describi, à posteris auctum fuisse, & optimæ notæ penes nos esse veterem codicem manuscriptum, in quo nulla plane S. Zenonis mentio habetur: sed ad diem* XII *Aprilis solum referuntur Iulius Papa, & Constantinus Episcopus Vapingensis, uti* VIII *Decembris S. Eutychianus Papa & Macarius Martyr Alexandrinus. Interim in illud Vsuardi Martyrologium intrusa sunt à posteris ista verba :* Eodem die S. Zenonis Episcopi, qui inter procellas persecutionis Veronensem urbem mirabiliter rexit, ac tempore Gallieni martyrio coronatus est. *Molanus, in secunda editione Vsuardi, hunc locum ita correxit :* Eodem die S. Zenonis Episcopi, qui inter procellas persecutionis Veronensem urbem mirabiliter rexit. *Annotat dein ista Molanus :* De Zenone sustuli Vsuardi (*uti credebat*) verba, Ac tempore Gallieni Martyrio coronatus est. Honorari enim eum ut Confessorem constat ex Martyrologio Romano, & Officio Mediolanensis Ecclesiæ die VIII Decembris, & aliunde : extatque Lobii narratio venerabilis Coronati Christianissimi Notarii de Vita S. Zenonis Episcopi. Gregorius interim 3 Dialogorum cap. 19 bis eum Martyrem nominare maluit quam Confessorem, eo quod inter procellas persecutionis multa viriliter pertulerit, qua eadem de causa Juvenalem quoque alibi Martyrem nominat. *Colitur S. Iuvenalis* III *Maij. Quod hic vocatur Martyrologium Romanum, est supra à nobis indicatum, à Bellino de Padua conscriptum.*

silent Beda & Vsuardus

Intrusa huic verba.

B

emendantur à Molano :

5 *Galesinius, secutus Mediolanenses, hoc elogium edidit* XII *Aprilis.* Veronæ S Zenonis Episcopi. Is multis exantlatis pro religione laboribus, in oppugnatione dato præclaro & fidei & virtutis Episcopalis testimonio, Ecclesiaque Veronensi mirabiliter ac pie gesta, demũ multis cumulatus meritis ad præmium abiit in cęlum. *Idem* VIII *Decembris ista habet :* Veronæ S. Zenonis Episcopi: cujus dies natalis, ut supra narratum est, pridie Idus Aprilis agitur : hodie consecratio celebratur. *Hæc Galesinius absque mentione martyrii. Verum in Notis ad* XII *Aprilis adjunxit :* Et Martyris, ut ex S. Gregorii testimoniis atque ex omni Martyrologio constat : idque pluribus ostenditur in libro, qui de Sanctis Episcopis Veronensibus nuper in lucem editus est, *scilicet anno* MDLXXVI, *per supra indicatos Bagatam, Perettum & Augustinum Valerium, à quibus adferuntur verba, Bedæ & Vsuardo affixa, & in nonnullis codicibus MSS. reperta, atque in hodierno Martyrologio Romano renovata. Addi potest diœcesis Frisingensis auctoritas, quæ* S. Zenonem Episcopum Martyrem *colit* XII *Aprilis, omnia de communi recitanda præscribens. Hinc Baronius in Notis ad Martyrologium conficit duos statui debere Zenones ; quorum prior tradatur Martyr sub Gallieno Imperatore decessisse, alter cum S. Ambrosio vixisse : & hunc secundum statuit Vghellus fuisse* XVIII *Episcopum, dicitque ejus credi esse sermones qui sub nomine Zenonis Martyris aspexere lucem. Nos omnia judicio prudentiorum virorum permittimus: sufficit ostendisse, quid de S. Zenone scriptum repererimus. Olim ad Vitam S. Probi Episcopi Veronensis* XII *Ianuarij, scripsimus ex Ferrario* omnium consensu receptum esse S. Zenonem VIII illius urbis Episcopum sub Gallieno Imperatore esse Martyrio coronatum : *id si cui displicet, expungi poterit.*

Galesinius ad verba in textu posita, sine martyrio,

C

in notis addit Martyrem esse,

uti celebrat jam Martyrol. Rom.

& duo statuuntur Zenones.

CAPUT III.

Historia Translationis & Miraculorum S Zenonis prosa & carmine scripta. Reliquiæ variis locis. Templa ei dicata.

6 CLodia-Fossa, *urbs Episcopalis sub Patriarcha Veneto, inter Venetias & Adriam ad mare sita est : quam, inquit Leander Albertus in descriptione Italiæ & insularum circa Venetias,* ortu nobilitavit Petrus Calo, Ordinis Prædicatorum monachus ; qui admodum exacte ingentia duo volumina de Vitis Divorum scripsit, quæ in bibliotheca Dominicana Bononiæ servantur. *Sed quod dolendum est, non amplius ibidem extare & coram & per litteras didicimus. Horum alterum volumen reperimus Romæ in bibliotheca Eminentissimi Cardinalis Barberini ; in quo post Vitam S. Zenonis supra relatam habebatur fol. 456 Historia elevationis & miraculorum S. Zenonis, quam inde descriptam damus. Contigit hæc elevatio sub initium seculi noni, postquam monasterium S. Zenonis fuerat renovatum, sub Rotaldo Episcopo Veronensi, creato anno* DCCCII, *& Pipino Rege Italiæ, filio Caroli Magni,* VIII *Iulii anni* DCCCX *vita functo. Celebratur annua memoria elevati seu translati corporis S. Zenonis* XXI *Maij, ad quem diem inscripta est Martyrologio Galesinij & Catalogo generali Ferrarij.*

Historia Translationis extat MS. apud Petrum Calo.

contigit circa an. 810.

21 Maij.

E

7 *Prædicta extructionis ac renovationis & beneficiorum tunc collatorum, tam per Pipinum Regem quam per Rotaldum Episcopum, meminit Ludovici Pij Imperatoris nobile diploma, signatum anno* DCCCXIV, *quod ex archivo monasterii S. Zenonis & pervetusto codice edidit Ferdinandus Vghellus, in Episcopis Vercellensibus pag. 601, unde hæc decerpimus :* Rotaldus, venerabilis, sanctæ Ecclesiæ Veronensis Episcopus, una cum Austerberto, Abbate monasterii S. Zenonis, detulit nobis quoddam præceptum, in quo exaratum reperimus, qualiter dilectissimus germanus noster Pipinus, quondam gloriosus Rex, una cum memorato Præsule, monasterium S. Zenonis Confessoris Christi, quod est constitutum in suburbio prædictæ civitatis, propter divinum amorem & reverentiam præfati Patroni, reædificassent atque renovassent, eo quod olim ab infidelibus hominibus exustum fuisset, & ab omnibus rebus sibi olim collatis pene privatum. Unde illi pro animarum suarum emolumento quasdam res, quibus monachi & pauperes Christi subsidia necessaria futuris temporibus habere quivissent, ad memoratum locum delegare atque confirmare perpetualiter ac permanere voluerunt .... Jubemus ergo atque decernimus, ut, quantumcumque memorata ecclesia S. Zenonis per donationem nostram vel dicti germani nostri, & Rotaldi prædicti Episcopi vel ceterorum fidelium traditione, vel ipsorum comparatu, seu quolibet attractu, juste & legaliter habere dignoscitur ; deinceps cum omni integritate, per hoc præceptum nostræ auctoritatis, ipsa sancta congregatio monachorum securiter teneat atque possideat. *Hæc ibi. Prædictus autem Rotaldus Episcopus interfuit Synodo Mantuanæ anno* DCCCXXIV *celebratæ.*

Dona & privilegia tunc concessa confirmantur à Ludovico Pio Imp.

F

8 *Exorta postmodum quadam dissensio est inter Canonicos Veronensis Ecclesiæ & Abbatem S. Zenonis, de oblationibus ejusdem ecclesiæ, pia populorum liberalitate elargitis : quam dissensionem composuit Ardecarius Episcopus anno* DCCCLXV, *testatus simul in dicta ecclesia* corpus B. Zenonis humatum quiescere : *quod idem testatus est Rodulphus Rex per diploma anni* DCCCCXXVI. *Quo eodem, anno,* Sub Adelardo Episcopo (*ut scribit Panvinius lib. 5. cap. 25*) Ungarorum gens Italiam consumpsit, Veronam magno impetu invasit, ejusque suburbiis ferro flammaque consumptis, in his basilicas Divorum Zenonis, Proculi, Stephani, Nazarij & Celsi incendio consumpsit, In qua trepidatione, Abbas Divi Zenonis & monachi cum

Corpus sub Hungaris relatum in adem Cathedr.

AUCTORE G. H.

Corpus in incursione Vngarorum delatum in ædem Cathedralem,

cum eo corpus ejusdem Divi penes se conditum, (quod ne furto subriperetur, magnopere metuerunt) una cum calice truceque aurea maximi pretii, Pipini dono monasterio concessa, in ędem Divę Marię Majoris, in ejus sacrario asservanda, deportarunt. Verum Veronæ rebus in tranquillo constitutis, contra Canonicorum voluntatem, in priorem basilicam sunt reportata; ubi usque in hodiernam diem suis in locis integra asservantur. *Ita Panvinius, qui Antiquitates Veronenses usque ad annum* MDLVIII *deduxit. Inchoffer in Annalibus Hungaricis, Hungarorum in Italiam irruptionem & Veronæ calamitatem præfatam refert ad annum* DCCCCII, *quando Episcopus erat, non Adelardus, sed Adalbertus. Vt ut sit, conveniunt omnes haud diu extra proprium locum fuisse S. Zenonis corpus: nam Hugo Rex Italiæ, diplomate anno* DCCCCXXVI *concesso, dum Veronæ esset, testatur*, corpus sanctum B. Zenonis Confessoris Christi quiescere humatum in monasterio ejusdem B. Zenonis. *Otto III Imperator, diplomate anno* DCCCCXCV *signato, confirmat oblationes factas.* S. Zenoni civitatis Veronensis Patrono & Gubernatori. *S. Henricus Imperator anno* MXIV *confirmat privilegia bonaque* monasterio S. Zenonis, ubi ejus corpus humatum quiescit. *Deinde anno* MLXXIII *Beatrix Comitissa & filia ejus Mathilda dederunt diploma* cœnobio S Zenonis Confessoris, *cui facto interfuit S. Anselmus Episcopus Lucensis, cujus Vitam illustravimus ad diem* XVIII *Martii cum illustri mentione Mathildæ. Sequenti seculo Bernardus anno* MCXXIII *creatus est Episcopus Veronensis, qui in arce Montis-aurei consecravit ecclesiam*, in honorem Beatissimæ Dei Genitricis Virginis Marię & Sanctorum Firmi Martyris, Zenonis & Martini.

& reportatum.

B

9. *Est etiam Veronæ Ecclesia S Zenonis in Monte, alias S. Mariæ, in Bethleem, quæ auctoritate Eugenii Papæ IV data fuit anno* MCCCCXLIV *Fratribus Eremitis Congregationis Fesulanæ, paullo ante, scilicet anno* MCCCCXXXV, *instituta: & hæc omnia in Episcopis Veronensibus tradit sæpius memoratus Vghellus. Sunt aliqua particulæ reliquiarum S. Zenonis in variis Ecclesiis urbis Veronensis, quas recenset Bagata in Antiquis monumentis Veronensibus. De Reliquiis* SS. Zenonis & Eusebii Confessorum, *asservatis in ecclesia S. Georgii in Canonicatu, quæ & S. Helenæ dicitur, supra egimus. Sunt præterea reliquiæ aliquæ* S. Zenonis *in ecclesiis S. Antonii, SS Apostolorum, S. Ceciliæ, SS. Firmi & Rustici, S. Gabrielis, S. Georgii in Braida, S. Mariæ Rocha-majoris, S. Mariæ Magdalenæ, S. Michaëlis ad portam, S. Silvestri, S. Thomæ, & S. Zenonis in oratorio. At corpus S. Zenonis asservari in ecclesia S. Zenonis Majoris sive in monasterio constans est Veronensium traditio. Conradus à Lichtenaw, Abbas Vrspergensis in diœcesi Augustana, scribit in Chronico ad annum* MLII, Reliquias S. Zenonis à Waltario Veronensi Episcopo Ulmam delatas esse, *Quæ eadem habet Hermannus Contractus*, additque plurimis claruisse miraculis. *Prolixius illa tradit Hermannus Æditus sive Ianuensis in Chronica, quæ dicitur Flores temporum, in Leone* IX, *quem* X *appellat.* Tunc etiam, *inquit*, S. Zenon, Confessor gloriosus, in Ulmam super Danubium est translatus, ad ecclesiam sanctæ Crucis, & ibi in Capella S. Udalrici reconditus: quem ad dictum oppidum transtulit Wernherus Episcopus Veronensis, natione Suevus. Modo vero reliquiæ istæ reconditæ sunt in eodem oppido, sed apud Dominos de domo Teutonica. *Idem auctor in Henrico* IV *idem confirmat: de quo auctore agit Martinus Crusius Annalium Suevicorum lib. 6. par. 2. cap. 11. ubi hanc translationem ex utroque Hermanno narrat. Meminit etiam hujus translationis in Waltero Episcopo Vghellus.*

Reliquiæ S. Zenonis Veronæ in variis Ecclesiis:

C

corpus in S. Zenonis Majoris.

Aliquæ notabiles reliquiæ delatæ Vlmam an. 1052.

10. *Sunt variæ ecclesiæ extra Veronam dicatæ S. Zenoni: ex his numerantur tres, in diœcesi Veronensi constitutæ, in Bulla Eugenii IV apud Vghellum pag. 952. & sunt* S. Zenonis de Rupeclaria, S Zenonis de Cereta, S. Zenonis de Vigasio *seu Vico* Athesis. *Harum duas priores fuisse anno* MCCCCXLVIII *in dotem Thesaurariæ Veronensis assignatas, ibidem traditur pag. 967, easdemque à Marco Cornelio Cardinali Episcopo Veronensi fuisse mensæ Cornelianæ adjectas, legitur in hujus diplomate à Leone Papa X confirmato. Sunt autem hæ tres Ecclesiæ, Archipresbyteratus seu Plebes, quibus minores alias Parochiales subdi tradit idem Vghellus, in Appendice tomi 7 pag. 1431. Extare etiam S. Zenonis Ecclesiam parochialem Brixiæ, & aliam Interamnæ in Vmbria, diximus* V *&* VII *die Ianuarii, in Actis SS. Rusticiani Episcopi Brixiensis, & Valentini II Episcopi Interamnensis, quorum sacra corpora in dictis ecclesiis condita requiescunt. De alia S Zenonis ecclesia Parochiali Cesenæ, in qua ejus brachium asservetur, testis est Bernardinus Manzonius in Chronologia Cesenæ pag. 62.*

templa S. Zenoni dicata in diœcesi Veronensi,

D

Brixiæ & Interamnæ:

11. *Raphaël Bagata supra memoratus tradit, ex libro quarto Statutorum Veronensium*, statutum fuisse, quod in portis omnibus urbis Veronæ apertis, vel quæ pro tempore aperientur, fieri & depingi debeant imagines Dominæ S. Mariæ matris Domini, cum ipso ejus filio in brachiis, & S. Zenonis Protectoris urbis, & S. Petri cum clavibus in manu, & S. Christophori. *Additur præterea*, in campana etiam turris horarum, Veronæ conflata sub Cansignorio Scaligero anno MCCLXX, esse figuram S. Zenonis cum diademate in habitu Pontificali, tenentis in manu dextera cistam, & in manu sinistra arundinem cum hamo ad piscandum, cujus superscriptio est, *S. ZENO. Denique* S. Zenonis commemoratio fit à Clericis secularibus & à Regularibus utriusque sexus diœcesis Veronensis, in ferialibus & Dominicis diebus, in Matutinis & Vesperis. In Missis etiam, in Collecta A cunctis, fit ejus commemoratio, statim post Apostolorum Petri & Pauli commemorationem. *Item* in ecclesia majori S. Zenonis Veronæ, in quadam tabula, vetusta manu scripta, in latere dextro in descensu cryptæ seu Confessionis appensa, descripta sunt miracula S. Zenonis ducentis quadraginta quatuor versibus hexametris per Jacobum Presbyterum. *Illa miracula ipsi anno* MDCLX *Veronæ transcripsimus ex apographo, nobis communicato ab humanissimo Abbate* Cherubino Lazarono, *ibidem monasterii S. Zenonis Priore, quem virum* eruditione clarum, & venerandæ antiquitatis cultorem eximium *appellat Vghellus. Certe optassemus ut quæ ipse collegerat & prælo pararat de Vita S. Zenonis, cœnobii & ecclesiæ S. Zenonianæ fundatione & progressu, ac nobilioribus utriusque monumentis, licuisset videre publici juris facta; forsan laborem nostrum in multis minuissent, & aliter in nonnullis opinari fecissent.*

imago in omnibus Vrbis portis,

E

campana ei dicata.

Commemoratio in officio Ecclesiastico.

Poëma de miraculis,

F

HISTORIA ELEVATI CORPORIS ET MIRACULORUM S. ZENONIS.

Ex MSS. collectaneis Petri Calo Ordinis Prædicatorum.

1 TEmpore Pipini Regis Italiæ, qui præ ceteris urbibus diligebat Veronam, & cum Rotaldo Episcopo inibi sibi dilecto frequens habebat colloquium; ipse cum Episcopo ecclesiam S. Zenonis ingressi, tam de auditis quam de visis mirabilibus conferentes, statuerunt corpus dicti Sancti, humiliori loco positum quam deceret, sublimare, & ecclesiæ angustiam dilatare. Et ædificata ecclesia de politis marmoribus & tumulo fabricato, Rex cum Præsule, congregatis omnibus sacris ordinibus, Sanctum piis orationibus demulcentes ne iis irasceretur, cum ingenti timore cubiculum aperuerunt. Sed adeo perterriti facti sunt, ut nullus tangere ossa præsumeret; quia quoddam divinum & terribile inde exhalabat, quod incutiebat horrorem: mox igitur clauserunt sepulcrum. Placuit ergo Regi & Episcopo, ut per quadraginta dies, ter in hebdomada, omnes ad sepulcrum

Pipino Regi Italiæ & Rotaldo Episcopo

nova Ecclesia construitur.

Ossa S. Zenonis horrorem incutiunt.

A pulcrum Sancti devote & solenniter convenirent *post preces 40 dierum,* ejus clementiam flagitantes, ut inspiraret, cui hæc reverenda motio conveniret.

2 Fama igitur cujusdam solitarii, qui pane pauco, aqua & herbis crudis pascebatur, innotuit Regi & Præsuli, & miserunt nuntios providos ad ipsum, *a* Benignum nomine, & discipulum ejus Lazarum, *b* juxta lacum Bennacum *b* in latibulo, in eminenti loci specula sito; à quibus cum gaudio suscepti sunt, & audita legatione Regis & Episcopi ait: Revertentes in pace, resalutate dominos vestros, ego non parum tripudio, quod ad illam solennitatem vocor: *evocatis SS. Benigno & Lazaro anachoretis,* Et subsecuturus eos mox orandi causâ ædiculam ingressus, divinum auxilium imploravit. At in itinere positum merula avis, strepera voce *c* zinzulans, *c* callem transvolans, quasi, sinistrum omen significans, ab incepto revocabat. Quod iste intelligens factum dæmonis, merulam adjuravit, ut nullum motum faceret donec rediret. Honorifice igitur susceptus à Rege & Præsule, audito quid vellent, ipse cum electis aditum introivit, orantibus omnibus, & qui intus aderant & qui præ foribus stabant. *elevantur,* Eremita autem tremebundus intravit, & ossa beatissima bajulavit, atque in sepulcro parato singula ordinavit, & tanta vis odoris fragravit, quantam nemo ante persenserat. B Tunc Rex reliquiarum aliquid postulavit, *& sub Sigillo reponuntur;* & vix tandem à Præsule obtinuit nervorum, cineris ac vestimentorum particulas, membrorum integritate servata: alia autem, firmiter circumsepta annuloque sigillata, recondidit.

3 Tunc multi omnis generis ægri sanati sunt: & lætitia magna facta est ex hoc. *dotatur ecclesia magnifice.* Rex autem & Præsul & nobilium plurimi die illa ecclesiam S. Zenonis *d* donaverunt magnifice, & ditissimâ effecerunt. Eremita autem rediens, vidit merulam in præcisa rupe jacentem; quam ratus quiescere & se expectare, accessit ut excitaret & eundi licentiam daret. At illa jam expiraverat: unde ænea imago merulæ, fusili arte facta, ibi usque hodie pendet.

4 *Sanatur Tridentinus dæmoniacus,* Quemdam Tridentinum dæmon ingressus, corporis & animi vires sibi vendicavit: cujus os spumosum non sonabat hominem, nec oculis videbat, quos hostis reddebat sanguineos & horribiles: occulta hominum dicebat: unde Presbyterum eum adjurantem Eunuchum appellavit, quod non erat circumstantibus notum; & Levitæ eum adjuranti, vocato ex nomine, plura quæ commiserat improperavit: sicque nullus audebat accedere qui conscius sibi esset. C Mox Zeno Præpositus monasterii, cum non ferret superbiam dæmonis, aram S. Zenonis amplexus, lacrymis irrigatus, orationem fudit, ne dæmonis insultatio impunita transiret. Mox dæmon virtute orationis & Sancti [meritis] hominem reliquit, Deo & S. Zenoni copiosas gratias referentem.

5 *aridus & contractus,* Willielmus aridus & contractus, sicut quadrupes terram calcans, lectica illo portatus, appropinquans vestibulo templi, alienis ulnis depositus humi, pectus pugnis tundebat, vocem singultibus exaltabat, pejori se dignum statu [fatebatur]. Tunc luminaria fecit accendi, & curvus ut bestia, genibus & palmis versus altare cœpit repere. Protinus divina virtus, ossa ejus & nervos ingressa, artheticum morbum tetigit. Ille velut exanimis in terra corruit, & diu quasi sine spiritu jacuit, ut mortuus crederetur. Repente autem consolidata sunt lineamenta corporis, & flexuræ & bases & nodi. Confestim igitur erigitur, & ad aram cito proficiscitur, laudans Deum & Sanctum suum.

6 *2 paralytici,* Duo viri, Joannes, & Calvus, paralytici, simul illuc evecti, assidue januas ecclesiæ observabant, & S. Zenonis auxilium implorabant. Cum ergo illos somnus opprimeret, viderunt senem aspectu pulcherrimum, colore vividum, canis niveum, *EX MS. PATRICALD.* templo exeuntem, virgam in manu ferentem: quam erigens utrosque tetigit, dicens: Satis diu in his cubiculis jacuistis, surgite & Deum Salvatorem laudate; & abiit. D Evigilantes igitur, sibi invicem quæ viderant enarrantes, senserunt se statim redditos sanitati: & surgentes grandi voce Deum laudabant, & diebus pluribus ibi in laudibus permanserunt, ne viderentur ingrati, notificantes quod actum est in eis.

7 Albertum *e* Cenetensem dum feroces caperent *e* hostes, non contenti capturæ gloria, nec aliis suppliciis satiati, ignito ferro ejus oculos combusserunt. Orbatus luce sedebat in tenebris, repentinæ privationis querulus, importune die noctuque *cæcus övidus sis ab hoste oculis,* Deum Judicem implorando. Sequens igitur ducem, jam gravis & suis odibilis, sæpe Deum rogabat, ut vita eum privaret. Cui repente venit in cor ad S. Zenonis præsidium festinare. Tunc à cognatis & amicis subsidium itineris exigentem, illi eum amentem vocabant pro tali petitione: qui tamen à pædagogo olim suo hilaris ductus est ad antrum, in quo primo Sanctus jacuerat, quibusdam ex suis prosequentibus eum ex humanitate: & humi prostratus flebiliter Sanctum invocat, ut medicinæ præbeat juvamen. E Cumque hoc ipsum miserabiliter frequenter iteraret, inopinate circumstantes vidit, & repente *visum recipit,* se videre clamavit. Cumque qui secum venerant, non crederent, alter alterum præsentabat; & quis esset, & quid indueretur, exquirebat. Cui cum ad quæsita verum responderet, exquirebat plaudere, & Deum & S. Zenonem laudare. Quo audito, tortores illius, ducti pœnitentia, audacter aggressi eum sunt, ut illis daret veniam, pro illius amore, à quo esset misericordiam consecutus. Quibus ille impiger pepercit culpam, nullamque recepit mulctam. *& monachus ibidem vivit.* Abbatem S. Zenonis adiit, & loricam, id est habitum S. Benedicti induit, ibique per quatuor lustra, id est viginti annos, fideliter militavit.

8 *curatur energumena* Vezila à dæmone capta, adhuc puella, sub teneris membris modo latente modo furente, facta juvencula, cum parentibus debuisset esse solatium, erat inconsolabile spectaculum: quos dæmon sæpe fefellerat, se exiturum jurans, si ad illius vel illius duceretur ecclesias. Eo tempore, quo sanguis Christi Mantuæ ferebatur *f* inventus, cum illuc à parentibus duceretur, digressionem ad S. Zenonis ecclesiam fecerunt: quam cum ingrederentur, dæmon atrocius solito puellam concutiebat, sicut Eurus arbusculam. F Quia autem dies erat Rogationum, magnus illuc populus psallendo procedebat: qui dum cernerent eam caput rotare, capillos volitare, manus & brachia vibrare, pedes saltare, plures viros in ea tenenda laborare, omnes palmis erectis in aëra, clamaverunt, Deus auxiliare. Confestim Christi virtute dæmon, cum magno clamore & sulfureo fœtore, expulsus est, manente puella in medio populi pallida, territa tremula, fatigata: propter quod Deo laudis præconia exolvuntur.

9 Tunc dæmon exiens super monachum, manentem juxta excelsam turrim quæ ædificabatur, de eminenti pinna lapidem devolvit, & in vertice *à qua expulsus dæmon* graviter vulneravit, unde quasi mortuus à Fratribus est sublatus. Protinus velut sagitta præcipitavit se in mensam cujusdam indigenæ, & quidquid erat in ea, velut nimbosus turbo, dispersit. Deinde subito irruit in plaustrum, onustum spinis, quod nec animal movebat, nec ulla vis venti erat; tamen à dæmone rotabatur, huc atque illuc agitabatur, velut à ferocibus & indomitis tauris junctis jugo. Et etiam impulit gubernatorem navis, t[...]vehentis lapides ad *varie se ulciscitur.* spectabile ædificium S. Zenonis, volens hominem in flumine

Ex MS. A

flumine demergere, & navem submergere: at ille infra puppim ruit, & navis portum sine jactura tenuit. Inde ad Fluvium, aratoribus existentibus prope ripam pacificis, corda eorum ad iram commovit: unde quidam eorum insolenter locuti & arroganter, consocios & amicos per contumeliarum verba exagitaverunt. Extemplo commisti hostiliter, baculis graviter se læserunt; & si arma præsto fuissent, se mutuo occidissent. Sed sacerdotes, apertis indiciis sathanam inter Dei filios advenisse, dicentes, [pacem] inter eos composuerũt; qui in se reversi, alter alterius vulnera adhuc stillantia, quæ fecerant ipsi, lavabant; & ex vestibus ligaturas præscindentes, cum lacrymis & caritate plagas ligabant.

S. Zeno varios libros composuit.

10 Scripsit autem S. Zeno *g* tractatus ultra *h* octoginta super Psalmos & Prophetas, & de Nativitate Domini, & diversis aliis materiis, & epistolas ac expositiones plures, & Vitam S. Arcadii martyris, qui eodem tempore passus est, quam posui *i* pridie Idus Januarii: quos tractatus & epistolas ac expositiones, pulchro & subtili stylo editos, *k* ego vidi in duobus voluminibus apud S. Zenonem de Verona.

ANNOTATA.

B

SS. Benignus & Lazarus.

a *Festum SS. Benigni & Chari, qui hic Lazarus dicitur, celebratur 26 Iulii. Corpora eorum elevavit anno 1314 Theobaldus Episcopus Veronensis, & in arca pulcherrima de petra excisa sub altari deposuit, in ecclesia S. Stephani Malsesini, xv millibus passuum Verona distante.*

b *Addunt Acta eorum,* prope Malsetorium.

c *Eadem Acta,* crocitans.

d *Possessiones & dona oblata memorantur in supra indicato diplomate, Ludovici Pii Imperatoris.*

e Ceneta *in Marchia Tarvisina est, sub Patriarcha Aquileiensi, & titulo Episcopali gloriatur.*

Sanguis Christi Mantuæ.

f *De hac sacri Sanguinis inventione fuse agitur 14 Martii in Commentario de SS. Longinis § 2 & 3: contigit autem illa an. 804. & rursum an. 1049: quam postremam inventionem hic attingi arbitramur.*

Scripta S. Zenonis.

g *Sunt hi tractatus primo editi Venetiis anno 1508, sed rudibus & mendosis typis; dein jussu Augustini Valerii nitidioribus typis Venetiis anno 1586.*

h *Imo tractatus simul editi sunt 127.*

S. Arcadius.

i *Eodem 12 Ianuarii Vitam hanc cum variis MSS. collatam edidimus, una cum Actis, ex Agonibus Martyrum Parisiis excusis.*

C

k *Petrus Calo, qui circa an. 1300 floruit. Ceterum de his tractatibus consulat Lector Notas Baronii ad hunc 12 Aprilis, Bellarminum & Labbeum de Scriptoribus Ecclesiasticis, & Vghellum pag. 577 qui eos Zenoni II tribuit.*

MIRACULA S. ZENONIS auctore Jacobo Presbytero.

Ex MS. Zenoniano.

1 ADmiranda nimis miracula visere Sancti
Hæc placeat, Verona, tui Zenonis amore.
Te precor, alme Pater, Præsul sanctissime Zeno,
Presbyteri servique tui memor esto Jacobi: *Invocatio poetæ*
Cui licet ingenii modicæ sunt undique vires,
Ad scribenda tui miracula clara, fidelis
Pastoris, qui splendor ades, decus atque corona
Veronæ; spem, Zeno, tamen mihi suggerit, ille,
Qui populo silicem jussit producere fontes:
Et mihi dulce loqui dabit hic, qui solvit asello
Ora viri, viresque Deus præstabit inermi.
Sed tamen è multis libabo paucula, nuper *paucula & selecta proponentis.*
Ut circum flores volitans apis omnia lustrat,
Posthabitisque thymis mellitæ pluribus aulæ
Pondus onusta suæ modicum, sed dulcius, affert.
Non igitur quemquam pigeat, Zenonis alumnum,
(Si quibus est Patris laudes audire cupido)
Tutoris Patrisque sui cognoscere laudem:
Paucula, mira tamen toto præconia mundo.

D

2 Exiliens Athesis, sacrum Zenonis adivit,
Et frendens rapidis lustravit celsa procellis: *Aqua Athesis exundantis ab ingressu ecclesiæ arcetur.*
Et cum verticibus portas vorare patentes
Haud posset, remeans candescit dira ministrans:
Littoribusque simul circumspumantibus altis,
Flagitat horrendus templi superare fenestras,
Culminibus junctas: compos pervenit ad ipsas.
Humani generis tela hæc patraverat hostis,
Quo fanum rueret, Christo pia pectora mulcens:
Et quos ille Pater lymphis sacraverat almis,
Perderet hos ille stridens furialibus undis.
At Pater omnipotens, meritis Zenonis adhærens,
Tunc liquidos fluctus, ceu candida marmora, fixit;
Auxilioque fuit populis aqua, tristia volvens.
Nam foribus tantum sitienti stabat ut unda;
Et tandem proprias luctatus quærere sedes,
Nititur; intactisque dedit sua tergora valvis.
Tunc quod non valuit portas intrare patentes,
Urbis prævalida audens propugnacula rupit.

E

3 Zeno, tuus, Verona, Pater, vigilavit in isto
Delubro, renovans tua dogmate pectora sancto:
Unde suis pedibus claudi rediere potentes, *sanantur claudi & cæci:*
Et ubi complures jubilarunt lumine cæci.
Sanctificatus enim, veluti Baptista secundus,
Admiranda nimis vivens miracula fecit.
Cum, plaustro bobusque suis demersus in amne *servatur submergendus:*
Rusticus, hoc gaudet vitasse pericula Patre;
a Pisciculisque tribus concessis, quartus in unda *a piscis in aqua ferventi natat;*
Ferventi, proprio velut amne, natabat, & inde
Ipsius imperio decoctus redditur ori.
Galleni genitam *b* Romæ dissolvit acerbo *b Filia Galleni energumena liberatur:*
Hospite Plutonis, qui regia munera cunctis
Pauperibus, fractamque dedit, dicendo, coronam:
Si Pater omnipotens miranda operatur, & ipsi
Perpetuæ laudis reddatur gloria Christo.
Tunc ibi complures fonti se dedere sacro
Concurrunt; quos ille Deo sacravit & unxit.
4 At ubi concessum Romano à Principe vanos
Sternere jure deos; patriam remeavit ad urbem,
Gentilis populi prosternens fulmine templa,
Mendaces mutasque Jovis Venerisque figuras: *idola dejiciuntur,*
Sed cum verba Dei tunc primo sancta dedisset
Intrepidus populo, dignus Patronus habetur
Veronæ; fuerit licet ipse *c* octavus in illa *c*
Antistes: sacras docuit nam pectora leges

F

Nostra Pater, florebat enim sermone polito; *fides propagatur,*
Et patriis monitis instabat semper, ut ipsi
Atque uni trinoque Deo conjungeret omnes.
Innumeros Jesu vivo de fonte redemit
Hic populos, & magna Dei sacravit honori
Fana Pater: graviterque ferens hæc turba profana,
Præsulis ante pedes ridens, Hoc amne *d* cadaver *d mortuus resuscitatur,*
Evectum, dixit, si forte animaveris, ecce
Huic, quem Verbigenam tu dicis, credimus omnes:
Tunc Pater ille bonus, promisso lætus, ab aula
Excelsa meruit populo tunc reddere spirantem,
Unicus, ille Deus, quem clara voce fatetur
Zeno Pater: Christo populus sic credidit omnis.
At majora quidem vivens miracula fecit,
Quæ nostris occulta manent ob tempora longa.
5 Fraude Tridentinus quidam vexatus iniqua *Sanatur dæmoniacus,*
Dæmonis, & mentis privatus viribus atque
Corporis, haud hominem spumosa fauce sonabat,
Luminibusque nihil rutilantibus ille videbat;
Hic hominum culpas arcanaque singula pandens,
Presbyterum cunctis eunuchum prodidit, atque
Levitæ innotuit vitium, cum nomine prodens;
Conscius unde sibi trepidabat quilibet illum.
Cœnobii mox Zeno Pater Salomonque vocatus,

Dæ-

Dæmonis insultus graviter super omnia pendit.
A Suppliciterque Deo pronus Zenonis ad aram,
Assiduis precibus lacrymisque cadentibus instat.
Proque Dei famulo cum diutius ille rogaret,
Protinus ecce sathan, precibus meritisque subactus
Zenonis, laniata diu tunc membra reliquit.
Quod populo mundoque fuit mirabile toti,
Atque Deo Sanctoq; decus, laus, atque triumphus.
6 Aridus & nervos quidam contractus, & instar
aridus & contractus, Jumenti penitus toto cum corpore repens,
Percipiens Sancti præconia fusa per orbem;
Lectica, qua vectus erat, declinat, & aram
Servorum manibus stipatus visere certat.
At subito, qui curvus erat, ceu bestia, totus,
Ut cœpit gravibus cum palmis repere ad aram,
Corruit exanimis, solidataque cuncta repente
Membra fuere viri. Tunc hospes lætus & audax
Cum jubilo tumulum venerandum contigit ultro.
O qualis quantique fuit Zenonis in illo
Virtus; immensis populi cum laudibus orbi
Et merito patuit modulantis carmina Patri.
Sed cum fama viri virtutis nuntia abiret,
Undique currebat, ceu grex ad pascua, turba.
7 Huc Calvus vehitur cum multis, atque Ioannes
2 paralytici, B It comes & socius, Paralyticus atque sodalis
Factus: uterque diu servabat limina templi,
Et precibus tandem placatus Zeno quievit.
Dum nox & somnus validis animantia vinclis
Stravissent, Sanctus virga percussit utrumque,
Atque Satis, dicens, jacuistis, Surgite: Christum
Nunc laudate Deum; mox sanos reddidit ambos.
Et pariter Sanctum Zenonem sanus uterque
Laudavit, Patremque simul qui cuncta gubernat.
8 Ecce quid Alberto Cenetensi contigit olim.
Cæcus, evulsis ab hoste oculis, Hostibus invasus, ferro privatus ocellis,
In tenebrisque suis orbatus luce sedebat,
Atque Deum querulus rogitabat nocte dieque,
Ut sibi jamque gravem truncaret denique vitam.
Non parvoque ducem sectatus tempore cæcus;
Omnibus invisus cognatis, spretus ad antrum,
In quo Zeno prius requievit tempore longo,
Pervenit, caris paucis comitantibus illum.
visum recipit. Stratus humi lacrymis, singultu, voceque Sancto
Cum sua vota daret, subito præsentia cernens,
Indice monstrandum cum nomine quemq; notabat:
Fit populi clamor, cœperunt plaudere cuncti.
Ille subinde suis veniam tortoribus ultro
Dans, Christo lustris servivit quatuor atque
C Zenoni, Benedicte, tuæ moderamine legis.
9 Heu quotiens teneros lacerans *e*Wetilia nervos,
Energumena liberatur Spiritus ille sibi delusit vota parentum.
Namque malignus eis juravit sæpe, quod inde
Exiret, Sancti si talia talis adiret
Templa: sed inanis, cum jam perductus adesset,
Incassum totiens te versus, Mantua, fertur,
Dum Christi sanguis compertus dicitur esse.
At prius est templo Zenonis ducta puella,
Cujus ad ingressum dæmon superatus, ut Eurus
Concutit alta tuos lacerans, arbuscula, ramos;
Haud aliter diris vexabat membra puellæ
Tormentis; quassare caput, volitare capillos,
Atque manus vibrare, pedes saltare videres,
Ac plures sudare viros ea membra tenendo.
Tunc populus rectis ibi totus in aëra palmis,
Auxiliare Deus, clamarunt ore sub uno.
Protinus & gravibus propulso dæmone signis,
Fœtor ibi sulphurque diu stetit atque tumultus,
Et medio populi sedit perterrita virgo,
Vixque loqui poterat, quæ tot superaverat olim.
à dæmone varie sævien-te 10 O quam magna fuit Zenoni gloria nostro
Reddita! neve satur tot culpis, illico dæmon
Hinc abiens, silicem detorsit vertice turris,
Quæ tunc pulchra tuo, Zeno, surgebat honori:
Et monachum graviter juxta percussit euntem; *AVCTORE*
Quem licet exanimem spectarent, non tamen illo *IACOBO*
Vulnere decessit; sed Christo dignaque Sancto *EX MS.*
Veronæ cecinere simul præconia cives.
11 Protinus inde volans nimboso turbine dæmon
Indigenæ mensam petiit, velut acta sagitta,
Quidquid in illa erat, subvertens. Eminus ille
Disperiit, populoque citus mox ille vidente,
Irruit in plaustrum spinis sine bobus onustum;
Et licet hoc animal nullum, vis nullaque venti
Tangeret; ille tamen flans huc illucque rotabat;
Auriga ac si forte jugo tunc nempe, feroces
Indomitique forent juncti palearia tauri.
12 His actis rapidus navim navisque magistrum
Impulit; is templo lapides tibi, Zeno, vehebat, *sed à graviori noxa impedito,*
Et nautam pariterque ratem submergere fretus;
Fulmina dira sathan frustra contorsit iniquus:
Nam sine jactura portus hic nauta subivit. (amnem
13 Hinc Athesim linquens, Fluvius (qui dicitur,
Advolat, & socios, tractantes seria cœpit
Exagitare sathan, flammis præcordia replens.
Extemplo baculis, velut arcta per invia tauri,
Conflixere viri, graviterque furentibus ecce
Mors aderat, ni forte Deus præstoque fuissent
Presbyteri; qui fraude, dolis, & dæmonis arte E
Hæc conflata palam noverunt pluribus esse
Indiciis: nam pura viris ad corda reversis,
Cum lacrymis placuit stillantia vulnera veste
Tergere cuique sua, plagasque lavare vicissim,
Et veniam proni sibi dandam quique petentes,
Cœperunt laudare Deum jubilareque sancto
Pastori, quod jura sibi sint reddita mentis.
14 Vir clarus, dum festa dies Zenonis adesset,
Bis sex pauperibus solvebat lauta quotannis *Alens in festo S. Zenonis 12 pauperes,*
Prandia; cui misero, facienti talia, Patri
Ecce ferunt natum diris Acheronta petisse
Vulneribus. Sed cœpta pater, licet unicus esset
Filius ille sibi, nec tali morte reliquit: *filium mortuum recipit resuscitatũ.*
At sibi præsidio Zenonem semper adesse
Prædixit, clausitque pater convivia lætus:
Exhibitisque Deo, Zenoni, ac civibus altis
Laudibus immensis, confestim Zeno parenti,
Morte sua, veluti somno, revocavit alumnum.
15 Quid quod de Castello, cum superatus ab hoste
Quidam, Veronæ, Venetam volitasset ad urbem, *in lite victoria obtenta.*
Et sibi crudeles injuste cerneret omnes;
Supplex vota tulit Zenoni, talia dicens:
Tu mihi, Zeno, pius, precor, adsis jure Patronus,
Quem primo Verona ducem veneratur honore. F
En subito Venetum populus totusque Senatus,
Ejus jura videns, tum denique fronte benigna
Zenonis famulum victorem fecit; & ipse
Retulit ore suo, quod Zeno scripserat illa,
Quæ jam caussidici sibi doctoresque negabant
Prævidisse, licet cribrassent singula dudum!
Sic voti composque fuit, memor, atque recepit.
16 Te Catharina, precor, Saracena, fatere petenti,
Zeno quanta tibi multis jam mensibus ægræ,
Munera grata tulit: nam vir Benedictus & ipse *Curata febris cum dolore capitis*
Testis adest, quod febris ei capitisque dolorem
Abstulit in visu dicens; Lætare fidelis,
Sospes eris, capiti si digna umbracula nudo
Zenonis facies: nam nudus sic tibi visus
Ille fuit, cui cuncta nitent sincera; grabatum
incolumisque, domo tota jubilante, relinques
Quamprimum: haud frustra mater, Zenonis ad aures, *& podagra.*
Vota suis precibus fudit, curata podagris.
17 O Præclara nimis quot quantaq; facta relucent
Pontificis, Verona, tui, cui plurima debes!
Nam tibi quis fidei primus fundator habetur?
Quæ tenebras lux prima tuis è cordibus arcet? *Conclusio ad Veronenses.*

EX MS. A

In sermone pater quis natis gratior illo?
Cui decus eloquii magis & facundia luxit?
Dæmonis insultus quis tanta laude fugavit?
Denique præter eum tibi quis miracula fecit?
Zeno quidem cæcis visum largitur, & ægros
Zeno pius mundat, contractis membraque solvit:
Zeno favet miseris, ipsorum jura tuetur:
Zeno fugat diros incursus dæmonis ultro:
Zeno vocat superis Acherontis compede vinctos:
Zenoque Veronæ populum conducit Olympo.
Ergo tuum, Verona, velis agnoscere Patrem,
Mirandumque tuis ejus venerare sacellum
Muneribus: patronus enim fert vota clientis,
Et precibus votisque piis occurrere gaudet.

ANNOTATA

Furtum detectum.

a *In epitome Vitæ, ante sermones excusa, dicitur* S. Zeno satellitibus Galieni tres à se captos pisces donasse: sed cum illi numero contempto iis quartum dolo adjecissent, ac domum reversi omnes simul in ferventem aquam conjecissent; tribus à sancto viro acceptis ac suo tempore coctis, quartum illum subreptitium tamdiu vivum in aqua ferventi ludibundum natasse, quoad illi miraculo attoniti, unanimes ad virum sanctum redierunt, seque furti reos confessi, ab eo, ut sibi ignosceret, impetrarunt. D

b *At supra vicinus locus in patria designatur.*

c *Supra ostendimus ordinem undecim primorum Episcoporum, qui ab aliquibus assignatur, non subsistere.*

d *In citata ante epitome dicitur:* Ut planum omnibus faceret divina virtute se omnia agere, cadaver hominis, quod tunc secundo fluvio ferebatur, ad se vocavit, ac magna cum omnium admiratione ac stupore ei animam restituit.

e *Supra* Vezila *appellatur.*

f *Hinc confirmatur etiam in prosa legendum* Ad Flubium, *non,* Ad fluvium, *quod aliquis posset suspicari: est autem nomen amnis, ex Valle Pantena profluentis, & ad Zenium oppidum infra Veronam sese immergentis Athesi, qui ex usu hodiernæ Italicæ linguæ, litteram L inter F & vocalem quamvis absorbentis, leniori sono nominatur* Fibius.

DE SANCTO VICTORE,

Martyre Bracaræ in Portugallia.

G. H.

XII APRI. B



Bracara, *urbs antiqua Gallaciæ celeberrima, nunc Portugalliæ regno inserta, inter alios præclaros Sanctos hoc die proponit* S. Victorem Martyrem: *cujus festum magna cum solennitate celebrari hoc* XII *Aprilis in ecclesia Metropolitana Bracarensi, & aliis ejusdem regni diœcesibus, testis nobis est Ambrosius Morales, lib* 10 *Chronici Generalis Hispanici cap.* 14. *In Breviario secundum regulam B. Isidori, dicto Mozarabes, impresso Toleti anno* MDII *jussu Francisci Ximenes Archiepiscopi, uti etiam in Missali simili, anno* MD *excuso, præscribitur ad hunc diem Officium S. Victoris cum novem Lectionibus, in quas est Actorum Passionis compendium distinctum in antiquis Breviariis Bracarensibus, Eborensibus, Compostellanis & monastico secundum consuetudinem Ordinis Benedictini regnorum Portugalæ: quod inde descriptum hic subjungimus. Illustris epitome inde sumpta & Latine edita est à Thoma de Trugillo, tomo* 2 *Thesauri Concionatorum; Hispanice autem à Ioanne de Marietta, lib.* 2 *Historiæ Sanctorum Hispaniæ cap.* 40, *atque ab ante citato Ambrosio de Morales: sed plenius Lusitanice à Didaco Rosario, in Historia Vitarum Sanctorum. His omnibus præclare consentit Martyrologium Romanũ, in quo tale legitur elogium:* Bracaræ in Lusitania S. Victoris Martyris, qui adhuc catechumenus, cum idolum adorare noluisset, & Christum Iesum magna constantia confessus fuisset; post multa tormenta, capite abscisso, meruit proprio sanguine baptizari.

Cultus celebris. *Acta Martyrii.* *elogium ex Martyrol. Romano.* C

2 *Quo tempore aut qua persecutione passus sit Victor, in Actis non habetur. Ambrosius Morales librum decimum auspicatur à persecutione per Diocletianum & Maximianum Imperatores mota, misso ad hanc exercendam in Hispanias Daciano; & post alios illustres athletas, tunc martyrio coronatos, adjungit S. Victorem: quem etiam Didacus Rosarius sub dictis Imperatoribus & memorato Daciano triumphum martyrii peregisse asserit. Ioannes Vasæus in Chronico Hispaniæ atrocem horum Imperatorum persecutionem, quæ anno Christi* CCCIII *mota est, differt in annum* CCCVI, *& in ea* passionem S. Victoris Bracaræ Augustæ contigisse arbitratur, *adjungitque* sanctos Martyres, Silvestrum, Cucufatem, Susannam, Torquatum & alios Martyres, quorum memoria diuturnitate & scriptorum penuria exolevit. *Secutus Garibaius tomo* I *Compendii Historiarum Hispanicarum lib.* 7 *cap.* 44, & Bracaræ simul XII Aprilis passos SS. Victorem, Silvestrum, Cucufatem, Torquatum & Susannam *tradit. Franciscus Padilla, tomo* I *Historiæ Ecclesiasticæ Hispaniarum centuria* 4 *cap.* 19, *relato S. Victoris martyrio, addit à jam relatis Vasæo & Garibaio alios quatuor adjungi, Bracaræ martyrium passos: verum se non potuisse alium auctorem nancisci, qui dictos Martyres attribuat urbi Bracarensi. Interim illos secuti plures sunt, ac Ludovicus ab Angelis, in Viridario Portugalliæ cap.* 5, *refert,* sub Nerone Bracaræ passos SS. Victorem, Silvestrum, Torquatum, Cucufatem & gloriosam S. Susannam, sororem duorum ultimorum, *scilicet* Torquati & Cucufatis. *Aliam viam alij ingressi, Chronico Dextri hæc inscripserunt ad an.* 300 *num.* 4. Bracaræ in Lusitania S. Silvester pro Christo passus. *Bivarius in Kalendario subjuncto ista habet:* XII Aprilis S. Silvester Martyr Bracarensis cum Susanna sorore. *Contra in Chronico Dextri ad dictum annum* 300 *num.* 8 *ista leguntur:* In territorio Bracarensi S. Susanna Virgo & Martyr, pro fide passa, soror S. Victoris Martyris catechumeni. *Tamajus Salazar in Martyrologio Hispanico, de* S. Victore *primum, dein de* S. Susanna *agit, asserens de hac agere,* quotquot de S. Victore fratre scripsere, nemine dempto: *cum teste Padilla non reperiatur, qui ante Vasæum de ea & aliis supra relatis scripserit. Certe qui num.* I *à nobis sunt relati, de solo S. Victore agunt. Idem faciunt Ioannes Mariana lib.* 4 *Historiæ Hispanicæ cap.* 14; *Ioannes Basilius Sanctorius, in Vitis Sanctorum; Emmanuel Campos, in Epigrammatis ad Lusitaniæ Divos pag.* 178; *Antonius Vasconcellus, in descriptione Portugalliæ fol.* 441 *& passim alii. De SS.* Silvestri & Cucufatis Martyrum & S. Susannæ Virginis & Martyris *Translatione agimus* XVI *Aprilis, ad vitam S.* Fructuosi Episcopi Bracarensis, *quorum corpora adservantur Compostellæ.*

An passus in persecutione Diocletiani? *an 4 socios martyrii habuerit?* E *in saltem Susannam sororem?* F

3 *Nova fabula de S. Victore reperitur fabricata in Adversariis Iuliani num.* 391 *his verbis:* Victor, cognomento Photinus, Dux Italicæ civitatis Hispaniæ Bæticæ, filius Samaritanæ, dictæ Photinæ, prope Bracharam populos rebelles contra Claudium Cæsarem delebat. Ibi adolescentem militem, nomine Victorem, ad fidem convertit: qui non multo post mortem ejusdem Photini, adhuc catechumenus, pro fide Christi patitur XII mensis Aprilis. *Hæc ibi, ob quæ Tamajus obitum S. Victoris refert in annum* LXIX. *Quæ non probamus. De SS. Photina & Victore egimus* XX *Martij.*

an à Victore Photino conversus?

COM-

D

COMPENDIUM MARTYRII.

Ex Antiquis Breviariis.

Beatus Victor Martyr in Christi confessione passus est, pridie Idus Aprilis, in suburbio Bracaræ Augustæ; cum adhuc eadem urbs Gentili errore teneretur. *In conventu paganorum* Cum enim Gentilium magna congregatio facta esset, ad sacrificandum idolo, juxta fluvium Alesten, ubi idoli fanum erat, quod à Paganis veneratione maxima colebatur; contigit Beatum Victorem illuc appropinquare. Cumque illum vidisset multitudo Paganorum, quæ omnes eo convenientes cogebat sacrificare; cœpit Martyrem, qui adhuc catechumenus erat, invitare, ut incensum Deo suo adoleret, & coronis floreis ejus statuam redimiret, sicut ab omnibus fieri perspiciebat. *contemnit cultum idoli.* Beatus autem Victor ait illis: Vos in Dei vestri honore lætitia & jubilis persultatis, & illum coronis & floribus adornatis: & ipse ita ornatus, pulcher nimis & bellus vobis esse videtur. Ego autem illum turpissimum & fœtidissimum & vilem & immundum, non solum judico, sed etiam video. Ad hæc sancti Martyris verba, devota idolo plebs maximo furore succensa, manus illi injecit; & ligatis post terga manibus; vinctum cum ingenti tumultu duxerunt ad Præsidem. Beatus ergo Victor ad Præsidem deductus, antequam interrogaretur, cœpit intrepide clamare & dicere: Christianus sum: alium Deum non colo. *fidem Christi profitetur,* Tunc Præses jussit Martyrem exui, & gravissime verberari, & per tormenta varia extorqueri. *torquetur,* Sed quanto magis torquebatur, tanto magis clamabat: Christianus sum: nomen Christi Dei mei numquam negabo. Cum itaque Præses illum neque minis neque tormentis flectere potuisset, ut vel incensum adoleret, vel Christi laudes supprimeret, capitali eum sententia condemnavit. *capite plectitur.* Decollatus itaque est S. Victor in Christi confessione, & adhuc catechumenus in Spiritu sancto & sanguine martyrii sui baptizatus. In cujus honorem post ædificatum fuit templum, juxta fluvium Alesten, quasi mille passibus ab urbe Bracara, ubi locum certaminis ejus fuisse conjicimus. *Templum ei erigitur.*

DE SS. DEME ET PROTIONE,

Martyribus apud Græcos.

E

B

XII APRI.



Celebrantur hoc die à Græcis hi duo Martyres, SS. Demes & Protion; quorum memoria est inscripta antiquo Synaxario Parisiensi Collegii Claromontani Societatis Iesu; item MSS. Menæis Mediolanensibus bibliotheca Ambrosiana, signatis littera O & numero 148. Referuntur etiam in Menæis excusis & apud Maximum Episcopum Cytherorum, Protion denique solus memoratur in Menæis MSS. Divionensibus Chifletii nostri. Genus Martyrii indicatur in disticho adjuncto in Menæis excusis; in quo fit allusio ad nomina: nam Πρωτίων Latinis, est, Prior, & Δήμης affine est nomen ei quo Græcis lictor δήμιος dicitur. Est autem ejusmodi epigramma,

Πρῶτος κεφαλὴν Πρωτίων ἀφῃρέθη,
Μεθ' οὗ κάραν προτείνε Δήμης δημίῳ

Cervice scissâ Protion moritur prior,
Cum quo lictori præbuit Demes caput.

De Sanctis Martyribus

AGAPO, VALERIO, PVBLIO, BASSO, IVLIANO, FELICE, PAVLO, MAVRO, HERTVLA, VERECVNDA, ET ALIIS XLII.

XII APRI.

F



Maxima eaque atrocissima in Christianos persecutio cœpta est sub Diocletiano anno Christi CCCIII, quo festum Paschale convenebat in diem XVIII mensis Aprilis. *Persecutio à Diocletiano in Paschate excitata an. 303.* Tunc, inquit Eusebius lib. 8 Historiæ Ecclesiasticæ cap. 2 & 3, cum nonus decimus ageretur annus Imperii Diocletiani, appetente die festo Dominicæ passionis, proposita sunt ubique Imperialia edicta, quibus ecclesiæ ad solum usque dirui, & sacri codices flammis absumi iubebantur. Et non multo post aliæ rursus litteræ supervenerunt, quibus mandabatur, ut omnes ubique Ecclesiarum Antistites, primum quidem conjicerentur in vincula, deinde vero diis sacrificare omnibus modis cogerentur. Tum vero quamplurimi Ecclesiarum Rectores gravissima supplicia alacri animo perpessi, illustrium certaminum spectacula exhibuerunt. Ex reliquis varia quisque tormentorum genera expertus est: hic flagellis concisus, ille tormentis intolerabilibus & ungulis excruciatus, alii item alio modo certamen suum peregerunt... quorum res gestas si accurate explicare velimus, nulla plane oratio sufficeret. Hæc Eusebius. Ex his Martyribus in illa persecutione, uti arbitramur, anno sequenti CCCIV passi, referuntur hoc die plurimi, in aliquot classes distinguendi, de quibus dolemus ob multitudinem eorum nequidem certaminis palæstram esse adjunctam. *videntur hi & sequentes Martyres tunc passi.* Prima autem in Martyrologio S. Hieronymi, cujus quatuor apographa contulimus, hujusmodi classis habetur: Et alibi Agapi, Valeri, Publi, Bassi, Iuliani, Felicis, Pauli, Mauri, Hertulæ, Verecundæ, & aliorum numero quadraginta duorum. Ex his octo primi memorantur in vetusto codice Hibernico monasterii Tamlachtensis, at tres in antiquis codicibus MSS. Richenoviensi & Rhinoviensi, scilicet Agapus, Paulus & Valerius: duo priores etiam referuntur in MS. Martyrologio Ecclesiæ Pragensis, & à Greveno in additionibus ad Vsuardum. Pro Hertula legitur etiam Hercula & Hestula. De S. Quarto, qui Capuæ tribuitur in unico codice, in proximâ classe agemus.

C

De

De Sanctis Martyribus.

D

QUARTO, SATURNINO, SECUNDINO, DECIMO, DARIO, QUARTO, JANUARIO, SECUNDO, QUINTO, DEXTRO, VICTORE, DONATO, VARICO, BUTTO, VENUSTO, TITIANO, ITEM VICTORE, SIRILLA, LUCIO, ORBANA, ITEM ORBANA, MARCO, JUSTO, CITTINO, PATERNO, PATINO, PUTTO, MARICO, OPTATO, ITEM VICTORE, MIGONO, DEMETRIO, FLAVIANO, MARE, VITALE, MINALIA, CLEMENTIA, VICTURIA, FELICIA, MAXIMA, MUSTA, ITEM MARCO, HONORATO, LAURENTIO, ARBURO, CRISPINO, TERTIO, QUINTULO, RESTITUTO, REVOCATO, SATURNINO, BUTTARO, BARICO, PAULO, OPTATO, SPINO, DONATO, MANILO, PETRO, PROCULO, ITEM DONATO, GEMELLA, EVANTO, LAZARO, VENUSTO, FLAVINO, RUFINO, VALERIO, PAULO, CRISPINO, FELICE, NABORE, VICTORINO, DONATULA, TERTIO, VICTORE, ACUTINA, TERTIA, MAMERO,

E

G. H. ITEM SEVERIANO ET SALUSTO.

XII. APR.




N *turma Martyrum septuaginta novem, ex quatuor antiquis codicibus Martyrologii Hieronymiani collecta : in codice tamen Blumiano post* S.Sirillam *hiatus erat, omissis ceteris Martyribus.* Quartus *reliquorum Antesignanus (si tamen in eodem loco passi sint omnes) refertur in MSS. Richenoviensi & Rhinoviensi,* Cappadociæ *adscriptus : qui in antiquo codice Epternacensi insertus erat turmæ præcedenti, &* Capuæ *tribuebatur. De Capuanis Martyribus mox agemus. Ejusdem* Quarti *memoria inserta est Martyrologio Tamlachtensi. Pro* Butto *in codice Blumiano legitur* Inittus , *Pro* Orbana *&* Putto *in Epternacensi* Urbana *&* Buttus,*qui ante deerat : uti etiam pro* Buttaro , Buttasus. *Qui sub finem ponitur* Mamerus *est solum in Corbeiensi codice Parisiis excuso. In codice Casinensi ista leguntur : Natalis* Sanctorum Martyrum Severiani, Marci, Felicis, Crispini, & Salusti. *Ex his* Severianus *&* Salustus *sub finem adjunguntur: cum alii tres hic reperiantur. Non repeto hic singulorum nomina, cum in titulo præfixo legi possint & supra sub initium hujus diei sint etiam expressa. De S. Lazaro Martyre Tergestino supra hoc die egimus. An idem sit qui inter hosce Martyres celebratur, quis dicet ? Inter Pretermissos egimus de SS.* Crispulo & Restituto *Martyribus, in Hispania passis sub Nerone, quos ab* Crispino & Restituto *hic relatis diversos arbitramur, referendos cum Martyrologio Romano die x Iunii.*

De Sanctis Martyribus Capuanis

F

G. H. CYPRIANO, MVSCVLA, DONATA, NOVELLA, IANVARIO, SYLVANO, MVCIANO, SATVRO, IVLIO.

XII. APR.



Ertia hac classis Martyrum ita proponitur in apographo Martyrologii Hieronymiani Epternacensi : In Capua Cypriani, Musculæ, Donatæ, Novellæ, Januarii, Silvani, Muciani. *In apographo Lucensi iidem Martyres recensentur, sed pro* Capua *legebatur vitio amanuensium* Caput. *Verum in Corbeiensi codice exaratur etiam* Capua, *& nomina duorum ultimorum* Saturi & Julii *adduntur. In MS. Tamlachtensi fit memoria* Cypriani, Musculæ, Donatæ, Noveliæ. *In antiquis MSS. Barberino, & Coloniensi S. Maria ad Gradus, & in additionibus Greveni ad Vsuardum tres ita exprimuntur :* In Capua SS. Cypriani, Novellæ, Silvani, *Iidem, loco omisso, referuntur in MS. Pragensi. At quatuor indicantur in MS. Richenoviensi pervetusto :* In Capua Cypriani, Musculæ, Donatæ, Novellæ. *In MS. monasterii S. Cyriaci,* In Capua Cyprianæ. *Verum* Cyprianus *legitur in Kalendario præfixo operibus S. Isidori sæpius citato.* Cyprianus *&* Julius, *nullo indicato loco, celebrantur in MSS. Aquisgranensi, Augustano & Lubbaano : & seorsim, saltem in Aquisgranensi,* S. Julius Episcopus Romæ ; *de quo infra hoc die agimus.*

DE

A

De Sanctis Martyribus

PRIMO, CARO, CYRILLO, MACARIO, HILARIO SIVE ISTIALE, VENUSTO, ITEM VENUSTO, IULIA, FELICE, VERECUNDO, ET ALIIS VI.

G. H.

XII APR.



Quarta hæc Martyrum classis est, indicata in Martyrologio S. Hieronymi: sed cum aliqua diversitate. Priore loco collocantur Primus & Carus, in apographis Corbeiensi & Blumiano. In Lucensi, instar unius vocis, habetur Primocarus. In Epternacensi codice inverso ordine nominatur, Carus & Primus. In MS. Parisiensi Labbai etiam Carus, sed ei jungitur Isaac: hinc vocibus conjunctis in Augustano S. Vdalrici scribitur Isacharus: sed forsan Carpus & Isaac legendum, de quibus sequenti die erit agendum. Qui sequuntur Cyrillus & Macarius, ubique eadem ratione habentur. Qui in Epternacensi & Corbeiensi MSS. est Hilarius, in Lucensi appellatur Istialis in Blumiano Srialius: Venustus bis collocatur in tribus codicibus: in Epternacensi semel; Julia uniformiter ubique legitur, cui in solo Blumiano adjungebatur Felix. Verecundus in tribus codicibus est, sed Verecunda in apographo Corbeiensi, alicubi Veremundus legitur, quod minus placet, quia Francicum aut Longobardicum nomen antiquis Martyribus vix invenimus aptatum. Socii sex indicantur in MSS. Epternacensi & Blumiano, qui in Corbeiensi statuuntur septem & in Lucensi novem.

De Sanctis Martyribus,

B

EOCAPO, TERTULLA, ANTONIA, MUSTILA, MAGGINA, ACUTINA, DONATA.

G. H.

XII APR.



Quinta hæc Martyrum classis in eodem S. Hieronymi Martyrologio signata. Ex his Eocapus in tribus apographis reperitur, deest in Epternacensi. At reliquæ feminæ in omnibus quatuor codicibus leguntur. Pro Mustila etiam Mustula scribitur: at majore varietate, Maggina, Miggina, Migina atque Maginus legitur: & pro Acutina etiam Agutina exaratur. De Tertulla & Antonia inquiri posset, an sint Virgines in Numidia passæ, in Valeriani persecutione, ad XXIX Aprilis referendæ: & sic lux affulgeret reliquis de loco & tempore Martyrii. Verum hac dubitatione proposita, omnia hic relinquimus, ut invenimus, dum major claritas accesserit ex aliis antiquis monumentis.

De Sanctis Martyribus,

EUPHEMIA, FELICE, MACARIO, PRIMO, ET ALIIS NOVEM.

G. H.

XII APR.



Ultima hæc est Martyrum classis, in citato hactenus Martyrologio S. Hieronymi reperta: & sic exprimitur in Epternacensi MS. Et alibi Eufemiæ, item Felicis, Machari, Primi &

C

aliorum VIII. Ex his desideratur Felix in aliis apographis: reliqui habentur: & Socii novem assignantur in MSS. Corbeiensi & Blumiano: octo in Lucensi. In MSS. additionibus ad Bedam Barberinianum, ista leguntur: Et alibi Euphemiæ, Macharii; & aliorum novem. In MS. Adone Leodiensi S. Laurentii & MS. Florario, Macaria habetur cum Euphemia & Sociis novem. In Pragensi MS. cum reliquis Macarius scribitur, & socii assignantur octo. Euphemia variis diebus inscripta Martyrologio S. Hieronymi reperitur, & XVII Augusti in apographo Corbeiensi conjungitur cum S. Macario atque Chalcedoni tribuitur, sed hæc est forsan celeberrima illa Martyr, urbis Chalcedonensis Patrona, cujus festum Martyrologium Romanum indicit XVI Septembris.

DE SANCTA VISSIA,

Virgine Martyre, Firmi in Italia.

G. H.

XII APR.

12 Aprilis



Firmum seu Firmium urbs est Archiepiscopalis, olim totius Piceni clarissima & potentissima, & post Anconam habita primaria in Marchia Anconitana, à littore maris Adriatici ad tria millia passuum distans. Vghellus, tomo 2 Italiæ sacræ, columna 743, asserit constare, Firmum inter primas Picentinas civitates fuisse, quæ lucem hauserunt Evangelii: ubi sub Decio Imperatore septuaginta gloriosi milites Christi nobilem suscepêre palmam martyrii; deinde indicat tres Sanctos Episcopos, qui sanguine effuso fidem Christi confirmarunt, & sunt, Adrianus, Alexander, de quo egimus XI Ianuarii; & S. Philippus, ad XXII Octobris tabulis Martyrologii Romani inscriptus. Eamdem civitatem, inquit idem Vghellus, proprio sanguine illustravit Vissia, sanctissima Virgo, cujus corpus in Cathedrali quiescit, celebraturque ejus festum die duodecima Aprilis; itemque S. Sophiæ, etiam Virginis ac Martyris: quæ primis illis temporibus egregie tyrannorum pertulere tyrannidem, superaveruntque tormenta. Colitur S. Sophia Virgo XXX Aprilis. At S. Vissia, Virgo & Martyr, Firmi in Piceno passa, recolitur hoc die XII, inscripta fastis sacris Martyrologii Romani, ad quod testatur in Notis Baronius, se tabulas Ecclesiæ Firmanæ de ea Romam allatas vidisse. Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ, ex tabulis & monumentis Ecclesiæ Firmanæ, hoc de ea elogium, satis tenue, concinnavit: Vissia Virgo in persecutione, pro fidei Christianæ confessione, Firmi, urbe Piceni præclara, passa

Firmi in Piceno inter alios Martyres passa S. Vissia Virgo.

AUCTORE G. H.

Reliquiæ in ecclesia Cathedrali.

passa est: cujus Sacræ reliquiæ ibidem in ecclesia majori asservari feruntur. Ejus dies festus celebratur in ea ecclesia pridie Idus Aprilis. *Annotat dein Ferrarius*, Acta ipsius, una cum Actis aliorum Sanctorum civitatis Firmanæ, ob bella, ut ferunt, periisse. *Memoria ejusdem S. Vissiæ inscripta est magno Menologio Virginum Laherii, Gynaceo sacro Artuti de Monstier, & Kalendario historiali sanctarum fœminarum à Guilielmo Gazetto collecto. Nicolaus Brautius, Episcopus Sarsina, in Martyrologio Poetico, hoc eam exornat disticho.* D

Firmior excelsa Virgo Firmana columna,
Vissia, pro Sponsi nomine torta, stetit.

DE SS. MENA, DAVIDE, IOANNE,

Monachis Martyribus apud Græcos.

D. P.

XII APR.



Monasticus Ordo frequentia dedit Martyria, tum in Oriente sub Saracenis, tum in Constantinopolitano Imperio sub Iconomachis; qua prolixis quandoque Actis descripta, subinde in sacris Gracorum Fastis dumtaxat inveniantur indicata; idque tam paucis, ut neque locum neque tempus certaminis, ulla valeat diligentia indagando assequi. Ad hanc postremam classem, spectat Martyrum trias, in excusis Menais hoc modo proposita, Τῇ αὐτῇ ἡμέρᾳ, τῶν ἁγίων τριῶν Μαρτύρων, Μηνᾶ, Δαβὶδ καὶ Ἰωάννου. Eadem die, XII *Aprilis*, sanctorum trium Martyrum Menæ, David & Joannis. *In MSS. Menais Divionensibus, nobis à Petro Francisco Chifletio nostro communicatis, celebrantur iidem* SS. Menas, David & Joannes *&* Ἀββάδων *titulo honorantur: Iustinianus* Novella CXXIII *meminit hujus vocis, dum ait* Κελεύομεν τοίνυν τὸν Ἀββᾶν ἢ τὸν Ἀρχιμανδρίτην, τοὺς ἐν ἑκάστῳ μοναστηρίῳ προβάλλεσθαι, μὴ πάντως κατὰ τοὺς βαθμοὺς τῶν μοναχῶν. Jubemus ergo Abbatem, sive Archimandritam in singulis monasteriis præponi, non vero secundum gradus monachorum. *Sed existimamus titulum* Abbatum *hic latius sumi, quomodo monachis senioribus omnibus, nullam alias præfecturam gerentibus, frequentissime apponitur in Vitis Patrum. Genus Martyrii ejusmodi, quale à Saracenis latronibus potius ex insidiis per subitam irruptionem illatum suspiceris, quam à publica potestate quamvis tyrannica mandatum, exprimitur sequenti disticho:*

Sagittis occisi

B

Δούλους Θεοῦ, τρεῖς Ἀββάδας παθοκτόνους.
Τοξεύμασι κτείνουσιν ἀνθρωποκτόνοι.

Tres Abbates, Dei servos, passionũ mortificatores,
Sagittis mactant hominum occisores. *forsitan à Saracenis*

Elegantior in Graco lusus gemini compositi est, quam ut eam Latina lingua penuria versu aut prosa possit assequi imitando: nobis in hac brevitate pro magno est mortis modum expressum invenisse. Cujus auctores si placeat Saracenos credere, locum dabis secunda conjectura, quod cædes in Palestina patrata sit, ubi illi maxime grassati leguntur: eidem conjectura favet titulus Abbatum, Palestiniis & Ægyptiis quam Gracis communior. Eadem robur accipere forsan poterit ex quibusdam Additionibus ad Vsuardum, in quibus nominatur hoc ipso die, Joannes Eremita in Palæstina: *sed in iis quas sub nomine Greveni Carthusiani sæpe citamus, omissa Palæstina, solum nomen* Joannis Eremitæ & Confessoris *ponitur. Plures sane hujus nominis ibidem vixerunt; & forte Palaolauritam, qui* XIX *Aprilis colitur, aliquis mallet in dictis Additionibus expressum arbitrari. Galesinius tres pranominatos Martyres his verbis celebrans in suo Martyrologio;* In Græcia Sanctorum trium Martyrum, Menæ, Davidis & Joannis; qui telorum conjectu transverberati, pietatis admirabilitate insignes coronantur; *postea addit in suis Notationibus,* horum martyrium à Græcis celebrari multis odis: *sed eas hactenus non potuimus assequi.*

in Palæstina.

E

DE SANCTO IVLIO

Romano Pontifice.

CAPUT I.

Tempus Sedis. Basilicæ constructæ. Decreta sancita.

G. H.

ANNO CCCLII.



Vctor antiquissimi Romanorum Pontificum Catalogi, qui cum obitu S. Iulii, & creatione successoris Liberii finitur, accuratissime, (utpote testis oculatus) describit tempus Sedis S. Iulii, & fabricas ab eo Roma extructas, his verbis: Julius annos quindecim, menses duos dies sex. Fuit temporibus Constantis, à Consulatu Feliciani & Titiani, ex die VIII Idus Februarii; in diem pridie Idus Aprilis, Constantio [Augusto] quintum & Constantio Cæsare Consulibus. *De fabricis hic relatis mox agemus; ubi qua de tempore Sedis attigimus, fuerint exposita. Creatus est ergo S. Iulius die* VI *Februarii anni* CCCXXXVII, *quo Consules erant Felicianus & Titianus; quibus Consulibus mortuus est Constantinus Magnus* XXII *Maii, ipsa die Pentecostes, uti constat ex Eusebio lib.* 4 *Vita ejus cap.* 64, *& Socrate lib.* 1 *cap. ult. aliisque. In divisione Imperii Constantini inter tres filios,* 1 *Constans obtinuit Italiam, Illyricum, Macedoniam, Graciam, Pontoque Euxino finitima cum parte Africa, & regnavit usque ad annum* CCCL. *Quo anno, Consulibus Sergio & Nigriniano, interfectus est à Magnentio, qui tyrannide assumpta potitus est Imperio in Italia, Africa & Galliis, post mortem Constantini, fratris adjunctis ad ditiones Constantis. Sed anno* CCCLII, *Constantio Augusto V & Constantio Gallo Casare Consulibus, Magnentius Tyrannus in Pannonia à Constantio Imperatore profligatus, in Italiam urbemque Romam se contulit: verum perruptam ab ipso Constantio Aquileiam intelligens, ejusque Duces sibi imminentes metuens, relicta Italia fugit mense Septembri; & anno sequenti iterum apud Cottias Alpes devictus, semetipse Lugduni mense Augusto interfecit. Hinc liquet S. Iulium sedisse solum tribus mensibus, & sedecim diebus vivente adhuc Constantino Magno; & dein aliquot mensibus ultra annos duodecim, sub Constante Imperatore; ac tandem circiter annos duos, sub Magnentio tyranno, aliquot mensibus antequam Constantius Italia potiretur, mortuus,* Constantio Augusto V & Constantio Gallo Cæsare Consulibus, *anno* CCCLII, *die* XII *Aprilis. Sedit ergo* annos XV, menses duos, dies sex. *Iidem anni, menses & dies sunt in Catalogo Pontificum ex pervetusto codice bibliotheca Palatina, item in membranis Regis Christianissimi & Mazarini, quibus continentur Vita Pontificum ab Anastasio edita, & qua ad Martinum V in MSS. deducuntur, item apud Luitprandum, Platinam & alios; ut videatur solum errore librariorum in aliquot apographis legi,* annos XV, mensem I, dies XI. *Praterea fuit potissimum* temporibus Constantis, filii Constantini Magni, *in Italia regnantis,*

S. Iulius creatus Papa 6. Febr. an. 337

F

Sedit sub Constantino Magno, Constante & Magnentio;

annos 15, menses 2, dies 6

A *regnantis; non autem temporibus Constantii hæretici, ab hoc in exilium actus mensibus decem, & post hujus Constantii mortem cum gloria ad Sedem reversus, qualia inepte in Libro Pontificali & apud Anastasium leguntur, forsan ex Actis Liberii successoris perperam transcripta. Sed neque ad ista utcumque salvanda, pro nomine Constantii potest nomen Constantis Imperatoris substitui: hujus enim fides Catholica perstitit semper laudatissima, & ultimo hujus anno S. Athanasius fuit Romæ apud S. Iulium qui pro eo scripsit ad Alexandrinos infra à nobis proferendam epistolam. Nihil etiam de exilio ejus legitur in Catalogis MSS. Pontificum, seculo sexto aut octavo concinnatis, aut in MSS. Gestis Pontificum ad Martinum V deductis. Porro in omnibus illis dicitur* Julius *fuisse* natione Romanus, ex patre Rustico *seu* Rusticio; *idemque confirmatur in libro Pontificali, & apud Anastasium, Luitprandum, aliosque.*

non fuit à Constantio in exilium actus:

2 *Alterum, quod in antiquiore catalogo à teste oculato scribitur de fabricis, est ejusmodi:* Hic multas fabricas fecit, basilicam in via Portuensi, milliario III; basilicam in via Flaminia, millario II, quæ vocatur Valentini; basilicam Juliani, quæ est regione VII juxta forum Divi Trajani; basilicam trans Tiberim, regione XIV juxta Callistum; basilicam in via Aurelia, millario III ad Callistum. *Hæc ibi, sed quæ plane alia ratione in Libro Pontificali & apud Anastasium leguntur his verbis:* Fecit basilicas duas, unam juxta forum, & aliam via Flaminia: & cœmeteria tria, unum via Flaminia, aliud via Aurelia, & aliud via Portuensi. *Priorem Basilicam collocat Platina juxta forum Romanum, inter montem Palatinum & Capitolium, in quo basilica Julia, diu ante ab Augusto sub Iulii Cæsaris nomine extructa, & à Plinio lib. 5 epistolarum, epistola ultima, & à Quintiliano lib. 12 cap. 15 memorata; hæc autem extitit ad latus ejus, in qua postmodum erecta fuit statua equestris Domitiani. Consule Alexandrum Donatum lib. 2 de Urbe Roma cap. 17. Melius, nostro judicio, ab auctore coævo Catalogi Pontificum collocatur* basilica Julia, regione VII juxta forum Trajani, *quod Donatus late describit cap. 24. In hac basilica Iulia ordinatus est Bonifacius I, eamque S. Cælestinus ejus successor, (cujus Vitam dedimus VI Aprilis) dedicavit, ditavitque donis argenteis: nisi hæc videantur referenda ad antiquam basilicam Iuliam ab Augusto extructam. Altera basilica recte constituitur* via Flaminia, milliario secundo, quæ dicitur S. Valentini, *in cujus Vita à nobis edita ad diem* XIV *Februarii, dicitur* S. Valentinus decollatus via Flaminia, & in eodem loco sepultus: ubi postea à Julio Papa fabricata est ecclesia in honorem S. Valentini Presbyteri & Martyris & mirifice decorata: in qua devote petentibus beneficia Domini præstantur. *Hanc postea à Theodoro, Benedicto II, Adriano I, Leone III & Gregorio IV Summis Pontificibus instauratam atque exornatam fuisse, testatur in eorum Vitis Anastasius; qui supra addit cœmeteria tria à S. Iulio condita, ac primum* in via Flaminia, *quod Paulus Aringhus lib. 4 Romæ subterraneæ cap. 39 appellat* cœmeterium SS. Valentini Martyris & Julii Papæ, *& cap. 41 exhibet cubiculum unicum dicti cœmeterii, & duas illustres tabulas in illo repertas, in quibus imagines Christi, Deiparæ Virginis & aliorum Sanctorum visuntur. At, quæ primo loco recensetur in antiquo Catalogo,* basilica in via Portuensi, milliario III; *Apud Anastasium dicitur* cœmeterium: *de quo agit Aringus lib. 2 cap. 21, addens nullum ejus extare vestigium: quod idem de basilica videtur dicendum, quæ ibidem ad honorem alicujus Martyris potuit extructa fuisse. Quarta basilica est* in via Aurelia, milliario III ad Callistum, *ubi iterum cœmeterium collocat Anastasius: qui tradit* S. Callistum Pontificem sepultum in cœmeterio Calepodii via Aurelia, milliario tertio. *Referuntur hæc etiam in Vita S. Callisti, ad* XIV *Octobris danda, in qua dicitur S. Calepodii Presbyteri & Martyris corpus à S. Callisto sepultum: in eoque cœmeterio etiam S. Iulius Papa sepultus est, qui propterea videtur ibidem basilicam construxisse aut innovasse; & locum sepulturæ suæ adornasse.*

multas fabricas fecit:

B

basilicam Iuliam,

basilicam S. Valentini,

C

basilicam in via Portuensi,

aliam via Aurelia,

AUCTORE G. H.

3 *Denique quinta* basilica *est erecta* trans Tiberim, regione XIV juxta Callistum, *cujus non fit mentio apud Anastasium & in Libro Pontificali, sed egregie hunc locum confirmat Onuphrius Panvinius, de septem Urbis Ecclesiis & præcipuis basilicis, inter quas à pag. 63 collocat Ecclesiam S. Mariæ trans Tiberim, constructam ubi fons olei tempore Augusti Cæsaris exundavit:* quo in loco, *inquit,* Callistus, XVII post Apostolum Petrum Pontifex Romanus, circiter annum Christi CCXX, oratorium condidit, & in honorem B. Mariæ Virginis dedicans, titulum Romanum, id est parœciam constituit: quod longo tempore ab eo titulus Callisti vocatus est. Pace Christianis, sublatis persecutionibus, à Constantino Imperatore concessa, S. Julius Papa circiter annum Christi CCCXI illud à fundamentis refecit, & in eam, quam cernimus amplitudinem multis columnis nobile amplificavit. Hinc titulus SS. Callisti & Iulii, aliquando S. Julii tantum dictus est. *Hæc ibi Onuphrius, cum præclara confirmatione quinque basilicarum à S. Iulio constructarum, quarum etiam est insignis mentio in epistola Hadriani I Papæ ad Carolum Magnum Francorum Regem. Refelluntur enim in ea objectiones contra septimam Synodum Oecumenicam, & in Responsione ad Actionem quintam ista habentur:* Enimvero sæpius ostensum est, quia S. Silvester Papa & Constantinus Christianissimus Imperator venerati sunt sacras imagines; & cum nomine Christianitatis, palam coram omnibus, fideliter atque mirabiliter eas ostenderunt: & à tunc usque hactenus Sanctorum Pontificum, videlicet Silvestri, Marci & Julii miræ magnitudinis sanctæ eorum ecclesiæ apud nos sunt depictæ, tam in musivo, quamque in ceteris historiis cum sacris imaginibus ornatæ.

& basilicam trans Tiberim,

S. Mariæ dicatam,

E

easque exornavit sacris imaginibus.

4 *In Catalogo Summorum Pontificum seculo Christi* VIII *confecto, & ex membranis pervetustis bibliotheca Palatinæ descripto, ista de S. Iulio habentur:* Julius natione Romanus ex patre Rustico, sedit annos quindecim, menses duos, dies sex. Hic constituit ut nullus Clericus causam in publico ageret, nisi in Ecclesia. *Hisce ultimis verbis etiam ista sequentia adduntur in Libro Pontificali & apud Anastasium Bibliothecarium:* Et ut notitia, quæ omnibus pro fide Ecclesiastica * est, per Notarios colligeretur, & ut omnium monumentorum in Ecclesia confectio per Primicerium Notariorum celebraretur; sive quod cautiones vel instrumenta, vel donationes, vel commutationes, vel traditiones aut testamenta, vel allegationes aut manumissiones Clericorum, in Ecclesia per Scriniarium sanctæ Sedis celebrarentur: *aut ut alia lectio habet,* per scrinium *aut* scrutinium sanctum celebrarent. *Sunt hæc aliaque S. Iulii decreta in Ius Canonicum traslata, ex quibus ultra viginti loca recenset Galesinius ad hunc diem in suis Notationibus: quæ repetuntur in tomis Conciliorum inter ejus epistolas, aut his substituuntur. Quod epistola ad Dionysium Corinthi Episcopum de Incarnatione Domini ei falso tribuatur, jam sæpius à variis demonstratum est, imo ostensum eam fuisse Arianorum vel Apollinaris viri hæretici fœtum. Aliqua scripta S. Iulii laudat S. Athanasius oratione contra Arianos, sed quænam illa fuerint, non indicat.*

decreta quædam sancit

* al. fidem facit.

F

CAPUT II.

Fides orthodoxa contra Arianos propugnata. S. Athanasii innocentia defensa.

5 P*Lurimi fuerunt pro fide Catholica adversus Arianos S. Iulii labores. Vivebat Arius Alexandriæ Presbyter, sub S. Alexandro ibidem Episcopo, uti ad hujus Vitam* XXVI *Februarii late deduximus, ab eo habitus in honore: sed cum intelligeret*

Arii asseclæ

AUCTORE G. H.

telligeret Alexander per illum in hæresin illectas Virgines, Presbyteros & Episcopos fuisse, & sua lenitate eum non posse ad viam veritatis reduci; obduratum in sua pertinacia cum asseclis de Ecclesia ejecit. Concilio anno CCCXVII habito Arium profugum suscepit Eusebius, Episcopus Nicomediensis, ardens Arianæ hæresis propugnator, etiam postquam in Concilio Nicæno Oecumenico ea condemnata fuisset anno CCCXXV: Deinde cum S. Alexandro mortuo, in ejus locum fuisset Episcopus Alexandrinus constitutus S. Athanasius, fidei Catholicæ propugnator acerrimus; ut hunc è Sede sua dejiceret, omnem adhibuit conatum Eusebius cum suis asseclis, qui ab ipso Eusebiani sunt appellati; ac tantum falsis suis criminationibus apud Constantinum Magnum peregerunt, ut hujus mandato fuerit S. Athanasius in Gallias anno CCCXXXVI relegatus, & Treveris biennio integro ac mensibus quatuor commoratus. Interim Constantinus junior, ex voluntate & litteris Constantini Magni parentis sui, peregit apud Constantium fratrem, ut restitueretur Athanasius in suum Episcopatum; & hic cum litteris Constantini scriptis Treveris XV Kalendas Iulias anno CCCXXXVIII, reversus est ad Ecclesiam suam Alexandrinam, frementibus & indigne ferentibus adversariis Eusebianis, quod judicarent, rem Catholicam in Oriente ejus potissimum auctoritate & doctrina consistere. Eusebiani igitur, (*ut scribit ipse Athanasius in Epistola ad solitariam vitam agentes*) videntes suam hæresin succumbere, & Romam & ad Imperatores Constantinopolim contra Athanasium scribunt... Sed quia ab Athanasio missi legati mendacia eorum refutabant, ab Imperatoribus cum pudore rejecti sunt. *Missi hi Legati fuerunt è Synodo Alexandrina, cum epistola Episcoporum relata à S. Athanasio in Apologia 2, ad cujus calcem dicuntur* Ægyptii hæc ad omnes & ad Episcopum Romanum scripsisse, *& in ipsa epistola meminerunt calumniarum ab Eusebianis ad Iulium Papam perscriptarum. Videntur autem peracta hæc omnia anno* CCCXXXIX.

Eusebiani contra S. Athanasium agunt,

B *& orthodoxi pro eo apud S. Iulium:*

6 Eusebiani *ergo* ad Julium litteras misere, & Synodum jusserunt convocari, & ipsi Julio, si vellet, arbitrium causæ detulerunt. Episcopus autem Romanus Julius Synodum jussit fieri, ubicumque partes vellent; *ut* tuto & crimina objicerent, & invicem sibi objecta refutarent. *Ita Athanasius. Venerant jam tum Romam Marcellus Episcopus Ancyranus & alii complures, ab eisdem Eusebianis injuria affecti, & Iulio Pontifici adversus illos accusationum libellos obtulerant: quibus motus* Julius, Presbyteros suos Elpidium & Philoxenum cum litteris ad Eusebianos misit, certum diem definiens, ut aut præsentes se sisterent, aut cognoscerent se omnibus modis suspectos haberi: *addens,* tametsi solus scribat, non suam solius sententiam, sed omnium Italorum & omnium in istis regionibus Episcoporum scripsisse. *Videtur tunc Synodus Romana centum & sexdecim orthodoxorum Episcoporum collecta fuisse, quæ extat hoc exordio:* In nomine Domini Dei & Salvatoris nostri Iesu Christi, imperantibus quoque Constantio & Constante anno quarto, sub die XIX Kalendarum Octobrium. *Omittitur nomen Constantini senioris Imperatoris, quod is esset occisus anno tertio regni, mense Aprili, Acyndino & Proculo Consulibus, anno Christi* CCCXL. *At quartum Imperii annum inceperunt iisdem Consulibus numerare Constantius & Constans, aut à morte Constantini Magni* XXII *Maij, aut à* IX *Septembris, quo fuerant Augusti nuncupati. His non obstantibus, dictum Romanum Concilium refertur passim ad annum* CCCXXXVII, *qui primus est & S. Iulij Papæ & trium Imperatorum fratrum, quod sub finem epistolæ Synodalis ista verba legantur,* Data Kalendis Novembris, Feliciano & Maximiano Consulibus: *quasi hi fuissent dicto anno* CCCXXXVII, *cum saltem in altero Consulum sit aberratum, quos fuisse* Felicianum & Titianum *habent antiquissimi Fasti Consulares, anno* CCCLIV *descripti, videlicet tam ii qui Præfectos urbis designant, quam alii qui ab anno* CCCXII *cœpti, ex apographo nostro sunt à Bucherio cum*

hic locum pro Synodo offert eligendum.

C *scribit ad Eusebianos ex Romana Synodo*

anno 340 habita,

non an. 337

Victorii Canone Paschali editi à pag. 247. Eumdem Feliciani & Titiani Consulatum confirmant & certum faciunt Fasti Consulares Idatii & Cassiodori, item leges sub his consulibus latæ, & in Chronologia Codicis Theodosiani apud Iacobum Gothofredum indicatæ: quibus adde demum Catalogum Pontificum supra à nobis indicatum, & sub successore Liberio circa annum CCCLIV *conscriptum, quem sub nomine Damasi allegat Onuphrius Panvinius in lib. 2 Fastorum. Sane neque ipse, neque Cuspinianus, neque ullus alius, qui Fastos Consulares accuratius examinavit, reperit* Maximianum collegam Feliciani: *quamvis hic insertus sit posteriori Catalogo Pontificum, libro Pontificali & MSS. Gestis Pontificum usque ad Martinum V deductis; item Vitis Pontificum apud Anastasium; sed fere* Maximinus *aut* Maximus *nuncupatur, ex quorum aliquo sic corrupto videri possunt erronei isti Consules postmodum descripti ad calcem dictæ Synodi, eo quod veri Consules forsan excidissent. Cum autem constet ex Apologia 2. Athanasii;* S. Julium sententiam omnium Italorum & omnium in istis regionibus Episcoporum scripsisse, *arbitramur eumdem S. Iulium tunc voluisse Nicænam Synodum suo & aliorum calculo confirmari, damnatamque hæresin iterum excommunicatione percelli.*

D *quando, cum Feliciano erat Consul Titianus,*

non Maximianus:

7 *Pervenerat jam ante Romam S. Athanasius, ibidemque ultra annum & tres menses frustra adventum Eusebianorum expectarat: quare ab illorum accusationibus calumniosis absolutus, & in communionem Ecclesiæ receptus, cum litteris communicatoriis ad suos ut rediret dimissus est, quemadmodum S. Iulius in epistola, quam post cladem Alexandrinam ad Eusebianos scripsit, testatur his verbis:* Cum igitur istiusmodi allegarentur, & tot testes pro Athanasio starent, & ipse tam justa pro se adferret, quid quæso oportuit nos facere? An non quod Ecclesiastici canonis est? Hominemque proinde non condemnaremus, sed potius acciperemus, eumque pro Episcopo, quemadmodum est, haberemus? *Reversus igitur Alexandriam est S. Athanasius anno* CCCXLI: *verum per Conciliabulum Antiochiæ eodem anno habitum ejectus, substituto Gregorio Cappadoce: qui à Philagrio Præside inductus est cum ingenti strage in ecclesiam, multosque martyrio coronavit, quorum commemoratio inscripta est Martyrologio Romano ad diem* XXI *Martij, ubi & nos cladem illam à S. Athanasio descriptam illustravimus. S. Iulius in epistola ad Eusebianos,* quæ in Gregorii introitu acta sunt, *ita describit:* Ipsa Ecclesia incendium passa est, Virgines nudatæ, monachi conculcati, Presbyteri & multi ex populo indigne habiti & violati, Episcopi in carcerem detrusi, multi item spoliati: sacra mysteria ab Ethnicis direpta & in terram abjecta *&c. Inter hæc S. Athanasius clam dilapsus Romam venit: quem S. Iulius, de loco in quo occultari audierat, ad se accersivit. Paulus quoque Constantinopolitanus & alii Catholici Episcopi, ab Eusebianis expulsi, eodem se tamquam ad azylum receperunt, & S. Iulium de suo ipsorum statu certiorem fecerunt: hic vero litteris suis ad Episcopos Orientales liberius perscriptis, illorum partes tueri studuit, & ut suus cuique locus restitueretur allaboravit. Possunt hæc apud Socratem latius deducta legi.*

S. Athanasium expulsum pro vero Episcopo habet:

E

reversus,

& deinde à strage hostili dilapsum,

F *fovet cum aliis exulibus:*

8 *Porro cum Iulius Papa litteris ad Orientis Episcopos missis nihil proficeret, causam Athanasii & aliorum ad Constantem Imperatorem retulit. Cum autem Constans postularet à Constantio fratre beneficii loco, ut Athanasius & reliqui ad Sedes proprias redire permitterentur; & propter Eusebianos, qui contra nitebantur, nihil proficeret; statutum tandem est ut Concilium Oecumenicum cogeretur, & electa est urbs Sardica, in confiniis Illyrici, Thraciæ & Mysiæ: ubi illud habitum est,* Eusebio & Rufino Consulibus, *anno* CCCXLVII. *Abfuerunt varii Episcopi, alii, teste Socrate lib. 2 cap.* 16, infirmitatem corporis causantes, alii de temporis præstituti querentes angustia, & culpam illius rei in Julium Episcopum Romanum conferentes; cum tamen ex eo tempore quo tum Concilium

causam exulum agit apud Constantem Imp.

cilium indictum fuerat, tum Athanasius Concilium expectans, Romæ commoratus erat, annus & sex menses jam præteriissent. *Hac ibi. Athanasius Apologia 2 accurate describit quæ in Concilio peracta ac decreta fuerunt, & omnium qui subscripserunt nomina recenset hoc exordio:* Osius ab Hispania, Julius Romæ per Archidamum & Philoxenum Presbyteros suos, Protogenes Sardicæ, *& alii Episcopi nudis suis nominibus expressi* CCLXXXI, *& tunc subditur.* Qui igitur decretis Synodi subscripserunt, sunt isti; plurimique item alii sunt, qui ante hanc Synodum pro nobis scripserunt, tum ex Asia, tum ex Phrygia, tum ex Isauria, quorum singulorum nomina circumferuntur prope sexaginta: in universim autem trecenti quadraginta quatuor. Hæc cum percepisset religiosissimus Imperator Constantius, nos ad se accersiri jussit, & seorsum ad fratrem beatum Constantem scripsit: ad nos quoque semel, iterum ac tertio litteras misit... Quibus acceptis Romam ascendi, Ecclesiam & Episcopum aditurus. Nam Aquileiæ tum temporis eram, quando has litteras accepi. Ingens igitur gaudium in Ecclesia, Pontifexque Julius ut gratularetur nostræ restitutioni, litteras ad Ecclesiam misit: nos autem quacumque transivimus, cum pace ab omnibus Episcopis deducti sumus. Litteræ autem istiusmodi fuere.

A — *præscribit tempus Sardicensis Concilii, eique subscribit per suos Legatos.* — *excipit S. Athanasium & remittit cum sua epistola* — B

9 Julius Presbyteris, Diaconis & populo in parœcia Alexandriæ. Gratulor vobis, dilectissimi fratres, quod fructum fidei vestræ ante oculos videatis: id enim ita esse liquidissime apparet in fratre & Coëpiscopo nostro Athanasio; quem Deus & ob vitæ sanctitatem & orationes vestras vobis restituit. Ex qua re spectare licet, quam puras semper preces & caritatis plenas ad Deum obtuleritis. Memores quippe cælestium repromissionum & cælestis conversationis, quam ex doctrina prædicti fratris nostris didicistis, certo vereque cognitum habuistis, & pro vestra recta fide apprehendistis, numquam illum perpetuo à vobis diremptum iri, quem in piis pectoribus vestris tamquam præsentem retinebatis. Non mihi igitur ad vos scribendi multis opus est. Quæcumque enim à me dici potuerint, ea fides vestra jam anticipavit; & adimplevit secundum Dei gratiam, quidquid à nobis optari possit. Gratulor igitur vobis: rursus enim dicam, gratulor vobis, quod animas vestras in tuenda fide inexpugnabiles conservastis. Sed interim fratri meo Athanasio non minus gratulor, quod, quamquam multa acerba pateretur, nulla tamen hora vestræ caritatis vestrique desiderii oblivionem induerit. Nam tametsi corpore ad tempus videretur à vobis separari, spiritu tamen perpetuo vobiscum agebat. Redit igitur splendidior nunc, quam cum à vobis discederet. Quod si res pretiosas, aurum & argentum, ad puritatem ignis explorat; quod quæso dignum eloquaris tanto viro, qui ex tantis malorum periculis purus innocensque vobis restituitur? talisque non nostro tantum judicio, sed ab universa Synodo judicatus est? Excipite igitur, dilecti fratres, cum omni secundum Deum gloria & lætitia, Episcopum vestrum Athanasium, & cum eo quotquot socii tantarum ærumnarum fuere: lætique sitis de fructu orationum vestrarum, qui Pastorem vestrum, ut sic dicam, desiderantem & sitientem vestram pietatem, salutaribus scriptis aluistis, potumque ei dedistis: nam peregre illi commoranti, consolationi fuistis, eumque persecutiones tolerantem fidelissimis animis & mentibus vestris refocillastis. Mihi certe voluptati est, imaginanti & jam animo prospicienti uniuscujusque in ejus reditu lætitiam, & multitudinis religiosissimæ occursus, & celebrem convenientium festivitatem. Quis putas aut qualis erit vobis ille dies, cum & frater noster revertetur, & mala superiora finem accipient, cumque pretiosus & optabilis illius reditus omnes alacritate plenissimi gaudii in unum coaptabit? Tale gaudium maxima ex parte etiam ad nos usque pertingit, quibus divinitus tanti viri notitia concessa est. In preces igitur epistolam desinere oportet. Deus omnipotens & ejus Filius Dominus & Salvator noster Iesus Christus perpetuam vobis gratiam præbeat, referens præmia vestræ admirabili fidei, quam claro martyrio in Episcopum vestrum exhibuistis; ut vobis vestrisque posteris & hic & in futuro optima impartiat, quæ nec oculus vidit, neque auris audivit, neque in cor hominis ascendit, quæ Deus præparavit diligentibus se, per Dominum nostrum Iesum Christum, per quem omnipotenti Deo gloria in secula seculorum. Amen. Valere vos omnes in Domino exopto fratres dilecti. *Hac S. Iulius in sua ad Alexandrinos epistola, relata à S. Athanasio, cujus reliqua Acta erunt illustranda ad diem secundum Maij, uti S. Pauli Episcopi Constantinopolitani ad diem VII Iunii.*

laudat Alexandrinorum fidem & affectum erga S. Athanasium: — C — *hujus laudes prosequitur:* — AVCTORE G. H. — *precibus apud Deum agit.*

CAPUT III.
Ordinationes factæ a S. Iulio: ejusdem sepultura, translatio, veneratio.

10 IN *altero Catalogo MS. Summorum Pontificum, seculo Christi sexto confecto, ista de S. Iulii ordinationibus traduntur:* Hic fecit ordinationes tres per mensem Decembris, Presbyteros octodecim, Diaconos octo, Episcopos per loca octo. *Anastasius habet* Diaconos quatuor, Episcopos novem. *In alio Catalogo MS. numerantur* Presbyteri viginti septem. *Inter Episcopos ab eo ordinatos est S. Amasius Teanensis: in cujus Vita ad XXVIII Ianuarij edita ista leguntur:* Cum plurimi vitandæ persecutionis causa in Italiam de Oriente confugerent, contigit Sacerdotem Dei Amasium ad Julium, Romanæ Sedis Antistitem & Patrem universalis Ecclesiæ, pervenire. Videns igitur Summus Pontifex virum, probati testimonii & elegantis sermonis gloria insignitum, laudavit in eo fidem mentisque constantiam, deditque in mandatis, ut per circumpositas illustres Ecclesias verbum Dei instantissime prædicaret, firmos in fide verbo roborans & exemplo: quos autem nutantes in fidei veritate conspiceret, eos ad rectitudinis tramitem sacris exhortationibus revocaret. Nec mora: licentiatus ab ipso & gratiam benedictionis accipiens, iter arripuit.., & ad urbem, quæ Teanum dicitur, dono Spiritus præeunte pervenit.. Glorioso autem Paride, primo Teani Episcopo, ad siderea regna, Domino vocante, translato... Sacerdotem sanctum cives in Pastorem sibi & Rectorem animarum præficiunt, & consecrandum Julio primæ Sedis Episcopo obtulerunt. Summus itaque Pontifex de ejus promotione congaudens, gratias Domino retulit, quod virum notæ confessionis vitæque laudabilis ad regimen animarum & ad culmen supernæ dignitatis evexit. Cornu igitur gratiæ salutaris super caput ejus effundens, sacramentali ipsum unctione delinivit, & Pontificalis officii infula decoravit. *Hac ibi. Eodem modo Ravennæ* S. Severus, cum, columba capiti ejus insidente, electus esset unanimi omnium voluntate Episcopus; missus est Romam ad Julium ejusdem urbis Episcopū, qui tertius extitit à B. Silvestro Pontifice Maximo, & Ravennatum ordinatus est Præsul; *uti legitur in Vita ejus, ex antiquis membranis ad Kalendas Februarii à nobis edita. Quibus similia plura in decursu operis nobis suggerent Acta Sanctorum à S. Iulio ordinatorum.*

E — *ordinat cum aliis ministros Episcopos,* — *S. Amasium Teanensem* — F — *S. Severum Ravennatē;*

11 *Ceterum uti lectiones propriæ, quæ in Ecclesia Romana S. Mariæ trans Tiberim recitari solebant, de S. Iulio habent;*

AUCTORE G. H. *bent*; vir fuit ea vitæ sanctitate propagandæque Christianæ fidei zelo præditus, ut nihil eorum prætermiserit, quæ ad Pastoris vigilantissimi, Catholicæque unitatis conservandæ studiosissimi, officium pertinerent... Hic posteaquam annis quindecim, mensibus duobus, & sex diebus Ecclesiam sancte administrasset, anno Domini CCCLII, pridie Idus Aprilis, migravit feliciter ad Dominum: & cum in cœmiterio via Aurelia tertio ab Urbe lapide sepultus esset, postmodum ejus venerabiles reliquiæ ad Ecclesiam S. Mariæ trans Tiberim translatæ, sub altari majori honorifice reconditæ sunt. *Hæc ibi. De basilicis à S. Iulio erectis via Aurelia & trans Tiberim supra egimus. Antiqui Catalogi Pontificum cum Anastasio, & Libro Pontificali tradunt eum* via Aurelia sepultum in cœmeterio S. Calepodii, *de quo late agit Aringhus lib. 2 Romæ subterraneæ cap. 12, & num. 8 ista addit*: Ceterum beatissimorum Martyrum Callisti ac Julii Pontificum, nec non Calepodii Presbyteri corpora, quæ olim hic, *in cœmeterio Calepodii*: condita fuerant, in ejusdem postmodum Callisti titulum translata honorifice sunt, in ecclesiam videlicet S. Mariæ trans Tiberim, uti in hanc usque diem eorumdem imagines musivo opere expressæ in majori ecclesiæ apside reperiuntur. *Fecit hoc* Innocentius II, Romanus (*verba sunt Onuphrii de VII Urbis Ecclesiis*) ex nobili regionis Transtiberinæ genere ortus, qui ipsam ecclesiam pene à fundamentis restituit, pavimentum opere vermiculato stravit, tectum refecit, columnas aliquot absidam versus adjunxit: absidam ipsam signis musivis Christi, Beatæ Virginis, Sanctorum Pontificum Petri Apostoli, Callisti, Cornelii, Julii, Callipodii Presbyteri, Laurentii Archidiaconi & suo condecoravit: qui etiam sub ara maxima corpora sanctorum Pontificum Callisti & Cornelii Martyrum, & Julii Confessoris, ac Calepodii Presbyteri, & Quirini Episcopi, Martyrum, posuit marmoreo operculo ornata; & altare majus prope fontem olei excitatum solenni ritu consecravit.

obiit an. 352.

sepelitur via Aurelia

in cœmeterio S. Calepodii,

B

ab Innocentio II in ecclesiam S. Mariæ trans Tiberim transfertur:

12 *Inter Cardinales S. Mariæ trans Tiberim tituli Callisti fuit Marcus Vigerius, à Iulio II creatus anno* MDV, *qui dictum Pontificem docuit in dicta Ecclesia quiescere corpus S. Iulii: uti liquet ex Bulla dicti Iulii Papæ II data anno* MDV, XVI *Kalendas Maii, quæ incipit*, Inter omnes gloriosos Christianæ sapientiæ Confessores, *& sic deinde habet*: Nunc igitur præsertim, quod idem Marcus Cardinalis, ipsius sanctissimi Confessoris Julii, ejus nominis Romani Pontificis I, prædecessoris nostri corpus in altari ecclesiæ dicti sui tituli requiescere, veteri & certa historia adducit in lucem; orationesque ad Deum, inter Missarum solennia & inter Horas Canonicas, de vetusto Missali, & carioso præ antiquitate, ut dicitur, Breviario, coram nobis, adstante majori parte Venerabilium Fratrum nostrorum, S.R.E. Cardinalium, devote & accurate proposuit; per quæ manifeste constat & dubitari non potest, sanctam Catholicam & Apostolicam Ecclesiam, meritis & intercessione ipsius S. Julii, hic gratiam & in futuro seculo gloriam à Deo sibi concedi, solenniter quotannis vetusta consuetudine, XII die mensis Aprilis implorare consuevisse, ipsius S. Julii solennia festa eo ipso die devote celebrando; ut hoc ipsum pietatis studium reviviscat, & Christi fideles ad præfati Sancti ossa veneranda devotius & promptius accendantur, & cum gratiarum actione in laudibus Dei de virtute in virtutem procedendo, meritis copiosius crescere possint; subito, post habitam ab eodem Marco Cardinali de inventione S. Julii prædecessoris relationem, ad ecclesiam ipsam S. Mariæ & ossa ejusdem Sancti visitandi causa, personaliter una cum Venerabilibus Fratribus nostris S.R.E. Cardinalibus processionaliter nos devote contulimus, Missamque solennem super altari majori ipsius Ecclesiæ, cum gaudio & devotione magnaque populi frequentia, celebrari fecimus; indulgentiamque omnibus ea die ecclesiam ipsam visitantibus plenariam elargiti sumus. *Hactenus Bulla.*

C

antiqua ejus veneratio

D

à Iulio II Papa renovata,

13 *Memoria sacra S. Iulii reperitur in omnibus passim Fastis sacris ad hunc* XII *Aprilis. Ac primo parvum illud vetus Martyrologium, quod ex nostris apographis edidit Bucherius ad Canonem Paschalem Victorii pag. 267, præposito titulo*, Depositio Episcoporum *scilicet Romanorum, ultimo loco ista habet*: Pridie Idus Aprilis, Julii, in via Aurelia, milliario III in Callisti, *ubi scilicet* S. Julium *basilicam fecisse ad Callistum, supra diximus. In Martyrologio S. Hieronymi ita legitur*: Romæ in cœmeterio Calepodii, tertio milliario, depositio Julii Episcopi. *Similia habent quam plurima manuscripta Martyrologia: in aliquibus additur sub Constantio fuisse in exilium ejectum, quod etiam apud Bedam, Rabanum, aliosque legimus, & supra rejecimus cum Baronio, qui hoc encomio eum celebrat in hodierno Martyrologio*: Romæ, via Aurelia, natalis S. Julii Papæ, qui adversus Arianos pro fide Catholica plurimum laboravit, ac multis præclare gestis, sanctitate celebris, quievit in pace. *Ejusdem* S. Julii Papæ *memoria recolitur etiam die* VIII *Februarii, apud Rabanum, Notkerum, Grevenum & alios, nullo addito elogio.*

E

& fastis sacris inscripta 12 Aprilis

& 8 Februarii.

14 *Octavius Pancirolus, in thesauro abscondito Vrbis Romanæ, asserit aliquas S. Iulii Papæ reliquias asservari in ecclesiis S. Praxedis in montibus, S. Pauli ad fontem, sive S. Mariæ de Victoria, & S. Annæ de Funariis. Onuphrius Panvinius de* VII *Vrbis Ecclesiis agit etiam sub finem de Ecclesia S. Praxedis, & inter veneranda Sanctorum corpora, quæ Paschalis Papa anno* DCCCXVII *Indictione* X *die* XX *Iulii in illam Ecclesiam transtulit, recenset* corpus S. Julii Romani Pontificis. *Quæ si de integro corpore essent accipienda, dicendum necessario foret idem corpus inde, ab Innocentio II, qui ab anno* MCXXX *usque ad annum* MCXLIII *sedit, ad ecclesiam S. Mariæ trans Tiberim fuisse translatum, aliquot ibidem reliquiis relictis.*

Reliquiæ aliquæ Romæ,

F

potissimum in S. Praxedis,

DE S. SABA GOTTHO,

Martyre in Cappadocia.

D. P.

ANNO CCCLXXII.

Ante persecutionem an. 370 moveri cœptam



Numerosam Gotthorum Martyrum classem, ducibus Bathusi & Verca Presbyteris, produximus die XXVI *Martii; eorumque passionem, imperantibus Valentiniano, Valente, ac Gratiano obitam, censuimus ad annum circiter Æræ Christianæ* CCCLXX *pertinere; siquidem commune imperium duobus prioribus cum Gratiano esse cœpit anno* CCCLXVII (LXIV *perperam typotheta finxit*) *& duravit usque ad annum* CCCLXXV. *Diu ante hos, anno scilicet* CCCL, *coronatum fuisse sanctum Sabam, Gotthum etiam ipsum, nescio quo errore ibi potuerit nobis obrepere: obrepsit tamen, quamvis expresse in Actis habeatur eum imperantibus Valente & Valentiniano occisum esse, & quidem feria* V *Paschalis hebdomadæ, cadente in diem* XII *Aprilis, quod toto Valentis & Valentiniani imperio contigit numquam, nisi semel, idque anno* CCCLXIII *ipsis qui ibi nominantur Consulibus, Modesto & Arintheo, quos etiam fasti omnes ad hunc solum annum habet. Sphalma, unde cumque natum, ignoscat lector ipsum ultro arguentibus, & corrigat vel expungat loco jam indicato parte primi secundique numeri, ubi de hoc Saba agitur, interim dum Gothicæ persecutionis historiam dilucidius distinctiusque compositam hic damus.*

2 Post-

A 2 *Postquam Constantinus Imperator, relata de Scythis, trans Istrum commorantibus, insigni victoria sub annum* CCCXIX, *cladis accepta sensum lenire dignatus est, fœdera cum iisdem, velut integris, sanciendo; Christiana fidei propagatio tam latos habuit successus in Gotthia (nam* Scythas vernacula ipsorum lingua Gotthos nuncupatos *auctor est apud Theophanem Trajanus Patricius) ut anno post prædictam victoriam sexto, ex ea advenisse Nicæam & Concilii istic habiti decretis subscripsisse inveniatur,* Theophilus Gotthiæ metropolis *Episcopus. Si autem* Metropolis *fuit in Gotthia, fuerunt utique Episcopales Sedes etiam alia, metropoli suffraganea, adeoque & Episcopi plures: serie fortasse non interrupta jam inde à sancti Apostoli Andreæ temporibus, cui Scythiam in sortitione provinciarum obtigisse communi traditione credit Ecclesia. De hac quidquid sit, non videtur saltem posse controverti, quin Romanorum Imperatorum crudelibus persecutionibus, omniumque gravissima ultima per Diocletianum mota factum sit, ut ex Thracia in proximam Gotthiam multi fugerint Christiani, fidem suam inter barbaros tutius quam inter cives professuri, cum magno indigenarum fructu; licet ipsi Gotthorum reguli proceresque & major populi pars gentilitiis superstitionibus ritibusque implicati manerent.*

es Christiana satis floruit in Gotthia ab an. 319.

cujus metropolita Theophilus Nicenæ I Synodo subscripsit.

B 3 *Theophilo prænominato Episcopo successit Vlphilas, & quidem immediate, si verum est quod de eo asserit Philostorgius Arrianus, ejus gentilis ac synchronus, utpote anno* CCCLXVIII *natus, apud Constantinum Magnum tanta in æstimatione fuisse Vlphilam,* ut ab eo sæpius appellaretur nostri temporis Moyses. *Sed tum ad magnam prorsus miteque viridem senectutem oportet eum pervenisse: siquidem ultra annum* CCCXXXVII *in vivis non perseveravit Constantinus, & Vlphilas anno* CCCLXIX *ad Valentem venit Constantinopolim legatus. Interim vero tam ipse, quam Audæus quidam Episcopus exul, atque alii forsan plures Christianum nomen vehementer inter Gotthos amplificarunt. Et ab Audæo quidem, ut scribit hæresi 70 Epiphanius,* etiam monasteria in eadem Gotthia facta sunt, & vitæ conversatio instituta, virginitasque atque exercitatio pietatis non vulgaris. *Ab Vlphila vero, ut ait Philostorgius, in linguam Gothicam traducta est tota pene sacra Scriptura, ex qua bonam partem Euangeliorum quatuor ad hæc usque tempora in pervetusto argentearum litterarum codice utcumque servatam, cum Anglo-saxonica eorumdem quatuor Euangeliorum versione, aptisque circa utramque linguam commentariis, ante annos non multos habemus impressam Dordrechti in Hollandia, studio* CL. V. *Francisci Iunii.*

post eum Audæus Ep. monasteria instituit,

Vlphilas Gothice scripturam vertit.

C 4 *Rebus sic bene constitutis, virisque etiam principibus nonnullis ad plebem, majori jam parte Christianam, aggregatis; dissidium inter Gotthos exortum, aliis Fritigernem, aliis Athanaricum Regem sequentibus cuncta turbavit. Fitigernes siquidem, prælio victus, necesse habuit à Romano Imperatore Valente auxilia poscere, pactus se quoque Christianum fore; Athanaricus autem ab hoste, una cum Romanis Danubium transgresso, gravi attritus clade, vindictam de victoribus suis desperatam, petere à propriis subditis voluit, maximo ergà Christianum nomen succensus odio; eo quod Christianorum Antistes Vlphilas, Fritigerni adhærens, eumque Valenti concilians, hanc sibi calamitatem attulerat; & nihil erat laturus gravius, quam si tot annorum laboribus plantatam ab eo religionem videret funditus extirpari, in ea saltem qua Athanarico parebat Gotthiæ parte. Huic autem parti illa quoque fuit peculiaris felicitas, quod (quemadmodum ad annum 370 pluribus demonstrat Cardinalis Baronius) integerrima adhuc esset fidei, nullaque Arianismi labe contacta: quam pars Phritigernis, obstricta Valentis Ariani beneficiis, non potuit declinare, præsertim ipso Vlphila, penes quem fidei summa esse videbatur, in errorem protracto, quasi de solis verbis & non de Christi divinitate disceptatio esset: & Audæo, unde dicti sunt Audæani, in Anthropomorphitarum hæresim propenso. Simplicitate forsitan majori uterque quam pervicacia, sed posteris admodum perniciosa, qui paulatim in Arianismum deducti, eumdem postea una cum victricibus armis per Gallias, Hispanias, Italiasque circum tulere.*

sed Athanaricus R. Paganus, clade per Romanos accepta irritatus,

sæviit exitius est in sua ditionis Christianos

nulla Arianismi contagione affectos,

5 *Sed integra adhuc, saltem primis à Phritigernis restitutione annis, sub Athanarico ut diximus religio erat: contra quam, clade sua efferatus barbarus, ea egit tum quæ in S. Nicetæ, ejus jussu interfecti, passione leguntur* XV *Septembris; tum quæ Sozomenus lib.6 cap.37 sic describit:* Ferturt eos, quibus hujus rei conficiendæ negotium imposuerat, statuam quamdam in curru collocatam per singula Christianorum tabernacula circumduxisse, jussisseque ut eam adorarent, eique hostias immolarent; quod cum facere recusassent Christiani, tabernacula cum ipsis hominibus incendio consumpsisse. *Alii alibi agebant languidius in fide profitenda, permittebantque ut qui inter se commorabantur gentiles, idolo immolantes, jurarent, nullum apud se Christianum esse; ut S. Sabæ Acta significant, quæ mox daturi sumus, qualia à Presbyteris Gotthiæ conscripta atque ad Ecclesias Cappadociæ missa cum ipsius Sancti Martyris corpore, ex MS. Vaticano Græce habemus, damusque servata qua licuit Latina Francisci Zini interpretatione, ut ea apud Lipomanum extat, nec nisi in paucis ex Græci contextus collatione correcta.*

AUCTORE D. P. *mittens qui vicatim circuirent & ad immolandum cogerent:*

6 Porro aliam cladem, hac multo miserabiliorem, eodem tempore accidisse accepi, *inquit loco præcitato Sozomenus.* Nam multi tum viri tum mulieres; quarum aliæ pueros secum adduxerant, aliæ infantes recens natos & adhuc sugentes ubera, violentiæ eorum qui ad sacrificandum compellebant succumbentes, ad tabernaculum ecclesiæ quod ibi fuit profugerunt; qui omnes, tabernaculo illo à gentilibus incenso, pariter extincti sunt: *ii ipsi scilicet, quorum* XXVI *Martii cultus habetur, pari quo nota diei continetur numero, quorumque reliquias à se collectas Gaatho Regina Christiana, atque ipsius forsitan Fritigernis uxor, in Romaniam transtulit. De quorum omnium sincera fide præclarum habemus S. Augustini testimonium l.18 cap.52 de civitate Dei, ubi ait:* Rex Gotthorum in ipsa Gotthia persecutus est Christianos crudelitate mirabili, cum ibi non essent nisi Catholici, quorum plurimi Martyrio coronati sunt, sicut à quibusdam fratribus, qui tunc ibi fuerant & se vidisse incunctanter recordabantur, audivimus. *Reliqua huc spectantia apud Baronium videri possunt maturo discussa examine: quibus hoc addas licet, non propterea quod Gothicæ gentis Doctor & Apostolus præcipuus Vlphilas, sub extremam ætatem addiderit maculam in gloria sua, Arianis consentiendo, dicendum esse quod omnes qui sub Phritigerne erant Christiani à recta fide exciderint, adeoque Martyrii titulo sint indigni, si qui etiam ex ipsis, ab Athanarici emissoribus deprehensi, ob negatum idolis cultum occisi fuerint: nec enim malum istud fermentum in momento potuit transisse ad omnes.*

quæ occasione exusti cum ecclesia sunt illi 26,

E

de quibus 26 Martii

& alii à S. Augustino laudati,

F

7 *Quam vere crudelis fuerit Athanarici persecutio describit Epiphanius, ita loquens de Audæanis (quorum* ordinem *non obstantibus nævis paulo ante laudaverat,* ut vitæ sinceritate & justitia ornatum) *deque Christianis reliquis:* Plerique ex Gothia fugati sunt, non solum ex illis; sed etiam ex nostris illic Christianis, persecutione magna instante sub Rege gentili, qui valde malus fuit & Romanis infestus; eo quod Romani Reges essent Christiani: ita ut tota gens Christianorum ab illis partibus fugata sit, ne restaret radix sapientiæ neque planta fidei At tametsi videantur omnes esse fugati, omnino sunt illic fideles homines; non enim possibile est fidei fontem deficere. *Hæc ille quarto anno ab eorum, quos memorabat, exilio: quando pacatis inter Gotthos turbis, omnes pariter arma in Thraces Romanos convertere, & ab Vlphila ejusque successoribus paulatim fuere ad Arianismum traducti etiam qui sub Athanarico perstiterant; cum alios fere à quibus de Christo instruerentur doctores apud se nullos haberent, neque sibi facile possent persuadere, Vlfilam aliquid ab ea fide variare, quam ipsemet tantis laboribus atque prodigiis antea eos docuerat.*

ac tota fere Christianitas extincta,

reliqui ad Arianismum deflexere.

8 *Vt ut sit, egregium ac verum Christi Martyrem fuisse S. Sabam agnovit tota orientalis Ecclesia, diebus variis ejus memo-*

AUCTORE D. P.

S. Saba cultus 12 Apr.

memoriam recolens, prout scilicet Reliquiæ corporis sacri cum cum variis ecclesiis communicata, receptaque fuerunt. Mortis diem hunc XII *Aprilis designant Acta, & hoc memoria inserta reperitur in utroque MS. Taurinensi, itemque in Ambrosiano signato N* 378. *quem Codicem cum vidisset Galesinius hoc ei elogium texuit.* In Gothia S. Sabæ Martyris. Hic jam inde ab infantia Christi Iesu fidem amplexus, in omnique Christianæ virtutis exercitatione versatus, Valente Imperatore à Gothiæ Principibus idola colentibus varie divexatus, demum in Sabam fluvium, projectus, prælii pro pietate suscepti coronam accepit. *Sed solum* Atharidum, Rhotestei Reguli filium, *Martyrii auctorem memorant Acta: Musæum fluvium constanter nominant omnes alii codices Græci,* Savum *fortassis voluit Galesinius scribere: sed hic in Pannoniis supra Belgradum Danubio influit, & Athanaricus trans Danubium regnabat, ubi nunc Walachi & Moldavi habitant: apud Walachos autem etiam hodie fluvius* Missovo *nominatur, haud longe à Terisco seu Targovisco primaria Waiuodæ sede; qui fluvius Rebnick oppidum præterlapsus fretoque immixtus, nomen amittit priusquam in Danubium inferatur.*

locus martyrii ad Musæum amnem.

9 *Molanus Acta apud Lipomanum lecta secutus, etiam* XII *Aprilis Sabam collocavit: secutus est etiam in Martyrologio Germanico Canisius, ac denique in novissimo Romano Cardinalis Baronius hoc modo:* In Capadocia S. Sabæ Gothi qui sub Valente Imperatore, cum Athanaricus Gothorum Rex Christianos insequeretur, post dira tormenta in flumen projectus est: quo etiam tempore (ut S. Augustinus scribit) quamplurimi ex Gotthis orthodoxis martyrii corona sunt insigniti. *In notis significat Græcos de eodem agere* XIV Kal. Maii in Menologio, *eo scilicet quod ex Menæis MSS. Cardinalis Sirletus compilavit, opera nimis extemporali, unde in eo non sine mendis legitur* Sanctus *ab ipso* Athanarico flagellis cæsus; *cum Athanaricus martyrio ejus non adfuerit. Interim verum manet quod die* XVIII *Aprilis Constantinopoli coleretur Sabas, ut colligitur tum ex Kalendario Græcorum apud Genebrardum, tum ex Ephemeride Aprilis metrica, unum præcipuum cujusque diei Sanctum proponente per singulos hexametros, quorum hic unus est*

B

Constantinopoli colitur 18 Apr.

Ὀγδοάτῃ δεκάτῃ ποταμοῦ Σάββαν κτάνε ῥεῖθρον.
Octavo decima fluvii Sabbam enecat unda.

Elogium, quod præcitata MSS. habent die XII, *hoc etiam die habent Menea, tum excusa Venetiis, tum Divione apud Franciscum Chiffletium, hoc proposito disticho*

Ὕπελθε Σάββα φθαρτὸν ἠδέως ὕδωρ,
Ὡς ἂν πίνῃς ἄφθαρτον ἡδονῆς ὕδωρ.
Mortale flumen leniter, Saba, subi,
Ut flumen immortale lætitiæ bibas.

C

alibi 15.

In Ambrosiano quodam MS Mediolani signato O 148, *etiam die* XV *Aprilis notata invenitur S. Sabæ Gothi commemoratio, uti etiam in Menologio Basilii Imperatoris cum elogio ex Actis desumpto.*

Passionis compendium ex Synaxario MS. 17 Apr.

10 *Actorum hoc compendium habe ex MS. Synaxario Claromontano, ad* XVII. Eodem die certamen sancti Martyris Sabæ Gotthi. Hic fuit sub imperio Valentiniani ex regione Gotthorum: qui cum fuisset ab adolescentia Christianus, non solum ipse detrectavit cibos idolis immolatos gustare, sed alios id facere paratos ab iisdem avertit: pro illis vero eam quæ in Christo est fidem gentilibus suis proponens, multos à se conversos baptizavit. Igitur insurgentes contra eum idololatræ, vi ab urbe sua eum expulerunt. Post aliquod vero tempus cum Athanarichus Princeps persecutionem moveret contra Christianos, & omnes Christum prædicantes graviter affligeret, comprehensus etiam Sabbas est, & curruli alligatus axi è laqueari domus suspensus: cumque idolothyta recusasset edere, adductus ad fluvium, cum grandi ligno ad collum alligato, in ipsum projectus & suffocatus est, annum ætatis agens trigesimum octavum. *Eamdem ætatem etiam Menea excusa signant; quamvis de ea deque baptismo pluribus per Sabam collato nihil in Actis, nihil etiam de suspendio: sed econtra duobus axibus per manus pedesque distentos alligatum, jacuisse in pavimento, usque dum superveniens hospita eum solvit à lignis.*

D

Ab hoc diversus Sabas Dux 24 Apr.

11 *Gravior eorumdem Menæorum excusorum est error, quod addiderint ad nomen Sabæ titulum* Στρατηλάτου, *id est*, Ducis, *seu* Tribuni militum: *qui alterius itidem Gotthi est, sub Aureliano Romæ passi, cujus solenne festum & officium occurrit die* XXIV *Aprilis, tam in excusis quam impressis Menæis ac Synaxariis. Simili aliquo errore abducti Asculani nostri in Piceno Patres, sub annum* MDCXII, *cum Roma S. Sabæ Gotthi corpus accepissent ab admodum* R. P. *Claudio Aquaviva Societatis Iesu Generali; annua ipsius venerationi diem legerunt* XII *Aprilis, quo colitur iste de quo nunc agimus, longe ab urbe Roma passus in Gotthia: cum multo fuissent, rectius facturi, si Romano & antiquiori hujus nominis Martyri signatum in Romano Martyrologio diem servandum statuissent: quo & nos paucula, Asculo accepta, differimus.*

ACTA

ab Ecclesia Gotthiæ ad Ecclesiam Cappadociæ scripta.

Ex MS. Vaticano Græco, collato cum versione Latina MS. Veneti per Franciscum Zinum apud Lipomanum & Surium.

B

Ecclesiæ Dei quæ est in Gotthia, Ecclesiæ Dei quæ est in Cappadocia, & omnibus Ecclesiæ Catholicæ Christianis, ubique gentium habitantibus, misericordia, pax, & caritas Dei Patris & Domini nostri Jesu Christi impleatur.

1 Quod à B. Petro dictum est, In omni gente, qui timet Deum & operatur justitiam, acceptus est ei; nunc etiam verum esse declaratur. Hoc enim in B. Saba confirmatum est, qui est Martyr Dei & Domini nostri Jesu Christi. Cum enim genere Gotthus esset, & in Gotthia in medio generationis pravæ atque perversæ vitam ageret, ita viros imitatus est sanctos, & cum ipsis omni genere virtutum Christum coluit, ut in mundo tanquam stella fulgeret. Jam inde enim ab ipsa infantia Domini nostri Jesu Christi religionem complexus, virtutem perfectam existimavit, per filii Dei cognitionem evadere in virum perfectum. Quia autem diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, strenue adversus hostem pugnans, & hujus vitæ malis superior existens, atque pacem cum omnibus habens, ad supernæ vocationis bravium pervenit.

Act. 10, 35

Genere Gothus

sed ab infantia Christianus,

F

2 Memoriæ igitur gratia & ædificationis piorum, posteaquam ipse in Domino conquievit, tacere & quiescere nequaquam permittimur: sed ad præclara ipsius facta conscribenda impellimur. Fuit enim fide rectus, ad obediendum in omni justitia promptus, mitis, religiosus, imperitus sermone, non autem scientia; cum omnibus pacificus, pro veritate loquens, os idololatris obstruens; non superbus, sed (quod humiles decet) subjectus, non petulans in loquendo sed quietus; ad omne opus bonum propensissimus: psallens in ecclesia, ejusque magnam curam gerens: pecuniam possessionesque despiciens, nisi quatenus necessitas exigebat: sobrius, & omnibus in rebus continens, maxime autem à feminarum abhorrens consuetudine; precationibus & jejuniis quotidie incumbens, ab inani gloria alienus, omnes ad recte vivendum incitans, quæ ex virtute atque officio sunt exequens, fugiensque contraria: integram denique fidem, quæ per dilectionem operatur, observans, ac nunquam desinens in Domino cum libertate loqui. Neque enim semel, sed sæpe, antequam

in omni virtute exercitatus,

A quam pro fide martyrio coronaretur, reipsa seipsum veræ pietatis acerrimum defensorem ostendit.

dissuadet Christianis ne gentilium fraudi consentiant,

3 Cum enim Gotthiæ principes & magistratus cœpissent Christianos homines insectari, & cogere ut ederent idolis immolata; & gentiles quidam consilium iniissent, ut Christianis propinquis suis pro immolatis proponerent quæ immolata non essent, itáque propinquos suos servarent ac persecutores deciperent; re cognita, B. Sabas non solum ipse comedere cibos vetitos recusavit, sed in medium prodiens, protestatus est omnibus; Si quis, inquiens, ex carnibus illis comederit, Christianus esse non potest: atque ita cavit, ne omnes in diaboli laqueum inciderent. Hac de causa, qui fraudem hanc moliebantur, eum ex illo vico expulerunt: sed postea revocarunt. Ceterum cum rursus mota esset persecutio, quidam ex ejusdem vici gentilibus, victimas dæmonibus offerentes, jurejurando volebant affirmare, neminem in vico suo Christianum hominem reperiri. Verum Sabas cum fiducia iterum in medium prodiens, & ad consessum illorum accedens; Nemo, inquit, pro me juret: ego enim Christianus sum. Denique, instante persecutore, prædicti gentiles, celatis propinquis suis, jurarunt, non esse in vico suo, nisi unum Christianum. Quo audito, Princeps iniquitatis jussit, unum illum (hic autem erat B. Sabas) adduci. Et cum esset adductus, ex iis, qui circumstabant quæsivit, quid haberet in bonis: illis autem respondentibus, nihil amplius, quam id, quo erat indutus, contempsit eum vir iniquus; Neque prodesse, qui ejusmodi est, inquiens, nec obesse potest. Atque ita locutus, jussit eum extrudi.

seque publice fatetur Christianum:

B

4 Postea cum ingens rursum in Gotthia à peccatoribus persecutio moveretur, & sanctus Paschæ *a* dies appropinquaret, ad aliud oppidum voluit proficisci, ut cum Gutthica Presbytero sanctum illum diem celebraret. Sed iter facienti apparuit vir procero corpore adspectuque splendido venerabilis, & dixit: Revertere, & vade ad Sansalam presbyterum. Sabas autem respondit: Abest, inquiens, Sansalas. Fugerat enim propter persecutionem, & in Romania commorabatur: sed tunc propter diem Paschæ domum redierat. Quamobrem Sabas, cum ejus reditum ignoraret, ita responderat, & ad Gutthicam Presbyterum ire contendebat. Verum cum mandato illius magni viri à se conspecti parere nollet, repente cum serenum tunc esset, magna nivis copia terræ faciem sic occupavit, ut iter intercluderetur, & Sabas progredi non posset. Intellexit igitur se Dei voluntate ab itinere prohiberi, jubentis ut ad Sansalam Presbyterum se conferret. Quare Deo gratias agens reversus est: & cum gaudio Sansalam conveniens, narravit ei & aliis compluribus id quod in via perspexerat. Simul igitur Paschæ diem celebrarunt: tertia autem post celebrationem nocte, ex impiorum decreto, Atharidus, Rhotesti Reguli filius, cum magna impiorum latronum manu in pagum irruit: & domi suæ Presbyterum dormientem offendens, eum vinciri jussit simul cum Saba, quem è lectulo nudum sustulerant. Ac Presbyterum quidem in curru collocarunt: Sabam autem nudum, ut erat genitus, per spinas, *b* quas nuper succenderant, pertraxerunt, comprimentes eum, & fustibus ac flagellis verberantes: adeo erant adversus Dei servos immites ac sævi.

& apud Sansalam Presb. Pascha celebrans

C

rapitur nudus è lecto

b

5 Sed hostium crudelitas viri justi patientiam ac fidem exercuit. Cum enim dies advenisset, in Domino glorians, persecutores suos allocutus est ad hunc modum: Nonne me per loca aspera & spinosa nudum & sine calceis pertraxistis? cernite, an pedes mei læsi sint; & utrum in corpore meo appareant verberum signa, quæ mihi inflixistis. Illi vero nullum in ejus carne videntes vestigium extare cruditatis suæ, sublatum è curru axem super humeros ejus imposuerunt, & ad extremas axis partes manus ipsius extenderunt; pedes quoque similiter ad alterum axem alligarunt: & denique super axes ipsum projicientes, ut humi supinus jaceret, effecerunt: nec prius eum torquere destiterunt, quam maxima noctis pars præteriisset. Verum, ministris dormientibus, mulier accessit, & solvit eum: nocte enim excitata fuerat, ut domesticis cibum pararet. Ille vero solutus, eodem in loco mansit intrepidus cum muliere, & eam adjuvabat. Sed posteaquam illuxit, re cognita, crudelis Atharidus manus ejus vinciri jussit, eumque ad trabem domus suspendi.

& tota nocte cruciatur axibus alligatus;

PER PRES. GOTHIÆ. EX MS. GR.

6 Nec multo post venerunt quidam ab Atharido missi, & cibos idolis immolatos attulerunt, sic Presbyterum & Sabam alloquentes: Hæc vobis magnus Atharidus mittit, ut comedatis, & animas vestras à morte liberetis. Hæc nos, respondit Presbyter, non edimus: neque enim nobis licet. Quamobrem Atharidum cohortamini, ut nos potius jubeat crucifigi, aut alio genere mortis interfici. Beatus autem Sabas: Quis, inquit, hæc misit? Responderunt: Dominus Atharidus. Unus, inquit Sabas, est Dominus Deus, qui in cælis est. Impuri & profani sunt isti perditionis cibi, quemadmodum & Atharidus ipse, à quo missi sunt. Ita loquente Saba, unus è servis Atharidi ira inflammatus, in sancti viri pectus *c* pili sui cuspidem sic intorsit, ut adstantes omnes crederent, eum statim ex ictus *d* violentia interiturum. Verum ille pietatis studio superans plagæ dolorem: Nunc, inquit, tortori, arbitraris ictu me tuo sustulisse? Sed ita habeto, me adeo non doluisse, ut mihi videaris lanæ floccum in me conjecisse. Cujus rei perspicuum illud indicium fuit, quod nec exclamavit, neque (ut in dolore fieri solet) ingemuit, neque ullum in ejus corpore plagæ vestigium apparuit.

recusant immolatis vesci

E

c

d

pilum intorquet barbarus:

eoque nil læsum

7 Tunc, his omnibus cognitis, Atharidus eum jussit interfici: & iniquitatis ministri, dimisso Sansala Presbytero, traxerunt Sabam ad fluvium qui vocatur Musæus, ut ibi eum suffocarent. At beatus vir, præcepti Dominici memor, & proximum diligens sicut seipsum: Quid, inquit, peccavit Presbyter, quia mecum non moritur? Non est tuum, responderunt ministri, istud præcipere. Tunc ille in exultatione Spiritus sancti exclamavit, ac dixit: Benedictus es, Domine, & laudabile nomen Filii tui in secula, Amen: quoniam Atharidus quidem se ipse morte damnavit atque interitu sempiterno, me autem ad vitam mittit perpetuam. Sic enim tibi complacuit in servis tuis, Domine Deus noster. Et cum duceretur, numquam cessavit Deum collaudare; dignas non putans afflictiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ in Sanctis revelabitur. Cum autem ad fluminis ripam ductus esset, ministri inter se: Cur non, inquiunt, dimittimus hominem hunc innocentem? Numquam enim Atharidus hoc est rescituurus. Sed Beatus Sabas dixit ad eos: Quid nugamini, ac non potius facitis quod vobis est imperatum? Ego video id, quod vos non potestis intueri. Ecce stant è regione, qui me suscepturi sunt in gloria. Tunc eum ad aquam perduxerunt, gratias agentem Deo atque eum collaudantem (spiritus enim ejus ad finem usque non destitit id facere) & in flumen projectum, eo ligno, quod collo ipsius alligaverant, in profundo suffocarunt: ita per lignum & aquam defunctus, in se verum salutis *e* symbolum expressit. Erat autem annorum octo & triginta. Martyrio coronatus est quinta die *f* sabbati post Pascha, id est, pridie idus Aprilis, *g* Valentiniano & Valente Imperatoribus, Consulatum gerentibus Modesto & Arintheo.

flumine mergi jubet tyrannus.

F

ministros Sanctum volentes dimittere,

ipse ne sibi parcant deprecatur.

e

f

8 Deinde extraxerunt illum homicidæ ex aqua, & in-

EX MS GR. A *corpus in Cappadociā mittitur*

& insepultum relinquerunt. Verum nec feræ, nec volucres ejus reliquias attigere, sed à piis fratribus servatæ sunt, easque clarissimus Dux *h* Scythiæ Junius Soranus, Deum colens, missis viris fide dignis, è loco barbaro in Romaniam transtulit: & gratificari volens patriæ suæ, prætiosum munus, fructum fide gloriosum, misit in *i* Cappadociam ad vestram religionem, [ex voluntate Presbyterorum,] *k* sic ordinante Domino, qui gratiam suam largitur sustinentibus & timentibus ipsum. Quamobrem, qua die Martyr coronatus est, sacrificantes, hoc reliquis fratribus nuntiate, ut in omni Catholica atque Apostolica Ecclesia exultantes, collaudent Dominum, qui proprios servos suos elegit. Salutate omnes Sanctos. *annos festo honorādum.* Salutant vos hi, qui nobiscum persecutionem patiuntur. Ei autem, qui potest nos omnes gratia & benignitate sua in cæleste regnum perducere, gloria, honor, imperium, majestas cum unigenito Filio, & sancto Spiritu in secula seculorum, Amen.

ANNOTATA.

a *Die* 8 *Aprilis celebrandus.*

b *Zinus vertit* quas nuper inciderant: *minus apte ad textum originalem, quo indicatur familiaris consuetudo Scythis & aliis nationibus, non admodum operose agros colentibus, sed quantum terræ destinant sementi faciendæ, adhibito igne simul stirpantibus & fumigantibus: quæ loca post incendium, stirpium radicibus ubique extantibus, admodum aspera sunt.* B

c *Ita explico, quod Græce est*, λαβὼν ὕπερον, ἔῤῥιψεν εἰς τὸ στῆθος τοῦ Ἁγίου, ἀκοντίσας εἰς ὀξὺ: *quod non satis explicavit Zinus dicendo*, vas in viri pectus conjecit. ὕπερος *quidem Græcis* pistillum *est: sed hic vel pro pilo accipitur, vel pro fuste cujus una extremitas crassa & nodosa, altera teres & acuminata, etiam in bello teli usum præstare potuerit, nomen autem habuerit à forma pistilli, quali ad fruges in mortario comminuendas utimur.* D

d *MS ecgraphum* ῥύζημαλι *quod quia* latratum *significat, expuncta syllaba abundanti, correximus* ῥύμαλι.

e *Crucem scilicet & baptismum.*

f *Id est*, hebdomadæ.

g *In Græco additur* ὑπατείας Φλαβίου, Consulatu Flavii: *& rursum post nomina Imperatorum additur*, εὑρίσκονται οὗτοι, Hi inveniuntur: *quæ, ut nullum commodum sensum facientia, ideoque etiam à Zino preterita, omisimus.*

h *Zinus solum legit* Dux Jossoramus: *sed magis placet lectio nostri MS. & Romanum nomen: ut fuerit Dux eorum militum, quos in subsidium Phritigernis in Scythiam sive Gotthiam miserat Valens, isque genere Cappadox: hoc enim clare indicat textus Græcus* χαριζόμενος τῇ ἑαυτοῦ πατρίδι: *licet Zinus sensum obscurum reddiderit, cum scripsit*, pretiosum patriæ suæ munus ... misit in Cappadociam; *ubi* τὸ patriæ *videtur esse genitivi casus, & Iossoramnus Gothus fingi.*

i *Etsi tota Thracia, Galatia & Bithynia inter Gothiam & Cappadociam interjecta sint: ex Danubio tamen, quem victores obtinebant Christiani, per Euxinum pontum, rectissimum & facillimum iter de hac in illam erat, & multa sacrorum communicatio: nam & Vlfilam genere fuisse Cappadocem Philostorgius asserit.* E

k *Græce* διὰ θελήματος Πρεσβυτερίου, *quod Zinus omisit.*

DE S. CONSTANTINO, SEU CONSTANTIO, Episcopo Vapincensi in Gallia.

G. H.

SEC. VI.



V*Apingum, sive Vapincum est urbs antiqua Episcopalis provinciæ Narbonensis secundæ, eo quod sit sub metropoli Aquensi, licet in Delphinatu & sub Parlamento Gratianopolitano, apud Alpes Cottias sita. In hac urbe est hoc die celebris cultus* S. Constantini *sive* Constantii Episcopi, *cujus Acta aliqua olim extitisse vix dubitamus, eo quod apographis antiquissimis Martyrologii Hieronymiani sit inserta illius memoria, his fere ubique verbis.* *cultus in antiquis Fastis.* In Vapingo civitate, depositio S. Constantini Episcopi. *Similia leguntur in aliis antiquis fastis MSS. item apud Usuardum, Bellinum, Maurolycum, Felicium, Galesinium, Canisium. Et consentit hodiernum Martyrologium Romanum, in quo ista habentur:* Apud Vapingum oppidum S. Constantini Episcopi & Confessoris. C *Saussajus in Martyrologio Gallicano eum hoc exornat elogio:* *Elogium Saussay* In Narbonensi secunda, civitate Vapicensi, S. Constantii Episcopi & Confessoris, qui sub Symmacho Papa & Chlodovæo Francorum Protochristiano Rege, primus in ea urbe, quam Christo totam subegit, Pontificatum gessit: sapientiæque cælestis præstantia & morum innocentia floruit: ætatem cum summa religione transegit: sicque sibi ad regnum æternum aditum sternens, è pastorali specula ad arcem beatitatis evectus est. Cujus nomen in benedictione apud incolas permansit, perennemque obtinuit ob meritorum cumulum & operationis beneficia, venerationem. *Hæc Saussaius, qui, mutata solum verborum phrasi, de variis Episcopis similia habet.* *discussum* *Interim San-Marthani in Gallia Christiana,* primum Vapincensium Episcopum Constantium *non statuunt: Sed ex veteribus Ecclesiæ istius monumentis & publicis MSS. quemdam S.* Demetrium primum *collocant, & plures forsan alii in ista sede Constantium præcessere, quorum nomina & acta interciderunt. An fuerit etiam Episcopus temporibus Symmachi Papæ & Chlodovei Regis Francorum, plane est incertum. Post utriusque obitum subscripsit Epaonensi Concilio, Agapito V. C. Consule anno Christi* DXVII, *sub Sigismundo Burgondionum Rege habito: sub cujus, non sub Regum Francorum imperio, tunc vivebat Constantius cum reliquis Episcopis, qui dicto Concilio interfuerunt.* *Subscripsit Conc. Epaonensi an. 517* *Nos de Concilii istius loco & aliis circumstantiis late egimus* V *Februarii ad Vitam S. Aviti Episcopi Viennensis, à quo S. Sigismundus fuerat ad fidem Catholicam conversus. Adfuerunt autem Epaonæ Episcopi numero quatuor & viginti, interque eos solum decimus octavus subscribit* Constantius, in Christi nomine Episcopus civitatis Vapincensis, *ut non videatur valde diu in dignitate Episcopali vixisse. Fuit postmodum anno* DXXVII *sub Athalarico Rege Ostrogothorum habitum Concilium Carpentoratense, cui aliquis* Constantius *subscripsit: quem Sirmondus in Indice utroque conjectat fuisse eumdem Vapincensem Episcopum; sed quia locus non additur in Concilio, plane hoc incertum est.* *an etiam Carpentoratensi an. 527* F *Multo minus placet conjectura Baronii, dum ad annum 441 num. 15, ubi de primo Arausicano Concilio agit, ista scribit:* Est celebris etjam memoria inter alios Patres, qui huic Concilio interfuerunt, Constantini Episcopi Vapingensis Ecclesiæ, consignata tabulis Ecclesiasticis: quod enim sanctitate claruerit, ejus natalis dies in Ecclesia Catholica annuatim reperitur pridie Idus Aprilis: *non Arausicano an. 441.* quem & alii Gallicano Concilio interfuisse scimus ex Synodali epistola, ad S. Leonem Romanum Pontificem scripta. *neque epistolæ Synodali ad S. Leonem Papam.* *Eadem repetit Baronius in Notis ad* XII *Aprilis. Aliquis* Constantinus Episcopus *dicto Concilio Arausicano, inter sedecim Episcopos tertius; & citatæ epistolæ Synodali inter quadraginta duos & fere à prioribus diversos, quarto loco subscribit: nec non* Constantius *aliquis. Sed quamdiu nulla notantur urbes, temerarium est eorum aliquem inferre catalogo Episcoporum Vapingensium; & multo magis eumdem dicere, qui Epaonensi Concilio interfuit, anno*

A DXVII *satis recenter ordinatus, ut supra indicavimus, cum alias oporteret unum eumdemque Constantium totis fere septuaginta annis eum gradum obtinuisse. De illo ergo qui, Epaonæ fuit anno jam indicato, aliud non scimus. quam ipsum in propria Ecclesia venerationem habere, successisse autem ipsi SS. Tigridem & Remedium, de quibus egimus* III *Februarii, dein Vellesium, qui interfuit Concilio Aurelianensi* VI *quod arbitramur celebratum anno* DXLVII. *Petrus de Natalibus lib.* 11 *Catalogi cap.* 130 *num.* 118 *ista habet:* Constantinus Episcopus. oppido Vapigo, claret pridie Idus Aprilis: *quæ est exigua unius diei differentia: sed pro ipsis Idibus stat consensus aliorum.* D

DE SANCTO DAMIANO

Episcopo Ticinensi in Italia.

G. H.

CIRCA AN. DCCX.



Papia, post Mediolanum clarissima Insubriæ civitas, ad flumen Ticinum sita est à quo ab antiquis Ticinum appellabatur. Eadem nobilitata olim fuit Longobardorum Regum Sede, quorum tempore inter alios Episcopos floruit ibidem S. Damianus *Episcopus, hoc* XII *Aprilis vita functus, & hactenus ritu officii duplici in ea urbe & amplissima diœcesi honoratus. Ejus meminit in suo Martyrologio Galesinius hac formula:* Papiæ S. Damiani, Episcopi & Confessoris, doctrina, sanctitate & rerum divinitus gestarum gloria clari, *Galesinii verba leguntur translata in Martyrologium Germanicum Canisii, altera editione auctius recusum. In hodierno Martyrologio Romano ista habentur:* Papiæ S. Damiani Episcopi. *ubi in Annotationibus addit Baronius:* Tabulæ Ecclesiæ Papiensis de eodem agunt hoc die. Laudat hunc mirifice Paulus Diaconus de Gestis Longobardorum lib. 5 cap. 15, atque hujus dicit esse epistolam, scriptam nomine Mansueti Episcopi Mediolanensis lib. 6 cap. 3. Sed miror quidem. Nam non Damianus, sed Magnus Episcopus Ticinensis interfuit, una cum Mansueto, illi Romanæ Synodo, sub Agathone Romano Pontifice, ut apparet ex subscriptione Synodicæ tunc scriptæ, quæ recitatur in Actione quarta sextæ Synodi. Opinatus est ea de causa Latinius noster, eumdem Damianum cognomento Magnum esse dictum. *Hac Baronius, de quo Vghellus tomo* I *Italiæ sacræ in Episcopis Papiensibus ista observat in S. Damiano* XXXII *Episcopo:* Illius meminit Martyrologium Romanum, & Baroniusque in suis ad ipsum Notis: ubi demiratur Paulum Diaconum Damiano epistolam adscripsisse, nomine Mansueti scriptam ad Constantinopolitanum Concilium contra Monothelitas; cum in Concilio Romano sub Agathone Pontifice reperiatur subscriptus Magnus, non autem Damianus Episcopus Papiensis: sed si vir, peritissimus rerum Ecclesiasticarum, rectius hac vice calculos posuisset, advertissetque Magnum Popiliensem se subscripsisse, non Papiensem; Anastasiumque, qui ei Concilio interfuerat, præcessisse hunc nostrum Damianum Episcopum Papiensem; non adeo demiratus fuisset Paulum Diaconum, qui eam epistolam attribuit Damiano Episcopo, qui per id tempus tantum Presbyter erat, illamque epistolam dictaverat anno antequam succederet Anastasio, qui etiam ipse Romani Concilii decretis subscripsisse reperitur. Nec tamen Paulo Diacono dandum vitio est, si duxerit parum referre dixisse, an Presbyter an Episcopus Damianus epistolam illam confecerit: gravi enim historico facile fuit unius anni morulam contempsisse ab exarata epistola. *Hactenus Vghellus. Verba Pauli Diaconi sunt ista:* Hæresis apud Constantinopolim orta est, quæ unam in Domino nostro Iesu Christo voluntatem & operationem asseverabat. Quam ob causam Constantinus Augustus centum quinquaginta Episcopos congregari fecit: inter quos etiam fuerunt Legati sanctæ Romanæ Ecclesiæ missi ab Agathone Papa. Eo tempore Damianus Ticinensis Ecclesiæ Episcopus, sub nomine Mansueti Mediolanensis Archiepiscopi hac de causa satis utilem rectæque fidei epistolam composuit, quæ in præfata Synodo non mediocre suffragium tulit. *Coluntur S. Agatho Papa* X *Ianuarii, & S. Mansuetus Episcopus Mediolanensis* XIX *Februarii, ad quorum Acta de dictis Conciliis egimus, & partem epistolæ edidimus, in Concilio Mediolanensi in causa Monothelitarum, auctoritate S. Mansueti anno* DCLXXIX *compositæ. Dictum autem Concilium oecumenicum Constantinopoli inchoatum est anno* DCLXXX *mense Novembri, & anno sequenti die* XVI *Septembris absolutum: quo tempore passim traditur S. Damianus fuisse Episcopus Ticinensis, ut vel ideo possit Paulus Diaconus melius excusari, si tum in Concilio dictum fuerit epistolam compositam fuisse à S. Damiano, jam tunc creato Episcopo Papiensi: quem idem Paulus Diaconus lib.* 5 *appellat* virum Domini sanctitate præcipuum, liberalibus artibus satis instructum.

[Margin: Calum facer. — Epistola contra Monothelitas composita — à S. Damiano necdum Episcopo — recitata in Concilio CP. — jam tum S. Damiano creato Episcopo.]

2 *Acta S. Damiani ediderunt Bernardus Saccus, lib.* 9 *Ticinensis historiæ cap* 17 & 18; *Iacobus Guala, lib.* 3 *Sanctuarii Papiensis cap.* 3, *Stephanus Breventanus, lib.* 2 *Historiæ Papiensis cap* 11; *Antonius Maria Spelta, in Vitis Episcoporum Papiensium; Ferrarius. in Catalogo Sanctorum Italiæ; & novissime Ioannes Baptista de Gasparis, in Breviario Sanctorum Episcoporum Ticinensis Ecclesiæ, quod opusculum auctor nobis donavit, cum anno* MDCLXII *Papiæ de Actis horum Sanctorum antiqua monumenta inquireremus. Ex hoc elogium istud damus.*

[Margin: Vita scriptores.]

3 Damianus, nobili genere Ticini natus, eximius Theologus, ob morum & virtutum integritatem Ticinensium Episcopus creatus, anno sexcentesimo octogesimo admirabili floruit sanctitatis & doctrinæ præstantia, ut ejus epistolæ, egregio peneque divino ingenio editæ in sexta Synodo, ad extirpandam hæreticam Monothelitarum pravitatem, testantur. Post multos legationum labores, eloquentiæ viribus, Imperatoris & Longobardorum composuit discordias, bellorumque sedavit furores. Pauperibus subveniendi studio inflammatus, sibi suisque successoribus satis commodum paravit domicilium, quo inopes etiam & peregrinos hospitio reciperet ciboque reficeret. Duos quoque sacros Fontes suo ære ad baptismata facienda excitavit. Eo tempore præfuit Ecclesia Ticinensi, quo fœda Ticinum pestis depopulabatur, diu noctuque circumsonante aëre tubarum clangore, cum invisibili bellorum strepitu, ac nocturna duorum Angelorum apparitione, alterius scilicet boni, alterius mali, perterrente civitatem. Malo enim Boni jussu ædium fores veru incutiente, tot mortui singulis in ædibus mane comperiebantur, quot ictus nocte auditi fuerant. Tunc pius & sanctus Pastor ad Deum reconciliator accessit. Quare convocato Clero populoque & ipso Rege Guniperto, orationes, jejunia, publicas rogationes & alia multa pietatis opera indixit. Quibus pie humiliterque peractis, Deus, delinita precibus indignatione, Damianum monuit, fore ut civitas liberaretur, si altare Martyri Sebastiano in basilica S. Petri ad Vincula erigeretur, & aliquid ex ejusdem Sancti Martyris reliquiis in eo collocaretur, & in venerationis cultu haberetur. Tunc solicitudine Damiani & Regis Guniperti, S. Sebastiani brachium Roma Ticinum

[Margin: pace composita: — hospitium pauperibus extructum — fontes baptism. malesfacti. — pestis ingruit — procuratis S. Sebastiani reliquiis sublata.]

AUCTORE G. H.

num delatum est: & ceteris omnibus peractis, extemplo desævit pestis, & ab letifera calamitate civitas vindicata fuit: dicatæque illic aræ Martyris, quotannis pridie festum diem Sebastiani, & ipso quoque die festo, ipse cum Ordinariis, Mansionariis & reliquo Clero Ecclesiæ Cathedralis, solemni supplicatione accedebat, sacra facturus. Divina miraculorum virtute eluxit. Nam in legatione, qua functus est nomine Catholicæ Ecclesiæ ad Georgium Patriarcham Constantinopolitanum hæreticum, ut eum in sanctæ Romanæ Ecclesiæ sinum revocaret, urbem ingrediens, leprosum osculo sanitati restituit. Dum Gallus Capellanus sacras ejusdem Pastoris reliquias tumulatas, manu sacrilega è tumulo extrahere conaretur; campanæ ecclesiæ, quam ipse Damianus alteri Damiano Martyri erexerat, ut sacrilegi temeritas vulgaretur, nullo pulsante sonum reddidere: quo excitati vicini confluentes, viso sacrilego, qui sepulcro hærebat immobilis, ad Pontificem properarunt. Hic re accepta repente ad templum perrexit, ibique misericordia motus, pro sacrilego orari jussit: qui peccatum suum deflens, à Deo liberatus fuit. Cum vero annos triginta, doctrina & poësi illustris, Episcopali munere perfunctus esset, sanctissime ad Domini sui amplexum evolavit pridie Idus Aprilis, anno septingentesimo decimo. Cujus venerabile corpus in S. Damiani primum sepultum, nunc in subterraneo maximæ basilicæ sacello, quod S Cyri Confessio appellatur, cum veneratione colitur

leprosus osculo sanatus. *reliquias ejus furaturus punitur:* B *corpus transfertur.*

4 *Hactenus Ioannes Baptista de Gasparis, Sanctum hunc adscribens* familiæ Biscossorum; *quod sine fundamento excogitatum ab alio quocumque, ab eo ad gratiam assumptum putamus: qui & alias invenitur recentioribus conjecturis pluſculum tribuisse, quando quæ Paulus Diaconus libro 6 cap. 5 narrat de peste, deque Angelo bono ac malo & S. Sebastiani Reliquiis, absque ulla S. Damiani mentione, ea huic appropriat. Sed imprimis difficultatem habet, quod idem de Gasparis scribit de Georgio Patriarcha hæretico, quamvis auctorem sequi videatur Iacobum Gualam loco præcitato, qui ait:*

Patriarcha CP. hæreticus confutatus, quis?

Vir ipse non modo sanctitate, sed & excellenti doctrina insignis, * voce universalis ecclesiæ Constantinopoli fungitur, ad Georgium ibidem hæreticum (*non addit, Patriarcham.*) perfidiæ tenebris obductum, ut eum reduceret in gremium sanctæ matris ecclesiæ. *Septimo seculo, quo rem gestam oportuisset, fuerunt Constantinopolitani Patriarchæ Sergius, Pyrrhus, Paulus, iterum Sergius, Thomas II, Monothelitæ omnes: tum Ioannes V ac Constantinus; denique Theodorus, cui ob hæresim deposito suffectus est Georgius Catholicus, & sub hoc celebratum Constantinopolitanum Concilium inter Oecumenica sextum, cujus superius facta est mentio: vide sis Baronium ad annum* DCLXXVIII *num. 13. Vel igitur, quod indefinite de aliquo hæretico Patriarcha scripserat quispiam, perperam attributum est Georgio, cum debuerit tribui Theodoro, si ex Romani Pontificis auctoritate depositus ille est, sententiam ferente Damiano, Legato Apostolico: vel aliquo librarii cujuspiam errore, pro nomine* Sergii *irrepsit nomen* Georgii, *adeo affine priori, ut alias non semel eadem inter se commutata invenerimus.*

D ** an vice?* *non certe, Georgius.*

5 *Additur apud eumdem auctorem Epitaphium sepulchri S. Damiani, citato Iano Grutero, quod apud dictos auctores videri potest: in illo dicitur* S. Nazarius Martyr, industria S. Damiani, meruisse aulam, quam ambit claritas, *ut videatur S. Damianus ad illius honorem extruxisse ecclesiam. Colitur S. Nazarius Martyr Mediolanensis* XXVIII *Iulij. Bernardus Saccus lib. 9 cap. 18 adfert S. Damiani egregiam sententiam, de morte & resurrectione Domini nostri Iesu Christi, qua redarguit audaciam cujusdam Hebræi, arguentis non fuisse ex Dei dignitate mortem subire Dominum Iesum Christum: & sub finem addit idem auctor,* plura alia Damianum, & voce & scriptis, Ticinensibus suis documenta præbuisse, præsertim vitæ suæ innocentia: sed ejus scripta temporum & hominum incuria fuisse sublata. *Loco epitaphii apponimus distichon Brautii, Episcopi Sarsinensis, in Martyrologio Poëtico ita editum:*

templum S. Nazario erectum. E *Iudæus redargutus.*

Præsul ut os posuit Damianus ad ora leprosi;
Lurida lepra statim, non reditura, fugit.

DE SANCTO ERKEMBODONE,

Episcopo Teruanensi & Abbate Sithiuensi in Belgio.

G. H.

ANNO DCCXLII



Eruana, illustris Morinorum olim civitas, plures habuit vitæ sanctitate claros Episcopos. Ex his celebravimus B. Ioannem XXVII *Ianuarii, & S. Hunfridum* VIII *Martij: ad quorum Acta de Taruana urbe & Morinorum antiquitate diximus varia, hic non repetenda. Traditur ejusdem Sedis Episcopus creatus anno* DCCXXI *aut* DCCXX *Erkembodus, & inde in cælos migrasse anno* DCCXLII, *hoc* XII *Aprilis. Fuerat ante constitutus Abbas monasterii Sithiuensis, in urbe Audomaropolitana, à S. Bertino constructi. Vita aliqua ejus conscripta est, cum ab obitu illius* quadringenti anni *& plures essent elapsi. Auctor se* Ioannem *monasterii Sithiuensis humilem ministrum appellat: quem arbitramur Ioannem Iperium esse, postea creatum Abbatem dicti monasterii Sithiuensis seu Bertiniani, scilicet anno* MCLXXXVII, *à quo habemus conscriptum Chronicon Bertinianum necdum typis vulgatum; in quo præcipua aliquot monumenta hujus S. Erkembodonis describuntur. Vitam damus ex MS. Ordinario ecclesiæ S. Audomari, distributam in novem Lectiones, quarum etiam pars prior, dempto prologo, excusa est* anno MDXVIII in Breviario secundum morem, usum & consuetudinem Ecclesiæ collegiatæ S. Audomari. *Fuit postmodum ea Ecclesia in Cathedralem assumpta, & Breviarium Romanum acceptatum servato festo S. Erkembodonis, in quo nunc sub ritu officii Duplicis omnia de Communi Pontificis Confessoris leguntur. In primis Vesperis fit solum Commemoratio S. Leonis Papæ, & in Missa præscribitur Credo. Sacra ejus memoria celebratur hoc die in MS. Florario Sanctorum, in Additionibus Greveni & Molani ad Vsuardum, in Martyrologiis monasticis, VVionis, Dorganii, Menardi, Bucelini, in Martyrologio Gallicano Saussaji, Germanico Canisii, Belgicis Miræi, Molani, VVillotii & aliorum: ex his addimus hoc elogium Molani in Natalibus Sanctorum Belgii relatum.*

C *Tempus Sedis,* *Vita scripta,* *officium ecclesiasticum,* F *memoria in Martyrologiis.*

2 Monasterio Sithiu depositio S. Erkembodonis, Morinorum Episcopi & Abbatis Sithiuensis: qui in monasticis & regularibus disciplinis à prima ætate sub sanctissimo Bertino militavit, usque ad congruentem ætatem: Abbatiæ deinde in Sithiu, vir omni bonitate conspicuus, regimen quartus inchoavit, anno septingentesimo decimo: cui etiam chartas seu privilegia quatuor acquisivit. Post sexennium vero in Episcopum Teruanensem est sublimatus: in quo simul & in Abbatia per annos viginti & sex resedit. Est cum magna reverentia sepultus in monasterio S. Audomari, sive in basilica S. Mariæ, quam S. Audomarus pridem dedicaverat: in qua nunc resident Cathedrales Canonici S. Audomari; qui sepulcrum in præfata sua Ecclesia ostendunt; corpus in summo altari, caput vero in particulari vase reconditum conservant. Festum translationis ejus celebrant VI Idus Septembris. *Hæc Molanus. Festum dictæ transl-*

Corpus in altari, *festum translationis,*

Translationis etiamnũ celebratur sub ritu officii semiduplicis. A *Coluntur ante memorati Sancti mense Septembris; Bertinus, die quinta; Audomarus nona. Iacobus Malebrancus, tomo 1. de Morinis lib. 4. cap. 55, de S. Erkembodone agit, & ait* se in membranis legisse, eumdem esse, qui Luglio & Lugliano Regibus ex Hibernia comes additus est. *additque* se credere eum ex tunc Sacerdotem, & forsan Luglii Archipræsulis Archidiaconum fuisse. *Coluntur hi Sancti* XXIII *Octobris: in quorum Actis tam excusis quam manuscriptis nulla fit mentio S. Erkembodonis, neque aliud signum apparet ob quod ex Hibernia dicendus esset advenisse: qui nomen manifeste Teutonicum tulit, quod nunc* Erghen-bode, *id est* industrium cautumque ministrum, *explicaremus & pronuntiaremus. Forte solum voluit Malbrancus, studiorum causa, ut alii multi tunc, in Hiberniam profectum, inde cum dictis Episcopis rediisse jam Creticum: verum nec hoc debet absque teste dici.*

An venerit de Hibernia?

VITA

Auctore Ioanne monacho Sithiuensi.

Ex Ordinario MS. & Breviario Ecclesiæ S. Audomari.

AUCTORE IOANNE. EX MSS.

VEnerabilibus Fratribus & amicis, in ecclesia Audomari sub canonica professione degentibus, frater Ioannes, Dei patientia Sithiuensis cœnobii minister humilis, opere magis & honestis moribus quam nomine & temporalibus commodis, ad canonicam dignitatem aspirare. B Cum frequenter de reverendis actibus gloriosorum communium Patronorum nostrorum, Audomari videlicet & Bertini, cum nonnullis ecclesiæ nostræ Clericis familiares conferremus sermones; quæstio nonnumquam simul & conquestio de Sancto oriebatur Erkembodone: quod rara & fere nulla de gestis ejus esset scriptis commendata memoria. Nec de sanctitate ipsius ulla nos movebat dubitatio, præsertim cum eum in canone Sanctorum sanctæ Ecclesiæ susceperit auctoritas, & plura per eum Dominum miracula fecisse (licet scripta non inveniantur) à fideli tamen populo, majorum relationi fidem pie adhibente, non immerito credatur & prædicetur. Nos itaque, quia in veteribus chartis & annalibus nostris quædam de hoc Sancto scripta nos reperisse meminimus, aliquid de eo scribere proposuimus: quod utinam per Dei gratiam ei cedat ad gloriam, Sancto suo ad venerationem, legentibus ad ædificationem, & scriptori ad promerendam æterni præmii proficiat remunerationem. C Et ne quis forte dicat, quinquaginta annos nondum habes, & de S. Erkembodone, qui ante quadringentos annos fuit, scribis? sciant, quicumque hæc legerint, nihil nos de propriæ adinventionis novitate scripturos: sed quod in veteribus scriptis sparsim & confuse reperimus, pro modulo nostro colligemus & ordinabimus, auctoritate simul & ratione, si necesse fuerit, per Dei gratiam defendere & probare valentes quidquid scripserimus.

Dolet auctor Vitam olim non fuisse conscriptam, tam ex antiquis monumentis collectam edit.

2 Beatus igitur Erkembodo, monasticis & regularibus disciplinis per sanctissimum Confessorem Christi Bertinum in Sithiu monasterio divina providentia institutus, à primæva ætate eruditus, & ejusdem virtutum pii Patris imitator diligentissimus, quod veraciter credi debet, propter vitæ meritum & prudentiæ sanctam opinionem: computato in catalogo Abbatum Rigoberto, quarto post B. Bertinum loco, suscepit regendum Sithiuense cœnobium. Verum cum constet quod Bertinus Rigobertum sub se Abbatem constituerit, quo post non multum tempus amoto, virum venerabilem Etlefridum loco ejus substituit, quem etiam post mortem suam sibi successorem reliquit, S. Erkembodonis nullo mediante antecessorem; si rei gestæ veritatem subtilius indagemus, B. Erkembodonem tertium post B. Bertinum Sithiuensem Abbatem fuisse probabili poterimus ratione demonstrare. Sicut enim *a* S. Linus & Cletus, licet à B Petro Episcopi ordinati Romanæ Ecclesiæ legantur præfuisse, tamen quia ordinatore suo superstite, per coronam martyrii, de hac vita ad æternam transierunt, S. Clemens ejusdem B Petri prædicatur successor existere: sic, quamquam Rigobertus & Etlefridus à B. Bertino fuerint Abbates constituti, ille tamen veraciter ejus dici potest successor esse, qui ipsi post hanc vitam cognoscitur superstes remansisse.

Eruditus à S. Bertino

Etlefrido Abbati defuncto succedit, a

3 Sanctus itaque Erkembodo anno Verbi incarnati *b* septingentesimo septimo decimo, post decessum vero B. Bertini *c* nono decimo, ad regimen Sithiuensis cœnobii promotus, ad cultum religionis conservandum, ad exteriores possessiones amplificandas, & contra invasorum injuriam defendendas totus accingitur: sciens se potius onus quam honorem suscepisse, volensque juxta B. Benedicti regulam non tam dici Abbas quam esse, & nomen majoris factis adimplere. Quod autem hoc verum sit & absque omni ambiguitate indubitanter credendum, si quis nosse voluerit, ex antiquis regum Francorum chartis, quas iste vir sanctus propter libertatem monasterii sui multo labore noscitur acquisisse, B evidenti argumento monstratur probabile. A Rege enim *d* Chilperico (cõtra cujus Ducem Ragenfridum nomine, Carolus major domus, cognomento Martellus, legitur apud Vinciacum bellum iniisse & eum vicisse) & à *e* Theodorico juniore, *f* consobrino ejusdem Chilperici & successore, privilegia de immunitate loci sui impetravit: in quibus inter cetera sibi & successoribus suis perenniter indulta, scriptum invenitur ut nullus judex publicus ad monasterium Sithiu vel ad loca ipsius quoquam tempore ingredi debeat ad causas audiendas aut *g* freta exactanda, vel fidejussores tollendos, nec mansiones aut *h* paratas faciendas, nec homines ipsius monasterii tam ingenuos quam servientes, qui super terras suas commanent, distringendos, nec ullas redditiones requirendas vel exactandas. *i*

creatus Abbas an. 717. b c

privilegia monasterio impetrat. d e f g h i

4 Decedente Ravengero, Morinensi Episcopo, successore Baini, qui & ipse successor fuit Drantii, successoris beati Præsulis Audomari; S. Erkembodo, anno Dominicæ Incarnationis *k* septingentesimo vigesimo, Teruanensis Ecclesiæ sublimatur Episcopatu: simulque cum Episcopatu gubernationem monasterii strenue administrans, F sic utrobique ad pulchræ Rachelis amplexus anhelabat, ut de fœcunditate Liæ multiplicem procreare sobolem non desisteret. Ita siquidem ad contemplativæ pulchritudinem vitæ suspirabat, ut fœcundam activæ operationem non negligeret: ita in suscepta tam monasterii quam Episcopii cura ea quæ Dei sunt cogitabat, ut tamen ad promotionem rerum exteriorum sibi commissarum diligentem operam impenderet. Vt enim haberet unde tribueret necessitatem patienti, emit à quodam viro, Rigoberto nomine, villas, sicut in veteribus chartis reperitur, his nominibus nuncupatas. *l* Sechiaco super fluvium Agniona, *m* Kelmias, Stracto, cum adiacentiis suis; & infra Mempiscũ Leodredingas *n* mansiones; & *o* Belriniũ, super fluvium Quantiam situm, in pago Teruanensi, cum adiacentiis suis, quæ sunt in pago Pontivo, in loco nuncupato Monte super fluvium Altejam *p*. Ex his sane possessionibus quasdam adhuc obtinet Sithiuense cœnobium, quod quidem nunc constat esse bipartitum. Nam pars, antiquo nomine & ordine retento, monasterium vocatur B. Bertini; pars altera, mutato nomine & ordine, dicitur ecclesia S. Audomari.

k *creatur Episcopus anno 720.*

Vitam activam & contemplativam simul exercet. l m n o *varias possessiones emit.* p

 domari.

AUCTORE IOANNE EX MSS.

domari. Vtrum autem reliquæ possessiones, quas prædictæ ecclesiæ non habere noscuntur, in jus transierint Morinensis ecclesiæ, vel quo devenerint, temere definire non audemus. Cum aliquam in chartis vel scriptis certitudinem inde nondum reperimus. Hoc vobis ad præsens dixisse sufficiat, ut ostenderimus, per hæc, & alia hujusmodi, in quibus vir sanctus pro utilitate subditorum creditur desudasse, sic eum officium egisse Marthæ, ut ad illud unum, voce Domini porro necessarium, pervenire satageret, optimam scilicet partem Mariæ.

cum partibus Marthæ jungit partem Mariæ;

5 Quamvis vero, quod plerorumque auctoritatem Sanctorum commendare solet, fere nulla eum fecisse miracula scriptum inveniamus: de sanctitate tamen ejus dubitare non permittimur: nimirum cum antiqua sanctæ Ecclesiæ auctoritas Sanctum prædicet, & in numero Sanctorum canonizatum reverenter eum colat & adoret. Nec credendum arbitremur eum nequaquam miracula fecisse: imo potius negligentia scriptorum, si qua fecerit, memoriæ commendata non fuisse. Aut certe (quia Sancti, si quid boni agunt, foris gloriam non expetunt) si quid miraculosum egit à ventosa hominum notitia abscondi voluit: quia inde Deo maluit placere quam hominibus, & plus æternam amavit remunerationem quam transitoriam mortalium laudem. Postquam ergo fidelis servus & prudens, pecuniam Domini sui suo in tempore bene dispensavit, & ad excolendam cælestis patrisfamilias vineam conductus, in ea perseveranter laboravit; jam vespera vitæ suæ adveniente, vocatur à Domino supernæ mercedis denarium accepturus, felicique commercio commutaturus pro terrenis cælestia, pro perituris æterna. Humanæ itaque conditionis debitum solvens, appositus est ad Patres suos, anno Dominicæ Incarnationis septingentesimo *q* quadragesimo secundo pridie idus Aprilis, sepultusque est à populo in ecclesia B. Audomari, coram capitaneo altari sanctæ Dei genitricis Mariæ: in cujus honore eadem ecclesia in principio, ab eodem sancto Præsule Audomaro, fuerat ædificata & dedicata.

miracula, si quæ fecit, latent.

B

moritur an. 742.

q

6 Celebris autem adhuc extat fama, ex antiqua seniorum relatione auctoritatem trahens, quod ad tumbam S. Erkembodonis tot & tanta olim fuerint perpetrata miracula, ut ex oblationibus fidelium, quæ propter illa inibi offerebantur, ecclesia B. Audomari à solo dicatur fuisse reædificata, & sumptuose, ut in præsenti apparet, consummata. Si quis vero quæsierit quare exinde nulla certa extent monumenta, hæc scriptorum negligentia credimus evenisse; auctoritatique majorum (etsi perpetratorum modum & ordinem miraculorum nesciamus) fidem adhibendam esse censemus. Sed quid tantam de miraculis quæstionem facimus? cum authentica testetur Scriptura, signa non esse data fidelibus sed infidelibus: Nos igitur, quia per Dei gratiam de fidelium numero sumus, virtutes potius Sanctorum quam miracula imitemur. Virtutes enim miraculis multo sunt præstantiores, cum illorum operationes evacuabuntur, istarum remunerationes justis in æternum conservabuntur. In futuro enim judicio multis qui dicturi sunt Domino Deo, Nonne in nomine tuo prophetavimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus, terribiliter denuntiabitur: Ite maledicti in ignem æternum, quia nescio vos. Et è contrario pauperibus suis, qui nulla visi sunt fecisse miracula, dulci voce dicet Christus: Venite benedicti patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi.

Ex oblationibus tradi tur ecclesia S. Audomari extructa.

C

1 Cor. 14, 22

Matt. 7. 22

7 Ea propter, quoniam expectatio justorum lætitia est; multorum autem qui miracula fecerunt vel faciunt spes peribit; æmulemur in Sanctis charismata meliora; & ad id, unde nobis major promittitur remuneratio, propensiori studio & ferventiori anhelemus desiderio. Scimus utique quod Sanctus iste in diebus suis placuit Deo, & inventus est justus: quod cognovit eum Dominus in benedictionibus suis, & conservavit illi misericordiam suam, & invenit gratiam coram oculis Domini; & quia magnificavit eum Dominus in conspectu Regum, & dedit illi coronam gloriæ. Et nos itaque, exemplo Sancti hujus justitiam sectantes, Deo placere studeamus, ut cælestem ab ipso benedictionem consequi mereamur. Et quoniam, inter innumeros vitæ præsentis errores, variis tentationum & peccatorum laqueis irretimur; misericordiam Christi, ad ipsius gratiam acquirendam humiliter imploremus; ut in futuro in conspectu ejusdem Regis magnificari, & æternæ coronam gloriæ adipisci valeamus. Quod nobis præstare dignetur Rex Regum, caput & corona Sanctorum omnium, precibus sancti Erkembodonis Confessoris sui, Iesus Christus Dominus: qui cum Patre & Spiritu Sancto vivit & regnat Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

D

Virtutes ejus imitandæ

patrocinium implorandũ.

ANNOTATA

a *De hac primorum Pontificum post S. Petrum successione agimus 26 Aprilis ad Vitam S. Cleti, & in tractatu particulari de Primis Pontificibus ante tomum 1 Aprilis.*

E

b *In Chronico Iperii & ab aliis dicitur creatus anno* 710.

c *S. Bertini obitus passim refertur ad annum* 698,

d Chilpericus *ex Clerico Rex factus anno* 715, *mortuus an.* 720. *Hic concessit Erkembodoni privilegium libertatis & confirmationis, quod sic incipit,* Chilpericus Rex Francorum. Si facta parentum *&c.* Actum anno regni nostri Tertio. *Ita Iperius.*

e Theodoricus *iste regnavit ab anno* 720 *ad annum* 737. *Duo ejus diplomata data S. Erkembodoni citantur ab Iperio, horum prius editum est, à Miræo in Notitia Ecclesiarum Belgii cap.* 13, *alterum legitur apud Malebrancum lib.* 4 *de Morinis cap.* 58. *an autem sincera sint diplomata illa, alibi examinamus.*

f *Sicut avunculus pro patruo sæpe accipitur, ita &* consobrini *pro consanguineis virilis sexus. Habuerunt ambo proavum Dagobertum* 1, *Chilpericus per Chlodovæum* 11 *& Childericum, Theodericus per Sigebertum ejusque filium Dagobertum: ut alibi demonstravimus.*

g Fredum *compositio fisco debita ad pacem obtinendam.*

h Mansiones, *hospitium signant,* paratæ *indicant alimenta. Consulatur præceptum Ludovici Pii super missione S. Anscharii ad hujus Vitam* 3 *Februarii* § 6 *litt.* i *&* k

F

i *Huc usque continentur hæc Acta in Breviario Ecclesiæ S. Audomari.*

k *In Chronico Iperii dicitur Episcopus factus anno* 3 *Theoderici Regis, qui esset annus* 722 *aut* 723, *non* 717 *ut ibidem additur.*

l *In eodem Chronico* Sehtcas super fluvium Agmona.

m *Ibidem,* Kelmas & Strato, quæ adhuc sunt hujus Ecclesiæ, *S. Audomari.*

n *Ibidem,* Nunc dicitur Lederselle, & sunt Ecclesiæ Canonicorum S. Audomari,

o *Ibidem,* Belrinum nunc est Prioratus Majoris-monasterii

p *Ibidem,* Charta sic incipit: Domino atque Apostolico Patri Erkembodoni Episcopo emptori & ejus Congregationi *&c*, Actum Sithiu monasterio publice III Kal. Septemb anno III Domini nostri Theoderici gloriosi Regis.

q *Deerant hæ duæ voces in apographo nostro, ex Chronico Iperii suppletæ. Mabillon seculo* 3 *Benedictino inter prætermissos retulit, & mortuum esse arbitratur anno* 737.

DE

A

DE SANCTO TETRICO,

Martyre & Pontifice Autissiodorensi.

G. H.

INITIO SEC. VIII.



Vtissiodorum, *antiqua Galliæ urbs, Burgundiaco Ducatui inserta, variis & præclaris viris Cælitum albo inscriptis illustratur: quorum venerationi Ecclesiastica, dies suos præscribunt Breviaria propria, quæ varia habemus, post annum Christi millesimum & quingentesimum excusa. In his omnibus S. Tetrici Episcopi Autissiodorensis & Martyris cultus indicatur ad hunc diem* XII *Aprilis, & omnia facienda præscribuntur ex Communi unius Martyris, ad Matutinum vero sex Lectiones recitantur de Communi, ut diximus, unius Martyris, & tres ultimæ de expositione Evangelii ad diem pertinentis. Nos auctoritate horum Breviariorum in hunc diem distulimus ejus memoriam huic operi inserere, quamvis in recentiorum Martyrologiis referatur ad* XVI *aut* XVIII *Martii, uti ad illos dies inter Prætermissos annotavimus. Porro ad diem* XVI *Martii refertur à Menardo, Saussajo & Bucelino, uti etiam in Gallia Christiana Claudii Roberti & Sammarthanorum, à quibus dicitur dicto die interemptus. At qui ante hos omnes scripsit, Ioannes Chenu, asserit*, vitam martyrio finivisse xv Kalendas Aprilis, *quo eum die Galesinius, Canisius, & Ferrarius, retulerunt. Acta aliqua hujus Sancti sunt exarata in Chronico Roberti monachi Autissiodorensis, nulla diei obitus facta mentione. Verum is traditur* XV Kalendas Aprilis *sive* XVIII *Martii, in Historia Episcoporum Autissiodorensium, à Philippo Labbe tomo* I *Nova bibliotheca librorum manuscriptorum edita: ex qua Acta conversationis & martyrii subjungimus, quæ sunt hujusmodi.*

Veneratio S. Tetrici 12 April.

16 & 18 Martii.

B

Acta.

2 Trecicus, seu Tetricus, sedit annos quindecim, menses tres. Hic fuit temporibus Romanorum Præsulum Leonis, Benedicti, Joannis, Cononis, Sergii, sub Childeberto juniore Francorum Rege, qui appellatus est Justus. Vir mitissimus & omni bonitate ornatus: nam & ante Episcopatum extitit Abbas monasterii S. Germani, in quo officio positus talem tantumque se exhibuit, ut merito ab omnibus summo frequentaretur studio: erat enim largus, pius, castus atque misericors. Deo igitur favente omnis populus à minimo usque ad maximum divina inspiratione permoti, eum in Pontificum Ordinem elegerunt: sicque à basilica S. Germani extractus, Deo dignus Pontifex est electus & ordinatus Sacerdos. Cœpit enim mox accepto Sacerdotio prædicationibus insistere, Ecclesiamque sibi à Deo commissam spiritaliter erudire. Hic beatus vir, primo anno ordinationis suæ, habito Concilio constituit, qualiter Abbates vel Archipresbyteri in ecclesia S. Stephani divinum persolverent officium. Taliter vero ordinavit, ut deserviret Kalendis Januarii I hebdomada basilica S. Germani, II hebdomada basilica S. Amatoris, III hebdomada basilica S. Petri, IV hebdomada basilica monasterii S. Juliani. *Et ita consequenter per reliquos menses.*

Abbas S. Germani,

ordinatur Episcopus,

C

colligit Synodum,

3 Hac itaque constitutione roborata, constituit, ut Abbates Presbyteri cum Clero, ad suprascriptum officium peragendum convenientes, ex Dominico cellario ab Oeconomo ecclesiæ stipendium sufficiens accipiant. Si vero tardi occurrerint aut negligenter apparuerint, quadraginta dies à vino abstineant. Vice-dominus autem aut Cellarius, si quod jure ministrare debent, in aliquo subtraxerint, retrusi in monasterium, per annum dimidium pane & aqua contenti, debitam pœnitentiam persolvant. Is itaque beatus Episcopus villam, quæ ei ex successione parentum advenerat, Maximiacum nomine, sitam in pago Senonico, cum ædificiis, mancipiis, vineis, silvis & universis appendiciis suis, basilicæ S. Stephani, cui Deo auctore præfuit, habendam delegavit. De cetero, consummato feliciter vitæ suæ cursu, à quodam, instigante diabolo, ut fertur, Archidiacono suo, nomine Regenfredo, dum scamno sopore resolutus quiesceret, gladio verberatus, martyrio vitam finivit xv Kalendas Aprilis, & sepultus est cum summa devotione fidelium in basilica S. Eusebii Martyris. Nam de eodem Regenfredo antiqua relatione vulgatur, quod mox, ut à domo, in qua suum interfecerat Pontificem, est egressus, subito turbine raptus nusquam comparuit. Fuit autem civitas sine Episcopo annis tribus. Nam de scamno, super quod interfectus est, plures ex dolore dentium ob meritum sancti viri obtinuêre remedium. Sed & in eodem loco ob memoriam & reverentiam Martyris, à successoribus ipsius, ejus est nomine constructum oratorium, quod hactenus fidelium devotione veneratur & colitur. Extant hodieque tabulæ ejusdem scamni, ejus martyrium designantes.

ordinat divinum officium,

villam donat Ecclesiæ S. Stephani,

E

martyrio coronatur:

oratorium ei erigitur.

4 *Hactenus ea Acta, ex Historia Episcoporum Autissiodorensium extracta: cujus epitome eisdem sæpe servatis verbis continetur in Chronico monachi Autissiodorensis. Decessor S. Tetrici fuit Scopilio, qui dicitur sedisse annos* VIII, *sub Theoderico Rege, anno* DCXCIII *vita functo; cui successit Chlodoveus* III *filius, eique anno* DCXCVIII *mortuo hujus frater Childebertus junior; qui à nonnullis statuitur etiam cum fratre rexisse, & superfuit usque ad annum* DCCXI. *Fuerunt autem supra indicati Pontifices Romani Leo, Benedictus, Ioannes & Conon ab anno* DCLXXXIII *usque ad annum* DCLXXXVII, *à quo tempore Sergius Papa sedit usque ad annum* DCCX. *Sub hoc autem videtur S. Tetricus martyrium passus initio seculi* VIII. *Mabillon assignat annum* DCCIX.

F

Tempus sedis & martyrii.

DE S. BASILIO CONFESSORE,

Episcopo Parii in Mysia minore.

G. H.

SUB ICONOMACH.



Arium, urbs antiqua fuit Mysiæ minoris, ultra Hellespontum ad Propontidem, Xenophonti, Straboni, Ptolomæo, Plinio aliisque nota; & post fidem Christi acceptam, Episcopalis facta sub Metropolita Cyziceno: cujus Episcopus Thalassius interfuit Concilio Chalcedonensi & epistolæ Synodali subscripsit. Inter posteriores Episcopos sedit S. Basilius, qui fidem Christi contra iconoclastas egregie propugnavit; verberaque, vincula & exilium perpessus, Confessor gloriosus, bravium æternæ vitæ obtinuit. Hujus præclara Acta olim conscripta fuisse non dubitamus, eaque dolemus vel periisse vel adhuc latere. Ejus solius nomen habetur in Ephemeride metrica, & solennem memoriam celebrant Græci in magnis Menæis, ubi ejus certamina atque victoria integro officio Ecclesiastico decantantur, interposita hac vitæ epitome.

Solennis memoria apud Græcos

2 Die XII Aprilis, memoria sancti Patris nostri Basilii, Episcopi Parii, Confessoris. Sanctus hic Basilius, propter excellentem virtutem suam & divinam vitam, creatus est Episcopus Pariensis, quo tempore impiorum Iconomachorum hæresis grassabatur.

cum elogio in Menæis,

AUCTORE G. H.

batur. Ne ergo hic Sanctus cum illis sentire, & ipsorum dogmati adversus sacras imagines subscribere cogeretur, exemplo divi Pauli totam vitam suam in ærumnis & afflictionibus & angustiis traduxit; & exul è loco in locum migravit, declinando ubique hæreticorum societatem: atque amplexando veram pietatem, semper Patrum institutis adhæsit, ac pro iisdem decertavit. Cum vero in ejusmodi exercitiis Deo placens, eique serviens ad finem usque perseverasset, in pace quievit. *Hactenus Menæa, quæ eadem leguntur in MS. Synaxario Parisiensi collegii nostri Claromontani & aliis Menæis MSS. item in Anthologio Græco auctoritate Clementis VIII edito, & in Vitis Sanctorum Græce à Maximo Cytherorum Episcopo collectis. In Menologio Cardinalis Sirleti hæc pauca duntaxat, quod miramur, ad hunc diem edita sunt:* Sancti Patris nostri Basilii, Episcopi Parii. *Quæ eadem habentur in Typico S. Sabæ, à posteris aucto: nec non in Tabulis Kalendarii Moscovitici & in Fastis Ruthenicis apud Possevinum, non expresso titulo ac nomine Episcopatus, ut fere utrobique is omitti solet.*

& aliis Synaxariis,

mentio apud Latinos

3 *Secuti ex Latinis Genebrardus in Kalendario Græcorum, Molanus in additionibus ad Usuardum, & Ferrarius in Catalogo generali: qui in Notis tradit, eum multa passum esse pro cultu sacrarum imaginum sub Leone Isaurico. Baronius in Annalibus ad annum* DCCXXXV, *cum retulisset varia certamina sanctorum Martyrum & Confessorum sub Leone memorato suscepta, sub finem ista addit:* Sicut & Basilius Episcopus Parii, cujus anniversaria die celebrandam memoriam habent Græci notatam in Menologio decima tertia mensis Aprilis. Hi & alii, ex impietate & crudelitate Imperatoris, immortales sibi texuerunt coronas. *In Menæis nomen Imperatoris non exprimitur. Memoria ejusdem S. Basilii ad hunc* XII *Aprilis inscripta est antiquo Martyrologio Arabico-Ægyptiaco, quod nobis in Latinam linguam transtulit Gratia Simonius, Collegii Maronitarum Romæ alumnus, procurante Athanasio Kirchero studiorum nostrorum amatore.* D

an claruerit sub Leone Isaurico?

4 *Quem assignavit Baronius diem* XIII *Aprilis, is annotatur in Menologio Basilii Porphyrogeniti Imperatoris, in quo idem elogium, quod supra attulimus, indicatur; sed majori cum emphasi exprimuntur contra impiissimi Imperatoris edictum* propugnatæ imagines Domini nostri Jesu Christi, & intemeratæ ejus Genitricis Mariæ, gloriosæ Dominæ nostræ Deiparæ & semper Virginis, & Sanctorum omnium.

cultus 13 Aprilis in Menol. Basilii Imp.

DE SANCTO ALFERIO,

FUNDATORE ET PRIMO ABBATE CAVENSI IN ITALIA.

G. H. E

ANNO MI



C*Ava, insignis civitas agri Salernitani apud Picentinos, in Principatu citeriore, regni Neapolitani provincia, suam originem debet monasterio, à S. Alferio sub finem seculi decimi extructo: cum Ecclesiæ Salernitanæ præesset Amatus, ultimus Episcopus, & anno* DCCCCLXXXIV *declaratus Archiepiscopus:* sub quo, *inquit Ughellus tomo 7 Italiæ sacræ columna* 511, celebre Cavense monasterium sumpsit exordium. *Cujus initium, progressus, Abbates, virosque, tum sanctimonia cum dignitate illustres*, ex brevi Chronica ab autographis documentis ejusdem monasterii descripta, *ibidem recensens idem Ughellus, profert* Catalogum Abbatum Cavensis monasterii, *in quo primus appellatur* S. Alferius, alias Adelferius, qui sacrum Cavense monasterium, anno Domini nongentesimo octogesimo, construxit; ibique primus Abbas extitit, usque ad millesimum quinquagesimum Salutis annum; quo pridie Idus Aprilis, quo Dominica cœna recolebatur, spiritum emisit, cum centum viginti annorum esset ætatis, prophetiæ spiritu pollens, mortuorum suscitator magnificus, innumerisque miraculis clarus; sepultusque est in sacratissimo specu, quod de ipsius cellula in S. Michaelis Archangeli oratorium commutatum fuit: ubi usque hodie requiescens pia fidelium devotione colitur, & beneficia impetrat, cum Beatis Leone Lucensi, Petro Salernitano, Simeone, Benincasa, & Petro ejus nominis secundo: qui eidem S. Alferio & in vitæ sanctitate & in monasterii regimine successerunt, vitaque excedentes juxta ipsum tumulari voluerunt. Hujus sancti viri vita & miracula extant in libro de Vitis sanctorum Patrum Cavensium, olim à quodam Venusini sanctissimæ Trinitatis cœnobii Abbate composito, & à B. Leone II, Abbate Cavensi, Longobardis characteribus in membranis exarato, qui in Cavensis monasterii bibliotheca cum veneratione servatur. Ejus festivitas sub duplicis officii ritu solenniter agitur in monasterio Cavensi, ipsa dormitionis ejus die XII Aprilis. *Citatam Vitam S. Alferii hic damus ex MS. Cavensi nobis transmissam, & more nostro in capita & numeros distinctam, atque additionibus notationibusque illustratam. De ejus auctore plura diximus IV Martii ad Vitam S. Petri Episcopi Policastrensis, & tertii Abbatis Cavensis, sanctique Alferii ex fratre nepotis.*

Cavæ civitas & monasterium.

ejus fundator & 1 Abbas S. Alferius:

C

hujus Vita à Venusino Abbate scripta,

festum celebratur 12 Aprilis,

2 *Paulus Regius, parte secunda de Sanctis regni Neapolitani, post Vitam S. Prisci Episcopi cap. 5 agit de quatuor Sanctis Abbatibus Cavensibus, ac primo loco tradit aliquod compendium Vitæ S. Alferii: ex quo Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ epitomen concinnavit, aliquot erroribus emendatis: quia, uti annotat, pro Victore III Paulus Regius habebat Victorem II, & pro Henrico III Imperatore scripserat Henricum II. Verum præcipuum Pauli Regii mendum cavere neglexit, quo obitus S. Alferii transfertur in annum* MXCVIII, *quando cyclo Lunæ* XVI, *Solis* XV, *littera Dominicali C, Pascha celebratum* XXVIII *Martii, & dies* XII *Aprilis incidit in Feriam secundam post Dominicam secundam Paschalem: procul à feria quinta in Cœna Domini, & anno Christi millesimo quinquagesimo. Postea tamen idem Ferrarius, texens Generalem Catalogum Sanctorum qui in Romano Martyrologio non sunt, observavit errorem, & prædictum annum* ML *notavit, citata Vita ex Annalibus Baronii, qui ejus meminit ad dictum annum, num. 15, & annum Henrici II Imperatoris quartum numerat. Vitam S. Alferii abbreviatam ediderunt, Benedictus Gononus, Libro 3 de Vitis Patrum Occidentis pag. 169 & seqq. Simon Martin, in Sacris reliquiis deserti pag. 290 & seqq. Franciscus Haræus, de Vitis Sanctorum ad hunc* XII *Aprilis, & mortuum esse censet* anno Christi circiter millesimo nonagesimo. *Verum post annum millesimum quinquagesimum non occurrit dies* XII *Aprilis in Cœnam Domini usque ad annum* MCXXIII. *Arnoldus Wion S. Alferium inscripsit Martyrologio suo monastico annotatque eum in Sanctorum numerum fuisse relatum, idque se didicisse* ex epistola admodum R. P. D. Victorini Manso ab Aversa, Abbatis Cavensis, qui anno MDLXXXIX ad Comitia generalia Ordinis accessurus, declarationem Canonizationis ab Illustrissimis & Reverendissimis S.R.E. Cardinalibus super interpretatione & executione Sacri œcumenici Concilii Tridentini deputatis, visis Actibus, impetravit. *Hæc Wion: cui & auctori Epistolæ libenter credimus; mallemus tamen ipsam Canonizationis declarationem propriis Cardinalium verbis videre, & Lectori nostro ad fidem certiorem faciendam proponere: idem vel in supplemento facturi, si quis eam curaverit nobiscum communicandam. Exemplo Wionis S. Alferium inscripserunt suis Martyrologiis Dorganius, Menardus, & cum longissimo*

Vita epitome edita à Paulo Regio, Ferrario,

F

Gonono, Martino, Haræo,

Cultus in Martyrologiis monasticis.

A *gissimo ex Actis encomio Bucelinus. Hymnos quatuor, cum aliquot Antiphonis & Oratione, composuit Angelus Sangrinus Abbas Casinensis, ut in ejus Solennitate canerentur, quæ brevitatis causa hic non edimus.*

VITA

Auctore Abbate Venusino.

Ex MS. Cavensi & Surio.

PROLOGUS.

Matt. 5. 15. *Sanctorum vitæ comparatur lucernæ super candelabrum positæ.*

1 SI juxta divinæ sententiam Veritatis, lucerna ad hoc accenditur, ut super candelabrum posita, lumen domum intrantibus præbeat; bene prolatæ sententiæ virtutem exequimur, si sanctorum virorum exempla, ad minorum formam, altius sublevemus. Ex alto siquidem suæ revelationis ad instar ignis, quo longius lumen proferunt, invitare eos quos illustrant melius possunt: magna autem cum fuerint & nesciuntur, magnum quod habent lumen non proferunt, quia in imis locis & abditis occultantur. Et fortasse idcirco abscondi sub modio lucerna dicitur, quia ii qui Sanctorum lucidam conversationem sciunt, pro perfecta mensura illorum quam continet, modii nomine designantur: B ex inferiori vero parte exprimentur, quando scita abscondunt, quia per meritum in imo & abjecto loco se constituunt. Hinc etiam Scriptura sacra denuntiat, dicens: Qui abscondit frumenta, maledictus erit in populis. Quid enim frumentorum nomine, nisi Sanctorum exempla figurantur? Ex omnibus quidem cibus grani est excellentior: excellentia ergo facta perfectorum, frumenti nomine designantur: quia quo dulcius hæc fidelium mentes percipiunt, eo plenius velut de electiori cibo satiantur. Si ergo maledicitur, qui frumentum abscondit; cautè vigilandum est, ut ad quemcumque fidelem mira Sanctorum facta pervenerint, hæc prædicando proferat, ne maledictum incurrat; & occultando in imo sit, qui exponendo fieri luminis candelabrum sublime potest. Unde etiam in Euangelio Dominus dicit: Si in alieno fideles non fuistis, quæ vestra sunt quis dabit vobis?

Prov. 11. 26. *& frumentis in cibum datis.* *Luc. 16. 12.*

a C *ideo Vitas 4 Abbatum Cavensium proponit monachis Ordinis Cavensis.* *b* *c*

2 Ego igitur tam his & hujusmodi territus, quam etiam audientium profectibus invitatus, venerabilium Patrum, Alferii videlicet, *a* Leonis, Petri atque Constabilis, Abbatum Cavensium, vitas atque miracula scribere proposui: ut quia, auctore Deo, idem Cavense cœnobium magnæ religionis est, jamque ejusdem religionis *b* Ordo longe lateque diffunditur, ii qui eorum sequuntur institutionem, exemplis atque miraculis accendantur. Quod profecto vobis, hujusmodi Fratres, specialiter convenit, quos imposito pio religionis onere, ad ordinis eorum normam redegimus. Valde enim devotius post illorum vestigia curritis, si aperte cernitis, quia qui vos laborando præcesserant, de labore suo jam ad æterna gaudia pervenerunt. Me quoque quia hoc deceat, nulli vestrum dubium est: ut qui de claustro illo, velut terra promissionis egressus, in *c* longinqua regione pascendos atque multiplicandos suscepi greges, virgas exemplorum vario cortice instituendis proponam: quatenus ii, qui ex vobis per divinam gratiam fœcundantur in spirituali sobole, non solum perpetua carnis incorruptione sint virides, sed omnimoda virtutum varietate fulgentes. Sed quia in universalibus scriptis nostris, verborum quibusdam obstaculis æmulorum accessus obstruere solemus, opusculi hujus tenerum situm nullis reprehensionum spinis obducimus, quia cum domesticis nostris de rebus notis fraternis affectibus fabulamur. Ad quod nimirum D opus priorum nostrorum non modico rubore succendimur, qui de suis agere, quod alii fecerant, noluerunt. *d* Victor namque Romanæ Ecclesiæ Summus Pontifex; cum adhuc illi monasterio, quod à sanctissimo Patre nostro Benedicto in Casino monte constructum est, in venerando habitu *e* præesset, in libro, *f* quem de Sanctorum miraculis scripsit, viri venerabilis Alferii mentionem fecit, ejusdem se familiarem fuisse asseruit, & ipsius quædam miracula, ita ut ab eo fuerant gesta, narravit. Vir quidem sanctus dum subjectorum animas ad cœlestem patriam succendere per exempla meliorum satageret, ea quæ ad eorum formam producere voluit, & prope & longius quæsivit. Quid ergo nobis de nostris agendum est, si ab aliis jam & miris extolluntur laudibus, & scriptorum memoria celebrantur? Quia verò præfatus Pontifex quædam, non omnia, hujus viri venerabilis miracula scripsit; & pro ejus reverentia scripturæ ipsius auctoritatem operi nostro præmittimus, & pro ædificatione audientium plura, quæ eum vel tunc latere potuerunt; vel post ejusdem obitum sunt gesta, supplemus. Quia item nova scribendi tempora contemni solent; fidem dictorum relatoribus, non scriptis lector adscribat: quia etsi isto tempore scribimus; ea, quæ ab antiquis monasterii senibus sunt nobis dicta, narramus. E

d *Vita S. Alferii proferetur ex scriptis Victoris Papæ III,* *f* *& ex relatione seniorum monachorum.*

ANNOTATA.

SS. Abbates Cavenses.

a *Coluntur alii tres Abbates etiam ritu Officii duplicis in Ecclesia Cavensi: S. Leo 12 Iulii, S. Petrus Episcopus Policastrensis 4 Martii; &* Constabilis 17 *Februarii, & de his duobus ad dictos dies egimus.*

b *In Chronico Cavensi ista leguntur:* Cum Cavensis monasterii habitacula minime sufficerent multitudini eorum, qui seculum relinquentes, habitum sanctæ religionis suscipiebant; multi Principes & seculi potentes cœnobia & ecclesias certatim construere, & sancta loca pro servorum Dei habitatione offerre videbantur: Summi etiam Pontifices monasteria ecclesiasque condonare: Abbates quoque ipsi ac monachi Cavenses monasteria in dies erigere conati sunt... Fuerunt proinde Ecclesiæ Cavensi monasteria subjecta supra numerum trecentorum triginta trium diversis in locis, tam in regno Neapolitano quam in Sicilia & in ipsa Urbe Roma posita. *Consule, si plura vis, dicta ad Vitam S. Petri 4 Martii.*

monasteria Ecclesiæ Cavensi subjecta.

c *Factus* Abbas Venusinus, *in provincia Basilicata, in confiniis Apuliæ & Lucaniæ, in monasterio Sanctæ Trinitatis; quod Cavensi Congregationi tunc suberat. Ex urbe autem Venusina Horatius Poëta oriundus fuit.* F

d Victor 3 *Papa præfuit à 24 Maii anni 1086 usque ad 16 Septemb. anni 1087, veneno dum sacra faceret in calice dato extinctus.*

e *Factus hic Abbas Casinensis anno* 1056 *tunc Desiderius dictus, ante Dauferius, filius Beneventani Principis. Cardinalis titulo S. Cæciliæ creatus anno* 1059.

f *Exemplo S. Gregorii Magni scripsit libros tres Dialogorum, Romæ à Ioanne Baptista Maro anno* 1651 *in lucem prolatos.*

CAPUT I.

Genus, vita secularis & monastica: monasterium Cavense extructum, patrata miracula.

S. Alferius Salernitanus, *Apocrisiarius in Galliam missus,*

3 VIr ergo Domini Alferius ex Salernitana civitate *a* oriundus fuit: in qua cum bonis polleret moribus, & litterarum scientia apprime eruditus enitescere. Principi *b* ejusdem civitatis magna familiaritate conjunctus est, & inter primos palatii sui ingenti cum honore susceptus. Quodam vero tempore, cum res exigeret, ut à præfato Principe ad regem Germaniæ nuntii mitterentur, probitatis suæ merito

AUCTORE ABBATE VENUSINO EX MS.

merito vir venerandus eligitur, & in Gallias pro perficiendis principalibus negotiis apocrisiarius destinatur. Quod tamen non tam humano judicio decerni cœperat, quam divino: ut is videlicet, qui jam magnus in cælorum regno censebatur, ad alia tenderet, & ad alia perveniret; aliud appeteret, sed aliud obtineret; dum qui terrenis innititur, spiritualibus atque cælestibus sublimatur.

c Clusæ æger Deo servire statuit:

4 Nam ubi ad *c* ecclesiam beati Michaëlis de Clusa venit, gravem corporis valetudinem incurrit: qua impellente, legationem mutare placuit, & negotia hominum imperfecta relinquere, ut ad divina servitia perfectus & integer pertingere meruisset. Mortis ergo, ut putabat, festinatione perterritus, seculo renuntiare proposuit, & id quod restabat vitæ, in omnipotentis Dei servitio consummare. Vir autem vitæ valde venerabilis *d* Odilo Cluniacensis Abbas, forte tunc ad idem cœnobium venerat: quem cum plurimum rogaret, ut habitum sibi sanctæ religionis imponeret, Cluniacum deductus est, ibique, quod pie postulavit, obtinere promeruit. Vir ergo sanctus, postquam religionis habitum sumpsit, omnem illam strenuitatem seculi ad divina studia convertit. Cœpit enim magnis desideriis superna quærere, qui solebat ingenti studio strenuus pro temporalibus apparere. Seculum igitur tota intentione fugiens, in brevi tempore adeo profecit, ut ad sanctæ conversationis arcem pertingeret, & culmen perfectionis magnis laborum meritis obtineret.

Cluniacum ductus, accipit habitum monasticũ.

B

Præficitur monasteriis Salernitanis,

5 Qui cum plurimum temporis in secretiori claustri conversatione perageret, licet valde esset acceptus Fratribus, quamquam Patri monasterii satis carus, tamen memorato Salerni Principe obtinente remittitur, & ejusdem civitatis fere omnia monasteria ei regenda committuntur. Sed vir sanctus internæ quietis splendoribus assuetus, exteriorum negotiorum tenebris diu præpediri noluit. Dimissa quippe civitate, *e* longe in excelsi montis latere, cui Fenestra vocabulum est, quietis suæ locum subiit, primusque præ omnibus *f* Matelliani Cavam, monachorum mansionem fecit, &, ut aperte jam cernitur, omnis nostræ multitudinis seminarium fuit: velut enim granum ex grano illo frumenti Euangelici, dum perfecta contemplatione terræ viventium, mundi omnibus strepitibus obiit, multum imitantium se fructum dedit. Ibi itaque ingentis & terribilis speluncæ secretis repositus, solus soli Deo vacans, solique placere desiderans dum mundi gloriam fugit, ad laudis suæ præconium, vicinarum urbium fere omnium linguas movit.

fugit ad Cavam Matelliani; Ioan. 12.

C

degit in spelunca solitarius:

6 Cœpit itaque nomen sanctitatis ejus haberi celebre, & tantæ opinionis fama longe lateque dilatari. Et quia Sanctorum perfectio major est meritis, quam ore hominum referri possit, Pater sanctus non solum fortia exercuit, sed etiam miraculis coruscavit: ut quos fama alliceret, miracula solidarent. Cœperunt ergo nonnulli seculum relinquere, & ejusdem se magisterio subjugare. Inter quos & vir venerabilis Leo Lucensis, & Desiderius Beneventi nobilis, ad æmulandum piæ virtutis ejusdem studium, se ejus magisterio *g* subdiderunt. Quorum nimirum alter post eum Cavensi monasterio præfuit, alter S. Benedicti montis Casini Abbas constitutus, dehinc in totius orbis culmine, videlicet Romanæ Ecclesiæ Pontificatum sublimatus est.

accipit in discipulos S. Leonem, & Desiderium dein Papam.

Dejicitur à dæmone è monte ad littus maris, illæsus,

7 Sed humani generis inimicus, sancti viri successibus invidens, *h* cum quadam die Salernum euntem cerneret, super excelsæ rupis vertice se obvium præbuit, & *i* jumentum, cui insidebat, exterrens, per immensum montis *k* præruptum in præcipitium dedit. Dejectus itaque tantæ rupis vertice cum jumento, cui præsidebat, ad littus maris, quod eidem monti suberat, non sicut ruens cecidit, sed scandens quasi deambulando perveniens stetit, quia integer & illæsus apparuit. Qui autem comitabantur eum, à multo fletu ad oram maris veniunt; sed incolumem læti conspiciunt, quem lugentes invenire mortuum crediderunt. *l* Sicque factum est, ut antiquus hostis se tanta viri venerabilis virtute superatum erubesceret: quia ejusdem gloriam auxit, quam extinguere moliendo cogitavit.

D

sub saxo contritum, & ad sepeliendum delatum precibus resuscitat:

8 Alio quoque tempore, dum quidam Salernitanæ civitatis viri irruentium latronum impetum fugerent, ad vicina cellæ viri Dei loca pervenerunt: ubi cum pausare sub rupe quadam voluissent, ingens saxum de eadem rupe dissiluit, & quemdam ex eis, Burellum nomine, conterens extraxit. Quem ut socii mortuum atque contritum cernerent, ad viri Dei monasterium jam inclinato vespere sepeliendum detulerunt. Quibus Pater venerabilis præcepit, ut nocte illa discederent; atque sequenti die ad sepeliendum, quem detulerant, redirent. In eodem vero specu Pater sanctus jam oratorium construxerat, in quo poni feretrum jussit: & assumpto Leone discipulo suo, cujus superius mentionem feci, in oratione eadem nocte vigilavit. Mane igitur facto, defuncti illius comites redeunt; sed mirabili stupore & gaudio, quem mortuum dimiserant, non solum *m* viventem, sed etiam incolumem receperunt.

E

ova pro refectione hospitum multiplicat:

9 *n* Quadam item die septem viri ad monasterium venerunt, quos post ædificationis verba refici præcepit. Quod dum *o* cellarius perfici devote voluisset, sola quinque ova in omni cella reperit, ex quibus æqualem refectionem septem viris distribui non posse, viro Dei nuntiavit. Hæc autem Pater sanctus ad se deferri instanter jussit, allata benedixit, &, quod valde stupendum est, nisi à Deo per tanti viri ministerium fieret, ex quinque ovis septem viris singulis singula præbuit. Quo nimirum viri Dei opere quanta sit etiam virtus caritatis agnoscitur, qua à perfecto in caritate velut condi incondita, & quę nõ erant esse potuerunt.

prædicit energumenum à suo obitu liberandum,

10 Cœpit etiam vir Domini spiritu prophetiæ pollere, ventura cognoscere, & cognita, ut rerum poscebat utilitas, nuntiare. Quidam namque de vicinioribus locis quemdam ad eum energumenum vinctum ferro duxerunt, suppliciter deprecantes, ut ei manus imponeret, atque immundum ab eo spiritum fugaret. Quibus vir venerabilis respondit, dicens: Hic non me vivente, sed moriente sanabitur. Quod profecto ita impletum testati sunt, qui noverunt. Nam ubi Pater sanctus obiit, ab eodem obsesso, ad sepulcrum ejusdem delato, immundum spiritum ejecit: quod ab omnipotente Deo dispositum, ut obsessum longiori pœna purgaret, & ut in ejus salute, qualis fuerat servi sui vita claresceret. Vir quoque duplici fulgore miraculi decorus apparuit: quia & futura prædixit, & curationem quam promisit, exercuit.

F

& in suo monasterio multos monachos colligendos:

11 Venerando etiam viro Leoni discipulo suo atque aliis condiscipulis præceperat, ut post ejusdem mortem in eodem monasterio plus quam duodecim fratres simul esse numquam debuissent: ne si numerum prædictum excederent, sustentari de rebus monasterii nequaquam possent: nam facultates ejusdem monasterii tunc tantis solummodo fratribus vix sufficere videbantur. Sed cum jam fere de hoc seculo esset profecturus ad Dominum, eisdem discipulis vocatis ad se ait: Ego quod de numero Fratrum constitui, secundum hominem dixi: nam (quod mihi Dominus revelare dignatus est) in hoc monasterio innumerabilis multitudo ad ejusdem servitium colligenda est. Qua de re & futura Fratrum receptio non ex præsenti inopia, sed ex copia futura pensanda est: quia ille, qui eos ad regnum suum congregat, temporales etiam sumptus largiter ministrat. Hoc autem vir Dei

A Dei voce protulit, nos stupemus in opere: quia omnipotens Dominus in eodem monasterio & multos constituit, & semper largiter procuravit.

12 Eis quoque discipulis dum læta futura protulit, quæ etiam eos manerent adversa nuntiavit. Post obitum meum, inquit, quidam in hoc ovile Dominicum lupus ingredietur, pacem communem turbare nitetur: sed turbari refugite, quia citius extinguetur. Quod profecto ita factum, antiqui monasterii senes referre soliti sunt. Nam quidam turbine secularium fultus, postquam vir sanctus obiit, monasterium irrupit, ejusdem successorem expulit: sed pastoralem locum, quem impune sibi usurpare se credidit, divina ultione percussus, ei quem expulerat, liberum cito dereliquit.

& à suo obitum pacem monasterii turbandam, sed cito restituendam.

13 Hæc ad nos de tanti Patris vita atque miraculis pervenerunt; non quod ista sola fuerint, sed quia Sanctus plura exercuit, quæ humiliter occultavit. Sancti etenim viri, cum magna faciunt, inquantum possunt, latere cupiunt: quia in cælo, non in terra honorari concupiscunt. Sic fortasse vir sanctus & ista occultaret, si talia essent, quæ latere qualitercumque potuissent. Nam quod de excelsæ rupis vertice cadens, lædi non potuit; quod viventem sociis reddidit, quem sepeliendum recepit; quod eo benedicente numerus ovorum crevit; rerum quidem immensitas erat, quę occultari non poterat. Et fortasse energumenum curare ideo vivens noluit, ut tunc magnus in ejusdem curatione clarescceret, cum illic jam receptus esset, ubi favor ei minuere operis meritum nequaquam posset.

occultat suas virtutes.

B

ANNOTATA.

a Oriundus *traditur in Chronico Cavensi*, ex spectabili Pappacarbonum familia, quæ à Longobardorum Principum sanguine trahebat originem.

b Gisulpho *primo, Principi decimo ex Longobardis, qui ab anno 933 ad annum usque 983 varia fortuna Principatum gessit.*

c *Meminit Venerabilis Petrus Abbas Cluniacensis* Abbatis S. Michaëlis in Clusa, *qui cum aliis Episcopis & Abbatibus Galliæ è Concilio (& forsan Lateranensi anno 1139 habito) reversus ab adversariis carceri inclusus est. Ita Petrus lib. 1. ep. 29 ad Innocentium 2 Papam.*

d S. Odilo *creatus Abbas Cluniacensis an.* 994, *mortuus an.* 1049 *Kalendis Ianuarii, quo die Acta ejus edidimus. Verum cum hæc cum Chronico Cavensi, in quo traditur monasterium Cavense anno* 980 *constructum, non cohæreant, forsan loco Odilonis substituendus est decessor ejus* S. Majolus; *mortuus dicto anno* 994 *die* XI *Maij. In Chronico Cavensi indicatur monachatus ejus apud Cluniacenses, sed nomen Abbatis reticetur.*

C

e Procul à civitate Salerni, quinto fere milliario. *Ita Chronicon Cavense.*

f *Idem Chronicon*, Metelliani Cavam appellatam ait, ob adiacentem immanem cryptam, quam veteres Arsitiam appellarunt: ipsamque valleculam limpidus fluvius irrigat, Selanus nomine: qui suavi eam murmure interpellans, sacrique Cavensis cœnobii, quod intra sinum ipsius valleculæ, & sub ipsa ferme crypta situm est, sacra vestigia lambens, in proximum mare dilabitur.

g *Testatur id ipse de se Desiderius lib. 3 Dialogorum pag* 155. Alferius, *inquit*, extitit Abbas monasterii S. Trinitatis, ab ipso ædificati in latere montis qui inter Salernitanam & Amalphitanam civitates præeminet mari: cujus religiosam ac Deo amabilem vitam & ipse ex parte vidi, qui apud eum aliquantulum familiariter mansi, & aliis referentibus audivi.

h *Desiderius loco citato*, Miraculum, *inquit*, quod Divina virtus in eo operari dignata est, quodque à quampluribus didici, æquum est silentio non transire. *Dein late ipsum hoc miraculum describitur.*

i *Desiderius* equum *fuisse tradit.*

AUCT. AB. VENUSINO EX MS.

k *Idem*, quod tanta altitudine mari superiacet, ut quinquaginta & eo amplius passus in altum prætendi videatur.

l *Idem addit.* Cumque illi obstupefacti, qualiter res evenisset, omnino nequirent perpendere, cœperunt Deo gratias agere, vocesque quasi tumultuantes in altum levare. Sed ab illo repente compressi, præceptum audiunt: Si meis, inquit, benedictionibus frui vultis, nulli quamdiu vixero, quæ ex me vidistis, dicatis.

m *De hoc miraculo ista solum habet Desiderius:* Dicitur etiam de illo, quod mortuum suscitaverit: quod videlicet illis, qui eum noverunt, ejusque vitam ad liquidum noverunt, incredibile minus videtur.

n *Hæc eadem* ex ore S. Leonis *successoris testatur Desiderius se scribere.*

o *Dictus* S. Leo, *ut scribit Desiderius.*

CAPUT II.

Eximiæ S. Alferii virtutes. Obitus absque morbo ante prædictus: miracula eum secuta.

E

Ceterum in quo latere potuit, ad futurorum notitiam non pervenit. Nam quo abstinentiæ rigore corpus attriverit, quibus vigiliis mentem extenuaverit, quibus lacrymis quotidie cælestia flagitaverit, quam fortis fuerit in adversis, quam mitis in prosperis, quo vigore mundum despexerit, ad regnum cæleste quo desideriorum fervore flagraverit; horum & his similium magnitudinis ejusdem mensura, ad aliorum notitiam non pervenit. Sed si modum vitæ & continentię ejusdem scire non possumus, colligere ex ostensis evidentibus miraculis ejusdem possumus, quia in usu quotidianæ conversationis sibi valde improbus & austerus fuit. Nam pondus carnis quis in illo tanto præcipitio illæsum servaret, si quotidianis ferventibus atque igneis desideriis se non quotidie in cælestis vitæ amore suspenderet? & volare, ut ita dicam, desideriis totus igneus quando posset, si non carnis gravedinem per vim magnæ abstinentiæ leviaret? Rerum numerum quomodo augeret, si sibi ipse rerum usus non potenter subtraheret? Postremo de expulsione dæmonum ab ipsa veritate dicitur, Hoc genus dæmonum non ejicitur, nisi in oratione & jejunio: liquet ergo, qua jejuniorum se austeritate contriverit, qua orationum instantia Deo importunus fuerit, qui quando vellet, ejicere dæmonia potestatem accepit. Item si vigiliarum, orationum, lectionum & spiritualium meditationum instantia, cordis puritatem consequimur; vir Domini, qui non solum præsentia sed etiam futura noverat, horum donorum omnium mensuram non solum bonam, confertam & coagitatam, sed & supereffluentem habebat.

Deditus continentiæ & abstinentiæ.

Mar. 9, 28. orationi jejunio, & puritati cordis.

F

15 Sed quid in præscientia rerum tantum puritatem cordis ejusdem asserimus, qui ab his, à quibus optime notus est, tantus asseritur, ut ipsum etiam humani generis Redemptorem, in carne adhuc positus, videre mereretur? Dicunt enim, quod ante sextum sui exitus diem ei Dominus Iesus Christus apparuit, eique dixit: Die cœnæ meæ venies ad me. Tunc Pater venerandus quanta lætitia & gaudio exultaverit, quibus desideriis diem tantæ promissionis expectaverit, cogitando colligat qui potest, quia dici non prævalet. Quo nimirum die veniente implevisse fertur omnia, quæ ad tantæ solennitatis ministerium debebantur. Nam Missarum solennia celebravit, Fratrum pedes abluit, pauperibus donativa distribuit, & constituto discipulis Patre, Leone videlicet venerabili viro, cujus superius mentionem feci, solam diei cœnâ præteriit, cui suæ visionis epulas Redemptor

Christo apparente discit diem obitus.

S. Leonem sibi designat successorem.

AUCT. AB. VENUSINO EX MS.

ptor promisit: vel fortassis idcirco jejunus voluit de hoc mundo transire, ut regulari mandato se & moriendo subjiceret. Quia enim directi in via de monasterio Fratres, jejuni redire præcipiuntur; qui inclinato jam diei vespere jejunus ad Dominum transiit, ab istius vitæ decursu ad domum cælestem, quasi de via ad cellam venit.

16 Tunc quidem Fratribus cum statuto eis Patre ad refectorium dimissis, cellulam speluncæ, in qua manere consueverat, intravit; se in orationem dedit, atque inter orationum verba in Redemptoris manus ultimum *a* spiritum tradidit. Dubium quippe non est, quod ad eum deducendum accesserit, qui ante sextum diem hunc invitare dignatus est. Quando enim illi beatæ animæ egredienti deesset, qui nuntius paulo ante fuerat, ut exiret? Obiit autem vir vitæ valde venerabilis senex, & plenus dierum, cum fere centum viginti esset annorum. Quod autem omnibus mirabile est, ita sanus & fortis usque ad extremam horam mortis extitit, ut nec præ tam decrepita ætate caligaret, nec aliqua debilitate deficeret. Nam usque ad extremum vitæ suæ tempus clarissime & legit & scripsit: Missas celebravit, & omne pastoralis sui ordinis ministerium valenter exhibuit: sicque, ut videre est, tam vivendo quam moriendo humanæ naturæ molestias vicit: senescens utique, vigoris sui defectum nesciens; moriens, mortis ægritudinem non incurrens.

a feliciter obiit anno ætatis 120, oculis necdum caligans

B

17 His ergo tantis donatus meritis, talis aspicitur, ut illud ei, quod de dilecto Ioanne ab eodem Redemptore nostro dicitur, quomodolibet competere videatur: Sic eum, inquit, volo manere, donec veniam. Revera talis erat, ut haberet unde mercedis summæ bona reciperet, sed quod corrigendum esset, non haberet. Habuit siquidem, quod ad æternitatem staret: sed non habuit, quod cum humani lapsus fragilitate deficeret. Sic ergo eum Dominus manere voluit, donec venit: quia nimirum à suæ inceptionis initio talis fuit, qui egressionis suæ tempore ipsius Redemptoris præsentiam meruit. Cum autem Fratres à refectione surgerent, cellulam ejusdem intrantes, defunctum invenerunt; ita membris dispositum, ut orans, non mortuus credi posset, nisi tactus quid de eo jam factum esset indicaret. Tunc quis mœror & luctus fuerit simul omnium, quis & quantus dolor & tristitia singulorum, dici lingua nequaquam potest. Pater quidem sanctus absentes discipulos habere moriens voluit, ut eis mœrorem suæ mortis auferre debuisset. Verum unde eis mitigare dolorem credidit, duplicavit: mœrentibus siquidem omnibus, non solum quia tantus Pater obiit, sed etjam quia præsentes quos nutrierat habere recusavit. Sed fortasse eorum strepitus rectius vitasse cognoscitur, ut secretæ orationis quiete, venientis Iesu majestate liberius frueretur. Tollentes autem discipuli corpus ejus, in eodem spelæo circa oratorium, quod idem vir Dei construxerat, condiderunt.

& Senio nihil debilitatus

Ioan. 21, 21

Fratres ob ejus obitum dolent plurimum.

C

18 Hæc autem de vita & obitu viri valde venerabilis Alferii Abbatis, tam de scriptis Desiderii Abbatis montis Casinensis, quam de assertionibus senum monasterii in parvum libellum contulimus. Nunc ad ea, quæ post ejusdem obitum in eodem monasterio sunt gesta, veniamus. Supra retulisse me memini, quia dæmoniacus ad sepulcrum ejus delatus, ut venit, à maligno spiritu liberatus est: quem optimum pictorem fuisse asserunt, & ne tantis beneficiis ingratus existeret, ecclesiam sanctæ Trinitatis, quam suffraganeam vocant, in signum liberationis suæ propriis manibus depinxit.

Pictor energumenus liberatur.

19 Quidam præterea frater erat in monasterio, Nicolaus nomine, vir quidem valde religiosus, sed tamen malignis adhuc antiqui hostis bellis expositus: nam quoties communicare disponebat, illud ei diabolica illusione contingebat, quod qui patiuntur, ad sacramenta Dominica accedere non præsumunt: multis quoque jejuniis & orationibus, fletibus quoque & confessionibus probationis suæ causas abscindere tentabat, & tamen liberari non poterat. Tandem salubri reperto consilio, ad tumulum sancti viri sibi orandi consuetudinem fecit. Quadam vero die, dum illic tristis oraret, atque à Domino carnis suæ munditiam solitis mœroribus peteret, ut solet mœrentibus accidere, præ tristitia obdormivit. Cui in venerando habitu Pater idem sanctus apparuit, & ab eo causas tanti doloris inquisivit. Cumque ille quid pateretur exponeret, fons vivus ante ejusdem oratorii altare visus est surgere: in quo eum senex venerandus deposuit, lavit, & dixit ei: Vade, quia amodo jam mundus eris: quod & ita factum est: nam ex illo jam die immundi spiritus solita impedimenta non pertulit.

D

Monachus ab illusionibus dæmonis mundatur.

20 Anniversaria depositionis ejus solennitas in monasterio agebatur, cum vir vitæ valde venerabilis Abbas *b* Petrus, de fratrum refectione solicitus, per omnia fere maris littora regioni proxima pisces quæsivit, & invenire non potuit. Reversi itaque sunt, qui missi fuerant, ab omnibus illis maritimis, nusquam pisces invenire se potuisse referentes. Tunc admodum contristari vir valde venerabilis cœpit, quia diem prædecessoris sui qua cupierat caritate prosequi non valebat. Sed quod defuerat in angustia temporis posito, ei cui jam Deus erat omnia in omnibus, deesse non potuit. Die etenim illa Fratrum cœnam Pater sanctus Alferius affluentem paravit. Egressus siquidem Petrus venerabilis Abbas de Capitulo, ante claustri januam cophinum plenum magnis piscibus vidit: quem cum instanter quis deposuisset inquireret, & invenire portitorem illius nullum potuisset, miraculo quo se vir sanctus ostenderat, stupuit, & piscationem illam Patris Alferii fuisse cognovit.

b pro annua ejus solennitate pisces ultro adferuntur.

E

21 Et ut jam temporum nostrorum ad acta veniamus, Lucas monachus adhuc superest, qui nobis in monasterio referre solitus erat, quia quodam die minutus, ex more monasterii extra chorum residendi licentiam habuit. Ibi itaque sedens, cum non his, quæ in choro canebantur, intenderet, sed oppressus somno graviter dormiret; senex quidam, veneranda canicie fulgidus, hunc per ora cucullæ tenuit, & violenter trahere ad chorum cœpit. Tunc motus Lucas monachus, cum quis esset, qui trahere monachos violenter auderet, inquireret; audivit, quia Abbas Alferius esset, cui omnia tamquam in proprio monasterio licerent. Cumque ille trahendo festinaret, hic autem tardius sequeretur; quod ante altare ejusdem suffraganeæ ecclesiæ veniret, ei visum est. Evigilans autem, illic se invenit, ubi se attrahi per somnium viderat: vestimenta etiam, quæ homo Dei tenuit, exuta jam, & super humerum sibi posita reperit. Quod vir sanctus fecisse cognoscitur, ut loco illi, quem incolit, se præsentem ostenderet, & negligentium torporem ad divinæ laudis studium excitaret.

monachus socors corrigitur.

F

22 Neque illud silendum puto, quod candela vitrea, quæ super beati viri tumulum lucere consueverat, plerumque lapsa, in ejusdem tumuli saxa venit, & non solum frangi non potuit, sed quandoque, ut erat, plena permansit.

Lampas vitrea lapsu non frangitur:

23 Cossus etiam monachus de semetipso referre solitus est, quia discursione mali humoris maxilla ejusdem vehementer intumuit, & intolerabili dolore dentium cœpit cruciari. Sed cum quotidie languor ingravesceret, & arte medicorum sentire remedia nulla potuisset, ante sepulcrum sancti viri se pro-

dentium dolor collitur:

A projecit in oratione. Quo cum prostratus levamen tanti doloris devotis precibus impetrasset, ab oratione surrexit, & statim cutis gingivæ dolentis crepuit; atque per illius vulnus crepidinis emissa putredine, & faciei tumorem perdidit, & dentium dolorem.

24 Adest etiam Petrus de Guardia monachus; qui efficaci assertione, quod in se etiam gestum est, testari solet. Ea namque pestilentia, quæ ante annos fere viginti in illis partibus vehementer populum vastavit, præfatus monachus magnis febribus tentus est: cumque ardor nimius febrium vires ejus excederet, hora accessionis c ad tumulum jam sæpe memorati Patris confugit, firmiter credens, quod tanto Patri commendatum febris invadere nequaquam posset. In quo nimirum tutelæ & confugii sui loco fructum fidei suæ ita consecutus est, ut ardentissima febris eum relinqueret, nec ultra sancto viro commendatum fatigare potuisset.

pestilens febris curatur. c

AUCTORE ABBATE CANUSINO EX MS.

ANNOTATA

a *In Chronico Cavensi annus indicatur* 1050, *& recte: nam tum Cyclo Lunæ* 6, *Solis* 23, *littera Dominicali G, Pascha incidit in diem* 15 *Aprilis*, *& Feria quinta Cœna Dominica in* 12 *Aprilis.*

b *Hic est supra memoratus S. Petrus* 3 *Abbas*, *& S. Alferii ex fratre nepos.*

c *Surius*, Accensionis.

DE B. PETRO EREMITA
Ord. Vallumbr. in Monte-plano Diœcesis Pistoriensis,

D. P.

ANNO MXCVIII



1 IN iis qua Pistoriensem diœcesim ab agro Bononiensi dividunt Alpibus, Abbatia vallumbrosani Ordinis est, S. Maria Montis-plani dicta; distans ab oppido Vernii duo passuum millia, à Pistorio autem, cujus Episcopo locus in sacris subest, decem millia versus septentrionem. Hac suam originem debet Petro cuidam, ejusdem Ordinis Regulam professo, hac occasione quam narrat Eudoxius Locatellus, libro 2. cap. 13 historiam Generalium S. Ioannem Gualbertum secutorum prosequens; Vitæ secretioris studio ductus Petrus; cum bona suorum Superiorum venia in Verniensis territorii silvas secedens, tuguriolum sibi ædificaverat: quo cum aliquando ejusdem loci Dominos, venationi intentos, & per errorem longius abductos à suo comitatu, casus quidam aut potius Divina providentia adduxisset; interrogantibus num quid haberet recreando corpori famelico ac sitibundo necessarium, prompta quidē voluntate, quod habebat in usu quotidiano; panes ac fructus silvestres obtulit; aquam autem puram de fonte sumens, Deoq; fidens, eamdem signavit Cruce, atq; in vinum exquisitissimū convertit. Moti prodigio, & ingenti erga Sanctum virum devotione accensi illi, optionē ei dedere fundi quemcumque voluisset, pro exstruendo in honorem S. Mariæ Virginis monasterio: quod dum adducti ad opus fabri moliri cœperunt, istic ubi Sanctus designarat: sed quantum illi die fecerant operis, tantum noctu dissolutum esse postridie admirantes, ac Dei viro referentes, cœpere cum eo circuire silvam. Deum ac Virginem beatam orantes, ut quem alium ipsi elegissent locum dignarentur ostendere, Id dum faciunt incidere in assulas lignorum lapidumve, quibus inscriptum litteris aureis esset, AVE MARIA:

B

In eremo à Vernii Dominis inventus Petrus

aquam in vinum vertit,

quorum voluntate c. ædificatur ecclesia C

2 Hactenus Locatellus: Tiberius Petraccius, haud semel alias nobis cum laude memoratus, Ordinis Vallumbrosani concionator ac scriptor insignis, in epistola desuper data anno MDCLXX, IX kal Iunij, ex populari traditione adjungit, visum esse beato viro nomen Mariæ, non aureis, ut Locatellus scribit; litteris inscriptum assulis lapidumve fragmentis, sed super ipsis componi per columbas, frumenti grana rostris congerentes, & in sacri nominis formam disponentes. Vt ut sit: intellexit vir sanctus divinam voluntatem esse ut ibi extrueretur ecclesia Deiparæ consecranda, quod & factum est; mortuoque deinde Petro, atque ibidem juxta altare sepulto, nux quædam, ut scribit idem Petraccius, ecclesiæ propior cœpit fructus producere, quorum nuclei columbæ haberent similitudinem; eaque subinde successu temporis arescente, successit vicina alia in miraculi vicem: & arboribus sic quater usque in hanc tempestatem mutatis, perseverat ibidem in nucleis forma columbina. Cujusmodi nucem, inquit ille, etiam hodie penes me servo, ad fidem ostentationemque prodigii, & credo eam esse signum purissimæ virginitatis, quam vir iste pius omni vita sua coluit;

In loco tali ... designato,

& miraculosa nux cum forma ... dare,

3 Durat ibidem illius veneratio, potissimum in festo Assumptæ Virginis, ecclesiæ titulari; quando sacra ejus lipsana accurrenti catervatim populo exponi solent adoranda. Alias in perantiquo Vallumbrosanæ Religionis kalendario ac in vetusta Beatorum Ordinis tabula hæc leguntur. Pridie Idus Aprilis, Depositio B. Petri Monachi & eremitæ, olim Abbatis monasterii S. Vigilii de Brixia: qui adeo justus & rectus fuit ac timens Deum, ut propria voluntate Abbatiam refutaverit, & ad eremum perrexerit: tantæque extitit sanctitatis, ut solum oratione aquam, exemplo Domini, in vinum converterit. Obiit anno MXCVIII Quæ iisdem exarata verbis inveniuntur in Manuscriptis S. Praxedis de urbe ante annos quadringentos ac quinquaginta exaratis: sed Junio mense. Hoc forsitan mense, anno MCCCL præsentibus Reverendissimis Episcopis Bononiensi ac Pistoriensi (hic Andreas de Centoriis, iste Beltramus Paravicinus juxta Catalogos Vghelli fuisset) & Anastasio quodam S. R. E. Cardinali monacho Vallumbrosano (cujus hic prima occurrit mentio nec alibi uspiam) tum forte pro negotiis Pontificis Avenione degentis in Lombardia Hetruriaque versantibus; corā his, inquam, Iunio mense forsitan, facta est translatio sacri corporis B. Petri de sepulcro ad altare, sub quo deinceps usque ad annum MDCLXVIII requievit. Hujus namque trāslationis tunc factæ testimonium præbet manuscriptum membranaceum Abbatiæ Montis-plani, temporis vetustate pene consumptum, & à tribus Notariis Imperialibus subscriptum; in quo etiam mentio fit multarum gratiarum, præsertim super varios infirmos, quas Domino placuit conferre meritis B. Petri.

ubi Petrus colitur, E

kalendariis ordinis inscriptus 12 Aprilis.

ac Iunij,

anno 1350 sub altari locatus,

non sine miraculis; F

4 Ita Petraccius prælaudatus, à quo si scripturā illius veteris copiam nanciscamur; eam non gravabimur adjungere ad hujus tomi calcem: Interim (ut quæ de ipso sunt cetera prosequamur) suggerit idem, quod celebris etiam hac nostra etate præfati Sancti memoria sit, maxime ex quo anno LXVIII præmemorato, à nobilissimis Comitibus Vernii, qui de perantiqua Bardorum progenie Florentina manarunt, instante Illustrissimo ac Reverendissimo Vincentio Bardi, ex iisdem Comitibus Vernii Archidiacono Metropolitanæ ac Vicario Generali Florentinæ diœcesis, illiusque Abbatiæ Commendatario, corpus B. Petri collocatum fuit in arca inaurata, super altare primarium ecclesiæ, illuc solenni pompa ac maximo populorum concursu translatum ab alio laterali, sub quo eatenus jacuerat. Nomen ejus Gabriel Bucelinus ad hunc diem retulit in suum Menologium Benedictinum, cum vita expositione longiori ex Locatello accepta.

& anno 1668 in novam arcam translatus.

XIII APRILIS
SANCTI QVI IDIBVS COLVNTVR.



Anctus Iustinus, Philosophus Martyr.

S. Carpus Ep. Thyatirens., S. Papylus Diaconus, S. Agathonica soror, S. Agathodorus famulus, S. Martialis, S. Isaacus, & alii XLIV aut plures. — Martyres Pergami in Asia.

S. Maximus Lector, S. Quintilianus, S. Dada, — Martyres, Dorostori in Mysia inferiore, seu Bulgaria.

S. Euphemia, S. Eucapia, S. Secutor, — Martyres Chalcedone in Bithynia.

S. Ianuarius, S. Paulus, S. Carulus, S. Arobus, S. Bassa, S. Carita, S. Agathonia, S. Decimus, S. Calepodius, S. Leonitides, — Martyres.

S. Celerinus, S. Laurentius, S. Ignatius, S. Magnus, S. Milianus, — Martyres.

S. Eleutherius, S. Theodosius, S. Zoilus, — Martyres, sub Sapore Rege.

S. Vrsus, Episc. Ravennæ in Italia.

S. Martius Abbas, apud Arvernos in Gallia.

S. Romanus, Episc. Metensis, in Gallia.

S. HERMENEGILDUS, Rex & Martyr in Hispania.

S. Guinochus, Episcopus in Scotia.

B. Ida Vidua, Comitissa Boloniensis, in Gallo-Belgica.

S. Caradocus Presbyter, eremita in Wallia Australi.

B. Iacobus de Certaldo, instituti Camaldulensis, Volaterris in Hetruria.

Venerabilis Virgo Ida de Lovanio, Sanctimonialis Ordinis Cisterciensis, in Valle-Rosarum in Brabantia.

B. Margarita Virgo, tertii Ordinis S. Dominici, Tiferni seu Civitate Castelli in Vmbria.

PRÆTERMISSI ET IN ALIOS DIES REIECTI.



Ancti Anteri, Papæ Romani, memoria *celebratur in Martyrologio MS. Arabico-Ægyptiaco à Gratia Simonio maronita Latine nobis reddito. De eo egimus* III Januarii.

S. Atticus, Episcopus Constantinopolitanus, vir magnæ eruditionis & sanctitatis, *memoratur in Martyrologio Witfordi, Anglice olim edito. Vitam ejus dedimus* VIII Januarii.

S. Palæmon eremita & Confessor, Magister S. Pachomii, *indicatur in Additionibus scriptis ad Grevenum: de eo egimus* XI Januarii.

S. Lazarus, Episcopus Mediolanensis, *traditur à Iosepho Ripamontio lib. 6. Histor. Mediolan. obiisse Idibus Aprilis: qui ab aliis mortuus dicitur pridie Idus Martii: colitur autem, quo die de eo egimus,* XI Februarii.

B. Petri Damiani, Episcopi Ostiensis, Translatio hoc die facta est anno 1354. *uti § 6 ante ejus Vitam diximus,* XXIII Februarii.

S. Hunfridi Episcopi Translatio corporis Teroanæ, sub altari S. Mariæ, facta à Joanne Episcopo anno 1008. *Ita MS. Martyrologium Adonis ad usum Ecclesiæ Merinensis auctũ. Acta S. Hunfridi dedimus* VIII Martii.

S. Theodosia, S. Basilius, S. Gerontius, — Martyres, *relati in MS. Menæis Mediolanensibus bibliothecæ Ambrosianæ, & in duplici codice Taurinensi Ducis Sabaudiæ, atque in triplici Parisiensi scilicet Mazeriniano, Combefisiano, & Claromontano. Prior videtur esse* S. Theodosius, *qui hoc die colitur: de aliis duobus (sed prior* Basilides *appellatur) egimus* I Aprilis.

Hilarius, monachus Bonæ-vallis, Ordinis Cisterciensis, *cum titulo* Beati *memoratur in Menologio Henriquez, Bucelini & Chalemoti. De eo, sed tacito nomine, in Vita S. Hugonis Abbatis Bonæ-vallis (sub quo vixit, & cui à morte in gloria apparuit) agitur* I Aprilis.

S. Franciscus de Paula *hoc die refertur in Martyrologii Gallicani supplemento, quod* sacratissimum ejus corpus per Calvinianos perduelles hæreticos, Cæsaroduni Turonum in Plessiaco Cœnobio, fuerit crematum. *De hac crematione egimus ad ejus Vitam* II Aprilis.

S. Eusebius, Martyr sub Juliano, Cæsareæ in Cappadocia, *inscriptus Catalogo generali Ferrarii, qui in Notis citat* Menologium Græcum, quod in Vaticana bibliotheca asservatur, prout Reverendissimus D. Franciscus Pegna Rotæ Romanæ ei ostendit. *Fatemur nos illud Menologium non vidisse in dicta bibliotheca, nec proinde posse de dicto Sancto proferre judicium. In silentio tot Menologiorum & Synaxariorum quæ nos vidimus, incidit cogitare, quod cujus nomen legisse se putavit Ferrarius, erit forsan* S. Eupsychius, *celebris* Martyr, sub Juliano, Cæsareæ in Cappadocia *passus, cujus Acta*

Acta martyrii illustravimus ix Aprilis.

A S. Godeberta Virgo *refertur in MS. Martyrologio Carthusiæ Vltrajectinæ item in MS. Florario, & in Auctario Greveni ad Vsuardum, Vitam ejus dedimus* xi Aprilis.

S. Basilius Confessor, Episcopus Parii in Mysia, *cum illustri elogio memoratur in Menologio Basilii Imperatoris. De eo egimus* xii Aprilis.

S. Julius Papa, S. Zeno Episcopus } *memorantur in MS. Martyrologio Romano Ecclesiæ S. Petri. De utroque egimus* xii Aprilis.

Elias, Abbas Coloniæ, in monasterio S. Pantaleonis, *memoratur in Menologio Scotico Camerarii. De eo inter Prætermissos egimus* xii Aprilis.

S. Idedeandus, S. Wlfores, S. Waldus, S. Marcellus, } Fratres gemini Confessores *memorantur in Additionibus Carthusiæ Bruxellensis ad Grevenum: hactenus nobis ignoti.*

Haduardus secundus, Episcopus Ecclesiæ Mindensis in Westphalia, sanctitate & religione præcipuus, Idibus Aprilis transivit ad Dominum. *Ita Krantzius lib. 1 Metropolis cap. 23. Inscriptus est Catalogo generali Ferrarii, cum titulo* Sancti. *Gelenius in Fastis Agrippinensibus* Beatum *appellat: sed non apposito signo, quo vult ejus venerationem signari. Nulla ejus mentio in Breviario Mindensi, quod habemus anno 1515 excusum.*

B Fulberti, Abbatis Tuitiensis, *è regione Coloniæ*, beatus transitus, *notatur à Theodoro Rhay inter Illustres animas Iuliæ Cliviæ &c. An ut sanctus? haud vanam certe commendationem à sanctimonia meretur, sed quod ea usque ad cultum sacrum processerit necdum comperimus.*

Gilduinus, Abbas primus S. Victoris in suburbiis Parisiensibus, *hoc die mortuus cum titulo* Beati *refertur in Catalogo Ferrarii; sed in supplemento Martyrol. Gallicani solum dicitur* piæ memoriæ Abbas.

Nicolaus, sanctæ memoriæ Confessor, in Nussia quiescens, *memoratur à Greveno in Auctario Vsuardi & Canisio in Martyrol. Germanico. In MS. Florario Sanctorum ista habentur.* In Nutia depositio Nicolai Confessoris, Ordinis Minorum MCCLXXX. *Arturus du Monstier in Martyrologio Franciscano, eum more suo cum titulo* Beati *recenset, Ab eo titulo abstinet, qui ultimo scripsit Franciscus Haroldus, in Epitome Annalium Ordinis Minorum ad annum 1310 num. 7 ubi eum tradit* sanctimonia vitæ conspicuum, mortuum Idibus Aprilis, multis claruisse miraculis. *Gelenius in Fastis Coloniensibus* venerabilem monachum *appellat.*

C Ludovicus Ballejus, Ludovicus Panetius } Ordinis Minorum, ab Hugonottis occisi, Beati Martyres *appellantur in jam dicto Martyrologio Franciscano.*

Gundisalvus, Minister Generalis Ordinis Minorum, *cum titulo* Beati *inscriptus est eidem Martyrologio Arturi, abstinet ab eo titulo Haroldus ad annum 1313, ubi num. 1 obitum ejus refert.*

Catharina de Salazar Virgo Clarissa, Ordinis Minorum, in monasterio Conchensi mortua anno 1576, *memoratur ab eodem Arturo in Martyrologio, & in Gynæceo sacro, &* Beata *more solito appellatur.*

Eustachius Avril, Ordinis Minimorum ab hæreticis interemptus in Plessiaco cœnobio, *refertur inter Pios in Martyrologii Gallicani supplemento.*

Maximus Martyr *memoratur à Masino in Bononia perlustrata, occasione reliquiarum, quæ in Ecclesia S. Stephani adservantur. Colitur* S. Maximus *postridie* xiv Aprilis.

S. Crescens Martyr, Myræ in Lycia, *cum illustri elogio inscriptus est Menologio Basilii Imperatoris & MSS. Menæis Ambrosianis ac Taurinensibus: De eo agemus* xv Aprilis.

S. Engratia Virgo & Sociæ Martyres, in civitate Pacensi. *Ita Ferrarius in Catalogo generali, eique videtur aliis à Cæsaraugustana. Ferrarium sequitur Georgius Cardosus in Hagiologio Lusitano. Contra Rodericus d'Osma, in tractatu de excellentia Pacis-Augustæ, vulgo Badajoz, censet esse S. Engratiam Cæsaraugustanam. De qua agimus* xvi Aprilis. D

S. Marcellinus, Episcopus Ebreduni & Confessor, *memoratur à Galesinio & Ferrario. Ab aliis cum Martyrologio Romano* xx Aprilis.

S. Simeon Archiepiscopus in Perside, Abdela Presbyter, Gusthasa, Phasis & socii Martyres *referuntur hoc die in synaxariis MSS. variis Mediceo, Taurinensi, Mazariniano, alioque duplici Parisiensi, altero apud Combefisium servato, altero nobis commodato ex Bibliotheca Collegii nostri Claromontani. Agimus de illis cum Romano Martyrologio* xxi Aprilis.

Ethelredi Martyris natalis in Anglia, *memoratur in Additionibus Carthusiæ Bruxellensis ad Grevenum. Est is Rex Occidentalium Saxonum, relatus ab Anglis, ubi & nos inter Prætermissos,* xxiii Aprilis.

B. Liberalis Confessor, *inscriptus est Additionibus Carthusiæ Bruxellensis ad Grevenum. Videtur esse* Patronus Tarvisii, *ubi colitur* xxvii Aprilis.

S. Galterus, Abbas Stirpensis, in diœcesi Lemovicensi, eximiæ sanctitatis vir, *inscriptus est MS. Kalendario Ordinis S. Benedicti, apud Præmonstratenses Antverpiæ in cœnobio S. Michaëlis adservato. Ast in Chronico S. Maxentii, vulgo Maleacensi dicto, apud Philippum Labbe, & in Chronico Lemovicensi apud Sanmarthanos, dicitur* anno 1070, quinto Idus Maii *obiisse. Consentit Ioannes Collinus in Catalogo misso. At Saussajus refert ad tertium Idus Maii. Vitam ergo daturi sumus* xi aut xiii Maii. E

S. Elfleda Virgo, neptis Ethelstani regis Anglorum, Glastoniæ Solitaria, mortua anno 936, *refertur in utraque editione Martyrologii Anglicani, eoque allegato in Catalogo Generali Ferrarii, citatis Osberto in Vita S. Dunstani, & Matthæo Westmonasteriensi ad annum 929. Sed huic dicitur* nobilis matrona, marito mortuo vidualem ducere vitam exoptans: *ergo vidua non virgo compellanda. Sed quæ apud Osbertum refertur* Alsgina, *aliquibus* Alsgiva, *dicitur à* S. Dunstano pie ad mortem præparata, & mortua in Ecclesia B. Mariæ honorifice sepulta. *Sed esto eadem sit* Elfleda *&* Alsgiva, *unde scitur inter Sanctas relata, & hoc die coli? Nos donec certiora assequamur, eam seponimus, saltem dum ad Vitam S. Dunstani de ea agemus* xix Maii.

Joannes Cala, Anachoreta prope Castrum-villare, in Calabria, *in suo oratorio sepultus est an.* 1255 *Idibus Aprilis, à Fr. Martino Schever, in militia sæculari famulo, in anachoresi socio. Dicitur à multis vocari* Beatus, *& plurimis claruisse miraculis; quin etiam Hymnus cum oratione, velut de Sancto, habetur pag. 349 Historiæ Suevorum editæ, una cum vita dicti Ioannis, Neapoli an. 1660 à D. Carolo Cala, Dianii Duce & Marchione Ramontis, ac Villanovæ. Multo amplior distinctiorque confirmatio tam eximiæ sanctitatis quam venerationis antiquæ habetur in duobus ejusdem auctoris tomis, qui* de gestis Suevorum *impressi an. 1664 sed necdum vulgati sunt; dum res sub Romana curia judicio pendet: quod cum proxime expectetur, & tum demum renovanda sit, antiquata per non usum, sacrorum ossium veneratio, differimus de illo agere donec res decisa sit & dicti libri ad nos perlati, usque in diem quo sacrum corpus anno 1654 requisitum & inventum est* xxiii Maii. F

SS. Cantiani, Chrysogoni & Proti Martyrum, inventio Corporum, *officio duplici celebranda notatur in MS. Kalendario Aquileiensi. Ex his* SS. Cantianus & Protus *ejus pædagogus, coluntur* xxxi Maii, *at S. Crysogonus etiã Aquileiæ coronatus,* xxiv Novemb.

Altaris consecratio in monasterio S. Germani Parisiis, ad honorem SS. Trinitatis, vivificæ Crucis, Dei Genitricis Mariæ, & S. Wandregisili, *memoratur in primario MS. Vsuardi, quod in dicto monasterio asservatur: sed verbis ex margine in textum translatis. Posset ejus mentio*

A *mentio fieri ad Acta S. Wandregisili* XII Julii.

S. Quiriaci Martyris susceptio capitis, Aureliis, *memoratur à Saussajo in Martyrol. Gallicano: qui* XVII *Novemb. de sacris Reliquiis à Calvinistis combustis agens,* Episcopum Martyrem *appellat, uti & Carolus Saussayus lib.* 15 *Annalium Ecclesiæ Aurelianensis cap.* 13. *Ceterum quis hic sit* Quiriacus *non indicant. Forsan est* Ostiensis *qui colitur* XXIII Augusti.

S. Artemon Presbyter & Martyr, *Nicomediæ passus, proponitur in tabulis Kalendarii Moscovitici atque Ruthenici: à Græcis colitur pridie & rursum cum Romano Martyrologio* VIII Octobris.

Balduinus de Bocla, monachus Blandiniensis, qui eremiticam Vitam in Wasia ducens, per revelationem B. Mariæ cœpit ædificare monasterium de Bodelo; *cum titulo Beati refertur in Menologio Bucelini. Vitam ejus ex MS. edidit Antonius Sanderus in Hagiologio Flandriæ, in qua dicitur obiisse anno* MCC, *non addito die. Si de veneratione constaret, posset de eo agi cum Sandero* XVI Octobris. *aut cum Henriquez* XXV Septemb. B

S. Martinus, Papa Romanus, *magna cum solennitate celebratur à Græcis, memoratus primo loco in omnibus illorum fastis: ast Latini colunt* XII Novemb.

DE SANCTO IUSTINO,

PHILOSOPHO MARTYRE.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

§ I Cultus apud Latinos & Græcos. Mortis genus. Alter Justinus cum sociis ab hoc diversus.

D. P.

CIRCA AN. CLXX.

Laudatur ab Eusebio post SS. Carpum Sociosque,

EUsebius Pamphilus libri 4 *Hist. eccles. caput* 15 *finiens cum memoria Sanctorum Carpi, Papyli & Agathonici, velut circa idem tempus Pergami coronatorum, quo passus est S. Polycarpus Smyrnensis Episcopus; caput* 16 *exorditur his verbis:* Iisdem temporibus & Justinus.... cum alterum librum pro fidei nostræ defensione obtulisset, sacro martyrio coronatus est, fraude ac machinationibus Crescentis Philosophi. *Vsuardus, sicuti & Ado Viennensis, prædictos Martyres (in aliquo fortasis Hieronymiani Martyrologii apographo) inveniens* XIII *Aprilis commemoratos; & indignum censens tam illustrem fidei Christianæ propugnatorem Iustinum, subsequenter ab Eusebio laudatum, nuspiam in Latinis fastis laudari: ipsum iisdem inseruit ad eumdem diem, prædictorum Martyrum elogio hæc verba subtexens:* Cum quibus & vir admirabilis Justinus Philosophus, pro religione Catholica plurimum laborans scripto, remunerationem linguæ fidelis, martyrii munus accepit. *Vsuardum secuti sunt Bellinus de Padua, & Franciscus Maurolycus, ac denique in novissima Romani Martyrologii recognitione Cardinalis Baronius, adjectis nonnullis ex Eusebio verbis, & designatione loci, quem Vsuardus non videbatur diversum concepisse à Pergamo, quemque nos ignotum nobis esse fatemur.*

ab Vsuardo cum iisdem collocatur 13 Aprilis.

deinde ab aliis,

2 *Petrus Galesinius ejusdem S. Iustini prolixius elogium hoc modo contexuit:* Hoc ipso die S. Justini Martyris. Is primo Stoicæ, deinde Peripateticæ, tum Pythagoricæ, post Platonicæ disciplinæ addictus; demum, omni Philosophorum secta repudiata, divinitus factum est ut Christi Jesu fidem amplecteretur: cujus usque adeo acerrimus propugnator exstitit, ut ab ea defendenda nec minis nec suppliciis ullis, nec denique nece deterreri potuerit: quod satis declarant præclari de religionis Christianæ defensione libri ab eo conscripti. In omne autem hominum genus, qui ab Euangelii doctrina abhorrent, acerbum se præstitit, tum in Philosophos maxime, & in Crescentem imprimis Cynicum: cujus vitam & mores nefarios quoniam multis audientibus coarguerat, ex illius insidiis in Antoniana persecutione multa perpessus, demum pro Euangelicæ veritatis propugnatione, eximiam gloriæ æternæ coronam martyrio insigni consecutus est.

C

& à Galesinio cum elogio prolixiori.

3 *Græci in Menæis Synaxariisque excusis ac manu exaratis, & ex his Maximus Cytheræus ἐν Βίοις Ἁγίων de Iustino Philosopho hæc recitant:* Erat hic ex Flavia Syriæ, Prisci Bacchii filius. Profectus autem Romam, Imperatori Antonino contra idolorum errorem pro fide atque professione Christiana libellos obtulit; in quibus perspicuis demonstrationibus hanc quidem roboravit, illum vero subvertit. Invidia porro Crescentis Philosophi, multis prius toleratis tormentis, enecatur. Is vitæ puritate atque innocentia ad virtutis fastigium pervenit; omnique scientia tam divina quam humana plenus, libros sane doctissimos atque utilissimos cunctis fidelibus reliquit: qui eximiam lecturis cognitionem adferunt. *Hæc Græci ad primam diem Iunii. Genus autem mortis, præmisso de more disticho, sic explicant:*

à Græcis colitur

E

tamquam veneno extinctus,

Ἰουστῖνον κώνειον ἦρεν ἐκ βίου,
Ὡς εἶδε πρῶτον τοὺς πιεῖν δεδωκότας.

Cicuta morti sæva Justinum dedit,
Sed antea ipsos, ut solet, propinantes.

4 *Mortis pro fide obitæ dies videri posset in Ephemeride metrica notata hexametro, alludente ad venenatam potionem, quæ quia salutem & purgationem animæ Iustino attulit, censeri debeat pro hellebori haustu contra venenum efficacissimo fuisse: est autem hic versus,*

1 Iunii,

Πρώτῃ Ἰουνίου Ἰουστῖνον ἐλλεβορίζει.

Purgat Justinum Junî lux prima beatum.

Sed qui Ephimeridem prædictam consequenter legit, ut est in primo mensis hujus tomo itemque in primo Martii notata, evidenter cognoscet, solum diem cultus in genere notari, etiam tunc cum veluti de die natali verba sunt. Ergo nullam hinc habere possumus de die mortis certitudinem, & liber locus opinandi relinquitur, primam Iunii propterea S. Iustino asignatum fuisse, ab iis qui primi apud Græcos illum ecclesiastica memoria dignum judicarunt (uti erat revera dignissimus) propterea quod tali die apud se solenni Officio coleretur Iustinus alius, sub Rustico Præside Romæ passus cum sociis, cujus Acta apud Græcos extant, & apud Lipomanum ac Surium nunc habentur Latine, nec non ejusdem elogium in Menæis ac Synaxariis, ab illo quod S. Iustino Philosopho datur prorsus diversum.

occasione alterius Iustini,

F

5 *Diversum, inquam: sic enim & Græci sentiunt & Acta utriusque haud obscure demonstrant. Nam isti quidem eodem die diversam utriusque mortem diversis elogiis ac versibus celebrant, primum veneno, alterum gladio consummatum laudantes; & in Typico, una cum ceteris sacris libris Venetiis excuso, sive Ordine divini Officii celebrandi, expresse notant,* Εἰς τὴν α΄. Τοῦ ἁγίου Μάρτυρος Ἰουστίνου τοῦ Φιλοσόφου, καὶ ἑτέρου Μάρτυρος Ἰουστίνου, καὶ τῶν σὺν αὐτῷ. In diem primam sancti Martyris Justini Philosophi, & alterius Martyris Justini ac Sociorum ejus. *In Menæo autem MS. Chiffletiano, ex quo plurimi excusorum Menæorum defectus supplentur, invenimus senarios quatergeminos de altero isto Iustino ac sociis ejus, in excusis ante elogium desideratos; quorum senariorum hi primi sunt:*

ab hoc diversi & gladio cæsi.

Οὕτω

A Οὔπω τεμεῖν Ἰȣςὸν ἔφθη τὸ ξίφος
Καὶ τὴν κεφαλὴν ἦν κλίνων Ἰȣςῖνος
Necdum aderat ensis, demeret Justo ut caput;
Cervice quando flexa Justinus stetit.

atque ejusdem officio cum sociis honorati.

De Justo, septimo istius Iustini socio, quem sola Chiffletiana MSS. habent, quomodo ad ceteros accesserit, quæremus 1 Junii: satis est hic notasse, quam distincte genus mortis diversum exprimant præfixi elogio utriusque Senarii. Neque contra facit quod D. Hieronymus ista Eusebii verba de Crescente, ὃς Ἰȣςίνῳ τῷ καθ' ἡμᾶν θείῳ φιλοσόφῳ τὸν μαρτυρικὸν συνεσκεύασε θάνατον, *sic Latine reddiderit*, qui Justino, nostri dogmatis Philosopho, persecutionem suscitavit, in qua ille gloriose pro Christo sanguinem fudit. *Apparet enim laxiorem eam esse interpretationem; cum originalis textus* Martyricam *dumtaxat indicet* mortem, *id est, violentam pro fide: notum est autem violentam mortem passim cruentam vocari; & econtra, incruentam omnem ac solum eam, qua quis in pace vita defungitur naturaliter. Atque hoc modo intelligendus etiam Photius est, ubi Iustinum laudat, quod* Martyrii sanguine, Μαρτυρικοῖς αἵμασι, Philosophiam confirmavit.

6 *Ad Acta quod attinet, nulla Iustini Philosophi habemus, nisi qualia ex ipsiusmet scriptis atque Eusebio aliisque antiquis colligere licet; quæ aliud non suadent, quam post*

B *constantiam illius etiam tormentis tentatam, clam sublatum fuisse de medio; quod sane conveniens erat ad leniendam invidiam; ne tam clarum Philosophum, quique omnes Romanæ Urbis sapientes disputando convicerat, & fidei Christianæ causam coram ipsis Imperatoribus scripto defenderat, publico afficientes supplicio, ejus de se suisque superstitionibus victoriam facerent orbi universo notiorem. Tali autem mortis illata obscuritate factum putamus, ut nec dies notus fuerit, nec memoria ejus in fastos Martyrum antiquiores relata sit, nec corpus ad venerationem condi servarique potuerit. Alter Iustinus cum sociis, tam exigui temporis Romæ hospes fuit, ut ei præter hospitium suum nulla Romæ domus nota esset; Præfecto autem Rustico tam ignotus, ut ab eo requirendus fuerit* in cujusnam eruditionis ac disciplinarum genere versaretur. *Hic nullis tentatus tormentis, sed post interrogationem ejus ac sociorum, latamque in eosdem capitis sententiam, & post* verbera *de more inflicta*, securi percussi sunt, *& corpora à fidelibus sublata: quibus una cum ipsis interrogationis Actis in Græciam avectis, factum est ut Latinis ignoti manserint mortui, qui paucis cogniti fuerant vivi; apud Græcos autem celebrem obtinuerint cultum usque in diem hodiernum.*

Utriusque Acta diversissima sunt,

C 7 *Est autem satis admirabile, quod Card. Baronius ad an. 135 Acta ista suis intexens Annalibus, eademque in Notis ad Rom. Martyrol. laudans, ut* germana atque sincera nullisque paraphrasibus circumducta, sed prout descripta fuerunt ex Actis publici; *mirabile est, inquam, quod Baronius persuaderi potuerit, & aliis persuadere, Acta ista certo esse Iustini Philosophi, propter locum Epiphanii, ut ipse fateri cōpellitur, enormiter mendosum, quo asseritur sub Rustico præfecto passus Philosophus, sub quo plexum alterum habent Acta; & propter omnigenæ doctrinæ experientiam, qua etiam hic Iustinus imbutum se profitetur. Non est impossibile ac ne mirum quidem, si ejusdem nominis ac doctrinæ duo sub eodem Præside sustinuere Martyrium: cur igitur credamus Iustini Philosophi esse ea Acta, in quibus nihil legitur neque de libellis Imperatori oblatis, neque de disputationibus contra Philosophos, neque de Crescentis Cynici machinationibus. Sane hæc omnia, ut minime obscura erant, sed toti Urbi & maxime Christianis, per Iustinum triumphantibus, notissima; magis merebantur describi ab eo qui Acta collegit, quam sola interrogationum ac responsionum capita, si de tali tantoque viro, qualis Iustinus Philosophus erat, agebatur.*

minus est Philosopho fuisse attributa ea

quæ nihil ex præcipuis ejus laudibus continent.

§ II Epiphanius de Justino restitutus: Apologiæ Justini pro Christianis discretæ.

AUCTORE D. P.

8 E*piphanii locus, § superiori allegatus ex Panario hæresi 26 seu 46 contra Tatianos, in omnibus editionibus modo sic legitur,* Οὗτος ὁ Ἰȣςῖνος Σαμαρείτης ἦν τὸ γένος, εἰς Χριςὸν πεπιςευκὼς, καὶ μεγάλως ἐξασκηθεὶς, ἀρετῆς βίον ἐνδειξάμενος, τὸ τέλος ὑπὲρ Χριςȣ̃ μαρτυρήσας, τελείȣ ςεφάνȣ καταξιȣ̃ται, ἐπὶ τῶν Ῥωμαίων, ἐπὶ Ῥȣςικȣ̃ ἡγεμόνος καὶ Ἀδριανȣ̃ βασιλέως, ἐτῶν τριάκοντα ὑπάρχων, ἐν καθεςώσῃ ἡλικίᾳ. Qui Iustinus Samarites fuit genere, & Christi fidem amplexus, valdeque in ea exercitatus, post vitam ex virtute præclare actam, tandem in Romano territorio morte pro Christo affectus, perfecta corona dignatus est sub Rustico Præfecto & Adriano Imperatore; cum annorum esset triginta, in constanti ætate. *Atque hic, quotquot locum hunc tractant, Epiphanium miræ in scribendo negligentiæ arguunt, qui sub Adriano passum dixerit, quem sciebat Adriani successori Antonino, primum pro fide Christi libellum obtulisse, neque dubitare poterat ut minimum quinquaginta fuisse annorum cum mortem oppetiit, utpote qui laudetur tamquam Apostolorum temporibus proximus.*

Epiphanii de eodem locus mendosus,

E 9 *Sed longe illi fecissent consultius, si asseruissent librariorum consueta oscitantia primum transpositas fuisse lineas (hoc enim facillime accidit; atque jam olim factum, in omnia post scripta exempla manasse potuit) & sic corruptum esse locum istum; quem nobis haud incongrue videmur integritati ac veritati suæ hoc modo restituere posse.* Οὗτος ὁ Ἰȣςῖνος Σαμαρείτης ἦν τὸ γένος, ἐπὶ δὲ τῶν Ῥωμαίων ἡγεμονείας *(nam & Plutarchus* ἡγεμονείαν Consulatum *appellat, quem possim alii* ὑπατείαν) Ῥȣςικȣ̃ καὶ Ἀδριανȣ̃ βασιλέως, ἐτῶν τριάκοντα ὑπάρχων, ἐν καθεςώσῃ ἡλικίᾳ εἰς Χριςὸν πεπιςευκὼς &c. Qui Justinus Samarites fuit genere; sed sub Romano Consulatu Rustici & Adriani Imperatoris, *id est, anno vulgaris Æræ* CXIX, cum esset jam annorum triginta, in perfecta ætate *(juxta receptam inter auctores humanarum ætatum divisionem)* fidem Christi amplexus &c. *vel sic* ἐπὶ δὲ τῶν Ῥωμαίων ὑπατείας *(substituendo hanc vocem pro secundo* ἐπὶ *quod redundat)* Ῥȣςικȣ̃ ἤγε Ἰȣνίȣ καὶ Ἀδριανȣ̃ Consulibus Rustico sive Junio *(hoc enim prænomine dictus est* Q. Junius Rusticus) & Adriano &c.

si per linearum transpositionem corrigatur.

docet esse conversum an. æt. 30 Chr. 119.

10 *Alterutra autem correctione, & lineæ unius transpositione admissa, bellissime se habet totus locus, & Iustinus ante annum Christianæ Æræ* LXXXIX *natus, anno Antonini Pii* XIII *Christi* CL, *fuerit sexagenario major, quando in Chronico scripsisse Eusebius vulgo est creditus,* quod agnoscitur Crescens Cynicus, qui Justino, divino dogmatis nostri Philosopho, martyrii mortem præparavit, redargutus ab eo quod esset gulosus & impostor: *quod Georgius Syncellus sic transcripsit, quasi eo anno* Crescens Justino fuerit mortis auctor, *& ad eumdem locum Eusebii respiciens Glycas in Annal. parte 3 scripsit, quod* sub Pio vitam amisit Justinus Philosophus, ut doctrinæ Christianæ testimonio esset. *At si cum communiori, certiori & expressiori sententia Eusebii in historia, mortuum dicas sub Marco Aurelio Vero & Lucio Antonio Commodo; fere fuerit octogenarius, mortuus juxta Chronicon, Alexandrinum vulgo dictum revera autem Constantinopolitanum,* Orphito & Pudente Consulibus, *anno eorumdem Imperatorum* V, *Christi* CLXV.

F *& sic fuisset sexagenario major.*

vel 77. ann.

11 *Priorem sententiam de morte sub Antonino Pio obita amplectitur Eusebii illustrator & commentator Henricus Valesius vir clarissimus: quæ si certiori nobis auctoritate constaret, posset Epiphanii locus per solam paucorum fere verborum transpositionem salvari hoc modo,* Σαμαρείτης ἦν τὸ γένος, ἐτῶν δὲ τριάκοντα ὑπάρχων ἐν καθεςώσῃ ἡλικίᾳ εἰς Χριςὸν πεπιςευκὼς ... ςεφάνȣ καταξιȣ̃ται ἐπὶ τῶν Ῥωμαίων, ἐπὶ Ῥȣςικȣ̃ ἡγεμόνος καὶ Ἀδριανȣ̃ *(adde vel subintellige,* Ἀντωνίνȣ) βασιλέως. Samarites fuit genere, sed

etiamsi obiisset sub Antonino Pio,

AUCTORE D. P.

sed cum annum agens ætatis trigesimum, perfectæ ætatis vir, Christo credidisset ... coronam denique assecutus est Romæ, sub Rustico urbis Præfecto (*quod eum fuisse etiam ex alterius Iustini & sociorum Actis liquet*) & Adriano Antonino, *cui Pii cognomen vulgo additum*, Imperatore. *Tantum hic displicet, quod, ἐπὶ τῆ Ῥωμαίων scilicet πόλεως, sumatur aliter quam passim soleat præpositio ἐπὶ locorum nominibus addenda, non quando quietem in loco, sed dum motum ad locum significamus. Verum dici posset excidisse vocem ἀφικνύμενος, ut sensus sit*, cum Romam advenisset. *Ex hoc interim tam multiplici, quæ potest Epiphanio adhiberi correctione (& aliquam esse necessariam omnes admittunt) manifesto apparet de tempore mortis perpessæ certi nihil posse ex Epiphanio haberi: solum vero probabiliter asseri, triginta annorum virum fuisse cum est ad Christi fidem conversus, sub Adriano Imperatore*, sub quo, *inquit Cedrenus*, adversus omnes hæreses viriliter depugnavit.

quod tamen nō putamus,

12 Plurima, *inquit lib. 4 cap. 18 Eusebius*, ingenii sui doctrinæque & intenti in res divinas studii monumenta nobis reliquit *Iustinus*, plena multiplicis utilitatis. *Ex his quæcumque ad suam notitiam pervenere titulorum tenus recenset prædictus Eusebius, & ex eo Hieronymus libro de scriptoribus eccles. cap. 23, & Photius. Agit de eisdem Petrus Halloix noster tom. 2 de scriptoribus Orientalibus, in Vita hujus Iustini cap. 25 & Philippus Labbe, addentes prioribus illis ignoratas quasdam, alias tamquam certas, alias tamquam dubias ejusdem sancti Martyris lucubrationes, de quibus nihil hic attinet disputare.* Primum, *inquit idem Eusebius*, locum inter ejus libros obtinet oratio ad Antoninum cognomento Pium, & ad ejus Liberos Senatumque Romanum, pro Religione nostra conscripta. Altera vero ejusdem oratio, defensionem similiter fidei nostræ continens, Antonino Vero nuncupata est, Imperatoris supradicti successori & cognomini. *Prima haud dubie est ea quam habemus apud omnes operum D. Iustini collectores, sub eodem quem Eusebius indicat titulo: estque illa eadem unde tum ipse tum alii Patres varia transcribunt loca & laudant. Huic in omnibus editionibus præponitur scriptum quoddam, quasi ad Senatum, hoc principio*, Quæ heri & proximis diebus in urbe vestra, o Romani, sub Vrbicio accidere. *Quod scriptum non ad solum Senatum sed etiam ad Imperatorem dirigi, ex non uno loco, ubi ipsum Imperatorem alloquitur Iustinus, demonstrat Eusebii commentator Valesius: meritoque miratur, quomodo inciderit Petro Halloix negare, quod Imperatorem ibi alloquatur vel semel.*

etsi agnoscamus i Apolog. esse quæ vulgo 2 dicitur,

B

& scriptum quod vulgo 1. Apolog. vocatur,

13 *Ne autem possimus dubitare, Piusne an Verus sit, quem hoc scripto appellat, facit Ptolomæi Christiani ad Vrbicium increpatio, exprobantis judicare eum* οὐ πρέποντα Εὐσεβεῖ Αὐτοκράτορι, οὐ Φιλοσόφῳ Καίσαρος παιδί, non ut decet Imperatorem Pium, & Philosophum Cæsaris filium, *Marcum scilicet Aurelium, ab Antonino Pio, cum adhuc Cæsar esset, jussu Adriani adoptatum. Ita pluribus Valesius in Annotat. ad cap. 17. Eusebii: cui in re evidenti non possumus hactenus non assentiri. Verum quod præeuntium secutus turbam, scriptum istud acceperit tamquam Apologiam alteram ab Oratione jam dicta, & consequenter velut eam, quam Antonini successori nuncupatam credens Eusebius turpiter exerraverit; in hoc ei non possumus assentiri. Quare licet ex Valesii atque omnium fere eruditorum sensu erroris convinci judicemus eos, qui Orationem Antonino Pio oblatam, secundam Apologiam nuncupavere, cum ab omnibus antiquis citetur tamquam prima, sicuti revera est; non patimur tamen, scriptum hoc, quod editores operum Iustini perperam primam vocavère, à Valesio vocari secundam. Quid igitur? Præfatio seu indictio quadam est ad Imperatoris, Senatus, populique animos præparandos, expositione injustissimæ actionis contra Christianos exercita, cujus occasione Orationem apologeticam scripserat;* quatenus senatusconsulto scripto *de non persequendis ultra Christianis*, libellus hic, *id est, ipsa quam offerebat*

C

etiam ad Pium dirigi:

Scilicet ut præfationem ad ipsam 1 Apologiam,

Apologia, numeris omnibus absolutissima, præmittatur, unde, *inquit* ab aliis etiam res nostræ cognosci, atque illi ipsi suspicione falsa liberari queant, qui præter suam ipsorum culpam suppliciis obnoxii fiunt. *Quod cum præstare nequeat scriptum istud pravium, clarum est quod ipsum non sit libellus, quem toto Imperio publicandum sanctus Martyr commendat.*

D

14 *His autem sic positis, gravis assumitur à Valesio, Eusebium non habuisse aliam causam differendi Martyrium S. Iustini ad Antonini Veri & Aurelii Commodi tempora, quam quod sibi falso persuasisset*, iisdem Imperatoribus obtulisse *Iustinum* alterum librum, pro fidei nostræ defensione. *Hoc siquidem vere fecit (nam quomodo in facto tam recenti ita cæcutivissent Eusebius atque Hieronymus & omnes post secuti scriptores?) sed secundus liber, non eodem quo primus exceptus favore atque successu, vel suppressus à gentilibus Principibus est neque permissus vulgari, vel certe hodie nusquam extat, quæ est Scaligeri in Animadversion. Eusebianis pag. 201 opinio. Quod fuerit suppressus suadet altum de eo apud antiquos silentium, quorum nemo invenitur aliquid ex Iustini Apologiis citasse, quod in prima oratione, aut ea quam diximus ad ipsam præfatione, non reperiatur. Eusebius autem non tantum pro una eademque Apologia prima accipit Præfationem & Orationem, quando cap. 16 ex dicta Præfatione insignem contra Crescentem Cynicum adducit locum,* ἐν τῇ δεδηλωμένῃ ἀπολογίᾳ *legendum; sed etiam insinuare videtur, solam primam Apologiam prodiisse in publicum. Quid enim est* δεδηλωμένῃ? *Valesius suæ conjecturæ obsecundans, vertit* Præfatæ, *ut intelligatur liber secundus, de quo immediate ante locutus erat Eusebius. Christophorsonus, ad mentem auctoris & veritatem longe aptius vertit,* quam dudum commemoravimus, *ut intelligatur locus acceptus, non ex libro secundo, sed ex prima Apologia de qua cap. 8 egerat. Sed si penitius vox ipsa introspiciatur, non aliud significabit quam* publicata *seu* manifestata, *ut sic secernatur ab ea, quæ ab Imperatoribus suppressa, in publicum non prodiit. Neminem autem perturbet quod in Valesii versione, dicto Eusebii Capite appellentur* Augustissimi Imperatores, *ut duo corregnantes intelligantur, Verus & Commodus: absunt enim ea verba à Græco, etiam apud ipsum Valesium, & solum* ὑμᾶς *invenitur, id est,* Vos, *ii scilicet ad quos sermo est, Imperator & filii Cæsares. Fuerunt qui putarunt, quod ea quæ sub nomine Athenagoræ exstat Legatio pro Christianis, Vero & Commodo oblata paulo post annum CLXXV, sit secunda Apologia Iustini: sed eos solide refellit Halloix, tum ex styli maxima diversitate, tum ex ejusdem Legationis loco, qui ipsius Athenagoræ verbis & nomine citatur à Proclo, Originis æquali, apud Epiphanium hæresi 64, egregie hac occasione correctum.*

& ab eo secundum Eusebium non distinguendam,

E

Secunda quæ Vero oblata est videtur fuisse suppressa.

15 *Photius in Bibliotheca, ad Iustini opera veniens,* Lecta est, *inquit*, Iustini Martyris Apologia, cum adversus Græcos tum adversus Judæos (*non unum scilicet, sed plura ejus adversus utrosque opuscula, uno Apologiæ nomine designans*) *deinde quæ contra Græcos idem scripsit sigillatim enumerans*, Quatuor, *inquit adversum Gentiles tractatus composuit*; quorum primum (*fortassis non tam tempore, quam dignitate & præstantia primum*) Antonino cognomine Pio, filiisque ipsius ac Senatui obtulit: alterum (*quem non extare querimur, quemque à Photio lectum non satis possumus ex hoc loquendi modo cognoscere*) similiter ejus successoribus: in tertio autem de dæmonum natura disseruit, *qui est* λόγος παραινετικὸς πρὸς Ἕλληνας ad Græcos sive Gentiles cohortatoria oratio, *prima in operibus collocata*: quartus sermo, & ipse contra Gentes ab eo compositus, inscriptus est ἔλεγχος, *qui nunc post Apologiam, & librum de monarchia Dei, atque alium adversus Aristotelica dogmata, habetur, cum titulo* Quæstionum & Responsionum ad Græcos. *Continentur autem quarto illo libro,* ἐρωτήσεις χριστιανικαὶ πρὸς τοὺς Ἕλληνας Christianæ ad Græcos quæstiones, ἀποκρίσεις ἑλληνικαὶ, responsiones Græcorum & τῶν ἀποκρίσεων ἀνατροπαὶ ... γεγονός,

F

Quatuor Iustini tractatus contra Græcos,

eorumque ordo,

A νομίμων ἔλεγχοι & confutationes reſponſionum non recte factarum: *quod primum illius jam Chriſtiani opus fuiſſe merito exiſtimavit Halloix cap. 26, cum ipſum ſic exordiatur:* Ne exiſtimaveritis, o viri Græci, hanc meam à veſtris ritibus defectionem aut ratione carere aut judicio. *Prius autem, quam primam Apologiam Antonino Pio offerret, tum alios fortaſſe plures libros, tum imprimis eum certo ſcripſit,* cui contra omnes quæ fuerunt hæreſes *titulum fecit, ut ipſe in dicta Apologia teſtatur. Dialogus autem cum Tryphone ipſa Apologia poſterior eſt: cum hujus locum de Simone mago, in dialogo manifeſte allegat Iuſtinus, & quidem tamquam ex ſcripto Cæſari oblato,* ἐγγράφως Καίσαρι προσομιλῶν.

§ III Quibus temporibus prædictæ Apologiæ oblatæ fuerint?

Apologia I omnibus nota & laudata,

16 Q*Været nunc forſan aliquis, quo anno Iuſtinus librum illum ſuum primum tradiderit Antonino Pio* defendens (*uti ad Magnum ſcribit Hieronymus Ep. 84*) ignominiam Crucis, & reſurrectionem Chriſti tota prædicans libertate. *Non poteſt id quidem præciſe definiri; hoc tamen dicere poſſumus, vel ex ipſomet conſtare, librum eum eſſe oblatum Æra vulgaris ſeculo ſecundo ad medium vergente, aut jam tunc eo uſque provecto; objicit enim ipſe ſibi* nos aſſeverare ante annos centum quinquaginta

B natum eſſe Chriſtum ſub Cyrenio. *Atqui ſi eum numerum præciſiſſime ſumas, detrahens ab annis centum quinquaginta annos iſtos quinque, quos inter Chriſti nativitatem & Æræ vulgaris principium interponendos docuimus, habebis annum dictæ Æræ* CXLV; *non conſtat autem in iſta Gentilium objectione, annos tam præciſe ſumi, ut non poſſit intelligi numerus rotundus more communi uſurpatus; ad quem adhuc anni aliquot debuerint addi. Ergo hoc ſolum dicere poſſumus prædictam apologiam fuiſſe oblatam circa annum Æræ communis centeſimum & quinquageſimum.*

circa an. 150 oblata, fuit:

quam videbitur notaſſe Euſebius in Chronico,

17 *Aſt Euſebius in Chronico ad annum Antonini Pij* IV, *qui eſt vulgaris Æræ* CXLII *ita ſcribit:* Juſtinus Philoſophus librum pro noſtra religione conſcriptum Antonino reddidit. *Agnoſcimus ita nunc apud Euſebium legi: ſed ſimul etiam obſervamus, ad annum ejuſdem Pij* XIII, *qui Chriſtianis eſt* CL, *ita in eodem chronico ſcribi,* Creſcens Cynicus innoteſcit, qui Juſtino noſtri dogmatis divino Philoſopho martyrii cauſa extitit, de gula & impoſtura increpitus. *Nunc autem quis Iuſtini Apologiam legit, ſimulque non agnovit notiſſimum Romæ fuiſſe Creſcentem priuſquam Apologiam illam Iuſtinus ſcriberet? Exiſtimamus igitur, commutatos inter ſe eſſe locos iſtos, idque non recenter, ſed circa Hieronymi tempora, aut forte ipſiuſmet Hieronymi exemplo, Euſebii Chronicon Latinum facientis: quia ſcilicet iſte de Creſcente, mortem Iuſtino machinante, locus putabatur index eſſe anni, quo martyrii coronam Iuſtinus accepit.*

ſi loca ejus duo de Iuſtino inter ſe commutentur.

C *Sed ſicut hoc ſatis retractavit Hieronymus, in libro de ſcriptoribus Eccleſiaſticis, agnoſcens Iuſtinum ſub Marco & Vero adhuc pro fide certantem: ita & iſtud forſitan correxiſſet, ſi de Creſcentis initiis alibi ei tractandum fuiſſet. Quare nihil obeſt, quo minus ſentiamus Creſcentem Romæ innotuiſſe anno Antonini* IV, *poſtea Iuſtinum Romam appulſum, multiplici diſputatione eumdem confutaſſe, ac demum anno dicti Imperatoris* XIII *vel circiter librum obtuliſſe, in quo de Creſcente multus ſermo, nec vana ipſius auctoris præſagitio de morte ſibi ab illo præparanda.*

poſt eam eſſe reſcriptum pro Chriſtianis conſtabit,

18 *Euſebius hiſtoria ſua lib 4 cap. 12 de hoc Iuſtini libro agens, addit quæ ſequuntur verba:* Interpellatus quoque idem Imperator ab aliis in Aſia Fratribus, qui omni injuriarum genere vexabantur à Provincialibus, ad Commune Aſiæ hujuſmodi Conſtitutionem miſit. *Facit ea Conſtitutio caput 13 libri prænotati: ſed quod mireris hoc principio.* Imperator Cæſar Marcus Aurelius Antoninus Auguſtus, Armenicus, Pontifex Maximus, Tribunitiæ Poteſtatis XV, Conſul III. Communi Aſiæ ſalutem. *Nemo nobis perſuaſerit adeo cæcutiviſſe Euſebium; ut aliquando M. Aurelii Conſtitutionem acceperit & ſuppoſuerit pro conſtitutione Antonini Pii, cujus iſtic Acta temporaque tractabat, quamquam hanc ei dicam impingant Scaliger atque Valeſius: ſed credemus titulum temeraria manu adjectum; qui forte defecerat in antiquo codice; aut imperite ſuppletas reſiduas nominum ac temporum notas. Quid ſi extritis quadamtenus litteris adhuc legebatur* Imperator Cæſar . . . . elius Antoninus Auguſtus . . . . . icus, Tribunitiæ Poteſtatis XV, Conſul III . . . ? *ſane tunc peritior aliquis ſupplere hoc modo potuiſſet:* Imperator Cæſar T. Aelius Antoninus Auguſtus, Parthicus, Tribunitiæ Poteſtatis XV, Conſul IIII, *& ultimum. Quartum autem Conſulatum inivit Antoninus Pius anno Imperii ſui* VIII, *Tribunitiæ Poteſtatis* VIII *vel* IX, *ac deinceps* Conſul quartum *ſcriptus invenitur. Conſtitutio ergo prædicta ad annum ejus* XV *circiter pertineret, ſic ut ad eam ferendam haud parum momenti adferre potuerit laudata hactenus Iuſtini Apologia: poſt quam eadem Pii epiſtola in editis Iuſtini exemplaribus reperitur, multo quam apud Euſebium ſincerior, præſertim in titulo, qualem infra in Vita videbimus.*

AUCTORE D. P.

ſi titulus, apud Euſebium corruptus, reſtituatur.

2 Apologia videtur oblata,

19 *Secunda, quam non extare dolemus, Apologia, quando conſcripta & oblata fuerit, ignoramus: credibile eſt autem non ante perſecutionem in Chriſtianos reſuſcitatam id factum eſſe. Reſuſcitata eſt autem, non aliqua Imperatoria juſſione (conſtat enim, ex quo Lucii Veri conjugem Lucillam S. Abercius Epiſcopus Hieroſolymitanus à Dæmone liberavit,*

E *Principes faviſſe Chriſtianis, adverſus quos nullam ab illis legem latam fuiſſe teſtatur Tertullianus: ut ex hoc capite excuſabiles ſint qui præcitatum ex Euſebio Reſcriptum Marco Aurelio tribuendum putaverunt) ſed quemadmodum in procemio lib. 5 ſcribit Euſebius quo tempore Soteri Eleutherus ſucceſſit, circa annum ſcilicet* CLXXI, cum in nonnullis terrarum partibus violentior adverſus noſtros perſecutio commota eſſet ex incurſione popularium, innumerabiles prope Martyres per univerſum orbem enituere. *Huic ergo perſecutioni reſtinguendæ, & remedio à Principibus, Chriſtiano nomini minime iniquis, poſtulando, ſcriptam eſſe ſecundam Apologiam quis ambigat, ſi tum adhuc in vivis & in eadem doctrinæ æſtimatione etiam apud Gentiles erat Iuſtinus?*

in perſecutione populariter ſuſcitata circa an. 170

20 *Cur autem non fuerit; haud multo tunc octogenario major? Sane Chronici, quod diximus, Alexandrini auctoritas num. 10 allegata, non tanti nobis eſt, ut propter ipſum vereamur Iuſtino vitam ad ſex vel ſeptem annos prorogare. Vlterius omnino non convenit: credibile eſt enim Creſcentem æmulum haud diu indormiviſſe occaſioni adverſarium ſuum opprimendi, per magiſtratus populo placere cupientes, eum de Chriſtianiſmo deferendo: quæ delatio, Chriſtianis in pace agentibus, locum non habuiſſet. Cum autem, etiam in illa commotione, tutius videretur adverſus tam clari nominis hominem veneno quam ferro graſſari, illo uſi ſunt impij; itaque nobilis martyrii circumſtantiæ, memoria poſteritatis digniſſima, pene Chriſtianorum fugere notitiam, ut neque de die, neque loco illatæ mortis quidquam ad nos permanarit. Eſt tamen veroſimile extra urbem Romanam extraque conſpectum Principum, occultas machinationes Creſcentis contra Iuſtinum prævaluiſſe. Nam cum occultas machinationes audis, facile concipis minime neceſſarium fuiſſe, ut Romam deſeruiſſe Creſcens cenſeatur: quo enim remotior loco erat ipſe, hoc potuit occultior fuiſſe machinatio: & in Aſia miniſtros fraudum idoneos non operoſe debuit quærere Creſcentis malitia, qui ſcire poterat Iudæos inſigniter contra Iuſtinum irritatos præclaro illo volumine, quod ſub titulo* Dialogi cum Triphone Judæo, *de veritate Chriſtianæ religionis, ad Pompeium perſcripſit, ex colloquio quod Corinthi cum Prædicto Triphone habitum infra in Vita commemorabimus.*

qua occaſione uſus Creſcens Cynicus

mortem abſenti Iuſtino eſt machinatus.

21 *Anno* MDCXXIII *in Herſfeldenſi prope Fuldam Abbatia inventa, & paulo poſt Eyſtadium ad noſtra Societatis templum allata ſunt novem Sanctorum corpora, quorum nomina in chori regiſtro ſic indicabantur, ut ſecundo loco eſſet* S. Juſtini Martyris X kal. Apr. *Si* XII kalendas *legeretur,*

An corpus Eyſtadii?

AUCTORE D. P.

retur, suspicari possemus depositum Iustiani sive Justiniani Vercellensis Episcopi (*cujus ad illum diem solam memoriam servant Vercellæ, corporis reliquias nullas ostentant nec Acta noverunt*) huc *fortassis ex Italia allatum; uti indidem allata sunt alia quædam ex præmemoratis corporibus. Nunc Patres nostri diem* XIII *Aprilis eidem, tamquam* Justini Philosophi *esset, colendo, duplicis Officii ritu, delegerunt. Sed cujuscumque Iustini, Iustiani aut Iustiniani illud sit, non putamus hujus de quo agimus esse: uti nec alias alibi alicujus S. Iustini reliquias, quales sunt* pars calvariæ *Floreffiæ, Ordinis Pramonstratensis Abbatia prope Namurcum, teste Raizzio in Hierogazophylacio Belgico; particula quadam in Collegio SS. Vilibrordi & Bonifacii Coloniæ, teste Gelenio in libro de Colonia Agrippin. magnitudine pag. 616; alia in ecclesia S. Mariæ de sapientia Neapoli teste Beyerlinck in Theatro Vitæ humanæ; & pars insignis Bononiæ in ecclesia S. Georgii Patrum Servitarum, teste Masino in Bononia Perlustrata; licet hoc die ipsi eam venerentur. Etenim omnino existimamus eamdem ob causam, ob quam in obscuro manserunt dies & locus mortis, à S. Iustino Philosopho obita, occultas quoque mansisse Reliquias: quarum si fuisset aliqua apud Græcos Latinósue notitia, cultum quoque annuum apud eosdem jam inde à principio certum habuissent; neque ita fortuito, & ex occasione aliorum, nomen fuisset sacris fastis insertum. Septem omnino Iustinos, ecclesiastico cultu Latinis notos, præter hunc Philosophum, recenset Halloix in Præfatione ad Annotationes super vitam, quem tu consule, plures in Hieronymiano Martyrologio inventurus.*

An alibi ejus reliquiæ?

B

22 *De Reliquiis Eystadiensibus acturi sumus* XVI *Octobris, quo die colitur S. Lullus Archiepiscopus Moguntinus, cujus præ ceteris indubitata magisque certa pignora Eystadium sunt delata. Nunc aliud nobis de Iustino Philosopho non superest quam ut aliquam ejus Vitam demus. Dabimus autem eam quæ apud Petrum Halloix nostrum, in opere de scriptoribus Orientalibus pag.* 155 *& deinceps, extat, non infeliciter collecta, omissis digressionibus; punctis etiam quibusdam, ubi sua eum chronologia fefellit, ad Annotationes rejectis, quibusdam alio ordine ob eamdem causam collocatis, velut si tota nostra compositio foret. Aliam à Ioachimo Perionio Benedictino breviter compilatam, satis est ante Iustini opera legi, maxime postquam eamdem operi suo inseruit adhunc diem Laurentius Surius, prudenter judicans, eum, cujus & sociorum Martyrium ex Lipomanno dedit Iunio mense, diversum esse ab hoc de quo agimus, etsi non exponat omnia* quæ facile persuadeant non esse eumdem. *Post Vitam, plura alia colligit idem Halloix de S. Iustini dogmatibus ecclesiasticis, operibus, operumque fragmentis, nec non & quibusdam ejus opinionibus nunc minus probatis, sed in isto rei Christianæ principio necdum determinatis; quæ malumus apud ipsum legi, Vitæ historiam virtutumque præcipuarum synopsim dedisse contenti.*

Vita à Petro Halloix collecta.

C

VITA

à Petro Halloix Societatis Iesu, *fere ex ipsius Sancti operibus contexta.*

PRÆFATIO.

1 Scriptoris Philosophi vitam in præsenti aggredimur; sed ejus philosophi, qui prope universas terrenæ sapientium Philosophorum sectas curiose pervagatus, demum ad veram Christi philosophiam, uti ad tutissimum æternæ veritatis portum, celocem studiorum suorum felicissime applicuit: sed ejus Scriptoris, qui nihil aliud in scribendo, quam innocentiæ tutelam, quam religionis patrocinium, quam unius veri Dei cultum honoremque sibi propositum habuit: sed eam denique vitam, quæ in studiis, in moribus, in factis omnibus, singularis diligentiæ, industriæ, pietatis, unoque verbo, omnis doctrinæ atque virtutis, vero & Christiano philosopho dignæ, multo sit consertissima. Unde nihil mihi videor in præsentia, nec optare melius, nec petere à Deo salutarius posse, quam ut quem antiqui Patres *a* certatim collaudantes, alii magnum, alii admirabilem, alii *b* admirabilissimum, alii divinum appellitarunt; eum cuncti veræ Philosophiæ amatores præcipue admirentur, ament, colant, æmulentur. Quod profecto ita prorsus facturos confido, si præclarum illud ejusdem Philosophi dictum, (quod non sermone magis, quam omni tenore vitæ feliciter expressit) toto penitus animo imbiberint: nempe hunc unum vere philosophantibus propositum esse finem, *c* ut Deo, quoad possint, assimilentur: hoc est, ut ad ipsum omnis sapientiæ fontem, tam integritate doctrinæ, quam morum sinceritate (quantum quidem homini in terra degenti fas est) quam proxime studeant accedere. Igitur per ipsa sanctissimi viri divina merita, & per cælitus infusam magnæ illi animæ supernorum bonorum affluentiam, Deum Opt. Max. unice rogo atque obtestor, uti & idoneas ingenio meo vires, & piæ voluntati robur illud addat, quo ipsius vitam, doctrinam, egregia facinora, stylo conciendis ad imitationem animis quam accommodatissimo, scribere valeam: & lectores item meos ad ea quæ legerint, capienda atque æmulanda idoneos ac faciles, ipse, qui solus potest, efficiat.

S. Iustini encomium.

D

a

b

imitatio commendata.

c

invocatum suffragium.

E

ANNOTATA.

a *Eorum nomina longa satis serie texit Halloix, versa post titulum pagina: qui ad rem nostram faciunt, suis locis indicabuntur.*

b *Tatiani Assyrii, de quo infra, hoc de magistro suo encomium est.*

c Τέλος τῷ φιλοσοφεῖν ἡ πρὸς Θεὸν ὁμοίωσις κατὰ τὸ δυνατόν: *ita hæc Iustini sententia citatur ab Antonio Melissa lib. 2 serm. 43.*

Philosophiæ finis.

CAPUT I.

S. Iustini natalis, studia, vocatio ad Christum.

2 Natus est Justinus Neapoli, urbe Samariæ, quæ Syris primitus Sichem, *a* deinde indigenis Mabartha, postremo Latinis *b* Flavia Cæsarea, deductis illuc à Flavio Domitiano Cæsare colonis, est appellata. Natus est autem patre Prisco Bacchio, homine nobili, sed Gentili. *c* Acris fuit ingenii, memoriæ facilis, boni constantisque judicii: proinde scholis traditus, primo litteris humanioribus egregiam navavit operam, quibus & apprime instructus præ æqualibus fuit. Ab his deinde, etiam tum Gentilis fideique nostræ ignarus, ad altiora studia incredibili ardore animi gradum fecit: injecerat enim Deus menti, ad magna idoneæ, immensum quoddam atque insatiabile sui quærendi & cognoscendi desiderium. Quare post veterum poëtarum lectionem, post oratoriæ facultatis exercitationes, post variarum historiarum disquisitionem atque notitiam, totum se ad philosophiæ studia transtulit: non quod disceptationum argutias atque nodos tanti faceret; sed singulariter ac præcipue (uti postea de se ipse testatus est) quo veri Dei cognitionem, quam apud philosophos, si usquam alibi, reperiendam esse existimabat, toto animo siticulosus hauriret; nihil enim jam tum quam de Deo audire, loqui, differere habebat antiquius. Itaque in philosophi Stoici disciplinam primo se tradidit; apud quem aliquanto tempore versatus, cum aliis quidem de rebus multa, de Deo autem vix quidquam audiret (nec enim philosophus ille tantæ rei gnarus erat, adeoque nec philosopho necessariam hujusmodi scientiam dictitabat) ei

a

b

F

In Syria Gentilibus parentibus natus,

c

post litteras humaniores perceptas,

primo ad magistrum Stoicum,

A ei valedixit, atque ad alium, secta Peripateticum, hominem, ut is sibi videbatur, acutum ac subtilem transiit. A quo cum primis diebus benevole admissus exceptusque esset, brevi post interrogatus est, ecquam ipse magistro mercedem promitteret: quippe non arridebat Peripatetico, sui consuetudinem absque pecuniario quæstu commodare. Quod animadvertens Justinus, eum statim missum fecit: arbitratus scilicet nihil à dignitate philosophiæ magis alienum, quam avaritiæ sordes & vilis lucri cupidinem; ac ne illum quidem prorsus videri nec esse philosophum, qui sic corradendis pecuniis inhiaret.

tum ad Peripateticum,

3 Animus interim magis ac magis ejus, quod philosophiæ proprium est ac longe precipuum, id est, cognitionis Dei amore in dies exardescebat. Convenit igitur Pythagoræum quemdam, magni quidem illum nominis, sed magni item, ex opinione sapientiæ, supercilii: quicum collocutus summopere affectabat in ejus admitti disciplinam & familiaritatem. Sed ille, Quid vero? inquit, Tune in musica, in astronomia, in geometria versatus es? An forte putas, absque his artibus, quæ animum à corporeis rebus abducunt, atque ad ea quæ mente percipiuntur præparant, eorum te quæ ad beatitudinem spectant attingere quicquam posse? Toto, heus tu, erras cælo, si id arbitrere. Denique eas disciplinas cum impense multumque laudasset, ac veræ philosophiæ candidato apprime necessarias docuisset, Justinum eas nescire confessum mox dimisit; mœstum sane illum & valde iniquo animo ferentem, tanta spe, quantam de fructu apud eum faciendo conceperat, deturbari. Nam temporis quidem, quod iis disciplinis insumendum erat, longiorem quam ut ferre posset moram secum expendens; tam diu differri, quod tam avide quærebat, non tulit. Quare cum dubius & consilii inops aliquantisper fluctuasset, tandem cum Platonicis (quorum magnus ea tempestate honos & auctoritas erat) congredi statuit, ac si quid apud eos de Deo divinisque rebus doceretur, experiri. Quippe videbatur Dominus Deus per omnes philosophorum sectas hunc virum, jam quidem adhuc gentilem, sed olim fidei mysteriis imbuendum, proque iis certaturum, velle traducere; quo eas postmodum, probe cognitas perspectasque, commodius suo tempore (uti etiam accidit) fortiusque refutaret; nihilque in iis veræ & Christianæ philosophiæ par aut simile contineri, propriis ipsorum armis evinceret.

Postea ad Pythagoræum,

B

denique ad Platonicum se confert:

C

4 Percommode autem cecidit, ut eo fere tempore, Flaviam seu Syriæ Palæstinæ Neapolim (cujus civem fuisse Justinum diximus) vir quidam sapiens & inter Platonicos facile princeps adveniret. In hujus ergo amicitiam ac familiaritatem cupide se insinuavit: illi, ut viro bono & docto adhæsit; tantumque in ejus societate profecit, ut non parvum in ea philosophia nomen acquisiverit. Ab ea tamen quemadmodum ad longe nobiliorem ac diviniorem philosophiam, quæ in Christiana schola edocetur, posthac transierit (res enim plena est admirabilitatis) referre in præsenti aggrediar. Mirifice Justinum delectabat in ludo illo Platonico incorporearum naturarum subtilis intelligentia, cui conjuncta idearum excelsa contemplatio sic ipsum (quemadmodum de se totidem fere verbis prædicavit) velut pennis quibusdam sublimen attollebat, ut brevi spatio sibi factus sapiens, & ex stulta persuasione, Deum ilico perspecturus (is enim est philosophiæ Platonicæ finis) videretur. Cui sic affecto visum est aliquando extra urbis mœnia solitudinem ac secessum petere, & meditandi gratia hominum vias atque congressus declinare. Secessit ergo certum in locum haud procul mari: quo cum appropinquasset, ibique secum

sub hoc cum egregie profecisset,

& solus secum in agro meditatur,

ipse futurus esset; ecce vir magno natu, specie veneranda, comitatem quamdam cum insigni gravitate præ se ferens, modicoque distans intervallo, eum assectari visus est. Ad quem ipse conversus, ac represso gradu subsistens, cum aciem oculorum acrius intendisset, ille prior compellans; Cognoscisne me, ait? Minime, inquit Justinus. Ecquid igitur subdit ille, ita me obtueris? Quia miror te hic mecum esse, respondet Justinus. Nec enim expectabam, ut hoc in loco mortalium quemquam invenirem. Tum ille: Familiares quidam mei peregre profecti, quamobrem huc venirem, mihi in causa fuere. Veni enim de iis, si alicunde fortassis appareant, exploratū. Sed tu enimvero, quid hic rerum? Hisce, ait Justinus, delector solitariis inambulationibus: sic enim mecum absque interpellatione dissero: nam hæc loca excolendæ rationi sunt accommodatissima.

PER PET. HALLOIX.

ab ignoto sed venerabili sene.

5 Tum senex, quasi Justinus dixisset loca illa excolendæ orationi esse accommodatissima (nam vox φιλολογία, qua usus fuerat Justinus, utramque in partem accipi poterat) ludens in verbo, Tu igitur, inquit, tantum orationis amator es, operis autem & veritatis nequaquam? Neque contendis, ut potius actuosus philosophus, quam ut sophista verbosus evadas? Cui Justinus, nomine rationis philosophiam intelligens, Quid enim melius facere quisquam possit atque præstantius, inquit, quam si rationem omnium ducem ac moderatricem esse commonstret? quam qui consequatur, & ea quasi vehiculo utatur, is demum & aliorum errores ac studia velut è specula possit despicere, & quam nihil sanum, nihil Deo gratum efficiant, contemplari? Nam absque philosophia & recto rationis usu, stare prudentia nullo modo potest. Hinc omnes mortales oportet philosophari, & hoc quidem maximum ac præstantissimum opus arbitrari; cetera vero omnia in secundis ac tertiis numerare: quæ tamen ipsa si à philosophia perficiantur, tum mediocria erunt & amplexu digna; sin ea deficiantur, vilia & sordida. Post quæ intulit senex: Ergone philosophia beatitatem adfert? Cui Justinus: Adfert omnino, & quidem sola. Cedo igitur mihi, ait senex, nisi forte molestum est, quid sit philosophia, quæve ejus beatitas? Respondit Justinus: Philosophia est, ejus quod est, scientia, & veri cognitio. Beatitas autem est ejusdem scientiæ & sapientiæ præmium. Jam vero, inquit, Deum quid vocas? Id quod eodem modo semper se habet, atque aliis omnibus ut sint, est causa, id Deum esse ajo, respondit Justinus. Cujus responsis delectatus senex, perstitit interrogando, & quæsivit: Scientiæ nomen numquid rebus diversis est commune? Nam in omnibus artibus, quamcumque earum quis calleat, sciens ejus artis appellatur, sive militaris, sive gubernatoriæ, sive medicæ, similiterque in aliis, tam divinis quam humanis. An non res ita se habet? Age ergo rursus. Aliquane est scientia, quæ rerum simul & divinarum & humanarum cognitionem gignat? Maxime, ait Justinus.

de studio interrogatur,

E

deque Dei cognoscendi ratione,

F

6 Quid ergo? ursit senex. Perindene est scire Deum, atque scire musicam, aut arithmeticam, aut astronomiam, aut quidvis aliud ejusmodi? Minime gentium, respondit Justinus. Haud recte igitur mihi respondisti, ait senex: siquidem scientiarum nonnullas per disciplinam, quasdam per exercitationem, alias per aspectum ipsum adipiscimur. Quemadmodum, si quis tibi diceret in India esse animal quoddam, nulli ceterorum animalium simile, sed tale aut tale, varium scilicet ac multiforme, credo, non ante cognosceres, quam illud vidisses; nec sermonem quoque de eo ullum facere posses, nisi ab eo qui vidisset prius inaudisses. Non profecto, respondit Justinus. Cui ille, Quomodo igitur, inquit, de Deo philo-

alia quam qua cetera res discuntur,

PERPETR. HALLOIX. philosophi recte sentire, aut quo pacto veri quidquam de illo dicere valeant, cum ejus scientiam habeant nullam? quippe qui illum nec viderint unquam, nec audierint. Atqui non oculis ipsis, ô pater, inquit Justinus, quemadmodum alia animantia, divinum numen cerni, sed sola mente concipi potest, ut ait Plato, cui ego fidem habeo. Estne ergo, subdit senex, in mente nostra vis quæpiam talis ac tanta, ut per eam celerius quam per sensum res aliqua percipi valeat atque cognosci? aut forte hominis animus, Spiritu sancto non instructus, Deum unquam est visurus? Atqui hoc ipsum est, subjecit Justinus, quod Plato vocat oculum mentis, atque ad hoc datum esse docet, ut eo mundo ac perpurgato ipsum ens conspicere valeat: quod quidem ens, omnium quæ mente percipiuntur est causa; non colorem ferens, non figuram, non magnitudinem, non quidvis aliud oculis adspectabile; sed est ens supra omnem essentiam, ineffabile, inexplicabile, solumque & bonum, & pulchrum, & bene natis animis, propter cognationem & amorem quo se ab illis videri appetit, primitus insitum. Hæc & alia multa de Deo, de mundo, de anima, cum ultro citroque disceptassent (quæ quod è media Platonis philosophia deprompta sint, nec hic referre magis attineat, missa facio) hæc tandem fuit totius collocutionis summa atque finis, ut Justinum doceret senex, neque in Platonis, neque in Pythagoræ, neque in cujusvis alterius philosophi sententia, de Deo præsertim, de anima, deque rebus divinis, tamquam inventa veritate, conquiescendum.

ut qui solo attingatur intellectu,

quem Philosophorum scholæ nequeant apte præparare,

B

7 Quibus auditis actus in stuporem Justinus, Ecquo tandem igitur, inquit, utatur quis alio præceptore; aut unde demum juvari quis possit, si ne in his quidem veritas invenitur? Tum ille ad rem, cujus causa omnis instituta erat disputatio, confidenter aggressus, Fuerunt quidam, inquit, priscorum ævo, his omnibus qui philosophi vocantur multo antiquiores, viri beati, justi, Deo cari, qui Spiritu sancto afflati ea fore vaticinati sunt, quæ hodie fiunt; (Prophetas eos appellant) hi soli & intellexerunt veritatem & hominibus annuntiarunt. Qua quidem in re, nec quemquam veriti, nec ab ullo inducti, nec gloria unquam victi sunt, ut vel minimum fingerent; sed ea sola pure atque sincere sunt elocuti, quæ Dei spiritu pleni vel viderant vel audierant. Hinc eorum scripta hodieque exstant, quæ illis quidem qui legerint fidemque adiunxerint, plurimum adferre adiumenti, &, sive de principiis rerum agatur, sive de finibus, sive de aliis quæ scire intersit philosophi, magnam suppeditare lucem possint. Neque vero ullis demonstrationum viribus dicta sua suffulserunt; siquidem erant ipsimet præ omni demonstratione fidissimi testes veritatis: nam & quæ antehac evenerunt, & quæ etiamnum eveniunt, ipsorum nos dictis tamquam oraculis cogunt assentiri. Quamquam vel ob sola miracula, quæ patrarunt, omnem sibi fidem mererentur, præsertim cum & universi conditorem Deum colerent, & filium ejus Christum prænuntiarent: quod certe falsi illi *d* prophetæ, plano & impuro spiritu pleni, neque unquam fecerunt neque nunc faciunt; sed tantum mira quædam opera terrendis hominibus designant, dæmonia interim & spiritus erroris glorificant. Hæc beatus ille senex cum dixisset, postremo ita Justinum commonuit: Verum ante omnia, inquit, Deum deprecare, tibi ut portas lucis aperiat: neque enim conspici ista neque intelligi promiscue ab omnibus possunt, sed ab iis duntaxat quibus ea facultas à Deo concessa sit. Quibus dictis aliisque pluribus, quæ nihil est necesse in præsentia commemorare, & Justinum ad ea persequenda cohortatus, ex oculis abiit, nec unquam postea illi visus est, nec cognitus.

docetur ex Prophetarũ scriptis

Dei cognitionem sperare,

C

d

seria deprecatione adhibita.

D

8 Sed quid illo sene digresso expertus sit, quidue in se senserit Justinus, idem ipse, Tryphoni Judæo, viro nobilissimo, longe post in congressione quadam enarravit: Confestim, inquit, post senis illius verba, ignis quidam succensus est in animo meo, & amor Prophetarum eorumque virorum qui Christi sunt amici me incessit: cumque verba ejus senis mecum ipse tacitus pervoluerem, hanc ego solam esse tutam atque utilem philosophiam, quæ mihi ab illo proposita esset, deprehendi. Sic igitur ego & per talia evasi philosophus. Lectis scilicet Prophetarum & Apostolorum libris, verum se philosophum, hoc est, Christianum esse cœpisse profitetur. Deinde tamquam tali vocationis suæ memoria lætus & incalescens, pium ac fervidum, pro consimili quam plurimorum ad fidem conversione, votum Deo facit, cum subdit: Quam vellem porro, ut omnes similiter atque ego animis affecti, Salvatoris nostri sermonibus perpetuo adhærescerent! timorem enim quemdam in se continent salutarem, plurimumque ad eos, qui à recto itinere deflexerint, in viam revocandos valent: præterquam quod iis quoque, qui sedulo sermones istos meditati fuerint, animi quietem & tranquillitatem conferant multo suavissimam. Hæc & alia ejusmodi Iustinus, quibus perceptam ex pio colloquio utilitatem, & eadem opera percipiendas è sacrarum Litterarum lectione eximias commoditates, non minus exemplo quam verbo expressit. Tale igitur fuit conversionis Justini ad veram Christi fidem, post impensam profanis auctoribus atque philosophis multam operam atque industriam, post perquisitam magno labore ac sudore hic atque illic, & inventam nullibi veritatem; tale, inquam, fuit ex unica & ea quidem fortuita cum homine sapiente & cordato congressione *e* atque colloquio, conversionis ejus principium. Adeo juvat in viros probos & eruditos vel casu incidere, atque eorum sermonibus ac monitis (nec enim absque Dei nutu proferuntur) sedulo aurem animumque commodare.

Paret Iustinus recte monenti.

E

ANNOTATA.

a *Ita docet Hieronymus, in Quæstionibus Hebr. super Genesim: testis etiam de appellatione vulgari* Mamartha *est Plinius lib. 5 cap. 13, & Iosephus de bello Iudaico l. 5 cap. 4.*

b *Nummum exhibet Goltzius* Flaviopolitarum Samariensium: *& Sirmundus alium habuit, cui Græce inscriptum* Flaviæ Neapoleos Syriæ Palestinæ. *Appellata est autem Neapolis respectu antiquioris Flaviæ à Vespasiano sic dicta, quæ antea ab Herode Cæsarea.*

F

c *Addit Halloix,* Idque sub annum Christi 118, regnante Vlpio Trajano. *Nos Apostolorum temporibus longe propinquiorem fuisse putamus, & natum ante an. 90 vulgaris Æra.*

d *Multis hic disputat & examinat Halloix in Annot: pag. 363 an pseudoprophetæ possint miracula facere, quod his satis est indicasse.*

e *Si tamen homo fuit ille, & non potius Cælitum aliquis, missus à Deo, favente Iustini sincero ad veri cognitionem studio.*

CAPUT II.

Iustini pro fide suscepta labores litterarii & certamina adversus Crescentem Cynicum.

9 Postquam Iustinus è senis illius, velut de cælo missi, consilio atque auctoritate, ad perlegenda sacrarum Litterarum volumina, magno animi impetu atque ardore totum se applicuisset, simulque prisca Sibyllarum vaticinia cum oraculis Prophetarum attente commisisset; animadverso amborum

Ad Christi fidem propensus,

rum

A rum inter sese pulcherrimo consensu, cœpit paullatim, docente intus ac permovente Spiritu, ad perfectiorem Dei & Christi cognitionem connitendo assurgere. Hinc & Christiana religio magis ac magis in dies ei arridere, atque à gentilismo & aliis sectis ad se pertrahere. Sed erant tamen nonnulla, quæ inclinantem ad illam animum non mediocriter deterrerent: nimirum crebræ in Christianos, & infamia plenæ, libereque volitantes calumniæ: quæ à vulgo pro certis habitæ hoc saltem efficiebant, ut se hominibus tam sinistre audientibus fratrem aut consodalem adjungere vereretur; nempe a quos passim infandis flagitiis contaminatos, non communis tantum, sed & constans rumor spargebat: quos suis in conventibus promiscua solitos inquinari voluptate, & una cum extinctis luminibus castitatis splendorem extinguere, ac peccatorum fœditatem simul & pudorem quasi tenebris obtegere: adeoque, luporum instar, vorare homines, & fraternis vesci carnibus palam criminabantur. Nam his ac talibus rumusculis exosos reddere cunctis gentibus Christianos, tam Græci quam Judæi in more tum habebant: nempe ut homines, illorum ignari, ante eos odisse inciperent, quam nosse. Verum caute ac prudenter hic agere Justinus, nec sinere se à turba ritu plebeio abripi, nec arreptis è trivio convitiis temere credere; sed pedetentim & more philosophico incedere, scrutari, explorare, discutere sedulo & attente omnia; & B num ita in re esset, atque in sermone ferebatur, diligenter examinare.

[marg.: cognita calumniarum Christianis impactarum vanitate, a]

10 Siquidem non ignorabat, ea ætate & gravitate philosophus, sæpenumero in popularibus ac turbidis hominum judiciis ac voluntatibus evenire, ut ii essent innocentissimi, qui accusarentur, ut nocentes; & castissimi, qui infamarentur ut incesti; & pientissimi denique ac religiosissimi, qui ut impii atque irreligiosi condemnarentur. Non cadere autem in Christianos tam turpes calumnias, cum ex aliis argumentis, tum ex eorum admirabili, in morte pro Christo obeunda, fortitudine colligebat. Quod quidem ipse jam Christianus, in sua Apologia, contestari non prætermisit. Etenim ego ipse, inquit, qui Platonis institutis delectabar, cum Christianos calumniis lacessitos, neque mortem expavescere, neque eorum, quæ horrenda multis videntur, quidquam reformidare animadverterem; mecum ratiocinabar, fieri haud posse, ut ejusmodi homines, b aut vitiis essent obnoxii, aut voluptatum cupiditatibus irretiti. Quis enim, vel affecla voluptatis, vel gulæ mancipium, vel carnium humanarum helluo, mortem C eam libenter oppetat, qua suis se exspoliandum bonis sciat? ac non potius & vitam prorogare fruendis voluptatibus, & latere ac fallere Principes elaboret, nedum ad cædem atque mortem indicium sui faciat? Et infra ibidem: Utinam vero aliquis modo existeret, qui sublimi è suggestu, voce tragica exclamaret! Pudeat, pudeat vos ea, quæ ipsi palam admittitis, ad insontes transferre; & quæ vobis Diisque vestris conveniunt, ea illis objicere, ad quos ne minima quidem suspicio pertinet. Mutate, mutate mentem, & resipiscite. Nam & ego perversa eorum figmenta, per malos genios divinæ Christianorum doctrinæ, ad homines ab ea avertendos, objecta cum didicissem; tam ista fingentes, quam figmenta ipsa, & receptam à multis opinionem irrisi; atque adeo, ut haberer Christianus, & optasse me, & omni contentione laborasse profiteor. Ita de se Iustinus. Diligenti igitur inquisitione usus, deprehendit alia omnia, quam in vulgus de Christianis homines improbissimi sparserant; tantumque abesse illos à confictis in se criminibus, ut neque majorem usquam neque illustriorem quam in natione Christiana pietatem, caritatem, castimoniam, æquitatem, opum denique ac honorum despicientiam inveniret: quod ipse postea non semel, sed sæpius, in scriptis suis est professus. Quare in eorum se numerum aggregare desiderans, omnibus Academicis, Stoicis, Peripateticis, Pythagoræis, & cujuscumque sectæ philosophis, ut una se Christi schola tyro novus includeret, res suas habere jussit. Denique (ut totam conversionem breviter complectar) Justinus Philosophus ex Sibyllarum & sanctorum Prophetarum lectione, ad unius veri Dei & Christi Salvatoris agnitionem provectus, ex bono Christianorum odore & exemplis virtutum ad fidei amorem pellectus, & postremo ab æterno Patre ad filium Christum inspirata fide pertractus, bonæ ejus militiæ nomen dedit, seque salutaribus aquis abluendum & initiandum Ecclesiæ obtulit. c

[marg.: ipsorumque egregia fortitudine, — & ceteris virtutibus, — PER PETR. HALLOIX. — baptismum suscipit:]

11 Jacto autem super firmam petram, qui Christus est, bono spiritualis ædificii fundamento; mox incipit superædificare Justinus, quæ Deo placita & à Paulo fideli ejus servo commendata norat, justitiam, pietatem, fidem, caritatem, patientiam, mansuetudinem, ac reliquum denique Christianarum virtutum, usque ad ipsum culmen, perillustrem chorum. Atque ut ad labores Dei causa subeundos, & F ad suscipienda cum adversariis certamina, magis idoneum se præstaret, longe jam ardentiori quam ante hac studio & sacras Litteras perscrutari, & earum doctores ac magistros, Apostolorum scilicet discipulos & successores, assectari, audire, consulere cœpit. Sed precibus tamen potissime, ad perfectiorem earum intelligentiam cælitus obtinendam, eo usque institit, donec lucis portas, juxta senis verbum, late apertas habuit. Nam donum intelligentiæ Scripturarum, sibi divinitus collatum, compluries in dialogo cum Tryphone, indicavit. Ne porro tanta Dei beneficia, infructuosa & quasi thesaurum absconditum, retineret; confestim id sibi negotii suscepit, ut perceptam sacræ fidei doctrinam, & effusas in se Spiritus sancti dotes, cum aliis quam posset plurimis, absque ulla laborum & sudorum parsimonia, communicaret. Neque enim ingratus esse de Dei donis voluit, ut illa amitteret; sed multo gratissimus, ut augeret. Primo igitur ad Gentilium conversionem studia & cogitationes suas applicuit, eosque non privatis modo colloquiis aut publicis disputationibus, sed etiam editis in lucem libris, ad suæ salutis curam lacessivit. Quibus in libris, partim cur ab illis & à falsorum Deorum cultu E descivisset, illorum propalata vanitate, palam fecit: partim viam, quæ ad inveniendam veritatem ipsis tenenda esset, aperuit. Nempe ante omnia Sibyllarum d libros, velut necessarias ad oracula Prophetarum præexercitationes, commendavit: deinde Prophetas ipsos, & alia deinceps sacra volumina pervolvenda atque meditanda edocuit. Quam in rem libros tres elaboravit: unum quidem, nomine Elenchi seu Redargutionis, ad Gentiles; alterum, nomine Parænescos sive Cohortationis ad eosdem; tertium, De Dei monarchia, inscriptum; atque in primo quidem rationem adfert, cur à gentilismo seu Deorum cultu ad Christianam religionem desciverit; in secundo autem contendit, non esse in fidei negotio, nec Poëtarum, nec Philosophorum auctoritati innitendum, sed Prophetarum potius standum judicio, qui istis longe antiquiores fuerint, & ex quibus isti, si quid forte boni habuerunt, decerpserint: in tertio denique, unicum esse Deum & monarcham, ex ipsis Gentilium libris eruit. Post hæc erudiendis firmandisque in fide Catholicis gnaviter operam impendit.

[marg.: 1. Tim. 6, 11. — & nactus intelligentiæ donum, — egregiis scribit contra Gentiles]

12 Qua etiam de causa, varias e orbis partes more Apostolico peragravit, ac Romam quidem profectus

[marg.: & hæresim]

PER PET. ctus, *f* cunctis ad se doctrinæ causa ventitantibus
MALLOIX. sui copiam fecit: & Marcioni hæresiarchę, tum adhuc in urbe superstiti & cuncta lupi instar vastâti, fortiter restitit, atque insignia in eum volumina conscripsit: cum jam antea & volumen aliud, Contra omnes hæreses, emisisset *g*. Neque destitit quacumque occasione, tam illas quam illarum auctores in apertum protrahere, persequi, impugnare. Nonnulla enim à quibusdam hæreticis eaque horrenda facinora patrabantur; quæ, quod se etiam ipsi Christianos vocitarent, in vere & pie Christianos redundabant, totamque nostræ fidei rationem tam Judæis quam Gentilibus mire exosam reddebant. Quare hic noster Philosophus, homo siquis alius solers & acutus, nihil melius, nihilque magis necessarium illo rerum statu judicavit, quam ut Christiani nomen explicaret, distingueret; quibus jure conveniret, à quibus injuria usurparetur, ostenderet; denique efficeret, ut nemo propter hoc nomen, sed propter scelera, quæ quisque commisisset, plecteretur. Quemadmodum enim nemo philosophus, quamvis malus, propter nudum philosophi nomen pœna afficitur; ita neque Christianum, propter solam Christiani appellationem, ullo multandum esse supplicio contendebat: atque ut multos est reperire, qui philosophi nomen, quod solis vere philosophis quadrat, sibi perperam arrogent; sic, inquiebat, & Christiani. Denique hoc inter alia, declaratis hæresiarcharum nominibus atque erroribus, est boni assecutus, ut & ii qui ad religionem Christianam erant propensi, caute attenderent, in quorum se magistrorum disciplinam traderent; & qui nostræ fidei sacramentis initiati jam erant, istorum se figmentis circumveniri nequaquam sinerent. *h* Et quia paupertatis, sobrietatis, castimoniæ cultor præcipuus semper fuerat, nuncque præsertim à suscepta Christi doctrina erat; hinc eos maxime aversabatur & exagitabat, qui in vitia his virtutibus contraria turpiter projecti, Christianos impudentibus calumniis lacessebant. Inter quos ea tempestate, Crescens quidam, secta Cynicus, facile palmam obtinebat, homo, si quis alius, sordidæ avaritiæ deditus, & turpiori quoque libidine inquinatus. Cum hoc igitur præcipuo religionis nostræ adversario, Romæ degenti, voluntarias Christi causa inimicitias suscepit: eumque, partim mores philosopho indignos exprobrando, partim acutis interrogationibus hominis inscitiam intolerabili conjunctam arrogantię propalando, graviter vulneravit. Nam ille pudoris atque ignominiæ, quam & tunc in magna mortalium corona & post disperso in vulgus libello passus fuerat, impatiens, sui impotens, omnem pro hac vindicanda ignominia movere lapidem; nihilque, quo ejus auctorem Justinum & Justini sectatorem Tatianum in mortem præcipitaret, intentatum relinquere.

f & hæreticos,

g

propter quorum scelera Christiani diffamabantur.

B

h coarguit Crescentem Cynicum,

C

13 Ac de Justino quidem, uti in tempore explicabitur, negotium peregit; non autem, quemadmodum optabat, de Tatiano: hic enim evasit, & magistri sui Justini cum eodem Crescente inimicitias egregie persecutus fuit. Nam & ipsum in præclara illa contra Gentiles oratione (quam ad magistri sui æmulationem composuit) miris quidem, sed veris, ut communem utriusque hostem, coloribus deformavit. Vidi quemdam sæpenumero, inquit, & cum vidissem, sum admiratus; & cum admiratus essem, postea contempsi (nempe qui alius esset intrinsecus, quam extrinsecus mentiretur) hominem scilicet perquam deliciosum, & prorsus fractum voluptatibus, & partim oculis micantem, partim manibus gesticulantem, & vultu luteo insanientem, & jam Veneri, jam Apollini assimilatum, unum Deorum omnium accusatorem, superstitionis compendium, actionum heroicarum calumniatorem, cædium repræsentatorem, adulterii promotorem, insanæ avaritiæ magistrum, fœdissimæ libidinis doctorem, & omnium denique condemnationum auctorem & instigatorem: & talis quidem cum esset, vidi ab omnibus prædicari. Ego vero illum cuncta mentientem, & ejus simul impietatem ac studia abominatus sum. In alio autem ejusdem orationis loco, partim tacito partim expresso nomine, utrasque illius tam avaritiæ quam impuritatis sordes sic exprobrat: Atqui tantum, inquit, ab hoc mortis contemptu & tranquillitate animi, se suisque rebus contenti ac nihil fluxum ambientis, vestri absunt philosophi; ut sint, qui sexcentos quotannis aureos nummos ab Imperatore Romano accipiant, nullam ad utilitatem aliam, nisi ut ne promissam barbam gratis alant. Itaque Crescens ille, in magna urbe nidulatus, incesto impuroque amore cunctos anteibat, pecuniæ autem studio longe omnium erat addictissimus. Qui cum mortem contemnendam prædicaret, adeo tamen eam exhorrescebat, ut ei tamquam grandi *i* malo Justinum objicere satageret: quod is nimirum veritatem dilaudans, in voluptarios atque deceptores philosophos inveheretur. Hactenus contra Crescentem pro Justino Martyre Tatianus: qui, licet iisdem fere vestigiis quibus Justinus ad fidem pervenerit, licet eodem marte & iisdem armis eam defenderit, licet religionis hostes acriter solideque impugnarit; tamen, ô Dei stupenda judicia! post magistri mortem à recta fidei regula excidit: non ita quidem, ut ad gentilitias rediret fabulas, aut in Judaicas inclinaret cerimonias, aut Christi legem sciens volens prorsus respueret; sed ita tamen, ut dum inimicos ejus legis nimio insectatur odio, declinatque in contrarium, ab uno extremo in alterum, medio amisso, deflecteret: scientiaque, ut fit, in superbiam deerrante, in eam opinionem incidit obstinavitque, ut & nuptias diceret execrabiles, & solam fere continentiam cælo consecraret. A qua quidem continentia, qui eum sectati sui sunt hæretici, ἐγκρατῖται Græcis, Continentes Latinis sunt appellati. Ita quidem Justino martyrii laurea; Tatiano autem, heu dolor! aliud nihil nisi vanæ famæ aura, & ea fumo levior, collecta est.

quem vita turpissimum describit Tatianus,

D

i utinam imitatus magistri humilitatem!

E

14 Neque nescivit Justinus quanto cum periculo suo hæc faceret: ideoque in suæ Apologiæ præfatione, cum ostendisset, eos qui ex ratione & virtute vitam degere studuissent, semper odiis malevolorum appetitos necique datos, ita de se, quasi mortem præsagiens, adjecit: Et ego quoque, exspecto, ut ab aliquo clarorum virorum insidiis appetar ac ligno *k* suffigar; & fortassis à Crescente, plausus popularis & jactantiæ studioso: nec enim sapientiæ studiosum appellare æquum est eum, qui de iis, quæ ignorat, publice testetur; & de Christianis, tamquam impiis & Deo carentibus, disputet: quod ipse ad multorum, qui in errorem delapsi sunt, gratiam ac voluptatem facit. Nam si doctrinæ Christianæ ignarus in nos incurrit, plane improbus est, & idiotis multo deterior, qui sæpenumero, ne de iis, quæ ignorant, disceptent, neve falsum testentur, cavent: sin ejusdem gnarus & mysteriorum nostrorum sciens, id propterea facit ne pro tali habeatur; tum etiam multo vilior atque omnino perditus sit, necesse est; nimirum imperitæ atque à ratione alienæ opinioni cedens, ac timori succumbens. Et quidem scire vos velim, me illi hujus generis quæstiones quasdam proposuisse, cognovisseque, atque adeo argumentis evicisse, nihil eum vere certoque scire. Atque ut intelligatis me vera proloqui, paratus sum (si forte ad vos disputationis nostræ puncta non pervenerint) rursus coram vobis instaurare cum illo certamen;

F

k Ab eodem Crescente mortem sibi parandam,

præsagit Justinus.

Regis

A Regis enim opus hoc fuerit: sin vobis notæ sunt & responsiones ejus & interrogationes meæ, jam profecto exploratum vobis est, aut nihil eum scire; aut si quid scit & propter audientes eloqui non audet, sane quidem, ut ante dixi, non sapientiæ amator, sed gloriæ potius esse studiosus convincitur: quippe qui Socratæum illud omni approbatione dignissimum, quo dixit, hominem Veritati præferendum esse neminem, parvi pendat. Verum non potest homo Cynicus, qui finem in rebus infimis ac promiscuis ponat, bonum aliud quam infimum ac promiscuum nosse. Hactenus Justinus: cui, quemadmodum ipse prædixerat, insidiæ à Crescente Cynico, veritatis impatiente, & dolis omnibus armato structæ sunt. Illo enim auctore, procuratore, solicitatore, comprehensus tandem Justinus, atque in carcerem conjectus, demum veneno potatus (ut post fusius dicetur) interiit.

ANNOTATA.

a *Calumnias, Christianis à vulgo ignoranti impingi solitas, nonnullam earum occasionem ex hæreticorum abominationibus hauriente, fuse explicat pag.* 370 *Halloix.*

B b *Idem pag.* 373 *exempla & auctoritates eodem spectantes colligit.*

c *Addit idem, opinionem esse verosimillimam, extremis Hadriani vel primis Antonini Pii annis hoc contigisse, sub annum, ut notat* 140: *nobis longe visum est probabilius, circa an.* 119, *Iustini conversionem factam: neque enim ab Epiphanio in arctum cogimur; quasi ἐν τῇ καθεστώσῃ ἡλικίᾳ, quæ ultra annum ætatis* 50 *extendi vix potest, Sanctus martyrium pertulisset.*

d *De his multa in Annotat. Halloix pag.* 376.

e *In Ægypto fuisse se, atque Alexandriæ vidisse* vestigia cellarum adhuc in Pharo stantia, *intra quas* LXX *Interpretum versio condita fertur, in Parænesi dicit.*

f Romæ enim diatribas habebat, *inquit Hieronymus lib. de script. eccl. Addit Halloix* in collo Viminali apud Thermas Timothinas hospitium habuisse: *sed hoc ex alterius Iustini Actis acceptum, putamus ad hunc non esse trahendum.*

g *Id sub Adriano factum Cedrenus scribit. Marcionis autem hæreses fuse exponit Halloix in Annotat. pag.* 178.

h *Quæ sequuntur de Crescente deque vexatis iniquè Christianis, Ptolomeoque & sociis ad Vitæ finem retulerat Halloix, ratus Apologiam, in qua de istis agitur, fuisse secundam, ut male inscribitur: nos ordini suo cuncta restituimus.*

C i *Ita corrigendum & Græce legendum καθάπερ μεγάλῳ κακῷ censet Halloix, eademque via sibi ipsi præripit probationem mortis, Tatiano pariter intentatæ: cum hactenus legatur καθάπερ καὶ ἐμέ, ὡς κακῷ,* ut ei Justinum, sicuti & me, tamquam malo cuipiam objicere satageret, *quod plane retinendum censemus.*

k *Ita vertit Halloix atque pag.* 291 *de crucifixione intelligit, quod Græce habetur καὶ ξύλῳ ἐμπαγῆναι, quod proprie impalationem, haud inusitatam Romanis, significat, à Christophorsono autem inepte satis vertitur,* & fuste conquassatus obierat.

CAPUT III.

Prima pro Christianis Apologia Imperatoribus oblata.

15 POst navatam in convertendis Judæis ac Gentilibus, & in hæreticis itidem confutandis, insignem operam; tertium sibi laborem, & vere Regis opus, contra iniquos ac truculentos in Christi gregem magistratus, generose assumpsit. Tametsi enim Hadrianus Imperator, partim sanctissimorum virorum Quadrati & Aristidis pro fide nostra *a* defensionibus, partim Serenii Graniani litteris permotus, *Pro Christianis contra ejus vexatores,*

incitatam in Christianos persecutionem repressisset; nec in eos Antoninus Pius, Hadriani successor, quidquam impie crudeliterve hactenus statuisset; non deerant tamen, qui dæmone instigante, tam turpes illis sæpenumero calumnias inurerent, ut totum Christianum genus, gravissimorum scelerum infamia, quamvis immerito, laboraret. His accedebat ipsorum magistratuum, impietate & avaritia, velut duabus furiis ardentibus, inflammata sævitia. In jus ergo atque ad cruenta tribunalia, optimi quique Catholicorum, immanibus confictis criminibus, raptabantur: à quibus si nihil aliud quam pura veritas extorqueri posset; tum ipsorum servi, pueri, mulierculæ in quæstionem & tormenta pertrahebantur: quo scilicet infirmiora membra, vi horrendorum cruciatuum, ad objectorum ipsis flagitiorum confessionem adigerentur. Cum hæc ita invalesceret immanitas, multique variis in locis Præfectorum ac Præsidum malitia, causis nec auditis nec examinatis, neci traderentur; accidit Romæ, ut mulier quædam Ethnica, in cœno libidinis una cum marito turpiter hactenus volutata, divini horrore judicii; & eorum quæ fides promittit bonorum exspectatione, simul voluptatibus simul idolis nuntium remitteret. Doctrinam ergo Christianam unaque continentem vitam amplexa, institit apud maritum, ut idem secum vitæ genus doctrinæque capesseret. Cui rei impetrandæ, tam ignem illum æternum impuris & impudicis præparatum, quam incomparabilia & infinita præmia piis & castis destinata (quemadmodum in Christi schola didicerat) proposuit. Verum, ut hominem vidit in sua obscœnitate obstinatius persistentem, nec à fœdis factis ullo pacto avelli posse, impium esse rata diutius retinere eum eo contubernium, qui præter naturæ legem & præter fas omne, variis è libidinibus fructum illicitæ voluptatis perquireret, discessionem ab eo tentavit; fecissetque tum haud dubie, nisi propinquorum auctoritas, id dissuadentium & spem futuræ mutationis ingerentium, retardasset. Sustinuit proinde aliquantisper, licet invita; utpote quæ mariti mores melius, quam propinqui omnes, una pernosceret. *PER PET. HALLOIX. motus indignitate judicii, E*

16 Interea profectus est ille Alexandriam: sed mutavit locum, non ingenium. Quare cum & ibi deteriora illum, quam antehac, designare facinora uxor, hoc uno calamitosa, rescisset; verita ne si thoro & mensa cum illo deinceps communicaret, ejus particeps impietatis ac nequitiæ fieret, dato ei repudio se disiunxit. Ille autem, quem gestire lætitia oportuisset, quod conjux sua (quæ famulis & mercenariis ad ebrietatem & ad lasciviam & ad omne flagitium hactenus abusa fuerat) nunc tot ablegatis sceleribus, sese ad frugem recepisset, eodemque ipsum invitaret; contra tantum abfuit, ut de tam bona mutatione & invitatione gavisus sit; ut eam potius, quod Christiana esset, accusarit. Illa vero, (quod magnæ prudentiæ fuit) libellum supplicem Imperatori obtulit, postulavitque, sibi ut liceret primum rei suæ familiari consulere; tum se criminationi haud gravate responsuram. Cui annuente Imperatore, cum iste, quid in eam ageret, in præsenti non haberet; intermissa accusatione, in Ptolemæum, hujus mulieris in fidei ac pietatis tirocinio instructorem, hoc modo se convertit. Centurioni amico suo, qui Ptolemæum in vincula conjecerat, persuasit, uti eumdem Ptolemæum conveniret, hocque ex illo unum quæreret, an esset Christianus? Convenit, quæsivit, eumque tamquam amicum veritatis, neque fallendi neque mentiendi gnarum, ingenue confitentem habuit. Mox ergo eum in vincula redigi, longoque intervallo hominem innoxium detineri ac torqueri jubet. Ad extremum denique ducitur ad Urbicium Ptole- *contra Ptolomæum Christianum F & alios duos ab Urbicio Præfecto exercitii,*

PER PET. HALLOIX. Ptolemæus, & hoc unum similiter interrogatur, an sit Christianus? Qui recte factorum conscientia fretus, rursum divinæ virtutis disciplinam intrepide confitetur. Qui enim negat se esse, quod profitetur, inquit Justinus, aut certe negat, quia professionem ipsam improbet; aut eam confiteri refugit, quia sibi conscius sit, vitam se illa professione indignam atque ab ejus institutis alienam traducere: quorum neutrum in verum Christianum cadit. Jussit ergo Urbicius eum duci. Aderat tum forte Lucius quidam, & ipse Christianus, qui tanta iniquitate judicii animadversa, Urbicium adortus; Quid est, inquit, causæ, Urbici, quamobrem virum, qui neque adulter sit, neque stuprator, neque homicida, neque fur, neque raptor, neque ullius demum sceleris convictus, sed Christianum duntaxat nomen confessus, duci jubeas? Tu non judicas, Urbici, neque Pio Imperatore, neque Philosopho Cæsaris filio, neque sacrosancto Senatu condigna. Cui ille, absque alio responso, Et tu, inquit, ut mihi videris, ex eorum es numero. Et respondente Lucio, Sum equidem; ipsum quoque abripi jussit. Lucius autem, Gratias tibi, inquit, ingentes habeo, bone vir: nec enim solum ab iniquis improbisque dominis liberabor, sed etiam ad bonum patrem & Regem Deum proficiscar. Accessit deinde & tertius, qui pari utens dicendi libertate, pari quoque est morte multatus. Ita scilicet fraternus in illis amor, ita generosa pro Christi fide libertas, ita pro adipiscenda martyrii corona fervens æmulatio mentes occupabat: ut se non quæri, non vocari, non expectari sinerent, sed morti & tormentis voluntarii occurrerent. b

& alios duos ab Urbicio Præfecto exercitii,

B

b

17 Justinus tantam rei indignitatem non ferens, Antonino Pio Imperatori, ejusque filiis Cæsaribus ab se exponendam, palam ac manifeste, totius Christianæ religionis causam duxit, scripta nobili illa quæ extat Apologia, in ipsa ad eam Præfatione prænarrati judicii iniquitatem exponens, petensq; ut una cum senatus-consulto, in favorem Christianorum promulgando, in omnes provincias, ipsa quoque mitteretur Apologia, quam Imperatoribus ipsis, & universo Senatui, cum hac memorabili inscriptione, dedicabat: c Imperatori Tito Ælio Hadriano, Antonino, Pio, Augusto, Cæsari, & Verissimo filio Philosopho; & Lucio Philosopho, Lucii quidem Cæsaris nativo, Pii autem adoptivo Filio, eruditionis amatori, sacroque Senatui & populo Romano universo; pro iis, quos omne hominum genus odio & calumniis injuste prosequitur, Justinus Prisci Bacchii filius, Flaviæ d Neapoleos Syriæ Palæstinæ civis, unus ex iis, hanc orationem & libellum composui. Quibus in verbis manifeste profecto ostendit, neque latere se velle, ut timidum; neque odia & calumnias reformidare, ut pusillanimem: sed vereri potius; ne, quis ipse vel cuias sit, nesciatur; vel denique ne ignoretur esse Christianus. Unus ex iis: quasi diceret, unus aliquis de illorum numero gregarius, quos totus mundus odit & calumniatur, & ejusdem cum ipsis odii atque calumniæ, lubens volens, Christi causa socius & particeps. Ut autem Apologiæ inscriptio, sic tota Apologia fortitudinis atque constantiæ plena fuit. In qua primo docuit Christianos, nec ob nomen, nec ob mores, nec ob doctrinam supplicio ullo esse dignos; idque cum aliis rationibus, tum productis Christi ipsius documentis planum fecit: quæ documenta cum Gentilium collata institutis, nihil habere, nec à pietate nec à recta ratione alienum, evidenter ostendit. Deinde acriter refutatis deorum fabulis atque spurcitiis, Domini Jesu vitam, multis retro seculis per Prophetarum oracula prænuntiatam, laudatis eorumdem testimoniis, manifestissime commonstravit. Simonem vero Magum hæresiarcham, qui magicis illusionibus adeo Romam ipsam dementaverat, ut Deus, erecta statua & inscripta, Simoni Deo sancto, e passim haberetur; & cum illo una f Menandrum, novæ satorem superstitionis, merito infamavit; istiusque evertendam statuam, utpote hominis plani ac deceptoris nefarium monumentum censuit, palamque postulavit. Denique ipsa initiationis & sanctificationis nostræ abdita mysteria, hoc est, Baptismi g & Eucharistiæ, eorumque ritus (ne forte celando haud fideliter agere videretur) iisdem scriptis suis propalare non dubitavit. Ad extremum vero omnem Apologiam ita conclusit; ut diceret se posse quidem ex litteris Hadriani Imperatoris eorum parentis efflagitare, ut nihil adversus Christianos, nisi ex causa scelerum, acerbius statueretur; verum non tam propter illius præjudicium & auctoritatem, quam propter postulationis suæ æquitatem, id se efflagitare. Tum ipsius epistolæ Hadriani exemplum subjunxit; quo etiam in hoc ejus fides veritasque constaret.

c

Apologiam offert:

C

d

& illorum innocentiam sic probat,

D

e

f

g

18 Hujus porro Apologiæ fructus fuit, Antonini Pii Imp. erga Christianos homines, teste Paullo Orosio, h clementia atque benignitas. Dedit enim idem Antoninus Pius ad Præfectos, ac Præsides provinciarum litteras pro Christianis, epistolæ patris sui Hadriani conformes, & rescriptum item ad Asianos, quod hodieque exstat, & est ejusmodi: Imperator Cæsar, Titus Ælius Hadrianus Antoninus, Augustus, Pius, Pontifex Maximus, Tribunitiæ potestatis xv, Cons. iv, Pater Patriæ, populis Asiæ, Salutem. Equidem existimarim Diis quoque ipsis curæ esse, ne hujusmodi homines lateant. Multo enim magis Dii, si quidem possint, vindicaverint in eos, qui adorare ipsos nolunt: contra quos tumultum ipsi concitatis, & sententiam eorum tamquam impiorum sugillatis, & alia quædam objicitis, quæ probare non potestis. Atque ipsis quidem utile fuerit, propter ea de quibus accusantur, mortem oppetere: dum enim animas suas projiciunt, magis de vobis triumphant, quam si obsequentes postulata vestra peragerent. Ad terræmotus autem tam præteritos quam præsentes quod attinet, non alienum videtur commemorare, quomodo dum eveniunt animos despondeatis, & quæ vobis sunt propria in eos transferatis. Nam ipsi quidem Deo magis quam vos confidunt; quippe qui per ejusmodi tempus & ignorare Deos videmini, & res sacras negligitis. Nam religionem erga Deum non intelligitis; unde & eam observantes invidia persequimini & ad mortem usque infestatis. Super hujuscemodi jam & alii quidam Provinciarum Rectores divinissimo patri meo scripserunt: quibus ille rescripsit, nihil molestiæ facessendum esse talibus viris, nisi si adversus Romanum imperium moliti esse quippiam deprehendantur. Quin & multi ad me de iisdem litteras dederunt, quibus ego conformiter patris mei sententiæ respondi: nimirum, si quis cum Christiano homine habens negotium, tamquam Christianum eum deferat; is quidem qui delatus fuerit, crimine absolvatur, tametsi reipsa sit Christianus; qui vero detulerit, pœnæ sit obnoxius. i

h

P

ut egregium pro iis rescriptum impetrarit ab Antonino Pio.

F

i

ANNOTATA.

a *Agit de his S. Hieronymus in Catalogo: coluntur autem S. Quadratus 26 Maii, S. Aristides 31 Augusti.*

b *Ptolomæi & Sociorum martyrium recolitur 19 Octob.*

c Sub annum Domini 142 *inquit Halloix, secutus vitiatum hac parte Eusebii Chronicon, & Pseudo-dexteri auctoritatem; pro quo, annum 143 signante, ad Eusebium conciliando non laborasset, si Dextrini illius chronici imposturam cognovisset.*

d Hallo-

A d *Hallucinatum hic Eusebii interpretem Christophorsonum notant Halloix & Vallesius, quia* ἐκ τῆς Φλαυΐας *vertit* ex gente Flavia, *quod Iustino non competebat.*

e *Contra Desiderium Heraldum & Claudium Salmasium, in controversiam hoc vocare ausos, atque asserere quod Christiani invenientes aras,* Sancto Sanco Semoni Deo Fidio, Sanco Fidio Semopatri, Semoni Sanco Deo Fidio, *inscriptas, antiquitatis ignorantia una cum Iustino lapsi, existimaverint ad Simonem magum eas spectare; contra hos, inquam, nihil verentes novatorio spiritu certissima quæque antiquitatis monumenta conceptiunculis suis postponere, fuse & erudite disputat Halloix in Annotat. pag.* 382 *& seqq. nodumque ex Dione objectum sic solvit, quod licet Claudius aliquando sic abominatus sit statuarum multitudinẽ immodicam, qua templa & quævis opera publica scatere videbat, ut de iis quid facto opus esset se diceret deliberaturum; Messalina tamen Claudii uxor, cujus ex libertorum arbitrio omnia agebantur, præsumpserit etiam adulterum suum Mnesterem pantominum, in mariti conspectu, statuis erigendis honorare aut verius infamare.*

An statua Simoni mago ab Ethnicis posita?

f *Fuit* Menander *Samaritanus, Simonis discipulus, cujus Tertullianus quoque libro de anima cap.* 1 *& Irenæus lib.* 1 *cap.*21 *meminerunt, cum execratione errorum ejus.*

g *Declarat hæc fuse ex variis Iustini locis Halloix, in prosecutione Vitæ Iustini cap.* 16 *per plures paragraphos, & cap.*22.

B h *Lib.*7 *cap.* 14 Justinus Philosophus librum pro Christiana religione compositum Antonino tradidit, benignumque eum erga Christianos homines effecit.

i *In Græco Codice inveniri etiam* τὸ δ' *notat Fridericus Sylburgius in Annotat. super Iustinum, licet interpres Latinus, Eusebii corruptam lectionem secutus, scripserit* 111. *Lectionem autem suam confirmat Sylburgius hac argentei nummi inscriptione,* IMP. CÆS. T. ÆL. HADR. ANTONINUS AUG. PIUS. P. P. TR. POT. XV. COS. IV, TRANQ. *cui, quoad numerum Tribunitiæ potestatis & Consulatus, similes alios quatuor nummos viderit.*

CAPUT IV.

Disputatio cum Tryphone, Apologia secunda, mors pro fide obita.

19 Post oblatam in urbe Roma Imperatoribus Apologiam, & impetratum pro Christianis superius edictum, profectus est Justinus in Asiam, secumque una, ut vero est simillimum, edicti exemplum detulit; atque ut Ephesi in communi Asiæ C promulgaretur, ex Cæsareæ auctoritatis indulgentia, obtinuit. Nam & propositum ibi edictum, diserte testatur Eusebius: & sub idem ipsum tempus fuisse Ephesi Justinum, certo constat. Illic enim cum hac tempestate moram ageret, & sub pallio philosophico, *a* quod nunquam dimisit, animas venaretur; commodum accidit, ut Tryphon, homo Judæus *b*, isque sacrarum litterarum, pro more gentis & ratione conditionis, admodum gnarus, in eum forte in xysto *c* deambulantem incideret; ejusque tamquam philosophi (nesciebat enim esse Christianum) appeteret congressum; & ex congressu, ei Dialogo, qui à Justino scriptus jam exstat, occasionem ministraret. Quidquid enim inter ipsos tum intercessit colloquii & disputationis, quæ biduum ipsum tenuit, hoc postmodum in lucem Justinus edidit, & Marco Pompejo dedicavit. Ratus ergo Tryphon, è Justini habitu, unum aliquem se offendisse ex Academiæ Philosophis, adit cominus: & una cum comitibus suis illum aggrediens, Salve, inquit, Philosophe. Ad quem conversus Justinus, Ecquidnam, ait, potissimum rei? Cui ille, Edoctus sum, inquit, Argis à Corintho Socratico, haud contemnendos esse qui istoc utantur habitu; sed eorum consuetudinem ac familiaritatem prorsus ambiendam: quandoquidem spes semper affulgeat alicujus in alterutram partem utilitatis emersuræ: quod autem alterutri profuerit, ambos juverit. Hinc ego, cum in ejusmodi habitu quempiam conspexero, perlubenter adire atque affari soleo, quemadmodum & te nunc lubenter sum affatus. Hi autem comites mei & asseclæ, cupidi itidem sunt aliquid, quod ex usu sit, abs te audiendi. Ad quem Justinus, deflexo nonnihil in rem præsentem Homeri versiculo, blande jocabundus, ita vicissim sciscitatur:

Ephesi cum Tryphone Iudæo congressus,

PER PET. HALLOIX.

Sed tu quisnam hominũ, dic præstantissime nobis? *d* Iliad. 6. d

Cui ille & nomen & genus ingenue exponens, Mihi nomen est Tryphon, inquit: sum autem Hebræus ex circumcisione, & è bello *e* nuper gesto profugus, atque in Græcia & Corinthi præcipue degere solitus. e

20 Tum Justinus, arrepta hinc occasione sermonis ad res salutares derivandi, atque à Judaicis ad Christianos ritus pedetentim deducendi, An tu vero inquit, tantum è philosophia capere potes emolumenti, quantum è Legislatore tuo & Prophetis? Quidni? respondit ille. An non philosophi totos de Deo sermones contexunt? An aliud eorum quæstiones, quam de monarchia, de providentia disputant? Aut forte non est philosophiæ partium, de divinis perscrutari? Est omnino, subjecit Justinus: nostra quoque hæc est sententia. Verum plurimi ne hoc quidem curant, unusne, an plures sint Dii? & eorumne providentia ad unumquemque nostrum se extendat, an secus? Quasi nimirum ejusmodi cognitio nihil ad beatitudinem momenti admodum importet. Quin etiam persuadere nobis contendunt, totius quidem universi & generum ac specierum curam Deum administrare, sed mei & tui & cujusque nostrum singillatim haud quaquam. Nam, si aliter esset, inquiunt, nihil causæ haberemus, quamobrem eum precibus dies noctesque fatigaremus. Hæc autem quo tendant, haud difficile est animadvertere. Siquidem illis cordi est libertas, & licentia quidvis dicendi, & sectandi eos qui docent, licere omnia ex arbitrio & dicere & facere, nihil à Deo mali formidantes, nihil sperantes boni. Quomodo enim aliter sentiant, qui omnia semper eodẽ statu futura jactitant: ita scilicet vixisse homines hactenus, ita victuros in posterũ; nihilo pejores, nihilo meliores. Quidam vero statuentes animam immortalem & incorpoream, si quid improbe patraverint, se nullam luituros pœnam arbitrantur (Nam quod incorporeum, idem, ajunt, est impatibile) neque proinde, cum sit immortalis, Deo indigere autumant. Quibus dictis urbane subridens Tryphon, Tu autem, inquit, de his quid sentias, quamve opinionem de Deo teneas, nobis edissere. Exponam ergo, ait Justinus, quod mihi videtur. Est sane philosophia bonum maximum & Deo gratissimum: quippe quæ sola nos ad eum adducat, eique commendet. Atque ii demum vere justi & sancti sunt, qui philosophiæ animum addicunt. Quid autem sit philosophia, & quam ob causam ad mortales demissa, permultos latet. Nam si nossent, sane cum una eademque sit scientia, nec Platonici essent, nec Stoici, nec Peripatetici, nec Theoretici, nec Pythagoræi. Unde autem multiceps facta sit, dicam. Qui philosophiam primi attigere, magno in honore & gloria apud homines fuerunt. Hinc eorum sectatores, nihil de veritate perquirentes, sed eorum duntaxat fortitudinem, continentiam, doctrinæ novitatem admirantes, vera esse quæ à magistro suo quisque didicisset, existimarunt. Qui deinde ipsi hæc & alia his similia ad posteros transmittentes, eo cœperunt nomine appellari, quo fuerat ipsius disciplinæ parens appellatus.

studium ei commendat rerum divinarum,

quas negat à Philosophis perfecte addisci;

PER PET. HALLOIX.

21 Denique Justinus, his quasi gradibus in materiam de Deo, quatenus quidem à philosophis ea tractatur, ingressus; sensim ad conversionis suæ narrationem, indeque ad disputationem de vera fide, ac demum ad ea quæ Christianos inter & Judæos versantur in controversia, sermonem universum transtulit. In cujus quidem decursu, simili prope zelo adversus Tryphonem & ejus comites Judæos, sive cohortando, sive increpando, efferbuisse animadvertitur, quo olim adversus eorum patres ac majores usus fuerat Hierosolymis S. Stephanus. Quod cum ex aliis pluribus locis, tum ex ea hujus dialogi parte, ubi eorum ingratum, impium, immitemque animum redarguit, licet intelligi. Sic enim dixit: Quemadmodum & vos, inquit, semper fecistis, qui interdum quidem vitulum conflastis, semper autem ingrati & justorum interemptores, & fastu inflati propter genus vestrum extitistis. Et rursus: Hæc cum sæpe audiatis, inquit, tamen non erubescitis; neque interminante Deo perhorrescitis, sed populus stultus & vecors estis. Ideo ecce ego addam, ut transferam populum hunc, dicit Dominus, & transferam eos, & perdam sapientiam sapientum, & prudentiam prudentum abscondam. Et sane merito: nec enim sapientes estis, neque prudentes, sed acres atque versuti; sapientes tantum ad malefaciendum, ad cognoscendum autem consilium Dei absconditum, & testamentum Domini fidele, & ad inveniendas semitas sempiternas, nulli. Ita ille. His consimilia sepe & alias, ex oblata Scripturarum occasione, tamquam justa in eos ira stimulante, congessit; quæ tamen illi, admiratione potius zeli, quam hominis odio perculsi, tacite, patienterque audierunt. Postremo tam multa de vetere Instrumento, & tam clara pro Christo testimonia protulit, & ita cum novo consonare Testamento evidenter ostendit; ut ejus dissertatione capti, altero quoque die eum audire depoposcerint, secumque una complures ad audiendum adduxerint.

sed apud Christianos quærendas ostendit,

Is. 29, 13.

B

semel iterumque.

22 Qua etiam secundæ diei finita disputatione, cum de abscessu suo indicasset, permagnum illi præ se ferre ejus retinendi desiderium, simulque declarare victam ejus sapientia expectationem suam; ac futurum fuisse, si incepta uti consuetudine diutius licuisset, ut plus quoque ad ipsos utilitatis emanaret; verum se rogare, quandoquidem in procinctu esset, saltem ut absens tamquam amicorum meminisset. Quibus Justinus, Vel mea, inquit, ipsius causa, si hic morari contingeret, tales quotidie congressiones appeterem: sed cum solvendi tempus in horas opperiar, vos auctore & adiutore Deo exhortor, ut in hoc maximum de salute vestra certamen serio incumbentes, Christum Dei omnipotentis longe doctoribus vestris antefetre studeatis. Post quæ verba, illis, secundam ei navigationem apprecatis & jam abeuntibus, postremum vale dicens: Nihil vobis, inquit, à Deo majus optare possum, quam ut agnoscentes hac via hominum mentes illustrari, idem quod nos agatis; & hunc nostrum esse Christum Dei, vobis persuasum habeatis. Ita biduano colloquio finis est impositus. In fructumne autem exierit Justini semen, & an Christi fidem Tryphon & comites ejus postea complexi sint, tametsi haud prorsus liquet; tamen in spem bonam venire ex declarato affectu licet. Certe suus, quidquid demum circa illos acciderit, Justino labor non periit: sed propensæ voluntatis ac impensæ caritatis operæ pretium cælo stetit.

C

23 Quonam relicta Epheso iter Justinus recta intenderit; & confestimne in Italiam, an prius alio, quo scilicet rei Christianæ necessitas aliave utilitas invitaret, sese contulerit, nullis equidem observare quivi vestigiis. Proprium enim fuit magnorum & illius præcipue ætatis virorum, nulli adstrictos regioni, de loco in locum, ubi prædæ spiritualis spes aliqua affulgeret, promptissimè aquilarum instar, advolare. Unde ipsius Justini comes & sectator Tatianus, in oratione sua contra Græcos, post multorum admirabilium enarrationem, ita de se suisque itineribus: Hæc quidem, inquit, non aliunde audita narravi, qui magnam terræ partem peragravi, & tum vestra studia professus sum, tum varias artes & inventiones assecutus, tandemque Romæ versatus, varias eo delatas à vobis statuas condidici: ne quis forte me putet, quod plerique solent, alienis opinionibus niti; sed omnia illa, quorum ipsemet oculatus testis sum, conscribere instituo. Quæ verba non magis discipulo Tatiano, quam Justino Magistro posse congruere, ipsa ejus scripta plenissime persuadent: quippe in quibus subinde, quamvis aliud agens, postquam nonnulla retulit memorabilia, sive de Septuaginta Interpretibus in Ægypto, sive de Sibylla Cumana in regione Campaniæ; tum se illorum quidem spectatum ivisse cellulas, cum Alexandriæ ageret; hujus vero ingentem basilicam ex uno fabrefactam saxo in urbe Cumis, ubi Sibylla sua edere oracula solita erat, præsentem conspexisse; imo & æreum loculum, in quo servari ejus reliquiæ ferebantur, sibi ostensum ab ejusmodi rerum indicibus, protestatur. Quanquam ergo ignotæ sint aliæ ejus peregrinationes, tamen Romam tandem altera & postrema vice, velut postliminio, sive adhuc Antonino Pio imperante, sive ejus liberis M. Aurelio Antonino & Lucio Vero jam regnantibus, reversus, consuetis dicendi, disserendi, scribendi exercitiis se reddidit. *f*

Variæ peregrinatus,

D

pro illius avi more,

Romam revertitur.

E

f

24 Ibi Catholicis & contra hæreticos, & contra vanos ac futiles philosophos, & contra injustos ac crudeles magistratus, omni ope subvenire dum laborat, rursus in Crescentem Cynicum impegit. Quo nihilominus solitam calumniandi licentiam exercente, & Romanam nobilitatem adversus Christianos vehementius commovente, veritus Justinus, ne quæ in nonnullis terrarum partibus violentior persecutio, ex incursione popularium exorta gliscebat, & innumerabiles propemodum Martyres per universum orbem facere nuntiabatur; tandem etiam publica roboraretur auctoritate Imperatorum: quorum primus religiosissimus in Deos videri volebat, alter erat moribus à virtute Christiana longe alienissimus; secundum librum pro fidei nostræ defensione jam memoratis Imperatoribus obtulit. Et hic quidem senatus Gentilis invidia suppressus atque abolitus, neque tunc Christianæ innocentiæ apud Magistratus præsidium attulit, neque in posterum auctori suo ad augendam nominis famam profuit: magnum tamen imo maximum ei fructum peperit sacram scilicet Martyrii coronam, acceleratam machinatione ac fraudibus Crescentis præfati, Cynicæ appellationi convenientem prorsus vivendi rationem æmulantis. Hunc enim cum Justinus sæpius confudisset, ac forte etiam in secundo libello æque ac primo perstrinxisset acerbius, talem tandem vitæ exitum habuit, qualem sibi pridem in ea quæ publice extat Apologia præsagierat; non quidem palam in stipitem aut crucem actus, sed post generose superata tormenta clam veneno sublatus, quemadmodum ex ecclesiasticis Græcorum libris intelligitur, in quibus memoria ejus, occasione alterius Justini, reperitur kalendis Junij annotata: quæ apud Latinos ibidem occasione SS. Carpi Papyli & Agathonici, eadem persecutione passorum, & immediate ante Justinum ab Eusebio laudatorum, pridem cœpta est agi Idibus Aprilis; cum alias, ut ipsa pene mors, sic dies

& post secundam Apologiam scriptam

F

Crescentis fraudibus interimitur.

A dies & locus mortis in obſcuro manſerit. De anno varie ſentiunt recentiores ſcriptores; hoc unum dici veroſimillime poteſt, nihil eſſe quod ſuadeat diu ante vel poſt centeſimum ſeptuageſimum vulgaris Æræ triumphaſſe Juſtinum. Sed quidquid demum ſit de tempore, hoc ſaltem ad tanti viri gloriam abunde ſufficit, quod omnis Eccleſia Sanctorum, ad pie celebrandam ejus memoriam, unanimi conſenſu votoque conſpiret.

ANNOTATA.

a *Atteſtantur Euſebius atque Hieronymus, quorum hic ait:* Juſtinus Philoſophus, habitu quoque philoſophorum incedens: *iſte lib. 4 cap. 10.* florebat Juſtinus, in philoſophico habitu divinum verbum prædicans. *Halloix in Annot. multa de Pallio colligit pag. 390.*

b *Addit Halloix, ſed per meram conjectandi licentiam,* nobiliſſimus & unus è ducibus Iudæorum in eo bello, quod à Barchocheba adverſus Adrianum Imp. geſtum eſt.

c *Græce apud Iuſtinum* ἐν τοῖς τȣ̃ ξυςȣ̃ περιπάτοις *unde dubitare quis poſſit, an vox* xiſtus *Latinorum more accipienda hic ſit appellative, an proprie,* in Xyſti ambulacris.

d Τίς δὲ σύ ἐσσι φέριςε βροτῶν; *inquit Iuſtinus:*
B *Homerus autem* Τίς δὲ σύ ἐσσι φέριςε κατὰ θνητῶν ἀνθρώπων;

e *Græce* νῦν, *quod quia multo latiorem habet ſignificationem quam Latinum* Nunc, *non licuit verbotenus reddere. Geſtum enim eſſe bellum contra Iudæos, Cocheba ſeu Barchocheba duce in Syria rebellantes, anno Adriani* XVIII, *æra Christiana* CXXXIV, *conſtat ex Spartiano: & tamen de eodem bello loquens Iuſtinus in Apologia,* καὶ ἐν τῷ, *inquit* νῦν γεγενημένῳ Ἰȣδαικῷ πολέμῳ, Βαρχοχεβᾶς ὁ τȣ̃ Ἰȣδαίων ἀποςάσεως ἀρχηγέτης, *quaſi dicat,* bellum quod ultimum contra Judæos fuit, *ante annos ſcilicet quindecim aut ſedecim.*

f *Quæ hic velut Martyrii à S. Iuſtino Philoſopho tolerati Acta ex Lipomano inſeruerat Halloix, propterea quod alterius eſſe in Commentario oſtenderimus; eadem libertate hinc eximimus (ſubſtituto noſtris verbis toto numero ſequenti) quæ ipſum rerum ordinem ab auctore turbatum, diſpoſitis rectius capitulis mutavimus, libenter paſſuri ſi non tam ipſius quam noſtra hæc eſſe collectio cenſeatur.*

CAPUT V.

Virtutes quædam S. Iuſtini è ſcriptis ejus depromptæ.

C Beati Juſtini vitam Dei beneficio hactenus explevi: nunc ejuſdem eximias aliquot virtutes ſtrictim delibabo, quod pulchri bonique ſtudioſis haud ingratum fore exiſtimo. Et prima quidem è choro virtutum, maximeque in viris doctis, ut ne in ſuarum ſublimitate cogitationum evaneſcant, neceſſaria, hic comparebit, vera animi ſubmiſſio atque modeſtia: quæ ſi alibi uſpiam, certe in fidei rebus & ſcriptis divinis potiſſime, quemadmodum in B. Juſtino, ſic in omnibus Chriſtianis Doctoribus, elucere debet. Hanc præſtitit Juſtinus inter diſputandum in urbe Epheſo, cum ita collocutorem ſuum Tryphonem, neſcio quid ex Iſaia opponentem, viciſſim excepit: Si hæc verba, ô Trypho, tacitis iis quæ præcedebant, nec conjunctis quæ ſequebantur, ſimpliciter & abſque malitia protuliſti; venia quidem ſane dignus es: ſin ſperaſti adeo perplexam hanc diſputationem efficere, ut Scripta divina inter ſe contraria eſſe dicerem; vehementer aberraſti. Neque enim ego hoc unquam audebo vel cogitare vel dicere: ſed ſi quæ Scripturæ inter ſe diverſæ, & quamdam repugnandi ſpeciem præ ſe gerere videantur; ego (cum mihi plane perſuaſerim, Scripturam Scripturæ nullam eſſe contrariam) potius non intelligere me quæ propoſita fuerint confitebor; daboque operam, ut eos qui ſcripta illa diſcrepare inter ſe exiſtimaverint, eo adducam, mecum ut idem ſapiant. Ita ille.

Inſignis Iuſtini modeſtia,

PER PET. HALLOIX.

26 Erat in B. Juſtino, una cum hac animi ſubmiſſione, ſpiritus timoris Domini ſingularis; qui pungebat illum identidem ac commonebat, ut ne acceptis à Deo ingenii doctrinæve donis, ſeu tacendo, ſeu ſpargendæ veritati negligentius inſiſtendo, abuteretur. Prodidit inſitum hunc animo timorem in ſcriptis ſuis aliquoties: nam in ſuo cum Judæis colloquio, Scripturas, inquit, vobis relaturus ſum, non artificioſum verborum apparatum oſtentaturus. Nec enim in me talis ulla vis aut facultas ineſt; ſed ſola mihi à Deo gratia ad intelligendas Scripturas collata eſt, cujus quidem gratiæ ut omnes fiant participes, citra pretium atque invidiam, exhortor: ne, ſi forte non fecero, ejus mihi in iſto judicio, quod per Dominum meum Ieſum Chriſtum conditor univerſorum Deus facturus eſt, reddenda ſit ratio. Cui Tryphon: Dignum id quidem tua pietate, inquit, facis: ſed tamen quod artificioſæ orationis facultatem à te amoliris, hoc, ut mihi videtur, diſſimulationis eſt. Cui cum majore rurſus modeſtia Juſtinus, Quando, inquit, ita ſe habere tibi videtur, E ſit ſane, ut vis: ego vero ita eſſe, ut dico, mihi perſuaſum habeo. Sic ibi. Alio item loco ejuſdem dialogi, cum idem Tryphon, ea quæ Juſtinus ſuper admirabilibus Chriſti myſteriis attulerat, non modo ut incredibilia demiraretur, ſed etiam averſaretur ut impia; Scio, inquit Juſtinus, quemadmodum dixit Dei Verbum, abſconditam vobis eſſe Dei omnipotentis & cunctorum creatoris ſapientiam. Quare vicem veſtram condolens laboro atque contendo, ut hæc noſtra admirabilia intelligatis; ſin minus, ut inſons ſaltem ipſe ſim in die judicii: nam alia his admirabiliora etiam audietis. Et paulo inferius, tametſi verbis ejuſdem Tryphonis admodum laceſſitus, tamen divini metu judicii ab eo judicando aut deſpiciendo ſe cohibet: Sed in præſentia, inquit, cum Dei judicium reformidem, nihil de quoquam generis veſtri pronuntiare anticipabo, niſi forte, ſi quis ex iis ſit, qui per gratiam à Domino exercituum ſalvari poſſit. Unde quantumvis maligne agatis, pergam tamen ad id quodcumque proferetis atque opponetis reſpondere: quemadmodum erga omnes omnino, ex quovis hominum genere, qui de his inquirere & percunctari voluerint, facere ſoleo.

& judicii divini reverentia;

Luc. 10, 21. cui ne reus fiat, intrepide de veritatem loquitur

27 Eodem & illa pertinent, quæ ſecundo congreſſus die (nam biduum duravit is dialogus) Tryphoni & ſociis dixit: Ego, inquit, quod ſcio, dicam. F Nec enim, ſi quis ſciat, æquum eſſe arbitror tacere; nec, ſi quis ſuſpicetur vos ſcire, & propter invidiam aut dicendi imperitiam, dicere nolle, id ego curare ſcio ſcilicet; verum ſimpliciter omnia & abſque dolo malo proferre novi: quemadmodum Dominus meus dixit: Exiit, qui ſeminat ſeminare ſemen; & aliud cecidit ſecus viam, & aliud inter ſpinas, & aliud ſuper petroſa, & aliud in terram bonam. Itaque ſpe fretus eſſe alicubi terram bonam, dicere debeo: quandoquidem meus ille Dominus fortis & potens, ſua ab omnibus repetet, cum venerit. Sic & omnibus Euangelii præconibus dicendum eſſet ac ſentiendum. Imo, ſi quando etiam accidat, ut nulla ſit terra bona, quod eſt perrarum; tamen non etiam labor, qui impenditur, non eſt bonus; neque item fructus, quamvis convertantur pauci, exiguus. Quod ipſe quoque Juſtinus alibi hiſce uſus verbis innuit: Tametſi paucis forte perſuadeamus, inquit, maxima nihilominus emolumenta referemus: ſiquidem, ut boni agricolæ, mercedem à Domino re-

Iudæis

Luc. 8, 5.

& gentilibus,

P 3 por-

PER PET. HALLOIX. portabimus. Ac rursus in alia ejusdem dialogi parte, hæreticorum inducta mentione, Multi, inquit, impia & contumeliosa, & injusta, & quæcumque impurus Diaboli spiritus inseverit, sub Christi nomine (quamvis ejus adulterantes doctrinam) docuerunt & nunc docent: quos monere atque hortari, perinde ac vos ipsos, ut ne errent, contendimus. Quippe qui sciamus eos, qui veritatem annuntiare potuerint, nec annuntiaverint, à Deo Optimo Maximo condemnandos: cum id ipse per Ezechielem contestatus sit: Speculatorem posui te domui Judæ. Si peccaverit peccator, nec ei annuntiaveris, ipse quidem in peccato suo morietur, sanguinem vero ejus à te requiram: sin ei annuntiaveris, innocens eris. Nos itaque tali metu perculsi, sermones instituere & miscere colloquia secundum Scripturas satagimus, idque non pecuniæ, non gloriæ, non voluptatis, sed communis dumtaxat utilitatis studio: siquidem nemo nos alicujus istorum vitiorum arguere poterit.

Eze. 3, 17

28 Beati quoque Iustini caritas, ignis & flamma erat; amicosque juxta & inimicos grato sancti amoris æstu corripiebat simul & confovebat. Hoc enim profecto medullitus inardescebat, cum ita Iudæos in dialogo cum Tryphone affaretur: Nam & vos, in synagogis & conventibus vestris, omnes qui à Christo Christiani appellati sunt, execramini; neque vos tantum, sed & aliæ quoque nationes; quæ novum etiam execrationi suæ facinus adjiciunt, cum illos vel eo solum nomine, quod se fateantur esse Christianos, interimunt: quibus nos omnibus dicimus: Vos fratres nostri estis: Dei veritatem potius agnoscite. Cumque nobis nec illi nec vos auscultatis, sed ad Christi nomen abnegandum adigitis, nos mori præeligimus, & morimur; certi nimirum iis nos bonis potituros, quæ per Christum suum nobis Deus compromisit. Neque hoc tantummodo agimus, sed illum quoque deprecamur, ut à Christo misericordiam consequamini. His conformia sunt & illa ad eosdem: Quæcumque patimur, dum à domesticis nostris è medio tollimur, ea nobis esse eventura Christus ipse prædixit: satis ut appareat, nihil nec in dictis ejus esse nec in factis, quod merito queat reprehendi. Quapropter & pro vobis & pro aliis omnibus, nobis hostiliter adversantibus, preces ad Deum spargimus; quo per resipiscentiam nobis conjuncti, à jaciendis in Christum Iesum maledictis (qui & ab operibus & à doctrina & à miraculis ex ejus nomine patratis, & à vaticiniis de eo nuncupatis, omnis omnino culpæ & reprehensionis expers ostenditur) deinceps abstineatis: sed fidem potius ei adjungatis, ut in glorioso ejus adventu salutem adipiscamini, neu flammis ab eo adiudicemini. Et infra: Ne quæso, inquit, ô fratres, ne quid mali in Christum crucifixum proferatis; neve vibices ejus, quibus sanari omnes possunt, sicut & nos sanati sumus, subsannetis. Nam apud vos recte erit; si oratione nostra inducti, cordis vestri duritiem circumcidatis: quam circumcisionem needum, propter insitam vobis opinionem, obtinetis: siquidem vestra illa circumcisio non ad justificationem, sed in signum dumtaxat data est: isto enim sensu ut accipiatur verba ipsa cogunt. In vestris igitur colloquiis parcite in Filium Dei convitia spargere; neu Pharisæis doctoribus morem gerentes, unquam committatis, ut regem Israëlis cavillemini, id quod vestræ synagogæ principes post precationem vos edocent. Nam si is, qui eorum quempiam qui Deo placent attigerit, Dei pupillam tangit; quanto ille magis qui dilectum ejus contigerit?

B *utrosque ardentissima caritate complectens;*

C

29 Liceret ex iisdem beati viri scriptis plura his consimilia in medio ponere: sed tria instar omnium. Nam trahit ad se fortitudo, quæ se multis in locis atque occasionibus visendam in Justino exhibuit. Ac primo quidem, in disputatione cum Iudæis, & eorum duce Tryphone, non semel, sed sæpius. Quid enim aliud ista verba volunt, quæ Tryphoni fidem ejus arguenti, cum justo stomacho reddidit? Ignoscatur tibi, ô bone vir, & venia dictis detur: nescis enim quid dicas, sed magistris obsequens ignaris Scripturarum, & quasi vaticinans, quidquid tibi in mentem venit, deblateras. Sed si auscultare rationi volueris, planum tibi fiet, neque errasse nos, neque Christum confiteri desituros, licet probra homines ingerant, licet tormenta tyrannus importunissimus denuntiet. Quid item ista? Hoc est, inquit, perspicuum, hominem qui nos toto jam orbe in Iesum credentes terrere, aut in servitutem redigere possit, esse neminem. Nam seu capite plectimur, seu cruci suffigimur, seu bestiis objicimur, seu vinculis, flammis, tormentisve quibuslibet aliis tradimur, numquam tamen à fidei confessione descisimus: imo quanto hæc vehementius in nos ingruunt, tanto plures alii per Iesu nomen fideles & Dei cultores existunt. Quemadmodum enim in vite usu venit, ut si quis ejus palmites, qui fructum jam procrearunt, resecet, hoc ipso ad alios ramos bene virentes ac fructiferos emittendos eam præparat; ita & in nobis prorsus accidit: vitis enim à Deo & Salvatore Christo plantata, populus ejus est. Et ista ibidem. Atque hæc dixi, inquit, (nonnulla scilicet dixerat, quæ Judæos acrius morsicarent; ut quod Isaiam prophetam serra lignea secuissent, quod Scripturas sacras infideliter tractassent, aliaque ejuscemodi, auditu illis peracerba) quod nihilæque mihi curæ sit, quam ut veritatem eloquar; quodque nullius omnino respectu absterrendus sim, licet etiam à vobis membratim è vestigio discerpendus forem. Nam neque generis mei, Samaritanorum dico, rationem ullam habui, cum scripto Cæsarem compellans, errare eos dixi, quod Simoni Mago, populari suo crederent, quem ipsi etiam Deum, omni principatu & potestate & virtute majorem esse dicerent.

D *magna animi fortitudine*

mortem pro Christo contemnens,

E

30 Jam illa coram Antonino Pio Imperatore confessio, quam fortis, quam animosa! Cum enim librorum Hystaspis *a* & Sibyllæ & Prophetarum lectio pœna capitis interdicta esset, tamen non modo eos legere, sed eorum quoque auctoritates ipsi offerre Imperatori non dubitavit. Sic enim in sua ad illum Apologia professus est: Instinctu, inquit, & opera malorum dæmonum est factum, ut Hystaspis & Sibyllæ & Prophetarum libros legentibus capitale fuerit constitutum supplicium: nempe quo homines ab iis legendis, unde rerum bonarum haurire notitiam possent, metu deterrerent, sibique mancipatos retinerent. Quod tamen obtinere necdum potuerunt: quippe qui codices istos non intrepide solum perlegimus, sed vobis etiam, ut videtis, inspectandos offerimus: nempe non ignari, quin omnibus grati acceptique futuri sint. Et ibidem de suo & commilitonum Christianorum forti ac sincero animo. Proinde, inquit, qui olim mutuis inter nos grassabamur cædibus, non modo cum hostibus jam non pugnamus, verum etiam & ne mentiamur, neve ipsos ad necem inquisitores decipiamus, perlibenter Christum confitentes morimur. *b* Poterat enim dictum illud à nobis usurpari: Juravi lingua: mentem injuratam gero. Verum hoc esset sane ridiculum, conscriptos à vobis milites, illud quod dixerint sacramentum, suæ ipsorum vitæ & parentibus & patriæ & propinquis omnibus anteferre, tametsi vos ipsis nihil incorruptum præbere possitis: nos autem immortalitatis amatores non omnia perpeti, ut æternis bonis, ab

etiam apud Imperatores. a

laudat vetitam ab iis Hystaspis & Sibyllæ lectionem:

b

eo-

A eo qui dare potest, condonemur. Ita ibi Iustinus.

31 Huic, quam modo in medium produximus, virtuti & constantiæ intrepidi animi, cognata & pene dicam germana soror est dicendi confidentia: quam Valerius Maximus Libertatem vehementis spiritus appellat, & mediam inter virtutem & vitium statuit: sed certe in Iustino Philosopho, Imperatorem ipsum ex motu pietatis, in causa optima, libere & confidenter compellante & arguente, non virtus modo, sed clara quoque & rara virtus est. *parique spiritus, libertate,* Cum igitur Iustinus, Christiani nominis (quo fere nihil mundo erat odiosius) patrocinium suscepisset; essetque coram Imperatoribus Gentilibus causa *c* peroranda; nihil tamen mollis illius & blandi ad aures demulcendas eloquii, velut delinientis olei, adhibuit; sed pede prorsus philosophico ingressus, eos docuit nullius rei tantam (præsertim Imperatoribus piis & philosophis, quales ipsi vulgo haberi volebant) quantam pietatis ducendam esse rationem: justitiæ porro & pietatis Imperatorum magna cum ubique terrarum esset fama & existimatio, nunc venisse tempus, quo appareret; verone, an falso. Sic enim exorsus est: Illis, qui vere pii sunt & philosophi, præscribit ipsa ratio, solam ut veritatem, veterum sententiis (si quidem malæ fuerint) repudiatis, colant atque observent. B Neque enim hoc tantum vetat, ut ne eos sequaris, qui injuste quippiam agant aut doceant; sed etiam, ut quisquis amicus exstiterit veritatis, hic justa loquendi & agendi studium, (tametsi mors impendeat) vel animæ suæ anteponat. Ac vos quidem & pii, & philosophi, & justitiæ custodes, & eruditionis amatores ubique auditis; an vero etiam sitis, jam ostendetur. *causam Christianorum ab eis cognosci petit,* Neque enim ad vos per scripta nostra, velut assentaturi, aut verbis gratiam aucupaturi accessimus; sed postulaturi, ut accurate atque exacte judicium exerceatis, neve ex opinione, quæ animos vestros occupaverit; neu ex cupidine hominibus complacendi, quod superstitiosorum est proprium; neu denique ex amenti mentis impetu, falsove ac jam inveterato rumusculo, adversum nos sententiam proferatis. Nam nos quidem nihil à quoquam pati debere existimamus, nisi si aut maleficii cujuspiam arguamur, aut improbi judicemur. Ceterum necare nos potestis, sed nocere non potestis. *nisi velint palam haberi injusti,* Ac ne quis stultam forte hanc vocem & præaudax dictum putet: à vobis postulamus, ut ea quibus nos isti criminantur, examinetis; & si vera esse comprobentur, puniatis atque coërceatis: C sin est nihil cujus nos convincere quisquam possit, minime profecto rationi est consentaneum, propter falsos vulgi rumores atque convitia, homines innocentes, imo vos ipsos, dum non judicio sed perturbatione res geri sinitis, afficere injuria. Verum eam demum præclaram & solam in jure dicendo justam esse rationem quilibet prudens judicaverit, qua & ii qui parent, institutum vitæ suæ atque doctrinæ culpa vacare ostendant; & qui præsunt, non violentia neque tyrannide, sed religione & sapientia ducti, sententiam ferant. Et infra: Non legitimo, inquit, examine judicia exercetis; sed bruto quodam affectu, & malorum dæmonum œstro perciti, non examinata causa (dicetur enim veritas) & nihil pensi habentes æquitatem, in nos animadvertitis.

32 Denique eodem passu tota progreditur oratio: nam alibi Deos ipsos, ut artificum manu fabrefactos ac dolatos, & artificum quidem nonnumquam omni vita contaminatissimorum, aperte irridet: alibi ipsorum Imperatorum ac Magistratuum acerbas in Christianos quæstiones tam libere & indissimulate insectatur, ut dicere ausit: *& probitatis cultores,* Sed vereri videmini, ne omnes recte vivant, & quos deinceps puniatis, non suppetant: quod carnificum est, non bonorum Principum. Verum à pravis dæmonibus, qui hostias & cultus & ea quæ ante diximus à sceleratis hominibus exigunt, hæc effici ac procurari nobis persuademus; non autem à vobis, quos pietatis & philosophiæ amor tenet, quidquam quod sit præter rationem fieri credimus. Quod si tamen & vos quoque, imperitorum more, veritati consuetudines anteponitis, facite quod potestis. Tantum enim possunt, qui opinionem veritati anteponunt Principes, quantum latrones in solitudine. Sane quidem hæc agentes minime vos feliciter litaturos ratio ipsa demonstrat: nos vero Regem maximum atque justissimum, præter parentem Deum, neminem novimus. Et aliquanto item inferius: Ac tametsi adversus eos, qui docent aut omnino Christi nomen confitentur, pœna capitis decreta sit; nos tamen ubique & amplectimur & docemus. *etiam sic fortiter à Christianis ferendi,* Quod si vos etiam in hæcce nostra scripta hostili animo incideritis; nihil amplius, ut ante diximus, potestis, quam vitam eripere. Quod nobis quidem nihil nocumenti adferet: vobis autem, & quotquot injuste nos oderint, nec resipuerint, æternos per ignem cruciatus importabit. E Extrema porro eadem Apologia, postquam Christianorum vivendi rationem exposuit, ita subjicit: Et hæc quidem, si cum ratione & veritate conjuncta videantur, approbate: sin nugæ appareant, ut nugas contemnite: neu quasi hostibus, mortem jis, qui nihil injuste admiserint, decernite. Vobis enim prænuntiamus, nisi ab injustitia destiteritis, vos futurum Dei judicium nequaquam evasuros: nos autem clamabimus, Quod placitum Deo fuerit, hoc fiat. Hæc, & alia hujusmodi plura, poterit per sese diligens lector, in relictis ab hoc magno sanctoque philosopho scriptorum monumentis, imitanda perquirere, & ut alias in vita ipsius reliqua elucentes virtutes imitari; qui præcipuus longeque utilissimus Sanctorum cultus est.

ANNOTATA.

a De libris Sibyllinis, *propterea prohibitis, quod lectione eorum quæ ipsi de Christo prædixerant*, complures à patria superstitione deficerent, & ad religionem Christianam confugerent, *ut scribit ad annum* 143 *Baronius; existimans Antonini Pii hanc prohibitionem fuisse: de his, inquam pluribus agit Halloix, in Annotat. pag.* 399 *præcipue ex Lactantio Firmiano, Divinarum institutionum cap.* 15 *&* 18.

b Poterat, *inquit: non quasi id licuisse censeret, sed quia hoc sufficiebat ad evitandas pœnas. Est autem hic versus ex medio Eurypidis Hippolito; quem Græce citat Iustinus, Cicero autem lib.* 3 *Offic sub finem Latinum fecit, ut vides,*

Ἡ γλῶσσ' ὀμώμοχ', ἡ δὲ φρὴν ἀνώμοτος.

F c *Scilicet* ἐγγράφως: *nam alias sibi contradiceret Halloix, cap.* 26 *Vitæ pag.* 297 *operose refutans Perionium, qui propter vocem* προσφώνησις allocutio, *Apologiam coram Imperatore pronuntiatam putarat.*

A D

DE SANCTIS MARTYRIBUS CARPO EPISCOPO THYATIRENSI, PAPYLO DIACONO, AGATHONICA SORORE, AGATHODORO FAMULO, ET ALIIS MULTIS, ITEM MARTIALE, ISAACO ET XLIV SOCIIS, PERGAMI IN ASIA.

G. H.

SUB DECIO

Vrbes in Actis nominata Pergamus, Thyatira



TRes *Asia urbes Episcopales praclaris horum Martyrum certaminibus facta sunt illustriores: harum prima est Pergamus, in Mysia majore sita, qua eorum patria censetur, saltem S. Carpi Episcopi, & in qua triumphus illorum est peractus. Altera est Thyatira, urbs Lydia, in qua S. Carpus Episcopus suum Diaconum ordinavit S. Papylum, in eaque ambo capti, varie examinati, & nudi ferreisque collaribus onusti, circumacti fuerunt: sanctus autem Papylus indidem se ortum dixit Valerio Prafidi. Tertia civitas est Sardis, metropolis Lydia,* (*& Sardis,*) *ad quam adducti, & seorsim variis qua blanditiis qua minis tentati, pluribusque tormentis cruciati sunt: ubi & S. Agathodorus famulus, inter tormenta, martyrium complevit: inde vero Pergamum reducti alii, post varios cruciatus, fuerunt cum S. Agathonica capite plexi. Distant autem Sardis & Pergamus ab invicem itinere circiter horarum triginta: quod hic addimus ut intelligantur Martyres, non tantum secunda sed etiam prima vice, qua ligati post equos totum illud spatium pedibus decurrere sunt coacti, totum biduum in eo labore fuisse, etsi id non ita clare de prima vice dicatur in Actis.* (*martyrium indicatum ab Eusebio,*) *Illustrium horum Martyrum meminit Eusebius Pamphilus lib. 4 historia Ecclesiastica cap. 15, cum egisset de martyrio S. Polycarpi Episcopi Smyrnensis, sub Marco Aurelio & Lucio Vero passi, istaque sub finem capitis adjungit:* Ἑξῆς δὲ καὶ ἄλλων ἐν Περγάμῳ, πόλει τῆς Ἀσίας, ὑπομνήματα μεμαρτυρηκότων φέρεται, Κάρπου καὶ Παπύλου καὶ γυναικὸς Ἀγαθονίκης, μετὰ πλείστας καὶ διαπρεπεῖς ὁμολογίας ἐνδόξως τετελειωμένων. Aliorum præterea, qui in urbe Asiæ Pergamo martyrium passi sunt, acta & monumenta etiamnum circumferuntur; Carpi videlicet, Papuli, & mulieris cujusdam Agathonicæ: qui post multas & illustres confessiones glorioso exitu consummati sunt.

2 *Hac Eusebius; quem sui interpretes sic intellexere quasi sub idem tempus quo S. Polycarpus (cujus Martyrium ostendimus XXVI Ianuarii pertinere ad seculum secundu) passus forte etiam S. Carpus.* C (*Nicephoro,*) *Eodem modo Eusebium intellexit Nicephorus lib. 3 cap. 36 ista habet:* Eodem ipso anno, τῷ δ' αὐτῷ ἔτει, (*scilicet, quo Polycarpus & alii Smyrna occubuerant*) & Pergami Carpum Episcopum & Papylum Diaconum & mulierem Agathonicen morte pulchra, post alias quam plurimas, martyrio perfunctos esse historia prodit, ὁ λόγος ἱστόρησε. (*Rufino Presb.*) *Eodem modo Rufinus Presbyter, lib. 4 Histor. Eccl. cap. 15 relato martyrio S. Polycarpi ista subdit.* Post hæc etiam aliorum apud Pergamum, Asiæ urbem, Martyrum gesta referuntur, Carpi cujusdam & Papyrii & Agathonicæ optimæ feminæ, aliarumque multarum, quæ pro beatis confessionibus martyrio coronatæ sunt. *En qui aliis Papylus Diaconus est; Rufino dicitur* Papyrius, *& secuti sunt ad hunc diem in Martyrologiis suis Vsuardus, Ado, Nokerus, & passim alii.* (*Adone,*) *Verba Adonis sunt ista:* Apud Pergamum, Asiæ urbem, SS. Carpi Episcopi & Papirii Diaconi, & Agathonicæ optimæ feminæ, aliarumque multarum, quæ probatis confessionibus martyrio coronatæ sunt. (*Notkero,*) *At Notkerus* quæ pro beatis Confessoribus martyrio coronatæ sunt. (*Vsuardo,*) *Vsuardus vero cum citato Rufino,* quæ pro beatis confessionibus martyrio coronatæ sunt, sub Antonino Vero & Aurelio Commodo. *In hodierno Martyrologio Romano ista explicate magis indicantur:* Pergami in Asia, natalis (*& in Martyrol. Rom.*) sanctorum Martyrum, Carpi Episcopi Thyatirensis, Papyli Diaconi, & Agathonicæ sororis ejus optimæ feminæ; Agathodori quoque eorum famuli, aliorumque multorum: qui post varios cruciatus pro beatis confessionibus martyrio coronati sunt, in persecutione Marci Antonini Veri & Lucii Aurelii Commodi. *Die VIII Aprilis memorantur SS. Carpus, Papyrius & Martialis in MS. Casinensi: & XII Aprilis referuntur* SS. Carpus Episcopus, Paulus, Isaac, Agathon & XLIV Socii, Pergami in Asia *passi, in apographis Martyrologii Hieronymiani, item in MS. Richenoviensi & apud* (*Alibi 8 & 12 Apr.*) *Notkerum, qui* Polycarpum *appellat. Iterum hoc die* SS. Polycarpus Episcopus & Paulus Diaconus *memorantur in Martyrologio S. Hieronymi & variis MSS. & dicuntur* Pergami *passi. Positus est ergo* Polycarpus, *loco* Carpi: *&* Paulus *ibi est, qui aliis* Papylus *&* Papyrius: Agathon *quoque pro* Agathonica; *&* XLIV Socii, *qui aliis alii multi dicuntur. Verum* Isaac & Martialis *non adduntur: In Kalendario antiqui Missalis & Breviarii Ambrosiani fit memoria* Sanctorum trecentorum Martyrum & S. Carpi Episcopi & Martyris. *Sed num hi omnes Socii ejus fuerint non liquet.*

3 *Qua Eusebius scribit suo tempore circumferri solita Acta martyrii seu monumenta, optaremus adhuc extare, uti ab ipso citantur. Nam qua damus videntur à posteris majori verborum apparatu exculta & ideo non omnino certam veritatis sua fidem faciunt: sunt tamen ejusmodi, ut tota ecclesia Graca receperit ipsa, eorumque epitomen in omnibus tam Meneis quam Synaxariis legendam exhibeat.* (*Passos esse sub Decio suadent*) *In his autem tanta tormentorum varietas, adversus Martyres explicata, proponitur; ut, nisi temere quis vellet suspicari, omnia aut saltem pleraque esse conficta, credere oporteat; non sub Imperatoribus jam nominatis passos esse Martyres, eo seculo quo fere absque longo cruciatuum praviorum apparatu fiebant martyria, & de fide Christiana accusatos, non tam ab ea torquendo abducere, quam propter eam de medio tollere judices satagebant: sed, uti in Actis dicitur, sub Decio, id est seculo tertio ultra dimidium provecto, quando animabus quam corporibus interimendis intentior rabies tyrannorum, diversimoda & eatenus ignota Romanis, tormentorum excogitavit genera; certante sæpius contra humana ferocia industriam divina patientia, & veluti in istis ludibunda, dum suos Martyres pluribus successive mortibus objici patiebatur, nec nisi gladio volebat vitam ad extremum finire. Itaque non dubitamus Eusebii verba, aliter quam passim alii acceperunt, intelligere, atque sentire, quod occasionem, non temporis, sed loci conjuncti spectans, S. Polycarpi martyrio, Smyrna in Asia celeberrimo, adjungere voluerit memoriam aliorum, Pergami in eadem minori Asia aque celebrium; atque ita dederit occasionem aberrandi, eo pronius, quod sequenti mox capite dicat* iisdem temporibus S. Justinum sacro exornatum esse martyrio, *quale jam explicuimus: quod tamen ad pracedens S. Polycarpi certamen, non etiam ad alios mere occasionaliter interjectos referendum esse ex dictis colligimus.* F

4 *Actorum auctor, seu verius paraphrastes, fuisse putatur, etiam à Leone Allatio, Simeon Metaphrastes, uti ille in sua Diatriba de Simeonum scriptis tradit pag. 127.* (*Acta martyrii, à Metaphraste exornata,*) *Ea Grace nacti sumus ex triplici codice MS. uno scilicet bibliotheca Casarea, unde Vienna anno MDCLXVIII sumptibus nostris illa*

A

datur ex variis MSS. Graecis

illa describenda curavimus; altero Serenissima Christina Regina Succia, quem Antverpia habuimus anno MDCLIV *& sequente: tertium apographum est nobis ab Heriberto Rosweido relictum. Aliud habuit ex bibliotheca Vaticana Aloysius Lipomanus, & tomo* VI *operum suorum hac Acta, Latine à Gentiano Herveto translata, edidit ad diem* XIII *Octobris, quo dicuntur martyrium perfecisse. Surius transtulit ad hunc* XIII *Aprilis, quo illos coli à Latinis jam ostendimus. Nos eamdem Herveti versionem cum Graeco textu diligenter collatam invenimus satis esse fidelem, sed quia stylus minus placebat, utpote verborum Graecorum ordini pressius insistens quam sermonis Latini ratio & nitor patiantur, maluimus ipsa denuo Latina facere, idem alias sæpe facturi, nisi id probibeat prali celeritas, adornanda nova versioni spatium non indulgens; quia talem operam, utpote non omnino necessariam, non judicavimus assumendam, nisi postquam cetera omnino requisita prorsus haberentur absoluta.*

cum nova versione

5 *Aliquod horum Martyrum elogium continetur in MS. Graeco Synaxario Parisiensi collegii Claromontani Societatis Iesu, quod Latine transferimus & hic subjungimus:* Die XIII mensis Octobris. Certamen sanctorum Martyrum Carpi & Papyli, Agathodori & Agathonices. Fuerunt hi sub Decio Imperatore arte medici: è quibus S. Carpus erat Episcopus Pergamæorum Ecclesiæ, post discessum Joannis Theologi & Evangelistæ, constitutus: à quo Papylus est Diaconus consecratus. Comprehensi ambo à Valeriano, Proconsule & Præside Asiæ, & Christum confessi, sunt equis alligati; & coacti coram Præside currere, ad Sardes usque tracti sunt, ibique in ligno suspensi, varia rasura lacerabantur. Agathodorus vero (qui famulus erat S. Papyli, eumque secutus) virgis enormiter flagellatus, vitam in hoc supplicio finivit. Sanctus autem Carpus suspensus subridebat: rogatusque à Præside: Qua de causa rides, ô Carpe? respondit: Quia vidi gloriam Dei, & gavisus sui. Postea de ligno ambo depositi sunt & in ignem conjecti: ubi præsens Papyli Soror Agathonica, cum fratrem vidisset in igne viriliter agere, feminea debilitate cum vestibus suis deposita, semet in ignem conjecit: & ambo spiritum suum Deo tradiderunt. Peragitur autem eorum celebritas in sanctissimo martyrio ad illorum venerationem prope palatium Helenianum constructo. *Hactenus elogium è Synaxario Parisiensi, in quo mentio facta S. Ioannis Evangelista posset majorem martyrii vetustatem probare, nisi palam appareret aliquid de suo addidisse Synaxarii collectorem, eo fortassis inductum, quod alius quidam S. Carpus tempore S. Ioannis Evangelista in Asia floruerit: de quo agemus* XIII *Octobris cum Romano Martyrologio.*

Elogium ex MS. Graeco Synaxario.

B

Oratorium C. P. illis erectum.

C

6 *Martyrium sive oratorium horum Martyrum dicitur esse* πλησίον Ἑλενιανῶν. *Procopius lib.* I *de Persico bello meminit earum ædium regiarum, dum inquit,* Βασίλεια ἕτερα, Πλακιλλιαναί τε καὶ τὰ Ἑλένης ἐπώνυμα. Alia palatia sunt, Placilliana dicta & Helenes. *Eadem horum Martyrum solennitas etiam repræsentatur in Menæis excusis ad dictum diem* XIII *Octobris, quando de hisce Martyribus totum officium Ecclesiasticum peragitur, cujus odæ & cantica ex Actis desumpta sunt. Eadem indicatur in Novo Anthologio Græco, & memoratum elogium ferme repetitur, sed S. Carpus, non* Pergamensis, *sed melius cum Actis, dicitur* Thyatirensis Episcopus; *& Præses Asiæ, juxta eadem Acta, appellatur* Valerius, *non* Valerianus: *hoc tamen nomen ei quoque tribuitur in Menæis excusis, & in Menologio Sirleti ex istis contracto, quod est ejusmodi:* Natalis sanctorum Martyrum Carpi, Papyli, Agathodori & Agathonicæ: qui fuerunt sub Decio Imperatore & Valeriano Proconsule Asiæ: ex quibus Carpus erat Episcopus Thyatiræ, Papylus vero Diaconus ab ipso Carpo ordinatus. Detenti vero à Præside, confessi sunt omnibus audientibus Christi nomen: cumque idolis immolare nollent, equis alligati, gradiebantur ante currum, tracti ad urbem Sardis: ubi suspensi, laniati sunt. Et S. Agathodorus servus Beatorum Carpi & Papyli, ab Angelo Dei corroboratus, ipse quoque Christum confessus est. Beatus vero Carpus suspensus subrisit. Itaque interrogatus à Judice, quænam esset ridendi causa, Vidi, inquit, gloriam Domini mei & risi. Papylus vero per quatuor partes distentus in sublime tollitur & lapidatur. Posthæc sancti viri, simul ducti, supini super tribulos trahuntur: desuper verberati, & feris ad escam expositi, postea in ardentem caminum injecti sunt: in quem & S. Papyli soror Agathonice, Deum orans, una cum illis ingressa est. Cum vero ignis demisso imbre extinctus esset, sancti Martyres ense obtruncati sunt. *Hæc ibi. Additur in Menæis excusis:* Leo humana voce irrugiens locutus deterruit persecutores à tali credulitate. *Verum hoc alibi nusquam invenitur. In Actis solum dicitur* eo immissus nihil omnino voluisse mali facere. *Ceterum in his omnibus compendiis, uti etiam in Actis, dicuntur mortui* sub Decio Imperatore. *Porro in his Actis nulla fit mentio aliorum plurium innominatorum Martyrum, de quibus, post supra citatos auctores, agit Romanum Martyrologium.*

& celebritas diei festi.

Elogium ex Menologio.

AUCTORE G. H.

E

ACTA MARTYRII.

à Simeone Metaphraste exornata.

Ex pluribus MSS. Græcis, interprete D. P.

CAPUT I.

Patria Martyrum, dignitas, captivitas, prima interrogatio.

1 VTile & expediens imprimis est meminisse eorum, qui pro Christo sunt passi: potest enim vel sola memoria ad Dei amorem excitare animam, & veluti pennatam reddere ad virtutem; facitque eadem cum ipsis martyribus certamina mentaliter sustinere, propter fruitionem præmiorum exinde provenientium. Inter eos autem qui martyriales istos agones explevere, numerandi veniunt Carpus & Papylus, validæ illæ columnæ Ecclesiæ & lapides fundamentales: qui quidem ex illustri fuere patria, ex Pergamena, inquam, civitate: nati autem è parentibus virtutis amantibus, eis condignam vitæ rationem tenuere, tamquam generosæ radicis præclara germina; quatenus ex fructu liceret cognoscere arborem, & fontem benedicere propter effluentem rivum. Siquidem faciebant corpus necessariis solis esse contentum, omni varietate & curiositate repudiata; ipsis autem necessariis utebantur tam parum, ut quamvis ratione carnis multum distarent ab Angelis, ratione tamen abstinentiæ modice ab incorporeis discreparent: unde ad summum virtutis apicem evecti, digni sunt habiti, quibus populi regimen committeretur. Ex quibus Carpus ad Pontificatum provectus, pietatis mysteria Thyatiris prædicabat; Papylus Diaconatus gradu honoratus, conveniens ei studium in similibus laboribus collocabat. Cum ergo fama de iis sparsa quaquaversum se diffunderet (ea est enim natura virtutis, ut latere nequeat, sed ipsa sui præconium faciat) magna ad eos confluebat multitudo; & eorum doctrina fruentes, multum proficiebant in pietate.

Pergami nati

F

& Thyatiris episcopatu atque diaconatu fungentes

alios promovent ad virtutem.

2 His ita se habentibus, possibile non erat ut quiesceret is, qui à principio adversatur bonis. Neque vero quievit; sed malitiæ suæ ministros non degeneres nactus, eis persuasit ut Martyres deferrent ad Decium, eo nomine quod & adversum Deos essent impii, & vanam Christianorum opinionem assererent. Hic vero, ut qui animo erat contra Chri-

PER METAPHRAS. EX MSS. GR.

Contra hos in Asiam à Decio missus Valerius,

Christianos infensissimo, Valerium quemdam assessorem suum, hominem ferocem & dæmoniorum amantem, emittit in Asiam, significans ei quæ sibi fuerant nuntiata de Sanctis, & potestatem ei adversus ipsos tradens. In viam igitur mox se dedit Valerius: appulsusque ad eum ubi illi degebant locum, continuo usitata inanibus diis obtulit sacrificia, & omnem mox Thyatirensium regionem pervasit mandatum, ut quotquot in loco sacrificiorum erant, incunctanter accederent ad offerendas pariter gratiarum actiones ipsius diis; quasi nō satis ipsi esset morbus suus, nisi quam plurimos eodem inficeret. Ex hoc porro sufficienter se cogniturum ajebat, quid animi haberent Martyres: Si enim, inquiebat, & ipsi conveniant cum multitudine, participes sacrificiorum futuri, clarum erit fuisse falsa quæ de iis ad Decium delata sunt: sin autem, aliam majorem prolationem non erit opus expectare.

in sacrificio publico non repertos sisti sibi imperat:

3 Cum igitur omnes concurrerent ad sacrificia peragenda, solum autem par Martyrum insigne desideraretur (foris enim stabant verum suarum orationum sacrificium Deo offerentes) eos coram se statui jubens, severiori vultu causam requisivit absentiæ, deinde adjecit: At nunc saltem in conspectu meo bene suppleatur defectus, ut accusatio redeat in auctorum caput, & vestra illustrior quam antea gloria elucescat. Ad hæc Sancti, metu & humano respectu superiores, Pudendum enimvero inquiunt, pudendum foret, ingratitudinis magnæ argui à suo ipsius bove vel asino (ut cum Isaia loquamur) hi siquidem cognoverunt possessorem & altorem suum; nos autem eum ignorare videremur, si deserto vero Deo falsis adjungeremur. Hæc ubi dicta, continuo Deus eorum suffragatus est sententiæ, & magno inducto terræmotu in pulverem comminuit omnia insipientium simulacra. Et sic quidem cum inanimis actum est, quæ prorsus dissoluta fuere: Valerii autem inconcussa stabat & incommutabilis malitia. Cum enim oportuisset admirari ineffabilem Dei potentiam, & deorum suorum nimiam imbecillitatem irridere, quod sane vir quivis sapiens ac prudens fecisset; ille multo magis efferatus, aperte cœpit insanire: & qui virorum nobilitatem reveritus à gravioribus tormentis eatenus abstinuerat, jubet collaribus indui ferreis, atque per medium forum nudos agi.

B

Is. 1. 3.

& idolorum ruina ac terræ motu nil emendatus

C

raptari nudos per urbem jubet:

4 Nudi ergo & ferro circa collum gravati Athletæ ducebantur, & circuibant indecore forum vere honestissimi, ridebanturque & subsannabantur millenis laudibus digni. Judex autem arbitratus hac circumductione, verecundiæ plena, nimio pudore confusos Sanctos, fore superatu faciliores; censuit blandioribus verbis eos sibi esse aggrediendos, & propositi labefactandam constantiam. Et siquidem, inquit, viderem vos mentis haud sanæ manifesta præferre indicia, abstinerem utique à suasione, possem enim tormentis cogere, quando vellem vel invitos ad nostram traducere religionem: nunc vero cum ipse aspectus vestrorum vultuum & morum ornatus mentis vestræ ingenuitatem prodant, malo vobis bonus esse consiliarius. Non existimo vos ignorare, quomodo ab immemorabili tempore ea quæ de immortalibus diis est opinio cœperit, & in hodiernum usque diem maneat, non tantum apud nos qui Græcam linguam novimus, sed etiam apud ipsos barbaros. Videre est autem per illam recte constitutas urbes, repressum inimicorum supercilium, pacem stabilitam. Sic Reges & Principes, multi quidem antehac, nunc autem Romani, ad tantam provecti sunt gloriam, ut gentes urbesque subjugarent, & cuncta sibi adversantia vincerent. Si ergo imperitorum sermonibus in hanc ab omni ratione alienam atque recens natam Christianorum sectam adducti estis, haud equidem succensuero; simplicitatis enim id fuisse dixero: sed nunc vos ipsos retrectantes, ad id quod melius est transite, ut & dii vobis propitii sint, & multa à nobis recipiatis bona, & apud Imperatorem lucremini honorem benefactis debitum. Quod si omnino in priori sententia perstiteritis, prorsus contraria evenient vobis: & nos asperiores, quod absit, necesse erit ut experiamini.

dein ad defectionem blandius solicitat,

D

5 Hæc cum audivissent Martyres, tollentes in cælum oculos, seque totos Crucis signaculo munientes; Videris, inquiunt, existimasse, quod nos, tamquam è rudioribus aliquos, minime gravate sed facile inducere posses ad discendam impietatem. Ast non incidisti in viros ignavos atque degeneres: non sane, per hunc nostrum pro Christo agonem, perque nostram ad quam à pueritia sumus instituti exercitationem virtutis. Non enim propter antiquitatem temporis religionem vestram honore dignam dixerimus, quia non quidquid antiquum idem etiam est laudandum: quandoquidem antiqua omnino malitia est, num autem propterea commendanda? Non oportet ergo considerare utrum vestra religio sit antiqua: sed utrum omnino sit admittenda. Nos vero consuluerimus eam omni conatu declinare, ipsamque de medio tollere, ut quæ horribilem ignis gehennam conciliet sectatoribus suis. Quod si diligenter velis rem ipsam inspicere, invenies deos quos vos colitis aliud non esse quam humanarum manuum opera, inanima & muta, quæ non modo alias omnino nequeant, sed nec seipsos possint juvare. Si autem Dei opus est homo, idola vero humanæ artis figmenta: quomodo quis, nisi prorsus insensatus sit & plane bos aut asinus, eis quos ipse finxerint honorem deferat; qui suos fictores potius deberent honorare, si quis in iis sensus foret. Cum ergo fatearis nos esse intelligentes, & scias quod nemo prudens ac sani sensus homo falsitatem veritati prætulerit, adverte animum; & eum qui vere est creator omnium Deum ex veracibus labiis disce.

refutant Sancti objectam sibi idololatriæ vetustatem,

E

ejusque vanitatem,

6 Deus circumscribi non potest: utpote omnino incircumscriptus, & sublimior omni temporali cogitatu: factor enim temporum non est sub tempore, unde nec esse incepit; sed omnia tam oculis visibilia quem mente noscibilia adduxit ad existentiam. Homo igitur Dei figmento conditus, & paradisum incolendum nactus, præceptumque accipiens ad majoris profectus exercitationem, invidia diaboli pertractus ad inobedientiam, incorruptionem corruptibilitate mutavit, seque carnis subjiciens voluntati subjectus est mortis necessitati. Ceterum invidiæ pater contentus non fuit hoc solo ejus cui invidebat lapsu, sed etiam ex eodem postea genere natos ad Dei oblivionem, proh dolor! adduxit, ut non corporibus tantum, sed ipsis etiam animabus mors dominaretur: fecitque ut verum Deum derelinquentes, & ad veritatis lucem sponte conniventes, subirent idololatriæ caliginem. Propterea generis nostri conditor, qui sua viscerali benignitate nos de non existentibus fecit existere, non sustinens hominem videre sub tyrannide inimici; è paterno descendit sinu, & nobis præter peccatum per omnia factus similis, crucifigitur moriturque volens nos à peccato redimere. Cum igitur sua morte nostri lapsus causam sustulisset, ipse quidem in cælos unde descenderat rediit, nobis autem ostendit viam revertendi ad se. Age nunc & tale quidpiam à diis tuis factum edissere, nisi te jam pudet deos illos dicere. Quod autem

& unam Deitatem

F

ac Verbi incarnationem prædicant.

A autem ad opes atque divitias, vel honorem ab Imperatoribus dandum attinet, fateor à communi ratione alienam esse rationem, nostram ut qui à Propheta didicerimus ea non judicare tamquam stantia, sed tamquam transeuntia, maxime cum spem fixam habeamus in Deo, & ejus gloriæ simus addicti, propter quem etiam pati generose elegimus.

CAPUT II.

Sardes abducuntur Sancti. Agathodorus martyrium subit: ipsi Pergamum reducuntur.

Bonis spoliati

7 Talia ex Martyribus audiens Valerius, iracundia percitus & insaniæ succensus igne, continuo abjecta mansuetudinis larva, interiorem animi feritatem denudavit: & primum omnem Sanctorum substantiam in prædam dedit eorum accusatoribus, rem quidem valde contemptam à Sanctis, sed ab istis maximi æstimatam: ipsos vero jussit equis ferocibus alligari, & Sardes quam primum pertrahi. Equi igitur à Thyatiris currere incipientes, vix demum sub vesperam Sardes attigere: Martyres autem, quamvis in acerbo illo supplicio diem transegissent, non tamen noctem duxerunt vacuam à labore, sed majorem partem divinis hymnis impenderunt. Cum vero aliquantulum obdormissent, astiterunt eis Angeli, qui & eos recrearunt à præterito labore, & promptiores fecerunt ad cruciatus deinceps tolerandos. Postera die narraverunt tum sibi mutuo tum aliis præsentibus divinam illam visitationem: & Valerii, quæstionem adversus eos resumpturi, adventum præstolabantur, tamquam egregii milites pugnæ avidi, & mortem cum gloria suscipiendam generose atque intrepide prospicientes.

Sardes rapiuntur;

B

ibique confortati ab Angelo,

rursus frustra sollicitantur blanditiis;

8 Venit autem Sardes Valerius, sperans quod, licet antea minus ex voto res ei cesserit, nunc tamen eos facile persuasibiles subactosque esset reperturus. Solum enim laborem noverat quem sustinuerant: sed unde terrestris illa anima, & divinæ lucis ac bonitatis prorsus expers, cognosceret quid eis solatii accessisset? Postquam autem nunc magis quam antea vultu quidem serenos, animo vero constantes, & mente imperturbatos vidit; desperans se aliquid profecturum tormentis, blanditiis rursum & majorum munerum pollicitationibus aggressus est generosorum istorum labefactare constantiam. Sed & hoc cum diu frustra tentasset, semperque robustiores inveniret, rursus ad severitatem se transtulit; assidua illa mutatione & sermonis varietate, illaqueare volens ipsorum in Christo simplicitatem. Sed & hic victus, cum nec in minimo quidem cedere sibi videret Martyres, seque instar vulpis pugnare cum leonibus; cunctis suis contra eos machinamentis diffisus, alia prorsus via agendum censuit, & Carpum atque Papylum dimittit, jubens eos solicite custodiri.

C

& tortus famulus Agathodorus

9 Quid igitur? Admirabilem Agathodorum, qui Martyribus ministrans familiaria eis exhibebat obsequia, Martyr etiam ipse perfectus, & pro suo erga dominos amore eorumdum cum ipsis particeps tormentorum; hunc, inquam, extendi jussit & nervis bubulis inclementer cædi, tum ut dolore afficeret Sanctos, propter ejus qui eamdem cum ipsis fidem profitebatur supplicium, tum ut iisdem terrorem incuteret. Contendebant ergo utrimque Judex & Martyr: Judex quidem ut plagarum multitudine hominem in suam pertraheret sententiam, Martyr autem plagas tam hilariter excipiens, ut etiam oraret produci supplicium, & ne tortores fatigarentur cædendo. Cum igitur Martyris corpus diu multumque concisum esset flagris, fluebant velut ex fonte quodam rivi sanguinis, nudabantur viscera suis operimentis, musculi juncturarum divellebantur, & sensus doloris magnus atque acer generosum virum invadebat: ipse vero, tamquam si durum nihil pateretur, ita agebat in adversis, quiete excipiens plagarum nimbos, & leniendis cruciatibus satis esse reputans, quod pateretur pro Christo. Animum ergo despondebat Valerius; & lictores cædendo lassabantur: ipsum vero etiam oblectabant tormenta, cum eum Christus vocaret in cælum, athletam suum coronaturus. Proinde spiritum tradidit in manus vocantis se Domini, & flagellantibus corpus mortuum reliquit; quod insepultum abjecerunt, in escam volucrium atque ferarum; sic jubente Valerio: vespere autem facto, quidam ibidem habitantium illud absconderunt in spelunca, exercentes opus humanitatis, aut potius divinæ providentiæ ita ordinantis.

PER METAPHRAS. EX MSS. GR.

flagris concisus,

supplicio immoritur.

10 Posthæc Valerius, tamquam versipellis & dolosa vulpes, mitioribus verbis denuo Sanctos aggreditur, metuens ne etiam hos, sicut Agathodorum, amitteret: dicebat enim: Ipse quidem dignam insaniæ suæ mortem reperit, nolens sacrificare immortalibus diis: vos autem prudentes cum sitis, quare non prospicitis ad id quod vobis expedit, sed assimilari vultis homini vere infelici, violentam mortem imprudenter eligenti potius quā vitam in voluptate ducendam? Ita ille. Ut vero audivit Sanctos magnam suam sibi exprobrare amentiam, in ejusmodi consilio dando monstratam; seque reputantes eo feliciores, quod violentam Agathodori mortem etiam ipsi essent imitaturi; simulatam humanitatem denuo exuit, & ad consuetam sibi redivit immanitatem, eidem obsecuturus.

ipsi vero constantes in fide

E

11 Longum ergo iter ingrediens, à civitate Sardium usque Pergamum sequi Sanctos jussit, & celeritatem currentium equorum pedibus consequi, ut labore cursus confecti, vel inviti abducerentur à proposito, & persuaderentur idolis immolare. Sancti vero, quibus omnis pro Christo cruciatus non dolorem adferebat, sed voluptatem (utpote indicium sui erga Jesum Christum amoris) optassent, ut cursus diuturnior foret, majorisque lætitiæ occasionem præberet. Diem ergo in ejusmodi cursus labore traducentes, ut dicere possent cum Davide & super dolorem vulnerum nostrorum hoc quoque addiderunt; retrusi in carcerem sunt; ubi adveniente nocte, Angelica quædam seu potius Divina virtus ipsis adfuit, & plagas eorum omnes curavit, majoremque ad certamina promptitudinem iis ingessit. Mane autem surgens Valerius, considerans hesternæ diei fatigationem, rursum eos voluit pedibus sequi, eo tantum fine ut laborem eis augeret, quos credebat ne si portarentur quidem suffecturos itineri. Cum vero eos nihilominus vidisset adeo valentes & vultu magis florido, quam qui balneis deliciisque continuis foventur in umbra; magiæ rem adscripsit plenus ipse dæmonibus: & ut suo furori obsequeretur, laborem eorum auxit, omnia eorum membra ferro gravari atque ita rursum viam inire jubens.

reducuntur Pergamum

F

Ps. 68, 27.

biduo cur- vero post equos coacti;

PER METAPHRAS. EX MSS. GR.

CAPUT III.

Pergamum reducti sancti fidem suam verbis, miraculis, & tormentis confirmant.

S. Carpus seorsim solicitatus

12 POstquam ad præstitutum locum pervenere tam Valerius quam sancti, ille peragi sacrificia jubet, & tribunal sibi ad judicandum constitui: tum coram se Carpum constituens, & vultum induens fidelis amici, magnamque pro eo solicitudinem gerentis: Oportebat quidem te, inquit, reveritum magnam meam erga te discretionem, ultro amplecti quod honestius est, & magnis diis sacrificare: nunc vero nec suasionibus nec adhortationibus motus, ut video, vel tantillam ipsis refers gratiam, & propriam utilitatem penitus negligis. Ecce illi, tuam miserati senectutem, fecerunt ut iter conficeres absque molestia: tu vero, nescio quo spiritu actus, tum erga benefactores ingratus esse inveniris, tum me ipsum nullius faciens ad eorum cultum cunctaris accedere. Sed vel nunc saltem annuere velis, mihique utilia suadenti credere. Etenim canitiem tuam revereor, magnoque afficior mœrore, & tamquam propriam tuam defleo calamitatem. Sed quid ultra sustineo? Scis ipse, quod sic contemptus, si non meam, saltem B illatam diis injuriam non possim dissimulare. Adhæc divinus Carpus, Consilium, inquit, quod à *constanter resistit,* luce ad tenebras, à vita ducit ad mortem, nemo rationis compos consilium nominaverit, sed insidias. Si meam, ut inquis, canitiem revereris; quid impedit, quo minus ipse mihi, paterne consulenti, obsequaris. Te quidem tormenta mea dolore afficiunt: ego autem tuum misereor interitum, & manifeste tibi compatior (testis mihi, quam diligo, veritas) quod ejusmodi deos adores, & ponas mendacium Is. 28. 15. fiduciam tuam, ut cum Scriptura loquar. Ipsi autem quomodo credi possunt dii, qui ex inanima fabrefacti materia, habent ab humanis manibus quod in rerum natura sint?

flagris dire caeditur,

13 Tantam suorum Deorum injuriam, licet vera essent Carpi verba, minime ferendam existimans Valerius, bene ab eo dictis pessimam vicem reddidit: oderat enim corripientem in porta, juxta divinum Am. 5, 10. Amos, & abominabatur loquentem perfecte. Jussit ergo continuo, urgebat namque immoderata indi- C gnatio; & lictorum manibus traditus Sanctus, spineis virgis inclementer cædebatur, adeo ut carnes ejus discerptæ spargerentur in aëre: & tamen neque sic satiabatur furor, sed rursum alii lictores adhibiti partim quidem lampadibus ustulabant latera, partim salem vulneribus inhumaniter inspargebant: unde *& lampadibus ustulatur,* rivi sanguinis fluebant per pavimentum, & divulsæ fibræ dirissimum Martyri faciebant dolorem. Fatigari in his debuissent, etiamsi vel inanimam rem sic verberassent, vos certe vel solo auditu percepistis dolorem. Martyr autem quantum magis augebatur cruciatuum multitudo, tanto magis divino capiebatur amore, & veluti re quapiam jucundissima delectabatur cruciatibus; usque dum viri generositate lassatus Valerius, in carcerem eum remisit.

Interrogatus etiam Papylus,

14 Tum vero divinum Papylum, velut nunc primum eum intuitus, interrogare cœpit, qui parentes, quæ patria, aut quæ scientia esset Martyri. Cui Sanctus; Jam pridem, inquit, didicisti, quod ingenuorum parentum filius Thyatiris advenerim; profiteor autem artem medicam, non qualis exercetur per herbas de terra natas, sed qualis divinitus homini conceditur; non enim medicinam corporibus definimus, sed & spiritualibus ægritudinibus curam impendimus. Tum Judex, non absque exercitationibus Galeni & Hippocratis, qui talem à diis scientiam consecuti sunt, ista fiunt, inquit. Papylus respondit: Galenus quidem & Hip- D pocrates, & quotquot eorum artem sectantur, tunc possunt juvare aliquem, quando Deus noster pro sua benignitate gratiam eis ad hoc indulserit; sin *provocat ad miraculum* autem, inane est iis studium suum, nequidquam proficiente artis experientia. Quos vero Deos nominas, ii neque seipsos juvare cum valeant, quomodo alienæ curationi intendent animum. Si vero cupias ipso id opere discere, eum qui prope te sedet, altero, ut cernis, oculo privatum, videre faciant: & mihi quod dicam amplius nihil supererit. Putasne, inquit Valerius, esse aliquem qui hunc possit sanare? Non hunc tantum, reponit sanctus, sed alium quemcumque morbum, quantumlibet incurabile malum videatur, facile omnino curaverit is, qui cunctas infirmitates curantem Christum *in caecitate patrandum,* invocaverit. Cum autem diceret Valerius; Videamus in præsentiarum, quod dicis: Non ego, inquit Papylus, rem primus aggrediar (vereor enim ne eam adulterans ipse dæmonibus adscribas miraculum) sed vestri quemcumque voluerint deorum suorum primum invocent, & tunc Christi mei virtutem manifestabo.

15 Tunc ministros & sacrificulos quosdam congregans Valerius, jussit invocare deos suos, neque E ulli vel arti vel industriæ vel alteri cuicumque ra- *pro quo frustra invocantur dii:* tioni parcere. Illi autem alius alio convertentes sese, unus Apollinem, alter Æsculapium, tertius aliquem alium inanium deorum invocabat, impotentes, super re quantum quidem ad homines attinet impossibili, appellantes. Et erat ridicula valde ac plena dedecoris actio: numquid enim, ut ait magnus Isaias, pro vivis requirent à mortuis? Is. 8. 9. Totus igitur dies insumptus est: & hi quidē orabant, sacrificabant, supplicabant, omnem circa vana ista explentes sacrorum ordinem; surda autē manebant surda, & ei qui visu erat ex parte orbus nullum adferebatur juvamen, per hæc quæ vane agebantur. Quid igitur? Corporis ac mentis oculos in cælum attollens Christi Martyr, Domini sui deprecatus est *non item frustra Christus.* misericordiam; deinde Crucis signum impressit oculis ejus, manu eos contingens; moxque secuta est illuminatio oculi illius cæci; & qui extinctus fuerat, facilius quam si post somnum reclusus fuisset, apertus est; quod vero est amplius, soluta quoque est cæcitas animi, & fidem suscipiens verum F conspexit lumen, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum; simulque hominum multitudo ingens miraculo illo adducta est ad veritatis agnitionem.

16 Quem convertere talia non potuissent, persuaderentque quærere ac discere, quis esset ille tanta *tum flagellato Papylo* virtute præditus, quem Papylus prædicabat? Sed si omnes, Valerium certe non flexerunt, imo ipso se crudeliorem effecere, perinde ac delectaretur errore, nec pati posset veritatem revelari. Quare illius testem in lignum tollens, dirissime jussit verberari, talem vicem reddens pro beneficio ipsius assessori collato. Cædebatur ergo flagellis formosum illud corpus: Papylus vero nihil doluit, nisi quod non graviores inferrentur cruciatus: unde è converso Valerius omnia tormenta sua victa intuens, per generosam Martyris sancti constantiam, proprium vix sustinebat dolorem, acerbe tortus. Jussit igitur etiam alia adhiberi supplicia, ignemque admoveri lateribus, & lapides in Sanctum jaci; sed nec propter ignem quidquam indecorum passus est Martyr; & lapides, tamquam si reveriti essent corpus ita crudeliter cæsum pro Christo, alio quam quo jaciebantur *nec ignis nec lapides nocent:* declinabant, contra ipsum vero nequaquam ferebantur. Deficiens ergo Valerius, nec inveniens quo-

modo

modo Sanctos ultra torqueret, tempus dedit vulneribus; existimans quod licet modicum Martyres sustinerent, ipsa tamen vulnera in saniem conversa dirioribus eos cruciarent doloribus, atque adeo molliores redderent ad futuras quæstiones. Sed illi propinquum habentes medicum suum, propter quem etiam cum iucunditate exceperant plagas, non modo à doloribus, sed ab ipsis quoque cicatricibus levati sunt; ut nec vestigium quidem plagarum circumferrent, seque ipsum, non Martyres, affecisse molestia Valerius videretur: quanto enim magis illorum labores divinitus sublevabantur, tanto magis flagellabatur cor ejus, & furor haud aliter quam ignis æstuabat.

A *à utroque Sanctus divinitus sanatur,*

CAPUT IV.

Mors Sanctis diversimode intentata, ac demum illata gladio, etiam S. Agathonicæ.

Exprobrantes iudici mortis inferendæ tarditatem.

17 Post modicum temporis intervallum rursum Valerius sublimis in tribunali sedit, & furiosum ac truculentum intuens, per oculos, animæ specula, interiorem monstrabat acerbitatem, aliis plerisque inaccessus, solisque arrogantiæ suæ ministris stipatus. Inducti autem generosi viri, aut potius prompte ingressi sunt; diceres ad convivium eos, non ad agonem vocari. Ipse autem sibi videbatur vel ante minas solo eos perterrefacturus aspectu; & quia imaginabatur mutatos eorum animos, de suo illos interrogabat proposito; tantum vero aberant ab ejusmodi aliqua passione, ut econtra exprobrarent illi in sententia ferenda tarditatem, & quod non satis cito occiderentur, ægre sibi esse monstrarent. Quid tibi tuisque ministris, inquiunt, facessis negotium, sæpius nos adducens ad tribunal, extremæ autem semper parcens sententiæ? An forsan speras pervertere nos, & persuadere ut à Christo & à veritate deficiamus? Tunc id sperare poteris, quando nos diis tuis similes, sensu videris ac loquela privatos. Vix ea dixerant, cum murices ferrei per terram sparsi sunt, supra quos nudi atque supini projecti generosi athletæ, per eos immaniter trahebantur, rem sane ad cruciatum acerbissimam, si vel solum oculis subjiciatur. Sed neque his destituit famulos suos Deus, verum (oportet enim rursum aliquid è divinis Scripturis admiscere) ascendit inspirans in faciem eorum & liberans eos ex afflictione: & subito disparuerunt tribuli, & ipsi conservati sunt indemnes. Ea res in manifestum furorem adegit Judicem, eoque jubente adeo crudeliter laniata scorpionibus sunt latera Martyrum, ut naturæ fines utrimque egrederentur, tam lictores immisericorditer sæviendo, quam Sancti constanter perferendo.

B

Rapiuntur supra tribulos ferreos,

lacerantur scorpionibus,

C

objiciuntur feris,

18 Post hæc ferarum immanissimæ collectæ sunt, theatrumque sanctis apparatum, & ipse Valerius spectator sedit: qui Martyres in medium adducens, immisit contra eos ursam; credens simul atque dimissa esset, dilaceraturam corpora eorum: sed vidit irrationabilem naturam mirum in modum factam magistram ratione utentium. Ursa enim, velut speciosos Sanctorum pedes & pacem veram annuntiantes reverita, nihil aut ferum aut omnino brutale egit, sed coram eis procidit, ipsosque blande osculabatur. Non fuit hoc satis ad dandam insipienti Judici intelligentiam: sed leonem quoque immitti jubet protinus. Verum hic quoque haud minus quam ursa divino paruit nutui, neque quidquam mali facere voluit pro communi Domino decertantibus. Valerius tamen, conatus seipsum quoque malitia vincere, in fossam, plenam calce, quæ viva dici solet, nova scilicet & adhuc ardente, præcepit Sanctos immergi, in eaque relinqui totis tribus diebus; quocumque tandem modo vincere moliens impius, frustra tamen laborans dum contra Deum pugnat. Etenim divina quædam gratia atque virtus, in ipsa fossa Martyribus adstitit, calcis vim retundens, & sanctos à dolore præservans.

PER METAPHRAS EX MSS. GR.

vivâ calci per triduum immerguntur,

19 Valerius autem, quanto majorem gratiam videbat apparere in illis, tanto petulantius insaniebat, contendens ipso Deo videri potentior. Crepidis igitur ferreis, per quas longi clavi transfixi erant, jubet indui pedes Martyrum, & sic calceatos currere, ut vel tali cruciatu deficientes, victi putarentur: sed & hoc frustra fuit, quantoque plura ille excogitabat & magis nova, tanto divinior potentia obumbrabat Sanctos, eosque faciebat cunctis tormentis illatis superiores, & adversus durissima quævis robustiores. Tam manifeste adjutos à superna gratia, conabatur nihilominus ille inducere ut diis sacrificarent, usque adeo sua eum dementaverat rabies: cumque ultra non haberet quod faceret, palam victus confususque, fornacem multa materia instructam mandavit accendi, in eamque Sanctos conjici: ipsa autem mox restincta illos refocillabat, non urebat. Tunc autem venerabilis Agathonica, sancti Martyris divini inquam Papyli, vere germana soror, cum ipsis ingressa in ignem est, certaminum aut potius coronarum futura particeps. Cum autem illos rursum excepisset carcer, rursum hymnis & orationibus ad Deum faciendis vacare inceperunt.

crepidis clavatis calceantur,

E

conjiciuntur in fornacem

quam ultro ingreditur Agathonica,

20 Porro Judex in omnibus deficiens, tandem, licet ægre, ipsos adjudicavit gladio. Ibant igitur sancti Martyres ad locum supplicii, pleni gaudio, ne tunc quidem deserente eos S. Agathonica: deinde puras manus attollentes in cælum, non tantum pro seipsis orabant, sed etiam pro occisoribus suis, ut ab errore liberati ad pietatem converterentur. Hanc nempe inimicis suis vicem retribuebant boni discipuli optimi magistri, qui oravit ut suis crucifixoribus dimitteret Pater: sed & agnoscebant magnam ab illis sibi fieri gratiam, per quos dimittebantur ad summe sibi desideratum Deum. Omnibus autem conducentia apprecati, capitibus minuti sunt, mensis Octobris die decima tertia. Corpora vero, absque honore neglectim jacentia, Christianorum manus sustulere, eaque cum lampadibus & hymnis ornato in loco sepelierunt, fidelibus in thesaurum inviolabilem, spiritibus malis in flagellum, cunctis ægrotantibus in refrigerium certamque medicinam morborum; in gloriam denique Deo Patri & Domino nostro Jesu Christo, cui convenit honor & virtus cum sanctissimo ac vivifico Spiritu, nunc & semper & in secula seculorum. Amen.

& gladio denique cum illis plectitur.

F

corpora à Christianis honorifice sepeliuntur.


DE SANCTIS MARTYRIBUS

G. H. MAXIMO, QUINTILIANO, DADA,

DOROSTORI IN MYSIA INFERIORE SEU BULGARIA.

SUB DIOCLETIANO

Elogium vitarelatum 13 Aprilis. ex Menais.



Celebris est horum Martyrum memoria apud Græcos, qui primo eos celebrant XIII Aprilis; & hoc eorum elogium habent in excusis & manuscriptis Menæis & apud Maximum Episcopum Cytherorum:* Eodem die certamen sanctorum Martyrum Maximi, Cintilliani, & Dadæ Fuerunt hi Sancti temporibus impiissimorum Imperatorum Maximiani & Diocletiani; quando capti in Oxebia regione, traditi sunt Consulibus Tauricio & Gajo: à quibus cum essent de fide interrogati, & libere Christum confiterentur; in carcerem sunt conjecti. Cum ergo ibidem somnum caperent, venit diabolus & immisit illis somnia & cogitationes contra fidem. Sed illi excitati, mox consurgentes, se dederunt in preces, seseque mutuo ad constantiam obfirmarunt: & accedens Angelus Domini eos prorsus confortavit. Diluculo diei facto cum surrexissent, plurima sunt ab impiis perpessi: numquam tamen adigi potuerunt, ut Christum negarent, sed aperte & generose confessi sunt eum esse verum Deum & creatorem universi. Quapropter crudeliter verberati sunt & in carcerem retrusi, ac rursum cum aliis diris tormentis afflicti, postremo capite sunt plexi. *Hactenus illud elogium: ex quo hæc pauca in Menologium Sirleti sunt translata:* Eodem die sanctorum Martyrum Maximi, Quintiliani & Dadæ, Maximiano & Diocletiano Imperatoribus gladio percussorum.. *Eodem menologio in Notis citato memorantur in Martyrologio hodierno Romano. At Galesinius simili elogio ac nos dedimus eos exornat, & secundum etiam* Cintillianum *appellat passosque* in Græcia *tradit. Verum supra in Oxebia regione,* Græce ἐν χώρᾳ τῇ Ὀξηβίᾳ. *Quæ in sequentibus magis elucidabuntur.*

B

Menologio Sirleti,

Martyrol. Rom. & Galesinio.

28 Aprilis ex MS. Synaxario

2 *Propium horum Martyrum diem natalem, quo gloriosum agonem perfecerunt, esse diem* XXVIII *hujus mensis Aprilis, infra ex ipsis Actis constabit: ad quem diem in MS. Græco Synaxario, quod Parisiis ad collegium Claromontanum Societatis Iesu spectat, ista leguntur:* Certamen sanctorum Martyrum, Maximi, Dadæ & Cyntilliani. Hi erant temporibus Diocletiani & Maximiani, sub Consulibus Gabinio & Tarquinio, oriundi ex urbe Dorostolo in secunda Mysia. Ex his S. Maximus erat sanctæ Ecclesiæ Lector, præclare in sacris Scripturis exercitatus, qui sua eruditione omnes ibidem Sanctos instruebat & confortabat, & alios ad Christi fidem adducebat. Qua de causa apud Consules delatus, cum Dada & Cyntilliano ad quæstionem adductus est: cum quibus sincere & sine ullo figmento animi sensum declaravit, palam & coram omnibus fidem Christi confessus. Mox ergo primum cum sociis athletis in carcerem conjectus est, ubi ipsi mox omnes ab Angelo Dei confidenti audacia fuerunt repleti. Postea è carcere educti, & nudi in terra prostrati, vehementibus virgis dilacerati fuerunt, & ut cervices eorum præscinderentur adjudicati. Mandato ergo Consulum delati inde fuerunt in propriam illorum possessionem, Ozobia appellatam, Cujus loci incolæ sacrum S. Maximi susceperunt caput, illudque pro ultima consummatione ex præcepto Consulum coronæ ferreæ acutis clavis circumcinctæ imposuerunt: quasi multas & graves blasphemias contra deos dixisset. Postea pretiosæ horum Martyrum reliquiæ Constantinopolim delatæ sunt, & in Ecclesia Deiparæ Virginis in Biglentio depositæ: in qua sacra horum Martyrum solennitas peragitur. *Hæc ibi. Est ergo patria horum & palæstra martyrii Dorostorum, seu Durostorum aut Durostolon, urbs Episcopalis Triballorum in Mysia inferiore, nunc Bulgariæ adscripta: à qua non videtur procul abfuisse* Ozobia, *supra* Oxebia *dicta. Aliud elogium habetur in Menologio Basilii Porphyrogeniti, quod hisce ob suam antiquitatem & nonnullam varietatem adjungimus, & est hujusmodi, primo loco propositum:* Die XXVIII mensis Aprilis. Certamen sancti Martyris Dadæ & sociorum. Martyres Christi Dadas, Maximus, & Cyntillianus, fuerunt sub Maximiano Imperatore, Tarquinio Consule, ex urbe Dorostoro in Macedonia: ex his Maximus fuit in sancta Dei Ecclesia Lector, insignis divinarum Scripturarum interpres, qui in Christi nomine palam ejus religionem docebat. Dadas vero & Cyntillianus erant ejus discipuli, ipsi valde cari. Denuntiati proinde sunt civitatis Præsidi & comprehensi, atque ad eum adducti. Cumque ab eo interrogati, summa animi fiducia Christum professi essent, in carcerem detrusi sunt: è quo deinde educti, atque idola adorare jussi, id constanter renuerunt. Quare denudati & super humum extensi, à quatuor satellitibus cæsi sunt, ac postea capite obtruncati. Eorum autem Reliquiæ inde translatæ, honorifice fuerunt Constantinopoli depositæ. *Meminit eorumdem Molanus in Auctario Vsuardi.*

C

& Menologio Basilii Imp.

E

3 *Tertius dies solennitati horum Martyrum adscriptus est secundus mensis Augusti, de qua in eodem MS. Synaxario Græco Parisiensi ista habentur.* Eodem die Inventio sacrarum reliquiarum Maximi, Dadæ & Cyntilliani, per Angelum facta. Erant hi sub Maximiano Imperatore in Dorostolo civitate secundæ Mysiæ: & cum oblati essent Tarquinio Consuli, ac nollent diis immolare, verberati sunt & abducti in proprium locum, Ozobia dictum, ubi die XXVIII Aprilis capite plexi sunt. Cum autem multis annis pretiosæ illorum reliquiæ ignotæ latuissent, per Angelum secunda Augusti proditæ sunt: quæ hodieque in æde sanctissimæ Dei Genitricis in Biglantio conditæ sunt, ubi & illorum solennitas peragitur. *Hæc ibi quæ etiam in MS. Chiffletianis & excusis Menæis habentur, in quibus* XXVIII die Aprilis *dicuntur* Ozobiæ interfecti: *at* Rhedostolon *perperam pro* Dorostolo *legitur. Adduntur in jis de inventione hi versus.*

2. Augusti propter inventionem reliquiarum, ex MS. Synaxario,

Τρεῖς ἐκφέρουσα γῆ νεκροὺς ζωηφόρους
Πόλῳ λέγειν ἔοικε· σὺ κρύψας ἔχε.

Tres terra portans mortuos, vitæ datos,
Cælo loqui videtur: Hos condens, habe.

Hæc solennitas recolitur etiam in Menologio Basilii. Imperatoris. Et MSS. Menæis Taurinensibus Ducis Sabaudiæ.

Menæis,

F

& Menol. Basilii Imp.

4. *Demum quartus dies illorum solennitati adscriptus est* XXVIII *Iulij, in eodem MS. Synaxario & Menæis, adjuncto quarto socio his verbis:* Certamen sanctorum Martyrum Cyntiani, *seu* Cyntiliani, Dadæ, Maximi, & Callinici. Peragitur eorum solennitas in Biglantio. *Plures fuerunt Martyres Callinici appellati. Satis celebris est S. Callinicus Cilix Martyr, qui* XXIX *Iulij etiam Constantinopoli publicum cultum habuit. De S. Callinico Martyre, socio SS. Thyrsi & Leucii, pluribus egimus* XXVIII *Ianuarii.*

28 Iulii ex eisdem.

5 *Hæc late deducta non sufficient nonnullis Hispanis, qui eorum nomina intruserunt pseudo-Chronicis Dextri & Iuliani: & apud Dextrum ista habent ad annum* 290. In Octa-

Hispaniæ asscilti.

A Octaviola Vezozabiæ sancti Martyres, Maximus & Dadas. *& plenius apud Iulianum in Adversariis num.* 217 *istis verbis:* Maximus, Dadas & Quintilianus celebres sunt in Hispania, qui sub Judice Tarquinio Consulans, qui jussu Dacii totius Hispaniæ Præsidis regebat Tarraconensem, in Cantabris urbe Octaviolia, in cujus prædio Okonia erant, passi sunt XXVIII Aprilis. *Et ut nihil deesset, Tamajus Salazar in Martyrologio Hispanico addidit aliqua Acta ex MS. Calagorritino & aliis, pro quibus damus Acta Græca, Latine reddita à Guilielmo Sirleto ex desiderio Aloysii Lipomanni, qui ea tomo 7 Vitarum sanctorum Patrum parte 2 edidit. Accepit autem illa Sirletus ex MS. Vitarum collectione, quam invenerat in bibliotheca Cryptæ-Ferratæ unde postea ad Vaticanam translata est. Verum ista collectio non est Simeonis Metaphrastæ, ut dicti auctores cum Laurentio Surio censuerunt: sed post illius obitum elapsis aliquot seculis compilata est à dicti monasterii monachis Græcis: qui nescio unde, certe non absque mendis, in notandis Imperatorum nominibus, alicujus imperiti librarii vitio depravata exemplaria videntur transcripsisse. Prima enim & ultima verba manifeste sunt corrupta, quæ sic leguntur;* Quo tempore imperabant Maximus & Maximianus, homines valde impii, Gabinio & Tarquinio Consulibus, secundo Imperii eorum anno, diaboli furor adversus Christianos homines erupit. *Et rursus in fine:* Passi sunt autem Sancti. Imperantibus Maximo & Maximiano, Tarquinio & Galinio Consulibus.

Acta Græca in Cryptæ-ferratæ conscripta,

B

5 *Qui hic Secundus, Imperii, annus appellatur Græce* ἐν τῇ δευτέρᾳ αὐτῶν ἀρχῇ, *deberet esse annus Christi* CCLXXXVI, *quo Maximianus Herculeus ex Cæsare creatus est à Diocletiano Augustus, & Consules erant M. Iunius Maximus & Vettius Aquilinus; Iunius autem Maximus præterea urbis Præfecturam administrabat: adeo ut hujus nomen videri posset irrepsisse in locum Diocletiani, qui tunc secundo anno imperabat. Gabinius autem & Tarquinius satis possunt intelligi non fuisse Consules Romani, sed solum Proconsules seu viri Consulares, qui mittebantur ad Provincias Consulares, quales in Notitia Imperii assignantur Illyricum, Dacia, Pannonia, Thracia, sub quarum una fuerit Dorostorum, urbs Mysiæ inferioris.*

in aliquibus explicantur,

ACTA MARTYRII.

Ex MS. Græco Vaticano Interprete D. P.

1 IMperantibus Diocletiano *a* & Maximiano, hominibus impiissimis, & Tarquinio atque Gabinio *b* Proconsulatum gerentibus, anno Imperii ipsorum secundo, diaboli furor contra Christianos erupit. Ipsis siquidem orbis terrarum regimen *c* procurantibus, emissum est ab iis decretum, quod dicto eorum anno constituerant, in hanc sententiam. Invenimus vos, quotquot nobis estis subjecti, Deorum venerationi devotos: in hoc igitur secundo nostri *d* Imperii anno congruam curam gerentes, obsecramus & hortamur omnes, qui his nostris temporibus incolunt regionem istam, ut ad cultum & amorem deorum omni modo studeant cunctos inducere: si enim inventus fuerit aliquis, quocumque in loco Christi virtutem nominans, nostram contra se indignationem suscitat. His auditis concurrit populus ad faciendum, quæ ab illis præscripta erant; die autem constituto salutarunt Præsides suos, dicentes: Gratificentur nobis Domini nostri, qui tam solicite provident deorum honori. Respondit Tarquinius Consularis: Quoniam tantam promptitudinem in vobis reperio; me auctore atque hortatore, convenite in crastinum, & diis offerte sacrificium: ut, quoniam à longe advenistis, nobiscum lætemini, & sic unisquisque vestrum in propriam redeat civitatem. Postera Igitur die omnes accesserunt ad sacrificandum diis suis: itaque dimisit eos Tarquinius Præses, quemadmodum promiserat.

a Persecutione mota. b c C *d & edicto proposito,* *omnique populo ad sacrificium concurrente,*

2 Postridie vero homo quidam furiosus, Tarquinium adiens, dixit: Sunt viri tres, qui hesterno die noluerunt mandatis vestris obtemperare & diis sacrificare; dicentes, eum solum adorare se, qui in cælis est, Deum. Tunc misit Tarquinius ministros suos, qui eos comprehenderent: euntes autem illi invenerunt ipsos in suo prædio, quod dicitur Ozobia, Deo suo supplicantes; comprehensosque ferreis vinculis ligaverunt, & confestim adduxerunt *e* Dorostolum. Ingressi autem sub vesperam nuntiarunt Tarquinio, comprehensos esse homines illos, qui se Christianos esse dicunt: quibus Tarquinius Præses dixit: Hac quidem hora eos non statim suscipio, sed fidei vestræ usque in crastinum custodiendos trado. Igitur milites, prout sibi fuerat imperatum, custodierunt eos usque mane; ipsi vero tota nocte orabant dicentes: Præbe nobis, Domine Jesu Christe, cælestem tuam virtutem in auxilium, ut possimus superare adversarios nostros, & pro tua benignitate dignos nos effice, qui reportemus coronam victoriæ.

EX MS. GR. D *delati hi Sancti & comprehensi,* e *noctem in carcere traducunt orantes,*

3 Die facto, jubet Tarquinius coram se adduci Sanctos: quos cum vidisset & contemplatus esset, dixit: Hiccine sunt qui nostris mandatis contemptis pro sua voluntate religionem habent? Et ad eos conversus, Primum, inquit, nomina vestra mihi edicite. Respondit S. Maximus: Ego quidem secundum Christi fidem, Christianus sum, sicut & hi fratres mei: secundum hominem vero, Maximus nominor. Cui Præses Tarquinius: Respondisti inquit, ut decet Clericum, non diis, sed alteri cuipiam servientem! Iste autem alius, qui te sequitur & mihi in hoc resistit, quomodo vocatur? Ipse vero respondens, dixit ei: Dadas; nos autem etiam ita sumus, sicut & frater noster, qui prior respondit. Tum Tarquinius: Quis autem tertius? S. Quintilianus dixit: Quintilianus appellor, Christianus autem sum.

postera die coram Proconsulibus E *nomina sua & fidem professi,*

4 Magniliano autem Notario verba eorum utrimque excipienti, dixit Proconsul Gabinius: Excepisti omnium nomina? Respondit Magnilianus Notarius: si tua potestas jubet, legatur textus. Dixit Gabinius Proconsul: Legatur. Tunc Magnilianus Notarius legens dixit: Quæ ab omnibus accepi nomina hæc sunt; Maximus, Dadas, & Quintilianus. Tunc dixit Præses Tarquinius. Ecce in manibus nostris est vestra caritas: si ergo vultis vivere, abite & sacrificate deorum matri, & eritis eorum sacerdotes: siquidem obiit sacerdos qui illam honorabat, atque ad magnum Jovem cælestemque regem abiit ut ei ministret. Sanctus Maximus respondit: Hominum iniquissime & impudentissime, non reformidas nomen Domini, Dei nomine compellans adulterum, eumque regem cælestem indigetans? Scitote, o insensati, quia Christus est rex cælestis, omnibus providens, & omnia manu sua continens. Scias igitur quod nos exitiale istud mandatum perficere nequeamus: nos enim Deum cæli omnino adoramus, ut qui sumus figmentum manus ejus.

respuunt oblatum matris deorum sacerdotium, F

5 Gabinius vero Proconsul vocans ad se Dadam & Quintilianum, quasi eis consultum volens, multis inanibus verbis tentabat, si posset eos decipere, atque ad perniciosam suam pertrahere voluntatem. Sancti vero Dadas & Quintilianus dixerunt ad eum: Nos consentimus iis quæ dixit Frater noster Maximus: quoniam ipse est Catholicæ Ecclesiæ Lector; & divinam Scripturam optime intelligens, novit quid nos conveniat facere: tu vero diabolica deceptus insania, ignoras quid tibi sit conducibile: hoc autem si audire velles, unum cæleste lumen intuereris. Gabinius Proconsul simul cum Tarquinio dixerunt: Ecce quot modis vobis consulimus: vos autem

& judicum insaniam redarguunt,

EX MS. GR.

A

tem suaderi vobis non vultis, sed in vestra perseveratis insania. Respondit Maximus: Vos ipsi insanitis, qui vultis homines recte viventes, & unum Deum adorantes, pertrahere ad culturam dæmoniorum: quod igitur visum vobis fuerit, facite: nec enim à nostro nos abducetis proposito.

& Angelico confortati alloquio

6 Tum Gabinius atque Tarquinius Proconsules, collocuti inter se de iis quæ ipsis responderant Sancti, jusserunt Martyres reduci in custodiam: qui abierunt, de sua salute sermocinantes ad invicem. Circa mediam vero noctem legens S. Maximus, Dadam & Quintilianum ex divinis Scripturis multipliciter instruebat. Deinde sopiti viderunt diabolum armis accinctum & contra se pugnantem: à somno autem experrectis apparuit Angelus Domini, dicens: Nolite timere: Deus enim, cui vos tradidistis, excipiet vos, nec procul abest à vobis. Hoc ergo sermone confortati, benedicebant Dominum usque mane. Proconsules vero jusserunt adduci Sanctos, & coram se sisti: quod cum fecissent ministri, dixit Gabinius Proconsul. Ecce coram nobis consistitis: nunc igitur hortamur vos ut abeuntes sacrificetis diis, non parvos honores à nobis consecuturi; sin autem non obtemperatis mortem vobis comparatis: hoc enim dii nostri nobis in somnis præceperunt hac nocte. Sancti Martyres responderunt: Et nobis Deus noster dignatus seipsum revelare in somnio, ut pro ejus nomine cruciatus omnes sustineamus. Tunc Tarquinius ad Gabinium dixit: Hi nisi tormentis subjecti fuerint, numquam poterunt persuaderi. Respondit Gabinius: Siquidem ipsi id eligunt, sibi ipsis culpam adscribant.

spernunt intentata sibi supplicia:

B

post illata verbera

7 Tunc mandarunt ministris ut eos exuerent vestibus: quo facto dixit Gabinius; Ligatos eos extendite super terram, & sic verberate. Quod audientes ministri statim fecerunt ut eis mandatum erat. Tarquinius dixit: Interrogate eos, utrum velint obedire & diis sacrificare: sin minus præparabimus eis adhuc alia tormenta, ut pessime cruciatus ipsos vita privemus. Interrogati autem à ministris Sancti Martyres, velut ex uno ore responderunt: Nos à Deo corroborati, tormenta vestra contemnimus, neque perversis vestris consiliis acquiescimus, ut sacrificemus dæmonibus. Ministri autem sicut ab illis audiverant sic retulerunt Proconsulibus. Tarquinius Proconsul dixit: Quandoquidem parere nolint, conjicite eos in carcerem, jam enim est hora prandii.

C

constantes in sua confessione,

8 Transacta hora septima jusserunt Sanctos ad tribunal sisti: quibus adductis dixit Gabinius Proconsul, Numquid Maxime, utiliter deliberasti ut sacrifices diis. Respondit S. Maximus: Nos ejusmodi consilium non suscipimus. sed quemadmodum jam antea tibi diximus, nos alium neminem adoramus nisi Dominum nostrum Jesum Christum, cum Patre & sancto Spiritu. Tunc iratus Gabinius dixit ad sanctos Martyres: Si non velitis prudenter agere & Deos adorare, perdam vos, & in barbarica loca abduci vos faciam, & istis capita vobis præscindi. Adjuramus te, inquiunt sancti Martyres, ut verba factis probes. Tunc jusserunt Proconsules abduci eos in locum proprium, & ibi eos decollari. Sancti autem Martyres, accepta sententia, glorificabant

capite damnantur

Deum dicentes: Domine Jesu Christe, qui eruisti nos ex hoc præsenti nequam seculo, suscipe nos in requiem tuam, ut digni efficiamur æternum ac cæleste regnum tuum consequi, qui es benedictus in secula. Amen

D

& decollantur in suo prædio, 28 Aprilis.

9 Cum hæc dixissent, susceperunt sententiam ministri, & consilium inierunt ut caput S. Maximi armillę ferreæ imponerent, postquam eum cum ceteris decapitassent, quia plurima jis locutus erat. f Venientes autem Sancti in locum qui nominatur Ozobia, corpora sua signaverunt Christi signaculo, & à sancto Spiritu confirmati, juxta sententiam Proconsulum decollati sunt à spiculatore; atque ita tradiderunt animas suas Deo, cui crediderunt. Passi sunt autem sancti Martyres Maximus, Dadas, & Quintilianus mense Aprili die vigesima octava, in loco Ozobia dicto: imperantibus Diocletiano & Maximiano sub Proconsulatu Tarquinii & Galinii; secundum nos autem, regnante Domino nostro Jesu Christo; cui gloria & potestas in secula seculorum. Amen.

f

ANNOTATA.

a *Restituimus pro* Maximo, *perperam intruso, Diocletiani nomen, ex consensu omnium MSS. compendiorum antea productorum; quia satis apparet ea ex his Actis, sed sincerius descriptis, pene verbotenus fuisse accepta.*

E

b *Græce* ἐπὶ τῆς ὑπατείας, sub Consulatu: *sed omnino dicendum vocem hanc latius accipi, quomodo* Proepiscopi *aut* Vice-comites, *ampliatione quadam usitatissima* Episcopi *&* Comites *appellantur: & sic infra sæpe usurpatur vox* Ὕπατος Consul, *ejusque loco (ne strictius sumendam putes) invenitur etiam sæpius* Ὕπαρχος *&* Ἔπαρχος, *quod proprie sonat* Provinciæ Præsidem, *quandoque etiam* Ὑπατικος, *ac sic dicas* Consularis.

c *Hoc esse referendum, non ad Gabinium Tarquiniumque, sicuti retulisse videtur Sirletus; sed ad Imperatores quorum & annus secundus identidem inculcatur, & edictum mox profertur, nequaquam ambigimus. Græce est* Ποιουμένων οὖν αὐτῶν τὴν φροντίδα τῆς οἰκουμένης ὑπατείας: *quod Sirletus vertit*, Hi igitur cum orbem terrarum pro Consulatus munere administrarent. *Sed videtur vox* ὑπατείας, *& quoad sensum & quoad constructionem idoneam, prorsus abundans hoc loco, per socordiam librarii irrepsisse.*

F

d *Sicuti in principio habebatur*, ἐν τῇ δευτέρᾳ αὐτῶν ἀρχῇ; *ita nunc clare habetur* ἐν τῇ δευτέρᾳ ἡμῶν ἀρχῇ. *Sirletus tamen, qui primum bene verterat*, Secundo Imperii ipsorum anno; *hic, ne cogatur agnoscere decretum fuisse ipsorum Imperatorum, totum sensum, qui in Græco ad verbum est qualem expressimus, una cum præcitatis verbis sic invertit*: Nihilominus tamen cum hujus magistratus, qui secundum Imperatorem primum locum obtinet, curam susceperimus.

e *Vrbis nomen omisit Sirletus, atque ita, quantum in se fuit nobis subtraxit notitiam loci, in quo passi sunt sancti Martyres. Fortassis Romanæ urbis Consules sibi imaginatus, Romæ quoque rem actam credidit, nec intellexit quid esset* ἐν Δοροστόλῳ.

f *Idem hanc hujus numeri partem omisit, quod Græcis, textus haud parum hoc loco obscurus esset, ut alibi videbimus.*

DE SS. EVPHEMIA, EVCAPIA, ET SECVTORE,

MARTYRIBVS CHALCEDONE IN BITHYNIA.

G. H.

XIII APR.



Quæ hic antesignana reliquorum Martyrum collocatur Euphemia, animum cogitationesque in diversas distraxit sententias. Nam celeberrima est S. Euphemia, in fastis æque Græcis ac Latinis, ad diem XVI Septembris: quæ Chalcedone, post varia tormenta, tolerata in theatro spiritum Deo reddidit. Addubitavimus ergo, an quæ aliis diebus refertur Martyr obiisse Chalcedone Euphemia, una eademque sit censenda. Ita celebratur in Martyrologio S. Hieronymi die XVII Augusti, Chalcedone S. Euphemia cum S. Macario, & XVII Septemb. Chalcedone S. Euphemia cum S. Saleoso, uti hoc XIII Aprilis primo loco collocatur in Chalcedonia natalis S. Eufemiæ, Eucapiæ & Secutoris. Simili modo in jam memorato Martyrologio S. Hieronymi celebratur Euphemia, cum sociis XXIV suis nominibus expressis, Constantinopoli III Iulii passa; alia Nuceriæ XIX Septembris, cum quatuor sociis; alia etiam Mediolani XXVII Novembris, cum aliis quatuor athletis coronata: at loco non indicato memoratur XII Aprilis & III Septembris cum diversis semper sociis, idque in indicato Martyrologio S. Hieronymi. S. Euphemia Virgo & Martyr celebratur XV Aprilis in illustri Martyrologio Vaticano ecclesiæ S. Petri. In MS. Breviario ad partes Rheni, quod penes nos est, nec non in excuso VVormatiensi anni 1576 & Racenburgensi anni 1506, præscribitur colenda S. Euphemia, hac die XIII Aprilis, cum hac ubique oratione Concede quæsumus, omnipotens Deus, sanctæ Martyris tuæ Euphemiæ nos exultare meritis, & beneficiorum attolli suffragiis.

Varia Martyres Euphemia

B

2 His positis quidni nomen Euphemiæ satis honorificum, fuerit Chalcedone pluribus feminis commune, ex iisque plures fuerint in odium fidei Christianæ interemptæ! Certe in plerisque Martyrologiis antiquis & multis Breviariis reperitur S. Euphemia ad hasce Idus Aprilis relata. Quæ ei prima jungitur martyrii socia, scribitur in apographis Lucensi & Blumiano Eucapia, in Corbejensi Evapia, in Epternacensi Eucapus: in Richenoviensi, Augustano, & Aquisgranensi Eucarpus, in MSS. Atrebatensi, Tornacensi, & Latiensi, imo & Romanis Vaticano Ecclesiæ S. Petri & Barberino in Supplemento genuini Bedæ, iterum Eucapia scribitur, Notkero Eucarpia, & dicitur post multa tormenta requievisse. Secutor est in quatuor apographis Martyrologii Hieronymiani, uti etiam in MSS. Richenoviensi, Casinensi, Augustano, Tamlachtensi, Labbeano, Romano Ecclesiæ S. Petri, Atrebatensi, Tornacensi & S. Sabini in agro Tarbiensi. Adjunguntur in aliquibus MSS. aliqui ex Martyribus, qui ad sequentem classem spectant. In nonnullis, sed non adeo antiquis, adjungitur elogium quod S. Euphemiæ tribuitur ad XVI Septembris: quam si velint aliqui unam eamdemque esse, nolumus contentiosum funem trahere. Baronius, in Notis ad XVI Septembris, innuit sibi magis placere, si dicamus plures fuisse Euphemias: quarum una hæc sit, de qua hodie in Martyrologio Gallicano Saussajus his verbis, apud Maclovium memoria S. Euphemiæ Virginis & Martyris, ob recepta illic aliquot ejus pignora sacrosancta: quorum & insignis portio Lutetiæ Parisiorum asservatur, in celebri toto orbe Sorbonæ Gymnasio, ab Equitibus Melitensibus seu Rhodiensibus pretioso munere transmissa, & solenni excepta Academiæ concursu die XXVIII Decembris, anno salutis MDCVI. Simili forte ex causa ad radices Pireneorum Tarbiæ, veneratio S. Euphemiæ virginis & Martyris invaluit, de qua scribitur in ejusdem Martyrologii supplemento: quin & socii Martyris in eamdem regionem illatas esse Reliquias aliquas, persuadet pervetustum Martyrologium monasterii S. Sabini seu Savini de Levitania in montibus Pireneis in agro Tarbiensi, unde dictus Saussajus edidit excerpta de Sanctis minus cognitis & ad Galliam spectantibus: sic enim ibi legitur, Eodem die natale S. Solutoris. Cardosus, nescio quo abreptus somnio, Lusitanis adscripsit S. Euphemiam: quia in pseudo-Iuliani ficto nuper chronico num. 58 hæc verba leguntur, Prima Novemb. colitur Eumelia civitate Abrobingensi in Gallecia.

Eucapia,

Secutor,

Reliquiæ in Gallia.


E

C

F

DE SANCTIS MARTYRIBVS
IANVARIO, PAVLO, CARVLO, AROBO, BASSA, CARITA ET AGATHONIA, ITEM DECIMO, CALEPODIO ET LEONITIDE.

XIII APR.



Hæc turma Martyrum celebratur secundo loco in quatuor apographis Martyrologii Hieronymiani, & nonnullis aliis. Horum tres primi in aliquibus adjunguntur præcedenti classi, tamquam socii S. Euphemiæ in Martyrio. S. Januarius in MSS. Rhinoviensi & Richenoviensi tribuitur Romæ, arrepta forsan occasione ex Martyrologio Rabani, in quo ista traduntur: Romæ in cœmeterio translatio S. Januarii Martyris. Sed hæc de aliquo alio Martyre potius sunt intelligenda. Paulus in MS. codice S. Willibrordi dicitur, Acolythus Carulus etiam Catulus scribitur, & pluries Carolus: quod probare minus possumus. Arobus deest in autographis Lucensi & Blumiano, habetur in aliis duobus: Bassa etiam Passa vocatur: & pro Agathonia, (sic enim legendum arbitramur) reperitur Azatonia, Aroazonia, & Agathonica: sed hæc est Martyr Pergamensis, supra cum SS. Carpo & Papylo ejus fratre relata. Adjungitur in Corbejensi codice Decimus, ab aliis non memoratus. In Tamlachtensi referuntur, sed satis vitiose descripta nomina Januariæ, Parurae, Karoli, Arobi, Bassæ, Caritæ, Castonicæ: & pro Acolytho legitur alius Martyr Accolus, & interseruntur Calipodius & Leonitides, ab aliis non memorati.


an alii tres jungendi.

DE SANCTIS MARTYRIBVS,

G. H.

CELERINO, LAVRENTIO, IGNATIO, MAGNO ET MILIANO.

XIII APR.



Ntiquum Martyrologium, à nobis in Archimonasterio Casinensi repertum, characteribus Longobardicis exaratum, hodie nobis exhibet hos Sanctos istis verbis: Natalis sanctorum Martyrum Celerini, Laurentii, Ignatii, Magni & Miliani. *Celebravimus* III *Februarii SS.* Celerinam, Ignatium & Laurentinum Martyres in Africa & S. Celerinum Diaconum Confessorem, *& dubii haremus num iidem hic recenseantur, additis aliis duobus* Magno & Miliano, *pro quo forsan Æmilianus substituendus, cujus nominis plures Sancti reperiuntur.* In AfricaMartyres *Æmiliani à nobis relati sunt* XXVI *Ianuarii &* IX *Februarii.* Magni *nomine etiam varii per annum occurrunt Martyres, sed num hi iidem sint, nescimus divinare. Quam igitur, in antiquis fastis hac die venerationem quinq; hi Martyres habent, eam cũ hac observatione ipsis relinquimus.*

DE SS. ELEVTHERO PERSA, THEODOSIO ET ZOILO,

MARTYRIBVS SVB SAPORE REGE.

SECULO IV

B

S. Eleutherius è Perside oriundus



Logium hujus Sancti exhibet antiquum Menologium Gracum, quod jussu Basilii Porphyrogeniti Imperatoris seculo Christi decimo fuit vulgatum, & est hujusmodi. Eadem XIII Aprilis. Certamen sancti Martiris Eleutherii Persæ Eleutherius Christi Martyr fuit è regione Persidis oriundus: cum vero Christianus esset & Christum valde diligeret; adiit S. Simeonem Episcopum, & ab illo perfectius est verbum veritatis edoctus. Deinde in propriam reversus domum, etiam ipse alios ad se accedentes docuit quæ ad Christi Incarnationem spectant: quo pacto nimirum Deus nostri non indigus, voluit homo fieri, ut hominem salvaret: neque ideo propriam essentiam mutavit, quod hanc humanæ naturæ uniret; sed totus permanens Deus, totus factus est homo. Cum vero ista S. Eleutherius doceret, & multos ex infidelibus ad Christum converteret ac baptizaret; illud Persis, qui ignem adorabant, innotuit: & ab his denuntiatus est Regi. Captus ergo est, & ad hunc adductus. Cum ergo Rex eum interrogavisset, eiusque constantiam cognovisset, tradidit ipsum Archimagis, illis mandans, ut S. Eleutherio persuaderent, & ad Christum abnegandum inducerent. Illi vero plurimis ipsum tormentis excruciarunt, & cum non valerent à Christo avertere, caput ei amputarunt. *Hactenus Menologium Basilii Imperatoris.*

à S. Simeone edoctus,

alios docet:

captus, in que fide constans,

C

varia tortus capite plectitur.

2 *In Menais excusis fit* memoria sancti Martyris Eleutherii Persæ, *& in disticho adjuncto, cum allusione ad nomen* Eleutherii; *quod* liberum *significat, dicitur* non potuisse impostura aliorum in servitutem redigi, & sic rursus liber stetisse ad gladium.

Ἐλεύθερος οὐκ ἐδουλώθη πλάνῃ
Ἐλεύθερος δὲ πρὸς ξίφους ἔστη πάλιν.

junguntur socii

Galesinius, citatis Gracis, socios duos adjungit cum hoc elogio: Eodem die beatorum Martyrum Eleutherii Persæ, Theodosii & Zoili, qui pro Christo dimicantes, concertationis, quam fortiter susceperant, confectæ præmium adepti sunt. *Eosdem, sed ex Galesinio, celebrat in Catalogo generali Ferrarius. MSS. Menaa Mediolanensia bibliotheca Ambrosiana signata littera O & numero* 148, *& Taurinensia Ducis Sabaudia in duplici codice, ista habent:* Die XIII Aprilis. Certamen sancti Martyris Eleutherii Persæ & S. Zoili Romani, & sanctorum Martyrum Theodosiæ, Basilii & Gerontii. *In MS. Synaxario Parisiensi collegii Claromontani Societatis Iesu, ad diem sequentem* XIV *Aprilis, ista traduntur hoc modo:* Certamen sancti Martyris Eleutherii Persæ & Zoili Romani, & sanctorum Martyrum Theodosii, Basilidis & Gerontii. *De SS. Basilide & Gerontio, apud Gracos Martyrium passis, egimus* I *Aprilis, & supra inter Pratermissos ad illum diem hos Sanctos remisimus. Menaa excusa gratulantur Theodosio, quod* nolens persuaderi ulla ratione, ut Diis offerret munera, ductus *fit* ad munus gladio obtinendum, *scilicet coronam Martyrii: Zoilo vero eadem Menaa plaudunt, quod* jaculis confossus in ligno, confoderit eum qui per lignum corruptionem seu mortem adduxit in mundum, *videlicet dæmonem. In primo alluditur ad nomen Theodosii, ex voce* Θεὸς *&* δόσις *compositi: nec caret venusto in verbis lusu distichon secundum: utrumque sic sonat in Graco.*

E

S. Theodosius gladio,

& Zoilus sagittis occisi,

Θεοῖς προσοίσειν μηδαμῶς πεισθεὶς δόσιν,
Ἤχθης, Θεοδόσιε, τὴν ἐπὶ ξίφους δόσιν.
Τόξου βελῶν, Ζωΐλε, πληγεὶς ἐν ξύλῳ,
Πλήττεις τὸν εἰσάξαντα τὴν φθορὰν ξύλῳ.

Appellatur vero Zoilus Romanus, *quod non, sicut Eleutherius, esset sub Sapore natus. sed sub Imperatoribus Romanis, uti vicini Persidi solebant Romani vocari. De S. Simeone Episcopo & Martyre, ejusque sociis athletis, qui in MSS. Mediolanensibus & Taurinensibus etiam hoc die referuntur, agemus cum Martyrologio Romano ad diem* XXI *Aprilis & tunc latius de hac persecutione, à Rege Sapore mota, agemus.*

3 *Hactenus secuti certiora monumenta, finem imposueramus, quando acturi de S. Hermenigildo, reperimus hos ipsos Martyres in Hispaniam transferri, & non ad aliquem Regem Saporem, sed Imperatorem Neronem. Tamajus Salazar in suo Martyrologio Hispanico primum argumentum sumit à quodam Menologio Graco, ex Garsia de Loaysa bibliotheca desumpto, in quo sic legatur:* Eodem die SS. Eleutherii, Theodosii & Zoili militum, qui relicta temporali militia ad cælestem accesserunt. *Omittitur cognomen* Persæ *datum Eleutherio, &* Romani *tributum Zoilo: licet Eleutherius Persa agnoscatur in Chronicis, sub nomine Dextri & Iuliani confictis. Apud Dextrum ad annum* 290 *ista leguntur* Telæ, Hispaniæ urbe, sancti Martyres Eleutherius Persa, Theodosius & Zoilus. *Ita impressit Bivarius: sed Tamajus vult intelligi verbum* coluntur, *quod apud Iulianum Petri in Adversariis num.* 97 *ista leguntur:* In Celtiberiæ finibus, urbe Alce, sanctus Martyr Eleutherius cum sociis Mundensibus & Certimitanis, (quæ urbes Alcæ propinquæ sunt) in persecutione Neronis pro Christo passi Idibus Aprilis, terrenam militiam pro cælesti mutaverunt. Erant enim in præsidio urbis Alcæ vetustissimæ à Clau-

F

frustra in Hispaniam & ad tempora Neronis translati.

A Claudio Tiberioque positi, legionis tertiæ Gallicæ. Eleutherius fuit Persa Primipilus. *Tamajus invehitur tum in glossema Bivarii, quod* Telam *loco* Alcen *constituerit, tum in hallucinationem Roderici Cari, quod unam eamdemque* Telam *&* Alcen *statuat. Nos hisce novitatibus & figmentis non movemur, & quæ ipsi ex antiquis monumentis collegimus, immutata retinemus.* D

DE SANCTO VRSO,

EPISCOPO RAVENNATE IN ITALIA.

G. H.

ANNO CCCXCVI.



Ravenna, nobilis & ampla Romandiolæ urbs est, Sede Archiepiscopali exornata. Hanc S. Apollinaris, ab Apostolo Petro missus, fundavit, & successores in ea habuit quam plurimos Episcopos, tum Martyres tum Confessores, in album Sanctorum conscriptos, quos toto hoc opere variis diebus proferimus. Nos etiam Romam proficiscentes, Ravennam declinavimus, & monumenta quæ in archivio Archiepiscopalis Ecclesiæ erant excussimus, atque didicimus S. Vrsum ibidem Episcopum, XIII *die Aprilis per totam diœcesim coli officio Ecclesiastico sub ritu duplici, sed omnia desumi ex Communi de Confessore Pontifice: quem cultum confirmant Tabulæ Ecclesiæ Romanæ istis verbis:* Ravennæ S. Ursi Episcopi & Confessoris. *Eamdem ejus venerationem testatur Hieronymus Rubeus lib. 2 Historiæ Ravennatum, cui inserit quæcumque de S. Vrso potuit reperire: inde aliquod encomium confecerunt Philippus Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ ad hunc* XIII *Aprilis, Ferdinandus Vghellus tomo 2 Italiæ sacræ, col. 330, Hieronymus Faber par. 2 Sacræ memoriæ Ravennatum pag. 417, citatis etiam Desiderio Spreto, Ioanne Petro Ferretto, & Hieronymus Rosso potissimum autem Octavius Cajetanus tomo 1 de Sanctis Siculis, quod ex ea insula sit oriundus S. Vrsus: quem Martyrologio suo Siculo etiam ad hunc diem inscripsit idem Cajetanus: qui asserit* Vitam S. Ursi à se concinnatam, partim ex iis quæ dispersa de eo dicuntur ab Hieronymo Rubeo, partim ex monumento quodam, quod ex MS. codice Ecclesiæ Ravennatis idem Rubeus vir doctissimus & humanissimus per Constantinum fratrem ad se miserat. *Hanc ergo Vitam (quia nihil certius obtinere potuimus) hic subjungimus & est ejusmodi.*

[Cultus sacer S. Ursi.] [B Encomia de eo scripta.]

VITA

Ex Historia Hieronymi Rubei ab Octavio Cajetano concinnata.

C 1 Vrsus Ravennæ Episcopus, in Sicilia natus ex familia nobili & opulenta, *a* B. Bassiano Syracusano per affinitatem connexus fuit. Sane iste sumpta Christi fide, ut Ethnici patris iram declinaret, à Deo monitus est, effugeret Ravennam ad Ursum affinem suum. Conjiciet fortasse aliquis, ex conjunctione Syracusani sanguinis, Ursum *b* Syracusis urbe Siciliæ ortum. Sed in occulto est causa tempusque, quibus ex insula profectus, Ravennam Italiæ urbem accesserit. Ubi Sacerdotio amplissimo auctus, Ravennatem Ecclesiam suscepit regendam, morte decessoris *c* Liberii vacuam, eique desponsam prælato ceteris ob egregias dotes; nam pio excelsoque animo juxta fuit, maximeque inflammato ad augendam Christi religionem: animo simile corpus castissimum & ab omni labe procul.

[Vrsus Siculus,] [Ravennas Episc. creatur:]

2 Sed nihil æque celebre Ursi nomen, atque præclara ejus facinora posteris fecere. Enimvero primus amplum Deo templum construere Ravennæ cœpit, ut gregem Christi ac suum, qui sparsis in tuguriis adhuc vagabatur, in unum ovile pastor vigilantissimus cogeret, ac tuto septum videret. Jam vero magnæ opes, quæ ceteris per ignaviam luxumque dedecori sunt, magnæ gloriæ Urso fuere: divitias enim, quas à parentibus suis in Sicilia copiose acceperat, in Dei Maximi domos ornandas earumque decora contulit; opus eximiæ artis & magnitudinis Ravennæ aggressus, quod altitudinem mentis suæ & accensa in religionem studia testificaretur. Quippe templum maximum ac pulcherrimum *d* à fundamentis ædificavit; futurisque urbis pastoribus populoque certam reliquit sedem sacri Pontificatus atque religionis: Ursianum templum, indito à conditore vocabulo, posteritas appellavit, quod situm est in regione Hercularia, à colosso Herculis dicta, qui juxta ædem B. Agnetis præ foro spectabatur, atque illud ad nostram usque memoriam mansit: quamquam ut ægritudines venustatem corporum, ita templi pulchritudinem tempora extinxere.

[ecclesiam construxit,] [& pecunia sua exornat] [Vrsianam dictam,]

3 Ut enim Ursus flagrans studio sacrorum & ingens animi, templum quadruplici ordine columnarum præclaro è marmore Græco statuit, testudinem de musivo pinxit, nec parietes modo emblemate vermiculato distinxit, hominumque & animantium crustis, sed pretiosis etiam lapidibus, gemmisque circumtexit; gemmis ipsis mutam per ambitionem exsultantibus, quod à vanitate hominum in Dei cultum pietate Ursi translatæ essent. Ravennatium vero populus, quasi corpus quod uno regeretur animo, studia pii pastoris æmulabatur; & in construenda Christi domo laborem sua sponte suscipiens, lætitiam & gratulationem præferebat; Deumque laudabat, quod Sacerdotis sui precibus Ravennatium publicam rem prosperaret. Sane vero templum Ursi opibus perfectum, Idibus Aprilis dedicatum est; quibus natalis Christi Domini ad vitam resurgentis eo anno celebrabatur, qui fuit ab ejus exortu *e* CCCLXXXIV. A die dedicationis, Basilicæ nomen fuit Anastasis.

[E & valde splendidam,] [dedicatam die Paschalis anno 384.]

4 Iisdem studiis Ursus Sanctorum honores, ac præsertim indigenarum, cultum procuravit: nam satis constat jam inde ab ejus temporibus Divos Siculos Ravennatibus magno in honore habitos, Sanctissimisque Virginibus *f* Agathæ & Luciæ templum Ravennę dicatum fuisse. Tunc etiam festus dies solennisque agi cœptus est S. Euplii Martyris Catanensis.

[Cultum Sanctorum promovet,] F

5 Sed Ursus viginti annos Ecclesiæ cum præfuisset, ad beatam vitam meritis suis translatus est anno Christi *g* CCCXCVII, Imperantibus Arcadio & Honorio. Miti ægritudine, mitiore obitu decessit, iisdem Idibus Aprilis, eoque ipso die Sanctissimæ Resurrectionis Jesu Christi, quo die Ursus *h* XIII ante annos illustre templum sacraverat. Hunc honorem ejus eximiæ pietati dedisse Deus videtur, ut eo die è vita excedenti cæli templa patefecerit, quo ille è morte excitatum dedicatione magnifici templi percoluisset. Extinctus Ursus omnium ordinum lacrymis sua in æde situs est, ante aram sub marmore porphyretico, unde superiorem in aram consequentibus temporibus importatum fuisse fama est.

[obit anno 398 13 Aprilis,] [in Vrsiana æde conditus,]

6 Corpore fuit decoro, tensa pulchraque facie, modice nudo capilli vertice, morum integer, excelsus animi. Ejus imago de musivo picta in testudine templi D. Apollinaris in Classe conspicitur. Domum Ravennæ Ursus habuit juxta fossam amnis, qui de Orga-

[Forma corporis:]

AUCTORE H. RUBEO.

domicilii situ Organaria, id loco nomen est, emanabat, sub Priscorum ponte, qui miræ olim magnitudinis fuit, & magnificis ædibus habitabatur. Idem Ursus urbem Ravennam multis ædificiis auxit. Amplissimum in Sicilia patrimonium Christo & Ecclesiæ suæ tradidit, nulla evictus cognatorum affectione. Sane publica magnificentia, Christianum Principem; virtutibus (quæ solidior in Pontifice laus) summum Sacerdotii *magnificentia.* fastigium exæquavit, æternam utroque famam apud posteros, & cælestes honores adeptus.

ANNOTATA.

a *Vitam* S.Bassiani *illustravimus, ad diem* 19 *Ianuarii, in qua dicitur num.*7 *fugisse Ravennam, & ibi mansisse aliquamdiu, nulla facta Vrsi ejusque affinitatis mentione: & in Notis littera* B *ostendimus tempora non satis convenire, quæ ibi videri possunt.*

b *Syracusis eum adscribit in Martyrologio Siculo idem Cajetanus.* D

c Liberius *III. hujus nominis traditur è vita decessisse Kalendas Ianuarii anno* 378.

d *Fatetur Rubeus pag.*59 *ab aliquibus tradi à S.Vrso solum fuisse restauratum.*

e *Imo anno* 385, *cyclo Lunæ* 6, *Solis* 2, *littera Dominicali* E *Pascha incidit in diem* 13 *Aprilis: porro satis imperite hic vocantur* Indigenæ, *qua eamdem cum S.Vrso Siculo patriam habuerunt.*

f *Coluntur S.Agatha S.Februarius, S.Lucia* 13 *Decemb. S.Euplius* 11 *Septembris.*

g *Quidni iterum annus apponatur* 396, *quando cyclo Lunæ* 17 *Solis* 13 *littera Dominicalibus* F E *Pascha celebratum est* 13 *Aprilis.*

h *Ex calculo posito undecim solum anni elapsi erant, & duodecimus incipiebat, & solum præfuisset annos* XVIII.

DE SANCTO MARTIO ABBATE

G. H.

APVD ARVERNOS IN GALLIA.

SECULO V.

B



Ioannes Savaro Claromontanus, *suo tempore Regi Christianissimo à Consiliis, Præses & Præfectus Arverniæ, eximia doctrina notissimus, qua opera Apollinaris Sidonii illustravit, & Origines Claromontanas excussit, iisdem adjecit duos libellos, olim conscriptos de Sanctis, Ecclesiis & Monasteriis Claromontanis: in quorum secundo, cap.*16, *ista leguntur:* In ecclesia S.Martii, altare S. Felicitatis, ibi requiescit S.Martius. *Ad qua verba observat Savaro, dictam* Ecclesiam esse inter Rubiacense monasterium & S.Victoris ecclesiam sitam, in radicibus Waiferi castris, eamque ad jura domus Illidianæ pertinere: S.Martium autem, à quo nomen ecclesiæ, fuisse Arvernæ civitatis Abbatem, à qua haud procul secesserat, ut sanctiorem vitam viveret, ibique in summa sanctitate peracto vitæ tenore, infra oratorium monasterii sepultum fuisse. *Addit, in Kalendario MS. de ipso ista legi:* Idibus Aprilis Commemoratio Martii Abbatis. *In Breviario etiam Claromontano atque Martyrologio MS. ita tradi:* Idibus Aprilis, In suburbio Arvernico, natalis B. Martii Abbatis. *Addit dein ista Savaro:* Ad hujus ecclesiam malo more catervatim confluunt incolæ VII. Kalendas Maii (qua die S. Marci Evangelistæ festum, non S.Martii Abbatis, qui colendus est Idibus Aprilis) atque pro S.Martio Abbate, D. Marcum Euangelistam adorant: natus error ex antiquitatis inscientia & nominis ambiguitate, qui facile tolli poterit, si per præcones Euangelicos error ex hominum animis evellatur: quod ut faciendum curent animitus obtestor, *inquit:* interest enim Catholicæ Ecclesiæ, suus ut unicuique cultus exhibeatur, ne, ut est in veteri proverbio, idem sit Cajus qui Mævius. *Hæc pro suo zelo sapientissimus Savaro.*

Ecclesia S. Martii:

nomen in MSS. Martyrologiis.

Idem perperam cum S. Marco habitus,

C

2 *Vitam S. Martii Abbatis scripsit S.Gregorius Episcopus Turonensis, in libro de Vitis Patrum cap.* 14, *quam hic subjungimus cum codice antiquo collatam: & ex ea hanc S. Martii ætatem colligimus, ut videatur seculo Christi quinto circa annum* CCCCXL *natus; & ætatem legitimam annorum quatuor & viginti assecutus, in cellam, à se in Saxeo monte extructam, secessisse; ac dein monachos collegisse, iisque cœnobium condidisse, circa annum* CCCCLXX, *tandemque ætate & virtute plenum, nonaginta annis vita peractis, circa annum* DXXX *sancte obiisse. Cum proximus esset resolutionis suæ dies, adductum ad se puerum undecim annorum, Florentium nomine, postmodum parentem S.Gregorii Turonensis, imposita manu, ardore febrium liberavit. Genitus hoc parente est dictus S.Gregorius circa annum* DXL, *qui triginta annos natus, Cathedram Episcopalem apud Turonenses suscepit circa annum* DLXX, *uti accuratius discutiendum erit die ejus natali* XXVII *Novembris. Quidquid de hujus ætate dicatur, tempus annorum vitæ S.Martii serius collocari non posse arbitramur: citius statui debere si alii arguant, nolumus obsistere.* E

Vita à S. Greg. Turonens. scripta.

mortis ejusdem ætas.

3 *His autem positis certo constat, S.Martium collectis à se monachis Abbatem præfuisse pluribus annis, antequam Magnus Patriarcha Benedictus nasceretur. Interim Trithemius Viris illustribus Ordinis S.Benedicti lib.* 3. *cap.*27 *eum adscribit cum hoc encomio:* Martius Abbas Arvernensis, ex eodem territorio ortus, vir fide & caritate eximius, qui multa in vita sua patravit miracula, quibus sanctitas ejus ostendebatur. Nam Florentium patrem Gregorii Turonensis Episcopi, adhuc puerum decem annorum, sanavit à febribus. Sed & post mortem multa infirmis ad ejus sepulcrum præstantur suffragia. Ejus vitam virtutibus plenam idem Gregorius Turonensis Præsul descripsit. Claruit anno Dominicæ Incarnationis DLXX. *Hac Trithemius annum S.Martio assingens sua de Benedictina professione opinioni congruunt: sed, ut jam dictum, claruit seculo integro citius, quando signo Crucis & oleo benedicto miracula patravit. Trithemium sequuntur Wion, Dorganius, Menardus, Bucelinus in suis Martyrologiis monasticis ad hunc* XIII *Aprilis. Verum sagaciores fuerunt Lucas Dacherius & Ioannes Mabillonus in Actis Sanctorum Ordinis S. Benedicti, dum S.Martium Abbatem conjecerunt in Indicem Sanctorum Prætermissorum in primo seculo Benedictino, quod huic Ordini esset manifeste suppostitius. Longo eumdem encomio, sed ex Vita desumpto, celebrat Saussajus in Martyrologio Gallicano. Meminerunt etiam Molanus in prima editione Auctarii ad Molanum, Galesinius & Canisius; sed hi* Martinum *appellant, uti etiam ad diem* VII *Aprilis Ferrarius in Catalogo generali.* F

Perperam Benedictinis adscriptus à Trithemio, & aliis.

VITA

Auctore S. Gregorio Turonensi,

in Vitis Patrum capite XIV.

1 Magnum nobis divina pietas largita est beneficium, cum delictis nostris fieri præcepit de remissione refugium, si negligentibus ignoscamus, si indulgeamus lædentibus, si odientibus nos econtrario commodum benedictionis impertiamus, dicente Domino Jesu Christo: Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, & orate pro calumniantibus & persequentibus vos, ut sitis filii patris vestri, qui in cælis est. Ecce quam magnum thesau- Mat.5, 44.

A thesaurum congregat contemptus iræ, reconciliatio damnati, remissio judicati: filium te Dei patris facit, coheredem Christi adscribit, cælestibus regnis habitatorem statuit. Unde manifestum est oblita delicta ejus in cælo, qui delinquenti beneficium veniæ impertitur in seculo: sic enim Dominici oris sententia prolata testatur: Si, inquit, dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet & Pater vester cælestis peccata vestra. Cum vero supplices famulos docet orare, ait: Sic enim dicetis ad patrem: Dimitte nobis debita nostra, quemadmodum & nos dimittimus debitoribus nostris.

Ignoscere in se peccantibus valde utile esse, — Mat 6, 14 — Ib. 12.

2 Igitur S. Martius, beatus Abbas, sanctitate præclarus, divinis eruditus studiis, hujus sententiæ bonum retinuit corde, ut libenter dimitteret delinquenti: & non solum ignovit noxam, verum etiam munere præbuit gratiam, ne in aliquo vilem redderet culpati personam. Sed ante de conversatione ejus pauca locuturi sumus, priusquam ad hujus beneficium accedamus. Beatissimus hic Martius, Arvernæ urbis Abbas, ejusdem territorii fuisse incola fertur: & à pueritia sua religiosam agens vitam, totum se Dei operibus dedicavit. Erat enim parcus in cibis, largus in eleemosynis, promptus in vigiliis, in orationibus valde devotus, totis viribus luxuriam abstinentiæ fræno ac parcitatis agone coërcens, ne sibi aliquid subrepere posset. Non immerito Martius vocitatus, qui fortiter ac strenue pullulantes actionum mortalium cogitationes, gladio Spiritus sancti, in ipso dimicationis exordio, succidebat, non surdus auditor exhortationis: Accingite vos armatura Dei, & gladio Spiritus sancti, ut possitis ignita diaboli tela contemnere.

exemplo suo ostendit S. Martius, — *à pueritia virtutem amplexus:* — B — Eph. 6, 11.

3 Cumque ad ætatis legitimæ perfectionem venisset, & tamquam sidus egregium in illa urbe fulgeret; adhuc aliquid sibi deesse putans, haud procul ab ea secessit: acceptoque sarculo, montem lapideum cædere cœpit: in quo cellulas sculpens, habitacula sibi parvula fecit, scilicet ut arctius sobrietatis catena constrictus, facilius Deo omnipotenti precum thura laudationumque holocaustomata, super cordis mundi altare, proferret, recolens Dominum dixisse per Euangelium: Intra in cubiculum, & clauso ostio, ora Patrem tuum: & Pater, qui videt in abscondito, reddet tibi: sciebat enim Angelicæ sibi visitationis consolationem adfore, si se ab humanis aspectibus longius amovisset. In hac ergo rupe cavati montis, habitationi res necessarias præparabat, formans in antro ex ipso lapide scamnum & cellulam sive lectulum, in quo post laborem multum fesso corpusculo requiem indulgeret. Sed erant hæc immobilia, quia ex ipso lapide incisæ massæ, ipsi petræ inhærebant. Nihil autem super eam, cum quiesceret, sternebat; sed tantum cum vestimento, quo indutus erat, decumbebat; non alios habens tapetes, plumellas aut stragula, quo hæc operirentur: nihil enim habebat proprium, nisi Dei cultum, in quo indeficiens permanebat. Victum ei interdum devotorum largitio ministrabat.

cellam sibi in monte saxeo condit; — Mat. 6, 6. — C — *duro strato utitur:*

4 Denique æternus Dominus, qui jugiter glorificat Sanctos suos, cœpit cæleste famuli meritum terrigenis declarare, vel qualis esset cultor suæ divinitatis ostendere, dum ei curationum gratiam dignatus est impertire. Nam dæmones de obsessis corporibus in nomine Jesu Christi verbo fugabat; venenum malæ pustulæ Crucis signaculo opprimebat; quartanis, tertianisve febribus infuso benedicti olei liquore medebatur; & multa alia beneficia populis, annuente largitore bonorum omnium, tribuebat. Ad tanti viri famam cœperunt quidam ad eum confluere, gaudentes ejus instrui disciplinis. Quid plura? Colligit viros, format monachos, efficit ad opus Dei perfectos: erat enim ei magna patientia, tantamque adversus sustinendarum injuriarum tela sumpserat bonitatem, ut putares eum lorica dulcedinis esse vallatum. Erat autem monachis hortus, diversorum olerum copia ingenti refertus arborumque & fructuum, amœnus visui, & fertilitate jucundus: sub quarum arborum umbraculo, susurrantibus auræ sibilo foliis, beatus senex plerumque sedebat.

miracula patrat signo Crucis & olei benedicti, — *Monachos colligit:* — EX S. GREG. TURON.

5 Quidam autem imprudens, & sine timore Dei, gulæ circumscriptus desiderio, effracta sepe horti, furtivo est ingressus ascensu, sicut Dominus exprobrat in Euangelio: Quia qui non intrat per januam, hic fur est & latro. Porro autem erat noctis tempus: nec enim poterant hæc nisi in nocte perpetrari; quia omnis, qui male agit, odit lucem. Hic igitur collectis oleribus, cepisque & alliis atque pomis, oneratus fasce fraudis iniquæ, ad aditum, quo ingressus fuerat, pergit; sed nequaquam reperit exitum. Gravata onere conscientia terretur, & inter labores ponderum alta suspiria ducit; sustentatur interdum super columnas arborum: circuit iterum iterumque omnem ambitum horti, & non modo ostium non reperit, verum etiam nec ipsum, quem inter nocturnas tenebras patefecit, advertit ingressum: torquetur vero, duplici cruciatus dolore, ne aut teneatur à monachis, aut à judice capiatur. Inter has cogitationum faces nox ei elongatur, jubarque lucis desideratæ non redditur. Abbas vero in psallentio noctem ducit, &, ut credo, revelante Deo, quæ gerebantur, agnoscit. Etenim albescente jam polo, vocat Præpositum, dicens: Accurre velocius ad hortum: bos enim petulcus ingressus est in eum: sed nihil læsit ex eo. Accede nunc, & impositis necessariis, dimitte eum: sic enim legitur: Bovi trituranti os non colligabis. Præpositus vero non intelligens quæ narravit, abiit ut impleret jussionem. Quem cum vidisset homo appropinquantem, projectis in terram, quæ sumpserat, fugere cœpit; ac inter spinas & rubos caput immergit; & in modum porcorum aditum, unde egrederetur, conatur aperire. Quem monachus apprehendens, ait: Ne timeas, fili, quia senior noster misit me, ut ducam te ab hoc loco. Tunc collecta monachus, quæ ille projecerat, tam poma quam olera imposuit humeris ejus, & aperto ostio, dimisit eum, dicens: Vade in pace, & ne ultra repetas, quæ ignavia comitante gessisti.

Ioa. 10, 1. — *ablaturum de nocte olera & fructus horti,* — E — *absens cognoscit,* — 1 Cor. 9, 9. — *& curat humanissime dimitti;*

6 Ipse quoque Sacerdos, velut jubar veri luminis in orbe resplendens, infirmitatum morbida, virtutum efficacia pellebat assidue. Nivardus quidam, diuturna febre detentus, dum aquas æstuans ab ardore haurit assidue, ab hydrope intumuit, ita ut tam venter quam stomachus in modum vesicæ cerneretur extensus. In desperatione ergo pro tali infirmitate positus, deferri se ad Sanctum beneficio plaustri deposcit. Denique elevatur à lectulo, imponitur super vehiculum, atque ad cellulam Sancti perducitur, deprecans humiliter, ut sibi Sacerdos Dei manus imponeret. At ille prostratus in oratione coram Domino, conversus est ad infirmum, tactuque blandissimo ejus membra contrectans, eum in contemplatione adstantium reddidit sanum: nam ita fertur tumor omnis ante digitos ejus aufugisse de corpore obsesso, ut nullum in eo ulterius ægritudinis remaneret indicium. Hæc autem à mei genitoris relatione cognovi, eo quod ei fuerat hic Nivardus in amicitiæ conjunctione devinctus. Asserebat autem idem, vidisse se quoque Sanctum, atque ejus miracula expertum. Nam cum esset adhuc puer quasi annorum undecim, ab illo tertianarum ardore febrium occupatur. Tunc amici apprehensum puerum

F — *liberat imposita manu Nivardum hydrope* — *& patrem Gregorii Turon. febri;*

EX GREG. TVRON.

rum duxerunt ad virum Dei (erat enim jam senex, & proximus resolutionis diei, caligabantque oculi ejus) posita vero manu super puerum, ait: Quis est hic, vel cujus est filius? Responderunt: Famulus tuus est, nomine Florentius, Georgii quondam Senatoris filius. Et ille: Benedicat, inquit, tibi Dominus Deus, fili, & sanare dignetur languores tuos. At ille osculans manus suas, & gratias agens, abscessit sanus. Asserebat autem numquam deinceps se in omni vita sua ab hoc contagio fuisse pulsatum.

obit nonagenarius.

7 Ipse jam ætate nonagenaria bono desudans certamine, consummato cursu vitæ, servans in Deum fidem, ad illam coronam justitiæ, quam retribuit Dominus, commigravit. Dehinc cum summo honore ablutus, dignisque vestimentis indutus, infra oratorium monasterii est sepultus. Quod autem beatus ejus tumulus divinis virtutibus illustretur, ipsa, quæ assistit, caterva poterit contestari: quæ cum infirmos mittit ad tumulum, extemplo incolumes domum remittit. Nam cum diversis è partibus confluentes deferentesque morborum genera, inibi capiant medicinam; frigoriticorum tamen nutantia tremore membra, sæpius ad soliditatem integram restaurantur; tribuente hoc Domino nostro Jesu Christo, qui miraculis illustribus Sanctorum tumulos glorificat: ipsi gloria in secula seculorum. Amen.


D *Miracula ad ejus tumulum.*

G. H.

DE SANCTO ROMANO,

EPISCOPO METENSI IN GALLIA.

CIRCA AN. CCCCLXXXIX



Meurissius Episcopus Suffraganeus Ecclesiæ Metensis, in Historia Episcoporum Metensium pag. 66, hæc pauca de S. Romano habet: Gosselino Episcopo vita functo, anno quadringentesimo sexagesimo, successit eodem anno Romanus: & munus optimi & fidelissimi Pastoris explevit spatio triginta annorum, mortuus anno quadringentesimo octogesimo nono, decimo tertio Aprilis: ad quem diem inscriptus est martyrologio Ecclesiæ Cathedralis, *his verbis:* Metis depositio S. Romani Episcopi & Confessoris. *Saussajus in Martyrologio Gallicano eum exornat hoc elogio:* Metis S. Romani Episcopi illius civitatis & Confessoris: qui post Attilæ feralem incursum, miserandamque civitatis illius vastationem regimen pastorale, nece Gosselini desertum, obeundum suscepit; solatiaque populo præstans paterna, Ecclesiæ & civitatis casum egregia qua cura qua opera resarcivit. Demum statu utroque non mediocriter instaurato, plenus diebus & meritis ad æternæ patriæ amœna evectus est: nomenque suum inter sanctos hujus Ecclesiæ Pontifices abhinc conscriptum, posteris perenni recolendum veneratione reliquit.

Tempus Sedis.

B

Nomen in fastis.

E

G. H.

DE SANCTO HERMENIGILDO

REGE ET MARTYRE IN HISPANIA,

CAPUT I.

S. Hermenigildi prosapia, conjugium, conversio ad fidem Catholicam. Odium parentis.

ANNO DLXXXVI



Sancti Hermenigildi quamplurimi scriptores meminerunt: quorum plures quam sexaginta allegat Tamajus-Salazar in Martyrologio Hispanico. Ex his præcipuus nobis visus est Ioannes Mariana, libro quinto de Rebus Hispaniæ unde sequentia transcribimus, à nobis in duo capita distincta.

CAP. IX. C *Athanagildo Rege mortuo,*

Athanagildus Rex Gotthorum, Cum regnum tenuisset annis quindecim mensibus sex, Toleti ex morbo obiit, Salutis anno quingentesimo sexagesimo septimo: genuit ex uxore Gosuinda filias duas; Galsuindam, Chilperici Suessionum Regis uxorem; & Brunechildem, natu minorem, quæ Sigiberto Chilperici fratri, Mediomatricum Regi, connubio juncta est.

CAP. XI *Liuva Rex creatus, & cum eo Leovigildus;*

2 Athanagildo defuncto, Liuva, homo præpotens & magnarum rerum usu & cognitione instructus, Rex est renuntiatus Narbone, ubi eatenus res gesserat Galliæ Gothicæ. Is anno regni secundo Leovigildum fratrem regni consortem dixit, exæquata prorsus potestate, ipse Galliæ Gothicæ ditione contentus, quibus in locis multum assueverat. Erat Leovigildus gemina prole auctus ex Theodosia uxore: Severiani Carthaginensis provinciæ Ducis ac Præfecti ea filia fuit, Leandri, Fulgentii, Isidori, Florentinæque soror. Leovigildi filii Hermenigildus & Reccaredus. Theodosia defuncta, Leovigildus Gosuindam Athanagildi viduam duxerat, quo tempore à fratre ad regni consortium vocatus est. Liuva frater in Gallia defunctus est Salutis anno quingentesimo septuagesimo secundo, cum quinque annos regnasset: quidam huic numero biennium detrahunt.. Leovigildus ad reipublicæ statum converso animo, atque studio ius suffragii antiquandi, quo Gotthorum proceres eatenus Reges creare soliti erant, quod ad stabiliendā in familiā regni successionem magnopere referre cogitabat, Hermenigildum & Reccaredum filios regni consortes declaravit ditione tripartita. Hermenigildus Hispali (Turonensis, Emeritæ ait) res curare jussus: Leovigildus ipse regni sedem Toleti fixit, unde ea civitas urbs regia nuncupari cœpta est, atque Gothici regni deinceps sedes facta, cum hactenus Hispali fuisset.

ex hoc nati S. Hermenigildus & Reccaredus,

Reges creantur à patre.

F *lib. 5 Hist. cap. 38*

CAP. XII. *S. Hermenigildi uxor Ingundis,*

3 Ingundis, Sigeberti Mediomatricum Regis atque Brunechildis filia, Hermenigildo connubio juncta est Salutis anno quingentesimo septuagesimo nono. Eo conjugio, quoniam Gosuindæ & Athanagildi neptis erat, utriusque regiæ familiæ sanguis copulabatur: quod ad stabiliendum regnum nonnihil referre Leovigildus Rex persuasum haberet, si Francorum regiam nova sibi affinitate jungeret. Missam ex Gallia, regio procerum comitatu stipante, avia Gosuinda præcipua lætitiæ significatione aliquamdiu apud se habuit, nihil prætermittens eorum, quæ ad benevolentiam conciliandam pertinere visa sunt. Nimirum sagax femina his blandimentis adolescentulæ animum expugnare parabat, ut Catholica religione deserta ad Arii væsaniam traduceretur, baptismatis lavacro, ut moris erat apud Arianos instaurato. Quod cum illa se facturam negaret, semel ritu Christiano excusans sancti lavacri virtute expiatam, sub Trinitatis Sanctæ invocatione,

ab avia Gosuinda

ad Arianismum trahi nequit,

A

tione, quam ad extremum spiritum inviolatam conservare certum erat; impotens fœmina atque iracunda, neque magis corpore deformis (erat enim altero lumine capta) quam animo efferata, repulsæ dolorem non ferens, ad convitia & contumelias semel in puellæ capillos involasse fertur, atque per solum tractam excusso sanguine fœdasse: iterum in piscinam subjectam dedisse præcipitem, magno vitæ discrimine. His injuriis Ingundis non modo nihil de animi constantia mutavit; verum ejus diligentia Hermenigildus vir creditur ad Catholicam religionem revocatus. Leandri Hispalensis Episcopi præcepta animum regii juvenis, ad veritatem proclivem, ad omnem veræ pietatis partem informarunt. Doctrinæ opportunitatem præbuit Leovigildi patris in citeriorem Hispaniam atque adeo Carpetanos discessus ... & Hermenigildus plane noster est factus.

ab ea & S. Leandro convertitur S. Hermenigildus.

4 Ex hac religionis mutatione bellum grave & diuturnum natum est: & ægroto Leovigildi animo, filii consilio cognito, Gosuinda novercali odio faces subdebat: omnia tamen prius tentare placuit quam ad arma ventum esset. Itaque legatione missa, pater hoc exemplo litteras ad filium dedit: Coram maluissem, si per te licitum esset, quam per litteras de re tota disputare. Quid enim à te præsens non impetrassem, sive regia auctoritate præciperem, sive paterno jure castigarem? Beneficia certe in memoriam revocarem, quæ tu in ludibrium vertere maluisti. A teneris, nimia fortassis indulgentia, in spem Gotthorum regni diligenter alui: confirmata ætate, antequam postulares, majora quam sperares delata sunt. Dedi sceptrum, ut cum auctoritate adiutorem haberem: non ut te externasque gentes, cum quibus fœdus inire paras, imperio me adversum armarem. Novo exemplo vocavi Regem, ut consortio potestatis contentus, primas patri partes dares: atque in hoc ætatis flexu esses seni præsidio æque atque solatio. Si quid est quod amplius cupias, patri explica: sin autem supra ætatem, supra consuetudinem, supra merita tibi sint omnia tributa, cur aut ingratus impie, aut impius sceleratusque crudeliter circumscribis patrem? An senis mortem expectare grave fuit? tantique fuerunt pauci anni, quot hæc ætas recipit? An cum fratre communicatam potestatem invidebas? de quo me arbitro disceptare æquum fuit. Sed nimirum regnandi ambitio omnes naturæ leges violat, resolvitque ea quæ perpetua necessitudine constricta sunt. At religionem caussaris: in quo te video, non humana jura tantum, sed divina etiam evertere, & in caput tuum Dei vindictam provocare. Itane ab ea religione tuo arbitratu discedas, cujus cultu propagando nomen Gothicum auctum, opibus atque potentia amplificatum est? An majorum, quæ sacrosancta esse debuit, auctoritatem contemnas? Novæ religionis vanitatem vel eo potissimum considerare potuisti, quod filium à patre sejungat, & summæ caritatis nomina odio plusquam paterno atque invidia labefactet. Ego, Hermenigilde, pro patris jure impero; & pro ætate, qua major sum, tibi consulo, revoca ad sobrietatem animum, positaque noxiarum rerum cupiditate quiesce: sic enim facile eorum, quæ commissa sunt hactenus, venia dabitur. Si recusas, cogisque arma capere, næ tu frustra paternam misericordiam re desperata implorabis.

Leovigildus iratus,

exprobrat S. Hermenigildo

B

collatum regnum;

arguit impietatis & ambitionis,

C

invehitur in fidem Catholicam:

5 Molestæ hæ litteræ Hermenigildo fuere, pro eo ac par erat: nihil tamen de priori sententia mutare certus, in hanc sententiam rescripsit: Minas & contumelias tuarum litterarum æquo animo tulimus: tametsi nulla nostra lacessitus injuria, linguæ libertatem cohibere potuisti. Beneficiis tuis, quæ & ipse meritis majora esse sentio, parem aliquando gratiam rependere cupio: observantiæ tenorem, tibi debitæ, mihi propriæ, ad extremum vitæ spiritum præstare. Saniori religione, quam ipse invidiæ causa novam dicis, amplectenda orbis judicium sequebamur, multis præterea nixi præsidiis. De veritate non disputo, cuique de ea re liberum arbitrium facimus, tandumdem modo nobis detur. Gotthicæ gentis felicitatem Arianæ superstitioni acceptam fers, scilicet ignarus consuevisse Deum, quo gravius ex commutatione rerum doleant, quos pro scelere ulcisci parat, his secundiores interdum res & impunitatem concedere: haud sane constantem atque perpetuam: quod Wandalorum atque Ostrogotthorum in simili causa exitus declarat. Quod si indignaris te inconsulto ausum me religionem mutare; concede mihi ut doleam ne hoc quidem abs te tribui, ut salutem meam rebus ceteris potiorem habeam: pro qua si res ferent, paratus sum sanguinem vitamque profundere: neque patrem fas est plus divinis legibus ac conscientia posse. Deum quæso, consilia tua reipublicæ sint salutaria, nobis filiis tuis haud exitialia. Tu cave, ne sinistris criminationibus aures accommodando committas, unde luctum tibi in omnem vitam parias, nomini ac generi nostro ad posteritatem infamiam, victis ac victoribus parem.

respondens S. Hermenigildus,

EX MARIANA.

beneficia laudat,

religionem susceptam fatetur,

pro ea paratus sanguinem fundere.

E

CAPUT II.

Bellum à Leovigildo patre illatum. S. Hermenigildi captivitas & Martyrium.

6 ERant regni studia divisa inter patrem & filium: Catholici, quorum erat magnus numerus, causa meliores, viribus impares, Hermenigildum palam aut voto sequebantur: majori potentia Ariani, Leovigildi partes. Hermenigildum Turonensis ait, sacro chrismate delibuta fronte (is ritus erat recipiendis in Ecclesiam Arianis) veterem appellationem Joannis nomine mutasse: sed aureæ monetæ resistunt, in ipso, ut videtur, belli ardore (ut essent videlicet pro tessera militari) præcipuæ puritatis percussæ, Hermenigildi nomen & faciem exprimentes altera ex parte, in altera victoriæ signum his adjunctis verbis: HOMO REGEM DEVITA. Nimirum ad Pauli sententiam allusit; Hæreticum hominem præcipientis post unam & alteram monitionem esse devitandum ...

lib. 5 cap. 38

Non videtur nomen Ioannis assumpsisse.

F

7 Belli initia inciderunt in Salutis annum quingentesimum octogesimum. Hispalis & Corduba munitæ instructæque commeatu, sive ducendum esset bellum, sive obsidionis mala essent toleranda. Romani Duces fœdere conciliati: uxor Hermenigildi & filius recens natus in eorum relicti potestate, ut fidei datæ obsides essent: &, si quid gravius accidisset, à belli discrimine longissime abesse volebat. Contra Leovigildus, cum consideraret, invictum filii animum, neque metu frangi neque promissis flecti, ut monenti patri aures accommodaret, ad arma vimque vertit animum. Romani primum, qui leviter fundata fide cum filio sentiebant, magno auri pondere Leovigildo conciliati. Mercenarii homines ingenio, & quibus fides ex fortuna pendebat, unde melior spes affulsit, in eam partem, nullo honesti inhonestique discrimine, inclinabant. Deinde inter Catholicos & Arianos, quorum de religione dissidio bellum excitatum esse constabat, species quædam concordiæ excogitata. Arianorum Præsulum conventus Leovigildi jussu Toleti habitus: in eo conventu rebaptizandi mos sublatus Arianis familiaris, cum ad eorum sectam Catholici transfugissent: Patri Filium æqualem esse, de quo tam-

Romani à S. Hermenigildo in fœdus attracti,

ad Leovigildum auro corrupti transeunt:

Arianis ficte asserentibus Patri Filium æqualem,

EX MARIANA.

tamdiu disceptabatur, verbotenus sancitum, cum pravæ opinionis virus conceptum retinerent animis. Verborum simulatione multorum animi circumventi, quasi dissidii causa sublata, aut ab Hermenigildo distracti palam, aut frigidius quam fecerant optimam causam tuebantur. Plerique ancipiti periculo dubii, atque ad tempus fortunam in consilio habere soliti, spectatores belli esse malebant, quam cum fortunarum alienarum eventu miscere discrimen rerum suarum. His rebus perficiendis tres anni consumpti.

decepti Catholici arma deserunt:

S. Hermenegildus obsidetur Hispali,

8 Leovigildus tota ditione magnis delectibus habitis, contra filium movens, in extremam Bæticam ferro penetravit. Hispalis circumsessa: parum spei erat obsessos voluntate quidquam facturos, ab Herminigildo atque Leandro Præsule præoccupatis animis: vim adhiberi ac metum placuit. Alluitur ea urbs Bæti flumine, magnarum navium capaci: ad subvectiones prohibendas, commeatu intercipiendo, ejus fluminis cursum corrivari alioque averti placuit. Ea molitio magnæ molis erat atque multorum dierum opus. Itaque quarto supra Hispalim lapide Italicæ veteris mœnia instaurata, uti veteris magnificentiæ ruinæ documento sunt: & nimirum belli, quod diuturnum fore persuasum habebant, opportuna sedes quærebatur. Divi Isidori nomine monasterium iis in locis extat nostra ætate. Myro Suevus, tametsi placitis de religione discrepabat, cum suorum manu Leovigildo junctus, tantum nefas morte luisse creditus est, ipso obsidionis tempore defunctus, Eborico filio successore. Turonensis Myronem Hermenigildi partes secutum ait: & profligato demum bello, cum fœdus fecisset cum Leovigildo, in patria pauló post defunctum; locis natura gravibus, ubi bello intentus hæserat, & aquarum insalubritate valetudine prostrata. Hispalim redeamus, ubi, Bæti corrivato, magna atque suprema annonæ difficultate laborabatur. Hermenigildus, post annuam obsidionem, desperata defensione, clam ad Romanos elabitur: ignorabat nimirum paterno auro corruptos. Civium deditione Hispalis continuo in Leovigildi potestatem venit, Salutis anno quingentesimo octogesimo sexto.

delabitur ad Romanos,

fugit Cordubam,

9 Æque paucis post diebus Rex juvenis à patre captus: an Cordubensium, proditione, defectionis infamiam noxamque, innocentis procurate curantium calamitate, cum se eo retulisset venalem Romanorum fidem metuens? an, ut Turonensis est auctor, ad Ossetum oppidum, ubi baptismi fontes quotannis impleri sponte cousuevisse est demonstratum? Loci munitione & sanctitate confisus, eo se Hermenigildus contulerat cum trecentis delectis militibus: & patrem sperabat, si vim adhibere pararet, à tergo atque à fronte circumventum (nam prope reliquę copię tendebant) opprimi posse. Quod contra accidit. Filii consilio explorato (ut nihil occulti esse potest in intestina discordia) solers pater ejus conatus elisit. Magna celeritate oppidum captum, incendioque deformatum. Hermenegildus ipse, spe omni destitutus, in templum aufugit, si forte residente patris ira moræ spatio veniam impetraret. Sequebatur Leovigildi castra Reccaredus, minor ætate filius, indole animi atque prudentia fratri æqualis. Is patris permissu, factaque à fratre ipsum conveniendi potestate, in templum admissus, aliquamdiu vi lacrymarum vocem intercludente, tacitus substitit: deinde, Mollis, ait, est animi suorum casum dolere, nullumque in dolore præter lacrymas remedium adhibere. Tuam calamitatem nostram judico: quid enim inter fratres & patrem potest esse sejunctum? Neque tuos conatus vitupero religionis susceptę studio: tametsi quæ justa causa esse poterat in patrem arma movendi? Ac ne illorum quidem consilia accusabo, quibus es in fraudem inductus: præterita lamentari, quam corrigere, facilius est. Fuit hæc, fuit horum temporum calamitas, & scissis provincialium animis fatale dissidium: dum utraque pars in nostra familia quærit præsidium, utrique plane corruimus. Reliquum est ad concordiam animos revocare: providere certe ac præstare, ne inimici in nostræ domus ruinis amplius exultent, quod utinam rebus integris libuisset: sed præstat ad paternam misericordiam recurrere, & factorum veniam cupidissime petere, quam pertinacia atque arrogantia perire. Moneat utriusque fortunæ conditio, ne contumaciam cum pernicie, quam obsequium cum securitate malis. Illud memento, rebus profligatis consilio opus esse: animi impetum fore tum vanum tum exitialem. Ego, si quod necesse est sponte facis, tibi patrem recipio placatum: retento certe Regio honore, modico supplicio noxam expiabis. Ad ea verba juramenti religio addita.

aut Ossetum,

eoque capto ad templum,

à Reccaredo fratre invisitur:

suadetis ut patris misericordiam imploret,

10 Vocato patre mœstus juvenis ad genua provolutus, ab eo veniæ simulatione osculo exceptus est, atque blandis sermonibus delinito animo in castra deductus: mox regiis insignibus detractis, Hispalim in custodiam missus est (Biclarensis Valentiam relegatum, Terracone occisum ait) Monstratur Hispali ad eam portam, cui à Corduba nomen est, turris Hermenigildi custodia nobilis, loci altitudine, angustia atque tenebris horrida. In ea manibus ad collum revinctis asservatus traditur. Ad carceris squalorem, victus & cultus asperitatem, addebat ipse cilicii vestem, qua in lecto etiam pro stragula veste utebatur, animo in rerum divinarum contemplatione defixus, cælumque suspirans, quo se quam primum iturum sperabat. Advenerat Paschatis festum, Christi Dei ad vitam reducis memoria lætum, & incidit in quartum decimum Aprilis diem, ab ortu Christi anno quingentesimo octogesimo sexto; quod certa ratione intelligitur, tametsi quidam ex hoc annorum numero biennium detrahunt. Biclarensis tertio Mauritii Imperatoris anno Hermenigildum occisum certe tradit. Leovigildus, de filio solicitus, mittit quemdam Episcopum Arianum de media nocte, qui epulum Christianum vincto de more traderet. Ille verborum contumelia castigatum cum à se repulisset, patris animum, ad se eam injuriam pertinere interpretantis, usque eo exacerbavit, ut, Sisberto carnifice è vestigio misso, securi percutiendum mandarit. Horret animus atque hæret tantæ crudelitatis imagine. Inerant Hermenegildo simplicitas & libertas: quæ, nisi modus adsit, in exitium vertuntur... Romanam Ecclesiam per hæc tempora Pelagius II obtinebat: Pelagii Successor Gregorius, cognomento Magnus, Hermenigildi mortem & mortis causam memoria recenti descripsit.

Captus

carceri includitur:

Eucharistiam renuens ab Episcopo Ariano occiditur.

CAPUT III.

Historia martyrii Hermenigildi à S. Gregorio Magno relata libro III Dialogorum capite XXXI.

11 SIcut multorum, qui ab Hispaniarum partibus veniunt, relatione cognovimus, nuper Hermenigildus Rex, Leovigildi Regis Wisigotthorum filius, ab Ariana hæresi ad fidem Catholicam, viro reverendissimo Leandro Hispalitano Episcopo, dudum mihi in amicitiis familiariter juncto, prædicante, conversus est. Quem pater Arianus, ut ad eamdem hæresim rediret, & præmiis suadere, & minis terrere conatus est. Cumque ille constantissime respon-

A S. Leandro ad fidem conversus,

A respondere, numquam se veram fidem posse relinquere, quam semel agnovisset; iratus pater, eum privavit regno, rebusque expoliavit omnibus. Cumque nec sic virtutem mentis illius emollire valuisset, in arcta illum custodia concludens, collum manusque illius ferro ligavit. Cœpit itaque idem Hermenigildus Rex juvenis terrenum regnum despicere, & forti desiderio cæleste quærens, in ciliciis vinculatus jacens, omnipotenti Deo ad confortandum se preces effundere; tantoque sublimius gloriam transeuntis mundi despicere, quanto & religatus agnoverat nil fuisse, quod potuerit auferri.

à patre carceri includitur,

12 Superveniente autem Paschalis festivitatis die, intempestæ noctis silentio, ad eum perfidus pater Arianum Episcopum misit, ut ex ejus manu sacrilegæ consecrationis communionem perciperet, atque per hoc ad patris gratiam redire mereretur. Sed vir Deo deditus, Ariano Episcopo venienti exprobravit ut debuit, ejusque à se perfidiam dignis increpationibus repulit: quia etsi exterius jacebat ligatus, apud se tamen in magno mentis culmine stabat securus. Ad se itaque reverso Episcopo, Arianus pater infremuit, statimque suos apparitores misit, qui constantissimum Confessorem Dei, illic, ubi jacebat B occiderent: quod & factum est. Nam mox ut ingressi sunt, securim cerebro ejus infigentes, vitam corporis abstulerunt: hocque in eo valuerunt perimere, quod ipsum quoque, qui peremptus est, in se constituerat despexisse. Sed pro ostendenda vera ejus gloria, superna quoque non defuere miracula. Nam cœpit in nocturno silentio psalmodiæ cantus ad corpus ejusdem Regis & Martyris audiri: atque ideo veraciter Regis, quia & Martyris. Quidam etiam ferunt, quod illic nocturno tempore accensæ lampades apparebant: unde & factum est, quatenus corpus illius, ut videlicet Martyris, jure à cunctis fidelibus venerari debuisset. Pater verò perfidus & parricida, commotus pœnitentia, hoc fecisse se doluit, nec tamen usque ad obtinendam salutem. Nam quia vera esset Catholica fides, agnovit: sed gentis suæ timore perterritus, ad hanc pervenire non meruit. Qui oborta ægritudine, ad extrema perductus est: & Leandro episcopo, quem prius vehementer afflixerat, Recaredum Regem filium suum, quem in sua hæresi reliquerat, commendare curavit, ut in ipso quoque talia faceret, qualia & in fratre suis exhortationibus fecisset. Qua commendatione expleta, defunctus est.

renuit communionem Ariani Episcopi:

perimitur in carcere:

miraculis claret:

S. Leandro commendatur

C 13 Post cujus mortem Recaredus Rex, non patrem perfidum, sed fratrem Martyrem sequens, ab Arianæ hæreseos pravitate conversus est. Totam quoque Wisigotthorum gentem ita ad veram perduxit fidem, ut nullum in suo regno militare permitteret, qui regni Dei hostis existere per hæreticam pravitatem non timeret. Nec mirum, quod veræ fidei prædicator factus est, qui frater est Martyris: cujus hunc quoque merita adjuvant, ut ad omnipotentis Dei gremium tam multos reducat. Qua in re considerandum nobis est, quia totum hoc agi nequaquam posset, si Hermenigildus Rex pro veritate mortuus non fuisset. Nam, sicut scriptum est, Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet; si autem mortuum fuerit, multum fructum affert. Hoc fieri videmus in membris, quod factum scimus in capite: in Wisigotthorum etenim gente unus mortuus est, ut multi viverent; & dum unum granum fideliter cecidit, ad obtinendam fidem animarum seges multa surrexit.

Recaredus Rex, ex Ariano fit Catholicus,

Ioan. 12, 24.

AUCTORE G. H.

CAPUT IV.

Analecta ex variis: Annus & dies martyrii: cultus sacer, reliquiæ, & templa illi dicata.

14 *Qui à S. Gregorio plurimum laudatur, Leander Episcopus Hispalensis, & secundum Ioannem Marianam aliosque recentiores scriptores avunculus censetur S. Hermenigildi, in magna apud Hispanos est veneratione; ejusque dies natalis habetur* XIII *Martii, quando & nos de eo egimus, & § 2 deduximus conversionem S. Hermenigildi ejusque fratris Reccaredi Regis cum gente Gothorum: & una statuimus S. Hermenigildum in Vigilia Paschatis interemptum die* XIII *Aprilis, saltem sub noctem præviam Paschalis festivitatis, cum nocte præcedenti recusasset communionem sacrilegæ consecrationis, ab Episcopo Ariano oblatam. Annus is est* DLXXXVI, *quo cyclo Lunæ* XVI; *Solis* VI, *& littera Dominicali G, incidit Pascha Dominica Resurrectionis in diem* XIV *Aprilis. Miramur à Mariana scribi,* Martyris memoriam coli in Hispania passim ad decimum octavum Kalendas Maii, *sive* XIV *Aprilis, quod hactenus in nullo Breviario aut Missali, etiam antiquiore, reperimus. In MS. Martyrologio Vaticano Ecclesiæ S. Petri memoria ejus refertur ad* XV *diem Aprilis. In Missali mixto, secundum ordinem almæ Ecclesiæ Toletanæ anno* MDLI *excuso, præscribitur ejus festum ad ipsas Idus Aprilis, cum officio* IX *Lectionum; quod sub ritu duplici celebrandum indicatur in officiis propriis dictæ Ecclesiæ Toletanæ anno* MDCVII *Madriti excusis. Idem observatum est in aliis Hispaniarum Ecclesiis, uti etiam apud Lusitanos: quod testantur Breviarium Eborense anno* MDXLVIII *excusum, & Officia propria Ecclesiarum Olysiponensis atque Conimbricensis, à Sixto V & Gregorio XIII approbata: Lectiones secundi Nocturni præscribuntur ex supra relatis Dialogis S. Gregorii, reliqua sumuntur ex Communi unius Martyris, præter hanc Orationem:* Deus, pro cujus nomine B. Hermenigildus, Rex & Martyr, manibus impiorum occubuit; præsta quæsumus, ut ejus intercessionibus ab omnibus periculis liberemur. *Testatur autem Lucas Castellius, Ordinis Prædicatorum Procurator Generalis, in libro quem Romæ publicavit an. 1628 de Certitudine gloriæ canonizatorũ pag. 438, quod* Sixtus Papa V, ad instantiam Philippi II Regis Hispaniarum, diplomate Apostolico concessit, die XII Februarii MDLXXXV, ut in honorem ipsius gloriosi Martyris celebraretur ejus festum in tota Hispania. *Qui cultus demum toti Ecclesiæ Catholicæ factus est communis sub Vrbano VIII, quando officium, ritu semiduplicis peragendum, Romano Breviario est insertum cum novis ac propriis hymnis; ubi ad II Nocturnum in tres Lectiones partita habentur ea quæ supra dedimus ex Dialogis S. Gregorii.*

Martyrio coronatur 13 Aprilis

anno 586.

E *colitur in Hispania & Lusitania;*

totaque Ecclesia.

F

15 *Eodem die* XIII *Aprilis memoria S. Hermenigildi inseritur præcipuis Martyrologiis. Wandelbertus in suo Martyrologio metrico, sub Lothario Imperatore circa annum* DCCCL, *ista scripsit:*

inscriptus Martyrologiis:

Idibus, Hermingilde, patrem, Rex alme, furentem
Persentis, verum referens de morte triumphum.

Eodem seculo floruerunt Vsuardus, Ado, Notkerus, qui sua ex S. Gregorio elogia desumpta ad diem XIII *Aprilis ediderunt. Verba Vsuardi sunt ista:* In Hispania S. Hermenigildi Regis, qui ob fidei Catholicæ confessionem securi in capite percussus, regnum cæleste pro terreno, Rex & Martyr, intravit. *Plura habent memorati Ado & Notkerus, & cum his auctor Bedæ suppositititii: secuti posteriores Martyrologi, Bellinus, Maurolycus, Felicius, Galesinius, Canisius, & passim alii. In Martyrologio Romano hæc leguntur:* Hispali in Hispania, S. Hermenigildi, filii Leovigildi, Regis Wisigothorum Ariani: qui ob Catholicæ fidei confessionem in carcerem conjectus, cum in solennitate Paschali communionem ab

Auctore G. H.

Episcopo Ariano accipere noluisset, jussu perfidi patris securi percussus, regnum cæleste pro terreno, Rex & Martyr, intravit. *Eodem modo qui aliqua Acta Sanctorum ediderunt, ad hunc* XIII *Aprilis celebrant solennitatem S.Hermenigildi, è quibus sunt Petrus de Natalibus, lib.4 Catalogi cap.48; Thomas de Trugillo, tomo 2 Thesauri Concionatorum; Ioannes Basilius Sanctorius, Alphonsus Villegas, Petrus Ribadinera in Floribus Sanctorum, Ioannes de Marietta, Tamajus Salazar, Georgius Cardosus, Laurentius Surius, aliique Surium secuti, & passim noti,*

& scriptoribus Vitarum Sanctorum:

16 *Alia indicia cultus Martyris, in Hispania suscepti olim atque propagati, profert Mariana his verbis:* Carceris locus, consequenti tempore, in sacellum, Hermenigildi nomine, transformatus est, multique deinceps mortales viri & feminæ, Hermenigildi, Ermesindæ sive Ermenisindæ nuncupati. Armengol & Ermengaudus, gentilitia Hispanorũ nomina, eodẽ pertinere putantur: tum Ermegildez & Ermildez, barbarum magis sonantia. Corpus ubi sit, nostra ætate clam est; ac ne satis quidem constat, quo tunc loco fuerit tumulatum: nisi quod os ejus, argenteæ statuę inclusum atque revinctum, Cæsaraugustæ, in templi maximi proprio Sacrario, servatur. *Hæc ibi. Antonius de Quintanadueñas de Sanctis Hispalensibus pag.129 tradit,* Sancti hujus Regis & Martyris corpus Hispali honorifice sepultum fuisse, usque ad Hispaniæ per Mauros excidium: quando Catholici caput S. Hermenigildi, corpore abscondito, fugientes secum detulerunt Cæsaraugustam, quod Regina Sanctia, Alphonsi Aragonum Regis uxor, monasterio Sixenensi à se extructo, ibidem Sanctimonialibus S. Joannis Hierosolymitani donavit: cujus rei testimonium exhibet antiqua bulla, in pergameno exarata atque ibidem asservata. Aliquam partem hujus capitis à dictis Sanctimonialibus dono accepit anno MDLXII Petrus de Villalva, Societatis Jesu Provincialis Aragoniæ, & deposuit in suo collegio Cæsaraugustano. Sed ea pars postea anno MDXC translata fuit Hispalim, ad collegium Societatis Jesu, huic S.Hermenigildo dicatum. At præcipua pars hujus capitis, jussu Philippi II Regis Catholici, misso Joanne Baptista de Cardona Episcopo Vicensi, anno MDLXVIII ad Escurialense regium cœnobium translatum est: ubi cum aliis Reliquiis honorifice adservatur. Os aliquod (& creditur brachii esse) etiamnum asservatur Cæsaraugustæ in Ecclesia Sejana, quod Ferdinandus Aragonius, ex Regia familia ejus urbis Archiepiscopus, argentea lamina magni pretii exornavit. Aliquæ etiam Reliquiæ Abulæ, in Ecclesia Cathedrali, sunt in veneratione. Aliquas *præterea* in Ecclesia Placentina & alibi esse, *scribit Tamajus Salazar.*

nomen ejus aliis inditum

B

caput Cæsaraugustam delatum,

aliqua pars relata Hispalim,

D

alia in Escuriale.

alibi reliquiæ.

17 *Templa etiam & oratoria Sancto huic Regi & Martyri dicata sunt. Ac primo (ut supra indicavimus ex Mariana) Cæsaraugustæ in Metropolitana ecclesia sacrarium aut oratorium sive sacellum, à memorato Ferdinando Aragonio honorifice constructum, ejus nomini sacrum est. Hispali Ioannes Cervantes, S.R.E. Cardinalis & Archiepiscopus Hispalensis, construxit S. Hermenigildo dicatum celeberrimum Xenodochium, & maximis reditibus dotavit; eidemque Sancto in ecclesia sua dicavit sacellum, in quo ipse est anno* MCCCCLIII *sepultus: quæ pluribus indicat Gonsalvus Davila, in Theatro Ecclesiastico Ecclesiæ Hispalensis, pag. 72. In eadem civitate, in vico Ducis Medinæ Sidoniæ, amplissimum collegium Societatis Iesu construxerunt & fundarunt Marcus Antonius de Alfaro ejusque conjux Agnes de Avila, in eadem urbe prognati, cum præclaro templo & variis omnium scientiarum gymnasiis. In templi ara summa est magni pretii tabula picta, in qua S. Hermenigildus Rex & Martyr est inter suos, (ut appellant) avunculos Sanctos, Leandrum, Isidorum, Fulgentium & horum sororem S.Florentinam; in eadem visuntur Reccaredus frater, & Leovigildus pater, Reges Wisigothorum. Inter alia ejusdem Ecclesiæ altaria eminet aliquod, pretiosissimis Sanctorum exornatum reliquiis, inter quas medio loco sunt collocatæ quædam S. Hermenigildi, Cæsaraugustæ, ut diximus, eo translatæ: de quibus omnibus agit pluribus Antonius de Quintanadueñas: apud quem & passim alios legi possunt, quæ post mortem S.Hermenigildi contigerint, potissimum conjugi Ingundi & filio Theodorico Constantinopolim delato, ibidemque vita functo.*

Sacellum Cæsaraugustæ:

Hispali Xenodochium & Sacellum,

E

templum & collegium Societatis Iesu,

pictura altaris summi:

reliquiæ in alio altari,

18 Sisbertum, S.Hermenigildi interfectorem, anno sequenti turpissima morte peremptum esse, scribit Abbas Biclarensis & ex eo alii.

Carnifex miserè perit.

DE SANCTO GVINOCHO,

EPISCOPO IN SCOTIA.

G. H.

CIRCA AN. DCCCLXXV.

C

Cultus sacer.



Vod olim Guinochus aliquam in Scotia venerationem sacram habuerit, certum indicium præbet Breviarium Ecclesiæ Aberdonensis, in quo ista leguntur: S.Guinochi, Episcopi & Confessoris in Scotia, sub Rege Etho, anno DCCCLXXV, Aprilis. *Habemus alium Catalogum Sanctorum Scotiæ, in quo ista habentur:* XIII Aprilis S. Guinochus Episcopus & Confessor anno DCCCLXXV. *Thomas Dempsterus in Menologio Scotico, ista etiam ad hunc diem habet:* In Rossia Guinochi Episcopi, *addita littera* K, *qua indicatur Kalendarium Adami Regii. Eadem leguntur in Catalogo generali Ferrarii: qui in Notis allegat librum* VII *Scriptorum Scoticorum, qui est ejusdem Dempsteri, in quo cap.570 ista tradit:* S. Guinochus Episcopus, Regi Etho à sacris, cujus perditos mores cum ferre non posset, secessit ab aula: sed eo in carcere extincto, à Gregorio Rege revocatus, ei fuit à sacris confessionibus. Scripsit Speculum vitæ humanæ, libr. I. Laudat Fordanus, sed non extat. *Hæc Dempsterus: qui habetur ab aliis* omnium fabularum, in patriæ suæ gratiam, consarcinator. *Ioannes Major, lib. 3 de Gestis Scotorum cap. 2, asserit,* post Constantinum regnasse Ethum magni Kenedi filium, & contra eum insurrexisse Gregorium Dungalli filium, jus ad regnum prætendentem, & prælio commisso Ethum interiisse, eoque perempto Gregorium anno DCCCLXXV solenniter coronatum esse. *David Camerarius, in suo Menologio Scotico ad hunc* XIII *Aprilis, scribit S.Guinochum sub Kenedo patre floruisse, & hoc elogio eum exornat:* Eodem die S.Guinochus, Confessor & Episcopus, Kennetho, hujus nominis secundo Scotorum Regi, fuit à consiliis: apud quem & dignitas conciliabat reverentiam, & vitæ sanctitas obsequium: eoque persæpe utebatur Rex Principum animos sibi conciliando (Picti quippe, cum quibus gravissimum erat bellum, Scotorum Principum animos à Rege avertere tẽtarant) vel exquirendo consilio, vel commendandis regni negotiis apud Deum pia prece & assidua: in quibus officiis parati Guinocho semper erant Scotorum Principum aditus, obvia comitas & prompta benevolentia, & quod caput est felix exitus, Deo Kennethi Regis conatus S. Guinochi precibus benedicente & promovente: quibus effectum, ut Kennethus uno die septies eum diversis Pictorum turmis manus conserens, non citra miraculum victor semper evaserit. Qua clade Pictorum vires penitus fractæ ac comminutæ sunt: unde eis postea ad internecionem fere deletis, reliquiæ regno exturbatæ sunt, justo Dei judicio, quod pro Romanis alienigenis in Britannia sub

eum floruerit sub Etho & Gregorio Regibus,

F

an sub Kennetho?

A sub Maximo tyranno, contra Scotos (à quibus Euangelium & regnum accepere) bellum sæpe gesserint; quodque cum Saxonibus idololatris contra Scotos & Britones Christianos castra sæpe moverint: postremo denique quod viros Ecclesiasticos, non qua par erat reverentia reveriti sint, sed instar servorum, violatis eorumdem privilegiis; penes se habuerint. Guinochum Sanctum, miraculorum fama, sanctitatis opinione celebrem, Cælitibus adjunxit Buchania provincia sub annum Christi DCCCXXXVIII, qui erat Kennetho Regi ac regno inito quartus. Agit de Guinocho King. *Hæc longis ambagibus Camerarius, at qui ab eo citatur King, est aliis Adamus Regius ante allegatus à Dempstero: cujus Kalendarium non vidimus. Ceterum neque Camerario neque Dempstero, tam sæpe errorum convictis, sufficiens auctoritas est, ut Guinothum inter Sanctos æstimemus collocandum. Movit nos solum Breviarium Aberdonense, cum quo potius sub Rege Etho eum credimus vixisse. Num autem Sedes Episcopalis S. Guinotho fuerit in Rossia provincia, ad mare Vergivium; an vero in Buchania provincia, ad mare Germanicum; nescimus ex divinatione Dempsteri & Camerarii dijudicare.*

Auctore G. H. — *quibus in provinciis vixerit.*

DE B. IDA VIDUA,

COMITISSA BOLONIÆ IN GALLO-BELGICA,

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

§ I. Conjugium B. Idæ. Ejus & mariti genus regium. Liberi procreati.

G. H.

An. MCXIII. III Apr.

Bolonia,

Bononiam *sive* Boloniam, *urbem Picardiæ inferioris, in Morinis ad fretum Oceani Britannici sitam, antiqui videntur* Gessoriacum, Morinorum navale, *appellasse; eique circumpositam regionem dixisse* Gessoriacum pagum. *In hoc natus est, & in monasterio à se constructo mortuus, seculo Christi septimo, die* XX *Iulii,* S. Vulmarus Abbas, *à quo* monasterium ejus *vocatur* S. Vulmari in Nemore, *aut* in Silviaco, *aut* in Bosco. *Porro civitas Boloniensis oppida duo continet; superius nempe cum castro aliquo, & inferius. In superiori, præter Cathedralem Ecclesiam, quæ Deiparam Viginem agnoscit patronam, habet alia templa & monasteria, inter quæ fuit* Abbatia S. Vulmari *Ordinis S. Augustini, in qua Patres Oratorii Domini nostri Iesu Christi modo degunt. Hoc* monasterium, S. Vulmari intra muros, *olim construxit* B. Ida Comitissa Boloniensis, vidua; *& aliud* S. Vulmari in Nemore *collapsum restauravit.*

B *Abbatia S. Vulmari in urbe,* *alia in territorio:*

2 *Andreas Du Chesne, in suis Probationibus ad Historiam genealogicam familiarum Ghisnensis, Ardrensis, Gandensis & Couciacæ, adducit pagina* 5 *extractum ex antiqua Genealogia Comitum Boloniensium, conscripta tempore S. Ludovici Regis Francorum: ex quo ista huc transferimus:* Guido, *inquit,* Comes Boloniensis habuit tres filios. Primogenitus vocabatur Balduinus, cui pater dedit Boloniam & Lens. Medius vocatus est Hugo, cui pater dedit Sanctum Paulum, qui fuit primus Comes, qui fuit unquam apud Sanctum Paulum. Tertius vocabatur Willelmus, cui pater dedit Ghisnes, qui primus fuit Comes de Ghisnes. Ille autem Comes Guido, post hæc facta, obiit, & sepultus est apud S. Vulmarum in Nemore, *uti postea filius* Balduinus Comes Boloniensis, *cujus filii, præter* Fulconem Episcopum, *fuerunt* Gaufridus Comes Boloniensis, *&* Eustachius Comes à l'Oel; *ambo apud* S. Vulmarum de Nemore *sepulti. Hæc ibi quæ ab aliquibus ut non omnimodo certa habentur. Traditur autem Comitatus Boloniensis devenisse ad Gulielmum Pontiui Comitem, à quo filius ejus Ernuculus sive Arnulfus Comitatum Boloniensem habuit anno* DCCCCLXXII; *eique filius Balduinus successit, ac tradidit filio suo Eustachio I, socero B. Idæ, nuptæ Eustachio II, filio dicti Eustachii I & Mathildis, filiæ Lamberti Comitis Lovaniensis & Gerbergæ; per quam hæc familia ex Carolo Magno scitur exorta) scilicet per Ludovicum Pium Imperatorem, Carolum Calvum, Ludovicum Balbum, Carolum Simplicem & Ludovicum Transmarinum Reges Francorum, & Carolum Ducem Lotharingiæ Inferioris, cujus filia fuit dicta Gerberga, avia Eustachii II, cui nupta fuit B. Ida. Ordericus Vitalis, lib. 4 Historiæ Ecclesiasticæ ad annum* 1667, *de his conjugibus ista habet:* Erat Eustachius Comes magnæ nobilitatis, ex prosapia scilicet Caroli Magni, Francorum strenuissimi Regis; erat quoque magnæ potestatis, utpote sublimis Princeps trium Comitatuum, Boloniensis, Ghisnensis & Tarwanensis generosam & religiosam Ittam habens uxorem. *Hæc Ordericus. Verum fallitur in duobus Comitatibus Eustachio attribuendis. Vivebant tunc proprii Comites Ghisnenses, accurate descripti à Lamberto Presbytero Ardrensi in Historia Comitum Ardrensium quam anno* MCLXXXI *absolvit, quamque habemus manuscriptam, & cujus maximam partem in suis probationibus ante indicatis edidit Andreas Du Chesne. Comitatus etiam Taruanensis: à Mirao & aliis creditur idem fuisse cũ Comitatu Sancti Pauli, qui Comitatui Boloniensi fuit aliquando adjunctus, sed postmodum disjunctus & datus Hugoni filio seu Guidonis seu Guilielmi. An tamen Eustachius Comitatus utriusque titulum gesserit nolumus divinare. Dicitur superius una cum Bolonia Comitatus* Lens *traditus, qui postea datus fuit Lamberto fratri Eustachii II: qui, illo sine liberis anno* MLIV *defuncto, eumdem Comitatum simul obtinuit; uti infra ex fundationibus ibidem factis clare constabit.*

est ibi celebris Comitum, C *cujus heredes ex familia Caroli Magni.* *ex illis Comes Eustachius II maritus B. Idæ.*

E *an Comes etiam Ardrensis & S. Pauli,* *certius Lensensis,*

3 *Hanc mariti sui nobilitatem nacta est B. Ida: cui non minorem contulit, ipsa etiam ex stirpe Caroli Magni prognata, per Ludovicum Pium, Lotharium, & Ludovicum II Imperatores: hujus ultimi Ludovici, Regis etiam Italiæ, filia Ermengardis, nupta Bosoni Provinciæ Regi, peperit Chunegundem, matrem Godefridi Ardennensis, vulgo Captivi; qui Comes Virdunensis & Ethanensis, genuit Godefridum Improlem, & Gothilonem Magnum, utriusque Lotharingiæ Ducem, & B. Idæ avum, mortuum anno* MXLIV. *Gotheloni successerunt duo filii; Gothilo, Ignavus dictus, non diu post eum superstes; & Godefridus Barbatus, Audax, & Magnus cognominatus: qui contra Imperatorem, quod sibi plena successio negaretur, rebellis extitit; ac tandem ei reconciliatus, utriusque Lotharingiæ Ducatum obtinuit. Duas hic habuit uxores; primam* Dodam, *matrem B. Idæ & Godefridi Gibbosi; secundam Beatricem, Bonifacii Tusciæ Marchionis viduam, cui illa genuerat Mathildem Marchionissam, sua generosa indole apud Scriptores notissimam. Andreas Du Chesne, sub initium Præfationis ad Historiam Genealogicam familiæ Drocensis, asserit,* primam Godefridi uxorem habuisse magnam aviam paternam Chunegundem, filiam Ermengardis, *quam supra diximus Bosoni Provinciæ Regi nuptam fuisse.*

B. Ida ex stirpe Caroli Magni per patrem, F *& Dodam matrem.*

4 *Nata videtur B. Ida circa annum Christi* MXL, *itaque potuit nuptui tradita fuisse anno* MLVII, *sicut scribit Iacobus Malebrancus lib. 8 de Morinis cap. 49, aut saltem anno* MLIX, *quem aliqui assignant. Tres marito suo peperisse filios certum est, quos Acta antiqua hoc ordine collocant, ut primogenitus sit Eustachius* III *nomine patris sui & avi ita appellatus, & post illos Comes Boloniensis creatus. Alter statuitur Godefridus, postea Bullonius appellatus, quo nomine avunculus*

tres filios genuit, quo ordine natos,

AUCTORE G. H.

avunculus ejus & avus maternus vocabantur. Tertius dicitur Balduinus, nomine suo repræsentans proavum paternum: & hi duo ultimi mortui sunt Reges Hierosolymorum. Eodem illos ordine recenset B. Ida, in charta donationis, anno MXCVIII facta pro monasterio S. Bertini. Ast in diplomate pro monasterio Affligemiensi, anno MXCVI signato, S. Ida primum nominat Godefridum, tum Eustachium & Balduinum; quo etiam ordine recensentur in secunda Vita, infra ex MS. Hagiologio Rubeæ-Vallis referenda, in Chronico Alberici ad annum MXCVI, & in Magno Chronico Belgico, & ab aliis posterioribus historicis. Ordericus Vitalis supra memoratus hoc ordine recenset, Godefridum, Balduinum & Eustachium. Lambertus Ardrensis cap. 18 B. Idam appellat Godefridi & Balduini Regum Hierosolymorum, & Eustachii nobilissimi Comitis matrem, respectu ad dignitatem regiam habito. Verum in antiquissima Vita B. Idæ, Eustachius primo loco collocatur, & in antiqua genealogia, scripta antequam duo alii in Reges fuerunt electi. Genealogiam istam habemus in illustri codice, nobis ex bibliotheca Brugensi Societatis Iesu communicato, in quo post Chronicon Hugonis Floriacensis continebatur, inde excusa à Miræo lib. 1 Donationum Belgicarum cap. 30 & hæc inde damus: Mathildem, Gerbergæ filiam, ut supra diximus, duxit uxorem Comes Eustachius de Bolonia, & genuit ex ea duos filios, Eustachium & Lambertum. Eustachius accepit filiam Godefridi

B

ex his est Godefridus Bullonius,

Ducis, Idam nomine, genere nobilem & moribus: & genuit ex ea tres filios; Eustachium; Godefridum, Ducem nunc Lotharingiæ; & Balduinum: quæ inde, omissa particula Nunc, descripta sunt in MS. Codice Nivellensi. Hic autem Godefridus, ab avunculo Godefrido Gibboso, moriente sine liberis anno MLXXVI, heres factus patrimonii sui, ac nominatim ditionis Bulloniensis, Bullonius est dictus: cui Henricus, III Imperator, & IV Rex Germaniæ, anno 1076 Marcam Antverpiensem contulit, & anno 1089 addidit Ducatum Lotharingiæ Inferioris, in dicta Genealogia indicatum.

5 Aliquis hic scrupulus movetur, num B. Ida, præter tres memoratos filios, pepererit marito suo plures liberos, nominatim filium, Guilielmum dictum, & unam alteramve filiam. Willelmus Tyrius Archiepiscopus, lib. 9 expeditionis sacræ circa annum MCLXXIV scriptæ, de Godefrido Bullonio ita loquitur: Fuerunt porro huic tres ex utroque parente fratres, quibus & morum dignitas & virtutum præstantia tanti Principis dabat esse germanos: Dominus videlicet Balduinus Comes Edessanus, qui eidem postea successit in regno. Dominus quoque Eustachius, Comes Boloniensis, qui in bonis succedens paternis post patrem obtinuit Comitatum. Tertius fuit Dominus Willelmus, vir inclytus, à paterna & fratrum simul honestate & strenuitate non degener. Duo primi Dominum & fratrem suum in expeditione secuti sunt, tertio domi remanente. Hæc Tyrius quem seculo XV secutus est S. Antoninus, & alii posteriores. Verum quia illius non meminerunt ulli antiqui scriptores, qui tunc in Europa doctrina floruerunt, neque ipsa Ida in diplomatis eum inter filios suos recenset; non obtinet Tyrius sufficientem fidem apud Ludovicum Chanterellum Fabrum lib. 2 de Considerationibus historicis Genealogiæ Lotharingicæ & alios, arbitrantes quod Tyrius fratrem alterius Principis, in Terram-sanctam profecti, annumerarit inter fratres Godefridi Bullonii. Ordericus Vitalis lib. 4 pag. 509, nulla facta Guilielmi mentione, aliis tribus filiis B. Idæ relatis, addit filiam, quæ nupsit quarto Henrico Imperatori Alemannorum. Aubertus Miræus, in Chronico Belgico pag. 263, appellatam ait Agnetem aut Adelheidam, Henrico IV Regi Romanorum nuptam, sed paulo post repudiatam. Idem Ordericus, lib. 9 pag. 755, inter viros illustres, in Terram sanctam profectos, refert fuisse Cononem, Comitem Alemannum, virum probum ac sapientem. Consiliarium, qui sororem Godefridi Ducis conjugem habebat. Miræus indicat

an. 4 ei filius Willelmus?

C

& una alteráve filia?

D

fuisse Cononem Montis-acuti Comitem, & ex iis prognatum Lambertum. In Historia MS. cœnobii Broniensis, in Comitatu Namurcensi dicitur Godefrido Bullionis Duci, & Balduino Regi, & Eustachio Comiti fuisse sororem, cujus filius Manasses extitit, possidens castrum & oppidum quoddam, Hirgiam nomine, villas & reditus satis tenues, quantum ad tantæ claritatis virum. Num uni sorori hæc omnia an pluribus tribuenda sint, non æque liquet. Miræus duas illis fuisse sorores arbitratur. Dicta Hirgia, aliis Herca est oppidum agri Leodiensis, vicinum Brabantiæ, in antiqua Hasbania situm.

6 Cum Guilielmus Dux Normanniæ, regnum Angliæ accepturus, in eam insulam anno MLXVI cum copioso exercitu navigasset, coactus fuit cum exercitu Anglicano confligere. Inter eos qui huic prælio interfuerunt, & victoriam Guilielmo pepererunt, ab Orderico Vitale lib. 3 primus nominatur Eustachius Boloniæ Comes. At postea, ut Ordericus ait lib. 4 ad annum 1067, multimodis Normannorum oppressionibus Angli ad rebellionem lacessiti, Boloniam legatos miserunt, & Eustachio Comiti, ut cum classe, diligenter militibus & armis instructa, ad suscipiendam Doveram acceleraret, mandaverunt. Qua expeditione non succedente, non multo post Eustachius Comes Willelmo Regi reconciliatus est, ejusque amicitia longo tempore postmodum perfunctus. Quamdiu postea vixerit non constat. De ecclesia Lensiensi restaurata, & privilegiis stabilita anno MLXX infra agemus. Extat charta Balduini Comitis Gisnensis in Chronico Andrensis monasterii pro fundatione dicti monasterii, relata ab Andrea Du-Chesne, in probationibus ad Historiam genealogicam dictæ familiæ Gisnensis pag. 25, in qua inter testes post Goiffridum Parisiacensem Episcopum, prima adhibetur Ida Boloniensis Comitissa. Facta autem ea charta est, anno Incarnationis Domini MLXXXIV. Quanto tempore tunc vidua fuerat, non constat. Vixisse eam usque ad annum MCVI, ex diplomatis variis infra proferendis manifestum fiet.

Eustachius maritus in Anglia militat.

E

B. Ida vidua erat anno 1084.

§ II. Obitus B. Idæ. Varia Acta scripta. Titulus Sanctæ & Beatæ.

7 Mortuam esse B. Idam die Dominica Idibus Aprilis, Acta referunt. Eam ad annum MCVI superfuisse testatur infra Lambertus Episcopus Atrebatensis in diplomate pro Lensiensi Ecclesia & collegio Canonicorum, isto anno VII Idus Iunii signato. Post annum jam dictum dies Dominica incidit in Idus Aprilis, anno MCXIII, Cyclo Lunæ XII, Solis II, littera Dominica E, quando Pascha celebratum fuit die VI Aprilis. & sequens Dominica in Albis incidit in Idus Aprilis. Tunc autem B. Ida erat aliquot annis septuagenaria major: ut non videatur ad majus senium, cujus acta non meminerunt, vitam protraxisse.

Videtur B. Ida mortua anno 1113.

F

8 Acta ejus habemus triplicia: horum antiquiora damus ex pervetusto codice MS. collegii Brugensis Societatis Iesu, composita (quantum assequi possumus) à monacho Wastensis monasterii, ab ipsa in agro Boloniensi fundato, in quo & sepulta est. Corpus post multos dies integrum cum vestibus repertum esse, ipse auctor oculatus testatur. Adduntur deinde aliqua miracula, aliorum testimoniis roborata: inter quæ est fere ultimum, præstitum nepti ipsius B. Idæ ex filio Eustachio, quo adhuc vivo scripta videntur dicta Acta, post annum MCXXX, quo mortuus est B. Ioannes Episcopus Taruanensis, quem titulo piæ memoriæ honorat auctor. Acta hæc, prout habentur in dicto apographo, in varias Lectiones sunt distributa, & additur sub finem trita Lectionum conclusio, Tu autem Domine, miserere nostri. Deo gratias: titulus autem præfigitur hic: Vita B. Idæ, Comitissæ Boloniæ, viduæ, & in contextu appellatur Sancta, Sanctissima, Beata, Beatissima, Veneratissima, Venerabilis, & ad venerationem ejus post mortem multi dicuntur accurrere.

Vita scripta à monacho Wastensi, coævo.

9 Al-

9 *Altera Vita datur ex codice MS. monasterii Canonicorum regularium Rubeæ Vallis prope Bruxellas, ex prima parte Hagiologii Brabantinorum, collecta & conscripta à Ioanne Gillemans, qui ante ducentos annos magna industria & labore plures Sanctorum Vitas collegit, & huic Vita ante suam Præfationem præposuit hunc titulum:* Vita S. Idæ viduæ & Boloniensis Comitissæ, de stirpe Karolidarum, *nonnullaque in Brabantia gesta addit, in priore Vita omissa. Aliud compendium habemus ex MS. codice Vltrajectino S. Salvatoris, cum hoc titulo:* Vita Sanctæ Idæ Comitissæ Boloniensis, *reliqua omittimus, utpote ex prima Vita contracta. Passim in utraque hac Vita, ut in titulo sic etiam in ipso contextu historiæ,* Sancta & Beata Ida *appellatur. Eodem modo Gerbrandus Leydensis & auctor Chronici Belgici* Sanctam Idam *compellant. Auctor MS. Florarii Sanctorum tali eam elogio exornat ad hunc* XIII *Aprilis:* Depositio S. Idæ viduæ, Comitissæ Boloniæ, matris Godefridi & Balduini fratrum Boloniensium, postea Regum Hierosolymitarum, de stirpe Carolidarum. *Eamdem celebrant Molanus in Natalibus Sanctorum Belgii, Miræus in Fastis Belgicis & Burgundicis, Ferrarius in Catalogo generali, & passim recentiores. Malbrancus in Historia sua de Morinis passim* Beatam *appellat, & lib. 9 cap. 35 asserit se in loco sepulturæ ejus fuisse*, vidisse signum ejus è candido lapide, quinque pedes altum, in Divi Michaëlis æde; & velle incolas, illic tumulum magnificum ab Eustachio filio eam consecutam, atque etiamnum ostentare marmor supernum cum signo illo seu statua; quæ ab excidio illius templi inculta jacent.

[Margin: A — *alia scripta à Ioanne Gillemans*; *elogium in MS. Florario* — *& aliis Fastis.* — B — *Mausoleum olim erectū.*]

VITA

Auctore monacho Wastensi coævo,

Ex MS. Brugensi Societ. IESV.

PROLOGUS.

1 SEculo attestatione Scripturarum senescente, & jam pene ad finem, ut casus ejus indicat, cadente, præsentium quia destituitur meritis, succurrendum est præteritorum. Primi enim hominis peccatum, seculo incipiente, cum promissa morte apparuit, ac deinde illud non sine peccato mors sub pede tenuit. Multiplicato quidem peccato, vidit Dominus terram esse corruptam, & repletam iniquitate, omnesque ad malum tendere; & judicium per aquam seculo primum intulit: verumtamen non multorum, qui tunc fuerant, justorum meritum, ne omne periret, profuit seculo. Deprecatio autem Abrahæ non pœnitentem Sodomam incendii minime liberavit à periculo. Quare? quia non fidem Abrahæ imitari, nec monitis voluerunt credere. Post legem vero, quasi per nebulas seculum juvantem, sancti Patres venturam seculo promiserunt salutem, atque frequentatam suis meritis seculi sustinuerunt incommoditatem. Accedens quippe prædicata Salus, seculo labenti manifestavit, quas patitur diaboli varias incursiones. Sed adhuc velut declinans & pendens, iuvant illud Sanctorum merita & orationes. Semper igitur merita præteritorum, quos valere putamus, postulata fideliter seculo cadenti supponamus. Celebratis, siquidem & invocatis meritis utriusque sexus jam translati ad gloriam, corroborati obnixe atque viriliter, seculo nequam contradicentes, egredimur obviam. Nullus namque gradus prætermissus est, de quo non sit testimonium sanctitatis. Quibusdam à diluvio in arca salvatis, quibusdam per circumcisionem sanctificatis, quibusdam per legem justificatis, quibusdam per baptismum digne renatis, concessum est ut seculo [prodessent] meritis suæ quam habuerunt semper benignitatis, verbi gratia: si beatæ illæ quæ non genuerunt testimonio. Veritatis dicuntur; matres profecto supradictorum, in libro vitæ, suis & filiorum meritis, scribuntur. Et si virginitas bona prædicatur, castitas post filios, sine qua opus non est bonum, magna probatur. Legis namque præcepto prolis exultat fœcunditas, & filiorum maledicitur non apparens posteritas. Melius est nubere quam uri; unde lapsus seculi valeat sustentari. Jam vero ad illam incepta descendat propositio, & quænam sit, vero manifestetur testimonio. Vox igitur & manus scribentis concordent, quod utique esse veritatis hujuscemodi notificent, quatenus legentes & audientes Deum inde non dubitantes glorificent.

[Margin: *Iustorum merita seculo profutura fuerunt* — C — *ante & post Christum,* — *nec sola virgines sed etiam viduæ.* — *Auctoris coævo ex MS.*]

CAPUT I.

B. Idæ prosapia, educatio, matrimonium, liberi, virtus in conjugio.

FUit itaque post multi temporis curricula, quædam nobilissima exorta prosapia, insignis adolescentula, nomine Ida. Pater ejus supra potentes atque fama majores, coram Imperatore Alemannorum, gradum altiorem & quasi privilegium dignitatis atque potestatis obtinens fuit, nomine *a* Godefridus mater vero ejus, non minus egregia, *b* Doda vocabatur; unum habentes filium, sicut & patrem *c* vocatum, militari habitu & actu laudabilem, nativitate prævenientem Idam venerabilem. Illis nimirum alta & humilia pro ratione gerentibus, prædicta puella litteris imbuta est, usque ad ætatem congruam in annis suis puerilibus. Ditata vero moribus honestis, non vitæ præsentis intendebat lasciviæ, sed magis ac magis ad amorem suspirabat cælestis patriæ; per quod satis compertum notumque est, quanta qualive replebatur gratia.

[Margin: *B. Ida nobiliter nata,* — E]

3 Quadam namque nocte cum se sopori dedisset, de supernis cogitans, vidit per somnium, quod de cælo Sol omnis descendisset, unumque tamquam momentum in sinu ejus fecisset. Hoc autem magnum quid futurum ostendebat somnium, quoniam ex ea procederent, qui ad tempus possiderent regnum & imperium. Signa quidem nonnulla ordinat divina providentia, [futura] quibusdam per adspirationem, pluribusque per visionem antequam fiant, demonstrans. Et quia omnia tempus habent; significata per venerabilis puellæ, de qua nunc agitur, visionem, tempore congruo atque à Deo prædestinato, sunt notificata Quomodo autem vel quali ratione ista fuerunt; caritati atque benignitati tam præsentium quam futurorum fidelium enucleare conamur. Fuit namque tempore præfati Ducis Godefridi heros quidam genere nobilissimus, *d* Carolo etiam Regi consanguinitate proximus, corpore & animo actuque seculari validissimus, longe lateque fama nominatissimus, nomine potens *e* Eustachius. Hic autem Boloniæ Comes & Dominus præerat, quæ civitas magno dominatu & potentia tunc divulgata fuerat. Dicitur, & verum est; quia fama, probitatis sectatores conjungit; cujusque ordinis homo probatur, similem sibi quærit. Multorum quippe relatione verissima Comes Eustachius mores & actus atque pulchritudinem prædictæ virginis Idæ, genusque dignitatem ejus audiens, *f* misit nuntios, sensu & eloquentia instructos, ad prædictum Ducem Godefridum, ut filiam suam Idam sibi daret in conjugium; per quod in sempiternum esset inter illos generositatis eorumdem vinculum. Inito ergo consilio super hac petitione, quia non defuit gratia cælestis, honorificam virginem Idam, viris

[Margin: *per visionem addiscit ex se processuros Reges:* — F — *Eustachio II comiti Bolon. desponsata.*]

Boloniam deducta, nubit, viris qui propter eam venerant, adjunctis nonnullis personis honestis, tradiderunt parentes. Appropinquantibus ergo illis Boloniensi territorio, urbs omnis exiit obviam magno cum gaudio.

4 Recepta namque, ut decuit, honorifice, copulata est Comiti Boloniæ, scilicet Eustachio, pro more Ecclesiæ Catholicæ. Celebratis igitur nuptiis solenniter, venerabilis Ida, quæ Dei erant curiosa sub consulari dignitate, amabat fideliter; *1 Cor. 7,29.* quæ mundi autem videbantur, non inquirebat pertinaciter. Servato nempe caste conjugio, juxta præceptum Apostoli, utens viro debite, tamquam non habens virum, tres filios, sicut præindicatum erat, coram Dei clementia genuit, apparentes per supradictæ visionis vaticinium. Primus filiorum ejus fuit *g* g Eustachius, vir potens & in omnibus actibus *factaque mater trium filiorum* seculi ac religione laicali egregius. Iste vero patris imitans nobilitatem, ejus, ut notum est, tenuit hæreditatem viriliter. Secundus quippe fuit Godefridus, avi sui vocabulo & possessione *h* Dux vocitatus, qui Deo propitiante, Turcis triumphatis, sub nova gratia *i* Rex primus fuit in Jerusalem prædestinatus. Huic autem natu posterior, sed non minus in actu potentiaque potentior fuit tertius, bonæ memoriæ Balduinus, Acconensis civitatis eidemque subjacentium proconsul & Dominus, ac demum, post *k* obitum fratris sui Godefridi, Regis ut vices expleret, honore regio ditatus. *l* Factum est autem, cum tantorum venerabilis Ida mater esset filiorum, adhuc illis in cunabulis jacentibus, non sinebat alienis *singulos proprio lacte nutrit:* sed propriis lac dari uberibus, timens ut pravis contaminarentur moribus.

5 Omnibus amabilem, cunctis placabilem, per omnia laudabilem cum illam Comes conspiceret, non moleste sustinuit: verum etiam ut perseverans *divino servitio addicta* ad meliora omnimodo tenderet, admonuit. Tunc quippe Dei famula, viri sui assensu & voluntate, imo repleta superna gratia & divina pietate, ecclesias frequentans, magna & devota cum humilitate, utilia ac apta divinæ servituti ac ejus ministris præparabat *benefacit ecclesiis,* libenti assiduitate. Hæc vero dum ageret Ida, Deo dilecta & hominibus, intra mœnia civitatis absconsa sub chlamyde mentis suæ, ecclesias extra fundare flagrabat, portans aut mittens munera largę caritatis. Audierat etenim, quod legem observanti à Domino præcipitur: *Ps. 55,12.* *Ex. 24,12.* Non apparebis vacuus in conspectu meo, atque vota cordis tui non differes reddere Deo: quod bene intelligens Psalmista ait: In me sunt vota, quæ reddam, laudationes tibi, Deus. Hæc igitur audiens & observans beatissima Ida, superna sibi gratia propitiante, vota, quæ redderet, illi qui dederat grata, suscepit in mente placida. Eminebat in ea humilitas, quam Hester Regina fertur habuisse, *erga omnes benevola.* qua regia ornamenta coram Deo æstimabat quasi menstruata indumenta. Non parvipendens ergo hæc imitatrix tam potentis Reginæ devotam humilitatem, præsentis vitæ superfluam in omni actu suo despexit felicitatem. Agebat solicite pauperum curam, retributionem expectans futuram; viduas & orphanos circumquaque & infirmos, maxime domesticos fidei, orationibus assiduisque juvabat muneribus. Casta familiaritate potentes, pia consolatione senescentes, humili verbo innocentes, venerabilis Domina studebat habere.

ANNOTATA.

a Godefridus, *hic cognominatur* Barbatus, Audax, Magnus, *Gothelonis Magni Ducis Lotharingiæ filius, mortuus anno* 1070. *Reliqua supra diximus.*

b Doda, *uxor prima Godefridi: qua mortua, uxor ejus secunda fuit* Beatrix, *tunc vidua Bonifacii Marchionis Thusciæ & mater celebris Mathildis, uti ante indicavimus.*

c *Hic est* Godefridus Gibbosus, *aliis* Strumosus *dictus, à Sicario læsus, absque liberis mortuus, anno* 1076. D

d *Videtur intelligi* Carolus Magnus, *cujus avus fuit* Carolus Martellus, *& nepos* Carolus Calvus: *hujus iterum nepos* Carolus Simplex, *& hi tres Reges Francorum fuerunt. Ultimi Caroli iterum nepos* Carolus *solum fuit Dux Lotharingiæ, & proavus Eustachii Comitis, mariti B. Idæ.*

e Eustachius, *aliis* Eustathius, *& absque aspiratione* Eustacius.

f *Malbrancus lib. 8 de Morinis cap. 47 tradit Eustachium ad B. Idam accessisse, & nuptias celebratas esse Cameraci anno* 1057. *quod contra hunc auctorem coævum deberet plusquam simplici scriptoris hodierni assertione probari, ut fidem adhiberemus.*

g Eustachius Comes *etiam cum fratribus in Terram-sanctam profectus est sed inde anno* 1102 *reversus, in Comitatu Boloniensi diu post matrem superstes fuit.*

h Godefridus Dux Bullonius *dein etiam Lotharingiæ, scilicet inferioris, & Marchio Antverpiensis.*

i *Capta* 15 *Iulii anno* 1099 *Hierosolyma, omnium consensu* Rex Hierosolymitanus *creatus est.*

k *Mortuo Godefrido* 19 *Iulii anno* 1100, *subrogatus est* Balduinus Rex *usque ad annum* 1118, *quando frater Eustachius absens electus, cessit affini suo Balduino de Burgis.* E

l *An plures liberi fuerint, supra examinavimus.*

CAPUT II.

Virtutes ejus in viduitate: monasteria fundata: miracula patrata.

6 Istis & his similibus dum polleret studiis, nobilis vir ejus Eustachius, interveniente morte inevitabili, vitæ hujus luce *a* caruit. Tunc vero venecratissima Ida, lege dissoluta conjugii, bona quæ *Mortuo marito* faciebat opera non deserens, sed multiplicans, est secuta: quia quamvis viri consolatione fuisset desolata, superno amore jugiter erat ditata, filiorumque suorum nobilitate læta. Ædificans nempe prius *proficiscens in Germaniam,* in animo, docta instinctu divino; quæ postea numero apparuêre trino. Cum itaque hæc pio verteret in pectore, ut manifestaretur ejus sanctitas, in Alemanniam *b* parentum suorum illam perduxit caritas. Factum est autem cum iter faceret, venit ad quamdam ecclesiam in honore *c* S. Walburgis Virginis fabricatam: grandi quippe gratia, ei ecclesiam intranti, duplex patrandum miraculum obviavit. F Erat ibi quædam infirma mulier, gressu destituta, *hydropicam tactu sanat:* nec non hydropico morbo per totum corpus involuta: eam vero dulcissima Ida propriis manibus è terra levavit, atque tumescentes artus palpavit: sicque sanata quibus tenebatur infirmitatibus, surgens cito, cum illa, cujus meritis erat incolumis, intravit in ecclesiam, extollens vocem magnis cum laudibus. Visitatis consanguinitate & affinitate propinquis, *reversa cœnobium S. Vulmari construit Boloniæ:* Ida eximia mutavit propter argentum, quæ illic habebat ex genere paterno, allodia. Quo facto quæ diu cogitaverat completura, repedavit ad propria. Reversa siquidem ecclesiam locumque Vulmari, *d* consilio simul & adjutorio filii sui, tunc Boloniæ Comitis, intra civitatis muros adhuc imminens honorificum construxit cœnobium: ubi etiam servientes Deo, & unde viverent constituit.

7 Tunc quippe veneratissima Ida, Dei gratia edocta, & ad meliora perficienda hilari animo atque corde devoto semper intenta, *e* locum quemdam in territorio Boloniæ magnis & devotis precibus expetit: cujus assensum & auxilium pia mater promeruit, & quasi ad resuscitandum illum locum pervenit. Locus autem ille antiquitate rerumque temporalium felicitate famosus extiterat; sed mole pecca-

A peccaminum exigente, pene ad nihilum redactus erat. Adveniens illuc venerabilis Ida, piissimi *f* Gerardi Taruanensis Episcopi assensu concilioque roborata, redemit quæ fuerant ejusdem loci calumniata; dirutam ecclesiam reparavit, ornamentis & codicibus adornavit, ut cum Psalmista Deo diceret, *Ps. 25, 8* Domine, dilexi decorem domus tuæ: claustra quoque & domus reædificavit, redditibusque, & multis opibus ditavit; insuper ipsum *g* locum sua præsentia inhabitans decoravit. Interim nempe S. Hugoni *h* Abbati, ut mitteret Cluniacensis ecclesiæ quosdam fratres, ad locum *i* Wast appellatum institutione monastica inornandum, supplicavit; atque cum multiplicatis & devotis precibus exoravit, quatenus eam in filiam adoptionis redimeret, & inter fratres spiritaliter hereditaret. Sanctus vero ac Deo dilectus Hugo hæc audiens, sciensque sanctitatem & devotionem ejus, desiderio atque petitioni Dominæ devotæ satisfecit. Tunc illa Fratres transmissos vultu placido, animo jucundo suscepit; atque cura diligenti & corde libenti erga eos extitit.

aliud Wasti petitis Cluniaco monachis;

8 Sic solicita cum esset beatissima Ida, *k* opportuna ratio transmeare illam fecit in Angliam: ubi claudus quidam, intrantibus in quamdam ecclesiam, petebat sibi dari eleemosynam. Factum est autem cum panem per ab illa, nulli negante caritatem, eleemosynam accepisset in manibus; sanus & incolumis erectus stetit in pedibus. Admirantes qui eum noverant, & interrogantes qualiter ei subita contigisset sanitas, respondit: Domina quædam, mihi non cognita, sed multum venerabilis & inclyta, donavit quam quæsieram caritatem, simul & desperatam sanitatem. Illa quidem beata, hoc facto miraculo, populi laudes declinavit, atque hoc fecisse obnixe negabat. Multis vero infirmantibus non carmine ficto, sed pia oratione & manus suæ impositione, sanitates diversarum reddidit infirmitatum, quæ non recitantur.

In Anglia claudum data eleemosyna sanat. B

multis sanitatem confert

9 Crescente itaque hoc in loco religione per Cluniacensium Fratrum institutionem, nec non per meritorum sanctissimæ Idæ perfectionum, nominativus ille locus, perfectissima & Deo gratissima vidua Ida vivente, longe lateque habebatur. Et quamvis beatissima Ida, mortali viduata viro videretur; immortali sponso, per castam & cœlibem vitam, piisque actibus bonisque operibus repletam, nupsisse credebatur. Veruntamen non jactantiam bonæ opinionis nec laudis humanæ appetebat, sed in sacrario cordis gratiam cælitus datam reponebat. C Hæc enim per sancta desideria quæ sursum sunt sapiens, ad eorum gloriam ædificare cupiens, locum vulgari sub appellatione, qui dicitur *l* Capella, ædificavit: quem siquidem in honore Dei Genitricis & perpetuæ Virginis Mariæ fundatum, suis opibus propriisque redditibus ampliavit, atque insuper pretiosissimis Sanctorum pignoribus ditavit. Locus autem quoniam videbatur aptus & habilis ordini monastico, Abbatem *m* Ravagerum, & congregationem Fratrum, consilio & assensu *n* Joannis piæ memoriæ Morinorum Pontificis, institutionem S. Benedicti pro posse servaturos, constituit. Hunc vero locum tota virtute corporis ac spiritu diligebat, de Fratrum & pauperum refectione solicite agebat, atque divinis intenta servitiis humiliter & moderanter cum Fratribus psallebat.

monasterium Capellæ construit,

ANNOTATA.

a *Post 1070 mortuus est, sed quo anno præcise assequi non potuimus.*

b *Per parentes more Gallico* consanguinei *intelliguntur. Malbrancus censet* Beatricem *novercam ejus adhuc vixisse in hisce partibus Lotharingiæ inferioris, quam auctor more Gallico* Alemanniam *appellat. Verum dicta Beatrix, non diu post mortem mariti sive post annum 1070 in Italiam profecta est, & Pisis diem extremum obiit 18 Aprilis anno 1079, ut Domnizo, auctor coævus, in rebus gestis Mathildis filiæ, testatur. Quomodo ergo Malbrancus mortem Eustachii mariti ad annum usque 1090 distulit? Quod ex Iperio sumpsit argumentum, infra rejicitur.*

AUCTORE COÆVO. EX MS.

c S. Walburgis *Acta late deduximus die 25 Februarii, quo obiit; & varias illi dicatas ecclesias recensuimus, quas potuit in hoc itinere invisisse. Harum prima sit urbis Furnensis in Flandria primaria & collegiata, ubi in suburbio alia ejus ecclesia extat. Est Brugis in eadem Flandria inter antiquiores ecclesias parœcia S. Walburgis. Tertia in Flandria Aldenardensis Ecclesia primaria, ampla & magnifica. Præterea Antverpiæ, ubi filius ejus Godefridus Marchionatum possidebat, est templum S. Walburgis cum crypta, in qua eam habitasse aut hospitio exceptam fuisse pie creditur. Demum Leodii aliqua ejus ecclesia olim fuit, unde & aliqua urbis porta inde nomen suum traxit & hactenus servat.*

d *Colitur* S. Vulmarus *20 Iulii: de duplici ejus monasterio supra egimus.*

e *Videtur monasterium* S. Vulmari in Nemore *seu* Bosco *indicari, nomine omisso, quod istic maritus cum aliis majoribus esset sepultus.*

f Geratdus *præfuit Ecclesiæ Morinensi ab anno* 1083 *ad annum* 1099. E

g *Videtur intelligi* parvum Saulmerium, *circa annum* 1098 *per modum appendicis adjunctum, de quo infra agemus.*

h *Colitur* S. Hugo 29 *Aprilis, mortuus anno* 1109, *cum* 60 *annos Abbas fuisset.*

i Wastum *in Comitatu Boloniensi, ubi B. Ida est sepulta. Aberrat Malbrancus dum Canonicis Regularibus extructum scribit. Magis alii errarunt, dum intellexerunt aut Wastinense monasterium ad Lisam inter Ipras & Insulas; aut Watenense inter Audomaropolim & Brouckburgum, fundatum anno 1071 à Roberto Frisio Comite Flandriæ: sed hæc fuerunt Canonicorum Regularium & extra Comitatum Boloniensem. Infra de Wasto Boloniensi iterum agimus.*

k *Arbitramur aliqua istic à Guilielmo Conquæstore dominia collata fuisse Eustachio marito, ob beneficia præstita.*

l *Infra in Analectis late de hac fundatione agimus, quod ea marito Eustachio ab Iperio & aliis tribuatur.*

m Ravengerus *ab aliis scribitur, uti etiam in diplomate Manassis Comitis Ghisnensis, anno* 1097 *facto subscribit.*

n *Vitam* B. Joannis *illustravimus 27 Ianuarii, in qua dicitur Episcopus ordinatus anno* 1099, *mortuus* 1130. *Hinc videtur illud consilium initio datum à B. Joanne necdum Episcopo, & postea probatum.* F

CAPUT III.

Puella surda & muta sæpius sanata. Pius obitus & sepultura B. Idæ.

Et quia Sanctus ut sanctificetur de virtute in virtutem condescendere conatur, idem Ida fecisse veraciter notificatur. Eodem namque tempore, quo illa frequenter versabatur infra cœnobium, diu noctuque observans faciensque monachorum servitium, venit admirabile prodigium factura. Erat autem ibi quædam puellula à nativitate surda & muta, sed & temporalium commoditatibus necessariis multum destituta: cui venerabilis Ida manum caritatis extendere ad quotidianum victum consueverat. Deus enim, qui semper est in Sanctis suis mirabilis, huic infirmitatem illam geminatam dederat, ut utraque infirmitate sanatam monstraret, ad laudem sui nominis, & merita sanctissimæ Idæ declaranda. Factum est autem, cum quadam nocte matutinis laudibus persolvendis Fratres interessent, aderat & Deo dilectissima Ida; supradictam vero infirmam eadem

Puellam surdam & mutam sanat.

nocte

AUCTORE COÆVO EX MS.

nocte mater ejus ad ecclesiam, non sine nutu Dei, curandam adduxit: tunc enim magnæ festivitatis erat celebritas. Cumque puella infirma frigore opprimeretur, toto corpore tremuit: quod dulciflua Domina cognoscens, innuit ad se venire, atque subter chlamydem suam benigne recepit. Sentiens autem puella vestimentorum beatissimæ fragrantiam, imo meritorum ejus demonstrandam gratiam, mox nova auditione usa est, quam non habuerat; nec non sibi data locutione, quam non noverat, audiens & voces & melos psallentium Fratrum, hanc primam enixa est vocem: Mater, mater. Accurrit itaque mater ejus audire filiam, quam amplius loquentem non audierat. Quo cognito Abbas Ravagerus, Te Deum laudamus, iterum incepit: & in crastinum concessa est sanatę puellæ ab Abbate præbenda. Multa quidem mira eveniunt, ut mirabiliora tempore congruo appareant. Nam ista, de qua nunc agimus, puella, non post longum tempus suæ curationis, amissa virginitate concepit & peperit: & in priores, quibus sanata erat, infirmitates miserabiliter cecidit, atque per apparentem casum præbendam perdidit. Contigit vero quod mater iterum in nocte cujusdam magnæ festivitatis ad ecclesiam adduxit miseram filiam: quæ ob merita sanctissimæ Idæ denuo consecuta est misericordiam. Tunc laudes & gratias pro duplici miraculo Fratres, qui viderant, Deo reddiderunt lætantes. Pro dolor! Cecidit misera rursum in eamdem culpam easdemque infirmitates; & quam habebat perdidit ecclesiæ præbendam. Sed quia misericors est Deus, qui B. Petro non solum septies, sed septuagesies septies peccanti dimittere præcepit; hanc peccatricem tertio, per fidem & sanctitatem suæ famulæ Idæ, sanitati restituit; sanataque iterum præbendam habens, castimoniam usque ad finem servavit. At vero magnæ devotionis compos & meriti nobilissima Ida, erga quos construxerat locos curiosam se habens, uni omni corde suo inhærens, alterius omnino curam gerens, neutrum nullatenus deserens, singulis & utrisque fideliter ministrabat.

semel

iterum

B

& tertio.

in ultimam infirmitatem incidit

11 Beata igitur Ida, debilitatis nimium viribus corporis, a jejuniis & vigiliis orationibusque assiduis, & quas gerebat in animo solicitudinibus Fratrum & pauperum, ad finem, quasi jam proximum, feliciter tendebat; non formidans de morte sua, sed expectans retributionem à Domino perpetuam: paulatim vero infirmata, ægritudine invalescente, in lectulum longæ infirmitatis devenit. Tunc juxta Pauli dictum intrinsecus roborata, devotione majore, caritate largiore, bonum operabatur, maxime ad domesticos Fidei. Mundana siquidem proprietate nudata, viduis & orphanis & indigentibus omni qua utebatur veste donata, ut Apostolus præcipit, sanctam Unctionem, veramque atque vivificam Communionem cum lacrymis atque pio affectu à Fratribus quęsivit. Audientes vero monachi de Wast, quod beatissima Ida ageret in extremis, venerunt ejus interesse officiis. Sacramentis itaque Catholice susceptis, sancta & venerabilis Ida, spiritu prophetiæ, Fratribus qui venerant, voce supplice ait: Ite, pro certo scientes, quia proximo die Dominico, viva vel mortua, in ecclesia de Wast mansura fuero. Cumque mors inevitabilis ad eam, prædestinata hora debitum suum susceptura, venisset; media nocte b Dominica, Idibus Aprilis, sanctissimæ Idæ spiritus carnis ergastulum vitamque præsentem exuit; atque vitam sempiternam possidens, jucunditatis amictum induit.

C

Gal. 6. 10.

extremis Sacramentis munita,

b

moritur nocte Dominica 13 Aprilis;

12 Tunc quippe, ut justum fuerat, dignanter & valde veneranter corpus compositum, in ecclesiam ante altare, non sine lacrymosis gemitibus suspiriisque inenarrabilibus, allatum est à Fratribus. Viduarum & orphanorum, & eorum quorum gerebat curam, voces flebiles invalescebant: quæ multorum audientium lacrymas movebant. Fama quoque velocissima obiisse venerantissimam Ida mcircumquaque nuntiavit, quæ usque ad defunctum corpus ejus utriusque sexus multitudinem conduxit. Abbas etenim & monachi S. Vulmari, quoniam vir illius Eustacius c senior apud illos sepultus fuerat, jure quasi hereditario corpus uxoris juxta virum quærebant. Similiter & Canonici Boloniæ civitatis, ob reverentiam filii sui Eustacii Comitis, ideoque quia primo monasterium illorum ædificaverat, sanctissimæ Idæ corpus exanime sepeliendum requirebant: Ecclesiæ d autem Fratres, ubi finierat, juste illic esse sepeliendū asserebant. At vero utrorumque facta petitio, & eorum ostensa ratio, non prævaluerunt contra præsagium, quod dixerat beata, vivam vel mortuum ad Wast se Dominico die proximo esse sine dubio mansuram. Sublatum exinde corpus, Sanctæ impleta prophetia, ad locum ubi jacet, deportatum fuit. Congregatis autem ibi nonnullis religiosis personis, plebisque coacervata multitudine, sepulturæ, post nimias à circumstantibus lacrymas, cum gemitibus multisque clamoribus effusas, digne atque honorifice traditur. Hunc ergo locum Dei famula vivens corde animoque dilexit, & modis quibus potuit ad incrementum provexit. Nunc autem & amodo etiam mortua, meritis atque prodentibus miraculis protegit & munit. Debiles namque sive infirmi diversis pro infirmitatibus ad sepulchrum ejus venientes, si non hæsitant in fide, sanantur, præstante Domino nostro Jesu Christo, qui cum patre & Spiritu sancto vivit & regnat Deus, per omnia secula seculorum. Amen.

D

c

d

Sepelitur in Wasto monasterio;

E

claret miraculis.

ANNOTATA.

a *Nihil hic de decrepita senectute dicitur, quam agnoscere debent, qui usque ad annum* 1122 *aut* 1127 *vixisse tradunt.*

b *Mortuam videri anno* 1113, *septuagenaria majorem, supra diximus; eratque Dominica in Albis.*

b Eustachius, *licet filius Eustachii I Comitis,* senior *appellatur respectu Eustachii III ejus filii, qui dum hæc Vita scriberetur adhuc vixisse videtur.*

d *Ecclesia B. Maria de Capella.*

CAPUT IV.

Corpus incorruptum. Miracula post mortem

Sepulta quippe beatissima Ida, in loco qui nunc usque vulgari sub appellatione dicitur Wast, sicut illi divina promiserat censura, cujusque sexus nonnulli à diversis languoribus sanari cœperunt; quos utique non hæsitans ad sepulchrum ejus fides perduxit. Famam quidem miraculorum, non solum per circuitum, verum etiam longe lateque merita Idæ sanctissimæ declaranda transtulerunt. Fama itaque non tacet, sed clamat; quoniam veritas probata compellit. Volavit igitur redolens attestatio miraculorum Sanctæ usque ad ejus propinquitatis proximos in Alemanniam; qui glorificantes Dominum super his auditis, modum tamen quo possent corpus B. Idæ illuc transferre, meditati sunt. Statuerunt autem quosdam, tali negotio doctiores, ad locum in quo jacebat mittere: sed nihil contra statutum Dei prævaluerunt. Cognita autem Fratres loci eorum fraudulenta calliditate, servare thesaurum studuerunt attentius. Opportuno deinde, ut exigebat ratio, consilio inito prudentum, Fratres prædicti loci, visitandi corpus constituerunt diem.

F

Frustrantur consanguinei auferre corpus.

Con-

A Congregatis autem multis provinciæ, apertum est sepulcrum, & corpus sanctissimæ Idæ integrum, & indumentum ejus mundissimum, qui affuerunt, meruerunt conspicere. Nulla vero macula, nullaque contaminatio illam, quæ jam per multos dies ibi jacuerat mortua, labefactare nunc usque convaluerant. Odoris pravitas nulla astantes offendit, exinde egrediens: sed suavitas replevit satis sufficiens: hoc autem, ut dignum est, fidelibus credendum magno pro miraculo testamur.

integrum repertum cum vestimentis:

14 Erat quidem interea, quæ præclaræ vitæ illius refert insignia, ei etiam collata post mortem virtus fugandi dæmonia, sicut quorumdam obnixe asserunt testimonia. Cuidam nempe juveni, de villa quæ vocatur Vertum, spiritus nequam apparuit, ad similitudinem bovis; auferensque ab eo sensum, intravit in illum: faciem quippe miseri juvenis valde ferocem, cassam & terribilem vocem, ut mos est, fecit dæmonium: oculis circumquaque respicere torvis & terribilibus, fœtidum emittere sputum ex faucibus, proferre singultus, & stridere dentibus fecit eum malignus. Illum itaque cum ad nonnulla parentes ejus pignora Sanctorum duxissent, nihilque profecissent, tandem ad sepulcrum B. Idæ adduxerunt. Quem ex alto meritis Sanctæ Dominus B prospiciens, post triduum rediit sanus & incolumis, & in fide quam hostis ei abstulerat, nihil deficiens.

possessus à Dæmone ad ejus tumulum liberatur

15 Aliud quoque non dissimile huic miraculo miraculum, per merita ejusdem Deo dilectæ, perpetratum à multis asseritur, atque, ut dignum est, memoriter pro magno recolitur. Villa quædam nomine..... est sita non longe à monasterio, in quo multa infirmis nunc usque sanitatum beneficia præstat Ida beata; cujus ante tumulum quidam dæmoniacus, ex supradicta villa, ligatus adducitur: Parentes autem & amici ejus cum lacrymis pro eo Beatissimæ supplices efflagitabant suffragium. Quorum devotionem fidemque, meritis & intercessionibus Idæ venerabilis, suscipiens misericors & miserator Dominus; sicut paralyticum coram se per tegulas submissum sanavit, ita istum à dæmonis oppressione liberavit, & in se reconciliatum, exultantibus qui eum adduxerant, ad domum suam remisit.

item alius

16 Admiratione dignum & recordatione aliud manifestandum est fidelibus miraculum, quod ad laudem sui nominis & ad venerationem sanctissimæ Idæ peregit, ob merita ejus, divina clementia, supradictis æquale miraculis. Idem vero inimicus C generis humani, qui semper tamquam leo rugiens circuit quærens quem devoret, quamdam de territorio Boloniensi mulierculam invasit, ejusque spiritum bonum expulit, & in ea sibi sedem paravit. Peragratis quippe cum illa multis Sanctorum locis, parentes non proficientes ad propria reversi sunt. Torquebatur acrius misera, quam prius à dæmone; amissisque animæ corporisque virtutibus, discerpens & dilanians se jacebat ligata. Mater vero sua, recordata sanctitatis & potentiæ sanctissimæ Idæ, super hujuscemodi infirmitatem habitæ, filiam una cum nonnullis parentibus infirmæ, gavisuris de liberatione simul & sanitate puellæ, ad S. Michaelis, in qua multis Ida sanctissima operabatur salutem, venerunt ecclesiam. Qui dum ante cujusdam altaris præsentiam cum infirma excubassent per triduum, magna cum devotione rogarunt, ut monachi ecclesiæ infirmam portari finerent ante sepulcrum S. Idæ: quod factum est. Erat tunc quidem vigilia B. Joannis Baptistæ: Vespertinis autem peractis officiis, per merita S. Idæ, utramque salutem adepta puella, cœpit vocare matrem, & se sanam & incolumem professa est. Sic enim per istam Dei solitæ pietatis gratia, interventu beatæ & venerabilis Idæ, refulsit: sicut de alio per Euangelium dicitur: Surdus audit, Mutus loquitur, possessus à dæmone liberatur. Facto autem mane, pro audito miraculo, non solum parentes, verumetiam vicinæ affinitatis multi, cum oblationibus laudes & gratias Deo & S. Idæ gratulantes obtulerunt, gaudentesque recesserunt.

Dæmoniaca ad ejus sepulcrum sanatur.

EX MSS.

Matt 11, 5

17 Beata itaque Ida dilectionem Dei, quæ prima est, & proximi generat amorem, quam vivens habuisse dignoscitur, post mortem etiam non deseruit. Hac igitur dilectione propinquos, nec non natione longinquos nonnullos, sanasse à variis languoribus probatur. Contigit autem quod improba & misera infirmitas febrium, filii sui filiam, Boloniæ Comitissam, nomine *a* Machtildem, acriter arripuit: ista vero non modicum per tempus nimiis attrita doloribus, tandem confidens atque præsumens de beatissimæ Idæ sanctitate, simul & ejus ex qua descenderat consanguinitate, sananda sepulcro venerando cum multis se præsentavit: quæ dum devotis & multiplicatis precibus Beatissimæ merita postulasset, post aliquantulum moræ sana & incolumis recessit. Sic utique, mandatum, quod in lege amicum diligere præcipit, venerabilis Dei famula implevit Ida. E Illud autem Sapientiæ quo dicitur: Ego diligentes me diligo, sanitatum gratiam largiendo famulantibus sibi, alienisque, si corde supplicant, adimplet.

neptis febri liberatur.

a

Leu 19, 18

Prov. 8, 17

18 Cuidam namque Hugoni Monacho, ei devotissime nocte dieque servienti, passione febrium nimium afflicto, non speratæ sanitatis, ob familiaritatem & servitutem, quas sanctæ viventi & mortuæ impenderat, gratiam exhibuit. Tu autem Domine, miserere nostri. Deo gratias.

& quidam monachus

ANNOTATA.

a Machtildis *sive* Mathildis, *nata patre Eustachio III & Maria filia Malcolmi Regis Scotiæ. Nupta ea fuit Stephano Comiti Blesensi & Moritonii, & per eam Boloniæ, nec diu post in Regem Angliæ coronato, scilicet Kalendis Ianuarii anni* 1136; *& superfuit* Mathildis Regina *usque* ad annum 1153, sepulta in villa regia Ferasheim, in qua conventum monachorum & mansionem eorum ipsa disposuerat, *uti scribit Ioannes Prior Hagustaldensis, qui tunc vivebat, in Appendice ad Simeonem Dunelmensem. Quia auctor Vitæ hujus matrimonii non meminit, arbitramur ante illud tempus eum scripsisse.*

ALIA VITA F

Auctore Ioanne Gillemans Canonico Regulari.

Ex MS. codice Rubeæ-Vallis.

RROLOGUS.

1 FEstivitates sanctarum viduarum curriculosa per anni tempora dum revolvimus, immensas divinarum virtutum laudes soli Deo referimus: earum nihilominus exemplis ad amorem cælestis patriæ properare conamur, quatenus ad mansionem perpetui decoris, ubi lux summæ claritatis refulget, Auctore summo juvante, per angustum callem qui ducit ad vitam, consecuturi per eos & cum eisdem fructum sexagesimum, perpetuis nisibus incedere valeamus; atque illam delectabilem vocem Domini audire, dicentis, Venite benedicti patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi, pro laboribus, quibus studiose certastis: ibique immarcessibiles coronas accipietis ab illo qui dicit, Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos, jugum enim meum suave est & onus meum leve. Et Apostolus ait: Quis nos separabit à caritate Christi? Tribulatio an fames?

Utile est Sanctorum festa celebrare, eorumque imitatione cælum promereri,

Matt. 25, 34

Et 11, 28

Rom. 8, 35

& fortiter

PER IOAN. GILEMANS EX MS. fames? an frigus? an mors? an vita? an periculum? an gladius? & iterum ipse Dominus in Evangelio ait: *Ignem veni mittere in terram, quem volo ut ardeat.* His solati sacris adminiculis, hostis antiqui calcemus insidias: ut cum Beata Ida nobilissima matrona (cujus gesta hic breviter inserere curabimus, tum quia virtuosa sunt, tum quia proposito nostro congruunt; cum ipsa, de qua hic fit mentio, de stirpe Carolidarum prodierit) ad sedem perveniamus florigeram, perpetualiter cum ea regnaturi in cælestibus. Amen.

omnia adversa superare. *Luc. 12, 49*

HISTORICA RELATIO VITÆ.

2 Fuit quædam virgo, nobilissima exorta prosapia, insignis adolescentula, nomine Ida: cujus pater, nomine Godefridus, primus apud Imperatorem extitit, & Comes Ardennensis claruit: mater vero ejus non minus nobilis, Doda vocabatur. Erat autem eo tempore inclytus Comes Boloniæ, nomine Eustatius, filius Eustatii & Matthildis Bruxellensis Comitissæ, cujus secundi Eustatii uxor S. Ida effecta, tres ei filios genuit, videlicet Godefridum, Balduinum & Eustatium. Hæc filios in omni disciplina & timore Dei educavit, & quæ digna sunt principatu agere docuit, atque ad sanctos & bonos mores informavit. Horum Godefridus, post mortem avunculi sui Godefridi Gibbosi, majorem partem Brabantiæ possedit, & postmodum electus est Rex & princeps in Hierusalem, postquam Terra-sancta recuperata fuit à Christianis: ac post eum frater ejus Balduinus: qui multis claruerunt victoriis contra perfidam gentem Sarracenorum. Factumque est, ut cum tantorum B. Ida mater esset filiorum, non sineret eos alienis, sed propriis lactari uberibus.

Illustri genere orta *& nupta Eustatio Comiti Boloniensi,* B *filios pie educat,*

3 Cumque Comes Eustatius vir suus illam conspiceret omnibus amabilem, cunctisque placabilem, & per omnia laudabilem, nequaquam moleste sustinuit; verum etiam ut in bonis perseverans ad anteriora & meliora tendere conaretur, admonuit. Sancta vero Ida, ut cognovit erga se viri sui Eustatii Comitis Boloniensis voluntatem bonam, cœpit ecclesias construere, pauperes recreare ac ditare, ac in omni opere caritatis & misericordiæ perfecta existere. His igitur devotis studiis dum eleganter polleret, vir ejus Eustatius Comes in Domino moritur: quæ post hæc, ipso sepulto, ad parentes suos revertitur. Hæc B. Ida post mortem viri sui sanctissime vixit: quin & in vita & post mortem suam claruit miraculis. Denique primo venit ad quamdam ecclesiam, in honore S. Walburgis virginis dedicatam orandi gratia; & videns eminus mulierem, hydropico morbo per totum corpus oppressam, eam propriis manibus de terra levavit; & orans ac eam sanans, ad propria repedare permisit.

à marito amata, *ecclesias construit, & pauperes juvat:* *eo mortuo* *in patriam proficiscens,* C *hydropicam sanat:*

4 a Adveniens autem venerabilis B. Ida ad Cluniacensis ecclesiæ Fratres, S. Hugoni, ejusdem Ecclesiæ reverendissimo Abbati, ut mitteret quosdam de discipulis suis, quos in disciplina regulari graviter educaverat, ad locum Wast appellatum, instanter ac devote supplicavit; atque obnixis precibus exoravit, quatenus inter Fratres eam hereditaret. Sanctus autem ac Deo dilectus Hugo hæc audiens, ejusdem petitioni satisfecit, destinans Fratres ad monasterium construendum de novo.

a *impetratis à S. Hugone Cluniacensi monachis Wastum extruit:*

5 Post hæc contigit ut beatissima Ida in Angliam navigaret: quæ dum quamdam ecclesiam ingrederetur, obviam habuit quemdam claudum pauperem, petentem eleemosynam ab ea; quæ non modo pecuniæ stipem eidem erogavit, verum etiam illi manum porrigendo ipsum erexit ac sanavit, Dehinc remeans ex Anglia, apud Bruxellam, civitatem Brabantiæ nobilissimam vel circa eam, magna ex parte vitæ suæ, mansionem fecit: & b juxta Genepiam, cum filiis honestissime conversans, habitavit. Monstratur illic usque hodie fons sacri baptisterii: in quo Godefridus ejus primogenitus fertur fuisse initiatus. D

in Anglia claudum sanat: *in Brabantia degit.* b

6 Factum est autem post hæc, cum quadam nocte sanctissima Ida una cum Fratribus Matutinis interesset laudibus; venit ad eam supplex quædam mulier, habens secum filiam suam surdam & mutam, quam beata matrona pristinæ sanitati restituit, & ut in crastina, ab Abbate loci illius, puellæ sanatæ præbenda concederetur impetravit. Quæ puella non multo post, instigante generis humani inimico de quodam viro concepit & peperit, ac perinde in pristinas infirmitates decidit, præbendamque sibi impetratam amisit. Sed tandem ob merita venerabilis Idæ denuo consecuta est misericordiam, & tunc gratias pro duplici miraculo Fratres reddiderunt altissimo Deo. Post modicum præfata puella, iterum recidivans, concepit & peperit; & ob hoc tertio cecidit in pristinas infirmitates, cui B. Ida tertio miserta fuit, & eam oratione facta pristinæ sanitati restituit. E

sanat surdã & mutam, *& ob peccata semel iterumque relapsam:*

7 Tandem venerabilis Ida, dum debile ac tenerum corpus suum vigiliis, jejuniis, atque orationibus continue castigasset, infirmari cœpit ac de die in diem nimium deficere; & sic ad finem quasi jam proximum tendebat. Audientes vero monachi de Wast, quod sanctissima mater eorum spiritualis ageret in extremis, cœperunt valde contristari de morte ipsius. Media igitur nocte Dominica, Idibus Aprilis, sacratissimæ Idæ spiritus carnis ergastulum deseruit, ac vitæ præsentis exuvias subiit, atque vitam possidendo perpetuam, jucunditatis amictum induere meruit.

ægra, *pie moritur 13 Aprilis,*

7 Tandem, ut justum fuerat, corpus gloriosæ Matronæ ante altare, non sine lacrymosis gemitibus, allatum est à Fratribus, ibique honorifice sepultum. Hunc etenim locum Dei famula vivens dilexit, nunc autem & mortua prodentibus miraculis munit ac protegit. Debiles namque sive infirmi, diversis languoribus obsessi, ad sepulcrum ejus venientes, si non hæsitant in fide, sanitatem reportant. Corpus autem beatissimæ Idæ post multa tempora illæsum inventum est, atque ab omnimoda corruptione alienum: ad cujus sepulcrum quidam obsessus liberatus est à demonio: similiter & quædam obsessa. Cuidam quoque viro, nomine Hugoni, eidem matronæ devotissimæ servienti, & passione febrium nimis afflicto, ob familiaritem & servitutem, quas illi in vita & post mortem sæpissime impenderat, gratiam sanitatis exhibuit; præstante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Deo Patre & Spiritu sancto vivit & regnat, Deus trinus & unus, per infinita secula seculorum. Amen.

claret miraculis: *corpus illæsũ reperitur.* F *sanantur energumeni* *& febricitãs.*

ANNOTATA.

a *Videtur potius per litteras aut nuntios missos ad S. Hugonem hæc peregisse.*

b *De Genepia & vico vicino Baseio, allodio B. Idæ, infra agemus.*

A

DE B. IDÆ REBUS GESTIS

Analecta ex variis auctoribus.

CAPUT I.

Beneficia ecclesiæ Lensiensi & Collegio Canonicorum præstita.

Lensiis ecclesia habuit Canonicorum collegium

1 LEnsium *sive* Lendium, *quod* Lenerise castrum *dixit Baldricus in Chronico Cameracensi l. 2 c. 22, est oppidum hodierna Artesia, quatuor Duaco & quinque Atrebato distans leucis, cum amplo territorio, antiquis Comitatu; qui ad jurisdictionem Comitum Boloniensium olim pertinuit, & ab Eustachio I Comite donatus est Lamberto, filio suo secundogenito; quo absque liberis anno* MLV *defuncto, Comitatus iste devenit in potestatem Eustachii secundi & B. Idæ ejus conjugis, qui Collegium Canonicorum Lendiensium prædiis ac privilegiis dotarunt; an etiam erexerint, videtur controverti. Iacobus Meyerus, lib. 2 Annalium Flandriæ, ad annum* MXXVIII *ista scribit:* Ecclesia Lensensis Sacerdotes habere cœpit Canonicos, unde hanc ibi memoriam leges: *anno 1028, constitutum,*

Anno milleno, ter deno, bis minus uno,

Hunc intrare chorum cœpit grex Canonicorum.

Meyerum sequitur Georgius Colvenerius, in suis ad Baldrici Chronicon Notis, & addit etiamnum esse Ecclesiam collegiatam simul & parochialem, in qua Decanus & duodecim sunt Canonici. *Baldricus solum scribit* haberi monasterium Canonicorum, ubi Sanctus quiescit Vulganius, *de quo agendum erit ad diem secundum Novembris. Scripsisse autem Baldricum librum* I *&* II *Chronici sui* sub finem vitæ Gerardi I Episcopi Cameracensis, circa annum MXL, *multis probat Colvenerius. Non reflexit animum ad ista Malbrancus, dum lib. 8 de Morinis cap. 49 scribit templum Deiparæ Virgini & simul Vulganio à B. Ida extructum & collegium Canonicorum fuisse institutum. Placet ejus verba adscribere:*

B

Malbranco dicitur ecclesia à B. Ida primò erecta

2 Ida, Eustachii Comitis uxor, animadvertit Lensium oppidum tenui admodum æde excoli: unde apud Eustachium maritum questa suaviter, dixit sibi in animo esse magnificum illic templum ad Deiparæ honorem exædificare. Non illubens annuit Eustachius, imo gratissimum esse sibi testatus est uxoris extraneæ animum, quo in mariti proprias ditiones ita piis monumentis adaugendas feratur. Quod magis Christianum possit excogitari connubium, quam ubi conjux, patria sua relicta, conjugis sui oppida & ditionem templis ornat & Sacerdotiis. Assurgit igitur Mariana basilica, & consummatam ut venit S. Lietbertus, Atrebatium & Camaracenorum Præsul, sacraturus, placuit Idæ & Eustachio Comitibus, S. Vulganium, cujus corpore potiuntur, alterum jungere templi Præsidem. Accedebat & aliud ad id præstandum non leve incitamentum, quod magnus ille quondam Cantorberiæ Anglicanæ Archipræsul, derelictis suis transmarinis, in Morinos Angelico monitu transfretasset, & Bononiensium septem annorum spatio egregie excoluisset; nec porro deseruisset, nisi cenodoxiæ, per nimiam miraculorum lucem insurgentis, metus, ad aliam eremum quærendam, propulisset. Hinc non mirum si ab Atrebatibus sacrum ejus corpus ad Lensiense oppidum, tamquam Bononici Principis Comitatum, transierit. Imo divina providentia factum forsan, ut Lensii dominatus transierit Bononiensibus. *Hæc uberi calamo Malbrancus de basilica erecta ad honorem Deiparæ Virginis & S. Vulganii Archipræsulis, quem alii potius* Confessorem *appellant. Si tamen Episcopus fuisset, ex iis censendus esset, qui, Anglo-Saxonibus adhuc idololatris Britanniam obtinentibus, in Cambriam sive Walliam*

C

ad honorem Deiparæ & S. Vulganii ibi quiescentis;

AUCTORE G. H.

confugerant, & inde in hasce partes transierant, uti latius diximus IV Februarii ad Vitam S. Lietphardi, etiam Episcopi Cantuariensis apud dictos Cambros, & inde in Belgium profecti, & martyrio coronati. Sed ad institutionem Canonicorum revertamur, quam ita prosequitur Malbrancus.

3 Eximius ecclesiæ splendor Idam ad ulteriora & meliora invitavitat, quæ ad illam insigni. Canonicorum collegio condecorandam. Confectis tabulis prædia & locupletes census attribuit, complura Sacerdotia instituendo, quibus præesset Decanus, à Canonicis ipsis ob vitæ probitatem & necessarias ad id muneris dotes deligendus. Lensio inerant duo minora sacraria; Divos Laurentium & Leodegarium Martyres in Præsidem suspicientia: eorum Episcopales reditus in Canonicorum usus ac dispositionem convertit Lietbertus Episcopus. Ceterum qui in Lensiensi ecclesia olim legebantur versus, temporis horum institutorem indices, hisce interpunctionibus sunt afficiendi: *& collegium Canonicorum additum,*

Anno milleno, ter deno bis, minus uno,

Hunc intrare chorum cœpit grex Canonicorum. *anno 1059.*

Comperio enim in libris editis id referri ad annum MXXVIII sic describentibus *ter deno, bis minus uno*; & male: cum satis appareat eo anno Idam necdum hanc lucis usuram hausisse, & necessario bis ter denos annos supra mille accipiendos, quos uno minus numerando annum MLIX comperies scilicet Ida, thalamos suos anno MLVII ineundo, & honorifico suo ingressu Lensium condecorando, jusserit eam condi basilicam, & biennio post collegium Canonicorum introduxerit. *Hæc Malbrancus subtiliter satis torquens antiquos illos versus. Arbitramur potius ecclesiam diu ante conditam fuisse, & ab Eustachio primo Comite Boloniensi & Lensiensi ejusque conjuge Mathilde collegium Canonicorum anno* MXXVIII *fuisse institutum. Movet nos ad id ita arbitrandum charta donationis Eustachii II & B. Idæ excusa à Miræo lib. I Diplomatum Belgicorum cap. 38 & contractius in Notitia Ecclesiarum Belgii cap. 101 unde ista hic damus quæ ad institutum pertinent, & sunt ejusmodi.* E

4 Ego Eustachius Boloniensium Comes, & uxor mea Ida, ecclesiam in loco isto, qui appellatur Lens, ab antecessoribus nostris honorifice constitutam, specialiter cupimus exaltare. In principio Fundationis, terris & libris & conditione liberali fuit dotata: sed præsumptio temeritatis & invidia diaboli ecclesiam cum libris, & privilegium cum signis comburens, annullare putavit universa. Sed quod delevit per invidiam, favente Deo & Domino Episcopo nostro Lietberto, volumus emendare per benevolentiam. Liberam igitur potestatem concedimus Canonicis assumendi quemcumque voluerint Advocatum, qui tamdiu & non ulterius eorum rebus vel eorum causis præsit, quamdiu eis placuerit. Altaria etiam S. Mariæ & S. Laurentii ab omni servitute libera esse ostendimus. Et ut nostra ecclesia foret æqualis aliis, quæ gaudent dote libertatis, scilicet S. Mariæ Atrebatensis & S. Gaugerici Cameracensis, multum laboravimus, &, Deo gratias, laudante Lietberto Episcopo, ad finem perduximus... Anno ab Incarnatione Domini MLXX, Indictione VIII, in basilica S. Mariæ hæc peregimus. *Hæc ibi, ex quibus liquet* ecclesiam ab antecessoribus fuisse constitutam, *sed invidia malevolorum combustam, ab Eustachio & B. Ida emendatam & restauratam, & denuo dedicatam: uti S. Lietbertus in subjuncto diplomate indicat his verbis:* Ego Lietbertus Dei gratia Episcopus Cameracēsis, justis petitionibus Comitis Eustachii & uxoris ejus Idæ Comitissæ, Ecclesiam, quam apud Lens in honore Sanctæ Dei Genitricis, Dei cooperante misericordia, consecravimus, & ejusdem loci Canonicorum sustentationem sive gubernationem, ab omni exactione Episcopi & ministrorum ejus, censu videlicet

sed ecclesia olim constructa fuit, F *dein incensa,* *& anno 1070 ab Eustachio & B. Ida restaurata;* *& à S. Lietberto Episcopo consecrata.*

AUCTORE G. H.

licet vel reditu, amodo liberam esse permittimus. Et si quid amplius libertatis Ecclesia S. Gaugerici Cameracensis, imo Ecclesia S. Mariæ Atrebatensis habere dignoscuntur, ipsi Lensenses Canonici simili pace sua possideant. Actum apud Lens in basilica S. Mariæ anno MLXX Indictione VIII. *Reliqua cum subscriptionibus apud Miræum legi possunt, potissimum confirmatio redituum & possessionum, quæ ad dictam Ecclesiam pertinent.*

CAPUT II.

Monasteria in Comitatu Boloniensi extructa & restaurata, Monasterium Capellæ fundatum.

Monasteria à B. Ida erecta aut restaurata,

5 De *monasterio S. Vulmari, intra muros Bononienses à B. Ida jam tum vidua erecto; & alio monasterio S. Vulmari in Nemore restaurato, supra egimus. Hisce tertium additur* Wastense *monasterium, ab ea constructum, & S. Michaëli sacratum, ubi & sepulturæ mandata est. Malbrancus lib. 9 de Morinis cap. 35 asserit se ibidem fuisse, &* leucis binis Bononia dissitum esse Wisantum versus, *&* Wasconvillare *olim dictum; sed aberrat, dum Canonicorum collegium fuisse scribit. Fuit monasterium Benedictinum, secundum reformationem Cluniacensem, monachis ab ipso Cluniaco à S. Hugone Abbate transmissis: uti auctor Vitæ, qui nobis VVastensis fuisse videtur, multis explicat.*

B

6 *Quartum ab eadem similiter vidua constructum est monasterium S. Mariæ de Capella dictum, in quo vitam hanc mortalem exuit, ad meliorem migratura. Ioannes Iperius, in Chronico Bertiniano capitulo 39 par. 2, hanc fundationem tribuit Eustachio & B. Idæ, quasi adhuc ille anno MXC vixisset. Verba ejus sunt ista.* Anno Domini MXC, Eustachius Boloniæ Comes & uxor ejus Ida, parentes & genitores illius clarissimi & illustrissimi Godefridi de Bullione, ac Balduini, postea Regum Jerusalem, fundaverunt monasterium B. Mariæ de Capella, in terra de Merck, juxta Calesium, in loco qui prius dicebatur Brocham, & monachis Hamensibus instituerunt: ubi & ipsa Ida Comitissa undecim de capillis B. Mariæ Virginis, quos ab Hastulpho Hibero Rege magnis precibus impetravit, cum aliis Sanctorum reliquiis ibidem obtulit. *Hæc Ioannes Iperius, Abbas S. Bertini creatus anno MCCCLXIX, mortuus MCCCLXXX: quo ducentis annis senior Lambertus Ardrensis, adscribit eam fundationem B. Idæ viduæ in suo Chronico Ghisnensi, cujus hactenus inediti capiti 31 hic præfigitur titulus:* Quomodo Ida Boloniensis Comitissa fundavit monasterium B. Mariæ de Capella: *& cum cap. 30 actum fuisset de Andrensi cœnobio, à Balduino Comite Ghisnensi instaurato, ista dicto cap. 31 referuntur.*

monasterium B. Mariæ de Capella male tribuitur Eustachio,

C

7 Unde ad tam piæ operationis imitationem Lothariæ Ducis Godefridi quondam filia, Boloniensis Comitis Eustachii quandoque vidua, Godefridi & Balduini (in Judææ regno, sancta Hierosolymorum civitate ab Arabicis & Saracenis aliisque gentibus alienigenis & incredulis, in manu forti & brachio extenso cum Antiochia viriliter expugnata, penitus liberata, Regum Hierosolymorum) & Eustachii nobilissimi Boloniæ Comitis mater, nomine & vitæ sanctitate venerabilis Ida, Boloniensis Comitissa, in confinio Mercuritii, in villa Brucham olim nominata, sub honore beatæ & gloriosæ semperque Virginis Mariæ fundavit ecclesiam, & insigne religionis monasterium instauravit: & in eadem ecclesia, quos ab Hibero Rege Anstulpho, non sine maximo labore & studii diligentia, perquisierat & impetraverat ejusdem beatæ Virginis Mariæ, super aurum & lapidem pretiosum, pretiosissimos undecim recondidit capillos & collocavit, & cum aliis innumerabilibus Sanctorum Reliquiis, sancto loco oblatos, præ omnibus instituit honorari: simulque agium monachorum conventum ex Hamensi monasterio, ab Engelrammo Lileriensi Domino nuper constructo, cum venerabili viro Ravengero Abbate sumptum, aliosque honestæ & religiosæ vitæ Fratres, in memoriam sanctæ Dei Genitricis semperque Virginis Mariæ & venerationem in perpetuum extollendam, perenni Deo, perenniter & jugiter servituros, instituit, & in præparatum Dei introduxit habitaculum. Hic siquidem locus S. Mariæ celeberrimus, dum nova adhuc & tenera Sanctæ religionis ibi pullularet infantia, virtutibus insignis, miraculorum frequentia gloriosus, caritate & religione sanctissimus, rerum abundantia admodum locupletatus, personis morum compositione & liberalium artium, non minus quam Theologicæ Scripturæ informatione, cujuslibet honoris sublimatione & prælatione dignis, abundantissimus, famæ (absit omnis invidiæ lividitas) præconio nominatissimus, omnibus locis eminebat, & præeminebat adjacentibus: utpote quem divina indesinenter sua Deus illustravit præsentia, & quem ea, qua olim perfusa est beata Virgo, cælesti visitavit gratia, & pie poscentibus ibi innumera præstitit beneficia.

eum sit conditum à B. Ida vidua,

D

ad honorem B. Mariæ ibidem miraculis clara,

E

8 Tanti ergo nominis & venerationis fuisse creditur locus ille, quod quidam adjacentis terræ nobiles, aliique Christi fideles populi, si quas habebant ecclesiolas, vel alia aliqua ecclesiastica beneficia, vel etiam prædiola, aut eidem loco ex integro & toto conferre, aut aliquo subjectionis titulo innodare & subjugare satagebant; putantes & reputantes, imo pro certo credentes & agnoscentes, suas ecclesiolas liberiore stare & militare proventu, si tam sancto & venerabili loco aliquo subjectionis nodo subjicerentur, quam si in propria qualicumque, prout constitutæ sunt, libertate persisterent & permanerent: sic enim ipsis & hoc ipsum adjudicantibus meliori nomine militarent, & amplioris titulo auctoritatis radiarent. Locus enim ille ab omni turpitudinis & exactionis & indebitæ consuetudinis objectu liberrimus esse cognoscitur. Unde & Capella dicitur, Capella, inquam, Summi Pontificis, videlicet Domini Papæ, in honore B. Mariæ Virginis constructa. In cujus libertatis auctoritatem & memoriam, illius liberi loci ecclesia singulis annis Ecclesiæ Romanæ debet duodecim denarios; quos simul collectos per quinquennium vel decennium, Abbas loci illius sanctissimi mittit Romam, ad suæ libertatis, ut diximus, cognitionem. Habet autem Abbas illius loci in Romana Ecclesia talem dignitatem; quod si ipsum Abbatem in Romana Ecclesia ad Missam Domini Papæ præsentem esse contigerit, librum tenere debet Subdiaconi, dum idem Subdiaconus epistolam pronuntiaverit. Sed ne in dispendium, Militibus nostris murmurantibus, verba protrahamus, de hoc Sanctissimo loco & monachis inhabitantibus religiosis hoc tantillum dixisse sufficiat, quousque majori & ferventiori studio, loco & tempore ad alia quædam interserenda, ad ipsos scriptoriam pennam convertamus. *Hæc ibi: & mox capite 32 agitur de constructione Ardensis Ecclesiæ, & ad imitationem præponitur*, monasterium B. Mariæ de Capella ab Ida Boloniensi Comitissa ædificatum, *ubi sub finem dicitur*, Ecclesia B. Mariæ de Capella fundata, anno MXCI.

& variis possessionibus aucta,

Capellaque Summi Pontificis dicta,

F

9 *Est vetustissimum & nobile monasterium Ordinis B. Benedicti, in Marchia pagi Pictonici situm, Carofum S. Salvatoris ex quo dictus supra Engelrammus, Dominus Lileriensis, monachos adduxit, & in monasterio Hamensi, circa annum*

fundata anno 1090

annum MLXXXIV inter Lilerium & Aeriam constructo, collocavit. Hinc vero assumptus Ravengerus cum aliquot monachis, primus constitutus est Abbas S. Mariæ de Capella, & donationi Manassis Comitis Gisnensis, factæ monasterio Andrensi, subscripsit anno MXCVII, apud citatum ante Du-Chesne pag. 38, ex relatione Willelmi Abbatis in Historia Andrensi. Inter successores fuit Theodericus, qui à Balduino Domino Ardrensi ecclesiam Ardrensem cum collegio Canonicorum anno MCXLIV accepit, ita ut mortuo aliquo ex dictæ ecclesiæ Canonicis aut Clericis substitueretur monachus: deinde etiam ab eodem Domino Balduino emit molendinum de Bramis cum adiacentibus terris, in quibus Cellam monachorum constituit, eisque Caradochum primum Priorem constituit, postea in Ecclesia S. Mariæ de Capella Abbatem. Quæ omnia late describit Lambertus, memorati Domini Ardrensis filius, ac Presbyter Ecclesiæ Ardrensis, in sua Historia Ghisnensi cap. 137 & tribus sequentibus, & ex eo Du-Chesne pag. 1609 & sequentibus. Fuerunt hæc accuratius deducenda contra Iperium, cujus errores Meyerus, Miræus, Malbrancus & alii descripserunt: & confirmanda erat auctoritas Scriptoris, qui monasterium B. Mariæ de Capella, supra in Vita, asserit à B. Ida vidua constructum fuisse. Munus undecim capillorum deiparæ Virginis à B. Ida donatum ecclesiæ Capellæ, acceptum erat ab Hibero Rege Anseulpho, Iperio Hastulpho, Malbranco lib. 8 cap. 80 Haistulpho Hibernorum Rege. Porro plures tunc adhuc in Hibernia dominabantur Reges, postea sub annum MCLXXII ab Anglis subacti: nomen tamen adeo manifeste & Gotthicum, ut longe consultius videatur intelligere aliquem istius nationis Regulum, in Iberia sive Hispania. Situm fuisse monasterium Capellæ tradit Malbrancus, Markium inter & Scalas, sequenti seculo Calisium dictum, in prædio juris Bononici Broucham appellato, Markiensis territorii: at Lamberto Ardrensi ponitur in confiniis Mercuritii. In generali registro beneficiorum Diœcesium Gallicanarum, in diœcesi Boloniensi memorantur pag. 10 collationes seu præsentationes Curatorum vndecim, & Capellaniarum novem ab Abbate de Capella dependentes: inter quas sunt capellaniæ ecclesiarum Ardrensis, Ogensis & Markiensis, è quibus optime colligitur, quod antiquus hujus monasterii situs fuerit, per continua inter Anglos & Francos bella mutatus.

A — *Abbates Ravengerus, Theodericus, Caradochus,* B — *Situs monasterii, collationes beneficiorum,*

CAPUT III.

Varia beneficia præstita monasteriis, Bulloniensi, Affligemensi, Bertimano & Lensiensi. Visa in extasi Hierosolyma capta.

10 Godefridus Barbatus, Dux Lotharingiæ & pater B. Idæ fundarat olim Prioratum S. Petri in municipio suo Bulloniensi, acceptis monachis è cœnobio S. Huberti. Adjunxit aliquam dotem Godefridus Bullonius, charta donationis signata Bulonii anno MXCIV, à Miræo in Codice Donationum cap. 67 & Notitia Ecclesiarum Belgicarum cap. 11, vulgata: in qua ista habet Godefridus: Hanc meam intentionem cum retulissem matri meæ Idæ, prædicti Ducis filiæ, & fratribus meis Balduino & Eustachio; eorum deinde consilio & consensu voluntario, ecclesiam nostram, nostri proprii & hereditarii juris de Baseio, destinavimus & donavimus ad augmentum prædictæ eleemosynæ avi mei Godefridi, donandam perpetualiter B. Petro & B. Huberto. Quod donum ut ratum & firmum esset, eamdem matrem & fratres meos mecum Bulonium duxi, & in præsentia Optimatum meorum, vestituram prædictæ ecclesiæ in Baseio, sine ulla calumnia & contradictione, simul deposuimus super altare B. Petri. Est dictum Baseium vicus Gallo-Brabantiæ, versus Comitatum Namurcensem, vulgo Basy, in territorio Genapiensi ad fluvium Tiliam; in quo vico diximus supra credi ab incolis Godefridum Bullonium natum fuisse & educatum. Ipsa autem Genapia, seu Genapum, Nivellam inter & Gemblacum, illustre satis municipium cum veteri arce, ubi forum est sive tribunal, quod vulgo dicitur summa Curia Lotharingiæ, in qua administrari solet justitia tam in civilibus & capitalibus, quam in clientelaribus causis, & repræsentat adhuc aliquam speciem Lotharingiæ inferioris. Hujus loci decimas concessit B. Ida monasterio Affligemiensi, in eadem Brabantia Bruxellas inter & Alostum sito: cujus donationis chartam edidit Miræus in Codice Donationum cap. 68 & in Notitia Ecclesiarum Belgii cap. 119: ex qua hæc excerpimus.

C — *B. Ida consensit in dote à filio facta monasterio Bulloniensi anno 1094,*

11 Ego Ida Boloniensis Comitissa, humilis Christi ancilla, notum fieri cupio tam præsentibus quam futuris, signum meæ dilectionis erga Dominos meos & Fratres, videlicet monachos Novi-monasterii, cui vocabulum Hafflingem inditum erat ab antiquis. Quoniam quidem mihi multisque eorum complacuit conversatio & religionis affectus, dignum duxi me commendare talium orationibus, nec in incerto divitiarum sperare, sed has potius cum eis participare. Igitur in allodio meo & villa quæ vocatur Genapia, pro salute animæ meæ, patris quoque mei Ducis Godefridi, & Comitis Eustachii Domini mei, ecclesiam cum decimis & universis ejus reditibus, perpetuo jure tenendam dedi supra dictis Fratribus, in idipsum filiis meis Godefrido, Eustachio & Balduino mihi cooperantibus. Filius quoque meus Dux Godefridus in eadem villa Genapia quinque mansos terræ donavit iisdem Fratribus, ad quos ego postea in augmentum concessi quasdam partes circumjacentes, plane sextum mansum continentes, ab omni comitatu & censu tributario liberos & expertes. Insuper autem quidquid sibi vendicabant, quippe quod à prioris doni tempore possederant, sive in silvis, sive in pascuis, sive in satis, eis concessi eadem libertate qua tenui: sed & omne participium in silva & reliquo usuario communi, in hoc nihilominus meis filiis consentientibus mihi. Factum est autem apud Trajectum in ecclesia S. Servatii Confessoris, præsentibus etiam reliquiis S. Gertrudis, pro simili negotio illuc tunc allatis;.. anno Incarnationis Domini MXCVI, anno profectionis Christianorum contra Paganos Jerusalem.

dotat Affligemiense monasterium anno 1096,

12 Cum paullatim majore senio gravaretur B. Ida, non destitit piis operibus insistere, sed merita sua auctura, dotavit S. Bertini monasterium: cujus oblationis chartam edidit Miræus in Codice Donationum cap. 70, & contractius in Notitia Ecclesiarum Belgii cap. 121. Ex priori hic inserimus quæ sequuntur. Cum constet unicuique incerta & imminens mors; quam necessarium nobis sit, saluti nostræ, bonis operibus eleemosynarumque largitionibus insistendo, consulere, quotidianus mundanæ rei defectus satis ostendit. Vnde ego Ida, Boloniensium Dei gratia Comitissa, notifico tam futuris quam præsentibus quibuslibet, quod ob salutem animæ meæ, nec non pro anima Domini mei Comitis Eustachii, & pro incolumitate filiorum meorum Eustachii, Godefridi & Balduini (qui contra Paganorum incursus ex præcepto Apostolico Hierosolymam profecti sunt) omnes consuetudines & comitatum, & quidquid ad me pertinebat de terra, quam Ondigir & Berewoldus Deo & S. Bertino ad eleemosynam pauperum tradiderunt, Domno Lamberto Abbati de cœnobio ejusdem Christi Confessoris Bertini & Fratribus ibidem Deo servientibus perpetuo possidendas concesserim, ea videlicet ratione, ut nullus de heredibus prædictorum virorum de terra illa amplius usurpare audeat, nec Comes Boloniensis, neque quisquam ex parte, ejus de consuetudinibus seu comitatu illius aliquid exigere; sed libera & quieta ad usus pauperum in perpetuum

& monasterium S. Bertinianum 1098.

AUCTORE G. H.

petuum permaneat. Actum in villa Merck, anno Dominicæ Incarnationis MXCVIII. Signum Idæ gloriosæ Comitissæ...

13 *Prævaluerunt arma filiorum in Terra-sancta*, B. Idæ parente ardentissimis precibus bellicum illorum negotium commendante, & è Morinis spectante, *uti è tabulis monasterii S. Vulmari explicat Malbrancus lib. 9 de Morinis cap. 6 suis verbis*: Quod insinuatum est de Ida matre sanctissima, planius edisserendum. Cum ipsa parvum Saulmerium, ut vocant, id est parvum cœnobium, quasi à majore S. Vulmari appendicem, exædificasset; & assumptis ab illo monachis egregiam adscripsisset dotem, curavit illud superiore vel hujus anni MXCIX prioribus mensibus, per Gerardum Taruannensem Episcopum, Divæ Virgini lamentabundæ seu dolorosæ sacrari... Igitur in illo dolorosæ Virginis peculiari sacrario B. Ida dies precibus extrahit; & apud Divam Matrem & S. Vulmarum loci præsides, rem filii Godefridi bellicam agit ardentissime. Qui sane bonam feminæ mentem non sunt frustrati; sed effecere, ut inter precandum in extasin rapta, quodammodo cerneret Godefridum filium è castello ligneo suos animantem, tela in hostes creberrima ejaculantem, heroica impressione primum omnium mœnia conscendentem: denique dici posset omnium quæ illic gestæ sunt rerum, ad prolem spectantium, species ei cælitus tanto terrarum intervallo fuisse objectas. Nam cum jam ab annis compluribus Bononiæ versarer, in eo Divæ Virginis & S. Vulmari sacrario comperi in tabula exaratum. [Hic Idam, dum sacris interesset mysteriis, vidisse filium Godefridum Hierosolymam, eximio stratagemate ac viribus heroicis, invadentem; nec non in Regem Hierosolymæ coronatum]. Quæ cum diversis temporibus peracta sint, videntur media & adjuncta etiam sub ejus mentis oculos cecidisse. *Deinde cap. 8 de Godefrido in Regem coronato agit, & de B. Ida ista addit.* Etsi id intra templi Hierosolymitani septa gereretur, in extremos hominum Morinos Regius ille apparatus, & Regii diadematis pia aspernatio perlata sunt ad oculos Idæ, matris sanctissimæ, sacris Missæ ritibus operam dantis, in novo illo Vulmarensium ascetarum, lamentabundæ Virgini obsequentium, monasterio.

Extruit Saulmerium anno 1079. — *in sacello Deiparæ dolorosæ* — *dicitur in extasi vidisse Hierosolymam intercipi* — B — D — *& filium in Regem coronari;*

14 *Mortuo anno 1100 Godefrido Rege in ejus locum subrogatus est Balduinus, alter B. Idæ filius: dein tertius Eustachius reversus est ad B. Idam matrem suam & Comitatum Boloniensem: qui curavit à Lamberto Atrebatensi Episcopo Lensensium Canonicorum collegium, adstipulante B. Ida matre, confirmari. Diploma Episcopi ex MSS. monumentis Lensiensibus excudit Malbrancus in scholiis ad caput 16 libri 9. hoc exordio.* Ego Lambertus, Dei miseratione Episcopus Atrebatensis, justis & honestis petitionibus honorabilis Comitis Eustachii & nobilis ejus uxoris Mariæ Comitissæ, nec non & Matris prædicti Comitis, Idæ religiosæ Comitissæ acquiescens, quod à ministerio nostro exigunt, scire volumus tam præsentibus quam futuris filiis nostris, in libertate spiritus Lensiensi Ecclesiæ & Canonicis ejusdem Ecclesiæ, ex petitione prædictarum personarum, ratum & stabile perenni tempore per nostræ auctoritatis privilegium confirmasse... Datum Atrebati, anno Dei Christi MCVI, Indictione XIV, VII Idus Junii. anno Pontificatus Domini Lamberti Episcopi Atrebatensis XII, regnante Philippo Rege in Francia, Roberto Juniore Comite Flandriæ, Eustachio Comite Bononiensium & Lensiensium.

anno 1106 petit ab Eustachio filio confirmari beneficia Lensiensis Ecclesiæ — E

DE S. CARADOCO PRESBYTERO,

EREMITA IN VVALLIA AVSTRALI.

G. H.

ANNO MCXXIV.



Ritanniam Transsabrinam, quam Romani, quia posterius occupaverant, Britanniam secundam dixerunt, à Siluribus, Dimetis & Ordovicibus habitatam, Anglo-Saxones appellarunt Britonum Sedem & Cambriam; nunc passim VValliam nuncupamus, duodecim Comitatus seu provincias hoc tempore adhuc continentem. In hujus VValliæ parte Australi vitam suam peregit* S. Caradocus Presbyter & anachoreta, *natus in provincia Brechinia, quam incolæ Breghennock seu Brechnock-Shire vocitant. At litterarum studiis excultus, vixit in aula* Resi Soutwalliæ Principis, *ubi canum leporariorum curam suscepit. Meminit* Resi *Silvester Giraldus, lib. 1 Itinerarii Cambriæ cap. 11 & 12, asseritque patre Theodoro Principe natum, & dolo suorum apud Breghennock interemptum esse, relictis Gruffino filio (ex quo alius est Resus prognatus) & Nesta filia; ex qua Henricus primus Angliæ Rex filium genuit nomine Henricum, quam consentiente Rege postmodum Giraldus VVinsorius sibi uxorem accepit.* Porro S. Caradocus, *relicta* Resi *aula, discessit in Glamorganensem provinciam, & ad urbem Episcopalem Landaventsem, ad Taffam amnem, haud procul à mari sitam; ibique in ecclesia S. Theliai Episcopi, cujus Acta illustravimus ad diem IX Februarii, aliquamdiu Deo servivit, in Orientali dicta provincia parte: unde in Occidentalem partem profectus, in Chersoneso Gowerica vixit in S. Kinethi ecclesia seu capella, quam etiamnum in suis mappis Cambdenus exhibet, de qua latius agendum erit Kalendis Augusti, quo die colitur S. Kinethus.*

C — *S. Caradocus in Brechinia natus, servit Reso Principi, degit in ecclesia S. Theliai & S. Kinethi.*

2 *Inspiratione Anglica commotus dein* S. Caradocus, *in provinciam Penbrochiam migravit, & ab Episcopo urbis Meneviensis (quam modo S. Davidis, cujus Acta dedimus Kalendis Martii, appellamus) Sacerdos consecratus, partim ibi, partim in aliqua insula vixit: sed à piratis vexatus, ab Episcopo ad monasterium S. Ismaëlis missus, in regiuncula Rossensi reliquum vitæ tempus exegit. Aliqua quæ tunc ibidem contigerunt, ita narrat Giraldus cap. 11.* Hoc autem mihi notabile videtur, quod ad prædicti loci Castellanum Richardum, scilicet Tangardi filium, cum tamen fratres habuerit plurimos & probos, & omnium junior extiterit, præmortuis aliis, universa est hereditas devoluta. Contigit autem prædicto Richardo pueriles annos agente, virum sanctum, cui nomen Caradocus, apud S. Ismaël in Rosensi provincia eremiticam & sanctam vitam ducere, ad quem puer tam à patre sæpe quam à matre transmissus, cibariorum xenia quia frequenter ferre consueverat, tantam in oculis viri boni gratiam obtinuit, ut ei sæpissime cum sua benedictione fratrum omnium felicitatem & paternam hereditatem compromitteret. Accidit autem aliquando prædictum Richardum ob pluviam inundantem ad domum eremiticam divertisse; & cum canes, quos secum ad venatum adduxerat, nec vocatione, nec adulatione, nec etiam oblatione ad se introducere posset; subridens vir sanctus, & ipsis manu leniter annuens, statim ad se venientes cunctos suscepit. *Hæc ibi.*

Sacerdos Meneviæ factus, ab alienis vitiis in S. Ismaëlis monasterio: — F — *Richardo Castellano, prædicit successionem.* — *canes sibi nutu et facil obedire.*

3 *Mortuus est S. Caradocus anno Christi* MCXXIV, *die Dominica in Octava Paschatis, quæ eo anno incidit in diem XIII Aprilis; & ipsum Pascha celebratum est die VI Aprilis, cyclo Lunæ IV, Solis XIII, litteris Dominicalibus F E. De ejus sepultura ista commemorat dictus Giraldus:* Processu vero temporis, cum diem Caradocus jam clausisset extremum, & vitæ labentis cursum fine felici consummasset; corpus suum, quod libero postremæ volup-

moritur Dominica in Albis an. 1124. 13 Ap.

-voluntatis stylo Menevensi Ecclesiæ delegaverat, Richardi pater Tankardus violenta præsumptione detinuit: sed statim ægritudine gravi correptus, mandatum ocius revocavit. Cum itaque semel & iterum hoc ei contigisset, tertio tam morbo laxato quam mandato, cum corpus versus Meneviam per sibulum de Nimegal deferretur, & exuberantem in pluviam nube resoluta, totoque comitatu pluvia perfuso, sacræ vecturæ duces à latebris exeuntes, pallam sericam, qua feretrum opertum fuerat, ab omni imbriũ madore indemnem reperiunt & immunem. Et sic Meneviam corpus allatum, crebra miraculorum tam præsentium quam sequentium quoque coruscatione, in ecclesiam S. Andreæ & S. David, ala sinistra, juxta altare sancti Protomartyris Stephani, debita est celebritate tumulatum. *Hac Giraldus, Menevensis & Brechenocensis Archidiaconus, qui eodem adhuc seculo XII & initio sequentis floruit & scripsit. Nec dubitamus, quin usus fuerit antiquis Vita Actis tunc adhuc extantibus: ex quibus etiam potuit excerpsisse Ioannes Capgravius suum Vita compendium, quod subjicimus, editum ab ipso in Legenda Angliæ, anno* MDXVI *Londini excusa. Nicolaus Harpsfeldius, seculo 12 Historia Ecclesiastica Anglicana cap. 46, asserit*, multis & elegantibus scriptis Giraldum nomen suum apud posteros illustravisse: inter quæ vitam Ethelberti martyris, David Menevensis, Remigii & Hugonis Licolniensis Episcoporum, & Caradoci Presbyteri & eremitæ conscripsit. *Meminit harum Vitarum Ioannes Pitseus libro de Scriptoribus Angliæ, & librum unum ait à Giraldo scriptum* de Vita Carodoci Presbyteri. *Interim Harpsfeldius Compendium Vitæ tradit ex Itinerario Giraldi & Legenda Capgravii. Michaël Alfordus, tomo 4 Annalium Ecclesiæ Anglicanæ ad annum 1124 num. 4, 5 & 6, de S. Carodoco egit, ac sua ex Capgravio, Giraldo & Harpsfeldio deprompsit. Menardus in Martyrologio Benedictino S. Caradocum inscripsit ad diem* XXXI *Ianuarii his verbis:* In territorio Roffensi S. Caradoci Confessoris, *& libro 2 Observationum aliqua ex Harpsfeldio descripta tradit: quo & Menardo citatis, majus encomium confecit Gabriel Bucelinus in suo Menologio Benedictino: sed qua auctoritate ambo eum retulerint ad* XXXI *Ianuarii aut ordini Benedictino adscripserint, non indicant.*

A — *sepulturam impediens tertio punitur.* — *palla serica tegens feretrum, à pluvia est immunis.* — *Vita compendium ex Capgravio,* — B — *an major Scripta à Giraldo,* — *Meminerunt alii.*

VITÆ COMPENDIUM.

Ex Legenda Ioannis Capgravii.

C — *S. Caradocus nobilis Cambur* 1 AMicus Dei Caradocus, de Cambria oriundus, & de provincia Breghennoc, parentibus nõ infimis propagatus, originalem lineam duxit: & litterarum studiis deditus, dum virgam timuit & verba doctorum, non parum in doctrina profecit. Demum relictis litterarum disciplinis, curiam Resi Soutwalliæ Principis adiens, ejus se famulatui subjicere curavit. Princeps autem ipsum magno diligens affectu, duorum leporariorum, quos diligebat, ei custodiam assignavit. Erat enim affabilis, liberalis, & morigeratus: in lyra quoque & musicis instrumentis plurimum doctus erat. Cumque aliquamdiu in obsequiis illius Principis devotus & sedulus extitisset; Domino disponente contigit, ut dictos leporarios casu fortuito amitteret: quatenus electus ejus ad utiliora & quæ sunt appetibilia, tali relicta vanitate, transiret. Unde Princeps & dominus ejus, valde offensus membrorum, mutilationem & mortem ei minabatur. Cui & Caradocus respondit: Si longa & laboriosa servitia mea adeo parvipenduntur, sicut ex verbis istis evidenter apparet; illi de cetero Principi labores meos & obsequium impendam, qui mercedem uberem pro labore modico donare novit: qui canes hominibus non anteponit; nec morte, sed vita æterna suos remunerat servitores. Nec mora: de lancea sua sibi baculum faciens, votum Deo vovit, quod ab illo die & deinceps vitam cœlibem duceret & monachalem.

in aula vixit musica peritus, — *ob amissos canes Principis dissedit:* — EX IOAN. CAPGRAV. — *vovet vitam monachalē:*

2 Assumptis autem secum quibusdam sociis, versus Landavensem Ecclesiam & ejus Episcopum iter dirigit. Et cum per montana pergens victualibus careret, Dominus, qui suos in necessitate non deserit famulos, victualia sufficienter & abunde providit. Capream enim sagitta transfixam invenientes, absque difficultate ceperunt, & cibum inde illis paraverunt. Veniens itaque Caradocus ad Episcopum, coronam clericalem ab ipso suscepit: & in ecclesia Sancti Theliai aliquanto tempore Deo servivit. Videns tandem locum illum, propter nimiam hominum frequentiam, religioni suæ & proposito minus accommodum; inde secedens, ad ecclesiam Sancti Kinedi accessit, quæ tunc quasi deserta fuit. Casa igitur juxta cœmiterium ædificata, spinis ac tribulis non sine labore grandi locum purgans, vix post triduum ecclesiam introire valebat. Sic etiam olim contigit apud Meneviam. Cum enim urbs Menevensis per piratas, ab insulis Orcadum longis navibus advectos, exigentibus incolarum peccatis, crebra infestatione per septennium fere desolata fuisset; Sacerdos quidam religiosus, spinas & tribulos extirpando, ad tumbam sancti Confessoris David vix septimo die pervenit.

divinitus cibum impetrat: — *degit in ecclesia S. Theliai,* — *postea in S. Kinethi,* — E

3 Cum autem Caradocus monasterium illud laudabili conversatione aliquamdiu illustrasset, apparuit ei Angelus Domini dicens; Frater Caradoce, non hic diu habitare, nec vitæ cursum juxta propositum tuum, Deo aliter disponente, hic adimplere debes: Ecclesia namque Menevensis & vita tua & morte decorabitur. Veniens ergo Meneviam, infra tempus breve ad Sacerdotium meruit promoveri. Et cum de virtute in virtutem excresceret, puellam quamdam tumore horribili & hydropico turgentem, manu tangens, evanescente statim tam languore quam tumore, plenæ restituit sanitati. Cœmentarios & operarios cujusdam suæ ecclesiæ, quadam sexta feria, de paucis pisciculis refecit. Oblatis ei duodecim halecibus, cuidam eleemosynam petenti, cum aliud ad manum non haberet, cum servo suo illos dare jussisset, & ille tardaret; ecce alius adveniens, duodecim denarios ei dedit, quos simul cum halecibus pauperi hilari vultu erogavit, dicens: Accipe donum Dei: non enim propter nos, ut æstimo, sed magis propter te nobis misit hoc Deus. Vespere vero minister adveniens, haleces ubi prius repositi erant, invenit.

fit Sacerdos, — *hydropicam sanat,* — *multos paucis piscibus reficit,* — *haleces pauperi datas in penu reperit:* — F

4 Cum autem post hæc in insula, nomine Arii, Deo devotum præstaret obsequium, Norwagenses piratæ supervenientes, ipsum & socios suos rapiunt, & ad naves secum adducunt: Austro autem ad vota flante nocte tota velificantes, mane juxta insulam se esse viderunt. Quo viso, barbari & increduli, pavore & horrore percussi, virum sanctum cum suis ad terram dimiserunt. Cumque socios suos ad terram de Insula misisset; affuit ei sathanas & visibiliter in forma humana apparuit; cui & ait: Quid me, miser, persequeris in vanum? Nihil in me per Dei gratiam reperies. Et dæmon: Ne solus hic remaneres, & absque servitore, certe tibi serviturus accessi, non rogatus. Vade, inquit vir Dei, sathana, humani generis inimice, quia non curo servitia tua. Iterum, cum magno vir sanctus manuum labore fatigatus, tunicam exueret, zonamque projiceret, affuit sathan, & zonam cum marsupio furtim abstulit. Expedito autem labore zonam quærens, & nequaquam invenire valens; vidit malignum non longe joculantem & saltantem, & Num tu, inquit, miser, quæ amissa

à Norwegis abductus, — *eisdem divinitus impeditis restituitur:* — *dæmonem offerentem se in famulum abigit:* — *& furreptam zonam cogit restituere:*

EX IOAN. CAPGRAV.

amissa sunt asportasti ? Adjuro te per nomen Domini, quatenus ablata restituas, licet invitus. Et factum est ita.

habitat in monast. rio S. Ismaëlis

5 Cumque in illa insula, propter irruptiones barbarorum, amplius manere non posset; assignavit ei Episcopus Menevensis monasterium S. Ismaëlis in Rosensi provincia, vulgariter Ysam vocatum. Ubi cum aliquamdiu moram trahendo Deo famularetur, supervenerunt Flandrenses viri, armis robusti, ab Anglorum Rege Henrico primo cum uxoribus & liberis illuc transmissi: qui expulsis Wallensibus terram inhabitare cœperunt. Qui cum incolas regionis expulissent, Caradocum modis omnibus ejicere nitebantur. Unde cum quidam crudelis, nomine Richardus Tanchard, oves ejus & armenta, de quorum lacte pauperes recreare solebat, biduo inclusa retinuisset; commotus inde vir Dei, ad Deum preces fudit; quatenus crudelitas hæc & obstinatio diu impunita non maneret. Nec mora: supervenit uxor ejusdem viri, virum sanctum suppliciter rogans, quatenus pro inopinato juvenis casu divinum auxilium implorare dignaretur: nam subito quasi in terram corruerat, quasi ad mortem. Cumque ad preces Sancti convaluisset, & in nullo humiliatus nec correctus esset; dum venationi intenderet: cervus quidam usque ad maris ripam ipsum præcedens; & ipse calcaribus equum urgens, à rupe quadam in præcipitium se dedit & continuo expiravit: nec de cervo, nec de corpore juvenis quidquam postea inveniri potuit.

ob oves & armenta furta ablata,

punitur.

B

D

mare precibus removet;

6 De monasterio autem Sancti Ismaëlis per spatium stadiorum septem ad preces Sancti Caradoci mare se retrahens, viam viro Dei siccam dedit. Cum quodam Paschali tempore ministerio altaris se pararet, ecce viri duo, stolis induti, mensam auream deferentes, ad ipsum introire visi sunt: & erat scriptum in mensa, Sequere nos: habemus enim cibum manducare, quem tu nescis. Perlecta autem scriptura, diem obitus sui imminere intellexit. Et volens diem scire, Quando, inquit, in convivio vestro cum fratribus meis epulabor? Ad cœnam, inquiunt, Agni providi: nihilque amplius adjicientes, recesserunt. Quarta vero postmodum feria febre correptus, fratribus ait: Scitote Fratres carissimi quod die Dominica anima mea, carnis ergastulo soluta, ad Dominum, quem dilexit & concupivit, migrabit. Obiit autem anno Domini millesimo centesimo vicesimo quarto; & in Menevensi ecclesia cum magno honore sepulturæ traditur.

obitum instantem cognoscit,

moritur anno 1124.

7 Post multos vero annos, cum corpus ejus, congregata multorum copia virorum, transferretur, incorruptum & incontaminatum repertum est. Cujus digitum cum Willelmus Malmesburiensis, monachus & historiographus insignis, devotionis gratia abscindere & secum forte auferre tentaret; Sanctus, quasi sentiens membrorum abscissionem, collectis in volam digitis & simul in palmam replicatis, manum manica subtraxit. Quo viso perterritus monachus, à Sancto humiliter veniam postulavit.

corpus incorruptum repertum, transfertur.

E

D. P.

DE B. IACOBO DE CERTALDO

MONACHO CAMALDULENSI VOLATERRIS IN ETRURIA

ANNO MCCXCII

Cultus B. Iacobi ex variis translationibus probatus,



Quoties Volaterranæ urbis Sancti nobis commemorandi veniunt, toties necesse est ut nobis laudandum veniat insigne studium, quo publica privataque omnia documenta & Sanctuaria scrutati Præsides, amplissimo commentario de iisdem confecto docuere, quidquid ad nostrum institutum spectare posse videbatur, exemplo à nobis ad diem III Februarii commendato, & posthac commendando sæpius atque aliis proponendo. In eo Commentario accurate explicantur omnia, quæ de Corpore B. Iacobi, Religiosi & Abbatis in monasterio S. Iusti, varie translato recognitoque, ex authenticis scripturis haberi potuere, & quæ nos hic ad finem dabimus verbis iisdem. Prius tamen danda nobis Vita, quam unde acceperit Raphael Volaterranus, ipse explicat in Prologo: sumptam autem à Raphaele, & ex monasterii SS. Iusti atque Clementis monumentis modice auctam, edidit Augustinus Fortunius à Fesulis, monachus Angelorum Florentiæ, parte posteriori Hist. Camaldul. lib. 2. cap. 7. Nos quidem pro obtinendo Raphaelis ipsius textu originali scripsimus aliquando; sed Fortunii scriptis cum Volaterranensi Commentario, epitomen vitæ continente & Volaterranum citante, collatis, deprehendimus, iisdem pene verbis uti Fortunium, quibus ante ipsum Raphael, & ea solum quæ Iacobi fratres attinent extendisse dumtaxat, ex notitiis ab archivio prædicto sumptis, præfatum quod Raphael, vir doctus & Sanctus, non omnia viri Dei gesta investigavit. *Vitam ergo ab ipso Fortunio interpolatam damus, gratiam habituri nihilominus iis qui suggerere poterunt genuinum textum; ei vero etiam majorem, qui primam originariamque totius historiæ scripturam, licet rudem, suppeditaret nullo verbo addito ablatoque. Nos ne pro eo Volaterris petendo non multum laboraremus, movit concordia Commentarii præcitati & historiæ Camaldulensis tanta, ut ipsa propemodum Raphaelis verba omnia servasse Fortunius videretur: & minus etiam laborandum eadem in causa putavimus, notantes quod Silvanus Razzius, qui tempore eodem quo Augustinus secundam Historiæ Camaldulensis partem scribebat, suum componebat opus de Sanctis atque Beatis Hetruriæ, & B. Iacobi vitam ex Latino Raphaelis Italice profitetur reddidisse, iisdem quæ Augustinus habet verbis pene syllabatim insistit, itaque pauca illa, quæ de suo hic addidit, facillimum sit discernere.*

C

Vita habetur ex historia Camaldul.

primum à Raph Volaterr scripta,

2 Raphaelem Volaterranum non est opus multis commendare, quando sua eum scripta faciant omni posteritati notissimum. Scripsit hic B. Iacobi Vitam, aut potius ex antiquis membranis cultiori paulum stylo transcripsit, intra annum MDXVI, quo Marius Massejus, ex Volaterranæ ecclesiæ Archipresbytero & S. Petri Romæ Canonico, factus est Episcopus Aquinas à Leone X (uti tom. I Italiæ sacræ in Episcopis Aquinatibus docet Ferdinandus Ughellus) & annum MDXXII, quo obiit Raphael, ut constat ex epitaphio quod ipsi posuit prædictus Marius, ab administrato Cavalicensi Episcopatu in patriam redux: posuit autem non simpliciter ut gentili suo, sed ut fratri, vita sanctimonia & miraculis claro; & fratrem fuisse probat prædictus Volaterranensium commentarius, vita ejus religiosissima Synopsim exhibens. Inter externos, Benedictinos tamen, primus Iacobi nomen fastis Benedictinis adscripsit Arnoldus Wion, his verbis: Camalduli, transitus B. Iacobi à Certaldo, miræ abstinentiæ viri, *citatque in notis August. Florentinum, Raphaelem Volaterranum ac Silvanum Razzium; sed imprimis tabulas Camaldulinas: & quasi hæ non haberent alios quam Camalduli mortuos, Camaldulum scripsit pro Volaterris, ubi mortuum Beatum poterat ex citatis à se auctoribus discere. Arnoldum transcripsit Benedictus Dorganius in kalendario Benedictino, sed omisso prudenter* Camalduli *nomine: quod Hugo Menardus in Martyrologio Ordinis S. Benedicti absque examine restituit. Ipsum etiam retinuit in Menologio Benedictino Gabriel Bucelinus, quamvis longum ex Razzio encomium texens, notare clarius ex eodem potuerit, non monasterio, sed Ordini solum Camaldulensi adscribi vulgo B. Iacobum.*

& Mario Ep. Aquin. dedicata.

F

Iacobi nomen inscriptum fastis Benedictinis:

& Camaldulo adscriptus ipse.

3 An autem certo fuit saltem Ordinis Camaldulensis? Non dubitant ipsius Congregationis scriptores præmemorati, & ante hos Raphael Volaterranus in prologo, Hunc, inquit, inter Sanctos suos eremus hodie Camaldulensis colit. *Fortunius autem parte 2 lib. 2 postquam cap. 5 descripsisset*

A *scripsisset fundationem dotationemque monasterii SS. Iusti & Clementis, sub Guidone Episcopo, anno Christi* MXXXIV (*si nullum est in anni numero vitium, quod merito suspicamur*) *capite deinceps 6 enumerat Abbates, qui primo ibidem instituto Raimberto successere, usque ad annum* MCXCI; *& quartum in ordine collocat Guilelmum, idque post annum* MCVI; sub quo, *inquit* cœnobium sacræ eremo copulatum est. *Interim Ferdinandus Vghellus, de Mario Maffeio Episcopo Aquinate agens ubi supra, ex Ioannis Nicolai Commentario MS. de familia Maffeia, ita loquitur:* Abbatiam S. Justi commendatam habuit, illamque ex Pontificio beneplacito summa cum magnificentiæ ac moderationis laude contulit in Camaldulenses. *Vnde igitur nobis constabit longe ante hac tempora Camaldulensem reformationem in illud cœnobium inductam: neque tunc primum cœpisse Camaldulensibus accenseri B. Iacobum? Vtique ex instrumentis, quæ in Historia parte l. 2 cap. 3 secutus Augustinus, donationes Eremo factas sub annum* MCXII *enumerat: & clarius ex hac Vita num. 7 ubi Ingeramus, Iacobi frater ab ipso Gerardo Generali Ordinis admissus dicitur, tam apud Razzium quam apud Fortunium, ex quo eorum consensu colligimus ita ab initio scripsisse Raphaelem: Quo tamen non obstante eadem Abbatia temporis ac bellorum injuriis desolata deciderit in commendam; à qua beneficio Marii Episcopi absoluta, & Camaldulensibus, in novam Congregationem anno* MDXIII *recollectis, fuerit restituta.*

tum fuerit Volaterris ad S. Iusti monachus, instituti Camaldul.

B

PROLOGVS AD VITAM
Auctore Raphaele Maphæo Volaterrano.

RAphael Maphæus Reverendissimo Patri, Domino Mario Maphæo, Præsuli Aquinati, & Abbati Volaterrano, salutem in Domino.

Vnde hæc Vita accepta,

1 Cum nuper apud cœnobitas tuos diverterem, ac per otium libros quosdam semilaceros evolverem; in Vitam B. Jacobi, unius è collegio quondam vestro, forte incidi: quæ prœterquam quod rudi quidem sermone conscripta fuerat, adeo vetustate litteris intercidentibus obscura, difficilisque lectu erat, ut vix longo post tempore sensum deprehendere potuerim. Ego vero ne viri optimi ac de nostra regione bene meriti memoria, posteritatis ingratæ negligentia, periret (quod tu ex nobis, quibus absens rerum tuarum curam delegasti, ægre admodum tulisses) sum conatus & gesta & vitæ cursum, brevi quidem oratione (non tam illius causa, qui in libro vitæ semel conscriptus, his non indiget, quam nostra) seculis renovare: ut ex ejus imitatione pariter, ac laude magis proficere valeamus, & domestici hujus apud Deum advocati precibus, vestra inprimis congregatio, deinde urbs tota Volaterrana tuta perseveret. Nam & hunc inter Sanctos suos eremus hodie Camaldulensis colit, & apud nos in quadam Sancti Justi ara ejus antiqua imago, more Sanctorum diademata, conspicitur. In Officiis item divinis ejus solitam coli memoriam, ex Lectionum ordine digestarum argumento deprehendimus. Mox tuæ pietatis erit omnia reintegrare, ac ut injuriam passus honori pristino restituatur operam dare.

quam certus Iacobi, ut sancti, cultus.

C

VITA
ab eodem Volaterrano scripta, ab Augustino Fortunio modice interpolata.

Nobili ortus genere

2 BEatus Jacobus, Certaldi *a* oppido, ex antiqua Guitiorum familia oriundus extitit. Patrem habuit Albertinum *b* Equitem, qui tres suscepit filios; Guidotum, Ingeramium, & ipsum, de quo agimus, Jacobum. Qui quidem Jacobus omnia à teneris annis signa, indolem magni futuri viri ostendentia, præseferens; quod eremo magis quam seculo natus esset, haud dubia indicia dare cœpit. Erat enim puer ore venusto, specie liberali, sensu ætatem præveniente, sermone parcus, natura quietus, & à vitiis, quæ illa solet ætas persuadere, omnino procul; solusque agens, nil magis quam lectitare seu meditari delectabatur, quo se meliorem, Deoque acceptiorem efficere posset. Ut talem vero sese compararet, Christum in corde gestans, ut brevem ac momentaneam mundi gloriam despiceret; corporis sui virginitatem Domino Jesu vovit; jam jamque inebriatus amore decoris domus Dei, jugiter Prophetæ eloquium animo secum repetebat; Beati qui habitant in domo tua, Domine, in secula seculorum laudabunt te.

PER RAPH. VOLATERR. Modestissimus juvenis; D

3 Erat parentibus domicilium in urbe Volaterrarum in vico S. Mariæ; unde cum parentes ipsi puerum ad templum sanctorum Confessorum Justi *c* & Clementis secum orationis gratia pluries duxissent; & exinde ad cœnobium ascenderent; factum est, ut Jacobus puer, monachorum vitam contemplatus, quod monachum agere posset, consensum patris, obtinuerit; habitumque sanctæ conversationis à Martino Abbate susceperit, anno Domini millesimo ducentesimo trigesimo. Ex quo tempore nudus & armatus in Christo, morum gravitate præfulgens, exemplum mox virtutis, obedientiæ, & humilitatis, ac patientiæ ceteris cœpit existere Fratribus. Nec solum quæ ipsius erant Ordinis sedulus obivit: sed longe majus aggressus propositum, arctiore se vitæ genere, corporisque exercitatione admodum majore, afflixit. In vigiliis, jejuniis, algore, silentio, oratione perpetua, pertinaci labore, obedientia prompta placere Deo continuo studebat. Per Quadragesimas ter pane & aqua contentus jejunabat. Ante mediam noctem exurgens, aliosque præveniens, præstolabatur Fratres. Hymnos, psalmos, præsertim B. Michaelis Archangeli secunda feria, sabbathis vero B. Mariæ Virginis [minime] obiter lectitabat: eaque modestia præditus erat, ut cum Fratres ceteros virtute, sanctitateque antecelleret, omnibus tamen inferiorem obsequentioremque se semper præberet.

fit monachus in S. Iusti Volaterris; *c*

E *vitæque austeritate;* *ex pietate excellit;*

4 Quem infensissimus hostis acri pugna noctes & dies infestans, pubescenti corpori solita maximopere voluptatum incendia suggerebat: cujus tela & aculeos Christi famulus, Spiritus sancti gratia suffultus, cilicioque indutus, super humidam terram cubitans, vigiliis, orationibus, ac jejuniis duplicatis, licet membrorum viribus attenuatus, jugiter explodebat. Satagebat quoque inter preces diutinas divinam studiose deprecari misericordiam, ut parens ac fratres uterini, ipsi quoque aliquando, quam suavis est Dominus, gustare & videre mererentur. Nec in vanum pro illis oravit. Albertinus namque pater, fama tantæ filii sanctitatis adductus, simul vi cælesti adactus, ex improviso quasi à profundo seculi somno expergiscitur; tactusque quadam corporis & animi dulcedine, sese beatissimum fore secum cogitare incipit, si reliquum vitæ apud filium transigat. Quapropter ad ipsum festinabundus concedens, ut Oblatus & Conversus, ab ipso Martino Abbate in monasterio recipitur, ad tertium Nonas Julias, anni millesimi ducentesimi trigesimi noni: qua die suum novissimum nuncupativum condidit testamentum [quod in cœnobio asseruatur] *d* per quod, Guidoto Ingeramioque filiis hæredibus institutis, eisdem, quandocumque sine filiis discederent, monasterium pleno jure substituit, [manu Vbaldini Tedestii Notarii.]

carnem domat; F *patrem exemplo pertrahit ad religionem,* *d*

5 Defuncto post hæc feliciter patre, eoque inter filii lacrimas sepulturæ tradito, Jacobus animarum *e* parochiæ jussu Abbatis curam suscipere coactus,

curam parochiæ gerit; *e*

coactus, ita administravit, ut plebs universa numquam nec melius in spiritualibus profecerit, nec patrem in terris talem invenerit, unde & felicius regeretur, & animæ salubriora consilia susciperet. Quapropter vir sanctus munus quoque æditui templi f SS. Justi & Clementis [inferioris] exercere multos annos coactus est. Fratres vero sanctis venerabilis viri moribus atque exemplis magis ac magis indies affecti, ubi Martinus primum, deinde Nicolaus Abbates morti occubuissent, cum bis elegissent illum sibi in Patrem, ille honorem hunc pariter, & onus detrectans, obstinatus bis renuit. Nimirum otium contemplationis dulcissimum, anxio periculosoque negotio præferens; tutiusque secum actum iri putans, si inglorius & ignobilis in cellula, tantum Deo teste, sese sancte exercendo latitaret; quam si populo spectante, virtutis suæ fama, cum gloriæ periculo, diffunderetur.

PER RAP. VOLATER.

& repudiata bis prælatura, f

6 Postremo Michaële Abbate decedente, tertiam electionem, urgente g Episcopo, subterfugere nulla vi nullaque ratione valens, monasterii quidem regimen accepit, ac aliquamdiu administravit, sicut ex variis donationibus h constat: sed paulo post dignitatem sic repudiavit, projecta virga & anulo; ut nec Episcopi nec Congregationis ullis omnino precatibus ulterius præesse voluerit; in eo solummodo parochiæ populis rem gratam faciens, quod animarum curationem libenter reassumpsit. Quos dum frequenter comonefaceret patrio affectu, ut à scelerum flagitiis quisque abstinere satageret, singuli vero mandata Dei in vero sanctoque timore custodirent; factum est brevi temporis intervallo, ut non solum scelerosi, per incentiva vitiorum declinantes, in via eloquiorum Dei sese fideliter exercere visi sint, mirabili vi sacrosanctæ doctrinæ, cujus pocula vir sanctus propinaret; verum ut multi quoque è seculo ad sanctæ conversationis ordinem spiritu fervido festinaverint: nec defuerunt, qui cœnobium propterea suis bonis donatum esse voluerint; uti prædium, quod Ad-planum i dicitur, & adhuc ejus memoriam in dies recentiorem facit.

g *eamque tandem coactus suscipere,* h *paulo post abdicat:* B

seque animabus curandis utiliter reddit.

i

7 Inter hæc cum Guidotus frater suum obiisset diem, nullis superstitibus filiis relictis; Ingramius, ejus adita hereditate, paternis omnibus se immiscuit bonis. Qui cum nullam similiter sobolem procreasset, denique contulit se ad hospitale S. Jacobi Altopascii, ut Equitem ibi profiteretur, facto testamento, locoque omnium suorum bonorum herede instituto, quæ fidei commissi jure ad cœnobium SS. Justi & Clementis, propter testamentum patris, pertinebant. Deinde infra sex menses facti pœnitens, ipse quoque membra paterno tumulo sociare disponit: fratrem ad S. Justi petit: k Gerardumque Ordinis Generalem, qui tunc forte Volaterris agebat, suppliciter rogat, ut inter suos ibi filios ac professores anumerari, per eum assequi liceret. Itaque ad diem sextam Novembris anni millesimi ducentesimi octogesimi primi, ad similitudinem patris, Ingeramius Conversus festive à Congregatione suscipitur. Qui propterea accito tabellione, tabulas testamenti paterni in primis ratas gratasque declaravit; subinde vero per novissimum conditum testamentum omnia sua bona in cœnobium contulit, [quæ tam in l urbe Volaterrana, quam in planicie Cassiani fluminis vallis Elsæ, m pleberiis S. Petri in mercato, S. Lazari, & S. Mariæ de Cillicciavola Florentinæ diœcesis sita sunt, manu Joannis quondam Junctæ Notarii: ex quo die assignatus est illi famulus ad serviendum, reservatusque bonorum usus fructus donec viveret.] Obiit Ingeramius postero anno millesimo ducentesimo octogesimo secundo, tertia die Octobris, fraterna manu sepulcro conditus.

Frater ejus primum Eques Hierosolymitanus

C

k

deinde Conversus Camaldulensis

l

m *pie obit.*

8 Porro vir Dei Jacobus, hujusmodi profectibus propter patris atque fratris conversionem lætissimus, decem adhuc supervixit annis. Qui quidem, dum vigil sedulusque operarius vineam Domini excoleret, proximum ædificando ac juvando; non æstu, vel algore unquam pressus, sexagesimum sanctæ conversationis attigit annum. Ceterum ad extremum vitæ cursum properans & febri laborans, Patre cum monachis advocato, veniam humiliter petiit, si quid forte non benefactum in eo conspexissent. Nec mora, sumptis ordine Sacramentis, migravit ad Dominum, anno secundo & nonagesimo ducentesimo super millesimum, Idibus Aprilis, moxque ab eis in templo Sanctorum tumulatus est, ibique postmodum honoris gratia ara constituta; [usque ad Raphaelis volaterrani tempora, ut ipse testatur, fidelibus circa populis magnopere nota. Qui quidem Raphael quomodo sanctitatis illico signa immodica apparuerunt recensendo, memoratu digna hæc conscribit.]

D *ipse Iacobus decimo post anno moritur,*

miraculisque claresc-cens.

9 Quidam Petrus, cum iter cum fratre faceret, incidit in latrones: qui ubi fratrem primum interfecerunt, deinde letale ei vulnus pariter intulere. Qui audita B. Iacobi fama, sepulcrum supplex adiit, diu lacrymis ac precibus contendens, ut ipse propitiator salutis suæ apud Deum existeret. Tandem illum albis amictum vestibus videre meruit, admonentem, ut jam incolumis factus discederet: cumque veluti è somno velociter ex urgeret, ob tantum beneficium Deo ac Sancto ejus gratias agens, lætus ad propria remeavit. Alius item è n S. Geminiano, cum surdus quatuor annis fuisset, ad hunc similiter accedens, sanus & ipse remigravit.

sanat letaliter saucium,

E

n *quadriennio surdum,*

10 Mulier item Volaterrana, dextro affecta inutilisque brachio, eo ipso tumulo imposito, statim valida facta, præ novitate rei exclamavit, Deo tanti beneficii auctori per suum Sanctum gratias agens. Alia rursus mulier, quæ in mamilla torquebatur, pridie ejus diei qua decesserat B. Iacobus, viri sancti auxilium pia fideliquemente invocans, dum sic instaret, votis auxilium præstolans, illum chirurgi habitu cum arcula unguenti venientem vidit; cujus liquore vulnus perfusa, è vestigio incolumis apparet. Insuper è castro o Libiani mulier quædam, ab immundo vexata spiritu, ad beati viri sepulcrum à consanguineis deducta, ejecto tandem dæmone, omnibus spectantibus ac Deum collaudantibus, pristinæ restituta sanitati, in patriam rediit lætissima.

mulierem brachio,

alteram mamilla male affectam:

o *dæmoniacam liberat.*

F

ANNOTATA.

a *Est* Certaldum *inter Volaterras, Senas & Florentiam, pari fere à singulis intervallo, nec longe à Boreali Elsæ fluminis ripa.*

b *Commentarius Volaterranensium etiam* Comitem *appellat quod auctoritate vetustiori deberet probari.*

c *Coluntur hi 5 Iunii.*

d *Hæc verba & quidquid deinceps [ ] his signis notabimus, absunt ab Italica versione Razzij, quæ proinde arbitramur addita à Fortunio.*

e D. Justi prioria *vocatur in Commentario Volater.*

f *An à parochiali diversi? diversi saltem ab Abbatiali, de quo in ejus fundatione scribit Fortunius,* Cœnobium cum templo supra in monte Nilio cum monachorum collegio *instituit.*

g *Ab anno 1239 Volaterranæ ecclesiæ præfuit* Galganus, *cui anno 1251 successit* Rainerius, *& huic cedenti an. 1261* Albertus, *tum anno 1273 alter* Rainerius, *familia Vbertinus; sub quo reliquam vitam Iacobus absoluit, & hanc postremam electionem factam suspicamur.*

h *Addit versio Italica Razzii,* ipsi factis cum titulo Abbatis.

i *Eadem versio* agri in plano, sub monte Brodonis, satis

ſtris vicini & commodi monaſterio.

A *k Hiſt.Camald.p.1 l.2 c.50 dicitur* Gerard.Generalis *inſtitutus anno* 1274, *& magiſtratum tenuiſſe ad an.*1291, *quo obiit* VI *Idus Aprilis.*

l *Deſunt hæc omnia Razzio, & à Fortunio inſerta ſuſpicamur.*

m *Id eſt Parochiis ſeu vicis.*

n *De* oppido S.Geminiani *pluribus egimus ad vitam S.Finæ* 12 *Martii: diſtat Volaterris circiter* 15 *p.m. ad Euro-boream.*

o Caſtrum Libiani *pari fere intervallo abeſt ad meridiem, trans Cecinam fluvium.*

TRANSLATIO CORPORIS
Ex Commentario MS. de Sanctis & Reliquiis Volaterranenſibus.

a *Corpus ad aliud altare translatum an.1579.*

11 ANno MDLXXIX Viſitator *a* Apoſtolicus, à Gregorio XIII ſummo Pontifice miſſus, conſiderans quod altare, ſub quo corpus B. Jacobi conditum erat, pene eſſet conſumptum à rupe, cui adhærebat; ne corpus illud Beatum loci & temporis pateretur jacturam, dum felix ejus anima inter Sanctos electos exultat in cælis; altare ipſum demoliendum & corpus ejus transferendum edixit. B Unde pius populus & devoti monachi jugiter obedierunt; & altare illud commutaverunt in hoc idem altare, *b* ubi apparet picta imago S.Jacobi, diademate ornata, & nomen ejus circa diadema notatum: & corpus ſubtus altare ipſum poſuerunt, uti ſcriptum reliquit Reverendus Ignatius Razzius Camaldulenſis. Cujus ſcripturæ veritas ac fides à majori parte qui aderant, teſtimonio de viſu, fuit unanimiter confirmata; *anno ſcilicet* MDCXII, *quando recognitis ſolemniter Sanctorum Volaterranenſium Reliquiis, recognitionis iſtius Acta publico inſtrumento fuerunt conſignata à Ser-Raphaele Tanaglio Notario: qui ſuam ſcripturam his verbis proſequitur.* *anno 1612*

12 Et ex hoc nedum operæ pretium ſed apprime neceſſarium eſſe duxerunt, corpus illud Sanctum inquirere, priuſquam altare, jam fere demolitum, reædificaretur; & annuere precibus Domini Equitis Camilli Guidii, qui de hoc Reverendiſſimum Abbatem & alios inſtanter & enixe rogabat. Cœperunt itaque percutere lapidem, qui ſarcophagum tegebat & aram: & ingens ſonitus redditus vacuum ſubtus eſſe promiſit. Aperta eſt pars lapidis (nam totus educi non poterat, cum parietibus altare ſuſtinentibus eſſet infixus) & ea revoluta, apparuit magnum monumentum quadratum, ad longitudinem humani corporis, ubi ſanctas Reliquias invenerunt; licet non totius integri corporis, cujus partes in alia Ordinis monaſteria, juxta Abbatum devotum arbitrium aſportatæ fuerant. Eas igitur eduxerunt, & in plumbeam caſſulam, pannis ſericis involutam, in eodem monumento repoſuerunt; & mox lapidem remotum applicuerunt. *Hactenus verba inſtrumenti, cetera auctores Commentarii præfati ſic proſequuntur.* *denuo requiritur & recognoſcitur,* *ex MS.* D

13 Labente mox eccleſia, prætactum corpus, cum ceteris Reliquiis, in S. Clementis ſpeluncam fuit translatum: poſtea, in eadem pumicoſi lapidis urna, fuit ſub Crucifixi altare honorifice conditum. Anno deinde MDCXLII, quando Reverendiſſimus Pater Abbas Camillus de Monte-Varchio Capellam & altare Crucifixi reſtauravit, & in majorem D. Juſti aram tranſtulit, menſe Majo, recognitæ denuo eædem Reliquiæ ſunt, à Reverendiſſimo Domino Alexandro Bana Canonico, & nutu Illuſtriſſimi Domini Nicolai de Sacchettis Vicarii Epiſcopalis teſteſque fuerunt prædictæ recognitionis firmatæ per inſtrumentum Ser-Hieronymi de Compagnis, D.Simon Cecina & D.Curtius Inghiramius. Poſt quam recognitionem ipſæ Reliquiæ in eodem altari, quod nunc Divi Juſti nuncupatur, repoſitæ ſunt: & per craticulam ferream inauratam ipſa area conſpicitur, cum inſcriptione Italica, quam Latine ſic reddimus. HIC REQUIESCUNT RELIQUIÆ B. JACOBI DE CERTALDO VOLATERRANI. Ipſius quoque Beati imago, cum diademate ſplendoribus radiante, depicta, in Abbatia ſupra portam contignationis ædiumque Abbatialium cernitur, cum hoc elogio. B.Jacobus de Guidis Nobilis Volaterranus, hujus monaſterii profeſſus, Abbas, obiit anno MCCXCII, die XIII Aprilis. *& rurſum an.1642* E *transfertur ad altare S. Iuſti.*

ANNOTATA.

a *Ejuſmodi viſitationum ſub Gregorio* XIII *inſtitutarum, maxime per Hetruriam & Vmbriam, varia variis locis invenimus veſtigia. Nominatim autem ad* 13 *Martii produximus exemplum, de B.Erico Peruſii honorato agentes num.* 5.

b Juxta campanas prope D. Juſti aram, *inquit Commentarius Volaterranenſium.*

F

DE VENER. IDA LOVANIENSI,
ORD. CISTERC. IN BRABANTIA PROPE MECHLINIAM.

D. P.

Ægidius Bertaut an. 1227 decimas donat



E*X familia inter Brabantinas antiqua & prænobili Grimberganorum Dominorum prognatus VValterus, cognomento Bertholdus, Mechlinienſis urbis Dominus, Bertholdorum illuſtrem ſtirpem procreavit: quæ per duos ejus filios VValterum & Ægidium in totidem diviſa ramos eſt, ita ut primogenito ejuſque poſteris Dominii Mechlinienſis titulus, alteri & ſucceſſoribus ejus à proprio allodio Berlare appellatio manſerit. Genealogicum ſtemma utriuſque deducit Miræus in Notitia eccleſiarum Belgii pag.* 596 *&* 592, *& ab Ægidio, ſub annum* MCCXXVII *conditum donationis inſtrumentum hujuſmodi profert, pag.*557. Ægidius Bertaut, vir nobilis, omnibus Chriſti fidelibus in perpetuum. Notum eſſe volumus... quod nos.... decimas de Berlaere & de Ghele conventui monialium Ciſtercienſis ordinis de clauſtro juxta Walem, in honore Dei genitricis Mariæ conſtructo, in quo & filias noſtras locavimus, cum omnibus attinentiis ſuis perpetuo poſſidendas in eleemoſynam contulimus:..

2 *Conventus iſte Vallis-roſarum dictus, ad ripam fluvii Nethæ, unica ſola leuca diſtat ab urbe Mechlinia; cujus fundationem primam alii ad jam dictum Ægidium referunt, occaſione præcitatæ donationis; alii ad filias ejus, Odam ſcilicet & Eliſabetham, eoque allegant ſepulcralem lapidem, ibidem ſuperiori ſeculo viſendum, cum hac inſcriptione.* Hic jacet venerabilis Domina Oda, prima Abbatiſſa, & Eliſabeth ſoror ejus, fundatrices hujus monaſterii, filiæ quondam nobilis viri Ægidii Bertholt, dicti ſenior, Domini de Beerlaer, Gheel, Duffel, &c. Obiit anno MCCXLVII duodecima Maii. *monaſterio Vallis-roſarum, non ab ipſo aut filiabus fundato,*

3 *Mihi ſi libera detur conjectandi licentia (nam lapis iſte cum ſua ænea lamina, dictam inſcriptionem continente, circa annum dumtaxat* MD *videtur fuiſſe poſitus) crediderim ipſum Mechlinienſem Dominum VValterum, Fratrem Ægidii ſeniorem, ex ſui juris fundis eum donaſſe Ciſtercienſi Ordini. in quo nunc ſitum monaſterium eſt. Cumque ex Nazarethano prope Liram cœnobio deducta eo eſſet Colonia Virginum, ſub regimine B.Chriſtinæ (ſic enim appellant) hanc ſuam occaſionem tatas Ægidii filias, VValteri neptes, quæ in Naza-* *ſed à fratre Walteri Mechliniæ Domino,*

AUCTORE D. P.

reth pie pudiceque educatæ hauserant instituti Cisterciensis amorem, impetravisse à patre licentiam ibidem habitum religiosum assumendi, itáque factam esse præmemoratarum Decimarum donationem. Postquam autem anno MCCXLV fundata fuit Abbatia S. Bernardi ad Schaldim, ex bonis quæ idem VValterus feudi nomine concesserat Ægidio, Ægidii fratris filio, & hic ad usus monasterii condendi legaverat; atque eidem concredita spiritualis cura gemini parthenonis, Nazarethani scilicet & Vallis-rosarum; censeo utrique auctum fuisse honorem, ut quæ domus sub Villariensi Abbate solum habuerant Priorissas, libero deinceps jure eligendæ Abbatissæ fruerentur; atque ita primam electam fuisse Odam: quam aliæ deinceps sex ex eadem familia Bertholdorum continuo ordine sunt secutæ. Quoniam vero Ægidius junior vel ante patrem suum ac patruum obiit, vel utrique modicissimo supervixit tempore, potius credimus iis qui senioris Ægidii filias dixerunt Odam & Elisabetham, quam Miræo, qui eas juniori adscripsit: nec enim apparet verosimile quod ambo ad tantam pervenerint ætatem, ut viginti & pluribus ante mortem suam annis habuerint ex Ægidio juniore neptes monasterio maturas.

& forte post an 1245 in Abbatiam erecto.

4 Vt ut sit, evidens omnino est, neque meretur probari operosius, Nazarethana atque adeo Villariensi Fundatione, hanc Vallis-rosarum esse posteriorem: nimiumque enormiter exerrasse Gramajum in sua Mechlinia & VVichtmannum in Brabantia Mariana; hic quidem, cum certum sibi esse dixit, anno MCC multo antiquius esse hoc monasterium; iste, cùm ejus erectioni annum MCXXXVIII assignavit. Etenim Villariensis Abbatia, Belgicarum apud Cistercienses prima, anno solum MCXLVI originem habuit, & Nazarethana domus fundari cœpit anno MCCXIX, inter puellarum dicti Ordinis cœnobia primum locum occupans post Parcum-Dominarum, anno MCCXV fundatum. Argumentum vero quod VVichtmannus sumit ex Vita Beatæ Idæ, Cisterciense institutum in ipsa Rosarum-valle professæ, procedit ex evidenti socordis librarii sphalmate: qui descripturus annum illius mortualem, solum signavit MCC pro MCCC, vel aliquo non multum anteriore. Etenim constat ex Vita, Beatam ipsam, cum adhuc in paterna domo Lovanii viveret, Patribus Dominicanis ad suas confessiones usam: qui tamen anno dumtaxat MCCXXIV illuc inducti sunt, teste Lipsio; & cum jam monacham profiteretur, usa est familiaritate Fratrum Minorum, è vicino Mechliniensium oppido ad ipsam excurrentium, quorum ibi conventum anno MCCXXXI inchoatum docet Franciscus Haræus in Annalibus Brabantiæ. Sed quid opus hæc scrutari accuratius; cum utrumque Ordinem aliquantis post millesimum ducentesimum annis constet institutum fuisse?

B

quod alii perperam factum scribunt anno 1138

aut diu ante 1200,

5 Vtinam superesset adhuc autographum scriptoris, qui, sicut præfatur ipse, in unum collegit quæ de miraculosis Venerabilis Idæ operibus, ex antiquis originalibus admodum inordinata pariter ac dispersa recolligere potuit... indubitatum testem habens veritatis eum, qui de sanctæ feminæ ore collegit singula, & scripta memoriæ commendavit; Hugonem scilicet monasterii ipsius confessarium virum (ut libro 3 num. 30 habetur) per omnia venerabilem & beatum, ut ob eminentem suæ sanctitatis reverentiam .... in electorum numero Sanctorumque catalogo debeat non immerito recenseri. Equidem crediderim, etiam post scriptam Vitam, conservata fuisse hujus tanti viri de hoc argumento schediasmata omnia; idque vel in Vallis-rosarum monasterio, ubi conscripta fuere; vel in loco S. Bernardi ad Schaldim, ubi forsitan obiit Hugo prædictus. Sed utroque monasterio à Calvinianis hæreticis destructo rebusque dissipatis; perierunt etiam illa, æque ac præcipuum Vitæ exemplar, quod in alterutro fuisse loco non magis dubito, quam possum dubitare alterutrius loci religiosos aut religiosas fuisse, quorum id petentium supplicationi satisfacere cupiens auctor, animum applicuit ad scribendum, schedis indidem subministratis usus. Hic vero credi debet fuisse professionis diversæ à Cisterciensi, cum nusquam de Ordine Cisterciensi tamquam suo loquatur, ut fere solent qui proprii Ordinis historias scribunt. Periérat apud Cistercienses labor tam præclarus, nisi damnum quod Hagiomachi postea intulerunt prævertisset Canonicorum Regularium diligentia, colligentium undequaque Sanctorum Vitas, easque per ingentia volumina dividentium in monasteriis Rubeæ-Vallis prope Bruxellas, & Corsendonkano prope Turnhoutum: apud quos hanc vitam reperimus, & collatis inter se MSS. invenimus ita verbotenus convenire, ut alteri ab alteris habuisse exemplar viderentur, & cum eo quod diximus sphalmate transcripsisse.

C

Ibi scripta Vita Ven. Idæ ex schedis confessarii

una cum ipsis periit,

sed servata in MSS. Canonicorum Regul,

D

6 Ex Rubeæ-Vallis MS. Codice ecgraphum nactus Fr. Ioannes d'Assignies, Camberonensis in Hannonia monasterii religiosus, inter Vitas ac gesta Sanctarum ex Ordine Cisterciensi personarum, hanc quoque Vitam vulgari Gallica lingua edidit anno MDCIII; Latine autem, sed mutato hinc inde stylo, Chrysostomus Henriquez anno MDCXXX inter Vitas quinque Virginum prudentum, quarum ecgrapha ipsi communicaverat Rosweydus noster. Quis Teutonica nostra vernacula, ad usum ipsarum met virginum Roseæ-vallis, concinnaverit epitomen, quæ ibidem legitur, ignoramus. Vnum scimus, eumdem omnibus fontem fuisse: ac proinde ignoscendum æqualiter omnibus, quod nequiverint certius definire annum quo Beata illa virgo ad cælos abiit. Quem tamen haud vana opinione dicimus fuisse MCCC, aut eo priorem aliquem: propterea quod constet ex lib. 3 num. 10, tempore Venerabilis Idæ adhuc moris fuisse in Ordine Cisterciensi, ut percepto reverendi Corporis Sacramento, etiam ad susceptionem sacri Sanguinis accederent Sanctimoniales: qui mos non videtur diu ultra primum Ordinis seculum tenuisse; exoleverat autem cum Vita scribebatur.

unde postea acceperunt alii.

æque ac nos qui ex ea docemur circa an. 1300

E

7 Ejus obitus putatur fuisse XIII die mensis Aprilis, inquit Vitæ auctor: quod deinde secuti scriptores omnes, qui Idæ meminerunt: Heribertus Rosweidus, in Fastis Sanctorum, quorum Vitas MSS in Belgicis Bibliothecis invenerat; Arnoldus Raissius, in Auctario ad Natales Sanctorum Belgicorum Molani; Chrysostomus Henriquez, in Menologio Cisterciensi; Saussayus, in Martyrologio Gallicano; Arturus du Monstier, in Gynecæo sacro; & Gabriel Bucelinus, in Menologio Benedicto. Ex quibus Raissius, æque ac supra laudatus Ioannes d'Assignies, eum solum adhibuit titulum, quem vita dabat, Venerabilis Virginis. Saussajus ipsam inter Pios referens, Sanctæ Memoriæ nuncupavit. Ceteri post Miræum in Chronico Cisterciensi pag. 215 & Chrysostomum Henriquez, incunctanter & absolute Beatam nominant, juxta morem in ipso monasterio etiam hodie vigentem. In eo tamen non fuisse consuetudinem festivitate annua recolendi Natalem Idæ, haud obscure colligitur ex illo tam ambiguo verbo, putatur, quo diem mortis signat auctor Vitæ: cujus moderationem nos quoque imitati, solum titulum Venerabilis adhibemus.

13 Aprilis obiisse;

Beatam quidam, Venerabilem vocant antiquiores:

F

8 Quod autem ipsam Vitam huic inseramus operi facit traditio loci perpetua & constans de sepulcro, ad usque Calvinisticam vastationem habito in maxima veneratione: idque non in cœmeterio, ubi mos erat communiter omnes religiosas sepeliri; non in claustro aut loco capitulari, quod ad privatam dumtaxat cultum spectavisset: sed in ipso quod tunc stabat templo, ubi omnibus conspicuum & publico fidelium honori expositum illud fuisse dicitur. Etenim ejusmodi sepulturæ prærogativa (qualem eo seculo nulla obtinuisset, nisi quam ecclesiastica auctoritas pro Beata habendam colendamque decrevisset) præsumptionem fundat sane rationabilem, quod illa non obtigerit Venerabili Idæ, nisi propter miracula crebra, quibus sanctitatem demortuæ manifestavit Deus; & quibus inducti Prælati permiserint, ut vel à principio communi exempta legi haberetur, & tamquam certissimo Sanctæ ac palam adorandæ invocandæque intra ecclesiam constitueretur monumentum; vel ut è communis sepulturæ loco (quod verosimilius videtur) elevata ossa illuc transferrentur cum pompa religiosa: quamvis nihil istorum litteris consignare curarit pia sacrarum virginum simplicitas, neque tale quidquam indicet Vitæ auctor. Propositum quippe ei erat nihil eorum scribere, quæ ex cujuscumque verbali relatione percepisset, ut habetur in prologo; sed ea solum-

sepulcrum, ut Beatæ, in templo fuisse traditur,

quamvis de eo nil dicat Vita.

A solummodo quæ, *ut dicitur in epilogo*, sui Confessoris ingenioso conamine schedulis exarata scriptoque commendata reperit, sub certa capitulorum distinctione distribuere, *quamvis* centesima portio scribendorum omissa vel oblivioni tradita certis ex causis indubitanter extiterit, ut in scripto sui dictaminis attestatur Hugo, sanctissimus Christi famulus.

accepta ex schedis, non perductis usque ad mortem Idæ.

9 *Porro dictas schedulas arbitramur à jam nominato Hugone successive scriptas, prout singula vel ipse per se comperit, vel ex Beatæ Virginis ore collegit*, confessionum ejus auditor secretorumque conscius pariter & symmysta: *idque eo fine, ut servirent Vitæ, post Idæ mortem conscribendæ. Quod cum ipse non præstiterit, crediderim eidem fuisse præmortuum; eo magis, quod, ut dixi, de morbo & obitu venerabilis Virginis, deque sepultura ac secutis miraculis nihil reliquerit, quo pertexeretur historia ex istiusmodi schedis conficienda. Quam autem laudabilis fuit illius diligentia, tam merito reprehendi potuit negligentia successorum, qui & morienti adfuerunt & sepulturam curaverunt, & secutorum mirabilium testes fuerunt oculati. Quo factum est, ut qui longo post tempore, & forte post integrum aut sesqui seculum, suscepit hoc argumentum tractandum; quando jam nemo supererat, qui de non scriptis certum oculatæ fidei posset testimonium dicere; necesse habuerit paucis lineis obitum Beatæ attingere, nequidem de die mortis inveniens indicium usquequaque indubitatum. Postquam vero hic Vitam* B *scripsit, ejusque epitome etiam vernacula lingua cœpit à sanctimonialibus legi; aucta proculdubio est sepulcri veneratio & vicinorum Idam invocantium accensa pietas.*

anno 1580 dissipatur per hereticos monasterium

10 *Ast ubi Mechliniensi urbi incubuit feralis tempestas Iconomachorum, contra Deum ac Regem suum fœderatorum (quod anno* MDLXXX *mense Aprili contigit) fugatis cum sua Abbatissa Anna Teurx sanctimonialibus, eversum exitiali procella monasterium est; neque eversum tantum, sed omnino sublatum de medio, grandioribus lapidibus omnibus, maxime altarium ac sepulcrorum, Vlissingam in Zelandiam avectis, ad extruendas ibi Principi Auriaco ædes. Quinto post anno restituta Catholico Regi Mechlinia est: sed religiosæ Virgines ab exilio regressæ, cum nec ruinas quidem monasterii sui invenirent, neque ulla in agro esset ipsis securitas ardente tunc maxime bello; cœperunt Refugium urbanum habitare, ubi licet per duodennales inducias aliquantulum recreata ad novi monasterii fabricam haud segniter animum applicarent; optata tamen pacis successu frustratæ, recrudescentibus sævius quam antea bellis, coactæ sunt in urbe subsistere, & penitus dimittere cœptam fabricam usque ad annum* MDCXLVIII. *Atque ita desolato per tot annos loco, abolita prorsus est, si qua inter accolas perseveraverat, Idæ veneratio; ipsumque ejus sepulcrum, cujus nulla amplius relicta vestigia erant, ita in oblivionem venit; ut nulla* C *illius habita ratione, jacta sint novi claustri templique fundamina. Quibus insigni sedulitate Ioannæ van Laethem Abbatissæ ad culmen perductis, anno à premulgatione concordiæ duodecimo, Christi* MDCLX, *die* XXV *Iunii, in locum atque ordinem pristinum reductus est conventus virgineus, ea solemnitate quam loci Confessarius amicus noster Bernardus de Grande, una cum reliqua monasterii historia dilucide conscripsit, in libro nobis humaniter commodato Ex libro autem jam dicto didicimus*, Venerabilis Idæ sepulturam *credi* fuisse intra hortum claustri majoris, circa eum angulum qui proxime attingit chorum Conversarum: *ubi spes est sacra ossa invenienda, quando Superiores congruum judicaverint ea requirere, & antiquum tam piæ sanctæque Virginis instaurare cultum: quo fortassis haud parum proderit noster hic labor in ejus Vita publicanda.*

una cum sepulcro;

quod adhuc latet.

VITA

Ex MSS. schedis Hugonis Confessarii ab auctore anonymo compilata,

edita ex MS. Rubeæ-Vallis Canon. Regul.

PROLOGUS.

QVoniam inter varia Sacræ paginæ rudimenta, Sanctorum exempla non minimum ædificationis locum obtinent (quippe quod ex moralibus vel allegoricis dictis ad utilitatem legentium, per viam instructionis, elicitur; hoc in Sanctorum gestis, vivis & efficacibus argumentis, velut ad oculum demonstratur) idcirco tam petentium supplicationi, quam propriæ devotioni satisfacere cupiens, ad rescriptionem vitæ Venerabilis Idæ (quam in monasterio quodam Cisterciensis ordinis, quod Vallis-rosarum ab indigenis appellatur, omnipotens Dominus olim sui famulatus obsequio mancipavit) animum pariter & stylum applicavi: & quæ de miraculosis illius operibus, ex antiquis originalibus, admodum inordinata pariter & dispersa recolligere potui (non prioribus scriptis derogans, sed ea pro modulo parvitatis meæ corrigens & emendans) in unum, opitulante superna pietate, conieci: libellumque ex præmissis confectum, his qui in planioribus sacræ Paginæ locis ædificationis sibi victum quæritant, ad eliciendum si quid in eo sapidum invenire potuerint & suo conveniens desiderio, delegavi; sperans me cum Euangelica vidua remunerationis aliquid accepturum: quippe qui licet in sanctæ Ecclesiæ suæ templo non magnum quiddam cujuscumque scripturæ munus offerre prævalui (quorum nulla mihi copia suffragatur egeno prorsus & pauperi) feci tamen quod potui: duoque minuta, quæ mihi dudum ad sustentationem propriæ paupertatis acquisieram, benevolentiæ videlicet & eloquentiæ, qualicumque liberalitate qua potui in proximorum subsidium erogavi. Attende ergo, Lector, imprimis hujus operis me non auctorem esse, sed potius collectorem: parum enim aut nihil eorum quæ scripturus sum ex cujuscumque verbali relatione percepi; sed solum, ut dictum est, ex quibusdam scedulis adunata sub Capitulorum certa distinctione distribui. Quapropter à me dictorum fidem quærendam fore non arbitror; aut si congruam de veritate materiæ cautionem præstare nequivero, temeritatis meæ à quolibet reor arguendum; cum certum & indubitatum testem habeam veritatis, illum scilicet qui de sanctæ feminæ singula quæ dicturus sum, ore collegit & scripta memoriæ commendavit. Is siquidem spiritualium amicorum illius præcipuus extitisse dignoscitur, & confessionum ejus auditor, secretorumque conscius pariter & symmista. Hunc etiam tantæ sanctitatis & reverentiæ virum, multorum & gravium personarum attestatione, fuisse comperimus; ut non solum fides illius dictis vel scriptis, omni remoto suspicionis scrupulo, valeat adhiberi; verum etiam ob eminentem suæ sanctitatis reverentiam, tam ex vitæ puritate quam ex supernarum revelationum, quibus claruit, affluentia relucentem, in electorum numero Sanctorumque catalogo debeat, ut speramus, non immerito recenseri. Sed his interim prætermissis aliorumque descriptioni, quibus propensior suppetit eloquiorum copia, reservatis; ad nostræ narrationis exordium veniamus.

Vita hæc meliori ordine digesta, ex antiquis originalibus;

E

F

conscriptis ex ore Idæ à confessario ejus, viro sancto;

EX MSS. HUGONIS CONFESS.

CAPITULA PRIMI LIBRI.

B

His Capitulis in margine notatis, distinguimus Vitam more nostro in capita grandiora & numeros.

LIBER I.

Prior pars vitæ in domo paterna peractæ.

CAPUT I.

Ortus, educatio, illustratio divina: Patientia ob aversum animum patris.

CAP. I. C

a Nascitur Lovanii honestis parentibus;

1 FUit in oppido Lovaniensi, quod Brabantinorum Principum ditioni subjacere dignoscitur, & inter cetera a Lotharingici Ducatus oppida præcipuo nobilitatis & honoris culmine sublimatur; fuit, inquam, nostris temporibus virgo quædam, Ida nomine, locupletibus & honestis exorta parentibus, ac inter suos generositatis & venerationis privilegio non mediocriter insignitis. Hanc itaque cum ex divina concessione parentes filiam genuissent, & ex sacro baptismi lavacro renovatam, per Christianitatis titulum Ecclesiæ sanctæ gremio consignassent; affuit in ipso confestim infantilis ætatis exordio, vas electionis sibi in ea prævidens, divina miseratio; quodque futuris etiam temporibus ad eminentem eam perducturus esset perfectionis apicem, efficaci jam demonstravit & docuit argumento.

parvula in ecclesiam ducta,

2 Quodam siquidem tempore, cum adhuc infra metas infantiæ constituta, necdum adolescentiæ terminos attigisset, accidit ut venerabilis mater Virginis hanc secum ad ecclesiam duceret; quatenus ineuntis ætatis exordio sub jugo Domini, potissimum cum adhuc naturali polleret flexibilitate, cervicem recalcitrationis ignaram deprimeret; & juxta sententiæ proverbialis oraculum, novam testam virtutum imbutam odoribus, ad supernæ gratiæ dulcedinem capessendam, per tam laudabilia conversationis initia præpararet. Ubi cum ad Missale simul officium mater & filia cum ceteris, quorum ibidem tunc immensa affluxerat multitudo, consisterent; & ad sacræ Hostiæ, sicut moris est, elevationem, visum pariter & animum dirigentes, mirificum Dominici Corporis sacramentum, in panis specie demonstrandum, devotis digne mentibus observarent; aperti sunt confestim oculi Virginis innocentis, & vidit quasi stellam igneam, immodico splendore simul & rubore perfusam, super altare desuper descendentem; & velut ardentem faculam, ipsum, cui illapsa fuerat, altaris loculum claritatis suæ radiis illustrantem; & sic demum, ad instar fulguris, velut in ictu oculi, citissime disparentem. Innuente per hoc, ut existimo, divina clementia, quod per hujus Sacramenti veneranda mysteria Virgo Christi, cui hæc videre corporalibus oculis sunt concessa, magna futuris temporibus virtutum incentiva, & propensa perfectioris vitæ caperet incrementa. Quid enim aliud hæc mystica visio portendere videbatur, nisi quod ignis ille divinus, non comburens, sed illuminans, qui dudum Christi discipulorum corda cælitus illustrarat, in hujus quoque Christi Virginis animam, mysterium suę virtutis jam jam operaturus, influeret; & ad præparationem dignissimæ mansionis, in qua futuris temporibus habitare dignaretur Altissimus, in ejus pectore consuetæ præventionis officium jam tunc exerceret? Hanc quoque venerabilis ejus genitrix hujus visionis interpretationem edidit, & super hac re non dissimilem isti sententiam protulit: præmissa quippe, narrante filia, post mysteriorum expletionem domi reversa, rescivit: & eamdem non incongrue super hac visione sententiam proferre poterit, quisquis venerabilis Idæ conversationem vitamque sanctissimam, quam diebus suis exercuit, intento considerationis intuitu diligentius indagabit.

D *tempore Missæ*

vidit lumen ad altare descendens,

in progressu Sanctissimæ ejus vitæ:

E

CAP. II.

annos nata 18,

3 Cum itaque, sub miræ simplicitatis & innocentiæ gestu, laudabilem vitæ suæ continentiam, puella bonæ conversationis & indolis, exactis jam infantiæ simul & pueritiæ finibus, ad metas adolescentiæ perduxisset; & annorum duodeviginti numerum, in æde paterna, sub omni puritate puellaris castimoniæ, parentum enutrita solicitudine, peregisset; cœpit in ejus animo, quidquid in hoc mundo pretiosum reputari solet aut delectabile, tamquam nullius æstimationis vile peripsema, miro modo vilescere: quippe quæ jam cælestium delectationum initiata commerciis, & inflammata desideriis, ad supernę felicitatis gaudia, Spiritus sancti ducente gratia, didicerat anhelare. Siquidem cum per labentium decursum annorum ad bivium Pythagoricæ litteræ pervenisset, eum quem quasi in egressu mundi posuerat, pedem retrahens; & spretis mundi delectationibus, quibus transitorio quodam intuitu paulo ante videbatur intendere, dexterum illius ramusculum apprehendens; cœpit continuo de præteritis negligentiis efficaces pœnitentias agere, corpus castigando domare, cor suum & conscientiam omni qua valuit diligentia custodire, frequenter ecclesiæ limina terere, sermonibus ædificatoriis & sanctis collationibus assidue interesse: sed & à paternis opibus, de quibus tamquam de perperam acquisitis sua se conscientia remordebat, velut à venenosis rebus atque mortiferis, in quantum potuit, abstinere.

F

anhelat ad sanctam vitam,

Invitante diabolo

4 Verum dum hæc & horum similia per dies singulos à nova Christi tirone solicitius agerentur, videns & invidens humani generis æmulus & bonorum omnium insatiabilis inimicus; videns, inquam, quod per talia virtutum exercitia venenosum caput suum Virgo devota Deo contereret, ipsumque

A sumque respectum pariter & illusum a sede cordis & conscientiæ suæ, non muliebriter aut ignave, sed forti virilique constantia propulsaret; furibundus nimis ac turbidus, & velut ingenti quadam injuria lacessitus, ad antiquæ deceptionis stropham se continuo convertit: & qui muliebri suasione primi parentis olim pectus à nativo robore per serpentis astutiam emollivit; nunc vice versa per virilem proterviam, astute satis & pertinaciter intromissam, frustra licet, invincibile pectus virgineum impugnavit. *incurrit in odium patris,* Pater siquidem Virginis venerandæ (vir scilicet mundanæ solicitudini deditus, & secularium negotiorum curis immediocriter occupatus, cum devotam filiam suam ab his, quæ secularium negotiationum exercitio in diebus suis avaro corde congesserat, & incessabili studio quotidie congerebat, tamquam à rebus sordidis & avaritiæ cœno multipliciter inquinatis, quantum valuit, abstinere conspiceret; à paterna pietate delirans, & rectam intentionem filiæ cæcis oculis non considerans, omnem fellis sui commotionem in insontem mox cœpit evomere: *cujus acerbas impugnationes,* turbatoque rationis intuitu, quam præconio commendationis potius exaltare debuerat, asperrimis maledictionum ictibus non cessavit diebus singulis, innocentem & totius recalcitrationis nesciam, impugnare. B Sed dum hæc per multa temporum interstitia gererentur, & hinc pater filiam crebris minarum jaculis, affectionis paternæ prorsus oblitus, impeteret; illinc paternæ crudelitatis insultus, patientiæ clypeo præmunita, mirabili constantia filia sustineret; *patienter suffert:* non defuit electæ suæ, tam fortia certamina pro se sufferenti, justo cuncta disponens judicio, divinæ rectitudinis æqua miseratio: quod ut sequentia declarabunt, novo quodam & his diebus inusitato miraculo, tamquam validissimo non est dedignatus ostendere documento.

CAP. III.

4 Quodam siquidem tempore pater Idæ Venerabilis in cellavinaria sua plurima vini vasa contulerat, quæ, sicut prædiximus, terreni lucri cupidus, venalia per ordinem exponebat. *petit certam sibi vini mensuram concedi, pretio addicto:* Ad quem cum memorabilis ejus filia, quatenus aliqua sibi crederetur vini mensura, futuro tempore certo sibi pretio refundenda, quodam die mancipium, cujus utebatur obsequio, direxisset; confestim inter patris familiam & præfatum nuntium, instigante diabolo, dura nimis & aspera cœpit oriri contentio, super eo videlicet, quod hæc erogato satagebat acquirere pretio, quod C sine venalitatis pacto non illicite suis usibus applicare poterat, ejusque indifferenti dominio valuisset perfrui libere tamquam suo. Quod cum recitante familia pater æmulus advertisset, & ob quam hæc ita gerebantur causam protinus agnovisset, *indignantis ideo patris * an Verberum?* totam repente furoris sui commotionem in illam incutiens, & omni qua valuit austeritate tamquam in vindictam linguæ flagellum exacuens; aggressus est innocentem furibundus impetere, verberum injuriosa cæde lacessere, blasphemisque vocibus impostricem & hypocritico respersam vitio, devotissimam Dei famulam inclamare.

1 Par. 16, 22 5 Sed justus & misericors Dominus, qui per Prophetam Christos suos tangi, & in Prophetis suis prohibet malignari, non æquanimiter electæ famulæ suæ ferens injuriam; evidenti pariter & inconsueto miraculo, digne satis, ut prædictum est, & patris pertinaciam justa severitate corripuit, & quanti à se æstimaretur devotæ patientia filiæ, demonstravit. Nam omnia quæ diebus his in promptuariis suis pater vina congesserat, *unde vinum corrumpitur* immaturali pariter & præpostera corruptione prorsus infecta, continuo rebullire cœperunt; & nativo colore pariter & sapore deposito (prout interdum æstivo seu verno tempore condensari solent & infici priscaque potabilitate remissa, per dies aliquot infirmari) tam patri familias, quam omnibus quibus hæc videre vel audire permissa sunt, nõ tam miraculosũ quam miserandũ de se spectaculum prębuerunt. EX MSS. HUGONIS CONFESS. Si quidem hiemali tempore, die videlicet Sanctorum Innocentium, hoc gestum esse dignoscitur: quo tempore vinum, hujuscemodi corruptionis impuritate respersum, sub nostro climate minime reperitur. Quo viso pater infremuit, & velut furibundus aut rabidus, quid faceret aut quorsum se verteret, ignoravit. Discurrebat ergo per singula vasa mœstus & ejulans, nunc hæc nunc illa discretione gustus examinans, & si quid forsan ex omnibus sanum inveniretur observans. Sed frustra miserum mens coëgit anxiata discurrere: nam & ea quæ b raspeciæ vulgari eloquio nuncupantur (quod quidem inauditum & eventu rarissimo manet apud nostrates penitus inexpertum) quasi una cum aliis eodem tempore divina fecerat ultio rebullire. Tunc vero paterfamilias, ultra quam credi possit admirans, & tamen hæc justo sibi contigisse Dei judicio nescius aut non considerans, clausis super se diligentius ostiis domus suæ, tam grave dispendium, quod incurrerat improvise, [conabatur] si forte valeret, ingeniosa satis & exquisita industria propulsare. *quod nulla ejus industria emendatum,* E De præfata namque raspecia partem aliquam, in vase seorsum emissam, ad excutiendum ab eo præfatæ corruptionis intolerabile nocumentum, scopa percelli mandavit diutius & moveri; ob eam videlicet causam, ut vel sic naturali sibi restaurata virtute per hujus infusionem & cetera fortasse valerent ab infectionis suæ discrimine reformari. Sed non est Sapientia, non est prudentia, non est consilium contra Deum. Ille quippe qui mortificat & vivificat, qui rerum ordinem pro voluntate sua disponit, dirigit, & immutat; ille, inquam, qui præter naturalem ordinem hoc pestilenti contagio vinum hominis, ob injuriam electæ suæ vindicandam, infecerat; hoc ipsum in eodem corruptionis tenore, frustrata penitus illius inani spe pariter & industria, conservabat.

6 Verumtamen cum hæc ad Venerabilis Idæ notitiam pervenissent, paternarum injuriarum prorsus immemor, illius dolori cœpit affectuosissime compati; & ut patri in se commissa remitteretur injuria, vinique sui, pro cujus amissione tam anxie turbabatur, mortifera sanaretur pestilentia, divinam est aggressa clementiam instantissime deprecari. *orans filia pristino vigori restituit.* Quam pius Dominus protinus exaudivit, & omnia patris sui vina, morbosa corruptione confestim ex promptuariis effugata, die crastino, restituto sibi tenore pristino, reformavit. Attende, lector, quanti F fuerit apud summum Judicem hæc ejus famula meriti; pro cujus injuria vindicanda, tam severo miraculo tamque crudeli castigatione, sui pertinaciam injuriatoris vindex persequitur divinæ correptionis austeritas, etiam in præsenti. Attendat quisquis hæc legerit, Dei famulos non injuriis lacessendos esse, sed omni potius honoris obsequio venerandos. Discat Deo in Sanctis suis dignam honorificentiæ servitutem impendere, qui non dedignatur eosdem oculi sui pupillæ Scripturæ testimonio comparare.

ANNOTATA.

a Lotharingiæ inferioris *nomine censetur tota illa regio, qua Schaldi & Mosa comprehenditur, à Comitibus Lovaniensibus aliquando possessa.*

b Raspecia, *vas plurium doliorum capax, in quo vetustiora vina sic servantur ab œnopolis, etiam per æstatem, ut alterationem ejusmodi non patiantur. Non invenio quidem scriptorem qui vocem istam usurparit,* pecias *tamen dici dolia, id est partes, in compertu est; Germanis autem* rasten *est quiescere, Belgis hodie* rusten, *unde vox composita, quasi dicas* rast-piece.

CAP.

EX MSS. HUGONIS CONFESS.

CAPUT II.

Contra diaboli tentationes Christi passio assumpta. Pœnitentia, & arcta vivendi ratio.

CAP. IV.

7 CUm autem per hæc & alia diversorum generum tentamenta, miserabilis ille Christiani nominis adversarius nihil penitus se profecisse cognovisset; quin potius seipsum, tamquam imbellem & invalidum, pariter irrisioni & despectui subjacere conspiceret; ac fortem Christi Virginem, per diversos victoriæ suæ triumphos, quamquam invitus & a virtutum suarum æmulus, immensis præconiorum titulis per dies singulos exaltaret; apertis tandem impugnationibus illam fore confinxit iterum impetendam: ut quam occultis immissionibus eatenus ditioni suæ minime subjugaverat, monstrosis saltem larvalium visionum imaginibus & terrorum immissionibus, à statu rectitudinis inclinaturus, invictum illius propositum impediret. Nam formas quasdam visibiles, & horrore nimio circumfusas, interdum nocturnis horis orantis aut psallentis aspectibus anteposuit: interdum etiam odorem quemdam delectabilem ac suavem, & post paululum in putorem fœtidissimum commutatum, illius naribus importavit: aliquotiens vero conclave, in quo morabatur, ictu valido tam graviter impetivit, ut & totam ædificii structuram impetuoso satis horrore concuteret, ut ad longe positorum aures ipse quoque concussionis crepitus evolaret.

Tentata à diabolo a larvosis spectris, odore fœtidissimo, B *concussione conclavis,*

8 Quodam etiam nocturno tempore, quasi feretrum quoddam ante se positum, non sine stupore pariter & admiratione, conspexit: in quo dæmonis astutia collocatum tamquam defuncti cujuspiam funus apparuit; in quod etiam omnis adinventor malitiæ versipellis insiliens, corpus supra pedes statuit; & sic in ipso simul cum ipso progrediens, ad Dei famulam cum ea luctaturus accessit; arreptamque per brachia diutius quidem violenter intorsit, sed Dei Virgine supernum auxilium implorante, victus pariter & confusus evanuit. Et quamquam immodico pavore cor sanctæ mulieris hac phantastica visione turbaverit, ipsa tamen palmam victoriæ obtinens, & inimici rugientis sævitiam ad nihilum redigens, triumphum è prælio reportavit, erat enim eo tempore cor ejus spem habens & fiduciam magnam in Domino, propter id maxime quod præcedenti die reparata fuerat victorioso pariter & vivifico Dominici Corporis sacramento... At quoniam, ut prædictum est, humani generis adversarius hinc quidem insidiosas ejus calcaneo decipulas abscondebat, inde vero manifestæ rebellionis machinas, quibus virtutum suarum expugnaret ædificium, erigebat; videns Dei famula repugnandi necessitatem ex utroque latere duram satis incumbere, deceptorios quidem laqueos discretionis oculo diligenter advertens, eorum insidias declinando potius quam resistendo satagebat illudere; & viribus corporis affectiones cordis aptissime commensurans, & ne quid forsitan ultra sufficientiam virium suarum expeteret, intra metas possibilitatis suæ se comprimens & angustans, ad statum perfectionis, per tritam æquitatis semitam, inoffensis & ordinatis gressibus incedebat. Sciebat quippe remissam quorumdam conversationem & tepidam, spiritu quidem incipientium, sed carne consummantium, in conspectu divinæ Majestatis acceptam non existere: sciebat nihilominus exterminatas hypocrytarum facies omnipotenti Domino non placere. Quapropter in omni disciplinari custodia semetipsam instantius exercendo, hinc quidem affectiones cordis ab omni lasciviæ vanitate cohibuit, inde vero superfluæ præsumptionis evitatis anfractibus, mediam eligendo semitam in neutram partem à discretionis tramite declinavit.

illato feretro; triumphat de hoste C *ob Eucharistiam pridie sumptam: discretè insidias devitat:* D

9 Ceterum ad apertiores expugnatorum insultus, quibus per varias tentationes ædificium conscientiæ suæ non cessabat assidua molitione conoutere, depellendos; ipsum angularem lapidem, qui est Christus Dominus, in structuræ suæ fundamento composuit; & quidquid ex Euangelicis voluminibus, ac sacrarum Scripturarum exemplaribus, Sanctorumque gestis insignibus, ex omni parte colligere potuit, ad sui defensionem, in cordis & conscientiæ suæ munitionibus, adunavit. Dum enim, ad intuendum, aliquid vanum aut quacumque nociva delectatione permixtum, versipellis illius oculis ingerebat; hæc protinus in Dominicæ passionis scuto telum impugnationis excipiens, & qualiter à perfidis Judeorum turmis oculi Dominici velabantur, vigilanti memoria reminiscens, hoc ipsum tentationis jaculum, tamquam inefficax & invalidum, absque difficultatis obstaculo, procul à memoriç suç finibus, expellebat. Si vero quid faciendum occurreret, in quo fomitem cujuscumque delectationis adverteret; ex adverso fixuras clavorũ, quibus in cruce manus Dominicæ cruentabantur transfossæ, opposuit: & sic periculum immissæ tentationis vitans, & ipsam nihilominus cordis intentionem facile corrigens & emendans, ad quodlibet opus illicitum manus in antea non laxavit. Hanc quoque de ceteris membrorum officiis considerationis normam jugiter in mente retinuit: ut si fortassis illorum alicui diabolica suasio vanç cujuslibet delectatiunculç nocumentum ingeret, hæc ad Dominicæ passionis injuriam, quam eodem in membro Dominus Jesus olim in cruce sustinuit, intentione simul & memoria revocata, per contrariæ meditationis antidotum, hoc ipsum vanitatis vitium, quod inordinate surrepserat, à se protinus effugabat. Sicque factum est, ut dum ad inutiles cogitationes sinum cordis dilatare renueret; dum linguam à vaniloquio; manus, pedes, oculos & cetera corporalia membra, ne laberentur in præceps à quolibet opere nocivo comprimeret; & à noxiis delectationum insultibus libera remaneret, quas inimici sævientis astutia nunc apertis, nunc occultis suasionibus immittebat; & ad veræ delectationis culmen ascenderet, quam in memoria Dominicæ Passionis, totis affectionum conatibus ac intentionis viribus, exquirebat.

munit se exemplis sanctis, & scuto passionis Christi, E *eoque inutiles cogitationes pellit,* F

CAP. V.

10 Sed jam superest, ut ordinem materiæ latius prosequentes, ea, quæ de conversatione Dei famulæ summaria quadam & compendiosa relatione superius memorando tetigimus, jam ad profectum legentium evidentius exprimamus. Cum itaque Virgo Domini, flamma cælestis incendii, quam dudum infans viderat in altari, penetralia cordis sui non sine miro devotionis dulcore perfundi, roburque virtutis suæ non consumendo, sed septiformis in se Spiritus gratiam infundendo, per dies singulos attenderet augmentari; non ingrata supernæ gratiæ, sed obviis, ut ajunt, manibus internæ visitationis dona curans admittere; quidquid ad profectus sui lucrum merebatur acquirere per bonorum operum exercitia, quotidiano labore pro virium sufficientia studuit ampliare. De paternis itaque facultatibus nihil, ut prædictum est, excepta sola qua morabatur camera, suis usibus adaptabat; quin potius nocturno silentio vitæ necessaria manuali labore satagebat acquirere, quibus & propriam indigentiam & pauperum ad se concurrentium egestatem pro facultatis suæ modulo quotidie relevabat. Carnem etiam asperrimo nimis & duro contectam cilicio, spiritui servire cogebat: stratum autem, in quo solebat utcumque

Gratia divina conatur cooperari, labore manuali sibi & pauperibus providet: usa cilicio;

A *duro lecto,* cumque requiescere, non operimentorum aut linteaminum exquisita mollitie, sed duris vinearum sarmentis & virgulis undique consternebat. Ad hæc quoque paupertatem, esuriem, frigus & alia corporis incommoda jugi patientia sufferebat. Nam panem *vili cibo:* mucidum & nimia vetustate corruptum, eo quod alium non haberet, cum mira jucunditate cordis & spiritus hilaritate sæpissime comedebat: cujus utique gratiosæ jucunditatis affluentiam assiduis b *sacris cantilenis se recreat,* cantilenarum neumis b, quas in Dei laudibus affectum simul & animum exercendo, sonora voce decantare consueverat, sæpe repetitis vicibus exprimebat. Tanta siquidem eo tempore vocalis consonantiæ generosa dulcedine claruisse dignoscitur, quod in concentuum exquisito modulamine nulli comprovincialium inferior haberetur.

11 Hoc ergo dulcisono linguæ plectro, crebra repetitione pulsato, pro cymbalis utebatur & tympano: hoc quoque convenienter aptato naturalique dulcedine decentissime temperato, psalterii vice vel citharæ, præconia laudis divinæ, vocis suæ concinuit Philip. 4. 14 instrumento. Sciebat etiam cum Apostolo non solum in prosperis abundare, sed in adversitatis quo- *scit abundare & penuriam pati.* que tempore tam patientissime quam etiam libentissime penuriarum incommoda sustinere. Qua- B propter in prosperitatis tempore de susceptis quidem beneficiis omnipotenti Domino laudes debitas exsolvebat: cum vero prosperis adversa succederent, & pericula tribulationum ad comprobandam virtutis suæ constantiam imminerent, non inferiori jucunditatis affectu gratiarum actionibus insistebat. Quis enim in omni vita sua Venerabilem, instante qualicumque tentationis incommodo, recalcitrantem audivit? Quis in omni, quam sustinuit, indigentia murmurantem aliquo tempore deprehendit? Quin potius in tanta sese parcitate depresserat; & appetitum, cujus desideriis acquiescere putabat illicitum, sub tanto moderamine refrænarat; ut, si- *cibis in unâ lanceam congestis semel de die utitur,* quando diversa quælibet in ferculis apponi sibi contingeret, his non singillatim, uteretur, ut moris est; sed in una simul congesta lance singula quæque contereret: sicque specialem unicuique saporem excutiens, hujus tam confusi pulmentarii fastidioso satis edulio corporalia membra, semel tantum in die, reficiens, utcumque sustinebat, potius quam alebat. Nec existimo hoc quoque prætermitten- C dum, quod per dies undecim solis tiliæ flosculis, quodam æstivo tempore sumptis in cibo, non tam suam commendabilem reddidit abstinentiam, quam *per dies XI solis tiliæ flosculis victitat* nostram insatiabilem curiositatem, cui diversorum saporum vix sufficiunt exquisita cibaria, reprehensione plenam ostendit & omni confusione dignissimam in hoc facto. Quis enim hæc audiens, ad excusandas excusationes in peccatis, inanibus aut frivolis allegationibus audebit insistere? Quis imbecillitatis propriæ valetudinem, ad obtegendum curiositatis suæ vitium, jam valebit inutili cavillatione prætendere, cum puellam utique teneram, & naturali debilitate gravatam, à cunctis rebus esibilibus, præterquam à solis tiliæ floribus, per tam numerosum dierum spatium viderit abstinere? Quid, pro pudor! hic dicturi sunt hujus seculi divites, ad instar bubalorum inflatis ventribus incedentes; quibus artificiosa cocorum industria vix ex omnibus mundi facultatibus exquisita ferculorum varietas ad votum elicitur, quo miser stomachus, non ad sufficientiam impleatur, sed ad sui corruptionem ac totius corporeæ molis eversionem potius obruatur? Sed & hanc in vestimentorum aliarumve quarumlibet rerum usu, quas ad propriam sufficientiam consuevit humana sibi necessitas applicare, discretionis virtutem semper habuit; ut,

quamdiu nullum exinde fomitem delectationis in animo subrepentem adverteret, de rei qualicumque EX MSS. pretiositate non curans, ea cum gratiarum actione HUGONIS simpliciter uteretur. Si vero vel tenuem inanis glo- CONFESS: riæ succrescentem hinc titillationem attenderet, *in vestitu & aliis rebus* hanc ipsam à se cum suæ delectationis odioso fomite continuo removeret. Numquam vero in affectatis sordibus exquisitisve deliciis, cum hypocriticis & vanæ gloriæ cupidis, aliquam in se frivolæ dele- *evitat excessum,* ctationis occasionem accepit: sed in omni rerum usu simul & habitu, sub competenti se mediocritate continens, & nulla parte limites æquitatis excedens, *& hypocrisin:* hinc curiositatis, inde vero vanitatis offendicula studioso conamine declinavit.

12 Quid autem de corporis sui castigatione carnisque suæ maceratione dicturus sum, cum tanti ponderis importabile detrimentum, qualiter muliebris infirmitas absque vitæ periculo per multa tempo- *uno die 1100 vicibus genua flectit,* rum intervalla sufferre potuerit, ab humanis sit pene sensibus alienum? Nam aliquanto dierum spatio per singulos undecies centenis genuflexionibus terram tetigit, & totiens repetitis orationibus aut decantatis eodem numero beatæ Matris & Virginis Ma- *& salutat Deiparam:* riæ salutationibus, immenso Spiritus sancti favore, lassata genua strenue supportavit. Tam asperrimis E quoque spinarum virgulis aut acuminatis cujuspiam, quam vulgus c roseum nominant, arbusculæ foliis c omne corpusculum, ultra naturalem pene sustinentiam, flagellabat assidue: ut copiosi cruoris rivuli de plagarum cædibus effluentes, à supremis corporis partibus deorsum per talos usque decurrerent, & sui respersione satis horribili mirum in modum ipsos *flagellat corpus cum magna sanguinis effusione.* quoque cum pedibus calceos irrigarent. Nec his tamen contenta suppliciis aut tormentis, insuper & singula sui corporis membra, quibus olim deliquisse se meminit, id est, faciem, manus, pedes & similia, singulari castigatione disciplinando perdocuit: sicque non ex pectore alieno, sed ex sanguine proprio, gratissimum omnipotenti Domino per dies singulos holocaustum, ut suavem in ara corporis sui victimam, immolavit. Tantus quippe devotionis fervor *& devotionis fervore:* eo tempore cor sanctæ mulieris accenderat, tantúque supernarum virtutum desiderium ejus mentem inflammaverat, ut in omnibus quæ agebat solum Deum testem & conscium secretorum suorum expetendo, non de Confessoris sui speciali licentia, tam arduum iter pœnitentialis industriæ transmeandum arriperet; F sed à semetipsa suis impositum humeris importabile, devote simul & strenue bajularet. Siquidem cum *non satis conscio omnium Confessario.* alicui venerabilis vitæ viro, quem in Confessione sibi elegerat, ipsum pœnitentiæ suæ tenorem, non aperta, sed summaria quadam relatione detegeret; & is ad liquidum, quod referebatur, advertere non valeret; ut secundum consuetudinis suæ modum, ad tolerandos ipsos pœnitentiæ suæ labores forti zelo sese constringeret, in suorum remissionem peccaminum eidem injungere studuit: & ad eorum sufferentiam, non tam illius provocatus instantia, quam propria deceptus ignorantia, suis eam admonitionibus incitavit.

ANNOTATA.

a *MS. Corsendoncanum*, felicitatum.

b Neuma *quid sit diximus 6 Aprilis ad Vitam S. Notkeri Balbuli num.* 34

c Ruscum *sive* Ruscus *folia pluribus spinis armata habens, eaque semper viridia, Teutonibus vulgo dicitur* Hulst: rusch *autem nunc apud eosdem juncus, aut cespes juncosus.*

EX MSS. HUGONIS CONFESS. CAP. VI.

CAPUT III.

Stigmata Christi inflicta corpori & sublata.

13 At quoniam, ut prædiximus, totam in memoria Dominicæ passionis summam intentionis suæ considerationisque locaverat, ad quam, tamquam ad præcipuum & singulare præsidium, in omni necessitatis articulo, meditationis simul & affectionis aciem dirigebat; volens pius misericordiarum Dominus electæ suæ, vicissitudine gratissimæ retributionis, occurrere; suæque mysteria passionis, ad sibi compatiendum, novo quodam & satis inaudito rerum ordine, vicinius commendare; sanctorum vulnerum suorum imaginaria quædam stigmata, manibus, pedibus nec non & lateri sanctæ Virginis his diebus impressit: & quæ dudum in cruce, pro redemptione totius mundi, Salvator noster Christus ex clavorum confixione sustinuit, horum venerabili sponsæ suæ gratissima monumenta, non tam in memoria retinenda, quam in suo corpore perferenda, iucundo satis & insigni miraculo commendavit. Siquidem in locis manuum aut pedum, illis scilicet ubi jam manus pedesve Dominici clavorum punctionibus arcebantur, quasi circuli quidam diversi coloris, repræsentationes quædam stigmatum intrinsecus simul & extrinsecus excreverunt: quæ, perviorum instar vulnerum, illarum partium totam superficiem occupantes, miraculosum valde de se cunctis, ad quorum pervenere notitiam & aspectum, eo tēpore spectaculum præbuerūt.

Tota in contemplatione passionis Christi occupata.

ejus stigmata accipit in corpore,

instar circulorum diversi coloris:

B

14 Quid enim miraculosius, aut quid jucundius excogitari, vel humanis valet affectibus præsentari; quam antiqua Christi stigmata nostris temporibus in virgineo corpore renovata, passionisque Dominicæ memoriale redivivum & indubitatum de se præbentia monumentum, non jam imaginariis aut mentalibus considerationum aspectibus intueri, sed corporalibus in palam oculis speculari? Lateris etiam aperturam tam hiantem & patulam aliquo tempore, loco quo Christi latus transfossum extiterat, hæc Christi passionis æmulatrix & socia persensisse dicitur; quod in eodem, adinstar oblongi vulneris patefacto, ad hepar usque progrediens, halitus per ipsa corporis interstitia laberetur. Quo nimirum loco tam anxiam & acerbam doloris & passionis sustinuit punctionem, ut ex propinquis quidam, ejus aliquando dolori compatientes, indumenta, quibus operiebatur ad nudam usque carnem extraherent, & ad ejusdem levigationem doloris, ab omni vestimentorum obstaculo, non sine pœnali tamen molestia, totam lateris superficiem expedirent. Nullius enim rei materialis attactum in eo loco sine gravi læsione sustinuit: quapropter & nendi, quo vitæ sibi necessaria quæritare consuevit, officium, eo quod colum ad latus impediente dolore sustinere nequiverit, eodem in tempore sæpius intermisit. Manus etiam & pedes in locis prædictis, his videlicet ubi circulata stigmatum superficies eminebat, tam vehementi læsionis angustia premebantur, ut vel leviter his locis aut digitum superponere, vel rem quamlibet corporalem absque dolore gravissimo non valuisset aliquo modo contrectare.

per vulnus lateris anhelitum attrahit,

cum acerba punctione

C

non ferens ullius rei attactum:

uti neque ad manuum & pedum loca signata;

15 Capitis quoque circumferentiam ex omni parte tam vehemens læsio comprimebat, ut nil minus quam spineam coronam portendere videretur, quæ sanctissimo passionis tempore, pungendo simul & cruentando, caput Dominicum ambiebat. Quoties autem vel à patre vel à proximis aliquam contumeliosæ persecutionis injuriam innocua Christi tiro sustinuit, toties in præfatis locis vires suas ipsa doloris angustia renovavit: ob hoc scilicet ut exteriori molestia, quam lingua malignantium intulit, ipsi suo capiti Jesu Christo, quondam non dissimilia patienti, dignæ compassionis vicem ipsa rependere disceret: ac proprio læsionis incommodo, Dominicæ passionis injurias intra se jugi memoriæ retinendo, per viam patientiæ, quam suis sequacibus ipse Dominus olim præcedendo monstraverat, innixa super dilectum suum, post illum inoffensis gressibus ambularet. Qualis autem aut quantus is dolor extiterit & læsionis acerbitas, quam in locis eisdem Dei Virgo suæ persecutionis tempore toleravit, sicut nullo rerū materialium instrumento, sed solo nutu divinæ voluntatis illatum excepit, ita nullo verborum ordine declarare potuit. Ipsa quippe miraculi magnitudo, sensus humani capacitatem excedens, sicut humano non valuit intellectu concipi, sic etiam vocali demonstratione non potuit explicari.

dolore capitis coronam Christi spineam videtur portēdere;

D

potissimum dum injuriā illatam patitur.

16 Videns itaque Dei famula præfata stigmata locis supradictis tam firmiter impressa consistere, quod nullo valuisset ea medicationis aut chirurgicæ curationis artificio removere; primo quidem hæc ipsa, multa diligentia multoque conamine, præsertim illa quæ præferebat in manibus, occulere studuit, & humanis aspectibus ea subtrahere, quæ præter humanam industriam in suo corpore sola divinæ virtutis operatio consignavit. Sed cum incassum in hac absconsionis diligentia sese laborasse conspiceret (ipsa quippe miraculi novitas à proximorum notitia diutius arceri non poterat, eo quod doloris angustia, quam sustinuit in his locis, sua se proditione detegeret, & manualis opera, qua vitæ sibi necessaria quotidie quæritabat, ipsa quæ in manibus apparuerunt, diutius à proximorum abscondi conspectibus prohiberet) timens, ut post accidit, ne fortassis hujus miraculi novitas ob sui raritatem in populo vulgaretur, & proinde tamquam clari nominis aliqua futuris temporibus à populari frequentia coleretur; omnipotentis Dei clementiam effusis precibus exorare cœpit obnixius, ut & præfati timoris occasionem à corde suo repelleret, & ea, quæ prædiximus, à suo corpore stigmata removeret. Qui clementer eam exaudiens, ipsas quidem cicatrices à locis, quibus olim impressæ fuerant, penitus auferendo dimovit; sed doloris pristini læsionem ab eisdem locis ex toto non abstulit. Nam omni vitæ suæ tempore, quotiens extrinsecus aliqua malignantium injuriosa molestia gravabatur, toties in præfatis locis ipsa doloris acerbitas continuo renovata, tam ad perferendum æquanimiter proximorum injurias, quam ad recolendum eas, quas pro se sustinuerat Christus passionis angustias, talibus ea, ut sic dixerim, admonitionibus hortabatur.

conatur stigmata abscondere, maxime manuum,

E

sed nō valet;

precibus à Deo impetrat externam apparentiam removeri.

sed retinet doloris sensū.

F

17 Attendat igitur & miretur quisquis hæc audiendo legendove cognoverit, quanti meriti quantæque dignitatis apud Dominum hæc ejus electa fuerit; cui pro spirituali munere propria passionis suæ stigmata baiulanda commisit: & quos pro totius mundi redemptione Dominus Iesus olim in suo corpore cruciatus doloresque sustinuit, hos ad specialem amoris sui commendationem in hujus famulæ suæ membris virgineis assidue renovavit. Mirentur alii Dominicæ passionis insignia nostris tēporibus in virginali corpore renovata consistere: mirentur antiquorum vulnerum Christi stigmata, post tot temporū interstitia, in membris virgineis iterum enitescere; quæ nō persecutoris lancea, sed sola pietatis divinæ clementia; non crucifixoris acerba crudelitas, sed sola fecit individua caritatis integritas apparere. Ego vero hæc non tam admiratione digna censeo, quam eximiam humilitatis pietatisque virtutem, quam in hujus mente longe mirabilius ad arduum perfectionis culmen excrevisse conspicio: quæ dum tantæ dignitatis privilegium accepisset à Domino, tantique miraculi digna reputaretur prærogativa & honoris titulo;

In his elucet specialis amor Christi erga Idam,

& hujus exemplo Christi humilitas.

A situlo, Christi tamen humilitatem his longe præferens, ad eam potius intentionis aciem erigere maluit, sine qua salutem animæ suæ procurare non potuit; quam ad populares applausus animum inclinando deprimere, quos perfectorum aliquis vix umquam absque vanæ delectationis vitioso contagio declinavit.

CAP. VII. 18 Quodam etiam tempore pauper quidam, abiectissimæ formæ pannosique cultus vili satis adopertus schemate, quasi petiturus hospitium, ante fores cellulæ Deo dilectæ Virginis astitit; ac intromitti se, pausandi simul & hospitandi gratia, planctuosis vocibus humiliter exoravit. Quem cum Dei famula, miro compassionis affectu, velut egenum aliquem, in cellæ suæ receptaculo suscepisset; ejusque mendicitati propensa devotione compatiens, ad præparanda sibi vitæ necessaria suæ devotionis obsequium applicare cœpisset; alteram in hoc facto se martham exhibens, & quod olim illa Christo capiti, hæc ejus membris ob amorem Christi devotione qua valuit impendere cupiens, ac circa frequens ministerium diligenter invigilans, & attendens; ecce pauper, de quo sermo noster exorsus est, ad hospitam suam reverenter accedens, in faciem illius astitit; ejus propriis manibus, ut sibi visum est, pectus aperuit: & per ejusdem pectoris aperturam introjens, intraque semetipsam totum sese recipiens, ac foris disparens, penitus introivit. Mira res & à longe retroactis temporibus admodum inaudita. Ne tamen ex rei novitate legentis animus diutius maneat in suspenso, si quis hujus facti mysterium apertius indagare voluerit, quis iste pauper extiterit, & cujus rei gratia petiturus hospitum ad Dei Virginem declinavit, evidenti demonstratione conjicere poterit ex post facto. Nam subito mens Idæ venerabilis tanto paupertatis abiectionisque desiderio cœpit intrinsecus inflammari, ut omni, qua se pristinis diebus astrinxerat, abiectionis & vilitatis injuria non contenta, mirabili satis exemplo conceptum desiderium cordis sui continuo patefaceret; & quid virtus divina, per infusionem gratiæ quam acceperat, operaretur intrinsecus, inusitato quodam rerum ordine foris illico demonstraret. Mox siquidem propriis exuta vestibus, ad reclusorium quoddam habitioni suæ vicinum indilate confugit; ibique vili quodam panniculo se involuens, & mattam vice chlamydis desuper circumponens, alioque vili satis operimento faciem suam involuendo submittens, per vicos & plateas, tali redimita schemate, per loca quæ magis erant hominum frequentia constipata, cœpit ambulando procedere: sed & ubicumque cultis vestibus olim incedere consueverat, & populares aspectus per habitus ostensionem in se dudum superba reflexerat; ibi nunc, velut amens & fatua, monstruosum quoddam hominibus præbens de semetipsa spectaculum, incedebat.

Pauperem visa sibi excipere,

eique ministrare cupiens,

B

foris disparentem per apertum latus intra se recipit,

mirabili gratia divinæ affectu.

C

vili operimento tecta,

velut fatua ambulat:

19 Quodam etiam tempore, cum in ecclesia sacrosanctis Missarum solenniis, his suis adoperta schematibus, inter esset, & à nemine cognita, cor suum in orationibus & gratiarum actionibus, in præsentia salutaris Hostiæ, dilataret; ex nimia gratitudine devotionisque superaffluenti dulcedine, quam tunc in anima sentiebat, ex ore simul & naribus tanta sanguinis abundancia confestim erumpendo cœpit effluere, quod ipsum quoque pavimentum ecclesiæ visus sit in multa copia, circa loculum, quem ipsa Dei famula jacens occupaverat, irrigasse. Quod aliis quoque temporibus eidem frequentius accidisse dignoscitur: cum scilicet ex amore divino, concepto supra capacitatem humanarum virium, internæ suavitatis abundanti dulcedine frueretur. Cum itaque venerabilis Christi paupercula, per dies aliquot in eo quem præscripsimus habitu; vilis & abiecta, sicut in propriis, sic in omnium oculis videri simul & reputari gestiens, incessisset; tandem à propinquis cognita, & non ficte sed veraciter ab his insana pariter & phrenetica reputata; de cunctorum assensu, ter uno die ligata, ter loris fortibus & vinculis est astricta. Sed interim Dei Virgo, cujus mentem in arduo patientiæ culmine fervor ipse paupertatis & desiderium abjectionis erexerat, omnem quam ex his exceperat injuriam parvi pendens, foris quidem vinculis compedita, sed interiori cordis invincibili libertate munita, pro susceptis contumeliis in Dei laudibus exultabat. Cum vero processu temporis nullum in ea vesaniæ vel amentiæ fomitem invenissent, ac proinde solutis eam vinculis libertati pristinæ reddidissent; ipsa quidem tanto gaudentius ibat à conspectu consilii, quanto dignior habita fuerat pro nomine Iesu contumelia attrectari.

tempore Missæ copiosum sanguinem ex ore & naribus effundit:

EX MSS. HUGONIS CONFESS.

ab propinquis ut phrenetica ligatur,

& in Deo exultat.

CAPUT VI.

Eucharistia ab Angelo collata. Amor ergà Christum. Effectus Colloquii pii.

CAP. VIII. E

20 Per idem quoque tempus, quo, despectis mundi vanitatibus, ad perfectioris vitæ fastigia cœperat aspirare, validissimum in corde suo fertur concepisse desiderium, percipiendi crebro vivificum Dominici corporis Sacramentum. Sed cum hujus desiderii sui fervorem aliquanto tempore, cum ingenti tædio simul & cordis angustia, tolerasset; & tamen concepti fervoris æstum Confessori suo patefacere non præsumeret; ac præter ejus consilium & assensum per effectum operis ipsi suo desiderio satisfacere non auderet; affuit electæ suæ, pro se taliter æstuanti, divinæ pietatis altissima miseratio, Nam quod impediente verecundia, sicut prætactum est, expetere non audebat in publico; compassivo miserationis suæ remedio tam illius affectui consulens quam rubori, præter omnem humanæ virtutis industriam, hoc ipsum electam suam consequi mirabiliter annuit in secreto. Siquidem eodem tempore frequenter accidit, ut cum Sacerdos, ut moris est, in altari sacram Communionem acciperet; hæc, in immensum dilatato desiderio cordis sui, sacratissimum pignus Hostiæ Salutaris, Angelico perlatum ut credimus ministerio, sub eodem momento temporis & ore reciperet & sapore discerneret, ac etiam ipso dentium suorum officio masticaret. Ex qua perceptione tanta nimirum jucunditatis & spiritualium deliciarum dulcedine replebatur in corpore pariter & mente, quod non verteretur in dubium ipsum sanctitatis auctorem eo tempore cum gratiarum suarum charismatibus adfuisse. Vere mirabilis Deus in Sanctis suis, qui priusquam invocetur, illorum occurrit votis, annuit desideriis; & quod necessitas indigentium vix multiplicatis precibus affecturam se fore speraverat, hoc, eorum affectiones annuendo præveniens, impartitur manu gratuitæ pietatis. Vere sanctissimum sanctæ Virginis desiderium dixerim, & omni laudis obsequio prosequendum, quod totiens repetitis vicibus, ut in suo robore firmaretur, de cælo cæleste recipere meruit alimentum.

Eucharistiam sumere cupiens,

nec à Confessario ausa petere,

F

ab Angelo allatam sumit,

21 At quoniam de validissimo sanctæ Virginis desiderio mentionem fecimus, superest ut cetera, quæ de ea referenda sequuntur, continuato sermone superioribus annectamus. Quadam itaque die, cum ex more cum ceteris, oblationem suam immolatura Domino per manum Sacerdotis, eodem tempore Missarum officia cele- CAP. IX.

EX MSS. HUGONIS CONFESS.

ex nimio Eucharistiæ sumendæ desiderio

copiosum sanguinem mittit:

celebrantis, ad altare cominus accessisset; videns calicem super illud, ut erat præparatus ad explenda sacrosancta mysteria, consistentem; tam fortissimo desiderio mox ex eo bibere concupivit, quod ad locum unde processerat eodem accensa desiderio rediens, & illius æstum intra cordis sui receptacula coarctare non prævalens, in tantum ei fræna laxaverit, ut impetuoso suo conamine, confestim ex ejus ore simul & naribus, immensos cruoris rivos excuteret; & donec ad perceptionem Hostiæ salutaris à Sacerdote perventum est, eodem tenore, per ipsas oris & narium aperturas, eamdem sanguinis inundationem absque quovis interstitio jugiter effundere nō cessaret. Mira quidem hæc, nisi tam mirandis succederent plus miranda. Præfatus quippe Sacerdos, quamquam eo tempore Dei Virgini nulla propinquitatis aut privatæ familiaritatis attinentia jungeretur; interna tamen, ut creditur, inspiratione præventus, expleto sanctæ perceptionis officio, confestim ad eam nuntio destinato mandavit, ut ad se remoto verecundiæ simul & timoris obstaculo confidenter accederet, & suo plene satisfaciens desiderio, de ipso calice bibere non tardaret. Quod quidem ob nimiam sanguinis effusionem, qua, sicut prædictum est, adhuc jugiter arcebatur, efficere non prævaluit.

eoque impedita nequit sumere,

B

22 Quam etiam ob causam, ab ejus inundatione post paulatum expedita, prorsus infecto negotio, cum suo desiderio tristis ad propria remeavit: ubi cum anxie fervens & æstuans, aut quid faceret aut quo se verteret ignoraret; cujuspiam tandem adreptans Corporalis particulam, quod ob reverentiam Dominici Sacramenti jam dudum à quodam suorum familiarium impetratum acceperat, & in secretario suo latenter absconditam cum omni reverentia conservabat: & hostiam quoque non consecratam, itemque dimidiam, ut vel sic ardorem sui desiderii saltem aliquantulum mitigando restringeret, avidissime devorando glutivit: sed nec sic fervor ille prævalidus omnino, quamquam tali focillatus medicamine, conquievit. His ergo taliter se habentibus, ecce Sacerdos quidam ei familiaris & intimus, divinæ pietatis, ut ex sequentibus aperte conjicitur, inspiratione præventus, misso nuntio Venerabilem Idam protinus ad se accersivit: in cujus præsentia confestim ad altare Missam celebraturus accessit, Sacrosanctam ei Dominici Corporis & Sanguinis communionem tradidit: & sic tandem in pace demissa, post mysteriorum expletionem ad sua cum gaudio repedavit. Quod autem non casu, sed divino nutu, hoc ipsum gestum extiterit, ex hoc manifeste probatum innotuit; quod idem Sacerdos, quodam gravissimæ tentationis exasperatus incommodo, divina mysteria sub eo tempore rarissime celebravit: nam & præcedenti die super hoc à Dei Virgine suppliciter exoratus, nequaquam in crastino se celebraturum responderat. At vero sequenti nocte pro liberatione sua, cum multa lacrymarum & orationum instantia, Christi famula laborante, Sacerdos idem à suæ tentationis incommodo, præter spem suam, adeo convaluerat; ut libera mente, gaudens & Deo gratias agens, eodem sequenti die petitionem sanctæ mulieris explere satageret: ad cujus expletionem assensum prius impendere, supra dicto gravatus incommodo, denegarat.

cessante emissione sanguinis,

domi hostiā non consecratā sumit:

postea sub alia Missa communicat

C

Sacerdote ab impedimento celebrandi liberato.

CAP. X.

Inter orandum

23 Sub ejusdem quoque processu temporis, hoc suæ devotionis obsequiis addiderat Ida, Virgo Christi venerabilis, ut speciales quasdam Horas affectione præcipua quotidie decantaret, in honore sanctæ & individuæ Trinitatis. Quadam ergo die, cum ad id legendo pertingeret, quod eisdem Horis insertum esse dignoscitur, videlicet, Et Verbum caro factum est & habitavit in nobis (quod quidem ex Ioannis extractum Euangelio præfatis Horis inscribitur: & in his suo loco satis congrue juxta materiæ consonantiam adaptatur) ecce verbum id, quod lingua formavit & ore protulit, in carnis substantiam transformatum, eodem temporis momento, divinæ virtutis operatio commutavit; ipsam denique carnis substantiam & ore sentiens & sapore discutiens, prius, ut moris est, masticatam ad interiora trajecit: & factam in ore suo sicut mel dulce, ut alium cujuslibet generis cibum, non phantastice, sed veraciter deglutivit.

D

recitans, Verbum caro factum est, Joan. 1, 14

carnis substantiam in ore sensit.

24 Sed & alio quodam tempore, cum ad sanctam Communionem una cum aliis quibusdam religiosis accederet; ac præ desiderio, quod ad perceptionem vivifici Sacramenti tunc mente conceperat, tota spiritualibus deliciis affluens abundaret; unum illorum sic alloquens, nesciens quippe quibus verbis affectum suum digne satis exprimeret, Eamus, inquit, & devoremus Deum. Quam utique verborum seriem, quamquam confuso satis ordine promulgatam, ex amoris tamen secretario in medium prosiliisse non dubitabit, quisquis adinstar sanctæ Virginis affectum habere se senserit amorosum. Mos quippe veraciter amantium ita se habere dicitur, ut eorum intentio vel affectus, eo quod verbis explicari non valeat, non exquisito verborum schemate, sed incondito quodam & semiplene formato dictionum ordine, potius innotescat. Ut autem sacratissima Communione percepta, Dominici Corporis Sacramentum ad gutturis ima descendit; mox in piscis, ut sibi videbatur, substantiam commutatum, ab interiori parte gutturis ad medium usque ventris, capite deorsum inclinato, semetipsam in longum extendit; & totum illius spiritum faucibus absorbens suis, & in proprii ventris interiora trajiciens, ad instar piscis ad cibum hiantis, avidissime deglutivit: quod non solum in ipsa perceptionis hora, sed per totum diei illius spatium, intra se jugiter agitari sensisse dicitur: ita rei processum & ordinem divina clementia disponente, ut quæ corpus Dominicum sancta quadam voraverat aviditate, ab eo vice versa non ad consumptionem, sed ad felicem ejus incorporationem, non sine grata quadam & jucunda vicissitudine voraretur. Sed quid mirum si supernæ virtutis operatio, quæ Jonam in ventre piscis olim absorptum, & à maris fluctibus conservatum, iterum cum voluit eduxit evomitum; hujus quoque famulæ suæ spiritum, per Sacramenti sui mysterium in piscis specie commutatum, intra se glutivit absorptum: ex quo, velut in tranquillum cordis & conscientiæ portum, denuo, cum voluit, eduxit in aridum; à procellosis fluctibus mundi, eo celerius quo liberius, expeditum. Quid etiam mirum, si Verbum quod in utero Virginis Caro factum, in Sanctorum cordibus habitare disposuit, in hujus quoque Virginis utero, qualiter & quomodo voluit Incarnationis suæ mysteria renovavit. Maria denique Verbum divinitus incarnatum, ad salutem omnium, in mundo pariendo produxit: & ad salutarem animæ suæ pastum, hoc ipsum Ida Venerabilis vice versa, per Lectionis esum, in alvi sui receptacula delegavit.

Communicatura, nescit quomodo desiderium suum explices:

E

sentit Sacramentum instar piscis à se sumi,

F

CAP. XI.

Cum matrona quadam

25 Alio quoque tempore matrona quædam, ei nexu familiaritatis astricta, devotionis causa cum ea pernoctare disposuit. Ad quam cum statuto tempore declinasset, & omni caritatis & devotionis obsequio, tamquam sibi familiarem & notam, Dei famula suscepisset; nocte superveniente mulier peregrina lectum in solario, quo Virgo

Christi

A Christi decumbere consuevit, ut cum ea pariter in vigiliis & orationibus ac sanctis collationibus eadem nocte persisteret, consterni sibi devotis precibus exoravit. Quod Venerabilis Ida, pro eo quod secretorum suorum testem & conscium hominem mortalem admittere non consueverat, non libenter quidem annuit; ne tamen offensionis obicem cordi mulieris injiceret, quamquam involuntarie, supplicantis tamen precibus acquievit. Superveniente vero noctis crepusculo, cum ambę simul in eodem solario consisterent, & de supernæ felicitatis gaudiis, de mundi miseriis, inferni suppliciis, Scripturarumve salutaribus monitis, ædificatorios sermones hinc inde proponerent; Virgo Domini nullam interim, ut solebat, internæ suavitatis dulcedinem in mentis arcano sentire prævaluit. Qua de re tantam intra se sub eodem tempore mœroris & tristitiæ læsionem excepit, ut sensum proinde naturalem absque dilationis interstitio funditus amittere formidarit.

pernoctans in piis colloquiis,

absque sapore pietatis:

26 Hujus ergo sterilitatis, ut erat magni desiderii, nimis impatiens, omnipotentis Dei clementiam interpellare cœpit instantius; ut mœroris sui nebulam manu solitæ suæ pietatis à corde suo B detergeret, & consueta supernæ claritatis abundantia tenebrosum suæ mentis ergastulum illustraret. Sed quid plura? Vix ad expletionem suæ orationis verba formaverat, vix ad prosequendum interpellandi studium animum excitarat; cum ecce respicientes ambæ viderunt cælum aperiri, splendoremque nimium ex eodem, ad instar coruscationis elapsum, super venerabilem Dei famulam abundanter effundi; totamque simul intus & deforis, velut à solis radiis, copiosissime perlustrari. Ex qua nimirum illustratione, tanta supernæ jucunditatis affluentia mens illius affectusque replebatur interius, tamque spiritualis immensitate dulcedinis ejus inebriari cœpit animus, ac si totus ad inebriandum in ipsam cellam vinariam eo tempore fuerit introductus. Videbat enim corporali, ut postea referebat, intuitu, cælum, in eo loco à quo claritas ipsa prodierat, in longum pariter & in latum, ad mensuram longioris corrigiæ seu funiculi, quasi scissum in superioribus aperiri: quam utique fissuram & illi, quæ secum in eodem loco C consederat, ad majorem rei certitudinem demonstrare quidem voluit; sed tantus eo in momento mentem ipsius sociæ mulieris stupor ac hebetudo depresserat, ac cordis intima pavor invaserat; ut non solum sursum ad videndum, quod fiebat in superioribus, aspicere non valuerit; verum etiam amentis instar & fatuę, vel quid faceret aut quomodo se haberet, pavoris obtenebrata caligine, penitus ignorarit. Testis tamen hujus miraculi post, omni vitæ suæ tempore, fidelis & verax apparuit: & mira quæ circa Dei famulam, annuente superna clementia, videre meruerat, insinuatione veridica multorum notitiæ postea commendavit.

post preces fusas

conspicit cælum aperiri,

seque illustrari,

gaudio perfunditur una cum illa

teste hujus facti.

CAPUT V.

Cerevisia in vinum mutata: Piscium & avium accursus. Admiranda extasis in festo Epiphaniæ.

CAP. XII. 27 PEr illorum quoque temporum intervalla, juvencula quædam, quæ semet ante paucos dies, abjectis seculi vanitatibus, ad Beghinarum *a* collegium, vitæ simul & veste mutata, contulerat; & aliquantulum temporis, in progressu religionis sanctæ, omnipotenti Domino strenue militarat; instigante bonorum omnium inimico, paulatim cœperat à sancto proposito tepescendo deficere: quam etiam à recto tramite versipellis adeo fraudulenter abduxerat, ut quasi canis ad vomitum reditura, jam jam habitum assumptæ religionis abjicere, & mundanis quibus renuntiaverat vanitatibus se denuo proponeret immiscere. Quod cum ad venerabilis Idæ notitiam pervenisset, & qualiter aut quibus occasionibus antiquus generis humani adversarius suis eam nexibus irretire jam cœperat, advertisset; non tam illius indignata nequitiæ, quam hujus compassa miseriæ, immitenti periculo sese constanter opposuit; & evocatam ad se juvenculam fluctuantem, ac in suum triclinium introductam, nunc blandis admonitionibus, nunc duris etiam increpationibus, prout ipsi perpendebat expedire negotio, suffragiis nihilominus orationum adhibitis, ad propositum emendatioris vitæ reducere laboravit.

a juvenculam Beghinam,

EX MSS. HUGONIS CONFESS.

statuentem ad seculi vanitatem redire,

in sua vocatione corroboratura,

28 Hanc ergo cum una dierum Christi Virgo secum prandere faceret, & vinum quod apponeretur mensæ discumbentium eo tempore non haberet, infusam crateri cerevisiam epulanti puellæ vice nectaris apposuit: & sic exhilarato vultu simul & jucundis vocibus exclamando, Dignum, inquit, & rationi satis consonum nunc existeret, ut cælestis sponsus has suas sponsas, hic in suo nomine congregatas, in his suis nuptiis misso vini poculo recrearet. Mira res, & non inconvenienter, ut arbitror, antiquo Christi miraculo conferenda: puella namque propinatam cerevisiam confestim ori applicuit; sed qui dudum in Cana, nuptiarum in convivio residens, aquam in vinum cælesti virtute converterat; in hoc quoque nuptiali convivio, prædilectæ sponsæ suæ satisfaciens desiderio, memoratam cerevisiam in vinum optimum commutavit. Bibens ergo puella, vinique saporem & ore suscipiens & palato discutiens, in stuporem versa, magna cœpit vociferatione perstrepere: patratique miraculi novitate nimis attonita, supernæ pietatis eminentiam altisonis non cessavit laudibus ac præconiorum immensis vocibus exaltare. Ex tunc ergo, per hujus miraculi novitatem, in sancto proposito confirmata; per arctam pœnitentialis vitæ semitam, hanc Dei famulam deinceps imitari studuit; ejus in procinctu conversationis suæ sequendo vestigia, donec opitulante divina gratia, per ejus ducatum, ad magna perfectioris vitæ pertingeret incrementa.

ad prandium invitat

E

& cerevisiam in vinum mutatam offert:

& in sancto proposito confirmat.

F

CAP. XIII. 29 Accidit etiam his temporibus, ut ad lavandum quoddam lineum vestimentum, ad stagnum habitationi suæ contiguum Virgo Deo devota quadam die procederet; & ad reformandum, ut moris est, in eo candoris pristini novitatem, ipsum perfundendo simul & abluendo liquoribus, sæpe repetitis vicibus, humectaret. Quod cum diligenti conamine stans in ripa laticis actitando perficeret, ecce multitudo piscium diversi generis aggregata, tamquam ad desideratum cibum ex imis laci gurgitibus ad manus Virginis adnatavit, ac in ejus conspectu, tamquam ex sua præsentia jucundata, saltuosis gestibus exultando tripudians, quibus valuit salutationum obsequiis, ipsam Dei Virginem honoravit. Confluebant enim ex omni parte certatim, aliisque recedentibus vicissim alii succedebant; & quotiens in aquam manus illa submitteret, ejus apprehensis digitis, his suis rictibus, adinstar puerorum ad papillas dependentium, adhærebant; sicque per multum diei spatium, gratum cum suis applausibus ei spectaculum exhibebant. Illa vero nunc hos nunc illos apprehensos manibus, in pontem asserinum, super quem stabat, ante se posuit; & cum alios pro libitu voluntatis suæ remitteret aliosque reponeret; nullum tamen eorum à se contrectando fugavit, sed velut matrem propriam indesinenter ejus lambendo vel

linteamina ad stagnum lavans,

recreatur multitudine piscium accedentium,

eisque pro arbitrio utitur.

Ex MSS. HUGONIS CONFESS.

vel sugendo digitos, hanc certatim omnis multitudo circumdedit; donec ad illius nutum in profunda gurgitis, unde confluxerat, indulta sibi licentia, renatavit.

30 Aliud etiam in his diebus isti non dissimile Dei famulæ contigisse dignoscitur: in quo divinæ virtutis magnificanda bonitas, & Virginis suæ veneranda sanctitas apertissime comprobatur. Quadam enim die cum ad ecclesiam, ubi Missalia celebrantur officia, more solito processisset; subiit in ejus animo, quod in ipsam ecclesiam eo tempore non intraret, sed stans foris in atrio, sacrosanctum quod explebatur in illa mysterium, eo devotius, quo à populari frequentia sequestrata remotius, aforis auscultaret: ubi cum sola, ceteris in ecclesiæ gremio congregatis, illa consisteret; & solitudinis tædio molestata, aliqualis creaturæ solatium affectaret; quasdam utriusque sexus aviculas, gallos videlicet & gallinas, in victus sui quæritandis pastibus occupatas intuens à locis remotis, ad illas continuo se convertit, & talibus has verbis eminus allocuta, quod ad se protinus advolarent & divinis secum interessent officiis, adjuravit: Omnes, inquit, vos gallinacei generis aves, in contiguis hujus atrii terminis habitantes, per potentiæ divinæ bonitatem adjuro, quatenus, omissis interim pastibus, ad ecclesiam convolantis, & sanctis Missarum solenniis ad honorem nostri Creatoris mecum nunc pariter intersitis. Res mira, nostrisque temporibus quanto magis inusitata, tãto dignius inter antiqua Sanctorum miracula recitanda. Vix enim sancta Dei famula verbum ore protulerat, cum ecce præfati generis aves, ex diversis viciniæ locis undique confluentes, ad illam convolare cœperunt; eamque tamquam matrem propriam circumdantes, & quasi quibusdam gestibus se paratos ad ejus obsequium acclamantes, erectis sursum cristatis capitibus, ad eam indesinenter oculorum suorum aciem direxerunt. Stabant ergo cunctæ per ordinem velut immobiles, in illam jugiter intuentes, ac ejus animum non mediocriter hoc suo spectaculo delectantes; donec Euangelica lectione jam in ecclesia recitata, revertendi licentiam ab ea reciperent: & sic inclinatis capitibus, quasi valedicendo ei, rursus unde convenerant ad loca propria revolarent.

Missam in atrio audiens,

gallos & gallinas evocat,

B

& Missæ sacrificio jubet interesse,

quo peracto dat abeundi licentiam.

CAP. XIV.

31 Sub eodem quoque tempore magnum nimis & vehemens desiderium cor sanctæ mulieris accenderat, infantis Christi corporalem præsentiam corporalibus oculis intuendi; similiterque ipsum cum Magis, oblatis digne muneribus, adorandi. Quod quidem desiderium per integrum anni spatium fixum in ejus mente duraverat, eamque per id temporis intervallum immenso sui robore non mediocriter anxiarat. Contigit igitur in Sanctæ Theophaniæ Vigilia, quo tempore scilicet hæc trium Magorum adoratio per universam recitatur Ecclesiam, in Bethleem Herodis tempore celebrata; contigit, inquam, puellam quamdam, sub Beghinali habitu divino servitio mancipatam, devotionis causa cum sancta Dei Virgine pernoctare; quatenus ad Vigilias matutinas, in vicina fratrum Prædicatorum *b* ecclesia celebrandas, simul ea nocte procederent; ibique magna cum solennitate recitandis simul laudibus interessent. Noctis ergo superveniente crepusculo, constratum sibi lectulum ambabus pariter occupantibus; illa quidem ad pausandum membra composuit; Venerabilis autem Idæ solita de Salvatoris infantia meditatio mentem tam fortiter eodem in momento temporis impetivit, ut non solum oculis suis somnum & palpebris suis dormitationem indulgere non posset, verum etiam in tantam æternæ jucunditatis abyssum illius spiritus insiliret, ut eximia spiritualis delectationis & supernæ dulcedinis

C

Exoptat Christum infantem cum Magis adorare:

b

& nocte Epiphaniæ

inter meditandum

abundantia, quam sui cordis angustia totam capere nõ valebat, mirum in modum naturalem situm excedentia singula corporis sui membra grandescerent, & supra mensuram solitæ quantitatis sese tam monstruosa grossitudine dilatarent; ut unus ex pedibus, inflationis hujusmodi pondus ferre non prævalens, eodem tempore per medium creparet, ac per multa post temporum intervalla suæ læsionis indicium ex vulnere demonstraret. Videres ergo Venerabilem Idam, consortem puellam immensa corporis sui mole depimere, solamque, cedente socia, quo simul accubuerant, lectuli latitudinem occupare. Mirabatur quidem altera vehementer, quid hæc repentina corpulentiæ latitudo portenderet; & semetipsam in extrema statim parte constringens, quo demum fine tam insolitæ rei miraculosa demonstratio clauderetur, intra se diligentius observabat. Nec mora, Dei Virgo, quæ, sicut prædiximus, paulo ante sibi totum lectuli spatium vendicarat, & vix minimam illius extremamve particulam accubanti secum, ob immodicam grossitudinis suæ quantitatem, indulserat; mirum dictu, tota repente disparuit, ac corporalem præsentiam alteri subducendo, penitus occupatum à se prius loculum ex toto vacuum dereliquit. Tunc vero superstitem nimium stupefactam, & præ subito pavore propemodum in amentiam resolutam, vociferantem audires, & magnis clamorum stridoribus ejulantem: quippe quæ præteritis temporibus vitæ suæ nil simile viderat, & quali clauderetur exitu tam insueti miraculi prorsus inusitata novitas, adhuc penitus ignorabat.

D

mole corporis dilatata

totum fere lectum occupat:

dein subito disparet:

E

32 At vero Dei Virgo, sive in corpore nescio, sive extra corpus nescio, Deus scit, interim in domum quamdam, Angelicis, ut credo manibus, transpositam se invenit; ubi gloriosam Dei Matrem, in suo sinu gestantem fructum dulcissimum ventris sui, Dominum videlicet infantilibus membris obumbratum, conspexit: quem etiam adinstar trium Magorum, prout jam diu desideraverat, in terra prostratis genibus adoravit. At ille dignam electæ suæ vicem rependere non dedignans, elevatis manibus, adorantem se, pietate solita, benedixit. Porro Dei famula, mira cum jucunditate mentis, in matrem simul & filium oculorum aciem dirigebat: ex quo nimirum aspectu tota spiritualibus deliciis affluens, & pretiosorum vultuum inæstimabili venustate satiari non prævalens, ab his continuatum sine quavis intermissione visum avellere non valebat.

& abducta, Deiparam cum puerulo Iesu videt,

eumque adorans cum Magis

deliciis Sanctis repletur:

F

33 Post paululum vero, subtracta visione quam viderat, ad se rediit, ac sese juxta consortem puellam in suo recubantem lectulo reperit: præfatæque non immemor visionis, Eja pulcherrime fili pulcherrimæ matris, ad similitudinem ebriæ vel amentis, altisonis & sæpe repetitis vocibus exclamavit. In hac autem mentis alienatione non modico noctis illius spatio perdurasse dicitur: ut non solum confusis vociferationibus exclamando, verum etiam corporalium membrorum gestibus ebrietatis excessivæ quædam indicia prætendendo, ne forte supervacuis discursionibus honestatis metas excederet, arctissimis brachiorum nexibus à consorte sua necessario stringeretur: donec post multum temporis ab hac dementiæ valetudine per Dei gratiam expedita, sospitati pristinæ denuo redderetur. Ad se vero reversa, visionem quidem quam viderat, aliquatenus verbis explicare, prævaluit; delectationis vero operosam dulcedinem, quam in prospectu sanctissimæ Dei Genitricis ac ejus dulcissimi filii Jesu Christi concipere meruit, nullis postea verbis exprimere potuit: quippe quæ cunctis humanis sensibus supereminens, ad plenam sui declarationem qualiumcumque verborum intelligentiam non admisit.

reversa ad lectum,

sibique reddita visionem indicat:

Neq

A Nec vero subtracta visione præfatæ delectationis, immensa jucunditas simul cum ea disparuit ac repente, sed quasi continue coram oculis cordis sui visionis ipsius demonstratio versaretur, sic per omne sequentis diei spatium cordis ejus penetralia perfundendo, continua jugitate non desiit abundare.

34 Sed & eodem die, cum à Vesperarum synaxi, quarum expletioni cum consorte Beghina pariter interfuerat, ad habitaculum suum redire disponens, ante patris sui domicilium pervenisset; iterum eodem tenore per omnia, quo & prius, in excessu mentis erepta, gloriosam Dei Genitricem in sinu suo gestantem infantulum denuo cœpit aspicere, prostratisque solo genibus Matrem cum Filio, prout antea fecerat, humiliter adorare. Cadens igitur in terram in plateæ medio, quasi mortua jacuit; rursusque tanta corpulentiæ magnitudo singula corporis sui membra pervasit, ut nisi fortissimis brachiorum amplexibus à socia stringeretur, ipsam fore per medium crepaturam, gravissimo timore perterrita formidarit. Nimis igitur anxiata puella, quid sibi faciendum esset, eo tempore potissimum advertere non valebat. Nam consortem suam, in medio platearum, in eo statu, relinquere solam, non tam illicitum quam nefarium esse credebat: at vero clamore perstrepere, vel alienum adjutorium vociferationibus implorare, ne forsan in populo divulgarentur hujus rei celanda mysteria, non audebat.

rursus in eamdem extasin rapta,

similiter dilatatur:

B

35 His ergo taliter se habentibus; ecce pauper quidam à patre sanctæ Virginis hospitium petiturus, in paterno limine constitit, & hospitari se petiit. At vero patre petitionem admittere recusante, mœstus & ejulans hinc recessit; ac juxta sanctam Dei Virginem iter faciens, luctuosas quasdam voces edidit; quibus, ut erat addictus miseriis & ærumnis, miseriarum suarum vana nocumenta simul & ærumnarum incommoda deploravit. Cujus vociferationem Dei famula velut in somnis audiens, his interim excitata, confestim ad se rediit: surgensque protinus ad fores paternas accessit, hospitium pauperi denegatum à patre precibus suis obtinuit; & sic demum in suum, unde digressa fuerat habitaculum, ducatum sibi præbente socia, repedavit. Domum ergo ingrediens, & pondus intimæ dulcedinis, quam ex præfatis visionibus in mente conceperat, corporalium virium adminiculo sufferre non prævalens; mox in languorem validum & fortem incidens, & proprio decumbens in lecto, dulcique vulnerata amoris spiculo, solis gemitibus & suspiriis intentionem applicuit: sicque continuo tredecim dierum spatio, quorumcumque materialium ciborum substantiam non solum interim non degustans, sed, quod pluris est, ad omnem illorum exquisitam varietatem etiam auditum auris applicare dedignans; solo per id temporis amoris nutrita ferculo, caput à lectulo non levavit. In quodam vero dierum illorum accidit, ut memorata puella, quæ languenti sedulum interim exhibebat obsequium, ad consternendum in quo decumbebat lectulum, ut moris est, quamdam panis in manu deferens portiunculam adveniret: quem cum in scabello, juxta virginale cubiculum, ob hoc scilicet ut suum expeditius exequeretur officium, illa deponeret; idem panis, ultra consuetam virtutis suæ naturam, optimam quamdam & miræ suavitatis fragrantiam super ægrotam cœpit effundere; languentisque spiritum tam copiosa sui dulcedine recreare, quod eumdem arreptum, nesciens quippe quid ageret, avidissime masticatum ad interiora comedendo trajiceret: & quæ, sicut præmisimus, eo tempore nullum terrenæ substantiæ cibum, non solum edere, sed nec nominatum audire, salva cordis sui pace, valuerat; hunc, de quo loquimur, panem, in quodam mentis suæ excessu, non tam strenue quam avide devoraret. Quod non casu, sed divino nutu taliter actum esse, non incongrue creditur; ut virtus scilicet corporea, continua tredecim diebus abstinentia lacessita, per hujus panis edulium in suo denuo vigore firmaretur. Ut autem à mirante puella, quidnam scilicet portenderet hęc inconsueta comestio, rogata, sese manducasse cognovit; mox appetitu deficiente de præfato pane gustare non potuit: sicque, donec post diem tertium decimum sospitati pristinæ redderetur, in abstinentiæ continuatæ jejunio perduravit.

ut pauperi hospitium procuret, excitatur:

domum reversa,

C

13 diebus absque omni cibo pergit:

excepta portiuncula panis in mentis excessu degustata.

EX MSS HUGONIS CONFESS

ANNOTATA.

a *Begginarum Lovaniensium collegium, bellorum tempore, ex Meldert intra urbem traductum creditur, ubi* Curiam *(sic enim vocant) vulgo* het hof, *cœptam anno* 1205 *docent insculpta in templi lapidibus littera.*

b *Lipsius in suo Lovanio lib.2 cap.16 asserit Conventum Prædicatorum Lovanii fundatum fuisse anno* 1224.

CAPUT VI.

Soror Ida senior ab inferendis injuriis deterretur cælesti lumine: soror junior à morte suscitatur. E

36 Per id quoque temporis una sororum ejus carnalium, instigante maligno, durissima verborum asperitate quadam die cœpit insontem impetere, verbis injuriosis indigne lacessere; quodque nimis erat inconveniens, nec sanctitati deferens nec honori, devotæ Virginis animum, in quantum valuit, ad impatientiam simul & ad iracundiam provocare. Sed qui numquam à justitiæ tramite deviat in judiciis, qui vindictam & retributionem sibi vendicat in Scripturis, quique venerabili sponsæ suæ numquam in suis afflictionibus aut pressuris defuit, & hujus quoque redarguendam inconsultæ pertinaciæ pravitatem, digna satis animadversione, corripuit: & quod in electorum persona, non tam his quam sibimet, à malignantibus irrogetur injuria, manifesto satis indicio demonstravit. Sequentis enim supervenientis noctis tenebris, cum hæc, de qua loquimur, ad soporandum in lectulo juxta morem artus sui corporis intulisset; & sopitis curarum tumultibus, somnum oculis & dormitationem palpebris indulsisset, ecce puerulus quidam, inæstimabilis, ut postea retulit, elegantiæ, talari pariter & inconsutili tunica redimitus, ei per visum apparuit: qui per subsellii gradum in lectum ascendens, & sese projiciens super illam, pugnorum ictibus ac pedum tunsionibus ipsam cœpit vehementer opprimere; durisque verborum insultibus ejus arguendo stultitiam, & commissam in sororem exprobrando nequitiam, hanc aggressus est nihilominus increpare: Cur, inquit, sororem tuam hesterna die, sine causa rationabili, nec mihi deferendo nec illi, tam contumeliosis injuriarum ictibus impetere præsumpsisti? Cur venerabilem sponsam meam, quæ me tam liberaliter quotidie in membris meis cibat, obsequitur, & ministrat, inconsulte pariter & indigne, tam graviter offendisti? An ignoras mihi met illatam esse contumeliam, quam electæ meæ tam proterve tamque pertinaciter intulisti? Cui cum illa, tremens & pavida, numquam tale quid se facturam de cetero responderet; insuper & sororem suam omni deinceps à se prosequendam honoris obsequio, dum tamen hæc sibi remitteretur offensa, firma stipulatione promitteret; Noli, inquit, noli talia dicere, frivolamque de re quam asseris nolito promissionem facere: scio enim & certus sum, quod nunc ad tuam evasio-

CAP. XV.

Injuriosis verbis excipitur a sorore:

Rom.12.19

sed à Christo instar puerili apparente

F

& eam reprehendente defenditur.

EX MSS. HUGONIS CONFESS.

evasionem ista mendaciter asseris; & sicut hactenus ita futuris temporibus, hujus immemor sponsionis, quamplurimas ei maledictorum injurias, & quam multas offensionum illi molestias, non impune tamen, irrogabis.

37 Hæc dicens ab oculis intuentis, ut sibi videbatur, infantulus quidem evanuit; sed quod talia sibi enarrando vera prædixerit, eventus rei postea declaravit: nam & sequenti quoque tempore talia sæpius iterando repetiit, & nunc exprobratoriis, nunc subsannatoriis, interdum etiam cachinnosis sermonibus, diabolicisque in hoc facto consentiens votis & obsequens desideriis, innocuum sanctæ Virginis animum impugnavit. Ex quibus unum adhuc proferemus in medium, quod Sanctorum Dei molestatoribus, ut à sua pertinacia resipiscant; & illorum veneratoribus, ut amplius in sua virtute proficiant, non incongrue dabitur in exemplum. Quodam ergo tempore stans hæc, de qua superiora narravimus, juxta vas vini, quod apud patrem illarum venale tunc temporibus habebatur; Venerabilem Idam, in suo tunc oratorio sanctis meditationibus aut orationibus occupatam, clamosis vocibus & cachinnantis indicia proferentibus, ad se taliter accersivit: Veni inquit, soror, accurre, propera, naresque tuas ad hujus dolii spiraculum applica: & quę semper flere desideras, abundanter lacrymas effundere poteris, hujus vini fragantis odore nectareo provocata. Quod audiens illa Vinum, inquit, sua me crebro suavitate compunxit, & ad fletum effusionemque lacrymarum odoris sui dulcedine sæpissime provocavit. Dixit autem non de vino materiali, quod potatum in ventrem vadit, & in secessum emittitur; sed de vino spirituali, lætificante cor hominis, quod à solis mundicordibus in cælestis gratiæ promptuario degustatur. Hæc dicens flere cœpit, uberrime nimirum eodem in tempore cælestis vini saporem pariter & odorem, in illatæ sibi recompensationem injuriæ, superna sibi gratia propinante. Vix autem Dei Virgo verba finierat, & ecce globus quidam luminosus & igneus ipsi, qui in superioribus elucere conspicitur, soli tam qualitate quam etiam claritate simillimus, de supernis emissus, super Christi famulam emicans apparebat: qui totum illustrans illud virginale triclinium, etiam & sororis æmulę videndum se conspectibus offerebat. Quem illa videns vehementer obstupuit, & per tam miraculosam hujus demonstrationem luminis à suis excessibus aliquantulum emendata, quid viderit aut qualiter illud acciderit, intimatione veridica, multis post hæc admirantibus, & propensam Dei Virginis sanctitatem ex hoc multipliciter approbantibus, indicavit.

iterum ab ea irrisa,

B

globo igneo super se emicante illustratur.

C

CAP. XVI.

38 Quoniam igitur in præcedenti capitulo de superno lumine Christi famulam illustrante, brevem sub compendio mentionem fecimus; opere pretium est, ut & alia, quæ de ea referenda sequuntur, continuato narrationis ordine superioribus adjungamus. Quodam ergo nocturno tempore, festo scilicet beati & gloriosi Confessoris Domini Nicolai, Venerabilis Ida simul cum sorore sua, de qua superius narravimus, ad ecclesiam processerat orationis causa; ibique juxta morem, ad vacandum Dei laudibus, in secreto quodam ecclesiæ loco se conferens, ante gloriosæ Dei Genitricis iconam, ibidem in cujusdam altaris crepidine collocatam, orationis suæ munia devote pariter & intente, cum gemitibus & suspiriis, adimplebat. Ubi cum per aliquantulum noctis illius spatium, terram genibus & cælum tundens fletibus, ante præfatam imaginem astitisset; & gratum omnipotenti Domino laudis & gratiarum actionis incensum, in ara sui cordis, in odorem suavissimum obtulisset; ecce præfata soror illi cominus tunc assistens, & oculorum intuitum dirigens in eamdem, vidit eam totumque corpus ejus, ex omni parte tam clara perfusam luce splendescere; & quasi non terrena substantia, sed visio quædam appareret Angelica, tanto luminis jubare radiare; quod reverberatis oculis non solum in illam aspicere non valeret, verum etiam in facie corruens super terram, & sese deplorans penitus excæcatam, totum illius ecclesiæ domicilium immensis clamorum vocibus & magnis ejulatuum fletuumque stridoribus adimpleret. Tanta quippe vis claritatis illius extiterat, ut ipsamet postea referebat, quod obtenebrata penitus oculorum acie, nec proprias manus, aut aliud quid interim valuisset aspicere; donec post aliquantum temporis, effugato prædicto reverberationis incommodo, paulatimque redeunte pupillarum acumine, convalesceret: & sic demum non tam extrinsecus oculorum visum recepit, quam intrinsecus rationis intuitu reformato, per geminatam hujus miraculi novitatem, ab irrogandis Dei famulæ contumeliis inferendisque molestiis de cetero didicit abstinere.

cum eadem sorore ecclesiam ingressa

D

videtur magna luce circũfundi,

unde illa multum emendatur.

39 Sed & alio quodam tempore puella quædam, ejus, quam Beghinalem vocant, religionis cultui dedita, sibique per familiaritatis obsequium intimata, consistens in quadam ecclesia juxta loculum, quem illa suo more vacans orationibus occupavit; omne corpus illius, quasi lucernam intrinsecus illustratam, immenso quodam lumine radiare conspexit: & quod sola videre promeruit, ad multorum post notitiam insinuatio veridica delegavit. In quadam etiam nocte sanctissimæ Nativitatis Dominicæ, cum scilicet in matutinalibus Vigiliis illius diei, quæ Salvatoris ortu præcipue celebrari consuevit, sacrosanctis Missæ solenniis interesset; Frater quidam, ordine simul & officio Prædicator, hanc inter duo magna luminaria, velut in candelabris à dextris pariter & sinistris illius apertissime collocata, consistentem aspexit: quorum radianti jubare per multum noctis illius spatium illustrata, situque parili mediotenus hanc illis ambientibus, ex utroque latere constipata; terribilis ut castorum acies, in oculis intuentis simul & mirantis, apparuit; ac sic insuper, ad sanctitatis suæ commendationem perpetuam, illius animum hoc suo miraculo non mediocriter excitavit.

E

simili in lumine videtur à Beghina

& in nocte Nativitatis Christi à quodam Dominicano.

F

CAP. XVII.

40 Contigit etiam his temporibus electam Domini, corporalium virium obsequio destitutam, paulatim in languorem incidere; laxatoque complexionis suæ naturali robore, per dies aliquot aliquantulum ægrotare. Quadam ergo die, dum languens in stratu suo decumberet, & morem gerens infirmitati, tam à curis animum quam à laboribus & pressuris extenuata corporis sui membra necessario subduxisset; ecce soror ejus junior & natu inferior (quæ per aliquantum etiam temporis admodum graviter ægrotaverat, at vero convalescentiæ denuo quidem beneficio restituta, sed necdum à pristinæ debilitatis incommodo totaliter expedita, de lecto consurgens, ad hanc velut ad ægritudinis suæ participem & consortem gratia visitationis advenerat) infirmantem sororem quali potuit exhortationis allocutionisque solatio recreavit. Ubi cum juxta languentem & ipsa languens, haud longo temporis spatio, constitisset; & infirmanti, prout sua requirere videbatur infirmitas, obsequii quippiam impendisset; ecce paulatim illius oculi repentina quadam obtenebratione caligare cœperunt: & post modicum ab omni visus officio destituti, memoratam puellam excæcatam penitus & omni privatam lumine reddiderunt. Quod illa perpendens, Eja,

ægra decumbens

à sorore juniore convalescente invisitur:

Eja, inquit, soror mi, jam incipiunt oculi mei tetra quadam caligine deprimi. Ac post paululum; Nunc, inquit, excæcati sunt penitus, omnique speculationis officio destituti. Quo dicto protinus ante lectulum Dei famulę resupina corruit, & justo quidem, sed occulto Dei judicio, repentinæ mortis interitu, cadens in faciem expiravit.

A — *quam subito mortuam deplorat*

41 Quod venerabilis ejus soror aspiciens, & super tam improviso morientis obitu nimium expavescens, luctuosis mox vocibus ad instar insanientis infremuit; & totum illius habitaculi domicilium inconditis replens ululatibus, ac planctuosis vociferationum ploratuumque stridoribus, à lectulo, cui jam diu languens incubuerat, in terram sese corruendo, projecit: ac super defunctæ corpusculum se expandens, miserandum illius interitum compassivo miserationis affectu, sororis nomen frequenter ingeminans, instantissime deploravit. Ad cujus voces omnis domesticæ familiæ perturbata multitudo convenit: & illam quidem exanimatam, hanc vero super corpus exanime prostratam inveniens, ultra quam dici possit attonita, planctuosis & ipsa vocibus inchoatum à Dei Virgine strepitum, non tam clamoribus indulgendo quam fletibus, augmentavit. Perpendens tamen Venerabilis Ida, non fletibus in hujus executione negotii opus esse, sed precibus; ab ejulatibus quidem interim abstinuit, & ad orationum suffragia continuo se convertit, omnipotentis Dei clementiam instantissimis interpellans precibus, ut & defunctæ sorori vitam redderet, & semetipsam à mortifero, quo tam anxie turbabatur, mœroris dolorisque dispendio, consueta pietatis suæ clementia, suscitaret. Sed quid plura? Necdum à terra genua, necdum ab amplexo cadavere brachia subducendo levaverat; & ecce, qui per sanctos Prophetas suos, Helizæum videlicet & Heliam, per alterum quidem Sunamitis, per alterum vero Sareptanæ filium, à mortis nexibus expeditos, beneficio prioris vitæ restituit; quique per semetipsum tres mortuos Euangelicæ Scripturæ testimonio suscitavit; & hujus quoque famulæ suæ precibus inclinatus, exanimato corpusculo vitalem spiritum reddidit: ac hujus facti mirabili novitate, tam illius, quam omnium hæc intuentium animos, effugata prioris tristitiæ nebula, gaudiosæ jucunditatis lumine serenavit. Confestim siquidem, in palam omnibus qui advenerant intuentibus, ad tam sanctæ Virginis attactum oris, puella septies oscitavit, oculos aperuit; ac demum sospitati pristinæ perfectissime restituta, surgens à terra, Deoque gratias agens, in ipso sospitatis tenore, multo post hæc annorum spatio superna favente clementia, supervixit.

tum domesticæ familiæ; — B — *ejusque resuscitationem precibus impetrat* — C

CAPUT VII.

Sanctitas revelata cuidam Præmonstratensi, æqualis meriti. Calor ab Ida in aliam translatus.

CAP. XVIII a b — 42 Fuit etiam his temporibus Ordinis *a* Præmonstratensis Regularis quidam *b* Canonicus, vir religiosus & omni sanctitatis ac devotionis titulo decoratus. Hic cum quodam tempore studio sanctæ meditationis intentus, non tam affectuoso quam virtuoso conamine, cor suum cum manibus ad Dominum elevasset, ac super peccaminum suorum indulgentia, super divinæ miserationis impetranda clementia, totum affectionis suæ conatum totumque devotionis obsequium applicasset; tandem in excessu mentis ereptus, & corporaliū sensuum officio destitutus, vidit omnes, quotquot eatenus amicos in hoc seculo seu familiares habuerat, à se tolli, seque penitus horum solatio viduatum, quasi solitarium derelinqui.

Canonicus Premonstratensis — *in extasi positus*

Qua de re turbatus ille, vehementer ingemuit: multos quippe, in hujus seculi laborioso naufragio, tam spirituales eo tempore quam carnales amicos amicasque possederat; & quis tam stupendæ rei sequeretur exitus, attentius observavit. Cum ergo per aliquantum temporis, ut sibi videbatur, in hac mœroris & tristitiæ molestia perdurasset; & quam sustinuit ex amicorum amissione jacturam, causæ ob quam talia pateretur nescius, anxie deplorasset; repente Venerabilem Idam, ante mentis oculos oblatam, aspexit: statumque proprium in ea plenissime recognoscens, quod in præsentia Deificæ majestatis æqualis forent meriti, quodque in æterna beatitudine paris insignirentur honore præmii, sancti Spiritus illi gratia revelavit. Qui post paululum ad se reversus, anteriorem vestimenti sui partem, guttis roseis, ac si pro lacrymis sanguinem ejus oculi distillassent, copiose respersam invenit: quas nimirum immensus ille devotionis fervor eduxerat, quem in se paulo ante, non consumens, sed illuminans ignis divini radius, sanctis meditationum inflammatus incendiis, excitarat.

EX MSS. HUGONIS CONFESS. — *intelligit se æqualis meriti esse & præmii calestis fore cum Ida:*

43 Experrectus igitur à somno contemplationis, & propriæ sensibilitati denuo restitutus, ac non mediocriter super his quæ viderat admiratus, cogitare cœpit, ut præfatam Virginem, in excessu mentis olim demonstratam, inviseret: quam solam, in omnium amicorum familiariumque recompensatione, susceperat; ut cujus vitæ qualisve conversationis hæc foret aut meriti, diligentius exploraret. Qui demum ad eam veniens, mox ut oculorum intuitu formam exterioris hominis in Dei Virgine deprehendit, interioris statum simul & habitum interni visus acumine perfectissime recognovit. Sed & Venerabilem Idam illius interioris hominis status non latuit: confestim quippe, postquam oculorum aciem in illum cœpit vicissim imprimere, totam sui proprii status habitudinem in illius anima conspexit luce clarius enitere. Videntes ergo se mutuo, non secus quam si toto vitæ suæ tempore convixissent, haud dissimili se vicissitudine cognoverunt: & quod apud summum Judicem æqualis uterque foret meriti, quodque pari studio tam orationum quam affectionum exercitio continuatis vicibus institissent, & adhuc simul insisterent divino cultui, per sancti revelationem Spiritus in alterno pectore, non corporalium, sed internorum oculorum acie, perviderunt. Ex tunc igitur & deinceps extitere cor unum in Domino: quippe quos non petulans carnalis affectio, sed Spiritus sancti glutinosa connexio, caritatis indissolubili colligavit vinculo: quos etiam in eodem conservavit amoris sancti proposito, quamdiu postea convixerunt ambo pariter in hoc mundo.

E — *amborum animi in sanctitate coalescunt:* — F

44 Præfatus ergo Dei famulus, cum post multos, quos in angusto vitæ suæ tempore strenue simul & devote pertulerat, exactos pœnitentialis industriæ agones, ad vitæ terminum æterno remunerandus bravio propinquasset; ac opus, quod dedit sibi Pater ut faceret, cælesti jam dignus præmio consummasset; interrogatus ab amicis, qualiter Idæ Venerabili, post excursam hujus vitæ metam, æquiparandus esset in præmio (præsertim cum is omne virtutum suarum exercitium quasi cursum exegerit, ac sub brevioris vitæ compendio; quod equidem illa protraxerat multo annorum curriculo, foretque nihilominus protractura quamdiu vita comite persisteret in hoc hoc mundo) tale mox fertur dedisse responsum: Sicut, inquit, expeditus aliquis miles & alacer, agilioris equi vectus adjutorio, prolixa viarum spatia citissime peragit; quæ debilis quilibet aut ignavioris equitaturæ gravamine molestatus, post multa

dictum suum confirmat Canonicus in ultimo morbo:

EX MSS. HUGONIS CONFESS.

multa temporum interstitia vix transmeat aut percurrit: sic ego, divina cooperante gratia, sub brevitate concessi temporis omnes præsentialis vitæ labores explere prævalui; quos illa, velut infirmior, hactenus explicare conata est, & adhuc nihilominus erit expletura spatio temporis post futuri: sicque fiet ut par simus præmium adepturi, quos in hoc utique seculo pari locupletavit merito misericordia Jesu Christi. Quibus dictis ille quidem à præsentis vitæ nexibus absolutus, ad æternæ beatitudinis gaudia transiit: at vero Dei famula, juxta præfatæ sancti viri responsionis oraculum, cursum vitæ laudabilis, in sancto sanctarum virtutum exercitio, per multa post annorum spatia transmeavit.

CAP. XIX.

Videns Corporalia plicari à puella,

45 Accidit etiam his temporibus, ut juxta puellam quamdam, quæ plicandis Corporalibus operam impendebat, casu superveniens, hæc, de qua loquimur, virgo Dei consisteret; opusque quod fiebat affectuoso quodam intuitu diligenter examinans, id qualiter habebat fieri, curiosius observaret. Confestim enim ut ipsa Corporalia corporali visu cœpit aspicere, sacrosanctum Dominici Corporis sacramentum, quod in his Sacerdotali ministerio fuerat inclinandum, illius simul memoriæ non cessavit indesinenter occurrere. Cujus utique gratissima recordatio mentem suam sanctam, ineffabili quadam delectationis incomprehensibilique dulcedine, per id temporis adeo satagebat afficere; quod præ concepti amoris inæstimabili magnitudine sibi certissime visum fuerit, ignitum illum & fervidum sanctæ caritatis affectum, haud secus quam si materiali fuerit incendio penetrata, penetralia cordis sui simul cum ceteris interioribus inflammasse. Sed quid mirum, si fervorem cælestis incendii, materialis adinstar inflammationis intra se grassantem, etiam corporali sensibilitate intra se deprehendere potuit; quæ per internum amoris affectum in caminum æternitatis insiliens, æterno qui Deus est incendio proximavit? Deus quippe noster ignis consumens est, utique penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens usque ad divisionem spiritus & animæ: unde & necessario sequitur, ut, quem ad se per immissionem suæ gratiæ misericorditer ad vocat, igne cælestis flammis illustret pariter & accendat. Tanta denique vi rogus ille salvificus eodem tempore Dei Virginis intima pervasisse dicitur, ut ad corporales etiam aspectus, per apparentia foris indicia, laberetur. Nam & puella, quæ, sicut præmisimus, intento juxta se studio plicandis Corporalibus interim insistebat, ex ipsa velut ardentem faculam, instar magni fulguris procedentem, ac penetrativo suo robore semet ipsam quoque non tam perlustrantem extrinsecus, quam interius inflammantem aspexit; infusumque cum splendoris illustratione calorem, ac si materialis adustionis incendia pertulisset, eodem temporis in momento, potius interiori sensibilitatis indagine, quam exterioris ostensi splendoris imagine, deprehendit. Attende lector, quod & de Sanctis antiquorum temporum, horum similia frequenter audiendo legendove comperimus: unde non incongruenter, ut æstimo, tanto majorem credulitatis fidem, quanto fortiori rerum similium verisimilitudine confirmatam etiam præsentibus adhibemus. His ergo sub brevitatis compendio prælibatis de Venerabilis Idæ sanctæ conversationis initio, priusquam ad reliqua procedamus, ut non tam nostro remedio quam lectoris interim tædio consulatur, in amico silentii portu modice quiescendum existimo; & donec utriusque, scribentis videlicet & legentis, intentio beneficio quietis reformetur, narrationis nostræ stylus aliquantulum maneat in suspenso.

B *memor Eucharistiæ*

cælesti fervore inflammatur,

C

& puellam vicinam quasi igne externo calefacit.

Epilogus libri I.

ANNOTATA.

D

a *Hujus Ordinis Monasterium, fere ad muros urbis Lovaniensis,* Parcum *dictum, fundatum fuit anno* 1122 *à Godefrido Barbato Comite Lovaniensi.*

b *Fortassis* Rabodo, *qui, ut in ipsius monasterii Necrologio legitur* 17 *Aprilis*, solebat jejunare in sextis feriis cum pane & aqua: & aqua aliquoties mutata fuit in vinum miraculose: *quare etiam cum titulo* Beati *inscribitur Natalibus Sanctorum Præmonstratensium, à Chrysostomo vander Sterre vulgatis. Validior foret conjectura, si etiam sciretur annus quo obiit, isque conveniret circumstantiis hic notatis.*

CAPITULA LIBRI SECUNDI.

LIBER II.

Altera pars piæ conversationis usque ad ingressum in Ordinem Cisterciensem.

CAPUT I.

Varius Idæ status. Pestis sublata.

1 IN præcedenti libro, quod de conversationis exordio sanctæ Dei Virginis ex inspectis olim schedulis ad memoriam redire potuit, humili quidem & depressa, sed veridica narratione præmisimus: in præsenti vero, quid de profectu virtutum suarum occurrerit, qualiter videlicet in via sanctæ conversationis suæ jugiter in virtutem de virtute profecerit, ut compendiosius poterimus, anterioribus adnectemus. Et primo quidem de diversis statibus vitæ suæ, quos diversis temporibus in anima sua diversimode gratia sancti Spiritus ordinavit ut voluit, ut paucis expediamus, operæ pretium existimo; quatenus his præmissis, ad ea quæ diligentiorem expeditionis tractatum desiderant, continuata serie narrationis ordo perveniat in futuro.

CAP. I.

Introductio ad lib. 2.

A 2 Talem ergo vitæ statum interdum habuisse dicitur, ut, cum à superveniente gratia visitationis beneficio potiretur, ex internæ suavitatis abundanti dulcedine, mirum in modum etiam ipsa corporalia membra, quasi cera quæ defluit ante faciem ignis, à statu proprio diminuta, vix quantitatem in se membrorum infantilium, bimulorum videlicet vel trimulorum, illo spiritualiter, ut æstimo, caloris incendio liquefacta, prætendere viderentur. Interdum etiam ipsa cælestis gratiæ plenitudo mentem illius intantum inebriando perfudit, ut ubicumque sedendo quiesceret, ipsum in quo residebat loculum, regnum extitisse cælorum, humanæ conditionis eo tempore prorsus immemor, existimaverit. Aliquoties etiam ipsa temporum intervalla adeo sibi videbantur brevia diesque pauci, præ amoris utique magnitudine, quod post horam nonam vel etiam vespertinam, primam vel tertiam diei synaxim vix crederet effluxisse. Nonnumquam etiam in tantum erepta fuisse dicitur aut in cordis jubilum aut mentis excessum, ut ubicumque sederet, staret, incederet, aut jaceret, semet-ipsam à Christo, seseque vice versa quem diligebat amplecti crederet, ipsum videlicet Dominum Jesum Christum. Interdum etiam his temporibus, ab omni rerum specie terrenarum, ipsa qua fruebatur spiritualis delectatio mentem intentionemque sanctæ mulieris adeo revocarat, ut nihil terrenum sapiens vel advertens, apertis oculis in cælum semper intenderet; multumque miraretur, cur homines hujus mundi per tectorum obstacula, quæ domibus imponuntur, aspectum supercælestium, oculorum suorum visui sponte subduceret; & à semet-ipsis irrationabili satis, ut sibi videbatur, industria quodammodo propulsarent. Hos igitur & alios hujuscemodi status vitæ in ejus anima Dei virtus & sapientia, circa progressum suæ conversationis, ordinando disposuit; & quam futuris temporibus ad arduum perfectionis culmen elevare, spontanea sibi bonitate complacuit, in his velut in quibusdam ascensionis gradibus constituta, qualiter ad consummandum vitæ statum ulterius ascendendo pertingeret, his gratiarum suarum charismatibus informavit.

Ob spirituale gaudium membra quasi puellæ 2 aut 3 annorum apparent:

imaginatur omnem locum regnum cælorum,

omne tempus breve,

seque in amplexu Christi degere:

B

& cum despectu terræ, cælum intuetur.

CAP. II. 3 Cum quodam tempore sanctis occupata meditationibus in angulo domatis sui Dei famula, non tam sola quam solitaria, resideret; repente spiritus quidam fortitudinis in eam insiliens, ipsamque supra pedes suos statuens, ad egrediendum foras cœpit vehementer impellere. Quem sequens Virgo venerabilis, ejusque ducatui se committens, per vicos & plateas (prorsus tamen ignorando quo tenderet) ac si pro cujuspiam expeditione negotii profectionis iter arripere necessario cogeretur, expeditis cœpit mox gressibus ambulare. Pergens igitur, non quo vellet ipsa, sed quo Spiritus sancti duceretur instantia, tandem ad domum cujusdam languidi, juxta patris sui domicilium ægrotantis, ambulando pervenit; hominemque semimortuum in lectulo decubantem inveniens (erat enim extremæ jam Unctionis oleo delinitus) is qualiter se haberet compassivo miserationis affectu dulciter inquisivit. Cui cum ægrotus ille, virtute qua valuit, infirmitatis suæ locum simul & habitum indicasset (erat quippe pestiferæ turgiditatis illius, scilicet quam anthracem nominant, nõ tam mirabili quam miserabili nimis inflatione pervasus) ad primum sanctæ mulieris aspectum, in cunctorum qui tunc affuêre præsentia, tumor ille crepans per medium, introrsus absconsæ pesti mortiferæ mox egrediendi viam præbuit: qua paulatim ex interioribus effluente, confestim tumoris etiam inflatura resedit: prisciquè doloris acerbitate continuo mitigata, sub eodem momento temporis homo convaluit, ac super adeptæ beneficio sospitatis omnipotentis Dei clementiam, una cum omni congregata populi multitudine, benedixit.

C

Spiritu interiore impulsa,

ducitur ad feminortuum ex peste,

eumque sanat

EX MSS. HUGONIS CONFESS.

4 Ex tunc igitur & deinceps in magna veneratione Dei Virgo, prætextu suæ sanctitatis, apud omnes, ad quorum hæc pervenere notitiam, his diebus est habita. Cunctorum quippe, quibus hæc videre vel audire permissa sunt, una fuit immutabilisque sententia, quod per Venerabilis Idæ merita, tam acerbissimi doloris fugata molestia, tamque repentine & improvise succedens sospitas in eodem esset ægroto procul dubio reformata. Quod cum ex frequenti relatione multorum longe lateque notitiæ patuisset, ac virginalis sanctimoniæ titulum his temporibus in omni circumiacenti vicinia mirabiliter extulisset; videns Dei famula, per hoc sibi quod jam diu verebatur accidere, vanæque gloriæ, quod eatenus omnimodis evitare studuerat, animæ suæ letale periculum imminere; delatos ad se rumores hujuscemodi gravissime perferendo, vehementer exhorruit; quodque non suis meritis, sed divinis potius fuerat adscribendum beneficiis, hoc sibi per vulgarem famam attribui, non sine multa cordis impatientia molestissime toleravit. Hæc igitur illi prima mutandi status sui seculumq; relinquendi fuit occasio. Solius quippe Dei notitiam, operum suorum consciam & testem habere desiderans; ad monasteriales latebras se transferendam fore satius æstimavit omnimodo, quam per populares rumusculos, quos evitare nequibat in seculo, virtutum suarum thesaurum, pro vanæ gloriæ vili commercio, perditionis exponere detrimento.

famam hujus rei dilatari ægre ferens,

E

statuit vitam monasticam inire.

CAPUT II.

Varius erga sacram Eucharistiam affectus: Christi præsentia cognita

5 HIs quoque temporibus accidit, ut gravi quodam infirmitatis incommodo molestata, corpore quidem ægra sed mente sana, lecto decumberet; intrinsecus autem non minori caritatis incendio conflagrata, mirabiliter supernorum desiderio æstuaret. Videns ergo, tam ex ægritudinis circumstantia, quem ex virium suarum impotentia, diuturni languoris imminere periculum; ad consuetum continuo cœpit aspirare præsidium: quodque solum vel maximum in omni necessitatis articulo consuevit invenire remedium, corde simul & votis expetere, medicinale Dominici Corporis sacramentum. Quod cum ad ejus instantiam vicinus Presbyter in ciborio reverenter, ut moris est, ante aspectum Virginis attulisset, illaque gloriosum illud nostræ redemptionis pignus, extractum è pyxide, nudum in Sacerdotis manu cominus aspexisset; elevato mox capite, totaque virtute qua valuit ad salutarem Hostiam inflexo corpore, desiderii sui nimis impatiens, ad se dexteram Sacerdotis, tractu valido apprehensam, vehementer impellere studuit; & sic manum simul cum Hostia devotis amplexibus ambiendo, toto cordis affectu super Creatoris & Sponsi sui corporali præsentia mirabiliter exultavit. Videns ergo Sacerdos inconsuetum exultandi modum, & gestus inusitatam speciem quam prætendit; illamque nihil aliud quam phreneticam æstimans & insanam, in primis quidem vehementer extimuit; sed à circumstantibus admonitione suscepta, cum veraciter agnovisset, hanc ex immenso cordis sui desiderio talia facere, diuque per amplexus hujusmodi Creatori suo devotum impendere salutationis obsequium affectasse; tunc & ipse Presbyter illius ad plenum desiderio condescendens, eique secundum voluntatis sua

CAP. III.

Gravi morbo vexata,

F

petit ad se ferri sacratiss. Eucharistiam:

apprehensa manu Sacerdotis,

in contemplationis extasi diu persistens,

EX MSS. HUGONIS CONFESS.

accipit sacram hostiam:

suæ beneplacitum in præfatis amplexibus acquiescens, post exhibitum Redemptori suo longiturnæ devotionis obsequium, demum ei salutaris Hostiæ communionem exhibuit: & sic tandem in pace dimissa, pacis auctorem indefesso gratiarum actionis officio benedixit. Ceterum quia dignum satis & rationi consentaneum existere videbatur, ut sponsus sponsæ vicem redderet, & amplexanti se dilectæ & ipse dilectus retransitivis amplexibus obviaret; post sanctæ Communionis expletionem, in particulari quodam loculo, juxta cordis intima sito, ipse sponsus Virginum & amator, illius animam, ex cunctis sui corporis habitaculis evocatam, ad se familiariter accersivit: ibique eam sanctissimis amplexibus honorando, quod prius à sua Virgine gratanter admittere dignum censuit, hoc dignæ recompensationis iterato commercio, non momentanea, sed morosa satis & sæpe repetita vicissitudine, restauravit. Sicut enim ab homine corporalium brachiorum adminiculo quis amplectitur, & sicut in amplexibus brachiorum extrinsecis interioris affectus amicitiæ jucunda quadam experientia degustatur; sic à divinis amplexibus omnem animam suam illa sensisse dicitur, haud dissimiliter in una sui corporis parte recolligi, jucundisque pariter & amorosis affectibus, ipsi sponso suo Christo Domino, per mutuæ complexionis & congratulationis officia, firmissime copulari.

& amplexu Christi fovetur.

B

CAP. IV.

6 Dum quadam die verbum prædicationis, apud vicinum Beghinarum conventum, ut moris est, in ecclesia declamatorie proferretur; hanc de qua loquimur, Dei famulam una cum aliis eodem tempore contigit ad præfatum locum, audiendi verbi Dei simul & indulgentiarum gratia, reverenter accurrere; præfatoque sermoni simul cum multis, quos illuc devotionis fervor attraxerat, interesse. Quo dum festinanti gressu, tota caritatis inebriata dulcedine, properaret; accidit ut per ecclesiam quamdam in vicino positam iter faceret, quatenus & longioris viæ dispendium evitando depelleret, & Creatori suo Domino devotum in suo transitu salutationis obsequium exhiberet. Cum itaque, per meatum ejusdem ecclesiæ, cœptum itineris sui procinctum instantius expediret; ad chorum usque progrediendo perveniens, ad fores ipsius oratorii gressum fixit; genibusque solo dimissis, illud venerandum nostræ redemptionis pretium, Dominici videlicet Corporis honorabile sacramentum, in altaris superficie reverenter in vase reconditum, aspectu devotæ considerationis intuens à remotis, hoc ipsum ex intimo cordis arcano, gratiarum actionis voce prolata, devotissime salutavit; Ave, inquiens, benigne, pie & dulcis Jesu: qui pro nostra redemptione crucis patibulum expetisti, nosque à perpetuæ mortis nexibus tuo pretioso sanguine redemisti. Quo dicto, priusquam à terra genua sublevasset, ictus quidam validus ipsam, cui salutaris ille redemptionis nostræ thesaurus immissus fuerat, pyxidem ab interiori suæ parte vehementius impulit; sonitumque faciens validum & excussum, hunc ipsum, vice resalutationis, ad aures suæ Virginis ipse Sponsus Virginum, ex eodem habitationis suæ vasculo, delegavit.

Properans ad concionem,

per ecclesiam aliquam transitura,

C

Christum in sacra Eucharistia salutat,

& resalutatur ictu valido pyxidis audito:

CAP. V.

7 Inter cetera quoque gratiarum dona, quibus electam suam insigniverat omnium gratiarum Dator munificus & charismatum Distributor, & hoc ei pro speciali munere contulisse dignoscitur: ut absque dubitationis ambiguo Dominici Corporis honorandam sanctamque præsentiam, assidue in altari per virtutem consecrationis descendentem, in eodem descensionis suæ momento spirituali quadam indagine deprehenderet; etiam cum ab eo loco sequestrata, per remotionem corporalis præsentiæ, longioribus quoque spatiorum interstitiis haberetur. Unde factum est, ut aliqua dierum ad Reclusam quamdam, sibi nexu familiaritatis astrictam, juxta vicinam ecclesiam in reclusorio vitam solitariam actitantem, visitandi gratia declinaret, eique suo more familiare colloquium atque salutaria monita propinaret; ubi cum de contemptu mundi atque mundanorum, & appetitu cælestium, utrisque sese vicaria relatione pascentibus, sermo copiosus in medium prosilire cœpisset, & mira suavitatis sua dulcedine mentes Christi fidelium utrimlibet affecisset; Venerabilis Ida, Spiritu sancto sibi certissime revelante, cognovit illud humanæ salutis honorabile Sacramentum esse præsentialiter inibi, videlicet ipsum Corpus Dominicum in eodem reclusorio certissime contineri. Deo quippe devota femina, præ nimiæ devotionis affectu quem ab olim ad ipsum gesserat, Dominici Corporis sacramentum à quodam sibi familiari Presbytero jam dudum impetraverat, ut in Corporali reverenter illud acciperet involutum, & in altari, quod ad hoc ipsa construxerat, adoraret honorifice collocatum. Cujus præsentiam, ut solebat, Ida Venerabilis Christi famula deprehendens, & Creatorem suum adesse veracissime recognoscens, ad Reclusam conversa protinus; Adest, inquit, ô Domina, Pater meus: illum utique vocans & nominans Patrem suum, quem in eodem habitaculo paulo ante præsenserat, aptissime reclinatum. Quod audiens & intelligens altera, miransque vehementer unde vel à quo sibi revelata fuerint hæc arcana, primo quidem erubuit & delatum sibi sermonem volens inficiando comprimere, frustra licet, inventa mox excusationis stropha, quod fecerat, ambiguo quodam verborum ordine palliavit. Porro beatissima Dei famula, noli, inquit, Soror mi, noli factum laudabile, quod fecisti, sub excusationis pallio pertinaciter inficiando contegere: sed potius ipsum benedicito, qui te dignatus est ejus sanctissimi Corporis, immensa bonitatis suæ clementia, custodiæ deputare. Sed quid plura? Convicta tandem altera, quod fecerat inficiando diutius occultare non potuit; sed rem gestam ejusque processum Dei famulæ per ordinem intimavit. Attende lector, quod & spiritu prophetiæ manifeste claruisse dignoscitur in hoc facto, quo revelante patefecit in publico, quod duobus tantum consciis olim patratum extiterat in occulto. Porro Venerabilis Ida, mulieri valefaciens, hinc abscessit: & continuo lampade cum oleo comparata, qua reverendo Corporis Christi mysterio sui splendoris obsequia jugiter exhiberet, ipsam eodem in loco dependere suis impensis & sumptibus procuravit.

Christi præsentiam in Missa agnoscere solita,

D

dum Reclusam invisit,

novit sacram Eucharistiam ibi fore:

E

eamque id inficiari conatam

fateri compellit

F

eique lampadem cum oleo donat.

8 Sed & aliud isti non dissimile, quodam alio tempore considentibus ambabus in eodem domate, de divinisque pariter colloquentibus, accidit quod eodem spiritu revelante, prophetali nimirum edocta præsagio, prius ipsa mente percepit, & assidenti sibi sociæ postea revelavit. Ambabus enim, ut dictum est, pariter considentibus, Ida Venerabilis in verba prorumpens, inusitatum quippiam & admirabile protulit: nam summum adesse Pontificem altisonis vocibus acclamavit. Quod altera non intelligens, quisnam esset ille summus Pontifex, & ubinam esset, instanter cœpit inquirere; sciens profecto Dei sponsam hujusmodi sermonem incassum minime protulisse. Ad quam Ida Venerabilis; Illa, inquit, eadem hora, qua dictum verbum ex ore protuli, descendit utique Dominus Jesus Christus, qui nimirum est summus Pontifex, in altari. Sacerdos enim quidam adveniens Missam celebrabat in ecclesia, qui ad elevationem salutaris Hostiæ celebrando pervenerat eadem hora, qua virgo Domini vocife-

indicat eidem Christum per consecrationem adesse in ecclesia vicina:

randō

A

tando proruperat in hæc verba. Mirabatur altera pro eo, quod jam celebrationis hora consueta transierat: accurrit tamen, fenestram aperuit, & celebrantem in altari Missam Sacerdotem quempiam deprehendit; qui paulo ante, scilicet cum Dei Virgo Summum denuntiavit adesse Pontificem, ipsam salutarem Dominici Corporis hostiam elevarat. Sed quid mirum, si mens sancta spirituali visu speculari poterat, quod oculis corporalibus non videbat; cui visibilium & invisibilium omnium Contemplator, ad speculanda cælestia pariter & terrena, lumen suæ deificæ claritatis assiduis revelationum apparitionibus ingerebat.

& hoc sæpius in variis occasionibus,

Nec hoc semel aut raro quispiam accidisse putaverit, sed sæpe repetitis vicibus, his aliisque temporibus id evenit. Et non solum in illis ubi celebrabatur ecclesiis, ipsa præsente tale quid accidisse comperimus; sed omni fere tempore, tam in his quam in aliis adiacentibus & vicinis, cum elevabatur ipsa salutaris Hostia. Super hujus rei certitudine comprobanda, sicut impinguabatur affectus interius, sic etiam illuminabatur intellectus & ipse divinitus illustratus. Frequentius enim his diebus, in horis præcipue prælibatis, tanta jucunditatis affluentia mens sanctæ feminæ replebatur, præsentis quidem spiritu, sed corpore tunc absentis; quod in voces altisonas interdum, ut erat deliciosa, prorumperet;

B

firmissime adstruens:

& quod sentiebat intrinsecus, apertissime extrinsecus indicaret, sic inquiens, ut si omnes Sancti tui negarent te, Sanctissime Domine, nunc præsentem, & in altari sacerdotales digitos te tenentes; ego tamen omnibus sola resisterem, & te præsentem esse modis omnibus affirmarem. Et ne qua super hoc tam insigni miraculo cujusquam in corde remaneat hæsitatio, volo si possum hoc ipsum expressius exemplo patefacere, quod subjungo.

9 In Monasterio, in quo postea religionis habitum assumpsit, unus Sacerdotum in eo celebrantium, hoc pro quadam habebat consuetudine solitum & memoriæ commendatum, quod post ipsa consecrationis verba substantialia, sacram Hostiam aliquantulo moræ spatio, licet indiscrete, devote tamen astantibus occultaret;

etiam ante elevationem intelligit consecrationem peractã,

& non prius nisi à semetipso, prolixius fortasse quam oportuerit, adoratam, etiam aliis adorandam, in sublime sursum erectis brachiis, ostentaret. At Venerabilis Dei famula, quoties id fiebat, ad campanæ sonitum ut ceteri, vel ad elevationem ipsius Hostiæ nullatenus attendebat; sed

C

stratis in terra poplitibus, in altari descendentem Dominum adorabat obnixius, hora quacumque præsentem in spiritu sentiens.

& sacerdotẽ in ea re cunctabundum, arguit,

Super eo tamen præfatum Sacerdotem, opportunitate se vice quadam offerente, benigne corripuit, & emendatum à tali consuetudine devota precum instantia revocavit. Non solum autem in elevatione Sanctissimi Corporis hanc miræ jucunditatis gratiam obtinere promeruit, verum etiam in perceptione vivifica Sacramenti, licet absens corpore, spiritu tamen præsens, eamdem quoque sæpissime degustavit.

CAPUT III.

B. Idæ extases variæ, maxime circa Eucharistiam raucedo contracta.

CAP. VI.

10 ACcidit etiam his diebus, ut in hora sancti sacrificii, tempore quo divina mysteria tractabantur, hæc beatissima mulier, à totius iniquitatis inventore diabolo, per momentum temporis à suo distracta proposito, frivolum & inutile quid intra se volveret;

Distracta tempore Sacrificii

& salutaris oblita mysterii, cor & mentem vanis extra se cogitationibus applicaret. Cum ecce beatæ mulieris anima, confestim è domicilio corporis educta, manibus Angelicis ad altiora sustollitur, & ad sui memoriam, unde paulo ante digressa fuerat, hoc ordine revocatur.

EX MSS. HUGONIS CONFESS.

Videbat enim semetipsam ea vice super altare, quo divina mysteria tractabantur, instar solis ex omni parte luminosi in aëre dependentem; ipsaque mystica Sacramenta, quorum prius oblita fuerat, omni cum reverentia desuper intuentem;

per extasim ad Eucharistiæ adorationem reducitur:

& sic demum ad se reversa benedixit Altissimum, hoc tam benigno visitationis suæ suffragio suam ipsius animum à diabolicis nexibus eruentem.

CAP. VII.

11 His quoque temporibus accidit, ut in una dierum orationi dedita, post longa singultuum interstitia crebroque repetita suspiria, tandem in mentis excessu Virgo Domini raperetur, & corporalium sensuum officio consopito, mens extra metas corporeas ad contemplanda cælestia, Spiritus sancti virtute præambula, duceretur.

à Christo pectus ostendente invitatur,

In quo raptu vidit, non corporalium oculorum intuitu, sed spiritalium intellectu, sibi apparentem in humana specie illum præ filiis hominum speciosum, Dominum videlicet Iesum Christum; vidit, inquam, eum cominus ad se venientem, & pectus suum illi nudum & discoopertum à vestibus ostendentem, eique ut ad se properanter accederet, ac de pectore suo mellifluo potum salutarem acciperet, apertis signorum indiciis innuentem.

E

Aliam quoque personam, reverendi vultus & habitus, ad latus suum astantem aspexit: ad quam se convertens Ida Venerabilis, oblatam sibi divinæ largitatis affluentiam, etsi verbis eidem explicare non potuit, evidentibus tamen indiciis, nutibus videlicet & gestibus gaudiosisque tripudiis indicavit. Illa tamen vice, sicut postea retulit, ad pectus Dominicum non accessit: quippe quæ sola dilecti dilectorisque sui præsentia tam suaviter afficiebatur eodem in tempore, quod nullam præter hanc internæ dulcedinis influentiam illa mentis suæ definita capacitas intra se potuisset includere.

uti sæpe alias,

Quamquam alias & hoc ipsum sæpius imo sæpissime, per similes raptus ab humanis sensibus elongata, cellamque vinariam introgressa, de sacro cum Christi discipulo Dominici pectoris fonte potaverat, ipsa teste, cui talia prægustare concessa sunt adhuc in humano peregrinanti corpore, nobisque comperta præfati sui Confessoris, utique viri per omnia beatissimi, scriptis pariter & vivæ vocis testimonio mediante.

12 Sed & aliud quiddam memorabile de vivifico Dominici Corporis sacramento, sub eodem ferme tempore, sibi contigisse legendo comperimus:

F

quod quia per mentis excessum erga se patratum extitisse perpendimus, his quæ de similibus sunt digesta narratu simili per ordinem annectamus. Quodam itaque tempore, cum in ecclesia domui suæ contigua Missale celebraretur officium, hanc, de qua loquimur, Dei famulam una cum aliis eidem officio contigit interesse. Quod cum obsequio ministrorum idipsum celebrantium usque adeo processisset, ut perceptio sacri Corporis & Sanguinis immineret ex ordine peragenda; venerabilis femina, quæ per omne tempus illud omnipotenti Deo devotissimas gratiarum actiones in ara cordis obtulerat, & ad cælestia contemplanda cor suum cum manibus elevarat;

sacram Eucharistiam in extasi accipit,

in excessu mentis erepta prosilivit, & quod miro desiderio paulo ante quæsierat, in corpore, nescio, Deus scit, an in spiritu, communicari sese videlicet ea vice sacramento vivifici Corporis & Sanguinis impetravit. Columba quippe nivei candoris, ut sibi videbatur, advolans è supernis, ipsum Corpus Dominicum ori suo reverenter imposuit:

columbã ori eam inferente,

& ex aurea concha, quam secum illa detulerat, æque reverenter in ejus gutture

Domi-

Ex MSS. HUGONIS CONFESS.

Dominicum Sanguinem instillavit. Mira res & cunctis post seculis admiranda. Videres hominem, adhuc in mortali corpore positam, non à quovis mortalium, sed ut potius credimus, à mortalium omnium & immortalium Conditore, cibum immortalitatis accipere; & quod verbis exprimere vix valemus, humano gustu posse discernere, quod humanis manibus eodem temporis momento se minime noverat accepisse. Ad se quippe continuo rediens, & quid erga se gestum extiterit optime reminiscens, consuetum Dominici Corporis gustum & Sanguinis in palato discrevit, & ore retinuit; ac per totum insuper illum diem; ac si vigilans & exteriorum sensuum officio se supportans, ipsam sacræ Communionis Hostiam à Sacerdotis manibus accepisset: itaque sub pacatissimo mentis silentio sibi soli vacans, & Domino gaudens & tripudians, inter Sponsi brachia conquievit.

ejusque gustum detinet.

CAP. VIII.

13 Ac quoniam de dulcissimo vocis suæ modulamine, quo per singulos Dies aures Domini Sabaoth olim demulcere consueverat, in superiori libro mentionem fecimus; nunc qualiter hoc amiserit, & perpetuæ raucitatis insanabile discrimen incurrerit, hic brevibus adscribemus? Erat eo tempore Frater quidam Ordinis Prædicatorum, eidem Christi famulæ satis in Christo familiaris & intimus: qui Sedis Apostolicæ Summique Pontificis auctoritate subnixus, officio prædicationis, ad acquirendum Domino fidelem populum & acceptabilem sectatoremque bonorum operum, assidue per datam sibi gratiam instabat attentius: & quos verbo prædicationis erudiebat interius, hos exterius vivificæ Crucis triumphali signaculo, præmissa sibi peccatorum indulgentia, consignabat. Tantam enim à Domino gratiam assecutus fuerat in hoc opere, quod vix aliquis illo tempore, quantumcumque duri cordis existeret, à suscipiendo salutari signo Crucis Dominicæ se potuerit, etiamsi nullo ad ipsum fuisset attractus desiderio, cohibere. Inter quos erat vir quidam eximiæ nobilitatis & potentiæ, qui quanto fumosior inter suos habebatur ex genere, tanto se viliorem exhibebat in conspectu divinæ præsentiæ: multis enim flagitiis irretitus, nihil aliud honestum eo tempore reputabat aut utile, quam sævissimam in subiectos exercendo tyrannidem, & omnium vitiorum genere deformatam in se repræsentando sui Creatoris imaginem, inter flagitiosos flagitiosior omnibus eminere. Hic ergo quodem tempore sermoni, quem vir Dei declamatorie proponebat ad populum, una cum multis ad hoc nutu divino coadunatis, interfuit; ipsumque Dei verbum, quod olim illudendo detestari consueverat, instigante se gratia Spiritus Sancti, & devote suscepit & humiliter auscultavit; ac velut alter de Saulo Paulus effectus, quasi Dominum interrogando, quid de se vellet fieri, reverendæ Crucis signaculo se muniri, non tam voce expetiit, quam precibus impetravit. Ad cujus exemplum & alij quamplures ex ordine militari, tam Barones quam nobiles, tam scutiferi quam clientes, divino spiritu provocati, præcessorisque sui, tam famosi viri scilicet & præclari, suasionibus & monitis animati, factis confessionibus de peccatis, & eorum absolutionibus impetratis, ejusdem sanctæ Crucis signaculo sunt muniti.

B

Sacerdos Ordinis Prædicatorum,

à se conversos Cruce consignat,

interque hos præcipuæ nobilitatis unũ

C

14 Super quo facto dictus Frater ineffabili repletus est gaudio, mirisque gratiarum actionibus exultavit in Domino; maxime tamen & præcipue super eo, quod per hominem humilem & pusillum, opus tam magnificum & excelsum omnipotentis Dei pietas, ad multarum salutem & remedium animarum, operari dignata fuerit in hoc facto. Unde rem gestam ejusque processum in charta conscripsit ex ordine, conscriptamque transmisit Idæ, venerabili Dei famulæ, quatenus in laudum & gratiarum actionibus, ad quarum exhibitionem omnes animæ suæ vires arbitrabatur ad plenum non posse sufficere, fideliter eidem assisteret, & ipsi bonorum omnium largitori Domino, super infinita pietatis suæ clementia, benediceret indefesse. Quam chartam virgo Christi reverenter accipiens, & ex ea rem gestam ad honorem æterni rerum omnium Creatoris intelligens; ingenti & supra modum & ipsa repleta gaudio, propensissimas gratiarum actiones offerebat Altissimo; susceptumque gratiarum actionis officium tam ferventi prosequebatur affectionis simul & congratulationis obsequio, quod invincibilem hominis interioris instantiam, exterior æquo passu concomitari non prævalens, in medio calle succubuit, opere inexpleto quod cœperat. Una siquidem ex venis ejus in corpore, præ nimio devotionis ardore, dirupta concrepuit: ac per os & nares illius tam copiosi cruoris rivos evomuit, quod ex tunc illam, de qua prædiximus raucitatem ex arteriarum læsione sustinuit; & dulcisonæ vocis suæ modulamine penitus obfuscato, concentus sua gratiosa suavitas, ejusdem raucitatis oppressa sub onere, de cetero conquievit.

& rem gestã scripto tradit Virgini Idæ:

D

cui ingratiarum actione magis intenta,

vena disrupta raucedinem adfert.

15 Alius quoque Frater ejusdem Ordinis, ipsi Dei famulæ, pro sanctitatis suæ reverentia, speciali amicitiæ vinculo colligatus, hanc ipsam, de qua loquimur, una dierum ad altare Missam celebraturus accedens, & beneplacitum omnipotenti Domino servitium devotionis impendere cupiens; exacta precum instantia, quatenus in ipso sacræ Missæ spatio, quam celebrare tunc habuit in proposito, pro se supplicare dignaretur universorum Creatori Domino, deprecando monere non distulit: & quod humiliter petiit, efficaciter impetravit. Illo namque per illud temporis, officium quod ceperat exequente, Venerabilis femina totum cordis sui affectum interim erigebat ad Dominum: & ut gratum & acceptabile sibi faceret illius, pro quo laborabat, obsequium, suaque judicaret gratia non indignum, in auribus Domini Sabaoth instantissimum obtulit interventum. Sed qualiter à dilectæ precibus auditum averteret, & quod affectuosissima precabatur instantia, suæ carissimæ denegaret? In ipsius enim hora sacrificii, pius Dominus in corde dilectricis suæ tale susurrium intulit, & hujusmodi responsione suo plenissime desiderio satisfecit: Ecce, inquit, carissima, jam sum positus ante ipsum, si me viderit & inspexerit, inspectum & visum agnoscere poterit; & siquidem agnoverit, agnitum & amantem procul dubio redamabit: pro te tamen illi benefaciam, & ob tuarum utique precum instantiam ad propensiorem adscribetur gratiam, pro tuo sibi merito conferendam. Quæ promissio mox effectu subsequente convaluit: & priusquam compleretur officium, idem Frater inconsuetæ devotionis admirabilem valde gustum in interiori cordis sui palato degustare promeruit: unde & præfatę deprecatrici suæ magnas post hac gratiarum actiones exhibuit, & miris devotionis affectibus omnipotenti Domino benedixit.

CAP. IX.

E

alteri Sacerdoti

id submisse petenti,

impetrat inconsuetam devotionem.

F

CAPUT IV.

Infamia ex mala suspicione injusta, divinitus depulsa.

CAP. X.

16 Quodam etiam tempore, sanctissimæ diei Pentecostes Dominica, ad Communionem Dominici Corporis hæc amantissima Dei Virgo processe-

EX MSS. HUGONIS CONFESS.

A processerat; ut in aliis quoque festivitatibus, suo tempore per annum occurrentibus, ad nutum sui Confessoris & ejus obtenta licentia consuescebat: *In festo Pentecostes accepta sacra Eucharistia,* illo tamen die, quo Spiritus sanctus in discipulorum cordibus est infusus, hanc, de qua loquimur, accepta Communione sanctissima, tam copiosa gratiarum & charismatum sancti Spiritus affluentia perlustravit Altissimus; *præ nimia consolatione deficit,* quod ad id verbotenus exprimendum intelligendumve corde tenus, nullus omnino consurgeret animus, nullus caperet intellectus. Sed nec ipsa, cui hęc pro spirituali munere sunt concessa, suis viribus intra cordis sui receptacula se cohibere prævaluit: quin potius ipsa corporis sui machina, sub tanto fasce nimis onerata succubuit; *& diu decumbere cogitur:* & virium corporalium officio destituta, & continuum tandem incidens in languorem, ægritudinis lectum expetiit: in quo per dies aliquot, ad usque videlicet almi Præcursoris & Dominici Baptistæ Vigiliam, amoris duntaxat incendio conflagrata, caritatisque delicioso vulnere sauciata, corpore quidem languida, sed mente sanissima, feliciter inter dilecti sui brachia conquievit. *quam dum pius Sacerdos sæpe visit,* Quam quidam Ordinis Fratrum Prædicatorum, ei familiaris admodum & dilectus, ægrotantem intelligens, & quæ foret ægritudinis causa non ambigens; ipsam his diebus, B assumpto sibi quodam Fratre juniore pro socio, visitabat: & ipsam visitationem non semel tantum & iterum, sed sæpe repetitis vicibus iterabat; ac Scripturarum, in agro fertilissimo sacræ Paginæ collectarum, quarum secum immensam deferebat copiam, ægrotantis animum assidue pio solamine recreabat.

17 Porro Frater ille junior, attendens & considerans, illos in conclavi, fenestrarum obstructione *ejus socius male de Ida suspicatur;* propter luminis intolerantiam obscurato, per longa temporum spatia, nullo secretorum admisso vel teste vel conscio, colloquentes; instigante maligno, suspicari mox cœpit horribile piaculum imminere, sponsam Christi à prædicto Fratre, qui tam familiariter eam quotidie visitabat, impregnatam & partui jam vicinam existere; solamque hanc esse confabulationis suæ materiam, qualiter hujus facinoris execrandam scilicet & horrendam infamiam, ne in perpetuæ incurrerent exprobrationis contumeliam, ab humanis possent auditibus occultare. Qua nefandissima suspicione concepta, Frater ille domum rediens, id quod mente conceperat, ut moris est aliorum detra- *ipsamque velut ab illo impregnatā diffamat.* ctioni vacantium, his & illis ex ejusdem collegii Fratribus, quasi sub Confessionis secreto, præfati piaculi modum scilicet & causam exposuit; & C qualiter eos in obscuro conclavi mutuo colloquentes sibi sæpissime deprehendit, venenosis oblocutionum suarum susurriis omnibus audire volentibus indicavit. Igitur cum hæc taliter agerentur, & iste detractionis prorsus ignarus, illum assidue secum duceret; alter vero, non nisi ad insidiandum insontibus, affectum & animum applicaret; affuit inter eos Frater quidam artis medicinæ peritissimus, qui nuper è seculo fugiens, apud illos fuerat divino obsequio mancipatus. Ad quem cum dictæ proditionis infamia pervenisset, & his, quæ de confratre dicebantur à socio, fidem adhibendo, paulatim & ipse sinistrissime subscribere jam cœpisset; *id ex solis ejus oculis* Nunc se, inquit, ea quæ dicuntur, verane sint an falsa, studiosus indagator experiar; & per solum oculorum aspectum illius, quæ prægnans & gravida reputatur, hujus rei veridicus argumentator inveniar; cujusmodi rerum indaginem artis medicinalis edoctus magisterio, frequenter olim in seculo positus, assequebar. Quid plura? Frater ille medicus, assumpto socio rem exploraturus artis suæ peritia, proficiscitur; sed antequam ad domum ægrotantis incedendo veniat, Inclusam quamdam, in vicino reclusorio latitantem, hac de re locuturus aggreditur; *diiucaturo cuidam medicinæ perito;* eo quod Idæ Venerabili familiaris & intima, suorumque secretorum testis & conscia, per id temporis haberetur. Cui cum suæ causam profectionis exponeret, & quid audierit, aut quamobrem ad eam, de qua talia audierat, accedere proposuerit, indicaret; Eia Frater, inquit, hæc de qua loqueris, mulier est beatissima utique, eximiæque sanctitatis & mirificæ virginitatis titulo decorata: quapropter suadeo tibi, carissime, ne pro tali re quomodolibet exploranda, sanctissimæ Dei famulæ aliquatenus præsumas ingerere præsentiam visitationis tuæ, quam à totius inventore malitiæ (cum alia fraudis antiquæ machinamenta non habeat, quibus electissimæ Dei famulæ bonum & venerabile nomen *& ideo ipsam visitanti,* inficiat) & tu sicut & ego, procul dubio scias & noveris emanasse. Quibus Frater auditis, ad horam quidem & ipse conticuit, ac si verborum illius consentaneus auditor extiterit; nec sic tamen intentionem erroneam à concepto male proposito revocavit. Venerabili enim Reclusæ valefaciens, & iter quod cœperat explere non desinens, ad ægrotantis domicilium ocius incedendo pervenit, & se talem adesse Fratrem eidem Dei famulæ nuntiavit. E *fenestræ ultro aperiuntur;* Ad cujus ingressum omnia fenestrarum, ob luminis ut dictum est insufferentiam, affixa repagula, nutu divino contracta pariter ac dirupta, dissiluere continuo; perfusumque tantæ claritatis jubar emicuit in ipso virginali triclinio, quod nihil in illo delitescere potuisset absconditum eodem temporis in momento.

18 Porro Venerabilis Ida; prorsus hujus mysterii nescia, pro luminis insolita claritate, clausos sub peplo quo velabatur ocellos occultavit; *& quæ oculos constanter tenebat clausos,* & sic Fratrem illum assidentem cominus, ob reverentiam sui Ordinis, officioso verborum ordine salutavit. Ille vero propositis in principio suæ narrationis ædificatoriis quibusdam eloquiorum exordiis, ac si talem ob causam ad eam audita sui languoris ægritudine declinasset: aperte tandem ut oculos, ad quos advenerat intuendos, ablato velamine sibi detegeret; & ad eorum dispositionem ab eo considerandam ostendere sibi complaceret, humili quidem verborum schemate, sed deceptoriæ simplicitatis obscurato caligine, non tam humiliter expetiit, quam fallaciter affectavit. Verum innocens Christi famula, nihil minus quam fraudis hujus commenta contra se fabricata fuisse conjiciens, nil quod F hæc oculorum ostensio portendere valuisset intelligens; eos ob diurni luminis claritatem, ex *divinitus monita* cujus reverberatione graviter admodum illo tempore lædebantur, detegere quidem renuit: sed hujus rei causam exprimens, & ut potuit illi satisfaciens, ne moleste ferret hanc suæ petitionis repulsam, humiliter exoravit. Sed pius misericordiarum Dominus, electam suam, ab impacto sibi noxæ piaculo, prorsus innocentem volens ostendere; Fratremque, ne gravioris offensæ detrimentum incurreret, à suspicionis suæ male concepto discrimine revocare; talibus eam alloquens, ut petita nullatenus ultra denegaret, admonuit; & quid portenderet hæc oculorum inspectio manifesto sibi revelationis indicio demonstravit. Oculos, inquit, tuos ablato velamine citissime discooperi: nam is, qui discoopertos videre desiderat, imprægnatane sis & gravida, missus à suis huc advenit experiri. Quod intelligens Ida Venerabilis, Eja, inquit, amantissime mi, Eja qui languor es & desiderium cordis mei, pie, dulcis, & mise-

Ex MSS. HUGONIS CONFESS.

ipsi se intuendam dedit.

misericors Domine, qui de te solo languescere me fecisti; cur de tua dilectrice permisisti, pro dolor! talia suspicari! Cui Dominus, Hoc, inquit, velamen ocius ab oculis tuis auferas, & non solum in oculis, sed in tota superficie faciei videre, sine quovis obstaculo, te permittas. Quid plura? Paruit illa mandato Dominico, sublatoque velamine mox illi videndos aperuit oculos, apertosque recludere non præsumpsit omnimodo, donec examinatis diligenter eorum & pupillis & palpebris, eorumque dispositionibus & circumstantiis universis, illos iterum juberetur, exploratione peracta, sub suo recondere velamento. Porro Frater ille neophytus, nullum imprægnationis in ea vestigium deprehendens, eamque fallaciter inculpatam fuisse procul omni remoto dubio recognoscens, ad suos cum festinatione redijt: & ab inflicto sibi crimine prorsus innocuam & immunem illam existere, tam Priori quam Fratribus, à quibus missus fuerat, indicavit: sed & ipsam ex tunc & deinceps in majori semper reverentia Frater ille medicus habuit; eamque deinceps, vt vere sanctam & electam Dei famulam, omni vitæ suæ tempore multipliciter honoravit.

& innocens judicatur.

19 Sequenti vero die, qua, sicut prædiximus, B. Joannis Baptistæ Vigilia colebatur, iterum restaurata sibi sospitate, convaluit; & repente, non alio quam divino curata medicamine, corpus à lectulo relevavit. Quo die superveniens Abbatissa quædam, ad eam, quam ægrotasse cognoverat invisendum, & ei recreationis suę quodcumque solatium impendendum; illamque supra quam sperabat emendatam inveniens, in curru suo secum ituram, extemplo fecit ascendere, per aliquanta dierum curricula propensioris impendendæ sibi recreationis gratia, volens in suo consortio retinere. In quem dum Virgo Christi, venerabilis feminæ parens imperio, conscendisset, & per aliquanta locorum spatia procedere jam cœpisset; ecce spiritus quidam fortitudinis in eam insiliit, & non solum ipsam ulterius procedendo meare prohibuit, verum etiam ad descendendum, ac si viribus impelleretur duorum aut trium assistentium sibi virorum fortium, importunæ persuasionis impulsibus instigavit. Currum itaque stare jubens, ab ipso, nemini valedicens, sed omnibus in eo residentibus ingentem admirationis materiam ingerendo, festinato conamine dissiluit; & quorsum duceretur à spiritu penitus nescia, velut ad locum aliquem destinatum, impetuosis, ut sic dixerim, incessibus ambulavit. Contigit autem illam eo tempore per ecclesiam quamdam iter continuando meatum facere, per quam olim incedendo quampluries, omni vice consueverat, in ea repositam Domini crucifixi reverendam imaginem, orationum pariter & genuflexionum officio, salutare: quod tamen ea vice, impellente se spiritu quo ducebatur, explere non valuit: sed antrorsum incedens, & post tergum ecclesiæ limina derelinquens, ad Inclusam tandem illam, de qua in superioribus est præhabita mentio, procedendo pervenit: ibique reddita sibi ipsi, juxta notam sibi mulierculam, in pace cordis, omni sublata prorsus inquietudine, requievit.

B

Postera die sanitati reddita,

ab Abbatissa recreanda abducta,

& divinitus impulsa,

C

vadit celerrime ad Inclusam:

20 Ambabus ergo residentibus, & de cælestibus ac divinis inter se mutuo colloquentibus, Idam Venerabilem inter cetera mulier illa solitaria sic affatur; & ut æquo ferat animo, quod dicendum occurreret, effusa precum instantia deprecatur: Admirabilem, inquit, rem tibi, carissima, profero, quam, ut patienter audias, attenta postulatione te deprecor & exoro. Frater ille, qui sub prætextu familiaritatis hesterna die venit te invisere; non ad visitandum, sed ad explorandum, an prægnans esses, emissus advenit à confratribus & Priore: me vero innocentiam tuam allegante, teque prorsus immunem à perpetratione cujuslibet criminis affirmante, verbis meis ille non credidit; sed quod mente conceperat, affectu simul & opere consummavit. Hæc audiens Dei famula, simulque reminiscens ea, quæ jam oblivioni tradiderat, ad se delata præcedenti die, super oculorum ostensione revelationis Dominicæ momenta; vehementer ingemuit: & ad Crucem, quam insalutatam antea præterierat, amaro rediens animo, flexis genibus & fusis ubertim lacrymis immunitaté suam, hoc ordine verborum, in aure superni Judicis, allegavit. O Domine mi, inquiens, cur de famula tua, nullius amari criminis sibi conscia, tam amarum suspicari facinus à quovis homine, præsertim à religiosis & tuo mancipatis obsequio, permisisti? Tu enim, quem nullum latet absconditum, tu qui nosti renes & corda, mentes & intima singulorum, tu, inquam, nosti mi Domine, nullum aliud extitisse mei cordis incommodum, quam tui amoris adurens incendium ad te propinquandi, nimis insatiabile desiderium te fruendi, dulce contubernium ad spirituales amplexus internum alliciens appetitum. Tu solus, electissime cordis mei; tu, inquam, & non alius occasionem & causam huic ægritudini præbuisti: tu cor simul & animam amoris tui spiculo transfixisti. Nunc ergo votis meis & precibus adesto, misericors Domine, meique peccatricis & miseræ tuæ famulæ miserere: nam peccatis meis exigentibus in hanc me scio contumeliam incidisse.

& intelligit infamiam sibi inustam,

D

ad crucem in proxima ecclesia reversa,

E

querelas apud Deum deponit:

21 Cum ergo flendo pariter & mœrendo sursum erectis oculis Virgo Domini talia peroraret, & hanc suæ querimoniæ vocem altisonam iterato sepe conamine Dominicis auribus inculcaret; ecce puerulus, admodum gratiosissimus & supra humanam æstimationem omni pulcritudinis elegantia decoratus, inter brachia flentis & orantis apparuit. Quem aspiciens Ida Venerabilis, ab omni præhabito mœrore convaluit; & ulnis suis hunc astringens firmiter & amplexans, super tanto pietatis beneficio propensissimis gratiarum actionibus, omnipotenti Deo benedixit. Sed quid miri, si puer ille dulcissimus, & forma præ filiis hominum speciosus, ab æterno Patre dilectrici suæ datus fuit in pretium, pro cujus amore sustinuerat obiecti criminis immane vituperium, & honoris intolerabile detrimentum? Is autem qui gestabatur infantulus, à tenentis amplexibus & intuentis obtutibus non subito disparuit aut repente; sed per totum illum diem, insuper & sequentem (qui, sicut prædictum est, B. Ioannis Baptistæ Nativitate tunc celebris habebatur) ad horam non se subtraxit illius præsentiæ: sed quocumque se verteret, aut quidquid operis interim actitaret, illum ubique secum habuit, ejusque fruebatur applausibus & aspectibus & dulcissima visione. Quantam vero iucunditatem ex ejus præsentia sentire meruerit, illo duorum dierum interjacentisque noctis omni tempore decurrente, quamque delitiosa fuerit in corpore pariter & in mente, sicut non est inexpertus, qui valeat intelligendo percipere; sic non erit intelligens & expertus, qui hoc valeat exquisito quocumque verborum ordine declarare. In tantum enim, ut postea referebat, omni præmisso tempore spiritualibus deliciis affluebat, quod neç pedes suos, ac si toto corpore volitasset in aëre, quocumque se diverteret, aut quidquid operis actitaret, vestigia terris imprimere sentiebat.

à puerulo inter brachia apparente recreatur,

isto & sequenti die.

F

CAPUT V.

In extasi à Deipara filiolus oblatus: visi imbres lapsi supra audientes concionem: favores alii.

CAP. XI. 22 ALiud quoque priori non dissimile miraculum accidit in tempore quodam alio quod, quia relatu dignum existimo, sub brevitatis compendio non inutile judicavi subscribere superius prælibato. Quodam itaque tempore, in prædicta festivitate, quæ de Præcursoris Domini Nativitate recolitur, annua revolutione per ordinem occurrente, contigit hanc venerabilem Christi famulam officio sacræ Missæ, quod in vicina tunc ecclesia solenniter agebatur, ex more cum aliis una fidelibus interesse.

Aliud quoque in Missa post lectam Epistolam

Cumque prophetica jam recitata fuisset Epistola, sed needum foret sacri Euangelij lectio inchoata, Virgo Domini, quæ totum cordis sui affectum ante Domini Dei sui conspectum effuderat, & ei gratissima libamina lacrymarum, ex fonte latissimo caritatis erumpentia, per id temporis offerebat; in egressu mentis tandem eripitur, & ad cælestia contemplanda procul ab humanis sensibus elongatur.

B

visa sibi est à Deipara Christum puerulum accipere,

Aspiciens igitur à remotis, vidit illam omnium beatorum beatissimam, Angelorum quoque Dominam & Reginam ac Matrem Christi, speciali privilegio virginem & fœcundam; videt, inquam, ad se cominus accedentem, & puerum quem gestabat in ulnis, illum ex millibus prælectum, quem humano generi sola profundere meruit, in partu virgo permanens & post partum, illius in sinum, cui hæc videre concessa sunt, aptissime collocantem, & ad fruendum eo per liberam sui copiam in sui gremii receptaculo coaptantem.

amplecti,

Quem illa suscipiens, amplexibus simul & osculis astringebat sibi fortissime, pueri matre super omnia benedicta prope astante; quodque gerebatur, ac si totaliter ejus in placito jus omne quod habebat in filio transfudisset, æquanimiter sufferente, vultuque placidissimo speculante.

& mox in balneo lavari,

Ex alio vero latere beati Præcursoris Domini mater Elisabeth affuit, balneumque quo lavari debuisset infantulus, cum vasis ad hoc præordinatis applicuit, ipsumque puerum una cum Ida Venerabili balneandum in aquis tepentibus officiosissime reclinavit. Ubi cum resideret ille puerorum omnium electissimus, ludentium adinstar infantium plausum fecit in aquis ambabus manibus, ac infantili more turbans illas & excutiens, vicina loca sic humectabat, ut illis hac illacq; dissilientibus, ipse prius earumdem aspersione per omnē sui corpusculi superficiem humectaretur.

C

Quod illa videns vociferari cœpit altisono strepitu, prout in mirabilium ostensione seu perceptione similium in consuetudine per id temporis habuit & in usu: peracta vero balneatione rursus ex aqua puerum elevavit, & suis iterum panniculis involutum in sinu suo recondidit, ipsique materno more familiariter alludendo, supra quam dici vel excogitari posset, in Deo salutari suo mirabiliter exultavit.

pro eoque dimittendo retinendo laborare

23 Cum autem ad Sanctus perventum esset, quod ante Canonis inchoationem ex more solenniter inclamatur; ipsa mater pueri per omnia benedictum filium suum attente expetiit: sed econtrario tenens illum, solito fortius hunc astringens, & in sinus sui receptaculo reabscondens, prorsus eum matri reddere denegavit. Instabat mater attente filium ab altera repetens, & tenenti quodammodo pro sui receptione vim inferens: illa vero renitendo vim vi repellere cupiens, omnino resistebat attentissime, contra matrem ingeniosa quadam violentia se defendens. Erat videre pulcherrimum inter utrasque spectaculum; hanc videlicet infantem, accommodatum ad horam, recipere gestientem; illam vero, non velut accommodatum sed in munere sibi datum, omni qua valuit industria, retinentem.

EX MSS. HUGONIS CONFESS.

Duravit autem hæc iucundissima disceptatio supraque modum gratiosa altercatio, donec à Sacerdote dicendum occurreret illud: Qui pridie: quod elevationem salutaris Hostiæ prævenit, cum fuerit à circumstante populo adoranda.

usque ad instantem Consecrationem:

Tunc enim mater infantis alteri virtute prævaluit, & ipsum inter brachia sua recolligens, ab oculis intuentis omnino disparuit; ipsumque via qua venerat, ad excelsa cæli fastigia reportavit. Illa vero confestim ad se rediens, manibus Sacerdotis hostiam salutiferam elevatam, & astanti populo demonstratam aspexit, ipsamque reverenter una cum aliis adoravit.

solita narrare talia cum variis excusationibus:

Hæc autem & his similia quotiens audientibus enarrabat, ad evadendum vanæ gloriæ nocumentum, hujusmodi se verborum strophis & excusationibus excusabat: Ebriis, inquit, & amentibus interdum res aliter videtur evenire quam eveniat; præsertim cum discretionis obstaculo renitente, res ipsas intellectus aut rationis æquo judicio non discernunt.

CAP. XII. libenter audit concionatores,

24 Inter cetera virtutum exercitia, quibus Omnipotenti Deo placitum semper & gratum his temporibus obsequium exhibebat, & illud non absurdum connumerandum existimo, quod verbum prædicationis omni devotionis instantia, quoties id sibi contingere potuit, audiebat: & ob hoc etiam ipsos Fratres, ad id proponendum à Domino gratiam assecutos, etsi cum omnibus in communi, præ ceteris tamē arctiori vinculo caritatis & propensioris venerationis officio, diligebat.

E

& amat ut instrumenta Dei per eos operantis:

Intellexit enim gratiarum omnium Collatorem, ad ædificationem audientium, ipsa quæ proferebant verba proponere, nec sibi fore totaliter ascribenda, sed illi cui per eorum ora, velut instrumenta aut organa, complacebat irrigationes ædificatorias auditorum mentibus instillare. Quid enim ædificatoria verbi Dei dispensatorum eloquia? quid inquam, aliud sunt dicenda, quam guttæ pluviarum & stillæ roris, ad irrigandum arida corda fidelium cælitus destinatæ? testante Domino, qui natum semen exaruisse commemorat ob humorosi defectum aut roris aut pluviæ. Marc. 4 6

in eorum auditores videt missos cælitus imbres,

Vide ergo, lector, & considera, verane sint hæc ipsa quæ profero, cum de venerabili femina vel legeris vel audieris exempli seriem quam subjungo. Frequenter enim accidit, ac quotiens id acciderit explicari non potuit, quod ad verbum prædicationis, quod disseminabatur in populo, cum aliis una residens in ecclesiarum atriis & sub divo, vidit in ipso sermonis exordio pluviarum imbres, à summo cæli fastigio descendentes in oppido, copiose desuper omnem illam collecti populi multitudinem irrigantes: ipsa vero nihil aliud quam imbres materiales existimans, & ob hoc populum extrinsecus madefactum à loco discedere sermonemque deserere conjecturans; ad circumsedentium interdum vestimenta manus applicuit, & utrum ab imbre madescerent, ut sibi certissime videbatur, attactu manuali diligentius exploravit.

F

& subsequentem serenitatem.

Circa finem vero sermonis, hinc prædicatore clamoribus, inde populo protractiori sessione vel tædio lacessitis, paulatim ipsæ pluviarum guttæ cœpere diminui; donec finitis sermonibus, & in vestimentis auditorum appareret omnimoda siccitas, & aëris imperturbata serenitas, oculorum aspectu suo naturali usui restituto, visibilem iterato se redderet intuenti.

25 Quid autem miri, si mens beatę feminæ, cælesti rore perfusa & spiritualibus imbribus irrigata, caritatis fructus uberrimos edidit, & edendo foras ad omnimoda virtutū exercitia delegavit? cum ipsa Dominica benedictio foras ad visibiles creaturas erumperet, & in his etiam quæ circa Dei Virginem in

Ex MSS. HUGONIS CONFESS.

Panis inter comedendum nõ minuitur:

in rebus usualibus habebantur, antiqua pietatis suæ miracula renovarit. Nam panis, quem in mensa venerabilis femina quotidianis usibus expendebat, quodam tempore per aliquanta dierum spatia, sic ultra naturalem usum in edentium oribus & manibus excrescebat; ut non videretur comedendo diminui, sed quotidianis distributionibus & pauperum erogationibus augmentari. Utique in hoc facto Christi miraculum renovatur, cum venerabilis Idæ familia, cum cœtu numeroso & caterva mendicantium, per multa dierũ spatia, permodico panis edulio satiatur.

CAP. XIII. *In extasi quasi adstat Iudici,*

26 His quoque diebus accidit, ut post infirmitatem diuturnam & validam in excessu mentis erepta, summique Judicis tribunalibus, ut sibi videbatur, non in corpore sed anima præsentata, rebus humanis exemptam penitus & per mortem temporalem universæ carnis debitum se putaret indubitabiliter exsoluisse, ac de salute sua perpetua certam à Domino sententiam accepisse. Cui sic astanti divinæ majestatis aspectui, Salvatorisque faciem, in quam desiderant Angeli prospicere, cum ineffabilis exultationis & lætitiæ jubilo speculanti, certa revelatione monstratum est, ad corpus suum ipsam oportere sub omni celeritate reverti, & carnis suæ tunicam, quam exuerat, iterum annuente volenteque Domino revestiri. Fuit autem hæc suæ reversionis causa sibi divinitus intimata, certoque revelationis indicio demonstrata: quod, nisi subito reverteretur ad exutum in terra corpusculum, quidam ex ejus familiaribus & amicis in mortale peccatum incideret & piaculum, ac in animæ suæ nimis intolerabile detrimentum. Hac ergo de causa corpori restituta, rursum inter homines homo apparuit, & à lapsu lubricum amicum, instantissimis orationum & lacrymarum effusionibus, annuente superna clementia, conservavit: omni tamen residuo vitæ tempore reversionem hanc ægre nimis & moleste sustinuit, oppidoque molestius, ut fatebatur & ipsa, procul dubio protulisset, nisi de liberatione sui familiaris aliorumque salute fidelium, pro quibus orationũ libamina quotidie transmisit ad Dominum, omnino certior extitisset. Sed quid miri? Peregrinum & infelicem se fatetur ille beatus Apostolus, cum in hæc verba prorupit, ut exul & profugus; Infelix Ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?

& sententiã æternæ salutis accipit.

ad jubetur vivere

B

ut impediat peccatum mortale.

Rom. 7. 24

CAPUT VI.

Tenerrimi affectus erga sacram Eucharistiam. Facultas eam sumendi à Summo Pontifice indulta.

C

CAP. XIV.

27 His quoque temporibus innatum erat Idæ, venerabili Christi sponsæ, fervens nimis & maximum desiderium, amplectendi sponsum suum amantissimum, omniumque fidelium animarum ferventissimum zelatorem, ipsum Dominum Iesum Christum. Quadam ergo die, cum sola vacans orationibus in ecclesia resideret, & neminem adesse cerneret, in cujus præsentia vel conspectu, quod diu mente tractaverat, efficere non auderet; importuno tandem impatientique desiderio superata, surgens ab oratione, pyxidem in altario dependentem, & Corporis Christi Sacrosancta mysteria continentem, ausu quodammodo temerario, pio tamen & devoto valde, super ipsum altare deposuit. Hancque mille vel eo amplius vicibus amplexando & deosculando, suoque pectori tenaciter applicando, per hunc modum, ut valuit, insatiabili cordis sui desiderio satisfecit. Cum vero pyxidem, in qua Corpus ipsum, ut moris est, officiosa cum reverentia servabatur, affectaret & cuperet aperire; quatenus ipsum, quod occultabatur interius, humanæ salutis pretium intuendo, suæ concupiscibilitatis intolerabilem appetitum, etsi non omnino comprimere, saltem valuisset aliquali solatio delinire; quod volebat, adimplere non potuit: & licet hoc sæpissime frustratis conatibus iteraret, nullis tamen viribus aut exquisitis ingeniis hoc effectu mancipare prævaluit; possibilius tandem existimans (ut postea retulit) ipsam ecclesiæ molem, in qua talia gerebantur, uno digito de loco suæ fundationis in alieno loco transponere, quam ad suo satisfaciendum desiderio insatiabili clausam pyxidem aperire. Alii forsitan indignantur mulieri, tam ardua sibique minime competenti proterve simul & pertinaciter attentanti: ego vero, sine sententiæ præjudicio melioris, non tam præsumptuosam temeritatem improbandam fore censui, quam devotissimæ Dei famulæ mirabilem affectionem approbandam esse, si sano discretionis oculo rem & rei gestæ processum, intentionem & ordinem, à quovis justitias judicante, contigerit indagari.

Pyxidem cũ sacra Eucharistia

pie sæpius osculatur:

aperire c.natã

D

nullo modo potuit.

28 Sacerdos quidam in præsentia sanctæ feminæ divina mysteria per temporum aliquanta curricula celebrabat; vel, ut veritatem rei gestæ verius exprimamus, ipsa, quantum de se potuit, ausu nimis temerario profanabat: erat enim à Prælatis Ecclesiasticis, exigentibus culpis suis, ab officiis suspensus & beneficio. Celebrabat tamen ille temerarius & omnino profanus, contra fas & jura Canonica, claves Ecclesiæ contemnendo. Porro Venerabilis Ida, cum hoc impedimentum in homine penitus ignoraret, & ille celebrationes temerarius per dies singulos iteraret; illa quidem Ecclesiasticis officiis quotidie celebratis interfuit, sed nullam omnino consuetæ jucunditatis influentiam interim in ejus anima degustavit. Qua super hoc vehementius admirante, suisque peccatis & negligentiis hoc tam ærumnosum & immane piaculum ascribente; preces tandem Omnipotenti Deo cum fletibus obtulit, & ut causam hujus rei notam sibi facere dignaretur, humiliter exoravit. Nec mora supervenit improvise Decanus quidam, hujus Sacerdotis habens notitiam; huncque celebrantem inveniens, admiratus est vehementer, advertens improbissimam hanc tanti præsumptoris audaciam: nullam tamen eidem Presbytero faciens quæstionem de præmissis inferensue calumniam; maluit, ut homo sapiens, ad tempus dissimulare hanc proterviam, quam propalando detegere rem omni seculorum tempore detestandam. Ad cujus præsentiam accedens hæc, de qua loquimur, Dei famula; percunctari cœpit, unde vel quis esset is qui in præfata celebrabat ecclesia? si Sacerdotalem esset adeptus ordinem, aut tractare vel celebrare ei liceret ipsa, quæ quotidie tractabat vel celebrabat, Ecclesiastica Sacramenta? Cui Decanus; Hic, de quo loqueris inquit, O Venerabilis Christi Virgo, suspensus est à Prælatis suis ab officio simul & beneficio: ne tamen ex hac offensa scandalum oriatur in populo, donec aliud ordinetur, apud te, quæso, ipsa res maneat in occulto. Quod audiens illa vehementer obstupuit, & eam, quam senserat eatenus in corde duritiam ex hoc provenisse non ambigens; justum & verum Omnipotentis esse judicium affirmavit, eumque de mysterii hujus oblata sibi notitia magnifice benedixit.

CAP. XV.

Audiens Missam sacerdotis sacrilegi,

E

non sentit consuetam devotionem:

& ipsius intelligit reatum.

F

29 Sed & alio quodam tempore, Sacerdote divina celebrante, Virgo Domini secus pedes illius in oratione procubuit, & mira virtuositatis instantia totum suæ devotionis affectum ad cælestia delegavit. Cum autem eo perventum esset, ut Sacerdos, expletis agendis, ad Communionis sacra libamina se converteret; & ipso Corporis edulio jam cibatus,

CAP. XVI.

Alias audiens Missam,

A cibatus, ad potandum ejus Sanguinem, ori calicem applicaret; Venerabilis femina sensibus exuta corporeis, in excessum contemplationis elevata, prosiliit. In quo benignissimus humani generis Opifex & Redemptor, erga dilectam, & dilectricem suam, affectum intimæ suæ dilectionis evidentissimo satis indicio demonstravit: videbat enim illum calicem, quem Sacerdos adhuc tenebat in manu, effundi totum super ipsius intuentis animam, & extemplo, sub ipso speculationis articulo, quasi totam hanc effici pretioso Christi sanguine rubricatam. Ex qua quidem effusione modico terrore pavefacta, contremuit; & ad se reversa continuo, corporalibus oculis id, quod in spiritu contemplata fuerat, ultra videre non potuit. Sed quid portendebat hæc visio, vel quid in se mysterii continebat, illuminato mentis aspectu luce clarius intellexit. Ostenderat enim in hoc facto pius Dominus, ut nos ex Scripturarum testimonio conjicere possumus, hanc in illorum jam esse numero computatam, qui stolas suas in Agni mystici sanguine dealbantes, ante thronum Dei sunt jugiter assistentes, & eidem in templo sancto ejus die ac nocte devotissime servientes.

videt calicē super animā suam effundi, & hanc rubefieri.

B

CAP. XVII.

30 Illis quoque temporibus unaque dierum, in qua festum B. Thomæ Apostoli celebratur, peccatorum ac negligentiarum suarum cœpit hæc Virgo Domini devotissime reminisci: timensque ne forte remissionem eorum & indulgentium, esset à Domino consecuta, timenti corde non cessavit hæc, iteratis & sæpe repetitis vicibus ab eo die, sub actissimo correptionis examine, studiosissime confiteri. Cumque timore nimio pavefacta, quotidianis hæc iterationibus actitaret, ejusdemque pavoris angustia nihilominus in ejus pectore continue vigilaret; una dierum Ida Venerabilis in extasi rapitur, & quid in hoc sit articulo faciendum ab eo, qui Dei virtus est & sapientia, ministerialiter eruditur. Apparens enim ei pius & miserator Dominus ac mœstorum Consolator expeditissimus, ad excludendum omnem immissi terroris insolentiam, ei voluntatis suæ secretum aperuit; & qualiter amissæ consolationis optato beneficio potiretur, ei tali verborum ordine patefecit: Cur, inquit, electa mea, tanti pavoris angustia frustra cor tuum affligitur? & quam ob causam hoc timore superfluo, sine causa rationabili, tuus intra te spiritus anxiatur? In hac ergo Dominica, quæ jam occurrit proximo celebranda, præmissa tuorum expiatione peccaminum, ad percipiendum mei Corporis & Sanguinis Sacramentum, ad altare reverenter accedito; sic autem reconciliabimur eodem temporis in momento. Quibus auditis à contemplatione cælestium illa revertitur, & in proxima subsequente Dominica, quod in mandatis acceperat, ab ea fideliter adimpletur. Eo namque die, cum miro devotionis affectu beata femina processit ad Sacramentum illud omni Sacramento nobilius, & statim à corde percipientis evanuit omnis timor ille phantasticus, in amorem utique vehementissimum, ex virtute Sacramenti vivifici, continuo resolutus. Hora siquidem eadem, in qua sacrosancto refloruit initiata mysterio, tam ardentissimo conflagrari cœpit amoris incendio, quo Dominum ipsa diligebat, & æque diligebatur à Domino; quod hominis cujuscumque mortalis impossibile foret ingenio, vim tantæ dilectionis aliquali verborum exprimere documento.

Ob memoriā peccatorum anxia

& in extasin rapta,

C

jubetur communicare

& liberatur omni anxietate;

31 Sacris ergo mysteriis innovata, confestim ad locum, unde digressa fuerat, ingentissima cum afflictione revertitur: eo quod amor suus & desiderium ipso summo bono, quod Deus est, eodem adhuc in tempore pro voluntatis suæ libito minime frueretur. Est enim amor fruitionis cum perfecta delectatione, quando videlicet amor ipse revelata facie summo bono perfruitur; & est amor desiderii, qui licet in appetitione summi boni, supernæ prægustatione dulcedinis omnimodo non frustretur, ex eo tamen anxiatus affligitur, quod in hoc humanitatis ergastulo quod amat, quod desiderat, quod affectat, inoffensa perfruitione comprehendere non meretur. Primus amor his solis adscribitur, qui cum eo gloriantur in patria: secundus illorum est proprius, quorum in cælis est conversatio, peregrinantur autem à Domino corporeis adhuc involuti nexibus in hac vita. Cum igitur in loco suo Christi Virgo venerabilis, hac de causa mœrens ultra modum & anxia, resideret; & nihil consolationis in hoc impossibilitatis articulo, nisi denuo consolaretur à Domino, superesset; ecce pius & misericors Dominus iterata vice dilectricem suam alloquitur, & alloquendo mirabili pietatis suæ clementia benignissime consolatur. Cur, inquit, anxiaris, o sponsa mea dilectissima? Cur turbaris, aut consolationem aliquam, electa mea gratissima, intra pectoris tui præcordia non admittis? Quis sponsus electissimæ sponsæ suæ majoris affectum dilectionis usquequaque valebit ostendere, quam ut in aliqua sui parte deformem, suo proprio mundet ablutam in sanguine, totamque formosam efficiat, omni deformitatis ab ea contagio disparente? Non ergo es tu illa, carissima sponsa mea, quam fœdam atque deformem, amore gratuito nullisque præcedentibus aut apparentibus in te meritis, adamavi; meoque sanguine pretioso decorem in te miræ pulcritudinis & eminentis elegantiæ, fugato pristinæ deformitatis omnique fœditatis obstaculo, reparavi? Vel quis sponsus electæ sponsæ suæ propensiori valebit occurrere familiaritatis officio, quam ut occurrentem sibi delectabiliter amplexetur, & ad pectus suum affectu stringat & applicet amoroso? Et tu es illa carissima sponsa mea, quæ non solum amplexu meo constringeris, & ad mea præcordia dulciter applicaris; verum etiam ipsum Corpus meum & Sanguinem intra te bajulas, cujus esu potuque spiritaliter in anima pasceris & potaris. Quibus auditis, ex verbo Dominicæ consolationis in spem erecta, refloruit Ida Christi virgo beatissima: priscique mœroris & augustiæ nebula penitus effugata, confestim ex his quæ viderat & audierat æquanimior est effecta.

EX VITA HUGONIS CONFESSI

tristis quod non plene fruatur Deo

nova consolatione à Domino excitatur.

E

CAP. XVIII

32 Illud quoque mirabile satis apparuit in Dei Virgine quod in hora Communionis, innovata Dominici Sacramenti venerando libamine, præ nimio quem in anima sentiebat eo tempore fervore devotionis & speciali copiosa dulcedine, viribus in ea deficientibus, ad locum vnde digressa fuerat non valuisset usquequaque recedere: sed in medio sui callis, ubicumque locorum hoc fieri contigisset, ipsam oporteret aut corruere resupinam, aut pronam in itineris sui quovis spatio residere. Non autem semel aut raro beatæ feminæ tale quid accidisse dignoscitur: sed sæpe repetitis vicibus, & antequam Cistereiensem se transtulisset ad Ordinem, & post habitus sumptionem, hoc sibi contigisse plurimorum infallibili testimonio comprobatur. Antiquus autem humani generis adversarius & bonorum omnium insatiabilis inimicus, ex præmissis antiquæ malignitatis occasione suscepta, quorumdam animos hoc sæpius intuentium ad invidiam excitavit; & eorum corda, quæ per experientiam hæc & his similia non sensere, neque credebant quod Divinæ largitatis hoc idem actitaretur ex opere, ad evomendū odiosæ detractionis execrabile toxicum, insontem con-

Post Eucharistiam susceptam

nequit ad locum priorem se recipere;

unde quibusdam male de ea suspicantibus,

EX MSS. HUGONIS CONFESS.

contra Dei Virginem, animavit. Fuêre namque qui dicerent hoc inanis gloriæ pro cupidine fieri; nec præmissa virium corporalium imbecillitati, sed appetitui vanæ laudis attitulari debere potius & adscribi. Quod intelligens Ida Venerabilis ex quorumdam insinuatione, vehementissime doluit, & alieno damno proprium in hoc facto reatum extimuit: & ut sacratissimæ Communionis hora, qua reverenda libamina foret annuente Domino post futuro tempore perceptura, virium sibi corporalium non deficerent, sed potius accrescerent adjumenta, devotissimis precibus omnipotentis Dei magnificentiam exoravit. Qui clemēter illius precibus annuens, in hora Communionis, ex tunc in antea, vitæ vires corporales ei attribuit: & sic demum detractionis vulnus à cordibus invidentium amputavit.

petit recedendi facultatem.

33 Timens ergo beata femina, ne de crebra perceptione Dominici Sacramenti simile quid eveniret inposterum, & sic forsan abstinere cogeretur ab eo, propter invidiam & scandalum aliorum; spiritalium amicorum super hoc consilium & juvamen expetiit, quorum adjutorio litteras Apostolicæ Sedis auctoritate firmatas obtinuit, quibus, ob experta suæ devotionis & sanctimoniæ merita, concessum indultum confirmatum habuit, ut omni die, quo vellet aut liberet sibi, ad perceptionem sacræ Communionis, absque quovis obstaculo, potuisset accedere; quibus absque Dei omnipotentis indignatione, juxta tenorem & continentiam earumdem, nemo valuisset his temporibus obviare. Nota, lector, hanc aut huic similem indulgentiam hoc nostro tempore paucissimis esse vel fuisse concessam: ex quo manifeste conjicere poteris, Idam Venerabilem his temporibus extitisse non mediocri sanctimoniæ titulo decoratam, quam Apostolicæ Sedis auctoritas hoc suo privilegio nobis omnibusque sanctæ Ecclesiæ filiis exhibuit honorandam. Nullus ergo locus invidiæ superesse potuit, ubi totam sibi divina clementia, totam Apostolica auctoritas vendicavit. An non divina gratia se quotidie manifestabat in Dei Virgine, cum in perceptione salutaris Eucharistiæ liquescebat ejus anima præ spirituali dulcedine, dilecto suo tam suaviter quam amicabiliter eam intrinsecus alloquente? Liquescit enim anima necessario, cum in semetipsa divino colloquio tangitur, ut in Moralium libris ipse beatus Gregorius attestatur: Mens, inquit, dum occultæ aspirationis locutione tangitur, à statu suæ fortitudinis infirmata, ipso quo absorbetur desiderio liquatur; & unde se apud semetipsam fessam invenit, ultra se esse conspicit fortitudinem, quam conscendit.

Indulget ei Pontifex quocumque die communicare:

B

C

CAPUT VII.

Varii effectus divini amoris. Accessus ad Ordinem Cisterciensem.

CAP. XIX.

34 Tempore quodam in excessu mentis erepta Virgo beatissima, vidit in spiritu, suam ipsius animam ad instar templi latissimi, per omnes sui partes introrsus extendi; porrectisq; dimensionibus in longum pariter & latum, ad eminentis cujusdam ecclesiæ similitudinem aptissime dilatari: in cujus medio constituta, cum aciem oculorum ad singula quæque lustranda mira sagacitate vigilique curiositate deflecteret, & nullum in hoc mundo venustius se vidisse vel pulchrius æstimatione verissima judicaret; ad ipsum tandem altare direxit intuitum, utpote ceteris omnibus honestius atque decentius adornatum. Erat quippe videre ministros eximiæ pulchritudinis, illud cum suis lateribus ex omni parte ambientes, ac pallis byssinis atque candentibus superficiem, inauratisque tapetibus ejus frontem & latera vestientes, per ejus quoque circuitum illud idem accensis luminaribus ornatisque copiose lampadibus attingentes. Videbat insuper, & ecce totus chorus occupari cœpit affluentibus ex omni parte cantoribus: quibus in stallis suis infra supraque per ordinem adunatis, à præcentoribus extemplo Missalis inchoabatur introitus, & ad finem usque processit, ab illo cælesti collegio, porrectis altisona voce concentibus & ineffabili melodiæ dulcedine, decantatus. Ex alio vero latere videbat indutum Pontificalibus, appropinquantem ad altare Pontificem: videbat & ministrantium ordinem, ipsum summa cum reverentia præcedentem: eorum vero quemlibet, in ipso Missali quod agebatur officio, suum attentissime ministerium exequentem. Sed quid plura! Solenniter inchoata Missa, propensiori cum solennitate celebrata peragitur; & nil eorum, quæ per ordinem in hujusmodi requiruntur officio peragendo, vel ab ipso celebrante vel à ministrorum aliquo præteritur. Quis vero Pontifex is fuerit, ex ejus testimonio suoque Confessori facta diu postea revelatione, comperimus. Fuit enim ipse verus & summus Pontifex & Sacerdos secundum ordinem Melchisedech, perfectus Deus & homo, natus ex Maria Virgine Dominus Jesus Christus: chorus vero ministrorum atque psallentium, cælestis fuit utique exercitus, ad sui Creatoris obsequia terribilis ut castrorum acies ordinata: officium vero quod vel quale fuerit, jam dudum oblivione sopitum, explicare non potuit: singula quippe beneficia, quæ de manu Domini suo tempore recipere meruit, perpetuę commendare memorię prorsus impossibile judicavit.

In extasi vidit animam suam instar templi extendi:

in eoque altare ornatissimum,

D

& in hoc Missam decentissime celebrari,

à Pontifice

Christo Domino,

E

35 Orationis causa cum die quodam ante ciborium in ecclesia resideret, & ipsi Dominici Corporis honorabili sacramento propensæ devotionis obsequium exhiberet; hinc execrabiles hujus mundi miserias, inde vero cælestes, à quibus exulabat, æternæ vitæ delicias animo cœpit & mente revolvere: deinde vero pro sua liberatione cum lacrymis & singultibus, cum fletibus & gemitibus, omnipotentis Dei misericordiam his vocibus exorare: O amantissime, inquit, Domine mi! O spes, amor & omne desiderium cordis mei! Quamdiu me patieris in hoc carnis ergastulo detineri? Quamdiu me sustinebis in hac valle miseriæ comprimi & affligi, præsentisque corporis & fragilis domicilio relegatā à tua me prę-sentia separari? Recordare, mi Domine, quæ, qualia vel quanta vitæ præsentis in tempore pro tui nominis honore sustinui, per cujus invocationem ab his omnibus à tua me peto misericordia liberari. Quibus dictis, in excessu mentis ad cælestia contemplanda confestim eripitur; & ab humanis exutus induviis, ad supernæ visionis intuitum ejus in alta spiritus elevatur. Videbat igitur, & ecce speciosus ille præ filiis hominum Dominus Jesus, totus ei jucundus, totus ei festivus apparuit; vultumque benignissimum, in quem desiderant Angelici spiritus æterna jugitate perspicere, tam clarum & tantæ benignitatis excellentia decoratum, eidem exhibuit; ut omnium tribulationum, afflictionum & dolorum incommoda, quæ diversis modis atque temporibus olim, occultissimo, sed benignissimo Dei judicio, pertulerat in hac vita, solo respectus illius inæstimabili dignoque commercio plenissime sibi compensando refunderet, & omnem doloris atque mœroris angustiam ea vice procul à memoria sua continuo relegaret. Ajebat enim, ut postea Confessore suo revelante didicimus, quod, si dolores & afflictiones omnium in hac mortali vita degentium, & à primi parentis origine per omnia secularia tempora futura simul

CAP. XX.

In oratione anhelans ad æternam vitam,

F

benignissimum Christi vultum aspicit

summaque lætitia perfunditur

A simul & præterita descendentium, hæc sola per momentaneum ætatis suæ curriculum in corpore pertulisset; id omne quod tolerasse potuerat, hoc solo miserationis suæ respectu divina sibi clementia copiosissime refudisset. Attende, lector, ad quantam gratiarum altitudinem excreverit hæc Virgo beatissima, quæ tam dulciter à Patre misericordiarum & Deo totius consolationis, ad unicum oculorum intuitum, ab omni doloris incommodo consolari meruit in hac vita. Quid ergo miri, si multo propensius, quam dici vel excogitari possit à quovis etiam expetente; electorum spiritus & animæ Beatorum æterna consolatione fruuntur, in amœnitate cælestis habitationis & patriæ; qui semper & ubique præsentem habere merentur, eumque prospicere, qui lucis æternæ candor esse describitur, & lumen ad revelationem gentium & gloriam Israel plebis suæ.

CAP. XXI. *In festo S. Mariæ Magdalenæ*

36 Simili quoque modo, sed non eodem in tempore, die qua B. Mariæ Magdalenæ solennia consuevit sancta Ecclesia recitare, meridianis horis ad vacandum otio contemplationis, eo quietius utique quo secretius, ad umbram arboris in solitario quodam loco confugerat: ibique permaxima beneficia, quæ dudum hæc Sancta fuerat à Christo Domino consecuta, nunc exercitio meditationis ad memo- B riam revocabat; nunc vero quam bene sibi fuerit, cum illum, quem dilexit plurimum, in corpore præsentem habere promeruit; ejusq; aspectu pariter & alloquio jucundari quam dulce, quam delectabile vel quanti sibi reputandum extiterit meriti, æque studioso contemplationis officio ruminabat. Hæc igitur & his similia, non sine congratulatione permaxima, Dei Virgine meditante, continuo per mentis excessum ad cælestia contemplanda sustollitur, & ut prius à Christo Domino se visitante conspicitur: ad cujus aspectum illius anima copiosissime jucundata, cælestibus iterato deliciis adimpletur. Ad se quippe reversa, tam in gestibus quam in verbis, eo die quasi tota cælestis apparuit inter homines; ita quod pedes incedentis & poplites à terræ pulvere sublevatos, ut sibi certissime videbatur, aspiceres, & terrenæ substantiæ quodcumque vestigium imprimere non putares.

contemplans beneficia sibi collata,

à Christo invisitur,

CAP. XXII. *Colloquens cum pio viro,*

37 Per idem tempus unus amicorum ejus, in affectione fidelissimus & in amicitia constantissimus, vir per omnia religionis titulo decoratus, una dierum, ut sæpissime consueverat, his temporibus C ad Venerabilem Idam accesserat; & cum ea de salute animæ, de morum emendatione, de terrenorum fastidio æternorumque desiderio, verba consolatoria simul & ædificatoria conferebat. Inter quæ Virgo Domini more dolentium vehementer ingemuit: & voluntatem, quam ei Dominus nuper inspiraverat, hujuscemodi ordine patefecit. Num, inquit, carissime, tibi celare poteto cordis mei desiderium & propositum divinitus inspiratum? Ecce clamorem populi diutius jam mente quieta sustinere non valeo. Nam cum multis sim peccatorum sordibus inquinata, falso me decorare non cessant religionis & sanctitatis præconio: & licet me peccatricem confitear in publico, nullus tamen horum me arguit de peccato. Hæc igitur & his similia diutius tolerare non prævalens, & te & alios amicos, quorum hactenus sum freta solatio, sub omni celeritatis articulo, non mente sed corpore derelinquens, hoc seculum nequam, & ea quæ seculi sunt, in brevi propono deserere; Cisterciensemque simul & ordinem & habitum assumendo, deserta religionis expetere; tantoque liberius animo pariter & affectu, quanto secretius omnipotentis Dei beneplacitis adhærere.

indicat se velle habitum Cisterciensem assumere:

38 Hæc audiens ille beatæ feminæ zelator amantissimus, & inseparabilis amicitiæ tenerrimus æmulator, primo quidem obriguit, & tremens ac pallens ad proposita sibi verba præ stupore nimio respondere non potuit; sed urgente tristitia continuo versus in amentiam, anxietatem cordis sui jam amplius occultare non potuit; sed ad vesanorum instar & excordium, tam verborum quam gestuum alienationis suæ molestiam in conspectu Dei famulæ miserrimo schemate demonstravit. Quod cernens Ida Venerabilis; mox perturbari cœpit & anxiari vehementissime, ream se judicans illius inopinatæ vesaniæ: quippe quam sui causa non dubitabat hunc amicorum suorum præcipuum incurrisse. Flexis ergo genibus, in terram confestim anxiato corde prosternitur; & omnipotentis Dei clementiam, pro reddenda sospitate suo famulo patienti, permaxima suspiriorum, fletuum, & orationum instantia, deprecatur. His igitur intra virginale cubiculum hoc modo se habentibus; ecce quidam alii de amicorum suorum familiarium numero foris stantes, pulsant ad ostium, quod ad fruendum amplioris secreti copia paulo ante fuerat obseratum. Sed Virgo Domini de loco quo jacuit non surrexit, nec orationum studium intermisit, aliorumque foris stantium & mirantium quidnam intus fieret desiderio satisfacere non curavit: sed totam in orationibus se effundens, ultra vires pene corporeas in incepto negotio perduravit. E Timebat enim, ut postea retulit, ne si fortassis illos pulsantes & vociferantes intromittere curavisset, is pro quo tam sedule laborabat, irremediabiliter in amentiæ suæ morboso contagio permansisset. Sed quid pius & misericors Dominus electæ suæ negare potuisset, in tam pio negotio tam intentissime laboranti, fraternamque miseriam tam studioso compassionis officio deploranti? Vix oratione completa, demens ille fugata dementia sospitati pristinæ restituitur, & venerabilis feminæ deprecatio confestim in laudum & gratiarum actionis ineffabili jubilo terminatur. Quibus ita patratis intromittuntur & alii, sed quid gestum ibi fuerit aut actum, ad eorum notitiam non sinit pervenire Virgo Christi; ne forsan idipsum quod sibi acciderat, ad sui commendationem vel amici confusionem, à quovis hoc audiente contingeret in populo divulgari.

EX MSS. HUGONIS CONFESS. eaque denuntiationi consternatum

fusis ad Deum precibus

sibi restituit.

CAP. XXIII.

39 At quoniam in præcedenti capitulo de voluntate sibi divinitus inspirata mentionem aliqualem jam fecimus; operæ pretium est ut qualiter eamdem in brevi postea perduxerit ad effectum, compendioso narrationis ordine subjungamus. Est mo- F nasterium ordinis Cisterciensis, cui Vallis-Rosarum est vocabulum, in Brabantiæ partibus, ab illustri quodam viro, descendente de nobili prosapia Machliniensium Dominorum, Ægidio nomine, Beatæ Mariæ semper Virginis in honore fundatum, & juxta vicum, Walem appellatum ab indigenis, in ripa Nethæ fluminis aptissime situatum. Hoc in monasterio sponsa Christi per omnia venerabilis in sociam & monialem admitti se petiit, & obtinuit: in quo multis postea temporibus omnipotenti Domino strenuissime militavit: & cursum vitæ præsentis, ut patebit in sequentibus, annuente superna clementia felicissime consummavit. Qualiter autem in benedictionum suarum dulcedine præventa sit à Domino, cum necdum religionis habitum sumpsisset in hoc loco (priusquam ad alia me divertam, quæ postea per eamdem gesta sunt in eodem monasterio) quam potero brevius hic annecto. Cum ergo terram, cognationem, & domum patris sui penitus deserendo cum Abraham Patriarcha, mandato Dominico paruisset, & mente simul & corpore semetipsam ad dicti monasterii limina transtulisset; in eodem quo venerat habitu recepta fuit, ut moris est, in hospitio; donec adveniente, quæ tunc aberat,

In monasterio Cisterciensi Vallis-Rosarum

admittitur,

ibique in habitu suo adhuc degens,

 ejusdem

EX MSS. HUGONIS CONFESS.

ejusdem loci Venerabili Abbatissa, per eam assumeret religionis habitum, pro quo tunc advenerat assumendo.

40 Quo tempore medio decurrente, quadam sexta feria sedens in hospitio, præstolabatur campanę sonitum mox pulsandæ, quatenus per eum certius evocata divinis posset officiis & Missarum solenniis interesse. Ubi cum Virgo Domini, corde spirituque ad cælestia devoto, sibi soli vacans & Domino, resideret; in excessum mentis elevata prosiliit, & sopito sensuum exteriorum officio, solo contemplationis intuitu cælestium mysteriorum abscondita penetravit. Apparens enim in ipso momento temporis electæ suæ pius & misericors Dominus, coronam auream in manu sua detulit, intextam ex auro lapidibusque pretiosis, inter quos etiam præeminebant ex eodem auro diversarum specierum flores intermixti cum crucibus: cujus pretiositatem & pulchritudinis elegantiam, nullus humano sensu perciperet intellectus. Accedens ergo propius ad electam suam ipse misericordiarum Dominus, hanc in ejus capite decentissime posuit: & taliter eam alloquens, ad consequendum quod conceperat mente propositum, attentius animavit. Constans, inquit, esto carissima, nec te terreat Ordinis observandi rudis austeritas aut loci penuria: tecum ero semper ad quæcumque te verteris, & ad sublimia spiritualis vitæ me duce pervenies incrementa: & hoc tibi signum: Jam pulsabitur in ecclesia tintinnabulum, quod celebrandæ Missæ prætendit indicium: parata sis ut introëas in ipsum quo celebrabitur oratorium, & ecce descendam in altari, cum mysticum in eo tractabitur Sacramentum: tunc me desiderabis, & ego totus influam in cor tuum: sed & aliquæ me desiderabunt ex ejusdem collegii monialibus, & ego totus earum similiter influam animabus. Cui Venerabilis Ida, velut hujus ignara mysterii, tale responsum edidit, & hoc quomodo posset fieri cum beato Nicodemo fiducialiter inquisivit. Tu, inquit, amantissime Domine, si totus, ut asseris, illarum animabus influxeris, in meam quomodo totus influes, in momento præsertim ejusdem temporis, cum hoc corporalibus omnino sit impossibile creaturis. Cui Dominus; Hanc, inquit, habeo potestatem, ut me per partes non dividam, ad creaturarum instar visibilium, sed totus infundor animabus omnium me pie desiderantium: non enim est impossibile apud Deum omnę verbum. Quibus dictis illa Dominica visio repentine disparuit, & ad se reversa confestim ecclesiam intravit: ibique suo potita desiderio, prout acceperat in promisso, sacramentum Dominici Corporis & Sanguinis immolante Presbytero, mox illius anima cælesti dulcedine perfusa refloruit: nec minori, sed prorsus illi simili vel majori, quam in perceptione vivifici Sacramenti præterito simul & futuro tempore degustavit. Sed jam his, quæ gessit in seculo, duorum volumine libellorum, ut potuimus, brevius expeditis, modice nobis pausandum existimo: quatenus ad ea quæ postea gessit in Ordine describenda, consurgamus alacrius, ingenio pariter & eloquio sub amico silentio modice reparatis.

& ad perseverantiam animatur à Christo

promittente se in ejus & aliarum animas influxurum.

CAPITULA LIBRI TERTII.

1 De eo quod in anno novitiatus sui maximo desiderio percipiendi Corpus Christi cruciata fuit, & qualiter illud miraculose recepit.
2 De eo quod monialis quædam ex ipsa mirabilem quamdam dulcedinem sensit emanare.
3 De eo quod in extasi rapta, Corpore Christi communicata fuit.
4 De eo quod Beata Virgo & B. Joannes Euangelista ad altare eam duxerunt.
5 De eo quod sibi videbatur anima sua dilatari ad modum sagenæ latissimæ.
6 De mirabilibus, quæ sibi in quadam die Pentecostes, in perceptione Dominici Sacramenti, acciderunt: & de spiritu prophetiæ, quo statum suum cuidam intimavit.
7 De eo quod per divinam inspirationem quoddam mandatum revocari procuravit.
8 De gratia contemplationis, quam à Domino consecuta fuit.
9 De nimio fervore caritatis, quem in anima sua sensit.
10 De eo quod ex perceptione cælestium gratiarum nulla vana gloria titillari potuit vel corrumpi.
11 De claritate, quæ ex oculis ejus interdum, ad instar radiorum solarium, emanavit.
12 De eo quod moniales miræ suavitatis odorem ex ea prodire senserunt.
13 De eo quod quadam vice rapta fuit in choro Seraphim.
14 De eo quod per divinam inspirationem interdum Scripturas intellexit.
15 De eo quod vidit in spiritu, monialibus in choro psallentibus aureas coronas dari.
16 De eo quod columbæ ad eam residentem in atrio ecclesię accurrerunt.
17 De transitu & morte ipsius.

LIBER III.

Vita sanctimonialis Idæ, ejusque obitus.

CAPUT I.

Mira Dei gratia collata in sacra Eucharistiæ perceptione.

CAP. I.

1 IGitur ad sua reversa, quæ tunc aberat, ut prædiximus, ejusdem loci Venerabili Abbatissa, religionis habitus Idæ Christi famulæ decenter imponitur; & candidis, ut moris est, indumentis & vestibus adornata, sodalium inter agmina collocatur. Fit interim exultatio mirabilis & gaudium utrobique: lætantur oppido moniales in adventu beatissimæ Dei famulæ, pro maximo reputantes in illius se indignas victuras fore consortio, tantique meriti comitem & sodalem in suo se collegio suscepisse. Porro Venerabilis Ida non minus exultabat in Domino, nihil utilius æstimans in hoc seculo, quam tali potiri consortio, tam spiritali jugiter informari & imbui documento. Licet autem omnem Ordinis observantiam, cui se devoverat affectu complecteretur humillimo, nihil in eo perpendens, quod à suo videatur in aliquo discordare proposito; solum tamen hoc ægerrimo ferebat animo, quod in anno sui Novitiatus, ex ejusdem ordinis observata consuetudine pariter & statuto, vicibus tantum tribus & non pluribus, communicari sibi licuit illo totius mundi salutari remedio, Corporis videlicet & Sanguinis Jesu Christi Domini sacramento.

Induitur veste monastica

cum sua & sanctimonialium lætitia,

& præter morem Novitiarum

2 Quid autem acciderit hujus anni spatio decurrente, venerabili, de qua loquimur, Dei famulæ, nota lector: & intellige rem miraculosam: & omnimoda dignam admiratione cum scribente pariter admirare. Quadam die, cum ex more Dominico Sacramento communicare debuit pars conventus, ultra modum æstuabat, hujus sanctæ novitiæ fervens nimis & insatiabilis appetitus, cupiens una cum aliis assequi, quod sibi denegabat, ut præmisimus, usus observantiæ regularis, in ejusdem ordinis monasteriis his temporibus institutus. Cum autem communicandi tempus adesset, & eæ quę communicare proposuerant, ad Sacerdotis manum in suo quælibet ordine properarent, accessit etiam una cum aliis Ida Christi Virgo venerabilis, ac illis communicantibus & ipsa particeps est effecta sacratissimi sacramenti Dominici Corporis & Sanguinis, iens & rediens in ordine suo simul cum aliis, nec tamen in eundo vel redeundo, mirum dictu, cujusquam offendens oculos

vice quadam ad communionem accedens inobservata manet,

A los intuentis. Utrum autem in spiritu solum an in corpore sibi, quod narramus, acciderit, omni post futuro tempore incognitum habuit. Hoc tamen sciens indubitanter & sapiens, quod verum Corpus Dominicum & ore percepit & dentium officio masticavit.

Eam summa jucunditate ad 7 dies illustrat.

3 Quantum autem illius anima jucundata fuerit & inebriatus spiritus illo die septemque sequentibus, non est nostrum explicare verbotenus. Nullus enim hoc caperet animus, nullus ad intelligendum assurgeret intellectus: sentiebat enim, ut postea retulit, his diebus ante pectus suum ardentem faculam & lucentem in modum lucernæ, non solum intrinsecus animam, sed & corpus extrinsecus ineffabili lumine claritatis & radioso splendore jubaris illustrantem. In omni vero residuo tempore vitæ suæ, quotiens hujus novitiatus diem ad memoriam revocabat, ac proinde spiritualium memor deliciarum, quas irrecuperabiliter illo tempore decurrente perdiderat; has totiens affectu tenerrimo cum lacrymis atque suspiriis, cum singultibus atque gemitibus, amarissime deplorabat. Sed quid miri? Sentiebat enim interdum ex perceptione Dominici Sacramenti tantam dulcedinem ori suo cum illo pariter influentem, & non solum intrinsecus animam, sed extrinsecus ipsa quoque corporis organa naturali gustui adaptata, os, palatum, linguam & labia tam mira jucunditatis abundantia perfundentem; quod nil saporosius existimari posset hoc edulio, nihil degustari delectabilius in hoc mundo. Quid enim dulcius? quid suavius quam panis ille cælicus? cui testante Scriptura omnis delectamenti totius cumulus ab ipso fonte dulcedinis est infusus. Diebus autem, quibus hoc sacratissimo cibo refocillari meruit, omnis cibus corporeus omnino sibi viluit; cujuscumque pretiositatis aut saporis is fuerit: quotiens tamen ob necessitatem humanæ conditionis hunc incorporare necesse habuit, ipsum cum tædio simul & maxima cordis angustia degustavit. Quid hic dicturi sumus nos inertes & miseri, qui vix aut numquam aliqua spirituali dulcedine recreamur in perceptione tam suavissimi tamque salutaris edulii? Sed quod magis est miserabile, sunt quibus oppido pluris est delectamenti perceptio cibi cujuscumque vilissimi, quam inæstimata dulcedo vivifici Corporis & Sanguinis sacramenti.

et recordatione per totam vitam.

B

Sap. 16. 20.

Post sacram communionem

cum tædio sumit cibos alios.

CAP. II.

C

ægra cum socia Officium Ecclesiasticum recitans

4 Aliud quoque mirabile satis eodem suo Novitiatus anno sibi accidisse comperimus, quod etiam memoriæ commendandum & relatione dignissimum æstimamus. Infirmabatur eo tempore Virgo Domini, languensque decumbebat in infirmitorio, juxta consuetudinem ipsius monasterii: cui socia monialis adjuncta fuit ex more, causa recreationis & solatii. Quæ nihilominus operam exhibebat febricitanti sociæ, in legendo diurni pariter & nocturni synaxes & horas officii: parum quippe litterarum studiis informata, præter solum Psalterium, quod in juventute dicerat, litteralis nihil apprehenderat elementi. Juxta quam nocte quadam cum monialis socia, in dicendo Completorium occupata, desideret, & illa, devotionis instantia potius quam vocali consonantia, legenti mutua vicissitudine responderet; odor quidam inæstimabilis, à languente progrediens, ad assidentis nares extemplo sese copiosius infundendo, prosiliit; & ineffabili suavitatis abundantia tota simul illius pectoris præcordia, ipsa quoque viscerum ac vitalium intima penetravit: in ore vero non minoris excellentiæ sapor quidam inconsuetus apparuit, qui mellis & favi dulcedinem omniumque rerum dulcium, quas humana novit experientia, sui dulcoris ineffabili superabundantia superavit. Is quoque non repentine disparuit: sed per totum illius noctis ac subsequentis diei spatium instar favi distillantis illius in ore continue perduravit; supra quo monialis, ultra quam credi posset, hæsitans & admirans, & tanti dulcoris suavitas inopinata unde provenire potuerit ambigens & ignorans, in vola palmæ dextræ modicum ex eo recepit & tenuit, explorando volens addiscere cujus coloris id fuerit, quod omnia penetrabilia sui corporis organa tam insueti saporis influentia dulcoravit: quod lucidum & clarum inveniens, in terram effundere noluit, sed ob reverentiam tanti miraculi protinus illum ore recipiens, ut prius avidissime deglutivit.

illam suavissimo odore ac sapore replet

EX MSS. HUGONIS CONFESS.

CAP. III.

5 Monachus quidam ordinis Cisterciensis, in eodem monasterio Capellani gerens vicem & exercens officium, hanc quodam tempore injuriosis verbis adeo molestaverat, ut ex eo læsionem in corde sentiret & animo, quam ad primum voluntatis suæ libitum effugere non valebat. Qui facti pœnitens eam ad se misso nuntio vocari præcepit, illi nimirum in pace reconciliari desiderans: quam non suis exigentibus meritis, sed propria culpa dumtaxat ausu temerario perturbavit. Qua venire nolente, misit ad eam iterum atque tertio; sed nec tunc quidem illa comparuit, ipso dolore cordis sui necdum in pacis fœdere consopito. Qui cum ex more, sequenti die Missale celebraret officium, & jam à se percipiendum in manibus contineret ipsum Dominici Corporis honorabile sacramentum; Ida Venerabilis, stans retro secus pedes illius, in spiritu rapitur; & in excessu mentis suæ Sacerdotalibus vestibus induitur, ac ornamentis ultra quam dici possit inæstimabilibus insignitur; & sic demum aptissime præparata sacramento Dominici Corporis & Sanguinis innovatur: in qua visione præfati monachi nullam omnino memoriam habuit, sed nec oculis corporalibus aut mentalibus ejus advertit præsentiam, aut celebrantis officium, ut interdum consueverat, auscultavit.

Molestiam à Capellano passa,

ab eo vocata non comparet;

E

sed celebranti adest in extasi;

6 Eadem vero die post visionis horam iterum evocata, venire non distulit: is enim qui per suum sanguinem olim quæ in cælis sunt, Apostolo teste pacificaverat & in terris; hos electos suos etiam ad pacis concordiam revocaverat, in perceptione sui sacratissimi Sanguinis & Hostiæ salutaris. Immemor ergo præcedentis injuriæ perrexit ad monachum, & inter cetera cœpit inquirere, recepissetne Dominici Corporis Sacramentum die prælibata; & hæc dicens, intente respexit in hominem, & vultu sereno & tranquillo serenaque facie mox subjunxit: Si corpus, inquit, Dominicum hodie perceperis incertum habeo, me vero Communionis sacræ fuisse participem, & scio veraciter & affirmo. Super hoc autem ille vehementer admirans, ubi, quando, vel qualiter id actum esset inquisivit. At illa: Non hominis cujuscumque mortalis officio, sed solo divinæ virtutis adminiculo, rem gestam esse veraciter affirmavit.

et rursum vocata accedens,

Colos. 1. 20.

F

se indicat communicasse.

7 Eodem quoque modo, sed non eodem in tempore, monachus ille (cui secreta conscientiæ suæ jam diu consueverat, omni sapore nectareo dulciora, sub confessionis titulo de cordis sui promptuario propinare) quadam die recessurus ab ea, Missam, pro defunctorum animabus ex more celebrari consuetam, in ejus præsentia celebravit. Qua peracta venerabilis femina, priusquam proficisceretur ille, colloquium ejus expetiit; de negligentiis & omissionibus, occurrentibus sibi pro tempore, compendiosam admodum & succinctam ei confessionem explicuit; eaque præhabita, jucunda facie voceque dulcisona mox subjunxit: Ego, Venerabilis Pater, una tecum hodie celebratis à te Sacramentis interfui, tecum una particeps eorum, annuente Christi clementia,

eodem modo aliàs se communicasse affirmat,

Ex MSS. Hugonis Confess.

mentia, sub eodem temporis momento effici merui; divinæque clementiæ largitatem, ob infusam utrique Spiritus sancti gratiam, uno tecum eodemque tempore benedixi. Quod audiens ille mirari cœpit ex novitate miraculi, præsertim cum non ab homine vel ab altero, sed à solo Deo ministrata sibi fuerit hujus participatio Sacramenti. Celebraverat enim eo die Missam, in qua nullus usualiter ad perceptionem Hostiæ salutaris admittitur, eo dumtaxat excepto, cujus sacerdotali ministerio pro fidelium animabus ipsa salutaris Hostia sacramentaliter immolatur.

Cap. IV.

8 Quodam alio tempore, præfixa spiritualiter ad hoc die, sacræ Communionis hostiam accipere mente proposuit, & propositum opere consummavit. Quid autem in hac perceptione gestum sit, quid viderit, quid acciderit, ad commendationem eximiæ sanctitatis suæ, narratione veridica decurrentis in hoc opere styli series explicabit. Cum igitur expleto suo more venerandæ officio Consecrationis, jam tempus adesset ut innovari deberet ipso deifico Sacramento; processit Ida Venerabilis, ut quod habuerat in proposito, jam opere consummaret effectui mancipato. Veniens ergo, prope media via eo quo tendebat itinere consummato, mox substitit: ultraque non progrediens, id quod mente conceperat, exili susurrio, non autem vivæ vocis oraculo, divinis auribus importavit. O, inquiens, omnipotentissime dominorum Domine, Creator & Rector omnium seculorum, si sponsum aliquem aut fullonem haberem aut rusticum, aut cujuscumque mechanici operis architectum, non sine ducatu familiariter obsequente sponsale tenderem ad convivium; quanto magis & me, licet indignam ex merito, tuo tamen sponsalitio subarrhatam, absque venusto comitatu non decet incedere, cum tuis appropinquo conviviis, ad percipiendum omni dulcedine dulcius, omni edulio saporosius tui Corporis sacramentum? Ulterius itaque non progrediens hic metam statuo, nisi sit qui me ducat ad altare sanctum tuum hoc temporis in momento. Hæc ergo Dei Virgine cogitante, Sacerdoteque moram illius advertente, sed moræ causam penitus ignorante; videbat, & ecce Regina Virginum, illa quæ sola meruit exaltari super omnes choros Angelorum, hæc, inquam, ad dexteram illius apparuit; ad lævam vero dilectus ille discipulus, cui Christus in cruce Matrem Virginem Virgini commendavit. Hi latus utrumque beatæ feminæ venerabiliter ambientes, arreptam hinc inde producunt ad sacrosancta mysteria, prætendente viamque sternente, qua procedere debuit, Angelo, cum incensato thuribulo pariter & lucerna. peracta vero Communione, via qua venerat, eodem tenore reducitur; & in loco sessionis suæ, Sanctis eidem ut prius obsequentibus, honorabilite rinstallatur.

B Communicatura

& comitatum à Christo petens,

C ducitur à Deipara & S. Ioanne Euangelista.

Cap. V.

9 Tempore quodam in Epiphania Domini, priusquam ad altare procederet, innovanda mysterio Dominici Corporis & Sanguinis sacramenti; videbatur in suo loco residenti, tempusque Communionis præstolanti in quiete simul & silentio; videbatur, inquam, apertissime, non corporali visu sed mentali dumtaxat aspectu, suum in ea ministerium exequente [gratia], quod ad instar sagenæ, latissime per multa locorum spatia juxta progressum suæ longitudinis & latitudinis ampliatæ, cor ejus & anima dilatarentur ad perceptionem internæ gratiæ, sibi desuper infundendæ. Sancta siquidem & individua Trinitas, desuper influente illius in anima exili quodam susurrio, se venturam esse prædixit, & sine moræ quovis interstitio mox quod promiserat adimplevit. Sic ergo dilatata simul & ampliata, processit ad altare Dominicum, percepitque Corporis illius & Sanguinis sacramentum: in qua perceptione vocem Patris internis, ut postea retulit, auribus promeruit audire, sic dicentis: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui: statimque suo more spiritalibus affluere cœpit & abundare deliciis, ita quod nec pedibus incedere, nec totius corporis valuisset adminiculo sustentari.

Itura ad sacram Communionem

sentit animam dilatari,

D percipit vocem Patris æterni;

10 Percepto namque reverendi Corporis sacramento, cum ad perceptionem sacri Sanguinis, ut eo tempore moris erat in ipso Cisterciensium ordine, properasset; extemplo corpus illius ex spirituali repletione, quam intrinsecus in animo sentiebat, adeo delectari cœpit extrinsecus & extendi; quod adinstar crepitantis dolii (quod nisi fortissimis vinculorum nexibus arctissime constringatur, confractionis & rupturæ videres subjacere discrimini) corpusculum beatæ feminæ, nimiæ repletionis impatiens, ut sibi videbatur, eo temporis sub momento citissime crepuisset, nisi divinæ virtutis & potentiæ ligamine circumseptum, & illæsum, & inconfractum, in suo robore permansisset. Expleta namque communione cum ceteris eodem die communicantibus, ipso vitali anhelitu palpitantis in pectore propemodum intercluso, viriumque corporalium in ea deficiente præsidio; nequaquam ad Vini libationem ex calice percipiendam, ut moris est communicantibus, appropinquare valuit: sed post altare cum ingenti labore se transferens, ibidem infirmata quidem corpore, sed mente sana decubuit: donec ad Horam diei sextam, infirmitorium, ut eam audiendo legendove persolveret una cum aliis in eo decumbentibus, introivit.

post Communionem

etiam corpore dilatatur;

E cum virium totali defectu;

CAPUT II.

Status alterius revelatione divina notus. Mandatum aliis, ne molestia afficiatur.

11 EOdem die priusquam ad Communionem sacram accederet, duo religiosi de Fratrum Minorum Ordine, quorum unus ad notitiam & familiaritatem illius olim in Christi caritate pervenerat, & inter alios ejus amicos locum non minimum obtinebat, ad eam visitandum ejusque colloquio perfruendum, è vicino Machliniensium oppido convenerunt. Ad quorum alloquium Ida Venerabilis evocata, moleste quidem accersiri se pertulit, eo quod jam expleta confessione de negligentiis, impetrataque de commissis absolutione, cor suum & animam ad sola cælestia, posthabitis & exclusis à memoria terrenis omnibus, applicarat. Ivit tamen, evocantisque mandato continuo paruit, & Fratres ipsos obsequioso venerationis officio salutavit. Deinde vero juxta notum sibi Fratrem in subsellio residendi gratia se collocavit, ipsumque breviter allocuta, confestim, illo super hoc admirante, conticuit: & ab eo quidem oculorum avertens aciem, ad alium foris stantem, & sub divo fraternum adventum post explendam locutionis horam in nive pariter & frigore præstolantem, intuitum & aspectum attentissime delegavit. Illum ergo diligenter intuita, quem antea numquam aut viderat aut agnoverat, inopinate solitumque præter morem altisona voce adeo cœpit ululare; nihilque dicendo, sed in ipsum irreverberatis oculis intuendo, risumque porrectis vocibus exaltando, magnam admirandi occasionem in cordibus hæc videntium & audientium inculcare. Quis enim non miraretur Idam Venerabilem, os suum à divinis eloquiis præ maturitate morum & sui custodia sæpissime cohibentem, & à bonis etiam cum Propheta sibi silentium imponentem; nunc præter morem

Cap. VI.

Visitata à Minorita sibi noto

F

ad socium foris stantem se avertit,

& dissolvitur in risum:

Ps. 38. 3.

A morem adinstar quorumque scurrilium in risum altisonum & excussum effluere, mirandumque hoc *cum admiratione aliorum,* de superflua dissolutione spectaculum, eo præsertim in tempore quo sacramentis ipsam oportebat interesse Dominicis, in oculis aspicientium exhibere? Sed & is, qui paulo ante confessionem ejus audierat, & adhuc in suo loculo residens, aliarum audiendis confessionibus intendebat, à re- *& Confessarii,* motis hæc auscultando considerans, & nihil aliud quam dissolutionem existimans; hanc super risus sui inordinata excussione corripuit, & causæ nescius, hujuscemodi dissolutionis insolentiam, in tali præsertim tempore, talibusque personis audientibus & videntibus editam, improperavit. Ista vero nihil horum advertens, ab aspectu Fratris in atrio consistentis & ad Fratrem intrare præ confusionis obstaculo non audentis, nec oculorum avertit intuitum, nec risum prohibuit.

12 His ergo morose satis & per multum illius horæ spatium actitatis; ad alium juxta se residentem, & super risu suo vehementius admirantem, denuo se convertit; eumque familiarius allocuta, brevibus quidem verbis, sed pro tempore sufficientibus, illius desiderio satisfecit. Imminente vero tem- B pore, quo Missale celebrari debebat officium, abierunt ambo pariter; & hic quidem ad ecclesiam, illa vero rediit ad conventum. Post paulatim vero cum ipsa Missalia tractarentur officia; [satiata] *tempore Missæ mire recreata,* de totius Trinitatis in ea superveniente præsentia, de paterna voce sibi de Filio recitata, de nimia repletione, quam in corpore sentiebat & anima, nec non de syncopatione vitalium & virium (prout hæc omnia in superiori Capitulo sunt expressa) nihil illo die gustando, jejuna permansit usque post solis occubitum, aut Completorium in ecclesia decantatum. Et tunc quidem, alieno quam suo potius acquiescens desiderio, cibi sumpsit permodicum; nullum tamen ad ea, quæ gustare cogebat astantium importunitas, applicare prævaluit appetitum. Post Nonam tamen, una cum monasterii Priorissa, simulque cum aliis quibusdam ejus comitatui sociatis, ipsos Fratres ac eos qui secum erant, ingenti cum labore, perrexit invisere, spiritalibusque spiritalia de pleno cordis sui promptuario propinare.

C 13 Peracto vero tractatu pro tempore congruenti, finito colloquio quod actum fuerat in communi, suus ille Confessor & peccaminum absolutor, de quo mentionem in superioribus edidi, juxta Fratrem sibi notum adhuc residentem, ejusque colloquio secretius intendentem ad eam accessit, & assidentibus se conjunxit; & audiente Fratre, de *& postea de iis à Confessario interrogata* singulis quæ sibi contigerant in perceptione sanctissimi Corporis & Sanguinis, attentius inquisivit. Cur, inquit, hodierno die, cum ad perceptionem Dominici Sanguinis propinquares, sub brachii mei cubitum velut exanimis aut potius extatica cecidisti, cadendoque mihi timorem horribilem & incredibilem incussisti? Cur sacra Communione percepta, non aliarum associata collegio, sed sola residens post altare, languentis adinstar in secretario remansisti? Cur denique post sacra libamina, videlicet ad Horæ sextæ sonitum, ad infirmitorium, aliis in choro psallentibus, introisti? Venerabilis autem Ida, nec dum à cælesti plenitudine relevata, vel à spiritali somno totaliter excitata, respondere quidem ad singula voluit, sed quod vole- *non potuit tunc indicare,* bat efficere non prævaluit. Sæpius quippe sub hæc ordita responsionem, quod fari cœperat explicare non potuit: unde volendo nolendove, præfata responsione post habita, sermonem, quem sæpius inchoaverat, hoc tandem ordine consummavit: *EX MS. HUGONIS CONFESS.* Ego, inquit, nisi rebus exterioribus aliquanto plus occupata vel dedita fuero, quod quæris & scire desideras edicere non valebo. Postmodum tamen hæc, & tam in superioribus jam descripta, quam in *sed postea accurate exposuit:* sequentibus conscribenda, prædicto Confessori suo, viro per omnia venerando, diligenter exposuit: qui sicut homo veridicus ea sermone veracissimo, simplici tamen, in schedulis exarata depinxit, & depicta posterorum memoriæ commendavit.

14 Post paululum vero, illo Fratre sibi noto se ad alia divertente, vocatus est ille junior, qui tempore matutino sui risus occasio fuerat: in cujus præsentia nec non & alterius cujuspiam monialis, suus ille Confessor, cur ad primum Fratris intuitum de mane sic riserit, inquirebat. At illa, juste risi, inquit, videns hunc esse vas & habitaculum Spiritus sancti: ad hoc enim est à Domino, si *statumque junioris Fratris, propter quem risit, indicavit* quidem à gratia sibi concessa non exciderit, ante secularia tempora prælectus. Et post pauca, Num inquit retines, o mi Pater, in confessionis secreto tibi nuperrime me dixisse, tanto claritatis interdum cordis mei penetralia perfundi jubare, divina me gratia perlustrante, quod alio- E rum statum & ipsa possim agnoscere, & agnitum ad profectum aliorum, annuente Domino, revelare? Quibus dictis ad illum aperta facie se convertens, Status, inquit, tuus talis à me est agnitus, ut exoccupatus à curis secularibus, in tranquillo cordis silentio libentissime te contineas, & in mentis solitudine te abscondas; à quo si recesseris, & exteriorum inquietudine te nimium occupaveris, divinæ gratiæ munere te continuo privabis, & expers bonorum spiritualium omnino relinqueris. Alia quoque prædicto Fratri secreta sui cordis aperuit: quæ quidem omnia veritate subniti, manifesta rerum attestante super hoc experientia, luce clarius intellexit.

15 His quoque diebus ejusdem loci Venerabilis *CAP. VII.* Abbatissa prohibitorium in suo Capitulo statutum ediderat, quod & virtutis obedientiæ munimine roboratat; ne videlicet ipsa vel in orationis exer- *Mandatum ab Abbatissa factum,* citio, vel in contemplationis otio cum Domino quiescente, quisquam eamdem excitare præsumeret, aut de cælestibus interim ad secularia revocare. In quo (ut ex Scripturæ testimonio conjicere F possumus, adjurantis, ne quis dilectam excitare præsumat, donec ad interrumpenda suæ quietis *Cant. 8. 4. ne contemplantem Idam interpellaret aliquis.* otia voluntarie se offerret) & hæc sancta femina rectam quidem intentionem habuisse dignoscitur; etsi discretionis consilio, in hoc adinventionis suæ proposito, minime fulciretur. Errantem igitur ignoranter ipse misericordiarum Dominus, ad suum aliorumque profectum, officiose pariter & benigne corripuit; & emissum à se malæ prohibitionis edictum hoc ordine revocavit. Die quadam Epiphaniæ tunc temporis occurrente, Venerabilis Ida *ipsa cælesti voce monita,* libamina sacræ communionis acceperat, & elapsa jam perceptionis hora sibi vacans & Domino, solaque residens, in suo subsellio quiescebat: ad quam elapsa cælitus vox divina, Dic, ait, Abbatissæ, quod prohibitionem, in suo Capitulo promulgatam, absque moræ dispendio revocet, & præcipiendo seu prohibendo de cetero talia non attentet. Ad quod vocem honorabilis Christi Virgo de somno contemplationis expergefacta, prosiliit; & quod sibi jussum fuerat, eadem hora divino parens imperio, fideliter adimplevit. Audiens quippe continuo Venerabilem Abbatissam. Expedit, inquit, ô Domina, mandatum in Capitulo per te solenniter editum, à temetipsa revocari quantocius; quamquam ipsam expedientiæ *revocandum curat.* causa, obstante forsitan ignorantiæ nevo, de tuæ discre-

tionis

EX MSS. HUGONIS CONFESS.

tionis oculis inposterum auferendo, tuus ad præsens non capiat intellectus. Id ipsum vero, quod suadeo, proficuum tibi fore, sine cunctatione pronuntio: sed quid inde sentiam, aut qualiter hoc provenerit ad parvitatis meæ notitiam, hoc instanti tempore tibi minime revelabo. Sed quid plura? Venerabilis Abbatissa mox, ut erat mulier timorata, fidem his dictis adhibuit: & quod publice statuerat, in sequenti Capitulo coram assidentibus, ad instinctum divinæ commonitionis, æque publice revocavit.

CAPUT III.

Mira contemplationis gratia, absque stimulo inanis gloriæ.

CAP. VIII.

Contemplationi rerum divinarum continuo & ubique insistit,

16 INter alia quoque virtutum insignia, quibus suo in tempore floruisse dignoscitur, Ida virgo Christi sanctissima, non frustra quoque nec immerito recitandum & illud existimo, quod in schola contemplationis adeo profecerat, informante se Christi suique Paracleti magisterio; quod ad quæcumque se loca diverteret, aut quibuscumque se negotiis immisceret, ipsa contemplationis instantia sibi præsto semper occurrerit; & mirum dictu, non raro nec per vices, ut assolet; sed omni spatio dierum & noctium, omnibusque momentis horarum & temporum, æque se paratam illius obsequiis exhiberet. Qua de causa necessario cogebatur hanc sui spiritus importunitatem, violenta quadam industria, quam sæpius ab hac sua contemplatione reprimere, rebusque transitoriis aut quibuscumque negotiis occupatam involvere; cum deficiente virium adminiculo, corporale præsidium oporteret ex necessitate succumbere, nec possibile judicaret hujusmodi studio continuatis vicibus æque pertinaciter inhærere. Succrevit igitur inter carnem & spiritum hac de causa non minima concertatio: cum ille fortis & alacer hoc suo potiri vellet omni tempore desiderio, sua vero debilitate gravatam illa se sentiens, ex adverso pari passu cum eo nequiret incedere, nec eidem omni vice concurrere pari modo. Si tamen altiori contemplationis studio plerumque diutius hanc immorari contingeret, & ob hoc extenuatis viribus ei necessario corporalis infirmitas immineret; tunc & ipse spiritus in rebus transitoriis & terrenis, ad reparanda virium adminicula, paulatim requiescere didicit, eisque frequentius immorari dulce pariter & necessarium habuit: & nunc in aviculis, juxta se pastum in area quæritantibus; nunc autem bestiolis, ad manuum suarum attactum undecumque properantibus; aliis quoque rebus permodicis & exilibus, ad horam his talibus affectum & animum applicando, modisque puerilibus ea pro tempore diligendo tenerrime, recreationis suæ beneficium & reparationis antidotum exquisivit. Ajebat enim ea de causa permodicam & nullius æstimationis ollulam adeo se quodam in tempore dilexisse, quod omnibus hujus mundi divitiis hanc solam amando præposuit, eique totum suæ dilectionis affectum aliquantis se temporibus asseruit impendisse.

B — *eam coacta ob virium defectum interrumpere,* — C — *quasdam distractiones captat.*

CAP. IX.

17 At quoniam de contemplatione beatæ feminæ quiddam mirabile, & nostris admodum temporibus inexpertum, audivimus; ad caritatis quoque prædulce commercium, qua diligebatur à Domino, viceque versa diligebat & ipsa Dominum, ejus tamen in quantum possumus inhærendo vestigiis, auditum & animum applicemus. Interdum enim, ut ipsa retulit, in tanta communione mutuæ dilectionis alter alteri velut incorporatus extitit; quod inter Domini corpus & ejus animam quæ fuisset ea vice distantia, penitus ignoravit. Aliquando caritate, quæ Deus est, in tanta dilectionis abundantia replebatur illa sanctissima sanctæ Virginis anima, quod singula membra corporea conversa sibi viderentur in corda singula, rursusque hæc omnia Deo plena, quanto plura videbantur & majori numero computata, tanto Deificæ caritatis in sese pleniora receperant incrementa. Præ nimio quoque fervore dilectionis, interdum illius animam interius inflammante, sic exterius ultra solitum excrescebat, & monstruosa quadam grossitudine dilatabatur in corpore; quod cingulum vel corrigias ea de causa cogeretur omnino deponere; vel ad mensuram usque corpulentissimi cujuscumque hominis, ad ambiendum illud corpus amplissimum & sola caritatis opulenta pinguedine dilatatum, ad sui duplum oporteret hujusmodi corrigias atque cinctoria protelare. Nonnumquam etiam in oratione persistens, aut ab ea denuo rediens, interius sensit animam suam in divino amore fervescere, viceque versa dilectorem suum illius animi ex tanta caritatis affluentia redamare, quod omnes corporis sui sensus aut ipse naturalis etiam intellectus hujus ineffabilem opulentiam & inexcogitabile commercium caritatis, velut à longe stantes, & illud eminus intuentes, atque super hoc invicem admirantes, intra se nulla possent intelligentia vel ratione concludere: quippe quos, velut extraneos hujusque mysterii penitus inexpertos, ipsa caritatis intemerata nobilitas indignum duxit atque superfluum, ad arcanum illud & omni terreno sensu penitus impenetrabile secretarium evocare.

D — *Christo quasi incorporatam se sensit,* — *aut membra sua quasi corda Dei plena,* — *ob amorem ejus dilatari,* — *& ineffabili caritate fervescere,* — E

18 Fiebat autem interdum adeo deliciosa, præ amoris inæstimabili magnitudine, quod hujusmodi deliciarum excrescente dulcedine, nunc per unius hebdomadæ spatium, nunc vero per duarum aut plurium, aliquando vero quadraginta dierum vel noctium integrata continuatione decurrente, ex illa permaxima supernæ dulcedinis influentia nil sibi minuendo decresceret; ea, quocumque se verteret, & quidquid operis interim actitaret, ubique simul & jugiter in suo potissimo robore permanente. Quapropter una dierum illa suis deliciis affluente, corporali quoque robore plus ob hoc in se solito decrescente, beatæ feminæ spiritus ex eo quodammodo molestari tædio cœpit & affici, nimis humanis viribus impossibile judicans, his absque suo dispendioso gravamine tam indesinenter & omnino sine temporis interstitio tam jugiter immorari. Volens igitur ea de causa, per modicum temporis & ad horam, ab hac sua se delectatione subducere, viresque corporeas exquisito quovis exercitio recreare; lineo quodam panno confestim arrepto, cucurrit ad fluvium; ubi quampluries undis fluvialibus hunc immergens & extrahens, extractumque quamsæpius involvens pariter & evoluens; hac excogitata industria se putabat suum ad se reducere cogitatum, nimis, ut prælibavimus, humanis sensibus importunum. Sed frustra spiritum illa supervacuo labore conabatur extinguere, cum à suo fervore nec ille quiesceret ea vice, nec illa posset exquisito conamine vel artificiosa quavis industria prævalere. Ajebat etiam, in una dierum à se quampluries extitisse salutationem Angelicam ad laudem gloriosæ Virginis inchoatam; & tamen, ob nimiam delectationis abundantiam impedito sensualitatis acumine, vix fuisset duorum dierum in spatio terminata.

ejus dulcedinem ad plures dies & hebdomadas sentiens — F — *nequidquam conatur animum ab ea avertere.*

19 Cum

A CAP. X.

19 Cum aliquando de variis infinitisque mirabilibus, quæ circa dilectam suam, ei bona sua communicando, patraverat & adhuc quotidie patrabat Altissimus, inter ipsam Dei Virginem ejusque venerabilem Confessorem exorsus sermo proferretur in medium; ipsa Dei famula recitante quiddam erga se actitatum; venerabilis ille Confessor & monachus, utpote per omnia vir providus & discretus, ab ea sciscitando cœpit inquirere, si non in recordatione præmissorum omnium eorumve revelatione, quæ Divina miseratio sibi contulerat ad profectum, elationis aut arrogantiæ seu cujusquam inanis gloriæ virus pestiferum intra se pullulare sentiret aut crescere, vel cordis sui domicilium antiquum hostem his suis impugnationibus aliquotiens infestare. Ad quæ venerabilis Ida tale responsum edidit, & viro Dei, præcipuæ discretionis oraculo, plenarie satisfecit: Beneficia, inquit, ineffabilia, quæ mihi jam contulit & adhuc conferre dignatur altissima Divinæ clementiæ miseratio, sic amplexando commemoro, sic enarrando respicio; quasi mihi collata non fuerint, sed alteri cuilibet extraneo, vel à mea notitia penitus alieno. Quid enim ad me, si benignissimus ac totius consolationis Dominus, ex misericordiæ suæ ineffabili pietate, prævenire dignatur in benedictionum suarum dulcedine redemptam ineffabili pretio sui sanguinis, aut meam aut alterius cujusquam animam, sponsam suam? Quid mea vel cujuslibet interest, intromittere se de talibus? Ipse quippe Sponsus ejus, ipse Redemptor & Dominus, si sponsalibus ornamentis hanc honorare dignatur, aut locupletare muneribus, à quo poterit prohiberi excelsus, omnipotens & immensus? Nulli tamen hominum ea possem enarrare beneficia, quæ mihi divinitus sunt collata, nisi prius à me sub confessionis titulo revelata susciperet omnia quæ patravi scelera, negligentiasque & peccata quæ commisi. Propterea, mi Pater, hæc tibi præcipue causa fiducialiter enarrare prævalui, quia tibi peccatorum omnium, à me negligentia vel industria commissorum, iniquitates & crimina, prætextu confessionis exposita, revelavi. Scio tamen quod si taliter tibi ea saperent in audiendo, qualiter & mihi sapiunt in narrando; non tam libenter ea reciperes, utpote prorsus insipida, nulloque conspersa supernæ gratiæ condimento. Qualitercumque tamen ea recipias, adjuro te per illum, qui talia mihi conferre dignatus est, ad evadendum hujus exilii tædium & ærumnas; adjuro, inquam, & admoneo, ne præmissa etiquam incaute detegere vel revelare præsumas; nisi forte personis, quas, auditis confessionibus, à nexibus peccatorum, ex injuncto tibi, mi Pater, officio, receperis absolvendas: his dumtaxat, non aliis, omissa expressione vocabuli mei nominis, ea tibi revelare permitto, causa tamen ædificationis & tempore quolibet opportuno; & hoc quidem à te mihi firma stipulatione promitti desidero, ne mutuæ divinitusque confirmatæ fidei violetur integritas in hoc facto.

Confessario quærente, num elatione gloriolæ vexaretur,

asserit se agnoscere beneficia Dei

B *quæ quasi alteri facta refert,*

& solum accepta à Confessario licentia,

C *ejus silentium sub juramento requirit:*

20 Nullum quippe spiritalem in hoc mundo vel patrem habere potero vel amicum, nisi quem à divina providentia, salutis animæ meæ causa, recepero commendatum: ideoque superna miseratio dignatur nos in una fidei firmitate conjungere; quatenus hinc pro labore tuo copiosa tibi merces accresceret; inde vero mihi non deesset, cui fiducialiter omnia cordis mei secreta detegerem, utriusque salutem in hoc Domino providente. Ipsi quippe supplicaveram, ipsum exoraveram, antequam tuæ personæ meruissem habere notitiam, omni cordis instantia qua valebam, ut desiderio meo dignaretur acquiescere, de fideli Confessore mihi providendo, cui fiducialiter omnia peccata mea detegerem, antequam interveniente mortis articulo per commune naturæ debitum eriperer ex hoc mundo. Quod pius Dominus in hac mea petitione misericorditer exaudivit: & sua gratia, quod petieram, indulgendo fideliter adimplevit. Nocte quippe sequente diem, qua nobis primitus advenisti; priusquam te corporalibus aspicerem oculis, hoc apparitionis ordine tuam mihi præsentiam ostendit. Videbam enim, & ecce statura tibi facieque simillimus, minoris tamen apparentiæ monachus, me quidem intrinsecus, illo vero sedente extrinsecus, ad fenestram, qua confessiones audiuntur, apparuit: quem ego numquam à me visum ante diligentius intuebar, & ille vice versa non minori diligentia me respexit. Ad cujus aspectum immenso quidem amore, casto tamen, aduri cœpit cor meum intrinsecus: ille quoque me versis vicibus intuens, non minori fervore dilectionis adurebatur interius; ita quod ex incendio caritatis inflammaretur ejus & facies & aspectus. Rogabat autem obnixius, quatenus ut id, quo præcingebam me, cinctorium ei commodato porrigerem: & cum primitus eo præcinctus existeret, iterato præcingeret ex eodem. Quo facto sub silentii fræno labia nostra moderate compressimus, nihil amplius quippe loqui mutuo vel ad invicem conferre valuimus: & sic illo de loco, quo sederat abeunte, finem quoque somnio sortiente, sensualitati propriæ redditur intellectus continuo. Hoc idcirco diximus, ut discretionem hujus sanctissimæ Dei Virginis, ex hoc suæ responsionis oraculo, demonstraremus: quæ sic indulta sibi beneficia contra vanæ gloriæ pestem ad tempus occultare didicerat, ut tamen ea cautissime revelaret, id quotiens opportunitas exigebat.

Confessarium à Deo submissum, fatetur

EX MSS. HUGONIS CONFESS.

ante in nocturna visione conspectum:

E

CAPUT II.

Luminis radii & odores ex ejus corpore emissi.

CAP. IX.

21 Inter alia, quæ sibi diversis temporibus indulta fuere, gratiarum charismata, & hoc censeo non immerito recitandum, quod plerumque Sacramentis innovata vivificis, tam lucidum & tam clarum ex oculis effundebat intuitum, quod in rebus oppositis, ad quas eo tempore dirigebatur acies pupillarum, immensæ claritatis & luminis copiosi jubar emittere consiceres, illi quod à solari globo diffunditur, etsi non pari, proportionali tamen similitudine comparandum. Tantus enim splendor ex oculorum acie divinitus illustrata, vice quadam in calice, cum Dominico sanguine potaretur, emicuit; ut à Sacerdote, divina mysteria pro tempore celebrante, resplendens in calice solaris radius existimatus extiterit; donec ad Dei Virginem se convertens, & in ejus faciem intuitum dirigens, ipsum ex oculis intuentis effluere deprændit. Non solum autem in hora sacratissimæ Communionis hoc sibi mirabile contigisse dignoscitur; sed aliis temporibus idipsum interdum accidisse, curiose scrutantium ineffabili testimonio comprobatur. Quodam enim tempore, Dei Virgine cum aliis simul in infirmitorio residente, verbaque spiritualia de pleno cordis sui promptuario profundente; monialis quædam, ab opposito residens, & in faciem ejus attente respiciens, igneos quosdam radios, adinstar radiorum solarium, sese per loca diffundentium, emittere conspexit: quos ab ipso sole transfusos, usquequo rem ipsam ejusque processum examinasset attentius, æstimavit.

Radii luminis ex oculis diffunduntur post sumptam Eucharistiam,

F

etiam in calicem celebrantis,

idem accidit subinde in pio colloquio,

EX MSS. HUGONIS CONFESS.

22 Alio quoque tempore, die sacratissimo Nativitatis Dominicæ, monialis ipsa, quæ dudum hanc, de qua præmisimus, claritatem ex oculis beatæ feminæ coruscare conspexit, iterato videre desiderans, id quod prius intuita fuerat, & opportunitatem temporis ad hoc æstimans se adeptam; orationi juxta ciborium, in quo repositum habebatur ipsum Corpus Dominicum, intentam Dei Virginem observabat: qua post modicum ab orationis expleto negotio redeunte, monialis illa, non tam ausu temerario quam devoto, cominus appropinquans, & feminea curiositate quod quæritabat explorare desiderans, à facie redeuntis ablato velamine, lumen immensæ claritatis ex oculis feminæ supra se radiare conspexit; instarque stellarum luce clara micantium, ipsa pupillarum acies in objecto sibi vestimento copiosa claritatis suæ vestigia dereliquit. Quod intelligens Ida Venerabilis, & se deprehensam ex objecto lumine recognoscens, anxie doluit, & dolens admodum impatienter ingemuit; illamque sui mysterii scrutatricem, ne super hoc facto se proderet, edito sibi signo diligentius exoravit: quod & illa firma stipulatione promisit, & promissum æque fideliter adimplevit. Nulli enim hominum, excepto beatæ feminæ Confessori, nec hoc tamen, absque data sibi licentia, post hæc omni futuro tempore revelavit.

aut orationem coram Eucharistia facta,

B

23 Alio quoque tempore, sed ejusdem anni spatio decurrente, cum infra venerabiles illas, quæ de Sanctorum omnium eximia solennitate gerebantur, Octavas, in choro Missæ solenniis interesset; immenso denuo illustrari cœpit lumine, loculusque in quo stabat per circuitum, ac si micantes supra se totos illa vice solares radios excepisset. Sed & illius tam clarum ex se lumen in parietis superficie, cui stabat innixa Dei famula, refundebat: quod eorum quoque radii solaribus viderentur esse simillimi, qui ad ejus aspectum in ipso tunc pariete resplendebant. Putans ergo post se quempiam, in subjecto quocumque materiali, candela scilicet aut consimili, lumen illud attulisse quod viderat, illico post tergum prospexit: & nemine deprehenso, loco cedens, ad alium nihilominus se convertit. Ubi cum à priori lumine nihil discrepans nec ei dissimile reperiret; tandem in imaginem Crucifixi totam oculorum aciem imprimens & infigens, in memoria suæ beatissimæ passionis ac ejus amplexuum amoroso reclinatorio jucundissime requievit. De præfato vero lumine recitata, per annos singulos fere hæc & his similia sibi contigêre miracula, præsertim infra præfatas Assumptionis gloriosæ Virginis quorumlibetve Sanctorum festivitates, ferias & Octavas: quæ, quia tunc caruit fideli secretorum suorum conscio & symmista, cui secrete simul & fiducialiter hæc talia fuerant intimanda, nullo penitus hoc sciente, nec scripto fuere nec memoriæ commendata.

item tempore Missæ infra Octavas omnium Sanctorum,

C

& in festo Deiparæ assumptæ & aliis.

CAP. XII.

24 In monasterio, quo Virgo Christi divino mancipabatur officio, per id temporis in vasculo crystallino pro reliquiis habere dicebatur aliquantula ferri portio, quo latus Domini perforatum extitisse describitur, ipso secundum veritatem Euangelicam in patibulo Crucis soporato; ex quo fragrantia miræ suavitatis erumpere proferrique sentitur ad nares adstantium, cum ad venerandum inclusas in eo reliquias, humanum producitur ad aspectum. Interdum autem Ida venerabili Dei sponsa, cælesti repleta dulcedine, juxtaque morem ad colloquium de divinis ipsa cum aliis assidente, senserunt illæ miræ suavitatis odorem, ex illo non quidem crystallino, sed Spiritus sancti vasculo, supra semet indesinenter effluere, qui per omnia simillimus habebatur ei, quem de prænominato vasculo diximus emanare. Quarum aliquibus interdum super hoc admirantibus, & sese mutuo respicientibus, præ stupore vertebatur in dubium; unde talis earum instillaretur odor in naribus, cum per multa locorum interstitia non dubitarent ipsum abesse vasculum, quod odorem habebat effundere memoratum.

Odorem suavem emittit particula lanceæ Christi,

D

& Virgo Ida colloquens de divinis.

CAPUT V.

Alii erga B. Idam divini favores. Pius ejusdem obitus.

25 Vigilia B. Michaelis Archangeli quodam tempore solenniter occurrente, cum Venerabilis Ida vespertinam synaxim in infirmitorio peregisset; egressa foras intravit in atrium è latere conventualis ecclesiæ, volens in choro psallentibus ea vice monialibus, etsi non voce, corde tamen & mente concinere placidumque devotionis obsequium Angelorum & hominum Creatori laudum simul & gratiarum actionibus exhibere. Ubi cum ad Orientalem ecclesiæ partem, influente sibi divina gratia, tota spiritali jam plena dulcedine, resideret; & incensum odoriferum, in conspectu Deificæ majestatis Angelicis manibus offerendum, in ara cordis sui perquam dulciter adoleret; in excessum mentis extemplo prosiliit, & in chorum altissimæ Hierarchiæ, supremum videlicet atque Seraphicum, illum scilicet individuæ Trinitatis vicinissimum, humilis ancillæ suæ spiritum, ipse summus & omnium spirituum excelsissimus & immensus scrutator Spiritus, ipse Dominator & Dominus, elevavit Ubi cum animæ rationalis elegantem excellentiam & excellentem elegantiam, in divinæ lumine claritatis intuendo, inspiceret; & inspiciendo, cognosceret; ultra quam credi possit humanis sensibus apprehendi, mirari cœpit hæc sanctissima sanctæ Virginis anima, qualiter ad peccati consensum, extra conditionis aut redemptionis suæ terminos atque metas, induci possit, extrahi, vel impelli, tam electa, tam nobilis, tam à prima creationis suæ origine perfectissima creatura.

CAP. XIII.

E

inter orandum in ecstasin rapta,

quasi in choro Seraphico fuerit,

videt nobilitatem animæ,

F

26 Sed & hoc mirabile credimus in Dei Virgine reputandum, & inter cetera divinitus sibi collata mirabilia recitandum; quod cum in omni vita sua litteras aut elementa scholaria minime didicisset, neque hæc absque quolibet eorum intellectu legere, proferre vel exprimere potuisset; sæpissime tamen ea quæ cantabantur aut legebantur à monialibus, inspirante gratia Spiritus sancti, intellexit; in Quadragesima præcipue, cum sancta recitarentur Euangelia; quæ licet inexperto sibi legerentur eloquio, vulgari tamen lingua, quoties opportunum id esse credidit, eorum seriem, ordinem, & tenorem in auribus hæc audire volentium apertissime retractavit. Unde Quadragesimali quodam tempore, cum illa in choro psallentium altisona voce decantatam auscultasset. Antiphonam Potestatem habeo ponendi animam meam; à choris Angelicis hanc eamdem audire promeruit, altiori multum & elegantiori modo repetitam; quam eo quoque tempore plenissime, revelante sibi gratia sancti Spiritus, intellexit; & illi suo Confessori, sub vulgaris linguæ postmodum idiomate, discretissime recitavit.

CAP. IV.

litterarum ignara,

intelligit quæ Latine cantantur,

audit Antiphonam ab Angelis repeti.

CAP. V.

27 Altera

CAP. XV

A 27 Altera quoque vice, festivitate beati Præcursoris & Baptistæ Domini, juxta temporis exigentiam, imminente; cum ad Missale quod solenniter agebatur officium, in loculo qui chorus dicitur infirmorum, Ida Venerabilis una cum aliis infirmantibus astitisset; & illo quod agebatur officio jam ad Præfationem usque peracto, cum illud eximiæ devotionis obsequio decantandum, Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus, ipse chorus psallentium inchoasset; ecce Christi sponsa laudabilis in excessu mentis eripitur, & exuto sensualitatis onere, spiritus ad indaganda cælestia sublevatur. Videbat igitur, & ecce cunctis in choro psallentibus aurei circuli, miri decoris & inæstimabilis pretii, non humano sed Angelico dumtaxat artificio fabricati, quasi pro dulcisono conventus sui commercio, tradebantur; earumque capitibus adaptati, divinæ remunerationis insignia sibi fore perpetuo deferenda, si tamen in divinis usque ad finem perseverarent obsequiis, aptissime testabantur. Porro venerabili Christi Virgini, cui superna revelante clementia, præfati circulorum orbiculi, pro speciali favoris & gratiæ munere, sunt ostensi; non minoris utique decoris & elegantiæ circulum, à cælesti distributore collatum, accipere meruit, ejus capiti, quamquam de numero non exiterit altisona voce psallentium, universis tamen honorabilius imponendum. Hunc quoque majoris excellentiæ prærogativa plus ceteris enitescere faciebat: nam alius quidam minor, & ipse tamen aureus, hunc, de quo prædiximus: ambiebat, ceteris autem infirmantibus, & ideo non psallentibus, nil dabatur ea vice pro munere: sed sicut à cantu, sic à circulis inanes & vacuæ remansere.

in extasin rapta

videt aureos circulos supra capita sanctimonialium cantantium:

qualem & ipsa accepit,

B

non alia infirma,

28 Sed & alia quoque vice, cum in extasin illius anima raperetur, in cælesti promptuario propinatis extemplo tam copiose supernis affluere cœpit & abundare deliciis; quod si totum mundum unius oculi solo nutu vel apertione lucrari vel acquirere potuisset, eumdem aperire indignum & inutile judicasset. Unde munificum illum atque bonorum omnium Largitorem hujusmodi convenire cœpit alloquio: Eia, inquit, mi Domine, quam optimum est in tuo jugiter permanere servitio, qui tam facillime pauperem de paupertatis cœno vales erigere, tamque locupletem efficere de egeno? Licet autem innumera charismata gratiarum in suo tempore, Domino sibi largiente, recipere meruisset; & multo plura quam acutissimo quis callens ingenio, etiamsi Tulliano vel Virgiliano potiretur eloquio, dictare vel describere potuisset; numquam tamen aliquid boni pro commercio remunerationis cujusquam egisse se meminit, aut aliquid mali prætextu cujuscumqe pœnalitatis se versis vicibus omisisse recoluit: sed solum illius obtentu, suæque caritatis & dilectionis intuitu, quem vidit, quem amavit, in quem credidit, quem dilexit.

fruitur maximis deliciis spiritualibus

C

CAP. XVI

29 Secedebat aliquando, juxta præfati monasterii memoratam ecclesiam, in quamdam videlicet ipsius ecclesiæ porticum, quam ob sanctitatis suæ reverentiam ejus habebat usibus adaptatam. Ubi dum ad contemplandum cælestia suo more solitaria resideret, ac toto conamine semetipsam in sancto meditationis officio studiosius exerceret; ecce duæ columbini generis advolantes aviculæ, juxtaque se pastum in terræ pulvere quæritantes, aliquantulum tamen eminus astiterunt, & pulchrum de solicitudine sua spectaculum Dei famulæ præbuerunt. Has ergo videns electissima Domini, protinus extensis manibus ad sese, cum signis quibusdam & nutibus, advocavit. Illæ vero, relictis interea pastibus, ejusque parentes imperiis, accurrere velocius, ac cominus assistentes ejus se præbuere conspectibus; donec ipsam auricularem obedientiam, in irrationalis obsequio creaturæ multipliciter admirandam, editis sibi denuo signis atque nutibus, Ida Venerabilis, Christi sponsa simul & famula, relaxavit.

EX MSS. HUGONIS CONFESS.

Columbas pascentes

venire & abire pro arbitrio jubet.

30 His ergo de vita, moribus & conversatione beatissimæ feminæ recitatis, ut brevius & compendiosius studiosiusque potuimus, non quidem omnibus quæ suo patravit in tempore, sed eis solummodo quæ sui Confessoris ingenioso conamine schedulis exarata scriptoque commendata reperimus; cum ab eo centesima portio scribendorum omissa vel oblivioni tradita certis ex causis indubitanter extiterit (ut in scripto sui dictaminis attestatur Hugo, sanctissimus Christi famulus, utque jam sæpissime prælibavimus, vir per omnia Venerabilis & beatus) ecce finem operi, scripto modum, orique silentium imponendum esse decrevimus: omnes hujus opusculi tam lectores quam etiam auditores, humiliter, obnixe, totoque devotionis nostra conamine exorantes, in Christique visceribus adjurantes, ut, si quid in eo corrigendum invenerint, aut incongruum imperfectumve quid in eodem offenderit, hoc (nostræ deferendo simplicitati vel potius ruditati, viri scilicet exilis ingenii, rhetoricæque scientiæ vel ornatioris eloquentiæ penitus inexperti) caritativo discretionis acumine corrigant & emendent, hujusque libelluli dictatorem, hominem utique peccatorem, suis orationibus omnipotenti Domino sedule recommendent.

Epilogus, quid scriptor asserit se hactenus dicta ex schedis Confessarii conscripsisse.

E

& errores corrigi petit.

CAP. XVII

31 Ut autem, expleto præfinitis vitæ curriculo, pius Dominus electam suam æternæ remunerationis bravio honorare disposuit; ipsam, acutissima febre correptam, in benedictionis suæ dulcedine visitavit. Ubi modico decumbens tempore, nec omnibus ad se confluentibus æternæ vitæ cessans eloquia propinare, tandem ad extrema devenit; & Dominici Sacramenti victorioso libamine præmunita, firma fide, spe robusta, caritate conspicua, gaudens & exultans in medio juvencularum tympanistriarum, inter choros assistentium & psallentium Angelorum, in Domino requiescens, extremum hujus vitæ spiritum exhalavit. Obdormivit autem hæc vere sanctissima vereque beatissima Christi virgo, sub Incarnationis Dominicæ anno MCCC. Ejus obitus putatur fuisse XIII die mensis Aprilis, regnante Domino nostro Jesu Christo, cui cum Patre & Spiritu sancto est honor & gloria, per Immortalia secula seculorum. Amen.

Ida febri corrupta

F

Ecclesiæ Sacramentis munita

sancte moritur,

anno 1300

13 Aprilis.

D. P.

DE B. MARGARITA VIRGINE

TERTII ORDINIS S. DOMINICI.

TIFERNI SEV CIVITATE-CASTELLI, IN VMBRIA.

ANNO MCCCXX *cultus sacer:*



Vplex apud Vmbros Tifernum *est, Metaurense unum, quod nunc* S. Angeli in Vado *dicitur; alterum Tyberinum, Castellum S. Felicitatis ab aliquibus dictum; hodie autem solo* Civitatis Castelli *nomine notum, vulgo* Citta di Castello *: in confiniis Vmbriæ atque Hetruriæ, adeo ut huic etiam attribuatur à S. Antonino atque à Platina; sed isti nunc rectius, cum sit Pontificiæ ditionis urbs, uti & proximus totus Vrbini Ducatus. Cave autem ne* Civitatem Castellanam *dixeris: hujus enim nominis urbs est Episcopalis in Sabinis, Tusciæ suburbicariæ attributa, & solis* 20 P. M. *Roma distans, unde civitas Castelli* 80 *circiter* P. M. *abest. Hic citra corporeæ lucis usuram, oculis orba vixit B. Margarita; ipsa lux patriæ maxima, propter insignem sanctimoniam, corporis incorrupti integritate testatam & frequentiam miraculorum, quibus meruit ecclesiastico Officio & Missa coli per totum illum Comitatum, nec non per* B *universum ordinem Prædicatorum, apud quos voluit sepeliri, utpote annumerata eorumdem Sororibus, de Pœnitentia S. Dominici dictis. De earum origine, regula ac privilegiis prolixe agens Fr. Ambrosius Taegius in MSS. Mediolani servatis tom. 3 de insigniis Ordinis Prædicatorum Distinct. 7 § 17, enumerat præcipuas aliquas, quæ eumdem statum sua illustrarunt sanctimonia: & postquam locutus est de B. Ioanna Vrbevetana, cujus Vitam ex eodem illius tomo sumptam dabimus* XXIII *Iulij, sic ait:* In civitate Castelli fuit alia Soror, B. Margarita nomine, quæ etiam in vita & post mortem mirabilibus & insusitatis miraculis coruscavit: cujus etiam corpus integrum in eadem civitate, apud locum FF. Prædicatorum, cunctis videre volentibus patenter ostenditur: & ejus memoria, quamvis canonizata non sit, à suis compatriotis festive & solenniter recolitur suo modo. Vitam autem ejus, virtutibus plenam, infra ponemus. *Ita ille: sed vel morte præventus vel aliter impeditus non fecit quod promisit: eoque nobis multum ipsam desiderantibus salivam movit quidem, sed acerbam, postquam dictæ Vitæ inveniendæ spem secutus est irritus indagandi labor.*

elogium ex Taegio;

2 Etenim toto illo conatu vix aliud quidquam profectum est, quam ut certi essemus, quod hujus adhuc seculi initio Tiferni servabatur legebaturque originalis historia, vita atque miraculorum scripta intra proximum ab illius obitu triennium, una cum Notarialibus Instrumentis, fidem facientibus de veritate singulorum beneficiorum, ejus meritis adscriptorum; non tantum primis illis annis, sed etiam anno MCCCXLVIII *& anno* MDLXXXVIII*; quando veluti reflorescente Tifernatium erga beatam hanc Virginem pietate, crebrescere denuo inceperunt miracula. His omnibus, sed præsertim Historia præcitata, quamvis incultiori stylo ac semibarbaro scripta, usi sunt Seraphinus atque Silvanus Raizzij, sed imprimis R. P. Fr. Hieronymus Pollini: qui ex antiquis modernisque scripturis Conventus, repudiatis omnibus quæ potuerat ex solo relatu habere, Vitam Italica lingua fidelissime texuit, & Venetiis anno* 1602 *vulgavit, sæpius appellans membranaceos codices: quos tanta majorum cura servatos in medio externorum civiliumque tumultuum; dolemus his pacatissimis Italiæ temporibus aut periisse aut ita neglectim habitos, ut ubi lateant, tam ipsi quam prædicta notarialia instrumenta, ignorent qui nunc in illo conventu vivunt Patres. Hos enim cum pro eorum descriptione appellassemus per nostrum P. Cæsarem Nicoluccium, responsum est nihil aliud superesse, quam aliquod Vitæ miraculorumque Compendium authenticum; quod quia intra ipsam sacri corporis arcam repositum erat, vix longa & crebra duorum annorum sollicitatione potuit transcriptum impetrari; adeo difficile est quibusdam hominibus persuadere, suam & Sanctorum suorum rem agi magis quam nostram, quando talia describenda petuntur: sed vicit obstacula omnia patiens solertia dicti Patris, opportune importune instantis.*

C *Vita & miracula authentice scripta,*

& diu servata nunc desiderantur:

3 Igitur, quod in primigeniorum scriptorum defectu unicum superest, hoc præstamus: Actaque Beatæ sic colligimus, ut duo prima capita constituat Compendium illud Latinum authenticum, *anno* MDLXXXVIII ex vetusto codice membranaceo fideliter depromptum, per Reverendissimum D. Julium Daddeum, Subdiaconum, Apostolicum utriusque signaturæ Referendarium, ac Civitatis Castelli Gubernatorem, *uti præfert titulus Manuscripti. Cetera capita desumpsimus ex Italico dicti Pollini, protestantis quod antiquorum verborum substantiæ pressius inhæserit. Quare cum nihil, præter miracula, addat ad illa quæ in Compendio leguntur, persuademus nobis, quod Daddeus, in iis quæ spectant vitæ Historiam, stylum quidem mutaverit, sed abbreviatorem egerit in solis miraculis, ut hoc ex capite levius ferri possit antiqui codicis damnum. Si tamen hic adhuc reperiatur, aut publica quorum supra meminimus scripta; hortamur rogamusque ne communi subtrahantur luci, sed nobis submittantur, servitura pro supplemento hujus operis, & in eorum quæ nunc damus locum substituenda. Decretum de Missa & officio, quo tractatum hunc claudimus, subministravit Eximius Pater Mag. Gaspar Dinghens, sacræ Theologiæ Doctor; quem quod in Tractatu de Vita P. Bollandi num.* 147 *Franciscum nominaverimus, lapsus memoriæ fuit, suggerentis pro ejus nomine nomen Fratris, scilicet Amplissimi quondam in Antverpiensi Cathedrali Ecclesia Decani, Francisci Dinghens. Idem decretum inseritur libro de certitudine gloriæ Sanctorum Canonizatorum pag.* 148 *per Lucam Castellinum composito, & Romæ impresso anno.* 1628.

pro his datur compendium authenticum ex MS.

E *& miracula ex Italico.*

4 Martyrologium, quod juxta ritum sacri Ordinis Prædicatorum Venetiis anno 1582 *& Romæ* 1616 *excusum est, in Indiculo Beatorum ejusdem Ordinis ad calcem apposito, inter Beatas Sorores quarto loco nominat Margaritam Virginem de Tertio Ordine, quæ* floruit præclara morum gravitate Tiferni, sive in Civitate Castelli: cujus corpus adhuc integrum ostenditur, & multis miraculis quotidie illustratur. *Philippus Ferrarius, in Generali Catalogo Sanctorum qui in Romano Martyrologio non sunt, ita ejus meminit:* Medulæ B. Margaritæ Tertiariæ Ordinis Prædicatorum. *Metulæ tribuisse eam potuit, quia ibi nata fuit: sed cum oppidum hoc intra Castellanam diœcesim sit, solis* 12 P. M. *distans Tiferno, uti testantur Vitæ per indigenas scriptæ; mirum est Ferrario incidisse, ut ipsum in Annotationibus diceret esse* Mutilum Æmiliæ, *à Ptolomæo nominatum, longe dissitum à Tiferno. Postea in suo Lexico Geographico dixit,* Mutilum *fuisse quod* Mutigliana, Modigliana *vel* Modiana *nunc dicitur. Sed B. Margaretæ patria constanter* Medola *scribitur ab Italis.*

Nomen inscriptum privatis Fastis

F

5 Eamdem Beatam suo Gynæceo sacro inscripsit Arturus, longam auctorum qui de ipsa agunt seriem in Notis texens: sed præteritis, qui præcipui esse debuerant, Iulio Daddeo, Hieronymo Pollini, & Fr. Angelo Conti, qui Floribus Sanctorum civitatis Castellanæ, vulgatis anno 1627 *Vitam quoque Margaritæ intexuit, addiditque, illius festum non solum* XIII *Aprilis, sed etiam* I *Maij à frequentissimo populo celebrari. Fortasse occasione Translationis à veteri ecclesia ad novam, anno* MCCCCXXIV*; cujus Translationis etiam meminit Polinus, asserens veterem ecclesiam eo loco fuisse, quem suo tempore tenebat Societas Caritatis: qui fuerit*

Vita variis linguis vulgata.

A *rit primus locus Ordini S. Dominici à Tifernatibus concessus usque ad muros urbis. Addit autem Fr. Angelus, de nova ecclesia agens pag. 153, se scribente renovatum fuisse claustrum cum porticibus: in quorum ambitu cernatur per partes depicta vita B. Margaritæ. Præter elogia, apud Michaelem Pium Italice, Franciscum Laherium in Menologio Virginum Gallice, aliosque auctores aliis & aliis linguis invenienda; accuratissime de Margarita scripsit Ioannes à S. Maria, inter Vitas Sanctarum ac Beatarum Ordinis S. Dominici tom. 2, sed Gallice; Belgice autem seu Teutonice Eduardus Bilius, Conventus Antverpiensis Cantor, in opere de Sororibus Tertiariis ejusdem Ordinis. Variorum quoque Poëtarum Tifernensium elegantes Italicos versus de hac sua Patrona exhibet libellus prælaudati Pollini, quos consulant, qui linguarum & styli varietate delectantur.*

ACTA
Ex MS. Latino & ex Vita Italica.

CAPUT I.

Compendium vitæ ex MS. Iulii Dadæi Gubernatoris Typhernensis.

B

a A primis annis pœnitentiæ dedita, b c

1 Beatæ Margaritæ virgini patria fuit Metula, *a* Massæ Trebariæ castrum, duodecim mille passus à *b* Typherno distans; honesti parentes, corpus exiguum, cæci oculi, sed tanta pietas & animi vigor, ut à primis annis corpusculum, quod nulla culpa offenderat, jejuniis & asperiori *c* veste castigare inceperit; ita ut interiori indusio frequenter abscondito, ipsam matrem falleret puellæ ætati compatientem. Grandior facta à festo *d* Crucis ad sanctum Pascha jejunium quotannis celebravit, abstinens ab esu carnium *e* pane & aqua tantum in sexta feria contenta. Percreverat, eo tempore miraculorum & sanctitatis fama Fr. Iacobi, Ordinis Minorum, in civitate Castelli, ad cujus sepulcrum multi undique conveniebant, sanitatum beneficia impetrantes, & pro impetratis gratias & vota solventes *f*. Eo adduxere parentes Margaritam, quod voverant pro ejusdem luminum recuperatione: sed voti compotes, sic Deo disponente, nequaquam facti, in monasterio *g* S. Margaritæ virginem relinquunt.

d licet cæca, e

f Tifernum adducitur, g

C *h i k suscipit habitum,*

2 Verum cum sanctitati morum, contemplationi, ac precibus ita vacaret ut reliquis obsequiis propter orbitatem [oculorum] videretur ineptior; dimittitur *h* à monialibus, & à quodam Domino *i* Venturino, & Domina *k* Grigia ejus uxore, piis civibus, domo suscipitur. In quorum domo cum pietatis ac religionis operibus semper incumberet, continueque dum liceret ecclesiam S. Dominici frequentaret, in ea etiam sanctum habitum, qui Pœnitentiæ dicitur, religiose suscepit; solita quotidie Sacramentali confessione purgare [animam] etiam non peccantem. Officium quoque Beatæ Virginis & Crucis; quamvis cæca, ita apprehendit & retinuit, ut non solum quotidie recitaret, sed etiam Psalterium concinne & eleganter, quasi Theologiam professa, interpretaretur; ac filios hospitis Venturini, à grammaticali schola revertentes, examinaret & corrigeret; mirantibus cunctis scientiam litterarum, quas non didicerat. Tanta fuit in illa mentis elevatio, ut cum sacram Hostiam corporeis oculis in celebratione Missæ intueri non posset, affirmabat tamen Fratribus, aperte se videre incarnatum Dei Verbum, in eaque visione hac potissimum contemplatione recreari, quod Christi nativitatem ac S. Josephi obsequia erga matrem & filium meditaretur: de quibus etiam cum Fratribus loquebatur. *l*

scientia infusa illustratur,

3 Hæc ejus pietatis studia, quam essent accepta Deo, exterioribus etiam signis demonstratum est: nam excitato quodam incendio in domo Prædicatorum, ac etiam flagrante inferiori parte ædium, magnis vocibus Margarita [accersebatur], quæ tunc in superiori cœnaculo orationi intenta morabatur. Illa ignis periculo pariter ac hospitum suorum vocibus commota, *m* stolam, qua induebatur, Grigiæ protulit, flammis injiciendam; ne timeret magna fiducia præcipiens: quo facto statim extinctus est ignis, multitudine admirante. Iisdem diebus religiosa quædam mulier, Venturella nomine, altero oculo ita laborabat ut de ejus sanitate desperaret, nec filio Magistri Imberti medico petitam unius floreni mercedem, pro incerta & dubia cura, præ paupertate [dare] valebat: conquerebatur propterea cum Margarita familiariter, pauperiem simul & oculi periculum deplorans. Cujus illa calamitati compatiens, pollice tantum oculum suspirans tetigit: qui tumore evanescente, sine mora convaluit.

AUCTORE IULIO DADDEO EX MS. veste sua restinguit incendium, m

4 Sed infirma jacente puella, Dominæ Grigiæ nepte, quam de sacro fonte levaverat Margarita, ac jam fere animam agente, cum in die festo S. Fortunati multæ ex consanguineis & vicinis advenissent, & in illa nocte laboranti puellæ invigilarent, inter quas & ipsa astabat Virgo: ceteris dormientibus, duæ ex ipsis consanguineis finxerunt se quoque dormire, tacite inspicientes quid ageret Margarita: videruntque, profunda jam nocte, juvenem quemdam oranti Virgini astantem atque dicentem: Margarita, quid vis faciamus? Cui illa, Ut liberetis, inquit, filiam hanc meam, tu ac S. Fortunatus, qui modo aderit. Statimque viderunt juvenem ipsum ac alterum Sanctum, qui B. Ioannis Euangelistæ ac B. Fortunati notas effigies repræsentabant, signo Crucis puellam signantes atque abeuntes. *n* Tunc Puella resurgens, Sum, inquit, precibus matris meæ Margaritæ perfecte curata: & sequenti mane ita sana surrexit, acsi numquam decubuisset. *o*

cum SS. Io. Euang. & Fortunato familiariter agens E *moribundæ puellæ vitam servat, n o*

5 Puritate etiam mentis futura quædam prævidens, prophetici spiritus certis signis se monstravit esse participem. Nam cum quidam civis *p* Offreducius & Bice uxor ejus, unicam filiam Cecham *q* nomine matrimonio jungere studerent, nec tractatus, quos frequentes habebant, aliquem sortirentur effectum; Permittite, inquit, Margarita, quæ parentum & filiæ erat familiaris, ut Cecha habitum S. Dominici sumat, & in virginitate vivat. Cui illi subirati, Desine, inquiunt, hujusmodi persuadere: numquam enim portatura est filia nostra religiosum habitum. Tunc Margarita puellæ matrem alloquens ait, Immo filia tua & tu etiam, habitum Religionis non post multos dies assumetis, & usque ad mortem deferetis. Quod rei eventu comprobatum est: illæ enim, sive voto sive quo spiritu ductæ, Sanctum habitum induerunt, totaque vita sunt usæ. Eiusdem etiam Offreducii filio dies erat à Præside dicta, timebantque propterea parentes judicialis alicujus pœnæ mulctam graviorem. Qua de re cum Margarita videret adolescentis matrem valde anxiam atque solicitam; Ne timeas, inquit, Bice, neque enim propter hoc denarium quidem solvetis, nec patietur quidquam vir tuus aut filius. Post paucos deinde dies subsecuta à Præside absolutio prædictionis B. Margaritæ firmavit eventum.

futura prænuntiat, p q F

6 In ejus moribus præcipue obedientiæ, caritatis, pietatis, ac devotionis virtus eminuit. Ipsa detrimenta oculorum hilari patientia ferens, jucunditatem quamdam vultus cum eximia modestia ac honestate conjunctam semper præmonstrabat, cunctis in rebus pia humilitate præstabilis. Quibus dum vitam exercet in terris, animam cælo intulit, anno Domini MCCCXX, die XIII mensis Aprilis, in domo dictorum

& sancte moritur an. 1320.

AUCTORE IULIO DADDEO EX MS.

corpus exponitur venerationi publicæ.

dictorum Venturini, & Grigiæ conjugum, convocatis prius Fratribus, ac Ecclesiæ Sacramentis piè receptis. Defertur corpus ad ecclesiam Fratrum Prædicatorum, quod ipsa mandaverat: dumque ibi communis humatio in claustro præparatur, insurgit multitudo populi, qui ad funus & ecclesiam convenerat, & impeditur opus, dicentibus cunctis, sanctam Virginem in ecclesia, non in claustro vel cœmeterio, sepeliendam esse. Compositum igitur corpus in arca lignea: statuitur ante altare: quo tempore puella quædam, muta ac membris attracta, à parentibus juxta [arcam locatur], spe sanitatis ibidem permanere jussa: visumque est puellæ, Virginis extensa manu r elevari: statimque recta sanaque prosiliens, inter astantem populum conclamare cœpit, B. Margarita me curavit, & illico S. Dominici habitum sumpsit.

brachia ad nuditatem tegendā adducit,

7 Dum populi concursus augetur ad ecclesiam, & varia ibi sanitatum beneficia impetrantur, Fratres qui de corpore condiendo cogitaverant, ac propterea à magistratu civitatis pro balsamo & aromatibus pecuniam receperant, convocatis peritis, Magistro s Manno Eugubino, & Magistro Vitali de Castello, multisque aliis religiosis ac secularibus, sanctum cadaver exenterandum ante altare extensis manibus & brachiis collocant. Nec mora, cunctis inspicientibus, extensa brachia vi propria in ipsum corpus reflectuntur, ambæque manus in modum crucis complicatæ, naturæ secreta cooperiunt. Dumque inciso femore præcordia extrahuntur, repentino terræmotu ecclesia & conventus concutitur, oleique quasi balsami copia fluxit è corpore, ex quo etiam nonnullæ ampullæ completæ sunt t. Aliquot post dies nonnulli ex fratribus u, memoria repetentes B. Margaritam, dum in humanis ageret, cum suis domesticis sæpius repetere solitam esse, pretiosum thesaurum in corde gestare; capti desiderio cor inspiciendi, & quadam pœnitentia ducti quod prius non inspexissent, humata reperiunt exta: & cor inter sepulta viscera quæritantes, intestinum, à quo cor ipsum dependet, incidunt; tresque statim lapides, quasi sculpti globi, mespisorum magnitudine, mirabiliter erumpunt: in quibus imagunculæ quædam, Christi nativitatem cum beata Virgine ac præsepe, nec non S. Josephum cum alba columba repræsentantes x, inspiciebantur.

in ejus corde tres lapilli inventi.

ANNOTATA.

a Massam-Trebariam *ad diœcesim Tifernensem pertinere scribit Pollinius, etsi iure temporali feudum sit Ducatus Vrbinatis, cum titulo speciali Comitatus; quam licet non exprimant tabulæ, invenitur tamen in iis* Metela *ad flumen Metaurum, pari fere intervallo à Civitate Castelli & Vrbino distans.*

b Typhernum *semper scribit auctor, Græcissimum affectans.*

c *Cilicium interpretatur Pollinius.*

d 14 *Septembris, inquit idem.*

e *Herbis scilicet oleoque contenta, ut idem explicat.*

f B. Iacobum Tifernensem *potissimum die 1 Maij coli, notat Angelus Conti, in libello de sanctis Tifernatibus: Arturus diem 17 Septembris ejus memoriæ assignat.*

g *Pollinius ait à parentibus impie barbareque desertam, primum receptam fuisse à variis honestis matronis deinde receptam in hoc* S. Margaritæ Monasteriolum, *quod intra civitatem fuerit & nunc destructum sit. Addit autem Fr. Angelus, fuisse in platea S. Mariæ.*

h *Præfatus Pollinius rem exaggerans, ait Sorores invidia tanti profectus motas, primum quidem duriter injurioseque eam habuisse, ac demum etiam à se expulisse.*

i Venturinus *est diminutivum à nomine* Bonaventuræ; *sicut infra nomen* Venturella, *ac deinde* Venturuccius.

k Grigia *quoque à* Grigoria (*sic enim multi Italorum, pro* Gregoria, *pronuntiant*) *per contractionem ductum.*

l *Hic possent interseri quæ de consuetis Margaritæ exercitiis pietatis habet Pollinius toto cap. 4. videlicet, adeo ferventem & sublimem ejus fuisse orationem, ut non tantum mente sed etiam corpore attolleretur.* Solebat enim, *inquit,* Patribus Dominicanis atque Sororibus narrare Soror Venturella, quod cum aliquando in plurium matronarum comitatu carcere detentos visitaret, commemoratione humanarum, quæ ibi spectabantur, miseriarum rapta in Deum Margarita, visa est ab ipsa atque ab omnibus præsentibus plus quam cubitum unum elevata ab humo: & hoc ipsi quotidianum fuisse dicebant frequenter D. Beatrix Cina & D. Grigia. Ejusmodi autem raptus non tantum crebri sed & diuturni erant: ut plurimum enim sic orabat à prima vespera usque in profundam noctem; deinde quietem modicam corpori supra nudam humum indulgens, mox revertebatur in idipsum: utque orationis suæ thymiama Deo redderet acceptabilius, miscebat pœnitentiæ myrrham, quot noctibus tertium sese flagellans catenulis ferreis adeo vehementer, ut ejus tenella caro, maxime circa humeros, omnino marcida laceraque post mortem inventa sit. *Hæc ille.*

m Mantellum *interpretatur Polinius, quod credo in veteri MS. inventum, omnino enim intelligenda videtur vestis superior & facile ponibilis.*

n *Idem addit, statim auditum sonum campanæ in ecclesia* S. Fortunati *ad Matutinas vocantis.* Est *autem* hæc ex parochialibus una in area Vitelliorum, S. Fortunato Episcopo Tudertino dicata, qui colitur die ultima Junij, *inquit Fr. Angelus, agens de ecclesiis Tifernensibus pag.* 178.

o Et hæc, *inquit Polinius,* coram testibus fide dignis sæpe narravit matrona nobilis, quæ interfuit ipsaque Beata est familiarissime usa.

p Offredutius *diminutivum à nomine* Gothofredi, *priore sui parte truncato: uti &* Cecha *pro* Francesca (*sic enim pronuntiant Itali, non* Francisca) *&* Bice, *pro* Beatrice.

q *Pressius forte ad antiqui MS. fidem. Pollinus, puellam hanc facit filiam Isaaciæ, cuidam Maccetto nuptæ, tunc forte apud prædictum Offreducium & Bicem hospitantis cum filia; apud quos etiam commorabatur Margarita, & puella affectum mire sibi conciliaverat, erudiens eam ad omne genus pietatis, ac nominatim Officium Marianum partemque Psalterii eam docens.*

r *Addit Fr. Angelus ipsum brachium etiamnunc videri elevatum in aëre: suosque ipsius oculos testes adducit, pro eo quo scribebat anno* 1626.

s Mannus *ex Hermanno aliove similis terminationis truncatum.*

t Quarum etiam hodie ostenduntur nonnullæ, in memoriam miraculi servatæ, *inquit Pollinus.*

u *Idem Polinus nominatim recenset P. Fr. Nicolaum Ioannis de Sanctis Tifernatem & Fr. Iacobum Cresci seu Crescentii ex Burgo S. Sepulcri Conversum.*

x *Eos lapillos Pollinus sic describit, ut primo erumpens, habuerit imaginem Virginis coronatæ; secundus, puellum in præsepi medium duobus animalibus; tertius, virum calvitio & cana barba venerabilem, aureaque chlamyde super humerum replicata indutum, ante quem genu flexo ac manibus junctis imago juvenculæ, induta habitum Pœnitentiæ: in postica autem ejusdem lapilli parte conspici similitudinem columbæ: quæ omnia spectant ad ejus meditationes tempore Missæ, de quibus supra num. 5. Illis porro lapillis, una cum corde in sacristia diu simpliciter conservatis, Io. Chrysostomus Prior mox nominandus an. 1599 congruum ex ære inauratum reliquiarium jussit fabricari.*

CA

CAPUT II.

Compendium miraculorum ex ejusdem Iulij Daddei MS.

8 Recondito corpore, undique ad ecclesiam S. Dominici magna frequentia concurrebatur; vota, oblationes, peregrinationes, ceteraque religiosa officia augebantur quotidie, ad honorem sanctarum reliquiarum; stupendæq; ac miræ curationes impetrabantur à Deo optimo maximo intercessione Sanctæ Virginis: quarum aliquas describemus, prout ipsi referebant, qui compotes votorum facti, merita & laudes Virginis publice decantabant. Fredericus Binoli de villa S. Ceciliæ, curiæ *a* Castri-Durantis, paralyticus, ac morbo articulari ita laborans, ut nec incedere nec uti posset officio brachiorum; precibus ad B. Margaritam ex corde fusis, sanitatem, cujus vix memoriam retinebat, recuperavit: quod publicis litteris mandavit Orlandus Francisci Notarius, anno Domini MCCCXX, decima nona Maii. A consimilibus, aliisq; diversi generis morbis desperatis & incurabilibus solo voto & precibus liberati fuere, Domina Alda, uxor Angeli Lilii de Perusio; Venturuccius Aldobrandini, Civitatis Castelli; Salvutius Michaelis de Monte-longo, Status Florentiæ; Ioannes Cambi de Varciano, Montis Sanctæ-Mariæ; Nannes de Paterno; Cecolus Mutii de Scalochio; Orlandus Fidantiæ de Aretio; Bina filia Iacobi Cotii, de Abbatia Tedaldi Massæ-Trebariæ; Cola Civitatis Castelli, & Petra uxor Andreutii, ac Domina Druda de Montono, & alii: qui recuperatas mirabiliter sanitates, vota solventes, professi sunt; *b* suscipientibus documentis publicis Ser-Ioanne Cambii, Ser-Julio Francisci, Ser-Ranuccio Guidi, Ser-Iacobo Benedicti, Goro & Blasio Civitatis Castelli, ac Ser-Mutio Ioannis de Montono Notariis. Illorum autem qui à pravis spiritibus vexati ad sepulcrum B. Margaritæ liberabantur nomina, propter multitudinem, reticentur.

sanatur paralyticus, *a* B *alii multi infirmi curantur,* *b*

9 Sed ea, quæ sequuntur signa, ceterarum curationum miracula superant; quoque sunt mirabiliora, eo cariorem fuisse Deo Virginem ostendunt; quæ pie invocata, invocavit & ipsa Sponsum, ac sponsi Virginem Matrem in opem mortalium, & plerisque aut jam lapsum spiritum restituit, aut saltem labentem retinuit. Nam rusticus quidam, de finibus Castri-cardæ, *c* dum ligna cædit in silva, irruunt in eum ursi plurimi, ac dilaniatum unguibus relinquunt. Quem cum prætereuntes vicini exanimem jacentem & laceratum vidissent ac recognovissent, perticis impositum deferunt ad ejus domum. Quo per uxorem ac liberos viso, sublatis ad celum usque clamoribus, invocatur auxilium Virginis Margaritæ: statimque rusticus, qui mortuus plangebatur, vivus surrexit, & ad sepulcrum Virginis postmodum cum uxore & liberis vicinisque adveniens, cunctis palam faciebat invocati auxilii beneficia, illatarum à feris plagarum cicatricibus fidem dictis facientibus. *d*

C *c* *mortuus suscitatur,* *d*

10 Viola quoque, filia Bonaviti de villa S. Justini, uxor Gilii Joannis, in quodam suo prædio ad flumen *e* Vertulæ rei rusticæ vacabat; auditoque infantis filii, quem jocantem prope ripam dicti fluvii incauta reliquerat, ejulatu, cucurrit anxia, nec ultra filium aspiciens; in illas voces supplicabunda prorupit: Heu! virgo Margarita, filium meum perdidi. Redde tu mihi illum rogo, Virgo beata. Et vidit circumspiciens, pueri, qui in flumen ceciderat, pedes *f*, aquarum superficiem superantes: quibus apprehensis vivum puerum extraxit, quem naturaliter aquæ suffocare debuerant. Eumdem infantem simili casu post quindecim dies in eumdem fluvium prolapsum, dum mater ascensa amygdalo fructus colligeret, ipsum Virgo, iterum à matre invocata, liberavit: cum mora descensus & distantiæ, exanimem puerum de aquis mater attollisset. Quem vivum & incolumem ad sepulcrū Virginis deferens, bis receptam vitam cunctis prædicavit; Iacobo de S. Benedicto Notario publicis monumentis fidem miraculorum describente, anno Domini MCCCXX, XIX Maii.

salvatur puer bis mergendus. *e* *f* AUCTORE IULIO DADDEO EX MS.

11 Agnes etiam sive Nesa, de Abbatia Marzani, Iustolum filium, ex alta fenestra prolapsum, ac pro mortuo elevatum, non respirantem, neque sensum aliquem vitæ præmonstrantem, vidit illæsum, statim ac illum B. Margaritæ cum voto commendavit. Cujus rei testimonium per D. Paulum Iacobi Notarium publicis litteris receptum est. Multæ miræ curationes omittuntur, non solum pro hominibus, sed etiam pro equis, bobus & aliis brutis, precibus & votis profitentium à B. Margarita impetratæ, cujus intercessione homines & jumenta servavit Dominus.

item alius è fenestra lapsus.

12 Hoc Compendium fideliter desumpsi à proprio originali. Ego enim Frater Ioannes Chrysostomus Peruginus; accepi illud à præfato Reverendissimo Gubernatore, qui hujus Virginis magnopere erat devotus, & in signum amoris, & gratitudinis hoc Compendium fecit, & etiam in idiomate Hetrusco, ac poëtice, & posuit versus *g* illos ad pedes ejusdem Beatæ, ubi usque nunc manent; fecit fieri lilium argenteum, & posuit illud in manu ipsius B. Margaritæ: ornavit etiam cor ipsius Beatæ, ligare faciens illud in argento, ut videtur in sacrario; dedit etiam pro eleemosyna sex scuta argentea. *h*

Hujus compendii fides E *g* *h*

13 Et ego Thomas Domini Vincentii de Beriolis, de Civitate Castelli, publicus auctoritate Apostolica Notarius, & Curiæ Episcopalis Scriba; quia collationi, & auscultationi supradicti Compendii de verbo ad verbum cum proprio originali facto, & respective copiato per Illustrissimum & Reverendissimum Dominum Julium Daddeum de Monte-regali utriusque Signaturæ Sanctissimi D. N. Papæ Referendarium & Subdiaconum Apostolicum, de libro veteri cartæ pergamenæ, non mutata substantia facti, licet mutatis aliquibus verbis, sub cura & custodia Rev. Patris Prioris, & Fratrum S. Dominici existente, cum proprio originali ipsum concordare inveni, & una cum Domino Io. Bapt. Panullio Notario publico Civitatis Castelli interfui; Ideo sic me subscripsi, signumque meum apposui, rogatus & requisitus, ad laudem Dei, B. Mariæ Virginis, & B. Margaritæ, hac die existente 1 Decembris, MDXXXXIX.

per Notarium unum F

14 Et ego Ioannes Baptista quondam magnifici Juris utriusque doctoris Domini Octaviani de Panulliis, de Civitate Castelli, publicus Apostolica auctoritate Notarius ac Curiæ Illustrissimi Domini Gubernatoris, & Rectifici D. Judicis ejusdem Civitatis Notarius actuarius, quia supradictum transumptum seu Compendium cum suo proprio originali, facto & extracto per admodum Illustrem & Reverendum Patrem D. Julium Daddeum de Monte-regali, Iuris utriusque Doctorem & utriusque signaturæ Domini Nostri Papæ Referendarium, & dictæ Civitatis Castelli tunc Gubernatorem, de quodam libro veteris cartæ membranæ, non mutata tamen substantia facti, licet mutatis aliquibus verbis in elegantiorem stylum, una cum supradicto D. Thoma Beriolo collationavi, auscultavi, & in omnibus & per omnia concordare inveni. Ideo ad majo-

alterumque probata.

EX ITAL. HIERON. POLLINI.

majorem fidem & testimonium hic me subscripsi cum solito signo &c. requisitus à Reverendo Patre Fr. Joanne Chrysostomo Perugino, Fratrum, & Conventus S. Dominici dictæ, civitatis ad præsens Priore &c. ad laudem, Gloriam, & honorem omnipotentis Dei, ac beatissimæ ac gloriosissimæ Virginis Matris Mariæ, & omnium Sanctorum, & specialiter Beatissimæ Margaritæ: hac die prima Decembris, MDLXXXIX.

ANNOTATA.

a Castrum Durantis *ad Metaurum flumen, media fere inter Tifernum Metaurense & Vrbinum via.*

b *Singula miracula plenius sequenti capite referuntur.*

c *Pollinus, in confinio castellorum* Cardæ *&* Pecchi *id factum ait. hoc autem vix* 7 P. M *Tiferno ad Euroboream distat, istud in tabulis non exprimitur.*

d *Idem addit, & virum & uxorem cum pluribus convicaneis suis rem gestam Tiferni in ecclesia publicasse.*

e Vertula *flumen ex iis probabiliter unum, quæ nominis obscurioris illabuntur Tiberi, inter Civitatem Castelli & Burgum sancti sepulcri, unde paucis passuum millibus* Villam S. Justini *distare scribit Pollinus.*

f Sed & cunellam, *inquit Pollinus*, pueri, quam secum in aquas traxerat, quæque aquis innatans earum fluxum sequebatur: *sed quid* Cunellæ *nomine intelligi debeat nusquam invenimus explicatum. In Actis S. Francisca Romana 9 Martii num.* 120 Gonella *est inferior tunica.*

B

g *Vide eos apud Pollinum cap.* 14 *hoc principio.*

Carco de febre è di dolor estremo,
Ricorse al tuo favore, alla tua [illegible]ta,
Vergine Margarita

h Ad faciendas scripturas, *inquit Pollinus necessarias pro impetranda Roma licentia de Officio ipsius recitando.*

CAPUT III.

Miracula, superius indicata dumtaxat, plenius in Italico Hieronymi Pollini explicata.

Sanatur brachio capta,

15 Alda, uxor Angeli quondam Lilii de Perusia, juravit coram Francisco Cambri Notario publico & testibus ad hoc vocatis, quod per tres menses continuos ita fuerit usu brachii sinistri impedita, ut non solum à consuetis occupationibus prohiberetur, sed nec movere quidem aut extendere ipsum brachium posset. Erat tunc adhuc recens memoria B. Margaritæ, cujus sanctitatē ad mentem revocans, decrevit sanitatis causa sepulcrum ipsius visitare: quod cum vesperi vovisset, sequenti mane invenit solutū sibi esse brachium ad usus quosuis, & citra molestiā illud moveri æque ac brachium dexterū.

C

a pede contractus,

16 Venturuccius Aldobrādini *a* de porta S. Mariæ, quemadmodum suo juramento asseruit coram Ser-Blasio Notario ac testibus, pede uno enormiter contracto sic mancus erat, ut gradi per se ipse nequiret, sed alieno auxilio indigeret quoties vel ad modicum spatium opus erat moveri: per merita autem hujus venerabilis servæ Dei, quibus se commendaverat, recuperavit sanitatem.

graviter herniosus;

17 Salvutius Michaelis de Monte-longo Comitatus Florentini coram Ser-Iulio Francisci testibusque deposuit, passum se tumorem sive rupturam in inguine, gravē adeo ut non modo tussire nequiret, sed pene etiam nec respirare: cum autem audivisset narrari miracula quæ ad sepulcrum Beatæ fiebant plurima, hausto exinde devotionis & fiduciæ erga ipsā affectu vovit ad ejus corpus accedere, & statim omni malo liberum se sensit, velut si nullum passus, umquam fuisset. Quapropter ex Burgo Sancti-sepulcri, ubi res acciderat, ad civitatem Castellanā uti spopōderat, venit.

b continua febri,

18 Ioannes Cambii de Varciano ex districtu Mōtis *b* S. Mariæ juravit coram Ser-Goro Notario & testibus, quod à mense Septembri usq; ad sequentem Majum, molestas continuasque febres passus, collum insuper sic obstipum habebat, ut, nisi totum corpus verteret, ipsum movere nullo modo valeret. Hunc cum officii causa accederet quispiam amicorum Tiferno reversus, multaque de miraculis ibi auditis narraret; hortari infirmum cœpit, ut deficientibus remediis humanis, ad divinum per B. Margaritæ merita implorandum recurreret. Quibus ille haud difficulter persuasus, digresso ab se amico, votum vovit, & subito suaviterque obdormivit: experrectus autem persanatum sese deprehendit.

D

incurabili fistula,

19 Paternensis quædam mulier affirmavit, jurata coram Ser-Rinerio quondam Ser-Guidi, quod Nannes filius suus, incurabili fistula ad humerum laborans à multo tempore, atque ad famam increbrescentium miraculorum adductus ab ipsā coram sepulcrū Beatæ; perfectam ibidem recuperavit sanitatē, quam dare nulla artis remedia potuerant, impetrantibus id devotis matris afflictæ precibus, quam solida fides obtinendæ gratiæ capacem fecerat.

contractione corporis laborantes,

20 Quidam Mutius de *c* Scalocchio, sub jurisjurandi religione dixit Ser-Mutio Joannis de Montone, filiolum suum quinquennem, nomine Cecculum, toto contractum corpore, positum fuisse à medicis extra spem sanitatis consequendæ; quando ætatis imbecillitas imparem eum faciebat iis remediis, quæ tali in malo solent adhiberi. Ergo fide & devotione erga Beatam, non minus quam amore erga filium plenus pater, attulit parvulum ad sepulcrum; ubi statim ac pro eo votum fecit, perfecte sanatum puerulū vidit.

E

item in tibia læsus,

21 Orlandus de Fidantia Comitatus Aretini, negotiorum suorum causa ad castrum S. Angeli proficiscens, imprudenter impegit pedem in saxum aliquod, & humi cadens ita graviter attrivit suram, ut vulnus brevi marcescens maximos ei dolores adferret, eriperet autem facultatem gradiendi: itaque recordatus B. Margaritæ, eidem se commendavit ardenter, votū vovens, offerendi ad ejus sepulcrum pedem tibiamque è cera si suum iter pedibus absoluere, & domum reverti daretur incolumi. Vix ejusmodi votum conceperat, quin sanum se sensit, expeditumq; ad perficiendum quod restabat itineris: unde reversus, de beneficio accepto rogavit instrumentum, signandum manu Ser-Ioannis quondam Francisci Notarii publici, coram testibus vocatis & rogatis.

fœde ruptus,

22 Iisdem temporibus fuit Tiferni Notarius publicus, Ser-Guilielmus Francisci dictus, & adeo immaniter ruptus, ut sibi gravis & inutilis aliis omnino existeret. Non deerat ipse quidem sibi, ulli vel curæ vel impensæ parcens; sed varios experiebatur medicos, ac nominatim quemdam Magistrum Vitalem præ aliis laudatum: verum non modo non invenit liberationem à malo, sed nec alleviationem quidem ejus ullam. Cumque citra ingentem cruciatum movere amplius se non posset, jussus ad extremum est gestare vinculum cum pulvillo plumeo, ad prorumpentē herniam mollius continendam. Profuit consilium, ad hoc saltem, ut se ad ecclesiam S. Dominici transferre non omnino incommodissime posset cum vellet. Quadam igitur vice in choro dictæ ecclesiæ fervēter orans, inspirari sibi sensit ut B. Margaritæ votum faceret. Ergo è choro ad locum abiit, ubi capsam sacri corporis custodem sciebat asservari; ibiq; humiliter prostratus in preces, votum vovit, quod si desideratæ gratiæ compos fieret, quamvis eadem propter admissas culpas indignissimus, nullo umquam peccato carnis mortaliter esset offensurus Deum: & statim sensit se alleviatum, atq; optatæ integritati restitutum. Quotiescumque autem narrabat hoc beneficium, & narrabat sæpe, toleratos à se cruciatus recordanti copiosæ fluebant lacrymæ, nec verba satis idonea reperiebat explicandæ magnitudini sui affectus: rogatus vero ut publico instrumento rem firmaret, testem adhibuit

F

Ser-

Ser-Joannem Ser-Francisci Notarium etiam ipsum.

A *faciei exesa cancro,*

23 Dina, filia Jacobi Coccii, de Abbatia Tedaldi d Massæ Trebariæ, medicorum omnium judicio incurabilem cancrum patiebatur in facie, jamque nonus effluxerat morbi mensis, & exesis oculis lumen amiserat infirma. Ergo nihil proficientibus, quæ propter desiderium recuperandæ salutis, solicitissime adhibebat, remediis, & audita fama miraculorum B. Margaritæ, vovit quod continuis octo diebus discalceata visitaret ejus sepulcrum in ecclesia S. Dominici. Nec mora: votum adimplere cœpit; octavo autem die facies ejus ita munda & sana, oculi adeo clari apparuere, quasi nihil umquam passa mali fuisset: quare testem hujusce rei scripturam fieri rogavit per manũ Ser-Iacobi quondã Benedicti Notarii publici, ad laudem Dei & devotæ illius famulæ Margaritæ.

paralysis lateris,

24 Nicolaus Tifernas, de porta S. Mariæ, coram multis juravit, quod totius sinistri lateris paralysi laborans, adeo ut omni sensu privatum illud, instar carnis emortuæ frigidum, gestare videretur; veneris ad sepulcrum Dei famulæ Margaritæ, & fusis ibi precibus optatam consecutus sit sanitatem.

B *gravis catarrhus,*

25 Domina Petra, uxor cujusdam Andreuccii de Comitatu Pecchi, in præsentia plurium honoratorum testium juravit, quod per dies quinquaginta continuos adeo fuerit gravata catarrho, in unam coxarum defluente; ut neque stare, neque sedere, neque incumbere posset, nisi manibus alienis juvaretur; manducatura autem necesse haberet uni qui sanus erat pedi insistere, altero latere ad quoddam sustentaculum annixo; idque non sine magno cruciatu. Inter has angustias audivit magnalia, quæ de miraculis B. Margaritæ circumferebantur; & vovit nudis pedibus ire ad ejus sepulcrum, si iis liberis sibi uti daretur. Vix votum nuncuparat, & ingens levamen mali sensit: ipsoque die implevit votum, liberrime & expeditissime gradiens.

rigor brachii,

26 Referre solebat Domina Druda de Montone, coram multis Patribus Prædicatoribus aliisque personis secularibus, maligno defluxu ita sibi impeditum fuisse brachium sinistrum, ut ori manum admovere non posset. Jam sextum mensem sic exegerat, humana remedia frustra solicitans: quibus tandem desperatis, auxilium à B. Margarita petiit, ceream vovens ante sepulcrum candelam: subitoque sanata, uti cœpit brachio illo, æque ac altero, nec mali reliquias ullas sensit.

C

ANNOTATA.

a *Iam alibi notavimus, etiam Mediolani, vicos urbis à portis ad ipsos ducentibus nominari.*

b *Ad Occidentem Tiferni trans Tiberim situs* Mons S. Mariæ, *intervallo paucorum milliarium.*

c Scaloccium, *in finibus Comitatus Castellani, propius ad Burgum S. Sepulcri.*

d Abbatia Tedaldi Massæ-Trebariæ *hoc cognomento videtur distingui ab altera ejusdem nominis Abbatia, quam in Apennino signant tabulæ; & significari altera vicinior Metelæ, à qua vicus, Turris Abbatiæ dictus, haud procul inde nomen habeat.*

CAPUT IV.

Alia miracula ex eodem Italico Hieronymi Pollini.

Miracula durantibus turbis cessant.

27 Cum Guelforum Gibellinorumque factionibus, tota in partes divisa arderet Italia, non potuit commune cunctis præcipuis urbibus malum evitare parva, sed antiqua, civitas Castellana. In hac pro parte Guelfa tyrannidem occupaverat Dominus Branca Guelfuccii: sed cum ejus jugum ipsis etiam Guelfis esset intolerabile, quidam ex iis nobiliores, Aretinorum Gibellinorum accersivere vires: quibus cum aditus in civitatem proditorie obtigisset, non solum expulsus tyrannus cum suis est, sed etiam illi ipsi qui Aretinos accersiverant, nequid scilicet Guelfici nominis restaret Tiferni. Tertio post mortem Beatæ anno cœperunt civiles istæ discordiæ: quibus, velut immodica aqua superfusa, restinctus est fervor devotionis erga Beatam, & cessavere illius miracula. Etenim post miracula supra memorata, quæ omnia proxime ab illius felici transitu accidere, usque ad annum MCCCXLVIII, id est toto tumultuum prædictorum tempore, nihil in vetustis scripturis notatum reperio quod huc faciat; idque, ut ego quidem existimo, non tam scripturæ quam materiæ defectu.

EX ITAL. HIERON. POLLINI. *post hæc ad 1348*

juvatur puerpera periclitans;

28 Porro ipso, quem ultimum nominavi, anno, in civitate Veronensi fuit matrona nobilis, quæ viginti continuos dies inter diros difficilis puerperii cruciatus, videns nihil prodesse exhibita à medicis domesticisque solatia vel remedia, deque fœtus sui vita atque salute solicita, tandem recordata est miraculorum B. Margaritæ, quæ plurima audiverat à referentibus. Ergo ipsi se cum lacrymis commendavit; vovitque si sanum partum viva eniteretur, Beatæ sepulcrum visitare. Solutus autem mox partus est; nulla sui parte vitiatus; & ipsa post consuetos custodiæ suæ dies Tifernũ advolavit, coram Patribus aliisque pluribus accersitis fideliter exponens, quantã sibi gratiam, per merita B. Margaritæ fecisset Dominus.

E *sanatur gravis herniæ;*

29 Eodem tempore Tifernatium quidã, Franciscus nomine, morabatur in oppido S. Miniatis cognominati ad Tudescum, adeo graviter ruptus, ut neque pedibus neq; in equo posset Tifernum remeare: medici autem advocati nihil sua arte proficiebant. Interim patriæ & domus relictæ desiderio non minus quam sanitatis recuperandæ æstuabat miser: cum ei in mentẽ venit civis sua Margarita: ad cujus auxilium cum lacrymis implorandum conversus, subito ut vovit ad illius sepulcrum visitandum accedere, sanum se sensit, atque incolumis ad sua reversus est.

apostema mamillæ;

30 Paupercula mulier incurabili apostemate sauciatã gerebat mamillam cum doloribus magnis, eoque gravioribus quod cancrum fore medici omnes judicabant. Hanc igitur jam pene corrosam consumptamque videns, ipsique suæ jam vitæ metuens à malo ad vitalia paulatim grassante, ad B. Margaritã, sæpe antea invocatam, solicitius respicere cœpit, & auxilium ejus implorare: vovens quod sanitati reddita, quotannis visitaret sepulcrum ejus, ibique mamillam ex cera offerret. Nocte autem subsequente apparuit ipsi Beata, & mamillę locũ exesũ sensibiliter tetigit: mulier vero expergefacta, sanam sese agnovit.

F *ubera marcida,*

31 Alteri mulieri mamilla utraque emarcuerat putrueratq; nec malo inveniebatur remedium: ergo diu frustra speratam à medicis sanitatem, requirere apud B. Margaritam decrevit; vovens ad sepulcrum ejus, à se pie visitandum, duas ex cera mamillas offerre: quo voto nuncupato, continuo dormire cœpit, & paulo post experrecta ac sana, votum implevit, gratias ad Beatæ sepulcrum agens.

angina incurabilis,

32 Viro cuidam Tiferni pauperi gravior ad paupertiem accesserat calamitas, scilicet angina incurabilis; qua cum indies pejus se affici & ad mortem deduci videret, uxoris aliorumque domesticorũ consilio, B. Margaritæ opẽ imploravit, & votum pronuntiavit ut melius potuit, nam ipsam respirandi facultatẽ jam pene abstulerat gravis infirmitas: eo autem facto, cœpere resolvi tenacia phlegmata, & ipse eadẽ expuens magnis quotidie passibus proficere ad integrã sanitatẽ, quã meritis Beatæ acceptã gratanter professus est.

cæcitas diuturna,

33 Horum hisque similium miraculorũ fama, per Eugubinam civitatẽ vulgata, inde attraxit pauperem quemdam cæcum in civitatem Castelli, cum spe obtinendi visus ad sepulcrũ B. Margaritæ: ubi cum diu multumq; orasset, neq; gratiã speratam cõsequeretur, revertebatur propemodum desperabundus, & que-

Ex ITAL. HIERON. POLLINI.

rulas de Beata voces mittebat per viam. Ob quas à comitibus reprehensus, edoctusque non minori potentiæ in Beata, sed fidei in se, adscribere defectum petitæ lucis; denuo votum ad eamdem concepit, & ad ecclesiam S. Dominici revertens, corde & ore devoto dicebat: O B. Margarita, tuæ me sanctitati gratiæque commendo. Hæc autem dicenti pruritus oculorum vehemens obvenit: & fæcibus quibusdam ad instar spumæ detersis, aperti illi sunt: & magna cum lætitia exclamare cœpit qui fuerat cęcus, jam plene illuminatum se esse. Ut autem ad sepulcrum pervenit, omnibus ibidem existentibus cum summa exultatione narravit, quid sibi in via accidisset.

dextri lateris paralysis,

34 Fuit etiam Eugubii matrona nobilis, quæ diuturna paralysi resoluta, dexteri lateris usum sensumque amiserat; nec spem amplius in medicis habebat ullam, quorum consilia multis annis frustra experta fuerat. Audiens autem prædicari miracula B. Margaritæ, ab iis qui ipsa in se facta cum gratiarum actione referebant; fecit etiam ipsa votum, quod si sanitatem recuperaret, itura esset Tifernum ad visitandas ejus sanctas Reliquias. Non longa intercessit mora, quin voti sui obtineret effectum: itaque Eugubio Tifernum venit, & grandem cereum offerens, voluit coram multis testibus referri gratiam sibi impensam.

B

immanis ruptura;

35 Eodem tempore fuit Tiferni juvenis quidam, corpore formosus & genere nobilis, in eo vico habitans cui à porta S. Mariæ nomen. Hic durante vindemia, quando nemo est qui infra suam conditionem esse existimat tractare fæces musteas; vinarium vegetem, graviorem quam suæ erant vires, improvide sustulit ante pectus; & temerariam præsumptionem adeo gravi ruptura luit, ut erumpentibus foras intestinis, difficulter spiritum ducere posset. Confluxit mox hominum ac mulierum multitudo, infelicis juvenis casum dolentium: adfuerunt etiam accersiti medici; quibus dicentibus incurabile malum videri, matrona quædam nobilis, ardentiori erga B. Margaretam devotione fervens, audientibus cunctis opem illius imploravit, deinde conversa ad juvenem hortata est, idem ipse ut faceret. Ille, licet ægre vocem in verba formaret, magno tamen animo dixit: O B. Margarita, noli respicere peccata mea, sed libera me ab hoc gravi periculo, & ego per omnem vitam beneficii memor, singulariter tibi devotus manebo. Dixerat, & reductis ad naturalem statum intestinis, subito sese sanatum agnovit, mirantibus omnibus & Deum laudantibus.

juvantur etiam animalia varia,

C

36 Multa alia miracula insuper leguntur manuscripta in membraneis codicibus conventus S. Dominici, patrata non solum in corporibus hominum, infirmorum, dæmoniacorum, aut mortuorum; sed etiam in animalibus rationis expertibus, è quibus exempli causa, ad gloriam Beatæ, unum solum hic adduxisse sufficiet. Homo quidam Tiferni habebat equum generosum, eumdemque pulcherrimum & pretii perquam magni: quem indiscrete ad cursum immoderatum incitans, ita læsit, ut equo, ad omne opus inutili, nulla inveniretur curatio apud ejusmodi rerum peritos. Ergo stimulatus dolore & metu damni faciendi, cum multa de B. Margaretæ miraculis audivisset, ipsam quoque suo equo propitiam fieri precatus est, vovens pro eo equum cereum certi ponderis, sepulcro offerendum: mane autem sequenti propere ad equile revertens, invenit animal nihil noxæ habens aut læsionis. Possem hujus generis referre plurima, neque hujus tantum sed etiam alterius, scilicet in rebus inanimis facta: sed veritus ne similium pene narrationum prolixior contextus plus fastidii quam pietatis moveret, malo talium curiosum lectorem ad antiqua Conventus manuscripta remittere; pauca illa, quæ in hac epitome collecta sunt sufficere existimans, ut intelligatur quanti apud Deum meriti hæc ejus famula sit, quando eam invocantes exaudire dignatus est, non solum pro suis personis sed etiam pro animalibus, vilibus quidem, attamen necessariis, ut hic quoque usurpari possit istud Prophetæ, Homines & jumenta salvabis, Domine. Ps. 35, 7

nominatim equus Beatæ commendatus.

D

CAPUT V.

Translatio Corporis eamque secuta miracula, ex eodem.

An. 1588

37 POstquam B. Margaritæ corpus, per annos ducentos sexaginta octo usque ad annum Christi MDLXXXVIII, omnis expers corruptionis mansisset in veteri, intra quam primum erat compositum, arca; adm. Rev. Pater Fr. Ioannes Chrysostomus Perusinus, tunc temporis Prior conventus sæpe dicti, videns eam arcam jam cariosam deficere; & vestimenta, quibus sacrum corpus induebatur, à tineis corrodi cœpta, defluxura in pulverem; veritusque ne ipsum venerandum depositum exinde aliquid noxæ traheret; pro suo erga res divinas & B. Margaritæ honorem zelo, constituit in novam arcam novaq; vestimenta ipsam transferre, petita obtentaque licentia Illustrissimi & Reverendissimi Domini Ludovici Bentivoglii, *a* Episcopi Tifernensis; & adm. Reverendi Patris Provincialis Romani, Fr. Antonini Brancatii. Quare, collecto ad id congruo numero pecuniarum, fabricari fecit ex matura nuce arcam elegantem, aureisque lineis egregie ornari. Qua parata, & paratis novis, quibus induendum corpus erat, vestibus; priusquam in solenni totius Cleri populique cōventu Translationem publice celebraret, extracta fuit è suo loco, per manus Sacerdotum, coram nonnullis nobilibus secularibus, vetus arca cum corpore, & super altare collocata. Ubi illud exutum indumentis prioribus, inventum est candidum simul atq; suaveolens, siccum tamen; integrum quoq; repertum est filum suturæ, post viscerum extractionem in corpore factæ: tum novæ vestes inductæ sunt, cum iisque intra veterem arcam repositum est corpus.

a

E

novis vestibus induitur corpus,

coram celeberrimo conventu,

38 sequenti die mensis Junii, ad solennem Translationis actum à Priore invitati cōvenere, D. Abbas Pyrrhus Mazzoni de Angolariis, Vicarius Illustrissimi ac Reverendissimi Domini Episcopi; D. Lancillottus Montelucci, Protonotarius Apostolicus & Præpositus ecclesiæ Cathedralis, cum Collegio Canonicorū & universo urbis Clero; D. Iulius Daddei, Referendarius Apostolicus utriusque signaturæ, Gubernator urbis; Dominus *b* Confalonerius cum toto magistratu; Illustrissima D. Virginia savelli de vitelliis, Marchionissa Cetonensis cum D. Nicolao filio suo; D. Penthesilea Montaguti Borboni, D. Francisca Turini Busaloni, D. Doralice Vitelli Marchesani, cum tota nobilitate urbis Tifernensis. Quibus omnibus collectis intra ecclesiam, chorus Patrum decantatis Vesperis processit ad sacellum Marchesanorum, ubi tot annis jacuerat venerabile corpus; & post ejus incensationem consuetam, admodum Reverendi, D. Vicarius, D. Præpositus & P. Prior, stolas induti, hic in medio ad lumbos, primus ad caput, alter ad pedes, ipsū corpus apprehensum elevaverunt, atq; de veteri in novam arcam transtulerunt; & hanc priori loco constituerunt super altare Marchesanorum ubi hodieque invenitur & colitur. De quibus omnibus, ex mandato Domini Vicarii Dominique Confalonerii, qui erat tunc Magister Ioannes Lucas Laurentii, conscripta sunt à notariis publica instrumenta.

b

transfertur in novam arcam;

incensum adhiberi non probat Gubernator,

39 Intererat huic actioni, uti Diximus, Gubernator urbis, D. Julius Daddei, apud Montem-regalē nobili genere natus, magnæ eruditionis & raræ prudentiæ vir;

A vir; qui modeste significavit, non satis sibi probari, quod incensatio fieret ante corpus alicujus, necdum ab Ecclesia Romana relatę in catalogum Sanctorum. Cui Prior respondit, si ex usu Ecclesiæ universalis quibusvis pie defunctorum fidelium corporibus incensatio fiat, tamquam quæ fuerint vasa Spiritus sancti, Christi gratia Sacramentisque dignata; multo potiori jure ceremoniam istam concedi debere ei, quam tota hæc civitas, totus Ordo Prædicatorum, & singulariter Romana Provincia, Beatam agnoscebat & nominabat, propter notam vitę sanctitatem & frequentia miracula, quorum respectu sæpe actum esset Romæ, ut Officium de illa posset recitari. Perstitit nihilominus in sententia Gubernator: sed nocte sequenti in gravem prolapsus infirmitatem, adeo ut de ipsa vita periclitari sibi videretur, propter symptomata prorsus insolita; suspicatusque id quod erat, ita pridianam suam pervicaciam castigari; animitus se commendavit B. Margaretæ, factoque voto (sicut ipse postridie Patri Priori retulit) statim cœpit habere melius; integreque restitutus, deinceps B. Margaritæ devotissimus vixit, eaque fecit quæ supra notata sunt.

sed subita infirmitate monitus resipiscit.

B 40 Providerat Pater Prior prædictus, ut ex iis vestibus, quæ olim Beatæ vel vivæ vel defunctæ fuerant applicitæ, servarentur aliquæ, ad augendam Tifernatium pietatem, & affectum erga illam conservandum; eo successu, ut brevi tota urbe diditus rumor fuerit, per ejusmodi pannos nec pauca nec vulgaria Deum operari miracula. Fama hæc initium habuit ab operimento capitis lineo, quo supra capita infirmorum imposito, mox convalescere dicebantur; servaturque illud etiam hodie in sacristia S. Dominici, unde continuo postulatur, atque à Patribus effertur ad ægros, sequentibus signis propemodum quotidianis. Præ quibus tamen omnibus considerandum existimo, quod simplicissimum illud linum, quo tot annis usa fuit Beata dum viveret; etiam post mortem ejus, tanto jam labente tempore, perseveret integerrimum atque mundissimum. Talis autem fama cum venisset ad aures adm. R. D. Pyrrhi, Vicarii Episcopalis, cavere is volens ne popularis credulitas, avida novitatum, tot veris testatissimisque miraculis B. Margaritæ superinduceret aliquid falsitatis; de iis diligentius cognoscere volens, quæstionem indixit, quam instituit partim in capella Rosarii, assistentibus Priore jam dicto & Ser-Bartholomæo Vincentii Gubernalis Notario publico, partim in aliis locis oportunis, pro exigentia eorum C quæ facta dicebantur miraculorum: quæ comperit in veritate subsistere: de quibus quia extant processus authentici, ego precipuorum aliquot breve compendium hic repræsentabo.

Inquiritur in miracula

ad Reliquias Beatæ patrata.

41 D. Romana, nobilis Tifernensis, filia quondam D. Francisci Burati, & uxor D. Horatii Brunacii, eodem anno MDLXXXVIII, die XXI Junii examinata, sub religione jurisjurandi affirmavit, quod consobrina sua D. Beatrix, uxor D. Vincentii Guazzaliæ, completis novem mensibus graviditatis suæ, toto Paschatis die ac nocte sequenti parturire cœpefit, cum ingenti & insolito cruciatu. Ipsa autem D. Romana, videns periclitari & matrem & fœtum, qui transversus in utero jam prætendebat brachium unum; recordata autem Reliquiarum, quæ post prænarratam Translationem fuerant in sacristia repositæ; adiit Patrem Priorem, eique indicans consobrinæ suæ miserrimum statum, petiit ab eo sibi commodari cingulum illud coriaceum, quo utrimque præferrato tunc cingi solebant personæ religiosæ hujus Ordinis, & ipsa Beata multis annis usa fuerat. Non distulit postulantis votum Prior, eique involutum velo cingulum dedit; quicum ad consobrinæ domum remeans, eamque in majori quam reliquerat discrimine inveniens; ipsam primum signavit quam potuit devotissime, deinde ex collo appendit Reliquiam Beatæ, eam rogans ut felicem partum impetraret laboranti. Eo facto, ad statum naturalem se retraxit fœtus, atque intrà horam prodiit sana & integra puella; cujus ipsiusque matris vitam meritis Beatæ acceptam referebat D. Romana; attestantibus eidem Andrea obstetrice; & duabus matronis in partu præsentibus, scilicet D. Julia Gualterotti, & D. Nicolaa matre ipsius D. Romanæ, aliisque contestibus; quarum hic nomina brevitatis causa reticentur.

cingulo ejus allato

facilitatur partus desperatus:

EX ITAL. HIERON. POLLINII

42 Magnifica Domina Orintia Grasselli, nobilis Romana, uxor Mag. Jacobi Albizzini, nobilis Castellani, juravit coram D. Vicario, Notarioque & testibus, quod habuerit filiolum suum Bartholomęum, eo redactum, ut toto biduo non modo nihil comerit, sed usum etiam sensuum omnem amiserit, mortuo quam vivo similior. Imminentis ergo puero mortis triste nuntium cum esset perlatum ad Magnificam D. Juliam Albizzinam, affinem suam, pridie festi venerabilis Sacramenti; ipsaque tum casu domi suæ haberet prænotatum capitis operimentum, quod à Patribus Dominicanis paulo ante acceperat pro E simili aliqua necessitate; festinavit ipsum mittere ad D. Orintiam, per D. Julianam uxorem quondam Juliani de monte Alverniæ, Comitatus Florentini; quæ etiam testata est, quod eo momento temporis, quo linum istud intulit in domum Mag. Jacobi Albizzini, jacuerit puer instar mortui. Orintia autem, accepta B. Margaritæ calantica, genu flexit, & recitato septies Pater & Ave cum Salve Regina, filiolo vitam petiit per intercessionem Beatæ, ipsamque calanticam capiti ejus imposuit. Vix quartam horæ partem ibi manserat, cum multa vitæ signa puer edere, tandemque etiam loqui cœpit, & petere, ut auferretur à capite id quo se nimium gravari querebatur. Abstulit illud mater, & filio exosculandum porrexit, dicens B. Margaritæ illud esse, à qua vitam & sanitatem sperare deberet; tum ipsum linteum supposuit capiti decumbentis, qui mox convalescens manducare cœpit quidquid primum offerebatur, & in hunc diem sanus perseverat.

attactu calantica

juvatur puer moribundus;

43 Eadem D. Orintia, simili fide testata est, quod prædictam calanticam ad minorem natu filium, tum febricitantem, detulerit; cessanteque mox febri, similem ejus virtutem, etiam in hac necessitate, sit experta. Sed & illa, quæ sacri pignoris bajula ad D. F Orintiam fuerat, D. Bartholomæa prænominata, & quæ oculis suis cognoverat mirabilia, in semimortuo puero patrata, ad calanticæ istius præsentiam; cum etiam ipsa grandi capitis dolore cruciaretur, non retulit eam ad Patres Prædicatores, ut jussa erat; sed domum suam asportavit. Vespere autem facto, in suum reducta cubiculum, atque ante altariolum ibidem extructum genuflexa, dictam calanticam involvit sudario, ut sic cum majori decentia & cautela capiti ipsam suo imponeret. Quo facto, priusquam de genibus surgeret, illum tot annis inveteratum dolorem capitis auferri sensit: seque ipsam tanto jam leviorem mirata concessit cubitum; & post noctem placidissime transactam, mane primo ad Patres Dominicanos retulit, quod commodaverant; prolixe fideliterque commemorans & prædicans, quantum beneficium recepisset: jurataque postmodum omnia coram Vicario affirmavit.

febris pellitur,

& dolor capitis inveteratus;

44 D. Margarita uxor magnifici Mag. Jacobi Cordoni Tifernatis, examinata die XXI Septembris, anno & modo prænotatis, circa duo miracula, quæ domi ipsius accidisse dicebantur; primo deposuit, quod filiola sua bimula, pestilenti febri, lividis maculis se prodente, contacta fuerit, & intra biduum

sanantur à pestilenti morbo

EX ITAL. HIERON. POLLINI.

deposita à medicis, nullam tanto malo in ætate tam tenera remedium applicare audentibus. Quod cum intellexisset D. Julia, Mag. Jacobi Albizzini socrus & mater D. Margaritæ prænominatæ, quæ etiam ipsa desuper fuit examinata; ipsa necdum oblita aliorum miraculorum, per invocationem B. Margaritæ patratorum, suasit filiæ, ut quando alia spes nulla erat super, confestim mitteret ad conventum Prædicatorum, & Beatę calanticam mutuo posceret. Eam igitur cum attulissent Patres, de periculo pueri & matrum desiderio admoniti, per Mag. Cæsarem Cordoni, quo internuntio usæ fuerant communis parentelæ fiducia, & brevem super infirmum orationem fecissent; ad contactum sacri lintei melius habere puer cœpit, atque intra biduum plene convaluit, ad stuporem omnium medicorum. Deinde eadem D. Margarita, quoad suam personam, affirmavit similiter jurata, eadem pestifera febri se quoque attactam, cum acutissimis punctionibus & dolore capitis vehementi, ad idem accurrisse remedium; ipsoque momento liberatam ab omni malo fuisse.

filia & mater.

Monacha liberatur à suffocanti catharro,

B 45 In venerabili monasterio Muratarum Ordinis S. Francisci de observantia Tiferni, sanctimonialis erat nomine Hilaria Baptistæ de Riccio, quæ cum XVII Julii cubitum concessisset læta ac sana, circa quartam horam noctis subito & vehementissimo rheumate correpta fuit; quo vultum inflante, atque à capite ad humeros brachiaque descendente, mox totum corpus occupante, ipsa omnium fere membrorum usu præclusa fuit, simul & cruciatibus ingentibus lancinata, adeo ut mortem sibi crederet imminere. Cupiens igitur in omnem eventum parata inveniri, quoniam suis ipsa pedibus adire nequibat Confessarium, inter Sororum manus jussit se ad ipsum deferri. Inde relata, cum de gravi cordis oppressione identidem quereretur, dubitare nemo potuit, quin hoc esset indicium mali vitam cito ablaturi. Interim Soror Maria Felix Tartarini (ex cujus depositione, jurata die XXI Septembris, hæc omnia habentur) recordata particularum quarumdam, de velo & veste B. Margaritæ sumptarum; eas attulit ad infirmam, ipsique obtulit osculandas. Hæc autem statim ut illas attigit, virtutem ex iis cęlestem percepit: nam prout ori, capiti, humeris aliisque membris successive admovebantur; ita dolorem omnem ab iis recedere sensit: nec prius devota finivit oscula, quam totam se sanam exclamavit. Facta autem hæc sunt intra horam unam, & postridie mane per monasterium ambulavit ut antea.

per veli vestisque particulas.

C

ANNOTATA.

a Ludovicus *Episcopus translatus est ab Episcopatu Policastrensi anno* 1582 *inquit Vgellus, & sepultus in Cathedrali anno* 1602.

b *Vexilliferum suum (quæ primaria dignitas) Itali vocant* Confaloneriū: *de nominis origine actum satis alias.*

DECRETUM

De Missa & Officio B. Margaritæ, pro civitate Tiferni & toto Ordine Prædicatorum.

46 DOminicus Episcopus Ostiensis, sacri Collegii Decanus, S. R. E. Cardinalis *a* Pinellus, Congregationis sacrorum Rituum Præpositus, universis & singulis præsentes inspecturis, lecturis & audituris salutem in Domino sempiternam. Cum ad instantiam R. P. Generalis, & totius Ordinis Prædicatorum S. Dominici, Reverendissimi Domini Episcopi ac Canonicorum cathedralis Ecclesiæ, & magistratus, civium, & incolarum civitatis Tifernatensis iteratis precibus apud Sanctissimum D. N. Paulum Papam V institum fuerit, ut dignaretur concedere & indulgere, ut in honorē B. Margaritæ Virginis, Tertiariæ professæ Ordinis Prædicatorum S. Dominici, quæ anno domini MCCLXXXVII ex honestis parentibus orta in oppido Metulæ Massæ-Trebariæ Tifernatensis diœcesis, per annos tres & viginti quibus vixit, in virginitate semper permansit, & puritatem coluit, ac multis miraculis claruit, tam in vita quam post mortem; & post ejus felicem in domino obdormitionem, quæ fuit die XIII Aprilis, anno Domini MCCCXX, ejus corpus in ecclesia S. Dominici, in eadē civitate Tifernatensi, sepultum fuit: & adhuc post trecentos fere annos integrum & incorruptum asservatur, cum maximo populi ejusdem civitatis & vicinorum locorum concursu & devotione, Officium & Missa de communi unius Virginis à Fratribus dictæ Religionis, tam in dicta civitate ubi ejus corpus sepultum est, quam in universa Prædicatorum Religione, libere & licite recitari & celebrari possit & valeat. Et cum ab eodem Sanctissimo D. N. Papa, negotiū hoc ad sacram Rituum Congregationem, ut in ea examinaretur, remissum fuerit; & ab eadem sacra Congregatione commissum Illustrissimo & Reverendissimo Domino Cardinali Bellarmino: qui semel atque iterum visis diligenter antiquis & modernis scripturis, de vitæ integritate, & puritate fidei, & miraculis dictæ Beatæ Margaritæ, tam in vita quam post ejus mortē, & continuata opinione sanctitatis & miraculorum usque in præsentem diem; tandem in eadem Rituum Congregatione, habita die XXIV Augusti MDCIX, retulit, ex deductis satis constare de ipsius Beatæ Margaritæ sanctitate & miraculis, & censere gratiam petitam posse concedi Fratribus ejusdem Religionis, saltem in dicta civitate Castelli seu Tifernatensi, ubi ejus venerabile corpus sepultum est. Et illustrissimi & Reverendissimi Domini Cardinales, in eadem Congregatione pręsentes, ejusdem sententiæ fuerunt; nempe posse concedi, si Sanctissimo Domino nostro placuerit, ut in civitate tantum Tifernatensi & in ecclesia S. Dominici, ubi dictæ B. Margaritæ corpus adhuc integrum & intactum sepultum est, & magna totius populi devotione & concursu colitur & in veneratione habetur, possit ejus festum, in die felicis ejus obdormitionis in Domino, cum Officio & Missa de communi unius Virginis, in honorem ipsius B. Margaritæ, celebrari. Et Sanctissimus Dominus noster, audita Congregationis sententia, per maturam relationem, hac infra scripta die Sanctitati suæ in Consistorio secreto factam, annuit & concessit, ut in civitate tantum Tifernatensi & in ecclesia, ubi dictæ B. Margaritæ corpus sepultum est, possit de ea, tamquam de Beata, festum cum Officio & Missa de communi unius Virginis celebrari. In quorum omnium fidem & testimonium præsentes, per infra scriptum nostræ præfatæ Congregationis Secretarium, fieri jussimus; manu nostra subscripsimus, & nostri soliti sigilli impressione, muniri fecimus. Datum Romæ in palatio nostræ solitæ residentiæ, die XIX mensis Octobris MDCIX.

D E F

Dominus Episcopus Ostien. Card. Pinellus

J. P. Mucantius Secret. Congreg.

ANNOTATA.

a Card. Pinellus *Obiit anno* 1611, 9 *Augusti; intra proximum ab hac declaratione biennium, Ostiensis Episcopus factus sub Paulo* 5, *Cardinalis sub Clemente* 4 *anno* 1585, *vir omnibus laudibus cumulatissimus, quarum synopsim lege in Additionibus Victorelli ad Ciacconium.*

XIV APRILIS

SANCTI QVI XVIII KALENDAS MAII COLVNTVR.



Anctus Fronto, Abbas in eremo Nitriensi, in Ægypto.

S. Valerianus sponsus S. Cæciliæ Martyr,
S. Tiburtius ejus frater, martyrii socius
S. Maximus Præfecti Cornicularius Martyr
} Romæ.

S. Quiriacus seu Cyriacus,
S. Diocletianus,
S. Symphronius,
S. Docimus,
} Martyres Romæ cum prioribus.

S. Apollonius,
S. Ephebus,
S. Optatus,
S. Patus,
S. Saturninus,
S. Frontinus,
S. Macaria, seu Marcia,
S. Cornelius,
S. Conditor,
S. Titulus,
S. Proculus,
S. Valentinus,
S. Productus,
S. Laurinus,
S. Domnina,
SS. Sociæ Virgines,
S. Valerianus,
} Martyres Interamnæ in Vmbria.

S. Optatus,
S. Arcilaus,
S. Symphronius,
S. Frontinus,
S. Maximus,
S. Decima,
S. Marcia,
S. Cornelia,
S. Fortunata,
S. Donatus,
S. Tiburbius,
S. Valentus,
} Martyres.

S. Maximus, miles & Martyr, ex legione Thebæa, Mediolani.

S. Ardalio, mimus & Martyr.

S. Thomais, Martyr Alexandriæ.

S. Abundus, Mansionarius Ecclesiæ S. Petri Romæ.

S. Lantbertus ex Abbate Fontanellensi, Archiepisc. Lugduni in Gallia.

B. Bernardus, fundator & primus Abbas SS. Trinitatis de Tironio in Gallia, Ordinis S. Benedicti.

S. Benedictus, fundator pontis supra Rhodanum Avenione in Gallia.

B. Hadwigis Virgo, magistra cœnobii Matensis, Ordin. Præmonstratensis.

B. Lidwigis sive Lidwina, Virgo, Schidami in Hollandia.

S. Ioannes,
S. Antonius,
S. Eustachius,
} Martyres Vilnæ in Lituania.

PRÆTERMISSI ET IN ALIOS DIES REIECTI.



Anctus Eberhardus Episcopus *Ratisponenensis memoratur à Camerario. Vitam dedimus* VIII Januarii.

Prætextatus Episcopus Rotomagensis hoc die martyrio coronatus est: *ejus Vitam dedimus* XXIV Februarii.

SS. Theodosii, Basilidis & Gerontii, Martyrum, memoria *celebratur in MS. Synaxario Claromontano Societatis Iesu Parisiis, de* Theodosio, *cum* SS. Eleutherio & Zoilo passis sub Sapore Rege Persarum, *egimus* XIII Aprilis. *& de* SS. Basilide & Gerontio I Aprilis.

S. Gutlaci Confessoris depositio in Britannia, *est indicata in MS. Flörario Sanctorum. Vitam ejus illustravimus ad diem* XI Aprilis.

S. Ursus, Archiepiscopus Ravennatium & Confessor, *colitur officio duplici in urbe & diœcesi Ravennensi. in Martyrol. Rom. & aliis pridie,* XIII Aprilis.

S. Cyriacus Martyr *duplici Synaxario Taurinensi inscriptus fuit, semel quidem ad hunc, semel ad sequentem diem. Varii hujus nominis variis occurrunt diebus, sed omnes sociis quibusdam junguntur. De hoc ita solitarie posito amplior ut lux affulgeat optandum est: nam Quiriacus Hierosolymorum Episcopus, de quo sequenti die inter prætermissos, non potuit Martyr obiisse.*

Bacchylus, Episcopus Corinthiorum, sub Severo Imperatore, de Pascha elegantem librum scripsit, *teste S. Hieronymo de Scriptoribus Ecclesiasticis cap. 44. Hunc Petrus de Natalibus cum* Sancti *titulo retulit lib* XI, *inter eos Sanctos, quorum diem natalem ignoravit. Illum VVitfordus suo Martyrologio Anglice olim edito ad hunc diem inscripsit. Necdũ reperimus eum aliis Fastis inscriptũ.*

Maximus Episcopus, Constantinopoli pulsus, insignem de fide adversus Arianos scripsit librum, quem Mediolani Gratiano Principi obtulit. *Ita Hieronymus de Scriptoribus Ecclesiasticis cap.* 127. *Petrus de Natalibus, libro 4 Catalogi, cum cap.* 51 *egisset de* SS. Tiburtio *&* Valeriano *&* Maximo *Martyribus,*

quorum

A *quorum Acta infra damus*; *mox adjunxit cap.* 52, Maximum hunc Constantinopolitanum : *& citato S. Hieronymo, addit*, clarum virtutibus in Domino quievisse, *& in Titulo* Sanctum *appellat. Eumdem Ferrarius suo Catalogo generali inseruit. In silentio Græcorum & Latinorum antiquorum hæc indicasse sufficit.*

S. Estratiæ & Sociorum ejus memoria *celebratur in MS. Martyrologio Arabico-Ægyptiaco, à Gratia Simonio Latine reddito; cujus alibi notitiam non reperimus.*

S. Tassagus, Colmanus, Killinus filius Lubriani, } Hiberni *referuntur in MS. Tamlachtensi; de quibus alibi nihil legimus.*

Ethelwolfus, *aliis* Ethelnulphus, Athelulphus, *aut* Edelphus, Rex Anglo-Saxonum, magnis virtutibus præditus, piissime mortuus est anno DCCCLVII, *& passim ab omnibus Scriptoribus laudatur : cui etiam titulum* Sancti *attribuit VVilsonus in Martyrologio Anglicano, quod citant Ferrarius in Catalogo generali, & Alfordus in Annalibus Ecclesiæ Anglicanæ. Nullam ejus memoriam reperimus in Breviariis aut Martyrologiis ante hoc seculum editis. Abstinent à titulo* Beati *aut* Sancti *Harpsfeldius, Polydorus Virgilius, & alii anteriores scriptores. Ejus res gestas præclare deducit Alfordus, quem Lector adeat.*

B Medanus Episcopus, *inscriptus est Menologio Scotorum Dempsteri, & ejus instinctu Catalogo generali Ferrarii. Nihil de eo in aliis Catalogis Sanctorum Scotiæ habemus.*

Wilicarus Episcopus Viennensis (cum furioso & insano satis consilio Franci res sacras Ecclesiarum ad usus suos retorquerent) videns Viennensem Ecclesiam indecenter humiliari, relicto Episcopatu in monasterium sanctorum Martyrum Agaunensium ingressus, vitam venerabilem duxit. *Ita Ado Viennensis in Chronica. Hunc titulo* Sancti *nuper honorarunt Ioannes le Lievre, in Vienna sacra, eumque secuti, Ioannes à Bosco, in Notis ad Vienna sacra; & Senatoriæ antiquitates; Hugo Menardus; Andreas Saussajus, in Martyrologio Gallicano & Buccelinus. Fuimus nos Viennæ anno* MDCLXII, *& quæcumque de cultu Sanctorum potuimus nancisci, collegimus, atque inter alia Breviarium ecclesiæ primariæ, anno* MDXXII *excusum; & Martyrologium Viennensis Ecclesiæ, studio dicti Ioannis le Lievre reformatum. Alium item Ordinem Sanctorum Ecclesiæ Viennensis Divione nacti sumus, & in nullis cultum VVillicarii reperimus. Non etiam inseruit eum Paradiso Florum Sanctorum Helvetiæ Henricus Murerus, qui alios Sanctos Agaunenses habet. Memorant eumdem*

C *absque titulo Sancti aut Beati Claudius Robertus & Sammarthani in Gallia Christiana. Quare dum certiora venerationis monumenta proferuntur, ejus inter Prætermissos memoriam, absque præjudicio ullius Ecclesiæ, facimus.*

Everhardus, Salernitamus in Germania Abbas & Joannes, monachus, è Claravalle in Lusitaniam missus. } Ordinis Cisterciensis. *referuntur cum titulo* Beati *à Chrysostomo Henriquez & Bucelino : & solus* Joannes *à Chalemoto.*

Petrus Odion, ab hæreticis occisus in Gallia, Rodulphus in Anglia relicto Episcopatu, Dominicus à S. Juliano, in Lusitania, Maria à Luna, Virgo Clarissa in Hispania, } Ordinis S. Francisci, *referuntur cum titulo* Beati *in Martyrologio Franciscano, &* Maria *etiam in Gynæceo.*

Lambertus, cognomento Pater-noster, monachus Valcellis, *inscriptus est Kalendario Ordinis Cisterciensis, Divione anno* 1617 *excuso.* D

B. Petrus Gonsalvi, *à nautis Hispanis* vulgo dictus Sant-Elmus, *Ordinis Prædicatorum à Ferrario Legendisque Hispanicis ponitur hac die, colitur feria* II *post Dominicam in Albis : nos, cum antiquioribus Lusitanis, referimus ad* XV Aprilis.

Archelaus, Cyprianus, Diogenes Diaconus } *referuntur in MS. Martyrologio Pragensi; sunt* in Mesopotamia *passi* XV Aprilis.

S. Turibius, Episcopus Cenomanensis, *inscriptus est Catalogo generali Ferrarii. At colitur* XVI Aprilis.

XVIII Martyres Cæsaraugustani *suis nominibus indicantur in MS. Pragensi : verum coluntur* XVI Aprilis.

S. Simeon Episcopus, Socii CL, S. Phusis seu Pusicius, Ejus filia Virgo, } Martyres in Perside sub Sapore Rege, *memorantur in Menologio Basilii Imperatoris & MS. Mazariniano. Acta damus* XXI Aprilis.

S. Azades eunuchus & alii mille, S. Jacobus Presbyter, S. Azes Diaconus, } Martyres in Perside sub eodem Sapore, *similiter in jam dicto Menologio referuntur item in Medicæo, Taurinensi ac Mazariniano MSS. De eis agemus* XXII Aprilis.

S. Georgii Martyris dedicatio basilicæ, *inscripta est MS. Martyrol Leodiensi S. Lamberti, & alteri nostro sub nomine Bedæ, & additur* Squantii. *De S. Georgio agemus* XXIII Aprilis. E

S. Maximini, Episcopi Trevirensis, *memoria annotatur in additionibus MSS. ad Grevenum. Natalis ejus incidit in* XXIX Maii.

S. Aristarchus, S. Pudens seu Puda, S. Trophimus, } ex LXX Discipulis, sectatores S. Pauli & Martyres, *celebrantur in Græcorum Menæis, Synaxariis, Anthologio & Menologio Sirleti, & totum diei hujus officium complent : à Latinis coluntur variis diebus*, S. Aristarchus IV Augusti.

S. Pudens *seu* Puda, *creditus pater S. Pudentianæ*, XIX Maii.

S. Trophimus, *habitus Episcopus Arelatensis*, XXIX Decembris.

S. Ebbo, Archiepiscopus Senonensis, prius Abbas S. Petri ibidem, *nominatur in Kalendario MS. Sanctorum Ordinis S. Benedicti, Antverpiæ collecto : ab aliis* XXVII Augusti.

S. Genesius, Archiepiscopus Lugdunensis, *memoratur hoc die à Ferrario in Catalogo generali, & à Saussajo in Supplemento Martyrologii Gallicani. Agemus de eo, die quo traditur obiisse, aut quando colitur in Calensi monasterio, ubi Reliquiæ ejus asservantur*, I aut IV Novembris. F


S. Martinus Papa *proponitur in Menologio Græco Florentiæ, apud Patres Prædicatores in conventu S. Marci; & notatur in tabulis Kalendarii Moscovitici. Hinc suspicamur eum qui in Kalendario Ruthenico apud Possevinum notatur sub nomine* S. P. Marciani, *esse hunc S. Martinum Papam : qui apud alios Græcos commemoratur die præcedenti : apud Latinos autem colitur* XII Novembris.

S. Edmundus, Archiepiscopus Cantuariensis, in monasterio Pontivensi anno MCCXV, *invenitur in quibusdam Notationibus MSS. ad Gravenum. Natalis ejus celebratur* XVI Novembris.

DE S. FRONTONE ABBATE
IN EREMO NITRIENSI IN ÆGYPTO.

G. H.

SECULO II.



Illustravimus hactenus Acta variorum Sanctorum, qui vitam monasticam sub Imperatoribus Ethnicis egerunt : inter hos merito annumerari debet S. Fronto, *aliis* Frontonus *&* Frontonius ; *de quo ad hunc diem nobis agendum. Vitam ejus, in qua miranda Dei providentia elucet, habemus hactenus excusam in Vitis Patrum; quas emendatiores ultimo Rosweidus edidit : sed hanc cum antiquo MS. Trevirensi monasterii S. Maximini collatam illustramus. Auctor coævus ea qua scribit se ab aliquo S. Frontonis monacho habere testatur num. 9. A nonnullis ea Vita S. Hieronymo tribuitur, sed forsan solum ut collectori vitarum variarum, quæ libro primo de Vitis Patrum recensentur. Alia aliqua ejus Acta habemus in quodam manuscripto codice, quæ inde curavimus describi. Verum videntur potius aliqua homilia esse de Providentia Dei, in qua late hoc exemplum deducitur, sed ex aliis Actis desumptum ; quod proinde arbitramur non esse typis mandandum.*

Vita à coævo scripta:

alia recentior omittitur,

B 2 *In fine Vitæ dicuntur* hæc gesta esse sub Antonino Imperatore, anno ejus decimo tertio ; *sive tunc mortuus fuerit S. Fronto, sive ab eo anno cibi ad eum cœpti deferri, quod usque ad mortem ejus dicitur factum. Sed quis ille Antoninus fuerit, non æque constat. Fuit* Elius Hadrianus Antoninus. Pius, *qui ab Hadriano adoptatus ei successit anno* CXXXVIII, *cujus annus* XIII *incidit in annum Christi* CL, *quem hodierni Martyrologii Romani notis adscriptum legimus. At mortuo dicto Antonino anno* CLXI, *successit ejus gener* Marcus Aurelius Antoninus, *cum fratre suo Lucio Ælio Vero, cujus annus* XIII *convenit in annum Christi* CLXXIII, *ad quem Imperatorem videtur respexisse auctor MS. Florarii Sanctorum, dum asseruit, S. Frontonem* obiisse anno Salutis CLXXIV. *Postea imperavit filius Marci Aurelii, anno* CLXXX *mortui,* Marcus Commodus Antoninus: *qui anno* XIII *Imperii, Christi* CXCII, *à suis strangulatus est. Anno etiam* CCXI *filius Severi Imperatoris* Antoninus Caracalla *Imperium obtinuit : sed huc non spectat, quod septimo Imperii anno fuerit occisus, cum annus hic requiratur Imperii decimus tertius : Multo minus huc admittendus est* Marcus Aurelius Antoninus Heliogabalus, *impiissimus homo, quarto Imperii anno interemptus ; aut* Marcus Antoninus Gordianus, *tam senior quam junior, quod ille vix ultra annum, alter non ultra quinquennium imperarit, & neuter gesserit nomen* Antonini, *sed* Antonii, *quod tamen etiam in veteri editione Vitæ S. Frontonis legitur. His ita consideratis videtur secundum Acta statui debere seculum Christi secundum, quo Fronto floruerit.* C

Sub quo Antonino Imp. vixerit:

3 *Nomen ejus, ut viri sancti, inscriptum est apographis omnibus Martyrologii Hieronymiani, & in antiquissimo Epternacensi ista duo verba leguntur :* Frontoni monachi. *In aliis recentioribus :* In Alexandria Frontoni, *seu* Frontonis, *aut* Frontunis monachi. *Usuardus ita scripsit :* Apud Alexandriam S. Frontonis Abbatis, cujus vita sanctitate & miraculis extitit gloriosa. *Quæ fere eadem apud Adonem & in hodiernis Romanis tabulis habentur. Rabanus longum encomium ex Vita describit hoc exordio :* Eodem die in Nitria Frontonis monachi, qui septuaginta monachos in eremum duxit *&c. Notkerus ita suum Martyrologium auspicatur :* Apud Alexandriam B. Frontonis monachi Nitriensis *&c. In Actis nulla quidem* Alexandriæ, *sed* Nitriæ *& civitatis fit mentio: videtur tamen hæc civitas fuisse* Alexandria, *urbs Ægypti celeberrima; sicut eremus montis* Nitriæ *in vasta solitudine Scetes, propinqua Mareotidi ad Meridiem, in quibus locis monasteria seu tabernacula quinquaginta postmodum fuerunt à Nitriensibus monachis inhabitata : uti latius*

nomen Fastis sacris inscriptum,

locus habitationis.

deduximus ante Vitam S. Antonii Magni, XVII *Ianuarii* § I. *Hi ergo suum Antesignanum potuerunt agnovisse S. Frontonem. In Viola Sanctorum, Hagenoæ anno* MDVIII *excusa, memoratur* XIX *Aprilis.*

4 *Alius ab hoc sancto Abbate Ægyptio est S. Fronto Episcopus Petragoricus, quos in eumdem hominem conflarunt Petrus de Natalibus lib. 9 cap. 109 & Antoninus in Chronico par. 1 tit. 6 cap. 26 § 1. Colitur S. Fronto Episcopus* XXV *Octobris. Cum eodem errore Fronto adscriptus est Ordini Carmelitico à Coria, Lezana & aliis, quorum unus fingit S. Ioannis Baptistæ discipulũ & fuisse, tertium Ordinis in Carmelo Generalem Archimandritam, ecclesiam orbis primam in honorem S. Mariæ condidisse, dein Petragoriensem Episcopum fuisse, at tandem in Nitriæ eremo vixisse, & anno ætatis* CXXXI, *Christi* CLIII *obiisse. Simili licentia S. Fronto refertur à Bucelino in Menologio Benedictino.*

Alius S. Fronto Episc. Petragoricus.

VITA
Auctore Coævo.
Ex MS. & Rosweido in Vitis Patrum.

E

1 Quoniam sæpe desiderastis audire quæ sancta sunt, & ego placide disposui operari ; jam non *a* in pellibus caprarum, sed auro & argento gemmisque pretiosissimis decrevi construere templum Dei : & ut nos tamquam lapides vivi ædificemur in domum spiritualem, ex operibus meliorum proficientes in Christo Jesu Domino nostro ; quid nunc apud Nitriam gestum sit, referam ; & non præteribo veritatem ullo modo ; quoniam satis ædificat monachos præsens opusculum. PROLOG. *a*

2 Igitur Frontonius, verus Dei servus, studio Dei timoris de die in diem proficiens, publicam communemque vitam perhorrescens, aviam desiderans solitudinem, convocatis ad se Fratribus, dixit : (erant enim cum eo viri circiter septuaginta) En quid nobis & mundo damnabili, cujus operibus renuntiare omni modo condecet, ut cælestem consequamur vitam ? Quapropter pergamus ad eremum, nihil nobiscum ferentes, ad acquirendam cælestem gloriam, & superiorem investigemus ex virtutibus disciplinam. His dictis, universi consensêre : deferentesque ad eremum secum parva olerum semina, & *b* bis-acutos parvosque sarculos, unde humum defoderent, profecti sunt, & venerunt ita in eremum. Rursusque Frontonius ait : Dominus in Euangelio ait : Nolite cogitare quid manducetis, aut quid bibatis, aut quo operiamini : hæc enim omnia gentes mundi quærunt. Quærite primum regnum Dei, & justitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis. Teneamus promissum, & inveniemus in nobis opus Domini conservatum. Omnes ergo habitabant in eremo, in opere Domini jugiter laborantes, & in agone spirituali proficientes : adjuvabat enim Dominus servos suos. Ipse vero Frontonius non pro se tantum, sed pro cunctis orabat, sciens scriptum esse : Non quærens quod mihi utile sit, sed quod multis, ut salvi fiant.

Cum 70 sociis in eremum discedit:

F

b

Mat. 6. 25.

eos adhortatur:

1 Cor. 10. 33.

3 Cumque in eadem eremo longo tempore morarentur, tentare eos adversarius Christianorum cœpit, ut cogitarent in corde suo, quod debuissent in seculo demorari, quia Anachoretarum vita durissima est, & nemo eam potest sufferre. Murmuravere ergo

AUCTORE COÆVO.

Murmurationem contra instituti rigorem

ergo in cordibus suis, dicentes : Quid est, quod voluit Pater noster Frontonius, ut habitemus in eremo ? Numquid illi qui in urbibus & in castellis habitant, Deum videre non possunt : & qui in eremo habitant, soli vident ? Nonne eos boni actus commendant ? Quisnam poterit cibo vivere Angelorum ? Ecce morimur fame : defectus vigiliarum non capit labor, sed acriora nos frangunt jejunia, fiuntque debilia genua, ut unusquisque nostrum non possit stare. Audiens Frontonius eorum murmur,

novit: eique occurrit :

antequam ad eum convenirent dicentes aliquid, ipse præveniens eos ait : Quousque irritatis Deum, murmurantes in cordibus vestris, & dicentes : Numquid qui eremum inhabitant, hi tantum sunt Dei servi ? & quis ex cibo poterit vivere Angelorum ? Conveniamus ad Abbatem, & loquamur ad eum, ut habitemus in civitate : quia si quis nos illic viderit, opportune nobis juxta Dei votum diriget escas, prout cuique Dominus dederit facere.

Ps 32. 19. adhortatur ad perseverantiam : 2 Cor. 11. 27

4 Illud autem scitote, quoniam non necabit Dominus fame animam justi. Ecce oculi Domini super timentes eum, ut alat eos in fame. Et illud non memoramini scriptum, quod ait Apostolus: In fame & siti ? Sed vobis quoque in eremo numquam defuerunt radices herbarum, nec mansistis aliquando jejuni.

B

Recordamini autem, quid antea locutus sum vobis : Nolite cogitare, quid manducetis, aut quid bibatis, aut quo operiamini : hæc enim omnia gentes mundi quærunt. Novit Dominus cibum dare timentibus se. Quærite primum regnum Dei & justitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis. Si enim Dominus volatilia pascit, & corvos non deserit : quomodo nos derelinquere poterit, ipsum jugiter in mente habentes, eumque assidue orantes ? Certe si fame defecerimus in eremo, nos Dominum accusemus, & improperemus ei, cum ad ipsum venerimus, dicentes : Credidimus Euangelio tuo, ubi dixisti, quod universos in te credentes cæli pabulo pasces : fecimus cuncta quæ præcepisti, speravimus in te, & tu nos despexisti. Sed quia ibi nos probasti, hic magis, ut probes veritatem, redde quod promisisti. Nolite ergo murmurare adversus Deum, ne murmurantes, sicut patres nostri in hoc deserto, à serpentibus pereatis.

& animos eorum componit.

Quod si exspectaveritis Dominum, quando voluerit, dabit bona timentibus se. Quo dicto, siluerunt omnes paululum à murmuratione sua : erant tamen in mœrore positi.

C

Admonitio scriptoris.

5 Ego vero proposui universa breviter exequi, & cuncta sermone rustico comprehendere, quæ cum suo prosequi titulo fas est : & per hujusmodi libelli sententias ac syllogismos dulci eloquio currere, prout potest unusquisque Lector audire. Redeamus ad ordinem cœpti opusculi, ut non nostra videamur asserere : sed ejus operi placidioribus eloquiis apparere.

Dives ab Angelo jubetur escas monachis mittere :

6 Pergit itaque Angelus, missus à Domino ad quemdam divitem nocte, & dicit illi : Tu epularis in divitiis splendide, & servi mei in eremo indigent pane. Surge ergo diluculo, & mitte servis meis escas ex omnibus quæ tibi dedi : quia procuratorem te posui *c* gregis mei, qui te cælo lactante jugiter pavi, nec umquam dimisi. Ita ergo placuit mihi ex eleemosyna tua reficere pauperes meos, qui in deserto spiritualiter vivunt, & se mihi suo Domino crediderunt : idcirco sine mora facias sermonem, quem modo, missus à Domino, loquor ad te. Quod nisi feceris, dissipasti fœdus pacificum Domini Dei tui.

7 At ille tanto terrore conventus, ex illo somno expergiscitur : consurgensque mane, convocatis necessariis amicis servisque suis fidelibus, locutus est ad eos, dicens : Jacenti mihi nocte in lecto, D

quæ mittere debeat, inquirit :

quidpiam soporis ceperam : & ecce subito nuntius adstitit, dicens : En tu epularis in divitiis tuis splendide, servi vero mei in deserto indigent panibus. Surge ergo diluculo, & mitte servis meis escas ex omnibus quæ dedi tibi, quia procuratorem te posui gregis mei. Ecce mittere quæro : sed ubi morentur servi Dei, ignoro. Cupio præceptum implere admonitus : sed quis mihi, ad quem dirigam locum, ostendet ? Convenit me Angelus, præcepit & Deus : sed vos, qui seniores estis, ostendite locum. Et nemo valuit illi indicare locum, quia in abdito montis manebant : & nemo, ubi morarentur, agnoverat.

iterum ab Angelo monitus de mora castigatur :

8 Igitur altera nocte duriori comminatione conventus, plagisque confossus dives ille, corripitur & urgetur, ut servis Dei dirigeret escas. Iterum diluculo consurgens, à prioribus amicis quærebat consilium, ut sibi dicerent, aut certe ab aliis inquirerent, ubi servi Dei morarentur. Ajebat quoque ista cum maximo fletu, plagas ostendens, quibus de manu Angeli fuerat nocte correptus. Sed cum nemo posset locum habitationis servorum Dei ei ostendere, unus qui præ ceteris majoris erat consilii, respondit & ait : Si volueris accipere consilium meum, carissime, forsitan erit hoc tibi salubre. Sunt tibi cameli septuaginta, onera eos ex omnibus bonis, quibus intelligis Dei famulos posse vesci : & dirige camelos per viam, nemine ducente. E Et si ex Deo hoc factum est imperium, animalia tua salva regredientur ad te : si vero tibi ex diabolo jactura imminet, libenter tolera flagella temporis, quam acriori forte cæde corripiaris. Quod si hoc tibi consilium displicet, quære alium qui poterit dare melius responsum. Hæc dicens, conticuit : sed ipsi diviti, & qui cum eo erant, hujuscemodi consilium bene placuit.

mittit 70 camelos sine ductore.

Oneravit ergo sexaginta quinque camelos ex his quæ servi Dei comedere possent : quinque vero camelorum cibaria facta imposuit, ob escam cunctorum animalium, in maximo dolore dicens : Si quis invenerit eos, & eorum exposuerit onera : visis cibariis miserebitur eis, & dabit eis manducare. Et cum ingenti fletu uno ordine innectens chordas, direxit eos per viam, commendans Domino, ut si ex Deo esset imperium, remearent celeriter cum salute. Nullus vero *d* ducator cum animalibus abiit. *d*

9 Et quando egressi sunt januam, dimisit servulus primum camelum, cujus ducalem tenebat, quem ceteri sequebantur, & abierunt per viam juxta præcinctum montis, euntes soli. F

hi Angelico ductu quarto die ad monasterium perveniunt.

Sed nescio an soli cameli pergere poterant, sed Domini nuntio præeunte, viam directam (ut intellectum est postea) abierunt : & quarto die confecto itinere, hora nona agentibus opus Dei Fratribus, sicut quidam postea retulit nobis, ecce primus ante fores accubavit camelus : sed campanæ sonitum audire non potuit perstrepens sonus hymnorum. Abbas tamen, quoniam prope ostium erat, ipse prior vidit, & gavisus est valde. Angustus enim erat introitus monasterii, & solus Abbas fores suo statu claudebat, ceterisque interpositis Fratribus tacuit, nihil respondens, donec hymni complerentur.

S. Fronto increpat murmurantes :

10 Tunc completo hymnorum ordine, advocatis Fratribus, pene improperans, ait : Ubi sunt murmurationes vestræ ? Ecce Dominus imperio forti nobis escas ab alto misit : cui voluit viro prudenti imperans, adduxit nobis camelos onustos. Venite, deponamus onera, ut possint refici animalia lassa. Tunc omnes mira gratulatione læti, communiter gratiarum actionem Deo reddiderunt : & gaudentes deponebant onera camelorum.

curat camelos refici :

Supra quinque vero camelos, reseratis sarcinis, cibaria repererunt. Abluentes igitur animalium pedes,

A pedes, de stratu eorum fecerunt præsepia: & apposuerunt eis escas, quas ipsi sibi apportaverant; necnon & ipsi etiam discurrebant per omnes montis anfractus, notas inquirere herbas, ut laborantia animalia escis pluribus reficerentur.

11 Mane autem facto Abbas consilium utile eligens, & avaritiam omnino spernens, medietatem sumpsit escarum, aliam vero partem dividens, super camelos omnes, ne alii viderentur portare & fieret aliis injuria, omnibus medium imposuit onus, velut eulogias revocans Domino rersum, ut avaritiæ legem scinderet, & medietatem oblationis proprio domino camelorum reddidisset. Erant igitur supradicti amici cum domino camelorum, consolantes eum de animalium tantorum periculo, simulque Dominum deprecantes, ne accideret innocenti viro tanta jactura.

mediam partem escarum remittit:

12 Octava autem die, cum essent omnes in unum collecti, jejuni; unus qui leves ac tinnulas aures habebat, per flamina ventorum campanulæ rapiens sonitum, paululum reticuit: & cum bene tandem sonantem comprehenderet, ait: Puto, quod ex altitudine montium campanæ sonantis motus auditur. Tunc omnes egressi, senserunt camelorum adventum; gratulando mirabilis cunctos accepit lætitia, fœcunda *f* vero de consolatione viri. Nam qui velut defuncta animalia aut perdita jam lugebat, gaudens de receptis animalibus lætabatur. Venerunt omnes illæsi, non tristes vultu, nec maciem necessitatis habentes. Suscepit ergo camelos suos homo ille, cum magna gratiarum actione: & visis oneribus, multo amplius recreatus, exultat. Tunc & illos amicos & pauperes plures ad prandium nobile vocat: easdemque eulogias indigentibus distribuit, quas acceperat. Sed & amicis qui aderant, ex eis largitus est: & ipse quoque benedictionem sanctæ jucunditatis accipiens, gaudebat in Domino.

cameli cum magna lætitia recipiuntur,

B

13 Ex illo igitur anno, usque in mortem Frontonii, sic dives ille notato tempore, quando primum miserat, escas necessarias ipsis dirigebat: & aliis sic divitibus Dominus imperabat, ut ex omnibus dapibus irrigati, nihil Dei servi cum S. Frontonio minus haberent. Vigilabant in operibus Dei filii cum patre, spiritualibusque eos admonens dapibus, implebat quotidie sermone cælesti: exultansque lætabatur in Domino, qui sibi talem dederat intellectum, ut avia solitudinis loca digna quæsisset.

Ita ab illo & aliis escas accipit

AUCTORE COÆVO.

& instruit suos in spiritu.

14 Legendum hoc tradite, multorum ad ædificationem monachorum. Ille enim magis erit melior in conspectu Dei, non quicumque legerit, sed qui credendo Dei servis sic fecerit. Mercedem autem à Christo Jesu Domino nostro recipiet, qui eleëmosynam pauperum non despexerit, & servos Dei, directo corde intuitus fuerit, in gloria Domini nostri Jesu Christi, cui est honor & gloria in secula seculorum, Amen.

Admonitio ad monachos.

15 Hæc sub Antonino Imperatore gesta sunt, tertiodecimo anno imperii ejus.

ANNOTATA.

a *MS. Maxim.* non in pelles *caprarum*, neque earumdem pilos.

b Bis-acuti *sive* Bis-acuta *in MSS. Glossario Camberonensi* ferramenta quædam utrimque incidentia. S. Antonius, *ut in Vita ejus 17 Ianuarii num. 67 legitur*, rogavit unum de advenientibus ut sarculum sibi cum bis-acuto & frumento deferret. *Græce* δίκελλαν ϗ πέλεκιν ϗ σῖτον ὀλίγον, bipennem & ligonem & modicum frumenti. *Hinc etiam videtur colligi, hæc quoque Acta ex Græcis fuisse translata.*

E

c *MS. Maxim.* rei meæ *uti infra num. 7.*

d Ducator *pro ductore accipitur à Tertulliano adversus Iudæos cap. 13.* Cum ducator in ea pati haberet; *& à S. Augustino, lib. 3 contra Maximum*: Si Spiritum sanctum dicis doctorem, ducatorem, illuminatorem. *& Glossa Philoxeni.* Ducator ἀγὸς προηγόμενος: *ita etiam mox* ducalis *sumitur, pro fune quo animal ducebatur.*

e *Ita MS. excusum* improperium.

f *MS.* fœcundabat.

DE SANCTIS MARTYRIBUS ROMANIS

C

VALERIANO SPONSO S. CÆCILIÆ, TIBURTIO EIUS FRATRE ET MAXIMO PRÆFECTI CORNICULARIO, ITEM QUIRIACO SEU CYRIACO, DIOCLETIANO, SYMPHRONIO ET DOCIMO.

G. H.

ANNO CCXXIX.

Antiqua memoria S. Cæciliæ & horum Martyrum:

Inter Illustriores Virgines & Martyres, quarum Natalis in Ecclesia Orientali æque atque Occidentali celebratur, est Sanctissima Cæcilia, cujus memoria in Canone Missæ cum admodum paucis aliis quotidie innovatur. Inter antiquiores etiam Vrbis Romanæ ecclesias, quibus olim tituli fuerunt affixi, tertia extitit S. Cæciliæ trans Tiberim, cujus mentio habetur in prima Synodo Romana sub Symmacho Papa anno CCCCXCIX *habita. Ejus sponsus fuit S. Valerianus; qui cum Fratre S. Tiburtio, & Almachii Vrbis Præfecti Corniculario Maximo, martyrium passus est, & simul coluntur, ut mox dicetur, in Martyrologio Hieronymiano cum S. Cæcilia* XXII *Novembris; & seorsim hoc* XIV *Aprilis. Hæc pervetusta horum Sanctorum solennis veneratio plurimum crevit ex certissima virtutum ac martyrii notitia, quam dabant antiqua S. Cæciliæ Acta quæ tunc temporis omnium manibus terebantur, & hactenus in præcipuis & perantiquis membranis conservantur. Extant ea passim ad diem* XXII *Novembris, eaque habemus cum variis MSS. accurate collata, in opere nostro à posteris edenda. Hisce Actis inserta sunt conversiones & martyria SS. Valeriani, Tiburtii & Maximi, de quibus hoc die agimus, & obiter quæ ad hos Sanctos Martyres spectant, inde excerpta damus, curioso lectore interim remisso ad Antonium Bosium Iurisconsultum, qui eadem Acta ex antiquis manuscriptis exemplaribus integre & fideliter edidit, una cum historia duplici revelationis & inventionis beatorum corporum, facta sub Paschali primo Papa, & Clemente VIII itidem Pontifice Summo, de quibus & nos infra agemus. Prædicta Acta martyrii, ex Latina in Græcam linguam traducta, ut alia plura, rursum Latine edita sunt à Lipomano & Surio, quæ apud eos etiam videri possunt: sed certiora sunt in ipsis fontibus Latinis.*

eorum Acta pervetusta,

etiam Græca scripta:

AUCTORE G. H.

Cultus sacer in Martyrologiis,

2 *Genuinum Bedæ Martyrologium, à nobis sub initium tomi secundi de Actis Sanctorum Martii editum, ista habet:* XVIII Kalendas Maii. Romæ Tiburtii, Valeriani & Maximi sub Almachio Urbis Præfecto: quorum primi fustibus cæsi & gladio sunt percussi, ultimus tamdiu plumbatis verberatus, donec spiritum redderet. *Quæ fere eadem leguntur apud Rabanum, Usuardum, Adonem, Notkerum, additis solum istis verbis* via Appia *in* cœmeterio Prætextati: *quæ infra explicamus. Sequuntur passim recentiores. In hodierno Martyrologio Romano paullo fusius ista referuntur:* Romæ via Appia, natalis Sanctorum Martyrum Tiburtii, Valeriani & Maximi, sub Alexandro Imperatore & Almachio Præfecto: quorum primi B. Cæciliæ exhortatione ad Christum conversi, & à S. Urbano Papa baptizati, ob fidei confessionem fustibus cæsi, & gladio percussi sunt. Maximus vero Præfecti cubicularius, horum permotus constantia, & Angelica visione firmatus, in Christum credens, tamdiu plumbatis verberatus est, donec spiritum redderet. *Eorumdem Martyrium celebratur in omnium pene Latinorum Breviariis & Missalibus, etiam libro Sacramentorum S. Gregorii Magni, Breviario & Missali Ambrosiano; item secundum regulam B. Isidori dicto Muzarabes ad usum Ecclesiæ Toletanæ: & propriæ assignantur Orationes cum Præfatione, ut more antiquo solebat fieri.*

Breviariis & Missalibus antiquis:

B

3 *In antiquo apographo Martyrologii Hieronymiani, quod à mille fere annis conscriptum habuimus, & hactenus in tribus prioribus tomis citavimus, quatuor alii socii adjunguntur, hisce verbis:* XVIII Kalendas Maii, Romæ Tiburtii, Valeriani, Maximiani, Cyriaci, Diocletiani, Symphronii, Docimi. *Eodem modo in Kalendario Romano, quod nongentis annis antiquius vulgavit Parisiis anno* MDCLII *Ioannes Fronto, etiam* Maximianus *scribitur, qui in ceteris omnibus libris, tam editis quam manu exaratis,* Maximus *dicitur. At quia infra in Actis num.* 15 S. Maximus cum omni sua domo & ipsi carnifices crediderunt, & universi baptizati sunt, *videtur probabiliter confici posse, hos quatuor Martyres fuisse ex S. Maximi domo, aut potius militibus & carnificibus, & vel tum magis in fide confirmatis, cum* Maximus juratus assereret, se vidisse animas SS. Valeriani & Tiburtii ab Angelis remigio alarum suarum ferri ad cælos: *quod forsan & ipsi una videre potuerunt.* Diocletianus & Symphronius *memorantur etiam in antiquo Martyrologio Tamlactensi: omissus vero est cum sociis in aliis recentioribus apographis Martyrologii Hieronymiani.* Forte, *inquit Florentinius,* librarius Diocletianum horruit, Christiani nominis implacabilem hostem; & tam ferale nomen Martyri aptare nesciens, cum sociis reliquit. *Alii autem socii junguntur in aliis codicibus Martyrologii Hieronymiani hoc modo:* Romæ via Appia in cœmeterio Prætextati Natalis SS. Tiburtii, Valeriani, Maximi, Quiriaci, Optati, Pati, Saturnini, Marciæ, Frontinæ, Corneliæ, Conditoris, Tituli. *Verum, qui post Quiriacum referuntur in vetustissimo apographo, traduntur Interamnæ passi cum aliis, uti dicetur ad sequentem classem Martyrum. Si quis tamen potius Romæ passos arbitretur, nolumus cum tali finem contentiosum trahere. Memoria S. Quiriaci est in MSS. Martyrologiis Romano Cardinalis Barbarini, Augustano S. Udalrici, Parisiensi Labbæi, & Trevirensi S. Maximini. Habuit Florentinius aliquod* corpus S. Quiriaci sive Cyriaci, ex cœmeterio sive Prætextati sive Callisti extractum, quod donavit sacris Virginibus monasterii beatæ Virginis Annuntiatæ oppidi Villæ-Basilicæ in Lucensi ditione, quod supra aram illius ecclesiæ repositum, plurimis fulgere quotidie admirandæ sanationis donis, & magna illius populi veneratione quotannis in ejus honorem festum diem peragi, tradit; *dubitatque num forsan SS. Valeriani & Tiburtii in martyrio socius fuerit: quod sicut nec ipse, multo minus nos affirmare possumus.*

Socii 4 adjuncti:

C

alibi 8 alii junguntur.

an S. Cyriaci corpus sit in Lucensi ditione?

D

4 *Iidem sancti Martyres cum S. Cæcilia* XXII *Novembris ponuntur his verbis in Martyrologio Hieronymiano:* X Kalendas Decembris Romæ S. Cæciliæ Virginis, Valeriani, Tiburtii, Maximi. *Quo eodem die referuntur* cum S. Cæcilia Valerianus & Tiburtius *in Magnis Græcorum Menæis & Menologio Sirleti: sed sub Diocletiano passi dicuntur. Magno sane errore, forsan inde sumpto, quod* Diocletianus *aliquis in martyrio socius fuerit. De eisdem &* S. Maximo *ad diem* XXIV *Novembris in Menologio Basilii Imperatoris aliquod elogium extat ex Actis concinnatum. Iterum* XXI *Aprilis eorumdem Martyrum memoria celebratur: quo die in antiquissimo Hieronymiani Martyrologii apographo Epternacensi ista habentur:* Romæ Valeriani, Maximi, Tiburtii. *Quæ plane eadem leguntur in MS. Richenoviensi, sive Augiæ-divitis prope Constantiam. In aliis apographis Martyrologii Hieronymiani additur,* in cœmeterio Calesti, Calestini, seu Celestini, via Appia, *& accuratius in cœmeterio* Calisti, *seu* Callisti *in MSS. Casinensi, Altempsiano, & alio Reginæ Sueciæ, etiam ab Holstenio edito: sed in hoc, loco* Valeriani, *per errorem habetur* Victoriani *&* Severini *in MS. Casinensi, ubi referuntur* XXII *Aprilis. Denique* XI *Augusti, quo die colitur* S. Tiburtius, *Romæ sub Iudice Fabiano in persecutione Diocletiani passus, aliqua horum Martyrum facta est adjunctio in apographo Epternacensi his verbis.* Romæ natalis Tiburtii, Valeriani, Cæciliæ, Susannæ. *Quæ fere eadem leguntur in apographis Lucensi & Blumiano; item (sed ordine immutato) in MSS. Richenoviensi & Rhinoviensi.*

Cultus 22 & 24 Novembris.

21 Apr.

E

22 Aprilis & 11 Augusti.

5 *Tempus martyrii ex Sede S. Urbani Papæ sciri potest, quem sedisse ab anno* CCXXII, *quo S. Callistus decessor passus est, usque ad annum* CCXXX, *quo S. Pontianus ei successit, alibi deducimus. Quia vero S. Urbanum Acta infra num. 6. tradunt bis damnatum in cryptis latuisse, arbitramur horum martyrium in annum Christi* CCXXIX, *& Alexandri Imperatoris* VIII *incidisse.*

tempus martyrii.

VITA ET MARTYRIUM.

Ex pervetustis Actis S. Cæciliæ Virginis & Martyris.

CAPUT I.

S. Valeriani conversio ad fidem & baptismus. Angeli alloquium.

F

1 Cæcilia Valerianum quemdam juvenem habebat sponsum, qui in amore Virginis perurgens animum, diem constituit nuptiarum. Venit dies in quo thalamus collocatus est. Venit & nox, in qua suscepit una cum sponso suo cubiculi secreta silentia: & ita eum alloquitur: O dulcissime atque amantissime juvenis, est mysterium, quod tibi confitear: si modo tu juratus asseras, tota te illud observantia custodire. Jurat Valerianus sponsus se illud omnino nulla prodere ratione, nulla necessitate detegere. Tunc illa ait: Angelum Dei habeo amatorem, qui nimio zelo corpus meum custodit: hic si vel leviter senserit, quod tu me polluto amore contingas, statim circa te furorem suum exagitat, & amittis florem tuæ gratissimæ juventutis: si autem cognoverit, quod me sincero corde & immaculato amore diligas, & virginitatem meam integram illibatamque custodias; ita te quoque diligit sicut me, & ostendit tibi gratiam suam. Tunc Valerianus, nutu Dei, correptus timore, ait: Si vis ut credam sermonibus tuis, ostende mihi Angelum: & si approbavero quod vere Angelus Dei sit, faciam quod hortaris: si autem virum alterum diligis, & te & illum gladio feriam.

S. Valerianus à S. Cæcilia sponsa sua

ad castitatem incitatur ob custodiam Angeli:

cupit Angelum videre:

2 Tunc

A 2 Tunc B. Cæcilia dicit ei: Si consiliis meis acquiescas, & permittas te purificari fonte perenni, & credas unum Deum esse in cælis vivum & verum, poteris eum videre. Dicit ei Valerianus: Et quis erit, qui me purificet, ut ego Angelum videam? Respondit ei Cæcilia: Est senior qui novit purificare homines, ut mereantur videre Angelum Dei. Dicit ei Valerianus: Et ego ubi hunc senem requiram? Cæcilia dixit: Vade in tertium milliarium ab Urbe, via quæ Appia nuncupatur, illic invenies pauperes, à transeuntibus alimoniæ petentes auxilium: de his enim mihi semper curæ fuit, & optime hujus mei secreti sunt conscii: hos tu dum videris, dabis eis benedictionem meam, dicens: Cæcilia me misit ad vos, ut ostendatis mihi sanctum senem Urbanum: quoniam ad ipsum habeo ejus secreta mandata quæ perferam. Hunc tu dum videris, indica ei omnia verba mea; & dum te purificaverit, induet te vestimentis novis & candidis: cum quibus mox ut ingressus fueris istud cubiculum, videbis Angelum sanctum etiam tui amatorem factum: & omnia quæ ab eo poposceris impetrabis.

instruitur ad baptismũ: *à pauperibus dirigitur ad S. Vrbanum,*

3 Tunc Valerianus perrexit, & secundum ea signa, quæ acceperat, invenit S. Urbanum Episcopum: cui cum dixisset omnia verba Cæciliæ, gavisus est gaudio magno..... & subito ante faciem ipsorum apparuit Senior indutus niveis vestibus, tenens titulum in manibus, aureis litteris scriptum: quem videns Valerianus, nimio terrore correptus, cadens in terram, factus est quasi mortuus. Tunc Senior elevavit eum, dicens: Lege hujus libri textum, & crede, ut purificari merearis & videre Angelum, cujus tibi aspectum Cæcilia Virgo devotissima repromisit. Tunc Valerianus respiciens, cœpit intra se legere. Scriptura autem tituli hæc erat. Unus Dominus, una fides, unum baptisma, unus Deus & Pater omnium, qui super omnia & in omnibus nobis est. Cumque hoc infra se legisset; dicit ei Senior: Credis ita esse, an adhuc dubitas? Tunc Valerianus voce magna clamavit, dicens: Non est aliud quod verius possit credi sub cælo. Cumque hæc dixisset Valerianus, ille Senior ab oculis eorum elapsus est. Tunc S. Urbanus baptizavit eum, & edocens eum omnem fidei regulam, remisit eum ad Cæciliam diligenter instructum.

B *& coram ipso ab apparente Seniore* *tabulas propositas legit:* *& confirmatus in fide baptizatur:*

4 Veniens igitur Valerianus indutus candidis vestimentis, Cæciliam intra cubiculum orantem invenit, & stantem juxta eam Angelum Domini pennis fulgentibus alas habentem, & flammeo aspectu radiantem, duas coronas habentem in manibus, coruscantes rosis, & liliis albescentes: quique unam dedit Cæciliæ, alteram Valeriano, dicens: Istas coronas immaculato corde & mundo corpore custodite: quia de Paradiso Dei eas ad vos attuli. Et hoc vobis signum erit, numquam marcidum aspectui suo adhibent florem, numquam sui minuunt suavitatem odoris, nec ab alio videri poterunt, nisi ab eis quibus ita castitas placuerit, sicut vobis probata est placuisse. Et quia tu, Valeriane, consensisti consilio castitatis; misit me Christus filius Dei ad te, ut quam volueris petitionem insinues. At ille audiens adoravit, & dixit: Nihil mihi in ista vita dulcius extitit, quam unicus mei fratris affectus; & impium mihi est, ut me liberato germanum meum in periculo perditionis aspiciam. Hoc solum omnibus petitionibus meis antepono & deprecor, ut fratrem meum Tiburtium, sicut me, liberare dignetur, & faciat nos ambos in sui nominis confessione perfectos. Audiens hæc Angelus, lætissimo vultu dixit ad eum: Quoniam hoc petisti, quod melius, quam te, Christum implere delectat: sicut te per famulam suam Cæciliam lucratus est Christus; ita per te quoque tuum lucrabitur Fratrem, & cum eodem ad martyrii palmam pervenies.

videt Angelum C *coronas sibi & S. Cæciliæ afferentem:* *petit conversionem fratris sui.*

EX ACTIS S. CÆCILIÆ.

CAPUT II.

S. Tiburtii conversio ad fidem & baptismus. Aspectus Angelorum.

5 His itaque finitis sermonibus, aspectus Angelici luminis migravit ad cælos: & illis epulantibus in Christo atque in ædificatione sancta sermocinantibus, Tiburtius Valeriani frater advenit, & ingressus quasi ad cognatam suam, osculatus est caput S. Cæciliæ, & ait: Miror, hoc tempore, roseus hic odor & liliorum unde respiret; nam si tenerem ipsas rosas aut ipsa lilia in manibus meis, nec sic poterant odoramenta mihi tantæ suavitatis infundere: confiteor vobis, ita sum refectus, ut putem me totum subito renovatum. Dicit ei Valerianus: Odorem quidem meruisti, me interpellante, suscipere; modo, te credente, promereberis etiam ipso roseo aspectu gaudere; & intelligere, cujus in rosis sanguis florescit, & in liliis cujus corpus albescit. Coronas enim habemus, quas tui oculi videre non prævalent, floreo rubore & niveo candore vernantes. Dicit ei Tiburtius: In somnis hæc audio, aut in veritate ista tu loqueris, Valeriane? Respondit Valerianus: In somnis huc usque viximus: nam modo in veritate sumus, & fallacia nobis nulla est. Dii enim, quos columus, ad omnem fidem dæmonia comprobantur. Dicit ei Tiburtius, Unde hoc nosti? Respondit ei Valerianus: Angelus Dei docuit me, quem & tu videre poteris, si purificatus fueris ab omni sorde idolorum. Dicit ei Tiburtius: Et si potest fieri ut videam Angelum Dei, quæ mora est purificationis? Respondit ei Valerianus: Nulla: tantum hoc mihi tu sponde, quod omnia idola deneges, & credas unum Deum esse in cælis. Tiburtius respondit: Non intelligo, qua intentione ista prosequeris. Cæcilia dixit: Miror ut non intelligas, figuras fictiles, gypseas, ligneas, æreas atque lapideas, vel cujuscumque metalli deos esse non posse, quas araneæ texunt & aves stercorant, in quorum capitibus solent sibi ciconiæ nidos instruere... Tunc cum omni alacritate Tiburtius ait: Qui ita non credit, pecus est.

S. Tiburtius miratur odorem ex coronis sparsum: E *instruitur à fratre* *de vanitate idolorum;*

6 Hæc dicente Tiburtio, S. Cæcilia osculata est pectus ejus, & dixit: Hodie meum te fateor vere esse cognatum. Sicut enim mihi amor Domini fratrem tuum conjugem fecit, ita te mihi cognatum contemptus faciet idolorum. Unde quia paratus es ad credendum, vade cum fratre tuo, ut purificationem accipias: per quam merearis Angelicos vultus aspicere, & omnium tuarum veniam invenire culparum. Tunc dicit fratri suo Tiburtius: Obsecro, Frater, ut dicas mihi, ad quem me ducturus es. Respondit Valerianus: Ad magnum virum, Urbanum nomine, in quo est aspectus Angelicus & veneranda canities, sermo verus & sapientia conditus. Dicit ei Tiburtius: Tu illum Urbanum dicis, quem Papam suum Christiani nominant? Hunc ego audivi jam secundo damnatum, & iterum pro ipsa re, qua damnatus est, latebram sui præcavere fovendo. Iste si inventus fuerit, sine dubio atrocibus dabitur flammis, &, ut dici solet, centenas exolvet; & nos simul cremabimur, si ad illum fuerimus inventi: & dum quærimus divinitatem in cælis latentem, incurrimus furorem exurentem in terris. Dicit ei Cæcilia: Si ista una esset vita, & non esset alia; juste istam perdere timeremus: si autem est alia vita, satis ista melior, & quæ num-

F *mittendus ad S. Vrbanum* *veretur supplicia,*

Ex Actis S. Cæciliæ quam finiri potest; ut quid istam perdere timeamus, quando per ejus perditionem ad illius acquisitionem attingimus? Respondit Tiburtius: Adhuc hoc numquam audivi: ergo est alia vita præter istam? *docetur aliam restare vitam:* Dicit ei Cæcilia: Et hoc quod in isto mundo vivitur vita est, quam humores tumidant, dolores extenuant, ardores exiccant, aëres morbidant, escæ inflant, jejunia macerant... Illa autem vita, quæ isti vitæ succedet, aut perpetuis tribulationibus dat injustos, aut æterna gaudia justis offert. Respondens ad hæc Tiburtius dixit: Et quis ibi fuit, & inde huc veniens vobis potuit indicare, ut merito possimus ista asserentibus credere? Tunc B. Cæcilia erigens se stetit, & cum magna constantia dixit: Cæli terræque & omnium Creator ex seipso, antequam omnia ista faceret, genuit Filium, & protulit ex virtute sua Spiritum sanctum: Filium ut crearet omnia, Spiritum sanctum ut vivificaret universa... *& mysterii sanctæ Trinitatis,* Dicit ei Tiburtius: Certe unum Deum esse in cælis credendum asseris, quomodo nunc tres esse testaris? Cæcilia dixit: Unus est Deus in majestate sua, quem ita in sancta Trinitate dividimus, ut in uno homine dicimus esse sapientiam, quam dicimus habere ingenium, memoriam & intellectum... B Si ergo homo in una sapientia trium possidet numerum, quomodo non Deus omnipotens in una Deitate suæ Trinitatis obtinet Majestatem?

7 Tunc Tiburtius prostratus in terra, cœpit clamare, dicens: Non mihi videtur humana lingua de hoc rationem reddere: sed puto quod Angelus Dei per os tuum loquatur. Et cum multas gratias ageret, quod breviter unum Deum esse in tribus personis evidentius ostendisset, conversus ad Fratrem suum dixit: De Deo uno satis mihi esse factum confiteor: nunc superest ut ad inquisitionem meam, ut cœperat, sermo percurrat. Cæcilia dixit: De his mecum loquere, quia tirocinii tempus Fratrem tuum tibi prohibet dare responsum; me autem, quam ab ipsis cunabulis Christi sapientia docuit, ad quamcumque causam quærere volueris, imparatam habere non poteris. Dicit ei Tiburtius: Hoc inquisivi, quis inde huc veniens, aliam vobis, quam prædicatis, vitam ostendit? *Incarnationis,* Cæcilia dixit: Unigenitum Filium suum de cælis Pater per Virginem misit ad terras, qui stans super montem sanctum clamavit voce magna dicens: Venite ad me omnes populi... Denique ne vel occasionis vestigium dubietati remaneret, cum populis ad sepulcra C pergebat, & triduanis & quatriduanis atque fœtentibus mortuis vitam, quam amiserant, revocabat... Prævidens mundo proficere ad salutem, permisit se teneri, & illudi, & verberari, pariter & occidi.... *passionis, & resurrectionis,* Inde est, quod pro nomine ejus verberari gaudemus, & in persecutionibus gloriamur: quia vitæ nostræ isti, caducæ & miseræ, æterna vita succedit; illa quam Dei Filius surgens à mortuis, suis Apostolis demonstravit: quibus videntibus ascendit in cælos... Hi autem qui hæc in universum mundum prædicare missi sunt, signis & virtutibus magnis sua dicta firmabant... Hæc tibi breviter explicavi; si quid tibi deesse consideras, quære. Tunc Tiburtius, pedibus ejus prostratus, cum ingenti fletu & lacrymis dixit. Si de ista vita ulterius vel mente tractavero vel cogitatione quæsiero, in illa vita non inveniar. Habeant stulti lucrum labentis temporis; ego qui usque hodie sine causa vixi, jam non sit sine causa quod vivo.

8 Et his dictis conversus ad Fratrem suum dixit: Miserere mei, frater carissime, & rumpe moras, quarum nexus patior, dilationes timeo, pondus ferre non possum. Obsecro te, perduc me ad hominem Dei, ut me purificans, illius vitæ participem faciat. Tunc Valerianus perduxit Fratrem suum ad Papam Urbanum: cui cum narrasset universa quæ D fuerant dicta vel facta, gratias referens Deo, suscepit *ductus ad S. Urbanum* Tiburtium cum omni gaudio, & baptizans eum secum esse præcepit, quoad usque Albas deponeret: quem perfectum doctrina sua per septem dies, Christo militem consecravit. *baptizatur:* Tantam deinceps gratiam consecutus est Domini, ut & Angelos Domini videret quotidie; & omnium, quæ poposcisset à Domino, protinus eveniret effectus. *Angelos videt sæpius,* Verum quia multum est, ut omnia per ordinem prosequentes; quæ & quanta per eos Dominus mirabilia fecerit conscribamus; ad gloriosas passiones eorum, articulos revocemus.

CAPUT III.

SS. Valeriani & Tiburtii examen coram Almachio Præside, & confessio fidei.

9 Turcius Almachius, Urbis Præfectus, Sanctos Domini fortiter laniabat, & inhumata jubebat eorum corpora derelinqui. *Sepeliunt corpora Martyrum & dant eleemosynas:* Tiburtius vero & Valerianus ad hoc vacabant quotidie, ut pretiosas Martyrum facerent sepulturas, eleemosynis & pietatibus insistentes. Interea, ut solitum, bonos oderunt mali, & indicant universa Almachio, quæ per eos Dominus circa egentes ageret, vel quam E studiose, quos ille occidi jusserat, sepelirent: & tenti ab apparitoribus Almachio præsentantur. *capti offeruntur Almachio Præsidi;* Quos Almachius his protinus aggressus est verbis: Cum vos nobilitatis titulus clarissimos fecit nasci, cur per nescio quam superstitiosam sectam infelices vos & degeneres exhibetis? Nam facultates vestras vos audio in nescio quas viles personas expendendo consumere, ac pro sceleribus suis punitos cum omni gloria tradere sepulturæ: unde datur intelligi, quod conscii vestri sint, quibus pro conjuratione honestam traditis sepulturam. Respondens Tiburtius dixit: Utinam dignentur ut servos suos computare, quorum tu nos æstimas esse collegas: qui contempserunt quod videtur quid esse quod non est, & invenerunt illud quod non videtur esse & est: *Tiburtius Martyres laudat;* quorum nos saltem gestimus imitari sanctissimam vitam, eorumque sequi vestigia.

10 Almachius Præfectus dixit: Dic mihi quis vestrum est senior? Tiburtius Sanctus dixit: Non hic major, nec ego minor: quia unus est Deus, sanctus, æternus, qui nos sua gratia coæquavit. Almachius Præfectus dixit: Dicite mihi, quid videtur esse & non est? F Tiburtius Sanctus dixit: Omnia quæ in isto mundo sunt, quæ invitant animas ad mortem perpetuam, per quam finitur lætitia temporalis. *vanitatem mundi contemnit:* Almachius Præfectus dixit: Et hoc mihi edicito, quid non videtur esse & est? S. Tiburtius dixit: Vita quæ futura est justis, & pœna quæ debetur injustis: ex utroque latere verum novimus esse quod veniat, *& æterna bona æstimat;* & infelici dissimulatione oculis cordis nostri subducimus videre futura: oculis enim corporis videmus temporalia, ut contra conscientiam nostram, quæ bona sunt malis sermonibus obumbremus, & quæ mala sunt, bonis sermonibus adornemus. Almachius Præfectus dixit: Puto quod non mente tua loqueris. *loquitur ex mente Christi* S. Tiburtius dixit: Verum dicis, quia non mente mea loquor, quam in seculo habebam; sed ejus, quem in visceribus mentis meæ accepi, hoc est, Dominum Jesum Christum. Almachius Præfectus dixit: Numquid tu ipse scis quæ loqueris? S. Tiburtius respondit: Numquid tu scis quæ interrogas? Almachius Præfectus dixit: Vides quam elationem mentis pateris. S. Tiburtius respondit: Ego & novi, & didici, & credo, quod

A quod universa quæ à me dicta sunt permanebunt. Almachius Præfectus dixit: Et ego quare non intelligo, nec adverto quo ordine ista prosequaris? S. Tiburtius respondit: Quia animalis homo non percipit ea, quæ sunt Spiritus Dei: spiritalis autem judicat omnia: ipse autem à nemine judicatur.

S. Valerianus fratris & suam sapientiam laudat:

11 Tunc videns Præfectus jussit amoveri Tiburtium, & applicari Valerianum, cui Præfectus dixit: Valeriane, quoniam non est sani capitis frater tuus, saltem credo, quod tu mihi poteris dare sapienter responsum. Valerianus dixit: Unus est medicus, qui fratris mei caput & meum sua sapientia fovet: qui est Christus Filius Dei vivi. Præfectus dixit: Sapienter mihi responde. Valerianus dixit: Auditus tuus errorem patitur: quia viam sermonis nostri non poteris intueri. Præfectus dixit: Nullus sic errat, sicut vos erratis; qui relictis necessariis & utilibus, inepta sectamini; respuentes gaudia atque execrantes lætitiam, & contemnentes omne quod vitæ blandimento concessum est; illud vero tanta mentis aviditate suscipitis, quod saluti contrarium inveniri potest & gaudiis inimicum. S. Valerianus ad hæc respondit: locantes & ridentes & variis deliciis affluentes vidi glaciali tempore transire per campos:

hujus mundi & æterna gaudia explicat,

B in quibus campis stabant rustici pastinantes, & cum omni studio sarmenta pangentes, atque spinosa surcula rosarum animose & cautissime componentes. Alii quoque taleas inserebant, alii radicitus noxia quæque truncabant, cunctaque ruris opera labore nimio excolentes. Tunc illi, qui deliciabantur, cœperunt laborantibus irridere ac dicere: Infelices & miseri, istum laborem superfluum abjicite, & nobiscum gaudentes, deliciis vos & voluptatibus exhibete. Quare, sicut insani, duro labore deficitis, & vitæ vestræ tempora tristissimis occupationibus fatigatis? Et hæc dicentes, solvebantur super eos risu, & dabant plausus manuum, multis increpationibus insultantes. Hæc illis agentibus, imbriferis atque algidis mensibus serena tempora successerunt: & ecce floribus roseis vernantes campi nemoreis pampinis ornabantur, & crispas botrorum sertas suo partu sarmenta, & vario genere taleæ arborum mellifluæ poma gignebant, in quibus videmus usque hodie abundare gratiam & fructum pariter & decorem. Tunc gaudentibus illis qui putabantur vani, cœperunt flere qui putabantur urbani: & qui in sua fuerant sapientia gloriati, in nimia pestilentia perierunt, & sera pœnitudine mugitum sui otii gemitumque reddentes, sibi invicem loquebantur:

commoda similitudine,

C Isti sunt quos habebamus in risu, labores eorum putabamus opprobrium, vitam eorum execrabamur ut miseram, personas eorum judicabamus indignas, & conventum eorum sine honore: isti autem inventi sunt sapientes, & nos probamur miseri tunc fuisse & insipientes & vani; quando nec ipsi laboravimus, nec laborantibus auxilium pro labore præstitimus; quinimo eos in deliciis positi irrisimus, & credidimus dementes, quos nunc aspicimus florentes & fulgentes. Ad hæc Præfectus dixit: Sapienter quidem te video esse prosecutum, sed non ad interrogationem meam videris dedisse responsum. Valerianus dixit: Stultos nos & insipientes esse dixisti, quod facultates nostras egentibus damus, advenas suscipimus, viduis opem ferimus, orphanis subvenimus, inhumata corpora tegimus, & honestas Dei Martyribus tradimus sepulturas. Insipientes nos esse & insanissimos judicas, quia non cum lætantibus lætamur, neque cum voluptuosis deliciis resolvimur, ut ignobilis vulgi oculis nos illustres & nobiles ostentemus. Veniet tempus, in quo fructum hujus nostræ tristitiæ colligamus; & nobis gaudentibus lugeant ii, qui in suis gaudiis nunc extolluntur. Tempus enim seminandi modo est: qui in ista vita modo seminaverint gaudia, in illa vita luctum & gemitum metent: qui autem nunc seminant lacrymas temporales, in illa vita gaudia sunt sempiterna messuri.

& applicat amatoribus mundi & veris Dei cultoribus;

EX ACTIS S. CÆCILIÆ

12 Præfectus dixit: Ergo & nos & invictissimi Principes æternum habebimus luctum, vos vero perpetuum possidebitis gaudium? S. Valerianus dixit: Quid enim vos estis, aut quid Principes vestri? Homunciones estis, tempore vestro nati, tempore vestro expleto morituri: tantam Deo reddituri rationem, quantum summæ vobis tradidit potestatis. Almachius Præfectus dixit: Quid verborum circuitu immoramur? Offerte diis libamina, & abscedite illæsi. Responderunt ambo SS. Valerianus & Tiburtius: Nos non diis, sed Deo quotidie sacrificium exhibemus. Almachius Præfectus dixit: Quis est Deus, cui vestrum vos dicitis tradere famulatum? Responderunt ambo: Et quis est Deus alius, ut de Deo nos interroges? Estne alius præter unum? Almachius dixit: Ipsum unum quem dicitis, nomen ejus edicite. Valerianus Sanctus dixit: Nomen Dei non invenies, etiamsi pennis volare possis. Almachius dixit: Ergo Jovis, Dei nomen non est? Valerianus dixit: Erras Præfecte, Jovis nomen non

noluntt Diis sacrificare:

Iovem spernunt,

E est, hominis corruptoris atque stupratoris. Homicidam illum vestri auctores commemorant, & criminosum illum litteræ vestræ demonstrant. Hunc tu Deum dicis? Miror qua fronte locutus sis, cum Deus dici non possit nisi unus, qui est ab omni peccato alienus, & omnibus virtutibus plenus. Almachius dixit: Ergo omnis mundus errat, & tu cum fratre tuo verum Deum nostis? S. Valerianus dixit: Innumerabilis multitudo Christianitatis est, quæ sanctitatem suscepit: sed magis vos pauci estis, qui sicut assulæ de naufragio remansistis ad nihil aliud, nisi ut igni tradamini.

& ejus cultores.

CAPUT IV.

Conversio S. Maximi cum aliis: horum trium Martyrium.

13 Tunc Almachius iratus jussit eum fustibus cædi. Ille autem ut exutus est, cœpit gaudere, dicens: Ecce hora, quam sitienter optavi: ecce dies omni mihi festivitate jucundior. Cumque cæderent eum, vox præconia super eum clamabat, dicens: Deos deasque blasphemare noli. Ille

Valerianus fustibus cæditur:

F autem clamabat, populo Romano dicens: Cives Romani, videte ne vos à veritate ista mea tormenta revocent; sed state viriliter credentes in sancto Domino: & Deos quos colit Almachius, lapideos & ligneos, in calcem convertite; hoc scientes, quia in æterna tribulatione erunt omnes, qui colunt eos.

cives adhortatur.

14 Tunc assessor Præfecti Tarquinius clam dixit Præfecto; Invenisti occasionem, tolle eos: Nam si moram feceris, & de die in diem protraxeris, omnes facultates suas pauperibus erogabunt, & punitis eis tu nihil invenies. Tunc jussit carnificibus, ut ab eis ducerentur ad agrum Pagum, ubi erat statua Jovis: & jussit, ut si noluissent sacrificare ambo fratres, pariter sententiam capitalem exciperent. Tunc gloriosi Martyres, excepta sententia, à Maximo Corniculario Præfecti ducebantur ad Pagum: qui Maximus cœpit flere super eos, dicens: O juventutis flos purpureus, o germanus fraternitatis affectus, quare vos impia definitione volentes amittere, ad interitum vestrum quasi ad epulas festinatis. Tunc S. Tiburtius dixit: Nos nisi pro certo didicissemus alteram vitam esse perpetuam,

Adjudicantur ambo Morti,

eos ad supplicium ducens S. Maximus,

edocetur alteram vitam,

Ex Actis S. Cæciliæ

petuam, quæ isti vitę præsenti succedit, numquam nos istam amittere gauderemus. Dicit ei Maximus: Et quæ potest esse altera vita? Respondit S. Tiburtius: Sicut vestitur vestimentis corpus, ita vestitur anima corpore; & sicut spoliatur vestimentis corpus, ita spoliatur anima corpore. Corpus quidem, quod terrenum semen per libidinem dedit, terreno ventri reddetur; ut in pulverem redactum, sicut phœnix, futuri luminis aspectu resurgat: anima vero ad Paradisi delicias, si sancta sit, perferetur, ut in deliciis affluens, tempus suæ resurrectionis expectet. Dicit ei Maximus: Optarem & ego contemnere vitam istam, si post eam certam apud me haberem quam loqueris. Dicit ei B. Valerianus: Quia nihil tibi superesse dicis, nisi ut probes vera esse, quæ diximus; in hora qua nos faciet Dominus istam corporis tunicam in gloriosa nominis sui confessione deponere, aperiet Dominus oculos tuos, ut faciat te videre cum quanta gloria illa vita suscipitur; si tamen promittas nobis, quod ex animo ad pœnitentiam erroris tui venias. Tunc Maximus devotabat se dicens: Fulmineis ignibus consumar, si ex hac hora non illum solum Deum confitear, qui alteram vitam fecit isti vitæ succedere. Hoc tantum vos, quod promisistis ostendite.

visurus animas illorum ad eam devehi

si fidem accipiat.

B

15 Dicunt ei ambo fratres: Impetra à carnificibus, ut ad domum tuam nos ducant, & hodierni diei inducias explica: ita ut custodiant nos in domo tua, & illic ad te venire faciemus Purificatorem, qui te ista nocte statim ut purificaverit, faciet te videre hoc quod promisimus. Quod cum impetrasset Maximus, duxit eos ad domum suam: ad quorum prædicationem & ipse Maximus cum omni sua domo & ipsi carnifices crediderunt. Tunc S. Cæcilia venit ad eos nocte cum Sacerdotibus, & universi baptizati sunt. Igitur cum aurora noctis finem daret, facto magno silentio, S. Cæcilia dixit eis: Eia milites Christi, abjicite opera tenebrarum, & induimini arma lucis: certamen bonum certastis, cursum consummastis, fidem servastis: ite ad coronam vitæ, quam dabit vobis justus Judex, non solum autem vobis, sed & omnibus: qui diligunt adventum ejus.

ducit illos ad ædes suas:

baptizantur cum suis, & carnificibus,

à S. Cæcilia corroboratur.

16 Locus igitur, qui vocabatur Pagus, quarto milliario ab Urbe situs erat, in quo per templi canuam transitus erat, ut omnis qui ingrederetur, si Jovi thura non poneret, puniretur. Venientibus ergo Sanctis offeruntur thura, & recusant: recusantes ponunt genua, feriuntur gladio, projiciunt corpus mortale, & gaudium suscipiunt sempiternum. Tunc Maximus juratus asserebat, dicens: Vidi Angelos Dei fulgentes, sicut sol, in hora qua verberati sunt gladio, & egredientes animas eorum de corporibus, quasi virgines de thalamo: quas in gremio suo suscipientes Angeli, remigio alarum suarum ferebant ad cælos. Ista cum lacrymis enarranti Maximo plurimi crediderunt, & ab errore idolorum conversi, suo se Creatori reddiderunt. Igitur cum hæc omnia pervenissent ad Almachium Præfectum, eo quod Maximus Cornicularius cum suis omnibus factus fuisset Christianus; jussit eum tamdiu plumbatis cædi, quamdiu spiritum redderet: quem S. Cæcilia juxta Valerianum & Tiburtium sepelivit in novo sarcophago, & jussit ut in sarcophago ejus sculperetur phœnix, ad indicium fidei ejus, qui resurrectionem se inventurum, phœnicis exemplo, ex toto corde suscepit.

Coronantur martyrio SS. Valerianus & Tiburtius;

C

& cum vidisset horum animas ferri ad cælos, S. Maximus,

simul sepeliuntur.

D

ANALECTA.

De Reliquiis horum Sanctorum Martyrum.

§ I Locus primus sepulcri, templum iis dicatum. Translatio reliquiarum in Urbem.

1 Perantiquum ac præ ceteris celeberrimum est Callisti cœmeterium, tertio ab Vrbe lapide via Appia situm: in cujus cryptis latitans S. Vrbanus Papa, ad se venientes baptizavit SS. Valerianum & Tiburtium. Paulus Aringhus lib. 3 Romæ subterraneæ cap. 11 num. 7, cum de prædictorum Martyrum baptismo egisset, ista addit: Extat ad hanc usque diem intra ejusdem cœmeterii ambitum fons quidam, ex quo limpidissimæ jugiter emanant aquę, & variis languoribus detentos, dum refovent, salubritatem, quam ex sacrorum usu ministeriorum hausere, ut experimento sæpius comprobatum est, eis mirabiliter impertiuntur: cujus rei plerique & nos ipsi, dum sacrum hoc aliquando cœmeterium perlustraremus, oculati testes fuimus. Fons autem iste, qui inter veneranda beatorum Martyrum sepulcra placide fluit, & usui quondam antiquorum Christianorum inservivit, tantum inde salubritatis hausit, ut qui olim animis, nunc corporibus, Dei virtute curandis suppetere valeat.

In Callisti cœmeterio baptizati SS. Valerianus & Tiburtius.

ubi etiamnum fons, miraculis clarus.

E

2 *Hæc Aringhus, qui num.* 10 *docet hujus cœmeterii, quod* Callisti dicitur, partes ac membra existere, varia illi inserta & adjuncta cœmeteria, *interque ea censet cap.* 14 cœmeterium ad S. Cæciliam; *cap.* 15 cœmeterium ad S. Sixtum, *uti vocat Paschalis Papa qui, ut mox dicetur, reperit horum Martyrum corpora: & cap.* 16 cœmeterium Prætextati, *in quo passim antiqua Martyrologia supra relata, referunt horum Martyrum corpora illata fuisse: & videntur hæc tria cœmeteria ab auctoribus pro uno eodemque haberi: & subinde* cœmeterium SS. Tiburtii & Valeriani *appellatum est. Nam* Joannes Papa III, *ut in ejus Vita scribit Anastasius bibliothecarius,* retinuit se in cœmeterio SS. Tiburtii & Valeriani, & habitavit ibi multum temporis, ut etiam Episcopos consecraret ibidem. *Sedit Ioannes ab anno* DLIX *usque ad annum* DLXXII. *At* S. Gregorius Papa III, *eodem attestante Anastasio*, cœmeterium beatorum Martyrum Ianuarii, Vrbani, Tiburtii & Valeriani & Maximi, & eorum tectum in ruinis positum à novo perfecit. *Præfuit hic Papa Ecclesiæ ab anno* DCCXXXI *usque ad annum* DCCXLI. *Eodem seculo, post interpositos quinque Pontifices, creatus est Hadrianus Papa anno* DCCLXXII, *mortuus anno* DCCXCV; *qui apud eumdem Anastasium traditur* ecclesiam beati Tiburtii & Valeriani atque Maximi, foris portam Appiam, à novo restaurasse.

illius partes quædam ab istis sanctis nominatæ:

F

3 *Successerunt Adriano Leo III, Stephanus V, & dein Paschalis I, constitutus anno* DCCCXVII, *mortuus anno* DCCCXXIV. *Hic Papa, post* revelationem sibi in ecclesia S. Petri à S. Cæcilia factam, dum corpus ejus sacratissimum solicite quæreret; reperit in cœmeterio S. Prætextati, sito foris portam Appiam, aureis illud vestitum indumentis, cum corpore venerabilis sponsi sui Valeriani... Quæ cuncta suis pertractans manibus, & cum magno honore infra muros hujus Romanæ urbis, in ecclesia nomine ipsius sanctæ Martyris dedicata, ad laudem & gloriam omnipotentis Dei, ejusdem Virginis corpus, cum carissimo Valeriano sponso, atque Tiburtio & Maximo Martyribus, nec non Urbano & Lucio Pontificibus, sub sacrosancto altari collocavit. Pro quorum Sanctorum honore videlicet & opitulatione construxit monasterium, in honorem Virginum seu Martyrum Agathæ & Cæciliæ, juxta ipsius ecclesiam, in loco qui dicitur Colles-jacentes. *Quæ hisce verbis narrat idem Anastasius in Paschali Papa, desumpsit ex epistola ipsius Paschalis,*

& eorum corpora à Paschali Papa in Vrbem delata:

Paschalis, quam edidit Baronius ad annum DCCCXXI, *& ex melioribus MSS. codicibus Antonius Bosius, cujus partem nos dedimus* IV *Martii ad Vitam S. Lucii Papæ num.* 4. *Dicitur autem ibi* Cœmeterium S. Sixti *quod idem pro* cœmeterio Prætextati *sumi diximus. Appensa in rei hujus memoriam hæc fuit inscriptio.*

Inscriptio ibi posita.

Hanc fidei zelo Paschalis primus ab imo
Ecclesiam renovans, dum corpora sacra requirit,
Elevat inventum venerandum Martyris almæ
Cæciliæ corpus, hoc illud marmore condens.
Lucius, Urbanus huic Pontifices sociantur;
Vosque Dei testes, Tiburti, Valeriane,
Maxime, cum dictis consortia digna tenetis.
Hos colit egregios devotè Roma Patronos.

§ II *Nova corporum inventio sub Clemente VIII.*

Anno 1599 4 Sanctorum Corporum B. Cæciliæ Virginis & Martyris, sociorumque ejus Valeriani, Tiburtii & Maximi, nec non Urbani & Lucii Pontificum detectio ultima, ac solennis repositio, sub Clemente VIII Pontifice Maximo, anno Domini MDXCIX, Paulo Sfondrato tit. S. Cæciliæ Presbytero, *describitur sub hoc titulo à memorato Antonio Bosio: cujus historia contextus integer dandus erit ad Acta S. Cæciliæ; hic excerpimus quæ ad hos tres Martyres spectant, & sunt ejusmodi:* Cum veterem S. Cæciliæ ecclesiam Cardinalis Paulus Sfrondratus, pro sua in Deum sanctamque Martyrem pietate, reparare atque exornare cœpisset; inter cetera meditabatur sub ara majore custodiam sacris Reliquiis continendis extruere. Igitur cum, XIII Kalendas Novembris, Cardinalis ad hanc ecclesiam se contulisset; dirui pavimentum jussit: quo excusso & subjecta humo egesta, superioreque pariete demolito, duæ marmoreæ arcæ ternos circiter infra pedes apparuerunt: quæ quidem sese invicem fere contingebant. Erant autem secundū aræ magnitudinē collocatæ, ita ut ipsa ara eis superposita immineret. In prioremarmorea arca intra capsam extabat B. Cæciliæ corpus.

20 Octobris inveniuntur corpus S. Cæciliæ,

5 In altera autē proxima & majore arca marmorea, quæ in interiori parte, nimirū ulterius versus confessionē & altare, locata erat, trina inventa sunt corpora Sanctorū, qui in eadem fuerant socii passione, nempe Tiburtii, Valeriani & Maximi, quæ & sub hoc sacro altari à Paschale fuisse reposita, consentiens testatur historia. Quodlibet autem corpus peculiari linteo seu velamine proprio, juxta veterem consuetudinem, erat involutum. Erant autem ita collocata, ut ad eam partem, in qua primi corpus recubabat, quæ erat sinistra altaris, secundi pedes extenderentur: tertium autem corpus ex opposito secundi, eo statu quo primum, similiter jacebat. Et quamquam non adesset litterarum nota, quæ illa inter se nominatim secerneret aut designaret; perspicue tamen dignosci & distingui potuerunt: nempe quod primum erat S Tiburtii, secundum in medio positum S. Valeriani, tertium vero S. Maximi. Nam, præterquam quod hoc ordine in epitaphio superius indicato à Paschali Pontifice numerantur, corpus S. Tiburtii ab illo S. Valeriani eo argumento recognitum est, quoniam S. Tiburtii corpus capite carebat, cum foris in ecclesia proprio in tabernaculo conservaretur, ut creditur, ab ipso Paschali Papa sublatum. Corpus deinde S. Valeriani distinctū est à S. Maximi, ex eo quod inventum est illius caput à trunco corporis divulsum, quod illi gladio recisum erat: magnitudine quoque & formæ proportione capiti S. Tiburtii ita simile, ut duorum pari fere ætate fratrum esse viderentur. Contra vero S. Maximi, qui non capite plexus, sed ad necē plumbatis cæsus fuerat, repertum est caput ita cum corpore conjunctum; ut, cum ipse Cardinalis tollere illud vellet, ut extra simul cū aliis SS. Valeriani & Tiburtii publice in altari coleretur; magno id conatu & labore perfecerit. Ostendebat etiam idem caput percussionum, quas ex plumbatis acceperat, notas & fractionis signa, licet formam integram retineret: in quo subflava quoque cæsaries quasi viventis, & omne capillamentū respersa sanguine, ita incorrupta cernebantur, ut ad litterā in eo completum dici posset illud Euangelicum: Capillus de capite vestro non peribit. Quod autem multo ceteris grandius erat ratione proportionis habita, conjicere licuit, B. Maximū Valeriano & Tiburtio magnitudine & proceritate corporis præstitisse. Ante hanc arcam lapidea Paschalis tabula extabat, Sanctorū Martyrum nomina versibus expressa continens.

& corpora SS. Tiburtii Valeriani & Maximi.

facile dignoscenda ab invicem,

AUCTORE G. H.

Luc. 21. 18.

6 His vero corporibus nihil motis, sed in suo pristino ac proprio loco relictis. ... Cardinalis ut Sūmum Pontificē certiorem faceret, Tusculum, ubi ipse per autumnales eos dies morabatur, profectus est. Qui re audita, incredibili se desiderio flagrare ostendit, liceret ut sibi confestim ad Urbem reverti, coramque sacra pignora venerari. Quod cum illi gravis podagræ morbus, quo detinebatur, denegaret; ut primum eo levaretur adfuturum promittens (sicut & præstitit) interim Cæsarem Cardinalem Baronium, peritissimum antiquitatis & nobilem Ecclesiasticæ historiæ auctorem, sacris Reliquiis lustrandis recognoscendisque delegavit: qui cum collega Sfondrato Romam revertens, uti jussus fuerat, omnia diligenter religioseque contemplatus est, debitaq; veneratione Sacrum celebrans prosecutus, ut rem totam Pontifici testimonio suo cōprobaret, diem unum Romæ moratus, Tusculum est regressus. Post autem non multo ... subtus arcam marmoream, unde extractum fuerat S. Cæciliæ corpus, similis alia arca detecta est, in qua duorum Pontificum Urbani & Lucii corpora condita erant ... Clara vel inprimis, hujus tempore inventionis, erga hos Patronos ac Martyres Populi Romani pietas ac devotio extitit ... usque ad diem vigesimum secundum Novembris: qui dies vertente anno B. Cæciliæ festus est atque natalis ... quā diem solenni sacrificio celebriorem reddere pius Pontifex Clemens instituit: in quo primam orationē dixit de S. Cæcilia, alteram de SS. Valeriano, Tiburtio & Maximo ... Cantorum schola cōcinebat Antiphonā. O beata Cæcilia, quæ Almachium superasti, Tiburtium & Valerianū ad martyrii coronā vocasti ... Inscriptio argenteæ tabellæ incisa ita habet: Hic requiescit corpus S. Cæciliæ Virginis & Martyris .. à Paschali primo Pontifice maximo sub hoc altari una cū corporibus sanctorū Martyrū Lucii & Urbani Pontificum, nec nō Valeriani, Tiburtii & Maximi reconditū. Iterum post annos fere DCCC, Clemēte VIII Pont. Max. cum iisdem sanctis Martyribus lucē aspexit, die XX Octobris, anno Dominicæ Incarnationis MDXCIX ... Ad cujus latus, in alia seorsim capsa, prædicti tres Martyres, Valerianus, Tiburtius & Maximus requiescunt ...

jussu Clementis Papæ recognita à Baronio & Sfondrato:

E

Sacrum solenne de iis celebrat Papa

forma tituli inscriptio

F

7 Hæc sunt quæ in postrema corporis B. Cæciliæ sociorumq; Martyrum detectione ac solenni repositione acta sunt, prout cum oculis nostris nos ipsi conspeximus, tū ex ipsius Cardinalis Sfondrati fideli relatione cognovimus ... Ad majorē autē operis ornatū, religiosissimus Cardinalis ærna utraq; ex parte, in muri medio, signa inseruit ex ære inaurato: à dextera quidē B. Cæciliæ Sanctorumq; Valeriani & Tiburtii; à læva SS Urbani & Lucii Pontificū Maximiq; Martyris. Inter utramq; partē muri sub ipsa ara majore, B. Cæciliæ Virginis ac sociorum Martyrum sepulcrum magnificentissime exornavit ... In nigro lapide aureis notis ejusmodi inscriptio in ipsa areola exculpta est. Sub hoc altari requiescunt corpora sanctorum Martyrum Cæciliæ Virginis, Valeriani, Tiburtii, Maximi sociorum, Lucii & Urbani PP. eisdem Sanctis Martyribus consecrato.

Signa æreâ muro inseruntur:

cum alia inscriptione.

AUCTORE G. H.

Reliquiæ & capita in ecclesia.

8 Inter sacras Reliquias hujus ecclesiæ sunt de ossibus SS. Valeriani, Tiburtii & Maximi Martyrum, quorum integra corpora in eadem requiescunt ecclesia. Caput S. Valeriani sponsi S. Cæciliæ Virginis, quod in ultima hac inventione à corpore revulsum in proprio argenteo capite inclusum est. Caput S. Tiburtii fratris ejusdem S. Valeriani, quod prius segregatum inter Reliquias ecclesiæ colebatur. Caput S. Maximi Martyris, quod nuper item à suo corpore abstractum & argento convestitum est, in quo tota cæsaries cruore usque hodie conspersa visitur.

§. III Reliquiæ variis locis sub horum nominibus.

Variis locis reliquiæ sub horum nomine exponuntur:

9 *QVæ hactenus de sacris corporibus, horum Martyrum Romæ adservatis protulimus, adeo nobis explorata & ab initio inter se cohærentia apparent, ut nihil fere de antiquorum Martyrum reliquiis certius inveniri posse videatur. Non desunt tamen variæ ecclesiæ, in quibus quia iisdem nominibus appellatorum Martyrum corpora aut aliquæ reliquiæ habentur, tamquam si istorum, de quibus hactenus egimus forent, eorum veneratio ad hunc* XIV *Aprilis assumpta est. Ac primo Lucenses in Hetruria contendunt corpora SS.* Tiburtij, Valeriani & maximi *extare à tempore immemorabili, in ecclesia S. Paulini, in proprio sacello versus occidentem occlusa: eorumque celebrem festivitatem solenni ritu in illa ecclesia quotannis recoli hoc* XIV *Aprilis. Agunt de his Cæsar Franciottus, libro de Sanctis Lucensibus Lucæ anno* MDCXIII *excuso; Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ, in sua ad elogium horum Martyrum annotatione; & Franciscus Maria Florentinius, in suis observationibus ad Martyrologium Hieronymianum: qui saltem ait,* Sanctum aliquem Maximum Lucæ servari non dubitari, eumque Præfecti Cornicularium fuisse exploratum haberi; & ita legi in pervetusta membrana dedicationis illius ecclesiæ, in Dypthicis Ecclesiæ Lucensis ededa. In illius sacelli ara antiquis characteribus hanc insculptam tantum legi epigraphen: CORPUS S. MAXIMI. P. CUM ALIIS, quod interpretatum ab antiquis Lucensibus cum aliis sociis, Tiburtio nempe & Valeriano. At si revera horum Martyrum integra corpora anno Domini MDXCIX Romæ reperta fuerunt, & ibi inmota relicta, alius Maximus, qui Lucæ colitur, aliique socij. *Hæc Florentinius. Verum quia sub Alexandro* IV *Pontifice & Henrico Episcopo Lucensi circa annum* MCCLX. *post illatas S. Paulini reliquias, ecclesia, quæ antea à S. Antonino nomen habebat, dedicata fuit S. Paulino, citata membrana dedicationis non potuit majorem vetustatem habere: cujus scribendæ auctores, quo modo socios S. Maximi vocarunt, SS.* Valerianum & Tiburtium *ex sola conjectura; potuerunt eumdem Maximum ex simili conjectura cognominasse Præfecti Cornicularium. Ipse Florentinius, in Indica ad Martyrologium Hieronymianum, numerat Sanctos Martyres,* Maximi *nomine insignitos, septem & quadraginta: quidni multo plures ejus nominis fuerint inter illos non comprehensi; ut possit & debeat censeri aliquod corpus alterius S. Maximi & corpora sociorum anonymorum ibidem asservari.*

B

& Lucæ in Hetruria dicuntur eorũ corpora extare,

& potissimum S Maximi,

ex fide cujusdam membrana an 1260. scripta

C

Dicitur haberi corpus S. Tiburtii in Gallia,

10 *Saussajus* S. Tiburtium *suo Martyrologio Gallicano his verbis inscripsit:* In Catalaunensi territorio monasterio S. Urbani, festivitas S. Tiburtii, cujus hac die Romæ laureati sacrum corpus, cum præfati Urbani sanctissimi Pontificis & Martyris pretiosis exuviis, munere Nicolai I Papæ, inde in Galliam delatum ad Carolum Calvum Regem Christianissimum, eo in cœnobio honorifice sepositum est, ubi & hodie incolarum pio concursu honoratur. *Eadem Saussajus ad* XXV *Maij, quo colitur S. Vrbanus latius deducit. Philippus Labbe, in tomo* I *Novæ bibliothecæ librorum manuscriptorum, edidit de Vita & miraculis S. Germani Episcopi Autissiodorensis libros duos, auctore Herico monacho Autissiodorensi: in cujus libri* 2 *cap.* 12 *ista leguntur:* Anno Incarnati verbi DCCCLXII Fratrum quidam, mandatis pariter & epistolis regiis instructi, urbem Romam expetunt, cum orationis gratia, tum etiam quarumdam ecclesiasticarum studio causarum, quas, Deo negotium procurante, & allegarunt strenue & efficaciter expleverunt. Prudentissimus & maxima venerationis reverentia suscipiendus Nicolaus Papa, Romanæ tum Cathedræ præsidens, vicem Apostolici culminis & dignitate & studio præferebat: qui cum prænominatis legatariis, ad cuncta quæ vellent, per dies aliquot plenissime sui copiam fecisset; magna sui ministrorumque ejus gratia discessuris sanctorum Martyrum Urbani & Tiburtii reliquias tradidit, & virtute pretiosas & quantitate præcipuas. Sic Dei favore & obtentu Regis Caroli, quod alias vel laboriosissimũ vel impossibile fuerat, facili negotio confecerunt. *Dein cap.* 13 *describitur iter, & miracula in eo patrata indicantur. Dein cap.* 14 *ista traduntur:* Solennis Autissiodori parabatur exceptio, quo tandem pridie Kalendarum Novembrium pervenerunt, multa gloria, ingenti pompa, inexpugnabili rerum constantia. Creverunt ex eo miracula visibiliter corporalia, invisibiliter spiritualia, quo magis subtilia eo magis utilia; indesinenter assidua, indubitanter proficua, quantoque perennius duratura, tanto certius profutura... Beati Martyris Tiburtii anniversarius passionis dies advenerat, & pia Fratrum devotio nocturnis vigiliis officiosius insistebat. Inter hæc cuidam Fratrum in oratione secretius procumbenti, atque in divinæ contemplationis suffragium aliquatenus rapto, se videndum exhibuit, ea formæ habetudine, ea pulchritudine juventæ, qua expressus in suæ Passionis textu describitur. Visus est autem ante loculum reliquiarũ suarum, libratis in area gressibus, assistere; & expansis ad Orientem manibus, quarum una virgam ferebat auream, pro totius salute populi instantius supplicare. Is nobis postmodum cum lacrymis referebat: id mire gratum omnibus & præsenti & futuræ devotioni conduxit. *Additur dein,* Herchenraum Catalaunensem Episcopum, anno DCCCLXV reliquias pretiosi Papæ & Martyris Urbani obtinuisse, & monasterium in pago Partensi ejus honore construxisse, *Postea cap.* 15 *asserit* reliquias in cryptas translatas, & circa corpus S. Germani conditas, & dextro quidem latere, id est à plaga Australi, ossa B. Urbani Papæ & *aliorum.* Sinistrum, id est, Septemtrionale latus gloriosi Martyris Tiburtii pignora occuparunt, subjunctis *aliis* corporibus. *Hæc ibi. Verum uti appellantur, in prima Pontificis donatione,* Martyres Urbanus & Tiburtius, *absque ulla dignitate; ita potuerunt esse aliqui Martyres eisdem quibus celebriores isti nominibus appellati, quales etiam hoc tempore ex cœmeteriis Romanis effossi per omnes regiones deferuntur.*

D

quod an. 862 à Nicolao I acceptum

honorifice susceperunt monachi Autissiodorenses,

E

& facta dein apparitio,

juxta corpus S. Germani depositum.

F

11 *Dedimus* IV *Februarii Vitam B. Rabani, Abbatis Fuldensis & dein Archiepiscopi Moguntini, auctore Rudolfo, Presbytero & monacho Fuldensi, ejus discipulo: in qua capite* 6 *narratur tertia reliquiarum allatio, & ista inseruntur:* Theodorus frater Deusdonæ, cum socio Sabbatino, detulit ossa SS. Tiburtii & Valeriani atque Maximi: quorum primi sub Almachio Urbis Præfecto fustibus cæsi & gladio sunt percussi: ultimus vero tamdiu plumbatis verberatus est, donec redderet spiritum. *Adduntur miracula: sed his & aliis Reliquiis communia. Dein cap.* 8 *hæc narrantur:* Locus est à monasterio Fuldensi decem & eo amplius leucis distans ad Boream, nomine Rathesthorph, à monachis quidem habitatus, sed ad præfatum monasterium eo tempore & ad Rabanum Abbatem pertinentibus, in quo pulchram & divinis officiis congruentem noviter construxit ecclesiam: in quam ossa B. Cæciliæ Virginis & sanctorũ Martyrum Tiburtii & Valeriani intulit, atq; in sarcophago saxeo post altare posuit, singulorũ ossibus in loculis singulis seorsim conditis, erectamque desuper,

Aliqua ossa 3 horum Martyrum creduntur Fuldam translata,

& in ecclesia Rathesthorphiensi deposita,

desuper, ut ei moris erat, ligneam tumbam auro paravit & argento. Titulum quoque, rei gestæ seriem declarantem, metrico carmine compositum, litteris deauratis in circuitu conscripsit, in hunc modum:

addita hæc inscriptione.

Postquam Rex Regum Christus super æthera celsa
Victor conscendit, arbiter omnipotens;
Servorum turbam hic liquit plebemque fidelem,
Qui verbo & factis plurima lucra darent.
Inter quos isti, quorum hic membra quiescunt,
Virtutum titulis eximii fuerant.
Hi pompam mundi spernentes, rite tenebant
Martyrii palmam, virgineumque decus.
Germani ecce duo hic pausant, quos Virgo beata
Lucrata est Christo dogmate Cæcilia.
Valerianus adest unus, Tiburtius alter,
Nomine præclarus clarior & meritis.
Has tres personas, Romana ex arce meantes,
Suscepit Hraban, Christe, tuus famulus;
Patronosque sibi exoptans fieri, arte magistra
Ornavit tumulum, condidit & titulum.

Duo brachia SS Tiburtii & Valeriani putantur Bononiæ esse.

12 *Masinus in Bononia perlustrata celebrat ad hunc diem* SS. Tiburtium & Valerianum Martyres, eo quod istic in Ecclesia S. Francisci duo eorum brachia asserventur. *Fuimus nos anno* MDCLX *Bononiæ, & Reliquias variorum Sanctorum in dicta ecclesia in magnifico pegmate collocatas venerati fuimus; quando R. P. Innocentius Guardianus nobis obtulit Indicem præcipuarum Reliquiarum suo sigillo munitum, in quo testatur* SS. Tiburtium & Valerianum *ob dicta* duo brachia, officio ecclesiastico sub ritu duplici honorari.

AUCTORE G. H.

Corpus aliquod S. Maximi Madriti,

13 *Tamajus Salazar in Martyrologio Hispanico celebrat ad hunc diem magno encomio* S. Maximum Præfecti cubicularum, cujus lipsana in monasterio Fratrum excalceatorum B. Mariæ de Mercede Matritensi, cui nomen S. Barbara, honore debito & cultu celebri reservantur. *Dein post Acta ejus memorata, addit,* sacra pignora honorifice deaurata theca inclusa à fidelibus die ejus agonis frequentissime venerari, & se authenticum diploma vidisse.

aliud Antverpiæ in ecclesia Societatis Iesu.

14 *Est etiam corpus alicujus S. Maximi Martyris in ecclesia Domus Professorum Societatis Iesu Antverpiæ, quod cum facultate sanctissimi Domini nostri Pauli V extractum ex cœmeterio S. Priscillæ via Salaria, obtinuit Mutius Vitellescus Societatis Iesu Præpositus Generalis, ac donavit P. Iacobo Tirino Societatis Iesu Sacerdoti, litteris donationis conscriptis die* XV *Martii anno* MDCXVI, *& signatis manu Mutii Vitellesci, & sigillo de cera rubra sigillatis. Memoratus autem Iacobus Tirinus Præpositus præfatæ Domus professorum, in ecclesia à se constructa dictum corpus S. Maximi Martyris collocavit: ejusque festum hoc* XIV *Aprilis hactenus celebramus; Etsi credamus ipsum corpus, æque ac illud quod est Madriti, alterius S. Maximi esse. De eadem ecclesia & dicto Iacobo Tirino plura diximus* III *Februarii ad memoriam S. Fortunati Martyris pag.* 329.

DE SS. APOLLONIO, EPHEBO, OPTATO, PATO, SATVRNINO, FRONTINO, MACARIA SEV MARCIA, CORNELIO, CONDITORE, TITVLO, PROCVLO, VALENTINO, PRODVCTO, LAVRINO, DOMNINA, ET SOCIIS VIRGINIBVS ET S. VALERIANO.

MARTYRIBVS INTERAMNÆ IN VMBRIA.

G. H.

CIRCA AN. CCLXXII.

Difficultas in eos Sanctis oborta.



Ferdinandus Vghellus *tomo* I *Italiæ sacræ, in Episcopis Interamnensibus num.* 4, *dum de S. Proculo Episcopo primo agit (quem asserit hoc* XIV *Aprilis coli, ut infra videbimus) addit,* ita plerumque oscitanter scriptores unum cum altero, alteriusque Acta cum illius confundere, ut quæ adferunt videantur plerumque magis ægri capitis somnia, quam quod inde veritas indagari posse videatur. *Tum, nonnullis interpositis, ait,* Ferrarium, dum scriptores reconciliare conatur, densiores tenebras veritati offundere. *Nos ob plurimas difficultates, quæ de Sanctis Interamnensibus hoc die occurrunt, veriti ne simili aspergamur macula, primo proponimus, quæ de iis in antiquioribus fastis reperimus.*

Nomina ex Martyrologio S. Hieronymi proposita.

2 *Antiquissimum apographum Epternacense Martyrologii Hieronymiani, quod hactenus sæpius produximus, cum primam classem protulisset* Martyrum Romanorum, Tiburtii, Valeriani, Maximi, Cyriaci, Diocletiani, Symphronii & Docimi, *de quibus nos jam egimus; subiungit secundam classem his verbis:* Interamnæ Apollonii, Fevi, Optati, Pati, Saturnini, Macariæ, Corneliæ, Conditoris, Tituli, Proculi, Valentini, Producti, Livini, Dominæ Virginis cum suis Virginibus, Sancti Valeriani. *In posterioribus apographis ejusdem Martyrologii Hieronymiani, cum proposita fuisset memoria* Martyrum Romanorum Tiburtii, Valeriani, Maximi, Quiriaci, *consequenter ista habentur:* Optati, Pati, Saturnini, Marciæ, Frontinæ, Corneliæ, Conditoris, Tituli. Interamnæ Proculi, Valentini, Prosduci, Laurini, Domninæ Virginis cum suis Virginibus simul coronatæ, & Sancti Valeriani. *Ita MS. Corbeiense Parisiis excusum. Cui congruit MS. Blumianum; in quo, loco* Laurini, *habetur* Uvini, *qui in priore apographo est* Vurnus: *cum quo etiam* Domina, *loco* Domninæ, *scribitur. In Apographo Lucensi* Pertinæ, Tatuli *&* Domnæ *legitur, loco* Frontinæ, Tituli & Domninæ *seu* Dominæ. *Desunt in his,* Apollonius *&* Fevus, *qui in priore apographo primum locum occupant. In eodem etiam codice* Macariæ, Frontini *&* Producti *habetur: in aliis* Marciæ, Frontinæ *&* Prosduci. *Et hactenus Martyrologium S. Hieronymi in quatuor apographis.*

Memoria in aliis Martyrologiis.

3 *Ex prædictis Martyribus hæc nomina, non indicato loco, sunt inserta pervetusto MS. Martyrologio Tamlaohtensi in Hibernia, scilicet* Fioebi, Apati, Patii, Saturnini, Prontii, Martiæ, Corneliæ, Conditoris, Tituli, Proculi, Valenti, Produci, Liurni, Domninæ cum suis Virginibus coronatæ, Valeriani. *Deest solum* Apollonius, *cujus loco videtur* Apatus *vitiose scriptus: & reliqua nomina, hinc inde non accurate exarata, cum aliis facile conferri possunt. In aliis MSS. aliquorum ex istis nomina sunt; & quidem in Richenoviensi MS.* Apollonii, Proculi, Valentini, Marciæ. *Solus* Apollonius *est in MS. Rhinoviensi. In Augustano S. Vdalrici & Parisiensi Labbæi est memoria* Proculi, Optati, Corneliæ. *In MS. Trevirensi S. Maximini,* Valeriani & Optati. *In alio ejusdem monasterii,* Saturnini. *In MS. Barberiniano, post elogium Bedæ de SS. Tiburtio, Valeriano & Maximo, additur memoria* Valeriani *&* Optati, *& deinde dicitur:* Interramnæ Proculi, Valentini. *In Martyrologiis Coloniæ & Lubecæ excusis anno* MCCCCXC, *ista habentur:* Interamnæ BB. Proculi, & Mephibii & Apollonii, discipulorum S. Valentini Episcopi & Martyris, sub Consulari Hennucio decapitatorum. *Quæ fere eadem leguntur apud Grevenum in Auctario Vsuardi. Qui hic* Mephibius *appellatur, est aliis* Ephebus; Phebus *etiam,* Fioebus *&* Fevus *dictus. Colitur* S. Valentinus XIV *Februarii, à quo fuerunt conversi dicti* SS. Apollonius, Ephebus & Proculus, *quorum Acta dedimus* XVI *Februarii: quando solenni officio in Ecclesia Interamnensi coluntur.*

AUCTORE G. H.

& potissimũ SS Proculi & Domnina.

4 *De SS. Proculo & Domnina ista habent Vsuardus, Ado & Notkerus:* Interamnis S. Proculi Martyris. Item S. Domninæ Virginis, cum sociis Virginibus coronatæ. *Consentiunt quamplurima. MSS: sed Domnina etiam* Domna, Donna, Domina *scribitur, & magis vitiose in MS. Carmeli Coloniensis* Dympnia Virgo, cum sociis ignibus, *loco* Virginibus, coronata. *Eadem habent Petrus de Natalibus, Bellinus, Maurolycus, Felicius, Galesinius, Canisius cum Martyrologio Romano anno* MDLXXXVI *excuso. In cujus posterioribus editionibus, adjecto titulo* Episcopi, *ita legitur:* Interamnæ S. Proculi Episcopi & Martyris. Item S. Domninæ Virginis & Martyris, cum sociis Virginibus coronatæ. *Verum obstant hactenus producta Martyrologia, in quibus* Proculus *ille ponitur, qui cum* Apollonio & Ephebo *occisus est, & cum iis (nisi multum fallamur) reliqui hic numerati; quos ideo in titulo simul detinemus. Nam, cum in antiqua Vita S. Valentini Episcopi,* XIV *Februarii illustrata, actum esset de baptismo SS. Proculi, Ephebi & Apollonii, additur num.* 10, per hos confluxisse multitudinem scholasticorum ad Christum, ita ut Abundius Præfecti Urbis filius animo duceretur, & tota fidei plenitudine Christi se famulum publica voce clamaret. Tunc indignatio pene omnium Senatorum accensa est: & tentus S. Valentinus, atque virgis cæsus ... decollatus est, jussu furiosi Placidi urbis Præfecti. *In hac furiosa indignatione, duobus post Martyrium S. Valentini mensibus, arbitramur hos Martyres fuisse occisos hoc* XIV *Aprilis circa annum* CCLXXII. *Quingenta corpora Sanctorum Martyrum adservari in ecclesia S. Valentini scribit Iacobillus in Indice Reliquiarum Vmbriæ pag.* 53.

B

sunt occisi circa annum 272.

5 *Baronius in Notis ad hunc diem putat* duos Valentinos Episcopos Interamnenses, duos item Proculos dari oportere: nam alter, *inquit,* Valentinus passus reperitur temporibus Gentilium Imperatorum, ut ex ejus Actis constat in quibus de Proculo & sociis mentio habetur. *Ita est: sed is è græcia ad Latina studia pervenisse dicitur, & nusquam Episcopus appellatur, de quo & sociis ejus hic agimus. Diximus Kalendis Ianuarii inter Prætermissos, S. Proculum Episcopum Interamnensem referri ad istum diem à Galesinio & Ferrario; eumque coli Bononiæ* 1 *Iunii cum altero* Proculo milite; *Interramnæ vero* 1 *Decembris, quod tali die corporis ejus facta translatio fuerit, & pro misimus nos de eo acturos Kalendis Iunii quando ulterius licebit quærere, num duo Proculi sint statuendi Episcopi Interamnenses, quod post dubium à Baronio propositum primum fieri ab aliquibus cœpit; & Ferrarius hoc die vult celebrandum esse Proculum secundum, contra quem contendit Vghellus hoc die coli debere Proculum primum.*

D

De S Proculo Episcopo alibi agendum.

6 *Vt huic concertationi finis imponeretur, in conficto nuper Chronico Dextri præfati Martyres attribuuntur Hispaniæ ad annum* 160 *&* 175, *unde hæc verba Tamajus-Salazar in Martyrologio Hispanico profert:* Interamnii Flavii in Hispania, passio SS. Proculi, Domninæ Virginis cum aliquibus etiam Virginibus, quæ martyrium pro fide acerrime defensa complexæ sunt: *& solicite quærit quomodo illud oppidum modo appelletur. Sed hisce fabellis nolumus inhærere.*

Controversia ex Pseudo-dextro.

E


7 *Ferrarius in Catalogo Generali, ex tabulis & Martyrologio Interamnensi, ad* XV *Aprilis ista habet:* Interamnæ in Umbria S. Domninæ Virginis & sociarum Martyrum. *De urbe hac* XIV *Februarii latius egimus.*

Cultus S. Domninæ 15 Aprilis.

DE SANCTIS MARTYRIBVS,
OPTATO, ARCILAO, SYMPHRONIO, FRONTINO, MAXIMO, DECIMA, MARCIA CORNELIA.
ITEM FORTVNATA, DONATO, TIBVRBIO, VALENTO.

G. H.

XIV APRI.



Ertia & ultima classis Martyrum in apographis quatuor Martyrologii Hieronymiani ita indicatur: Et alibi item Optati, Saturnini Archilai, Symphronii, Frontini, Maximi, Decimæ, Marciæ, Corneliæ. *Aliqua in scriptione nonnullorum est diversitas: scilicet pro* Archilai, *est* Arcilai *&* Arcillai; *pro* Symphronii, Simproni; *pro* Frontini, Frontoni *&* Prontini; *pro* Decimæ, Deceniæ. *Multi similium nominum Martyres sunt in præcedenti classe, & ideo forsan in Martyrologio Tamlachtensi no repetuntur: sed ibi adest memoria* S. Archilai *cujus in præcedentibus nomen abest, item secundi* Saturnini. *Adsunt, sed semel, quorum supra nomina similia recensentur,* Optatus, Symphronius, Maximus, Marcia, Cornelius, *&* Prontius *loco* Frontini. *At quorum alibi desunt nomina, recensetur memoria,* Fortunatæ, Donati, Tiburbii *& secundi* Valenti. *Et præter hunc* Tiburbium *est alius* Tiburtius frater S. Valeriani: *de quibus supra egimus. In MS. Pragensi memoratur* Archelaus, *adduntur que* Cyprianus & Diogenes Diaconus: *sed hi tres referuntur sequenti die, in Mesopotamia passi.*

C

F

DE S. MAXIMO MILITE ET MARTYRE
E LEGIONE THEBÆA, MEDIOLANI.

G. H.

CIRCA AN. CCXCVII



Vm legio Thebæorum, Duce S. Mauritio, in finibus Sedunorum, quod nollet jubente Maximiano Imperatore diis sacrificare, à reliquis discessisset; multi ex his Alpes transiverunt, & in Italia Subalpina aliquamdiu latuerunt: sed cum alii essent XXII *Septembris occisi, eorum socii in Italia conquisiti fuerunt, & variis in locis Martyrio coronati. Sic* Taurini *in Pedemontio passi sunt SS.* Octavius, Solutor & Adventor, *quorum corpora modo asservantur ibidem in ecclesia Societatis Iesu, dictis Sanctis urbis Taurinensis Patronis dicata. Aliqua de iis attigimus* XIII *Februarii, in Vita S. Iulianæ Matronæ, plenius acturi die* XX *Novembris, quo creduntur occisi. Alius illustris ex hac legione miles fuit* S. Alexander, *qui* Bergomi *post varios cruciatus capite truncatus, Martyrium complevit* XXVI *Augusti. Bernardinus Rosignolius Societatis Iesu, sub nomine Guilielmi Baldesani, accurate descripsit Historiam Thebæam, auctius anno* MDCIV *Taurini editam; in qua scribit pag.* 131 *memoratum* S. Alexandrum, legionis signiferum, cum aliquot sociis suis, Cassio, Secundo, Severino, Licinio, Maximo, Innocentio & Mauritio transfugisse in Italiam, mira Dei providentia ad hoc tunc conservatos, ut sanguine suo varias ibidem civitates & diœceses Sanctificarent. *Postea pagina* 143 *agit de tribus ultimo memoratis; ac* S. Innocentii corpus *asserit in* oppido Cantu, & S. Mauritii in oppido Serra deœcesis Mediolanensis asservari: Sancti *autem* Maximi, *de quo hic agimus,* in ipsa urbe Mediolanensi: *additque* se nullam particularem de horum athletarum martyrio notitiam potuisse nancisci,

Martyres Thebæi in Italiam fuga elapsi, & coronati:

ex his inter socios S. Alexandri fuit S. Maxim.

cujus corpus fuit Mediolani conditũ,

2 *Denique pag.* 267 *de elevatione corporis S. Maximi habet hæc:* Aderat corpus S. Maximi Thebæi, Mediolani, sed absque debita reverentia, in loco non satis decenter aptato. Quare S. Carolus Borromæus, S. R. E. Cardinalis & Archiepiscopus Mediolanensis, ut excitaret in sua ecclesia Metropolitana

à S. Carolo Borromæo

A politana devotionem populi, fecit in crypta subterranea insignem Capellam; eamque sacratiorem reddidit, collocatis in ea variorum Sanctorum reliquiis: & anno salutis nostræ MDLXXVIII, *anno 1578 in cryptam subterraneam delatum:* inter alia Sanctorum corpora, eo transtulit sacrum Thebæi militis S. Maximi corpus; ac magno cum decore ac reverentia deposuit in fornice subterraneo, ad id constructo. Ut autem erga hunc Sanctum Thebæum devotio populi Mediolanensis augeretur, à reliquo corpore separavit venerandum *at caput argento inclusum,* caput dicti Martyris, & extra cryptam extulit, voluitque in argenteo loculo conservari, ut futuris temporibus memoria hujus Sancti perseveraret. *Hæc Rosignolius. At Paulus Morigius, in Sanctuario urbis & diœcesis Mediolanensis, anno* MDCXLI *excuso, tradit* in ecclesia Cathedrali, prope altare S. Michaëlis, intra sacristiam ordinariorum Sanctorum, cum summa veneratione asservari Reliquias quatuordecim Sanctorum, *inter quæ nominat* Caput S. Maximi Martyris, & *servatur in sacristia.* *pag. 7 inter alias* Reliquias Martyrum, *quæ in eadem sacristia custodiuntur, primo loco collocat aliquas* S. Maximi. *Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ, & in Catalogo generali, de hoc S. Maximo agit, asseritque* *colitur 14 Aprilis.* diem Inventionis esse, non passionis: *reliqua ex citata Historia Thebæorum desumpsit. Brautius Episcopus Sarsinæ hoc eum disticho celebrat in suo Martyrologio Poëtico:*

Maximus eripitur cæsa legione Thebæa,
Ut posset Christum glorificare magis.

DE SANCTO ARDALIONE

MIMO ET MARTYRE.

AUCTORE G. H.



SUB MAXIMIANO IMPER.

Observat Baronius in Notis ad hunc XIV Aprilis, consuevisse Gentiles, in derisum Christianæ religionis, personas in theatrum deducere, quæ Acta Christianorum repræsentarent; sed Deum, B qui irrisores irridet, jocos in rem seriam, fabulas in historias, & mimos convertisse in Martyres. *Talem dedimus* XXVII *Februarii* S. Gelasium, *seu* Gelasinum, *Inter alios mimos conversos* Heliopoli in Phœnicia anno Christi CCXCVII Martyrem, conversum cum baptismati Christianorum illuderet. *Talis etiam est* Genesius, *qui* Romæ, cum mysteriis Christianorum illuderet, repente ad fidem conversus, martyrii palmam obtinuit XXV Augusti. *Talis quoque fuit S. Ardalio, de quo ista in Tabulis hodiernis Martyrologii Romani leguntur:* *est S. Ardalio in Fastis Romanis inscriptus,* Eodem die S. Ardalionis mimi, qui cum sacris Christianorum in theatro illuderet; derepente mutatus, ea non solum verbis, sed & testimonio sui sanguinis comprobavit. *In Notis citatur Menologium Græcorum, à Cardinale Sirleto collectum ex Magnis Menæis, in quibus illud elogium continetur.*

2 *elogium ex Menæis Græcis,* Eodem die sancti Martyris, venerandi Ardalionis. Maximiano imperante hic mimicam in theatris personam agebat, & aliorum mores, vitia, affectus & facta imitabatur. Placuit eidem etiam Christianorum in martyrio constantiam per ludibrium in scena exprimere. Ergo suspensus, quasi nollet C diis sacrificare, & repente immutatus est. Cum ergo illi à spectatoribus applauderetur, laudareturque publice, & ingentibus vocibus acclamaretur, quod optime personam Christianam ageret, & patientiam imitaretur; ille, indicto præsentibus silentio, se vere Christianum esse proclamavit. Unde cum illum Præses multis adhortaretur, ut mentem mutaret; nihil egit. Martyr enim constanter in Christi fide persistens, in vivum rogi incendium injectus, in eodem extinctus, martyrii palmam adeptus est. *Hæc Menæa, tam excusa quam varia manu exarata, & cum iis Maximus Episcopus Cytherarum ἐν βίοις ἁγίων.*

3 *16 & 17 Aprilis* *Eadem leguntur* XVI *Aprilis in Synaxario Cardinalis Mazarini Parisiis & in Menæis MSS. Mediolanensibus bibliotheca Ambrosianæ, in codice signato littera O & numero 148. In Menæis de more præmittitur elogio distichon, alludens ad professionem mimicam, ab imitando Græcis nominatam.*

Νῦν Μῖμος ὄντως Ἀρδαλίων ἢ πάλαι, E
Μιμούμενον γὰρ Μάρτυρας τὸ πῦρ φλέγει.
Nunc quam ante verior est mimus Ardaleon,
Namque imitatum Martyres flammæ cremant.

In Menologio quoque Basilii Porphyrogeniti Imperatoris dicto XVII *Aprilis elogium ponitur, quod ob multas circumstantias, rem gestam latius explicantes, hic etiam addimus.* Eodem die XVII certamen sancti Martyris *& Menologio Basilii Imp.* Ardalionis. Hic sub Imperio Maximiani mimicam artem exercebat; qua arte simul & aliis scenicis lusibus mire excellebat. In hoc ergo studio cum operam suam collocaret, semetipse Martyrem effecit, fortiter pro Christo dimicans. Quadam enim vice, cum in scena coram tyranno denudatus, suspensum ageret, ipsique plauderetur à spectatoribus, ejus tolerantiam laudantibus; voce magna exclamavit; & silentio petito impetratoque, conversus ad populum dixit: Nolite arbitrari me jam ludrica agere, sed in Christianę religionis veritate hæc accipite. Ego etenim Christianus sum. Tunc Princeps facie immutatus, primum quidem ipsum est adhortatus, ut ab eo quod dixerat, mentem amoveret, nec se in turpem mortem conjiceret: deinde cum ipse illis dictis non assentiretur, sed in F Christi fide ad mortem usque se velle persistere affirmaret; ingentem ignem curavit Princeps accendi in cujus medium Ardalio conjectus, hujus vitæ finem, gaudio exultans, accepit, letalem hac ratione diabolo plagam infligens.

4 *Die* XVIII *Aprilis sacra Ardalionis memoria celebratur in MS. Synaxario Græco Parisiensi Collegii Claromontani Societatis Iesu: addito eodem fere elogio, quod ex Menæis jam dedimus.* *memoria 18 Aprilis.* *Locus martyrii nusquam exprimitur: non tamen omnino temere suspicabitur aliquis, rem gestam esse in Oriente, cum istic forte Maximianus ageret; eo quod tota ejus notitia per Græcos derivata est ad ecclesiam Latinam: quæ nunc demum nomen Ardalionis & Martyrium ab ipsis edocta, illum Martyrologiis suis inseruit.*

G. H.

DE SANCTA THOMAIDE,

D

MARTYRE ALEXANDRIÆ.

SECULO V.



Gvilielmus Sirletus S. R. E. Cardinalis, *in Menologio Græco à se collecto, ista solum de hac sancta matrona habet ad hunc diem:* Eodem die sanctæ Martyris Thomaidis, ex urbe Alexandriæ. *Quo Menologio citato ista verba hodierno Martyrologio Romano inseruntur:* Alexandriæ S. Thomaidis Martyris. *In Notis addit Baronius,* plura de ea in Actis S. Febroniæ. *Colitur hæc* XXV *Iunii, martyrio coronata sub Diocletiano, Nisibi in Mesopotamia, ante sanctimonialis, cum quadam Thomaide; quæ illam abductam, cultu virum mentito, secuta est, & ejus martyrium, quod oculis spectarat, postea conscripsit. Habemus martyrii Acta in variis MSS. Latinis, & à Mombritio edita, quæ memoratus Sirletus etiam Græce transcripta reperit in Crypta-Ferrata prope Romam, & à se iterum Latine translata misit Aloysio Lipomano Episcopo Veronensi: hic autem ea sub nomine Metaphrastis edidit tomo* VII *Vitarum Sanctorum, & ex eo Surius ad diem* XXV *Iunii. Verum hæc Sanctimonialis* Thomais *multo senior est hac nostra* Thomaide*: quæ non Sanctimonialis, sed matrona conjugata; non in Mesopotamia aut Assyria, sed Alexandriæ in Ægypto; non in aliqua antiquorum Imperatorum persecutione, sed in summa Ecclesiæ pace, à socero suo, propter pudicitiam, seculo Christi quinto, martyrium subiit. Ejus illustre certamen refertur in Magnis Græcorum Menæis, excusis & manu exaratis, & apud Maximum Episcopum Cythæorum ἐν βίοις ἁγίων, quod inde Latine hic damus, & est hujusmodi.*

S. Thomais non vixit cum S. Febronia, sub Diocletiano in Mesopotamia Martyre,

B

sed Alexandriæ ob pudicitiam occisa seculo 5.

2 Eodem die XIV Aprilis memoria S. Thomaidis Martyris. Sancta hæc Thomais prognata fuit Alexandriæ, & à parentibus suis ad omnem honestatem educata, litterisque imbuta: ac postmodum viro in conjugio tradita, vixit in ædibus mariti magna cum laude honestatis & temperantiæ, prudenter se in omnibus & commode gerens. Degebat autem in eadem domo pater mariti, qui Thomaidem nurum suam acceperat: sed is quodam tempore, cum filius ejus & maritus Thomaidis à domo abesset, animarum perditor diabolus impuras seni contra nurum cogitationes immisit, ita ut incestuosa copula eam aggredi conaretur, & impium animi scelerati conceptum consummare. Obstitit mox B. Thomais, multis verbis improbum senem à scelere dehortata, & deprecata, ne pudorem sibi vellet extorquere: sed omnia frustra fecit. Impulsus enim ille, vel potius à dæmone in tenebras mentis abductus, & igne carnali instigatus, arrepto gladio nurum suam ac filii uxorem percussit, mediamque ferro divisit. Hæc ergo mox animam suam profudit; laureamque martyrii, pro tuenda pudicitia interfecta, reportavit: at senex socer extemplo cæcitate percussus, domi oberrabat. Contigit interea, ut aliqui accederent, filium ejus quærentes. Reperiunt hi Thomaidem uxorem ejus in terra mortuam jacentem: & hæc videntes, & una senem socerum cæcum circa parietes reptantem & oberrantem, interrogant, quid id spectaculum sibi velit. Fatetur senex facinus, sese que parricidii reum accusat: additque & rogat, ut ab iis ad Prætorem deducatur, à quo criminis facti sententiam accipiat. Faciunt illi quod senex rogarat, eumque ducunt ad tribunal Prætoris: qui cognita causa, gladio caput senis amputari curat.

Hæc matrimonio juncta,

à socero ad scelus sollicitata.

C

& assensum negans occiditur.

Socer cæcitate percussus,

& ultro ad Prætorem accedens, capite plexus est,

3 Hæc cum Daniel Abbas Scetheos intellexisset, Thomaidem in Schetem deportari curavit, ibique in suo cœmeterio sepelivit, ut quæ pro pudicitia sanguinem profudisset. Fuit autem ibidem in Scethe aliquis, qui spiritu fornicationis ad libidinem vehementer incitabatur: is cum ad beatæ Martyris reliquias & tumulum accessisset, sesque oleo ex lucerna ibidem appensa inunxisset; accepta per nocturnam quietem, qua Martyr illi visa est, cælesti apprecatione experrectus, se penitus ab omni libidinis affectu expeditum sensit. Ex hoc igitur tempore huc usque Fratres hujus monasterii, in hoc carnis conflictu; singulare præsidium per B. Thomaidem acceperunt.

E

Corpus Sancta in monasterium Scethes delatum,

miraculis claret:

4 *Hactenus Menæa, in quibus indicatus* Daniel, Abbas in monasterio Scethes, *videtur is esse, qui cum S. Arsenio ibidem vixit; ejusque virtutes post illius obitum posteris solebat narrare, ut refertur apud Ruffinum libro 2 de Vitis Patrum cap. 37 & duobus sequentibus; & libro 5 interprete Pelagio libello 10 cap. 8, libello 15 cap. 9 & libello 18 cap. 3. Quo posito, statuimus seculo quinto S. Thomaidem martyrium passam, ejusque corpus in dicto cœnobio asservatum fuisse. Distichon elogio præfixum in Menæis, nullam Martyrii mentionem continens, cuivis Sanctæ, etiam in pace defunctæ, posset aptari, & tale est.*

sub Abbate Daniele seculo 5.

F

Αἰῶνος ἦρας τῦδε τὴν Θωμαΐδα,
Τῦ τῆς γραφῆς μέλλοντος αἰῶνος Πάτερ.
Ab hoc tulisti seculo Thomaida,
Quondam futuri seculi dictus Pater.

DE SANCTO ABVNDIO,

G. H.

MANSIONARIO ECCLESIÆ S. PETRI ROMÆ.

SECULO VI



Ontifex Sanctissimus Gregorius Magnus, *libro* III *Dialogorum capite* XXII, *de S. Abundio ista scribit:* Alius hic non ante longa tempora, sicut nostri seniores referunt, Custos ecclesiæ Abundius dictus est, magnæ humilitatis atque gravitatis vir, ita omnipotenti Deo fideliter serviens; ut idem beatus Petrus Apostolus signis ostenderet, quam de illo haberet æstimationem. Nam cum quædam puella paralytica, in ejus ecclesia permanens, manibus reperet, & dissolutis renibus corpus per terram traheret, diuque ab eodem beato Apostolo peteret, ut sanari mereretur; nocte quadam ei per visionem astitit, & dixit: Vade ad Abundium Mansionarium, & roga illum, atque ipse tibi salutem restituet. Cumque illa de tanta visione certa esset, sed quis esset Abundius ignoraret; cœpit huc illucque per ecclesiæ loca se trahere, ut quis esset Abundius investigaret. Cui repente ipse factus est obviam quem quæsivit, eique dixit: Rogo te, Pater, indica mihi quis est Abundius Custos? Cui ille respondit: Ego sum. At illa inquit: Pastor & nutritor noster Petrus Apostolus ad te me misit, ut ab infirmitate ista liberare me debeas. Cui ille respondit: Si ab ipso missa es, surge: manumque ejus tenuit, & eam in statum suum protinus erexit. Sicque ex illa hora omnes in ejus corpore nervi ac membra solidata sunt, ut solutionis illius signa ulterius nulla remanerent. Sed si cuncta quæ in ejus ecclesia gesta cogno-

Paralyticam à S. Petro ad se missam sanat.

A cognovimus, evoluere conamur, ab omnium jam procul dubio narratione conticescimus. *Hæc S. Gregorius.*

2 *Cultus sacer hujus Sancti perseverat in ecclesia Vaticana, in qua Officium Ecclesiasticum præscribitur* de SS. Tiburtio, Valeriano & Maximo Martyribus, cum commemoratione S. Abundii Confessoris, Mansionarii S. Petri, *in primis Vesperis & Laudibus: & hæc de eo in Tabulis martyrologii Romani recitantur:* Romæ S. Abundii Mansionarii Ecclesiæ S. Petri. *Memoria quoque depositionis S. Abundii ad hunc diem refertur à Molano in prima editione Vsuardi a se aucti, & à Canisio in Martyrologio Germanico. Aliquod ejus elogium ex prædicto Dialogo sumptum habet Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ, & Brautius Episcopus Sarsinæ hoc eum disticho celebrat:*

Colitur officio Ecclesiastico.

A Petro sancto contracta puella remissa,
Sospes ab ignoto reddita virgo redit.

3 *Galesinius, eumque secutus Ferrarius in Catalogo generali ad* IV *Ianuarii ista habent:* Romæ S. Agontii Custodis ecclesiæ B. Petri Apostoli. *Vbi in notis ambo allegant citatum locum S. Gregorii, ut videatur ex mendoso codice Galesinius* Agontium *loco* Abundii *scripsisse. Addunt ambo eum* quievisse in Domino anno salutis DLXIV.

refertur etiam 4 Ianuarii.

AUCTORE G. H.

DE SANCTO LANTBERTO,

EX ABBATE FONTANELLENSI ARCHIEPISCOPO LVGDVNENSI.

G. H.

CIRCA AN. DCLXXVIII.



Ontanella, *ad Sequanam fluvium in hodierna Normannia, inter Rotomagum & Oceanum illustris Abbatia, seculo Christi septimo à* S. Wandregisilo *extructa est, à quo etiam* S. Waudril *vulgo nuncupatur. Huic fundatori ac primo Abbati subrogatus est* S. Lantbertus, *de quo nunc agimus. Extat Chronicon Fontanellense, subinde ex nostro apographo à nobis citatum, postea à Luca Dacherio tomo 3 Spicilegii vulgatum, tempore Ludovici Pii Imperatoris exaratum: & quod tunc temporis in primo suo vigore esset ratio temporis ab ortu Christi computandi, eique inserendi Indictiones cum annis aut saltem nominibus Romanorum Pontificum; idem præstitum ab auctore dicti Chronici & dicti monasterii scriptoribus, etiam in anterioribus seculis, in quibus necdum similis calculus in Gallia fuerat assumptus. Hinc non absque mendis variis similes notæ intrusæ leguntur in Actis SS. VVandregisili, Lantberti & successorum Abbatum, imo etiam in Vita S. Audoëni Archiepiscopi Rotomagensis, à quo S. VVandregisilus sacris Ordinibus initiatus, in ejus diœcesi suum monasterium construxit. Extat duplex Vita S. VVandregisili, utraque ab auctore coævo; in cujus altera, auctore Fontanellensi monacho, ex Chronico Fontanellensi, ut sciretur quando dictum monasterium esset constructum, hæc temporis nota est inserta:* Cœptum hoc opus ab anno Dominicæ Incarnationis DCXLV, sub die Kalendarum Martiarum, Indictione III, qui erat annus Regis Chlodovei XI, Pontificante Sedem Romanæ Ecclesiæ anno VII beatissimo Papa Martino. *Hæc ibi. Verum dicto anno* DCXLV *tantum convenit Indictio* III. *At S. Martinus Papa solum creatus est mense Iulio anni* DCXLIX, *ac proinde multo magis abest annus ejus* VII, *quem habuit mense Martio procul à Sede sua Romana in exilio, jam tunc substituto in ejus locum S. Eugenio II Vicario. Demum annus* XI *Chlodovei inventus ab iisdem, quia volebant eum patri suo Dagoberto I substitutum anno* DCXXXIII *& quidem à die* XIX *Ianuarii, ut scilicet anno Chlodovei* III, *Christi* DCXXXV, *assererent SS. Eligium & Audoënum consecratos Episcopos fuisse die* XIV *Maii, Dominica ante Rogationes sive Ascensionem Christi, quod dicto anno cyclo, Luna 9, Solis* XXVIII, *littera Dominicali A, & Paschate in diem* IX *Aprilis concurrente, ista hoc modo convenissent. Verum quomodo prædicta de consecratione Episcoporum Eligii & Audoëni sint accipienda, tradimus in Diatriba de tribus Dagobertis Regibus Francorum innovata & stabilita, & novis characteribus temporum illustrata, ante tomum tertium hujus mensis Aprilis: unde concludimus, in dicto Chronico Fontanellensi obitum Dagoberti I ad quinque annos anteverti.*

Chronicon Fontanellæ,

B

& Vitæ variæ Sanctorum habent annos Christi perperam insertos.

C

2 *Dicimus autem Dagoberto anno* DCXXXVIII, *die* XIX *Ianuarii mortuo, successisse Chlodoveum II, ejusque annum regni* XI *convenire in annum* DCXLVIII, *quo anno Fontanellense cœnobium ædificari cœpit die Kalendarum Martiarum. A quo die vixit S. VVandregisilus usque ad* XXII *Iulii, anni* DCLXVII, *quo mortuus est, anno regiminis* XIX, *mense* IV, *die* XXI, *qui dicitur in dicta S. VVandregisili Vita undecimus annus Chlotharii* III, *qui patri suo Chlodoveo anno* DCLVI *successit. Hujus ergo Chlotharii anno* XI, *Christi* DCLXVII *adhuc mense Iulio, est S. Lantbertus Abbas Fontanellensis creatus: & quia idem monasterium rexit annos* XIII, *menses* VIII, *reliquit, illud anno* DCLXXXI *saltem ad finē fere Martii, quo ordinatus est Archiepiscopus Lugdunensis. Interim dum esset Abbas, mortuo Rege Chlothario III, anno* DCLXX *versus finem declinante, successit Frater junior Theodericus, eoque pulso anno* DCLXXI *Childericus ex Austrasia advocatus, qui cum* non plene annos quatuor *rexisset, occisus anno* DCLXXV *habuit Theodericum fratrem successorem: cujus anno* VI *successit S. Lantberto in regimine cœnobii Fontanellensis S. Ansbertus: & hujus annus secundus convenit in annum* VII *regni Theoderici, prout Aigradus tradit in Vita S. Condedi* XXI *Octobris, & calculum nostrum confirmat. Imo in eadem S. Condedi Vita* annus III Theoderici Regis, *&* annus XI S. Lantberti *(nam ita characteres inversos* IX *corrigendos esse locus ante indicatus exigit) ad* diem X Octobris *conveniunt in annum Christi* DCLXXVIII. *At dictus Ansbertus, à S. Lantberto aliisque Episcopus consecratus est in Archiepiscopū Rotomagensem, cum* XXIV *Augusti, obiisset ejusdem urbis Antistes S. Audoenus, anno* DCLXXXIII, *est post annos regiminis tres & quadraginta, menses quatuor & dies decem. Vbi iterum interpolatores Fontanellenses annum* DCLXXVII, *in Vita edita & MS. appesuerunt. sed ex principiis eorum positis debebat esse annus sequens* DCCLXXVIII. *forte facili amanuensium errore perperam notatus. Quamdiu autem S. Lantbertus dictam Ecclesiam Lugdunensem rexerit, non constat. Mabillon annum obitus refert ad annum* DCLXXXVIII; *sed quo nixus fuerit argumento, non indicat.*

Anno 648 Fontanella extructa;

an 667 S. Wandregisilo succedit S. Lantbertus,

E

ordinatus an. 681 Archiep. Lugdunens.

consecrat an. 683 S. Ansbertum Archiepisc. Rotomagen.

3 *Acta S. Lantberti, uti etiam SS. Ansberti & Condedi, scripsit Aigradus auctor coævus. Sed solum hactenus aliquod eorum fragmentum, repertum à Luca Dacherio editumque in Appendice Actorum, quæ de Sanctis Ordinis Benedictini ediderunt Dacherius & Mabillonus: ex quorum parte 2 tomi 3 hic damus idem fragmentum, & notationibus nostris illustramus: eique subjungimus, quæ de eodem habentur in Actis SS. Ansberti, Hermelandi, Eremberti & Condedi; qui omnes sub ipso S. Lantberto vitum apud Fontanellenses monasticam egerunt. Illustris etiam ejusdem S. Lantberti mentio est in citata S. VVandregisili Vita: quæ fere eadem, uti nonnulla ex Vita S. Ansberti, repetuntur infra in Fragmento hujus Vitæ, & ideo ea omittimus.*

F

Datur fragmentum Vitæ cum analectis

4 *Cultus sacer S. Lantberti apud Fontanellenses antiquus vel inde colligitur, quod apud eos extiterit vetus aliquid apographum Martyrologii Hieronymiani, in quo uti ad* XXII *Iulii primo loco refertur cum illustri encomio* memoria S. Wandregisili, *& ad* IX *Martii sub finē* memoria S. Ansberti, *& ad* XXX *Aprilis* translatio S. Eremberti; *ita ad hunc diem* XIV *Aprilis adscripta fuerunt ista verba:* Et in Lugduno civitate transitus Domni Landiberti Episcopi. *Quæ verba postea in Lucensi codice à librario inter Martyres Interamnenses, de quibus egimus fuerunt intrusa, forte quod ante fuissent ad marginem*

cultus sacer,

AUCTORE G. H.

nem adscripta. In MS. codice Blumiano ejusdem Martyrologii Hieronymiani, paucis mutatis, dicitur Depositio Landiberti. *In MS. Martyrologio Bruxellensi Ecclesiæ S. Gudilæ, quæ est dicta urbis primaria, ista leguntur:* Transitus S. Lantberti Episcopi Lugdunensis, discipuli S. Wandregisili, & secundi post ipsum Rectoris cœnobii Fontanellensis. *Quæ fere eadem habentur in MS. Florario Sanctorum. In vetusto Breviario Fontanellensi ejus* festivitas *rubeis litteris exprimitur. Meminerunt ad eumdem diem* S. Lantberti *Grevenus & Molanus in Additionibus ad Vsuardum, & iterum Molanus cum longiore encomio in Natalibus Sanctorum Belgii, Miræus in Fastis Belgicis & Burgundicis, Saussajus in Martyrologio Gallicano, Canisius in Germanico, & cum hisce Tabulæ Martyrologii Romani his verbis:* Lugduni S. Lamberti Episcopi & Confessoris. *Fuimus nos anno* MDCLXII *Lugduni & Fontanellæ, didicimusque in hoc cœnobio eum solenni cultu celebrari: at Lugduni accepimus Kalendarium ac Vitas Sanctorum Breviarii Lugdunensis, auctore Stephano Vernaio Presbytero, unde habemus illustre encomium ex ejus Actis desumptum: quale edidit, sed multo amplius, Theophilus Rainaudus in Indiculo Sanctorum Lugdunensium.*

B

etiam apud Benedictinos,

5 *Controversia nuper est exorta de Regula, quam suis præscripserit S. VVandregisilus, & servarint SS. Lantbertus & Ansbertus. Nos extra lineas disputationis ad Vitam S. Ansberti adduximus longum elogium VVionis, ac dein citavimus Dorganium & Menardum. Eodem modo hoc loco facimus. Trithemius lib. 4 de Vitis illustribus Ordinis S. Benedictini cap. 4 celebrat* S. Lantbertum, *sed perperam* Archiepiscopum Bituricensem *facit: quo errore emendato inscripserunt eum Martyrologiis Benedictinis VVion, Dorganius, Menardus, Bucelinus. Opponit se Benedictinis Carolus Cointius in Annalibus Ecclesiasticis Francorum ad annum 667 num. 1 & seqq. & ad annum 734 num. 69. Contra Ioannes Mabillon in Præfatione ad partem 2 tomi 3 Actorum de Sanctis Benedictinis num. 35 & sequentibus, propugnat Benedictinos & alterius argumenta rejicit: quæ omnia ibidem apud dictos auctores videri possunt. Quidquid sit de oppositione Cointii, sufficit antiquus cultus S. Lantberti, quem possunt ac debent Benedictini inter sui Ordinis Sanctos retinere.*

Titulus Vitæ.

6 *Vitæ jam dandæ hic titulus præferebatur:* Incipiunt Actus B. Lantberti Abbatis, qui secundus post B. Genesium factus est Præsul Ecclesiæ Lugdunensis, & post almificum Wandregisilum Rector cœnobii Fontinellensis per annos tredecim & menses octo, qui etiam Duseram cœnobium construxit in regione, quæ vocatur Provincia, super fluvium Rhodanum, cujus tempore plurima Ecclesiæ nostræ adcreverant. *Hæc ibi. Ex quibus colligimus Auctorem Vitæ fuisse monachum Fontanellensem, & ut diximus Aigradum auctorem coævum. Fuit autem S. Lantbertus* secundus à S. Genesio *Episcopus Lugdunensis, id est, ejus proximus successor.*

C

FRAGMENTUM VITÆ.

Ex MSS. à Luca Dacherio erutum.

a S. Lantbertus Taruanensis, b c aula Regis relicta d

1 LAntbertus vir valde clarissimus, & nobilissimi generis prosapia ortus, à patre, nomine *a* Erleberto editus territorio Taruennico, succedit primus in regimine cœnobii magno Domini Sacerdoti atque in Christo admirabili Patri *b* Wandregisilo. Hic in aula Regis juvenculi Chlotharii, filii *c* Chlodovei, sub seculari prius habitu militavit, licet ejus mens alterius militiæ plus anhelaret, sicuti eventus rei indicio est. Anno denique juvenculi Regis *d* octavo, militia Regis corruptibilis deserta, gladiisque è ferro formatis exutus, ad fulgida Christi castra devotissime convolavit, & indutus galea salutis, lorica fidei, ac gladio sancti Spiritus contra invisibilem hostem feliciter dimicavit. Tonsuram quoque capitis in isto cœnobio, sub sanctæ memoriæ prædicto venerando Patre Wandregisilo, suscepit, quarto videlicet anno ante, quam ipse famulus Christi viam ingrederetur Patrum. Hujus namque avunculi, viri clarissimi atque in seculo nobilissimi, quorum vocabula sunt *e* Rotbertus ac Altbertus, fuerunt (quorum prior Rotbertus summus palatii tum temporis fuerat Referendarius, secundus Altbertus sequenti tempore ab ipso sancto viro Lantberto *f* Clericatûs suscepit habitum) qui eumdem clarissimum virum ad istud Fontanellense honorifice deduxerunt cœnobium, licet ab hac eum vellent intentione reflectere, ut in populari potius permaneret habitu. Qui in die suorum præcisionis capillorum, inter alia diversarum specierum munuscula, septuaginta auri solidos prædicto magno Patri contulit, quod in ornamentis suis fabrefactorio opere insitum erat, in baltheo videlicet, zonis atque armillis. Erat namque ditissimis atque honorabilibus parentibus, atque in domo regia non mediocriter honorandus, sed in maximo fulgens honore: nempe sicut nobilem se exhibebat seculi negotio, ita nobiliorem reddidit vitæ innocentia. Diligebat autem illum prædictus admirabilis cœnobii Pater, pro insignita ei castæ conversationis operatione. Quo vero ordine post ipsum regiminis assumserit ordinem, in præsenti nunc dicendum est opere.

D

e Fontanellam ab avunculis deductus, fit monachus: f

E

g h succedit S. Wandregisilo:

2 Cum beatus igitur antefatus Christi *g* Wando per X & IX annorum spatia & mensium *h* quinque hoc cœnobium à primo ædificationis suæ die in regimine tenuisset, jamque foret in decrepita & veterana ætate positus, idem nonaginta sex annorum ante obitus sui diem modico corripitur languore. Jamque in extremis posito atque in agone suæ dissolutionis intento, interrogat ab eo universum agmen Fratrum, quem sibi post suum discessum instituat Rectorem. Quibus tale fertur dedisse responsum: Deus vobis, carissimi Filii, post meum obitum credo quia optimum providebit Rectorem: ejus tamen supplex famulus imploro clementiam, ut suæ familiæ dignum tribuat dispensatorem, qui duplicem ei tribuat alimoniam. Vos vero, carissimi, voluntati ejus consulite, & quæ agenda sunt in ejus semper arbitrio ponite, meumque cursum amplius fatigare nolite, imo precibus vestris me protegitote, atque mearum admonitionum semper mementote. Christo summo omnium pastori vestri curam hodie commendo: ipse vos concedat sic mea parvissima monita mente retinere, suaque suavissima præcepta jugiter custodire, ut ad ejus mereamini æternam claritatem feliciter pervenire. Duo tamen adsunt in præsentia vestri, jucundissimi mei filii, quibus post modicam meam dissolutionem regiminis succumbet locus. Erat autem is Lantbertus unus è duobus, alterque clarissimus Ansbertus, utrique virtutibus excellentissimæ religionis satis insigniti atque in Dei opere sodales. Hanc sacram allocutionem idem Dei famulus cum explesset, animam suam cælo reddidit, angelicis choris sociandam, ad felicitatem paradisi possidendam, XI Kalendarum die, *i* feria VII, Indictione VII. Post cujus gloriosissimum transitum omnis caterva monachorum Christi exorat clementiam, triduanum celebrans cum omni devotione jejunium. Quo devotissime celebrato, eligit prædictum Lantbertum regiminis loco subrogandum, anno Incarnationis dominicæ DCLXV, Indictione supra scripta, qui erat præfati juvenculi Regis Lotharii annus undecimus; porro Vitaliani Papæ *k* septimus jam fluxerat annus. Perseveravit autem in eodem cœnobio annos tredecim, & menses octo sub tribus fratribus Regibus, sceptra regni Francorum per ordinem

F

i

& præfuit annos 43 & menses 8. k

A ordinem vicissim tenentibus, id est Chlothario, Childerico, atque Theoderico.

3 Erat autem iisdem venerandus Pater Lantbertus opere castus, caritate diffusus, fide firmissimus, in consiliis providus, in bonitate conspicuus, in colloquiis affabilis, atque in omni re optima promptus; statura quoque procerus, aspectuque decorus: ab ima pedis planta usque ad capitis verticem summum erat elegantissimus. Cuncti denique Reges antefati haud eum aliter tam in collocutionibus mutuis, quam etiam in privilegiorum seu epistolarum descriptionibus quas eidem porrigebant, vocare volebant Domnum & in Christo Patrem nostrum venerabilem Lantbertum Abbatem. Nam postquam vita functus est præfatus juvenis Rex Chlotarius, l fratresque suos Childericum & Theodericum superstites reliquisset, ortaque esset inter ipsos valida contentio pro fastigio Regni; aliis Hilderici parti faventibus, aliis in Theodericum declinantibus; ita iste vir venerandus cautum se reddidit, ut in neutram partem declinaret, donec populi pars æmulam sibi partem superaret. Elevato namque in sede Regni Hilderico, in tanto apud eum est honore habitus, ut quidquid ab illo postulasset, absque alicujus obstaculo difficultatis promereretur. Quod etiam ex largitionibus quarumdam possessionum, quas eidem venerabili Patri & isti cœnobio contulit, liquidum fore constat. Denique ad petitionem Reginæ suæ Bilhildæ atque venerabilium Episcoporum, id est bonæ recordationis m Leodegarii Episcopi, qui postea gloriosissimus effectus est Martyr, n Nivonis etiam Episcopi, & Ermonii; atque illustrium virorum, quorum hæc sunt nomina, o Fucoaldi, Amalrici, Wlfoaldi Majoris domus regiæ, p Bavonis, Waningi, Adalberti, Gerini fratris clari præfati Leodegarii Episcopi, largitus est præfato venerando patri fiscos duos, quorum sunt vocabula, q Ulmius, & Warinna, qui sunt siti in pago Tellau juxta fluvios Tella & Warinna nominatos, cum universis adjacentiis eorum, id est Crisciaco, Seda, Magneroto, & item Magneroto, Neon & Toscarias, simulque terram super littus maris, & areas salinarum piscationumque, quæ ibidem institutæ erant; vineas etiam in Warnaco, super fluvio Sequana, sitas in pago Vilcassino, cum omni integritate earum. Hæc universa, auctoritate sua duo privilegia condens, eidem venerabili Patri istique Cœnobio Fontanellensi jure firmissimo in ævum contradidit possidenda. Edita est autem hæc regia largitio Arlauno jucundo palatio, r XII anno præfati Regis in Austria, qui fuerat primus in Neustria; porro ejusdem Rectoris Cœnobii lucidissimi anno s quinto, ex quo regiminis locum sortiebatur post decessum felicissimum magni Patris Christique clarissimi Sacerdotis Wandregisili. Plurimæ namque ejusdem Regis diversarum possessionum largitiones ad ipsum reverendissimum Patrem editæ usque nunc exstant, quas etiam dinumerare laboriosissimum est. Hic enim inter alia diversa donaria, etiam de saltu Gemeticensi eidem venerabili Patri partem contulit: unde nonnulla manent apud nos privilegia, quæ pro munere sacro in isto Cœnobio recondita tenentur. Ipsis namque, si quis ea lectioni rata duxerit, inveniet loca designata, per quæ ipsius donationis meta terminatur.

ob virtutes Regibus venerabilis,

iisque de throno contendentibus medius,

ab Childerico prædiis donatur.

Cum S. Filiberto Abbate litem habet.

4 Orta est illo in tempore lis non modica inter ipsum venerabilem Patrem Lantbertum ac reverendissimum Gemeticensis cœnobii Rectorem t Filibertum pro ejusdem saltus terminatione: quos gloriosæ recordationis magnus Rotomagensis Ecclesiæ Pontifex Audoenus una cum sua auctoritate, simulque præfati Regis epistola pro eadem re sibi directa, ad veræ pacis concordiam revocavit, æquaque sorte ipsum saltum inter eosdem almificos Patres divisit. Et quia Patris Lantberti major fore portio videbatur, præfatus Antistes una cum ejus consensu ex eadem divisione basilicæ clari Martyris Christi Dionysii, quæ sita est super ora alvei Sequanæ, in loco qui nuncupatur u Duro-Clarus, ubi Lidoaldus regiminis locum tenebat, aliquam contulit portiunculam. Erat namque sanctitate perspicuus, cujus talia semper fuerunt perfectionis insignia, ut viam salutis sacris prædicationibus civibus suis aperiret, & imperitos populos lucidis exemplis instrueret, discordes etiam vigore superni Spiritus inflammatus, summa industria ad nitorem concordiæ revocaret.

5 Antefatus autem x Rex Childericus insidiis satellitum suorum, y Amalberti videlicet & Ingolberti, simulque Bodilonis, nec non & Lupi aliorumque, una cum conjuge sua, vocabulo Bilhilde, filioque nomine z Dagoberto, vita & regno privatus est: quorum corpora prænominatus maximus... *Reliqua desunt.*

Childericus cum Dagoberto filio occiduntur.

ANNOTATA.

a Erlebertum *ex antiquis Comitibus Bononiensibus, Ambianensibus, Teruanensibus & Thurnhemiensibus deducit Malebrancus lib. 3 de Morinis, & ipsum* Erlebertum *appellat* Dominum Kernensem, *quem Lector consulat.*

b S. Wandregisilus *mortuus est an. 667, 22 Iulii.*

c Chlodoveo II *mortuo an. 656, successit* Chlotharius III.

d *Ergo anno Christi 663.*

e Rotbertus *sive* Robertus *pater S. Andragismæ sive Andragisinæ, quæ fuerat desponsata S. Ansberto, successori S. Lantberti apud Fontanellenses & dein Archiepiscopo Rotomagensi, in cujus Vita 9 Februarii num. 4 ista leguntur.* Genitor hujus sanctæ Virginis, illustris Rotbertus, generosa ex stirpe proditus, gerulus fuerat annuli Regis Chlotharii, *& dein num. 6.* Illustris Rotbertus, & frater ejus Altbertus avunculi erant sancti Patris Lantberti, successoris in ordine regiminis B. Wandregisili, originem ducentes ex territorio Teruanensi.

f *In eadem S. Ansberti Vita dicitur* Altbertus sub Abbate Lantberto in Fontanella monasterio monachus effectus.

g *Is est* Wandregisilus, cognomento Wando, *uti Acta ejus habent.*

h Mensium *fere* quinque, *scilicet à Kalendis Martii, quibus dicitur cœpta extrui Fontanella, anno 11, Chlodovei Christi 643, & mortuus est an. 667 22 Iulii,* anno regiminis 19, mense quarto, die primo & vigesimo, *uti in ejus Vita legitur.*

i *Hæc inserta sunt à posteris ex Vita ejus interpolata, & conveniunt anno 665, quando littera Dominicali F dies 22 Ianuarii incidit in* feriam VI, *& erat Indictio* VIII, *sed hic inverso numero uno dicitur* feria VII, *&* Indictio VII. *Verum dictus modus annorum Christi & Indictionis non erat tunc visitatus, sed tempore Ludovici Pii adjunctus est.*

k *Nec hic annus convenit. S. Vitalianus electus est anno 656, 31 Iunii, ergo dicto anno 665 die 22 Iulii, jam fluxerat fere annus 10, & anno 667, quo diximus mortuum esse, annus fere 12. In Vita S. VVandregisili dicitur* annus Vitaliani nonus.

l *Anno 670 Chlotario mortuo, primo subrogatus est Theodericus, quo dein amoto Childericus, ante Rex Austrasiæ.*

m *S. Leodegarius sublimatus super omnem domum Childerici, mortuus sub Theoderico, ex sententia Ebroini post varia tormenta 680 occisus: colitur 2 Octobris.*

n *Quinam hi sint non æque constat. Verum ex nostro sensu* Nivo, *aliis* Nivardus *dicitur; & fuit Archiepiscopus*

AUCTORE G. H.

Remensis, qui cum S.Leodegario, præsente eodem Rege Childerico, subscripsit epistola S.Bercharii Abbatis, quo hic cœnobio suo Dervensi plures villas largitur. Ast Emmonius *videtur aliis* Emmo *dici*, *& est Archiepiscopus Senonensis; quem Odorannus & Clarius in suis Chronicis Senonensibus asserunt obiisse anno 675.*

o *Hi tres memorantur in Vita S.Berchari, huic auxiliati ut fundus Dervensis à Childerico Rege donaretur, & scribuntur* Fulcoaldus, Almaricus *&* Vulfandus:*ubi per errorem* Almaricus *appellatur* Major-Domus,*qua dignitas hic attribuitur* Vulfoaldo, *uti etiam in Vita S. Leodegarii, & S.Prajecti, Episcopi Arvernorum 25 Ianuarii, &* Senior-Domus *appellatur.*

p *Ex his noti sunt S.* Waningus *cujus Acta dedimus 9 Ianuarii &* Gerinus *una cum fratre S. Leodegario occisus.*

q *Sunt etiamnum parochiæ*, Usino *vulgo &* Verneol *in diœcesi S.Leodegarii Augustodunensi & Archipresbyteratu Corbigniacensi, ubi item amnis* Warinna *vulgo* la Varenne *&* Tella, *unde ditio* Tellau. Tellau *pagus etiam traditur in Vita S. Hugonis 9 Aprilis esse in confinio Normanniæ.*

B

r *Legebatur* XI anno, *facili amanuensium errore. Nam dedimus 25 Martii diploma S.Humberti ex originali MS. Maricolensi, & sigillo hujus S. Humberti munito*, anno Childerici Regis duodecimo, *& quidem* XV Kalendas Aprilis, *uti interposuit Baldericus lib. I Chronici Cameracensis cap.27, quod aliunde potuit scire.*

s *Annus quintus Lantberti cœpit mense Iulio anni 671, & duravit usque ad Iulium anni 672. Potuit ergo mense Martio Childericus egisse annum 12 regiminis in Austrasia, & dein post mensem Iulium cœpisse in Neustria regnare.*

t S.Filibertus *aliis* Philibertus *fundator & primus Abbas Gemmeticensis, vulgo* Jumieges, *eodem istic tempore floruit, mortuus sub Theoderico Rege 20 Augusti quo colitur.*

u Duroclarus *vulgo* du-Clair *oppidulum ad Sequanæ, excurrentis ripam dexteram.*

x *Childericus Rex* non plene annos quatuor in Neustria *præfuisse dicitur in Vita S. VVaningi, occisus anno 675 labente.*

y *Meminerunt* Ingolberti Amalberti & Bodilonis, *Historia jussu Childebrandi scripta, c.95 & Gesta Francorum cap. 45, & addunt conspirasse* reliquos majores natu Francorum, *ex quibus fuit hic indicatus* Lupus, *qui ut* pessimus Dux in exilium retrusus *jussu Theoderici dicitur apud Chesnæum ex MS. Regis Britanniæ tomo 1 pag.795.*

C

z *Hinc colligimus errorem illapsum in Vitam S. Audoëni, ubi* Dagobertus filius Sigeberti, *loco* Childerici *dicitur, quia alter* Dagobertus Rex Austrasiorum *fuit in suo regno anno 680 occisus.*

ANALECTA.

Ex Actis SS. Ansberti, Hermelandi, Eremberti & Condedi.

Consilio S. Ansberti utitur:

1 Agradus *in Vita S. Ansberti ista de S. Lantberto scribit :* Inspirante gratia Divinæ caritatis beatum Christi famulum Ansbertum idem venerabilis Pater venerabatur ut patrem, diligebat ut filium : eratque eis in Domino cor unum & anima una. Is autem, qui regiminis susceperat curam, ad consulta sancti Patris Ansberti, in tractando grege Christi *a* secundum normam sanctorum Patrum strenue cuncta atque irreprehensibiliter gerebat: quorum exemplis piæ actionis, ac verborum sedulis exhortationibus plurimi excitati, carpebant itinera sanctæ conversationis.

Diseram in Provincia accipit à Rege:

2 Huic venerando Patri Lantberto Theodoricus Rex, filius Chlodovei Regis & Bathildis Reginę, largitus est patrimonium aliquod, quod situm erat ultra fluvium Rhodanum, in regione, quæ proprie vocatur Provincia, eo videlicet modo, ut hoc prædium monachis, in cœnobio Fontanellæ morantibus, luminaria ministraret ecclesiæ, in oleo & ceteris hujus rei necessariis. In quo loco prædictus Pater egregium condidit cœnobium monachorum, directis ex cœnobio Fontanella monachis, qui illud laudabile opus diligenter executi sunt. Et de prædio parvo magnum hactenus extat monasterium monachorum, & in illa regione ab aliis præcipuum, *b* incursione nefandæ gentis Agarenorum tempore depopulatum.

D

ibique monasterium extruit:

aliud ad Ligerim per S. Hermelandum,

3 Sub cujus etiam regione B. Hermelandus, ex prædicto monasterio Fontanella, rogante venerabili Pontifice Paschario Nannetensis urbis, in eamdem regionem Nannetensem ab ipso Patre Lantberto directus, in quadam insula alvei Ligeris, quæ vocabatur Antrum, juxta nominis ejusdem proprietatem, monachorum venerabile ædificavit cœnobium. In cujus largitione prædictus Antistes Paschasius statuit, ut post decessum ejusdem venerandi Patris Hermelandi, ex monasterio Fontanella, per cuncta succedentia secula, sibi instituant Rectores, universi præfati loci habitatores; veluti largitiones ejusdem loci,quę adhuc in præfato monasterio Fontanella servantur, apertissime declarant.

E

suscipit SS. Erembertum & Condedum:

4 Prædicto etiam Patre Lantberto regimen loci tenente, beatus Christi Pontifex Erembertus Tolosanæ urbis, & sanctus Presbyter Condedus & anachoreta, Britannia insula ortus, in prædicto monasterio Fontanella monachicum Deo dignum & nomen assumpserunt & habitum. Plurima autem de tanto Patre, nisi ad alia festinaremus, Deo digna & loco utilia, per eum & sub ejus regimine gesta, dici poterant, quæ in ejus gestis olim plenius memoriæ tradidimus, posteris intimanda.

S. Genesio defuncto fit Episcopus Lugdunensis:

5 Quo vero ordine in Lugduno, celeberrima urbe Galliæ, Pontifex sit subrogatus, brevi sermone narrabimus. Defuncto igitur S. Genesio, Præsule ejusdem urbis, cujus Deo dignam vitam laudabilia commendant gesta; illico pius Rex Theodericus & inclytus Princeps Pipinus, Ansigisi filius, consobrinus videlicet beati Patris Wandregisili, cum Proceribus palatii salubre agentes consilium, Divina utique providente jussione, in præfata urbe, cum unanimi ejusdem regionis populi voto, ejusdem urbis eum constituerunt Antistitem. Sed cum diu humilitate nimia renitens nollet suscipere, Regali jussione & Sacerdotali electione compulsus, præfatæ metropoleos urbis *c* ordinatur Pontifex. Sicque ad eamdem provinciam cum honore Sacerdotii sui condigno directus, humilitatis ac sanctæ prædicationis piæque actionis exemplis, gregem Christi sedulo moderamine irreprehensibiliter rexit. Ibique à Deo vocatus, vinculis terrenæ corruptionis exutus, ad supernæ civitatis gaudia feliciter migravit.

F

sancte moritur.

S. Hermelandum sacro habitu induit

6 *Ex prædictis Sanctis, qui vixerunt sub S. Lantberto, primus est Hermelandus, aut Ermenlandus, cujus Vitam à coævo scriptam illustravimus ad* XXV *Martii, ex qua pauca hæc decerpimus de Lantberto.* Beatissimus Ermenlandus, cum Regis optimatumque benedictione palatio egressus, ad Fontanellæ monasterium, ubi venerandus Landbertus regularis præerat monachorum Pater, concito pervenit cursu. Conversionem namque in præfato expetiit cœnobio, & ab ipso Abbate Fratribusque omnibus effectum suarum obtinuit precum. Juxta morem autem monasticæ vitæ *d* in cella novitiorum probatus, perfectionis votum promissione confirmavit sacra; omnibus ita ornatus virtutibus, ut inter ceteros commilitones, ut lucifer ceteris stellis clarior, radio virtutum conspicuus refulgeret.

admititi ad professionem:

Quod

AUCTORE G. H.

A Quod sagaci venerabilis Abba Landbertus deprehendens intuitu, quem erudiendum discipulatus susceperat gratia; veluti magistrum pro ejus virtutum venustate venerans, amabat. Sacris quoque altaribus dignum eum approbans, Sacerdotem eum sibi ordinari fecit ab Episcopo...

& Sacerdotem curat ordinari.

7 Igitur eo tempore, quo prædictus vir Domini Ermelandus talibus in cœnobio pollebat virtutibus, piæ recordationis Pasquarius Episcopus Namnetensem Pastorali devotus cura regebat Ecclesiam... Considerans vero suum populique cor, aspirante Domino hujus rei voto, unius voluntatis effectum... ad venerabilem Landbertum Abbatem, qui tunc Fontanellæ cœnobium sub sacro habitu vitæ monasticæ gubernabat, strenuos direxit nuntios, exorans per eos ejus sanctitatem, quatenus ejus largitate suum populique desiderium votorum obtineret effectum. Qui benedictione sui Pontificis muniti, atque ab eo egressi, iter carpendo, ad sacrum Fontanellæ monasterium, Domino duce, agiliter pervenerunt. Cumque à Fratribus bene excepti atque venerabili Landberto fuissent exhibiti; ex præcepto sui Patris, talibus eum allocuti sunt dictis: Vestræ sanctitatis nimium amator Pasquarius Pontifex, devotione flagrans sacra, precibusque universæ plebis sibi commissæ instigatus, æstuanti desiderat voto, quatenus in ejus parochia monachi, se eis locum præparante, vitam regularem exempli gratia, ad profectum sanctæ Ecclesiæ perpetuamque laudem Dei, teneant. Ediscens autem, fama vestræ sanctitatis longe lateque pervolante, vestram congregationem venustate hujus religionis plus ceteris clarescere, precatur ut vestra ei sancta largitas religiosissimos mittat monachos, qui hanc vitam optime tenere, aliisque tradere sciant: ut ea quæ desiderat per eos implere valeat.

Legationem excipit missam à S. Pasquario Ep. Namnetensi,

B

petente monachos pro monasterio construendo:

8 Qui cum tali devotione Sacerdotem Dei cum plebe sibi commissa fervere cognosceret, primum omnipotentissimæ individuæque Trinitati summas retulit gratias, deinde vocato B. Ermenlando monacho, petitionem venerabilis Pasquarii iterum coram eo exponi jussit, ac demum responsum in hunc modū dedit: Vota quidem, filii carissimi, Pasquarii Episcopi ejusque sancti gregis constat, sicuti divinitus inspirata, sanctissima redolere devotione: atque ideo ut particeps tanti voti esse merear, licet magno destituar solatio, petitionem à nostra parvitate postulatam, per carissimum mihi hunc fratrem Ermelandum, aliis cum eo Fratribus missis, perficere studerem; si certissime nossem ab eo ita cœnobium constitui, ut futuris temporibus Fratres in eo constituti, quantum ab eo vitari potest, nullius infestatione turbarentur. Vita siquidem nostri Ordinis summam expetit quietudinē, & nihilominus magnum patitur dispendium, cum intente cælestia contemplatur, si querimoniis pravorum à supernorum avocetur inspectione. Si igitur in suæ Ecclesiæ prædio cœnobium construxerit, in quo isti, quos mittimus, aliique divinitus inspirati, eorumque provocati exemplo conversi è seculo, habitent, temporibus quidem ejus fortassis optata uti pace valebunt; post obitum vero ejus, si ipsum cœnobiū sub dominio sui successoris reliquerit, magnis (sicuti in nonnullis cœnobiis actum esse comperimus) cupiditatis instinctu, pravorum turbabuntur inquietudinibus; ita ut necessitas eos inde exire compellat, & errabundos circumquaque vagari cogat. Mihi vero si ita evenerit, qui commissos illuc dirigo monachos, multum incumbet periculi, illique nihil augebitur mercedis: si autem perpetuæ retributionis intuitu monasterium ædificare desiderat, hortor ut regalibus illud manibus tuendum committat, & ut Regis clementia talem præceptionem facere dignetur, ut nulla

addictis se missurum S. Hermelandum & alios monachos

C

si cœnobium bene stabiliatur,

& regiis diplomatis confirmetur:

alia potestas, maligno instigata spiritu, omni dominationis occasione sublata, molestiam habitantibus in eo ingerere audeat: quatenus regali defensi præsidio, pro ejus totiusque sui regni perpetua pace, libere, remota pravorum impulsione, Christi interpellent clementiam. Noli, inquiunt, noli cunctari talibus suspicionibus, Pater; nam certissime de bonitate Patris nostri Pasquarii confidere potes, quia juxta tui oris imperium omnem hujus operis causam Domino juvante perficiet.

9 Tunc nuntiorum sponsionibus firmatus, dixit B. Ermelando: Nimium tua, carissime Frater, fidens religione, quamvis tua corporali absentia maximum dispendium mihi evenire non ambigam, te ad venerabilem Pasquarium cum duodecim Fratribus, quorum te in mea vicissitudine Patrem constituam, mittere volo: ut tuo dictante magisterio, monasterium, sicuti optat, construat. Nihil tamen ex hoc sine tua definitione agere tentabo, sed omnem hujus negotii causam tuo prudenti committo judicio. Ne quæso, inquit vir Sanctus, mi Pater, digneris super hoc nostram elicere voluntatem, quam pro Christo tuo tradidi arbitrio: sed quocumque me miseris libentissime, ac si divinitus mihi imperetur, ire conabor: tantum Domini voluntas & tua fiat. Tunc idem Pater gaudio repletus, ejus preclaræ congratulans obedientiæ, dixit: Eja, fili mi, arripe, ut miles Christi prosperum iter, sume laudabile opus, per quod tu aliique multi ad regna ingredi celorum mereamini. Qui cum talibus illum aliosque, quos cum eo mittebat, hortaretur eloquiis, maximeque ut regulam sanctam virili tenerent custodia, ruentes ipsi, omnesque Fratres cum lacrymis in mutuos amplexus, invicem sibi osculum pacis dantes, dimiserunt eos, imprecantes eis prospera cuncta fore, dicentes: Comitetur vobiscum gratia summæ Trinitatis, & omnia opera vestrarum manuum prospere dirigat, locumque vestrę habitationis ad multarum salutem animarum perenni custodia tueri & conservare dignetur. Qui benedictione postulata atque ubertim suscepta, cum legatis jam dicti Episcopi iter carpentes, ejus faciei se præsentare festinabant: orantes ut Christus solatium sibi tribueret perficiendi injuncti operis: & sic ad urbem Namnetensem Domino duce pervenerunt.

S. Hermelandum & 12 socios seligit:

E

& post mutuos amplexus dimittit,

10 Tunc basilicam beatorum Apostolorum Petri & Pauli B. Ermelandus cum sociis orationis gratia ingressus est. Audiens vero venerandus Episcopus eos advenisse, ineffabili exultans gaudio, dixit: Recordatus est mei Dominus, ut votum desiderii mei implere dignetur. B. Ermelandus ea quæ Pater ejus nuntiis ipsius opposuerat, eorumque responsionem coram eo recitavit, ac demum subjunxit: Et nunc si consilio Patris mei tua sanctitas parere voluerit, prout Dominus exiguitati nostrę donaverit, quodcumque jusseris perficere conabimur. Sin autem aliud Paternitati vestræ placet, inviolata caritate, ad Patrem nostrū juxta ejus præceptum revertemur. Nullus me magis, dilectissime, inquit, Frater, hujus operis perfectionem perpetua constabilire desiderat firmitate, qui auctor fundatorque ejus videor esse. Et ideo secundum tuam Patrisque tui suggestionem nostrorumque nuntiorum sponsionem, non solum te cum cella, quam ædificare disponimus, cum omnibusque rebus, quas ibi confirmavero ad subsidium Fratrum inibi commorantium, secundum auctoritatem canonicam regiæ committam dominationi, ejusque vobis habere perficiam preceptum; quin etiam quidquid commodum atque utile ad perpetuam quietem illius loci tecum pertractare potuero, libentissime implere curabo.

F

felici successu.

11 *Alter supra nominatus discipulus est S. Erembertus, qui relicto Episcopatu suo Tolosano, secessit ad monasteriū Fontanellā, ubi tunc temporis venerabilis preerat* Rector Land-

EX VARIIS

Beneficia præstita SS. Eremberto, & S. Condedo.

Landbertus, ibique aliquantulum in sancta degens conversatione, ultimo confectus senio... feliciter migravit ad Christum, *uti asseritur* XIV *Maij in ejus Actis*.

12 *Tertius est* S. Condedus, qui ediscens fama pervolante, sancti Patris Landberti cœnobii Fontanellensis congregationem non minus ceteris religionis venustate clarescere; disposuit eorum se muniri consortio... Venit vir sanctus ad monasterium Fontanellæ, & post orationes ad Deum & salutationes fraternas & colloquia spiritualia, cum omnis humanitas, ut monastica dictat norma, eidem viro sancto cum suis omnibus fuisset exhibita, quos veluti Angelos S. Lantbertus susceperat Abba, atque aliquot diebus in præfato moraretur cœnobio, ac tantorum Patrum dulcibus frueretur alloquiis; demum votum sui cordis aperiens dixit, non satis sibi videri in religionis sanctitate sudare, si non & aliis quoque in prædicatione & exemplorum lumine radiando prodesset. Deinde ad consulta præfati Patris Lantberti locum aptum perquirit. Tunc cum benedictione & permissu Patris prædicti navigavit in insulam e Belsinnacam &c. *Ita Aigradus in ejus Vita* XXI *Octobris*. D

ANNOTATA.

a *Hinc Cointius arbitratur non fuisse Regulam S. Benedicti assumptam.*

b *Circa annum* 725, *ut dictum ad Vitam S. Ansberti.*

c *Anno* 681, *sub finem saltem Martij.*

d *Mabillon asserit facta* hæc omnino ad mentem & sententiam S. Benedicti, in Regulæ cap. 58.

e *Insula hæc sesquimilliari à Fontanella distans postmodum aquis sepulta, paucis ab hinc annis ex undarum illuvie emergere cœpit. Ita idem Mabillon.*

DE BEATO BERNARDO

FUNDATORE CONGREGATIONIS DE TIRONIO IN GALLIA

G. H.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

§ I Tironium caput novæ Congregationis in Ordine Benedictino Vita B. Bernardi scripta.

ANNO MCXIV

B

Ex Ordine Benedictino latissime propagato



Onasticus, *Status qui præ ceteris in Ecclesia Dei semper floruit, eximia religione ac sanctitate, suum qua fundatorem qua restauratorem præcipuum in Occidente nostro agnoscit sanctissimum Patriarcham Benedictum, cujus Acta illustravimus* XXI *Martij, quo die ex hac vita migravit anno* DXLII. *Hic enim cum scripsisset* Monachorum Regulam, *laudatam à S. Gregorio Magno, ut* discretione præcipuam & sermone luculentam, *non tantum propagata illa est per omnes Europæ provincias, innumeris monasteriis, per Discipulos & successores ejus, seculorum paucorum decursu fundatis: sed etiam in omnia diversa à Benedictina institutionis cœnobia paulatim suscepta est. Succreverunt deinde, velut ex radice fœcundissima, hujus instituti Congregationes variæ, communis Regulæ observantiam sub propriis cuique ordinationibus, ad disciplinæ vigorem vel restaurandum vel stabiliendum conceptis, profitentes.* *Nova Congregationes subnata* *Harum antiquissima & Sanctorum virorum proventu felicissima fuit Cluniacensis circa annum* DCCCCX *in Galliis à B. Bernone cœpta, uti ad hujus Vitam* XIII *Ianuarii deduximus.* *Cluniacensis,* *Similis Congregatio potest censeri Cavensis in Italia, quam S. Alferius, cujus Vitam illustravimus* XII *Aprilis, sub finem seculi* X *fundavit, mortuus anno* ML. *Subiecta huic monasteria numerantur trecenta ac triginta in Italia ac Sicilia.* *Cavensis,* *Eodem tempore S. Geraldus, in Aquitania prope Burdegalam, condidit monasterium Silvæ-majoris, eo successu ut* ecclesiola quam invenit vetustate confractam, facta sit fœcunda in sobole: ita quod in Hispania & in multis partibus Galliarum, ipsam tamquam matrem suam suscitata ex ea filialis devotio reveretur, C *Silvensis,* *ut scribit Christianus monachus Silvæ-Majoris, in ea quam ad* V *Aprilis secundo loco dedimus Vita, scripta sub exitum seculi* XII *num.* 15. *Omnium ejusmodi filiarum nec non cœnobiorum aggregatorum, catalogus in ejusdem monasterii archivio etiamnum invenitur, & nobis benevole submittendus promittebatur, sed promptas religiosorum suorum manus novus Prior cohibuit, ignarus non nisi ad sui monasterii majorem laudem talia desiderari: unde hoc solum dicere possumus, etiam hodie plures quam viginta Prioratus subjectionem antiquam retinere. Non absimilis fuit nova Congregatio, à B. Bernardo Tironii in diœcesi Carnotensi sub initium undecimi seculi inchoata, cui infra in Vita num.* 52 *dicuntur subfuisse* centum cellæ, *sive eæ fuerint Abbatiæ sive Præpositura, idque cum ejus Acta aliquot post obitum annis conscriberentur.* *Tironensis sub B. Bernardo:* *Ioannes Iperius in Chronico Bertiniano capitulo* 40 *parte* 3, *agit de Fundatione plurium religionum sub novo ritu & habitu, & inter illas recenset de* Tirone sub regula S. Benedicti; *cui habitum grisii coloris fuisse traditur in Monastico Anglicano pag.* 704. *ubi agitur de Furnesiensi monasterio.* E *De situ monasterii Tironiensis in Comitatu Perchensi agimus ad Vitam ipsius B. Bernardi, potissimum cap.* 12.

2 *Conscripsit eam Gaufredus Grossus, qui sub ipso monachus Tironii vixerat, & in Prologo asserit, se* vetaci stylo ea quæ vidit vel fidelium hominum relatione didicit, litteris commendata successoribus transmisisse. *Hujus Vitam scripsit Gaufredus, discipulus,* *Ita num.* 88 *cum* B. Bernardus esset Carnoti, & cognovisset Gervasium monachum maligno spiritu agitatum, in infirmorum cella teneri obligatum, *addit,* idcirco eum tam celeriter remeasse, nobis, qui illuc conveneramus, intimavit. *qui plurima ipse vidit:* *Eodem modo num.* 94 *testatur, se vidisse quæ narrat testatur: sed vel maxime eorum, quæ capite* 12 *&* 13 *de ejus morbo, adhortationibus ad suos, extremis Sacramentis susceptis, pio obitu, & exequiis scribit, se oculatum testem profitetur. Præterea ex ipso B. Bernardo, plurima quæ hic olim gesserat, videtur intellexisse.* *aut habuit à B. Bernardo* *Ita num.* 27 *cum describeret vitam ejus solitariam in insula Causeo, addit:* Quibus vero alimentis vitam suam sustentaret, nobis id ab eo requirentibus, indicare recusabat, suarum virtutum artificiosus dissimulator. *aut aliis:* *Potuit interim multa discere ex Christiano monacho, qui eum cum Petro de Stellis ex dicta insula reduxit: quem num.* 36 *ait, cum Vitam hanc scriberet,* adhuc superfuisse, miræ simplicitatis & innocentiæ virum. F *Demum auctor suam sinceritatem num.* 110 *ita indicat.* Testor Iesum, cui ille servivit, cui & ego servire cupio, me in utramque partem nihil fingere, sed quasi Christianum de Christiano, quæ sunt vera, proferre. *sinceritatem suam indicat.* *Et sub finem sequentis numeri* Testor, *inquit,* ipsam Veritatem ac sanctos ejus Angelos, ipsum quoque Angelum, qui custos fuit & comes admirabilis viri, me nihil in gratiam illius dicere more laudantium; sed quidquid dicturus sum pro testimonio dicere, & minus esse ejus meritis, quem totus prædicat orbis.

3 *Vita hujus duplex exemplar MS. nacti fuimus, alterum submisit nobis Rotomago Guilielmus Thiersault, alterum Divione Petrus Franciscus Chiffletius, uterque Societatis nostræ Sacerdos, & propter varia Sanctorum Acta submissa de hoc opere bene meritus.* *duæ Vitæ ex duplici MS.* *Adnota erat Chiffletius, illud suum exemplar descriptum fuisse ex veteri membranaceo* codice MS. Sanctissimæ Trinitatis de Tironio. *Eamdem Vitam typis Parisiensibus vulgavit & suis observationibus illustravit* Ioannes Baptista Souchetus,

tus,

A tus, Sacræ Theologiæ Doctor & Carnotensis Canonicus, florente auctoris delectatus stylo, & pro seculi iniquitate, seu potius barbarie; terso satis & nitido, *uti scribit in dedicatione ad Henricum Borbonium, Metensium Episcopum, S.Germani à Pratis & SS. Trinitatis de Tironio Abbatem. Plura addit in Præfatione ad Lectorem.* Quod ad auctorem Vitæ, *inquit*, spectat, commendatione haud indiget, sufficit ipse sibi. Vitam legi, perlegi, non libenter solum, sed avide quidem, tanto oblectamento, ut statim me scriptionis elegantia ceperit, & ne ea carerem, describendam commiserim. Animum certe mordebat, illius auctorem, pro seculi inscitia, eruditione perpolitum nec contemnendum (ut qui tanta ingenii ubertate opus suum prosa & versu texuerat, argutarum documentis sententiarum consperserat, nec non historicis descriptionibus illustrarat) in obscuro hærere ac situ perire. *Communicarat Soucheto Vitæ hujus apographum, cum verni jejunii conciones sacras in Carnotensi primaria basilica haberet, Iacobus Dinetus Societatis Iesu egregius Concionator, qui etiam fuit Collegii Claromontani Parisiis Rector & Franciæ Provincialis, & de studiis nostris, diversa Sanctorum Acta transmittendo bene mereri conatus; in quo etiam ei similis fuit Andreas Duchesnius,* B *qui alterum concessit Soucheto exemplar hujus Vitæ, ex codice Papirii Massoni descriptum. Tertium codicem reperit Tironii, membranaceum MS. ob antiquitatem nervis dissolutum & sibi vix cohærentem: ex quo scilicet habuimus apographum à Chiffletio transmissum, in quo hinc inde nonnulla desunt. Quartum denique accepit concessum à Guillelmo Laisneo Priore Mondavillano.*

tollatam tum edita à Soucheto

Invitato auctoris elegantia,

& 4 MSS. usus,

4 *Postremum hoc præ cæteris omnibus apographis genuinum Gaufridi fœtum esse non addubitat Souchetus: maxime quia ex primogenio exemplari, Ioannis à Carnoto Abbatis Tironensis diligentia & sedulitate descripto, reliqua desumpta arbitratur, idque putat ex libri calce apparere. Sub finem quoque nostri apographi, à Thirsautio transmissi, ista habentur:* Hęc à me Philippo Bernyer Presbytero ecclesię S. Albini in Campo-rotundo, in Percheto scripta sunt, anno Jubilæi MDC, quo etiam anno primitias obtuli: Exemplar hujus voluminis tribuit mihi Prior de Huis & Superior domus Sanctissimæ Trinitatis de Tironio, scriptum in veteri membrana: in cujus fine hæc litteris rubeis scripta sunt.

MS. Tironense erat descriptum cura Ioannis à Carnoto,

J. Carnotensis, Pater Ecclesiæ Tironensis,
Me fecit scribi, gloria lausque sibi.

C Joannes Pignore de Valleca me scripsit. *Fuit autem dictus* Joannes de Carnoto Abbas XV, electus anno MCCXC, fato functus anno MCCXCVII, *ut tradit Souchetus in Catalogo Abbatum Tironensium, cum Vita B. Bernardi edito. Post dictum Catalogum adjungit Souchetus Beneficia tam regularia quam secularia, à monasterio SS. Trinitatis de Tironio dependentia, & sunt* XI *aut* XII *Abbatiæ, Prioratus* XLVII *aut* XLVIII, *Ecclesiæ parochiales* XXXII: *& post numerum seu caput* 42 *numerat Abbatias seu Prioratus* LVIII, *à Saviniacensi Abbatia dependentes, & à B. Vitali subjectos Tironiensi Abbatiæ. Singulorum nomina & situm describit Souchetus: qui in dicta præfatione scribit* se juvandæ lectoris memoriæ numeros addidisse & capita, nullo legentis aut libri præjudicio. *Nos aliter & more nostro distinximus capita: atque sub singulis proprias dedimus Annotationes, omissis longioribus observationibus Souheti, ad quas, utpote valde eruditas & concinnas, lectorem remittimus. Adjunximus etiam claritatis causa usitatam nobis synopsim marginalem, ab eodem neglectam.*

Abbatis creati anno 1290.

Monasteria à Tironensi dependentia.

§ II Tempus vitæ & mortis B. Bernardi. Nomen fastis adscriptum: titulus Sancti & Beati tributus.

AUCTORE G. H.

5 D*Icitur B. Bernardus cum moreretur, fuisse* fracto, senili, & debilitato corpusculo, *& habuisse* membra annositate confracta: *ideoque censemus annos ætatis septuaginta complevisse.* Natus *ergo esset circa annum* MXLVI, *qui cum* ad vigesimum fere annum ætatis suæ *amplexus esset disciplinas; ad vitam sanctiorem cœpit aspirare; & in Aquitanam profectus, in cœnobio S. Cypriani factus est monachus, circa annum* MLXVI. *Cum autem* per decem, aut eo amplius annos in claustro S. Cypriani *vixisset, factus est Prior in monasterio S. Savini, usque ad* annum MXCVI, *quando Abbate in Terra-sancta mortuo, ne in Abbatem eligeretur, fugit in eremum: inde* post triennium *in insulam Causeum, ex qua reductus primo in eremum, deinde in monasterium S. Cypriani, creatus est anno* MC *Abbas, & postea anno* MCX *interfuit Concilio Pictaviensi, deinde bis Romam profectus est: tum relicta Abbatia secessit, & post varias circuitiones construxit monasterium Tironiense, impetrata bulla donationis* III Nonas Februarii anno MCXIII; *sed quod tunc apud Francos anni à Paschate inciperent, secundum hoc solum numerandus est annus* MCXII.

Natus circa an. 1056

monachus S. Cypriani 1066,

dein Prior S. Sabini usque ad 1096

Abbas S. Cypriani

extruit monasterium de Tironio anno 1113.

E

6 *Florebat tunc Ivo Episcopus Carnotensis, de cujus obitus anno infra agemus: in hujus locum* cum Gaufridus esset inthronizatus, & seditio inter Clericatum & Comitem versaretur, convenit Abbas Bernardus, bonorum omnium memoria dignus, cujus laus usque hodie per omnes Galliæ Ecclesias. *Vtii leguntur* XXV *Februarii in Vita secunda B. Roberti de Abrissello num.* 15. *De obitu Roberti & Bernardi in Chronico S. Maxentii, vulgo Malleacensi dicto, apud Philippum Labbe ista leguntur:* Anno millesimo centesimo decimo sexto. Obiit Robertus de Abrissello, fundator Fontis-Evrandi, sexto Kalendas Martii. Eodem anno obiit Bernardus fundatur cœnobii Tironis, quod est in Pertico, septimo Kalendas Maii. *Verum auctorem dicti Chronici non satis in annis subducendis accuratum fuisse, demonstramus infra cap. 3 littera A, notamusque non solum ad annos quinque, sed forsan ad octo aut novem aberrasse: ut mirum non foret si hoc in loco error unius alteriusve anni irrepsisset. Ac primo Robertum de Arbrissello, ostendimus ad ejus Vitam dicto* XXV *Februarii, non obiisse* sexto Kalendas Martii, *sed* quinto, *idque anno* MCXVII. *qui annus tunc ob initium anni à Paschate ut dixi apud Francos solitum inchoari, potuit dici* MCXVI. *Quidni ergo ad eumdem annum* MCXVII *referatur obitus B. Bernardi, cum videatur ipse modus loquendi quo Chronici auctor usus, insinuare, eum intra eumdem annum post B. Robertum è vivis excessisse.*

Vixit post obitum Ivonis Ep. Carnotensis cum B. Roberto de Abrissello

mortuo non anno 1116 24 Febr.

sed 25 Febr. anno 1117.

F

& post eum B Bernardus,

7 *Multum hic soliciti fuimus, ut ex obitu Ivonis Episcopi Carnotensis lucem aliquam acciperemus: sed novas reperimus tenebras, aliunde illustrandas. Nam primo Supplementum Chronici Sigiberti, quod à Laurentio de la Barre in Historia Christiana veterum Patrum sub nomine Roberti de Monte editum est, obitum Ivonis & successionem Gaufredi in Sede Carnotensi refert ad annum* MCXIV. *Contra in Supplemento germano dicti Roberti de Monte, quod Lucas Acherius cum operibus Guiberti Abbatis B. Mariæ de Novigento vulgavit, præclara epitome Vitæ Ivonis habetur, & mortuus dicitur* anno MCXVII: *ad quem etiam annum,* diem extremum clausisse Ivonem, *tradit Matthæus Parisius in Henrico I Rege Angliæ. Alii scriptores arripiunt unum ex annis intermediis, scilicet* MCXV *aut* MCXVI, *& prior habetur in Martyrologio & Kalendario Ecclesiarum Carnotensium; posterior profertur ex prisco Kalendario S. Quintini Belluacensis, in quo ipse Ivo Abbas ante suum Episcopatum fuerat, & varia moriens dona legavit. Mortuus autem fuit* XXIII *Decembris, ita ut postea potuerint adfuisse successori Gaufrido tam Robertus quam Bernardus, & tamen obiisse uterque anno* MCXVII.

Mortuo Ivone Ep. Carnotensi, non an. 1114.

aut 1117.

sed 1115 aut 1116,

in morbum incidit 5 Aprilis.

8 *Celebratum fuit eo anno Pascha* XXV *Martii, cyclo*

AUCTORE G. H.

in morbum incidit 5. Aprilis,

Luna XVI, Solis VI littera Dominicali H. & cum infra in Vita num. 105 dicatur B. Bernardus undecimo Resurrectionis Christi die in ultimum morbum incidisse, id contigisset die quinto Aprilis. Num. 112 indicatur quinto incommodi die extremis Sacramentis munitus, decimo scilicet ejusdem mensis Aprilis. Deinde, ut num. 117 refertur, biduo antequam cælicas sedes adiret, ad se è turre castri Novigenti evocavit quamdam matronam cum sua filia, isti inter dealbatos monachos apparens; quæ subsequenti die ambæ venerunt. Nocte sequenti ut dicitur num. 119 imperavit Fratribus, qui sibi famulabantur, uti fessos artus dormiendo relevarent; quando ipse à monachis ibidem sancta mortuis fuit visitatus. Sequenti & ultimo die, cum omnes ad se vocatos piis monitis instruxisset, & osculatus fuisset, oculos inter dolores clausit, & spiritum Deo reddidit, uti num. 60 & sequente legitur. Potuit is fuisse dies XIV Aprilis, scilicet XVIII Kalendas Maij, pro quo facili errore dies VII Kalendas Maij, in supra indicato & sæpius mendoso Chronico S. Maxentii, est excusum; cui tamen consentit MS. Calendarium Ecclesiæ Tironensis: in quo litteris rubris ad diem XXV Aprilis hoc notatum est: Obitus venerabilis Patris nostri Bernardi primi Abbatis Tironensis. Verum ad diem XIV Aprilis memoratur in Martyrologio Benedictino ab Hugone Menardo his verbis: In monasterio Tironensi Beati Bernardi, primi ejusdem loci Abbatis, magnæ sanctitatis viri, & dein lib. 2 Observationum, Vitæ breviarium desumptum ex Gaufrido ejus discipulo traditur; in qua iterum Beati titulo honoratur.

Sacramentis munitus 10 Aprilis

mortuus 14. aut 25, Aprilis

B

& ad 14 diem Fastis inscriptus cum titulo Beati.

9 Eodem die Andreas Saussajus in Martyrologio Gallicano, hoc de eo elogium habet: In monasterio Tironensi transitus B. Bernardi, primi ejus loci Abbatis, egregiis virtutibus & spiritu prophetiæ ac dono miraculorum gloriosi. Longo etiam encomio, sed ex Menardi observationibus potissimum desumpto, eum celebrat in Menologio Benedictino Bucellinus. Sanmarthani tomo 4 Galliæ Christianæ pag. 865. citato Chronico Malleacensi, asserunt obiisse XVIII Kalendas Maij, & ista ex veteri Necrologio Carnotensi proferunt: Obiit Bernardus Abbas de Tiro, qui ejusdem loci ecclesiam à fundamentis construxit, & multos ibidem monachos sub sanctitatis & religionis norma congregavit. Alia elogia infra in Notis nostris ad Vitam habentur. Gaufredus Grossus in Vita passim utitur titulo Sancti Bernardi, uti in omnibus MSS. & vita à Soucheto edita videri potest num. 78, 79, & 94, ita etiam passim eum Confessorem & Confessorem Christi appellat, & in Prologo innuit diem ejus natalitium celebrari, atque ut tunc Vita prælegeretur, eam à se esse conscriptam: quod factum est post annum MCXXXI, quo Ludovicus Junior est in Regem Francorum coronatus: cujus rei num. 97 meminit.

Sanctus in Vita appellatur,

C

scripta post annum 1131.

VITA

Auctore Gaufrido Grosso monacho Tironiensi & B. Bernardi discipulo

Ex pluribus MSS. & editione Soucheti.

PROLOGUS

Reverendissimo Patri, Domino Gaufredo, ecclesiæ, Dei gratia, Carnotensis Episcopo, atque Sedis Apostolicæ Legato, monachorum omnium infimus Gaufredus salutem.

Acta sanctorum utiliter conscribi, docent

1 Vestræ sublimitatis multo melius atque liquidius, beatissime Pater, novit sapientia, quod Gesta Sanctorum hominum describere, & ad posteriorum notitiam utilitatis gratia litterarum apicibus collecta transmittere, per Raphaëlem Archangelum, medicinæ bajulum, satis evidenter admonemur, ad Tobiam dicentem: Regis Sacramentum abscondere, bonum est; opera autem Dei revelare & confiteri, honorificum est. Sed & mundi lucerna Hieronymus ad hoc idem exemplo suo nos excitat, qui postquam vetus ac novum Testamentum nitido sermone fideliter transtulit, postquam Prophetias & Euangelium diligenter exposuit, Anachoretarum Vitas, Malchi videlicet, Pauli, Hilarionis, florentissimo stylo depinxit; nec non etiam eloquentiæ fontes, ab altis incomprehensibilis sapientiæ Dei montibus emanantes, omnem superficiem terrenorum cordium aridam Philosophiæ rore cœlesti irrigantis, b Athanasius, scilicet Ambrosius, Augustinus, Gregorius, multique alii Ecclesiæ Christi clarissimi Doctores (quorum nomina nostris paginis inserere, quia longum est, devitamus) ad consimile laboris studium nos invitant: qui post innumera librorum volumina, quæ de sacræ Scripturæ abditissimis rationibus & expositionibus luculentissimo eloquio plenissime sunt ab eis digesta, omnium Christianæ fidei intellectum, contra Catholicam doctrinam sese erigentem, inexpugnabilium argumentorum ratiociniis captivantia, non solum Martyrum victoriosa certamina, rosei coloris floribus vernantia; verum etiam Confessorum ac Virginum florigeros actus & mores, castitatis continentes lilia, suavissimos odores spirantia, floridis narrationibus ediderunt.

D

Raphael Archangelus, Tob. 12, 7

S. Hieronymus,

a

& alii Patres, docent;

b

E

2 Sed & canonicæ Scripturæ complexio, ac series veteris Instrumenti, Sanctorum omnium novi Testamenti universaliter collectorum nondum propalatam vitam, mores actus, conversationes, labores, sudores certaminum, agonum constantias, victoriarum triumphos, remunerationum triumphales palmas, signis, figuris, umbratilium rerum narrationibus, ænigmatum obscuritatibus, materialium operum stupendis & perplexis descriptionibus designare studuerunt. Mandavit etenim Deus Moysi ut ad exemplar, quod in monte viderat, omnia opera testimonii, in illis conversationis Sanctorum formam præfigurans, adeo diligenter consummaret, ut & phialas [faceret], & cyathos, & mensæ labrum, & candelabri calamos, scyphos, sphærulasque, & liliorum repansiones, lucernarum emunctoria, ceteraque omnia, quæ prorsus singulatim enumerat Scriptura. Templi quoque Salomonis universa cum mensuris suis tam studiose, non solum ædificia, sed omnia ædificiorum digerit anaglypha, ut neque epistylia columnarum, vel capitella, & capitellorum retiacula, aut rotarum axes radios, canthos & modiolos prætereat. Et etiam ab Ezechiele vergentis ad austrum civitatis ædificium, in Spiritu visum, tam subtiliter est descriptum; ut & celaturas palmarum non præteriret, nec saltem portæ limen immensuratam transiret: quæ cuncta, teste Apostolo, umbræ fuere futurorum.

Idem per Scripturam sacram innuit Deus;

designans Moysi fabricam operum tabernaculi,

Salomoni vero

F

& Ezechieli ædificium templi. Hebr. 10, 1

3 Itaque si divinæ sapientiæ providentia, umbrarum & rerum distinguens tempora, per homines illius ætatis, quos ad hoc suis inspirationibus idoneos fecerat, tanto studio figuras & signa describi voluit & jussit; quis sane sapiens non intelligat, figurata & significata ab eis sanctorum gesta, quanta diligentia litterarum descriptionibus retineri, & notificari fidelium futurorum notitiæ, & velit & innuet. Et cum divinæ voluntatis cognitio, sit plenaria & evidens admonitionis impositio; si nos pigritantes torpore desidiæ, ac stertentes sopore inertiæ, negligimus nostri temporis Sanctorum actus nobis cognitos calamo designare, & futuræ posteritatis utilitatibus destinare; nonne offensionis reatum incurrimus, & in detrimentum nostræ salutis

salutis incidimus? Nostræ salutis igitur augmentis justentes, sanctorum pietatis opera scribendo denotemus; & illa denotantes, ejus qui in Sanctis suis est mirabilis, Christi magnificentiam prædicemus. Dum enim Christi militum laudes referimus, Regis illorum sublimiter magnificos triumphos attollimus: quia quidquid virtutis eorum mentibus inesse deprænenditur, divinæ potentiæ & fortitudini procul dubio debetur. Sed & talium Scriptorum propagatores, dum justorum proposito exemplo, audientium animos ab iniquitatis perpetratione retrahunt; peccatorem ab errore viæ suæ, ejus animam salvantes, convertunt; & suorum peccatorum multitudinem operiunt.

A *quia scribendis illis Deus honoratur,*

peccatores emendantur,

4 Præterea cum mortalium rerum titulos *c* cereis imaginibus erectos; & variæ jactantiæ laudum infulas, auro radiantibus litteris conscriptas, videamus successoribus ad imitandum propositas; quis nostrum hæc attendens, non erubescet athletarum Christi victorias silentio tegere? & non ad Imperatoris eorum laudem, qualiter contra aërias potestates & mundi rectores tenebrarum harum pugnaverint atque vicerint, schedulis saltem vilibus tradere; & ad incitandos bellantium animos, diligentius explicare? Quis & luce clarius non conspiciat, quod dum talia scripta in Sanctorum natalitiis recitamus, Deo debitæ laudis cultum persolvimus, Sanctorum memoriam excolimus, fidelium mentes ædificationis emolumentis imbuimus, Sanctis venerationis honorem congruum exhibemus. Hinc infidelium mentes mœrore consternantur, increduli livore contabescunt, indisciplinati anxietatibus coarctantur; Sanctis omnibus lætitia tripudiantibus, solus diabolus ingemiscit, qui omnium tentationum suarum atque pugnarum fructum ad hunc finem redactum conspicit, ut se sub pedibus Sanctorum prostratum, catenisque virtutis eorum ligatum, felle doloris tabescens conspiciat; & tormento suæ vexationis compulsus, velit nolit, illorum magnificentiam recognoscat. Dum enim ab obsessis corporibus, velut à regno suæ tyrannidis expulsus, per lunaticos & energumenos dans mugitum, incendii sui cruciatum fatetur & dolet; quoniam feliciter apud Deum, per quos hoc patitur, vivant, & potenter valeant, apertissime demonstrat. Profecto namque dum mortuis vita, languidis medela per eos restauratur; quam firmiter veræ vitæ ac potentiæ inhæreant, populis Christianis certissime denotatur.

B *boni ad imitandum incitantur,*

diabolus cum malis contabescit,

5 Hactenus felicissime Pater, causas & rationes cur Sanctorum scribi debeant gesta, paulo latius differens, utcumque aperui; quia vitam Patris nostri Bernardi, vestris exhortationibus obtemperans (quibus non obedire reor absurdum) descripsi; eamque sub *d* trium voluminum distributione coarctavi, vili quidem schemate verborum, sed brevi; ut qui sermonis incultam faciem exhorruerit, brevitate saltem respiret lectionis. Sciens etenim veritate nihil esse præstantius, veraci stylo magis quam nitido, humilitatis tenente campestria, ea quæ vidi vel fidelium hominum relatione didici, litteris commendata successoribus transmisi; operisque dignitatem magis attenuans quam explicans, bonis dictatoribus materiam tantummodo comparavi: quam & rei veritatem fucis sermonum obducere nolui, ne dum lector pompas phalerasque verborum studiosius attenderet, virtutes sancti viri negligentius perciperet. Verum si quis, Judaicæ infidelitatis more, signa requirens, Sanctorum quemlibet miraculorum quantitate metiatur; quid de B. Maria Dei Genitrice censebit, quam prodigia fecisse Euangelicæ series lectionis, multa de illa alia referens, non fatur? Sed & [quid censebit] de Christi præcursore Joanne quem Euangelista miraculum fecisse nullum apertissime confirmat, dicens, Joannes nullum signum fecit? Sanius itaque decernitur, quod multis qui signa fecerunt in die judicii reprobatis, illi soli qui opera justitiæ sectati sunt ad salutem colligentur. Non igitur Patrem nostrum Bernardum patratione miraculorum (quamvis illa penitus non deerunt) commendamus: sed quia mitis & humilis corde, Christum imitatus fuerit, demonstramus. At ne in procemiis tempora consumantur, illum jam eloqui plenius aggrediamur, de quo diutius prælocuti sumus. *e*

C *Auctor in hac vita non tam dictionem quam veritatem elegit: d*

scribens à se visa aut certa relatione comperta,

AUCTORE GAUFREDO DISCIPULO EX MSS.

& præ miraculis amans virtutes. Ioan. 10, 41

ANNOTATA.

a Vita S. Pauli *primi Eremitæ illustrata à nobis est* 10 *Ianuarii, &* Vita SS. Malchi & Hilarionis *dandæ erunt ad diem* 21 *Octobris.*

b *Ex Actis Sanctorum ab his Patribus vulgatis dedimus Vitam* S. Antonii Magni *per S. Athanasium* 17 *Ianuarii,* S. Sebastiani *&* S. Agnetis Virg. & Martyris *per S. Ambrosium* 20 *&* 21 *Ianuarii,* S. Marcellini Martyris Carthagine *&* Massylitanorum Martyrum *per S. Augustinum* 6 *&* 9 *Aprilis.* S. Benedicti Abbatis Casinensis 21 *Martii & aliorum plurimorum per S. Gregorium Papam.*

c *In utroque MS. nostro,* æreis imaginibus. *At Souchetus* cereis, *& late de iis ex antiquis Scriptoribus agit.*

d *Hæc distributio nusquam indicatur. Primum volumen censet Souchetus septem primis capitibus comprehendi, juxta distinctionem capitum à nobis factam: secundum continere reliquam vitam cum obitu: & tertium esse, Analecta, quæ ultimo capite proponimus.*

E

e *Sequitur Vita divisa in plurima Capitula, & Capitulis singulis præfigitur eorum argumentum, hexametro versu expressum. Hæc divisio tam est imperfecta, ut non dubitemus, quin numerus Capitulorum triplo aut quadruplo amplior designatus fuerit, ab eo qui primus istam fecit: sed quia multis locis non erant adscripti versus, quos vena non semper æque facili usus Poëta postea addere voluerit, ideo arbitramur in ecgraphis multa fuisse conjuncta, quæ divisim in Codice membraneo scripta legebantur. Cum igitur novam divisionem faciendam censuerimus; ne istis versibus identidem intercursuris historiæ series interrumpatur, ipsos è contextu exemimus; & rursum, ne qualecumque Vitæ compendium, iisdem expressum, lector curiosus prætermissum queratur; hic in unum collectos exhibemus notatis ex altera parte numeris, ad quos singuli spectant. Idque facimus eo liberius, quod suspicemur eosdem versus nec integros esse, nec compositos à Gaufredo; sed additos à Ioanne Pignore de Valleia, Vitam hanc transcribente: eo quod sint ejusdem styli, cujus sunt & versus, quorum ad calcem additorum supra meminimus in Commentario prævio; longeque diversi ab eo, quo scripti sunt alii, quos ipsi contextui admiscuisse Gaufridum num. 13 & alibi apparet.*

F

METRICA SYNOPSIS CAPITUM.

Moribus ut claris effulserit ille scholaris. num. 6
Cessit ut à notis, quærens cælestia votis. 9
Quantis ditatus exemplo bonis monachatus. 11
Pagina portavit flammam, nec flamma cremavit. 12
Qualiter huic Sancti data Præpositura Savini. 13
Quod sit Præpositus Abbatis jure potitus. 14
Qualiter occultus hæc ultor ab hoste fit ultus. 15
Quomodo sit notum, longe migrasse remotum. 16

Quomodo

AUCTORE GAUFRED. DISCIPULO EX MSS.

CAPUT I.

B. Bernardi educatio, & vita monastica in cœnobio S. Cypriani.

6 BErnardus igitur genere a Ponticensis, in Abbevillæ territorio honestis ac religiosis parentibus fuit oriundus, hospitalitatis ac humanitatis studia sectantibus, &, prout facultas eis suppetebat, Christo in suis egentibus membris diligenter administrantibus. Hunc ab ipsis deputatum, studiis litterarum, supernæ dignationis gratia suæ dilectionis excepit gremio, ut ad omnia facile, quibus erudiebatur: attingeret, unde factum est, ut in Grammaticis ac Dialecticis rationibus, aliisque litteratoriæ artis aliquantis pervigeret facultatibus. Inter scholasticos sane juvenes degens, non latas hujus seculi ingressus est vias, sed tanto studio devitabat lasciviam, quanto serpentis virus fugeret, pestemque mortiferam. Et dum coætanei sui adolescentes, ut hæc hominum ætas consuevit, vanarum rerum sequerentur spectacula; ipse in hospitii sui sese recipiebat penetralia, aliqua scriptitans aut legens vel meditans utilia. Oculos namque suos avertere, ne viderent vanitatem, volebat: quia in via Dei vivificari ardenter sitiebat.

D *variis scientiis instruitur;* *pietati deditus.*

7 Jam profecto tunc temporis tanto affectu religionis inflammabatur animus illius, ut veste regulari ad modum Canonici sese indueret; & secundum habitus morem tenoremque, tantam vitæ sobrietatem tantamque modestiam servabat in moribus, ut quamplures scholasticorum sodalium eum deridentes vocitarent monachum. Malebat tamen bonæ indolis adolescentulus ridiculosas eorum infestationes sustinere, quam bonæ vitæ puritatem ac propositum deserere, quamque sese corruptorum hominum mortiferis actibus immiscere. Trahebat etenim eum jam divini amoris inspiratio, quæ mentem illius ad sustinendam derisionis molestiam corroborabat, eumque à massa perditorum separans, sanctitatis dotibus exornabat: sicque usque ad vigesimum fere annum ætatis suæ, amplexus disciplinas scholarium eruditionum, non mediocriter vivacem atque perspicacem assecutus est intelligentiam in scientiis Scripturarum.

veste talari assumpta, *non curat derisionem aliorum:* E *anno ætatis 20 in sacra Scriptura eruditus,*

8 At vero sanctæ conversationis desiderio magis magisque indies flagrabat: quia ignis ille, quem filius Dei in terram mittere venit, volens ut arderet, mentem illius ab ineunte ætate accenderat, qui quotidie succrescens, per sanctitatis indicia scintillando se detegens, celari non poterat. Quis etenim celaverit ignem? Sed nunc augmenti tanti vires susceperat, quatenus jam per majoris flammæ incendium vellet erumpere; erumpensque, vehementius inflammando animum illius, ad hoc pertrahere, ut temporalium rerum ambitum penitus postponeret, ac monasticæ professionis sectatoribus sese adjungeret. Hoc enim agebat divina bonitas, ut surculus bona plantæ, quem ab amore caducarum rerum jam amputaverat, arbori boni germinis insereretur; nolens ut diutius in consortio virorum scholarium maneret, ne exemplum malitiæ & pravitatis eorum animum illius à bono proposito reflecteret.

ad vitam sanctiorem aspirat;

9 Juvenis igitur sanctis inspirationibus acquiescens, ad quod trahebatur facere non distulit: Ponticum sibi natale deserens, Aquitaniæ regionis partes ingressus est, tribus æquævis comitatus sodalibus, eodem quo ipse voto flagrantibus. Hi dum haud segniter viam carpentes tendunt ad propositum, b Regem Francorum obvium habuerunt. Quo Bernardus præsagio admonitus, hæc illico fertur dixisse suis consortibus: Eia, comites, alacriter animo incedamus, confidentes, quia Regem cæli, quem quærimus, reperiemus; qui Regem terræ in nostra itineratione invenimus, quem modo minime quærebamus. Qui, Domino ducente, Pictavum pervenientes, ibi aliquanto tempore commorantur: & qui monachi in Aquitania districtius vitæ regularis tenerent disciplinam, diligenti inquisitione dignoscere conabantur

in Aquitaniam abit, b *obvium Regi Francorum,* *Pictavium venit,*

a *Natus in Abbevillæ territorio,*

nabantur. Hoc etenim inquirebant, ut melioribus se sociarent, & sanctioribus vitam suam regendam committerent. Est autem ab hac civitate non longe positum S. Cypriani *c* monasterium, quod eo tempore regebat Abbas quidam, cui vocabulum *d* Raynaudus: vir apprime litteris eruditus, tanta sapientia præditus, ut in publicis conciliis causarum perorator esset eloquentissimus: cujus rei gratia in Romana etiam curia bene notus & acceptus erat, & in Aquitania famosissimus habebatur. Hic etiam *e* S. Roberti, fundatoris illius monasterii quod Casa-Dei dicitur, discipulus fuerat, quod Bernardo fama retulerat, referendoque sitientem audiendi doctrinam illius valde reddiderat.

ad monasterium S. Cypriani: c d & Abbatem Raynaudum, e

10 Prædictum vero monasterium tunc temporis habebat plures monachos, genere nobiles, sed sanctitate vitæ ac morum honestate multo nobiliores: quorum unus fuit Hildebertus, qui postea *f* Dolensis monasterii Abbas, deinde *g* Bituricensis Archiepiscopus extitit, cui beata Dei genitrix Virgo Maria in quadam sua tribulatione fertur apparuisse, & ei solatia contulisse. Sed & Gervasius, qui *h* S. Savini monasterii fuit postea Abbas, vir summæ abstinentiæ omniumque virtutum ornamento præclarus. Garnerius quoque, qui castri illius, quod Mons-Maurilionis *i* dicitur, Dominus fuerat. Hic paupertatis atque solitudinis amator, cœnobitarum monachorum deserens consortia, anachoreticæ vitæ sectatus est studium; qui dum quadam die per eremi vastitatem incederet, quemdam hominem à dæmone arreptum conspexit, cujus miseriæ compatiens, virtutem Iesu Christi precibus advocans, dæmonem quo tenebatur expulit, hominemque incolumem remisit. His & aliis quampluribus consimilibus viris quorum frequentia S. Cypriani monasterium tunc nobilitabatur, divinæ providentiæ dispositio, famulum suum Bernardum adjungere volens, ut fortioribus militibus fortissimo adjuncto, totus audacior atque robustior contra hostes redderetur exercitus, eum usque ad prædicti Patris Raynaudi præsentiam fausto itinere perducit. Cui, sufficienti doctrina & exhortatione prius diligenter confortato, Abbas Sanctæ conversationis habitum tradit, illumque tonsura monachum insignitum corpori congregationis adjunxit.

ubi degebant Hildebertus dein Abbas Dolensis, f g h

Gervasius Abbas S. Savini: i

B

Garnerius miraculis clarus:

& alii viri illustres:

habitum monasticum suscipit:

11 Qui in monasterio susceptus, & à sanctis Fratribus, quos prædiximus, monasticæ conversationis institutis & consuetudinibus informatus, confestim ad tantæ perfectionis conscendit arcem, ut universis admirabilis haberetur. Quis namque queat exprimere sermone, in quanta humilitate vitam suam continuerit, quantave subjectione se submiserit. Famulabatur omnibus, administrabat cunctis, serviens universis: omnes ut superiores attendebat, ut senjores venerabatur, ut magistris & eruditoribus suis reverentiam exhibebat: omnibus obediens, nulli contradicens; omnes sine simulatione diligens, affectu pietatis & misericordiæ visceribus complectens universos, omnibus copatiebatur, illorum curans commoda, sua postponens: nulli invidebat, detrahebat nemini; numquam obmurmurans, numquam susurrans, nullius vitam dijudicans, nullum condemnans; verba illius Christum semper resonabant, pacem, misericordiam. Quis unquam eum iratum, quis turbulentum cognovit? Semper mente serenus, alloquio blandus, sermone nitidus, affabilitate lætus, discretione præcipuus, expugnator injustitiæ, justitiæ propugnator: fide confisus, spe robustus, caritate diffusus, & ut breviter concludam, omni morum honestate præclarus. Quis unquam acrius abstinentiæ, algoris, & vigiliarum tormentis corpus suum edomuit?

excellit in obedientia, C

aliisque virtutibus;

12 Lectioni & meditationi Scripturarum maxime intendebat, adeo videlicet ut maxima parte noctium legendis sacris voluminibus pervigil insisteret, & in consideratione divinarum rationũ diutius pernoctaret. Dum ergo quadam nocte huic studio operam dat, sopore deprimitur; & quam satis ad hoc opus grandem paraverat candelam, ex ejus dormientis manu super librum labitur. Dormit ille ardet illa jacens super paginam, donec tota consumatur, nec tamen codex uritur. Hic itaque, per annos decem vel eo amplius, in claustro S. Cypriani tanto rigore abstinentię deguit, tantarum jubare virtutum enituit, ut totam congregationem suæ sanctitatis radiis illustraret, & eam non tam dictis quam factis ad meliora provocaret: doctoresque suos, qui illum prius instruxerant, verbis docebat, jam nõ argumento locutionis aut nitore sermonis, sed virtute operis. Et ita factum ut præesse jam inciperet universæ congregationi, non loco prælationis, sed excellentia sanctitatis, ac auctoritate bonæ operationis.

legens Scripturas de nocte,

AUCTORE GAUFRED. DISCIPULO librum ab illapsa candela servat illæsum;

ANNOTATA.

a Pontivum, *seu* Ponticum, *ditio inter fluvios Somonam & Vimeram, ejusque caput censetur urbs Abbavilla: de quo plura dicentur in Vita S. Richarii Abbatis Centulensis 26 Aprilis.*

b *Hic fuit* Philippus I, *qui regnavit ab an.* 1060, *ad* 1109.

c S. Cypriani monasterium *in prospectu Pictaviensis urbis constructum esse, à Pipino Rege Aquitaniæ, filio Ludovici Pii, traditur in Chronico S. Maxentii, vulgo Malleacensi: & infra num.* 58 *dicitur floruisse, antequam Cluniacense monasterium esse cœperit circa an.* 910, *ut dictum* 13 *Ianuarii ad Vitam B. Bernonis primi Abbatis Cluniacensis.*

E

d Raynaudus 2, Abbas 17, *de quo infra plura recensentur.*

e S. Roberti Abbatis Casæ-Dei *Vita elucidatur ad diem* 24 *Aprilis.*

f Dolense *seu* Burgidolense monasterium, *vulgo* Bourgh de Deolz, *ad* Andriam *fluvium, vulgo* Indre, *in Bituricensi Ducatu & diœcesi. De eo egimus* 13 *Ianuarii ad Vitam dicti B. Bernonis num.* 28.

g Bituricensis Archiepiscopus 60, *sedit ab an.* 1093, *ad* 1098, *& passim* Aldebertus *appellatur. Consule Patriarchium Bituricense apud Labbaum in Aquitanicis, pag.* 81.

h S. Savini monasterium & oppidum, *decem leucis versus Orientem à Pictaviensi urbe distans, ad Gartempam fluvium. Vixit S. Savinus seu Sabinus anachoreta in agro Pictaviensi, estq́; Martyrologio Romano inscriptus* XI *Iunii.*

i Mons-Maurilionis, *oppidum ad Gartempam fluvium, supra S. Savini oppidum.*

CAPUT II.

Prioratus monasterii S. Sabini administratus, disciplina restaurata, & alia præclare gesta.

F

13 EA tempestate quidam monachus de monasterio Cypriani, Gervasius videlicet, de quo superius commemorationem fecimus, ad regimen ecclesię S. Savini suscipiendum multis totius congregationis petebatur precibus. Sed ad hoc nullo modo impelli poterat, neque per Episcopum præcipientem, neque per Abbatem suum obedientiam sibi prætendentem, nisi S. Bernardum traderent adjutorem. Quo tandem sibi concesso, Gervasius Abbas præficitur, & Bernardus Prior in congregatione constituitur. Hoc autem divinitatis pio consilio agebatur, ut ad depellendas illius ecclesiæ tenebras hæc duo magna luminaria mitterentur; quia, per præcedentis Abbatis negligentiam, loci illius congregatio regularis vitæ tramitem deseruerat, & rigorem disciplinæ in teporem vitæ ac dissolutionem commutaverat. Quo prius Gervasio bene cognito, bono sanoque consilio sibi divinitus inspirato, solus curam illorum suscipere noluit: ne, dum exterius in administratione temporalium laboraret, non esset interius, qui spiritualia sustentaret. Sed duobus sibi consociatis atque auxiliantibus, altero

Sub Gervasio Abbate S. Savini fit Prior,

AUCTORE GAUFRED. DISCIPULO EX MSS.

exterius procurante, altero interius providente; gratia Domini monasterium, infra breve tempus, in tantam integritatem sanctæ conversationis restauratum est, ut, quod infamia notabatur ob dissolutionem, postea famosum haberetur ob religionem.

eidem ob simoniam resistit;

14 Per idem tempus, occasione cujusdam ecclesiæ, inter sæpefatum Gervasium & venerabilem Bernardum, dissentientibus monachis ejusdem monasterii, non parva altercatio suboritur. Nam Gervasius, cœnobii amplificandi ac ditandi gratia, pro memorata acquirenda ecclesia avide instebat; Bernardus vero nullatenus acquievit, animadvertens quod Simoniaca pestis ex latere subintrabat. Unde factum est, ut idem Gervasius, postquam se minime prævaluisse vidit, atque jam dictam ecclesiam, ad quam anhelanter suspirabat, Abbas tunc temporis S. Cypriani obtinuit; contra virum Dei Bernardum vehementi indignatione permotus, curam sibi commissam contemnendo postposuit, atque de sumptibus S. Savini apud S. Cyprianum habitationem sibi construxit, in qua deinceps per plurimum temporis habitavit. Hæc non adeo protulimus, ut quibusque simplicioribus quodlibet dissensionis argumentum proponamus; sed ut, sicut in sequentibus declarabitur, metuenda Dei judicia simulque prædicanda magnalia posteritati succedentium transmittendo propalemus. Plerique etenim multo ardentius legunt, quod & inter ipsos facta sit contentio, qui teste Euangelio visibiliter adhærebant cælesti magisterio; quam quod in eorumdem Actibus intimatur, Multitudinis credentium erat cor unum, & anima una. Sed quoniam divinas Scripturas obliquo conspectu dijudicantibus, & inexplicabili tergiversatione pervertere machinantibus, nunc nequaquam satisfacere cupimus; ad intermissum propositum redeamus, à quo paululum digressi sumus.

illoque digresso B

Luc. 22, 24

Act. 4, 32

utilitati & regulari disciplinæ invigilat;

15 Bernardus interim sæpedicti Gervasii privatus patrocinio, sed divino non destitutus adminiculo, more providi procuratoris, totius monasterii S. Savini nunc exterioribus nunc interioribus pervigili cura insistens utilitatibus, tanto magis operam dabat, quanto majus onus curæ suæ incumberet: ideoq; ne quid minus honestum sua contingeret ignavia, frequenti retractatione recolebat. Verum quia non potest esse Abel quem Caini malitia non exerceat, nec rosa nisi inter spinas vernare prospicitur; à quibusdam canonicarum institutionum impugnatoribus, in eodem cœnobio corpore tantum commorantibus, perplurimis exacerbationibus affectus, & creberrimis infestationibus lacessitus perhibetur. Quorum unus, qui ceteris pertinacior & ad inferendas quaslibet molestias audacior dignoscebatur, dum frequenti verborum invectione quadã die præcipitanter in eum insurgeret; Bernardus quidem exempli gratia illi vindictam committens, qui sibi committi admonet, dicens, Mihi vindictam, & ego retribuam; illata improperia æquanimiter pertulit: sed divina ultio evidenti statim ac celeberrimo judicio ipsius infestatorẽ terribiliter coërcuit. Nam idem infelicissimus, sanus & alacer cũ ceteris in claustro residens, subitanea & inopinata morte expiravit, ad suæ damnationis cumulum datus aliis in exemplum. Et quia, Sapientis oraculo, *a* Pestilente flagellato prudens prudentior redditur; reliqui, tam districta animadversione exterriti, ad altiora monastici rigoris exercitia protinus viriliter accinguntur. Denique in exteriorum rerum administratione idoneis procuratoribus deputatis, orationi & silentio servus Dei Bernardus irrefragabili diuturnitate deditus, ad tantam mentis puritatem pervenerat, ut quamplurima prophetica inspiratione cognosceret, quæ hominum cognitio necdum habuisset.

C

Contumelias illatas patienter fert:

Rom. 12, 19

contumace aliquo subita morte punito a

Prov. 19, 25

reliquos habet morigeros:

16 Anno itaq; Dominicæ incarnationis millesimo nonagesimo *b* sexto, Pontifex Romanorũ *c* Urbanus gentem Christianorum cõmonebat, quatenus Hierosolymã pergerent, & à Gentilium manibus civitatem liberaret, templumque Domini ac sepulcrum ab eorum spurcitiis emundarent. Quam Papæ commonitionem populus Christianorum tanto mentis affectu ac desiderio suscepit, ut *d* nonnulli Abbates & monachi nec non eremitæ sua monasteria desererent, ac Hierusalem pergerent: cũ quibus prædictus Gervasius, sine satisfactione injuriæ quam viro Dei Bernardo intulerat, iter arripuit, Hierosolymã iturus; sed (quia non est hominis via ejus) nec illuc perventurus, nec denuo rediturus. Idem namq; cœptum carpens iter, jam prosperis hinc succedentibus tam sibi quam suo comitatui successibus, optatum littus tenuerat: jam omnium suorum, quemadmodũ videbatur, compos votorum ad Hierosolymitana compestria pervenerat: cum ipsius nimirum permissione, cujus judicia, licet nonnumquam sint occulta, numquã tamen sunt injusta, immanissimus leo de suis cubilibus prosiliens, ipsum, cum ipso cui insidebat asino, membratim discerpendo extinxit: atq; tam horrendo spectaculo peracto, ad montanas cavernas sibique cognita lustra, ceteris intactis, verumtamen tam prodigioso admodum infortunio perterritis; concitis gressibus repedavit. Quæ dum in Hierosolymitano agerentur territorio, Bernardus in Aquitania nõ longe à suo monasterio constitutus, eodem die per spiritum cognovit, atque piæ recordationis affectu commotus, quemdam monachũ ipsius ecclesiæ, cujus tunc temporis ut sæpe jã diximus curam gerebat, ad se convocans, innotuit: Vade, inquiens, & dic Guillelmo Samueli, quod Gervasius Abbas patruus ipsius, & asinus ejus in Judeæ provincia à leone sit occisus, Fratribusque illius obitum denuntiare studeat, & ut cum debita veneratione exequiæ peragantur, signa pulsari faciat. Monachi autem Officium de more peregerunt; sed quomodo hoc ipse cognoverit nescierunt. Eodẽ vero anno ab eis, qui de Hierosolyma redierant, addiscunt, quod eadem die Gervasius cum asello suo obierit, qua Bernardus ejus obitũ nuntiavit: unde procul dubio res patuit, quia per prophetiæ spiritũ cognovit.

D

Anno 1096 b c

d *in Terram Sanctam profectum Gervasium*

à leone discerptum,

E

eodem die cognoscit

& curat ejus exequias celebrari.

17 Bernardo dictũ monasterium sibi commissum sapienter ac regulariter gubernanti, per quem maxime ipsius facta fuerat religionis restauratio, talis divinitus panditur revelatio. Erat illi consuetudo, ut post Cõpletorium in oratorio remaneret, & diutius pervigil in orationibus pernoctaret. Quadam itaque nocte, dum post orationes ab oratorio in dormitoriũ pergeret, conspicit multitudinem monachorum, ad instar nivis dealbatorum, in Capitulo residentium. Cujus visionis permotus novitate, fertur Capitulũ introisse, atq; ab eis humiliter petita & accepta benedictione, cum ipsis aliquantulum resedisse, rei gratia diligentius agnoscendæ. Tunc unus residentium, qui & ævo & ordine ceteris dignior videbatur, Bernardo, ut sibi injunctum ab eodem fuerat, tantum audiente, prioratus ejus officium & nomen aliis intimavit; eiq; talia dixit: Carissime, nos hujus monasterii monachi fuimus, & hæc sancta loca visitandi licentiã habemus, in quibus nostram operando salutem olim habitavimus: tibi vero condignas grates referimus, quia divina præeunte gratia, ad statum religionis ac sanctitatis hujus cœnobii congregatio te operante rediit, quæ quondam à norma justitiæ multum exorbitavit. Hoc etiam, ut die crastina Fratribus denunties, injungimus, quod ex illis decem & novem de hac vita discessuri sint infra breve spatium. Qua peracta visione, ipse, quemdam monachum astruens hoc vidisse, Fratres præmunivit, ut suas per confessionẽ conscientias purgarent, & ad suscipiendũ vitę terminũ præpararet.

à monachis albis in Capitulo conspectis

ob restauratam disciplinam laudatur:

& intelligit 19 monachos brevi morituros:

singulis diem morbi & mortis judicat.

Unus

A Unus autem ex illis qui morituri erant, eum delirare & verba somnii proferre asseruit: sed mox à Bernardo tale responsum audivit: Ut experimento cognoscas, non me somniorum incerta narrare, primus omnium Fratrum morieris, nec præfixum terminum transgredi poteris. Et sic, ab illo incipiens, unicuiq; nominatim tempus suæ demonstravit ægrotationis; diem quoque exprimens resolutionis. Mors autem Fratrum eodem ordine, quo ab illo prædicta fuerat, subsequitur, & sic illum certa vidisse comprobatur.

A Deipara Virgine

18 In hujus monasterii oratorio, quadam nocte more solito post Completorium Bernardo flenti studiosius ac precanti,

Fulgida conspectu, niveo quoque candida cultu,
Visa Dei Genitrix, ait hoc, mundi renovatrix:
Multos angores passus prius atque labores,
Lætus pervenies æthereum ad solium.

Sed de prænuntiata tibi laborum & angorum molestia, divinæ dispositioni, carissime Bernarde, non succenseas: imo judiciorum rationibus ipsius gaudenter acquiescas, & gratanter gaudeas: & iterum dico gaudeas, quia qui te affligi temporaliter proposuit in terris, in numero Sanctorum suorum æternaliter præscriptum te tenet in prædestinationis suæ indissolubilibus scriptis. His dictis disparuit: B Et ille inæstimabili exhilaratus gaudio de notificata sibi felicitate suæ sortis, ea quæ audierat postmodum cuidam seniori revelavit, per quem usque ad nos hujus rei notitia pervenit.

suam prædestinationem intelligit.

ANNOTATA.

a *Versio communis habet*: Pestilente flagellato, stultus sapientior erit, *aut sicut Vatablus habet*, cautior evadet, *aut sicut* LXX, cogitabit sensum, *aut sicut S. Bernardus ad verba hujus auctoris habet Libro de Vita solitaria ad Fratres de Monte-Dei*, Pestilente flagellato, sapiens sapientior erit.

b *Alii habitum ajunt anno* 1095 *die* 17 *Novembris Hinc quæ sequuntur de profectis in Terram-sanctam, contigerunt anno* 1096, *quod hic auctor intendit.*

c Urbanus II *sedit ab anno* 1088 *ad* 1099.

d *Baldricus in Armoricis Episcopus Dolensis, lib.* I *Historia Hierosolymitana ista confirmat*; Multi, *inquit*, eremitæ & reclusi & monachi, domiciliis suis non satis sapienter relictis, ire viam perrexerunt. Quidam autem orationis gratia ab Abbatibus suis accepta licentia profecti sunt, plures eorum fugiendo se subduxerunt.

CAPUT III.

Vita eremitica in solitudine Cenomanica.

C 19 SEd ut re ipsa, quod Dei Mater sancto viro prædixerat, verum esse probaretur, illi statim causa laboris suboritur. Nam cognita monachorum voluntate, qui eum sibi Abbatem facere disponebant, clam discessit ab iis; rem sibi à multis annis desideratam quærere intendens, scilicet anachoreticæ vitæ studium, & ut sibi victum acquireret labore manuum. Manebat autem non multum longe à monasterio Savini vir quidam venerabilis, & religiosus eremita, Petrus nomine de Stellis, qui illius postea monasterii fundator extitit, quod a Fons-Gumbaudi dicitur: ad quem Bernardus divertens, eo quod sibi jam antea notus & familiaris esset, causam qua venisset aperuit. Quem Petrus magna cum animi alacritate suscepit: sed quia in vicinia monachorum erant, qui eum invitum Abbatem sibi facere satagebant, illum diu secum, licet nimis exoptaret, tenere non potuit. Bernardus porro exæstuans tum desiderio jam optatæ paupertatis ac solitudinis, tum vehementer reformidans, quod, nisi citius recederet, Abbas, implicandus sollicitudinibus curæ pastoralis, impellente Abbate suo, vel Episcopo, coactus fieret; Petrum obnixius rogabat, ut se inde citius latenterque subduceret, atque ad ignotas remotissimæ regionis solitudines perduceret. Petrus itaque precibus rogantis acquiescens, factus ductor itineris, quod postulabat complevit.

Eligendus in Abbatem, fugit:

à Petro de Stellis eremita suscipitur,

a

AUCTORE GAUFRED. DISCIPULO EX MSS.

20 Erant autem in confinio Cenomanicæ Britanniæque regionis vastæ solitudines, quæ tunc temporis quasi altera Ægyptus florebant multitudine eremitarum, per diversas cellulas habitantium, virorum sanctorum ac propter excellentiam religionis famosorum: inter quos erant principes & magistri, b Robertus de Abrisello, atque c Vitalis de Mauritonio, d Radulphus quoque de Fusteia, qui postea fundatores extiterunt multarum atque magnarum congregationum: quibus divina dispositio per Petrum, qui eos antea noverat, hunc quartum adjungere curavit; ut illis tribus quarto adjuncto firma fieret quadratura, quæ postmodum magna & lata ædificia erat portatura. Petrus vero de Stellis, multorum dierum itinere confecto, pervenit ad divinum Vitalem, unum ex supradictis, quos Principes, & Magistros eremitarum fuisse jam diximus. Qui ei Bernardum commendabilem laudabilemque sufficienter facundæ orationis adminiculo prius faciens, rogat, ut eum habitare secum permitteret, nomen illius & transacti Prioratus officium penitus reticens, non Bernardum eum nominans, sed Guillelmum; sicut ab eodem Bernardo antea fuerat præmonitus, ut vilis amodo ubique haberetur atque incognitus.

& abductus in vastam solitudinem,

b c d

E

commendatur Vitali de Mauritonio:

21 Petrus itaque, illo commendato, ad Aquitaniam remeat. Dominus autem Vitalis anachoretas concilii more convocat in unum, Guillelmique desiderium profert in medium. Eremitæ vero, hominis comperto voto, ex affectu caritatis assentiunt, consortio applaudunt, cellulas suas certatim offerunt. At vero Vitalem caritatis ardor concitat, litemque sibi complacitam dirimens, ex synodi auctoritate decernit, ut Guillelmus silvas peragrando, Fratrum omnium habitacula conspiciat, & quod sibi placuerit ad habitandum assumat. Ille igitur, Anachoretarum sibi grege prævio, ut in concilio sancitum fuerat, omnium cellas inspicit: & in anteriorem eremum procedens, ad ultimum lapidem pervenit: ibique cujusdam Fratris mansionem, cui Petrus erat vocabulum, invenit. Hic autem nec agros colere, nec hortos fodere noverat: sed arbusteis fœtibus tantummodo, tornatilisque artis adjumento, quotidie mensæ sibi fercula providebat. Casam quoque haud grandem ex arborum corticibus sibi in cujusdam ecclesiæ e S. Medardi parietinis confecerat: cujus partem meliorem abruperat ventorum violentia. Sed ne iterum ventorum sævientium rabies prævaleret, casæ reliquum quod remanserat, aliquantæ præmunitionis fortiori compage, ad quernos desuper incumbentes ramos vimineis funibus adstrinxerat. Tam castigatæ igitur possessionis supellectilem; tam profundæ tamque ad unguem perductæ paupertatis, quam optaverat Guillelmus, formam undecumque conspiciens; tam altum tamque consummatum seculi contemptum, quem quærebat, inveniens, Fratribus cum quibus venerat, se ibidem remansurum, mox intulit, seque inde minime recessurum asseruit.

à quo per cellas eremitarum circumductus,

eligit cellam Petri eremitæ;

F

e

22 Petrus fortunæ suæ divitias videns prælatas ceteris, de electionis sorte quasi de victoria triumphum reportans, immensa funditur lætitia, gloriatur, tripudiat, insultat sodalibus; Guillelmi favet judicio, collaudat mentem, voluntatem approbat, quæ diligat paupertatem, majorisque substantiæ

& ab eo magna cum lætitia suscipitur,

AUCTORE GAUFRED. DISCIPULO EX MSS.

substantiæ spernat subsidia; spondetque quod eum in arte tornandi instruat, ferramentorum ipsius artis heredem constituens, si post ejus obitum illum fore superstitem contingat: tales etenim gazas suis thesaurizabat successoribus. His itaque peractis, Petrus multo exhilaratus gaudio, illos invitat ad prandium: sed perquisitis cellariis suis tam tenuem invenit annonam, ut nec uni, si tota apponeretur, sufficeret: quæ res nec nova, nec insolita sibi fuit; eo quod suæ familiaris rei status eum assidue talibus urgeret negotiis. Verum perpendens secum quod mensa, quæ unum cibare non valeret, multos non satiabit; non ignorans unde pasceret quos invitaverat, festinus arripit cophinos suos, & aulæ suæ circumfusam undique silvam ingrediens, haud segniter spineta rubetaque convellicat, corilos ceterasque silvestres arbores suis expoliat fructibus; & dum in sportellis suis diversi generis poma coacervat, in cujusdam trunci concavitate apum examen cum tanta ceræ & mellis plenitudine reperit, ut ex ipsius copiæ cornu tantas abundantias crederes emanasse. Admirans igitur tantos fortunæ successus, peregrini monachi, quem modo in consortium susceperat, deputat meritis, quod tantam luminis ac cibi Deus materiam contulisset. Reversus domum mensam onerat dapibus: apponit etenim favos distillantes immodicos, arborumque diversarum poma silvestria, pulmentumque arboreis frondibus confectum advehit; essetque opulentum convivium, nisi panis deesset, dignior pars epularum. Fraternæ autem lætitiæ celebritate transacta, ad cellam suam quisque revertitur.

arboreis fructibus & favo mellis invento reficitur.

B

23 Petrus vero Guillelmum secum remanentem tornandi edocet disciplinam, ut promiserat: & ille docilem habens mentem, in brevi magistrum exuperat. Placet capacis ingenii Guillelmi Petro facilitas. Nam zelus & livor ab ejus cordis secreto procul recesserat. Ille ut eremi antiquus cultor & usus talibus, ex silvestrium arborum frugifero beneficio & præfatæ artis exercitio conquirit victualia: Guillelmus autem semper remanens domi, ut subjectus discipulus non sumptuose coquinę complens officia, agrestes herbas conficit in pulmentum; quibus, ut molliores & dulciores reddantur, in festivis diebus salis admiscet condimentum. Post Vesperas illis in die semel prandentibus, Petrus recumbit, Guillelmus famulatur: didicerat enim à bono doctore, Non veni ministrari; sed ministrare. Anachoreticæ vitæ itaque amplexus propositum, mox abstinentiæ rigore transcendens universos, frondibus arboreis vitam sustentat & herbis; corpus domans, inedia, siti, vigiliis, algoribus, & laborum duris exercitiis.

Artem tornandi addiscit:

C

Mat. 20, 28

eminet in abstinentia,

24 In assiduitate quoque orationis, & contemplationis adeo infatigabiliter perseverat, ut in corpore degens extra corporeos affectus vivere videatur. Non abest etiam à secreto conscientiæ illius, cordis contriti sacrificium, non abest gemitus, non abest compunctio, non à mentis intuitu divinorum contemplatio, non ab oculis superabundans & inquieta lacrymarum effusio.

oratione & contemplatione,

Terrea postponens, animo cælestia lustrat;
Antra colens eremi corpore, mente polum,
Incola silvarum, per devia lustra ferarum,
Modicus, ignotus latitat, sine nomine solus;
Civibus æthereis sed junctus, lumine cordis
Cognitus, excelsus, magnus, celebris, venerandus
Intrat siderei spatiosa palatia regni,
Et favet intranti jam curia tota Tonantis.
Interno visu, sursum super astra locatus,
Circuit & mundi florentia rura superni,
Decerpens flores, fructus libando salubres,
Quorum languores gustus fugat atque dolores,
Tollit & angores nec non odor atque labores:
Prægustatque boni jam dulcia gaudia summi.
Obstupet & clari cernens miracula cæli,
Mystica magnarum mirando volumina verum.

habens conversationem in cælo

D

25 Per Triennium itaque, quo Guillelmus apud S. Medardum cum Petro latuit, à S. Savini monachis exploratores transmissi, per abdita silvarum totius Galliæ, per defossa terrarum, per abrupta montium discurrentes, sicubi Bernardum invenirent, perquirunt. Tandem cognito ubi esset, remeant, & quo & cum quo latitaret, nuntiant. Cujus rei certificationem monachi gratulanter audiunt, statimque ab Episcopo & Abbate ipsius mandata, sigillis munita, diligenter expetunt, ut ab eremo Bernardum eis educere, Pastoremque sibi constituere liceat, ut communis assensus eorum petierat. Quibus impetratis, dum itineris necessaria præparant; quidam monachus illorum, cui Hugo vocabulum erat, à monasterio latenter exiit, qui ad Bernardum perveniens, in hæc verba prorupit: Anathemate percussus es, si hic diutius maneas; nisi nostri monasterii regimen, ut Episcopus Abbasque tuus imperat suscipias. His dictis totius rei seriem per ordinem retulit; quod illum toto triennio quæsierant, quod ab Episcopo & Abbate mandata illum reducendi Abbatemque faciendi receperant. Quo Bernardus audito, ingemuit, & ad marinas insulas fugere disposuit; ut saltem pelagus occultaret, quem terra celare non potuerat. Hinc igitur proficiscens, Fratribus vale dicto, cunctis præ dolore lacrymantibus, discessit.

Triennio quæsitus reperitur,

seque ad Abbatiam cogendum intelligens

E

versus mari fugere cupit,

ANNOTATA.

a *In Chronico S. Maxentii ista habentur.* Anno 1091 inceptum est cœnobium S. Mariæ quod vocatur Fons-Gombaudi, in confiniis Pictavii & Biturigæ civitatum, à B. Petro Abbate cognomine Stella. *Et postea.* Anno 1114 obiit Petrus primus Abbas Fontis-Gombaudi, morbo arpeta, id est igni inextinguibili, sicut se consumens: cui successit Guillelmus & post eum Airaudus. *Verum, quia ex præcedentibus constat Gervasium in Terra-sancta non ante annum 1096 periisse, post quod B. Bernardus, in Abbatem eligendus, ad hunc Petrum adhuc eremitam fugit; videtur non nisi sub finem istius seculi, monasterium erexisse.*

b De B. Roberto de Arbrissello, *fundatore Ordinis Fontis-Ebraldi late egimus 25 Februarii.*

c B. Vitalis *fuit postea Abbas Saviniacensis in territorio Abrincensi, cujus nonnulla Acta à nobis collecta dedimus 8 Ianuarii.*

d Radulphus *fuit postmodum director Sanctimonialium in monasterio S. Sulpitii, in Britannia & diœcesi Redonensi anno 1112 constructo, ubi die 16 Augusti anno 1129 dicitur è vita decessisse.*

e S. Medardus, Episcopus Noviomensis, *colitur 8 Iunii.*

CAPUT IV.

Vita solitaria in Causeu insula. Piratæ emendati.

25 PAupertati vero illius quidam eremitarum compatiens, uni sociorum ejus decem & octo nummos tradidit, pie providens ut tantillum pecuniæ haberent, ex qua in itinere sumptus, saltem per dies aliquot, compararent. Quo vir Domini comperto, non mediocriter indignatus, quod argentum secum deferret, sic ait: Aut meus socius non eris, aut hos nummos ferre desines. Putasne Christum invenire pauperem in illis partibus ad quas properamus, quem ubique divitem esse cognoscimus? Pauperiem, Christo divite, ne timeas: Christus etenim tibi necessaria sufficienter ministrabit, si primum regnum

Nummos 18 socio datos,

A regnum Dei quæsieris fideliter. Et his dictis pauper quidam ruricola obvius illis fuit, cui nummos illico dari præcepit. Pauper quidem argentum accipiens lætus efficitur, quod ex facili nummos habuerit: Bernardus vero lætior redditur, quod penitus nummis caruerit. Uterque igitur diverso modo lætificatus, ille cum pecunia domum suam properat, iste sine pecunia, non habens ad primam mansionem ubi caput reclinet, quo tenderet nesciebat; sed de largitate bonitatis Dei confidens, cœptum iter, juxta quod intenderat; consummare festinans, ad mare Britannicum pervenerat: ibique cognito quod infra maris decem milliaria insula quædam, anachoretis competentem præstaret solitudinem, quam veteres *a* Causeum nominarunt, navem conscendit: ad quam conveniens in ea per annos plurimos habitavit.

pauperi jubet tradi.

In insulam Causeum navigat: a

27 In tam igitur occulta remotione positus, & à strepitu & perturbatione hominum separatus, & ab omni audientia humanæ conversationis alienatus, in cælestibus theoriis totus erat. Die & nocte, in oratione, in cordis contritione, & in lacrymarum effusione persistens, cogitabat dies antiquos, & annos æternos in mente habebat, pascebatque eum contemplatio summi boni: nec jam multo terreni cibi desiderio æstuabat, quem divinæ contemplationis B dulcedo assidue satiabat. Mansit itaque multis diebus pane carens in hoc loco, absque foco, sine socio. Quibus vero alimentis vitam sustentaret suam, dum hæc abessent, nobis id ab eo requirentibus, indicare recusabat, suarum virtutum artificiosus dissimulator, ut esse assolet perversus quilibet flagitiorum suorum versutus occultator. Sed revera, ut compertum est postea quibusdam suis sodalibus, herbarum utebatur crudis radicibus. Illi quoque inibi inhabitanti tentatio dæmonis non defuit, illum deterrere & ab illis sedibus expellere cupientis: suis etenim phantasticis artibus terribiles formas ingerebat, quas miles Christi, Crucis armatus signaculo, viriliter fidenterque superabat.

degit solitarius

crudis herbis victitans:

28 His diebus ab Armorica Britannia piratici raptores, tribus cum armatis ratibus, exeunt: qui in maris Anglici pelago duas naves, diversis oneratas mercibus, inveniunt: quarum possessores, sese audacter defendere parantes, navali aggrediuntur prælio. Pugnatur utrimque fortiter: à piratis acriter, ut aliena diripiant; ab institoribus viriliter, ut sua defendant. Tandem piratica multitudo sæviens prævaluit: expugnantur miseri mercatores, vulnerantur, C & feminece in transtris vinciuntur. Mox sævientium rapacitas suo potita desiderio, ad Britanniam convertitur: sed ventorum contrarietas, id superna faciente clementia, ad Causeum insulam navigium impellit. Bernardus autem pietatis amator & executor misericordiæ, cujus totus redundabat visceribus, ut conspicit captivos homines, ligatis manibus post tergum, moribundos jacentes in sentina, suis spoliatos pecuniis, flebilibus quæstibus ejulantes, cruore proprio obvolutos; prædones vero exultantes ac tripudiantes lætitia; utrorumque compatiens miseriis, ab imo corde trahit suspiria, lacrymisque protinus suffundens oculos, hos deflet, qui crudeli rapacitate animas suas perimunt; illos hortatur ad patientiam, quos tam dura infortunia graviter affligunt. Raptores arguit, deterret, increpat, obsecratque, ut dæmonibus, quos per sævitiam imitantur, similes esse desinant: fratribus suis quæ damna intulerant restituant, & de illatis injuriis humili supplicatione ac veniæ petitione satisfaciant. Sauciatos mercatores monet, ut Christum imitantes, persecutoribus suis à Deo veniam petant; ac virtutem sapientiæ mente retinentes, hos à quibus tanta sibi mala irrogantur, diligant. At miseri institores, quibus altior inerat

Piraticum naves, illuc appulsas videns,

raptores arguit, captivos consolatur,

sensus, deflent mala quæ sentiunt; crudelissimi vero prædones, qui lætabantur in rebus pessimis, derident verba quæ audiunt.

AUCTORE GAUFRED. DISCIPULO EX MSS.

29 Porro circa diei noctisque crepusculum, ventis flantibus juxta votum piraticæ cohortis, sancti viri monita nihili pendentes, discedunt; & cum præda quam ceperant, patrios portus apprehendere contendunt. Bernardus autem, cujus mentem compassionis fraternæ movebat affectus, ad orationem se contulit; totamque illam noctem deducens insomnem, Dei genitricem sibi auxiliari solitam piis interpellat vocibus, reliquosque Sanctos Dei lacrymarum gemituumque pretio sibi conducit in auxilium; ut divina bonitas piratarum mentes ad bonum convertat, & illos quos captivaverant liberos ac expeditos recuperata pecunia suis familiis restituat. At vero sævitiæ totius auctor & incentor diabolus, minime dormitans, suos satellites sub obtentu lucri ad opera crudelitatis inflammat, ut illos postmodum ad inferna pertrahat. Inter illos namque litem de divisione prædæ concitat: nam quidam illorum majorem sibi partem habere contendunt: quidam vero in hujus partitione justitiæ regulas ac æquitatis servari debere astruunt, quas tamen in ejus acquisitione minime servaverunt. Et quia inter malos semper sunt jurgia, in hac re penitus sibi dissidentes, diabolo instigante atque suadente, evaginatis ensibus alternatim sese ferire incipiunt: essetque maxima cædes miserorum, nisi sancti viri pro illis orantis obstitisset meritum. Fuerunt itaque tota illa nocte Bernardus & zabulus, quasi duo magni pugiles, in campo certaminis consistentes, mutuis & inquietis congressibus sese acriter impetentes: zabulus namque perdere, Bernardus vero liberare satagit: uterque pro sua parte pugnabat, & de obtinenda victoria elaborabat.

iis digressis, nocte tota orat

& piratas in mutuam cædem conversos E

precibus suis impedit:

30 Sed tandem noster athleta fortius insurgens, ictus orationis ingeminat, hostem perimit, nullamque concedit requiem; retrocedere compellit, cedentem persequitur, ac demum de campo certaminis propulsat, prece turbans elementa, ut institores miseros ad se reducat, & naves atque prædones efferos. Denique prædicti piratæ jam interim ad portum optatum pervenerant: jam ferreis anchorarum dentibus littoris scopulos apprehendere inchoabant; jam è navibus pontes educere tonsillas figere *b* prosnesiorumve retinaculis rates sistere festinabant. Cum ecce ventus vehemens illisque contrarius, Bernardi commotus precibus, insurgens, aërem conglomerat in nubes, tenebrosa coacervat nubila, ex quorum collisione creata tonitrua, mox audiuntur, horribili sono illos deterrentia; ruunt fulmina terrifica, fulgurantiumque flammarum coruscatio, oculos eorum reverberans, præcedit: creberrima maris undique superna facies ardens illis videtur atque flammivoma, ventoque imperante, classis ad alta pelagi illis nolentibus reducitur; nubium densitas, aëre amplius ferre non valente, in nimbos resolvitur, fitque tanta pluviarum inundatio, ut cataractas cœli denuo ad faciendum diluvium reseratas esse crederes, Noëque antiqua rediisse tempora: tantaque suboritur elementorum conturbatio, ut quilibet ibi consistens convulsi mundi totam in antiquum chaos illico putaret redigi machinam: oppugnantiumque ventorum flatibus furibundis ad instar montium immensa fluctuum eriguntur volumina, in verticibus quorum carinæ tolluntur ad sidera, moxque dehiscentibus undis ocius sagittis volantibus, barathri usque descendunt ad ima.

b

atque abortâ tempestate, F

31 Remiges autem fulminum juxta cadentium fœtoribus affecti, mortuis similes in transtris prosternuntur *c* stranipisque rumpentibus, remis ferienti- bus

eosdem periclitantes c

AUCTORE GAUFRED. DISCIPULO EX MSS.

bus undas, à columbariis extrahuntur. Antennæ quoque resoluto ligamine cum suis opiferis corruunt. Velorum quoque substantia, particulariter scissa ventorum rapacitate, huc illucque per inane aëris distrahitur. Rudentes vero aliique officiales funiculi, trochlearum carchesiis confractis, concidunt. Continuo mali, necessario chordarum destituti adminiculo, ventorum vibramine huc illucque impelluntur; titubationeque sua fere navium carinę reversantur; ac demum ventorum rabiem non ferentes, ab ipsis modiorum concavitatibus evulsi, parastatis undique confractis, suo pondere fere naves demergentes, in fluctus devolvuntur. Tabularum denique patentibus juncturis, aqua usque ad foros intrasse reperitur, ita ut non tam naves inter undas, quam undæ jam intra naves esse viderentur. Postremo tempestatis sævitia à clavorum compaginibus gubernacula auferuntur. Ratibus itaque regimine carentibus, puppes in proras convertuntur, ac more turbinis agitantur. Tunc nauclerus ipse pallescit, tunc miseri de vita diffidentes ligatos mercatores à vinculis absolvunt, ac humili supplicatione de illatis injuriis veniam poscunt: pecuniasque suas, ut putabatur, nec sibi nec illis amodo profuturas, restituunt; ac si quid consilii, ut in communi periculo, noverunt, ne abscondant expetunt;

ac miniores redditos,

B

Sed quid consilii; quid mentis nunc foret illis,
Undique cum miseros totus jam conterat orbis?

32 Verumtamen omnium machinationum suarum conamina, quibus nauticæ probitatis industria vitam suam à sævientium fluctuum furibunda voragine tueri solet, socialiter impendunt. Sed postquam conatus suos, contra ponticam rabiem nihil valere conspiciunt; tunc vivendi spe penitus ablata, prævaricatores ad cor redeunt; vexationeque intellectum dante auditui, tunc se peccasse, tunc se reos esse confitentes, vestes scindunt, pectora tundunt, ac diversæ peregrinationis se proposito astringunt: alii autem se Jerosolymitanos fore, alii autem Romuleam usque ad urbem profecturos, ut mereantur habere suffragia. Quamplures vero ex illis Jacobi Apostoli in extremis Galeciæ finibus famosam se requisituros memoriam, astipulatis promissionibus asseverant. Sed post hæc vota nihilominus tempestatis perseverante sævitia, timoris vehementia exagitati, peccata sua, quæ turpiter gesserant, turpius in audientia cunctorum confitendo propalare incipiunt; Sacerdotale sibi officiū usurpantes, *d* dum pœnitentias alternatim & dant & accipiunt. Dehinc osculum pacis sibi invicem conferunt, ut quasi in pace fœderatos mors inveniat, quos dissentionis repertor diabolus, ut Christi fidelibus bellum inferant, jam dudum fœderaverat: atque complosis manibus sese tenentes astringunt, quia ad pietatem illis videbatur pertinere, si socialiter sub undis interirent, quos spirans cædis & rapacitatis crudelitas antea sociaverat.

& post varia vota

C *d*

33 Sic piratis ad suscipiendam mortem sese parantibus, unus illorum, qui non qualiter illam susciperet, sed qualiter ejus effugium inveniret, apud se argumentabatur, ita intulit: O Sodales, cur perimus? Facite quod dixero, procul dubio vivemus. Nonne recolitis, in insula Causeo vos vidisse heri sanctum eremitam, cujus monita contempsimus, cujus verba risimus? Voveamus sursum manus levantes, & firmiter apud nos statuamus, si nos Dominus ad illum reducat, quidquid ille jusserit nos facturos; & ab hujus mortis faucibus, jam nos deglutientis, ejus meritis abstrahemur. Hanc vocem omnes unanimiter, quasi oraculum missum cœlitus, accipiunt; & in hujus professionis testimonium, ut præceptor instituerat, manus erigunt. Mox quadam accepta securitate, in hæc verba prorumpunt: O Altissimi, inquiunt, virtus, quam potentissimam jam experimentis certissimis esse cognovimus; permitte nos vivere: concede correctionis tempora: da indulgentiæ locum; quod, ut nobis videtur, juste negare non poteris; quia non sumus jam raptores piratici, sed professi sectatores eremitici viri. Nos amodo mercatores captivos non tenemus: sed illos, ut fratres nostros, quorum onera portare debemus, Christi legem complentes, contra ponti rabiem luctantes, ne ab ipsius voragine sorbeantur, prout possumus adjuvamus. Pecuniam illorum ut avidi prædones jam concupivimus: sed ob tutelam ipsius laborantes, ut sancti eremitæ ministri, reddendam custodimus.

intercessionem ejus implorantes,

D

34 Sed omnipotens Deus: qui eorum mentem mirabiliter terruit, eorum quoque vitam per meritum famuli sui Bernardi, ad quem speciali devotione clamaverunt, mirabilius reservavit. Nam hæc & his similia miseris illis, mortis exagitante timore, vociferantibus; fulminantis aëris flatu terrifico Causei insulæ littoribus naves impelluntur, rapidissimique impetus vehementia in siccum littoris evehuntur: quarum quatuor naufragium perpessis, quinta cum suis armamentis illæsa reservatur. Piratæ igitur mercatoresque, dum se suamque pecuniam in solo telluris cum fragmentis navium inveniunt; mortis se barathrum evasisse cernentes, præ gaudio lacrymasse dicuntur. Tunc sanctus vir, cujus pro sanctitate hoc sibi concessum fuisse minime dubitabant, quæritur; tunc ejus merita, velut divinæ potentiæ miracula, ab illis alta voce prædicantur. Inventus autem, acsi cæleste numen, ab eis, quamvis hoc ipse prohibeat adoratur. Tunc à prædonibus cum lacrymis rogatur, ut cum mercibus suis institores liberos accipiat, quos die præcedenti, multiplici cum supplicatione rogitans, liberare nequiverat. Deinde ejus pedibus provoluti piratæ, super pristinis culpis suis modum pœnitentiæ sibi definiri petunt, peregrinationisque vota quæ fecerant exponunt; & ut illa persolverent, quidam ex illis mandatum accipiunt; quidam vero, ut vitæ illius innocentiam imitarentur, cum illo remanserunt. Institores quoque, ut de tabulis naufragii domum sibi faceret, sancto viro suggerunt, & ad operis conducendos artifices pecuniam offerunt. Bernardus namque, quamvis annos per plures in insula mansisset, necdum domum habuerat; sed in saxorum cavernis, aut velut vineæ custos vel cucumerarii, vilibus in tuguriis latuerat.

naufragi denique excipit;

E

ex tabulis naufragii domum erigit.

F

35 Hæc tuæ dignationis, Christe, provida dispensatio, hæc tua vis, hæc tuæ fortis dexteræ est benigna mutatio. Ad hoc enim pro servi tui meritis elementa perturbari voluisti, ut rapacium hominum mentes converteres, ut captivos à carceralibus vinculis abstraheres, ut anachoretæ tuo algidis in rupibus latitandi domum construeres, ejusque vitam mundo detegeres. Denique postquam per dies aliquot in insula cum sancto viro remanserant, cibariisque penitus deficientibus, herbarum uti crudis radicibus, ut se sustentarent, illum imitando, non poterant; fame cogente magnopere discedere cupiunt: sed præcedentis marinæ perturbationis furore illos deterrente, quid sibi eligant nesciunt. Fames etenim sæviens illorum depascens artus, illis imperat ut discedant: ponticæ vero rabiei formido, illorum corda tremore concutiens, illos cogit ut maneant. Arctantur itaque angustiis: unum tamen è duobus assumant necesse est, aut victualium penuria deficere, aut quam periculosam experti fuerant navigationem repetere. Sed excruciantis illos famis tyrannidem ultra ferre non valentes, quam in præsentiarum sentiunt, ut securum navigare habeant sibi argumentum invenire satagunt: Bernardum namque adeunt, quem

& à fame tabescentibus rogatu

tranquillitatem impetrat;

A quem & ventis & mari posse imperare, praecedentibus experimentis edocti, non diffidunt, ut elementorum motus in sua fide suscipiat, ut se apud Deum fidejussorem constituat, quatenus marini fluctus tranquillitatem teneant, donec prospero cursu optatos portus apprehendant. Vir autem sanctus, cui fidem magnam divina gratia contulerat, viros sub mortis periculo laborantes conspiciens, illud Christi verbum ad memoriam reducit, Si habueritis fidem, ut granum sinapi, dicetis huic monti, Transfer hinc, & transferetur. Quod autem postulaverant effecit, & illos pacifica navigatione ad propria transmisit.

Mat. 17. 19.

ANNOTATA.

a Causeum, *etiamnum* Chaussey *appellatur, aestuariis potius annumerandum quam insulis: situm inter insulam Anglicanam Iarseiam, & oppidum Sanmaclovium, vulgo S. Malo, in Britannia Armorica.*

b Prosnesium, *funis quo navis in littore ad palum alligatur.*

c *Pro* Strampis *mallet Souchetus* Struppis *legi: asseritque à Vitruvio* Strophas, *à Cicerone* Scalmos *appellari. Quid si* strangis *legatur, ut sic vox antiqua Francica, deducta à Teutonico* strange, strenge, *volumen funium seu funis nautici.*

B

d *Etiam hoc seculo aliquando audivimus, homines Sacramentorum usurpandorum tam rudes inveniri, ut in tali articulo credant Confessarii defectum sic posse suppleri.*

CAPUT V.

Reductio B. Bernardi ad priores eremitas, dein ad primum monasterium S. Cypriani.

36 INterea monachi S. Savini, Bernardum, cui regimen suae Ecclesiae toto conamine tradere proponebant, dum quaerentes nusquam reperiunt, alium sibi Pastorem constituunt. Quod Petrus de Stellis, eo quod in vicinia eorum habitaret, continuo cognoscens, mox ad praedicta eremitarum deserta properanter abiit, & ad Dominum Vitalem perveniens, ubi esset ille, quem commendaverat, requisivit. Ille autem, quod in remotissima maris insula latitaret, respondit. Petrus sane jam ea quae prius de Bernardo tacuerat, amodo celare haud utile judicans, nomen illius, peritiam litterarum, morum vitaeque sanctitatem, refutationem Praelationis, in communi audientia Fratribus enarravit; ejusque talem famam tunc in Neustria praedicabat, qualem jam à multis annis in Aquitania cognoverat: consulitque eis, ut à marinis insulis eum retraherent vel invitum, si Catholicae praedicationis doctrinam, si vitae consilium, si sanctae diligerent conversationis exemplum. Cujus sententiam multitudo Fratrum animo suscipiens, jam ex transacta apud eos viri conversatione, vera esse quae referret cognoscens, cõmuni decreto statim constituunt, ut ad eum legatos tales destinarent, quorum sollicitudine & industria ad se revocari posse minime dubitarent. Quapropter ipsum Petrum de Stellis, cujus auctoritate & amore reduci poterat, ad eum dirigunt; adjungentes ei ducem itineris, qui adhuc superest, nomine Christianum, mirae simplicitatis & innocentiae virum: qui consummato itineris labore ac navigationis periculo, tandem ad eum perveniunt.

Petrus de Stellis

cognoscens eum in insula latere,

C incitat eremitas, ut eum revocent:

ad quod ipsemet missus

37 Vir autem Domini Bernardus, conspiciens Petrum, jam à multo tempore sibi familiarissimum, ac fugae suae susceptorem fidelissimum, miratur eum tam longae peregrinationis arripuisse laborem: atque prae gaudio lacrymas fundens, datisque amplexibus osculatur multotiens, veneratur ut patrem, suscipit ut hospitem, omnia humilitatis vel humanitatis atque caritatis officia prout poterat impendens: & post dulcia vitae aeternae colloquia, quibus sese ad invicem reficiebant, Bernardus ait: Carissime Pater, dicito mihi de statu Aquitanicae regionis, si in illis partibus nunc Ecclesiae Christi pacem habeant, & si monasteria rigorem disciplinae ac religionis conservent. Ad haec ille, Dei gratia omnes Christicolas laetos & festa pace quietos, respondit: ac tandem S. Savini monachos jam sibi Abbatem praefecisse adjecit. Quo Bernardus audito, laetus efficitur, & qui prius illius mentem afflixerat, videlicet ne Abbas eorum coactus fieret, metus deponitur. Petrus proinde suae legationis negotium explere cupiens: Fratres nostros, inquit, eremitas visitavi, mandataque eorum ad te tuli, ut ad eos redeas, ne consortia eorum penitus relinquas. Hoc vero quanto mentis affectu quantove animi desiderio expectant, verbis explicare nequeo. Bernardus equidem, ut erat totus affluens visceribus caritatis fraternae, continuo tale fertur responsum dedisse: Faciam quod poscunt, ne auctoritatem legati & petentium videar contemnere, quamvis hujus remotae insulae solitudinem nollem deserere. Peracta itaque hac legatione Petrus ad Aquitaniam remeavit.

benigneque exceptus,

AUCTORE GAUFRED. DISCIPULO EX MSS.

reditum eidem persuadet:

38 Hoc in tempore viri Dei mentem prophetiae spiritus tetigit, quam ad quaedam absentia videnda, quasi sibi praesentia forent, illustravit. Duo namque erant de numero eremitarum, qui illum susceperant, & diu in silvis concorditer cohabitaverant: quorum unus Albertus nomine, jam grandaevus, abstinentiae & orationis studio infatigabiliter insistebat; alter vero junior, Adelinus dictus, mansuetudinis atque obedientiae virtute excellenter pollebat, lenitate quoque affabilitatis adeo blandus erat, ut omnibus qui ejus consortio usi fuerant amabilis haberetur. Porro longaevitatis suae [privilegio] Albertus ut Magister praeerat; alter vero, ut subjectus, ejus jussionibus obtemperabat. Hic viri Domini Bernardi vehementer exoptans informari exemplo, & doctrina erudiri, praedictum Magistrum deserens ad ejus insulam iter arripuit. Senior itaque, dilecti discipuli solatio viduatus, in tantae tentationis incidit barathrum, ut nimia & irrationabili affectus moestitia sese suspenderet, nisi quorumdam Fratrum, qui hoc praesenserant solerti custodia à tali periculo mortis arceretur. Interim vir Domini per spiritum ad se novit venientem discipulum, & Magistrum disponentem se dirae morti pendulum. Junior autem insulae littoribus, ut desideraverat, applicuit: quem vir sanctus alacriter suscipiens, ei talia dixit: Ad nos venisti, carissime, nec non paucos per dies nobis commoraturus, imo unde aufugisti, nec deinceps huc rediturus. Juvenis vero quia firmiter statuerat se quo iret illum minime relicturum, verbis ejus fidem non adhibuit, nec quod Spiritu prophetico loqueretur intellexit. In altis igitur insulae rupibus per aliquos dies cum illo permansit: sed algoris vehementia gravatus, ad silvas, ut ea quae ibi reliquerat vestimenta tolleret, ac denuo rediret, remeavit. Qui ad memoratum Albertum veniens, postquam illum moerore tabescentem & jam pene deficientem, ac ne sibi vitam laqueo surriperet à custodibus obsessum conspicit, ejus anxietati compatiens, ac dolorem mitigare satagens, ipsius prostratus pedibus veniam petiit, & quod illum amodo non desereret spopondit. A principibus quoque eremi, quos supra memoravimus, excommunicationis sententiam, si ab illo ulterius recederet, accepit: hacque necessitate detentus, sicut vir Dei sibi praedixerat, redire non potuit: sicque illum spiritum habuisse prophetiae patuit.

B Adelinum eremitam;

relicto consortio Alberti senis

ad se venientem excipit Bernardus,

F

regressurumque praedicit deinceps non venturum.

39 Bernardus deinde non post multum temporis, sociis sese comitantibus, assumpta sua supellectile non

AUCTORE GAUFRED. DISCIPULO EX MSS.

non multum ambitiosa, ut pollicitus fuerat, ad silvas eremitarum rediit. Qui cum gaudio susceptus, illis adjuvantibus in loco, qui *a* Fons Syhardi dicitur, sibi cellam construxit: in qua aliquanto tempore cum quibusdam suis discipulis habitavit. Cum ibi diu moraretur, quia lucerna sub modio latere non potuit, cunctis advenientibus verbum vitæ ministrabat, eosque exemplo suæ conversationis roborabat. Confluebat namque ad eum non solum copiosa multitudo circummanentium eremitarum, sed etiam populorum. Latebat itaque & non latebat: & quanto plus se dejiciebat, tanto magis à Christo sublevabatur: fugiendo gloriam, gloriam merebatur, quæ nonnumquam appetitores sui deserens appetit contemptores. Seculi homines admirantur eos, qui his pollent privilegiis: nos laudamus, qui pro Salvatore ista despexerint; & mirum in modum, quos habentes parvi pendimus, si habere noluerint, prædicamus. Igitur dum omnibus prædicaret dum omnes secundum modum vitæ & statum ordinis instrueret, & pro capacitate animorum singulos edoceret; adeo circumquaque celeberrimus habebatur, quod ejus fama jam sæpe memorati Reginaudi Abbatis S. Cypriani aures perculit: & religionis ipsius Bernardi sanctitas & prædicationis gratia longe lateque diffusa est.

a Regressus ad silvas eremitarum,

instruit omnes,

cum magna nominis celebritate

B

40 Prædictus vero Abbas, cognito ejus habitationis loco per præmissos exploratores, non mediocriter lætus efficitur. Exoptabat enim jam à multis annis, quatenus eum jam ad suum monasterium reduceret: ut esset post ipsius excessum, qui regularis tramitis disciplinam sustentaret. Siquidem illum noverat miræ simplicitatis virum, multaque sapientia præditum: sese autem cernebat jam *b* silicernium, morbo & senio confectum, quamobrem sentiebat procul dubio vitæ suæ imminere terminum. Præcavens igitur ne propter meritorum ipsius insignia ad alicujus regimen Ecclesiæ inde abstraheretur, nisi citius eum revocaret; ipse eidem impiger, ubi habitabat, subito supervenit; eumque satis laudabili dolo ad suum monasterium, ordine subscripto, reduxit. Nam post impensa atque suscepta, pro loco & tempore, hospitalitatis officia, Reginaudus sic Bernardum alloquitur: Quædam nostræ Ecclesiæ per necessaria utilitas istis me, dilectissime, appulit oris: sed audita tuæ fama benignitatis, cui debita paternitate congratulor, nolui sic pertransire, nolui prætermittere quin te viderem, quin te salutarem, meque tuis mihi desideratissimis orationibus commendarem: & quoniam non modica & irrecuperabilis pecunia, quam superna favente clementia hac in provincia acquisivi, mecum habetur; vereor ne in his silvarum vastitatibus ab aliquibus incognitis raptoribus, qualibet fraudulenta mihi violentia subripiatur. Quapropter fraternitati tuæ placeat, quatenus tua ipsius præsentia, quæ in his regionibus admodum celebris & amabilis dignoscitur, quousque si quæ latent insidiæ nobis non prævaleant, fatigari ne cunctetur.

à Reginaudo Abbate S. Cypriani invisitur: b

C

& callide invitatur, ut eum extra silvas deducat:

41 Cumque hujusmodi palliatis circuitionibus, utpote benignissimus ac nullius doli conscius, acquievisset; atque conviator nec non dux itineris, jam dictum Patrem, peragratis solitudinibus, ad tutum usque locum perduxisset; ac cum quodam, quem ad hoc assumpserat, socio reverti voluisset; idem Reginaldus eum retinuit, eique dixit: Nostram tamr emotas adire partes imbecillitatem, non aliqua necessitatis, nisi tua, fili mi, caritas compulit, nec quælibet secularis ambitio nostræ senectuti hujusmodi laborem indixit. Te, carissime, solum acquirere studui: nullos raptores, præter eremitas atque discipulos tuos, pertimui: sed Dei gratia jam illorum manus evasimus, quod te violenter nobis eripiant jam nequaquam formidamus: jam securus te talem pecuniam possideo, cujus sanctitatis ac sapientiæ thesauro nostrum magnifice monasterium ditari cupio, quimnam olim amissam, nunc vero divinitus recuperatam, nullo commutarem pretio. Verumtamen, fili dulcissime, amodo te exoratum esse postulo, ne indigne feras, ne mihi patri tuo succenseas, quod te quasi fraudulenter ad nostrum consortium revoco: hoc etenim præ nimia dilectione facio, pro certo sciens, quia, nisi te aliquo modo deciperem, à nimium tibi dilecta solitudine nullatenus extraherem.

rogatur deinde ut ad monasterium comitetur:

D

42 Servus itaque Domini, videns quod ab illo se non subducere, nec ad suos discipulos ulterius remeare posset; simulque recolens, talia sibi non nisi illius semper justo posse contingere judicio, qui ut multis prodesset, de ipso sinu Patris egressus est ad publicum nostrum; tum propter pietatem senis exorantis, tum propter auctoritatem imperantis, satis provide respondit: Novi, Pater, novi, quia me nolle tibi acquiescere quasi scelus est idolatriæ; sed periculosum ac mihi durum est, illos quos adunavi discipulos, sic desolatos & quasi orphanos penitus relinquere. Quapropter quid de illis fieri debeat, tuæ censura providentiæ amodo provideat. Ad hæc ille: Ista tuus, qui præsens adest, socius, mea fungens legatione, ad eos redeat; & quæ circa te geruntur exponat; eisque veraciter dicat, quod quicumque ex illis te ad monasterium sequi voluerint, libentissime tui gratia, utriusque vitæ subsidium eis sufficienter providebo. His itaque peractis, longo confecto itinere, ad S. Cypriani monasterium pervenerunt. Monachi vero Bernardum, quem à multis annis non viderant, læti gratulantesque suscipiunt; admirantes hominem hirsutum, barbatum, vilibus atque villosis, juxta eremiticæ consuetudinis modum, pannis subobsitum; cujusmodi habitum abhorrentes, properanter exuunt, barbam abradunt, suisque indumentis induunt, & post paucos dies, quamvis repugnantem, Præpositum efficiunt. Et illum quidem exterius exuentes, paupertatis ei habitum subtraxerunt, sed mentem illius ab amore eremi abstrahere nequiverunt.

commendat illius cura suos discipulos,

E

& venit ad monasterium S. Cypriani,

creatur Præpositus,

43 At quanta in eadem Ecclesia de ejus reditu lætitia, tanta in prædicta solitudine de ipsius abscessu exorta est repente tristitia. Gaudebant isti, qui eum quasi perditum invenerant: dolebant illi, qui ablatum amiserant. Ipsi antiquum socium tenaciter amplectuntur, illi novum doctorem reddi sibi suppliciter deprecantur: isti se de ejus ornari præsentia, illi de absentia deficere confitentur. Quæ dum agerentur, Pictavensis urbis Episcopatum regebat venerabilis *c* Petrus Episcopus, qui postea *d* exilium pro justitia usque ad *e* mortem sustinuit, cujus vitæ sanctitas mirabilis extitit, ut post ipsius obitum *f* miraculorum attestatione patuit: cujus præsentiam sæpefatus Reginaldus adire studuit, & quomodo laudabilem fugitivum ab eremo reduxisset, diligenter exposuit: quamque utilis esset post suum excessum, qui jam quasi in foribus aderat, ad monasterii regimen studiose intimavit: hoc etiam præmonendo atque præmuniendo subjungens, ne Bernardus ita comperiat; ne forte ab eis clandestina fuga se substrahat, sicut olim à S. Savini monasterio propter eamdem causam sese latenter subduxerat. Quibus omnibus assensum libenter Episcopus præbuit, ut postea rei ipsius exitus approbavit.

F

c d

e

f

& designatur Abbas futurus,

ANNO-

ANNOTATA.

A a Fons-Gyardi *dicitur in MSS. nostris*, *Souchetus* Fons-Goyardi, *situs in Cenomanicis silvis.*

b Silicernia, *senes dicuntur*, *quod curvi & scipioni innitentes, silices cernant.*

c Petrus II, *Episcopus creatus anno* 1087, *quiete præfuit usque ad annum* 1112.

d *In exilium actus à Guilielmo Duce Aquitaniæ* VIII, *qui ab eo reprehensus fuerat*, *quod legitima uxore depulsa in adulterio viveret, uti diximus* x *Februarii ad Vitam S. Guilielmi eremitæ*, *quod cum hoc & filio suo Guilielmo passim unus idemque haberetur.*

e *Mortuus est Petrus apud castrum Calviniacum in suâ diœcesi*, 4 *Aprilis anni* 1115, *ad quem diem inter Prætermissos de eo egimus.*

f Sanctitatem ejus crebra miracula tumuli ejus loquuntur & prædicant., *ut legitur in Chronico Richardi Pictaviensis*, *apud Sanmarthanos*, *qui addunt* corpus ejus piosque cineres quiescere in ecclesia cœnobii Fontis-Ebraldi, ab eo constructa.

CAPUT VI.

Abbas S. Cypriani constituitur : ob persecutionem ad prædicandum convertitur. Mores Clericorum reformati.

B *A decessore in ultimo morbo commendatus;*

44 Contigit autem ut Reginaldus, transcursis quatuor mensibus, gravi infirmitate correptus, in lecto decideret. Cumque dies obitus sui propinquaret, Fratres ad eum convenerunt, eumque qui successor ipsius esse deberet, ut ostendere dignaretur, revelante sibi sancto Spiritu, summis precibus postulaverunt : quippe qui erat vir apprime eruditus, ornatus privilegiis summæ sanctitatis & innocentiæ & sapientiæ. Quibus ille, Quamvis, inquiens, ad me non pertineat de tanta ac tali re [statuere]; tamen quia timeo vestram desolationem, si mihi vultis credere; Bernardum virum religiosum, vobis à Deo ad hoc nuperrime restitutum, dignum dispensatorem Domui constituite : ut enim secundum conscientiam loquar; non illo aliquem, Deo teste, novi sanctiorem. Qui consilio tanti Patris unanimiter acquiescentes, postquam ille humanæ conditionis debitum *a* persolvit, eum quem prædixerat, in loco Abbatis festinaverunt ponere, &, uti mos est, ad consecrationem invitum & repugnantem trahere.

a *Abbas consecratur invitus:*

45 Suscepto igitur curæ pastoralis officio, tanto magis illud dignius administrare curabat, quanto hoc non propriæ voluntatis impulsu, sed solo divinæ voluntatis arbitrio sibi esse injunctum animo recolebat : nec solum videri Doctor appetebat, sed sicut ceteris ordine præeminebat, sic piis moribus transcendere satagebat : atque se in omnibus ita studebat habere, ut non de illo etiam maledicorum quidquam auderet fama confingere. Simplici namque vita occasiones tollebat detrahentibus, doctrina sana resistebat contradicentibus. Non enim de numero vel de genere eorum erat, qui gravia districtioris vitæ onera discipulis imponunt, quæ ipsi vel minimo attingere digito nolunt : sed quidquid verbis prædicabat, moribus exornabat & exemplis astruebat. Quippe non rudis ad tale onus regendum venerat : sed quæ ab ineunte ætate, non tam repentina vel præcipiti trepidatione, quam assiduo didicerat exercitio, hæc aliis explenda proponebat. Non rerum affluentium abundantia exultabat, non laude propria lætabatur; non ad honorem cor elevabat, nec in occulta cogitationis meditatione ceterorum subjectione pascebatur : mœrebat honore suo, & ora laudantium declinare ac fugere festinabat. Solent plerique suis

C *præit ceteris vita inculpata exemplo,*

evitat laudē & honorem:

buccinatoribus quædam dona conferre, & in paucorum largitate profusi, manum à ceteris retrahere : quo ille omnino carebat vitio : ita namque singulis dividebat, prout cuique necessarium noverat. AUCTORE GAUFREDO DISCIPULO

46 Nunc virtus latius describatur quę ipsius propria est, & in qua exponenda, Deo teste ac judice, profiteor nihil addere, nihil majus extollere more laudantium. Sicut enim inter multas gemmas pretiosissima gemma micat, & jubar solis parvos stellarum igniculos obruit & obscurat; ita cunctorum virtutes & potentiam sua humilitate (quæ prima Christianorum virtus est) superavit, minimusque fuit inter omnes, ut omnium major esset. Hac quippe adeo se dejecit, ut qui eum vidisset, & pro celebritate nominis videre gestisset; non ipsum esse, sed discipulorum ultimum crederet. Et cum frequentibus monachorum choris cingeretur; & veste, & voce, & habitu, & incessu minimus omnium erat. Tardus erat ad loquendum, velox ad audiendum, memor illius præcepti : Audi Israel, & tace. Hospitalitatis namque & misericordiæ operibus ita vacabat, ut quotidie sexagenos vel centenos vel eo amplius Clericos ad mensam susciperet, quibus larga manu ministrabat, præter quod peregrinis & aliis supervenientibus pauperibus munificus erogabat. Quid ejus in cunctos clementissimum animum referam & bonitatem, etiam in eos quos numquam viderat evagantem? Et quia non sua sed aliorum lucra quam maxime cogitabat, non se hominibus præesse sed vitiis recolens,

inter suos minimus esse cupit.

Deut. 6, 14

hospitalis erga Clericos,

E *& alios, etiam ignotos*

Virga paterna piis, baculusque salutifer ægris,
sine alicujus querela existebat.

47 Hac itaque virtute adeo pollebat, quod in hac sola divina consistere præcepta cunctis in propatulo prædicabat. Erat namque cogitatione mundus, actione præcipuus, discretus in silentio, utilis in verbo, singulis compassione proximus, præ cunctis contemplatione suspensus, abstinentiæ robore validus, doctrinæ dapibus refectus, patientiæ longanimitate humillimus, auctoritate fortitudinis erectus, pietatis gratia benignus, justitiæ districtus; & quod inter seculi homines vel leve putabatur vel nihil, hoc in monasteriis dicebat gravissimum esse delictum : illudque quam maxime divinum oraculum recolens, Qui audit, dicat veni; uti erat diffusus caritate, cœpit omnes intus introducere, & pauperes & ignobiles ad Deum trahere. Monachi vero tepentes & frigidi, plus de præsenti quam de futura vita soliciti, ex invidia cœpere pluries resistere, dicentes possessionem monasterio, quæ tot recipere posset, deesse.

eximius in exercitio virtutum:

Apoc. 22, 17

48 Per idem tempus duo Cardinales, Joannes atque Benedictus, Apostolicæ Sedis legatione fungentes, ad urbem Pictavium *b* Concilium convocarunt: in quo centum quadraginta convocati Patres affuerunt, qui Philippum Regem Francorum, propter Fulconis Consulis Andegavensium uxorem, quam in adulterio tenebat, anathematis vindicta percusserunt. Qua excommunicatione comperta, Guillelmus Dux Aquitanorum, qui aderat, totius pudicitiæ ac sanctitatis inimicus, timens ne similem vindictam pro consimilibus culpis pateretur, nimio furore succensus, jussit omnes illos deprædari, flagellari, occidi. Quod ministris suis facere incipientibus, Pontifices & Abbates huc illucque diffugiunt; & ut temporalem vitam retinerent, tuta latibula quærere contendunt. At vero Bernardus atque Robertus Abreselensis, qui concilio intererant, fortissimi justitiæ propugnatores, ac totius iniquitatis & injustitiæ expugnatores, aliis turpiter fugientibus, ita immobiles constantesque perstiterunt, ut nec ab incepto excommunicationis desisterent; sed pro Christo mortem vel contumeliam pati gloriosissimum ducerent. Et quamvis

b *in concilio Pictaviensi Regem adulterum excommunicat:*

& cum Roberto de Abrisello constans persistit.

AUCTORE GAUFRED. DISCIPULO EX MSS.

vis eis persecutores mortem non intulerint; isti, quantum in ipsis est, martyrium pertulerunt.

49 Porro Bernardus in exteriorum administratione procuratores constituerat: ipse vero contemplationi, orationi, silentio & religionis observantiæ invigilabat; atque in magna puritate vitæ, monasterium sibi commissum sapienter ac regulariter gubernabat. Tamen divinę pietatis dispositio ibi illum diutius immorari nolebat: quia de illo & per illum aliud facere disponebat. Quapropter contra eum talem persecutionem exoriri permisit, qua cogente illud monasterium dereliquit. Monachi Cluniacenses ecclesiam S. Cypriani suæ ditioni debere esse subditam asserentes, Dominum Papam c Paschalem, Romanum tunc temporis apicem gubernantem, adierunt; & ut Bernardo, nisi se & ecclesiam suis subjiceret legibus, officium Abbatis interdiceret, compulerunt. Quam interdictionem sub disjunctione positam Bernardus audiens, unum membrum disjunctionis; id est officium honoremq; Abbatis deserere, satis libenter excepit; alterum autem excipere renuit, metuens ne ecclesiam, quam liberam acceperat, servituti subjiceret; & ex alia parte vehementer formidans jura Cluniacensium, qui se causam justam habere dicebant, impedire. Quod vero sibi tutius fore credidit, facere non distulit: exæstuans etenim amore paupertatis ac solitudinis, ad secretum eremi, à quo fraudulenta violentia abstractus fuerat, rediit, & mentem suam, quæ ibi remanserat, invenit. Qui Domno Roberto de Abresello atque Vitali de Mauritonio, quorum jam superius mentionem fecimus, est conjunctus.

Persecutione oborta, c ne liberam ecclesiam suam Cluniacensibus subjiceret, B eremum repetit:

50 Gallicanas hi regiones nudis pedibus peragrabant; in villis, castellis atque urbibus verbum Dei prædicabant; homines ab erroribus vitæ suæ eruentes, quasi validi ac robustissimi arietes, divinæ potentiæ viribus adjuti, muros infidelitatis atque vitiorum impellentes confringebant; corda hominum ab amore caducarum rerum evellebant; mala eorum colloquia, bonos mores corrumpentia, destruebant; malorum operum nequitias disperdebant; totius iniquitatis coadultam congeriem dissipabant; virtutes, Deo auctore cordibus eorum inserentes, plantabant; & plantatas exemplo corroborantes, ædificabant. Et quamvis mortuorum cadaverum resuscitatores non essent, quod majus est faciebant, id est animas in peccatis mortuas vivificabant, & vivificatas Deo veræ vitæ conjungebant. Talia igitur signa facientes, quandoque simul, aliquando vero singulatim diversas provincias circuibant quibus machinante diabolo tribulationes non deerant. Dum igitur Bernardus per maritimas Normanniæ partes prædicans, verbum Dei seminaret, nulli parcebat, nullius amore vel timore veritatem reticebat.

& cum Beatis Roberto ac Vitali missionarius vitam Apostolicam agit: C

51 Porro pro consuetudine tunc temporis per totã Normanniã hoc erat, ut d Presbyteri publice uxores ducerent, nuptias celebrarent, filios ac filias procrearent, quibus hereditario jure post obitum suum ecclesias relinquerent; filias suas nuptui tradentes, multoties, si alia deesset possessio, ecclesiam dabant in dotem. Dum autem uxores acciperent, antequã sibi eas conjungerent, in præsentia parentum jurabant, quod numquã eas desererent. Hoc itaq; facientes juramẽto se alligabant, quod numquã fornicatores esse disinerent, numquã ad Christi Corpus & Sanguinem nisi rei & indigni accederent, & indigne accedentes judicium sibi manducarent & biberent. Contra hanc mortiferam consuetudinem servus Dei Bernardus in conventiculis Sacerdotum studiose disputabat, & ut eam relinquerent magnopere satagebat. Quosdã itaq; abstraxit: maximam tamen partem illorum ab hujus mortis abstrahere nequivit barathro; unde factum est, ut uxores Presbyterorum, metuentes ab eis disjungi, cum suis auxiliariis eum perimere quærerent; ipsi quoque Sacerdotes insidias pararent, deterrendo eum ut à prædicatione revocarent.

Presbyteros Normanniæ in conjugio viventes, d serio aggreditur: quosdam emendat, aliis resistentibus:

D

52 Quadam namq; die dum in Constantiis, civitate maritima Normannię, populo publice prędicaret; quidam Archidiaconus, uxorẽ habens & filios, cum magno Presbyterorum atq; Clericorũ comitatu advenit; & cur ipse qui monachus ac mundo mortuus erat, viventibus prędicaret, requisivit. Bernardus autem circumventus ab eis, in pręsentia totius populi sic respõdit: Nonne, frater carissime, in Scriptura Dei legisti, quod Sampson ille fortissimus de mandibula asini mortui inimicos suos interfecit? Et hac occasione accepta, populo audiente, ad defensionem suam hujus Scripturę capitulũ exposuit. Sampson, inquit, qui sol interpretatur, Christum solem justitię significat: inimici ejus dæmones, & peccatores homines, sibi per malitiam cohęrentes, Christum & ipsius legem impugnantes: asinus mortuus, simplicem populum, obedientem, jugum suave Christi & onus ejus leve portantem, humilitatis vias sectantem, mundo mortuum, id est, peccatis & vitiis mortificatum, ut ait Scriptura, Mortui enim estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo.

Archidiaconum Constantiensem refutat, Iud. 15.15. exemplo Sampsonis mandibula asini hostes delentis: Colos. 3.3.

E

53 Mandibula, ossium robur habens, durius mollitie carnis, instrumentum mordendi & mandendi in capite asini, prædicatorem designat Ecclesiæ: qui ossium robur habere debet, quia peccatis & vitiis viriliter resistere debet, adversaq; pro defensione justitiæ & sanctitatis fortiter sustinere. Mollitie carnis prædicator durior debet existere, quia carnalem voluptatis delectationem, durioris abstinentiæ labore à vita & conversatione sua resecare debet; nõ vitiis, emollientibus mentem, enerviter subjacere. Instrumentũ mandendi prædicator existit, si verbum Dei (quod est cibus animæ nostræ, sicut Dominus in Evangelio dicit, Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei) subtiliter intelligit; si intelligens, operibus adimplet quod dicit: quia si bene docet & male vivit, non instruit populum sed corrumpit: dum enim male vivit, prædicatio ejus contemnitur & non recipitur, & exemplo illius populus non ædificatur sed destruitur. Oportet ergo ut bene vivat; & Scripturam, cibum animarum commasticando & conterendo, subtiliter discutiat; videlicet ut historicam intelligentiam ab allegorica discernat, à tropologica dividat allegoricam, tropologicam ab anagogica semoveat; & sic masticatum & minutatim contritum cibum verbi Dei, sibi prius per rectam operationem, saporis ejus virtutem degustando, transglutiat; deinde ad corpus mortui asini trajiciat, hoc est ad intelligentiæ capacitatem simplicis populi & seipsum mortificantis, deducat: ut eum videlicet, per omnes supradictos intelligentiarum modos, ad vitam æternam capessendam informare studeat; quatenus per assiduæ prædicationis doctrinam, discrete ac sapienter dispositam, actus & conversationem illius ad meliora promoveat. Seipsum etiam instrumentum mordendi esse, oblivioni non tradat: ut peccatores à corpore diaboli, per morsum correptionis & increpationes, abscindat; & corpori Christi, quæ est Ecclesia, lamentis pœnitentiæ justificatos restituat. Et sicut in eminentiori parte asini, in capite scilicet, per dignitatẽ Prælationis existit; sic transcendat populũ, qui per asinũ intelligitur, virtute operis & sãctitate cõversationis.

mandibulâ indicari Concionatores, Matth. 4.4. verbum Dei bene masticatum populo exponentes,

F

54 Vides itaque, Frater carissime, secundum auctoritatem sacræ Scripturę, quia si Christianus populus, qui per asinum mortuum intelligitur, debet mundo mortuus esse, multo magis prędicator illius, qui per mandibulam designatur, Christo confixus cruci, & mundo mortuus debet existere; sicut verus ille prędicator mundo de seipso dicebat, Christo confixus cruci;

Galat. 2.19. & cum S. Paulo confixos Cruci Christi;

cruci; ut per auctoritatem mortificationis suæ, viventes adhuc in peccatis & vitiis possit castigare, & castigatos sibi mortuo conformes efficere, ut adimpleatur quod Apostolus dicit; Estote imitatores mei, sicut & ego Christi. Igitur, cum prædicator Ecclesiæ mundo debeat mortuus esse, & illius à populo prædicatio contemnatur, cujus vita vitiis & peccatis mortificata necdum creditur, qua ratione, quia sum monachus & mundo mortuus, potes me à prædicatione prohibere, qui exemplo mortificatæ vitæ meæ possum populis prodesse, & verbo doctrinæ illos ad meliora promovere? Et cum constet B. Gregorium atque Martinum, aliosque quamplures sanctos monachos, mortificationis suæ merito, pastorale regimen in ecclesiis accepisse; & cum honore prælationis, officium prædicationis; inde consequens hoc trahitur, quod per virtutem mortificationis pervenitur ad licentiam prædicationis. Itaque, quia sum monachus & mundo mortuus, non mihi fas prædicandi aufertur; sed multo melius confertur. Hæc, & alia hujusmodi viro Dei prosequente, atque populo secum acclamante, nutu Dei prædictus Archidiaconus ferocitatem atque arrogantiam animi sui aliquantisper deposuit, & Presbyteros atque uxores eorum ab ejus læsione compescuit, quorum quarumque tanta multitudo In solennitate Pentecostes confluxerat, ut videlicet juxta morem patriæ principali Ecclesiæ redderent debitas processiones, quod vix locus ille capere sufficeret. Miles autem Christi Bernardus, ut dictum est, populis prædicabat: quamobrem foris pugnas, intus timores patienter sustinebat.

A — 1 Cor. 11, 1 — *& tales se & alios monachos esse ostendit.* — B

ANNOTATA.

a *Chronicon S. Maxentii:* anno 1100 obiit Raynaldus, Abbas S. Cypriani, cui successit Bernardus, qui reliquit Abbatiam, *ut infra dicetur.*

b *Idem Chronicon ad dictum annum* 1100. XIII Kalendas Novembris fuit Concilium, quod tenuerunt duo Cardinales Joannes & Benedictus... & excommunicarunt Regem Philippum in ipso Concilio. *Consulat Lector, quæ in novis Conciliis à Labbæo nostro editis de hac controversia continentur, antehac inedita.*

c Paschalis II *sedit ab anno* 1099 *ad* 1118. *Bullam ejus in favorem Cluniacensium, in qua confirmatur subjectio monasterii S. Cypriani, illis facta à Gregorio* VII, *habet Souchetus in notis.*

C

d *Ordericus Vitalis lib.* 5 *Historiæ Ecclesiasticæ late hos dissolutos Clericorum mores in Normannia describit, & lib.* 12 *ipsis Presbyteris interdictas conjuges.*

CAPUT VII.

Pro defensione Abbatiæ iter Romanum bis susceptum. Ea relicta, alibi discipuli collecti.

55 INterea monachi S. Cypriani, per annos ferme quatuor multis laboribus atque expensis satagentes, ut à calumnia Cluniacensium ecclesiam suam liberarent, facere nequiverunt. Qua difficultate necessitatis compulsi, cum Pictavensis Episcopi litteris eremum adeunt, Abbatem suum inveniunt; & ut ecclesiæ suæ laboranti succurreret, rogaverunt. Qui pietate tactus, atque sui Episcopi jussione coactus, ad S. Cyprianum rediit, ibique diebus aliquot habitavit. Ac deinceps, Episcopo ac monachis impellentibus, paucis secum de eremo Fratribus assumptis, ipse in asino residens, paupertatis suæ vestibus indutus, id est eremiticis, cum tam humili comitatu Romam petiit. Ad quam post multos labores perveniens, Dominum Papam Paschalem adiit, & cur se Abbatis officio privasset, requisivit. Apostolicus vero, quia multa audierat de ejus sanctitate, per Cardinales suos Joannem, & Benedictum, qui illum antea in Aquitania noverant, & ipsius in concilio constantiam ad excommunicandum Regem viderant, illum benigne suscepit; atque illius manum tenens, in secretum oratorium duxit; & solus cum solo, magna parte diei, colloquium habuit. Deinceps vero illum ad palatium reduxit, eique officium quod interdixerat, in communi audientia benigne reddidit. Dehinc Bernardus, accepta ab eo benedictione, Pictavium rediit, monasteriumque suum per aliquot annos in pace tenuit.

Revocatus ad monasterium, — *Romam abiit* — AUCTORE GAUFRED. DISCIPULO EX MSS. — *& benigne à Papa remittitur.*

56 Verum monachi, illius magisterio coacti tenorem vitæ in rigorem mutare disciplinæ, ac dissolutionem conversationis in districtiorem observantiam tramitis regularis; dum sibi [conspiciunt] illicita non licere [& nolunt] assueta relinquere, conati sunt illum è monasterio aliquo modo depellere. Furto enim ab ejus ædibus tritici & vini partem maximam abstraxerunt & absconderunt; ut, cum non haberet unde sibi subditos pauperesque in quibus recreandis maxime delectabatur, pasceret; tædio affectus acquirendi victualia, ad eremi secreta remearet. Sed non est sapientia, non est scientia, non est consilium contra Dominum. Nam dum rei familiaris angustiis illum arctare satagunt; abundantioribus divitiis copiosum reddunt. Canonicus etenim quidam, qui eum pauperum procuratorem piissimum noverat, ei sub eodem tempore tantum frumenti vinique contulit, quantum sib ad transigendum annum sufficere posse credidit. Divina quoque dispositio in eodem anno frumentum vinumque, quod monachi recondiderant, ei reddidit; sed prius eos pœnis ultricis mortis miserabiliter afflixit. Complices vero illorum qui pœnaliter obierant, nec morte eorum territi, dum sanctum virum hoc modo extrudere nequeunt; alium inquirunt. Cluniacensibus namque monachis suggerunt; sese in auxilium fore spondentes, ut S. Cypriani monasterium suis legibus subjiciant: quia si hoc fieret, Bernardum inde recessurum minime dubitabant. Qua suggestionis exhortatione animati Cluniacenses, Dominum Papam iterum adeunt, & ut Bernardum ab officio Abbatis suspenderet, nisi illis subderet monasterium, denuo compulerunt.

Multa ab immorigeris subditis patiens. — E — *ne ab officio suspendatur, denuo Romam abit:* — F

57 Bernardus igitur ex integro resumens laborem, ne gravioris fortunæ ictibus succumberet; metuens peccare, si propter desidiam ac negligentiam suam S. Cypriani monasterium suam amitteret libertatem; iterum Romam veniens, supradictum Papam rogavit, ut utriusque partis causas attente discuteret, & justum judicium faceret. Quod ille facere subterfugiens, imperavit, ut aut ecclesiam Cluniacensibus subderet, aut numquam in illa Abbatia officium exerceret. Porro vir Dei, postquam pro certo cognovit, quod in Romana Curia nihil proficeret; nec Apostolicum à suæ voluntatis decreto flecteret, *a* sublimioris curiæ audientiam appellare compulsus est: quæ quamvis apud mortalium prætoria inveniri nequeat, unde tamen hanc Bernardo experiri oporteret non latebat. Zelo igitur justitiæ accensus, illud Salomonis secutus, Justus ut leo confidens absque terrore erit; Dominum Papam, & omnes illius in hac re complices, non præsumptuosa audacitate, sed libera magnanimitate, in extremi judicii examine ante Judicium, nullis ignorantiæ tenebris falli, aliquibus muneribus corrumpi nescium, constanter invitavit.

& à Pontifice rejectus, — *provocat ad Christum Judicem:* Prov. 28, 1.

AUCTORE GAUFRED. DISCIPULO EX MSS.

Papa autem tanta vocis audita libertate, præ indignatione virum Dei à se discedere jussit: dehinc consiliarios suos, quid super hac re sibi foret agendum, requisivit. Illi autem unanimiter responderunt, quatenus cum tanta hominis sanctitate ante Judicem omnium de causæ hujus controversia disceptare non esset securum, nec alicujus disceptationis contra ipsum se participes ullo modo fore concedunt: imo communis consideratione decreti justum esse astruunt, ut sua illi dignitas restituatur, & de illato labore & injuria ab illo venia postuletur. Joannes vero atque Benedictus, duo Cardinales qui præsentes aderant, virtutum illius magnifica præconia, quæ in Aquitania noverant, audiente Apostolico propalabant; talemque nunc illum Romanis prædicabant, qualem in Pictavensi Concilio, ubi pro justitia paratus fuerat pati martyrium, ipsimet viderant.

audito consilio Cardinalium revocatus,

58 Apostolicus autem, tanta viri perfectione cognita, animum ab indignatione compescuit; & ut in concilium remearet, mandavit. Quo ingresso, ut pro se loqueretur concessit, & ut licentius ab omnibus audiretur, silentium indixit. Vir autem Domini sic cœpit: Vestræ sublimitatis excellentiam, Reverendissime Papa, deprecor, ut me pauca nec à veritate discrepantia dicturum paulisper sustineat. Jam ab annis præcedentibus hoc vestra paternitas, & quam plures qui huic sacro conventui intersunt, vitæ & sapientiæ suæ merito multum honorabiles viri hoc non nesciunt, quatenus S. Cypriani ecclesia, quæ nostræ parvitatis regimini commissa est, multorum annorum curriculis sua utens libertate in magna religione refloruit, antequam Cluniacense monasterium esse cœperit. Nunc vero Cluniacensis Abbas, juxta Isaiæ *b* vaticinium, ad uxorem meam hinnire non desinit, & mihi qualicumque Abbati, tamen veluti Archiabbas superba tyrannide dominari appetit; & quod nostra ecclesia ut ancilla sibi famuletur, sua regnet & imperet, efficere satagit; quod genus ambitionis novum & inauditum: nam ab illo [vitio] exordium accipit, [quod] nisi in sua radice stirpitus amputetur, multam virulentæ prolis propaginem emiserit; corruptionisque immensæ seminarium, si oriri permittatur, pullulaverit. Hoc sane tam detestabile malum, quod propter magnitudinem vestri censura judicii merito abscindet non dubito, novum & insolens dixerim. In litteris etenim divinitus collatis Archiepiscopos, Archipresbyteros, Archidiaconos legimus: Archiabbatum vero nomina, in illis necdum invenimus. S. Benedicti regula (cujus ego professor, qui impetor; & ille est, qui me impetit) ut Abbas solummodo jus disponendi omnia in suo monasterio habeat, constituit: de Archiabbate vero penitus tacuit, quia neminem hujus superbæ vanitatis appetitorem in mundo fuisse vel fore credidit. Cujus calumniæ falsitatem ut ostendam, si mihi detur locus defensionis, nostrique monasterii astruam libertatem, excellentissime Patrum, adveni; Romanæque curiæ tanto securius præsentiam adii, quanto certius, sub nostræ considerationis examine, in illa præjudicium & injustitiam nullo modo posse prævalere, cognovi. Nostri igitur loci conventus, cujus legatione fungor, meæque parvitatis humilitas rogat, ut vestræ majestatis præcellens sublimitas, quæ in eminentiori parte locata est corporis Christi, quod est Ecclesia, more capitis ceteris inferioribus membris regimen impendat; totiusque corporis compagem, secundum regulas justitiæ reddentis unicuiq; quod suum est, in pace teneat; membro patienti condoleat, utriusque causam partis attente discutiens; justumque judicium faciat, nullius transitorii commodi considerans emolumentum; sed æternæ retributionis interminabilem fructum.

causam coram Pontifice perorat. B *suum monasterium Cluniacensi antiquius asserens b* C *in eoque secundam regulam non agnoscit Archiabbatem.*

59 His luculenter peractis, vir sanctus tacuit: D Apostolicus autem causæ Cluniacensium monachorum assertoribus, ut dicerent, imperavit. Sed hi quia veritatis non habentis angulos argumenta, quibus [probent] S. Cypriani ecclesiam suis legibus debere esse subditam, invenire nequeunt; per ambages palliatas ambitionibus, & circuitionibus plenas, commenta quædam fingere incipiunt. Quæ dum justitiæ regulis penitus dissentire conventus qui aderat intellexit, S. Cypriani monasterium liberum ab illis esse astruitur: hocque judicium Apostolicus confirmans, sancto viro Abbatis officium, quod interdixerat reddidit, atque multis precibus hoc ab illo obtinere voluit, ut Cardinalis Sacerdotii dignitatem susciperet, & Romæ secum Ecclesiasticarum causarum negotia tractaturus remaneret. Sed Bernardus in secreto eremi assidua contemplatione cupiens satiari, exterioris solicitudinis implicationem suscipere timuit, atque roganti minime acquievit; imo ut monasterium quod regebat deserere, & ad solitudinem redire liceret petiit, quod multis supplicationibus vix tandem impetravit. Papa autem tantæ constantiæ tantæque sanctitatis hominem, qui nihil in mundo cuperet, nihil nisi Deum solummodo quæreret, quia secum retinere non potuit, ei hujusmodi officium injunxit: scilicet ut populis prædicaret, confessiones acciperet, pœnitentias injungeret, baptizaret, regiones circuiret, & omnia quæ publico prædicatori sunt agenda sollicitus expleret. At postquam ei vicem Apostolatus tradidit, nolens ut Apostolorum vicario, quem sine pecunia ad prædicandum destinabat, victus deficeret; monuit ut ab illis cibum corporis acciperet, quos verbo salutis reficeret; volensque à seipso incipere, ad prandium invitavit: & quoniam diu Romæ moratus est, participem suæ mensæ quotidie constituit.

Ad quæ tacentibus Cluniacen. causam obtinet: & recusato Cardinalatu petit reditum ad eremum: E *constituitur Apostolicus prædicator,*

60 Exivit Bernardus benedictione ab illo accepta: Pictavim redit, & post paucos dies monasterium deserens, ac multo animi ardore anachoresim sectari cupiens, cum paucis discipulis Causeum insulam (eo quod remota esset ab omnibus) intravit: ibique diutius immorari cupiens, non potuit. Piratica namque multitudo prædonum, prædictæ insulæ littoribus applicuit, qui altaris ecclesiolæ illius vasa ac indumenta sibi diripuerunt, atque in ipsius præsentia turpiter tractaverunt. Ille autem res sacratas conspiciens viliter dehonestari, tanta animi commotione ac indignatione hanc dehonestationem fieri indoluit, quod non post multum temporis, hujus rei causa, insulam, ad eam deinceps non rediturus, deseruit; & ad silvas remeans, in illis habitavit. Voluit etenim Dominus hanc à piratis fieri deprædationem, ut à septo illius insulæ Bernardum extraheret, & ad mediterranea loca *c* reduceret: in quibus non soli sibi, sed aliis quamplurimis prodesset. Monachi vero S. Cypriani, videntes quod eum amplius non haberent, cum ipsius consilio & benevolentia alium sibi Abbatem constituunt. Transactis deinde aliquot diebus, aquatici raptores, quorum paulo superius mentionem fecimus, qui virum Dei & res altaris ipsius dehonestaverant, jussu sui Principis, Heoboldi nomine, piratarum omnium ferme crudelissimi, dum naves insequuntur, quas deprædari cupiunt, marinis fluctibus infelices absorpti sunt. Nec mirum, si submersionis morte pereant, qui innumeros fideles eodem mortis genere interire coëgerant. Ad horum vero obitum innumerabiles exercitus dæmonum, in corvorum specie, convenientes, tetra caligine aëris spatia repleverunt; tubisque buccinantes horribili sonitu, sub carnali effigie, animos prope navigantium graviter exterruerunt. Hi, quia, Sacerdotes deerant, eorum exequias celebraturi, con-

Reversus discedit in insulam Causeum, F *sed redit ad silvas spoliatus à piratis:* *dæmonibus exequias eorum facientibus.*

AUCTORE GAUFREDO DISCIPULO EX MSS.

A convenerunt: hi miserrimas eorum animas susceperunt, non ut eos ad paradisi gaudia transveherent; sed ut ad ima barathri loris igneis pertraherent: exitus autem vitæ eorum tales animarum commendatores habuit, qui ministros Ecclesiæ Christi habere non meruit.

61 In diebus illis necdum Bernardus aliquam congregationem adunaverat, necdum aliquod monasterium facere inchoabat; sed anachoresim ardenter sectari sitiens, in loco, qui Quercus-docta dicitur, cum paucis discipulis latitabat. Comperto autem, fama referente, quod ille ad S. Cyprianum ultra non rediret, nec ad insulæ mansionem; omnibus inamabilem propter difficilem ingressum & exitum, remearet; multi ad eum confluere cœperunt; cupientes ejus eruditionibus institui, vitæque exemplis roborari. Sed non habentibus illis unde viverent, nisi labore manuum acquirerent; ipsa necessitas insistere laboribus imperabat, ac multiplex prolixitas familiarium Psalmorum, quos tunc temporis dicebant, eos magna parte diei ab operis studio detinebat. Quamobrem Fratres sanctum virum adeunt, & quid de hac re decernat, requirunt. Quibus ille respondit: Psalmos quidem, qui per omnia fere monasteria ex more decantantur, nisi Dominus aliquid revelet, vereor omittere: ipsa tamen necessitas vos iubet studiosius laborare. Sed hoc videtur idoneum, ut Deum interim attentius precari studeamus, quatenus nobis aliquo modo innuat, quid super hac re facere debeamus.

Ad Quercum doctam habitans

adjunguntur Discipuli:

quibus ob psalmodiæ prolixitatem ægre victum comparantibus,

B 62 Post octo itaque dies consummata oratione, in subsequenti nocte tantus sopor cunctos oppressit, etiam virū Dei Bernardum, qui ante ceteros in profunda nocte semper solebat surgere, ut nullus à somno sese emergere posset, donec lux clara diei illorum oculos perfunderet: qui surgentes regulari tamen modo Officium incipiunt, quod transacta ferme media parte diei vix peregerunt. Quæ soporis oppressio revera fuit relinquendi supradictos Psalmos divinitus missa revelatio; præsertim quia nox illa hiemalis erat, ad cujus usque vix medium aliquis eorum dormire solebat. Domnus autem Bernardus ab illo tempore hos Psalmos dicere prætermisit; & discipulis suis, ut ab illis deinceps quiescerent, imperavit: dixitque se pro certo scire, quod Deus malebat illos laborando sibi victum acquirere, quam tam multiplicibus Psalmodiis insistere. Porro quidam nobilis, Radulphus Fulgeriensis videlicet, cujus hæc quam incolebant silva erat, timens illam per agriculturam eorum extirpari, ferre non potuit; eo quod Fulgeriis castro suo vicina consisteba t, & eam quam maxime diligens, ut feras suis venatibus retineret, vallo circumdederat.

C Quapropter aliam silvam eis dedit, Savinienſem videlicet, multo meliorem, solo terræ fertilem, fluminibus iucundam: sed à castro suo sex milliariis longius altera remotam: in qua sibi congruam habitationem fecerunt ac construxerunt, & ibi labore manuum victum acquirentes, paucis in priori loco Fratribus relictis, per annos aliquot habitaverunt. Domnus autem Vitalis, de quo mentionem fecimus, in eadem silva cellam sibi fabricaverat, distantem ab istis, duobus fere stadiis, in qua postea cœnobium construxit. Sed quoniam divina dispositio duo tam magna luminaria insimul cohabitare noluit; unum illorum ibi remanere fecit, alium ad alias perlustrandas regiones destinavit.

eam ut omittant indulget:

migrat cum suis in silvam Savinensem.

ANNOTATA.

a Hæc eadem, & eisdem pene verbis hinc desumptis, habet Ordericus Vitalis lib. 8.

b *Imo Ieremiæ, cujus hæc verba sunt cap. 5, dum Iudæorum libidinem & intemperantiam perstringit:* Equi amatores, inquit, & emissarii facti sunt. Unusquisque ad uxorem proximi sui hinniebat.

c *Loca hic indicata apud Normannos in Abrincensi diœcesi haud procul Britannia Armorica fuisse, certum est ex monasterio Saviniaco solis decem vel octo milliariis distante, de cujus exordiis mox agetur. Consule dicta 8 Ianuarii ad Acta B. Vitalis.*

CAPUT VIII.

Monasterium in Perchensi Comitatu extructum: beneficia accepta, & in alios collata.

63 Commovit igitur divinæ nutus providentiæ mentem sui famuli Bernardi, omniumque discipulorum ejus, ut ad alias migrarent regiones, & longinquas adirent solitudines. Quapropter minorem ex discipulis suis misit ad inquirendam alicujus eremi vastitatem, in qua sibi tam amplam fabricarent habitationem; quæ omnes simul capere posset, ut nullus eorum cogeretur absque ipso habitare, quia hoc erat illis molestissimum ferre. Tantam etenim ex verbis ejus & præsentia habebant consolationem, ut mallent cum ipso gravissimæ paupertatis onus sustinere, quam sine illo divitiis abundare. Qui cum nullam talem invenissent, & ad eum cum nullo laboris fructu remearent; intimatur eis

Aliam habitationem requirentes

D

Cælitus, ut redeant properanter, & ut loca quærant,
Congrua Bernardo, cælo quandoque locando.

Nam cuidam illorum talis in somniis apparuit visio, Angelico monstrante ministerio: videbatur etenim sibi, quod quidam juvenis, splendidus aspectu; niveoque decorus amictu, manum suam super ejus caput poneret, taliaque verba depromeret. Festinanter à somno surgite: ac ad a Rotrocum b Particensem Consulem, vobis quod quæritis daturum, iter vestrum dirigite. Qui protinus evigilans, quod viderat sociis enarravit. Illi vero parvipendentes visionem, ad Magistrum redeunt, & quod nullam adeo sibi idoneam invenissent mansionem, referunt. Postea autem ex discipulis ejus duo, post multam inquisitionem non inventæ habitationis, memores relatæ à socio visionis, tandem ad prædictum Comitem perveniunt, & quid quærerent exponunt. Ille vero petitioni benignissime acquiescens, pollicitus est se postulata daturum.

per Angelum monentur petere à Comite Perchensi;

a b

E 64 Possidebat siquidem idem venerabilis Princeps quoddam territorium, quod Arcissiæ nuncupatur, à Novigento c castro suo uno milliario sepositum, solo terræ fœcundum, silvis ab omni latere contiguum, fontibus & aquis irriguum, pratorum amœnitate conspicuum, vinearum culturæ ac domorum ædificationi congruum, omniumque rerum usibus opportunum: in eo antecessores sui oratorium construxerant, atque stagnum fecerant & virgulta plantaverant. Ad quod demonstrandum illos duos monachos sine aliqua dilatione perduxit, illudque sancto viro Dei Bernardo ac monachis ejus perpetualiter possidendum concessit. Quo discipuli suscepto læti, omnium Datori bonorum grates debitas ipsique Principi detulerunt, & visionem, quam à sodali perceperant, veram fuisse, tam prospero tamque celeri eventu certificati, minime dubitarunt. Qui à Comite redire jussi abierunt, & ut ipse mandaverat Magistrum adduxerunt. Quem quidem Consul debita diligentia venerari studuit. Sed quorumdam deceptus consilio, atque maternis jussis obtemperans, donum quod fecerat ei retraxit. Prædictum

F c

qui locum Arcissiæ eis donat.

AUCTORE GAUFRED. DISCIPULO EX MSS.

d *sed postea donationem retractat,* dictum tamen Dei famulum ad aliud suscipiendum territorium diligenter invitavit. *d* Beatrix namque mater ipsius, sanctum virum illis in diebus à vicinia Novigenti removere magnopere satagebat, quoniam ex affinitate illius, Cluniacensibus monachis aliqua suboriri incommoda formidabat, quorum quam plures in prædicto oppido adunaverat. Porro Bernardus, qui quibuslibet ictibus fortunæ resistebat immobilis, qui nulla rerum accidentium incommoditate poterat perturbari, nihil hac in re similiter commotus, sed ut semper erat mente serenus ac vultu hilaris, quod Consul jam sæpefatus offerebat non respuit, sed ad illud explorandum duos in crastino discipulos transmisit. Qui ductore prævio ad locum veniunt, qui *e* Tyronus dicitur: quem diligenter inspicientes, eodem die ad Magistrum regrediuntur, referuntque quid de demonstrato sibi loco videretur, Vidimus enim, inquiunt, cui fere cuncta usibus humanis necessaria desunt: dumque incassum se laborasse conspiciunt, animo consternati, unde venerant in crastino redituros disponunt.

e *& Tironium offert,*

65 Sequenti itaque nocte super territorium quod à Consule accepturus erat,

B *quem lumine cælesti excitatus Bernardus*

Pendula vicinas inflammans lumine terras
Lampada, Bernardo cœlo monstrata sereno,

tanto radiorum jubare coruscabat, ut à luce illius ignicoma per circuitum rutilaret tota provincia. Quæ nimirum tibi revelatio,

Admonet; imo jubet; Comitis ne dona refutes

Et dum mane facto discipuli remeare ad propria pararent, ipse intulit se prius locum visurum quam recederent. Qui veniens ad silvam, quæ Tiro dicitur, eam studiosus peragrare curavit: & sibi situs & loci facies sic placuit, quod ab ipso postea mens ejus avelli non potuit. Non tamen sibi ita animum illius adglutinavit, vel amœnitas regionis vel amplitudo possessionis, vel pratorum aut fluviorum jucunda speciositas, aut vinearum copia, vel frugiferi soli fertilis fœcunditas; sed divinæ dispositionis per præmonstratam revelationem imposita necessitas. Accepta itaque à Consule hac possessiuncula, vir Domini Bernardus, ad discipulos suos, qui in Normanniæ ac Britanniæ finibus remanserant, remeavit, ut illos ad se colligeret; collectos ad locum, quem acceperat, secum festinantius adduceret.

lustrat & acceptat.

C

f g 66 Hic dum à Novigento *f* Mauritaniam tenderet, miles quidam, *g* Paganus de Tilleio nomine, eamdem carpens viam, illum in asello residentem duosque ex discipulis suis, qui secum pedites incedebant, assequitur: quos sub eremiticis pannis subobsitos conspiciens, ex ipso humilitatis & paupertatis habitu, bonæ conscientiæ viros ac mundi contemptores existimavit, simulque labori eorum compatiens, quo tenderent requisivit. Cui vir Dei Bernardus, illa die, se usque Mauritaniam ituros, si possent, respondit. Quod ille audiens, se ejusdem villæ habitatorem esse asseruit, & ut secum hospitari dignarentur, supplici devotione rogavit. Vir autem Domini hospitium, quod sibi caritas offerebat, nequaquam refutavit: sed cum debita gratiarum actione suscepit. Dehinc hospitem suum in viæ spatio, pane verbi Dei reficere curabat, & salutaris doctrinæ monitis imbuebat. Paganus itaque Mauritaniam perveniens, virum Dei ad domum suam deducit, eique totius humanitatis officia cum maxima animi alacritate & solicitudine impendere cupiebat, ut versa vice illum pasceret, à quo cælestis refectionem sapientiæ in itinere accepisset.

Militi Bernardum hospitaliter excipienti

67 Sed humani generis inimicus omniumque bonorum æmulus, alterius caritati, alterius vero invidens refectioni; suscipientis atque suscepti hospitis lætitiam interturbare cupiens, armigerum ipsius Pagani, malitiæ suæ veneno adeo usque infecit, ut in crepusculo noctis equum Domini sui *h* dextrarium per latrocinium abduceret. Quo paganus cognito, tristis efficitur, qui equum maxime diligebat, utpote quem ad sui tutelam corporis pernecessarium noverat: erat enim tunc temporis non mediocris guerra inter Belismenses *i*, atque Mauritanienses. Verum ne festivę hospitalitatis lætitiam tristitiæ suæ tenebris obnubilaret, hilarem vultum foris exhibuit, tristitiamque suam dissimulans, hospites suos ut pranderent alacriter monuit. At vero virum Dei damnum & mœstitia sui hospitis latere non potuit, ejusque animum consolatoriis verbis lætificare studuit, & quia non multum pro re transitoria dolere deberet rationabiliter ostendit. Sed divinæ bonitatis pia dignatio, voluit declarare, cujus meriti hospitem Paganus hospitio susceperat;

D *equus furtim abductus* h

i

Dum fur ducit equum, tantus stupor opprimit illū,
Nescius ut redeat deinceps, & furta reducat.

Nam ita sensus & intelligentiam latronis excæcari permisit, ut loca, vias, villas, in quibus ab ipsa sua infantia nutritus fuerat, minime cognosceret; sed Mauritaniam Belisinum esse existimaret; & è converso de Belismo Mauritaniam in animo faceret: & factū est, ut tota illa nocte Belismum, quasi Mauritaniensium hostilem terram, devitaret; & ad Mauritaniensem villam, quasi ad tutum Belismi latibulum, confugeret.

ab ipsomet fure reducitur,

E

68 Hac itaque excæcatione deceptus, Mauritaniam rediit, & ante ostium domus illius Pagani assistens, in loco, ad quem cum equo fugere intenderat, se esse exstimavit. Qui tenens, & interrogatus qua de causa sic redierit, ipse veritatem non reticens, quod divina sic potentia coegerat, ut eadem nocte remearet, respondit.

Sic Bernardus agit precibus, sic perdita reddit.

Hæc sunt tua, Christe, magnalia: hæ tuæ sunt, Christe, virtutes: hoc perpulchrum pro amici tui merito mundo præbes spectaculum, quatenus furem sic ebrium & amentem malitia sua redderet, ut à quibus equum per furtum abduxerat, ad illos quasi ad susceptores furti reduceret; & quos reatus facinoris sui devitare sub capitis sui periculo commonebat, ad illos velut ad fidos vitæ suæ defensores festinaret. Quod Paganus mente considerans, virum Dei ab illo tempore mirari & amare studuit, non quantum voluit, sed quantum potuit; & monasterio ejus multam postea pecuniam contulit.

cum magna illius admiratione.

F

69 Bernardus vero, itinere quod cœperat consummato, discipulos suos collegit, & secum Tironum adducens, ibi cum eis deinceps habitavit. Anno igitur incarnati verbi millesimo centesimo nono, aggregatis discipulis, accepta benedictione à bonæ memoriæ Domino *k* Ivone, Carnotensis Ecclesiæ tunc temporis Pontifice, primam Missam celebravit in die sancto Paschæ in monasterio ligneo jam ædificato, in possessione, quam sibi memoratus Princeps Rotrocus donaverat. In hac vero solitudine multum sibi dilecta eo quod divinitus fuerat præmonstrata, vir Dei constanter viriliterque agebat, Fratresque ad ædificationem loci studiose incitabat, & cælestis vitæ disciplinis atque eruditionibus studiosius informabat, dicens: En, Fratres carissimi, nunc eremum, locum satis nobis competentem, satis apertum, silentio ac quieti congruum, divinisque meditationibus & orationibus opportunum. Hic Christi crux est bajulanda: hic immarcessibilis vitæ corona promerenda, quam diu quæsivit vestra devotio, quam vobis postmodum conferre dignata est divinæ largitatis

Incipit monasterium anno 1109, k

excitat discipulos ad virtutum exercitium.

A largitatis pia dignatio. At si vobis displicet, quod usibus hominum non congruit ejus habilitas; vel hoc placeat, quod viris tantummodo religiosis atque solitariam vitam quærentibus ejus est competens solitudinis opportunitas. Hoc insuper conferet vobis hujus loci asperitas, quod falsorum fratrum, bonos mores pravis colloquiis ac sinistris exemplis corrumpentium; vel propter ipsam rerum inopiam, diutius non erit vobis conficta societas.

70 Tunc temporis causa cujusdam eluviei pluviarum, quæ in antecedentibus annis præcesserant, solo terræ non valente reddere fruges, tanta fames erat, ut multa millia hominum *l* panis inopia cogente morerentur. Multitudo autem monachorum, quæ cum Bernardo erat, annona penitus, sed & pecunia unde emi posset carebat; & tamen, Euangelico obtemperans oraculo, regnum Dei attentius quærebat, nec cetera sibi deneganda formidabat. Illis itaque de divina largitate minime diffidentibus, atque precibus & labori perseveranter insistentibus, ille qui misertus famulo suo Danieli, per Abacuc de Judæa prandium transmisit in Babyloniam, idem ipse *m* Willermi, tunc temporis Nivernensium Consulis, animum provocavit, ut viro Dei Bernardo, in abditissimis Pertici silvarum solitudinibus latitanti, quem necdum nisi fama cognoverat, ingens vas aureum de *n* Burgundia B mitteret; quo vendito annona comparari posset, quæ monachis illo in tempore secum habitantibus, nec non & mendicis sufficeret. Tali igitur præsagio divinitus animati, atque viri Dei crebris admonitionibus confortati, ad ædificationem loci sese accingunt, laboribus insistunt; ita tamen quod orationis & silentii religionisque studium non postponunt.

l In publica fame

m à Comite Nivernensi vas aureum accipit,

ædificat monasterium;

71 Erant namque sanctitatis fervore succensi, quodlibet paupertatis onus ferre parati, habitatoribus illius patriæ penitus ignoti, habitum quidem monachi habentes, sed vilem, incultum, villosum, à ceterorum habitu monachorum valde dissimilem, ovibus ipsis à quibus sumptus fuerat valde consimilem. Paupertatis etenim imperium, quæ vilius possent comparari, eos habere indumenta compellebat; à quo & S. Benedicti Regula, cujus professores erant, minime discrepabat. Porro hujusmodi habitum rudes atque bestiales homines, in illis partibus habitantes, quia antea non noverant, abhorrebant; nec monachos eos, sed Sarracenos, per subterraneas cavernas ad explorandos cives suos advenisse existimabant. Quo rumore permoti affines indigenæ, C mittunt exploratores: qui protinus accedentes, considerant homines imbelles atque inermes, nihil mali machinantes, cellas modicas texentes, non castra aut turres erigentes, qui non bella fremerent, sed Psalmos hymnosque ruminarent.

subditos vilissimo habitu vestit;

72 Redeunt spe meliora reportantes, reaque pectora tundentes, renuntiantque suis, non Sarracenos, sed Prophetas novos, à Deo missos resedisse in deserto. Quo divulgato, ruunt populi, divites & pauperes pariter, videre cupidi. Vir itaque sanctus conspiciens tantam multitudinem adventare, prodit ad publicum, affatur populum, docet quem timere cuive debeant servire: hortatur eos cælestia terrenis præponere, transitoria pro æternis commutare. Dum igitur ad se confluentes sic instrueret, & quam gloriosum atque mirabile sit hominem deificari participatione summi boni declararet, quam misera ac transitoria sit vitæ hujus felicitas demonstraret, & quam dira atque permanentia tormenta apud inferos peccatoribus post mortem maneant comprobaret; multi territi atque compuncti, seculo renuntiabant; monachicumque habitum assumentes, magisterio illius sese submittebant.

vicinos confluentes instruit;

73 Nostra quoque pagina, quasi vilipendendo quædam minima, non negligat enarrare, per quæ summa providentia sui militis sanctitatem diligenter voluit propalare. Vir itaque Domini, dum Tironiæ solitudinis incola novus existeret, contigit ut Pastor bucularum illius, quadam forte die negligentius agens, vitulum in silva derelinqueret: quem se deseruisse comperiens, silvam peragrando studiosissime quæsivit, nec invenit. Vir autem Domini post biduum, extra cellulæ suæ portam, cum aliquot Fratribus sub umbra cujusdam arboris residens, ab opacitate silvarum lupum conspicit egredientem, lento passu vitulum deducentem; & ne à quadam semita, quæ à silva usque ad cellam viri Dei per quamdam camporum planitiem tendebatur, exorbitaret, caudæ suæ [verbere] leniter minantem. O mira res!

AUCTORE GAUFRED. DISCIPULO EX MSS.

vitulum in silva relictum,

à lupo ad se reductum recipit,

Fit vituli custos mordax lupus atque reductor,
Et reprimit dentes jejunos atque rapaces.

Qui cum recto itinere propius accederet, monachi, qui cum servo Dei erant, vitulum esse suum, quem pastor eorum amiserat, recognoscunt; lupinæque rabiei rapacem ingluviem, non solum ei pepercisse, sed etiam illum custodisse atque reduxisse, stupore mentis attoniti, ultra quam credibile sit, admirati sunt. Lupus vero, ob præsentiam monachorum conspectumque nihil territus, ferme usque ad viri Dei pedes propinquare non timuit: atque blandienti vultu illum conspiciens paulisper substitit, demissoque capite illi, quasi vitulum suum commendans, ad silvas remeavit. O sanctissimi Bernardi potentem innocentiam! O humilitatem imperiosissimam! quæ sic belluinam ferocitatem alligat, ut sibi non queat obesse, imo cogatur prodesse. E

74 Porro vir Dei Bernardus, divinæ caritatis visceribus diffusus, atque de Dei bonitatis largitate confisus, exemploque ipsius corroboratus, dicentis, Eum qui venit ad me non ejiciam foras, nullum excludere volebat; sed ut omnes Christo conformes redderet, verbo & exemplo satagebat. Multi etiam monachi, viri sancti ac religiosi, ex diversis monasteriis, fama sanctitatis illius permoti, ad eum concurrere festinabant, ut novum Antonium in eremo residentem viderent, atque paupertatis illius vestigiis inhærerent. Plerique etiam nobiles undique conveniebant, ac omnipotentis Dei tirocinio seipsos applicantes, ejus cohabitationem expetebant. Nonnulli etiam filios atque propinquos suos, Domino, per ipsius magisterium instituendos, offerebant; quorum plures ad magnæ perfectionis culmen, servi Dei exemplo & institutionibus, pervenerunt; qui postea ad regendas ecclesias assumpti, diversorum cœnobiorum Abbates extiterunt. F

ad monachatum recipit quoscumque petentes: Ioan. 6, 37

75 Quadam itaque die, dum vir Dei Bernardus monachos benediceret, quidam monachus, Ligerius nomine, vir religiosus atque Sacerdos assuit, qui ab alto aëris flores rosarum, super

super quos cælitus rosæ videntur pluere.

Quos sibi consociat monachos habituque figurat,

descendere conspexit. Voluit namque Dominus ostendere, per exterioris miraculi signum, sive sui Confessoris meritum, sive quod ad florigeram sanctitatis vitam conscientias renovaret hominum. Transacto deinde unius anni curriculo quidam monachus, cui Antiquillus nomen, vir magnæ simplicitatis atque innocentiæ, qui aderat, vidit quod.

aliàs verò & nives,

Quosdam Bernardus senior, non ad bona tardus,
Dum superis offert, & verba precantia profert,
Nix & ros pariter super hos cadit, atque patenter
Ex alto flores simul adveniunt, & odores.

Tali etenim ostensione prodigii, placuit divinæ

AUCTORE GAUFRED. DISCIPULO EX MSS.

vinæ voluntati sui militis declarare privilegium, vel vitæ monasticæ puritatem, atque cœlibatum.

76 Quadam die, dum vir Domini Bernardus in oratorio contemplationi esset intentus, Fratribus in alto laborantibus, ignis verno tempore aridam silvam invasit: qui flatu ventorum vehementi impulsus, usque ad maximam densitatem veprium, qua undique cellula eorum cingebatur, pervenit: quæ veprium densitas, flammis correpta, omnes officinas eorum fere concremabat. Fratres autem impetum ignis, multum diuque luctati, extinguere conantes, minime potuerant. Qua propter desperantes cellam ingrediuntur, & omnem supellectilem suam ad planiciem camporum deferunt, totamque habitationem suam, quam mox ab igne comburendam existimabant, lacrymantes relinquunt. Servus autem Domini tumultum illorum audiens, de oratorio exiit, moxque,

incendium in silva ortum,

& ad cellas usque progressum,

aqua benedicta sistit.

Ut videt ingentem ventum, miseratus & ignem,
aquam benedictam contra flammas, jam pene officinas invadentes, aspersit, sicque
Flammæ fervorem reprimens, flatusque furorem,
Ne ruat introrsum precibus facit ire retrorsum.

B Namque ignis aspersionis illius metas transire non præsumpsit; sed contra venti impetum reflexus, & in seipsum refractus, ad nihil usque resedit. O magni meriti virum, cujus ad arbitrium ipsa etiam reprimuntur elementa!

ANNOTATA.

a Rotricus *filius Gaufridi II, Mauritaniæ Comitis & Castriduni Vice-Comitis, circa annum* 1100 *mortui, præclaras victorias de Saracenis in Hispania & in Terra-sancta obtinuit, & vixit usque ad annum* 1143. *Consule Ordericum Vitalem lib.*13, *Matthæum Parisium ad an.* 1096, *Guilielmum Tyrium lib.*1 *Hist. Hierosol. cap.*17 *& lib.*6 *cap.*17 *& alios: de eo iterum infra agitur.*

b Perticus *seu* Perticum *aut* Particum, *vulgo* le Perche, *cujus Rotrocus etiam Consul seu Comes dicitur, est regio inter Carnotenses, Cenomanos, Vindocinenses & Ebroicenses.*

c Novigentum Rotroci *ab amplo Comitatu dictum. Quam appellationem invidisse dicitur Henricus Borbonius Condæus, & nominasse* Anguianum Gallicum, *sed prævaluit antiqua denominatio.* Nogentum in Pertica *dixit Ordericus lib.* 13. *Est etiamnum caput Perchensis inferioris.*

C d Beatrix *mater Rotroci filia Rupifortis Comitis, Orderico lib.*13, *aliquibus filia Hilduini Rassiacensis Comitis.*

e *Aliis* solitudo Tironi *dicitur. Erat autem uterque locus in parœcia Brunella.*

f Mauritania *vulgo* Mortaigni au Perche, *ad diœcesin Sagiensem spectat. Sedes & castrum Regale est, ubi Præses Perchensis domicilium habet.*

g Tilleium, *vulgo* le Teil, *sex stadiis versus Occidentem à Nogento dissitum.*

h Dextrarius equus, *pro strenuo & ad sessionem idoneo apud auctores sumitur. Ita* 22 *Ianu. in Vita B. VValteri de Birbeke num.*9 *dicitur* equus pulcherrimus, in quo species optimi dextrarii erat. *Alia exempla tradunt Souchetus hic & Vossius de Vitiis linguæ pag.*407. *nunc* Sellarius *diceretur à sella equestri, ad distinctionem eorum qui curribus trahendis aut ferendis oneribus destinantur, quos* tractorios & summarios *vocant.*

i Belismum, *antiquus Comitatus ditionis Perchensis, urbs ea aque distat à Nogento & Mortania, parum versus Occidentem sita. Ordericus lib.* 13 *ad an.* 1100 *ait*, inter Rottonem & Robertum Belismensem consobrinos, magnam seditionem exortam esse pro quibusdam calumniis, quas iidem Marchisi faciebant pro suis limitibus fundorum: unde atrocem guerram vicissim fecerunt in terris suis. *Partes autem Rotonis seu Rotrici tenebat cum Mauritaniensibus Paganus.*

k *Ivo ipse in Epistola* 229 *sic ait.* Rotrocus nobilis & strenuus Mauritaniæ Comes humilitatis nostræ præsentiam adiit, postulans ut consecraremus cujusdam cœnobii cœmeterium super fluvium, qui Tyron vocatur, in usum quorumdam religiosorum monachorum &c. D

l *Epist.*204 *ad Paschalem Papam asserit*, ex sterilitate terræ fame pauperes affectos. *Mejerus ad annum* 1110. Sterilitas, *inquit*, terræ hujus gravis, gelu diuturnum cum nive. *Matthæus Parisius ad annum* 1111. Mortalitas tunc erat animalium maxima, fames valida in Normannia. *Chronicon S. Maxentii ad annum* 1110. Mortalitas & fames magna, & sal carus nimis.

m *In Vita* 2 *B. Roberti de Arbrisellis* 25 *Februarii num.* 17 *dicitur* Guilielmus Nivernensis religiosus Comes, exigentibus vitæ suæ meritis, carus extitisse utrique, *B. Roberto scilicet & B. Bernardo. Hic ad extremam fere senectutem pervenit, & teste monacho Altissiodorensi*, anno 1147 relicto seculi principatu, & omni honore calcato, Carthusiam petiit; ibique digne Deo in humillima paupertate conversans, infra annum conversionis suæ felicem terminavit cursum vitæ.

n *Burgundiæ Ducatus seu regni olim partem extitisse* Niversium *seu* Nivernum *passim omnes notant. Subestiam Parlamento Parisiensi, & provinciam separatam efficit. Vrbs sita est ad confluentiam Ligeris & Nivernis fluviorum.* E

CAPUT IX.

Monasterium ad fluvium Tyronum constructum. Beneficia Comiti Rotroco præstita.

77 SUb eodem tempore, ne militi Christi Bernardo pugna laboris atq; tribulationis deesset, *a* monachi, quorum jam mentionem fecimus, ipsius terræ quam præfatus Consul ei dederat, decimas, & corpora mortuorum sui *b* juris esse dixerunt. Qua compulsus calumnia, quæ discipuli summo cum labore fecerant, ædificia deseruit: aliudque terræ solum, in quo sibi habitare liceret, quærere intendit. Illius igitur celeberrimæ Carnotensis Ecclesiæ, in honore sanctæ semperque Virginis *c* Mariæ dicatæ, venerabilem Episcopum, prædictum scilicet Ivonem, atque Canonicos tunc temporis adiit, & ut sibi aliquam portiunculam prædii illius, quod suæ possessiunculæ contiguum habebant, ad monasterium suum fundandum darent, petiit. Erat enim quædam villula prædictorum Canonicorum, terrulæ quam Consul viro Dei dederat conjuncta, nomine Sarzeia. Illi autem famulum Dei debita veneratione suscipiunt, clementi bonitate exaudiunt, & secundum magnificentiam suę nobilitatis & munificentiam largitatis, plus terræ quam postulaverat, concedunt. Facta equidem donatione *d* chartam faciunt; atque Dominum Gaufridum, ejusdem Ecclesiæ Canonicum & ipsius territorii *e* Præpositum, cum quibusdam personis ad ostendendam terram dirigunt. Qui postquam ad prædictum *f* prædium pervenerunt, ex decreto Capituli, juxta rivulum qui *g* Tyronus dicitur, ad faciendas officinas sui monasterii, terram quam petierat, ita *h* liberam sicuti ipsi tenuerant, tribuunt.

a *b* *lite pro decimis mota locum deserit,* *c* *alioque fundo impetrato,* E *d* *e* *f* *g* *prope fluvium Tyronum* *h*

78 Porro quædam matrona *i* Regali stirpe progenita, Adela videlicet, Blesensium Comitissa, eo tempore S. Bernardo latiores terræ amplitudines, ad monasterium suum construendum, & loca multo utiliora offerebat; quæ tamen refutabat, malens cœnobii sui sedem locare sub protectione B. Mariæ semper Virginis, quam sub advocatione qualiscumque secularis personæ. Prædicti vero Canonici, suscepto tanto hospite in fundo suæ Ecclesiæ, non mediocriter gavisi sunt; eumque omni tempore vitæ suæ nimio pietatis affectu dilexerunt, atque

i *monasterium construit,*

A atque illi plurima beneficia nec non ecclesiastica ornamenta contulerunt, rebusque monasterii ipsius pervigili studio protectionis suæ patrocinia adhibere curaverunt, & contra quosdam infestantes clypeum suæ defensionis solerter opposuerunt. Bernardus siquidem fundata habitatione sua, in possessione beatæ Dei Genitricis, tanto eam deinceps venerari affectu studuit, ut ad honorem ipsius specialem Missam de ea, pro salute omnium monasterio suo beneficia impendentium, & maxime supradictorum Canonicorum, singulis diebus perpetuo celebrari instituerit, quæ usque in hodiernum diem solenniter celebratur.

& quotidie sacrum pro benefactoribus fieri

79 Interea factum est, ut sæpedictus Consul Rotrocus, quo neminem mortalium sanctus Domini Bernardus plus diligebat, à Fulcone, Andegavensi Consule, de hinc *k* Hierosolymitanorum Rege; de potestate cujusdam, qui eum *l* vinctum detinebat, violenter abstraheretur; non quod eum liberare disponeret, sed ut maximam causa ipsius pecuniam de Roberto Belismensi, immanissimæ *m* crudelitatis bellua, extorqueret. Qui Robertus prædictus Consulem à jam dicto Fulcone ingenti dato pretio comparavit, non quod ullam ab eo redemptionem vellet accipere, sed ut eum diversis tormentis in suis carceribus faceret interire. Tanto siquidem odio illum habebat, utpote à quo in bello publice cum suo exercitu *n* devictus atque fugatus fuerat, ut non magis sibi prosperam vitam, quam illi miserabilem mortem exoptaret. Jussu itaque præfati tyranni machinatur & paratur, qualiter generosi pedes Principis cruciatu ligneo constringantur; tibiæ quam pluribus annulis & compedibus circumvolvuntur, manus & brachia chirothecis ferreis damnantur, immensa ferri ac diversarum pondera catenarum collo suspenduntur. Ex hinc brevissima atque urgente tectura, ad hoc solerti industria fabricata, curvus ergastulo non amplius inde extrahendus retruditur; & ne citius deficiat, addidit, ut bis tamen in hebdomada utcumque sustentetur.

Rotrocum Comitem, k l à Fulcone Andegavensi venditum Roberto Belismensi, m B *n atrocibus catenis vinctum, & intra carceri inclusum,*

80 Quod postquam Consuli innotuit, matri suæ atque nobilibus suæ potestatis per *o* legatum mandat, ut se jam quasi mortuum judicantes, alium sibi Dominum constituant. Viro quoque Dei Bernardo per ipsam suam matrem intimari petiit, ut pro salute animæ suæ intercederet, & pro ereptione corporis sui, quæ amodo fieri non poterat, jam sollicitus nequaquam existeret. Quod vir Dei audiens mox lacrymis perfunditur: ac deinde prophetico spiritu repletus, talia nuntiantibus admonet, ut de Dei misericordia præsumant, & de illius liberatione minime diffidant. Adjungens quod ipsa adversitas Rotroco in prosperitatem? Roberto vero in maximam commutaretur adversitatem. Quod & factum est. Nam sola illius provida dispensatione, qui sapientes novit in sua astutia comprehendere, brevi satis transacto dierum curriculo, ut vir Domini prædixerat, Consul liber & incolumis patriæ restituitur, & *p* Robertus in ipsis quæ prædiximus vinculis, jussu Henrici Regis, in Angliam transportatus, usque ad diem mortis suæ perpetuo carcere religatur. O virum excellentissimo præconio dignum! cujus lacrymis ipse fons pietatis commovetur; cujus monitis viduata patria roboratur; ad cujus vaticinium captivo liberato, tyrannus ipsis quos tetenderat laqueis irretitus, exilio mancipatur.

o C *prædicit liberandum, & Robertum puniendum: p*

81 Consul itaque patriæ ac prosperitati pristinæ restitutus, castrum *q* Belismum nec non & adiacentia illi territoria mox obtinuit, atque tam sibi quam suis heredibus deinceps possidenda subjugavit. Exhinc quam citius potuit ad virum Dei Bernardum, cujus meritis & orationibus liberatus fuerat, pervenit; grates quas debuit, non tam verbis quam lacrymis ac subsequentibus indiciis, retulit: quem tanto affectu postea dilexit, ut ei in multis obediret, à rapinis & crudelitatibus ejus doctrinis se temperaret, vitam suam in melius reformaret; & ne tanto ingratus beneficio appareret, plurima illi donaria contulit, quæ dinumerare dissimulamus, ne devotis lectoribus fastidium inferamus. Si enim singula, quæ in multimodis ecclesiæ ornamentis, quæ in gemmis, quæ in aureis sive argenteis vasis, quæ in terrarum vel prædiorum sive silvarum amœnitatibus, quæ in stagnorum seu vinearum aut molendinorum dominationibus, in decimarum diversarum redditibus, monasterio nostro donavit, differere velimus; non jam sancti viri gesta describere, sed quamlibet historiam texere comprobabimur. Territorium etiam, quod, ut præmisimus, quorumdam consilio deceptus beato viro abstulerat, *s* reddidit; ibique quamplures monachorum illius, idoneis constructis mansionibus & quamplurimis deputatis redditibus, ampliavit. Supradicta vero Beatrix, ejus cognita sanctitate, castrorum suorum habitationem deserens, Tironii ædificatis ædibus, quoad vixit, deinceps habitavit; ibique ingentem Basilicam, multis expensis pecuniis, fabricavit; cui ab hac vita decedenti *t* Juliana ejus filia, maternæ probitatis heres, successit: quæ pluribus distractis sumptibus, officinarum nostrarum partem non modicam diligentissime postea consummavit.

q suis redditis instituit ad pietatem,

AUCTORE GAUFRED. DISCIPULO EX MSS.

& quam plurima ab eo dona accipit, s nec non ab ejus matre & sorore. E *t*

82 Dum igitur Bernardus monasterium suum ædificaret in Francia, *u* Robertus Abreselensis suum construxerat in Aquitania, nempe Fontis-Ebraldi, Radulphus Fusteiensis in Britannia, Vitalis vero de Mauritonio suum fabricabat in Normannia, nempe Savinejum in diœcesi Abrincensi, quod postea Domno Bernardo cessit cum monasteriis *x* inde pendentibus *y*. Quos supernus Arbiter longe à se positos, & in diversis regionibus separatos manere voluit: quia tot & tanta unusquisque illorum monasteria construxit, ut una eos regio minime caperet, una provincia congregationibus ab illis adunatis minime sufficeret. Porro Christi miles Bernardus, postquam cœnobii sui sedem locaverat in prædio, quod ipsius Genitrix sibi per manum Canonicorum suorum dederat; nulla eum inde expulit calumnia, nulla potuit illinc dimovere procellosæ tempestatis adversitas; quia Christo inhæserat, qui est immobilis stabilitatis firma soliditas.

u perficit monasterium, uti alii sunt alibi. x y F

ANNOTATA.

a *Monachi Cluniacenses, Novingenti ad S. Dionysium degentes.*

b *Spectabat* Brunella *parœcia, in qua monasterium erat constructum, ad dictos monachos, qui ibidem munia Parochorum obibant.*

c *De* Ecclesia Carnotensi *& cultu Deiparæ (cujus ibi indusium creditur asservari) & variis miraculis, agit libro particulari, Parisiis anno 1609 excuso, Sebastianus Rovillardus.*

d *Chartam donationis ex Chartophylacio Carnotensi edidit Souchetus, factam* III Nonas Februarii anno 1113 *nobis* 1114, *in qua conceditur* Domino Bernardo venerabili Abbati cum grege sibi commisso, carrucata terræ una super rivulum, qui dicitur Tiro, infra Gardiensem parochiam, ad ædificandum monasterium & claustrum, *& cetera usui Fratrum necessaria.*

AUCTORE GAUFRED. DISCIPULO EX MSS.

e Præpositus Fontaneti *dicebatur, forsan quod in ea præpositura fontes Ledi & plurimorum fluviorum essent*, *Erant tres alii sub Episcopo Carnotensi* Præpositi, *scilicet* de Belsia, de Nongento Fisci, & de Amilliaco; *penes quos omnium Capituli redituum administratio erat. Exauctoratos autem esse sive commutatos anno* 1193 *charta à Soucheto edita ostendit.*

f *Ordericus lib.* 8 *ista habet de B. Bernardo*: Post plures circuitus, ad venerabilem Episcopum Ivonem divertit: & ab eo benigne susceptus, in prædio Carnotensis ecclesiæ cum Fratribus quibusdam constitit, & in loco silvestri, qui Tiron dicitur, cœnobium in honore sancti Salvatoris construxit.

g *Rivulus hic* Tironus *prope Illerium in Ledum defluit.*

h *Charta citata donationis*: Donamus terram quietam, & immunem à synodo & circada, ab omni consuetudine parochiali, & ab omni exactione; salva obedientia, quæ Episcopo juste debetur.

i Adela, *Guilielmi Conquestoris Angliæ Regis, filia; tunc vidua Henrici-Stephani, Comitis Blesensis & Carnotensis; Comitatus pro liberis rexit, & postea in Marsiniaco cœnobio feminarum Ordinis Cluniacensis, in agro Lugunensi, vitam egit ab anno circiter* 1128.

k Fulco, *ducta filia unica Balduini Regis Hierosolymorum, ei ut gener & heres successit anno* 1131, *mortuus anno* 1142.

B

l Rotrocus *captus videtur anno* 1113 *aut sequente, in bello inter dictum Fulconem & Henricum I Regem Angliæ, cujus aciem dirigebat, dum victoria mansit penes Fulconem, qui eum apud aliquem è suis captum & vinctum abstraxit. Consule Souchetum, qui hoc bellum late prosequitur.*

m *Crudelitatem Roberti Belismensis exaggerant Willelmus Gemmeticensis lib.* 8. *Hist. Normann. cap.* 35, *Ordericus lib.* 8 *& alii.*

n *Ordericus lib.* 8 *de Roberto ait*: Plurima contra collimitaneos prælia init ... Hoc feliciter experti sunt Goiffredus Mauritaniæ Comes & Rotrocus filius ejus. *Aliquas contentiones supra indicavimus.*

o *Hildebertus Episcopus Cenomanorum epist.* 39 *ista habet.* In turre Cenomanensi Comes Rotrocus in vinculis tenebatur. Ad eum metu mortis trepidum vocatus accessi. Deinde mihi confessus, domui suæ disposuit, testamentum fecit, Ecclesiis distribuit. Quod ut illibatum permaneret, submissis precibus à me impetravit, quatenus ego ipse matrem ejus adirem, de testamento exhiberem testimonium... Mater Comitis in osculo me suscepit, applausit testamento, gratias agens quod Comiti accessissem.

C

p *De Roberto, vincto in Angliam abducto, agunt Ordericus lib.* 12 *Malmesburiensis lib* 5 *de Gestis Henrici I. Wigorniensis & alii.*

q *Gemmeticensis lib.* 8 *cap.* 35. Roberto in vinculis posito, in quibus & defecit, Rex Henricus nobilissimum oppidum Belismum cepit, & illud Rotroco Comiti Perticensi genero suo dedit.

r *Consule Souchetum, qui nonnulla ex antiquis chartis donaria recenset.*

ſ *In supra citata* Arcissia, *sub paroecia Brunella, tunc extructus fuit Prioratus monachis Tironensibus, ac postmodum anno* 1225 *in Abbatiam erectus à Guilielmo Episcopo Catalaunensi. Chartam donationis habent Sammarthani tomo* 4 *Galliæ Christianæ pag.* 75. *postea diplomate Pontificio Virginibus cessit.*

t *Meminit Ordericus lib.* 8 *hujus* Julianæ, nuptæ Gisleberto de Aquila oppido, *quæ Rotroco fratre in Hispania morante, rexit Perchensem Comitatum.*

u *De his jam sæpius actum.* Aquitaniam *Ligeris à* Francia *proprie sumpta distinguit.* Aquitani *vivebant secundum Leges Theodosii Imperatoris & Romani habebantur: At* Franci *secundum leges Salicas: ab his vero etiam erant distincti* Britanni, Normanni & Burgundi, *quod sub propriis Ducibus aut Regibus degerent.* D

x *Souchetus universim numerat* 58 *monasteria tam per Gallias, quam Anglicanas ditiones, quæ suberant Saviniaco, quod monasterium quomodo sub quarto suo Abbate Serlone cum omnibus suis filiabus transierit ad Ordinem Cisterciensem, traditum in manus* S. Bernardi Abbatis Claræ vallis, *diximus* 17 *Martii in Proleg. ad Acta S. Patricii num.* 21. *Idem Souchetus monasteria* 63 *recenset, quæ monasterio & Ordini Fontis-Ebraldi suberant.*

y *Addebatur in ecgraphis* de Vitali postea: *quod ex margine in textum videtur irrepsisse.*

CAPUT X.

Revelatio de salute æterna 2 monachorum. Miracula alia.

83 QUadam nocte, dum Fratres in oratorio nocturnalis synaxis psalmodiam decantarent, contigit, ut quidam Frater ad extrema perveniret. Ob quam causam juxta ritum percussa tabula, Fratres convenerunt. Qui dum defuncti jam Fratris obsequium expeditius vellent consummare, & ad oratorium, ut quod superetat intermissæ psalmodiæ persolverent, remeare; aliter quam intenderant accidit: quia cujusdam mora retardationis intercedens, ibi diutius eos, quoniam res exigebat, detinuit. Infirmarius namque, non habens aquam qua defuncti fratris artus exanimes ablueret, eum non poterat sepelire, eo quod ostii cujusdam, per quod erat exitus ad fontem, clavem non valebat invenire. Quapropter vehementer conturbatus, ut ostium confringeret, securim arripuit. Sed sanctus Dei Bernardus motum perturbationis illius leviter compescuit, eique clavem à diabolo sublatam, quam diu quæsierat nec invenerat, reddidit. Et sic demum peractis exequiis ad ecclesiam redierunt, divinæque servitutis pensum, quod nondum compleverant, peregerunt. Porro Fratribus in crastino inter se de hac mora colloquium facientibus, Christi miles Bernardus quemdam Fratrem exequiis interfuisse asserebat, qui tantam dæmonum multitudinem ad accusandum Fratris animam venisse conspexerat, ut totam vallem, in qua monasterium situm est, replerent. Sed quia illi salutem auferre, ut conabantur nequiverunt, hoc impedimentum retardationis sepulturæ illius intulerunt. Verum quia illum falsa dixisse, nec aliquem obsequio affuisse, præter illum, qui hæc viderit quæ protulit, pro certo cognovimus, quia de seipso dixerit minime dubitamus.

Mortui fratris funus E *tardatur de monumento ablata quadam clavi,* *quia salutis non potuerant impedire:* F

84 Sub eadem tempestate, dum corpus cujusdam Fratris, qui valde religiosam duxerat vitam, monachi sepulturæ tradere præpararent, & debitæ psalmodiæ pensum persolverent; homo Dei Bernardus, ut secretius oraret, ad oratorium secessit, ibique defuncti Fratris animam diutine Deo precibus commendavit. Quem superna pietas grataner, ut in subsequentibus declarabitur, exaudivit, atque protinus, ne de ipsius salute in aliquo hæsitaret, benigne certificari voluit. Frater namque, cujus corpus erat in feretro, albis indutus vestibus, manipulum habens in manu, illi, ut prædiximus, orationibus insistenti, admodum splendidus apparuit: petensque ab eo benedictionem, ad colloquium intravit: & ut ex parte sua confratres salutaret, & quod jam requie potiretur, ipsis intimaret, diligentius exoravit.

animam Deo commendans, *videt illam jam gloriosam,*

85 In

a Robertum de Moteia,

A 85 In Vicinia nostri monasterii miles quidam, *a* Robertus de Moteja nomine, habitabat, qui necdum tunc temporis rerum affluentia, ut postea experti sumus, redundabat. Diutina namque penuria, nec sine admiratione vicinorum premebatur; licet perplurimis villarum atque prædiorum redditibus ditatus videretur. Ipse egestatis suæ infortunia plus ceteris admirabatur, maxime quia res suas solerti industria ac circumspecta prudentia disponere à cunctis dicebatur. Quapropter bona comitatus fide ad virum Dei veniens, cujus jam familiaritatem obtinuerat, quatenus domum suam propria honoraret præsentia, devotis precibus exoravit, & ut apud se unius noctis spatio hospitari dignaretur, addere præsumpsit. Bernardus vero, ut erat benignissimus, illius piæ petitioni gratanter acquievit, ad domum pervenit, hospitium suscepit. Quid plura?

rogatus invisit,

Divitiis plenus, sed census non pereuntis,
Militis hospitium novus hospes ut intrat, egentis
Pauperiem fugat hinc, ex munere cuncta replentis

& ex paupere divitem reddit,

Tanta namque copia, sicut post in propatulo claruit, ab illo tempore domum prædicti Militis subintravit, ut non jam Dei famulum, sed ipsum totius largitatis ac bonitatis Dominum in suo se hospitio suscepisse gavisus sit. Qui postea, tantam exteriorum opulentiam ad illius ingressum se obtinuisse non immemor, nequaquam ingratus extitit; sed exinde, B prout potuit, ipsi incessanter ministravit; ac nobis post ipsius excessum nonnulla beneficia contulit, atque nostrum monasterium quamplurimis Decimarum redditibus ampliavit.

b

Puerulum altero oculo cæcum

86 Apud *b* S. Leobinum de Quinque-Fontibus quidam puerulus erat, cui carnosus tumor superaccrescens totum oculum ab ipso nativitatis die cooperuerat. Cujus mater audiens, quod vir Domini Bernardus per eamdem villam transitum haberet; quam citius potuit se suamque sobolem ipsius obtutibus præsentavit; & ut suo unico filio manum imponeret, cum lacrymis extorquere curavit. Tunc maternis clamoribus compassus, ac circumstanti populo satisfacere acquiescens,

signo Crucis sanat:

Comparet ut laudem Christo cæcoque salutem,
Ex oculo morbum depellit, quem vidit orbum,
Vir sanctus dignũ Crucis aptans cum prece signũ.

Quem tam celeri sanitati restituit, ut omnis morbus cum signo Crucis evanuerit.

habet sub se 500 Monachos,

87 Confluebat itaque ad Dei famulum hinc inde tanta multitudo hominum, mundo renuntiare cupientium, & ejus se eruditionibus subdere desiderantium, ut infra triennium *c* quingentorum monachorum Pater extiterit. O mirabilem virum, non sibi soli, sed omnibus natum! Videte quod non sibi solum laboravit; sed & omnibus exquirentibus veritatem. In hoc solum placitum erat Spiritui sancto, quæ teste Salomone sunt probata coram Deo & hominibus, concordia Fratrum & amor proximorum. Quorum trecentos secum retinuit; ducentos vero alios, per diversas mundi partes, in cellis duodenos vivere statuit. Quibus nimia paupertate depressis, divinæ pietatis larga dispensatio, quæ volatilia cæli pascere non desinit, benignissime providebat; & propter fidem sancti viri eis victualia ministrabat. Multis tamen diebus ita panis deerat, ut necesse esset panis libram inter duos, & nonnumquam inter quatuor dividi. Aliquando & penitus pane carebant; sed herbis tantum & leguminibus vitam suam sustentabant. De vino autem melius puto silere, quam aliquid dicere. Vinum non habebant: vinum habere minime tunc temporis appetebant. Porro in ipsa asperrima hieme multi sine pelliciis & etiam plures sine cucullis erant,

c C

Eccli 25, 2

ex his 200 alio mittit;

in magna penuria cibi, potus,

ac vestimentorum latos,

AUCTORE GAUFRED. DISCIPULO EX MSS.

quando mortalium fragilia corpora, præ nimia algoris immensitate, vix vivere etiam sufficienter vestita sustinebant. Et cum tanta rerum temporalium penuria premerentur, immensæ paupertatis onus se pro Christo ferre non mediocriter lætabantur. Pro magna etenim temporalium bonorum erat eis sufficientia, sanctissimi patris sui Bernardi plena divinæ consolationis præsentia. Quia dum ipse in medio residens cælestibus doctrinæ verbis mentes eorum reficeret, tantus amor divinitatis inerat discipulis, ut magis in talis doctrinæ affectione gauderent, quam si transitoriarum rerum illo absente copiis abundarent. Enimvero quando panis eis omnino deficiebat, herbis solummodo, ut diximus, vel leguminibus refecti, adeo viri Dei consolatione ac præsentia corroborati erant, ut solito alacrius gratiarum actiones Deo referrent, seque ab ipso visitatos atque consolatos crederent. Major autem eis inerat in cibo vel in potu atque in vestibus abstinentia, quam S. Benedicti [Patris] ac institutoris monachorum præcipiat Regula, vel alicujus alterius scripturæ jubeant instituta.

quos visitatione sua alacres reddit.

Energumenum signo Crucis sanat.

88 Sub eodem tempore quemdam Fratrem dæmoniaco spiritu repletum, Odonem nomine, vir Domini Bernardus pristinæ restituit sospitati, signum ei Crucis opponens; atque à vinculis, quibus ob hoc ligatus fuerat, exolvi præcipiens. Qui solutus, illico ita quietus redditus est & pacificus, ac si nulla prius insania laborasset. Huic miraculo aliud etiam adjungamus, per quod Christi militem Bernardum spiritu claruisse prophetico pandamus. Ob cujusdam namque causam negotii *d* Carnotum ille perrexit die quadam: sed antequam illud tractare inchoasset, sociis suis qui secum ierant mirantibus, ad monasterium ex improviso remeavit. Cumque à Fratribus requisisset, si, postquam discesserat ab eis aliquid incommodi contigisset, nuntiaverunt quemdam Fratrem, nomine Gervasium, maligno spiritu agitatum, in infirmorum cella teneri obligatum. Quod statim vir Dei, dum esset Carnoti, & se cognovisse, ac idcirco tam celeriter remeasse, nobis qui illuc conveneramus, intimavit, & ut solutus à vinculis ad se adduceretur imperavit. Qui adductus signo Crucis à servo Dei sibi impresso continuo pacificus resedit, postquam divina benignitas pro sui merito Confessoris illum ab insania liberavit.

E

d

absens novit monachum à dæmone esse obsessum,

& liberat:

89 Æstivo itaque tempore, cum Fratres ad fœnum coadunandum operam darent, atque plaustris ac aliis vehiculis intra septa monasterii recondendum conveherent; illius nimirum permissione, sine cujus nutu nec folium ab arbore defluit, quoddam quadam die infortunium contigit, quod nihilominus mentes perturbavit: Namque quidam puer parvulus, cui nomen erat Amelinus, dum cuidam carro (quod adeo fœno videbatur onustum, ut vix à *e* decem aut eo amplius traheretur) succurrendi gratia caute minus appropiare maturaret, retrorsum corruit, atque mox imminentium è latere rotarum ponderosa volubilitate præventus quousque extemplo per eum pertransirent, resupinus succubuit. Cumque circumstantes eum fere extinctum crederent, ac de sola illius sepultura debere tractari judicarent, quassata membra in pala, quæ vulgo ventilabrum nuncupatur, cum lacrymis collegerunt, atque ad infirmorum cellam seminecem vixque palpitantem detulerunt. Quod postquam Bernardus, in oratorio de more constitutus, animadvertit, inconsideratis gressibus ad grabatum, quo miserandus decubabat tirunculus, quantocius festinavit; ac imprimis, Dominici non immemor oraculi, cum beatæ Crucis signaculo

F

Puerum rotis onusti carri contritum,

e

valetudini restituit.

AUCTORE GAUFRED. DISCIPULO EX MSS.

præfatam cellulam verbis salutare pacificis non posthabuit. Mira res! qui velut exanimis putabatur, ejus voce expergefactus, ad ipsius introitum oculos aperuit; moxque ut idem Dei famulus manum sibi imposuit, eo usque convaluit, ut qui illuc aliorum manibus quasi ad sepeliendum delatus fuerat, propriis pedibus exurgeret, ac exterorum (nobis videntibus, & super hoc Dominum magnificantibus) consortium incolumis repeteret.

90 Itaque quamdiu vir Dei mortales tenuit auras, nullus discipulorum suorum otiosus erat: sed quisque, nisi detineretur incommodo, horis statutis propriis manibus laborabat. Erant etenim inter eos plures artifices, qui singulas artes cum silentio exercebant: quibus semper custodes ordinis præerant, qui jubente Patre districtionem regularis observationis diligenter observarent. Si quem vero inevitabilis necessitas loqui compelleret, multiloquia & vaniloquia devitabat: quia institutio illorum hujusmodi impunita non dimittebat. Venerabilis equidem Pater, quamvis custodes ordinis, ut diximus, singulis imposuisset; ipse tamen cunctos circumiens, illud recolens Apostolicum, Qui non laborat, non manducet; neminem otiosum esse permittebat. Tanta porro cordibus eorum, per exemplum viri Dei, accreverat humilitas, quod & quælibet vilia propriis manibus certatim peragerent, ligna suis humeris à silva deferrent, coquinam sine aliquo servientium adminiculo ex ordine facerent, rebellionem & inobedientiam, aut contumeliosum verbum penitus ignorarent. Ad tantæ etiam caritatis fastigia viri Dei exemplum illorum mentes erexerat, ut sese sine dissimulatione diligerent, honore certatim prævenirent; voluntates proprias relinquentes, alienis subservirent; commoditates suas postponendo, alienas complerent; & omnimodis fraternis miseriis condolerent.

præscribit labores in silentio peragendos,

2 Thess. 3, 10

B

inserit animis humilitatem

& caritatem.

ANNOTATA.

a Robertus de Moteja *inter testes habetur in donationibus, Tyroniensi monasterio & Nongentensi S. Dionysii factis. Erat ejus dominium in loco* de Monteja *vulgo* les motais, *in parochia* de Culdreia *vulgo* Coudray; *haud procul Nongento versus Meridiem. Consule Souchetum.*

b *Vulgo* S. Lubin de Chassant *haud procul Tironio: quam parochiam dictus Robertus de Moteja, & Gaufridus ejus filius, dimiserunt Gaufrido Episcopo Carnotensi, qui dedit Tironensibus monachis. Colitur S. Leobinus Episcopus Carnotensis 15 Septemb.*

C

c *Willelmus Malmesburiensis lib. 1 de Vita Henrici I Angliæ Regis, cum de B. Roberto de Arbrissello egisset, hæc de Bernardo addit:* Alter famosus paupertatis amator, in saltuosum & desertum locum, relicto amplissimarum divitiarum cœnobio, cum paucis concessit: ibique, quia lucerna sub modio latere non potuit, undique multis confluentibus, monasterium fecit, magis insigne religione monachorum & numero, quam fulgore pecuniarum & cumulo.

d *In supracitata Vita B. Roberti num. 13 indicatur fuisse discordiam gravem, inter Iuonem Episc. Carnotensem & Bernardum seu Bernerium Abbatem Bonæ-vallis; ob quam* Robertus, consecrato sibi Bernardo Abbate religioso, accurrit Carnotum. *An hic ea occasio, an alia sit intelligenda, nescimus divinare.*

e *Apud Souchetum adjungitur* bobus, *quæ vox deest in nostris MSS. ut videatur carrus a decem hominibus tractus.*

CAPUT XI.

Hospitalitas. Spiritus propheticus. Fama sanctitatis.

91 Quidam ex discipulis viri, noviter monachum professus, admirari cœpit, secum vehementer attonitus,

Cur sequerentur eum tantæ præconia famæ,
quem non videret à morte defunctos excitare, leprosos mundare, cæcos illuminare: minus attendens, quod patratio miraculorum non conferat sanctitatem vitæ, sed operatio lucis atque justitiæ. Qui dum per longioris spatium temporis ab hac cogitatione non quiesceret, sed vitæ illius sedulus explorator existeret, quadam nocte

Grandem lanternam, radianti lumine plenam,
A nullo ferri vidit, nulloque referri,
Bernardi gressus ducentem sive regressus.

Noctu videtur ambulare,

Enimvero consuetudinis erat illi, *a* numquam ante se lucernam vel à se vel ab aliquo deferri: & cum à nobis moneretur, cur sibi lumen in noctibus deesse permitteret; respondebat, quia, sicut & nos, omnium ostiorum domus aditus cognosceret. Quapropter ille perscrutator

a lucerna, quam nemo portaret, prælucente.

Talem vel tantam stupuit mirando lucernam:
& quam citius in crastino potuit, quod viderat viro Dei exposuit; & qualiter vitam illius eatenus dijudicasset, confiteri non erubuit. Sanctus vero Bernardus, quod oculi ejus falli potuerunt, asseruit; & ne ulterius super hac re falleretur, interminando prohibuit. Patet nimirum quod Dominus per lanternā, itinerantibus luminis bajulam, designare voluit, operum sui Confessoris lucentem copiam, sequentibus illum omnibus præviam.

E

29 Hospitalitatem vir Domini Bernardus adeo studiose omnibus adventantibus exhibebat, ut neminem ab hospitio excluderet; & monachos suos, ut omnes susciperent, edoceret; divites, pauperes, claudos, debiles, infantulos, mulierculas, leprosos, quoslibet morbidos, nullum sexum, nullam ætatem excludebat; sed omnino omne genus hominum in hospitium colligens, omnibus necessitatibus eorum, in quantum poterat, occurrebat, & quanto magis pauperes erant, tanto eis libentius serviebat: victualia ac lectisternia, in quantum facultas illi suppetebat, hilaris dator præparabat. Panem forte multotiens, qui ante Fratres in refectorio positus fuerat, quia alium non haberet, à mensis excipiebat; hospitibusque suis gaudenter apponebat. Omnia omnibus sua faciebat communia, & etiam ut hospitum equos ferraret, suos aliquotiens deferrabat. In asperrima quoque hieme, sibi non superflua indumenta multotiens subtrahebat, quibus pauperum nudos artus misericorditer induebat. Nemo ab eo egentium reversus est vacuus. Spoliabat suos, ut ignotos vestiret, & cunctis succurreret. Quotiens esse debitor voluit, vel quotiens hac de causa ipse nudus sola tantummodo obumbratus cuculla remansit; solus ille, quem nulla latent, novit. Nemo plus dedit pauperibus, quam qui sibi nihil reliquit. Et cum tria sint sine sanguinis effusione martyrii genera, castitas scilicet in juventute, abstinentia in abundantiis, largitas in paupertate; quia jam de duobus in Aquitania triūphaverat, ut de tertio quoque palmam obtineret, in Francia quotidie Martyr erat. Quia quamvis nimia paupertate afflictus, quæ habere poterat sibi suisque subtrahens, pauperibus & adventantibus erogabat. Hinc & consuetudo ab illo data & instituta *b* usque hodie in monasterio nostro retinetur, ut omnes omnino in hospitium colligantur; & eis ciborum atq; lectorum, in quibus facultas suppetit, necessaria subministretur.

omnes cujuscumque conditionis excipit:

Panem è mensa Fratrum ablatum donat;

F

in frigore vestes sibi detractas offert;

ipsa in paupertate largus:

b

93 Nemo,

A 93 Nemo, Deo teste, mortalium magis illo nostris temporibus caritatis atque largitatis virtute claruit: nemo attentius hospitalitatis ac humilitatis studia tenuit, nemo magis carnis suæ curam postposuit. *ab omni commoditate in morbis abstinet,* Tanto namque rigore abstinentiæ seipsum afflixit, quod numquam corpus suum pharmacorum auxiliis, numquam sanguinis diminutione, numquam balneorum frequentatione curaverit; nec etiam, ut membra sua refoveret, postquam monachus professus est, ad ignem resedit. Vi etenim febrium, dum juvenis esset, gravissima detentus, nec per unius diei spatium conventum deseruit. Deinde jam senex, casu accidente, unius costæ fracturam perpessus, ob hujus tamen infortunii relevationem, nullam sibi medicinam exhibuit: sed nec alicui quod talia detrimenta pateretur, donec sanitatem recuperasset, indicavit. Refectorariorum negligentia, quod in mensa illius aqua minime poneretur (tali etenim *etiam ab aqua potu,* poculo utebatur) multoties contigit: & ita per tres dies aut quatuor sine potu comedebat, nec alicui, quod sibi pocula deessent, innuebat. Majoris namque abstinentiæ & afflictionis tormentum, quo se afficeret, invenisse gaudebat; & ministris ob hoc sese accusantibus, ne de talibus deinde loquerentur prohibebat. B Si igitur quorumlibet parsimonia, qui illa tantum quæ inebriare poterant postponebant, admiranda cunctis proponitur; quid Bernardo, qui ab ipsa se aqua abstinebat, dignum conferetur? Da mihi aliquem à lautioribus cibis se continentem, pane hordeaceo contentum; do tibi Bernardum crudis herbarum radicibus se utcumque sustentantem multotiens, & in ipsis perparcum. In conventu semper & cum Fratribus comedebat; & sicut sede discipulis, sic abstinentiæ virtute præeminebat. Quælibet [gustus] irritamenta, quæ cunctis generaliter communia non essent, sibi ministrari nullo modo permittebat: imo à quibusdam, quibus alii vescebantur, abstinebat.

94 Quod suo Confessori Bernardo divina gratia spiritum prophetiæ contulerit, liquido demonstramus, si de multis, quæ prophetico spiritu cognoverit, vel pauca referamus. *novit in spiritu quemdam furto patrato, fugam meditari,* Erat quidam monachus in monasterio ipsius, Vitalis nomine, Sacerdos ordine; qui de rebus Fratrum furtum commiserat, proponens in animo, quod ad secularis vitæ vomitum reverteretur, quem deseruerat: qui dum quadam C nocte cum psallentibus in choro astaret, subito corruit. In crastino vero dum Fratres sciscitarentur ab illo, qua de causa tam ignominiose ceciderit; Quia somnus se compressisset, atque se dejecisset; respondit. Sanctus autem Bernardus è contra inferens, Frater, non est ita, inquit, ut asseris: sed revera hac in nocte dæmonem conspexi, qui tibi horrificus insurgens hunc casum intulit; & nisi citius à *eumque incitat ad pœnitentiam;* perpetrato facinore per confessionem conscientiam tuam purgare studueris, & à proposito malæ voluntatis, qua adhuc irretitus es, resipueris; ad deteriorem te lapsum impellet.

O vir mirandus, & præcipue venerandus,
Cui mens non celat, quod non sibi lingua revelat;
Cernit & affectus monachi simul & meditatus,
Actus transactos manifestans atque furores:

cui larvales formę panduntur dęmonum, qui peccata cognoscit hominum, quem secreta non latent cordium. Et revera, sicut idem prædixerat, non post multum temporis, ut ipsi vidimus, ita illi contigit: *sed frustra,* quia monasterii deserens habitum, ad pristinam pravitatem rediit; & concubinæ, qua, priusquam monachum profiteretur, abusus fuerat, iterum per quinquennium adhæsit.

95 Jam igitur sancti viri fama quotidie magis ac magis increbrescens, alarum suarum velocitate insignia virtutum illius per mundum deferens, ita eum auditoribus depingebat, ut illius staturæ mensuram diceret; & simplicis vultus lineamenta, in quo morum bonitas, pietas innocentiæ, animi mansuetudo, ut in sigillo suo apparebat, describeret; rigoremque abstinentiæ ac sanctitatem vitæ, annositatem longævitatis, canitiem capitis designaret; & ita designando, eum absentem quasi præsentem ante oculos eorum demonstraret; & sic notum & amabilem omnibus faceret. Unde factum est, ut non solum Gallicanæ regionis partes proximas impleverit: verum & Burgundorum, c Alanorum, Aquitanorumque ultimos fines pertransierit: sed & Britannorum, & Normannorum Anglorumque metas obtinuerit, & ad Scotorum Albaniam usque pervenerit: sicut rerum ipsis effectibus postea patuit. Nam de istarum omnium regionum finibus, multi ad eum properabant, ut illius, quem jam sibi fama notificaverat, præsentiam corporalem cernerent, ac salutaris doctrinæ monita ab ipsius ore perciperent, & insignia virtutum suarum per seipsos cognoscerent. Quorum quidam monasterio illius, in rebus mobilis pecuniæ, multa beneficia impendere curabant: aliqui vero, quia illum secum in finibus suis præsentem habere non poterant, de monachis ejus duodenos assumentes, in territoriis suis eis monasteria construebant. E

96 Quorum unus Henricus Rex Anglorum Duxque Normannorum extitit, qui transmissis duobus excellentissimis d Principibus, Theobaudo scilicet Blesensi Comite atque Rotroco Particensium Consule, magnis precibus exorabat, quatenus idem Domini famulus usque in Normanniam veniens, sibi corporis præsentiam exhiberet; excusans se quod propter diversorum accidentium insperatos eventus, finium suorum metas excedere non auderet. Quo annuente, mox ut eum Rex vidit, manus utrasque ad cœlum porrexit, atque ipsius inhabitatori, Christo videlicet, immensas grates retulit; datisque sibi mutuis amplexibus, eum debita cum honorificentia suscepit. Cujus post auditam competentem doctrinam, quamplurima donaria obtulit: insuper & quindecim marchas argenti monasterio suo, unoquoque anno perpetualiter habendas, dedit. Præ nimia quoque amoris dulcedine, quem ad Christi Confessorem deinceps habuit, intantum monachos illius quoad viveret dilexit, ut unoquoque anno, præter redditum quem diximus, eis sexagenas aut quinquagenas marchas argenti, vel eo plus minusve transmitteret; & ut religio institutionis illius non declinaret, diligenter admonuit. F Nostri etiam dormitorii ædes faciendas suscepit, quas multis expensis pecuniis Regia magnificentia consummavit.

97 Sed & Rex Francorum e Ludovicus, eodem quo supradictus Rex accensus desiderio, postquam cum eo colloquium habuit Cintreiacum territorium, quod hodie usque possidemus, pro munere contulit. Successoribus etiam suis post ejus obitum maximam reverentiam exhibuit, ita ut ab eis liberos suos, f Philippum videlicet ac g Ludovicum, postea Reges, sacro de fonte suscipi vellet; atque in monasterio nostro usque ad diem mortis suæ innumera beneficia conferret. Theobaldus, cujus superius mentionem fecimus, exceptis duabus cellis, quas eo vivente nobis construxit, tot & tanta nostræ ecclesię post ipsius excessum ornamenta aliaque donaria contulit, ut præ multitudine numerare fastidiosum sit. Habitationem etiam infirmorum satis idoneam de proprio fieri fecit.

98 Si vero de ceteris, qui ad eum visendum de diversis regnis ac regionibus confluxerunt, eisque plurima donaria atque territoria contulerunt, atque cellas

AUCTORE GAUFRED. DISCIPULO EX MSS.

Ob famam sanctitatis longe lateque sparsam

etiam ex Anglia & Scotia advenientes instruit,

rogatus, Henricum Regem Angliæ adit:

ab eo redditus annuos accipit:

invitatus Regem Franciæ adit, & ab eo munifice honoratur.

accipit varia dona à Theobaldo

AUCTORE GAUFRED. DISCIPULO EX MSS.

cellas construxerunt, solique Deo cognita beneficia impenderunt, ut verbi gratia de *h* Guillelmo Duce Aquitanorum, de Fulcone Consule Andegavensium, exhinc Rege Hierosolymorum, de Roberto Comite Glocestrium, de Henrico Consule *i* Nivernensium, de Guidone Juniore Rochefortis Comite, de Guillelmo Consule Varvanicensium, de Roberto filio Martini, de *k* Guichardo Bel-jocensi, de *l* Gaufrido Castridunensi Vicecomite, de Giraudo Berlay, de Britio de Chillo, atque de multis aliis singulatim tangere velimus; non ab hujus operis implicatione brevi relatione expediri poterimus. Quorum aliqui prius quas construxerant cellas, post excessum viri Dei, ob ipsius reverentiam, amplioribus fiscis atque redditibus nec non territoriorum possessionibus eo usque dilatarunt, ut eorum petitione devicti, Abbates ibidem imponeremus; tali tamen conditione, ut tam ipsi quam illorum successores nostris jussionibus per omnia obtemperarent; à nostris consuetudinibus in aliquo non declinarent; sed eodem tenore quo Priores antea cellas rexerant, nostrarum ditionum legibus & institutionibus ex toto subjacerent.

h & aliis primis Principibus, *i k l*

qui varias Abbatias erigunt, huic subjectas.

B

99 Per idem tempus *m* Robertus quidam, genere nobilissimus, sanctum virum ab Oceani partibus adiit, atque tredecim ex ipsius discipulis secum assumens, Normannicos Anglicosque fines pertransiit, & ad ultimas *n* Galensium regionum metas perveniens, in littore maris Hiberniæ juxta Tevi fluvium, prius quidem cellam; postea vero totidem cum Abbate impetratis monachis, pacto quo diximus, cœnobium omnibus usualibus aptum composuit. Sub eadem tempestate *o* David Lothoniensium atque Nohantoniensium, postea vero Rex Scotorum, beatissimi Patris nostri adhuc viventis meritorum insignia, fama referente, comperiens, per internuntios strenuissimos non modicam discipulorum illius congregationem ad se usque perduxit, & in Latonia, quæ ab uno latere Scotorum Albaniam contingit, ab altero vero latere Nordanhumbriæ finibus jungitur, eis cœnobium juxta *p* Tuydam fluvium situ congruo fabricavit, quod amplis possessionibus atque redditibus sufficienter ditavit. Enimvero postquam hoc fecerat virum Dei ardenter videre sitiens, ab Arctois oris iter arripuit, & multarum regionum interjacentium finibus transactis, Britannici maris emenso spatio, Normanniæque provinciis transcursis, Tironium usque pervenit. Sed quia sanctus Pater ad superos jam decessisset, illum ut optaverat videre non potuit. Verum ne tanti viri curiæ vacuus vel ingratus appareret, postquam, Regiæ dignitatis posito supercilio, flexis genibus sepulturæ ipsius debita cum reverentia se præsentavit, monasterium quod jam fundaverat amplioribus fiscis atque territoriis dilatavit, atque duodecim monachos cum Abbate ordinis & lege præmissa impetratos, præter illos quos jam habuerat, secum assumens, longissimæ itinerationis confectis laboribus, tandem regni sui provincias attigit.

m alii monachi in Walliam traducti, *n* *o*

aliis in Scotia novam Abbatiã erigit David Rex, *p*

C

qui Tironium veniens, Bernardum mortuum reperit

100 Quorumdam nomina Regum, Ducum, Consulum, Nobilium, qui virum Dei Bernardum videre, atque ejus monasterium suis augmentare possessionibus curaverunt literis adnotavimus; sed præ multitudine pauca de multis excerpendo perstrinximus. Revera etenim, si cunctos, qui in diversis regnis cellas ei construentes nostrum monasterium amplificaverunt, huic Scripturæ intexere voluerimus; libellus modum excederet, & non dico fastidiosus, Verum studiosus lector fastidium incurreret. Quis etenim *q* centum cellarum, quas ecclesia nostra, antequam hic libellus componeretur, habuit, ædificationes nominatim exprimeret? Quis tot locorum aut territoriorum situs, in quibus eas possidemus, & nostratibus inaudita vocabula nominando designaret? Quis tantæ prolixitatis volumina, si talia scriberentur, quæ tamen narrationis series describi expeteret, legendo revolveret?

q

D

Centum ei subjecta monasteria.

101 Adeo quoque prædictus Dei famulus compassionis affluebat visceribus, ut si quis ei grave facinus confiteretur (veniebant etenim ad eum ob istiusmodi causam quamplurimi) ita se afficeret, ac si ipse ipsum facinus commisisset, ut & reum suis fletibus ad lacrymas commoveret. Tantam namque ei Spiritus sancti gratia, suæ dulcedinis infusione, constantiam contemplationis orationisque contulerat; ut in harum assiduitate maximam diei & noctis partem consumeret, tantaque in ipsis redundantia lacrymarum afflueret; ut si quis ejus vultum vellet aspicere, quasi duos rivulos ex oculis ipsius videret emanare. Dulcifluus etenim gustus divinæ suavitatis, stillicidio torrentis voluptatis Dei eum irroraverat, atque superiori irriguo terram cordis ejus fœcundaverat, & sic ad Deificæ beatitudinis desiderium sublevaverat. Et quia vel ad momentum à præsentia illius aberat, præ nimio dolore lamentis sese propriis cruciabat; atque ita, si levia commisisset peccata, plangebat, ut illum gravissimorum criminum crederes reum. Vitæ quoque præsentia tædiis mens ejus affecta, prolongationem sui incolatus vehementer deflebat: & quoniam reprobos, more phrænetico lætantes cum male faciunt, & in rebus pessimis exultantes conspiciebat; illorum perditionem fraterna pietate deplorabat.

Defectus aliorum, ut suos deflet,

in contemplatione irrigatur lacrymis,

E

aspirat ad cœlestem patriam;

102 Et quia redundantia gratiæ tanto affectu & assiduitate mentem illius conjunxerat divinæ menti, ut ait Apostolus, Qui adhæret Domino unus spiritus est; facies ejus, hujusmodi conjunctionis formam trahens, Angelici aspectus in seipso similitudinem præferebat. Videbatur enim illum aspicientibus, quod ei vultus Angelicus inerat, & quod facies ipsius cujusdam claritatis suavitate resplendebat; præsertim cum sacrosancta Missarum solennia celebraret, tanta tunc maxime lacrymarum exundabat affluentia, corporali sui Creatoris permotus præsentia, ut etiam perlate madida imbre lacrymarum ipsius indumenta sacerdotalia fierent. Si vero monachos benediceret, seu defunctorum Fratrum Officium perageret, vel aliquem discipulorum ad longinquas regiones transmitteret; fraternæ pietatis perfusus visceribus, non poterat abstinere quin fleret, suisque fletibus alios ad lacrymas excitaret.

1 Cor. 6. 17.

vultu Angelico apparet

maxime cum Missam celebraret:

F

103 Nec mirum si tam larga ei inerat effusio lacrymarum, cui Spiritus sancti gratia omnium contulerat incrementa virtutum. Tanta namque vigebat prudentia, ut quæque cogitaret quæque ageret, ad rationis normam universa dirigeret, ac nihil præter rectum vellet vel faceret, humanisque actibus, tamquam divinis arbitriis, provideret; mundumque istum & omnia quæ mundo insunt, divinorum contemplatione despiceret; omnemque animæ cogitationem in sola divina dirigeret: non quasi in elatione proficeret, sed quasi sola nosset, & hæc, tamquam nulla alia essent, mente conspiceret, & quadam humanorum fuga solis se divinis insereret. Ex qua virtute sibi gignebatur ratio, intellectus, circumspectio, providentia, docilitas atque cautio. Fortitudo etiam illum adeo corroboraverat, ut animum illius supra omnem infortunii metum ageret, nihilque nisi turpia timeret; adversa vel prospera fortiter toleraret; minimeque corporis & animæ dissolutionem exhorreret; desieratque ejus jam virtus fortitudinis vitia non vincere, sed ignorare, ut irasci jam nesciret, nihilque cuperet. Præstabat autem ei fortitudo magnificentiam, magnanimitatem, fiduciam,

excellit prudentia,

fortitudine,

A duciam, securitatem, tolerantiam, firmitatem, atque constantiam.

104 Temperantia quoque sic illum modificaverat, ut nihil pœnitendum appeteret, in nullo legem moderationis excederet; sub jugo rationis omnia redigeret, quæ corporis usus requirit, in quantū natura patitur; [rationi] omnia postponeret; nec jam terrenas cupiditates reprimeret, sed veluti quadam oblivione illas ex se penitus deleret: unde procreabatur sibi modestia, verecundia, abstinentia, castitas, honestas, moderatio, pudicitia, parcitas atque sobrietas. Sed & justitia intantum sibi illum devinxerat, ut unicuique quod suum est redderet; & ad unam sui propositi hujus viam, uniuscujusque virtutis obsequium reflecteret; ita mentis suæ intentionem cum divina mente sociaret, ut illam imitando cum ea perpetuum fœdus iniret: ex qua nimirum sibi virtute proveniebat innocentia, amicitia, concordia, pietas, religio, affectus atque humilitas.

temperantia,

justitia.

ANNOTATA.

a Nonnumquam *habent MSS. nostra, & alia apud Souchetum: apparet,* non unquam, *esse legendum, sive* numquam.

B b *Addit Souchetus* usque hodie *ad sua tempora, id est ad annum* 1649, *idem fieri in dicto monasterio.*

c *Ita MSS. cum Soucheto, mallemus legere* Catalanorum, *qui erant trans Pyrenæos Aquitaniæ proximi ad ingressum Hispaniæ: aut* Alamannorum; *qui pro Germanis à Francis habentur, & Burgundis vicini erant.* Nam Alani; *qui olim in Gallias irruerant, & inde in Hispanias transierant, jam nullam tunc inibi incolebant regionem, nec nomen eorum uspiam supererat, nisi, ut diximus in Gottalania seu Catalonia appellationem conversum.*

d Principes *dicuntur; quia* Theobaudus *Henrici Regis nepos erat, ex sorore ejus Adela, de qua num.*91 *actum: & Rotrocus ejus gener erat, ob filiam ejus Mathildam in uxorem acceptam. Regnavit Henricus ab anno* 1101 *usque ad an.*1135.

e Ludovicus Grossus, *vi dictus, regnavit ab anno* 1108 *usque ad annum* 1137.

f Philippus, *vivo patre in Regem coronatus an.* 1129, *& lapsus ex equo anno* 1131 *mortuus.*

g Ludovicus Junior, *fratre mortuo, in Regem coronatus est* 1131 *anno ætatis* 10; *& patre defuncto, regnavit usque annum* 1180.

h *De his legendus Souchetus: de Guilielmo Aquitano & Fulcone supra actum. Robertus Glocestrensis erat filius naturalis Henrici Regis Angliæ:* Guido Rochefortensis, *Rufus dictus, anno* 1110 Hierosolymitanum iter susceptutus; commendans, *inquit*, meipsum in orationibus piissimi Patris Bernardi Abbatis Tironii, & ejus conventus, dedi illis unam molam *&c.*

C

i *Souchetus contendit hic suborium errorem, &* Henricum *dicendum* Consulem Warvamensium *sive* Warwicensium *in Anglia. & mox secutum* Guilielmum *fuisse* Consulem Nivernensium, *de quo num.*36 *actum.*

k Guichardus de Bello-joco *aliis vulgo* Beaujeu *Lucianam filiam Guidonis Rufi Rochefortensis, desponsatam Ludovico Grosso Regi, duxit uxorem, teste Ordorico lib.* 8 *ad annum* 1108. *Petrus Cluniacensis lib.*1 *Miraculorum cap.*27 *indicat* in Matisconensi diœcesi Bel-jocum castrum *esse, ubi Guichardus monasterium* Jugum-Dei *prope Villam Francam, ad Rhodanum construxit, de quo infra agitur num.* 125.

l *Diplomata donationum factarum à* Gaufrido, Giraudo & Britio de Chillo *refert Souchetus.*

m *Hunc esse* Robertum filium Martini, *cujus antea fuerat mentio, probat Souchetus ex diplomate Henrici Regis, confirmantis* monachis de Tiron donationem, quam Robertus filius Martini in Wallia largitus est.

n Galensium *pro* Walensium *seu* Walliæ *regione dicitur, ubi hic memoratus* Tevi fluvius *separat Cardiganense Comitatum à Penbrochiensi, & dein in mare Hibernicum influit. Souchetus inter Abbatias subjectas, refert aliquam* S.Mariæ de Carmeis, in Wallia & diœcesi Menevensi seu S.Davidis.

AUCTORE GAUFRED. DISCIPULO EX MSS.

o David *Malcolmi, Regis Scotorum & S. Margarita Regina (de qua agendum* x *Iunii) filius, tempore fratris Alexandri I Regis duxit Mathildem uxorem, per quam (si Ioanni Leslæo & aliis Scotis credendum) factus est, heres Northumbriæ & Hundintoniæ. Mortuo Alexandro fratre anno* 1121 *creatus Rex, vixit usque ad annum* 1151.

p Twida *seu* Tweda *terminus est hodiernæ Angliæ & Scotiæ. Hinc* Latonia *tunc comprehendebat hodiernam* Lothianam *&* Marciam, *Scotiæ provincias ad mare Germanicum.*

q *Hisce cellis seu cœnobiis videntur includi, quæ num.* 82 *dicuntur à B Vitale constructa, & postmodum B.Bernardo subjecta. Inter proprias filias Savigniacenses fuit tertia Abbatia de Furnesio in Anglia, quæ in Monastico Anglicano pag.*704 *dicitur* de ordine Savigniacensi, id est Tironensi sub regula S. Benedicti *fuisse; & de qua pluribus* 17 *Martii ante Acta S.Patricii num.*21.

E

CAPUT XII.

Morbus extremus: duplex ad suos exhortatio. Extrema Sacramenta sumpta.

105 Bernardus igitur, velut nardus odorifera; quæ non fortuito, sed, ut reor, summi Dispositoris providentia, vocabuli ipsius litteris invenitur expressa; tantarum fragrantia virtutum, mundanæ pravitatis languoribus suavissimi ferebat odoris spiramina; quasi fumi ex aromatibus myrrhæ & thuris per hujus vitæ desertum ascendens virgula, aut velut universi pulveris pigmentarii congesta copia. Sed imminente termino, quo humani generis Creator & Redemptor, suorum munificus agonistarum Remunerator, tot tantisque laboribus ejusdem finem vellet imponere, ad inæstimabilia stipendia, *a* undecimo hujus Resurrectionis die, corporis invitatur molestia. Quid plura? De divina nihilominus præsumens clementia, quippe quem fidentem reddebat mens totius puritatis conscia, Dominico (cui cum discipulis intererat nocturnali tempore) dimisso servitio, solus Ecclesiam egreditur, claustrique portam ingressus, nullo accersito solatio, proh dolor! morbo cogente prosternitur, & in gravissimam incidit invaletudinem, imo quod optabat invenit, ut nos amodo desereret. Nonnulli autem nostrum exanimati, quod chorum psallentium non rediens deseruerat, eo quod tale quid antea solitus non fuerat; sequentes eum huc illucque quæsierunt, & in præfato loco decubantem invenerunt. Canonicas etenim Horas, tam diei quam noctis quælibet secularis causa alicujusve potentissima persona, licet hac frequentissime quoad vixit inquietaretur, non abstulit, sed nec aliqua corporis molestia tardiorem reddidit; hanc solam excipe, qua felix felicem cursum complevit. His namque primus, vel inter primos, quousque consummaretur, semper interesse summopere satagebat; sicque ceteros plus exemplo quam terrore, ad sui imitationem, debita paternitate provocabat. Qui alta cordis trahentes suspiria eum in ædiculam è regione sitam deduxerunt, animo volventes quæ postmodum contigerunt.

In ultimum morbum incidit XI die Resurrectionis,

A

tempore nocturnalis officii,

F

cui & aliis psalmodiis semper intererat:

ducitur in proximam ædiculam

106 Postremo psalmodia de more peracta, monachorum turba, tanti præsentia patroni in proximo viduanda, lacrymosis eum & inconsideratis gressibus hinc inde circuiens, quærebat: quem quia ad votum invenire nequibat, irremediabiliter flebat. O in-

lugentibus monachis,

AUCTORE GAUFRED. DISCIPULO EX MSS.

O incomparabili desolatione super hujus morte afficiendum cœtum: pro cujus momentanea, ut ita dixerim, absentia, gravi mœrore percipis concussum! Quid, miserande grex, animadvertisti? Quid ploras, quem necdum amisisti? Quis te dolor percussit? quis te secretorum Dei conscium reddidit? Pastor nondum percutitur, & quo diffugias quæris. Nunc siquidem, quia ad horam abest, lamentaris; sed ut rei certitudo innotuerit, ut opinor, omnino desolaberis. Pastorem tuum collige mortalem esse; mortalitatisque jura nullatenus evadere posse. Corporis itaque viribus aliquantum destitutus Pater sanctissimus, imprimis, ipsa ejus jussione, aliorum manibus in Capitulum adducitur, filiosque suos inconsolabiliter lamentantes, virtute qua potuit alloquitur, & eorum fletus exornatis ac rationabilibus argumentis moderari conatur. Divinæ eos dispositioni, ob dissolutionis suæ dolorem, contraire ostendebat: sed illorum vis amoris ac doloris rationum legibus reprimi non poterat. *adductus in Capitulum*

107 Tamen utcumque luctisonis repressis gemitibus, his verbis incipit Pater sanctissimus: Noli timere pusillus grex, quia complacuit patri tuo dare tibi regnum. Si enim meæ memores humillimæ paupertatis, quæ vobis ostenderim exempla, quæ tradiderim instituta, his sectas refutando contrarias, sequi volueritis; non tanta me defuncto, gravabimini rerum inopia, quanta vos huc usque, Domino permittente, pressit assidua. Sufficiant ergo vobis, dilectissimi, leges, quas invenistis; altiora ne quæsieritis, & majora ne scrutati fueritis; & illius institutiones Catholicas, cujus vos pro Christo gratis magisterio subdidistis, adnihilare non præsumatis. Ego namque vos, non vos me elegistis, meque non in vestros, sed vos in meos introisse labores, non postponatis. Universa, quæ necdum nisi auditu percepistis, mihi ut experto credite, mihi aurem præbete, mihi ut debetis, mea viscera, incunctanter acquiescite. Non enim pro pane vobis lapidem porrigo, nec pro ovo scorpionem; sive pro pisce, Deo teste, serpentem appono: & licet vos in quampluribus degenerandos non dubitem, tamen quod meum est persolvo. Non ut confundam vos hæc dico; sed ut filios meos carissimos præmunitos reddere satago. Quocirca vel veterani Patris vestri palpitantem admonitionem ex toto ne respuatis; nisi forte ipsius Christi pauperis & pro vobis crucifixi Sacerdotis imitatores [esse] abhorreatis. Si enim ipsi clamanti, Discite à me quia mitis sum, & humilis corde, obtemperare dedignamini, cum non sit servus major Domino suo, vehementer erratis. Vestris necessitatibus absens magis subvenire potero, quam hic præsens in hujus miserrimæ peregrinationis exilio: meque hoc argumento noveritis potentem in cæli curia, si post meum excessum temporalium vos tanta non affecerit penuria. Quanto namque servus ad sui secreta domini familiarius admissus fuerit, tanto validius conservos apud ipsum juvare poterit. *alloquitur subditos:* B *hortatur ut institutiones datas observent:* C *Mat. 11. 29.* *spondet se in cælo protectorem fore:*

108 Desiderabilis exhinc thesaurus, qui in illius ore requiescebat, in commune referatur; superna gaudia, quanta, qualia, quibusve sint præparata declaratur; infernalia quoque tormenta quos maneant, non tacetur; æterna beatitudo, bene quidem inchoantibus promissa, sed non nisi perseverantibus danda, evidenti ratione intimatur; miserationes Domini multæ nec desperandæ suadentur; callida antiqui ac versutissimi hostis machinamenta propalantur; &, ut compendiose colligamus perplurima, nova ac vetera proferuntur; non in quantum poterat facundissimi mens oratoris, sed ut ferre noverat capacitatem lamentantis gregis. Ad extremum ego, inquit, Fratres, animarum vestrarum prospiciens saluti, molestus apud vos forsitan & difficilis extiti: & ideo obsecro vos, ut ignoscat mihi quisquis aliquid dolet: & si severitas nostra modum forsitan transgressa est in aliquo debitum, orate ne hoc mihi Dominus imputet ad peccatum. Cumque talia beato viro lacrymosis singultibus exprimente, cuncti similiter super genua caderent, semper bonum, semper discretum, semper affabilem, & pro omnium salute, prout decuit, invigilasse unanimiter acclamarent; lacrymabili vale dicto Fratribus reducitur, & qui Apostolica eatenus auctoritate gaudere solebat cum gaudentibus; fraterna jam compassione, flet cum flentibus. D *petit veniam si in aliquo offenderit:* *cum flentibus subditis flet:*

109 Enimvero contra spem omnium, Dei misericordiæ prævenientis auxilio gubernatus, ex infirmitate corporis ampliores animi vires capiebat; & tanto abstinentior quanto debilior, de salute perpetua jugiter cogitabat: salutem vero corporis, Domini arbitrio committebat. Dum itaque corpusculum, quod incredibili abstinentia & nimiis contraxerat jejuniis, vexaretur; his solummodo sustentabatur, in quibus sumendis quidam se abstinentissimos putabant, ut cum his etiam ventrem ingurgitaverunt; totam se obtinuisse pudicitiam suspicentur. Cumque aliis languentibus large præberet omnia, nihilque necessarium pro facultaticula denegaret; nunc quod in alios duritiam, in se clementiam computabat. Nullus juvenum sano & vegeto corpore tantæ se dederat continentiæ, quantę iste fracto & senili debilitatoque corpusculo. Cum vero à multis honestissimis personis, quæ undique ad eum confluebant, rogaretur, ut lautioribus sese alimentis recrearet; Scimus, ajebat, ex epulis vitam solere servari, non sanitatem posse conferri. Nam si ut sanetur infirmitas, explenda videtur gulæ cupiditas, quare & illi infirmantur qui conviviis lautioribus quotidie saginantur? *in magna abstinentia degit:* E *lautiores escas non admittit,*

110 Persuadentibus medicis, ut lavacris balnearibus uteretur, Numquid balnea, inquit, facere poterunt, ne homo mortalis, expleto vitæ suæ tempore, moriatur? Si vere proximat mors, nec aquarum possunt eam calidarum fomenta repellere; cur mihi, obsecro, persuadetis, ut rigorem diu servatæ professionis in fine dissolvam? Fateor in hac re pertinacior fuit, ut sibi nec annosus parceret, ut nulli cederet admonenti. Dicat prudens lector pro laudibus vituperationem scribere. Testor Jesum, cui ille servivit, cui & ego servire cupio, me in utramque partem nihil fingere; sed quasi Christianum de Christiano quæ sunt vera proferre: illius vitia aliorum esse virtutes. Vitia loquor, secundum animum ac omnium desiderium, qui illum diligimus, & absentem quærimus. Non mœremus quod talem amisimus; sed gratias agimus, talem quod habuimus, imo habemus. Ceterum ille complevit cursum suum, fidemque servavit, & nunc fruitur corona justitiæ: sequitur Agnum quocumque abierit: saturatur quia esurivit, & lætus decantat, sicut audivimus sic vidimus in civitate Domini virtutum, in civitate Dei nostri. O beata rerum commutatio! Flevit, ut semper rideret; sitivit, ut fontem Dominum reperiret. Sive dolor affligeret, sive febris incenderet, sive lassitudo dissolveret; inter tot corporalis infirmitatis acerrimas passiones, asperrimis subobsitus vestibus, melioribus mutatoriisve nequaquam usus est; ut nunc albis uteretur, & diceret, Scidisti saccum meum, & induisti me lætitia. *aut balneis,* F *Ps. 47. 9.*

111 Tolerabat ergo infirmitatem patienter, exercebat abstinentiam satis humiliter. Parum namque putans omne quod fecerat, de die in diem melior fieri gestiebat: atque inter doloris aculeos, quos mira *morbi dolores patientissime fert*

A mira patientia sustinebat, oblitus ætatis & fragilitatis corporeæ, nec qualibet mollia sibi strata supponi permittebat. Pauperem Dominum ad mortem pauper spiritu sequebatur, reddens ei quod acceperat, pro ipso pauper effectus. Scimus plerosque dedisse eleemosynam, sed de proprio corpore nihil dedisse: porrexisse egentibus manum, sed carnis voluptate superatos, dealbasse ea quæ foris erant, & intus plenos fuisse ossibus mortuorum. At non Bernardus talis, qui in ipso mortis articulo tantæ continentiæ fuit, ut prope mensuram excederet, & debilitatem corporis nimietate jejuniorum ac jacendi rigore contraheret. Hoc cordis ejus propositum miserator & misericors Dominus superni juvaminis adjutorio fulciens, tantam illi constantiam contulerat, quod nec ullum ab eo gemitum igneus stimulus extorquere poterat. Verum ipse crebra transfixione perforatus, ad virtutis cumulum gratias cum lacrymis referebat. Sed quid ago? Narrandi ordinem prætermittens, dum in singulis teneor, ut videtur de multis, non servo præcepta dicendi. Semper virtutes sequitur invidia, feriuntque summos fulgura montes. Nec mirum si

in jejuniis & strati duritie.

B hoc de hominibus loquor, cum etiam Dominus Pharisæorum zelo sit crucifixus, & omnes Sancti æmulos habuerint; in Paradiso quoque serpens fuerit, cujus invidia mors intravit in orbem terrarum. Testor ipsam Veritatem, & sanctos ejus Angelos, ipsum quoque Angelum, qui custos fuit & comes admirabilis viri, me nihil in gratiam illius dicere more laudantium; sed quidquid dicturus sum pro testimonio dicere, & minus esse ejus meritis, quem totus prædicat orbis.

b 112 *b* Quinto itaque incommodi die, in ipso quo decubabat sanctissimus infirmus lectulo, itidem in Capitulo evehitur: ante venerandum Crucifixi vultum beatus Crucicola demittitur. Exinde coadunatos tirones, inconsolabiliter lamentantes, Advocatique sui erectis auribus extremam admonitionem sitientes, emeritus adorsus; quia ex abundantia cordis os loquitur; quæ inter primas primatum virtutes obtinet caritas, per quam maxime ad procinctum fidei quisque convocatur; imprimis conservanda ab eo sagaciter antefertur. Quia enim non est discipulus super magistrum (quod Christus ad Patrem regressurus summopere retinendum, pridie quam pateretur, valedicendo suis sequacibus innotuit) ne beatus Christicola vel in aliquo ab eo, cujus vices agebat, aberrare videretur, illud idem de mundo discessurus; debita paternitate, quibus debuit, prout decuit, intimavit. Quaslibet virtutes evacuandas præter hanc, ac prorsus destruendas authenticis instruit imbumentis: hanc vero, multitudinem cooperire peccatorum, hanc Deo militantium certius signaculum, hanc divinorum summam consistere præceptorum; testimoniis asseverat perplurimis: hacque sola Christi discipulos ab Antichristi complicibus secernendos. ipsius Veritatis fultus oraculo, astipulatus pro viribus sententiis, luculenter peroravit.

die 5 morbi iterum delatus ad Capitulum,

inculcat dilectionem,

C

113 In hoc solo, inquit, cognoscent homines, quia Christi sitis discipuli; non si superstitiosarum observatores traditionum extiteritis, sed si dilectionem ad invicem habueritis. Illæ namque non tam ædificationem quam prævaricationem generant: has etiam vobis ideo, dilectissimi, scienter dissimulabam, quia non tam profuturas, quam nocituras non ignorabam; utpote quibus non parvo tempore ipse subjacueram, quosque aliis per nonnulla annorum curricula instanter ferendos imposueram. Et licet quosdam ex vobis ad has anhelanter suspirare minime dubitarem; salubrius judicans ut esset quod fortes cuperent, quam ut infirmi refugerent, nullatenus acquievi multotiens; inutiles [vitans] adinventiones, quibus vos prævaricatores redderem: his inhians, quibus ad pernecessaria, quasi pater filios, proveherem. Ubi enim non est lex, nec prævaricatio.

eamque prefert traditionibus Monasticis.

AUCTORE GAUFRED. DISCIPULO EX MSS.

114 Hujusmodi & simillimis documentis, voce qua potuit solerter instructis, subjunxit: Universæ viam carnis, Domino annuente, ingressurus, aliorum viribus, jam propriis, ut ipsi cernitis, destitutus, vobis, o filioli, valedicturus adveni; vestramque desideratissimam mihi præsentiam adii, quoniam jam delibor, meæque tempus resolutionis instat. Sed nequaquam vos, dilectissimi, absentia nostri mœstificet corpusculi: de hac palæstra alacriter egredi permittite, & ad possessiones sidereas plenas delectationibus pervenire. Lacrymæ, rogo, vestræ convertantur in gaudium. Non enim debetis plangere quasi moriturum, quem cum Christo creditis regnaturum. Verum quia nemo mundus à sorde, nec infans, cujus est unius diei vita super terram; cunctarum excessionum, quas ore, corde, & opere commisi, à lato & inæstimabili misericordiæ sinu, & à vobis veniam posco: quodque cunctis debetur Christicolis, ut mihi reddatis, suppliciter exoro. Præsentibus invisa, absentibus numquam credibilia, hanc vocem sequuntur suspiria.

excitat illos ad gaudium de abitu suo,

E

veniam delictorum poscit:

115 Dehinc sacra est Unctione de more perunctus: atque Dominici Corporis & Sanguinis perceptione munitus, nobis adstantibus quod petierat, impetrato, post lacrymabili vale dicto, gregeque suo summo Pastori non tam verbis quam lacrymis commendato; pius Pastor ad cellam, de qua delatus fuerat, revehitur. Quem discipulorum flens & ejulans turba prosequitur: lacrymosæ voces, flebilibus comitatæ suspiriis, in altum extolluntur: atque se miseros, se orphanos proclamantes, irremediabiliter lamentantur. Heu, inquiunt, decedis, Pater sanctissime, cujus tenore valuimus, cujus vigore stetimus, quo procumbente labimur; quo deficiente prosternimur? Cur nos incipientes deseris? cur necdum collectos dispergis? Quis nostræ desolationis modus? quis dispersionis finis? quis destructionis terminus? In quo modo habebitur vitæ consilium? in quo spes? in quo salus? in quo refrigerium? sub cujus protectione refugium? Quis jam truculentam rabiem luporum, sublato pastore, ab ovium laceratione refrænabit? Quis miseriæ solator? quis utilitatis provisor ultra extiterit?

extremis Sacramentis munitus

refertur ad cellam,

sequentibus monachis desolatis.

F

ANNOTATA.

a *Die 5 Aprilis, anno 1117, ut supra probavimus.*
b *Die 10 Aprilis.*
c *MSS.* In eo cunctis admirabilior, quod magnam vinceret caritatem: *quæ verba, nullum rectum sensum facientia, per conjecturam explicuimus.*

CAPUT XIII.

Reliqua ad mortem præparatio. Revelationes, obitus, sepultura.

116 HÆc & hujusmodi quibusdam illorum vociferantibus, aliis in terram spasmo superveniente moribundis jacentibus; vir pietatis executor, quid mallet, in ambiguitatem ire compellitur; nec enim gregem desolatum deserere, nec à summi

AUCTORE GAUFRED. DISCIPULO EX MSS.

summi boni præsentia volebat diutius abesse. O virum nimia compassione pariter ac supernorum spe irretitum! Sublatis ergo cum manibus sursum luminibus; O totius, inquit, pulchritudinis pulcherrime fabricator Deus, ante quem omne desiderium meum, & cui gemitus meus non est absconditus; nosti quanto desiderii ardore mens mea videre te sitiat, quantove tui amore hujus tædio exilii affecta langueat. Verumtamen si ad tuorum tutelam in agonis adhuc certamine me jubes consistere, non renuo: durosque sudores, quoad usque tibi placuerit, tolerabo. Divinæ itaque voluntatis arbitrio committens omnia, ad imminentis indesinenter felicitatis anhelabat gaudia.

Divino placito acquiescit, sive ad Deum migret, sive adhuc vivat.

117 Porro biduo antequam vir Dei cælicas sedes adiret, quædam matrona, nomine Maria (quæ propter pietatis opera, quibus insistebat, eidem fuerat familiarissima) ante multorum pignora Sanctorum, quæ in turre Castri Novigenti tunc temporis continebantur, honoris gratia de more candelam accenderat, ac coram ipsis prostrata jacebat in orationibus. Huic virgo filia erat, quam Dei famulus, ut Christo consecraretur, à matre petierat. Eadem itaque, sicut præmisimus, orante, præfata pignora ingentem, qua detinebantur cista, strepitum dederunt, ipsamque admodum perterritam reddiderunt. Et hinc videbatur sibi, quod à nostro monasterio usque ad eamdem turrim, quæ tribus ad minus distabat stadiis, dealbatorum monachorum multitudo tendebatur, processionis ad instar procedentium, virumque Dei, Sacerdotalibus insignitum vestimentis, præcedentium. Quæ cum inusitatæ visionis exitum tremebunda præstolaretur, eadem subito turris ita intrinsecus resplenduit, ac si ipsi solis radii in ea concluderentur. Quo splendore paulatim crescente, Domini Confessor Bernardus, matronæ perterritæ, omnem sua præsentia pavorem removens, apparuit, eique dixit: Crastina die tuam tecum filiam adducens ad me, in proximo ex hoc mundo migraturum, propera; pro certo sciens, quod nisi etiam festinaveris, amplius me, carissima, non videbis. Et hæc dicens, comitante cum quo venerat splendore, disparuit.

apparet matronæ Novigenti oranti B *inter dealbatos monachos, invitatque ut ad se veniat cum filia:*

118 Illa vero domum reversa, non sine maxima vicinorum admiratione, per duarum fere horarum spatium permansit velut muta. Tandem sciscitantibus, quid sibi contigisset infortunii, cunctam per ordinem disseruit visionem. Subsequenti igitur die, juxta sancti viri præceptum, comitante filia, quantocius ad eumdem properavit; eique coram eis, qui aderant, Tuis, inquit, obtemperans præceptis, mi Pater, adveni: mecum natam, quam jussisti, adduxi. Bene; senior respondit: nam si paulisper, dilectissima, tardasses, utique insalutata remeares. Volo ergo, ut, quod hactenus distulisti, mihi tuam tradere filiam non cuncteris. Tunc mater, Libentissime, intulit: quodcumque tuæ placet paternitati concedo. Quam postquam, cunctis qui adstabant mirantibus, inter manus suscepit; benedicens eis ad propria remisit. Illa vero non post multos dies, virgineis indubitanter [jungenda] choreis, immaculata quievit; lucemque seculi hujus sempiterna luce, sancti nihilominus viri meritis, commutavit. O funeris gloria, quæ melior habetur quam vita! quia quod terræ surripuit, in cœlum transmisit. Vere, ut ego considero, plus fuit quam resuscitari, sic mori. Certa siquidem salus est, non contaminari peccatis. Quanti cuperent, rebus cum vita traditis, talem transitum comparare, si mercatorem forsitan invenirent!

C *qua ipsi oblata post aliquot dies moritur.*

119 Fatiscentibus itaque membris & appropiante mortis articulo, imperat vir sanctus, Fratres, qui sibi famulabantur, uti fessos artus dormiendo relevarent, eo quod in ipsius excubiis diutius vigilassent: qui humi se utcumque collocantes, dormitare incipiunt; sed ejus vocibus excitati, illum cum quibusdam colloquentem percipiunt. Monachorum namque multitudo cum tanta venit gloria, ut Bernardum morientem mox repleret lætitia. Illi autem erectis auribus propius accedentes, quid vidisset, extorquere conantur. O, inquit, quam immensa eximiæ pietatis viscera! quam benigna ejus clementia! Audieram quidem, Domine, quod qui pro te ad tempus humiliatur in terris, à te sublimetur in cælis: sed nunc tua gratia me certificari æternaliter voluisti, quanta sint jucunditate donati, qui se nostræ submiserunt parvitati. Jucunda servitus, quam tanta merces sequitur! Revera tibi servire regnare est.

D *invisitur à Monachis sanctè mortuis:*

120 Cum his & hujusmodi, de sibi cælitus ostensa visione, applauderet Pater sanctissimus; sic demum intulit cum votis lacrymantibus: Certissime, noveritis, dilectissimi, cunctos hujus ecclesiæ professos, de hac mortalitate ereptos, ineffabili jam gloria donatos, de sua salute certissimos esse, de vestra vero quam maxime solicitos. Ipsi namque dealbati hilaresque mihi, paulo post eis aggregando, nunc apparuerunt; atque ad Dominicam cœnam, cum Christo perenniter regnaturum, invitantes, vobis huc modo appropiantibus: valedicendo recesserunt: quorum corusco jubare solares radii reverberantur, quorum fragrantia balsama superantur, quorum pulchritudine lilia rosæque devincentur. Rursum obortis lacrymis; Quam beatæ, inquit, matres quæ genuerunt; quam beata genua quæ sustentaverunt! quam felices mammæ quas suxerunt! Qui aderant memores cujusdam monachi, de cujus dubitabant salute, sciscitantur, si visus fuisset cum aliis. Negavit dicens; Imo est in tormentis. Itidem inquirentes, si ejus miseriæ aliquis imponeretur finis. Pœnis, ait, atteretur gravissimis. Qui denuo expressius perscrutantes, si vel quandoque aliquam consequeretur veniam; nihil aliud extorquere valuerunt, nisi quod multis cruciatibus afficeretur. De quo quia mentionem fecimus, qualiter vixerit vel obierit breviter intimare dignum judicamus.

intelligit omnes sub eo mortuos esse beatitudinem assecutos, E *excepto uno in tormentis existente,*

121 Hic namque multis implicitus criminibus, insuper nullius sacri Ordinis gradu perfunctus (quod dictu quoque mirum est) multorum annorum curriculo, Sacerdotali usurpaverat fungi officio: & hinc ad Dei virum veniens, habitum monachalem suscepit, nec tamen alicui, quod talia commisisset, detexit. Sex itaque mensibus recursis ad extrema veniens, quod hactenus celaverat, innotuit; benedictionem Coronæ, quam necdum acceperat, cum Viatico accepit, & obiit. Cujus exitum, immutata aëris serenitate, subito terribilia subsequuntur tonitrua, fulgura venerunt terrifica, fit immensa pluviæ inundatio, simul & horrendarum flammarum coruscatio; tantaque fuit elementorum concussio, acsi totus aër rueret illico: nec tamen ab aliquibus visa vel audita est hæc commotio aëris, præter illos qui in nostris intererant habitaculis. Nobis vero sequenti die in Capitulo de more coadunatis; Quam intolerabilis, inquit vir Dei, peccatoribus apud inferos manet tribulatio? cum tanta unius miseri causa apud nos ingruerit elementorum perturbatio. Quanta nimirum istius fuerit infelicitas, tempestatis non tacuit immensitas. Revera siquidem hac in nocte dæmones, miserum per fenestram extrahentes, conspexi, nec non

F *qui absque sacri Ordinis gradu, diu Sacerdotem egerat: in cujus obitu maxima tempestas exorta.*

A non inter eos acerrimum pro ipsius anima confli- *& animã à dæmonibus raptã salute incertum se fassus erat.* ctum conspexi: sed quis altercationis finis extiterit, penitus ignoravi. Talem exitum miserandus sustinuit, qui cum reliquis beatificatus videri non meruit.

122 Porro vir Domini, prælibata certificatus visione, ac debito exhilaratus gaudio, si quid aliud jam loqui cogeretur, mox ad hæc ejus refluebant verba, nec quidquam vix fari poterat, nisi quæ viderat & audierat. Unde quidam astantium, præ cordiali ipsius resolutionis dolore stimulati, in hæc verba prorumpunt: Hæc relatio nobis non cedit in prosperum; Nam nostrum jam abhorrens consortium, ad illorum quos vidit nihilominus anhelat collegium. Tandem discipulos unanimiter ad se *Instruit omnes ad se vocatos,* venire mandavit, quos secundum singularem districtionem ordinum, prout potuit, identidem instruxit. Sacerdotes ceterosque Dei ministros admonuit, ut sic altari deservirent, quatenus ipsimet hostia viva fierent. Adolescentulos, quos susceperat, quosque paterna pietate educaverat, hortatus est, ut virginitatem suam, quasi thesaurum irrecuperabilem, custodirent, & ut inviolata conservaretur sese sagaciter accingerent. Ad extremum B illitteratos commonet, ut quasi pelles & cilicia tabernaculi Domini, purpuram, byssum, hyacinthum à pluviosis procellis protegerent; divinumque, quod administrare nequibant, officium, in exterioribus subserviendo, suum redderent.

123 Hinc per ordinem, dato cum lacrymis pacis osculo, Ipse, inquit, Pastorem vobis amodo provideat idoneum, qui cunctorum benignissimus consolator est dolentium. Torquebantur viscera, & quasi à suis membris detraherentur, cum dolore pugnabant; *c* in eoque cunctis admirabilior erat, quod magna [cruciatum] vinceret caritate. Inter hostium manus, inter diræ mortis acerbitatem, & captivitatis duram necessitatem, nihil crudelius est quam à filiis separari. Nos, nostram viam dolebamus, & invidere potius ejus gloriæ videbamur: hic *inter dolores oculos claudit:* clausis oculis, quasi jam humana despiciens, usque ad expirationem animæ eos non aperiebat. Quid agis pagina? Cur ad ejus mortem venire formidas? Jamdudum compilatores hæc scribentes corrodimur, atque jam dudum prolixior liber cuditur, dum ad ultima pervenire timemus, quasi tacenti- C bus nobis & in illius laudibus occupatis, differri possit occubitus. Huc usque prosperis navigavimus ventis, & crispantia maris æquora labens carina sulcavit. Nunc in scopulos incurrit oratio, & tumescentibus fluctuum montibus præsens innumerorum intentatur naufragium; ita ut cogamur di- *Matt. 8. 25. Ps. 34. 23.* cere, Præceptor, salva nos perimus; & illud, Exurge, ut quid dormitas Domine? Quis enim possit siccis oculis Bernardum narrare morientem?

124 Non multi fluxerant dies, & ecce servum fidelem bonus Dominus requirebat. Accelerabat transitum, qui vocabat ad gloriam: & fessus à laboribus invitatur ad præmia. Superveniente itaque beatæ ac innumeris peroptatæ suspiriis remunerationis hora, quibus ille agricola, fructum pii laboris à munifico patrefamilias percepturus, ab istis præsentis vitæ laqueis ad æterna deberet conscendere regna; membra, felici annositate confracta & incredibili parsimonia penitus emortua, quia carius pauper Christi non habuit, hereditario jure Tironensi ecclesiæ credidit, *cælo spiritum reddit:* cælitus sibi creditum, cælo spiritum reddidit; talique fine sui cursum incolatus complevit. O felix cursus, cujus bravium paradisus!

O felix finis, sequitur quem vita perennis! *AUCTORE GAUFRED. DISCIPULO EX MSS.*
Vita beatorum testis mercesque laborum.

O quam bonum certamen certasti, quam felicem cursum complesti, quam inconcussam fidem servasti, pie Confessor Christi!

Tot rutilans titulis abiisti, non obiisti,
Semper vernantis patriæ conjuncte colonis,
Perpetis ac heres regni Christique coheres:
Quem Syon, urbs pacis placidissima, plena quietis,
Jam fovet & nutrit, nec non sua gaudia pandit.

O quam fidelis, cui proprios labores sudoresque credidisti, quos cum tanta usura jam recepisti; à quo illud desiderabile, illud insigne, illud incomparabile, Euge, audire meruisti. Tibi siquidem, gratissima ipsius voce pietatis, hac in die dictum est: Euge serve bone & fidelis, intra in gaudium Domini tui.

O jam sidereis felix sociate choræis,
Tuæ jucundæ navigationis cursus jam supernæ Hierusalem finibus applicuit: cujus navis anchora, fausto directa gubernatore, spe remissionis, æternitatis portus apprehendens,

Jam maris evasit fluctus, mortisque catenas,
Portus speratam jamque tenet patriam.

E

125 Exinde Pastor extinctus, indumentis sacris, prout ipsius exigebat excellentia, accurate exornatus, atque *a* capulo decentissime palliato superpositus, Sacerdotalibus humeris in ecclesiam, quam ipse fundaverat, est translatus. In qua priusquam sepulturæ traderetur, superfuit tribus diebus totidemque noctibus. *a Corpus in ecclesia triduo exponitur* Cujus obitum quidam ex discipulis, juxta Rhodanum fluvium in *b* Belioacensi commorantes territorio, eadem die subsequenti cognoverunt indicio. Nam de illius barba, dum adhuc viveret, pro Reliquiis detulerant; *b Pili barbæ, existentes in pyxide, mirificum odorē emittunt* quam in pyxide reverenter positam, pro ægrotantium nonnumquam salute lavabant; ex cujus [lotionis] perceptione incolumes remeabant. Illa vero hora, qua Dei servus ab hac vita decessit, ex præfata pyxide tanta mirifici odoris prodiit fragrantia, ac si diversorum aromatum cum ipsa congesta fuissent genera. Qua Fratres illecti dulcedine, rei veritatem uti se habebat animadverterunt, nobisque tanto lumine orbatis fraterna compassione doluerunt. Eadem etiam hora exequias triumphales ejus vidit in Gallia quidam monachus fieri, consistens in Britannia.

F

126 Celerrimis interim alis circumquaque fama volitante, ut compertum est ex hoc mundo migrasse consolatorem hujus patriæ; circumadiacentium civitatum quam maxime condolentes catervatim affluxerunt Sacerdotes & Clerici, Abbates & monachi, Consules & Proceres, & ex omni latere territorii innumera multitudo populi, interesse summopere satagentes memorandis ejus exequiis, [quas] triumphi credebant potius esse, quam funeris. *maximo concursu fiunt exequiæ.* Quem monachorum in eremo latitantem sua cellula tenuit? Quam matronarum cubiculorum secreta texerunt? Sacrilegium putabat, qui non tali viro ultimum reddidisset officium. Nulla quempiam occurrere mora detinuit: non reipublicæ occupatio, non sexus fragilitas, non muliebris pudor, non domestica necessitas; non postremo ullius, quamlibet altissimæ, dignitas administrationis quemquam retinere potuit, quin omnes illuc certatim properarent, quo doloribus dolores adderent, suspiria suspiriis infligerent, lamenta lamentis extorquerent, lacrymas lacrymis cumularent. Festinabant etenim non ad aliquod ridiculosum cum cachinno spectaculum. *c*

AUCTORE GAUFRED. DISCIPULO EX MSS.

ANNOTATA.

a *In aliquibus MSS* bacapulo.

b *De Belioacensi ditione supra cap. 11 litt. K egimus, & hoc monasterium appellari diximus* Jugum-Dei. *De quo etiam agunt Sanmarthani.*

c *Souchetus hic inseruit aliquem sermonem, in quo comparatur cum Patriarchis, Apostolis & Martyribus. Deest hic sermo in utroque nostro ecgrapho, in quo tamen ante num. 128 invenitur hic titulus scriptus,* Sermo. *Deest etiam in aliis MSS. apud Souchetum, qui ex codice Papiriano supplevit, apud quem legi potest. Videtur autem fuisse exordium, cui consequenter subnectebantur sequentia de Bernardi virtutibus Analecta.*

CAPUT XIV.

Analecta de variis in Vita gestis.

Escas sibi soli paratas, miscet communibus. B

127 Si quis audire cupit quam intoleranter portabat, sibi aliquid melius quam ceteris in refectorio apponi; audiat, quid sæpe fecit. Die quadam ingressus coquinam, vas parvulum cum aliis vidit ad ignem coquere; perquirensque cujus esset, novit suum esse, unde non minimum indignatus arripuit, aliisque infundens immiscuit. Post hæc, qui hoc injussus fecerat, Fratrem vehementer increpavit. Item refectionis hora refectorium ingressus, ut pulsaret nolam ad discum accesserat; ibique cernens panem positum aliis candidiorem, clam festinato rapuit, eumque coram *a* sene quodam abscondens, illius sibi panem tulit. Frater quoque refectorarius *b*, aquam in scypho ejus mittere oblitus, sæpe provolvit se ad pedes ejus, culpamque confitens, veniam cum lacrymis postulabat. Quem levans vir Dei mitissimus, benigne consolabatur, dicens: Ne contristeris super hæc, fili: non enim, ut putabas, hoc tua culpa; sed Dei voluntate, omnia disponente, factum est: qui quia novit me non indigere, superfluum duxit, ut mitteres, te suadere. Nemo etiam tam solicite gastrimargiæ laqueos seu jactantiæ curavit evadere: ne enim vanæ gloriæ telo feriretur, quæque sibi apposita prælibabat; neve gula blandiretur, prælibata citius à se rejiciebat.

panem meliorem dat seniori.

aqua non apposita, sitim lubens patitur:

C

128 De infirmis atque debilibus curam solicitus gerebat, maxime vero animarum morbis succurrere invigilabat. Quod autem personarum acceptor minime fuerit, in sibi grata assiduaque pauperum conversatione clarebat: quorum familiaritati, sibi dulcissimæ, se totum indulgebat. Mores omnium, vitam & animos scrutator sedulus exquirere non negligebat: infirmitatum namque animarum magis quam corporum se medicum à Deo missum intelligebat. Illas igitur parvipendens dissimulabat: sed diligenter inquirens animarum languores, iis omnino mederi satagebat; quia de animarum salute super omnia gaudebat, non de Prælationis culmine, ut plures; suas, nedum aliorum animas, parvipendentes. Quid plura? Lux hæc cælestis, quam pro mundi illuminatione, ejus misertus, claritatis clemens Conditor accenderat, in hujus eremi obscuritate latere voluerat: sed omnipotens Deus, cujus consilium manens in æternum, immutat consilia hominum, quia aliter disposuerat, jam ejus radios longe lateque diffuderat; tantique luminis splendore orbem irradiabat.

Medicus animarum industrius,

129 Excitati igitur tam clarissimi viri opinione famosa, diversarum nationum innumerabiles populi properabant ad eum, tamquam ad lumen, sibi in candelabro sanctæ Ecclesiæ à Deo erectum. Quos admirabilis Dei famulus verbi divini gratia reficiens interius, vitæ hujus labilis vanitates & mundanas vecordias declinare præmonebat, dicens, non sanæ mentis hominem esse, qui minima pro maximis, vilia pro pretiosis, transitoria pro sempiternis commutare dubitaret. Dicebat enim fugitivæ brevis vitæ gaudia evanescere, velut somnia; & extremam diem homini insidiari, tamquam hostem; quæ sontes & incredulos in barathrum demergeret, arsuros perpetuo cum diabolo & angelis ejus; Sanctos vero de hujus vitæ exilio amitteret in libertatem gloriæ filiorum Dei. Hæc itaque & consimilia viro Dei proloquente, jam tot illi adhæserant, mundi vanitate relicta, ut de eis bene commutatis non immerito dici posset, Hæc est mutatio dexteræ excelsi. Quid mirum? Ipse namque, juxta quod in Isaia legitur, erat quasi hortus irriguus, & quasi fons aquarum, cujus non deficiunt aquæ. Et ædificabantur in eo deserta seculorum, & fundamenta generationis & generationis suscitabat. Jure ergo vocatur ædificator sepium avertens semitas in quietem. Habitabat igitur in eremo jam quasi quidam magnus cælestis exercitus, excubando, dum veniat Rex eorum, cum hymnis & laudibus.

D *ut à pecatis homines abducat,*

salubria monendo,

Isa. 58. 11.

E

130 Dicat qui potest, si unquam aut legit aut audivit, in cujusquam hominis pectore tam inauditam caritatis latitudinem abundasse: ego enim non satis admirari sufficio, nedum possem promere verbo. Neminem namque ad se venientem repellebat, nullum secum cohabitare volentem rejiciebat; non cæcum, non claudum, non loripedem, non gibbosum, non mancum; sed omnes pariter sinu misericordiæ dilatato colligebat: viros cum mulieribus, lactentes suos in humeris gestantibus, suscipere non dubitabat: nullus debilis, aut contemptibilis, nullus pauperrimus abiit repulsus. Quod pupilli & orphani audientes, victum sibi mendicando quæritantes, vel aliena pecora per rura pascentes, cohortabantur sese mutuo, dicentes: Eamus & nos ad portum qui recipit omnes. Cumque sedens eorum medius (non pudeat me, Fratres, dicere nec vos audire, quod illum clementissimum Dei virum non puduit facere: nihil enim pudendum duxit præter peccatum) Dicamus igitur: Cum sederet eorum medius, & videret istos loripedes, illos claudos vel semihomines, sive cæcos aut strumosos, seu mancos vel distortos, tacite secum recogitans, in animo dicebat: Hi fortasse sunt illa vilia, quibus Dominus confringit fortia, & talium dicitur fore regnum cælorum. Infirma enim mundi elegit Deus, ut fortia quæque confundat.

maxima caritate quoscumque suscipit:

F

131 Consolans autem eos hortabatur, vitæ brevis incommoda æquanimiter ad modicum tolerare, dicens: Filioli mei, sustinete parumper non deficientes, & confortamini sperantes in Domino, qui numquam derelinquit sperantes in se. Dominus enim solvit compeditos; Dominus illuminat cæcos, Dominus erigit elisos, Dominus diligit justos; Dominus pauperem facit & ditat, humiliat & sublevat; suscitat de pulvere egenum, & de stercore elevat pauperem, ut sedeat cum Principibus, & solium gloriæ teneat: Dominus solus est refugium pauperum, adjutor in opportunitatibus, in tribulatione. Timete, carissimi, Dominum: nihil enim deest timentibus eum; & scitote quia melius est modicum justo super divitias peccatorum multas, qui thesaurizant & ignorant cui congregant eas. Psallite ergo in cordibus vestris Domino, dicentes: Domine, ante te est omne desiderium nostrum, & gemitus noster à te non est

pauperes docet patienter incommoda vitæ justinere:

A est absconditus. Exaudi preces nostras, & educ nos de lacu miseriæ & de luto fæcis. Et absterget Deus omnem lacrymam ab oculis vestris, tristitiaque vestra vertetur in gaudium, & satiabimini cum apparuerit gloria ejus.

132 Tali pane tuos pascebat, O Christe, pupillos iste tuus fidelis servus & prudens, quem constitueras super familiam tuam, ut daret illis in tempore tritici mensuram. Spirituali itaque cibo paupertatis inopiam sæpe temperabat, quæ vehementer, ut supra dictum est, eos nonnumquam opprimebat. Sæpius namque nuntiabatur & panem deesse, infantesque suos victu carere, nec non adventantium turbas adesse, quas venientes de longe oportebat jejunas non dimittere. Quid igitur? Putasne, qui legis fidelissimum Dei famulum, cui panis deerat, & populus pascendus aderat, putas vel ad modicum quasi anxium dubitasse quid ageret? Non dubitavit: non hæsitavit: fides namque ejus mira de Dei largitate præsumere assueverat. Promittebat ergo securus, quod non habebat: quia de Omnipotentis bonitate confisus, se habiturum vere credebat. Si enim aliquando corde solicitus pro turbis affluentibus Dominum rogaverit illud, quod Apostoli cum turbæ properarent ad Dominum, non habentes unde pascerent, rogasse referuntur, dicentes; Domine, dimitte turbas, ut eant in castella & villas emere sibi escas, quia hic in deserto loco sumus; quibus ait Dominus, Vos date illis manducare; Si, inquam, aliquando multitudini diversorum undique affluenti non dissimiliter compatiens, Dominum rogaverit corde contrito, dicens, Domine dimitte eos, ut eant ad ditiora loca, ubi habere possint necessaria, quia hic in deserto & arido loco sumus: continuo intellexit Dominum sibi divinitus inspirando suggerentem, quod ait Apostolis: Tu da illis manducare.

& eorum inopiam sublevat:

Matt. 14, 15

B

133 Fiducialiter igitur invitabat omnes ad prandium, qui cæli terræque Conditorem habebat dispensatorem. O ter felix anima, templum Dei Patris, sedes Sapientiæ, requies Spiritus Sancti, mansio Sanctissimæ Trinitatis! Credere fas est, quia divina gratia, quæ te inhabitabat, ea quæ factura per te erat, antequam fierent tibi revelabat. Qua enim mente, qui panem non haberes, adventantes totiens ad prandium invitares, nisi cito adfuturum Domino procurante oculis spiritualibus considerares. Igitur qui dat jumentis escam ipsorum, & pullis corvorum invocantibus eum; putas daturus non esset militi suo stipendium, suisque commilitonibus? Dabat equidem, & ita affluenter, ut mirarentur omnes, maxime autem increduli & infideles. Contingebat namque per sæpe fieri, quod semel factum est temporibus Elisei. Clausa ut legitur in libro Regum obsidione Samaria tenebatur; sed gravius fame afflicta periclitabatur. Condolens ergo Rex civibus inopia deficientibus, venit ad Eliseum; qui non ignorans caussam adventus ejus, mox ait illi, Audi verbum Domini: Cras, inquit, eodem tempore in porta Samariæ, statere uno modius similæ, & duo modii hordei statere uno. Cui unus de Ducibus, super cujus manum Rex incumbebat, incredulus verbo ejus respondit: Si Dominus etiam cataractas in cælo faceret, numquid hoc esse posset, quod tu loqueris? Videbis, inquit homo Dei, oculis tuis, & non inde comedes! Haud aliter nonnulli, agitati curiositate videndi, accedebant ad virum Dei, redarguentes eum quasi consulendo cur tot ac tales susciperet, qui unde pasceret, minime haberet: cum eis fideli ac constantissima voce responderet, Dominum, non se, illos procuratorem habere: Qui enim, aiebat, be-

necessariis à Domino procuratis,

C

4 Reg. 6. & 7

cum multorum admiratione.

stias terræ cælique volatilia pascit, putatis hominum, ad imaginem & similitudinem suam formatorum, oblivisci possit? Illi autem, tamquam qui modicæ essent fidei, desperabant hoc posse fieri, quod promittebat homo Dei, etiamsi faceret Dominus cataractas in cœlo.

AUCTORE GAUFRED. DISCIPULO EX MSS.

134 Ne indignemini, Fratres carissimi, de ejus humilitate ac delectatione in paupertate totiens replicanti. Credite mihi, multa sunt ac præclara, quæ virtute divina operatus est miracula: quæ quamvis curiosius studuit tegere, quam flagitiosus facinora sua abscondere, non omnia tamen potuit, quia divina bonitas, plurima posteris profutura celari noluit. Sed ego, Fratres carissimi, quidquid sentiant alii, amplius admiror hujus gloriosissimi viri humilem inter pauperes Christi conversationem, quam sibi divinitus datam virtutem, quamtumlibet miraculis coruscantem. Hæc namque de culmine Angelicæ vitæ multos præcipitavit; illa vero humiles quosque ad altiora sublimavit. Noverat hoc homo Dei: ideo illam diligebat, atque colebat; hanc autem, in quantum sibi licebat, exercere fugiebat & declinabat. Sed quid non extorqueret à visceribus caritatis ejus, infirmorum atque dolentium compassio?

Præ dono miraculorũ æstimanda est ejus conversatio cum pauperibus:

135 Ut igitur, sicut decet, de spiritualibus prius morbis loquamur; quis superbus aut elatus accessit ad eum, & non statim rediit demissus & humiliatus? Quis adulter aut fornicarius? quis avarus aut cupidus? quis invidus aut malignus, eo audito non continuo convertit se & commutavit? Raptores etenim rapere desierunt, crudeles crudelitatem suam deposuerunt, tyranni à tyrannide cessaverunt, scelerati sua scelera omiserunt; divites divitias suas parvi pendentes, pondus sibi fore non subsidium cognoverunt; potentes sublimitatis culmen, non securitatem sibi esse, sed præcipitium intellexerunt; mundi amatores sese vanitati deservivisse compererunt. Quid plura? Cæcorum oculos, mundanæ fæcis pulvere plenos, ut verum solem cernere possent, aperiebat: aures, quas Dominus in genere humano clausas conqueritur, cælesti carmine reserabat: claudorum gressus in viam pacis & justitiæ dirigebat. Si quis haustu pestifero serpentinæ suggestionis venenum susceperat; oraculi divini antidoto curabat: ægrotos in fide, spe & caritate, ut spiritualis medicus, sanabat. Quis est qui fari possit, quot vexatos à dæmonibus potenti virtute liberabat? quot ab antiqui serpentis faucibus extrahebat, Deoque fidelis servus restituebat? Mortuos denique, non biduanos tantum aut triduanos, verum etiam quatriduanos ad vitam revocabat. Nam quos lethalium cogitationum delectatione perniciosa defunctos, adhuc tamen sub pectoris domicilio clausos; aut quos pestiferi operis perpetratione mortifera elatos, seu quos miserrima peccandi consuetudine ligatos, vel opinione fœtenti ceu terra obrutos inveniebat, ad suscitandos omnes de hujuscemodi mortuorum sepultura, cælestis gratiæ virtus divina ei non deerat.

E

& sagacitas ad sanandos morbos animæ;

F

136 Hæc igitur sunt, quæ per eum Conditor omnipotens divina operabatur miracula, jure tanto magis admiranda quanto plus salubria. Hæc namque sunt, quæ animam cum corpore à morte liberant perpetua, atque vita vivificant æterna. Hæc igitur illa salutifera mundo potestas, quam Apostolis & Apostolicis viris Salvatorem sermo Euangelicus tradidisse testatur. Hanc docuit, hanc exhiberi mundo languido præcepit, dicens discipulis suis: Ite, infirmos curate, leprosos mundate, cæcos illuminate, mortuos suscitate, dæmones ejicite. Igitur si de Domino recte sentimus, plane intelligimus, eum maluisse discipulos suos ista in ani-

quæ propria est virorum Apostolicorum virtus. Matth. 10, 8

 mabus

AUCTORE GAUFRED. DISCIPULO EX MSS.

mabus exercere quam in corporibus. Nam ut alias Euangelium indicat, illis quadam die cum gaudio, quia dæmonia ipsis subjicerentur, redeuntibus ad ipsum; videns illos cenodoxiæ elatione dejectos, quasi indignatus dixit ad illos, Videbam Sathanam quasi fulgur cadentem de cælo. Illis quoque qui de morborum curatione, & de dæmonum expulsione extolluntur, dicturus est in fine: Nescio vos.

Luc. 10, 18

Luc. 13, 25

137 Cavebat igitur hic beatissimus Dei cultor placere homini, ne displiceret peccatori; taliumque miraculorum gratiam, quam sibi cum reprobis communem intelligebat, exercere parvipendebat; imo, ut pluribus noxiam, sicut dictum est, declinabat, nisi omnino miseranda vexatorum atque dolentium cogeret ac compelleret compassio. Non enim erat de illis, qui nituntur incedere in magnis & in mirabilibus super se. Quid immoramur? Jam tandem pandamus, quæ abscondit, revelemus quæ celari voluit: quia sapientia abscondita & thesaurus invisus, quæ utilitas in utroque? Dicamus ergo. Quis caput vel membrum aliud doluit, & non continuo ad sacræ manus ejus tactum, levamen sensit? O quam plures hoc per semetipsos probasse testantes audivi? Quis perturbatus diabolicis immissionibus, confugiens ad ipsum, confitensque quibus tentationum perurgeretur stimulis, remedium adeptus non statim conquievit?

pra gratia curandorum corporum

qua nihilominus claruit Bernardus:

B

138 Frater quidam (cujus, quia adhuc superest, nomen supprimo) infidelitatis immissionibus per angelos malos exagitatus, ad virum Dei perturbatus confugit: animique intollerabilem confessus laborem, sanctissimis ejus precibus sibi subveniri expostulabat. Cujus anxiæ vexationi compatiens misericordissimus Dei servus, Æquo, inquit, esto animo, fili; non enim hæc, ut metuis, tentatio tibi ad perniciem sed ad probationem, Domino permittente, contigit. Solet namque Conditor piissimus suos milites probare tentationibus. Sta igitur in certamine ut athleta strenuus, de Dei juvamine indubius: quia non coronabitur, nisi qui legitime certaverit. Cui cum Frater, supra vires suas, ut sibi videbatur, tentatum se cum lacrymis contestaretur, ait ad eum vir beatissimus; Si igitur ista vis carere molestia, vade, confidens quia mittet tibi Dominus auxilium de sancto. Ex illa ergo hora (ut ore proprio mihi Frater referre solebat) ab impugnatione illa ita quievit, ac si minimè umquam tentatus fuisset.

Monachum rogatus à tentatione molesta liberat:

C

139 Contigit quoque tempore quodam eum cum Fratribus suis per vicum iter habere: cujus in medio cum mulieri, cultu ornatæ composito, obviarent; notavit Dei famulus, ut pastor de ovibus solicitus, quosdam incautius in eam oculos injecisse. Cumque pertransissent, Pulchra, inquit, ad eos mulier illa foret, cui obviavimus, nisi lusca esset. Qui ignorantes cur hoc proposuisset, responderunt ei, non eam esse luscam; sed duobus oculis clare intuentem vidisse. Quibus ipse: Credite, inquit, mihi, Fratres carissimi, quia non multum curare studui, an unum, vel duos haberet oculos. Quo illi audito, tandem se astutissima Dei viri calliditate circumventos intelligentes, erubuerunt.

oculorum incontinentiam jocose redarguit,

140 Si quis iterum audire desiderat quam perite mentes probabat humanas, & probando corrigebat, sequentia audiat. Dum mundanos fugiens strepitus, in illa resideret insula, quæ mari circumdata, nulli se terræ contigua, prout dudum votis ingentibus captaverat, orationi atque lectioni vacans libere, totus cælesti in contemplatione theoriis divinis indefessus animum satiabat; discipulos tamen, corporale sibi subsidium manuum laboribus procurantes, habebat: ad quos laborantes, post orationum, contemplationem & lectionis meditationem, visendos exibat. Horum unus spiritu mitis; alter vero impatiens erat: qui non simul sed divisim operabantur. Arte ergo tali vir sapiens eorum spiritus probando examinabat. Ad primum veniens, Benedicite, dicebat. Deinde quasi laborare volens, de Fratris manibus ferramentum tollebat; eumque interdum quiescere præcipiebat Cumque fodiens, glebas huc illucque projiceret, nec quo loco vel ordine ponere deberet observare curaret; interrogabat Fratrem, si bene ageret: qui, quia sibi valde placebat, quidquid vir sanctus agebat, illum peroptime facere respondebat. Deinde ad alium vadens cum itidem faceret, ille impatiens, cum glebas negligentius projiceret, docere illum satagebat, quomodo eas ponere deberet.

Discipulos habens tra-eundum unum,

D

mitem alterum,

141 Videns itaque vir beatissimus, se non posse pro velle Fratris illius quidquam facere, recedens ab eo ad alium revertebatur, docens illum aliquid de Scripturis inter opera laboris. Quod videns alter invidebat, illumque sibi præferre ingemiscebat. Qui tandem ad venerabilem Dei virum accedens, conquerebatur cum lacrymis, cur se contemneret, aliumque sibi præponeret; illum consolans, illum docens, illum verbis divinis instruens: illum amplius, se vero minus diligens. Cui vir prudens increpando respondit, dicens: Ad te autem, frater, cur quereris me non ire, cui displicet totum quod possum facere. Tua namque monstrat impatientia, me tibi potius nocere quam juvare: illius vero mansuetudo, cui bonum est quod facere scio, me sibi non nocere testatur, sed subvenire. Non immerito ergo te desero, cui noceo; & vado ad illum, quem me, ut gratulans ipse testatur, juvare credo. Ad hæc periti medicamina medici Frater compunctus, ad ejus pedes provolutus, rogavit veniam, culpam confessus; quam non difficile consecutus, deinceps est emendatus. Ecce quam callide pastor eximius oves errantes seu perditas de luporum faucibus eripere non ignorabat.

minus exemplo

E

alterum prudenter corrigit.

142 Lectioni etiam hæc inseramus, quod tacendum minime duximus. Servus in obsequio viri Dei Fratrumque quidam famulabatur, qui ut comederet, sicut ab hujusmodi sæpe solet fieri, victualia furabatur. Quo Fratres comperto, victum sub sera ponebant; sed cum sera non valeret famuli manus rapaces arcere, Patri sanctissimo à Fratribus indicatum est. Quibus valde vir Dei iratus ait: Quid est, non Fratres, sed fratricidæ, quid egistis? Cur eum, quem vos ut vosmet ipsos diligere oportuit, in hujus ruinæ foveam homicidæ immisericordes impulistis? Vos, inquam, vos hoc fecistis: vos Fratrem esurientem ad furtum coegistis, qui panem ne sumeret sub sera inclusistis, cui Christus panis vitæ numquam se denegavit. Vos nocentes atque rei, hujus noxæ culpa tenemini, nisi cito resipiscamini. Quo Fratres audito, paventes atque territi, solo prostrati, veniam postulantes, quid agere deberent, virum sanctissimum obsecrantes interrogabant. Qui, pro ipsis primum precibus ad Dominum fusis, Ite, inquit, serisque omnibus remotis, Fratrem sibi victum sumere licenter permittite; quantum voluerit ut sumat persuadete: hoc vestri illiusque mali; caritate subveniente, solum video remedium O sapientia non humana; sed divina! non terrestris: sed cælestis! non ab homine; sed à Deo! non de mundo; sed de cælo! c

Negat habendas sub sera panes

F

ANNO-

ANNOTATA.

a *Id est, eo loco quo senex sessurus erat: habent enim in monasteriis suum singuli locum secundum ætatem professionis.*

b *Idem plenius attingitur n. 93, unde & ex aliis similiter sequentibus ac suprà factis magis confirmamur ad credendum, non historiæ supplementum contineri hoc capite, sed partem sermonis encomiastici: cujus nihilominus finis quam initium, utpote ad historiam nihilo plus faciens, in jisdem MSS. desit.*

c *Sequebatur* Oratio ad B. Bernardum, *instar rhythmi composita, aut instar Sequentiæ, quæ solebat in Sacris recitari: quæ, cum sit apud Souchetum excusa, brevitatis causa hic omittitur.*

DE SANCTO BENEDICTO,

FUNDATORE PONTIS AVENIONENSIS.

D. P.

AN. MCLXXXIV



Go te tuli de pascuis sequentem greges: & fui tecum in omnibus, ubicumque ambulasti: fecique tibi nomen grande, *inquit Davidi Deus 2 Regum 7. Idem dicere potuisset Avenionensis supra Rhodanum Pontis fundatori* Benedicto, *quem, propter ætatis staturæque brevitatem, Cossetanum vulgus,* Benezettum, *id est,* Benedictulum *vocat. Cultum hic suum Avenione habuit, primum quidem in loco sepulturæ supra pontem & in Hospitali ad ejus usum commodiorem instituto: deinde in ecclesia S. Agricoli, postquam dictum Hospitale, auctoritate Ioannis Papæ* XXII *anno* MCCCXXI *unitum fuit eidem ecclesiæ, in Collegiatam erecta: in qua festum ipsius celebrabatur cum officio proprio, cujus ad nos transmissum exemplar. Quin etiam in proxima Nemausensi diœcesi, quatuor ab ea urbe leucis, invenitur oppidulum, vulgo* San Benezet del queiron, *id est* S. Benedictuli de saxo *dictum: ipsumque loci Patronum esse probat tabula super altare picta, juvenem pastoritio habitu indutum exprimens, qui collo grande saxum portat, quemadmodum hic noster ordinarie pingitur, ex causa mox aperienda. Denique ad usum alicujus Avenionensis ecclesiæ debuit descriptum fuisse Martyrologium Usuardi, quod Vitæ auctores recentiores citant, ad* XVIII kal. Maii *his verbis auctum,* Benedicti Confessoris, Pastoris in Avenione: *quod secutus Ferrarius in Catalogo Generali, non sine errore pastorem ovium in Episcopum transformavit, deinde in Annotationibus ad eum locum errori errores accumulavit, ita scribens:* Corpus in æde Cathedrali conditum est. Is à Ponte cognominatur, quod inde originem duxerit: *imo quod ejus faciendi auctor & super eum conditus fuerit. Nihilo cautior Martyrologii Gallicani compilator Saussajus, Ferrarii hallucinationem nova exornavit phrasi;* Avenione S. Benedicti Episcopi, ibidem memoria sanctitatis celebris, cujus corpus reverenter in Cathedrali Ecclesia requiescit. *Non ita exerrasset ille, si Avenionenses ipsos interrogare, quam peregrino scriptori credere maluisset.*

Ejus cultus Avenione,

B

& prope Nemausum:

nomen adscriptum Martyrologio,

& fastis recentioribus: non sine mendis.

C

2 *Guilielmus Paradinus Historia Lugdun: lib 2 cap. 43, allegat Bullam Innocentii* IV, *anno Pontificatus ejus* 11, *ex Concilio Lugdunensi datam, absque expressione mensis & diei,* omnibus Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, Prioribus, Decanis atque aliis Rectoribus sanctæ matris Ecclesiæ & omnibus fidelibus Christianis: *Hanc autem Bullam Gallice exponens, Pontificem facit narrare* rem miram, suo tempore gestam, & plusquam mille hominum testimonio comprobatam, à quibus ut oculatis testibus ipse eam acceperit: *Sed quam falsum est Pontem Avenionensem constructum fuisse tempore Innocentii* IV, *tam est suspecta fides Paradini, alias non optima, circa totam bullam; cujus diligenter quæsita nusquam potuit inveniri autographum vel saltem exemplum Latinum; & cujus contextus à vere coævorum testimoniis infra producendis haud modice discrepat. Proinde debili nimium fundamento nituntur, quicumque præsumi volunt ex fine, quem talis Bulla habuisse potuit, illam editam esse ad promulgandam S. Benedictuli canonizationem, ab eodem Pontifice in Concilio factam, nulla alia talis canonizationis memoria extante.* Neque tamen sanctitas B. Benedicti ejusve cultus publicus ulla ratione vocari potest in dubium: quandoquidem tam multi Pontifices eum Sancti & Beati Titulo honestarunt, variis diplomatibus (*quorum infra fiet mentio*) & eorumdem Pontificum multi, qui Avenione post S. Benedictulum vita functum sederunt, cum viderent ei impendi cælestes honores, & ecclesiasticum Officium cum Sacro de eo celebrari solenni ritu quotannis in sacra ædicula, qua ejus benedictæ reliquiæ conditæ jacent; tantum abest ut reclamarint ut potius stipendiis sacris, de thesauro Ecclesiæ annumeratis, cultum illum ac religionem studiose promoverint.

Ab canonizatus ab Innocentio 4?

E

3 *Hactenus Theophilus Raynaudus noster, in libello quem de hoc Sancto vulgavit sub hoc titulo,* Ioannes Benedictus Pastor & Pontifex Avenione. *Quem titulum cum æmuli ejus tamquam* de hæresi suspectum *sugillassent, necesse habuit in syntagmate de libris propriis otiosam cavillationem refellere; quod æque facile ei fuit, atque præstruere dicto libello* Antemurale, adversus arietes fortium ingeniorum, quatientes historiæ S. Benedicti veritatem. *Sed quid opus erat* Antemurali *adversus argumenta prorsus straminea, adeoque indigna vocari* Arietes? *Nempe* Civitatis Avenionensis tabularium historiam istam multipliciter repræsentat: sed nominatim in membrana pervetusta vernaculo primum idiomate hoc est Cossetanico, cujus tunc in urbe usus erat, tum Latino, admodum quidem pingui, sed cui simplicitas fuci expers fidem potius arroget. Cumque anno MD inter Alexandrum VI Pontificem Maximum & Regem Gallorum lis orta esset de jure Pontis controverso; & Pontificii Advocati eam quam dixi membranam, narratione rerum S. Benedicti refertam, Regiis Patronis, tamquam præcipuum causæ suæ firmamentum, objicerent; arbitri utrimque delecti, membranam sigillis & omnibus ad certam fidem faciendam rite firmatam, quamquam juri Regio adversantem, ratam habuerunt, ac sinceram & ab omni suspicione alienam pronuntiarunt. Subnectitur ibidem inquisitio, post Sancti obitum in ejus gesta & miracula juridice instituta, adhibitis fidis ac idoneis testibus quindecim, quorum testificatio compendio ibidem repræsentatur.

Ex libello Theophili Raynaudi de hoc Sancto

edocti ejus Acta authentica extare,

F

4 *Talia legentes apud Theophilum nihil duximus antiquius, quam ipsam illam antiquam membranam Avenione describendam postulare; quæ cum diu frustra fuisset requisita, judicarunt Avenionenses satis nobis esse debere, quod ipsius tenorem transmitterent, ex secundo volumine* Processus extractionis nonnullorum jurium & documentorum consignatorum per egregium S. D. N. Papæ Procuratorem & Actorem civitatis Avenionis, ex diversis archiviis ac scriniis civitatis prædictæ. *Etenim ad calcem ipsius voluminis ita legitur* In testimonium vero quod in præsenti volumine (quod in sua prima linea incipit, Processus extractionis nonnullorum &c, & in ultima linea, ultimo folio illius, ultime finit, Domino Petro de Petra &c quod in se continet

ipsa accepimus extracta e publico Archivio

AUCTORE D. P. *& legitime consignata.*

continet sexcenta LXVIII folia scripta, præsenti excluso) sit secunda pars processus agitati coram Reverendis & spiritualibus Dominis Papalibus & Regiis Commissariis, inter Procuratorem S. D. N. Papæ & Actorem Communitatis civitatis Avenionis ex una, & Regium in patria Occitaniæ generalem Procuratorem ex alia, occasione fluminis Rhodani & insularum in eo natarum ac pontis supra ipsum existentis; ego Petrus de Ambianis, Clericus Ambianensis, civis Avenionæ, publicus Apostolica ubique & Regia in regno Franciæ auctoritatibus Notarius, ipsius causæ coram eisdem Dominis Commissariis, una cum honesto viro Mag. Francisco Sorbier, eisdem auctoritatibus Notario subsignato, scriba, hic me subscripsi, una cum sigillis & subscriptionibus prædictorum Dominorum Commissariorum, dictique Mag. Francisci subscriptione & signo.

5 *Ex ita signato volumine, quod hodieque videri potest funiculo serico rubro per omnia folia transfixum, & sigillis senis in rubra cera munitum, manu sua propria desideratum exemplar transcribens vir nobilis, idemque S. Benedictulo devotissimus, Richardus Iosephus de Cambis Dominus des Fargues, curavit ipsum duorum notariorum manu subsignari, attestantium extractum esse ex originali præfato, ad talem finem de mandato Consulum civitatis per eorumdem secretarium extracto ex archivis, traditoque in manus dicti Domini des Fargues: nequid autem legalitati plenissima deesset, de ipsorum Notariorum potestate fidem fecit Iudex Ordinarius curiæ temporalis S. Petri Aven. XVII Iulii anno MDCLXXIII. Idem Dominus des Fargues, cum anno MDCLXX, post recentem sacri corporis Translationem, Vitam & miracula S. Benedictuli sermone Gallico evulgasset, una cum ipsius Translationis historia; ac postea tum in suo illo opusculo (quod non tam sub nomine suo quam sub nominis sui litteris* R. I. Disambec *aliter ordinatis prodierat) tum in libello P. Theophili nonnulla deprehendisset errata, de iisdem quam diligentissime nos monendos curavit, per R. P. Carolum Faber, societatis nostræ sacerdotem Avenione; cujus studio libenter hæc accepta refero.*

cum Vita Gallica recentius edita,

B

6 *Anno* MDCVIII, *cura Nicolai Camuzati, ex MS. Pontiniacensi, prodiit* Chronologia, seriem temporum & historiam rerum in orbe gestarum continens, ab ejus origine usque ad annum à Christi ortu MCC, auctore Anonymo, sed cœnobii S. Mariani apud Altissiodorum Regulæ Præmonstratensis monacho. *Procedente autem impressione inventum est Parisiis in Petaviana Bibliotheca exemplar aliud, in anno* MCCXI *finiens, ubi prædicti chronici per annos adhuc quatuor continuator adscripsit,* Hucusque produxit Chronica sua Frater Robertus: *cujus deinde anno* MCCXII *mortui longum elogium texitur, propter insignes quæ describuntur virtutes & quia* egregie litteratus, in historiarum notitia nulli sui temporis secundus *extiterit: Hic tam antiquus auctor ad annum* MCLXXVII *scripsit verba, quæ ab eo sumpsit Papirius Massonus, in descriptione Galliæ per flumina pag.* 425. Ipso anno venit apud Avenionem adolescens, nomine Benedictus, dicens se à Domino missum ut pontem super Rhodanum construeret: qui derisus est, cum sumptus non haberet, & cum præ magnitudine nemo crederet hoc facturum: sed populi, ab eo nutu divino commoniti, illud opus citius perfecerunt. *Post annos deinde septem sic loquitur idem Chronographus.* Ipso anno *scilicet* MCLXXXIV, Benedictus, Avenionensis pontis auctor, sanctæ admodum vitæ juvenis, obiit; sepultusque est super pontem illum mirificum, magna jam ex parte constructum, ab ejusdem pontis initio septem annis circiter jam decursis.

mortuus anno 1184,

C

7 *Non igitur pontem suum absolutum vidit Benedictus (quippe cujus fabrica totos undecim annos occupavit, ut asserit infra Festis* XV) *multo minus alium similem pontem Lugdum curavit fabricandum, quod eidem affingit Paradinus, aut alterum ad oppidum sancti Spiritus inter Avenionem & Valenciam: quorum hunc anno* MCCLV *ædificatum, ex publicis tabulis docet Theophilus Raynaudus: istum ab Innocentio* IV, *adeoque non ante annum* MCCXLIII, *esse conditum, probat vetus inscriptio lapidibus incisa, quam apud Papirium Massonum lege pag.* 400. *Extat vero in tabulario publico instrumentum infra proferendum de anno* MCCCXXXII, *cui verbotenus inseritur alterum*, anno MCLXXXV mense Ianuarii, *ubi circa portanagium recipiendum idipsum decernitur, quod fuerat decretum à* Domino Pontio bonæ memoriæ Avenionensi Episcopo (*Hic autem ante Concilium Lateranense anno* MCLXXIX *celebratum obierat*) & Consulibus, qui eo tempore Consulatum regebant in civitate, quando Fr. Benedictus piæ recordationis pontem incepit. *Vbi Frater appellatur, quia scilicet ad operis profectum administrationemque sodalitas quædam coaluerat, cujus ipse Benedictus caput atque superior fuit dum vixit, quomodo etiam in contractu anni* MCLXXX, *quem puncto* 14 *allegat Theophilus, Bernardus la Garde profitetur se* vendere & venditionis titulo tradere, operi pontis Rhodani & Fr. Benedicto Procuratori ceterisque pontis Fratribus, jus omne suum in portu vel in caudelo portus.

D

nec suum perfecit, nec alius alibi pontes struxit:

quos collegit Fratres

8 *Religiosisne votis obstricti fuerint Fratres isti, disputat loco jam citato Theophilus: & expensis instrumentis variis, confectis* in refectorio Fratrum de Ponte, *in quorum uno anni* MCCVII *fit venditio* Stephano Priori & Fratribus Pontis ac monasterio; *attento etiam quod interpretatio rerum à S. Benedicto gestarum, ex Cossetana in Latinam linguam, facta dicatur* instante Fr. Raymundo Ponsere, Fratre & Donato operis Pontis S. Benedicti: *verisimiliter censet, ejusmodi loquendi formulas statum religiosum significare. Imo in ejusdem opusculi recognitione, attenta appellatione* Hospitalis sancti Spiritus, *communi cum Hospitali Montis-pessulani quod est caput Ordinis S. Spiritus, a Guidone Mon-pessulano instituti sub Innocentio* III, *& per Italiam Galliam, Germaniam, Poloniam propagati; existimat ad eumdem Ordinem pertinuisse Fratres de Ponte prænominatos. Sed Innocentius* III *solum suscepit Pontificatum anno* MCXCVIII: *adeo ut incertum sit, an vel prima ordinis illius semina jacta fuerint vivente Benedicto. Iste autem Ordo Hospitalariorum S. Spiritus, Canonicorum Regularium fuit: Avenione autem laici fuere omnes. Qui cum fuerunt ad religiosa vota recepti (uti satis est verosimile ad ea receptos esse saltem post obitum S. Benedicti) pro titulo* Procuratoris *cœpit usurpari titulus* Prioris.

E

solum eo mortuo cœperunt habere Priorem.

9 *Hunc certe titulum numquam videtur gessisse Benedictus: Actus enim anni* MCLXXXVII *quo* Dominus G Avenionensis Præpositus & ejusdem ecclesiæ conventus ex una, & ex altera parte Ioannes Benedictus, tunc temporis domus operis pontis Prior & Fratres inibi constituti, coram D. Rostagno Ecclesiæ Avenionensis Episcopo, amicabiliter inter se convenerunt, ut liceret ecclesiam & cœmeterium habere Fratribus Pontis itemque Capellanum. *Hic inquam Actus, ex Actu præalligato anni* MCLXXXV, *convincitur Benedicti obitu esse posterior, atque adeo ab hoc diversum esse Ioannem Benedictum ibi nominatum. Aliter quidem visum fuit P. Theophilo, qui propterea instrumenti præcitati datam corrigens, notavit annum* MCXCV, *nec nisi consummato ponte obiisse Benedictum credidit. Sed qui eum in hoc secutus fuerat D. des Fargues, postea inspectis ipsis originalibus, nullam vitiati anni suspicionem præbentibus, mutandæ sententiæ nobis auctor fuit; neque potuit amplius dubitare de accuratione summa chronographi Autissiodorensis, Benedicto coævi.*

F

quorum primus Ioannes Benedictus

10 *Rejicimus ergo* Ioannis *prænomen, quod primus Theophilus S. Benedicto addidit: eoque vocatum credimus successorem ejus in procuratura & sociorum regimine; qui reverentiæ causa nomen Benedicti ad primum coaptarit,*

fuit à Sancto diversus.

sicut

A *sicut S. Cyprianus nomen Cæcilii Presbyteri, à quo erat ad fidem adductus; Eusebius Cæsareensis, Pamphili magistri; S. Petrus, Damiani fratris, & alii quidam aliorum. Ad Paradinum quod attinet, quidquid is in sua narratione habet, non tantum contra, sed vel solum ultra quam certa auctoritas monumentorum antiquorum docere potest, id omne adnumeramus figmentis; miramurque ab iis qui prætensam apud eum Innocentii IV bullam merito non suscipiunt; suscipi tamen qua idem habet de Benedicti patria & ætate, deque itinere tridui paucis horis emenso & visitatis Apostolorum liminibus ad impetrandas indulgentias, quibus operi cœpto adjutores benefici conciliarentur.*

hujus patria gratis fingitur dicta Almilat, 11 *Patriam ille nominat* Almillat, *oppidum in Maurienna & veteri Burgundia situm, ac tridui itinere Avenione dissitum: sed repugnant Acta etiam apud ipsum Paradinum, qui Benedictum Avenionem inducens, facit trajicere Rhodanum; quod ex Sabaudia veniens non fecisset. Id videntes alii suspicantur vicini nominis* Alvilar, *apud Helvios in tractu Vivariensi, substitui debere, servato jam dicto tridui intervallo. Sed neque hoc triduum fundamentum habet ullum extra cerebrum Paradini: neque miraculosæ intra paucas horas translationis argumentum præbent Acta, sed præferunt communem modum iter agendi; quando qui ipso eclipseos die, ac proinde Idibus Septembris, in viam se dedit; ingressus urbem invenit concionantem Episcopum, utique festo aliquo die, atque adeo postridie Iduum in festo Crucis exaltatæ.*

B *neque as 12 annorum ætas cum venit Avenionem.* *Deinde quem* juvenem *vocat* coævus monachus, *& cui celebrandis contractibus congruam ætatem tribuendam suadent instrumenta anno MCLXXX & deinceps condita; sociorumque regimen & similia alia; eum facit Paradinus* duodecim annorum puerum. *Puerum quidem etiam Acta appellant, ex usu vulgi staturam ejus pusillam & imberbe forsitan mentum respicientis. Cur tamen hoc non eo intelligamus modo, quo intelligunt Scripturæ sacræ? Sic David in Regem ungendus, à patre suo vocatur* parvulus; *& iturus contra Goliath,* puer *à Saule: cum esset ex Chronologorum omnium & interpretum sensu annorum fere XXII. Similiter filius ejus Salomon, eadem fere qua pater unctus fuerat ætate exorsus regnare, de se ipso dicit,* Ego sum puer parvulus; *& propheta Daniel, Susannæ causam dijudicaturus, indicatur cum epitheto* pueri junioris. *Quod vero extremum erat de Indulgentiis, quarum causa Benedictum ivisse Romam somniavit Paradinus, eas omnes post illius mortem concessas evidenter probat* Theophilus, *qui tamen ipsum tot annis diutius quam nos in vivis retinet. Sed istis omissis Acta ipsa videamus.*

a

ACTA a

Ex MSS. Authenticis Archivii Avenionensis.

C

12 ANno gratiæ millesimo centesimo septuagesimo septimo pontem puer incepit Benedictus, sicut declarant quę infra scripta. In die *b* quando sol eclipsim passus est, quidam puer, Benedictus nomine, oves matris *c* suæ regebat in pascuis: cui aperte Iesus Christus dixit tribus vicibus: Benedicte, fili mi, audi vocem Iesu Christi. BEN. *d* Quis es tu, Domine, qui mecum loqueris? Vocem tuam audio: sed te videre nequeo. I. C. Audi ergo, Benedicte; & noli tu expavescere: Ego sum Iesus Christus, qui solo verbo creavi cælum & terram, mare & omnia quæ in eis sunt. BEN. Domine, quid vis faciam? I. C. Ego volo ut dimittas oves matris tuæ, quas custodis: quia es facturus mihi pontem super Rhodanum flumen. BEN. Domine, Rhodanum nescio, nec oves matris meæ relinquere audeo. I. C. Nonne dixi tibi ut crederes? Veni ergo audacter, quia faciam tibi *e* regere oves tuas, & dabo tibi socium qui conducet te usque ad Rhodanum. BEN. Domine nihil habeo nisi *f* tres obolos & quomodo faciam pontem super Rhodanum? I. C. Bene, sicut ego docebo te.

b
c *In pascuis agens Benedictus*
d
jubetur facere pontem super Rhodanum;
e
f

13 Abiit ergo Benedictus: fuit obediens voci Iesu Christi, quam audiebat, sed eum videre minime poterat. Et obvius ei fuit Angelus in specie peregrini, baculum & peram deferens, qui taliter eum allocutus est: Vade post me securus, & ego perducam te usque ad illum locum, in quo pontem Iesu Christo facturus es, & ostendam tibi qualiter facias. *g* [Modo sunt ad ripam fluvii.] Videns autem Benedictus fluminis *h* magnitudinem, timore perculsus ait, nullo modo se ibi pontem posse facere. Cui Angelus dixit: Noli timere, quia Spiritus sanctus est in te; & vide navem, in qua transgressurus es: & vade ad civitatem Avenionensem, & ostende te Episcopo & populo ejus. His ei dictis evanuit ab oculis ejus Angelus.

EX MSS.
& ad flumen ductus ab Angelo
g
h

14 Tunc abiit Benedictus puer ad navem, & deprecatus est navigantes, ut amore Dei & B. Mariæ transmearent ipsum usque ad civitatem, quia habebat aliquid deliberare. Cui respondit nauta, qui erat Judæus. Si tu vis transire, da mihi tres nummos, sicut omnes alii faciunt. Benedictus iterum rogavit, ut amore Dei & B. Mariæ transiret illum ultra. Cui Judæus, Nihil mihi de tua Maria; quia nullam potestatem habet neque in cælo, neque in terra: magis volo tres nummos quam amorem tuæ Mariæ, quia plures sunt Mariæ. Audiens Benedictus, dedit illi tres obolos quos habebat. Judæus vero, videns quia nihil amplius posset extorquere, accepit eos & transvexit illum.

ipso trajectus
E

15 Benedictus vero ingrediens civitatem Avenionensem, invenit Episcopum *i* sermocinantem *k* populum suum: quibus voce magna ait: Audite & intelligite mihi: quia Iesus Christus misit me ad vos hac de causa, ut faciam pontem super Rhodanum. Episcopus audiens vocem illius & respiciens personam ipsius, causa derisionis misit illum ad Præpositum *l* villæ, ut excoriaret eum, vel abscinderet sibi manus & pedes: quia *m* pessimus, & gladiator erat. Adiens tamen illum Benedictus, pacifice loquitur: Dominus meus Jesus Christus misit me in hanc civitatem, ut faciam pontem super Rhodanum. Cui Præpositus dixit: Tu, cum vilis persona sis & nihil habens, dicis te facere pontem, ubi Deus, nec Petrus, nec Paulus *n*, nec etiam [Carolus,] nec alter potuit facere? Nec mirum est. Tamen quia scio pontem fieri ex lapidibus & calce, dabo tibi unum lapidem, quem habeo *o* in palatio meo: & si tu potes vere movere & portare, credo quod tu pontem possis facere.

i k
indicat Episcopo missionem suam;
l m
à quo ad Præpositum missus
n
o
F

16 Benedictus confidens in Domino rediit ad Episcopum, dicens quod taliter sibi fuisset facturus. Cui Episcopus: Eamus ergo, & videamus mirabilia quæ tu dicis. Abiens igitur Episcopus & populus insimul & Benedictus, accepit suum lapidem, quem *p* triginta homines non possent movere à loco suo, ita facile deferens ac si lapillus manualis esset: & posuit in loco ubi pons habet pedem suum. Quæ videntes, admirati sunt, quod magnus est Dominus & potens in operibus suis. Et tunc Præpositus primus vocavit S. Benedictum, & obtulit ei trecentos solidos, osculans ei manus & pedes: & in eodem loco lucratus est quinq; millia solidorum. [Audistis, Fratres *q* ..... qualiter iste pons ędificatus est: unde omnes debetis esse participes hujus maximi beneficii.] Et fecit Deus multa miracula eo die, quod per eum illuminavit cęcos, & surdos fecit audire, & claudos fecit ire, scilicet decem & octo. *r*

grande saxum in opus donatum portat solus:
p
moxque impetrat multa pecuniam
q
atque miraculis claret.

17 Multa quoq; alia miracula dignatus est Dominus ostendere per suum Confessore, in ejus vita pariterq; post ejus obitum. Sanctū vero corpus ejus honorifice tumulatum, quiescit in capella ejusdem super prædictū pontem: magnæq; Indulgentiæ à summis Pontificibus sunt concessæ *t* dictam capellam visitantibus, & devote corpus sanctissimi Confessoris venerantibus.

r
sepulcri veneratio.
s
t

AUCTORE D. P.

ANNOTATA.

a *In Processu extractionis ita præmittitur:* Item etiam consignavit D. P. de Porta, & per nos Notarios commissarios extrahi requisivit duo instrumenta in pergameno: unum verbis vulgaribus, & aliud verbis Latinis scripta, continentia, primam fundationem factam divinitus per S. Benedictum, ovium pastorem, ut in eisdem legitur: quæ ad ejus requisitionem extraximus & instrumentum in vulgari scriptum sic incipit: Anno Domini milleno centeno septuagesimo septimo lo Pont comencet San Benezet &c. aliud vero instrumentum in Latino scriptum incipit sic litteris rubeis. Anno gratiæ &c.

b *Anno* 1177 *frustra eclipsim solarem in Provincia conspicuam quæres: neque vero opus est invenire: quia congruum est ut cœptam anno isto fundationem pontis præcesserint menses aliquot, quos in conquirendis sumptibus & præparanda materia occupatos habuerit Benedictus. Anno autem præcedenti* 1176, *uti scribit Vincentius Bellovacensis lib.* 29 *cap.* 21, facta est eclipsis solis, hora sexta, Idibus Septembris.

c *In Lectionibus Officii proprii, solitis in ecclesia S. Agricoli recitari, quas nobis transmisit P. Petrus Gras S. I. quæque verbotenus fere hoc scriptum continent paucis vocibus omissis, & paucis elegantius nonnihil collocatis; pro* Matris *legitur* patris: *& consentit aliud ecgraphum earumdem Lectionum scriptum manu ipsius Domini Des Fargues. Qui tamen, uti & Theophilus noster, adhæret priori lectioni, & matrem viduam appellat.*

B

d *Claritatis causa interposuimus dialogismo huic initiales litteras nominum* Benedicti *&* Iesu Christi.

e *Exemplis suadere nititur Theophilus, Angelicæ custodiæ fuisse commissum gregem: quod facile persuaderet, si ad eum redire debuisset Benedictus; sicut ad intermissa opera regressi sunt ii, quorum vices Angelico ministerio suppletas fuisse narrat.*

f *Vita Gallica sub nomine R. I. Disambec*, non habeo nisi tres Michalesios, quæ erat parva ejus temporis moneta: *itaque credo in Coœtano instrumento haberi vocem* Michales.

g *Hæc verba omittuntur in Lectionibus, & videntur occasionem dedisse Paradino, ut tridui spatium emensum fingeret*, intra sextam & nonam horam diei.

h *Papirius Massonus pontem describens, ipsius simul & fluminis amplitudinem sic explicat pag.* 425, Pons Avenionensis mille trecentos quadraginta tres longitudinis passus habet, & decem & octo fornices, sinuosusque est. *Quam vero etiam præceps feratur Rhodanus, antiquorum testimoniis declarat Theophilus puncto* 6.

C

i Pontium *fuisse sub quo cœptus est pons fabricari, habetur ex Actis an.* 1185. *ejus autem obitus, qui post tres annos contigit, notatur in Necrologio S. Andreæ Ord. Bened. ad* 24 *Decembris: utrum autem idem hic fuerit is ad quem in primo hoc suo adventu accessit S. Benedictus, an vero decessor ejus Raymundus, non habeo unde definiam.* Festivus *porro* scriptor Paradinus, *inquit Theophilus*, Episcopum in auleten vel tibicinem, ecclesiam in forum rerum venalium, de suo capite transmutavit; scribens sanctum puerum in urbis aditu, confertam multitudinem ad tibicinis modulos hærentem deprehendisse; & conscensa mensa escaria, in qua per lanios carnes in macello prostare ex usu est, silentio imperato contenta voce inclamasse, missum se à Deo ad pontis fabricationem.

k *Ipse Theophilus comminisci videtur materiam & causam sermonis fuisse eclipsim solis, quæ populum consternarat: sed nusquam invenio Antistites Christianos concionem convocasse aut preces indixisse ex tali causa, quam ignorare non poterant pure naturalem esse. R. I Disambec dubitat, Festine an Dominicæ diei occasione sit habitus sermo. Clarum est eclipsim immediate præcessisse festum exaltatæ Crucis: Dominica autem anno illo bissextili* 1176, *quo litteræ Dominicales erant DC, cadebat in* 19 *Septembris, ac proinde nimis longe aberat.*

D

l *In vulgari habetur* Prevost Viguier, *id est*, Præpositus Vicarius *juxta Theophilum: qui conjectat eumdem fuisse ex antiquissima familia* de Sade, *propterea quod hujus familiæ scutum conspiciatur insculptum pilis substratis primo pontis fornici. Idem cavet ne quis suspicetur intelligi Præpositum Canonicorum ecclesiæ S. Mariæ de Castello: sed supervacanea plane cura, omnia enim hic adjuncta judicem secularem notant.*

m *Lectiones præcitatæ, comminatione excoriationis & mutilationis dissimulata, habent*, misit eum ad Præpositum civitatis, qui erat vir terribilis, ut examinaret eum.

n *Eadem Lectiones hanc exaggerationem omittunt. Paradinus pro Deo, Petro & Paulo*, Cæsarem Augustum Julium Octavianum *nominare maluit: in Latini MS. ecgrapho pro nomine* Caroli *locus erat relictus vacuus: sed in vulgari expresse haberi* Carles *monuit nos D. des Fargues, nec dubitat quin intelligendus sit* Carolus Magnus.

o *Ipsum palatium eo loco fuisse ubi nunc est curia Vicarialis seu Vices-gerentiæ, scribit R I. Disambec.*

E

p *Paradinus, qui totum hunc actum diversissimis vestit circumstantiis, addit* lapidem 13 pedes longum, 7 latum, *iacuisse* sub ulmo, *quæ à tali auctore dicta, miror absque alio teste recipi. Simili fide subjungitur Benedictum impressisse lapidi signum crucis, & dixisse* Domine adjuva me. *Memoria quoque labitur Theophilus, Paradinum corrigens, quasi parum dixisset negando à* triginta hominibus moveri potuisse. *Cum* antiqua Acta è publico Avenionensi tabulario deprompta affirment, ne centum quidem & triginta homines tantæ moli emovendæ pares fuisse futuros. *Nimiam hæc arguunt Theophili præcipitantiam in scribendo: nam neque triginta hominum uspiam meminit Paradinus, neque illos centum ulla exprimunt Acta.*

q *Supple* Carissimi *aut quid simile: hæc autem verba omittuntur in Lectionibus post mortem Sancti compositis: cum jam recitata Acta, vel ex hac ipsa parenthesi, videantur esse scripta vivente ad huc Sancto, primo aut secundo anno ab inchoato opere, idque eo fine ut per ecclesias lecta incitarent præsentes, ad pecunias in opus conferendas.*

r *Qui sequitur paragraphus habetur ex Lectionibus non ex Actis: ex quo confirmatur quod dixi, ipsa ante mortem Sancti esse scripta.*

F

s *Miraculis autem prædictis attestantur Antiphona & Collecta, ex Officio proprio, quæ sunt hujusmodi.* O quam, Benedicte, mira tibi refulsit gratia, qui dum patris servares pecora, divino vaticinio miro stemmate pontem construis. Gaudet felix Avenio, tanto ditata pignore, cæcis restitu, lumina, surdis auditum, claudis gressum & languidis sospitatem, qui ad te confugiunt: adsunt plebi prodigia, tua poscenti, suffragia. VER. Ora pro nobis Beate Benedicte: RESP. Ut digni efficiamur promissionibus Christi. OREMUS. Omnipotens sempiterne Deus, qui miro Divi Benedicti merito factoque, sidereo pontis hujus stemmate urbem Avenionem perlustrare voluisti: quique cæcis visum, surdis auditum, claudis gressum, nonnullisque languidis sospitatem ejus precibus adesse jussisti; concede propitius, ut omnes qui ejus poscunt juvamina, salute corporea fruantur, & ad regna æterna pervenire mereantur. Per Dominum N. I. C.

t *Theophilus Raynaudus puncto* 16 *exhibet syllabũ Indulgẽtiarum & spiritualium munerũ ab Innocentio* IV, *Clemẽte* IV, *Bonifacio*

A *Bonifacio Vrbano Clemente v item à duodecim Cardinalibus, quatuor Archiepiscopis, tredecim Generalibus Ordinum*, è tabulario Comitii fideliter descriptum. *Sed hic syllabus solum dirigitur*, Omnibus benefactoribus pontis Avenionis & hospitalis: *quapropter optandum esset ut verbotenus proferantur bullæ, expressam mentionem facientes venerationis sancto corpori exhibendæ.*

DEPOSITIONES TESTIUM.

Ex iisdem authenticis MSS. Archivii.

18 IN Jesu Christi nomine, incipit notatio B. Benedicti. Isti sunt testes qui eum viderunt. In primis *a* Guillelmus Chautart, quasi juratus, vidit *b* Beatum Benedictum; & vidit facere *c* pontem per virtutem Dei & B. Benedicti: & vidit ponere primum lapidem. Et fuit ibi Episcopus Avenionensis, & ibi dixit *d* Officium suum: & inde factus est pons infra undecim annos. Item dixit prædictus Guilielmus Chautart, quod B. Benedictus multis reddidit visum, & auditum, & sanitatem, ponens Crucem super eos, singulis dicens, Fides tua te salvum faciat: & osculabatur eos, & ante finem & post finem [vitæ B. Benedicti] *e* multi ab eo sanabantur: & post finem dimittebant *f* crossas ecclesiæ, & recedebant recti: & hæc omnia vidit. Item vidit B. Benedictum qui dicebat operariis, quando non habebant lapides, Eatis ibi fodere, & invenietis: & per Dei virtutem ita inveniebant. Et vidit Guilielmus, Beatum Benedictum vivum & defunctum & [erant ibi vota] *g* sicut in Podio *h* B. Mariæ: & fama erat magna de virtutibus.

a b c *x Testis inchoati pontis* *d* *e f miraculorũ* B *g h*

19 Item Bertrandus Pelar vidit mulierem unam, quæ non videbat, cui B. Benedictus reddidit visum super pontem. Et cum ipsa volebat recedere à ponte, amittebat visum, & sæpe eveniebat ei: & servivit in ponte per annum & amplius: postea læta videns recessit. Item vidit hominem unum, & tenebat in manu serram *i* unam, cum qua metebat in festo S. Petri. Evenit quod non valebat emittere serram de manu nec *k* bladum: & venit ad sepulcrum Benedicti, deprecans Deum & B. Benedictum ut eum liberaret: & liberatus est: & ibi dimisit serram & bladum super sepulcrum. Item audivit dici, quod B. Benedictus erat in Burgundia *l* in quadam ecclesia, deprecans Deum: & inimicus desuper *m* ruit lapidem magnum, putans eo occidere sanctum Benedictum: sed lapis non tetigit eum, & super pannos cecidit. Tunc iratus diabolus, eo quod non fecerat hoc quod credebat, nocte venit ad pontem, *n* & dissipavit pilam unam pontis: & iste prædictus Bertrandus vidit hoc. Diluculo mane B. Benedictus in Burgundia scivit hoc factum, & dixit sociis suis, Revertamur, quia inimicus dissipavit pilam pontis, & hoc evenit per Dei virtutem, & nocte una totum evenit. Item vidit & audivit de infirmis & cæcis & contractis & surdis, sicuti G. Chautard. R. Martinus dicit similiter ut Bertrandus Pelar. Ugo Crouchà vidit & dicit ut R. Martinus.

cæca illuminata; *pœnitentes liberati,* *i* *k* *& spiritus prophetici in Benedicto.* *l m* C *n* *alii contestes tres.*

20 Item Lautardus vidit B. Benedictum euntem per civitatem, dicentem, Deus faciet pontem super Rhodanum. Et gentes irridebant eum, & tamquam fatuum habebant. *o* Tamen Milites in platea S. Petri & quà plures alii audiebant eum, & inter se dixerunt: Iste bonus videtur esse, eamus cũ eo. Et iverunt per civitatem cum illo eleemosynam petentes: & invenerunt à quatuor libris usque sex *p*: de quibus B. Benedictus emit lapides. De infirmis & aliis sicut R. Martinus & B. Pilar. Petrus Vasso dixit similiter quod Lautardus. Item Domina Martibula vidit similiter quod Lautardus. Item *q* G. Niger vidit mulierem, quæ non videbat, nomine Davidia, etc. ut prædictus. Item Imbertus Daura vidit similiter ut G. Niger.

v Testis de sumptu ad pontem conquisito, *o* *p* *contestes quatuor.* *q*

21 Item Isnardus S. Petri in *r* Cucodoletz & Ugo Bermundus, in domo sua, quando volebant nocte cubatum ire, respicientes per fenestram unam, [viderunt] super Rhodanum pontem factum, & gaudentes dixerunt, Eamus [visum]. Et non invenerunt, quia Dei ostensio fuit: & istud audivit ab Isnardo S. Petri in Cucodoletz. Item *s* Guilielmus Gaillard similiter, dicens quod vidit unum hominem contractum, qui non valebat à lecto surgere: & petiit B. Benedictum venire ad se. Sic eo intrante, infirmus statim dixit, Sanus factus sum: & statim sanus factus est. Et fama erat populo magna & nota.

AUCTORE D. P. *r* *alii duo de ostensione pontis per visum,* *s* *alius de contracto sanato.*

22 Item Pons Pajez dixit, quod viderat infirmos complures, contractos, cæcos, & claudos, qui veniebant ad eum, ante finem & post finem, & recuperabant sanitatem: & vidit ad ecclesiam pontis bene duas vel tres *t* asinatas de crocis: & notum erat per civitatem. Et vidit, multos *u* Romipetos venire ad ecclesiam B. Benedicti, qui Deum laudabant & B. Benedictum, gratias agentes eo quod sanati erant ab ipso. Et quando migratus est B. Benedictus ab hoc mundo, Episcopus & Canonici, propter virtutes quas fecerat, crediderunt eum accipere, & in ecclesiam de super Beatæ Virginis ferre. Sed B. Benedictus antea acceperat atque dixerat & elegerat sepulturam suam in tertiam pilam pontis, ubi est adhuc. Item Bertrandus Avenionensis vidit & audivit similiter ut Pons Pajez. Item P. Tinellus vidit eum similiter & audivit ut Bertrandus Avenionensis: & erat Pontifex de Margarides nomine *x* [Rostagnus. Et vidit] contractos homines atque mulieres, cum crocis pergentes, ac postea sine crocis redeuntes, Deo gratias clamantes. Et de aliis infirmis erat notum sicut alii prædixere.

alius de frequentia peregrinorum; *t* *u* *& loco sepulturæ;* *contestes duo.* *x*

23 Item *y* Raymundus de Margarides vidit & audivit, quod unus civis in platea portæ *z* Ferruciæ ludebat, & contra Deum jurabat. Et tunc venit B. Benedictus, & cum baculo suo interfecit *aa* ludum eorum: & eis fuit in malum. Et tunc unus ex ludentibus dedit ei alapam. Cito visum est os ejus [versum ex] latere: & sic evenit in præsentia sua, dicens, *bb* Parcat tibi Deus. Tunc B. Benedictus parcens eidem, precatus est Deum pro illo, & illico restituta est facies recta via. Item vidit quod B. Benedictus ibat per villam [& post] eum veniebant [clamantes], Domine, veni infirmos istos videre: & tangebat eos, & sanabantur. Et vidit & audivit sicut prædicti: & fama erat in populo: & in terra ei votum erat [sicut] B. Mariæ de Podio. Et de crocis & de aliis vidit in ecclesia B. Benedicti bene duas asinatas. Item audivit à multis, quod in *cc* Mazano Deus fecit ei de aqua vinum tribus vicibus, eo quod ipse bibere nolebat de vino: & ipse videns istud miraculum, dixit: Deus vult ut ego bibam de aqua ista: & [multi ex præsentibus] vinum de aqua factum per virtutem Dei diligenter tentaverunt. *dd* Gratias agamus unanimiter Deo nostro & B. Benedicto: cui est honor & gloria.

Testis ultimus de percussore punito & sanato; *y z* *aa* *bb* *deque curatione infirmorum* *cc* *& aqua in vinum versa.* *dd*

ANNOTATA.

a *Secutus conjecturam Theophili, scribo nomen integrum, quod alias ex more usitato illius seculi, sed perquam incommodo, scriptum erat hic & deinceps per solam litteram initialem* G.

b *Ita semper integre & ad longum scribitur*, Beatus Benedictus: *quod tamen ex nostro usu post hac simpliciter signamus per* B.

c Facere *neutraliter pro fieri; sicut mox* ponere *loco* poni.

d *Hinc infert Theophilus, consuetas Ecclesiæ ceremonias, in positione primi lapidis ad fundamentum alicujus ecclesiæ, hic quoque fuisse adhibitas.*

AUCTORE D. P.

e *Ita hic & deinceps supplebuntur voces quædam, quæ festinanti Notario inter describendum exciderunt, & omnino ad sensum integrandum requiruntur, aut saltem subintelliguntur, uti hoc loco satis esset ea subintelligi.*

f Crossæ *alias* crociæ, *fulcra subaxillaria.*

g *Has voces haberi in vulgari, atque adeo hic desiderari, indicavit nobis D. des Fargues.*

h Podium B. Mariæ, *alias* Anicium *in Velaunis, celebri peregrinatione notissimus locus.*

i Serra *hic pro* falce *usurpatur.*

k Bladum *id est frumentum, hic sumitur pro manipulo spicarum.*

l Burgundiæ nomine Allobrogum Cismontanorum regio universa donabatur, *inquit Theophilus*; & verosimillimum fit in aliquem Allobrogum Occiduorum seu Vocontiorum Delphinatium locum concessisse Sanctum, *corrogandarum, ut existimo, pecuniarum causa. Et hinc forte Parradinus occasionem sumpsit comminiscendi iter Romanum.*

m Ruere *pro* jacere *dicitur idiotismo Gallico.*

n *Pontem jam tum plane perfectum fuisse præsumit Theophilus; nos vero supra ostendimus, nequidem id fuisse cum obiit Benedictus.*

o *Hic Comminiscitur Paradinus: quod Benedictum ludibrii causa cives attonderint atque ejecerint extra urbem:* B *qui tertia hebdomade post admonitus ab Angelo redierit: rediensque invenerit civem stantem ante ostium domus suæ, qui civis eo conspecto dixerit, Ecce puerum qui dicebat se velle facere pontem. Tunc conversum Sanctum inculcasse mandatum Dei, & subsidium postulasse, oblatumque ei esse lapidem, de quo supra. Quæ omnia Paradinus vel ex suo sumpsit capite, vel ex plebeia narratione, ipsis antiquis monumentis numquam visis.*

p *Puto legendum* à quadringentis libris usque sexcentas *conformiter ad Acta num.* 16 *intelligendo libras Turonenses, totis Galliis nominatissimas. Theophilus, nescio quibus calculis,* septuaginta auri libras *hic supputavit.*

q *R. I Disambec, G.* Gillenum *sive* Guilielmum *interpretatur.*

r *Vulgo* Condolet, *in occidua Rhodani ripa, media fere via inter pontes Avenionensem & sancti Spiritus.*

s *Nomen* Guilielmi *rursum accipimus ex conjectura Theophili.*

t Asinata *onus unius asini: sicut* carrata *onus carri.*

u Romipetus *hic generice sumitur pro quocumque ex devotione peregrino: similiter in lingua Hispana* Romero *peregrinus*, Romeria *peregrinatio dicitur.*

x *Nomen supplevimus ex Catalogo Episcoporum Avenionensium apud Sanmarthanos, ubi vocatur* Rostagnus de Margaritis, *qui adhuc anno* MCXCVII *vivebat, mortuus* C *circa* MCC; *post cujus mortem apparet hæc esse scripta, fortassis cum cogitaretur de curanda canonizatione.*

y Raymundi *nomen suggerit Theophilus: in ecgrapho nobis misso hic & superius relictum erat spatium vacuum.*

z *Superest hodieque nomen plateæ, ut testatur Theophilus, &* locus est, *inquit,* Rhodano propinquus; nunc quidem, post mœnium septa ulterius constituta & amplificatum pomœrium, intra urbem conclusus; tum autem extra claustra muralia jacens ad Rhodani ripam, haud procul à pontis fabrica.

a a *Hinc apparet intelligi ludum latrunculorum, qui finitur cum voce* Mat, *interficio, occido, videlicet Regem: quia hoc dejecto dissipantur omnia.*

bb *Verba hæc sunt ipsius testis, ad eum qui faciebat injuriam.*

cc Massanum, *Comitatus Venassini oppidulum esse haud ita procul Avenione, auctores asserunt: illud credo, quod pari fere quinque leucarum intervallo distat Avenione & Arelato,* Mallanum *in Mappis scriptum.*

dd *R. I Disambec addit; alias cum operarios deficeret vinum, voluisse Sanctum, ut phialas suas aqua implerent, quam facto desuper signo Crucis in aquam converterit. Nescio unde id acceptum.*

JURA PONTIS

Duobus præcipuis instrumentis contenta.

INstrumentum sequens continet donationem factam per Comitem *a* Forcalquerii Fratribus pontis, quibus donavit & remisit omnia jura, quæ habebat in transitu pontis. Signatum littera C. *a*

24 Notum sit omnibus, quod anno Domini millesimo tricentesimo tricesimo secundo, die vigesima quarta mensis Januarii, existente Domino civitatis Avenionensis Serenissimo Principe Domino nostro D. Roberto, *b* Dei gratia Jerusalem & Siciliæ Rege, ac etiam Comitatuum Provinciæ & Forcalquerii Comite; constitutus apud Avenionem in regia curia, ubi jus redditur, discretus vir Ioannes Guifredi, burgensis de Avenione & Rector operis pontis S. Benedicti civitatis prædictæ; in præsentia nobilis & circumspecti viri D. Jacobi de Gappo, Judicis curiæ ejusdem, sedentis pro tribunali; exhibuit & præsentavit eidem, per me Notarium infrascriptum, legique fecit & publicari, quoddam instrumentum publicum, scriptum & signatum per manum Petri, Notarii quondam D. Guillelmi, recolendæ memoriæ Comitis Forcalquerii, & sigillo ipsius Domini Comitis pendente roboratum in fine, non cancellatum, non vitiatum, nec in aliqua sua parte abolitum nec vitiatum, sed omni suspicione carens, cujus tenor inferius est scriptus. Verum quia de ipsius instrumenti amissione *c* dubitatur, propter aquarum inundationes, & ignis incendia, aliaque pericula, quæ in civitate prædicta frequenter accidunt; petiit lectionem hujusmodi & publicationem, auctoritate dicti Domini Judicis interponi pariter & decretum; & de toto tenore dicti instrumenti, & lectione & publicatione ejusdem, & omnibus prædictis & infrascriptis, sibi fieri publicum instrumentum. Et dictus Dominus Judex, lecto primitus ejus jussu instrumento prædicto & publicato, lectioni & publicationi hujusmodi, sedens pro tribunali, auctoritatem suam Judiciariam interposuit pariter & decretum; præcipiens mihi Ioanni Gauterii Notario infrascripto, ut eidem Ioanni, de prædictis omnibus & de toto dicti instrumenti tenore, publicum faciam instrumentum. Tenor vero dicti instrumenti noscitur esse talis.

Anno 1332 coram Iudice Avenionensi — *b* — E — *c* — *renovatur privilegium*

25 In apicibus litterarum memoria commendatur, ne res penitus oblivioni tradatur. Præsentibus igitur & futuris hoc præsenti scripto cunctis notificetur, quod ego Guillelmus, *d* Dei gratia, Comes Forcalquerii, auditis miraculis & virtutibus, quas Dominus Iesus Christus in sancta Domo pontis Avenionensis operatur, cupiens bonorum ejusdem Domus esse particeps, & in redemptionem peccatorum meorum; si aliqua jura seu *e* usatica in transitu jam dicti pontis habeo vel habere qualicumque modo debeo; totum Deo & sanctæ Domui, & in augmento beati operis, quod B. Benedictus Dei admonitu & voluntate incepit, bono animo bonaque mente dono & remitto, in præsenti & in futuro. Insuper vero eodem modo concedo, & si per prata nostra seu per terram ligna vel blada seu aliquæ res ad sacrum opus jam dicti pontis necessariæ transierint; quidquid in his rebus propriis sæpe dicti pontis, per *f* pedagium vel aliquod usaticum, quærere potero, Deo, ut delicta mea oblivioni tradantur, & sanctæ Domui prænominatæ per æterna tempora remitto. Deinde vero cunctis *g* Bajulis meis prædictis notifico, quod si qui per castra mea & per villas bladi *h* bannum teneant, blada, quæ propria prædictæ Domus & operis fuerint,

quo Guillelmus Comes Forcalquerii — F — *d* — *e* — *remittit ad opus pontis jura sua circa transeuntes,* — *f* — *& omnia istuc spectantia à gabellis immunia declarat* — *g h*

A fuerint, pro banno illo non disturbent, sed libere abire permittant. Domum siquidem illam, omnesque res Domus, & omnia ad ejusdem servitium pertinentia, per terram nostram & amicorum nostrorum, eundo & redeundo in nostro recipimus ducatu & custodia. Datum apud *i* Manoascam, Dominicæ Incarnationis anno MCCII, mense Novembri. Postea vero, toto illo tempore transacto, jam dictus Dominus G. Comes Forcalquerii hujus beneficii & eleemosynæ donationem, apud Forcalquerium propositi, recognovit & confirmavit, & Petro Notario suo cum hoc plumbeo sigillo hanc cartam approbare præcepit, octavo Kalendas Septembris Indictione x, anno Incarnationis Dominicæ MCCVII.

i — *an. 1202.* — *& 1207.*

26 Lecta & publicata fuerunt omnia prædicta apud Avenionem, præsentibus testibus Fratre Bertrando Rostagni, F. Jacobo Isnardi Donatis dicti pontis, Cabessonio Damiani. Et ego Joannes Gaucherii, Notarius publicus civitatis Avenionis & regius ubique in Comitatibus Provinciæ & Forcalquerii, mandato dicti Domini Judicis & ad requisitionem dicti Joannis Guiffredi, legi & publicavi omnia prædicta, & in hanc formam publicam redegi, signoque meo proprio & consueto signavi & B bullavi. *Simili prorsus modo, eorumdem rogatu, jussu & manu, atque eodem anno & die, in publicam formam redactum est instrumentum continens tenorem alterius similiter antiquioris instrumenti; quare omissis publicationis verbis per omnia iisdem (nisi quod ad titulos Roberti Regis ibi expressos addatur Comitatus Pedemontii) jam dictum tenorem satis habemus seorsim exhibere.*

simili modo renovatur conventio

27 Expedit ut frequentes & assiduas proclamationes eorum, qui per pontem Rhodani transeunt, ad nos factas de usatico seu portorio, quod ab eisdem exigitur, finem debitum imponamus; sic ut secundum veterem morem & antiquam consuetudinem, Geraldus Amici & Elisiardus & alii Domini portus, portorium suum & usaticum sine contradictione habeant & recipiant; à transeuntibus vero per pontem, per oppressionem seu extorsionem, nihil ultra exigatur, quam vetus antiqua consuetudo portorii seu usatici approbavit. Ideoque qui eo tempore in civitate Avenionis officio Consulatus fungebamur, videlicet Rostagnus de Prato, Umbertus Raymundi, Bertrandus de Fos, Raymundus de S. Michaele, Bertrandus, Lambertus, Multonus, Dalfinus, Domini Rostagni Avenionensis Episcopi C consilio requisito, & Rostagni Raymundi qui eo tempore fuerat Consulatus Index juratus; laudavimus & concessimus, ut de singulis *k* equitationibus II denarios, de asino I denarium, de bove I denarium, de *l* bacone I denarium, de *m* curello IV denarios, de singulis peditibus singulos obolos, de singulis porcis singulos obolos, & de omnibus pariter caudelariis, *n* præsentibus & futuris, qui in civitate Avenionensi morantur aut ultra Rhodanum aut alibi ubicumque degunt, antiquum & consuetum caudelum sine contradictione habeant. De fructibus vero & lignis & piscibus, qui per pontem transeunt, similiter antiqua servetur in caudelo consuetudo. Quod totum ut supradictum est, à D. Pontio, bonæ memoriæ Avenionensi Episcopo, & Consulibus, qui eo tempore Consulatum regebant in civitate, quando Frater Benedictus piæ recordationis pontem incepit, consilio multorum in eumdem modum esse decretum & approbatum fuerat manifestum. Ut autem hæc omnia firma & illibata serventur ad perennem memoriam, jussimus instrumentum memoriale fieri & sigillis nostris signari. Facta sunt hæc, ut superius dicta sunt, recognita & firmata, in camera Episcopi, coram Domino R. Episcopo & Consulibus præmemoratis & aliis multis. Ego Stephanus Notarius Consulum Avenionensium hoc instrumentum composui: & mandato Domini Episcopi & Consulum scripsi & sigillavi, anno Dominicæ Incarnationis millesimo centesimo & octuagesimo quinto, mense Januarii.

de portoriis in transitu pontis solvendis — *k* — *l m* — *n* — *(pontis initio capti operis statutum erat)* — AUCTORE D. P. — *scripta post mortem Sancti an. 1185.*

28 *Sic ad longum subscripta anni nota legitur, tam in originali libro qui inscribitur* Jura pontis Avenionis *(ubi hic Actus aliique plures legitime descriptus fuit, anno* MCCCXXXII, *ad instantiam Rectorum pontis) quam in libro secundo processus, inter Alexandrum Papam* VI *& Regem Franciæ vertentis, seculo* XV *exeunte. Atque hac tam indubitabilis nullique exceptioni aut suspicioni obnoxia temporis signandi forma, convicit Dominum des Fargues, ut recederet à sententia P. Theophili, obitum S. Benedicti usque post absolutionem pontis differendum existimantis; quam, uti & pleraque ejus sensa alia, secutus fuerat in Vita Gallica, sub nominis proprii anagrammatismo edita. Videtur Theophilus non potuisse concipere, quomodo portoria exigerentur à transeuntibus pontem, nondum perfectum; ideoque pro anno* 1185 *ipse annum* 1195 *jussit imprimi, ratus errorem transcriptoris sui. Verum monet nos Dominus prænominatus, sicut etiam hodie illa exiguntur, quando (ut mox videbimus) pars una pontis collapsa jacet, pars tamen reliqua servit ut antea usque ad parvam quamdam insulam unde transitur in parata navigia; sic etiam tunc factum fuisse. Etenim istic ubi pons structus est varias parvas insulas format Rhodanus, quæ commoditatem præbuerunt fundandarum pilarum; unde factum ut pons ipse nequaquam rectus, sed sinuosus sit. Nihil igitur absonum dicitur, dum solam unam partem pontis absolvisse Sanctus asseritur; maxime cum omnia antiqua monumenta solum cœpti operis, non etiam absoluti laudem eidem tribuant, utendo semper verbo* incepit: *& cum auctor coævus, de eodem scribens, distincte asserat, septimo inchoatæ molitionis anno Benedictum obiisse.*

non anno 1195. — E

29 *Iam dictus Theophilus puncto* 17, *relata Guillelmi Comitis Folcalqueriensis privilegio, subjungit aliud, omnino quoad substantiam simile,* datum apud Montem-Favum *o* anno Dominicæ Incarnationis MCCIII mense Septembri in præsentia Domini G. *p* Vicensis Episcopi, Rostagni de Sabrano Conestabuli, Stephani Prioris Pontis, *quo* Raymundus *q* Dei gratia Dux Narbonæ, Comes Tolosæ, Marchio Provinciæ, filius Reginæ *r* Constantiæ, *confirmat privilegium à patre suo Raymundo de S. Ægidio datum,* ut in tota terra *sua potestatis* Fratres pontis per terram vel per aquam transeuntes, de animalibus vel quibuslibet aliis rebus suis, ad usum operis & Domus pontis, pedagium, *s* toltam, *t* quæstam, seu aliud quodlibet usaticum dare non teneantur: sed liberi & immunes ab omni exactione permaneant. *Quod quidem Instrumentum loco citato potest totum legi, prout illud anno* MCCXXXVII à Raymundo *juniore*, Dei gratia Comite Tolosæ & Marchione Provinciæ *redintegratum, transcriptum & confirmatum est, cum id fieri postulassent* Hugolanus Persona, Præceptor *u* Domus pontis Rhodani Avenionensis S. Benedicti, & Petrus Trinsacius & Petrus Garetis, Fratres ejusdem pontis .... quia dictum instrumentum erat antiquum, & etiam fila quædam, in quibus bulla pendebat, erant rescissa, & fere quasi omnia vetustate corrupta.

Aliud privilegium R. Comitis Tolosani. — *o* — *p* — *q* — *r* — F — *s t* — *u*

ANNOTATA.

a Forcalquerium *vulgo* Folcauquier, *oppidum in Provincia, distans Avenione ad ortum plusquam* 11 *leucis, circa Larum fluviolum; Caput olim totius Provinciæ Occidentalis, ipsam etiam Avenionem comprehendentis, de cujus institutione, prout distinguitur à Comitatu Venascino, dicto simpliciter Provinciæ Comitatu, agit Honoratus Bouche in Historia Provinciæ lib. 8, putatque factam circa an.* 950, *licet necdum inventus sit aliquis hoc titulo usus ante annum* 1027, *quando* Bertrandus *scribitur* Comes Fontis-

A Calquarii; *an recte, dubitat Honoratus.*

b *Robertus, Rex Siciliæ & cetera, coronatus Avenione* 1309, *titulum illum tenuit usque ad* 1343; *Siciliæ scilicet cis Pharum sive Regni (ut nunc vocant) Neapolitani, cum insula totius possessionem pater ejus Carolus anno* 1303 *cessisset Frederico Arragonio, sub titulo Trinacriæ, ad vitam dumtaxat ipsius; sic ut ipsius Caroli heredes succedere deberent: quod tamen non est factum, prævalentibus Arragoniis contra Andegavenses, quorum primus Carolus, S. Ludovici Frater, cum uxore Beatrice accipit Comitatus Provinciæ & Forcalquerii.*

c Dubitare *timere, Gallice* redoubter.

d Guillelmus IV Comes Forcalquerii, *filius Bertrandi & Iausserannæ, prout ipse scribit in quodam privilegio, quod Ecclesiæ Avenionensi confirmavit anno* 1206 *apud Honoratum Bouche; cœpit Comitatum regere ante an.* 1162 *& obiit an.* 1208.

e Usaticum *seu* portorium *generale nomen, ad significandum quodcumque publice usitatum jus circa transvehendas res ac merces: dubites utrum sic dictum ab* usu, *an vero ab Italico Gallicoque* Ussire *egredi.*

f Pedagium *aliis etiam* Pedaticum. *Vossius de Vitiis* B *sermonis lib.* 3 *cap.* 34 *suspicatur dici quod dominis loci persolveretur etiam ab iis qui pedibus iter conficerent: sed apparet, onus hoc non tam personis quam mercibus indictum, tum ex hoc loco, tum ex usu etiam hodiernæ linguæ Francicæ, in qua* peage *significat vectigal seu portorium.*

g Bajulus *alias* Balivus, *id est, Prætor.*

h Bannus bladi, *tributum frumento impositum.*

i Manoasca *vulgo* Manosque, *Durantio flumini adjacens oppidum,* 4 *leucis à Forcalquerio ad meridiem.*

k Equitatio, *alias* equitatura, *accipitur simpliciter pro ipso equo.*

l Bacon *videtur esse diminutivum à Teutonico & Francico* Bac, *quod est, vas ligneum quadratum, cujus forte usus erat ad quidpiam humeris bajulandum.*

m Curellus, *diminutivum à* currus.

n Caudelarius (*quantum conjectura assequor, nec enim alibi vocem illam adhuc reperi, neque jam tempus est Avenionenses consulendi, dum hæc poscuntur ad prælum*) *videtur dici, qui tenetur Domino loci* caudelum *solvere:* caudelum *autem idem existimo, quod* Catelum *seu* Catallum *dicunt alii; estque tributum solvendum ex vel pro quacumque re mobili, animata seu inanimata, quæ etiam* Catelum *seu* Catallum *vocatur; nomen, ut nonnullis videtur, detortum à Latina voce* capitale.

C o *An nomen loci recte expresserit Raynaudus, & ubinam situs ille sit, libenter ex earum regionum peritioribus discam.*

p *Sic* Uticensis civitas & Episcopus *in variis medii ævi scripturis invenitur apud Catellum de Comitibus Tolosanis; antiqui* Ucetiensis *scribebant, vulgo* Uzéz *sub Metropoli Narbonensi,* 6 *leucis ad occasum Avenione distans, cujus urbis Episcopum* Guillelmum, *Catello ignotum, à se ex MSS. erutum gloriantur Sammarthani, ut qui anno* 1203 *Episcopatu cesserit. Atqui hoc ipso anno nominatur in præsenti privilegio: cessit ergo post Septembrem, vel etiam post cessionem titulo uti perrexit. Eum anno* 1183 *præcesserat Bertrandus.*

q *Hic est ille* Raymundus Comes Tolosanus, *Albigensium fautor, eoque in historiis ecclesiasticis merito infamatissimus.*

r Constantia, *filia Ludovici Grossi Francorum Regis, semper se* Reginam *scripsit: non quia Regis filia & soror: sed quia primis nuptiis juncta fuerat Eustachio filio Stephani Regis Angliæ, & ad regni successionem designato: cur autem Tolosani ac Barcinonenses hi Comites matris nomen toties adhibeant, præter aliorum Principum morem, causam putat fuisse Catellus, quod multiplicatis præter aliorum morem Comitum istorum conjugiis, utile videretur nomen matris exprimere, illos ab aliis eodem patre genitis discreturum.*

s Tolta, *vectigal, videtur esse participium barbarum à verbo* tollo: *Franci voce composita* Maltault *dicunt: quod ex decreto* Malli, *id est conventus publici, exigatur.* D

t Questa, *æque barbarum participium à* quæro; *sicut ab eadem voce* quæstor & quæstus *derivantur.*

u *Notat Raynaudus puncto* 14, *minime otiosum videri, quod cum Stephanus, Hugolani decessor, solum vocetur* Prior, *ut fuerat ab initio institutum; ipse Hugolanus appelletur* Præceptor: *& hinc elicit id usurpari cœptum à Fratribus Pontis, quo se aptarent usui aliorum Ordinum Hospitalariorum, eo titulo utentium, pro quo nunc passim usurpatur titulus* Commendatoris.

TRANSLATIO CORPORIS,

Ex Gallico Domini des Fargues.

30 QUæ malum! infelicitas nostra est, *inquit in fine opusculi sui P. Theophilus Raynaudus,* quod solenni humanarum rerum omnium vitio, pietas quoque erga Cælites sensim deteratur, ac tandem exolescat, & in nihilum recidat? Ita plane circa S. Benedictum & religiosum cultum, ei per longa tempora apud Avenionenses impensum, accidit. Ubi enim pridem fervebant & ardebant omnia, nunc acris hiems viget, & torpor ac rigor omnes stringit ac tenet. Vix est qui de liminibus, quibus ad sanctum tumulum aditur, religiose adeundis annotina cogitatione tangatur: rari qui sancti viri subsidium sibi apprecentur, eumve ad opitulandum in necessitatibus interpellent. Siccatio ista est divinorum beneficiorum, quæ ex his fontibus & olim uberrime manarunt, & nunc quoque non minus copiose profluerent, si esset qui elices & incilia admoveret. Certe ignaviæ isti adscribi debet, & torpentibus & frigentibus in pietatis studio animis, quod justæ asinariæ sarcinæ complures, è fulcris ægrorum persanatorum, non sint jam pridem confectæ: quod cæci, surdi, elingues non egrediantur è sancti viri conditorio, benedicentes Deo, ob depulsa ejus meritis incommoda, quibus gravati accesserant: quod pontis adeo insigne opus, non uno fornice minutum, labet in reliquis, & ruinam plenam præcellentis fabricæ, crebris & patentissimis rimis, veluti clamet.

Frigescenti Avenionensium erga sanctum cultu, E

cessant miracula

& pons labem patitur

31 *Hæc Theophilus in sui opusculi puncto* 22, *quod est* Parænesis ad Avenionenses, de torpore in S. Benedicti cultum excutiendo. *Annus agebatur præsentis seculi* XLIII, *cum ista Avenione primum excusa sunt, typis Iacobi Bramereau: ejusdem vero seculi hujus anno secundo cœperat admirabilis ille pons, qui annis quinis supra quadringentos inconcussus steterat, labem pati ex ruina fornicis unius. Cui reparandæ opera cum non esset adhibita, tribus aliis fornicum ruinis successive cumulatum est damnum; veluti id agente Deo, ut per partes ingesta calamitas civium animos subiret efficaciori dolore, ad graviora mala urbi imminentia avertenda valituro, ac tandem ipsos ad S. Benedicti cultum innovandum exsuscitaturo: prout tandem ex Theophili aliorumque piorum voto factum est his novissimis annis, quando sub manibus erat hic noster labor de Sanctorum Actis Aprilem impleturis. Modum inventi translatique corporis Actuarius publicus, ipso in loco rei gestæ retulit in tabulas: quas rudi illo notariali stylo descriptas, si nobis usui futuras credidisset Dominus des Fargues, haud dubie eadem promptitudine nobis transmisisset, qua transmisit Acta antiquiora: & nos ex vulgari gallica fecissemus Latinas, pari simplicis veritatis satisque per se placituræ ingenuitate. Sed properantibus adeo prælis, ut hæc ipsa vix potuerint ad præstitutum diem parata haberi, contenti erimus ea relatione, cum qua finitur Vita Gallica, per eumdem nobilem virum mox descripta impressaque, solo verborum nitore, ut credimus, à tabulis prædictis differente.*

primum an. 1602. E

eoque nunc instaurato iterum utrumque;

32 Hiemis asperitas, anno MDCLXIX exeunte, tam inclę-

A 1669 inclementer sæviit tota Gallia, ut ex ligatis multo gelu fluminibus ingentes glaciei moles distractæ, dum per Rhodanum ex ingenio fluminis rapidissime pervehuntur, tam immani impetu in pilas pontis Avenionensis adhuc stantes impegerunt, ut iis prostratis duæ fornices una in undas præcipites ruerint: aliæ autem propiores ruinæ vehementer fuerint labefactatæ, ac nominatim ea cui inædificatum erat sacellum olim S. Nicolao dicatum, tunc vero ab eo cujus corpore honestabatur, S. Benedicti solitum appellari: etenim à suis fundamentis abjuncta jam pila transmittebat aquam. Igitur Rectores Hospitalis à ponte cognominati, penes quos sacelli & redituum eo spectantium cura est, timentes corpori ipsius Sancti, ne quandoque involveretur pilæ ejusdem & fornicum incumbentium ruinis, consultum duxerunt, vacante tum Sede Avenionensi, Archiepiscopalem Vicarium adire, rogareque ut pateretur pretiosum istud depositum transferri ad ipsius Hospitalis ecclesiam. Horum precibus cum accessisset solicita commendatio Promotoris Fiscalis Archiepiscopatus Avenionensis in Aquitania, idem per litteras admonentis, decretum est ut ea translatio quam secretissime peragereture, electa ad id die XVIII Martii anni MDCLXX.

33 Itaque ad dictam diem, circa horam decimam matutinam, ingreditur sacellum S. Benedicti magnus Vicarius, una cum Dominis Rectoribus, Thesaurario & aliis officialibus præfati Xenodochii, nec non cum Advocato fiscali & uno Graphiario Archiepiscopali, testibusque & fabris necessariis. Ibi præmissa de more oratione jussit Vicarius, ut Graphiarius quæ fierent describere, fabri tumulum reserare inciperent. Tegebatur sepulcrum grandi petra, cui per longum incisa erat crux & circumducti tres circuli ferrei, ipsam cum saxeo sarcophago connectentes: qua autem parte fuerat Sancti nomen incisum, eam incuriose latomi complanarant, ad inaurationem sepulcri commodius faciendam. Trium dictorum vinculorum medium inferne dissectum & sursum reflexum fuit: tum rumpi cœpta facies anterior: moxque apparuit sudarium candidum, quo sacrum corpus erat obtectum. Hoc sublato visum est corpus omnis expers corruptionis & suave redolens. Itaque solicitiori jam cura, apertum est totum istud sanctæ tumbæ latus; & propius inspectum corpus, visum est vestitum indusio lineo circa collum corrugato, neque ullatenus adherescenti ad carnem: & sudarium quidem tendebatur supra corpus à capite usq; ad pedes, caput autem velatum erat tenui linteo ad collum adstricto: in quo linteo, mox sublato apparuit expressa forma totius vultus perfectissima, adeo ut ipse quoque pupillarum castaneus color discerneretur.

34 Idem caput jacebat modice flexum in latus: facies adeo cernebatur integra, ut ipsa pene lineamenta viventis singula conspicienda daret: sed rasa erant omnia, ut nec capillus in vertice, nec pilus in mento superesset. Dexter oculus clausus operiebatur palpebra: sinister semiapertus notabatur. Nasus ex compressione sudarioli tortus aliquantulum in partem unam: os modice apertum reductaque labia, subridentis instar, extremam dentium supernorum infernorumque aciem denudabant; atque inter eos cernebatur lingua, ejusdem fere quæ viventis esset spissitudinis & coloris, qualis est rosæ siccatæ. Sub eodem capite cumulus quidam inventus est, creditusque ex corona florea fuisse relictus, quia in eadem tumba inventæ sunt etiam myrteorum foliorum reliquiæ: sed alii arbitrabantur frusta esse pergameni, cui inscriptum fuerit quidpiam: quod difficulter discerni potuit, quia in pulveres redierant omnia. Cranium & corpus neque evacuata fuerant neque condita balsamia: ideoque venter, æque ac vivi hominis plenus, cedebat ad tactum, seque rursum ad primum reducebat statum; uti etiam omnis caro venerandi corporis. EX RELAT. GALLICA.

35 Manus apertæ integerrimæque erant, sub quarum cute distingui poterant nervi, & in digitis ungues satis longi, non tamen prominentes ultra summitatem eorumdem digitorum: quibus sinistra manus dextræ innitebatur mamillæ, sic ut brachium absque alio fulcimento penderet in libero aere: dextera autem protensa tegebat umbilicum. Crura & pedes seorsim ab invicem: digiti autem pedum, nihil contracti in dexteram partem vertebantur. Color totius corporis haud multum à naturali differebat; mensura non excedebat sex palmos. Indusium & sudarium, ex tela fere æqualiter rudi contexta, istic ubi propius contigerant membra, melius erant conservata: eorumque contextus adeo istic firmus, ut non posset lacerari magis, quam si recens foret; sed opus esset forficibus eum incidere. Quæ omnia tanto admirabiliora visa sunt, quanto diutius jacuerant in loco, semper ab assurgentibus è Rhodano vaporibus humido: adeo ut circuli ferrei, quibus diximus circumductam fuisse tumbam, ferrugine obsiti & quadamtenus corrosi essent.

manibus aptissime compositis,

& ipsis etiam vestibus integris.

E

36 Sub meridiem extractum è tumba est sacrum corpus, à duobus viris, uno per caput altero per pedes ipsum apprehendentibus, quod tamen inflexum circa medium non fuit. Tum curata est capsa translationi idonea, intra quam ipsum repositum est bombycino involutum panno. Latitudini tumbæ duobus palmis commensuratæ proportionata altitudo erat, locus autem colli atque capitis intra petram excavatus, ubi ad latus dextrum intra eamdem petram excisa erat concha pro aqua benedicta; & supra ipsam procurrebat spatiolum, aptum lychnulo sustinendo. His accurate notatis distributæ sunt inter adstantes particulæ quædam sudarii atque indusii & aliarum reliquiarum: circa decimam autem horam sero vespere quatuor Presbyteri capsam cum corpore S. Benedicti deportarunt, usi ad hoc cingulis sacrificalibus, comitantibus prænominatis Officialibus, quorum pars cereas præferebant faces. Ad ingressum portæ occurrerunt eis Domini Consules, secutique sunt intra ecclesiam conventus prænominati: ubi cum finis impositus esset scribendæ relationi, capsaque signata, ad sua omnes se recepere.

quod ex saxea tumba in capsam ad id paratam repositum,

deponitur in sacristia Hospitalis,

F

37 Postero die Dominus Vice-Legatus aliique plures, quos inter etiam ipse unus fui, ad sacrum corpus visendum se contulere: quod paulo post inclusum fuit intra sacrarium ipsius ecclesiæ, lateribus & calce obturata loci illius porta; usque dum intra ecclesiam dignus tam sancto pignore loculus aptaretur: quod & fieri mox cœpit. Nam intra murum ad cornu epistolæ, è regione ejus loculi, intra quem una spinarum Coronæ Dominicæ reverenter servatur, excavatus est alius, octo palmos longus, & altus duos, munitusque asseribus & ceruleo floridoque satino circumductus: qui capere posset paris mensuræ capsam cupressinam, simili serico convestitam interius, & minus altam ante quam retro. Ex simili quoque serico composita est culcitra, & pulvillus ex tela aurea, ejusdem materiæ limbo circumductus. Hic collocatum est S. Benedicti corpus decima die mensis Maii, sic ut jacentis caput altare respiciat, pedes versus portam protendantur. Loculus crate ferrea, pluribus seris instructa, clauditur; cui prætensa cortina, & ostium ex ligno nucis, sera firmandum. Duodecima die mensis cœptum est corpus exponi spectandum concurrenti quotidie multitudini

& aptato mox congruo loculo,

10 Maii transfertur in ecclesiam,

12 exhibitur spectandum,

EX RELAT. GALLICA.

dini maximæ : in qua ne turbetur quidpiam visum est admovere Helvetorum custodiam, ex iis qui Dominum Vicelegatum stipare consueverunt.

38 *Hactenus libellus Gallicus, die* XXIII *sequentis Aprilis in lucem datus, sub nomine R. I. Disambec alias Richardi Iosephi de Cambis, Domini des Fargues; qui addit, jam tunc fuisse quam plurimos ex undique accurrentibus, qui recepta gratia monumenta reliquerint in prænominata ecclesia : in observationibus autem MSS, recens submissis, dicit*, illuminatos cæcos, contractos recto donatos statu, & multos infirmos sanitati redditos eo tempore, quo intra urbem corpus mansit : atque inter alios curatum infantem qui tertiam jam hebdomadam à nativitate exegerat, absque materni lactis usu eo quod sugere illud non posset. Chirurgus incurabilem judicans, eo quod justo brevior lingua esset, jubebat eum pro desperato haberi : sed cum parentes abiissent ad ecclesiam Hospitalis, curaturi istic dicendum sacrum in honorem S. Benedicti, indeque revertissent; invenerunt infantis linguam productiorem, & lacti attrahendo idoneam : qua de re post paucos dies publicas egerunt gratias. *Nec hoc omittendum, quod nos P. Carolus Faber docuit, viri illius nobilis insignem erga S. Benedictum devotionem, eique conjunctum ejus honorandi zelum ex eo natum, quod existimet ipsi se vitam debere, utpote ex parentibus suis genitus, post votum pro obtinenda prole Sancto nuncupatum; qui Sanctus vicissim affectum ejus gratum se habere ostendit, dato eidem post libelli impressionem filiolo, cui Benezetti seu Benedictuli nomen est inditum.*

consequentibus miraculis,

B

D

39 Post hæc anno MDCLXXII Christianissimus Rex, *quemadmodum idem Dominus ad nos scribit*, mandavit per litteras Archiepiscopo Avenionensi, ut corpus sancti deponendum curaret in ecclesia Cælestinorum Avenionensium. Qui respondit, jussu suo inspectum fuisse pontem & capellam ipsius Sancti, quem judicaret illuc referendum, prætensis consilio isti rationibus. Quibus cum Rex annuisset, secundę translationi faciendę elegit Archiepiscopus diem primum Maii : verum non remittentibus sese toto illo die pluviis, dilata est pompa in diem tertium, duxitque eam Archiepiscopus pro tunc Vice-Legatus, cum universo seculari Clero; cives autem lacrymabantur, quod tam cito se viderent privatos sacro isto pignore, antehac cum tantis gratulationibus intra urbem recepto. Repositus est autem Sanctus intra primam suam arcam, circulis ferreis circumductam : cui, qua parte rupta fuerat, obtensa est craticula ferrea, cum ostio ligneo tribus clavibus reserando. Non defuerunt qui hanc actionem improbarent, & invidiæ arguerent Archiepiscopum, qua Cælestinos, quibus parum benigne afficiebatur, noluerit tanto pignore ditari. Ut ut sit, obiit eodem anno Archiepiscopus, sexto post ablatum corpus mense, die XVII Novembris.

an. 1672 refertur in locum pristinum

die 3 Maii.

E

DE S. HADVVIGE VIRGINE,

MAGISTRA COENOBII MARENSIS ORD. PRÆMONSTRAT.

G. H.

CIRCA AN. MCC.



Lurimas hoc opere celebramus familias, ex quibus tam parentes quam eorum liberi sunt Sanctis adscripti. Harum aliquas ut prosequamus, in femineo sexu nobilissimas, S. Paula notissima est apud Romanos cum filiabus suis sanctis Eustochio & Blæsilla. Inter Anglas regia progenie exorta sunt S. Ermenilda Regina ejusque filia VVereburga : S. Hereswida etiam & quinque filiæ sanctæ, Setrida, Sexburga, Ethelreda, Ethelburga & VVitburga. In belgio similiter floruerunt S. Amalberga & tres filiæ sanctæ, Gudila, Pharaildis & Reinildis : item S. Rictrudis ejusque tres filiæ, scilicet Eusebia, Clotsendis & Adalsendis; imo & S. VValdetrudis cum duabus filiabus, SS. Adeltrude & Madelberta. Harum & aliarum exemplo vixerunt in Ordine Præmonstratensi B. Hildegundis Comitissa, fundatrix cœnobii Marensis in ditione Coloniensi, ejusque filia B. Hadwigis, post matrem ejusdem monasterii Magistra. Illius Acta deduximus ad diem VI *Februarii, tunc polliciti ad hunc diem* XIV *Aprilis nos daturos Acta B. Hadwigis : de qua fatemur nos pauca, quæ illic non dedimus, potuisse obtinere. Aliqua suggessit R. D. Godefridus de Licht, in celeberrimo S. Michaëlis cœnobio Antverpiensi Præmonstratensis Canonicus, nunc Pastor in Duren prope Antverpiam, sedulusque antiquitatis Ecclesiasticæ, potissimum quæ ad hunc candidum Ordinem spectat, scrutator, & sunt ista.*

Plurimæ Sanctæ matres cum suis filiabus

C

ita & B. Hildegundis cum S. Hadwige,

2 *Nomen Hadwigis celebre est in Norbertina vita, & in ipso Norbertino seu Præmonstratensi Ordine, ob matrem sancti Patris Norberti, quæ hoc nomine vocabatur. Natalem B. Hadwigis Virginis hoc die habet liber memoriarum ecclesiæ Marensis & alii. De eadem in Natalibus Sanctorum Ordinis Præmonstratensis Amplissimus D. Ioannes Chrysostomus vander Sterre, ecclesiæ S. Michaëlis Antverpiæ Abbas, ejusdemque ordinis in provinciis Brabantiæ & Frisiæ Vicarius generalis, ita habet :* XVIII Kalendas Maii. In Marensi Cœnobio B. Hadwigis Virginis, Ordinis Præmonstratensis : quæ B. Hildegundis Comitissæ & fundatricis Marensis filia, post matrem huic Cœnobio cum opinione sanctitatis Magistra prima præfuit.

inscripta hac Natalibus Ordinis Præmonstratensis

De eadem tum ex Hagiologio MS. prædicti D. vander Sterren tum ex fragmentis R. D. Petri Rostii Canonici Steinfeldensis, ad eundem Chrysostomum transmissis, decerpsi & collegi sequentia.

3 *Beata Hildegundis Comitissa Marensis, ex marito suo Lothario Comite de Are, viro præstantissimo, præter Hermannum filium (qui in Cappenberga Ordinem Præmonstratensem professus est, ejusdemque monasterii Præpositus fuit) filiam etiam suscepit, quam nomine Aviæ maternæ, id est matris suæ, Hadwigem nominavit. Mater namque B. Hildegundis Hadwigis vocabatur, eratque (ut quidam eam vocant) Comitissa Clivensis : quæ tribus aucta filiabus, cum juniore filia Gertrude, in Dunewaldense Præmonstratensis Ordinis Cœnobium, Deo servitura secessit. Hildegundis altera filiarum, matris exemplum secuta, velut altera Paula cum Eustochio, & ipsa cum filia sua Hadwige, idem Præmonstrati Ordinis candidum institutum amplexa est, in fundato à se Marensi cœnobio ut ad* VI *Februarii dictum est, eidemque cœnobio prima ipsa Priorissa præfuit. Post matrem vero idem Cœnobium filia Hadwigis rexit, ut tradit Rostius, estque prima quæ Magistræ nomen accepit. Petrus Mersæus Cratepolius, in catalogo Episcoporum Coloniensium, in Arnoldo* XLI *Archiepiscopo, hæc ait :* fundationem Cœnobii Maris reperio factam anno Domini MCLXVI, sub Friderico primo Romanorum Imperatore atque Arnoldo Archiepiscopo Coloniensi, à generosa Comitissa de Meer & Aer, nomine Hildegunde, quæ habuit filiam nomine Hadwigem : quæ in erecto novello collegio prima facta est Magistra Virginum ecclesiæ Maris. *Hæc ille.*

habuit fratrem Præpositum Cappenbergensem,

F

aviam & maternam sanctimoniales,

præfuit monasterio Marensi,

4 *Sed, ut recte observat vander Sterre, in Hagiologio agens de B. Hildegunde ad* VI *Februarii, si Cratepolius tantum significare velit Hadwigem, Cœnobio præfectam post Matrem, primam Magistræ nomen prætulisse; bene id quidem : sin vero velit, matrem ante filiam cœnobio non præfuisse, neque gessisse sal..m munus Priorissæ, non satis veritati conformiter loquitur; & plus hac in parte deferendum erit industriæ D. Petri Rostii, qui in Marensi Cœnobio aliquando*

quando Sacellanum egit, ejusque archiva studiose perlustravit; quam Cratepolio, qui in pluribus satis leviter procedit. Nam B. Hildegundem habitum & Ordinem Præmonstratensem assumpsisse, & Virginibus suis præfuisse, clarissime patet ex bulla Alexandri III, quæ incipit Alexander Episcopus servus servorum Dei, dilectis in Christo filiabus Hildegundi Priorissæ ecclesiæ S. Mariæ de Meere, ejusque Sororibus tam præsentibus quam futuris, canonicam vitam professis. Cum infirmioribus membris &c. *Hanc bullam vide ad longum citatam post vitam B. Hildegundis VI Februarii. Item antiquum sigillum monasterii & antiquæ picturæ eam in habitu Præmonstratensi exhibent: & in libro memoriarum Steinfeldiensium, additur nomini* fundatricis ecclesiæ Marensis *titulus* Sororis nostræ. *Male tamen Chronica Cliviæ MSS, & VVernerus Teschenmakerius citati in Commentario prævio vitæ B. Hildegundis n. 3 & 4 eamdem* Abbatissam *vocant: cum constet monasterium Marense nunquam habuisse Abbatissas.*

5 *Igitur postquam B. Hildegundis, bonorum operum receptura mercedem, hanc vitam mortalem cum immortali mutasset; piissima matri non degener filia Hadwigis in regimine successit: quæ postquam sanctæ vitæ exemplis concreditis sibi Sororibus præluxisset, matrem ad cælestem patriam subsecuta est. Quot autem annis præfuerit, & quo anno obierit, non constat: quia plurima monasterii Marensis monumenta bellorum injuriis perierunt. Hadwigem autem ut Beatam habitam fuisse testatur Rostius: unde, ut ipse ait,* Ossa ejus majores nostri reverenter involuta proxime summum altare asservarunt. *Eamdem* Beatam *nominant Ioannes le Paige in Bibliotheca Præmonstratensi, Ioannes Chrysostomus vander Sterre, Petrus de VVagenaere Prior furnensis, Ludolphus van Craywinkel Canonicus Tongerloensis & Pastor in Oelegem tomo I: Legendæ Sanctorum Ordinis Præmonstratensis, & alii: item D. Ægidius Gelenius, vir in rebus Patriæ suæ apprime versatus.*

AUCTORE GODEF. DE LICHT.

6 *De Hadwige, Hadwigis nostræ avia materna, quæ in Dunwaldensi cœnobio obiit, in obituariis habetur annotatus dies obitus XI Kal. Martii, postridie S. Pantaleonis. De Dunwaldensi cœnobio hæc scribit Cratepolius:* Anno Domini MCXVII (*notat Vander Sterren hic esse errorem in numero & legendum vel* MCXXVII *vel* MCXXIX) initium habuit monasterium Virginum nobilium Ordinis Præmonstratensis, quod ab exciso nemore Dunwalt, ab altera parte Rheni, nomen habet. Fuerunt siquidem tunc temporis optima secula, ita & optimi homines: qui portionem patrimonii sui in divinos usus, ut suis temporalibus æterna bona lucrarentur, distribuerunt. Ædificato itaque parvo conventu, statim ubi puram didicerunt innocentiam, Principum accessit liberalitas. Quare D. Fridericus Archiepiscopus, & Arnoldus Comes de Monte, & D. Conrardus Præpositus D. Petri Coloniæ, fraternitatem hanc adjuverunt & non parum promoverunt. Anno autem Domini MCCCCXC jussu Ducis Montensis, Collegium hoc per R. D. Reinerum Abbatem Steinfeldensem reformatum est & conclusum, cum antea esset liberum. *Ejusdem monasterii fundationem Mauritius du Pré, in Annalibus brevibus Ordinis Præmonstratensis, refert ad annum* MCXXX.

Avia Hadwigis vixit in cœnobio Dunwaldensi.

DE SS. IOANNE, ANTONIO ET EVSTACHIO,

MARTYRIBVS VILNÆ IN LITVANIA.

G. H.

Horum Sanctorum Acta ex antiquis MSS. Livonicis & Rutenicis, in Latinum fideliter versa, ad nos Vilna misit Matthias Casimirus Sarbievius nostræ Societatis Sacerdos, & Lyricæ poeseos suo tempore princeps; eaque Illustrissimus Georgius Tyskevicius, tunc Methonensis Episcopus, ut Suffraganeus atque Administrator Eustachii Vollovicii Episcopi Vilnensis, dein ad Episcopatum Samogiensem ac tandem ad Vilnensem promotus, ut edi possent muniverat chirographi sui sigillique fide publica. Albertus VViiuk Koialowicz ex eadem Societate Iesu Sacræ Theologiæ Doctor, & almæ Vniversitatis Vilnensis Procancellarius, inscripsit anno MDCL *dicto Tyskevicio, tunc Episcopo Vilnensi, Miscellanea rerum ad statum Ecclesiasticum in magno Lituaniæ Ducatu pertinentium: ac primo proponit Patronos proprios magni Ducatus Lituaniæ, quorum alii sunt ex ritu Latino, alii ex ritu Græco, & inter hos, prædictos Sanctos celebrat hoc elogio.*

2 Sancti Joannes, Antonius, Eustachius Martyres, Olgerdi, magnæ Lituaniæ Ducis, Aulici cubicularii, nobiles Lituani, populariter vocati Kukley, Mihley, Nizilo: à familia Christiana ipsius Ducissæ Russæ ad fidem conversi, à Nestorio Christiano Presbytero baptizati, ob constantiam in religione suscepta, præsertim quod vetitos cibos statis diebus comedere recusarent, jussu Olgerdi necati sunt: Joannes suspensus XXIV Aprilis, Antonius XIV Junii, Eustachius denique post multa alia tormenta, ac præsertim verberationem, crurium confractionem, cutis capillorumque (quos sibi Ethnico more radi non permittebat) violentam detractionem, XIII Decembris suspendio vitam hanc finivit. Passi sunt Vilnæ post annum Christi MCCCXXVIII, sepulti Vilnæ in templo Sanctissimæ Trinitatis, ritus Græco-Russi uniti, à quibus memoria illorum recolitur ad XIV Aprilis. Relati in numerum Sanctorum sub Alexio Metropolita Kiioviensi unito. *Hæc dictus Albertus, & confirmant Acta, in quibus* Antonius *dicitur* passus XIV Januarii *& Eustachius* XXXI *Decembris. Ferrarius in generali Catalogo Sanctorum eosdem dicto hoc* XIV *Aprilis celebrat his verbis:* Vilnæ in Lituania sanctorum Martyrum Antonii, Joannis & Eustochii. *Citat in Notis monumenta ejusdem monasterii Sanctissimæ Trinitatis: ubi non* Eustochius *sed* Eustachius *tertius fratrum nominatur. Fallitur autem, dum à Tartaris interfectos scribit. Colunt eosdem non solum Lithuani, sed etiam Moschi: nam in sæpe laudatis Kalendarii Moscovitici Tabulis, apud Cl. V. Laurentium vander Hem Amstelodami conspiciendis, videre est eos aulico in habitu, cum cruce martyrii signo, & gladio nobilitatis tessera, depictos. Et Antonius quidem atque Ioannes pileos capitibus gestant: Ioannes quoque juvenili specie imberbis inter Antonium & Eustachium bene barbatos stat medius; quem tamen ex Actis scimus utroque majorem natu fuisse: quod ipsum videtur locus dignior indicare. De Eustachio constat juvenem omnino fuisse: itaque vel nominum ordo in Tabula vel situs subjectarum nominibus imaginum mutandus fuit. Est porro Vilna urbs Lituaniæ primaria, ad Vilna (à qua nomen accepit) Viliaque confluentes. Acta memorati Alexii Metropolitæ Kiioviensis dedimus XII Februarii; quando ejus obitus etiam in prædictis tabulis depictus cernitur, sicut & inventio vel Translatio corporis. Olgerdus, Magnus Dux Lituaniæ fuit pater Iagellonis, & præfuit ab anno* MCCCXXIX *usque ad annum* MCCCLXXXI, *quando relicta numerosa prole mortuus est: cujus res gestas & plurima ab eo bella gesta describit ante indicatus Albertus VViiuk Koialowicz par. I Historiæ Lituaniæ lib. 8.*

cultus 14 Aprilis.

F

etiam apud Moschos.

Olgerdus Dux pater Iagellonis.

A

ACTA MARTYRII
Ex MSS. Livonicis & Rutenicis.

Baptizantur Antonius & Ioannes,

1 HI fuerunt natione Lituani, similiter ut alii nationis ejusdem homines, Igni servientes. Antonius igitur & Joannes fratres fuerunt; tota autem anima Christianismum & Catholicam veritatem amantes. Dum in Lithuaniam quidā Presbyter, Nestorius nomine, venisset, ab eo divinum percipiunt baptisma; in quo annis prior, Joannes; illum autem subsequens, Antonius nominati sunt.

2 Post baptismum itaque vitam Christianis competentem suscipiunt: in obsequiis autem Principis Lituanorum degunt, occultant tamen se esse Christianos. Verum quoniam impossibile erat omnino tegere id quod omnibus modis contrarium erat institutis, moribus, & vitæ aliorum, qualia sunt tondere caput & barbam, carnes comedere, atque alia; interrogati itaque nonnunquam à Principe, constanter se Christianos esse confessi sunt. Coguntur ergo abnegare Catholicam veritatem, & appositas Principis mensę comedere carnes: fuit autem dies jejunii. Qui quoniam noluerunt, in carcere tenebroso clauduntur: quem illi læti & hilares intraverunt, quoniam pro Christi nomine digni habiti sunt talia pati: putarunt enim ad regimen potius quam ad carcerem duci.

B *qui recusantes comedere carnes, mittuntur in carcerem.*

3 Cum autem elapsus est annus, concidit omnino Joannes; expavescens tormenta, misit rogatum ad Principem liberari de carcere, promisitque se omnia facturum quæcumque jussus fuisset à Principe: quod & factum est. Clarus itaque hoc ipso est factus, atque in omnibus similis aliis, præterquam quod Christianismum in pectore tenuit, quem profiteri propter tormentorum formidinem non est ausus. Eo igitur tempore Antonius quoque de carcere educitur, & manet uterque liber; sed Antonius non occultabat fidem sicut Joannes: imo palam faciebat, & fratrem increpabat, atque pro viribus suis corrigebat. Tempore autem quodam, cum pro more adstaret Principi, Joannes comedit carnes, Antonius autem jussus renuntiavit, seque Christianum esse confessus est: quamobrem iterum carceri traditur.

paret Principi Ioannes,

Antonius jam liber eum increpat.

4 Joannes autem & à Christianis spernitur, & à Gentilibus sæpissime opprobriis afficitur, quoniam neque paternam neque postea adamatam servavit fidem. Venit igitur ad prædictum Presbyterum Nestorium, rogatque eum intercedere ad fratrem, ut in consortium ejus reciperetur. Quod posteaquam audivit Antonius, nulla ratione se assensurum renuntiavit, nisi prius frater publice confessus fuisset fidem. Mutatus itaque de toto quæsivit idoneum tempus, quo publice confiteri potuisset Catholicam veritatem. Quondam ergo adstans Principi, & pro consuetudine ei in balneo ministrans, audacter se Christianum esse confitetur. Sed Princeps, quoniam solus erat in balneo, non est ausus iram monstrare, nec quidquam facere Joanni. Sed ille iterum multis jam præsentibus Christianum se esse confitetur, & continuo ab omnibus qui aderant pugnis & fustibus cęditur, atque tractus in carcerem abducitur. Quo cum pervenit, ineffabilem fratri effecit lætitiam. Manserunt ergo uterque in carcere laudantes Deum. Non multos autem post dies, participes facti sunt Sacrosanctæ Eucharistiæ.

C *& iterum conjectus, in carcerem*

renuit apostatam fratrem recipere.

hic rursum fidem confitetur.

& fustibus caeditur:

5 Post aliquot autem annos, suspendio adjudicatus est Antonius: qui cum jam latum fuisset decretum, noctem eam totam insomnem duxit, laudans Deum, simulque fratrem confirmans & ad martyrium incitans, & primum lapsum commemorans, atque prædicens eum simili morte decessurum. Primo autem diluculo, uterque Corporis & Sanguinis vivifici Christi Dei participes facti sunt. Cum vero dies eluxit, suspendio necatus est Antonius XIV Ianuarii. Joannes autem, cum elapsi sunt prædicti ab Antonio dies, similiter suspendio adjudicatus, vitam finivit XXIV Aprilis. Venerabiles autem Reliquias eorum nonnulli fidelium accipientes devote sepelierunt.

D *& fratre suspenso*

suspenditur etiam ipse.

6 Eustachius autem juvenis erat, & adhuc in flore ætatis positus fortis & formosus, non anima tantum sed & corpore. Toto pectore, & iste amplexus est Christianitatem, baptizatusque à prædicto Nestorio. Mansit exinde ut Christianus, vitam ducens castam & Deo gratam, in jejuniis atque aliis virtutibus. Quodam autem tempore dum sequeretur Principem, in Lituania tunc degentem; vidit Princeps crescentes crines in capite & barba ejus intonsos. Mos enim fuit adorantibus Ignem, traditos à dęmone, tondere capitis & barbæ capillos. Eustachius vero, quemadmodum impietatem eorum, ut iniquam & ab omni ratione alienam, respuit; ita quoque crines intonsos servavit: quos cum Princeps habere eum conspexit, Christianusne esset quęsivit. Cumque se Christianum confessus fuisset, ira & dementia commotus Princeps, Sanctum à recta fide abducere in propositum induxit, atque in primis hunc quoque comedere carnes cogebat: quas ille nulla ratione comedit: fuit enim feria sexta & vigilia ad Nativitatem Christi Domini. Cum ergo advertisset Princeps, eum neque oculis aspicere carnes; primo jussit eum verubus ferreis cædi sine ulla commiseratione. Quod dum ageretur, & carnifices acrius instarent, Sanctus nec gemitum ullum nec lacrymam emisit; sed potius laudare Deum visus est, qui eum talia pati dignum effecit. Atque ideo majori ira & furore commotus Princeps, jussit ferri frigidam & Sancto in os infundi. Quod cum factum est, nullo modo assensit ut comederet carnes. Quare etiam majora ei attulit tormenta Princeps: ossa pedum ejus confregit atque contrivit, à planta usque ad genua: postea capillos una cum cute, capiti ejus decerpi jussit, similiter etiam nasum & aures abscindi. Quæ tormenta tribus diebus, tamquam non sentiens ea, passus est: in quibus etiam alloquebatur Christianos, tormenta ejus deflentes & lamentantes.

Eustachius baptizatur,

E *& fidem professus,*

acriter caeditur.

variisque cruciatur

F

7 Sic pene exanimatum mandavit Princeps lictoribus, ut in eadem quercu, in qua primi duo suspensi sunt, suspenderent. Sanctus itaque, quamvis contrita crura traheret, tamquam nihil mali passus, ducentes non modo alacriter, sed & supernaturaliter sequebatur. Qui cum venerunt ad prædictam quercum, imposito circa collum fune Sanctum necarunt, sicque animam tradidit Deo XXXI Decembris. Quoniam ibi autem pendens tribus diebus nulli, ferarum accessibilis, servatus est intactus, à fidelibus inde acceptus, honorifice sepultus est.

& suspenditur.

intactus à feris post triduum sepelitur.

8 Fit autem & miraculum, Deo glorificante Martyres suos. Post eorum enim necem, nemo damnatorum in ea quercu pendere adjudicatus est (fuit autem locus ille supplicii publici) sed convenientes Christiani petierunt à Principe dari sibi locum illum: qui libenter locum concessit, & exædificata est ecclesia. Nonnihil autem reliquiarū sacrarum translatum est ad Cathedralem quoque ecclesiam: Ipsa autem corpora Sanctorum jacent apud Basilianos, in ecclesia sanctissimæ Trinitatis nominata, Deo trino & uno gloria & honor in secula seculorum, Amen.

aedificatur ecclesia.

DE

DE B. LIDWIGE SIVE LIDWINA

VIRGINE SCHIDAMI IN HOLLANDIA, D. P.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

§ I. Nomen, cultus, Vitæ auctor Fr. Ioannes Brugman.



*Q*Vamquam admirationis habeat plurimum vicennalis ab omni nutrimento corporeo abstinentia, quæ Angelicam vitam venerabilis Solitarii Nicolai de rupe, ad XXII Martii à nobis laudati, tota Helvetia vicinisque Germaniæ superioris provinciis, celeberrimam reddidit, seculo XV exeunte: multo tamen admirabilior apparuit Deus, eodem seculo intrante, in hac nostra inferiori Germania, per eam, de qua nobis nunc sermo instituitur, Virginem; quæ nihilo minus diuturnam, & æque probatam abstinentiam tenuit; tanto autem magis stupenda quam Nicolaus, quod huic, corporum glorificatorum impassibilitatem in mortali hac vita quadamtenus assecuto, uti decedebat nihil, sic nec necesse erat per cibum potumve restaurari quidpiam; isti vero, inter acutissimos omnigenarum ferme infirmitatum dolores, vitalia pene omnia cum incredibili copia humoris sanguinei egerenti, & tamen impastæ semper, non modo non deficeret per tot annos cruciatuum materia, sed etiam abundaret caro, quam ignis sacer, ulcera plurima, & vermes centeni quotidie subnascentes depascerentur, per annos triginta ac plures.*

2 *Verum hæc famam illi, Deo honorem conciliaverint; nobis utilitatem majorem afferet admirabilis illius in perferendis morbis patientia, cui nescio an similem viderint ulla preterita secula, aut quæ sequentur visura sint unquam. Cum igitur illius nomen, quod integre* Lidwich *sive* Lidwin *pronuntiandum scribendumque fuerat, vulgo* Lidwy *pronuntiaretur, & vulgari tunc atque nunc lingua* Lyden *idem esset Belgis, quod Latinis* pati; *factum est, ut passim homines nominis ejus etymon à patiendo ducendum inculcarent, & quidem absque mensura ac modo, quod particula* Wy *sive* Wyd *id est,* Latus, Late, *in fine nominis occurrens, indicare videbatur. Hanc vulgi acceptionem secutus in prima ejus Vita Brugmannus,* Lydwyd *perpetuo scripsit: in secunda, ad veram nominis scriptionem attingens propius,* Liedwich *notavit; in tertia etiam* Lidwinam *posuit: sic tamen ut vulgari illi ad* Lyden *&* wyd *allusioni, in explicando nomine maluerit utrobique inhærere. Interim uti nomen ipsum pro Virgine hac non fuit noviter excogitatum, cum notione vocis secundum vulgi sensum male ominata; sed à majoribus per manus traditum, ex usu Teutonicæ antiquitatis, felicissimi ominis vocabula nuncupandis liberis excogitantis: sic veram virginei nominis etymologiam scire qui volet, ab antiqua Teutonica lingua similem ei quærat necesse est, quam quæreret nominibus aliis à* Lid *cœptis & quomodo* Lidbertum Litorum *seu* vassallorum *aut* populi principem; Lidericum, vasallis populoque divitem *aut* potentem, *interpretaretur; ita* Lidwigem, populi propugnatricem; Lidwinam, populi delicium *vel* populo dilectam, *ex nominum institutione inveniet significasse: quamvis pridem apud nos in usu jam esse desierint* Wigghen, pugnare; Winne, dilectus; *voces alioquin usurpatæ à VValeramo Abbate, ante annos fere mille Canticorum Salomonis Belgica lingua paraphraste, & in antiquis Saxonicis monumentis notæ.*

3 *Mortua est anno* MCCCCXXXIII, *tertia feria Paschali:* cum *autem* sepulcrum ejus multis visitationibus & diversorum oblationibus honoraretur (qui, *uti addit Thomas à Kempis,* se à variis languoribus & infirmitatibus curatos asserebant,) Rectores ecclesiæ *S. Ioannis Baptistæ parochialis Schiedami, sequenti anno* capellam lapideam cum altari, super tumbam ejus construxerunt, *uti plenius infra num.* 151, *Vita prioris legetur. Lucem hæc accipient ex Molano in Natalibus sanctorum Belgii, cujus verba ad reliquum ejusdem Sanctæ cultum explicandum hic transcribimus:* Sacellum habuit honorificum intra parochialem ecclesiam, & in medio sacelli tumbam marmoream, Historia etiam in tabulis depicta cernebatur. Annue preterea sacellum illud & Virginis tumba exornabatur, non die XIV Aprilis, sed die quarta Paschatis, & festum ejus celebrabatur cum solenni Sacro & Officio de Trinitate (eo quod in Canonem Sanctorum relata non sit à Romano Pontifice) cum concione tamen sub Sacro de ejus vita & passione. *Ita Molanus ex litteris D. Cornelii Goudani, cum ex Schiedamo exturbatus, migrasset Trajectum ad Pastoratum civilis ecclesiæ.*

4 *Moritura Sancta, ut dicitur num.* 366 *Vitæ posterioris,* omnes tam præsentes quam absentes fuerat instanter deprecata, quatenus infra trigesimum annum post sepulturam suam se non moverent. *An quia tamdiu corpus suum, ipsa in morte juvenili integritati mirabiliter restitutum, in eadem integritate sciebat toto illo tempore conservandum, idque maluit mortales oculos humilis Virgo latere? Novit ipse qui incorruptam fecit à morte, & quamdiu voluit potuit servare absque corruptione in sepulcro. An etiam post triginta illos annos reserata sit tumba, & quo in statu inventum corpus, ignoramus; quia qui post annum* MCCCCLXVII *vitam ejus Latine ac Belgice imprimendam dedere, nihil tale addere curaverunt. Videtur tamen aliquando tumba reserata fuisse, in eaque sacra ossa, jam carne soluta (qualia nunc Bruxellis servantur) sic fuisse composita, ut peregrinis advenientibus possent spectanda exhiberi: id enim colligitur ex Fr. Laurentii Surii annotatione MS. ad Vitam apposita, pro conservanda memoria eorum, quæ circa prædictum altare atque sacellum sibi retulerat Fr. Jacobus* de observantia, qui dicebat easdem se Reliquias ibidem aspexisse. *corpus per annos 30 à morte immotum,* E *an postea reclusum?*

5 *Eadem Sancta optaverat vivens,* ut si quis in loco isto, *in quo jacebat ægra, & præ quo oblatas ædes amplio-res recusabat,* pro hospitandis pauperibus post discessum suum domum extruxerit, eleemosyna in sinum suum non rediret vacua: quod *inquit num.* 77, *Vitæ posterior,* cernimus esse completum. *Frater autem Iacobus, de quo supra, asseruit Surio, quod* succedente tempore erectum sit monasterium Grisearum Sororum, *ibi à se visum: id vero licet altari atque sacello supra sepulcrum erectis conjungat Surius, prout videbatur intellexisse: de domo tamen S. Lidwinæ paterna esse intelligendum, apparet ex præcitato Ioanne Molano, ubi sic prosequitur suam narrationem.* Habuit quoque conventus Sororum S. Francisci altare consecratum in honorem S. Lydwyd Virginis, versus Occidentem, eo in loco ubi lecto decumbens Deo in hac vita serviisse fertur. Sed hæc omnia hostes fidei & omnis pietatis funditus everterunt anno septuagesimo secundo. *Conventus hic, ut ex VVaddingi Annalibus liquet, nomen habebat à S. Vrsula; & sub annum* MCCCCLXIX, *quædam obtinuit privilegia, ex quibus colligi datur, post S. Lidwinæ mortem ibi fundatum esse: etsi ipsa vivente Schiedami, sed alia forsan in domo, Tertiarias aliquot sorores convixisse, habeatur ex Vita Prioris num.* 37. *Nunc Monasterium illud, quod hodieque in Dammo urbis superest, & Dominarum vulgo dictum fuisse ex Schiedammensibus comperi, conversum est in orphanotrophium ab iis, qui sacellum templo parochiali adhærens fundi-* *Domus versa in monasterium:* F

AUCTORE D. P.

funditus everterunt, sepulcrum aboleverunt, & quo tegebatur lapidem in aliam templi partem transtulerunt, inversum tamen, ne posset Sanctæ memoriam posteris renovare; deinde penitus submoverunt.

Vita scripta à Io. Brugman,

6 *Vitam scripsit* venerabilis Pater Fr. Ioannes Brugman, Ordinis Minorum de Observantia, vir, *ut in nostro MS. laudatur*, verbo & vita valde spectabilis; *ut VVaddingus in libro de scriptoribus Ordinis Minorum, alia ejus scripta recensens*, divini verbi concionator egregius; *ut Aubertus Miræus, in libro de scriptoribus ecclesiasticis cap.* 522, *Noviomagi anno* MCCCCLXXIII, *mortuum asserens*, Concionator suo ævo celeberrimus. *Denique ut Annales Minoritici*, clarus spiritu prophetiæ (*cujus etiam nunc multa inter Catholicos Hollandiæ circumferuntur exempla quadamtenus implerì cæpta*) & ardens amator paupertatis, unus è primis provinciæ Coloniensis fundatoribus. *Hunc tantũ virum nefas erat præteriri ab Arturo, Martyrologii Franciscani compilatore, quorumcumque nomen celebre invenisset, in ordinem Sanctorum aut Beatorum adscribente: & quoniam diem mortis notaverat nemo, elegit* XIX *Octobris; eadem illa sua Pontificia auctoritate, qua* Beati Confessoris *titulum ei dare præsumpsit.*

viro sancto

Fuit tamen Brugmannus Neomagensi conventui in veneratione aliqua: testatur enim in Annalibus waddingus num. 113 *an.* 1455, caput *illius, una cum capite* Theodori Leuti, *postea à Geusiis occisi*, prope summum altare decorè servatum *fuisse, usque dum iidem Geusii sacra ibidem omnia profanarunt. Inscripsit illi Venerabilis Dionysius Carthusianus libellos duos de doctrina & regulis Vitæ Christianorum, qui in collectione Coloniensi anni* 1559 *opusculorum ejus eatenus ineditorum primum locum tenent, & in eorum Præfatione sic ipsum alloquitur:* Est ergo hujus editionis intentio breviter tangere, ad quid omnes teneantur Christi fideles communiter, ad quid diversi specialiter: ad quod declarandum ac prosequendum parvitatem meam obnixis precibus instigavit caritas tua, religiose ac devotissime Pater, atque in Christo prædilecte Confrater, Ioannes Brugman: qui juxta nominis tui interpretationem recte vocaris IOANNES, utpote vas gratiæ Dei; nec minus apte vocaris BRUGMAN, hoc est, Vir pontis; qui indefesse ac sapienter cunctis fidelibus fabricas, idest exemplis & verbis ferventibus pandis & exhibes pontem, quem transeundo pertingant, ab amaritudinibus & inquietudinibus hujus procellosissimi maris magni, ad suavissimum ac quietissimum portum æternæ salutis: in quo Angelico opere, fervori tuo congratulor; verumtamen hoc unum unice hortor ac precor, ut fervor te excitans sancta semper discretione regatur, ne fractum corpus ruat sub onere.

& per Dionysium Carth. laudato.

B

C

§ II Vita semel iterumque à Brugmanno Latine scripta, hujus epitome edita per Thomam à Kempis.

Vita 1 brevior nec satis perfecta.

7 SCripsit *Brugmannus S. Lidwinæ Vitam tertio quemadmodum in præfatione postremæ compositionis, & ad calcem ejusdem clare testatur. Prima Vita, mox ab ipsius sanctæ Virginis obitu, videtur ex iis concinnata quæ constantiori Schiedamensium relatu, scripturis quibusdam vernaculis extemporalibus, & ex paucis cum ejus Confessario colloquiis, discere auctor potuit; quam proinde breviorem atque succinctiorem esse, nonnullisque in locis emendationi post facta obnoxiam, nemo mirabitur. Periisse illa credebatur: sed extat inter historias plurimorum Sanctorum, quas Molanus, in notationibus ad Vsuardum* XXV *Iulii de S. Magnerico agens, appellat* Legendæ partem secundam, *forsan Lombardicam historiam pro prima parte Legendæ accipiens. Prodiit autem Coloniæ primum anno* MCCCCLXXXIII; *ac biennio post Lovanii recusa, in Musæo nostro servatur. Non legitur istic quidem Auctoris nomen: sed cum verba & periodi quandoque integræ reperiantur eadem quæ in secunda occurrunt compositione, quam Brugmanni esse nullatenus dubitamus; cumque propter non exiguam narrationis diversitatem dici nequeat ipsa hujus quam Priori loco dabimus, Vitæ esse epitome; consequens fit, ut fuerit prima compositio auctoris, necdum plene informati. Quam licet huic operi inserendam non iudicemus; non pauca tamen ex ea nobis indicanda venient in Annotationibus aut Appendice. Vitæ autem istius primæ, absque ullo Prologo scriptæ, hoc est principium:* In Hollandia quædam civitas sita est, nomine Schyedam, portum habens, quo & Mosa mediantibus, navium classes intrant mare Occidentale.

D

2. ex Belgica Io. Gerlaci, Latina & aucta

8 *Quo tempore hæc scribebat Brugmannus, conscriptum est Schiedami, ad pia plebis satisfactionem, opusculum de eadem materia accuratius, vulgari lingua: quod quandonam primo fuerit prælo subjectum divinare non possumus; impressum tamen sat cito fuisse, colligimus ex miraculo, circa unum ejus exemplar facto, & ad calcem secundæ editionis anno* MCCCCXLVII *Delfis factæ adjecto relatoque ad Appendicem Vitæ, inter hic dandas primæ. Editionem hanc accepimus beneficio Ioannis Baptistæ Horenbekii, insignis è nostra Societate in Rotteradamensi vinea operarii: quæ quamvis Auctorem nullum præferat, non dubitamus tamen quin is fuerit Beatæ cognatus, Ioannes Gerlaci, infra à Brugmanno citatus. Concluditur autem Belgica illa Vita hoc modo:* Item signa & miracula multa facta sunt & quotidie fiunt, ex quibus bene magnus liber fieri posset, quæ post mortem ejus acciderunt, & hic scripta non habentur, nunc autem de his satis. Deus sit cum nobis omnibus semper. Amen. *Deinde additur:* Hic expliciunt quædam puncta de vita Lidewy: verum scito quod hæc sit minima pars eorum quæ de ipsa scribenda fuissent. *Missa hæc ad Brugmannum mox sunt, ut ipse, qui stylo Latino videbatur posse aliquid, nec minus sanctæ Virginis causa velle, Latinam Vitam inde componeret: quam vulgaret loco primæ illius, nimium succinctæ atque imperfectæ, ad tam eximiæ sanctitatis exemplum etiam exteris nationibus manifestandum.*

E

9 *Accinxit ille se continuo operi, & ante annum (ut putamus)* MCCCCXLVIII, *ex hac Belgica & sua illa prima, aliisque Schiedamo acceptis informationibus Vitam composuit, quam ex duabus potioribus ac dignioribus hic legis; priorem vocabimus, dabimusque juxta exemplum ejus antiquum, quod habemus in nostro MS codice,* scriptam & completam anno Domini MCCCCXCIX circa principium ejusdem anni, per P. Iacobum de Colonia, alias de Aldenrade, Professum Carthusiensem, & seniorem domus S. Albani Martyris prope Treviros, duobus appositis berillis, præ senio caligantibus sibi oculis: qui & eodem anno aliis circa festum S. Martini, annos habens ætatis fere octoginta, ordinis circiter quinquaginta duos: cujus anima requiescat cum sanctis in pace. Amen. *Ita rubrica ad calcem scriptionis posita. In principio Vitæ hic titulus legitur à prænominato scriptore Iacobo compositus,* Incipit Vita cujusdam sanctæ Virginis nomine Liedwich, nostro fere tempore, in civitate Shiedamensi Hollandiæ, multis afflictionibus diversarum infirmitatum probatæ, multisque patientiæ coronis clarificatæ; circa quam Dominus mirabiliter operatus est, diversis eam consolationibus spiritualibus refovendo, non solum pro ipsa, sed & pro ædificatione omnium fidelium, ejus vitam audientium vel legentium, quam conscripsit originaliter venerabilis P. Fr. Ioannes Brugman, Ordinis Minorum de Observantia per Hollandiam Provincialis; vir verbo & vita valde spectabilis. *Vbi intelligendus est minus proprie dici Provincialem Hollandiæ, quasi ea per se Provinciam constituerit; cum universum Belgium uno Provinciæ Coloniensis nomine contineretur; uti patet ex Catalogo Provinciarum anni* MDXVI, *quem Franciscus*

Latina in MS.

F

an recte Hollandiæ Provincialis Brugman?

tissimus Haroldus subtexuit Epitomæ Annalium VVaddingi: qui idem VVaddingus cum ostendat Noviomagensis conventus exordia spectare ad annum MCCCCLV, *Capitulum autem Provinciale, in quo electus Vicarius Brugmannus est, dicat ibidem celebratum; sequitur (nisi ante hac etiam Provincialis Brugmannus fuerit) in hujus secunda vitæ Titulo Provincialem dici per prolepsim; ex eo scilicet munere, quod aliquammultis annis suscepit post fundatum illum conventum, imo & post absolutam ultimam, de qua infra, scriptionem.*

10 *Hac secunda Vita dividitur in capita quadraginta quinque, iisdem fere quibus Belgica titulis, sed ordine capitum multum diverso; prout eorum syllabus, Prologo subjectus, clarum faciet. Stylus aliquanto plenior quam Belgica cultiorque, sensus utriusque idem est, sed rerum materia multo copiosior, accepta* pro majori parte, *ut in Prologo dicitur*, ex ore D. Joannis Walteri de Leydis, qui octo fere annis Confessarius istius Virginis fuit, atque hæc ipsamet revelante didicerat, partim ex scriptis Belgicis *scilicet jam indicatis* Joannis Gerlaci cognati ejusdem Virginis, qui multis annis in domo ejus commoratus est; partim verò ex littera quam, *anno* MCCCCXXI, Rectores civitatis Schiedammensis, in testimonium infirmitatum ejus, tradiderunt D. Joanni Angelo de Dordraco, Curato ecclesiæ ejusdem civitatis: pauca vero ex ore aliorum fide dignorum: omnia tamen per correctionem vel approbationem præfati D. Joannis Walteri & Joannis Gerlaci. *Quæ nos cum Belgica Vita conferentes, quidquid super eam addebatur in hac secunda, discrevimus signo* [ ] *uncorum hujusmodi, initio ac fine cujusque augmenti additorum; itaque effecimus ut vernaculæ illius originarius textus non possit magnopere desiderari. Hanc vero vitam sic notatam nuncupabimus Priorem, respectu tertiæ quam Posteriorem appellabimus.*

11 *Viderant & legerant illam* Religiosi Fratres Canonici Regulares monasterii S. Elisabeth, prope Brielas in partibus Zelandiæ constituti, *memoriæ Virginis Schiedamensis devotissimi, quibus rogantibus* Thomas Malleolus à Kempis *vita & scriptis venerabilis, vulgo* Fr. Thomas Hamerken, in Domo Montis S. Agnetis (quæ extra muros oppidi Swollensis versus orientalem plagam sita est) *eamdem Canonicorum Regularium vitam professus, atque ipse semet in Præfatione indigitat*, pauper peregrinus. *His, inquam rogantibus illis*, libellum de vita sanctæ & patientissimæ Lidewigis Virginis perlegit: &, sicut diu desideraverant, eumdem breviori ac planiori stylo compositum, ex caritate ad legendum transmisit: quia, *inquit*, ad hoc faciendum, consilium venerabilis vestri Prioris accessit & me animavit. Totam autem materiam libelli in duas partes distinxit, *quarum prima agit* sub brevitate, de multis infirmitatibus & doloribus hujus Virginis, nec non de gratiosis misericordiæ ipsius operibus, & miraculosis quibusdam gestis, *ut dicitur in Prologo partis secundæ: hæc autem tractat* de spiritualibus donis ejus & divinis consolationibus & frequentibus raptibus. Singulis *vero* partibus (*uti in præfatione prima auctor prosequitur*) propria capitula prænotavit; plura etiam de consilio quorumdam Religiosorum omisit inserere, quæ forte quibusdam simplicibus dubitationem aut quæstionem intricatam ingerere videbantur. Elegi ergo, *inquit*, ex multis ea potius scribere & colligere, quæ mores instruerent & humilem imitationem legentibus liquido demonstrarent. Sunt tamen fere omnia omni admiratione digna, meam experientiam excedentia, quæ majoribus judicanda committo: spero autem quod vota humilium Deo & ipsi sanctæ Virgini magis grata erunt & complacebunt, quam altiora scrutari & de secretis Dei insipienter fabulari.

12 *Hactenus in prologis Thomas à Kempis, cujus compositionem & apud Crucigeros Coloniæ extare in MSS. comperimus, & ex Hubergensi Patrum Guillelmitarum monasterio utendam habuimus*, completam per Fr. Arnoldum Schuylen, monachum Presbyterum in Porta-cæli juxta Buscum-Ducis (*quod fuit ejusdem Ordinis Guillelmitici cœnobium*) eadem fere tempestate, qua satellitium Ducis Geldriæ, in Hollandiam impetuoso facto incursu, expilavit pagum dictum den Haghe, multis inde florenorum millibus asportatis, anno videlicet XXVIII supra MD. *Ipsum Thomæ autographum habuit Henricus Sommalius noster, indeque jam dictam epitomen de Vita S. Lydwigis transtulit in collectionem operum ejusdem Kempensis, anno 1600 iterumque 1607 à se vulgatam. Carthusiani vero Colonienses, qui anno 1618 Surianum opus ordinatius auctiusque ediderunt, & Vitis quarum stylum mutaverat Surius prætermissis, primigenias quà licuit substituerunt; usi sunt Sommalii editionibus, uti in margine profitentur. Ita cusa atque recusa cum extet epitome illa, nihil autem contineat quod non plenius certiusque contineat Vita, de qua hactenus (nam postrema in manus Kempensis non pervenerat dum hæc elucubraret) nihil est cur eam hic putemus desiderandam: satis erit si qua ipse sub finem Vitæ subjunxit miracula tria, fide certissima sibi comperta, in appendicem jam sæpe dictæ Prioris Vitæ transferamus.*

§ III Vita tertia Schiedami impressa authentice, abbreviata à Surio aliisque.

13 *Cum ii qui fuerant Sanctæ Virgini pie devoti & viventi familiares, multa etiam in secunda Brugmanni compositione desiderari dolerent; neque satisfaceret iisdem simplex illa narratio, absque ullis eloquentiæ ad inflammandam voluntatem moresque formandos idoneis ornamentis; Confessor Virginis Ioannes VValteri, qui ad Priores scriptiones aliud non contulerat quam viva vocis instructionem, coactus fuit calamo manum admovere, & quæ insuper noverat scripto tradere, Brugmanno communicanda. His autem novis adjumentis, ut apparet ex num.* 194 *instructus Brugmannus, tunc temporis, id & anno* MCCCLVI *in Conventu Audomaropolitano Lector, tertiam, quam posteriorem nuncupabimus, Vitam, secundum tres gradus perfectionis tripartitam, composuit; stylo à priori compositione diversissimo: quæ quantumcumque sit rebus ac verbis copiosior multo, destituitur tamen plurimis earumdem rerum circumstantiis, quas auctor in Vita priore accuratissime annotaverat. Quocirca novo exemplo, & numquam fortassis per totum hoc opus redituro, congruum duximus duas ejusdem Sanctæ Vitas ab eodem auctore compositas dare: quandoquidem alterius vices neutra integre posset supplere.*

14 *Auctor* tertiam translationem *vocat, eo, ut arbitramur, sensu, quod uterque Ioannes, Gerlaci scilicet & VValteri, quorum scriptis usum se Brugmannus fatetur, idiomate Belgico memorias suas exararint. Exemplum ex impressione Schiedamensi anni* MCCCCXLVIII *attulerat ad nos R. P. Alexander Calwart: sed quod dolebamus summopere, ut inventum erat, initio ac fine mutilum: alterum in Corsendonkano Canonicorum Regularium prope Turnholtum monasterio inventum, quia nec ipsum plenum erat, licet dimidiam partem lacunarum expleret, quo propius abesse nos ab integritate faciebat, eo ardentius solicitiusque requirere cogebat quod inveniendum supererat. Sed diu frustra fuit omnis per Hollandiam Flandriam atque Brabantiam labor. Tandem Suriani operis supplementum, ejusdemque septimum atque auctori suo posthumum tomum legentibus, & in eo videntibus Vitam Lydwinæ Virginis (prout eamdem ex postrema Brugmanni scriptione*, omissis quæ sine historiæ detrimento omitti potuerunt, *ipse Surius ad annum usque* MDLXXVIII *superstes*, stylo suo contraxit) *mens injecta est, Coloniæ, apud RR. Patres Carthusianos, conquisitorum à Laurentio monumentorum custodes fideles, inveniri posse, quod nobis deerat. Ab ipsa Sancta eam mentem fuisse declaravit eventus; nam eam in se curam suscipiens R. P. Iacobus Kritzradt, pro veteri suo erga Sanctos zelo, missis ei confestim*

AUCTORE D. P.

& cum operibus impressa.

E

Ad 3 Vitam uberius scribendam

usus etiam Confessarii scriptis Brugman an. 1456.

F

fuit ea Schiedami an. 1498 excusa,

à Surio contracta edita,

festim qui inquireret, inventoque libro, curavit describenda quæ optabamus: postmodum vero & apud Franciscanos Lovanii & in Bibliotheca Adm. R. D. Auberti vanden Eeden Archidiaconi Antverpiensis reperta alia exemplaria sunt, quæ antea quærentium diligentiam fugerant.

& ornabatur figuris ligneis

15 Porro ut hæc Vita prodiret ornatior, curaverant Rectores Schiedamenses pictas viginti tabulas (quæ circum capellam Virginis appensæ, oculis spectandas exhibebant partes Virgineæ vitæ præcipuas) totidem tabellis ligneis excipiendas, eo quod ætas ac locus ille dare poterat artificio. Harum præcipuas duodecim, in brevius contractas spatium, Heribertus Rosweidus noster mandavit, elegantissimo Hieronymi VVirixii celo, in æs sculpi, atque collocari circum imaginem ipsius S. Lidwinæ; quam Schiedamensium librorum frontispicia docuerant pingere specie prorsus gloriosa, passos decenter capillos redimitam rosis, cum crucifixo in manu altera, florido in altera ramo, fluidaque in veste: & hanc imaginem dedicavit Adm. R. D. Gaspari Louway, singulari S. Lidwinæ cultori. Talis effigiei limbique in historias duodenas distincti typus æreus, VVirixianæ chalcographiæ prælo subjectus, multitudine exceptarum inde figurarum haud paulo magis notitiam admirationemque sanctæ hujus Virginis sparsit per orbem Christianum, quam quæ inter paucorum manus detrita periere Vitarum, toties à Brugmanno innovatarum, exemplaria. Secuti autem sunt alii aliique in Belgio ac Gallia sculptores plures; Virginem, nunc corpore toto, nunc dimidio; nunc solam, nunc Angelo suo comitatam, varia forma & magnitudine exprimentes, sed habitu & gestu semper eodem.

quarum pars postea æri incisa circum imaginem Sanctæ.

B

Gallice reddita Suriana epitome, primum contractius

16 Interim solis Latine peritorum manibus ferme tenebantur à Kempensi Surioque composita Virginalis vitæ compendia. Sed Suriani laboris notitia, una cum ejus opere, pervagata est latius. Ergo, ne tanti exempli fructu diutius privarentur homines illitterati, primus omnium Michael d'Esne, Bettencurii Dynasta, Philippi II Hispaniarum Regis ephebus honorarius, ad quietum primo inter musas otium, deinde ad Ordinem Presbyteralem transgressus, cum Duaci, quam suo secessui sedem legerat, vertendis in sermonem Gallicum Sanctorum variorum Vitis, sibi aliisque prodesse studeret; Vitæ S. Lidwinæ synopsim elegantem ex Suriana epitome collegit, quæ inter Sanctorum Vitas in unum volumen collectas, Duaci typis Bellerianis prodiit anno MDXCVII; quo ipso anno exeunte consecratus est idem Michaël, Tornacensis Episcopus; cum eoque titulo inscriptus legitur eidem Virginis Schidamensis Vita, seorsim in forma minori apud Duacenos excusa anno MDCVIII. Primo autem seculi istius anno tota Suriana epitome, absque ulla restrictione, Gallice prodierat ibidem Duaci, una cum Vita S. Euphrosynæ Alexandrinæ, ex ejusdem Surii opere traducta, studio D. VValrandi Caoult Presbyteri, & dedicata fuerat illustri Matronæ D. Mariæ de Renty, Falcobergensi Comitissæ, nuptæ D. Gasconi Spinolæ, Ducatus Limburgici ac partium Transmosanarum pro Belgii Principibus Gubernatori.

C

deinde integre prodiit,

alia compendia Latine

17 Anno MDXCVIII collectas à Surio Vitas in compendium Latine redegit Franciscus Haræus, & inter ipsas Vitam S. Lidwinæ, rursumque in opere auctiori vulgavit anno MDCV. Hispanice idem præstitit in Floribus Sanctorum, toties cusis ac recusis, & in omnes pene linguas Europæas traductis, Petrus Ribadineira ex nostra Societate. Secuti sunt alii aliique, & imprimis Heribertus Rosweidus noster Belgice, in Vitis seu elogiis Sanctarum Virginum. Sub annum MDCXXXVII, amicus noster R. P. Guilielmus Thiersaut S. I. collatis inter se Surii atque Kempensis scriptionibus, & additis quæ Molanus atque Myræus suggerebant, novo & eleganti stylo & idiomate Gallico, Sanctæ nostræ Vitam vulgavit typis Sebastiani Chapelet, quæ nunc Parisiis piorum manibus passim teritur. Ignoscendum autem eidem est, quod nescius unde sua Kempensis accepisset, dixerit in Præfatione, & hunc & Brugmannum ex antiquiori aliqua, quæ perierit, transcripsisse suas Vitas, rejectis & decurtatis dumtaxat superfluis; quod se fecisse profitentur soli Kempensis & Surius. Ignoscendum quoque eidem est quod Vitæ suæ cap. 3 judicaverit auctorem istius antiquioris Vitæ fuisse Ioannem Gualteri: cum jam docuerimus eam non à Ioanne Gualteri; sed à Ioanne Gerlaci, Virginis cognato atque domestico, compilatam credi posse. Denique anno MDCLVII Ludovicus Iacobi, nostræ quoque Societatis Sacerdos, postremam Brugmanni compositionem à se Belgice redditam, ejusdem cujus hæc nunc excuduntur typis commisit vulgandam sub titulo Speculi virginalis, una cum Vita B. Isabellæ Francicæ ex Gallico Nicolai Caussini in eamdem Belgicam linguam traducta, de qua XXXI Augusti pluribus erit agendum.

Hispanice, Belgice,

alia Vita Gallica ex Surio & Kempensi.

D

& Belgica ex Brugmanno.

PRIOR VITA

Ex Teutonico M.S. Ioannis Gerlaci, Virginis cognati & domestici, *Latine reddita & ex aliis documentis aucta,* à Joanne Brugmanno Ord. Minorum, tunc per Hollandiam Concionatore synchrono. *quæ habetur in nostro Codice MS.*

PROLOGUS.

1 Venite & videte opera Domini, quæ posuit prodigia super terram: quia ecce, ait Dominus, ego operor opus in diebus vestris, quod non omnis qui audierit credet. a Quamvis ad profectum vitæ spiritualis, morum quoque institutionem sufficere nobis deberent priorum exempla Sanctorum, qui intuentes conversationem Domini ac Salvatoris nostri Jesu Christi, imitatores ejus effecti sunt. Quia tamen idem Salvator ait, Pater meus usque modo operatur, & ego operor; non solum videlicet corporalia quælibet, in usum humani corporis; sed etiam spiritualia, in usum spiritus & animæ: dignum profecto est, ut qui singulis annis divinitus renovata beneficia corporalia, per incrementa frugum & fructuum, ad necessaria corporum sustentacula colligimus; multo studiosius divinitus procurata, oblata & propinata solicite, animæ & spiritus ædificativa nutrimenta quæramus, mentis in horreo recondenda, scripturæque ad posterorum ædificationem & profectum recommendemus; eo quod saluti spiritus, cum sit nobilior quam corpus, major utique solicitudo est adhibenda quam saluti corporis.

E

Psal. 45, 9.

a Dona animis corporibusque prospiciens,

Ioan. 5, 17.

2 Horum autem vitalium ac spiritualium alimentorum animæ seminaria, cælestis Agricola, qui eadem multifarie multisque modis olim operatus est in utriusque sexus Sanctis novi & veteris Testamenti, copiosissima valde multitudine novissimis his temporibus plantavit in duplici agro, videlicet corporis & spiritus cujusdam Virginis: corpus quidem ejusdem, vomere quodam inauditarum à seculo tribulationum & infirmitatum, circumfodiendo & arando expurgans, ut fructum multum afferre posset in patientia: spiritum autem ineffabilibus divinis consolationibus, tamquam irriguo superiori, perfundens, ne ipsa spiritu pariter & corpore, in tantis tribulationibus spiritualibus pariter & corporalibus, deficeret. Quæ utræque, videlicet tam tribulationes ejus quam etiam consolationes, tantæ ac tales fuerunt, quod non solum non effari, sed nec æstimari valeant vel cogitari: quibus etsi multi simpliciter fidem & credulitatem adhibeant; nonnulli tamen (qui secundum carnem ambulantes & secundum carnis [sapientiam] abundantes, non percipiunt ea quæ sunt spiritus Dei) corde & voce contradicunt. Unde & non immerito propter tales supra dictum est, Venite & videte opera Domini, quæ posuit prodigia super terram: quia ecce, ait Dominus, ego operor opus in diebus vestris, quod non omnis qui audierit credet: non quidem quia omnes

F

in utroque excoluit Lidwinam;

ultra quam capere possit carnalis sapientia.

A omnes non credent; sed tantum, quia secundum rationem carnis judicantes, non credunt, quia quæ impossibilia sunt apud homines, possibilia sunt apud Deum.

m huic, 3 Nec mirum si in Virgine hac, ea quæ divinitus facta sunt, non credunt: cum etiam, ut Venerabilis Beda dicit, turbis, quæ minus doctæ videbantur; Domini facta mirantibus; scribæ & Pharisæi eadem semper vel negabant, vel quæ negare non poterant blasphemabant: unde & in Euangelio Joannis dicitur, *ca,5,48* Numquid aliquis ex Pharisæis aut ex Principibus credidit in eum? sed turba, quæ non novit Legem; maledicti sunt. Ut autem creduli horum mirabilium in fide confirmarentur, & increduli ad fidem *ad fideliter reditariis* invitarentur; pius Dominus, qui facit mirabilia magna solus, mirabilibus eam signis & miraculis, ante oculos etiam ejus proprios & aliorum, glorificare dignatus est: quasi opere videretur dicere: Si ipsi non creditis, saltem operibus meis circa ipsam patratis credite. Non solum autem, sed etiam nonnumquam de celestibus demandare dignatus est; quatenus fides & credulitas adhiberetur donis ejus, quæ circa eum divinitus operabatur, sicut infra patebit. *at scriba-ur, ad ex-citandam devotionem,* Quamvis igitur propriæ devotionis stimulis agitatus, horum mirabilium, quasi delicatorum ferculorum, pauca, & vere valde pauca, in hoc opusculo collegerim: non tamen hoc feci, ut mihi meæque devotioni solummodo satisfacerem; sed ut legentibus cunctis vel audientibus, de consideratione divinæ bonitatis & ineffabilis pietatis Christi Domini, erga hanc humilem suam creaturam, materia præstaretur & incitamentum devotionis: quatenus Christi bonitate considerata, ad melioris vitæ gratiam & spem consequendæ misericordiæ provocarentur.

B

c testimo-is & docu-entis fide gnissimis. 4 Noverint autem qui hæc lecturi sunt, me eadem percepisse pro majori parte ex ore Domini Ioannis Walteri de Leydis; qui octo fere annis Confessarius istius Virginis fuit, atque hæc ipsamet revelante didicerat; partim ex scriptis Ioannis Gerlaci cognati ejusdem Virginis, qui multis annis in domo ejus commoratus est; partim vero ex littera, *b* quam Rectores civitatis Schiedamensis, in testimonium infirmitatum ejus, tradiderunt Domino Ioanni Angeli de Dordraco, Ordinis Præmonstratensis de *c* Marienwart, qui pro tunc erat Curatus ecclesiæ civitatis ejusdem; pauca vero ex ore aliorum fide dignorum: omnia tamen per correctionem vel approbationem præfati D. Ioannis Confessoris hujus Virginis, & Ioannis Gerlaci. Quæ autem secundum veritatem conscientiæ eorum percipere potui, cautius, ut valui, scripto commendavi, rogans sancti Spiritus bonitatem & æternam divinamque veritatem, quatenus, si quæ minus consona veritati sunt scripta, ipsa publice deleat & corrigat; ne falsa veris misceantur, ac vera falsis confundantur.

C

ANNOTATA.

a *Respicit ad locum istum* Habacuc 1, 5. Quia opus factum est in diebus vestris, quod nemo credet cum narrabitur; quia ecce suscitabo Chaldæos *&c. Hæc autem præmittuntur Prologo instar thematis explanandi.*

b *Hæc epistola huic Vitæ inseritur: sed interpolata: præfigitur autem pura & integra Vitæ posteriori.*

c *Situm est* monasterium Mariewardense *seu* Insulæ S. Mariæ *ad Lingam fluvium, inter Culenburgum ad Leckam, & Bommeliam ad Vahalim posita oppida.*

INDEX CAPITULORUM.

Primus numerus Romanus, hujus Vitæ titulos, ut sunt in MS. secundus Barbarus, titulos Capitulorum Vitæ Teutonicæ, huic Latinæ respondentium, designat.

D

E

XXXVII De

PER IOAN. BRUGMAN EX MSS.

CAPUT I.

S. Lidwinæ ortus, devotio erga Deiparam, voluntas servandæ virginitatis.

CAP. I. 5 IN Occidentali parte Hollandiæ sita est civitas quædam, nomine Schiedam, *a* quæ etiam in Occidentali parte sui portum habet, qui mediante *b* Mosa tendens in mare Occidentale, transitum pandit in universas mundi partes. In hac civitate, tempore Ducis Alberti, *c* Comitis Hollandiæ, qui fuerat filius Lodovici *d* Imperatoris, erat vir quidam nomine Petrus: qui etsi nobilis erat secundum seculi dignitatem & militari progenie exortus, ad tantam tamen pervenit inopiam, quod tempore Ducis Wilhelmi, *e* filii præfati Ducis Alberti & successoris ejusdem in Comitatu, nocturnas vigilias civitatis custodiendo, necessaria vitæ sibi quæritaret. Pater autem hujus Petri, Joannes nomine, post obitum uxoris suæ, plus quam quinquaginta annis permanens in hac vita & viduitate, videlicet donec fere nonagenarius effectus est, tantam continentiam & abstinentiam exercuit, ut mulierem numquam cognosceret, ac duabus vicibus in pane & aqua per hebdomadam jejunaret, *f* [& semel tantum in hebdomade, Dominica scilicet die in prandio, carnibus vesceretur. In cujus morte sathanas cernens quod ei appropinquare non posset aut nocere, tantum tumultum in aliis partibus domus suscitabat, ut vasa testea frangerentur, absque tamen detrimento & effusione butyri, quod in uno eorum servabatur.]

Schiedami in Hollandia, B *avo Ioanne viro religiosissimo,*

6 Hujus vero Joannis filius, nomine Petrus, cum secundum communem modum secularium annos vitæ suæ simpliciter & in multis laboribus, pro vitæ necessariis acquirendis, expendisset; accepit uxorem, nomine Petronillam, feminam utique virtutis, de villa *g* Ketel prope Schiedam: de qua primo genuit quatuor filios, deinde unam filiam, de qua specialiter intentio nobis est in hoc opusculo, ac consequenter iterum quatuor filios. [Quia vero voce Dominica dicitur, Omnis qui se humiliat exaltabitur; ipse autem secundum permissionem divinam simpliciter sustinuit amittere celsitudinem dignitatis terrenæ, genuit ex ea filiam nomine Lydwich, sive Lidiam, natam tunc temporis in die Palmarum, in hora ipsa, qua in ecclesia Passio Domini cantabatur: cujus sanctitatis merita multo majorem eum reddiderunt Deo, quam dignitas humanæ generationis mundo: nam per eam nomen ejus scriptum est in libro vitæ, cujus carnalis dignitas tantum erat abolita coram seculo.]

patre Petro, matre Petronilla, C *genere nobili sed tenui fortuna,* Matt. 23, 12

7 In quorum omnium partu cum mater eorum tantam difficultatem pateretur, quod quasi per singulos, duobus aut tribus circiter diebus, laboraret: in hujus tamen filiæ partu nullam penitus difficultatem patiebatur. Nam in die Palmarum ecclesiam ingressa, dum sibi tempus pariendi sentiret instare, cum celeritate reversa domum, & quasi sine magno dolore, tempore Missæ, cum Passio Domini [ut prædictum est] in ecclesia decantaretur, filiam hanc peperit, anno Domini millesimo trecentesimo octogesimo, decimo quinto *b* Kalendas Aprilis. *i* [Non autem sine grandi mysterio tale nomen est sortita: vulgariter enim nomen ejus LYDWYT, ex duabus videlicet syllabis est compositum, scilicet LYD & WYT, quod significare videtur, Patere late, id est, in passionibus vel patientia dilatare: & hoc propter multitudinem utique tribulationum, quæ ex ordinatione divina super eam erant venturæ. Merito etiam Lydia Latine vocatur, quia spiritualiter & per imitationem operum beatos Apostolos hospitio quotidie suscipere meruit, quos Lydia, illa Purpuraria Thyatirenorum quondam in Actibus Apostolorum corporaliter legitur hospitio suscepisse.]

nascitur in die Palmarum, D *& Lydwy vocatur sive Lydia.* Act. 16, 15

CAP. II. 8 Ante ejus nativitatem contigit *k* anthropoformitam quemdam, civitatem Schiedamensem ingressum, deferre secum ligneam imaginem quamdam B. Mariæ Virginis, quam navi impositam volebat transferre ad nundinas *l* Antverpienses, ut illic eam venderet. Et ecce navem ipsam dum vellent nautæ à littore vel à terra removere, invenerunt rem plenam miraculi. Nam cum imago tantæ levitatis esset, quod eam etiam unus portare posset; ceteris quoque temporibus nautæ navem quocumque vellent sine difficultate dirigerent; nunc tamen eam viginti viri sive plures, totis conatibus laborantes, movere non poterant. Unde & considerantes finaliter, præsentiam imaginis fore causam difficultatis, admoneri quoque se per hoc quasi eadem imago locum illum eligeret, ut ibidem habitaret; anthropoformita ille, consilio inito, absque multa deliberatione, minus condigno pretio vendidit Rectoribus ecclesiæ civitatis ejusdem. Qui locum ei deputantes in ecclesia, singularem chorum colligatorum hominum utriusque sexus successu temporis aggregaverunt: qui nunc usque singularem reverentiam imagini eidem, in honore beatæ & gloriosæ Mariæ, exhibent devote.

imaginem B. V. Schiedami celebrem E

9 Cum igitur hæc Virgo septem vel octo annorum esset, adeo magnam devotionem & affectum gerebat in corde ad eamdem imaginem, quod cum duobus fratribus suis scholas frequentantibus jentaculum ferret, antequam domum rediret ingressa ecclesiam, eamdem imaginem per Angelicam salutationem honoraret, prout poterat. Cum ergo à matre de mora reditus corriperetur; respondit se intrasse ecclesiam ac beatam Virginem salutasse, illamque sibi vicissim arrisisse: quo audito, mater ejus contenta quievit. Transactis igitur annis infantiæ, cum pueritiæ ævum ageret, tanta corporis pulchritudine & animi industria ceterisque naturæ donis divinitus collatis cœpit pollere, ut cum duodecim esset annorum, à multis in conjugium peteretur. Ad quod cum pater suus eam hortaretur, mater vero propter teneritudinem puerilis ætatis suaderet potius ne molestarent eam; ipsa patri constanter respondit, quod eam ad hoc nullo modo posset inducere; quin imo, si alium modum evadendi non inveniret, seipsam ita tractaret, quod eam nullus in conjugii consortium postularet. Unde rogabat quotidie Dominum, quatenus omnem carnalem & noxium amorem à corde suo tolleret, ut ipsum solum, Deum & Dominum suum, puro corde & corpore diligere posset.

octennis pie consuevit visitare, F *duodennis nuptiarum mentionem rejicit,*

CAP. III. 10 Cujus orationem exaudiens omnipotens & misericors Deus, qui eam ab æterno sibi in sponsam elegerat, mirabili & inaudito à seculis modo, quod in ea hominibus videbatur amabile & utile, illis quidem despicabile reddidit & inutile, sibi autem amabile & appetibile, [ut in ipsa quoque profiteretur

& formæ suæ deturpationem precibus exorat,

A tur verum, quod Apostolus ad Corinthios scribit dicens: Quæ infirma sunt mundi elegit Deus, ut
1.27. confundat fortia; & ignobilia mundi & contemptibilia elegit Deus, & ea quæ non sunt, ut ea quæ sunt destrueret; ut non glorietur omnis caro in conspectu ejus. Hoc autem & interpretationi nominis ejus aptissime congruit: interpretatur enim Lydia,
m Nata ei, scilicet Domino; *m* vel, Ædificatio ejus, hoc est, Domini. Recte enim Nata Domino dicitur, quæ mundum hunc ingressa, non humano more, nec humanis usibus & voluntatibus, sed solis divinis usibus vixit & voluntati: unde & veraciter dicere
20. potuit cum Apostolo: Vivo ego, jam non ego; vivit vero in me Christus. Ædificatio quoque Domini congruentissime dicitur, quia non nisi divina virtute, tanta in ea mirabilia tribulationum & patientiæ ac consolationum perpetrari poterant.]

ANNOTATA.

a *Thomas à Kempis addit:* Ab adjacente rivulo, *Schia videlicet sive Schieda*, Schiedam nuncupata, *quasi agger ad Schiam, quomodo & totus ager cis eumdem fluvium, circa Delfos exorientem, vocatur* Schielandia.

b *Qui tamen Mosa, objectu insularum multifariam sectus, hac sui parte (qua nunc deserto veteri alveo longe potior est) Merwa dicitur, nomine accepto ab ea quam preterlabitur insula, quaque aliquibus putatur nomen dedisse Merovao, progenitori Regum Francorum primæ stirpis.*

c *Vita Belg.* Ducis Bavariæ, Comitis Hollandiæ & Zelandiæ: *qui Albertus provincias, ob amentiam fratris VVilhelmi, cum titulo Tutoris obtinuit ab anno* 1358 *ad* 1377, *deinde mortuo VVilhelmo ut Dominus absolutus eas rexit usque ad annum* 1404.

d *Electus fuit Ludovicus in schismate contra Fredericum Austriacum, anno* 1314, *cujus uxor Margareta filia VVilhelmi III, & per fratris sui VVilhelmi IV mortem, in prælio Staverensi obitam anno* 1345, *Provinciarum heres, jus ad Bavaros transtulit.*

e *Vixit VVilhelmus hic V, usque ad an.* 1417.

f *Reliqua hujus numeri desunt in Vita Belg. quod ne sæpius monendum nobis sit, deinceps quæ Vitæ isti deesse invenerimus* [ ] *uncis inclusa notabuntur.*

g Ketel *oppidum dimidio milliari Hollandico distat trans canalem, quo nunc breviori via ex Schida in Merwam Delfenses naves commeant; omisso, qui faciendus esset, per Schiedamum circuitu.*

h *Cum Pascha caderet in* VIII *Kal. Aprilis. Ergo hic anni non more Gallico à Paschate, sed à Kalendis Ianuarii numerantur. Addit Thomas à Kempis,* In crastino Gertrudis Virginis tempore Urbani Papæ VI, anno Pontificatus ejus 4, præsidente in Episcopatu Trajectensi inferiori Reverendo Præsule Florentio, tam Clero quam universæ plebi accepto. *qui Vltrajectinas Insulas adeptus in Novembri anni immediate præcedentis, usque ad Parasceven anni* 1393 *easdem tenuit.*

i *Sequentia partim Vita Belg. desunt partim sic breviter efferuntur:* eamque nuncupavit Lydwy, in signum quod dilatanda esset in passionibus, id est, multa pro Dei amore toleratura. *Veram nominis etymologiam jam ante exposuimus.*

k *Rectius & uniformi compositione dixisset* Anthropomorphitam: *intelligit autem statuarium, qui humanas formas effingit.*

l *Fiebant eæ nundinæ circa festum Assumptæ Virginis, mense Augusti; & adhuc annuæ publicantur, in gratiam eorum, qui alias sibi à creditoribus metuentes venire & negotiari non auderent: quod fere nunc solum earum vestigium superest. Nam alia omnis celebritas, qualis alibi nundinarum esse solet, usque adeo cessat, ut plerique civium ne nomen quidem Antverpiensium nundinarum noverint, nedum tempus quo habendæ sunt; aut cum præsens est, sciant adesse.*

m *Ita Beda in Hebraicorum nominum Interpretationibus.*

PER IOANNEM BRUGMAN EX MSS.

CAPUT II.

Infirmitatum Liduinæ initia & progressus; cibi potusque abstinentia mirabilis.

11 CUm igitur, impleto quartodecimo *a* ætatis suæ anno, jam decimumquintum attingeret, videlicet Incarnationis Dominicæ millesimo trecentesimo nonagesimo quinto, ægrotabat quadam infirmitate, de qua tamen convaluit. Et circa festum Purificationis lectissimæ Virginis Mariæ, in fine videlicet quintidecimi anni ætatis suæ (nam circa Dominicam Palmarum, sicut prædictum est, erat anniversaria dies nativitatis ejus) glaciali tempore, invitata à sodalibus suis virginibus, & à patre obtenta licentia, egressa est cum eisdem posticum domus suæ, *b* soleis ligneis sufferratis, prout ibidem moris erat, ad discurrendum super glaciem, pedes induta. Ubi dum quædam puella de consodalibus suis, cursu rapido transiens super glaciem, veniret ad istas ibidem stantes; & gressum ibidem figere volens, nec tamen ut volebat valens, apprehendisset hanc virginem Lydiam; ipsa Lydia cecidit super acervum quemdam fragmentorum glacialium adeo vehementer, quod minor costa dexteri lateris ejus frangebatur: ex qua fractura multa ei incommoda provenerunt. Et primo quidem apostema validum circa præfatam costam excrevit; [pro cujus curatione quamvis parentes ejus exponerent multa, non tamen poterant ei obtinere sanitatem quam optabant.

a Morbo attilata, & utcumque sanata,

b in glacie labitur: fractaque costa,

E

12 Affirmabat hoc ipsum medicus quidam de Delfft, magister Andreas nomine, & quasi prophetico ore prædicebat, quod si multam summam exponerent, nihil tamen circa ejus sanitatem obtinendam proficerent. Ajebat quoque idem *c* medicus, quod talia & tanta supernaturalia Deus operaturus esset circa eamdem puellam, quod optaret, pro pondere sive tanta quantitate auri, quanta caput ejus ponderari posset, quatenus ipsa esset filia sua. Cum autem præfatum apostema à nemine curari posset, ac multo tempore de loco ad locum, de lecto ad lectum, exigente magnitudine infirmitatis transferretur; tandem sextodecimo anno ætatis suæ] in vigilia Nativitatis S Joannis Baptistæ, patre ejus accedente ut eam consolaretur, ipsa de loco in quo jacebat exiliens, ruit super genua ipsius patris sui. In quo saltu rupto apostemate, sanies inde profluens, per os ejus, mediante vomitu, tam copiose decurrebat, quod etiam scutellis mensurabatur & in cacabum æneum transfundebatur. Cujus lapsus & vomitus occasione in tantum debilitata fuit, quod quasi mortua putabatur.

apostema incurabile patitur:

c

cujus demum rupti pus evomit,

F

13 Ex hinc jam cœpit continuis infirmitatibus laborare, in quibus, antequam inciperet spiritualia gustare, necessitate miseranda cogente, consolationes corporales, licet miserabiles, mendicabat. Nam primo triennio (in quorum duobus primis in sancta solennitate Paschali ad ecclesiam pro sacra communione ducta vel portata fuit) quamdiu vel pedibus incedere poterat, vel postquam officio pedum destituta baculo vel scabello uti poterat, domi vel foris serpendo, quodammodo solatii gratia circuibat: fossæ nonnumquam appropinquans, aquam quamvis turbidam & fæculentam, copiose potabat, sed mox bibitam evomebat. Ad ignem quoque veniens, si caldariam juxta ignem vel cacabum cum tepida aqua reperisset, mox inde quantum poterat bibebat, quam tamen statim per vomitum effundebat.

& vehementer debilitata,

solam aquam appetit.

14 Non autem hæc initia dolorum ejus absque miraculis extiterunt; infra hoc namque triennium contigit duos viros, contra se invicem conci-

ab inimico quæsitum ad mortem

PER IOAN. BRUGMAN EX MSS.

concitatos, unum alterum evaginato gladio prosequi, ut eum læderet vel necaret; alium vero fugere in domum vel cellulam hujus Virginis, ut persequentis manus evaderet. Quem alter insecutus, cum à matre Virginis Petronilla furibundus inquireret, utrum domum suam intrasset; illa volens mendacio suo salvare fugientem, & alium à sanguine præservare, respondit, non intrasse. Deinde irrumpens cellulam ægrotantis filiæ, interrogavit, si illuc intrasset: ipsa vero respondit simpliciter, quod sic. Super quo commota mater dedit alapam filiæ, tamquam quæ miseriæ, quam propter infirmitates suas patiebatur, etiam proditionem superaddidisset. Tunc filia constanter respondit, se propterea veritatem dixisse, quod speraret, quod veritas occultaret eum: quod & factum est. Nam qui quærebatur, ante quærentis se oculos stabat, sed videri penitus non poterat. Quo viso mater sua, magnifice præferens fidem filiæ fidei suæ, & amplius cœpit affici ad eam, & tolerabilius infirmitates ejus sustinere; gratias agens quod tantum malum conceptum, tali fuerat judicio prohibitum.

fidem invisibilem facit.

CAP. IV. B

15 Post hæc in tantum invalescebant & multiplicabantur infirmitates ejus, quod omnibus viribus corporis destituta, tandem lectulo penitus decumbere cogeretur, ita quod in spatio triginta trium annorum ante mortem suam, terram numquam tangeret. Interim vero usque ad nonum decimum ægritudinis suæ annum, à principio, pauco valde & incredibili satis alimento utebatur; interdum scilicet modico fragmento de pomo, ad spissitudinem hostiæ, quæ pro communicandis consecratur in altari, quod tamen in *d* tenella solet calefieri ad ignem: aliquando valde parum de pane cum modico *e* sorbello sive haustu cerevisiæ spumantis; nonnumquam vero parum dulcis *f* lactis. Postquam vero præ debilitate talibus amplius uti non poterat, per aliquot annos utebatur in hebdomada modico vino puro, ad mensuram quartæ partis unius *g* quartæ, sine admixtione aquæ: quod tamen postmodum per aliquot annos oportebat cum aqua misceri. Interdum sumebat modicum *h* zucaræ vel cynnamomi aut dactylorum sive muscatæ. Post hæc cum his amplius non poterat uti, vel comedendo vel bibendo, solam aquam sumebat, videlicet quartam partem unius mensuræ aquæ Mosalis in hebdomade, quæ per singularem Dei gratiam tantæ suavitatis ei erat, quod omnem saporem vini excedebat, super quo & Domino gratias agebat. C [Habebat quoque tunc temporis tantam gratiam à Domino, quod ex solo gustu discernebat inter aquam Mosæ defluentem ac refluentem: nam quia Mosa illic mare influit, juxta defluxum vel refluxum maris, ipsa quoque Mosa ibi defluere *i* vel refluere videtur.]

denique lecto affixa

perparum cibi ac potus admittit,

16 Et hæc solummodo refectio sua erat à primis tribus annis, usque ad decimum nonum fere suæ ægritudinis annum ab initio inclusive: [quod pro parte testatur littera, quam Rectores civitatis Schiedamnensis in testimonium infirmitatis ejus tradiderunt; scripta quoque Joannis Gerlaci cognati ejus; & postea D. Joannes Walteri de Leydis, Confessor hujus Virginis, qui hoc ab ejus ore plenius audivit.] Ab hinc usque ad mortem suam nullo penitus cibo corporali utebatur vel potu, sicut ipsa de semetipsa perhibuit. [Dicebat autem anno Domini millesimo quadringentesimo *k* vigesimo secundo post Exaltationem sanctę Crucis quatuor Fratribus nostris Minoribus de *l* Brielis, quod pro tunc in octo annis non comederat nec biberat. Qui anni computati cum his qui restabant usque ad mortem ejus, quæ erat anno Domini millesimo quadringentesimo trigesimo tertio simul faciunt circiter decem & novem annos.] D Eo quoque tempore dicebat *m* eisdem, quod pro tunc in viginti tribus annis non viderat solem neque lunam, neque pedes ejus terram calcaverunt: qui etiam computati cum residuis usque ad mortem ejus simul faciunt plusquam triginta tres annos. [Ex quo autem terram non tetigit usque ad mortem, vix usa est pane ad valorem unius grossi.]

& annis 19 omnino nihil.

17 [Ut autem prosequar infirmitates ejus & statum post tres primos annos, adjiciam reliqua prædictæ litteræ, quæ de iis loquitur usque ad annum Domini millesimum quadringentesimum vigesimum primum in profesto B. Mariæ Magdalenæ. Igitur secundum illam litteram, quæ in hoc satis concordat cum prçcedentibus, infra septem illos ultimos annos, scilicet] ab anno Domini millesimo quadringentesimo decimo quarto usq; ad annũ Domini millesimũ quadringentesimum vigesimũ primũ, nulla re corporalis refectionis usa fuerat, nec dormierat infra præfatos annos quantum duarum noctium spatium capere poterat. Jacebatque ita miserabiliter, quod amittebat etiam intestina sua, & multi grisei vermes, pleni grisea aqua, habentes grossitudinem [extremæ E partis] *n* unius fusi, quo mulieres utuntur in filando, & longitudinem quasi articuli humani digiti, comedebant carnes ejus; nec tamen ex hoc aliquis fœtor generabatur circa eam. Et si quando moveri sive verti eam in lecto necesse erat; tunc oportebat corpus ejus circa scapulas, cum mappa vel alia fascia, ligando firmari: alias enim periclitabatur membratim dissipari.

CAP. V.

vermibus è corpore ejus scaturientibus,

omni prorsus motu privata,

18 Præfato autem decimo quarto anno Domini usque ad vigesimum primum, nullo modo moveri aut verti poterat; sed jacebat ipso septennio & ultra resupina, scilicet in dorso, usque ad mortem: nec aliquot membrorum movere poterat, excepto capite suo cum sinistro brachio & scapula. Ex eo autem tempore parco corporis sustentaculo & cibo usa est: & postea, cum nullo penitus utebatur, multum frequenter emisit sanguinem, per os, & nares, *o* & aures, ac per ceteros meatus corporis. Quem sanguinem cum per os propter aliquam difficultatem evomere non poterat, eumdem per occultos corporis meatus in tanta copia nonnumquam emittebat, quod totus lectus ejus quasi sanguine perfusus videbatur. [Unde & honestæ matronæ, quæ frequenter lectum ejus circumdabant, eumdem sanguinem vestibus suis nonnumquam conabantur operire; malentes ex eo maculari, quam tantum fluxum ejus ad aspectum hominum pervenire.] F

annis 11 decumbit resupina,

copiosum sæpe emittit sanguinem,

19 Laborabat autem eadem Virgo prædicto septennio, videlicet ab anno Domini millesimo quadringentesimo decimo quarto usque ad vigesimum primum, ultra hoc etiam gravissima tertiana febre [de qua infra dicetur capitulo VII] cujus accessus primo habebat cum indicibili quodam calore, quem similiter sequebatur indicibile frigus; deinde sequebatur prædictus calor, & postea iterum frigus: quæ vicissitudo durabat fere per medium annum. Postea vero habebat eamdem febrem primo cum magno & indicibili frigore ejus, postea cum magno calore; qui durabat, donec hujusmodi febrium quassatio penitus cessabat. Cessante autem febre, ita insensibilis quodammodo permanebat, quod seipsam penitus ignorans, nec audire poterat nec loqui. *p* Cum enim sentiret abcessum febrium imminere, aptabat se ad exercitia Dominicæ Passionis, suasque passiones illius passioni commendabat: qui eam per excessum mentis adeo à corporalibus, alienabat, quod, sicut dictum est, nec se nec cetera qualibet sciebat.

febres tertianas patitur,

cum alienatione à sensibus:

Duran-

Durante autem eadem febre, rubeam quamdam aquam per os in tanta copia evomebat, quod ejus quantitas infra biennium ad duo vasa taxari poterat.

20 [Interrogata autem, nonnumquam, unde sibi tanta ac talis materia proveniret, cum tamen nullum penitus cibum aut potum acciperet; illa econtra interrogabat, unde tanta proveniret humorum abundantia in vite, quæ tamen hiemali tempore videtur penitus arida & mortua. Dicebat enim quod tantum confortabatur in corpore de aliqua bona meditatione, quantum aliquis confortari posset, cum pretiosissimis & delicatissimis ferculis vescitur. Dicebat quoque quod nisi hominum præsentia & infirmitates suæ obstitissent, non mirata fuisset, si propter abundantiam divinæ gratiæ, quam experiebatur, ad capacitatem vasis q Hamburgensis carnes nutrivisset.] Circa annum vero Domini millesimum quadringentesimum duodecimum, ex vehementia infirmitatum suarum particulatim evomuit pulmonem & hepar cum pluribus intestinis, absque tamen ullo fœtore: imo quicumque ea manibus attrectasset, adeo suaviter manus ejus fere per diem redolebant, quasi species aromaticas tetigisset, sicut multi eo tempore experti sunt.

ANNOTATA.

a *In Vita 1 perperam erat excusum* XII *pro* XIX.

b *Thomas à Kempis* Sandalia, *quidam* Calopodia *vocant; parum apte quærendo apud Græcos aut Latinos nomen rei, ipsis penitus ignotæ & inusitatæ. Auctor hic aptissima utitur descriptione: ferrum autem quo sufferrantur hæ soleæ, pedi calceisque arctissime adstringendæ, dimidii pollicis latitudinem, longitudinem duorum palmorum vel cubiti unius habet, atque in rostrum molli flexu desinit, tantamque præstat celeritatem, ut avium volatum prævertere faciat, & hora una spatium trium horarum emetiri: quo exercitio indifferenter uterque sexus sese in Hollandia recreat, pene ab infantia. Vocantur autem soleæ istæ à Belgis* Schrick-schounen, *à* schoun *calceus, &* schricken *divaricare crura: ita* Schrick-finnii *vocantur Finnorum Borealium quidam, quod super nives velocissime discurrant duobus longioribus lignis ad pedes simili modo aptatis.*

c *Hic & à Kempensi vocatus* Andreas, *in Vita Belg. vocabatur* Joannes; *errore haud dubie postea agnito correctoque. Porro non eidem, sed alteri famosiori, Godefrigo ab Haga infra nominato, cognomento Sonderdank, prophetiam sequentem tribuit Vita posterior, priores duas cum iisque Kempensem in hoc corrigens.*

d Tenella, *Latinis* forceps *quod nomen uti à* foris capiendo *sumitur, ita istud est à verbo* Teneo: *unde & Italis* Tanaglia, *Francis* Tenaille *Hispanis* Tenazza.

e Lac sorbellum *intelligitur lac minutum, per butyri separationem, vulgo in Brabantia* Botermelck: *quod quia rusticana plebi in Hollandia Frisiaque pro usuali potu est, à* suypen *sorbere, etiam dicitur diminutive* suypken, *sorbellum.*

f *Acoris aliquid habet lac minutum: cum ergo genuinum lac volunt Belgæ à minuto distinguere, illud à dulcedine nominant* Sute-melck.

g *Cyatho fere Latinorum quarta pars poculi Hollandici respondet, neque plus, continet quam uno haustu plerique bibant: quantulum igitur fuit quod ipsius quartæ quartam non excederet, & pro tota una hebdomada sufficeret?*

h *Vide quæ de Zucaro diximus 9 Martii ad Acta S. Franciscæ Romanæ num.*10 *lit.* m.

i *Ea est vel angustia ostiorum Mosæ, vel rapiditas fluminis, ut mare (à quo haud multo plus quam duabus leucis Scheidamum distat) sistere quidem decurrentem fluvium possit, ad octo aut decem pedes; salsuginem tamen suam eidem non immisceat, nisi ad spatium dimidiæ leucæ: unde Roterodami perpetuum dulcis aqua est, itemque Schiedami, nisi forte in plenilunio, quando subinde dicitur salsugo aliqua Schiedami apprehendi. Differentiam tamen aliquam posset fortaßis gustus notare uni aquæ potui assuetus, ut hic fecisse Lidwina dicitur.*

PER IOAN. BRUGMAN EX MSS.

k MS. MCCCCXXXI. *Sed apparet ex supputatione mox sequenti denarium unum abundare. Cæpit igitur hæc ejus inedia ab anno* 1413.

l Briela *oppidum in Vorna insula, ad Mosæ ostium, munitum valde & mercatu frequens.* den Briel.

m *Scilicet Fratribus Minoribus. Vita Belg. dißimulat cujus essent Ordinis, & simpliciter dicit* quosdam spirituales.

n *Hæc verba ex Kempensi accepta, licet in nostro MS. desiderentur, addi tamen debuisse probat Epistola Schiedamensium, ubi dicuntur vermes* grossi velut fusum in fine; *& Vita Belgica, ubi eorum ex crassities comparatur* capiti unius aciculæ.

o *Addit Vita* 1, *quod* fluebat semel sanguis tam multus, quantum duæ parvæ pelves capere possunt.

p *Addit eadem:* Omnibus aliis horis, scilicet quibus patiebatur febres & alios dolores, pie & prudenter respondebat ad singula quæsita omnibus visitantibus eam. *tum sequitur*, Cum autem sentiret accessum febrium; *sed correximus* abscessum: *quia de eo agi patet ex alienatione sensuum hic inculcata.*

E

q *Prima maximaque aridorum ac liquidorum mensura communi nomine Teutonico* Vat *dicitur: quoniam vero Hamburgum, Hanseaticarum urbium caput, frumentario negotio maxime tunc florebat & floret etiamnum, ideo malo hic eam mensuram intelligere quæ Romano Modio respondit.*

CAPUT III.

De Vermibus ex corpore S. Liduinæ scaturientibus, hydropisi, & ceteris ejus infirmitatibus.

21 HAbebat quoque in corpore suo tria foramina, fere latitudinem palmę habentia; ex quorum uno, circa ventrem posito, copiose interdum prædicti vermes fluebant. Supponebatur autem huic vulneri sive foramini emplastrum, compositum ex melle & recenti similagine tritici, ut ex illo prædicti vermes sugerent: alias enim corrosissent eam usque ad mortem: si autem idem emplastrum compositum fuisset ex veteri similagine, vermes non suxissent ex eo, sicut experientia docuit. Miscebatur quoque supradictis, in emplastri confectione, a crema lactis vel arvina de albis anguillis vel corpore: ex quibus simul mixtis composito emplastro, superponebantur eidem cineres antiquæ carnis bovinæ, in furno vel clibano siccatæ & in cineres comminutæ. *Vermibus per grande ventris foramen scaturientibus* F

22 [Occasione hujus emplastri contigit aliquid circa eam, quod dignum arbitror memorari exempli gratia, contra tenaces & gulosos. Dominus Andreas Ordinis Præmonstratensis, Curatus ecclesiæ Schiedammensis, de quo infra dicetur capitulo XXXIII & XXXIV, quodam die circa carnisprivium mactaverat quinque vel plures capones, quibus Rectores civitatis ejusdem reficeret, quos ad prandium invitaverat. Cum ergo idem Curatus ingressus fuisset ad eam, ut audiret confessionem ejus, cœpit eum Virgo rogare, ut sibi daret adipem de uno capone, pro compositione prædicti emplastri. Quod cum ille recusaret, dicens eosdem capones satis fore macilentos, nec sufficere omnem adipem eorum ad impinguandum eos dum assarentur; nihilominus Virgo petiit instantius sibi unum dari; promittens se pro illa sibi redditura unam mensuram butyri pro impinguatione eorum. Illo autem adhuc renuente, respondit Virgo, Donet Deus ut omnes à muribus comedantur. Cujus imprecationis celerem effectum paulo post *adhibetur emplastrum, cui necessaria neganti quidam, ipsa à muribus consumi imprecatur,*

PER IOAN. BRUGMAN EX MSS.

post cum gaudio renuntiavit. Virgini D. Joannes Pot Presbyter, qui etiam ad tempus fuerat Confessarius ejusdem Virginis. Habebat quoque ipsa Virgo ulcus quoddam, cui remedii causa superponi solebant incisiones pomorum, qui dicuntur Metzers, quorum copiam habebat idem Curatus. Cum ergo quadam vice ad se ingressum rogasset Virgo, ut sibi aliqua de illis pomis daret, pro præfata necessitate sua, illeque dubitative quodammodo respondisset, an videlicet ea haberet, eo quod eis invite careret; reversus domum, cum se plura ex iis comperisset habere, virgoque nuntium pro pomis misisset; ille memor prioris maledictionis, quam circa adipes suorum caponum incurrerat, Dabo, inquit ei ex iis aliqua, ne à gliribus comedantur. His igitur per digressionem interpositis, ad id revertamur propter quod digressio facta est.]

& deinde cavet talia negare.

23 Quando ergo hujusmodi emplastra propter mutationem auferebantur, remanebant in eis pauci vermes grisei, cum nigris capitibus, longitudinem fere unguis humani digiti habentes: nec emittebant hæc emplastra vel vermes aliquem fœtorem, sed magnam potius suavitatem, prout multis notum est. [Eo tempore erat in diœcesi Coloniensi medicus, qui fama ægritudinis ejus pertractus, pro curatione præfati foraminis misit ei quamdam aquam, quæ in nemoribus prædictæ diœcesis tempore siccitatis cælitus rorata, de singulari quadã herba colligi solebat. Ex hac igitur aqua, cum aqua *b* cyndouwe permixta, cum aliqua fecisset emplastra, & prædicto foramini per aliquantos annos superposuisset; foramen illud curatum fuit & redintegratum: post cujus curationem tantos dolores ex hydropisi sensit, quod libenter foraminis cicatricem cultello resecasset, si relevamen eorumdem dolorum recipere potuisset.] Erat quoque eadem Virgo in inferiori parte putrefacta, unde & oportebat eamdem partem obturari cum quodam cussino sine sacculo, magnitudinem manus habente, ad hoc aptato & repleto cum molli lana: [alias enim intestina ejus penitus dilapsa fuissent. Tales autem & tantæ tamque mirabiles & magnæ & multæ erant circumstantiæ infirmitatum ejusdem Virginis, quod nec plene nec lucide verbo aut scripto poterant vel possunt explicari. Et hæc quidem ex prædicta littera, cum quibusdam superadditis, verbotenus expressa, quantam considerationem requirant, qui legit, intelligat.]

Foramine illo curato hydrops succedit,

B

b

& putrefactio intestinorum:

C

CAP. VI.

quam explorans medicus,

24 [Cœpit igitur fama infirmitatum ejus longe lateque dispergi.] Eo autem tempore quo [sicut supradictum est capitulo IV] modico adhuc aquæ poculo utebatur, intrabat ad eam famosus quidam medicus sive chirurgicus: Godfridus *c* de Haga, medicus prædictorum duorum Ducum Alberti & Wilhelmi, missus ab eodem Duce Wilhelmo & uxore ejus Domina *d* Margareta Comitissa Hollandiæ, quatenus si posset scrutaretur causam & radicem præfatæ putrefactionis viscerum ejus, salubreque remedium apponeret. Qui quantum sibi & sexui illius licuit, visu & tactu appropinquans eidem, primo quidem non putrefacta intestina ejus, prout poterat, in pelvi recepit; deinde scrutatus interiora ventris, invenit prædictos vermes ex putrefacta medulla spinæ dorsi ejus affluere, causari vero putrefactionem judicio naturali, eo quod nullo uteretur salso. Quo facto videns se non posse in aliquo proficere, reposuit intestina ejus in ventrem sicut prius: putrefacta autem aliquam multis annis ante mortem ejus sepulta erant in cœmeterio: [aliqua vero pendebant apud eam in pertica. Ex quibus postea desiccatis & cum aliis prioribus sepultis, cum particula quædam arefacta, quam apud se in pyxide reservavit, aromaticam quodammodo, sicut priora, de se fragrantiam odorantibus spargeret, & ob hoc visitationes multas & concursus volentium eamdem particulam odorari pateretur, attædiata eorum frequentia, jussit & petiit à fratre suo, ut eamdem pyxidem cum prædicta particula circa alia intestina in cœmeterio sepeliret.]

c

d

invenit à spina dorsi procedere.

ejus intestina putrefacta suaviter fragrant.

D

28 [Hujus Magistri Godfridi instantia, medicus Coloniensis, de quo supra in præcedenti capitulo dictum est, mittebat huic Virgini aquam illam quæ de nemoribus ejusdem diœcesis colligi solet, de qua & ibidem dictum est: aliam vero, scilicet cyndouwe, ipse tribuebat: & ut post mortem suam ei non deesset, magistro Nicolao Reineri apothecario, genero suo, supplicabat, ut illi ejusdem copiam semper procuraret.] Dicebat quoque idem magister Godfridus, eam infra dimidium annum hydropicam futuram, nec amplius bibituram, quando humores ejusdem ægritudinis terminos linguæ ejus per vomitum transirent. Quod & factum est, & incurrit hanc hydropisim fere decem & novem annis ante mortem suam, in quibus etiam nullo cibo, nec potu, nec somno utebatur. Quemadmodum autem ipsa nullis naturalibus alimentis utebatur, ita & nulla naturalia superflua per secessum aut urinam emittebat. Agnoscatur in his operata divinitas.

præfati medici pro Sancta solitudo,

& prædictio quædam.

E

26 Causa autem carentiæ somni hæc erat. [More ceterorum hominum, qui vel propter infirmitatem vel diabolicam tentationem, potius à somnolentia tentantur tempore divini Officii quam alio tempore; ipsa etiam eodem] tempore, quo vel exercitiis suis spiritualibus intendebat, vel divinum Officium summæ Missæ in ecclesia celebrabatur, plus solito à spiritu pigritiæ vel somnolentiæ solebat tentari. Cum igitur tunc temporis valde parum dormire posset, & graviter super hujusmodi tentatione doleret, nec ei auderet consentire; Confessor ejus, timens periculum sensuum ejus; suasit ei ne amplius resisteret, sed in quacumque festivitate sibi adveniret, quocumque tempore vel hora, se ad dormiendum aptaret. In quadam itaque festivitate Paschali, cum ab eadem tentatione sub summa Missa gravaretur, ipsaque è diverso eidem violentissime resisteret; [quemadmodum in prima illa tentatione cælesti, quæ Angelos eidem consentientes de cælestibus ejecit; alii qui resistentes in humilitate perstiterunt, ne amplius peccando cadere possent divinitus confirmati sunt; ita & ipsa peracta hac una victoria de somnolentia,] divinitus ita contra eam roborata est, quod usque ad mortem nec dormiret, nec à somnolentia tentata fuerit.

Superata semel generose somnolentia,

numquam deinde dormit Lidwina.

F

CAP. VII.

27 Alias quoque quamplurimas patiebatur infirmitates; videlicet dolores capitis excessivos usque ad mortem, & dolores dentium multiplices. Sæpissime etiam usque ad mortem febres patiebatur diversas, & sicut prædictum est hydropisim plusquam decem & novem annis ultimis usque ad horam mortis. [Sed & epidemiæ morbum, cujus simul & semel quadam vice tria habebat apostemata.] Calculum quoque prægrandem ante mortem [cum quo, sicut infra capitulo XXXIX, moriebatur. Quantum vero crescebant in ea corporales ægritudines & corporaliter ab iis deficeret, tantum augebatur in ea fortis ut mors dilectio Dei & proximi; adeo ut, præ abundantia dilectionis, ausa sit Deum precibus quodammodo provocare, quatenus eas super se multiplicaret. Nam] cum [quindecim fere annos ante mortem suam, regnante pestilentia, ipsa ante omnes] duo apostemata pestilentia haberet, [unum in inguine, & aliud in pectore circa cor] petiit à Domino, ut [si hæc ab illo & de beneplacito ejus forent] tertium quoque sibi superadderet, ob reverentiam sanctæ Trinitatis: cujus preces Deus exaudiens, destinavit ei tertium in gena. Per triennium autem vel amplius

Patitur dolores capitis, dentium,

hydropis,

calculi,

apostematum duorum pestilentium,

plius ante mortem ejus aliud pestilenticum apostema supervenit sibi in inguine, quod introrsus adeo computruit, quod fragmenta carnium plura frequenter ex eo traheret. [Hujus apostematiæ reliquias in interioribus corporis sui reservavit usque ad mortem. Et ut paucis multa perstringam, omnibus generaliter infirmitatibus, quibus communiter homines gravari solent, laboravit; quas mirabili & inaudita à seculo patientia sufferebat, amore Domini nostri Iesu Christi pro se crucifixi, qui multo plura pro salute generis humani pertulerat.

28 In fronte quoque habebat fracturam, tendentem usque circa medietatem nasi; similiter & in inferiori labro & mento; qua nonnumquam adeo gravabatur ex coagulatione sanguinis in ea facta, quod perfecte loqui non poterat. Dexter oculus ejus omnino cæcus erat: sinister vero adeo debilis fuit quod non poterat materiale lumen sustinere vel videre: quare etiam non utebatur eo, neque per diem neque per noctem, sed continue in tenebris jacebat. [Si quando enim materiale lumen contingeret eam videre, quod altari quod erat in cellula ejus resplendebat, vel ob nimiam apertionem cortinæ lectuli ejus, sive propter amotionem asserum parietis ejusdem cellulæ suæ (quod factum fuit tempore incendii, de quo infra capitulo XVII, quo quasi tota civitas illa combusta fuit, ut per foramen parietis illius de domo auferretur, si eam incendium invasisset) statim, propter hujusmodi qualecumque lumen, oculi ejus vehementer cruentabant].

29 Per decem & septem aut per decem & octo vel plures annos ante mortem suam, per annum patiebatur febrim *e* triduanam: quo facto interrogavit eam Angelus suus, an haberet affectum amplius eamdem febrem patiendi, & hoc ad liberationem amicorum suorum qui in purgatorio erant. Cumque ipsa paratam se fore usque ad mortem responderet, dixit Angelus, quod eam passura erat usque ad mortem, sic tamen quod per eam liberaret de purgatorio omnes usque ad nonum gradum consanguinitatis sibi attinentes & alios innumerabiles. [Dicebat quoque idem Angelus, quod omnes quos sic vel suis precibus de purgatorio liberaret, vel verbo exhortationis aut orationibus ad emendatiorem vitam reduceret, in futura vita sub ipsius protectione futuri essent, atque ipsa eis tamquam princeps & domina præesset]. Patiebatur igitur prætatas febres ita pœnaliter, quod nulli hominum comprehensibile erat aut effabile: quartanas quoque [& interdum quotidianas. Licet autem tantis gravaretur infirmitatibus, tam plenum tamen habebat sensum, rationem quoque tam vivacem & memoriam, quod cum multi etiam de longinquis partibus gratia devotionis aut consilii frequenter eam visitarent, raro tamen quis ab ea recederet, quin sanum consilium reportaret].

30 [Non solum autem in spiritualibus sed etiam in corporalibus, quasi per medicinalia, quæ nescio unde didicerat, multis subveniebat: multasque feminas, partu gravatas & periclitatas, consiliis suis relevabat. Inter hæc autem non inflabatur, nec magni aliquid de se vel sua in presenti statu vel futuro gloria præsumebat; sed in humilitate gressum mentis figens, patientissime quoque omnia ex caritate ferens, quasi post hanc vitam purgatorium adhuc passura esset, valde timebat. Tantam apud Dominum obtinuerat gratiam, quod, sicut domestici ejus ex ore ipsius referebant, Angeli sancti numerare solebant eorum vestigia, qui causa devotionis eam visitabant. Quapropter cum visitantes eam nonnumquam hac de causa se causarentur lassari, illa consolans eos hortabatur ne super hac fatigatione dolerent, propter causam prædictam.]

31 Instante quadam vice sacro Quadragesimali tempore, cum feria tertia ante *f* caput jejunii, secundum morem temporis illius, auditu perciperet homines circa cellam suam in platea lusibus & dissolutionibus vacare; orabat Dominum, ut, si sibi bene placitum foret de ea, vel ipse ea quæ patiebatur circa ipsam operaretur; hoc sibi per signum aliquod novæ ægritudinis ostendere dignaretur. Quam orationem ejus Dominus exaudiens, tradidit ei novam quamdam molestiam in uno crurium ejus; cujus incommodo adeo vexata fuit usque ad proximum tunc Pascha, quod conscia propriæ infirmitatis, non audebat amplius postulare augmentum suarum infirmitatum. Solita tamen erat dicere in quotidianis infirmitatibus suis, quod adhuc eas vellet continuare libenter per quadraginta annos, imo usque ad finem mundi, pro conversione cujuslibet peccatoris, aut pro liberatione cujuscumque animæ de purgatorio.

PER IOAN. BRUGMAN EX MSS. CAP. VIII

f novum in crure dolorẽ impetrat.

ANNOTATA.

a *Florem seu cremorem lactis alii vocant, pinguiorem ejus substantiam, recenti lacti aliquantum consistenti supernatantem, Francis* Creme, *hic* Crema.

b *Ita MS. vereor ut satis sincera lectio sit: videtur autem nomen esse detortum à* Centauria, *quam botanici nostri corrupte* Santorie, Centorie *&* Cintorie *appellant, estque tanta efficacia herba ad leniendos membrorum internorum externorumque dolores, sananda vulnera &c, ut sint qui putent ipsam esse famosam illum Poëtarum* Panacen, *& à Germanis appelletur* Thausent-gulden-kraus, *herba mille florenorum. quasi nullo satis pretio æstimanda.* E

c *Vita Belgica itemque posterior Vita vulgari agnomine eum vocant*, Godefridum Sonder-dank, *ex eo quod pro curatione dicentibus,* Grooten dank, *Magnas gratias; in more haberet respondere* Sonder-dank, *Absque gratiis: Transiit autem cognomentum ad ejus filium VVilhelmum, de quo infra in appendice ad hanc Vitam, & in Prologo ad Vitam posteriorem fit mentio, ut qui fuerit Virgini devotissimus.*

d Margarita *Philippi Audacis Burgundiæ Ducis filia, VVilhelmo VI, per mortem Mariæ Francicæ viduo, nupta anno 1395, eidem sub annum 1417 extincto haud diu superstes fuit.*

e *MS.* Quartanam. *Sed apparet ex num. 19 supra, & ex mox infra sequentibus sphalma esse liberarii.* Tertianam *habet Vita Belg. ex qua hoc mendum correximus.*

f *Ab Italis hæc accepta locutio; sic etiam illis* capo d'anno *dicitur, initium anni.* F

CAPUT IV.

Quid occasione matris ac patris sui pertulerit Liduina. Tempus mortis suæ à pio Sacerdote intelligit, eique vicissim indicat quando sit moriturus.

32 TRansactis ab exordio ægritudinis suæ octo annis, scilicet anno Domini millesimo quadringentesimo tertio, mater ejus Petronilla ægritudinem incidit, de qua & mortua est. Cum igitur morti appropinquans conquereretur se minus juste vixisse, diceret tamen se libenter velle mori, in tantum quod nollet ne minimum quidem vermiculum pro se mori, ut ex hoc ipsa mortem evaderet; petiit ipsa à filia sua, quatenus ipsa meritis & intercessionibus suis sibi post mortem subveniret. Quo audito filia compuncta, & matris cordialiter compassa, hortataque eam ut flagellum Domini patienter ferret, & mortem; obtulit & tradidit atque resignavit eidem, pro subventione ejusdem, quid-

CAP. IX *Moritura matri omnia sua merita offert.*

PER IOAN. BRUGMAN EX MSS. quid usque tunc in virtutum exercitiis & laboribus ac tolerantia patientiæ meriti consecuta fuisset. Quod cum mater ejus gratanter accepisset, ipsa videns, vel potius putans, se evacuatam omnibus operibus bonis quæ prius habere poterat, accinxit se quodam cingulo cilicino, trium pollicum latitudinem habente, quasi ad inchoandam novam pœnitentiam. Quo post aliquot annos, propter humores hydropicos, corpus ejus & cutem penetrantes, satis attrito & ideo deposito; alio rursum, & successive pluribus aliis, prioribus putrefactis atque rejectis, accingitur; donec cum ultimo eorum de hac vita migraret.

& quasi damnum restauratura cingulo cilicino induitur:

33 [Horum unum, sicut infra dicetur capitulo XXIX, anno Domini millesimo quadringentesimo vigesimo sexto, cum posita apud infernum videret Ioannem Angeli de Dordraco, quondam Curatum ecclesiæ Schiedammensis, in tormentis; præ terrore & angustiis quas ibidem patiebatur, à corpore ejus crepuit; non in vinculis ligaturæ, sed in medio & in integro loco. Ultimum vero, à D. Ioanne Walteri Confessore suo comparatum, quo fere per triennium accincta fuerat, post mortem ejus solutum quidem à corpore, sed integrum ex omni parte & in vinculis ligaturæ, miraculose apud eam repertum est. *a* De his cingulis in singulorum locis dicetur] Utebatur etiam ad tempus camisiis laneis, à sororibus tertii Ordinis sibi factis, quarum manicis vestiri solebant brachia ejus, interiori vero parte anteriora corporis ejus operiri, posterior autem pars in cervice & colle ejus relinqui. *b*

de quo mira quædam memorantur:

B

CAP. X

34 Post mortem autem matris suæ, relicta sibi ab ea *c* clenodia argentea & alia quælibet utensilia, propter necessitatem, valde minus condigno pretio vendidit; pretiumque pecuniæ inde sumptum tam large pauperibus erogabat, quod ad extremam paupertatem devenit. Nam quamdiu poterat, utebatur quidem lecto de plumis; sed cum per multitudinem vulnerum eumdem ferre non posset, eo quod, consumpto pulvinari plumarum tegumento, eædem plumæ adhærentes indurarentur in vulneribus ejus; ablato lecto, jacebat ad tempus super nuda stramina; & etiam per triennium nudo dorso super durum *d* asserem de fundo vasis sumptum. In illa quoque valida & asperrima hieme, quæ circa annum Domini millesimum quadringentesimum octavum in tantum invaluit, quod multorum præcedentium & sequentium annorum hiemes, tam temporis longitudine quam frigoris acerbitate, excederet; ex vehementi nimis frigore & nuditate, frequenter in tantum obriguit, membraque adeo nigrescebant, quod quasi truncus emortuus sine sensu & congelatus videretur: oculorum quoque ejus lacrymæ ex gelu in glaciem stringebantur, adeo quod videre non poterat nisi mediante igne resolverentur: aliaque quamplurima incommoda patiebatur, ob quæ, nisi Auctor naturæ supernaturaliter eam rexisset & gubernasset atque aliter de ea disposuisset, indubitanter mortua fuisset.

matris clenodia distribuit in pauperes,

sustinet acerrimum frigus.

C

35 In quibus omnibus & hujusmodi multis necessitatibus, cum ipsa juxta vocem Apostoli pauperum semper memor esset, adeo quod, per subtractionem propriorum necessariorum, eorum necessitatibus succurreret; divites tamen hujus seculi & qui in deliciis ac opibus suis gloriabantur ejus penitus oblivіscebantur. Eo tempore inter multos religiosos Patres, gratiæ spiritualis expertos, affectu caritatis familiaris ei erat venerabilis Pater D. Woremboldus *e*, quondam Confessor & Rector Sororum tertii Ordinis ad S. Cæciliam in Trajecto [qui etiam pro cordis sui puritate crebris divinarum revelationum consolationibus ferebatur visitari. Ad hujus autem Patris notitiam non humano indicio pervenerat, sed divina revelatione]. Nam cum ipsa, circa medietatem fere temporis ægritudinis suæ, in festivitate Dominicæ Annuntiationis & Incarnationis, ad cælestium contemplationem raperetur; contigit eumdem D. Werемboldum eadem hora ad eadem similiter rapi: atque ex hac simul & semel utrique facta contemplatione, mutuam cognitionem, quam prius non habebant, conceperunt.

Heb. 13, 2

Ad eam in visu cognitam,

D

36 Unde & idem venerabilis Pater, cupiens eam etiam corporaliter agnoscere & videre, quam ita in spiritu cognoverat; ingressus ad eam, oculoque cordialis compassionis intuitus calamitatem ejus, primo quidem dedit ei triginta circiter grossos pro duobus linteaminibus emendis; ac deinde ingressus ecclesiam, conscenso ambone, in sermone quem loquebatur ad populum, gravibus increpationibus tenaciam & immisericordiam eorum castigavit; utpote qui de sua abundantia tali creaturæ Dei, in tanta necessitate degenti non subvenirent. Et merito: probata namque virtus corripit insipientes. Hic igitur reverendus Pater, transacto fere medio tempore ægritudinis hujus sacræ Virginis, ingressus ad eam, cum inter cetera mutua colloquia diceret, sibi ante Pascha divinitus quodammodo revelatum, quasi ante idem Pascha transiturus esset de hoc mundo ad Patrem. Illa è diverso respondit, expectandum sibi potius fore usque ad futuram Pentecosten [quodque ipse eam post Pascha esset visitaturus. Quod quia verum fuit rerum postea probavit eventus: nam obiit in vigilia Pentecostes.]

accedens D. Worembol dus,

intelligit se usque ad Pentecosten victuram,

E

37 Deinde cum ipsa conquereretur se gravari ex prolixitate infirmitarum suarum, ille respondit, oportere eam adhuc earumdem patientem tolerantiam amplexari, eo quod forsan medium temporis earum implesset. Et quidem hoc ita utrimque contigit futurum, prout rei postea probavit eventus. Dicebat autem eam in cælestibus fundamentum valde latum & amplum collocasse, cujus structura superædificanda brevi tempore non poterat consummari. [Defunctus autem prædictus venerabilis Pater post novem fere dies, dilatus est ab *f* aspectu gloriæ divinæ faciei, sicut huic Virgini revelatum fuit] Qui cum adhuc ægrotaret, Sorores quædam de Schiedam in Vigilia Pentecostes ad hanc ingressæ Virginem, dicebant se velle transire Trajectum, ad visitandum Patrem suum sic ægrotantem. Quibus illa respondit, quod quantocyus properarent, si eum vellent videre viventem. Cum ergo de vespere *g* Trajectum intrarent, audiebant solenniter pulsari campanas, pro exequiis illius quem venerant visitare.

prædicit ipsi passionis suæ tempus dimidium superesse.

F

38 Pater quoque hujus sacræ Virginis, Petrus præfatus, ad tantam, sicut prædictum est, inopiam pervenerat, quod ut sibi vitæ necessaria procuraret, seipsum ad custodiendas nocturnas vigilias civitatis Schiedammensis pretio qualicumque exposuerat: non enim volebat eleemosynas filiæ devorare, quas dicebat esse peccata hominum; sed potius ut ipsa eas in pios usus expenderet. [Vnde & in prædicta valida hieme, de qua in præcedenti Capitulo dictum est, adeo aggravatus fuit hujusmodi vigiliis, quod contractionem majoris pedicæ *h* dexteri pedis sui ex frigore reportavit.] Quo tempore intravit prædictam civitatem præfatus Dux Wilhelmus, Comes Hollandiæ, cum uxore sua Domina Margareta Comitissa & alia multa comitiva: qui Dux, comperta paupertate ejus, compassione motus propter reverentiam sanctitatis filiæ ipsius, jussit ei [ut, quantum sibi sufficere putaret, pro annuis expensis & necessitatibus, fiducialiter

CAP. XI Patri Sancti inopiam fortiter toleranti,

peteret

peteret ab eo. Cum igitur ille simpliciter postulasset] duodecim coronatos Franciæ; [Dux ipse miratus modestiam petentis, postulatos coronatos jussit ei] singulis annis dari; [asserens se etiam paratum ad duplicandum eos,] ne tantæ necessitati subjaceret vel miseriæ. [Et primo quidem fideliter, successu vero temporis tepidius dati sunt ei.]

39 Cum autem post mortem matris ipsius sanctæ Virginis, pater ejus adhuc vigilias civitatis perageret; quadam vice absente patre de vespere, frater ejus (qui & ipse post patrem vigilias noctis in civitate observabat) posuerat candelam ardentem secus caput lectuli ejus, in eminentiori loco anguli. Quæ decidens in stramina, cum magnam partem straminum, in quibus jacebat, combussisset, ipsa Virgine suis devotionibus & exercitiis facie tecta intendente; cum crepitantibus incendiis ad se reversa, apertis oculis in medio ignis positam se cerneret, nec adesse qui extingueret, manu sinistra omne incendium excussit extinxitque, absque tamen læsura manus ejusdem, admirantibus cunctis, qui mane facto ad eam ingressi, ex combusto pulvinari & lecto *i* videbant quæ facta fuerant, ipsam vero in nullo læsam. Quamvis hic mentio lecti fiat, cum tamen supra dictum sit non eam in lecto sed in straminibus jacuisse, non ipsa hoc lecto utebatur, sed vel filius vel filia fratris ejus, qui ei diu noctuque successu temporis serviebant; ipsa vero circa lectum in straminibus jacebat.]

40 [Igitur præfatus Petrus, pater hujus Virginis, mediante eleemosyna à prædicto Duce Wilhelmo sibi concessa obtento victu & vestitu, iisque contentus, desertis vigiliis frequentabat ecclesiam, ceterisque suis devotionalibus prout poterat intendebat: quod cernens sathanas & ejus devotioni invidens, commenta nequitiæ suæ illi parabat. Cum enim jam præ senio tantæ debilitatis effectus fuisset, quod vix incedere valeret, quin ob modicam occasionem cadendo frequenter læsus rediret domum; ita tamen ferventer visitabat ecclesias, quamvis contra voluntatem filiæ propter frequentes hujusmodi lapsus & læsuras, quasi ætatem adhuc juventutis & adolescentiæ perageret. Quadam igitur vigilia Pentecostes, reclamante filia, egressus est ut transiret ad Vesperas: & ecce obviam habuit diabolum, in hominis specie sibi noti, qui invitabat eum ut paululum pariter irent spatiatum extra civitatem, quasi satis tempestive adhuc venturi essent ad Vesperas. Cumque ille vere crederet eum esse hominem, nec adverteret diaboli nequitiam, consentiretque ei; venerunt simul extra portam civitatis, ad locum qui dicitur *k* Damlaan. Et ecce subito diabolus irruens, in eum, ipso nec vidente nec sentiente, projecit eum in fossam & disparuit. Ubi cum mergi inciperet, contigit quemdam aurigam sibi notum, præter consuetudinem suam cum curru per eamdem viam de agro redire ad civitatem: qui videns Petrum in fossa jacentem, & sibi ipsi in nullo subvenire valentem, extractum & currui impositum vexit in civitatem; statimque cunctorum aures perculit rumor, quasi Petrus esset submersus & mortuus. Quæ fama cum ad aures quoque filiæ pervenisset, in tantum conturbata fuit, quod semper hanc vigiliam Pentecostes, ob miseriam patris, in memoria habuit.]

Hæc igitur & valde breviter, imo quasi nulla in comparatione omnium quæ corporaliter passa est, dicta sunt simpliciter: [quæ quanti ponderis sunt, qui poterit, attendat.] Nunc vero ad considerationem spiritualium charismatum, quibus eam Dominus, Deus & sponsus suus, ungere dignatus est, [& tribulationes ejus lenire præ participibus suis, quemadmodum eam præ illis flagellavit, pauca nihilo minus & vere valde pauca de innumerabilibus colligendo,] transeamus. Sed ad hæc enarranda quis idoneus? Initium tamen spiritualium ejus consolationum erat in exercitio Dominicæ Passionis & in sacra Dominici Corporis communione. [Nam ne in tantis tribulationibus infirmitatum suarum præ impatientia deficeret, pius Dominus, verus paraclitus & mœrentium consolator, multifarie multisque modis, diversis videlicet consolationibus divinarum revelationum, quasi lævigativis unguentis, die noctuque dignatus est eam reficere; ut sicut scriptum est, secundum multitudinem dolorum quæ erant in corpore ejus, etiam consolationes divinæ lætificarent animam ejus.]

PER IOAN. BRUGMAN EX MSS.

respondit consolationũ multitudo.

Ps. 93, 19

ANNOTATA.

a *De hoc cingulo Michael d'Esne, Episcopus Tornacensis, in sua epitome Gallica Vitæ, sic loquitur sub finem.* Servatur illud adhuc; (*scilicet post initium hujus seculi quo scribebat*) admirabili fragrans odoris suavitate. Equidem propriis manibus ipsum contrectavi, & cognovi experientia dæmones ipsum maximopere formidare.

E

b *Quia scilicet, ad illam partem sub jacente componendam, attolli ipsa ne tantillum quidem poterat.*

c *Vox omnino Teutonica est* Clenodia, *& in genere quidem accipitur pro quacumque ex auro, argento, gemmis pretiosiori supellectile; in specie autem & propriissime pro mundo muliebri, ad rem vestiariam pertinente; dubites an* klé-nood *vestitui necessaria, an* kleyn-nood *cum kiliano, id est parva necessaria seu parum necessaria, etymologice exponi debeat. Vita 1 scribit* Cleynodia.

d *Vita Belg. pro assere de fundo dolii. notat* corticem arboris, *quæ lævis interius, haud paulo commodius excipere ægrum corpus potuit: fortassis uterque cubandi modus successive valuit.*

e Woremboldus, *Hic videtur esse* Magnus ille multarum devotarum congregationum utriusque sexus propagator Dominus Wernoldus de Buschoep, *laudatus in Chronici Hildesheim. l.* 1 *cap.* 40. *superest autem etiamnum Vltrajecti murorum ac nomine tenus monasterium S. Ceciliæ, cujus dicitur fuisse Confessarius. In Vita, additur quod fuerit* Tertii Ordinis S. Francisci generalis minister, *& scribitur* Werenboldus

f *Ita MS in autographo fortasse fuit,* delatus est ad aspectum *&c. sensu plane contrario & magis verosimili; alias enim videtur dicendum fuisse, quomodo Liduina conata fuerit ingressum ad gloriam ei maturare.*

F

g *Expeditas valde fuisse oportet, quæ decem circiter Hollandicarum leucarum iter uno die confecerint, mane Scheidamo egressa.*

h *Qui* pedicam *pro* halluce *vel* calcaneo *dixerit hactenus alium non reperi.*

i *Vita* 1. Ante eam erat lectus parvulus quem ipsa non attingebat, sed eam visitantes super eum sedebant.

k *Ita etiam locum appellat Kempensis, nomine ex* laan (*quod, Kiliano teste, Frisiis, Geldris, Hollandis vicum diverticulumve significat*) *&* dam *composito, quasi dicas* Vicum-dammi. *Is modo, deducta ad Occidentem latius urbe, intra mœnia continetur, & simpliciter* Dammus, *sive* den Dam *appellatur, quem fossa non magna pervadit.*

CA-

PER IOAN. BRUGMAN EX MSS.

CAPUT V.

Initium & modus divinarum consolationum & raptuum S. Liduinæ.

Primi triennii infirmitates molestissime ferens;

42 Transactis itaque tribus vel quatuor annis ab exordio infirmitatum suarum, cum adhuc more ceterorum infirmorum potius sanitatem corporis affectaret, quam ita languere, & super præsentibus tribulationibus nonnumquam murmuraret; videndo quoque consodales puellas, quæ gratia visitationis interdum ad eam intrabant, sanas & incolumes atque gaudentes, se autem languere; ab hinc adeo nonnumquam dolebat, quod etiam amarissime fleret, nec aliquam consolationem à quocumque posset admittere. Ingressus ad eam Confessor suus D. Ioannes Pot, qui eam bina pro tunc vice per annum communicare consueverat; cum nec ipse eam quibuscumque consolationibus posset inducere, ut ab hujusmodi se lacrymis & doloribus temperaret; suasit ei ut se divinæ voluntati conformaret, & in Dominica passione se exercitaret; spondens quod ea mediante faciliter consolationem reciperet. Sciscitata igitur modum hujusmodi exercitationis, & ab eodem Sacerdote modo accepto, cum se secundum traditum modum exercitare vellet, nec farinam Propheticam eidem inesse gustaret, quasi mors in olla fuisset, irruente statim fastidio, quidquid acceptaverat, à corde, quod est meditationum sedes, abiecit.

docetur solatium petere ex Dominica Passione:

B

quod primo difficile,

43 Deinde cum ille [quemadmodum B. Hieronymus dicit, Labor improbus vincit omnia] eam hortaretur ut sibi ipsi aliquam violentiam in his faceret, qua fastidium hoc superare posset, illaque suadenti consentiret; tandem per violentiam inducta consuetudo successu temporis tantam ei generavit suavitatem, quod dicebat, quia si per unam salutationem Angelicam potuisset sanitatem corporis recuperare, non tamen fecisset aut optasset. Unde & suavitate Dominicæ Passionis illecta, historiam ejusdem Passionis, secundum modum septem Horarum Canonicarum in septem partes divisam, statutis temporibus diu noctuque cogitando retractabat: in cujus exercitiis, sicut dictum est, tanta suavitate replebatur & gaudio, ut jam non ipsa, sed ille cujus Passionem recogitabat, versa vice videretur sustinere, quæ ipsa hactenus videbatur pati. [Et vere sic erat. Nam quemadmodum ipse ait, Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis: ita & de eodem scriptum est, Agnus qui occisus est ab origine mundi, id est, ab iis & pro iis qui fuerunt ab origine mundi. De hoc quoque supra dictum est in Capitulo v, & infra dicetur in Capitulo xiv de statu raptuum ejus. In quibus exercitiis Dominicæ Passionis & ceteris orationibus suis tam indeclinabilem & infallibilem quodammodo consuetudinem acquisierat, quod quemadmodum per horologium, ita & ipsa per eadem certitudinaliter discerneret nocturno tẽpore.]

deinde usu factum est ei facillimum.

Mat. 10, 20

Ap. 5, 12

C

similiter Communicare utiliter dicta,

44 Eodem quoque tempore præfatæ ariditatis suæ, cum eam idem Sacerdos communicaturus esset, ostendens ei sacram & incontaminatam Hostiam, inculcabat ei seriose satis & affectuose, quatenus aspiceret & susciperet eum, quem in manu tenebat; sciens pro certo quod ille foret Dominus Deus & Creator suus, qui pro ipsa fuerat incarnatus & passus & mortuus, quodque omnem quam patiebatur tribulationem copiose esset remuneraturus: quibus illa verbis adeo compuncta fuit, & quasi quibusdam igniferis amatoriis jaculis vulnerata, quod, quemadmodum prius præ dolore cordis & impatientia, ita & nunc per quindenam fere vel amplius non poterat abstinere à lacrymis compunctionis & amoris, dolens & flens pro cæcitate præterita & stoliditate, in qua ita impatiens fuerat: in tantum quod nec matris nec cujuscumque consolationem admittere poterat, nec saltem causas lacrymarum indicare. Ex hinc jam cœpit frequentibus consolationibus, licet non per raptum contemplationis, divinitus tamen refoveri; nec tamen interrogantibus valebat causam tantarum lacrymarum suarum patefacere. Utebatur autem per divinam dispensationem hujusmodi consolationibus octo ferme annis, antequam extra sensus corporeos extatice rapi inciperet.

D

deplorat priorem suam impatientiam;

45 [His igitur duobus, id est, Dominici Corporis sacra communione & ejusdem Passionis exercitatione, quasi duobus quibusdam brachiis amorosis amplexata pro parte Dilectum, per patientiæ ejus imitationem; ex hinc fiducialiter dicere poterat, quod in amoris Canticis sponsæ voce dicitur; Fasciculus myrrhæ Dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur. Nam quia more myrrhæ, quæ mortuorum cadavera præservat à putrefactione, ita & ipsa se virtute hujusmodi sacræ Communionis & exercitationis Dominicæ Passionis ab impatientia & murmure, quibus spiritualiter corrumpi poterat, sanari sentiebat; non immerito eadem, tamquam efficacicissima suæ ægritudinis medicamina, secum deferre & commorari in cordis hospitio curabat.]

& duobus hisce mediis

Cant. 1, 12

E

46 [Cum igitur secundum mensuram divinarum consolationum, proportionaliter etiam in patienti tolerantia, imo & in amore adversitatum proficeret; ad eum usque gradum divina miseratione perducta est, ut de illorum numero fieri mereretur, de quibus fortissimus in tribulationibus & excellentissimus cælestium contemplator Apostolus Paulus ait; Sive sobrii sumus, vobis: sive mente excedimus, Deo.] Rapiebatur enim in extasi & excessu mentis, sed non erat in ejus raptu rara hora vel brevis mora. Cum enim die quadam ingressus esset ad eam Religiosus quidam; interroganti eam super statu suo & super patientia tribulationum suarum, respondit sese excessive satis & super vires suas gravari, ita ut facile deficere posset, nisi pius Dominus eam baculo consolationis suæ sustentaret. Dicebat autem se quasi omni nocte, per longum spatium temporis, videlicet, interdum unius horæ interdum plus vel minus, rapi ad cælestia: quorum deliciis adeo reficiebatur, quod non solum tolerabilis, sed etiam delectabilis sibi foret amarissima, quam patiebatur, amaritudo.

CAP. XIII ad summam profectum tolerantiam

2 Cor. 5, 13

capit frui divinis raptibus,

F

47 Rapiebatur autem & ad diversa loca, scilicet ad gaudia regni cælestis & paradisi, ad purgatoria quoque loca & infernalia, ut videret & videndo compateretur, compatiendo quoque pœnitentiam ageret pro iis, qui ope ejus indigebant. Ad diversa etiam loca orbis terrarum rapiebatur, loca videlicet Terræ-sanctę, Urbis Romæ, & ad alia plura loca sacra & monasteria, ut Reliquias Sanctorum illic constitutas devotionis affectu visitaret: nec solum unum aut duos vel tres, sed fere viginti quatuor annos, & quasi omni nocte, in his raptibus continuavit. Certis tamen ex causis aliquoties hujusmodi ad divina raptibus carebat, sicut infra dicetur capitulo xxvi & xxvii. *a* [Quorum raptuum occasione cognoscebat multas etiam ecclesias & monasteria, dispositionem & modum structuræ earum; personas quoque religiosas, quas numquam ante viderat, etiam nominatim cognoscebat, & qualia circa eas divinitus acta fuerant, aliis nonnumquam referebat. Quod ut clarius

etiam ad loca diversa

A rius pateat, aliqua referam, quæ ab iis quibus & de quibus eadem dixerat, percepi.]

48 [Priori cuidam aliquando dixerat, quod ita cognoscebat monasterium ipsius & ecclesiam sicut ipse. Eidem quoque quadam vice dicebat, quod ipsa per noctem, dormientibus Fratribus, solebat visitare monasterium ipsius & dormitorium; quodque fere per singulorum Fratrum lectos singulos Angelos sanctos stantes videbat. Erat quidam juvenis Henricus nomine, de Haga *b* oppido Hollandiæ, quem ipsa corporaliter numquam viderat, qui divina gratia inspiratus, nescientibus parentibus, habitum sanctæ religionis in monasterio Carthusiensium *c* prope Diest susceperat: cujus pater, Wilhelmus nomine, nesciens quid circa filium suum factum fuerat, ingressus domum hujus Virginis, audivit eam se ex nomine & cognomine reverenter satis vocantem, prospera filio suo imprecantem, ac super iis quę divinitus circa eumdẽ filium ejus facta fuerant quodammodo congaudentẽ. Super quo ille admiratus, cũ eam interrogasset causã hujus congratulationis, illa stuporem stupori ejus superaddens, respondit, eum in supradicto monasterio sanctę religionis habitum induisse. Hoc ego ipse ab ejusdem Fr. Henrici ore precepi. Erat alius Religiosus, natione Dordracensis, professus in *d* Eemsteyn, quem vice quadam cellulam Virginis hujus ingressum, ipsa Virgo gratiose satis & ex proprio nomine salutavit; cum eum, licet prius semel vidisset, nunc tamen corporaliter non videbat. Super quo ille admiratus, cum eam interrogasset, unde se adesse nosset; illa simpliciter: Quia Dominus donavit hoc. Istud ego similiter ab ore ejusdem Religiosi audivi.]

49 [Cum autem, sicut dictum est, ad talia loca raperetur, complebatur in ea divinitus quod Moysi & filiis Israel, ex Ægypto ad Terram promissionis properantibus, à Domino dictum est: Ecce ego mitto Angelum, qui præcedat te & custodiat semper, & sit ductor itineris tui]. Visitabatur enim sæpissime & tangebatur ab Angelo suo sancto, quem ita personaliter cognoscebat, sicut amicus amicum suum. Similiter cognoscebat Confessorum suorum Angelos, aliorumque familiarium suorum & multorum hominum. Apparebat autem idem Angelus diversimode, & interdum in forma viri pulcherrimi, semper autem in magna claritate. Nonnumquam claritas illa tanta erat, quod si mille soles invicem lucerent in virtute sua, non tamen possent æquiparari vel assimilari claritati ejusdem Angeli. Interdum vero minor erat hæc claritas: semper tamen præferebat in fronte vexillum Dominicæ Crucis, ne ab angelo sathanæ, qui sibi frequenter apparebat transfiguratus in Angelum lucis, deciperetur. Si vero propter frequentiam visitantium se aliquando turbabatur, & ob præsentiam atque attactum quorumlibet hominum inhonestorum puritas ejus, ut assolet, maculabatur; propter hujusmodi qualescumque maculas & inquietudinem, privabatur Angelicis visionibus & raptibus divinis. [Interdum etiam, si spiritualibus quibusdam atque solius divinitatis oculo aut Angelico cognitis defectibus, qui apud homines defectus non sunt, occulte gravabatur, & earumdem occasione à consuetis raptibus eam impediri necesse erat; de eisdem Angelo sancto ductori suo confitebatur, sicque purgata ab eodem, ipso precedente, ad quæ ducebatur loca, sequendo procedebat.]

50 Quando ergo primo rapiebatur, in illa indicibili nobis separatione spiritus ab animali corporis vigore, tantam circa vitalia pectoris & corporis sentiebat angustiam, quod vix prævalens trahere anhelitum, putabat se morituram: postea autem in hujusmodi raptibus propter consuetudinẽ assuefacta, non sentiebat tales angustias. Et cum spiritus ejus ad prædicta loca raperetur, corpus ejus quasi mortuum & exanime remanebat in lectulo, adeo quod siquis illud tetigisset, ipsa non sensisset. Deinde Angelus nonnumquam apprehensa manu ejus, primo ducebat eam ad altare chori Beatæ Virginis ecclesiæ Schiedammensis: ubi cum orasset aut Beatam Virginem salutasset, statim post orationem ducebat eam versus Orientem, per amœna loca, rosarum & liliorũ ac aromatum atq; omni genere florum consita & respersa. Quibus locis cum appropinquasset, & ut ea ingrederetur ab Angelo invitaretur, illaque propter eorumdem reverentiam non auderet intrare, scilicet ne eadem pedibus conculcaret; tandẽ illo affirmante quod à se non forent conculcanda; illa, sicut admonebatur & invitabatur ingrediens, præcedentem quocumq; ibat sequebatur. Interdum autem iidem flores rosarum & liliorum tantæ altitudinis erant & densitatis, quod dum ipsa quodammodo causaretur se eos non posse penetrare, apprehensam eam [sicut quondam Habacuc Prophetam] Angelus transferebat per eosdem, & transponebat in eum ad quem pergebant locum.

51 [Beatus Apostolus Paulus, loquens de raptibus contemplationis suæ, ad tertium cælum & in paradisũ, quãvis asseveret se audivisse arcana verba quæ non licet homini loqui; affirmat tamen se nescire, utrũ in corpore vel extra corpus ad eadẽ raptus sit: hęc autem Virgo sancta, quæ etsi præ invaletudine incedere in oculis hominũ nequibat, diversis tamen modis quodammodo certificari meruit, quod] etiam corporaliter ad diversa loca rapi meruit. Dicebat autem quod ita sicut jacebat in lectulo sive straminibus, præ vehementia mentalis elevationis, etiam cum ipso lectulo & corpore nonnumquam ultra solarium cellulæ, in qua jacebat, sursum elevabatur. In exercitiis quoque Dominicæ Passionis, interdum ab Angelo sancto etiam corpore rapi solebat ad loca illa Terræ sanctæ, [in quibus idem Salvator, nascendo, conversando, patiendo, sacramenta salutis humanæ operatus est. Ubi cum, sive in monte Calvariæ vel in aliis locis, ad oscula Dominicæ crucis aut vulnerum ejus admissa, pro refocillatione tribulationum suarum, sugeret mel de petra oleumq; de saxo durissimo; perventoque sive ad amplexus pedum Crucifixi, sive ad exspirationem sponsi sui crucifixi, exemplo illius commendabat spiritum suum in manus ejus: licet frequenter à vulneribus carnis, quia compassive conjuncta erat, transierit cum sponsa in amoris Cantico, ad penetranda per contemplationis raptum abyssalia foramina, in intima divinę petræ & cavernas materię, id est, profundissimas divinorum invisibilium theorias; ita quod præ abundantia suavitatis spiritualium charismatum, à sensu pœnarum corporalium penitus deficiens, dicere posset cum Sponsa; Ego dormio, per soporationem & defectum corporalium dolorum, quibus gravari solita eram: & cor meum vigilat, in cognitione & gustu ineffabilium occultarum divinarum suavitatum.]

52 [Tantis interim novis infirmitatibus divinitus flagellabatur, ut etiam] aliquando reversa ab illis osculis Dominicæ crucis aut vulnerum ejus, in labiis suis impressa quædam ulcera reportaret: [quatenus non solum secundum multitudinem doloris in corde suo, divinæ consolationes lætificarent animam ejus; sed etiam secundum multitudinem divinarum consolationum, tribulationes quoque ejus & flagella contristarent eam & humiliarent.] Tunc ait Angelus ei, Hæc ulcera propterea in corpore tuo suscepisti, ut scias te etiam in corpore fore raptam. Alia quoque vice, cum supradicta transiret

PER IOAN. BRUGMAN EX MSS.

quandoque per loca amœnissima rapiebatur,

CAP. XIV

2 Cor. 12, 4

E

& ad loca sacra etiam corporaliter;

ubi mirabilibus consolationibus fruita,

F

Cant. 2, 14

Cant. 5, 2

varias inde læsiones reportat,

PER IOAN. BRUGMAN EX MSS.

[a] amœnissima loca, accidit quod præ lubricitate qualicumque (quæ ibi forsitan erat) gressum figere non valens, lapsum pedis dextri (quem & se corporaliter sensisse dicebat) pateretur, & ex ipso lapsu pedis ejusdem divaricationem tantam, ut in exteriori talo inflationem & denigrationem ac dolorem reportaret, quod pluribus diebus ex eo torqueretur. Similiter cum quadam vice rapta fuisset ad urbis Romæ loca sancta, atque inter visitandum ecclesias quasdam principales ambularet inter arbusta & spineta, &, ut moris est per similia euntibus corporaliter, hinc inde brachia quodammodo ventilando, incederet; susceptam ex iisdem arbustis spinam in digito reportavit: de cujus incommodis, sicut de aliis infirmitatibus suis, per biduum fere non modico querebatur se affligi dolore.

in testimonium veri raptus corporalis.

53 Propter has igitur corporales læsuras, quas sic reportabat, solita erat dicere secundum verbum Angeli, quod putabat se etiam raptam fuisse in corpore. Qualiter autem hoc fiebat, novit Angelus, qui hoc fieri in corpore testabatur, & in ejus testimonium læsuras corporales eam recepisse in raptibus ipsis perhibebat. Verosimiliter quoque videtur eam corporaliter raptam fuisse, quando sertum illud [florigerum,] de manu Beatæ Virginis capiti suo superpositum reportabat, de quo infra dicetur capitulo XVIII. Interdum quoque ipse Dominus noster Iesus Christus, cælestium civium vallatus agminibus, ingressus est in cellulam ejus; & quemadmodum Rex aut Imperator, cum Principibus suis, ad mensam se ordinate collocavit: ita ut ipse circa lectulum ejus, deinde ceteri in circuitu ejus, secundum ordinem suum, circa salvatorem Dominum se collocantes, celestibus eam & divinis epulis copiosissime reficiebant.

B

ANNOTATA.

a *Addit Vita* 1. Interdum propter visitationes hominum & eorumdem inquietudinem raptibus præfatis & Angelicis visitationibus privabatur: de eisdemque Angelo suo confitebatur, & ab eodem docebatur, quomodo & qualiter quotidianam confessionem suam faceret.

b *Hollandorum Comitum olim, nunc Senatus Ordinum fœderatorum sedes*, Haga *est*.

c *Alias* Diesthemium, *& qua in collem assurgit*, Distpargum *sive* Distbergum, *Francorum Regum, Mosam transgressorum prima in Taxandria sedes regia, ut est, ostensum* 1. *Febr. ad Acta S. Sigeberti num.* 9. *Huic, media leuca intervallo ad Orientem, adiacet* Zelhemium *sive* Saliorum vicus, *in eoque* Mons S. Ioannis Baptistæ, *in monasterium Carthusianum erectus anno.* 1328.

C

d Eemstein *monasterium Ordinis Canonicorum Regularium, ut patet ex Chronici Hildesheimensis lib.* 1 *cap.*11. *Nescimus an loci nomen adhuc supersit; quod* castrum ad Emam *sive* Ameram *sonat, & in Amersfordia territorio fuisse oportet, quia non longe ab ea urbe exortus fluviobus*, Eem *vulgo dictus, post paucas leucas absorbetur à vasto illo sinu maris, olim per cultissimas hic terras effusi, quod Australe nuncupant, per quod etiam iter compendiosius fuisse, ex VVindesheim in* Eemstein *euntibus fratribus, ex citato chronico apparet. In tabulis Geldriæ nunc notatur* 'thuys ter Eem, *id est, Domus ad Emam, insigne castrum.*

CAPUT VI.

De cælesti claritate ac suaveolentia circa S. Liduinam; uberibus ejus in Natali Domini lactescentibus, virgaque ipsi è Paradiso delata.

54 [VEnerabilis Doctor Hugo de S. Victore, in libro de *a* tribus diætis, loquens de spiritualibus charismatibus, quibus contemplativi non solum mentaliter, sed etiam corporaliter nonnumquam unguntur, sic dicit: Dum de intimo divinæ contemplationis secreto revertimur, quid nobiscum afferre poterimus? quid, inquam, nisi lucem de regione lucis portamus? Hoc enim & decens & necessarium est, ut cum de regione lucis venimus, ad fugandas tenebras nostras nobiscum lucem apportemus. Et quis scire poterit quod ibi fuerimus, si illuminati non redimus? Si vidimus Patris potentiam, apportemus nobiscum lucem timoris: si vidimus Filii sapientiam, apportemus lucem veritatis: si vidimus Spiritus sancti clementiam, apportemus lucem dilectionis. Potentia excitet torpentes ad timorem; sapientia, ignorantiæ tenebris excæcatos illuminet: clementia, caritatis calore frigidos inflammet. Hæc quidem Hugo.] CAP. XV

a Deo per contemplationi unita,

E

cælesti lumine etiam corporaliter circumfunditur.

55 [Sed hæc quoties & qualiter mentaliter & corporaliter circa sacram hanc Virginem divinitus perficiebantur, quis novit? Excepta quippe mentali ejus illustratione, quam etiam magni & litterati viri, atque in spiritualibus studiis & exercitiis fundati & eruditi, qui cum ea frequenter locuti, ipsam non intelligentes, mirati sunt;] tanta sæpius diurno & nocturno tempore divina claritate, cum vel ab Angelo visitaretur, vel à supernorum contemplatione reverteretur, à condomesticis circumdari & circumfundi reperta est; quod eam videntes, vehementi timore perculsi, non audebant ei appropinquare. Cum enim semper in tenebris jaceret, eo quod materiale lumen oculis ejus infirmis intolerabile valde foret; divinum tamen lumen eisdem valde erat amabile & tolerabile: quo, etiam nocturno tempore, sæpius tam excellentes perfundebatur, quod cella ipsa, in qua decumbebat, plena materialibus luminaribus vel incendio putaretur. Quod cum aliquoties, etiam ipso anno obitus sui, videret filius fratris ejus Balduinus puer, qui ei die ac nocte in necessitatibus serviebat, turbatusque vellet aufugere; illa econtra territum consolabatur, ac ne timeret vel aufugeret hortabatur.

F

& Christum in carne conspiciendum habet:

56 [Divinam claritatem tam perspicue contemplata fuerat, quod ab ea tantum distare dicebat plenitudinem hujus materialis solis, quantum minimus radius ejusdem solis, per cacumina montium transiens ad abdita vallum, differt à pleno lumine ejus. Non ergo mirum si divina claritate etiam corporaliter perfundebatur, quæ juxta vocem Apostoli, revelata facie gloriam Domini speculando, quotidie in eamdem imaginem transformabatur à claritate in claritatem, tamquam à Domini Spiritu.] Preterea vice quadam, in festo Conceptionis B. Mariæ Virginis, apparuit ei Angelus Domini cum magna claritate, prædicens quod infra decimum septimum annum ægritudinum suarum, Salvatorem in carne corporalibus oculis esset visura: qui & postea, in die ante Vigiliam S. Thomæ Apostoli, de vespere, crucifixus & vivus illi apparuit, [cum magna claritate, in specie hominis, in similitudine crucis qua inungútur ægroti: qui & ab ea postulatus, in signum & testimonium præsentiæ suæ, Hostiam albam, paulo majore his quibus vulgus communicatur, cum quinq; cicatricibus rubeis & sanguineis super, 2. Cor. 3. 18

super lectum ejus reliquit. De hoc infra dicetur in Capitulo XXXIII de statu sacræ Communionis ejus.]

57 Nec solùm divina claritate solita erat sic circumfundi, sed & mirabili suavitate, cum vel ab Angelo sancto visitabatur aut tangebatur, vel cum à paradisiacis illis & cælestibus areolis & hortis ac apothecis revertebatur, tam ipsa quam cella ejus inventa est redolere: ita ut qui intrabant, putarent in eadem cella diversas species aromaticas fore reconditas. Qui suavissimus odor non solum in odoratu, sed etiam in gustu percipientium redundabat, [ita ut quasi gingiber vel gariofilos aut cynamomum comedissent, fortis quidam, aut, ut vulgo dicitur, ardens sapor cum suavitate linguam & palatum quodammodo remorderet]. Et cum corpus ipsius Virginis vulneribus & hydropisi tumeret, ac vermibus (ut prædictum est) scateret, pro fœtore abominando, qui potius exhalasset, fragrantia miræ suavitatis inde prodiit: & præcipue à manu, cum per eam ab Angelo sancto ad superna gaudia perducta & inde reducta fuisset. [Quis tam aromatici corporis præsentiam non totis præcordiis affectaret? quem hujus mundissimæ pariter & redolentissimæ carnis aspectus non delectaret? Hæc igitur de mentalibus & corporalibus raptibus ejus, ac de divinis charismatibus, per eosdem circa eam cælitus effusis, in generali dixisse sufficiat Nunc ad considerationem specialium transeamus.

58 Anno Domini millesimo quadringentesimo vigesimo octavo, [nautæ quidam de Schiedam pro halecibus capiendis mare intraturi, more talibus consueto, cœnam magnam fecerunt cum sociis & amicis suis, in die sanctorum Frederici Episcopi & Martyris *c* & Arnulphi Confessoris, qua valedicerent eis. Peracta cœna, ignem, quo fuerant usi circa parietem canneum, sub modio taliter recondiderunt, quod de vespere (qui & Dominica erat) orto ex eis incendio circa undecimam horam, per reliquum noctis,] quasi tota civitas, cum ecclesia & domo Sororum ecclesiæ proxima, combusta est. Post hoc igitur incendium intrabat domum hujus Virginis, ut habitaret cum ea, quædam vidua boni testimonii, Catharina nomine: cui anno ante præfatum incendium quadam vice, per aliquot dies ante sacratissimam illam solennitatem Nativitatis Dominicæ, per visionem somni indicatum est, quod ejusdem Virginis ubera, in nocte tunc proximæ Nativitatis Dominicæ, lacte forent implenda, quodque ipsa Catharina vidua idem lac esset suctura. Quod cum vidua ipsa eidem Virgini retulisset, & illa in vera humilitate fundata, quod dicebatur latere malens, quodammodo negare niteretur; vidua eam super hoc corripuit, cur auderet negare, quod sibi ab Angelo sancto revelatum fuerat.

59 Tunc Virgo necessitate compulsa, præcepit viduæ, quatenus ad gratiam tantam recipiendam se disponeret, admonens simul ut observaret tempus noctis Nativitatis Dominicæ sibi deputatum; quatenus, si sibi quod promissum fuerat ab Angelo contingeret, ipsa parata foret tantam gratiam recipere. [Adeo enim vidua hæc frequenter molesta erat Virgini, ad hoc videlicet ut scrutaretur vitam ipsius, quod eam sæpius impediebat à refectione panis cælestis: similiter & D. Ioannes Confessor ejus, & quamplures alii utriusque sexus: unde & Virgo in hoc ipso & aliis pluribus se illi plus quam volebat affabilem exhibebat, ut vel sic frequentia ejus carere posset.] Cum igitur ipsa vidua prædicta, secundum admonitionem Virginis, operam daret præparationi præfatæ; ecce in ipsa sacratissima Dominicæ Nativitatis nocte, Virgo in spiritu rapta, vidit innumerabilem multitudinem Virginum feminei sexus, (quibus, tamquam princeps & domina, adstitit Regina Virginum, sanctissima Dei Genitrix, perpetua virgo Maria) seque ad earumdem Virginum chorum admissam. Adstabat quoque Virginibus ipsis innumerabilis multitudo Angelorum sanctorum, veluti pedissequi & eunuchi, qui eisdem, tamquam cognata sibi virtute florentibus, devotum obsequium exhibebant.

60 Instante igitur hora Dominicæ Nativitatis, vidit hæc Virgo omnium illarum virginum ubera, similiter & sua, præ lactis abundantia intumescere, tantumque lactis habere, prout ab Angelo suo didicerat, quantum beata Virgo, quando Salvatorem peperit, in virgineis uberibus suis habuit, id est, ad similitudinem illius, omnium ubera lacte repleri, in signum quod omnes illæ Virgines ad lactandum Dominum erant aptæ. Tamque inenarrabilis erat ibi gloria; ut ipsa testabatur, quod nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit; ita quod nec lingua exprimi, nec littera scribi posset. Interim vidua, ingressa cellulam Virginis, admonet eam præfatæ promissionis: Virgo manu ubera fricat, tantaque suavitate ex abundantia lactis, quod trino labiorum tractu suxerat, vidua satiata est; quod, nisi Virgo jussisset, pluribus diebus faciliter & absque fastidio & desiderio comedendi à cibo corporali abstinuisset. [Hoc quidem anno millesimo quadringentesimo vigesimo septimo contigit. Post hæc alio quodam anno, Virgo eamdem gratiam & eodem modo acceperat, obtinueratque ab Angelo suo, quod Confessarius suus lac sugeret: sed dum ille propter solennitatem intrasset ecclesiam, sicut horam statutam non servavit, sic nec gratiam promissam gustavit. Alio quoque similiter anno vel duobus, Virgo visionem eamdem & contemplationem habuit, & lac in uberibus: sed, sicut anno præcedenti, ita & istis nemo suxit.]

61 [Constat autem, Virginem hanc præfatum incendium longe ante scivisse, eo quod priusquam contingeret provisionem asserum fieri jusserat, quibus, ut aiebat, si subitum incendium oriretur, ipsam exportare & trans fossatum, quod extra posticum domus suæ erat, transferre possent *d*: certumque habent plures homines prædictæ civitatis, incendium propter peccata quorumdam hominum contigisse. Inter quos erat quædam femina, nomine Hasa Goswini, satis dissoluta; post cujus mortem Presbyter quidam, nomine Ioannes de Berst, huic Virgini satis familiaris, petiit ab ea ut, si fieri posset, ipse certi aliquid de statu ejusdem feminæ perciperet. Dum igitur Virgo vice quadam oraret Dominum, pro eo quod ille postulaverat; idem Presbyter, in visu noctis raptus ad infernalia loca, videbat præfatam feminam, catenis igneis ligatam, detineri in inferno: quod & huic Virgini cum stupore renuntiabat.]

62 Habebat autem hæc Virgo virgam quamdam de stipula *e* canobi, qua vel æstivo tempore, propter nimium æstum refrigerandum, vel ob aliam quamlibet causam, cortinam lectuli sui solebat removere vel retrahere; aut pro qualibet necessitate pulsando aliquem advocare, si cujus adjutorio indigebat. Cum igitur, sicut supra dictum est, anno Domini millesimo quadringentesimo vigesimo octavo, incendium illud fere totam civitatem devastasset, ac domui hujus Virginis adeo appropinquaret, quod vicini & domestici ejus timentes eamdē domū etiam comburi, asseres deponerent apud quos jacebat; ut si incendiū domū invasisset, Virginē extrahere potuissent; tandemq; divina miserante gratia extincto incendio, auferētes velū, quod pro defensione oculorum

Margin notes (left): …que …tia. | …m | XVI …bis | …a- …ti- …bi- | …lli- …er …be- …te-

Margin notes (right): PER IOAN. BRUGMAN EX MSS. | *D. Virgini cum choro virginum ipsi apparentibus,* | *ex iisque lac sugit.* | E | *Incendium prædictum ipsa præviderat;* | *d* | F | CAP. XVII *e* | *& occasione eius amissa virga canabina*

PER IOAN. BRUGMAN EX MSS.

oculorum Virginis ab aspectu diurni luminis oppansum erat, quatenus eosdem asseres iterum affigere possent, eo quod claritatem diei sine multa sanguinis effusione per oculos Virgo ferre non posset; contigit eam ex hac agitatione, quæ circa vel propter ipsam fiebat, propter præfatum incendium, prædictam amittere virgam, sed nescienter.

qua ad varias necessitates utebatur,

63 Postea ergo in nocte *f* S. Apollinaris Martyris, dum præ æstu anhelitum vix trahere valens, suffocari timeret; virgam quæsivit, ut velum amoveret, nec invenit. Turbata est ergo, eo quod nec ipsa sibi subvenire posset, nec qui sibi succurreret adesset. Statim igitur assistens Angelus Domini, contristatam super hoc, sponsione alterius & melioris virgæ consolatur. Nec mora, paulo post deficientibus majoribus doloribus febrium quas habuerat, circa tertiam horam post mediam noctem recessurus Angelus, ipsa sentiente, licet satis leviter, ponebat quoddam lignum super eam, longitudinem fere unius ulnæ habens, protensum super latitudinem pectoris ejus, sicque recessit. Tunc ipsa extensa manu apprehendens lignum, ipsumque cernens informe satis, quodammodo parvi pendit, dicens materna lingua, *g* Nu byn ik wel bekûst, secundum proprietatem idiomatis Hollandrini; eo quod tam tortuositate inæqualitatis, quam ponderositate, longe à virgæ prædictæ levitate differens, sibi non bene portabile foret & dirigibile.

ab Angelo aliud lignum accipit,

B

64 Rogat ergo ipsa die S. Apollinaris Martyris D. Ioannem Confessorem suum, quatenus iret ad aliquem *h* carpentarium, faceretque sibi lignum illud dolabro suo lævigari ad modum ulnæ. Paruit ille deprecanti, ingressusque est domum cujusdam carpentarii, qui ex omnibus instrumentis suis ab incendiis vix unum dolabrum, & huic operi satis ineptum, reservaverat. Quo cum illud lignum lævigare cœpisset, & aliquoties ita valide infixisset dolabrum, ut vix à fractura præservaretur; tantus ex eo suavitatis odor evaporavit, tantoque decore *i* cæruleo, ad modum ceræ videlicet, enituit; ut quamvis ipsum lignum in superficie satis indecorum fuerit & deforme, propter odorem tamen & internum decorem affirmaret esse cupressinum. Super quo utrique admirati, cum D. Ioannes Confessor ejus carpentori rationem reddere non valeret, cujus generis esset hoc lignum aut unde Virgini provenerit; certatim illis diripientibus abscissas ligni reliquias, consentiente & suadente carpentario; Confessor virginis cum ligno ad alium & habiliorem carpentarium se contulit. Ubi dum, præ admiratione coloris pariter & odoris ligni, similia inter utrumque agerentur, ac finaliter præ reverentia & novitate reliquiæ raperentur; Confessor Virginis non sustinens illud amplius minui, reversus ad Virginem, reportavit ad eam. Quam cum interrogasset, unde sibi provenisset, aut cujus generis fuerit; illaque se nescire quidditatem aut qualitatem ejus responderet, modum acquisitionis ejus, sicut prædictum est, simpliciter indicavit.

quod inter dolandum

inventur esse cupressinum,

C

65 Post hoc in festo *k* S. Cyriaci Martyris reversus Angelus Domini, more solito perducit eam ad amœna Paradisi gaudia: intra cujus anteriorem partem cum pervenisset; tamquam corripiendo inculcans ei verba prædicta, quibus lignum illud quodammodo vilipenderat, ostendit ei fluvium circa eamdem portam & super fluvium arborem cupressinam, unde quasi præcipitanter frangendo illud abruperat. Deinde post raptum reversa ad se, indicat Confessori suo id quod ab Angelo perceperat, dolens quod illud ita minorari jussisset. [Cum igitur, volante rumore illius ligni, frequentes propter illud visitantes paterentur, & advenientes illud videre vellent ac tangere; contigit ut propter attactum hominis cujusdam amisit fragrantiam sui odoris, quam habuerat, & ideo ipsa Virgo doluit se illud alteri ostendisse. Solita autem erat dicere, quod per lignum istud diabolus esset castigandus, sicut ab Angelo sancto audierat.] Post hæc eodem anno, in profesto S. Nicolai Episcopi, rapta in Paradisum, videbat arborem palmam, eximiæ pulchritudinis dactylis plenam, cujus lapides instar crystalli pellucidi videbantur.

& sibi Paradiso allatum in visu cognoscit.

D

ANNOTATA.

a *Inter opera ejus, prælo Ascensiano edita Parisiis* 1528 *ac deinde Moguntiæ* 1616, *nullum hujus tituli opusculum nominatur: quod fortassis ad huc alicubi latet.*

b *Id est, ut clarius explicat Vita posterior*, instar magnitudinis earum quæ cum sacra Unctione deferuntur ungendis infirmis. *Pro quo notanda est consuetudo, etiamnum in pluribus Geldriæ Catholicæ pagis servata, juxta quam in unaquaque parochia plures habentur Cruces duorum circiter pedum, planæ ac rubræ, Christique morientis imaginem desuper pictam habentes: quarum unam proximus inungendi consanguineus accipit portatque post Sacerdotem, & ad lecticam ægrotantis appendit, ibi mansuram donec vel cum defuncti corpore ipsa referatur ad templum, vel sanatus æger eamdem propriis manibus illuc deferat, gratias pro recepta sanitate acturus.*

E

c *Coluntur SS. Fridericus & Arnulphus* 18 *Iulii.* Captura halecum *incipit in Festo Nativitatis S. Ioannis Baptistæ* 24 *Iunii, & finitur in Decollatione ejusdem Sancti* 28 *Augusti. Egressuri autem solent etiam nunc solennissime valedicere suis, eo in loco, unde ad capturam egressuræ sunt, collectæ ex variis locis, naves.*

d *Asser unicus poterat ad hoc sufficere. Ergo aliam & veram asserum huc comportatorum causam accipe ex Vita Posteriori num.* 206: *ex qua etiam apparet, præscivisse Virginem, quod ignis ad se non esset perventurus.*

e *In titulo canopi: quod an ita tunc à Latine loquentibus fuerit usurpatum pro* Cannabi *(herba ea est assurgens in altitudinem canna à qua exsiccata detrahitur materia funibus faciendis idonea, minus subtilis candidaque quam linum) an vero auctor antiquitatem affectaverit, ratus à Canopo Ægypti urbe rem nomenque fluxisse, nihil attinet indagare. Belgis* Kennep *& contracte* Kemp *dicitur.*

f *Colitur S. Apollinaris M.* 23 *Iulii. Vita Belg. habet*, In nocte festum S. Mariæ Magdalenæ subsequente *quod eodem recidit, cum hac colatur* 22 *Iulii ejusdem.*

F

g *Verbotenus*, Jam bene virgata sum, *id est*, Jam enimvero bene mihi de virga provisum est. *Est autem* kuyse, kuse, kudse *(teste Kiliano) Saxonibus, Frisiis, Hollandis, Geldris, clava seu virga nodosa, unde hic participium possessivum* bekûst, *quomodo ex quovis substantivo, ejusmodi possessiva verba participiaque formari proprium est lingua Teutonicæ: qua derivationum variarum, universaliter ex quavis radice ad quamvis significationem formandarum, facultate & facilitate alias minus antiquas Europæ linguas superat.*

h *Ita fabros lignarios Franci appellant. Vita Belg. dicit, primo* ad vietorem deinde ad scriniarium *itum fuisse pro virga dolanda, & rem totam brevius narrat. Kempensis quoque conformiter ad Vitam Belg. ait itum primo fuisse* ad domum cujusdam cupificis; *quem tamen paullo post generico nomine appellat* carpentarium,

i *Videtur auctor hic & alibi* Cæruleum *pro flavo colore (nam hic proprius ceræ est) usurpare.*

k *Colitur S. Cyriacus* 8. *Augusti, cum SS. Largo atque Smaragdo.*

CA-

A

CAPUT VII.

De ſerto quod S. Lidwina è cæleſti raptu in terras detulit, aliiſque favoribus ei factis.

[...P. XVIII] [...ſis omni- ...s è cello ...ſſe.]

66 HOc eodem anno, ſcilicet milleſimo quadringenteſimo vigeſimo octavo, [hæc circa hanc Virginem contigerunt. Habebat cognatum quemdam Nicolaum nomine, quem quodam die feſto ire præceperat ad eccleſiam ut Miſſam audiret, atque ut poſt conſummationem ſummæ Miſſæ ad prandendum rediret. Qui reverſus, peracta refectione prandii, cum Confeſſore illius ingreſſus cellulam, longiorem quam ei placuit apud eam moram fecit. Quæ indicans eis, quod libenter duabus aut tribus horis in cella ſola eſſe vellet] rogabat eos quatenus ad tempus irent ſpatiatum; ſperans ſe, propter præſentem interiorum ſuorum ad contemplationem diſpoſitionem, in illorum abſentia aliquid gratiæ cæleſtis accepturam: [ſpecialiter autem Nicolao ſupplicabat, ne ante tertiam vel quartam horam poſt meridiem rediret. Illo igitur quod rogatus fuerat ſimpliciter perficiente,] Confeſſor regreſſus, ipſa ignorante, latenter intravit cellam ejus, ibique delituit, ad explorandum quid circa eam fieret, cum ſola eſſet.

B

[...edit clam in eam Confeſ-...or Virginis,]

67 Putans itaque Virgo ſe ſolam eſſe in cella, diſponebat ſe per devotas orationes ad percipiendam gratiam quam optabat. Ecce tranſacto fere unius horæ ſpatio, poſt meridiem, more ſolito ingreſſus ad eam Angelus Domini, circum volabat circa eam, infra a lectiſternium in quo jacebat, ſed amplius ei non appropinquabat. Videns ergo gaudio præſentiæ ejus non poſſe perfrui, conturbata flevit amare, interrogans eumdem Angelum, utrum aliqua culpa ſua Deum offendiſſet, ob quam hac gratia perfrui non valeret. Tunc Angelus, Nequaquam, inquit, ſed propter præſentiam ejus, qui ſedens in cella tua nititur ſcrutari & experiri gratiam tibi diſpoſitam. Quo dicto diſceſſit Angelus ab ea. Tunc Virgo vehementius contriſtata cœpit amarius flere, ita quod ad tempus extatice non raperetur, licet ſæpius frueretur ſolita gratia Angelicæ viſitationis & conſolationis. Audiens igitur Confeſſor ejus eam ita flentem, ſurrexit & indicavit ei ſe fuiſſe præſentem. Quo audito per amplius conturbata eſt, quam ſi alius præſens fuiſſet; eo quod frequenter ſatis indicaverat ſibi vitam ſuam, quatenus abſque exploratione crederet gratiæ divinæ, quæ circa eam operabatur.

[a] [...hac cu-...oſitate ſua ...npedit ejus ...taſes.]

C

68 Cum igitur poſt hoc ab hac turbatione pacem & tranquillitatem recepiſſet, pius & miſericors Dominus miſertus ejus, ſicut prius frequenter fecerat, ita poſtmodum quadam vice, primo extatice rapuit eam ad loca purgatoria: ubi inter ceteras animas, quas multifarie multiſque modis torqueri videbat, vidit etiam plures animas amicorum ſuorum graviter puniri, pro quibus ipſa poſtea graves in corpore ſuo ſuſtinuit cruciatus, quatenus eas ab hujuſmodi pœnis relevaret ac liberaret. Perviſis igitur tam iſtis quam aliis pluribus pœnalibus locis, in quibus animæ pro demeritorum diverſitate diverſimode puniebantur, perducta fuit ad contemplanda vitæ æternæ gaudia. Ibi videbat qualiter omnipotens Deus in ſemetipſo fruebatur gloria ſua, qualiterque ſancti Martyres & Confeſſores atque alii Beatorum ordines, ſinguli gloria ſua fruebantur in ſemetipſis, ac præ deliciis nimiis per alterutrum effluere videbantur. Quibus gaudiis perſpectis, plures Sancti familiariter alloquentes conſolabantur eam, atque ad tolerantiam patientiæ adhortantes dicebant: Quid nunc hic in gaudio exiſtentibus obeſt, quod in

[...ndem ...rſum ra-...ur ad vi-...ndum ...rgato-...m,] [cælum]

mundo conſtituti diverſa incommoda perpeſſi fuerunt?

PER IOAN. BRUGMAN EX MSS.

69 Tunc acceſſit ad eam ſanctiſſima Dei genitrix virgo Maria, cum magna gloria, atque amicabiliter alloquens, interrogabat eam dicens: Quomodo, mi cariſſima filia, ſic veniſti nudo capite & non ornato. Cui humiliter Virgo reſpondit: Cariſſima Domina mea Maria, ſic eſt voluntas Domini Dei mei, & ſic ductor meus adduxit. Poſt multa igitur familiariſſima & dulciſſima colloquia Dei genitricis cum ea, adveniente tempore quo ſecundum voluntatem Domini remitti ad corporeos ſenſus debebat, dicit ad eum mater Domini noſtri Jeſu Chriſti: Cariſſima filia, viriliter age & confortetur cor tuum in tolerantia patientiæ, quia pro iis quæ nunc pateris mirabilem gloriam recipies. Addenſque beata Virgo; Viſne, inquit, ſertum ſuper caput tuum. Tunc hæc Virgo, Ego, inquit, non poſſum hic habere voluntatem meam. Cum autem aſpexiſſet Angelum ductorem ſuum, videreturque conſentire quodammodo quod acciperet; Accipe, inquit beata Virgo, hoc ſertum ſuper caput tuum, quod non niſi ſeptem horis poterit eſſe ſuper terram; & trade illud in manu Confeſſoris tui, dicens, quod ego demando ſibi, quatenus de cetero credulus ſit donis omnipotentis Filii Dei, & ut idem ſertum ponat ſuper caput imaginis meæ, quæ eſt in eccleſia.

[ubi à beata Virgine familiariter excepta,] [ſertum accipit,]

E

70 His igitur dictis, hæc Virgo reverſa eſt ad corporeos ſenſus: cumque, ut ſui moris erat, gratias egiſſet Domino ſuper hac contemplativa conſolatione, nec tamen ſciret ſe corporaliter ſertum tale ſuſcepiſſe; tandem caſu vel neceſſitate qualicumque manum capiti ſuo ſuperponens, detraxit ſertum, quod ex odore ſuaviſſimo recordabatur capiti ſuo per manus beatæ Virginis impoſitum; tenebatque illud penes ſe quaſi uſque ad ſeptimam horam poſt reditum à prædicta contemplatione, donec videlicet ſeptimam horam intraſſet. Erat autem hoc ſertum cerulei coloris & rugoſum, emittebatque de ſe tam miræ ſuavitatis fragrantiam, quod illud apud ſe tenebat quamdiu poterat. Ante autem ipſam ſeptimam horam juſſit excitari & celeriter ad ſe venire Confeſſorem ſuum. Quo veniente & interrogante quid deſideraret; reſpondit illa ſe interfuiſſe cuidam feſtivitati, & beatam virginem Mariam, matrem Domini noſtri, tradidiſſe hoc ſertum ut illud deferret ad terras, & ſibi in manus daret, atque demandaſſe quatenus credulus perſiſteret in donis Dei.

[quod ſibi reddita ponet ſe invenit,]

F

71 Deinde tradidit illi Virgo ſertum illud in manus, præcipiens ei, quatenus celeriter illud portaret in eccleſiam, quæ tunc temporis etiam combuſta erat; & ſuperponeret capiti imaginis B. Mariæ Virginis, quæ ibi erat. Hoc autem Virgo propterea juſſit Confeſſori ſuo, ut plura adhuc circa eam ſigna videret. Cauſſante Confeſſore, quomodo eccleſiam poſſet intrare, cum adhuc non eſſet dies; illa reſpondit: Ite cito, & à cuſtode eam vobis aperiri petite: quia tempus inſtat, quo ſertum ipſum oportet referri, unde ego illud detuli. Et ille, Quomodo illud ſertum, inquit, capiti imaginis ſuperponam, quæ in tam alto loco ſita eſt? Cui Virgo dixit: In majori choro & in tali loco invenietis ſcalam, quam aſſumatis, & ad imaginem aſcendendo ſuperponatis illud capiti ipſius imaginis, prout beata Virgo Maria fieri præcepit. Tunc ille, accepto tali ſigno, egreſſus & ad cuſtodem accedens, rogabat eum ut cito ſurgeret & eccleſiam aperiret. Quod cum ille libenter faceret; Confeſſor Virginis ingreſſus chorum, inventa ſcala in loco deſignato, aſcendit ad imaginem. Quod ut vidit cuſtos, interrogabat quid ibi facere vellet. Cui reſpondit Confeſſor: Quod ego facio

[jubetque imponi imagini B. Virginis] [per ſimum Confeſſarium:]

PER IOAN. BRUGMAN EX MSS.

modo scire non potes: sed Dominus donare poterit quod postmodum scias. Quam ille responsionem quodammodo parvipendens, eo quod facti hujus mysterium ignorabat, recedebat. Porro Confessor Virginis, superposito serto capiti Virginis, cum scalam ad priorem locum reportasset, atque flexis genibus orasset & adorasset, antequam egrederetur ecclesiam, Angelus Domini retulit idem sertum ad eum locum, unde illud Virgo attulerat: sicut ipsa Virgo postmodum præfatæ viduæ Catharinæ retulit. Habuerat autem hæc Virgo prædictam gratiam in nocte & de mane advenientis decimæ octavæ mensis Novembris, anno Domini millesimo quadringentesimo vigesimo octavo.

quo facto ipsum ab Angelo recipitur.

72 Ante hoc vero tempus cum repararetur ecclesia Schiedamensis, translata fuerat imago præfata beatæ Virginis ad domum & cellam hujus sacræ Virginis, sicut ipsa optaverat, & sibi per visionem apparuerat. Super cujus præsentia non solum ipsa intime gavisa fuit, sed & imago speciem quamdam formosiorem induisse quodammodo visa est, tamquam super præsentia Virginis exultasset. Sed postquam imago ad ecclesiam, quæ tunc erat parvum tugurium, reportata est, Virgo gratiam de serto præfatam habuit. Priori quoque tempore duabus vicibus rapta fuerat ad præsentiam beatæ Virginis: à qua cum similiter rogata fuisset, cur ita nudo & non ornato capite venisset; illa quoque, ut supra dictum, respondisset, Quia sic Deo & ductori meo placuit; beata Virgo, sicut hac quoque vice, interrogabat eam, si vellet habere sertum pro ornatu & velamine capitis sui. Cumque illa eodem fere modo, sicut nunc, respondisset; ac intuita Angelum ductorem suum, notaret eum sibi non consentire ut susciperet, reversa est absque serto; propter maculam forsan proprietatis & inordinatæ inclinationis, pro susceptione *b* pepli, quam in ea conspexerat Angelus.

B

alias oblatum non suscepit:

b

CAP. XIX

Benedictos cineres accipit ab Angelo.

73 Solita erat feria quarta in capite Jejunii, more ceterorum fidelium, suscipere sanctificatos Cineres, de manu D. Joannis Walteri Confessoris sui, quos ille ab ecclesia secum deferebat. Cum ergo quodam tempore Quadragesimali, in eadem feria quarta Cinerum, Confessor ejus prædictus ingressus ad eam interrogasset, an vellet secum cineres de ecclesia portare, Virgo respondit dicens: Potest bonum esse quod ita faciatis, verumtamen jam mihi Dominus providit de Cineribus. Fuerat enim tunc paulo ante apud eam Angelus Domini, & eam de eisdem signaverat. De quo ut Confessor ejus certificaretur, illa apprehensam manum ejus posuit super verticem suum & frontem; ubi ille manifeste sensit Cineres ab Angelo superpositos. Non solum autem, sed & ipsa permittente & jubente, ille frontem suam fronti ipsius superposuit, ut sic aliquo modo tantæ gratiæ particeps fieret. [Docebatque eam Angelus, quod omnes suscipientes sacros Cineres cum lumine & cruce eos susciperent; *c* lumen videlicet deferendo in cereo ad altare, & crucem in denario oblationis: sicque semetipsos cum lumine fidei offerrent Deo, per veram subjectionem & mortificationem.]

C

c

CAP. XX.

vinum pauperi datum

74 [Eo tempore, quo (sicut supra Capitulo IV dictum est) per hebdomadam modico adhuc vino utebatur, anno Domini millesimo quadringentesimo, tale signum apud eam contigit. Epileptica quædam femina, videlicet morbo caduco gravata, ostiatim potum mendicabat: cui cum quasi omnes, præ horrore illius infirmitatis, ostia clauderent; percepta calamitate ejus hæc Virgo, appropinquantem domui suæ jussit vocari, & ad se introduci. Ingressa igitur illa cellam Virginis, petiit eleemosynam potus. Tunc Virgo compassa petenti & patienti, cum se diceret ei non posse subvenire nisi cum modico vino, quod apud eam stabat; demonstravit ei amphoram super asserem stantem; Accipe, inquit, filia, amphoram illam, & quod in ea repereris vinum, ebibe. Quo hausto cum illa adhuc amplius peteret, nec haberet Virgo, vel sciret quidquam amplius esse de potu in domo; tradidit ei denarium quemdam, dicens ut iret in tabernam & pro eo cerevisiam emeret. Qua egressa & jam vespera appropinquante, cœperunt Virginis labia præ siti arescere. Petebat ergo à patre suo quatenus afferret dimidiam pintam vini, ad refrigerandum ariditatem sitis suæ. Qui cum responderet, Libenter; & manu extenta caperet amphoram, ut quod postulabatur perficeret; perfudit se vino, haud dubium divinitus in ea procurato. Quod ut retulit filiæ, eo quod amphora vino plena esset, illa admirans, divinæ bonitati gratias egit devote.]

D

divinitus ei restauratum,

75 [Erat autem hoc vinum rubicundum, & adeo in sapore temperatum, quod non commiscebatur ei aqua, quemadmodum alteri vino, quo solebat uti, fieri consueverat. Durabat vero idem vinum à tempore prænotato, scilicet circa festum S. Remigii, usque circa festum Conceptionis B. Mariæ Virginis. Quo tempore intrabat ad eam quædam femina, scilicet Catharina uxor magistri Simonis barbitonsoris, quæ ex singulari devotione ministrabat ei, & procurabat omne vinum, quo solebat uti: quæ fastidio tacta quasi super nimia vetustate vini illius, cum diceret se illud velle effundere & recens afferre, Virgoque diceret illud sibi satis conveniens esse satisque sufficere sibi; illa mysterii ignara vinum illud totaliter effudit, ut quasi præ reverentia novum procuraret: sicque non est amplius usa benedictione illa. Erat autem vinum illud tam bonum, quod hæc Virgo diceret, se numquam simile gustasse.]

optimum atque sufficiens,

E

76 [Igitur hæc sancta Virgo (sicut Capitulo I dictum fuit) nata anno Domini millesimo trecentesimo octogesimo; anno millesimo trecentesimo nonagesimo quinto, circa finem quinti decimi anni ætatis suæ, videlicet circa festum Purificationis B. Mariæ Virginis, exordium infirmitatum suarum sumpsit, sicut habetur supra Capitulo III: in quibus cum annos fere quinque peregisset, usque ad mortem suam solem non viderat neque lunam, neque pedes ejus terram tetigerant, sicut habetur Capitulo IV. Refectio autem ejus post tres primos annos, usque ad decimum fere nonum ægritudinum ejus ab initio exclusive, qui est annus Domini millesimus quadringentesimus decimus tertius, fuit ad modicum tempus fragmen vel cæsura de pomo, ad spissitudinem hostiæ parvæ, quæ pro communicandis consecratur in altari; aliquando vero valde parum de pane, cum modico sorbello sive haustu cerevisiæ *d* spumantis, nonnumquam autem parum dulcis lactis: deinde per aliquantos annos infra hebdomadam media pinta vini puri sine admixtione aquæ; interdum cum modica aqua admixta, aliquoties modicum zuckaræ vel cynnamomi aut dactylorum sive muscati. Ad extremum per hebdomadam media pinta Mosalis aquæ, quæ super omnem vini saporem singularem ei suavitatem dabat: de quibus omnibus Capitulo IV dictum est. A decimo quinto autem anno ægritudinum suarum, qui fuit annus millesimus quadringentesimus & decimus, etiam usque ad mortem, ad valorem dimidii grossi, pane non utebatur, sicut ibidem dicitur.]

CAP. XXI

Chronotaxis morborum,

F

abstinentia

d

77 [Initium spiritualium suarum consolationum cœpit, transactis annis fere quatuor ab exordio infirmitatum suarum: initium vero contemplationum & raptuum,

& consolationum S. Lidwinæ.

A & raptuum, transactis ab exordio quasi duodecim annis, sicut habetur supra Capitulo XII. Ab anno autem Domini millesimo quadringentesimo tertio usque ad mortem suam, utebatur cingulis ciliciinis, sicut dicitur Capitulo IX. Ab anno Domini millesimo quadringentesimo duodecimo particulatim evomuit pulmonem & hepar cum pluribus intestinis, & brachium ejus dextrum à junctura scapulæ quasi solutum fuit: viditque puerum crucifixum coram se, in similitudinem Hostiæ transformatum, ut habetur infra Capitulo XXXII; atque suscepit vinum miraculose in amphora, ut jam dictum est Capitulo præcedenti. Ab anno Domini fere millesimo quadringentesimo decimo quarto, patiebatur febres tertianas & interdum quartanas & quotidianas, sicut dicitur Capitulo VII. Eodem quoque tempore incurrit hydropisim, quam & continuavit usque ad mortem, nec ullo utebatur vel cibo vel potu vel somno, sed nec naturalia superflua corporis emittebat, præterquam per vomitum, ut habetur Capitulo VI & VII.]

ANNOTATA.

a *Intelligit* lecticam: *quales more gentis instar majoris & altioris, capsæ fabricantur, forma quadrata ex asseribus, ita ut sola pars anterior ad ingressum pateat.*

B b *Quod antea* sertum, *& quidem num.* 53 Florigerum *dicebatur*; *hic* peplum *& in Vita posteriori* velum *vocatur, &* capitegium, *atque ex lino confectum describitur: quæ res nos dubios fecisset de hujus cælestis doni forma, nisi in MSS. de S. Vernhero puero Martyre dandis 19 Aprilis num. 9,* peplum ex serico multiplicatum *vocaretur, quod deinde num. 19 dicitur* Vitta coccinea vulgarius sertum de serico. *Coronam ergo ex vittis corrugatis contextam supra circulum ligneum, quales in antiquis picturis sæpe videmus, utrobique intelligo.*

c *Hujus ritus nullam nunc (quod sciam) vestigium superest, sed simpliciter Cineres capitibus excipiuntur. Fortassis hortatu S. Liduina, ab Angelo instructa, cœpit hoc Schiedami practicari, nec ultra exemplum istud pervasit.*

d *Intelligit cerevisiam modice calefactam, sic ut alba quadam spuma ei incipiat supernatare, vulgo* gheklotert bier.

CAPUT VIII.

De eleemosynis Lidwinæ divinitus probatis, & corona patientiæ per injurias Picardorum perfecta.

78 POst hæc anno Domini millesimo quadringentesimo vigesimo tertio, defunctus frater hujus Virginis, nomine Wilhelmus Petri, reliquit debita quædam, quæ liberi ejus persolvere nequibant. Quod cum ipsa comperisset, quidquid sibi superesse poterat de clenodiis & hereditate matris suæ, vendi fecit; & pretium pecuniæ, quod inde provenerat, octo scilicet libras Hollandiæ vel paulo plus, in denarios unius monetæ quam melius cognoscebat per mutatum, per D. Joannem Breft Presbyterum, cui pecunias easdem mutuaverat, penes se collocabat in bursa. Quodam itaque die advesperascente, advocans cognatum suum Nicolaum, qui cum ipsa morabatur & in cella ipsius consueverat dormire; misit per manum ejus ad singulas domos, ubi sciebat commorari creditores fratris sui, tantum pecuniæ quantum ille singulis debebat. Persolutis igitur omnibus quæ noverat persolvenda, præcepit Nicolao ut inspiceret si quid remansisset in bursa: a [qui cum respondisset, multam in ea pecuniam remansisse, jubet illa ut numeret eam. Quod cum faceret, inventæ sunt octo libræ in bursa, ut prius integræ, & adhuc præter illas superesse amplius: quod cum Virgini retulisset, illa prohibuit eum amplius numerare, gratiasque egit Domino super hoc tam admirabili dono suo, promittens quod illa bursa deinceps bursa Jesu vocari debebat, & de ea in reliquum pauperibus distribui fecit. Sed hoc non nisi quando alias pecunias non habebat: si vero interdum aliquas pecunias habebat, vel proprias undecumque vel eleemosynas susceptas, illas primo dabat: quando autem alias non habebat, ex hac bursa pauperibus adeo liberaliter ac large distribuebat, quod, quantum poterat experiri tactu, parum in ea remansisse videretur: providebat tamen omnipotentis Dei misericordia, quod semper ad usus pauperum omnis in ea sufficientia erat.]

CAP. XXII — *mortua ... in pecunia multiplicata* — DER IOAN. BRUGMAN EX MSS. — *& etiam ad eleemosynas abundat,*

79 Nonnumquam hæc Virgo alicui de amicis suis tradidit eamdem pecuniam numerandam: qui cum ipsa jubente secundo ac tertio eam adhuc numerasset, semper inventa est ipsa pecunia per tres aut quatuor denarios multiplicata, ut scilicet per tale miraculum firmam fidem haberent in donis Dei, quæ circa ipsam fiebant. Solutis itaque debitis fratris sui, sicut prædictum est, ex hac bursa; plusquam quadraginta libras ex eadem distribuit pauperibus, sicut aliquibus secretissimis amicis suis revelaverat. Atqui post hanc revelationem adhuc fere quinque vel sex annis permanens in hac vita, largiter ex ea pauperibus usque ad mortem suam donabat: postquam vero migravit ad Dominum, inventi sunt in ipsa bursa de iisdem denariis, qui computati cum iis quos adhuc aliqui habebant, qui apud eam esse solebant & quibus ipsa easdem dederat, fecerunt medietatem prioris pecuniæ sive summæ, quæ ab initio fuerat in bursa reposita, & ultra.

per annos omnino quinque, — E

80 Adeo misericors & larga erat in pauperes, præsertim eos qui domi residentes non poterant mendicare, quod quidquid habere poterat, sive lineum sive laneum, sive pisces aut carnes vel panes, seu quidquid eis utile noverat aut necessarium, hoc eis procurare solebat & mittere. Cum ergo quadam vice percepisset in duobus aut tribus locis pauperes domi residentes, qui multo tempore non comederant carnes, seque pro tunc carnes non habere; mittens ad domum cujusdam amici, petiit quatenus bulliret unum armum porcinum, sibiq; transmitteret. Quod cum ille libenter fecisset, postulatamque carnem Virgini transmisisset, illa in partes divisam misit pauperibus, quos noverat indigere. Omnipotens autem & misericors Deus, qui novit omnium corda, hanc vicissitudinem rependit caritati illius, qui Virgini prædictas carnes transmiserat; quod ingressus domum suam, cum casu suspiciens aspiceret carnes suas pendentes, videbat, in loco ablati armi Virginique dati, alium pulchriorem & meliorem pendentem. Quod cum videret & ceteri qui audiebant, gratias egerunt omnipotenti Deo, & inposterum magis erant affecti ad eam, ita quod quidquid desiderabat ab eis Virgo vel postulabat sibi fieri, vel de caseis vel de lacte vel de butyro, ad usus pauperum, citius obtinebat.

CAP. XXIII — *Pro perna ad usus pauperum cocta & distributa;* — F — *ei qui dederat restituitur alia melior.*

81 Tempore quodam autumnali jussit hæc Virgo emi quartam partem junioris vaccæ, mediam quoque partem mensuræ, quæ vulgo dicitur b achtendeil pisarum; ut ex iis provideret hiemali tempore prædictis egenis domi residentibus, in majoribus necessitatibus eorum. Cum igitur præ nimia caritate, qua circa pauperes afficiebatur, misisset ex prædictis ad egenos, fere per triginta sex domos; reversus nuntius ait cum admiratione, se tantum quasi de carnibus distribuisse pauperibus, quantum primo in vase salierat, & adhuc valde parum imminutas

CAP. XXIV — b — *carnes & pisa pro eisdem empta,*

PER IOAN. BRUGMAN EX MSS.

nutas fore: simili modo distribuerat pisas, quæ & valde parum videbantur minoratæ. Quo audito Virgo gratias agens Deo super tam amicabili gratia & bonitate ipsius, ait nuntio: O quam magna est potentia Domini Dei nostri! o quam merito pauperibus eleemosynas libenter dare debemus! In hoc enim quod omnipotens Deus modo fecit, indicat manifeste, quod iis qui libenter & bono corde pauperibus largiuntur, & in futura vita multiplicem mercedem retribuet, & in præsenti vita pauperiores non erunt. Tota autem hieme semel, & interdum bis in hebdomada, jussit coqui magnam ollam cum pisis, & similiter cum prædictis carnibus, & pauperibus distribui.

tota hieme sufficiunt.

82 Raro vero quidquam talium mittebat eis, quin cuilibet eleemosynæ superadderet unum denarium, parvum aut magnum, nisi quando pecuniam non habebat. Panem autem non dabat, nisi & superadderet ferculum aliquod cum pane comedendum, vel pecuniam qua tale aliquid posset emi. Interdum dabat panem album vel similagineum, quem reputabat quasi panem & aliud ferculum; quem & secundis *c* feriis mittere solebat, & cum eo ova. De prædictis autem carnibus & pisis comedebant etiam quotquot in domo ejus erant. Adeo autem Dominus benedixerat carnibus & pisis, quod peracto Pascha fere media pars adhuc supererat; largiebaturque ex eis pauperibus, donec major pars æstatis transisset. Liberalissime quoque solita erat mittere pecunias, & cerevisiam cum magnis amphoris: ova quoque & panes ac butyrum pauperculis feminis in puerperio constitutis; solicitabaturque pro eis juxta vires suas, donec sibi ipsis possent subvenire. Nonnumquam etiam vinum pauperibus cum sobrietate & modestia mittebat, quibus hoc necessarium erat; & interdum lac amygdalinum. Ut autem perficeret quod scriptum est, Omni petenti te tribue; non solum pauperibus, sed etiam divitibus, quando petebant, eleemosynis suis subveniebat.

eleemosyna Liduinæ largissima,

c

B

Luc. 6. 30.

83 Illa quoque quæ eleemosynaliter accipiebat, tanta consequenter liberalitate & hilaritate pauperibus mittere solebat, quod hoc quasi volanti corde facere videbatur. Mittebat autem de penuria sua quæcumque habere poterat, scilicet panem, carnem & pisces assos; cerevisiam quoque cum amphora, quam mater sua moriens sibi reliquerat; & si amplius quid divinitus concedebatur. Et cum hæc mitteret, ipsa vacabat devotis orationibus, gratias agens bonorum omnium Largitori, quod aliquid in usus indigentium largiendum sibi concesserat. Unde & cum raperetur in Paradisum, videbat frequenter primo quidem mensas pretiosas collocari, ac sericeis mensalibus viridis coloris venustissime operiri: deinde suas eleemosynas, quasi de cælestibus apothecis depositas, super easdem mensas collocari; nec aliquando minui, sed potius augeri. Cerevisiam, quam in amphoris lapideis vel fictilibus consueverat largiri, videbat in amphoris pretiosis, ad modum crystalli perlucidis, repræsentari. Pisces quoque assos, quos pro nepte sua Petronilla, quæ erat filia fratris sui, de qua dicetur infra Capitulo xxv, erogaverat, etiam post tres vel quatuor annos largitionis, intuebatur apponi. Hæc partim contigerunt tribus vel quatuor annis ante mortem suam.

eidem in paradisi mensis opposita exhibentur,

C

84 Videbat quoque gloriosum illum conventum Beatorum, veluti regalem comitivam de palatio, ita de abditis quibusdam locis, tamquam tempore & causa refectionis, procedentem ad mensas ipsas. Procedebant autem distincti per gradus & ordines suos. Singuli quoque Presbyteri in ordine suo portabant calices erectos, & ceteri quoque singula vasa sive armaturas dignitati suæ congruas. [Habuerat autem fratrem nomine Balduinum, qui ante plures annos, videlicet post mortem matris, defunctus, apparens ei, & eam de neglectu sui quodammodo corripiens, tandem precibus ejus à pœnis miserante Deo liberatus est: hunc videbat similiter in ordine Presbyterorum, portare quidem calicem, sed versum; eo quod à parentibus ad Presbyteratum dispositus fuerat, sed ex propria negligentia non erat ordinatus, licet competenter litteratus.] Deinde appropinquantes mensis, vidit singulos ad easdem in ordine suo collocatos sedere, seque interdum assistere & ministrare, vel vescentibus considere, potumque assidentibus & sibi ministrari; [omnes vero ineffabili gaudio & jubilo repleri sicut scriptum est, In voce exultationis & confessionis sonus epulantis; ac jucundari super tanta caritate, sibi ab ea exhibita.]

accumbentibus velut in convivio Sanctis,

D

Ps. 41. 5.

85 Si quando vero in mensis illis nihil videbat repræsentari quod ipsa largita fuisset, vehementer stabat confusa, tamquam singuli symbolas suas portassent, ipsa autem nihil: unde & tam pro gloria eleemosynarum suarum, quas ibi viderat, augenda; quam propter confusionem, quam pertulerat, festinabat eleemosynas multiplicare. Nonnumquam autem Angelus ductor suus ducebat eam seorsim ad separatam quamdam ac speciosam cellam, in qua refectionem suam sibi ministrabat. Quam refectionem etsi dicebat fore inæstimabilem, prout tamen exprimere poterat, ajebat fore cæleste quoddam & divinum lumen, quo divinitus reficiebatur & inebriabatur. Interdum obtinebat ab Angelo suo, ut aliquem de familiaribus suis & sibi dilectis adhuc assumere posset: qui etsi tale aliquid in somnis speculando circa se sentirent actitari, longe tamen aliter & inferiori modo, quam circa ipsam fiebat.

ipsaque & aliis indidem refectis.

E

86 Dicebat quoque paradisum ipsum tres habere portas, intra quarum tertiam quicumque intrasset, exire non posset: ad quam cum ipsa quadam vice admissa fuisset, & introrsus introire vellet, ab occurrente sibi avo suo Joanne (patre videlicet patris sui, de quo supra Capitulo I dictum est) repulsa, retrorsum ire compulsa fuit. Quam repulsam cum ipsa, utpote ab avo suo, qui eam potius introducere debuisset, sibi factam, molestissime pertulisset; ille consolans eam dicebat, tempus illius illuc introeundi nondum advenisse; sed oportere eam potius redire; atque succurrendo iis qui in pœnis Purgatorii constituti sibi ipsis subvenire non poterant, ampliorem vitæ fructum proferre. In festivitatibus quoque plurimorum Sanctorum, frequenter rapiebatur ad contemplationem diversorum Sanctorum, interdum Martyrum, interdum Virginum aut aliorum Sanctorum. Interdum rapta ad gaudia paradisi terrestris, videbat sanctos Patres Augustinum & Hieronymum, Gregorium & Ambrosium, Franciscum & alios diversos Sanctos, de celestibus sedibus, quasi de quodam occulto palatio, in paradisum ad suum colloquium descendentes. Quadam autem vice, in die conversionis B. Pauli, tribus forsitan vel quatuor annis ante mortem suam, videbat eumdem Apostolum, inæstimabili nimis gloria circumamictum, videlicet quasi chlamyde quadam pretiosissima ex gemmis & auro composita, & adeo solida atque forti, quod videbatur non posse complicari, sed potius fixe & erecte stare.

Rapitur ad paradisi ingressum,

F

& Sanctorum variorum aspectum atque alloquium:

87 [Erat quædam femina de *d* Oudersc hie, cujus confessionem vice quadam audierat sæpe dictus D. Joannes Walteri, Confessor hujus Virginis, in qua invenerat quemdam casum Episcopalem, propter

ex quibus aliquando intelligit casum cujusdã reservatum.

d

A pter quem eam remiserat ad habentem ejusmodi auctoritatem. Sed cum illa non obedisset præcepto ejus, prædicta Virgo quadam vice rapta in spiritu, videbat occurrentes sibi sanctos Doctores supra memoratos Augustinum, Hieronymum, Gregorium atque Ambrosium; sibique præcipientes, quatenus dicat D. Joanni Confessori suo, ut feminam prædictam super hac negligentia corriperet, ac ad perficiendum eam admoneret. Quod cum ille fecisset, & obedientiam à sanctis Patribus sibi injunctam perficeret; illam, quodammodo suam admonitionem vilipendentem, judicio divino dereliquit.]

CAP. XXVI

Coronam sibi paratam

88 Quadam vice rapta in spiritu, vidit gloriosam valde coronam, sibi præparatam; quam, post vitæ præsentis patientiam & labores, à Domino erat perceptura; in qua tamen plurima videbantur & erant imperfecta. Restituta ergo sibi post illam contemplationem, memor illius coronæ, rogabat instanter Dominum, quatenus dignaretur secum & circa se operari, ut illa corona perfici posset. Eodem quoque tempore petierat à Domino, quatenus intromitteret eam per vestigia sua, per imitationem videlicet conversationis ejus, atque intromissam in ipsa ab eisdem expelleret. Dum hæc igitur frequenter & ardentissime postularet à Domino, anno videlicet Domini millesimo quadringentesimo vigesimo quinto, contigit ducem Burgundiæ Philippum, Picardorum & aliorum multitudine constipatum, Hollandiam ingredi, ac compellere civitates Hollandiæ, ut ipsum in Dominum *e* ac Rectorem susciperent. Quo in pluribus locis peracto, ingressus etiam Schiedam, circa festum Beatorum *f* Gereonis & Victoris, etiam ibidem susceptus est.

B

cum perfici petiisset, id impetrat,

e

f

g

à Picardis, Ducis Philippi famulis,

89 Post refectionem igitur *g* prandii, quidam de familia ejusdem Ducis, [ut dicebant, medici & chirurgici,] exegerunt à Curato ecclesiæ, D. Joanne Angeli de Dordraco, Præmonstratensis Ordinis de Marienwaert, quatenus eos ad domum hujus Virginis introduceret: qui nihil mali suspicatus, fecit quod petierant ab eo. Ingreditur igitur Curatus ad Virginem, & illi pariter cum eo, [subsequentibus famulis eorum, domum & cellam ejus post se claudentes.] Quos cum plusquam decet tumultuantes & eam molestantes niteretur compescere, illi eum indignanter expellentes, seorsim stare fecerunt, dicentes eam esse concubinam ipsius, [& ideo eum hæc pro defensione illius agere. Mansit tamen Curatus in cella prope altare. Illi vero perversi, ut eam melius pervidèrent, cortinam removent, candelamque oculis ejus satis intolerabilem accendunt; deinde ablato operimento, quo Virgo tecta erat, corpus ejus penitus denudant. Quod cum videret filia fratris ejus virgo juvencula, [decem & septem fere annorum] Petronilla nomine, objiciens se voluit eam defendere. Maligni autem illi arreptam puellam, irreverenter & graviter satis projectam, allidunt ad scabellum, quod erat ante altare in eadem cella constitutum; adeo quod circa renes aut inguina non mediocriter læsa, claudicaret usque ad mortem.

C

indignissime habita,

90 [Sed nec ista sufficiunt. Ut enim tam in illa sancta Virgine quam in istis adimpleretur, quod in Apocalypsi dicitur, Sanctus sanctificetur adhuc, & qui sordidus est sordescat adhuc, nullo cibo corporali utentem per undecim annos,] dicebant nocturnis *h* epulis & conviviis vacare. [Virginem quoque castissimam, ac juxta vocem Apostoli mente & corpore sanctam,] mentiebantur nocturnis fornicationibus deditam quatuordecim liberos procreasse: & [ut manifestius, quid bestialitatis intus habuerint, ostenderent] unus eorum, qui lumen tenebat, [inter Angelorum & Beatorum choros quotidie conversantem,] bestiam appellabat. Inter hæc & his similia

Apoc. 22. 11

conviciis vexata,

h

1 Cor. 7. 34

& tribus locis vulnerata:

plurima verba contumeliosa, [etiam ad facta proruunt ignominiosa. Cum enim propter humorem hydropicum totum corpus ejus in tantum intumuisset, quod cutis superducta ad modum chordæ in cythara extensa videbatur; ipsi eamdem cutem, propter extensionem nimiam attenuatam & valde debilem factam,] manibus pollutis attrectantes & pungentes, in tribus locis vulneraverunt: ex quibus sanguis adeo copiose profluxit, quod oportebat eum cum pelvi haustum de lectulo removeri.

PER JOAN. BRUGMAN EX MSS.

91 Quo scelere perpetrato egressi laverunt manus suas; regressique, pro verbis veniæ, quam potius postulassent, in contumeliosa, sicut prius, verba linguam laxabant. Tunc Virgo [quæ, sicut ovis ad occisionem ducta, jacens hæc sustinebat], his tantum verbis vel similibus convitiantibus respondit: Cur non timetis ita sinistre interpretari Divinitatis opera in me & dijudicare, qui nescitis quale vobis judicium divinitus imminet? Eadem hora, recedente Duce, illi similiter sequuntur, statimque cunctorum aures percellens hic rumor, adduxit Rectores civitatis: qui cum ad eam pervenissent, inter verba consolatoria quasi pro consolatione comminabantur, quod illa quæ gesta erant Duci vellent conqueri, quatenus contra tanti sceleris auctores vindictam exerceret. Tunc illa memor verbi Domini, dicentis, Mihi vindictam & ego retribuam; prohibuit quidem humanam petere vindictam, asserens, quoniam Deus esset eam vindicaturus. Quod & factum est.

prohibet reos deferri:

E

Rom. 12. 19

92 Nam unus eorum, qui lumen tenuerat & multa ei convitia intulerat, eodem die prope *i* Rotterdam, scilicet in portu, navigio veniens, ab una navis parte ad aliam quasi valido turbine jactatus, ac deinde à principe tenebrarum projectus in *k* mare atque submersus, confracta cervice mortuus est extractus. Secundus prope *l* Zirk-zee in furiam conversus, ac ne præsentes læderet de navi in scapham projectus, mortuus est & in civitate sepultus. Tertius militaris, in bello *m* de Brouwershaven, percussus interiit. Quartus, qui & medicum se fatebatur, prope *n* Slusam apoplexia percussus, ita quod nec loqui poterat, admonitus à famulo suo, de eo quod cum aliis contra Virginem in Schiedam fecerat, & an de eo doleret sciscitatus; postulanti per tactum manus & gestum oris qualecumque signum doloris & pœnitudinis dedit, & defunctus est. Famulus autem ejus reversus Schiedam, pro magistro suo veniam cum lacrymis à Virgine petiit & obtinuit. Flebat autem Virgo sancta multo tempore quod in se factum fuerat, non solum sua vulnera, sed eorum perditionem plangens: omnes enim valde breviter mortui fuerunt, videlicet in eadem hieme.

i

qui tamen omnes male pereunt,

k

l

m

n

F

93 [Consistentibus autem adhuc apud se Rectoribus civitatis ait ipsa Virgo: Ego quidem nunc hæc passa sum: sed vobis imminet judicium quod ignoratis. Nec multo cum post accusantibus quibusdam, quasi proditionis civitatis rei *o* assecurati essent, ita quod timerent à Duce capitali sententia se plectendos; dixerunt: Ecce hoc est judicium quod Leydwigh dixit nobis futurum.] Post hanc igitur passionem Angelus Domini sanctus apparens ei, ac Sororis nomine appellans, indicavit, qualiter, sicut petierat, per irreverentem illum tactum, à Picardis sibi factum, posita fuerat in vestigiis Salvatoris; ac per opprobriosa verba, quæ ab eisdem audiverat, margaritæ, quæ restabant, perfectæ erant in corona sua. Sequenti anno, scilicet vigesimo sexto, circa festum Gereonis & Victoris, regresso Duce cum Picardis; rursum à militari quodam, qui civitati Schiedam præerat, deputati sunt sex ex eis, ut observantes diu

Rectoribus imminens discrimen prænuntiat,

o

intelligit suam coronam perfectam,

PER JOAN. BRUGMAN EX MSS.

diu noctuque scrutarentur, an aliter vel alia, quam quæ rumor vulgaverat, circa eam invenirentur. Qui cum nihil quam quod rectum erat experirentur, iterum adveniente Duce in Rotterdam, disponebant quidam citare & advocare D. Joannem Walteri de Leydis, qui eodem anno effectus erat Confessor Virginis, atque ipsum adjurare, quatenus diceret, an quæ de ipsa dicebantur ita secundum varitatem forent, sicut ferebatur: quod etiam fecissent, nisi divino nutu superveniens p nuntius, de Hollandia recedere compulisset.

ANNOTATA.

a *In Vita Belgica sic brevius sequentia memorantur.* Tantumque inventum supra priorem summam in marsupio est, ut esset unde Deo gratias ageret Sancta, juberetque deinceps marsupium illud Jesu marsupium vocari, ex eoque dari pauperibus, quoties quod daretur aliud suppeteret nihil. Quod cum benigne ac liberaliter fieret, adeo ut subinde vacuum marsupium videretur, semper tamen reperiebatur in eo quantum petenti tunc pauperi erat satis.

b *Id est*, pars octava, *scilicet modii seu vasis.*

B

c *An quia tunc tales solebant distribui pro defunctis ex legato aut alias; quemadmodum eo die Ecclesia præscribit Officium defunctorum certis anni temporibus recitandum?*

d *Id est, antiquior Schia; alias* Overschie, *trans Schiam, dimidia fere leuca à Schiedamo ubi bifariam divisus Schia, altero suo brachio, Rotta dicto, Rotterdamum petit.*

e *Occasionem dederat Iacoba, VVilhelmi VI filia, quæ vivo secundo suo marito Ioanne Brabantiæ Duce, in Anglia Hunfrido Duci Glocestriæ nupserat, eumque in Hannonia possessionem induxerat. Post cujus in Angliam discessum, Brabanti, auxilio Burgundi, ex VVilhelmi prædicti sorore nati, & factione Cabillaviorum adjuvante, non tantum Hannoniam pleramque recuperarunt, sed etiam Iacobam tandem coëgerunt eidem Philippo, tamquam suo heredi, anno 1438 cedere Provincias, quarum Procurationem jam inde ab anno 1425 sibi idem Philippus arrogaverat; Houkiis nequidquam pro Iacoba, è Philippi manibus elapsa, certantibus.*

f *Colebantur* SS. Gereon & Victor *in diœcesi Vltrajectina* 10 Octobr. *quando & in Romano Martyrologio eorumdem & Sociorum Martyrum Thebeorum fit mentio.*

g *Sequens historia in Vita 1, valde diffuse deducitur ab auctore, præcipuas personarum ac temporis circumstantias necdum satis edocto: quo factum ut nulla parte magis eguerit correctione quam hoc loco. Nam primo fama Virginis attracti tres illi venisse Schiedamum, non occasione Ducis ibi tunc præsentis in hanc mentem explorandæ Virginis venisse dicuntur: deinde tribuitur illis quod per octiduum omnem ejus cellam scrutati sint, quod alii modestiores postea fecere; horum autem petulantia brevissimi fuit temporis: tertio qui die eadem abivere cum Duce, dicuntur post octiduum citatis nuntiis ad curiam ejus vocati, & alia plura quæ ex certiori relatione corruunt.*

C

h *Ad hæc explicanda, prolixa Militis petulantis oratio inseritur Vitæ præcitatæ.*

i *Solum enim uno milliari Hollandico Schiedammum Rotterdamo distat.*

k Merwam *intelligit, qua scilicet parte Mosa, salsis maris fluctibus jam misceri incipiens, & plusquam alibi latior, quamdam maris speciem exhibet.*

l Zirikzea *in una insularum Zelandiæ,* Scaldia *vulgo* Schouwen *dicta, portus & emporium munitum ac famosum.*

m *Pugnam hanc, propter ter mille Anglos, in auxilium partium Iacobæ missos acerrimeque pugnantes difficillimam, Idibus Ianuarii 1426 initam, describit Meyerus. Est autem* Brauwers-haven *seu Portus Braxatorum, in eadem, in qua & pugnatum est insula, ex parte ejus Boreali; cum Austrum fere Zirikzea spectet.*

n Slusa *primus & celeberrimis Ordinum Fœderatorum in Flandria portus ad Cadsandiam.*

D

o Assecurati. i. *manifesti, certoq; convicti: alias verbum* assecurare *sumitur fere pro* spondere.

p *An nuntius Bellici apparatus, à Glocestrio reditum adornante facti in Anglia, vel conventus pro pacificatione habendi excedere Philippum Hollandia fecit? an vero hæc facta dicemus anno 1427, quando circa pascha, mortuo Ioanne Brabantiæ Duce patruele suo, ad ineundam Brabantiæ possessionem vocatus fuit? Primum videtur verosimilius, quia in Vita Belgica dicitur* subito Dux regressus in Flandriam.

CAPUT IX.

S. Liduinæ in ferenda suorum morte imbecillitas, substractione consolationum divinarum castigata: desperabundi adjuti.

CAP. XXVI

Mors patris prævisa

94 [POst prædictum martyrium hujus Virginis, cum in profesto Conceptionis B. Mariæ Virginis, præfatus D. Joannes, postea Confessor ejus, iter disponeret versus Ouderschie, ut ibidem celebraret; ipsamque Virginem super hoc consuleret, utrum die ipso illuc iret, an in crastinum differret, ipsa propter patris sui exequias, quas dicebat crastino futuras, suasit ut potius ipso die illuc pergeret, ne sequenti die circa paternum funus aliqua contingeret negligentia.] Dicebat enim se à patre suo audivisse, quod beata Virgo fœdus societatis cum eo inisset, eique spopondisset, quod ipsum circa festivitatem hanc de hoc mundo a vocaret. Post quę verba mors patris mox ipso die secuta est, videlicet in profesto Conceptionis beatæ Virginis. Post cujus mortem cum ipsa certificata fuisset de salute ipsius, nihilominus dęmones interdum eam in tantum contristabant, dicentes ejus patrem secum in damnationis suæ societate habere, ut, quasi verum fuisset quod à dæmonibus audierat, inconsolabiliter fleret. Unde & domesticis ejus, causam lacrymarum sciscitantibus, respondit: Ego scio quod cum patre meo valde bene agitur, & tamen dæmones dicunt quod sit damnatus. Cum enim vice quadam ab Angelo suo duceretur ad amœna paradisi gaudia, dæmones iter ejus obsidentes, transfiguratum quemdam dæmonem in similitudinem patris ejus irridentes & affligentes, ostendebant ei dicentes: Ecce habemus patrem tuum. Tunc illa cognoscens diabolicam illusionem, non veritatem; dicebat eum non esse patrem suum: statimque velut fumus illis evanescentibus, ipsa cœptum iter Angelo duce perficiebat.

E

a *& de salute ejus certa,*

turbatur tamen à dæmonibus damnatum objicientibus.

F

b

Nepti suæ morienti ut extremum loquatur,

95 Post hæc in die B. Pontiani b obiit præfata Petronilla, neptis sua, filia fratris sui, [quę eo quod hanc sacram Virginem, cum à Picardis, ut prædictum est, ita irreverenter tractaretur, defendere volebat, ab eisdem ad altaris scabellum cum impetu elisa, graviter & ipsa læsa fuit.] Ante cujus obitum cum rogasset Dominum, quatenus ita ordinaret febres suas, ut eidem ante mortem ejus loqui posset; pius Dominus misertus morituræ, prævenit eas per spatium fere sex horarum; ita quod quæ per frigus accedere solebant hora undecima circa meridiem, mane accedebant hora quinta; calor vero qui de vespere accedere solebat, accedebat hora undecima circa meridiem, & terminabatur de vespere: sicque temperato calore febrili, cum omnium qui aderant admiratione, recepit competentem facultatem alloquendi & consolandi morituram. [Quia vero voce Dominica dicitur, Qui recipit justum in nomine justi, mercedem justi accipiet; ista vero puella Petronilla in prædicta persecutione hujus sacræ Virginis, ut ibidem dictum est, sese totam pro defensione ejus exposuit, & contumeliam atque læsuram corporalem pro & cum patiente accepit; libet hic annectere visionem, quam

impetrat sibi febrium anticipari,

Matt. 10, 41

A quam hæc Virgo sancta, paucis ante mortem illius diebus, habebat.]

& futuram ejus gloriam in visu contemplata,

96 Tempore quodam nocturno, posita in excessu mentis, videbat solennem quamdam processionem celestium civium, in qua, sicut moris est & in processionibus ordinari solet, distinctis ordinibus & choris singuli incedebant; videlicet patriarchæ invicem, & Prophetæ invicem, similiter Apostoli & Martyres, Confessores & Virgines, Sacerdotes & Clerici, singuli in suo ordine ac dignitate. Procedebant autem de ecclesia civitatis Schiedamensis, præcedentibus more solito crucibus & luminaribus, ut sol splendentibus, usque ad ostium domus suæ; de qua sumentes funus, deferebant ad ecclesiam: ipsa autem sequebatur funus, datis sibi tribus coronis, quarum unam gestabat in capite, reliquas singulas in singulis manibus. Cumque restituta sibi ipsi verbotenus diceret, suspicando quasi mors ipsius in hoc præfiguraretur; finaliter tamen dicebat, quod designabant mortem præfatæ suæ neptis Petronillæ; quæ & statim post hanc visionem moriebatur, in festo S. Pontiani de vespere hora decima. Præcepit tamen ex hoc tempore seriosius præparari necessaria sepulturæ suæ.

B

immodice tamen luget defunctam,

97 Itaque post Petronillæ neptis suæ mortem, quæ ei die ac nocte assistens in necessitatibus ministrabat, *c* sancta Virgo tam perniciosam incidit tristitiam (quasi super destitutione illius, quam, utpote se cordialiter diligentem, ipsa vicissim ita affectuose dilexerat) & ejus tristitia in tantum Domino displicuit, quod in vindictam ejusdem tristitiæ, usque circa festum *d* Præsentationis B. Mariæ Virginis, solita privata fuit contemplatione & consolatione divina. Cum igitur die noctuque fleret amarissime, non solum super morte neptis suæ, sed peramplius super amissione solitæ gratiæ, propter inordinatam illam tristitiam sibi subtractæ; tandem causam earumdem lacrymarum percunctantibus respondit: Cur non flerem? ecce proximis undecim annis nihil petivi à Domino quin sine contradictione impetrarem, & nunc in tanto tempore nullam penitus consolationem accipio.

ideoque amissam gratiam

vix demum post aliquod intervallum recuperat.

98 Circa festum autem Præsentationis beatæ Virginis tantam divinæ gratiæ superabundantiam recepit, quod per novem vel decem fere dies quasi in continua jaceret divinorum & cælestium contemplatione, fruitione, gustatione & jubilatione; adeo quod ingredientes ad eam per eosdem dies sentirent odorem suavissimum, quem sicut solito more ita nunc quoque de cęlestibus areolis & apothecis reportabat. A quibus interrogata, unde proveniret talis odor tam suavis; ipsa quæ ex humilitate silere maluisset, tandem devicta eorum importunitatibus, sicut Dominus manifestaverat odorem illum, ita ipsa ejusdem causam (unde scilicet eumdem reportasset) indicavit: dicebat enim se non posse celare, quod Dominus jam prodidisset. Simili modo ante aliquot annos, defuncto fratre suo, de quo supra dictum est Capitulo XXII, tristitiam magnam incidit: super qua tantum obstupuit, quod dicebat se hactenus ignorasse, quod adhuc fuisset tam humana: propter quam etiam multo tempore solita carebat annona divinæ consolationis, sicut revelatum fuit cuidam eremitæ, in partibus Ægypti constituto, de quo dicetur in sequenti mox Capitulo.

C

idem in morte fratris patitur:

CAP XXVIII quod eremitæ cuidam, ab ipsa in Ægyptum directo,

99 Erat quidam juvenis, de diœcesi Coloniensi oriundus, nomine Gerardus: hic solitariæ vitæ & conversationis desiderio stimulatus, fama trahente primo venit ad hanc Virginem, ut ei præsens votum suum exponeret; atque iter tam arduum nimirum aggressurus, se precibus ejus commendaret; quatenus divina gratia opitulante, in eo quod mente conceperat, posset perseverare. Cujus illa proposito congaudens, prophetico spiritu prædicebat à se recessuro, quod primo triduo ingressus ejus in eremum penuriam pateretur; simul & exhortans eum ad constantiam, quod ante finem tertiæ diei refectionem esset accepturus: quod & postea factum est. Nam advesperascente fine tertiæ diei, cibum cælestem, scilicet manna, percepit: prædictos autem sibi à Virgine tres dies ipse ita constanter peregit, quod paratus erat eos propter promissionem ipsius etiam cum periculo transigere. Post magnam collocutionem & in mutuis orationibus recommendationem, atque mutuæ fraternitatis obligationem, ille egressus, paragratis partibus superioribus, transito mari, superiorem ingreditur Ægyptum: cujus deserta penetrans, invenit cellam, per gradus in arbore, propter lupos & alias feras, elevatam. Adduxerat & duos secum socios, ejusdem conversationis gratia; qui paucis, post aggressam eremiticæ conversationis militiam, diebus peractis, ad vomitum reversi sunt, ipso in incepto proposito permanente.

PER IOAN. BRUGMAN EX MSS.

E

ibique annis 17 absque humano cibo viventi,

100 Decursis itaque in hac solitaria & eremitica conversatione fere decem & septem annis, contigit Episcopum quemdam de Anglia cum duobus sociis, gratia visitandi sancta loca, adire Hierosolymam, ac deinde montem Sina ad Reliquias B. Catharinę Virginis & Martyris. Qui etiam memores sanctorum Patrum, qui quondam in Ægypto fuerant, ipsam Ægyptum ingressi sunt; & usque ad superiora ejus observantes discurrerunt, ut inquirerent si forte, ut prius, aliquos eremiticæ vitæ Patres invenirent. Reperiuntque tandem cellam quamdam, non longe à terra in arbore constructam: cujus ostium cum pulsassent, eo aperto viderunt hominem, vultu quidem Angelicum, sed corpore adeo crassum, ac si non in eremitica abstinentia, sed inter seculi delicias & carnis voluptates versaretur. Inter mutua igitur colloquia discunt ab eremita, in spatio duodecim annorum & ultra eum hominem non vidisse. Interrogatus vero ab iis, quonam alimento uteretur, unde ita crassus effectus esset; respondit se sola divina gratia nutriri, scilicet manna cælesti, cujusmodi filii Israel utebantur cum egrederentur de Ægypto, quod cellulæ ejus influens colligere solebat & comedere.

F

in contemplatione solita innotescit

101 Consequenter illis sciscitantibus, an adhuc aliqui alii possent inveniri inter homines, qui absque cibo humano vitam agerent sicut ipse; respondit, in partibus Hollandiæ in civitate Schiedam fore Virginem, quæ multis jam annis diversis infirmitatibus divinitus flagellata, nullo uteretur alimento corporali; quæ etiam ad tantam perfectionis celsitudinem pervenit, quod ipsum centuplo plus excederet vitæ sanctitate: ideoque cum soliti essent simul rapi ad cælestium contemplationem, singuli de locis suis & in singularibus scalis; illa tamen ipsum, sicut & vitæ merito, ita & contemplationis excellentia superascenderet. Unde & mirari se asserebat, cum de transitu ejus nihil perceperit, quid ei acciderit, quod eam in pręfata scala contemplationis multo tempore non viderit. Fertur tamen eremitam causam assignasse, *e* quod nimis inordinate super morte propinquorum suorum dolere solebat; atque ideo quamvis prius ipsa eum conversationis sanctitate & patientiæ magnitudine & contemplationis excellentia excederet; modo tamen ipse eam excederet. Quod in morte fratris ejus patuit, de quo pręcedenti capitulo dictum est; qui eodem fere tempore obierat in Schiedam, quo prędicta peregrinis illis recitabantur in Ægypto.

PER IOAN. BRUGMAN EX MSS.

qui ipsam per peregrinos Anglos visitari jubet,

102 Quapropter eremita rogat peregrinos ipsos, quatenus regressuri ad propria, prius intrent Hollandiam & civitatem Schiedam ac domum Virginis, eique tres has ex ore suo & parte sui proponant quæstiones. Primo quot annos ipse solitarius in hac eremitica vita peregerit: secundo quot annorum ipse erat quando transivit ad eremum: tertio quid causæ sibi occurrerit, quod eam jam multo tempore in contemplatione solita non viderit. Post hæc valedicentes eremitæ, peregrini reversi veniunt in Hollandiam & Schiedam; ubi hospitium ingressi rogant hospitem, quatenus ducat eos ad domum Virginis. Quod cum factum fuisset, intrantes ad eam, cum causam adventus sui & personam eremitæ eos ad se mittentis designassent; illaque, sicut semper ita & nunc ex humilitate latere mallet, [ad propositas interrogationes manifeste respondere recusavit, & hoc tantum primo querentibus de tempore habitationis eremitæ in solitudine responsum dedit. Quomodo ego illud scire possum? Dominus est qui hoc novit. Ad quod dum illi respondissent, se hoc non à se, sed ex ore eremitæ interrogasse;] respondit, eum septem & decem fere annos in solitudine peregisse. Ad secundum respondit, eum decem & novem annorum fuisse, quando ad eremum perrexit. Ad tertium autem respondit, se in medio hominum conversantem diversimode maculari; illum vero ab hominibus segregatum, & inter Angelos quotidie conversantem, incontaminatam puritatem continue conservare: & ideo non mirandum, si ipse eam contemplationis celsitudine excederet.

& hujus defectus admoneri,

B

anno 1426 sancte mortuus.

103 Dicebat quoque Virgo, eremitam illum tantæ fuisse crassitudinis, quod pinguedo colli ejus pendebat per superiorem partem sive capitium vestimenti ejus; & ob hoc tam debilem extitisse, quod nec stare posset nec sedere, sed tantum flexis genibus quietem & cetera corporis sumpsisse vel egisse necessaria. Obiit autem idem eremita anno Domini millesimo quadringentesimo vigesimo sexto, Octobris die duodecima: quod & huic Virgini fuit revelatum. Rapta namque in paradisum in hora transitus ejus, videbat animam illius corpore exutam ab Angelis deferri ad paradisum, [atque in fonte limpidissimo ablui, qui adeo serenus & clarus existebat, quod, ut sibi videbatur, per unum fere milliare fundum ejusdem fontis videre poterant.]

C

CAP. XXIX

f Civem de suspendio sibi inferendo tentatum,

104 Civis quidam in civitate Schiedam, Scabinatus *f* officio pro tunc fungebatur: hic suggerente diabolo graviter tentabatur, ut semetipsum laqueo necaret. Habebat autem idem Capellanum quemdam, nomine Joannem Pot, de quo in superioribus dictum est Capitulo v, qui coram eo Missas celebrare solitus erat: qui, quoties eumdem civem de suspendio sibi ipsi inferendo tentari noverat, arguendo, obsecrando, consolando circa eum laborans, vix persuadere poterat vel cohibere ne sibi tam crudelem mortem inferret. Sed cum ille nec violentiæ tentationis resistere valeret, nec Confessor tentatum cohibere posset; ingressus idem Confessor ad Virginem, interrogavit quid sibi circa tentatum suum faciendum esset. Tunc illa, de gratia Dei secura, sciens diabolum sustinere non posse quod arma malitiæ suæ verterentur in arma salutis, suasit Presbytero quatenus, si tentatus suggestioni resistere non valeret, injungeret ei pro pœnitentia, quod diabolus suggerebat ad ruinam. Quo audito Confessor nimium timuit, nec audebat facere quod illa consulebat, ne causa perditionis illius fieret. At illa econtra instabat, jubet ut fiducialiter id ageret in conscientia sua.

liberandum docet Liduina,

D

105 Acquievit Presbyter consilio ejus, & postmodum ad se denuo revertentem hominem tentatum consolans, cum eum ab hac mala intentione semetipsum suspendendi revocare non posset, injunxit ei pro pœnitentia, ut hoc faceret. Quod audiens tentatus, flexis genibus procidens, gratias egit, quia quod diu desideraverat jam saltem obtinere meruisset. Statimque reversus domum, fune trabi alligato & collo circumposito, sedem ut se suspenderet ascendit. Dæmones autem videntes & invidentes tali eum sibi morte auferri, apprehensum laqueum vehementer abrumpentes & dicentes; Non vos modo suspendetis; post tergum cujusdam cistæ, videlicet inter cistam & parietem, projecerunt; & adeo arcte detruserunt, ut per trium horarum fere spatium multum quæsitus, ac tandem cum admiratione inventus, non nisi per cistæ ablationem extractus est, & deinceps à tentatione liberatus.

si hoc ipsum facere pro pœnitentia jubeatur,

Mulierem objectu criminis pridem confessi vexatam

106 In eadem quoque civitate Schiedam femina quædam erat, quam diabolus in desperationis baratrum precipitaverat; objiciens ei sæpius per somnum scedulam cum peccato quodam ab ea commisso, quasi necdum divinitus dimisso nec dimittendo; cum tamen ipsa illud sacramentaliter sæpius confessa fuisset, & absolutionem suscepisset, & pœnitentiam injunctam peregisset. Cum ergo sui cordis angustias huic Virgini crebrius exponeret, illaque desolatam benignis consolationibus refoveret, nec tamen quantum volebat circa eam proficeret, eo quod princeps mortis feminam sicut prius terroribus per somnum conturbaret, dicens, Nequaquam manus meas evadere poteris, quia litteris his te mihi confirmatam & subjugatam habeo; contigit ut Virgo ipsa vice quadam extra se raperetur, & inter cetera videret eumdem dæmonem, chartam ipsam manibus gestantem, sed manu *g* B. Mariæ Virginis de ejus manibus violenter ablatam dirumpi. Quod postmodum ipsa Virgo, sensibus corporeis restituta, D. Joanni Walteri Confessori suo retulit, feminamque prædictam ad se revertentem, ac ut prius querimonias desolationis suæ coram ea deponentem, benigne consolans (suppressa tamen chartæ comminutione) præcepit ei ut secura deinceps esset, nec quidquam sibi mali eventurum super illo formidaret; simul & obsidem offerens se pro conscientia sua in die judicii: sicque trepidantem liberam reddidit & pacatam, ab omni præhabita mentis anxietate.

E

g solicitudine liberat.

F

ANNOTATA.

a *Narratur hoc in Vita Belgica tamquam narrari solitum à Beata, ideoque ibidem omittitur connexio* enim, *qua hanc partem cum priori ibidem omissa conjungit, tantumque dicitur revera tali die mortuus pater.*

b *Colitur celeberrime in diœcesi Vltrajectina, ob reliquias illuc translatas S. Pontianus Martyr* 14 *Ianuarii, ubi de ea solemnitate egimus. Ne quis autem S. Pontiani Papæ Martyris diem* 19 Novembris *intelligat, cavet Vita posterior num.* 310 *expresse diem nominans qua* sanctus Martyr in diœcesi Trajectina veneratur : *idemque hic suadet Festum Conceptionis* 8 *Decembris, S. Pontiani Papæ festum non præcedens, sed subsequens : & Vita Belgica expresse annum* 1426 *notans. Vita* 1 *addit quod Petronilla* sub horam decimam vespertinam mortua *sit.*

c *Belgica Vita etiam ipsam commendat, quod* particips esse solebat gratiarum, quas illa divinitus percipiebat.

d *Imo* usque ad festum Visitationis : *dies enim pauci inter* 14 *Ianuarii &* 2 *Februarii, non possunt longum tempus dici. Itaque se corrigit auctor ipse in Vita sequenti num.* 348, *expresse signans spatium quinque mensium continuorum, & num. sequ. solennitatem Visitationis, qua colitur* 2 *Iulii.*

e *Clarius*

A e *Clarius Vita Belgica:* Aliqui tamen, dicunt quod satis illam causam novisset, & dixerit peregrinis, solitam eam immodice tristari &c.

f Scabinus *pro judice seu assessore judiciali sæpe invenitur in Capitularibus Caroli Magni, Legibus Longobardicis &c, Belgis molliori dialecto dicitur* Schepen, *eoque nomine designantur Senatores, qui* 12 *aut* 24 *cum Consulibus judicant civium caussas. Nominis etymon sumendum à verbo* Scheppen *creare, cujus participium nobis etiam nunc est præposito augmento,* gheschapen, *creatus: & tales, etiam in Italia ac Lombardia, novimus appellari* Creatos *sive* Electos.

g *In vita Belg. dicitur quod ipsa Liduina,* per Dei gratiam, dæmoni schedam eripuit, reversa deinde ad suos sensus dedit epistolam D. Ioanni Confessario suo legendam & lacerandam: *estque credibile, ipso D. Ioanne suggerente id in hac Vita 2 esse correctum.*

CAPUT X.

Variæ revelationes factæ S. Liduinæ circa statum defunctorum.

CAP. XXX B 107 [Cum occasione suavissimi odoris, qué propter visitationem Salvatoris vel Sanctorum aut attactum Angeli sancti hæc Virgo reservabat, vel quem de paradisiacis & cælestibus gaudiis rediens secum portabat, ut prædictum est Capitulo xv, multas hominum visitationes pateretur, eo quod reliquiæ suavitatis istius sæpius apud eam remanerent; contigit anno Domini millesimo quadringentesimo vigesimo sexto, feminam quamdam, in vicino D. Ioannis Angeli de Dordraco tunc Curati commorantem, crebrius eam ceteris visitare. Quod ille videns causamque sciscitatus, tale responsum à femina audivit: O Domine, si sciretis qualia ego apud eam experior, utique sicut ego eam crebrius visitaretis: invitabatque eum quatenus ad eam visitandam similiter accederet. Quod cum ille fecisset, insolitam suavitatem admiratus (visitaverat enim eam sæpius, sed nil tale antea senserat) interrogabat eam, an aliqua penes eam odorifera forent reposita. Tunc illa simpliciter respondit: Non utique, sed gratia Domini est.] *Suaveolentia miraculosa experientia allectum ad se Curatum Schiedam.*

108 Ab hinc ergo crebrius eam visitans & seriosius confessionibus ejus intendens, super novitate eorum stupefactus interrogabat, an talia prius experta fuisset. At illa: Imo, inquit, Domine: nam & vobis secreta mea sæpius revelavi. Ille vero ait, Quidquid mihi dixisti, tamquam rosæ fuerunt ante porcum quadrupedem projectæ. Dicebat autem hoc de semetipso: erat enim idem Curatus adeo lubricus, quod non veritus judicium Dei, contra reverentiam Ordinis sui tam sacerdotalis quam monastici, cum uxore cujusdam, secundum carnem satis turpi, fornicaretur.] Super quo *a* cum à pluribus coram hac Virgine accusaretur, illa tamen accusantibus non credidit, eo quod crebrius illam visitaret, & Missas coram ea celebraret. Vice tamen quadam ad se ingresso illi quod audierat obiecit, simulque arguit eum quod tale peccatum [cum ligata] committeret. Sed illo cum juramentis & execrationibus objectum sibi crimen negante, virgo quasi accepta satisfactione excusantem se cum pace dimisit. [Rursum quasi de iterato peccato coram ea accusatur: accusatum, sicut prius, ipsa reprehendit: sed ille veritus fateri veritatem, juramentis & execrationibus, ut ante, se excusat.] *qui verba ejus ante neglectim exceperat, C, a, ut potè homo impura vita,*

109 Post hæc igitur Virgo, more solito ad supernorum rapta contemplationem, videbat eumdem cum prædicta femina in atrio quodam obscœnis actibus occupatum. Unde cum die quadam ad se ingressum [ut quæ à præfata femina occulte perceperat nova, etiam cum eadem circa se experiretur] sicut prius, quasi ex aliorum relatu, super eodem crimine corriperet; illeque, ut ante pertinaciter contradiceret: Cur, inquit, Domine, tam pertinaciter negatis, cum tali die & hora in excessu mentis posita, in illo vos viderim loco cum ea turpiter occupari. Tunc ille vehementer confusus (sciebat enim se deprehensum) Qui, inquit, hoc tibi de me manifestavit, etiam alia plura revelare potuit: egressusque per posticum in hortum flevit amare. Deinde repressis lacrymis reversus, fatebatur vera esse quæcumque illa dixerat, promittens se eadem numquam amplius iteraturum. Illa vero videns eum radio divinæ veritatis illustratum; Non solum, inquit, illud peccatum commisisti, sed etiam alia tria vel quatuor obiecit crimina, exhortans eum ad emendationem; [simulque celerem ei mortis horam prædicens, tam salubri compunctionis jaculo mentem ejus vulneravit, ut eorumdem confessione coram ipsa quantum decuit facta, legitimos insuper Confessores quæreret, seque ab eis à peccatorum suorum nexibus ecclesiastica auctoritate absolvi postularet.] *de crimine quo infamabatur interrogatum & negantem, AUCTORE GODEF. DE LICHT. confundit Liduina,*

110 Quo impetrato, cum pro commissis peccatis pœnitentiam ageret, transactis postmodum octo fere hebdomadibus, pestilentiæ morbo percussus est. [Ingressus igitur ad Virginem interrogat, an se per sacram Unctionem ad mortem præparare debeat. Consentit illa. Et primo quidem communicatus est; deinde ingravescente morbo in tantum debilitatus est, quod pro inunctione sua consilium Virginis audire cupiens, sed non valens, ad eam se cum carruca vehi flagitaret. Sed & illud cum præ debilitate convenienter fieri non posset, mediante nuntio sciscitatur, quid pro inunctione sua consuleret. Remandat illa, quod parum cerevisiæ cum pane comedat, quod si per unius horæ spatium intra viscera retinere posset, sciat se nec moriturum nec inungi oportere. Sumit ille imperatum cibum, & per tria fere quartalia horæ infatigabiliter sustinens, quasi jam non moriturus, exultat. Sed rursum subitanea nausea provocante] suspicatus se mori, vocat Sacerdotem: inter cujus inungentis manus defunctus in die *b* Nativitatis Beatæ Virginis, anno Domini prænotato, scilicet millesimo quadringentesimo vigesimo sexto, ad locum, à divina justitia sibi misericorditer præparatum perductus est.] *pœnitentemque monet, E, de extremis sacramentis suscipiendis: b*

111 Cum ergo indesinenter pro eo Virgo Dominum exoraret, sequenti nocte vel infra triduum ad infernalia & purgatoria loca rapta, interrogabat Angelum suum, ubinam esset Dominus suus, non pridem defunctus. Qui ostendit ei puteum: cujus horrorem mirata interrogabat, utrum jam foret infernus. Qui ait, eum non quidem infernum esse, sed inferno proximum; atque in eo deputari eos de quibus dubitatur *c* utrum damnandi sint an salvandi. Alium quoque extrinsecus videbat locum, omnibus antea visis horribiliorem, muro nigro & alto nimis circumdatum: quem Angelus dicebat esse infernum. In quo tantos dæmonum & damnatorum hominum audiebat clamores & ululatus, clangores quoque & quasi tinnitus pelvium, quod eis totius mundi clamores & strepitus non possent comparari. Prope præfatum puteum, secus infernum positum videbat Angelum quemdam satis tristem & quasi mœrentem: quem cum ex aspectu illius cognovisset fore Angelum dicti Curati, de quo dictum est, qui paulo ante mortem suam fuerat in cella ejus conversus; interrogabat Angelum ductorem suum, cur frater ille Angelus ita mœstus foret. Qui respondit, animam, quam regendam acceperat, *deinde animam ejus intelligens F c prope infernum cum incertitudine salutis positam,*

PER IOAN. BRUGMAN EX MSS.

ceperat, ob peccata quæ perpetraverat in eumdem puteum submersam esse, & necdum sententiam sperandæ salutis accepisse; sed datas ei inducias novem dierum, infra quos definitiva sententia daretur: & ideo hunc Angelum ejus tristari, quod nesciebat utrum salvari debeat vel damnari.

eidem commune purgatorium impetrat;

112 Cum ergo Virgo animam illam desideraret videre, jubente Angelo ductore suo apertus est puteus; ascenditque anima ad superficiem putei, tota ignita ad instar candentis ferri; & exclamabat ad Virginem dicens: O carissima mater Lyduwa (sic enim consueverat eam appellare) o purissimum divinitatis speculum, patere quæso ut me speculer in te. Tantus itaque horror invasit animam hujus Virginis, ex iis quæ circa animam hanc videbat, quod præ nimietate ejus rumpebatur cingulum cilicinum, quo corpus ejus jacens in lectulo accinctum erat: rumpebatur autem non in nodis vel juncturis ligaturæ, sed illis integerrimis remanentibus, in loco integro & sano. Perduxit autem hæc Virgo animam illam orationibus & meritis suis, ab illo privato puteo, ad commune purgatorium & locum pœnitentium.

B

pro alio similiter impœnitentia defuncto,

113 Erat quoque alius Presbyter, Petrus nomine, in Schiedam, secularis satis & minus honestæ conversationis, qui tandem divinæ pietatis respectu compunctus, & familiaritatem hujus Virginis adeptus, ante plenam satisfactionem defunctus, sententiam suo statui debitam acceperat. Peractis igitur quasi duodecim annis post mortem ejus, contigit hanc Virginem, more solito apud purgatoria loca consistentem, audire vocem quamdam satis lamentabilem, de puteo quodam procedentem: quam cum tam ex proprio auditu quam ex verbis Angeli cognosceret esse vocem præfati D. Petri, mirata est quod adhuc erat in purgatorio. Interrogata est igitur ab Angelo, an pro liberatione illius aliquid sustinere vellet. Qua respondente quod sic; ostendit ei Angelus locum quemdam in vicino, ubi videbatur quasi quædam cataracta, ante quam erat tanta teterrimarum aquarum copia, quasi omnes totius mundi aquæ in unum congregatæ fuissent, & per eamdem cataractam fluere viderentur. Hortatur igitur eam Angelus, ut si eam videre vellet & liberare, per eamdem cataractam transeat. Quod cum illa trepidaret aggredi, Angelus autem econtra eam ad constantiam transeundi animaret, ipsa transito flumine quod fluebat per cataractam, videbat animam Presbyteri, candidam ad modum *d* cygni, de puteo ascendentem ad altitudinem aëris, & inde descendentem velut in quemdam fontem: ubidum quasi novo baptismate quodam purgata fuisset, & refrigerata ab incendio quod sustinuerat; vidit eam volantem ad requiem & gaudia beatorum. Tantam autem fatigationem sustinuerat in transitu fluminis illius, quod etiam reversa ad sensus corporeos, inventa fuit quasi tota sudore perfusa.

post duodennium pati aliquid consentiens,

d eumdem videt liberatum,

CAP. XXXI

alium ipsa qua moritur nocte,

114 In villa, cui nomen Ouderschie, erat quidam dictus Balduinus vanden Velde, custos ecclesiæ ejusdem villæ; qui infirmitate præventus in nocte conversionis S. Pauli, tunc obiit, anno videlicet Domini millesimo quadringentesimo vigesimo sexto. Eadem nocte hæc Virgo, more solito rapta à sensibus corporis, venit ad quemdam montem, ad cujus radicem videbat hominem, prius & tunc sibi incognitum, volentem montem ipsum ascendere, sed præ invaletudine non valentem. Quem cum, ab eodem rogata, humeris suis impositum sursum portasset, mirata ponderositatem ejus, interrogabat, quo vocaretur nomine. Qui respondens dixit vocatum se Balduinum vanden Velde. Mane facto Confessor Virginis ingressus in cellulam ejus, invenit eam, quasi præ lassitudine post laborem magnum, graviter anhelantem & præ defectu anhelitum vix trahere valentem. Interrogata caulam, respondit, se à radice cujusdam montis usque ad verticem ejus portasse virum, nomine Balduinum vanden Velde, id est, de Rure denominatum, sibi penitus incognitum prius: qui tantæ ponderositatis fuit, quod ipsa nunc sibi restituta, vix subsistere posset. Super quo Presbyter miratus, recordabatur custodis ecclesiæ in Ouderschie, qui Balduinus quidem vocabatur, sed cognomen ejus ignorabat. Post biduum autem idem Confessor veniens ad villam Ouderschie causa celebrationis, interrogabat feminam quamdam de cognomine & statu ejusdem custodis: quæ cognomen edixit, sicut Virgini fuerat revelatum; simul & eadem nocte defunctum asseveravit, qua eumdem Virgo de radice montis ad ejusdem cacumen portaverit.

visa est labore summo in montem portare:

D

115 Alia quoque vice, more solito rapta, venit circa quemdam montem, juxta quem videbat diversos diversimode oberrantes: alios videlicet circa radicem ejus, alios altius, & alios adhuc in eminentiori loco montis ejusdem; volentes quidem montem ascendere, sed non valentes; nec qui adjuvaret ut ascendere possent, habentes. Cum instarent autem aliquæ præcipuæ festivitates, per aliquot dies ante talia festa, rapiebatur ad loca purgatoria, ut videret calamitates indigentium auxiliis aliorum, nec sibi ipsis subvenire valentium, quorum voce loquitur B. Job dicens: Miseremini mei, miseremini mei, saltem vos amici mei: quia manus Domini tetigit me. Reversa deinde, cum pro eorum liberatione *e* quotidianas febres sustineret, amarissimeque plangeret & assidue divinam misericordiam exoraret; in ipsis festivitatibus rursum rapta, pro eorumdem agnita redemptione tanto gaudio tripudiabat, quod se vix capere posset. Licet autem ceteris diebus plures frequenter eriperet, in præcipuis tamen festivitatibus multo plures & in majori copia. Adeo autem acriter plorabat super miseriis eorum, quod frequenter in ea naturales lacrymæ, id est aqueæ, deficerent, & supernaturaliter lacrymæ sanguineæ succederent: quas super genas ejus coagulatas successu temporis D. Ioannes Confessor ejus, cum naturalibus lacrymis emollirentur, abradens, in sacculo conditas in scrinio penes se reservabat, atque sub capite illius post mortem illius, sicut desideraverat, reponebat.

sæpius adducta ad videndos sic laborantes,

E

Iob 19, 21

e plurimis eorum juvat,

etiam lacrymas sanguineas fundendo.

CAP. XXII

F

de statu Wilhelmi Ducis mortui subterfugit respondere,

116 [Post mortem Ducis Wilhelmi Comitis Hollandiæ, cum audisset uxor ejus D. Margareta de marito & domino suo, quod hæc Virgo dixisset eum jam fore salvatum; misit ad eam unum de famulis suis, ut investigaret rei veritatem. Audierat etiam quod hæc Virgo fuisset mortua per triduum, & revixisset. Interrogata igitur super utroque ab ipso nuntio, ad unum quidem ita respondit: Si triduo mortua fuissem, Schiedamenses diu me sepelissent. Ad aliud autem, sicut ridiculosum judicabat quod interrogabatur, ita & ridiculose quodammodo respondit, dicens: Si ille esset in vita æterna, tum Dominus injuriaretur mihi, quæ jam decem & septem annis gravissimis infirmitatibus detenta, de lecto non descendi nec terram tetigi: quapropter peto ne occasione mei peccetis: sicque qui incertus venerat, incertior recessit. Contigerunt autem hæc anno Domini millesimo trecentesimo decimo septimo, in quo & defunctus Dux Wilhelmus defunctus fuit. De pluribus tamen religiosis defunctis certam nonnumquam dabat sententiam, quod essent salvati & ad gaudium Domini sui introducti. De novissimis quoque temporibus & de adventu Antichristi dicere solebat, quod ipsa neutrum eorum

uti & de tempore ventur Antechristi.

rum esset visura. Caute tamen de talibus loquebatur, & quasi ex libris audivisset, quos tamen materiales vel corporales corporaliter fortassis numquam viderat vel audiverat. Dicebat autem signum quoddam futurum in regione ubi Antichristus nasciturus est, & quod ipso anno quo nascetur herbæ & arbores sanguinem stillarent, & hoc tria stillicidia per singula folia].

ANNOTATA.

a *Vita Belg. omissis præcedentibus, dissimulat quod fuerit hujus Presbyteri peccatum, inferius tamen satis indicat, peccatum fuisse cum complice.*

b *Eadem*, In Vigilia, *&* *breviter dicit*, consilio Virginis sacro Viatico & extrema Unctione munitum *fuisse*.

c *Suspensa scilicet non quidem Dei de ipsis sententia, sed sententia ipsius elocutione: quam esse aliquarum animarum in purgatorio pœnam præ ceteris gravissimam scriptores nonnulli Catholici satis verosimiliter tradunt.*

d *Ita correximus ex Vita Belgica, cum exemplar nostrum haberet*, agnum, *facili lapsu, ob similitudinem litterarum, ci & à*,

e *Eadem* quartanas febres.

CAPUT XI.

B *Quomodo Liduina Eucharistiam usurparet & eam semel cælitus missam acceperit, post Christi crucifixi apparitionem.*

...p XXXIII ...terius cibi ...usque ...tens Liduina,

117 CUm sane Virgo ista à principio ægritudinum suarum parco valde & superhumano uteretur cibo, & ad extremum nullum penitus cibum corporalem vel potum per plures annos usque ad mortem suam sumeret, vel etiam sumere posset; solum erat venerabile Sacramentum Corporis Christi, cujus frequenti susceptione non solum spiritualiter, sed etiam corporaliter sustentari videbatur. Et cum neque panem neque quemlibet alium cibum corporalem, quantumcumque parvum, à medio fere tempore suarum infirmitatum usque ad finem vitæ suæ, aliquatenus sumere vel glutire posset, istum tamen celestem panem quoties percipiebat, singulari quadam gratia & dulcedine facillime deglutiebat.] Hinc quantum per corporales infirmitates corporaliter deficiebat & corporalem cibum minus sumebat; tanto per hunc sanctum & supercelestem cibum amplius in spiritu confortabatur & spiritualiter vivebat. Unde & desiderium, amor & devotio ad ipsum sanctum Corpus Domini tantum in ea crescebat, quod diutius abstinere ab ejus perceptione non poterat *a* [Itaque in principio sui morbi, solebat quotannis semel in festo sancto Paschæ sacram sumere Eucharistiam; bis autem post initium spiritualium consolationum ejus: ac denique, circa mortem matris ejus expleri desiderium ejus non potuit, nisi quinies sexiesve quotannis sacro epulo reficeretur.]

...ucharistia ...e sola ...stentatur,

C

b ...videre ...tus novus ...ratus,

118 Ecclesiam Schiedammensam *b* anno circiter millesimo quadringentesimo septimo vel octavo regendam Curatus susceperat D. Andreas, Ordinis Præmonstratensis ex Marienward. Hic cum minime crederet Virginem sine corporali cibo eatenus vivere posse, ipsique per aliquot tempus Corpus Domini satis invite porrigeret, anno tandem millesimo quadringentesimo duodecimo cœpit animo concipere, quod eam tentaret, si ex sola gratia Dei, ut dicebatur, viveret. Quod quidem Angelus Domini præsentiens, ipsi Virgini nuntiare atque eamdem præmunire non distulit. Itaque circa festum nativitatis beatissimæ Virginis Mariæ, eumdem Curatum Virgo per nuntium rogavit, ut ad se deferret Corpus Domini ad communicandum eam. Qui statim venit ad ipsam, & audita ejus confessione, porrexit illi loco sacræ Eucharistiæ hostiam quamdam non consecratam, reputans quod cum illa posset contentari. Sed [frustra jacitur rete ante oculos pennarum: nam] Virgo, cum eamdem hostiam nequaquam posset insumere vel deglutire, deprehendit ex hoc certissime hostiam illam non fuisse consecratam, nec ibi contineri Corpus Domini; unde ipsam protinus expuit ex ore suo.

eam tentat per hostiam non consecratam;

119 Quod ut vidit Curatus, ipsam quasi commotus corripuit, tamquam Corpus Domini per industriam expuisset. Cui virgo respondit: O Domine, putatis me ratione privatam, ut nequeam discernere inter Corpus Domini & simplicem panem non consecratum? cum tamen Corpus Domini facillime sumam & deglutiam, panem autem simplicem nequaquam deglutire valeo sed evomo illum. Quibus verbis confusus Curatus (sciebat enim se deprehensum) surgens cum *c* Sacramento, ipsa non communicata ad ecclesiam reversus est. Remansit itaque Virgo in gravi mœrore, tum propter carentiam sacræ Communionis tum etiam propter duritiam & incredulitatem ipsius Curati: atque in eodem mœrore fuit usque ad festum Conceptionis B. Mariæ.

quam illa expuit,

c

E

120 In ipso autem die Conceptionis B. Mariæ, cum celebrarentur in ecclesia primæ Missæ, Angelus Domini de mane cum magna claritate Virgini apparuit, ita quod tota cellula ejus nimio splendore refulgeret: qui & Virginem blande consolans prædixit illi, quod in proximo Dominum salvatorem suum, pro se mortuum & in cruce suspensum, indubitanter visura esset in carne & sanguine; eo quod Curatus sic illam contristasset, simplicem panem porrigendo pro Sacramento Corporis Domini. *d* Eadem autem hora quidam aderant in exteriori camera, qui pro consilio & curatione ægrotantis pueri ad Virginem venerant, & accepto consilio jam egressi fuerant: cum autem viderent tantam claritatem in cella Virginis, putantes incendium, ingressi sunt ut illud extinguerent: quos illa consolans, excusato incendio, à se dimisit.

& promissum ab Angelo accipit

d

Christum in carne videndi;

121 Post hoc vero secunda feria ante festum S. Thomæ, quæ tunc erat immediate ante Vigiliam ejusdem Apostoli, de sero tarde inter octavam & nonam horam, iterum intravit in cellam Virginis magna quædam claritas. Cujus irradiationem cum clausis oculis occupata in exercitiis suis, sentiret; mox oculos aperiens, videbat secus pedes lectuli sui crucem quamdam, ad similitudinem & magnitudinem earum quibus inunguntur infirmi, ac in eadem cruce pendentem affixum, quasi puerum viventem in carne & sanguine, cum quinque vulneribus: quem ipsa judicabat esse verum Deum & hominem Iesum Christum, pro nobis crucifixum. Cum quo dum dulciter loqueretur & gratias ageret illi, *e* protinus is qui apparuit, quasi volens recedere, ascendit cum cruce usque ad solarium, sub quo Virgo jacebat. Tunc illa ferventi amore accensa, clamabat dicens: O Domine, si vere tu es, & jam vis recedere à me; obsecro te, ut saltem aliquod signum mihi relinquas, quo scire queam quod tu veraciter hic fueris, & unde tui recordari valeam.

qui ipsi in specie pueri crucifixi apparent

F

e

122 Statim ergo qui recessurus ascendere videbatur, descendens super eam, transformabatur quasi in Hostiam, majorem quidem iis quibus vulgus communicat, sed minorem iis cum quibus Sacerdotes celebrant, circumdatam veluti quodam circu-

pro se relinquit Hostiam quinque locis sanguineam.

PER IOAN. BRUGMAN EX MSS.

circuloso diademate ex luminosis valde radiis; pendebatque ante oculos ejus in aëre parum ultra genua ejus, supra mappam, qua pro parte erat operta. Habebat quoque eadem Hostia, ad instar Domini crucifixi, quinque cicatrices sanguineas, scilicet in manibus ac pedibus & latere dextro; atque in ipso latere erat sanguis coagulatus ad magnitudinem quasi dimidiæ pisæ. Ad cujus aspectum nimirum cor Virginis tanto gaudio tripudiabat atque saltabat, quod præ vehementia horum saltuum circa vitalia pectoris adeo angustiabatur, quod putabat se morituram: ideoque pro refocillatione illius angustiæ, quam ex tali gaudio conceperat, oportebat cor ejus manu Catharinæ, uxoris Magistri Simonis barbitonsoris honestæ feminæ, quæ tunc vocata advenerat, quodammodo refrænari, ne ex vehementia saltuum corporaliter deficeret. Porro Hostiam ipsam, quæ, ut præfertur, in quinque cicatricibus guttis sanguineis consignata erat, alii quoque nonnulli qui advenerant aperte viderunt, & præcipue pater Virginis ac etiam Wilhelmus frater ejus: sed & supradicta Catharina barbitonsoris, & neptis ejusdem Virginis, ac Margareta, ac Eckergen, *f* ac Wynen honestæ feminæ: quarum aliquæ viderunt eam in quatuor locis cruentatam, aliquæ in quinque *g*.

quam videre quotquot tunc in domo erant.

f

g

Curatus accersitus

B

123 Hæc autem cum fierent, miserat Virgo fratrem suum, significaturum Curato ea quæ accidebant: ipse vero hæc audiens non credidit, surrexit tamen è strato, & illotis manibus properanter venit. Ac primo quidem omnes è cubiculo expulit, deinde eo firmiter obserato, adjuravit Virginem per judicium Dei viventis, ut nemini quæ contigerant diceret. [Videbat quidem & ipse Hostiam eamdem, cum quinque cicatricibus sanguineis signatam; sed tamen nullatenus credidit, eam divini muneris gratia cælitus à Domino Iesu Christo ipsi Virgini, ad consolationis & devotionis incitamentum, ostensam & exhibitam; sed potius illusione diaboli, ad deceptionem Virginis procuratam.] Rogavit autem eum Virgo obnixe, ac vehementer desideravit, ut sibi hanc Hostiam porrigeret sumendam. Tunc ille, Si vis, inquit, communicare, ministrabo tibi Eucharistiam de ecclesia, quam scio veraciter esse Corpus Domini; de ista autem dubito quid sit. Sed cum Virgo instantius peteret sibi hanc Hostiam ministrari, ille tandem consentiens tradidit eam sibi; quamvis minime crederet ipsam esse alicujus gratiæ vel virtutis. At vero Virgo eam summa cum reverentia suscepit, ut verum Corpus Domini nostri Iesu Christi. [In cujus sumptione hoc mirabile sibi contigit, quod cum Hostias non consecratas vel alios panes consimiles, quantumcumque exiguos, sæpius oblatos, nullo modo potuisset deglutire; hanc tamen Hostiam facillime deglutiebat: quæ & vertebatur in ore ejus, ac deinde ad interiora dulciter transibat], per omnem modum quem experiri solebat in sumptione sanctæ Eucharistiæ.

ægre adducitur ut eam ipsi ministret,

C

124 Postera die sub sacrificio matutinali, admonuit Curatus collectum in ecclesia populum, ut pro Virgine singuli unum Pater-noster & Ave-Maria recitarent, velut quæ non satis mentis suæ compos, ea nocte fuisset diabolicis tentationibus impetita, ut ab illusione libera, constans in tolerantia permaneret. Tunc sumpto Venerabili Sacramento abiit ad domum Virginis, & multus eum populus cum admiratione secutus est. Ingressus autem in cellam Virginis, jussit ut omnes flexis genibus unum Pater & Ave recitarent, ad Dei gloriam & Virginis salutem, atque ita omnes affatus est: Scitote, carissimi, quod hac nocte fuerit hic diabolus, Virginem hanc tentans, qui apud eam reliquit profanam hostiam, quæ non erat Deus: pro cujus rei testimonio paratus sum vivus comburi: sed & pro eo quod in hoc Venerabili Sacramento vere sit Homo-Deus, in carne & sanguine. Hoc autem dare ei volo, ut deinceps diabolicis tentationibus viriliter possit resistere: vosque rogo ut rursus unum Pater-noster velitis dicere, quatenus ad animæ suæ salutem illud suscipere mereatur. His dictis assedit prope eam: quæ cœpit eum amice alloqui & dicere: Domine, non recte locutus es: neque enim quod factum est, diaboli opus fuit. Etenim priusquam id accideret curavi monendum te, quod hoc mihi Angelus Dei prædixisset, ut & tu facilius crederes: sed & alia multa secretorum meorum revelavi tibi, ut gratiæ Dei in me operanti fidem dares. Itaque te rogo, ut ne amplius dicas diabolicum tentamentum aut opus hoc esse. Post hæc Curatus, in sua opinione pertinax, Virginem hortatus est ad patientiam, eamdemque Dominici Corporis communione impertiit, & sic ad ecclesiam rediit.

publice declarans Lidwinam à diabolo deceptam,

D

eidem Christi corpus ex ecclesia defert.

125 Interim gliscere cœpit in populo tanta contra Curatum indignatio, ut non auderet ab ecclesia domum reverti. Venerunt autem ad ipsum Scultetus & Scabini civitatis Schiedammensis in cœmeterio, volentes rei quæ acciderat veritatem ab eo discere. Qui dixit, diabolum accessisse ad Virginem illudendam, ipsique Hostiam quamdam reliquisse, quam ipse Curatus igni combusserit. Sed ea cum ex Scabinis audiret populus, magis etiam indignari cœpit; & dixit eum loqui præter veritatem, prout viri ac feminæ fide digno testimonio veraciter asseverabant. Tunc reversi dixerunt Curato, populum adversus eum vehementer commoveri, eo quod veritatem celaret, ideoque suadebant ut non palam in populi conspectum veniret. Priora igitur verba sua commutavit Curatus, & dixit se Hostiam prædictam in aquas conjecisse. Crescente autem vulgi tumultu etiam extra oppidum Schiedamense, D. Ioannes de Clerck Provisor Schielandensis, & D. Matthias suffraganeus Episcopi Trajectensis, [audito tanto miraculo divinæ bonitatis circa hanc Virginem divinitus ostenso], venit Schiedam circa idem tempus, cum aliis quibusdam viris honoratis & industriis, certius scire cupiens rei veritatem: ipse enim Dominus Episcopus dicebat, quod ad hoc esset in somnis admonitus. *h*

hinc contra Curatum plebs commovetur,

E

qui non volens reddere asserit ratio nem,

h

126 Hæc videns Curatus, conturbatus est animoque dejectus: & quia nullum satis utile sibi ipse poterat invenire consilium, clam misit ad Virginem, qui pro amore Dei supplicarent, ut ignorantiam suam prudenter excusare, ipsumque è præsenti periculo vellet eximere. Episcopus autem & Provisor, assumpto secum Curato multum lacrymante, in comitatu multorum Ecclesiasticorum & laicorum, iverunt ad sacram Virginem, volentes ex ea veritatem discere. Verum negavit illa dicturam se quidquam, nisi imposita sibi per expressum Episcopi mandatum loquendi necessitate, obtentaque ab ipso & cunctis circumstantibus per Dei judicium adjuratis fide, quod nemini quamdiu esset in vivis revelarent hujus sui secreti mysterium, neque Curato suo id unquam fraudi esset, sive in corpore sive in honore suo vel officio: sed quidquid fassura esset, velut Confessionis sigillo obsignatum haberent. Quod cum Episcopus & Domini omnes promisissent, rogavit Virgo, ut ad leniendam Curati verecundiam, laici omnes exesse juberentur.

auxilium petit à Lidwina:

F

hac Curati impunitatem pacta,

127 Tum Virgo, præfata quod esset parata mori in testimonium veritatis, quam esset palam elocutura, dixit; Dominus noster Iesus Christus hic in fine lectuli spectabilis mihi adstitit in carne & sanguine,

rem omnem Suffraganeo aperit,

A sanguine, formam habens pueri crucifixi, cum cicatricibus quinque & splendore magno. Cum autem mihi videretur discessurus, sic ad eum locuta sum: O Domine mi, si prorsus hinc abire certum est, relinque mihi signum aliquod memorativum tui. Tunc rursum descendens ille ad me, commutavit sese in formam Hostiæ, minoris paulo quam Sacerdotalis, intraque pectus ac genua mea stetit erecta; quam volenti mihi sumere D. Andreas Curatus dedit. Quare vos rogo indulgete ei, siquid perperam dixit aut fecit. Hæc illa cum dixisset, advocati sunt, coram magistratu Schiedamensi, Pater & frater Virginis & aliæ prædictæ mulieres, firmiterque sub attestatione jurisiurandi asseverarunt ita esse, sicut per Virginem audierant; sesesque oculis suis eamdem sacram Hostiam, in quinque locis, ut præfertur, cruentatam, certissime vidisse. Acta sunt hæc in anno millesimo sexcentesimo duodecimo, feria sexta post festum S. Thomæ, id est ante Vigiliam Nativitatis. [Idem autem suffraganeus Deum magnifice collaudans, de tam ineffabili pietate divina huic Virgini in tam mirifico signo exhibita, mappam ipsam, super quam eadem sacra Hostia divinitus apparens jacere visa fuit, in usum altaris ac celebrationis de cetero habendam, ob reverentiam tanti signi consecravit.] *i*

qui auditis testibus miraculum probat.

B *Ex hinc ad frequentiorem Communionem Virgo accenditur,*

128 Eodem anno, scilicet ex vehementia doloris, particulatim evomuit pulmonem & hepar cum pluribus intestinis [sicut dictum est supra Capitulo v] & brachium ejus dexterum quasi solutum fuit à junctura scapulæ, de quo infra dicetur. Post hæc; [sicut habebatur in littera Rectorum civitatis Schiedammensis conscriptum] tanto amore divino & desiderio sacræ Communionis cor hujus Virginis accendebatur, quod pluribus annis per omnem quindenam sumeret venerabile Sacramentum Eucharistiæ de manibus Sacerdotis: quem etiam ad hoc multa oportebat uti subtilitate & providentia, quod alias non potuisset illud insumere vel deglutire: postea porrigebat ei parum aquæ pro ablutione, qua etiam tantam difficultatem patiebatur in gutture, quod vix poterat eam deglutire. Interdum tamen non porrigebat ei aliquam ablutionem, propter nimiam difficultatem, quam exinde patiebatur. Et hic quidem status Communionis ejus fuit usque post annum Domini millesimum quadringentesimum vigesimum primum. Ab hinc autem usque ad mortem suam, communiter patiebatur febres quartanas, & interdum quotidianas, pro sublevatione animarum in purgatorio. Quo tempore tanto divino amore flagrabat, quod communiter, quando quartanæ febris accessum non patiebatur, duobus diebus conjunctim communicabat, de manibus Confessorum suorum, scilicet D. Ioannis Angeli de Dordraco & D. Ioannis Walteri de Leydis.

quam deinceps sumpsit quoties libera erat à febri, C

maxime tempore desolationis.

129 Interdum quoque tempore subtractæ solitæ divinæ consolationis, quæ sibi erat refectio tam corporis quam animæ, in tantum corpore debilitabatur, quod propterea, quasi sine refectione spirituali subsistere etiam corporaliter non valens, pro sustentatione utriusque, corporis scilicet & animæ, hoc sacrosanctum Dominici Corporis epulum (quando, sicut dictum est, non patiebatur accessum febrium) crebrius sumebat. In cujus sumptione tanto divino lumine frequenter intrinsecus illuminabatur, quod quemadmodum corporalibus oculis corporalia, ita & ipsa hoc supercælesti perfusa lumine, omnia sua interiora oculo mentali perspiciebat. Hoc & ceteris temporibus frequenter ei contingebat in præsentia luminis contemplativi: unde postea tempore derelictionis & ariditatis suæ, cum hanc illustrationem per divinam dispensationem non sentiret, memor præteritorum dierum suorum cum gemitu dicere solebat: O ubi sunt nunc dies illi, in quibus interiora mea interno oculo, sicut corporalia corporali oculo solebam intueri. [Sicque perficiebatur in ea quod scriptum est: In die bonorum ne immemor sis malorum: & in die malorum ne immemor sis bonorum.]

Quomodo intus per eam illustratur,

AUCTORE GODEF. DE LICHT.

Ecli. 11, 27

ANNOTATA.

a *Reliqua hujus numeri non deficiunt in Vita Belgica, sed econtra ex illa huc translata sunt.*

b *Annos etiam hic & paulo post notatos, accepimus ex eadem Vita.*

c *Non illo ficto, quod evomuerat Virgo: sed vero plures enim hostias in hierotheca deferre Curati solent quoties ad agros Eucharistiam ferunt, tum in omnem eventum alterius quæ occurrere per viam posset necessitatis, tum ut habeant secum quod obviam venientes redeunti adorent.*

d *Addit Vita Belgica:* Quod Virgo continuo jussit significare Curato, ut deinceps melius crederet gratiam Dei, in se mirabilia operantis.

e *Addit eadem.* Sedebat pater Virginis, cum hæc fiebant, ante cellam ejus observans illam: itaque ut videret, quis cum illa loqueretur ingressus est. Tum vero sursum ad solarium &c. *ac Paulo post,* Patre autem ejus ingrediente in cubiculum quærenteque num quid vellet, respondit dicens: Amove te à lecto, care pater: habeo hic enim jacentem juxta me Dominum crucifixum. Surrexit autem ille admodum stupefactus, & ante ipsam vidit positam Hostiam. E

f *Id est* Agatha ac Wivina: *& huic ultimæ soli tribuit Vita Belgica Hostiam quinque locis cruentam vidisse, aliis cruentam videntibus tantum in locis quatuor.*

g *In eadem Vita, tota, quæ sequitur, historia distinctius multo & prolixius narratur, idioque ipsam hic Latinam facere, atque inserere maluimus; ejus, quam alioqui sequimur, Vitæ contextu huc ad notas rejecto, qui est talis:*

Porro Curatus prædictus, à Virgine per Nuntium accersitus, videbat quidem & ipse Hostiam eamdem, ... sed tamen credidit . . . . deceptione diaboli, ad deceptionem Virginis, procuratam: quod & publice coram multis hominibus non est veritus pertinaciter affirmare. Ob quam etiam caussam maximam civium pariter & Rectorum ac totius populi Schiedamensis, ad quos rumor tanti miraculi jam pervenerat, indignationem incurrit, ita quod in publicum vix audebat procedere: indignabantur enim omnes, & juste quidem, quod tantum Dei domus ipse diaboli ludificationibus ausus fuisset adscribere. Sed & ipsa quoque Virgo secretius eum ac benigne super hoc corripuit dicens, eum male fecisse taliter loquendo vel sentiendo de tanto Dei munere, illud satanæ operationibus deputando. Rogavit autem eum Virgo obnixe ac vehementer, ut sibi hanc Hostiam porrigeret sumendam. *Deinde post paucis expositam sumptionem ipsius Hostiæ, sic prosequitur hæc eadem Vita.* Preterea Domnus Mathias suffraganem Episcopi . . . venit in Schiedam . . . . Cum ergo assumptis secum pariter nonnullis religiosis ac secularibus viris, intrasset ad Virginem, & ab ipsa prout requirebat de veritate signi supramemorati idonee ac veraciter informatus fuisset; simul etiam aliis tam viris quam feminis fide dignis asseverantibus ita esse . . . . Deum magnifice collaudans . . . . mappam supra quam Hostia jacere visa fuit in usum altaris consecravit. F

h *Vita 1,* Quinque vel sex vicibus per somnum dixit vocatum se & monitum ut iret in Schiedam.

i *Hactenus Vita Belgica, nisi quod ex Latina compendiosius, ut diximus, rem totam referente, accepta sint verba [ ] inclusa, quæ in Belgica non reperiebantur.*

PER IOAN. BRUGMAN EX MSS.

CAPUT XII.

Alia Dei opera circa S. Liduinam usque ad mortem ejus.

C. XXXIV *Adjurata explicare Incarnationis mysterium*

130 Eo tempore, quo, sicut prædictum est, Hostia sacramentalis apud hanc Virginem reperta fuerat, erat quidam Doctor sacræ theologiæ in civitate Trajectensi, de domo Ordinis Fratrum Prædicatorum: qui cum hoc tam mirabile quam alia plura, quæ circa eam fiebant, audisset & indies audiret, atque hæc à diversis diversimode interpretari; nec tamen, eo quod sale discretionis esset conditus, auderet parti negativæ consentire; [quemadmodum quondam Regina Saba ad Salomonem, ita iste] ut de iis certificari posset, venit tentare eam in ænigmatibus. Ingressus igitur in cellam ejus, inter cetera colloquia interrogabat eam, per quem modum factum fuerat à beatissima Trinitate opus Incarnationis Verbi. Cumque illa, utputa in vera humilitate fundata, latere malens quam se ostentare, multiplici excusatione & verborum circumvolutione id se nescire quodammodo affirmaret; ille eam adiuravit per tremendum Dei judicium, quatenus, si nosset, veritatem non taceret. Tunc Virgo vehementer lacrymata, adeo quod etiam Fratrem illum ad lacrymas provocaret, similitudine convenientissima mirabilem hanc operationem, necessitate compulsa, declarabat.

B

aptissima similitudine sensum suum aperit.

131 Sumebat autem similitudinem hanc à corpore solis, quasi ex ipso sole tres distincti radii procederent, qui in unum radium per unitionem redacti, circa ipsum quidem solem latitudine amplissima diffusi: extremitatem suam in subtilitatem acuminis sive radium acutum ad modum lanceæ terminantes, mediante ipso acuto radio sive acumine domus interiora penetrarent. Per solem igitur intelligebat summam & æternam Deitatem; per tres radios à sole procedentes, operationem trium Personarum in Verbi Incarnatione; per unitionem trium radiorum in unum radium, identitatem & inseparabilitatem operationis significari dicebat trium divinarum Personarum in ejusdem Verbi Incarnatione: acumen horum radiorum, sive acutum radium ex tribus conjunctis radiis procedentem, appellavit personam Verbi sive Filii incarnati, cujus Incarnationem tres divinæ Personæ inseparabiliter sunt operatæ; qui & ad interiora virginalis uteri penetrans, de purissima substantia illius sumptam particulam sibi in unitate personæ univit. Quo audito Prædicator ait, se numquam quidem talem similitudinem in Scripturis legisse vel reperisse, verumtamen hanc Christianissimam fore: & ideo non audebat de cetero de hac Virgine, nisi quæ recta sunt & bona, dicere vel credere aut cogitare, tamquam de vera famula Dei. Rogabat autem eadem Virgo Fratrem prædictum, ne quod ipsa ei dixerat, alicui, quamdiu ipsa viveret, revelaret.

C

C. XXXV *Pestilentia laborans,*

132 Post ea quæ supra dicta sunt de Hostia, quæ apparuit super lectum hujus Virginis, & pauco tempore ante mortem D. Andreæ Curati in Schiedam, de quo supra dictum est, eadem Virgo infecta erat morbo epidemico pestilentiali, multique ex eadem peste tunc temporis ex dicta civitate moriebantur. Quadam ergo vice, desiderio sacræ Communionis accensa, mittebat fratrem suum Wilhelmum ad ecclesiam, supplicans quatenus adduceret Curatum cum Sacramento, ut eam communicaret. Qui quamvis sciebat eam infectam præfato morbo (habebat enim tunc in brachio suo duo vel tria ejusdem pestis apostemata nigra) nihilominus tamen venit cum Sacramento: ingressusque cellam ejus, resedit circa lectum ejus, ut audiret confessionem ejus: qua audita, tradidit ei Corpus Domini. Deinde conversa Virgo videbat, qualiter idem Curatus obstruebat os suum & nares, quasi timuisset ab ea infici. Dixit ergo ei: O Domine, nec vos nec alius quispiam suscipiet mortem occasione mei. Cui respondit Curatus, Carissima filia, utinam tamdiu vivere possem, donec viderem terminum vitæ tuæ. Cui illa ait: Domine, vos non videbitis finem vitæ meæ, sed ego brevi videbo finem vestrum: quapropter supplico, quatenus vos ita disponatis, sicut ante tribunal Domini vultis apparere.

D

Curato suo prædicit, quod sit ante ipsam moriturus;

133 Erat tunc Curatus sanus, nec quidquam sentiebat infirmitatis, & ideo non ponderabat verba Virginis. Modico autem transacto tempore cum incurrisset infirmitatem, recordatus est verborum ejus; & mittens unum de amicis suis, supplicabat quatenus sibi dimitteret quæ contra eam commiserat (sciebat enim se non egisse cum ea sicut debuerat) atque ut pro se oraret ad Dominum, quatenus sibi quæ saluti suæ necessaria erant, concederet. Tunc Virgo, quæ semper ex corde compatiebatur hominibus & specialiter infirmis, demandavit ei quatenus se per veram Confessionem præpararet, & ut injusta quæ in domo sua habebat Dominis ac possessoribus suis restitueret. Qui excusans se cum remandasset, se nihil injusti in domo sua habere; illa rursum demandans, ostendit ei loca in quibus ea reposuerat, & personas quibus pertinebant; supplicans insuper quatenus eisdem sua propria quæ abstulerat redderet, si vellet habere partem in regno Dei. Erat autem idem Curatus, ut dicebatur, ita infectus avaritia, quod parvipendens verba Virginis nolebat injuste possessa restituere; atque sic tam cum isto peccato quam cum aliis defunctus est. Post hæc more sibi solito rapta fuit hæc Virgo ad loca, in quibus animæ tormenta suis peccatis debita patiebantur: ostenditque sibi sanctus Angelus ductor suus, in quibus & qualibus pœnis prædictus Curatus erat constitutus, & quomodo dæmones animam ipsius de pœna ad pœnam projiciebant, [sicut in libro Job scriptum est, Ibunt ab aquis nivium ad calorem nimium.] Successit autem huic D. Andreæ D. Ioannes Angeli de Dordraco, ejusdem Conventus & Ordinis, [de cujus conversione & morte supradictum est Capitulo xxx.] a

frustraque de restitutione admonitum

E

videt in inferno torqueri,

Iob 24,19

C. XXXVI *Ad priores ejus infirmitates,*

134 [His & aliis quamplurimis signorum prodigiis, pro divinitus inflicto sibi vulnere præfatarum tribulationum, à misericordi Patre coram hominibus est glorificata: tales quoque vicissitudines gratiæ spiritualis, hominibus ignotæ, pro relevatione earumdem infirmitatum experiebatur per annos fere viginti quatuor ante mortem suam, videlicet usque ad annum Domini millesimum quadringentesimum trigesimum tertium, ante Purificationem beatæ Virginis, quæ erat terminus trigesimi octavi anni ab exordio ægritudinum suarum.] Ab hoc autem tempore, scilicet circa festum Purificationis beatæ Virginis, usq; ad festum Paschæ, cum aliis infirmitatibus quas prius habuerat, tanta molestia calculi, quantitatem ovi columbæ (ut ipsa dicebat) habentis, gravabatur, quod ipsa dicebat, quod idem calculus mortẽ sibi erat allaturus. In tantum enim molestia illius calculi angustiabatur, quod frequenter duabus vel tribus vicibus in una hora quasi exanimis jacens, non poterat loqui. Qua angustia cessante, & cum vehementi dentium stridore & morsu ad invicem, absque tamen verbis impatientiæ, vix transacta, paucissimis verbis uti poterat. Eo quoq; tẽpore divinitus ita raro visitabatur per internas consolationes, quod se D. Ioanni Confessori suo quodammodo derelictam à Domino, præ solito, cum multis lacrymis conquerebatur.

F

accedit molestissimus calculus.

135 Ha-

A *quo citosè extinguendam pravidens,* 135 Habebat autem apud se filium fratris sui, Baldewinum nomine, puerum duodennem, fere continue sibi ministrantem: qui ut memoria retineret quæ circa eam, scilicet amitam suam, fiebant mirabilia; tali gratia & miraculo procurabat ei infirmitatem, per quam, ut ipsa dicebat, recordaretur eorumdem mirabilium. Utebatur idem puer amphora, ex qua solebat libere. Circa festum igitur Nativitatis beatæ Virginis, hoc præsenti anno obitus sui, præcepit hæc Virgo eidem puero de vespere, ut amphoram ipsam semiplenam tenui cerevisia in cella sua circa lectulum ejus collocaret. Quod cum ille fecisset, ipsa Virgo facto mane puerum advocans, præcepit illi tollere amphoram & bibere. Cum ergo accepisset, invenit eam plenam novo quodam poculo, divinitus præparato, quasi ex mixtura cynnamomi & aliarum specierum suaviter redolentium confecto. *nepotulo suo febrim immittit,* Sicut autem hæc sancta Virgo, secundum multitudinem tribulationum quibus quotidie flagellabatur, divinis etiam consolationibus refovebatur; sic è converso prædictus puer, accepto & potato quantum volebat de prædicto poculo, statim eodem die cœpit languere, & successive diversis febribus inquietari, usque circa natale B. Martini Episcopi ejusdem anni.

B *per potum miraculosum aliisque innoxium.* 136 Ex eodem quoque poculo miraculoso diversi potabant, non tamen incurrebant aliquas infirmitates, sicut puer præfatus. Similiter & diversi liquores, in prædictam amphoram *b* missi, potantibus saporem præfati suavissimi poculi præbuerunt. Curato autem prædicto puero à febribus suis, D. Ioannes Confessor hujus Virginis incidit in febres quartanas; quas & eodem die, quo ipsa Virgo, easdem sustinebat, patiebatur. Quo tempore naturalis soror D. Ioannis, Sela *c* nomine, interrogabat hanc Virginem, quamdiu febres fratris sui essent duraturæ. *Confessori suo vitam impetrat longiorem;* Quæ respondit, eum ab his liberandum fore Dominica prima Quadragesimæ anni sequentis: quod & factum est. [Retulit ipsa sancta Virgo pluribus annis ante obitum suum cuidam Fratri Ordinis nostri, scilicet Minorum, sic tamen quod ille quamdiu ipsa viveret nemini diceret; qualiter videlicet cum idem D. Ioannes gravi infirmitate usque ad mortem laboraret, ipsa precum suarum instantia eidem & mortis dilationem & vitæ prolongationem impetravit: diligebat enim eum cordiali affectu, quippe quem sibi secundum Deum satis unanimem experta fuerat.]

C *indicat se in Paschate morituram,* 137 Ipsa autem sancta Virgo continuabat infirmitates suas usque ad mortem: quam & longe ante præscivit. Nam & Prior quidam ab eadem demandatus cum venisset ad eam sabbato in Quinquagesima ejusdem anni, scilicet in profesto Cathedræ B. Petri Apostoli, sequenti die summo mane, circa quartam horam ejusdem Dominicæ, admonebat D. Ioannes eumdem Priorem, ut intraret cellam ejus, si quid gratiæ spiritualis circa eam vellet experiri. Cum ergo cellam ipsam intrasset, tantam in ea fragrantiam suavis odoris sensit, quam ipsa beata Virgo, pro tunc à Domino visitata & ad loca cælestia deducta, reportaverat, quasi in eadem cella diversæ species aromaticæ repositæ fuissent. Post mutuum itaque colloquium habitum de iis propter quæ venerat, recessurum Priorem admonuit ipsa Virgo, quatenus in diebus Paschalibus ad se rediret, ad conferendum adhuc de eisdem; postulans ab eo, quod si non inveniret eam, oraret pro ea. Ex quibus verbis satis patet, hoc eam de morte sua dixisse, licet ejusdem mortis mentionem non fecerit.

138 [Inter alias res admirabiles quas hæc sancta Virgo solebat videre in paradiso, vidit ante mortem suam ter vel quater in anno rosarum plantam; exilem primum, sed progressu temporis valde excrescentem, sub qua solebat requiescere: de qua arbuscula dicebat ei Angelus, non prius quam percrevisset & rosæ ejus omnes ad maturitatem venissent, ipsam Virginem morituram. Id cùm ex ea intellexissent D. Ioannes Walteri Confessarius ejus & vidua Catharina prædicta, hæc eam sæpe interrogabat, numquid jam maturuissent omnes ejus rosæ; nec aliud responsi referebat, quam adhuc multum deesse. Ast tribus ante obitum mensibus dixit Virgo, jam plene adultam videri arborem, omnesque ejus rosas esse apertas, ideoque sperare se quod non diu esset futura in vivis: prout reipsa contigit], *d* PER IOAN. BRUGMAN EX MSS. *quod cælo matura esset in visu edocetur.*

d & in ultimo suo raptu, 139 Adveniente autem solennitate Paschali, in ipsa sancta nocte Dominicæ Resurrectionis, circa quartam horam, prædictus D. Ioannes *e* Confessor ejus ingressus ad eam, tam ex odore manuum ejus quam ex verbis ipsius animadvertit, quod fuerit more solito ab Angelo sancto visitata: [tantam enim, ut mihi dicebat, apud eam suavitatem sentiebat, quod putabatur diversorum aromatum unguentis peruncta. *audit cælestia Alleluia,* Super quo cum ille, ei congratulans, Domino gratias ageret,] ipsa ad se reversa, post tunc habitam visitationem, fatebatur se divinitus quidem consolatam, pœnas tamen asserebat sibi gravissimas instare, quas per eadem festa Paschalia erat passura. E Dicebat quoque se in eadem nocte audivisse in cælis Alleluia cantari, ac sperare, quod idem Alleluia cum cælestibus civibus breviter in majori gaudio & consolatione esset cantitura; leviusque se habituram ab illis gravaminibus, postquam festa transissent. Quod etsi putetur dixisse ac prædixisse de morte sua, non tamen indicavit se breviter morituram. Singulis tamen diebus dicebat, quod pœnæ, quas illis tribus diebus, scilicet ipso sancto Paschæ die feria quoque secunda & tertia patiebatur, non diu essent duraturæ: sicut postea rei probavit eventus.

ANNOTATA.

a *Addit Vita Belgica,* qui Virgini admodum benevolus & officiosus extitit.

b *Addit eadem:* per integram septimanam.

c *Id est* Cæcilia, *Brabantis* Celi.

d *Visio & prædictio, hoc numero relata, accepta est ex Vita Belgica: quam merito miramur in hac auctiori Latina omissam fuisse: quo fit ut etiam apud Kempensem desit.*

F e *In Vitam 1 error irrepsit, ubi pro,* D. Ioannes Confessor ejus, *ponitur,* D. Ioannes prædictus Prior.

CAPUT XIII.

De morte ac sepultura S. Lidwinæ, & miris circa eas notatis.

140 FEria autem tertia infra octavas Paschæ, rogabat D. Ioannem Confessorem suum, de mane ad se ingressum, quod nec ipse nec aliquis diligentium se visitaret eam ipso die: quod & factum est, excepto præfato puero Baldewino, qui ipsi usque ad mortem serviebat. *c. XXXIX* *Iussis omnibus exesse* Itaque à septima fere hora ejusdem diei de mane usque circa horam quartam post meridiem, qua moriebatur, fere viginti vicibus vomuit materiam satis viridem, quam de felle putabat exivisse. Dixit autem mihi præfatur Confessor ejus, quod, per quatuor vel quinque annos ante mortem ejus, audiverat eam Dominum rogantem, quod non nisi se solo & ipsa sciente *sola, ut petierat, moritura,*

PER IOAN. BRUGMAN EX MSS.

moreretur; quodque pœnas & infirmitates suas multiplicaret, diesque suos abbreviaret, & horam mortis suæ acceleraret. Quod & factum est: nam omnibus absentibus [& prædicto D. Ioanne legente Vigilias pro Matre Sororum de Schiedam, die præcedenti circa horam Vesperarum defuncta], obiit.

post magnas angustias, 141 Dum autem frequentes illos vomitus, sicut prædictum est, pateretur; præfatus puer porrigebat ei testam, in quam vomebat, & effusa per vomitum exportabat. Adeo autem angustiabatur in ipsis vomitibus, quod conquerendo dicebat puero, ministro suo: Carissime fili, utinam sciret Dominus meus quantum gravor. Dicebat autem hoc de prædicto D. Joanne Confessore suo. Cumque turbatus interrogaret eam, an D. Ioannem vellet advocari; tandem adveniente ultimo vomitu, tantam in eo difficultatem patiebatur, quod materiam in gutture collectam non valens ejicere, cœpit ex ea suffocari. Quod cernens præfatus puer, suspicatus eam statim morituram, flens cucurrit & nuntiavit D. Ioanni ac ceteris domesticis. Qui cum similiter flentes accurrerent, invenerunt eam jam agonizantem. Tunc D. Ioannes, apprehensa manu ejus, petiit ab ea signum an viveret, vel an vellet inungi. Cumque illa reticeret, accenso lumine ac mediante lucerna applicato à posteriori parte capitis ejus (putabat enim eam adhuc vivere, & ideo non posse sufferre lumen) invenit eam jam defunctam. Ab instanti autem quo ultimo loquebatur usque ad exspirationem ejus, vix intercessit tantum temporis, quo bis vel ter Psalmus, Miserere mei Deus, legi potuisset.

invenitur subito defuncta;

B

14 Apr. 1433. 142 Obiit autem XVIII kalendas Maji, videlicet feria tertia infra octavas Paschæ, post Vesperas, circa quartam horam, anno Domini millesimo quadringentesimo trigesimo tertio, ætatis vero suæ anno quinquagesimo tertio, [qui secundum cursum festivitatum completus fuerat in die Palmarum ante mortem ipsius. Et convenienter satis in festivitate Paschali obiit, ut quæ particeps fuerat passionum Christi, etiam cum Christo, in sancta festivitate Resurrectionis ejus, ad æternæ vitæ gaudia transiret. Obiit vero completis ab exordio ægritudinum suarum triginta octo annis, in principio anni trigesimi noni.]

CAP. XL *& brachium, quod pene immobile fuerat,*

C

143 Post mortem autem ipsius, mirabilia quædam inventa sunt circa eam. Nam per multos annos ante mortem ejus, dexterum brachium ipsius omnino mortuum erat, ita quod non poterat illud movere; adhærebatque junctura scapulæ ipsius, ut putabatur, mediante unico nervo vel consimili modo satis debili. Quo tempore intrabat ad eam chirurgicus quidam, fama mirabili, quæ de ipsa volitabat, attractus. Qui [consideratis circumstantiis ejusdem brachii & divina confisus misericordia, dicebat se scire remedium pro curatione ejusdem brachii; sic tamen quod oporteret eam pro læsura superiori ipius brachii, recipere aliam inter cubitum & manum ejusdem brachii. Quod cum illa gratanter acciperet (malebat enim salva voluntate divina læsuram habere à chirurgico prædictam, quam antiquam, ut saltem aliquo modo posset uti manu illa) chirurgicus supradictus] superposuit illi juncturæ duo emplastra, de balsamo, ut creditur, confecta: quibus eadem junctura successu temporis est solidata. [Habebat quoque fracturam in inferiori labio oris, de qua supra dictum est Capitulo VII: quæ etiam duobus aut tribus emplastris ex eodem unguento curata est.]

statui naturali redditur,

144 Suscepit autem pro primo incommodo brachii aliam læsuram, sicut chirurgicus prædixerat, inter cubitum & manum ejusdem brachii: adeo tamen molestam, quod ipsa idem brachium dextrum sive manum ejus, cum sinistra manu sua apprehensum, difficillime poterat movere. Solita tamen erat dicere, se sperare quod adhuc ante mortem suam Deum erat laudatura cum utroque brachio extenso: quod & factum fuit, sicut apparuit post mortem ejus. Nam [cum brachium ejus dextrum multis annis immobile jacuisset, nec nisi vix per tres homines moveri potuisset; postea autem per translationem læsuræ aliquantum mobile factum fuisset: post mortem tamen ejus nudato corpore, contra omnem spem, & nemine sciente quomodo id factum fuerit], inventa sunt ambo brachia ejus quasi complicatis manibus & digitis circa pectus ejus; unum videlicet brachium cum manu ejusdem ab una parte pectoris, & aliud cum alia manu ad alteram partem pectoris, digitis utriusque manus incurvatis.

D *(prout ante mortem futurum speraverat)*

CAP. XLI *cingulum cilicinum mirabiliter ablatum.* 145 [Sicut supra dictum est Capitulo IX] multis annis ante mortem suam; videlicet fere triginta annis, usa fuerat ad carnem pluribus cilicinis cingulis; quorum ultimo, à præfato D. Ioanne comparato, circa triennium accincta fuerat. Cum ergo defuncta esset & nudata, ut pro sepultura revestiretur, invenit idem D. Ioannes & qui cum eo aderant, circa scapulas ejus prædictum cingulum cilicinum, solutum quidem à corpore ejus, modo hominibus ignoto; sed integrum, & rotundum, & non solutum à vinculis ligaturæ ejus. Petierat etiam, multo tempore ante mortem suam, à sæpe dicto D. Ioanne, quod non pateretur eam post mortem suam longam facere moram super terram; sed statim procuraret eam vestiri & sepeliri secundum modum ab ea dispositum. Quod cum ille libenter fecisset, exigente tamen violentia Rectorum civitatis (præceperant enim sub pœna bonorum & capitis, ne eam de loco moveret) corpus remansit in straminibus, sicut fere per viginti annos jacuerat vivum, usque mane feriæ quartæ; quando erat more solito vestitum & in sarcofago ligneo reconditum, ac in eodem loco ubi jacuerat repositum.

E

Obstantibus ne statim sepeliatur Rectoribus urbis,

146 Vestitum vero est idem corpus venerabile, more religiosarum Sororum, in tunica lanea, desuperque accinctum cingulo cilicino, cujusmodi in vita ad carnem uti solita erat: posito supra caput ejus pileo sine mitra quadam de *a* franceno, in cujus ambitu cum incausto nigro scripta erant gloriosa nomina, IESUS & MARIA, pluries; quorum radiis corda depicta, quasi jaculis sive sagittis transfixa erant. [Hæc autem omnia, scilicet sepulturæ suæ necessaria, pluribus annis antea circa se præparaverat, sicut supra dictum est Capitulo XXVI *b*]. Sub capite vero ipsius, [sicut desideraverat] positus est sacculus quidam cum lacrymis ejus sanguineis, suaviter redolentibus, quas rosas appellaverat: [quas ex oculis ipsius successu temporis defluentes, & super genas ipsius coagulatas, D. Ioannes Confessor ejus, cum communibus lacrymis emollirentur, abradens, in sacculo reconditas, in scrinio penes se reservaverat.]

corpus decenter induitum,

a

F

b

CAP. XLII *& omnibus morbi vestigiis abolitis speciosissima* 147 Prædixerat vero, quod, sicut omnes ceteri, cum maximis pœnis moreretur, & quod nulla contingerent miracula in ejus morte: quod & factum est. Facies tamen ejus nullum mortis pallorem seu colorem prætendebat; sed quasi oleo vel vernicio *c* linita fuisset, tanto splendore & recenti albedine radiabat, ut neque facies communis hominis mortalis aut defuncti mortalis videretur; sed, ut aspicientes dicebant, quasi similitudo hominis glorificati: aje-

c

A

atque integerrimum,

ajebant enim numquam tam speciosam imaginem vidisse. Unde licet multi pluries accesserint ad eam videndam, tamen, ut dicebant, non poterant ejus aspectu satiari. Similiter & totum corpus ejus eadem albedine similique splendore radiabat, prout à sorore præfati D. Joannis, Sela nomine, accepi: tantaque gratia sanitatis & decenti carnositate refulgebant omnia membra ejus. Fractura videlicet frontis ejus [de qua supra dictum est Capitulo VII,] pedes quoque & crura, manus & brachia, collumque rugosum, ac totum corpus ita integrum apparebat, quasi numquam quidquam infirmitatis in eis fuisset vel læsuræ; excepto quod in vulnere seu læsura dextri brachii ejus, & in uno vulnerum quæ sibi Picardi intulerunt, cicatrices parvæ ad modum fili apparebant. Habebat autem prædictus D. Joannes tres naturales sorores, quæ dum cum aliis quibusdam hoc venerabile corpus custodirent, ex aspectu illius & præsentia, tanta gratia replebantur, quod toto hoc tempore, videlicet à transitu illius usque ad sepulturam, nec fame nec siti nec somnolentia gravabantur; sicut à præfata Sela accepi, quæ erat una ex eis.

B

CAP. XLIII *magno undique concursu visitur,*

148 Comperta autem morte illius, ac fama gloriæ corporis ejus, de qua prædictum est, longe lateque volante, toto hoc tempore quod intercesserat à transitu ejus usque ad sepulturam, etiam usque ad mediam noctem, tantus concursus hominum fiebat ad eam de Rotterdam, de Delft, de Leidis, & de Brielis, ac de aliis circumjacentibus civitatibus & villis, quod, propter diversitatem taxantium eorumdem numerum, non audeo millium numeros explicare. Pueri quoque trium aut quatuor annorum, quasi ad ambulandum procincti, tam affectuose currebant; quod etiam homines provectæ ætatis incitabant ad visitandum tantas Reliquias. *etiam puerorum:* Ingressi autem domum, in qua funus erat, quia statura pusilli erant nec erigere se poterant, ut corpus sanctum in lecto vel in loco in quo positum erat viderent, vociferantes quam plurimi dicebant, Nonne ego videbo Virginem hanc, pro qua videnda de Rotterdam vel Delft, &c. veni? Tunc adstantes levaverunt eos ad videndum eam, ac postquam vidissent, cum eleemosynis albi panis remiserunt ad propria. Sed & matrona quædam cum parvulo suo, ætatis unius anni & trium mensium, cum advenisset; infantulus ille, manibus complicatis & facie ad funus conversa, oculos suos ita reverenter & seriose in illud retorsit, quod ii qui ipsum funus custodiebant, devotionem infantuli videntes & admirantes, movebantur in lacrymas.

C

CAP. XLIV *sed ad contactum immunda personæ aliquid splendoris amittit.*

149 [Propter patientissimam tolerantiam eorum quæ continuo patiebatur, & quotidianam cum sanctis Angelis familiaritatem, atque in cælestibus conversationem, ad tantam hæc beata Virgo puritatem pervenit, quod quemadmodum qui tangit picem inquinabitur ab ea; ita & ipsa immundorum hominum manibus plerumque attrectata, visibiliter maculabatur. Nam cum adhuc ipsa vivente nonnumquam talium manibus manus ejus tangerentur, per biduum vel triduum nigræ maculæ, prius in ea non visæ, in manibus ejus remanserunt. Sic & post mortem ipsius, cum, sicut dictum est, facies ejus tanto splendore radiaret; accedens quædam femina cum aliis visitationis gratia, quinquagenarium suum, quod vulgo Pater-noster dicitur, super faciem ipsius ex devotione, ut putabat, circumduxit: statimque illa facies ex illo contactu successive notabiliter est obscurata. Quapropter cum corpus ejus in ecclesia positum, ad adstantium aspectum, per apertionem sarcofagi, postularent quidam manifestari; ceteri, qui hujusmodi noverant, aperiri prohibuerunt; timentes ne, si amplius obscurata fuisset, alii scandalizarentur.]

PER IOAN. BRUGMAN EX MSS.

CAP. XLV *Sepelitur feria 6 post Pascha.*

150 Tandem feria sexta infra prædictas octavas Paschæ, quarta videlicet die transitus sui, post celebrata devotissime solennia Missarum diei, sepulta fuit, hora duodecima in meridie [(exemplo Salvatoris, qui completo cuncto mysterio redemptionis humanæ, feria sexta parasceves in meridie, defunctus fuit, & eodem die advesperascente sepultus) suadente & adhortante populum Priore, de quo Capitulo XIII XXXVIII dictum est, ut pateretur eam sepeliri, atque ab eodem sarcofago ante sepulturam firmiter obserato.] *honesta in tumba supra terram,* Sepulta est autem in Australi plaga cœmeterii ecclesiæ S. Joannis Baptistæ in Schiedam, in fossa, desuper opere lapideo à cæmentariis operta: nec fuit sanctum corpus ejus terra desuper opertum, nec etiam inferius terram tetigit, sed positum erat super trabes quasdam sive ligna in fossæ latitudinem intrinsecus extensa. Petierat enim ante mortem suam, ut quemadmodum ipsa in triginta annis terram non tetigerat, ita nec ipsam defunctam terra tangeret aut operiret. Superior autem pars sepulcri ejus, quæ scilicet supra terram est, opere lapideo duobus fere cubitis elevatur, & saxo rubeo operitur. Tumba autem ipsa interius satis decenter ornata fuit, videlicet rubeis crucibus, quales in ecclesiis dedicandis solitum est fieri.

E

d *supra quam altare & sacellum struuntur.*

151 Post sepulturam ejus, cum sepulcrum ejus multis visitationibus & diversis diversorum oblationibus honoraretur; d Rectores ecclesiæ consilio inito, sequenti anno scilicet millesimo quadringentesimo trigesimo quarto, capellam lapideam, circa festum decem millium e Martyrum fundatam, cum altari super tumbam ejus construxerunt, tendentem à choro, inter duo pilaria seu columnas ecclesiæ, ad sepulcrum. e

Epilogus auctoris,

152 [Hæc pauca de multis & quasi innumerabilibus modica dixisse sufficiat. Nam (ut verbis ipsius, quibus de his ipsis quæ circa eam divinitus gesta sunt dicere solebat, secundum veritatem utar) omnia quæ de quocumque statu ejus dici poterant, quasi folia sunt de arboribus fluentia, quarum radices videri non valent: sunt & veluti spicæ, quas Sancta Ruth post terga metentium & manipulos ligantium colligebat, quæ revera valde paucæ sunt respectu manipulorum. Ut enim ex præcedentibus patet, post novemdecim quasi annos ægritudinum suarum à principio; quibus tam parco & superhumano cibo potuque utebatur, per reliquos fere novemdecim nullo cibo vel potu utebatur, nec corporalia superflua nisi per vomitum emittebat. Et hoc quanti ponderis sit quis explicabit? Sic & divinas consolationes ejus, quas per contemplationem experiebatur, in quibus fere per viginti quatuor annos quotidie quasi in paradisum & ad cælestia gaudia, ad purgatoria quoque & infernalia loca rapiebatur, quis enarrabit? Ineffabilis quoque erat caritas ipsius, qua, cum Apostolo supplens ea quæ desunt passionum Christi in corpore suo, tanta pro redimendis animabus à pœnalibus locis patiebatur. Sed & ipsis quoque qui in hac vita paupertate vel squallore variarum miseriarum vel infirmitatum ac tribulationum premebantur, quantum compassionis affectum & opem pietatis pro posse exhibuerit, satis liquet ex præcedentibus. Unde pro his omnibus copiosa mercede, multipliciter à Patre misericordiarum in cælis jam recepta, remunerari non ambigimus: quin etiam eamdem voto quo possumus merito rogare debemus, quatenus pro nobis pauperibus & infirmis Dominum exorare dignetur, ut & nos ad misericordiam Domini pervenire post excessum miserabilis vitæ hujus valeamus. Quod nobis concedat,

F *cum synopsi excellentium ejus virtutum,*

Col. 1. 24

& invocatione Sancta.

PER IOAN. BRUGMAN EX MSS. dat, qui in Trinitate perfecta vivit & regnat Deus in secula. Amen.]

ANNOTATA.

a Francenum, *id est, Membrana Francica, quæ Belgis* Francyn, *estque candidior, elegantior & tenuior vulgari.*

b *Videtur indicari quod juxta formam coronæ, quam sibi præparatam sed adhuc imperfectam vidisse dicitur initio citati capitis seu num.* 88, *jusserit hanc, velut coronam, atramento depingi: nam alias toto illo capite nec alibi usquam ulla hujus apparatus apparet mentio.*

c Vernix *gummi seu lacryma juniperi, quo picturæ statuæve inductæ novum fulgorem induunt*, à verno quo fluere solet tempore, *inquit nonnemo. At prius quam vocem hanc latinitate donaret, quærendus ei fuerat auctor Latinus probatus, qui ea usus fuisset. Quid si Francis, Italis, Belgis atque Germanis communem nunc dictionem, dicamus ab ipsa origine barbaram, compositam ex duabus radicibus Teutonicis* Nisch *madidus, humidus, apud Kilianum in etymologico Teutonico; &* fer *pulcher, quod adhuc ex Saxonica veteri apud Anglos usurpatur?*

d *Addit Vita* 1 Dicentium se per vota, Deo & Virgini huic facta, à febribus, calculo, aliisque morbis liberatos fuisse.

B

e *Coluntur* Sancti x mille Martyres 22 *Iunii, & in Breviario Vltrajectino an.* 1518 *invenitur valde solenne de iis Officium, cum oratione, lectionibus & Antiphonis ad Magnificat propriis: an ratione insignium Reliquiarum ex Oriente huc translatarum?*

APPENDIX

Tria miracula, ad invocationem S. Liduinæ facta, & per Thomam à Kempis descripta.

153 Sed jam ad comprobandam hujus virginis sanctitatem, dignum omnino videtur, in fine libri adnectere de multis signis tria notissima miracula, ad honorem Dei & istius sacræ virginis laudem: quæ ex fide dignorum, perhibentium testimonium sanctitati ejus, verissima probantur, & per ora multorum referuntur, breviter Deo cooperante in Hollandia facta.

Incurabilis ægritudo

154 Fuit in civitate Delfensi virgo quædam, quæ octo annis continue lectum tenens, graviter ægrotavit. Hanc quatuor magistri, in medicina periti & famosi nominati, visitabant; & humana pietate permoti, magis autem amore Dei inducti, succurrere ei cupiebant. Erat autem ægritudo istius Virginis, prædictis jam magistris omnino occulta; nec aliquis eorum poterat dare aliquod remedium, quod potuit ægrotanti prodesse. Inter quos unus magistrorum, magister Wilhelmus Sonderdanc, Doctor approbatus, multum admirans dixit Virgini prædictæ: Tu nondum tanto tempore passa es tantos dolores, sicut felix illa virgo Lydewigis: propter cujus merita, jam Dominus facit multa miracula in partibus nostris. Virgo igitur ægrotans hæc audiens, ex propria devotione, aut potius divina inspiratione accensa, legit tot orationes Dominicas, (Pater noster vulgariter dictas) quot sunt membra in corpore hominis, ad honorem Dei & istius sanctæ Lydewigis virginis. Contigit ergo post hæc, quod felix Lydewigis virgo apparenter visitavit virginem languentem, dando ei remedium artis medicinæ, & veraciter curata surrexit sana, ambulans, comedens, & opera sanarum virginum exercens. De quo magister supradictus valde stupefactus, hoc ipsum verissimum esse testatur.

C

Sancta apparente sanatur.

a tibia contracta

155 Secundum miraculum contigit *a* Goudæ, in notissima civitate Hollandiæ. Erat ibidem in claustro Virginum monialis quædam, quæ habebat contractionem nervorum in una tibia: cujus tibia fuit ita incurvata & contracta, quod ire non poterat, nec eam quovis modo ad longitudinem alterius extendere ad spatium duarum palmarum. Ista libenter visitasset medicum istum magistrum Wilhelmum Sonderdanc prænominatum (qui antea unam de eadem domo in Delft sibi transmissam, cum remediis artis suæ & Dei gratia auxiliante, in spatio octo septimanarum curavit) sed à Superioribus suis non poterat licentiam obtinere. Contristata igitur flevit amare pluribus diebus, quia clauda maneret omnibus diebus vitæ suæ, ut æstimabat, sic existens male contenta. Tandem venit felix illa Virgo Lidewigis de nocte, loquens cum ea & dicens: quod impetraret à Sororibus, ut quælibet monialis illius domus legeret quinque Pater-noster & Ave-Maria, ad honorem Dei & ipsius virginis Lydewigis; atque in Dominica die in propriam ecclesiam se portari faceret, sicque sanitatem tibiæ claudæ recuperare deberet. Quod incunctanter actum est. Nam licentia à Confessore suo obtenta, portata fuit ad ecclesiam, ut Lydewigis ei per revelationem dixerat: & sub Missa subito perfectam sanitatem tibiæ suæ acquisivit; per semetipsam lætissime exiens, ac gratias maximas Deo referens, qui per merita hujus felicissimæ virginis Lidewigis istud miraculum operatus fuerat.

restituitur;

D

E

156 Tertium vero miraculum Leydis contigit, in oppido celebri partis Hollandiæ. In hac populosa civitate fuit virgo religiosa, quæ habuit in collo duritiem cancrosam, ad quantitatem magni pomi; sic quod nec bibere aut comedere poterat, aut se inclinare, quin volebat *b* suffocari, ex nimia angustia anhelitus. Ista venit nudis pedibus & sine lineo ad sepulcrum prædictæ sanctæ Virginis, pro auxilio impetrandæ sanitatis: quo non obtento recessit cum magna tristitia, ignorans quæ bona sibi essent ventura. Nocte sequenti post recessum suum à sepulchro, & somno habito expergefacta, fuit plene curata ab illa cancrosa duritie, quam passa fuerat octo fere annis, sicut notum est multis. Hanc virginem miraculose curatam, supra memoratus magister Wilhelmus Sonderdanc, Doctor in medicinis, oculis suis vidit, & collum ejus manibus tetigit: qui etiam testimonium fidelissimum perhibet scriptis suis de omnibus præmissis, dicens: Testor Deum, quod ista tria acta sunt in brevi tempore: sed & alia plura, quæ vidi oculis meis, longum esset enarrare. Hæc supra scripta miracula contigerunt, Deo innovante signa in diebus nostris, anno Domini millesimo quadringentesimo quadragesimo octavo: præsidente in sede Apostolica sanctissimo Papa Nicolao quinto, Pontificatus ejus anno secundo.

b Cancrosa colli duritiu emollitur,

F

157 *Hactenus Thomas à Kempis, quibus adde paulo recentius unum, postquam aliqua Vita jam impressa manibus vulgi terebatur, adjectum ad calcem Vitæ, quæ fuit* Delfis in Hollandia completa anno Domini MCCCCLXXXVII, die III Martii. *Ipsum est tale.* Accidit ut frumentaria navis ab Orientalibus *c* partibus ingressa mare *d* Meridionale vela facere, sicut aliæ, non posset: inquirentibus in causam nautis, conspectus est liber S. Lidewigis fluitans supra mare; quam cum ejecta situla ad se attraxissent, recepissentque in navim; continuo illa prævolavit ceteras Amstelodamum, unde liber Schiedammum missus est.

c d liber Vitæ ejus miraculose servatur.

ANNOTATA.

a Gouda, *ad cognominis sibi fluvii in Isalam influentis ostium sita, quatuor fere horarum itinere distans Schiedamo.*

b *Teutonismus est, quo per antiphrasim utimur in rebus maxime involuntariis, ut sunt mors, suffocatio, disruptio, submersio &c.*

c Orien-

A c Orientales partes intelliguntur regiones circa mare Balthicum, quod quia è Belgio in Septentrionem navigantibus ad Ortum est, Oost-zee iisdem dicitur. Hinc civitatum Hanzeaticarum Societates mercatoriæ, aliaque earumdem tractuum, vocantur Osterlinghi; & quam Antverpiæ communem sibi extruxere augustissimam domum, 300 famulitiorum capacem, het Oosters-huys. Præcipuum autem commercium fere in frumento huc advehendo consistit, quo toto Belgio olim istæ societates fuerant celeberrimæ.

d Mare Meridionale vocatur amplissimus maris sinus, Hollandiam Frisiamque disterminans, Australis sive de Zuder-zee dictus, respectu Oceani Germanici, qua Hollandiam & Frisiam ad Septentrionem alluit, de Noord-zee nuncupati.

VITA POSTERIOR

Auctore eodem Ioanne Brugman. a

ex veteri impresso Schiedamensi an. MCCCCXCVIII.

PROLOGUS.

in Vitam almæ Virginis Lydwinæ b

B

Aliis vana & secularia scriptitantibus,

1 Præclara sunt præconia veraque testimonia piarum Scripturarum, quoniam mirabilis sit Deus in servis suis, desiderabilis in filiis, gloriosus in Sanctis. Multa nimis, sed non credibilia, de diis mortalibus, utpote Jove, Saturno, Mercurio, Junone, Pallade, nec non fallacis pulchritudinis Venere confixere Poëtæ. Super magnitudine magni quondam Herculis, Hectoris, Troyli, Julii Cæsaris, utriusque Scipionis & aliorum, quos solum ardor inanis gloriæ ac futilis honoris claros ac famosos effecit, nonnulli scriptitantes, membranas librosve repleverunt, Deo deorum ac Regi regum minime deferentes. Nos autem oraculis, miraculis, imaginibus ac speculis certius, quæ lucent in rebus creatis, edocti, Regi seculorum immortali ac invisibili, soli Deo vero, gloriam & honorem dantes; quam mirabilis fuerit in electis suis, humili stylo, pro modulo virium, in medium proferamus.

alii rectius & utilius Sanctorum Acta describunt,

C

2 Clara quidem nimis atque modulosa valde priscorum extitere patrum nostrorum scripta, quibus non modo virtutes ipsas laudabiles agnoscimus, quin imo & ipsos virtutum, tam intellectualium quam moralium, opinatissimos possessores, nobis admirandos, venerandos pariter & imitandos comperimus. Operæ pretium siquidem ad futurorum memoriam semper extitit, & ad gloriam Altissimi, cujus Spiritus operatur, ubi, qualiter, quantum & quando vult, virtuosos quosque commendare, viros illustres extollere, & trophæa victorum depingere, Sanctorum describere actiones: quibus ante luciferum genitus in splendoribus Sanctorum, domum suam illustrare dignatur etiam à principio. Felix nimium aurea patrum priscorum ætas, plurimis virorum clarissimorum ornata fulgoribus, novis jugiter inserta coronis, vernantibus insita gemmis! Innovat agrum magnus agricola Deus, nunc liliis, nunc rosis, nunc violis. Vineam suam respicit, videt & visitat vitis vera Christus Dominus. Depulso longius Aquilone, flat & perflat Auster ille, videlicet Spiritus sanctus, ubi, qualiter, quantum & quando vult, hortum suum, & fluunt aromata illius odorifera valde. Nunc ex viris viros eligit; nunc ex mulieribus mulieres elicit, nunc ex parvulis parvulos colligit, ut fortia quæque confundat: suscitat de terra inopem, & de stercore erigit pauperem, ut collocet eum cum principibus: quoniam pusillum & magnum, marem

quorum numquam defectus copia & varietas,

filium & feminam, puerum ac senem creavit Altissimus, imo æqualis est ei cura de omnibus.

quomodo nunc data est hominibus Lydwina,

3 Postquam Sanctus Sanctorum ad nos descendere dignatus est, numquam cessavit unctio ejus, quin unguentum ejus, quod ad superabundantiam in Christo capite nostro est, descenderit in barbam, barbam Aaron: descenditque in oram vestimenti ejus. Et quidem currunt filiæ regum in honore, in odorem unguentorum ejus: currunt & filiæ Tyri cum muneribus, & filia Babylonis misera: quia scriptum est, Memor ero Raab & Babylonis scientium me. Nequaquam peribit jam Sanctus de terra, nec deerit rectus in hominibus. Et ne mentiar, de mulieribus nostri temporis unam reperi, quam ut lumen in vase fictili, in sexu fragili, in choro puellarum humili, vergente mundi vespere, militantis Ecclesiæ tam viris quam mulieribus, tamquam memoriale suorum mirabilium, mirabilis & omnipotens Deus in lucem produxit. Sane, diebus istis novissimis, Pater misericordiarum & luminum specialem sibi sponsam elegit Lydwinam: quæ nos, in quos fines seculorum devenerunt, velut sidus vespertinum, sua puritate respargeret; quæ nos suæ patientiæ speculo, quasi luna in medio nebulæ, dirigeret; & quæ nobis, ut sol oriens in Altissimis Dei, tympanistriarum juvencularum in medio, flammivoma caritate refulgeret.

Ps. 86, 4

E

ex qua omnes proficiant,

4 Conuentibus plane vitæ Virginis hujus cursum, habet virgo quo oblectetur, habet humilis quod admiretur, habet zelator perfectæ sapientiæ quod sequatur. Porro invenit in ea reus quod præstet fiduciam, justus quod augeat justitiam, perfectionis æmulator quo charismata meliora velut primitias spiritus æmuletur. Ad videndam igitur Dei bonitatem in Virgine præclara, in puella tam mirabiliter ex millibus electa, vocentur parvuli, sugentes Christi ubera; conveniant pervenientes ad congratulandum sponsæ, introductæ ad Christi connubia. Venientes, quæso, venite & videte opera Domini, quæ posuit prodigia super terram, quique terrigenæ & filii hominum, simul iu unum dives & pauper. Veniant astrologorum agmina, Ptolemæus cum ceteris; accedat medicorum acies, Hippocrates, Galenus cum sequacibus; & assumpta veridica narratione de tenera virgine hac, indicent, secundum facultatem suam, vitæ Virginis hujus, si potuerint, rationem. Profecto causam non assignabit delusor fidei nostræ Averroës, non Avicenna naturalium scriptor optimus, non Plato metaphysicus, non physicorum concio tota, nisi supernaturali lumine illustrentur: unde frequenter hoc Virginis nostræ Lydwinæ deficientibus scrutinio, fuit commune quo adjunxit quod diceret; Scio, inquit, scio, quoniam vani filii hominum, varie circa me perscrutari moliuntur operum Dei rationem, ut eam capiant, captamque in scriptis redigant: sed supervacue dixerim fieri scrutinium hoc, quoniam quanto scrutantes scrutati fuerint, tanto magis magisque scrutando tabescent.

& Dei opera stupenda mirari discant.

F

Hanc Virginem, præclaris mulieribus comparandam,

5 Erat revera clarissima mulier hæc quasi altera temporis nostri Ruth, colligens spicas post terga metentium: erat plane mulier fortis, procul & de ultimis finibus terræ quæsita; quæ instar Abisag, inter filias regni, Regis in domum, tamquam Sunamitis, primum introducitur; quæ nacto nocturnæ quietis silentio, sedere permittitur cum Maria; quæ tandem ingresso Principis celsi solio, conregnat ut Regina. Felix insuper terra nostra, quæ benignitate à Domino suscepta dedit fructum suum. Protulit mater Ecclesia, diversas per orbis provincias, turbam Sanctorum vernantem: nunc Apostolos de Judæa mittens, nunc ubilibet sanguinem sanctorum Martyrum

tyrum colligens, nunc Doctores radiosissimos universo mundo distribuens, nunc Anachoretas ad deserta dirigens, nunc Cœnobitas sparsim conjunctimque conglutinans, nunc Euangelicæ vitæ professores ad reformationem desertæ Christi vineæ parturiens: unde congruum fuit ut Hollandia, quondam sterilis, felicem hanc rosulam, omni virtute conspicuam, inter lilia & violas, quibus affluit inter ceteras mundi nationes, Domino parturiret.

Hollandia, regio laudatissima, edidit;

6 Ipsa quippe, ut vidi, Hollandia regio fertilis, in Germaniæ finibus inferioribus sita est: regio, inquam, palustris, aquis fluviorum Rheni atque multorum irrigua ceterorum; locus uberrimarum pascuarum, armentorum & pecudum; nutrix opum & negotiationum imperterrita: cujus incolæ proceri sunt & elegantes, viri ejus fortes & robusti; populus audax animo, venustus facie, pulchrior & honestior moribus & maturior. Plebs ejus communiter devotissima Deo, fidelissima hominibus; prædarum & rapinarum minus avida; victis misericors, & in hostes ferox valde. Hæc siquidem parva mundi portio, nequaquam minima in millibus Germaniæ; quia ceteris Ecclesiæ partibus infirmantibus, hæc summe cernitur multæ religionis mater, virtutum ac virtuosorum ferax, reformatarum quarumlibet zelatrix personarum, hospitalium ac domorum pauperum promotrix, virginum ac continentium viduarum speculum, omnium Ordinum vitæ regularis tutrix egregia, esurientium & sitientium in vicinis & remotis eructans promptuarium, honestissimæ viduitatis parens fœcunda, columbinæ simplicitatis plus quam serpentinæ calliditatis amatrix sincera, ecclesiarum insuper sumptuosa constructrix & ornatrix indefessa, Christianæ vitæ atque contemplativæ societatis admodum præ multis gentibus & provinciis superplena.

B

nulla re gloriosior quam hac sua alumna,

qua ut cedrus inter virgines,

7 Porro plantulam hanc, ex utero almæ matris Ecclesiæ, ex matrice diœcesis Trajectensis, in gremio Comitatus Hollandiæ, quasi campiductricem ac primiceream, moderator temporum ac rerum omnium Deus eduxit in lucem gentis suæ: quatenus esset ut cedrus sublimata in monte Sion, montem dixerim à perfectione Confessorum; uti palma exaltata in exercitu Martyrum; quemadmodum plantatio rosæ in senatu Patrum & Apostolorum; tamquam oliva speciosa in cœtu Patriarcharum; quemadmodum platanus in cuneo Prophetarum, sicuti cynnamomum & balsamum aromatizans in choris Angelorum. Et quid mirum? numquid puellarum & virginum collega, erat ut cedrus alta Libani, quæ sancta fuit, casta fuit, & integra corpore & spiritu? Numquid non cypressus redolens, erecta in medio Confessorum, quæ universæ virtutis & justitiæ norma fuit? Numquid non palma in exercitu Martyrum, quæ totam vitam in cruce dolorum innumerabilium, ut speculum patientiæ, ultronea peregit? numquid non rosa rubens in senatu Apostolorum, quæ tanta penuria tantaque paupertate spiritus, tantaque caritate plus quam triginta annis Christo Jesu animas lucri fecit? Numquid non oliva speciosa in cœtu Patriarcharum, quæ nedum sua, sed sese, corpus videlicet & animam, tamquam duo minuta cum vidua tenens, vivis & defunctis libenter, imo & frequenter, superimpendit? Numquid non platanus in cuneo Prophetarum, quæ non modo futura præscivit, verum absentia tamquam præsentia cordiumque arcana, personis, locis & temporibus opportunis, revelavit? Numquid non cinnamomum & balsamum aromatizans in choris Angelorum, quæ veluti amica amico, facie ad faciem, Angelis loquebatur, & sicut homo homini congratulabatur? Procul dubio.

ut palma inter Martyres,

C

ut rosa inter Apostolos,

ut oliva inter Patriarchas,

ut platanus inter Prophetas

ut balsamum inter Angelos fuit;

D

8 De Præclaris mulieribus pleraque descripsit Bocacius, de viris illustribus plurimi codices depinxerunt, & præsertim illustrior Hieronymus: sed, teste conscientia, timeo ne præ altitudine hujus mulieris, improbus & indignus laudator inveniar. Quid dicam? pertimesco. Commendatur, & merito, per sacram Scripturam Sara, quia filium concepit Angelica revelatione præventa: hæc autem non mater, sed virgo, Angelis familiarior. Commendatur prudens Rebecca, quæ Haalma dicebatur, id est, Virgo abscondita, quia argumentosa pro salute filii: hæc autem triginta tribus annis sub tugurio jacuit, pro salute filiorum Dei argumentosior. Commendantur sorores Lia & Rachel, Lia, quia fœcunda, Rachel quia decora: vere gratiosa Lydwina, fuit in prole fœcundior illâ, & in conspectu Regis, cujus gloria queritur intus, istâ venustior. Laudatur Ruth humilis atque grata, hæc in humilitate & paupertate hilarior. Laudatur Abigail, à discretione verbi; & mulier Thecuitis, quia ad placandum suavis: hæc in auferendo iram Dei à populo, & iram viri à viro, multo suavior atque doctior. Laudatur Abisag, quia caniciem Regis fovit adolescentula: hæc in ministrando crucifixo Regi, grabatulo decumbens, ferventior. Judith prædicatur, quia ad orandum pro populo sancta: & hæc ad intercedendum efficacior. Prædicatur c Sara filia Raguel, quoniam [convitium ancillæ suæ sustinuit: & hæc] ad opprobriosa & alia quævis illata patientior. Prædicatur Regina Saba, quia venit à finibus terræ audire sapientiam Salomonis: & ecce mentis affectibus, non corporis gressibus, Regem pacificum laudare pariter & obaudire solertior.

quam antiquis veteris Testamenti matronis præfertur,

E

9 Quid plura? sitit cum Samaritana, sed potatur uberius: clamat cum Chananæa, sed de fide non commendatur minus: ministrat Christo cum Martha in membris ejus, nec perturbatur interius: sedet ad pedes cum Magdalena, nec frustratur rore intrinsecus: stat juxta Crucifixum confixa cum Maria, quemadmodum & de fructibus ejus satiatur medullitus. Itaque tamquam mulier timens Deum, ipsa digne laudatur: tamquam mulier sensata & pudorata, invenit gratiam: tamquam mulier, gratiâ præ multis velut Esther adornata, gloriam accepit & coronam. Hæc est Hesperus, septentrionalibus terræ pontique regionibus lucem sparsura clarissime, quam Dominus de imo transuexit ad summa: ut quemadmodum prius claruerat in terris per humilitatis, virginitatis, pudicitiæ & patientiæ summæ speculum; sic postmodum suo suffragio imperialis facta in cælis, cæcis lumen, aridis gratiam procuret & salutem. Haud dubium quin pluviam voluntariam, nobis summopere necessariam, suo tempore super sicca vehementer corda, ex alto dabit Dominus per illam; quam quasi suo in gremio requiescere fecit, quam sic pane suo tam tenere pavit, quam calicem tantorum dolorum bibere voluit, quam ultra triginta annos quasi pedissequam, suorum vulnerum pariter & dolorum statuit bajulam fieri.

& mulieribus in novo laudatis comparatur,

F

10 Et quis putas fidelis & prudens in hac materia concipietur servus, qui dignam Christi famulam condignis tollat laudibus? Numquid cæcus judicium sanum dabit de coloribus? Numquid mentis inops, ignavus, inutilis, mulierem fortem ut gigantem commendabit? Numquid præco mutus, religionis expers, in peccatis natus totus, laudem, perfectionem & patientiam ejus eructare sufficiet? Vellem, utique vellem, o Doctor optime Wilhelme, qui cognominaris Sonder-dank, arte medice, quod sicut me sæpius induxisti ad opus hoc, quod supra vires meas

negat digne à se posse laudari,

A meas est, conscribendum hujus ad honorem; ita sumptus qui necessarii sunt addidisses. O utinam de superabundantia benedictionis tuę vel unam tantum mihi dedisses ex omnibus; qui nedum te templum Christi sponsæ dedicasti, sed ex tugurio, quo languens jacuit, ecclesiam ex cæmento, latere, ligno & lapide construxisti: qui nonnullos exemplo tuo in amorem cælestis hujus margaritæ succendisti: qui oculis carnis ipsam vivam vidisti, videns alloquentem & respondentem audisti, manu forsan manum virgineam contrectasti; suasque infirmitates, ni fallor, agnovisti; qui sentis in spiritu dilectam tuam, si verum fatearis insuper, quamquam jam defunctam.

qui vivam nunquam cognoverit,

11 Sed per hoc quid innuere velim quæris? Virginem non vidi, viventem non audivi, nec defunctam sentio: & testimonium perhibere adhortaris. Si quid habeo, illud maxime à te habeo, illud ex scriptis Confessorum Virginis ipse concipio, id ex libellis hinc illicque trajicio, & ex relatu fide dignorum fideliumque virorum ac devotarum mulierum disco. Et quia fides mea ex auditu, secundum fidem meam sic ad eam fertur amor meus: & ut totum dicam, ex fide quam gessi ad eam ab annis pueritiæ meæ, & quam adauget Dominus usque ad hunc B diem, ardens factum est cor meum, & venter meus quasi mustum absque spiraculo, quod lagenas novas disrumpit. Verum tamen dum me caritas scribere compellit, imperfectum meum, quod vident oculi mei, me retrahit: siquidem sane in veritate cum Psalmista loquar, tota die verecundia mea contra me est, confusio faciei meæ cooperuit me. Nosti tamen, dilectissime virorum, quid tibi, dum apud te tua in domo essem, dixerim. Væ mihi, inquam, si tacuero (quamquam non viderim oculis carnis, quam predicaturus ero) si non magnificaverim in populis, quam tanta gloria laudabundam non diffido desuper in excelsis. Timeo ne, cum tacuero, clamabunt per aëra spiritus, per plateas infantes, in parietibus lapides; ex quo jam tertio scribere efficacius, commonitus sum.

tamen ex relatu fideli cognita

Psal. 43, 16

premere non potuit,

12 Oro tamen quemlibet pium lectorem, ut perlectis in toto vel in parte, quæ Deo duce jam tertio compingere potui ad laudem hujus sacratissimæ Virginis, oblique non judicet; non dente, sed linea fraternæ correctionis moderetur; non contemnat rei veritatem, si rhetoris eloquium non adsit; non adscribat præsumptioni, quod caritativa C ratio compegit; non retorqueat in personam laudatam vitium aut imperfectum laudatoris. Suscipiat quæso caritas schedam hanc, quam descripsi tripliciter, multiplici licet barbarismo contextam: in qua, juxta morem incipientium, prima pars dabit Virginis ad servitutem Dei ingressum; secunda pars, secundum formam proficientium, ejusdem Virginis ostendet progressum; tertia vero pars, secundum exemplar perfectorum, dilectæ Lydwinæ describet egressum: quia incongruum mihi visum est secundum ordinem temporum procedere, ne confunderem materias ulteriores: quin imo, pro consolatione spirituum devotorum, fasciculos myrrhæ, prout ex verbis & gestis sponsæ Christi colligere valui, sic in ordine collocavi. Satis enim mihi est, ut benedictam Domini sponsam, juxta competentiam virium, humillime pronuntiem generationi omni quæ ventura est: nam & annuntiabunt cæli justitiam ejus. Et si minus veneranda videatur genti peccatrici, filiis sceleratis; reverenda nihilominus videbitur, per ea quæ scribo, saltem populo humili, qui nascetur, quem formabit Dominus.

excusat laboris tenuitatem suam,

Opus suum in tres partes dividit.

ANNOTATA.

a *Prima libri facies insculptam habebat S. Lidwinam cum lilio, in suprema vero imaginis ora designabatur ipse Brugman, in habitu Franciscano, ad mensam sedens & scribens in libro hæc verba,* Schiedam in Hollandia.

b *Addebatur in impresso:* Et hæc est translatio tertia per Venerabilem P. Fr. Joannem Brugman *&c. ut infra in fine Vitæ.*

c *Perperam irrepserat nomen* Annæ *& deerant quæ uncis inclusa supplevimus.*

LITTERA TESTIMONIALIS,

quam, laborante ipsa Lydwina Virgine in ægritudine conscriptam, ad robur veritatis, Judices Schiedamenses sigillo suæ Communitatis munierunt, in hac forma.

NOs Ballivus, a Scultetus, Burgimagistri, b Scabini, & c Consules oppidi Schiedam, sub Ducatu Hollandiæ, sub diœcesi Trajectensi, notum facimus universis, quod vidimus & legimus, in anno Domini MCCCCXXI die XII mensis Septembris, E litteram sigillo nostri oppidi sigillatam, continentem de verbo ad verbum prout infra.

13 Universis & singulis Christi fidelibus, spiritualibus & secularibus, majoribus & minoribus, nobilibus & ignobilibus, utriusque sexus hominibus & personis, cujuscumque status, gradus aut conditionis extiterint, in civitatibus vel extra, in terris vel in aquis, aut ubicumque alias moram traxerint, aut sua domicilia seu loca habitationis habuerint, ad quos præsentia pervenerint, Ballivus, Scultetus, Burgimagistri, Scabini & Consules oppidi Schiedam in Ducatu Hollandiæ, sub diœcesi Trajectensi, humiles salutationes semper prævias cum agnitione veritatis: quia recta ratio hoc judicat, justitia exigit & requirit, quod res & causæ veraces evidenter ad aures intimari, propalari & manifestari possunt, imo merito propalari, ad aures intimari & manifestari & testificari debent; præcipue tamen istæ, in quibus laus, honor, & gloria Dei inesse possunt ac relucere.

Ex obligatione veritatis testandæ

14 Certificamus igitur & innotescimus, & scire desideramus omnes & singulos Christi fideles præscriptos, propalamus, ad aures d intimamus & testamur in veritate in his scriptis, de factis & rebus mirabilibus valde & inauditis, quæ in memorato nostro oppido contingunt & facta sunt, & F quotidie adhuc in quadam Virgine, Liedwy Petri nominata, fiunt & contingunt. Hoc est intelligendum, quod eadem virgo & puella, infirma valde fuit, & in lecto suo permaxime torquebatur, in quo etiam jacet & jacuit bene viginti tribus annis, in festo Purificationis B. Mariæ Virginis ultime præterito. Et infra idem tempus numquam usa est neque recepit nisi unam dimidiam pintam vini, per septimanam vel quasi, cum aqua modica vel parum de sucaro vel cum valde pauco cynnamomo bene trito: excepto quod infra tres primos annos suæ infirmitatis, aliquoties & inter tempora, modicum de pomo vel pane accepit, & quandoque de dulci lacte parum comedit vel potavit: sed infra septem annos ultime præteritos nullo omnino cibo vel potu usa est, neque utitur pro præsenti.

certificant quod Lydwina

annis 23 ægra decumbens,

cibo potuque abstinens & somno,

15 Non dormit, neque per omnes supra scriptos annos unquam dormivit, nisi parum valde, & vix per duas noctes, omnibus simul computatis. Et jacet jam adeo lamentabiliter & miserabiliter, quod

PER IOAN. BRUGMAN

quod intestina sua perdit & privatur eisdem. Et vermes grisei, aqua ejusdem coloris pleni, grossi velut fusum in fine, longi sicut articulus est unius digiti (quod cum licentia & reverentia omnium scribimus) carnes ejus comedunt & corrodunt, absque fœtore aliquo & sive odore malo inde proveniente. Et quando præteritis temporibus moveri vel tractari consueverat, tunc oportuit ut corpus ejus superius circa scapulas, cum institis aut cum manutergio vel consimili aliquo fortiter ligaretur; alias totum corpus in partes minutas cecidisset, & penitus fuisset dissolutum. Sed modernis nunc temporibus nullo modo potest moveri, neque unquam potuit infra septem annos ultimo transactos, per quos semper jacuit & adhuc jacet in suo dorso, & non potest movere nisi caput & brachium unum.

scateat vermibus

membris pene omnibus dissoluta,

16 Et aliquando per temporum intervalla de ore ejus, naso, auribus, aliisque meatibus multum sanguinis emittit, super hoc quod nullo cibo utitur vel potu, nec usa est nisi secundum superius exaratum. Et eadem virgo & puella infra eosdem septem annos præscriptos habuit & adhuc habet de tertio in tertium diem, unam magnam & gravem febrem tertianam, quæ ei primo advenit cum enarrabili calore: & non longe post hoc venit inextricabile frigus: & tunc iterum calores & frigus vicissim. Et hoc sic bene per unum dimidium annum duravit: sed post hoc tempus habet semel calores per tempus durantes, & postea frigus. Et quando ab hujusmodi febre liberatur, tunc de seipsa nihil scit infra decem vel duodecim horas. Et quando febres prædictas habet & patitur, tunc evomit per os seu emittit per noctem multum de aqua rubea, sic quod ex illâ quarta pars vasis plena resultat per septimanam: & de hujusmodi aqua, etiam præter hanc, infra annum adhuc bene duo vasa plena evomit & emittit.

magnam sanguinis vim ejiciat,

B

diras febres patiatur,

17 Habet etiam præfata virgo & puella in corpore suo tria foramina: quorum quodlibet bene adeo magnum est sicut interior concavitas & fundus unius scutellæ communis, & adeo nigra sunt sicut pix, uti introspicientibus & videntibus apparet. Et ex uno eorum, quod stat in ventre illius virginis & puellæ, currunt & scaturiunt per temporum intervalla de vermibus supradictis ducenti quandoque simul: & super illud ponitur emplastrum quoddam, de melle & recenti simila vel farina ex adipe frumenti factum & confectum: & ab illo vermes ipsi sugunt, & fomentum suum accipiunt, alias deberent eamdem usque ad mortem torquere: & si hujusmodi farina vel adeps antiqua esset & non recens, vermes illi emplastrum illud non sugerent neque eo uterentur. Omnia ista probata sunt, & per experientiam sic inventa: & foramina jam clausa sunt.

tria grandia in corpore foramina habeat.

C

18 In qualibet etiam quindena memorata virgo & puella recipit sacratissimum & venerabile Eucharistiæ sacramentum: & oportet ut Sacerdos ipsam communicans subtilitate utatur & solertia, cum eam communicat; quia alias ipsa Eucharistam neque sumere neque deglutire posset. Et tunc dat sibi valde parum de aqua: quam etiam non bene trajicere seu deglutire potest, sed primo per tempus in gutture ejus gargarizantium ad instar eructuat: & interdum nullam aquam sibi dat, propter trajiciendi eamdem seu intus sumendi difficultatem. Insuper ista virgo & puella ab inferius usque ad ventrem est omnino & totaliter putrefacta: & oportet quod cum quodam cussinulo impleto lana, ad quantitatem manus, ad hoc specialiter facto, obstruatur: alias intestina ejus ac inferiora deberent penitus excidere. Et sic in veritate mirabilia & portenta, quæ in virgine & puella memorata facta sunt & adhuc quotidie fiunt, nimis magna & adeo multa sunt & varia; quod clare & ad plenum scribi seu calamo reserari non possunt. Fuit etiam sæpe dicta virgo & puella quatuordecim annorum, quando infirmitas ei primo accidit & advenit.

singulis quindenis communicet idque difficulter,

& inferius omnino putrefacta sit.

D

19 Et quia nos Balivus, Scultetus, Burgimagistri, Scabini & Consules supradicti, bene & ad plenum sumus de omnibus particulis antescriptis informati & certificati; imo quotidie bene percipimus & certificamur; idcirco præsentes litteras pro evidenti & veraci testimonio, sigillo nostro, quo ad causas utimur, extrapendente, sigillamus, anno Domini millesimo quadringentesimo vigesimo, in Vigilia B. Mariæ Magdalenæ, mensis Julii vigesima prima die.

Explicit copia litteræ testimonialis, quam, laborante devotissima virgine Lydwina in ægritudine, ad robur seu testimonium veritatis, bona fide Judices seu Domini reipublicæ de oppido Schiedam, conscriptam, sigillo suæ communitatis munierunt: quam ut perspexi, legi & contrectavi, necessarium de verbo ad verbum hic annectere præcogitavi. Utique testimonia mirabilia hæc, quapropter & scrutata est ea anima mea: sed testimonium Domini, omnibus his majus, est acceptabilissimum usquequaque. e

cur hoc epistola hic ponatur.

E

ANNOTATA.

a Ballivus *ex parte Principis*, Scultetus *ex parte communitatis constituuntur ad justitiam exercendam.*

b Burgimagistri *bini aut quaterni civilibus deliberationibus aut actionibus præsunt.*

c *Non sunt hi distinguendi à* Scabinis, *hi autem dicuntur* Consules, *respiciendo ad etymon vocis à consulendo ductum.*

d *Ita exprimitur vis Belgicæ vocis* Oor-konden.

e *Addit impressum:* Sequuntur capitula primæ partis, ut facilius inveniat lector, quod quærit, subnotatum. *Nos ipsos titulos invariatos cum servamus; nihil opus putamus eos hic colligere: quod idem de duabus aliis partibus dictum intellige.*

PARS PRIMA

Inceptiva vel ingressiva Vitæ almæ Virginis Lydwinæ.

F

CAPUT I.

De ipsius origine & conversatione in puerilibus annis.

1 Igitur Lydwina nostra de Comitatu Hollandiæ traxit originem; de populo gravi, & domo religiosa valde. Claruit autem singulariter singularis hæc Virgo, congruentius virago vocitanda, quodam in oppido Schiedam, ubi flumen quod Mosa dicitur ad Occidentalem decurrit plagam, ubi quoque diversorum fluviorum voragines maris orificium præstolari videntur in vicinis. Hujus nempe Virginis memoriale in benedictione manet; quia Dominus illam suæ dulcedinis benedictione præveniens, de nequam seculo puellam clementer eripuit, quasi filiam paternis visitationibus erudivit; nec non veluti sanctificationis lapidem vividum, in fabricam domus suæ, tamquam sapiens architectus, collocavit. Nomen patris ejus Petrus, matris vero Petronilla: quibus hoc divinitus virtutis infuit

Schiedami in Hollandia,

parentibus Petro & Petronilla,

A infuit præclarum insigne, quod de labore manuum pariter & sudore vultus victitantes, in mandatis Domini ambularent sine querela, quemadmodum & à progenitoribus acceperant vias vitæ.

avo Ioanne, 2 Quippe Petri hujus, laudabilis vitæ vir Joannes, genitor extiterat; vir utique rectus ac timens Deum; qui sua defuncta uxore viduus perseverans, corpus attenuabat abstinentiis; adeo ut biduanis ac triduanis observatis per sabbata singula jejuniis, in pane tantum & aqua, vix effœto præ senectute corpusculo necessaria sumeret; Domino fideliter serviens die ac nocte; pro impretiabilis continentiæ margarita conservanda, carnem subigens & castigans. Quantæ autem virtutis veteranus ille fuerit, nedum probat corporalis exercitatio, quæ ad modicum utilis est; verum insuper pietas, quæ ad omnia valet, virum hunc adeo sui juris effecerat, ut liquefactiva quadam dulcedine mentis, efficacia orationis indefessæ proficeret; frequentia confessionis de sabbato in sabbatum se purgaret; & quasi monasticam vitam ducens, de quindena in quindenam ferventissimo amore communicaret. Probant quoque senis hujus venerabilis multiplicem virtutum multiplicia bella; cum procul dubio felicibus actibus ejus invidentes dæmones sæpius domumculam ejus & quæ in ea continebantur evertere niterentur; & ubi viro Dei nocere non poterant, nonnumquam domesticos suos, ut canes rabidi, de domo terrore nimio deturbabant.

magnæ sanctitatis viro,

B

3 Ex hujus ergo claræ memoriæ Joannis stipite, velut ramusculus virtutis admirandæ, nec non flosculus suavissimi odoris, Lydwina nostra, tamquam ex avo caniciei venerandæ, pullulavit, ut arbor bona fructus bonos faceret, & radix sancta fructum sanctificationis afferret. Disponente igitur illo, qui oleum de saxo & mel de petra produxit, viro suo Petro Petronilla mares octo, feminam vero hanc solam peperit: quos in laboribus & ærumnis, plus quam dici possit, cum ingenti vitæ periculo per singulos annos in lucem edidit; atque cum sudore multo, paupercula cum esset, una cum mariti sui solertia pervigili, ad cultum Dei omnipotentis enutrivit. Cumque salubrem hanc filiam mater gestaret in utero, vehementer timuit, ne forte consueto discrimine partus periclitaretur de vita: orabatque attentius Dominum, quatenus vita comite, salubrius quam pridem, ipsam in partu expediret.

facili præter solitum puerperio

C

in die Palmarum nascitur: 4 Completis deinde diebus ut pareret, instabat Palmarum solennitas, hora præsertim summæ Missæ, qua Passio secundum Mattheum legi solita est. Nesciens autem felix mulier, quod de proximo dolores in januis essent, prægnans, ut potuit, accessit ad ecclesiam. Sed mox ut Passio Domini legebatur, superveniente dolore domum revertitur; ubi mira facilitate, subveniente Dei misericordissimi clementia, felix felicissimam hanc plantam enititur: factoque cunctis vicinis exinde a gaudio, sacro baptismatis lavacro nata renascitur, nomenque illi congruentissimum Lydwina vel Lydwya imponitur. Quod quidem nomen apud Germanos latæ patientiæ significationem complecti dignoscitur: LYDEN, quippe Teutonice sustinentiæ vocabulum est; WY, vero latitudinis notam præfert. Non autumet autem quis id actum frustra ut tale renata sortiretur nomen: quoniam, ut rei postmodum eventus demonstravit, quæ desunt passionum Christi suo in corpore, tamquam filia gloriosa omnipotentis Patris, multifariam multisque modis, pro subsidio vivorum pariter & suffragio defunctorum, flagella toleravit. Nimirum quæ tempore recitatæ Passionis Palmarum die nascitur, quæ tanta facilitate præter morem solitum in partu matri formidulæ divinitus conceditur, quæ tot tantisque in regione mortalium castigationibus pro multorum adminiculo fidelium eligitur; ipsa congruum nominationis barbaricæ vocabulum, diffusæ ac universalis patientiæ significativum, merito sortitur.

a *& in baptismo Lydwina nominatur:*

PER IOAN. BRUGMAN

infans patitur dolores calculi. 5 Revera quidquid maternis visceribus, pia dispensatione, tempore parturitionis, de calice putatur subtractum, id ut ita dixerim, benedictæ proli ebibendum infinitius propinatur in futurum. Siquidem ætas illa quæ solo lacte pascitur & strictis fasciis cingitur, ab infirmitatum xeniis libera non permittitur. Quin imo cum parvula motaretur in cunabulis, diro torta cruciatu, post infantiles vagitus & lacrymas, calculos non paucos emittebat: talibus enim dolorum præludiis, quæ virorum etiam fortissimorum animos, ut videmus, dejiciunt; infantula, belli dolique nescia, vagiens inter ubera, ad eam quæ se manebat armabatur pugnam, quæ solam pro scuto sanctam patientiam habet cum caritate. Et nostræ Lydwinæ quidem in fescenninis primitialis tolerantia sic se habuit: qualiter autem felix infans, felicioren in mulierem paulisper creverit, attendamus. E

Pie affecta erga imaginem D. V. 6 Cœpit exinde, velut inter spinas rosa, Christi Jesu, parvula sponsa, quantum prima illa patitur ætas, pedetentim, sub instructione piorum parentum, ea quæ Dei sunt, velut nova testa, solerter bibere: cœpit & præsago quodam spiritu futurorum mirabilium, Virginis Matris jam primitiva munuscula sentire: cœpit & balbula læto quodam animo salutationem Angelicam proferre, Sanctorum jam locorum limina quærere: cœpit & jucunde Reginam misericordiæ, ipsiusque imaginem ubi poterat suaviter salutare. Ob quod haud dubium quin ipsa mater gratiæ Maria, tamquam spiritualis prolis avida, in dicto Schiedam oppidulo locum sibi specialis unctionis elegit: de quo quidem parum digressive dicamus.

quæ ob miraculum circa eam factum 7 Negotiator enim quidam illic imaginem quamdam Beatæ Virginis, causa vendendi eam in nundinis Antverpiæ, secum detulerat: quam cum in navi posuisset, & nautæ navigationi operam darent, statim divino nutu navis ipsa immobilis facta est. Mirum dictu! apponuntur manus, adjiciuntur instrumenta; sed non proficiunt, admirantibus cunctis: confluunt omni ex parte tam viri quam mulieres, rei fama diffunditur, vertitur aspectus in stuporem, venitur ab risu in laudem, credentibus cunctis quod à Domino foret negotium istud, procurante illa, cujus ibidem tenebatur imago. Desperantibus autem universis, qui juvare venerant mercatorem, rogare cœperunt, ut attento miraculo, imaginem illam, sumpto competenti pretio à magistris fabricæ, illic relinquere velit. Mox requisitis ecclesiasticæ fabricæ magistris fit de pretio dando pactum altrinsecus, fit apud venditorem cupida devotio de necessitate virtus coacta; fit imago reverenda populis, & in ecclesia venerabiliter sistitur quantocius, videlicet Baptistæ Salvatoris: crescit demum eamdem ob imaginem amor & devotio; fit tam sexuum quam statuum quotumlibet fraterna congregatio; fit ex tunc eodem in loco, ut vidi, quotidiana *b* laudis Mariæ solennizatio, fit conventus jubilantium in gloria Sanctorum. F

Schiedami in veneratione erat,

b

eamdem furtim invisere consuescit, 8 Cumque igitur his rebus ita se habentibus, ab incolis Virgo in imagine veneraretur, & puella nostra Lydwina ferme septimum ageret annum; parentum imitata vestigia, tamquam quæ sortita esset animam bonam, docilitate spiritus & devotione socias contemporaneas ultra modum jam

PER IOAN. BRUGMAN

jam præcedebat. Bibebat ex tunc de Petra Petri filia, pro lacte guttatim salutaris sapientiæ aquas: crescensque indies seipsa maturior, lasciviæ puellaris jam exosa, consortium horrebat & ludum. Porro cum, propter puellare ministerium, ubique levandi puras manus in oratione facultas non patuisset, quo id aptius faceret in loco sancto, pio furto satagebat. Nam cum frequenter à matre ad fratres, causa deferendi jentaculum vel hujusmodi, transmitteretur; iens & rediens clam intrabat ecclesiam. Ibi quoque in cælum tensis manibus, coram dicta Virginis Matris imagine, non tam jaculatoriam, quam inflammatoriam sui ipsius oratiunculam cordialissime promebat. Et si quandoque mater, diutiori mora prægravata, quæreret, ubinam gyrovaga moram protraxisset aut iter; respondebat: Moleste ne tuleris quæso, bona mater, quia pulcherrimam Dominam nostram Mariam salutavi, & ipsa mihi salutanti gratissime arrisit. Quo audito, mater tacite rem considerans, obmutuit; æstimans sane quod spiritus Dei simplex loqueretur in ea. Nempe dulcis puellula dulcissimæ Virgini Matri parabat cordis sui vasculum; & ipsâ, Domino desuper fundente oleum lætitiæ, tamquam canale, liberaliter infundebat.

sibique arridentem videt:

B

9 Ceterum hæc de pueritia Lydwinæ dicta sufficiant. Superveniente proinde primævæ juventutis, utpote vernantis adolescentiæ, tempore; cum insolescere magis magisque consuevit natura pubertatis; aforis enitescere cœpit quid lateret in homine; cœpit & in lumine clarescere lumen, quod hactenus sub modiolo latuerat. Videns enim juvencula totum fere mundum in maligno positum, collactaneas quoque suas per abrupta periclitari vitiorum; ne candidum vestimentum, quod in sacro fonte susceperat, vel paululum macularet per voluptatis incendiolum, properavit aufugere de medio iniquitatum. Cœperunt undique amatores mundi hujusmodi Virgini, satagente humani generis inimico, suadere carnis delicias, ad caducas divitias invitare, nec non & ad mortalis sponsalitii leges animum provocare. Illa quidem forti animo superinduta, Dominum exorabat dicens: O Domine Deus meus, aufer à me amorem scilicet corruptum omnis creaturæ, insuper & ab amore corrupto creaturæ mortalis me præservare quæso ne desistas. Ex quibus verbis liquet luce clarius, quam nec amari nec amare peroptabat, amore inquam qui Deum excludit.

paulo adultior, sed supra ætatem prudens,

cœpit mundum aspernari:

C

10 Porro cum esset formosa corpore, statura elegans, in rebus domesticis tractandis (quamquam duodennis) expertissima, modestiæ disciplinæ admodum grata, & ob hoc etiam à dignioribus ditioribusque ad conjugium à patre peteretur; tandem pater importunitate precum victus, pauperculus cum esset, quasi c eufortunium nactus, inquisivit glorianter, super iis quæ sibi offerebantur, filiæ voluntatem. Quæ respondit: Non est in voluntate mea, peroptime pater, ut virginitatem meam pro conjugio mortali exponere velim: thesaurum habeo in vase fictili, quem amittere non proposui. Qua ex re te deprecor, ne amodo mihi sponsum commemores, si natam, quam genuisti, velut genitor ames. Cum autem hæc & similia verba inter patrem & filiam tractarentur, affuit mater ejus, secreti filiæ conscia, & ait: Frustra, marite, super facto conjugii filiam alloqueris: nam prohibet hoc nedum ætas juventutis, prohibet nedum pietas voluntatis: quin imo unica filia cum sit, unico Deo, si velit maxime consecranda est ejus libertas virginitatis. Quibus à matre prolatis prudens Virgo, constanti simul & pudibunda facie, gemens adjecit: Ad hoc, inquit, carnale connubium spontaneam me non alliciet homo vivens: &, si vim passa fuero, talem in corpore mihi deformitatem imprecabor à Domino, quo de cetero ad sponsalitium non coarcter. Quo audito cessavit quassatio, cessavit eam ex tunc angariare pater; quid Pater misericordiarum in filia sua disposuerit, patienter expectans.

& ad opulentas nuptias invitata

constanter renuit.

D

11 Sciens Lydwina quam inter latrunculos necesse haberet interdum conversari, & quam opus esset propter vepres & spinas ac saxa declinare vias anfractuosas ac latas; cœpit custodire vias duras; cœpit ex tunc magis ab hominum simul & coætanearum aspectibus se subtrahere; cœpit simpliciter domi consistere; cœpit insuper & virginitatis propositum gemebundis precibus Deo commendare. Verum cum se ab omni tumultu secularis vanitatis & turbinis sequestraret, succrevit in solitudine simplicitas, in simplicitate devotio, in devotione dilectio flammescere cœpit. Ignorabat adhuc tenella Virgo cælestis allocutionis arcanum, donec facta manu Domini super eam disceret humiliari, & in vivida carne terrestris hominis scoria compurgari. Videbatur enim adhuc informe quoddam chaos ad divina degustanda; quod cura paternæ domus ex toto sibi necdum viluerat. Sed hic qui pauperem facit & ditat, humiliat & sublevat, adolescentulam suam paulisper emundando deduxit ad hæc; & quidem Spiritus Domini bonus in pauperculos respicit & contritos spiritu atque trementes sermones ejus. Ut igitur ad Spiritus sancti persuavissima susurria coaptaretur anima ejus, visitans visitavit eam oriens ex alto Dominus, ita ut dicere posset illud Psalmi, Castigans castigavit me Dominus, & morti non tradidit me. Enimvero multiplicatæ sunt infirmitates ejus, ut acceleraret, accelerando Dominum quæreret, quærendo Patrem inveniret, inveniendo Deum possideret.

seculi vanitates fugiens

E

porro expurgare Deus morbis aggreditur.

Ps. 117, 18

ANNOTATA.

a *Ne otiose hoc dictum putes, cum simplici allusione ad Lucam in describenda Baptistæ Nativitate; notanda antiqua Belgarum consuetudo, etiam nunc inter rusticos perseverans, maxime in provinciis Transmosanis, qua omnes certo intervallo vicini, etiam pueri, ad baptismale symposium invitantur: quo fit ut etiam nunc vici singuli dividantur in districtus, quos vocant* kerstspel.

F

b *Cum Antiphona Mariana, quas persoluto divini Officii Completorio subnectit Ecclesia, in plerisque Belgii ecclesiis, ubi sacellum vel altare B. Virginis erat, solemnius decantari quotidie cœpissent, cœpit etiam plebs devota ad eas frequentior convenire, quæ alias operi suo intenta prolixiori Officio Vesperarum haud ita commode interesse potest. Et hoc est quod apud Teutonice loquentes vocatur* Laus D. Virginis, *apud Gallo-Belgas vero* Salve, *à dictarum Antiphonarum præcipua, à Trinitate usque ad Adventum usurpanda. Accesserunt postea Salutatio Angelica, & Letania Lauretana, aliaque in honorem D. Virginis cantica, primo nomine semper remanente.*

c Εὐτυχίαν *aut* Bonam fortunam *diceret, qui voce integre aut Græca aut Latina uti vellet.*

CAPUT

CAPUT II.

De principio infirmitatum ejus & quomodo à medicis derelicta sit.

Duodennis diuturno languore deformatur:

12 PORRO ætatis suæ anno decimo quinto vel circiter, aggravata est manus Domini super ea: nam dejecta prolixi languoris gravedine, facta est facies ejus squallida, recessit decor ejus primus, adeo ut spernerent eam qui prius nimio amore capti fuerant, faciente illo qui pulcras animas in corporibus deformibus non abhorret. Cumque despicabilis admodum esset cunctis effecta, factum est una dierum tempore hiemali, cum stridentes campi præ algore communiter inhorrescunt, & flumina, præsertim in partibus Aquilonis, in glaciem constringuntur, & Virgo nostra Lidwina stratum infirmitatis nuperrime dimisisset, ecce recreationis gratia veniunt & reliquæ sociæ virgines, invitantes eam, quatenus paululum solatii super glaciem, more adolescentularum regionis Hollandiæ, accipere dignaretur. Illa vero, velut altera Virgo Sara, quæ numquam cum ludentibus se miscuit, omne humanum solatium detestans, ob Dei reverentiam pariter & corporis invaletudinem, ire non consensit. Tandem molestantibus illam coæqualibus suis, ut saltem vel modicum secum super lubricam glaciem, à longe ceteras prospectura, conscendat; finaliter acquievit.

à quo relevata,

B

& ægre à sodalibus persuasa

glaciem conscendere,

13 Ascendit igitur cum vicinis super aquas, glaciei lubricæ se debili corpusculo exposuit, cursitantes hinc illincque coætaneas pariter & jocantes tantum *a* aspexit, &, pro dolor! morulam vix fecerat, & ecce una puellarum rapido cursu veniens, sesequé ab impetu cursus cohibere non valens, in Lydwinam casualiter impegit, impactamque super fragmina glaciei dira collisione dejecit, sicque dejectæ costam unam intrinsecus frangi coëgit. Illic igitur obortæ sunt lacrymæ, illinc invaluere clamores: quæ cum gaudio super glaciem adducta fuerat, cum incredibili virginum ploratu, desperabiliter læsa, manibus amicorum deportatur. De lecto doloris ejus vix die illo descenderat, & ecce, numquam incolumis descensura, rursum ascendere, haud dubium Domino volente, compellitur. Stupebant autem qui videbant; admirati sunt omnes qui casum tam subitum audierant. Itaque, prout in gente stulta & populo barbaro consuetum est, aliis ex pietate in lacrymas resolutis, alius sic, & alius quidem sic de Virgine, quam manus Domini tetigerat, loquebatur. Viri autem illi, quibus pudentissima Lydwinæ vita innotuerat, & quibus mens sanior erat, rem tacite intuentes, dixerunt; Quia manus Domini fecit hoc. Quod & plane rei successus edocuit.

a

in ea unam costarum frangit.

C

malo huic nil proficientibus medicinis,

Ecli. 38, 1

14 Adducuntur omni ex parte & pretio ac prece medici, confluunt & chirurgicæ artis viri expertissimi, ut suis adolescentulæ periclitanti de vita succurrant medelis, suis putrescenti Christi sponsæ subveniant pretiosis unguentis. Quid dicam? Numquid artem medicinæ aut chirurgicæ confundemus? Absit ut confundamus eos, quos sacræ Scripturæ honorandos commemorant. Sed quid dicam? Numquid non defecerunt scrutantes scrutinio? & quidem non defecerunt in Virgine prostrata? Sed vere digitus Dei erat illic: neque physicus locum habet aut chirurgicus, ubi solus Dominus vulnerat & medetur. Succrescunt exhinc labor & dolor, multiplicantur in pectore simul & sub costis passiones infinitæ: accessit rupturæ gravissimum apostema: fiunt semper, judicio physicorum, novissima pejora prioribus: consumuntur paternæ, quamvis tenues, in procuranda filiæ cura facultates: desperatur ex integro de salute.

succedit apostema internum,

15 Erat autem illis in diebus archimedicus regionis Hollandrinorum, vir philocalus, ac devotorum pauperum zelator magnus, nomine Godefridus *b*, cognomine Sonder-dank. Hic cum audisset & vidisset quæ quantave Dominus operari cœpisset in Virgine, digitum ori imponens ait, Infirmitas hæc, carissimi, nostram transcendit facultatem: quamobrem in veritate dico, quod si tot aureos quot sidera cælum continet, pro cura Virginis hujus accipere voluerimus, incassum laborabimus: altioris enim indaginis opus est, principibus nostris Galleno, Hippocrati, & Avicennæ medicis famosioribus prorsus ignotum. Dico vobis, inquit, carissimi mei, quod judicio meo, auctor naturæ Deus tot & tanta facturus est in hac adolescentula, quod & quanta forsan à seculo in una eademque mortali creatura non sunt audita. Et utinam filia mea foret, pro tanto pondere fulvi auri, quantum caput ejus æqua lance pensare potest. Sane quodam præsago mentis oculo cernebat, quod apud Dominum condita erat simul vita & mors Lydwinæ nostræ, & signata foris in thesauris ejus.

b

quod incurabile pronuntians quidā

mirabilem futuram prædicit.

Rupto apostemate.

16 Omnium igitur medicorum destituta solamine Virgo dolorosa, in sola spe Dei viventis, furente dire apostemate circa regionem læsuræ costarum, huc illucque motabatur, nusquam sibi requiem reperiens. Accedit propius pius vetulus pater ejus Petrus; & quo potuit modo consolabatur unicam filiam suam. Verum cum increscerent puncturæ corporis Virginis, concrevere simul & miserabilissimi gemitus, invaluere suspiria; reddebatur angustus omnis locus, absorbebatur præ nimia stimulatione animus omnis. Victa tandem torturarum voragine, sui ipsius nescia, de grabatulo quo se involverat, in sinum senis miserentissimi se deiecit. Unde mox apostematis apertura subsecuta est, & humore profluente intrinsecus, cum exitus non pateret aliorsum, statim accedente pœnosissimo vomitu, membratim discindi videbatur; plorantibus qui aderant quod mors in janis esset.

E

succedunt alii atque alii morbi,

17 Ab illo denique die aperti sunt oculi domesticorum, ut viderent quod solus Dominus opem ferre posset illi, & quia universum stratum ejus versaturus sit Dominus in infirmitate ejus. O quam gravis futurarum ægritudinum arrha! o tortionum dira præludia! O si ex tunc vidisses electam, sed misellam adolescentulam viribus omnibus destitui, membrorum omnium beneficio privari, genibus solis & manibus super humum reptare, monstro similiorem quam homini; nunc trunco, nunc scabello per angulos domus motari, interdum instar vermiculi huc illucque moveri, & siquandoque tempore Paschali communicatura foret, aliorum manibus comportari; utique à lacrymis te continere non potuisses. Quis enim non fleret videndo virginem, adolescentulam speciosam, adeo deformari? quis non condoleret omnibus amabilem, omnibus desiderabilem quondam, jam ab omnibus aspernari? Nempe cibo & potu, somno, jocis delectantur hujusmodi homines; in spectaculis & choreis, in ornatibus & cantilenis puellæ.

quibus tota deformis facta,

18 Sed de Lydwina ipsa quid dixerim? Omnem escam abominabatur anima ejus, quam vel pluscum sumens, discrasiâ stomachi statim enomere cogebatur. Omnem pretiosum potum similiter exhorrebat: nam fastidiosus stomachus, instar prægnantis feminæ, sæpius de lebetibus tepidam aquam, quandoque vero de canalibus fœtidam aquam appetens, hauriebat. Stomacho vacuo somnus ei modicus vel nullus, ut ita loquar: lacrymis rigare stratum

& stomacho debilitata,

PER IOAN. BRUGMAN

ſtratum per ſingulas noctes. Solum erat ei ſolatium; & ab omnibus monſtruoſa reputari, & à collactaneis tamquam mortua derelinqui, felix illi fuit exercitium; & in abſynthio multiformis amaritudinis, comitante paupertate ſpiritus, cum Job ulceroſo gratias Deo agere, illi manſit ad bravium. Quanta enim amaritudine ſpiritus, quantave corporis cruciatione, quanta quoque utriuſque hominis dejectione tribus annis primis vitam tranſegit, ſoli Deo notum eſt, & illis quibus hoc placuit revelare. Latebat autem Virgo in domo fictili diſpicabilis omnibus, gravis quodammodo facta univerſis.

deſpicabilis redditur.

19 Qualis tamen fuerit in oculis Dei quæſo videamus. Nam interea dum ſic famula Domini ſub manu Domini tamquam pila rotaretur, factum eſt ut duo viri in platea rixarentur, & poſt verba ventum eſſet ad verbera: unus autem eorum, altero vel infirmior vel vecordior, fugam ſumens, domunculam, in qua Virgo jacebat, ut in ea ſalvaretur, ingreſſus eſt. Statimque apro furentior hoſtis fugitivum ſuum adverſarium ſubſequitur, & matrem Petronillam ſpumanti ore alloquitur dicens: Ubi eſt filius mortis iſte? Nonne ingreſſus eſt domum tuum? At illa, videns quod gladio extracto vir virum, quaſi ſanguinis ſitibundus, inſequeretur, continue virum intraſſe tremula negavit. Ille autem quaſi furibundus ad camerulam filiæ currens, ſimili modo ut prius, an illic hoſtis ejus eſſet quæſivit. Quæ reſpondit: Vir quem queris, ut reor, hic eſt. Mirum dictu, tamquam cæcitate percuſſus, circumquaque reſpiciens, neminem vidit: ſed in manſuetudinem mutatus ex Virginis reſponſione, diſceſſit, & vir qui quærebatur liber abiens, de ſalute gratias egit. Mater autem humanum aliquid paſſa, cum filiam ſuam virum prodere putaſſet, & ſic ſua reſponſione perimendum timuiſſet, obiurgatoriis verbis cum alapa cœpit increpare crucifixam filiam dicens: O veſana & impia, quid eſt, quod dixiſti? cur prodis virum, impiiſſimi hoſtis gladium fugientem? Hoc autem decebat pietate naturali victa mater, putans quod ſuo officioſo mendacio obſequium gratiſſimum Domino præſtitiſſet. Illa vero, cum patientia multa matris alapam ſuſcipiens, ait: Fides mea talis fuit, o mater, quod potens eſſet veritas animam viri ſalvare, qui confugerat ad me. Ex quo verbo quievit mater, & ſalvatus eſt ſanguis innoxius in illa die: etenim dextera Domini fecit virtutem, fortiorque fuit muliere veritas: quippe propter veritatem & manſuetudinem & juſtitiam, hoc initium ſignorum in ſponſa ſua facere Dominus noſter Jeſus Chriſtus dignatus eſt.

hominem à gladio. Hoſtis fugientem, adſe intraſſe fatetur, ac ſalvat.

B

alapa interim à matre percutitur;

C

ANNOTATA.

a *Priores Vitæ ipſaque imago ante hoc caput impreſſa, Virginem repræſentant etiam ſufferratis ſoleis, ad curſum cum aliis pariter ineundum, indutam. Prima autem expreſſe ait: quod* ſic eundo vel tranſeundo, incaute pedes regens, cecidit.

b *Hujus agnominis rationem dedimus in Vita Priori, ubi vocatur* Godefridus de Haga.

CAPUT III.

De confluxu aliarum gravium ægritudinum in corpore, & de ebullitione vermium in ventre.

20 Prodiit igitur, ut antea dixi, propter fracturam coſtæ, apoſtema prorſus ab hominibus incurabile; quodque poſtmodum facta violenta ruptura, fluenteque per diverſa membra peccante humore, diverſimodas attulit ægritudines. Cœperunt in primo, ex illo, tamquam radicali principio, contigua ſeu vicina computreſcere membra; cœperunt proxima conmarceſcere ventris inteſtina; & cœperunt inſuper vermes horridiſſimi, modo quodam inaudito, de profundo corporis ebullire: qui quidem ita multiplicati ſunt & adeo invaluerunt ſuper numerum, ut in uno eodem utero ternam aperturam poſt corroſionem viſcerum facerent, & morſibus eorumdem ac humorum marcedine ſeſe mutuo ad terebrandum juvantibus, in Virginis corpore foramen unum ad latus dextrum, aliud vero ad ſiniſtrum, tertium vero circa declivium ventris patebat. Forma trium harum aperturarum mirabilis, & figura tendens ad orbicularitatem; color omnino niger, aſpectantibus incutiens ſtuporem ſimul & horrorem; magnitudo vero quantitatem fundi ſcutellæ communis (quemadmodum & ab iis accepi qui viderunt) continebat. Vermium autem ſic ebullientium numerus, interdum centum, interdum ducenti, communius autem ultra centum per ſingulos dies. Aſpectus eorum horribilis, color quoque eorum griſeus, materia quodammodo aquea, ſpiſſitudo vero juxtà groſſitudinem extremæ partis fuſi communioris; longitudinem articuli digiti manus protendebatur. Modus quidem hujuſmodi vermes evocandi extrahendive vivos hic erat. Fiebat malagma ex adipe frumenti & melle optimo, pinguedine caponis electi ſimul commixtis: quod ſuper aperturam virginalis alvi poſitum, vermes ſua dulcedine attrahebat, ne more ſolito vitalia membra contingerent; ne vivi vivam tanto cruciatu contorquerent. Talibus namque vermibus tabernaculum virgineum quotidiana domus erat, tales fructus per aperturam ventris parturiebat: qui priuſquam venirent ad partum, omnia vitalia membra circuire credebantur.

Computreſcentibus inteſtinis,

E

per tria ventris foramina vermes ſcaturiunt,

provocati malagmate quodam,

F

21 Porro facti hujus occaſione contigit novum quod referam. Curatus a quidam erat illius temporis, parochialis videlicet eccleſiæ ſupradicti Schiedam oppidi, profeſſione Religioſus, Andreas nomine, & ipſe dives. Hic cum delicioſum facturus eſſet convivium, non pauperes & claudos, non cæcos & debiles invitavit, ſecundum Evangelium; ſed potentes & divites, nobiliores & magnates, ſecundum ſeculum convocavit. Pro horum igitur convivarum magnifica reverentia, lautiora ſibi comparaverat altilia diverſarum ſpecierum; capones præcipuos, multa pinguedine longa enutritione confertos. Res hæc Virginem non latuit, quinimo, pauperrima cum eſſet, per internuntium & poſtmodum per ſeipſam, pro obtinenda modica caponum arvina, ut paſceret rodentes vermiculos uteri ſui, velut dictum eſt, humiliter Curatum poſtulavit. Quid plura? Negat ille, quemadmodum & dives epulo marcenti Lazaro micas; allegat mendax caponum ſuorum maciem, plus timens temporalis gloriæ perdere laudem, quam Chriſtum in paupercula filia de tantillo conſolari. Cui & illa dixit: Rogavi te, Pater, & non exaudiſti me:

a ad quod adipem negans avarus Paſtor,

quem poſtridie invenit in catino abeſſe.

me: oro cælestem Regem, quia pro reparatione corporis ulcerosi pauperi, tantillum de superfluo tuo semota caritate negasti; ut devoret cattus, quod non accepit Christus. Quod, ut pie creditur, divino nutu factum est. Advenit statuta dies convivii, aptantur capones, extrahuntur de singulis adipes, & ponuntur in promptuario, ubi parata omnia: sed quod accuratius de sero putatur custoditum, totum de mane invenitur abesum, & quasi à bestiis omnino laceratum. Placuit enim miserantissimo Deo ridiculoso signo, quamquam notabili, servum suum in modico fidelem cautiorem efficere, ne cultores Bel & ventris adeo veneraretur, quo minus & ipsa Crucis amica, pro suis miseriis relevandis, pietatis oculo de particulis superfluis provideretur. Hoc autem per digressionem dixerimus, ad propositum nostrum redeamus.

dissoluta scapula

22 Oportebat itaque in domibus divitum, contra prædictos vermes, materialia quærere, quibus defenderetur vita Virginis, atque vorax rabies scatentis continuo vermis compesceretur. Cœpit exinde dextera scapula computrescere, adeo quod non nisi fasciis vel mappulis ad hoc aptis in aliam poterat gyrari partem; alioquin compago membrorum fuisset prorsus dissoluta. Quamobrem usque ad diem mortis suæ resupina jacebat, quo & cælum apertius respiceret, ceteris membris corporis tanta invaletudine dejectis, ut solum caput cum sinistro brachio liberius posset permovere. Dextrum quidem brachium ignis, quem vulgus sacrum nominat, usque ad ossa consumpserat, ut nervi chordarum instar in cithara positarum libere plecterentur: & hoc idem brachium tempore multo, uno tantum nervo firmiore pendulum, reliquæ massæ corporis cohærebat. Caput ejus punctionum aculeis & malleationibus affligebatur sursum: frons vero ejus antrorsum, fissura longa lataque, ad modum anfractus deformabatur: similiter & mentum ejus fissura usque ad labrum divisum, cum coagulo sanguinis, tumefacientis loquelæ membra, sæpius loqui prohibebat.

brachium sacro igne consumitur, frons & labrum finduntur, obtenebrantur oculi,

23 Oculorum passiones inexhorribiliter pertulit: quorum altero penitus extincto, reliquo lumen naturale ferre sine sanguinis effusione novoque cruciatu non valebat. Dolores vero dentium frequentes, pleno dominio per hebdomadas sæpe ac per menses, aliquando sine cessatione, ad insaniam usque eam provocabant. Guttur ejus sæpissime squinancia ceterisque passionibus innominabilibus præfocabatur: adeo quod vix interdum Corpus Dominicum trajicere posset. Tam copioso fluxu sanguis per nares, os, aures & oculos versabatur, ut & videntibus nedum horrorem incuteret, verum etiam devotulos quosque ad profluvia lacrymarum permoveret. Habebat interea sæpissime rubentis aquæ vomitum, in tanta copia, quod interdum in uno mense vas magnum vix suffecisset capere fusum liquorem, quantum conjuncti bono modo duo viri communiter possent portare. Et siquando à curiosis aliquibus super hoc interrogaretur, unde tantus liquor sibi adventare posset, cum nil alimenti sumeret ut ceteri homines; respondebat, Dicite & vos mihi, o sapientes, unde viti tantus liquor accrescit; quæ tamen in hieme flantibus ventis frigidis, arida videtur & mortua? Sicque sapienter indocta doctis satisfaciebat.

accedunt dolor dentium, squinantia, copiosus vomitus humoris sanguinei,

24 Quid ulterius multis immoror? Virgo Christi pulmonis penitus & hepatis partes quasi frustatim (ut audivi ab eis qui viderunt) amisit. Igitur ubera ejus ineffabilibus pustulis atque apostematibus, ut plerumque, saniem emittebant. Calculi tortura mirabilis eam vexans ad mortem usque perduxit: & hic magnitudinem ovi columbæ prætendebat, continui vicissitudinem martyrii suscitans, stimulis atrocioribus sæpissime sensum cohibens & loquelam. Et hac quidem infirmitate præcipue se mortem incursuram prædixit. De ulceribus epidimiæ ne tacuerim, cum illi fuerit donum singulare nonnumquam, in communibus plagationibus & castigationibus Domino super populum terræ illius Hollandiæ, cujuscumque infirmitatis ac pestilentiæ primitias in corpore pati. Intestinorum magnam partem (ut inferius) pendulam suo in conspectu diu tenuit: unde marcentibus cunctis partibus inferioribus ventris, sacculus lana plenus, ne prorsus effluerent, supponebatur. Tibiarum & pedum sensibilitate privata, vitam miserabilem annis multis cucurrit: &, si super naturam à Domino per intervalla sensibilitas ad tempus modicissimum præbebatur, id non ad solatium, sed ad nova genera passionum suscipienda, mira dispensatione fiebat.

defectus intestinorum, calculus, pestilentia ulcera, marcor tibiarum & pedum,

PER IOAN. BRUGMAN

febres diversa,

25 Cujuslibet speciei febrium, diversis tamen temporibus, paroxysmos passa est: nam hecticam, tertianam, quartanam sustinere contubernale fuit. Nunc simplici, nunc composita, nunc ephemera, nunc acuta fatigari, ludus putabatur quotidianus. Ultra quid protraxerim? Nempe in corpore non erat membrum, quod xenia dolorum inauditorum evaserit. Non in latitudine medicinalis facultatis ægritudo memoratur, cujus donativum non persenserit: non in venis gutta sanguinis, quæ subterfugerit virgam Dei paternaliter castigantis. Noverit tamen pius lector, quod harum ægritudinum aliquæ fuerunt permanentes usque ad extremum vitæ; aliquæ vero perseverantes in Virgine ad tempus, certorum scilicet annorum, mensium, hebdomadarum, dierum, horarum. De sanitate verumtamen naturali annis triginta octo novit minime: de gratia vero Domini nostri Iesu luculenter valde.

omnis generis morbi:

quomodo initio aliquid humanum passam Lidwinam

26 Sed de hac materia nedum ad propositum: quandoquidem cum initio passionum harum à Domino est prostrata, humanum aliquid obrepsit animam ejus per hunc modum. Factum est una dierum ut audiret ridentes simul & jocantes iuvenculas, vitularum more, quemadmodum post epulas genus illud consuevit: quapropter sui ipsius oblita, cœpit amarissime lacrymari, tamquam quæ absque ulla spe recuperandæ sanitatis quasi compedibus detenta jacebat, & à coætaneis oblivioni data esset, mortuaque à corde. Quis sanæ mentis, novitiam querelari cohibeat, sub ferula tam gravis disciplinæ, quæ mœrorem habet, sic prostratam? necdum spiritus unctione delibutam? nondum scuto patientiæ Christi communitam? cujus in dolore vita, cujus anni in gemitibus? cujus turbatus est oculus, cujus turbatus animus? cui non est in carne sanitas, nec pax ossibus ejus? Quis ex Sanctis omnibus, propriis naturalibus derelictus, cui vivere mors & cui mori vita, præ tædio non esset passus aliquos pusillæ patientiæ motus?

mirum videri non debet.

27 Nempe ad consolandum Job convenerunt amici, cujus sathan carnem tetigeret: & nihilominus patienter impatientis, & mira loquentis spiritum Dominus in solido posuerat ne peccaret: sic quoque nostra Lydwina, in primis quatuor annis humiliationis suæ, secundum interiorem hominem necdum à pigmentario Christo plenius delinita, secundum exteriorem hominem patiebatur impatiens. Quapropter molestum erat omne quod videbat, molestius omne quod tolerabat; molestissimum quod ab eo qui vulneraverat eam ulcere pessimo, quamvis spiritum ejus aliquatenus in gratia

PER IOAN. BRUGMAN cum primis quatuor annis necdum adessent divina solatia.

gratia stabilivisset, nondum tamen illi per abundantiam redundare desuper in vires inferiores extitit concessum. Unde factum est quod ipso tempore querulosi ploratus, cum sic lacrymaretur, supervenerint parentes vetuli, ut consolarentur natam suam; venerunt & quædam collacteneæ, ut confortarent sociam; venerunt propinqui & noti ejus, ut verbis recrearent consanguineam: sed molestus efficitur consolator omnis & gravis, cum non est qui medeatur vulneribus, non est qui prostratam à Domino relevet, non est qui spiritum consolari possit ex omnibus caris ejus. O, inquit, me miseram inter viventes! O me abiectissimam inter morientes! Quare facta sum in opprobrium vicinis meis, & timor notis meis? facta sum velut vas perditum, velut abiectio plebis. Sed qualiter hanc Dominus solus consolari dignatus fuerit, animadvertamus.

CAPUT IV.

De virtute patientiæ sibi divinitus concessa, & qualiter cœpit in ea proficere.

Ioannes Pot
B

28 SUscitans igitur suscitavit Dominus spiritum hominis Dei, cui nomen erat Ioannes, cognomentum vero Pot, quod Teutonice, Olla, dicitur (& merito, quia mors in olla Lydwinæ cum esset, propter colocynthidas passionum; hic, tamquam missus à Deo farinulam protulit, scilicet diem consolationis) qui ita Virginem affatus est dicens: Noli, filia, noli amittere confidentiam tuam, quæ magnam utique habet remunerationem. Patientia tibi summopere necessaria est, ut voluntati Dei tuam conformans, vitæ perpetuæ repromissionem accipias. Christo etenim in carne passo, & tu ipsa, quæso, eadem cogitatione armeris. Nonne Apostoli verba sunt hæc? videlicet, Hoc & sentite in vobis quod & in Christo Iesu. Quis in mundo contemptibilior aut in plebe? quis illo in universis convitiis contumeliisque patiendis patientior? quis in flagellis mansuetior? quis in tormentis omnibus constantior? quis usque ad mortem, mortem autem crucis, pati obedientior? Vide igitur humilitatem ejus, laborem, sudorem, vide denique dolorem & angorem. Respice in faciem Christi tui & sponsi, qui sic te elegit sibi famulam, ut sua imiteris vestigia, ut suppleas ea que desunt passionum ejus.

virginem animat ad patientiam,

Phil. 2, 5

exemplo Christi,

cujus Passionem meditari hortatur:
C

29 Hæc & similia pius Dei Sacerdos ex caritate docuit eam, concludens tandem, quod in recordatione paupertatis Iesu, quam pertulit in hoc seculo, similiter & absynthiosæ Passionis, diem ac noctem transigeret, dum posset. Nempe sine meditatione hac non æstimabat vir Dei, virginem adolescentulam horas pariter & languores æquanimiter posse pertransire. Spopondit illa se facturam ita: verumtamen cum necdum spiritum illum acceperat, cœpit pedetentim tamquam inexperta cogitare facta Salvatoris. Sed cum de farinula Elisæi viri Dei, qui Christus est, in ollula sua necdum acceperat, amarum & insipidum videbatur esse omne quod sic in animo volvebat. Reditur ad querelas: Etenim mors in olla. Itur ad lamentabile carmen, ut prius, cum deest farina. Quam dulcia sunt eloquia Domini in faucibus devotorum, palatum mentis non percipit: quam dulcis sit vox turturis, auris obturata non advertit: donec rursum qui prius venerat, secundo veniat, Dominus scilicet Ioannes Pot, directurus pedes ejus in viam pacis.

ex quo illa primum proficit nihil;

30 Hic ergo cum venisset, perquirere cœpit, quantum in libro caritatis profecisset. Cui respondit: O pater, inquit, studium optimum, sed ignotum consuluisti: jugum grave, quamvis studiosis suave, persuasisti: sed quia super me tumentes fluctus dolorum aggravantur, insulsum redditur omne quod de Christo Salvatore meo recogito. Cernens autem in Virgine vir Dei bonam voluntatem, gaudens, ait: Carissima filia, labor improbus omnia vincit. Mitte manum ad fortia: esto quasi virago. Necesse est, tibi ut vim inferas. Depone prius ab amygdalo corticem: contere testam, ut eruas nucleum. Non enim, o filia, Moyses ad primum ictum virgæ suæ aquas excussit de silice. Persevera & vinces. Cui filia, Quomodo, inquit, faciam, Pater? quoniam præoccupant me gemitus mortis, dolores animi & corporis circumdederunt me adeo, ut quod agere volo non possim. At vir Dei Ioannes rursum. Video afflictionem tuam, perpendo satis dolores tuos: sed quid hoc si teneritudinem, innocentiam, nobilitatem, acredinem, si acerbæ mortis processum attenderis dilectissimi Domini tui, qui crucis in statera pro te pependit? Desine igitur amodo æmulari in salientibus, nec æmulaveris facientes iniquitatem: noli ponderare florem inventutis fatuarum sociarum, quæ tamquam olus herbarum cito decident: quia parum aut nihil pulchritudo formæ confert, ubi de anima sordida & deformi quæretur judicium. Quid nunc obest existentibus in cælo, quod fortitudine sua propter Christum privati sunt per martyrium aut ægrotationem; quod jocis, deliciis atque divitiis voluntarie caruerunt, dum viverent solo contenti Sponso, quondam infirmi nunc accincti robore; ubi quondam egentes, nunc divites ac locupletati sunt? Dudum etenim tristes, nunc autem gaudentes; olim esurientes, nunc vero satiati; claudi & impotentes, nunc sicut cervi saliunt. O carissima Lydwina, hæc erit portio tua, quæ perducet te in terram viventium, esse videlicet mitem & humilem corde. Scio quoque quod proprio conatu virtutes has nancisci non vales, nisi adjutorem illius habueris, qui dixit: Sine me nihil potestis facere. Hunc revera si aspiciendo in cruce perseveraveris, in veritate doceberis; si audiveris, sapiens fies; si toleraveris, requiem invenies; si subsecuta fueris, refectione suavissima perfrueris.

& hoc ipsum ingenue fassa,

D

docetur perseverare in hoc exercitio

E

addita consideratione æterni premii.

Joa. 15, 5

31 Cœpit igitur ex tunc Virgo manum ad fortia mittere; cœpit denique intellectu & affectu de torrente Passionis in via sitire: cœpit è schola cælestis magisterii humilis discipula primum alphabetum describere. Quid igitur plura? Contigit ut idem Sacerdos iterato veniret, Corpus Dominicum secum ferens reverenter, ut moris est ad languentes ejusmodi, ut ipsa tunc temporis erat: quo sumpto de reverenti manu, tertio jam cum paterno affectu Virginem cœpit ita affari dicens: Alias tecum de Domino Deo, ut te ad Passionem ejus inflammarem, feci sermonem, & jam ipse te alloquitur, dilectam, ut credo, filiam, gloriosus Dominus Deus tuus, qui pro te & propter te passus est, crucifixus, mortuus & sepultus: qui, si bona & fortis æmulatrix fueris, merces tua erit magna nimis. Mirabile dictu! Vix Sacerdos verba finierat, & ecce percussit Dominus cor lapideum, & fluxerunt aquæ largiter. O mutatio dexteræ Excelsi! o bonitas Dei immensa! Quid aliud canit Psalmista? Emittet, inquit, verbum suum, & liquefaciet ea: flabit spiritus ejus & fluent aquæ. Nempe diebus quindecim vix à lacrymando potuit contineri.

ac denique sumpta communione

E

interius immutatam se sentit:

Ps. 147, 1

32 Ab illo die cœpit oculos mentis aperire, cœpit increscente infirmitate robur spiritus concipere, cœpit omne amarum carni spiritui dulcescere; adeo ut nil ei saperet nisi solus Iesus, & hic crucifixus. Proinde septem in partes ipsius Passionis ordinem distinxit per dies singulos, quo nec ullum temporis mo-

& fructuose assuescens Passioni meditandæ,

momentũ transeat supervacue, quin absynthium Passionis revocaret ad mentem: sicq; tali exercitio se dedicavit, ut sæpius vigilans per dies & noctes, horologiũ temporis distinctim habere in mente putaretur. Ex flammifera meditatione crucis Christi in tantum inflammescere cœpit, ut nõ se sed Christum Dominũ in se pati diceret, tanta caritate jam victa. Jis igitur exercitationibus docta Christi discipula, crevit in utroque homine, donec annum suæ visitationis in grabatulo attingeret octavum.

A

suas agritudines etiam amare incipit:

33 Ceterum amplius & amplius excrevit in corpore putredo, scaturies vermium in dies concrevit, viscera cõmarcuere magis; & velut concha stilla roris, hericeus spiculis, ita Virgo passionibus replebatur. In omnibus his non peccavit labiis suis, nec stultum quid, vincente amore, cogitavit: sed in atrocissimis dolorũ aculeis, quibus sæpissime usq; ad stridorem dentium necessitabatur, Deo non modo gratias referebat, verũ etiam ipsas ægritudines augeri magis quam minui peroptabat. Interrogabant eam pleriq; si ejusmodi ægritudinibus omnino carere vellet: respondebatque, Posito quod unica salutatione Angelica omnes à me facillime possem repellere quas dicitis passiones, minime velle: usq; adeo in flagella Domini parata sum, ut malim esse relicta sub pœnis, quam penitus privari eisdem. Contigit semel tempore carnis-privij, quo populus Germaniæ plus studet comessationi quam devotioni, plus calicibus epotandis quam pauperibus refocillandis; revolvendo amarã Passionem, revoluit ipsa & populi Christiani multam ingratitudinem, dicendo ad Dominum: Domine mi Deus, omnipotens & clemens, tuam pietatem deprecor, quatenus mihi novo quodam ægritudinis ostendas indicio, quod tu ipse sis, & nõ alius qui castigationes istas super me permittis & immittis. Novũ valde! Dedit illi tantũ dolorẽ in uno crurium, tantamq; patiendi materiã ab illa Quinquagesima usq; ad Paschale festũ inclusive, quod amodo tale quid tã instãter petere formidaret, sicut ab eis accepi qui familiarius ei adhærebant quoad vixit.

earumque incrementũ aliquando petens

B

semel gravissimum cruris dolorem,

34 In proprio corpusculo percipiebat, ut superius cõmemoravi, si quę propter peccata populi Dominus immissurus esset flagella Provinciæ, unde semel factũ est quod narro. Instante quandoq; tempore pestilentiali, tamquã sedula mater, inter iratũ Patrem & reos filios se mediam posuit: quæ mox bino percussa est ulcere, in gutture videlicet & sub corde. Unde cum gratias humiliter Deo ageret, cum lacrymis addidit & rogare Dominum, in honore Trinitatis semper benedictæ, pro tertio. Quod & statim quasi telum de stridenti arcu, uni genarum ejus inflictum est: de quo, tãquam victrix de aurea fibula, & velut sponsa de signo in facie ab amatore posito, magnopere lætabatur. Unum autem illorũ pestilenticorũ ulcerũ, utpote quod in inguine fuerat à Domino inflictũ, adeo insistulatũ est, ut ceteris divinitus curatis, pro monili una cũ prioribus vulneribus jugiter ei cohęreret. Patet igitur ex hoc, quomodo in amica sua speciali dederit Dominus metuentibus se significationẽ ut fugiant à facie arcus.

alias pestilens ulcus impetrat.

C

CAPUT V.

De febribus ejus ac hydropisi, ac de intestinorum ejus extractione, & subtractione cibi & potus & somni.

35 Talibus igitur visitationibus crescens patientissima Christi vernula Lydwina, stigmata Domini Jesu jugiter in corpore suo gestabat: quæ artifex subtili artificio novisque malleationibus dietim reformabat. Erat enim quasi lutum sub manu figuli, quod in factorem non remurmurat: erat sicut argentum in conflatorio, quod sub argentario purgatum clarius sonat: eratq; velut aurum in camino tribulationis, quod probatum gratius custoditur. Calores & ardores febriles, ut dixi, domesticos habuit: talisq; modus febrium fuit ei. Præcedebat in primo calor quidam gravis & innaturalis, quem frigus & horripilatio vehemens mox sequebatur. Post modum mutabatur vicissitudo, ita ut præcederet frigus intolerabile, quod inexorabili caumate finaliter claudebatur. Hujusmodi febris adeo gravis erat, ut stante fervore paroxysmi rationis expers fieret, similiter vim loquẽdi perderet, uti voce & scripto accepi ab iis qui viderunt multoties sic æstuantẽ. Raro vel numquã, omni tẽpore quo decubuit Virgo, sine aliqua febre permãsit, etiam ad horã: sed ista specialiter dilectã probavit prę ceteris, quasi in camino ignis, supra quã dici possit.

Cum febres pene continuæ essent,

PER IOAN. BRUGMAN

36 Videntes rursũ amici ejus quod plus solito gravaretur in corpore, addiderunt adhuc medicos cõsulere, quid facto opus sit, si forte sit spes. Volat usq; ad aures Comitissæ Hollandiæ, quæ Margarita dicebatur, patientiæ nostræ Virginis fama: quæ sumpto secũ proprio medico, quantocyus illuc festinare cœpit, ubi Virgo lãguebat: & visa ea cõmota sunt omnia viscera ejus, tugurio, persona, languoribus, ceterisq; compensatis. Accessit igitur expertus medicus, nomine Godefridus; & extractis arte sua de corpore intestinis, reverentius ut potuit, marcidis seorsim positis & sanioribus reservatis; cõperit quod de spina dorsi vermes supradicti suã traherent originem, eo, ut asseruit, quod nullo falso multo tempore usa fuisset. Insuper & hoc locutus est: Adhuc modicũ tempus, & hydropisis replebit Virginẽ hanc: & ex tunc nullo liquore fomentabitur vel potu. Cujusmodi rei veritatem futura protestata sunt. His igitur seriosissime per medicum peractis, valefecit amicis & Virgini; partim mœrebũdus, quod patientis dolores auferre nõ potuit; partim vero gaudẽs, quod verũ se dixisse cernebat, de Domino in adolescentula, utpote quod magna & inaudita facturus esset mirabilia. De intestinis autem illis pars quædam, ut fertur, condita est jussu Lydwinæ ipsius; pars vero reliqua suspensa coram ea, quam & multi vivẽtium propriis adhuc oculis perspexerunt.

& aggravantur infirmitates,

medicus ejus intestina scrutatur;

E

37 Tracti sunt exinde plurimi de remotis, ut & ipsi vas dominicæ sãctificationis inviserẽt: in quibus herbarius quidã astutissimus venit, putans quod suis resolutionibus aquarũ in Virgine proficeret: sed quamquam omni studio, rore cæli super chartas odoriferas herbarũ observato, eodẽq; super foraminibus prædictis applicato, paulisper claudẽdo unũ, videretur proficere; proh dolor! mox turgẽte hydropisi in parte illa, fiebant novissima pejora prioribus. Virgo quippe patientissima, ne pusillos scandalizaret (quãquam sane nosset à Domino fieri quod sustinebat) ne videretur de se præsumere, aut Dominũ velle tẽtare, cuncta quę suasu simpliciũ consulebantur, patiebatur simpliciter. Nihilominus post omnem hominũ solertiã, duplicatis doloribus, mẽte & spiritu redibat ad eum, qui medendo vulnerat, & vulnerando medetur quos amat.

alius ei succos quosdam applicat:

sed curationem sequitur hydrops.

F

38 Constat præterea animal quodlibet perfectum, sumpto cibi potuq; pro cõtinuatione vitæ indigere: cõstat etiã ex putridis humoribus, præsertim ubi vermes oriuntur & scatent, fœtorẽ simul naribus olfactuive aggenerari. Veritatẽ autẽ dicam: Lydwina etenim nostra annis triginta & amplius panẽ nõ comedit, quantum vir sanus & incolumis pro tribus diebus necessarium vitæ habet: sic nec somnum cœpit, qui sano sufficeret tribus noctibus competenter. Pręterea de odore idem dixerim, quod in omni tempore quo vermes ebullire visi sunt, quo compago membrorum cœpit dissolvi, nil fœtoris in iis omnibus percipitur, nil infectivi exhalatũ, nil olfactui aut naribus offensivi ab ea pręsentatur. Domus ejus nihilominus erat bassa & humiles nimis, camerula ejus sepulcro defunctorũ similior quã thalamo. In tot annis terram non calcavit. Sicut nec multis annis nil sumpsit, ita nec superfluum à se rejecit. Immobiliter fixa & resupina jacet in stratu suo. Solis & lunæ beneficio non gaudet quamdiu jacuit: quippe tamquam quæ collocatur in

interim ægra omni pene cibo abstinet,

nec gravem ullum de se odorem emittit,

PER IOAN. BRUGMAN

in obscuris, inter mortuos seculi anxiatur vita ejus. Quis umquam talia percepit auribus? quis, nisi similia perspexissemus in diebus & finibus nostris, crederet hæc? Nempe per ea quæ vidi & video, compellor etiam credere quæ non vidi.

39 Proinde de subtractione victus ejus parcissimi sermonem habere operæ pretium est. In ipso siquidem primorum initio annorum sumpserat saltem interdum modicum pomi fragmentum, ad spissitudinē parvæ hostiæ: quod etiam inter ferreas tenellas candentesque compressum, insipidum omnino reddebatur: & siquando buxellulam panis cum modicissimo liquore lactis ac cerevisiæ deglutire contingeret, hoc pœnose atq; difficulter valde trajiciebat. Successu vero temporis, juxta prognosticationem Magistri Godefridi Sonder-dank, derelicto etiā illo solido pabulo, modico cynnamomo ac dactylo rarissime usa est. Ad ultimū vero quovis cibo privata, vino sobriissime sed lymphato, cum liquida zucara sub quantitate mediæ pintæ, mensuræ Comitatus Hollandiæ, potius stillandi quā bibendi causa, per integram hebdomadā sustentabatur. Quid autē Dominus in suppletionem vini operatus sit, eo tempore quo sic raro vino parū per utebatur, dicetur in secundo capite secundæ partis, scilicet profectivæ, ubi de supplectione defectuum sermo prolixior habebitur.

modico ad huc liquore ū enis,

B

40 Parentum quidē sæpius ob inopiam, aquā fluvialē afferri faciens, an defluxu aut refluxu sumpta foret, quasi physica discernebat: & quamquā ex vicinitate sinus marini importunitate ventorū vel procellarum aquæ fluminis salsedine maris confundebantur; cooperante illo qui cooperatus est Moysi & Elisæo super aquas amaras, adeo dulces reddebantur, contra naturæ morē; aquæ prædictæ. ut tamquā vino cōdito, uteretur illis ad tempus. Sane quoq; cū ablatione corporalis alimoniæ pari forma somnus prorsus ab ea auferretur, & consueto more vocali seu mentali devotioni operā daret, satagente spiritu torporis & desidiæ, mirabiliter cœpit in suis exercitiis præpediri. Et quia signanter tempore Missarū (quo toto conamine, absens licet corpore, spiritu tamen præsens esse satagebat, neo posset) consuluit suum super hoc Confessorē, quid agendū suaderet. Confessor vero discretus, hostiles nequitias depræhendens, quatenus vel ad relaxationem spiritus aut ad turbationē saltem interioris animi ab amoris vel meditationis fructu retardari posset; vidensq; quod quanto resisteret tanto plus vexaretur, suasit omni tempore dormiendū quo facultas adesset, etiam quacumq; temporis hora tentator adventaret Sumpto Patris consilio successit dies festivitatis eximiæ, videlicet Paschæ, quo etiam qui peccatis mortui fuerunt conantur per gratiam resurgere: & ecce somni meditatio supra modum orantem gravare cœpit: quem ob reverentiam festi declinans, capitis manusq; quam movere poterat diligentia vigiliq; violētia, ex tunc cōfuso tētatore, diem mortis adusq; sine dormitione quacumq; coronāda perseveravit. Et hoc de subtractione cibi ac potus & somni dixisse satis est.

aquam salsā experitur suavem:

appetentia somni tempore Missæ vexata,

C

tandem ea necessitate prorsus liberatur.

41 Amodo scripturus vitā ejus, locorum & temporis ordinem congrue servare nequiens, ad compactas veritatis materias (ut manifestētur opera Dei in Christi famula) luculentius, licet simplicius, me converto. Confluxere plurimi videre virginem, boni videlicet & mali, sapientes ac insipientes, tam simplices quam curiosi: hi ut ædificent & ædificentur; alii vero ut videant & judicent, mordeant & detrahant, quærant & insidientur. Venientes autem illi nihil viderūt formę speciosæ forinsecus, nisi vas fictile, vas lacerum atque confractū, vas monstruosum, imaginē mortis: sed cognoverunt intrinsecus in deformi formosum, in fictili vase cæleste donū, in confracto vasculo sanctificationis balsamū, in mōstro singulari mirabilem Dominū, in mortis imagine auctorem vitæ speciosum præ filiis hominum. Quærit curiosus unde sibi materia febris, quæ nihil sumeret alimenti. Miramini, inquit, fratres, unde mihi tanta febrium mearum materia? miror ego potius cur per menses singulos ad quantitatē dolii magni non exuberem. Vos crucem meam judicatis, quam videtis exterius: unctionem autem non judicatis, quia non videtis quod interius latet. Quasi velit dicere, quod secundum multitudinem dolorum erat & multitudo consolationum, quas ipsorum curiosorū deliciis, quantūcumq; splendidis, præponebat.

variis ad Virginem videndam accedentibus,

D

neque satis quæ gerebantur in ea capientibus,

42 Sicq; cursitantes properabant ad eam protervi nonnulli scioli, protervi garruli, cæci de quibus ad Timotheum loquitur Apostolus, quia devitandi sunt: quos tamen virgo pudibunda, tāquam signum ad sagittā posita; fugere minime poterat nec fugare: quorū os ponebatur in cælo, & lingua transibat in terra. Nēpe taliū insensibilitatē detexisse videtur Apostolus cū dicit, Animalis homo non percipit ea quæ Dei sunt. Talibus namq; tamquā incredulis, opera Dei potius naturæ quā gratiæ tribuentibus; cum vidissent Christi sponsam tā despecto loco in obscuro tuguriunculo positam; blasphema lingua labiisque iniquis resolutis dicebant, quia vorax est, potatrix vini, vel quia dæmoniū habet, & ejusmodi multa ut audivi. Alii autē quibus mens sanior erat, Deo dātes honorē; dicebant, quia vere à Domino fiunt hæc, & sunt mirabilia in oculis nostris. Quippe spiritualis homo dijudicat omnia. Si quis tamen blasphemos istiusmodi sequi velit, dicat impossibile apud Deum omne verbū; aut, quod instrumentū testimoniale, quod à Iudicibus oppidi dicti Schiedam per manum tabellionis exaratum est sigilloq; Cōmunitatis communitū, falsum sit: in quo tamen mirabilia, quæ fecit Dominus in Virgine, describuntur: cujus copiā de verbo ad verbū proposui operis hujus in exordio: quod eatenus feci, quatenus habeat pius lector quo gaudeat super veritate, aut detractorem Virginis ad veritatis agnitionem perducat; ipsus autem met protervus, quo compescatur à morsibus & latratibus. Habes & aliud testimoniū efficax ab inimicis, utpote stipendiariis Capitanei temporis illius in Schiedā, qui sex numero novē diebus & totidē noctibus ambierunt lectulū Virginis, quemadmodū suo loco disertim ac congruentius describetur.

2 Tim. 3, 5

alii sinistre,

1 Cor. 2, 14

alii bene sentiunt.

E

43 Beatissima igitur Virgo Lydwina, velut odor vitæ bonis & sanis, odor vero mortis facta malis, sub humili tugurio, velut Job in sterquilinio, jacebat: quę tamen velut astrum matutinum, corā Deo spiritu lucebat, facta velut apotheca cælestium aromatū, effecta velut cella suavium pigmentorum; quamvis revera frustatim vitalia, tā pulmonis quā hepatis quam etiā viscerum seu intestinorū, integritati corporis necessaria, longo marcescentia cruciatu diroq; vomitu perdidisset. Hæc tamen omnia, sic amissa particulatim, pro fœtore, merorum instar electuariorū aut aromaticarum specierum de se præbebant odorem: & qui propriis manibus confricarunt atq; contrectarunt, testimonium perhibent de his. Porro propter cōcursum devotorū ac devotarum, rem tam mirabilem videre, tractare & odorare cupientium, ne forte applausu hominum perderet thesaurum gratiarum quem cumulabat, & ne favoralis auræ flatibus retardaretur ab iis quæ cupiebat; nihil finaliter eorum, quæ sic frustatim emiserat, passa est reservari: sed universas & singulas intestinorum particulas, tam siccas quam humidas, cum etiam reservatas in pyxide modica, fodi jussit in terram. Sane igitur Lydwina, tunsionibus variis expolita, cibi, potus & somni beneficiis destituta, luminis corporalis gaudio privata, vili domuncula quasi in ergastulo, mira Domini dispensatione, sub manu summi fabri adhuc malleanda, vino & oleo piissimi Samaritani quandoque perungitur, & secundum verbum Apostoli, aliis odor vitæ ad vitam, aliis vero odor mortis in mortem, reservatur.

Non ferens concursum ad suorum lentium intestinorum frustorum,

F

iubet ipsa sepeliri.

2 Cor. 2, 16

CA-

CAPUT VI.

A

De morte matris Lydwinæ & de paupertate ipsius Virginis Lydwinæ maxima.

44 Porro quia de infirmitatibus Virginis nostræ dixerim generaliter; descendere libet amodo, quemadmodum & prætuli, ad specialia quædam. Erat quippe mater Petronilla mulier senex facta, sed laudabilis & timens Deum. Hæc cum processisset in diebus suis, ægritudinem incurrit, de qua & mortua est. Cumque deploraret dies adolescentiæ, non sine juvenili vanitate, satis tamen, ut putabat, infructuose peractos; tandem in hæc verba flendo prorupit: En, inquit, morior paupercula, cum nihil boni fecerim cunctis diebus vitæ meæ: nihilominus pro dilatatione vitæ hujus transitoriæ, nollem vel minimum vermiculum debere occidi. Sed utinam, unica filia mea quam ubere meo lactavi, pro delictis & ignorantiis meis intercedere dignetis ad Dominum: & læta moriar. Quod cum audisset miserantissima ejus filia, nimia compunctione superfusa, matrem de profundo sui cordis ita affatur, dicens: Constanti animo esto, mater mea, & manum Domini sustine patienter: in januis est Salvator, qui contritum cor tuum ac humiliatum non despiciet. Preterea si mea minima, sicut Dominus pietate sua facere dignatus est, opera, tua fieri velis: en tibi quantum possibile fuerit, ea in caritate prorsus tribuo: labores & dolores, ulcera & plagas, torsiones & vermes, vigilias & lacrymas, oratiunculas & exercitia quævis recipias: eo pacto tamen ut te per omnia divinæ voluntati resignes, nihil hæsitans quoniam ipsi de te cura est summa, tamquam salvari potenti & valenti.

Moritura matri anxiæque,

omnia sua merita transcribit Lydwina;

B

45 Audiens autem hæc mater ejus, expansis in cælum manibus, quasi securum naulum nacta, gratias Deo retulit; qui talem sibi fructum consequi concessit in filia. Migrat igitur ad Dominum pia mater: & quasi nihil jam meriti possideat, nudata propriis, ut autumat, humilis filia; quasi grandia factura, manum mentis & corporis ad fortia mittit: denique cingulum latum, grossum & hispidum, de pilis equorum contortum emi sibi procurat, ut eo tamquam balteo succingatur. Quod super marcidum corpus stricte renodans per omnes dies vitæ suæ, propter marcedinem corporis, qua marcebant etiam cingula, ipsa incessanter portabat. Cœpit modicam substantiolam, quam vivens adhuc ante obitum commiserat mater, distrahere; distractam in pretium, minus tamen debite, commutare; commutata pauperibus distribuere: divinum fœneradi modũ pro acquisitione margaritæ cælestis invenire. At ipsa cũ manum aperuisset inopi, cœpit egere præ cunctis magis ipsa.

& pro restauranda jactura cingulum cilicinum sumit:

peculium in pauperes distribuit,

C

46 Verum quod felix mediatrix dietim cum Maria matre apud diversorium Bethleemiticum pernoctabat in spiritu, tanti regis ac sui regalis stabuli zelatrix, cum adhuc culcitra superesset, eam jussit auferri. Et quidem præter hunc zelum causa satis miserabilis aderat & multiplex; tum quia secretas patiebatur infirmitates aliquas; tum quia lintei panni cum culcitra putruere subter ea præ marcore corporis & humorum; tum quia putrefacta culcitra plumæ adeo marcido corpori adhæserunt, ut nullatenus arte vel ingenio, de medio plagarum suarum sine novis stimulorum cruciatibus valerent auferri. Ob hujusmodi, ut corpori sublata est lecti mollities; & suppositis paleis simul suppositus est miserabilibus membris ejus asser durior; super quem resupina semper jacens, dies & noctes cum Christo ducebat insomnes. Hæc sine lacrymis quis referat? Nusquam mihi hodie tale speculum, nusquam mihi tale pietatis exemplar. Optimum Virgini, super asserem sic dejectæ, memoriale dabatur per hoc ejus qui nudus pependit in cruce, ac clarissimum vulnerum ejus repræsentaculum, sic assidue jacere cum dolore.

in paleis & assere jacere instituit,

PER IOAN. BRUGMAN

47 Et ecce diebus illis supervenit hiems valida nimis, qua nulla in memoria mortalium illius temporis extitit vehementior, ut præ prolixo gelu frigoreq; nivis extensæ, vulgari vocabulo, longa hiems, per excellentiam acceperit nomẽ usq; in diem hanc. Jacebat igitur Virgo, quasi in diversorii præsepio in frigore & nuditate, in stridore & calamitate, adeoq; sæpissime in extremis membris frigida & rigida, in mediis vero penitus impotens inveniebatur. Non sinebat substerni plumas tumens hydropisis: desuper operiri duplicibus negabat coacta simul & voluntaria pauperies: ad invisendam dilectam, permittente Domino, friguerat caritas multorum: tantaque livedine, præ gelu intenso, superfundebatur corpus illud virgineum, tantoq; tumore reddebatur invalidum, ut vix calefacturâ vel adminiculo quovis ad pristinas & communes ægritudinum reduci posset species. Genis etiam sæpius adhærebant sanguinis guttæ, fluentes ex oculorum alveolis; & sæpissime aquæ, quæ forti forinsecus formante gelu, tenacius congelabantur. Haud dubiũ quin solo more humano defecisset, si nõ Dominus in iis omnibus mortuus mirabiliter mortuã conservasset. Deniq; si quid ei dabatur, superfluũ sibi extẽplo fore formidãs, quasi alieni juris foret, magis egẽtibus suo judicio trãsmittebat. Dominus enim dux ejus esse voluit, qui nõ derelinquit sperãtes in se.

sustinet durissimam hiemem,

& sanguinẽ lacrymatur.

E

48 Eo tempore vir magnus quidam erat, venerabilis ætate senex & vitæ immaculatæ, nomine Wermoldus, vir utique magnæ famæ ac timens Deum, reveritus à multis: hic ad Virginis nostræ notitiam hoc ordine pervenit. Factum est dispensatione divina, quod in solennitate Dominicæ Annuntiationis, spiritus utriusque, tam dicti Wermboldi quam etiam Virginis Lydwinæ, mysterium Dominicæ Incarnationis meditando similiter; agente Domino convenirent; modo siquidem mirabili, spiritibus existentibus in corpore, an extra corpus, nescio, Deus scit. Hi ergo cum uno exercitio unove voto circa dictum sacramentum, ad quod solvendum *a* magnus Baptista Ioannes se indignum protestatur, humiliter sese dedicassent; factum est ut corporibus semotis, spiritus mutuo in tertio cælo convenirent, tantoq; caritatis vinculo se vincirent; ut redeuntes ad id quod animale est, quis comes raptus hujusmodi, & qualis, ubive moraretur, nosse corporaliter anhelarent.

sanctitatem ejus in raptu edoctus D. Wermboldus,

a

49 Pervenit igitur ad aures viri Dei Virginis diffusa notitia: ad quam invisendam illico, seclusa mora, concito itinere properavit. At ubi domunculam intravit, cernens domus inopiam, audiensq; rei gestæ flebilem ordinẽ; attendensq; faciem tumorosam, fissam & lividam; corpusculum putridum, sed non fœtidum; scatentem vermibus, sed spirantem bonis odoribus; cæcam oculo, sed & fissam labio, præ admiratione vir pietate plenus flere cœpit: insuper telo virginalis æquanimitatis perfossus & transfixus, fit inter eos gratissima de divinis collatio mutua, sermo vero ultimus de necessitatibus corporis ejus (ut pote sine quibus subsistere vita viatoris non potest) altrinsecus habebatur. Misertus est igitur verecũdę paupertiei paupertatis amator præcipuus: de marsupio suo mox argenteos triginta protulit: atq; ita valefacto Virgini, in crastinum ad usque illic vir Dei & Virgini devotus permansit.

eidem à se visitatæ

F

eleemosynam largitur;

50 Altera quidẽ die vir spiritu Dei plenus, cognita crudelitate incolarũ oppidi, qui virgineis miseriis misereri non didicerant, quasi zelator alter Elias, locũ prædicationis conscendit: tantoque fervore verbi Dei feralia corda ferire cœpit, ut quasi novum hominem adversus saxeos viros crederes suscitatum. Reverebatur autem non immerito Virginem Christi

arguit duritiem Schiedamensium,

PER IOAN. BRUGMAN

Christi vir sanctus, sanctitatis amator; quapropter venientibus sæpius ad invisendam eam [testabatur] quoniam Deum in eam tamquam in tabernaculo novo mirabilissima facere cognoscebat; unde quoque & verbum hoc de ea locutus est: Magnum revera & amplum hæc Virgo fundamentum posuit, cujus ædificium nequaquam ad perfectum in brevi tempore poterit fabricari. Quod utique futurorum multorum præscius aperte prædixit: quoniam, ni fallor eo tempore nondum Lydwina nostra medium sui cursus languendo cucurrerat: & si parum distaret à medio, longe tamen adhuc distabat à termino, quem constituerat sibi Dominus.

diu certaturam prædicit,

ANNOTATA.

a *Cornelius à Lapide super cap. 3 Matthei vers. 11* corrigiam calceamenti, *quam se indignum solvere profitetur apud Lucam Baptista, ex SS. Gregorii atque Hieronymi mente interpretatur* Incarnationem Christi. *Videri possunt Interpretes alii.*

CAPUT VII.

De tribulationibus ejus novis, & variis angustiis animæ ejus, ac modo se consolandi.

B

51 Pensatis *a* cordintimis viri Dei supradicti sermonibus, nondum ad occasum sol venerat in Virgine nostra Lydwina, sed adhuc scandere videbatur ad meridiem. Quid igitur? Paulo post ærumnas jam dictas, cœpit Virgo in viduo patre ac veterano novos haurire dolores; utpote qui jam edentulus & pauper, de *b* laboritio manuũ vivere nõ poterat: quia [ire] ad custodiendas vigilias noctis in oppido, sicut assuetus fuerat, amodo minime posset: quandoquidem & ipse in supramemorata jam hieme, quæ solito asperior inhorruerat, una cum filia sua miserias ineffabiles habuit, discurrendo per vicos & plateas oppidi, juxta exigentiam officii, noctu; adeo ut pedicam dextri pedis emortuam haberet atque contractam. Hic sanæ mentis vir, quamquam paulisper in dies incolæ de necessariis providebant filiæ; noluit tamen ipse, quantumcumque veteranus, ad necessitatem accipere de oblatis; sed tremulus aiebat, Non licet senem hunc devorare filiæ pauperis eleemosynas, cum pretium sanguinis & peccata hominum sint; sed sufficit mihi paupertas mea ut Dominum lucrifaciam.

a Pauper pater Lydwinæ,

b

& de filia eleemosynis juvari nolens,

C

52 Venit interea Dominus Wilhelmus, Comes illustris Hollandiæ, in Schiedam: hic cum audisset quod Dominus operabatur in famula sua Lydwina; misertus venerandi senis, vocato eo dixit: Ob reverentiam filiæ tuæ postula à me quod vis, ad sustentationem senectutis tuæ. Qui respondit: Divitias seculi, o gloriose Princeps, huc usque non possedi, nec in præsenti cupio quomodolibet affluere: duodecim aurei mihi sufficient pro competentia vitæ. Princeps vero illustris, viri senis simplicitatem advertens, accersito thesaurario jussit duodecim aureos annuos viro dari, qui dicuntur scuta monetæ veteris Francicæ. Ne quoque simplici vetulo fraus ac dolus fieret, cautione præstita securum effecit. Esto, inquit pius Princeps ad senem, æquo animo, nec paveas: quoniam si duplos aureos amplius tibi necessarios videris, ipse jam dicito: quoniam ad inopiam tuam relevandam te vocavi. Factus est igitur pius senex ex devoto devotior, & ex timorato factus timoratior, Deo gratias agens atque pro benefico Principe ferventius orans, Missas audiebat. Si quid superfluum ei esset, pauperibus distribuebat abunde. Quantumcumque decrepitus & deficiens visu, ecclesiam tremulus atque cæcutiens frequentabat. Precabatur eatenus filia humilis patrem seniorem quatenus domi subsisteret, veritus quod accidit quodque prænoscebat, quamquam taceret.

annua 12 aureorum pensione contentus,

& totus vacans pietati,

D

53 Una igitur dierum, senum more, domo relicta, peditans ad Vesperas, obvium itinere diabolum habuit: qui sub specie cujusdam viri sibi noti, mentiens ita senem aggreditur: Quid, inquit, agis? aut quo tendis? Eamus extra portam ut parumper recreemur. Credit vir simplex dæmoni, quem hominem fore credit amicum, & comitatus est illusorem. Qui mox senem extra urbem in foveam quamdam, plenam aquis, pepulit atque disparuit. Cumque periculum esset in mora, & senio impotens periclitaretur in aquis; adstitit à dextris statim pauperis, qui salvos facit filios pauperum: cujus nutu auriga quidam supervenit, per viam non tritam currum ducens insolito, & ut pie creditur, à Deo missus; qui statim obrigescens contremuit, & mergentem vetulum ad littus traxit; atque hunc genitorem Lydwinæ, quamquam facie mutatum, agnovit. Tractum igitur super currum suum vexit in oppidum: unde suscitato rumore per urbeculam, proh dolor! ad aures Virginis pervenit, quod pater ejus in aquis præfocatus esset. Qua de re nimirum naturali quodam compassionis gladio transverberata, extemplo astutiam dæmonis cogitabat: atque in allatione patris, mixto dolore gaudio, quod viveret, Deo gratias egit.

à dæmone protrubatur in fossam,

sed Deo providente ob pitur.

E

54 Alio quoque tempore addidit & crudelissimus hostis adurere filiam senis, scilicet Lydwinam, hoc modo. Frater quidam Virginis candelam quamdam ardentem, in angulo supra caput lecticæ, in qua quiescebat soror ejus, ne læderetur in visu, minus caute posuerat: quæ, Virgine circa mysteria Passionis occupata, deorsum cadens, parte supellectilium adusta, in palearum strue jam acerrime crepitabat, priusquam Virgo tam horrendi periculi cladem deprehenderet. Proinde cum ipsa sic in mediis flammis atque crepitantibus expositam se perciperet, nec esset qui adjuvaret; lævam manum, quam solam levare potuit, ad comburentem atque flammantem materiam posuit, atque sic ignem manu unica extinxit confricando: quo extincto manus eadem prorsus illæsa permansit. In crastino autem admirati universi & stupore concussi, soli Deo, qui sic filiam suam in flammis periclitantem præservaverat, cum diffusione tanti miraculi, gloriam reddiderunt.

Lydwina ardentis lecti sui paleas,

per se restinguit manu illæsa:

F

55 Sane quoque, quemadmodum filiis Israel Dominus, quamdiu in solitudine cucurrerunt, manna mandare non distulit: ita sponsæ suæ, non in incertum currenti sed in stadio, panem consolationis internæ non negavit. Cujus rei gratia nonnulli Religionum variarum devoti viri, cum manum Domini super Virginem modo inviso gravari cernerent, pie sentientes de Domino, sub tam patulis vulneribus simul & unctionem impertiri suspicati sunt. Unde sæpius dicebant ei: Latere nos non poteris, o soror carissima, quin Dominus tanta tibi flagella tribuens in corpore, spiritualia misericorditer tibi sua munuscula subministret. Quæ ait: In insipientia mea, fratres mei, dico, quod unctiones quamquam immerita, fundente desuper misericordissimo Domino, interdum suscipio: quoniam sine micis cadentibus de mensa dominorum meorum, catula misera subsistere non possem in tam dejecto corpusculo: sed quas qualesve quandoque suscipiam, tam vili tamque indignæ caniculæ Christi dicere nequaquam interest. Solis enim timoratissimis atque secretioribus domesticis charismatum suorum dona-

fatetur se divinis consolationibus sustentari:

ria

ria sobrie, quantum divina gloria vel fraterna caritas exigebat, revelare consuevit.

A

quibus quandoque cessantibus,

56 Suspendebat autem interdum Dominus ubera consolationis, quo Virgini nil gravius poterat infligi: adeo ut duplicari sibi flagella corporis maluisset, quam sic ab uberibus miserationis paternæ spiritu ablactari. Plane quoque spes quæ differtur affligit animam: qua de re tædio fatiscens, post omne consuetum exercitium in stimulationibus corporis, & Deo derelicta, pro deductione temporis fructuosa, quasi præsentem haberet, Angelum mentaliter alloquebatur: O frater, inquit, mihi nunc loquere, ne pigriteris nuntiare mihi de sponso meo super omnia dilecto, an forte in domum suam traducere me differat: qualis sit ejus apparatus thalami, mihi quæso nunc indica: quid agat, quid intendat, & quomodo se habeat, mihi quoque certius revelato. Nonne dilectus meus de me sciscitatur interdum & loquitur? O, quousque me in hac valle lacrymarum relinquit? Quid si sic? Quid faciam nescio: quid eligam ignoro: nam & jaculo dulcis sui amoris transfixit me, & præ incendio suæ flagrantissimæ dilectionis vulneravit me. En quia morior. Igitur, o frater Angele, nuntia dilecto, dicite sponso, quia amore langueo: impatiens loquor, amore victa: & quomodo languore deficientem me non curat, sed affligit? qui tamen misericordiam in tristes quosque servare me docuit. Ego nullatenus, o mi frater, talia sibi responderem, si mei juris foret, ut sui ego sum. O si dilectum de sublimibus ad ima, veluti & ipse me de imis ad sublimia, trahere possem: profecto non quiescerem, procuIdubio non dormirem, quin potius traherem illum, quin complecterer brachiis, quin trajicerem in visceribus, quin counirer intimis ejus.

cum Angelo familiarissime queritur,

B

eidemque ad Sponsum ac Sanctos pro se allegat.

57 O sincere mi frater, o fidelissime paranymphe, festina, discurre, nuntia dilecto, dicito sponso ardorem cordis mei, desiderium animæ meæ, præcordia intimorum meorum. Unicum quæso ab eo defer responsum, verbum saltem unum, reportato: saluta eum in penetralibus cordis ejus, & dic ei, quia ad mortem fidelis ei persevero, ac quatenus præter ipsum intra hospitium cordis mei nullum amatorem admittam. Salutabis & mihi secundo summe colendam genetricem ejus Mariam: salutabis & meos omnes fratres & tuos, spiritus Angelicos, qui coram Deo meo ministrant: salutabis denique cœtum Patriarcharum, chorum Apostolorum, exercitum Martyrum, agmina Confessorum, insuper & sorores meas in Domino sanctas Virgines, & reliquos Dei Sanctos omnes: & dicito eis, quatenus & ipsi pro me dignentur intercedere, quo & in earum collegio collega fieri merear; & ad choreas suas, soror quamvis parvula, citius admittar. Atque in hunc modum tempus deducebat; Si quando manna divinæ consolationis nimium famelica, certas ob causas Deo notas, ad votum non susciperet, quasi modo genita lac concupiscebat: quam ad solidam escam captandam Dominus coaptabat, ei tamquam parvulæ in Christo primo lac dandum erat, non esca: quamvis haud dubium spiritu, altero illorum numquam, ut pie creditur, caruerit.

C

ANNOTATA.

a *Familiare huic scriptori adjectivum, unde & adverbium* cordintime, *nescio an ab alio quopiam usurpetur.*

b *In Visione 69 S. Franciscæ Romanæ 9 Martij* Lavoritium: *in Vita autem B. Iustinæ de Aretio 12 Martij* laborerium.

PER IOAN. BRUGMAN

CAPUT VIII.

De responsione sibi ab Angelo in mentis thalamo data, nec non de visitationibus realibus Angelorum sibi factis.

Angelus languentem, animat,

58 HÆc cum apud se tranquilla mente sic formaret, ac tacito modo quasi legationis suæ nuntium redeuntem aspiceret, reviviscens quodammodo responsum adjungebat: O, inquit, electa Domini mei sponsa, sponsus tuus ineffabili fervore dilectionis, vice reciproca te salutat, & ne tædio vel pusillanimitate corruas, cordintime mandat & hortatur, quo sui reminiscaris: & quia tuum ob amorem ipse plus quam triginta annis humanarum ærumnarum particeps extitit, esuriendo videlicet & sitiendo, in fatigationibus, in laboribus, in vigiliis, in aporiis, in algore & æstu, in fuga & in persecutionibus, in contumeliis & blasphemiis, in flagellis, in pressuris, in tormentis, in puncturis, in sudoribus & in effusionibus sanguinis, in tunsionibus & extensionibus, in confossionibus & plagationibus manuum & pedum, in spineo diademate, in derisionibus, in sputis, in morte turpissima, in derelictione discipulorum, in derelictione paterna, in crucis protelatione simul & affixione, in pœnis ultra modum; vult ut memor ejus fias, sæpius saltem ad mentem reducas.

exemplo patientis Iesu,

E

citamque ei consolationem promittit:

59 Ipse nihilominus cito veniet, indubitanter te feret in sublimi, in cubiculo genitricis suæ te conducet, in thalamo Patris te collocabit. O felix sponsa, utique Rex tuus veniet tibi, desideratus tuus apparebit tibi, sponsus tuus obviabit tibi. Ecce quia præcinxit se ut occurrat, ut medeatur & consoletur. Ipse ad manum præsto est ministrare tibi, cum universa curia cælesti, cum benedicta Matre sua, Virginibusque suis sacratissimis, cum Angelis & Patriarchis, cum Prophetis & Apostolis, cum Martyribus & Confessoribus, & supernæ Hierusalem habitatoribus cunctis. Amplius iis quid requiris? An forsan adhuc fluctuas? an forsan in expectatione confunderis? Aula ejus regalis ornata tapetiis: jam thalamus ejus collocatus est, cortinæ ejus appensæ, lectulus ejus floribus respersus; ostia ejus vallata liliis, fenestræ vero rosis repletæ, mensæ ejus sericis opertæ, deliciosæ quævis epulæ præparatæ sunt, promptuaria ejus plena eructantia ex hoc in illud: vasa quidem pretiosa diversi generis, aurea simul & rutila: hortus ejus amœnus floribus, consitus arboribus: aromata vero fluunt undique. Hæc omnia, imo in infinitum plura atque majora, parata sunt, o soror. O quam ad introducendum te veniet lætus totus; & gratiosus totus dicet: Veni nunc, dilecta mea; veni de Libano, amica mea; veni de Libano, veni coronaberis. Tunc Angeli coram te cantabunt laudem, jubilabunt coram te filii Dei, ministrabunt quoque dicentes, Comede nunc, soror nostra: bibe nunc, amica nostra: inebriare nunc, Domini Dei nostri sponsa carissima.

F

ita consolata:

60 His atque aliis internis elogiis divinitus docta, nec non à religiosissimis viris, quibus multo tempore Hollandia pollet, exhortata, animi sui tædium propellebat; excitans se ad patientiam, cordis sui affectum provocabat ad ignitam caritatis flammam; corporisque positi sub pressura torcularis excitabat torporem, ad sustinendum quodvis dominicæ castigationis flagrum. Unde post hæc dicebat: Eia nunc, anima mea, confide: quia venit salus tua, & sanitas tua quantocyus orietur. Paratum cor meum Deus, paratum cor meum:

 Psallam

PER IOAN. BRUGMAN

pſallam tibi in gloria tua. Super lectulum igitur doloris ſui talibus exercitationibus, dum domitaret anima illius; quandoque præ tædio, cum Angelo ſic loqui erat aſſuefacta; ut prærogativa quadam ſpeciali etiam alloquium, conſortium pariter & obſequium Angeli ſui viſibiliter haberet, Spiritus ipſos plurimos diſtinctim nominaret, & quorum hominum cuſtodiæ divinitus deputati eſſent apertiſſime cognoſceret. In ſpecie pulcherrimorum juvenum ſibi apparebant: Crucis ſpendiferæ ſignaculum in fronte ferebant, tanto fulgore rutilantes in facie, ut ſolis pulchritudinem claritatemque multo tranſcendere viderentur. Propter differentiam enim ſpirituum tenebrarum, qui ſe quandoque transferunt in Angelos lucis, Lydwina noſtra ſpiritus lucis Cruce ſignatos in frontibus affirmabat.

& familiaritate Angelorum dignata

61 Retardabatur quandoque tali beneficio, ſicut certis probatum eſt indiciis, propter adventantium hominum frequentiam: quapropter ſæpius, ſi quid pulveris ex mundanorum hominum colloquiis contraxiſſet, ſtatim ſtruduit confeſſione detergere, ne ſuavi ſanctoque Angeli ſui contubernio privaretur.

puritati conſcientiæ ſervandæ intendit:

B

Docebant ſpiritus illi hierarchici, quorum intereſt illuminare, quatenus ipſa ſponſa ſuos defectus ſuamve miſeriam agnoſceret, agnoſcendoque patefaceret; ne ſcilicet quo ſæpiſſime fruebatur ſolamine, ſua culpa exigente, careret; & ne animæ, pro quibus patiebatur, ſuo relevamine fruſtrarentur. Nempe propter animarum expiationem, ut apertius ſuo loco dicam, ultronea miranda patiebatur. Proinde ſolita erat, juxta ſanctæ Matris Eccleſiæ morem, die ſtatuto Cinerum, Cineres de manu alicujus Sacerdotis accipere: & dum Sacerdos venire tardaret, Angelus miniſter ſalutis, in talibus vices ſuas in Virgine ſupplebat. Sane cum ſemel Confeſſor ejus dictus D. Joannes Walteri, vir bonus, veniſſet ad eam, quærens an Cineribus ſacris ſignari vellet; protinus reſpondit: Gratias Deo modo totis præcordiis ago, Pater: qui per Angelum ſuum Cineribus ſuis me ſignare prævenit. Stupente illo & admirante quis ſermo hic eſſet; adjecit illa; Extende, Pater, manum tuam & experimento diſce, an ita ſit. Quod & fecit: unde non modo ſignatam manu tetigit; ſed quo aptius ſcivit, abſterſis cineribus, frontem ſuam eiſdem communivit. Docuerat etiam eam Angelus reverenter ab Eccleſiaſticis Cineres ſacros ſumere, atque ad hoc idem faciendum amicos Dei fideliter invitare. *a* Doctrina namque Angeli, ut dixit, hæc erat; ut Chriſti fidelis quiſque Cineres accepturus, candelam cerеam accenſam, impoſito denario crucem habente, humiliter gereret: non quod de neceſſitate, ſed congruitate id requireretur; ut & fides exprimeretur in lumine, caritas in ardore, & mortificatio carnis ſignificaretur in numiſmatis cruce.

allatis ab Angelo Cineribus aſperſa,

C

a modum eos pie ſuſcipiendi docet:

62 Aliud quoque mirabile valde narro de Virgine noſtra: habebat enim Virgo ipſa virgulam quamdam de ſtipula *b* canopi, aptam æſtus tempore aut febrium ad trahendam vel pellendam cortinulam, quæ ſtratui ejus appendicia fuit. Eo etiam tempore grave fuerat in urbecula illa incendium, adeo ut ex pietate impotentem Virginem eripere de voragine flammarum plurimi vicinorum convenirent: illa vero ſciens quæ ventura erant, & quomodo Dominus propoſuerat conſervare vitam ſuam, confidens prohibuit vicinis apponere manus tuguriolo ejus: ſed non obtinuit. Nam cœperunt irrumpere vicini cellulæ Virginis aſſeres. Nihilominus rogati ut deſiſterent, pro aſſeribus primis pannos appendebant, eo quod lumen ſolis ferre non poſſet. Cumque per moram ſine dictis aſeribus jacuiſſet, mox ſanguinem effundere cœperunt oculi ejus: ob quod & illico ligna priſtina appoſita fuerunt. Perditur interea ſtipula, ſupervenit horribilium, quam ſuperius tetigi, febrium rabies, concurrit ſolſtitii æſtivalis calor exceſſivus: quibus omnibus tamquam in clibano Virgo decoquitur, & poſt diſceſſum paroxyſmi febrilis, quaſi de longe ad ſe reverſa, ſolam ſe fore ab omnibus derelictam, tempore nocturnali, proh dolor! experitur. Tandem cum præ ſuffocatione concluſi fervoris intrinſecus non eſſet ei reſpiraculum aut halitus, manum more ſolito ad virgam mittere putans, non invenit. Flevit igitur Virgo febribus fatigata, quia non erat reſpirandi facultas: flevit, quia non reperit virgam, quam cupivit: flevit, quia non eſſet homo, qui deſtitutam adjuvare poſſet.

b Cannabinam virgam, incendio deperditam,

D

in reliqua anxietate non inveniens,

63 Sed quod non valuit abſens homo, effecit præſens ſtatim Angelus ejus: & ecce detulit ei Angelus informe quoddam fruſtum ligni, quod tranſverſaliter ſuper corpus poſitum ſeu relictum invenit. At illa lignum aſperum atque groſſum perſpiciens, protinus admiratur, eo quod pro tractabili ſtipula & levi, tale quid informe ſupra ſe invenerit. Noctem igitur ut potuit, cooperante illo qui fecit medium fornacis ardentis quaſi ventum roris flantem, patienter tranſegit. Mane facto ſtatim petit Confeſſorem ſuum, Dominum videlicet Joannem Walteri, quo abſque alio rumore ſimpliciter uti conſuevit. Tandem rogat, ut de tali ligno per manum artificis alicujus virgam tractabilem & levem eoaptari faceret, nihil ei dicens quis attulerit, unde venerit: ſed tantum ut inſtrumentum ad depellendam cortinulam ſuam exinde fiat conſtanter exoptat. Exiit ergo voluntarius Pater ut quærat artificem: ſed cum in flammis incendii omnium carpentariorum aut artificum periiſſent aptiora inſtrumenta, vix materiale quoddam dolabrum groſſum potuit invenere; invenit tamen unum, quo & lævigare lignum cœperunt. Mirum dictu! ſpirabat lævigatum lignum odorem mirabilem, cujuſmodi antea numquam ſenſiſſe dixerunt qui aderant: ſpeciem tamen ligni non cognoverunt. Rapiunt exinde ſciſſas & raſas undique partes, fitque pia lis inter artificem & Sacerdotem Joannem, ut quiſque plus retineat. Non erat minima particula ligni, quam præ ſuavitate odoris auro fulvo non compararent.

lignum aliud affert Angelus;

E

cujus fragrantia inter dolandum comperta,

F

64 Currit Sacerdos relicto primo ad ſecundum *c* fabrum lignorum, rapinam deteſtans: ſed ut prius ita & poſterius fit quæſtio, quis tulerit & unde venerit, & multa ſimilia. Diripiuntur pia rapina abraſi ligni particulæ, virgulaque ad quantitatem gracilis ulnæ formatur. Rediens autem Confeſſor attulit ſecum virgulam lævigatam uti popoſcerat Chriſti Virgo, quam & ſibi tradidit in manibus, & unde venerit prædictum lignum inquiſivit. Cui Virgo reſpondit: Dominus noverit, Pater mi, ego neſcio. Ignorabat enim donec per Angelum ſuum poſtea in paradiſum terreſtrem tranſvecta, ab eodem didicit, quod ab anteriore porta paradiſi abrupiſſet illud. Ecce, inquit Angelus ejus, quia de porta hac abrupi lignum quod attuli tibi: ſuper quo tantum admirabaris, eo quod informe foret ac groſſum, quandoque lævigari procuraſti: cujus tamen præſentiam, tamquam flagellum & ſupplicium, dæmones tempore ſuo formidabunt. Quod ut audivi, & ipſemet expertus ſum corporalibus oculis, in obſeſſis hominibus comprobatum eſt. Nam vidi oculis meis dæmonium habentes, clamore pariter & ſtridore valido contremiſcere, dum dicti ligni portiuncula præſentabatur. Poſtquam autem Angelo revelante, Lydwina Chriſti vernacula virtutem ligni cognovit, indoluit, eo quod minus appretiata fuerit donum Dei, quod

c diripiuntur aſſulæ,

ipſa virgo illud è paradiſo allatum,

& dæmonibus futurum formidabile diſcit,

A quod sibi sic allatum fuerat; atque quia minorari procurarat, quod tanto mysterio futuris temporibus, pro refrænandis malignis spiritibus, servari decebat. Mox, ex tunc volante rumore per vicos, ligni virtus & redolentia celari non poterat: sed confluxere nonnulli, videndi, tangendi, & odorandi gratia: inter quos vir quidam lubricus importune se tacturum ingessit, & ex tunc solitam fragrantiam pro magna parte, ut fertur, non sine multorum stupore protinus amisit.

65 Præterea cum de visitatione Angelica sermonem habuerimus, quantam ex præsentia bonorum spirituum delectatione & refectionem habuerit balbutiendo disseramus. Contigit quamdam venerabilem viduam pulsare Virginis aures, ut saltem, si possibile foret, venientem Angelum suum in specie assumpta, veluti sibi apparere consueverat, videre mereretur. At illa: Orabo Dominum quatenus, possibile si fuerit, fiat. Orans igitur Lydwina Dominum, obtinuit quod poposcit. Ait viduæ Virgo: Clauso [ostio] siste paulisper, & juxta devotiunculam tuam videbis quem desiderat anima tua. Parum illa penes Christi sponsam quieverat: & ecce Angelus in specie adolescentuli pulcherrimi advenit, cujus facies ineffabilem candorem, vestes vero nitorem nivium prætendebant. Oculi micantes in capite velut astra radiantia coruscabant: caput vero pileum mirandi decoris habere videbatur. Replebatur cor viduæ jubilo, adeo ut quid diceret aut quid cogitaret ultra non haberet, prorsus absorpta. Videbat quasi innumerabiles manus juxta Virginem, instar pauperum eleemosynas petentium, faciem autem nullam videbat. Dixit igitur ad Angelum Lydwina: Ne spreveris, frater mi Angele, sororem meam, sed oculos quæso lucifluos in eam converte. Quod & fecit tam jucundo tamque suavi modo spiritus ille sacer, quod non modo vidua illa mentis exultationem inde sumeret, verum etiam pro cordis incendio à lacrymosis gemitibus, cum detestatione corporalium ciborum, se continere per tempus non valeret. Dicebat autem familiaribus quandoque Virgo: Non, inquit, sub sole est pœna, non dolor, non molestia, non cordis angustia, non tristitia quævis mihi nota: quæ, si solita pietate Domini vultum Angelicum mihi contemplari concedatur, quasi stilla roris absumitur à solis præsentia, ita suo in aspectu non absorbeatur. Penset unusquisque qualis sit ipse fons vitæ apud se & electos suos in patria, si ii qui ministrant ei tanta gloria, propter jugem ipsius visionem, adeo mortalem delectant creaturam.

impetrat familiari sua

B

ut illa quoque Angelum videat:

quantum aspectu ejus recrearetur indicat,

C

66 Ceterum siquando eam erat ducturus, in spiritu vel extra spiritum nescio, Deus scit, Angelus ejus hunc communiter modum cum ea servabat. Apprehendebat enim manum ejus, & usque ad Virginis Mariæ sæpe dictam imaginem, stantem in ecclesia Baptistæ Salvatoris, quasi licentiandam ab eadem, perducebat: qua salutata, mox versus orientem, ad Regionem quamdam amœnissimam floridissimamque, visibus humanis inaccessibilem, ubi liliorum quasi vernantium, rosarum & florum aromaticorum ceterorumque delectabilium & virentium, tanta videbatur ubertas & fragrantia, ut ibi nullus stridor Aquilonis gelu causare, aut ardor Austri quidpiam urere putaretur. In omnibus autem vera sanctæ obedientiæ filia studebat Angelo ductori suo parere. Illo quidem præcedente ibat, illo stante stabat, illo redeunte redibat. Erat interdum hujuscemodi florum & virentium arbustorum celsitudo & densitas tanta, ita ut sibi videbatur quod penetrare non posset: sed ab Angelo suo instar Abacuc ferebatur in eum, quem petebat locum. O delectabile consortium! o gloriosum Virginis cum Angelo colloquium! Angelis enim cognata est virginitas.

& quomodo ab eo duci soleret in raptu:

PER IOAN. BRUGMAN

67 Orationem autem consuevit ad eum dirigere qua dicebat: Dilecte frater & Angele Dei, ob cordialem quam in te gero fiduciam, humiliter & obnixe te deprecor, ob reverentiam Domini nostri Jesu Christi, quatenus in conspectu Sponsi mei pro me intercedere digneris, ut remittat mihi universa delicta mea, & me in omni bono opere confirmet; vitam emendare concedat, atque ad salutem perducat; ubi suo jucundo gaudeam aspectu, suo inebrier gustu, vita perfruar sempiterna. Ad hos igitur Angelos, Dei ministros, venerandos, inducebat familiares, tamquam eos qui die noctuque circa nos invigilant, quamquam sint natura excellentiores, intelligentia perspicaciores, facultate liberiores, contemplatione tenaciores; attamen in multis nobis familiares, spiritus administratorii, ut adsint, præsint & prosint, iis præsertim qui redempti sunt pretioso sanguine Jesu Christi. Hæc & alia multa inculcabat Virgo Deo devota, suadens prudenter ambulare in conspectu eorum, de quibus scriptum est, Qui facit Angelos suos spiritus & ministros suos ignem urentem. Ps. 103, 4.

oratio ejus ad suum Angelum,

& exhortatio ad cultum beatorum Spirituum.

E

ANNOTATA.

a *Modum quem Sancta docuit, Surius maluit dissimulanter omittere, veritus forte ne, periculoso illo seculo, esset alicui offendiculo ritus, ab Ecclesia Romana non institutus.*

b *Id est* Cannabis: *vide notam* e *ad cap. 6 Vita præcedentis.*

c *Abhinc usque ad num. 76 magna est in impresso perturbatio per incuriam typothetæ, pagellas ternionis f perperam colligentis: nam quæ secunda esse debuerat pagella, decimo loco posita invenitur, & à tergo prima pagella invenitur impressa quo debuerat esse decima, similique modo commiscenter intermedia alia; itaque finis primæ & initium secundæ partis confunduntur. Hic omnia ordinate, ut debent, leguntur.*

PARS SECVNDA

De Virginis Lydwinæ virtuoso profectu.

CAPUT I.

De profectu Virginis in virtutibus quibusdam generaliter tangendis.

68 Sane dum Christi famula velut aurum in fornace probaretur, velut hortus irriguus flante Austro germinare flores virtutum non destitit, aliisque ad ferendum semina exemplorum copiosa monstravit. Et quandoquidē caritas incipit à seipsa, posuit in fundamento lapidem angularē timorem Domini, in timore voluntatem bonam, in bona voluntate dijudicationē sui, in dijudicatione humilitatē, in humilitate patientiam, in patientia taciturnitatem, in taciturnitate obedientiam, in obedientia sanctam paupertatem, in paupertate sobrietatem, in sobrietate mentis & corporis puritatem. A timore Domini, Domino præparatura perpetuum habitaculum, dilecta Christi sponsa, sicut dictum est, cœpit domum mentis ædificare, sciens quod si quis in timore Domini steterit, de difficili subvertitur domus ejus. Hoc enim in extremis angustiis quasi ad manum semper extitit verbum, quod diceret: O bone Domine Jesu Christe, miserere mei. Sane timoratæ hujuscemodi oratiunculæ jaculum gerebat semper in vocis oraculo: quoniam timere Deum finaliter & amare secum ab infantia creverat in corde.

In timore Domini fundata,

69 Quam

PER IOAN. BRUGMAN

69 Quam bonæ fuerit voluntatis arbor, fructus indicat: quia omnis arbor bona fructus bonos facit. Suam quidem in Domino ita fixit voluntatem, tamquam radicem ex qua originaliter ceteræ gratuitæ virtutes simul & morales prodeunt: ut nihil cogitare, dicere, vel facere præmeditate liberet, quod divinæ putaret volitioni displicere. Unde verbum hoc, cum patientissimo Job & B. Francisco, bonæ voluntatis alumna sæpius dixisse virtualiter fertur: Hoc mihi, Domine, acceptissimum erit, ut affligens me dolore non parcas: cum tuæ voluntatis adimpletio sit mihi consolatio superplena. Circa discussionem sui invigilabat attentius, quæ semper propter minutissima quæque sistebat quorumlibet judicio; tum Dei, cujus flagellatione dignam se profitebatur; tum Angelorum, quorum in præsentia plures culpas suas deflendo lamentabatur; tum seniorum hominum, in quorum discretioni se sacramentaliter spiritualiterque committebat; tum etiam inferiorum, quorum conspectu atque comparatione se vilissimam omnium reputabat. Erat enim ei sæpe in animo quod ait sanctus noster Citharœdus, Quoniam, inquit, iniquitatem meam ego cognosco, & peccatum meum contra me est semper, & rursum: Quoniam ego in flagella parata sum, & dolor meus in conspectu meo est semper.

huic bonam superstruit voluntatem,

Iob 6, 10.

suique discussioni invigilat:

B

Psal. 50, 5.

Psal. 37, 18.

70 Omnibus ex hoc se subdere per humilitatis collatam sibi gratiam non horruit, quoniam & vilem se affectuose reputabat, sic quod se ab omnibus vilem credi, æstimari, dici atque diffamari etiam non refugit. Sicut & in familiaribus domus paternæ sæpius compertum est. Erat enim frontosa quædam mulier, fratris sui uxor, procax & garrula valde, quæ tanta clamositate Virginem, permittente Deo, vexabat, ut alteram uxorem Job crederes: nemini quantumcumque præcellenti aut patienti parcens: cujus ex labiis raro non nisi mordacia verba procedebant. Contigit autem Joannem de Bavaria Ducem, quadam vice sub habitu dissimulato Virginem Christi clanculo visitare: cumque clamorosa femina garritus sui relaxaret habenas, ignorans quoniam tantus Princeps cum Lydwina de secretis animæ suæ conferret; tandem commotus Princeps ex importunitate tam molestæ garrulatricis, ait: Et quomodo, inquit, o Virgo, talem hirundinem in domo tua vales sustinere, quæ sine fræno totam domum conturbat? Quæ respondit: Æquo animo, Domine mi, sunt fragilitates & imperfectiones talium tolerandæ, vel ut exemplo alienæ patientiæ corrigantur, vel ut sint exercitio virtutis iis quos talibus indigere novit Altissimus, aut saltem ne furori talium magis debacchandi atque turbandi detur occasio. Ex quibus verbis non mediocriter vir ille magnus ædificatus, de bursa sua extractam loquaci mulieri dedit pecuniam. Qua recepta parumper refrænata est lubrica lingua ejus, sed an ex toto mitigata est non affirmo.

humilitate excellens

fratria clamores

C

& aliorum imperfectiones dissimulat.

71 Patientia siquidem ex iis radicaliter pullulans adeo Virginem nostram suis loris adstrinxerat, ut ex iis quæ dicta sunt non solum virgo, sed virago; non Lydwina, sed S. Patientia merito debeat appellari. Venit tempore quodam mulier quædam, ut timendum est, de filiabus Belial, fremens & furens; quæ innumeris B. Lydwinam cœpit lacessere convitiis, injuriis, contumeliis, & exprobrationibus: quæ acsi nil aliud in corpore quam cor fellitum & venenum aspidum sub labiis possideret, & studiose pauperculam martyrem Lydwinam ad iracundiam provocare transmissa veniret; cum se minime verbis calumniosis & venenosis profecisse nosset, cœpit execralibus sputis faciem venerandam deturpare. Sed nec iis Virginem permotam videns, cœpit tandem clamoribus & maledictis, quasi vim passa foret, vicinos concitare. Virgo vero patiens furente potentior, animam suam, in omnibus his nec paulisper mota, in patientia possidebat, ita ut mirarentur universi. Nec moram passa felix nostra Lydwina, benedictum pro maledicto reddidit, officium pro convitio, gratiam pro contumelia, caritatem pro calumnia, salutem pro mortifero, beneficentiam pro sputorum illitione, protinus, eodem videlicet vespere, eidem mulierculæ refudit. Misit autem illi per internuntios clam benedictionem cum munere, sic congerens carbones super caput ejus, dicens: Nonne ipsis me beneficam impendere teneor, qui mihi caritatis viam dilatare non cessant, qua me distendendo merear? Illis debitricem me sentio, procuratricem confiteor, qui viam mandatorum Domini (quorum plenitudo dilectio est) currere me compellunt.

convitia illata sustinet patienter,

D

sputis inquinata

beneficium rependit.

72 Quid plura? Nemo tam auri pretiosi vel mundanæ gloriæ cupidus, quantum illa contemptus & despectionis: sciebat enim quoniam patientia opus perfectum habet. Quædam quoque de meribibulis mulierculis venientes ad eam, dicebant: Non est in conscientiis nostris quod credere possimus tibi, mulier, quod absque cibo corporali vita comite transire possis: qua ex re suspicamur de te hypocrisim & illusionem. Quibus illa patiens patienter ait: Neque per hoc, sorores meæ, si non creditis, incredulæ estis: discredere tamen nolite, quod operatus sit Deus. Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei. Nonne pie creditis, quod in deserto paverit utramque Mariam, Magdalenam scilicet & Ægyptiacam? De me, si non creditis, parva cura est; eo salvo quod credatis quod operatus sit Dominus. Cur enim in conspectu mortalium, manducantem me negare velim, aut non manducantem affirmare? quippe cum manducare nequaquam vituperium sit; & non manducare, quantum ex parte ipsius hominis est, gloriæ nihil habeat; & quidquid loquuntur homines, gratiam, quam in me operatur Dominus, omnino negare non possum. Tacere quidem possem, si desistendo ab inquisitione tacuerint homines.

inediam ejus fictam reputantibus,

E

modestissime respondet:

73 De taciturnitate ipsius quidem sermo si exigatur, præsto sum. Vox ejus, ut communiter, audiebatur dulcis & sonora: non dono ægritudinis, sed solius ut credo gratiæ. Unam diem de tribus aut quatuor, ut communius, quæ ad pacem sibi post febres importunas sibi à Domino relinquebatur, ad consolationem Christi fidelium in loquendo fructuosius expendebat. Nemo cachinnantem eam vidit, ridere vix umquam ex levitate percepit; serio tamen lætabunda, juxta congruentiam materiæ collocutoriæ, nec non & personarum, sæpissime visa est. Juxta doctrinam Sapientis, tempus loquendi & tempus tacendi solerter observans, in maturitate verborum & sensus gravitate, metam non excedebat. Bonum, ut dicebat, est colloquium, quod bonum silentium excellere debet. Quapropter detractorum omnium horrebat colloquium, sciens quia hoc genus sanguine pascatur & dolo: & quoniam sepulcrum patens est guttur eorum, qui linguis suis saniem lingunt, etiammet defunctorum.

sermo ejus varius, modestus, gravis.

F

Eccle. 3, 7.

74 Obedientiæ suæ laudes describere non reor, nisi fortem illam, quam hominibus propter Deum servabat, in qua se illis tamquam mortuum quoddam cadaver & vermiculum quemdam, qui pedibus calcatur, cordialiter mancipavit. De obedientia, quam exhibuit fratri suo Angelo, nihil scripserim, præter id quod lectum est: ad cujus tamen minimum pavebat nutum, insuper & tremebat. Illam tamen sanctam, quam Religiosi suam per professionem devovent,

obedientiam amans ipsa

eam commendat Religiosis:

A vent, obedientiam, vivacissimis suadelis commendabat illis, dicens: Dilecti fratres mei, cum omni mansuetudine studeatis sanctæ obedientiæ observare jugum: quoniam maximi præmii obedientia est, quam vobis Dominus suo exemplo, tamquam cohæredibus hereditariam reliquit, factus obediens usque ad mortem crucis.

75 Contigit quemdam Religiosum Ordinis Cisterciensis eligi ad onus Prælaturæ: ad cujus executionem difficilem se reddidit; & si quo modo curam animarum, sibi canonice superpositam, ex caritate declinare posset, Virginem consultum advenit. Et quia verebatur agnosci, quasi de alio loquens exorsus est in hunc modum. Noveris, inquit, carissima Soror, quemdam ex nostris electum ad officium Prelaturæ, ad quod, cum sibi videat plurima pericula imminere, difficilem & involuntarium se reddidit; sentiens quia minus apte posset explere, quæ ad hujusmodi officium merito requiruntur. Cui Lydwina mox respondit: Optime Pater, timeo ne subterfugia Fratris illius frivola sint & nulla: nam sub potestate constitutus est monachus: honorem fugere potest; onus tamen, si vires ei suppetant, abnuere non debet. Formidandum denique est illi, ne fugiens periculum minus, incidat in majus. Quasi dicere vellet, *nec probat quietis studio*

B Incidet in Scyllam cupiens vitare Charibdim. Etenim propter obedientiam, animæ levius esse sperabat in Prælatura, non procurata sed imposita, quam deposito jugo militare sub propria voluntate. Quid ad hæc? Contemnit Monachus consilium Virginis, onus abjicit, Prælaturam pro libertate declinat: sed juxta oraculum Virginis, quod minus verebatur, id accidit. Nempe (ut audiverunt aliqui ex ore ejus) tantos tribulationum anfractus incurrit vir ille religiosus, juxta verbum feminæ Dei; quod mallet incomparabiliter periculum oneris cum honore subiisse cum humilitate, quam periculosissimi otii sectatus fuisse dispendium ac mentis evagationem. *recusanti onera Prælaturæ,*

76 Hæc itaque salubris doctrina nedum religiosis onagrinam libertatem sectantibus, sed & quibuslibet devotis necessaria est, suadente Virgine ipsa cunctis atque dicente: Qui lucrum animæ suæ petit, & non damnum, stabilis stabilem figat locum; ibique in abdito, cordis sui secretarium nactus, sibi construat inclusorium; & absque dubio in brevi, sibi Dominum sentiet fieri placatum. Summe hoc genus hominum execrabatur, qui pro lubitu suæ volubilitatis dant commotioni pedes suos: Non, inquit, sanctificat locus, quantumcumque mutetur: quia quorsum se gyraverit homo, semper secum portat semetipsum. Secularibus autem verbum istud de obedientia solitum erat: Quisquis optat ut in eo spiritus Dei operetur, sanctæ matri Ecclesiæ obediens sit, ac in ea suo Confessori, à quo magna salus illi dependet, tamquam à vicario Jesu Christi: Nam sic faciens requiem inveniet, nequaquam aliter. *vel locum aliquo prætextu mutari;* C *Secularibus suadet ut confessario pareant,*

77 Paupertatis etiam rerum & pauperum zelatrix erat præcipua, quod ita fore attestantur tugurium, stratus, & rerum penuria: sed paupertatem spiritus insuper commendant in ea contemptus laudis, & sui ipsius abnegatio viscerosa. Si quando quæreretur ab ea tempore necessitatis, an scilicet abundaret; respondebat, Abundo satis. Cum tamen ex hoc à mulierculis argueretur, quibus innotuit penuria ejus; humilis Christi famula dicebat: Satis abundat, qui in eo quod habet contentatur. Quamvis enim mihi, ait, cum hominibus non sunt communes divitiæ & deliciæ, sunt nihilominus mihi pauperies & miseriæ cum iis communes; aque iis abundans, Deo gratias agens, conquiesco. Oppidanus quidam è Flandria veniens, vidensque abjectam domumculam patris Lydwinæ, obtulit ei adhuc viventi de divitiis suis construere domum solennem, in qua magis honeste quiescere posset, si vellet: cui paupercula respondit: Mihi vita comite, dilecte frater, domum ampliorem non construes: sed si quis in loco isto, pro hospitandis pauperibus, post decessum meum domum extruxerit, oro cælestem Dominum ut eleemosyna in sinum suum vacua non redeat. Quod etiam duce Deo, per bonæ memoriæ supradicti magistri Godefridi Sonderdanck filium ac medicum nomine Wilhelmum, post obitum Virginis, cernimus esse completum. *Paupertate spiritus excellens,* *PER IOAN. BRUGMAN* *recusat domum honestiorem:*

78 Parcimoniam non nisi prioris ætatis in Virgine commendare, minus necesse duxerim; cum tugurium illi fuerit palatium; stratus stramineus aut ligneus, lectus eburneus; cingulum cilicinum, balteus regius; ulcera putrentia, pretiosa monilia; horridæ plagæ, optata solatia; multæ lacrymæ, novæ deliciæ; tribulatio mundana, consolatio mira; vermes scatentes, sociales convivæ; dolores & angustiæ corporis, velut epulæ lautæ. Suadebat quippe corporalem abstinentiam, ita tamen ut lima rationis & sale condiretur; sciens quoniam corporalis exercitatio, sine comite tali, periculum facit, insuper ad discrimina ruinosa quæque disponit. *rigore vitæ*

E 79 Castitas virginalis ceteras inter virtutes tantum illi dabat insigne, ut excellentia quadam vulgo Virgo nominetur usque in præsentem diem, quamvis defuncta. Veniebant nonnulli flammiferis ignibus interdum vexati libidinis, quos lamentabiliter ob hanc miseriam lacrymantes, purissima suis consiliis, precibus ac pœnis de faucibus voraginis eductos, ad munditiam tam mentis quam corporis reducebat. Exigente porro necessitate corporalis molestiæ, matronis honestis corpusculum contrectandum exhibuit: super nudo tamen tangi vix ab honestissimis unquam permisit. Optimum sciebat antemurale virginitati fore pudorem, & firmum repagulum esse castitati à nemine tangi: quamquam inter virgines velut astrum matutinum refulgeret & velut in latebris lumen, abscondita crucifera facie viris quibuslibet non pateret. Vere igitur pulchri sunt gressus Virginis hujus, tamquam filiæ Principis, quæ velut castrorum acies intrinsecus his virtutibus ordinata, in medio juvencularum tympanistriarum graditur, innixa super formosum Dilectum. *& candore pudicitia summa fuit.*

CAPUT II.

De quibusdam operibus misericordiæ ac de suppletione defectuum & spiritualibus refectionibus ejus.

F

80 Sanæ mentis Virgo, cum nullo pastu cibi corruptibilis indigeret, ob devotionem tamen quorumdam, qui Deum in ea venerabantur, eleemosynas, pro suis & aliorum necessitatibus distribuendas, quandoque retinebat; sibi parcissima semper pro his quibus foris indigebat, aliorum pauperum se matrem fieri cordialiter studuit. Nulli negabat manum, quamdiu superesset quadrans aut obulus: & quibus non poterat extendere manum, compassivum præbebat animum, blandumque offerebat de thesauro pii cordis verbum; cibosque coctos, interdum crudos, transmittebat. Si quando præ incuria per internuntias circa deportanda quæque neglectum aliquid esset, patiens dicebat: Quod meum est, feci; quod bonum est, ipsi decernite: sed utinam primo ex desiderio meo, quemadmodum suasi vobis, fecissetis. Hoc autem dicebat, quoniam de paupere tantum illi cura fuit: quia eis, quasi de Regibus & Principibus Christi in regna cælorum futuris, vel ad horu- *Erga pauperes liberalissima* *optat eis destinatas eleemosynas prompte dari;*

PER IOAN. BRUGMAN

hortulam, consuetam annonam distrahi aut retardari non vellet. Noverat siquidem ex nomine pauperes & habitatiunculas eorum, ut quamvis jaceret in latebris, omnia tamen videret; omnia distinctè & sensibiliter solita percipere, ut quasi cum hominibus conversari crederetur.

annona divinitus pro eisdem multiplicata

81 Pro iis quoque salire carnes in hieme jubebat: salitas decoqui cum leguminibus, utpote pisis, procurabat: coctas Christi pauperibus cum benedictione mittebat. Unde factum est quadam vice, ut portio quartæ partis vaccæ, cum quibusdam vicinis, ad pascendos pauperes in sortem ei cederet: de qua cum ministræ illius coxissent cum pisis certam quantitatem, & ad saturitatem triginta domos recreassent; affuit qui diceret, Lydwina, juxta imperium tuum, triginta pauperum domos de carnibus & pisis tuis ad satietatem providimus; sed nec olla adhuc videtur minuta. Ad quæ statim respondit: Non meis meritis, sed sua bonitate id fecit Deus. Nonne promisit Dominus, Date & dabitur vobis? Nempe, mirum dictu! manducaverunt de his carnibus domestici, simul manducaverunt venientes peregrini; & cunctis præ admiratione concussis, manum Domini adesse protestantur, qui farina paupercula viduæ quondam repleverat hydriam, oleumque non deficere dedit in lecytho. Non verebantur divites quandoque de buccellulis jacentis nostræ Virginis petere, & hoc quidem pro devotione: nec illa differebat omni pro amore Dei petenti tribuere: quinimo quidquid sic in nomine Domini mittebat de eleemosynis, pennis sanctæ orationis, quibus magis redolerent coram Altissimo, sedula præmuniebat. Oratio enim, eleemosynæ pius comes est, & in refectione viscerum optimum est, corda filiorum Christi gratia stabilire.

modestè latatur:

Luc. 6, 38.

B

cuivis petenti largitur ut potest,

solicita tamen maximè pro clam egenis.

82. Illos quoque maxime pauperes pascere simul & potare secreto modo studuit, quos de mundana felicitate prolapsos ad miseriam noverat, quosque præ pudore non audentes mendicare cognovit. Clanculo, ne proderetur eorum inopia, victus necessaria mittebat, mendicans & ipsa, si quando carnes pro pauperibus deficerent. Unde quodam tempore vinum devotum poposcit, quatenus pro reficiendis visceribus pauperum quorumdam, armum porci, si haberet, coctum destinaret: quod & vir fecit: sed mox, quam grata sit Deo manus ad dandum porrecta, protinus emicuit. Vir iste (ut ipsemet confessus est paulo post) in eum locum, unde unicum & solum armum acceperat, oculos attollens; statim alium, multo majorem, pendere in eodem loco vidit: quapropter familiam suam diligentius interrogans, an quis illorum illuc tale quid carnium attulisset, & dicentibus illis quod non; de manu Domini allatum esse, sicut facto opus erat, ratus est. Fit non immerito vir Virgini devotior, fit pauperibus & ipse ad dandum paratior, fit crescente pietate pauperum amicus Deo conjunctior.

pro perna his divisa restituitur alia:

C

Epilepticæ sitienti

83 Tempore vero, de quo superius commemoratum est, videlicet quo modicissimo vino vel aqua ante adventum hydropisis utebatur; contigit novum quoddam, non tam mirabile quam miserabile & imitabile, quod dicere propono. Mulier quædam epileptico morbo laborabat, quæ ob horrorem casus gravis erat ad videndum, gravior autem ad hospitandum, gravissima autem ad convivendum: quæ, tamquam abortivum contemptibilis & contempta, sæpe corruebat in plateis. Hæc igitur in angustia spiritus tugurium Virginis eleemosynariæ statim cum intrasset, potum sibi dari poposcit. Cumque de modico vino, quod supererat, Virgo minime cogitaret, cum sola tunc esset, aquam ægrotanti bibendam monstravit, quæ illic reposita in quodam vasculo continebatur. Bibit ergo & ebibit sitibunda totum quod invenit: sed quid hæc inter tantas angustias æstuanti? Ardet & exardet languida: instat ut amplius accipiat. Venit igitur tunc in mentem ancillæ Dei, quod modicum vini superesset, quod & digito mox indicavit eidem ut biberet: ebibit rursum & aliud modicum quod invenit. Addidit petere tertium mulier epileptica; non habensque liquorem protulit Virgo denarium, dicens ei: Vade nunc, filia, cum isto denario emere tibi, & quantum tibi necessarium est bibe; vasculum autem quod evacuasti loco suo repone. Reponit vasculum, gavisa de denario, sitibunda nimis muliercula; & confestim, juxta verbum sibi datum, ut extinguat sitim tabernam petit.

D

datum vini modicum

pleno vasculo redditum invenitur,

84 Tempore vero febrium superveniente, instat Virgo apud patrem suum, qui tunc adhuc vivebat, quod porrigeret illi modicum vini, tantum ut labia tingantur, quæ sicca erant vehementer: non enim recordabatur ea hora quoniam epileptica totum ebibisset. Porrexit igitur pater filiæ vasculum: sed quod propter Deum evacuatum fuit, cœlitus à Deo impletum vino optimo mox invenitur. Mirabile valde! stupet Virgo, memor pietatis exhibitæ mulieri: vinum naturalissimum, quo nullum præstantius liberat, mox degustat: quod quidem suum colorem rubeum & saporem optimum numquam perdens, patri stuporem ingerit. Nihilominus Virgo secreti sui conscia, unde venerit, nullatenus pro tunc indicavit. Tandem cum multo tempore vinum illud de vasculo non deficeret, incuria mulieris cujusdam effusum est. Doluit Christi famula, cum tempore illo adhuc, quamvis tenuissime, uteretur vino: doluit autem magis, quia nemo hominum sibi unquam convenientius vinum attulit: quia sine aqua commixta cetera vina numquam bibere potuisset; hoc solum purum & impermixtum bibebat. Qua ex re patuit quam misericors ad pauperes Christi nostra virago extiterit, quæ feminam epilepticam de vasculo suo bibere jussit: ob quod haud dubio de cellario præpotentis Dei vinum electum accepit.

E

ipsoque indeficiente diu utitur Lydwina.

exolutis mortui fratris debitis,

85 Ad hæc quidem diffusæ pietatis opera multiplicanda, copiosa donorum Dei affluentia provocari protinus videbatur. Accidit semel ut fratre suo Wilhelmo migrante è seculo, filii ejus, debitis innumeris obligati, ad extremas miserias deducerentur, quæ nullatenus humano modo refundere poterant. Cumque non tam sanguinis propinquitate quam spiritus caritate, pro relevandis miseriis desperantium filiorum, clenodia quædam vendi fecisset; venditorumque pretium sub certo denariorum numero similiter congregasset, permutatis ex eis aliquibus ut unius essent usitatioris numismatis, omnes in unam bursam reposuit. Jussit igitur singulis creditoribus, per Nicolaum consanguineum suum, satisfieri usque ad quadrantem novissimum; & his factis, siquid de bursa superesset, fideliter sibi reportari. Quid plura? satisfactum est ex octo libris monetæ regionis illius singulis creditoribus, juxta Virginis optatum: numerantur ex bursa denarii qui reliqui fuerant; sed cum trina vice renumerando jussu Virginis, singuli denarii in bursa in sua præsentia digito distinctè revoluerentur; tot libræ totve denarii ab ipso Nicolao reperti sunt, quot primo manu Virginis summatim positi fuerant. Quod cum tertio, sic ea volente, contigisset; indicto silentio cunctis qui aderant, ne forte cui dicerent quod viderant, de cetero bursam ipsam cum denariis bursam Jesu censuit appellandam. Expendebat illa postmodum de bursa pauperibus Christi magnifice, & ipse Dominus abundanter infundebat. Et cum numerari dictum æs, post ejusmodi expensas sic

F

integra manent libra octo, prius in bursa posita,

A fic factas contingeret, perceptibiliter incrementum supplementumve divinæ largitatis innotescebat.

ex eadem, quæ ultra 40 libras promuntur. 86 Quærebant aliquando sibi cordialiores, quantum post obitum fratris sui Wilhelmi de marsupio Domini Jesu distribuisset: quibus ait: Ex quo gloriam Domini vos in hac re latere non video, dico vobis veraciter; quod de octo libris ultra libras quadraginta in pios pauperum usus expendi, præter eas quas pro debitis fratris mei creditoribus suis reddi feci. Sex annis ante obitum Virginis multifariam multisque necessitatum modis, in pios egenorum usus, dicta pecunia distributa & iterum à Domino multiplicata est; & post transitum Virginis pars media ejusdem speciei monetæ & figuræ in eadem bursa Jesu reperta. Similiter de aureis denariis positis, coram tribus fide dignis contigit illi, quod tertio renumerati, non sine stupore assistentium visibiliter adaucti sunt. Duo igitur minuta, corporis videlicet & animæ, Virgo nostra tantum habens, super lectum doloris sui, pro holocausto medullato dedicaverat, & quidquid præter illa conquirere potuit, velut paleam æstimans, propter Christum Dominum in coheredes & commensales illius prodigaliter expendebat. Porro juxta verbum veritatis pro simplo centuplum, pro terrenis cælestia, pro temporalibus sempiterna, pro his omnibus gustanda dedit illi Dominus: ex quibus unum, ceteris reservatis in posterum, enarrabo.

B

sua eleemosynæ ei exhibentur in paradiso, 87 Profecto cum nonnumquam in paradisum exultationis seu voluptatis, prout Deo placuit, efferretur; vidit vice quadam claritatem mirabilem è cælo splendescere, præsertim super animas viatorum, quas ibi cernebat secum singulari raptu elevatas; viditque in illo splendore tamquam exercitum Sanctorum pulcherrimum confluere, inter quos notanter cælorum Reginam & Dominam discernebat. Videbat quoque mensas interea sericis ac pretiosis vestibus sumptuosius operiri, & eleemosynas quoque, quas diebus illis pauperibus erogaverat, quasi de cælo delatas, perapte collocari. Cernit illic & pocula, quæ fictilibus vasis sitibundis propinarat, in crystallinis aureisque hydriis reverentissime præparari, & alia quæ dederat egenis multa satis. Accedebat & gloriosus, ut videbatur, & clarissimus cœtus sedere ad mensas præparatas. Videbat etiam singulos singularis militiæ suæ deferre signaculum: erant tamen illic quidam Sacerdotali ornati vestitu, sed calices orificio eorum deorsum deferentes; inter quos unum fratrum suorum defunctum olim, nomine Balduinum cognovit, qui ab utero matris devotione parentis utriusque ad Sacerdotium fuerat oblatus, sed sua negligentia, postposito charactere Sacerdotali, matrimoniali vinculo alligatus, hac de causa inter ceteros calice deorsum verso in terra minoratum. Et quod plus est audiebat illic sonum quasi ad mensam epulantium, se vero ministrantem illis lætanter illic agnoscebat. Ob quod sane cum ad se rediret, miro modo consuetas eleemosynas ampliare plurimum postmodum conabatur. O quam salubris est igitur cogitatio pios oculos à paupere non avertere, esurientem animam non despicere, inopem verbo non exasperare; sed admodum præstantius atque salubrius hujusmodi pascere & potare, quatenus fœnerando pie, Dominum Christum in paupere fœneremur, dicentem, Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. Enimvero per Sapientem dicitur: Rogationem tribulati ne despicias, & ne avertas faciem tuam ab egeno.

C *accumbenti cum Christo & Sanctis ministrans.*

Matt. 25, 40
Eccli. 4, 4.

CAPUT III.

De visitatione infirmantium & in puerperio jacentium, ac de vestitione nudorum.

88 Sed & plane numquam de viragine nostra sufficienter dixerim, nisi & de visitatione facta puerperis & ægrotantibus ad memoriam reduxero pauca quæ sequuntur. Parientium nempe & infirmantium mater & sancta obstetrix esse videbatur, ex sedula cura quam gerebat. His quoque ut dignum erat delicatiora, tamquam debilibus, fercula parari faciebat, præsertim iis qui recta fide catholicam agebant vitam. Cujus rei gratia contigit ut mulier quædam, Christi famulæ devota, secum ad tempus moram traheret, secum conversaretur, secumque propter ejusmodi ægrotantium visitationem familiarior tempore multo haberetur: maxima enim consolatio erat ei, paris sexus & voti habere amicam & sociam, cui animi pietatem detegere posset. Qua ex re dictam feminam huc illucque, prout opus erat, juxta impetum spiritus compassivi mittere solebat: verumtamen ut amplius comprobaret spiritum ejus, profusa semel plus solito, quasi cum cordis exultatione, advocans eam, dixit: Rogo te, soror carissima, ut jam venas pietatis pandere velis, quas geris ad miserabiles personas, vadasque ad forum piscium emptura delicatiores pisciculos, quos poteris invenire, pro debilibus & infirmis; & optimo condimento para illos, sicut manducare velle tales infirmos nosti. *Pro his sollicitior Virgo,* *& pia vidua ministerio utens,*

E

89 Fecit itaque devota femina illa, ut Martha, quod jusserat sancta Virgo. Interim ista, quasi ut Maria, ferventer pro bajula sui ministerii, quod poposcerat, Dominum precabatur. Vix illa domum intraverat, & hæc nostra Lydwina spiritu exultans ait: Fecistine, dilecta, quod dixi? Nonne fecisti? At illa; Feci quod aptius potui. Cui Lydwina, Rem, inquit Deo gratissimam, o carissima, fecisti: jam pete à Domino quod tua conscientia dictaverit pie fore petendum; & apud Dominum, ut petita accipias, elaborabo. At illi mulier ait: Si dictis facta compenses, optima mihi soror & mater eris. Oro quatenus peccatorum meorum veniam consequar, & perseverandi gratiam: reliquum tuæ caritati relinquo. Cui Lydwina, Rem grandem petisti, sed salubrem: quia veniam & gratiæ perseverantiam. De eo vero, quod mihi relinquis, solus misericors Dominus sua pietate providebit. Vade, inquit, vade nunc & tu, orans pro me. *jubet eam optare quod volet,* *eique perseverantia donum,*

F

90 In his igitur verbis mulier, quæ tristis antea fuerat, quasi sarcinam gravem deposuisset, miro modo abiit consolata: qua ex re colligitur nostram viraginem in lumine Thearchico vidisse, quod explicite proponere non licuit: quodque flammifera prece pietatis ministram, ob amorem Christi ministrantem, misericordiarum Patri commendaverit, quæ tanta spiritus lætitia plus solito securitatem petendi proposuit, proponens fiduciam de misericordia dederit, sane credens non mentitum qui dixit: Beati misericordes quoniam & ipsi misericordiam consequentur. Et quidem Ambrosius ait: Ardentium criminum globos benevolentiæ suæ fonte refrigerat eleemosyna, & quodam irriguo largitatis obruit incendia delictorum: ut, quamvis criminibus provocatus, cogatur liberare animas eleemosynis, quas punire disposuerat, Pater ipse pietatis: cogitur à nobis quodammodo, cum compellitur pro actibus nostris, mutare sententiam, & in uno eodemq; homine nunc severitate judicis permoveri, nunc patris pietate blandiri. Rursu Sapiens ait: Qui pronus est ad misericordiã, benedicetur. Quid immoror his amplius? Consuevit Christi *nec non occultum animi votum impetrat.*

Matt. 5, 7.

Prov. 22, 9.

PER IOAN. BRUGMAN

Christi Sponsa suum Angelum deprecari, quatenus domesticis suggerendo suaderet, in pauperes Domini servare pietatem.

monet Angelum fuisse qui tertio ut mendicus accesserat;

91 Sedentibus quadam vice devotioribus atque sibi magis domesticis ad mensam, affuit quidam ad ostium, miserantissimo quodam ut videbatur affectu, eleemosynam poscens. Confessor autem Virginis admiratus super insolito petendi more, concito gradu prosiliit ad ostium: sed nec ullum invenit. Residente illo mox clara voce servataq; prima modestia, quidam iterum eleemosynam petendo auditur: & idem Sacerdos, velut antea fecerat, subito surrexit: sed secundo fraudatus, resedit. Venit & alter tertio petens eleemosynam: surgit è contrario Presbyter ille: sed is cui festinus obviare studuerat (cum tamen patulus pateret oculis vicus, nec esset divertendi angulus) nusquam velut prius comparuit. Quamobrem turbati valde, ad Virginem ipsam concurrentes, factum ipsum per ordinem enarrarunt: quę respondit: O tardi corde ad surgendum fratri vestro Angelo! utinam ipsum magis venerati fuissetis de cordibus vestris! Ad hoc venit, ut probaret vos, si inter epulas quas sumpsistis, memores Domini creatoris vestri essetis.

B

fictos pauperes aversatur:

92 Proinde Virgo nostra Lydwina, sicut veros mendicos, palam seu secreto mendicantes, sustentabat: sic etiam è contrario detestabatur eos, qui de pietate quæstum faciunt & rapinam. Tales etiam socios furum, hypocritas fictos, parietes dealbatos vitandos affirmabat: qui verorum pauperum devorant eleemosynas, sua voluntate non necessitate dicentes se egenos; coram Deo sæpius inventi lupi rapaces. Contigit enim, proh dolor! ut mulier specietenus religiosa, intrinsecus tota fictitia & lupina, domos circumcursitaret eorum, quos magis pietati deditos nosset, maxime quos didicerat abundare. Ut igitur liquefactivæ compassionis beatam hanc Virginem esse percepisset, properavit illo ire, non quia divitem, sed potius pauperem rebus æstimaret eam, sed maximam pauperum zelatricem; ob quod & ipsa extremam pauperiem mentitura, largam quoque benedictionē se recepturam arbitrabatur. Jacebat autem eo tempore Virgo gravissimis fatigata febribus, ita ut nulli etiā domesticorum verbum loqui valeret. Lugubri veste igitur induta desuper, domesticam quamdam Catharinam nomine casu reperit, profunda quasi de cordintimo suspiria traxit, tremulam vocem ac tenuem formans; cœlibem se vitam secreto ducere dixit, & hac de re amicis & parentibus despicabilem factam, adhibitis diris gemitibus allegavit. Æstimans autem Catharina quod verum diceret, duxit eam pro tunc ad Confessorem, Dominum videlicet Joannem Walteri, quoniam & ipse verus Israelita erat. Qui statim auditis querulosis verbis fictæ feminæ, largam quam quærebat eleemosynam porrexit. Postera quidem die, cum à febribus libera foret Lydwina, mox jussit advenire Catharinam jam dictam, & dixit ad eam: Quamvis, soror carissima, jacuerim heri sub manu Domini, sicut consuevi: non tamen latet jam me quomodo illa mendax mulier ad te venerit, & quatenus verbis deceptoriis atq; fictitiis fefellerit te & Patrem Confessorem meum: & quomodo de bonis Domini præsto fueritis dare illi. Igitur amodo ad dandum hujuscemodi viæ hominibus esto tu cautior: nam ut dicit Scriptura, Est qui nequiter se humiliat, & interiora ejus plena sunt dolo: rursumque, Non omni spiritui credendum est.

talis una, ex mendaciis consuta,

C

cum eleemosynam abstulisset ab ejus confessario,

Lydwinam non latuit.

Ecli. 19, 23.
1 Joan. 4, 1.

93 Satagebat plerumque nudos, cum adjutorio devotarum lanificarum, induere, quamquam ex devotione salubre propositum non aderat, pro lino byssum, pro lana purpuram, pro laboritio requiem comparare. Cumque panni utriusque substantia tam lini quam lanæ augerentur in manu ejus (ut unum ex multis referam) accidit ut Sacerdos quidam vestiendus esset. Cumque congruus Clericalis decentiæ pannus non reperiretur, affuit mulier quæ dixit, pannum aptavi mihi novum & nigrum: sed quid hæc inter tantos? sex enim tantum ulnæ sunt, & filia mea mihi molesta est, petens sibi fieri de dicto panno caputium; & quid ego pro usu meo servabo? Quid plura? Cui Lydwina: Afferto, inquit, mihi quæso pannum illum quem aptasti, & Dominus providebit. Mirum dictu! affertur pannus ad manum Virginis, quæ quasi mensurare vellet, ducit ad os pannum & manum: & mox faciente Domino, longitudo tanta sequitur, quod & Sacerdoti de decenti vestitu, juxta honestatem Clericalem regionis illius usque ad talos provisum est; & cum post hoc tam matri quam filiæ de superfluo affluentissime superesset quod petebant; stupebant omnes super hoc facto, nec cessabant inquirere unde ita factum sit. Quæ respondit: Credite mihi, inquit, ministerio Sancti Angeli pro pace vestra id factum est, ne privaretur pius Sacerdos necessaria sibi veste, vos autem optato commodo ne frustraremini. Sic ergo Virgo nudum operuit vestimento, sane suo nos exhortans exemplo, ut sequamur vestigia ejus.

D

panni sub manibus ejus crescentis exemplum.

E

CAPUT IV.

De gratia informationis & consolationis ad omnes.

Congrua singulorum conditioni monita dare solita,

94 Sapientibus & insipientibus debitrix facta, cum litteras non didicisset, unicus ei codex fuit liber vitæ crucifixi Jesu: ex hoc, tamquam exemplari correctissimo, discipula sedula mirabili aviditate studebat haurire; adeo ut peccatoribus desperantibus pœnitentiam, justis disciplinam, adolescentibus obedientiam, senibus sapientiam, Prælatis vigilantiam, Religiosis perseverantiam, Sacerdotibus castitatem & sanctimoniam sufficienter inculcans persuaderet. Veniebant simplices & mechanici, consilium vitæ ab ea postulantes: quibus dicebat, Otiari nolite, dilectissimi: nam otium sentina & nutrimentum malorum est: scriptum est enim, Labores manuum tuarum quia manducabis, beatus es & bene tibi erit. Virginibus adolescentulis, cum ætas illa ferventior lasciviendi causa sit, dicebat: Multam malitiam docet otiositas: eapropter, carissimæ, tamquam à veneno virginitatis cavete. Venit & puella quædam ad domum ejus, quam vix domum ejus introeuntem, statim posuit ad laborem, nec patiebatur illam vel ad horulam evagari; sciens quod libertas, otium, deliciæ, venustas, divitiæ, incentiva sunt voluptatis.

Ps. 127, 2.

adolescentulas jubet cavere otia;

F

& viduas satis opulenta

95 Accedebat ad eam vidua quædam sic inquiens: Satis abundo pro transigenda misera vita hac: quid ergo suades? an otio dare tranquillam vitam, an laboritio dare operam? Respondit Lydwina: Otium tibi non consulo: nam artem lanificii nosti, quo si velis panem otiosa non comedas: sciebat enim quod scriptum est, Qui furabatur jam non furetur, magis autem operetur laborando manibus quod bonum est, ut habeat unde tribuat necessitatem patienti. Cumque vidua negotiari pertimesceret, & periculum cupiditatis allegaret, Virgo respondit: Ars lanificii bona est, & victui necessaria; quam si converteris in cupiditatem, utique periculosa est; si vero causa vitandi otii & ad relevamen pauperum ac tui, tantum exercueris illam, nulla tibi causa timoris. Verumtamen in hac re utere consilio meo: ut autem te Dominus in agendis dirigat, semper velleris unius lanam Domino con-

Eph. 4, 28.

suadet tamen lanificium:

consecrabis, dabisque pauperibus: sin autem, ob reverentiam quinque plagarum Christi totidem eisdem dabis denarios, & Angelus tuus custodiet te ne offendas. Insuper & suadeo ne tuos operarios fraudes umquam mercede sua.

A

96 Contigit autem ut fluctuantibus mercantiarum fortunis, post multimoda lucra, quod mulier illa vidua damna pateretur: & cum mercatorem suum vice quadam, propter praeterita damna, computando in uno aureo fefellisset, putans quod liceret ei propter justum damnum tacite injustum sumere lucrum; tandem post breve spatium idem mercator mortuus est, aureo reservato apud viduam ante dictam. Peracto quidem aliquo tempore mercator apparuit Virgini sanctae, dicens: Dic quaeso mulieri tali, quatenus aureum illum, quem minus juste, sub computatione inter nos habita, sibi annumeravit, quantocyus tibi restituat, atque ex hoc candelas cereas ad Missas celebrandas mihi emas, ut mihi prosint ecclesiastica suffragia, ipsam vero non feriat ultrix divina justitia. Eo dicto mox disparuit, mirabile dixero valde. Nuntiat Virgo viduae quae audierat: audit vidua quod omnem mortalem latere putabat, & quasi perculsa est prae rubore pariter & terrore; factaque restitutione, de cetero cautior efficitur, ac numquam tale quid ausa est attentare.

reddens aureum unum injuste retentum,

praescribit modum restitutionis.

B

97 Ad pacem autem mutuo servandam inter se vinculo matrimonii ligatos admonebat: consilium autem quaerentibus dicebat: Carissimi mei, sacrum conjugium assumpsistis, jam salutiferam non modo putetis in eo fidelitatem corporum, sed etiam animorum: & ideo pacem quaerite, pacem tenete, ut Deus pacis vobiscum sit. Quomodo circa hominem saepius triplicabat verbum istud quod diceret: Nos, inquit, unum habemus patrem, uno pane vescimur, omnes de uno calice participamus, patriam unam quaerimus, omnes unum corpus sumus in Christo, alter alterius membra sumus. Mulier quaedam suam filiam nuptui tradidit, & post nuptias gaudens de conditionibus generi sui, quodammodo se jactavit: cui Virgo ait: Non sunt adeo pensandae temporales divitiae, corporalis pulchritudo, generis nobilitas, dignitas personarum aut amicorum sequela: sed virtus & disciplina morum, prudentia, timor Dei; quo titulo divitiae conquisitae sunt, quove possideantur: quasi dicere velit, Haec attundunt homines carnales, quae transitoria sunt; quae vero necessaria saluti animae, non animadvertunt: nam à parentibus dantur divitiae, à Domino vero vir vel uxor prudens. Praedixit quoque Virgo sancta sic inaniter glorianti, quatenus in filia multas tribulationes passura foret: nihilominus asseruit auxilium Domini numquam amovendum ab ea. Quae utique contigerunt ut dixerat illi. Supervenit enim filiae dictae feminae tribulatio carnis, de qua memorat Apostolus; accessit sterilitas, aegritudines succreverunt, multiplicata fuere flagella: sed in his omnibus, suffragantibus orationibus sacrae Virginis Lydwinae, liberavit eam Dominus, ita quod in timore Domini Diem extremum clauderet fine salubri.

conjuges hortatur ad pacem mutuo servandam,

monet in delectu spectandam in primis virtutem,

C

& de generi divitiis vane glorianti augurat,

1 Cor, 7, 28

98 Sane quoque illis diebus vir quidam & mulier, juxta fervorem adolescentiae, quae jumentis similis est apud plerosque, se minus rationabiliter libidini manciparant: quorum vita in spiritu Virginem non latuit. Igitur virgineo servato pudore, persuasit pudicissima femina juvenculae, quatenus desisteret ab illicitis abusibus, alioquin ira Dei desaeviret in eam & in maritum ejus. Audiens autem juvencula, quae cuncta sibi licere putabat, quatenus secretum ejus peccatum Virgo cognosceret, & quoniam sic lascivire nefas esset; aperti sunt oculi ejus, & velle abstinere se valefaciens spopondit. Quid autem emendae secutum sit, nescio: sed hoc utique verum comperio, quatenus paulo post mulierculae illius venter intumuerit, ob quod laetati sunt omnes amici & cognati, putantes quod concepisset: sed mox ut ad aures laetitiae hujus rumor pervenit, Lydwina referentibus ait, Frustra gaudent isti homines, sibi sperantes propaginem in consanguinea sua; quia tumor ventris ejus prolem non indicat, sed radicem corruptam, quam intus habet, & latentem infirmitatem. Quod & ita postmodum contigit: nam invaluit aegritudo, successit languor diuturnus, multiplicatae sunt aerumnae, & ultimum omnium terribilium mors speciosam juvenculam, petulantiae carnis quondam deditam, suo jure conclusit.

petulantius matrimonio utentem castigat,

PER IOAN. BRUGMAN

& pavam deinde secutam praedicit

99 Plerique infirmorum, pro consilio sanitatis habendae, ad eam confluebant: quos nedum in animo suadelis sacris ad Deum convertit; verum insuper, acsi archimedica foret, saepe curavit in corpore. Non enim, ut Avicenna vel aliorum medicorum agmina, confidebat in herbarum viribus, quando sic pauperibus patientibus paupercula patientissima malagmata sanitatis indicabat, quoniam non didicerat litteras; sed in solo verbo Domini, quo restaurantur universa. Confluebant ad eam ex omni parte Religiosi multi, tentati, angustiati, mentaliter afflicti, variisque doloribus hominis utriusque cruciati, tamquam ad matrem desolatorum omnium illius temporis: quos quamquam in extremo periculo positos, quasi filios, saepius ad salutem revocabat: nam moeror in corde viri justi humiliabit eum, & in sermone bono laetificabitur.

corpore infirmos consilio juvat:

succurrit tentatis,

E

Prov. 12, 25

100 Ea propter dederat illi Dominus spiritum suum, quo signanter afflictis & desperatis quodammodo sic loquebatur: Quandocumque taedium aut angor cordis te concussit, etiam ad extremum virium; recurre quantocyus ad misericordiarum Patrem, tamquam infantulus ad ubera matris suae; & ibi revela Domino viam tuam & jacta omnem cogitatum tuum in eo, & ipse faciet te angustiarum tuarum omnium oblivisci. Tandem post multa salutifera documenta subjungebat, Non solum aequanimiter, sed hilariter cum gratiarum actione, quaevis molestia immissa vel permissa caelitus ferenda est; & quod pluris, tamquam virga dilecti patris, debet à filio complexari; eo quod infinitis modis electos quosque probare consueverit, quasi aurum in fornace. Itaque ferventissimis eloquiis inerat multum ferventis energiae, quae in aures virorum gementium atque dolentium transfuga, mentem & spiritum transfigebant; transfigendo quasi oleum ungebant, & ungendo spirituale velut antidotum efficiebant: gaudere cum gaudentibus ac flere cum flentibus, illi practica philosophia fuit, juxta mentem Apostoli; se tamen illibata manente semper, in medio nationis infirmae vel perversae.

moestos spiritu recreat,

F

Rom. 12, 15

CAPUT V.

De virtute fraternae correptionis, qua sine personarum acceptione pollebat.

101 ET quoniam lucifugae lux, bufoni florens vinea, communi dicto, graves sunt; ita carnalibus hominibus virginitas, ambitiosis humilitas, invidis caritas, mortuis Deo voluptuosis vita spiritualium crucifixa. Convenere nonnumquam sectatores ollarum Aegypti, bibuli & expotatores calicum, ut caperent aliquid ex sermonibus hujus Sanctae. Quaestuarius quidam garrulus & cupidus, cum multa de Virgine audivisset, curiositatis

Libere arguit divitem quaestuarium,

PER IOAN. BRUGMAN

tatis inflatus spiritu, quasi in mirabilibus supra se deambulans, adstantibus pluribus, ad eam dixit: Dic mihi, Lydwina, quid ageres, si Dominum Jesum in summo altari sub speciebus Sacramenti occultatum cerneres, & ex alia parte in nuda & propria specie venientem videres? Subticuit paululum Virgo, & ad ultimum post lacrymas ait: Cum à pluribus doctis & venerabilibus viris toties tentata fuerim, numquam memini me ita molestum quid audivisse ab aliquo, quemadmodum nunc ab isto quæstuario audire cogor. Res miranda satis. Virum non viderat, nec quæstus ejus infamiam ab homine didicerat; nihilominus cupiditatem ejus respondendo exprimit, dolum ejus latentem agnoscit, sed sanctum in responsis dare canibus, quærente sagacior, refugit. Quid immoror? Stupor accepit omnes, quia viri quæstuariam cupidinem non noverant; atque confusi propter virum eumdem cum quo venerant, protinus abscesserunt: scriptum est enim, quia sicut sagitta in femore canis, ita verbum in ore stulti. Ut canes multi, juxta Psalmistam circum dederunt eam: è quibus tantum uno percusso, ceteri omnes aufugerunt.

numquam antea visum;

Ecli. 19, 12 Ps. 21, 17

102 Mulier quædam nitebatur se Virgini nostræ suisque domesticis in amicitiam jungere, quæ spiritui libidinis, quem Doctores incubum nominant, ignominiosum consensum dederat: quod & veram Christi sponsam non latebat. Cumque domesticam nimis illam & impudibundam, sæpius se jactantem de privilegio castitatis cerneret; timens sacra Virgo, ne forsan ceteras inficeret morbo suæ libidinis quo fœtebat, cum patientia multa coram præsentibus familiaribus suis finaliter dixit: Ut dicis ergo, virgo es tu? Cui procax lubrica, cum audacia multa, respondit: Virginem intactam me esse profiteor. Et Lydwina rursum ad illam subintulit dicens: Supervacuo titulo tanti nominis, ut timeo, gloriaris: & si scire volueris, viginti quinque tales virgines, cujusmodi tu ipsa existis, super unam molam piperariam libere chorizare possent. Quo audito, conscia sibi super scelere suo pessimo, statim confusa recessit.

item puellam, incubo mancipatam,

B

deque virginitate vane gloriantem;

103 Indolescens autem quædam familiarior ceteris ob hanc rem, ad ancillam Christi dixit: Ut quid quæso devotam virginem vituperans, sic scandalizasti? Et ait: Sine, sine abire: talis est enim, qualem Deus novit eam. Nolite mihi laudare in ea commenta diaboli. Unde si veritatem devotionis ejus experiri velis, vade & corripe eam inter te & ipsam super minimis defectibus, quos faciliter in ea poteris advertere; & si patienter humiliterque tulerit te, devotam esse cognoscas: si vero pertinaciter & contumeliose tibi in faciem restiterit, vas vacuum esse noveris atque signatum. Quod & tentante postmodum domestica Virginis, utique sic esse comprobatum est. Ad levissimum quippe caritativæ correptionis verbum cœpit fictus spiritus mulieris fumigare, fumigando flammescere, flammescendo turbari, quatenus non femina, sed læna, non modo virgo fatua, sed fera pessima; non mulier pudorata, sed obsessa crederetur. Qualis autem fuerit, misera mors edocuit, & infelicior pœna, qua, revelante Angelo Lydwinæ, proh dolor! torquetur. Nam cum post mortem Virgo ipsa pulsaretur ad orandum pro ea, affuit Angelus qui dixit: Noli etenim frustra vexari pro ea, quoniam cum fictis & hypocritis abiit in locum suum. Attende lector quam lynceis oculis Virgo vera virginem fictitiam & fallacem transpexerit: quæ etiam occultum crimen ignominiæ prodidit, latentem tumoris agnosci fecit spiritum: quæ quoque tale responsum ab Angelo suscepit. Melior utique fuisset ei manifesta coram paucis, quos inficere potuit, honestis correptio; quam amor inutilis & absconditus in occulto. Quippe meliora sunt vulnera diligentis, quam fraudulenta oscula blandientis.

quam & prædicit correctione exasperandam,

C

& postea æternum damnatam intelligit.

D

Prov. 27, 6

104 Neque id putes, o lector, quod opportunam ejusmodi correptionem solummodo servavit in pauperes & minores: quin imo vultus Principum & Potestatum alta fastigia non metuebat. Venit semel ad eam de remotis Princeps quidam, super arduis quæ tangebant animam consulturus eam: cumque de diversis in longius protraxisset sermonem, tandem omni modestia servata, itur ad ea quæ venam conscientiæ premunt. Et quoniam alluvione paulatim terra consumitur, & saxa moventur de loco suo; cœpit ex verbis Virginis Princeps ille graviter flere, cœpit & ipsa jaculo veritatis pectus ejus de secretis & oblitis peccatis ferire, dicens ei: Angustiatur non immerito, Domine mi, anima tua, super offensis minoribus, quas adversus patrem commisisti: sed timeo ne cauteriatam conscientiam habeas, maxima negligens quæ sarcinæ gravioris existunt; sicque Principum Judaicorum ad instar, excolando culicem, glutias & camelum: ex qua re quædam particularia, non risu sed fletibus digna, cœpit suggerere, ut magis magisque percusso saxeo corde, foras affluerent aquæ largiores. Tandem in hanc materiam verborum suorum clausit sententiam: Age, inquit, quod agis, & luctum amarum merito tibi facito, si quando tui adjiciat misereri Dominus, benedictionem pro cōtritione, pro lacrymis pacem, pro pœnitentia gloriam præstiturus. Abiit magneficus ille apud terrigenas Princeps, vitaque mutata in melius solita mala in se suisque reprimere de cetero studuit. Sed non multo tempore, præventus morte, post diem illum super vixit.

Principi secum familiarius agenti

suggerit peccata quorum debeat pœnitere.

E

105 Similiter & illustrissimis diversarum civitatum personis utriusque sexus, ad eam dissimulata veste noctu concurrentibus, verba salutis eructabat cum virtute multa: Et quidem, ut ait Sapiens, Inauris aurea & margaritum præfulgens, qui arguit sapientem & aurem obedientem. Rursus quoniam quorumdam malitia quandoque confunditur ratione, corrigitur autem numquam; fiebat, proh pudor! ut qui pium spernebat ejus admonitionis oraculum, duriorem apud Deum inveniebat sententiam. Unde quidem *a* leccatrix & garrula quædam mulier erat in finibus illis, quæ cum voracitati & commessationi daret cunctos dies pubertatis suæ, decidit adeo in præceps vitiorum, quod & plurimorum simplicium corda emolliebat secularium & ecclesiasticorum, & animos ad prodigalitatem & alia vitia solicitabat; facta, ut apparebat in opere, laqueus venatorum, decipula pedibus insipientium, domus inferorum sibi cohabitantibus cunctis. Super quo sæpius correpta per Virginem nostram Lydwinam, facta est velut mulier adultera, quæ comedens panem tergit os suum dicens, Non peccavi. Videns igitur quia nihil proficeret, sed quod verba ejus minime transirent ad cor belluinæ mulieris hujus, cœpit quomodo potuit commensales ejus, pro posse, de medio domus illius evocare; ne forte illa pereunte, perirent & ipsæ: cœpit insuper eos, quos novit colubrina, calliditate deceptos & oberrantes parvulos, de medio flammarum liberare.

Prov. 25, 12

Mulierem luxuriosam frustra corripiens,

a

F

106 Cumque Sacerdos *b* quidam visco dictæ mulieris hujus teneretur captivus, vocatum ad se virum familiarem alloquitur dicens: Domine mi, te suppliciter obsecro, ne te de cetero quovis modo ingeras consortio mulieris hujus: quia conversatio ejus contagiosa à via salutis te procul abire compellet. Scis enim, quia ventris ingluviei deservire,

b

neque ab ejus familiaritate valens abducere sacerdotem,

Sacerdori

Sacerdoti bonæ famæ, cujusmodi tu ipse semper fuisti, multum alienum est &, scandalosum. Audit igitur ille, sed non obaudit: promittit voce facturum emendam: sed opere statim recidivus, verbum Virginis vertit in fabulam. Moritur post hæc filia Babylonis misera, quæ nonnullis fuerat causa ruinæ: rediit dictus Presbyter, amicus defunctæ, quondam socius mensæ; & quid de socia sua sentiat in conscientia, sciscitatur, dicens: Numquid non Dominus de statu feminæ tibi notæ, nuperrime defunctæ, quale judicium accepit, indicavit? Cui virgo respondit: Et tu, Pater, cupisne videre illam sicuti est. At ille, Cupio. Potens est Deus, inquit Virgo, id facere, ut eam videas quam exoptas. Oravit illa Dominum & obtinuit. Non post multo tempore factum est, ut simul in spiritu raperentur, tam Sacerdos quam Christi sponsa. Et ecce vident in remotis venire teterrimam dæmonum catervam, & inter eos miserrimam animam, ineffabilibus cruciatibus agitatam, adeo ut, præ horrore turbinis & caliginosæ flammæ, quasi ipsum infernum crederent adesse cum anima feminæ, nec non & tortoribus ejus.

huic illam mortuam

107 Concussus est Sacerdos & invasus pavore mirabili, de longinquo tantum prospectans in pœnis, quam tantum amaverat in deliciis: quia, sicuti quibusdam revelavit, absque speciali Dei præsidio, tunc temporis vitam amodo in humanis ducere non potuisset. Sed quid profuerit attende. Verificata est sententia dicentis, Si Moysi non credunt neque prophetis, neque credent si quis resurgat à mortuis: non enim frustra locutus est qui ait; Nolite sanctum dare canibus, neque projiciatis margaritas ante porcos. Bibulus erat, & bibulorum more verbum Domini risum reputavit; veritatem convertit in fabulam, horrorem monstratæ visionis in cachinnum. Adiecit Dominus gemina vice, quasi præconia voce, diuturnis languoribus eumdem citans; sed precibus Virginis est ereptus; donec tertia, quæ peremptoria fuit, illi veniret; & ad vomitum redire non erubuit. Citatus autem tertio, fecit per internuntium exhortari Virginem, quatenus & in altera vice pro se orare dignaretur. Quæ respondit: Dum volui & potui, noluit ipse: & jam volo & non valeo retardare Domini sententiam: nam super lectum ægritudinis ascendit. Oro tamen cælestem Regem ut det illi pœnitentiæ gratiam, ipsumque quantum queo adhortor ad compunctionem. Discant ergo voluptatum amatores non sequi carnis petulantiam, discant impersuasibiles non contemnere simplicium sapientiam, discant lascivæ mulieres & meretriculæ declinare stultitiam: nam scriptum de garrula est, Multos enim vulneratos dejecit, & fortissimi interfecti sunt ab ea. Et sequitur, Viæ inferi domus ejus, penetrantes ad interiora mortis. c

in tormentis ostendit: — B — *Luc. 16, 31* — *Matt. 7, 6* — *& ad vomitum semel iterumque reversus* — *negat deni-que se posse revocare.* — C — *Pro. 7, 26*

ANNOTATA.

a *Masculinum* Leccator *pro guloso apud Isidorum in glossis, Cæsarium Heisterbacensem & alios, à Teutonico* lecken *lingere. Hac videtur fuisse* Hasa Goswini, *de qua Vita prior. num.* 61.

b *Hujus quoque nomen ibidem dicitur fuisse* Ioannes de Berst: *de quo iterum ibidem agitur num.* 78, *tamquam quo Virgo satis familiariter ad res agendas uteretur.*

c *Huic non absimile est, quod de paris lubricitatis Sacerdote alio (nam alium credi faciunt circumstantiæ prorsus aliæ) his verbis narratur in Vita* I. Venit quidam Presbyter circa lectum hujus Virginis, ubi habebat altare, volens secundum consuetudinem Missam celebrare. Cui, cum se ad hoc præparavit, dixit: Domine, non celebrabitis coram me Missam Cui Sacerdos: Quare non celebrarem, cum me ad hoc præparavi? At illa: Nolo quod celebretis. Sacerdos respondit: Quare me prohibetis modo celebrare? libenter vellem scire causam. Ipsa dixit: Non estis vobis conscius, quod in tali domo & camera cum quadam muliere egistis, quæ bonum Sacerdotem non decent? Ipse hæc audiens mirando obstupuit. Et Virgo adiecit: Disponatis vos ad emendationem vitæ, quia infra triduum moriemini. Quod Sacerdos audiens minus ponderavit. Sed sciens eam sanctam esse & divinis revelationibus visitari, trepidavit & timuit. Deinde rogavit Sacerdos Virginem ut pro eo oraret; & Dominus sententiam precibus ejus mutaret. Ipsa vero cunctis terribile & metuendum responsum dedit, dicens: Confirmatum est judicium coram omnipotenti Deo, quod nulla ratione potest mutari aut revocari. Quo audito magis timuit, petens ut pro salute animæ ipsius intentius oraret. Tertia die Sacerdos ad Virginem venit dicens: Ecce me sanum & bene valentem in corpore sentio: & tu dicis, quod oportebit me hodie mori. Respondit illa: Non te decipiat corporis sanitas; quia hodie tali hora oportet te mori. Et factum est ut Virgo prædixit, quia eadem hora & die Sacerdos defunctus est.

PER IOAN. BRUGMAN — E

CAPUT VI.

De zelo ardenti quem habuit ad proximos, & quemadmodum liberavit de laqueo dæmonis etiam desperatos.

108 Pietas viscerosa adeo Virginem zelosam effecerat, ut adversus raptorem animarum cruentissimum non feminam, sed leænam raptis catulis suis crederes, in antro cubilis ejus rugientem. Magis proculdubio torquebatur propter animas, ex infusa sibi divinitus pietate, quam ex propria vel inflicta passione vel ægritudine, sicut sæpius expertum est. Cum Moyse Dominum deprecari pro animabus solatium erat, passiones ferre animæ lucrum, mortificari quotidie spirituale animi sui respiraculum. Fiebat enim revelatione divina ei notum sæpius, si quis ureretur, siquis scandalizaretur, si quis contristaretur, aut hujusmodi pateretur. Orabat precibus, obsecrabat gemitibus, cogebat lacrymis Dominum; invitabat promissis, dirigebat doctrinis, tenebat minis proximum: ardebat, lucebat, zelabat: honorem Domini sursum fieri parte ex una, salutem vero proximi nancisci parte altera cupiebat. Zelum igitur ejus dirigebat veritas, quam frenabat modestia, firmabat constantia, caritas tamen insuper inflammabat.

Pro animarum salute deprecatrix ferventi, — F

109 In eadem urbecula, in qua Virgo nostra jacuit, vir quidam, famosus satis ac dives, desperationis agitatus spiritu, suspendio se perimere tentabat. Sacerdotis igitur consilio super hoc habito, tandem ad aliquem propensioris experientiæ Presbyter se divertere coactus est. Cum igitur spiritus Domini in Virgine frequentissime solidis experimentis patuisset, venit ad eam Vice-Curatus, & ait: Sarcina gravis & super omnem intellectum meum transcendens mihi nunc imminet, Virgo carissima: nam ecce vir iste laqueum sibi parat quotidie, quo se suspendat: super quo quod meum est feci, celebravi, oravi; rationibus ostendere, quæ saluti suæ vidi expedire, laboravi: sed nec in his omnibus profeci: quinimo in dies magis magisque periclitatur. Quid ergo necessarium autumaveris, jam edoce: quia quod jusseris, explebimus. At Virgo dixit

iubet viro ad sui suspendium tentato,

xit illi, Diabolicum est hoc negotium, quod patitur homo iste; quapropter videre meo necessarium dixerim, quod confiteatur homo iste pure & nude peccata sua, & quod imponatur viro pro pœnitentia, quod eidem molitus est hostis ad ruinam. Schiebat enim Virgo id propensioris esse consilii, eo quod dæmon, ex odio Dei ac sacramenti sui, non permitteret fieri ex pœnitentis obedientia, quod sua viro suggesserat malitia serpentina.

PER IOAN. BRUGMAN ipsum injungi pro pœnitentia sacramentali:

110 Cumque Sacerdos tale quid agere pertimesceret, subjunxit divini consilii gnara virago: Age, Pater, quod dico, in periculum meum, neve partimescas. Mirum valde! tentator sævire non desivit: tentatus importunitate tentantis tabescit. Mittitur pro Confessore quantocyus, & juxta verbum Virginis desperato pro pœnitentia suspendium per obedientiam sanctam injungitur, ad quod malitia dæmonis præteritis temporibus provocabatur. Gaudet igitur de injuncta sibi pœnitentia vir: quæsita oportunitate festinat ad laqueum: & cum commode id facere nequiret, cubiculum intrans, laqueum trabi coaptat: Tandem se laqueans, de loco quem ascenderat nititur exilire. Mirum utique dictu! Mox superbi spiritus, qui prius absconderant sibi laqueum, laqueatum jussu Confessoris miserum videntes, virum suum apprehenderunt; atque funem quo se suspendere paraverat repente confringentes, cum terrore quodam ac stridore mirabili submurmurando dixerunt: Jam te non suspendes amodo, miser: te non suspendes. Et cum hæc dicerent, statim importuno jactu virum illum inter parietem & arcam quamdam medium projecerunt. At ubi sic, abscedentibus dæmonibus, per tres horas arctatus illic, tam animo quam corpore palpitando, jacuisset; ac à familia domus, quæ ipsum ubique quæsierat, repertus fuisset; reversus ad semetipsum paulisper, cœpit laudare Dominum; de cetero nullatenus jacturam talem subire Deo auxiliante, firmiter proponens. O igitur admirabilem feminam, divino lumine haud dubio illustratam, ac superni secreti de viro desperato non insciam, quæ potius admirandum quam imitandum dedit consilium; & non minus precibus ac lacrymis absens corpore, spiritu affuit, faciens cum tentatione proventum. Novit nostra virago viriliter agere, novit motus leonis confringere, novit & moribundas oves ad vitam reducere, novit etiam fœtas in sinu pietatis confovere.

quam dum explere satagit,

B

frangitur à dæmone laqueus

& cessat tentatio.

C

Mulier, cui confessum peccatum in charta obiiciebat dæmon,

111 Mulier etiam quædam quoddam perpetrarat flagitium, enorme valde: quod quamvis nescio qua facilitate, fortassis superficietenus, confessa fuisset, nihilominus ut ad desperationis barathrum sua cauda draco pessimus eam trahere posset, cum charta quadam, cui flagitium ipsius inscriptum notanter videbatur, ipsam feminam in visu nocturno sub somno, quasi jus haberet in ea, supra modum molestabat. Suggerebat insuper irremissibile fore peccatum illud hostis antiquus, & prorsus etiam per pœnitentiam irreparabile, neque in seculo præsenti neque in futuro remittendum. Cœpit igitur tristis valde mulier, illusioni serpentis tortuosi fidem aliquantisper dare: decepta, cœpit ad pristina mala quodammodo discrimini se committere: cœpit commotioni pedes rursus exponere. Sed pius Dominus, qui multa finit ad pœnam peccatoris purgatoriam ad tempus, in perpetuo non est passus hanc perire. Reliquiæ peccatorum interdum diem festum agunt suo actori, procurante illo qui dormit in thalami secreto & locis humentibus. Igitur hæc mulier laxatis habenis, quasi vim passa, domunculam sacræ Virginis intrat: lacrymis manans, amaritudinem cordis exponit: quid nocte viderit, quid legerit, quid audierit, quid pavoris advenerit, quid fluctuantis voluntatis rursum accreverit, profusis lacrymarum imbribus cum amaritudine spiritus reserans, consilium pariter & auxilium humillime deposcit. Cui Virgo: Commentum, inquit, diaboli est quod vidisti: quod potuero, id faciam: vade nunc in pace.

desperabunda confugit ad Lidwinam:

D

112 Credidit mulier sermoni quem dixit Lydwina, & non ad insipientiam sibi: nam statim cœpit quasi causam reæ seu tentatæ nimium feminæ, quasi propriam Domino judici proponere: cœpit lacrymis & precibus quasi animum pii patris de cordintimo demulcere: cœpit de consistorio districtæ justitiæ, quasi gravata, reverenter tribunal miserationum Domini appellare. Ob quod mox Reginam misericordiæ statim rapta in puellarum collegio vidit, & sathan adversarium feminæ, pro qua fideliter advocaverat, quasi peremptorie citatum chartamque tenentem, agnovit. Supplicante itaque Lydwina Reginæ cæli, statim charta manu ipsius Virginis-Matris, quæ peccatorem non despicit, quasi violenter abripitur; abrepta, in partes confringitur; particularum congeries Lydwinæ servanda traditur; atque confuso cruento sathana, illico Virgo, lætans & gaudens quasi capta præda, in semetipsam revertitur. Fecit itaque convocari Confessorem suum, qui tam zeli sui quam periculi feminæ non ignarus fuit; & ostensis ipsius chartæ fragmentis, per omnia ut acceperat narravit. Redit & postmodum tristis mulier uti prius; expositaque querela vice altera, hoc solum ab ea tulit responsum: Dixi, inquit, tibi ut ires in pace, quodque pro te facere possem id facerem: & ecce dico tibi, quatenus æquo animo sis, nam nihil mali tibi continget ex hoc in futurum. Fide-jubeo quoque, si velis, coram stricto Dei judicio, quatenus incunctanter credas quod numquam jacturam patieris de peccato tibi ostenso in perpetuum. Quidquid etiam tibi amodo illudendo dixexit hostis, nullatenus fidem adhibeas. Gavisa est itaque mulier & alleviata his verbis, & quamvis hostis cruentissimus rursum more solito rediret, deridens eum liberata est omnino, Deo gratias agens, qui talem sibi elegit famulam. O vere igitur pia mulier & zelo Dei plena! quæ, juxta sapientem, emit eos qui ducebantur ad mortem, & qui trahebantur ad interitum non cessavit liberare.

cui pro ipsa precanti

charta laceri fragmenta dantur in manus,

E

& mulieri mentis serenitas redditur.

Prov. 24, 11

F

113 Contigit etiam virum quemdam sceleratissimum, præ fœditate suorum quæ perpetrarat vitiorum, nulli Sacerdori confiteri velle nisi per medium sacræ Virginis: cui tamquam interpreti, tandem ad cor conversus, finaliter omnia pandere se spontaneum exhibebat. Cumque totis viribus resistenti Virgini turpia sua peccata detexisset, mox sicut ille sibi consenserat, sacramentaliter *a* de eisdem dolens & quasi propria deflens suo Presbytero confessa est, suscipiens ab illo pœnitentiam. Peracto tempore quod Virgo viro statuerat, rediit vir ille sicut promiserat, dicens ad illam: Æstimo quod juxta desiderium meum confessa sis omnia peccata mea, qualem me vis acturum pœnitentiam jam dicito, quia paratus sum obedire tibi. Dixit Lydwina: Peccata tua quasi mea confessa sum, & pœnitentiam suscepi: sed hoc dumtaxat à te peto, quatenus nocte una super stratum tuum bene aptatum resupinus quiescas, eo tamen pacto, quod nec in dextram nec in lævam, quovis modo per integram noctem te regyres.

Pro grandi peccatore peccata ejus ut propria confitens,

a

& pœnitentiam suscipiens

114 Suscepit igitur quasi subridens de levitate oneris vir pœnitentiam; & valefacto Virgini temporisque congruitate servata, sua membra culcitræ molli deliciose commisit. Statim autem ut lectum deliciosum deliciosus, pœnitentiam promissam factu-

ipsum jubet una solum nocte jacere resupinum:

A facturus, intravit; cœpit tædio affici, stimulis cœpit in corpore vexari, adeo ut numquam se noctem talem accepisse in humanis crederet, qui tamen absque quacumque infirmitate resupinus jacens, dumtaxat ipsa libertate gyrandi se quo vellet privatus erat. *quod ille expertus difficillimum,* Cumque sic tædiosus sanitatem corporis, stratus mollitiem, temporis brevitatem, peccatorum suorum horrorem, pœnarum inferni perpetuitatem, cunctaque ut spiritus suggerebat revolueret; tandem modica tædii pœna devictum se cernens, intra se dicere cœpit, O me miserum atque infelicem virum, super omnes peccatores terræ! in deliciis & mollibus sanus cubo, fortis quiesco: & nihilominus propter modici temporis spatium, quia libere quorsum volo me vertere non audeo, aufugit somnus ab oculis, nec requiem capit anima mea. O quæ, qualia & quanta patitur infirmum atque putrens corpus virgineum! *serio convertitur ac confitetur,* quod tot annis flagellis Domini subactum, tot infirmitatibus subjectum, in tenebris & in abjecto loco sic jacuit. Mutatus est exinde vir scelerosus in alterum virum, factus est deliciosus ad pœnitendum promptior, redditus est ad confitenda propria scelera paratior, factus est etiam Virgini ad obediendum velocior, & ad quævis dura & aspera ferenda supra modum vigilantior.

115 Facta est igitur virago nostra quasi speculatrix domui Domini: B nam & per litteras quas mittebat, aut per internuntios quos dirigebat, aut per somnum aut visum quo multis apparebat, sæpe insidias latrunculorum veris Israelitis indicavit, ne leonis tartarei repentinis obruerentur incursibus, ne blandimentis abducerentur draconis, ne dæmoniis deluderentur meridianis. *Per visum videt casum mulieris reservatum,* Vicus est in Hollandia dictus Ouderschie, non multum distans ab oppido ubi Virgo jacebat. In hoc igitur vico mulier quædam erat graviori quodam casu innodata peccati, ad cujus absolutionem Episcopi diœcesani requirebatur auctoritas. Cumque Sacerdos persuasisset ei quatenus indilate, propter periculum, adiret Episcopum aut pœnitentiarium ejus, & promisisset; negligentia subsequente distulit aut noluit eo ire, periculum addens periculo, animæ suæ mortem non formidans. His interim diebus speculatrix nostra, atque ut patebit contemplatrix egregia, sursum agitur in sublimibus, ubi visis Sanctorum agminibus formosis, *pro quo Episcopum adire jussa neglexerat,* in scholis suis Doctores Ecclesiæ quatuor, sublimiores ceteris, Augustinum, Gregorium, Hieronymum & Ambrosium, specialiter radiantes agnovit; qui dixerunt: Vade & dic mulieri illi, quæ Pontificalem auctoritatem adire negligit super certo casu quem commisit; quatenus, juxta C promissum suo Sacerdoti factum, quantocius se expediat. Quod & illa Confessori suo cum indicasset, rogavit eum quatenus, ob Dei reverentiam & proximi salutem, quantocius nominatam sibi mulierculam adiret, ne subito fortasse vindicta Domini præoccupata, *eam moneri curat: sed frustra,* pigritando propria periclitaretur ignavia. Sacerdos autem statim illo ire non distulit, atque ita fore, sicut Virgo mandavit, mulier non negavit: sed peccatum peccato conjungens, & iniquitatem super iniquitatem amplians, adhuc misera cæca, quod sibi imperatum fuerat, explere contempsit.

116 Liquet ergo quam benigna fuerat zelatrix fraternæ salutis Lydwina, Virgo mirabilis; quam benigna in profugis Dei filiis, quos revocavit; quam discreta quamve sedula in desperatis, quos reconciliavit; *Animarum pretium exacte ponderans,* quam solicita in tegendis periculis eorum, quos incautos agnovit; quæ sic electos Dei filios, quemadmodum gallina pullos, congregare non cessavit. Dolebat interdum domesticæ suæ, pro eo quod audientiam cunctis adventantibus præbuerit & responsum, compensatis doloribus corporis & angustiis animi, quibus laborabat indefessis: quibus ipsa dicebat: O sorores, quid est quod dicitis? *PER IOAN. BRUGMAN* Numquid parum vobis est, ut Christo lucremur animas, quas diabolus conatur auferre? Sinite, inquit, venire omnem pauperem, omnem desolatum, omnem amarum animo: nam pro his omnibus majora sustinuit Dominus meus Jesu Christus. Maximi pretii revera unaquæque, quantumcumq; despecti hominis, anima fore dignoscitur, *fervet zelo earum juvandarum.* pro qua filius unicus Virginis moritur, pro qua unigenitus Patris in cruce tam turpi morte cruciatur. Et adstantibus aliquando dicebat: Respicite in faciem meam & pectus meum: quantis sudoribus affluat, considerate. Et respicientibus illis & admirantibus, præ calore nimio pariter & sudore, atque ob hoc gravius eam increpantibus, respondebat: Non est, inquit hic calor, non sudor, non labor, non dolor comparandus eis quæ propter nos pertulit Dominus: nondum attigi terminos ejus qui dixit, Cupio anathema fieri pro fratribus meis: *Rom. 9, 3.* nescit enim amor habere modum, cum nos amaverit ille supra modum: quia spiritum accepit nō ad mensuram Dominus noster Jesus benedictus in secula.

ANNOTATA.

a *Ita scilicet quemadmodum opus est dolere eam qui vult sacramentaliter absolui: non quod reipsa dolor hic respectu peccatorum hominis istius sacramentalis fuerit, aut pro ipsis data sit absolutio: sed bene pro propriis quæ tunc pariter* E *Virgo confitebatur defectibus. Et hoc satis apparet ex eo quod post hac dicatur, tandem serio pœnitens,* ad propria scelera confitenda factus paratior.

CAPUT VII.

De singulari amore crucis & de desiderio Eucharistiæ, nec non de tentatione sibi per Pastorem facta.

117 Crevit per hunc modum amor Crucifixi Jesu in ea, *Suos omnes dolores nihili facit,* insuper & meditatio acerbissimæ Passionis, ita ut omni tempore solatium esset; & nil aliud libentius actitaret, quam velut dilectum dilecta, candidum & rubicundum, electum ex millibus, quærere, & in ipsius foraminibus atque plagis, velut columba nidificans, jugiter immorari. Siquidem & vulnera dulcis Jesu & dolores ejus acutissimi animam Virginis velut gladii adeo pertransiere, ut suos quos in singulis membris & in omni genere vel specie infirmitatis excessivos patiebatur dolores, quasi nihilum reputaret; F cum tamen tam mirabiliter tamque miserabiliter videretur affligi, *præ Christi passione,* quod saxea pectora intuentium eam commovebantur. Tota quippe vita ejus in Christi actionibus, quasi viridario consolationis, versabatur: unde nimirum colligebat rosas, cernendo plagas; nardi spicas, attendendo coronæ spinas; violas & lilia, videndo livores & vulnera; cynnamomum & balsamum, dum tergebat sputum & sanguinis stillicidium. Nimirum Lydwina de cordis alveolo trahebat suspiria, de pectoris abysso imbres matutinum & serotinum dabat, & profluvia de cunctis articulis seu membris corporis: quotidiana reddebat Domino sacrificia; *quam prosequitur sanguineis lacrymis,* & deficientibus aquarum irriguis, rubri sui sanguinis per meatus oculorum stillabant fluenta. Lacrymas autem illas, quas sic ob amorem Crucifixi effundebat, inter secretarias arcani sui, rosas suas appellabat: & harum lacrymarum adhuc manent aliquæ, quas vidi; usque in hodiernum diem mira fragrantia, uti expertus sum, redolentes.

118 Dominici Corporis sacramentum, tamquam Passionis

PER IOAN. BRUGMAN

Optantem frequentius communicare,

Passionis memoriale perenne, mira spiritus affectione sumebat: adeo ut præ desiderio illius & reverentia, dies unus, quo carere cogebatur, sæpissime spatium anni unius putaretur. Habebat autem circa medium infirmitatis suæ, qua tetigerat eam Dominus, Curatum, virum satis litteratum, sed vehementer in his quæ spiritus sunt crudum atque inexpertum: qui satagente diabolo ineffabilibus molestiis animam virginis affligere conatus est. Consueverat ab illa prima ætate, quæ videlicet doli bonique capax est, tantum bis in anno communicare; crescente passione similiter & Passionis Christi meditatione, vices sumendi frequentare; tandem, cum alterum sine altero languorem animi provocet aut amorem, maxime in festivitatibus magnis, ardentius illud à Curatis postulare. Cum igitur sic in festis, plus ceteris mundi sanis & mundanis virginibus, communionem humiliter posceret; stomachanti voce propellebat vir durus preces ejus, atque sic filia Christi parvula petente verum panem, non erat qui porrigeret ei.

repellere solitus Pastor,

119 O Crudelitas feralis nimis! A planta pedis usque ad verticem capitis non erat Christi filiæ sanitas: pane materiali nullo vescitur, vermes corporis scaturiunt; pascuntur ipsi, ne non manducantem ex toto devorent; nec tamen pascitur illa, quæ Christi filia existit, solum Christum esurit, solum Christum meditatur, solo Christo saginatur & vivit. O inaudita igitur crudelitas! quia repellitur de mensa filiorum filia fidelior: cum tamen Christus sit panis vivus, panis, inquam, filiorum, non mittendus canibus. Sed à quo denegatur panis iste? à quo repellitur Christi filia? Repellitur à Curato animæ, à Pastore gregis, à Patre spiritus sui: qui, quia Curatus, instar stabularii curam semivivi gerere debuit, infusurus vinum & oleum; quia Pastor, pascere Christi oviculam pane suo decuit, cibum daturus & poculum; quia Pater, filiam nutrire licuit, datum optimum procuraturus & spiritum, quod, proh dolor! minime fecit.

durus in hoc atque crudelis,

B

nulla prece flecti se sinit:

120 Qua de re contigit die quadam, ut Curatus ille, cujus nomen subticeo, Virginem esurientem atque præ esurie Corporis Christi lacrymantem inveniret. Cui dixit: Cur fles? At illa dixit: O pater mi dilecte; si ego indigna filia tua clavem promptuarii apud me tenerem, ut tu; & ipse tantum esurires, quantum & ego; nequaquam sicut ipse mihi, sic ego tibi panem vitæ subtraherem. O Pater, inquit, ne spreveris pauperculam tuam, quæ nihil habet residui, nisi quod Chistum meditando consoletur, & Christum sumendo sustentetur, & vivat in anima. Porro nec flecti poterat animus ejus ex verbis istis mellifluis: sed omni saxo durior perseverabat. Præterea cum Sacerdotes per plateas Corpus Dominicum infirmis quibuslibet deferrent, præ desiderio animæ succendebatur spiritus ejus, quasi famelica in memoria panis dum tangitur aut odoratur; adeo ut quandoque spiritum exhalare putaretur. Haud dubium (sicut fide digna relatione suscepi) quadam illustratione mentali perfundebatur intrinsecus in anima, quoties ardenti amore sic communicabat, & dulcedine quadam oris gaudebat sensibiliter; quamquam multo labore ipsius Sacramenti species trajicere posset.

C

Æstuat illa quoties audit Eucharistiã deferri,

& spirituali communione jacturam supplet,

121 Ceterum cum ob duritiem dicti Pastoris pro libitu sui fervoris communicare non posset; ne saltem spirituali privaretur cum ceteris communicantibus refectiuncula, participem omnium, Deum timentium atque consecrantium se, fieri precabatur. Qua ex re factum est sæpe, quod hanc oratiunculam reiterabat dicens: Fac me, benigne Deus, tua largitate tuorum ministrorum participem, qui hac die sub Sacramento tuo mirabili Passionis tuæ memoriam faciunt, hic & in universis ecclesiis quæ sunt in toto mundo. Simplicibus autem dicebat doctrinam hanc: Quando, inquit, ad Missarum solennia te converteris, cogita sane cælum aperiri, & Angelos ibi stantes aut fore præsentes, & cum eis sanctos cæli choros. Deinde sub Missarum solenniis Passionem Domini nostri, Jesu Christi, devotione intima qua potes revolve. Aliis autem & hæc pia dabat monita, dicens: Exercebis te, o fidelis anima, ad internam illius dilectionem quem manducas; ad perceptibile delectamentum animæ; ad justitiam ejus, quem sumpseris: non enim, inquit, parvum hospitem sumis, sed filium Regis regum & unigenitum gloriosæ matris Mariæ; qui reformabit corpus humilitatis nostræ, & configurabit illud corpori claritatis suæ. Ipse enim est cibus plene reficiens manducantem pœnitentem: cibus sane confortans laborantem & proficientem: cibus superplene delectans exeuntem Israelitatem & transmigrantem: cibus impinguans, non corpora inflata, sed corda devota; non carnem marcidam, sed esurientem animam; non pigros ventres, sed pias mentes. Hæc & alia quæ legi de consuetis verbis ejus, multa nimis & transcendentia commune ingenium, loquebatur.

D

idemque ut faciant alios docet.

122 Porro cum dicat Scriptura, Parasti in conspectu meo mensam adversus eos qui tribulant me: quid dicam de sponsa Christi, quam Christus novis tribulationibus ac persecutionibus exposuit, & mensam suam tempore grassantis persecutionis, non modo non parari, sed negari permisit? Res pondere digna hæc, quam narrabo. Sane Pastor ecclesiæ in Schiedam, de quo supra memoratum est, cernens exterius Virginis cruces, non autem unctiones intrinsecus; cœpit instigante Leviathan veritatem in dubium vertere, patientiam ejus in fallaciam trahere, corporalis alimoniæ carentiam suspicari clandestinam voracitatem; arbitrans quod manus Domini non faciat omnia hæc, sed spiritus fictus, mendax & sophista. Intervenerunt igitur quædam solennia festa, ob quorum contemplationem rogare cœpit dictum Curatum, pro Communione receptanda, nec acquievit. Intermisit denique amicos & concives: sed tam angariatus quam rogatus audire Virginis precatum nihili pendit. Qua de re cum Virgo Domino Deo vota sua cum lacrymis redderet, & cœleste minime sibi defuturum patrocinium postularet; suspendente Domino manum omnipotentiæ suæ, cor viri duri hujus adhuc indurescere magis permisit; ut dilectam filiam, per novum martyrium mentis, post humiliationem clarificet & exaltet.

Ps 22, 5

Pastor importunius solicitatus

E

123 Fit igitur Pastor oviculæ de die in diem severior, fit in tentando sua feritate in Virginem Curatus audacior, fit ad irritandum indies spiritum contritum & contribulatum martyrizatæ Virginis audacia sua Pater proclivior. Et ecce immisit sathan in cor ejus, ut ad tentandum Virginem procederet, videlicet an aliquem panem materialem, non consecratum, sine difficultate sumere vel deglutire valeret. Verum justus Dominus, qui non relinquit virgam peccatorum super sortem justorum; ancillæ suæ pugnaturæ in stadio, de committendo duello per Angelum innotescere fecit. Ecce, inquit Angelus, tibi novum instat bellum, sed nullatenus formides: nam in brevi Pastor tuus visitabit te, pro Communione quam requiris, molestiam illaturus. Et ita factum est. Superveniente quippe festo Nativitatis Mariæ, iterum per fratrem à Pastore fecit Dominici Corporis sibi requiri sacramentum. Nacta igitur opportunitate explendi quod cogitaverat, Curatus confessionem ejus audivit, & coram adstantibus panem laicum

F

decernit tentare eam oferendo hostiam non consecratam.

quam Virgo ab Angelo præmonita evomit:

A laicum aut materialem hostiam, non consecratam, proh dolor! in idololatriam adstantis populi, porrexit. O vere mirabile cunctis! Vix hostiam illam de manu Curati super linguam senserat; & ecce cœpit corde & corpore mox alterari, & emittere quod sumpserat; panis ipsius aut modicissimum accidens aut minimum saporem nequiens ad momentum sustinere.

124 At ille de idololatria sua, quam stultus attentabat coram simplicibus, se deprehensum jam pertimescens, audacia ficta dixit: Quid agis, o insana mulier? unde tibi tanta præsumptio, ut ejicias de ore tuo Corpus Domini? Cui Virgo: O Pater, an putas me adeo deliram & irrationabilem, ut nesciam discernere inter verum Corpus Christi, & panem laicum aut corruptibilem, quem comedunt homines? Nam facile possum illud & istud per hoc discernere, quia Sacramentum verum suscipiens absque alteratione naturæ illud trajicio; istum vero panem quem mihi ministrastis, invita, velim nolim, renitente tota natura & cum angustiatione totius corporis, evomere prorsus compellor. Ille vero nefandi sui peccati conscius, propter adstantium scandalum, è contrario Corpus Christi dedisse se rursus affirmat. Redit igitur via qua venerat suam ad ecclesiam Curatus, atque qui secundum Euangelium bona data filiis dare debuit, satis se in facto declaravit pro pane lapidem, pro pisce serpentem, pro ovo præbere scorpionem. Quid immoror? Ecce de novo iterum fames invalescit, iterum diri gemitus, iterum suspiria, iterum planctus & lacrymæ: nam compellitur pane carere famelica, necessaria subtrahitur languenti medicina.

& se dolosum amanter queritur,

pastore pertinaciter veritatem negante,

Luc. 11, 12

B

125 Porro quasi dicentem Virginem, lector, nunc attende: Quis panem vitæ mihi tribuet? quis languenti de salute providebit? Jam coarctat me spiritus uteri mei: jam privor dulci Jesu præsentia: afficior Prælati mei duritia, insuper scandalum populi pusilli me coangustat. Cumque langueret oculus ejus præ inopia, & sic à festo Nativitatis Mariæ Virginis usque ad Conceptionem ejusdem esuriendo semper torqueretur; adstitit ipso die Conceptionis gloriosæ Angelus, qui claritate nimia rutilans & resplendens, confortans Virginem ait: Ne timeas neque contristeris, soror mea Lydwina, super molestatione, quam à tuo Curato passa es; nam in proximo est consolatio tua. Nam & ipsum Dominum Salvatorem oculis tuis videbis, qui sanabit & alligabit omnes contritiones tuas. At illa Domino gratias agens, omnia, ut ab Angelo suo acceperat, Pastori suo sic indicavit, ne forte diabolicæ illusioni tribueret gratiam ipsam, quam erat perceptura. Sed miser & cæcus retorsit in contemptum, quod pia Dei filia sibi notificaverat ad omnipotentis laudem & obsequium. Scriptum est enim, Quia induratum est cor Pharaonis & non audivit vocem Domini.

Sed consolandæ Virgini missus Angelus,

à Christo ipso visitandam prædicit,

C

Ex. 4, 13

CAPUT VIII.

De apparitione Christi facta Virgini, & impressione sacrorum stigmatum: & de parvulo crucifixo juxta eam viso.

126 IGitur cum Virgo nostra sapiens juxta consuetudinem singularum noctium observaret vigilias, & nil temporis præteriret quod non dedicaret in ascensum contemplationis ad Deum, aut in procurationem salutis ad proximum; mulier quædam, parvulum habens filium ægrotantem, consilium salutis petitura, tristis admodum cubiculum Virginis introivit. Qua juxta morem consolata atq; cum gaudio remissa, consuetis exercitationibus spiritus operam dans, sola remansit: erat enim circa noctis initium, quod communiter crepusculum dicimus, anno doloris sui decimo septimo, circa festum Apostoli Thomæ. Mox igitur ut sese consuetæ devotioni dedicasset, viderunt domestici quasi magnum incendium in camerula Virginis, & accurrentes velocius sperabant illud extinguere. Cumque nil reperissent incendii & obstupescerent, eisdem ex hoc trementibus Virgo Lydwina dixit: Ite in pace, hic nihil est incendii aut periculi: claudentesque ostium me solam quæso in pace nunc relinquite. Clauso igitur ostio cœpit Seraphica Virgo, supernæ contemplationis dulcedine superfusa & flammiferæ remissionis incendio succensa, sursum agi in Deum; & teneritudine quadam compassivi cordis in eum transformari, cui tam ignominiose ex caritate placuit pro nobis crucifigi.

Post impensum mulieri mæstæ solatium,

PER IOAN. BRUGMAN

Lydwina cellam ardere credunt domestici;

127 Paulo post, velut inter octavam & nonam horas, abducto de facie velo quo se operuerat, vidit Venerabilis Virgo quasi solare jubar in thalamo splendescere, vidit virtute splendoris illius se & quævis circumjacentia sibi, quasi solis meridie illic apparere; vidit & Angelum suum juxta se stantem, nivio candore radiare; quo tacto parumper totum corpus ejus ubilibet redintegratum est pro tempore: vidit advenire Angelos, quasi juvenes fortissimos, quorum unus crucem, alius lanceam, alius clavos, alius spineam coronam, alius arundinem cum spinea corona, & columnam cum aliis insignibus armis Domini gestabant in manibus, stantes per ordinem juxta stratum suum. Supervenientem quoque videt eam, quæ juxta crucem Jesu stabat, matrem Domini, quam multi Sanctorum comitabantur. Cumque illo tempore Virgo tantum super paleas quiesceret resupina, lectusque propter adventantes contiguus ad latus ejus satis honeste more virginum coopertus jaceret; tandem juxta promissum Angeli apparuit ipse Sponsus, in forma pueruli speciosissimi; qui super lectulum coram adstantibus Sanctis quiescens, blanda atq; gratulabunda facie Virginem oblectabat.

ipsa illam ingenti luce plenam videt,

in eaque Angelos Passionis gestantes insignia,

E

128 Expandens autem se puerulus ille per modum crucifixi, illico sub specie viri perfectæ ætatis protensus videbatur. Erat autem pueruli decor candidus in principio; sed cum appareret sub forma viri, totus rubicundus & sanguineus visus est. Tandemque quasi spineo diademate coronatus, ac si de torculari venisset, in ea livedine quam olim moriens in cruce contraxit, vigilante ad plenum Virgine, sicut consueverat, corporalibus oculis visibiliter visibilis apparuit. Videbantur siquidem loca clavorum, atq; in latere dextro amplæ longitudinis plaga lateralis. Hunc igitur Virgo sic intuens mirabiliter obstupuit, mixtumque dolore gaudium virginea mens incurrit. Gaudet mens in aspectu Dilecti, tam amabiliter apparentis: sed livore plagarum ipsius sauciata medullitus, compassiva teneritudine feriebatur cor amantis. Cumque sic in luce mens Virginis prorsus absorberetur, signifer ipse sic apparens, claritatem luminosam simul & ardorem diffudit, atque in medio luminis tam immensi, Virgini sponsæ suæ clara in carne signa quinque reliquit.

& tandem Christum plagatum

F

sua ipsi vulnera imprimentem;

129 Timens igitur Dei signifera, quod vulnera tam patula in futurum latere non possent; cum ex hoc concursum hominum & applausum timeret, oravit Dominum dicens: O Domine mi Deus, maneat istud dignationis tuæ sacramentum inter me & te: sufficit enim mihi gratia tua. Mirabile dictu! siquidem repente superinducta est cutis quinque vulneribus ipsis; eo tamen salvo quod reliquis succedentibus annis vitæ, numquam dolore pariter & livore postmodum caruit, sicut ex tenero affectu à Domino Jesu Christo tunc poposcit. His

quæ ut cute obtegantur petit & obtinet:

PER IOAN. BRUGMAN

His ergo sic in ea completis, vidit beatam Virginem arma Christi, quæ præferebant dicti Angeli, reverenter de manibus singulorum accipere, atque illi deosculanda exhibere; osculatisque per ordinem armis amodo non apparere. Hæc sunt arma salutis nostræ, quæ verus Dei filius, triginta tribus quoad vixit annis, in horto nostræ fragilitatis congregavit: hæc sunt redolentia Matris Domini aromata, quæ in agro pœnalitatis, tamquam altera Ruth, post terga metentis Jesu, Maria solerter collegit, atque sic deosculanda crucifigendæ Lydwinæ, tamquam myrrhæ fasciculum inter ubera commoraturum, virgo virgini commendavit: etenim, si bene teneo, triginta tribus simul in toto vel circiter annis, nostra virago crucem subiit, in carne Christo confixa.

deosculatur instrumenta Passionis;

130 Cum igitur secreto signifera nostra Lydwina se confixam sensibiliter perciperet; vidit ad pedes sui lectuli crucem stantem, instar magnitudinis earum quæ cum sacra unctione deferuntur ungendis infirmis, in extremis laborantibus: viditque pendulum in cruce parvulum, sanguifluis vulneribus compassibiliter insignitum. Liquefacta est igitur ab aspectu tam pio Virginis anima, cœpitque collaudare Dominum dicens: Gratias tibi ago, Domine, qui me indignam ancillam tuam sic visitare dignatus es. Porro cum resoluta prorsus in laudem Dei hoc diceret, audivit pater senex loquentem filiam, & miratus admodum cui sic loqueretur, surrexit, surgensque clam appropiavit cellulæ ejus, ut videret, quis aut quid esset. Is igitur interim qui sic apparebat, levando se versus cellæ solarium, quod erat super caput ejus, recedere videbatur: propter quod Virgo dolens, & timens ne sic recederet, cœpit clamare & dicere: O Domine! si tu, Domine, vere es ille in quem credo, & jam velis à me separari; obsecro ut priusquam ab eas, signum evidens mihi relinquere digneris, quo ipsa noscam infallibiliter, quoniam tu ipse es & non alius. Mox qui ad superiora prius conscendere videbatur, sub specie alia manifestavit semetipsum, utpote in specie cujusdam formosæ Hostiæ, tertio supra locum, in quo Virgo jacebat, se gyrantis. Erat autem istis de consuetudine supposita munda mappula, supra quam finaliter ipsa Hostia stare visa est.

& Christum conversum in pueri crucifixi speciem

B

ac demum in hostiam sanguinolentam

131 Proinde cum hoc inter Christum & sponsam consignatam à Domino sic ageretur; veteranus pater ejus, qui nihil adhuc viderat eorum quæ ita tractabantur, cum simplex & pius esset, solito more super lectum filiæ resedit; & an aliquid ab eo vellet fieri tali tempore noctis inquisivit: ignorabat enim quis & quantus illic juxta eum, locum primum accepisset. Huic ergo Virgo respondit: Rogo te, pater, ut cito surgas de lecto, quia juxta me habeo Dominum crucifixum Jesum. Attonitus pater ex verbis filiæ, quantocius surgens, Hostiam illic pulcherrimam vidit, & advocatis domesticis & vicinis ad videndum mirabilia Domini, ipsum & omnes adventantes timor & stupor invaserunt: cernebant enim omnes Hostiam unam & eamdem; sed non uniformiter & eodem modo, quemadmodum & patebit. Erat quippe venerabilis Hostia, quæ sic videbatur, major in quantitate iis quibus communicari solet, ut plerumque plebs communis & devota; minor tamen iis quibus à Christi Presbyteris celebrari consueverunt divina mysteria: sphæricæ quoque figuræ dicebatur, & radiis ad circumferentiam circumquaque se diffundentibus, Crucifixi intus habens effigiem cum cicatricibus cruentatis: in latere vero uno specialiter gutta una desuper tenaciter existente, quæ quantitatem semipisæ continebat. Jacebat etiam sic ipsa Hostia tam luculenter & manifeste, quod ab omnibus clare videri poterat: sed ipsa venerabilis Virgo Christi, hanc quasi pendulam super mappulam in aëre contiguo respiciebat.

super lectum accipit exhibetque domesticis:

C

D

132 Cum Virgo, in aspectu hujus sacratissimæ Hostiæ, tam spiritu quam carne admodum exultaret; & ii qui tunc aderant, ne in ejusmodi gaudio deficeret, formidarent; accedens una manum super cor ejus posuit, & perceptibiliter saltus ac commotiones cordis ac vitalium Virginis supra humanum modum fieri cognovit: etenim exsultavit cor ejus in Domino, & delectabatur in Deo salutari suo. Visio autem & discretio sacratissimæ hujus Hostiæ, à fide dignis illic præsentibus, vario modo innotuit. Enimvero pater, pius ac simplex, hanc in quinque locis Crucifixi cruentam vidit: Wilhelmus vero frater ejus, in totidem locis pari modo, ut pater ejus, vidit: mulierum autem devotarum aliquæ, in quinque; aliquæ vero in quatuor locis tantum viderunt esse cruentam. Una tamen præ ceteris Virgini familiarior, quæ Catharina dicebatur, Hostiam hanc præ ceteris in latere dextro & dextro pede intuita, quasi sanguinem fluere vidit; in sinistro vero pede, sanguine tantum coagulatam. Vidit & hæc devota mulier Hostiam ipsam majorem esse quam ceteræ communes, minorem autem iis quibus in altari celebratur.

qui & ipsi notas in hostia sanguineas vident,

varii tamen varie,

E

133 Erat ergo differentia non in ipsa Hostia, quæ una & eadem erat, sed in modo apparitionis ejusdem, diversis diversimode factæ. Nam uni, utpote Lydwinæ videbatur in aëre pendula, aliis autem in superficie mappulæ situata: quibusdam etiam apparuit habens sanguinem coagulatum, uni tantum sanguine fluida. His etiam in quatuor locis tantum, aliis vero in quinque vulneribus Crucifixi sanguinem habens: uni tantum tantæ quantitatis esse videbatur quanta est communis Hostia quotidiani sacrificii nostri, aliis autem ut dictum est omnibus minoris quantitatis quam sit Hostia Presbyteralis; major autem ea qua communicantur plebei discernebatur: atque ita esse, quemadmodum & viderunt omnes qui affuerunt tantæ rei spectaculo, tactis sacrosanctis Euangeliis adjurati sunt. Haud dubium quin ad enarrandam gloriam Dei facta sint hæc, & ad assecurationem virgineæ mentis, ne fluctuaret; insuper & ad amputandum omne vulnus dubietatis posteris, qui dicere possent, Manus hominum confinxit hæc, quæ viderunt oculi patrum nostrorum, & non fecit Dominus hæc omnia. Jam blasphemus dicere nequit, Consilium hoc fuit ex hominibus: sed quod à Domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris.

ad majorem miraculi evidentiam.

F

CAPUT IX.

De novis vexationibus à prædicto Curato adversus Virginem resumptis, & de inquisitione facta super hoc per Prælatos Ecclesiæ.

134 Eadem igitur nocte, qua sic mirificavit Dominus misericordiam suam facere cum ancilla sua & sponsa Lydwina, misit & ipsa nuntium, qui factum tam grande Pastori suo sibi adversario enarraret, ut oculis præsentiret carnis ejus adesse præsentiam, quem tantopere malignando denegarat. Curatus autem ille hoc quasi in somnis audiens, quamvis fidem minime daret, tamen illotis manibus venit ad Virginem, turbato spiritu dicens: Quidnam hoc tempore noctis vis tibi fieri? Cui Lydwina: An non vides Pater mi, factum quod hic contigit? Video, inquit ille, commentum seu figmentum diabo-

Adest vocatus ipse noctu Pastor incredulus,

A diaboli, & non aliud. Rursum Lydwina, Nequaquam, Pater mi, commentum diaboli est, sed Deus meus verus, quem vides, qui te & me creavit, & qui fecit à principio cælum & terram. Cumque ille facti evidentiam suffocare non posset; quinimo modo consimili guttatim, sicut ceteri, sanguine respersam Hostiam cerneret, attonitus ac repercussus quid de hac re ageret hæsitabat. Tandem autem simulata quadam exteriori audacia, compulit omnes qui venerant, protinus de cella Virginis exire: & clauso firmiter super se ostio, cœpit fortiter & importune Virginem adjurare, per tremendum Dei viventis judicium, quatenus nulli hominum id quod factum fuerat auderet revelare. Obedivit igitur Virgo viro, donec postea venit Prælatus major imperio.

ludibrium diaboli esse dicens

silentium indicit adjurans:

135 Porro Curatus ad Virginem, quid sibi de Hostia fieri velit inquisivit. At illa, perplexa nimis quid ageret, quidve dimitteret, nutare cœpit intra se & dicere: Coarctor nimium & angustiæ mihi sunt undique; si abstulerit mihi Dominum meum, timeo ne linguam suam relaxet in blasphemiam; si vero penes me servavero eum, minus æquum & minus B justum est, quia & ipse disparebit. Scio quid faciam: Domine, inquit, mi Deus: tu enim nosti quia crucior in hac hora, nec præsentia tua carere jam possum: quapropter te sumam, dummodo placuerit ministro tuo Curato meo mihi ministrare. Et his sic in corde revolutis, Pastori durius exprobranti dixit: Obsecro, domine mi, ut hanc Hostiam mihi tribuas. Cui Curatus: Vis igitur diabolum tibi ministrari? At illi Lydwina: Non diabolum, sed Dominum meum mihi ministrari posco. Cui Pastor: Ministrabo tibi Hostiam veram, afferendam de ecclesia: de hac Hostia nescio quid sit, aut unde sit: unde & sumendam hanc Hostiam tibi dissuadeo. Ad ultimum autem tribuit ei Hostiam, quam illic invenit, dicens: Accipe igitur figmentum diaboli, & non aliud, tamen tua æstimatione, talem qualem illam esse credidisti. At vero nostra mansuetissima Lydwina, incredulitati ac duritiei sui Pastoris compatiens, totis præcordiis Hostiam reverentissime suscepit: quæ per omnem modum, quo ceteræ Hostiæ consecratæ, delectationem spiritus ac animæ facere consueverant, ita & nunc in sumptione illius factum est.

ipsamque hostiam sibi præberi postulanti,

vix demum indignabundus obsequitur,

136 Altera vero die, quæ tunc erat Vigilia B. C Thomæ Apostoli, timens verisimiliter Curatus ne tantæ rei novitas totam extemplo percelleret urbem, descendit ad gradus chori sui, & convocata plebe dixit: Ecce, inquit, carissimi, quomodo Lydwina, filia Petri Joannis, minus compos mentis suæ hac nocte per diabolum decepta est, sub tentatione gravi & periculosa: unde peto humiliter fieri preces pro ea, & dici Orationem Dominicam, quatenus in fide constans perseveret. Et ostenso plebi Sacramento tetendit ad domum Virginis, sequentibus eum turbis, quæ audierant omnia verba hæc. Quibus iterum in ingressu domus Virginis ait: Notum sit vobis omnibus qui adstatis, sathanam ingressum fuisse hac nocte ad hanc Virginem, ut tentaret atque deciperet eam. Insuper & Hostiam quamdam sibi reliquit fictitiam, & non consecratam; quæ non fuit verus Deus, sed commentum diaboli omnino, pro cujus rei veritate ignibus tradi paratus sum. Siquidem, inquit, quod factum est delusorium fuit: sed hoc, quod nunc teneo Sacramentum, verus Deus est: nulli ambiguum, quia & manibus Sacerdotalibus rite ac catholice consecratus. Si quid igitur eorum quæ nocte gesta vel in modico perceperitis, id plane falsi sathanæ, qui sæpe se transfigurat in Angelum lucis, opus fraudulentum fuisse firmiter credatis. Ut autem & ipsa Virgo diabolicæ illusioni fortius resistere possit, ecce nunc do ei verum Sacramentum Corporis Christi, in tutamentum mentis & corporis ejus: & orate pro ea, quatenus sumat illud ad salutem. Quibus dictis introiens, sedit juxta eam.

postridie autem palam asseverans delusam fuisse,

Eucharistiam illi è templo defert;

137 O quanta Virgini patiendi materia! o quantæ patientiæ jam in ea coruscant insignia! non enim irritatur, non agit perperam, non loquitur sinistra; sed maturis verbis virum durissimum aggreditur, dicens: O, mi Pater, minus juste locutus es, & à veritate procul valde; eo quod dixisti, hoc factum figmentum fuisse sathanæ. Nonne tibi priusquam fieret hoc, Angelo revelante dixeram, ut vel sic gloriam Deo dares? Nonne meorum conscius es secretorum? Numquid filiam sathan me probasti? Oro tamen Dominum, ut quod agis tibi non imputet ad peccatum. Sed nec permotus est his etiam crudus Pastor, quin imo afflictam afflixit, laceram laniavit, compunctam & desolatam mortificavit. Unde mox ad responsa Virginis indignabundo verbo dixit: Visne recipere Corpus Dominicum, quod tibi nunc attuli? At illa, Utique, dummodo tu ipse velis. Ministrato igitur Sacramento Virgini, Sacerdos ad ecclesiam revertitur, sequentibus eum turbis. Et E quamvis ad tempus corruerit in plateis veritas, & æquitas non potuerit ingredi: tamen fortissima tandem omnium veritas, falsitatem vicit.

atque in sua incredulitate pertinax,

hanc ei ministrat.

138 Porro quod perfidus hostis quotidie adversus Christi margaritam efficere molitur, hoc mobilibus omnibus mobilior sapientia Dei per ora simplicium interdum retorquere in hostem & ultorem conspicitur. Sane cum ob hanc perturbationem per Curatum suscitatam tota permovetur urbecula, adeo consternatus est vir ille animo, ut immunitatem ecclesiasticam, propter furorem populi, nullatenus exire tremens auderet. Cujus rei gratia convenerunt Rectores urbis illius ad Curatum & dixerunt: Dic nobis, Pastor, meram veritatem: quatenus sedare possimus populi adversum te concitatum furorem. Quibus ipse ait, Nil aliud scio dicere, quam mane dixerim plebi; utpote quia omne id quod nocte hac apud Virginem Lydwinam actum est, quædam diabolica ludificatio fuit & execranda tentatio. Cui rursum dixerunt: Si ludificatio, ut affirmas, sathanæ fuit, cur Hostiam illusoriam non servasti? & si servaveris? ubi posuisti eam. Qui ait: Tradidi ignibus comburendam. Rursus cum Clero Rectores ajunt: Ostende nobis ignem vel locum ejus, ut vel sic inquisitione facta sciamus, an forte verus sit Dominus, F qui fecerit hæc, an forte fictitium quoddam. Curatus autem obmutuit.

Re vulgata oritur tumultus populi contra Pastorem:

qui interrogatus quid fecerit de Hostia,

139 Crescente rumore populi adversus Curatum, rursus coguntur adire Curatum secunda vice, super tam mirabili facto inquisituri. Qui respondit: In aquam projeci Hostiam, quam commemoratis. Et cum illi ex adverso rursum condicerent, tertio dixit quatenus Hostiam conjecisset in cloacam, ne forte propter vesaniam simplicis ac rudis populi idolalatria subsequeretur. Cumque verba hæc audisset populus, magis infremuit adversus virum, eo quod Hostiam, quam multi fide digni tam notabilibus insignitam miraculis viderant, in cloacam turpissimam projecisset. Et missis iterum de majoratibus, dicunt ei: Ecce tuam ob culpam tumultus magnus fit in populo, magnaque turbatio valde. Qua ex re suademus tibi consilio seniorum Urbis, quatenus septa sacrorum locorum exire non præsumas, nec appareas in plateis. Tutius fuisset tibi inprimis nudam dixisse veritatem: nam qui adfuerunt & viderunt eam, cum verbis trifariam mutaveris sententiam, adversum te clamant & testificantur.

in responsis suis variat tertiò.

140 Mi-

PER IOAN. BRUGMAN

Accersitur Schiedamum Chorepiscopus Vltraject.

140 Mittitur igitur ad Episcopum, quatenus ob imminentiam periculi, veniat ad locum Schiedam, omni dilatione postposita. In illa siquidem nocte præventus in somnis, & sæpius admonitus est ut discedat in urbem Schiedam, quia sua præsentia ibi opus esset. Venit igitur properans Dominus Episcopus Matthias, suffraganeus Trajectensis, atque cum eo populi multi & Officiales confluxerunt. Audiens autem Curatus advenisse tot Prælatos ecclesiæ, consternatus & conturbatus est animo valdè. Et veritus nefas commissum, satisque desperans de adjutorio, clam misit per internuntium, & amicum misit ad Virginem, rogans eam, quatenus id quod stulte commiserat adversus eam, nequaquam ulcisci vellet: verum cum in se benigna & misericors extitisset, ita factum ipsum quod patrarat, benignius & misericordius excusaret: viso etiam quia sibi magnum periculum immineret, cui sola ipsius clementia, tamquam sibi cognita poterat obviare. Virgo vero cum sensatissima foret & non minus pudorata, se facturam pro eo spopondit, quidquid salvo Dei honore, fide bona facere posset: non enim novit pro malo malum, sed bonum reddere, exemplo docta Salvatoris, qui pro crucifixoribus in cruce dignatus est Patrem exorare.

Pastor orat Virginem ut se juvet.

B

Hac laicis abesse jussis,

141 Quid multis immoror? Accesserunt ad domum Virginis Prælati qui venerant; quos tristis & gemens Pastor, tamen adhuc crudissimus, sequitur. Fit canonica de tam grandi tamque mirando facto per Prælatos studiosa inquisitio: fit de execrando Pastoris insultu seriosa discussio: fit eorum qui viderant aut interfuerant informatio copiosa. Cum autem mansueta Virgo Cleri atque Sacerdotii summopere zelaret honorem, rogavit Episcopum, quatenus plebeis emissis de cubiculo, se solam cum Prælatis audire dignaretur: & ipse consensit. At illa videns quia jam sine popularium pusillorum scandalo loqui valeret, memor pristinæ desolationis & blasphemiæ sui Curati adversus Omnipotentem bacchati, de profundo cordis in lacrymas resoluta, dixit: Oro, reverende Domine mi, ut duo mihi non deneges, priusquam ad interrogata respondere compellar. At ille, tamquam pius pater consolans eam, ait: Confidens pete quod volueris; & quod justum atque rationi consonum fuerit, utique faciam. Resumptis igitur utcumque viribus, exorsa est: Ante omnia peto, inquit, absolvi præsertim à vinculo, quo constricta sum: districto enim viventis Dei judicio adjurans me Pastor meus alligavit: quamobrem de tam singulari materia respondere non valeo, nisi prius auctoritate majoris fuero absoluta: ceterum flagito humillime Reverentias vestras, quatenus hac de re Domino meo Pastori damnum in rebus, aut molestiam in corpore non inferatis.

& sponsione exacta de Pastoris indemnitate,

C

rem omnem ut gesta erat explicat,

142 Cum autem illi advocantem & orantem pro adversario mirarentur, promiserunt se facturos in omnibus, uti desiderabat anima ejus. At illa dixit. Coram vobis igitur Dominis meis, in caritate hic congregatis, protestor & offero me, pro veritate eorum quæ circa me facta sunt, mortis subire supplicium. Noveritis igitur Dominum meum Jesum Christum hic corporaliter, in forma pueri crucifixi, ad pedes lectuli pendulum, apparuisse in cruce; cujusmodi crucis instar & magnitudinem ministri ecclesiæ tempore sacræ Unctionis infirmis deportare consueverunt. Fuit autem ipse sic crucifixus, ut videbatur, quinque vulneribus insignitus, quæ circumdabat claritas copiosa: quem cum ob sui amabilem præsentiam ardentius, ut decet, fuissem intuita, timensque ne à me vellet separari, mox ad eum dixi, ut potui: O Domine, si tu vere es ille in quem credo & jam velis à me separari; obsecro ut priusquam abeas, evidens mihi signum relinquere digneris: quo ipsa noscam ineffabiliter, quoniam tu ipse es & non alius. Et qui abscedere visus est, sub alia specie, videlicet Hostiæ, descendere dignatus est super me. Et quia hujusmodi sacratissimam Hostiam sumere concupivi, Curatus meus tradidit mihi illam, quemadmodum optaveram. Qua ex re ego deprecor parvula vestra filia, quatenus si negligentia quacumque seu fragilitate Curatus meus in hac re offendit, juxta promissam mihi fidem, quantum vestra interest, propter amorem Dei & precem meam, paternaliter compati, & ex integro remittere dignemini. D

143 O venerandam Virginem, & de cordintimis nostris imitandam, insuper & admirandam. Nam cum vir iste, Nabal durior, lamiaque crudelior, conviciis atque contumeliis eam affecit, communionem Corporis Christi toties esurienti subtraxerit, ad idololatriam in hostia non consecrata provocare actu non erubuerit; quodque majus est, quasi deceptam vexatamque à dæmoniis & ob hoc in fide periclitantem, coram turbis diffamaverit; non est quo minus ipsa pro eo lacrymas fundat coram Deo, preces porrigat coram Prælato, insuper & excuset coram judicio. His igitur tranquille à Virgine prolatis, cum primam fidem irritam facere non auderent, mitigati sunt animi Prælatorum omnium: & adductis singulis testibus, de veritate visi miraculi longa discussio atque pervigil inquisitio facta est. Nempe de cetero gloria Dei celari non potuit, innocentia Virginis simul & patientia per omnem circum regionem emicuit, deprehensus est spiritus nequam & mendax in ore Pastoris, ut amodo non glorietur, qui gloriabatur in sua malitia, potens quondam & pertinax in iniquitate.

absque ulla de Pastore querela.

E

& testibus auditis res tota probatur.

CAPUT X.

De sumptione Sacramenti sibi postmodum ad libitum concessa: & de signis evidentibus impressorum sibi stigmatum.

144 Sane quidem pacem cordis nacta cum Pastore, cœpit fidentius sacram Communionem postulare, sumptamque magis ac magis indies esurire; siquidem singularem Domini suavitatem communicando percepit, ubi dator datur & donum, ubi donum idem cum datore, ubi dator totum dat seipsum. Erat revera cibus iste non rarus ei, sed assiduus; mentem Virginis illuminans ad humilitatem, non ad inflationem; affectum ejus inflammans ad caritatem, non ad æmulationem; vires animæ restituens & corroborans, non ad destitutionem. Erat siquidem cibus iste dulce ferculum, virgineum spiritum devotione reficiens; erat & lautum edulium, jugem Passionis memoriam efficiens; erat & clarum jentaculum, diem fruitionis in posterum præfigurans. Merito igitur panem hunc quærit adhuc adolescentula, candens nitore puritatis virgineæ: digne pro eo ardet amica Domini, facta in fervore caritatis concubinariæ: juste languet pro cibo tali, quandoque futura sponsa in fulgore caritatis æternæ. O quam suaviter hæc reverenda Christi sponsa virtutem Sacramenti ruminabat, quo nihil efficacius! o quam deliciose in eo lætabatur & pinguescebat, quo nihil suavius! o quam vigorose os ejus laudes depromebat, quo nihil dignius laude!

Exhinc liberius

F

& magno cum fructu communicat Virgo:

145 Cœpit igitur, in hujus pinguedine panis, impressorum stigmatum in locis plagarum fortes sustinere dolores; & velut lampas flammifera, inextinguibili caritate sursum ferri. Et quamvis felix Virgo

gratiam vero acceptorum stigmatum dum nititur celare,

A

Virgo sacramentum summi Regis abscondere modis omnibus, quoad vixit, niteretur: nihilominus ubi plenitudo temporis advenit, ad gloriam impressoris sui latere non potuit. Transformaverat enim Christi amor amantis amatam similem in imaginem, & ideo gloriæ Dei fuit celare, quamquam interdum gloriæ Regum sit investigare sermonem. Quod autem in Virgine propter humilitatem homines latuit, in vita ejus revelante Deo celari non potuit; sed & post obitum ejus, sicut nonnullis constat, revelavit. Ut autem secretum Domini tegeret, chirothecam in manu sinistra gestabat, quæ mira suavitate redolebat. Nocte vero quadam, dum adhuc viveret in carne, apparuit cuidam matronæ Virgo nostra clarissima, quinque stigmata ferens in corpore, in quorum jucundo aspectu, dicta matrona solatium mentis ac spiritus mirabili modo hauriebat. Quæ cum in crastinum ad locum ubi Virgo jacebat accelerasset, diligenter cœpit inquirere si forte sic secum esset in corpore, quemadmodum ipsam viderat nocte in spiritu. At illa ex humilitate non affirmans, nec mentiri volens super eo quod quærebatur, hoc solum exultans in spiritu, nutu quodam ostendere visa est, videlicet quod ostenso sinistro brachio manum matronæ apprehendens & stringens, cum ingenti gaudio dixit: O caput, caput! quasi dicat: Secretum meum mihi, secretum meum mihi.

matronæ cuidam in visu sic stigmata ostenditur:

B

146 In regione Anglorum mercator quidam erat, qui Lydwinam in carne numquam viderat oculis, nec nominari perceperat auribus, ut dicebat. Hic autem in tibia morbo laborabat incurabili, adeo ut medicorum nullatenus curari posset medicamine: Qui semel miserabiliter dolens ac gemens præ tristitia spiritus, tandem obdormivit. Et ecce cum sic dormiret, admonitus est in somnis, per se aut per nuntium ab eo mittendum, transfretare in oppidum Hollandiæ nomine Schiedam; nec non & de aqua, qua Virgo Lydwina pro tempore languens manus lavasset, portare: quia de hujusmodi lotura tibia sua lota sanitatem extemplo foret receptura. Mane igitur surgens vir debilis, servum suum vocat, & ad transfretandum in Hollandiam talentum partitur; & ut de loco Schiedam diligenter inquirat studiosius præcipit; nomen Lydwinæ languentis ibidem notanter exprimit; atque de lotione manuum ejus reportanda affectuosius hortatur & jubet. Flantibus igitur ventis secundis, venit volente Deo servus ad locum; aquam loturæ, quam ex caritate Virgo negare non potuit, impetrat: qua nacta, rursus navem conscendit; & juxta desiderium mox optatum, sibi ex Hollandia in Angliam gaudens reportat. Mirabile dictu! Mirabilis Deus in Sanctis suis, mirabilis in majestate sua! Statim enim ut mercator ille allata sibi aqua tibiam abluit, marcida carne sine dilatione mutata in vivam, restituta est ejus tibia statum in pristinum, nec ullum exinde dolorem in ea sensit. Sic igitur factum est ut per admirandam ejus virtutem, cujus manus lota vel intincta fuerat aquis, vir in remotis existens curaretur, & insanabilis carnis marcedo prorsus fugaretur.

Mercator in somno monetur

ut pro curanda insanabili tibia sua

C

aquam portet, qua ipsa manus laverit;

147 Mulier quædam honestæ vitæ, quam in humanis quandoque vidi, mihi quod narro retulit fide dignum. Tempore namque vitæ Lydwinæ gravi quadam laboravit ægritudine, sed secreta. Hæc, quemadmodum Virgini domestica & familiaris erat, & secundum consilium Virginis summopere vitam suam transigebat, confidentius ad eam venit consilium petitura, quod tanto discrimini opus esset. Cui mox Virgo indicavit omnem infirmitatem, originem, periculumque insuper, ei detexit: Scio inquit, quia fistulam habes in corpore, quæ ob continuum stillicidium inposterum ampliabitur temporis successu: attamen suadeo tibi medicos quantocius accedere, à quibus curam si acceperis, Deo gratias age; sin autem, juxta beneplacitum voluntatis ad me revertere. Abiit igitur ad medicos peritiores, quos habere poterat; sed supervacue: & quidem quod fistulam haberet indicatum est ei: sed tristis relicta ad Virginem sanctam rediit; & quomodo desperarent omnes de cura latentis ægritudinis insinuavit. Verum cum Christi signifera dolores feminæ, tam in animo quam in corpore, revelante spiritu nosceret; oratione primum fusa devotius, locum doloris sacra manu leniter exterius tetigit, atque malum desperatæ fistulæ radicitus extirpavit. Gaudet ex hoc mulier honesta; gaudet in hodiernum diem id adhuc commemorans, in laudem Virginis benefactricis, veneranda matrona; nec commendare sufficit hoc & alia beneficia. Quo facto luce clarius patet, quam pretiosa sit manus Domini in Virgine, cujus lenis contactus morbum occultum & mortiferum evulsit de corpore.

Mulier alia laborans incurabili fistula

PER JOAN. BRUGMAN

ejusdem Virginis attactu sanatur.

E

Expendit auctor gratiæ prædictæ certitudinem

148 Non admiretur quis Virginem nostram plagis Salvatoris sic insignitam secretius, cum Paulus stigmata Domini Jesu Christi portare legatur ad Galatas; cum Lucas crucis mortificationem in corpore gestare dicatur; & Franciscus patulas, tamquam sigillifer, accepisse probetur etiam plagas. Quid admirantur homines, Dominum ex omnibus mulierculis unam fortem, imo plures fortasse, elegisse? Numquid creator omnium Deus sexum femineum adeo dispicit, ut inter multos viros illustres viraginem hanc illustrem annumerare non decreverit? Non est personarum acceptor Deus, sed in omni gente, sexu, ætate, gradu, qui operatur justitiam ejus, acceptus est illi. Alii Christi milites, ut Apostoli, publica Christi trophæa circumvexere per mundum universum; nonnulli, ut puta Martyres, gloriosum sanguinem fuderunt propter Christum; alii vero, ut Confessores cum vitiis & concupiscentiis sese crucifixere propter præmium: hæc autem Virgo nequaquam in sexu femineo despectior, latens quasi in ergastulo, Christi vulnera renovasse videtur annis plus quam triginta, super infirmitatis omnimodæ strato.

& excellentiam:

F

ipsique Sanctæ eam gratulatur.

149 Eja igitur generosa filia, Christi vulneribus nobilitanda, fer sigillum & vexillum Christiformis patientiæ. Eja nunc formosa Christi sponsa, tam præclaris monilibus adornanda, fer signaculum virginalis pudicitiæ. Eja nunc speciosa primiceria, tam multis puellis comitanda, fer titulum Hollandiæ. Eja nunc vigorosa Christi signifera, tantis virtutibus circumdanda, fer vexillum patientiæ. Et quidem, o Virgo, tuas laudes tacere non audeo, tuas virtutes enarrare non sufficio; væ mihi autem, si quod de te mihi constat, non dixero. Lapides clamare possunt, ingratus si manum retraxero. Etenim sacramentum Regis abscondere bonum est, opera autem Dei revelare & confiteri honorificum. Igitur hæc de profectu virtutum Virginis, modo balbutiendo, pro præsenti dixisse sufficiat.

PARS

PER IOAN. BRUGMAN.

PARS TERTIA.

De perfectiva caritate & vita S. Lydwinæ.

CAPUT I.

De caritate ejus in orando & patiendo pro salute vivorum.

Totam se animabus Deo lucrandis impendit Virgo,

150 IGitur dum nostra Virgo, velut myrrha electa, nec non velut aurum optimum, fuisset comprobata; cœpit, tamquam thus redolentissimæ devotionis, ac velut thymiama accuratissimæ commixtionis, coram Domino rursum se offerre; & quasi nihil profecisset illo usque, pro lucrifactione multarum animarum, corpore & spiritu se totam flammis caritatis concremare: cœpit, cum Daniele, mulier desideriorum existere; cœpit, velut Austri Regina, veri Salomonis sapientiam concupiscere; cœpit in scala Jacob ascensiones cordis disponere; cœpit longum, latum, sublime ac profundum crucis Christi, humilis discipula comprobare. Siquidem solitudine nocturni silentii nactâ, lacrymis stratum rigabat, genas cruore tegebat, pectus sudoribus quasi balnearibus replebat, corpus durioribus coaptabat doloribus. Spiritu fortis facta, corpus nihili pendebat, proculdubio quasi Passionis insignia deferens; ut amica, pro parvulis in fide filiolis trinum panem mendicabat ab amico; ut filia, pro fratribus prodigis solicitabat coram patre miserantissimo; ut sponsa noviter subarrhata, pro peccatoribus miseris preces fundebat coram sponso judice futuro.

B

quam rogans quidam ut profectus sui impedimentum auferri petat,

151 Plurimi, quos vidimus & audivimus, ad eam, tamquam ad matrem filii, concursabant: qui habito secum colloquio suavi valefacientes, oratiunculas ejus exoptabant. Eo namque tempore Canonicus quidam claræ vitæ Regularium, qua pollet Germania nostra, ut Deo vicinior fieret, cum fervore ad illam ait: Oro te, inquit, Lydwina, instanter precare Altissimum, quatenus auferre dignetur à me, id quod magis oculos suæ majestatis offendit, & quod saluti meæ signanter esse noverit impedimento. At illa, Orabo libenter. Erat autem vir ille devotus, vocem canoram & claram habens valde, in qua humanam quamdam gloriolam cantandi adhuc possidebat. Oravit illa: raucescere cœpit iste: sed quia Dominus fecerit, hoc rei docuit successus.

C

vocis canoræ gratiam irrecuperabiliter amittit.

Deficit vox amodo viri Canonici; sibique ad succurrendum per medelas organis raucedine læsis, impatiens medicos, longe lateque consulendos, excogitat, ut suavis vocis dulcedine iterato gaudeat. Tandem cum frustra in lenitivis cibis, poculis, unctionibus & electuariis laborasset, quidam Canonicus clariorem habens mentis oculum, coram expertissimo medico, quasi subridens ait: Dico tibi, magister medice, quod comes itineris mei semel à virgine Lydwina petiit pro se precari Dominum, quatenus ab eo sua pietate dignaretur auferre, quidquid oculos suæ majestatis ex ipso magis offenderet, quodque saluti animæ ipsius contrarium videretur. Et ecce quod petivit, jam, ut reor, habet ex Virginis precibus: quamobrem mihi frustra videtur imo superfluum, quod in medelis exquiritur. Audiens hæc medicus, qui Virginem noverat, subintulit dicens: Si res ita se habet, Hippocratis & Galeni codices nequaquam succurrere valebunt. Hoc itaque facto clarius liquet, quoniam & nescius impedimenti sui Canonicus, feliciter Virginem petiit; & quomodo efficacius, quod saluti necessarium fuit, pro viro devoto Virgo devotior impetravit. Formæ decus, vox sonora, robur corporis & sanitas ejusdem, modici pretii sunt, si non in Domino, sed in hujusmodi datis ejus plus merito gloriemur.

D

ab eadem benedictum poculum

152 Habebat carissima Virgo carum sibi ministrantem nepotulum suum, filium fratris puerum duodecim annorum, pro quo Dominum exoravit devotius, ut puero Dominus pro memoriali eorum, quæ circa se facere dignabatur, febriculam immitteret; non autem ad mortem, sed ad castigationem solummodo, quatenus tam ministerii sui quam illius cui languenti ministrabat memor esset in futurum. Cum puer ille duodennis vas haberet, de quo bibere solitus erat; circa festum Nativitatis Virginis Mariæ, jussit ipsa Dei famula vas ipsum plenum cerevisia tenuissima, quæ modico ptisanam superabat in valore, juxta stratulum suum collocari. Quod cum factum esset, mane vas illud plenum optimo liquore inventum est, quasi speciebus aromaticis cælitus conditum, & Angelicis manibus preparatum. Biberunt itaque de poculo illo quam plurimi, quibus ut dicebant, nullus talis liquor antea notus erat in terris, quibus nec nocuit unquam, profuit autem & placuit plurimum. Bibebat ex eo tunc puer, Virginis nepotulus, & mox febribus ubique per membra diffusis, ab illo tempore usque ad festum B. Martini Confessoris, quasi per preces Virginis à Domino commonitus, laboravit. Oravit igitur Virgo & statim liberatus est. Non mirum quin poculum unum atque idem sic orationibus Virginis à Domino fuerit impetratum, ut quod uni, videlicet parvulo duodenni, ad ætatis grandævæ futuræ prebebatur memoriale signum; ceteris maturioris temporis, qui gustarant, perenne fieret in recordando solatium.

conversum in potum suavissimum,

E

sumens ejus nepotulus febricitare incipit.

ejusdem famam inter combibones defendens quidam,

253 Agnovi & ego plures in seculo, qui Virgini dum viveret in carne devotiores fuere, quibus verbum istud per eam innotuit, quo dicere consuevit: Nescit, inquit, lascivus animus id sane capere, quoniam virtus in infirmitate perficitur, sed & nondum habita eadem impetratur: cujus rei gratia rem grandem narro. Vir erat in oppidulo illo Schiedam, Otgerus nomine, potens ad bibendum satis & vorax; sedens quodam tempore ad mensam cum bibulis ac edacibus viris aliis in taberna: cumque linguas vaniloquas post potum exacuerent adversus electam ancillam Christi, tandem ventum est ad virulentas detractiones & verba blasphemiæ, utpote quia vel vorax voraret in secreto, aut quod dæmonium haberet, non manducans in manifesto. Audiens autem hæc Otgerus, quia sic famulam Christi mortiferis laniarent obloquiis, quamquam & ipse calicibus epotandis vacaret, tamen latratibus eorum invitus aures præbens, seque murum ponens, in hæc verba pro Virginis innocentia respondit: Sileamus quæso, socii, de Virgine: sufficit enim nobis stultitia nostra, qua Deo quotidie peccamus. Virgo hæc bona est & sancta, & quidquid in ea fit à Domino fit: nec tutum est infligere adversus Dei amicam mordacem sententiam, cum nil mali patulo nobis de ea innotuerit. Quin imo nobis, qui mali sumus, molestum foret audire, si talia cum veritate ab æmulis dicerentur.

F

& alapam ideo impatientem patienter fert,

154 At illi, tamquam poculo calefacti & æquo animo verba defensoris Lydwinæ non ferentes, multo majora præsumpserunt, tandem dicentes, In peccatis natus & innutritus es, & tu corripis nos? Unus autem ex eis, dans ei duram alapam, ait: Vade, vilissime hominum, vade: nostram societatem turbare non præsumpseris. Quibus, alapa suscepta, respondit: Ad hujus honorem, pro cujus nomine vobis ita respondi, alapam hanc suscipio patienter: & his dictis recessit. Mirum dictu! Jacet in remotis, jacet in abditis Virgo, nihilominus quid vir responderit suis

A suis detractoribus non latet; & quomodo tulit alapam patienter ad gloriam Dei & honorem suum, Confessori suo, prius quam diffunderetur ad aures hominum, seriatim narrat dicens: Oro, inquit, Pater, ut concito gressu domum Otgeri accedas, & ut in nomine Dei & meo confortans eum fideliter, dicas, Lydwina te salutat, atque ex parte Dei regratiatur, eo quod pro gloria Dei & honore suo zelans zelatus fueris, alapamque susceperis patienter, pro qua Dominus ipse gratiam tibi reddet in tempore opportuno. Mox igitur mane facto Confessor ejus Dominus Joannes Walteri ita fecit, & admiratus est vir & ait: Et unde novit ipsa quæ gesta sunt? nam & hesterno vespere contigit tarde quod dicis, & nemini hominum per me innotuit. Cui Confessor: Sufficiat tibi quod ipsa noverit, & mandaverit tibi hæc. Æquanimior esto, & Dominus providebit.

Virgini revelatur,

155 Et tunc cœpit vir ille dimittere consortia; cœpit & declinare vitia; cœpit, velut alter Job, in rebus temporalibus multiplicia subire flagella; cœpit, velut Thecla, sub tribula Domini compurgari: flagellat enim Deus omnem filium quem recipit: etenim absque flagellis, tamquam de regione longinqua, de regione dissimilitudinis revertentibus, raro salus facta est. Quid plura? Quamvis vir ille, cum porcis seu porcinis viris manducare solitus, exinde in rebus, in amicis, in domesticis, in membris propriis, procellosis quateretur angustiis; crescente sibi damno, crescebat simul cum gratia patientia sancta; adeo ut ubi abundaverat voluptas, ubi præcesserat vanitas, ubi comitata fuerat iniquitas, subsecuta est pro voluptate patientiæ tranquillitas, pro vanitate decens maturitas, pro iniquitate superabundans caritas. Quippe vir iste longa ægritudine, quasi virgis, attritus & maturatus, deposita tam sarcina corporis, quam peccati pristini scoria, lætus & gaudens tandem, ut Job alter aut Tobias, migravit ad Dominum.

factusque vir frugi

B

qui variis castigationes feliciter tulit,

156 Præterea cum alterum alterius onera portare jubeat Apostolus, consuevit & virago nostra, in corpore invalido validiori spiritu, aliorum infirmitates assumere, ut adimpleret legem Christi. Mulier quædam Deo devota, nimio dolore corporis fatigata, cum sederet in atrio domus Virginis, & flendo præ atrocitate punctionum clamaret; statim advocato suo Confessore, quid esset, Virgo sciscitatur. Cui Confessor: De domesticis nostris & consororibus est, quæ usque ad stridorem dentium compulsa, requiem quærit, & non invenit. Cumque fecisset illam ad se vocari, ait: Visne, soror, quod te juvem hac in infirmitate tua? Cui mulier: Vellem utique, vellem: sed tibi tua sufficiat multiplex quam pateris infirmitas: sed tantum Deum quæso ora pro me. Oravit Virgo Dominum, & statim liberata muliere, addidit Dominus super vulnera Virginis duplicia, adeo ut diem & noctem cum stridore dentium, præ solito more, non sine videntium stupore, miro modo cruciaretur.

Gal. 6, 2.

Mulieris sibi devotæ cruciatum in se recipit Virgo,

C

157 Ceterum quodam tempore, cum cujusdam mulieris puerulus, morbo quodam satis horribili cruciatus, clamores lugubres emitteret, nec requiem caperet, allatus super lectum, qui Virgini contiguus jacebat, illico tacens quievit. Cumque ab eo peterent an melius haberet, dicebat, Jam bene mihi est. Virgo autem, quæ puerulos ad castitatis amorem invitare consueverat, puerum hunc sic ad pristinam sanitatem gratia divina reductum,

puerum lecto suo impositum sanat,

verbis blandis allocuta, ad virginitatis amorem, quantum illa capiebat ætas, exhortari cœpit; quam & postmodum grandiusculus adamare didicit, adamatamque in religione devotior factus profitendo devovit.

PER IOAN. BRUGMAN

158 Sacerdos quidam, verus Israelita & veræ Virgini ob suam pudicam vitam maxime carus, febres acutissimas passus, ad mortem usque periclitatus est: hujus igitur soror, quæ virgineis verbis magnam fidem dabat, consultura Virginem advenit dicens: Quamdiu, o soror mea Lydwina, frater meus has gravissimas patietur febres? Cui Virgo respondit: Circa primam Dominicam instantis Quadragesimæ liberabitur frater tuus, ne pertimescas. Quod & ita factum est: nam fundente Virgine ad Dominum preces, qui Ezechiam à morbo mortis liberavit, & super naturam annos quindecim vitæ tribuit, vir quondam filius mortis, quasi à Domino Virgini datus, illico sanus effectus est. Cujus rei veritatem vir quidam religiosus ab ea didicit, eo tempore, quo circa Sacerdotem præfatum hæc agerentur, quamquam promittere tunc compulsus fuerit, ne quoad ipsa viveret revelaret.

Sacerdotem a febribus die prænunciata liberat.

E

159 Consuevit etiam, pro periculis & clade præcavenda in populis, sæpe pati in corpore, sæpius & orare: adeo quod in urbecula sua locum tenere videretur viri illius, de quo in Ecclesiaste dicitur: Civitas parva & pauci in ea viri: venit contra eam Rex magnus, & vallavit eam, & perfecta est obsidio: inventus est in ea vir pauper & sapiens, & liberavit urbem per sapientiam suam. Ita dixerim de Virgine nostra. Nam contigit quodam tempore ut pater in filium, & filius adversus patrem, ob partialitatis distamen, in provincia illa consurgerent: qua ex re plurimi filii pacis, fugam petentes, tutiora loca quæsiverunt, ut salvarent animam suam. Cumque rabies persecutionis indies fervesceret, venit quidam profugus de longinquo, qui dixit: Coarctor nimium & angustiæ mihi sunt undique: scio quod mortis fauces tempore tam periculoso effugere non valeo, nisi Virginis quæ latet in Schiedam orationibus fuero præservatus. Unde cum quidam verba hæc retulisset, cum humilitate respondit: Gratias ago Deo meo, qui simplicium hominum corda talem fiduciam facit habere in me paupercula: verumtamen confidens confido in Domino Deo Jesu meo, quod nobis existentibus in oppidulo Schiedam, æque bene vel melius erit, sicut & vicinis circumquaque.

varias patriæ suæ clades avertit,

Eccle. 9, 14.

imprimis tempore belli civilis.

F

160 Porro suscitata guerra damnisque innumeris per vicinas urbeculas illatis; ecce classis navium, totis viribus ruinam Schiedam præstolantium, venire cœperunt, ut destruerent illud. Et quidem venientes forti in multitudine, laborantes laboraverunt remigio, tradentesque rates vento quantum poterant, nullatenus ad locum, quem destruere conabantur, pervenerunt. Laborabat armatorum militia. vacabat orationibus Virgo Lydwina: oravit & vicit. Optimum Christiano tironi pugnandi genus oratio supplex: siquidem Bethulia, superatis ab Assyriorum potentia nationibus gentium, prece, lacrymis, jejuniis sanctæ viduæ Judith salvata legitur: insuper & Achior, confessor potentiæ Domini dominorum, præveniente piæ feminæ industria, ab Holoferne blasphemo præservatur.

& hostilem classem accessu prohibet.

PER IOAN. BRUGMAN

CAPUT II.

De caritate quam habuit ad animas in Purgatorio existentes.

Purgatorii pœnas considerans

161 Coepit unctione magistra quasi ruminare verba melliflui Bernardi de regione expiationis, quibus se, piæ negotiationis intuitu, in regionem illam grandem iturum dixit, & visurum quemadmodum pius Pater glorificandos filios in manu tentatoris ad tempus reliquit. Considerabat enim quam sanctum quamve salubre sit exorare pro mortuis, præsertim qui non ad occisionem, sed ad misericordiam; non ad destructionem, sed ad castigationem illic reservantur; vasaque sunt, non contumeliæ, apta ad interitum; sed vasa honoris & gratiæ, præparata misericorditer ad regnum. Captis igitur spiritualibus armis Christi, surgebat illis in adjutorium, ut saltem labor illorum quandoque terminetur in requiem, miseria convertatur in gloriam, flagrum mutetur in coronam. Tempore namque nocturno rapta in spiritu ad loca pœnarum, videbat animas contorqueri, ignem quoque sæpissime flammiferum in altitudine maxima circumferri mira compassione prospectabat. Porro cum semel ab ea quæreret Angelus ejus, an unam ex animabus, ad digitum ostensam, juvare vellet, respondit: Volo utique. At ille: Te igitur jam para per medias transire flammas. Cui Lydwina: Et libenter id facere satagam. Et transiens per medium flammarum, vidit illic tortores quasi cum indagine vel terrore se contrahentes, & quasi moleste ferentes caritatem Virginis adjuvantis. At illa cum pertransisset, vidit animam illam, pro qua se flammis exposuerat, à pœnis liberari; liberatamque, cum lætitia & gratiarum actione, postmodum ad cælestia gaudia festinare.

B

ad easque videndas rapta,

animam liberat per medias flammas transeundo:

162 Rogavit eam quidam, cujus pater defunctus erat eo tempore, quatenus pro eo preces fundere dignaretur: pro quo ducta est ad regionem illam ubi anima dicti viri torquebatur: & ait ad eam Angelus ejus: Ecce vir iste est, pro quo te deprecaturam spopondisti. Statim autem ut vidit eam spiritus viri, ait ad socios: Mira jam video: nam ab eo tempore quo purgandus hunc locum intravi, spiritum in carne viventem non vidi, nisi spiritum Virginis hujus, super quo benedictus sit Dominus Deus, qui mirificavit misericordiam suam mihi in hac hora. Paulo post, orante ac patiente pro eo in corpore suo sancta Virgine, liberatus est homo, sicut & uxori suæ postmodum revelatum est.

item aliam pro ea aliquid patiendo,

C

163 Vidit semel Virgo spiritum cujusdam defuncti specialibus pœnis tormentari, adeo ut ferreis stipitibus infixus, etiam animum Virginis ad miserendum permoveret. Cumque tremens, quis esset, perquirere ab Angelo non auderet; dixit Angelus ad eam: Hic frater illius est, pro quo soror sua te intercessuram postulavit: si quid igitur pie nunc petiveris pro eo, fiet tibi. Quæ ait: Oro igitur quatenus ab his ferreis, quibus infixus est, stipitibus liberetur. Qui statim solutus pœnis illis specialibus, ad locum communem purgandorum deductus est. Et cum soror defuncti, ut sciret de statu fratris, Virginem molestaret; ingemiscens Virgo tandem ait: Si tibi dixero quod novi, ne turberis obsecro. Et illa: Nequaquam turbabor. Cumque dixisset Virgo quæ viderat, tamquam salutis fraternæ desideriosa, eleemosynas certas erogari præcepit, atque inter cetera caponem pro pauperibus infirmo præparari consuluit. At illa fecit in omnibus sicut præceptum erat atque persuasum. Et ecce noctis gallicinio caterva dæmonum venit, quorum unus caponem tenere videbatur in manibus, instar alterius qui pauperibus fuerat erogatus; cum quo gravissime utramque, tam Virginem quam sororem defuncti, in facie verberavit. Quid plura? passa est soror viri quasdam postmodum infirmitates in corpore, propter fratrem suum: quas cum, præ atrocitate nimia dolorum, ferre non posset; oravit pro ea Virgo Dominum: & ablatis passionibus mox à femina, quod residuum erat, caritative corpore proprio supplevit: & liberata tandem est anima, Domino propitiante, qui per preces suæ vernaculæ tam magna tamque mira cooperari dignatus est.

alteri mitiorem pœnam impetrat,

& reliquam cum defuncti sorore partita,

D

totam demum in se suscipit,

164 Ob zelum animarum sæpe sanguifluos imbres ab oculis fundens, dicebat: O Domine Deus meus, utinam carnem meam & sanguinem dare possem, pro satisfactione illarum animarum, quas tua flagellatione castigas. Pro his Patrem exorabat gemitibus, pro his implorabat suspiriis, pro his invigilabat orationibus, pro his sacrificia procurabat à Presbyteris; pro his, ne detinerentur sub manu torquentis, se totam in holocaustum incendebat. Vir quidam, nomine Balduinus, dictus de Campo, infirmus corpore factus est, qui nocte Conversionis Pauli Apostoli migravit à seculo. Eadem quoque nocte rapta in spiritu, vidit hominem, sibi facie incognitum, ad pedem montis stantem ut adscenderet, sed impotentem. Qui videns eam, dixit: Miserere mei, quæso, Lydwina, miserere mei, atque in hunc montem ferto. At illa, sumpto in humeros viro, tulit in montem, sed difficulter valde. Quis, inquit Virgo, vocaris? At ille, Balduinus de Campo inter homines vocor. Mane igitur facto, cum Confessor ejus visendi gratia camerulam intrasset, invenit quasi labore gravi fatiscentem, atque cum difficultate gravi respirantem, propter quam causam dixit: Quid agis, filia? cur plus solito anhelando gravaris? Respondit Virgo: Si scire velis, Pater, de monte jam venio, in quem virum quemdam, Balduinum de Campo, laboriose propriis humeris tuli, & sudore pariter & labore jam fatigata respiro. At ille cum nomen viri sæpius audisset, facieten us tamen non agnovisset; factum est ut illic nescius, post triduum celebraturus veniret, ubi defunctus ille Balduinus ad Dominum transierat. Locus autem dicitur Ouderschie, non longe distans ab urbecula Schiedam. Cumque illic defunctum ecclesiæ Custodem audiret, sciscitans de nomine pariter ac cognomine, agnovit quoniam & eadem nocte obiisset, qua sic Virgini in montem scansurus apparuerat.

orat indesinenter pro animabus:

E

unam earum visa sibi in montem subvehere,

ingentem reperiat lassitudinem,

F

165 Presbyter quidam, nomine Petrus, totius vitæ suæ decursu carnis illecebris deditus, vitam emendare proposuerat: qui celeriori morte præventus & contritus admodum, satisfactionem pro peccatis condignam adimplere non potuit. Denique cum Virgo pro defuncto Dominum precaretur, mox ab Angelo ductore in regionem illam delata, lugubrem vocem quasi de abysso putei cujusdam audivit: quam revelante Angelo, dicti Sacerdotis animam esse, pro qua tam ardenter oraverat, agnovit. Cum autem miraretur eum duodecim annis tam horribili loco detentum, Angelus eam intuens ait: Visne aliquid sustinere pro liberatione animę illius, quę audis? Volo, inquit, libenter. Statim ostendit sibi ductor suus locū, in quo gurges aquarum tam horribilis & niger videbatur, ut quasi cataracta seu vorago multorum torrentium, fluentiū cum impetu, putaretur. Transire te oportet, inquit Angelus, gurgitem aquarū omniū quas cernis, animam

pro Sacerdote graves luxuriosæ vitæ pœnas dante,

annos post mortem ejus 12 patiens,

A animam si liberare desideras. At illa cum sonitũ terribilem tumultuantium aquarũ intrare pertimesceret, animabat eam Angelus transire constanter. Mox itaq; virtute desuper induta, & excessiva caritate victa, tamquam avis generosa pro captura generosæ prędæ, se aquis exposuit, & labore nimio, cum vadum transiret, obtinuit victrix quod optavit. Vidit extemplo Sacerdotis animam, nive candidiorem, de pœnis evolantem; demum quasi pulcherrimo quodam rivulo se tingentem, tinctamque cum jubilo celos ascendentem. In ipsa quidem hora cum ad se redisset, tanto sudore madere à domesticis reperta est, ut adstantibus nullatenus dubitabile fieret, quin aliorsum veniens, spiritu nimium extiterit fatigata. Sicque juxta consilium Sapientis, noctu non prohibuit gratiam: quæ secundum Apostolum in carne supra carnem se prorsus impendebat.

animam ejus liberat.

Ecli. 7, 37. 2 Cor. 10, 3

166 Erat & alius Sacerdos, Virgini nostræ satis gratus & devotus: quem etiam suis sacris admonitionibus, aberrantem in via morum, dum viveret, à seculi vanitate revocaverat. Hic cum post cœptam pœnitentiam, annos adolescentiæ suæ, non sine peccato transactos, cum amaritudine spiritus B deploraret; aliquamdiu post conversionem morbo pestilentico prævenitur. Cumque defuncto suis ut potuit lacrymis ac precibus maternali affectu succurreret, factum est divino nutu, ut ipsa supra se spiritu rapta plurimum angustiaretur, eo quod de statu reducti per eam Presbyteri nosse peroptabat. Proinde spiritus Dei Angelicus, qui comitabatur dilectam, quærere cœpit, si quid de amico suo Sacerdote scire vellet: si quoque aliquantulum ad suffragandum eidem sustinere promptula foret, seriosius inquisivit. At illa respondit: Si fuerit voluntas Dei & absque meo detrimento, id summe desidero. Et mox rapuit eam spiritus ad locum pœnarum, ubi teterrimum puteum vidit, terribundis cruciatibus plenum, & ait; Estne, frater, infernus locus iste? Respondit Angelus, Nequaquam locum infernum esse dixeris, quamquam inferno vicinum.

pro altero, à se ante mortem converso, orans,

167 Cumque circumquaque spectaret, vidit ibi locum quemdam improportionabiliter terribiliorem, quasi ex lapidibus nigerrimis constructum, cujus altitudo visus humani potentiam excedebat: audivit denique clamores mirabiles & stridores, gemitus, ululatus, tumultuationes, malleationes, C percussiones; quibus animæ tam crudeliter à tortoribus sine miseratione torquebantur, quod si totius terræ rumor, clamor & fragor audiri possent, nullatenus loci ipsius horrorem transcendere putarentur. Cumque suum interrogaret Angelum, quis qualisque foret hic locus, ait: Locus, quem cernis, reproborum est, visne videre? At illa perterrita nimis, dixit: Nolo videre; siquidem & audire, quod audio, de cetero prorsus exhorresco. At vero ut Virgo loca tormentorum continuo flammivoma cerneret, puteum singulariter notavit, cui quidam Angelus, ut videbatur, facie mœstus insidebat. Porro cum Angelum illum fore custodem animæ Presbyteri sui, pro quo oraverat, causamque mœroris vultus ejus ex certis ipsius demeritis didicisset; sane quod illic speciale purgatorium haberet, ab Angelo protinus audivit. Verum cum hæc carissima Christi sponsa, sitiens amici salutem, Angelum intuita fuisset; mox ad nutum ductoris illius puteus aperitur: de quo teterrima nec non & fumibunda flamma [prorupit, & vox] cum ejulatu clamorosissimo, desuper audita est. Nostisne, inquit Angelus, vocem illum? Cui Virgo: Novi peroptime. Et ait Angelus ad eam: Visne videre eam? Volo, inquit.

discit specialiter torqueri eum,

salutis suæ adhuc incertum:

168 Confestim autem ascendit spiritus ille, velut ferrum ignitissimum, voce confusa dicens: O carissima Lydwina, o speculum purissimum, quis mihi det ut quandoque Dominum in te, & te in Domino speculari possim. Mirabile valde! quam cito viri animam ascendentem, quasi ex abysso putei, vidit; tanto pavore consternata est, ut etiam cingulum novum, grossum & hispidum, quo more consueto succincta tunc temporis ad carnem erat, in spissiori saniorive parte per medium rumperetur. Nec moram passa, cum illo terrore quantocius ad se rediit. Cumque ab ea quæreretur, qualiter in hora illa se habuisset, respondebat: Credite, inquit, mihi, credite, si placuerit; quod, nisi me vinceret Dei amor & honor ejus, pro quo cuncta pati non renuo; si pro simili terrore etiam omnia, quæ cæli ambitu continentur, ad votum mihi donari deberent, nequaquam similem subire vellem terrorem. Quid immoror? factum est ex hoc ut paucis diebus succedentibus Angelum illum, quem mœribundum viderat, exhilaratum & gaudiosum contueretur. Deductus est tandem spiritus Presbyteri illius ad communem, dimisso puteo, expiationis locum; & suffragantibus pœnis, quas ex caritate Virgo E nostra sanctissima patiebatur, miserante Domino, qui solvit compeditos, exoneratus & expeditus à pœnis debitis, cælos ascendit.

visaque anima sic terretur,

ut cingulum ejus cilicinum dissiliverit.

169 Ceterum quam prudens & circumspecta fuerit in responsis, ex his quæ subnotanda sunt luculentius apparebit. Cum enim mulier quædam verbosa, ad sciendum secreta Dei judicia de cujusdam defuncti anima, Virgini multum infesta foret; & quemdam Religiosum languidum, tamquam virum authenticum illius temporis, leviter sciscitantibus de quibuslibet defunctis definitive respondentem allegaret; prudens Virgo, ex alieno periculo cautior facta, respondit: Mea non interest judicare quempiam: sed si Religiosus ille, quem tantis effers laudibus, revelando faciliter ut allegas, vivens bene fecerit; defunctus ille jam persentit. Audiverat siquidem ab Angelo virum ipsum, quamvis continentem & devotum, satis tormentis tamen expositum; eo quod revelationibus multa de suo sensu commiscuisset minus vera, atque sub prætextu revelationum hujusmodi sanctus reputatus in vulgo, munera laudesque vanas hominum accepisset.

De statu ostensarum sibi animarum parcissime loqui solita,

170 Preterea cum Comes Hollandiæ, Dux F Wilhelmus, viam universæ carnis fuisset ingressus, & relicta ejus, mendosa quorumdam relatione, quomodo juxta Virginis verbum maritus suus defunctus salutem fuisset consecutus, & qualiter ipsamet Lydwina triduo mortua revixerit, audivisset; illico, ut moris est præpotentum Dominorum, an sic esset, an quoque talia Virgo dixerit, per internuntium secretum curiosius inquisivit. Nuntius autem cum venisset, cœpit eam curiosius rimari, quemadmodum ei fuerat imperatum à Domina sua, dicens: Ecce, carissima Virgo, quia fama pervenit ad aures Principissæ nostræ, quatenus triduo mortua revixeris, & quia dixisse debueras, animam bonæ memoriæ viri sui, Ducis & Comitis Hollandiæ, liberam prorsus & absolutam ad cælos evolasse. Cui Virgo respondit: Noveris, optime frater, quoniam si triduo mortua fuissem, concives & vicini mei utique me sepelivissent: insuper si Dominus tuus tam cito ab omnibus purgatoriis pœnis liber esset, ego, quæ decimum septimum in his ægritudinibus jam transegi annum, satis prolongationem incolatus mei & dolorum meorum deflere possem. Nuntius autem his auditis, suffusus rubore,

Comitissa Hollandiæ de marito defuncto interrogationem,

disertè eludit.

PER IOAN. BRUGMAN

rubore, quid amplius diceret non habuit; sed suo fraudatus desiderio, Virginis responsum viduæ Principissæ renuntiavit.

171 Quidquid igitur sane sine læsione propriæ conscientiæ, nec non & sine detrimento fraternæ salutis celare potuit, secretum tenere consuevit. De religiosis viris, quorum vitam cœlibem, aut Sacerdotum, quorum honestam conversationem noverat, fidentius loquebatur: de secularibus bonæ famæ coacta parcius: de pestiferæ vitæ viris ac mulieribus, etiam adjurata, modicissimum revelabat. Factum est una dierum ut Sacerdos quidam, satis in vulgo honestus & famatus, juxta grabatulum Virginis, multis considentibus, consideret. Cumque vas grano sinapis plenum haberetur ad manum, & sermo de pœnis Purgatorii apud eos verteretur, tandem dixit Sacerdos: Vellem tot annis esse in purgatorio, quot sunt grana sinapis in hoc vasculo; dummodo de salute animæ meæ tandem certitudinaliter mihi constaret. Audiens autem hæc verba Lydwina, quasi suspirans respondit: O Domine, quid est quod ita loqueris? ut quid tantillum de Dei misericordia confidis? Si scires quis & qualis est locus Purgatorii, qualisve locus purgandorum, quantumve illic multimodum tormentum, nequaquam sermonem hunc protulisses. Moritur non multo post tempore Sacerdos ille, & de statu salutis suæ coram ancilla Domini sermo altrinsecus ventilatur ab amicis: quæ respondit: Bene quidem est animæ viri hujus, propter probitatem suam; sed melius fuisset ei, si vivens majorem fiduciam posuisset in virtute Passionis Christi; insuper & mitiorem in purgatione suscepisset sententiam. Quibus sane verbis patet, quam consultum est timere Dominum, quam pium sperare in Domino: nam de lege timoris est, frænare animum ne tumeat; de ratione vero spei, dejectum relevare ne succumbat.

arguit diffidentiam Sacerdotis,

B

diuturnum optantis purgatorium, modo salutis securius esset.

172 Sic igitur patet quam ardens fuerit cor Virginis nostræ ad succurrendum animabus defunctorum; qualiter post impressionem secretorum in carne stigmatum, quasi Angelica, valles flentium atque dolentium animarum permeabat; & quomodo precibus, fletibus, ægritudinibusque variis afflicta, easdem Domino permittente relevabat. Sciebat equidem Dei filia, quoniam mensuram bonam, confertam & coagitatam & supereffluentem, pro ejusmodi defunctis exhibita gratia, retribuet Dominus in sinum suum. Unde factum est, cum ad liberandas animas spontanee refectiunculas Angelicas per diem sumeret; venientibus solennitatibus decuplum ob gratiam defunctorum, & centuplum in consolationibus receptaret. Fœneratur enim Domino qui pauperum miseretur.

intelligit quanti meriti sit defunctis succurrere.

C

Prov. 19,17

CAPUT III.

Qualiter ob Passionis Christi ardentem memoriam ad loca diversa, præsertim ubi Christus passus est, raptabatur.

173 Siquidem frequens meditatio ignitum in ea inflammaverat affectum, viscerosa exercitatio pietatis ad animas benevolum informabat effectum; sedulum contemplandi studium, altivolum ad loca Passionis Christi transferebat amplexum. Ad montem myrrhæ sæpius Angelicis devecta solatiis, noctis sub silentio, nostra creditur virgo Lydwina; ibique qualiter Salvator noster mysteria nostræ redemptionis perfecerit, contemplata fuisse. Denique (ut verbis illustris viri Hieronymi, quibus Paulam alloquitur, nunc utar) si per speciem aliquam, certe aut in spiritu, sive in corpore sive extra corpus nescio, Deus scit; ipsa tamen Virgo loca conceptionis Dominicæ in Nazareth, nativitatis ejus in Bethlehem, præsertim in & circa Hierusalem, perlustrasse dignoscitur; & locum salutiferæ crucifixionis, videlicet Calvariæ, ubi Dominus cornu salutis titulumque virtutis erexit triumphalem. Non enim fuit famosus illic Terræ-sanctæ locus, quem non in spiritu vel in specie calcaverit pes ejus. Suo etenim Confessori, qui super hoc admirabatur, similem raptus à Domino gratiam impetravit; ut etiam secluso Confessionis sigillo, se fuisse cum ea in locis illis non erubuerit confiteri.

Singula loca in suis raptibus perlustrans,

D

(quod suo etiam Confessario aliquando obtinuit)

174 In ejusmodi raptibus tam ferventer Sponsum flagitabat, ut [si vidisses] nunc ad præsepe lacrymantem, nunc ad gremium matris virginis blandientem, nunc in cruce crucifixo confixam, nunc autem ad sepulturæ locum reviviscentem, nunc ad pedes ascensuri instar catuli clamitantē, alteram Paulam beatis oculis videre te autumares. Admittebatur sæpius, quasi Salvatore coram posito, nunc ad oscula pedum, nunc manuum, nunc ad aperturam vulneris lateralis: ubi aliquamdiu commorata, tantam hauriebat suavitatem spiritus, ut sui ipsius penitus oblivisci videretur. Si quando ob spiritus fervorem ad eum locum, ubi Sponsus ejus Patri spiritum in manus commendans expiravit, raptivis attractibus demulceretur; mox se conformando dilecto, in amorem & absynthium compassionis resolvebat spiritum etiam suum, quasi commoriendo & deficiendo omnino cum spiritu Sponsi, cui medullitus vivebat. Reportabat denique post hujusmodi Sponsi attactus signa patentia fixurarum in carne; quibus, tamquam sigillis peregrinationis testimonialibus, aliquid prēter spiritum aut speciem imaginariam accepisse nosci poterat.

in congruo cuilibet affectus effunditur:

E

175 Profecto cum Virgo nostra sanctissima, trans torrentem Cedron, coram Domino in horto sudoris ejus sanguinei raperetur; vidit & diligenter notavit ipsius orationes, ac sudoris Domini modum & seriem. Quin imo suscepto post agoniam osculo, audivit Dominum sibi familiariter dicentem, Visne mecum ire in calvariæ locum? Quæ ait: O Domine Deus, Salvator meus, unica spes vitæ meæ, tecum ire, tecum pati, tecum mori parata sum. Et duxit eam similiter Dominus in eumdem quem dixerat locum. Cumque ab his locis sacerrimis reverteretur, referebat in labiis pustulas, in membris fissuras, in juncturis puncturas, in carne spinarum & tribulorum particulas: ob quas etiam Angelus dicebat ei: Signa hæc visibilia & sensibilia tecum, o soror mea, ideo detulisti, ut scias te non per somnium aut phantastice, sed veraciter & experimentaliter *a* in locis sacris extitisse. Aliaque vice cum Virgo sic rapta foret, atque loca redolentissima permearet, pervenit ad loca quæ propter irriguorum lubricitatem impertransibilia videbantur, ubi lapsum pariter & divaricationem dextri pedis persensit: quapropter cum ad se redisset, non modo aculeos dolorum in ipsius pedis junctura passa est, verum etiam ad oculum livorem ac tumorem, insuper manifestissime diros cruciatus diebus multis per contigua membra toleravit.

Dominum in calvariam comitatur:

alias ex illis raptibus minime phantasticis refert spinas

F

a distortum lapsu pedem,

176 Modo quidem consimili visa est frequentissime, quasi de remotis veniens, nunc læsa in digitis, nunc in pedibus: nunc ab urbe Romana, visitando sanctas septem ecclesias; nunc à monasteriis devotissimorum Religiosorum, prēsertim Canonicorum qui reformatam ducunt vitam; nunc de diversissimis regnorum mundi partibus ab Angelo reducta. Nempe divina dispensatione fiebat, ut, propter redundantiam interiorum charismatū, spiritus affluens corpori communicaret reliquias consolationū; cui, tamquā instrumento metendi nec nō & asello suo, suas cōmunicabat & pas-

alia signa visibilia;

A & passiones. Anima quippe sanctæ Virginis in corpore, & corpus cum anima simul in extrema confligebant agonia, simul concurrebant in stadio, simul collaborabant in tuguriolo. Quapropter nil mirum si simul spatientur, si consolentur, si in Domino glorientur, si futuræ gloriæ præludia, si primitias spiritus, si mensæ filiorum participia, per modum arrhabonis, per modum stillicidii cælitus rorantis suscipiando, simul peregrinentur & convivant.

item cælestis odoris fragrantiam,

177 Audivi ab eis qui teste sua conscientia mihi dixerunt, quod dum Virgo sancta post hujuscemodi raptus ad se venire videbatur, non aliter quam electissimarum specierum apotheca redolebat: neque enim se poterat continere, quin velut vas plenum musto & absque spiraculo totum tugurium simul & adstantes, ex sufflando cum spiritus impetu, repleret; uti per industriam sæpe observata est, per devotos & fide dignos valde. Apponebant sæpius furtivo modo vultus, nares & ora, ut quidquid vellent tollerent aut sentirent spiramentorum aut reliquiarum spiritus ejus: nam pectusculum ejus non aliud videbatur, quam vas unguentorum Domini electum, vas admirabile, verum opus excelsi. B O quibus unctionibus dulcedinis! o qualibus pigmentis sanctitatis! aut quantis electuariis suavitatis redundabat cella vinaria Domini, promptuarium cælestium oramatum, abyssus divinorum charismatum!

& tantam in spiritu suavitatem,

178 Interrogata quidem frequentissime à nonnullis devotis, quomodo se in illis deliciis continere posset; præsertim dum pleno quodam haustu, cum Petro in montem seorsum ducta, de fluentis dulcedinis biberet; humilis Virgo respondit: Ut minus sapiens dico, quia latere vos non possum: bonum mihi quia humiliat me in infirmitatibus Dominus: etenim sine illis nequaquam pondus consuetæ misericordiæ & consolationis ferre valerem. Proinde dum consolationibus abundavero, disco postmodum in corpore miserabili pœnas incredibiles pati. Et quid miramur? ait enim Petrus, Bonum est hoc hic esse: sed quem suavitas interna ad sanctam ebrietatem spiritus quodammodo levaverat, timor paternæ vocis humiliat; unde inferius sequitur, Et ceciderunt in facies suas & timuerunt valde. Bona est consolatio, quam non tumor inflat, sed timor consolidat: quam non in ventum mentis superbia projicit, quam non in magnis ambulare arrogantia dictat; sed perfectæ crucis C patientia consummat. Sic igitur more filiarum Dei Lydwina nostra, ductu ductoris sui, raptabatur ad diversa loca spiritualium recreationum: sed mox instar puerorum, ad scholas redeuntium, gravabatur super eam virga & ferula magistri sui, videlicet Christi. Multa suscipiebat à Sponso solatia, & post hæc ad quævis dura & aspera perferenda tangebatur, unde scriptum est, Visitas eum diluculo, & subito probas illum.

ut ei ferenda per non essa absque doloribus corporis;

Matt. 17, 4

Ibid. 6

Iob. 7, 18

præterea notitiam accuratam locorum,

179 Sed ne silentio præterierim quatenus Lydwina, Deo carissima, devotorum noverat monasteria, domos, cellas, officinas, personas & exercitia; & quomodo sæpissime numquam antea in seculo visas, nominatim atque cognominatim discernebat. Cumque viri religiosi super hoc admirarentur, & inquirerent unde eos sic nominatim agnovisset, dicebat: Dominus mihi donavit. Prior quidam religiosæ domus Regularium *b* de Brielis, collatiunculam ex more secum habens, conventus sui dispositionem ita distincte ab ea intellexit, acsi cunctis diebus vitæ suæ per universos angulos conventus sui fuisset conversata. Cumque miraretur homo super verbis ejus, item & adjecit: Noveris, optime Pater, quia quiescentibus omnibus in dormitorio Fratribus præsens fui, & singulorum Fratrum Angelos custodes in cellulis notavi.

adest in spiritu juveni habitum Carthusianum induenti,

180 Vir quidam, dictus Wilhelmus de Haga, filium Henricum adolescentem habebat, qui, patre ignorante atque inconsulto, Ordinem Carthusiensem in Brabantia intraverat: cumque propter celebrem famam Virginis, domunculam ejus introiret, ecce statim Lydwina, quasi ex nomine pariter & cognomine, virum gratanter salutat, insuper eidem, pro prospero successu devoti filii numen pariter & omen gratiosius impecando, denuntiat. Audiens vir ille se nominari ab ea quam numquam viderat, vehementer obstupuit, & quid sibi velit hæc salutatio, cum rememoratione dilecti sibi filii, protinus inquisivit. Quæ respondit: Filius tuus, o Wilhelme, Dei omnipotentis dono Religionem Carthusiensem intravit, unde gratias immensas Domino referre debemus. Mirandum utique! Pater hanc non viderat: neque patri de filio, in Brabantia vitam cœlibem actitante, quippiam innotuerat: sed neque Virgo quemquam eorum noverat, sed in spiritu Dei utrumque nominat, de salutifera filii mutatione nova patri nuntiat, quem secundum carnem prius nosse debuisset. Porro cum is & alii plerique profundare secreta Domini quandoque laborarent, tamquam scrutatores majestatis opprimendi à gloria, respondebat: Nolite quæso mihi molesti esse, carissimi: nam de foliis quæ mihi dabit Dominus, caritate fraterna me vincente, sæpius erogare compellor; sed radicem dabo minime: quasi dicat, Quod in verbis per modum fulguris coruscantis potestis accipere, gratanter sumite, sed arcana Dei profundius rimari, meque ad jactantiam aut arrogantiam provocare nolite.

& quid filio factum sit patri solicito indicat.

E

ingenti lumine sæpe circumfusa invenitur:

181 Quoties autem Regem regum ab Apostolis, tamquam Senatoribus gloriosis circumdatum viderit, quoties Sanctorum societate fruita fuerit, scribere prolixitas operis vetat. Viderunt quam plurimi cellam Virginis tanto splendore sæpius repletam, ut etiam incendium illud putantes esse, cum tremore nõ modico properarent. Ceterum dum superfusa talibus luminibus Virgo radiaret, aspicientes timore concussi claritatem vultus ejus ferre non poterant. Interrogabant eam domestici, quomodo lumen illud ferre valeret, attento quod lumen naturale vel ad momentum vix sustinere posset, & respondit; Credite, inquit, credite, quod lumen gratiæ seu contemplationis divinæ tantum differt à lumine quod videmus, quantum minimus hujus solis materialis radius differt aut distat à pleno aut fontali lumine ejus. Nec miremini si lumen quodvis naturæ videre debilis oculus renuit, lumen autem cælitus datum minime: quippe qui finxit oculum hominis ipse novit, simulque offerendo lumen ejusmodi confert sine læsura visionis facultatem. Sicque nimirum videbatur præsentire Prophetarum eximium verbum quo dicitur, Quoniam apud te est fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen. Ps. 35, 10

F

pium Sacerdotem, sua taciturnitate tristatum,

182 Consuevit præterea sacra Virgo quosdam devotos, velut aquila pullos suos, ad volandum invitare: consuevit & armigeros Christi, velut vexillifera, ad pugnam animare; consuevit, maxime ante obitum, velut primiceria, athletas mœrore dejectos, post labores strenuos, ad reficiendum convocare. Sacerdos quidam, puræ ac columbinæ simplicitatis vir, familiaritate quadam tractus venit ad Virginem, ut ab ubertate domus Dei qua cernebat eam affluere, paulisper degustaret; atque de revelationibus ipsius, pro salute sua nec non & aliorum, certioraretur. Cumque amicos plurimos haberet

PER IOAN. BRUGMAN

haberet Virgo, consiliarios autem paucos; noluit ad quævis simpliciter quæsita responsionem præbere, sed meliori quo potuit modo virum simplicem ac bonum consolatum remisit. Qua de re Sacerdos ille contristari cœpit & anxiari, timens ne forte sua incuria molestiam intulerit Virgini: unde statim coram altari Mariæ Virginis in ecclesia se prosternens, amarissime flere cœpit.

solatur, eidem inter duos Angelos apparens,

183 Porro, quia post tempestatem tranquillum fecit Dominus, illico factus est vir in excessu mentis, & vidit Virginem quamdam inter duos Angelos, tamquam alteram Esther inter adolescentulas, ad se venientem, quæ simul Antiphonam, Salve Regina, una secum decantabat. Itaque cum ad se quasi aliunde redisset, cucurrit indilate Virginem revisere, quam se offendisse formidaverat, nihil eorum quæ viderat aut audierat illi dicens. Verum cum Virgo mentem illius clarius cerneret, ait illi: Quid agis, Domine? nonne tristitia tua conversa est in gaudium? dicito mihi, Pater bone, ne silueris. At ille respondit: Fuistine illa, quam vidi nunc coram altari Virginis Mariæ prostratus, & quam una mecum psallentem audivi? Numquam, quam diu fui in humanis, tale quid mihi contigit, nec dulcedo spiritus ac mentis ita me replevit. At illa obmutuit pro tunc: sed in processu dierum districtius requisita dicere veritatem, se illam fuisse, quæ sic inter Angelos ducebatur in jubilo, non negavit. O quam agilis spiritus Virginis, qui absenti indilate se sociavit! quam pervius & clarus, qui mentem alterius tam perspicaciter agnovit! quam pius ac clemens, qui mœstum ac desolatum tam suaviter lætificavit! & quam caritate & humilitate servatis, in omnibus his, vel ad modicum ostentationi pedem non exhibuit!

B

cum eoque Salve Regina decantans,

Mulierem desolationis spiritu vexatam,

184 Mulier quædam continens & honesta, spiritu desolationis miserabiliter cruciabatur, quæ à nemine propter tristitiam excessivam poterat consolari. Crescentibus igitur passionibus, quo se diverteret nescia, consultis postea Presbyteris, putantibus atque dicentibus phantasma quoddam esse, requiem non invenit. Ad desperationem ferme perveniens, novissimam omnium consuluit & Lydwinam. Excepit igitur pia virago causam suæ pauperculæ dilectæ; atque ut viriliter ageret & confortaretur in Domino, vivacibus suadelis & admonitionibus fortiter animavit. Paucis igitur evolutis diebus, datum est utramque fieri mentis in excessu. Videbat utraque palatium spatiosum, miro artificio constructum; ubi harmonia mirabilis cantuum, ubi suavitas ineffabilis ciborum, ubi delectatio inæstimabilis quorumlibet odoramentorum sentiebatur. Cœpit inter hæc mulier querulosa rursum, ut sibi videbatur, spiritus sui angustiam detegere; cœpit & Lydwinam Virginem, neglectis deliciis illis, denuo, ut consueverat, propulsare. Cui Virgo: Cessent lamenta tua, cedant querelæ, procul abeant passionum tuarum verbula: nam locus iste non mœroris est, sed solatii; non doloris, sed gaudii; non passionis, sed exultationis.

C

& secum pariter ad cælestia raptam,

ineffabiliter recreat.

185 Hæc itaque cum dixisset, duxit eam Virgo sanctissima in locum quemdam seorsum, quem nihil aliud æstimare potuit, quam electuariorum condimentorumque regalium promptuarium, & reservatorium aromatum & pigmentorum totius universi. Tanta denique suavitate spiritus ibidem refecta est mulier, ut nedum angustiarum animi, quas hactenus passa fuerat, penitus oblivisceretur; verum etiam ad se reversa, diebus aliquot vix cibum corporalem odorare dignaretur. Facta est exinde femina Virgini secretior, facta est ad suscipiendas posteras consolationes usitatior, facta est ad militandum constantior, confortante eam Domino per oraculum Virginis benedictæ: Didicerat enim à sponso, de quo dicitur, Circumduxit eum, & docuit, & custodivit quasi pupillam oculi sui. Nempe pluribus vicibus etiam ab aliis dilectis Dei amicis, per noctes, inter scalares alas celestium militum, cum Paulo & Coapostolis; nec non inter puellarum choreas, cum Catharina, Barbara & reliquis Christi Sponsis, comitantibus eam, visa est: volatilia enim ad sibi similia convenire, protestatur Scriptura.

D

Deut. 32, 10

Ecli. 27, 10

ANNOTATA.

a *Quomodo unum idemque Virginis corpus, eodem tempore simul manserit in suo tuguriolo vivum, sed morbidum atque deforme & sensationum expers; itemque in istis locis sanum & ad quos vis motus membris omnibus expeditum; licet captum nostrum superet, non tamen superat fidem, qui ejusmodi supra natura ordinem facta in Sanctis, aliis novimus, & cum admiratione credimus.*

b *Congregationis VVindesheimensis chronicon, à Ioanne Buschio compilatum lib. 2. cap. 39 docet*, monasterium S. Elisabeth propie Brielas, *institutum & Capitulo Generali incorporatum fuisse anno* 1406. *Porro eadem quæ hic, narrantur num.* 48 *Vitæ prioris, sed non expresso monasterii nomine.*

E

CAPUT IV.

De consolationibus quas à gloriosa Matre Dei suscepit, & de gratia lactis in nocte Nativitatis concessa.

186 Sane quid miraculi circa ipsius Virginis Matris imaginem, quæ diebus istis advenerat in Schiedam, advenerit, quando parvula Lydwina nostra salutationem Angelicam coram dicta imagine dicere cœpit; quam simplici aspectu tenella virguncula Virginem Mariam quodammodo sibi arridere dixerit, simplex sermo noster superius expressit. Sed & hoc quantillum adjicere curabo, quid in diebus probatæ virtutis Dominus circa sponsam effecerit, quidve signanter acciderit de Virgine Maria circa Lydwinam propalabo. Superveniente quadam solennitate, circa meridiem, rogavit Virgo Confessorem suum ceterosque, tamquam divinæ consolationis avida, quatenus per trium horarum spatium se solam in pace relinquerent: sperabat quippe, more solito, sui Angeli relevari præsentia; quem, dictante sibi spiritu, quasi in januis æstimabat. Illis igitur abeuntibus, latenter Confessor ejus rediens, in quodam locello cubiculi se abscondit, Angeli præsentiam oculis carneis videre præstolans, quem sæpius ex confessione Virginis adventare perceperat. Cum autem illa solam se illic æstimaret, cœpit, uti consuevit, Sponsi beneficia revolvere; cœpit precibus & obsecrationibus Dominum pulsare; cœpit ad relevamen pœnarum suarum, quasi paranymphum, Angelum suum invitare.

Curiositate Confessarii, in ejus cellam se abdentis,

F

187 Et circa primam horam post meridiem advenit Angelus, & appropians lectulo Virginis ibidem stetit, nec velut nudius-tertius propius accedere voluit. Quod cum illa videret, conturbata est anima ejus, timens ne vel in aliquo Dominum offendisset; moxque amare flere cœpit, & dicere: Quid est, frater mi, quod mihi differs approximare? cur benignum vultum tuum plus solito distrahis? An culpam commisi, ob quam te mihi placatum jam minus habeo. Et Angelus ad eam dixit:

à familiari Angeli visitatione impedita,

dixit: Nequaquam culpa tua fit, ut tibi non appropiem; sed potius illius, qui latet in cubiculo, mei circa te præstolans experimentum. Et eo dicto, disparuit. At Virgo, tamquam fraudata pane suo, magis conturbata, flevit amarius. Porro cum sic deploraret, confusus Confessor ejus surrexit, culpamque humiliter cognoscens, se talia nullatenus facturum promisit. Videns autem Virgo quoniam ipse foret, qui consolationem Angelicam sibi sua præsentia præpedivisset, amarissime tertio flevit, dicens: Quid est, o Pater, quid fecisti mihi? Numquid & ipse titubas? An & experimentum ejus quæris, qui me sua præsentia gratissima solitus est consolari? At ipse nesciens quid diceret, verecundus non mediocriter, præ mœstitia cordis confestim abscessit. Quid mirum si famelica, si crucifixa, si languida, turbata est? quoniam parvula petens petivit panem, nec aderat qui porrigeret ei: insuper & qui pater erat animæ ejus, sua curiositate viam præcluserat, suaque sensualitate sauciarat.

meritoque id id dolens,

188 Factum est autem post tribulationem illam, ut Dominus in tribulatione proventum faceret in hunc modum. Rapta est enim, velut pridem ac nudius tertius, coram altari Beatæ Virginis, super quod prædicta imago erat collocata; demum per locum pœnarum traducta; postremo ad Sanctorum acies, Angelo ducente, perventum est. Vidit itaque decorum illum aspectum quorumdam venerabilium Patriarcharum, vidit veridicum Prophetarum numerum, vidit gloriosum Apostolorum chorum, vidit Martyrum candidatum exercitum; vidit & ibidem sanctorum Anachoretarum, famosorum Doctorum, reverendorum Pontificum cœtum copiosum, vidit consororum Virginum vernantissimum collegium; insuper millia millium laudantium atque jubilantium coram Domino, sic rapta contemplabatur. Tot & tales ibi fuerunt deliciæ, ut nullatenus postmodum vel minimam partem sufficiat eructare. Et ecce nonnulli de Sanctis Virginem ad patientiam & tolerantiam exhortari cœperunt, eorum maxime quæ passura erat in futurum. Quid, inquiunt, nunc mali patimur, qui quondam pro Christo in terris tantum sustinuimus? quid nobis obsunt pristinæ passiones, pro quibus in infinitum Christi nunc consolationes accipimus? & si per ignem & aquam transierimus, jam, ut cernis, educti sumus in refrigerium.

haud diu post rapitur ad Cælestiũ ordines,

qui ipsam animant ad patientiam.

189 Interea dum sic à civibus Hierusalem cælestis confortaretur, vidit supervenire Dominum Angelorum & Dominam mundi, quæ dixit ei: Carissima filia, quomodo tam inculta sine velo capitis huc venisti? Cui Lydwina: O gloriosa Domina & speciosa Mater, ipsa nosti quia ductor meus huc ita me conduxerit: ipsius imperio sto, suo jussu ultronea appareo, neque aliter velle quam ipse velit qualitercumque præsumo. Rursum quæsivit ab ea gloriosa Mater Maria dicens: Visne caput tuum operiri capitegio, quod fero in manibus? At ipsa pavida nimis respexit ad ductorem suum, hæsitans quid foret responsura, ne forte delinqueret propria voluntate freta. Tandem cum Regina cæli Maria id tertio repeteret, humiliter respondit: Domina meo, nullam hic debeo habere voluntatem. Tunc dixit ei Angelus ejus. Si vis habere illud, accipito. At illa magis timens, oblatum munus habere poposcit: sed ob sui ductoris verba quæ audierat, magis ac magis acceptare pertimuit. Cum corporaliter ad se reversa foret, ecce gloriosa Domina cum multitudine Virginum, capitegium ipsum tenens in manibus, apparuit juxta eam, & dixit: Sæpius, o carissima, te interrogavi si velis hoc habere velum, & propriam noluisti super eo voluntatem indicare: ecce quia jam cum capitegio ipso caput tuum tego: quod cum è celo venerit, septem horis dumtaxat morabitur supra terram. Tu autem dabis illud Confessori tuo, cui dices, ut fidem det amodo gratiis Altissimi, & super imaginem nominis mei, quæ veneratur ad Borealem partem in parochiali ecclesia, ipse reportabit. Et his dictis disparuit.

tum appa- rens B. Virgo sanel,

iterumque, imponit capiti ejus peplum,

PER IOAN. BRUGMAN

190 Porro cœpit Virgo Domino gratias agere: quibus finitis manum ad caput remisit, & capitegium desuper allatum, cujus esset substantiæ ac formæ consideravit. Cum ruminasset ea quæ viderat in sanctis cæli choris, appropinquassetque tempus quo peplum remittere juxta Virginis Mariæ imperium cogeretur; misit in ipsa hora noctis ante diluculo pro Confessore suo, cunctaque per ordinem, ut facta fuerant, indicavit ei. At ille, ut vidit & palpavit, quod Virgini concessum fuerat peplum, admiratus est: videbatur autem peplum ipsum crispum, cærulei coloris, medium tenens inter album & viride, texturæ imperceptibilis, domum totam replens præ suavitate odoris. Instante quidem ultima hora de septem, rogavit Virgo Confessorem, quatenus indilate sæpe fatum peplum super caput imaginis deferre dignaretur: & quia nondum dies illuxerat, caussabatur Confessor ipse cum ea dicens: Nimis tempestivum est, & locus imaginis Mariæ altus nimis & difficulter accessibilis. At illa respondit, Dominus providebit, Pater mi, de ingressu; & scalam ad Aquilonarem partem ecclesiæ invenies. Quapropter deprecor te nunc, ne explere, quod cupio, pigriteris.

quod post horas 7 imagini D. V. jussus imponere Confessarius,

191 Mirum dictu, egrediente viro domum, confestim claviger ecclesiæ, custos videlicet, occurrit ei: similiter ei ad manum, ut dictum erat, scala reperitur in ipsa plaga Boreali: quam statim ad altare Virginis ponens, peplum ipsum supra caput imaginis dimisit: quod per Angelum raptim sublatum est. Campanarius autem ecclesiæ, cum ignoraret mysterium, & Sacerdotis ipsius in scandendo & descendendo ministerium adverteret, dixit: Quidnam quæso novitatis est, ut imaginem Mariæ diluculo cum scala visitare volueris? Qui respondit: Nescis modo, scies autem postea. Liquet igitur secundum veritatem Scripturæ, quoniam felix & incoinquinata, nesciens torum in delicto, donum electum acceperit de manu Reginæ, & sortem acceptissimam in choris puellarum Domini. Nihil revera videbatur esse in terris quam soror Angelorum, collactanea Virginum, socia Martyrum, discipula Apostolorum, pedissequa Reginæ cælorum. Siquidem in suis meditationibus quasi corpore & spiritu præsentialiter afforet, cum lactante lactabat, cum gestante gestabat, cum exulante exulabat, cum dolente dolebat, cum quærente quærebat, cum stante sub Cruce stabat: hoc enim erat Virgini salubre solatium, hoc ejus felix contubernium, hoc & spirituale obsequium, hoc & socialis familiaritatis insigne. Quid gratius offerre potuit matri Virgini Virgo Lydwina, quam se gerulam & pedissequam crucis ubilibet promptam exhibere? Quid Mariæ decentius, quam pedissequæ suæ se benevolam in gaudiolis hujusmodi ostendere? Quid utrique apud Deum acceptius, quam post multiplices affatus pariter & attactus, divinorum charismatum devotulis filiis micas, cadentes de mensa Dominorum, condividere? Quam sedula in officio ista, quam benefica in beneficio illa, quam munifica utraque fuerit, sequens miraculum enucleabit.

omnia ad hoc requisita invenit ex insperato,

Sap. 3, 13

ipsa marianis mysteriis piissime affecta,

192 Sane cum sacro Adventus Christi tempore, Virgo

PER IOAN. BRUGMAN

fatetur ubera sibi lacte replenda in nocte Natalis Domini,

Virgo nostra Lydwina se novis exercitiis renovare meditaretur; contigit quamdam viduam, nomine Catharinam, per visum commoneri, quatenus ubera Virginis, cui quandoque obsequebatur, sub ipsa nocte Dominicæ Nativitatis lacte replenda forent; & ut sorbitiunculam exinde petitura, nullatenus pigritaretur accipere. Surgens igitur mane vidua, Virginem secreto aggreditur, dicens: Ecce, carissima Lydwina, ne negaveris obsecro veritatem eorum quæ dictura sum tibi. Nocte quidem hac clara voce sic & sic commonita sum, venire ad te, in ipsa Dominicæ Nativitatis festivitate: quoniam, cooperante Domino, tua ubera lacte replebuntur. At Virgo perhumilis admirari cœpit & obstupescere, quia viduam hanc multum anhelare sciebat ad sciendum secreta, quæ Dominus in ea indies operabatur. Qua ex re primum subticuit: tandem tamen verbo Dei, quod nec falli nec fallere novit, victa respondit: Observa igitur noctis illius sanctissimæ secreta silentia, debitum mentis adapta palatum, ut promissi tibi muneris particeps efficiaris, & sorbitiunculam quam optas consequaris.

prout eadem hora qua Virgo Dominum peperit,

193 Advenit igitur optatus plurimum electis dies Nativitatis, in cujus nocturnæ quietis silentio se totam ad contemplandum Dominicæ Incarnationis sacramentum mancipavit: cumque nutu divino raperetur ad Virginum collegia, vidit illic gloriosam puerperam Mariam, cum innumerabili multitudine sacrarum Virginum, laudes & hymnos ineffabili harmonia psallentium, quibus nullus nullave Sanctorum ceterorum conjungi videbatur. Sedebat, ut videbatur, & ipsa Virgo in medio earum, tamquam omnium pulcherrima regina; puellum habens in gremio, quemadmodum & olim in diversorio reclinatum. Quale gaudium, qualisve illic jubilatio, nec lingua potest dicere, nec animus exprimere: solus autem qui accipit, solus qui diligere ferventer novit, solus qui degustat potest reserare. In eadem siquidem hora, omnium Virginum ubera lacte plena turgebant, sicuti & ipsa gloriosa mater Domini plena superno munere extitit in ipsa nocte Nativitatis Domini nostri Jesu Christi. Erant & ubera Virginis sacerrimæ, videlicet Lydwinæ, lacte plena cum ceteris: sed ad tempus modicum, scilicet per horam duratura. Ob hoc autem rogavit Virgo Angelum ductorem suum, quatenus promissi sui non immemor, viduam sibi adeo pie molestam non fraudaret ab intento. Cui mox Angelus respondit: Noli, dilecta, solicita esse: nam ad horam privata es: sed favente Domino, qui lac primum dedit, dabit equidem & secundum. Dum venerit vidua, sugendi gratia de lacte tuo, id solum facies, videlicet quod papillam uberis tui læva manu confricabis, & illico replebitur lacte verissimo.

ipsi & aliis Virginibus Beatis evenit:

post quod conscia hujus secreti vidua

194 Proinde cum silentium tenerent omnia, & tertia vigilia noctis esset; properavit argumentosa vidua invisere Virginem, quam abundare credebat lacte, ubere de cælo pleno. Cui statim Lydwina, præmissa oratione, secundum imperium Angeli, papillam confricare studuit, & plenitudine lactis turgere cœpit. Bibit igitur vidua tertio attractu de plenitudine uberis illius, quantum honestius trahere potuit; tantaque plenitudine remanente, ut unum uberum ad modicam compressionem, velut unda exuberans exitum præstolaretur. Erat autem ejusmodi lac tam vigorosæ dulcedinis, ut etiam eadem vidua vix tempore multo ad consuetos naturæ cibos se posset conventere, nisi districto Virginis ipsius mandato devicta. Suscepit & aliis vicibus Confessor suus D. Ioannes Walteri, similem gratiam de quibus in scriptis suis, manu propria notatis, plenius commemoravit. O vere magna Virginis ad Virginem Matrem devotio! o vere efficax meditantis exercitatio; quæ in corpore vermiculoso, corroso, lacero, sed virgineo, tanti lactis copiam promeruit, & viduæ sterili pro potu lac cælicum propinavit. Scriptum est autem. Et erunt Reges nutricii tui & Reginæ nutriciæ tuæ. Hanc igitur inter adolescentulas Regis locum habuisse non dubito, inter concubinas magni Salomonis domum possidere non dissentio, ac inter regias nutricias thalamum accepturam non diffido.

idem lac sugendum datur.

Is. 49, 23

CAPUT V.

De gratia sublimis contemplationis ejus & intelligentiæ, ac de spiritu prophetiæ clarissimo.

Abrepta à sensibus non percipit sibi latus aduri:

195 Mirabilis Christi virago tanto frequenter suspendebatur contemplationis excessu, ut supra humanum sensum feliciter rapta, quid forinsecus in membris ejus ageretur interdum ignoraret. Quodam namque tempore stridentis algoris, accidit ut felicissima femina testam, prunis ardentibus plenam, ad latus haberet: qua sic incaute relicta, vis ignis carnem lateris ad costam usque combussit. Cumque casu venissent ad eam domestici domus ejus, pavore percussi dixerunt: O Lydwina, persentisne quia te cremavit ignis? Quæ quasi in remotis egerit, respondit: Ignem, carissimi, non vidi, neque calorem ejus sensi: verumtamen latus meum jam persentio. Et dicunt ei: Peccavimus in Deum & in te, soror, quoniam nedum cutis & caro igne crematæ sunt, sed & unam ferme costarum tuarum vis ignis adussit. Benedictus, inquit, Altissimus, qui me adeo perunxit interius, quod ardorem ignis non persenserim.

illitterata quamvis penetrat mysteria scripturarum:

196 Percurrebat Virgo, spiritu subtilis & agilis, regionem illam sublimem quæ plena deliciarum est & divitiarum Domini; ubi ratio sine obscuritate, ubi memoria sine oblivione, ubi intellectus sine errore omnia concipit & discernit. Attigerat autem famula Dei per Passionis meditationem, ac contemplationis assuefactionem, nec non & singularem influxum divini spiritus, tantam mentis serenitatem; ut quamvis magistro medio litteras aut Euangelium non didicerit, illustratione tamen mentis internæ Euangeliorum & multarum Scripturarum aliarum mysteria profundans penetraret. Erat ei (quemadmodum ab aliis accepi) memoria tenax pro codice, intelligentia vinax pro solertia, affectus purgatus pro limpido discursu, septiformis unctio pro magisterio, practica patientia pro continuo exercitio, liber vitæ pro gradu doctorali: dicit enim Scriptura, Beatus homo quem tu erudieris, Domine, & de lege tua docueris eum. Sentire de Domino in bonitate didicerat, & illum per patientiæ sanctæ suspiria quærere cum simplicitate.

Ps. 93, 12

adjurata, explicare modum Incarnationis à tota Trinitate factæ,

197 Quidam Ordinis Prædicatorum & sacræ Theologiæ Professor, diversos diversimode de Lydwina nostra, more hominum, loquentes audierat: cujus spiritus requiem capere non valebat, donec ipsammet cognosceret & videret. Cumque de Trajectensi diœcesi veniens mansiunculam Virginis reperisset, conferre cœpit de variis. Tandem autem ad scrutandum radicem intelligentiæ Lydwinæ famulæ Christi curiosius perventum est. Quæso te, inquit, o Virgo, dicito mihi formam, qualiter videlicet à tota Trinitate benedicta facta fuerit Incarnatio Filii Dei solius in utero Virginis Matris. Cui profundissimæ humilitatis Virgo, philopompas & altas materias coram doctis tacere solita, excusationem, prout potuit, objecit. Quam litteratus ille moleste

molestè suscipiens, aspero verbo rursum aggreditur. A Adiuro te, inquit, per tremendum Dei omnipotentis judicium, quatenus omni simulatione sublata, si veritatem noveris quæstionis hujus, dicere non tardes. Audiens autem illa tam efficax invehendi genus, pertimuit; & tacta dolore cordis intrinsecus, lacrymari fortissime cœpit; & præ redundantia lacrymarum, proponentem suum etiam ad compunctionem permovit.

...issima id facti similitudine;

198 Resumptis igitur utcumque viribus, cum pudore multo hanc in sententiam Virgo prorupit: Ad respondendum, inquit, Pater mi, tantæ quæstioni, talem mihi piam similitudinem, *a* salva correctione, ante oculos constituo. Assumo mihi corpus solare, ex quo tres condistincti prodeant radii, qui in unum radium per unionem sunt redacti. Circa ipsum corpus solare radios hos latos imaginor, in extremitate tendentes ad conum seu radium acutum, ad modum lanceæ indivisibiliter & impartibiliter terminantes, & in eodem acumine radii cujusdam domunculæ interiora penetrantes. Ceterum per solem, pro præsenti capio mihi superbenedictam Divinitatem; per trinos vero radios è sole prodeuntes, operationem trium Personarum, ad istiusmodi Incarnationem efficiendam, intelligo; per unitionem B autem trini radii in unum radium, sane sumo inseparabilitatem operationis trium Personarum ad Incarnationem prædictam; acumen vero trium radiorum, sive radium acutum ex tribus conjunctis radiis prodeuntem, quantum est pro nunc, appello Personam Verbi sive Filii, Incarnationem terminantis, cujus tamen Incarnationem effective tres Hypostases vel Personæ, impartibiliter aut indivisibiliter, sunt operatæ: cum autem domunculam ipso radio penetrantem dixerim; per hanc, plane invisibilem & transplendidiferum introitum Filii Dei capio in uterum Virginis, de cujus purissimis sanguinibus sibi portiunculam sumpsit, quam salva unitate Divini suppositi ineffabiliter counivit.

...itque, sed frustra, rem haberi secretam.

199 Quibus auditis, doctissimus hominum stupore & admiratione adeo repletus est, ut coram multis patulo cum conscientia diceret, se numquam à Doctoribus tam appropriatam metaphoram audivisse. Virgo autem cum hæc dixisset, rogavit instanter virum, ne cuiquam revelaret, sciens quod latere securius est quam per ostentationem patere; insuper quoniam unus scientiarum Dominus est, & ipsi præparantur cogitationes. Quanto tamen Virgo virum C adstringere molita est, tanto diffusius totam super responsis ejus replevit terram: quinimo ubilibet locorum factus est adversus detractores Virginis vivacissimus defensor & advocatus; qui prius accesserat, ut inquisitor suspiciosus, non rogatus. Nec opponat aliquis in Virginem dicens, Non sum dignus solvere corrigiam calceamenti ejus, ait Baptista Ioannes. Mar. 1, 7 Nempe satis indignam se Virgo protestata fuerat: sed admodum importuna viri adjuratio contremiscere fecit omnia viscera ejus; siquidem & ad respondendum Pontifici Cayphæ, quamvis immerito, tamen adjuranti, spontaneum se Christus obtulit.

mulierem, cui virum emendandũ promiserat,

200 Mirandus certe & proculdubio admirandus in Dei famula claruit spiritus prophetiæ, ita ut non solum se absentibus præsentem, ut superius tactum est, exhiberet; sed in veritate futura prædiceret, cordiumque scrutaretur arcana: absentia quoque, tamquam præsentia, luculentissime contueretur. Mulier quædam virum, Nabal duriorem, habuit, totique domui suæ ferocissimum; adeo ut nec quemquam domesticorum Deo famulari pro libito, nec uxorem tranquillas agere curas permitteret etiam in secreto. Veniens igitur hæc ad domum Virginis, pro viro ad Dominum Virginis preces ferventer poposcit; quatenus Deus sua clementia lupum vertat in PER IOAN. agnum, quem tamquam belluam in domo sustinebat. BRUGMAN Ad quam Lydwina, Sustine, inquit, patienter: melius enim tibi succedet. Quid plura? succedunt dies diebus, fiunt novissima pejora prioribus, verbis verba, verberibus verbera cumulantur: quærit femina mortem, nec invenit; suspendii vicem molitur, nec accipit: tandem autem in portum oppidi se mersura, diabolo instigante, cucurrit. Cumque celeri cursu sic desperata curreret, affuit spiritus alius qui currentem gradum sistere compulit, atque hunc in modum suggerendo miseram feminam intra se loqui coëgit: Toties, inquit, o infelix, Virginem visitasti, & eam tam benevolam sæpius experta es: utique jam videbis illam, priusquam moriaris. Sicque paulisper cœpit conterere caput draconis, ignorans tamen quia bonus Domini spiritus faceret hæc.

tandem in desperationem actam,

jubet redire ad virum,

201 Cumque Virgo mulieris amaritudinem lynceis oculis mentis perspiceret, & illa cursim ad ostium domus, quasi valedictura percuteret; clamavit Virgo domesticis suis dicens: Surgite velociter, quoniam quædam ad ostium venit, cujus anima in amaritudine est. Ut ergo intravit mulier, prostravit se brachiis supra Virginis lectulum, vix superstitem habens spiritum. Cui Lydwina: Quid habes? rectene agitur inter te & virum tuum? At illa respondit: Quomodo tu quæris hoc? quia mortem quæro, & vivere non libet amplius. Tuo consilio sustinui: in verbo tuo verba & verbera tuli: ad mortem jam E propero, quia vitæ hujus miserias cum viro transire non propono. Cui rursum Lydwina dixit: Redi quæso, carissima, ad virum tuum, redi ad lectum; incunctanter id credens ex parte Dei omnipotentis, quia numquam amodo talia ibi cum viro tuo sustinebis, quinimo pacem tibi futuram denuntio. Credidit mulier impatiens sanctæ mulieri, benedictioneque accepta rediens in domum suam, virum in lecto dormientem reperit; atque juxta latus ejus, juxta mandatum Virginis, obdormivit. Novum dixero. Cecidit super virum nocte illa spiritus Domini, & mutatus est in alium quodammodo, nec solum dixerim in alterum. Nempe tam mirabiliter dexteræ Dei virtute mutatus est, ut quasi ex veteri novus, ex lupo agnus, ex leone mansuetur vitulus, non sine cunctorum qui virum noverant admiratione, putaretur: salvatus est enim omni fera crudelior, per mulierem fidelem, in die illa.

ipso momento mansue faciendum.

202 Religiosus quoque Ordinis devotorum Canonicorum in *b* Schonhovia, valde dilectus Fratribus suis Concanonicis, quasi novellus è seculo tirunculus, juxta nequissimi hostis consuetam rabiem, amaritudinibus & gravaminibus adeo vexabatur, ut vivendi sibi omnino spes, & F perseverandi sub regulari vita deesset fiducia. Conquestus autem nonnullis, quos suæ salutis zelosos autumabat, verba consolationis plerumque accepit: sed quoniam cruciatus hic non cito curatur verbo, sed constantia fidei simul & perseverantia mentis; crucifixus ipse interius, alios confratres suos exterius ad compassionis lacrymas pluries attraxit. Prior autem, timens Deum animarumque zelotes, à quo & hoc intellexi, Nicolaus Wit nomine, cum videret virum tabescere, quid facto opus sit diutius deliberavit. Formidabat siquidem viri fortis & juvenis recidivum, deflebat animæ periclitaturæ damnum, providebat amicorum opprobrium, quinimo ex consequenti scandalum pusillorum magnopere metuebat. Quid vagor per multa? Fit recursus ad Virginem, ducente dicto Priore Fratrem secum ad anteriora domus suæ. Erat autem eo tempore sub

b Priori Schonhovensi Religiosum tentatum,

ac pene desperatum ad se ducenti,

PER IOAN. BRUGMAN

sub flagellis Domini, mirum in modum vicalcusi cruciata: quapropter Priori mandavit ut solus ad se veniret, ceteris foras dimissis, attento quod pro tempore illo frequentiam à multitudine hominum nullatenus tolerare valeret.

nomen & causam ejus ultrò indicat Virgo,

203 Accessit igitur vir venerabilis, absynthio paternæ compassionis respersus, eo quod videret vas sanctificationis, examinatum & purgatum septuplum, sub manu conflatoris sic pœnitentialiter iterum ad limam redigi coram se atque compoliri. At Virgo videns eum, ait: Carissime Pater, vides quod me circumdent dolores & pœnalitates multæ, ob quos modicus in præsentiarum ad te sermo: sed quia in verbo te prævenerim, quæso veniam impartire, quia cruciatus me coarctat anticipare sermonem. Frater tuus, quem socium huc duxisti, à Domino nunc in fornace tentationis graviter probatur: sed suade illi ut patienter sustineat, nam in brevi liberabitur: fiat tamen oratio instanter pro eo ad Dominum, nam magna est illi præparata gratia, & præmium in cælo maximum. Cumque pius Pater Nicolaus audivisset hos sermones, resedit attonitus, eo quod nomen Fratris, qui erat causa sui adventus, ab eo audivit; insuper & in extremis doloribus illis calculi, sanam mente & futuræ consolationis præsagam fore percepit. Post hæc Virgo Patrem licentians, ait: Vale, Pater carissime, & tuarum orationum participem me facito: Fratrem vero tuum in virtute sanctæ patientiæ stabilire curato. Et qui audivit mihi dixit hæc, atque sic per ordinem postea in Fratrem factum, ut Virgo prædixerat, proprio testificatus est scripto.

ut perseveraturum prædicit.

B

devotum sibi nautam e

204 Contigit quoque mercatores terræ illius, magnum apparatum navium facere navigandi gratia, uti communiter assolent in partes e Orientis: erat autem inter illos nauclerus industrius, præter assuetum nautarum morem Deum usquequaque timens, & ob hoc Virgini familiaris: consueverat enim, navigaturus ad remota, se precibus Virginis commendare. Sociis autem in die festo convenientibus, solus hic, consulturus Virginem, ab aliis se retraxit. Cumque illi plurimum instarent, ut simul statuto die festi portum exirent, Lydwina, judiciorum Dei non ignara, dilecto sibi amico per internuntium denuntiat dicens: Hæc dicit Lydwina, ne quovis modo fluctibus maris te cum ceteris committas, nisi prius ei valefeceris, quemadmodum consuevisti heri & nudius tertius. Venit igitur vir, sed propter decretum sodalium suorum satis invitus, & ait: Nolo, dilecte mi frater, jam repulsam pati ea de re quam petitura sum. At ille: Pete quodvis. Peto, inquit, cordintime, ne die statuto per socios tuos te mari exponas, certam ob causam mihi notam, quam tempore suo haud dubium experieris.

prohibet die statuto cum aliis solvere,

C

205 Cumque ille multa in contrarium, præsertim solitudinem sui & multitudinem aliorum, allegaret, rursum dixit ei Lydwina; Crede mihi, carissime, viam cum aliis ne ceperis: & quamvis solus relinquaris, Dominus tecum erit, euntemque ac redeuntem prospere sua pietate te comitando reducet. Obstupuit igitur nauclerus discretior ceteris, & decretum diem præteriens, aliis prænavigantibus cum gaudio atque subsannantibus, tristis solus domum recessit. Miserunt se in mare ceteri commilitones, relictum socium in terra convitiis & derisionibus subsannantes. Tradunt rates vento, prospere cuncta succedunt: sed optimum initium pessima, ut ita dixerim fortuna subsequitur. Supervenerunt piratæ commissuri navale bellum, periit omnis illa classis, partim gladio, partim naufragio, partim in captivitatem redactis nautis & armigeris. Vir autem nauclerus, quamquam mœstitiâ suffusus, secutus est socios; & flantibus ventis piratarum quorumlibet evasit pericula, marisque lectis fluctibus ad terminum optatum pervenit; prosperatusque, cum mercimoniis & lucris multis gaudenter remeavit. Patet igitur qualis apud Deum perspicacitatis nostræ speculatricis fuerit anima, cujus sano consilio, pereuntibus ceteris, hic solus salvus transfretavit & ditatus rediit ad propria.

quos ab hostili classe obruendos præsciebat.

D

post prædictum patriæ incendium

206 Mos erat ancillæ Dei, ut alias dictum est, instar Aaron, inter vivos pereuntes & mortuos, coram Domino se mediam ponere, frequenterque coram secretioribus suis verbum speculatricis in medium proferre, Quia ira Domini super Schiedam; ira Domini super Schiedam. Porro cum videret, quod implacabilis esset ira Domini, & maturata foret iniquitas populi terræ & messi proxima, vocatis ad se quibusdam dixit: Ecce quia rogavi pro populo nostro: sed cum multa flagella Dominus infligere sua justitia vindice decreverit, hoc solum in ira sua misericordiæ suæ signum super nos ostendere dignabitur, videlicet quod incendium patiamur. Et quidem ob hanc causam ad se vocari fecit mulierem quamdam Catharinam nomine, quæ cum nova aptari fecisset ædificia, asseresque aliquos sibi reservasset, dixit ei: Asseres quos superfluos retinuisti, transferre retro domum hanc ne pigriteris, de quibus pauperculis convicaneis reservaculum fiat, in quo, futuri incendii tempore, aliqua supellectilium suorum valeant reservari. Quod & factum est. Instante vero die incendii, Catharinam prædictam ad se vocatam, ita alloquitur: Scio quia votum peregrinationis de visitando Beatam Virginem d in Busco-Ducis emiseris, jamque congruum tempus est eundi illuc, cito reversura. Dixit ad eam Catharina: Cur in alienam urbem me ituram peregre suades, cum incendii conflagrationem in propria futuram prædixeris? Cui Virgo Lydwina: Fac quod dico confidenter, ne vacilles; Dominus enim quod melius est providebit. Ivit igitur mulier & rediit, domumque suam prorsus in cinerem redactam invenit.

convicaneis receptaculum præparat,

E

d amicâ mitis peregrinatum,

207 Flevit mulier ob damna rerum, flevitque ob domus suæ incinerationem: ex qua re Virgo quantocius accersiri fecit desolatam dicens illi: O caput, caput, diu optasti quatenus in domo una simul commoraremur, jamque mecum commorari compelleris, nec amodo separabimur unquam, nisi superveniente morte: ea propter confortare in Domino, & æquanimiter gratias age. Manserunt exinde simul in una domo, ut dictum est. Nec de memoria lecturorum hic præterire velim, quod in ipso tempore incendii nostræ sacræ Virgini contigit, notandum valde. Cum enim ubique vis incendii diffunderetur, & ipsi convicanei sui sua quæ poterant lectisternia retro domum Virginis reservanda cogitarent; convenerunt quidam simplices ad tollendum asseres de camerula Virginis, ut superius tactum est, eadem causa videlicet, ut liberarent eam de medio flammarum quæ proximabant. Quibus illa dixit: Sinite me, carissimi, jacere sicut hactenus jacui: omnino ignis nocumentum mihi non inferet. Non obstantibus verbis istis & aliis, ex pietate, ipsa remanente, abstulerunt asseres. Sed de hoc nihil ad præsens dixerim; sufficiat quod evenerit quod illa prædixerat. Nam attestante Sapiente, Anima justi enuntiat vera magis, quam septem circumspectores, sedentes ad speculandum in excelso.

negat flammas ad suã domum perventuras.

F

Ecli. 37, 18

208 Contigit etiam quodam tempore ut duo militares, diabolo zizaniorum procuratore satagente,

duellum impediendum cognoscit.

A gente, commissuri essent duellum: mater autem unius eorum anxia pro filio, plorans & lacrymans venit ad Virginem, dicens: Filius meus duellum commissurus est, orate pro eo, Lydwina. Cui Virgo: Noli frustra pro filio tuo cruciari, quia Domino concedente nullum patietur periculum. Et quidem disponente moderatore cordium, redactum est odium in osculum, gladius in poculum, rumor in silentium, duellum in pacem. Haud dubium quin disciplina pacis utriusque super dorsum Virginis ampliata fuerit, rogantis ea quæ pacis sunt Dominum omni tempore.

209 Tempore quodam pestilenticæ cladis, contigit Virginem in duobus locis corporis à Domino præ ceteris consignari. Porro cum desideraret sacram Eucharistiam, Curatus, de quo supra dictum est, trepidus præ timore mortis, ad illam venit; & quasi pestis contagium sibi per odoratum anhelitus Virginis adhærere deberet, nares & os solicitus obturavit. Quod cum illa vidisset, ait: Non est is morbus, o Pater, cujus attactu vel odoratu tu vel aliorum quisquam infici debeat per me: nam opus Domini est, & non hominis aut naturæ, quo me gravari plus solito consideratis. At ille confusus, obmutuit, & tandem ficta sibi audacia dixit: Utinam Lydwina tamdiu vivam, quousque finem tuum videam. Cui mox Virgo respondit: Meum finem non videbis, Pater: ego potius tuum videbo: quamobrem te precor, disponere domui tuæ, sicut volueris moriens coram Domino comparere. Ille vero quemadmodum consueverat, attrita fronte sprevit eam, sed postmodum experimento didicit, à Domino percussus, quod noluit intelligere à Virgine sanus.

Peste laborans,

B *edicit Curato suo, eum prius moriturum,*

210 Paulo post igitur humiliatus est superbus, & recordatus est verbi quod sibi Virgo prædixerat: unde misso nuntio cuncta sibi indulgeri, quæ suspiciosus atque malitiosus pridem intulerat, humiliter poposcit; necnon ut pro se intercedere dignaretur efficaciter, exoravit. At illa, cum audisset eum infirmari, morituro condoluit; verbisque pacificis ad eum remissis, salutavit eum dicens: Obsecro, Domine, quatenus puram confessionem facias, & aliena quæque restituens, seriose singula negotia domus tuæ disponas: nam morieris tu, & non vives. Audiens autem hæc iratus, tamquam aspis surda, obturavit aurem suum, ne forte audiret vocem incantantis sapienter: sed & quantoeius remisit virum, qui diceret ei: Nihil mihi consciussum de alienis bonis, sed neque quid restituere debeam agnosco. Cumque Virgo virum excæcatum animadverteret, rursum misit qui nuntiaret ei particularius, quæ & ubi forent illa bona, quæ quamquam ut sua tenuisset, minime tamen sua recto Dei judicio forent, etiam in veritate. Verum cum ipse minus saperet, minusve intelligeret ac novissima provideret; consilium Virginis vertit in venenum; precem ratus est contumeliam; gratiam injuriam sensit; sicque mortuus est. Qualis autem & qualiter post hæc defunctus visus est, novit Altissimus, cujus judicia abyssus multa, & cujus interest reddere unicuique juxta opera sua.

& injuste possessa restituere monet:

C

sed frustra,

211 Vir alius, dictus Ioannes Angeli, Curatus ecclesiæ Schiedam, prædicto viro e innominato in Cura successit, & ipse natione Hollandrinus. Hic cum mitior haberetur moribus, plures in verbo veritatis attraxit ad confitendum sibi filias, è quibus una specialiter indies frequentabat Virginis domum, & ipsa quidem devota valde. Cumque defixis in eam luminibus frequentantem Virginis domum cerneret, admiratus plurimum, dixit: Quid est, filia, quod quotidie domum languentis Lydwinæ frequentas? Quæ sic sæpius ab eo molestata, tandem respondit: Miror te, inquit, virum prudentem & circumspectum, Confessorem Virginis esse, & ipse non experiaris aliquando, quod ego ipsa in ea experior quotidie. At ille: Quæ sunt illa, quæ tu sic experiris? Et ait mulier: Si scires donum Dei, quod ego quotidie apud Virginem experior, crebrius visitares eam, quinimo difficulter ab ea separari valeres. Cui Curatus; An in somnis hæc audio, an in veritate? At illa dixit: Observa mane diluculo manum ejus, dum audis confessionem ipsius, & senties quæ tibi dico.

e

alteri, cui de mira apud eam suaveolentia dixerat,

Per Ioan. Brugman

312 Observavit igitur dictus Curatus signatam sibi horam, & audita confessione Virginis, poposcit sibi dari manum; quam quasi celestibus unguentis delibutam odorans, clamare cœpit & dicere, O vasculum Spiritu sancto repletum! o divinorum unguentorũ reservaculum, quare hujuscemodi visitationum Domini gratias, usque in præsentem diem à me abscondisti? toties tuam confessionem audivi, & nihil horum intellexi; toties tibi sacrum Christi Corpus porrexi, & nihil horum percipere potui: toties tibi locutus fui, & nihil ex omnibus revelasti mihi. At illa respondit: Sane, Pater, si bene memineris in toto non abscondi: sed occultante Domino, forsan plane omnia non capere potuisti. Quid immoror? Statim procul dubio ut vir ille suavissimum illum pertraxit odorem, nedum in omnibus sensibus immutationem persensit, quin imo in interiori homine illuminationem quamdam & compunctionem radicalem concepit. Qua ex re, tamquam animi vomitum passus, cœpit horrida peccata Virgini proprio motu detegere, cœpit afflante spiritu de corde profunda suspiria trahere, cœpit occultum virus in patulum producere, & lacrymantibus oculis de cordintimis emendam polliceri.

ejus experientia captus

exindeque illuminato & pœnitenti,

E

213 Verum cum instar ceræ ante faciem ignis liquescere videretur, cœpit & ipsa viro, quæ in profundo sentinæ latebant peccata quædam, denudare, denudata ponderare, ponderata quasi in judicio Dei proponere, proposita suæ conscientiæ judicanda relinquere. Proinde cum temporis, loci & alias circumstantias ob ea tremebundus accepisset, veritus animo, & victus rubore, pia impatientia clamare cœpit cum lacrymis ac dicere: Quis tibi, o vasculum Spiritus sancti, reseravit ista quæ dicis? nempe qui te meorum ita peccaminum notitiam habere concessit, alia plura de me haud dubium indicavit. Atque his dictis, egressus per posticum in hortulum Virginis, flevit amare. Quo facto, rediit vir, meliora proposuit, satisfactionem promisit, atque pro se cordialissime preces fundi à Virgine, tamquam à matre, amodo devotior factus, exoptavit. Cœpit ex tunc, divina fretus gratia, à multis abstinere superfluis, carnem domare jejuniis, ventrem exasperare ciliciis, ceteris pœnitentiæ modulis tempus redimere quod perdiderat. Cumque sic castigaret corpus suum atque in servitutem redigeret, non post multum temporis in hoc salubri & sancto proposito viam universæ carnis per pestilentiam ingressus est: sicque Virgo virum, filia patrem, ovis pastorem ad tramitem justitiæ reduxit: & tamquam super speculam constituta in Israel, annuntiavit impio impietatem suam, animamque suam liberavit. Quanta proculdubio Virgo pro liberatione animæ suæ in carne passa fuerit, propter prolixitatem operis silentio ad præsens f transilire curavi.

peccata sua eorumque gravitatem explicat,

F

& ipsum Deo lucratur.

f

214 Quoties etiam laborantibus in partu, in infirmitatibus, in tribulationibus in spiritu præsens fuerit, pari forma pertranseo. Duo tamen referã, ne forte de hac re laudes & mirabilia Domini ex toto videar tacuisse. Sane cum oppidum Schiedam nonnullos incolas habeat, qui nautica sibi practica

naufragia duorum absens cognoscit.

 quæritant

PER IOAN. BRUGMAN

quæritant victum, contigit sæpe procellosis fluctibus involvi maxime piscatores. Eapropter Virgo nostra Lydwina, multum pro concivibus sollicita, flebilibus oculis, tamquam præsens fuisset, tempore naufragiorum solebat deplorare mortes & pericula; insuper prædicebat: O, inquit, quam tristia percipiemus nova hodie ante solis occasum: nam tales & tales hodie evaserunt mortis pericula antehac, talesve submersi sunt aut periere. Paulo post, eodem ferme die, communiter sequebatur fama lugubris, clamor percellebat urbem, ploratus undique diffundebatur in plateis.

& ab inundatione periclitantem liberat.

215 Præterea cum tempore instantis submersionis g partium Australium Hollandiæ, mulier quædam quiesceret in villagio, quod vicinum erat aggeri, quo tumens mare atque irrumpens totam regionem occupavit, audivit vocem aquarum validissimarum inter se tumultuantium, & pertimuit valde. Et cum sic ob procellas & tempestates anxiaretur, vidit in spiritu quasi ad se venientem Lydwinam, quæ consolabatur animam ejus, & salvam domum usque conduxit. Mirum dictu! eodem tempore, quo mulier ipsa sic periclitabatur, dedit virgo apertis verbis adstantibus intelligi, quæ B & qualia circa prædictam devotam suam aquarum pericula cumulabantur: sicque dono Dei jacebat abjecta sub tugurio, & nihilominus oculi ejus ad fines terræ erant.

ANNOTATA.

a *Surius totam similitudinem prætermittit.*

b Schonhovia *ad Leckam amnem insigne oppidum, septem circiter Hollandicis leucis Schiedamo dissitum.*

c *Eas scilicet, quas supra diximus ad mare Balthicum sitas, ne quis eas in Asia quærat.*

d *De hujus miraculosæ imaginis historia libellum insignem scripsit Otto Zylius, nostræ Societatis, cultissimæ, siquis alius, Latinitatis orator & poëta. Est autem* Buscum, *sive* Silva-Ducis *munitissima extremæ Brabantiæ civitas, Episcopali sede initio turbarum Belgicarum aucta; & cives habet, etiamnum cum Dominio Statuum fœderatorum subjecta privatur publico avitæ religionis exercitio, fidei Catholicæ retinentissimos.*

e *Nomen & professionem ejus, nec non damnationem satis explicite habet Vita prior cap.* 12

f *Nempe dissimulato nomine historiam purgationis & liberationis ejus narraverat supra cap.* 2.

C g *Anno* 1421, 18 *Novembris noctu, Vahalis & Mosa, exæstuante in eos Oceano impediti, aquas suas effuderunt in agros Brabantiæ proximiores, facto prope pagum VVildrecht aditu: absorptisque pagis* 72 *effecerunt vastam illam lacunam, quæ à juncorum, in aqua parum profunda copiosius nascentium, multitudine,* den Biesbos. *i. juncorum silva, dicitur. Dicuntur autem hæ partes Australes: non quia ad Austrum, id est ad meridiem, sitæ: sed quia* Orientales *(quomodo ad Acta S. Sigeberti* 1 *Februarii num.* 14 *ostendimus,* Austrasiam *&* Austriam *dici vulgo* Oostenrijck, *id est, regnum orientale) ex proprietate sermonis Teutonici, cui* Oost *oriens dicitur: cumque hujus vocis pronuntiatio affinis sit ei qua ventum meridionalem Latini appellant: hinc frequens inter scriptores, haud satis utrumque discernentes, confusio.*

CAPUT VI.

De caritate ipsius fervidissima & desiderio martyrii, quod habuit ad imitandum Christi vestigia.

216 Excreverant sane in ea non solum intelligentiæ limpiditas cum dono prophetiæ, quinimo insuperabilis virtus amoris affectum ejus accenderat in lampades ignis atque flammarum, adeo ut aquæ multæ non possent extinguere caritatem. Profecto Virgo, candore puritatis longe lateque cognita, quo felicium signorum relictos dolores non frustra gestaret in corpore, incredibili fervore cœpit Passionis Christi sitire triumphum, Martyrumque candidatum æmulari exercitum, quorum nec fides infici, nec spes confundi, nec caritas extingui, nec patientia frangi, nec virtus poterat infirmari. Igitur circa vigesimum octavum annum infirmitatis suæ, coronam gloriosam hoc modo adepta est. Annuit siquidem sibi Dominus, in quodam mentis excessu, videre coronam pretiosissimam, cui gemmæ & diversorum colorum lapides præfulgidissimi videbantur inserti; nondum tamen perfectam orbiculariter, perficiendam attamen in futurum. Et cum E ad se reversa fuisset, cœpit cogitare de ostensa sibi corona; tandemque deprecari Dominum, quatenus castigationibus paternis vas suum fictile ita coaptare dignaretur, ut & anima suo desiderio non fraudaretur, & ostensam sibi gloriosam coronam recipere tandem mereretur.

Visa gloriæ suæ corona, adhuc imperfecta,

ad quidvis ferendum sese offert Lydwina.

217 Porro attendens, quoniam tam stupendi decoris gloria parvitati suorum meritorum nullatenus conveniret; infinitatem meritorum Christi, cum universis amaritudinibus, quas in terris pro nobis pertulit, revolvens, adjecit paucula dolorum suorum exercitia in lance componere. Sed cum finiti ad infinitum nulla sit proportio, cœpit ancilla humilis coram Domino, quasi nihil effecerit, seipsam examinare. Et quomodo, inquit, o Domine Deus, tua quis imitabitur vestigia, nisi quasvis carnis molestias, dæmonum insidias, mundi contemptus, hominum insultus tulerit? nec non ex integro atque incorrupto spiritu totum se annihilaverit ipse? Pone obsecro, Domine, ancillam tuam in semitis tuis & in vestigiis pedum tuorum. F

Quidam ex Ducis Burgundi comitatu,

à Curato ad Virginem introducti,

218 Deinde cum sic pulsaret ad aures amici, contigit, in brachio forti bellatorum, Ducem Burgundiæ Philippum possessionem Hollandiæ, tamquam hereditario jure sibi debitam, per singulas urbes & loca, præstito ab incolis homagio, recipere; receptaque munitionibus armatorum postea stabilire. Venit quoque & ipse in Schiedam, oppidum sæpe nominatum. Factum est igitur circa principium mensis Octobris, ut de stipendiariis quidam, quos vulgus Hollandiæ Picardos vocat, simul sedentes, invicem conspirarent adversus ancillam Christi Lydwinam, instar sathan adversus Job justum, concepta malitia gloriantes: audiverant enim, fama volante per orbem, quia non manducaret neque biberet, sed tantum sumeret Corpus Domini. Dumque cibi & potu repleti, quæ plerumque materia sunt furoris, æstuarent, venerunt animo infrunito simul ad ostium Pastoris ecclesiæ, fingentes se velle videre filiam confessionis suæ, seque velle honorare illam verbis pacificis ostendentes. Sed, proh pudor! & proh dolor! instar Herodis in dolo. At ubi Pastor ecclesiæ viros blande loquentes audivit, cito credidit: & quasi gratulabundus eisdem, duxit eos ad Virginem.

219 Vix

A 219 Vix domunculam Virginis introierant, & ecce stultorum more clamare cœperunt, claudentesque ostium intrinsecus, ac si barbari forent, circa lectum ejus cachinnari atque tumultuari præsumpserunt. Illa quidem nihil dicebat ad hæc: sed tamquam agnicula grassanti stultitiæ aures parabat eruditas. Curatus autem videns quæ fiebant, consternatus est animo, & ut sævitiam debacchantem compesceret, precibus obnixius quo potuit laboravit. At illi, qui certo proposito, ut sane videbatur, ad sæviendum venerant, contumeliis affectum Christi Presbyterum repulerunt; insuper concubinarium & scortarium Virginis appellare non erubuerunt. Hæc, inquiunt, concubina tua est & fornicationis tuæ consentanea, qua ex re niteris verbis tuis mendacibus illam defensare. At ille dolens nimium flere cœpit, & in alteram partem altaris, quod ibi stabat erectum, se divertit, ludibria non sustinens, quæ effrontes attentabant. Videntes autem satellites dæmonis suam se posse explere malitiam, quoniam non erat qui ganniret aut viriliter resistere auderet ex omnibus convicaneis aut domesticis ejus; accensa mox in atrio candela, velum, quod ante lectum Virginis pendulum erat, deposuerunt; & abstractis impudenter cooperimentis omnibus, impudicis oculis ac manibus corpusculum resupinum, multimodo genere morborum, infirmitatum & hydropisi tumidum, vilissime contrectaverunt.

ipso cum contumeliis repulso,

illam impudenter discooperiunt:

B

220 Erat autem eo tempore parvula filia fratris Lydwinæ, multum perterrita & lacrymosa videns hæc, nomine Petronilla: quam quia more puellari se opponere viderunt, impetuosa quadam furia contra scabellum quoddam projicientes, in inguine ac renibus tam graviter læserunt, quod tunc ad mortem usque claudicare non desisteret. Preterea cum corpus illud virgineum, ad modum utris ob hydropisim tumefactum viderent: omni pudore sublato, in furore spiritus sui, nunc bestiam, nunc meretricem, nunc voratricem nominaverunt; aliisque venenosis obloquiis, excogitatis de cordibus, adversus Virginem sævierunt. Nec sufficit filiis Belial filiam Christi sic affecisse injuriis, sic discooperuisse pauperculam feminam, sicque vidisse ac pepulisse pollutis manibus Domini sponsam; quinimo super dolorem priscorum vulnerum, cum turgida foret hydropisi, vulnera nova, lamiarum more, suis tandem crudelibus & inhumanis contrectationibus reliquerunt: & lotis postea cruentis manibus, quantocius ut prius, more leonum, blasphemiis & contumeliis afficere redierunt.

& nepte Petronilla ad terram allisa,

linguis ac manibus sæviunt,

C

221 Stabat autem Curatus, videns omnia hæc; sed loqui verbum, quamdiu hæc fierent, non audebat: puella vero nepticula sua jactura cruciabatur valde. Sola ergo Virgo, sanguine fluente in paleas & pannos contiguos, cum tot blasphemias audiret, & sententiam Domini haud dubium formidaret; tandem ad eos dixit: Cur non timetis sinistre interpretari opera Domini in me? An quale vobis immineat judicium ignoratis? At illi magis magisque, uti tale ferarum genus assolet, cachinnantes & lætantes, quasi gratum Deo obsequium fecerint, dimissa ea recesserunt. Quid his amplius? Pervenit rumor tanti flagitii ad aures quarumdam matronarum urbis, & convenientes, proh dolor! Virginem Martyrem, in suo sanguine jacentem; & puellam Petronillam, crudeliter læsam atque confractam, invenerunt. Et ecce ploratus & ululatus multus: ecce rumor & clamor: ecce fletus & dolor, super commisso nefando scelere, super fluente cruore, super vulnerato & denudato turpiter corpore: nam talia in regione Hollandiæ, quæ femineum genus semper veneratur, non viderat nec audierat ullus, cujusmodi Virgini contigere. Collegerunt etiam venerandæ matronæ reverendæ Virginis circumquaque fusum sanguinem: & cum in tribus partibus corporis læsa foret, adhibita solicita cura, totum illud vespere in lacrymis & planctibus, propter ea quæ facta fuerant, expenderunt.

sicque in sanguine natantem deserunt,

& comploratu matronarum,

222 Interea Princeps ille novellus, eorum quæ patrata fuerant omnino nescius, vale dicens civibus, transivit in vicinum locum, qui dicitur Rotterdam. Factum est murmur in populo, commota sunt corda bonorum super inauditæ crudelitatis execrando negotio, super tam inconsuetæ malitiæ ferali modo, quam forenses armigeri, satellites dæmonis, turbatores pacis, effusores sanguinis, contemptores honoris virginei, nesciente suo Principe, adversus Christi martyrem, filiam & sponsam, tam immaniter præsumpserunt. Unde venientes ad eam majores natu urbis, consolabantur eam, dicentes, se velle accedere illustrem Principem, seque conquesturos super patrata iniquitate tyrannorum prædictorum. Ad quos Lydwina dixit: Nolite vexare propter me Principem, neque contaminare velitis manus vestras propter eos; desuper est cui vindicta reservatur, jamque judicium eorum in promptu est. Et quidem non diu post peccatum, Deus ultionum Dominus quibusdam ex eis retribuit, qui tantæ crudelitati operam dederunt, ut ex fide dignorum scriptis accepi. Nam unus eorum in mare præceps ruit, & intrante aqua interiora ejus, suffocatus interiit. Alius autem in amentiam versus, in Zelandia mortuus est. Tertius in prælio quodam ab Anglicis fertur occisus. Nuntius autem quidam ex parte cujusdam alterius magistri sui, nescio qua ægritudine percussi, ut dicebat, missus venit veniam postulare: & hic cum lacrymis ab eadem nedum veniam, sed & gratiam reportavit. Summatim, induti sunt maledictione, qui tam crudeliter detraxerant ei; operti sunt, quasi diploide, confusione sua.

& murmur civium contra efferos illos.

vetat Virgo in eos agi:

E

sed vindictam assumit Deus;

223 Porro cum Christi famula postmodum sola jaceret, ecce venit Angelus ejus, quasi sol resplendens in virtute sua, qui mellifluis verbis dilectam sic alloquitur: Salve nunc, carissima soror, & gaudio magno gaude: quia corona, quam pridem imperfectam vidisti, nunc plenius perfecta est, quemadmodum desiderat anima tua. Et dixit: Noveris etiam, o dilecta soror, juxta votum tuum te positam extitisse in vestigiis pedum Salvatoris, propter irreverentem attactum virorum, quem perpessa es; nec non ob ludibriosa opprobria & vulnera quæ tuo in corpore suscepisti. Illa tibi fuere monilia coronæ, quam vidisti: illa margaritæ gemmæque pretiosæ; ipsa quoque lapides extitere, quos deesse diademati tuo, Deo faciente, considerasti. O vere igitur in numero Martyrum computandam! amodo Martyrem, cujus animam etsi mucro gladiatoris non abstulit, aureolam tamen martyrii optatam inter clienticulas non amisit. Non te, o Virgo decuit, tot annis sub manu summi artificis quadratam, expertem coronæ triumphalis, inter perfidi hostis satellites fieri; & quod non contulit causa justitiæ cum Abel, non fides cum Stephano, non libertas ecclesiæ cum Thoma, non assertio veritatis cum Hieremia, non redargutio impietatis cum Baptista, non zelus legis cum Machabæis, non Christi persona cum parvulis Innocentibus; hoc tibi nunc caritas eximia, mens bene conscia, voluntariæ passionis ardor, causa soli Deo cognita, refundendo compensant, ut Martyr dicaris prædicant, clamitant & attestantur.

eidem gratulatur Angelus,

F

ipsoque auctor

224 Aliorum triumphus, etsi tempore belli Ecclesiæ in morte complacuit; te multifaria morte, quam sustines, perpetuo laureandam Christus tempore

PER IOAN. BRUGMAN *passionem ejus comparans cum aliorum Martyrio.* pore pacis disposuit. Aliorum mors amara, propter fidem Christianitatis, utpote à paganis; aliorum vero mors amarior, propter stylum Catholicæ veritatis, videlicet ab hæresiarchis: tua, ut ita dixerim, mors amarissima, utpote ab Ecclesiæ filiis, falsis fratribus, nomine tenus Christianis, à domesticis fidei, in corpore hydropico, marcido, vermiculoso, corroso annis quinque & viginti, infinitis malleationibus Domini compurgato. Te quidem mulierem esse virtutis clamant zelatores justitiæ; te sine cibo, potu, somno subsistere credunt; te speculum munditiæ ac pudicitiæ vociferantur; te botrum electæ vineæ sub torculari, & eximiæ patientiæ jubar magnificant; te matrem plurimorum Christi pauperum plebs Deo devota ubilibet protestatur. Parum est si tibi detraxerint filii iniquitatis, si te voracem dixerint viri absque lege, si scortum, si concubinam, si bibulam, si dæmoniacam & magam te diffamaverint; si te denudaverint, si in faciem conspuerint, si cruentas manus injecerint, si vulnera inflixerint; nam tua res agitur, tua te conscientia excusat, te sententia Dei criminis omnis exortem noscit: te manet corona, quam reddet tibi in illa die justus Judex.

B

225 Missus est denique ab illustri Principe Philippo Capitaneus quidam, guerrarum tempore, vir nobilis Gallicus, habens sub se armigeros multos, ad custodiendum civitatem. *Capitaneus Ducis per suos milites* Hic ad tempus aliquod mansionem suam faciens in Schiedam, intellexit & ipse, referentibus plurimis, quæ & quanta quotidie faceret Dominus in pedissequa sua Lydwina; quid etiam injuriarum per antea factum sit adversus Virginem sacram à compatriotis seu commilitonibus, virum non latuit. Nihilominus an vera forent de Virgine Lydwina magnalia Domini quæ vulgabantur, rursum experimento certiori comprobare cogitavit. Transmisit igitur Capitaneus iste viros, non tales quales pridem diabolus procuraverat, sed honestos & strenuos in arte militari. *explorat abstinentiam ejus,* Hi sui primicerii suscepto mandato, tamquam facturi circa Virginem excubias, thalamum Lydwinæ intraverunt, siquis fortassis alimoniam diu noctuve offerret, observaturi: quod si fallax foret mulier, ut alias in fictis aliis expertum est, ipsa periret; si vero constaret ita esse, sicuti dicebatur, laudaretur merito in populo. At illi, mox ut intrarunt domum, cœperunt cuncta sub & subter perquirere; adeo ut domesticorum neminem in domo permitterent habitare tunc temporis, nihilque remaneret etiam ad pyxides unguentarias, quod ipsi non visitarent.

C

Erant autem sex, ni fallor, numero, ambientes lectulum sponsæ summi Salomonis: quod pio Dei nutu factum esse creditur, utpote quia validum est testimonium virtutis & veritatis, quod profertur in tali re ab ignotis, ab alienigenis, insuper ab inexpertis spiritu viris.

226 Interea vidua quædam, Catharina nomine, videns quia sic diebus & noctibus Virgo, inter viros alienigenas, ignotos atque idiomatis satis ignaros, sola jaceret; *unica ad ejus obsequium admissa vidua:* mota pietate audacter accessit Capitaneum, petens propter Deum & honorem femineum sibi liberum patere introitum. At ille, sicut pius vir & prudens, annuit fieri petitionem ejus, eo pacto quod quandocumque introiret cellulam jacentis feminæ, à custodibus, quos illic ad observandum posuerat, deberet visitari. At illa spopondit: itaque novem diebus & noctibus continuis, à sex viris Virgo custodiebatur, ne quis ad eam accederet, dempta vidua Catharina: quæ toties quoties ad eam ingrediebatur, de cibis & potibus, armigerorum illorum scrutinium quotidie sustinebat. Mirum dictu! omni tempore quo sic sola relicta jacebat, non præteriit nox, qua non suavissimis contemplationibus in Deum raperetur.

D

Et qui viderunt gloriam Dei in Virgine, non manducante neque bibente, testimonium perhibuerunt, & testimonium illorum verum est. *& tandem veritati testimonium datur.* Cumque pertransissent novem dies, venerunt armigeri & valedixerunt Virgini, promittentes facere magnifica in reverentiam ipsius, orationibusque ipsius se reverendissime commendatos haberi flagitarunt. At illi profecti Virginem laudaverunt ubique: nimirum cum contineat Scriptura, Forte est vinum, fortis Rex, fortior Rege mulier, sed omnium fortissima veritas; *3 Esd. 3.* insuper honorare veritatem sanctum est.

CAPUT VII.

De innovatione Martyrii occasione videlicet doloris excessivi de morte fratris sui prædilectissimi.

227 Omnipotens Dominus, coronæ, quam sponsæ suæ prius ostenderat, non immemor; *Subtractam Virgini gratiam recuperat* quamquam in cruce nidulum suum posuerit, quamvis in vulneribus Dilecti cubiculum meridianum efficere curaverit; hoc nihilominus ad perfectionem majorem addendum decrevit, ut deliciis innutrita celestibus, ante felicem obitum ablactari discat,

E

& circumeundo creaturarum latitudinem id solum retineat, Christum scilicet dilectum in cruce quærerere, instar pulli columbæ pro pastu gemere, se à Patre derelictum conqueri, simul cum Virgine matre sub cruce stantem crucifigi. Igitur qui solem abscondit in nubibus, & præcipit ei ut rursum oriatur; hic, postquam, per martyrium carnis, electam ex millibus in semitis suis posuerat; per subtractionem salutarium sive solitarum consolationum, ut novis coaptaretur incendiis, quasi solitariam crucifixam, ad tempus & in momento dereliquit. Quare talis innovatio crucifixionis Virgini unde pervenerit, attendamus.

228 Juvenis quidam nationis Coloniensis, Gerardus nomine, facta super eum manu Domini, *cognoscit Gerardus Colonien.* carnis spurcitias mundique vanitates fugere, cœlibemque vitam actitare, Spiritu sancto edoctus, quomodo id attentaret cunctari cœpit: tandemque florigera fama Virginis audita, mox consilium petiturus accelleravit. Hunc ergo cum Virgo fuisset intuita, quasi de præsentia spiritualis fratris ac in Domino commilitonis exhilarata, spiritum novum induere videbatur.

F

Sedente viro juxta grabatulum Virginis, præcedentibus sacris de Deo colloquiis, propter quod magis titillabat mentem Virginis, aperuit: Vellem, inquit, o Lydwina, quæ spiritus sunt apprime necdum expertus, vitam cœlibem & anachoreticam ducere, dummodo morari possem in aliqua provincia procul ab hominibus & amicis, utputa in partibus Ægypti: sed id summopere mihi causam adfert formidinis, quod absque tentando Deum sic in remotis nequaquam valerem consequi necessaria vitæ. Virgo vero Lydwina, propositi boni spiritusque fervorem in bonæ indolis viro diligenter attendens, *olim cum ejus consilio in Ægyptum profectus,* tamquam secretorum spiritus in hac parte de futuris conscia, sic fertur respondisse. Dilecte frater, ne paveas obsecro; sed virilem animum jam induens, ad patientiam primitus & longanimitatem te coapta: nam cum in illam vastam solitudinem te transtuleris, modicum probaberis in principio, sed ante solis occasum diei tertiæ tenui pasceris alimento, quod opitulante Dei omnipotentis gratia dietim adaugebitur. Manum equidem ad aratrum misisti, ne retraxeris, si fidelis athleta velis inveniri.

229 His atque aliis spiritualibus exhortationibus prolatis ac susceptis altrinsecus, factus est Gerardus ad

A

ibique in vita solitaria

ad aggrediendum ardua quæque pro Christo virilior, factus est eo ad vitam contemplativam proclivior, quo Virginis præsagio de Dei adjutorio, in hujusmodi solitudinis horrore, factus est certior. Valedicentibus igitur sibi mutuo, atque caritatis glutino se vincientibus, accepit juvenis socios, & cœpto itinere ad Ægyptum usque pervenit. Socii vero videntes vastæ solitudinis horrorem, ferarum insolitam societatem, panis carentiam, dimisso Gerardo ad partes fidelium redierunt: Gerardus autem, frater ferarum amodo in vasta solitudine constitutus, in arborem frondosam se locavit, ad quam plus arte vel ingenio quam virium magnitudine scandebat. Quid plura? factus est vir devotus devotior, atque ita invenit ut Virgo prædixerat: nam crescente meditationis ejus studio, crevit & cælestis nutrituræ munusculum, crevit & Angelicæ collocutionis arcanum. Dum itaque vir iste, Deo & Angelis sedula contemplatione devotus, sæpius in spiritu sororem Lydwinam vidisset; contigit quodam tempore, unum de fratribus Virginis ab hoc seculo migrare, eamque à consuetis mentis excessibus ad tempus divina dispensatione suspendi.

citra usum cibi humani vivens,

B

cui revelatum esse quid consanguineorum morte:

230 Causa vero suspensionis hujusmodi, uti postmodum patuit, dolor fuit, parumper excessivus in morte carorum, quem in morte dicti fratris sui conceperat, ex eo quod patri veterano fidelis, & ipsi Virgini plurimum gratus & officiosus fuerat: nihilominus aliquid humanitatis passa, gratia ad tempus distrahitur; quatenus in carne non audeat gloriari, quæ supra carnem vivens, quasi in cruce tot annis confixa, Dominum didicerat imitari. In carne præter carnem & absque contagione vivere, Angelicum esse tradidit Doctor Catholicus: sed in carne supra carnem per tempus & tempora, sine quovis domesticorum consortio, sic infirmitatibus affligi, divini muneris est, quod non negaret sanæ mentis philosophus. Et quidem in cruce Filio, à Patre derelicto, Maria mater adstitit; quæ quamvis pendulum juvare non posset in morte filium, caritatem tamen corde commoriendo tunc ostendit, quoniam secum corpore simul mori non potuit: sed licet longe dissimiliter, multis annis pater veteranus filiam, & fratres sororem, infinitis torturis dolorum cruciatam viderunt, quam minime relevare poterant; pietatem tamen animi & caritatem cordis sui dietim ostendere non destiterunt. Et quidem moriens in cruce Dei Filius curam gessit matris, & dilecti sui discipuli, quos vinculo dilectionis perpetuo vinciri voluit, priusquam clamaret, Eli Eli, lamma sabactani. Pietatem in Deum & in suas servare non vetat caritas, non dolere simpliciter in privatione amicorum nescit humanitas, dolere vel modicum supra quam deceat dissuadet ordinata perfectio caritatis: & sic est hic. Non prohibuit Dominus Virginem impendere gratiam mortuis dilectis, sed nec humanum aliquid pati propter fratres duxit anathema: sponsam tamen sui solius imitatricem magis fieri voluit per hoc, quod tantillum de morte domesticorum suorum dolentem, & in ipso dolore plus debito excedentem, consueti raptus beneficio suspendit.

non satis moderatè Virgo indulsisse, ab eo discit,

C

Episcopus Anglus, ad loca sancta peregrinatus,

231 Erat autem tunc temporis quidam reverendus Antistes, de gente Anglorum, qui causa suæ peregrinationis Terram sanctam, quam Dominus pedibus suis beatissimis calcare dignatus est; nec non & montem Sina, ubi beata Virgo Catharina mausolæum obtinuit, ceteraque loca devota Sanctorum lustrare decrevit. Sumpto igitur secum venerabili comitatu, facto perficere studuit quod voto conceperat; ac perlustratis terris gentium, cum duce itineris, quem ad hoc pretio conduxerat, postremo loca Sanctorum quondam Anachoretarum Ægypti paulisper invisere cogitavit. At ubi cellulam eremitæ magistri Gerardi, dirigente Domino viam suam, in arbore quadam alta ac frondosa vidisset, primum obstupuit, sed resumpta tandem audacia, quatenus ob reverentiam Dei sui responderet, suppliciter requisivit. At ille deorsum respiciens, vidit in habitibus peregrinis viros ad pedem arboris consistere: vident & illi virum crassum, sed vultu Angelicum, inter ramos arboris residere: & simul colloquentes,

PER IOAN. BRUGMAN

& Gerardum inveniens atque examinans;

232 Dicito, inquiunt, nobis, Abba, quot annis latuisti, ex quibus te non viderit homo? Qui ait ab annis duodecim neminem hic conspexi. Et dixerunt: Qualis ergo cibus tuus, ut inter feras indomitas latitans tanta crassitudine superfluere videaris? Et dixit illis: Qui filios Israel pavit in deserto, pascit & me suo pane suavissimo, quo tempore congruo sustentor. Dicunt illi tertio: Dicito nobis in conscientia, si secundum noveris in terris, qui nullo terrestri cibo pascatur, Et respondit, Novi. Est, inquit, in partibus Teutoniæ provincia quædam dicta Hollandia, cujus in oppidulo quod dicitur Schiedam, Virgo quædam languens jacet & infirma, quæ nullo cibo corporali pascitur aut potatur. Nec adeo miremini me hic solitarium, quia hæc longe me virtute clarior, patientia Christo conformior, Dominoque gratiosior existit. Siquidem hæc, in carentia corruptibilis ac terrestris alimoniæ mihi est soror, hæc sæpe in refectione mentis socia, hæc una mecum in contemplatione divinarum collateralis Christi discipula. Unum tamen, inquit est, quod satis admirari non sufficio; videlicet quod diebus aliquot ejus in Domino non fruor præsentia, quia in solito contemplationis gradu, ut consuevi, eam non intueor, & nihilominus de transmigratione ipsius è seculo non percipio.

discit quoque ab eodem

E

eximiam Virginis sanctitatem

233 Cui rursum viri dixerunt: Tu dicis, frater, quia non videris illam certo tempore: edissere quæsumus ergo nobis si nosti, qualis possit esse talis subtractionis aut suspensionis origo. Et respondit: scio quia interdum, permittente Domino ad humiliationem suam, aliquantisper plus quam deceat in morte carorum suorum dolere consueverit: ex qua re, ut conjecturare possum, suavitate pristinæ consolationis ad tempus ita suspenditur. Sed unum instanter vos facere deprecor, ut ad propria revertentes, si transitum per Hollandiam habere contigerit, locum mansionis Virginis inquiratis, atque super tribus plenius informandi quam ipse noverim, ipsam Virginem interrogare velitis. Primum est ut ipsa vobis dicat, quot annos in hac solitudine egerim: secundum quotiens vel quot annorum hanc vitam primum attentans extiterim; tertium quæ proprie sit causa, quod ipsius grata præsentia diebus his privatus fuerim. Hoc autem haud dubium dicebat, ut vel ipse sic liber foret ab ipsorum quæstiunculis, ne & ipse solita contemplatione retardaretur, aut saltem ad visitandum mansiunculam Virginis properantes, aliquis eorum ad actitandam vitam magis cœlibem animaretur.

& rogatus ire Schiedamum

F

234 Illi autem cum audissent virum, abierunt; cumque in Hollandiam salubriter Deo duce pervenissent, requirentes urbeculam in qua Virgo habitabat, domum invenerunt quam optabant. Narrantibus igitur illis quæ audierant & viderant, novissime quæstiunculas suas proposuerunt. Quibus illa respondit: Et quomodo, carissimi, satisfacere vobis potero? ipse Dominus novit quid fit de his, me autem in hac re supportatam habere velitis. Episcopus, Virginis tacitus verba considerans, quoniam ex humilitate differret, dixit ei: Ex ore viri Dei, o soror, tibi dicimus hæc; ea propter ne pigeat, sub pallio humilitatis superfluæ, quid in hac re noveris, conscientia

ipsam visitat:

quæ ad Gerardi interrogata respondens,

scientia dictante detegere; sed ad consolationem nostram, qui de tam remotis venimus, quæsumus pandere ne recuses. At illa, Divinæ, inquit, voluntatis si fuerit, resistere non audeo: quapropter, salvo saniori judicio, dicam quod sentio. Ad primum quod quæritis, quot scilicet in hac solitudine annos transegerit; dico, decem & septem: ad secundum vero, quot scilicet annorum hanc vitam inchoaverit; respondeo, novemdecim.

ait, sublimiori ipsum contemplatione frui

235 Ad tertium vero responsura, latius dicam. Et quidem cum quæritis, quæ proprie causa sit meæ subtractæ cum eo præsentiæ, respondeo: Clarum quidem est, quoniam hic languens, in medio secularium à Domino prostrata conversor, & mundana velim nolim audio, talibusque juxta exigentiam materiæ satis facere salva conscientia jugiter adstringor: qua ex re nil mirum si quandoque suffundor pulvere, si à spiritualibus retardor, si à meditationibus sublimioribus impedior, si solitæ consolationis dulcedine suspendor, si sua præsentia in Domino non fruor, nec ipse ut dicit mea jucundatur. Ipse vero pro libito voluntatis suæ ab hominibus segregatus, inter Angelos conversatur, regionem

B

Sanctorum meditatur, mentem illibatam servat à pulvere terrenorum, mentem elevatam tenet in arce cælestium: idcirco dignum & justum est, ut in lumine contemplationis me scandat & agatur sublimius, ut consolationibus Domini repleatur frequentius, ut utroque mentis oculo reficiatur delicatius, ut etiam in utroque homine peramplius atque perfectius impinguetur. Nihilominus de præsenti noverit reverentia vestra, quoniam de morte fratris aliquantisper super congruitatem doloris excessi: & ex hoc vicissitudines suavitatis assuetæ merito, quamdiu Dominus voluerit, amisi. Audientes autem viri tres numero Virginis responsum, ædificati sunt valde: & gratiarum actione facta cum postulatione orationum illius, gaudenter abscesserunt.

quod vitam extra homines agat,

236 Contigit post hæc Virginem familiariter loqui de Gerardo prædicto, quoniam pinguedo colli oram vestis illius pendula desuper excederet, & quomodo commode sedere aut jacere nullatenus posset; insuper quomodo diu noctuque pro majori parte temporis genu flectere cogeretur. Transivit vir iste sanctus ex hoc seculo, sicuti ab Angelo accepit, millesimo quadringentesimo vigesimo sexto Domini anno, die duodecimo mensis Octobris: spiritumque ejus, vidit evolantem ad æthera, Domino concedente, qui gloriosum Antistitem Ambrosium de obitu sanctissimi Confessoris Martini certificavit, & exequiis ejus interesse fecit. Si igitur, ô lector discrete, noveris quid sit vesci pane cæli, mihi & tibi prorsus ignoto; si sciveris separare pretiosum à vili; quid recta conscientia definies de Virgine? quidve sano judicio de famelica nostra Lydwina medio tempore dicere poteris? Sane nil aliud, ni fallar, eam, solita consolatione sic privatam, fuisse affirmabis, quam lignum quoddam arescens, quod nec rore nec aqua perfunditur; quam puerulum, qui matris uberibus ablectatur; quam terram sitientem & infructuosam, quæ pluviam voluntariam à Domino præstolatur. Est utique anima talis sicut radix in terra sitienti, quemadmodum expertus novit, & in hac Virgine clarius emicuit, ut dicetur in sequentibus.

C

eumque 12 Oct. an. 1426 obiisse intelligit.

D

CAPUT VIII.

De morte patris sui: & aggravatione manus Domini, facta super eam, ob mortem Petronillæ virginis quam diligebat.

Patre Lydwinæ sanctæ mortuo

237 VEnit hora ut venerandæ senectutis vir, Petrus pater sacræ Lydwinæ, moreretur. Hic cum filios & nepotes relinqueret, veniens circa finem, pro memoriali sanę conscientiæ atque serenæ, suis hoc verbum reliquit: Carissimi, en viam universæ carnis ingredior: sed hæc mihi consolatio non modica, conscientia me de alieno non accusat. Vidit etiam dictus senior gloriosam Virginem Mariam antequam moreretur, à qua promissum accepit, quatenus circa festum Conceptionis quæ colitur in mense Decembris, è seculo foret evocandus. Quod & unicam natam ejus non latuit, quæ Confessorem, ipso die Conceptionis Missam celebraturum extra civitatem, instanter rogavit; ut Missam, quam celebrare deberet, anticiparet in vigilia, ut eo liberius exequiis migraturi Patris interesse posset: quod & factum est ita. Nam ipso die Conceptionis senex sepelitur, & de salute patris, revelante suo Angelo certificatur.

E

affligunt ipsam dæmones,

238 Cum autem interjecto tempore postmodum ad diversa loca pœnarum in spiritu iterum raperetur, vidit iterum quosdam teterrimos dæmones in unum conglobatos, tenentes unum de malignis suis consociis, sub specie patris Lydwinæ nuperrime defuncti, cui mirum in modum illudere videbantur: & hi ad Virginem dicebant: Ecce quia patrem tuum sub juramento tenemus socium in pœnis, & condemnatum in tormentis. Quod cum illa audiret, contristata valde, flevit supra modum: interrogata vero cur fleret, respondit: En spiritus tenebrarum patrem meum damnatum affirmant; quod minime credere volo: nihilominus, cum viderim speciem ejus hęsitans, à lacrymis nullatenus continere valeo. Rursum quadam vice, cum Virgo paululum consolationis accipere deberet, aparuit iterum caterva dæmonum dicentium: Euge, euge, quia nunc tenemus patrem tuum nostra sub ditione mancipatum: noster quippe est in sempiternum. Et cum ita Virgini illusissent, divinitus datum est sibi nosse, quoniam non spiritus patris, sed de malignantibus & reprobis in delusoria specie unus esset, ad tentandum patientiam ejus: unde dæmonibus dicebat: Jam scio quia nequaquam pater meus est, ideo confusi discedite. Qui statim dissipati sunt, ac velut fumus à facie venti confusi discesserunt.

eum damnatum mentientes.

F

239 Paucis postmodum evolutis diebus, addidit Dominus evocare Virginis neptem, nomine Petronillam, quam tenerrime diligebat Lydwina, tum quia pudica erat & pia, tum quia tempore grassantis militiæ quorumdam Picardorum socia fuerat in pœnis; unde & clauda remanserat. Qualiter autem hæc virgo, nepticula Lydwinæ, placuerit amatori castitatis, sequens visio amicæ facta demonstrat. Nocturno quodam tempore facta est Lydwina in excessu mentis, in quo vidit innumerabilium cæli civium multitudinem, quasi processionaliter incedentium, ita ut primò Patriarchæ, secundo Prophetæ, tertio Apostoli, quarto Martyres, & sic deinceps usque ad Virgines inclusive, sub alterno quodam ordine sibi invicem succedere discernerentur. Ferebantur vexilla, sequebantur luminaria splendoris insoliti; & horum congruitas ordinis usque ad camerulam Virginis pertendere videbatur. Qui cum illic starent coram camerula congregati, visi sunt funus quod-

Post visionem funeris à Sanctis ducti,

quod ipsa tres coronas ferens sequebatur,

A quoddam, quod in medio domus stabat, venerant ter sumere, sumptumque eo ordine quo venerant seriatim ad sepulturam efferre: quos ipsa Lydwina cum duabus coronis in manibus, tertia super caput posita, subsequi videbatur.

discit obitum neptem: 340 Porro cum Virgo ad semetipsam reversa ruminaret quod viderat, cœpit in se cogitare, si forte resolvenda foret de proximo: sed mox revelante Deo didicit, quod Petronilla neptis sua foret, quæ de medio pravæ nationis evocanda præmonstrabatur: insuper & certum diem transitus ejus Dominus Jesus sponsæ Lydwinæ revelare dignatus est. Rogavit igitur instanter Altissimum, quatenus consuetum diem febrium anticipare vellet, ut eo efficacius neptem, certo die morituram, consolaretur. Advevit dies prærodinatus à Domino, qua Pontianus Martyr sanctus in Trajectensi diœcesi veneratur, in qua juvencula virgo ad mortem laborare cœpit, in qua etiam circa horam undecimam virgo Lydwina febres expectabat. Mirum dictu! factum est ut febres illæ horribiles septem horas anticiparentur, utputa quæ juxta meridiem circa undecimam venire debuerant, venirent summo mane hora quinta. Siquidem horripilatio & stridor invaserunt eam, adeo ut mirarentur domestici: secuta sunt caumata inspetata, quibus finitis, tamquam leæna, pro confortanda virgine adolescentula, vires resumere visa est. Cœpit virgo ad agonem tremula tendere, cœpit virago campidutrix virginis animum fidei & spei virtutibus communire: parat illa vasculum quantocius resolvendum de proximo, promittit ista oleum infundendum ex Christi merito: sicque moribunda morituram confortat & consolatur in Domino. Sicque factum est ut virgo moriens duplicem coronam, quam se Lydwina in spiritu gestantem agnoverat, propter castitatem mentis & corporis, acciperet; & tertiam, quam in capite per visum similiter portaverat, propter jacturam & læsuram gentis barbaricæ, quas passa fuerat, jam à Sponso coronanda possideret.

quam anticipari febres suas petit,

B

et eandem in agone confortat.

Ea mortua in magnam mœstitiam incidit: 341 Porro cum hoc modo præclara Christi famulatam officiosam familiaremque thalami sui secretariam, nec non & insoliti martyrii clienticulam, cælo præmisisset; cœpit à Domino iterato multimodis castigationibus fustigari, cœpitque tristitia mentis indies humiliari: quin imo cœpit & ariditate mentis interius torqueri. Optaverat enim ante adventum tortorum, de quibus dictum est supra, in vestigiis Christi collocari, quod adimpletum fuit per martyrium carnis exterius: optavit deinde, si bene tenuerim, extra illa rursum poni juxta beneplacitum Domini, quod forsan nunc factum est, per derelictionem mentis infirmantis interius. Nam rem nimis mirandam dico: quippe mox, ut orbata fuit dulcissima nepte, dolorem incurrit pariter & mœrorem animi: ex quibus quodammodo solita consolatione rursum suspensa, derelictam se reputabat & abjectam.

C

342 Cumque propter excessum doloris humani, se merito privatam pristina suavitate spiritus cerneret; *semper privata consolationibus solitis* cœpit novis imbribus lectulum rigare, & ex intimis pectoralium sanguinem per os fundere; sicque rursum quasi novitia, Magistrum & Sponsum per singulos dies, ut redeat, invitare. Jamque dolores ut parientis, quia Dilectum offenderit; jamque clamores mentis, quia Sponsum amiserit; jamq; coarctant angoris cordis undique, quia non est qui medeatur. Terra ferrea subpter, cælum æneum desuper, adeo ut cogatur dicere *Psal. 41,4.* illud Psalmistæ: Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie, ubi est Deus tuus? Quondam deflere libebat annos adolescentiæ, cum peccatrice ad pedes Domini; olim deflere complacuit proximum, quasi quatriduanum cum Martha, coram Domino; sępius lacrymari decuit super passione Sponsi, cum Matre Domini: jamque, ut olim, lacrymas cruentas fundere compellitur, super ablatum Dominum ac Magistrum, cum Magdalena ad ostium monumenti; cum qua merito potest illud dicere verbum: Ardens est cor meum, desidero videre Dominum meum, quæro & non invenio.

PER IOAN. BRUGMAN

343 Superveniebant Religiosi, ut consolarentur eam in diebus angustiæ; concurrebant matronæ devotæ, ut relevarent mœstitiam spiritus ejus: sed onerosus erat omnis consolator, angustiosus erat omnis sermo creaturæ, quoniam solus Dominus spes ejus. Novissime clam veniebant ad eam Confessor & domesticæ, dicentes: Cur sic frustra consumeris? cur sic lacrymas fundis? Nonne, te quandoque volente nos docere, audivimus, in die malorum memores esse debere & bonorum. Quibus dicebat: Quid mihi molesti estis, & ut quid semivivam mortificatis? ut quid super dolorem vulnerum meorum addere non formidatis? Qui nimirum dulcia dona Dei non sapuit, minus dolet, quia dulce ab amaro non discernit: qui vero dulcia Dei dona gustavit, & his subtractis omne amarum sumere cogitur, mors illi refrigerium est, dummodo rursum ad pristinam suavitatem redire spes nulla sit. Dicebatque Virgo: Utinam omnia molesta mundi subire deberem, salva semper voluntate divina, quam præpono, & consuetas gratias habere possem. Non dolet amittere, qui pretium rei non pensat: minus autem dolet, qui non novit: minime vero dolet, qui non curat, sed contemnit. *inconsolabiliter luget:*

E

344 Vidua quædam Deo devota, videns dilectam Virginem sic affligi, cordiali cum affectu suppliciter exposcit, quatenus sibi pure dignaretur adaperire, qualiter inter Deum & conscientiam suam ageretur. Quæ quasi vim passa, respondit: Peccatis meis demerentibus, omnibus suavitatibus internis, utputa circa gustum & perceptibilem effectum sanctissimi Sacramenti alliisq; secretis donis ejus privata sum: sed hoc solum teneo residui, idq; pręcise de plenitudine divinę bonitatis, quod pro solatio relictum est, quod vitam & conversationem amantissimi Jesu, à pręsepio usq; ad patibulum crucis, avida mente, sine cogitatione quacumq; aliena, percurro. Verumtamen hoc ratum habeas, quod, quantum ad internum ac pristinum gustũ, in regionem longinquam abii, in regionem dissimilitudinis abscessi, in regionem, inquam, amaritudinis, absynthii, myrrhæ & fellis usquequaq; repletã. Nempe, videre meo, nulla consolationis alia superest formula, nulla alia remanet exercitandi facultas, quam Dilectũ per noctes in lectulo crucis quærere, atq; præ dolore morientem atq; à Patre derelictũ, absque dulcedine spiritus, memorando revoluere; sicque sine nucleo saporifero, corticem insipidum decorticare.

suis id peccatis attribuens;

non tamen Passionis meditationem dimittit.

F

345 Et quisnam nunc tam crudi atq; indigesti spiritus vir aut mulier, qui cum dilecta nostra Virgine, intrinsecus & extrinsecus sauciata, pro redimẽda Dilecti pręsentia non congemat atq; suspiret: pro cujus pręsentia Maria mater, gratiarum plenissima, se cum Joseph triduo dolere dicit? pro cujus veneranda infantia Simeon vetulus, probatus & coronatus, tantum anhelare legitur? pro cujus glorifica transfiguratione Petrus, piscator optimus, ceterorum confratrum immemor, tria tantum tabernacula fieri, Euangelio teste, optare convincitur? cujus mellifluã præsentia discipuli vel ad horam carere noluerunt? pro cujus emortuo corpore videndo & ungendo Magdalena tantum plorasse refertur? pro cujus in cælo amicabili assistentia Stephanus Protomartyr lapides dulces æstimat, & spiritum reddere præstolatur? pro cujus jucunda fruitione Laurentius, prunarum ardorem sibi refrigerium præstitisse, clamabat? Unde mihi videre videor Virginem, pia impatientia patien-

Quanta hoc fuerit afflictio Virginis.

PER IOAN. BRUGMAN patientem, insuper & dicentem: Ingrediatur pùtredo in ossibus meis & subter me scateat; eo videlicet pacto, ut dilectus meus, candidus & rubicundus, electus ex millibus, redeat rursum vel appareat: cujus ex præsentia requiescam in die tribulationis, quo sursum ascendam ad populum accinctum nostrum.

CAPUT IX.

De visitationibus suavissimis, à Domino redditis: & de patientia ejus in novissimis morbis, gravioribus primis.

His probationibus prorsus expurgata

346 Igitur sitiens sitivit anima Virginis ad Deum fontem vivum, si quando veniens veniat desideratus, si forte redeat dilectus animæ, benedictus Christus Dominus. Erat insuper illis diebus desertæ Christi sponsæ singulare temporibus mediis exercitium, voce videlicet cordis ad Dominum clamare, in die tribulationis Deum exquirere, dies & annos antiquos in mente habere, de minutissimis defectibus spiritum nocte scopare, omnem consolationem creaturæ cujuscumque renuere, sanguineas lacrymas (quas rosas suas vocabat) ab oculis B educere, solius misericordiæ ac justitiæ memorari, dicens cum Psalmista: Numquid in æternum projiciet Deus, aut non apponet ut complacitior sit sit adhuc? Numquid obliviscetur misereri Deus, aut continebit in ira sua misericordias suas? Si procul dubio languidus amor amantem cruciat & affligit, hanc nostram Lydwinam, magnopere præ cunctis mortalibus mihi notis languore deficientem dixero. Enimvero languidus amor & verus si fuerit, consolationem in mundo non recipit, sed abjicit omnia potius; non contaminatur carnis illecebris, sed vivit in ea purius; non superatur blanditiis, sed adhæret Christo tenacius; non fatigatur difficilibus, sed perseverat in eis ardentius; non superatur violentiis, sed vincit multo tenacius; non satiatur ligatus in corpore, sed sitit fontem avidius; fontem, inquam vitæ vivum, videlicet qui reficere solus potest, inebriare solus novit, dilectum satiare solus dignatur quando placuerit.

Psal. 76, 8.

& in amore Sponsi solidius firmata,

humiliorque & cautior reddita in futurum,

347 Sed quid immoratus fuerim? Discit & addiscit amabilis Christi discipula, per ejusmodi suspensionem consolationis & languidum amorem, de novo convalescere, utilitatem præsentiæ Dilecti noscere, propriam infirmitatem attendere, æternæ separationis pœnas metuere, an non ficte diligat agnoscere, charismatibus potioribus se coaptare, Sponsum C diligentius quærere, quæsitum gratiosius recipere, receptum cautius custodire, custoditumque delicatius possidere. Cœpit exinde cogitare, quomodo pessulum ostii sui quandoque juvencula non aperuit per incuriam Dilecto, per negligentiam annosa habitum non custodierit, nec non quare ob hoc declinaverit atque transierit, licet in die plenioris misericordiæ ad eam reversurus. Sicque cogitando, dies antiquos & dies æternos, quos quandoque in perpetuum possessura erat, in mente habuit: sicque spiritualis harmoniæ organum plectro profundæ discussionis moderari cœpit: sicque finaliter pure ac nude, more ancillæ in manibus dominæ suæ, sub flagellationibus se iterato subegit.

348 *Dum igitur mensibus quinque continuis, in ablatione pluviæ cæli & roris, sic arefacta jaceret; nihil aliud videbatur quam humilis Chananæa, quæ se caniculam reputari non horruit; quamque mulier Sareptana, duo ligna, videlicet præsepii & crucis, colligens, quæ pauperiem suam recognovit; quamque pallescens coram magno Assuero & deficiens Esther,*

...st quinque ...solationis ...jemodi ...yses,

quæ tensam virgam regiam osculando humiliter amplexatur, & quidem cum ea merito loquitur ad D Sponsum: Vidi te Dominum quasi Angelum Dei, & conturbatum est cor meum, præ timore gloriæ tuæ; valde enim mirabilis es Domine, & facies tua plena est gratiarum. Quoties in pariformi verborum sententia proruperit coram Domino, quoties in faciem spiritu corruerit, quoties exanimata, quoties vultus ejus in diversa mutatus fuerit, calamus non exaret, lingua non explicet, sed potius tacite cogitet, qui dulcedinem Domini gustare multum aut parum expertus est. O utinam revertatur Dominus, & loquatur ad cor Virginis! utinam complacitior fiat, qui cor Assueri in mansuetudinem convertit! utinam sustentet dilectam in ulnis, & parvulæ ac humiliatæ nostræ blandiatur!

Est. 15, 16.

349 Quærens quæsivit dilecta Dilectum, & quærens invenit: quippe qui quærebatur, adstabat; & quæ quærebat ignorabat, quia staret post parietem, respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos. Factum est autem ut in solennitate Visitationis gloriosæ Virginis Mariæ, quæ secunda mensis Julii ab Ecclesia colitur, quando Virgo nuptam conjugatam, Rex militem, Deus hominem visitasse leguntur; tunc etiam Virgo nostra visitaretur & E faciem suam sponsæ Sponsus ostenderet, qui diu latuerat, vocemque dulcem sonare faceret in aures dilectæ Dilectus: ad cujus aspectum exultavit spiritus, ad cujus vocem liquefacta est anima, ad cujus odorem revixit mortua, ad cujus contactum commota sunt viscera, ad cujus amplexum contremuerunt omnia Virginis ossa, dicentis: Auditui meo dabis gaudium & lætitiam, & exultabunt ossa humiliata. Profecto jam clarescere cœpit sol, qui prius fuerat sub nubilo: jam nimbosus imbribus polus umbrari desiit: jam tempestatem serenum ævum secutum est. Tanta enim in reditu Dilecti Virgo Deo dilecta suavitate repleta est, ut ingredientibus cellam ejus paradisus aromatum merito videretur. Sane per hoc domesticis ejus dabatur intelligi, quod cælestis unguentarius ejus interna curaverat vulnera, cujus circumflua taliter diffundebantur perceptibiliter oblectamenta.

In festo Visitationis

denuo à Domino visitatur,

350 Viri autem & mulieres, qui tempore visitationis hujuscemodi casualiter advenerunt, cum inexpertam & incredibilem redolentiam illic esse sensissent, admirantes instar filiorum Israël dicebant: Quid est hoc? Nempe fragrantiam talem numquam percepimus. Dic nobis, Virgo, F unde hoc? Quæ respondit; Dominus novit quid sit, & unde sit, quod sentitis. Unum, inquit, vere nosco; utpote cum me homines aliquid magni dicant & arbitrentur, mulierculam fragilem me fore persentio. Sciebat quoniam in die bonorum memor debeat esse & malorum; & quod cum labore acquiritur, cum amore ac fervore possidetur. Sed factum est exinde, ut ea quæ tremula Virgo nitebatur abscondere, propter humilitatis margaritam, Dominus patula fama divulgaret suam ad gloriam. Erat quippe post tribulationem illam anhelitus ejus adeo spirans & redolens adventantibus, ut quando vel sudans vel movens aut mota paulisper sentiebatur, alabastrum unguenti pretiosi aut vasculum unguenti electi, magis quam corpus humanum, crederetur.

cum cælesti fragrantia,

quæ apud eam deinceps perseveravit,

351 Ex tunc cœpit quasi ad terminum sui cursus indies festina tendere, & indefessis Sanctorum recreationibus crebrius recreari, ut etiam hiemalia tempora nunc suffulta violis, nunc liliis, nunc rosis, & aliis floribus, fragrantiam tribuentibus, quasi è paradiso deliciari videretur advenisse. Stabilita sunt denique bona illius in Domino, cœpitque ut gemma vitis per

ex hinc ad terminum suum festinans

A per humilitatem, quasi nil boni fecerit, de novo succrescere; quasi palmes florens, redolentis ædificationis in populos odorem dispergere; quasi botrus Cypri in vineis Engaddi, ad radios veri solis maturescere; & quasi purissimum ac defæcatissimum vinum libaminum, se Domino totam sacrificare. Non amodo turbabat eam mane aut vespere, non longum aut breve, non altum aut profundum, non carum aut asperum, non amarum aut dulce, non dies aut nox, non confusio aut gloria, non alienum aut proprium, non corporea aut incorporea substantia aliqua, non ubertas aut ariditas spiritus, non adversa aut prospera: sed omnia, dummodo ad bonum & ad malum neutra sint, secundum quod ab illa imperiali summi Regis ac semper augusti aula procedere dignoscebantur; ita apud spiritum Virginis, resolutum & in Deo stabilitum, quodammodo æqua lance librabantur.

352 Nihil aliud de se sentire voluit, post humiliationem à Domino sibi factam, quam opus fore fictile sub manu figuli; nil aliud confiteri coram hominibus, quam fragile vas & femineum in rota versatili; nihil aliud coram Angelis proclamare, quam abortivum marcidum & inutile, ab utero projectum, sub sola spe miserantis Dei. Quisnam fidelis inter

B adolescentulas filias, amicas, aut sponsas nostri temporis, sicut Lydwina, ingrediens & egrediens ad imperium Regis? Dicat ergo: Bonum quia humiliasti me, ut discam justificationes tuas, & iterum, Dixi nunc cœpi, hæc mutatio dexteræ Dei excelsi. Flagrabat exinde, Christo in cruce confixa, desiderio mirabili suum in cælis sponsum attingere, cujus sigillum tectum tenebat in corpore, pro cujus reverentia meruit sanguinem fundere, cujus nutu decreverat plagas & ulcera suscipere, cujus in absentia languentis amoris sagittas didicerat sustinere. Cœperunt ex tunc multiformis morbi insignia, quasi gurges aquarum, per singula membra Virginis rursum effluere, ut non esset dare vacuum in toto corpore, quin ad patiendum vivaciter; nec portio virtutis in anima, quin ad promerendum efficaciter à Domino coaptarentur.

353 Sunt infirmitates aliquæ, potius autem inflictæ divinitus reprobis plagæ, quas diversæ linguę nationum diversis vocabulis vocant, & quæ physicæ speculationi non subsunt, monstruosæ & dæmonio similiores; & has felix Christi discipula numquam in terris habuit. Ceterarum autem virginearum &

C naturalium, de quibus Doctores facultatis medicinæ loquuntur, nullam evasit: sicuti & qui audierunt ab ore ipsius dum viveret, attestantur. Simplices autem & permixtas species ægritudinum, transcendenti modo & physicæ considerationi minus solito, semper ab initio sui stratus, sæpius magis dixerim, perpessa est: circa finem tamen vitę hujus gravius, ut merito Teutonico nomine, Lydwy, Latino vero eloquio, Patere diffuse vel late, nomen sortita, B. Patientia meruerit appellari.

354 Morbum autem Epilepticum ter in nocte una circa finem annorum sustinuit: sed nec ante nec post quidquam talium de ea quis percepit: ipsa tamen se una tantum nocte morbo illo gravi dejiciendam familiaribus prædixit; atque quatenus eam observare dignarentur, instanter rogavit. Cumque super hoc argueretur, cur ægritudines has de manibus Domini precibus non abigeret; cum satis suis reliquis abundaret, ait: Nemo reprehendat in hoc Dei super me judicia: nam qui mihi præbet virgam, parat insuper & multam gratiam. Apoplexiam & amentiam passam fuisse ab his qui viderunt accepi; de qua amentia signanter prædixerat cuidam de familiaribus suis, quia sic volente Domino fieri oportuit. Ad mediam horam vel circiter semel tantum id ab una familiarium observatum est, sed nec antea nec postea contigit ei. De apoplexia vero quoties accidit nescio. Interrogata quoque quomodo se tempore dementiæ habuisset, respondit. Nil aliud mihi videbatur, quam sensus meos per aëra sparsim volare seu circumferri.

tum magna & constanti animi... ; quæ seipsa humillime sentiret; ... ; cum epilepsia, apoplexia, amentia,

PER IOAN. BRUGMAN

355 Ut autem Dei feminæ gloriosior corona perficeretur, cœpit ad ultimum in regione cerebri, quasi malleationibus novis, admodum contorqueri, & chronicis passionibus adjunctis novissimis, quasi sub torculari, denuo cruciari. Nihil quippe aliud vidisses ante mortem nisi corium quoddam, ad calorem ignis contractum, nervis ejus, velut chordis in ligno citharæ, prætensis; ossibus ejus quasi in frixorio confrixis. Calculum autem, de quo prædixerat, quod grossitiem ovi columbæ contineret, & mortem inferre deberet, in regione inferiori signanter duobus mensibus perpessa est; adeo ut infra unius horæ spatium ter usum linguæ perderet, in membris se contrahendo rigesceret, dentiumque particulas præ dolore minutatim emitteret, & pene exanimis jacens adstantes ad amaras lacrymas præ compassione commoveret. De apostemate virgineorum uberum, de excessivo dolore dentium simul & oculorum, de aliis passionibus quantum circa finem tulerit numquam satis descripsero: quippe qui potest capere capiat, qualiter & quantum possit in virgine Dei spiritus; & postquam ceperit, dicat Ecclesiis. Et si mirabilia Domini, dolorum & internarum consolationum, quis de prædictis noluerit intelligere vivus; forsan quandoque Deo dante discet moriturus: hortatur enim Scriptura, Intelligite insipientes in populo, & stulti aliquando sapite.

sævissimo calculo, aliisque novis doloribus E Psal. 93, 8.

CAPUT X.

De mirabilibus factis à Domino circa restitutionem membrorum ejus, & quomodo mortem suam prænoverit atque prædixerit.

356 Præterea, ne cuiquam detur mordendi vitam pariter & mortem Virginis occasio, qualiter de aliquibus membris ejus, tam exterius quam interius, Deus omnipotens providerit, videamus. Prædictum est superius quia brachium Virginis dextrum ignis materialis, quem vulgus sacrum vocat, usque ad ossa consumpserit; & quod nervi instar chordarum in cithara positarum libere plectentur; rursumq; dictũ brachium tempore multo, uno tantum firmiore nervulo pendulum, reliquæ massæ corporis cohæreret.

F Sane universis præsentia scripta visuris notum fieri velim, quid ante mortem de brachio contigerit. Attestantur litteræ Scabinales, quatenus institis ac fasciis ligatam Virginẽ circa scapulas gyrari oportebat; alioquin in minutas partes, præ membrorũ marcore, suo tempore defecisset: cumq; universi medici, quemadmodũ superius enituit, pariter & chirurgici, de sanitate Virginis desperarent; longo demum temporis decursu supervenit quidã, quasi missus à Deo, vir in chirurgica arte peritissimus, qui se, ceteris membris derelictis in esse suo, brachium ipsum redintegraturum dono Dei spopondit. Et facto cataplasmate de balsamo, ut dissebat, non sophisticato, supposuit illud in locum, juxta exigentiam membri patientis & facultatis suæ.

357 Item & Virgini dixit: Spero in virtute Dei brachium istud in locum suum reponere: sed id tatum teneas, quod quantocumq; medicamine redintegratũ fuerit, numquam libera fies ab ulceribus & apostematibus, in musculis ipsius brachii pariter & carne reliqua pullulaturis. Virgo quidem sapienter, uti sapiens erat, hoc audiens, gratias egit: sed quemadmodum vir dixerat, non obstantibus pretiosis cata-

Brachium dextrum resolutum, & aliquatenus restitutum, sed plen

PER IOAN. BRUGMAN

cataplasmatibus aut integritate quam chirurgia procuravit, numquam ab hujusmodi erupturis, post hujusmodi clausuram, libera permansit: quinimo usque ad exitum animæ de corpore, nunc pars, nunc totum brachium frequentia apostematum, ut pridie ac nudius tertius, immobile fuit. Quapropter coæqualibus dicebat: Videtis quod brachium dexterum, mihi quondam redintegratum, pro exercitio majori, ob continuo pullulantes ulcerationes seu apostemationes de loco suo movere non valuerim: nihilominus confidens confido in omnipotente Domino, quatenus antequam anima resolvatur à corpore, utraque manu ipsum glorificatura sum in laude: quod & postmodum factum fuisse, sed in loco suo, comprobabitur.

ac pene immobile, redintegrandum prædicit.

358 Insuper & hoc silentio prætereundum non reor, quatenus interiora quædam, utpote pulmonem, hepar, splen, & alia membra contigua, priusquam ad Christum migraverit, in solidum & in integrum rehabuerit, à Domino non dubium restituta. Venerunt nonnulli, curiosi scire plus quam zelosi sapere, ad Virginem, dicentes: Cum sæpe de te, soror, dici perceperimus, quoniam hepar, pulmonem ceteraque membra præsertim intestina, frustatim emiseris, & vermibus infinitis scaturieris; indica nobis, quomodo sine iis vivere potuisti. Quibus humilis Virgo respondit: Utique verum est, teste Deo & conscientia, quod audivistis, videlicet quod membra illa frustatim amiserim, quæ quondam Deus per naturam contulerat; & quia vermes multo tempore de corpore meo ebullierunt, patulum est; & quod molestum fuerit naturæ meæ dicta pati, non latet: verumtamen quid Dominus de multitudine suæ potentiæ postmodum in me suppleverit, novit hoc ipse. Quasi dicere velit: De membris, quæ natura primitus dedit, per frustula perditis, assentior ita fore ut dicitis: sed suppletionem eorum, quæ gratia Dei sola post privationem secrete retribuit, nec nego tacita, nec aperte vobis revelare curabo. Etenim qui ad formationem Evæ carnem supplevit, & qui naturæ formandi membra corporis concreavit naturam, naturam naturantem, naturatamque præstando Deus, hoc sibi cum ceteris transcendenter retinuit, quod purus physicus capere nescit. Quapropter non mirum si animales homines Virginis verbum non intellexerunt.

restituuntur eidem intestina sua,

B

supernaturali quodam modo,

359 Hinc est plane, quod ubi ex factis, dictis, morbis, curis, gratiis ejus plerisque devotis viris ac mulieribus data est laudis magnificæ causa; ceteris philopompis, qui supra se ambulare satagunt, justo Dei judicio, tamquam fascinatis, permittitur mordacis ruinæ materia. Sicut enim continet Scriptura: Positus est Dominus in ruinam & in resurrectionem multorum; non quia causam ruinæ dederit, sed habituata malitia hominum ita præsumpserit. Sic forte permittitur & hic; utque est positus Dominus sponsus ejus in signum, cui contradicetur, posita est sponsa ejus electa ut eum imitetur, præsertim à philopompis hujus seculi. Rursum scriptum est: Obscurentur oculi eorum ne videant, & dorsum eorum semper incurva: nesciunt terreni philosophantes, humotenus dejecti, nondum per fidem theologam illuminati, super astra scandere, nondum quæ sunt spiritus sapere, nondum quam mirabilis sit Deus in operibus suis penetrare. Quid mirum? Contigit interdum etiam aliquem Theologum, nondum decæcatum, sublimia scire, dicere ac trutinare; sed nondum secundum spiritum sapere: quid igitur mirandum, si contingat quandoque dubitare merum physicum, non Theologum.

C

& curiosis scrutatoribus impenetrabili;

Luc. 2, 34.

Psal. 68. 24

ut de Virgine non præsumeret judicare alius

360 Judicet de Virgine Theologus philobiblius & Scripturarum zelator expertissimus; assentiat physicus, sed cum muliere alienigena pilos abjiciat, ungues radat, vestes lavet; primitus simpliciter credat utique, quia Deus omnipotens possit; veraciter confiteatur, quia omniscius novit; fideliter arbitretur, quia clemens & bonus velit, in sexu femineo sicut in masculino, in paupere sicut in divite, in barbaro sicut in Græco, in piscatore sicut in philosopho, mirabilia sua supra omnem intellectum efficere, sicut ab ævo & velut à diebus antiquis. Quid miramini in muliercula virgine, paupere Hollandrina, in terra simplicium piscatorum nata, Deum ac Dominum tot stupenda fecisse? Quis novit sensum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit, dum fundavit terram, dum de costa formavit Evam, dum signa sua in medio Ægypti emisit? Quis virgam Moysi in colubrum, & rursum colubrum in virgam convertit? Quis leprosam manum Moysi effecit, & rursum sanavit in instanti? Nonne Dominus? Maria soror ejus septem diebus immunda, & Naaman Syrus à lepra sub Elizæo mundantur: Ezechias moriturus ab Isaia dicitur, & tamen curatur; Moyses in monte & Elias in deserto pascuntur, sine manu mortalis pistoris: Heliodorus flagellatur in templo, nec vidit flagellantem: Hieronymus vapulat in spiritu, & plagas lividas portat in corpore; sistitur in judicio, reperitur tamen in lectulo: videtur Ambrosius in Mediolano, & exequias celebrat Turonis in Francia. Quid plura? cæcus videt, claudus ambulat, leprosi mundantur; Angelus descendit in piscinam, & aqua movetur; omnes quidem currunt aut portantur, sed per diem tantum unus mundatur; Petronilla clinica protinus à Petro surgere jubetur, surgens ministrat, & post ministerium iterato in lectum suum redire præcipitur.

D

quam fidelis Theologus,

Dei opera humiliter venerari doctus

E

361 Quis omnium istorum & infinitorum aliorum, tam naturalium quam supernaturalium operum, mihi dabit rationem? Nonne dices, quia Dominus hoc facere potuit, & hoc facere novit, & hoc facere voluit? Dominus, inquam, virtutum, Dominus Sabaoth, Dominus creaturarum omnium; Dominus universæ terræ. Unum igitur opus fecit Dominus in terra nostra Hollandiæ, & omnes miramur: totum hominem formavit, totum hominem prostravit, totum hominem exteriorem à planta pedis usque ad verticem capitis vulneravit, totum hominem pro libito suæ voluntatis rursum curavit: & quis eum reprehendit? Nonne Scriba curiosus, nonne Judæus invidus, nonne carnaliter sapiens? Qui igitur de his omnibus pie sentire voluerit, non dicet impossibile omne verbum, quod de Domino hactenus in Virgine factum, dictum, aut scriptum est: qui vero duræ cervicis est, respondeat ad ea quæ superius tacta sunt, & concedimus ei; sin autem, captivet intellectum in obsequium Christi, addiscat sapientiam veri non fumivomi Theologi, assumat formam humilis discipuli, & credat nobis; proinde confiteatur, quia potens est Deus visitare corpus & animam hominis, nunc alterum vel utrumque simul passionibus, nunc ulterutrum consolationibus refovere; nedum in uno atque eodem corpore, sed & eodem tempore, videlicet mense, die, hora: sicuti oculata fide in aliis Virginibus in Hollandia & alibi indies experimur.

& eorum non quærit rationem:

F

hoc enim stultum est

362 Numquid abbreviata est manus Domini? An oculus hominis nequam, quia solus Deus bonus est? Et dico: Dominus percutit & sanat, vulnerat & medetur, pauperem facit & ditat, mortificat & vivificat, deducit ad inferos & reducit: & omnium operum ejus causam investigare stultum atq; periculosum est. Si quis nucleum nosse cupiverit, dicam illi, Dedit revera gratiam tantam Dominus Virgini suæ patientissimæ, ut quando Custos ejus, videlicet Angelus,

divinaque potentia injuriosum.

A Angelus, vel ad modicum movere dignabatur eam vel tangere, frequenter facies ejus resplendebat splendore nimio, corpus vero instantanea roborabatur integritate, odor fragrans diffundebatur è membris ac pectore, suavis utique valde. Quid plura? manebat nihilominus ad surgendum impotens, & ad sustinendum capax; ad ægritudines valitura, volutabatur ad consolationes divinas; rursum mendica visitanda diluculo, probanda subito simul in eodem corpore eodemque subjecto. Quis sapiens & investigabit hæc, & intelliget misericordias Domini? Sed quid? Audiens sapiens sapientior erit, & intelligens gubernacula possidebit: pertinaces vero in omnibus peccabunt adhuc, nec credent in mirabilibus ejus.

363 Ipsa quoque longe priusquam migraret à seculo, pluries dissolutionem sui tabernaculi præscivit atque prædixit imminere. *Intelligit Virgo se jam cito morituram,* Consueverat siquidem, ab initio visitationum Domini, Confessori suo nec non & aliis familiaribus, palliatis verbis, qualiter arborem admirandæ speciei, plenam rosarum gemmis vidisset, dicere; & quomodo ab Angelo intellexerat non visuram se mortem, donec arbor eadem plenum susciperet incrementum, gemmæque rosarum quas viderat patulam acciperent aperturam.
B Et cum quæreretur ab ea, si dicta rosarum arbor ad perfectum usque venisset, respondit, Arbor illa pene & plene concrevit, gemmæque rosarum adapertæ sunt: ea propter de proximo me resolvendam non diffido.

364 Una quoque dierum, dum sic solitaria jaceret, rapta est dulcedine quadam spiritus in paradisum, *sed pro utilitate proximi adhuc modicum differri.* ubi tres portas vel introitus contemplabatur: & cum ad introitum primarum duarum admissa fuisset; vidit ex tertio radios splendidiferos emicare, qui supra modum, radios solares excedere videbantur; ad interiora vero tertiæ portæ, cum præstolaretur intrare & jam illuc gressum tetendisset, occurrit ei avus ejus, cujus vitam in principio deteximus, videlicet Ioannes Petri, qui cum apertis brachiis atque familiari contuitu, quasi eam introducturus, advenit; sed ad ultimum dilectæ filiæ dixit: Dulcissima filia mea, nondum tibi ingressus patet in hunc locum: etenim utile non foret eis, qui tuum sibi postulant adjutorium, nec cederet tibi ad meritum, minus animabus in purgatorio conferres suffragium, minusque Domino dares honoris & laudis sacrificium. Porro cum perfeceris omnia quæ Dominus decrevit de te, libera conregnatura nobis ipsa conscendes. At vero felix nimium Virgo, cum ad se reversa fuisset, gloriæ
C quam viderat sit sane cupida, & verborum senioris memor plerumque anxia; nihilominus ad patiendum quæcumque vellet Omnipotens, pro honore suo seu proximorum & sua salute, promptissima.

365 Successit post hoc nocti dies, tenebris lux, *Priori cuidam visitanti.* & pœnis unctio tanta, quod cum Prior quidam Venerabilium Canonicorum Regularium S. Augustini, ab ea rogatus concito gressu venisset; tantam ibi sensit suavitatis fragrantiam, ut de promptuario visitationis divinæ jacentem Christi filiam ac sponsam non dubitaret advenisse. Sedit igitur juxta eum Prior Canonicorum venerabilis, & profusis verbis cœperunt alterutrum loqui de cælestibus gaudiis. Tandem desiderio flagrans conclusit Virgo dicens: Rogo te, dulcissime Pater, quatenus in his Paschalibus solenniis, dummodo commode possis, ad me filiam tuam perperculam redire digneris; latius autem forte collaturus de his quæ in præsentiarum concepimus: si tamen me supervivantem non inveneris, orato quæso pro me. Quo facto patuit, quoniam Paschale cum suis Sanctis decantaturam Alleluia se credidit, quæ necdum divinis colloquiis satiata de gaudiis cælestibus, ipsum fontem vivum videre, de ipso pleno haustu bibere, in ipso semper vivere, sitiens sitiebat. Nempe se in diebus Paschalibus deponendam, vivæ vocis oraculo quibusdam prædixit: sed diem explicare noluit. Optaverat enim sola cum Christo remanere moriens, futuro tempore, sicut in sequenti capitulo clarius apparebit: quapropter determinatam horam aut diem non insinuavit.

PER IOAN. BRUGMAN

indicat obscure, se morituram in Paschate,

366 Quidam autem eo tempore interrogabant eam, an tempore sui transitus aliqua miracula Dominus ad gloriam sui nominis facturus esset: & si forte disposuisset, eam de terra post mortem elevare. *neque miracula facienda in sua morte,* Quibus ipsa respondit: Putant, inquit, simplices homines in morte mea mirabilia se visuros de me, sed non videbunt: verumtamen quid Dominus facturus sit post transitum, non interest mea perscrutari nec dicere: quoniam creatura & instrumentum ejus sum, illique subjecta est anima mea. Proinde deprecor instanter omnes amicos meos, tam præsentes quam absentes, quatenus infra trigesimum annum post sepulturam meam non me moveant: sed quid post tringinta annos Dominus operari voluerit, solus ipse novit. Donavit illi Dominus per spiritum videre formam sepulturæ, sicut E aliquibus revelavit in vita: ex qua re ne super nudam humum simpliciter poneretur devote supplicavit; *& sepulturâ præordinat.* viso quia solo Deo duce ac magistro, contra naturæ morem, ultra annos triginta pes infirmantis & languidæ terram hanc corruptibilem non calcaverit unquam. Statuit quoque Virgo suæ sepulturæ, sicut ab Angelo acceperat, omnia necessaria præparari: insuper & domesticas hortabatur, quatenus omni dilatione semota corpus emortuum sepelire solicitarent. Sic quod suum erat mulier sancta cum omni humilitate proposuit & fecit: sed ad gloriam suam aliter Dominus disposuit & effecit, tamquam nimirum qui gloriosus est in Sanctis suis, mirabilis in vermiculis, faciens & facturus prodigia multa.

CAPUT XI.

De mirabili unctione Virginis hujus, nec non de felicissimo transitu ejus ex hac vita.

367 Vergente igitur vita ejus ad occasum, cum jam instaret dies nuptiarum Virginis, jussit ad se convocari omnes domesticos, quibus insimul aggregatis in hunc modum prorupit: Rogo, inquit, humiliter & deprecor vos omnes in Domino Jesu Christo, ut quidquid per negligentiam aut incuriam meam, verbo vel facto, adversus vos aut vestrum quempiam, paupercula deliquerim, illud mihi de cordibus vestris indulgere dignemini, propter pium Deum: cujus caritati vos de cordintimis meis ex nunc & semper recommendo. F *Erratorum veniam postulat Virgo à domesticis,* At illi tenerrima compassione suffusi, pro lacrymis lacrymas, pro precibus preces, pro votis vota reddentes, dixerunt: Nostram, o carissima soror, non offendisti verbo aut facto præsentiam; sed omnimodæ virtutis ac patientiæ nobis exemplar extitisti; qua de re bene faciat tibi misericors Dominus, præsertim in die qua te vocaturus fuerit. Nostri tamen miserta, quæsumus, dum veneris in amplexum Sponsi atque in regnum Patris, memor esto.

368 Quisnam hæc videns & audiens in lacrymas non resolveretur? *collacrymantibus,* O si pro certo certum diem sui transitus agnoscerent, quomodo sustinerent?

PER IOAN. BRUGMAN

rent? Plorant & sperant: timent & nutant & collacrymantus, ignorantes quoniam auferetur ab eis in proximo Lydwina, sanctæ patientiæ speculum, excellentissimæ famæ Virgo, sacri vestibuli lumen, devotarum animarum jubar, continentium omnium currus insuper & auriga. O quam luctuosa dies igitur dixerim domesticis? Si matrem-familias perdere, si filiæ familias promptuariam præmittere, si convicanei cellam illam pigmentariam evolare prænovissent; nedum affuisset necessariarum consortium, nedum affuisset devotum vicinorum contubernium, nedum affluxisset omnis multitudo civium, sed & cunctarum vicinarum urbium populus turmatim concursasset. *neque scientibus tam prope ejus finem adesse,* Fuisset haud dubium, propter famam ipsius Virginis, quæ totam regionem perculerat, tam innumerabilis plebis tumultus ejus in extremis; quod verosimiliter, ut post transitum ejus postmodum apparuit, periculum aliquod fuisset subsecutum. Ea propter Dominus dilectam prævenire dignatus est secreto silentio, ne fortassis ante porcos margarita jaceretur.

369 Nempe nostra victoriosa virago, sub malleo supremi architecti mirabiliter expolita, & sub artificio cælestis Bezeliel mirabilius deaurata, *quæ jam festinabat absolvi & esse cum Christo,* cum dies proxima Paschæ rutilare cœpisset, immenso gaudio perfunditur; atque in Resurrectionis Christi gloriam, quamvis perfunctorie, dulciter modo

B

ineffabili absorbetur. Siquidem amodo pondus gloriæ Dei fatigata non sustinens, instantissime deprecatur Dominum, quatenus pro libito voluntatis, Passionis suæ vernaculam, in odorem unguentorum suorum, trahere dignaretur; quam tot annis virga sua & baculo consolatus est, in hoc mortali carcere. Non enim poterat, præ redundantia teneritudinis lætitiæ, quam Dominus tum temporis ei familiariter ostendebat, amplius corporis sarcinam ferre: quapropter cum Paulo liberari de carcere mortis. hujus desiderio desideravit instantius, ac Pascha cum Christo & fratribus suis manducare perenniter in gloria, postulavit.

370 Sane igitur qui solus percusserat, solus mederi studuit; & qui solitariam suis stigmatibus insignire voluit, *à quo in die Pascha (ut ipsamet revelavit post mortem)* cum iisdem sponsam suam sacra unctione, ipso die Paschæ, perungere non abhorruit. Quod autem de Unctione dicturus fuero, id ab eis accepi, quibus ipsa post mortem Virgo devota Lydwina personaliter dignata est revelare. Nec mirum si solus solam in secreto conclavi perunxerit Dominus, quia simile de nonnullis pie creditur contigisse. Simile dicitur de B. Dionysio,

C

quem celebrantem Parisiis in carcere, suo Corpore communicavit Dei filius, dicens: Accipe hoc, care meus, quia maxima mecum est merces tua *a*.

a *b*

De B. Antonio Paduano *b* dicitur, quia Fratribus sacram Unctionem deferentibus dixerit, Habeo Unctionem hans intra me; sed etsi necesse non sit ut mihi faciatis hæc, verumtamen bene placet, & utile mihi est. Quibus exemplis satis claret, Christum Jesum, suæ salutis, quam effecit, ministrum iterato fieri, aliquando non dedignari; maxime hujusmodi, quibus vel meritum, vel solitudo, vel privilegium operæ pretium est, cujusmodi Virgo nostra fuit; meritis plena, ulceribus circumfusa, sub domuncula latens, populis famosa, Christi stigmatifera, non dubium extitit præ cunctis virginibus nostri temporis singulariter singularis & admiranda.

371 Cum igitur cunctis domesticis absentibus, in ipso diluculo diei Paschæ contemplando jaceret; ecce de summis cælorum advenire Dominum Iesum Christum vidit: *in magno Sanctorum comitatu apparente,* quem diu, prænuntiante Angelo suo, venturum expectaverat, cum beatissima genitrice sua Maria, cum duodenario Sanctorum Apostolorum numero, Sanctisque permultis & Angelis regni cælestis. Posuit autem se Dominus Iesus ad dexteram lectuli, gloriosa vero mater ejus ad sinistrum ejusdem, ceteris omnibus existentibus decenti ordine per circuitum. Vidit denique ibi mensulam ornatam atque in eo vasculum decentissimum, quasi sacri unguenti contentivum, crucem pulcherrimam & cereum luminosissimum, qui totum cubiculum miro modo illuminabat. Porro quia totum corpus ejus tunc temporis universis angustiis, à summo usque deorsum, quassabatur; placuit ei; cui morituro non fuit species neque decor, dilectam Unctione sacra communire. Supervenit enim splendor circumfulgens totum corpus virgineum, ita ut sese, reverenter discoopertam *coram eisdem inuncta,* ab Angelis, minime videre in illo lumine valeret. Vidit proinde Dominum Jesum Christum in medio tam mirandi splendoris, quasi Sacerdotem præparatum, indutum & ornatum, atque singula membra corporis ungi solita, sine aliqua prolatione verborum, inungi persensit. Quibus quidem perunctis, tegumentum revolvi supra se rursum ab Angelis percepit.

372 Christus quoque cereum in manibus ejus dedit, & cum matre sua tenuit: Crucem autem, usque ad horam transitus invisibiliter duraturam, illic stantem reliquit. *certaq; quod absque purgatorio esset ad cælum transitura,* At illa, cum peruncta foret, cœpit Dominum deprecari dicens: Obsecro piissime

E

Domine, ut sicut per temetipsum ad me parvulam ancillam tuam inclinare dignatus es, tuisque sanctissimis manibus corpusculum meum inungere non abhorruisti; quatenus vitæ terminum sic passionibus & doloribus ampliare velis, ut ergastulum corporis exiens, vultum tuum sacro-sanctissimum sive alio purgatorio valeam contemplari. Cui Dominus: Audivi, filia, orationem tuam, & exaudivi te: post biduum cantabis Alleluia cum sororibus tuis Virginibus in regno Patris mei. Et his dictis, disparuit. O quam magna lætitia circumfunditur, quæ post biduum sic ad epulas à sponso vocatur! o nobile depositum, quod tanti Pontificis ministerio potitur, quod tam sancta unctione delinitur, tantoque officio & beneficio visitatur! Numquid talis phœnix visus est in terra nostra? numquid aquila talis medullam talem attraxit? Utique rara avis, magnarum alarum plena plumis, volavit ad Libanum, & tulit inde medullam cedri.

373 Post hujus quippe unctionis suavitatem, socium Angelum & collegam habebat, cum quo velut amica cum amico familiariter loquebatur. Intellexit quidem Dei sponsa, propter hoc se pauperculam, in ministerio Unctionis, soli Domino reservatam; quandoquidem corpusculum, vermibus olim patulum & infinitis morbibus deformatum, soli Domino dedicaverat; & spiritum in membris virgineis illibatum servans, sub spiritu patientiæ depuratum atque possessum, velut holocaustum medullatum sacrificarat. Crucem autem ideo relictam accepit, ut torcular mortis calcaret sola; & omnem cogitatum omnemque congeriem passionum ad finem ipsum, in ipso qui nudus & solus pependit in cruce, protinus jactaret. *& nova fragrantia suavitatem spirans.* Mane itaque facto, cum nullus viventium adhuc nosset quæ sacta fuerant, venit D. Ioannes Walteri Confessor ejus more consueto, ut de micis ejus & visitationibus quantillum sortiretur. Viderat enim illam nocte illa per spiritum, cum Angelis & Sanctis gaudentem & jubilantem: & ideo magis magisque novitatis aliquid, odoratu, visu pariter & auditu, à Virgine studuit investigare; & veniens, tam excessivam

A cessivam quamdam quasi balsamati unguenti fragrantiam odoratus est, ut ore, naribus totisque sensibus satiari non valens, in ebrietate quadam spiritus inferret, dicens: Congaudeo tibi, soror, atque summopere congratulor, quoniam hac nocte fueris in jubilo. Scio enim quod Dominus te sua bonitate visitare dignatus est; & quia vestigia suavitatis hæc reliquerit, oppido patet. Dicito igitur mihi, quomodo tecum agitur? Nonne se venturum in brevi Sponsus tuus prædixit? numquid Alleluia novum cantabitur. Obsecro te, filia, si fieri possit, dicere ne pigriteris. Cui beata Christi sponsa, dixit: Gratias ago Domino Deo meo, quoniam ancillam suam absque meritis meis visitare dignatus est. Sed id velim noveris, quia statim crescent labor & dolor in corpore nimis. Ceterum te latere nolim, quando decantare noverim novum Alleluia: spero præterea me cum, illis quos vidi illud ipsum cantaturam, leviusque & mitius me habituram omnino nullatenus diffido. Quod plane de morte sua vel transitu dictum non ambigimus, sicut postremus tertiæ diei Paschalis ostendit eventus.

fatetur Confessario brevi se morituram.

374 Porro cum illustris Dei famula Dominum sedula prece multo tempore rogasset, quatemus absque cujusquam hominis consolatione solitaria mori posset, tamquam sola cum Sponso torcular B calcare gestiens; ut non remaneret vir aut mulier in domo de gentibus omnibus secum, pia industria laboravit. Adveniente quippe feria tertia Paschæ, qua se resolvendam sacratissima Virgo non dubitabat, convocatis omnibus peculiaribus domus suæ, quos ad manum habere potuit, sic congregatos in cellula alloquitur, dicens: Si gratiam invenerim coram oculis vestris, o Pater Confessor, & vos omnes qui adstatis fratres & amicæ, suppliciter ob misericordiam Dei vos deprecor, quatenus hac die solitariam cum solo puero, videlicet nepotulo meo Balduino, me relinquatis. Insuper veros amicos & domesticos vos dixero si solam absque visitatione dimiseritis: verumtamen dum quemque voluero ex vobis, nepotulum meum distinabo. O Christianissima filia, veræ devotionis omnibus in hora mortis exemplar, quæ sola cum solo torcular pœnositatis tuæ calcare satagis; numquid tibi suffecere dolores ut parturientis, quos hactenus in spiritu vehementi, in corpusculo marcenti sustinuisti? Vix verbum formare vales, & sola in agonismo decertare contendis? An præsumptio te fortiter cum Christo solitariam agonizare compellit, an devotio? C Numquid non Deum tentare formidas? Sed forsitan Dominum tecum esse, tecum pugnare, tecum usque ad finem perseverare non dubitas. Age quod agis, mulier agonista fortis, procul dubio in finibus terræ victoria tua. Etenim Dominus tecum, mulier fortissima; Dominus, inquam, o Christi sponsa tecum, qui te laureandam non relinquit. Jam tua res agitur, o fidelis agonotheta: in proximo est Dominus, o vulnerum Christi bajula: ut per quem absorpta est mors in victoria, te sibi fidelissimam non deserat, sed fidelem agonothetam coronet.

feria 3 Paschæ petit solam relinqui, cum puero

volens solitaria mori.

375 Nempe in illo triduano plene non vidit eam in facie quisquam, quia sacramentum Regis summopere nitebatur abscondere, & amodo soli Sponso cunctis abdicatis apparere. Plane si ipso die morituram prænovissent, etiam adjuratæ minus discedere potuissent, sicut mihi aliquæ retulerunt, quæ præsentialiter eo mane tunc licentiantem audiverunt. Sperabant enim omnes se visuros eam de proximo, putantes more solito Virginem eo tempore aliquid acturam secrete. Et cum omnes de domo remotius abiissent, cœpit Virgo suum agonem Domino fideliter commendare; & à septima hora usque ad quartam post meridiem, propter cruciatum aut stimulos calculi, laborare spasmaticis doloribus & rigescere; de pectore diro vomitu vigesies torqueri; fellis particulas emittere; sicque solo puero ministrante sibi, dolore cordis tandem moriens, fractis verbis, ut potuit, dicere: Dilecte fili, utinam sciret Dominus meus quantum coarctor in hac hora. Puer autem lacrymans, cum ignoraret quid acturus esset, turbatus nimirum ait: Visne, amica mea, ut ad te vocem Dominum Ioannem Confessorem tuum?

Omnibus egressis,

PER IOAN. BRUGMAN patitur extremum agonem,

376 Cum igitur interim orificium gutturis, diro vomitu cruciatum, officium loquelæ non admitteret nec respiraculum; putabat eam puer in illis defectibus defecturam & extinguendam, & currens vocavit Confessorem, Dominum videlicet Ioannem Walteri, qui magnopere Virginis noverat secreta, aliasque domesticas quas invenire potuit cum fletu convocavit. At illi collacrymantes ad eam cum venissent, viderunt quia defecisset in dolore vita ejus: & cum non esset vox neque sensus, quid super ea fiendum esset, admodum inter se cunctati sunt. Unus autem accensa candela, putabat eam agi sursum in sublimibus: alius si superviveret tentare volens, apponebat os & nares proprius: alius autem ad Virginis aures, an sacram Unctionem habere vellet, vocibus luctuosis inquirebat. Ecce fletus, ecce clamor & dolor, ecce turbatio totam domum replent. Et quis non fleret? & quis inopinate sublatam de medio sine lacrymis Christi sponsam commemorare posset? Numquid non in calcando torculari sola, ut poposcerat, defecit? nonne sub calculo dirissimo, quemadmodum longe ante dixerat, contorta spiritum cælo reddidit? Pium igitur est deflere Lydwinam, inopinato sublatam: pium magis congaudere Lydwinæ, in cælum deportatæ. E

& à subito advocatis,

mortua invenitur,

377 Postremo autem, suggerente spiritu, factum est, ut quædam de circumstantibus mulieribus, Catharina nomine, verbi recordaretur, quod Virgo, dum adhuc viveret, de dextra manu dixerat, & hæc coæqualibus ait: Sinite videamus dispositionem corporis sui: quia reminiscor eam dixisse frequenter, quatenus se Deum sperabat utraque manu magnificaturam ante mortem. Si igitur manum manui conjunctam invenerimus, profecto noverimus eam ad Dominum abiisse. Et intuentes eam, invenerunt digitos utriusque manus sub uberibus se contingentes, juxta Virginis verbum quod locuta fuerat: quodque magis est, invenerunt omnes & viderunt cingulum ejus ultimum, quo ad carnem citra mortem suæ matris usa fuerat, manibus Angelicis de corpore ablatum, illæsum juxta scapulas positum, nexibus aut nodis omnibus inviolabiliter, uti ad corpus succinxerat, conservatis. Talibus autem cilicinis cingulis, tamquam baltheis militaribus, quantiscumque ægritudinibus quotidie laboraverit, citra mortem matris, jugiter cingebatur: & hoc ultimum cingulum ejus in triennio ante mortem non deposuerat unquam, nec homo vivens tempore intermedio viderat; deponendum haud dubium manibus potius Angelicis, sicque hominibus manifestandum post obitum. Sane credendum est hujusmodi cinctorium, illius virtute, sine solutione nodorum, de corpore Virginis abstractum extitisse, qui per se clauso sepulcro, suæ subtilitatis dote, non obstantibus custodibus, quondam resurgens exivit; & relicto illic sudario, signatum lapidem, qui ad ostium monumenti positus fuerat, revolutum foras dimisit. Servatur usque in præsentem diem cinctorium illud, mirum de se reddens odorem: quod manibus meis contrectavi, dæmonibus usque-

brachiis sanis apteque compositis, F

& cingulo citra solutionem nodorum remoto à corpore:

quod deinde dæmonibus formidabile fuit.

PER IOAN. BRUGMAN quequaque quemadmodum expertus sum onerosum. Itaque qui baltheum Regum dissoluit, & succingit fune renes eorum, fecit omnia hæc.

ANNOTATA.

a *Vndenam hoc acceperit Auctor queremus 9 Oct. quo colitur S. Dionysius: videtur enim abesse à Legendis antiquioribus.*

b *De hoc quoque agemus 13 Iunii.*

CAPUT XII.

De gloria suæ benedictæ animæ, in qua post mortem visa est à quibusdam; nec non de mirifica redintegratione ac formosa dispositione corpus ejus.

Apparet suo Confessario in specie pulcherrima columba,

378 CLaruit plane quomodo sacra nostra virago, quasi peregrina in hoc mundo, secundum votum cordis sui, dormitionem in Domino acceperit: sed qualiter Patri sibi dare complacuerit regnum, nondum emicuit; patebit autem clarius, dante Domino, per ea quæ subsequuntur. Siquidem imprimis Confessor ejus, cum jaceret in stratu suo nocte, vidit apertis oculis illam beatam animam, in specie nitidissimæ columbæ, cujus collum B cum rostro totum aureum videbatur, pedes ejus rubicundi & corusci, pennæ vero alarum deargentatæ, corpus vero reliquum instar nivis candidum valde. Quid enim sibi quæso velint omnia ista? Species quippe columbina, nonne fœtum multum significat? Et quidem tota formosa Lydwina nostra, sicut columba domestica, peperit Christo plurimos. Quid rostrum deauratum? nonne verba Virginis aureave documenta designat? Numquid collum auro simile obedientiam ejus, quo jugo Domini se ultroneam submisit, multipliciter clamat? Quid aliud pedes rubri ac rutili, quam Passionis Christi vestigia imitatam fuisse, protestantur? Pennæ vero deargentatæ columbæ, sane, ni fallor, contemplationis ejus perspicacitatem indicant. Utique dicit Psalmista, Quis dabit mihi pennas sicut (Ps. 54, 7) columbæ, & volabo, & requiescam. Candor corporis reliqui niveus, puritatem animi ac corporis mihi insinuat. Sic igitur dormiens inter medios cleros gloriam accepit: sic alarum deargentatarum columba nostra ad Libanum volavit: sic posteriora vitæ languentis sponsæ, demonstrantur in pallore auri.

C

Virgo quædam videt eam à sanctis excipi:

379 Virgo quædam, ut pia fama creditur, Deo grata, soror dicti Presbyteri, cum venerabile depositum custodiret, nec ex toto vigilans nec dormiens, sed tantum levi quadam obducta somni nubecula, vidit electam Dei sponsam per sanctos Angelos ad æthera subvehi, animasque Sanctorum cum ingenti lumine sibi venire obviam, atque dicentes: Bene veneris nobis, pia soror Lydwinula: utique bene venisti: etenim nobis adventus tuus jucundus in Domino nova gaudia profert. Sic igitur factus est Virgini cælestium tympanistriarum gratus occursus, sicque citharœdorum citharizantium sponsæ factus est benevolus applausus, sicque quoque lætantium nostræ terrigenæ obviavit cælestis Verbigenæ venerabilis conventus.

alteri apparet sponso suo conjuncta.

380 Vidua etiam quædam, huic nostræ defunctæ purissimo corde devota, cum medium inter somnum & vigiliam, prima lucubratiuncula noctis, observaret; vidit advenire quasi collegium Virginum & aliorum Militum, cameram suam ingredientium, ad mensam nuptiarum seriatim se præparare; illicque venire juvenem pulcherrimum & considere: Lydwinam vero, sponsaliter, more imperialium præparatam & ornatam, è regione cum viro suo residentem: quæ viduæ dixit: Memento, soror mea carissima, quomodo tibi sæpius in carne vivens dixerim, quatenus Sponsum decorum in cælestibus habitura forem, præ cunctis filiis hominum speciosum. Videsne nunc quia castissimis ejus amplexibus juncta sum, quem vidi, quem amavi, in quem credidi, quem dilexi? jamque dulci ejus fruor præsentia, qua nec ad momentum privabor unquam. Cui vidua respondit: En tibi congratulor atque congaudeo jam enim quid sibi velint nuptiæ, de quibus sæpe memoravimus, cerne: jamque vident oculi mei diem gloriæ tuæ, magnæ nimis. Siquidem venerunt dies nuptiales Lydwinæ & datum est ei ut cooperiatur bysso candida atque splendenti. D

Duæ virgines ægræ, locis disjunctæ,

381 Fuerunt diebus istis novissimis virgines duæ, mihi notæ, fama & re utique sapientes, quæ sub manu Domini castigabantur, sed non ad interitum, magis autem ad salutem. Harum autem una, in remotis agens, tenerrima pietate Virgini Lydwinæ admodum compati consueverat quoad vixit: altera vero sola, vulgari fama notitiam conceperat & amorem. Igitur dum ambæ de tam solitario a Virginis obitu in animo aliquantisper angerentur, eo quod nullus esset qui narraret de fine illius; præmissis votis ac precibus, de transitu ipsius acceperunt per spiritum à Domino tale documentum. Quadam autem nocte, utputa decima quarta mensis Aprilis, ea videlicet die qua nostra sacra Lydwina migravit ad Patrem, factę sunt in excessu mentis, & viderunt locum, in quo corporaliter dies infirmitatis cum gemitibus & doloribus infinitis transegerat. Cumq; simultim tępore, loco, modo, etiam objectabiliter concurrerent in spiritu, viderunt Lydwinam, quasi ipsa hora in agone laborantem (quam tamen numquam in carne viderant) prorsus ab hominibus derelictam, & quasi omnimoda consolatione privatam.

anxiæ de solitudine Lydwinæ, a E *simul eam in spiritu vident,*

& quomodo, post quam animam sponso præsenti commendasset,

382 Porro ubi in illo tam miserabili decertasset agone, deventum est ad emissionem spiritus. Et ecce mox viderunt Dominum Iesum, quasi sponsum procedentem de thalamo, cum beatissima matre sua, nec non cum Angelis & Sanctis multis, seriose lectulum Virginis ambientibus per circuitum. At ubi sponsus Dominus sic juxta eam stetit, cœpit eam suaviter invitare: cœpit &, juxta pristrinum Virginis votum, dilectam de ergastulo corporis dulciter evocare. Ipsa quidem, reciproco dilectionis affectu, spiritum suum in manus ejus sategit commendare, dicens, Domine mi Jesu Christe, tu nosti omne desiderium meum, & gemitus meus à te non est absconditus. Tu igitur unicus meus & desideratus meus, ac redemptor meus es: suscipe quæso spiritū meum. F Cui rursum Dominus; Veni electa mea, quia amodo spiritus tuus à laboribus requiescet: veni sponsa mea, ut mecum epuleris in regno patris mei: veni columba mea, ut recumbas cum sororibus tuis in cubiculo meo. Tunc ipsius Virginis anima, quasi à carne soluta, visa est exilire in amorosissimos amplexus Iesu, atque ab eo suscepta immorari paulisper, quasi dilecta innixa super Dilectum suum.

ab eo Virgini matri,

383 Porro cum aliquamdiu Sponsus animam sponsæ in ulnis suis tenuisset, visus est eam exhibere genitrici suæ Mariæ; quæ quasi filiam deosculans & ad pectus adstringens, dedit eam ductori suo Angelo, qui comes & director ejus fuerat in vita. Qui cum assumpsisset eam, facta est cum eo multitudo cælestis exercitus, laudantium Dominum & invitantium ad suum consortium. Viderunt etiam hanc beatam animam bysso candidissima tunc indui, sertoque vernantium rosarū b desuper coronari, sicq; Cherubica claritate illustrem, Seraphica caritate flam-

& ab hac Angelis tradita,

flammiferam, coram Domino præsentari. Cumque tota cælestis civitas quasi de adventu novæ hospitis exultaret, cœpit eam invitare Dominus dicens: Veni electa mea; suscipe coronam quam tibi præparavi in æternum. Et eo dicto, pacis osculum, Angelis gaudentibus, à Sponso accepit. Porro statim veste purpurea, stillifera, ac splendida superinduitur; cyclade cælestini coloris, gemmis pretiosis relucente, circum amicitur: deinde posita est corona super caput ejus, quæ margaritis & lapidibus pretiosis per rotundum inserta erat, quam & sertum admirandæ speciei & pulchritudinis desuper coronabat. Et cum sic à Domino coronata, cantantibus Angelis hymnum, *c* Iesu corona virginum, Virgini virginum Mariæ præsentaretur, obtulit ei torquem auream cum pacis osculo: quam inæstimabilibus gemmis contextam circumdedit collo ejus. Demum post hæc visa est duci ad chorum Virginum: quæ similiter cum Angelis Responsorium, scilicet *d* Regnum mundi, cantantes, quasi nuptam novam Agni ac sociam, in suum consortium venerabilissime receperunt.

A gloriose induta ac coronata,

c

choro Virginum juncta fit.

d

384 Hoc autem vidisse virginibus pro consolatione & corroboratione suorum animorum sufficiat; nec non & pro repressione blasphemorum, qui judicant de solis accidentibus suaviter morientium sibi notis, & qui nequaquam innituntur veritati Scripturæ dicentis, Justus si morte præoccupatus fuerit in refrigerio erit. Quid putas, o lector, sibi volunt duarum virginum, separatim existentium, spiritu tamen in unum concurrentium, non somnia, sed ostensa mysteria? Nonne de benefica largitate Dei, essentialis illa gloria, quam Theologi Auream appellant, datur Beatis? Quis sanæ mentis Virginem nostram Lydwinam cum Aurea etiam & *e* Aureolam ipsam promeruisse cunctabitur? Nempe quæ cum Angelis caritatem, cum Patriarchis fidem & misericordiam, cum Prophetis futurorum & cordium notitiam, cum Apostolis paupertatem, cum Confessoribus abstinentiam, cum Virginibus cœlibatum eminenter tenuit; quæ jugiter triginta tribus annis, sub tam diutino languore, in abjecto tuguriunculo jacuit; quid mirum si inter Sanctos gloriam tantam acceperit? Hymnus igitur omnibus Sanctis Dei in adventu tam splendiferæ sponsæ, gloria filiis Israel, laus omni populo appropinquanti sibi: quippe suscitans de terra egenum, & de stercore erigens pauperem, statuit nota fieri hæc omnia, quia scriptum est, Sic honorabitur quem Rex voluerit honorare.

B

Sap. 4, 7

e aureola multiplici decoranda.

Est. 6, 9

385 Sane cum vir desideriorum Ioannes, Confessor Virginis, qui Virginis animā in specie columbæ verissime fuerat contemplatus, in crastinum, videlicet feria quarta post Pascha, venisse dicitur ad locum, ubi sacrum pignus virginei vasculi servabatur: mox ut intravit, tantam ibi suavitatem & suavis odoris fragrantiam percepit, quantam prioribus temporibus, quoad vixerat beatissima mulier, unquam se persensisse recolebat. Non enim aliud sibi videbatur domus mortuæ Virginis, quam locus aromaticus, promptuarium unguentorum, cella balsami: adeo ut potius domus Beatorum, Angelorum officina, & habitatio alterius seculi, quam lutea domus hominum crederetur.

C Confessor Lydwinæ,

miri odoris fragrantia recreatur,

386 Hic igitur, cum, revelante sibi Angelo, qui qualiterve contrectandum corpus sacratissimum Virginis, & quanti apud Deum meriti foret, noctu didicisset; confestim ut intravit domum, lacrymari cœpit, & geniculatus coram omnibus eam adoravit. Quo facto, juxta oraculum Angeli, uni earum quæ servabant corpus præcepit, quatenus sumpto panniculo lineo virgineam faciem tergeret; sciens quod sub illo squallido colore, quo moriens è seculo transierat, novus decor novusve splendor faciei resplenderet. Ecce mysterium dico vobis. Statim autem, cum una ex iis fecisset quod fuerat imperatum, ecce prodiit facies ejus candida instar imaginis exquisitæ, pictoris egregii artificio studiosissime depictæ. Deponentes quoque vestimenta, quæ circa corpus eo tempore posita fuerant, invenerunt corpus reliquum pulchrum, planum, solidum atque perfectum quasi eadem hora purissimo colore per omnia membra delibutum.

jubet faciem mortuæ linteo abstergi:

PER IOAN. BRUGMAN

quæ mox splendida apparet,

387 Quis nunc philopomporum nostrorum aut oblatratorum divinæ sapientiæ, quis nunc Averroës tuæ physicæ bibulus, corpusculum tot speciebus aut modis ægritudinum transmutatum, tot dolorum stimulis instar hericii intus confertum, tot vermium scatebris quondam supplenum, tot fissurarum & apostematum fracturis suffossum, in tot partes minutas putrefactum, tot incendiis, fistulis, ulceribus, plagis, pustulationibus, febribus, scabieque tabefactum, humanam effigiem post mortem rursum sibi retinuisse dijudicabit? Quis secundum carnem sapiens de filiis Agar, de negotiatoribus terræ Theman, idem corpus, nunc tot annis moribundum, non habens hominis speciem neque decorem, nunc autem veraciter emortuum, formosum, speciosum, colore splendenti gratiosum, tractabile, ductibile, delectabile fieri posse credet? Proh pudor! Non credet carnaliter sapiens, non Judæus cæcus, non Agarenus *f* bliteus & vilis, non inflatus Philosophus, nisi cum Thoma palpet, videat & inquirat, atque taliter ad experimentandum sensibiliter, potius quam pie credendum & fideliter, pertrahatur.

uti & reliquum corpus omnino redintegratū.

E

f

388 O quis orthodoxorum pariter ac illuminatorum Theologorum, si nostram Virginem ita videret, non admiretur, non obstupescat, non magnificet? & quis sanæ mentis, etiam simplex Dei cultor, tanto decore non jucundetur? Quis tam saxeum pectus habet, qui si quondam vidit Virginem tamquam leprosam & humiliatam, nunc vero [videat] glorificam speciem seu faciem prætendentem, non collacrymetur, non congratuletur simul & exultet cum gaudio? Magnus enim Dominus & laudabilis nimis, qui tempore vernali frondes nudatis arboribus revehit, qui pilos novos cervis & hinnulis tribuit, qui plumas accipitris & aquilæ renovari facit, qui maris fluxum & refluxum constituit, cujus non est abbreviata manus; hoc specimen non visum, mortuæ; hoc indicium, contulit defunctæ: ostendens quoniam ipse mirabilis in obitu, mirabiliora etiam fecit in vita sua.

insigni miraculo,

F

389 Magnum siquidem & undique profecto mirabilem sanctumque virum *g* Malachiam, de populo barbaro utpote Hibernico natum, testatur mellifluus Bernardus, eo quod mortuus existens, in vultu nequaquam fuerit pallidior, non macilentior, non rugatus facie, non reconditos habens oculos, non contracta labia, non adustos dentes, non collum exesum & gracile, non curvos humeros, non carnem exinanitam in membris reliquis. Hæc non minus ad laudem Dei & Virginis mirificentiam, stylo licet inculto & barbaro satis, convertenda persenserim. Nihil horum quæ dicta sunt, circa tempus inflicti languoris, Lydwinæ nostræ natura donavit: sed plusquam ista Dei gratia post mortem præter & supra naturam contulit. Et quid plura? mortuo corpori decorem dedit Altissimus, quem etiam viventi natura nullatenus dare potuisset.

g

non tantum quia mortua mortis signa nulla habebat,

390 Quæ igitur & qualis imago Virginis mortuæ? Quibus

PER IOAN. BRUGMAN

sed magis quàm vivens tot modis fuerat deformata.

Quibus ego: Imago corporis, gratia Lydwinæ, gloria defunctæ, talis erat. Facies olim propter languorem squallida, nunc autem vivax post mortem & candida, vivæ similior quinimo venustior. Oculi ejus profundi & reconditi; nunc autem plani & æquales. Genæ prius tumidæ propter hydropisim, interdum aliter; nunc autem serenæ, coæquales & formosæ. Ceterum nasus ejus vlcerosus, quondam fissus cum fronte; nunc oblongus, solidus ac virilis. Labia ejus pridem scissa, fissa & fracta cum mento; nunc autem decentia, rubentia & integra. Dentes olim comminuti & nigri; nunc autem redintegrati & candidi valde. Collum ejus quondam exesum & quandoque tumefactum; jam redditur nivi similius, planum & carnosum. Et breviter omnis caro reliqua capitis ac corporis, compacta, formosa ac speciosa intuentibus eam.

una tamen mamillarum plenior alia

391 Præterea corpus ejus, quod scatebra fuerat pullulantium vermium; integrum, planum ac rutilum videbatur, ut dixerunt virgines quæ observabant eam: & ubi saltem fœtorem de se dare debuerat, redolebat ut quarumlibet specierum apotheca. Una mamillarum præsertim, quæ sacræ Nativitatis tempore trina vice lacte, altera minus habente, cælitus intumuerat, virginea carne plena tangebatur. B Nusquam in corpore scissura, nusquam fissura vel fractura vel minima potuit inveniri; ubi pustulæ, ubi fistulæ, ubi ulcera, ubi prius apostemata, ubi pestilentia frequens, ubi ignis quondam ubilibet repleverat. Hoc tamen insigne sibi post mortem cohæsit; videlicet quod ob contrectationem Picardorum in tribus locis cicatrices, quasi victricia signa, retinuit: quæ instar fili coccinei in reliqua carne patulo distinguebantur.

& quadam vulnerum vestigia remansere.

Quidquid igitur ægritudinis præbuerat Domini manus, solidum atque continuum, sine plica, sine macula, sine ruga quacumque remansit: quod autem inflixerat manus hominum tyrannica, tamquam memoriale triumphi, virginalibus membris indelebiliter relictum est.

cum incredibili intuentium solatio.

392 Erat sane uniformis hæc corporis mortui speciositas, speciosaque membrorum uniformitas adeo delectabilis, aspectantibus, ut nonnullis admirationem, tamquam peritioribus; aliis lætitiam & exultationem, tamquam devotulis; plerisque insatiabilitatem aspectus sui conferret, tamquam religiosis ac devotis. Fatebantur autem virgines cum aliis, quæ jugiter diu noctuque sacrum depositum observabant, non siti, non somno, non esurie se gravari; & hoc ex mira suavitate fragrantis odoris C ac lætitia spiritus, quam in aspectibus funeris pretiosissimi continuo perceperunt. Erat siquidem tam insolitum tamque præclarum spectaculum, omnibus simplicibus ipsum contuentibus, fidei confirmatio clara; erat & infirmis devotulis, ad patientiam confortatio luculenta; erat & spiritualibus, consolatio dulcis & amorosa; erat etiam remotis, ad spectandum currendi magnifica materia.

sit ingens concursus ad spectaculum,

393 Profecto mox ut fama defunctæ Virginis de Schiedam provinciam percelleret, & fama tanti miraculi ad aures hominum ubique utique divulgaretur; illico concurrere de propinquis vicini per circuitum, de remotis etiam rustici & cives innumeri; ut vel mortuam cernerent oculis carnis, quam tam famosam in ægritudinibus, tam frequentem in divinis consolationibus, tam præclaram in perfectionibus audierant commendari. Admissi sunt igitur in illo triduo, quo sacrum illud corpus reservabatur, de singulis oppidis, castris, villis, turmatim viri & mulieres, senes ac juvenes, virgines & pueri, magni & parvi sugentes ubera. De pueris & infantulis quid dicam? Nempe de pueris tantus erat concursus,

etiam puerorum,

ut hi qui succincti cum labore venerant, & triennes atque statura pusilli præ turba videre Virginem non D poterant, impatientes dicerent: Ad quid fatigati sumus? Atque in modum hunc clamantes, populum majori devotione inflammabant; ut verificaretur quod scriptum est, Ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem. Ps. 8, 3.

quos inter infans anniculus omnes movet.

394 Erat autem inter eos infantulus anniculus, qui inter brachia materna, ubera sugens, gestabatur: qui cum Virginis videret præsentiam, statim quasi spreto ubere, serena facieculâ junctisque manibus, tam seriosè tamque reverenter oculos in Virginem defixit, ut & aspicientes provocaret ad lacrymas, & lapidei spiritus viros ac mulieres ad reverendum virgineum pignus commolliret. Dabatur etiam singulis pueris ac infantibus panis unus, in memoriam mirabilium quæ tunc temporis Dominus faciebat; unde lætantes admodum atque gaudentes, quasi de nuptiis, ad propria remeabant. Sic filiæ Tyri vultum ejus reverebantur, sic nonnullæ filiæ Babylonis miseræ, cujusuis sexus, status, gradus ac dignitatis, ad sacrosanctum hoc funus veniebant, & revertebantur cum lacrymis & exultatione.

corpus ad sepulturam componitur,

395 Sane quoque venerabile vas atque virgineum E jam venerabatur ab hominibus in terris, cujus animam gloriosam cives supernæ Hierusalem exceperant in excelsis. Confessor autem sacratissimæ Virginis Lydwinæ, ceterique devoti, quibus votum Virginis de sepeliendo innotuerat, nisi sunt eam tradere sepulturæ: sed metuentes jussa Principis *b*, qui se venturum ad visendum priusquam sepeliretur prædixerat, distulerunt. Prohibuerant etiam majores natu urbis Schiedam ne sepeliretur, propter Principem, cui in hac re formiduli studebant complacere. Tandem vero, cum non speraretur Principis adventus, assumpta licentia, per domesticas induitur tunicula, & cingulo, quemadmodum usa fuerat, succingitur: membranula quoque, in qua dulcissima Jesu ac Mariæ nomina conscripta fuere, uti optaverat in vita, sic capiti suo supponitur, atque sic composita sarcophago ligneo collocatur. Proinde cum D. Ioannes, Confessor Virginis, sacculum cruentarum lacrymarum, de maxillis ipsius Christi sponsæ abrasarum, quas rosas vocabat, collegisset (ne vel in minimo suæ in Christo filiæ fraudaretur extranea portio) sacculum ipsum capiti ejus supposuit.

supposito capiti sacculo cruentarum ejus lacrymarum.

Quid autem mysterii sibi velit opus illud, Omnipotens novit: hoc tamen veraciter conjiciant universi, quod cruentas has lacrymas ideo rosas suas voluerit appellari; tum quia ob amorem Passionis Dominicæ, tum quia pro conversione peccatorum ex caritate, tum quia ex subtractione divinæ consolationis, quam passa est aliquanto tempore, tum F quia ex frigore & calamitate, brumali tempore profuderit illas.

vultus ejus attactu conjugata obscuratur.

396 Cum igitur illucesceret sexta feria post Pascha, quæ octava dies est à Passione Salvatoris, concurrerunt multo plures prioribus, advisendum opera Domini quæ posuit prodigia super terram. Mulier autem materfamilias, curioso quodam spiritu supervacuæ devotionis agitata, conata est faciei virginis approximare; & lapillorum quorumdam congeriem, quam vulgus Germanicum Pater-noster vocare consuevit, super vultum Virginis reverenter circumducendo posuit: ad quorum incurialem attactum notabiliter facies Virginis defunctæ immutationem concepit, non sine stupore multorum qui tunc astiterunt. Nec mirum si tale quid à femina, mortali thoro conjuncta in mortuo corpore contigerit: quia simile ad contactum cujusdam viri minus pudici, qui manum virginis tetigit cum adhuc viveret, attestantibus

qui

A qui affuerunt ac viderunt, fertur contigisse. Non enim caruit mysterio sibi noto, quod adeo rogavit domesticas adhuc in vita superstes, quatenus statim post obitum traderent eam sepulturæ. Non mihi dubium quin & in spiritu prænoverit tale quid futurum, ex stultitia quorumdam curiosorum, circa corpus suum: quia quasi duplicem prophetiæ spiritum habuit, & tot ac tanta veracia quandoque circa se & alios revelavit. Nondum enim venerat hora ejus, ut Dominus velit eam omnibus communem esse: nec tutum asseruerim sanctum dare canibus, aut margaritam mittere ante porcos.

celebrantur exequiæ:

397 Ex tunc autem, de rogatu domesticorum Virginis, nec non de consilio venerabilium Religiosorum, ceterorumque Sacerdotum, qui ex omni parte convenerant, persuasione, deliberatum est, ne quovis modo sepultura proteletur amodo, sed quantocius venerabiliter cum laudibus ad ecclesiam matricem deportetur. Sicque cum laudibus Cleri & lacrymis populorum in parochialem ecclesiam, sancti scilicet Ioannis Baptistæ, urbeculæ Schiedam, honorificentia mirabili deportatur: ibique mysteriis celebratis solenniter, tamquam celestis apotheca fragrans, reconditur ac sepelitur. Siquidem in illa B ecclesia infantula primitias hausit spiritus; ibi Reginam cæli salutare didicit: illic adolescentula, reptans manibus & pedibus, antequam prorsus prosterneretur, ultimum Mariæ vale dixit: ibi postmodum mulier, prostrata, spiritu rapta frequenter extitit: ibi tandem mausolæum post obdormitionem accepit.

tumulo honorifice sepelitur.

398 Sepulta est autem ad Australem plagam ecclesiæ prædictæ, loco valde humili, in monumento facto de lapidibus coctis & cæmento, quod lapidibus pulchris competentis sculpturæ desuper ornatum est. Non enim decebat, ut eam, de qua cum viveret putredo & vermis tot annis scatuit, quam Dominus absque corruptibili cibo potuve tot annis nutrivit, cui tot flagella perennaliter inflixit, communem carnis vermiferæ corruptionem videre permitteret, aut ipsam vermium scatebrosa putredo prima facie defunctam hereditaret. Itaque quæ toties Christo passo in carne vivens commortua est, quamquam in despecta domo vile triginta tribus annis possedit tugurium, moriens attamen Deo dante sepulcrum nacta est gloriosum. Transiit autem felix ac beata virago, ac fortissima mulierum agonotheta ex hoc mundo ad Patrem, anno videli- C cet incarnationis millesimo quadringentesimo trigesimo tertio, mense Aprilis die decima quarta, in festo sanctorum Martyrum Tiburtii & Valeriani, sub diebus illustris Philippi, Burgundiæ atque Hollandiæ Principis: sepulta est vero feria sexta post Pascha.

Auctoris de Virginis gloria jubilus.

399 Magnificetur igitur gloriosus Deus in sanctis, qui hanc sibi adolescentulam, in ultimis finibus terræ novissime quæsitam, instar Abisag, ad tam excellentem gloriam evexit. Collætentur cæli cives singuli, quibus olim conjuncta per gratiam & multimodam virtutem, nunc commensalis facta, Deum in regno contemplatur. Gaudeat sacrosancta mater Ecclesia, cujus ex utero talis plantula producitur, atque ad implendum ruinas in splendoribus Sanctorum, velut sidus novum, collocatur. Congratuletur Hollandia tota, in cujus viridario tam famosi nominis Virgo colligitur; & vergente mundi vespere tam candidum lilium, quasi Esther altera inter puellas, invenitur. Collaudetur insuper felix Schiedam urbecula, quæ tam nobile depositum possidet in angulo, propter quod stillicidium roris desuper haud dubium stillabit in tempore suo. Sperent & exultent religiosæ Sion filiæ, ad quarum exemplar vexillifera patientium altigrado in monte constituitur, & multis ex trophæis merito laureata triumphat. Exurgant & tympanistriæ, filiæ terrestris Hierusalem, virgines; animentur & videant, filiæ Tyri & Sidon, viduæ, & beatissimam prædicent altithronam: quoniam de fructu manuum suarum virago nostra suscepit; & laudent eam in portis opera sua. Convertantur autem nunc filiæ Babylon, aut saltem erubescant, quoniam ancillam humilem sic respexit Altissimus; & cogitent in corde suo, quid sponsæ facturus sit in portis vir ejus, quando sederit cum senatoribus terræ.

PER IOAN. BRUGMAN

400 Deo gratias pro translatione tertia, quam abortivo & indigno catulo suo dedit. Amen. Et sic finitur Legenda almæ Virginis Lydwinæ, à Fr. Ioanne Brugman anno Domini MCCCCLVI, pro tunc Conventus Fr. Minorum juxta S. Audomarum Lectore, composita; ac per ejusdem Ordinis Professum, nomine Fr. Arnoldum de Ostendis, ad honorem præmemoratæ Virginis, anno Domini MCCCCLVII, taliter qualiter in conventu de k Duynkerka, scripta: qui nihil pro labore quam Virginis auxilium desiderantes, eidem se devotius recommendant. E

ANNOTATA.

a *An, quia ipso mortis ejus instanti de ea fuerant in spiritu admonitæ, edoctaque neminem adfuisse morienti? An vero, quia aliunde intellexerant, optare eam sibi, imo & prædixisse ejusmodi mortem?*

b *Hinc fortasse, potius certe quam ab illa ipsius Lydwinæ visione (in qua non tam sertum quam peplum capitis ejus imsiositum fuisse narratur num. 69 Vitæ prioris, & posterioris num. 189) putem fluxisse, quod Virginis imago florido serto redimita pingatur à Schiedamensibus, imo & reliquum gloriosæ vestis eique superimpositi pallii apparatum, credibile est ex hac duarum Virginum visione acceptum esse.*

c *Ita inchoatur hymnus in Officio de Virginibus ad Vesperas & Laudes solitus cantari, juxta usum Breviarii, etiam Vltrajectini.*

d *Hoc responsorium in Romano Breviario nunc claudit Lectionem 8 de Communi non Virginum: ast in Breviario veteri Vltrajectino ultimum locum tenet in communi Virginis non Martyris.*

e De Aurea *&* Aureola, *eorumque discrimine pluribus agit D. Thomas in 4 sent. dist. 49 quæst. 5 per plures articulos: & statuit Auream consistere in gaudio de Deo, Aureolam vero in perfectione operum: Aureolæ autem passim tres notantur, Martyrum, Virginum & Doctorum.* F

f Blye *plumbum Saxonibus, Geldris, Hollandis est, hinc* bliteum *putamus dici pro plumbeo.*

g *Vitam dabimus, ut a S. Bernardo scripta est, 3 Novembris.*

h Franco Borsaliensis, *à Philippo Burgundo (postquam à Iacoba agnitus est provinciarum heres) constitutus an. 1428 Præses Hollandiæ, Zelandiæ, Frisiæ; Princeps autem per prolepsim dicitur, quia mense Iulio mortem Lydwinæ secuto, Domina sua Iacoba, contra pacta ne hac Philippo inscio cuiquam nuberet, clandestino & infelici matrimonio juncta fuit.*

i Audomaropolis *urbs Artesiæ munitissima in confiniis Flandriæ Occidentalis.*

k Dunkerka *mercatura & nautica rei tractatione portus celeberrimus, dum sub Hispano dominatu fuit: distat Audomaropoli leucis septem vel octo.*

APPENDIX

per Magistros Fabricæ ecclesiæ Schiedamensis.

401 HOc opus, Dei favente gratia, expletum Schiedammis anno *a* MCCCCXCVIII, ad individuæ Trinitatis honorem; nec non, ad almæ Virginis Lydwinæ Schiedammitæ precipue, impressum: cujus historiographus Fr. Ioannes Brugman, Ordinis Observantium, prædicator prius extitit egregius; qui ob singularem devotionem, qua erga eam post obitum afficiebatur, hanc edidit historiam.

a Schiedamensium sumptu,

402 Nos etiam Hollandrini, speciali ex prærogativa victoriæ, nobis à Deo in die *b* Valentini nobis intra muros Schiedam collatæ, adstringimur eam laudibus attollere: ex quo satrapæ Domicelli Wittenhorst, ab Hollandia stipendiati in vexilliferos Hollandiæ, immerito conspiravere, nec non eorum Comitatum funditus evertere conati sunt; ut eorum facultates, vinciendo eos & incarcerando, tandem potuissent adipisci. Sed eorum conjurationis *c* scelus omnipotens Dominus benedictus interemit. Cunctis Hollandrinis hora septima sole vespertino vescentibus, quædam matrona Zelandina supervenit Dei nutu: ex qua tubicen Domicelli Wittenhorst horæ circumstantiam sciscitabatur: quæ mox ait, *d* SEVENE IS. Intelligens NEGHENE, extulit vocem, suos concite advocans complices, WITTENHORST, *e* BREROE ad astra ferentes. Hollandrini id genus clangoris ignari, nil mali suspicantes, ex insperato attoniti, è regione vociferantur longe lateque HOLLANT, HOLLANT. Effectus belli dubius *f* detinebatur; bus bas ultro citroque, ex eorum mortariolis sagittisve, resonantibus in astris, ut quisque horripilationem consequi videretur. Tandem, Deo opitulante, Hollandrini victoria potiti sunt. Nocte, circa horam fere nonam, satellitibus fugitivis, Rotterdammenses adversarii nostri adventantes, ad duos ictus balistæ oppido Schiedammensi applicuere.

b in gratitudinem victoria per hanc Virginem relata,

B

403 Non est prætereundum silentio, quomodo præfatæ Lydwinæ Virginis veneranda intercessio, coram Superis salutariter effusa, sit pro nobis exaudita: quare Magistri-fabricæ S. Ioannis Baptistæ Schiedammensis has impensas fecerunt: ut viri docti, qui eloquio Latino plus gaudent, vulgari uti dedignantur, hæc edita, licet ingenio rudi confecta, non canino morsu rodere, sed columbino mentis oculo volutare dignentur. Si indies advenarum concursus intuerentur, qui ab eorum infirmitatibus & defectibus corporalibus curantur, non latrarent sæpissime rabido ore. Quocirca rogatos vos facimus, nomen hujus Virginis undique significare extollereque coram magnatibus velitis, ut demum in numero Sanctarum Sancta nuncupetur. Nos Schiedammenses, egeni & inopes, non sine gravibus expensis poterimus à Domino Apostolico ejusdem Virginis canonizationem impetrare: & jam nos ipsos impotes cernimus, & prorsus nobis impossibile factu apparet, imo penitus constat. Ad doctos, Latine peritos, refugimus, freti sua humanitate & benevolentia, ut post hac coram principibus & nobilibus, & ignobilibus divitibus circumquaque degentibus, Virginis Lydwinæ nomen amplificetur: Deus, qui est remunerator omnium bonorum in sua gloria, eis retribuet. Valete cuncti feliciter. Ex Schiedam ad S. Annam.

curata impressio,

C

& ut canonizatio à Catholicis promoveatur.

ANNOTATA.

a *Hunc annum habent exemplaria Lovaniense Franciscanorum, Coloniense Carthusianorum & Antwerpiense D. Archidiaconi: quin & Corsendonckanum, etsi impressum ferebat annum* MCCCCCXXXIX, *manu tamen antiqua correctum erat, in ipsa ut videtur typographia, errore inter imprimendum deprehenso.*

b 14 *Febr. anni* 1489, *ut constat ex antiqua Hollandiæ Chronica, rem omnem ut gesta est plenissime describente, lib.* 31 *cap.* 62 *&* 63. *Perducitur autem hoc chronicum ad annum, quo primum prodiit,* 1516.

c *Occasio & ordo conspirationis sic narratur: Anno* 1488 *Franciscus de Brederode, ex Hollandia relegatus cum aliis exulibus, Flandris adversus Imperatorem Maximilianum rebellantibus militans, in Hollandiam cum suis regressus, die S. Elisabethæ* 19 *Novembris Rotterdamum occupaverat, exindeque per reliquam excurrens Hollandiam omnia rapinis incendiisque habebat infesta. Itaque necessarium habuerunt Hollandi vicinas omnes civitates munire præsidiis: imprimis autem Schiedamo, cui Capitaneus Wittenhorst cum suis equitibus præsidens nonnullam hosti cladem intulerat, quodque ob viciniam conveniendo hosti opportunissimum erat, inducta sunt turmæ pedestres civium Leida, Harlemo, Delfis, Amsteledamo eductorum sub suis quæque signis. Ita feliciter & communiter res gesta, donec gliscentibus ex æmulatione, ut fit, inter pedites equitesque contentionibus, conspiravere equites cum Rotterdamensibus de tradenda iis civitate: convenerat autem ut Rotterdamenses cum classe adessent hora nona vespertina, eademque hora equites invaderent hospitia peditum, impedirentque ne possent ad sui urbisque defensionem coire.*

d *Quod significat:* est septima, *pro quo alter intellexit,* Est nona: *Chronicon dicit:* quod equites, post factum hoc consilium, tota hora ante statum tempus pugnam incipiebant: *sed qua occasione citius, hinc disce.*

e *Contracte pro* Brederode, *quicum inita erat conspiratio: ipse* Wittenhorst *loco aberat, fortassis è tuto præstolari volens rei successum, & Dordraci apud Imperatorem se continebat: unde suorum clade intellecta mox profugit, sed à fuga retractus per Hollandos, & Delfis in custodiam datus est.*

f *Describunt eum præcitatum chronicon his fere verbis.* Venerunt equites circa horam octavam vespertinam in ædem Harlemensium, quos maximo cum clamore primum oppugnabant, sclopis in ædes jaculantes, multosque vulnerantes, antequam alii se defendere possent: quoniam hi in cubilia & lacunaria fugerant, & equites tantopere in altum sclopetos exonerabant, ut nemo descendere auderet: erant enim domus inferius equitibus oppletæ, qui perpetuo jaculabantur, & victoriam exclamitabant. Inter hunc clamorem reliqui Harlemensium cives, qui non sub signo sed in vicinia degebant, in unum congregati, ad repellendos hos milites suosque cives juvandos, clamorem extulerunt vocantes: Hollandia, Hollandia; ita ut animum receperint, & tam vehementer sclopos in equites exonerarint, ut ipsos terga vertentes ex ædibus expellerent, donec reliqui descendentes ipsis opitularentur. Denique venit Guilielmus Boshusius, Rynlandiæ Ballivus, cum Leydensibus & Rynlandis, Harlemensesque liberavit; equites autem in fugam versi, nitrio pulvere effregere portas; sicque Roterdamum evasere, multis in ipsa urbe vulneratis, occisis, & captis; civium paucis desideratis. *Porro.* Rynlandia *sive* Rhenolandia *hic nominata, ea est Hollandiæ portio, quæ secundum utramque veteris Rheni, jam pridem ad mare obstructi, ripam, à finibus ultrajectinæ diœcesis, usque in littora Oceano obtenta porrigitur.*

SE-

A

SEQUENTIA

de alma virgine Lydwina.

Alleluia festivale
Tempus exigit Paschale,
Voce, votis, jubilo:
Benedictione plenus
Jam refulsit sol serenus,
Pulso noctis nubilo.
Coronatur gloria
Christus pro victoria,
Victor victis inferis:
Deus surgens creditur,
Honor regni redditur,
Fitque pax cum Superis.
Expectatio Mariæ
Consolatur ipsam pie
Tristem hanc inveniens:
Fit solatium beatis,
In extremo mundi natis,
Omnes nos deliniens.
Gaudent Archangeli,
Fantur & Angeli
Virgini Lydiæ:
Hæccine Lydia?
Vernat ut lilia
Sanctæ Cæciliæ?
B Intra cujus cameram
Senserat Tiburtius
Rosam odoriferam,
Stupens vehementius.
Catharinæ virginis
Juxta natalitia
Fructum divi seminis
Metit hæc Cecilia.
Lydewidis humilis
Nata Christo Domino,
Sanctis extat similis
Regnans sine termino.
Miræ patientiæ
Vixit in hoc tempore;
Nimiæ miseriæ
Particeps in corpore.
Non murmur resonat,
Non querimonia;
Sed laudem personat
Devota Lydia
De data gratia.
O vere humilem,
Quæ numquam deficit:
Quam Christus debilem
Seipso reficit:
Hinc virgo proficit.
Per se Jesus hanc invisit,
Consolationem misit,
Circa lectum hujus sedens,
Et ab ea non recedens,
Donec ipsam pasceret:
Quæstione quadam facta
De nativitate nacta,
Opus Verbi incarnati
Hæc adscripsit Trinitati,
Sic ut quærens quæreret.
Radiosi luminis
Talis doctrix numinis
Impetret quod poscimus:
Solem sic inspicere,
Ne contingat perdere
Lumen, quod nos cupimus,
Trinitatem speculari,
Unitatemque mirari,
Quæ consistit in Divinis,
Quo dictaminis est finis.
Vale felix Lydewidis,
Quam non ligat nexus Stygis;
Poscas nobis cum Maria,
Ut cantemus Alleluia. Amē.

Imago ad calcem libri. *Extremam libri faciem rursum occupabat imago biparti-ta, cum hoc titulo,* Vita almæ Virginis Lydwinæ de Schiedam. *In superiori parte ad latus unum sedebant S. Maria & Anna stantem humi Iesulum & genibus maternis innixum in medio habentes, ante quas genuflexus quidam in habitu talari absque tonsura, videbatur aliquem ex Magistris Fabricæ repræsentare; quem stans post tergum ejus B. Lydwina, capite coronato solutisque capillis, dextram quidem cum cruce & ramusculo rosarum apprimebat pectori, reveren-ter Sanctis inclinata; sinistram vero imposuerat humero ante se genuflexæ personæ, velut ipsam offerens atque commen-dans, quo modo passim solent in vitreis fenestris aut cœnotaphi-cis tabulis conspici Sancti Patroni earum personarum quæ ibi* C *exprimuntur. Inferior tabula continebat Angelum in fluida veste sedentem, expansisque hinc inde manibus atque alis tenentem scuta duo, quorum quidem quod dextra suberat in parma pura habebat Leonem nigrum subsilientem, transver-saque linea, quam quatuor, alternis nigræ albæque tessellæ distinxerant, virgatum; cum superscripto* Schiedam: *quod autem erat sub sinistra tres arenarias clepsydras in alba pariter parma habebat, cum superscripto* In Hollandia.

TRANSLATIO CORPORIS Schiedamo Bruxellas.

ex MSS. Archivii ecclesiæ S. Gudulæ.

In loco sacelli B. Lydwina 1 IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Amen. Cum publice notus sit Schiedamensibus civibus sepulturæ B. Lidwinæ locus, in sacello olim opere parietino & cancellis distincto, ad Australem partem ecclesiæ parochialis, juxta ostium laterale templi, ubi propendet vitrea, vitam Divæ depictam ostentare solens, rhombis quibusdam picturatis adhuc extantibus: Joannes Baptista Grammay elevationem ossium dictæ Virginis aggressurus, de mandato Reverendissimi Patris Commissarii, adhibuit sub finem Augusti anni MDCXV, in Hollandia agens, in consilii societatem P. Jacobum Joannis Amsterodamensem, pridem Guardianum Fratrum Minorum Trudonopoli, Erasmumque Paschasii Presbyterum Canonicum Arnhemensem; qui usque ad finem processui interfuerunt: communicato etiam negotio P. Marco Tempelio, Societatis Jesu in Hollandia Superiori; Eduardoque Pottero, viro nobili: tractoque in partes suas Joanne Muylwykio, Consule primario oppidi Schiedamensis; aggressus est emptionem sepulcrorum Divæ & vicinorum, medio Arnaldi Jansonii & Margaritæ Bertels, conjugum, Roterodami habitantium: idque ne plebi emptio per extraneum facta suspecta esset. *EX MS.* *emunt Catholici sepulturæ locum*

2 Sciendum autem, sacelli, inter duas templi columnas à pariete nonnihil eminentis, longitudinem dumtaxat fuisse quæ est duorum sepulcrorum cum medio; latitudinem similiter, capacitatem universim sex sepulcrorum aut circiter; pedibus octo pro sepulcro in longum, tribus in latum supputatis: in cujus capite altare erat Sanctissimæ Trinitati sacrum, & ante illud juxta claustra sacelli, sepulcrum B. Lidwinæ elevatum: ad quod obsessos & languentes curatos, oppidumque Divæ interventu liberatum à morbis & necessitatibus, superstites, etiam hæretici, meminerunt ac retulerunt publice. Ceterum sepulcro, quod prominebat solo æquato, & ipso ecclesiæ pavimento à paucis annis ad pedes septem elevato, disjectis sacelli claustris, nihil B. Lydwinam redolens, præter vitream dictam, apparebat. *ubi multa olim facta miracula* E

3 Empto itaque sepulcro Virginis & vicino loco, ut dictũ est, die XXII Septembris anni ejusdem, paulo post prandium, ad fossionem itum fuisset, nisi quidam Catholici, quod opinamur, consilii hujus ignari, corrupto pecuniis fossore, turbarum aliquid excitassent: re enim divulgata, & misso in carceres fossore, expedientius visum rem differre tantisper. Tandem sopitis omnibus, post varias ultro citroque commeationes per dictos Gramay, Jacobum, Erasmum, & conjuges, advocatus per litteras Tempelius, & Nicolaus Hereng, Canonicus Lutosensis, ad assistendum adductus, ad diem XV Decembris (quamvis duo posteriores non comparerent) testibus dicto Jacobo & Erasmo Presbyteris, Eustatio Reynierssen Bos, multisque laicis, ad apertionem sepulcri itum est, ut in speciem sub terra cavea aliqua sepulcralis extrueretur, quod & factum per Judocum de Vlueg fossorem, & Cornelium Joannis cæmentarium, juratos oppidi. *post nonnullam turbationem* *coram testibus ad id vocatis* F

4 Dum autem ex industria protrahitur fossio, donec populus qui de sacello & de sepulcro superius relata profitebatur, dilapsus esset: post fossionem circiter octo pedum, apparuit vetus pavimentũ tẽpli & terra compactior, &, quod apparebat, diu nõ mota. Ulterius autem fodiendo apparuerunt fundamenta muri in longum, quo sacellum fuerat conclusum, & juxtim sepulcrum lapideum operis lateritii, quod superne & non uno loco confractum terram arenamque admiserat. Quod ægre dissolventes operarii, ossa quæ sparsim inter ipsa rudera terramque reperiebantur ejecerunt: quæ testibus supradictis collecta, in saccum contractum sunt reposita & elata: sepulcrumq; in ipso loco ex novis lapidibus mox est confectum & conclusum, ruderibus antiqui sepulcri impositis. Dicta autem ossa, cum lapidibus aliquot ex medio sepulcri extractis, in quibus verosimiliter lumbi quieverant, in cistam decenter adornatam à Gramayo sunt recondita & obserata, & sic in Brabantiam transportata. *refodiuntur ossa B. Lydwinæ* *& transferuntur in Brabantiam an 1615*

EX MSS.

5 In quorum omnium ita gestorum fidem præsens scriptum nos infrascripti testes & spectatores manu sigilloque nostro munivimus. Actum in Haga-Comitis die XVIII Decembris MDCXV. Ad majorem Dei omnipotentis gloriam.

Fr. Jacobus Joannis Ordinis Fratrum Minorum, à Reverendissimo Patre Commissario ad hunc actum deputatus, in fidem & testimonium veritatis suprapositorum hæc scripsi & subscripsi.

Et ego Erasmus Paschasii Presbyter, Canonicus Arnhemensis, quia actui elevationis translationisque cum aliis rogatus interfui, omniaque ut in processu verbali, per R. P. Jacobum scripto narratur, fieri vidi, præsens instrumentum manu sigilloque meo notavi.

✠ Eras. Paschasii Pr.

Joannes Baptista Gramay in fide similiter subscripsi, adjecto sigillo meo gentilitio ✠

Testes inter alios translationis ex Hollandia, subscripserunt in fidem

Christophorus le Ceingne, Clericus Cameracensis.

Nicolaus Heren, Canonicus Lutosensis Presbyter.

B

Veritas dictarum Reliquiarum probatur,

6 *Hactenus Processus verbalis, quem Illustrissimus ac Reverendissimus Dominus Lancelottus de Gottignies, Ruremundensium Episcopus ad instantiam R. P. Dorothei Louffii è Societate Iesu, requirendum & describendum curavit ex Archivio insignis ecclesiæ & Canonicorum S. Gudulæ Bruxellis, ubi ipsum originale instrumentum asservatur sub numero 123, una cum sequenti scripto, ibidem sub ejusdem numeri nota custodito, certissimam de veritate Reliquiarum, Bruxellas, ut mox apparebit, translatarum, fidem faciente quod talem præfert titulum,* Status Reliquiarum corporis B. Lydwinæ Virginis, *& est hujusmodi.*

ex mitra cranio

7 Petierat Virgo morti vicina caput suum velari mitra pargamenacea, crucibus insignita, teste scriptore vitæ Teutonicæ, pridem edito.

* *Pars exigua [istius mitræ] cranio adhærens reperta: in parvo scrinio cum parte capillorum defertur.*

& stramine capillis inhærente,

8 Capiti etiam mandaverat pulvinar stramineum * supponi, corpusque ne terram contingeret lignis suppositis elevari, teste eodem.

* *Etiam stramen firmiter capillis adhærens videtur cum admiratione.*

forma sepulcri,

9 Sepulcro imposita fuit * lapideo, ante altare sanctæ Trinitatis, in sacello Orientali ecclesiæ parochialis S. Joannis Baptistæ Schiedami, teste eodem.

* *Idipsum repertum est, & lapides aliquot cum terra referuntur, è quibus statua possint confici, si ita Principi visum, totiusque templi delineationem, & sacelli tumulique cera expressum typum defert Decanus Lutosensis.*

C

eo loco ubi alius nemo sepultus:

10 In dicto sacello Catholicorum tempore nemo unquam fuit sepultus: sed nobiliores oppidi & territorii in ambitu sacelli devotionis gratia sepulturam eligebant, testibus sarcophagis extantibus, & codice * Libitinario, ubi annotati omnes & singuli ab octuaginta annis in templo sepulti.

* *Codicem omnibus patentem Decanus Lutosensis, Guardianus Trudonensis, Eustatius Reyneri, Arnoldus Ioannis, & alii legerunt & examinarunt, ante & post emptionem sepulcrorum.*

cui deinde superingesta terra ad 7 pedes,

11 Tempore hæreticorum ecclesia tota ad septem & amplius pedes elevata est pavimento tenus, ipsumque sacellum Divæ, in quo à septem annis, ad latus sepulchri Beatæ, duæ * feminæ tantum sunt tumulatæ, teste eodem codice. Fossa tamen sepulcralis earum non excessit profunditatem quatuor pedum: adeoque fuit veteri pavimento templi altior: idque conformiter statutis istius loci, extantibus in codice matriculariæ.

* *Feminarum dictarum omnia ossa, in præsentia testium in processu nominatorum, sunt, uti & ubi narratur, reperta, & ejecta in cœmeterium cum reliquiis cistarum, in quibus jacuerant.* D

& in hac sepulta 2 feminæ.

fuerat ibi pictura Beatæ,

12 Ad latus altaris pictura erat Divæ, * ab Angelo ramum olivæ accipientis, & Crucem læva tenentis, testibus quotquot sunt quadragenarii cives Schiedamenses.

* *Extat apud chalcographum Antverpiensem ad exemplar hujus imago sculpta, & chartæ impressa passim habetur.*

miracula in fenestra

13 In vitrea sacellum illuminante, depicta erat Vita * & miracula Beatæ: illudque de naufrago adhuc superest cum aliis partibus.

* *Vitream hanc, rudi pictura repræsentatam, defert Decanus Lutosensis.*

imago in altari

14 Supra aram imago Divæ erat, stantis, coronatæ, Crucem in pectore gestantis, testibus eisdem.

* *Ejusdem forma unam ex lapidis sepulcralis comminuti & coagulati parte, imposuit feretro Decanus.*

anathemata ad parietem,

15 Ad parietem ecclesiæ eadem depicta erat lecto decumbens, implorantibus opem ejus diversæ conditionis & sexus hominibus, suspensis ex ferro prominente cereis membris, navibus, personis, ad memoriam * curatorum ejus interventu.

* *Miracula plura patrata & narrata testibus elevationis, si visum Celsitudini suæ, poterunt auctoritate Vicarii Apostolici, auditis iis qui viderunt, registrari.* E

pecten, lucerna, cingulum,

16 Ex supellecti ejus adhuc superest pecten deformis, *in manu privati in Hollandia, & suo tempore poterit haberi:* laterna vetusti operis: *eam Pater VViringus, in Collegio Societatis Mechliniæ agens, à vidua Verburchtii accepit, cum promisso de restituendo (& servandam tradidit Domui Professæ Antverpiæ, ubi ea adhuc in sacrario visitur)* crux & cinguli pars: *quam intelligo à Vicario Apostolico vindicatam.*

lapis sepulcralis

17 Sepulcri ejus ante aram orificium, aliquot pedibus supra terram, erat tectum lapide magno * effigiem Divæ insculptam ostentante, quem hæretici, templi pavimentum elevantes, sperantes memoriam Divæ tollere, inverterunt.

* *Lapis hic adhuc superest: & , si opus, haberi potest.*

supra quem reclinabantur obsessi.

18 Supra lapidem limbus lapideus cavitatem faciebat, in quo reclinati obsessi * & languentes, liberati pluries fuerunt, testibus qui supersunt senioribus.

* *De liberatis obsessis tempore Pastoris Schiedamensis defuncti, poterunt etiam audiri testes auctoritate Vicarii aut Nuntii Apostolici.* F

ossa intra arcam composita;

19 Ossibus minoribus consumptis, majora cum capite supersunt, feretroque seu cistæ sunt à Decano Lutosensi imposita, longitudinis duorum pedum cum medio, altitudinis sesqui pedis & latitudinis fere paris, quæ interius vestita viridi sattino arculam ad latus habet minoribus servientem Reliquiis, & extrinsecus vestitur corio deaurato: ipsa autem sacra ossa bysso sunt involuta, cum duobus lateribus è medio sepulcri acceptis, teste processu verbali.

quorum translationem secuta

20 *Vtinam cura fuisset Schiedamensibus ipsa quæ ad sepulcrum Beatæ patrata fuerunt miracula innumera, aut saltem magis illustria atque testatiora describere & litteris publicis consignare; quantum ea præberent incitamentum fiduciæ erga beatam hanc Virginem concipiendæ! sufficere tamen debet omnibus Magistratus Schiedamensis testimonium de miraculis in genere, supra post Vitam expressum, & continuata eorumdem miraculorum memoria, apud cives usque ad hoc seculum conservata. Sufficit ea certe Illustrissimo Archiepiscopo Mechliniensi Matthiæ Hovio, à Principibus Belgii Alberto & Isabella requisito, ut sua auctoritate probaret cultum B. Lydwinæ deinceps Bruxellis deferendum: quod fecit hac epistola, quam ex autographo dignatus est propria*

A *pria manu transcribere ac sigillo munire prædictus Episcopus Ruremondensis, in hæc verba:*

approbatio Archiepiscopi Mechlin.

21 Matthias, Dei & Apostolicæ Sedis gratia Archiepiscopus Mechliniensis, omnibus has visuris salutem in Domino. Cum juxta morem Ecclesiæ teneantur Christi fideles omni veneratione sacras Beatorum reliquias, quæ habitacula sancti Spiritus, & hospitium felicium animarum in hoc mundo fuerunt, prosequi: ne interim fraudes & imposturæ circa eas erroris dent occasionem & scandali, præcipit sacrosancta Tridentina Synodus nullas publice honorandas exponi, nisi ab Ordinariis loci de veritate earum cognoscatur. Cum itaque ex parte Serenissimorum Principum nostrorum nobis fuerit expositum, qualiter ossa sive corpus B. Lidwinæ ex potestate hæreticorum vendicaverint, idemque per Sacerdotes & testes idoneos exhumatum, elevatum, & Bruxellam Dei favore sit translatum: Nos, visis auditisque processu verbali, & depositione testium, miraculorum multitudine, tam ipsa vivente quam post obitum, ejus interventu patrata, consideratisque quæ in similibus considerari solent & debent, auctoritate nostra ordinaria permittimus dictas B. Lidwinæ reliquias, cum ceremoniis & honore debito, exponi, & Christi fidelibus venerandas proponi.

B

cum Indulgentia 40 dierum.

Quod ut studiosius fiat, omnibus Christi fidelibus, ante dictas Reliquias in humilitatis spiritu & corde contrito preces fundentibus, & pro sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione, Principū Christianorum concordia, & hæreseon extirpatione deprecantibus, de Omnipotentis Dei misericordia Beatissimæ Virginis Mariæ, & SS. Petri & Pauli, nec non aliorum Sanctorum & Sanctarum meritis & intercessione confisi, quadraginta Indulgentiarum dies misericorditer in Domino elargimur. Datum Mechliniæ, sub manu & sigillo nostris propriis, anno Domini millesimo sexcentesimo decimo sexto, mensis Januarii die decima quarta.

Et erat subsignatum MATTHIAS ARCHIEP. MECHLINIEN. & ex linteo serico viridi appendebat sigillum in cera rubra impressum. In plica erat A. LEENS SECRET.

Hæc copia collata cum suo originali
locus ✠ sigilli per omnia concordat. Ita testor
hac secunda Septemb. 1671.
LANCELOTTUS Ep. CONFIRMATUS RUREMON.

C

os unum dono Archiducum per Aubertum Miræum

22 *Hoc ipsum diploma Fastis suis Belgicis ad* XIV *Aprilis inseruit Aubertus Miræus, indeque acceptum transtulit in suum urbium Belgicarum Theatrum, tomis duobus ac forma plane regia cum Atlantibus impressum, Vir* CL. *Ioannes Blavius, ubi Schiedamensis oppidi descriptionem exhibens, sanctæ Virginis meminit, velut quæ patriæ suæ ornamentum præcipuum & posterorum memoria dignissimum fuerit. Addit autem Miræus.* Dicta B. Liduinæ ossa argenteæ arcæ inclusa, in suo oratorio domestico, Serenissima Isabella Clara Eugenia Hispaniarum Infans asservat: ex quibus os unum prægrande, cruci argenteæ ac vitro crystallino inclusum, anno MDCXVI, ab eadem Infante ejusque marito Alberto Pio, per me Aubertum Miræum, dono missum est illustri nobilium Virginum Canonicarum Collegio Montensi in Hannonia, quæ urbs lue tunc pestilenti laborabat: & die XIV Septembris collocatum ibidem in Basilica S. Waldetrudis, per Henricum Franciscum Busignium, Abbatem S. Dionysii, universo Clero, Senatu ac populo comitante. Nec pietati merces defuit; cessante nimirum ex eo tempore epidemia. *Ita Miræus. Rem ut acta est plenius descriptam misit nobis R. P. Ioannes Blauwart Collegii Montensis tunc Rector, ac postea, sicut & antea Societatis Gallo-Belgicæ Præpositus Provincialis, ut habet Instrumentum, ex Gallico Latine redditum.*

Montes missum urbem liberat pestilentia.

23 Subnotatus Distributor nobilis & illustris Capituli ecclesiæ S. Waldetrudis, Montibus Hannoniæ, attestatur & verificat omnibus quorum interest, quod anno salutis nostræ MDCXVI, XIII Septembris, Dominus Miræus Protonotarius Apostolicus, Capellanus oratorii Archiducum Alberti & Isabellæ, missus à suis Celsitudinibus una cum litteris in comitatu duorum aliorum Presbyterorum, venit ad dictam civitatem Montensem, ad Domicellas Seniores dicti Capituli, gratificaturus & honoraturus ipsas insigni quadam Reliquia S. Lydwinæ, argento inaurato inclusa. Itaque ad testandam gratitudinem æstimationemque doni tam excellentis atque donantium, prædictæ Domicellæ Seniores decreverunt in pleno Conventu Capitulari, die postero, qui erat Exaltatæ Crucis, faciendam Translationem præfatæ Reliquiæ, cum processione solenni, per ipsas Domicellas instituenda, quam comitarentur universus Clerus, omnesque Religiosorum Ordines, Senatus ordinarius, Magistratus ac populus: quæ processio duceretur ab ecclesia S. Elisabethæ ad ecclesiam S. Waldetrudis. Ad cujus processionis egressum omnibus rite præparatis, atque Abbate S. Dionysii Pontificalibus induto, & sacrum depositum manibus tenente, lectum est diploma Approbationis, quo permittit Mechliniensis Archiepiscopus venerationem dictarum sanctarum Reliquiarum. Deinde peroravit Dominus Beugnies, dicti Capituli Consiliarius: processumque solennissime est versus prænominatam S. Waldetrudis ecclesiam, facibus cereis circiter sexcentis prælucentibus; Religiosis autem, Presbyteris atque Virginibus Canonicis, singulis singulas ex alba cera candelas gestantibus; altaribus vero, qua pompa ducebatur, variis eleganter dispositis ad stationes habendas. Hæc porro omnia fideliter extracta sunt ex collectione & memoriali codice earum rerum, quæ contigerunt sub Domino Distributore Tahon, manu ejus descripto. Prædictæ Reliquiæ deferuntur per Celebrantem in ordinariis Rogationum processionibus, aliisque in quibus non circumfertur venerabile Sacramentum. Atque hæc verissima sunt: in quorum fidem hisce subjeci signum meum manuale, in qualitate Notarii Apostolici, die XXV Augusti MDCLXX.

EX MSS.

postquam à Virginibus Canonicis exceptum,

solenni per urbem processione

E

delatum fuit ad ecclesiam S. Waldetrudis.

J. du Ternos Not. Apost.

24 *Antverpiam quoque quædam Virgo Deo devota, ex Hollandia veniens, notabilem quamdam particulam attulit ex sacris B. Lidwinæ ossibus, una cum tabellis pictis, vitam & miracula Virginis repræsentantibus, quas credibile est Schiedamensi sacello fuisse olim pro ornatu, & cum illud ab hæreticis destruendum esset, illorum insana protervia subductas per pios Catholicos. Vtrasque autem, Reliquias scilicet & tabellas excepit Amplissimus ac Reverendus admodum Abbas celeberrimæ ecclesiæ S. Michaelis Canonicorum Ordinis Præmonstratensis, & ad piorum Catholicorum, ex Hollandia in Brabantiam venientium, solatium, collocavit in sacello Sanctorum Apostolorum: ubi eas per multos annos stetisse expositas, plures ex Religiosis meminerunt atque testantur. Verum quia hac de re nihil legitime scriptum inveniebatur, unde constare posset an & à quo Episcopo recognita & approbata fuerint prædicta Reliqua, visum est postremorum Abbatum alicui, consultius & sacris Canonibus conformius se facturum, si ipsas aliis certis approbatisque Reliquiis adjungi juberet, nec amplius seorsim exponi pateretur. Itaque abolita paulatim est earum notitia: & ipsæ tabellæ, quæ sua vetustate minus aptæ jam erant ad templi ornatum, subductæ ex oculis sunt; cessavitque omnis in illo loco B. Lidwinæ veneratio: quæ interim aucta insigniter crevit Bruxellis.*

F

alia particula delata Antverpiam,

nunc privatim habetur.

25 *Etenim Serenissima Principissa prænominata Isabella Clara Eugenia, piissimo conjuge viduata, anno* MDCXXI, *cum*

EX MSS. *Pars major corporis*

cum quidquid à publicis vacui erat otii studiique rebus sacris impenderet, animum etiam adjecit ad corpus B. Lidwinæ patentiori cultui exponendum: mandavitque ex ebeno argentoq; fieri hierothecas duas, unius formæ, quæ forma infra plenius describetur: & per eas partita depositũ sacrum, alteram in oratorio suo domestico servavit, alteram misit ad dilectas suas filias Carmelitanas discalceatas, quibus anno MDCVII *ipsa cum marito cœnobium Bruxellis fundaverat. Cujus rei testes hodieque supersunt litteræ Francisci à Rye Cæsariensis Archiepiscopi, qui præfatæ Serenissimæ Capellanus & Eleemosynarius major erat, hoc tenore:* Notum facimus & per præsentes attestamur, nos ex ordine & mandato prædictæ Serenissimæ Principissæ die XXIII mensis Decembris MDCXXVI ad portam monasterii Reverendarum Sanctimonialium, Ordinis Carmelitarum, Discalceatarum nuncupatarum, hujus oppidi Bruxellensis, deposuisse sacrum corpus & reliquias S. Ludovinæ, in manibus Rev. Matris ejusdem monasterii aliarumque Religiosarum ibidem existentium, & illud cum omni honore & reverentia recipientium; præsentibus R. P. Hilario, Provinciali prædicti Ordinis, & D. Joanne de Sylvere, prædictæ Serenissimæ Principissæ jocalium Custode &c. *Porro in memoriis Conventus prædicti habetur, quod ibi sit major & notabilior venerandi depositi pars.*

anno 1626 Teresanis Bruxellen. tradita;

B

26 Anno MDCXXXIII *eadem* Serenissima, *prout suis ad nos litteris scribit prælaudatus P. Dorotheus Louffius*, Testamentum condidit; eoque universum suum sanctarum Reliquiarum, undique collectarum, thesaurum, sane locupletissimum, legavit insigni Collegiatæ ecclesiæ SS. Michaelis & Gudulæ, ut istic puplicæ fidelium devotioni expositæ, majori cum pietate colerentur. Restabat ut mortua quoque religiosissima Principe, prædicta sacra lipsana ex Aula in ecclesiam præfatam transferrentur: sed eædem causæ quæ solennes exequias & tanto funere dignas hactenus distulerunt, hanc quoque inter alias testamentalium tabularum partes suspensam habuerunt; donec tandem anno MDCL Serenissimus Archidux Leopoldus, Provincias Belgicas pro Catholico Rege gubernans, & Illustrissimus Archiepiscopus Mechliniensis, cui erat commissa testamenti executio, annuerunt ut fieret Reliquiarum Translatio. Quæ VII Januarii die, festivitatem S. Gudulæ immediate præcedente, facta est, sed secreto; ne scilicet, si propter temporum difficillimorum angustias, urgentibus tunc quam maxime bellis, & grandi pecuniarum summa in extruendo altari Reliquias excepturo expensa, parceretur sumptibus in pompa adornanda; Principis defunctæ & Regis viventis honori non bene consuleretur. Translationem curarunt triumviri è Collegio Canonicorum ad hoc deputati, una cum fidelibus custodibus per viam adhibitis, uti in Actis Capitularibus videre est. Erectum erat in medio templo, ante odæum majoris chori, augustissimum pegma cum altari, in quo Reliquiæ omnes ordinate dispositæ, die S. Gudulæ festo atque per totam Octavam, prostiterunt ad venerationem totius populi. Deinde delatæ illæ sunt ad sacellum Venerabilis Sacramenti Miraculosi: quod jam inde ab annis trecentis, postquam ab impiis Judæis sacrilege confossum emiserat sanguinem copiosum, in dicta ecclesia maximo cum honore servatur. In hujus sacelli altari marmoreo elegantissimo, & circum tabulam, Dominicæ cœnæ repræsentativam, dispositis venuste forulis ornato, stabilem singulæ lipsanothecæ locum acceperunt, suis quæque diebus solennius honorandæ. Est autem in hisce forulis supra tabulam, in medio pegmatis, collocata Beatæ Virginis Mariæ statua: ad cujus latus in proximo forulo conspicua cernitur arca oblonga, ex ebeno argentoq; laborata, unum circiter pedem alta, continens ossa B. Lidwinæ, cui duæ argenteæ statuæ insistunt, una B. Lidwinæ, manu sinistra tenentis inauratam Christi crucifixi effigiem; altera Angeli, cælestem ramum dexteræ ejusdem Lidwinæ cum veneratione porrigentis.

pars altera ex testamento,

C

anno 1650 translata ad ecclesiam S. Gudulæ

D


publicæ venerationi exponitur,

27 *Prædictorum omnium fidem facit Registrum Capitulare, ubi Acta singula suis quæque diebus adscripta notantur; atque successive leguntur sequentia.* MDCXLIX, XXIX Novembris Domini deputant ad Archiducem Reverendos Dominos, Decanum, Thesaurarium, Gaigne, Tailler & Lopes, ipsius Archiducis Confessarium, Comitesque Fuensaldaña & Piñaranda, ad promovendam Reliquiarum traditionem. XXIV Decembris, Domini, intellecta Serenissimi Archiducis Leopoldi intentione, ut pro festo S. Gudulæ proximo transferantur Reliquiæ, decreverunt ut altare in forma amplissima extruatur ante Odeum, ad eas ibi collocandas & publicæ venerationi exponendas. Anno MDCL, VII Januarii, Domini deputant R. D. Decanum & ceteros, ut conveniant Illustrissimum Mechliniensem, uti executorem testamenti Serenissimæ Principis Isabellæ, ut cum eo agant de modo & forma sacras Reliquias ad hanc ecclesiam deferendi. Postea Domini deputati retulerunt, in domo dicti Illustrimi Domini conclusum fuisse, ut dictæ Reliquiæ secreto ad ecclesiam D. Gudulæ deferantur. Quapropter Domini deputarunt D. Decanum Prats, D. Thesaurarium Domburgh & D. Canonicum Tailler (*quorum ultimus, postea Decanus Antverpiensis; primus, Iprensis Episcopus creati sunt*) ut delationem dictarum Sanctarum Reliquiarum ad hanc ecclesiam dirigant; & fideles custodes in itinere iisdem adhibeant. Quæ sic delatæ designatis capsis, in sacristia venerabilis Sacramenti dispositis, inclusæ fuerunt. IV Februarii fuit datum honorarium iis qui dictas sacras Reliquias detulerant.

E

Eadem notatur in Registro Capitulari.

F



XV APRI-

XV APRILIS.

SANCTI QUI XVII KALENDAS MAII COLUNTUR.

SAncta Basilissa, S. Anastasia, Martyres Romæ.

S.Maro, S.Eutyches, S.Victorinus, Presb. S.Messor, S.Proclina, S.Messites, S.Iocundus, Martyres in Italia.

S.Theodorus Presb. S.Pausilipius, Martyres, in Europa provincia Thraciæ.

S.Olympiades, S.Maximus, Martyres, Cordulæ in Perside.

S.Crescens Martyr, Myræ in Lycia.

S.Archelaus, S.Cyprianus, S.Comatus, S.Veronica, S.Acuta, S.Diogenes Diac. SS.duo fratres, Martyres in Mesopotamia.

S.Prosducus, S.Veronica, S.Dionina filia, S.Octavia, S.Potamia, S.Prudentia, S.Focus, S.Syrus, S.Lucianus, Martyres, Antiochiæ in Syria.

S.Quoamalius, S.Archelaus, S.Potamius, S.Donatella, Martyres, in Galatia vel Galæcia.

S.Eutychius, Martyr Ferentini in Hernicis.

S.Leonides, Episcopus Athenarum, in Græcia.

S.Paternus, Episcopus Venetensis in Britannia Armorica.

S.Rodanus, sive Ruadanus, Abbas Lothrensis, in Hibernia.


S.Silvester, Abbas Reomaënsis in Gallia.

S.Abbo Episcopus Metensis.

S.Mundus Abbas, in Argathelia Scotorum provincia.

B.Petrus Gonsaluez, à vulgo nautico dictus Sant-Elmo, Ordinis Prædicatorum, Tudæ in Galæcia.

PRÆTERMISSI ET IN ALIOS DIES REIECTI.



S. Eptadii Presbyteri & Confessoris translatio, *memoratur in apographo Usuardi, aucto in MS. Parisiensi S. Victoris & alio Reginæ Sueciæ: sed quis sit ejus dies natalis necdum comperimus. Si* Eptadius *sive* Aptadius Episcopus *foret; conjiceremus oculos in* S. Aptadium Episcopum Metensem, *de quo in appendice egimus ad diem* xxi Januarii.

S. Reginaldus seu Reinaldus, *à VVilhelmitis Belgis colitur hujus diei officio, toto de communi: est medicus, cujus, post S. VVilhelmi obitum, Alberto ejus discipulo adjuncti, mentio est in Vita parte 2 num. 25. Rogatus Prior Alostanus, quo fundamento coleretur ut Sanctus, respondit seniores monasterii adhuc meminisse, quod quidam ejusdem monasterii Prior, Cruleus nomine, ex Germania revertens, retulerit istic eum coli, & ea de causa hic etiam sic coli cœpisse. Refert ipsum inter Cistercienses Henriquez, inter Augustinianos Herrera. Nos eum Ordini suo proprio relinquimus. Refertur à Saussajo inter Pios, cum titulo* beatæ memoriæ. *Silent de eo Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ & altero generali, & Silvanus Razzius de Sanctis Hetruriæ. Quæ de eo videntur sciri posse, habentur in Vita S. Guilielmi par. 2. cap. 5 & 6* x Februarii.

S. Oswaldi, Episcopi Wigorniensis & Eboracensis, corpus elevatum est hoc die, anno 1002; *& ejus memoria à variis invenitur hoc die relata, uti diximus ad Vitam* xxviii Februarii.

S. Wilhelmus, puer Norwicensis, à Judæis occisus, *hoc die inscriptus est Martyrologio VVitfordi; quo die ob inventionem corporis solenniter coli diximus ad Vitam* xxv Martii.

SS. Irene, Agape & Chionia, Sorores Martyres, *elogium hoc die habent in MSS. Synaxariis Claromontano & Mazariniano: egimus de illis* iii Aprilis.

S. Casilda, Virgo Toletana, *refertur in Martyrologio Hispanico Tamaji Salazar. De ea egimus* ix Aprilis.

S. Sabas Gothus, Martyr in Cappadocia, *habetur hoc die in Menologio Basilii Imperatoris, & in MSS. Menæis bibliothecæ Ambrosianæ, uti dictum est ad Vitam* xii April.

S. Euphemia, Virgo & Martyr, *est inscripta MS. Vaticano Ecclesiæ S. Petri, uti diximus, quando à pluribus refertur* xiii Aprilis.

S. Hermenigildi natalis in Hispania *memoratur in illustri MS. Vaticano ecclesiæ S. Petri. Ejus Acta dedimus* xiii Aprilis.

B. Jacobus, eremita Camaldulensis, *inscriptus est Martyrologio monastico VVionis & aliorum. Vitam dedimus* xiii Aprilis.

Hilduinus, primus Abbas S. Victoris Parisiis, *refertur cum titulo* Beati *à Ferrario in Catalogo generali.*

Aliis dicitur Gilduinus, *de quo inter Prætermissos egimus, die quo obiit,* XIII Aprilis.

S. Aristarchus, S. Pudes, S. Trophimus, *referuntur in Menologio Basilii Imperatoris & in Menæis MSS. nec non in Kalendarii Moscovitici tabulis: Aristarchus vero solus in Kalendario Ruthenico Possevini, sed errore forsan typographico scribitur* Aristarcha: *at apud Latinos coluntur variis diebus, quos assignavimus inter Prætermissos* XIV Aprilis.

Maximus, Episcopus Constantinopolitanus, tempore Gratiani Imperatoris doctrina celebris, *refertur à Greveno & Molano primæ editionis in additionibus ad Vsuardum, & à Canisio, de eo inter Prætermissos egimus* XIV Aprilis.

S. Domnina, cum Sociabus Martyribus, Interamnæ in Umbria, *refertur à Ferrario in utroque Catalogo, & dicitur hoc die coli. Egimus de illis & aliis Martyribus, ibidem simul occisis, & ab aliis relatis* XIV Aprilis.

Crucis geminæ susceptio, Elnone in monasterio S. Amandi, *celebratur à Molano in additionibus ad Vsuardum, quem lector consulat.*

SS. Castus & Larius, Martyres, *memorantur in Kalendario Breviarii Ambrosiani, anno* 1539 *excusi. Desunt in Kalendario Missalis Ambrosiani, impressi anno* 1522. *Hinc aliunde huc translatos arbitramur.*

Orintiæ Virginis & Martyris reliquiæ aliquæ sunt Florentiæ apud S. Franciscum, & apud S. Gabrielem in Ravegnana, *uti observat Massinus in Bononia perlustrata. Aliud de ea hactenus non scimus.*

Filii Drageni de Kill-roa, Grellanus, filius Rotani, Dubta, Sarnata de Dain-inis, Cætna, *inscripti sunt Martyrologio Tamlachtensi.*

Leo V, è monacho Benedictino Cardinalis, hoc die anno 903 electus, post mensem & dies decem coactus abdicare, & vitam monasticam repetere, qui paullo post præ dolore animi periisse creditur, quod ab eo potissimum honore spoliatus fuisset, quem ipse ut lupum domi aluerat. *Ita Ciaconius: quo citato eum, cum titulo* Beati, *ad hunc diem retulit Bucelinus.*

Petrus, ex monacho Cardinalis, promotor Psalterii B. Mariæ Virginis, *refertur à Bucelino cum titulo* Beati.

Silvester, Episcopus Rotomagensis, S. Evodio subrogatus, *cum titulo* Sancti *memoratur à Ghinio in Natalibus Sanctorum Canonicorum. Nullus inter Episcopos Rotomagenses refertur* Evodius; *sed* Innocentio *traditur* Subrogatus Silvester: *neuter vero ullam habet venerationem.*

Christina Virgo, in Monte S. Walburgis pie mortua, *celebratur cum titulo* Beatæ *apud Henriquez, Bucelinum & Chalemotum; ut* pia & venerabilis *in fastis Coloniensibus & Martyrologio Gallicano.*

Nidgarius, ex monacho & Abbate Uttenburano Episcopus Augustanus in Germania, *cum titulo* Sancti *memoratur à Menardo in Martyrol. Benedictino & à Ferrario, ob hanc Sepulcri inscriptionem:* Beatissimæ memoriæ requiescit hic Nidgarius Episcopus. Omnes legentes orate, ut pius Deus illi misereatur. Obiit beatus XVII Kalendas Maii. *An hæc pro canonizatione sufficiant, judicent alii.*

Geraldus monachus Cluniacensis, B. Petri Abbatis discipulus, Prior de Alto-jugo, miraculis clarus, *nominatus à Wione & Menardo in Appendice eorum, quorum obitus est ignotus: at relatus à Bucelino ad hunc diem. Certiora de eo expectabimus in Actis Sanctorum Ordinis Benedictini à Mabillono edendis.*

Volbertus *sive* Fulbertus, primus Abbas Tuitiensis, & Administrator monasterii S. Pantaleonis, *hoc die mortuus traditur à Gelenio, de Colonia Agrippinensis magnitudine p.* 364, *ubi, sicut & in Florario Sanctorum,* Beatus *appellatur: omittitur interim in Fastis Agrippinensibus ejusdem Gelenii.*

Godwinus, ex monacho Benedictino monasterii Aquicinctini, factus sub S. Bernardo Ordinis Cisterciensis in Claravalle, *& ab hoc* sanctus filius *appellatus, cum titulo* Beati *refertur ab Henriquez, Chalemoto, & Bucelino: quem cum titulo* Sancti *celebrat Saussajus. Verum si talis in Ordine haberetur & coleretur, non eum auctor Kalendarii Sacri Ordinis Cisterciensis. Divione anno* 1617 *excusi, omisisset aliquo saltem anni die nominare.*

Waltmannus, à S. Norberto primus monasterii Præmonstratensis in urbe Antverpiensi constitutus Abbas, *cum titulo* Sancti *inscriptus est Martyrologio Gallicano Saussaji, & Fastis Agrippinensibus Gelenii. Verum à Chrysostomo Vander Sterre dicti monasterii Priore, dein Abbate, in Natalibus Sanctorum Ordinis Præmonstratensis solum appellatur* B. P. Waltmannus. *Habemus Litanias de S. Norberto cum approbatione Beyerlinck editas, ad cujus calcem habetur* Commemoratio de B. P. Waltmanno Abbate, *cum oratione propria: sed hæc particulari devotioni subserviunt. Sunt omnia, quæ de eo sciuntur annexa Vitæ S. Norberti, ac sic de utroque* VI *Iunii agemus.*

Cæsar de Bus, institutor Patrum Congregationis doctrinæ Christianæ, *cum illustri elogio refertur à Saussajo in Supplemento Martyrologii Gallicani, sed inter Pios, cum titulo* Venerabilis Patris.

S. Invelta Virgo, *Officio* 9 *Lect. colenda, notatur in quibusdam veterum Kalendariorum excerptis, ad nos ex Gallia missis, veluti sumpta ex Breviario antiquo Leonensi quod necdum habemus. Tacent de ea Saussajus in Martyrol. Gallicano, & Albertus le Grand in opere de Sanctis Britanniæ Armoricæ: itaque & nos eam differimus, donec aliunde major lux affulgeat.*

Petronella Nella, Virgo Dominicana, Florentiæ in monasterio S. Catharinæ Senensis, cum opinione sanctitatis mortua anno MDXXX, *refertur cum titulo* Beatæ *in Sacro Gynæceo Arturi du Monstier.*

Huva in Alsatia, *cum titulo* Beatæ, *refertur à Ferrario in Catalogo generali, annotante ipsam haberi* ex Kalendario regionis ejusdem: *& ab Arturo du Monstier in Sacro Gynæceo, citante dictum Ferrarium. Nos de ea nihil potuimus hactenus scire. Forsan est ex Vrsulanis, licet nomen apud Crumbachium non repererimus.*

Fr. Joannes à Monte-Politano, Ordinis Minorum, Cayri Babyloniæ anno 1345 à capite deorsum per medium discissus, lauream martyrii adeptus, *refertur à Francisco Haroldo in Epitome annalium Ordinis Minorum, absque titulo* Beati, *quem ei ad hunc diem tribuunt. Arturus in Martyrologio Franciscano, & Ioannes Baptista Ferrarius in Fastis Senensibus, ubi* Joannes Martinozzius *appellatur.*

Petrus à S. Andrea, in Calabria, Laurentius Panormitanus, Benedictus à Valentia Barcinone, Franciscus à Stronconio in Umbria, Aloysius à Gulionisio, in Apulia, Agnes ab Ortega, in Hispania, Ordinis Minorum, *referuntur ut* Beati *ab Arturo du Monstier in Martyrologio Franciscano, &* Agnes *etiam in ejus Gynæceo sacro, &* Franciscus à Stronconio *à Iacobillo de Sanctis Vmbriæ, citato dicto Martyrologio.*

Martyres octodecim Cæsaraugustani, *suis nominibus indicati, sed cum nonnulla diversitate, referuntur in* 4 *apographis Martyrologii Hieronymiani, item apud Adonem, Notkerum & alios. In Martyrologiis Vsuardi, Romano, Hispanico & aliis ponuntur* XVI Aprilis.

Felix,

Felix, Fortunatus, Silvanus, Lucianus, Gomalus, Parcilaus, Leonides, Mica, Gallienus, Marcianus, Faustinus, Lucianus, — Martyres, *subjunguntur* Martyribus Cæsaraugustanis, *sed hi sunt in* Ponto *passi, & referuntur, etiam in eisdem Martyrologiis & aliis*, XVI Aprilis.

Eugatia, Virgo & Martyr, *inscripta est additionibus Greveni ad Vsuardum, & ex eo Canisii Martyrologio Germanico. Videtur esse* Engratia *sive* Encratides *referenda* XVI Aprilis.

S. Ursmarus, Episcopus & Abbas Lobiensis, *inscriptus est Florario Sanctorum. Vitam ejus dabimus* XVIII Aprilis.

S. Georgius Martyr *memoratur in 4 apographis Martyrologii S. Hieronymi, & in MSS. Augustano Parisiensi, Maximiniano, & apud Grevenum. At solenni veneratione* XXIII Aprilis.

S. Quiricus Episcopus, qui Crucem Domini invenit, *refertur in MS. Adone monasterii S. Laurentii apud Leodienses, & Florario Sanctorum, item apud Bellinum, Grevenum & Molanum in Auctario Vsuardi, Maurolycum, Canisium & Ferrarium. Ab aliis idem censetur cum S. Quiriaco* IV Maii.

B. Suentoslaus, *inter Beatos Poloniæ Patronos apud Martinum Baronium vigesimus primus, Mansionarius ecclesiæ B. Mariæ circuli Cracoviensis, in medio choro illius sepultus honorifice anno* 1489, 15 *Aprilis, laudatur prolixe capite ult. tract. 2 de Vita S. Stanislai Cracoviensis Episcopi, edita per Ioannem Dlugosch Canonicum Cracoviensem anno* 1465, *dum Suentoslaus adhuc viveret; idque occasione visionis, quam habuit de gloria ipsius S. Stanislai: quæ visio cum sit præcipua pars vitæ scriptæ, & Romæ, ut nobis significatur, impressæ, poterunt quæ de illo dicenda supersunt in Annotandis ad prædictum Dlugossi tractatum commemorari, maxime si de aliquo illius publico cultu magis interim nobis constiterit, id est ad diem* VII Maii.

S. Modoaldi, Episcopi Trevirensis, translatio corporis, *inscripta est Martyrologio Coloniæ & Lubecæ anno* 1490 *excuso, item MS. Florario Sanctorum; apud Grevenum etiam & Canisium. Dies ejus natalis celebratur* XII Maii.

S. Isidori Martyris, Translatio corporis ex Chio insula Venetias, *ex Tabulis Ecclesiæ Venetæ, Galesinio & Ferrario. Natalis ejus celebratur* XV Maii.

S. Ortarius Abbas *in Normannia obiit hoc die, quando & cultum in sua Lavallensi ecclesia habuit, uti constat & lectionibus antiquis: postea ob elevationem aliquam corporis, uti existimamus, in festis Pentecostalibus factam, cœptus est passim aut ipsis in festis coli, aut die* XXI Maii.

Lebaudi capitis ostensio *indicatur a Saussajo in Martyrol. Gallic. Est hic aliis* Leobaldus Martyr *& colitur* VIII Augusti.

S. Helenæ Imperatricis transitus *memoratur in Additionibus Greveni, & Martyrologio Canisii, & Adone MS. S. Laurentii apud Leodienses & in Archidiœcesi Salisburgensi colitur officio proprio cum tribus Lectionibus de Vita. In Martyrologio Romano & aliis* XVIII Augusti.

S. Juliani Martyris, Brivate apud Arvernos, dedicatio altaris *inserta est quibusdam apographis Martyrologii Hieronymiani. Natalis est* XXVIII Augusti.

Frontonis, Episcopi & Confessoris, *nuda memoria his verbis celebratur a Greveno in Auctario Vsuardi: & videtur* Fronto Abbas *esse, relatus* XIV Aprilis. *At Molanus in prima Vsuardi sui editione loco* Confessoris *posuit* Wormatiensis, *apposita littera* q, *indicans se* ex quibuscumque *accepisse. Omisit dein in secunda & tertia editione, seipsum modeste corrigens. Arripuit interim occasionem Canisius, & hac eum phrasi profert.* Item Wormatiæ sancti Frontonis Episcopi & Confessoris. *Vtroque autem citato ista habet Ferrarius:* Wormatiæ in Germania B. Franconis Episcopi. *Habemus Breviarium VVormatiæ anno* MDLXXVI *excusum, in quo nulla* Franconis *fit mentio. Gaspar Bruschius in Catalogo Episcoporum VVormaciensium censet* Franconem Episcopum XXIV, *& in elogio asserit* Romæ mortuum anno DCCCCXC, die, *quando poterit de eo agi si de veneratione constet,* IV Septemb.

S. Memorii Levitæ & Martyris, reseratio corporis facta Trecis, *memoratur a Saussajo in Martyrol. Gallic. Ejus Natalis est* VII Septemb.

B. Martini Abbatis, Hortæ in Hispania, Ordinis Cisterciensis, elevatio corporis facta anno MDLV, *memoratur a Chalemoto & in Kalendario Ordinis Cisterciensis Divione anno* 1617 *excuso. Natalis ejus est* XVI Septembris.

S. Dionysii & Sociorum ejus, dedicatio Ecclesiæ Ambianis, *refertur in MSS. additionibus ad Grevenum. Coluntur hi Sancti* IX Octobris.

S. Winon, ex monacho Corbeiensi Archiepiscopus Bremensis nonus, *memoratur in MS. Kalendario Antverpiensi Ordinis S. Benedicti. A Molano, Canisio & aliis* XXI Octobris.

S. Ebergisi Episcopi, in Trajecto Superiore, & Confessoris *memoria celebratur in MSS. additionibus ad Grevenum. Rejecimus alias ejus Acta in* XXIV Octob.

Ingenocus Abbas, discipulus S. Winoci, Bergis in Flandria *refertur cum titulo* Sancti *a Bucelino, citaturque Menardus, qui eum in secunda appendice ponit cum solo titulo* Beati, *fateturque natalem diem ignorari. Poterit de eo agi, quando agendum erit de S. VVinoco,* VI Novembris.

S. Othmari, Abbatis monasterii S. Galli, translatio *celebratur apud VVionem, Menardum, Ferrarium. Natalis incidit in* XVI Novemb.

S. Eusicii Abbatis Inventio, Cellis Biturigum *festive agenda notatur inter officia propria dicti monasterii, excusa anno* 1649. *At Natalis cum Octava celebratur* XXVII Novembris.

S. Joannis Euangelistæ Reliquiæ, conditæ sunt Autissiodori, in baptisterio juxta ecclesiam S. Germani Episcopi & Confessoris, *cujus* baptisterii dedicatio *bodie solita peragi refertur inserta Apographis Martyrologii Hieronymiani. De dictis reliquiis agendum erit* XXVII Decemb.

DE SS. BASILISSA ET ANASTASIA

G. H.

MATRONIS ROMANIS ET MARTYRIBUS.

AN. LXVI.

Elogia ex Menologio Basilii Imp.

*Uspicamur cum Martyrologio Romano hunc decimum quintum Martii ab hisce Matronis, de quibus antiquissima memoria extat in MS. Menologio Græco Imperatoris Basilii Porphyrogeniti his verbis:* Certamen sanctarum Martyrum Mulierum Basilissæ & Anastasiæ. Basilissa & Anastasia Christi Martyres, prognatæ quidem erant ex magna urbe Roma nobiles & divites, sanctorum vero Apostolorum discipulæ. Post horum autem mortem, cum nocte venerandas eorum reliquias sustulissent, & funeris exequias procurassent; detectæ fuerunt, & tamquam Christianæ denuntiatæ impio & dementi Neroni: qui illico comprehendi illas, & catenis vinctas coram se adduci mandavit, eisque jussit, ut Christum abnegarent. Verum cum illud non valuisset persuadere, detrudi eas in carcerem præcepit. Postea vero è carcere eductas multiplicibus tormentis excruciavit: etenim ubera earum exscindi, & linguas recidi, & suspensas cædi, & facibus aduri, ac demum veneranda ipsarum capita abscindi mandavit.

B

Menæis,

Synaxario,

2 *Hæc ex Menologio MS. Basilii Imperatoris. Cui reliqua Menæa Græca, tam manu exarata quam excusa, cum Actis Sanctorum Maximi Episcopi Cytherorum satis conveniunt, uti etiam quæ in antiquo Synaxario Parisiensi collegii Claromontani ad* XVII *Aprilis habentur: ex quo, in confirmationem prioris elogii, aliud nonnihil diversum adjungimus, & est ejusmodi:* Certamen sanctarum mulierum Basilissæ & Anastasiæ. Erant hæ ex magna urbe Romana prognatæ, illustres genere & divitiis: factæ vero sanctorum Apostolorum discipulæ, post horum mortem venerandas eorum reliquias per noctem collegerunt, & sepulturæ tradiderunt: detectæ propterea & ad impium Neronem delatæ fuerunt: & hujus imperio in carcerem deductæ. Postmodum vero eductæ, cum ne quidem Imperatoris hortamento persuaderi possent, sed publice profiterentur se in Christi fide & confessione constanter perseveraturas, suspensæ verberantur, & lampadibus aduruntur, ubera & linguæ abscinduntur, & tandem gladio capitibus eorum ablatis, coronas certaminis sui acceperunt. *Hæc ibi. In Menæis dicuntur* earum etiam manus & pedes præcisi.

C

Menologio Sirleti.

3 *Ex illis Cardinalis Sirletus hoc elogium extractum suo Menologio inseruit, his verbis:* Eodem die sanctarum Martyrum Basilissæ & Anastasiæ, quæ cum essent ex magna urbe Roma genere & divitiis illustres, discipulæ Sanctorum Apostolorum, illis martyrio coronatis, cum eorum sanctas reliquias nocte sublatas curavissent, delatæ sunt Imperatori Neroni. Itaque in carcerem conjectæ, & paullo post eductæ, cum in Christi confessione se permanere professæ essent; suspensæ sunt, mammis, manibus, pedibus & linguis excisis, capite obtruncatæ sunt.

& Romano Martyrol.

4 *Græcorum exemplo Galesinius easdem Martyres suo Martyrologio inseruit, eumque secutus Canisius, aut quisquis Martyrologium Germanicum ex illo auxit. At Baronius citato Menologio, Sirleti videlicet, ita hunc diem auspicatur;* Romæ SS. Basilissæ & Anastasiæ, nobilium feminarum; quæ cum essent Apostolorum discipulæ, & constantes in fidei confessione persisterent, sub Nerone Imperatore, lingua pedibusque præcisis, percussæ gladio, martyrii coronam adeptæ sunt. *Hæc ibi. Romanæ nativitatis indicium nullum in Romano Martyrologio inveniens Pseudodexter, arripuit occasionem eas adscribendi Hispaniæ, his verbis ad annum 66 num.* 3. Sanctæ feminæ Virgines Basilissa & Anastasia Hispanæ, ex urbe Setabi in Edetanis, secutæ sunt Apostolum Paulum, cujus & Petri corpora curantes, à Nerone Cæsare hujus rei gratia præclaram coronam obtinent. *Quæ pluribus conantur probare Franciscus Bivarius, in suo Commentario ad Dextri Chronicon pag.* 129 *& Tamajus Salazar in Martyrologio Hispanico. Sed omnia corruunt ex elogiis Græcis, quæ licet fere eadem, singula tamen integre protulimus. In Menologio Basilii Imperatoris ita Græce legitur:* Ὑπῆρχον ἀπὸ τῆς μεγάλης πόλεως Ῥώμης. *In aliis eadem sunt, sed verbo composito* μεγαλοπόλεως. *Apud Maximum Cytheræum, hodierna lingua Græca, ita explicatur.* Αὗται ἦσαν ἀπὸ τὴν μεγαλόπολιν Ῥώμην.

Perperam Hispanæ finguntur,

E

cum sint Romanæ.

non Virgines sed Matronæ.

5 *Deinde non placet quod absque ullo vetustatis exemplo* Virgines *appellentur. Rectius Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ, in suo de iis elogio,* Romanas Matronas *appellat: idem faciunt Silvanus Razzius tomo 2 de Illustribus sanctitate feminis pag.* 146*; & Antonius Gallonius, in Historia Sanctarum Virginum Romanarum, qui cum de* S. Anastasia Virgine, *quæ colitur* XXVIII *Octobris, egisset, Annotatione tertia, agit de hisce Matronis, solemniorem haud dubie locum iis daturus si Virgines fuisse existimasset. Utinam extarent Acta, quæ nos de ipsarum Vita & conditione plenius edocerent, quæque apud Græcos extitisse aliquando vix dubitamus! Distichon quod Græco elogio de more præmittunt Menæa,* Agnas *vocat cum quadam allusione ad* Agnum Dei. *Sed hunc quamvis titulo speciali sequantur Virgines, invenimus tamen nuptas innuptasque indifferenter* ἀμνάδας *dici, in sacris sanctarum Mulierum encomiis: quare neque hinc moveri scrupulus potest. Distichon autem tale est.*

F

Ἀμνῷ Θεοῦ σφάττουσιν ἀμνάδας δύο
Ἀναστασίαν καὶ Βασίλισσαν ἅμα.
Anastasiam & Basilissam simul
Mactant, Dei Agni scilicet agnellas duas.

Tempus martyrii.

6 *Martyrium suum absolverunt hæ sanctæ Matronæ post necem SS. Petri & Pauli, quos alibi ostendimus passos P. Silvio Nerva & C. Iulio Attico Vestino Consulibus, anno Christi* LXV, *die* XXIX *Iunii. Cum autem ipsarum dies natalis referatur in* XV *aut* XVII *Aprilis, necessario requiritur annus proximus* LXVI.

DE

DE SANCTIS MARTYRIBVS

THEODORO PRESBYTERO ET PAVLISYPIO.

G. H.

IN EVROPA PROVINCIA THRACIÆ.

SUB HADRIANO IMPER.



EVropa, Orbis antiqui tertia pars, ab Asia in Occidentem, ab Africa in Septentrionem recedens, nomen suum debet particulari provinciæ Thraciæ: nam in antiqua Notitia Imperii Romani Thraciæ præerant duo Consulares, Europæ scilicet & Thraciæ: & metropolis hujus provinciæ Europæ, erat Heraclea ad Propontidem sita. In hac provincia arbitramur cæsos esse hos duos Martyres: de quibus hoc elogium extat in Menologio Græco Sirleti: Eodem die sanctorum Martyrum Theodori & Pausilippi, Hadriano Imperatore & Precio Præside Europæ, pro Christiani nominis confessione gladio cæsi, spiritum Deo commiserunt. Imperavit post mortem Trajani Hadrianus, ob anno CXVII usque ad annum CXXXVIII, ut & tempus & locus martyrii horum Sanctorum inde habeantur.

In Europa provincia.

Sub Hadriano imper. passi.

B

2 Menea excusa & quædam manuscripta eorumdem Sanctorum Martyrum nudam memoriam proponunt cum hujusmodi disticho

Παυσιλυπίῳ ϰ̀ Θεοδώρῳ θύτῃ
Δῶρον τὸ παυσίλυπον ὄντως τὸ ξίφος.

gladio cæsi.

Pausilypio & Sacerdoti Theodoro,
Donum vere pausilypon gladius fuit.

Placuit retinere vocem Græcam, qua significatur id quod animi dolorem ac molestiam eximit seu cessare facit; ut sic facilius intelligatur vis allusionis ad nomen utriusque: quorum alterum varia scriptione depravatum, Pausilippus a Sirleto, in Menæis Pausolypius scribitur; Maximus autem Episcopus Cytherorum ἐν βίοις Ἁγίων, nudam memoriam istorum faciens ita habet: SS. Theodori Presbyteri & Pausilypii Martyrum. In Martyrologio hodierno Romano ista leguntur: Item sanctorum Martyrum Theodori & Pausilippi, qui sub Hadriano Imperatore passi sunt. Maluimus veram scriptionem assumere: non tamen improbaturi, si Pausilypum scribere aliquis velit.

3 Menologium namque Basilii Porphyrogeniti Imperatoris, ad diem VIII Aprilis S. Pausilypum nominat, de eoque solo ista habet: Pausilypus Christi Martyr fuit sub Imperio, impii & iniqui Hadriani. Delatus autem quod Christum coleret, & in ipsius nomine palam doceret; deprehensus, vinculis astrictus, ad Imperatorem adductus est, & interrogatus num Christum Deum profiteretur. Qui libera animi fiducia ipsum prædicans verum Deum & Creatorem universi, missus fuit ad Præfectum provinciæ Europæ, & crudeliter virgis cæsus est verberibus trecentis. Hoc autem tormento liber, denuo jussus est Christum negare, & idolis sacrificare. Quod cum nollet facere, vinculis aliquibus solutus, ad locum supplicii adductus est, ut ibi caput ei abscinderetur. Vinculis autem reliquis in itinere disruptis, fugam arripuit, & sic ne gladio periret, liberatus est. Cum vero in locum quemdam incolumis pervenisset, assiduas Deo preces offerens, vere Martyr alacri animo Deo spiritum reddidit, coronam adeptus immarcessibilem ac vitam immortalem. Eadem paulo contractius continentur in Synaxario MS. Claromontano & in MSS. Menæis triplicibus bibliothecæ Ambrosianæ, & duplicibus Taurinensibus Ducis Sabaudiæ: & Præses Europæ in unis Priscus, in aliis Praiscus dicitur: & ubique Pausilypus scriptum invenitur.

Elogium S. Pausilypi 8 April.

E

DE SANCTIS MARTYRIBVS

MARONE, EVTYCHETE ET VICTORINO PRESBYTERIS, ITEM MESSORE, PROCLINA, MESSITE, IOCVNDO,

G. H.

VARIIS LOCIS ITALIÆ.

C

SUB FINEM SECULI I.



RES præclare gesta horum Martyrum, ac potissimum trium primo nominatorum in titulo, inserta sunt Actis Martyrii SS. Nerei, Achillei & Domitillæ: quæ habemus in quamplurimis, iisque valde illustribus codicibus MSS. ex quibus hæc excerpimus, dum integra plenius illustrentur ad diem XII Maii. Scripserat Marcellus ad dictos Martyres Nereum & Achilleum litteras, sed quod hi tunc essent martyrio coronati, respondent illi Sancti his verbis:

Rescribunt Marcello:

2 Euryches, Victorinus & Maro, servi Domini nostri Jesu Christi, Marcello. Cum venerunt litteræ tuæ ad SS. Nereum & Achilleum, jam transierant triginta dies, quod pervenerant ad coronam. Flavia etenim Domitilla, Virgo illustrissima fuit, imo Christianissima: cum isti sui eunuchi docuissent eam credere Christo & ipsi suam virginitatem servare, Aurelianus sponsus ejus contemptus ab ea, fecit eam Christianitatis titulo in hanc insulam Pontianam relegari. Ipse vero Aurelianus veniens huc, cœpit Nerei & Achillei animum attentare, putans se per ipsos Virginis animum commovere. Sancti vero execrantes dona ejus, & magis Domitillæ fidem corroborantes, ideo verberibus ab eo gravissimis attrectati sunt; atque ad Terracinam depositi, Memmio Rufo Consulari sunt traditi. A quo cum eculeo & flammis compellerentur ad immolandum idolis, & dicerent se à B. Petro Apostolo baptizatos, nulla ratione posse idolis immolare, capite cæsi sunt. Quorum corpora rapuit Auspicius discipulus eorum, nutritor sanctæ Virginis Domitillæ: qui etiam naviculæ imponens adduxit, & in prædio Domitillæ in crypta arenaria sepelivit, in via Ardeatina, à muro Urbis milliario uno & semis, juxta sepulcrum, in quo sepulta fuerat Petronilla, Apostoli Petri filia. Hæc nos ipso Auspicio referente cognovimus, qui eorum corpora & rapuit & sepelivit. Erat caritatis tuæ solicite circa nos agere, & aliquem ad nos talem dirigere, qui & nos de tua & te de nostra sospitate faciat lætiores. Dies natalis eorum est quarto Idus Majas. Accepto hoc scripto Marcellus germanum suum misit ad insulam Pontianam, qui fuit cum his Confessoribus Christi per annum: postea vero ad Marcellum reversus hæc retulit.

indicant ei martyrium SS. Nerei & Achillei

F

& horum sepulturam:

Frater Marcelli degit cum Marone & sociis.

3 Cum Aurelianus post martyrium Nerei & Achillei ageret, ut ad Domitillæ posset pervenire consensum; dictum est illi à quodam, quod majorem haberet caritatem cum Eutychete, & Victorino & Marone, quam habuerat cum eunuchis suis Nereo & Achil-

con eminus Aureliani:

AUCTORE G. H.

& Achilleo, qui eam docuerant Christo credere. Unde factum est ut à Principe Nerva peteret eos sibi donari, si sacrificare noluissent. Qui cum viriliter agerent, Eutyches videlicet, Victorinus & Maro, atque minas Aureliani penitus nô curarent; deposuit eos de insula Pontiana, & quasi servos per sua prædia singulos dimisit: Eutychen in sexto decimo ab Urbe milliario, Numentana via; Victorinum vero in sexagesimo, via Salaria; Maronem autem in centesimo trigesimo, in eadem Salaria via: jussitque eos terram fodere per totum diem, ad vesperum vero cantabrum manducare. Sed Deus omnipotens dedit eis gratiam in locis peregrinis: nam Eutyches Conductoris loci filiam à diabolo liberavit; Victorinus vero Vicedominum loci paralyticum, per tres annos de lecto non surgentem, fecit orando incolumem; Maro vero morbo hydropis laborantem, Procuratorem urbis Septempedæ liberavit.

dispersi per varia loca terram fodiunt:

clarent miraculis:

4 Interea facientes sermonem ad populum, docuerunt multos Christo credere: & facti Presbyteri populum credentium ampliarunt. Tunc diabolus replevit ira mentem Aureliani, & misit qui vario genere pœnarum eos interficeret. Nam Eutychen in media via tam diu cædi jussit, quam diu exhalaret spiritum: cujus corpus rapuit populus Christianorum; & cum honore magno sepulto, in Christi nomine super eum basilicam fabricavit. Victorinum vero apud eum locum qui Cotylias appellatur, ubi putentes aquæ emanant & sulphureæ, in ipsis capite deorsum per horas tres teneri jussit, & iterum suspendi. Hoc per triduum pro nomine Christi passus Victorinus, migravit ad Christum. Jussit autem Aurelianus corpus ejus non sepeliri: & cum uno die apud Cotylias jacuisset; venerunt Amiternenses populi Christiani, & rapuerunt eum; & in suum territorium transtulerunt, atque ibi sepelierunt. Maronem vero, misso amico suo Turgio, jussit duci & pondere saxi ingentis opprimi: sed protegente Domino in nullo eum lædere potuerunt. Unde factum est, ut immanissimam petram, quam vix ad trochleam septuaginta homines pensare potuissent, super humeros ejus ponerent. Ipse autem S. Maro, quasi leves paleas portavit per duo milliaria sanus: & in eo loco posuit, in quo orare consueverat. Et hoc factum omnis provinciæ populus admiratus, credidit Christo, & baptizatus est. Consularis autem, accepto ab Aureliano præcepto, interfecit eum. Populi autem excavaverunt petram, quam humeris portaverat, & ibi sepelierunt eum: & ecclesiam Christi fabricaverunt in nomine ejus, in qua præstantur beneficia Domini, ad gloriam nominis sui, usque in hodiernum diem.

Presbyteri facti multos convertunt:

Occiduntur Eutyches diu cæsus,

B

Victorinus suspensus super aquas sulfureas

Maro post ingentem petram portatam,

interfectus.

C

5 *Hactenus Acta horum Martyrum, ex quamplurimis optimæ notæ codicibus MSS. unde colligimus, eos non eodem loco aut tempore fuisse interemptos, neque etiam eodem loco aut sepultos fuisse, aut extructis ad illorum honorem ecclesiis honoratos. In S. Victorino res clare apparet. Hic enim apud lacum prope urbem Sabinorum Cotyliam, septuaginta stadiis Reate distantem, suspensus inter aquas putentes & sulphureas martyrium complevit. Corpus autem ejus sublatum est ab Amiternensibus, & in illorum territorio sepultum. Fuit Amiternum urbs eorumdem Sabinorum in confiniis Vestinorum, quibus subinde adscribitur, non procul ab Aterni fluvii fonte: ex cujus ruinis creditur Aquila, urbs hodierni Aprutii celebris, accrevisse: in hujus autem territorio visitur oppidulum S. Victorini, ab hoc Sancto denominatum: & dies illi dicatus est ipsis Nonis Septembris: sed quia Presbyter creatus populum credentium sua prædicatione ampliasse dicitur, hoc elogium adeptus est apud Usuardum:* Romæ B. Victorini Martyris, qui sanctitate & miraculis præclarus, Sacerdotium Amiterninæ urbis, totius populi electione adipiscitur. Inde postmodum sub Imperatore Nerva jussus est suspendi capite deorsum, ubi putentes & sulphureæ emanant aquæ. Quod cum per triduum pro nomine Christi passus fuisset, gloriose coronatus victor migravit ad Dominum. *Ado longissimo eum prosequitur elogio, sed hunc Victorinum & alium; S. Severini Septempedani fratrem, qui VIII Junii colitur, in unum eumdemque virum conflavit: quæ autem in dicto elogio ad hunc S. Victorinum spectant, sunt ista:* In suburbano Romæ B. Victorini Martyris ... Electus deinde ab universo populo, Amiterninæ Urbis sacerdotium adipiscitur. Inde postmodum sub Imperatore Nerva, cum aliis Dei servis Eutyche & Marone, ab Aureliano Judice primo relegatus in sexagesimo milliario ab Urbe via Salaria, deinde apud eum locum qui Cotylias appellatur, ubi putentes aquæ manant & sulphureæ, in ipsis capite deorsum per horas tres suspensum teneri, ab impio Judice jussum est. Quod cum per triduum pro Christi nomine passus fuisset, gloriose coronatus victor migravit ad Dominum. Cumque una die jussu Aureliani corpus ejus inhumatum jacuisset, venerunt Amiternenses populi Christiani, & rapientes in suum territorium transtulerunt, & honorifica sepultura condiderunt Nonis Septembris. *Ex Adone sua elogia contraxerunt Notkerus, auctores Bedæ suppositititii & Martyrologii hodierni Romani. Quæ ex allatis supra Actis desumpta fuisse manifestum est, & Sacerdotium non continuo pro Episcopatu, sed Presbyterio hic sumendum fuisse. Nec dubium quin S. Eutyches etiam proprium diem & mortis & venerationis habuerit: certe plurimi nomine Eutychis & Eutychii Martyres celebrantur toto hoc opere nostro.*

Videntur variis diebus occisi,

Victorinus 5 Septemb.

inscriptus Martyrologiis Usuardi

D

Adonis,

& aliis:

E

Eutyches dies non satis indicato.

6 *S. Maronem credunt Reatini cives apud se sub eodem lapide sepultum fuisse, quem per duo passuum millia gestaverat, cum ipso ante urbem deposito animam reddidisset, ut inde ad nos perscriptum est. Festum certe agunt XV Aprilis, & ecclesiam habent sub ejus nomine consecratam anno MCLIII, ubi ossa ejus servari creduntur. Est ea ecclesia extra portam Arcorum, in vertice excelsi sed commodissimi montis, uti asserit Pompejus Angelotti in descriptione civitatis Reatinæ edita anno 1635: & locum nunc obtinent Patres Capucini, qui eum insigniter excoluerunt. Credibile est eas particulas quæ de S. Maronis corpore, & partem insignem quæ de capite ejusdem asservatur inter Reliquias Metropolitanæ ecclesiæ S. Viti Pragæ, allatas esse Reate, quamvis, donationis antiquo instrumento deficiente, nunc ignoretur, unde eæ habeantur. Porro quia ejusdem S. Maronis factum miraculosum omnis provinciæ populus admiratus fuisse legitur, conjectura haud improbabili dixeris aliquos ex iis Martyrio coronatos esse, de quibus intelligi possint fortassis hæc verba in apographis quatuor Martyrologii Hieronymiani primo loco:* XVII Kalendas Maii. Piceno in Aureo-monte Maronis, Messoris, Proclinæ, Messiti. *Additur in Corbeiensi codice Martyrologii Parisiis excusi,* Jocundo. *Loco Piceni legitur etiam* Picino, Piscino, Piccino, Picano *&* Cipino. *Et ita huic regioni solus* Maro *adscribitur in quodam MS. Corbeiensi, & veteri Kalendario ante opera MS. S. Isidori: at* Maro & Messor *referuntur in MSS. Richenoviensi, Rhinoviensi & Neapolitano Antonii Caraccioli: hisce autem duobus jungitur* Mosites *in MSS. Augustano. S. Udalrici & Parisiensi Labbai: quibus* Proclina *additur in MS. Tamlachtensi.* Montem aureum *suspicatur Florentinius jam dici* Montem sanctum, haud procul à Septempedæ ruderibus & S. Severino.

Maro Reate 15 Apr.

F

cum 3 aut 4 sociis,

7 *Sociis* Maronis *prætermissis, hoc die etiam* Eutyches & Victorinus *ei junguntur apud Usuardum his verbis:* In Italia beatorum Martyrum, Maronis, Eutychetis & Victorini, qui primo apud insulam Pontiam in Christi confessione longum ducentes exilium, postmodum sub Principe Nerva, cum convertissent plurimos ad fidem, jussi sunt variis interfici pœnis. *Longiore cum encomio ex Actis supra indicatis eosdem habent Ado & Notkerus, & exilium statuunt cum B. Fla-*

cultus SS. Maronis, Eutychetis & Victorini 15 Aprilis.

via


A via Domitilla, & martyrium illatum sub Principe Nerva: *sub quo Imperatore eos passos tradunt etiam Bellinus, Maurolycus, Felicius, Galesinius, Canisius. In Martyrologio Romano hodierno dicuntur*, sub Principe Nerva in persecutione Trajani, à Valeriano Judice jussi interfici. *Verum Acta habent* Aurelianum sponsum B. Domitillæ *eos petiisse à Nerva Principe, & tandem jussisse interfici. Imperavit Nerva à Septembri exeunte anni* XCVI, *usque ad* XXVII *Ianuarii anni* XCVIII, *quando illi successit Trajanus. Reliqua examinabuntur ad Acta SS. Nerei, Achillei & Domitillæ. De horum trium Reliquiis Metas à Theoderico Episcopo translatis egimus* XXIV *Ianuarii post Acta S. Feliciani Episcopi Fulginatis pag.* 588. *Memoria* SS. Eutychetis & Victorini Martyrum *inscripta est Kalendario antiqui Missalis & Breviarii Ambrosiani.* D

DE SS. OLYMPIADE ET MAXIMO

G. H.

MARTYRIBUS CORDULÆ IN PERSIDE.

AN. CCLI.



Cta SS. Olympiadis & Maximi continentur in Vita S. Laurentii Martyris, ex variis & antiquissimis MSS. primigenia phrasi ad X *Augusti dandâ: ex eâ decerpimus quæ ad hos Martyres spectant, & sunt ejusmodi:*

Decius Imp. obtinet victoriam de Persis:

2 Orta tempestate sub Decio Cæsare, multi Christianorum in urbe Roma necati sunt. Præsidente in urbe Roma Galba, pergit Decius ad Persas, cum bellum urgeretur Persarum. Veniens in civitate, quæ cognominatur Ponticum, sedit in ea, bellum B tamen agebatur. Ascendit Decius in montem Medorum, & facto conflictu pugnæ cum militia Romana fecit victoriam, & interfecit Persarum multitudinem: & obtinuit civitates has, Babyloniam, Bactrianam, Hircaniam, Cordulam, Assyriam: ubi etiam invenit multos Christianos, quos suppliciis & afflictionibus necavit .... Veniens autem Decius in civitatem Cordulam, cum furore jussit sibi præsentari Presbyteros & Diaconos ... Eodem die traditi sunt Decio Olympiades & Maximus, nobilissimi viri Christiani. Qui dum præsentati fuissent Decio, non interrogatos eos jussit fustibus cædi, dicente Decio: Isti digni sunt morti tradi; nec audientia debet ab eis requiri, qui Deos deserunt, & colunt hominem mortuum. Respondit Maximus, dicens: Bene dixisti mortuum, sed quia resurrexit, quare non dicis? Tunc dixit Decius ad eos: Pandite nobis facultates rerum vestrarum. Olympiades dixit: Nostra facultas, aurum & gemmæ vel argentum Christus est. Nam disce, miser, quia corpora nostra tibi tradimus, amissa facultate terrena & peritura. Nam si considerares, quid tu ipse es, humiliares te Creatori tuo Deo, & Filio ejus Domino Jesu Christo. Nam divitiæ & honores sunt ad tempus, C aliis pro gloria, tibi vero pro æterno supplicio. Tunc dixit Decius ad milites suos: Cædite eos fustibus, quia isti mente alienantur. Et cum defecissent cædentes, clamabat Maximus dicens: Gloria tibi, Domine Jesu Christe, quia dignatus es inter servos tuos nos ipsos dinumerare. Decius furore plenus fecit eos plumbatis cædi sub voce præconia dicens: Deos plasphemare nolite. Et cum cæderentur, magis confortabantur, & vultu alacri clamabant, dicentes: Fac quod vis: noli cessare: munda quod sordidum est.

venit Cordulam:

à quo jubentur hi Sancti fustibus cædi,

indicant mysteria fidei.

inter verbera laudant Christum.

3 Decius dixit ad milites suos: Levate eos à terra, & date lectos ferreos in oculis eorum, & linteamina & aquam ut sacrificent, & cura eis exhibeatur: aut extendantur in lectos ferreos super prunas, & sic deficiant. Et tradidit eos Vitellio Anisio Vicario. Vitellius Anisius dixit ad eos: Cognitum est vobis, quid jusserit præcellentissimus Decius Cæsar, ut siquis sacrificaverit, & custodierit præcepta Principum, honoretur & sit amicus Principum, & ditetur divitiis & honoribus & dignitatibus: qui vero non consenserit, diversis pœnis tormentorum maceratus exhalet. Respondit Maximus & dixit: Tormenta vestra momentanea sunt & cito transeunt: sed & vos ipsi postea exhalabitis. Nos tormenta vestra non pavescimus sed desideramus: nam tormenta æterna metuimus, quæ vos torquere habent cum patre vestro diabolo. Vitellius Anisius Vicarius furore plenus, jussit ut cum securibus capita tunderentur. Et cum diu cæderentur emiserunt spiritum.

Spernunt oblatas dignitates & minas,

capitibus securi tunsis moriuntur:

4 Et jussit Vitellius Anisius, ut corpora eorum canibus relinquerentur: ubi etiam jacuerunt quinque diebus. Venientes autem canes mugitus emittebant, & non contingebant corpora sancta. Post quintum diem venientes quidam Christiani, ex genere Abdon & Sennen nobiles, collegerunt corpora, & collegerunt ea in domo sua, duodecimo Kalendas Aprilis. E

corpora à canibus illæsa sepeliuntur.

5 *Hæc Acta illorum ex antiquis monumentis, in quibus sub finem legendum* duodecimo Kalendas Maii, *aut saltem sic in suis scriptis legerunt, qui eorum martyrium ad decimum septimum Kalendas Maii ediderunt. Certe Beda in genuino suo Martyrologio ex hisce Actis ista edidit:* In civitate Cordula, natale Olympiadis & Maximi; qui jubente Decio fustibus cæsi & deinde plumbatis, ad ultimum eorum capita securibus tunsa sunt, donec emitterent spiritum. *Quæ eadem leguntur apud Rabanum, Usuardum, Adonem, Notkerum & reliquos recentiores; apud aliquos horum additur* in Perside, *uti in hodierno Martyrologio Romano, in quo non fit mentio* civitatis Cordulæ, *ab aliquibus* Cordubæ *dictæ: pro qua mallet Baronius* Corduenam *legi, ut in Notis observat: quod in nullo MS. reperimus. Multa loca Persidis & aliarum regionum sunt quæ non fuerunt ab aliis auctoribus observata. De bellica expeditione pluribus egimus die* XVII *Februarii ad Vitam S. Polycronii Episcopi Babylonis, tunc etiam martyrio coronati, ubi in Notis fatetur Baronius*, tempora Decii remansisse obscurissima, eaque tantum perspicua esse, quæ de persecutione ab ipso in Christianos excitata produnt Christianorum scriptiones, & Acta sanctorum Martyrum. *Annos Imperii & Consulatus Decii ordinavimus* V *Februarii ad Vitam S. Agathæ* § 1. *Arbitramur autem hos Martyres Anno Christi* CCLI *martyrio fuisse coronatos.* F

cultus sacer:

locus

& tempus martyrii.

6 *Saussajus in Martyrologio Gallicano de hisce Sanctis ista tradit:* Maclovíopoli in Armorica, nec non Legiæ Eburonum, veneratio sanctorum Martyrum Olympiadis & Maximi; qui genere clari ac fide magis illustres, in Hispania jussu Decii virgis cæsi, plumbatis contusi, demumque securibus in capite collisi, beatas animas in Christi glorificatione efflaverunt. Horum pignora diu in honore conservata, postea sub Saracenorum incursione in Gallias traducta ac dispersa, variis in locis, maxime autem in præsignatis urbibus, cultum condignum receperunt. *Hæc Saussajus non absque aliquo, uti veremur, errore. Passi hi sunt in Perside, & civitate* Cordula, *pro qua in nonnullis Actis legitur* Corduba, *qualis est plurimum nota urbs Hispaniæ, cui assignat horum martyrium: quod hactenus à Tamajo-Salazar aut aliis Hispanis non reperimus factum. Habemus plura Breviaria & Missalia Leodiensia, intra ducentos*

An reliquiæ & veneratio horum sit Maclovii & Leodii.

AUCTORE G. H. *centos annos excusa; uti & officia propria Ecclesiæ Maclo-viensis, sed absque ullo vestigio venerationis horum Sanctorum; neque etiam Raißius meminit, dum reliquias ecclesiarum Leodiensium in suo Hierogazophylacio Belgico enumerat.*

An SS. Olympia & Maxima Cordubæ tribuenda? 7 *Ferrarius in Catalogo generali sexum horum Martyrum mutat, & ita hunc diem auspicatur:* XVII Kalendas Maji. Cordubæ in Hispania sanctarum Martyrum Olympiæ & Maximæ, *& in Notis allegat* Tabulas Ecclesiæ Cordubensis: *additque* hoc die agi in Martyrologio Romano de Olympiade & Maximo in Perside Martyribus. *Quasi securus esset priores ab his distingui. At valde mirandum foret de istis feminis Martyribus, si qua ipsarum esset notitia Cordubæ, nullam notitiam potuisse nancisci Martinum de Roa, qui tum accurate de Sanctis Cordubensibus scripsit, nullam etiam fieri mentionem in Ordine recitandi Officium divinum toties Madriti recuso, in quo Sancti Cordubenses seorsim exhibentur. Ioannes Marieta in Indice Sanctorum Hispaniæ, per menses & dies distributorum, ad* XV *Aprilis collocat* SS. Olympium & Maximum Martyres *sed nulla indicata pagina, ubi de iis agatur: ideoque suspicamur in ipso opere de industria omissos fuisse, quos ad Persidem non ad Hispaniam pertinere asserebat Romanum Martyrologium.* D

DE SANCTO CRESCENTE

MARTYRE, MYRÆ IN LYCIA.

G. H.

SUB ETHN. IMPERAT.



B

Myræ situs, LYcia *Asiæ regio, ultra Rhodum insulam ad mare mediterraneum, à quo haud procul distat hujus regionis metropolis* Myra, *per orbem Christianum vel ideo notior, quod S. Nicolaum habuerit Sedis suæ meritissimum Episcopum, qui primo Concilio Oecumenico contra Arium Nicææ habito interfuit: ante cujus tempora ibidem, sub Ethnicis Imperatoribus martyrii palma coronatus est S. Crescens, de quo hic agimus:* *tempus martyrii.* *ac primo proponimus elogium decerptum ex MS. Menologio Basilii Porphyrogeniti Imperatoris, in quo celebratur ad diem* XIII *Aprilis:* *cultus 13 Aprilis.* *quod Latine translatum est hujusmodi.*

Elogium ex Menologio Basilii Imp. 2 Certamen sancti Martyris Crescentis. Crescens Christi Martyr ex civitate Myra, pietate simul & senectute reverendus, cum multos idolorum cultores cerneret, in medio ipsorum exurgens, adhortabatur illos, ut veterem errorem detestarentur, atque ad Christum accederent, & sic propriæ saluti consulerent. Quo cognito Præses illum comprehendi & coram se adduci præcepit: & percunctatus est ab eo genus, patriam & nomen: cui nihil aliud respondit, nisi Christianus sum. Præses vero dixit: saltem externo habitu sacrifica diis, corde vero & animo adora Deum tuum. Sanctus vero id minime approbavit: sed magna voce Christum confessus est, idola rejiciens ac contemnens. Idcirco primum quidem in ligno suspensus, diu multumque percussus est, & facibus latera adustus. Deinde vero è ligno descendere coactus, denuo idolis sacrificare jussus est. Quod cum noluisset facere, in ingentem ignis fornacem projectus, suum Deo reddidit spiritum. *Hac ibi. Quo etiam die* XIII *Aprilis refertur in Menæis Mediolanensibus bibliothecæ Ambrosianæ, signatis littera O num.* 148, *& Taurinensibus Ducis Sabaudiæ.* C *& aliis MSS.*

cultus 15 Apr. in Menæis. 3 *In Magnis Menæis Græcorum ad hunc* XV *Aprilis colitur* S. Crescens, *& hac historia martyrii refertur:* Die XV mensis Aprilis celebritas sancti Martyris Crescentis, Myræ in Lycia passi. Hic erat ex urbe Myra in Lycia nobili genere prognatus, & ætate maturus. *hortatur ad fidem Christi* Aspiciens vero impietatem exultantem, cultumque idolorum triumphantem, & multos huic errori cum misera servitute addictos, qui carentibus anima idolis divinitatem tribuebant, & adoratione; progreditur in medium, adhortans omnes, ut rejecta idolorum vanitate ad Deum reverterentur, à Christianis coli solitum, utpote solum rerum omnium conditorem, omnisque vitæ ac spiritus auctorem. Tunc E Præses hunc Sanctum appellabat cacodæmonem, quod sponte sua sciens & volens ferretur in deteriora. Contra testatus est Sanctus, summam esse gloriam, summamque felicitatem pro Christo pati. *pro quo pati gloriosum.* Rogatus deinde, unde domo, quod ipsi nomen, qua fortuna & statu esset; pro omnibus nihil aliud respondit, quam se Christianum esse. Suadebat Præses ut corpore & externo cultu in speciem saltem fingeret se idola colere. Verum se id facturum negavit, asserens corpus esse ministrum animi, quodque animus decerneret, corpus sequi debere, ut quod ab animo moveretur & ageretur: proindeque Deum corpore & animo perfecte colendum & confitendum. Idcirco suspensus verberatur & aduritur: deinde ad incensum rogum damnatur: in quo, quamvis intactus ab illo, ut nec capillus quidem læderetur, Deo spiritum reddidit. *& in ignem conjectus, moritur.* *Hac ibi: quæ etiam habentur in MS. Synaxario Græco Parisiensi collegii Claromontani, & in variis Menæis MSS. Item in novo Anthologio ab Antonio Arcudio Clementi VIII dicato, & apud Maximum Episcopum Cytherorum ἐν βίοις ἁγίων: ex quibus aliquod extractum legitur in Menologio Sirleti: quo citato ista inscripta sunt hodierno Martyrologio Romano:* F *Cultus in aliis Græcis officiis,* Myræ in Lycia S. Crescentis, qui per ignem martyrium consummavit: *quæ fere eadem habet Galesinius. Præcipuum hujus diei cultum eidem deferri testatur Ephemeris metrica, solum ipsum nominans:* *& apud Latinos;* *sicut etiam de solo est Canon Officii Ecclesiastici, cujus hæc ultima Strophe:* Hodie civitas Myrorum festum tuum splendidissime agit, labores, luctas atque certamina tua hilariter concinens. *Invocatur etiam in penultima ode, tamquam* gratiam consecutus solvendi morbos dæmonesque fugandi: *& Ode* VI *tamquam* *miracula ad corpus.* *multis* signis, miraculis & prodigiis clarificatus ab eo qui se glorificantes glorificat: *quin* immortalia dona affluenter largiri fidelibus ad se accedentibus *dicitur Ode* V: *& Sticharior um ad Canonem præviorum secundum, meminit* Sacrarum reliquiarum ejus, quas omnis populus reverenter adorat.

DE

DE SANCTIS MARTYRIBVS MESOPOTAMIIS

ARCHELAO, CYPRIANO, COMATO, VERONICA, ACVTA, DIOGENE DIACONO, ET DVOBVS FRATRIBVS.

G. H.

XV APR.



Litera hac est classis Martyrum, eodem numero & nominibus relata in quatuor apographis Martyrologii Hieronymiani, his verbis: In Mesopotamia Archelai, Cypriani, Comati, Veronicæ, Acutæ, Diogenis Diaconi, cum duobus fratribus. *Pro* Archelai, *legitur etiam* Arcelai & Arcillai, *& loco* Comati *etiam* Comatis. *In illustri MS. codice Cardinalis Barberini, post Martyrologium genuinum Bedæ, quod ex illo & aliis monumentis edidimus, ista leguntur:* In Mesopotamia Archelai, Cypriani, Diogenis cum duobus fratribus. *Eadem, absque mentione fratrum, habentur in antiquis MSS. Romanis, altero bibliothecæ Vaticanæ charactere Longobardico & signato numero* 5949, *altero bibliothecæ Ducis Altempsii. In MS. Martyrologio monasterii Richenoviensis referuntur* Cyprianus & Comatus. *At solus* Comatus *in MS. Rhinoviensi, & Mesopotamia martyrii palæstra statuitur. Absque loco indicantur* Archelaus, Diogenes, Veronica *in MS. Parisiensi Labbai & Augustano S. Vdalrici, sed* Veronicus *in ultimo scribitur. In MS. Tamlachtensi apud Hibernos celebratur memoria* SS. Archelaii, Cypriani, Diogenis Diaconi, Acutæ. *Apud Grevenum in auctario Vsuardi invenitur.* Carcellajus, *loco* Archelai, *&* Diogenes. *Pridie hujus diei memorantur in MS. Martyrologio Ecclesiæ Pragensis* Archelaus, Cyprianus *&* Diogenes Diaconus. *Ex quibus omnibus confirmatur antiqua ipsorum veneratio in variis Ecclesiis.*

Nomina in antiquis Fastis 15 Aprilis


etiam 14 Aprilis.

DE SS. PROSDVCO, VERONICA, DIONINA, OCTAVIA, POTAMIA, PRVDENTIA, FOCO, SYRO, LVCIANO.

MARTYRIBVS ANTIOCHIÆ IN SYRIA.

G. H.

XV APR.



Hieronymiani Martyrologii Lucense apographum hanc tertiam classem Martyrum ita proponit: In Antiochia Syriæ Prusduci, Vironicæ, & Dioninæ filiæ ejus, Octaviæ, Potamiæ, Prodenti. *Iidem sunt in MS. Blumiano; sed filia appellatur* Deonina. *In Antiquissimo MS. Epternacensi, quo nos hactenus usi fuimus, ita proferuntur nomina:* In Antiochia Syriæ Prosduci, Veronicæ & Dominæ filiæ, Octaviæ, Pomiæ, Iraditi. *In MS. Corbeiensi Parisiis excuso, filia* Dionina *appellatur, post* Octaviam *autem referuntur nomina* Potamiæ, Prudenti, Foci, Syri. *In MSS. Martyrologiis Augustano & Parisiensi Labbai referuntur* Prosducus *seu* Prosducus, *&* Veronica *seu* Veronicus, *sed hujus fecimus mentionem in classe præcedenti. In MS. Richenoviensi refertur,* Prosduca in Antiochia Syriæ, *sed aliis* Prosducus. *In MS. Trevirensi S. Maximini valde antiquo habetur memoria* Luciani in Antiochia Syriæ. *In MS. Hibernico cœnobii Tamlachtensis ex his memorantur nomina* Dionicæ, Potamicæ, Prudentii, Luciani, *nisi hic pertineat ad Martyres Cæsaraugustanos, in Martyrologio S. Hieronymi hoc die relatos, de quibus agemus sequenti die. Relinquimus sane prioribus adjunctum nomen, tamquam ab istis nominato diversi, ob antiquitatem Martyrologii Maximiniani.*

DE SS. QVOAMALIO, ARCHELAO, POTAMIO, DONATELLA,

MARTYRIBVS IN GALATIA VEL GALÆCIA.

G. H.

XV APR.



Artyrum hæc quarta classis est Martyrologii Hieronymiani; sed satis obscure in variis apographis proposita. Ex MS. Lucensi ita excusum est: In Audia Galati, Quoamal, Arcilati, Potami, *& Florentinius in Indice* Galatum Martyrem *nominat. Ex MS. Corbeiensi ita Parisiis excudit Lucas Acherius:* In Taudia Gallitiæ Quoamali, Arcelai, Potami, Donatellæ. *At Florentinius ex variis lectionibus Dusiesnii ita legi accepit:* In Taudia Galliæ Quoamali, Arcelai, Potamiæ, Donatellæ. *In Blumiano codice legitur* In Taudia Galaciæ. *In codice Epternacensi, pro palæstra martyrii, nomina Martyrum præcedenti classi innectebantur hoc modo:* Taidi, Agalatiæ (*pro* Taudia Galatiæ) Quoamaliæ, Archilai Potami: *Pro* Agalatia *videtur nomen* Agathæ *haberi in MSS. Augustano & Parisiensi supra citatis. Florentinius addit in Notis se* facilius in aliquem locum Galatiæ propendere, ubi frequentiora antiquitus Martyrum certamina fuerunt, quam in Galæcia: sed aliorum codicum auxilio vel emendandum vel explanandum locum. *Pro Galæcia facere videtur* Taudia *hic nominata, eadem fortassis quæ Ptolemæo* Τοῦδαι, Tude *aliis est: de qua urbe pluribus agemus hoc die ubi de B. Petro Gonsalvo.*

DE SANCTO EVTYCHIO

G. H.

MARTYRE FERENTINI IN HERNICIS.

XV APR.



De Ferentino, *urbe antiqua Latii in Hernicis, egimus* VIII *Aprilis, ad Acta S. Redempti, ejusdem urbis Episcopi; & quacumque sciri possunt de hoc Sancto Martyre Eutychio, istic protulimus ex lib.* 3 *Dialogorum S. Gregorii cap.* 28, *scilicet* quadam die, dum parochias suas visitaret Redemptus, eum pervenisse ad ecclesiam B. Eutychii Martyris, & stratum fieri sibi voluisse juxta sepulcrum, atque ibi post laborem acquievisse: cum nocte media, ut asserebat, nec perfecte vigilare poterat, nec dormiebat, sed depressus ut solet somno, gravabatur quodam pondere vigilans animus: atque ante eum beatus Martyr Eutychius adstitit dicens: Redempte vigilas? Cui respondit: Vigilo. Qui ait: Finis venit universæ carnis, finis venit universæ carnis, finis venit universæ carnis. Post quam trinam vocem visio Martyris, cum omnipotentis Dei gratia, quæ mentis ejus oculis apparebant, evanuit. *Inscriptus est hic Sanctus Martyrologio Romano ad hunc diem istis verbis*: Ferentini in Hernicis S. Eutychii Martyris. *Meminit ejusdem* S. Eutychii *Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italia, addito ex prædictis S. Gregorii verbis aliquo elogio. Nicolaus Brautius Episcopus Sarsina in Martyrologio Poëtico hos de eo panxit versus:*

Apparitio ejus facta S. Redempto Episcopo.

Cultus sacer.

Martyris Eutychii populus feriata quot annis
Festa Ferentinus cum pietate colit.

DE SANCTO LEONIDE,

G. H.

EPISCOPO ATHENARVM IN GRÆCIA.

XV APR.



Notissima urbs Attica, *imo totius Græciæ clarissima*, Athenæ *fuerunt; quippe quæ ceteris urbibus prudentia & doctrina præstare censebantur. Primus earum Episcopus apud Eusebium lib.* 4 *cap.* 3 *dicitur* S. Dionysius; *huic successor datur apud eumdem Eusebium* S. Publius Martyr, *cujus Acta dedimus* XXI *Ianuarii. Fuit ibidem* S. Aristides *vir doctissimus qui pro fide Christiana concionem habuit. Cum postmodum sub Imperatoribus Christianis Romanum Imperium floreret, summi Doctores Ecclesiæ Basilius Magnus & Gregorius Nazianzenus ex Asia Athenas petivere, ibidemque fuerunt litteris exculti. Floruit ibidem S. Leonides Episcopus, tanto virtutis & doctrinæ splendore, ut per ejus obitum viderentur Athenæ aliquem squallorem induisse, quod in Menæis excusis indicat hoc distichon.*

Athenæ palæstra doctrina,

ibi S. Leonides Episcopus excelluit,

Σκότος συνέχε τὰς Ἀθήνας ἀθρόους,
Δυνάντος αὐταῖς ἡλίκ Λεωνίδης.
Densæ tenebræ tunc Athenas obruunt;
Dum solis instar occidit Leonides.

Ceterum ejus Acta, quæ olim conscripta arbitramur, videntur intercidisse, & sic nuda ejus memoria extat in dictis Menæis excusis, & variis MSS: ex quibus annotavimus ea, quæ Mediolani in bibliotheca Ambrosiana, Parisiis in Mazariniana & alia Patrum Dominicanorum; & Divione apud Chifletium nostrum reperimus, itemque apud Maximum Episcopum Cytherorum: & hæc fere verba ubique leguntur: τῇ αὐτῇ ἡμέρᾳ τοῦ ἐν ἁγίοις Πατρὸς ἡμῶν Λεωνίδης, Ἐπισκόπου Ἀθηνῶν. Eodem die sancti Patri nostri Leonidis, Episcopi Athenarum.


& colitur 15 *Aprilis.*

DE SANCTO PATERNO EPISCOPO,

G. H.

VENETI IN BRITANIA ARMORICA.

CIRCA AN. DLX.



Gvilielmus Cambdenus, *in Britannia à se illustrata agens de* Ceretica sive Cardiganensi Comitatu, *asserit* tertiam Dimetarum regionem esse, & Ereticam à Carataco quodam Rege credi dictam, *at* Cardigan *oppidum prope Tivium fluvium, postmodum nomen ei dedisse. Inde versus Septentrionem in mare Hibernicum exonerantur, loco satis vicino, flumina* Ystwich & Ridol, *ubi &* oppidum totius Comitatus copiosissimum Aber-Ystwith. Huic, *inquit*, adjacet Lhan-Badern-Vaur, id est, Fanum Paterni-Magni, qui ex Armorica oriundus Cereticorum (ut habet ejus Vita) ecclesiam & pascendo rexit, & regendo pavit. Cujus memoriæ templum, sedemque Episcopalem hic consecravit posteritas. Verum Episcopatus, ut scribit Rogerus Hovedenus, quia Parochiani pastorem suum interfecerant, olim obsolevit. *Hac Cambdenus. Eamdem S. Paterni Vitam hic citatam, asserit Vsserius de Britannicarum Ecclesiarum Primordiis pag.* 529 se vidisse in Cottoniana bibliotheca: *at pag.* 517 *tradit* S. Paterni Vitam descriptam extare in Sanctilogio Britanniæ Joannis Tinmuthensis, indeque in Joannis Capgravii Nova Legenda Angliæ, *ex qua nos eam hic damus, notationibus necessariis illustratam. Vixit cum S. Paterno in eadem VVallia* S. David Archiepiscopus Menevensis, *in vicina provincia Penbrochiana, cui contigua est provincia Caër-maridunum, & deinde versus Cornwalliam Glamorganensis Comitatus, in quo* Landavensis Episcopus *fuit* S. Teliaus, *alter familiaris S. Paterni. Coluntur* S. David *Kalendis Martii, &* S. Teliaus IX *Februarii, ad cujus utriusque Vitam multa ex fama vulgi, sed mendose, à posteris videri adjecta deploravimus. Aliqua similia huic etiam Vita, sed pauciora forsan, inserta sunt.*

Episcopatus & ecclesia S. Paterni in Wallia

Vita olim scripta:

familiaris notitia cum SS. David & Telia:

2 *Meminerunt Ecclesiæ, dicto S. Paterno dicatæ, Silvester Giraldus in Itinerario Cambriæ lib.* 2 *cap.* 4, *Ioannes Spedus in Theatro Imperii magnæ Britanniæ lib.* 2 *cap.* 9, *Nicolaus Harpsfeldius in Historia Ecclesiastica Anglicana in sex primis seculis cap.* 28, *ubi illustre Vitæ compendium habet, asseritque* decessisse XVII Kalendarum Maii, *quem etiam obitus ejus diem assignant Acta omnia infra recensenda, in Anglia conscripta. Sequuntur alii Scriptores Anglicani, & inter illos Hieronymus Porter in Floribus Sanctorum Angliæ, citato Ioanne Anglico, quem cum Ioanne Tinmuthensi eumdem arbitramur. S. Paternum circa annum* MCCCLXVI *floruisse putant Richardus VVitfordus, in Martyrologio Londini Anglice anno* MDVI *excuso; & Ioannes VVilsonus in secunda editione Martyrol. Anglicani, eoq. citato Michael Alfordus in Indice Sanctorum Angliæ post tom.* 3 *Historiæ Anglicanæ annexo. Interim quia S. Paternus in Britannia Armorica & natus, & in eam reversus, urbis ibidem Venetensis Episcopus*

Cultus sacer die 15 *Aprilis apud Anglos.*

A Episcopus creatus est; ideo ejus aliquam Vitam, sed pluribus forsan fabellis corruptam, edidit Albertus le Grand, in suo tractatu de Sanctis Britanniæ Armoricæ, anno MDLXXXVII vulgato, & diem obitus atque venerationis assignat XVI Aprilis; quo die mortuum esse referunt Breviaria urbis Venetensis & Corisopitensis prioris editionis. Nam in editione Proprii Sanctorum hujus Ecclesiæ anni MDCXLII, sublatum dicitur Officium, quod ad diœcesim non spectaret. Eumdem diem XVI Aprilis pro obitu ejus assumpsit Augustinus du Pas, in sua Historia Britanniæ in Episcopis Venetensibus, & horum intuitu ad Acta SS. Davidis & Teliai notavimus cum Ferrario in Catalogo generali pro S. Paterno diem etiam XVI Aprilis. Colitur dicto die S. Paternus Episcopus Abrincensis, in vicina Britanniæ Armoricæ Normannia inferiore, ut videantur ideo Armorici diem XVI potius assumpsisse: & contra depositio S. Paterni Episcopi, scilicet Abrincensis, & Scubulionis Abbatis, in apographo Lucensi Martyrologii Hieronymiani, olim Fontanellæ in Normannia aucto, memoratur ad hunc diem XV Aprilis: unde colligimus facilem fuisse aberrandi occasionem ex XV in XVI Aprilis. Colitur præterea ob Corporis translationem die XXI Maji cum officio sub ritu semiduplici, ejusque tum meminit Ferrarius in Catalogo Generali.

& 16 Aprilis apud Armoricos,

quo S. Paternus Abrincensis colitur.

B

3 Quod ad tempus vitæ ejus spectat, videtur natus sub finem seculi quinti, circa annum CCCCXC aut paulo serius; & anno Christi DXVI in Britanniam magnam abiisse, factaque excursione in Hiberniam, reversus anno sequente; & ibidem permansisse usque ad annum circiter DXL ac tunc reversus in Britanniam Armoricam, tandem circa annum DLX diem extremum obiisse. Rationes quibus movemur, infra in Notis damus. Hinc colligimus eum non fuisse in Concilio Venetico apud Armoricos, circa annum CCCCLXV celebrato a S. Perpetuo Turonensi Præsule in alicujus Venetensis ordinatione. Nempe quia inter Concilii istius Patres proximus a S. Perpetuo subscripsit aliquis Paternus Episcopus, sed absque dubio alterius Sedis; ea ignorata, passim crediderunt ipsum esse hunc S. Paternum, cujus pater valde probabili ratione tunc necdum potuit fuisse prognatus. Deinde si tunc aliquis Paternus fuisset ordinatus Episcopus, non continuo ante reliquos Episcopos, multo seniores, nomen ejus fuisset collocatum. De Concilio Parisiensi III, cui ante obitum circa annum DLIX potuit interfuisse, infra agimus. Albertus le Grand obitum ejus differt usque ad annum DXC, sed nullam assignat sui dicti causam. S. Davidem Archiepiscopum Menevensem, S. Paterni familiarem amicum, mortuum anno DXLIV; & S. Teliaum, Episcopum Landavensem, alterum in vita socium; decessisse circiter annum DLX, probavimus ad utriusque Vitam: ut non videatur diu ultra hunc annum vixisse Paternus. Usserius ex Vita Sulgeni a filio proprio versibus conscripta profert pag. 90 & 528 de S. Paterno aliquot versus, quos hic subjicimus, & sunt isti.

Tempus vitæ indicatur.

probatum ex tempore SS. Davidis & Teliai.

C

Encomium olim scriptum.

Hujus ad Arctoas locus est, metropolis alta,
Antistes sanctus quo duxit jure Paternus
Egregiam vitam, septenos terque per annos.
Omnia quæ mundi sunt vana & lubrica cernens,
Intendens animo cælestia numina toto,
Devovit Christo totum servire per ævum.
Ac etiam sanctum mactans cruciamine corpus,
Semper inexhausto persistens valde labore,
Orans, jejunans, vigilans, lacrymansq;, gemensque:
Esuris alimenta simul, nexisque levamen,
Hospitibus pandens aditum, sitientibus haustum,
Ægrotis curam, nudis miseratus amictum,
Prudens queque gerens, perfecit cuncta potenter:
Ac sic lucifluum meruit conscendere regnum,
Cuncti quo Sancti miro splendore beantur.

VITA

Ex Sanctilogio Britanniæ Ioannis Tinnemuthensis.

edita in Legenda Ioannis Capgravii.

CAPUT I.

Ortus, vita in Britannia ante Episcopatum peracta.

1 PAternus autem Episcopus sanctus, terrenam hereditatem derelinquens, ac exilium amans, summi regni cælestis fieri heres concupivit: qui gente quidem Armoricus fuit, id est de minori Britannia ortus; & de parentibus nobili prosapia procreatis, Petrano scilicet patre; matre vero *a* Guean: qui uno conventu *b* utentes S. Paternum genuerunt, & postea sempiterno Dei servitio, in castitate manentes, se subdiderunt. Nam Petranus illico Britanniam minorem deserens; Hiberniam petiit: & magna vitæ abstinentia & virtutibus Deo placuit. Gratiosa quippe apparuit nativitas S. Paterni; per quem pater ejus Sanctus effectus est, & mater ejus famula Christi religiosam vitam duxit. *c* Adolescens autem Paternus factus, interrogavit matrem, quem patrem habuisset? viveret, an non? aut, si viveret, ubi erat? &, cur alibi moraretur, & non potius in propria hereditate maneret? Cui lacrymando mater respondit: Pater tuus quidem vivit, sed plus Deo quam mundo: perrexit autem hinc ad Hiberniam, ubi jejunat, orat, vigilat, meditatur, *d* genuflectit altissimo Domino. Tunc adolescens *e* ait: Quo ergo meliori modo potest filius vivere, quam boni patris imitatione? nam si Rex sit pater, illum imitari in regimine filius appetit. Itaque ego moriar, si non assequar patrem meum, per semitas quas elegit.

Natus in Britannia minore,

a b

parentibus postea in continentia degentibus,

E

c

patrem in Hibernia sancte viventem cupit imitari.

d

e

2 In illo etiam tempore chorus ecclesiasticus monachorum, minorem Britanniam deserens, Britanniæ majoris oras appetere meditabatur: *f* hac autem provocatus fama puer Paternus, cum illis pergere festinabat. *g* Convenientibus itaque ad navigandum cunctis, Paternus mox coactus, dux cohortis efficitur: nam consobrini ejus, *h* videntes eum ad culmen perfectionis properare, dixerunt: Quoniam Dominus, inquiunt, in moribus te perfecit, oportet ut populo ad exemplum vitæ melioris debeas præesse. Sicque *i* octingenti monachi & quadraginta septem, Paternum eligentes ducem & eum sequentes, prospero navigio oras insulæ majoris Britanniæ tenent. Cœpit autem Sanctus cum Sanctis locum in ecclesia cognomento *k* Mauritania, & ædificato ibidem monasterio sub Oeconomo, Præposito & Decano statuit: & benedictis Fratribus Hiberniam navigavit; & visitato patre suo ac consolato, gratias Deo referebant. *l* Erant tunc in Hibernia duo *m* Reges, qui orta inter se dissensione multum discordabant. Vastationes fiunt, rapiuntur prædæ, domus cremantur, consurgunt bella, & multis gladio interfectis, terra desolata in solitudinem redigitur. Tandem misericors arbiter orbis, solita misertus providentia, causam insperatæ pacis ad Episcopum cujuslibet civitatis per Angelum suum mittens, dixit: Nisi uterque

in Britanniam navigans,

f

g

F

h

i

ab 847 monachis Rector eligitur:

k

ecclesiam condit

patrem invisit in Hibernia:

l m

Reges dissidentes conciliat

AUCT. IOA. TINNEMU. que exercitus vultum sancti viri, nuper ex Britannia advenientis, viderit, Reges malevoli ad invicem numquam placari possunt. Missis statim legatis, Paternum honorifice advocant; & convocato exercitu, Paternus in medio statuitur: & ecce gratia vultus ejus, propulsatis penitus Regum discordiis, inter utrasque provincias pax & unitas perpetuo confirmatur. His autem rite peractis, omnes quasi uno ore Deum in servo suo Paterno benedicunt.

3 Paternus itaque valedicto patre, Britanniam adiit, & Fratres incolumes invenit: inter quos *n* Nymannaucum quemdam nomine, nuper advenientem reperit; qui in minori Britannia post Paternum vivere non valens, ad littus maris venit, & quamdam petram inveniens, super eam stetit & ait: Si Domino Deo sunt placita quæ meditor, & si vere Sanctus est Paternus ille quem sequi volo; surgat petra & super æquora natet: solidentur undæ, obduret pelagus, ne lapidem mergat; & ad S. Paternum incolumis vehar. Et ecce dicto citius lapis super undas maris velociter currens, mirabili navigio usque ad monasterium viri Dei ipsum transduxit. Tunc Paternus monasteria & ecclesias per totam Cereticam regionem, quæ Cardiganshire appellatur, ædificavit.

n excipit super petram per mare ad se venientem.

B

4 Interea *o* Mailgunus Rex Borealium Britonum, ad debellandos & deprædandos Australes Britones, cum suo exercitu venit: & quoniam semper tentator erat Sanctorum, duos prædones se præcedere jussit, ut S. Paternum quovis modo callide tentarent. Qui vasa quædam glarea replentes, regales thesauros ad sanctum se apportasse simulant; & donec Rex prospere revertatur, hos custodire mandant. Annuit Sanctus, deponi jubet; illos inveniendos esse, sicut relicti fuerant, affirmat. Rege itaque pacatis sibi inimicis regresso, venientes prædones, & vasorum interiora scrutantes, glaream deponunt, & Regis thesauros furtim ablatos, & pro eis glareas immissas fore exclamant. Sanctus autem Paternus econtra asseruit, ut dimissos, ita fore inventos. Illi tamen ruinam totius monasterii & depopulationem minabantur, si thesauri non redderentur. A Rege autem antea per Britanniam fuerat edictum, ut omne mendacium aqua ferventissima deprehenderetur. Tunc in fervore spiritus jubet Paternus aquam in æneo cacabo, donec ferveret, calefieri; & manum immittens, albam & frigidam, post aliquantulum moræ spatium, extraxit. Coacti etiam posthæc prædones, cum manus suas in ferventem aquam misissent, malitiam mentium manus exustæ declarabant. Cumque toti combusti vitam finissent, Rex oculis excæcatus infirmatur, & propter reatum in S. Paternum inique commissum, se moriturum confitetur. Adductus autem ad virum Dei cum magna difficultate Rex, gemens & pœnitens, flexis genibus indulgentiam petiit; & accepta venia, sanantur oculi ejus & membra.

o accipit in deposito vasa glarea repleta:

tamquam si forent thesauri regii,

C

aqua ferventis judicio se purgat,

& Regem excæcatum sanat.

ANNOTATA.

a *Breviar. Corisopitense* Guen, *Venetense* Guena. *Le Grand* Julita Guenn.

b *Additur in Corisopitensi*, ut fertur. *In Venetensi dicuntur*, ab ortu ipsius ambo voto continentiæ se obstrinxisse.

c *Additur in Corisopitensi.* Convenienti igitur ordine prævisum est à Deo, ut sicut Christus de summo Patre, Deus de Deo, lumen de lumine, ortus est; ita Paternus sanctus ex sanctis parentibus nasceretur. *Quæ comparatio, ut parum decens, bene in Vita omissa est.*

d *Additur in eodem Corisop.* Dormit in spiachia.

e *Additur ibidem*, Spiritu sancto desuper flante confortatus.

D

f *Additur ibidem*: Nam sicut hiemale alvearium, arridente vere animos extollens, & augendæ proli prudenter instans, aliud primum * principiumque foras emittit examen, ut alibi mellificet: quoque Lætia, accrescente serenitate religionis, catervas Sanctorum, ad originem unde exierant, transmittit sub Ducibus Cuitham, Cathinam & Thetheco.

* an præcipuum.

g *Additur ibidem*: Quanto junior, tanto ferventior in laborando, ætatem suam religionis moribus transcendebat.

h *Ibidem nominantur* Cathinam & Theteco.

i *Eumdem numerum exprimit Usserius pag.* 528, *ubi hoc iter describit, & in Indice Chronologico refert hoc iter ad an.* 516.

k *Usserius ibidem*: Mauritania non alia hic accipienda, quam Episcopalis illa Ecclesia Lhan-Padern-vaur appellata: in quo vocabulo decomposito priora duo membra fanum Paterni, postremum illud Vaur sive Maur (M enim & V consonans in Cambro-Britannica lingua permutari inter se notum est) à quo Mauritaniæ nomen deflexum videri posset, Magnum denotat.

l *In Breviar. Corisopotensi additur*: Et tandem simul consident & de cælestis patriæ gaudiis sermocinantur. *Et dein reliquis omissis transitur ad ejus obitum.*

E

m *Usserius etiam tradit* reconciliatos ipsius interventu duos Reges in Hibernia dissidentes: *& reditum refert in Indice Chronologico ad annum* 517.

n *In Breviar. Venetensi, omisso miraculoso adventu, ista habet.* Clarus opere doctrinaque per diversa Tymperiti loca, monasteriis & ecclesiis excitatis, Sampsonem & Minonochon, duces viris piis, ad serviendum Deo congregatis, præfecit.

o *Usserius pag* 88 *indicat ab hoc* Mailguno *sive* Mailgone erectam Sedem Episcopalem Bengorensem super fluvium Meanath, scribi à Rosso Warwicensi, & postmodum electum fuisse Monarcham Britonum.

CAPUT II.

Vita in Episcopatu, pius obitus.

5 CÆlestis autem *a* nuntius, ad S. David in *b* Rosina valle veniens, dixit: Surge & vade in Hierusalem, ut ibi gradum Episcopalem suscipias, & adde tibi duos condignos comites, Paternum videlicet & Teliaum, qui ad eumdem gradum Episcopalem promoveri possunt. Mox autem missis ad illos nuntiis, sine mora venerunt. Per barbaras autem nationes iter agentes, *c* gratiam linguarum à Domino acceperunt, unumquemque hominem propria lingua, in qua natus fuerat, alloquentes. Ad urbem Hierusalem tandem accedentes, nobilissime post Apostolos prædicabant, contra Judæos & hæresim ibidem ortam: nam unusquisque in lingua sua eos loquentes intelligebant. Per impositionem postea manus *d* Patriarchæ, Episcopi ordinati sunt, & muneribus ditati: Paternus quidem *e* tunica ex auro texta & baculo ditatur. Regressi autem ad patriam, in tres Episcopatus Britanniam diviserunt.

a b

F

cum SS. Davide & Teliao Hierosolymis ordinatur Episcopus:

c

d

e

6 Cum autem Paternus in ecclesia Mauritania præfata post tantos labores quiesceret, deambulabat quidam tyrannus regiones altrinsecus, nomine *f* Arthurus: qui quadam die veniens ad cellam sancti Episcopi, & ipsum alloquens, tunicam memoratam aspexit, & zelo consossus invidiæ, petivit eam. Cui ibi Sanctus, Non cuilibet magno, sed Clerico tantum Deo sacrato hæc tunica condigna est. Ille autem indignans monasterium egressus, iterumque regressus est

Arthurum tyrannum usque ad collum terra absorptum:

f

A est ut eam vi tolleret. Unus autem discipulorum, videns illum in furore revertentem, cucurrit ad S. Paternum & ait: Tyrannus, qui hinc antea exivit, insultando cum furore regreditur. Paternus ait: Imo absorbeat eum tellus. Quo dicto statim terra aperuit os suum, & usque ad mentum Arthurum absorbuit. Qui illico agnoscens suum reatum, incipit Deum & S. Paternum laudare; donec veniam humiliter petens, terra illum sursum emitteret. Tunc Sanctus Regi, flexis genibus veniam imploranti, benigno vultu indulsit.

g 7 Illis autem diebus g Caradaucus ultra terminos Britanniæ regnum suum dilatavit, & ad minorem Britanniam veniens, illam dominio suo subjugavit. Incolæ autem illius provinciæ, ad illum venientes, dixerunt: Nisi Paternum nostratem ad nos ex majori Britannia revocaveris, nos tibi placabiles & subjectos invenire non poteris. Tunc Rex, transito prospere mari, obnixis precibus sanctum Episcopum rogavit, ut ad instructionem minoris Britanniæ & populi ædificationem, gressum maturare dignaretur. *in Britanniam minorem, petente Rege reversus,*

h *h* Episcopus autem sanctus, secundum Apostoli præceptum, potestati resistere nolens, illuc perrexit; i & magnam persecutionem à falsis fratribus patienter sustinuit. k Sampson autem Episcopus illius provinciæ, quem præcipuum in sanctitate omnes magnificabant, parochias perambulabat, certum censum singulis Ecclesiis Metropolitanæ solvere Ecclesiæ statuens. Cumque veniret ad vicina loca urbis, juxta quam S. Paternus monasterium fundaverat, unus monachorum Sampsonis ait: Mitte ad Sanctum, ex Britannia nuper venientem, ut probes ejus humilitatem; & præcipe cum nuntio, ut quocumque statu eum invenerit, eodem sine excusatione quacumque properet ad te. Sampson autem consilium simpliciter accipiens, nuntium misit. Nuntius autem ad virum Dei veniens, caligam in uno pede invenit, altero nudo manente. Servus nuntiat legationem, & Paternus futura prævidens ad Episcopum sine mora perrexit. Malitiosus ille monachus, auctor consilii mali, Paternum semi vestitum pedibus subridet; & statim arreptus à dæmone, cecidit in terram. Mox Sampson, monachum illum auctorem esse tentationis intelligens in S. Paterno; ipsum pacifice salutat, indulgentiam petiit & accepit. Tunc Paternus expulso dæmone fatigatum sanat. Statuit autem S. Sampson, ut quamvis omnis Episcopatus terræ sibi censum redderet, Sancti tamen Paterni Episcopatus liber ab omni hominio fieret. Urbs autem l Guenet Sedes Episcopatus S. Paterni erat.

(Margin: Rom. 13, 2. — B — *ad S. Sampsonem evocatus venit;* — *ob irrisionem à dæmone obsessum liberat:* — C)

m 8 Post hæc m congregata Synodo, ibi multum ab invidis & falsis fratribus fatigatus extitit, confirmata tamen demum inter ipsum & Episcopos unitate pacis, timens ne per intolerantiam illorum aliquo vel tenui modo irasceretur vel læderetur humilitas ejus, terram illam deserens, Francos adiit; & septimo decimo kalendis Maji in Domino n obdormivit. Tres namque ejus solennitates minoris Britanniæ incolæ festive venerantur & colunt: diem videlicet qua pax præfata cum Episcopis reformata fuit, kalendis Novembris; & diem qua gradum Episcopatus accepit, XII kal. Julii; & diem obitus sui. *in Francia obit 15 Apr.* *colitur etiam 1 Novemb. & 20 Iunii.*

o 9 o Post obitum vero S. Paterni, minorem Britanniam atra fames invasit: nam trium annorum spatio post transitum ejus, nec ros nec pluvia de cælo super totam provinciam descendit. Invenerunt tandem incolæ, quod S. Paternus, ab injuriosis & falsis fratribus afflictus, terram reliquisset. Inito consilio ad locum sepulturæ ejus apud Francos perrexerunt, ut honorifice Reliquias ejus secum transferrent: quod cum assequi nullo modo valerent, unum ex ossibus ejus illis donatum omnis exercitus p portare non potuit. Turbatis igitur omnibus, & quid agerent ignorantibus; supervenit nobilis quidam urbis Guenet, sic dicens: Dum viveret sanctus Pater, postulabat à me sæpius terram meam, ut ibi ecclesiam fundaret: quod itaque privavi eum sua petitione dum viveret; hanc post mortem liberis concedo. Surgat itaque, sumat honorem, petitionem accipiat. Hoc dicto os memoratum levissime à terra sustollunt, & ad terram suam secum deferunt, & in ecclesiæ illius honore, in terra illius divitis constructa, cum magno honore collocant. *Os ex reliquiis,* *vota illi ecclesia, transfertur.* AUCT. IOA. TINNEMUI

10 q Quodam etiam tempore S. Paterno adhuc superstite, dum quidam ejus minister monasterii silvas visitaret, incidens in latrones occisus est: quo audito Paternus silvam adiit, & ministrum proprio nomine vocavit, dicens: Respondeas magistro tuo. Tunc caput à cadavere revulsum respondit: Hic adsum Domine. Cum qua voce pervenit Episcopus ad locum responsionis, & videns caput ministri à corpore sectum, elevatis in cælum oculis cadaver benedixit; & capite subito corpori conjuncto vivus surrexit. Hoc audiens quidam potens illius provinciæ venit ad Episcopum, & dixit: Mei sunt malitiosi interfectores ministri tui, & ne ultio divina per commotionem animi tui me anticipet, misericordiam humiliter & veniam peto; & ut mentem tuam ad me placabilem efficiam; partem agri dicabo tibi. Cui S. Paternus, veniam benigne largitus, hoc prænuntiavit, antequam finias vitam tuam Domino placebis, & in cœmeterio cum honore sepulturam mereberis. q *ministrum jugulatum resuscitat.* E

ANNOTATA.

a *Hæc eadem narratio de itinere Hierosolymitano plenius continetur in variis Actis S. Davidis Archiepiscopi Menevensis, editis à Colgano Capgravio &, aliis ex MSS. à nobis illustratis ad diem* I *Martii, & in Actis S. Teliai Episcopi Landavensis ad* IX *Februarii: quæ istic videri possunt. Agitur etiam de eodem itinere in Breviario Venetensi, ubi* Turianus *loco* Teliai *legitur. Meminit etiam illius Usserius pag.* 528.

b Vallis Rosina *sive* Menevia *prope urbem S. Davidis, in Comitatu Penbrockiæ.*

c *In Breviar. Venetensi:* Benignum adeo divinæ gratiæ lumen affulsit, ut omnium gentium linguas, qua iter facturi erant, & intelligerent & sonarent.

d *Patriarcha erat circa illud tempus Ioannes* III, *qui per SS. Sabbam & Theodosium Cœnobiarcham à communione hæreticorum abstractus, fidem orthodoxam propugnabat. Consule dicta ad Vitam S. Theodosii* 11 *Ianuarii* § 5 *num.* 25. F

e *Brev. Venet.* Eburneo baculo tunicaque inconsutuli, in qua ipse rem divinam facere solitus erat.

f *De tempore regni* Arthuri *late disputat Usserius pag.* 466 *& sequentibus, sed hoc factum non attingit; tempora tamen satis congruunt, etiamsi cœpisset regnare anno* DXXVIII. *Alii citius auspicantur regnum ejus. Non meminit hujus facti Breviarium Venetense: forsan veritus est auctor, ne hic aliqua hyperbolicæ essent aucta: quod judicio lectoris relinquimus.*

g *Hæc de* Caradauco Rege *narrat Usserius, in Indice ad an.* 540, *& in Breviar. Venetensi ita indicantur.* Carodoco Britannia subjugata ad Lætaviam, *id est Britanniam minorem,* quoque debellandam mare transgresso, Britones occurrentes, cum per Legatos respondissent, ultro se, reducto è Britannia receptoque Paterno, in deditionem ejus concessuros.

h *Ex Vita S. Paterni, in bibliotheca Cottoniana à se visa, scribit Usserius pag.* 529, *Postquam* Cereticorum Ecclesiam & pascendo rexisset, & regendo pavisset, à Caradauco in Armoricā revocatur. *Cereticos autem per annos viginti & unum eum rexisse & pavisse scribit idem*

Vsserius ex Vita Sulgeni pag. 90 & in Indice reditum adscribit anno 540.

i *In Brev. Venet. additur: Adventanti* Clerus, Proceres populusque Venetensis procul obviam progressi, fausta certatim acclamatione plausuque exceptum, atque honorificentissime in urbem deductum, in Episcopali Sede concordibus animis atque sententiis collocarunt: ubi ipse regiam, in urbis limo recens excitatam, non multo post concessu Regis in ecclesiæ speculum modumque conversam, in honorem Principis Apostolorum Deo dedicavit.

k *Colitur* S. Sampson 28 Iulii, *quæ hic de hujus monacho habentur, referuntur etiam in Brev. Venetensi, omittuntur apud Vsserium, qui reliqua pag.* 529 *ex Ioanne Tinmuthensi profert.*

l Guenet, *cui consonat Latine* Venetum, *nunc Gallis* Vennes *dicitur.*

m *Vsserius pag.* 530 *arbitratur adiisse* Concilium Parisiense III, circa annum Christi DLX habitum, cui Paternus cum Sampsone subscripsisse legitur. *In Brev. Venet. dicitur* Synodus habita kalendis Novembris decreto Provincialium Episcoporum.

n *Brev. Venet.* In vico quodam delapsus in morbum, cum sentiret corpusculum, ætatis jam incommodis & laboribus exhaustum, sensim dissolvi, sacrosancto Dominici Corporis viatico præmunitus, extensis cælo manibus, decimo sexto kalendas Maji, plurimis clarus miraculis, obdormivit in Domino. *In Breviario antiquo Corisopitensi ita obitus describitur:* Gravi pulsatus incommodo, convocatis Fratribus dixit se dissolvi corpore, viaticum se velle Corporis Christi accipere. Quo accepto, dataque Fratribus benedictione, extensis in cælum manibus gratias Christo reddens, suamque illi animam commendans, decimo sexto kalendas Maji, obdormivit in Domino. *Ast apud Tinmuthensem & Vsserium ex illo, legitur cum textu Vitæ,* decimo septimo kalendas Maji obdormivisse.

o *Hoc numero relata recitantur in Ecclesia Venetensi, die* 21 *Maji in festo Translationis.*

p *In dictis Lectionibus de toto corpore tunc immoto & postea translato dicitur,* aëre in rores & pluvias placidius & uberius liquescente: quæ gratia in hoc usque tempus permansit, cum siccitate & æstu laborant, indictisque supplicationibus Paternum deprecatorem invocant.

q *Sequentia videntur per modum Appendicis adjuncta, de quibus alibi nihil legimus, & forsan ex fama vulgi adjecta.*

DE S. RODANO SIVE RUADANO

ABBATE LOTHRENSI IN HIBERNIA.

D. P.

SEC. VI.

Vita unde accepta:



Itam hujus Sancti dedit Codex in membrana antiquus, ex Collegio Patrum Hibernorum Salmaticensi ad nos delatus. Scripta est autem stylo simplici, quali fere ceteras Hibernicorum Sanctorum Vitas scriptas invenias seculo XII *aut deinceps; cum ipse Sanctus vixerit sexto seculo, S. Columbæ Hiensi æqualis aut aliquanto senior, ut ex toto Vitæ hujus decursu patet. Eam stylo aliquantum cultiori ampliorique, sed etiam recentiori, habuisse Colganum, apparet ex historia, seu verius fabula (neque enim usquequaque carent tanto post scripta monumenta admixtione fabularum) quæ hic sequebatur post num.* 16*, à nobis autem omissa est, ne scandalum gignat: ipsa autem stylo diverso legitur apud prænominatum Colganum in* 2 *Appendice ad Acta S. Columbæ, in Triade Thaumaturga cap.* 39. *Non putavimus nobis magnopere laborandum, ut posteriorem illam Vitam nancisceremur: quia prior antiquiora sectantibus, neque iis veriora ab ætate recentiori sperantibus, satis esse sola potest.*

omissa recentior alia.

2 *Quod inter illustriorum Hiberniæ Sanctorum Vitas hæc collocetur, præcipuum nobis argumentum fuit, ad credendum, hujus quoque Sancti magnum ac venerabile fuisse Hibernis nomen, cum res Catholica apud eos staret. Plura fortasse de antiquo ac solenni ejusdem cultu suggerent Acta Sanctorum Aprilis & sequentium mensium, à Colgani successoribus brevi ut speramus edenda: unicum nunc suppetit antiqui Tamlactensis Martyrologii testimonium, ubi post Sanctos ex Hieronymiano Martyrologio ad* XVII *Kal. Maji relatos, pene immediate subjungitur,* Ruadanus de Lothra: *quod fuisse monasterium in Vrmonia seu Boreali Momoniæ parte, docet Colgani index Topographicus, & ex hac Vita satis clare colligitur; etsi ea necdum attentius expensa, dubitaverimus aliquando, num ipsum esset civitas Luthir, quam S. Rodano oblatam fuisse, in regione Carbriæ majoris sive septentrionalis Conactiæ, dicitur num.* 2.

cultus antiqui argumenta,

Lothrensis monasterii situs,

3 *Nomen Sancti varie exprimitur. Codex noster primo* Rodanum *scribit usque ad num.* 10: *deinde vero* Ruodanus *invenitur scriptus, & semel etiam iterumque* Ruadanus: *quod amplecti videtur Colganus, & qui nobis Martyrologium Tamlactense descripsit. Nos primam scriptionem, ut faciliorem, retinemus. Occasione autem posterioris scriptionis factum putamus, ut ipsum, minus perfecte exaratum, Carthusianis Coloniensibus, Vsuardi Martyrologium cum suis additionibus anno* MDXXI *edituris, videretur esse* Candanus. *Scripserunt igitur,* In Hibernia Candani Episcopi: *quod Canisius in suo Martyrologio Germanico est secutus, Canisium autem Ferrarius in Catalogo Generali Sanctorum. Sane in omnibus Colgani propriorum nominorum indicibus* Candani *nomen nusquam legitur, aut aliud ei vicinum ullum, unde moneamur credere ipsum esse Hibernicum.*

nomen Sancti varie scriptum,

sed perperam Candanus,

4 *Ne tamen id absolute negemus facit Henrici Fitzimon præcipuorum Hiberniæ Sanctorum Catalogus, in quo post nomen ex Canisii auctoritate relatum, additur,* à quo Balli-candan in Hibernia: *quod homini Hiberno pro* Baile-Ruadan, *sive (ut in hac Vita scribitur)* Pol-Ruodan, *obrepsisse, difficile est creditu. Ceterum qualiscumque sit is qui* Balli-candan *nomen dedit, omnino existimamus, eum qui Hibernico Martyrologio locum hoc die nullum habet, nihil ad hunc diem & eum de quo agimus S. Ruadanum, pertinere.*

unde Ballicandan nominatur.

VITA

Ex nostro MS. Salmanticensi.

CAPUT I.

Prima Sancti initia & miracula quædam.

1 Rodanus sanctus, filius Birri, ex nobili genere natus, de Dubrugii nepotum a Duach oriundus fuit. Hic autem Rodanus, ex matris vulva Dei electus, ab infantia sua Deum valde amavit: qui instigante sibi Domino, relictis parentibus, exiit ut sanctas Scripturas legeret, & disciplinam ecclesiasticam disceret. Perrexit autem in fines b nepotum Neill, ibique apud Finnianum c Episcopum Cluana-Hiraird legens, multo mansit tempore. Cum in divinis Scripturis esset eruditus, & in omnibus disciplinis esset perfectus, accepto gradu valedicens Magistro, venit ad fines d Muscrigi: ibique primitus apud e Mac-Cunethin locum sibi constituit, donec Angelus à Deo missus dixit ei: In hoc loco tua

a Nobili genere natus,

b c studet apud S. Finnianum Episcopum:

d e discedit ad Maccunethin

non

A non erit resurrectio. Tunc Rodanus ipsum relinquens, venit ad eum locum, ubi nunc est civitas: ibique aper silvaticus, in hujus adventu pavidus, ex concavo ligno velociter exilivit: & illic Rodanus suam fundavit civitatem. *inde Lo. thrimi*

f 2 Eodem tempore S. f Brandanus Mac-Tualti locum sibi haud procul à Rodano constituit, in illo oppido quod dicitur Tulach-Brendin: & sonus cymbali utrorumque usque ad locum alterius audiebatur. Tunc ait Brandanus: Ego & Rodanus simul habitare non possumus, hanc ergo regionem Rodano relinquamus. Exivitque Brandanus & ædificavit g Cloin-ferte, & benedixit ei Rodanus dicens: Civitas tua non erit infirmior quam mea civitas.

g Cum autem Sanctus Rodanus Aquilonarem partem Hiberniæ exisset, multas ibi virtutes fecit, & magnam parochiam ibi acquisivit, voluitque in illis regionibus locum construere sibi: sed vir quidam in cujus agro ædificare voluit, manum ejus tenens, repulit eum: statimque mare & arena agrum viri illius operuit, & non habitatur in æternum. *tum ad Hiberniam Aquilonarem,*

h B 3 Quadam autem die cum venisset Rodanus ad civitatem, quæ dicitur h Snam-Luthir, in regione generis Karbri, in eadem hora Rex generis Karbri, mortuus ferebatur in curru ad civitatem illam, totaque plebs circa illum valde lugens erat. Tunc Rodanus illis misertus oravit Dominum, & statim Rex surrexit vivus, & obtulit Rex civitatem illam suam i Luthir, & gentem sibi adhærentem sancto Rodano. *Regem Carbriæ resuscitat,*

i Quadam die, cum sanctus Rodanus venisset ad Roys-Enni Hi-crich-archer, invenit ibi turbam magnam plebis, & interrogavit, quid illic agerent. At illi responderunt, dicentes: In hac civitate substantia plebis abscondita est in terra, in mortalitate magna, sed nescimus in quo loco speciali iste thesaurus habetur absconditus. Tunc Rodanus exivit per circuitum civitatis, suum percutiens cymbalum, & benedicens civitatem oravit; statimque terra aperuit os suum, supra illum locum in quo erat plebis substantia. Tunc plebs illa gratias agentes Deo, obtulerunt Rodano ipsam civitatem & gentem quæ est in circuitu illius. *locum latentis thesauri precibus aperit,*

k 4 Post hæc venit Rodanus ab Aquilone ad sororem suam Daroi, in finibus nepotum k Ailella, & ipse fundavit apud eum illum locum qui dicitur Senchue, & locus ille oblatus est à plebe liber Rodano in æternum. *sororem suam visit,*

C l Quodam tempore, cum cocus lac à l bocceto in civitatem deferret, intrans per porticum civitatis quotidie, lac effundebatur in terram per septem dies. Quadam autem die S. Rodanus perrexit ad porticum, ut mali istius causam cognosceret: viditque in porticu duos dæmones, unum à dextris, & unum à sinistris, habentes in manibus malleos ferreos, & hinc inde percutientes lactea vasa, statim confracta de equo cadebant in terram. Ideo autem dæmones hoc faciebant, quia cocus non erat curialis hospitibus. Tunc misit Rodanus dæmones in profundum maris, ubi nulli hominum nocerent. *dæmones lac effundentes terret:*

m 5 Quidam juvenis de m Aradaib-Cliach, volens discere artem medicinæ, postulavit à Rodano ut suas benediceret manus. Tunc Rodanus benedixit manus ejus & oculos, & statim in omni arte medecinali factus est perfectus. *Medendi peritiam juveni tribuit;*

n In illo tempore Regina Regis Kualain, in finibus n Legensium, insanabili dolore torquebatur; erantque juxta illam quinquaginta medici, qui nil ei sanitatis contulerunt. Tunc Regina illa, relictis medicis, commendavit se in manus Dei & S. Rodani. Angelus autem Domini ad Rodanum veniens, dixit: Tibi Dominus donavit ut Regina Regis Kualain per te sanitatem accipiat, cujus doloris causam medici nescierunt: habet enim in utero cruentum partum. Quadam autem nocte S. Rodanus ostendit se Reginæ in somnis cum ingenti luce, qui dixit ad eam: Noli timere, quia sanitatem recipies: ego mittam ad te juvenem cum tali habitu, & in tali die, qui te à tua infirmitate curabit: medicosque relinque, qui tibi prodesse non possunt: & recessit ab ea. *& jussus Reginam ægrotantem curare,* *ex MS. ei apparet medicumque promittit,*

6 Alia autem die vocans ad se Rodanus juvenem illum, cujus manus benedixerat, ait illi: Vade ad Reginam Regis Kualain, & sana eam. Accipiensque Rodanus vasculum suum æneum aqua plenum, benedixit, & salivam suam projecit in aqua, & juvenis potum bibit. Et ait illi Rodanus: Vade, & sic facies: benedices aquam, & salivam tuam in aqua projicies: potum dabis Reginæ, & salva erit. Exiit ergo juvenis, & fecit ita: ejectisque medicis benedicens aquam, salivamque suam in aquam mittens, dedit potum Reginæ: illaque bibens statim genuit cruentum partum & mortuum, quem in utero habebat: & statim sanata est. Juvenis autem, secundum verbum Rodani, munera non accepit, nisi tantummodo linteam Regis Kualain, quæ supra altare Lothri, multo fuit tempore. *ipsum scilicet illum juvenem;* *quo aquam benedicente, Regina sanatur.*

7 Quodam tempore navis Brandani in mari quod dicitur o Livemnech, demersa est in profundum maris, filiusque Regis p Britanniæ erat dormiens in prora navis. Tunc Brandanus q dixit suis: Ite ad Rodanum: illi enim donavit Dominus ut navem nostram de profundis elevet, & filium Regis in ea submersum resuscitet. Eunntes autem ad Rodanum, ipse statim cum illis perrexit, oransque in loco ubi navis submersa est, statim illa de imis surrexit, filiusque Regis in ea quasi dormiens, vivus & sanus: qui dicebat quod S. Rodanus suum cucullum circa illius caput posuisset, ne sentiret aquam. E o p q *navim submersam è fundo revocat,* *puero intus salvo:*

ANNOTATA.

a *In Vita S. Benigni, à Colgano citata num. 26 Appendicis 3 ad Acta S. Patricii, narratur quomodo S. Patricius* Duacho *cognomento* Galach, *filio juniori Regis Connactiorum Briani, regnum & copiosam posteritatem prædixerit: ad hujus ergo nepotes credibile est locum* Dubrugy, *patriam S. Ruodani, pertinuisse.*

b *Id est in Mediam, cui posteri Nielli, ceteris Hiberniæ Regibus præcellentiores, dominabantur.*

c S. Finiani Episcopi. *Vitam ejus Colganus 23 Febr. dedit, nos illam in 12 Decembr. distulimus: notavimus autem in Commentario ad Acta S. Kierani Sagirlensis, 5 Martii, num. 12, cœpisse eum docere in Hibernia circa initium seculi 6, non tamen Cluanerardensi in cœnobio, cujus possessionem solum acceperit circa an. 540.* F

d *Regio est in meditullio Mummoniæ,* Muscrigia *aliis dicta.*

e *Rectius forte* Mac-kinæthum *(nam* Kinæthi *nomen Hibernis familiare fuisse apparet ex indicibus historicis Colgani) an autem Sanctis Hiberniæ adscriptus his* Mac-kinæthus *sit, needum comperimus.*

f *Colitur* S. Brandanus 16 *Maji: sed Vita eum facit filium Finlochæ: quomodo ergo hic dicitur* Mac-Tualti? *an quia Finlocha fuit filius* Athil, *ut habet MS. S. Maximini?*

g *In finibus Conactiæ & Vrmoniæ sita est* Cluain-ferta.

h *Colganus in Annot. ad l. 2 Vitæ 4 S. Columbæ n. 34 & 35 docet,* Snam-Luthir *(in quo postea Sanctus quidam Colmanus, 1 Ianuarii colendus, monasterium extruxit) esse in regione maritima Borealis Conaciæ,* Carbre-Gabra *aut* Carbre-mor *dicta.*

i *Hanc esse ipsum* Luthri *sive* Lothra *aliquando suspicati, dubitavimus ad Acta S. Kierani cap. 3 litt. d, an esset S. Rodani monasterium in Vrmonia, ut docebat Colganus, constituendum:*

EX MS. *stituendum: quod, vita hac melius expensa, nolumus amplius in dubium revocari.*

k Tir-olella *alias, cujus, & loci mox nominandi* Senchua, *mentio est in Vita Tripartita. S. Patricii apud Colganum lib. 2 cap. 35, tamquam trans fluvium Sennanum siti, respectu Mediæ.*

l *In Vita 2 S. Brigidæ 1 Febr. num. 19 legitur* Boekium *pro stabulo, quod putamus integre scribi debere* Booekium, *ut sit compositum ex βῦ, βοός, & οἶκος domus: idem forsitan hic legendum.*

m *Colgano in Annot. ad Tripartitam S. Patricii lib. 3 n. 63* Aracliach *est regio mediterranea* Mumoniæ, Lumnecho civitati ad orientem vicina: *ex quo confirmamur in ejusdem Colgani sententia, urbem Lothra constituentis in ejusdem Mumonia parte Boreali seu Vrmonia.*

n *An* Lageniensium? *Ita arbitramur.*

o *Forsitan* Lumnech: *ut intelligatur amplum Senani fluminis æstuarium, infra* Lumnech, *vulgo* Lemrick, *civitatem olim & nunc amplam.*

p *Nemini hoc mirum videatur: quandoquidem Hibernia tunc esset, non solum Britannis vicinis, sed etiam longe positis nationibus religionis ac litterarum schola.*

B q *S. Brandanum, utpote longius positum, oportet hunc casum in spiritu cognovisse: quatridui enim & amplius itinere Cluainfertense monasterium à sinu illo abest: cui S. Rodani locus longe erat vicinior, ideoque ad hunc suos discipulos ablegat Brandanus.*

CAPUT II.

Quid S. Finniano actum apud S. Rodanum: Rex Dermitius hujus precibus cogitur vinctum innocentem dimittere.

8 NUmerus autem populi S. Rodani erat quinquaginta *a* ter viri, quibus Deus omnipotens, sine ullo labore, excepto jejunio & oratione, victum donavit mirabilem. Erat enim cum illis in civitate *b* lignum, cujus prædulci succo in vas quoddam sub se positum stillante, quotidie cum suis hospitibus pascebantur: & de isto mirabili liquore, saporem vini habente, suum plenum calicem unusquisque sumebat, oleraque similiter comedebant. Tunc Sancti Hiberniæ, invidia contra Rodanum commoti, murmurare cœperunt, quia monarchi eorum & alumni, ab eis fugientes, ad Rodanum exibant. Perrexerunt Sancti cum tali querela ad Finnianum Episcopum Cluana-Hiraird, qui cum eis venit ut Rodanum ab hac vita libera cessare rogaret, ne invidiam & murmurationem ceteris Sanctis præstaret. Cum autem S. Finnianus in civitatem intrasset, & vidisset illud lignum, elevata manu benedixit illud, & statim lignum manare cessavit, *c* ita ut in sequenti nocte liquor iste soli tantum familiæ sine hospitibus sufficeret.

a

b lignum quo vinum stillabat

familia hospitibusque sufficiens,

C

parcius stillare facit S. Finnianus:

c

9 Tunc suus cocus ad Rodanum cum istis perrexit querelans. Cui Rodanus ait: Aquam fontis nostris affunde hospitibus, & vertetur in vinum eis. Cumque cocus pergeret, & aquam de fonte hauriret, subito per lapideum fundamentum laticis prorupit piscis miræ magnitudinis, cujus vestigium usque hodie manet in lapide, & datus est hospitibus: & de aqua in vinum conversa, hospites inebriati sunt, & sopor Dei cecidit super illos. Tunc Sancti Hiberniæ Rodanum rogarunt, ut suos monachos faceret similes monachis illorum, & ipse humiliter obedivit illis. Sanctus autem Finianus dixit Rodano cum suis: Vos arate, & metite terram vestram, sine ulla cultura ac fimi impinguatione uberes fructus in æternum producet. Tunc S. Finnianus benedixit Rodanum, & locum ejus, & terram illius, & recessit in pace.

sed Rodano aquam benedicente,

hæc iis in vinum vertitur,

10 Rex Dermitius *d* filius Kerbuil pacem fecit in tota Hibernia. In illo tempore præfectus Regis Dermitii, & præco ejus nomine *e* Bacc-Lomm, exierunt in fines Connacht, in regionem generis *f* Mani. Ipse autem præco à diabolo persuasus, sic ad castella introibat, habens in ore suo hastam suam transversam, ut sic ante illum castella aperiantur. Tunc Odo-Guori, postquam castellum ipsius ante præconem destructum est, ipsummet præconem jugulavit: & præ timore Regis Dermitii, fugit Odo in regiones Muscrigi ad *g* Episcopum Senachum: mater enim Odonis-Guori & mater Episcopi Senachi duæ sorores erant. Senachus autem Episcopus Odonem duxit ad S. Rodanum ut defenderet eum. Duæ autem sorores Rodani, scilicet Kyell & Ruadnais, ipsum Senachum nutrierunt. Tunc Odo-Guori à S. Rodano in Britanniam ductus est.

D

d

e

f

Odonem cæso Regis præcone profugum

g

sibique à Senacho Ep. commendatum,

11 Misit autem Dermitius in Britanniam, ut ibi Odo habitare non posset. Iterum Odo in Hiberniam ductus est ad sanctum Rodanum, qui tunc habitabat in loco, qui dicitur Poll-Ruodan, & fuit cum illo absconditus in terra. Hoc autem sciens Dermitius, venit ad Rodanum qui habitabat in Poll-Ruodan: misitque Dermitius aurigam suum in cellam, ut Odonem foras ad se perduceret. Cum auriga in cella introiret, statim excæcati sunt oculi ejus. Tunc ipsemet Rex intravit in cellam, & interrogavit Rodanum dicens, Ubi est Odo? Sciebat enim Rex quod Rodanus mendacium non diceret. Cui Rodanus respondit, Nescio illum nisi sub sede sua constet. Tunc Rex egressus foras de cella procul, rememoratus est verbum quod ei Rodanus dixerat, & iterum reversus est in cellam, viditque lucernam in manu ministri ingredientis *h* ad Odonem. Tunc Rex Dermitius misit virum nomine Donnanum ut foderet terram ubi erat Odo. Cumque ille manum cum sarculo elevasset, statim manus ejus immobiliter exaruit, & ipse pœnitentiam agens mansit cum Rodano simul, & ipse qui excæcatus est. Hi sunt duo Sancti qui consistunt in Poll-Ruodan.

occultat Rodanus,

E

missosque ad eum protrahendum punit,

h

atque convertit.

12 Tunc ipsemet Dermitius venit ut Odonem de terra elevaret. Sanctus autem Rodanus suum percussit cymbalum. Eductus est ergo Odo extra, & duxit eum Rex secum ad civitatem *i* Temrach, & S. Rodanus cum suo populo similiter cum Rege perrexit, ne Odo occideretur. Adveniens autem Rodanus ad civitatem Temoriam, elevatis cymbalis, psalmos cum populo canebat. Sed in prima nocte Rex parvi pendens noluit audire eos. In illa autem nocte duodecim filii *k* Regum Temrach, in una hora mortui sunt: & luctus ingens in aula regali ortus est. Tunc Reges illi duodecim dixerunt ad Dermitium, Sanctus iste Clericus nostros occidit filios. Crastino autem die nutritor istorum puerorum, flens & lugens, perrexit ad Rodanum, rogans eum ut pueros Regum revocaret ad vitam. Orante autem Rodano statim pueri resurrexerunt. Alia autem nocte Rex Dermitius somnium vidit, scilicet arborem magnam pertingentem usque ad cælum, & ter quinquaginta viros cum securibus illam arborem succidentes vidit: sonitusque grandis cadentis ligni Regem territum suscitavit à somno: statimque clamor Synodi psalmos jugiter canentis replevit aures ejus.

à Rege abductum cum suis prosequitur,

i

F

k

ab eodemque suorum mortibus

& visione nocturna territo,

13 Tunc Rex festinus ad lucem, perrexit foras ad eos, factoque silentio dixit ad Rodanum: Ego justitiam reipublicæ defendo, ut in omni loco pax fiat, vos malum fovetis & defenditis: sanguinis vindictam à Domino recipies, nam in tota Hibernia tua parochia prima deficiet, & recedet à te. Cui Rodanus respondit: Regnum tuum primum deficiet, & de tuo genere nullus regnabit in æternum. Rex dixit, Tuus

frustraque contra Sanctum expostulante,

A Tuus locus vacuus erit, & sues in eo habitantes naribus subvertent illum. Rodanus ait: Civitas Temoria multis centenis annis prius vacua erit, & sine habitatore in æternum. Rex respondit: Corpus tuum maculam habebit, & de tuis membris unum peribit, oculus autem tuus excæcatus lucem non videbit. Rodanus ait: Corpus quoque tuum à tuis inimicis *l* jugulabitur; & tua membra per partes turpiter separabuntur. Rex dixit: Aper ferocissimus suo dente tuam pyramidem perfodiet. Rodanus ait: Femur tuum, quod ante me elevatum est simul cum tuo corpore non sepelietur: sed vir super *m* drullam illud in stercore ovium projiciet. Tunc Rex Dermitius dixit ad illos: Vos iniquitatem defenditis, ego virtutem defendo. Vos confunditis Regnum meum: Deus tamen vos diligit plus. Ite ergo, & virum vestrum portate, & pro ipso pretium reddite. Tunc triginta equi, hyacinthini coloris formaque mirabiles, juxta Pollum-Ruodani de mare fugientes, venerunt ad Rodanum ad civitatem Temoriam: & ipsos equos Rodanus reddidit Regi, & unusquisque eorum probatus velocitate cursus triumphum obtinuit, & ipsi equi Regibus dati sunt. Tunc Rex Dermitius placatus est, & Odo-Guori solutus est. S. Rodanus ad domum in pace reversus est: & post modicum temporis equi ipsi, ad locum unde venerunt, reversi sunt in mare.

autem recepto butyro pleno.

B

ANNOTATA.

a *Id est centum quinquaginta: nisi quis putet pro* ter *legendum* tres: *qui sane esset exiguus numerus respectu multitudinis discipulorum aliis Sanctis passim adhærentium.*

b *In Vita S. Finniani sequens omnis historia prolixius narratur, ut apud Colganum 23 Februarii legere est, & lignum hoc vocatur* arbor Tilia; *miraculo tanto majori, quod hujus arboris succus alias satis amarus sit: dicitur autem sic stillare solita,* ab occasu solis usque ad horam nonam alterius diei: *ut scilicet in tempore solvendi jejunii parata refectio esset. Laborat autem in Notis num. 28 Colganus, ut ne quis fidem miraculo huic deroget. Vtinam non magis incredibilia in Hibernorum Sanctorum Vitis invenirentur: neque enim adeo mirum est Deum ad contrarias sibi invicem Sanctorum Finniani & Rodani intentiones patrasse miracula, quibus utriusque virtutem comprobavit, Finniani quidem discretionem, Rodani autem abstractionem à curis temporalibus, in summa erga Deum fiducia fundatam.*

C

c *Eam scilicet portionem, quæ ab hora 9 usque ad solis occasum fluens (quemadmodum in Vita prædicta dicitur) medietatem implebat suppositi vasis, ad usum hospitum ante noctem supervenientium.*

d *Dermitius Rex alias dictus* filius Kervail, *ad distinctionem alterius Dermitii hujus nominis II, filii Sane: Regnavit autem primus iste juxta Quatuor-magistros à Colgano citatos ab anno 539 ad 558: juxta nostram vero chronotaxim § 5 Commentarii prævii ad Acta Patriciana ab anno 544 ad 565, ex antiquioribus apud Vsserium catalogis: quod ipsemet Colganus alibi probat.*

e *Ita MSS. puto tamen scribendum* Mac-lomm, *visitata Hibernis locutione.*

f Huamania vulgo Manach, *inquit Colganus in Annotat. ad Tripartitam Patricii l. 2 num. 93, est regio Australis Conaciæ: ergo in Tuamonia seu Comitatu Clarensi.*

g *Ex pluribus* Senachis Episcopis, *quos enumerat Colganus in Annot. ad Tripartitam l. 2 n. 118, nullus est qui circa hæc tempora possit credi in Muscragia aut in tota Mumonia floruisse.*

h *Non ergo, quod supra dicitur,* fuit Odo absconditus in terra, *sic accipiendum est, quasi miraculum hic foret aliquod; sed de cavea subterranea, cujus ingressu aliquo artificio occultabatur, unde Rex mora impatiens, & ex Rodani verbis intelligens sub cella ipsius esse locum, terram istic effodi jussit.* EX MS.

i Temoria *alias dicta, Sedes Regum Mediæ (qui per excellentiam Reges Hiberniæ dicebantur) usque ad mortem Diermitii.*

k *Id est Principum seu Procerum præcipuorum, quorum filii apud Regem educabantur in obsequio honorario, dignis sua prosapia artibus imbuendi.*

l *Quomodo hæc prophetia impleta sit describunt Quatuor-magistri præcitati a Colgano ad Vitam 4 S. Columbæ Annot. 80, his verbis.* Diermitius... occubuit per Aidum Nigrum Dal-Aradiæ Regem interfectus, juxta Rath-leg, in campo Line; ejusque caput abscissum transportatum est Cluainmucnosiam, ibique humatum; corpus vero Connoriæ sepultum.

m *Videtur* pala *seu* bipalium *esse: forte* trulla *à trullæ cæmentariæ similitudine dictum.*

CAPUT III.

Reliqua S. Rodani miracula.

14 Cum autem S. Rodanus venisset à civitate Temoria, ecce quidam leprosi occurrerunt ei in via, rogantes eum. Tunc Rodanus equos currus sui dedit illis: statimque duo cervi ex silvis currentes, mites facti, sub curru S. Rodani domita posuerunt colla; erantque sub curru ejus donec Rodanus ad suam domum pervenit. Quadam autem die, dum S. Rodanus cum suis iter ageret in curru, invenit arborem magnam transversam in via jacentem. Tunc Rodanus benedixit arborem, quæ statim surrexit in altum; & sic per multa tempora arbor stetit erecta. Alio quoque tempore S. Rodanus monachis suis præcepit, ut in adventu suorum hospitum carnem comederent in diebus Quadragesimæ, benedixitque Rodanus carnem istam; & fecit de ea *a* panem. Erat autem quidam laicus, qui cum Fratribus cœnam istam comedere noluit. Tunc omnes Fratres viderunt panem, quem ipse laicus edebat, quod caro cruda & sanguinea esset. Tunc laicus pœnitentiam egit, & caro ista sanguinea, benedicente Rodano, in panis naturam rediit.

E *Currum Sancti subeunt cervi,*

eodem jubente arbor casa erigitur,

panis in carnem sanguinolentam vertitur,

a

15 Alio quoque tempore æstatis duodecim leprosi ad Rodanum venerunt, eleemosynam ab eo quærentes. Tunc Rodanus suum baculum in terram pressit, statimque fons aquæ erupit. Et fecit ibi piscinam & in illa piscina lavantes se leprosi, sua lepra mundati sunt. Piscina autem illa vocatur piscina Rodani, usque in hodiernum diem. Quadam autem die, cum vas illud, in quo ignis portatur, prope non esset; S. Rodanus carbones ignis in sinum pueri misit, ut frigidis hospitibus cito portaret: & non solum vestimenta illius combusta non sunt, sed nec color eorum mutatus est. Cerva quædam de silvis egrediens ad Rodanum veniebat, & ad vesperum circa solis occasum mulgebatur ei. Eadem cerva velociter transiens longo terrarum spatio, altera hora scilicet mane, mulgebatur à S. Colmanno-Ela. *b*

fons è terra erumpit ad sanandam lepram,

F

illæso sinu prunæ portantur,

cerva lac præbet,

b

16 Alio autem tempore, cum S. Rodanus & sui monachi habitarent in loco illo, qui dicitur, Date-Etnech; misit ad illum filius Darane Dairimoir, corticem magnum, plenam butyro. Cumque cortex iste super duos boves immites mane impositus esset, perrexerunt boves per grunnam à Dairi-moir, & in ista grunna viam valde durissimam & planam invenerunt, quam nullus ante aut post ibi invenit.

Butyrum miraculosè acceptum

non minuitur:

EX MS.

invenit. Cortex autem iste apud Rodanum dividebatur, ter quinquaginta viris; ab initio vernalis temporis: & in die Pentecostes plenus sine diminutione cortex inventus est. Quodam autem tempore, cum esset Rodanus in Araib, quædam misera mater cum lacrymis venit ad eum, rogans eum ut filium suum à morte resuscitaret. Cumque orasset Rodanus, puer surrexit sanus. Alterum quoque puerum in finibus nepotum Lugdech à morte suscitavit: nam cum puer sub casula S. Rodani positus esset, statim surrexit vivus. Tertium quoque puerum Rodanus suscitavit in Hi-Cuillin, in regionibus Hely: & locus, in quo hæc virtus facta est, usque hodie Tulach Ruodan vocatur. Pater autem ipsum filium, cum agro in quo suscitatus est, S. Rodano in æternum obtulit.... c

suscitantur tres pueri mortui,

c

17 Longitudo autem sancti Rodani, ut periti tradunt VII pedum d erat, ipse enim deforis formam Regis habuit, quia Rex erat intus: pulcher deforis, sed intus pulchrior: nobilis secundum homines, sed secundum Deum fuit nobilior: magnus fuit corpore, & magnus gratia: magnus coram Deo & hominis: magnus in præsenti: magnus in futuro: magnus in caritate, major in humilitate: magnus in patientia & misericordia & in ceteris bonis. Pro his ergo bonis moribus S. Rodanus magnum honorem & præmium habet in cælis, in conspectu æterni Regis omnipotentis Dei, & Domini nostri Jesu Christi, cui honor & gloria in secula seculorum. Amen.

d *virtutum ejus synopsis.*

B

ANNOTATA.

D

a *Videtur hoc miraculum ob defectum panis patratum fuisse. Similia fere legere est* 1 *Febr. in Actis S. Brigidæ, Vita* 1 *num.* 17, *& Vita* 4 *lib.* 2 *num.* 18.

b *Habemus Vitam S.* Colmanni Ela, *dandam* 26 *Sept. ex qua didicimus, silvam, unde cognomen sumptum, fuisse in terra filiorum Neil, id est in Media; & hunc locum ei datum in quodam conventu Regum, coram Aido filio Ammirei, quem in chronataxi statuimus regnasse ab anno* 572 *ad* 598. *Verum in hac vita necdum reperimus cervæ hujus mentionem: neque apparet cur Deus, volens etiam S. Colmanum honorare miraculoso cervæ se mulgendam præbentis obsequio, eadem numero cerva uteretur in tanta locorum distantia, & aliarum cervarum copia.*

c *Sequebatur relatio de anima cujusdam Odonis Egmech, viri scelerati, à Sancto Odone filio Bric Episcopo (est hic S. Aidus, cujus Vita danda* 10 *Novembris) S. Columba & S. Rodano ab inferis, ad quos raptanda erat, liberata atque ad cælum deducta: in quo trium Sanctorum congressu, S. Columba pugillares suos reliquerit in manibus S. Rodani, & per discipulum suum Bithin, id est, S. Baithenum, in Hiensis cœnobii regimine successorem* 9 *Iunii memorandum, receperit. Sed rem totam, ne scandalo foret, ut plenam fabulosarum circumstantiarum omittimus: alio stylo qui legere volet, Colganum adeat in Append.* 2 *ad Acta S. Columbæ cap.* 3.

E

d *MS.* XII *pedum: verum non forma Regis, sed gigantis hæc fuisset.*

DE SANCTO SILVESTRO,

G. H.

ABBATE REOMAENSI IN GALLIA.

CIRCA AN. DLXXV.



Eomaus, *aliquibus* Reomagus, *&* Reomus, *monasterium pervetustum, in diœcesi Lingonensi & Burgundiæ Ducatu atque Alexiensi Iurisdictione, inter Serum & Amantionem, haud longe ab Avalone oppido situm,* à S. Joanne *in paterno fundo tempore Valentiniani III Imperatoris fuit constructum, unde vulgo nunc* Monasterium S. Joannis *appellatur, uti pluribus dictum est ad hujus Vitam* XXVIII *Ianuarii. Discipulus ejus & in regimine Abbatiali successor fuit* S. Silvester: *cujus aliquod elogium, sive rerum gestarum compendium, nobis submisit Petrus Franciscus Chifletius, erutum ex MSS. codicibus Acintini & Montis-S Mariæ monasteriorum, Ordinis Cisterciensis in diœcesi Vesontina: quod idem compendium seu Vitæ epitomen edidit Petrus Roverius in Reomao a se illustrata, & est ejusmodi.*

Reomai Monasterii situs,

S. Ioannis primi Abbatis successor S. Silvester.

C

2 Post obitum gloriosissimi Domini Joannis, suffectus est in locum ejus Abbas, Silvester nomine, quem ipse antea vivens Fratrum cœtui præesse præceperat. Qui & religionis forma & regulæ tenore per vestigia Magistri gradiens, longævo floruit tempore. Diligebatur autem à Regibus Christianissimis Francorum Chlotario atque Childeberto ob merita ejus sanctitatis. Miracula autem ab illo acta non amplius legimus, nisi de uno tantummodo Clerico, quem contractio nervorum & debilitas manuum totum reddiderat inofficiosum: qui ad venerabilem Silvestrum adminiculo vehiculi est delatus, & ab ipso sanctificati olei liquore perunctus: mox omnis contractio nervorum atq; incurvatio poplitum extenta, & plantæ pedum ejus solidatæ sunt, sanitatique est restitutus: à debilitate vero manuum per B. Germanum, Parisiacæ civitatis Episcopum, postea meruit curari, sicut scriptum in Gestis habetur præfati B. Germani. Quievit igitur venerabilis Silvester septimo decimo Kalendas Maji: & sepultus est in ecclesia S. Joannis; regnante Domino nostro Jesu Christo, qui vivit & regnat in secula seculorum. Amen.

dilectus à Regibus Chlothario & Childeberto,

sanat Clericum pedibus contractum

mortuus 15 Aprilis:

3 *Dictum miraculum, à S. Silvestro editum, describit Venantius Fortunatus, in Vita S. Germani Episcopi Parisiensis, ad diem* XXVIII *Maji illustranda, quod est ejusmodi.* Quidam Clericus, de juxta monasterium B. Silvestri in Tornodorensi, cum die Dominica (ut loquimur) ex consuetudine caligas circinasset, debilitatem manuum ac pedum incurrit. Sed per B. Silvestrum gressuum recepit officium: deinde per soporem admonitus, occurrit Parisiis S. Germano, poscens reliquum salutis compendium: à quo interrogatus, causam culpæ confessus est. Tunc imperat Sanctus clamare per populum, ne quis temere die Dominica operaretur: cui quinto die transacto, superfuso oleo palma erigitur, & sic ad propria cum libertate eundi dimittitur. *Hæc ibi. Est* Tornodorum, *vulgo* Tonnere, *Comitatus caput, olim Burgundiæ tributum cum Senonensi agro cui inseritur, & cujus jurisdictioni olim subfuisse Reomaus traditur. Ceterum S. Germanus præfuit Ecclesiæ Parisiensi ab anno circiter* DLVI *usque ad annum* DLXXVI.

F

memoratur in Vita S. Germani Ep. Parisiensis:

4 *Memoratus ante Roverius pag.* 71 *subdit præceptum Chlotharii I Regis Francorum, huic, S. Silvestro concessum: quod licet minime habeamus pro genuino, hue tamen transferre volumus, velut antiquæ possessionis documentum minime rejiciendum. Est autem tale:* Chlotharius Rex Francorum vir illustris, omnibus Episcopis, Abba-

& in diplomate Chlotharii I Regis Francorum

A Abbatibus, & illustribus viris, magnificis Ducibus, Comitibus, Domesticis, Vicariis, Grafionibus, Centenariis vel omnibus junioribus vestris, tam præsentibus quam & futuris. Si petitionibus Sacerdotum, quod ad profectum Ecclesiarum pertinet, auditum mente devota præstamus, retributorem omnium bonorum Jesum Christum ex hoc nos habere confidimus. Igitur notum sit omnibus, quoniam divæ memoriæ genitor noster Chlodoveus monasterium Domini nostri Joannis ex dono ipsius sub sua emunitate recepit, tenuit & honoravit, suisque posteris Regibus per præceptum hereditarium reliquit. Ita & nos venerabilem Silvestrum, *confirmantis donata à Chlodov.o I* Abbatem ipsius loci & Domini Joannis, nostri generis peculiaris Patroni & Oratoris, discipulum ac successorem sub nostra & nostrorum successorum Regum emunitate & defensione recipimus & revocamus, decernentes ut semper sub nobis & Regibus nostris successoribus, tam Abbas quam monachi, quamque omnes qui pro ipsa casa Dei aut ipso Abbate spectare videntur seu in reliquum esse debent, semper maneant & ex suis

B Abbatem constituant: nullasque requisitiones nec nos nec publici Judices ab ipso loco vel à Domini ipsius monasterii requiramus. Sumptus vero, *& addicentis sumptus* quos genitor noster monachis ad vestiendum calceandumque & victum præbuit, similiter & nos nostrique successores Reges ex nostra camera vel fiscalibus reditibus Abbati Silvestro ejusque monachis & successoribus liberaliter conferemus, ut pro nobis nostroque progenitore & regno Dominum jugiter exorent. *anno v regni* ✠ Signum inclyti Regis Chlothari. N. ego attuli, obtuli & subscripsi. Datum sub die VIII Kalendas Maji, anno V regni nostri, actum Suessionis.

5 *Hactenus illud Chlothariì I qualecumque diploma, in quo aliud præceptum Chlodovei patris citatum, ejusdem plane notæ, habetur apud Roverium pag. 28 & sequentibus. Quid de utroque censendum sit, & quibus argumentis deprehendi possit utrumque esse suppositum, patet ex prævio ad hunc 2 Tomum commentario: non tamen plane ipsum rejicimus, quia ejusmodi diplomata, licet non sint vere eorum Regum, quorum nomina præferunt, sed ex usu posterioris longe seculi scripta; fundamentum tamen habent in veris istorum Regum donationibus, propter traditionem an-* *apud Austrasios,*

C *tiquam de tempore & auctore earumdem non disputandis. Arbitramur autem Reomaum monasterium vere subfuisse regno Metensi, postea Austrasiorum dicto, sub Theoderico, Theodeberto & Theodebaldo Regibus, & hoc anno* DLV *vita functo devenisse in manus Chlothari, I, tunc facti Austrasiorum Regis, atque ita annum regni ejus Austrasiorum quintum, censendum annum Christi* DLIX, *Christi 559.* *aut certe sequentem* DLX. *Mortuum esse circa annum* DXLV *S. Ioannem Abbatem diximus ad ejus Vitam, quando illi successit S. Silvester, sed quamdiu præfuerit non constat. Habuit successorem Mummolum, ex Abbate Reomaensi creatum Episcopum Lingonensem anno* DLXXX, *Successit S. Ioanni circa an. 545.* *cum regnum Austrasiorum post mortem Chlothariì I devenisset in potestatem Sigeberti I, & hoc etiam vita functo anno* DLXXVI *in manus Childeberti, ad cujus usque tempus necessario dicendus est vixisse S. Silvester, si quod, supra in Epitome Vitæ dicitur,* ab eo dilectus fuerit ob meritum Sanctitatis: *nisi hic pro Childeberto videatur substituendus, ipse ejus pater Sigibertus, eo quod filius ejus* Childebertus vix lustro ætatis uno peracto, *teste Gregorio Turonensi lib. 5 Historiæ Francorum cap. 1* regnare cœperit, *adeoque non potuerit æstimare* meritum sanctitatis ejus. *Mortuus est autem S. Silvester ante annum* DLXXX, *sed quamdiu non potest sciri.* AUCTORE G. H. *mortuus aliquamdiu ante annum 580.*

6 *Ob jam dictum meritum sanctitatis nomen S. Silvestri pluribus antiquis variarum Ecclesiarum fastis est inscriptum, scilicet Remensibus ecclesiæ SS Timothei & Apollinaris, Centulensibus S. Richarii, Leodiensibus S. Lamberti & aliis S. Laurentii sub nomine Adonis, nostris sub nomine Bedæ, Bruxellensibus S. Gudilæ sub nomine Vsuardi, item MS. Florario Sanctorum, & aliis MSS. Eumdem inscripserant Auctario Vsuardi Grevenus & Molanus, eosque secutus Canisius in Martyrol. Germanico: in quibus omnibus eadem paucorum verborum phrasi dicitur,* In cœnobio Reomaensi natalis *esse* S. Silvestri, discipuli S. Joannis Confessoris. *At Saussajus longissimo encomio, sed quod fere de communi sanctorum Abbatum dici posset, eum exornat his verbis:* In Burgundia cœnobio Reomensi diœcesis Lingonensis, S. Silvestri Confessoris, B. Joannis viri Dei, primi hujus loci Abbatis, discipuli ac successoris. Hic cum vix ex ephebis excessisset, divino afflatu præsentia fastidiens, cælumque toto pectore anhelans, sub sancti illius Patris disciplina tirocinium religionis iniit: sub quo ingentes virtutum faciens progressus, ejus in se ut sanctimoniæ sensim actus transfudit; sic & eo ad supernas sedes evocato, dignus qui vicem ejus obiret habitus, cœnobium illud eodem spiritu parique virtute gubernavit, quin & sacri cœtus numerosiori caterva, religiosarumque institutionum uberiori decore, ac proprii nominis fama & meritorum accumulatione ampliavit plurimum & ditavit: sicque decursa feliciter sanctæ conversationis palæstra, Cælitis, cujus mores in carne imitatus fuerat, consortium in superna patria demeruit felicissimum. *Hæc Saussajus: qui sui non satis memor eumdem iterum celebrat, sed minore elogio, in supplemento ad hunc diem.* *Memoria sacris fastis inscripta, etiam Martyrologio Gallicano Saussaji.* E

7 *Trithemius passim creditur de hoc Sancto agere lib. 3 de Viris illustribus Ordinis S. Benedicti cap. 275.* Silvester, *inquit,* monachus Noviomensis, vir magnæ humilitatis & obedientiæ, qui velut speculum lucens omnibus virtutum plenum, inter Fratres, multos suo sancto exemplo in Dei amore corroboravit. Ejus gesta habentur: cujus festum agitur XV Kalendas Maji. *Trithemii exemplo ad* XVII *Aprilis celebratur in MS. Kalendario Antverpiensi Ordinis Benedictini,* S Silvester monachus monasterii Noviagensis. *At VVion, citato Trithemio, refert eum* XV *Aprilis his verbis:* In Reomago monasterio S. Silvestri monachi, discipuli S. Joannis Confessoris. *Secuti Dorganius, Menardus, Bucelinus. Miratur Carolus le Cointe in Annalibus Ecclesiasticis Francorum ad annum 572 num. 6,* Cur ab iis monachus tantum, non Abbas dicatur, curque adscribatur Ordini S. Benedicti, quia S. Joannes monasterium Reomaense condidit priusquam nomen S. Benedicti in Galliis audiretur. *& tabulis Ordinis Benedictini.* F

DE SANCTO ABBONE,

EPISCOPO METENSI.

G. H.

AN. DCCVII



Meurissius, ex Ordine Franciscano & Doctore Parisiensi sacræ Theologiæ, Episcopus Madaurensis & Suffraganeus Ecclesiæ Metensis, edidit anno MDCXXXIII Historiam Episcoporum Ecclesiæ Metensis, inscriptam Henrico Burbonio Episcopo Metensi: in cujus Præfatione § 6 scribit, sanctitatem Pastorum hujus Ecclesiæ inde apparere, quod triginta & unus numerentur in antiquis Catalogis & Martyrologiis hujus Ecclesiæ, approbati & vere Sancti habiti: quibus nos ad diem XVII Aprilis addimus S. Landricum; sed quem relicto Episcopatu floruisse Abbatem Sonegiensem & Altimontensem ostendimus: in cujus tunc locum successisse Abbonem sive Albonem, de quo hic agimus, ibidem dicimus. Ejus sacram memoriam asserit dictus Meurissius in Martyrologio Ecclesiæ Cathedralis ad hunc XV Aprilis assignari his verbis: Metis S. Abbonis Episcopi. Saussajus, nescimus quam ob rationem, in Martyrologio Gallicano, sed ante dictam Meurissii historiam excuso, eumdem refert ad diem XVI Maji sub hac formula: Metis S. Abbonis Episcopi & Confessoris, qui hac Cathedra post transitum S. Clodulphi sublimatus, sanctitatis eam plurimo decore exornavit: factisque & documentis populum in viam justitiæ dirigens, præmium tandem fidelis dispensationis percepit à Domino. Hæc ibi. Colitur S. Clodulphus VIII Iunii, inter quem & S. Abbonem præfuisse aliquamdiu S. Landricum insinuavimus. Saussajum corrigendum monet Carolus Cointius ad annum DCCVII num. XIV ubi ista tradit: Hoc etiam anno Abbo Metensis Episcopus cum diœcesim annis decem, mense uno, diebus sex ac viginti strenue gubernasset, ex hac vita migravit decimoseptimo Kalendas Maji, ut codex S. Symphoriani Metensis, à Marco Antonio Dominicii in Ansberti familia rediviva publicatus, testatur: eodemque die in Martyrologio Metensi, quod Madaurensis Episcopus allegat, hæc leguntur: Metis S. Abbonis Episcopi. Unde corrigas Saussajum, qui Martyrologio Gallicano S. Abbonem inscripsit die decimo septimo Kalendas Junii: Hæc Cointius: ex qua relatione constaret electum circa XVIII Februarii anni DCXCVII.

Memoria in Fastis Metensibus 15 Aprilis.

apud Saussajum 16 Maji.

Tempus sedis.

B

E


DE S. MVNDO ABBATE,

IN ARGATHELIA SCOTORVM PROVINCIA.

G. H.

SEC. X.

Situs Argathelia:



Argathelia, nobilissimo suo Comitatu celebris, lacus Fini extremam partem versus Hiberniam, in peninsula oblonga attingit; & jam lingua Hibernica, quæ toto hoc tractu in usu est, Cantyre, id est caput terræ, appellatur. In hac provincia vixit S. Mundus, & in Aberdonensi Breviario hoc brevi elogio exornatur: S. Mundi Abbatis & Confessoris in Argathelia, sub Rege Kennedo secundo, anno DCCCCLXII, XV Aprilis. Potuit dicto anno Abbas constitutus fuisse, ac postea sub Rege Kennedo seu Kennetho (quem Ioannes Leslæus tradit regnasse ab anno DCCCCLXXVIII usque ad annum Christi millesimum) extremum diem hujus vitæ obiisse, & sic rectius legitur in alio MS. Catalogo Sanctorum Scotiæ ad diem XV Aprilis: S. Mundus Abbas & Confessor, vixit in Argathelia anno DCCCCLXII. David Camerarius in suo Menologio Scotico eum longiore encomio celebrat. XV die, inquit, S. Mundus Abbas, sanctitate vitæ & miraculis celebris ad hæc nostra tempora, in provincia Argathelia: ubi & ecclesias suo nomini dicatas multas invenire est. Varios hic Sanctus in vita spirituali discipulos, magistro non dissimiles, habuit: quibus persæpe commendasse dicitur, ut purum pectus & in amore Dei sincero flagrans perpetuo custodirent. Secundo ut de Deo rebusque divinis dumtaxat cum externis loquerentur: hoc enim seculares homines, multitudine miseriarum hujus seculi oppressos, jure à religiosis exspectare: religiosos vero instituti ratione secularibus hoc ipsum debere: cumque qualis unusquisque sit, sermo manifestum faciat (nam ex abundantia cordis os loquitur) vita & verbo talis debet esse religiosus, qualis à secularibus haberi cupit. Tertio, ut loquendi tempus pariter ac modum præscriberet ipsa necessitas & utilitas, seu propria seu aliena, cum sit tempus loquendi & tempus tacendi. Quarto nihil agere, quod non ante oculos divini conspectus cunctorumque hominum auderent, cum Deus sit instar omnium testis & judex, qui nec falli potest nec fallere. Quinto ut hoc maxime cordi esset, se invicem sincero non fucato amore diligere, eaque à se quam citissime repellere, quæ à mutuo fraternoque amore divellerent, memores semper præcepti divini, In hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis si dilectionem habueritis ad invicem. Plurima erexit hic Dei famulus monasteria in Argathelia provincia. Ex hac vita migravit circa annum DCCCCLXII. De eo Regius in kalendario & alii. Hactenus Camerarius, à quo si alii, ex quibus hæc S. Mundi monita hauserit, fuissent nominatim indicati, majorem apud nos gratiam inivisset. Eadem ex Camerario edidit Gallice Simon Martin in Sacris reliquiis deserti pag. 298.

S. Mundi cultus sacer:

ecclesiæ illi dicatæ.

præcepta discipulis data.

Ioan. 13. 35.

C

3 Thomas Dempsterus citato Kalendario ejusdem Regii ista in Menologio suo Scotico habet. XV Aprilis, in Orcadibus Mundi Abbatis, sanctitate mirabilis. Verum videtur cum S. Magno, Orcadum Apostolo, qui sequenti die colitur, Mundum unum eumdemque facere; quos melius idem Dempsterus distinxit in Historia Ecclesiastica Gentis Scotorum lib. 3 cap. 854 & 855, ubi de utroque agit his verbis: S. Mundus Abbas in Argathelia austeræ admodum & continentis vitæ, scripsisse putatur multa: in his Fascini & veneficiorum disquisitionem lib. 1. Illa optimum Principem Duffum Regem violaverant mirifice & lecto affixerant. Vixit anno DCCCCLXII, colitur die XV Aprilis Breviar. Scotic. Regnavit Duffus ab anno LXVIII supra nongentesimum, usque ad LXXII ejusdem seculi. Dein de S. Magno ita scribit idem Dempsterus: S. Magnus gente Scotus ad Orcades insulas ... destinatus, ab improbis paganis martyrio affectus ... colitur die XVI Aprilis. Interim in Menologio eum rejicit in diem VI Septembris. De S. Magno illustriora monumenta ad sequentem diem XVI Aprilis damus. Dempsteri chartis usus Ferrarius ad hunc diem collocat etiam S. Mundum in Orcadibus. Forsan uterque opinatus fuit Argatheliam inter Orcades sitam esse. Scripta ejus quæ Dempsterus enumerat, non magis credimus extitisse unquam, quam alios libros plurimos, quibus singulos suæ nationis Sanctos auctores præficit, & quos plerosque arbitramur nec haberi uspiam nec unquam ab homine visos fuisse. Videtur Dempsterus in hac parte, non tam voluisse suæ genti multorum librorum scriptorum laudem obtinere, quam primum locum inter mendaciorum figulos ambivisse.

confunditur cum S. Magno.

scripta sidem affictæ.

F

DE

DE B. PETRO GONSALEZ,

vulgo nautico apud Hispanos nunc dicto Sant-Elmo,

ORDINIS PRÆDICATORUM TUDÆ IN GALLÆCIA.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

§ I Cultus sacer B. Petri Feria II post Dominicam in Albis. Acta miraculorum: annus & dies mortis.

D. P.

AN. MCCXL



VA Minius fluvius, hodiernam Portugalliam Gallæciamque disterminans, mari appropinquat, quadragesimo ab ostiis milliario urbs Tude cernitur, Ptolomao Τῦδαι dicta, eademque Episcopalis: cujus antiquitates Antistitesque describit Prudentius Sandovallius, ipse quoque Tudensis Episcopus. In hac ostentatur & colitur veneratione præcipua tumulus B. Petri Gonsalvii: de quo Abrahamus Bzovius ad annum 1246 num. 3 ita scribit: Illum Innocentius IV Pontifex Maximus, anno Christi MCCLIV, sui Pontificatus XI, inter Beatos retulit, Prædicatoriæque Religioni indulsit, ut in Hispaniis quæcumque cœnobia ejusdem instituti extarent, B. Petri festivitatem anniversariam in ecclesiis suis celebrent, sub ejus invocatione altaria erigant, imaginem depingant, sacrificia incruenta offerant, ceteraque cultus officia exhibeant, tamquam si solenni ritu Ecclesiæ à Romano Pontifice in tabulis Sanctorum relatus fuisset. Optaremus ipsam Bullam habere & hic inserere: interim ex Marietta significamus, quod crebrescentibus ad sepulcrum miraculis, Episcopus & Clerus Tudensis ordinarunt, ut Feria II post Dominicam Quasi modo, seu Dominicam in Albis, ageretur festivitas ejus per totum Episcopatum cum officio Confessoris non Pontificis: nempe quia proprius mortis dies frequenter erat impediendus majoris hebdomadæ vel Paschalis octavæ officiis.

An. 1254 Beatis adscribitur,

B

colitur Feria 2 post Dom. in Albis,

2 Duravit usque ad hoc præsens seculum illa divinorum beneficiorum, ad invocationem B. Petri patratorum, claritas & frequentia, quæ delatum eidem jam olim Sancti titulum hodieque conservat. Sed navigantibus præsertim utile ejus patrocinium sentitur: unde ex quodam MS. Victorinæ Bibliotheca Parisiis, in Vita mox danda, hæc verba allegantur: S. Petrus Gonsalvus, patronus maris Hispaniæ, clarus miraculis. Extat autem, teste Georgio Cardoso Nautici Lusitanorum ordinis supplex libellus, oblatus Clementi VIII per D. Michaelem de Castro Vlisiponensem Archiepiscopum anno MDXCII, die XXVII Augusti; & alius Senatus Bragensis ad Paulum V, anno MDCVIII directus, nec non epistola Philippi III ad eumdem Pontificem pro obtinenda canonizatione solemni; quæ omnia magnam illius æstimationem indicantia, utinam habere hic & in lucem dare licuisset, ac potissimum Vita Acta, si qua uspiam Latina & antiqua extant. Citat aliqua MSS. Tamajus de Salazar, ex eisque & aliis se dare profitetur quæ leguntur in Hispanico Martyrologio: sed ex ipsa istius MS. conclusione, quam integram exhibet, & nos ex illo, apparet eam Vitam hoc fere seculo fuisse collectam. Quæ vero in omnibus Legendis Sanctorum Hispanicis extant Vitæ à Villega, Marietta, Ribadeneira, aliisque vulgatæ, minus etiam ad nostrum faciunt institutum.

pro eoque canonizando instatur an. 1500, & seqq.

C

3 Mentio frequentium miraculorum fit in libro Vitas Fratrum nuncupato, quem Humbertus, anno MCCLIV creatus Magister Generalis Ordinis, compilandum curavit à Fr. Geraldo Lemovicensi, Provinciali Provinciæ, documentis undique conquisitis ex decreto Capituli Parisiensis; Ordini autem eum legendum tradidit idem Humbertus, intra primos viginti annos ab obitu B. Petri. Ibi parte 5 cap. 9 agitur de his qui miraculis claruerunt post mortem, & num. 5 hæc habentur: In Hispaniæ provincia fuit Fr. Petrus Gonsalvi, qui in Tudensi ecclesia honorifice est sepultus: ubi ad invocationem ejus multa fiunt miracula: unde & venerabilis ejusdem civitatis Episcopus, plus quam centum octoginta miracula, per districtos & fide dignos examinata & per testes jurata, sub sigillo suo transmisit capitulo Generali quod est celebratum Tolosæ anno MCCLVIII, inter quæ miracula leprosi quinque mundati, dæmoniaci novem liberati, cæci, muti, surdi, fistulati, gutturnosi, contracti, & diversis febribus sanati quamplurimi referuntur. Adduntur deinde in particulari nonnulla, in Vita commodius proferenda, quæ ipsa tamen ex originali Processu dare mallemus: sed Tudensibus quos rogavimus ad nostras sæpe iteratas preces obsurdescentibus, non licuit eum expectare diutius. Ne quid tamen intentatum dimitteretur; obtinuimus à nostra ad S. Felicem Residentia Superiore, ut hominem diligentem & industrium è suis Tudam ablegaret, apud Episcopum ejusque Capitulum efficacius acturum, ut ex illius ecclesiæ Legendario membraneo Acta illa authentica transcriberet, danda ad hujus tomi finem si mature allata fuerint. Interim Patres Prædicatores istarum partium rogamus enixe, ut pro honore Sanctorum suæ patriæ & religionis laborantibus nobis promptius auxilium ferre velint. De S. Gonsalvo Amarantho, cujus memoria ad X Ianuarii recurrit, ea dedimus, quæ sola tunc habere potuimus, ex impressis auctoribus: postea vero, occasione usi nostrorum Belgarum in Lusitania agentium, ad mercatorum hujatium spirituale subsidium, pro futuro operis Supplemento describendos petiimus integros illos miraculorum libros, quos extare didiceramus ex Ferdinando Castillo. Nec gravatus est dictorum Patrum unus ipsum se transferre ad Amaranthinum conventum, nostraque desideria Priori exponere; sed effectu prorsus nullo. Quod hic ex occasione voluimus indicatum, ut aliorum in eodem conventu ferventiorum excitetur zelus, ad abolendam notam ejusmodi torpore contractam: & ut sciat Ordo universus per nos non stare, quo minus de Sanctis suis proferamus omnia, quæ eorum possint virtutem probare & augere cultum.

miraculorum frequentia commendatur in Vitis Fratrum,

E

quæ an. 1258 fuere authentice descripta,

& à nobis diligenter petita.

F

4 Præcitatum testimonium de Sanctitate & miraculis B. Petri, iisdem pene verbis, sed contractius multo, transcripsit S. Antoninus parte 3 Historiarum tit. 23 cap. 10 § 5. Idem fecit Leander Albertus in opere de Viris Illustribus Ordinis Prædicatorum libro 5 pag. 192 editionis Bononiensis anni 1517. Secuti sunt passim alii scriptores domestici externique. Tum auctores Martyrologiorum Hispanici ac Lusitanici ad diem XIV Aprilis, quando illum etiam Philippus Ferrarius inscripsit Catalogo Sanctorum Generali his verbis: Tudæ in Gallæcia B. Petri Telmi, Ordinis Prædicatorum, additque in Annotationibus. Colitur à Tudensibus uti Patronus: ejusque festivitas agitur Feria II post Dominicam in Albis. Obiit circa annum MCCXLVI. Cardosus ipsum hunc annum, præcise definit: sicut etiam Castellus, Maluenda & Tamajus: sed Marietta & Cardosus, cum addunt ipsa Dominica in Albis mortuum, errasse convincuntur, eo quod Pascha tunc fuerit VIII Aprilis, adeoque dies XIV non in Dominicam illam, sed in sabbatum præcedens cadebat. Rectius Castellius & Marietta inter Pascha &

non videtur an. 1246 14 Aprilis,

AUCTORE D. P.

Pascha *mortuum dicunt: quod tamen minus recte Maluenda & Tamajus*, inter Pascha & Pentecosten, *reddunt. Nam licet Hispani æque ac Itali soleant omnia majora festa appellare Paschata; non tamen sine addito, cum aliud quam Resurrectionis Pascha indicatum volunt; cujus dies octava sive Dominica in Albis etiam Paschatis nomine venit, & Teutonibus dicitur* Pascha conclusum. *Possemus & nos, non tam meliorē quam majorem partem sequendo, ad diem* XIV *referre hujus Sancti mortē: sed quandoquidē illius festivitas non agatur tali die, verum feria* II *post Dominicam in Albis, ut supra vidimus; & nihil causa videamus ob quam auctores prædicti recesserint ab antiquioribus vitæ scriptoribus Didaco de Rosario & Stephano de Sampajo, anno* MCCXL, *ipsa Dominica Resurrectionis die mortuum Beatum asserentibus, isque tunc dies erat* XV *Aprilis; liberum nobis existimavimus verosimiliorem sententiam sequi: maxime cum etiam anno* MCCXLVI *Dominica in Albis, qua quidam mortuum Beatum scripsere, similiter* XV *mensis fuerit celebrata.*

sed an. 1240 die 15 obiisse.

5 Beati viri corpus à Luca Episcopo Tudensi conditum fuit eleganti sepulcro in ecclesia Cathedrali, inter chorum & sacræ ædis majorem portam, *uti post Mariettam & alios scribit Tamajus de Salazar: deinde in suis Annotationibus, eosdem auctores secutus addit, quod* D. Didacus de Avellaneda, Episcopus Tudensis, anno MDXXIX sanctum B. Petri corpus in alium locum transferre curavit: quia monumentum in quo primo sepultum, & ubi occurrentium populorum concursus quiescebat ex voto, transitum precationum, quæ diebus Dominicis & festivitatibus fiebant à Capitulo, interdicebat; ideoque solenniter sacra beatissimi Patris lipsana exhumavit, noviter condidit, & juxta portam septemtrionalem ipsius ecclesiæ, in magnifica capella ad hoc extructa, in arca argentea mirifice elaborata, processionaliter collocavit. Tandem D. Didacus de Torquemada, illius in Sede successor, circa annum MDLXVII Capellam prædictam ampliavit, polivit, & thecam in sublimiori loco reposuit, ubi ab omnibus conspicitur & populi vota ardenter exoluunt.

translatum corpus an. 1519.

B

§ II Patrocinium navigantium; cognomentum Sant-Elmi.

6 I*Dem Tamajus circa auxilium naufragantibus exhibitum, nomenque à nautis solitum invocari, addit, in fine sui Codicis MS. haberi hæc formalia verba:* Cum Sanctus ille universalis pro omnibus intercessor, ut nos Dei misericordia ab omnibus tueatur malis, fit; maxime navigantibus in naufragio occurrit B. Petrus; ideoque multoties invocatus ab illis, protinus in malo navis, aut in corbe, lucerna apparet cerulea, ad instar ignis sulphurei: qua visa, se à periculo liberatos magnis acclamationibus, & gratulationibus confitentur. A quo originem sumpsit pictura S. Telmi à nautis fieri consueta, ubi S. Petrus visitur in habitu Dominicano, & in manu dextra cereum cæruleum accensum gestans, & fere in omnibus populis maritimis Hispaniæ, & præcipue in oppido Noya, omnes Confraternitatis S. Telmi faces, lychni, & cerei, cæruleo colore pinguntur; inter cujus oppidi incolas hoc lingua patria carmen sedulo repetitur, ab antiquis deductum seculis.

Pingitur ejus imago tamquam patroni navigantium,

C

Señor San Petro Gonzales
De navegantes piloto;
Librà nos de terremoto,
Y defendè nos de males.

Quæ carmina scripta reperi juxta imaginem S. Telmi depictam in calce cujusdam diplomatis Reverendissimi D. Michaelis Muñoz Episcopi Tudensis, in quo continebantur Indulgentiæ & privilegia, ab ipso concessa, omnibus Christi fidelibus, qui suas pro construendo simulacro majoris aræ, ipsius Tudensis ecclesiæ, eleemosynas largirentur.

7 *Hactenus Tamaji Codex, haud sane antiquus: siquidem Michael, cujus hic diploma citatur, ab anno* MDXLIII *ad* MDXLVII *rexit Tudensem Ecclesiam, inde ad Conchensem Episcopatum translatus est. Majorem etiam dicti Codicis novitatem probaret S. Telmi nomen, B. Petro attributum, si adsit: quia solum in fine seculi præcedentis id cœptum usurpari; firmiter mihi persuadeo, propter omnium præcedentium scriptorum de eo silentium, qui non aliter quam* Petrum Gonsalvi *eum nominant; uti etiam fit in ipso illo antiquo versu. Edidit anno* MDLXXXV *Lusitano sermone, ex mandato Archiepiscopi Bracarensis, insignium Sanctorum historias Fr. Didacus de Rosario ex Ordine S. Dominici, & pag. 161, citatis Chronicis sui ordinis, ex iis accipere fatetur, quam profert, Vitam: quæ plane sumpta videtur ex Tudensis Ecclesiæ monumentis. In hac Vita ne minima quidem est istius appellationis mentio: uti nec in ea, quam anno immediate sequenti Parisiis Latine publicavit Fr. Stephanus de Sampajo, ejusdem Ordinis, in Thesauro arcano, complectente, variorum Prædicatorum gentis Lusitanicæ gesta. Hanc, velut omnium Latine editarum antiquissimam damus, omissa ea quam anno* MDXCVI *vulgavit Marietta, aut quam ex Ferdinandi di Castillo Chronica Ordinis Hispanica transtulit in suos Annales Thomas de Maluenda, & transferendo partim contraxit partim interpolavit: nec non ea quam fere ex Maluenda, tacito ejus nomine, accepit Tamajus de Salazar, suoque inseruit Martyrologio turgidam grandioris Latinitatis affectatione quadam, nec tamen à solœcismis repurgatam.*

D

à quibus passim nominatur Santelmo,

quo nomine soli recentiores scriptores utuntur,

E

8 *Thomas Maluenda in Annalibus, Vitam, ut dixi, ex Ferdinando transferens, prænotata appellatione maluit abstinere; & postea quærere,* cur beatus hic vir, communi nautarum ac ferme omnium appellatione (*isto scilicet ævo*) vocetur S. Telmus: Et quidem exploratum est, *inquit,* nautas appellare consuevisse S. Telmum, ignes quosdam & luces, post marinas tempestates in velis malisque navium aut in proris apparentes, quod indicium sedandæ jam procellæ certissimum arbitrantur. (*Pollucis ac Castoris nominibus utebatur gentilitas*) Porro *eosdem* ignes quidam S. Hermiam, alii S. Hermetem, nonnulli S. Thermum appellant, nec desunt qui S. Anselmum vocent (*nempe ut varii varie exponunt nomen*) nec alia ratione id factum existimamus, *inquit,* quam quod nautæ ex ritu Christiano, in discrimine constituti, consueverint invocare aliquem istorum Sanctorum, quos pie sancteque credunt in mari periclitantibus subvenire; depulsaque tempestate, visa illa lumina existiment esse vel præsentiam vel opem certissimam Sanctorum, quos imploraverant. *Attingens deinde miracula in hoc genere à B. Petro patrata; & quod Castellius dicat,* apud S. Sebastianum, insigne Guipuscoæ navale, esse cœnobium Ordinis Prædicatorum, sub nomine S. Telmi dicatum; quod eo titulo vetus ecclesia, ubi monasterium constructum est, antiquitus esset insignita: *Hæc inquam attingens, talem tandem conclusionem, infert his verbis,* Utcumque sit, nequaquam dubitaverim ignes illos, fractæ tempestatis prænuntios, non ob aliam causam à nautis nautis appellari San-Telmum nisi à beato nostro Petro Gonzalez Telmo, cujus patrocinium & opem sæpius experti, putant, cum ignes illi visuntur, sanctum virum sibi auxilio venire.

putantque facultas in tempestate apparentes

ab eo quorum nomen accepisse.

F

2 *Nihil hæc conclusio facit ad id quod quæritur, videlicet, unde fiat, ut B Petrus ab ipsis vocetur* S. Telmus, *potius quam proprio nomine* Petrus, *vel cognomine* Gonzalez. *Etenim ex iis omnibus quæ ipse deducit, potius sequitur, ab ignibus, antiquitus* Santelmi *nomine dictis, & ad B. Petri invocationem sæpius apparere visis, agnomen ipsi esse adoptatum, quam è converso: sicuti nostræ Societatis Patres apud Hispanos, receptarum semel appellationum retinentissimos, in hodiernum usque diem vocantur* Patres Theatini, *denominatione mutuata à Clericis Regularibus istius nominis, ante Societatem nostram in Hispania cognitis, propter nonnullam vestium & instituti similitudinem. Tamajus quidem*

quasi ipse fuerit ex familia Telmorum.

A *dem allegat D. Franciscum de Sandoval, nobis hactenus non visum, quasi is in Vita S. Antonini Palentini pag. 88 asserat, quod* in Fromesta, *agri Palentini villa*, adhuc patrium stemma *B. Petri* inveniatur, ex cognatione sancti viri descendens. Telmorum *aut* Santelmorum *aliquam in Hispania familiam inveniri, non magis miramur, quam* Sam-pajorum, *sic dictorum à* S. Pelagio, *vulgo* Pelayo, *& contractim* Payo, *aliasque similis appellationis familias plures: quod rectius referas ad loca istis Sanctis dicata, unde deducti sint tales, quam ad cognationem cum ejusmodi Sanctis. Putamus etiam in gratiam familiæ, B. Petrum sibi asserentis, factum esse à Castellio & Castellium secutis; ut beatus vir, quem antiquiores auctores fecerunt Asturica urbe oriundum & Asturicensis Episcopi nepotem; ibidemque Canonicum atque Decanum; Fromestæ natus, & Palentini Episcopi nepos, Palentinoque Clero inscriptus dicatur. Sed magnopere veremur ne hæc omnia absque solido certorum documentorum fundamento innovata sint, ideoque antiquioribus scriptoribus fidem potiorem dandam arbitramur.*

Id nomen Santelmo multo vetustius est.

10 *Et quamvis gratis vellemus credere*, Telmi *cognomen non fuisse paternæ familiæ B. Petri recentius assutum; nemo tamen nobis persuaserit solos nautas, si illi nomini potius non assuevissent ex alia causa, illo usuras fuisse, cum alii omnes tanto tempore* Petrum Gonsalvi *duntaxat nominarint.* B *Præterea nihil dubitamus, quin* Santelmi *nomen, longe lateque notum navicularіis, sive pro Sancto contra tempestates invocando, sive pro ignita exhalatione iis cessantibus apparente, multo sit vetustius ipso B. Petro. Hoc persuadet antiqua illa istius nominis ecclesia apud S. Sebastianum; de qua Castellius, quæ Prædicatorum in ea urbe fundationem præcessit. Item famosissimum urbis Neapolitanæ castrum, à Carolo II Rege circa annum* MCCC *extructum, & à Carolo V Imperatore insigniter restauratum, in supercilio montis, quod vulgariter etiam dicitur*, Castel Sant-Elmo. *Historiæ Neapolitanæ auctor Io. Antonius Summontius, in indice tomi I impressi anno* 1601, *vocat* Castello di S. Ermo: *& pagina 66 ab indice notata*, Sant Eramo; *haud dubio* S. Erasmum Episcopum ac Martyrem *designans, cujus festum ab omnibus pene ecclesiis usque in ultimum Septentrionem agitur* II *Iunii, & nomen inter quindecim Sanctos Auxiliatores (de quibus agemus ad* XXIII *Aprilis, ubi de S. Georgio) tertio post Deiparam loco censetur: quidni autem id fiat propter speciale auxilium navigantibus præberi ab eo solitum; quandoquidem corpus ejus servetur præcipuo honore Cajetæ, quæ principalis est portus Campaniæ felicis, & statio navium toto mediterraneo mari celeberrima? Quanto* C *antiquior ipso castro sit appellatio loci, à S. Erasmo ducta, nescimus; antiquiorem esse vix quisquam dubitaverit, cum Sanctus sub Diocletiano sit passus, templaque habuerit ab antiquissimis temporibus, uti videre licet in Annotationibus Baronii ad Romanum Martyrologium.*

& pro S. Ermo seu Erasmo sumitur,

ex ponique debet Sant-Elmo, non San-Telmo.

11 *Frustra igitur laboravit Malvenda: requirens in Romano aliisque Martyrologiis* S. Telmum *aliquem, nusquam inveniendum. Nam vulgare* Santelmi *nomen, unde esset compositum, non intelligens, in eumdem impegit errorem, quo lapsus est Ferrarius ad* XXIII *Martii, quando* S. Otthonem solitarium *(qui vulgo* Santodo *dicitur) nominavit* S. Thodum. *Si recte dividere scivisset Malvenda, &* Elmi *nomen ad pristinam integritatem reducere, haud difficulter pervenisset ad notitiam* S. Erasmi, *brevius* Erami *&* Ermi; *ac tandem, per affinium liquidarum frequentatissimam conversionem*, Elmi; *sic* Catalina *pro* Catharina *dicitur*; Alma *Hispanis, pro* Anima; *& vicissim* Guilermus, *pro* Guilelmus, *atque* Igreja *Lusitanis pro* Ecclesia. *Porro cum* S. Erasmi, *sub nomine* Sant-Elmi *invocandi, distinctior cognitio decursu temporum apud Hispanos non superesset; nihil pronius fuit, quam ut in ejus locum veniret* S. Petrus Gonsalez, *recentibus beneficiis notior, & propter faculas*, Sant-Elmi *dictas, crebriusque ad ejus invocationem apparentes, idem ei nomen adaptaretur: atque ita omnis illa antiqua S. Erasmi apud Hispanos nautas veneratio ad illum transferretur. Quæ prolixius hic deducenda fuerunt, ad subvertendos errores circa hujus seculi principium inædificari cœptos falso intellectui nominis* Sant-Elmi, *male in* San-Telmum *divisi, quod factum non fuisset, si voluissent animadvertere idem hic fieri quod in nomine S. Iacobi, a Lusitanis scribi & imprimi solito* San Tiago: *& hoc usque adeo invaluisse, ut ablato etiam adjectivo*, Jacobus *dicatur* Tiago *&* Diago: *itaque factum ut* Erasmus, *non solum* Elmo *sed etiam* Telmo *pronuntietur à vulgo.*

VITA

Auctore Stephano Sampayo Ordinis Prædicatorum.

AUCTORE D. P.

CAPUT I.

Vitæ secularis mutatio & religiosæ initia.

1 ANno circiter post Christum natum MCXC, Apostolicam *a* Sedem Cælestino III moderante, & Castellæ sceptrum Alfonso hujus nominis trono, natus esse fertur Divus Petrus Gonsalvi, in urbe quadam, quæ in nostræ Lusitaniæ & Tarraconensis provinciæ confinibus sita est, Astorga *b* communiter nominata. Parentes hic beatus Pater sortitus est, non minus illustri fulgentes stemmate, quam divitiis hujus seculi affluentes. Erat autem ejus *c* avunculus, tempore quo ad puerilem pervenit ætatem, sacer Antistes Astorganus; cujus favore & saluberrimis monitis adjutus, artes quas liberales vocant; hic Dei famulus non gregarius futurus, sub magistrorum disciplina constitutus, adeptus est. Deinde vero temporis aliquantula intermissa mora, in eadem Episcopali Sede Astorgæ urbis, Canonicatus locum gradumque lætus obtinuit. Non hic illum pedem figere, arridens mundus permisit, reditibus jam honoribusque cumulatum; sed ad altiora præcipitii loca, per licita tamen media, evehere nitebatur. Namque cum ille indies majus peritiæ litterarum, & honestæ virtutis clarius specimen præberet; per diplomata summi Pontificis ad eminentem Decani *d* Astorgani dignitatem promotus est.

a Astorga natus

E

ibique Canonicus

mox Decanus factus,

2 Erat ille tunc temporis juvenili floridus ætate, & corpore præstans, atque ceteris omnibus valde conspicuus. Cumque his noviter inflatus honoris infulis, tantæ dignitatis & gradus, immodicam animi lætitiam intra se continere atque occultare non posset; imprudenter illam exterius jactanterque, non solum verbis effutire, sed & operibus vanis sibi persuasit ostentare. Atque proinde postquam litteras Apostolicas recepit, quibus in Decanum confirmabatur; juvenili quadam motus vanitate, inter alia ebullientis animi sui indicia, equum pulcherrimum conscendit, atque totam civitatem ovans & jactabundus cursitando perlustravit. In festo nativitatis Redemptoris nostri, hunc mentis excessum rationisque deliquium, ferunt, Divum Petrum fuisse passum. Ille vero cæli terræque Conditor, qui in altis habitat, & in alto collocatus throno in hæc inferiora oculos suos pientissime solet conjicere, atque nostra sigillatim opera considerare, hanc temerariam Decani hujus inflati jactantiam, clementissima dispensatione sua foras erumpere permisit, ut ex subsequenti & inopinato casu idemmet vanitatis amator resipiscens, composque mentis factus, contemptis hujus vani seculi illecebris, tamquam ad anchoram sacram, ad tranquillum religionis Fratrum Prædicatorum portum tute confugeret.

F

dum juveniliter equitando se jactat,

3 Contigit namque illi, dum per civitatem, ut jam diximus, triumphali pompa incederet, per quemdam

in cœnum excussus

AUCTORE STEPHAN. SAMPAYO.

quemdam vicum, in quo frequentissimus erat populus, novitatis transeuntium alicujusve ridiculosi otii prospectator, ostentationis ergo, calcaribus acriter subditis & compressis, equum per publicum stadium agitare. Sed extrema gaudii occupante luctu, antequam ad metam victor deveniret, in quemdam cœnosum locum sive potius volutabrum, equo pedibus offendente, corruit & decidit. Ac proinde admiratio popularis prospectantis turbæ in derisum conversa est: & in cachinnum vulgus ignobile elevato clamore solutum, sibilis & ludibriis illum impetere atque explodere cœpit. Cum autem vanus adolescens, in opprobrium atque populi abjecti derisum se incidisse notavit; totus verecundia perfusus, erubescentiam suam internumque animi dolorem minime etiam simulare valens, publice in hæc verba prorupit: Quandoquidem, inquit, mundus à suis in ludibrio habitum, me sic illusit, eadem hac die, qua ego me illi magis effrænate devoveram; ego etiam illum tamquam fallacem, sumpta vindicta, post terga penitus relictum irridebo; & ne iterato me ab illo illusum esse contingat; vitam in meliorem frugem commutabo. Ecce divina omnipotentis Dei benignitas, quæ cum summa semper sapientia conjuncta, bona etiam de malis, ut D. Augustinus testatur in libris de civitate Dei, elicere novit & dignatur.

& verecundiæ impatiens,

B

4 Ab illo igitur inopinati casus vel ruinæ tempore, fallacem mundum cum omnibus suis falsis oblectamentis fastidire incipiens, se suaque omnia, mente sibi divinitus restituta, Deo optimo maximo vovere exorsus est. Quia vero juxta saluberrimum D. Hieronymi consilium, in epistola ad Heliodorum, à cælesti radio illustratis, & pravo huic seculo renuntiare proponentibus, tempus non est exspectandum diuturnum, nec propositum differendum; sed tamquam si in avaro periculosoque portus littore detenti essent, vela ventis laxando, funes quibus immorantur præscindere magis quam solvere debent: hic novus ad Deum transfuga D. Petrus, firmum animi sui decretum, circa status sui mutationem, non diu distulit. Quinimo brevi temporis transacto curriculo, mortalem fugacemque mundi vitam, sub obedientia & paupertatis sarcina, propter Deum transigere eligens, Ordinem Fratrum Prædicatorum, in Hispaniæ regionibus tunc temporis e florentissimum, & ad quem jam ejus propensus animus sponte & devote ferebatur, seculi pompis dimissis, ingressus est.

dimisso seculo

fit religiosus:

C

5 Conversus igitur in Deum, quem in clericali sanctissimoque statu pristino oblivioni quodammodo tradiderat, & in alterum transmutatus novum hominem, statim, quasi apis solicita, collectos flores omnis virtutum generis in alveare cordis sui recondere satagebat. Neque enim propitia potensque divinæ largitatis munificentia huic sanctæ observantiæ humillimo jam tirunculo (qui non multo ante turgidus eques extiterat) in sancto proposito deficiebat, imo potius indies magis gratiarum donis adaucta in eo videbatur: proinde superne jam oculatus hic Dei famulus, toto imprimis animi conatu, puram nudamque apud Deum conscientiam habere cupiens, ad cælestis mercimoniæ negotiationem intenta mente totus anhelabat. In eadem vero domo religiosa, in qua habitum sumpsit, probationis anno (sic vocant) transacto, regularisque observantiæ voto emisso, omnibus carus cœnobitis, in interioris hominis vita magnos progressus faciebat. Cœpit autem virtutum ejus tam vehemens odor apud omnes fragrare, ut non solum circumcirca, sed in remota quoque loca diffunderetur. Fratres enim, quos sibi, religiosus factus, in Domino acquisierat, de sancta illius conversatione summe lætantes, sibi ipsis silentium minime imperare valebant, ac proinde S. Petri cælestem in solo vitam ubique prædicabant.

& egregie proficit

D

6 Posthæc autem, cum Dei famulus Ordinem, quem consultissime elegerat, in animarum proximorum salutem institutum esse consideraret; post liberales artes, quas in seculo acquisiverat, Theologiæ sacræ habitum in religione addiscendo, superaddere menti curavit: atque de licentia Prælatorum sacris litteris operam impendens, tanto animi jubilo atque gaudio interiori afficiebatur, dum sacros evolvebat libros, salutiferas cælestis fontis aquas hauriendo; ut non semel aut bis tantum, totus huic litterarum sacrarum studio intentus, noctes duceret insomnes. Ut autem proximorum saluti, cui totus inhiabat, vigiliis & studiis suis prodesse posset, atque has sacræ Theologiæ salutiferas aquas Christi cultoribus affluenter digneque propinare; ex his quæ legebat selectiora in sui pectoris abditis avide recondebat. Solebat etiam hic sanctus Pater Divi Patriarchæ sui Dominici miram vitæ conversationem, animarum zelum, mundi contemptum, voluntariam profundamque humilitatem, atque inenarrabilem corporis macerationem, semper præ oculis objectam habere. f Propterea strenuus fidei zelator, frequentis orationis amator, & morum gravitate decenter ornatus, exemplar religiosæ vitæ se omnibus demonstrabat. Instanter etiam à Deo precibus efflagitebat assiduis, ut ei talentum necessarium dignaretur committere spiritus sapientiæ & virtutis, quo dignus efficeretur minister verbi sui Euangelici disseminandi. Nec in hac sua justissima postulatione diu repulsam passus est: namque brevi temporis emenso curriculo (in quo & religionis observantiæ disciplinis, & litteris sacris operam, adhuc tirunculus navabat) considerantes Ordinis Præfecti, illius sufficientiam sanctis moribus fultam, qua jam non infructuose verbum Dei poterat proponere proximis, & illorum arcanas excipere confessiones; auctoritate, qua fungebantur, D. Petrum Gonsalvi ad utrumque munus exercendum publice exposuerunt.

deinde Theologiæ studet,

& [illegible]

Æ

f

concionibus habendis,

7 Prædicator igitur & confessor designatus, strenuus Christi servus & paupertatis amator, verbo & exemplo viam cæli omnibus clare demonstrans, Euangelicam doctrinam fructifere ministrabat. Si quando aliquem sacramentali indigere pœnitentia persentiebat, nullatenus illum spiritus caritatis torpere, imo nec quiescere sinebat, quousque hujuscemodi ovem in gregem Dominicum, excepta confessione salutarique pœnitentia injuncta, revocaret, & introduceret. Visus est aliquando è mensa surgere, aliquando in remota loca proficisci, ut oblata lucrandi proximi occasio non avolaret. Nulli denique labori parcens, ut verus filius Patriarchæ sui Dominici, spiritualem proximorum salutem corporali vitæ suæ libentissime præferebat. Quando in aliquam domum hospitandi gratia necesse erat illum intrare, quantumcumque magnatis alicujus esset hospitium, tam ipsum patremfamilias, quam omnes illi adhærentes, efficacibus verbis exhortabatur, ut ad sacramentum Confessionis & salutaris pœnitentiæ antidotum vellent accedere; idque aliis atque aliis exemplis & auctoritatibus devotissime persuadebat. Erat enim & in hoc verus Antesignani nostri imitator, de quo refertur, quod inter loquendum cum secularibus semper de rebus ad cælestem patriam spectantibus aliqua opportune verba intermiscebat. Hac etiam de causa D. Petrus Gonsalvi, de damnis & periculis existentium in peccato mortali, de reproborum æterna damnatione, de resurgentium per pœnitentiam felici statu, hospitibus ad quos diverte-

bat

& confessionibus audiendis

F

gnaviter & utiliter se impendit.

A bat private concionabatur. Quamobrem vix unquam ab aliquo simili egrediebatur hospitio, quin prius, omnium in eo commorantium seorsim confessione excepta, ad pœnitentiam præteritorum & vitæ emendationem translatos dimitteret. Nec mirum, quamvis magnum: erant enim verba ejus à Dei spiritu procedentia, quæ, gratia divina cooperante, vacua minime reverti poterant.

ANNOTATA.

a *Ioannes de Rebac de S. Maria, in Vitis Sanctorum Ordinis Gallice vulgatis, tom. 3. numerum hunc erroris arguit, vultque anno ut minimum* 1180 *natum Petrum, quia, inquit,* studuit Palentiæ, quando ibi erat S. Dominicus, adeoque ante annum 1196. *Sed primum non probatur studuisse Palentia; deinde asserit Lucas Tudensis Episcopus, quod universitas illa sit fundata* Præsidente Reverendissimo viro Tellione ejusdem civitatis Episcopo. *Hic autem est Tellus Telli de Menesis, quem Gonsalvus de Avila, in Theatro ecclesiarum Hispaniæ, scribit sedisse ab anno* 1210 *ad* 1233. *Quod si Tellus iste fuisset B. Petri patruus, vel ex hoc ipso sequeretur, eum cujus sub Episcopo patruo ætas omnino juvenilis describitur, natum non fuisse ante annum hic signatum. De conversatione Petri cum S. Dominico, fatetur Malvenda solum per conjecturam dici, ut mirum sit in eo velut certo fundari chronologiam.*

B b Fromestam, *Palentini agri villam campestrem*, 15 p. m. *ab urbe dissitam, ponunt omnes recentiores; quia ibi est aliqua Telmorum seu Santelmorum familia: sed fundamentum istud jam ostendimus nihil habere soliditatis.*

c *Lusitani & Hispani scriptores utuntur voce* Tio, *quæ indifferenter* patruum *&* avunculum *significat. Asturicensium vero Episcoporum catalogus, unde aliquid lucis forsan haberi posset, necdum ad nostram notitiam pervenit: recentiores Palentinum Episcopum fuisse volunt, sed probationem requirimus.*

d *Tamajus indicat* dignitatem quę Prioratus dicitur.

e Palentini conventus *exordia, cui adscriptum fuisse Petrum scribunt recentiores, asserit ipse Malvenda cœpisse anno* 1220, *quomodo ergo in illum receptus juvenis, potuit familiaris fuisse S. Dominico, aut etiam cum illo studuisse Palentiæ, antequam is Ordinem suum institueret? Palentini tamen conventus filium fuisse Petrum, dum nemo antiquiorum diversum asserit, nec ego negavero: sed ob id temere assertum credam, quod ante ingressum fuerit Canonicus & Decanus Palentinus, atque adeo Palentini Episcopi nepos.*

C f *Rebac id intelligit & explicat factum per libros, in quibus B. Dominici, ad cælos translati, Vita describebatur: mortuus enim est S. Dominicus an.* 1221.

CAPUT II.

Tentationes à B. Petro superatæ; miracula patrata.

In castris S. Ferdinandi R. contra Mauros pugnantis,

8 IAm per totam fere Hispaniam sancta viri Dei fama splendebat, & vires acquirebat eundo, atque Regiam Ferdinandi Hispani hujus nominis tertii implebat; quando ipsemet Rex, non levi jam suspicione ductus sanctitatis D. Petri Gonsalvi, eum prope se habere desideravit. Erat hic Catholicus Princeps variis bellorum contra Sarracenos a tunc expeditionibus præpeditus; Hispania adhuc pro principaliori sui parte ab eisdem impiis Christi osoribus occupata; & sancti viri præsentiam sibi necessariam judicabat, ut in bello contra infideles illos gerendo, & precibus D. Petri & consilio salubri juvaretur. Quare sibi pius Rex, tamquam Catholicus, merito persuadens, Christianorum bella, non curribus aut equis tantum, aut vario telorum genere, sed divino potius numini primum inniti debere; protinus sanctum Christi famulum ad se venire jussit. Quantum vero boni attulerit Christianorum militum castris

militat pra...

viri istius Apostolici præsentia, fusis apud Deum precibus, consilio salubri Regi suo præstito, & concionibus apud milites habitis; faustus felixque rerum eventus satis demonstravit. Namque post ejus in castris assistentiam; non solum gloriosam idem Ferdinandus de Sarracenis victoriam reportavit: sed etiam urbem illam florentissimam, Hispalim dictam, utique totius Bœticæ Provinciæ unicam Metropolim, ab illorum manibus vi eripuit. AUCTORE STEPHAN. SAMPAYO.

9 b His minime perpensis à sinistri ingenii hominibus, contigit aliquando quosdam aulicos magnates in sermonem vitæ & sanctæ conversationis D. Petri Gonsalvi incidere; atque unumquemque illorum in diversas scissum opiniones, diversa etiam, juxta animi bonam vel sinistram affectionem jactare, sicuti etiam Christo Domino cum Israëlitico semine contigit. Aliis enim vitæ frugalitas, honesta conversatio, & Apostolicus in vitiis redarguendis zelus, laude & reverentia dignus videbantur: aliis vero pravo affectis animo (quia sanctus vir obscœnos illorum mores euangelica libertate reprehendebat, maxime omnium impudicitiam carnisque effrænatam libidinem) illum audacem, temerarium, aliisque detractionis opprobriosis verbis dignum, mutua altercatione judicabant. *obloquia patitur Petrus:* E

10 Dum hanc illi inter se controversiam otiose discutiebant, lasciva quædam & impudica mulier, ex his quæ Martis castra Cupidinis causa sequuntur, cominus eos auscultans, colloquii subjecto & materia percepta, illorum sic verba intercepit: Quonam me munere afficietis, si istum monachum, taliter affectavero, ut hoc ipsum, quod ille in nobis tantopere abhorret atque abominanter reprehendit, amore captus in seipso amplectatur libentissime? Nihil jucundius, opportunius, dulciusve auribus omnium profani illius conciliabuli doctorum, ut ita dicam, afferri poterat, quam hæc perditæ illius feminæ pollicitatio; atque immodica sunt affecti lætitia, hunc tantum virum tamque religiosum, Veneris illecebris devictum fore sperantes, quo & vitia illorum pessima minus sordida, minusq; reprobata, censoriisque judiciis exposita manerent: & D. Petrus Gonsalvi, tanti scandali patrato scelere, indelebilem inhonesti religiosi notam contraheret. Spe igitur pretii hæc diaboli sagena (in qua non nisi turpissimi & immundissimi illaqueabantur homines) vires novas resumens, ad sancti viri mentem seducendam, ex toto animi conatu se accinxit atque disposuit. *quem infamare volens meretrix quædam,* F

11 Non multo post istam malignam pactionem, occasione expiscata nefario crimini aggrediendo, horam ipsa elegit intempestivam, in qua D. Petrum, à negotiis & hominum frequentia vacantem, alloqui posset. Accedens igitur ad illius hospitium vel tentoria, per atriensem illi insinuavit, secretum se magni ponderis atque urgentissimum negotium cum eo pertractandum habere. Hoc ille nuntio audito, nihil omnino inhonestū pertimescens, imo potius aliquid in Dei laudem proximorumq; salutem futurum suspicatus, illam ad se introgredi sincere permisit. Illa vero cameram sancti viri ingrediens, confestim flexis genubus ad illius pedes posita, fraudulentis fictisq; respersa lacrymis, ut suam confessioné exciperet enixe precibus postulavit. Erat jam tunc major diei portio transcursa, atq; solis occasus imminebat: quapropter temporis incommoditas nō longius ullam moram cum muliere faciendam esse D. Petro suasit, quam ut dimissam sequenti die reverti præciperet. Quare ad illā conversus, Revertere, inquit, filia, crastina die; quia nunc jam, ut vides, advesperascit, & ego tunc libenter confessionem tuam excipiam. Cui illa, Pater sancte, celebris tuæ virtutis fama ubique satis est nota, & ego etiam certissime scio te magnam de animarum salute soli- *& specie faciendæ confessionis*

solicitudinem gerere; atque ut peccatores resipiscant maxime procurare; ideo enim huc accedere ausa sum: precor ut mihi in quadam urgentissima tribulatione subvenire statim velis: Deum autem obtestor, quod nisi hodie peccatorum meorum exceperis confessionem, si quid mihi horrendum hac nocte contigerit, tu coram illo meæ damnationis rationem reddes.

in ejus admissa cubiculum

12 Dum hæc fraudulentæ serpentis verba D. Petrus innocenter excepit, obtestationis appositæ tremendo tactus scrupulo, ad quoddam ejusdem cubiculi diverticulum sive angelum mox secessit, atque illam genibus suis prostratam, ut se Crucis signo ante confessionem muniret, postquam forsitan admonuit; de letali illo crimine, quo magis gravabatur, illam prius interrogavit. Non libenter Crucis signum sathanas ejusque ministri aspiciunt aut venerantur, nec ista etiam, ejusdem factionis tartareæ advocatrix, sancto viro in hac parte (ut licet suspicari) morem gerere curavit; ut nec de peccato aliquo, salutis æternæ desiderio affecta, mentionem fecit. Imo ex abrupto, conceptum cupiens spirare venenum; B sanctum Dei famulum audacter sic est allocuta: Mi frater Petre, letale vulnus, quod patior & meum super omnia cor torquet, tibi denudare non verebor. Noveris, quod tui fruendi amore crucior ardentissimo; & pro comperto habeas, quod nisi meo acquiescas desiderio, minime ultra superfutura sim. His & aliis similibus verbis, tamquam melle lito gladio, venenosa hæc peccati filia, sanctum & honestum Dei famulum D. Petrum, transfodere cogitavit.

ad flagitium solicitat:

13 Tam insuitato & protervo deperditæ mulieris insultu ausuque, ab illo inopinate audito, mirari satis non poterat; attamen à Dei spiritu instanter illuminatus, & ex venenosis herbis favos etiam conficere cupiens, atque prædam à leonis faucibus eripere; blandis verbis ab omnique penitus animi indignatione alienis, letifero vulneri salutarem medicinam prodigio quodam adhibere curavit. Non, inquit, filia, Deus permittat, ut ego tuæ repentinæ mortis causa existam aut fiam; ne tristeris, quia confestim ab isto vitæ discrimine eris libera; sed oportet paululum prius ut expectes, donec lectum, quem adhuc incompositum habeo, possim decenter sternere. Post hæc discedens in aliud domus suæ divortium, magnam lignorum struem coacervans, igni subtus approximato, flammam suscitavit non parvam: deinde feminam, procacitatis plenam, ad ignem accedere invitatam, pallio proprio super flammas injecto aut strato, C taliter est allocutus. Quandoquidem tanto mei potiundi amore flagras, ut tua verba sonant; accedamus simul, & in hoc ignito cubemus ambo stratu, ut tuo possim satisfacere desiderio. His dictis supra cappam in rogo stratam se reponens atque recumbens, nullum ab igne passus nocumentum, illæso etiam pallio ibidem veneris suggestricem expectabat vel invitabat.

sed hic igni pallium insternens

desuper cubat illæsus,

14 Adderant occulti speculatores, aulici scilicet milites, qui illius diabolicæ suggestionis fautores prius exstiterant, atque rei eventum finemque per scissuras quasdam januæ diligenter rimabantur. Cum vero ad illud cæleste ventum est prodigium, quando ignis inversa natura à combustione approximatæ materiæ abstinuit, tanto miraculo propriis vigilantibusque oculis conspecto, cœperunt pravi illius insidiatores lachrymis erumpentibus compungi; & apertis protinus januis, ad D. Petri Gonsalui pedes prostrati, malitiam suam profitentes, veniam ab illo humiliter postularunt. Illa vero impudica femina viso miraculo, de vase contumeliæ, ad Deum per pœnitentiam conversa, translata est in totius pudicitiæ vasculum; atque illius complices, in proposita tentatione, timorato animo à facie viri Dei impetrata venia recedentes; post experimentum illud factum, magis ac magis D. Petrum venerari, quam antea solebant, ac debita deinceps prosequi reverentia procurarunt. In libro, Vitas fratrum dicto, simile quidpiam evenisse legitur sancto Patri Fratri Dominico, b Cubensi ut opinor, qui in Lusitania fundator fuit monasterii Sanctirenensis, quia à curia Regis meretrices omnes & mimos suis prædicationibus expelli fecerat. Vide eumdem librum parte 4, capite 4. c

ipsamque convertit ad pœnitentiam.

D

15 Expugnata jam per prædictum Regem Catholicum d Hispalensi illa celeberrima urbe, ut diximus; reversus ille in regiam, itineris comitem voluit habere D. Petrum Gonsalui. At postquam in aulam simul pervenerunt, cupiens sanctus vir ministerium sibi creditum fideliter adimplere & constanter prosequi, extra turbam adulatorum & scurrarum, (ne de aliis illius officinæ vanitatis monstris loquar) Regi valedicens, Provinciam Compostellanam, quam Gallæciam antiqui nominarunt, petiit. Hoc tempore Priorem egisse referunt aliqui in conventu Vimaranensi, e in interamni Lusitaniæ Provincia. Postea vero, quasi denuo Deo inservire incipiens, fervore & spiritu duplici resumpto, concionibus totus deditus, indies ad conversionem peccatorum anhelans, E evangelicum munus exercebat. Cum autem vir egregius corpore esset præstans, aspectu elegans, eloquio suavis, & virtutem etiam pulchram in corpore pulchro præseferret; mulier quædam, tunc tenus honesta, in cujus domo aliquando D. Petrus hospitii causa venire consueverat, à diabolo seducta atque excæcata, in illius concupiscentiam exarsit. Quid multa? Occasionem satis opportunam nefario operi tentando quæsivit & prosecuta est: sed per Dei gratiam, intentione maligna ab illo olfacta, igne materiali (ut prius) pro armis sumpto, illius sathanici ignis incendia mirabiliter restinxit & effugit. Videns inhonesta mulier miraculum hoc insperatum, tota in stuporem cordisque compunctionem versa, in testes sanctitatis D. Petri, omnes convocare domus suæ familiares non erubuit: qui illæsum sanctum Dei famulum supra rogum cubantem conspicientes, in Dei laudem, rei eventum divulgarunt ubique.

In Gallæcia

similiter ab hospita solicitatus

simili modo ab ea se expedit.

16 Dum aliquando D. Petrus rediret à suggestu, atque ex itinere lassitudine confectus esset valde; socio etiam ejus similiter fatigato, ad cujusdam mulieris domum, sitis sedandæ gratia, divertit. Femina vero, à qua ad bibendum aquam petierat, responsum illi hujusmodi dedit: Scias, Pater mi, quod intra hanc F domum nihil est ad præsens quod tibi propinare possim, nisi tantùm parum vini in parva repositi lagena, quod quidam f Sacerdos ad servandum mihi tradidit, cujus pro cibo ministrando sum famula. Tunc D. Petrus, Potens est, inquit, Deus suis subvenire ministris, vini liquore nec exhausto, nec ab ejus domino hoc Presbytero aliqua illius diminutione deprehensa. His devotis verbis emollita mulier, atque in magnam erecta fiduciam, vini portiunculam, in vasculo semivacuo reconditam, fiducialiter & libenter viro Dei & socio ejus obtulit. Sedavit tunc D. Petrus laboriosam sitim, simulque socius ejus, absque aliquo lagenæ ejusdem exsiccandæ timore; atque pia illa Samaritana resalutata, discesserunt ambo. Rediit non post longum temporis spatium supradictus Presbyter, atque vinaceum vas repetitum acceptumque, majori vini portione onustum persentivit quam ante reliquerat, proindeque protinus de hujus rei novitate famulam cœpit interrogare. Illa vero, lagena iterum appensa & considerata, postquam evidens cognovit miraculum esse factum, elevata voce, tota in admirationem rapta, Sacerdotem à vini illius sumptione abstinere urgen-

Vini pauxillum quod sitibundus biberat,

copiosius & melius reddit.

urgentissime postulabat. Deinde vero rei eventu nuda veritate illi exposito, festinus illico Sacerdos post D. Patri vestigia, velociter viam arripuit, quousque recta ad illum pervenit; atque in terram pronus coram illo enixe rogabat, ut plenam refectionem sumpturus, in suam dignaretur domum iterum revertere. Excusavit se sanctus Pater, verbis gratificatione non minus ornatis quam humilibus, & devoto Sacerdoti domum redire jusso, soli Deo dandam esse gloriam suasit; atq; mox iter inceptum prosecutus est.

17 Cum aliquoties D. Petrus in eadem Gallæciæ regione juxta Minii fluenta concionaretur, vidit multos ex itinerantibus, vadosa fluvii tentantes loca, quotidie, eo quod non haberent faciliorem transitum, mortis se periculo multoties exponere: est enim flumen illud profunditatis non modicæ. Quare ex eleemosynis emendicatis, aliqua pecuniarum summa hujus rei causa prius congregata, pontem quemdam in ejusdem alvei ripa *g* construere cœpit. Multa ibi miracula Deo patrante, hoc tempore contigisse referuntur, non dissimilia iis quæ diximus, cum de vita D. Gondisalui *h* Amaranthi ageremus, quando pontem alium similem construxit. Speciatim illud narratur contigisse, de piscium multitudine ad oram fluminis ultro se offerentium D. Petro pro novi pontis constructione. Tandem absoluto operis ædificio, ponte jam transeuntibus pervio facto, ad urbem Tudensem, prope eumdem fluvium, se recipiens, indefesse verbum Dei accolis illius territorii prædicabat. Huic Apostolico in hac regione intentus obsequio, reliquum vitę spatium cum magno animarum fructu expendere curavit.

Minii pontem instruit.

18 Cum igitur in eadem urbe Tudensi jam senio *i* confectus quiesceret, Deo tamen semper vacans, aliqua miranda prodigia ejus precibus operata est divina majestas. Inter hæc autem, dum famulus Dei D. Petrus quadam die ad mensam jam sederet, ut prandii refectionem sumeret, relatu didicit, quemdam honestum virum, magna sibi necessitudine conjunctum in *k* loco distanti morbo gravi correptum esse; unde amicitiæ & caritatis vinculo constrictus, à mensa protinus surgens, illum visitandi gratia, viam est ingressus. Cum vero ad cujusdam montis radices *l* pertranseundo pervenisset, religiosus quidam juvenis socius ejus, non adeo laboris patiens, fame compulsus, cum quodam alio adventitio itineris socio, submurmurare quodammodo non est veritus. Hic Frater Petrus, inquiebat, quia jam provectioris est ætatis & propterea parco utitur cibo, me robustum juvenem, calore naturali ad excoquenda alimenta satis affectum, eadem mensura victusque parsimonia & tenuitate vult coarctare, atque sic ægre nutritum macerare. Quamvis longius distans, D. Petrus eos præcederet, non illum latuit Deo revelante, hoc socii sui susurrium; atque fixo gradu expectans quousque ille appropinquaret, sequenti miraculo à simili deinceps coërcuit detractione. Ascende inquit, fili mi, si esuris ad illius montis proximi dorsum, & ibidem obsonium paratum invenies quo & famem extinguas, & sufficienter pro nunc reficiaris. Paruit ille dictis, & simul cum alio susurrii complice illuc pergens, in quodam aliquantulum eminenti loco duos albissimos panes mappę cuidam suprapositos, atque vini lagenam invenerunt; quæ omnia reportata, festivi festinantesque statim sancto viro intacta obtulerunt. At ille ambobus sociis, ut quantum illis sufficeret sumerent, invitatis, residuum in eodem loco, ubi viaticum illud offenderant, reponere jussit. Et refectione ab illis tunc sumpta, famelicus frater sociusque illius præcepto parentes, non parum de hac re mirati, illum curiositatis ergo interrogarunt, undenam vel à quo panes illi fuissent in deserto loco apportati? vel; quod etiam nimis eos in stuporem induxerat, quis fragmentorum reliquias residuumque prandii ibidem repositum, abstulisset? Post namque aliquantulum brevis temporis curriculum, quo panis & vini residuum cum mappa dimiserant, in loco ubi antea posita illa invenerunt; atque ad viam communem descenderant; tanquam curiosi scrutatores iterum reversi, nec vestigium quidem invenerunt. Satis est, inquit ille, quod naturæ pensum, laute comedentes & bibentes, soluistis; id vero quod superfuit, abstulit idemmet qui ante attulerat.

ferijs famelicis,

divinitus prabet refectionem:

AUCTORE STEPHAN. SAMPAYO.

19 In eadem Gallæciæ provincia maritima concionabatur aliquando famulus iste Dei, apud urbem Bayonam vel Vayonam dictam *n*, cum frequentatissimo populi concursu: & ecce subito est exorta tempestas: & tam subita aëris inclementia territi astantes populi, quomodo inde tute discederent, sive aufugerent, solum cogitabant. At D. Petrus, illorum cogitationes percipiens atque introspiciens, labantes animos hac exhortatione firmavit: Fratres carissimi, ne paveatis, metum quæso deponite; Ille namque omnipotens Dominus, cui omnia parent & obediunt, hanc procellam ingruentem, quam veremini, antequam nos comprehendat, in aëris tranquillam commutabit serenitatem. Nec adhuc Dei famulus verba finierat, & jam nubes illæ minaces & ventorum turbines, à suggestus omni loco circumvicino divinitus abstinentes, reliqua omnia circumcirca suburbia, quæ oculis astantium comprehendi poterant, horrisono invadentes furore, impetebant.

tempestatem à sua concione avertit.

ANNOTATA.

a *Ab anno potissimum 1224 usque ad exitum vitæ, ad 1252 producta. Colitur autem hic sanctus Rex 30 Maji.*

b *Idem Sampayus ad finem sui libri pag. 216 in Stemmate Ordinis Prædicatorum duos* Dominicos *numerat, inter primos socios sanctissimi sui Patriarchæ, quorum priori contigerit id quod hic attingitur; secundus* Cubensis, *fuerit Santirenensis conventus initiator & ibidem miraculis clarus quieverit. Cardosus in Hagiologio Lusitano 21 Ianuarii, ponit Dominicum Santirenensem, & laicum fuisse vult; die vero 29 dicit in eodem Santirenensi conventu quievisse alterum, scilicet Cubensem, quem ait à prima fundatione anni 1225 ibidem continuo vixisse usque ad 1262: virumque laudat à castitate: sed neutri applicat tale factum. Econtra Ioannes de Rehac ita existimat id factum à Cubensi ut censeat B. Petro perperam attributa, quæ illi Cubensi Dominico propria fecit historicorum Ordinis consensus. Sed habet Sampayus assentientem sibi Didacum de Rosario, nec puto pro Cubensi stare auctores antiquos.*

c *Addit ex Castello Malvenda;* Aliquando impudentissimorum scortorum fraudibus ac technis sancta ejus castimonia traducebatur, ut vel eo modo viri sanctissimi auctoritas & clara opinio apud populum læderetur; verum benignissimus Deus, cuncta dæmonis machinamenta dissipabat, servi sui gloriam adaugens.

d *Error est manifestus, cum, teste Mariana solum cœperit* Hispalis *obsideri mense Augusto anni 1247; pridem jam apud Galaciam agente, imo ante annum mortuo, Petro. Errantem Sampayum ceteri fere absq; examine secuti inveniuntur: omnibus autem praivisse videtur Diddacus de Rosario; quia scilicet hac victoria omnium rerum à Ferdinando gestarum nominatissima fuit. Rehac censet pro Hispali ponendam Cordubam, anno 1236 à Ferdinando receptam.*

e *Bracharensis diœcesis oppidum inter Minium & Durium: sed forte de Gonsaluo Amarantho rectius hoc intelligetur: distant enim Amaranthum & VVimaratus solis 15 P. M.*

f Clericum *alii, alii* Parochum *faciunt, adduntque prope Compostellam hæc accidisse.*

g Non longe à Ribadavia, *inquiunt alii: est autem hæc, oppidum inter Tudam & civitatem Orensem, ad ostium Aviæ,*

AUCTORE STEPHAN. SAMPAYO. *Aviæ, istic se Minio immergentis à Septentrione, cum per meridionalem ripam irrumpat ex adverso Amoya rivus: qui aquarum confluxus periculum auget. Addit Tamajus:* cujus pontis moles hodie adhuc visitur juxta oppidum, cui nomen Castrelo, non procul à cœnobio S. Claudii Cisterciensi. *Sed profecto errat: qui enim ibi pons cernitur, supra Aviam stratus est, & à Minio distat facile 6 p.m. Pergit Tamajus.* Donec hujusmodi ædificium perficeretur, domunculam ad orandum in montis vicini vertice extruxerat; quæ postea Fratribus Minoribus concessa, facta est celebre monasterium, S. Marthæ dictum; in quo duæ proceræ rupes monstrantur, ita vicinæ ut medium spatium vix hominem capiat, inter quas ille arctissimum somnum capiebat: ad quas visendas, in die festo ejus, undique vicinorum locorum accolæ accurrunt. *Hæc ille, quoad sensum, nam barbariem styli lenire placuit.*

h *Vitam* B. Gonsalvi de Amarhanto *ex Didaco de Rosario dedimus* 10 *Ianuarii, ubi num.* 22 *de isto Gonsalvo eadem fere narrantur, quæ alii hic fuse de Petro Gonzalvio, ut vehementer metuendum sit, ne utrique perperam applicentur quæ sunt alterutrius propria; licet istic alius fluvius, videlicet Tamica, nominetur.*

B

i *Non admodum senex esse potuit B. Petrus, qui anno* 1190 *natus obiit* 1240, *quinquagenarius dumtaxat juxta ipsum Sampajum, haud satis hic sui memorem. Si de grandiori ætate certius nobis constaret, evidentius etiam probaretur, Placentiæ non studuisse Petrum, aut saltem non sub patruo ibidem Episcopo, neque Palentini conventus filium fuisse.*

k *Clericum fuisse dicunt alii, & Bajonæ ajunt ægrotasse.*

l *Similiter Didacus de Rosario* pedem montis *notat: at Maluenda, Tamajus & alii indicant,* summum verticem collis, qui vulgo Bortella de Arzella vocabatur.

m *Abest* Bayona *ab urbe Tudensi* P.M. *circiter* 18, *nomen habens ab insigni istic portu uti & alia ejusdem appellationis alia: addunt alii tunc prædicasse* ad pontem Ramalosæ, *ad intimum dicti portus recessum: & quidem Tamajus (forsitan ex suo MS, nam tacent de hoc ceteri) etiam dicti nunc pontis structuram Petro tribuit. Recbac locum minus recte nominat* Ravalosam.

CAPUT III.

Mors B. Petri & miracula eam secuta.

C *Postquam auditoribus suam mortem prædixit,* a

20 IGitur, Altissimo doctrinam illius Evangelicam sequentibus sæpe signis confirmante, & senili percurrente jam ætate, in quadam Quadragesimalis temporis dominica die, ramis palmarum benedicendis dicata, cum suggestum *a* ascenderet, diem sibi jam jam imminere palam prædixit, & jam non amplius illum ibidem ad prædicandum venturum; proinde omnes enixe & humiliter obsecrabat, ut quando ad illorum aures, de instante obitu suo sermo & fama perveniret, precibus suis coram Deo juvarent. Quamvis enim, dicebat ulterius, per Dei gratiam in nullo me reprehendat cor meum, postquam mundo renuntiavi; non tamen illam me conscientiæ puritatem habere existimo, quæ fidelium suffragiis non nimis indigeat. Et post vale dictum omnibus, in proximam urbem Tudensem se recepit (*Tudæ ægrotans,*); in qua per illius sanctæ hebdomadæ dies reliquos prædicare non destitit; Christum imitatus, qui in ultimis etiam vitæ mortalis terminis constitutus, templum Salomonis prædicationis causa frequentare dignatus est. Paschali igitur instante festo, à quadam graviter correptus est ægritudine, *b* propter quam causam ad conventum sibi assignatum Compostellæ redire non potuit, quod maxime habebat in votis. Postea tamen, morbo eodem remissius (ut videbatur) illum vexante & quodammodo in declinationem tendente, resumptis utcumque viribus additoque animo, itineri se accinxit; quo diem extremum, si fieri posset, inter Fratres suos, in Compostellano conventu, feliciter clauderet. (*nec valens Compostellam pertingere,*) Sed dum ad oppidum, S. Columba *c* vulgariter dictum, vix & ægre devenisset, morbo iterum ingravescente, in horasque magis invalescente, ulterius progredi non valens, socium qui illum comitabatur sic est allocutus: Opinor *d* Dei esse voluntatem, mi Frater, ut in urbem Tudensem, à qua discessimus, ibidem moriturus revertar; ideo obsecro ut confestim ad illam properemus. Illuc igitur denuo reversus, ad quamdam hospitii pristini domum declinavit, necdum enim apud Tudenses prædictorum Fratrum Ordo conventum, quem modo habet, obtinuerat.

D

21 Igitur mortali invaliditudine indies magis ingravescente, hospitem suum ad se accersiri faciens, hæc illi verba ultima fecit (*hospiti suo relinquit zonam*): Carissime frater, noveris quod Dominus noster, meorum memor laborum, illis finem imponere dignatur. Ego vero ab illo precibus impetravi, ut huic parceret regioni, cui varium acerbumque, propter inhabitantium crimina, flagellum nunc imminebat. Deinde pro hospitalitatis caritate, qua semper erga me usus es, clementissimus ipse Pater luminum, ut spero, mercedem tibi rependet. Interim tamen, quia aliud non habeo tibi præsentandum, gratitudinis ergo, nisi hanc zonam, qua hactenus præcingebar, illam precor suscipias, quam tibi aliquando profuturam confido. Suscepit pius hospes religiose sancti viri munusculum, non multum pretiosum secundum humanam sapientiam; atque in mundissimo linteolo involutum, magna alicujus adhuc olim adipiscendi boni spe & fide animo concepta, in competenti reposuit loco. Nec vana fides. Post aliquantulum namque spatium, cum prædictum cingulum in duo frustra dividere vellet, ut amico cuidam intimo partem alteram communicaret, *e* tamquam rem pretiosissimam fidei saltem oculis æstimatam; ferreum illud instrumentum, quo incisionem facere intendebat, è manibus ejus exiliens, leviusculo quodam ictu percussum reddidit & reliquit (*cujus divisio miraculose impeditur:*). Existimavit illico vir hic pius, speciali divini numinis concursu & non casu hoc illi contigisse, quasi Deo displiceret divisio cinguli illius munusculique, quod sanctus & apostolicus Pater, in amoris & gratitudinis signum, hospiti suo contulerat; atque religione tactus, non solum integram corrigiam illam, sed & baculum *f* quo D. Petrus adhuc vivens nixus incedebat, ad ecclesiæ Cathedralis Præfectum, ut ibidem digne atque cum debita reverentia custodiretur, oblatum tradidit.

E

F

22 Postea D. Petrus, hora transitus sui instante, ad quam se à longinquo tempore præparaverat, in sanctissimo Dominicæ Resurrectionis festo, spiritum Creatori suo reddidit, anno ab ejus incarnatione MCCXXXX *g*. (*juxta ejus tumulum positus tumulus Episcopi Tuden.*) Ejus funebria obsequia munusque supremum Tudensis *h* Antistes summa cum veneratione persolvit, qui tanta illum dum viveret devotione semper coluit; ut se juxta tumulum illius sive conditorium, postquam è vivis discederet, sepeliri voluerit; ejus enim tantopere confisus erat suffragiis, ut hoc etiam votum suum suis testamento firmato mandaverit legatariis. Et cum ejus ultima voluntas in hoc olim adimpleretur, atque juxta D. Petri reliquias ejus cadaver sepeliretur, Deo ita disponente mirabiliter, in cujus cælesti aula stella ab stella differt in claritate; imperceptibili separatione, post aliquod tempus elapsum, visa sunt amborum conditoria ab invicem longe distanter separata, quam à principio extiterint. (*divinitus removetur.*)

23 Post

A 28 Post illius animæ sanctissimæ à corporis ergastulo egressum, piissimus Deus noster miraculis multis, fidelibus populis ostendere dignatus est hujus sancti viri ineffabilia merita. Ex illius enim sepulcro dicitur oleum aliquando emanasse, sicut antea legimus contigisse ex seraphicæ illius Virginis, Catharinæ martyris monumento, in quo ab Angelis in monte Sinaï recondita fuit; & ex D. Nicolai mausoleo similiter. *i* In hujus veritatis evidens testimonium, ostenditur adhuc in eadem ecclesia vas *k* quoddam vitreum, in quo Canonici, tunc temporis inter vivos agentes, portionem aliquam liquoris illius miraculosi recondiderunt. Cum aliquando de hoc miraculo incredulus quidam homo duræque cervicis, *l* ad illius sepulcrum accedens, multis narrantibus dubitaret; superaddidit ipse numquam tale quidpiam sibi persuasurum aliquem (nempe quod ex illa lapidea tumba, oleum aliquando emanarit) nisi suis ipse etiam oculis miraculum illud prius experiretur & palparet. Non defuit huic incredulo divina benignitas, sicuti & Thomæ de sua resurrectione dubitanti: & postquam ista diffidenter protulit verba, ecce ex eodem confestim sepulcro oleum resudare visum est, de quo illemet manibus suis vasculum quoddam *m* implevit; atque in conspectu multorum astantium, gloriosus Deus in Sanctis suis laudatus est;

ex eodem oleum sudat.

24 In eadem diœcesi Tudensi quædam erat illustris matrona, virtutibus etiam non minus insignis, quæ aliquando D. Petrum Gonsalvi hospitata fuerat, non minori, ut creditur, devotione, quam vidua illa Sareptana, quæ Prophetam Helisæum antiquitus excipiebat. Et cum semel ab illo adhuc aura ætherea fruente efflagitaret, ut aliquod sibi pignus & memoriale redderet, ad servandum causa devotionis, subridens Dei famulus illi ita respondit: Tempus aliquando instabit, in quo aliquid, me vivente vel è vivis sublato, in mei memoriam possideas. Cum vero devota mulier de illius transitu certior facta esset; in memoriam, non sine dolore & tristitia, sibi reduxit, promissum munus, quod ab illo petierat dum viveret, non impetrasse. Attamen sequenti nocte D. Petrus Gonsalvi, promissi memor, illi in somnis apparens, dixit: Noli, soror carissima, contristari; quamvis enim, dum inter mortales agebam, tuis non satisfecerim votis in eo quod devote à me postulasti; crastina die in meum perge sepulcrum, & ibidem tibi stabo promissis. Nocturnæ revelationis non immemor devota matrona, dilucescente die sequenti, ad ecclesiam Cathedralem, in qua sancti viri sepulcrum erat, devota processit; & postquam se illius precibus devote commendavit paululum, immittens manum per quoddam apertum foramen in idem mausoleum devotionis excitandæ causa, dentem quemdam ex sancto cadavere D. Petri inscia offendit; *n* quem statim foras extrahens, lacrymis suffusa, omnibus astantibus rei seriem in Dei gloriam manifestavit. Qui omnes satis mirari nequibant, in divinas erumpentes laudes: illa vero thesaurum divinitus concessum, nullo contradicente, in domum suam reportavit.

à defuncto dens

pia visio hospitæ redit.

25 Canonicus quidam, dum de miraculis D. Petri cum aliis Sacerdotibus confabularetur, in fide miraculorum ejus dubius persistens, dixit: Etsi ego, illum Sanctum esse & cum Deo in cælis regnare, nisi impie, negare non possim; numquam tamen mihi persuadebo, tam crebra miracula, ut quotidie referuntur apud nos, vera esse; quoniam, postquam ego in hac urbe habito, nullum oculis meis hucusque potui videre, aut experientia facta cognoscere. Hæc illo Presbytero temerarie jactitante, ecce duo homines puerulum paralyticum portantes, causa visitandi eamdem sepulturam D. Petri Tudensis, majorem ingressi sunt ecclesiam; & accedentes prope locum illum sanctum, nondum preces suas orantes finierant, quando paralyticus ille infantulus, stans rectus & sanus, huc atque illuc gressus lætanter dirigere ab omnibus visus est. Fuit autem miraculum adeo manifestum, ut turba multa quæ illic stabat in stuporem versa, laudis clamores protinus in cælum extolleret. Accurrit Tudensis populus, accurrit & ille incredulus Presbyter: dumque quasi suis manibus recens miraculum contrectaret, dubietate pristina in devotionem commutata, mirabilem Deum in sancto suo D. Petro laudare deinceps decrevit, de incredulitate sua non parum pœnitens.

curatur puer paralyticus.

AUCTORE STEPHAN. SAMPAYO.

26 Nauta quidam, in malum navis conscendens, ab ejus summitate, vi ventorum ingruente avulsus, in mare semel fuit præcipitatus. Qui statim D. Petri Gonsalvi recordatus, quem in mari Hispaniæ Patronum propitium multi experiebantur, illius opem invocare per aëra volans super undas incœpit. Et ecce in habitu Fratris Prædicatoris Dei famulus illi apparens, Adsum inquit, fili mi, quia me vocasti; ne timeas. Atque manum illi extendens, intra navem reposuit, liberum à submersione. *o* Non abs re erit hic interserere, quod diebus præteritis in quodam antiquo libro manuscripto bibliothecæ S. Victoris reperi. Ibidem enim cum in quodam catalogo Sanctos Ordinis nostri, qui miraculis claruerunt, offendissem; etiam & D. Petri Gonsalvi mentionem factam inter reliquos sub his verbis perlegi: Beatus Petrus Gonsalvus, Patronus maris Hispaniæ, clar. miracu. Ex quibus verbis satis constat, ab antiquo jam & immemorabili ævo periclitantibus in Oceano freto D. Petrum succurrere consuevisse, nec esse apocryphum aut omnino absurdum, ut aliqui irreligiose philosophantes autumant, quod passim navigantes per Oceanum prædicant ac testificantur, D. Petrum Gonsalvi sæpesæpius ab illis, tempestate ingruente, visum esse in mali vertice vel in velorum summitatibus, viridem candelam accensam in manu gestantem, statimque post visionem istam mari stagnante cessare procellam.

nautæ periclitantes juvantur.

E

27 Quædam mulier, apud Scallabin *p* Lusitaniæ urbem, filium habebat pede altero contritum & contusum, graviterque laborantem; à quo jam chirurgi decem octo minutula extraxerant ossa, nec tamen propterea sanabatur. Cum illa igitur de hujus sancti viri miraculis audiret, voto emisso, filii sui sanitatem ab eo efflagitabat. Qui illius orationibus mox aures porrigens, intercessione sua apud Deum obtinuit, ut puer ille desideratam sanitatem impetraret.

pes contritus sanatur.

F

28 In libro etiam qui dicitur Vitas Fratrum, qui maximæ auctoritatis esse judicabitur ab illis, ad quos auctoris ejusdem notitia pervenerit, parte quinta cap. IX, ubi de illis qui miraculis claruerunt agitur, de B. Petro hæc perlegi ..... *q* Cuidam, ex percussione fruticis duæ spinæ in oculis remanserunt, quæ adeo alte intraverant, quod nullo modo poterant extrahi vel etiam videri. Invocavit auxilium Fratris Petri Gonsalvi, & statim ambæ *r* spinæ, per se de ejus oculis in gremium ceciderunt; & perfecte curatus est. Item mulier quæ per septem septimanas lac amiserat, unde filium alteri tradiderat, dolens maxime quia paupercula erat, facta oratione ad tumulum Fratris Petri, cum rediret in domum, invenit se lacte repletam, quo filium enutrivit. Quidam nautæ in maris periculo constituti, invocaverunt fratrem Petrum Gonsalvi, qui statim apparuit eis dicens; Adsum, & confortans à fluctibus procellæ eos liberando, duxit ad portum. *s* Uxor quædam in navi parvula, dum flumen quoddam profundum

Miracula in Vitis Fratrum notantur.

AUCTORE STEPHAN. SAMPAYO.

dum transiret parvulum filium habens in humero timore concussa cecidit, & quinquies submersa est in profundum; sed invocato B. Petro, ab ipsa cum cecidit, & à marito qui stabat in ripa, ab ipso periculo evasit cum parvulo suo. Quidam juratus dixit, quod cum per sex menses febribus affligeretur, & esset valde inflatus, ita quod vix posset super baculum ire; apparuit ei Frater Petrus, & dixit: Veni ad tumulum meum, & curaberis. Venit & curatus est. Hæc in libro supramemorato sub hoc stylo exarata habentur, quæ simul cum supradictis, non dubito, quin à pio lectore debita devotione in Dei laudem simplicibus & columbinis oculis conspiciantur: illi gloria & honor in secula. Amen.

ANNOTATA.

a *Factum id, ut scribunt alii,* in quodam monasterio monialium Ordinis S. Benedicti, *cui Tamajus nomen* Pesiguero *addit.*

b *Rebac scribit* Paschali festivitate transacta, die Jovis incidisse in morbum: *diem nescio unde acceperit: de hebdomade sancta rem intelligendam nos judicamus.*

B

c *Distat Tudis Compostella fere ad* 60 M. P. *iter in Septentrionem tenendo: in quo tamen nusquam exprimunt tabulæ ullum* oppidum S. Columbæ, *ut exiguum & ignobile esse oporteat.*

d *Revelationem divinam hic adstruit Rebac, de qua nihil alibi.*

e *Concordat narratio Didaci de Rosario: alii in gratiam Canonicorum Tudensium tentatam divisionem dicunt, & coram iis accidisse miraculum.*

f *Recentiores addunt etiam,* pallium.

g *De die & anno jam supra dedimus discrepantes aliorum sententias.*

h *Alii nomen exprimunt &* Lucam *vocant, cujus celebre nomen propter scriptam ab eo historiam: electus autem fuit anno* 1239 *& ad* 1250 *pervenit, teste Ægidio Gonsalvi d'Avila in Episcopis Tudensibus.*

i *Arnoldus de Raisse, in Auctario ad Natales Sanctorum Belgii per Miræum ad* 19 *Novembris agens de S. Elisabetha, catalogum texit variorum Sanctorum, quorum corpora salutare oleum stillant aut stillarunt: plura exempla qui volet, operis nostri indices morales adeat.*

k *Rebac rem auget, & phialas plenas ostendi dicit.*

C

l Joannes Enchannes de Castro nauclerus, *hic fuit, ut scribunt alii;* venit *autem* ex voto, in marina tempestate concepto.

m Tubam *vocant alii, quam etiam dicunt ad omnes sepulcri partes applicitam, colligendis guttis undique stillantibus; itáque repletam, ut per cornua utrimque effunderetur. Rebac dicit* parvam cannam *ad hoc sumptam.*

n *Malvenda ex Castellio scribit, ipsum dentem ultro è foramine egredi visum, & manu exceptum esse.*

o *Addit Didacus de Rosario:* Postea etiam iis qui eadem navi ferebantur, visibiliter apparuit.

p *Vulgo* Santarem *dicitur à* S. Irene Martyre, *quæ colitur* 20 *Octobr. est autem civitas ad Tagum fluvium,* 15 *leucis supra Olisiponem.*

q *Prætereo verba, quæ supra num.* 3 *leguntur in Comm. pravio.*

r *Impressum erat* albæ, *sed ex ipso libro qui citatur correximus, uti & alia plura sphalmata, variis locis occurrentia.*

s *Addit Castellius ab hoc miraculo cœptam videri religionem nautarum erga B. Petrum.*

D

APPENDIX

Excerpta quædam ex miraculis anno MCCLVIII *à Tudensi Episcopo examinatis, apud Ferdinandum Castellum in Chronica part. 1 lib. 2 cap. 26.*

29 Tudensis Episcopus, qui Lucæ successit, *a* animadvertens continua miracula, quæ B. Petrus continuo designabat, publicam & authenticam informationem, ex fide testium juratorum, summa cura & diligentia fieri præcepit, eamque sigillo obsignatam Tolosam misit ad Capitulum Generale Prædicatorum, quod in ea urbe agebatur, anno Domini MCCLVIII. In ea extant citati & examinati nonaginta & septem testes, plurimorum B. Petri miraculorum, quorum hic nonnulla describemus. Michael Nuñez *b* de Nigris, Tudensis Diœcesis, cum annum integrum leprosus, mansisset inclusus in domuncula quadam, ob morbi contagium ab hominum commercio semota; facto voto & donario ad sepulcrum viri Dei appenso, sanus & integer ad suos rediit. Maria Perez de Varcea ex oppido Mera, cum novem menses lepram passa fuisset, & cæca quinquaginta diebus extitisset, ut primum se viro Dei commendavit, amissum lumen recepit: & mox ut sepulcrum ejus præsens venerata est, lepra discessit ab ea,

a

b *Sanantur leprosi duo,*

E

30 Martinus Perez de Cobelo, Tudensis diœcesis, post gravissimum septuaginta dierum oculorum dolorem, omnino visum amisit; sed voto B. Petro facto, subito cæco refulsit dies. Urraca Domingez, quæ Bajonæ degebat, alterius oculi videndi vim omnem perdiderat, sed voto sancto viro facto mox recuperavit. Petrus Sanzius de Cambeses, oppidi Fragosi, post trimestrem cæcitatem, cum ad sepulcrum P. Petri accessisset, lumen ei restitutum est. Petrus Joannes de Villa-veteri, duobus mensibus ex altero oculo nihil vidit; uxor ejus opem à Sancto poposcit, simulque promisit se virum suum ad ejus sepulcrum adductura. Ut primum proficisci cœperunt, nonnihil jam ex oculo videbat: sed cum ad sepulcrum pervenisset, fusa oratione, perfecte lumen recepit. Joannes *c* Laurentius, ecclesiæ Tudensis Canonicus, sinistro oculo penitus excæcato, cum ad sepulcrum viri Dei multa cum devotione cereum obtulisset, plene curatus est. Maria *d* Salvatoris, duorum mensium cæcitatem perpessa, cum ad sepulcrum viri Dei facto voto procubuisset, visum accepit. Idem omnino evenit Thomæ Martinez, Joanni Perez, & Petro Pato de Coya, qui perditos oculos ope viri Dei recepere.

cæci aliis,

c

d

F

31 Dominicus Fernandez de Salva-terra, spatio decem mensium intolerabili capitis dolore afflictus, putri materia ex altera aure copiose manante, votum fecit sancto viro, ut si intra octiduum eum liberaret, quotannis sepulcrum ejus oblato donario visitaret. Res mira! Intra triduum integræ sanitati restitutus est. Elvira Alfonsi de Salzeda, filiam habebat membris omnibus contractam, malumque illuc accesserat, quod à viginti uno diebus loquelam omnino perdiderat, ut ne verbum quidem efformare posset: adducta ad sepulcrum B. Petri, pedibus suis ingrediens, loquens & gaudens in domum reversa est. Joannes Alfonsus de Valladares, in oppido Fragoso, surdus penitus ex catarrho redditus, facto voto viro Dei, plene audiit. Elvira Perez, de Bajona, duobus mensibus ex altera aure surda, promisit, nudis pedibus adituram se sepulcrum viri Dei, si sanitatem reciperet: & extemplo recepit. Elvira Martini, de Rotundela, pro marito surdo

dolens capite,

puella contracta & muta,

surdi tres,

A surdo eleemosynam & donarium ad tumulum B. Petri misit; quam primum ex ecclesia rediit Petrus de Rotundela, e qui votum detulerat, plene audientem invenit, ac si nihil umquam passus fuisset.

32 Maria Alegre, ex pago quodam Tudensis diœcesis, filiolum annorum duorum & semis, qui nihil adhuc loqui potuerat, ad sepulcrum viri Dei attulit cum donario: eadem die, antequam ex urbe egrederetur, puer prompte & expedite locutus est. Alium puerum septennem, mutum penitus à nativitate, parentes ad sepulcrum B. Petri adduxerant; & facta ibi oratione, illico puer loqui cœpit, visoque tanto miraculo Canonici solennem processionem ad tumbam viri Dei decrevere. Urraca Salvatoris de S. Leocadia, quinq; jam mensibus adeo obsurduerat, ut nec intensissimos clamores audiret. Votum viro Dei nuncupavit; sepulcrumq; ejus adiens, statim campanas audire cœpit, indeq; optime usui aurium est restituta. Elvira Martini de S. Christina, in oppido Fragoso, quadriennio utraque manu paralysi resoluta, nulli operi eas admovere poterat, insuperque acri dolore torquebatur: ad sepulcrum beati viri veniens, manibusque illud utcumque contingens, mox integram sanitatem recepit.

B

33 Petro Perez de Villela, in quodam pago f Compostellanæ diœcesis, filius erat, obsessus à dæmone; qui undecim continuis diebus neque edit, neque bibit, neque dormivit. Cumque exorcismis adjuratus dæmon respondisset, se inde à nemine expellendum nisi à Fr. Petro Gonsalez; adductus est adolescens ad sepulcrum sancti Patris ligatis manibus (nam aliter ire detrectabat) factaque oratione à circumstantibus, statim dæmon abscessit. Maria Gonsalez de Valladeres, à dæmone acriter vexata, quatriduum sine cibo & potu elinguisque omnino mansit: ut ad tumulum Sancti allata fuit, expulso dæmone integram sanitatem adepta est. Filia Joannis Palaez, apud Tobellum oppidum, biennio dæmonem inhabitantem passa, & singulis ferme diebus excruciata, facto voto viro Dei, confestim liberata est. Petri Joannis de Paramos uxor, annos duos energumena, singulisque diebus bis terve ac quinquies crudeliter afflicta, cum votum B. Petro nuncupassent domestici, dæmon continuo ab ea recessit.

D

34 Maria Gonzalez, de S. Petro de Cella, à diabolo arrepta, singulis diebus octies aut novies atrociter torquebatur: in somnis admonita ut ad sepulcrum viri sancti pergeret, fecit: statimque à febribus & à cruciatu libera mansit. Maria Nuñez de Ruilla, à dæmone obsessa, cum ejus maritus votum B. Petro fecisset, alias dæmonem non sensit. Laurentius Martinez de Samnas, in parochia S. Petri de cella, filiam habebat, quæ per continuos annos singulis mensibus, toto lunæ durante decremento, visum oculorum amittebat; sed luna crescente, paulatim lumen ei reddebatur: quam cum ad sepulcrum sancti viri adduxissent, plene curata est. Nimis longum esset, si omnia quæ in dicti Episcopi Tudensis relatione, ad Generale Capitulum Tolosanum missa, de miraculis S. Petri Gonzalez integra fide habentur, hic intexeremus. Hæc descripsisse satis fuerit, ut lectores, sancti viri aliquam notitiam nacti, eum sibi apud Deum intercessorem & patronum adsciscant.

& puella in luna decrementis cæca.

ANNOTATA.

E

a Ægidius Perez de Cervera, *Ordini pie affectus: quippe qui anno* 1271 *inveniatur posuisse primum lapidem Conventus Ribadaviæ.*


b *Rebac pro nomine familiæ, quod hic exprimitur, nomen alicujus pagi in diœcesi Tudensi intellexit,*

c *Castellius Hispanice habet,* Lorenzo Juan.

d *Idem* Maria Salvador: *quod Rebac reddit* de S. Salvatore: *idem notandum ad miraculum ultimum num.* 32.

e *Incuriosius hæc transferenti Malvendæ excidit, ut adderet*, ejus maritus; *fuerit filius aut vicinus. Malvenda errorem non correxit Rebac, sed dissimulavit, omisso nomine Petri. Consulendus fuerat textus Hispanicus, cujus verba restituimus, & ubi Malvenda scripserat*, audire plenissime cœpit, *posuimus*, plene audientem invenit.

f *Ita restituimus ex Hispanico: Malvenda ad nomen* Villelæ *junxerat per parenthesim* (pagus is est Compostellanæ diœc.) *cum de Villela hic non loci, sed hominis nomen à loco sumptum sit, saltem juxta Castellium.*



XVI APRI-

XVI APRILIS

SANCTI QVI XVI KALENDAS MAII COLVNTVR.


SAnctus Callistus,
S. Charisius,
S. Leonides,
S. Christiana,
S. Galla,
S. Theodora,
S. Lota,
S. Tertia,
S. Caristus,
S. Chariessa,
S. Nice,
S. Gallena,
S. Nunechia,
S. Basilissa,
S. Calis,
} Martyres, Corinthi in Achaia.

S. Irene, Martyr in Græcia.

S. Adrianus, Martyr in Græcia.

S. Martialis,
S. Vincentius,
S. Carissus,
S. Cariton,
S. Cælesta, Et alii v.
} Martyres.

S. Marcianus,
S. Enianus,
S. Felix,
S. Hermogenes,
S. Vincentius,
S. Tertius,
S. Cajestus,
} Martyres.

S. Basilia, Martyr in Mauritania.

S. Martialis,
S. Felix,
S. Felix alius,
S. Faustus,
S. Fortunatus,
S. Silvanus,
S. Lucianus,
S. Gomalus,
S, Parcilaus,
S. Leonides,
S. Micas,
S. Gallienus,
S. Marcianus,
S. Faustinus,
S. Lucianus alter,
S. Iocundus,
} Martyres in Ponto Asiæ regione.

S. Optatus,
S. Lupercus,
S. Successus,
S. Martialis,
S. Vrbanus,
S. Iulia, seu Iulius,
S. Quintilianus,
S. Publius,
S. Fronto,
S. Felix,
S. Cæcilianus,
S. Eventius sive Evotus,
S. Primitivus,
S. Apodemius,
SS. Saturnini IV, aut pro his
S. Cassianus,
S. Matutinus,
S. Faustus,
S. Ianuarius,
} Martyres, Cæsaraugustæ in Hispania.

S. Encratides, sive Engratia, Virgo & Martyr, Cæsaraugustæ in Hispania.

S. Cajus,
S. Crementius,
} Confessores, Cæsaraugustæ in Hispania.

Sanctus Martyr, Sanctis in Clivia.

S. Lambertus agricola, Martyr Cæsaraugustæ in Hispania.

S. Thuribius, Episcopus Cenomanensis, in Gallia.

S. Turibius, Episcopus Asturicensis, in Hispania.

S. Vasius, Martyr Santonensis, in Gallia.

S. Paternus, Ep. Abrincensis,
S. Scubilio, socius ejus,
} in hodierna Normannia.

S. Fructuosus, Archiepiscopus Bracarensis, & multorum cœnobiorum institutor.

S. Magnus, Comes insularum Orcadum in Scotia.

S. Drogo, reclusus Siburgi in Hannonia.

S. Contardus, peregrinus Bronæ in Lombardia.

B. Ioachimus Senensis, Ordinis Servorum B. Mariæ.

S. Guiliel-

S. Guilielmus Politiensis, eremita juxta Castellum-Bonum, in Sicilia.

Vener. Ioannes de Castro Villari, Ordinis S. Francisci de Observantia, Consentiæ in Calabria.

PRÆTERMISSI ET IN ALIOS DIES REIECTI.



Ilvanus, Abbas Rievallensis in Anglia, Ordinis Cisterciensis, *memoratur à Chrysostomo Henriquez, Chalemoto & Bucelino, cum titulo* Beati: *à Menardo, ad diem* v *Aprilis*, Sanctus *appellatur. Quæ de eo indicantur, legi possunt ad Vitam B. Aelredi decessoris* xii Januarii.

S. Agape, S. Irene, S. Chionia, Sorores Martyres *celebrantur hoc die in Menæis Græcis, MS. Synaxario, Menologio Sirleti & Tabulis Kalendarii Moscovitici. Earum Acta illustravimus* iii Aprilis.

S. Vanebottus, Abbas Trecis in Gallia, *memoratur à Ferrario in Catalogo generali*, ex Tabulis Ecclesiæ Trecensis. *Verum discussis omnibus Scriptoribus, talem non reperimus, sed vix dubitamus, quin sit* S. Winebaudus Abbas, *ad* xvi *male transpositus, à die, quando dedimus Vitam*, vi Aprilis.

S. Veronica *refertur in Auctario Greveni. Ab aliis bis* xv Aprilis.

S. Paternus, Episcopus Veneti in Britannia minore, *colitur hoc die apud Armoricos, apud alios die qua mortuus in Actis dicitur* xv Aprilis.

Geroldus, ex Saxoniæ Ducum stirpe, eremiticam vitam in Valle Helvetiorum Drusiana amplexus, *memoratur ad hunc diem in Martyrologio Germanico, auctius post obitum Petri Canisii edito, & ab Hartmanno in Annalibus Eremi Deiparæ Matris pag.* 88, *& licet non attribuant ei titulum* Sancti *asserunt tamen à posteris dictam* Præposituram S. Geroldi. *Suum is nunc cultum habet in monasterio Einzidlensi & in diœcesi Curiensi sub ritu Duplicis 2 classis, cum Lectionibus propriis, ad diem, quando plenius de ipso agemus*, xix Aprilis.

S. Eustachius Martyr, prope Ferentinum *in Hernicis passus*, cujus dies profectus 16 die mensis Aprilis intercurrit, *memoratur jam allegatis verbis tomo* i *Italiæ sacræ col.* 721 *à Ferdinando Vghello: qui consuli jubet* Martyrologium Romanum ad hunc ipsum diem. *Verum neque hoc neque alio ullo die, vel ibi vel in Catalogo Sanctorum Italiæ apud Ferrarium quidquam de tali Sancto potest inveniri. Igitur ab ipsismet Ferentinensibus de tali martyrio cultuque majorem expectabimus certitudinem, nec non Passionis Acta, si qua extant.*

S. Fausti natalis, *inscriptus vetusto cuidam in Pireneis Martyrologio, unde excerpta ad Gallias spectantia, Saussajo Martyrologium Gallicum supplenti missa, & ad calcem edita sunt. Fortassis est Martyr Cæsaraugustanus, cujus aliquæ reliquiæ in monasterio S. Savini de Levitania, ubi scriptus est codex, servari credantur.*

S. Paternus, Episcopus Pictaviensis, *memoratur hoc die in MS. Florario & Auctario Greveni ad Vsuardum*: *est is* S. Paternus, Episcopus Abrincensis *apud Pictones natus: qui etiam* ...

S. Paternus Episcopus Arausionensis *dicitur à Ferrario non satis distinguente dictas urbes, Gallice* Aurange & Orange *dictas, uti hoc die ad Vitam* S. Paterni *dicitur.*

Guarinus, S. Bernardi discipulus, dein Archiepiscopus Bituricensis, *memoratur hoc die in Menologio Henriquez, Bucelini & Chalemoti cum titulo* Beati, *à Saussajo inter Pios recensetur. Vita ejus habetur in Patriarchio Bituricensi à Philippo Labbe edito cap.* 66, *& dicitur obiisse non* xvi *Kalendas Maji, sed* xvi *Kalendas Aprilis, id est* xvii *Martii: neque ullum alicujus venerationis vestigium indicatur.*

Guillermus, Abbas S. Albini, in Clara valle monachus, *indicatur à Chalemoto & in Kalendario sacri Ordinis Cisterciensis, Divione anno* 1617 *excuso.*

Sanctimoniales multæ cœnobii Fiscanensis, à Danis seu Normannis cæsæ, *inscriptæ sunt Appendici Saussaji & Menardi; quod dies natalis ignoretur: eas sua auctoritate in hunc rejecit Bucelinus.*

Stanislaus de Korziis, Ordinis S. Francisci de Observantia, vir patientissimus & profundæ humilitatis, Cracoviæ in Stradam ad S. Bernardinum sepultus, anno 1475, hoc 16 Aprilis *refertur cum titulo* Beati *à Martino Baronio, inter alios Stanislaos* xx, *quos eodem modo etiam* Beatos *appellat. Sed requisiti à nobis de cultu ipsius Fratres dicti Conventus vix potuerunt reduci in memoriam nominis; necdum congruum aliquem cultum demonstrare.*

Anna de Camerino, *ut vita sanctitate & miraculis illustris, laudatur in syllabo Sororum Ordinis S. Dominici post Martyrologium Ordinis, nullo addito titulo, die aut anno. Iacobillus* Beatam *appellat, & mortuam ait an.* 1369 *hac die. Hactenus non cognovimus ullum ei tribui cultum in sua patria, ubi eam sepultam quiescere idem scribit.*

Matthæus Monsaionius, Joannes Borserianus, Joannes Broserius, *In Aquitania occisi.*

Alphonsus Sartor, Hieronymus de Yelues, Bernardus à Laredo, Andreas à Guirola, Petrus à S. Bonaventura, Jacobus de Parisiis, Leonora à S. Francisco, In Hispania. Ordinis Seraphici, *vixerunt seculo* xvi *& cum titulo* Beatitatis *inscripti sunt Martyrologio Franciscano Arturi du Monstier: &* Leonora *etiam in ejus Gynæceo sacro.*

S. Anicetus, Papa & Martyr, *memoratus in MSS. Romanis Barberiniano, Vallicellano, & S. Cyriaci, item in Trevirensi S. Martini, Leodiensibus S. Lamberti & S. Laurentii, & variis aliis. In Romano & aliis* xvii Aprilis.

Fratres S. Adalberti, in hujus odium dicuntur occisi; & aliquem cultum habent Pragæ in S. Georgii templo, ubi conditi sunt. *Ita ad nos Bohuslaus Balbinus è Societate nostra, vir libris excusis celebris. De illis agitur in Vita S. Adalberti* xxiii Aprilis.

S. Monicæ, matris S. Augustini, Translatio in Ostiam civitatem *inscribitur MS. Florario. De ea agemus ad Vitam ejus* iv Maji.

S. Gebriani Confessoris Translatio, Remis in archimonasterio S. Remigii, *inscripta est Martyrologio Gallicano Saussaji, & Catalogo Ferrarii, dies ejus natalis est* viii Maji.

S. Gangulphi Martyris dedicatio oratorii, *indicatur in Adone post opera Surii excuso, & in Appendice Adonis apud Rosweidum: colitur dictus Martyr*

tyi xi Maji.

S. Isidorus Martyr, *memoratur in MS. Florario & MS. Chamberiensi, item in Ordine recitandi divinum Officium in urbe & diœcesi Venetiarum, in quo additur:* Corpus in ecclesia Ducali S. Marci, & fit solennis processio. *Petrus de Natalibus lib. 5 cap. 2, asserit esse corpus S. Isidori Alexandrini, in Chio insula sub Decio: de eodem agunt Galesinius & Ferrarius. Martyrologio Romano inscriptus est* xv Maji.

B. Marcianus, Episcopus & Confessor, *inscriptus est Auctario Greveni à Carthusianis Bruxellensibus. Videtur esse* Marcianus Episcopus Ravennas & Confessor, *inscriptus Martyrol. Rom.* xxii Maji.

S. Aigulphi, Episcopi Bituricensis & Martyris, translatio prope Castrum Rodulphi, *indicatur in Martyrologio Gallicano Saussaji, qui aberrat dum Martyrem appellat, qui felici fine, requievit in pace & colitur Confessor: dies ejus natalis agitur* xxii Maji.

S. Molocus Episcopus, in Hebridibus Scotorum insulis, discipulus S Brendani, *inscriptus est Menologio Scotorum Dempsteri & Catalogo generali Ferrarii. Celebratur sub ritu duplicis majoris in Breviario Aberdonensi, & aliis* xxv Junii.

S. Albani, Protomartyris Britanniæ, translatio corporis Roma (quo S. Germanus attulerat) Coloniam per uxorem Ottonis I Imperatoris anno 985. *Memoratur in MS. Florario, Martyrologio Coloniæ & Lubecæ anno 1490 excuso, & passim à posterioribus. Dies ejus natalis est* xxii Junii.

Pambo, Abbas Ægyptius, *inscriptus est MS. Florario; at Petrus de Natalibus lib. 6 cap. 38, quem plures secuti sunt, dicit quievisse* i Julii.

S. Helenæ, matris Constantini M. *festum in Ecclesia Veronensi agitur hoc die, teste Augustino Valerio pag. 22. alibi passim* xviii Augusti.

B. Madalberta Virgo, filia S. Waldetrudis, *inscripta est auctario Greveni. Ejus dies natalis celebratur* vii Septemb.

SS. Mauritii & Sociorum Martyrum dedicatio ecclesiæ Ambianis, *inscripta est auctario MS. Greveni. Dies eorum natalis est* xxii Septemb.

S. Amon, qui cum uxore in continentia vixit, dein in eremo, cujus animam vidit S. Antonius in cælum ferri, *refertur in MS. Florario, & cum alio elogio in Martyrologio Coloniæ & Lubecæ anno 1490 excuso, apud Grevenum etiam & Canisium. A Græcis & nonnullis Latinis* iv Octobris.

S. Honorata Virgo & Martyr *è Sodalitio Vrsulano ob corpus Colonia acceptum in monasterio Sanctimonialium de Aqua Ordinis, Cisterciensis in agro Carnotensi, festivo cultu celebratur, teste Chalemoto. Coluntur dictæ Martyres* xxi Octobris.

S. Felix Episcopus, S. Fortunatus, S. Januarius, } Presbyteri, S. Septimius, } Martyres, *memorantur in Menæis & Menologio Græcorum à Galesinio & Ferrario. Ab aliis* xxiv Octobris.

B. Archangelus Canetulus, Ord. Canonicorum Regular. S. Salvatoris, *hoc die obiit in Castilione Aretino, itáque inseritur hodie à Constantino Ghinio Natalibus sanctorum Canonicorum: & quia Bononiensis, refertur à Paulo Masini in Bononia perlustrata, breviter in prima, prolixius in secunda editione. Nos ejus Vitam antiquam & Processum de fama sanctitatis recentiorem, Latine redditum jam pene ad prælum habebamus paratum, quando ex Lud. Iacobillo didicimus coli Eugubii, eo quo corpus istic reconditum est die,* xxix Octobris.

S. Maxentia Virgo & Martyr, è stirpe regia Scotorum oriunda, in territorio Bellovacensi occisa, *memoratur hoc die in secunda editione Martyrologii Anglicani. Verum in Catalogo Sanctorum Hiberniæ per Henricum Fitz-Zimon, & in priore editione Martyrologii Anglicano, & Catalogo Ferrarii ad* xxiv Octobris.
In Breviario Aberdonensi ad diem xx Novemb.
In supplemento Martyrologii Gallicani xxiv Novemb.

S. Chrysogonus Martyr *memoratur in Menologio Sirleti, dies ejus natalis est* xxiv Novemb.


Lupertus *seu* Lubertus, Episcopus & Confessor, *refertur in MS. Florario, & auctario Greveni ad Vsuardum. Est is nobis ignotus. Forsan est* S. Luperius Episcopus Veronensis, *qui colitur* xvi Decemb. *Sunt etiam Sanctis adscripti* Liberius Episcopus Veronæ & Liberius Episcopus Ravennæ, *quorum dies natales sunt* xv Novemb. & xx Decemb.

Davidis monachi in Hemmerodensi cœnobio translatio corporis, facta anno MCCIV, *indicatur ex monumentis dicti cœnobii à Chalemoto. Dies ejus natalis incidit in* xi Decembris.

DE SS. CALLISTO, CHARISIO, LEONIDE, CHRISTIANA, GALLA, THEODORA, LOTA, TERTIA, CARISTO, ITEM CHARIESSA, NICE, GALLENA, NUNECHIA, BASILISSA, CALI.

G. H. *MARTYRIBUS CORINTHI IN ACHAIA.*

SEC. III



Alendarium antiqui Breviarii & Missalis Ambrosiani recolit S. Calixtum & socios Martyres. *Martyrologium Romanum ab his etiam sanctis Martyribus auspicatur* xvi *Aprilis his verbis:* Corinthi natalis sanctorum Martyrum Callisti & Charisii, cum aliis septem, qui omnes in mare demersi sunt: *Eadem habent in Notis citati Vsuardus & Ado, sed prior ab isto* Calistus, *& ab utroque alter* Carisius *scribitur. Vacat hoc die genuinum Martyrologium Bedæ: in suppositilio prior* Calistus *etiam nominatur. Citatur præterea Petrus in Catalogo lib. 4 cap. 55, ubi ista habet:* Calixtus & Carisius, & alii septem consocii eorum, apud civitatem Corinthum passi sunt: qui omnes, pro confessione nominis Christiani in pelago demersi, perpetuas triumphi palmas à Domino percipere meruerunt xvi Kalendas Maji, *ut ait Ado. De eisdem ante alios jam memoratos ista cecinit VVandelbertus.*

Callistus & Charistus cum 7 aliis.

> Sexta & dena Chariso Calistoque refulget,
> Quos mare septena mersos cum plebe beavit.

2 *Eodem cum VVandelberto floruit tempore Rabanus; in cujus Martyrologio quatuor ex sociis indicantur suis nominibus.* In Achaja, *inquit,* Corintho civitate, SS. Callisti, Carisi, Leonidis, Christianæ, Gallæ, Theodoræ, & aliorum plurimorum Sanctorum. *Notkerus, Vsuardo & Adone aliquanto junior, hæc ita explicat:* In Achaja civitate Corintho, nativitas SS. Callisti, Charisii, Leonidis, Christinæ, Gallæ,

qui sunt Leonides, Christiana, Galla, Theodora,

A Gallæ, Theodori: qui omnes in mare sunt demersi. *In MSS. Romano Cardinalis Barberini & in Treverensi S. Maximini, post* Leonidis *adduntur*, Lotæ, Tertiæ, Christianæ, Gallæ & Theodoræ: *quibus ad complementum septem aliorum additur* Caristi *in apographis Martyrologii Hieronymiani: in codice Epternacensi duo ultima nomina scribuntur* Theodosiæ & Callistæ, *In aliis MSS. pro* Carisio *seu* Charisio *legitur* Carisa, Carissus & Carissimus.

Lota, Tertia, Carissus seu Calista.

3 *Græci, in Menologio Basilii Porphyrogeniti Imperatoris, de hisce Martyribus hoc eodem die agunt, his verbis:* Die decima sexta ejusdem mensis Aprilis, Certamen sancti Martyris Leonidis & sociorum. Hi Sancti ex Græciæ regione erant: ac Leonides quidem, cum in festo Resurrectionis Domini nostri Jesu Christi, in ecclesia cum frequenti populo psalleret, ac festum celebraret; deprehensus fuit ab idololatris, & vinctus catenis Corinthum deductus. Reliqui vero viri ac mulieres aliunde etiam adducti, & provinciæ Præsidi oblati sunt. Qui simul vinculis constricti S. Leonidi adjuncti sunt, & carceri inclusi. Deinde è carcere educti, denuo coram Præside Corinthi jussi comparere, & Christum negare, & idolis sacrificare. Cum vero id
B recusassent, Leonides super ligno suspensus, crudeliter est cæsus, & lampadibus in lateribus adustus: deinde è ligno depositus, una cum sociis suis, in fundo maris fuit demersus. *Hæc ibi quæ plane cum Martyrologiis Latinis conveniunt.*

Elogium Leonidis & sociorum ex Menologio Basilii Imp.

4 *At Græci in suis Menæis dum nomina Martyrum exprimunt, magis dissentiunt, & hæc de iis narrant:* Sanctorum Leonidis, Chariessæ, Nicæ, Galenæ, Calidis, Nunechiæ, Basilissæ & Theodoræ. E Græcia oriundi erant hi sancti Martyres. Leonides Trœzeni captus est, dum inciperet spiritualem chorum in festivis diebus sanctæ Resurrectionis Christi, & Corinthum abductus. Chariessa autem & Nunechia, & mater Nunechiæ Basilissa, & Nice & Galene & Calis & Theodora, ex Græcia etiam oriundæ, Corinthum ad Venustum Præsidem missæ sunt. Præses Leonidem reperiens in Christi fide constantem & immotum, imperavit eum suspendi & atrociter cædi, deinde cum aliis in alto mari submergi. Asserunt autem Beatam Chariessam publica voce, quemadmodum olim Maria in submersione Ægyptiorum, cantare
C cœpisse: Unum milliare cucurri, Domine, & exercitus me prosecutus est, Domine, & te non negavi, Domine: salva spiritum meum. Reliquos autem auscultantes & psallentes ad mare pervenisse, atque in navigium conjectos, triginta que stadia in altum provectos, deinde saxis alligatos, in undis submersos esse. Martyrium horum perfectum est prima Paschatis die. *Eadem fere referuntur ad diem sequentem in Synaxario Parisiensi Collegii Claromontani. Pro* Calis *scribitur* Callis, *& nomen loci, ubi* Chariessa *psallebat non exprimitur: quem colligimus Corintho vicinum fuisse. In Menologio Sirleti eadem contracta habentur. Egimus x Martii de S. Codrato & aliis Martyribus, Corinthi circa annum* CCLVIII *passis, & secundo loco dedimus Acta martyrii eorum, auctore Nicephoro Gregora, qui una adjungit varios alios Sanctos, qui ibidem exemplo S. Codrati martyrium subierunt, & de hisce Sanctis ista refert.*

Alia nomina in Menæis Græcis, & MS. Synaxario.

5 Effulserunt ex eodem cœtu & panegyri plures alii Martyres, quorum certaminibus Corinthus exornata est. Postquam enim pura & sincera jam olim pietatis semina à Paulo suscepisset, latices etiam Codrati ad satietatem imbibisset, ramos protulit Catholicæ Christi Ecclesiæ gloriosos, quos neque infidelitatis hiemes, neque efferati & impetuosissimi venti, quales temporibus illis adversarius, sacræ militiæ gravi cum violentia incumbens, emittebat, ratione ulla evertere potuerunt: cum ipse potius hostis, clade in seipsum versa fractus, & sui sibi mœroris auctor, cum ignominia fugam corripuerit. Ac Tertius quidem ille, qui implere dextram sanguine Martyrum studuerat, morte illi perpetuum exilium indicente, vita pellitur, & tormentis numquam finem habituris addicitur. At mali istius hominis malus successor, Venustus nomine, Dux factus, mandatis ab Imperatore sanguinariis contra pios acceptis, Corinthum, plenis, ut ita dicam, velis appellit, ac impietatis facibus quamplurimis accensis, cum multos Christi Martyres faceret, una cum omnibus illis, etiam alios non paucos sacræ Codrati scholæ discipulos comprehendit: ex quorum numero primus Leonides occurrens, in altum quoddam lignum initio elevatus, crudeliter laniatur, & lampadibus ardentibus amburitur. Tum demissus, tantisque excarnificatus tormentis, inhumanum tamen Ducem ad misericordiam adeo non commovit, ut etiam cruciatus illi decerneret longe majores, quasi nullos hactenus tolerasset.

Inter alios Martyres, sub Duce Venusto Leonides

E 6 Exutis igitur vestibus, supra ferreos tribulos extenditur, partes autem corporis superiores virgis immaniter cæduntur, ne superesset aliquid in illo expers doloris: sed inferna quidem membra, aculeis tribulorum ad ipsa ossa penetrantibus, acerbissimo sensu configerentur: superne autem continuis & alternis virgarum ictibus miserandum in modum carnes ejus discerperentur. Nec tamen ipse dolorem (o animam nobilem & generosissimam tolerantiam, ad quam omnis natura, sive terrena, sive cælestis obstupuit!) vel minimo prodebat gestu: gaudebat potius, dum carnem pretioso illo sanguine undique madefactam intueretur, tamquam prætextatus aliquis sponsus, vestem indutus auro intertextam. Verumtamen sacrum hoc & certaminibus dicatum corpus aliis adhuc tormentis exerceri debebat, nec dissolvi, antequam carnificem istum immanemque tyrannum satiasset, ac furorem animi illius impii & belluini explevisset, qui ad pessima quæque consilia semper connitebatur. Et nunc vide mihi, quænam temerarii isti sint ausi, & quales circa Martyrem lusus ediderint. Corpus ejus, cruciatos tantos expertum, supra focum, in quo accensus erat F ignis, neglectim explicant, ne omnino diffluat, animoque deficiens fatiscat: sed rivi quidem sanguinis fluere cessent, si quis autem effervescens & putrefactus supersit, omnis quasi in sartagine frixus excoquatur. At cum nihil tyrannus efficeret, sed omnia tentans, in omnibus vinceretur: tandem in mare ipsum jubet projici cum sanctis mulieribus, haud parvo numero, quæ tum certamen idem pro pietate consummabant, & theatri illius Martyrum non minima pars erant, ex virilibus Codrati monitis, tamquam irrigationibus, masculo robore concepto: quarum nomina, quod memoria digna sint, hic juvat addere.

post plurima tormenta in mare projectus:

7 Erant igitur, Chariessa & Nunechia, gratia & mente sobria repletæ. Basilissa & Nice, quæ regie contra impietatem decertarunt, & victoriæ coronis redimitæ sunt. Cale & Galene, quæ aquas vitæ hujus salsas bene transierunt, & in portum appulerunt nulli expositum perturbationi. Theodora denique, donum illud Corintho una cum ceteris à Deo concessum. Tunc enimvero, tunc etiam mare Martyrum illa corpora reveritum fertur absorbere noluisse, sed

ut Carissa, Nunechia, Basilissa, Nice, Cale, Galene, Theodora,

A sed triginta stadiorum spatio terræ ad instar ipsis ministrasse. Chariessa quoque fluctibus inambulans, canticum hoc Domino, succinentibus reliquis, voce alta cecinisse dicitur: Unum milliare percurri Domine, & exercitum persecutus es Domine, & non negavi te Domine, salva spiritum meum: verba, quibus similia Moysis & Aaronis soror protulit. Itaque lapidibus ad cervices alligatis, Martyres vi in profundum detruduntur, ut cum vinculis & fluctibus colluctando deficientes vivere desinerent, Deoque victimæ perfectæ sisterentur. D

DE SANCTA IRENE,

G. H.

MARTYRE IN GRÆCIA.

XVI APR.

Elogium ex Menologio Basilii Imp.



Menologium antiquum Basilii Porphyrogeniti Imperatoris indicat nobis victoriam hujus sanctæ Martyris his verbis: Eodem die certamen sanctæ Martyris Irenes. Sancta quoque Martyr Irene eodem sancti Paschatis tempore, in eadem regione, cum in propriæ domus oratorio cum aliis Christianis Deum glorificaret; ab impiis idololatris apud Præsidem accusata est, ac deprehensa, vinculisque constricta, ad eum deducta: atque interrogata, animo confidenti est confessa, Christum esse verum Deum; ipsumque promulgavit ac B prædicavit totius orbis terrarum Dominum, & rerum omnium Conditorem, hominumque Salvatorem & Redemptorem, & idolorum eversorem. Idcirco acriter primum cæsa, deinde in carcerem intrusa fuit, Præside in publicæ curæ negotiis impedito. Eo autem opportunitatem postea nacto, è carcere iterum educta eique oblata est, & pluribus primum vexata, crudeliter est excruciata; tum lingua ejus excisa fuit & dentes effossi, ac tandem caput ense abscissum. *Hactenus dictum Menologium: & Menæis tui satis consentiunt Menæa excusa & manu exarata: in quibus ista traduntur:* Eodem die memoria sanctæ Martyris Irenes. Erat hæc etiam in regione Græciæ tempore Paschali, quando S. Leonides quoque cum suis martyrium subiit, in proprio oratorio una cum aliis Christianis Deum collaudans. Delata igitur ad Præsidem, comprehensa & in carcerem conjecta est: postea cum esset educta, E lingua ejus excisa, dentes excussi, & caput à cervice avulsum est. *Eadem ad diem sequentem leguntur in Synaxario Parisiensi collegii Claromontani. Kalendarium Ruthenicum apud Antonium Possevinum in Apparatu nomen ejusdem sanctæ Martyris hoc die refert: sed cum titulo* sanctæ Matris, *errore forsitan typographico.*

ac Synaxario.

DE SANCTO ADRIANO,

G. H.

MARTYRE IN GRÆCIA.

XVI APR.

Elogium ex Menologio Basilii Imp.



Progredimur, cum antiquo Menologio Basilii Imperatoris, ad hunc sanctum Martyrem: qui cum præcedentibus videtur eodem tempore Paschali & in eadem Græcia martyrii palmam assecutus: de eo hoc elogium ibidem habetur: Et certamen sancti Martyris Adriani. Etiam Martyr Christi Adrianus erat unus ex illis, qui eo tempore comprehensi in plures & distinctos carceres detrusi fuerant. Cum autem falso nomine Diis habitis assuetus sacrificii impii cultus C adhiberetur, Græcique omnes sacrilego errore abducti sacrificarent; vi illata etiam ipse ad aram accedere & thura adolere jussus est. Ipse vero non modo hoc peragere recusavit, sed strenue ac fortiter se gerens aram evertit, & in illa expositas oblationes & victimas dejecit, ignemque dispersit. Cum proinde Præsidem in iram excitasset, & idololatrarum, qui ibi aderant, animos accendisset: apprehensus ab iis fuit ac flagris crudeliter cæsus. Alius siquidem ipsum virga percutiebat; alius lapide os ejus conterebat; alius vero inverso capite ipsum istic dejecit: atque ita suam beatam animam Domino tradidit.

aliud ex Menæis ad 17 Aprilis.

2 *Hactenus dictum Menologium Basilii Imperatoris ad hunc* XVI *Aprilis: quo die etiam* Martyres Corinthii *&* S. Irene *cum hoc Menologio referuntur in Menæis excusis & manu exaratis. Sed* S. Adrianus *in sequentem diem,* XVII *Aprilis transfertur: & post Martyres in Perside passos collocatur; quasi iis apponendus foret: cum arbitremur Martyribus Corinthi passis & S. Irenæ potius adjungendum: quo die* S. Adrianus Martyr *absque elogio refertur in Menologio Sirleti. Ceterum quia in priore relatione aliqua circa mortem ejus valde notabilia videntur omissa per incuriam Amanuensis, etiam encomium ex Menæis repetimus, est autem hujusmodi:* Hic quoque Martyr Adrianus erat unus ex illis, qui comprehensi in varios carceres conjecti erant. Eductus igitur è carcere, quo tempore Græci falsa religione decepti, diis suis falsa deorum nomina gerentibus sacrificabant, ipse quoque ad aras accedere cogebatur, & thus adolere. Quod ipse non solum renuit facere, sed virili animo F & generoso spiritu impulsus accurrit, & aram idoli evertit, omnesque in ea positas victimas & libationes effudit, focumque disjecit. Ergo concitato in iram Præside & populo profano deorum cultore, comprehensus & flagris atrociter concisus est. Hic enim illum virgis cecidit, ille saxis os ejus contudit, alius in caput verbera conjecit: ac tandem cum magnam fornacem accendissent, illum in eam conjecerunt, & sic vitam in Domino finivit. *Hæc in Menæis, cum his de igne tolerato versibus.*

Ἀρ' ὐκ ἔγνως τίς ἐστιν ὁ Φλόγος μέσον,
Γνώσῃ λαλῦντος, Ἀδριανὲ, καρτέρει.

Fortasse medio nesciens quis stet rogo;
Age Adriane fortiter, cum audis, scias.

Quibus verbis indicari videtur, hujusmodi vocem cælitus delapsam fuisse, ad Adrianum jam in rogo constitutum, atque à circumstantibus omnibus auditam. Plura dicere non possumus dum latent Acta hujus atque aliorum jam dictorum Corinthiorum Martyrum: quæ præ oculis fuisse auctoribus Menologiorum æque ac ei qui S. Codrati encomium exornavit, non ambigimus.

DE SANCTIS MARTYRIBUS,

MARTIALE, VINCENTIO, CARISSO, CARITONE, CÆLESTA ET ALIIS QUINQUE.

D. P.

XVI APR.

Nomina ex Martyrologiis



Litera turma hac est Martyrum, in apographis Martyrologii Hieronymiani relata, & in antiquissimo Epternacensi ita legitur: Romæ in Portu, Martialis. Et in collo Liveris, Vincentii. Item Carissi, Cantonis, Cælesiæ cum aliis quinque. Pro collo Liveris forsan legendum, in collo Tiberis. Certe Martyrologia antiqua, Richenoviense prope Constantiam & Rhinoviense in Helvetia habent: Et Romæ Vincentii. Desunt Martialis & Vincentius Martyres Romani in aliis apographis Martyrologii Hieronymiani: sed ab iis collocatur Vincentius in proxima classe, & deest in priore apographo. At Martialis collocatur in omnibus antesignanus Martyrum in Ponto passorum, de quibus infra agemus. Reliqui ita memorantur in MS. Corbeiensi Parisiis excuso: Caritonis, Cælestæ cum aliis v. In apographo Lucensi legitur: Caritone, Celeste cum aliis v. In Blumiano, Carilonì, Calistæ cum aliis quinque. In MS. Pragensi, Martialis, Calesti, Cardoni. In MS. Tamlachtensi; Martialis, Vincentii, Caritonis cum aliis quinque. Et præterea pro sequentibus classibus repetuntur alii Martialis & Vincentius. Alius Vincentius Romæ via Tiburtina milliario decimo nono, passus refertur ad XXIV Iulii apud Adonem, & Usuardum, & in Martyrologio Romano, quem ab hoc diversum arbitramur.

Ex his Vincentius

2 Martialem Romæ passum esse controverti non potest: de Carisso & ceteris non nisi cunctanter possumus opinari, quod eodem spectent: maxime si Vincentius alio pertineat. Nam quis Collum-Liveris aut Tiberis unquam Romæ nominatum legit? Quid igitur si, pro Collo liveris, legatur Cauco-liberis? & intelligatur Hispaniæ citerioris seu Galliæ Narbonensis civitas inter Helenam & Gerundam, ab hac 10 leucis dissita & sede olim Episcopali insignis, vulgo Colibre & Colivre dicta? Ita sterneretur via ad conjecturam aliam, qua forsan magis prope attingeretur verus dies natalis illius S. Vincentii, quem cum fratre Orontio in Gerundensis urbis vicinia passum, Ebredani, quo corpora translata erant, XXII Ianuarii coli scripsit Usuardus & alii post eum: quam conjecturam magis promovebimus ad XIX Aprilis, quando omnia Hieronymiani Martyrologii Apographa, ceteriq; post Hieronymum Martyrologi, communi consensu expressisque verbis habent S. Vincentium Caucollberi passum: qui hic in unico tantum ecgrapho, loco verosimiliter alieno, & nomine Collo-liveris perperam scripto, exprimitur.

forsan Caucolliberi passus est

& Ebreduni colitur 22 Ianuarii

DE SANCTIS MARTYRIBUS,

MARCIANO, ENIANO, FELICE, HERMOGENE, VINCENTIO, TERTIO, CALESTO.

G. H.

XVI APR.



Tertia classis Martyrum est hujusmodi in Martyrologio Hieronymiano: Et alibi Martiani, Eniani, Felicis, Hermogenis, Vincentii, Tertii, Calesti. Pro Eniano in codice Epternacensi legitur Antænus, & desunt nomina Vincentii & Calesti. Hic etiam aliis dicitur Calliste. In MS. Tamlachtensi est memoria SS. Marciani, Eniani, Felicis, Hermogenis, Vincentii & Tertii: & confirmatur vetior ratio antiquitatis, in aliis tribus apographis Martyrologii Hieronymiani. Et licet Vincentius & Calestus desint in codice Epternacensi, quia Vincentius inter Martyres supramemoratos habetur, & Calestus seu Calista inter Martyres Corinthiacos; tamen hac monitione facta relinquimus in hac classe quod inter illos in aliis codicibus referantur. In uno MS. est Hermonis loco Hermogenis, quod vitio amanuensium contigisse facile omnes admittent.

DE SANCTA BASILIA,

MARTYRE IN MAURITANIA.

G. H.

XVI APR.



Escriptores Martyrologii Hieronymiani, in eo non omnes æque invenerunt hæc verba: In Mauritania natalis Basiliæ. Itaque in apographo Epternacensi legitur pro natalis, Talis & Basiliæ: In Lucensi codice, Barliliæ loco Basiliæ. Ast aliorum lectio confirmatur apud Notkerum hoc modo: In Mauritania S. Basiliæ. Eadem leguntur in pervetustis MSS. Richenoviensi, Rhinoviensi & Barberiniano, & sunt excusa apud Grevenum & Canisium. In Adone post opera Surii adjuncto ita habetur: In Mauritania Sanctæ Basillæ. Quæ Rosweidus in Appendicem rejecit. Non addito loco celebratur Basilia in MSS. Tamlachtensi, Pragensi, Augustano, & alio Parisiensi: De alia Basilia Corinthi passa supra ex Græcis auctoribus egimus. Alia Basilia in Africa cum pluribus Martyribus passa colitur XIX Martii. Alia Basilia infra XXII Aprilis recensetur cum Martyribus sed Alexandriæ tributa. Alia Matronæ etiam Basiliæ appellata occurrunt aliis mensibus. Præterea plurimæ Martyres coluntur Basillæ & Basilissæ dictæ. Nec mirum. Nomen hoc honorificum est visum & suo significatu regium quid spirans; frequens propterea in appellationibus mulierum, quemadmodum inter viros istorum temporum plurimi fuerunt Basilei, Basilii, Basilisei, Basilidæ.

DE SANCTIS MARTYRIBUS
MARTIALE, FELICE, ITEM FELICE, FAUSTO, FORTUNATO, SILVANO, LUCIANO, GOMALO, PARCILAO, LEONIDE, MICA, GALLIENO, MARCIANO, FAUSTINO, LUCIANO, IOCUNDO,
IN PONTO ASIÆ REGIONE.

G. H.

XVI APR.



Æc ultimo loco designatur classis Martyrum in Martyrologio S.Hieronymi: atque ita in codice Epternacensi indicatur: In Ponto Martialis, Felicis, item Felicis, Fausti, Fortunati, Silvani, Luciani, Gomali, Parcilai, Leonidis, Micæ, Gallieni, Marciani, Faustini, Luciani. *Consentiunt reliqui codices, sed alter* Felix *deest; & loco* Gomali, *legitur* Goamali & Gumali. *In codice Corbeiensi in fine additur* Jocundi, *quod frequenter in eo apparet. Sed sub initium legitur* In Ponto in Sclacelli *sive* Inscla celli, *aut unica voce* Insclatelli, *quam vocem quasi esset nomē alicujus Martyris in Indice apposuit Acherius. Verum cum desit in primario apographo, & in aliis duobus videatur aliquis locus martyrii potius designari, omittimus. Et forsan est legendum* insula Chelæ *ad Pontum Euxinum, post illapsum Sangarii fluminis. Quatuor memorantur in MS. Richenoviensi:* In Ponto Martialis, Felicis, Faustini, Luciani: *& loco non indicato sunt in MS. Tamlachtensi nomina* Martialis, Silvani, Lucani. *In Parisiensi Labbai,* Martialis, Felicis, Luciani, Faustini. *pro ultimo in Augustano S. Vdalrici incorrecte legitur* Jaciani. *In MS. Barberiniano* Mauritani, *id est* Marciani, Faustini, Luciani. *In MSS. Leodiensibus S.Lamberti & S.Laurentii,* SS. Martialis, Felicis, Silvani: *pro hoc tamen legitur etiam* Salviani: *& hoc etiam modo hi tres referuntur in MS. Florario Sanctorum. In MSS. Atrebatensi & Tornacensi sunt,* Faustus & Leonides: *&* Faustus *in MSS. Laetiensi & Aquileiensi. Varii ex his sunt inter Martyres Cæsaraugustanos, de quibus mox agemus, collocati* XV *die Aprilis, & sunt* Felix, Fortunatus, Silvanus, Lucianus, Gomalus, Parcilaus, Leonides, Mica, Gallienus, Marcianus, Faustinus, Lucianus. *Nonnulli ad dictam diem referuntur etiam in MS. Tamlachtensi. De* Leonide *quoq;,* Mica, Gallieno, *merito dubites an huc non irrepserint ex numero Corinthiorum, cum aliqua nominum corruptela, ut* Mica *pro* Nice, Gallieno *pro* Galene *scriptū sit.*

DE SANCTIS OCTODECIM MARTYRIBUS
OPTATO, LUPERCO, SUCCESSO, MARTIALE, URBANO, JULIA SEU JULIO, QUINTILIANO, PUBLIO, FRONTONE, FELICE, CÆCILIANO, EVENTIO SIVE EVOTO, PRIMITIVO, APODEMIO, ET IV SATURNINIS, AUT PRO HIS CASSIANO, MATUTINO, FAUSTO ET JANUARIO.

D. P.

CÆSARAUGUSTÆ IN HISPANIA.

AN.CCCIII.



Loriosus imprimis Ecclesiæ militanti fuit annus vulgaris Æra CCCIII, *quando Diocletianus & Maximianus propositis circa festa Paschalia edictis de subversione ecclesiarum; aliisque deinceps Majo ac Iunio sequenti additis, de exterminandis quoquomodo per Imperium Romanum universum Christianis (prout* XXIII *Aprilis ante Acta S.Georgii plenius explicabitur) ingentem illam excitaverunt decimæ persecutionis flammam, quæ per omnes Romani orbis partes grassata, non abolevit, uti sperabant tyranni; sed supra modum illustravit fidem Christianam. Primus qui edictorum executionem curare in Hispania citeriore cœpit, videtur fuisse Ruffinus Præses Hispaniæ, ex Actis S. Cucuphatis Martyris Barcinonensis* XXV *Iulii notus; quem etiam Caucoliberi, Gerundensi urbi vicina civitate, palatium & tribunal habuisse conabimur probare* XIX *hujus, acturi de S. Vincentio Caucoliberi passo, & quantum videtur eodem qui Ebreduni ob corpus eo translatum colitur* XXII *Ianuarii, die S. Vincentii Cæsaraugustani Martyris famosiori cultu notata.*

Persequenti in Hispanias Christianos

Rufino Præsidi

2 *Sed sive remissius ageret Ruffinus, seu alia ex causa, successor ei datus est Dacianus, qui anno jam in hiemem declinante in Hispaniam appulsus, initium sæviendi fecisse videtur Cæsaraugustæ, quæ totius Hispaniæ Tarraconensis caput erat; ut ibi excitatum sui nominis terrorem tantum, quantum vix alius persecutor obtinuit, circumferret per urbes alias. Hoc tamen ne diu ei liceret, fecisse opinamur abdicationem imperii,* XI *Kalendas Martii, factam à Diocletiano & Maximiano, videntibus tam vastos contra nomen Christianum conatus prorsus in vanum cedere. Licet enim non continuo cessatum ubique sit à fundendo sanguine, non est tamen credibile in Occidente, ubi rerum potiebatur Constantius Chlorus, Magni Constantini pater, ausos fuisse Præsides adeo promiscua cæde grassari, qualem Cæsaraugustæ factam referunt antiqua Martyrologia ad diem* III *Novembris hac fere formula:* Ipso die Cæsaraugustæ passio innumerabilium Martyrum, qui passi sunt sub Daciano Præside.

succedens Dacianus

non videtur sæviisse post Februarium anni 304

3 *Rei gestæ modum ac seriem à Cæsaraugustano aliquo Christiano,* ex fama priscorum & relatione ethnicorum scriptam, *excerpsit nobis Nicolaus Belfortius ex MS. Codice Longipontano; eaque usum fuisse Vsuardum in suo Martyrologio adornando vix dubitamus: ubi certè ea sunt Vincentius Bellovacensis lib. 12 cap. 130 & Ioninus Mombritius tomo 2 de Vitis Sanctorum pag. 150. In hac sic digerit Martyria scriptor, velut si post S.Vincentii Diaconi mortem, occisi fuissent illi* XVIII, *quorum causa hanc tractationem suscipimus, tum excarnificata S. Encrates, ac denique ostentatæ religionis libertate, Christiani ceteri extra urbem pellecti necatique per fraudem. Nobis tamen magis placet ordo, quem tenuit Aurelius Prudentius, prædictis* XVIII *Martyribus pangens sacrum hymnum, primo loco mox dandum, cum aliorum Cæsaraugustanorum Martyrum commemoratione luculenta. Orditur ille enumerationem ab iis qui numero definiri non poterant, & propter quos populosæ Carthagini, imo Romæ ipsi, audet æquare Cæsaraugustam,*

sed facta Cæsaraugustæ initio Novembri præcedentis.

A *gustam*, cujus omnibus portis sacer immolatus sanguis.

4 *Putamus igitur Dacianum, scientem quam parum profuisset severitas à decessore Ruffino exercita in singulos; sui magistratus terrorem, ipso illius principio, voluisse incutere Hispaniæ universæ, omnemque servandæ vitæ spem Christianis præscindere, nisi Imperatorum edictis paruissent. Hoc consilio Cæsar augustam ingressum, quo plures & ad destinatam lanienam expositos magis haberet, simulasse mansuetudinem erga illos, modò ex urbe, ubi tolerare eos non posset, in suburbana emigrarent omnes die condicta. Hac fiducia portis omnibus egressos quamplurimos, interficiendos curasse die* III *Novembris: tum conversum ad perquirendos eos qui occulti intra urbem substiterant, invenisse octodecim illos de quibus nunc agimus; quorum quia dies ignorabatur certus, ideo in Martyrologio Hieronymiano relati sunt omnes ad eumdem diem quo S. Vincentius, idque non sine confusione loci, & nominum alteratione. Sic enim in apographo Epternacensi vetustissimo legitur:* Spania, civitate Valentia S. Valerii Episcopi *(qui tamen S. Vincentio superstes & in exilium ablegatus, quo loco, modo, anno & die obierit incertum est, quamvis* XXVIII *Ianuarii nunc colatur)* & Vincentii Diaconi *(cujus occasione & priorum istorum hic nomen ponitur)* & aliorum XVIII *(quamvis Cæsaraugustæ non Valentiæ passi sint)* Quintiliani, *scilicet*, Cassiani, Matutini, Pulvi, Urbani, Martialis, Fausti, Successi, Felicis, Pauli, Petri, Januarii, Primitivi, Ebori, Cediani, Optati, Frontonis, Juli. *In Apographis Corbeinsi, Lucensi, & Blumiano mutatur nonnihil ordo nominum: & sicuti initio scriptum erat* Martyresque octodecim cum sociis eorum: *sic ad octodecim nomina cum aliqua variatione prolata(ut* Eborus, Optativus, Julius, Publius *nominentur qui supra* Eborus, Optatus, Pulvus, Julus *) addunt nomina* Januarii, Luperci *seu* Luberci, Apodimi *seu* Apodomi, Orionis, Mennonis Hermetis, Januariæ.

primo fecisse eadem promiscuam civium,

interfecisse 18 ex iis qui in urbe manserant,

B

relatos etiam cum S. Vincentio,

5 *Quod ad nomina attinet, ex nullo fonte videmur ea purius certiusque hausturi, quam ex Prudentio atque ex Actis, à quibus hauserunt Martyrologi alii, de quibus mox infra: qui omnes hos* XVIII *retulere ad mensem Aprilem, nescimus ex quo capite: nam tunc passos, ut dixi, nequaquam possumus nobis persuadere; sed existimamus, post illam confusam omnis ætatis atque sexus lanienam, studiosè conquisitos qui occulti adhuc in urbe remanserant, & è latebris protractos, aut aliorum cineres collegisse deprehensos* XVIII *illos, Martyrio affectos mense Decembri anni* CCCIII: *captam quoque cum illis aut post illos S. Encratem, fœdeque laniatam: sed cum interim in manus venissent ipse Episcopus Valerius ejusque Diaconus Vincentius, pro mortua aut cito moritura derelictam à tyranno; qui velut si nihil amplius Christianorum esset Cæsaraugustæ super, par nobile Martyrum secum abduxerit Valentiam, in illis præbiturus exemplum crudelitatis, quam à se expectare deberent Christiani nisi edictis parerent. Itaque perseveravit in tormentis Vincentius usque ad* XXII *Ianuarii anni* CCCIV, *uno circiter mense prius mortuus, quam persecutionis auctores Imperio abirent: cujus abdicationis audito nuntio dimisisse Dacianum cornua adeo non dubitamus, ut non audeamus quemquam postea ab eo excruciatum asserere.*

quorum postremum cœperunt duxeritque Valentiam.

C

6 *Hanc tamen sententiam nostram aliorum judicio libenter permittimus, & transimus ad Martyrologia, Prudentii ætate posteriora. Ex his Ado ad* XV *Aprilis:* In Hispaniis civitate Cæsaraugusta, natalis sanctorum octodecim Martyrum, Optati, Luperci Successi, Martialis, Urbani, Julii, Quintiliani, Publii, Frontonis, Felicis, Cæciliani, Evoti, Primitivi, Apodemi, & reliquorum quatuor, qui omnes Saturnini vocati esse referuntur. *Eadem leguntur in supposititia Beda, & in Martyrologio Notkeri, & in MS. Trevirensi S. Maximini; in duobus tamen ultimis non* Julii, *sed* Juliæ *scribitur. In MS. Pragensi (sed* XIV *Aprilis) legitur,* Julianæ. *In hodierno Martyrologio Romano, ad diem* XVI *Aprilis, hoc numero & elogio celebrantur:* Cæsaraugustæ in Hispania natalis Sanctorum decem & octo Martyrum, Optati, Luperci, Successi, Martialis, Urbani, Juliæ, Quintiliani, Publii, Frontonis, Felicis, Cæciliani, Eventii, Primitivi, Apodemii & aliorum quatuor, qui Saturnini vocati esse referuntur. Hi omnes sub Daciano Hispaniarum Præside simul pœnis affecti atque interempti sunt: quorum illustre martyrium Prudentius versibus exornavit. *Eadem fere leguntur in Martyrologio Bellini, secundum morem Romanæ curiæ: sed loco* Juliæ & Eventii, *sunt nomina* Julii & Evoti. *Tamajus Salazar in Martyrologio Hispanico* Julium & Eventium *scribit: & Cardosus, in Hagiologio Lusitano.*

istorum nomina à Prudentio accepta,

AUCTORE D. P.

apud Adonem,

Notkerum,

Martyrol. Romanum:

7 *Alibi, omissis* quatuor, qui Saturnini vocati referuntur, *alia nomina quatuor Martyrum substituuntur: & ita ordine immutato Usuardus habet:* Cæsaraugustæ Sanctorum decem & octo Martyrum, Quintiliani, Cassiani, Matutini, Publii, Urbani, Martialis, Fausti, Successi, Felicis, Ianuarii, Primitivi, Evoti, Ceciliani, Optati, Frontonis, Luperci, Apodemi, & Julii. Hi omnes simul sub Daciano Hispaniarum Præside pœnis affecti atque interempti sunt. *In Martyrologio Coloniæ & Lubecæ anno* 1490 *excuso, servato priore ordine usque ad* Apodemium, *ista subjunguntur*, & reliqui quatuor Cassianus, Matutinus, Faustus & Ianuarius. *In Martyrologio MS. Bruxellensi Ecclesiæ S. Gudilæ in locum* Matutini *legitur* Saturninus. *In aliquibus non omnes referuntur, aut etiam aliquorum nomina immutantur; quæ non est operæ pretium latius prosequi. Tamajus Salazar ait nomina apud Usuardum & in hac relatione indicata, in antiquis & recentioribus Sanctoralibus, Breviariis & Historiis reperiri: iis certe inhærent Marietta lib. 2 cap. 103, Truxillo in Thesauro Concionatorum & alii. Tamajus arbitratur hos quatuor habuisse cognomen Saturnini, & à Prudentio cognomen indicatum, ab aliis propria eorum nomina. De Inventione quorumdam ex hisce Martyribus infra, cum de S. Encratide agetur, mentionem faciemus. Eorumdem cultus etiam ad Gallos penetravit: nam in Breviario Bellovacensi anni* 1554 *Officium de iis cum tribus Lectionibus legendum præscribitur. Masinus in Bononia perlustrata assignat tres ex his Martyribus, qui ob sacras reliquias asservatas aliquem Bononiæ cultum habent.* S. Optatus *in Ecclesia Societatis Iesu ad S. Luciam,* S. Urbanus *apud Patres Prædicatores ad S. Dominicum, &* S. Cæcilianus *in ecclesia Parochiali S. Catharinæ & apud Patres ministros infirmorum ad S. Columbanum. Sed quamdiu non apparet quo fundamento Reliquiæ istæ præsumantur ex Hispania advectæ: magis inclinamur ut eas putemus esse ex Romanis cœmeteriis recens erutas, & propter nominum identitatem hunc diem fuisse earum venerationi attributum.*

apud Usuardum paulo aliter.

E

Reliquiæ an Bononiæ?

F

HYMNUS.

Auctore Aurelio Prudentio.

Libro Peristephanon num. 4.

Præsidium in reliquiis Sanctorum habent urbes:

BIS novem noster populus sub uno
  Martyrum servat cineres sepulcro:
  Cæsaraugustam vocitamus urbem,
      Res cui tanta est.
Plena magnorum domus Angelorum,
  Non timet mundi fragilis ruinam,
  Tot sinu gestans simul offerenda
      Munera Christo.
Cum Deus, dextram quatiens coruscam,
  Nube subnixus veniet rubente,
  Gentibus justam positurus æquo
      Pondere libram;
Orbe de magno, caput excitata,
  Obviam Christo properanter ibit

Civi-

AVCTORE PRVDENT.

Civitas quæque, pretiosa portans
Dona canistris.
2 Afra Carthago tua promet ossa
a Ore facundo a Cypriane doctor.
b Corduba b Acisclum dabit & Zoëllum,
habent precipuaque urbes, Tresque coronas.
Tu tribus gemmis diadema pulchrum
Offeres Christo genitrix piorum
c Tarraco, intexit cui c Fructuosus
Sutile vinclum.
Nomen hoc gemmæ strophio illigatæ est
Emicant juxta lapides gemelli:
Ardet & splendor parilis duorum
Igne corusco.
Parva, Felicis decus exhibebit,
Artubus sanctis locuples Gerunda:
e Nostra gestabit Calagurris e ambos,
Quos veneramur.
f Barcinon, claro f Cucufate freta,
g Surget; g & Paulo speciosa Narbo:
Teque præpollens Arelas habebit,
h Sancte h Genesi.
Lusitanorum caput oppidorum
i Urbs, adoratæ cineres i puellæ
Obviam Christo rapiens, ad aram
Porriget ipsam.
k Sanguinem k Justi, cui Pastor hæret,
B Ferculum duplex, geminumque donum;
Ferre Complutum gremio juvabit
Membra duorum.
l Ingeret Tingis sua l Cassianum;
sed paucorum singula Fessa Massylum monumenta Regum:
Qui cinis gentes domitas coëgit
Ad juga Christi.
3 Singulis paucæ, tribus aut duobus,
Forsan & quinis aliquæ placebunt
Testibus Christi, prius hostiarum
Pignore functæ.
at Cæsaraugusta simul octodecim: Tu decem Sanctos revehes & octo,
Cæsaraugusta studiosa Christi,
Vertice flavis oleis revincta
Pacis honore.
m Sola in occursum m numerosiores
Martyrum turbas Domino parasti:
Sola prædives pietate, multa
Luce frueris.
Vix parens orbis populosa Pœni,
Ipsa vix Roma in solio locata;
Te, decus nostrum, superare in isto
Munere digna est.
C Omnibus portis sacer immolatus
Sanguis, exclusit genus invidorum
Dæmonum; & nigras pepulit tenebras
Urbe piata:
Nullus umbrarum latet intus horror:
Pulsa nam pestis populum refugit:
Christus in totis habitat plateis:
Christus ubique est.
nobilitata Martyribus aliis pluribus Martyrum credas patriam, coronis
Debitam sacris, chorus unde surgens
Tendit in cælum niveus togatæ
Nobilitatis.
n 4 Inde, Vincenti, tua palma nata est:
Clerus hic tantum peperit triumphum,
Hic Sacerdotum domus infulata
Valeriorum.
Sævus antiquis quoties procellis
Turbo vexatum tremefecit orbem,
Tristior templum rabies in istud
Intulit iras.
Nec furori quis sine laude nostrûm
Cessit, aut clari vacuus cruoris:

D Martyrum semper numerus sub omni
Grandine crevit.
quibus annumerandus S. Vincentius: Nonne, Vincenti, peregre necandus
Martyr, his terris tenui notasti
Sanguinis rore speciem futuri
Morte propinqua?
Hoc colunt cives, velut ipsa membra
Cespes includat suus, & paterno
Servet amplectens tumulo beati
Martyris ossa.
Noster est, quamvis procul hinc, in urbe
Passus ignota, dederit sepulcro
Gloriam victor, prope littus altæ
Forte Sagunti.
Noster & nostra puer in palæstra,
Arte virtutis, fideique olivo
Unctus, horrendum didicit domare
Viribus hostem.
Noverat templo celebres in isto
Octies partas deciesque palmas:
Laureis doctus patriis, eadem
Laude cucurrit.
5 Hic & Encrati, recubant tuarum
triumphis autem specialiter in martyrio S. Encratidis: Ossa virtutum: quibus efferati
Spiritum mundi, violenta Virgo,
Dedecorasti.
F Martyrum nulli, remanente vita,
Contigit terris habitare nostris:
Sola tu morti propriæ superstes
Vivis in orbe:
Vivis, ac pœnæ seriem retexis,
Carnis & cæsæ spolium retentans,
Tetra quam sulcos habeant amaros
Vulnera, narras.
Barbarus tortor latus omne carpsit,
Sanguis impensus, lacerata membra,
Pectus abscissa patuit papilla
Corde sub ipso.
Jam minus mortis pretium peractæ est,
Quæ venenatos abolens dolores,
Concitam membris tribuit quietem
Fine soporo.
Cruda te longum tenuit cicatrix;
Et diu venis dolor hæsit ardens,
Dum putrescentes tenuat medullas
Tabidus humor.
Invidus quamvis obitum supremum
Persecutoris gladius negarit,
Plena te Martyr; tamen, ut peremptam,
Pœna coronat.
Vidimus partem jecoris revulsam,
E Ungulis longe jacuisse pressis:
Mors habet pallens aliquid tuorum;
Te quoque viva.
Hunc novum nostræ titulum fruendum
& in his octodecim Cæsaraugustæ dedit ipse Christus:
Juge viventis domus ut dicata
Martyris esset.
6 Ergo ter senis sacra Candidatis,
Dives Optato simul & Luperco,
Perge conscriptum tibimet senatum
Pangere psalmis.
Ede Successum, cane Martialem,
Mors & Urbani tibi concinatur,
Juliam cantus resonet, simulque
Quintilianum.
Publium pandat chorus, & revolvat
Quale Frontonis fuerit trophæum,
Quid bonus Felix tulerit, quid acer
Cæcilianus.
q Quantus, Eventi, q tua bella sanguis
Tinxerit; quantus tuus, Primitive:

Tum

A Tum tuos vivax recolat triumphos
Laus Apodemi.
Quattuor posthinc superest virorum
Nomen extolli, renuente metro, r
Quos Saturninos memorat vocatos
Prisca vetustas.
Carminis leges amor aureorum
Nominum parvi facit: & loquendi
Cura de Sanctis, vitiosa non est
Nec rudis unquam.
Plenus est artis modus, annotatas
Nominum formas recitare Christo:
Quas tenet cæli liber, explicandus
Tempore justo.
Octo tunc Sanctos recolet, decemque
Angelus coram Patre Filioque,
Urbis unius regimen tenentes
Jure sepulcri.
7 Quin ad antiquum numerum trahentur
Viva post pœnæ specimen puella,
Morsque Vincenti, cui sanguis hinc est
Fons & honoris.
Additis Cajo (nec enim silendi)
Teque, Crementi: quibus incruentum
Ferre provenit decus ex secundo
Laudis agone.
Ambo confessi Dominum, steterunt
Acriter contra fremitum latronum:
Ambo gustarunt leviter saporem
Martyriorum.
8 Hæc, sub altari sita sempiterno,
Lapsibus nostris veniam precatur
Turba, quam servat procerum creatrix
Purpureorum.
Nos pio fletu, date, perluamus
Marmorum sulcos, quibus est operta
Spes, ut absolvam retinaculorum
Vincla meorum.
Sterne te totam generosa sanctis
Civitas mecum tumulis: deinde
Mox resurgentes animas & artus
Tota sequeris.

SS. in Cajo & Crementio.

B

ANNOTATA.

a S. Cyprianus, *præcipuus Carthaginensium Patronus, inscriptus est Martyrologiis die* 14 *Septembris, cujus officium Ecclesiasticum fit* 16 *ejusdem mensis.*

C b SS. Acisclus & Victoria Martyres, Patroni Cordubenses, *coluntur* 17 Novemb. & Zoilus 27 Iunii: *per tres coronas intelligitur* Victoria, *quæ totidem cælo delabi vidit, ideoque duobus istis se tertiam adjunxit.*

c Fructuosus Episcopus, Augurius & Eulogius Diaconi, Martyres Tarraconenses, *qui in tribus gemmis indicantur coluntur* 21 *Ianuarii. Sequens versus antea sic legebatur:*

Nomen hoc gemmæ strophio illigatum est.
Sed meliorem lectionem ex 4 *MSS. restituit Nic. Heinsius ex cujus accuratissima editione plura deinceps emendabimus.*

d Felix, Martyr Gerundensis, *in Catalania colitur* 1 *Augusti.*

e SS. Emiterii & Caligurii Martyrum Caligurriensium *Acta dedimus* 3 *Martii.*

f S. Cucufati Martyri *sacer est* 25 *Iulii. In Torrentii MS. apud Heinsium pro* freta *legitur* fœta.

g S. Pauli Narbonensis *Acta sunt illustrata ad* 22 *Martii.*

h S. Genesius Arelatensis *colitur* 25 *Augusti.*

i *Videtur* S. Eulalia Virgo & Martyr Emeritensis *intelligi, ad* 10 *Decembris illustranda.*

k SS. Justus & Pastor, fratres & Martyres Complutenses, *coluntur* 6 *Augusti.*

l S. Cassianus 3 *Decemb. colitur. Est* Tingis *Mauritania Tingitana (ad quam etiam spectat urbs* Fessa, *nunc amplissima Regia) & indicantur forsitan* Martyres Massylitani, *de quibus agimus* 9 *Aprilis. Passim* Fessa *legitur: sed quia sensus exigit ut hic locus aliquis exprimatur, ideo conjectura indulsimus. Ipsa* Tingis *nunc* Tangres *dicitur, & à Lusitanis ad Anglos nuper est translata.* AUCTORE PRUDENT.

m *Hic videtur intelligi* sacra Massa Martyrum, *de qua in Actis adjunctis, ob quam cum Punica Carthagine ipsaque Roma mox comparatur Cæsaraugusta.*

n SS. Valerius Episcopus & Vincentius Archidiaconus Cæsaraugustani, *fuerunt simul comprehensi, sed* Vincentius *inde abductus* Valentiæ Martyr *obiit* 22 *Ianuarii, &* Valerius 28 *ejusdem.*

o Saguntus *urbs ab Hannibale expugnata & eversa, haud procul à Valentia sita.*

p *De* S. Encrate *mox ad hunc diem agimus: in qua hoc notabile præ ceteris, quod suo ipsa superstes martyrio, patriam suam habitaverit Martyr: & ideo fortassis rectius in ultimo versu, legitur,* Vivis in urbe.

q *Heinsius præfert duo MSS. in quibus legitur* Evoti: *cui lectioni favent alia tria dum scribunt* Euvoti; *imo & duo alia, licet vitiosius etiam scripta, dum habent* Evovoti & Eunoti, *est etiam ubi* Evantius *legitur: nos in tanta scriptionum diversitate satis habemus hæc indicasse, uti supra diximus etiam in Martyrologiis legi* Evori. E

r *Quia scilicet prima syllaba in nomine* Saturnini *est longa, quam brevem exigit versus Sapphici ratio.*

ACTA MARTYRII.

Ex MS. codice Longipontano.

1 PRiscorum mundialium gesta, quorum obstinatio fuit irrumpere acies bellorum seu etiam tecta domorum, cruoremque fundere innoxium, non modo Græcorum gymnasia sed etiam studia personant Latinorum. Itaque si sacrilegi homines suorum civium gesta conscripserunt, ut post eorum mortem quibusdam consolatoriis fungerentur auspiciis, quid nos oportet Christianos agere, nisi ut militum Christi victorias, digno honore comprehendamus, ad laudem Imperatoris nostri qui milites suos triumphali vexillo perarmavit, ut fortiter dimicarent & vincerent? Resonemus ergo mirifica eorum certamina: quatenus eorumdem passionibus compatiendo adjuncti, meritis ipsorum in æternis mansionibus associari mereamur. Nunc ordinem cœptæ narrationis prosequentes, ad ea gressum extendamus, quæ priscorum fama & relatione ethnicorum ad nos usque delata sunt.

Præmissum secularium gestis referenda sunt Martyrum certamina.

F

2 Temporibus Diocletiani & Maximiani Imperatorum, sacrilegia jussa per mundi ambitum mandata sunt, ut conventus omnium Christianorum ex urbibus pellerentur; immo etiam persecutorum quisque licentia potiretur eosdem interficiendi, quotquot imperialia de diis colendis præcepta complere recusarent. Illico turmę satellitum implent Principum feralium jussa: recurrunt apparitorum sævientium ministri, velut catuli leonum inedia confecti, & Sanctorum Martyrum corpora dilaniant. Inter quos quidam eorum signifer cunctis pestilentior Datianus, Hispaniarum Præsidis nomen indeptus est, quo rabiem suam erga membra Christi ferocius ostenderet. Cum igitur Hispaniam properans attigisset, velut leo rabiens cœpit Christianos perquirere, & eorum corpora crudeliter discerpere. Sed Dei actum est providentia, ut plurimi Christianorum locis opportunis quædam haberent domicilia, quibus sacras Deo immolarent hostias, quarum intercessione se tuebantur. Ipse Datianus dæmoniis libamina non desinebat offerre in urbibus,

Post edicta Diocletiani in Christianos, sævit in Hispania Datianus,

EX MS.

occidit S. Vincentium,

ad quas deveniebat & cum his sacrilegis officiis Cæsaraugustam civitatẽ aggrediens, insignem triumphatorem Vincentium nobis dedicavit, qui de beatissimæ prædicationis apice, non solum eamdem urbem, sed etiam Valentiam civitatem corporis sui illustratione decoravit.

dein XVIII hic nominatos,

& S. Encratem:

3 Post cujus necem, fudit Innocentem sanguinem illustrissimorum virorum decẽ & octo, scilicet Quintiliani, Cassiani, Matutini, Publii, Urbani, Martialis, Fausti, Successi, Felicis, Ianuarii, Primitivi, Evoti, Cæciliani, Optati, Frontonis, Luperci, Apodemi, & Julij: addens etiam huic copioso martyrio sacram Dei Virginem Engratem, purpureo sanguinis sui rore conspersam. Cum ergo sanctam eorum devotionem vincere Datianus nequivisset: ad aliarum argumenta artium Consulem suum diabolus perarmavit. Denique advocatis turbis satellitum, his ad eos verbis usus est: Nihil, o milites Principum nostrorum, in hoc certamine laborando proficimus: quia dum cupimus Christianos suppliciis vincere, eorum victoriis affatim deservimus. Sit itaque occultum dispositionis nostræ consilium & nullus contra eos propalator existat. Hæc enim multitudo Christianorum innumerabilium, quæ hujus civitatis ambitu continetur, consilio potius clandestino, quam virtutis atrocitate perimenda est.

dolet se generosa Christianorum virtute superari.

B

4 Percurrent ergo officia præconum totius spatium civitatis: ut multitudo eorum, quæ parietibus ædificiorum occultatur, ab urbe quantocius propellatur; quasi concessam habeant licentiam utendi legibus suis, & ubicumque voluerint commanendi, ita ut nullus eorum à dominis usque ad servos in urbe remaneat, nostro sociandus contubernio. Vos interim ex locis publicis arma proferentes, latibula quantocius occupate, & ex locis occultis subito in eosdem prosilite. Nos portarum omnium aditus præcipiemus obserari, ut si forte quisquam fugiens redire ad civitatem voluerit, occlusa omnia reperiat, ut nullus qui Crucifixum colere maluit, impunitus superfit.

statuit omnes sub figmento libertatis ex urbe ejectos mactare.

5 Itaque percurrunt satellitum turmæ totius civitatis hospitia, præconiaria voce concrepantes, ut cuncti è civitate prodirent, scientes sibi proculdubio attributam esse licentiam servandi jura legum suarum. Reserantur illico portarum occidentalium claustra: catervatim exeunt agmina Christianorum, juvenum vel adolescentum: senum quoque veneranda canicies, vacillantia membra baculis sustentans subsequitur, ne destituatur sodalitio Catholicorum. Mulierum quoque sexus, natura quidem infirmior sed mente robustior, una cum infantibus & servulis, idem non tardat iter insequi: ita ut crederetur, quasi totius civitatis populus emigrare. Quid multa? Exiit turba omnis Christianorum, lætantium & consona voce psallentium, Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Obserantur post hæc ab officiariis portæ civitatis, ne quisquam eorum regrediendi aditum inveniret. Ex occultis illico prosiliunt cunei armatorum, qui velut agnorum multitudines prosternunt non resistentes sibi, & mortuorum innocentum sanguine insanientes cruentantur. Sed nec sic quoque satiatus feralis Dacianus, præcepit etiam ut ante civitatis totius conspectum, congesta in unum corpora occisorum igni traderentur. Et ne fortasse quispiam Christianorum latitans, raperet cineres Martyrum; jussit produci à carceribus diversorum criminum reos, eorumque capitibus amputatis infausta cadavera Sanctorum corporibus associari simulque exuri. Concremantur itaque venusta corpora martyrum cum latronum corporibus, capitis scilicet nostri veri Dei & hominis exemplum imitando, qui inter duos latrones pro nostra salute noscitur crucifixus.

C

Exeunt Christiani lati ex urbe

D

& portis clausis mactantur,

corpora eorum adjunctis corporibus reorum comburentur.

6 Peremi igitur iniquus Judex plebem innocentem, sed feliciter cum Christo regnaturam in cælesti Hierusalem, in qua justorum animæ in manu Dei sunt, & non tanget illos tormentum malitiæ. Exultet jam egregia urbs Cæsaraugusta: quæ tot millia Martyrum Domino protulit, & eorumdem sanguine insigniter est circumlita. Congratuletur quoque tantæ civitati nobilissima urbium Roma: quæ cum duobus magnis consulibus Petro & Paulo gestat innumerabilium pignora Martyrum. Congaudeant & totius mundi urbes, quæ pretioso sunt cruore Martyrum respersæ ac decoratæ. Gaudeamus denique & nos tantorum Sanctorum veneratione, qui pro innumera multitudine Sancta Massa nuncupati sunt: suppliciter Christum postulantes, ut qui eis mirabiliter contulit triumphum, nobis præstare dignetur misericordiæ suæ indulgentiam: qui in Trinitate perfecta vivit & regnat Deus, per immortalia secula seculorum. Amen.

Triumphat Cæsaraugusta in sancta Massa Martyrum.

E

7 *Coluntur hi Martyres* III *Novembris, sub titulo, ut volunt quidam*, Massæ candidæ: *quia ipso colore discreta fuisse divinitus* Sanctorum *ossa ab ossibus nigricantibus reorum, posteriores ævi scriptores volunt: quod hic mallemus legere. Res tota ad dictum diem examinari poterit. Romanum Martyrologium satis habet* Sanctorum innumerabilium Martyrum *memoriam faciendam assumpsisse: audaciores alii numerum determinant & septemdecim millia fuisse dicunt. Nihilo meliori fide asseritur, omnes extra portam unam egressos extra eamdem fuisse mactatos, quæ ab eo tempore dici cæperit porta Cinerea: cum ex Prudentio certius in his Actis indicetur portis omnibus egressa fuisse Christianorũ multitudo: quorum lanienam cur prius factam arbitremur quam S. Engratia & octodecim nominati comprehenderentur, licet hic posteriori loco referatur, jam satis in principio dictum est. Quod si cui magis placeat præsens ordo martyriorum; pro simplici conjectura nolumus disputando contendere.*

3 Novemb.

F

DE S. ENCRATIDE, SIVE ENGRATIA,

G. H.

VIRGINE ET MARTYRE CÆSARAUGUSTÆ IN HISPANIA.

AN. CCCIV.



Va de hac sanctâ Virgine & Martyre paucis videntur expediri posse, multis controversiis apud recentiores scriptores implicantur, nos ne errores multiplicentur, quid apud antiquos auctores de ea tradatur hic proponimus, ubi pauca de Martyrologiis fuerint indicata. Tamajus Salazar in Martyrologio Hispanico ita ante Acta præfatur: Celebris & famigerata ejus memoria apud nostros & exteros scriptores, ut fere nullus sit Martyrologiorum scriptor, qui ipsius & sociorum agonem decantatis elogiis haud luculenter explanaverit. Usuardus, Ado, Notkerus, Rabanus, Maurolycus, Felicius. *Hæc ipse. Extant Indices accuratissimi in Usuardum, Adonem, & Maurolycum excusi; & nos ad commodiorem usum operis nostri habemus Indices in Notkerum, & Rabanum; & ne quidem ullo die anni habetur memoria* S. Encratidis *sive* Engratiæ: *cujus etiam ad hosce dies Aprilis non meminit Felicius, & cum hic passim sequatur Maurolycum, absque ulteriore inquisitione arbitramur in toto ejus Martyrologio non reperiri. Ab hisce auctoribus transit Tamajus ad Martyrologium Romanum: in quo cum actum esset de octodecim Martyribus Cæsaraugustæ passis, ista subjiciuntur:* Ibidem S. Encra-

Memoria ejus non est in Usuardo, Adone & aliis antiquis:

A Encratidis Virginis & Martyris, quæ laniato corpore, mamilla abscissa & jecore avulso, adhuc superstes in carcere inclusa est, donec ulceratum corpus putresceret. *Molanus in prima sua editione Usuardi nihil adjunxit de hac Virgine, sed in secunda & tertia editione, post relatos verbis Usuardi* XVIII *Martyres Cæsaraugustanos, suis verbis addidit:* Ibidem Engratiæ sive Encratis Virginis & Martyris. *Galesinius ista subjungit:* Eadem in urbe Sanctorum etiam Martyrum Caji, Engratiæ Virginis & Crementii, qui semel atque iterum graviter torti, in confessione constantes, martyrii calicem biberunt. *Hæc ex Galesinio in secundam editionem Martyrologii Germanici sunt translata. At* XV *Aprilis apud Grevenum in Additionibus ad Usuardum fit mentio* Eugariæ Virginis & Martyris, *& apud Canisium* Eucharię Virginis & Martyris: *quæ de S. Engratia sive* Encratide *dicta opinamur. Ad diem* XVIII *Aprilis memoratur hæc* Cæsaraugustana Engratia Virgo & Martyr *apud Galesinium, Canisium & Ferrarium. In Breviario Eborensi anni* MDXLVIII *solenni ritu celebratur ejus festum* XX *Aprilis.*

est in hodierno Romano, item apud Molanum & Galesinium, & forte Grevenum 15 Aprilis, apud aliquos 18 & 20 Aprilis.

2 *His de Martyrologiorum auctoritate prælibatis, ad antiqua monumenta progrediamur, & sunt ea jam indicata in Actis* XVIII *Martyrum, tam iis, quæ in Hymno sacro Prudentii, quam aliis Actis adjunctis reperiuntur. Hymnus Prudentii est de dictis* decem & octo Martyribus, *& sic incipit:* Bis novem noster populus sub uno Martyrum servat cineres sepulcro. *Et dein indicat præcipuos Sanctos aliarum urbium, Carthaginis, Cordubæ, Tarraconis, Gerundæ, Calaguris, Barcinonis, Narbonis, Arelatis, Emeritæ, Compluti & Tingis, ac mox concludit à singulis istis urbibus paucos enumerari Sanctos, at* Cæsaraugusta decem Sanctos revehit & octo, *imo ait eam vix cedere* Carthagini *aut* Romæ *ob sacram Massam* Martyrum, *qui tertio Novembris coluntur. Addit Cæsaraugustanum triumphum partum in martyrio* Valerii Episcopi, & Vincentii Archidiaconi, *& S.* Encratis *sive* Encratidis Virginis. *Postea exaltatur* Cæsaraugusta dives ter senis Sacra candidatis, *ac singulorum nomina exprimuntur. Denique asseritur quod ad antiquum numerum trahendi sint* puella Encrates, Vincentius, Cajus & Crementius. *Quibus omnibus accurate perpensis, non videtur magis spectare S.* Encrates *ad Sanctos* XVIII *Martyres, quam SS.* Vincentius, Valerius, *Cajus & Crementius. Aliorum Actorum hic titulus erat:* Quorumdam Cæsaraugustanorum martyrium: *& post indicatam sævitiem Daciani, indicat primo necem S. Vincentii, deinde ista subjungit:* Post cujus necem fudit innocentem sanguinem illustrissimorum virorum decem & octo ... addens etiam huic copioso martyrio sacram Dei Virginem Encratem, purpureo sanguinis sui rore conspersam: *ac dein extremo loco subdit, quod nos primo usurpatum putamus, stratagema Daciani, quo Christiani extra portas educti sint & crudeliter mactati. Eadem habent Vincentius Bellovacensis lib. 12 Speculi Historialis cap. 130 & Monbritius, & hanc* Virginem Encratidem *appellat Vincentius,* Eugram *Mombritius: & reliquos Martyres extra portas trucidatos tradunt* coli IX Kalendas Septembris. *Verum eo die memoratur* Massa candida Martyrum Carthaginensium, *quam ab hac* Sacra Massa Martyrum Cæsaraugustanorum *in hac veneratione non satis distinxerunt. Est his sacer, ut diximus,* III *Novembris. An dicto die* IX *Kalendas Septembris non fuerit olim memoria celebrata* S. Engratiæ *posset inde dubitari, quod apud Grevenum in Additionibus ad Usuardum, anno 1515 & anno 1521 excusis, tali die legatur* S. Engta Virgo & Martyr cum aliis. *Ceterum sive eodem die cum Sanctis* XVIII *Martyribus, sive alio distincto sit passa; quia reliquiæ, ut mox dicetur, simul inventæ sunt, eodem hoc die simul celebratur ejus & aliorum Martyrum natalis, etiam officio Ecclesiastico sub ritu duplici in Ordine monastico S. Hieronymi. In Breviario Cæsaraugustano, anno* MDLXXV, *jussu Ferdinandi ab Aragonia Archiepiscopi Cæsaraugustani edito, ad hunc* XVI *Aprilis ista leguntur.*

B *Martyrium indicatum à Prudentio,*

& in Actis antiquis.

C

ab eo colitur 24 Augusti

AUCTORE G. H.

3 Passio S. Engratiæ & sociorum duodeviginti Martyrum. Hispania ferax olim regio fuit, non modo earum rerum, quas mirantur historici, sed maxime insignium Christi Martyrum. Nulla tamen in Hispania hujus beatæ messis feracior civitas quam Cæsaraugusta, quæ vere Martyrum genitrix dici potest. Hæc præter innumeros illos, hominibusque nomine incognitos Martyres, quorum triumphis gloriosa decoratur, præter Valerium & Braulionem, Præsulum gloriam & exemplar; præter Vincentium Diaconum, plane Christi ministrum; Engratiam (quæ olim Encratis dicta fuit) cum illis decem & octo Martyribus Christo edidit, quorum nomina Prudentius, vir Consularis, ejusdem civitatis non exigua gloriæ portio, recenset. Ea sunt, Successus, Martialis, Urbanus, Julia, Quintilianus, Publius, Fronto, Felix, Cæcilianus, Eventus, Primitivus, Apodemus, Gagius, Cremiensis, & alii quatuor, quos vir ille non nominat: è quorum tamen numero satis constat esse Lupercium: reliqui suo nomine Christo, nobis gloria tantum cogniti sunt: qui copioso suorum corporum sanguine fuso, Cæsaraugustam consecrarunt. Inter omnes tamen copiosissime beatissima Engratia, quæ, ut idem Prudentius ait, morti suæ superstes fuit. Cum enim multa passa esset pro Christo supplicia, cum latera ejus à sævo tortore lacerata essent, membra omnia discerpta, abscissa à pectore papilla; cumque sic diu in tormentis detenta fuisset, & multæ illius adorandi corporis partes emortuæ; jecoris sancti (quæ amoris divini sedes præcipua erat) parte à laniatore revulsa & emortua, adhuc Eugratia supervivebat: tandem gloriosa migravit ad Dominum, quo jam socii præcesserant, circa annum Domini CCCVI.

Historia martyrii ex Breviar. Cæsaraug.

E

4 *Hactenus dictum Breviarium, cujus auctor non satis considerate legit hymnum Prudentii: in quo secundo loco nominatur* Lupercus, *& qui inter illos numerantur,* Gagius *&* Cremiensis *seu* Cajus *&* Crementius, *ab aliis Martyribus sunt separandi, & de iis mox seorsim agemus. At quod annus ibi martyrii annotetur* CCCVI, *minus placet. Dimisit quidem illius ad extremum usque spiritum torquendæ curam Dacianus, utique alio properans; & SS. Valerium atque Vincentium, veluti Christiani nominis Principes, triumphabundus secum raptans ad terrorem ceterorum. Videtur quoque eadem adhuc vixisse post abdicatum à Diocletiano & Maximiano Imperium* XIX *Februarii anni* CCCIV, *imo usque ad* XXIV *Augusti suum illud martyrium extendisse non gravate credemus, si qua testimonia proferantur: quod enim diuturnius illud fuerit pro singulari suæ urbis privilegio appendit Prudentius ita canens:*

in aliquibus explicanda:

F

Cruda te longum tenuit cicatrix,
Et diu venis dolor hæsit ardens;
Dum putrescentes tenuat medullas
Tabidus humor.
Hunc novum nostræ titulum fruendum
Cæsaraugustæ dedit ipse Christus,
Juge viventis domus ut dicata
Martyris esset.

Ut tamen credamus, ipsius jecoris parte revulsa, *non tantum per menses duos, tres, aut plures, sed etiam per annos perseverasse in vivis, non satis persuadet Officii adeo recenter compositi auctoritas. De Inventione Reliquiarum in præcitato Breviario hæc habentur.*

5 Inventio reliquiarum Engratiæ & sociorum ejus. Engratiæ Virginis beatissimæ, ac Lupercii aliorumque decem & octo Martyrum, passionis & gloriæ ipsi consortium, Reliquiæ, diu hominibus incognitæ latuerunt; donec Deo (qui gloriosus est in Sanctis suis, novitque solus omnia momenta temporum dispensare) visum est tempus idoneum, quo

Historia inventionis reliquiarum.

AUCTORE G. H.

quo tam pretiosus thesaurus, ad gloriam triumphantium militantiumque utilitatem, hoc modo revelaretur. Anno salutis humanæ MCCCCLXXXIX, decimo tertio die mensis Martii, cum ecclesia, quæ olim Sanctarum Massarum, nunc Sanctæ Engratiæ titulo insignitur, esset reædificanda, jaciendisque fundamentis terra effoderetur altius, ut talibus ædificiis est necessarium; ecce tumulus magnus isque marmoreus apparet. Quo tantisper omisso, avidius effodientes alterum inveniunt tumulum lapideum, & ipsum bitumine circumlitum: in quo reverenter aperto, duo seorsum erant loculi: quorum alter ossa continebat ad rubedinem tendentia; cum hac inscriptione ENGRATIÆ VIRGINIS. In altero erant, Reliquiæ cinerei coloris cum inscriptione, ut altera incisa; LUPERCII MARTYRIS. Denique reserato & illo tumulo prius reperto, decem & octo Martyrum, qui cum Engratia Lupercioque passi fuerant, inventa sunt capita cum ossibus ac massis, quæ vas totum replebant. Ad quod spectaculum tota civitas undique concurrens, in lætitiam effusa & gratiarum actionem, cum pompa tali munere digna, Sanctorum corpora in subterraneam basilicam, in qua jam ante annos mille innumerabilium massæ ac ossa quiescebant, delata sunt, ibidemque honorifice condita, hodieque decenti veneratione coluntur.

B

6 *Hactenus Cæsaraugustanum Breviarium, ad diem* XIII *Martii, quo inventio hæc recolitur festivitate annua, etiam a Tamajo in Martyrologio Hispanico, & a Ferrario in Catalogo generali. Historiam plenius describit Martinus Carillus in Vita S. Valerii Cap. 5, secutus Didacum Murillo in tractatu de excellentiis Cæsaraugustanis cap. 33, ubi titulos sepulcrales hos fuisse ait*: Beatæ Engratiæ Virginis & Martyris sacrum corpus: Corpus S. Lupercii ejus avunculi Martyris: *qui auctor vereor ne pro titulis antiquitus repertis substituerit eos, qui forsan leguntur hodie. Unde quod de SS. Engratiæ & Lupercii consanguinitate dicitur antiquiori certiorique teste indiget. Ex eo tamen quod seorsim ab aliis speciali sepulcro conditum fuerit S. Lupercii corpus, haud absque verisimilitudine magna præsumitur, eum vel specialiter Sanctæ conjunctum fuisse, vel inter martyrii socios principatum dignitatis alteriusve prærogativæ tenuisse: similiter ex rubeo reliquiarum S. Engratiæ colore fortassis haud insulse conjectaveris ea balsamo illita aliquando fuisse. Est autem Sanctuarium, in quo nunc reconduntur thesauri prædicti, subterraneus locus ecclesiæ, columnis sustentatus marmoreis, pedes sexaginta longus, quadraginta latus, & viginti altus; ad quem per geminas ex parte posteriori scalas religiosi, seculares per unas ex fronte descendunt. In interiori ejus parte tres aræ sunt: quarum media continet duo sepulcra supra invicem collocata, sic ut supremum habeat corpus S. Engratiæ, inferius sociorum ejus. Ad latus Evangelii super aliam aram est sepulcrum S. Lamberti de quo infra: & ad latus Epistolæ super oppositam aram sepulcrum aliud, continens massas innumerabilium martyrum. Sunt etiam secundum dextrum parietem sanctuarii disposita altaria duo, similibus massis ditata. In parte deinde exteriori Sanctuarii (quæ, ab interiori clatris ferreis circumductis distincta, promiscui vulgi patet accessui) ad latus dextrum tria & ad sinistrum conspiciuntur quatuor altaria cum sepulcris, sacrarum massarum congeriem continentibus, præter aras geminas in quarum una spectatur antiquum S. Engratiæ sepulcrum. Taceo puteum unum alterumque, plenum, ut volunt, corporibus sanctis, quia de his ad* III *Novembris agetur opportunius. Solum addo, in dicto sanctuario etiam esse columnam, ad quam alligatam fuisse Engratiam cum torqueretur, habet traditio popularis; ideoque devotio cupientium ex ea sibi partem habere pro reliquiis eo excrevit, ut nisi mature fuisset prospectum, laminas ferreas circumducendo, totaliter fuerit comminuenda. Ardent ibidem continuo duodecim lampades, quarum fumo nullatenus infici decorem fornicis, ceruleo colore stellisque aureis eleganter picti, scribunt Siguença & Murillus. Eæ ad triginta excreverant cum scriberet Carillus: qui de fumo earum, innoxio coloribus fornicis, non nisi ex alieno relatu scribit; propriorum ut credo oculorum testimonio non ausus eorum dicta affirmare.*

an Lupercius S. Engratiæ avunculus?

Sanctuarium ejusdem.

C

D

7 *Loci fundator vel restaurator dicitur fuisse S. Braulius Cæsaraugustanus Episcopus: ejus possessio ad Hieronymianos pervenit occasione tali. Ioannes II Rex Aragoniæ & Navarræ, pater Ferdinandi Regis Catholici, anno* CCCCLIX *inciderat in magnam oculorum suorum infirmitatem, & jam videbatur visum plane amissurus. Cum autem tanto incommodo tollendo non superessent humana remedia, accurrit ad cælestia & intercessionem sanctissimæ Virginis Engratiæ. Supererat adhuc clavus, quo creditur caput dictæ Virginis perforatum; quo oculis Regis applicito, statim ejus attactu est sanatus. Rex gratias Deo ob beneficium obtentum acturus, voluit monasterium monachis Hieronymianis construere, ac misso aliquo ad Capitulum generale, quod eo anno celebrabatur, indicavit se velle ecclesiam S. Engratiæ dicto Ordini tradere, ac novum adjungere & dotare monasterium. Sed morte præventus non potuit perficere, quod filius ejus Ferdinandus Catholicus ex voluntate & testamento patris postmodum construxit, & nepos ejus Carolus V Imperator magnificentius ditavit. Corpus S. Fausti unius ex his Martyribus in ditionem Alavam, & ecclesiam Buxandam translatum ejusque festum celebrari postridie Sanctissimæ Trinitatis tradit Marietta lib. 2 cap. 42 & 102, & Cardoso in Hagiologio Lusitano ad* XXVI *Aprilis.*

Rex Ioannes 2 e gravi infirmitate sanatur.

E

8 *Hic poterat finis imponi huic relationi de S. Encratide, nisi mota fuisset controversia de loco natali. Eduntur* Acta martyrii *apud Tamajum & dicuntur* ex pervetusto codice MS. *desumpta: in quibus* Encratis, Virgo, filia Reguli, *sive (ut alii habent)* Regis Lusitaniæ, consensit desponsari cuidam Limitanei Ducis filio, qui in partibus degebat Ruscinonis: & electis sibi ex totius regni Proceribus decem & octo, quos in fide firmiores esse noverat, proficiscitur. At cum Dei revelatione cognosceret apud Cæsaraugustam ejus martyrii coronam esse paratam, a via discedens in opulentissimam urbem, gressus dirigere disposuit intrepida &c. *Similia habentur in Floribus Sanctorum a Marietta Villegas, & Ribadeneira compositis, & dicuntur etiam in nonnullis aliquarum Ecclesiarum Breviariis contineri. Quibus non obstantibus alii tam* S. Encratidem, *quam* decem & octo Martyres *esse* origine Cæsaraugustanos *contendunt, & ex ipso Prudentio suam opinionem confirmant. Inter illos est Martinus Carillo cap 4. Vitæ S. Valerii, a quo citatus Antonius Nebrissensis in explicatione hymni, a Prudentio de his Sanctis compositi, ista habet*: Celebrat poëta patriam suam, narrando duo de viginti Martyres & Vincentium & Encratem, duosque Confessores Gajum & Crementium, ejusdem civitatis indigenas, *& de* S. Vincentio ait, Qui Cæsaraugustanus fuit *&* Encrates Virgo & Martyr quoque ex eadem urbe. *Eodem modo Maurus Castella lib. 2 de adventu S. Iacobi in Hispaniam cap. 23 asserit*, S. Engratiam & reliquos Martyres origine fuisse Cæsaraugustanos. *Certe cum Lusitania tunc non habuerit proprios Reges, & in antiquis MSS. jam editis & in Prudentio nullum hujus rei vestigium appareat, censemus potius Cæsaraugustanos fuisse: & citatam Vitam, cum apud Tamajum legi possit, hic omittimus, tamquam figmentum recentius, qualia multa ab eo velut antiqua recipi & prædicari jam sæpe deprehendimus.*

An hi Martyres Lusitani,

F

an potius Cæsaraugustani sint.

DE SS. CAIO ET CREMENTIO,

CONFESSORIBUS CÆSARAUGUSTÆ IN HISPANIA.

G. H.

POST AN. CCCIII.



Ertio loco inter Martyres Cæsaraugustanos referuntur hi duo in Martyrologio Romano his verbis: In eadem civitate SS. Caji & Crementii, qui secundo confessi, & in fide Christi perseverantes, martyrii calicem gustaverunt. *In Breviario Cæsaraugustano, anni* MDLXXIII *celebrantur hoc etiam die, sed ut supra observavimus, perperam inter decem & octo Martyres, de quibus supra egimus connumerantur. Galesinius inter hos duos interposuit* S. Engratiam, *& hos duos asserit* semel atque iterum graviter tortos, *in* confessione constantes, martyrii calicem bibisse: *sed pro* bibisse, *quod consummatum martyrium significabat; prudenter substituit Baronius* gustavisse, *nec enim morte violenta defunctos satis indicat Prudentius in Hymno de Martyribus Cæsaraugustanis supra exposito, unde paucos versus juvat repetere, ubi, post dicta de SS. Encrate & Vincentio num. 7 hæc canuntur.*

Inscripti fastis,

relati à Prudentio,

Additis Cajo, (nec enim silendi)
Teque Crementi, quibus incruentum
Ferre provenit decus ex fecundo
Laudis agone.

Ambo confessi Dominum, steterunt
Acriter contra fremitum latronum:
Ambo gustarunt leviter saporem
Martyriorum.

Confessores igitur eos appellabimus cum Nebrissensi: & primum eorum agonem æstimabimus fuisse sub Præside Rufino, non sine effusione sanguinis: in quo absit, ut à fide defecisse illos comminiscamur cum Francisco Bivario: quem sequi noluisset Tamajus Salazar, si animum advertisset ad hæc verba Prudentii in prælaudato Hymno,

ut Confessores.

Nec furori quis sine laude nostrum,
Cessit, aut clari vacuus cruoris.

Secundus agoni, isque prorsus incruentus fuerit sub Daciano, qui lassatus tormentis S. Engratiæ inflictis, timuerit æque frustra in illis torquendis fatigari, ideoque maluerit carcerali ærumna eos macerare, usque in reditum suum: à qua, post abdicatum à Diocletiano & Maximiano Imperium, liberati, quamdiu vixerint, aut quomodo mortui sint indefinitum relinquimus: pro certo tamen habemus, aliquem cultum, tamquam Confessorum, fuisse Cæsaraugustæ, eo quod eorum tam solenniter meminisse Prudentius voluerit.

DE SANCTO MARTYRE,

SANCTIS IN CLIVIA.

G. H.

XVI APR.



Rbs Sanctensis in Ducatu Cliviæ & diœcesi Coloniensi, situ, basilica, Clero illustris, celebrat hoc die hunc Sanctum Martyrem, *cujus memoria inscripta est Auctario Molani ad Usuardum, Martyrologio Germanico Canisii, Gallicani supplemento per Saussajum, Catalogo Ferrarii & Theodori Rhay, ac denique Fastis Coloniensibus Ægidii Gelenii cum hoc elogio.* Veteribus sive Sanctis in Clivia, Beati Martyris anonymi, reperti temporibus Philippi primi Archiepiscopi Coloniensis, quem Ecclesiæ istius tabulæ testantur inventum in purpura & calceis, amputata summitate capitis. Nos qui floccellos sanguinis cohærentes pilis in monumento ejus vidimus, scripsimus hæc, ut vos credatis & per anni circulum hoc die & assidue eum in veneratione habeatis. Nec conturbet quod nomen ejus non habetur, cum legenda Thebæorum vix duodecim Martyrum nomina contineat. *Ita testis oculatus apud Galenium. Sedit Philippus I Hinsbergius ab anno* MCLXVII *usque ad annum* MCXCI. *Hinc veneratio hujus sancti duravit per annos fere sexcentos.*

Inventio corporis

& veneratio per annos fere 600.

DE S. LAMBERTO AGRICOLA,

MARTYRE CÆSARAUGUSTÆ IN HISPANIA.

D. P.

XVI APR.



Odierna Martyrologii Romani tabula, post Martyres Cæsaraugustanos, eo relatos ordine quem supra constituimus, ita ut primum nominentur XVIII *illi, quos putamus in urbe cæsos, post confusam innumerabilis turbæ stragem extra portas factam; deinde ponatur S. Encratis, suo superstes martyrio; tum Cajus atque Crementius, gustato martyrii calice commendati; post istos, inquam, tali ordine relatos, addunt,* Item ibidem S. Lamberti Martyris. *In Annotationibus unicus auctor allegatur* Vasæus, in Chronico Hispaniæ ad an. DCVI, pluribus autem in Flore Sanctorum Hispaniæ. *Quin suum ille Lambertus antiquum cultum Cæsaraugustæ habeat, tamquam Martyr, nequaquam dubitamus: quandoquidem Martinus Carilius, Canonicus Cæsaraugustanus capite 5 Vitæ S. Valerii dicat,* Altare & sepulcrum S. Lamberti, in ecclesia S. Engratiæ, ad latus dextrum majoris altaris, S. Engratiæ dicati, *conspici. Addit Tamajus in suo Hispanico Martyrologio:* Ne tot festivitatum lætitiæ uno peragerentur die, in diversos distinxisse Ecclesiæ circumspectam sedulitatem, & festum S. Lamberti consignasse XIX Junii.

in Romano Martyrol. hodie relatus,

Cæsaraugustæ colitur 19 Junii,

2 *Prudenter sane & circumspecte: sed veremur vehementer, ut eadem prudentia & circumspectione usi sint compilatores Breviarii anno* MDLXXIII *excusi, quando partim ex propriis suis conjecturis, partim ex incertis quibusdam vulgi narrationibus, aut picturis vel imaginibus non bene intellectis, talem de eo Lectionem, inter divina Officia recitandam, composuerunt, rebus temporibusque confusam.* Cum Dacianus impius in Cæsaraugustanum populum virus suæ feritatis effunderet, tota urbe præconis tuba sonabat, toto foro, & per compita tyrannicum promulgabatur edictum, ne quis Jesum coleret. Timore itaque suppliciorum prodebat patrem filius, pater filium accusabat, & diabolicis artibus hominum animi affecti tenebantur. Erat autem ea tempestate Lambertus verus Dei cultor, sub cujusdam infidelis dominio degens: qui post crebras verborum cum hero pugnas de Deo vivo contra vanos deos, die quodam cum agriculturæ operam daret, præmonetur à Domino suo, ut deos adoret, aut gladio succumbat oportere. Cumque Christi athleta for-

cum lectione propria

qua dicitur sub Daciano

AUCTORE D. P.

fortissimus in fide persisteret, iratus dominus, ejus cervicem, jugo Christi assuetam, stricto mucrone præscidit. Sed sanctissimum vivæ hostiæ corpus, caput, ut à cervice revulsum est, ipsa adhuc lingua in laudem Christi palpitante, propriis tulit manibus, & bobus quibus arabat præeuntibus, firmo gressu ad locum usque perrexit, ubi tunc placida & felix innumerabilium Martyrum trucidata turba jacebat. Vere gloriosissimus inter Martyres Martyr iste divinus, cujus funus non fertur loculo, non eget bajulo; sed nobili & inusitato exequiarum genere, caput manibus suis portans, petit locum sepulcri; ipsa statione sua designans, cum quibus debeat sepeliri. Addunt quidam dixisse illa Psalmi CXLIX verba, Exultabunt Sancti in gloria, & lætabuntur in cubilibus suis; sicque cecidisse inter reliqua corpora Martyrum.

caput fidei causa abscissum

tulisse ad cumulum aliorum Martyrum.

3 *Si qua hic narrantur, Daciani tempore contigissent; quomodo tam aptam poëmati suo ornando materiam prætermisisset Prudentius? ne eos quidem silentio involuens, qui morte incruenta defuncti,* leviter *dumtaxat* saporem Martyriorum gustarunt? *ut appareat solicite nominatos fuisse omnes eos, quorum generosa fortitudo aliquid ad Urbis suæ commendationem conferre poterat. Quomodo etiam de eo tacuisset Actorum Auctor, Cæsaraugustanus etiam ipse? in unum colligens quidquid de illius avi Martyribus* priscorum fama & relatione ethnicorum ad sua usque tempora delatum erat.

in silentio Prudentii & Actorum,

B

4 *Quod autem hujus S. Lamberti martyrium omnino nequeat ad Daciani persecutionem referri, videtur etiam ex ipso ejus nomine colligi, quale in nulla Hispanicæ historiæ parte usquam legas, quamdiu gens illa sub Imperio Romano fuit, imo nec in Provinciis Gallicanis. Quid igitur? Arbitramur, ut nomen, sic & genus Lamberto fuisse è Francis, quodque de provinciis, quas illi in vicina Gallia Narbonensi possidebant, abductus in servitutem, & Gothorum aut Alanorum alicui adhuc Arriano mancipatus, ipse in patria imbutus Christiana fide, eamdem tenuerit ita constanter, ut hac ipsi occasio fuerit mortis à crudeli barbaro illatæ. Hujusmodi sequendo conjecturam, posses Martyrium ejus ad seculum circiter VI non incommode referre. Si posteriora magis placeant tempora, quando etiam Francica nomina apud Gothos jam Christianos invaluisse potuerunt, ut Sanctus hic credatur fuisse indigena; tum vero licebit opinari sub Saracenorum tyrannide, quam seculis aliquot passa Hispanica provincia sunt, martyrii lauream obtigisse Lamberto: cujus corpus quia vel tunc vel postea fuerit in ecclesia S. Engratiæ sepultum, & Massæ sanctorum Martyrum conjunctum, invaluerit in vulgo opinatio, quod eadem in persecutione etiam ipse suum fuderit sanguinem. Ut ut sit, quia non credimus sub Diocletiano & Maximiano passum esse, non laboramus, ut cum Morello parte 2 Historiæ Cæsaraugustanæ, Carillo in Vita S. Valerii cap. 7, aut Tamajo in Martyrologio explicemus, quomodo corpus ejus non fuerit in cineres redactum, sicut innumerabilium istorum Martyrum, quibus dicitur sociatus.*

& habita ratione nominis Francici

potius videtur sub Arianis aut Saracenis occisus,

C

5 *Fidem quoque miraculosæ illius ad aliorum Martyrum conjunctionis fatemur nobis esse valde ambiguam, tum quia universim persuasi sumus, frequentem illam deportationem capitum, de quampluribus Martyribus ex sola vulgi traditione creditam, nullum aliud habere fundamentum, quam quod capite minuti Martyres passim sculpi pingique solerent cum capite in manibus, quomodo aliis quoque Sanctis evulsa aut abscissa membra gestantes pinguntur finguntur ve, ut genus martyrii cognoscatur; tum quia ad rei tam prodigiosæ confirmationem nullum habetur ab antiquitate præsidium. Franciscus quidem Bivarius in Commentario ad Chronicon Dextri anno 300 num. 14 ait* quæ de S. Lamberto referuntur, trita esse apud omnes Hispanicarum rerum scriptores: ita sane referre de eo Morales lib. 10 cap. 6, Villegas, Truxillum, Vasæum & ceteros:.. Se vidisse prope sepulcrum S. Engratiæ historiam hanc, in marmore sepulcri ejusdem S. Lamberti imaginibus incisam. *Sed quid si imagines hoc dumtaxat aut superiori seculo sculptæ sint? Certe auctores quos allegat nullam omnino habent antiquitatem: & solent unus alium transcribere, addentes dementesque ut cuique magis collubitum est, nihil soliciti de primo fonte investigando. Maneat suus sanctis Reliquiis honor: non ideo minor ille erit, si minus antiquus Martyr aliquis judicetur; nec bene fundatis majorum traditionibus quidquam detrahit, qui in earum classem recusat admittere qualescumque narratiunculas, rebus temporibusq; confusas.*

& ut alii similes picturis cum capite in manibus.

plus non persuadet fides auctorum,

D

6 *Quomodocumque ista se habeant certum est S. Lamberti de quo agimus cultum apud Cæsaraugustanos insigniter fuisse illustratum ab eo, qui pro Carolo V Imperatore toti aliquando Hispaniæ præfuit tumultuantemque pacavit; Hadriano, inquam, Cardinale, postea ejusdem nominis Papa VI, qui cum esset origine Belga Trajecti natus, atque adeo maxima ferretur devotione erga S. Lambertum Trajectensem Episcopum & totius Principatus Leodiensis Patronum; non potuit non etiam devotissime affici, erga istum eidem in tanto locorum intervallo cognominem Sanctum. Ergo cum anno MDXXII electus ad Petri Cathedram, Cæsaraugustam appulit, nihil prius habuit, quam ad ecclesiam S. Engratiæ accedere, ubi adorato S. Lamberti corpore capsam aperuit, maxillamque & articulos quatuor adhuc carne sua vestitos abstulit, reposuitque in arcam argenteam, eum in finem à Magistratu civitatis oblatam. Ita Iosephus Siguenza lib. 1 cap. 12 Chronicæ Hieronymianæ diffuse narrans totam rei gestæ seriem, ex eoque Carillus in S. Valerio.*

Adrianus VI Sancto devotus

maxillam accipit

E

7 *Facti memoria inserta mox fuit Breviario, atque ad finem Lectionis supra relatæ addita sunt hæc verba:* Adrianus VI Pontifex Maximus, dum Romam tendit, Cæsaraugustæ Sanctorum reliquias lustravit, secum partem maxillæ D. Lamberti dono abstulit; dumque educitur, sanguine manasse ferunt, post annum martyrii millesimum & quod excurrit. Romæ hodie religiose colitur. *Neque modicarum guttarum ea stillatio fuit, sed tam copiosa ut in argenteam recepta pelvim, postquam stipatus constitit cruor, in crystallinum receptus reliquiarium hodieque servetur, cum hac inscriptione,* Sanguis S. Lamberti civis Cæsaraugustani: *quem inquit Carillus* vidi & manibus tenui. *Ejusdem sanguineæ massæ portio aliqua, una cum radio integro brachii ac testimonialibus litteris desuper confectis, servantur in monasterio S. Lamberti, quod in eo ipso campo, quem suo sudore vivens & sanguine moriens irrigarat, & ubi pridem eremitorium habebatur, Cæsaraugustanorum pietas excitavit, pro Ordine Sanctissimæ Trinitatis; prout prædictus Adrianus VI exposuit in Bulla, circa eam fundationem expedita Tarracone die XXVI Iunii, qui antea etiam dum Cæsaraugustæ subsisteret (substitit autem à tædia Quadragesima usque ad Pentecosten) sæpius locum adiisse venerabundus dicitur.*

ex qua stillans sanguis reservatur,

eidem approbante conditur monasterium S. Lamberti

F

8 *Verba bullæ Carillus hæc recitat:* Sane pro parte dilecti filii Joannis Ferrer, Ordinis sanctissimæ Trinitatis Redemptionis captivorum, Professoris in Theologia Magistri, nobis nuper exhibita petitio continebat, quod postquam alias dilecti filii cives Cæsaraugustani, considerantes maximum devotionis affectum, quem jam diu nos ad sanctum Martyrem Lambertum gerebamus, & gerimus de præsenti, ad dicti Joannis instantiam, certum locum extra muros civitatis Cæsaraugustæ existentem, ubi d. S. Lambertus pro unigenito Dei filio martyrium viriliter sustulit, & prope quem (ut pie creditur) rubus quidam manu ipsius S. Lamberti plantatus invenitur, ad effectum ut ibi quoddam d. sui Ordinis monasterium sub ejusdem S. Lamberti invocatione construeretur, pura & irrevocabili donatione (quæ dicitur inter vivos) eidem Joanni unanimiter donaverant.

in loco Martyrii

9 *Non vacat cum Murillo aliisque conjectare, quando & qua occasione ac modo plantatus rubus iste fuerit, & utrum ex arente virga terræ infixa succreverit: magis luberet cum visebatur eodem mirari negligentiam eorum, qui monumentum tam anti-*

ubi spinus ab eo plantata

A *antiquæ, ut credebatur religionis ad nostram usque ætatem superstes, non melius conservarint, ut licuerit incurioso monasterii hortulano eamdem exscindere; nisi credere mallem, aucta celebritate atque frequentia, tum religiosorum qui ad quinquaginta excrevere, tum secularium eo adventantium; & plurimis ex eadem spina particulam aliquam decerpentibus aut petentibus, periculum fuisse, ne tota evanesceret; atque consultius visum exscindere quod supererat, & laminis argenteis convestitum servare. Uti servari scribit idem Murillus, multis prædictum conventum ejusque ornamenta describens. Ad ejus extructionem plus quam decem aut duodecim ducatorum millia contulisse Cæsaraugustanum Archiepiscopum Ferdinandum Arragonium idem testatur: & inter alia ejus decora numerat ornatissimum in ecclesia sacellum, quod vetus S. Lamberti confraternitas ibidem instituta expolire non cessat, sub invocatione Dominæ nostræ de remedio, cujus ibi imago miraculosa habeatur.* D

& instituta est confraternitas.

DE SANCTO THVRIBIO,

EPISCOPO CENOMANENSI IN GALLIA.

G. H.

SEC. IV

Cenomani



CEnomanum *urbs ampla in provincia Lugdunensi III, primum à metropoli sua Turonensi locum obtinet, sita ad confluentiam Sarthæ & Huinæ fluviorum, ac plurimos habet ex suis Episcopis, qui inter Sanctos relati, per anni circulum suam obtinent venerationem. Ex his quatuor primi fuerunt isti,* Julianus, Thuribius, Pavacius, *&* Liborius. *Inter posteriores Episcopos est S. Aldricus, cujus aliqua Acta ex Gallico idiomate translata dedimus VII Ianuarii, verum alia longissima & accurate à discipulis ejus conscripta ab aliquot annis nacti sumus, aliquando in Supplemento ad Ianuarium edenda. In hisce Actis est antiquissima memoria primorum Episcoporum, quam hactenus licuit observare, cum certo cultus Ecclesiastici indicio: & ex iis ista excerpimus:*

Episcopi primi Sancti, ex his S. Thuribius: B

anno 838

2 Anno Incarnationis Domini nostri Jesu Christi DCCCXXXVIII, Indictione I, anno XXV Imperii Domini Ludovici Pii Imperatoris, Aldricus, jam dictæ urbis Episcopus venerabilis, invenit quædam corpora Sanctorum, quæ in valde desertis ecclesiis, divinis officiis & luminaribus atque reliquis divinis cultibus negligebantur, quæ una cum consilio Consacerdotum suorum in gremio suæ Sedis ecclesiæ, & in confessione senioris ejusdem ecclesiæ altaris, decenter & rationabiliter collocavit: id est, Corpus S. Juliani, præfatæ urbis Episcopi & Prædicatoris primi; & S. Thuribii, prædicti Episcopi Juliani successoris; & S. Pavacii, jam dictæ urbis tertii Episcopi & Prædicatoris optimi, . . . & partem Corporis S. Liborii, supradictæ urbis quarti Episcopi & Confessoris optimi. Antedicta quoque Corpora Sanctorum in ecclesiæ, quam præfatus Aldricus, præfixæ urbis Episcopus, in honore Domini Salvatoris, & sanctæ ejusdem Dei Genitricis Mariæ, atque sanctorum Martyrum Gervasii & Protasii, sive S. Stephani, simulque & in veneratione omnium Sanctorum solenniter consecravit; & in memorata ejusdem ecclesiæ senioris altaris confectione, prædicta Corpora Sanctorum, ut præfixum est, solenniter decenterque & ordinabiliter collocavit, ea videlicet ratione, ut inibi officia & luminaria & cetera ad divinum cultum & ad honorem Sanctorum pertinentia, pleniter haberent, & postmodum ubicumque necessitas construendorum poposcerit monasteriorum, singulatim præfixa corpora, in unoquoque monasterio collocaret: quatenus ex eorum memoriis, & apertis intercessionibus majorum, cultus cresceret divinus, & laus Dei in melius & multis modis multiplicaretur, sicut in posteris actum esse, Domino annuente, probatur. *Hac ibi, & nonnullis interpositis dicitur,* anno DCCCXL solenniter translatum corpus S. Pavacii, & brachium dexterum S. Liborii in ecclesiam S. Salvatoris. *Erat jam ante* anno Imperii Ludovici XXIV *Christi* DCCCXXXVII translatum corpus, *id est præcipua pars corporis* S. Liborii Paderbornam in Westphaliam. *Huic Corpori videntur adjunctæ aliqua* Reliquiæ SS. Thuribii & Pavacii, *ut vel ideo VVernerus Rolevinck, lib. 3 de situ & moribus VVestphalorum cap. 8, Grevenus in Auctario Vsuardi ad XXIV Iulii, cum auctore Florarii MS. & Martyrologii Coloniæ & Lubecæ anno 1490 excuso, scripserint,* eorum Corpora fuisse etiam Paderbornam translata.

eorum corpora translata

C *in ecclesiam Cathedralem:*

ex aliquâ S. Thuribii reliquiâ fuit Paderbornam translata:

3 *Floruerunt eodem nono Christi seculo Vsuardus monachus Parisiis, & Ado Episcopus Lugdunensis, qui ambo Martyrologia concinnarunt, sed absque mentione prædictorum Episcoporum Cenomanensium, quod eorum Acta, aut necdum essent conscripta, aut saltem vulgo non extarent, & eorum veneratio apud Cenomanenses potissimum retineretur. Inscripta postmodum est aliis Martyrologiis, sed loco* Thuribii, *litteris inversis scriptum est nomen* Tiburtii. *Ita antiquum MS. Martyrologium, quod penes nos habemus, à sexcentis annis conscriptum; & aliud Ordinis Carmelitarum, quod Francofurto Coloniam delatum est, & ab annis fere quadringentis exaratum, in quibus ista leguntur:* Eodem die natale S. Tiburtii Cenomanensis urbis Episcopi & Confessoris. *Eadem habentur in Florario MS, & in Martyrologio Coloniæ & Lubecæ anno 1490 excuso, in Auctario quoque Greveni ad Vsuardum anno 1515 & 1521 impresso, apud Maurolycum etiam & Felicium. At sub nomine* S. Thuribii *celebratur à Ferrario in Catalogo generali, & à Saussajo in Martyrologio Gallicano, cum longo encomio ex Actis desumpto: Idem S. Thuribius à Ferrario etiam relatus est ad diem XIV Aprilis, quod Acta ejus à Petro Viello Gallice translata, referantur ad dictum XIV Aprilis. At cum S. Pavacio celebratur ad diem XXIV Iulii, ac primo in MS. Florario ambo adscribuntur* Paderbornæ, *quod aliquæ eorum Reliquiæ, ut jam diximus, tradantur eo delatæ:* Cenomanis *vero tribuuntur in citato Martyrologio Coloniæ & Lubecæ excuso, & in auctario Greveni ad Vsuardum, in quo ejus memoria iterum est ad diem XXV Augusti. Aliquod ejusdem S. Thuribii sacellum visitur in ecclesia S. Ioannis de Ascis in Decanatu Bellomontano.*

ejus memoria in Martyrologiis 16 Aprilis, E

14 Aprilis,

F

& 25 Augusti.

4 *Et hæc de cultu & veneratione S. Thuribii sufficiant: nunc de Actis ejus aliqua præmonenda. Ac primo extat libellus, cui titulus est,* Nomenclatura seu Legenda aurea Pontificum Cenomanorum, per Joannem Morellum Lavallensem, Parisiensis Academiæ Doctorem Theologum & Cenomanensem Canonicum, ex vetustissimis Cathedralis Ecclesiæ Cenomanensis codicibus, in archivis prædictæ Ecclesiæ diu reconditis, in compendium fideliter digesta anno Domini MDLXXII. *Hoc compendium de S. Thuribio nos primo loco damus: quod arbitremur dictos codices, ex quibus id excerptum est, à quingentis facile annis fuisse conscriptos, ac citari in Regesto Pontificalis Ecclesiæ Cenomanensis: in quo ultimus Episcopus est Gaufridus de Lauduno, anno MCCLV mortuus. In hoc Regesto pauca admodum referuntur de S. Thuribio, & lector sub finem remittitur* ad aliam schedulam, in qua ejus Vita continetur inserta, & ob id omissa. *Aliam Vitam damus anno MDCXLIV nobis transmissam à*

Vita ex vetustis codicibus à Morello eruta,

in Regesto Pontificali citata.

D. An-

AUCTORE G. H.

Alia Cenomanis submissa

D. *Antonio Corvaserio de Courteilles, Rerum Capitalium apud Cenomanos Quæstore. Est autem hac Vita deprompta ex MS. codice Abbatiæ Belliloci prope Cenomanum, studio & opera* R. P. *Claudii Perrochel, dicti monasterii Superioris: cujus frater Franciscus Perrochel, anno* MDCXLV, *creatus est Episcopus Bononiensis. Eamdem Vitam reperimus in bibliotheca Serenissimæ Christinæ, Reginæ Sueciæ, in codice MS. signato numero* 863. *In hac Vita num.* 13 *citatur* Schedula de reliquis virtutibus ejus, tam in vita quam post mortem, *cujus jacturam dolenter ferimus: ibidem etiam allegatur* libellus, qui de actibus Pontificum, prædicta Cenomanica in urbe Deo degentium, conscriptus est: *quem ideo & nos præmittimus, arbitrati illum esse, aut certe dicti libelli compendium. Ex hoc libello Gallice Vita exarata est à Petro-Viello, & inserta Historiæ de Vitis Sanctorum, Lugduni anno* MDXCIII *& postea sæpius excusa. Eodem idiomate scripserunt memoratus Corvaserius & Ioannes Bondonnetus Historias seu Vitas Episcoporum Cenomanensium: de quibus agit Ioannes de Launoy in sua* dissertatione, *qua* de primi Cenomanorum Præsulis epocha, quid verisimiliter statui possit, ostenditur.

& in MS. Reginæ Sueciæ reperta.

Vita Gallice edita.

B

S. Thuribius non videtur sedisse sub Ethnicis Imperatoribus,

5 *Magna & difficilis controversia agitatur, quonam tempore & Christi seculo apud Cenomanenses sederint primi Episcopi, & à quibus Pontificibus Romanis censeantur missi. Insitus multis est amor antiquitatis, qua singulæ nationes aliis student prævalere, & ob hunc affectum multi* SS. Julianum Episcopum, Thuribium Presbyterum & Pavacium Diaconum, *illius dein in Episcopatu Successores, simul ad Cenomanenses à S. Petro Apostolo aut S. Clemente missos volunt: alii ad Decii aut Gordiani Imperatorum tempora ablegant, quasi forent à S. Fabiano aut S. Sixto II Pontificibus ad hanc urbem destinati, & hi habent sibi patrocinantem Lethaldum monachum, qui circa initium seculi* XI *scripsit Vitam S. Iuliani à nobis ad diem* XXVII *editam, & S. Iulianum ex sua conjectura adjunxit Gatiano Turonensi, Trophimo Arelatensi & aliis à Gregorio Turonensi lib.* 1 *Historiæ Francorum cap.* 28 *enumeratis. Verum Gatianus usque ad annum* CCC *superstes paucos convertit, nec potuit ullam basilicam erigere, ob severam in Christianos animadversionem paganorum, ideoque & post ejus decessum cessavit Episcopatus annis* XXXVII, *dum tandem Lidorius, secundus Turonensis Episcopus creatus circa annum* CCCXXXVII, *primam Turonis basilicam erexit, sed quo Episcopatus anno non constat. Cum vero S. Thuribius tradatur in* Vita priore quatuor construxisse monasteria, *& alias* ecclesias triginta octo consecrasse, Presbyteros octoginta novem, Diaconos quinquaginta, Subdiaconos quadraginta ordinasse, *nullo modo dubitamus, quin hæc referri debeant ad seculum Christi quartum: quo huic etiam successit S. Pavacius, tertius Episcopus, ad quem quidam ex pago Andegavensi ob serpentem deglutitum periculose æger confugit, ante admonitus, cum in urbe Andegavensi in ecclesia S. Ioannis Baptistæ pernoctaret: atqui hæc indicant quieta fuisse Christianorum tempora, & sub primo Andegavensium Episcopo Defensore, qui electioni S. Martini in Episcopum Turonensem adfuit anno* CCCLXXI. *Pavacio successit S. Liborius quartus Cenomanensium Episcopus, quem ægrum invisit S. Martinus, moribundo adstitit, & mortui exequias celebravit.*

C

sed seculo Christi 4

cum successoribus Pavacio,

& Liborio.

D

VITA

Ex MS. Collectione Ioannis Moreth.

1 Beatus Thuribius, natione Romanus, natalium splendore insignis, vir consummatæ sanctitatis, Archipresbyter à Romano Pontifice a . . . ordinatus, ad urbem Cenomanicam cum B. Juliano b divino nutu profectus est. Post cujus obitum in prædicta urbe Episcopus electus est, & in seniori ecclesia Pontifex consecratus: quem divus Julianus, antequam animam redderet, sic Pontificali Cathedra sublimandum, Deo inspirante, præviderat, elegerat, & acclamaverat: quippe cui nihil deesse ad curam pastoralem, nihil ad justitiæ plenitudinem, nihil denique ad doctrinæ integritatem noverat. Cui etiam in Pontificali dignitate sublimato non defuit divina gratia: qua commissum sibi populum & spiritualibus erudiret eloquiis, & vitalibus informaret exemplis. Nam cum tempore sui Episcopatus grandis atque sanguinaria persecutio adversus orthodoxam religionem exorta fuisset, se murum opposuit pro domo Israel, & sævienti lupo, ut bonus pastor, pro ovibus suis animam positurus, occurrit, excubias agens pastorales, ne oves sibi commissæ frementium bestiarum dentibus vorarentur. Inter quos tamen agones, & furentium bestiarum dentes Christi Confessor permansit immobilis. Nec cessabat D. Thuribius, nec ullum tempus vacuum pertransiit, quo vel tamquam Martha, non ministraret populo, vel pro populo, tamquam Maria, non oraret. Et ut ab eis qui foris erant bonum haberet testimonium, nihil aliud quam quod prædicabat operari nitebatur. Mira ejus fuit circa se affligentes mansuetudo, circa afflictos mira ejus erat compassio: illatæ sibi injuriæ remissio semper apud eum solis anteibat occasum. Ejus quidem verba, morosa quædam librabat discretio; & inter potentum blanditias & timores permansit immobilis; ut nec illis frangi, nec istis posset aliquando superari.

Ex Archidiacono Episcopus,

a

b

E

in persecutione suos protegit:

mansuetus; & constans in proposito

2 Unde factum est, ut Gajani cujusdam Pagani infestationes intrepidus sustineret. Cujus uxor, Savina nomine, beato prædicante Thuribio, Christianam in baptismate susceperat sanctitatem: quod licet vir ejus ægerrime pateretur, ipsa tamen salutiferam nunc audire doctrinam, nunc divinis interesse satagebat officiis. Huic, inde, ut consueverat, revertenti servuli occurrunt: maritum ejus præ foribus ecclesiæ cæcum pariter surdumque assidere nuntiantes. Hoc ea cognito, genibus Pontificis advolvitur, incommoda mariti deplorat, profusis deprecatur lacrymis, ut eum licet immeritum adventu suo dignetur, & adjuvet interventu. Nec moratus homo Dei supplicantem exaudire mulierem, posito genu sacris orationibus suis & visum Gajano reddidit & auditum. Hoc autem infideli viro collatum est per fidelem mulierem.

convertit Savinam;

F

sanat Gajanum maritum cæcum & surdum factum:

3 At Gajanus, Dei beneficium & Thuribii ejus servi agnoscens, concepto Christianæ religionis desiderio, verbis talibus, & affectum mentis & causam aperit suæ cæcitatis; Unus beatissime Pater, unus, inquiens, est & verus Deus, cui abjecta simulacrorum superstitione Christiana devotio debitum exhibet famulatum. Is omnia creavit & omnia gubernat: dii gentium dæmonia sunt, eisdem cruciatibus cultores suos affligentes quibus ipsi cruciantur. Hanc profecto insaniam dum Savina uxor mea saniori detestaretur consilio, indolui, fateor, & cur ad ecclesiam Christi frequenter accederet, quibus

pœnitentem & fatentem se juste à Deo punitum fuisse,

A quibus ibi teneretur studiis explorare disposui. Dehinc oratorium impudenter ingressus, dum divinis insulto mysteriis, & amittere visum & auditu damnari promerui. Scio autem & confiteor quoniam Deus tuus exaudivit te, quem mortis & crucis ignominiam sustinuisse prædicas, etiam propter me. Ille me misericorditer excæcavit, ut illuminaret; auditum abstulit, ut vel sic ad audiendam provocaret veritatem. Illius itaque misericordiæ debeo, quod errorem abominor, quod amplector veritatem, quod infirmus convalui, quod mortuus resurrexi. Felicem me inquam, si regnaturus inter illos adoptionis filios numerari mereor, quibus perennis hereditas applaudit, quibus perpetuæ servantur divitiæ, quibus gaudia blandiuntur æterna. His ille dictis ad baptismum convolavit, tanto Christianæ religioni instar D. Pauli devotior, quanto prius in eam majori fuerat debacchatus insania: suam quoque familiam Sacramento regenerationis innovari postulavit. Baptizatis itaque quadringentis duodecim, eorum exemplis Christi Ecclesia & numero multiplicata est & merito. *baptizatcum 412 ex familia,*

4 Præterea domum suam, quam super Anisolam fluvium sumptuosis construxerat ædificiis, sancto tradidit Episcopo, devoto implorans affectu, quatenus in dominicum consecraretur oratorium: quo fidelis populus conveniens, & salutaribus erudiri monitis, & sacris mereatur interesse officiis. Factum est igitur, sicut tiro Christi postulavit, ejusque domus in ecclesiam commutata est, atque in honore & nomine B. Petri Apostolorum Principis consecrata. Provisæ sunt etiam expensæ, certique reditus dispositi, qui Clericis ibi deputatis divino officio & ad cibaria sufficerent; & superessent ad vestimenta. Hujus rei Christiana successio non immemor, Casam-Gajani prætaxatum appellavit locum. B *ejus domum consecrat in ecclesiam S. Petri,* *& dotat proventibus.*

5 Erat in eadem regione nobilis & locuples mulier, quæ corporeis viribus amissis, diuturno incumbebat incommodo: ejus quoque famuli similibus erant afflicti molestiis. Quæ cum audiisset præsentem adesse sanctum Antistitem Thuribium, directis ad eum nuntiis, ut eulogiarum suarum, id est suorum munusculorum, benedictionem suscipere dignaretur, lachrymantis affectu postulavit. Nec moratus vir Dei supplicantem exaudire mulierem, missis ciborum reliquiis (quas in similes usus pueri servare consueverant) & familiæ consuluit & dominæ: eatum quippe gustu, non matrona tantum, sed & domus ejus tota, in pristinam meruit reformari sospitatem. Præterea quidam sua culpa factus cæcus, nomine Julius, ab eo sanatus est, & mulier muta, & puella cæca. Dissipata igitur seu divulgata circumquaque ejus miraculorum affluentia, variis languoribus oppressi beato offeruntur Episcopo, qui omnes integram consecuti sunt incolumitatem. *sanat missis eulogiis infirmam familiam,* C *daret mira. culis,*

6 Is etiam dicitur quatuor construxisse monasteria, unum in vico, nomine *f* Buxiolo super fluvium *g* Meduanæ in honore S. Joannis, alterum super fluvium *h* Idoniæ, tertium in vico *i* Diablentico, quartum vero ad animas Deo lucrandas super fluvium Anisolam *k* in Casa-Gajani, ubi & *l* fontes vivos invenit, & vineas uberrimas plantavit, & in ecclesia ibi ab eo constructa Sacerdotem, nomine Tyrrum, cum aliis Clericis instituit, & Domino famulari præcepit: de qua ad matrem civitatis ecclesiam (quæ fuit consecrata à B. Iuliano in honore S. Mariæ Dei Genitricis & B. Petri Apostoli) censum voluit solvi per singulos annos, ad luminare prædictæ ecclesiæ, de oleo libras quatuor, & de cera tres; & de vino & de pane, ad usus Clericorum & pauperum, triente unum seu quatuor denarios: nam triens est tertia pars assis seu solidi, ut quadrans est quarta pars. Consecravit prætera alias ecclesias *m* triginta octo in sua diœcesi per diversa loca, ex quibus ad matrē ecclesiam cui præsidebat ipsam urbem, censuit solvi ad luminaria intertenenda seu fovenda, certas libras ceræ & olei, & custodibus ipsius ecclesiæ, ad eam ornandam, certos trientes: scilicet de vico Mortiano, ceræ libras majores duas & olei tres; de Asinaria, ceræ libram unam & olei libras duas & trientem unū; de Concilia, ceræ libram unam, olei libras duas & trientem unū; de Aurionno, ceræ libram unam, olei libras duas & trientē unum, & *n* sic de reliquis. Fecit etiam ordinationes *o* septendecim: Presbyteros octoginta novem, Diaconos quinquaginta, Subdiaconos quadraginta, & alios reliquos gradus complures. *f g h i constituit monasteria 4 k l* *m* EX IOAN. MORELLO. *consecrat ecclesias 38,* *o ordinat Clerum,*

7 Sedit autem Cenomanensis Episcopus annis quinque, mensibus sex, diebus sexdecim, *p* ..... qui post multos labores, & perpessus multiplices persecutiones, obdormivit in Domino, decimo sexto Kalendas Majas *q*, & sepultus est à discipulis suis honorifice, ultra fluviū Sarthæ, in ecclesia Apostolorū. Hujus sancti Confessoris Domini Thuribii intercessione eruat nos Dominus ab omnibus malis, & æternam nobis concedat beatitudinem. Amen. *p post annos quinque Episcopatus, obit 16 Aprilis. q*

ANNOTATA.

a *Addebatur* B Clemente: *sed, ut non satis scienter insertum, omittitur. Ex eadem persuasione videtur infra exaggerari pastoralis ejus cura tempore sævissimæ persecutionis* adversus Christianam religionem *motæ: quod tamen, sic reliquimus, sed pro* Christianam, *posuimus* orthodoxam: *constat enim sub Imperatoribus & multis Episcopis Arrianis, vere Catholicos multa passos esse, etiam in Gallia. Ita rursum num. 2 Gajanus quidam* Paganus *inducitur. quem potius* Arrianum *fuisse crederem: habuit etiam tunc adhuc aliquos Paganos Gallia Christianis permixtos: & propterea nihil mutandum censuimus.*

b *Hæc ita in Vita S. Iuliani referuntur:* Sedem sibi à Deo commendatam, cum communi Cleri plebisque consilio, Sancto delegavit Thuribio, quem adjutorē & socium in sanctæ prædicationis eatenus habuerat officio. Idem enim Thuribius Presbyterii officio gloriosus, cum S. Pavatio Diacono, ad revelandam Cenomanēsibus Christi gratiā, ut ab antiquis accepimus, comes & adjutor S. Iuliano à Romanæ urbis Antistite donatus est. *Hæc Lethaldus circa an.* 1020 *scribens.*

c *Ab hac* Savina *denominari oppidum* Saviniacum supra Brigam *monuit nos Corvaiserius.*

d Annisola, *parvus fluvius versus agrum Vendocinensem, Gallice* Anille.

e *Nunc esse Ecclesiam collegiatam S. Karilephi tradunt Corvaiserius & Bondonnetus.*

f *In diplomate Ludovici Pii, signato anno Imperii* 19, *Indict.* 10, *anno Christi* 832, *enumerantur monasteria subjecta S. Aldrico Episcopo eiusque Ecclesiæ Cathedrali, inter quæ sunt* monasterium S. Ioannis & S. Trechii in Buxiolo, *de quo hic videtur agi.*

g Meduana, *vulgo* Mayenne, *in septemtrionali ditione hujus Comitatus exortus, per Meduanam, & dein per vicum* S. Ioannis super Meduanam, *Lavallium & alia oppida præter lapsus, in ditione Andegavensi Sartha admisso, in Ligerim illabitur.*

h Idonia, *vulgo* Iocine, *Meduanæ immiscetur ad sinistram ejus ripam.*

i *In citato diplomate Ludovici Pii legitur* monasteriolum S. Martini in Diablentico. S. Siviardus Abbas Anisolensis, *cujus Vitam dedimus* 1 *Martii*, natus est in pago Cenomanico & in parochia Diablentica: *& vita S. Domnoli Episcopi Cenomanensis danda* 16 *Maji etiam indicat* villan Tridentem, sitam in Condita Diablentica. *Hinc à Iulio Cæsare & aliis antiquis indicati* Diablenti, *videntur constituendi in Orientali parte hodierni Cenomanorum Comitatus, & forsan hic posset intelligi* ecclesia collegiata S. Martini in Silvis, *in* Decanatu Tridente, *vulgo* Trio *dicto.*

k *In vita S. Innocentii,* 8 *Episcopi Cenomanensis,* 19 *Iunii danda, ista leguntur:* Supra fluvium Anisolæ reperit

EX MSS. reperit S. Karilephus locum solitudinis & amœnum qui ab antiquis Casa-Gajana dicebatur: ubi Divus Thuribius Cenomanensis Episcopus Ecclesiã in honorem S. Petri Apostolorum construxerat, quæ tamen destructa propter imminentes vastationes fuerat, sed adhuc de ipsis maceriis aliqua pars supererat.

l *In vita S. Karilephi* 1 *Iulii*, *dicuntur ibidem* multi fontes frigidas aquas ebullire.

m *In Vita S. Hadoindi*, 12 *Episcopi Cenomanensis*, *ad* 20 *Ianuarii in Appendice illustrata*, *dicitur* S. Turibius, secundus Cenomanicæ urbis Episcopus, juxta vicum, qui Aurion vocatur, ecclesiam construxisse, sicuti in Actibus jam dicti Turibii hactenus insertum reperitur. *Horum Actuum videtur hic compendium dari.*

n *Ex his enumerantur in Regesto Pontificali loca* 29. *apud Corvaiserium* 27, *quæ nolumus hic repetere.*

o *Videtur error aut in hoc numero* 17 *ordinationum*, *aut mox cum dicitur non integros quinque annos sedisse cum ordinationes tunc solum fierent mense Decembri.*

p *Inserebantur ista verba* tempore Antonii Pii circiter annum Domini 145. *à posteris intrusa.*

B q *Additur in Regesto:* qui ut fertur martyrio vitam finivit.

ALIA VITA.
Ex duobus codicibus MSS.

CAPUT I.

Adventus ad Cenomanenses. Episcopatus. Conversio Gajani & aliorum.

1 TEmpore illo post obitum S. Juliani, Cenomanicæ urbis primi Episcopi, subrogatoque in loco atque in Sede ejus collocato atque ordinato S. Thuribio, Romanæ nobilitatis atque dignitatis ejus Archipresbyteralis merito, crescente jam Christianitatis vigore eaque ubique jam se diffundente; instigante antiquo hoste, & malevolis hominibus suadentibus, bonosque malis opprimentibus, quædam persecutio in ecclesia Christianorum exoritur, & in Christianos grassatur. Hæc videns prædictus S. Thuribius, qui prius quidem fuit philosophus, postea vero Christi discipulus & à Sede Apostolica in adiutorium S. Juliani ad prædicandum directus, eique comes & adjutor nutu Dei existens, Archipresbyter est ordinatus, atque post B. Iuliani discessum in sede & plebe sua est subrogatus & Episcopus ordinatus. Qui videns persecutionem, & animos trepidantium quorumdam Christianorum, exhortabatur eos dicens, Charissimi Fratres, priores nostri perpessi sunt diversa tormenta, ut ad nos incolumis status perveniret ecclesiæ; quanto magis nos desides & negligentes, æquo animo adversa sustinere, & statum sanctæ Dei Ecclesiæ erigere, atque in fide Christi debemus firmiter ipso auxiliante persistere: nam & ipse Dominus noster Iesus Christus pro salute Ecclesiæ passus est, & Apostoli sui patiendo eam erexerunt, & fidem viriliter servaverunt. Nihil igitur timendum est nihilque laborandum, nisi ut cum justitia vivamus, &, quod gloriosius est, pro justitia moriamur.

S. Thuribius ex Romano philosopho Christianus,

S. Iuliani Archi-presbyter, & in Episcopatu successor.

Fideles excitat ad fortiter agendum:

C

2 Fuit ergo prædictus S. Thuribius vir venerabilis, & Romanæ nobilitatis insignis, atque Apostolorũ doctrina *b* sapienter instructus, & prudenter edoctus, atque nobiliter ab infantia conversatus. Nobilis quidem erat genere, sed nobilior fide; seculi dignitate inter suos clarus, sed divinorum munerum gratia præcipuus; humilitate mansuetus, caritate solicitus, longanimitate assiduus, patientia robustus; & ita virtutum omnium robore pollebat, ut sermo illius semper esset sale conditus. Pastor erat egregius & Doctor præcipuus: istud despexit seculum, ut regnum inveniret æternum. Laudes terrenas despiciebat, & munera regalia decusque principis respuebat, ut aulam Christi diligens intraret. Penetravit regna polorum cum Sanctorum millibus lætus; Pastor ovium gaudens fructus supportabat in humeris. Pius itaque Antistes & Doctor erat largus & humilis; qui cum esset ex sanctorum germine, erat decore affabilis, ad congregandum promptus, efficax in opere, omnia sibi commendata à Deo, diligenter, super omnia sua propria, in munus detulit Salvatori.

b

excellit in virtutibus,

D

3 His & plurimis hujuscemodi floribus pollens, Deo & hominibus bonis placere meruit, malis verò & incredulis displicere non recusabat. Unde factum est ut Gajani cujusdam pagani, acerbæ mentis & indisciplinatæ impietatis, furorem non pertimesceret S. Thuribius, Cenomanicæ Sedis secundus Episcopus. Nam ex doctrina prædicti sancti viri Thuribii uxor jam dicti Gajani conversa ad Dominum, Savina nomine, Deo sedulum exhibebat obsequium. Tunc vir ejus zelo ductus, insidias tetendit conjugi ad ecclesiam properanti: cumque in ecclesiam (quam dudum consecraverat memoratus S. Thuribius, in condito *c* Labricinensi, ubi tunc temporis prædictus S. Thuribius ministerium Pontificale condigne agens multos ad Christum convertebat) jam dicta Savina fuisset ingressa, præfatus Gajanus per alium secutus introitum, curiosius agere cœpit, auscultans & intuens quæ illic agebantur. At ubi fusa oratione jam dicti S. Thuribii à populo responsum est, Amen; præscriptus Gajanus statim cæcus effectus est, ita ut nec audire posset nec videre. Erat autem valde dives, & possessiones habebat multas; propriumque multum habens, ita fortiter inter suos pagenses versabatur, ut Dux haberetur: sicut locus hactenus demonstrat, qui supra fluvium, Annisolam nomine, ab incolis ejusdem loci usque in hodiernum diem, ædificiis & muris multis monstrantibus, Casa-Gajani vocatur. Tum verò, ut dictum est, surdus & cæcus effectus, propter nefandos & illicitos prædictos actus suos, dixit ad servos suos: Tollite me cito inter manus vestras, & de ista Ecclesia foras ejicite; quoniam oculi mei cæci facti sunt, & aures surdæ, ita ut penitus nihil audire nec videre prævaleam. Pueri autem ejus gyrabant cum eo per totam ecclesiam, & inter multitudinem virorum mulierumque orantium, ad introitum, quo ingressi fuerant, pervenire non potuerunt: sic factum, ut dum gyrum in errorem converterent, & iterum atque iterum gyrarent, ad præfatam Dominam suam Savinam, ubi Dominum exorabat, cum memorato Domino eorum Gajano pervenirent. Quæ cum videret servos suos cum eorum Domino ita circumire ecclesiam, misso puero inquirere cœpit, quid hoc esset, quod isti servi cum Domino circumirent. Cui responderunt servi dicentes: Dominus noster cum silentio voluit videre, quod ei videre non licuit, & secretum cupivit audire alienum: & non solum cæcus, sed & surdus effectus est. Quo facto nobis imperavit ut eum foras ejiceremus; sed nobis, ut res ipsa manifestat, de ecclesia hac exire minime conceditur. Quod cum devota ejus uxor jam dicta Savina à servulis cognovisset, prostravit se in oratione, & cum lacrymis à Deo petivit, ut exinde vir suus exire permitteretur, & conversa ad pueros qui cum eo erant dixit eis, ite & date manum Domino vestro, & ad domum deducite: ego autem cœptam orationem meam non deserens, hostiam meam Domino offerre curabo. Expletisque mysteriis, orabat, ut vir suus sanaretur atque ad Dominum converteretur. Cumque abissent pueri, dantes manum Domino suo; ut Savina imperarat, egressi, meritis Savinæ, non Domini sui, venerunt domũ. Reversique nuntiaverũt Dominæ suæ Savinæ, in prædicto Gajano Domino eorũ jam dictam cœcitatẽ durantẽ, nihilque penitus audire posse.

convertit & baptizat Savinam, Gajano merito indignante,

c

E

hunc subito cæcum & mutum reddit,

ex Ecclesia per famulos aberrantes,

F

ob preces Savinæ domum relatum.

4 Tunc sæpe dicta domina devota Savina, enixis Dominum precibus cum lacrymis orabat,

A orabat, ut suo viro divina misericordia subveniret. Peractis itaque sanctissimis & divinis mysteriis, ac officiis expletis, præscripta amabilis Deo Savina S. Thuribio se ad pedes prostravit, dicens virum suum jam dictum Gajanum, volentem curam secretorum Domini nostri Jesu Christi impudenter scire, auditus & visus amissione mulctatum. Tunc S. Thuribius prorumpens in lacrymas orare cœpit, omnes qui aderant exhortans, simul ut Dominum postularent, quatenus viro Savinæ & auditum redderet & visum. Confidens itaque S. Thuribius de Deo, post orationem perrexit cum dicta Savina ad memoratum virum ejus Gajanum, & invenit eum apertis quidem oculis, sed nihil videntem, neque sermonis sonum aliquem audientem. Cumque mœsto ululatu familia universa perstreperet, & Gajanus penitus nihil audiret, S. Thuribius, elevatis oculis in cœlum ita cœpit ei veniam impetrare dicens: Domine Jesu Christe, qui claves regni cœlestis tradidisti Apostolo tuo Petro, eique & successoribus suis ac reliquis successoribus & discipulis, Pontificalem regulam tenentibus, potestatem ligandi & solvendi, & claudendi atque aperiendi, dicens: Quæcumque aperueritis aperta erunt, & quæ clauseritis clausa erunt; tu præcipe, ut aperiantur aures & oculi istius hominis: quoniam tu dixisti: Quæcunque petieritis credentes consequemini, & tua promissio permanet in secula seculorum. At ubi responderunt omnes, Amen, statim aperti sunt oculi & aures Gajani: & videns S. Thuribium, timens eum valde, & amens factus, nesciebat quid ageret. Et ait S. Thuribius, coram cunctis astantibus, & actus atque verba ejus valde mirantibus, nunc adimplebitur quod per venerabilem B. Paulum Apostolum dictum est, Sanctificabitur vir infidelis per mulierem fidelem. Et docebat eum B. Turibius universa quæ ad ædificationem animæ pertinere videbantur.

S. Thuribius, precibus aliorum petitis, facta oratione sanat: *Math. 16, 19* B *Math. 18, 19* *1 Cor. 7, 14*

5 His ergo rite peractis, credidit Gajanus ante dictus paganus Domino, & corroboratus est. Et cœpit ad genua & ad pedes S. Thuribii advolvi, & dicere: Gratias ago Deo vero omnipotenti, qui me excæcavit ideo, ut videam; & ideo auditum abstulit, ut audiam veritatem, quam ignoranter irridebam. Et hoc putabam falsum esse, quod verum est; & hoc æstimabam verum esse, quod falsum est; tenebras putabam lucem, & lucem tenebras existimabam: illumque laudo & magnifico, à quo purgatus est sensus meus à sordibus idolorum. Nunc enim vere agnosco dæmones decipere homines; ut, qui non credunt Dominum Christum, ipsis dominentur saxa surda & muta, & ceteræ creaturæ. Et mihi modo pudet dicere, quæ antea colebam mihique hactenus dominata sunt. Tunc coram omnibus ait: Ita estis omnes qui non creditis in Deum Thuribii, & Dominum nostrum Jesum Christum. Hæc & similia Gajano asserente, factum est gaudium magnum in illa die. His ita ab eo dictis, cecidit denuo ad pedes jam dicti S. Thuribii, & in conspectu omnium deprecans ait: Sanctissime Pater, accipe domum meam, quam supra fluviolum Annisolam fabricavi, cum omni supellectili mea, & fac ibi ecclesiam ad convertendos infideles & animas Deo lucrandas. Insuper accipe omnes meas reliquas possessiones, in quibus & ecclesias facito, & reliqua quæ ad cultum divinum pertinent construe; mihi quoque & uxori meæ Deo tuo tecum servire permitte. Et tradidit solenniter prædicta omnia S. Thuribio & Cenomanicæ Matri Ecclesiæ[a], & stipulatione conscriptionis, propriæque legis delegatione, testiumque subscriptione firmavit. Fecit igitur S. Thuribius ut deprecatus est, & in prædictis possessionibus suis ecclesias construxit atque dedicavit; & in prædicta domo sua, quam supra fluviolum Annisolam habebat, quam etiam plus ceteris diligebat, ecclesiam in honorem S. Petri construxit atque dedicavit; ibique monasteriolum fundavit, & nobiliter in honore Sancti Petri & omnium Apostolorum ordinavit, atque in eo Dei servos communem vitam ducentes & sancte viventes congregavit. Qui locus hactenus Casa-Gajani, propter habitationem & nobilitatem ejus, vocatur. Credidit ergo jam dictus Gajanus cum omni domo sua, & proximo Pascha futuro in præscripto monasteriolo proprii sui, supra ante dictum fluviolum Annisolam, à S. Thuribio, ut dictum est, constructo, & in honore S. Petri Principis Apostolorum dicato, baptizatus est. Computati sunt autem hi, qui baptizati sunt de domo ejus, simul viri cum mulieribus & infantibus promiscui sexus, numero quadringenti duodecim. Per hunc autem Gajanum multi nobiles, multi illustres & amici ejus, conversi sunt.

& pœnitentem fidemque amplexum, C *post oblationem possessionum suarum pro ecclesia,* EX MSS. D *baptizat cum aliis 412,*

ANNOTATA.

a *Inserebantur verba*, à B. Clementa Papa, *& ante*, Christi discipulorum discipulus.

b *Addebatur* & Apostolorum successoribus, *& mox*, inter eos.

c *In MS. Vita S. Aldrici, allegatur diploma Ludovici Pii, in quo dicitur* monasterium S. Karilephi situm in condita Labricense: *de eo supra actum.* Condita, *alii* contrata, *vicus*, *districtus*. Conditum *locus, ubi frumentum condebatur.*

E

CAPUT II.

Varia miracula patrata. Obitus, sepultura.

6 Prædictus ergo S. Thuribius, doctrina veritatis repletus, & larga ubertatis suæ affluentia imbutus, omnibus ad se venientibus placabilis erat atque amabilis. O quam imitabile erat in beato viro virtutis exemplum, in cujus actibus nec etiam in incessione reprehendi nihil poterat: erat enim abstinentia assiduus, sobrietate continuus, vigiliis deditus, prædicatione assiduus venientibus ad fidem, & jam credentibus: dicebat enim: Cum essetis increduli datum est vobis lumen veritatis, quanto magis credentibus, omnia vobis, quæcumque poscitis jam dabuntur? Divina clementia semper parata est vobis, & eo magis unumquemque gratiæ suæ dono multiplicat, quo mens ejus auctioris fidei susceperit normam. Quadam autem die, cum prædictus S. Thuribius pergeret iterum ad visitandum ante dictum Fratrem Gajanum, in prædicto monasteriolo jam bene conversantem, cultum divinum mirifice amplificantem, & Christum per omnia prædicantem, quod contigit non est silendum.

magnam erga Deum fiduciam inculcat: F

7 Erat quædam femina, multas habens divitias & possessiones, sed validam nimis infirmitatem patiebatur cum suis hominibus: ita enim erant languentes, ut nullus alium posset adjuvare. Quæ monita est in somnis, ut pergeret ad sæpedictum S. Thuribium, & ab eo curaretur ab infirmitatibus suis. Sed præ nimia infirmitate minime ire valuit: tamen compuncta in fide & amore Sancti, missum suum misit, præcipiens illi ut cito pergeret ad prædictum sanctum virum, & posceret sibi transmittere suas eulogias. Hoc credebat ex fide, quod postea cognovit in facto: quoniam ex gustu eulogiarum ejus credebat sanari. Servus cui Domina imperaverat, perrexit: veniens autē ad jam dictū S.Thu-

integram familiam morbis varius vexatam

EX MSS.

missis eulogiis sanatur,

S. Thuribium deprecans ait: Domina mea, vir Sancte & Pastor bone, valde infirmatur, obsecrat te & petit, ut vestras percipere mereatur eulogias, quia per ipsas se credit percipere sanitatem. Vir autem sanctus misericordia motus, misit de cibo & de potu suo: quibus parumper gustatis, jam dicta mater familias gratias egit Deo, quod de bonis tanti viri gustum percipere meruit. Tunc fideli constans animo, præcepit etiam ex eis familiæ suæ gustandum aliquid dari. Quibus peractis, meritis S. Thuribii, ipsa cum omnibus suis recepit sanitatem; quæ res omnibus claruit. Posteà ipsa veniens, cum omni domo sua & parentibus, seipsos ob cuncta propria, pro meritis prædicti S. Thuribii, Dei ecclesiæ sibique commissæ voverunt & crediderunt, & postea multis vixerunt annis.

sanat varios,

8 Crebrescentibus deinceps, prædicti sancti viri meritis & miraculis multis, venientes ad eum debiles & claudos, cæcos atque leprosos, vel etiam qui varias habebant injurias cunctos salvabat; & ab infirmitatibus Dei nutu multos liberabat; & cunctis se petentibus pro viribus necessaria dabat. Sequenti vero tempore, quidam cæcus, Julius nomine, reminiscens culpam suam, veniens ad S. Thuribium petiit, ut eum adjuvaret. Qui motus misericordia, oravit pro eo; & præcepit ei ut reverteretur ad propria. Ille vero ab eo regressus velociter, impetrata venia, culpam cordis exuit, oculis lucem impetravit, & doctior post cæcitatem jussa servi Dei implevit; ut ex hoc crederetur recepisse lumen mentis magis quam corporis.

cæcum ad propria remissum,

B

mutam Rhedonicam,

a

9 Igitur cum quadam vice ad quamdam ecclesiam, in vico cui vocabulum Noviomus est, causa prædicationis atque confirmationis veniret, allata est in conspectu ejus quædam femina, a civis Rhedonica, eique in oratorio oblata est muta. Ubi S. Thuribio orationem complente, statim mulier longa rupit silentia, nec potuit inimico servire diutius, pro qua liberanda auctor Christus fuit invocatus.

cæcam ancillam

10 Quadam autem die, Cenomanica in urbe quidam Presbyter offert ei ancillam suam, à nativitate sua cæcam, deprecans memoratum Sanctum, ut ei lumen redderet: quia paupertate detentus modicum se testabatur habere solatium. Cui B. Thuribius respondens, ait: Dominus tibi, Frater, adminiculum præstabit, & tuæ ancillæ lumen restituet. Tu vero ora pro ea ut tuis precibus sanetur, quia Dei es Sacerdos. Qui jussu Sancti Dominum oravit pro ea, & signo Crucis infra ipsius urbis seniorem ecclesiam dato à S. Thuribio, lumen prædicta ancilla recipere, & clare videre meruit.

per Sacerdotis orationem,

claudum

11 Sequenti autem tempore quidam ita claudus erat infra prædictam urbem, ut nec per se quoquam ire posset, sed ab aliis bajulabatur, & ad eum veniens deprecatus est, auxilium sibi à Deo præstari. Qui præcepit eum infra domum communem, ubi ceteri fideles recipiebantur, & in qua necessitatem habentibus necessaria præbebantur, à ministris suis recipi, & necessaria ei & suis bajulis præberi, & omni hora ad ecclesiam portari. Quæ omnia jussu viri sancti peracta sunt. Quadam autem die Dominica prædicto claudo infra seniorem ipsius urbis ecclesiam orante, & ante dicto sancto viro infra ipsam ecclesiam Missarum solennia celebrante, dum consecratio Corporis & Sanguinis Domini à prædicto S. Thuribio ageretur, memorato claudo ita, coram cunctis astantibus & videntibus, redditus est gressus, ut ceu alii bene sani & fortes homines, ire posset.

D

in Missa tempore consecrationis.

12 Denique prædicti sancti viri sæpissime atque quotidianis horis, diversis indiciis, claruit fides per opera, & sacra vita per signa. Itaque dum quadam vice Cenomanica in urbe populus, ad docendum & confirmandum, libenti animo conveniret, inter ceteros infirmos, quos Dei virtute sanabat, quidam Diaconus, nomine Lactans, offert nepotem suum S. Thuribio, sine linguæ officio mutum. Tunc S. Thuribius pueri labiorum loca manu contrectans nullatenus aperire poterat b dentium stricturam; mox benedicens oleum, ubi signavit maxillarum compaginem, reddunt sonum, quasi catenarum fragmenta fuissent collisa; & in ore ejus intincto liquore, interrogabat, quid haberet, quid taceret. Mox inde mutus puer per verba respondit, & pro culpa sua hoc actum fuisse coram omnibus confessus est: & ita deinceps loqui valuit, quasi numquam mutus fuisset.

mutum oleo benedicto,

b

13 Reliqua autem gestorum ejus, & consecrationes Episcoporum, Ecclesiarum, Presbyterorum, & reliquorum ministrorum, & acquisitio rerum, ac constructio monasteriorum, & census ecclesiarum, & ceterorum actuum ejus in gestis Cenomanicæ urbis Pontificum partim conscripta sunt; nisi ea quæ de reliquis virtutibus ejus, tam in vita quam post obitum sanctissime gestis, in quadam schedula conscripta legimus, quæ c hic propter prolixitatem & tædium lectoris atque scriptoris non inseruimus. Si quis autem actus ejus, & obitum atque sepulturam scire desiderat; legat libellum, qui de actibus Pontificum prædicta Cenomanica in urbe Deo degentium conscriptus est, & in eo hæc & alia plura, bona & necessaria, invenire poterit. Obiit autem prædictus S. Thuribius Episcopus sexto decimo Calendas Maji in Domino, & sepultus est juxta prædictam urbem ultra fluvium Sarthæ, in ecclesia Apostolorum, ubi virtutes multæ clarescunt per merita S. Thuribii, ibique paralytici & leprosi curantur, & dæmoniaci liberantur, & cæci visum recipiunt; atque cuncta necessaria, quæ fide poscuntur, illic præstantur, auxiliante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre & Spiritu sancto vivit & regnat in secula seculorum. Amen. d Ego Charus, filius Severi, Dei servus, hanc S. Thuribii Vitam, sicut vidi, & audivi ac veraciter didici, in hac paginula ex parte scribere curavi; sed multa adhuc de eo scribenda remanent.

E

c

pie obit 16 Aprilis,

à morte clarus miraculis.

d

ANNOTATA.

a *Hoc miraculum amplificatum est sumpta phrasi ex Vita S. Paterni Episcopo Abrincensis, quam infra damus, ubi etiam* femina muta sanata *dicitur* civis Rhedonicæ *supra in priore Vita dicitur solum* muta mulier.

b *Iterum simili phrasi de muta ancilla leguntur eadem in dicta S. Paterni Vita.*

c *Ambigas utrum notentur solum omissa ex Actis, an etiam ex schedula: nobis videntur notari utraque.*

d *In Ms. Cenomanensi sequentia sunt, & desunt in MS. Reginæ Sueciæ.*

DE SANCTO TURIBIO,

G. H.

EPISCOPO ASTURICENSI IN HISPANIA,

CIRCA AN. CCCCLX.



Asturica, urbs Hispaniæ pervetusta in regno Legionensi, celebrat XVI Aprilis, sub ritu duplici primæ classis cum octava, festum S. Turibii, urbis suæ Episcopi & Patroni: quem etiam hoc tempore coli officio Ecclesiastico sub ritu duplici, in urbibus & diœcesibus Legionensi & Palentina, indicatur in Ordine recitandi divinum officium sumptu Madriti recuso. Eumdem etiam solitum coli in ecclesiis Burgensi, Segoviensi, Seguntina & aliis tradit, Ambrosius Morales lib. XI Chronici generalis Hispaniarum cap. 26. quibus Franciscus Sandoval in Discursu apologetico, de S. Antonino & S. Turibio, addit Ecclesias Toletanam, Granatensem & Salmantinam. In Breviario Burgensi anni MDII hæc recitatur Oratio: Deus, qui es sanctorum gloria Confessorum, splendorque animarum sanctarum; vota nostra placatus suscipe: & sancti Confessoris tui Turibii meritis, ab omni perturbatione fac permanere illæsos, atque pervenire ad honores æternæ gloriæ repromissos. Per Dominum &c. Eumdem cultum confirmant tabulæ hodierna Martyrologii Romani his verbis: Palentiæ S. Turibii, Episcopi Asturicensis, qui ope S. Leonis Papæ hæresim Priscilliani ex Hispania penitus profligavit, clarusque miraculis in pace quievit. Similia leguntur apud Molanum in Auctario Usuardi, Galesinium & Canisium, etiam indicata urbe Palentia: quod verbum Tamajus Salazar in Martyrologio Hispanico expunctum mallet; quia alium fuisse iudicat Turibium Episcopum Palentinum, quem ipse celebrat ad diem XI Novembris; sed nixus fabulosa auctoritate Maximi & Iuliani Petri.

Celebritas in Breviariis

& Martyrologiis,

B

2 Acta S. Turibii Asturicensis edidit Tamajus ex antiquo MS. codice Legendarii Asturicensis, litteris pene Gothicis exarato, eaque genuina & puriora censet: quæ nos hic damus, notamusque Prologum, eis præfixum, conflatum videri ex quinque Antiphonis, ad Vesperas & Laudes usurpari solitis: nec enim continua oratio est. Ediderunt ejusdem S. Turibii Vitam Ioannes Basilius Santorius, Alphonsus de Villegas, Ioannes Marietta, Thomas de Trugillo, citatus ante Ambrosius Morales, & passim alii: sed ab aliquibus varios ejusdem nominis Turibios non satis distingui, admonet Tamajus.

Vita scripta:

3 In dictis Actis dicitur S. Turibius successisse S. Dictinio, quem ex MS. carmine sepulchrali antiquo asserit Tamajus decessisse Æra CCCCLVIII. sive anno Christi CCCCXX, IX Kalendas Augusti, sive XXIV Iulii, quo die eum inscripsit suo Martyrologio Hispanico. Hinc ergo si satis certa est carminis illius auctoritas (nam multa hujus generis figmenta recentia Tamajus velut antiqua epitaphia laudat) Episcopatus S. Turibii sumendum esset initium. Scripsit illi S. Leo Papa Alipio & Ardebare Consulibus, aliis Ardaburio & Callepio, anno VIII Pontificatus, hoc est Æra CCCCLXXXV, sive anno Christi CCCCXLVII. Mortuum fuisse anno CCCCLX, tradit Prudentius de Sandoval, in tractatu de monasterio S. Turibii Libanensi, ubi asserit S. Turibium pro certo credi oriundum ex urbe Palentina aut ejus vicinia: ejusque sacras reliquias primo depositas in urbe Palentina fuisse, ac postmodum translatas ad dictum monasterium S. Turibii, cujus reliquias enumerat § 9. & ista habet: Asservatur corpus S. Turibii, beatissimi Episcopi Asturicensis, Patroni totius Asturiarum ditionis, quem summa cum devotione venerantur omnes vicinorum montium incolæ: & aliquibus interpositis, ibidem esse tradit duos annulos Pontificales S. Turibii, quibus inest virtus sistendi sanguinem, ob onyches gemmas quas detinent. Asservatur præterea ibi corpus S. Turibii monachi, integro fere seculo junioris S. Turibio Asturicensi, quem Tamajus Episcopum Palentinum fuisse asserit negant Sandovallius, & Gonzales Davila, qui in Theatro Ecclesiastico Ecclesiæ Palentinæ hujus Sedis Episcopos enumerat.

C

Episcopus creatus an. 410,

mortuus circa an. 460.

corpus in monasterio S. Turibii Libanensi;

4 Habitum fuit Concilium Bracarense Æra DXCVIII, sive anno Christi DLX, in quo Lucretius, Metropolita Bracarensis, sic alios alloquitur: Credo vestræ beatitudinis fraternitatem nosse, quia eo tempore, quo in his regionibus nefandissima Priscillianæ sectæ venena serpebant, beatissimus Papa urbis Romæ Leo, qui quadragesimus fere extitit Apostoli Petri successor, per Turibium Notarium Sedis suæ, ad Synodum Galliciæ, contra impiam Priscilliani sectam, scripta sua direxit. Cujus etiam præcepto Tarraconenses & Carthaginenses Episcopi, Lusitani quoque & Betici, facto inter se Concilio, regulam fidei contra Priscillianam hæresim cum aliquibus capitulis conscribentes, ad Balconium, tunc hujus Bracarensis Ecclesiæ Præsulem, direxerunt. Hæc ibi: quæ de S. Turibio intelligenda esse ipsa Leonis epistola, Actis inserta, indicat: & quo eum, ad ista perficienda, honorarat Pontifex titulo, ut esset Sedis Apostolicæ Notarius, eumdem assumit Lucretius Episcopus. Nec audienda Iuliani Petri fabulosa narratio, qua eum ut diversum à S. Turibio Episcopo ostentat: quod prolixe defendere conatur Tamajus. Quia autem S. Leo, in dicto Concilio, congregatis Episcopis cupit imminere Idatium & Ceponium, dicitur Turibius Notarius scripsisse ad Idatium & Sponium, eosque Pontifices præsedisse in Concilio Toletano ut legatos Pontificis, & Idatium fuisse Episcopum Bracarensem. Garsias Loaisa, in suis Notis ad Concilium I Toletanum, deplorat duo Concilia, tunc ex voluntate S. Leonis celebrata, non extare. In Idatii Chronico ista huc facientia num. 23. leguntur: Romanæ Ecclesiæ XLIII præsidet Episcopus Leo. Hujus scripta per Episcopi Turibii Diaconem Peruincum, contra Priscillianistas, ad Hispanienses Episcopos deferuntur: inter quæ ad Episcopum Turibium de observatione Catholicæ fidei & de hæresum blasphemiis disputatio plena dirigitur: quæ ab aliquibus Gallæcis subdolo probatur arbitrio.

cum corpore S. Turibii monachi:

E

appellatur Notarius Sedis Apostolicæ.

5 Quæ vero ante contra Manichæos acta fuerant, ita idem Idatius num. 21. describit: In Asturicensi urbe Gallæciæ, quidam ante aliquot annos latentes Manichæi gestis Episcopalibus deteguntur, quæ ab Idatio & Turibio Episcopis, qui eos audierant, ad Antoninum Emeritensem Episcopum directa sunt. Et num. 24 ista diligentiam S. Turibii insinuant. Pascentium, inquit, quemdam urbis Romæ, qui de Asturica diffugerat, Manichæum, Antoninus Episcopus Emeritæ comprehendit, auditumque etiam de provincia Lusitania facit expelli. Hæc Idatius, qui in antiquo MS. Parisiensi collegii Claromontani, apud Philippum Labbe tomo I Novæ bibliothecæ manuscriptorum, in Syllabo scriptorum, dicitur Aquiflaviensis in Gallæcia Episcopus, ad Tamarum fluvium, traditur is locus nunc Chaves appellari. At quis Priscillianus fuerit, ex Loaisa loco citato, accipe: Hispanus, inquit, familia nobilis, dives, acer, facundus, multa lectione eruditus, pravo studio corrupit optimum ingenium; ex laico & hæresi infecto, Abulæ Episcopus clam factus; ex omnium hæreticorum sentina hæresim hausit, præsertim Gnosticorum, contra quem Leo Papa in epistola ad Asturicensem Episcopum, quæ infra datur, & Augustinus lib. de Hæresibus ad QuodvultDeus scripsit. Cæsaraugustana etiam Synodus adversus eum est habita. Demum gladio seculari interiit.

F

Manichæos expellit.

Quis fuerit Priscillianus.

A

VITA

Ex MS. Legendario Asturicensi.

Præfatio de celebrando festo S. Turibii.

1 IN sancti, ac beatissimi Viri Turibii Episcopi, Fratres carissimi, natalitio die, universa nobiscum lætetur Ecclesia Christi, quam per omnem mundum, & cælestis prædicatio Apostolici sermonis instruxit, & munere salutiferæ doctrinæ decoravit. Fuit enim in hoc sanctissimo viro, cujus diem veneramur, & contra errores diaboli spiritualis sapientiæ plenitudo, & maxime adversus Priscillianos hæreticos, qui pestifera lepra falsi dogmatis sordidabant Christiani pectoris infatigatam constantiam. Hodie, Fratres carissimi, B. Turibii Confessoris Christi annuum festum debitis officiis honoremus, & Christum Regem devotis animis collaudemus, qui illum in præsenti seculo suscitavit, excellentia & sacerdotii dignitate decoravit, & in cælis hodie inter Angelicos choros, æternæ beatitudinis gaudio sublimavit. Hodie B. Turibius Pontifex migravit feliciter à seculo, & à supernæ patriæ civibus honorabiliter receptus est, atque à Domino Jesu Christo, Rege cælorum clarissimam sidereæ regionis mansionem cum ineffabili gaudio recipere meruit. Felix vita ejus, felicem promeruit habere transitum. Transivit enim de morte ad vitam, de mundo ad regnum, de labore ad requiem, de hujus exilii peregrinatione ad patriam, de præsentis vitæ miseria ad æternam beatitudinem.

B

factus Episcopus Asturicensis

2 Fuit igitur hic beatissimus vir, sicut compertum veraciter habemus, natione Hispanus, Gallæciæ regionis indigena, Asturicensis civitatis Episcopus, cultor verus Dei, contemptor sui, religionis amator, Catholicæ veritatis assertor, idololatriæ subversor, & errorum validus expugnator: præcipue Priscillianorum detestabilem hæresim (quæ tunc temporis in Hispania, velut pestifer morbus serpendo, non solum diversarum urbium populos pestifera lepra maculaverat; verum etiam quod magis dolendum est, quorumdam Sacerdotum, qui Ecclesiam Dei regere videbantur, corda invaserat: per quos aliorum error tollendus erat, non sequendus) nisu quo valuit condemnavit, & auctoritate Leonis Papæ, qui eodem tempore Romanæ Ecclesiæ præerat, totis viribus expurgare curavit. Cum itaque præfatus Leo Papa pastorali sui regiminis cura, ad diversarum Provinciarum Episcopos, epistolarum suarum dirigeret scripta, inter ceteros huic beatissimo Viro Toribio, tunc temporis Asturicensi Episcopo, quamdam epistolam, universos errores Priscillianistarum sexdecim capitulis continentem, destinare curavit, in qua sic eum alloquitur.

hæresim Priscillianorum impugnat:

C

à S. Leone Papa laudatus hac epistola,

3 Leo Episcopus Turibio Asturicensi Episcopo Salutem. Quam laudabiliter pro Catholicæ fidei veritate movearis, & quam solicite Dominico gregi devotionem officii pastoralis impendas, tradita nobis per Diaconum tuum, fraternitatis tuæ scripta demonstrant: quibus notitiæ nostræ insinuare curasti, qualis in regionibus vestris, de antiquæ pestilentiæ reliquiis, errorum morbus excesserit. Nam & epistolæ sermo, & commonitorii series, & eloquii tui textus eloquitur, Priscillianistarum fœtidissimam apud vos recaluisse sentinam. Nihil est enim sordium in quorumcumque sensibus impiorum, quod in hoc dogma non confluxerit: quoniam de omnium terrenarum opinionum luto multiplicem sibi fæcem commiscuerunt, ut soli totum biberent, quidquid alii ex parte gustassent. Denique universæ hæreses, quæ ante Priscilliani tempus exortæ sunt, diligentius retractentur, nullus pene invenietur error, de quo non traxerit impietas ista contagium: quæ non contenta eorum recipere falsitates, qui ab Euangelio Christi sub Christi nomine deviarunt, tenebris se etiam paganitatis immersit, ut per magicarum artium profana secreta & mathematicorum vana mendacia, religionis fidem morumque rationem in potestate dæmonum & effectu siderum collocaret. Quod si & credi liceat & doceri, nec virtutibus præmium, nec vitiis pœna debebitur: omniaque non solum humanarum legum, sed etiam divinarum constitutionum decreta solventur: quia neque de bonis neque de malis actibus ullum poterit esse judicium, si in utramque partem fatalis necessitas motum mentis impellit, & quidquid ab hominibus agitur, non est hominum, sed astrorum. Ad hanc insaniam pertinet prodigiosa illa totius humani corporis per duodecim cœli signa distinctio, ut diversis partibus diversæ præsideant potestates: & creatura, quam Deus ad imaginem suam fecit, in tanta sit obligatione siderum, in quanta est connexione membrorum. Merito patres nostri, sub quorum temporibus hæresis nefanda prorupit, per totum mundum instanter egere, ut impius furor ab universa Ecclesia pelleretur; quando etiam Principes mundi ita hanc sacrilegam amentiam detestati sunt, ut auctorem ejus & plerosque discipulos legum publicarum ense prosternerent. Videbant enim omnem curam honestatis auferri, omnem conjugiorum copulam solvi, simulque divinum jus humanumque subverti, si hujusmodi hominibus usquam vivere cum tali professione licuisset. Et profuit diu ista districtio Ecclesiasticæ lenitati; quæ etsi Sacerdotali contenta judicio, cruentas refugit ultiones; severis tamen Christianorum Principum constitutionibus adjuvatur, dum ad spiritale nonnumquam recurrunt remedium, qui timent corporale supplicium. Ex quo autem multas provincias hostilis occupavit irruptio, & executionem legum tempestates interclusere bellorum; ex quo inter Sacerdotes Dei difficiles commeatus, & rari cœperunt esse conventus; invenit ob publicam perturbationem secreta perfidia libertatem; & ad multarum mentium subversionem his malis est incitata; quibus debuit esse correcta. Quæ vero illic aut quanta pars plebium pestis hujus aliena est, ubi (sicut caritas [vestra] indicat) letali morbo etiam quorumdam Sacerdotum corrupta sunt [corda]; & per quos opprimenda falsitas & defendenda veritas credebatur, per ipsos doctrinæ Priscilliani, Euangelium subditur Christi; ut ad profanos sensus pietate sanctorum voluminum depravata, sub nominibus Prophetarum & Apostolorum, non hoc prædicetur, quod Spiritus sanctus docuit, sed quod diaboli minister inseruit. Quia ergo dilectio tua fideli, quantum potuit, diligentia damnatas olim opiniones sedecim capitulis comprehendit; Nos quoque strictim omnia retractemus, ne aliquid harum blasphemiarum aut tolerabile videatur aut dubium. *Hic sequuntur sedecim Capitula; postqua sic:*

quæ explicantur sordes eorum

D

& dogma de fato

à Principibus sæcularibus castigatum:

E

at per bella innovatum;

F

4 Habeatur ergo inter vos Episcopale Concilium, & ad eum locum, qui omnibus opportunus sit, vicinarum provinciarum conveniant Sacerdotes; ut secundum ea, quæ ad tua consulta respondimus, plenissimo disquiratur examine, an sint aliqui inter Episcopos, qui hujus hæreseos contagio polluantur, à communione sine dubio separandi, si nefandissimam sectam per omnium sensuum pravitates damnare noluerint. Nulla enim ratione tolerandum est, ut qui prædicandæ fidei suscepit officium, is contra Euangelium Christi, contra Apostolicam doctrinam, contra universalis Ecclesiæ symbolum, audeat disputare. Quales illic erunt discipuli,

præscribitur Concilium.

A puli, ubi tales docebunt Magistri? Quæ illic religio populi, quæ salus plebis, ubi contra humanam societatem, pudoris sanctitas tollitur, conjugiorum fœdera auferuntur, propagatio generis inhibetur, carnis natura damnatur, contra verum autem Dei veri cultum Trinitas deitatis, negata personarum proprietate, confunditur; anima hominis divina essentia prædicatur, & eadem ad diaboli arbitrium carne concluditur; Dei filius per id quod ex Virgine ortus, non per id quod ex Patre natus est, Unigenitus prædicatur: idemque nec vera Dei proles, nec verus Virginis partus asseritur; ut per falsam passionem, mortemque non veram, mendax etiam Resurrectio resumptæ de sepulchro carnis habeatur? Frustra autem utuntur Catholico nomine, qui istis impietatibus non resistunt. Possunt hæc credere, qui possunt talia patienter audire. Dedimus itaque literas ad Fratres, & Coëpiscopos Nostros Tarraconenses, Carthaginenses, Lusitanos, atque Gallicianos, eisque Concilium synodi generalis indiximus. Ad tuæ dilectionis solicitudinem pertinebit, ut nostræ ordinationis auctoritas, ad prædictarum provinciarum Episcopos deferatur. Si autem aliquid (quod absit) obstiterit, quo minus possit celebrari generale Concilium, Galliciæ saltem in unum conveniant Sacerdotes, quibus congregatis Fratres nostri Idatius & Ceponius imminebunt, conjuncta cum eis instantia tua, quo citius vel provinciali conventu remedium tantis vulneribus adferatur. Data XII Augusti, Alipio & Ardebure vv. cc. coss. Pontificatus Leonis anno VIII, hoc est, Æra CCCCLXXXXV.

scelera hæreseos enumerantur.

B

5 Qua epistola accepta, protinus Romani Pontificis mandata ad debitum executionis fastigium perducere destinavit; ex quo aliqua Concilia in totius Hispaniæ finibus indicta, sacrilega Priscillianistarum dogmata condemnarunt, & Beatissimi Leonis doctrinam ut Catholicam, & ab universalis Ecclesiæ capite dimanatam, totis visceribus amplexi sunt. Quo evenit, ut per aliquam temporis intercapedinem flagitiosa hæreticorum perfidia delitesceret.

Concilia congregat.

6 Cum vero ad Episcopatus apicem, post S. Dictinii obitum, fuerat assumptus, ipso adhuc renuente, Asturicensem Cathedram adscendit quidam ipsius Ecclesiæ Diaconus, Rogatus nomine, qui per varias humanæ conditionis cautelas, infulam tantæ dignitatis ambierat. Sed dispositione divina Turibius illius Diaconi machinamenta confregit, ex quo taliter in sancti viri odium debacchabatur Rogatus, ut quocumque tempore se offerebat occasio, illico insidum animi involucrum propalaret. Sed obstinatione devictus, & invidiæ irritamento protractus, ad majora scelerum pervenit conamina: ideoque sanctissimum Episcopum falso de gravi crimine irreverenter accusavit. Qui ut crimen dilueret, suamque innocentiam publice demonstraret, in Deum oculos convertens, & Exurge Domine, & dissipentur inimici clamitans, carbonem ignis propriis manibus apprehendens, & in rocheto involuens, sic per Ecclesiæ ambitum totum illum Davidicum psalmum intonans, perlustravit, nec in rocheti albedine aliquod non solum læsionis, imo nec maculæ signum est inventum ignis ardentis. Tanto miraculo omnes confusi, Rogatus imposturam confessus, protinus, ut alter Judas, crepuit medius. Turibius agens gratias Deo in posterum ad opera caritatis animum convertit, sperans donec ejus appareret expectatio.

EX TAMAYO.

Diacono ambitioso resistit

accusatus ignem Rocheto illæso portat.

E

7 Denique bonis operibus insudando, obiit XVI Kal. Maji, exultantibus Angelis, terra lugente, cælo gaudente. Ejus sacrum corpus post ejus obitum divina fecit, Christo operante, miracula. Non solum enim in vita signorum gloria inclytus extitit, sed etiam post mortem, virtutibus maximis & miraculis gloriose refulget. Precamur igitur te, Pater venerande, rogamus Præsul inclyte, obsecramus Confessor egregie, Beatissime Turibi, quatenus nobis peccatoribus famulis tuis, adhuc in exilii peregrinatione laborantibus, semper subvenias, preces nostras semper exaudias, afflictionem videas, pericula tollas, postulata concedas, animas nostras salves, & post transitum nostrum cum Rege æterno Jesu Christo, Salvatore nostro æternaliter regnare facias; Concedente eodem Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre & Spiritu sancto vivit & regnat, in secula seculorum. Amen.

mortuus claret miraculis:

invocatur.

DE SANCTO VASIO,

MARTYRE SANCTONENSI IN GALLIA.

G. H.

CIRCA ANNUM D.

Cultus sacer.



Ntiqua apud Aquitanos urbs Santonensis est, ubi plures Sanctorum tabulis adscripti reperiuntur illustres heroës, inter quos, circa annum Christi quingentesimum, floruit & occubuit Christi Martyr Vasius; cujus celebris fit memoria in Ecclesia Santonensi hoc XVI Aprilis, ad quem diem in illius Ecclesiæ Breviario, Pictavii in officina Marnesiorum fratrum anno MDXXXVIII *impresso, præscribitur illius festiva veneratio, & hæ de Vita ejus recitantur Lectiones.*

2 In urbe Xantonica, quidam juvenis, Vasius nomine, claris parentibus natus est, qui divitiarum multarum fuerant possessores, quæ omnia suo filio Vasio reliquerunt. Juvenis autem suæ potestati relictus, sanctæ conventum Ecclesiæ frequentare cœpit assiduus. Ibi divinis intentus colloquiis, audivit monita Apostoli dicentis: Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt: quoniam qui diligit mundum, non est caritas Patris in eo. Quod vir sanctissimus nequaquam surda aure præteriens, cuncta quæ pretiosa habebat vendens, cœpit pauperibus erogare: ingentemque familiam faciens ingenuam, vinculo solvit servitutis, & benignus multis donavit muneribus. Quod moleste ferentes ejus cognati, qui ei ab intestato successuri erant, capitali eum odio prosequebatur, quod hereditate (eam pauperibus largiendo) illos privaret. Ea propter in sancti viri necem conspirarunt, subornatisque cruentis ministris curarunt, ut occideretur: quod & factum est. Ceterum Vasius, terrena illis possessione relicta, cælestem adeptus est.

compendium Vitæ ex Breviario Santonensi:

1 Ioan. 2, 15

3 *Hæc ex dicto Breviario Santonensi ad* XVI *Aprilis: quo etiam die celebratur ejus memoria in MS. Florario Sanctorum, MS. Martyrologio Carthusiæ Vltrajectinæ, & in Auctario Vsuardi per Grevenum Carthusianum Coloniensem. Ast die sequenti* XVII *Aprilis longo eum prosequitur elogio Saussajus in Martyrologio Gallicano. Acta martyrii damus ex duplici MS. Vltrajectino, scilicet Carthusiani monasterii & Ecclesiæ S. Salvatoris, & potissimum ex MS. Bodecensi Canonicorum Regularium in diœcesi Paderbornensi, in quo omnia luculentius continentur cum hoc titulo:* Incipit passio

memoria in Martyrologiis

etiam XVII Aprilis.

Vita ex MSS.

a ex MSS. passio S. Vassii, quæ est XVI Kalendas Maji, *sive* XVI *die Aprilis. Scribitur autem S. Vasius, etiam* Vasio, Vassius, Wassius *&* Bassius.

ACTA MARTYRII

Ex III *codicibus MSS.*

S. Vasius nobilis & dives,

1 IN tempore illo, dum Ariana hæresis Gothorum gentes pulsaret, & terram Galliarum sua perfidia occupasset; erat quidam vir religiosus in pago Sanctonico, nomine Vassius, ortus genere Senatorio: cujus parentes fuerunt valde nobiles, reliquerunt quoque ei divitias multas, aurum argentum & cetera innumerabilia. Cum hic ingrederetur ecclesiam, audivit Apostolicam sententiam explicatam ita intonantem: (1 Tim. 6, 9.) quia divites incidunt in tentationes & laqueum diaboli. Tunc ille reversus in semetipsum, non ut surdus auditor, intelligens mente quæ devotus impleret, cælesti repletus gratia, venit ad domum suam: cœpitque vir beatissimus omnia sua pauperibus erogare, & omnem familiam suam laxare liberam, committens se totaliter cultui divino: deinde illuminatus cælesti fulgore orabat pro indulgentia populi.

sua bona dat pauperibus;

B

2 In his diebus erat quidam vir de *a* vicinis suis, Proculus nomine, vocavitque filios suos, ex quibus unus vocabatur *b* Naumancius, qui dixit illi: Audivi de hærede tuo Vassione, quod omnia sua *c* per suam stultitiam pauperibus dispergere non cesset, & tibi qui heres ejus es nihil reservet: & jam non est amplius super, nisi unus ager ubi manere videtur. At illi respondens filius ait: Si vis ibo, & stultissimum Vassionem ejiciam de hereditate parentum meorum. Placuit quoque sermo Proculo patri ejus. Cognita autem Naumancius voluntate patris sui, venit ad Dei famulum, & dixit ei simulate: Frater Vassio, nonne tu heres meus debes esse? & increpavit eum cur facultates suæ per diversos populos venumdarentur. Cui vir Dei respondit: Tu de hereditate patrum tuorum fac quod vis: ego de hereditate mea cælestem Regem faciam heredem. At ille respondit: Ego legem habeo, & secundum legem hodie te ejiciam de hereditate patrum meorum: iratus quoque ei, cum fustibus & contumeliis de domo sua eum ejecit.

patitur insidias:

ejicitur è suis bonis:

C

3 Sed dum hoc per suam perfidiam factum fuisset, Vassius confidens in Domino, *d* ad Alaricum Regem Gothorum, qui tunc temporis regioni Aquitanorum præerat, perrexit; & omnes injurias, quas à Proculo & filio ejus pertulerat, intimavit. Cumque ejus verba Rex clementer audisset, & quia Deus eum ubique protegebat; iratus valde contra Proculum, jussit Notarium cursim litteras conscribere: & dedit eas Vassioni, & præcepit eas ferre Proculo, ut omnem hereditatem ei redderet. Dixit iterum Rex ad beatum virum: Per Dominum meum juro, si omnia tibi, sicut in his apicibus insertum est, à Proculo impleta non fuerint, & tu iterum pro hac re meis conspectibus comparueris, ego in ira mea vindicabo omnes injurias tuas, & mittam servos meos, qui eum interficiant, & omnia tua tibi restituent. His peractis vir Dei Vassius, egressus à Regis præsentia, venit ad Proculum, & ostendit ei litteras Regis. Cumque eas revoluisset, dixit crudelissimus Proculus ad Vassionem: Propter te modo habemus offensum Regem: sed ego faciam, ut actus nostros amplius Regi non renunties. Tunc vir Dei Vassius repletus Spiritu sancto ait: Ego non sum magus, sicut asseris, sed Dominum meum Jesum Christum tota mente semper dilexi: tu autem & filii tui, sicut lupi rapaces hereditatem meam præoccupasti.

Alarici Regis mandato restituendus in integrum,

incurrit majus odium:

D

4 Ad hæc tyrannus Proculus respondit: Si adhuc stultus iste in conspectu meo steterit, omnes nos in furorem convertet. Tunc jussit ministris suis, ut eum alligarent, & suspensum tormentis afficerent, faculasque ardentes ad latera ejus apponerent. At vir Dei confisus in Domino, omnia quæ illata sibi fuerant, patienter sustinuit: erat enim plenus Spiritu sancto. Tunc furens Proculus crudelissimus, vocavit filium suum Naumancium, & dixit ei: Quid tibi videtur de homine isto, quia nulla ei tormenta prævalent? Naumancius respondit: Videtur ut eas, & postules ei veniam, ut tribuat mihi indulgentiam: dicesque quod omnes agros suos ei restituam crastina die. Tunc iniquissimi in sinistram partem acceperunt consilium iniquum, ut quando ei reddere debuissent agrum, tunc eum interficerent. Cumque misisset taliter diabolus in cor Naumancii; ad virum Dei, ubi clausus in custodia tenebatur, venit: & narravit ei omnia, quæ pater suus mandaverat. Tunc beatissimus Vassius respondit ei: Gratias ago Deo meo, quia quod mihi promittis reddere modo, modico tempore possidebo in hac vita, tamen in æternum possessurus ero. In hoc namque tempore pauca est possessio mea: non enim habeo unde tibi reddere possim tuas assignaturas: sed tamen non dubito de Dei misericordia. Veniam namque crastina die, & reddam tibi assignaturas tuas propter agrum, quem mihi redditurus es. In crastina autem die venientes ad agrum, sanctus vir Dei Vassius, genu flexo ad Naumancium dixit: Redde mihi agrum meum indeficientem, quem possideam in æternum. Tunc iniquissimus Naumancius extracto gladio amputavit caput ejus: ceteri vero hoc videntes dixerunt: O beatum virum, in quo Spiritus sanctus semper erat, & pro caducis accepit regna æterna.

suspensus dire torquetur,

& variis dolis circumventus

E

occiditur capite amputato:

5 Eadem hora præfatus Naumancius impius jussit servos suos, ut levarent corpus ejus, & in abdito loco projicerent, ubi nullus hominum illud potuisset invenire. Tunc ministri ejus levantes sanctum corpus, & ab hora nona portantes illud usque dum illucesceret; mane facto lassabundi & nimium fatigati, viderunt se in ipso loco esse, unde Sancti ac Beatissimi corpus levaverunt. Dixit quoque unus ex eis: Quid faciemus, quoniam nec stare nec ambulare valemus, ubi est iter quod fecimus. Et dixerunt ad invicem: Vere famulus Dei erat iste. Relinquentes vero corpus suum, reversi sunt ad Naumancium. Ille autem ut eos vidit, lætatus est & ait ad illos: Quid fecistis? At illi respondentes dixerunt: Per totam noctem rotantes ambulavimus, & nihil itineris perficere potuimus, sed in eodem loco, ubi eum levavimus, ibi & deposuimus. Sed infelix Naumancius in iram conversus, Post hæc omnia, dixit, ego ibo, & faciam ignem copiosum, & ibidem corpus ejus concremari faciam. Eadem vero hora ingressus locum cremandi corpus miserabilis Naumancius, dum resideret, dixit ad servos suos, deridens beatum virum; Ubi est Vassius, & quare non venit: dixit enim, Reddam tibi assignaturas post prandium tuum. Tunc infelix in vanam lætitiam conversus, in extremo risu omnia interiora sua per posteriora in ipso fœtidissimo loco deposuit, ut juxta merita sua sequeretur eum & pœna: & qui gaudens in seculo aliena diripuerat, sua alioqui miserabilis per judicium omnipotentis Dei simul cum vita perderet: ut omnes cognoscerent crudeli morte necari, qui talem virum necaverat; & digne perpetua in gehenna cruciandus traderetur.

corpus nequit alio transferri,

F

neque cremari;

interfectore ejus misere extincto.

6 Erat

A *sepelitur,* 6 Erat denique vir in tempore illo nobilis & religiosus, nomine Franco, qui ipsum corpus pretiosi Martyris summa cum diligentia linteaminibus composuit, & sic prope fluvium e Carontonis, juxta viam publicam, in sepulcro cum hymnis & laudibus deposuit, & pariter dignum composuit tumulum. Post multum vero temporis cum merita sancti viri & virtutis opinio ad ejus tumulum percrebrescerent, à quacumque infirmitate quis detineretur, veniens ad tumulum ejus mox sanatus est. Longum est narrare mirabilia Dei, quæ per servum suum operari dignatus est. Quo cognito Pontifex, qui à Rege Francorum apud Santones Episcopatum acceperat, quod multa mirabilia Deus ibi ostenderet; inito consilio cum civibus, & ibidem totam noctem in Dei laudibus peregerunt, & super ipsum corpus sanctum dedicaverunt f ecclesiam, & ibi Abbatem cum monachis ordinaverunt: & semper usque hodie multa miracula Dominus ibi operatur per servum suum, qui vivit & regnat Deus per æterna secula seculorum. Amen.

clarus miraculis, *ecclesia cum monasterio exigitur,*

ANNOTATA.

a *MS. Bodec.* de civibus suis.

b *Ibidem,* Naumatius, *fortasse* Naumachius.

c *MSS. Vltrajectina,* pia stultitia, *forsan legendum,* præ stultitia.

d *Alaricus Rex Wisigothorum regnavit ab anno* 484, *usque ad annum* 507; *quo anno in pugna cum Chlodoveo* I *Rege Francorum devictus & occisus est.*

e Carontonus *defluit per Santonicam regionem, & urbem Santonum allust.*

f *Ad dexteram ripam Carontoni, versus castrum Tailleburgum: & sub hujus Archipresbytero est Parochia cum Prioratu* S. Vasii, *vulgo* Saint Vaize: *cujus Patronus est Abbas Cellensis apud Pictavienses.*

DE S. PATERNO EPISCOPO ABRINCENSI ET S. SCUBILIONE SOCIO, G. H.

IN HODIERNA NORMANNIA.

CIRCA AN. DLXV.



Brincis, in Lugdunensi secunda Provincia urbe Episcopali, sub Archiepiscopo Rotomagensi in hodierna Normannia inferiore, haud procul ab Oceano & Britannia Armorica sita, hoc die solenni cultu honoratur S. *Paternus, qui seculo Christi sexto ibi Episcopus fuit, ex Abbate Sesciacensi assumptus. Vbi* Sesciacum, *nonnullis* Scisciacum, *situm sit non æque liquet. Arturus du Monstier in Neustria pia pag.* 67 *arbitratur insulam maris vicinam Constantino pago, antiquis* Cæsaream, *nunc* Jarsey *seu* Gersay *dictam, & cum proxima insula* Garnesaja, *dominio Regis Angliæ subjectam. Verum obstant Acta, in quibus dicuntur* SS. Paternus & Scubilio constituisse in quamdam insulam ire, *sed ab ea mente revocati* Sesciacum se contulisse: *ubi ambo postmodum sepulti sunt. Nos omnibus consideratis opinamur nomen* Sesciacum *abolitum, in ejusque locum successisse* parochiam S. Paterni, *ob cujus reverentiam* Decanatus S. Paterni, *inter alios diœcesis Constantiensis Decanatus, suam est nomenclaturam sortitus, licet sub se contineat Granvillam, urbeculam ad mare munitam, à qua versus Abrincas parum distat dicta* parochia S. Paterni, *vulgo* S. Pair *appellata. Ordericus Vitalis lib.* 13 *Historiæ Ecclesiasticæ ad annum* 1137 *tradit* apud S. Paternum fortissimam munitionem *fuisse, à quodam* Richardo, cognomento Silvano, congregatis undecumque latronibus firmatam: & vicum S. Paterni *contra ipsum* à cohorte militum igni traditum. *Dictam* parochiam S. Paterni *à Richardo* II *Duce Normanniæ subjectam esse Abbati S. Michaëlis in Monte, traditur in Neustria pia, ab eoque jure patronatus suos Parochos accepisse. Addit Mabillon in notis ad supplementum, seculi* I *quod ibi* visantur usque hodie cœnotaphia SS. Paterni & Scubilionis, *ibidemque* anno Domini 1664, I Septembris inventum esse corpus S. Gaudi Ebroicensis Episcopi, *de quo egimus ultima Ianuarii, unde antiqua loci celebritas confirmatur.*

Sesciacum monasterium, nunc est in Gersejæ insula, fed est parochia S. Paterni, C *subjecta Abbati S. Michaëlis in Monte.*

nati S. Paterni circa an. 480, 2 *Fuerunt SS. Paternus & Scubilio contemporanei cum S. Benedicto Abbate Casinensi, & ut ipse potissimum in Italia, sic hi per vicinas diœceses infra numeratas, varia monasteria condiderunt. Nati sunt ambo circa annum* CCCC LXXX, *quod idem de S. Benedicto censuimus: Scubilio forsan ante dictum annum, at post eumdem S. Paternum. Coaluerunt horum animi in monasterio Enesione in diœcesi Pictaviensi, ex quo in pagum Constantinum discesserunt, & ante præfatum Sesciacum incoluerunt.* S. *Paternus in Presbyterum consecratus est à Leontiano Episcopo Constantiensi, forsan circa annum* X *aut* XII *supra quingentesimum, quo tempore dictus Episcopus florebat. Perrexit autem Paternus cum Scubilione in erectione variorum monasteriorum, usque dum septuagenarius in Episcopum Abrincensem est assumptus. Habuit decessorem Ægidium, qui anno* DXLVII *Concilio Aurelianensi subscripsit, cui videtur successisse circa annum* DLII, *ac dein circa annum* DLVI *Concilio Parisiensi* III *interfuisse, tandemque anno* DLXV *diem extremum obiisse* XV *aut* XVI *Aprilis. Fuerat tunc Pascha celebratum die* V *Aprilis, cyclo Lunæ* XV *solis* XIV *littera Dominicali* D. *Proxima autem à Paschate die* S *Paternus discessit Sesciacum, & morbo correptus est, ad quem* S. *Lauto Episcopus Constantiensis accessit, morbi ignarus, atque cum ægro per octo dies mansit, adfuit moribundo, ejusque exequias peregit: quando & corpus* S. *Scubilionis, eodem tempore defuncti, allatum est, & una cum corpore* S. *Paterni sepultum. Carolus le Cointe in Annalibus Ecclesiasticis Francorum rejicit obitum utriusque* in annum DLXIII, quod eo anno littera Dominicali G, decima sexta dies Aprilis inciderit in feriam secundam. *Verum in Actis nihil horum dicitur. Cœpit altera die Paschæ ægrotare, ergo dicto anno, quo Pascha celebratum est* XXV *Martii, per tres integras hebdomadas æger ante obitum decubuisset, quod non colligimus ex Actis: si id aliunde constaret, vel saltem sciremus quo fundamento dicatur Sanctus obiisse* XVI *Aprilis Feria* II, *libenter in istam sententiam concederemus.* E

Presbyter ordinatus circa 510, Episcopus circa 552, mortuus circa an. 565, F

3 *Vita* S. *Paterni, in qua res gesta* S. *Scubilionis continentur, edita est à Laurentio Surio, qui censet eam* satis fideliter, sed valde obscuro stylo conscriptam, itaque in gratiam lectoris orationem aliquanto Latiniorem reddidit. *Nos eam primogenia phrasi damus in pluribus* MSS. *repertam, scilicet Trevirensi* S. *Maximiani, Rotomagensi ecclesia* S. *Viviani, Divionensi bibliotheca Domini Consiliarii de Bojer, & alio Serenissimæ Christianæ Reginæ Sueciæ signato num.* 528, *& in his duobus erat integer Prologus* Fortunati, *qui in ultimo codice* Episcopus *dicitur.*

Vita ex MSS. datur.

A dicitur. Habemus præterea eamdem Vitam, sed stylo magis obscuro, ex MS. Bodecensi apud Paderbornenses, ut videatur Surius simili usus apographo. Eamdem Vitam, sed valde contractam, edidit ex codicibus MSS. Lucas Acherius in Actis Sanctorum Ordinis S. Benedicti seculo 1 pag. 152, postea autem integram ex MS. Domini d'Herouval in Supplemento ejusdem seculi pag. 1100 adjecto sub finem tomi 2. Vivebat eodem seculo sexto Venantius Honorius Clementianus Fortunatus, qui relicto natali solo ex Italia in Galliam venit circa annum DLXII, & multis Episcopis admodum carus extitit, & Pictavii unde oriundus erat sedem fixit, ac postmodum Episcopus fuit. Extant hujus duo poëmata ad Paternum, quem Browerus, & hunc alii secuti putarunt sanctum Episcopum Abrincensem extitisse; quod non satis liquet; saltem in titulo nusquam inscribitur Episcopus, sed in priore, quod extat lib. 3 cap. 32, dicitur Abbas, quem ut talem non potuit agnovisse, maxime ut illi tunc seni codicis emendationem offerret. Potuit potius scripsisse ejus Vitam, aut ab alio scriptam emendasse, etiam antequam Episcopus Pictaviensis crearetur.

à Fortunato Scripta; aut saltem emendata:

4 Antiquam venerationem exhibitam fuisse SS. Paterno & Scubilioni, indicat Martyrologium S. Hieronymi, in illustri ad Sequanam fluvium monasterio Fontanellensi à S. VVandregisilo extructo auctum: ex quo descriptum fuit apographum Lucense, à Francisco Maria Florentinio cum illustribus Notis illustratum: in quod ad XV Aprilis ista verba leguntur intrusa: Depositio S. Paterni Episcopi & Scubilionis Abbatis. Quæ de his Sanctis sumi, non potest dubitari. Excudimus ad tomum 2 Martii Martyrologium genuinum Bedæ ex octo codicibus MSS. è quibus sunt duo ex MSS. Tornacensi & Latiensi, in quibus ad hunc XVI Aprilis ista leguntur: In pago Constantiensi depositio S. Paterni Episcopi & Confessoris. Est non solum Sesciacum, ubi depositus est, sed etiam urbs Episcopalis Abrincensis in pago seu jurisdictione Constantiensi. Eumdem ad dictum diem XVI Aprilis referunt MS. Martyrologium Bruxellense S. Gudilæ, Molanus & alii cum Martyrologio Romano. Saussajus utrumque magno elogio, ex Actis Surianis desumpto, exornat, arbitratus eum altero die Paschatis, ad sedes supernas vitæque immortalis gaudia translatum, & quidem die XVI Aprilis, quod sub regno Childeberti solum contigit anno DXVIII & DXXIX, & post ejus regnum anno DXCI, quos annos non posse assignari illius morti ex supra dictis constat. Observant Sanmarthani in Episcopis Abrincensibus complures, in diœcesi Abrincensi ac in Constantiensi, basilicas Deo sub auspiciis Paterni dicatas esse: & in ecclesia S. Paterni adhuc jacere SS. Paternum & Scubilionem, quotidianis miraculis celebres. At Saussajus tradit S. Paterni corpus, ne Danicæ deprædationi pateret, in Aquitaniam transvectum, Eolduni Biturigum conditum esse in proprii nominis basilica, in qua hodie, quemadmodum toto in Abrincensi Præsulatu, sacra ejus memoria celebris cultu debito condecoratur. Num deinde corpus revectum sit, an utroque loco aliqua ejus reliquiæ asserventur, ipsi inter se disquirant, qui possessionem prætendunt. Colitur in ecclesia & diœcesi Abrincensi S. Paternus Episcopus & Confessor officio Ecclesiastico sub ritu duplici secundæ classis. Huic urbi proxime adiacet parochia, vallis S. Paterni dicta, mari vicina.

cultus 15 B & 16 April. C ecclesia illi dicata, reliquiæ adservatæ.

5 In MS. Florario Sanctorum & auctario Greveni ad Usuardum dicitur Episcopus Pictaviensis, qui melius in Litaniis Pictonicis invocatur S. Paternus Episcopus Abrincensis, & Castaneus de la Rochepozay Pictavorum Episcopus, in suis ad dictas Litanias notis, elogium ejus habet pro XVI Aprilis. In urbe Aurelianensi est ecclesia Parochialis S. Paterno dicata, uti etiam apud eosdem Aurelianenses aliquis Prioratus Ordinis S. Benedicti. In Cenomanensi urbe construxit S. Aldricus Ecclesiam S. Stephani, & in sinistra parte Ecclesiæ tertium altare consecravit, & in eo posuit reliquias S. Paterni & aliorum Sanctorum. In diœcesi etiam Cenomanensi haud procul Alenzonio est parochia S. Paterni, & Prioratus S. Paterni. Ferrarius in Catalogo generali, urbi Arausioni prope Avenionem adscribit ad hunc diem etiam S. Paternum Episcopum: sed qui non est alius à S. Paterno Abrincensi, urbibus Gallice Auranche & Orange non satis distinctis. Sunt ambo SS. Paternus Episcopus Abrincensis & Scubilio Abbas inscripti Martyrologiis Benedictinis VVionis, Dorganii, Menardi & cum longissimo encomio Menologio Bucelini. Vitam etiam ejus, ut diximus, miscuit Acherius Actis Sanctorum Ordinis S. Benedicti: sed in Indice Sanctorum ante primum tomum non præfixit asteriscum eoque significavit eum à se non admitti inter germanos S. Benedicti alumnos, quod ex supra dictis satis liquet.

cultus apud Pictones, D Aurelianenses, Cenomanes & Benedictinos.

6 Alia controversia occurrit an S. Paternus, à variis relatus ad diem XXIII Septembris, sit dictus Episcopus, de quo hic agimus. Martyrologium MS. Usuardi, quod Parisiis asservatur in monasterio S. Germani de Pratis, ubi is vixit & scripsit, ista habet: In territorio civitatis Abrincæ, S. Paterni Episcopi & Confessoris. Eadem habentur in antiquo MS. nostro, sub nomine Bedæ ante sexcentos annos exarato; & in MS. Ultrajectino Ecclesiæ S. Mariæ, ante quingentos annos conscripto. Verum quia Sesciacum monasterium, in quo obiit S. Paternus Episcopus Abrincensis, fuit in diœcesi Constantiensi, passim in aliis MSS. Usuardi legitur: In territorio civitatis Constantiæ S. Paterni Episcopi & Confessoris. Ita etiam habent Bellinus, Molanus, Maurolycus, Galesinius & passim alii, cum Hagiologio Franco-Galliæ, ex antiquo Martyrologio à Philippo Labbe edito. In MS. Germanico Canisii subjunguntur ista: Item S. Scubilionis Confessoris, & discipuli S. Paterni Episcopi. Quæ eadem de utroque leguntur apud Grevenum in auctario Usuardi: & cum aliquanto majore elogio de S. Paterno in MS. Florario. Hæc latius deducta sunt, quod citato Usuardo ista ad dictum XXIII Septembris legantur in hodierno Martyrologio Romano: In territorio Constantiensi S. Paterni Episcopi & Martyris, & in notis ista adduntur: Ponitur hic primus ejus Sedis Episcopus in Tabulis Ecclesiæ Constantiensis, quas descripsit Demochares libro de Sacrificio Missæ. Verum humanum est, subinde inter multa studia memoriam obrui, & in nonnullis aberrare. Extat Catalogus Episcoporum Constantiensium apud Democharem lib. 2 pag. 39, & numerantur Episcopi LXXII absque ullius Paterni mentione; primi autem sunt Ereptiolus, Exuperantius, Leonatus, Possessor, &c. Iidem etiam referuntur à Claudio Roberto & Sanmarthanis in Gallia Christiana, nec meminerunt Paterni; cujus etiam nulla mentio fit in Breviario Constantiensi, quod habemus ibidem anno MDCIX excusum. Saussajus ad dictum XXIII Septemb. ista de unico Paterno scribit: Eodem die in agro Constantiensi repositio S. Paterni Episcopi Abrincensis & Confessoris, cujus colitur beatus transitus die XVI Aprilis.

qui 23 Septembris colitur, E non bene dicitur ab hoc diversus & Ep. Constantiensis fuisse. F

VITA

A

VITA

Auctore Fortunato Episcopo

Ex variis codicibus MSS.

PROLOGUS.

1 DOmino sancto & meritis venerabili, toto sinu pectoris amplectendo in Christo Patri, *a* Marciano Abbati, Fortunatus humilis. Magnæ caritatis profert testimonium, cujus curam in amico nec mors subtrahit post sepulcrum. Nam qui famâ [habere] amatoris studet ut post obitum, ipsam memoriam fortiter diligit in defuncto: denique affectus viventis toto bibit pectore, quem nec sepultum abstulit oblivio de sermone. Quo voto sollicitante, Pater venerandissime, de B. Paterni opinione tam celebri injungere non distulisti, à nobis aliqua loquente pagina promulgari. Qui certe vir Apostolicus nec apud vos in oblivione, nec apud nos absens est in virtute: cum magis sacratis actibus nunc veram vitam possideat, in qua mors non invenit quod extinguat; nec vis habet ultra quod noceat, cum sub pede Justi potius ipsa succumbat, & conteratur calce, quæ quondam fuerat in timore, confidens illi se supplicem, quia in gloriam plaudentis respicit, quem invasit; & magis ordine converso *b* didicit timere mors mortuum. Quod opus, *c* licet impar ad istud, quia tu mihi commiseris, tamen ad obediendum libentissime iuvadam & in tua jura transcribam: quia apud diligentem sufficit ipsum velle, si deficit posse: quippe ubi devota est caritas, voluntas major est quam facultas: nam placere vult integre, qui causa obedientiæ etiam suas vires transcendit. Unde quia ultra se tendit & plus quam valet appetit, amor mensuram non habet. Ita quia præ dilectione & in his quæ supra me sunt, debitorem me profiteor, quantum valuero affectuum fœnora solvere procurabo: sed tamen & cum solvero, plus debeo; quoniam caritati numquam totum redditur quod debetur. *d* Religiosorum hominum gesta prædicabilia, sub crescente virtutis profectu adulta, ac venerandis opibus in cumulum sacræ benedictionis educta, miraculorum fidelium jam transmissi temporis testimonio sunt declarata, ac vivacibus mentis oculis, & si non teneantur in paginis, affixa: quia extrinsecus advena teste non indiget, qui domesticæ gloriæ documentis excellit. Quia tamen corroboratur grex devotus Pastoris suffragio, quoties præmissarum virtutum ipsius recreatur auditu: *e* quæ ad nostram notitiam perlata sunt de gestis & conversatione beati Antistitis Paterni, ad profectum audientium, utcumque denudare satagimus.

B

C

ANNOTATA.

a Marcianus *videtur Abbas fuisse* Sesciaci *aut certe Ansianensis monasterii, de quo mox agitur.*

b *Addebatur in MS. Reginæ Sueciæ*, feliciſſimo triumpho.

c *In MS. Divionensi*, licet impar adituri, quam materiei commiseris: *alibi*, licet impar in re ista dicturi, quam ante mihi commiseris: *ut sensus clarus haberetur, dandum aliquid conjecturæ fuit.*

d *Hinc incipit Prologus in MSS. Trevirensi & Bodecensi, uti apud Surium: Acherius pro* hominum, *legit*, Actuum.

e *Sequentes lineæ sunt in MS. Bodecensi.*

CAPUT I.

Ortus, vita monastica in patria & Constantino pago.

2 SAcratissimus igitur Paternus Pictavus, civis Aquitanicæ regionis, juxta seculi ordinem generosis parentibus & exterius in administratione publica olim occupatis procreatus, sanctis moribus institutus est. Hic à Julita matre, *a* fere sexaginta annorum vidua, enutritus; cælesti inspiratione à primis infantiæ annis maturæ vitæ fræna suscepit, & in monasterio *b* Enesionis jugum Dominicæ culturæ monachicum gestaturus [habitum] expetivit. Cui mox ab Abbate suo ad dispensationem cellarii deputatus, in ipso primo gradu dedit indicium, se ad multa gubernanda, distribuente Domino, Pontificem mox futurum. Cujus mater jam converso infantulo cum tunicam vellet facere, orditam telam casu super *c* tectum posuit. Quæ subrepta ab ave, quæ dicitur milvus, & in nidum suum portata, post expleta unius anni spatia reperta est incorrupta: ita ut stamen ejus nec hiemalis imber nec fervor æstivus filo putrescente solverit, sed integra perstiterat, ac si tunc fuso torquente de manu lanificæ pendula processisset.

Paternus pie educatur

a

b

fit monachus.

c

E

3 Dum hinc se ad majorem virtutem ab adolescentibus adhuc annis extenderet, ac terminum periculosæ ætatis transiliret, consilio inito cum Scubilione ejusdem cellulæ monacho, propter amorem Christi, relictis parentibus, in Constantino *d* pago se libenter elegerunt fieri peregrinos pari contubernio, solum deportantes Psalterium. Tunc S. Scubilio, licet esset senior, videns S. Paternum suis meritis multum honorandum, ad fratrem sibi coæquandum, suum dimisit pallium. Cui dum in quamdam insulam, propter solitudinis amorem, ut ibi procul mundo, Deo proximi vacarent, ire constituissent; ab ea mente revocati sunt *f* à quodam viro sancto, nobili & timorato, qui rogavit eos ut *g* Sesciacum se conferrent, ut loci populum à superstitione & idololatria sua converterent, & eum Jesu Christi fidem docerent. Tunc igitur versus *h* speluncam euntes, invenerunt cæcam plebem multam, sua ibi orgia & deorum festa celebrantem: quam hortati sunt zelanter idola relinquere, & Deum verum ut salvi fierent adorare, & baptismum suscipere, propter eum qui fecit eos. Sed maledictus ille populus, malitiose occludens aures tam sanctis ac salutaribus monitis, eorum sermonem spreverunt, & cum magna contumacia dæmoniorum suorum horrenda sacrificia perfecerunt. Nihilominus sanctus Paternus & sanctus Scubilio munientes se signo Crucis, armati constantia & scuto fidei, scipionibus suis everterunt ollas & cacabos, in quibus miseri illi idolorum cultores coquebant carnes, quas simulacris dedicaverant. Non timebant enim viri Dei vitæ suæ, sed zelo erga Christianam fidem & Dei gloriam animati, cupiebant sanguinem suum pro Jesu Christo fundere. Tamen, quamvis barbara multitudo esset copiosa, & illos posset occidere facile, nihilominus immisit Deus in eam talem horrorem, ut ad suam cavernam uterque redierit salvus & incolumis.

SS. Paterni & Scubilio

d

in pagum Constantiensem discedunt:

e

f

g

Sesciaci

h

idololatris docent fidem Christi:

F

ollas & cacabos evertunt,

ad martyrium subeundum parati:

4 Verum attamen est, quod impudica & sine fronte mulier, ut eos pudore afficeret elatis à tergo vestimentis posteriora illis sua monstravit. Quod impune non tulit Deus: quia nates ejus statim ulceribus innumeris putruerunt, quæ sanari non potuerunt, nisi petita à servis Dei venia.

punitur mulier in eos contumeliosa.

AUCTORE FORT. EP. EX MSS.

5 S. Paternus imprimis erat misericors & eleemosynarius juxta posse suum. Nam cum in cellula sua aliquando non haberet nisi medium panem pro se & socio, illum dedit pauperi: unde Scubilio irascens tantisper indoluit, quia incipiebat esurire, & nesciebat unde haberet: nec famem pati permisit: sed esurienti victum impertiit. Nam sine mora *k* Witherius, primus eorum discipulus, inter jejunia sera, intulit xenia copiosa, & multiplicavit cibaria refectione dilata; ac sic intra horæ momentum, id quo indigebant, cum magno gaudio receperunt. Itaque refectione peracta aqualis liquor deerat plurimum illum sitientibus: quia tanto magis caro desiderat pocula, quanto plus saturitas exardescit post escam. Mox in oratione prosusi Christum precantur, ut suis famulis aquam tribuat in deserto, qui dedit in Horeb Israëliticis populis aquam in abundantia de durissima petra. Hinc à divinitatis auribus è vicino exauditis precibus, ut B. Paternus tetigit de baculo humum, fons erupit ab abysso, & ita repente exilivit, ac si Moyses alter virga perforante aquam extraxisset è lapide.

dato in eleemosynam pane, *k*

accipiunt cibos,

& potum ex fonte excitato.

ANNOTATA.

B

a *Surius*, jam à duobus annis vidua, *at in omnibus MSS. legitur* sexaginta fere annorum vidua, *quasi ad illum ætatis suæ annum vidua eum educavit per 12 aut 15 annos.*

b *Aliis* Enessione, Enexione, Enixione, Hensione, *nunc creditur* monasterium S. Jovini de Marnis *esse, diœcesis Pictaviensis, de quo agendum erit ad Vitam S. Iovini 1 Iunii.*

c *MS. Rotom.* domum.

d Pagus Constantinus, *Normanniæ pars versus Occidentem ad Oceanum Britannicum, vulgo* le Coutantin.

e *Alias* divisit: *quærit autem hic Ms illon, cur Scubilio senior, non etiam Paternus, gestaret pallium? & suspicatur quod sicuti apud Græcos novitii non utebantur pallio: sic solos seniores eo uti solitos in Enessione monasterio.*

f *Aliqua MSS.* vir quidam nobilis, amabilis Deo, timoratus, rogavit, *alia MSS.* vir quidam, nomine Amabilis, Deo timoratus &c.

g *In aliis MSS. & Surius* Seisciacum, *de quo supra egimus.*

h *Aliqua MSS. vocant* receptaculum cavernæ, circa sinum montis.

i *Aliqua MSS. addunt* per anni spatium.

k *Surius & 2 MSS.* Witheus, *MS. Reginæ* Withenus: *aliud MS.* Matthæus.

C

CAPUT II.

Virtutes, Sacerdotium, & miracula S. Paterni.

6 Cujus rei crescente fama, vir venerabilis Abbas eorum *a* Generosus, post triennium ad requirendos monachos, tam bene ad Christum fugitivos, perrexit. Quibus inventis agnoscit S. Paternum in valde arduam vitam conscendisse, ita quod præter panem & aquam, vel olera sale condita, nulla sumebat edulia. Aspectum vero non solum à feminarum, sed etiam ab amicorum removebat præsentia, ut ab omnibus remotus melius expectaret adventus Angelicos, & cresceret in divinitate, quod deesset in homine. Lectulo numquam utens, lectuaria nesciens, in pluma numquam se reclinans, veste una & eadem die & nocte contentus, pro molli lana hirsuto cilicio se induebat: ut inter horas soporis & quietis non esset requies corporis, & mutato ordine adhuc post peractum diem nox succederet in labore. Quod Abbas suus conspiciens esse ultra propositum regulæ, velut impatientem fræni equum *b* ad moderata revocavit jejunia, imperans ne reclusus esset tam ardue, ut virorum conspectu vel colloquio se fraudaret. Insuper ut cellulas, quas ipse construxerat, *c* vicariis vicibus visitaret. De quo, quia de bonis parentibus esset, tam à Pontifice *d* Leontiano quam civibus testificatum est. *e* Quem in loco commendans, B. Scubilionem revocans ad monasterium secum, parvo intervallo ad fratrem redire permisit.

a *S. Paternus à priore Abbate inventus,*

in nimia vita austeritate,

moderari eam jubetur;

D *b* *c* *d* *e*

7 Dehinc vir Dei Paternus à S. Leontiano Diaconus ac Presbyter factus, quantum dignitate creverat tantum virtutibus se honorabat. Gemellis cultoribus tantum in Sesciaco adolescebat gratiæ fructus, de verbi semine genitus, ut fanum profani cultus ereptum hominibus, deputaretur pectoribus, & insensatus locus fieret animalium cultura. Spelunca vero, quæ tales accolas excepit, tam nobilis floris odore fragrare cœpit, ut velut de patris fundamine matrisque alveolo, cum totius Religiositatis nectare nata atque nutrita, monachorũ plurima funderentur examina. Denique per civitates *f* Constantiam, Bajocas, Cenomanum, Abrincas, Rhedones, per eum multa Domino fundata sunt monasteria, cujus dominicis indiciis claruit fides per opera, & vita sancta per signa.

creatur Diaconus & Presbyter:

multa condit monasteria: *f*

E

8 Itaque in Sesciaco quadam vice *g* Arastes quidam offert ei ancillam suam, in officio linguæ mutam. Tunc sanctus vir, puellæ labiorum loca manu contrectans, vidit quod nullatenus aperire poterat dentium stricturam. Qui mox benedicens oleum, ubi signavit maxillarum compagines, continuo redierunt, quasi fuissent catenarum fragmenta collisa. Ergo in ore ejus præfatum liquorem ponens, interrogat quid haberet, quod taceret? Ad quæ, quæ muta tacuit, per verba respondit.

g *reddit mutæ loquelam,*

9 Item cum de Sesciaco abscessit Abrincas, petiit à Fratre Scubilione, ut duos pullos columbarum, quos ipse nutriverat, secum auferre permitteret. Quod ille negavit, dicens; Pro tua præsentia vel columbarum tuarum reliquias teneam. Cui Paternus ait: Quem plus amant apud ipsum permaneant. Qui cum ad monasterium fere decem & octo milliariorum spatio pervenisset; altera die ibidem duæ illæ columbæ velociter illi occurrerunt, ut itineris ejus, ubi signa non videbant, sequerentur vestigia. Sic B. Paternum, desiderium ejus adimplentes, aves secutæ sunt: si quidem satis dignum erat, quod spiritualem virum columbæ sequerentur.

columbas à S. Scubilione negatas,

ultro secutas accipit:

F

10 Apud Abrincas cujusdam Ursi possessoris ancillæ, morbo contrahente, manus se collegerant, nec poterant devolvi: nam fila digitorum erant glomerata. Mox tamen ut orationem B. Paternus explicuit, contractarum manuum se tela distendit: & reddita sanitate cœperunt digiti licia nervorum temperare.

contractas manus sanat.

ANNOTATA.

a *Ita MS. Rotomag. At MSS. alia tria cum Surio, transpositis verbis* vir venerabilis Generosus Abbas. *In MS. Bodecensi deest vox* Generosus, *in aliis non dicitur* nomine Generosus, *ut possit censeri appellativum, non proprium nomen. Fuit S.* Generosus Abbas Ausionensis; *sed qui sequenti seculo dicitur vixisse in veteri Lectionario, nisi sit error: quod ad 10 Iulii erit examinandum, quo die colitur in monasterio Ausianensi, & in ecclesia Prioratus S. Generosi, vulgo* S. Generone, *in qua ejus reliquiæ servantur.*

b *Addunt 2 MSS,* per imposita fræni pondera. *Surius,* imposito quodam fræni retinaculo.

c Dicta

A c *Dicta 2 MSS.* in carro vicibus visitaret.

d Leontianus, *in MS. Rotomag.* Leontinianus, *fuit* Episcopus Constantiensis: *subscripsit Concilio Aurelianensi 1 anno 509. pro quo in Notis Sirmondi, ex Mss. Remensi & Bellovacensi, legitur:* Ex civitate Briovere Leontius Episcopus. Briovere *teste Sirmondo*, vetus nomen urbis, priusquam ibi Castra Constantia figerentur.

e *In MS. Bodecensi hæc ita amplificantur:* Præfatus itaque Abbas, cum Paternum omnibus Fratribus & mundi Principibus satis commendasset, & in eodem quo degebat loco confirmasset; tum Scubilionem ad monasterium redire præcepit; & in aliquibus correctum, post modicum tempus, ad Fratrem Paternum redire permisit.

f *Sunt quinque urbes Episcopales, quarum diœceses intelliguntur: tres in inferiore Normannia hodierna, Constantia, Abrincæ, Bajocæ, iis vicinus ager Cenomanensis, & in Britannia Superiore Rhedones.*

g Arroastes *etiam &* Oroastes *scribitur; &* Presbyter *dicitur &* Pastor.

CAPUT III.

Iter ad Childebertum Regem, Episcopatus, Obitus.

B 11 Hinc fama percurrente, prece multa a Childeberti Regis compulsus est glorioso Regi Childeberto Parisiis in carro cooperto reclusus occurrere. b Mantela vico, quidam Puer Milevo nomine, à serpente percussus est, quo iam exanimante sanctus vir accessit, ne puer morte interveniente decederet. Itaque facto Crucis signo, & olei liquore perfuso, penetratum venenum tali curavit antidoto. Quo etiam in loco, ad rerum testimonium, in ejus nomine & Christi basilicam condiderunt. Cujus Spiritualem adventum Parisius immundi spiritus agnoscentes, de obsessis corporibus in fugam conversi sunt. Pariter autem qui frigoribus torquebantur incolumes effici meruerunt. Nec morbus ullus illic prævaluit, ubi talis medicus unguenta produxit.

a Ad Childebertum Regem vocatus,
b sanat à serpente ictum,
& alia signa facit.

12 De hinc cum Sacerdos pro pauperum remediis aliquid Regi suggessisset, tunc Childebertus c Crescentiano imperat, ad quem cura publica pertinebat, ut quod ei B. Paternus injungeret, expediret. Quod ille promittens implere, mentitus est: profectusque ad partes Burgundiæ, prædicto sanctissimo nesciente, per biduum Crescentianus erravit excæcatus. Crescentianus culpam reminiscens, unde illum tam repente tenebrosus error invaserit, regressus velociter impetrata venia, ut culpa corde exiit, oculos lux intravit, & doctior post cæcitatem jussa servi Dei complevit, ut ex hoc crederetur, luminaria mentis magis quam corporis recepisse.

c ob sui neglectum
C *excæcatum illuminat.*

13 Qui cum septuagenarius Abbatis officio cum virtutibus fungeretur, & in cellula sua, quam primum Sesciati ædificaverat, quiesceret, quadam nocte, visus est ei ipse locus claritate magna perfusus, & ad eum venientes in visione qui ad Deum migraverant d Melanius e Leontianus & f Vigor Episcopi, eum per revelationem ordinaverunt Antistitem. Tunc ipse stupefactus, quamvis ea apud se retinens tunc non propalaverit, post tamen declaravit. Nam nec longo intervallo, ad supplicationem tam plebis g quam Principis, Abrincis Pastore decedente successit, recusare non poterat quod jam secreta Dei dispensatione portentatum fuerat. Igitur effectus Pontifex ita se in ædificatione novarum ecclesiarum vel restauratione exercuit, domorum recuperatione succinxit, culturæ utilitate apposuit, pauperum administratione profudit, ut esset in singulis mirabilis & in omnibus singularis. Illud memoriæ non infraudabitur. Cum quadam vice in h Tendenaeo villa, severo comite advenisset, quædam femina, civis Rhedonica, ei in oratione oblata est muta. Tunc à sancto viro oratione completa, statim mulier longa rupit silentia, nec inimico mutitatis servivit diutius.

in visione à 3 Episcopis visus creari Episcopus
d e f
ac dein ordinatus Episcopus Abrincensis,

AUCTORE FORT. EP. EX MSS.
h muta loquelam reddit:

14 Cum tertium decimum annum vir Dei ageret in Pontificatu, statim altera die Paschæ, cum Fratres in Sesciaco visitare cuperet, in infirmitatem irruit; pariter autem Scubilio, in i Mandanensi Monasterio, in infirmitatem incidit. Dirigunt ergo ad se invicem, ut priusquam de seculo discederent se viderent. Tunc missi sese obviantes in itinere, B. Scubilionem monent, ut Fratri suo occurreret, sed brachio maris opposito non valuit nocturno tempore transfretare. Attamen cum sancti fere tria millia spatia interessent, eadem nocte B. Paternus una cum Fratre suo prædicto, glorioso & nobili in triumpho, felici viatico; cum choro Angelico, in cælesti senatu, de terrenis pias animas emiserunt ad Christum seque mutuo in gloria repererunt. Quemadmodum autem k Lauto Episcopus, qui ibidem ante dies octo ad visitandum eum, nesciens ejus morbum, advenerat; ad basilicam in Sesciaco B. Paterno impendit & deduxit exequias: sic l Lascivius Episcopus S. Scubilionem ad eamdem basilicam deducens, funeri alterius accessit; & continentes chori in unum nescientes convenerunt: m & sanctissimi viri orationis locum, quem ædificaverunt, pariter eadem die occupaverunt, felici sub transitu: ut nec mortis casus divideret, quos semper una vita conjunxit: ac simul uno momento cum altero alter sepultus est, cum & in peregrinatione alter alterum secutus est. Sic Redemptori nostro, amatori unico, electi de seculo meritis felicibus occurrerunt, miracula facientes post obitum, qui beatis operibus vivunt integri post sepulchrum.

i
eodem quo socius tempore obit
k
l
& eodem loco sepelitur.
m
E

ANNOTATA.

a *Childebertus in tetrarchia factus Rex Parisiorum, à morte patris Chlodovei 27. Novemb. anno 509 defuncti, regnavit usque ad 6 Decemb. anni 558.*

b *In MS. Rotomag. Antela in aliis Mss. magis confuse nomine,* Mentelavico *scribitur. Sur.* Milevico puer. *Videtur* Mante *oppidum esse ad Sequanam.*

c *Surio & aliquibus Mss.* Crescentio *& infra* Crescentius.

d *S. Melanius Episcopus Rhedonensis, cujus Acta 6. Ianuarii dedimus, fuit cum Leontiano in Aurelianensi Concilio anno 509, & vixit ad annum circiter 530.*

F

e Leontianus, *etiam in Mss.* Leontius, *& à Surio* Lucianus *scribitur, quem Episcopum Constantiensem fuisse suprà dictum est.*

f S. Vigor *fuit Episcopus Bajocensis, colitur Kalendis Novembris. Saltem ante annum 537 mortuus, quia tunc Leucadius Episcopus Bajocensis interfuit Aurelianensi 3 Concilio. Perperam à Surio* Beor, *in Mss. etiam* Vehor *&* Victor *legitur. In Mss. Rotomag. & Reginæ Sueciæ* Vigor *recte dicitur.*

g *Is fuit* Ægidius, *qui anno 547 Concilio Aurelianensi interfuit.*

h *Ms. Reginæ* Teudeciano. *Ms. Bodec.* Theodeciaco, *Ms. Trevir. & Surius* Theodesiaco.

i *In aliquot Mss.* Maudanensi, *quod forsan esse S. Michaëlis in Monte supra insinuavimus. Aliter dictum* Maduinium, Maduinum, *vel* Malduinium *arbitratur Arturus du Monstier in Neustria pia pag. 68. Sammarthani indicant* Maclovìense monasterium. *Non videtur tam procul abfuisse.*

k Lauto, Episcopus Ecclesiæ Constantinæ vel Brioverensis, *hac formula subscripsit Concilio Aurelianensi 5. an. 547. Inscriptus est Martyrol. Romano ad diem 22 Sept.*

 l Lasci-

A l Lascivus Episcopus, *Concilio Parisiensi 3 subscripsit circa an. 556. sed cujus loci fuerit, non indicatur. In Mss.* Laudus *etiam, & à Surio* Lauscius *scribitur. In Bodecensi Ms. dicuntur* duo è vicinis civitatibus Episcopi, *neutro nomine expressa.* D

m *Sequentia sunt ex Mss. Trevirensi & Regina. In Romagensi hac solum erunt:* & Sanctorum corpora simul cum gaudio inhumarunt.

DE SANCTO FRVCTVOSO

ARCHIEPISCOPO BRACARENSI,

ET MULTORUM COENOBIORUM INSTITUTORE.

G. H.

ANNO DCLXV.

Creatur an 656 Archiep. Bracarensis

ante Dumiensis Episcopus.

Hispania viris præcipuis, *qui seculo æra Christiana septimo floruerunt, merito accensendus est* S. Fructuosus, *qui præter plurima à se constructa monasteria, & Regulam duplicem his præscriptam, creatus est ex Episcopo Dumiensi Archiepiscopus Bracarensis, anno Christi* DCLVI; *quem unicum characterem temporum, de ejus ætate, habemus in Concilio Toletano decimo, habito* die Kalendarum Decembrium, Æra Hispanica DC XCIV. *Nam ibidem Episcopi congregati, post Potamium depositum alicujus flagitii reum, ista subjungunt:* Tunc venerabilem Fructuosum, Ecclesiæ Dumiensis Episcopum communi omnium nostrûm electione, constituimus Ecclesiæ Bracarensis gubernacula continere; ita ut omnem metropolim provinciæ Gallæciæ, cunctosque Episcopos populosque conventus ipsius, omniumque curam animarum Bracarensis Ecclesiæ, gubernandam suscipiens, ita componat atque conservet, ut
B & Dominum nostrûm de rectitudine operis sui glorificet, & nobis de incolumitate Ecclesiæ ejus gaudium præstet. *Hæc ibi. Quamdiu in illa dignitate vixerit potuit ex antiquis monumentis Ecclesiæ Bracarensis collegisse Rodericus à Cunha, ejusdem Ecclesiæ Antistes, qui duos de Episcopis Bracarensibus conscripsit idiomate Lusitanico tomos, & alium tractatum Latinum de Primatu Bracarensis Ecclesiæ in universa Hispania, cui subjungit Catalogum Episcoporum, in quo dicitur* Quadragesimus primus S. Fructuosus, & miraculis ac sanctitate clarus obijsse anno DCLXV, colique ejus Festum XVI die Aprilis. *Successores collocantur,* Quiricus, postea Toletanus; *&* Leodisius, *qui præfuit* IV Concilio Bracarensi anno DCLXXV. *Quo autem anno consecratus fuerit Episcopus Dumiensis, non liquet: cum solum iste ejus Episcopatus indicetur verbis Concilii Toletani jam relatis. Est autem Dumio monasterium prope Bracaram, à S. Martino, inde Dumiensi dicto, ædificatum (cujus ipse fuit primus Abbas & Episcopus) & ob ejus honorem in Sedem Episcopalem erectum, ut latius diximus XX Martii ad hujus Vitam, & Kalendis Martii ad Vitam S. Rudesindi pariter Episcopi Dumiensis. § 3, ubi enumerantur hi successores* S. Martini, Ioannes, Benjamin, Germanus, Pimenius,
C Recimirus, Aucanchimarus, S. Fructuosus, Vincentius: *de quibus & aliis successoribus consule à Cunha prima parte Historiæ Ecclesiasticæ Bracarensis cap 88.*

obit an. 665.

Vitam edidit Sandovallius

sed mendis refertam:

eam damus ex Ms. Bracarensi,

2 *Vitam S. Fructuosi edidit Prudentius Sandoval, sub calcem libri de Fundationibus antiquorum monasteriorum Hispaniæ, acceptam ex membranis cœnobii S. Petri de Arlanza, anno Christi* DCCCCXII *exaratis; quam recuderunt Tamajus Salazar ad hunc* XVI *Februarii, & Acherius ac Mabillon seculo 2 de Actis Sanctorum Ordinis S. Benedicti, conquesti* mendis prope infinitis refertam esse, partim ex amanuensium vitio, partim ex ipsius Auctoris Barbarie. *Aliud hujus Vitæ apographum nobis è Lusitania transmissum est multo correctius, prout extat in membranis Bracarensibus monasterii ipsius* S. Fructuosi, *quod modo spectare dicitur ad* Religiosos de pietate; *erantque* præfixa insignia Iacobi de Sousa Archiepiscopi Bracarensis: *quem Rodericus à Cunha appellat,* virum inclytum, hujus urbis instauratorem, obiisse anno MDXXXII, cum sedisset annos XXV; *ut videatur ejus auctoritate approbata vita illa, aut ejus donatione ad dictum monasterium devenisse. Ambrosius Morales, lib. 12 Chronici Hispanici cap. 35, scribit se Vitam S. Fructuosi accepisse ex antiquo Sanctorali insignis monasterii de Carrazedo Ordinis Cisterciensis in Bergidensi territorio, de quo infra in Vita agitur. Eratque hæc Vita juncta cum operibus Valerii Abbatis, unde conjicit ab hoc fuisse conscriptam: quam conjecturam assumpsit Sandovallius, non in præfatione sua ante hanc Vitam, sed in descriptione monasterii S Petri de Monte, in dicto Bergidensi territorio à S. Fructuoso constructi. Secutus Tamajus Salazar, & sub dubio Ioannes Mabillon; eo quod, inquit,* inter hancce Vitam & Fragmentum Sermonis ipsius S. Valerii, in Concordia Regularum cap. 2 57 E relatum, nonnulla videatur styli diversitas. *De Valerio egimus* XXV *Februarii inter Prætermissos, quod non satis de publica veneratione ejus essemus instructi: sicut necdum sumus per ea quæ scripsit Mabillon, aliquod ejus elogium texens pag. 1042, apud quem ex Gennadio dicitur illud:* Insignis meritis B. Fructuosus, postquam Complutense condidit cœnobium sub nomine S. Petri, brevi opere in hoc loco fecit Oratorium; post quem, non impar meritis, Valerius sanctus opus Ecclesiæ dilatavit. *Forsan enim* sanctum opus *legendum. Addit Mabillon, in citata Regularum concordia præfigi titulum* de Dictis S. Valerii de genere monachorum: *quod iterum ab amanuensibus potest adjectum esse.* Fatetur *denique se etiam* ignorare, an ejus memoria aliqua celebritate colatur. *Eodem modo non assentimur continuo, hunc esse Vitæ S. Fructuosi auctorem, cum ejus nomen in nullis autographis reperiatur appositum. Quisquis autem est auctor, fuit coævus; ut qui testes adducit S. Fructuosi discipulos,* Benenatum, Iulianum, *& Cassianum, à quibus rei narrandæ materiam accepit.* F

an scripta à Valerio Abbate?

eâ enim fallitur aut fuit.

Historia translationis Compostellanæ MS.

Veneratio ex antiquis Breviariis.

3 *Addimus historiam Translationis sacratissimorum corporum S. Fructuosi, & SS. Silvestri & Cucuphati Martyrum, & S. Susannæ Virginis & Martyris, ex urbe Bracarensi Compostellam, facta anno* MCII, *conscriptam ab Hugone Archidiacono Compostellano, qui huic* pio *latrocinio (ut vocat) interfuit, Iacobo Episcopo præcipuus adjutor. Hanc ex Hispania accepimus ad nos transmissam, & in lectiones, quæ ad Matutinum recitantur distinctam. Tamajus Salazar* ex veteri Ms. Breviario Compostellano, vitellinis tabulis exarato, *ad diem* XVI *Decembris edidit aliqua* Acta translationis, *sed ex prioribus hic dandis plurimum contracta. Lusitanica inseruit Rodericus à Cunha secunda partis Historiæ Ecclesiasticæ Episcoporum Bracarensium cap. 5.*

4 *Venerationem S. Fructuosi Ecclesiasticam præterea conservant antiqua Ecclesiarum Hispanicarum Breviaria: ex quibus allegat Tamajus Salazar,* Bracarense, Toletanum, Compostellanum & Hispalense. *Habemus nos Eborense, anno* MDXLVIII *excusum, in quo illud inter lectiones novem traditur ab aliis non observatum:* Ex numero discipulorum memorare non pigeat Joannem Monachum, postea Gerundensem Episcopum, virum suo tempore maximis comparandum, sive linguæ tam Græcæ quam Latinæ elegantiam, sive sanctarum Scripturarum eruditionem, sive morum & vitæ sanctitatem, sive contra Arianos pro Catholica fide labores spectare velimus. *Hæc ibi. Burgense etiam Brevi-*

A *Breviarium anno* M D II *editum præscribit hoc die officium de S. Thuribio Episcopo, cum Commemoratione S. Fructuosi Episcopi. De eodem hoc die sub ritu Semiduplici; at* XVI *Decembris, ob translationem corporis, sub ritu Duplici, præscribitur Officium in Festis propriis diœcesis Compostellanæ, anno* M D XCVI *excusis. In Martyrologio Romano ista leguntur:* Bracaræ in Lusitania S. Fructuosi Episcopi. *Constantinus Ghinius inscripsit eum Natalibus Sanctorum Canonicorum; & inter Sanctos Ordinis* S. *Benedicti censetur à Wione & aliis multis.*

b Martyrologiis.

5 *Extruxit quam plurima monasteria, ex quibus decem in Actis ejus memorantur; at sedecim numerantur à Tamajo Salazar, in Martyrologio Hispanico ad hunc diem. Propriam suis subditis, & quidem duplicem, præscripsit Regulam, ex antiquis monumentis à Luca Holstenio excusam: cujus meminerunt Egbertus Archiepiscopus Eboracensis, in exceptionibus canonum quæ habentur in Collectione Conciliorum Britannicorum Henrici Spelmannis, ad annum* 750 *cap.* 67; *Burchardus Episcopus Wormatiensis, lib.* 11 *Decretorum cap.* 33; *& frequentissime Benedictus, Abbas Anianæ, in Concordia Regularũ ab Hugone Menardo edita; qui perperam arbitratus est à duobus auctoribus nomine Fructuosis editam esse. Eum erudite refutat Ioannes Mabillon, & in Præfatione ad tomum primum arbitratur, colligi posse Benedictinas leges apud Hispanos observatas fuisse ex S. Fructuosi Regula priore, in qua cap.* 8. *obedientiam ita definit:* Obedientia præceptum est regulæ, ut impossibilibus quoque rebus opere atque affectu ostentetur & teneatur usque ad mortem, videlicet sicut & Christus factus est Patri obediens usque ad mortem: *& quod in Regula altera seu communi, nonnulla sint similia atque in Regula sanctissimi Benedicti, cujus nusquam fit mentio. Iudicium penes alios relinquo, cum ipse etiam Mabillon fateatur,* paullo explicatiorem sese offerre Regulæ Benedictinæ mentionem seculo VIII apud Hispanos. *Optamus hos aliosque quoscumque adscribi posse Ordini Benedictino: non tamen id ipsi audemus facere, nisi cum ad hoc probandum idonea suppetunt argumenta: quæ siquando nobis deesse ingenue fatemur, non timemus, ne æquis rerum æstimatoribus videamur minuere honorem sanctissimi Ordinis; cui nos inprimis studere, atque reipsa non parum splendoris conferre, negare potest nemo, nisi qui hæc opera nostra aut legere contempserit, aut alio quam par est affectu præoccupatus legenda assumpserit. Sicut Benedictini suis tales adscribunt, sic Antonius à Purificatione in Chronologia monastica Vlyssipone anno* 1642 *excusa, dicit* S. Fructuosum ex Ordine S. Augustini *fuisse: sed etiam non probat.*

Propria Regula scripta monasteriis à S. Fructuoso extructis.

B

VITA
Auctore Coævo
Ex MS. Bracarensi & Sandovallo.

TITULUS.

Incipit vita vel memoratio mirabiliorum quæ Deus, pro boni obsequii famulatu Sanctissimi Fructuosi Episcopi, ad corroborandam fidem credentium, statuit ad salutem.

PROLOGVS.

POstquam antiquas mundi tenebras supernæ veritatis nova irradiavit claritas, ut à Sede Romana, prima Sanctæ Ecclesiæ Cathedra, fidei Catholicæ dogmatum fulgurans rutilaret immensitas; atque ex Ægypto Orientali provincia, excellentissima sacræ Religionis promicarent exempla, & hujus Occiduæ plagæ exiguæ perluceret extremitas; præcipuæ claritatis egregias divina pietas duas illuminavit lucernas, Isidorum Reverendissimum scilicet virum, Hispalensem Episcopum, atque Beatissimum Fructuosum, ab infantia immaculatum & justum. Ille namque oris nitore clarens & insignem industriæ sophisticæ artem indeptus, præmicantia dogmata reciprocavit Romanorum: hic vero in sanctissimæ religionis proposito, Spiritus sancti flamma succensus, ita in cunctis spiritualibus exercitatus, omnibus operibus sanctis perfectus emicuit, ut se facile coæquaret meritis antiquorum Patrum Thebæorum. Ille activæ industria vitæ universam extrinsecus erudivit Hispaniam: hic autem contemplativæ vitæ peritia, vibrante fulgore micans, intima cordium illuminavit arcana. Ille egregio rutilans eloquio, in libris claruit ædificationis: hic autem culmine virtutum coruscans, exemplum reliquit sanctæ religionis, & innocuo gressu secutus est vestigia præeuntis Domini nostri & Salvatoris: cujus cum tantum ineffabilia sint virtutum prodigia, quod nostra ea nuncupare non valet inertia; quantum fideli narratione cognovi, pauca de principio vitæ ejus & fine differendo perstringam.

Ecclesiæ lumina Isidori & Fructuosi inter se conferuntur.

AUCTORE COÆVO EX MSS.

CAPUT I.

Genus regium, educatio pia, monasteria quinque constructa.

E

1 HIc vero B. Fructuosus, ex clarissima regali progenie exortus; sublimissimi culminis atque Ducis exercitus Hispaniæ proles, dum adhuc puerulus sub parentibus degeret, contigit ut quodam tempore pater ejus, eum secum habens, inter montium convallia *a* Bergidensis territorii, gregum suorum requireret rationes. Pater autem suus greges describebat & pastorum rationes discutiebat: hic vero puerulus, inspirante Domino, pro ædificatione monasterii apta loca pensabat, & intra semetipsum retinens nemini manifestabat. Post decessum igitur parentum, abjecto seculari habitu tonsoque capite, cum religionis initia suscepisset; tradidit se erudiendum spiritualibus disciplinis sanctissimo viro Conantio Episcopo. Cumque aliquanto tempore sub illius degeret regimine, provenit ut quodam die possessionem Ecclesiæ ingressi, ipsius præeuntes *c* puericelluli, cum ei ad manendum hospitium præparassent; quidam de *d* sumptoribus scholæ ipsius adveniens, interrogavit dicens: Quis hoc occupavit habitaculum? Responderunt: Fructuosus. Statim insana temeritate frustratus, jussit ejus sarcinulam foris projicere & sibi ibidem præparare. Quod ille patienter sustinens, siluit. Cum autem intempestæ noctis silentio omnes quiescerent, subito idem hospitium, ab ira furoris Domini veniens ignis succendit: cum intus eodem habitaculo ignis, ut adsolet, minime haberetur. Recto videlicet judicio Domini; ut idem habitaculum, quod typo superbiæ turgidus usurpaverat orante sancto Adolescente cum ingenti perturbatione atque jacturæ tribulatione desereret.

Regis ortus genere,

a

puer cogitat monasterium condere:

Clericus ordinatus eruditur à Conantio Episc.

c

d

ab habitaculo se dejici patienter fert,

F

Deo injuriam ulciscente:

3 Post hæc ad locum illum revertens solitudinis supra memoratum, devotionem, quam dudum parvulus elegerat, jam perfectus implevit. Nam construens cœnobium *e* Compultense, juxta divina præcepta nihil sibi reservans, omnem facultatem suam ibidem conferens, illud locupletissime ditavit: & tam ex familia sua quam ex diversis Hispaniæ partibus, sedule concurrentibus conversis, illud agmine monachorum affluentissime complevit. Et quia, sicut scriptum est, semper sanctitatem æmulatio insequitur inimici, & contra bonitatem pugnat malitia; illico invidus vir, iniquus sororis ejus maritus, antiqui hostis,

Compultense monasterium construit:

e

A *contra invasorem dotis*

stis, stimulis instigatus, coram Rege prostratus, surgens surripuit animum ejus, ut eadem pars hereditatis à sancto Monasterio auferretur, & illi quasi pro exercenda publica expeditione conferretur. Quod cum huic beatissimo compertum est, statim tulit ecclesiæ vela, & sancta nudavit altaria, ciliciis induit ea, atque scripsit & direxit illi epistolam confusionis & increpationis Dominicæque comminationis: seque convertit in jejuniis & luctu & lacrymis atque prolixitate orationis. Cum ita ageretur, statim ipse Sanctorum æmulus & boni operis adversarius, ultione divina percussus, citius vitam finivit: sicque factum est, ut qui oblationes Sanctorum quærebat auferre, ipse crudeliter de hoc seculo absque liberis decederet, & facultates suas alienis relinqueret, & ipse secum solam perditionem portaret. *f*

precibus & pœnitentia apud Deum agit: & prævalet illo extincto: f

4 Hic vero Sanctissimus, confirmans cunctum regularem ordinem, constituensque cœnobii Patrem cum ingenti districtionis rigore; quia rumor gloriæ sanctitatis ejus cunctas peragraverat regiones, cum ex multitudine diversorum occurrentium crebram pateretur inquietudinem; humanam fugiens laudem atque favorem, egrediebatur à congregatione; & nudis vestigiis penetrabat loca nemorosa, densissima, aspera & fragosa; per speluncas & rupes, triplicatis jejuniis & multiplicatis orationibus & vigiliis vacans. Contigit vero ut dum quodam tempore in cujusdam rupis gradibus, meloten ex caprinis pellibus indutus, enixius oraret; adveniens quidam arcutenens, venationibus insidians, cum eum vidisset super unum rupis gradum in oratione prostratum, existimans in rupe esse venationem, tetendit arcum. Et dum libraret arcum ut dimitteret sagittam, providentiâ divinâ solicitius erexit manus cum oratione ad cælum. Ille vero intelligens quod homo esset, retinuit ictum. Post hæc ostendit se ei hæc cuncta referens: ille vero beatissimus rogavit eum, ut nemini hoc manifestaret.

constituto Patre monasterii, discedit in aspera loca: B *à venatoris ictu servatur illæsus:*

5 Post hæc denique in vastissima & arcta atque procul à seculo remota solitudine, in excelsarum montium finibus extruens monasterium *g* Rufanense, erga sanctum altarium se in angusto & parvulo retrusit ergastulo. Cumque ibidem aliquanto tempore quievisset, egressa est omnis congregatio Compuldensis Cœnobii, & violenter venientes ejecerunt eum de eodem claustro, & ad pristinum reduxerunt locum. Demum iterum egrediens, inter Bergidensis territorii & Gallæciæ provinciæ fines, ædificavit monasterium *h* Visumense. Postmodum ex altera parte Gallæciæ, in ora maris, construxit monasterium *i* Peonense.

construit monasteria Rufanense, g *h Visumense & Peonense* C *i*

6 Dum multa illi intentio esset navigandi in mare, in longinquo ponti pelago non grandem reperit insulam; ubi dum concupisceret cum Dei juvamine fundare monasterium, egredientes ad terram, naviculam per quam transfretaverat, per negligentiam incaute solutam nautæ relinquerunt: & dum intente cum discipulis suis sub quadam rupe laboraret, ut aquam dulcem produceret; expleto opere cum transmeare voluissent, impulsu inimici volventibusque procellis, vident ipsam naviculam in longinquo maris freto inter undas projectam. Et dum omnes ejus discipuli, facta sibi difficultatis desperatione, se gravi mœrore deprimerent; ipse oratione facta, in tam longinqui maris periculo se solus projecit. Illi autem duplo luctu & ejulatu amarissime perstrepebant, & illius periculum formidantes, & suum interitum deplorantes. Et cum jam præ nimia longinquitate ab oculis eorum absconderetur, & in integram ruerent desperationem; post multa horarum spatia procul intuentes, vident ipsam naviculam paulisper appropinquare. Postquam vicinius applicuit, cernunt eum in eadem sedentem: & cum gaudio remeantem cum summa lætitia suscipientes, retransfretaverunt cum exultatione. Ad hanc eamdem regrediens insulam (in qua eum, incipientem sancti operis principium, invidus atque iniquus impedire dudum tentaverat inimicus) cum Dei juvamine sanctum construit monasterium, solitoque exercitio illud dedicans, strenue relinquit munitum.

ingressus insulam maris, navem procellis abreptam ambulans supra mare, reducit.

AUCTORE COÆVO EX MS. *in ea insula monasterium condit,*

ANNOTATA.

a Bergidense *seu* Vergidense territorium, *Ambrosio Moralez*, la tierra del Vierço; *inter Gallaciam & Legionis montes ab Antonio Yeprez constituitur.*

b Conatius *etiam in Breviario Eborensi dicitur*, *Sandovallio* Conantius, *qui conjicit cum Morales Acunha & aliis, fuisse* Episcopum Palentinum, *eum scilicet, qui sub Gundemaro Rege subscripsit Toletanæ Synodo Æra 648, anno Christi 610. Contra Tamajus Salazar arbitratur fuisse* Toletanum Episcopum. *Quidni alius fuerit* Conatius, *vicinior Episcopus, cujus & aliorum plerorumque nomina latent?*

c *Ita Ms. nostrum. Videntur autem* puricelluli, *ex priore vocabulo contractum.*

d Sumptores, *qui impensis & sumptibus suorum istic alebantur: qui aliter* convictores *seu* pensionarii *vulgo dicuntur.* E

e Compultense *in Bracharensi Ms. & Breviario Eborensi sed* Complatense *apud Sandovallium, & in Privilegio Chindasuinti Regis*, S. *Fructuoso adhuc Abbati concesso, apud eumdem Sandovallium: in quo etiam dicitur* monasterium in honorem SS. Justi & Pastoris Martyrum *constructum. Celebres fuerunt hi Martyres Compluti passi 6 Augusti: ad quorum etiam honorem extructum fuit monasterium in Bætica, in quo* S. *Leovigildum sub Arabibus Martyrem vixisse testatur S. Eulogius lib. 2 Memorialis. Colitur S. Leovigildus 20 Augusti. Fuit hoc Compultense constructum* sub monte Irago, *hoc tempore* Rabanal *dicto*, juxta Molinam rivulum.

f *Additur in Breviario Eborensi.* Quod sanctus vir pro innata pietate dolenter tulit, tametsi Dominum glorificabat qui eruit sperantes in se; flebat tamen diuque flevit animæ illius interitum.

g Rufanense *alii* Ruffianense, S. *Petro dicatum, & posterius dictum* S. Petri Montanense, *Hispanis* S. Pedro de Montes: *quod monasterium late describit Sandoval, inter alia Hispaniæ monasteria.*

h Visumense, *seu* Visunense *quod Tamajus situm tradit* in Gallæcia, prope oppidum Villa-franca.

i Peonense, *alius* Pheonense *seu* Feonense. F

CAPUT II.

Variæ ejus virtutes & peregrinationes. Miracula patrata.

7 RUmore eximiæ sanctitatis ejus enixius crebrescente multas idoneæ ac nobiles personæ & ex Palatio, servitium Regis relinquentes, ad ejus sacratissimam sitienter confugiunt disciplinam. Ex quibus plerique ad Pontificalem duce Domino conscenderunt honorem: inter quos unus sophisticæ intelligentiæ peritiam indeptus, nomine *a* Theodiselus, opitulante Domino atque sæpe dicti beatissimi suffragante præsidio, in abditissima solitudine, in locum, qui nuncupatur Castrum-leonis, egregium ædificavit monasterium & in ipso permansit usque ad finis sui terminum. Igitur præfatus beatissimus Fructuosus sese Domino ab ineunte ætate carum exhibuit. Post hæc denique, contemptus illecebris mundialibus, omnem eximii sui patrimonii

Multos ad monasticam vitam attrahit, *a & Theodiselum conditorem monasterii Castri-Leonis:*

A nii copiam Ecclesiis sanctis libertisque suis atque pauperibus erogavit. Deinde ad eremi pertendens loca, monasteria plurima fundavit, in quibus multas animas monachorum per bonam conversationem & sanctam disciplinam Domino dedicavit. Ipse vero dum ibi cœnobiali ritu, cunctis commorantibus modum rectæ vitæ constituisset, & aliquamdiu illic degisset, devitans frequentes populi concursus, abditissima eremi loca petiit; ac frondosis secretisque nemoribus ita se occultare studuit, ut nunc altissimis locis, nunc densissimis silvis, nunc etiam rupibus quæ solis ibicibus perviæ sunt, latebrando latitans, non humanis, sed divinis oculis cerneretur.

ipse latebras quærit:

8. Sed dum opitulante Domino idem vir sanctus irreprehensibiliter peragerct vitam, eumque multi diligenter crebrissima visitatione requirerent, & non reperissent; idem vir nigras parvasque aves, quas usitato nomine vulgus b graculas vocitat, mansuetas in monasterio habuisse perhibetur; quæ perpete volatu per diversas partes silvarum eo usque volitantes perquirebant; quo usque repertum cunctis inquirentibus ejus sanctas latebras, suis garrulis vocibus proderent atque omnibus propalarent. Tunc deinde universi ad eumdem virum cum gaudio magno properabant. Deniq; sicut supra diximus, multis miraculorum signis crebro effulsit, & mito virtutum opere, adnitente divino adminiculo, sæpissime coruscavit. Ex quibus sacris virtutibus, opitulante Domino, jam nunc aliquid fari incipiam.

b graculis proditur.

B *miraculis claret:*

9. Quadam namque die, ut fertur, venantium turba cum canibus damulam persequebatur; jamq; multo spatio victa bestiola, cum campis late patentibus undique mortem sibi imminere cerneret, ita ut pene jam ab ipsis canibus comprehenderetur, sævisque eorum morsibus decerperetur; idem quoque Dei vir iter suum incognitus venantibus peragebat. Ipsa nimirum bestiola, dum jam nullum uspiam sibi conspiceret adesse perfugium, mox ut virum Dei vidit, illico ab eo sibi defensionem poposcit, ac protinus, pro percipiendo vitæ suffragia, incunctanter sub ejusdem viri Dei amphibalum ingressa est. Quam ille statim ab omni improborum hominum persecutione defendit: mox etiam canes procul abigi jussit; atque ad monasterium eam secum sua sponte venientem perduxit. Quæ ut dicitur, tantum ab illa die mansueta effecta est, ut, ubicumque ille abiret, eam nullus de ejus vestigio disjungere valeret: sed si vel paululum ab eo recederet, numquam balare aut vocibus perstrepere cessaret, quo usque eum denuo revideret. Nimirum tantæ erat mansuetudinis, ut veniens frequenter in lectulum ad pedes ejus recubaret. Quam ille in silvam monasterio contiguam sæpe dimittere jussit: illa; vero, non immemor tanti beneficii, gratam silvam, quæ eam nutrierat contemnebat, & ad liberatoris sui præsentiam citius recurrebat: in tantum scilicet ut si ille quocumque profectus fuisset, suis eum vestigiis quo usque reperiret, per longum itineris spatium prosequeretur. Cumque diutissime hoc ageretur, cœpit in loco eodem tantæ virtutis longe lateque fama crebrescere. Sed quia antiquus hostis, unde bonos cernit enitescere ad gloriam, inde perversos per invidiam rapit ad pœnam; quidam juvenis, vesaniæ spiritu afflatus, imo potius invidiæ igne succensus, absente sanctissimo viro, ipsam bestiolam morsibus canum interemit. Sed cum post aliquantos dies sanctissimus vir ad monasterium fuisset regressus, solicite requisivit, quidnam causæ esset, cur capreа sua seu damula ei solito more tunc minime occurreret. Cui protinus dictum est, quia dum in pascuis silvarum fuisset egressa, veniens puer ille interemit eam. Qui mox genua sua summo cum dolore in conspectu Domini flectens, semetipsum in pavimentum prostravit. Sed nutu Dei, illico inferre non distulit supplicium præsens divinæ majestatis ultio sævissima. Ipse ille juvenis gravi febrium languore statim correptus, mox ab eo flagitare per internuntios cœpit, ut pro se Domino supplicaret, ne juxta suam pessimam temeritatem divina percussus ultione, crudeli exitu vitam finiret. At ille statim ad eum profectus, Domini imploravit misericordiam, ac manum suam super eum imposuit: & illico ægroto ipsi non solum corporis salutem pristinam reddidit, verum etiam simul & animæ ejus infirmitates sacra oratione curavit.

damulam venantibus subductam servat:

eam familiarem & sequentem habet:

C

juvenem qui eam necaverat infestis,

AUCTORE COÆVO EX MS.

gravi febri punitum sanat:

10. Aliud quoque summæ patientiæ miraculum comperimus, narrante quodam fideli viro, qui nobis retulit, supra memoratum almum virum quadam die dum cum ceteris comitibus sui itineris per loca, quæ urbi c Egitaniæ contigua sunt pergeret, atque provinciæ Lusitaniæ eximiam urbem d Emeritam, ob desiderium egregiæ Virginis e Eulaliæ, peteret, quatenus inibi sacra vota mentis suæ sacratissimis cordis sui affectibus persolveret, fusis in conspectu Dei dulcifluis precibus, perceptisque Domini Jesu Christi largiflua pietate postulationis effectibus, ad insulam usque quæ in territorii Gaditano sita est properans, adjuvante Domino Deo perveniret. Sed, ut supra diximus, dum in Egitaniæ partibus viæ suæ carperet iter, accidit ut cuncti, qui in collegio beatissimi viri iter agebant, paululum præcederent: ipse vero subsistens, in abdito nemorum silvarumque densarum secretissimo loco, paulisper orationi incubuit. Qui dum humi prostratus jaceret, antiquus hostis, omnium bonorum semper invidus quemdam rusticum virum ac plebeium confestim ad locum, quo vir Dei orabat, furibundum perduxit; qui dum virum Dei eminus vidisset, eumque singularem vili habitu, excalciatis nudisque pedibus, inter fruteta conspexisset; ut sese habet rustica mens, eum ex vilitate cultus contemnens, ad eumdem virum temeritate insaniæ fretus propius accessit; eumque fugitivum existimans, procacioribus verbis convitiando lacessivit: ac nihil cunctatus idem rusticus, petulanter multis contumeliis verborum eum objurgavit. Sed dum vir Dei respondens tranquilla mente diceret: Plane fugitivus non sum. Et ille è contrario fugitivum omnibus modis esse perhiberet, eo usque instinctu diaboli irritatus est, ut eum vectis, quem gestabat manibus, ictu verberaret. Quod cum vir Dei patienter sustineret, & ille percutere non desisteret; mox ut ei signum Crucis fecit, statim eum dæmon in terra allisit, atque ante pedes sancti viri resupinum corruere fecit, & eo usque debacchando laniavit, quo usque eum in proprio sanguine involutum crudeliter discerpens cruentaret. Sed vir Dei sanctus protinus oravit, & pristinæ eum sanitati absque ulla difficultate restituit.

a de peregrinatur ad S. Eulaliam:

E

in silva orans

à rustico contumeliis & verberibus exceptus:

quem à diabolo arreptum

F

sanat:

ANNOTATA.

a Theodiselius *aliis* Teudasilus.

b *Imo* Gracus, *seu* Graculus *Latine*, *Hispanice* Grazo. *Adagium:* semper graculus assidet graculo.

c Egitania, *infra* Eguitania, *aliis* Elitania dicta.

d Emerita *vulgo* Merida, *in Extremadura ad Anam fluvium.*

e *Colitur* S. Eulalia, Virgo & Martyr Emeritensis, 10 *Decembris.*

A

CAPUT III.

Miracula posteriora: tria monasteria constructa.

11 NUnc igitur non prisca, sed moderna; non vetera sed novella; non vanis quibuslibet fabulis ficta, sed miracula veritatis judicio declarata, quæ narrante venerabili viro Benenato Presbytero, quemadmodum gesta sunt veraciter comperimus, & hæc in hujus paginulæ serie breviter, sicut ad nos perlata sunt, adnotari omni cum veritatis studio procurabimus. Denique jam dictus fidelissimus vir retulit dicens: Dum de Provincia Lusitaniæ cum sanctissimo viro Fructuoso ad provinciam Beticam pergerem, & imbriferi aëres immensas ac juges pluvias, utpote hiemis tempore, pene multos dies indesinenter exhiberent, & ex multitudine imbrium nimium flumina excrevissent; accidit die quadam puerulum cum caballo, qui codices ipsius viri Dei gestabat, dum transmeare cum ceteris collegis suis nititur, in amnis fluenta profundissima cecidisse, & durissimo barathro gurgitum cum libris ipsis demersum fuisse. Tandem igitur, suffragante Deo, à lympharum discrimine ereptus, crepidine alvei, licet madefactus, pertingere tamen meruit incolumis. Idem autem vir Dei paulo post eos, pede proprio, ut ei semper mos erat, absque vehiculi juvamine properabat. Cumque ad suos pervenisset comites, dictum est illi, quod omnes codices sui in aquam cecidissent. Ille vero in nullo penitus commotus, sereno vultu hilarique facie absque aliqua mœstitia, ejici de marsupiis & sibi præsentari præcepit. Sed ita eos reperit siccos, ut si illos fluvialis liquor nullo modo contigisset, neque madidos humor vel tenuiter facere potuisset.

Codices suos in aquam mersos,

B

intactos recuperat:

12 Aliud quoq; mirabile factum, quod supra dicto viro referente cognovi, silentio occultare non debeo. Quadam die ipse beatissimus Fructuosus, devotionis implendæ gratia, de civitate Hispalensi ad Basilicam a Hieronymi navigio profectus est: & dum ibidem desiderii sui vota, annuente Domino, devotus persolvisset, nautæ ipsi, qui per longa spatia pelagi navim gubernaverant, fessi à labore navigii, non solum quod vires ad gubernandam navim non haberent, dixerunt; verum etiam quod extrema pars diei jam superesset, cœperunt querimoniari. Quibus ille ait: Deprecor vos, ut accipiatis paululum cibi ad refectionem; & quia lassi estis, vel pusillulum quiescatis, dum & ego officii mei impleo cursum: nam & hoc quæro ut remos hujus navis tollatis, & sic paullulum dormiatis. Quibus statim obedientibus, & juxta præceptum remos naviculæ auferentibus, vel etiam obdormientibus, illico sanctissimus vir orans, & officio sacro cum suis Fratribus persungens, nullo homine navem contingente, sed Dei sola manu gubernante, ad ulteriorem amnis ripam celeriter transmeavit. Nautæ vero subito expergefacti, supervacuas eidem viro inferebant querelas, dicentes: Transfretemus jam, quia per noctis tenebras non bene possumus navigare. Quibus ille ait: Nolite ô filioli, vos fatigare, quia absque vestro labore Dominus nos ubi desiderabamus jam perduxit. Qui cum surrexissent, atque se in altera parte fluminis esse conspexissent, obstupefacti turbatique mirabantur quidnam fecisset Deus.

a

navim sublatis remis

C

orando ad alteram ripam transmittit:

13 Nam & aliud retulit, quod omnibus modis verum esse affirmabat, dicens: Quadam Dominica die, dum imbres procellosi inæstimabiliter essent, idem sanctissimus vir de civitate Hispalensi ad insulam, quæ sita est in territorio Gaditano, pergebat. Quem dum multi cives præfatæ civitatis vel etiam Antistes ipsius urbis obnixe ibidem retinere vellent, ut quia Dominicus dies erat, vel certe quia aëris non esset temperies, si non amplius, saltem usque post Missam inibi sustinere annueret; ille taliter respondisse fertur: Nolite, obsecro, me retinere, quia Dominus direxit viam meam: sed si pro mea injuria satagitis, & aliquid pro ista pluvia formidatis, certissime sciatis, quia hodie amplius pluvia quam usque ad secundam diei horam non erit. Quod ita gestum omnes viderunt, qui præsentes fuerant: & postquam ille hora secunda navem conscendit, statim pluvia desiit: & usque ad quartum diem, quamdiu ad locum quo tendebat accederet, non pluit; sed tribus diebus, juxta quod prædixerat, multa tranquillitas fuit. Unde cognoscere possumus, quod tamdiu minime pluit, quamdiu sanctus vir navigans ad locum destinatum perveniret.

AUCTORE COÆVO EX MSS.

Hispali abiturus in dictiones Gaditanas,

prædicit serenitatem futuram:

14 Cumque præfatam, suffragante Domino, Gaditanam ingressus fuisset insulam, ex alia parte quasi sol oriens illuminaturus Hispaniam, ædificavit sanctum ope Domini monasterium, soliti sque cœnobiali ritu regularis id instruxit exercitii rudimentis. Denique in abdita vastaque & à mundana habitatione remota solitudine, præcipuum & miræ magnitudinis egregium fundavit, cum Dei juvamine, cœnobium; & quod ab ora maris novem millibus distet ei nomen edidit Nono. Ibi (sicut à religioso viro Juliano Presbytero, qui in eodem cœnobio ex parvulo adolevit, fideli narratione cognovi, & breviter intimabo) tanto gloriosissimus & incomparabilis vir rutilorum radians exemplo meritorum, ita ardore fidei accendit animos populorum, ut catervatim undique concurrente agmine conversorum, immensus fieret chorus, nisi Duces exercitus provinciæ vel circumseptus illius, undique confinibus Regni clamassent, ut aliquantulum prohiberetur, quasi fur fuerit proseminis, & non esset, qui in expeditione publica proficisceretur, innumerabilis si debuit congregari exercitus monachorum: ita ut non solum virorum, sed & animi inflammarentur feminarum. Et cum in eodem sanctæ congregationis loco accedendi aditus non esset mulierum, ordine referam quemadmodum facta est congregatio puellarum.

cœnobium construit apud Gaditanos,

E

aliud Nonense dictum

accurrentium multitudini edicto impedita.

15 Quædam Virgo sacratissima, nomine Benedicta, claro genere exorta, atque b Gardingo Regis desponsa, ardore fidei & flamma amoris sanctæ religionis succensa, suos occulte fugiens parentes, sola ingressa est diversa eremi loca deserta: & sic per invia & ignota errando loca, tandem duce Deo appropinquavit ad sanctam cœnobii congregationem. Non audens vero accedere, sed procul in deserto subsistens, suggessit per internuntios sanctissimo viro Dei, ut ovem errantem de luporum faucibus liberaret & in viam salutis dirigeret, & animam quærentem Dominum spiritualibus disciplinis instrueret, qualiter hoc à Domino, qui ovem perditam humeris suis reportavit, reciperet. Ille vero hæc audiens, immensas omnipotenti Deo retulit gratias, & jussit ei in eadem deserti silva parvam facere mansiunculam. Et ut præfatus vir referebat, quia de senioribus nullus ad eam appropinquare audebat, sed ex nobis parvulis unusquisque vice sua illi litteras ostendebat & substantiam ministrabat: & ita cum multa conjuratione suggessit, ut numquam ei cibus aliquis portaretur, nisi cum beatissimus vir, licet esset medium noctis, reficeretur; & ab eo sanctificatum illi dirigeretur. Hæc nempe spiritualibus studiis diligenter intenta, cum ejus fama per diversas

b

Benedictæ Virgini,

F

ad se per internuntios confugienti,

cellam parat:

& cibos per parvulos discipulos suos mittit:

terras

A terras fuisset laudabiliter propalata, tantus desiderii ardor inflammavit ceteras diversorum filias; ut undique alacriter conflueret eximia puellarum caterva, ita ut intra breve temporis spatium octogenarius numerus in congregatione sanctarum Virginum compleretur, quibus in illa solitudine more solito construxit monasterium. Tanta igitur in utroque sexu almifica florebat sanctitas, atque eximia crescebat fama perfectionum, ut viri cum filiis suis ad sanctam se converterent congregationem monachorum, matronæ vero eorum cum filiabus suis sancto se sociarent consortio puellarum.

accedentibus aliis virginibus

monasterium construit.

16 Sponsus vero supradictæ Virginis Benedictæ, cum dolore & mœrore ingenti flebiliter adversus eam immissus, perfidi laborans invidia inimici, suggessit Regi: sicque de præsentia Regis levavit judicem, qui inter eos examinaret judicii veritatem, Comitem nomine Angelatem, qui venit ad monasterium Virginum regia præcinctus auctoritate. Compulsus vero Præpositus Virginum, ut præfatam Virginem de congregatione secernens præsentaret, qualiter sponso responderet; cum illa violenter fuisset egressa, ita oculos in cælum intendens, recitando intra se insistebat, ut faciem illius minime videret. Cumque ille adversus eam assereret; ita, per Domini gratiam Spiritu sancto repleta, eum B paucis conclusit verbis, ut ultra quod diceret ei non haberet. Tunc ipse judex dixit: Dimitte eam Domino servire, & quære tibi aliam uxorem. Post hæc eamdem sanctissimam Virginem jussit divina pietas intra breve temporis spatium de hoc seculo *c* migrare. Ita factum est per ineffabilem Domini electionem; ut quæ in sancta conversatione cunctarum Virginum sanctarum illarum præcesserat chorum, præcederet & in sancta vocatione ad supernam gloriam regni cælorum, per eum qui vivit & regnat in secula seculorum. Amen.

Benedicta à sponso frustra repetitur.

c & prima omnium moritur.

ANNOTATA.

a *Ita Ms. Bracarense, quia vero nomen Hieronymi Hispanis* Geronimo *dicitur, videtur inde arrepta occasio scribendi* Gerontii *in Ms. Sandovalli.*

b *Gardingorum tunc in Hispania dignitatem pluribus explicat Loaisa in Notis ad Concilium Toletanum* 8 *pag.* 465. *ubi* majoris loci personæ *dicuntur* Duces, Comites, Gardingi, *& creditur iis aliquod ex præstantioribus Palatinorum officiis committi solitum.*

C c *Tamajus Salazar Martyrologio suo Hispanico adscripsit* Benedictam *die* 29 *Iunii, quo die refertur in Martyrologio Romano* S. Benedicta in territorio Senoniensi: *quam is contendit hanc esse Hispanicam Benedictam: & legendum* in territorio Nonensi. *Verum Martyrologium Romanum habet antiquos defensores Vsuardum, Bellinum & alios quam plurimos: quod latius ad dictum diem 29 Iunii erit discutiendum.*

CAPUT IV.

Iter in Orientem impeditum. Episcopatus Bracarensis. Monasteria & templa extructa. Obitus, Miracula.

17 Cum beatissimus Fructuosus exemplo suæ excellentissimæ sanctitudinis coruscante, splendiflua claritate cunctam illuminasset Hispaniam, atque per singulas diversarum regionum congregationes monachorum, ad instar innocui cordis sui, & perfectorum enutrisset agmina discipulorum; ita [in iis profecit] ut usque hodie, dum nuperrime convertentes, per ordinem priorem discedentium sanctorum, invicem suscipiunt, illius antiqua quasi hodierna floreant exempla, & usque in finem mundi fructus operis ejus germinet, & gloriosa semper innovetur memoria, atque in regno cælorum gregis ipsius multiplicentur quotidie agmina copiosa.

Copiosum in ecclesia fructum profert,

AUCTORE HUGONE EX MSS.

18 Postquam autem cunctam operis sui sancti devotionem, suffragante supernæ virtutis opitulatione, ad summam perduxit perfectionem, succendit eum immensus sancti desiderii ardor, ut partem occupans Orientis novam arriperet peregrinationem. Cumque hæc cum paucis electis suis discipulis clam pertractasset, & navem sibi ad subvectionem præparasset, quam cum omni prædestinatione ascendens transfretaret ad Orientem; ab uno proditore discipulo detectus, egressionis aditum non valuit impetrare. Quid multa? Cum hæc agerentur, pervenit ad Regis temporis illius auditum. Formidans igitur Rex & omnes prudentes illi familiariter adsistentes, ne talis lux Hispaniam desereret; jussit eum sine aliqua molestiæ perturbatione comprehendi, & ad se usque perduci. Cum autem eum perduxissent, cum nimia formidine illum custodiebant; nocte (ut fertur) ostium habitaculi, in quo manebat, missis extrinsecus catenatis & seris diversisque duris claustris obserantes; ipsique insuper ibi custodes permanebant. Cumque intempestæ noctis silentio expergiscerentur, claustra procul abjecta ostiaque patefacta cernebant. Ille vero per sanctas ecclesias orans, securus pietatem Domini deprecabatur.

Orientem clam petiturus,

à Rege impeditur,

& frustra custoditur.

E

19 Post hæc videlicet, licet invitus, contra voluntatem suam, languoris mœrore depressus, penitus resistendo *a*, in sede Metropolitana dono Dei ordinatus est Pontifex. Tanto igitur suscepto honore, non deposuit pristinam conversationem; sed in eodem habitu, in eodem solito abstinentiæ rigore persistens, residuum vitæ suæ tempus in eleemosynarum dispensatione atque monasteriorum consummavit ædificatione. Iterum inter Bracharensem Urbem & Dumiense cœnobium, in cacumine modici montis, præcipuum ædificavit monasterium ubi suum sanctum humatum fuit corpus. Tantaq; illi fuit intentio in sanctarum ecclesiarum ædificatione, sicuti viri Dei, Cassiani Abbatis, ejus primi discipuli, relatione, cognovi; ut cum ante multo tempore suum præcognovisset sanctum imminere obitum, & cum multa illi esset cœpta operatio ædificationum, propinquante scilicet vitæ præsentis occasu, non solum diurno tempore sine cessatione operabatur, sed etiam nocturnis horis lampadibus accensis in eodem opere perseverabat, ne de hoc seculo discedens, opus sanctum relinqueret imperfectum. Sicque ope divina adjutus, cuncta, quæ fideliter cœperat diligenter consummavit, & fideliter dedicavit.

invitus creatur Metropolitanus, *a*

monasterium construit, *b*

varias ecclesias ædificat,

20 Finis quippe termino propinquante, febre corripitur: & cum per aliquot dies vi febrium teneretur, quadam die supputans tempus, à quo illi finis suus fuerat dudum præsagitus, invenit ipsum instare diem, quo de hoc seculo erat migraturus. Nuntiavit itaque adstantibus. Cunctis autem flentibus solus ille exultabat, quia procul dubio sciebat, quod ad cælestem sempiternamque gloriam properabat. Interrogabant illum si timeret mortem, respondit: Non timeo plane: scio enim, quia, etsi peccator, ad præsentiam Domini mei ambulo. Post hæc jussit se ad ecclesiam deportari; & cum jam omnia domus suæ ordinata haberet, unum servulum suum, nomine *c* Dicendarium, qui illi bene à parvulo serviverat, residuum habens, jussit eum vocari, & imponens ei manum ordinavit eum Abbatem in præcipuo *d* Turonii Monasterio. Sic denique accepta legitime pœnitentia, non est egressus de ecclesia, sed ibi ante sanctum prostratus jacuit altare, diei illius & noctis percurrente spatio. Exurgente autem lucis crepusculo, expandens manus ad orationem, suum immaculatum & sanctum in

febri corripitur,

c creat Abbatem Turoni monasterii

A in manibus Domini tradidit spiritum, qui Sanctos suos coronat per bonam confessionem: cui est virtus, honor, gloria, potestas cum Patre & Spiritu sancto, in secula seculorum. Amen.

21 Ad sacratissimum sancti corporis ejus sepulcrum euntibus cunctis perseverant signa virtutis: nam & infirmi ibi sanantur, & dæmones effugantur, & quicumque mœrens ejus invictum postulaverit auxilium, statim plenum à Domino petitionis suæ consequitur fructum; præstante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Deo Patre & sancto Spiritu vivit & regnat, in secula seculorum. Amen.

claret sepulcrum miraculis.

ANNOTATA.

a *In Breviario Eborensi ista traduntur:* Talium discipulorum magister & instructor Fructuosus, factus & ipse Episcopus cœnobii Dumiensis, quod sanctissimus vir Martinus Bracarensis Episcopus non longe ab ipsa urbe ædificaverat, exigente officio ad Concilium Toletanum decimum perrexit. Ibi pro venerabili & sanctæ memoriæ Potamio, Bracarensis Ecclesiæ Archiepiscopo, omnium Episcoporum electione, ipsius Metropolitanæ Sedis & provinciæ Gallæciæ, totiusque conventus regimen suscepit.

b Montellense *appellat Tamajus Salazar.*

c *Sandovallio*, Dicentium.

d *Eidem* Turonii. *Prope Bracaram id esse ait Tamajus.*

B

TRANSLATIO

S. Fructuosi & aliorum Compostellam.

Auctore Hugone Archidiacono Compostellano.

Ex Antiquis membranis.

1 ANno igitur Incarnationis Dominicæ millesimo centesimo secundo, venerabilis Pater a Didacus, Ecclesiæ S. Jacobi Compostellanæ Sedis Divina præstante gratia Episcopus, secundo Episcopatus sui anno, ecclesias, cellas, & hereditates, quæ in Portugallensi pago Compostellanæ ecclesiæ juris esse cognoscuntur, ut justum est, visitare decrevit. Ad bonum namque pertinet Pastorem, ut tam exterioribus ecclesiæ suæ bonis quàm interioribus provideat: & si quid detrimenti vel aliquid inordinatum in eis invenerit, providentia sua restauret & disponat. Assumptis itaque de majoribus ecclesiæ suæ personis, ad Portugallensem provinciam, uti disposuerat, iter suum direxit. Cumque appropinquasset civitati, quæ Bracara dicitur, nuntium suum ad ejusdem civitatis Archiepiscopum præmisit, qui adventum suum ei nuntiaret. Ipse vero Archiepiscopus, nomine b Giraldus, vir prudens ac religiosus, audito quod Episcopus S. Jacobi ad suam civitatem veniret, magno repletus est gaudio: & congregans omnes Clericos suos, cum civibus & ceteris ecclesiæ suæ ornamentis, obviam procedens, Episcopum Compostellanum cum magna veneratione in processione suscepit: & Clero cantante, ipse eum manu dextera tenendo, in ecclesiam suam introduxit. Post Missæ vero celebrationem ad mensam refectionis, post refectionem quoque ad suam cameram propriam Archiepiscopus Episcopum honorifice comitando perduxit; eique suum proprium hospitium præbens, in aliam mansionem ivit mansurus. Illa itaque die Episcopus S. Jacobi apud Archiepiscopum Bracarensem est commoratus. Sequenti vero die, salutatis ejusdem ecclesiæ fratribus atque benedictione firmatis, præfatus Episcopus ad ecclesiam S. Victoris, cujus juris medietas Bracaræ civitatis esse perhibetur, Archiepiscopo comitante pervenit, & in sua regia palatia ut Dominus susceptus est.

a Didacus Episcopus Compostellanus,

C

profectus Bracaram,

à Giraldo Archiep. & Clericis b in processione suscipitur:

D

2 Interim tamen ecclesias suas circuiendo, visitando, & in eis Missarum solennia celebrando, multorum corpora Sanctorum, quæ per eas semisepulta debito carebant honore, intimo progemebat affectu; & pietatis studio pio versabat pectore, quæ postea Divina opitulatione implevit. Ferventi namque studio excogitabat, qualiter pretiosas de inconvenientibus locis margaritas extrahere posset, & ad Compostellanam urbem asportaret. Convocatis itaque suis familiaribus Clericis & consilio probatis, quid inde vel quomodo facere vellet, aperuit dicens: Fratres carissimi, scitis, quia ad has partes ideo venimus, ut si quid in ecclesiis istis seu hereditatibus destructum seu inordinatum esset, præsentia nostra restauraret & ordinaret, & male posita in meliorem statum mutaret. Nunc autem, nostram non latet diligentiam, quod in eis inconvenientia reperiantur. Plurima enim Sanctorum corpora, nullo cultu venerata, sed nuda & publico visui patentia, passim per eas jacere spectatis, quæ debita veneratione carere nec ignoratis. Si ergo vestra nobis consuluerit prudentia, hoc emendare curabimus: & quædam pretiosorum corpora Sanctorum, quibus nullus hic exhibetur cultus, ad Compostellanam Sedem transferre curabimus: occulte tamen hoc fieri oportebit ne forte gens hujus terræ indisciplinata, tantoque thesauro expoliata, in nos subitam seditionem commoveat: sicque quod tentare audemus, frustra nos tentasse doleamus. Hoc autem consilium cum ejus Clerici approbassent, utpote qui consilium Divina inspiratione ortum esse nec respuendum assererent; venerabilis vir Episcopus, maxima mentis jucunditate repletus, respondit & ait: Dominus Jesus Christus, de cujus misericordia confidimus, ipse sua pietate, quod desideramus adimpleat, & propositi nostri devotionem ad bonum finē perducere dignetur.

corpora Sanctorum absque debito honore comperit,

& Compostellam transferre cupit;

E

3 Deinde ecclesiam S. Victoris ingrediens, ibique Missam celebrans, ad dexteram partem altaris fodi præcepit: ubi arca marmorea mire ac subtiliter fabricata, mox sub terra reperta est: quam cum præsente Domino Episcopo aperuissent, duas capsulas argenteas intus invenerunt. Eas itaque prædictus Episcopus cum magno timore accipiens, glorificato nomine Domini, cum psalmis & orationibus reseravit: in una quarum Domini nostri Salvatoris reliquias; in alia vero plurimorum Sanctorum ossa demonstravit. Clausas igitur & firmiter sigillatas, suis fidelibus Clericis custodiendas tradidit. Alia autem die ad ecclesiam B. Susannæ Virginis & Martyris, quæ non longe ab ecclesia S. Victoris remota est perrexit, & summa devotione Missam celebravit. Celebrata autem Missa, ut sacris vestibus erat ornatus, ad Mausoleum SS. Cucufati & Silvestri Martyrum, in eadem ecclesia requiescentium, trepidante animo accessit: & eorum gloriosa corpora, in munda sindone involuta, de inconvenientibus sarcophagis latenter assumpsit; & cum magna reverentia, per idoneos ministros atque fideles, ceteris ignorantibus, ad cameram suam deferri & fideliter custodiri fecit. Ad sepulcrum quoque S. Susannæ Virginis cum pervenisset, ejus venerabile corpus cum gemitu ac lacrymis suspirando accepit, & occulte cum aliis custodiendum tradidit. Præterea vir Dei cognoscens Divina pietate esse concessum, quod per eum Sanctorum corpora honorificanda essent; apposuit ut B. Fructuosi Confessoris atq; Pontificis gloriosam, glebā corporis simili modo transferret, atque convenientibus locis collocaret. Post duos vero dies venerunt ad ecclesiam B. Fructuosi, ibique Missam solenniter

extrahit ex ecclesia S. Victoris reliquias Salvatoris & plurimorum Sanctorum;

F

ex ecclesia S. Susannæ corpora SS. Cucufati, Silvestri & S. Susannæ;

ex ecclesia S. Fructuosi ejus corpus

AUCTORE HUGONE EX MSS.

A lenniter celebravit. Finita vero Missa ad ejus sepulcrum sacris indutus vestibus accessit. Sed quod S. Fructuosus regionis illius defensor & Patronus erat, cum majori timore ex ecclesia sua, quam ipse adhuc vivens in carne fecerat, eum pio latrocinio sustulit, & sublatum fidelibus suis custodibus servandum commisit. Et quamvis hoc factum omnes lateret, præter Clericos hujus consilii conscios, consequente tamen nocte Episcopus secure dormire non potuit: timebat enim perdere, quod secum gaudebat habere.

abit in villam Cornelianam: 4 At ubi mane facto, quod egerat non esse propalatum agnovit; cum gaudio & lætitia suum occultum thesaurum comportans, ad quamdam S. Iacobi villam, quæ *c* Corneliana nuncupatur, tamquam iniens fugam, accelerando regressus est. In Corneliana igitur rumor populi aures Pontificales percussit, referens ab Episcopo S. Iacobi indignum fieri facinus, qui Sanctos de Portugallensi terra sublatos, patriæ scilicet defensores atque patronos, ad suam B conabatur transferre civitatem. Quo audito vir summæ prudentiæ & pietatis eximiæ, veritus, ne qua occasione seu violentia pretiosam sarcinam amitteret; cuidam fideli Archidiacono suo Sanctorum corpora commisit, & quomodo ea per occultos tramites ad *d* Tudensem deferret civitatem, sapientibus verbis instruxit. *curat sacra corpora clam deferri Tudam,* Pontifice ergo apud Cornelianam remanente, Archidiaconus secundum ejus præceptionem iter faciens, usque ad flumen Minii, quod secus Tudam defluit, prospere pervenit. Flumen equidem ante tam asperrimis per tres dies inhorruerat procellis, quod nullis navibus transiri posset. At postquam Sanctorum corpora supra ripam fluminis posita fuerunt, eorum reverentiam fluvius sensisse visus est. *placidum transitum præbente Minio;* Nam gravis auræ asperitate submota, aërisque intemperie evanescente, transferendis Sanctis tantam transfretandi facilitatem flumen exhibuisse perhibetur, quantam ipsius pernicitas aquæ subministrare potuit; quæ sedatis fluctibus tam magna ferebatur tranquillitate, ut nec modica fluctuationis unda quateretur. Translatos itaque per fluvii tranquillitatem Sanctos in cœnobio S. Bartholomæi, quod in suburbio Tudæ civitatis situm est, posuerunt. *& deposita in cœnobio S. Bartholomæi,* Archidiaconus igitur fideli custodia & administratione quemdam Diaconum, S. Iacobi Apostoli Canonicum, cum eis relinquens, ad Episcopum in Cornelianam reversus est: eique quidquid accidisset in itinere, & ubi Sanctos Dei dimisisset, referendo pate- C fecit. Deinde Diaconus, quem custodem deputatum esse prædiximus, ex præcepto Pontificis supra dictos Sanctos ad ecclesiam S. Petri de Cella, quam B. Fructuosus fabricaverat, religiose detulit. *dein in ecclesia S. Petri de Cella,* Ibi vero per decem dies Episcopum præstolando debitam venerationem eis exhibuit.

5 Audiens autem Episcopus quia jam Minium fluvium transissent Sancti, & in tuto loco positi essent (fluvius enim iste Portugallensem terram disterminat à Gallæcia) præparatis omnibus, quæ præparanda erant, ad monasterium, ubi Sancti erant positi, festinando pervenit: & assumptis inde Sanctis, *cum publica veneratione transfert versus Compostellam:* jam manifeste, per villas S. Iacobi cum magna veneratione & lætitia ad Compostellanam civitatem redire cœpit. Cum autem ad villam, quæ Coëgidum appellatur, venisset, nuntios suos Clero & populo Compostellano præmisit, ut eis Sanctorum adventum nuntiarent, & qualiter deberent suscipi, jussione ipsius admonerent. Clerus igitur Compostellanus & populus, audientes quia Divina miseratione permissum esset, quod Sanctorum corpora à Bracara in Compostellanam transferrentur civitatem valde gavisi sunt. *occurrentibus Clericis & populo,* Intelligebant siquidem, quod tam eorum meritis & intercessionibus, quam piissimo B. Jacobi Apostoli patrocinio, cujus sanctissimi corporis præsentia Compostellana civitas illustratur, ab omni peste seu languore & debilitate liberandi essent. Exeuntes ergo obviam nudis pedibus Clerici, subsequente populo totius civitatis, usque ad locum qui Miratorium dicitur, religiose processerunt. Quo cum pervenisset Episcopus, & qui secum venerant discalceati præcessissent; Clerici secundum ejus dispositionem sacris vestibus ornati, nudis pedibus existentes, post eos venientibus turbis, gloriosa Sanctorum corpora susceperunt: & Episcopo prætereunte & Clero, in civitatem suam cum hymnis & canticis & pia devotione detulerunt, & in ecclesiam B. Jacobi Apostoli Compostellanæ Sedis collocaverunt. *deponit in ecclesia S. Iacobi,*

6 Corpus vero S. Fructuosi Confessoris atque Pontificis ad altare S. Salvatoris, in majori ejusdem ecclesiæ crypta, positum est. Verumtamen expletis quatuor annis, iterum præfato Episcopo suisque Clericis melius visum est, ut B. Fructuoso, quem de propria mansione susceperant, proprium facerent habitaculum. *extruit S. Fructuoso altare,* In ejus itaque honorem fabricatum & dedicatum est altare, & ab eodem Episcopo consecratum in sinistro membro ejusdem ecclesiæ, in *e* crypta quæ est inter portam quæ mittit in claustrum, & altare S. Iacobi. *e* Ibi ergo positum est corpus B. Fructuosi & conditum, & tamquam in propria sede requiescit, usque in sempiternum diem, miraculis gloriosum. E Sanctum vero Cucufatem Martyrem altare S. Ioannis Apostoli & Euangelistæ suscepit: & S. Silvestri Martyris corpus sub altari beatorum Apostolorum Petri & Pauli, *f* in ejusdem Ecclesiæ corpore, conditum est. *Corpora aliorum in variis altaribus deponit* *f* Beata vero Susanna Virgo & Martyr in ecclesia, quæ in honorem sancti Sepulcri & omnium Sanctorum fundata cognoscitur, in loco quem antè Altarium sepulcrorum appellare solebant, honorifice collocata *g* requiescit. *g* Translata itaque Sanctorum corpora, ut supra dictum est, collocata fuere *h* XVII Kalendas Ianuarii. *h*

7 Hugo ejusdem Compostellanæ Sedis Canonicus & Archidiaconus, prædicti secreti conscius fuit, qui etiam in tanti tamque pretiosi thesauri inventione & inventi administratione fidelissimus consultor & diligens cooperator, corpore præsens & animo devotus extitit, ne oblivionis caligine sopiretur, diligenter scripsit, & posteris in memoriam fideliter tradidit, regnante Domino nostro Iesu Christo: cui est honor & gloria in secula seculorum. Amen. *Historia hæc scripta ab Hugone Archidiacono, teste oculato.*

F

ANNOTATA.

a Didacus *cognomento* Gelmirez *anno* 1120 *factus est primus Archiepiscopus Compostellanus. Ejus res gestas late prosequitur Gonzales d'Avila tomo* 1 *Theatri Ecclesiastici regni Castellani.*

b Giraldus *sive* Gerardus, *sanctitate & miraculis clarus, decessit anno* 1109. *Colitur ejus festum* 5 *die Decembris. Acta ejus describit tomo* 2. *Archiepiscopatus Bracarensis Rodericus da Cunha.*

c Cornelham *vocari hodie oram totam in fundo Penella cis fluvium* Limam, *indicavit, qui transmiserat hanc historiam.*

d Tuda *urbs Episcopalis hodierna Gallaciæ ad Minium fluvium: cujus antiquitates & seriem Episcoporum descripsit Prudentius Sandovallius tunc ibidem Episcopus.*

e *Da Cunha tradit esse sacellum Parochiale, & ibidem sanctissimum Sacramentum Eucharistiæ asservari.*

f *Illi proprium altare dicatum anno* 1589, *scribit idem da Cunha.*

g *Fuit olim ecclesia Templariorum, nunc ecclesia S. Susannæ parochialis.*

h *Eo die celebratur translatio S. Fructuosi: at SS. Silvestri & Cucufatis* 9. *Aprilis.*

DE SANCTO MAGNO,

COMITE INSULARUM ORCADUM IN SCOTIA.

ANNO MCVI

S. Magnus Comes, Patronus Orcadum contra hostes,



ORcades insulæ, ultra Septentrionalem Scotiæ partem sparsæ, Deucaledonium Oceanum à mari Germanico separant. Harum Patronus est S. Magnus Comes, de quo hic agimus. Ioannes Leslæus Episcopus Rossensis, in Præfatione ad suos libros de Rebus gestis Scotorum, tractans de Orcadibus insulis, pag. 40 asserit, incolas harum insularum Divo Magno suo Patrono proxime post Deum plurimum attribuere, quem & contra hostes sibi in summo discrimine positis sæpe apparere in præsidium dicunt. Hector Boëthius lib. 4 Historiæ Scotorum, cum victoriam, quam Scoti de Anglis anno MCCCXIV reportarunt, late descripsisset; ista addit: Creditum est Angelos à cælo missos, ac singulare Dei auxilium eo die Scotis adfuisse. Quo die autem pugnatum fuit, eques quidam fulgentibus armis Aberdoniam transiens, victoriam Scotorum maximam dicitur nuntiavisse: idem visus est Pictorum Bosphorum equo trajecisse. Vulgo autem habitus fuit Divus Magnus, Orcadum quondam Princeps. Robertus vero Brusius, fama rei illius motus, Orcadense templum quinque libris sterlingiis, ex portoriis & vectigalibus Aberdonensis oppidi quot annis recipiendis, donavit, ad panem, vinum, ceramque sacris faciendis comparanda. Hæc ibi. Situm est dictum S. Magni templum, in medio Orcadum, in parva insula, inde forsan Eglis-eya id est Insula ecclesiæ appellata. Est hæc bis mille passus fere longa, & mille lata, frugifera, sed glebis vacua: queisque utitur, ex Rausa, vicina insula, scaphis per mare æstu asperrimum exportantur. Hic templum est, cum turri acuminatim ascendente & præalta, ubi S. Magnum, tutelarem Divum Orcadum, fama est esse sepultum: & ædes prope templum pervenustæ. Ita legitur in Nova descriptione Orcadum in Geographia Scotiæ Blaviana pag. 159. Aliqua ex prædictis verbis ita leguntur apud Georgium Buchananum lib. 1 Rerum Scoticarũ fol. 13. Ab Occidentali parte Pomonæ jacet Rusa, sex millibus longa: ab ea propius Orientem sita est Eglisa, ubi divum Magnum fama est esse sepultum. Ita ab ipsis heterodoxis deducimur ad notitiam antiquæ venerationis S. Magni. Eum in dicta insula fuisse occisum infra dicetur.

Scotis creditur victoriam nuntiasse;

vectigal tributum ejus templo

B

in insula Eglis-eya.

in qua est occisus.

2 Excusum fuit Edimburgi anno MDIX Breviarium, in usum insignis Ecclesiæ Cathedralis Aberdonensis, adeoque totius Ecclesiæ Scoticæ: in hoc ad diem XVI Aprilis præcipitur Festum duplex in solemnitate S. Magni, Orcadum Hæbudumque Apostoli, & Martyris in insulis Orcadibus: & præscribuntur Lectiones novem, sed valde breves ex Legenda sive Vita S. Magni, quas hic damus, cum variis hymnis & antiphonis & orationibus. Est memoria Sancti Martyris Magni Comitis inscripta MS. Florario Sanctorũ, absque ulteriori notitia ullius regionis. Grevenus, in additionibus Vsuardi, Coloniæ anno XV & XVI ultra millesimum & quingentesimum excusi, locum male assignat his verbis: In Dacia S. Magni Comitis & Martyris. Eadem inde descripta leguntur in Martyrologio Germanico Canisii: quæ Molanus in II & III editione Vsuardi in suis additionibus auxit his verbis: In Dacia S. Magni Comitis Arcadiæ, & Martyris anno MCLV. Citato in Notis Molano, ista solùm scribit Galesinius: In Dacia S. Magni Martyris; & in Notis hæc de loco tradit: Dacia, alio nomine Davia aut Dania vocatur, regio Scythiæ Europææ: fidem religionemque Christianam suscepit ab Apostolis, atque adeo ab eorum discipulis: cujus rei præter cetera illud argumento esse potest, quod in Concilio Niceno priori adfuerunt Episcopi duo Daciæ, Marcus Metropolitanus & Protogenes Sardicensis, aliique Episcopi Dacis vicini. Hæc Galesinius. Contra quæ insurgit Ferrarius & hunc diem in Catalogo generali ita auspicatur: In Dania S. Magni Comitis & Martyris, ac late de Situ Daniæ vulgo Danimarcha agit, culpatque eos, qui Daniam cum Dacia, inde longissime distante (est enim Dacia, inquit, nunc Transilvania, Moldavia & Wallachia) cõfundavit, & addit, S. Magnũ passum circa annum MCIV, de quo Daniæ Scriptores, inter quos Saxo Grammaticus. Ita boni viri, ex mera conjectura, errores supra errores cumulant. Infra Orcadũ insula dicitur Orcadia, unde litteris transpositis videtur Ordacia & prima syllaba sublata Dacia dicta. Adjunxit Molanus Comitis Arcadiæ per Orcadiæ. Non etiam hujus S. Magni meminerunt Saxo Grammaticus aut alius scriptor rerum Danicarũ.

Vita ex Breviario Aberdonensi:

C

memoria in Fastis recentioribus,

non absque mendis.

3 Ipsi hodierni Scriptores Scoti non sunt ab erroribus immunes. Thomas Dempsterus lib. 12 Historiæ Ecclesiasticæ gentis Scotorum cap. 855 ista habet: S. Magnus, gente Scotus, ad Orcades insulas (quæ pietatẽ, quam à SS. Brandano & Machute olim hauserant, exuentes, in priorem infidelitatis statum redierant) destinatus, ab improbis Paganis martyrio affectus: scripsit ad Orcadianos monita salutaria lib. 1. Vivebat anno MCIX, colitur die XVI Aprilis. Citat deinde Breviarium Scoticum: quod si legisset, non tam inepta de paganismo resumpto scripsisset. Interim Dempsterus nullã S. Magni in suo menologio mentionem facit ad hunc XVI Aprilis, sed videtur remisisse ad diem VI Septembris, ubi ista habet: In Orcadibus Magni, illarum gentium Apostoli & Martyris, quem Scotum faciunt, addit litteras K C, quibus intelligit Kalendariũ Adami Regii, Iacobi Chinæi &c. Colitur dicto VI Septembris S Magnus sive Magoaldus Abbas, in Alpibus Germanicis ad Fauces Iulias, SS. Columbani & Galli discipulus, quem & Hiberni & Scoti suum gentilem fuisse contendunt. At die XVI Aprilis collocat Dempsterus S. Molocum Episcopum in Hebridibus Scotorum insulis discipulum S. Brendani, qui sub ritu duplicis majoris in Breviario Aberdonensi XXV Iunii celebratur. Ita ad libitum convertit & evertit omnia.

Dempsterus inepta tradit

E

4 David Camerarius in suo Menologio Scotico, non sine mendis, hoc formavit elogium ad hunc diem XVI Aprilis S. Mannus sive Magnus, Episcopus & Martyr, qui fidem Catholicã, quam Sernanus, sanctus Orcadensium Apostolus, in Orcadibus plantaverat, non modo rigavit strenue, sed & sanguinis effusione rigatam confirmavit. Siquidem cum Noruegorum Rex Duncanum Scotorum Regem bello lacesseret, & Orcadas pertransiens, magnam ibi Christiani sanguinis copiam effudisset, S. Magnum Orcadensium Pastorẽ & Episcopum comprehendi jubet: cui cum mors intentaretur, intrepide respondit: Ego pro Deo meo millies mori paratus, verum ex parte Dei omnipotentis, cui brevi serviam in sanguine, præcipio, ut pusillo gregi meo, sanguine adhuc madenti, amplius non noceatis. Posteà carnifici, gladium educenti, magna animi constantia caput submisit, hæc novissima proferens verba: Domine Iesu, tibi, S. Mariæ, SS. Palladio & Sernano, commendo meipsum & gregem meum. Vide Chronica antiqua, Leslæum & alios. Passus est S. Mannus anno Christi MCIV, in insula Orcadum, cui Eglisia nomen est, ubi & miraculorum gloria ad nostra fere tempora celeberrimus, ab Orcadensibus celebrabatur. Agit etiam de S. Magno Aberdonense Breviarium, quem refert nobilibus ortum parentibus, post laxiorẽ vitam in adolescentia transactam, totum se divino mancipasse obsequio, coactumque à parentibus uxorem ducere, sed cum eadem annos decem in magna vixisse castitate. Uxore vero mortua mundo vale dixisse, & postea ad sacras infulas evectum, martyrii corona pro fide Catholica redimitum. Quæ omnia pervetusto carmine, apud Orcades cani solito, contenta cernere est.

uti etiam Camerarius, qui Episcopum facit,

& à Rege Norwegorum occisum fingit.

F

5 Illud

A

quæ rejiciuntur,

5 *Illud carmen, in quo Camerarius secundam strophen omisit, ad Vesperas & Matutinum cani solitum infra integrum damus: sed in eo nulla* sacrarum insularum *aut* suscepti Episcopatus *mentio continetur: melius autem in externis Martyrologiis* Comes Orcadiæ *dicitur. Quæ citat* Chronica antiqua, *dum nomina silet, non videntur ullam auctoritatem obtinere; maxime cum Leslæus, quem nominat, ei adversetur. Nam hic tradit* Duncanum Regem, *qui Donaldo fugato cœperat anno* MXCIX *regnare, mox à Mackpendito occisum fuisse, & regnum recuperasse Donaldum; & quarto anno recuperati regni, Christi* MCIII, *animam efflasse: eique subrogatum Edgarum, Malcolmi ex S. Margareta filium, pacifice usque ad annum* MCIX *regnasse: cui tunc frater ejus Alexander substitutus, feliciter usque ad annum* MCXXIV *imperasset. Hæc Leslæus absque mentione* S. Magni, *quasi tunc vixisset, & irruptionis Regis Norwegi; quem asserit sub Donaldo Hebrides insulas, pacti vi deditas, præsidiis impositis munivisse. Verum frustra hæc proferimus cum* S. Magnus *non jussu Regis Norwegorum qui eum fovit, ob fidem Christianam sit interemptus; sed insidiis & dolo Haconis patruelis sui, ut ejus Comitatum obtineret.* Martyr *autem colitur, quia ob miracula & sanctitatem vitæ obtinuit venerationem Ecclesiasticam, & sanguine effuso vitam profudit, ut alias sæpius de nomine Martyrum & Confessorum exposuimus.*

Occisus est autem,

ab Hakonis patruelis,

quo anno?

Dicitur mox in Actis passus B. Magnus anno MCIV, XVI Kalendas Maji feria secunda: *in titulo autem ascribitur* sub Rege Alexandro anno MCIX, XVI Aprilis. *Ast* feria secunda *neutro anno concurrit cum* XVI *Aprilis, sed is dies utroque anno Sabbatinus fuit. Fortasse qui notatur in titulo, annus elevati corporis fuit, nec ad hunc trahi debet nota feriæ secundæ: forte & pro anno* MCIV *scribendus fuit* MCVI; *eoque* S. *Magnus occisus fuerit sub Edgaro Rege Alexandri decessore.*

B

Reliquiæ Aquisgrani & Pragæ.

6 *Aliquæ ejus Reliquiæ Aquisgranum postea allatæ creduntur; ex quibus est pars humeri, anno* MCCCLXXII *Carolo IV Imperatori donata, quæ nunc in Metropolitana S. Viti ecclesia Pragæ servatur cum aliis pluribus illustribus Reliquiis, quarum catalogum, per modum diarii seu kalendarii, Thoma Pessina à Czechorod ejusdem ecclesiæ Decano & Officiali continnatum vulgatumque, misit ad nos P. Bohuslaus Balbinus* Societatis *nostræ ejusdem ecclesiæ Historiographus, promittens ipsum donationis instrumentum, quod vel in appendice daturi sumus, si ipsum mature transcriptum acceperimus.*

EPITOME VITÆ

Ex Lectionibus Breviarii Aberdonensis.

Nobili stirpe prognatus

C

1 Beatus Magnus, apud Orcadas insulas oriundus, nobilissimus genere & alti sanguinis parentela fuit. Pater, illarum insularum Comes & Dominus, nominatissimus fuisse dicitur, juxta nomina Magnorum, qui sunt in terris; mater vero haud minoris sanguinis propagine decorata. Sed cum multis nobilitas generis parare soleat ignobilitatem mentis; B. Magnus adhuc infantulus, divina instructus gratia, nobilitatem virtutis, sanguinis nobilitatem longe præcellere censuit. Agebat enim senem moribus annis puer; expers lasciviæ puerilis. In gestibus candidus & hilaris, in sermone tam amabilis & affabilis, in incessu tam modestus extitit & gravis; ut nihil appareret in eo, quod posset offendere intuentes, aut pro vitio ab eisdem apprehendi.

maturus in pueritia;

2 *Hic omittuntur, quæ seductus in adolescentia patravit scelera ejusque reditus in viam virtutis, continentiaque in conjugio; nam hæc intelliguntur ex Hymnis infra recitandis* Patre ejus apud Norwegiam rebus humanis exempto, quidam, Haco nomine, filius patrui sui, irruens in quemdam procuratorem Regis Norwegiæ, qui partem B. Magni ex parte Regis administrabat, dominium totius Comitatus Orcadiæ sibi subjugabat: cum non nisi pars dimidia totius Comitatus Orcadiæ ei de jure competeret: alia enim pars ad B. Magnum jure spectabat hereditario. Nec mora, totius sceleris armariolum prædictus Haco & satellites sui in necem B. Magni conspiraverunt. Seditionem igitur cum B. Magno pacifice palliantes, in dolo locuti: scilicet ut B. Magnus & Haco statuto die in quamdam insulam, quæ dicitur Eglissei sive Ecclesiæ insula, cum pari numero armatorum convenirent, fœdus percuterent, pacem prælocutam firmarent, ne in futurum contentionis scrupulus processu temporis reduceretur, & pax firmata desirmaretur nequaquam.

la re morte

EX BREV. ABERDON.

ab Hakone patrueli excluditur ab hereditate,

& dolo in insulam Ecclesiæ evocatus,

3 Placuit hoc B. Magno, & ad prædictam insulam, in qua mansio sita erat, cum duabus longis navibus, nullius mali habens suspicionem, pervenit. Imminente vero die inter eos statuto, prædictus Hako, cum septem vel octo navibus, viris Sanctorum Christi sanguinem sitientibus onustis, sibi associatis, prædictam insulam applicuit. Seditionem igitur Hakonis comperiens, nec formidine perculsus, ecclesiam adiit: suisque vim repellere volentibus, & Hakonis furori resistere suggerentibus, fertur respondisse: se malle injuriam accipere quam irrogare, sciens quod omnis fraus in se reversa colliditur.

ecclesiam adit:

E

& Missam audiens,

4 Erat autem hora, in qua Sacerdos sacris vestibus indutus, in altari Unigenitum Patri sub panis specie & vini in signum humanæ reconciliationis præsentavit: nec ab re illum hoc fecisse credendum est, ut illic hostia fieret, ubi totius mundi Hostia salutaris offerebatur. Missis igitur quatuor apparitoribus, quorum pedes veloces ad effundendum sanguinem erant, qui ad omne opus nefarium ceteris omnibus proniores essent & promptiores, * Christum Dei rapere, & illum sibi præsentari constituunt. O quam dira & inaudita præsumptio! lupi crudelis immanitas, ovem rapere, laniare atque jugulare in Pastorum præsentia non veretur. Irruentibus igitur in ecclesiam Dei apparitoribus, justus ab injustis injuste rapitur, extrahitur, & Hakonis præsentiæ præsentatur.

** al.* Virum

extrahitur,

5 Nec mora, data ab Hakone sententia lictori traditur, ut capitali sententia plecteretur. Eductus igitur hilari mente & intrepido animo, quasi ad epulas invitatus, agonem suum Domino precibus commendans, securi bis in cerebrum suum vibrata, ictum ferientis suscepit. Sed quem lictor exemit mundo, hunc Christus intulit cælo: corpus solo sternitur, sed anima in cælo sublimatur. Hodie depositis corruptibilibus exuviis ascendit superna, & est ei honor & gloria coram simul discumbentibus: ascendit, inquam, clarus meritis & triumphis gloriosus. Passus est. B. Magnus Martyr, proprio sanguine laureatus, anno Domini millesimo centesimo * quarto, sextodecimo Kalendas Maji, feria secunda.

hilari animo ictum lictoris suscipit.

F

** potius* sexto

6 Nunc ergo dilectissimi sanguinarios affectus propulsantes, & scelesta desideria devitantes, subjugatis vitiorum incursibus, ipsius vestigiis toto mentis desiderio, in quantum nostra fragilitas permittit, inhærere studeamus: ipse sit forma, cui imprimamus exemplar, quod imitemur. Ergo devotionis legibus & debitæ reverentiæ destituti, ac mole peccaminum nostrorum pressi, beati Martyris præsidium efflagitemus; quatenus ipsius meritis & precibus suffragantibus, coronæ immarcescibilis, quam hodierna die consecutus est, participes effici mereamur, præstante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre & Spiritu sancto vivit & regnat Deus.

ad ejus patrocinium incitantur alii.

IN-

A

INVITATORIUM

Sancti Magni colentes solennia, Regis Regum canamus magnalia.

HYMNUS
ad Matutinum & Vesperas.

HYmnis perdulcibus Magni præconia
Cordisque vocibus pangamus inclyta:
Ejus mirifica promentes opera,
Jugi digna memoria.
Hic ex prosapia magna progenitus,
In pueritia vixit divinitus:
Post hoc est factus homo sceleribus,
In gente nequam alitus.

Conversus à vitiis,

Vt Paulus Domino Magnus convertitur,
Christum ex animo toto consequitur;
Ardere creditur, sed non exuritur,
Rubus dum florens cernitur.
Sic in cubiculo sponsus cum virgine,
Insigni titulo pro continentiæ,
Vixit à Venere divino munere
Annis decem continue.

& in conjugio continens

De templo trahitur Magnus Dominico,
Repletus patitur ex Sacrificio,
Migrat de prælio rubens martyrio,
Castoque candens lilio.

B

post Eucharistiæ sumptionem occiditur.

Hujus ut passio nostrorum criminum
Fiat ablutio, poscamus Dominum:
Vt nobis gaudium post hoc exilium
Largiatur perpetuum.
Honor, laudatio per mundi climata
Vni sit Domino, trinoque gloria
In trina machina, qui regit omnia
Per cuncta semper secula.

ALIVS HYMNVS
divisus in Responsoria, ad IX Lectiones Officii Matutini.

PEr nova mundus resultet gaudia,
Sancti Magni plaudens victoria,
Qua cælestis exultat curia.
Gaude tellus felix, Orcadia,
Novæ lucis resplendens gratia.
Mali bonos solent pervertere,
Quibus victus primævo tempore
Prædis Magnus cœpit insistere:
Sed electum Deus eripere
Non moratur de mortis fœdere,

C

Ex prædone

Magnus prædo mutatur penitus,
De raptore fit pater inclytus,
Agnus redit ad caulam perditus,
Sacri plenus afflatu Spiritus,
Gregem regit hic vervex redditus.

factus vir sanctus

8 Præter carnem in carne vivere
Studet Magnus divino munere:
Miro plane se domans genere,
Annis decem in toro Virginis
Labe carens mansit libidinis.

& uxorem virginem servans,

Hako, Magni terras & prædia
Sibi subdens, invasit omnia:
Contra mitem furit insania.
Nulla Magnus fractus injuria,
Cuncta suffert mira constantia.

cedit violentiæ Hakonis

Cessit Magnus furentis odio,
Rex Anglorum quem sumptu regio,
Suo digne fovet palatio:
Anni redit transacti spatio,
Nutu Dei tutus martyrio.

& manet apud Regem Angliæ.

9 Nova inde regnat perfidia,
Alter Abel fratris invidia
Ruit, victor regnat in gloria:
Plangens ista plaudit Orcadia,
Hako Magno sub pacis basio
Mortem parat fraudis consilio.

D

Invitatur dolose ad pacem firmandam,

Hostes monet Magni collegium
Propulsare & scelus nefarium.
Sanctus retorquens ferre tædium,
Mavult gratis pati martyrium,
Suis pacem lætus obtinuit:
Dum grex abit, pastor occubuit.

consulit suorum saluti.

Iesu pie, nos Magni precibus
Noxæ reos absolve nexibus,
Condemnatis carnis operibus;
Ne privemur æternis sedibus.
Mentes nostras illustra moribus;
Pacem dona nostris temporibus.

HYMNUS TERTIUS
distributus in Antiphonas

MAgnus ex prosapia magna procreatus
Actu, vita, moribus major est probatus:
Prædis vacans [juvenis] pravorum instinctu,
Vt Paulus convertitur in viæ procinctu.

Conversus à vitiis,

Saulus ecce Paulus fit, prædo fit Patronus,
Persecutor factus est plebis Pastor bonus.
Vir sanctus in Comitem digne sublimatus,
Carnem per continuos domat cruciatus.

E

excellit omni virtute.

Justus, pius, humilis, [mitis] & modestus,
Iste suis præfuit exemplis honestus:
Magnus, inter ceteros gratia divina
Plenus, fulget veluti stella matutina.
Vir Sanctus ad propria reversus, componit
Cum Hakone perfido, qui fraudem disponit:
Expetit ecclesiam, qua fraude comperta,
Vt pararet hostiam se Christo spe certa.

protractus in locum insidiarum,

Hostes turbat Comitis mora salutaris:
Hostia dum refici expectat Altaris,
Sanctum trahunt, templum irrumpentes,
Sacro plenum pabulo extrahunt amentes.

sumpta eucharistia,

Hakonis præsentiæ Magnus præsentatur:
Sitit agni sanguinem lupus fere satur,
Protulit sententiam, ut morti tradatur;
Et lictori traditur, ut hanc exequatur.

occiditur Hakonis jussu.

Favus stillans frangitur mellis dans dulcorem,
Mala quæque fugiunt cujus per odorem.
Surdi, muti, precibus Magni reparantur;
Claudis datur sanitas, leprosi mundantur.

& claret miraculis.

F

Ferro vincti Martyris ope relaxantur,
Naufragantes nexibus mortis liberantur,
Fit mœstis lætitia, ægris medicina,
Spes firma periculis, salus in ruina.

HYMNUS AD LAUDES

EXulteinus concrepantes sonora melodia,
Sancti Magni venerantes Martyris insignia,
Ejus digna prædicantes post mortem miracula.
Odor manat en unguenti alabastrum frangitur,
Quovis morbo gravescenti salus vera redditur:
Plebs concurrit, fit egenti cuilibet quod petitur.

Corpus omnigenis illustratur miraculis.

Lepram mundat & furorem pellit ab amentibus,
Contuendi dat vigorem privatis luminibus,
Mutis fandi præbet morem, gressum claudicantibus.
Ferro vincti relaxantur, surdi simul audiunt:
Casu fracti mox sanantur, mala quæque fugiunt:
Naufragantes liberantur, dum procellæ sæviunt.

O quam

A

os ejus tertio in combustum, cruci infertur.

O quam probat hunc beatum ossis ejus ustio!
Bis ut aurum concrematur os; sed ustum tertio,
Crux fit os ejus, sacratum tam miro commercio.
Magne, Pater famulorum tibi supplicantium,
Sordes terge delictorum, fidem firma mentium;
Adeptores præmiorum quo simus cælestium.
Laus perennis Trinitati, salus, virtus, gloria
Uni decus Deitati, mira cujus gratia
Suæ cuncti Majestati, serviunt per secula.

VERSICULI AD VESPERAS.

MAgne Dei miles, tua festa tuere colentes:
Orcades alme Comes, digne rege te venerantes.
Pelle, Pater, pestes: nostras pius ablue sordes.
Funde preces, tecum regnemus ut omne per ævum.

ANTIPHONA AD MAGNIFICAT.

LUx dicata Magni martyrio
Instat jugi colenda gaudio;
Qua mutatur grato commercio
Mors in vitam, in plausus passio:
O mors felix, cujus supplicium
Vitæ reddit æternæ præmium.

ALIA PRO TRANSLATIONE.

DUlce melos in hoc solennio
Summi Regis cantemus Filio;
Hostem vicit cujus suffragio
Martyr Magnus victor sub gladio:
Cujus nobis sit sacra Translatio,
Contra hostes perpes tuitio.

B

AD BENEDICTUS

MAgne Pater conforta flebiles
Ope pia sustenta debiles,
Casu mortis eripe fragiles,
Regno vitæ ne simus exules.

ORATIO AD VESPERAS

SAncti Magni Martyris tui, Domine, merita pretiosa nos tueantur, in quibus Majestatis tuæ opera prædicantes, & præsens capiamus adjutorium pariter & futurum.

ALIA AD LAUDES

DEus, cujus nutu absque Sanctorum solatio nullius temporis præterit cursus; tribue nobis quæsumus tua piissima dignatione, ut S. Magni Martyris tui pia interventione, à cunctis adversitatibus liberari, & assidua protectione tuæ magnæ misericordiæ mereamur potiri.

DE S. DROGONE RECLUSO D. P.

SEBURGI IN HANNONIA.

ANNO MCLXXXVI

In ampla ditionis oppido Seburgo



BAlduinus, cognomento Magnanimus, Flandriæ & Hannoniæ Comes, primo sui regiminis anno, qui fuit Christi MCLXXI, *fratri Henrico dominium dedit oppidi Seburg, & terrarum ab eo dependentium; adeo amplum atque honestum, ut Philippo Henrici filio, postmodum absque prole mascula decedente, & quatuor filias relinquente, Seburgense dominium, inter illas divisum, suffecerit pro sua cuique parte, in congruam honestissimis nuptiis dotem, quemadmodum in Annalibus Hannoniæ, lib. 18 cap. 2, testatur Fr. Iacobus Guisius sive de Guise Minorita, scriptor antiquus, & in anno* MCCXLIV *finiens historiam suam; quam Gallice redditam, & Parisiis anno* 1531 *impressam habemus; Manuscriptam autem tribus voluminibus extare in conventu FF. Minorum montibus Hanoniæ asserit Wadinghus in libro de scriptoribus Ordinis Minorum; ubi eam requirentes, invenimus quidem, sed Gallice, cum auctor videatur scripsisse Latine.*

Mortui Sancti Acta scripta circa an. 1320.

2 *In eodem Seburgo, & ejusdem Balduini tempore, Reclusus vixit S. Drogo. Quo anno obierit, non explicat Vita, quæ ibidem in ecclesia & in nostro quodam Codice MS. legitur, collecta non diu post mortem Comitis Ioannis, anno* MCCCIV *obitam, & regnante in Francia Carolo Pulchro, adeoque ante annum* MCCCXXVIII. *Quam Vitam, ut Seburgi invenit, sic prædictus Guisius verbotenus in suos Annales transcripsit, itaque in Gallica translatione nunc legitur lib. 18 cap. 23. & novem sequentibus; idque inter gesta anni* MCCLXXXVI, *qui fuit annus Balduini* XVI, *quando Pascha cadebat in* XIV *Aprilis. Hinc consequens foret, S. Drogonem, (siquidem eo anno vere obiit, uti recentiores ex Guisio collegere) è vivis migrasse feria* III *Paschæ;* obiit *enim* die XVI Aprilis, uti, habet tabella ad ejus altare dependens, *teste Molano; qui exinde in suis ad Usuardum additionibus sic scripsit;* Villa Seburk, prope Valencenas, S. Drogonis Confessoris, qui miro modo calculosis & ruptis invocatus subvenit. Ejus Acta habentur. *Molanum Galesinius secutus,* In Belgis, *inquit,* S. Brogonis (Drogonis *scribere voluit*) Confessoris, miraculis clari. *Ex utroque Baronius in Romani Martyrologii recognitione hæc conflavit.* In Belgis apud Valencenas S. Drogonis Confessoris.

Sacris fastis non ita pridem insertum nomen.

3 *Ingens celebritas miraculorum, copiam evocavit peregrinantium; hæc votivorum donariorum multam gazam coacervavit: quam Francico bello implicatus Ferdinandus, Hannoniæ & Flandriæ Comes, prætextu solicitandæ canonizationis, ad se traxit sub annum* MCCXIV; *meritasque mox facti pœnas luit; prælio Bovinensi captus, neque ante* MCCXXVII *liber dimissus. Eodem anno, Binchio (nam eo absente Comite transferendum corpus Hannoniæ Rectores censuerant) post novennalem istic moram, relatum esse corpus scribit Gallicæ recentioris Vitæ auctor; æquum fortasse æstimans ut Ferdinando post receptam libertatem prima cura fuerit S. Drogonem, immani sacrilegio violatum, placare. Quam parum hoc sit probabile mox videbimus: interim hoc certum est, mense Iunio corpus fuisse relatum: quam causam esse suspicatur Molanus in Natalibus Belgii die* XIV *Iunii, cur aliqui obitum ejus transtulerint ad hunc diem, qui revera fuerit translationis; ipsum, ad celebrandum Sancti festum, præferentibus majoribus nostris, propter impedimenta Quadragesimæ & Paschatis.*

cultus seculo 13 celebris.

& iterum post corpus Binchio reductum.

F

4 *Sed cultus diei* XVI, *etsi non ita celebris, superest Seburgi, teste Vita recentiori usque in hodiernum diem; diei vero* XIV *Iunii nullus specialis honor ibi nunc impenditur.* Nam modo, *inquit idem Molanus,* festum ejus celebratur feria tertia Pentecostes à Clero Valencenensi & per octavam. Singulis etiam hebdomadis feria tertia & ferme quotidie, ad devotionem peregrinantium, fit Missæ Sacrificium ad honorem S. Drogonis: & in Collecta invocatur Deus, ut intercessione S. Drogonis amici sui ab infirmitatibus mentis & corporis liberemur, gaudiisque æternis perfruamur. Quod attinet ad Espinoy, *Sancti viri patriam,* Latine est Spinetum, celebris pagus, Principatus titulo decoratus, habens sacellum in honorem Sanctorum Drogonis & Petri à Lucemburgo dicatum, idque in eo solo extructum quod eidem Drogoni dicitur hereditarium fuisse, & in quo cæso matris utero in lucem est æditus; ubi festum ejus celebratur die XI Julii, *vel quia tum fuerit dedicatum sacellum, vel alia quavis ex causa.*

nunc feria 3 Pentecostes colitur.

AUCTORE D. P.

qua anno 1272 fuerat 24 Iunii.

5 *Ex his non tantum firmatur conjectura, quod feria* III *aliqua obierit S. Droge, quam supra vidimus ipso qui notatur anno cadere in* XVI *Aprilis: sed etiam, Translationem seu verius Relationem corporis Seburgum, factam esse eorum annorum aliquo, qui conjunctim attulerunt Feriam* III *Pentecostes & XIV Iunii: talis autem toto seculo* XIII *nullus fuit, præter* LXXII, *qui Pascha habuerat* XXIV *Aprilis. Et vero quæ sola post relatum corporis narrantur miracula, cum sint post annum* MCCC *facta, non cogunt tanto citius relationem istam statuere, quam statuit Auctor iste recentior, ex Ordine Fratrum Minorum Recollectorum Provinciæ S. Andreæ, in Vita Duaci impressa anno 1634. Idem auctor in hoc quoque hallucinatus videtur, quod annum quo editus in lucem Sanctus est, statuat fuisse* MCXXII; *atque adeo ætatis suæ anno* LXV *eumdem Sanctum obiisse. Manifeste enim longiorem vitam ejus Acta requirunt: nam qui* XLV *annis Reclusus vixit, & ante suam reclusionem novies Romam peregrinatus est, & prius quam sacra ista itinera jam vir factus aggrederetur, sex annos gregibus Siburgi pascendis juvenis impenderat; is annorum minimum* XVIII *erat, cum domum paternam dimisit: aut verius legitimæ tutelæ ætatem egressus ac sui omnino juris erat, ut suis se potuerit bonis abdicare; adeoque vixisse debuit annos minimum* LXXVIII *aut etiam* LXXXIV.

Vixit annis circiter 80.

B

ejus Reliquiæ ad Processionem Valentianensem adferri solitæ,

6 *Valentianensis historiæ auctores Henricus & Petrus Doutremanni, postquam parte 3 cap. 5 explicuissent originem annuæ circum urbem processionis, die* VIII *Septembris, in gratiarum actionem pro eadem urbe circa annum* MVIII *à peste liberata, per Deiparam Virginem, visam filum eidem circumducere, quod adhuc servetur: hi inquam explicatis, enumerant corpora Sanctorum, ex omnibus circum circa pagis deferri ad eamdem supplicationem solita; iisdemque accensent corpus S. Drogonis, vulgo* San Druon *appellati. Potuit hoc pompam illam augustius ornare, postquam* anno MDCXII die II Junii, Joannes Richardotus, Cameracensis Archiepiscopus, solenniter transtulit sancti viri Reliquias ex veteri sepulcro, in quo tot annis jacuerat, in capsam elegantius ornatam: quæ tamen cum crescenti populorum pietati & oblationum multitudini minus videretur respondere, fabricata est arca alia, argentea quidem, sed magis ab opere & artificio æstimanda; intra quam anno MDCXXVIII mense item Junio, sacra ossa reposuit prænominati Richardoti, post Buisseretium, successor Franciscus Vanderburgius: *uti hæc narrat præcitata vita recentior.*

hoc seculo novis capsis inclusa.

C

coram multis Abbatibus.

7 *Et hæc omnia præscriptionis antiquæ jure facta credimus. Nam quod Molanus in Natalibus suspicatur, Apostolicæ Sedis consensu elevatum jam olim fuisse è terra Corpus; minime verosimile faciunt acta: in quibus cum capite ultimo his fiat mentio canonizationis tractandæ, nihil additur ex quo intelligas aliquid apud Pontificem aliquando actum, nedum peractum fuisse. Existimarem etiam superiori seculo Hagiomachorum metu vel insolentia veterem arcam, haud dubie argenteam periisse, ossaque intra sepulcrum terra obruta fuisse à Fidelibus, unde ea Richardotus eruit, uti ad nos sua manu scripsit an. 1636. Antonius Winghius Latiensis Abbas, significans quomodo posteriori Translationi anno 1628 factæ in capsam, ex argento partim, partim ex ære inaurato laboratam, interfuerit ipse, cum Abbatibus Petro Le Ieusne Altimontensi, Philippo Bosquier Maricolensi, Nicolao Samart Bonæ-spei, Philippo de la Mine S. Ioannis Valencenensis Abbatibus: quibus omnibus an ab Archiepiscopo aliqua sacri corporis particula contributa fuerit, nõ possumus divinando asserere, quia Arnoldi Raissii Hierogazophylacium Belgicum, in quo talia accurate traduntur, ipso anno quo facta est Translatio postrema, & quidem triduo citius quam hæc fieret, scilicet* III *Idus Iunii, dedicatum prodiit, cum ipsis Idibus peracta sit Translatio: ut patet ex ejus qui præsens adfuit & Reliquiarum partem accepit testimonio.*

8 Ego subscriptus, Ecclesiæ Metropolitanæ Cameracensis Presbyter Canonicus, fidem facio, his inclusam cranii partem, esse desumptam è sarcophago S. Drogonis Confessoris, Seburgi in Hannonia quiescentis, ab Illustrissimo & Reverendissimo Domino Francisco Vander Burch, Archiepiscopo Cameracensi, dum ejusdem Sancti corpus è veteri Lipsanotheca in novam Seburgi solenniter transferret, postridie Idus Junii, feria tertia Pentecostes, anno Domini MDCXXVIII. Ipsam autem cranii particulam, cum aliis minutis fragmentis, ipse Illustrissimus Dominus Antistes mihi, Secretario & Capellano suo, supplicanti, dono dedit: & ego ipsam eamdem cranii particulam R. Domino Sporckmans, Ecclesiæ primariæ collegiatæ S. Gaugerici Cameraci Canonico, pii affectus ergo donavi. Actum Cameraci anno Domini MDCLIV mensis Augusti die XXII. D

Reliquiarum pars Camerati

FOULON PRESBYTER ✠

inde Boxmeriam translata.

9 *Ipse vero qui sacrum donum ab uno ex nobis, Confessario tunc suo rogatus postulaverat impetraveratque, de eodem Boxmeriam ad Sacellum Comitum Montensium transferendo, in hunc modum disposuit:* Ego infrascriptus Ecclesiæ primariæ collegiatæ S. Gaugerici Canonicus Cameraci, fidem facio me accepisse supra nominatam particulam cranii S. Drogonis à R. D. Foulon, Canonico Metropolitanæ Ecclesiæ Cameracensis, & dedisse eamdem, ad instantiam R. P. Godefridi Henschenii Societatis JESU, Illustrissimo & Excellentissimo Domino Alberto, Comiti de Bergh, Marchioni de Berghes &c. & resignasse in manus Perillustris & Reverendissimi Domini Episcopi Ruremundensis. Actum Antverpiæ XV Septemb. MDCLIV. E

JOANNES SPORCKMANS.

alia alio.

10 *Ejusdem* calvariæ S. Drogonis partem, pulchram admodum, commonstrant Patres Minimi S. Francisci de Paula, Andelaci juxta Bruxellam, *ut scribit Raissius præcitatus in suo Hierogazophylacio pag. 356. & in Latiensi S. Lamberti Abbatia aliquid similium Reliquiarum servari scribit idem pag. 281, utique vel in prima sub Richardoto Translatione, vel etiam citius alia quapiam occasione acceptum. Denique Iacobus Bruvenne, Pastor de Gouy in Ducatu Luxemburgensi, diœcesis Leodiensis, litteris ad nos datis* MDCLXXI *die* V *Maji, fidem faciens de Reliquiis ecclesiæ suæ, consecratæ in honorem S. Albini Episcopi Andegavensis,* Insuper, *inquit,* attestor, in capella collaterali ejusdem ecclesiæ altare quoddam erectum & consecratum esse in honorem S. Drogonis ab anno MDCLXVII, cujus etiam pulveres sacros seu Reliquias quasdam, thecæ ferreæ inclusas & quodammodo ornatas, obtentas interveniente R. P. du Sait Societatis JESU; attestantibus adm. R. D. Francisco Abbate S. Joannis Valencenis. R. P. Roberto de Wavrans Rectore collegii Societatis ibidem, & R. P. Francisco Flamen Rectore Collegii Luxemburgensis, & à Reverendissimo Vicario Generali approbatas, quas singulis annis feria III Pentecostes, cum facultate prædicti Reverendissimi Vicarii, frequenti populo venerandas exponimus. Ad hujus autem Sancti opem hic recurrere solent prægnantes, & ii qui ruptura laborant aut calculo, item qui animalibus suis formidant à peste, præsertim pro ovibus; fuit enim pastor ovium, & laboravit ruptura intolerabili. *Hæc ille. Alibi fortassis etiam aliæ Reliquiæ habentur, quæ nostræ notitiæ necdum occurrerunt. Hæc autem sufficiunt ut de antiquo passimque recepto S. Drogonis cultu lectori constet. Nunc ad ipsa Acta qualiter in nostro MS. habentur, cum Annalibus Hannoniciis Guisii conferenda, transimus.* F

quædam ad vicum Gouy in agro Luxemburgensi.

A

VITA
Sub annum MCCCXX ab Anonymo compilata, ex nostro MS. collato cum Annalibus Hannonicis Guisii.

CAPUT I.

S. Drogonis natales, & vitæ austerioris initia Seburgi.

Præfatiuncula.

1 QVi Sanctorum merita factaque rimantur, quorum mors pretiosa in conspectu Domini, in exordio suscepti operis eum invocare, laudare & glorificare condecet, qui cunctos condidit Sanctos, cujus majestas nec incipit nec desinit in ævum: qui etiam omnia climata mundi regit & continet; septiformis dona Spiritus diffundens & dividens singulis prout vult.

a In villa Espinoy

2 Igitur in patria, quæ vulgari nomine *a* Carenibant nuncupatur, villa erat nomine Espinoy, in qua vir erat nobilibus ortus natalibus, amplissimisque prædiorum, terrarum ac nemorum possessionibus præditus. Vir autem iste ex uxore sua filium concepit: sed priusquam adveniret tempus pariendi, viam universæ carnis est ingressus. Adveniente vero pariendi tempore, mater paritura, diu parturientis diros cruciatus sustinuit. Tunc vero consilio inito obstetrices partum per latus maternum ejecerunt: & sic puer, utroque orbatus parente, solus superstes remansit. Cum autem ad rudimenta fidei Christianæ, baptismi gratiam suscepturus, perveniret, Drogo ex nomine vocatus est.

B

matri præmortuæ exectus fit

intelligens puer, dolet;

3 Decimo autem ætatis suæ anno vel circiter, relatione coætaneorum suorum didicit, suam genitricem objisse in ejus puerperio. His autem auditis puer obstupuit, & ultra talis ætatulæ modum contristari cœpit. Post vero multa & varia hujus eventus tormenta, tacitus cogitabat quomodo delicti veniam mereretur: ipse enim in corde omne crimen sibi adscribens, flebat uberrime. Cum autem ad pubertatis pervenit annos, de Dei misericordia non diffidens, illud Euangelicum memoriæ condidit: Qui me diligit me sequatur: & ubi sum ego, illic & minister meus erit. Ad ecclesiam solicitus confluebat, & prædicationum verba, cordis armariolo recondebat. Quanto magis corpus ejus per incrementa naturæ crescebat, tanto amplius, ut immaculatum conservaret, jejuniis & orationibus continuis vacabat. His & aliis similibus per aliquot tempus peractis, corpore domato, cuncta quæ consequi poterat pauperibus erogabat. Quid plura puer strenuus, cælesti bonitate refertus, imitator Patriarchæ nostri Abrahæ effectus est: nam reliquit cognationem, agros, prædia, domos & patriam; cilicio & simplici veste sibi reservata tantummodo, atque spontaneam adiit peregrinationem.

pietati plene adolescentia Ioan. 12, 26

Ioa. 12, 26

C

patriam deserit,

& Seburgum advenienti, b

4 Cumque solus diversa mundi climata perlustraret, ad villam nomine *b* Sebourc vocitatam, quæ in Hannoniæ finibus consistit, Domino ducente pervenit: in hac vero villa quædam erat matrona, Elisabeth dicta, & cognomine la Haire, *c* satis benigna ac Deo devota. Hujus vero fidelis matronæ, puer, quamvis nobilis generis esset, pecorum gregem suscepit pascendum, juxta Psalmographi vocem dicentis, Labores manuum tuarum quia manducabis, beatus es & bene tibi erit. Sex vero annis vel circiter in obsequiis dictæ matronæ & aliquorum aliorum villæ fidelis extitit. Cum hoc autem & hæc similia humiliter & benigne solicitus exerceret, tantam gratiam apud ipsos invenit, ut ab omnibus amaretur. Videntes autem multi ipsius modestiam, simplicitatem & obedientiam, multa ei donativa conferebant; ac ipse, retento ut consueverat sibi simplici cibo, reliqua pauperibus erogabat. *d*

c

Ps. 127, 2 pascendis gregibus operam dicat,

D

d Inde Romam proficiscitur;

5 Ad virilem tandem ut pervenit ætatem, acriorem pœnitentiam assumens, peregre profectus est. Tunc ipse dictæ matronæ cæterisque villæ incolis valedicens, peregrinaturus abscessit; & limina BB. Petri & Pauli Stationesque Romanas aliasque famosas peregrinationes visitans, & ad domum dictæ matronæ rediens, benigne ab ea receptus est: quem ex itinere fatigatum resovens, vitæ necessaria ministrabat. At vir Dei per aliquot tempus ibi refocillatus viribusque resumptis, iterato *e* eadem limina visitavit. Tandem fatigationibus tantis oppressus, ruptisque ipsius ventris pellibus, intestina ad ima corporis descenderunt: & quia medicamina corpori suo respuit adhibere, ubi peregrinationes adire nequivit, Apostolicum illud, Quando ego infirmor tunc fortior sum & potens: & Libenter gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Christi; sibi perfecte aptavit. Tunc vir Dei soli Deo inhærere desiderans, omnemque posthabens concupiscentiam mundi, cellulam sibi juxta ecclesiam construxit, ut divinis officiis jugiter interesset devotus: in quam non egressurus intravit. Sicque ibidem inclusus, solo pane hordeaceo, *f* lescivia confecto, ac tenui *g* aquæ poculo alebatur: & sic his contentus, jejuniis & orationibus vacans, aliquanti temporis spatio, Deo continuum exhibebat obsequium.

e

ac demum laboribus fractus 2 Cor. 12, 9 & 10

cellulam extruit.

E

f g

ANNOTATA.

a *Guisius* Careribant. *Nempe, ut ditio illa, quæ fluviis* Starpa *& Sensseto clauditur*, Ostrebandt *dicebatur, uti die 7 dictum est ad Vitam S. Ayberti, per Ostrebandiensem Archidiaconum scriptam; sic eidem contiguus terræ circulus (hoc enim denotat particula terminativa,* bant, *Teutonibus, significans vinculum) eidem Sensetto Scaldique inclusus, à* Carenio *seu* Carevio *(quod recentior Vita Gallica* Carvin *reddit), nunc penè ignoto loco, dicitur* Care bant: *in ejusque umbilico est* Espinoy.

b *Distat Seburgum Valencenis ad duas circiter leucas versus Orientem.*

c *Ita Molanus, & Guisius: nostrum MS* la Harie.

d *Addit Vita Gallica recentior, citatis in margine antiquis tabulis & traditione ecclesiæ Seburgensis, quod eodem tempore, quo apud gregem suum orabat in campis, inveniretur sæpe præsens in templo assistere Missæ sacrificio.*

e *Eadem Vita asserit novies Romam peregrinatum; quod ex Guisio haustum; hic vero ex traditione habuerit.*

f *Latini* lixivium *dicunt, aquam, cui incocti cineres, ad lanciium sordes sua acrimonia expurgandas*

g *Guisius*, non nisi tepidam aquam *bibisse scribit.*

F

CAPUT II.

S. Drogo vivus ac mortuus miraculis illustratur.

Recusat eadem ardente egredi,

6 INterea autem in ecclesiæ confinium, nescitur quo casu, flagrans ignis tantam flammarum voraginem immisit, quod nullo præsidio prohiberi potuit. Cum autem ecclesiæ pars totaque viri Dei cellula combureretur, viso tam terribili imminentique incendio, qui aderant clamabant: Drogo, vir Dei, egredere, & salva te incolumem; quia tua cellula adeo est undique succensa, quod tibi nullo præsidio succurrere valemus. Quibus vir Dei respondit: Votum vovi Domino & persolvam: si vero divinæ pietati placuerit quod flammis cremer, fiat voluntas

EX MSS.

voluntas ejus. Vir vero Dei constanti animo in oratione perseverans, immobilis permansit. *& combusta invenitur illæsus.* Combusta autem ejus cellula, & quadam parte templi, vir Dei in hilaritate pristina permanens, genibus flexis, erectis ad cælum luminibus, omnipotenti Deo gratias agebat. At vero ignis eum omnino, velut Chaldea fornax, ad tres pedes non tetigit, nec quidquam molestiæ intulit. Res stupenda nimis & admiranda! Quis audivit unquam hominem inter flammeas voragines, nisi pietate divina tueretur, insutum permanere? Fidelium autem utriusque sexus ætatisque multitudo, qui ad hoc spectaculum convenerant, videntes quæ facta fuerant, tundebant pectora sua, dicebantque ad alterutrum: O quanta est misericordia Salvatoris, qui hominem hunc inter tot procellas incolumem conservavit.

putrescentibus ex ruptura intestinis

7 Post hæc siquidem plebs devota aliam ei cellulam, citius quam potuit, ædificavit. At vir Dei constanti animo permanens, tantum in oratione genibus flexus, misericordiam Salvatoris exoravit, quod intestina, quæ ad ima sui corporis descenderant, femoraque intestinis contigua, olida putruerunt. Multi ex plebe orationi se viri Dei commendantes, multa ei conferebant; quæ vir Dei sic adjuratus in nomine Salvatoris recipiebat, continuo pauperibus largiens: Victum panis hordeacii vel subcinericii (& si quid condimenti, hoc erat sine salis & pinguedinis condimento) sibi tantummodo retinebat. *pie moritur,* Quadraginta quinque annis vel circiter in reclusione prædicta arctam solitariamque vitam ducens, in senectute bona, laborum suorum præmia recepturus, migravit à corpore. B

Corpus consanguineis redditum,

8 Tunc affines & cognati, qui frequenter eum visitabant, petierunt corpus exanime sibi reddi: quod benigno favore concessum est. Ipsi vero gaudentes, corpusque sanctum super currum ponentes, fere usque ad ultima territorii de Sebourc perduxerunt. Cum autem ibidem pervenerunt, currus tanta gravedine est oppressus, quod eũ nec levare nec movere potuerunt. Tunc ipsi spe sua frustrati, corpus relinquentes, abjerunt. Incolæ vero cum Cleri multitudine ingentique gaudio, venerabilem ac sanctam apud Sebourc revehentes glebam, ibidem in ecclesia, sub honore B. Martini constructa, honorifice sepelierunt. *fit immobile,* Adhuc autem vulgus locum, in quo ponderosum corpus & agile repertum est, vulgari voce appellat, Montem-gaudii S. Drogonis, propter eventum rei prædictæ: & quia fere in medio ecclesiæ erat ejus sepulcrum, fontes in quibus sancta Mater Ecclesia, filios Deo paritura, Virgo regenerat, ob venerationem viri Dei ibidem collocaverunt. *& Seburgi sepelitur.* C

9 Post vero quinquennium mulier quædam in villula de *a* Sebourc ejusdem parochiæ, fracto brachio à longo tempore, nullo potuit medicaminis fomento sanari: quæ quadam nocte semivigilans, putabat esse in ecclesia, & videre agnum niveo candore renitentem, circuire viri Dei saliendo sepulcrum, & postea in eodem recipi. Mane facto ad domum *b* Elisabeth, alitricis quondam viri Dei, sperans salutem sibi posse reddi, accedens, visionẽ per singula enarravit: ipsæ vero pariter ad sepulcrum viri Dei pergentes, omnipotentis Dei sanctique Drogonis devoto affectu flagitabant auxilium. Nec mora: sepulcrum viri Dei adeo est elevatum, quod fontium fundamenta corruerunt, & per quasdam *c* crepitudines interiora sepulcri patuerunt. Tunc vero mulier ægrotans, brachium in interiora sepulcri trudens, cum sospitate alterius brachii statim retraxit: & sic sana & hilaris ad propria, Salvatoris laudando utrique Dei clementiam, remeavit. *a ruptura brachii incurabili ibidem sanata, b c*

10 Diffamato igitur & divulgato hujusmodi miraculo, de remotis & propinquis partibus plures qui audierunt diversis languoribus oppressi, arenosi scilicet & calculosi, & hi quorum interiora ruptis pellibus ventris ad ima descenderant, veniebant, & sanabantur omnes secundum suam devotionem. *D fit concursus infirmorum ad sepulcrum,* Eodem tempore crebrescentibus miraculis, tanta plebium multitudo ad sepulcrum B. Drogonis confluebat, quod non poterant omnes sepulcrum præ multitudine plebis attingere, sed aptatis *d* cuplis oblationes suas, secundum devotionis suæ magnitudinem, apponebant. *d*

ANNOTATA.

a Guisius diminutive appellat Sebourquiel, Vita recentior Sebourgeau, viculum Siburgo propinquum.

b Admodum vetulam fuisse oportet, si hæc ipsa fuerit, quæ ante annos fere septuaginta hospitem Drogonem acceperat: crediderim potius huic Elisabethæ totam caritatem impensam Sancto propterea adscribi, quod eumdem aluerit senem, quem parentes sui exceperant juvenem: vel prioris Elisabethæ ex filio aut filia neptem, alendi sancti munus quasi hereditarium retinuisse.

c Fissuras intelligo.

d Ita corrigo quod in MS. perperam culpis. Est autem Cupla ex copula contractum, Francis couple: diciturque de rebus colligatis: ita Carolus Magnus vetuit ne Cuplas canum Episcopi alerent. Est ergo sensus, colligatas oblationes atque per manus traditas fuisse: quod distincte expressit Guisius. E

CAPUT III.

Corpus Binchium defertur, indeque refertur Seburgum: Miracula post secuta.

11 His vero diebus Ferrandus, *a* Regiæ majestati hostis *b* publicus, Flandrensium & Hannoniensium Comes, sciens relatione satellitum ibi innumerabiles thesauros congregatos, veneno avaritiæ seductus, misit præpositum de Aire, cum aliquibus sibi famulantibus: qui venientes, omnes thesauros ibi congregatos asportarunt; promittentes se auctoritate Apostolica impetraturos vitam viri Dei suis sumptibus canonizare, si susceptæ guerræ exitus prospere terminaretur. *a b spoliatur thesauris S. Drogonis,* *c* Postmodum vero qui præerant *d* in Comitatu Hannonico disposuerunt, quod corpus B. Drogonis apud Binchium, *e* ut à populo venerabilius coleretur, deferrent. *c d e corpus Binchium transfertur:* Sublato igitur corpore à loco, in quo Angelicam duxerat vitam, & apud Binchium collocato, miracula, quæ ante fiebant in præsentia funeris, omnino cessaverunt: sed peregrini ad locum sepulcri recurrentes, optata beneficia secundum suam fidem obtinebant. F

12 Novem fere annis vel circiter miraculis cessantibus in præsentia funeris, percussisque qui consilium hujusmodi asportationis dederant, quod ad locum prioris sepulcri sui referretur, consilium inierunt. *sed cessantibus ibi miraculis,* Divulgato autem hujusmodi consilio, circum adjacentium villarum utriusque sexus multitudines, catervatim confluentes, gaudentes dum referretur, præibant & subsequebantur, calcatisque frugibus tantorum millium pedibus mense Junio, omnes de recuperatione desperabant. *nono anno refertur Siburgum,* Crastina vero die, postquam B. Drogonis corpus in priori fuit collocatum sepulcro, omnis annona, pedibus prætereuntium conculcata, priorem percepit fertilitatem, adeo quod nec pedis vestigium appareret. *absque damno segetis conculcatæ.* Et sic convalescentibus atque crebrescentibus miraculis, optata beneficia, largiente Deo, consequuntur omnes, qui accedunt.

A accedunt beneficia petituri, præstante Domino Jesu Christo, cui est laus & gloria in
f secula seculorum. f

13 In urbe Virdunensi erat mulier calculosa, quæ medicorum nullo poterat auxilio sanari. Hæc mulier, audita viri Dei fama, ad locum sepulcri accessit; quæ cum oraret, lapidem grossum, ad modum ovi anseris emisit, & sic in signum miraculi lapidem in ecclesia relinquens, sana & hilaris, Deo gratias agens, ad propria remeavit.

Liberatur mulier calculosa;

g 14 Bonæ memoriæ Dominus Ioannes, g Hollandiæ & Hannoniæ Comes, in cujus Comitatu & dominio viri Dei venerabile corpus sepultum est, morbo calculoso quam plurimum vexabatur: quod videntes domestici ejus, dicebant ei: Hactenus morbo tali vexati ad sepulcrum S. Drogonis accessimus, sanitatem meritis ipsius suppliciter petituri: nos autem oratione coram sepulcro facta, pondera h corporum nostrorum ecclesiæ conferentes, subitam recepimus sospitatem; & nos voventes quamdiu vixerimus eadem pondera anno quolibet vel monetam æquivalentem conferre ecclesiæ, credimus à tali passione S. Drogonis meritis nos tueri. Talibus vel his similibus verbis Princeps edoctus, ad ecclesiam, ubi S. Drogonis corpus requiescit, advenit. Ponderato Principe & ad sepulcrum viri Dei accedente, supplicique oratione cum his qui aderant, Dei misericordiam virique Dei implorante, ecce subito prædictus Princeps quatuor i calculos gemellos ad quantitatem avellanæ emisit, quos in signum miraculi ecclesiæ reliquit: ac prædictus Princeps pannum auro textum, in ornamenta ecclesiæ conferens, hilaris recessit. Tunc incolæ loci illius accurrentes dicebant: Absurdum est, ô Princeps illustrissime, quod venerabile corpus tam sancti viri, per quod tanta miracula coruscant, in Sanctorum numero, prohibente Decretali Apostolica, adscribere mortales non audeant: quapropter precamur, ut amore Dei, & sospitate celeri vobis restituta, impetrare satagatis, ut à summo Pontifice canonizetur. Ipse autem pro precibus tantorum inclinatus spopondit.

item Ioannes Hannoniæ Comes

calculis quatuor:

h

i

B

k 15 Miles quidam in Belluacensi diœcesi oriundus, Caroli Regis k secretarius, ad ecclesiam S. Drogonis apud Sebourc advenit, ponderatoque suo corpore & oratione facta, pluribus incolis præsentibus, suæ peregrinationis caussam enarrans, ait: Ego quadam die, eram in regali camera, Rege præsente, variaque loquentibus accidit, nescio quo casu, intestina, ruptis ventris mei pellibus, ad ima descendere: Ego autem dentibus stridens ad hospitium, citius quam potui, remeavi. l Tunc vocatis medicis chirurgisque nullo eorum potui auxilio, testiculis remanentibus, sanari. Quid plura? Dies advenit in quo debebam incidi. Contristati amici mei & domestici mihi condolebant, cum ecce quidam armiger advenit dicens, Domine mi, est quidam Sanctus in Hannonia, nomine Drogo, qui habet hujusmodi morbos sanandi meritum. Ego autem ex intimo cordis affectu S. Drogoni promisi, quod si suis meritis suffragantibus pietate divina mererer sospitatem, limina ecclesiæ suæ corporali præsentia visitarem. Mox mirum in modum tam efficaci miraculo celerique ad propria remeans, hilaris sanusque omnino permansi. Postmodum vero regalibus meisque præpeditus negotiis, peregrinationem, promissam in tanta devotione, postposui negligenter. Anno autem curationis meæ elapso, neglectoque meæ promissionis complemento, morbo pristino denuo vexabar. His ac-

& Regis Franciæ secretarius

C

l

sanatur ab immani ruptura,

[EX MSS.]

tis in mente mea dixi: Merito hæc patior, ingratus in Sanctum Dei. His consideratis volens satisfacere Sancto, quasi promissionem duplicatam, assumpta mecum uxore, persoluturus, accessi, & iterum sanatus sum, adjuvante Domino nostro Iesu Christo, cui est honor & gloria in secula seculorum. Amen.

ANNOTATA.

a MS. nostrum Ferladis. Ferdinandus hic est, Regis Portugalliæ Sancii filius, ducta anno 1211 Balduini Constantinopolitani filia majore Ioanna, factus Dominus dictarum provinciarum.

b Caussam assignat Meierus lib. 8. Annalium Flandriæ, quod Philippus Rex, nuptiarum conciliator, noluisset Ferdinandi homagium recipere, nisi promitteret restituendas urbes Ariam & fanum Audomari, quæ per pacem Peronensem Balduino cesserant: quodque à filio Regis Ludovico fuisset in via interceptus detentusque Peronæ, dum interim ille eas urbes inparatas occupat. Tandem anno 1214 captus prælio Bovinensi, non nisi mortuo Ludovico libertati restitutus est an. 1227.

c Addit Guisius Præpositum cum suis, peracto sacrilegio abeuntem, dissoluto, qui super Scaldim Condati structus erat, firmissimo ponte, aquis haustum, sic ut ne vnus quidem superfuerit, qui Comiti nuntiaret quid Seburgi egissent.

d Si hoc sub annum 1263 accidit (nam anno 1272 videtur nobis corpus Seburgo restitutum) loco Guilielmi Bavari, in amentiam anno 1358 prolapsi, Provincias regebat ejus frater Albertus: eoque fere in Hollandia agente, ipsius in Hannonia Præfecti.

e Binchium, Oppidum in ipso Hannoniæ meditullio, securum munitumque magis.

D

f Hactenus videtur Vita primum scripta fuisse: deinde ab eodem auctore vel ab alio qui prioris stylum mutaverit, adjecta esse quæ sequuntur.

g Hic Ioannes Comes Hannoniæ, Margaritæ Constantinopolitanæ & Burchardi Avesnii filius, matris anno 1280 defunctæ heres, anno etiam 1300 per alterius Ioannis mortem Comes fuit factus Hollandiæ & Zelandiæ: obiit 1304, Valentianis cum uxore Philippa Luxemburgia sepultus.

h Valet mos ille adhuc pluribus locis, ut voti rei, in bilance appensi, pro modo corporis frumentum offerant, aut ejus æquivalens in pecunia.

i Guisius tres dumtaxat ponit, gemellos, id est, ejusdem magnitudinis.

k Fuit hic Carolus Rex ejus nominis IV, cognomento Pulcher, ab anno 1321 ad 1328 regnans: sub quo hæc Acta videntur compilata.

l Hoc extremo capite prolixior Guisius suspicari nos facit quod librarius, deficiente in charta spatio, ne novum quaternum oporteret assumere, paucula omiserit: inprimis quod apud Guisium in fine additur his verbis. Multa alia miracula fecit & facit Dominus noster de die in diem, propter amicum suum S. Drogonem, quæ hic propter eorum prolixitatem non posuimus. Itaque hic tacebimus, tantumque orabimus devote, ut pro nobis intercedere velit apud Dominum nostrum, ut per ejus gratiam donetur nobis salus animarum nostrarum, ad honorem sui nominis, qui vivit & regnat. Vita recentior, ex anathematum maximo numero, multitudinem miraculorum astimandam proponit.

E

DE S. CONTARDO PEREGRINO,

BRONÆ IN LOMBARDIA.

D. P.

ANNO MCCXLIX.



Ceminas à Quinto Fratre accepisse se litteras, cum Romam venisset, scribit Marcus Tullius Cicero lib. 2. Familiarium Ep. 14, alteras Placentiæ, alteras datas Blandinonæ; ex quo locorum intelligitur vicinia: & hanc esse, quæ nunc in Placentina diœcesi dicitur Brona, non pauci existimant. Est autem (ut scribit in Generali Catalogo Ferrarius in Annotationibus ad hunc XVI Aprilis) pagus agri Ticinensis, apud Padum fluvium, in via inter Placentiam & Derthonam occurrens, à Ticino octo millia passuum distans, Clastidio castro antiquo vicinus. Hunc sacro corporis sui deposito nobilitavit S. Contardus, Atestina sive Estensi familia natus; ad quem quia præcipue spectasse dicitur Ferrariensis Dominatio, & ipse obiisse anno MCCXLIX, quando Ferrariensem Marchionatum possidebat Azzo, relatis de Ecelmo tyranno deque Frederico Imperatore victoriis nominatissimus; consequens esset ut hujus & Elisæ Antiochenæ Principis filius fuerit Contardus, & quidem primogenitus; qui per natum ex Rainaldo fratre filium, Estensis familiæ successionem in tuto positam existimans, eodem anno devotionis ergo peregre abierit obieritque.

Putatur fuisse filius Azzonis & Elisæ Marchionum Ferrariensium,

B

2 Ita censuit primusque publico scripto vulgavit, R.P.M. Ciarlinus de Carpis, Ordinis Servorum B. Mariæ, in Vita & Historia S. Contardi, quam diffusissime ornatissimeque descripsit, & Sorori Angelæ Catharinæ Estensi, in Carpensi S. Claræ monasterio Abbatissæ, dedicatam, impressit Guastallæ anno MDCXXVII. Occurrit hic pag. 24 & seqq. dubitationi eorum, qui Genealogicam Estensis familiæ arborem auctoresque, circa eamdem absque ulla Contardi hujus notitia versatos, sibi objicerent; ostenditque eam non haberi tam perfectam, quin præsumi possit plures in ea personas desiderari, eas maxime quæ stirpem non propagarunt; quin etiam demonstrat Tancredum & filium ejus Manfredum, etsi ibidem non nominentur, vere fuisse Marchiones Estenses; idque per testamentum Tancredi conditum anno MCXLV XXVII Februarii, quo filio, si forte absque masculis heredibus moriatur, substituit varia monasteria, in quorum uno, quod Carcerum dicitur estque monachorum Camaldulensium tertio ab Estensi urbe milliario, illud testamentum asservatur. Quin & recentiori memoria, scilicet anno MCCCI, vixisse Leonem Marchionem Estensem, æque in Genealogia præteritum, cui Albertus de Scala Dominus Veronensis filiam suam desponderit, ut scribit Hieronymus Corte lib. 9 Historiæ Veronensis. Iuxta hunc igitur auctorem habuit Contardus sororem & amitam, utramque nomine Beatricem, utramque Beatorum honoribus dignatam; hanc Patavii, de qua agemus X Maji, istam Ferrariæ, de qua jam egimus ad XVIII Ianuarii, plenius acturi in Supplemento, si denuo instanter petitam & tandem promissam Vitam antiquam miserint nobis Sanctimoniales Ferrarienses.

nonobstante scriptorum, silentio,

C

3 Nos cum ex jam dicto Ciarlino intellexissemus, quod B. Contardi historiam, in capita quatuordecim distinctam, & in membranis apud illius corpus Bronæ inveniendam, Dominus Presbyter Petrus de Crosnis, Archipresbyter Plebis S. Petri de Brona, scribi fecit MCCCLXXVI, Indictione XIV: & tempore captionis loci Bronæ, ... deperdita fuit & penitus asportata: & considerans idem Dominus Archipresbyter, quod ipsius B. Contardi vita & sepulcrum sine historia nequit competenter admirari; ideo ipsam historiam a huc rescribi & renovari fecit. Hæc inquam, cum apud Ciarlinum legissemus, tamquam ex ipsius MS. historiæ prologo accepta, pro nostra genuinos fontes affectandi consuetudine, illa quatuordecim Capitula & si quid aliud authentici scripti circa miracula inveniretur mitti nobis petiimus, datis ad Bronensem Archipresbyterum litteris, & petita impetravimus, rem curante ac promovente R. P. Ioanne Baptista Menochio, Collegii nostri Papiensis Rectore anno MDCLXXI; & nunc judicamus dictum Archipresbyterum non esse auctorem istius historiæ primum: sed solum restauratorem scripturæ in capita ordinatæ & ad sepulcrum appensæ. Cum enim, ultra tertiam translationem corporis, in eum ubi nunc honoratur locum, vix unum alterumve narretur miraculum, verosimile nobis videtur, eam historiam viventibus adhuc qui dictam translationem curavere, esse compositam: sed cum ea penes Archipresbyterum privatim scripta servaretur, hunc eamdem publico exponendam curavisse annis post Beati obitum centum viginti septem: quod autem Bronæ habetur exemplum, inde transcriptum, utinam à peritiori manu foret; nunc præter morem nostrum necesse habuimus mutare nonnulla, quo sanus sensus haberi posset.

ex historia post an. 1376 transcripta

cujus ecgraphum daturis.

ex posteriori transumpto:

4 Totius historiæ substantiam (si miracula quædam post obitum facta excipias) complexus est Philippus Ferrarius succincto encomio, quod in Catalogo Sanctorum Italiæ ad hunc diem legitur. Sed majoris auctoritatis est illius compendium, quod pro Lectionibus Officii Semiduplicis, in usum Placentinæ diœcesis, referente Roberto Cardinale Bellarmino, anno MDCIX approbatum à sacra Congregatione Rituum; & anno MDCXXVIII, supplicante Cæsare Estensi, Mutinæ ac Regii Duce, ab Vrbano VIII extensum est ad totum dicti Ducis statum. Lectiones istæ à Petro Maria Campi Canonico Placentino compositæ (uti ipse testatur Historiæ Placentinæ lib. 18, ad annum 1249 easdem exhibens) sunt hujusmodi. Contardus ex Illustri Estensium familia, licet ad summos honores, atque amplissimos gradus se natum agnosceret; humana tamen omnia, quamvis speciosa, ut Christum lucrifaceret, abjecit. Quare paupertatem amplexus, emissoque voto, cum duobus sociis Compostellam versus peregrinationem instituit. Sed in eo itinere factum est, ut in oppido Brona Placentini Episcopatus aliquantisper vires reficiendi gratia commoratus, vicinum collem ascenderet, cui nomen à S. Contardo in hunc usque diem mansit. Ejus amœnitate captus tacite à Deo contendit, ut si forte in ea laboriosa peregrinatione moriturus esset extra patriam, in eo ipso loco moreretur. Sensit auditas esse preces è sensu doloris, quo repente correptus, & à sociis in proximum hospitium delatus est.

epitome habetur in Lectionibus;

E

narratis ibi peregrinationem sancti Compostellam,

F

5 Ingravescente postea morbo, nec jam ullam prope spe relictam evadendi, comites illi duo cœptum iter, ipso auctore & hortatore, prosecuti sunt. Contardus igitur aliquot dies vi febrium conflictatus, admirabilem patientiam ostendit: cumque doloris acerbitas indies augeretur, vix ullam quietis partem capere poterat, & querulas voces continere. Hic hospes, incognitum ægrum exosus (non enim suum genus prodi voluerat) & ægre ferens advenas hospitio absterreri, domo sua exegit in quoddam vicini tugurium, ubi modica in palea cubabat. Incredibile est, quanta in eo loco pertulerit, omni spe destitutus. Sed nimirum, cum dolore cruciatuque corporis, crescebat animi fortitudo & patientia. Etenim piis precationibus & divinæ contemplationi jugiter intentus, maxime vero acerbissimam Christi necem recolens, egregium sibi remedium ad morbi vim & acres doloris morsus comparabat. Denique satis probatus & spectatus, tamquam aurum in fornace, obiit decimosexto Kal. Majas, anno post Christum natum millesimo ducentesimo quadragesimo nono. Ejus corpus ibi sepultum est in Æde S. Petri;

morbus Bronæ,

& mortem gloriosam,

A S. Petri; quod multis deinde miraculis illustratum, post aliquot annos in honestiorem Ædis ejusdem locum translatum est: ubi quotannis extremo Sabbati die mensis Augusti, maximo populorum concursu, singularique pietate invisitur atque celebratur.

quam ætatis obiisse an. ai. 35

6 *Egisse Contardum ætatis annum circiter trigesimum quintum, cum moreretur, Hippolytus conficit ex grandiori Azzonis & Elisæ ætate, maximeque ex jure, quod demonstratum supponit, ad Ferrariensem dominationem præcipuo. Sane si secundo genitus fuerit Rainaldus, & hic, anno* MCCXXXIX *missus ad Fridericum obses, jam tum matrimonio junctus erat, uti præsumit Hippolytus; haud incongrua fuerit conjectura. Sed neque constat Rainaldum tunc matrimonio junctum fuisse, cui solum post decennium nata est proles: neque jus istud præcipuum Contardi satis efficaciter probatur ex prologo, tanto recentiori quam sit ipsa Historia, in qua solum dicitur* de domo Estensi oriundus Beatus. *Nullo tamen efficaci argumento in contrarium apparente, sint ista sane haud absimilia vero: multo minus dubitetur de anno mortis, quin fuerit* MCCXLIX; *quamvis nec hujus quidem indicium ullum historia præbeat. Invenitur enim in illius transumpto, sive à Petro de Cresnis sive ab alio posteriori, huc ad calcem subjuncta clausula,* Millesimo Ducentesimo quadragesimo nono, Indictione septima, sexta decima mensis Aprilis, B. Contardus decessit. *Vnum quod hic reprobare possumus ac debemus, est dies mortis,* XVI *Aprilis adnotatus: quia potior apud nos est historiæ fides, cap. 6 asserentis, quod* spiritum Deo reddidit hora Nonæ Sabbato: *atqui anno* MCCXLIX *littera Dominicalis erat C, ac proinde dies* XVI *Aprilis non in Sabbatum sed in Feriam* VI *incidit. Potius crediderim Beatum mense Augusto obiisse: hujus enim mensis ultimo Sabbato, quod anno prædicto cadebat in diem* XXVIII, *S. Contardus iterum Bronæ colitur, & ab hoc Sabbato sumitur proxima Dominica ad annuum ejusdem festum, in variis, de quibus infra, Italiæ locis celebrari solitum: dies autem* XVI *Aprilis solum Bronæ celebratur, occasione ut credimus solemnis translationis, studio Estensium Procerum, qui visitatum accesserant, celebratæ circa annum fortassis* MCCC. *Etenim in Sabbato ut dictum est mortuus, eodemque aut proximo die sepultus,* pluribus post replicatis diebus, *primum translatus est* ad sepulturam peregrinorum juxta ecclesiam, *ut dicitur cap. 9; postea, clarescentibus diu miraculis, & tandem cognito genere,* postulavere parentes, *id est consanguinei,* ut corpus in ecclesia celebriter translataretur, *prout habetur cap. 11, ad quod sumptuosum sepulcrum subterraneum fabricandum curavere.*

B

adeoque non 16 Aprilis sed potius 28 Augusti:

Christi 1249 die Sabbati,

C

corpus hic ... conditum,

7 *Est etiam tertia vice translatum corpus, sed noctu & clausis ecclesiæ foribus, juxta cap. 12, positumque supra terram in novum ex albo marmore sepulcrum; sed huic translationi, ita secreto factæ, nulla est annuæ festivitatis adscribendæ solennitas: & prima translatio minus solennis fuit, viri sanctitate necdum per vicinas regiones miraculis crebrescentibus nota; adeoque, si dies* XVI *Aprilis non mortis sed alicujus translationis fuit, debet credi fuisse secunda. Marmoreum porro istud sepulcrum, in quo nunc post tertiam translationem requiescit Beati corpus, sic compositum est, ut etiam præstet usum altaris, ad Missæ sacrificium supra corpus Sancti celebrandum: quod etiam ut devote circuiri à peregrinis possit, relictum fuit congruum spatium inter ipsum & parietes sacelli, variis tabellis, vitam Sancti repræsentantibus, ornati. In limine ecclesiæ hæc nunc legitur inscriptio, relata à Philippo Ferrario in Annotationibus ad Catalogum Sanctorum Italiæ.* Viator, siste gradum, recondit umque in arca D. Contardi Estensis corpus gloriosum venerare, quod dextrum hujus templi cornu aureis ornamentis illustrat: quodque in marmorea pyxide reconditum lævam templi hujus partem ornat, ad pedes, Beatissimi Parmerii corpus. Preces hic effundes, ut iter sit faustum ac felix semper.

in adverso B. Parmerii,

Addit deinde Ferrarius, Parmerium habitu Episcopali depictum conspici, sed quo die festum ejus agatur neque ipse dicit, neque nos alibi reperimus. AUCTORE D. P.

8 *Credibile est S. Contardi corpus in suo illo seu altari seu sepulcro adhuc jacere integrum: quandoquidem caput separatum a corpore, incorruptum perseverat; &, ut nobis scribitur, tanquam si vivum esset, inclusum arculæ ebeneæ, argenteis lamellis ornatæ, atque per interpositum specularium crystallinum tralucenti: quod cum anno* MDCXVIII *die XI Julii conspexissent Carolus Filibertus Estensis Marchio, cum fratre suo Alfonso Equite Melitensi, curarunt pictoria manu accurate exprimendum: eaque pictura, servatur in sacello majori Patrum Capucinorum S. Martini, una cum effigie B. Beatricis junioris, ut notat Ciarlinus pag. 78, sibi plaudens, quod Beatorum istorum germanitatem, quam ipse primus verbis adstruxit, eo facto videatur Deus commendatam voluisse. Vt ut sit, mirabile omnino est, quod de re tam notabili, qualis est incorrupti corporis conservatio, ne semel quidem meminerit historia. Ideoque de tempore separati capitis nihil possumus nisi per conjecturas dicere: per has autem suspicamur; quatuor illos Presbyteros, qui postremam corporis translationem clam peregerunt; cum essent ipsum sub altari clausuri nemini deinceps videndum, quod forsitan antea, illum in ligneo sarcophago quiesceret, facile conspiciendum præbebatur; voluisse caput extra tumbam servare, quod vice totius corporis ostenderetur.*

caput adhuc integrum seorsim servatur.

E

9 *Porro ad cumulatiorem notitiam venerationis, S. Contardo à majoribus decretæ, pertinet, quod Bronæ in die ejus festo mense Aprilis ex antiquissimo usu, secundum formam in Rituali Romano præscriptam, fit benedictio panum ante Missam solennem, postea per Bronenses familias distribuendorum, non sine multiplici ac miraculoso infirmantium solatio. Præscriptis autem à Rituali precibus etiam hæc oratio additur:* Salvator mundi Deus, Domine Jesu Christe; qui hodiernum diem Beatissimi Contardi solennitate consecrasti, & diversas creaturas ad salutem hominum creasti, qui ex quinque panibus & duobus piscibus quinque millia hominum satiasti, ac populum Judaicum in deserto miraculose pavisti: ineffabilem misericordiam tuam suppliciter exoramus & petimus, ut hos panes, quos plebs fidelis tibi devote ad sanctificandum attulit, tua pietate bene ✠ dicere ac sancti ✠ ficare digneris; ut qui ex eis comederint vel gustaverint ab omni epilepsia & cephalea & totius corporis infirmitate, meritis & intercessione ejusdem B. Contardi Confessoris tui, plenam recipiant sanitatem; & nos servos tuos ab omni corporis & animæ ægritudine conserves, qui vivis & regnas in secula seculorum. Amen.

festum 16 Aprilis cum benedictione panum,

F

10 *Vbi observa, duos hic nominatim morbos indicari, adversus quos frequentius S. Contardi adhibetur patrocinium: unde fit ut à patientibus dolores capitis plurimi pilei linei admoveantur sacris reliquiis, & à sanatis referantur appendendi ad sepulcrum. Fit etiam occasione epilepticorum, ibidem signari atque curari solitorum, qui morbus vulgo* Bruttura *dicitur, ambigua voce etiam ad significandam vultus deformitatem; fit, inquam ut amphibologico joco dicatur, Bronæ signari bruttura; & insigni aliqua deformitate conspicui Bronam ire per contumeliam jubeantur. Porro, ut nos Papiensis Rector per epistolam docuit,* Vita ejusdem S. Contardi, eleganti stylo denuo scripta & pulcherrimis discursibus moralibus exornata, à Patre Gianoli Capucino, impressa fuit & dedicata D. Lazaro di Corte, dicti Rectoris avunculo; ac nuperrime rursum subjecta prælo, oblataque Jacobo Menochio Regio Mediolani Senatori, Patricio Papiensi ejusdemque Rectoris fratri, æque ac suus avunculus ipsius Sancti devotissimo: quam tamen visum non fuit in Belgium mittere, propterea quod ad historiam addens nihil, ipsis etiam Latinis Actis quoad hoc multo succinctior sit. *Habemus etiam brevem sat elegantem panegyrim, sub titulo* Nobilitatis humilis

mos signandi ibidem epilepticos.

alia Vita recentior;

& encomium,

his

A *lis à Sigismundo Castaldi Congregationis reformatæ S. Bernardi Cisterciensis anno* MDCLIV *impressum Mediolani, oblatamque Serenissimo Francisco Duci Mutinensi una cũ genealogica familiæ Atestinæ arbore, ad quam ejusmodi elegantiarum curiosos remittimus.*

Aliud festum mense Augusti.

11 *Post ultimum Augusti Sabbatum (quo iterum ut diximus Bronæ Sanctus colitur, & quidem cum nundinis publicis) Dominica sequens, in honorem S. Contardi festiva est in ecclesia parochiali Lugagnani & altera Vici Olto, S. Martino sacra, utraque diœcesis Placentinæ, quin & in ipsa Placentina urbe apud ædem collegiatam S. Alexandri, ubi fundata invenitur S. Contardi Capellania. In diœcesi quoque Genuensi, apud parochialem S. Andreæ Foggiensis, in Capitaneatu Rapalli, similis cultus viget jam dicta Dominica, idque à tempore immemorabili: quæ omnia antiquum cultum probant æque ac Capellania circa annum* MCCCCX *Bronæ fundata, quæ est juris-patronatus familiæ Beccariæ de Monte calvo, ut scribit Ciarlinus pag. 73, ex cujus opusculo prolata hactenus accepta notitia.*

Accessus virorum Principum

12 *His addi potest ex libro Fabricæ Bronensis fol. 125, quod anno* MDCXL, XVI *Aprilis, Bronam accesserit Serenissimus Princeps Renaldus Estensis, & caput ipsius Sancti, ad publicam devotionem expositum, itemque altare sive arcam ejusdem, tamquam unius ex majoribus suis, longa oratione* B *& splendido munere oblato sit veneratus. Anno deinde* MDCLVII, *cum Serenissimus Dux Franciscus Mutinensis, Francicarum copiarum per Italiam imperator, Bronæ transitum haberet cum sua exercitu, in festo Natalis Domini; idem sepulcrum veneratus, securitati ecclesiæ ab insolentia militari severissimis cavit mandatis. Denique anno* MDCLXIX *Serenissimus Dux Parmensis Raynutius Farnesius, ejusque Serenissima conjux Maria Estensis, cum nobili procerum matronarumque comitatu, die* XXIII *Aprilis advenerunt ad hunc suum gentilem Sanctum, precibus muneribusque honorandum. Constant ista ex libro, quem dixi, cujus verba ipsa vulgari lingua describi jussit sub fide Notariali, idem qui veterem historiam pari fide transcribi mandarat, ipsius ecclesiæ Bronensis Archipresbyter Petrus Paulus Zoppius, Vicarius Foraneus; in separata deinde charta nos docens, ex muneribus ultima ista visitatione oblatis, mausoleum supra altari positum, cui Turcazzinus sculptor egregius Beati Contardi historiam insculpserat, totum fuisse inauratum. Ac rursum aliis litteris, exeunte Novembri anni* MDCLXXIII *suggessit, quod ante hebdomades paucas illuc divertisset Serenissimi Ducis Eboracensis sponsa Mutinensis cum matre Duce regnante, ac Principe Renaldo, multaque nobili comitiva suum in Angliam iter gentili Sancto commendatura.*

C

ACTA

ex MSS. membranis ecclesiæ Bronensis.

PROLOGUS

post annum 1378 in secunda transcriptione additus,

IN nomine Domini nostri Jesu Christi. Amen. Incipit B. Contardi historia: qui natione & prole dicitur *a* fuisse de Ferraria, & de stirpe Dominorum Ferrariensium *b* descendisse, & ad eum Ferrariensis dominatio præcipue spectabat. Qui totaliter Deo deditus, & nolens se de mundanis dominationibus impedire, ipsam dominationem habere penitus recusavit. Et dispositus corpus S. Jacobi præsentialiter visitare, discedens de Ferraria iter arripuit, & processit, ut capitulatim inferius apparebit. Quam quidem historiam Dominus Presbyter Petrus *c* de Crosnis, Archipresbyter plebis S. Petri de *d* Brone, ob reverentiam corporis ipsius B. Contardi, jacentis in dicta ecclesia, in hac forma scribi fecit, millesimo trecentesimo septuagesimo sexto, Indictione quartadecima. Et tempore captionis *e* loci Brone, factæ per gentes armigeras Ecclesiæ Romanæ *f*, ipsa historia deperdita fuit, & penitus asportata. Et considerans idem Dominus Archipresbyter quod ipsius B. Contardi vita & sepulcrum *g* sive historia nequit faciliter haberi; ideo ipsam historiam adhuc rescribi, & renovari fecit, in hunc modum *h* videlicet.

ANNOTATA.

a *Prologum hunc totum Latine exhibet Ciarlinus pag. 25; qui quoniam libertatem sibi arrogavit hinc inde mutandi aliquid, veritus Archipresbyter Zoppius, ne de transcriptionis à se curatæ fide fortassis dubitaret aliquis, qui eam cum Ciarlini editis haud usque quaque convenire deprehenderet; non gravatus est singula Ciarlini verba, quæ ille velut ex originali sumpta allegat, ipsasque eorum apices atque interpunctiones exigere ad fidem MS. membranæ, & ubi vel minimum deflexit, seorsim in charta adnotare. Sed quoniam pleraque leviora sunt, quam ut in iis lector debeat detineri, poterit præmonitio hæc sufficere, cum paucis speciminis causa excerptis. Modum etiam antiquæ scriptionis, qui fidelissime servatus in ecgrapho nostro est, judicavimus absque injuria vetustatis mutari posse in meliorem, & pro* Istoria, *historia*, Feraria, *Ferraria*, prolles, *proles, aliaque ejusmodi plurima sine scrupulo expressimus, quomodo ea esse exprimenda ortographiæ ratio dictat.* E

b *Ciarlinus absolute, omisso verbo* dicitur, *habet*, fuit, descendit. *Non est autem levis hæc mutatio, quia ista restrictio vel maxime probat Petrum Archipresbyterum non esse auctorem, sed solum transcriptorem Actorum, in quibus cap.* 11 *expresse asseritur* de domo Estensi oriundus.

c *Idem de* Crosinis

d *Idem* de Brona: *sed hic semper indeclinabiliter scribitur* Brone: *est autem nomen Longobardicum* Bron, born, burn *in Teutonica lingua, fons, puteus.*

e *Ciarlinus ipso eodem anno, quo historiam scribendam Petrus curavit, eamdem deperditam sibi persuasit, quandoquidem Bronensem cladem imputet Britonibus, cum Roberto Cardinali Gebennensi 1276 missis ad continendos in officio Italos, contra Gregorium* XI *Avenione sedentem sese asserentes in libertatem. Properum id sane videtur, eoque magis inconcinnum, quod adveniens in Italiam Robertus cum Mediolanensi Comite Barnabove, cui etiam Papia atque adeo & Brona suberant, pacem mox sanciverit cum dedecore Ecclesiæ & fidelium civitatum in manus tyranni traditarum injuria. Quid ni potius sub Urbano* VI, *Romæ electo & Romæ mortuo, id actum credamus, intra annum 1378 & 1389? quando is Mediolanenses semper hostes expertus, jusque suum contra Antipapam Clementem ac fautores ejus acerrime defendens, per aliquos Duces suos incursionem fecisse potuit in Ticinensem agrum, & tali occasione expilata fuisse Brona.* F

f *Abrasam fere scripturam fatentur Bronenses, magis tamen ipsis videtur scriptum fuisse* ipsa, *quam vocem prorsus dissimilem* quoniam, *uti legit Ciarlinus.*

g *Idem sic legit* quod B. Contardi vita & sepulcrum sine historia nequit competenter admirari: *at Bronenses asserunt clare in MS. suo sic legi* quod B. Contardi Vita & sepulcrum sive historia (*id est narratio vitæ & sepulturæ*) nequit . . . liter haberi. *Totam vim facit, pro* sive *substitutum* sine: *& si prius retineas, eo quem explicui sensu, nihil pronius est quam paucas litteras extritas supplere, uti fecerunt ipsi, &* legere faciliter. *Sed hinc rursum corruit altera Ciarlini opinatio, id quod sequitur de rescriptione & renovatione historiæ sic intelligentis, quasi Historiæ prioris, longe diffusius scriptæ, jacturam Petrus ex sola suppleverit memoria: cujus Petri etiam putat originale scriptum esse, quod Bronæ servatur. Sed non potest originale scriptum censeri, quod adeo mendose exaratum est, uti fidelissimum ecgraphum demonstrat: & verba Prologi aliud non exigunt, quam ut vulgo difficulter haberi seu legi potuerit historia*

A *storia ipsius autographum, ideoque rescribendum fuisse exemplar simile ei quale jam perierat.*

h *Ipsum scilicet dividendo in 14 capitula: quam divisionem etiam nos retinebimus, Capitulis in numeros seu paragraphos versis, & tota historia bifariam divisa.*

PARS I.

Peregrinatio; mors, obitus & sepultura Beati.

1 Capitulum primum, quomodo a B. Contardus volens ire ad S. Jacobum, ob Dei & Sancti reverentiam, licentiam à parentibus humiliter petens pariter & obtinens (quamquam cum amaritudine cordis) iter arripuit versus S. Jacobum, cum plurium sociorum b & venerabilium copiosa multitudine, non tamen sine fletu & angustia cordis, inito inter ipsos fidelitatis fraternæ fœdere firmiter & sincere.

a Ad S. Jacobum peregrinans,

b

2 Secundum Capitulum quomodo B. Contardus, iter humiliter & devote cum suis confratribus continuans, orans, jejunans & flens, & Passionis Dominicæ & Apostoli Jacobi merita corde revolvens, per diversa terrarum spatia transiens, cum laboribus & ærumnis, jugum obedientiæ humiliter bajulans, patientiæ clypeum viriliter tenens, ut fortis athleta Christi, ad locum Bronæ cum sociis hospites pervenerunt hora mane. Qui dispendia itineris tam sui quam sociorum, & passiones, ut prudens, jugiter cernens; nolens ipsos in via Domini deficere, sed ut alter Elias eosdem cupiens confortari; decrevit ibidem in loco Bronæ cum sociis per residuum diei commorari, & refici tam corde quam mollis gravedine carnis,

Bronæ cum sociis subsistit.

B

3 Cupientes vero Domini servi c quid corde profecerint ibidem promere, dum carnis miseræ quieti locum aliqualiter conquassatæ donassent; nec torpentes, sed ferventes animo propter zelum domus Domini, ad montem ibide propinquum, velut Moyses Domini præcepta suscepturi, unanimiter conscenderunt. Et videns [B. Contardus] amœnam patriam & uberem, loca & castra vicina venusta, & aëris præter solitum temperiem; in spiritu prophetico Deum suppliciter exoravit, ut ubi providentia divina eumdem in itinere deficere prævidisset, saltem in loco Bronæ, ei jam præstito, corpus ejus tumulo relaxaret, & animam in cælorum sede dignativa clementia misericorditer collocaret: quod utrumque paulo post à Domino exaudiri promeruit. O miranda res; Vix orationem ore complevit, jussu Dominico cœpit viribus destitui, in tantum quod oportuit, velut Paulus in Damasco, à sociorum scapulis de monte breviter bajulari. Qui mons, post ejusdem transitum carnis felicem, suffragiis ejus meruit mons B. Contardi usque nunc crebrius nominari. d

c

& ad vicinum montē se recipiens

C *ibidem infirmitate corripitur,*

d

4 Bajulato corpore servi Domini per fratres itineris ad locum Bronæ, in hospitio ad quod applicuere, cœperunt gementes confratres eumdem sic infirmitate gravatum in lectulo collocare; ut infirmitati suæ remedium posset salubre deposcere, & iter quod cœperat cum sociis feliciter terminare. Quo peracto, volente Deo, invaluit infirmitas furibunda, & cum doloribus cœpit augeri; ita ut nihilo sumpto quod ad nutrimentum faceret, die noctuque gemitus & suspiria emittebat è pectore. Quod cernentes confratres ejus & socii, videntes longam infirmitatem & quasi incurabilem, affectantes satisfacere voto quod promiserant, ab eo licentiam recedendi animo gemebundo petierunt. Qui hilari vultu valefaciens, seseque signaculo Crucis muniens, ibidem remansit solus: & ipsi profecerunt ad iter arreptum, promittentes in remeatu ipsum in Domino visitare, & eumdem ad lares proprios prospere & feliciter traducere.

defertur à sociis in hospitium,

ibique ab iisdem iter suum prosequentis dimissus,

EX MS. D

5 Premebant ergo eum dolores, & ardores pariter desiccabant: cumulabatur pœnæ pæna, & dolor supra dolorem dietim crescebat, & mœror tristem aliqualiter hebetabat. Sed ut verus Job nulla fractus pœna, nulla gravitate turbatus, omnia æqua laude ferebat: se in cruce dominica glorians, nihil se putabat habere nisi Jesum solum, cujus amore crucem propriam bajulabat. Sed cum in tot angustiis premeretur, hospes ad plenum eidem fraterna non compatiebatur caritate: d unde propter inquietationem ejus alii hospites suum denegabant hospitium, nisi is vir Dei sic doloribus cruciatus, causa hospitii alio deportaretur: quod & factum fuit. Hinc est quod ad domum cujusdam pauperis villici homo Dei defertur, excubaturus in ergastulo, velut videns, nullum murmur reddens, sed omnia sufferens patienter: secundoque ad aliud pauperioris hominis ergastulum fuit inutiliter pertractatus.

propter morbi molestias,

d

ejicitur ab hospitio,

6 In tali ergo grabato, velut in præsepe quiescens, nil minus mente inhærens Deo, prementibus angustiis carnis, corporeum solvit carcerem, & dignum Deo spiritum reddidit, hora Nonæ e sabbato, & finem miserrimæ vitæ posuit, Deo se incolumem repræsentans. Tunc cunctis mirantibus, prænominati loci Bronæ campanæ f plebis ædis sacræ, nullo humano juvante præsidio, signum præmortui hominis peregerunt. Invaluit namque talis sonus hora taxata, quod fere omnes agricolæ in arvis circumstantes, cum eorum laboriciis & laborum instrumentis, Brohe præcipitanter occurebant, mirantes quid in causa accidisset, & summa cum diligentia indagantes, unde hic campanarum sonitus plus solito oriretur. Præsentiam denique ecclesiæ prædictæ Rectoris adiere, & hujus tam stupendæ rei causam summa cum instantia postularunt. Quibus Rector motus, arbitratus aliquos insolentes & juvenes in campanilis vertice fore, qui sonitum hunc g trufatice causarent, diligentem h inquisitorem misit usque ad summum instantius explorare: qui cernens nullum fore ibidem, stupefactus ad ima rediit, nuntians se vel minimum [non] reperisse.

& in tugurio rusticano moritur.

e E

f

concurritur undique ad insolitum campanarum sonum:

g h

comperioque eum fuisse miraculosum

7 Jam stupor vicinorum circumstantium corda intrinsecus lacescebat, nec ob hoc cessabat sonus, imo nec humano juvamine poterat coerceri. Tunc omnes quasi uno ore prophetantes & acclamantes dixerunt, Vere, vere aliquis inter nos justus homo, i hac vita peracta, arcem celestis gloriæ perenniter regnaturus, cum Sanctorum & Angelorum agminibus, hodie acquisivit: in cujus transitu gloriosus Deus in insensibilibus mirabilius operatur. Compuncti igitur corde & anxio spiritu hunc virum sanctū diligentius perquirebant. Statimq; homo ille, qui in k paleaceo tugurio eum exceperat, dixit: Nescio quid sit, unū paupere l romipetā, debilem & infirmū, jam pluribus diebus hospitor in area mea, cujus patriam penitus ignoro: nescio utrum is ad Dominum migraverit, vel utrū divina lux ei luceat in humanis.

F

i

suspicantur indicari mortem alicujus Sancti,

k

l

8 Incunctanter m itaque omnes ad domum hujus properant, quæsituri hunc, quem omnium Rector in mundo texerat, & eum pro meritis in cælorum sublimia transmiserat: veniuntque ad locellum, in quo vir Dei thesaurum suum per patientiæ clypeum velut intrepidus debellator congregaverat: & eum ut rosa inter spinas redolentem; & sicut lilium in tribulis virentem, & sicut gemma in sordibus relucentem, comperiunt, cujus odor suavissimus totam patriam jam repleverat. Festinanterque debita cum reveren-

m

inventoque Contardi corpore lucido,

Ex MS. verentia, par se semper pulsantibus campanis, hunc gloriosum ad ecclesiam deferunt, tumulo condendum. O stupor gaudio commixtus! Numquam pulsæ cessavere campanæ, quousque defunctorum Officio perlecto, ejusdem beati viri corpus fuit debite & honorifice tumulatum: tunc tamquam obedientiæ jugo subjectæ, immobiles permanserunt. *honorifice tumulant.*

ANNOTATA.

a *Ciarlinus omisit vocem* quomodo, *ratus eam superfluam: & vere superflua est, si sequaris interpunctiones, ut sunt in MS. Sed cum punctis & majusculis, pluries tam vitiose positis, ut appareat evidens in librario ignorantia; oporteat, iisdem deletis mutatisve sensum idoneum elicere, idem hic faciendo, sic ut τὸ* Capitulum primum *simul & titulus sit & initium periodi, integer habebitur sensus, eritque vox,* quomodo, *non superflua sed necessaria & hic & initio sequentis periodi. Fateor tamen, quod si cetera etiam Capitula tam brevia essent, ut sunt hæc duo, & similiter per* quomodo *inchoarentur, omnino assentirer Ciarlino, crederemque Petrum, non veterem historiam curavisse rescribendam, sed ex sola memoria indicavisse puncta illius præcipua.*

b *Fuerit hæc turba peregrinorum Compostellam euntium, quibus ignotis ignotum se adjunxerit Contardus: quomodo enim, si novissent, eo in morbum prolapso, priusquam ex Italia progrederentur, non curavissent saltem nuntium remittere ad parentes, ut ei de necessaria cura & sustentatione prospiceretur?*

c *In MS. sic habebatur in singulari,* Cupiens vero Domini servus quod corde perfecerit idem promere: *sed pluralem numerum & nonnullam correctionem exigebat sensus, quem sequi maluimus, lectore de facta à nobis mutatione admonito, quod idem monebimus cum opus erit.*

d *Addit Ciarlinus. pag.* 69 *saxum in quo credebatur S. Contardus quievisse, & uti dictum est oravisse, comminutum paulatim evanuisse, pio fidelium raptu ante annos non multos, ablataque fragmenta multis profuisse ad sanitatem recuperandam.*

e *Mensene Aprili an Augusto examinavimus supra: saltem non obiit 16 Aprilis, si obiit* 1249.

f *Italis ipsa ecclesia etiam* la pieve *appellatur, sicut antiquitus vox* ecclesia, *ex instituto congregationem fidelium significans, usurpari cœpit pro ipsa congregationis loco.*

g *à* truta *jocus*, truffare *iocari, ludere*, trufatice *per ludum.*

h *MS.* inquisitionem… Cernensque: *nos sensum, ut putamus, veriorem dedimus.*

i *Relictum erat in ipso originali spatium prorsus vacuum, verbi scilicet alicujus, quod in vetustiori MS. legi non potuerat: unde manifestius probatur quod nunc extat MS. non esse ipsum quod Petrus de Crosnis iterato scribi fecit, sed hujus postea transcripti exemplar. Nos hiatum congrua voce adscita supplevimus.*

k Palceo *erat in MS.*

l Romipetas, *ad quacumque sacra loca peregrinos dici, generico nomine, jam alibi hoc mense observavimus.*

m *In MS.* Percunctanter namque, *quod visum est correctione egere, propter sequens verbum* properarunt.

PARS II.

Translatio corporis triplex & patrata ad illud miracula.

9 PLuribus jam post hæc replicatis diebus, nocte qualibet, supra tumulum quatuor luminaria, miro modo lucentia, intuebantur à pluribus. Nec mirum si lux visibilis ei præter naturam obtemperat, qui supremæ luci firmiter mixtus utiliter serviebat. Qua grandi re inspecta, Rectori ecclesiæ celerius nuntiatur. Ipse quidē quodammodo dubius corde, sese hoc visurum fideliter repromisit; utque tantæ rei affectantius inspiceret veritatem, nocte surgit, & vigil tantum mysterium perscrutatur. Miratur & ipse, & simul qui ei prædixerant. Tunc populo nuntiatur ignaro hujus rei causa. Confestim populus, quasi suam culpam recognoscens, arbitrabatur se male egisse, eo quod beati viri corpus in peregrinorum sepultura juxta ecclesiam fabricata nō condiderant. Disponunt igitur corpus evellere de sepulcro, & illud immittere in peregrinorum sepulturam. dumque hoc opere complent, subito de novo incipiunt per se pulsari campanæ; & hunc gloriosum virum, innumeris miraculis coruscantem, ad sepulturam peregrinorum traducunt, qui vere peregrinus & advena in seculo vixerat. Ad hunc adducuntur cæci & subito illuminantur, claudis gressum tribuit, mortuis vitam, leprosi mundantur, tortuosi eriguntur; & variis vexati langoribus hujus sancti viri meritis perfectius redduntur illæsi.

apparentibus super tumulum luminibus monitis *Corpus trāsferunt ad sepulturam peregrinorū, iterum sonantibus per se campanis.*

10 Tunc plurimum prodigiis redolet, tunc Domini servus dignoscitur: jam crescunt opera, & cælestia munera hominibus propinantur: jam sidus claret, jam sol umbrosis noctibus fulget, lilium candet inter sentes, jam virtus aromatica fragrat, & nova miracula in servo suo Rex regum liberaliter operatur. Ad hunc multitudo populi confluit, hunc frequentant diversarum artium homines: nemo redit vacuus, quilibet desiderio suo gaudet impleto. Per hunc dæmones fugiunt, hujus gloriam fatentur tartareæ regiones. Interea quædam mulier, à dæmonio vexata, quæ in villa *a* Lidi propius ibidem commorabatur, sicut amens hinc inde vagabatur. Contigit eam per locum Bronæ diutius *b* ambiendo morari. Cumque una dierum inde frementer transiret, dum prope Beati sepulturam se sentiret proximare, ibi demon ipsius cœpit ore clamare, dicens, Heu! heu! transire nequeo: nam ille Contardus hic sepultus me religatum tenet. Tunc circumstantes plurimi hæc audientes, dixerunt; Transi per aliam viam ex transverso. Quod attentare præsumens, dum prope Sancti sepulcrum propius accessisset, nullatenus poterat pertransire. Tunc omnes qui adstabant, cœperunt eam sagaciter interrogare, quisnam esset hic Contardus, quem tantum formidabat. Tandem nutu divino sathan ejusdem viri vitam, *c* prolem, patriam, & rem gestam per os mulieris, fere omnibus ignota, cœpit prædicare, cujus metuens merita nequibat ulterius pertransire.

Crebrescentibus ibidem miraculis, *& dæmone per energumenam nomen ac genus Contardi prodente,*

11 Innotescentibus his populo Bronæ, quæ antea incognita erant, procuraverunt parentibus nuntiare, & ejus merita pariter affirmare. Cumque de prædicta Estensi domo, quæ inter ceteras Italicas domos in nobilitate, moribus & potentia *d*, antiquum in Marchionatu Ferrariæ sceptrum possedit, esset ille Beatus oriundus; tacti medullitus amore sanguineo parentes, & calore divino intrinsecus præcalentes, ad sæpedictū locū Bronæ, saltem ipsum tumulatum visuri, venire procurant, nec minus opere complent. Ceterum cum magno apparatu, ut solent

accersuntur consanguinei

mundi

EX MS.

A mundi Principes, Bronæ conveniunt: quibus statim tumulus ostenditur. Illi autem eumdem quasi invisum plangentes, multum tamen in Domino congaudentes de ejus vita miraculis præmunita, nobile depositum satagunt Ferrariam facere transfretari. Villicis illis innotuit: & subito ut gens indomita ... surgunt, &, sicut veri defensores custodis & patroni, armis & violentia inhibent corpus ibidem transfretari. Subito lux *e* parentum corda cælitus illustravit; &, ne rumor tanti patris veneranda *f* commercia præpediret, animo decreverunt, in loco quem Sanctus præelegerat, ejusdem reliquias quietari. Sed ut decentius corpus ejus sic lustratum veneraretur, supplicibus precibus postulavere, ut idem in ecclesia celebriter translataretur. Annuunt precibus, & voto justo consentiunt. Plane *g* parentes sumptuosum sepulcrum subterraneum operari jubent, in quo venerandæ reliquiæ possint debite celebrari. Mox sarcophago Sancti disposito, denuo campanæ incipiunt propulsari per se, usquequo cum hymnis, canticis & aromatibus eumdem in ecclesia condiderunt. Ibi non minus solito fulgent præsidia, miracula conferuntur: ibi cantus, ibi melodiosa in Domino solatia in populo exercentur. Condito igitur à parentibus corpore honorifico decore, parentes, ecclesiæ jam dictæ muneribus pretiosis relictis ad honorem Sancti, & pluribus emptis prædiis, versus Ferrariam iter arripiunt: illis tamen de Brone majoribus comitantibus usque ad itineris medium, & ultro plus, si prædictorum Procerum nobilitas postulasset.

quibus ibidem corpus Ferrariam avehere ... *e* ... *f* ... *g* *cryptam eidem in ecclesia condunt:* ... B

12 Remanet ergo tantis precibus venerabile commercium, & ejus *h* tumulum per Italiam undique propulsatur. Irruunt quam maxime Longobardorum partes, & Liguria præsertim annuatim confluit, & more *i* bidentium ad sepulcrum ægri diversis languoribus confluunt, ut Sanctus opituletur eisdem. Tandem sic languentium invaluit multitudo, ut pene se invicem supra tumulum necarent, quærentes animæ & corporis sospitatem. Videntes ergo ecclesiæ Rectores tantum excidium personarum & periculum mortis horrendæ de proximo imminere, decreverunt Beati corpus supra terram in aere levari, ut frequentantium populorum multitudo, vicissitudinibus non opprimeretur. Placuit igitur eis quemdam marmoreum lapidem, qui alias pro baptisterio in ecclesia servabatur, Sancto Dei utcumque donare, quem vix juga boum decem in plaustris post terga traxissent. Libuit Deo, ob Sancti merita [ut] foribus ecclesiæ clausis nocte quatuor dumtaxat Sacerdotes, in nomine Jesu & Sancti meritis, lapidem tanti ponderis veherent ad locum ubi corpus erat. Et ibidem denuo, in lapide exciso de petra, in quo nullus [conditus] fuerat, vestigia Christi sequens, tumulatus in Domino requiescit. Nuperrime de circumstantibus partibus Sancti reverentiam invalidi perquirentes, subito viso tumulo, à languoribus liberabantur. Inter cetera quidam de *k* Laude, nobilis & dives, fuerat longa hydropisis infirmitate detentus: & audiens civium & populorum ad Sanctum frequentantium reverentiam, corde compunctus ad Sanctum se intime commendavit: statimque voto facto, Sancti meritis ab infirmitate liber extitit. Et ex tunc, antequam biberet & comederet, equum conscendens Beati tumulum visitavit.

h *in qua cum periculum comprimentium se turba augeretur,* *i* ... *elevatur supra terram corpus in arca marmorea.* C ... *k* *hydropicus curatur.*

13 Verum nisi gesta Sanctorum miraculosa narrarentur, penitus Sanctos esse ignoraremus; ac etiam divinæ gratiæ, sanctis viris concessæ, modo nullo scirentur. Expedit ergo mira & miracula Beati Contardi procedendo nescientibus nuntiari, ut ejus pia & mirabilis gratia cunctis fidelibus innotescat. Unde quidam Bassaninus ..... *l* de Laude, nobilis progenie, & divitiis mundanis opulentus, dum à nativitate sua semper fuisset pedibus & cruribus deperditus, taliter quod volens gradi semper pro ejus juvamine duobus scabellis ligneis utebatur, tandem audiens infinita miracula Sancti hujus à vulgo narrari, ejusdem tumulum deditus voto præsentialiter visitavit; non tamen oblitus, quod homines firma credulitate repleti, à Sanctis, gratia cooperante divina, misericorditer salvi fiunt. Quo firmiter credito, gressus ipse suos dirigens, scabellos cum sospitate penitus relaxavit, Videntibus hoc innumerabilibus gentibus manifeste: & quousque vitæ suæ diem clausit extremum, semel in anno semper dictum tumulum cum magnis muneribus visitavit.

item pedibus cruribusque contractus, *l*

14 Dum etiam quædam nobilissima domina *m* Placentina audiret talia miracula divulgari, lacrymis & suspiriis commota, ad præsentiam Sancti prælibati firmiter vovit se ducturam quamdam ejus filiam strumosam, & facie post terga versa prospicientem. Cum autem precibus cujusdam presbyteri Joannis de Raynerio, Canonici ecclesiæ prælibatæ S. Petri de Brone, habitantis in Placentia, coram Sancto filiam suam præsentasset, & etiam simul cum filia, perfectissima devotione, sepulcrum ipsius visitasset, gratiam sospitatis filiæ petens, omnibus astantibus, maximum murmur ossium puellæ, quæ miraculose dirigebantur, notum fuit. Quo murmure ossium completo, immediate sine mora, gratia sospitatis filia gavisa est. Merita hujus Sancti & miracula nullus sufficit enumerare, quæ dietim hominibus clare demonstrat gloriosus in servo suo Contardo Deus, cui omnis debetur gloria, laus & potestas & imperium tribuitur in secula seculorum. Amen.

m *item puella strumosa & faciem in tergus conversam habens.* E

Millesimo ducentesimo quadragesimo nono, Indictione septima, die sextadecima mensis Aprilis B. Contardus decessit. *n*

n

15 Præsens suprascriptum exemplum extractum fuit ex simili copia, in pergamena existente in Archivio Capitulari Collegiatæ & Parochialis ecclesiæ Terræ Bronæ, Principatus Papiæ & Placentinæ diœcesis; & facta prius debita ac diligenti collatione hujus copiæ cum dicta ut supra existente in prædicto archivio; inveni Ego Octavius Pisanus D. Contardi genitus, publicus Papiensis Collegii Imperialique Apostolicaque auctoritatibus Notariis, & in hac parte ut Cancellarius actuarius electus, à multum Rev. Domino Juris utriusque & sacræ Theologiæ Doctore, Petro Paulo Zoppio, dictæ Collegiatæ & Parochialis ecclesiæ S. Petri Archipresbytero, eas insimul ad unguem concordare, nullo penitus verbo dempto, addito aut mutato, & servata fideliter manuscripti interpunctione, & ortographia: & ideo rogatus pro fide hic me subscribo, cum meo solito tabellionatus signo.

fides transcripti exempli. F

ANNOTATA.

a Villam-lidi *intelliga dictam, quia sit in littore seu ripa Padi, Italice* Lido: *nisi forte mutilum nomen est, debeatque scribi* Limidi, *qui est vicus, Papiensi urbi propinquus, Brona distans* p. m. *fere* 14.

b *MS.* amendo: *sed non credo auctorem tam fuisse barbarum, ut crederet* amens *esse participium ab* amere, *sicut* furens *est à* furere: *cum fere ex idiotismis vernaculis, quorum nullus huc trahi potest, solæcismi deriventur.*

c Proles, *ut supra in prologo, pro genere seu prosapia.*

d *De Principibus Atestinis (sic enim appellantur antiquius, ab* Ateste, *veteri inter Patavium & Ferrariam civitate, brevius* Este *dicta) libros* 8 *Historiarum scripsit Ioannes Bapt. Pigna, & jam inde ab anno* 970 *Thedaldum Marchionem*

A *Marchionem nominat, Ferrariæ dominatum. Fatetur tamen, in prologo ad librum 2, non nisi sub Azone IV, circa annum* 1242, Ferrariense Imperium solide vereque Atestinæ familiæ partum *fuisse. Sed quomodo hic dicitur* de prædicta Estensi domo, *cujus alibi nulla quam in prologomentio? Interpolationem, à Petro de Crosnis factam redolet τὸ* prædicta.

e *Patrem & matrem intellexit Ciarlinus & ideo intra paucos à morte menses omnia hactenus narrata contigisse credit: sed quomodo tunc non remansisset distinctior Contardi notitia in Familia Estensi, ut ea hoc primum seculo agnita fuerit? Ego* Parentum *nomine, juxta Italicæ linguæ idiotismum accepto, intelligo* consanguineos, *etiam descendentes: omnino enim existimem complures annos inter primam & secundam translationem intercessisse. Et si vere Azonis IX filius fuit Contardus, eos qui hic indicantur, ipsius ex fratre Rainaldo nepotes aut pronepotes fuisse dixerim. Sententiæ autem meæ favebit nomen* Patris, *horum respectu mox datum Contardo: quod respectu genitoris ac genitricis non recte usurparetur.*

f *Sensus est*, ne tumultus ea de caussa suscitandus impediret affluxum peregrinorum ad sepulcrum sancti patrui vel propatrui sui.

g Plane, *id est*, paulatim *Italis* piano: *& ideo paulo ante loco* celeriter *quod erat in MS. posuimus* celebriter.

B h *Ita etiam supra neutraliter* tumulum *pro* tumulus *scribebatur: sed ibi genus mutavimus obscuritatis vitandæ, hic retinemus antiquitatis servandæ studio.*

i More bidentium, *id est*, gregatim.

k Laus-pompeia, *vulgo* Lodi, *distat Brona* p. m. *circiter* 18.

l *Notant Bronenses in ipso MS. spatium vacuum relictum fuisse, scribendo scilicet cognomini istius* Bassanini, *quod in vetustiori exemplo legi non potuerat.*

m *Distat* Placentia *à loco Brona* p. m. *circiter* 19.

n *Hæc appendicula, ut diximus, non concordat cum historia: ideoque putamus temere additam ab aliquo, opinato eumdem qui festi est mortis quoque diem fuisse, absque ulla reflexione ad diem Sabbati, quo S. Contardus obiisse dicebatur in historia.*

o *Hoc Notariale testimonium hic addere placuit, ut constaret quanta cum accuratione descriptum sit exemplum nobis transmissum. Facta est autem hæc fides in autumno anni* 1671, *uti mihi aliunde constat; & vix dubitare possum quin facta sit Bronæ: cum ibidem Octavii pater Contardus signaverit instrumentum mox infra num. 17. citandum. Diem accuratius determinare per conjecturam non licet: sed miramur fuisse in subsignando omissas ejusmodi circumstantias.*

C

APPENDIX

Ex Vita Italica per Hippolytum Ciarlinum edita Guastallæ anno 1627.

V*Etustioribus istis, quæ Acta possunt suppeditare, miraculis recentiora alia addit Ciarlinus, quorum primum ex Italico sic Latine reddimus:*

Placentia, Rusticus sinistri lateris usum præclusum recipit.

16 Franciscus Borreri, annorum LXVI, de Curtemajori, diœcesis Placentinæ, villicus monacharum S. Bernardi Placentiæ, gravatus catarrho, qui omnem sinistri lateris usum abstulerat, totoque sesquianno tenebat hominem lecto affixum; post plura in irritum missa de variis sacris locis adeundis vota, tandem Februario mense anni MDCXIX, visus est sibi semisopito audire monentem, ut se per votum commendaret S. Contardo. Mox ut evigilavit, emisit votum de visitando sacro sepulcro, afferendaque ad illud media libra olei: & cum omnium domesticorum, nihil de voto scientium, admiratione, ita cito habere melius & roborari cœpit, ut intra paucos dies redierit ad consuetos agriculturæ operosæ labores. Cumque Bronam venisset voti complendi caussa, Franciscus Calabria, Bronensis Canonicus & Apostolicus Notarius, juratam ejus depositionem publico scripto excepit, die XVI Augusti, coram Domino Roccho Antonio Rocchetta Bronensi Archipresbytero. *Ipsum originale instrumentum suis verbis hic dare maluissemus: sed diligenter quæsitum inveniri non potuit, inventum est autem instrumentum proprium alterius gratiæ, secundo loco per Ciarlinum relatæ, cujus tenorem accipe.* D

& anno 1620 Inquisitor Parmensis

17 In nomine Domini. Amen. Anno ab ejusdem nativitate MDCXX, Indictione III, die Dominica, XVII mensis Maji, hora Tertiarum vel circa, in loco Broni citra Padum Principatus Papiensis, in quadam camera superiori domus habitationis Iacobi de Pasotis, sitæ in dicto loco citra Padum, ibique in mei Notarii & testium infrascriptorum præsentia coram Illustri & multum Reverendo Roccho Antonio Rocchetta I. C. Archipresbytero collegiatæ ecclesiæ S. Petri … & Vicario Foraneo ab Illustrissimo & Reverendissimo Domino Episcopo Placentiæ specialiter deputato, comparuit & personaliter se præsentavit & præsentatur adm. R. Fr. Ioannes Maria de Arighis, loci Soncini, districtus Cremonensis, Ordinis Prædicatorum, & Inquisitor civitatis Parmæ, medio ejus juramento, quod posita manu pectori more Sacerdotali præstat, exposuit & dixit & attestatus est, ac ore proprio verba formalia protulit & profert. *Hactenus verba Notarialia Latina: cetera ex Italico sic Latine efferimus.* Domine Archipresbyter hujus loci Broni, coram te & infrascripto Notario ac testibus dico & protestor, quod ad honorem B. Contardi, cujus corpus in ecclesia parochiali hujus loci requiescit, velim haberi obligatus ad deponendum & manifestandum, quemadmodum in præsenti dico, depono & manifesto, quod ante dies aliquot, videlicet III hujus præsentis mensis, transiens per hunc locum ad Capitulum Provinciale nostri Ordinis Dominicani, quod celebratum est Genuæ; statim atque descendi ex equo ad diversorium publicum hujus loci, contuli me ad visitandam ecclesiam parochialem S. Petri: cumque ibi viderem memoriam cujusdam gratiæ obtentæ appensam ad altare ubi requiescit corpus B. Contardi, meque multum sentirem aggravatum dolore arthritico, adeo ut dubitarem an porro pergere possem, ipsum me quam potui affectuosissime commendavi dicto S. Contardo: subitoque dolorem omnem sublatum sensi, neque eo in hanc usque horam amplius fui cruciatus. Ideoque ex obligatione mea notifico omnia, ac rogo ut de iis fiat publicum instrumentum. *Ita ille Italice, prout testatur rursum Notarius sic Latine concludens.* Et de prædictis omnibus & singulis idem multum Rev. P. Fr. Ioannes Maria rogavit me Notarium, ut ad præsentiam Illustris & multum Rev. D. Archipresbyteri & testium infrascriptorum publicum conficiam instrumentum. Præsentibus multum Rev. Fr. Ioanne Paulo Fiasca Dominicano & Priore monasterii S. Dominici d. religionis in civitate Ferrariæ; Rev. Fr. Hieronymo de Tortona, Ordinis S. Augustini & degenti in monasterio Sanctissimæ Trinitatis Ferrariæ; & multum Rev. Francisco de Lazaris, Sacerdote & Canonico in ecclesia prædicta Parochiali S. Petri dicti loci Broni, testibus notis & idoneis. Ego Contardus Pisanus qu. Michaelis &c. *fidem autem transcripto fecit, anno* MDCLXXIII *exeunte,* Octavius Pisanus D. Contardi.

ab arthriticis doloribus coram altari subito liberatur

E F

prout testatur est publico instrumento.

item dicto 1626

18 Idem prorsus casus, *inquit Ciarlinus*, cum evenisset P. Mag. Eliseo Masini de Bononia, Ordinis Prædicatorum, & nunc Inquisitori Genuensi, anno MDCXXVI eunti Genuam ad simile Capitulum, audivissetque referri gratiam Inquisitori Parmensi factam;

A factam; ipse quoque se commendavit Sancto, eo successu, quem indicat epistola, post solutionem Capituli, scripta Vico-Iriæ vulgo Voghera, die XIII Maji, in hæc verba. Transiens Brona, & à podagra male affectum me sentiens, visitavi sacras reliquias S. Contardi benedicti; meque eidem pro recuperanda sanitate devovi: gratiam autem desideratam nactus, ipso illo die, inter media viarum incommoda; mitto vestræ Reverentiæ parvulam hanc ex argento figuram, ut cum aliis ejusdem anathematis affigatur, in signum meæ erga Sanctum devotionis & beneficii impetrati.

[illegible] à quartana 1621.

19 Dominus quoque Antonius Poggius, Sacellanus Capellæ S. Contardi, anno MDCXXI præsens assistens ceremoniis, cum quibus sacrum caput ostendebatur supplicationi fidelium, ex vico Rena una cum suis Presbyteris & gemino flagellantium ordine Broham venientium (uti & postea factum est sæpe) ad visitandas Sancti Reliquias, eidem se commendavit devote, & à quartana febri, quæ illa ipsa hora expectabatur, de more recursura, tunc & deinceps semper immunis fuit. *Vltimum hoc ex privata dumtaxat ipsius Poggii confessione videtur accepisse Ciarlinus: neque enim ullam scripturam citat. Adjungo ego* B *posterius aliquod, cujus testis epistola, loci Archipresbytero scripta, servatur in archivo Archipresbyterali, & transsumptum apud nos est manu & fide Octavii Pisani supra nominati Notarii publici; eam sic Latine reddimus.*

tum anno 1648 Servita Brixiæ

20 Fatendum enimvero omnibus est, locum Broni esse distributorem gratiarum; quando earum participes fiunt, non tantum incolæ accolæque, sed etiam ii qui remotiores habitant regiones. Equidem hujus veritatis testem ipse me exhibeo: qui cum ibi pro mea tenuitate cursum Quadragesimalium concionum peragerem, multos quidem favores & gratias accepi ab omnibus, sed imprimis à Domino meo Archipresbytero, quarum perpetuam servo & servabo memoriam: deinde vero superiori mense, o rem stupendam! hic in meo decumbens lecto, propter frigidum super uno humerorum defluxum, qui faciebat ut movere eam partem non possem, & grandi dolore per totas viginti quatuor horas cruciarer; inter ea tormenta, quæ mihi letalia videbantur, recurri Bronum cogitatione veloci, gloriosumque Confessorem Contardum in spiritu veneratus, supplicavi cum lacrymis, ut pro mea liberatione apud Deum intercedere dignaretur. Hac oratione finita, C non fine voto alicujus oblationis, cœpit intra paucas horas dolor remittere, Deoque & S. Contardo juvantibus pristinam cito recepi sanitatem. Itaque accipies à R. P. Priore conventus S. Mariæ ducatones duos, quos impendes honori ipsius Sancti, cui me obligatissimum profiteor, Brixiæ XX Januarii, MDCXLVIII.

ab humeri dolore intolerabili.

Fr. Ioannes Bapt. Melga Servita Brixianus.

anno denique 1670

21 *Denique his ultimo præteritis annis conditum est subsequens instrumentum, cujus exemplar transmittens prælaudatus Collegii Papiensis Rector Ioannes Baptista Menochius asseveravit, omnem in partem versatum à seipso esse eum in quo res contigerat, omniaque se reperisse certissima; & non modo citra exaggerationem dicta, sed potius cum diminutione aliqua; dum scilicet circumspectissimi testes, nihil nisi quod certissimo scirent, suo vellent juramento testari: ipsum autem instrumentum hujusmodi est.* In nomine Domini. Amen. Anno ab ejusdem nativitate MDCLXX, Indictione XIII, die vero Iovis, XVIII mensis Septembris, hora Vesperarum vel circa, in civitate Papiæ, videlicet in apotheca domus habitationis infrascripti Caroli Stavrenghi, sita in porta Pontis, in parochia S. Petri in vinculis; ibique in mei Francisci Hieronymi Canevarii, Collegiati Papiæ Notarii ac testium infrascriptorum præsentia, Carolus

civis Papiensis sanatum se profitens

EX ITAL. Stavrenghus, filius quondã Iacobi habitator Papiæ, in præsenti domo ibi præsens protestatus fuit & protestatur mihi Notario testibusque infrascriptis, & aliis omnibus præsens instrumentum inspecturis, sicuti sibi de mense Aprilis proxime præterito, laboranti gravissimo & maligno febris acutæ morbo, deperdita omni spe salutis, fuit meritis, intercessione & precibus Divi Contardi apud Deum restituta pristina sanitas, præter infrascriptorum Dominorum Physicorum & aliorum omnium qui adstiterunt ejus curæ opinionem & expectationem; insuperque etiam idem Carolus Stavrenghus, pro majori certificatione expressorum ut supra exhibuit, præsentavit & consignavit mihi Notario antedicto fidem & attestationem Dominorum Physicorum tenoris sequentis, videlicet.

22 Carolus Stavrengus, ætatis annorum XXX, in civitate Papiæ degens, artifex canistrorum aliorumque instrumentorum, ex virgultis & viminibus compositorum & unitorum, habitans in parochia S. Petri ad vincula, sub solis ardore perpesso incaluit, doloreque capitis Correptus est die XXX Martii præsentis anni MDCLXX: sequentibus vero statim diebus immediate, febre acuta, sub typo proportione quadam tertianario, quotidie laboravit. Vigil erat: hinc quarta die curationi se subjecit: validiora enim omnia ægrotantem quam maxime urgebant: ideoque E hoc tempore me infrascriptum Physicum, vocavit: medicamenta lenientia, præparantia, aliaque præsidia venæ sectionis, juxta indicationes præscripta, suscepit: quibus tamen nec sedabantur nec minuebantur, sed validiora potius reddebantur accidentia; ex morbo magno & maligno, cui vires adjiciebantur quotidie sæviores, cum inquietudine, vigiliis, mentis alienatione primo, postea delirio; & post vigilias, absumptis utilioribus humorum partibus, incrassatisque ex calore iisdem omnibus humoribus, computrescentibus, & caput lædentibus, somnolentia suborta fuit, cum animi & corporis torpore ac virium prostratione; ita ut consequenter natura in omnibus suis muneribus segnis admodum, & quodammodo obruta, pugnam deserens, morboque cædens succumberet, tamquam cum multis pugnatura. Quibus symptomatibus licet satisfactum sit juxta temporis & occasionis opportunitatem, nihilominus omnia in pejus ruebant, ex summa perturbatione & agitatione seu motu putridorum humorum, cum supervenientibus exantematibus & appetitus prostratione. F

à pessima febri,

symptomatis diris conjuncta,

23 Quare in hujusmodi ægrotantis calamitatibus & evidenti vitæ periculo, cupientes mecum omnes in omnibus satisfacere patienti, aliorum prudentissimorum & doctissimorum virorum consultatio adhibita est; in qua diligenter omnibus perpensis, juxta hujusmodi ægrotantis statum recensitum, salutaria præsidia excogitata adhibitaque fuere; & simul circa futurum morbi eventum existimatum fuit, certissima mortis indicia cum ratione potius prævalere in hoc morbo, quam spem salutis spirantis corporis, cui non nisi vota supererant. Attamen in tanto periculo, dum luctuosa essent omnia & quodammodo spes deperdita, & dum in hoc deplorando statu sopitis sensibus quibuscumque decumberet æger; Dei omnipotentis clementia, ex improviso, medio diei tempore, æger, tamquam à somno expergefactus & excitatus, loqui cœpit, dicens (uti ab eo & adstantibus domesticis habitum est) se fuisse persanatum: & in somno sibi apparuisse S. Contardum, se ipsum ægrotantem manibus benedicentem, consolantem & promittentem sanitatem. Exinde in melius semper progressus fuit æger; & pie credendum est, S. Contardi meritis apud Deum natu-

& per medicos desperata;

apparente ipsi S. Contardo sanatur miraculose,

A ram adjutam, vias sibi parasse & adinvenisse, quibus à nobilibus & præcipuis partibus extruderetur tanti morbi causa pessima & maligna, sicut paulo post secutum fuisse vidimus, per separationem & abscessum factũ ad inferas externas & ignobiles partes, & depositionem materiæ malignæ cum mortificatione, ut notum fuit circa nates. Quibus visis, & convenienti postmodum curatione adhibita, præsertim chirurgica, & temporis dilatione necessaria, Dei gratia ad pristinam sanitatem fuit æger restitutus. De quibus omnibus pro rei veritate requisitus has feci, & aliena quamvis manu scriptas subscripsi, cum juramento manu propria, Ticini, die XII mensis Iulii, MDCLXX.

ut iidem medici confirmavere.

Ego Carolus Stephanus Bocchius, ex Ticinensi Collegio Physicus, & in Ticinensi Universitate Theoricæ ordinariæ primarius Professor, affirmo cum juramento. D

Ioannes Baptista Belcredius, Physicus, Collegiatus, & primarius Medicinæ practicæ in eadem Regia Universitate Professor, qui ad dictam consultationem vocatus fui.

Paulus Stephanus Annibaldus, Physicus & medicinæ practicæ ordinariæ in eadem Regia Universitate secundus Professor, & ad dictam consultationem vocatus.

Præsentibus, Perillustri I. C. Clerico D. Pomponio Sugetio, filio qu. D. Iosephi; D. Petro Ioanne Bentio, filio D. Dionysii Francisci; Ioanne Floro, filio qu. D. Bartholomæi; & Michaele Gandino, filio qu. Balthasaris, notis & testibus.

G H.

DE B. IOACHINO SENENSI

ORDINIS SERVORUM B. MARIÆ

ANNO MCCCV.

B

Ordo cœptus an. 1233



ORdo Servorum B. Mariæ Virginis, exordium sumpsit Florentiæ, in festo Assumptionis, anno MCCXXXIII; viris septem spiritu divino in sanctam illam Congregationem conspirantibus. Anno ejusdem seculi quinquagesimo, cœptum est construi venerabile templum divæ Annuntiatæ: cujus mysterii imago biennio post Angelorum ministerio depicta est, & hactenus conservatur in sacello marmore obducto ad lævam templi prope ostium; miraculis & accessu peregrinantium celebris. Eodem tempore cœpit ordo propagari, & Senis cœptum est cœnobium. Anno MCCLIII Ordinem hunc ingressus est S. Philippus Bennitius, cum totius Ordinis maximo fructu in Generalem assumptus anno MCCLXVII. Natus jam ante fuerat Senis, circa annum MCCLVIII B. Ioachinus, de quo hic agimus: deinde circa annum MCCLXXII à dicto Philippo Generale in hunc Servorum B. Mariæ Virginis Ordinem admissus, sanctissime in illo per annos triginta tres conversatus, ex hac vita migravit feria sexta in Parasceve Domini, anno MCCCV, quo cyclo Lunæ XLV, Solis XXVI littera Dominicali C, Pascha celebratum est die XVIII Aprilis.

ab ejus Generali S. Philippo Bennitio ad missus B. Ioachinus an. 1272

mortuus an. 1305.

2 Hic quia tam in vita, quam in obitu, & post eum claruit miraculis; pauca de ejus vita mox in hominum memoriam redacta *fuisse, traditur infra num 26. Hisce accessit variorum de ejus rebus gestis & miraculis observatio: dum tandem series omnium in ordinem digesta à variis conscriberetur. Cum nos Roma reduces anno* MDCLXI *mense octobri Florentiam venissemus, & ibidem per quatuor menses subsisteremus, sæpius apud aram Divæ Annuntiatæ sacrificium Missæ obtulimus, humanissime semper à Reverendis Patribus dicti Ordinis excepti, & potissimum à Callisto Puccinello Priore Generale; ibidemque præter variorum Sanctorum Acta nacti sumus Vitam MS. B. Ioachini, quam hic damus à nobis ibidem descriptam. In coopercula codicis pergameni erant hæc verba exarata:* Memoria bella & authentica Vita B. Joachini Senensis, Magistri Pauli Attavanti Florentini Ordinis Servorum, qui obiit anno MCCCCXCIX, ætatis suæ LXXX. *At titulus Vitæ erat ejusmodi:* Vita B. Joachini Senensis Ordinis Servorum S. Mariæ, per Fratrem Paulum Florentinum digesta, ad Magistrum Christophorum Ordinis Servorum Generalem. *Præfuit hic Ordini ab anno* MCCCCLXI, *mortuus anno ejusdem seculi* LXXXVI. *Archangelus Gianius in Annalibus Sacri Ordinis Servorum B. Mariæ Virginis, centuria 1 lib. 6 in Annotationibus ad caput 5 asserit,* Magistrum Paulum de Attavantibus Florentinum Vitam B. Joachini, quæ habetur MS. in bibliotheca Annuntiatæ, scripsisse ad Pium II Pontificem Maximum. *Erat hic Æneas Silvius Piccolomineus patria Senensis, & sedit ab anno* MCCCCLVIII, *usque ad annum* MCCCCLXIV. *Potuit tempore hujus Pontificis scripta fuisse Vita, & B. Ioachini, & B. Francisci, etiam Senensis ejusdem Ordinis: sed posteriorem non priorem, fuisse Pio II Pontifici dicatam, tradit Michael Poccciantius Florentinus, in Chronico Ordinis Servorum B. Mariæ Florentiæ anno* MDLXVII *excuso, ubi ad annum* MCCCCLXXI *ista habet:* R. P. M. Paulus Florentinus, Theologus jurisque Doctor præstantissimus tum humani tum divini, hæc tempora clarissima reddidit, *& inter varia ingenii ejus elaborata opera dicit eum* BB. Joachini ac Francisci Senensium vitas elegantissime descripsisse, quarum alteram ad Christophorum Generalem Servorum, alteram vero ad Pium II totius orbis Pontificem misit. *Utrum à styli elegantia commendari mereatur, lectori judicandum relinquimus; nec referre putamus, quam eleganter, sed quam veraciter scripta sint Sanctorum Vitæ. Hanc itaque qualiscumque est, quia optima fide compositam putamus, dabimus more nostro distinctam & illustratam: De B. Francisco acturi* I Maji

Vitam ejus descripsit Florentiæ, C

auctore Paulo Attavanto,

E *viro erudito*

ad Christophorum Generalem,

3 *Philippus Ferrarius dicti Ordinis Generalis in Catalogo generali ad* XVI *Aprilis annotat,* inter alios Vitam B. Joachini scripsisse Nicolaum Burghesium, Patricium & Equitem Senensem, anno MCCCCXC. *Sed hanc non licuit hactenus videre: si ea alicubi inventa nobis mittatur, agnoscemus beneficium in hujus mensis Supplemento. Postmodum compendium ex hisce duobus edidit in Chronico Ordinis citatus Michael Pocciantius, rursumque, ex Burgesio & Chronico Pocciantii, anno* MDXCVII *contracta est epitome vitæ Italica, quam legitime recognitam imprimi permisit Fr. Zaccarias Urceolus de Ravenna, Inquisitor Generalis Apostolicus civitatis Senarum, quamque transcribi fecit & nobis direxit R. P. Sebastianus de Comitibus, qui Fastos Senenses una cum R. P. Ioanne Baptista Ferrario composuit vulgavitque, & in his insigne ipsius Ioachini elogium, citatis etiam Annalibus Servitarum Gianii qui prioribus auctoribus omnibus usus est. Habemus præterea* Officia propria Festorum Fratrum Ordinis Servorum B. Mariæ Virginis, à Sancta Sede Apostolica approbata, *editaque* Romæ ex Typographia Vaticana anno MDCXXXIV, *ad quæ* Dionysius Bussottus, totius Ordinis Prior Generalis, *ita præfatur:* Officia in toto nostro Servorum Ordine, tamquam propria, jam dudum à Sanctissimo Domino Nostro Paulo Papa V, coadiuvantibus eminentissimis San. Rom. Eccl. Cardinalibus, Hieronymo Bernerio ejusdem Ordinis Protectore, & Roberto Bellarmino, cui sacra Rituum Congregatio Vitam BB. Ioachini & Peregrini examinandam præsertim deman-

alii Vitæ Scriptores,

F

Officia propria Ordinis excusa:

A demandaverat, per Reverendiss. Philippum Ferrarium Alexandrinum laudabilis memoriæ Priorem Generalem obtenta; ac etiam nostra diligentia compilata; tandem Sanctissimo D. N. Urbano Papæ VIII, ab ipsamet sacra Congregatione (benigne referentibus Eminentissimis DD. CC. Torres, Virili, & Cæsarino, quibus id circo plurimum debet nostra Servorum familia) cognita & approbata, ad vos sub felicissimis auspiciis Eminentissimi Card. Julii Sacchetti Protectoris nostri, per Admodum R. P. M. Angelum Mariam Berardium Perusinum, in Romana curia Procuratorem Generalem, qui nuper elapso anno nobiscum laboravit, typis excusa transmittimus… Florentiæ die XV Decembris MDCXXXIV.

4 *Decretum Congregationis præfatæ divinorum Rituum, pro BB. Ioachino & Peregrino Ordinis Servorum à Ferrario editum, hic addimus & est ejusmodi.* Cum ad instantiam R. P. F. Philippi Ferrarii, Generalis totius Ordinis Servorum B. Mariæ, Sanctissimo Domino Nostro supplicatum fuerit, ut in tota prædicta Religione (sicut olim solebant) possint Religiosi prædicti utriusque sexus de BB. Joachim Senensi, & Peregrino Foroliviensi, ejusdem Ordinis [dum] viverent professis, libere & licite Officium facere de communi unius Confessoris non Pontificis, cum propriis lectionibus secundi Nocturni ex dictorum Beatorum vita desumptis, nec non ut eorum nomina, sicut olim in nonnullis antiquis, ita nunc in nova Martyrologii impressione annotentur: & idem Sanctissimus Dominus Noster negotium hoc in sacra Rituum Congregatione examinandum commiserit; eademque sacra Congregatio Illustrissimo & Reverendissimo D. Card. Bellarmino commiserit, ut Processum, Acta, & omnia quæ ad dictorum Beatorum puritatem, integritatem & vitæ sanctitatem, & populorum erga eos devotionem & venerationem pertinerent diligentissime examinaret; prout fecit: & tandem audita prædicti Illustrissimi & Reverendissimi D. Card. Bellarmini relatione, attenta sanctitate dictorum Beatorum & antiqua populorum erga eos observantia & devotione, eadem sacra Rituum Congregatio censuit & declaravit, ut de dictis BB. Ioachim Senensi & Peregrino Foroliviensi ab utriusque sexus Religiosis, dicti Ordinis Servorum B. Mariæ, diebus festis eorumdem Beatorum, sicut olim consueverant, ita nunc & in futurum semper libere & licite Officium de Communi unius Confessoris non Pontificis recitari possit, cum Lectionibus propriis de ipsorum vita, revisis tamen prius & approbatis ab ipsa sacra Rituum Congregatione: nec non nomina prædictorum Beatorum Ioachim & Peregrini in nova Martyrologii impressione suis locis describi & annotari possint & valeant. Ita censuit & declaravit die XX Martii MDCIX. *Deinde pro Lectionibus hæc data est approbatio.* Lectiones propterea de Vita BB. Ioachim Senensis & Peregrini Foroliviensis Ordinis Servorum B. Mariæ, de mandato sacræ Congregationis Rituum diligenter recognitas & subscriptas ab Illustrissimo & Reverendissimo Card. Bellarmino, eadem sacra Congregatio Rituum approbavit, & ut à Fratribus & Religiosis utriusque sexus dicti Ordinis Servorum B. Mariæ libere & licite in Officio divino pro dictis Beatis recitari possint & valeant, licentiam & facultatem dedit & censuit die XIII Martii MDCXI *subscriptum.* Dominicus Episcopus Ostiensis Cardinalis Pinellus. *Extant hæ Lectiones non solum in dictis Officiis propriis, verum etiam in Catalogo Sanctorum Italiæ à dicto Ferrario edito, sed aliquanto contractiores: ex quibus hæc sub finem contenta repetimus:* Senenses,

pro BB. Ioachino & Peregrino decretum Congreg. Rituum.

B

de Officio recitando,

C

& lectionibus approbatis, anno 1609.

Corpus in veneratione.

ex publico Civitatis decreto, quotannis in die depositionis illius, ad ecclesiam Servorum, in qua Corpus ejus pie asservatur & colitur, ad illud venerandum veniunt & dona ferunt. *Agunt de B. Ioachino Brautius in Martyrologio Poëtico; Masinus in Bononia perlustrata & alii.* D

VITA
Auctore Paulo Attavanto Florentino:
Ex codice Mss. Florentino Conventus Annuntiatæ.

PROLOGUS.

1 Operæ pretium est Ioachini Vitam, lectu jucundam & imitatione dignissimam, enarrare: etenim res ipsa me hortari videtur. Quoniam de bonis actibus hoc tempus admonuit paucis supra repetere, ut domi ornatam & in Religione institutam vitam habuerit. At ego tametsi tale nondum dicendi genus consecutus sim, ut pro rei dignitate tersam scribendi rationem præ me feram; tamen pro virili nitar, ut, vitatis sententiarum ineptiis atque verborum obscuritate, legentibus vitam viri cognoscendam exhibeam. Neque vero id animi nobis est, quidquid hac de re dici potest, complecti: sed pro ingenii tenuitate, simul ne dignissimas aures vestras obtundam, pauca admodum perstringam. Quoties enim ejus mores sanctimoniaque meis auribus intonant, videre videor mortalium omnium parentem, in eo præ alio suam potentiam ostendere, maluisse. Et quoniam tanta omnibus in rebus modestia, virtuteque usus est, haud fallo, illum priscis Sanctissimis viris æquandum, censeo: cum non modo in provecta ætate, sed etiam ab ephebis ita bonas artes virtutemque omnem sectatus sit, ut pro exemplo quodam & morum indice ab omnibus proderetur. Nunc igitur videndum est quam clara quamque sanctitatis plena hujus gesta semper extiterint: quem numquam à sanctæ religionis institutis exorbitasse, exploratæ scientiæ est. Et plane dum illum tantæ virtutis fuisse mecum ipse considero, non abs re putem, providentia divina natum, ut esset qui eam ætatem candidissimis virtutum exemplis & singulari facundia illustraret. Nam cum fere totum terrarum orbem sua incredibili ac divina sapientia illuminaret; [indulsit ei Deus] sanare ægrotos, claudos erigere, mente captos restituere, à dæmonum potestate agitatos liberare; & denique ad lucem pristinam ipsos mortuos revocare: fortunamque & laborem juxta gerere. Et profecto, immortali Deo favente, omnia in eo matura & consummata fuere, doctrinaque & sanctitas admiranda. Is enim non, ut plerique, in vestitu pompa, aut in victu aliqua uti voluptate consueverat: sed Deo ejusque Genitrici, omnibus mundi rebus momentaneis destitutis, sese applicuit.

Auctor extenuat suam dictionem;

E

& pauca seligit de eo quem Deus amat,

aliisque in exemplum proponit;

F

& miraculis illustrat.

CAPUT I.

Ortus: pia adolescentia. Cultus Deiparæ.

2 A Teneris igitur annis ingenue à parentibus educatus, eloquentiam & studia liberalia sectatus est: tanta morum elegantia præditus & indole liberali, ut de eo summa spes in Republica administranda à Senensibus haberetur. Cumque optime in litteris perdiscendis ceterisque bonarum artium studiis operam navaret, non ut plerique solent, divinitatis immemor erat: verum psalmis & orationibus intentus, ceteros condiscipulos ingenio & do-

A adolescentia pietatem cum doctrina imbibit.

AUCTORE PAULO ATTAVANTO EX MSS.

& doctrina longe anteibat. Erat enim jam puer, tenerrimus *b* divæ Virginis cultor & servus, adeò ut numquam ante ejus simulacrum transiret, quin summa veneratione Angelicam diceret salutationem. Et sane tanta caritate flagrabat, ut quidquid ex parentum fortunis comparare poterat, Christi caussa, pauperibus erogaret. Nam egenum quemdam squallidum, obsitum, ac laceris vestibus rigentem intuens, tanta caritate excitus est, ut ipse se vestimentis, pauperis induendi caussa, privaret. In hisce rebus adolescens cum pergeret, patrimonium semper diminuens, & nihil omnino addens, facile parentes ad summam inopiam perducebat. Verum ii, ubi resciverunt animadverteruntque multum ex facultatibus abesse, graviter ac moleste tulere, inceptisque nati statuerunt obviam ire. Quod cum dies multos noctesque æstuantes agitarent, tandem parens ipsum sic affari cœpit: Quæ te insania, Ioachine, aggressa est, ut ea, quæ tot laboribus acquisivimus, tam brevi profundas? Non patiar, nec sinam te deinceps quidquam attingere. Tum ille, Credisne has divitias, parens optime, te beatum effecturas; cum nihil boni, nihilque felicitatis in se habere constet? Atqui jam semper homines agitant conturbantque. Unum denique scias, nihil magis esse quod homines ab suo auctore alienos efficiat, quam opes execrabiles. Hæ enim fluxæ res sunt, & nos quoque mortales. Tandem parentes obstupefacti his rebus à filio dictis (nam omnia Spiritus sancti ore effundi videbantur) cunctis votis cessere. Quippe integerrimæ mentis cum esset, eum omnipotentis Dei nutu omnia agere, animo conceperant.

b addictus cultui Deiparæ,

& eleemosynis,

B

ad quas flectit parentes suos:

3 Sed ubi ex Dei voluntate hoc parentibus visum est, omnibus mundi voluptatibus desertis, una cum filio honestæ sanctæque vitæ sese dedere. Quod ubi accidit, Ioachinus ferventius instare cœpit, ac plerosque ad eamdẽ viam dirigere, tantummodo suis mellifluis verbis. Sed quoniam ea tempestate Senis Ioachini fama clara pollensque erat; illi felices omnium sententia dicebantur, qui ejus tantisper consuetudine fruebantur: quippe hujusmodi devota gratia dignus evasit, uti omnes suam habentes consuetudinem ex flagitiis ad bonas artes traducere; neq; tantum hortaretur eos contra injurias armatos esse, verum etiam in bono malum, ut fidei nostræ lumen testatur, vincere. Nam & illi tantum importunitatis habebant, ut servum Dei Ioachinum ad facienda verba impellerent. Talis per id tempus de Ioachino fama erat, ut omnes optimum sanctissimumque prædicarent. Licet annis puer esset, moribus tamen, doctrina ac sanctitate senex videbatur. Numquam præterea domum in die redisset, quin summa devotione templa visitaret. Ceterum, quæ Virginis gloriosæ caussa à tenera ætate decreverat, summo studio atque caritate efficere [perseveravit, sectandi] ciborum parcitatem, *c* Sabbati nec non Quadragesimæ jejunia, maximamque in edendo parsimoniam. Quibus rebus cõfectis, plerumque in obscura nocte ingens lumen videre solitus erat, quod quidem eum totum reficeret: etenim vigiliis, jejuniis aliisque optimis facinoribus non bene valebat. Non itaque Ioachinus hæc alicui dicere: verum parens, ubi semel, bis, terve filium invocantem Deum audisset; tandem quid esset scire arbitratus est: qui surgens ad ostium devenit, ac considens, per *d* cavillam ingentem intuitus est splendorem. Lætabatur enim Ioachinus vehementer, tantam intelligens divinitatem suo in cubili esse erectam: at parentem ingens admiratio atque lætitia occupavere. Porro ille diu ambiguus, filium vocans, nihil auribus percepit: qui, cum ad contemplandam illam divinitatem ejus spiritus ivisset, eum tandem reliquit. Postquam id parentibus cognitum erat, plenum Spiritus sancti illum esse ajebant.

cum iis se Deiservitio tradit,

alios ad virtutem allicit:

Rom. 12, 21

C

ob amorem Deiparæ in magna abstinentia vivit:

c

d

de nocte cælesti luce illustratur:

D

4 Igitur visione probata à parentibus, in cunctis oris prædicari cerneres: ipse vero [pater] omnia ut gesta erant aperit, docens filium suum cunctis in rebus imitandum: ita & affines egere. Post eum diem, cum omnia patrata essent, Ioachinus hujus rei inscius, nequaquam per urbem aliquo pergendum dabatur: tanta enim erat mortalium caterva, quod in maximo discrimine eum versari appareret. Nam alter Ioachinum videre, alter vero alloqui cupiebat: plerique eorum qui hæc audierant, aliquid sanctitatis plenum ex ejus ore exeundum optabant: pars laudare, prædicare, & ad sidera usque Ioachini nomen tollere. Denique dilata fama, quisque felix putabatur, qui propinquior Virginis cultori erat: ut ejus exutis pannis, non nisi paupertate fulgentibus, pulchri ac decori ornamenti, ut generi conveniebant, dandi arbitrium esset, qui perfectæ sanctitatis munera eum audientibus impartiret. *e* Neque familiæ sequendæ voluntas erat, ut omnibus in rebus agẽdis pauperes imitari, eosq; sectari posset, qui terrenis calcatis, humilibus despectis, neglectisque caducis, ad immortalis Dei speciem cõtemplandam, nec non sanctissimæ Jesu Christi Matris venustatem admirandam sese dederunt. Ipse enim omnium rerum auctor, cum ab exordio suum ostendere fructum inchoaret, Spiritus sancti plenum puerum; ea quæ Divinæ Sanctimoniæ convenirent, admiratione digne efficere voluit. Deinde paucis diebus, cum in quadam illustrium virorum corona versaretur, uti verba haberet, rogatus est. Quare accidit, ut pietatis fontem emanantem, Virginem ejus *f* devotam, pro viribus extolleret: in qua quidem tantam esse in mortalibus recipiendis veniam, tantam in egentibus clementiam, tantã denique in invocantibus pietatem asserens, mortalium corda ita invasit, ut omnes voluptate verborum & mirabili in dicendo à Spiritu sancto facundia data, ac regni cælestis consecuturi gaudio, singulari, Genitricis [Dei] radiis [illustrati] flagrarent: & quisque lacrymans oraret cæli Reginam, parentis loco [habere eam] flagitans, obsecransque scelerum veniam, postquam delicti unumquemque pœnitet, & quisque lapsus misericordiam deprecatus est. At Joachinus ab omnibus non secus laudari, ob ea verba quæ fecerat, ac si quis de cælo sanctissimus vir cecidisset: ea enim non quæ suæ teneræ ætati conveniunt, quæ olim prisci viri facere in provecta ætate soliti sunt, ostendebat.

fama virtutis dispersa

ab omnibus amatur;

e

cupit sanctiores imitari:

E

f

Ad amorem Deiparæ alios excitat.

ANNOTATA.

a *Gianius*, Hic matre non minus quam patre fuit generosus. *Michaël Poccianitus*, Ex Pelachanorum nobilissima prosapia originem trahens.

b *Idem Gianius*: Puer in tenera ætate constitutus, ter quotidie ecclesiam visitare, ter imaginem Christi in cruce pendentis, terque Virginis effigiem, simul ferventi oratione salutare studuit. *Michaël appellat* effigiem Virginis ab Angelo nuntiatæ.

F

c *Idem Gianius*: Iejuniis ab infantia assuetus, quinta feria & sabbato à cibis abstinebat. *At Michaël ista tradit*: Puer bis in sabbato in pane & aqua jejunare perjucundum habuit: ob reverentiam scilicet B. Mariæ, in die Mercurii & Sabbati.

d Cavilla *pro irrisione iocosa Latine sumitur. Subinde pro* clavo ligneo, *ut indicatur in Amalthea Onomastica Laurentiana: hic videtur sumi pro* clavi lignei extracti foramine. Caviglia *Italis clavus est, potissimum* ligneus, *hinc per metaphoram* cavilla pedis *dicitur* 20 *Martii in Miraculis B. Ambrosii Senensis, num.* 53 & 86. *Consule ibidem dicta. Gianius* per rimulam *scripsit.*

e *MS.*

A a MS. Florentinum, manu satis imperita transcriptum, scatebat mendis, & defectibus: hos supplere, ista corrigere, ex prudenti conjectura conati sumus. Ita hoc loco scriptum erat, Quæ profectò sanctitatis munera eum audientibus impartire, absque ullo sensu.

AUCTORE PAULO AT TAVANTO EX MS.

CAPUT II.

Ingressus in Ordinem Servorum B. Mariæ. Exercitia humilitatis & caritatis.

Incitatur ad Ordinem Servorum B. Mariæ amplectendũ,

5 Jam vero instabat dies, quo penitus relinquens terrena omnia Divæ Virgini sese dedicaret: qui quamquam, ex tenera ætate & inopportunitate parentum, votum [suum] nec dum crederet adimplendũ; nihilo segnius tamen superna Imperatrix, in eo tanti perspiciens sanctimoniæ, præ omnibus [illum] ad suum exoptare cultum decreverat. Sed cum ea tempestate Fratrum nostri Ordinis pleriq; almi viri, omnium Senensium sententia essent; inter eos Joachinus, quam alibi locare se maluit. Interim noctu diva Mater in somnis Joachino apparens [adfuit], undique Angelis circum septa, tantam divinitatem effundens, quod præ radiis intueri minime daretur. Qui continuo expergiscens genuaque flectens, eam alloquitur: deinde vitia dimittenda orat, neque tantum ei flagitia adscribenda, ut tangi aut saltem videri [se ab eo] non permitteret. Tunc regia Parens, cognita voluntate cordis & visendi desiderio, in hanc sententiam hujuscemodi [verba] protulit: a Veni, inquit, dilecte fili, ex utero enim ante exitum matris in meum te cultum delegi: te enim omni sanctitate [ornatum] accipio, teque mihi præ omnibus fidum & carissimum censeo. Quamobrem cum te nixis radicibus stabilem in sanctitate perspexerim, inter alios servos computandum sum arbitrata: quo genus, affines ac parentes nequaquam tibi impedimento sint. Interim Virgo Virginum abiit: sed cum Joachinus ejus divinitatis plenus existeret, singula mandata in memoriam gaudio lætitiaque redigere; ipse inprimis nihil aliud dumtaxat agitare, nisi Servorum Ordinem ingredi.

in somnis à Deipara apparente:

B

6 Ceterum [id faciebat,] quia honestam, pudicam, sanctam vitam Servorum Fratres tenere arbitrabatur, partim eorum [persuasus] sanctimonia, partim vero propter ingens sanctitatis jubar, quod in eorum cœtu tunc versabatur, Ordinis ejusdem S. Philippus Generalis: qui quidem tanto decori atque utilitati omnibus erat, ut præ omnibus amandus foret. Igitur Ioachinus decrevit se pauca coram sanctissimo viro Philippo locuturum. Tunc, uti præceptum fuerat, postera die ad Philippum venit: eumque tanta caritate alloquitur, ut cuncta ex Spiritu sancto effundi apparerent. Præterea [quia] singula Divæ præcepta memoraverat, ea res uti in tali negotio, à Philippo aliisque omnibus probata est. Postquam autem Philippus eum immobilem audierat orare, ne ab tantæ Divæ mandatis declinaret, statim confirmare [eum studuit]; itaque sequenti die se Fratrem fore per ambos utrimque decretum est. Denique ex voluntate Philippi se omnia facturum promittit.

b desiderium & visionem exponit S. Philippo Generali:

C

7 Sed quoniam quidam Ioachini parentum familiaris eum ingredientem pariterque exeuntem accepit; Ioachinum Fratrem fore parentibus protulit. Maximum hi ex eo dolorem animis concepere, multumque mentibus volvere soliciti, Ioachinũ domum redeuntem orare, ne senes eos ita agitatos dimitteret, maximam lacrymarum vim effundentes; obsecrari eum; nõ faciendum suadere; imo vero [aiebant, quod] si tanta orationis libido erat, non secus domi ac in religione illud efficere poterat. [Verum] nihil tandẽ decrevisse [eum ex ipsorum voto] compertum est: [sed] post multa ultro citroque verba, quam pauca sibi respondisse fertur: Ad hoc nati sumus, ut inprimis rerum Creatorem audiamus. Ubi vero secundum sententiã inanem mortalium ire libitum fuerit, semper in discrimine errabundi erimus. Quamobrem Deo consulto sese [agere] omnia; diem tempusque se deligere quando religionem esset ingressurus: quoniam Regis talis præceptum fuerat, cui denegare [quidquã] minime fas est. Quæ res ubi ex Joachini ore processit animos senum sauciasse visa est. Lacrymis madentes filium rursus orant, suadentque eo absente vivere diu nequisse. Postquam sicut voluerant locuti [sunt illi], dicit filius se ab diva Regina missum, venisse quæsitum Servorum felicem ordinem. Quod si ipse immortalis & infinitæ potentiæ Deus, tot jurgia, tot cruciatus pro nobis redimendis minime abhorruit: atque omne contumeliarum genus sustinens denique crucifixus est; quid nos sua causa unquam efficere poterimus? quis tantum æs alienum à nobis conflatum, dissolutum putet? numquam profecto, nisi ubi ex voluntate Dei ac Genitricis nos omnia facturos pollicebimur. Quod cum Deo cordi sit, omnes æquo animo ferre vehementer obsecro: plus enim gaudii [vobis cõspectus,] mei in felici habitu versantis dabit, tum quia haud procul abero, tum vel etiam propter effundendas in divinum conspectum pro delictis parentum orationes. Præterea eam quam optatis pacem quietemque dandam, continuo oraturum me polliceor, ut tandem ad optatam Angelorum patriam perducamini: ibi pariter læti ac spei bonæ pleni erimus. Verum ea nocte, quæ proxima erat ante diem [à Ioachino ad ingressum constitutam] in colloquio adhibitis amicis, ut sua immutaretur voluntas, tandẽ postremo parentes decrevêre se Joachinum in alias oras missuros, donec ab eo talis recederet opinio.

parentes mœstos & resistentes

conatur solari alloquio suo:

E

sed frustra:

8 Eadem nocte Joachinus, per Spiritum sanctum certior factus, sine mora & insciis parentibus foras exivit, petiitque sanctissimos Servorum Fratres. Ille lætus in almi viri Philippi sedem devenit, & post multa ultro citroque, habitum ex eo instanter [cœpit] flagitare: ac statim signo dato undique Fratres convenere. Cumque is Philippo lacrymas doloresque parentum diceret; ait, nihil dubitandum esse: Nam ipsa, quæ te ad Ordinem colendum direxit, parentes in gaudium quoque diriget: plerumque enim paternæ voluntates vehementes & interdum mobiles sunt. Unum igitur expedit, Deum pium, misericordem, clementemque roges, ut eam quam petunt quietem tribuat. Quocirca Ioachinus, quartum decimum annum agens, viduitatis Virginis Mariæ habitum gestavit. Quod si talem in tenera ætate [fuisse] accepimus, quid in provecta credendum est, nisi quod temporibus illis clarissimum sanctimoniæ jubar extiterit. Hæc itaque eo notabiliora erant, quod ipse in coërcendis redarguendisque sceleribus propè excesserat ætatis modum: neque tam parvum quidquam aut magnum fuit vitium, quod non abhorrendum diceret: parem moderationem majoribus quoque personis tum virtutibus tum vel etiam sanctitate exhibuit. Quid tandem de moribus suis [dicam]? An dubitandum est [de eo], quem, priusquam religionem ingressus, omne divinitatis opus acciperes imitatum? Ipsum enim Deum, tantæ ceremoniæ morumque modestiæ fertilem intuentem, profecto in utero matris sanctificasse Joachinum constat.

Iis insciis ad S. Philippum venit,

& anno 14 ætatis habitum suscipit:

F

9 Corpore amplo splendidoque fuit: statura, quæ mediocrem excederet, in cunctis membris corporis congruens: facie hilari honestaque, aspectu jocundo, colore erat candido, oculis grandibus: quippe qui in cunctis gestibus divinitatem ostendebat, ut omnes admirarentur, & arbitrarentur eum ingens sanctitatis speculum fore. Sed ad rem deveniamus: nam si singula cõnumerare vellem, neminẽ tantã orationis commoditatẽ habere arbitror, qui minimã partẽ digerere posset. Philippus deinde (ut mos est Fratrum, sicut indumentũ, victũ moresq; ita & nomina mutare) quo nomine

honesta corporis forma præditus,

AUCTORE PAULO ATTAVANTO EX MSS.

mine vocandus petens; dixit unius diei tempus ad cogitandum [dare] velle. De his quæ hi almi viri locuti fuerint, haud facile copertum narraverim: cetera quã paucissimis absolvam. Deinde postquam denominationis dies advenit, utriq; convenere. Ioachimus velle, si posset fieri, inquit, suum explere votum. At contra Philippus: Nihil profecto carius quam tuis subvenire votis. Tunc, Ioachinum velle vocari, inquit, nã antea Clarmontensis nomen erat. Sed omnia quæ aut arbitrari aut efficere [poterat] Virginis gloriosæ causa cōfecta cōstat. Quid enim Ioachini nomine egens erat; nisi [ut ostenderet se] Divæ voluntati morem gerere? Quod ubi Philippus cognovit, nullum convenientius sibi atque Virgini probare.

nomen Ioachini eligit:

10 Ceterum postquam tantæ sanctitatis fama per omnẽ c Tusciam divulgatur, Ioachinum summa veneratione colebant quippe qui non obscura familia ortus, multis virtutibus claruit. Cui quamvis obstaret nobilissimum genus, nihilominus abjectus humilisq; præ omnibus esse: neque ciborum splendore, aut in vestitu pompa, ut alii consueverunt, uti: verũ in cunctis rebus gerendis modestiam imitari. Deinde in nonnullis rebus primus esse consuevit: primo enim ad verrendam domum, lampades purgandas, atque alia hujusmodi peragenda: in reliquis vero novissimus apparere, quibus summam in mortalium cordibus conciperet admiratioñe. Nam in initio, ad investigandum Fratrum Servorum victum ire, beneficii loco petiit: Deinde tanta erat frumenti, vini, olei & aliarum rerũ fertilitas, quam ipse sua eximia fama comparaverat; quod parvo quidem tempore divites atq; locupletes effecti, humanarum rerum abundantiam dedisse virũ, immortales gratias agerent. Quod ubi secus procedit; ne quod intenderat efficere posset, magnum animi mœrorem sustinuit. Quidam enim nobilium electi ejus sanctitatem ubiq; sectabantur, ut Ioachinus optatam quietem non caperet. Postquam vero ipse intellexit omnem suam sanctitatem palantem esse, sedẽ domi exoptare decrevit. Sed quoniam ea tempestate omnes accensi ejus bonis artibus erant, multi Philippum hortari [cœperunt] atque [asserere], Sacramenti gradibus Joachinum dignissimum fore. Placuit autem Philippo, tum Generali; & uti oraverant, exequitur. Igitur [cum esset] Joachinus talis negotii tentatus, omnium spes frustratus est: nam inter infirmos sedem optare solitus erat. Multa præterea alter ad alterum conferebant: Joachinus autem tandem cõfirmare hoc executurum minime, omnia quam dignitates accipere cupientem; nec quidquam esse, etsi arduum atq; difficile [quod non malit facere, &] nihilominus obvia exercere. Quid igitur, inquit Philippus, respondendum nobilibus censes, qui ne irati manu aut vi in nos inveherentur, [formidavi.] Hoc mihi, Joachinus, relictum sit ait: nam illi pacem concordiamq; volunt. Qui cum animadverterent hoc minime sortiturum effectum, non ulterius prosecuti sunt.

humillima munia obit:

B *mendicans locupletibus eleemosynis repletur:*

ne ad sacerdotium promoveatur, obstat.

C

11 Vehementi itaque Ioachinus amore fervens, ubi ægrotantem aliquem in urbe acciperet, repente visitare, eique persuadere æquo animo id tolerãdum esse. Nam quos Deus vehementer diligit, hoc in mundo cruciat, multisque anxietatibus afficit: qua ex re potius gaudendum, quam aliqua ex parte dolendum est. Multa præterea humanitate in eos utebatur, qui omnibus fortunis carentes, ad eum tamquam refugium adibant: [docere eos] mentem animumque ad Deum dirigendum esse, ut [qui] eos quemadmodũ universum genus humanũ [summo amore] amplectatur; & (quod admiratione dignissimum est) quæcumque aliis stomachum gignentia conficere, atque omnipotentẽ Deum pietatem super illos effusurum obtestari. Quibus [monitionibus] plures mortalium infirmitates [animi & corporis] evaserunt: quippe perbeati illi videri soliti erant, qui optima Joachini consuetudine

solatur ægros,

& afflictos:

fruebantur. Sin alicui id parũ videretur, hic, qui e almus erat, pro semet ægrotatioñe, delicti purgãdi causa flagitare, Virginemque vehementer interdum orare. e D

12 Interim accidit ut omnes laici, Generalis Philippi jussu, terram super humeris transferrent: quam quidem rem vir Dei Joachinus audiens, cũ esset subinfatus, quia, uti alii, non ad id faciendum accersitus erat; statuit comedentibus illis totum residuum absolvere: quod haud secus processit. Tantus autem erat agger, ut [si] quatuor dies una omnes ad removendum laborassent, [vix totũ transferre potuissent]. Quis talia adolescentem [unum] fecisse censeret, nisi divinitus esset datum? Beatus vero f Fr. Bernardus, quondam Senensis Episcopus, cum eo mane cum paucis nobilium ad visitãdum sanctitatis splendorem Philippum perrexisset, plane in itinere aggerem intuitus, redeundo autem nihil videns, summaque admiratione captus, Quis tam valens adeo repente aggerem transtulerit? inquit: & omnes stupefacti invicem; Joachinum fecisse arbitrantur. Igitur unus ex eo numero eum accersit: at contra Joachinus [noluit] id effecisse fateri. Deinde Episcopi aliorumque animos terror invasit, scilicet eum tali ætate ea egisse; in quæ sanctissimi viri omnes suas vires miserunt. Tunc Bernardus, vir sane magnæ sanctitatis, ad ejus Generalem conversus, lacrymans sermonem direxit: Hi atque similes sunt, quibus Servorum Ordo ad sidera usque jactabitur: & erit nomen vestrum clarum, ingensque jubar ubique.

cumulum terræ magnum intra brevissimum tempus transfert:

f

E

ANNOTATA.

a *Gianius scribit* Mariam Virginem *ista locutam:* Veni ad me, dulcissime fili, inspexi enim cor erga me tuum. Quapropter inter meos sectatores jam te ascripsi.

b S. Philippus Bennitius *creatus Ordinis Generalis anno 1267, mortuus anno 1285, die 22 Augusti quo colitur.*

c *Ita correximus: nam per oscitantiam amanuensis erat* Africam *scriptum.*

d *Addit Gianius:* Ab infirmorum visitatione intempestiva nocte reversus, januam monasterii clausam reperit: cumque maluisset sub dio jacere, quam janitorem à somno exturbare; dum flexis genibus orat, ultro vidit fores aperiri: quemadmodum hujus rei memoria in ejus marmoreo sarcophago incisa demonstrat.

e *Hic & alibi in hac Vita videtur* Almus *idem esse quod* Sanctus.

f Bernardus, *aliis* Bandinus, *creatus Episcopus Senensis anno 1273, quod videretur obesse Guelphis & Gazia familia, ab hoc ad altare inter sacrificium obtruncatus est.*

F

CAPUT III.

Ejus apud Aretinos residentia, & ad Senenses reditus.

13 SEd Joachinus ubi præ frequenti hominum caterva [Senis se sub,] sistere nequaquam posse animadvertit; continuo Generalem alloquitur, & hujusmodi verba habuit: Omnes mortales, qui in seculo relictis fortunis suis atque [parentibus], omnem animum Religioni applicant, in calce vitæ salutem animæ optant, præsertim quibus in seculo opes, honores ac dignitates fuere. Hoc idem mihi providendum est: cui frustra in Religione versari animo minime insidet. Ego sic existimo, dignissime Generalis, omnem populum mihi maximo detrimento fore: quamobrem sanctitatẽ tuam vehementer obsecro, ut meæ adolescentiæ consulere velit, ne incassum laborasse mortalibus appaream. Post ubi paulatim licentiam adeptus est, devotam Virginem consulere, quonam ei iter dirigendum esset, ut sicuti cupiebat sanctimoniam exerceret. Fratres ex altera parte ægre admodum ferebant: non enim Conventui parvæ tum utilitati tum fructui erat, cujus plane gratia undique effundebantur munera. Denique ut suæ morem

Ob populi applausum,

petit facultatem alio discedendi,

moré gererent sanctitati, una omnes [ut alio mitteretur] opé tulerunt, donec tantus populi *a* favor alienaretur. Aretium igitur mutatis vestibus profectus est, ibiq; ingenti hilaritate humanitateq; receptus, nemini [se] prodendū obtestatur. Ipse vero sæpe interrogatus, de frequentia suorum civium questus est: ea[enim] cordibus eorum à Deo insita [erat Ioachini dilectio] ut ei obtemperandi causa cuncta facillime agerent. Igitur paucis diebus confectis, cognati Ioachinū investigare, affines parentesque interrogare, ac omnes demum lugere cerneres. Sed plerique mortales, rei veritatem arbitrati, fuere qui parentibus dicerent: videndum esse, an expediret ire visum utrum Fratres hi alio filium vestrum miserint. Nullus præterea Fratrum Joachinum prodere ausus [est Senensibus, eo] quod totam civitatem [mœrore] confectam aspicerent, & omnes pariter tristes apparerent. Quisque enim aliquo affectus mœrore, Ioachinum audiens, gaudii lætitiæq; plenus domum remeabat: ipse vero non habebat æqualem in dicendi facundia temporibus suis omnium judicio. Nam tanta erat sermonis commoditas & gravitas sententiarum, quod omnia, veluti erat, ex Spiritu sancto effundi compertū esset. Accedit ad hoc, temporibus illis omnes [fuisse solitos] Servorū Virginis Mariæ templū frequentare, propter Philippū Ioachinumq;, clarissima religionis lumina.

A

a Aretium clam petit, cum luctu omnium Senensium,

4 Deinde ubi nonnullos summa cum quiete menses Aretium coluit, fortuitu evenit, clarissimū quemdam virum nostri Ordinis Fratrem extra urbem prædicaturum exigi, qui Acquistus nomine appellabatur, & Ioachini amore vehemēter flagrabat. Cum vero ob ingentem in eum caritatem deserere molestum esset, officii loco secum profecturum petiit. At contra Ioachinus humanus modestusque, omnia polliceri, ut non modo eo, verum ad extrema terræ si libitum foret, iturus. Cumque simul ambo pergerent, intrandi oppidi facultas data non est, sed in hospitale propinquum abiere, nam pluvia imminente remanserunt foris. Interim ibi morantes ægrotantem quemdam, à maxima admodum infirmitate detentum, audivere; cui præ maximo dolore vocis retinendæ non erat arbitrium. Ad quem Ioachinus iens ait: Salve carissime frater, nisi toto corde Deum pietatis totius inventoré invoces, numquam tua restituenda sanitas erit: nam propter aliquod scelus aut flagitium talem fers ægritudinem. Fateor, inquit ille, quondam me turpem atque obscœnam traduxisse vitam: & velim, ni tam graviter torquerer, pœnitentiam scelerum polliceri, & eam tenere vitam, quam almi viri observavere. Tum Ioachinus: An, quod sentis, asseris? Tantumdem, inquit ille. Postremo sanctimoniæ vas Ioachinus, ait: Cave omnino: nam Deum decipere nequaquam potes: qui non solum his, verum & majoribus te supponeret cruciatibus *b*. Et ita genibus flexis orabat Dominum fontemque pietatis: Ego [Te] omnipotentem atque immortalem Deum, per eam quam in genus humanum caritatem habes, vehementer oro, per Virginem peccatorum spem, per dignissimum sanctissimumque in patibulo crucis cruorem emersum, iterum obtestor, ut hunc famulum tuum ab ægritudine liberes; me autem eidem supponas, quam ex me auferre nemo nisi mors valeat: ut possim cruciatibus his, si quo pollutus scelere essem, mundari. Vix hæc protulerat verba, ille liberatus, & tunc demum mirabilem viri conspiciens sanctitatem, ad pœnitentiam, retento à vitiis pede, est conversus, Deum pariter ac virum Dei glorificans.

Datus Fr. Acquisto socius,

B

& hospitale ingressus,

ægrum morbo reddit vitæ transfusa:

C

b ex ejusque cruciatus in se transferri impetrat:

15 Ubi autem Aretini cives [reducem eum] acceperunt, amore & gratia apud omnes claruit. Cum deinde paucos post dies, in proximam Aretii urbem devenisset liberatus [ille, quod fuit] oculis nostris visu mirabile, recensebat singulis, haud procul virum inprimis sanctissimum affore: civium autem animos omni caritatis genere in Dei cultorem accendebat, non secus ut aliquem de cælo cecidisse virum [sanctum] dicerent. Accedit ad immensum omnium amorem notabilis sermonis commoditas, qua in ægroto liberando usus fuerat; adeo ut cum rediret, eamdem, sicuti Senis, hominum, comitantem copiam haberet, diu noctuque eum agitantem. Sed ea res magnæ initium sanctitatis fuit, quod cum semel in templo Epistolam decantaret, ibique una cum *c* Episcopo præfatæ urbis adesset [populus frequens]; dum sanctissimum Corpus Dominicum levaretur, ipse Joachinus, *d* funale tenens, sive raptus in spiritu, sive alia re ingruente, in terram præceps corruit. At repente Angelus Domini adstitit, ac tantum funale tenuit, ut pretiosissimum Christi Corpus absolveretur. Qua de re omnes, tale sanctitatis vestigium intuentes, mirabantur. Tunc Episcopus primum accersiri postulat, neque deinceps Joachino quemquam cariorem habuit: quippe qui eum *e* secundum in urbe efficere voluit: ad quod totis viribus renuendum obstabat, quia inter reliquos honores hic præcipuus erat.

AUCTORE PAULO ATTAVANTO EX MS.

c

d

sub sacro in elevatione, cereum pro eo labente Angelus detinet:

e

16 Verum Fratres sui conventus, à Generali *f* Philippo admoniti, Ioachinum in patria revocandum, Aretium versus adventabant. Novum præterea & inauditum [fuit] Fratribus, Ioachinum scilicet tempus [adventus] eorum pro eo reducendo in patriam diu ante indicasse. Igitur templum ad præfatam horam Fratres ingrediuntur, & neminem videntes admirantur. Denique ad Ioachini cubiculum proficiscentes, servum Dei intuiti sunt orantem: quidam [vero] ex eo numero Ioachinum appellans, neminem respondentem accipit. Nam uti mos spiritus erat, interdum deserto corpore ad contemplandam Dei majestatem tendere; ita [nunc quoque] bis terve pulsans nihil omnino accipere [potuit]. Simulacrum enim quoddam Divæ Virginis à Ioachino erectum erat, quod vehementer intuebatur. *g* At vero absoluta oratione, ecce plenus sapientiæ & Spiritus sancti Ioachinus illis sese applicuit, sicque hilari caritate amplectitur. Ad hæc audita comitum animi ardent quadam incredibili caritate ipsius in patria fruendi. Exigentibus illis cur responsum non præbuerit, nihil sensisse inquit. Tunc à Spiritu sancto raptum ad Dei speciem contemplandam dixerunt. Postremo alter Joachinum appellans, dixit: Memento, inquit, mei, alme Ioachine, cum in divino Dei conspectu versaberis: ut meipsum agnoscam, atque erroribus relictis ipsum verum lumen imiter. Quod Ioachinus, licet indignum, se facturum asseruit. Verum enimvero ille semper Ioachini precibus tanta morum honestate & vitæ integritate affluebat, quod numquam peccandi facultas esset.

prædicit horam, qua reducturi eum Senas sint venturi

E

raptus in Spiritu, eos non audit:

g

addicit alteri suas preces:

F

17 Sed postquam Ioachinus cum comitibus Senas pervenit, sine tumultu aut ostensione aliqua domum petit. Tunc omnes eum pergrate recipere. Quod magis mirandum est, paucis post diebus, Ioachino in quodam templi angulo orante, Fratres *h* Spiritū sanctum super caput ejus conspexerunt: qui & timentes ne aliquod candelæ residuum cecidisset, propius accesserunt; ac repente ignis ab oculis eorum evanuit: & quamvis ante eum consisterent, haud tamen [eos] conspiciebat: tanta orationis applicatio erat. Et plane quatuor ibi horas mansit, nullum corporis membrū movens: neq; illis in mente Ioachinus erat, nisi quod quidam ex affinibus eum Ioachinum esse asseruit. Id ubi primum propalatum est, non solū cives, sed etiam quodcumq; genus hominum frequentare [eum cœpit]. Eisdē temporibus Senis Ioachini mandata, quam ea quæ institutis ac legibus erant, observare malebant; ut tantisper suum explerent votum: ita ipsi clari &

Senas reductus,

h Spiritum sanctum super caput visus est habere:

ab omnibus ut Sanctus aliquis suspicitur:

AUCTORE PAULO ATTAVANTO EX MSS.

& potentes omnia ex ejus sententia facere. Etenim usque ad extrema terræ virtus famam [ejus] impulerat; & [partim voto, partim vero maxima devotione Senas veniebant plerique, ut suis temporibus sanctissimum virum vidisse jactarent. Sed ad rem deveniamus.

ANNOTATA.

a *Somniculosus librarius scripserat*, furor. *Porro Aretium, quo missus Beatus, distat Senis circiter 30 millibus Passuum versus Boream.*

b *Gianius sic Ioachinum ait locutum:* Perfer quæso, mi Frater, æquanimiter morbum hunc tuum, qui tibi per patientiam ad salutem datus est. *Tunc æger:* Heu bone Frater, longe facilius est alios in infirmitate hortari, quam suam propriam ferre. *& sic oratione facta*, comitiali morbo oppressum fuisse.

c *Idem* Ildebrandinum *vocat creatum anno* 1290, *mortuum anno* 1313. *Sed potius hujus decessor fuit*, Guilielmus, *qui ab anno* 1249 *ad* 1289 *Sedit.*

d *Idem*, cereum *appellat, & ait rem contigisse die Assumptæ Deiparæ in cælum.*

e *Idem:* qui eum socium, Coadiutorem & Vicarium constituere, & Episcopatum renuntiare decrevit.

B

f *Gianius in locum* Philippi Generalis, *substituit* Andream Generalem, *electum anno* 1300 *& mortuum an.* 1314. *Sed potius Generalatum S. Philippi, & Episcopatum Aretinum Guilielmi retinendum arbitramur, & factum intra 13 annos assumpti habitus.*

g *Harum duarum & totidem sequentium linearum non intelligibilem sensum, converso earum ordine, clarum fecimus, quam sæpe autem ob eamdem causam verborum ordinem commutaverimus, non fuit opere pretium indicare; satis sit monuisse in genere, præter morem nostrum aliquid licentiæ sumi debuisse, ne in singulis periodis lector cespitaret.*

h *Idem.* Visa fuit flamma super caput ejus, cum quibusdam fulgoribus, ad modum candentium linguarum: *Michaël scribit*, linguas ardentes in forma ignis descendisse; *& ita imago ejus picta est ante lectiones proprias.*

CAPUT IV.

Beneficia collata: miracula in Vita patrata.

Inter comedendum raptus efficit cibos delicatiores:

18 Ioachinus cibum semel cum aliis sumens, spiritu ad superna raptus est, ita ut reflexus mensam turbaret: & [tamen] nihil epularum sparsum & diminutum est: verum easdem colligentes nihil [invenerunt] pollutum: [sed] perinde ut [si mensa] non ceciderit, ita epulæ incolumes repertæ fuere; neque ejusdem, sed pretiosissimi admodum saporis, qui quamdam divinitatem *a* præ se ferre videbatur. Interim servum Dei erigentes, non macula cibi aut supplicio aliquo affectum invenerunt: sed majoribus fere viribus valens & splendidior erat. Tantus enim ab præclarissima facie ejus splendor exibat, ut oculorum acies talem divinitatem haud sufferre possent. Tunc singuli pariter talia oculis conspicientes, Joachinum affari cœperunt: Felix superque felix, ardentissime Virginis cultor: quam ipse humanarum divinarumque rerum auctor te diligat plane admirabile est: nam quam conspicimus divinitatem [facit ut æstimeris] ab omnibus ut numen *b* adorandum. Quibus lacrymans Ioachinus ait: Plane admiror tantam vos invasisse vecordiam, cum summa in cunctis rebus prudentia uti soliti sitis: nunc autem me colendum censeatis, atque peccatorem felicem dicatis: quæ, inquam, in hoc seculo felicitas inveniri potest? Tu Solus es, respondit Prior qui nos omnes, si libitum est, beare potes. At Ioachinus, talia ægre ferens, seorsum abiit, devotam Virginem obtestans, eorum mentem animumque accenderet, quod jure Servi atque cultores [ejus] dicerentur: & quamquam miracula eos fecisse non inveniam, tamen honestam & pudicam tenuisse vitam, neminem latet: neque enim in eorum moribus quidquam inventum est, quod non summa laude probatum sit.

splendet facie:

se ideo ab aliis honorari lacrimatur:

rogatus oratione Servis verum spiritum impetrat:

D

c de nocte intra nives & frigora constitutum,

19 Interea Ioachinus semel super fornicem *c* quemdam extra urbis muros deambulans (Nam quid est tam severum tamque forte, quod assiduum laborem ferre valeat?) ut aliquam corporis quietem caperet; psalmis & hymnis Creatori gratias agens, propter orationum assiduitatem, ibi diu morans, inconsulte clausus ab custode est. Cum autem esset vesper, ibi noctem colere oportuit: & quod maximum est omnium, XVI Kal. decemb. nives ingentes algoraque maxima ubique reperiebantur. Quamobrem Ioachinus hoc explorato genua flectens, animumque ad Deum dirigens, Domine, inquit, Pater omnipotens, qui ex nihilo cuncta creasti, qui etiam ex aliquo nihil facis, scio equidem, sicut Ioannes ille Chrysostomus inquit, sicut difficile est arborem juxta viam positam fructus pulcherrimos usque ad maturitatem conservare, sic difficile est hominem juxta seculum viventem, vitam immaculatam usque ad finem custodire: & idcirco, cum tibi libet, me ab his calamitatibus & miseriis erue. Ne quidem absolutis precibus, repente conspexit ignem atque ornatam mensam non à longe: cui adhærens, corpus continuo ab nivibus frigoreque recreat. At contra Fratrum auribus mane hoc intonans; veloces quidam ad Ioachino consulendum ierant, arbitrantes se dumtaxat cadaver comperturos: & sic eorum opinionem frustratam comperio. Nam detrimentum aliquod propter nives aut algores minime tulit: sed pro his cruciatibus splendidior [apparuit] atque antea fuerat.

facta oratione,

misso divinitus igne fovetur:

E

energumenum fortem ac rabidum,

20 Tunc his ad humanam genus impossibilibus cognitis, quantum creverit hominum [in eum] spes, atque vox usque ad tertium cælum Ioachinum jactans [non facile dixerim]. Nil aliud laudare aut prædicare intelligeres, omnes eadem dicere atque probare? quare: morum atque miraculorũ ejus [famá] universa Tuscia repleta est. Et idcirco factum est ut quidam à dæmone vehementer dies noctesque vexatus, audiret pudicam, modestam & miraculorum fertilem Ioachini vitam famamque vagantem. Semper antea à malis spiritibus vexatus fuerat: ex qua [vexatione cum] requies aut gaudium capiendum minime daretur; comedendi autẽ & bibendi facultas tantumdem [ei ablata erat]: nam tanta vi atque impetu in eum [dæmon] prorumpebat, ut quascumque licet fortes catenas enodaret, ad quem tolerandum ingens hominum multitudo requirebatur. Ipse vero cum omnium ditissimus esset, omnia polliceri: sed [frustra]. Affines [autem] postquam ad viros Italiæ, fama & sanctitate præclaros, eum duxerant, idemque reverteretur in patriam; ad Ioachinum tandem dirigendum statuere, cujus ubique fama reboabat, plane omnes mirari sanctimoniæ clarissimum Ioachini lumen. A tali [tamen] peste detentum liberaturum, [negant alii, quia] haud fieri posse credunt, tantam unico inesse sanctitatem, qua ab omnibus almis viris incuratum sanaret. Nunc autem [cum ille esset] Senas maximis clamoribus adductus, verus Dei atque Genitricis cultor accersitur, & sub sanctæ obedientiæ virtute præcipitur, ut diu vexatum ab omni ærumna absolvat. Cui Ioachinus, divino amore flagrans, Tametsi, inquit, sub obedientia constitutus sim, credisne mortalem quempiam hæc à divina potentia impetraturum? Majora quidem, Adrianus, loci illius Primus, inquit. Igitur cunctis audiens

ad varios viros sanctos frustra ductum.

F

jussus in virtute obedientiæ,

invocata SS. Trinitate liberat:

A audiens præceptis, suæque morem gerere cupiens voluntati, hunc in eum sermonem protulit: Ego tibi per eumdem, quem Trinum & Unum censemus, Deum, inquam, immortalem, verum & æternum præcipio, ut, cujus olim agitandi potestas fuit, eum protinus destituas. Hæc repente spiritus ex viri Dei ore intelligens, abiit clamans ac dicens: Unicus & singularis es, cujus in Dei conspectu sanctitas plurimum pollet: nam tuis ad hæc agenda precibus compellor, nec quisquam majorem in hoc vim habuit. Ceterum per unius horæ tempus in terra [jacens vir ille] nihil, ut aliorum mos est, auribus percepit: atque [ita liberatum] à tali numquam [amplius] morbo detentum constat.

sanat graviter herniosum,

21 Inter mortales quidam Joachini devotus, cui nomen *d* Pangnus, in ea erat infirmitate submersus, qua intestina cuncta in inferiorem partem descendunt: qui nullum corporis membrum movere poterat ob rerum descendentium pondus. Tanti enim momenti erant viscera, ut pectus ipsum dirimere viderentur. Qui labore licet ingenti, divina tandem providentia, ad Joachinum ductus, obtestatur [ut sanitatem sibi reddat]. Quem vir Dei his paucis alloquitur. Vitam profecto sceleribus quondam imbutam traduxisti. Ita [est, respondit æger. Tum] B inquit ille: Cave olim Pangne, & liberaberis. Sicque præclaro Crucis signo [eidem benedixit], manus super intestina ponens: [& statim] singula ad proprias sedes reversa comperio. Cum ergo multa ac pene infinita & hominum memoria digna prætermittam; haud hoc silentio transeam.

e alium iliorum doloribus vexatum,

22 Quidam erat Servorum S. Mariæ *e* Frater, diu ab iliorum morbo laxus: qui cum Senis pro quibusdam suis amicorumque negotiis existeret; factum est ut ab eadem vexaretur molestia, & infinitos & miseratione valde dignos labores minime tolerare posset. Lacrymans [igitur, seque deinceps] cum honestam tum etiam religionis vitam observaturum pollicens, Joachinum orare non desinit, si expedit, sui misereri non tædeat: nam tantæ ei calamitates inerant, quod omnia quam vivere maluisset. Deinde Joachinus ea miseria atque inopia motus, tum viri bonitate, tum vel maximæ bona in disciplinis fama, summa cum hilaritate ei obtemperare gaudet. Pietatis fontem eo orante, dignus Frater evasit liberatione pestis [illius]: nam [statim recepit sanitatem] C esto [quod ejus ex tali incommodo recipiendæ] ut in re parvi momenti, mortales plerumque desperatione teneantur. Qui ad cubiculum ejus currens, nondum ab oratione liberum esse cognovit. Postquam igitur absolverat, in hunc sermonem sese convertit: Primum, sanctissime Pater, gratiæ referendæ mihi facundiam dari peropto: nam tua tantum cum Deo copulata est sanctitas, ut in reliqua Italia tibi similem inveniri non credam. Quotus enim quisque tanta sanctimonia pollet, ut que verbo ait, opere adimpleat [Deus? Quid igitur superest,] nisi ut Patribus nostris, sanctissimis quidem viris, similem te reddamus? Quamobrem immortales tibi ago gratias, quod ex mortis faucibus ad pristinam me lucem revocasti. Joachinus, mundi hujus fumum inanemque gloriam nihil pendens; Heu! quid? carissime Frater, inquit. Da bonorum omnium largitori gloriam. Non enim ego te liberum reddidi: verum ipse infinitæ potentiæ Deus, qui suo arbitrio omnia disponit: & idcirco si me, ut apparet, diligis, non ulterius prosequamur verba hæc: nemo præter [Deum à naturæ viribus] alienum opus sibi ipsi vendicare potest. [Ita ille sanus abiit] postea vero triginta annos vitam traducentem [ac firma valetudine usum, non nisi] in morte tantisper ægrotasse, exploratum est.

AUCTORE PAULO ATTAVANTO EX MSS.

& puellam strumosam

23 Senarum in urbe quædam mulier, summa veneratione Ioachinum colens, decoram atque speciosam filiam habebat, nisi globum carnis in gutture instar pomi teneret, quo universa pulchritudo atque ejus species amittenda erat; & quod damnosius erat, nemo propter globum carnis loco uxoris frui [ea se posse] censebat: quare eam ad Ioachinum ducere statuit, ut periculum talis rei faceret, videretque utrum sine viro esset moritura; tum etiam, si divinitus daretur tale matrimonium fieri, quod inprimis omnium rerum ductori libeat. Deinde [quia] ubi salus versatur animarum, semper viri Dei mos erat in liberandis [infirmis] maxima uti caritate; partim quia miseratione digna res apparebat, partim vero quia à parentibus omni veneratione colebatur, [benedixit puellæ], itaque carnis globum optime Crucis signo expulit: quæ adeo decora [deinceps] fuit, ut uxoris loco quisque nobilium genere ea frui cuperet, & [quod] absque [dote] quisque capturus [eam esset, auderent matri] polliceri.

habet bruta sibi obtemperantia.

24 Plerumque Ioachinus oculos ad suum Creatorem tollens, neminem videre stantem aut audire appellantem visus est. Quin bruta animalia, non secus ut homines, vidimus ei obtemperare, à quo capi E & quocumque libuerat, geri se sinebant.

ANNOTATA.

a Divinitas *hic alibi in hac Vita, non pro* natura Divina, *sed pro* Divinæ potentiæ ostensione externa *accipitur, uti per se clarum est; quomodo dicitur*, Mirabilis Deus in Sanctis suis.

b *Nec hoc tam crude accipiendum est, ut non possit commodum habere sensum: quis enim non videat scriptorem religiosum & doctum, ex usu Etruscæ linguæ, hyperbolicis metaphoris assuetæ, sic loqui, ut non aliud quam eximiæ sanctitatis decus Ioachino tribuere intendat?*

c *Incuriosus librarius scripserat*, fornacem quamdam: *nihil autem in Italia videas frequentius, quam ejusmodi fornicibus tectas domos, ad inambulandi commoditatem.*

d *Gianio scribitur* Pagnus: *rectius forte scriberetur* Paganus, *nomen in Tuscia non insuetatum.*

e *Idem conjicit fuisse* Lotheringum Generalem, *qui Philippo anno* 1285 *successerat*, quod tali morbo sæpe laboraverit: *nobis videtur potius fuisse vir secularis Servorum Ordini associatus, ut passim Tertiarii solent: nam infra promittit se* honestam, imo religiosam vitam observaturum, *si sanetur.* F

CAPUT V.

Virtutum ejus summarium, obitus & sepultura.

excellit omni virtutum genere,

AT nunc quis Oratorum maximus gestarum rerum minimam quamdam partem digerere posset? Profecto omnia sanctitatis plena in eo reperi, nec quidquam mihi unquam dulcius, aut etiam optatius evenire poterat, quam tanti viri mores, modestia atque sanctimonia. Omnia in hoc absoluta, & nihil boni defuisse invenio: sed bonarum artium singulas imitasse disciplinas expiscor: & ideo suum in hoc seculo martyrium, & in cælesti patria coronas, quam brevissime perstringam. Quod si omnia dicere vellem, magna mihi voluminis prolixitas exigenda constaret: & idcirco clariora atque excellentiora prælibabo, quo altera facilius noscantur, quæ quidem posterius ostendam. Nobiliora quidem hæc sunt: numquam in tenera ætate Ioachinum nugari sive puerile quoddam facere. Verum quisquis eum orantem [esset] intuitus, ægrotos invisentem, atque afflictos [ad suas ærumnas] æquo animo tole-

AUCTORE PAULO ATTAVANTO EX MSS

imprimis rigore pœnitentiæ,

tolerandum persuadentem, [continere se non poterat quin eum ubique & apud omnes laudaret] : itaque indies ejus famam auctam conspicio. Quippe qui propter ciborum parcitatem, morum honestatem, & omnibus in rebus ingentem modestiam, nemini eo tempore in sanctimonia cedebat. Et quoniam ipse sibi martyrium præ asperrimis rebus intulit, corpus affligens inedia, vigiliis, verberibus, cilicioque, ut in spiritu fervens ac vigens esset, & mente numquam ab rebus supernis divinæque majestatis contemplatione raperetur ; jam prosperitatem corporis *a* attriverat, effeceratque quod plerique sancti viri consuevere, quemadmodum de Hieronymo Bernardoque legimus, qui durissimis rebus corpus ad summam imbecillitatem perduxerunt.

à Deipara visitatus, *b*

25 Nocte igitur quadam, eadem, quam devotam [ejus] supra denominavimus, Ioachinum orantem aggreditur, undique Angelis circumdata, duas in manibus coronas extollens ; alteram videlicet [pro] martyrio assidue hoc in mundo æquo animo *b* lato ; alteram vero, quia Confessor inter mortales extiterat. Quæ postquam dilectum servum vocaverat, inquit : Nunc tibi, carissime fili, consulendum est : te enim inter electos devotosque servos innectere animo est. Nam & summo gaudio Pater Philippus te [expectans] manet. Tunc Ioachinus lætus, sancto Spiritu ardens, atque sincera vita coruscans ; quia pridie ejus diei, qua Dominus noster cruci affixus est, hæc res agebatur ; petiit, ut postera die ea hora solveretur, qua & ipse Dominus noster expiravit. Postridie igitur Joachinus, cum bene valeret, omnes ad se Fratres accersiri postulat, ibique nonnulla verba fecit, quorum exemplum infra scriptum est : Sæpe numero, Fratres carissimi, lacrymans dolensque dico, Heu miserum calamitosumque mundum ! heu agitatum genus humanum ! Nihil denique in te boni aut sancti restitit. Heu miseriarum & calamitatum plena tempora nostra, & omni vitiorum genere fertilia ! Infantes, pueri, adolescentes, juvenes, senes, pariterque omnes pro bono, malo ; pro [castis] moribus, flagitiis ; pro virtutibus denique, malis facinoribus utuntur : quas ob res hoc destituere corpusculum expedit, atque eo accedere, ubi dumtaxat bonum inveniri potest. Quamquam vestra quidem causa discedere doleo ; tantas nihilominus [utilitates] hinc nasci turas vobis pateat, ut mirum in modum lætabundi sitis. Ego vero pro vestris in me officiis numquam in dignissimo Dei conspectu orare desinam. Sed unum pro innata vestra humanitate obtestor, quod si cuncta erga vos [ex vera] ratione non gesserim, teneræ ætati [potius] quam alteri rei adscribendum statuatis. Iam vero Deo sic libitum est, me ad cælestia regna paullo post revocare : atque ideo Ioachinum vestris in orationibus memoriæ teneatis, obsecro ; simulque Ecclesiæ Sacramentis me decorum reddatis, & ab omni delicto longe alienum. Hinc autem quos dolores aut etiam anxietates procreatæ sint memorando, in easdem profecto lacrymas inciderem. Plane hoc numquam Fratres arbitrari ; nam [viribus] pollens clarusque habebatur, quippe etiam omnia ut antea, conficiebat. Eorum [ergo] sententiam [efficacius refutandam sibi esse] ratus Joachinus, coram [omnibus] ait : Exiguam mihi fidem tribui perspicio, nec ea quæ dixi vera censeri. Sed iterum [dico] ut rei veritatem olim credatis, ante Domini nostri absolutam in templo Passionem, vos penitus corpore deseram : & idcirco quatuor hic Fratres mansuros supplico, ne, hoc accidente, mortalium ora adimpleantur Quod & factum est, quatuor omni veneratione dignissimos Fratres ibi constitui [voluit Prior : &] cum Joachinus, omnipotentis Dei exemplo, genibus flexis audiret Passionem ; ad eum tandem locum deveniens, Et & inclinato capite emisit spiritum, animarum cunctarum Auctori suam, omni sanctitate coruscantem, reddidit : ac statim in templo visus est splendor, quam Fratres Ioachini animam rati, ad ejus cubile currentes tantisper, sanctissimum invenere corpus.

monetur de morte instante :

B

postridie sanus suam mortem indicat isto die futuram.

C

& antequam Passio Christi in Parasceue esset prælecta ;

atque ita moritur,

D

splendore in templo apparente.

Cumque lugentes singuli redeunt, atque universo Senensium populo nuntiant [quod objerit Ioachinus] ; non secus omnes agitatos cerneres, ac si tota subverteretur ex radicibus urbs : omnes enim splendidum in cælo lumen, Ioachinum videlicet, parentis haberi loco gloriari [solebant.] Nec [mora :] paucis post diebus pretiosissimum corpus in templum deportant ; [ubi] tantam mortalium oculi lacrymarum vim effuderunt, ut [verbis nequeat explicari]. Quisque suam eam arbitrari mortem, nec cuiquam locus tempusque quietandi dari, omnes sanctissimos pedes osculari. Præterea tanta undique hominum multitudo fluebat, ut mirum in modum almo viro meritorum honorem Deus reddiderit : & antequam sepeliendi suffragiique debiti reddendi daretur potestas, dierum quatuor intervallo, optimum odorem fragans, in templo versaretur. *c* Tunc Fratres dolore affecti, atque Ioachini privatione compulsi, ejus felicem vitam [tunc quidem scripto] nequaquam digerendam decrevere ; sed cum infinitæ sapientiæ Deo visum est, pauca de eo in hominum memoriam redacta sunt : nam ubi singula Ioachini gesta quisque describere vellet, maximam sibi provinciam imponeret.

ob concursum hominum corpus 4 diebus expositum,

c

aliqua de vita ejus collecta.

E

ANNOTATA.

a *Michaël ista addit :* Si carnis stimulus eum colaphis affligebat, hiemali tempore, in locum nivibus plenum ; & tempore æstivali, in spinis repletum, se immergere ac projicere curabat.

b *In lectionibus propriis ista leguntur :* Patiendi cupidus, ut alios suæ ægræ valetudini cruciatus adderet, quo Passionis Dominicæ magis particeps esset, Deum orabat. Quare novum morbi genus, quo caro ejus ab exortis vermibus absumeretur, ei immissum fuit ; nec tamen à medicis unquam visitari, aut Deum, quem pro aliis infirmis orare solitus erat, ut à se morbum depelleret, rogare voluit.

c *Michaël addit*, corpus ejus gloriosum reconditum esse sub ara majori ecclesiæ Servorum de Senis.

CAPUT VI.

Miracula post mortem patrata.

F

27 POstquam ex mundi laqueis evanuit Ioachinus, exaltari usque ad novissimum judicii diem dignus evasit. Nam cum in *a* S. Galgani celebratione multi ad Indulgentiam irent, essetque id temporis, quo algor regnat ingens, plerique ad ignem manentes eos quos Almos cognoverant, multis laudibus extollebant, ac præsertim *b* Ambrosii *c* Petrique Senensium miraculis decoram atque fulgentem vitam. Extemplo [autem] vir quidam, bonitate egregius, ibidem existens, Joachinum præ omnibus ad cælum usque sustulerat, ut omnes ejus gestibus mirarentur, dicerentque eum ob aliquod meritum id proferre. *d* Ægrotus [ergo] quidam ibidem permanens, atque de Ioachino talia audiens, arrectis auribus quæque præclara accipit ; ejus scilicet caussa vidisse cæcos, claudos cucurrisse, ac mortuos erectos esse : atque continuo ab invisibili illo morbo absolvi ratus, Ioachinum maxima cum fiducia invocat : [promittens] quod si ejus meritis dignus efficeretur

a Occasione Festi S. Galgani

b c comparatur BB. Ambrosio & Petro Senensibus

d

A efficeretur [sanitatem recipere] non ita ab mortalium memoria ejus lapsuram sanctitatem: insuper diabolicam animam creatarum rerum Inventori redderet, qui semper gulæ, veneri, superbiæ, atque malis facinoribus incubuerat: cujus in virum Dei hæc verba fuere, Si vera sunt, sanctissime Pater, quæ tanta de te ubertate proferuntur obsecro, Domine, mei miserearis, ne tam repente hæc [Acta ejus] sanctitatis plena hominum oblivioni tradantur. Equidem hoc tibi polliceor; ubique locorum tuum nomen sanctimoniamque extollere, eroque tuarum laudum ingens vulgo prædicator. Deinde simulacrum cereum ante dignissimum conspectum tuum erigendum existimes, ut tanti viri gesta non ita deleantur. Igitur postero die eodem medicus ejus adventans, non secus liberum invenit, ac si tali numquam subjacuisset infirmitati.

sanatur morbo incurabili:

28 Post hæc honorandus quidam Senensium Frater, Nichola quidem nomine, re autem vir optimus, prædicator cum esset in die Pentecostes, nonnulla ejus sententiæ congruentia de Ioachino protulit, ac præsertim [de potestate] quam supra dæmonum agitationem in virum divitem [exercitam] diximus. Erat tunc ibidem mulier quædam, tota vitæ suæ brevitate à pessimo vexata spiritu. Hæc ubi dictum miraculum accepit, statim sathanas in cor ejus ascendit, vocisque maximam vim emisit: Nunc nunc, inquit, tempus advenit, quo mulierem destituere cogar. Tandem omnes pavore atque formidine capti, calcem exitus videre animo conceperunt: & id multis de causis; primo, quia universæ Tusciæ cognita erat, tum etiam quia haud obscuro loco orta. Quas ob res absoluta statim prædicatione eaque ad Ioachini sepulcrum ducta, omnis multitudo convenit. Prædicatore cur tam sæve exclamaret interrogante, ait [dæmon]: Doleo superque doleo, quod meam diu possessam habitamque sedem relicturus sim, & unicum Ioachinum contra me posse, [quod omnes nequiverunt conficere. Rursus interrogatus, cur aliorum virorum fama atque sanctimonia præclarissimorum [interventu] non exierit ex corpore, Divinam ita decrevisse sapientiam, respondit; ut hic quoque miraculis ornatus, optatam in cælo sibi sedem compararet. Irritatus tandem populus sui exitus signa flagitat. Denique ægre ferens inquit: Cum corpus hoc destituam, lampadem quamdam lumine privabo, atque mulierem jam felicem, ad unius horæ tempus, velut mortuam in humum prostrabo præcipitem. Neminem autem prætereat, [possessam mulierem] latine ita eruditam fuisse [visam] ut similem in reliqua Italia habere non videretur. Iterum autem spiritus fari cœpit: Exuite eam pannis, pariterque comam disrumpite, alioquin ei dominandi potestas aderit, & omnia miraculi signa ante sepulcrum ponite: ita enim desuper mandatum. Non possumus non annuere votis. Acceptis ergo mandatis omnia exercuere. Ac repente spiritu abeunte, universum reboare templum intelligeres, ut si omnibus fundamentis extirpatum esset. [Omnes tunc] præterea omnipotenti Deo gratias immortales agere, nec non optimo virorum Ioachino, cujus precibus tam magna tamque præclara fiebant. Mulierem vero meliorem unquam habuisse gratiam minime comperimus. Sed usque ad mortem tanta in eum veneratione affectam [fuisse scimus] ut nihil omnino supra.

dæmon ex corpore obsessæ suum discessum prædicit,

B

& ad sepulcrum B. Ioachini

signo dato,

C

cum magno fremitu abit,

29 Nobilium cuidam per viam eunti imbrex desuper [labens] caput infregit, quod ab omnibus mortiferum vulnus creditum est. Huic demum Ioachini miracula in memoriam reducta [cum essent;] anhelitum resumens ait: Etsi, sanctissime Pater, mea merita haud tuam gratiam mereri scio, nihilo segnius corde optimo tibi polliceor ubi hujus [beneficii] gratia dignus evasero, meis semper Fratribus favere; & nullum animi neque corporis laborem effugiam, dummodo eorum voluntati morem geram, nec non simulacrum cereum mei instar efficere statuam. Postero autem die medicus eum curaturus adveniens, sublatis pannis sanatum vulnus intuetur, & summa admiratione motus, circumstantibus inquit: Quis, optimi cives, tam solennis tamque egregius medicus hunc à vulnere liberavit? Singuli vero ignorantes admirationem ostendere. Denique qui tale accepit meritum, Ioachinum colendum atque observandum asserit: is enim sua incredibili humanitate atque sanctitate me ex mortis ore ad pristinam traduxit vitam. Omnes pariter de eo talia audientes, ad sepulcrum profecti sunt, Ioachinum orantes, ut Deum imitandum doceret: ac statim quædam odoris fragrantia & somni voluptas illos invasit, ita ut ante dignissimum ejus conspectum paulùlum obdormirent, & singuli Ioachinum tam splendidum tamque decorum videre; ut præ divinis radiis [ejus faciem] non ad voluntatis libitum discernerent. Ac paullo post Angelica quædam vox eorum auribus intonuit: Moribus ac virtutibus, filii, navate operam, ego enim numquam vobis deero: verum cunctis [vestris] votis me olim obtemperantem accipietis. Hi statim Ioachini gratia repleti, expergiscuntur; singulique unam & eamdem visionem recensere: ideo partim religiosæ vitæ sese dedêre, partim vero seculum colentes pudicam & castam duxere vitam.

lethiferum capitis vulnus curatur.

ideo gratias agentes ad sepulcrum,

eadem omnes visione recreantur:

E

30 Puer quidam erat, panem in manu tenens, quem dum secundum puerorum morem comedebat, sextum ætatis annum agens, obviam ingenti ac rusticano cani sese præbuit. Is repente, lupi instar, fame compulsus & æstu agitatus, puerum aggreditur, ac pariter panem digitumque singularem è manibus eripuit. Quid actum est? Cum parentes viderent nullam esse medelam ad huic ægritudini consulendum, nec medicos, aut etiam [invocatos variorum Sanctorum] favores prodesse. (Erat enim novum atque inauditum, ut quisquam direptum penitus membrum in eamdem pristinam consuetudinem traduceret, ni creatorum omnium Parens manum adjutricem porrigeret) Tunc indies Ioachini miraculis florentibus, parentes maxima veneratione ad eum euntes, lacrymis genas rigantes, ut in restituendo liberi digito opem ferret, obsecrant: eis enim unicus aderat, reliqui vero omnes ad omnium matrem migraverant. Neque adhuc domum redierant, cum puer pollicis restituti [beneficium sentiens], sibi ipsi congratulabatur: nam pulchrior & divinior atque alii apparebat, neque propter pollicis divinitatem aliquid cum eo turpe aut obscœnum tangere pollebat. Sed cum parentes ingratitudinis crimine accusari nollent, una cum libero, Ioachino crebras gratias reddiderunt, & digitum argenteum, creati instar, ante ejus sanctissimum conspectum deposuerunt. Ita indies Ioachini famam atque decus augeri sentio. Multa deinde bona Christi pauperibus, causa meriti tanti viri impertiri Senenses; semper Fratres ejus colere & observare, & ut parentes venerari, omnibusque rebus niti grata cunctis efficere.

digitus pueri à cane præmorsus restituitur.

F

31 Quamvis multa de præclaro atque optimo viro Ioachino dixerimus, [adhuc] pauca quoque, ut ad calcem deveniam, recensenda statui. Quidam vir Senis optimi meri vegetem habens, quam pro suis necessariis annuatim e tutans, ad diem almi Ioachini festum invitatus à comitibus sic respondisse fertur: Nunc vos mente captos perspicio, quod vobis [libeat] ad illius celebrationem proficisci, quem Fratres, pecuniæ atque alterius rei lucrandæ causa, Sanctissimum prædicant. Equidem domum redire, & merum

e irridens euntes ad venerationem B. Ioachini,

AUCTORE PAULO ATTAVANTO EX MSS.

merum vendere malo, ut mihi [meisque] opibus consulere possim: vos autem [manete] cum Joachino, ego cum divitiis! & sic eos dereliquit, [ipsum] de obscœnis verbis increpantes. Deinde domum rediens, & manum in vegetem mittens, fœtidum, turbulentum, asperum & forte vinum reperit, cui præ execrabili odore adhærere minime poterat. Tunc valde iratus propter maximum lucrandæ pecuniæ pondus; tum etiam quia pauper, egens & mendicus erat; obscœnorum tandem in sanctissimum virum verborum spurce [dictorum] recordatus, & cordis compunctione tactus, lacrymans ac dolens talia effudisse, vovit quartam temeti partem se Fratribus daturum. Qui ubi hæc locutus fuerat ad merum rediens, lucidum [& magis] splendidum quam ante inveniens, summas Joachino gratias egit, & quod voverat ad unguem confecit. Quæ cum ita eveniant, opus erit Dei cultores summa cum veneratione observare, & sub illis protegi atque tutari.

vinum suum reperit corruptum,

quod voto eidem facto restituitur,

32 Per saltus quidam rusticus pergens, serpentem obvium ingentem habuit, quippe qui æstu & fame compulsus, omnia devorasset: erat enim ab ignibus vexatus, nec ullam escam invenire poterat. Rusticus vero timens serpentem, arrecta cauda [contra se venientem] atque rugientem intuens, alterum eligere cogitur, se scilicet tutare aut à serpente perimi. Arrepto igitur ingenti quodam baculo, serpentis dorsum pro viribus infregit. At repente coluber, veneno accensus pariterque & ira præceps, in eum corruit, & tibiam dextram osse tenus sauciavit. Crus denique inflari conspiciens valde dolebat, neque requies aut remedium ullum ei erat, nisi ut quem habebat asinum ascenderet, domumque rediret. Quod ubi factum est, affines & medici omnes eum morti jam tradiderant, nisi pauperum refugium Joachinus ei in mentem venisset: quem summa spe, nec tamen frustrata invocavit, sed melius quam ratus erat evenit. Vix adhuc voverat, cum voluntas quædam dormitandi eum rapuit, & in somnis nostri Ordinis Fratrem ad se venientem ac clamantem accipere visus est, Dilecte, inquit fili, tuum mihi crus ostende, ut votum tuum persolvam. Ioachinus ubi hæc dixerat, absque mora evanuit, atque hic enodatus à somno, ante omnia tibiam visitandam decernit. Si gaudium hominisque lætitiam describere possem, jucunditatis totum repletum animadverteres. Exultans igitur cubile reliquit, & indutus, in plateis, quatriviis, & ubique Ioachinum prædicat, gratias immortales tanti officii agens, nec non crus cereum pro suo virili impartivit sanctimoniæ flori Ioachino.

B

tibia morsu serpentis infecta cum mortis periculo

à B. Ioachino apparente curatur:

C

33 Singularis eodem tempore mulierum cuidam infans erat, parentum oculorum lumen, in quem curam & senectutis spem locaverant. Sed ut Deus semper in extollendis erigendisque magnis viris omnem operam dedit, pueri mater templum adiens, ad audiendam in nostro cœtu Missam, infantem in cubili dormientem destituit, tertium ætatis jam agentem annum. Qui solus domi relictus expergiscitur. Dolens ac neminem videns, descendere cupiebat, & cum conaretur, præceps in terram corruit, brachium pariter & os confringens: atque ibi diu existentem lacrymantemque, mater rediens invenit; quæ ejus ægritudinem conspiciens, penitus confractum atque exanimem puerum vidit. Tunc dolore affecta, & viri in itinere versantis causa [metuens] ne quædam verba in remeatu sonaret, medicorum auxilium invocat. Et quoniam accepit non posse, ante viri adventum curari (Nam propter malam liberi curam, quam habuerat, valde timebat) decrevit tandem supplex Ioachini numen invocare. Quem cum orasset, liberum die postero ab omni ægritudine longe alienum cognovit; [qui etiam] pulchrior splendidiorque effectus est. Tunc parens simulacrum cereum ejus altari instituit sublevandum, & puerum Ioachino gratias agens dedicavit.

brachium & os confractum pueri restaurantur

D

34 Cum per Ioachinum tam clara atque sanctimoniæ plena fierent, quidam tunc Senas miles colebat, qui non parvæ venerationis affectu Ioachinum præ omnibus observabat, nec longo post tempore cassatus Senis, Bononiam sese convexit. Huic [erat] equus vastus, ferox & terribilis: sed [quem] ejus speciei decore captus, diligebat. Tandem die quadam hujus equi periculum facere cupiens, famulis utquoquomodo equum sternerent præcipit. Illi autem nulla ratione ei adhærere poterant, sed nequisse militi sese expurgant. Quare iratus, ipsemet ad sternendum proficiscitur. Repente equus, arrectis pedibus, crudeliter in pectus militem percussit; & ideo velut exanimis unius horæ intervallo in humo constitit: erant enim complures pectoris costæ confractæ, ita ut omnium sententia eodem die moreretur. Accersi itaque medicum fecere, cognoveruntque non [quidem esse] defunctum, sed pleramque costarum partem læsam, ut plane nullus jactaret eum à tali peste absolvere. Miles vero paulatim anhelitum resumens, gestuum Ioachini meminit, & speravit suum flagitare auxilium, se desuper equum cereum ante sepulcrum suspensurum pollicens. Tunc ex pessima illa ægritudine paulatim absolvi se cognovit; & quod in rerum natura est inauditum, [etiam invenit] equum, placidum, humanum atque mitem effectum, ut pueri, infantes, & demum omnes illum tangerent. Quod autem voverat, ad unguem solvit.

costæ ex equi ictu confractæ curantur:

E

& equus ferox, mitescit.

35 Non ita eadem sed longe majora [expertus est] prædicatorum quidam nostri Ordinis, vir excellens cum fama tum etiam doctrina, ex Florentia originem trahens ex familia haud obscura, cui nomen erat Paulus Antonides, [Hic] in urbe Forlivii sanctum Euangelium prædicans, & in hominum memoriam sanctos viros imitandos redigens, præsertim sanctimoniæ exemplar Ioachinum omnibus præstantem ostendebat; cujus præclaram vitam & miraculis ornatam recensebat. Erat autem tam lenis atque hilaris, atque in dicendi facundia & ratione fertilis, ut ipsius audiendi causa à cibo pene & somno [homines] destitissent. Actum est igitur ut iisdem diebus quoddam in foro festum pulcherrimum celebraretur, ad quod non modo cives, sed coloni omnes conveniebant. Unde cujusdam Domini Iacobi filius, quintum ducens ætatis annum, cum sociis ad fenestram celebritatem intuens, præceps per triginta brachiorum altitudinem decidit. Mater vero ut vidit puerum cadentem, sine aliqua temporis dilatione Ioachino commendavit. Currentes tandem, qui eum ruinam minante viderant, & exanimem inventuros [credebant], eum stantem & ab omni ægritudine vacantem cognoverunt. Cumque ex eo peterent, quomodo res processerit; respondit, suis vidisse oculis quemdam Ordinis nostri Fratrem, coronam in capite valde decoram tenentem, in cujus manibus retentus nullum corporis detrimentum sustulit, verum leviter ab eo in terram positus est: tunc matre se Ioachinum invocasse propalante, ingenti in eum devotione affecti sunt [omnes]. Itaque parens in tribus urbis locis decorum & fere divinum [simulacrum] erigendum statuit; & Senas una cum filio profectus, imaginem ceream fieri mandavit.

puer ex alto cadens

F

à B. Ioachino per matrem invocato,

illæsus humi collocatur:

36 Maji mense puer quidam, extra Senensem portam, flores super foveam lymphæ plenam colligens, tantum se pro illis habendis extendit, quod fluctibus submersus vita privaretur; cum sibi ipsi propter latitudinem altitudinemque aquarum minime favere posset. Sed ut divinæ sapientiæ visum est puerum non ita sine parentum visione suffocari; eo

puer submersus resuscitatur:

mater

A mater transiit; & cum filium non videret, admirata, paululum ibi stans, gurgites puerum extollentes accepit. At maximis clamoribus propinquum sibi virum appellat (erat enim [ibi] quorumdam circumstantium hortorum olitor) qui repente eo adveniens, in aquam, licet indutus, se projecit, ac defunctum puerum arripuit. Postquam vero mortuum parentes cognovere, ad pauperum refugium Ioachinum tulerunt, ejus meritis [ipsum] commendantes. Tunc puer anhelans sic parentes alloquitur: Haud quidquam mihi dicatis, eximium enim Fratrem, sanctissimum jubar Servorum, pro me orantem vidi, & ipse jam denegatam vitam resumere me fecit. Mirabantur omnes, qui à fluctibus aquarum submersum secuti fuerant, ex ore infantium talem perfici laudem: ibi enim mortalium ingens multitudo erat, laudans & glorificans Deum, qui talia sanctimoniæ vacanti dederat.

37 Urbs urbium florentissima talem illis temporibus virum genuit, Divæ Virgini dedicatum; nomen habentem Lippum, cui intestina in colorum *f* marsupium descenderant, ut maximam ponderis anxietatem ex eis irruentibus caperet, ut quietem etiam maximo cum labore inveniret, nam ei corporis residuum obtundi videbatur. Quas ob res Ioachinum obtestatur ejus miserturum; inquit insuper, Pedibus ad te nudis veniam, & funale quoddam ingens fideliter expediam. Quare mane surgens singula ad loca rediisse sua comperit, & cum triginta super viveret annos, nulli unquam ægritudini subjacuisse fertur.

Redintegratur, herniosus: f

B

38 In Massa *g* oppido maritimo contra jus quidam accusatus, pleraque tormenta perpessus est: & tandem, quod non fecerat, martyrii causa fatebatur, ita ut ex eo judicum sententia in capitis læsionem incurreret. Ignorans igitur quid sibi esset faciendum, Ioachinum implorat, & statim cum orasset, custodes omnes somnus festinans invasit: & alter alteri custodiam confidens, quieti se exhibuit. Non enim somni voluptatem [queri eorum quilibet] ratus fuerat: sed pariter omnes dormierunt. Captivi vero, hoc explorato, foras simul cum eo exierunt. At cum ille Ioachini causa id effecisse [Deum] diceret pariter Senas profecti, immortales Ioachino gratias reddiderunt.

g captivi liberantur:

39 Plerosque Senensium medicos mulier, *h* caratteres habens, experta [erat] at omnes [frustra], præter Ioachinum, qui diu ridiculo ipsi fuerat: & sane [invocare eum] nihil pensi habebat. Tamen propinqui in dies Ioachini miracula effundi animadvertentes, omnino ad eum caratteratam mulierem ducendam statuerunt. Quibus mulier inquit: Doleo non ei fidem, ut licebat, adhibuisse: [& vereor] ne propter hoc nequaquam mihi aures accommodet. Nequidquam timeas, dixerunt: ipse enim tui afflictionem atque pœnitentiam intuens, non vecordiam, sed fidem animadvertet. Nihili pendenti ista, vir Dei Ioachinus talia in somnis; Mene cognoscis? inquit, Attila: Nescio, ni protuleris, mi Domine. Servus Dei sum, inquit, cujus hactenus miracula pro nihilo habuisti. Illud unum scias, Dei cultores ab omnibus venerandos: neque enim dico [grata tua] hæc sententia est. Age igitur cum libera jam sis, [cura] ut caste atque pudice vivas. Quæ flagitiorum dolens, moribus [suis corrigendis] operam dedisse fertur. *i* Is ergo (ut exordium finemque juxta faciam) felicissime vixit, qui Ioachinum imitans [secundum] ejus morem agit, eritque particeps illius divini ac sempiterni gaudii: & is qui universum terrarum orbem nutu quodam summa ratione gubernat, in eadem quoque patria colendum dabit: in qua quidem electi mortalium Sancti permanent, gloriam Trinitati reddentes in secula seculorum.

h C mulier ulceribus plena sanatur.

AUCTORE PAULO ATTAVANTO EX MSS.

i Epilogus auctoris.

ANNOTATA.

a *Colitur* S. Galganus *Eremita* 8 *Decemb. qui dicitur mortuus est anno* 1181.

b *Est hic* B. Ambrosius Sansedonius *Ord. Prædicatorum, cujus Acta illustravimus ad diem* 20 *Martii, qui mortuus est an.* 1286 *uti dicetur die sequenti ante Vitam B. Claræ Gambacortiæ; non* 1287, *uti nobis visum in Martio.*

E

c *Mirum est non referri hunc Petrum à Ferrario neque in Topographia, neque in ullo ejus Catalogo: est autem* B. Petrus Pectinarius, *cujus Vitam olim Latine scriptam utinam inveniat aliquis, sin minus ex antiqua versione Italica rursum faciemus Latinam, ad diem* 4 *Decembris, quo obiit anno* 1289.

d *Miracula sequentia in ara marmorea legi testatur Michaël in Chronico, qui ea in compendium redacta, & alio ordine narrat, & ex eo Gianius.*

e *Id est*, uno integro anno servans reconditam.

f Scrotum *intelligit: quod pluribus explicare nil opus est.*

g Massa *ex edito monte mare prospectat, post excisam Populoniam urbs Episcopalis facta: Senis* 40 *millibus passuum distat.*

h Carattere *Italis est, quod Latinis & Græcis* character: *hic sumitur pro ulceribus, propter pustulas instar signorum extantes. Michaël habet* mulier ulceribus plena.

F

i *Addit Michaël*: In hujus memoriam suscepisse fertur habitum B. Mariæ Virginis. *In lectionibus post aliquot miracula indicata subjungitur*: Multa etiam in dies super comitiali morbo laborantibus signa fiunt.

DE S. GVILELMO POLITIENSI,

EREMITA IVXTA CASTELLVM-BONVM IN SICILIA.

ANNO MCCCXVII, AUT MCCCXVIII



Politium urbs generosa diœcesis Cephaladitana, inter duo Himeræ fluminis capita in edito colle sita, patria fuit S. Guilelmi, ibidem à familia Gnoffiorum prognati: hinc cognominatur Gnoffius & Politiensis. Asservatur ibidem in æde matrice pollex hujus Sancti, donatus à Marchione Hieracensi, & statua lignea affabre facta inclusus: cujus festum translationis celebratur die tertia Paschatis; uti testatur Rocchus Pyrrus tomo 2 Siciliæ sacræ pag. 477. Idem dicit pag. 481, quod ibidem Politii, in æde S. Mariæ de Partu, imago ejusdem S. Guilelmi colatur. Denique, quod in eremo juxta Castellum-Bonum (ubi postremis vitæ annis diutissime habitavit, & simili titulo S. Mariæ de Partu ecclesiam erexit) magna cum veneratione servatur corpus, in sacello, quod olim ejus cella fuit: & spectantur adhuc, attestante Octavio Cajetano, capiti adhærescentes capilli coloris flavi, affixumque carni cilicium: & suavissimus ex corpore sacro afflatur odor. Ipsum oppidum Castelli-Boni, postquam exstincta Sedes Episcopalis, quæ Trayna fuerat, subest Archiepiscopo Messanensi: ejusque Patronus habetur S. Guillelmus ex antiqua consuetudine, & Natalis publico cultu solemnique processione celebratur hoc XVI Aprilis: quo die Franciscus Maurolycus Abbas Messanensis eum inscripsit suo Martyrologio his verbis; In Sicilia, juxta Castellum-Bonum, sub Marone monte ac Gemellis collibus, in

Colitur Politii in patria ob aliquas Reliquias,

Corpus est in ecclesia S. Mariæ à Partu juxta Castellum-Bonum,

Memoria in Martyrologiis.

AUCTORE G. H.

in Cœnobio S. Mariæ à Partu, depositio B. Guilelmi Confessoris. *Maurolycum secuti sunt Felicius, Molanus, Galesinius, Ferrarius in Catalogo utroque, & Octavius Cajetanus in suo Martyrologio Siculo.*

Vitam damus aliam descriptam ex Siculis monumentis

2 *Duplicem hujus Sancti Vitam damus, utramque ex Actis longioribus excerptam: alteram Neapoli reperimus in Collectaneis Antonii Caraccioli Clerici Regularis, viri de Ecclesia Neapolitana, cujus sacra monumenta edidit, bene meriti. Hujus Vita, quæ tomo 2 de Vitis Sanctorum Confessorum extabat, est hujusmodi titulus:* Vita S. Guilelmi Eremitæ Siculi, excepta è veteribus Siciliæ monumentis, atque enarrata à R. P. Angelo Sangrino, Cassinensi Monacho & Abbate S. Nicolai de Arenis. *Dictus locus est prope montem Æthnam. cujus ignibus est anno* M DCLXIX *subversus, monasterio jam ante in urbem Catanam translato. Servabatur olim in dicto monasterio clavus, quo tradebatur Christus cruci affixus: cujus memoriam celebrat Octavius Cajetanus tomo 2 de Vitis Sanctorum Siculorum pag. 250 & sequenti, ubi narrat miraculum mulieris à malo genio obsessæ & anno* M DXLIX *liberatæ dicto Angelo ibidem Abbate cooperante.*

ab Angelo Sangrino,

B

aliam ex Officio proprio editam à Cajetano.

3 *Alteram Vitam damus, à dicto Cajetano editam, qui ista observat:* Officium proprium B. Guilelmi, ab antiquis temporibus incerto auctore compositum, in arca cum ejusdem Reliquiis asservatur. In eo Vita B. Guilelmi est per lectiones distributa, ex quibus nos, quam damus, concinnata dictione conscripsimus. *Hæc Cajetanus De Vita hac stylo mittenda, scripsit nobis Panormo Ludovicus Sportellus noster, asseritque hoc ejus initium esse:* Regis Federici secundi temporibus M CCC XL Guilelmus in oppido Politii honestis parentibus familia Gnoffiorum natus est. *At finis ejusdem Vitæ iste indicatur:* Ejus reliquiæ multis indies miraculis illustrantur, præstante Domino &c. *Quæ eadem in hac Vita sunt, exceptis primis verbis de Federico Rege & anno Christi. Desunt autem in hac Vita quæ capite primo prioris Vitæ, & aliqua quæ num. 16 enarrantur: ac reliqua multo exactius hic re ensentur: adeoque necessario utramque damus: nam antiqua monumenta ab Angelo Sangrino allegata, & Officium proprium, quo usus Cajetanus, quæ præ utraque Vita desideravissemus habere, necdum potuimus nancisci; quia Ludovicus Sportellus mortuus est, prius quam litteræ, per quinquennium nescio ubi suppressæ, in nostras venirent manus; & quas ipsi Panormum plus vice simplici destinandas curavimus, optato successu caruerunt. Si tamen vel sero ad nos mittantur quæ petimus, suus eis locus erit in Supplemento, faciendo post omnes menses absolutos.*

C

mortis annus 1317.

4 *De anno obitus variant auctores: Abbas Maurolycus lib. I Rerum Sicanicarum asserit,* ad meliorem vitam transiisse anno salutis M CCC XVII. *In prioribus Actis traditur* expirasse anno Domini M CCC XXXI, *in posterioribus vero* anno M CCC XXI. *Verum si dies morbi & obitus accuratius considerentur, cum Maurolyco statui potest annus* M CCC XVII, *quod sic colligimus ex Actis:* Diebus majoris hebdomadæ decumbere cœpit, *dum Pascha dicto anno celebratum est die* III *Aprilis, cyclo Lunæ* VII, *Solis* X, *littera Dominicali B. At Feria sexta à Paschate, id est,* VIII *Aprilis, prædixit, se nono abhinc die spiritum* Deo vocanti emissurum, *& deinde dicitur* expirasse die XVI Aprilis Sabbato, *simul concurrentibus dicto anno* M CCC XVII. *Quod idem dici potest de anno* M CCC XXVIII, *quem Caietanus notavit.*

aut 1328

An fuerit ordinis S Benedicti?

5 *Ordini Benedictino hunc S. Guilelmum adscribunt Wion, Dorganius, Menardus, Bucelinus. At Cajetanus* Wionem falsum *tradit, quod diu post obitum S. Guilelmi ædem S. Mariæ à Partu ab hoc structam erexerit in monasterium Ordinis S. Benedicti Franciscus Iunior Hieracij Comes anno* M CCC LXVI. *Quod vero Wion in Notis addat,* Cœnobium S. Mariæ à Partu aliter vocari S. Mariæ de Burdunari, *magis aberrare notatur: eo quod dictum* Cœnobium S. Mariæ de Burdunari situm sit juxta Messanam, fundatum anno M CC LXX. *Ceterum, inquit Cajetanus,* B. Guilelmum fuisse secularem eremitam vetus etiam pictura docet: etenim ædem S. Mariæ à Partu ingredientibus à læva imago antiqua B. Guilelmi visitur, qua is tunica sine cingulo amictus, pallio superinjecto: tegumentum capitis, demissum, tunica, pallium, tegmen capitis, albi coloris: nudis pedibus; baculum altera manu gestat, altera orarios globulos. Instar veteris hujus imaginis, B. Guilelmus in altera tabula, quæ in eadem ecclesia est, anno M D II depictus est. *Hæc Cajetanus, qua nescio quomodo probent Eremitam secularem, id est (quantum quidem ego capio) solennibus Religiosorum votis non obstrictum. Prioris Vitæ auctor & in monasterio sub obedientia vixisse asserit num. 5, & num. 17 inducit arguentem Fratres,* & votum paupertatis, *quod fecerant inculcantem: ex quibus colligitur, sic fuisse eremitam, tam ipsum quam discipulos ejus, ut vere essent religiosi, etsi dicere nequeamus cujus Ordinis vel instituti.*

D *ejusdem ætate.*

VITA

Ex antiquis Siciliæ monumentis collecta ab Angelo Sangrino, Abbate Benedictino.

E

CAPUT I.

Ortus, adolescentia in eremo Galeati, dein apud ædiculam S. Mariæ de Alto, & in Cœnobio Tragudo.

1 CUm annua beatissimi Confessoris nostri Guilelmi sacra, hodie nobis, Fratres dilectissimi, celebranda occurant; mirabilem ejus vitam eo duxi à cunabulis recensendam brevius, quo commendemus memoriæ tenacius, & ad illius imitationem accendamur ardentius. Guilelmus namque in præclaro a Trinacriæ regno ex Politii oppido oriundus, quamvis humili ex prosapia traheret lineam, parentes tamen habuit tam honestate pios quam pietate honestos. Hic dum quartum ageret annum, dæmonum tum invidiam tum sævitiam experiri cœpit. Nam sæpe sub variis belluarum formis truculentam inferorum turbam dentibus infantulum appetere, unguibus discerpere, præstigiis suffascinare, mugitibus exterrere, impulsibus elidere, miseri parentes non absque lacrymis prospectarunt. Quod crebro admirati, humano diffisi auxilio, divinamque opem sperantes, quemdam virum Dei adeunt, rem ex ordine pandunt, curam precibus expostulant; quid demum opus sit consulto, quidve facto exactius percunctantur. Quo vir sanctus accepto, nonnihil magni atque divini ex his præludiis alta mente concipiens, prægrandem fore infantem, si vitam degerit, oraculo præsagivit: quem postremo diligenti cura enutriendum, divinisque ex tempore sanctionibus imbuendum, quo valuit studio, parentes commonefecit.

a Politium Sicilianum

F *quadriennis à dæmonis vexatur*

adolescens deditus pietati

2 Liber aliquantisper parvulus ab hujusmodi præstigiis, cum ad Pythagoricum pervenisset bivium, & quartum illud difficile, quod Salomon ignoravit, attigisset; adolescentiæ petulantiam, carnis illecebras, mundi fastus aspernatus, purus, simplex & rectus, aut domi impiger & studiosus delitescebat, aut ecclesiarum limina sedulus & devotus obterebat, tam cælo gratus quam mundo dilectus. Factus namque [maturior] carnis flammas jejunii algore medullitus extinguebat: nam quarta & sexta feria ac sabbato, pane tantum & aqua refectus, ac sæpe his diebus

A diebus inccenatus, tres in anno Quadragesimas arctissime observabat; in quibus escam potius degustabat, quam sumebat edulium. Pervigil in orationibus, in labore strenuus, vilissimo tegebatur amictu: perparvo, semper usus somno vel humi decubabat vel in nuda assula: nonnunquam vero totam noctem insomnem ducitans, totus invigilabat precibus. Interdum flagellis admotis, perinde lascivientem carnem spiritui suppeditabat, atque rebellem Agar sub manu Saræ. Obversabatur inter adolescentes, atque maturus senex; cum seculi primatibus, tamquam crucifixus mundo anachoreta: omnibus comis & frugi adolescens, omnibus omnia factus, ita humilitate elatos sibi reddebat obnoxios, ut benignitate sanctos devinciret. Aspectu jucundus, lepore candidus, incessu gravis, omnibus communis, Deo tantum singularis, nec superstitionem sectabatur, nec laborabat hypocrisi: tam cupidissimus virtutum quam indiligentissimus honorum. Felicem talem dixerim adolescentem, perfelicem patriam, cui tale & tantum morum specimen ac virtutum exemplar cælitus exhibetur ad imitandum.

vitam valde austeram agit.

3 His quidem Angelicæ vitæ disciplinis conspicuus adolescens Guilelmus, quo purior divinis institutis operam navabat, eo prudentior, quam vana, quam fluxa, & nihil sint, quæ mundus fallax magni pendit, animadvertebat: quam brevi quis vivat, & quam mori possit cito, ita sibi certo persuaserat, ut verum esse non ignoraret, omnia hominum tenui & stuppeo pendere filo, hominem vero bullam, fumum & umbram esse. Deniq; supercælesti irradiatus lumine, expansos undique per orbem laqueos prospectat, totidemq; quos tranet scopulos intuetur in gurgite vasto. Qua de re pedem in terra sistens, mundo terga vertit, & ubi quietius vivat, & tutius moriatur, locum explorans, in solennitate Magni Antonii, eremitarum principis, cucullo assumpto, novus tiro vallem eremi *b* Galeati ingreditur. Hic Deo inhærere, ac unum cum eo fieri spiritum, totis nervis contendebat. Strenuam quoq; sibi patronam, post Christum Jesum, Mariam Virginem devotione prægrandi vindicavit, suum inquam profugium, suam unicam matrem.

mundi et vitæ vanitatem considerans

B

ad eremum se confert b

4 Quadam interim nocte, fatiscentibus præ vigilia artubus, vox ei cælitus increbuit: Guilelme, scias velim, te domi meæ posthac inserviturum Domino. Quo edito oraculo, inter gaudium & metum sequester, plurimum in vocis pollicitatione gratulabatur. Verum haud minus expavescebat versipellis satanæ insidias: callebat enim eum crebro effigiari in Angelum lucis. Percepta deinde secunda ac tertia nocte eadem voce, meditatus hanc Dominæ suæ fuisse invitationem, ut rei postea patuit eventu; parvulam ædiculam, de *c* Alto appellatam Virginique dicatam, lætus adivit: ubi plurima vitæ incommoda perpessus, Deo optimo maximo & intemeratæ Virgini Matri se non indignum, per integrum annum, litavit holocaustum.

Deipara monitus

C

ad ejus sacellum se confert; c

5 Advertens quandoque præ loci scabritie ac ingenti nivis intemperie, sibi in socium posse ibi asciscere neminem; recolensque scriptum, Væ soli quia si ceciderit non habet sublevantem; decrevit *d* Tragudum accedere, ubi observantiæ rigorem vigere perceperat, ibique sub obedientiæ vexillo Domino militare: quod ut ocius efficiat, voce iterum allapsa admonetur. Descendit igitur excitus vir Dei Guilelmus, & obtenta Præsulis venia, in Tragudi claustra ultroneus conjicitur. Hic fortiora arma tractaturus, ita omnes superabat humilitate, ut in observantiæ districtione nulli se redderet secundum. Mutavit quidem prœliandi locum, sed non mutavit invidiam prœliatoris. Nam psallenti sibi, intempesta nocte, mille modis artifex dæmon affuit, candelamque invidus extinxit: qua denuo succensa, cum psalmos propensius modularetur, en mille millium belluarum monstra insperato erumpunt, psallentem juvenem debacchando circumvallant, certatim in eum sævientes, appetunt rictibus, impingunt calcibus, extrudunt cornibus, unguibus exasperant, mugiunt, obstrepunt, tumultuanturque per horam: quibus pervigil psaltes & devotus Christi miles, pectoris obtunsione & Crucis signo adversatus, vertit protinus in fugam.

Eccle 4, 10

d deinde monasterium Tragudi ingressus;

ibi infestos sibi dæmones experitur,

6 Dum semel exacta eleemosyna Politio digrederetur, repetiturus cellulam, tanta imbrium procella ingruit, tantumque nivium ninxit, ut exundantibus undique vadis, obstructis potissimum viis, itinereque intercepto, obrui potius crederet quam ad Fratres regredi posse speraret. Inter saxum, ut fertur, & [hostiam] stabat undique angustiatus, & quid eligeret ignorabat. Exposcebat inclementia temporis locum tutandi eum; coarctabat zelus proficiscendi, quam habebat in Fratres caritatem. Quo se verteret, quid ageret cogitanti, mox adstitit matrona quædam, humano habitu longe augustior, & ait: Amice, surge, & tutus matura iter: nam Fratres in monasterio fame conficiuntur, & æger socius gravi morbo domi periclitatur. Surge: Dominus erit tecum in via hac, quam ambulabis. Qui è vestigio surgens, statim se incolumem in Tragudum recepit. Hunc dum Fratres recipiunt, audientes quæ ei obtigerant, grates referunt Deo & inviolatæ Virgini, qui non deserunt sperantes in eis.

ambiguus in via

divinitus consilium accipit.

E

7 Tum deinceps virum Dei Guilelmum venerari atque patrem aggredientes, consilio inito pari voto eum in Priorem asciscunt. Quod humilis & mitis Pater advertens, quæ sua erat comitas enixius obluctatus est, sibi potius conferre dijudicans subesse uni quam præesse multis. Sectari equidem moliebatur eum, qui Rex Angelorum existens exinanivit semetipsum, & formam servi accipiens, venit non ministrari sed ministrare. Quodam autem tempore nonnullos hospites Tragudum ingressos benigni Fratres benignissime excipiunt; ubi ob aëris intemperiem & constipationem nivium postridie etiam hospitati sunt. At cum nihil domi esset quod pransuris digne suppeditaretur; Pater qua præstabat humilitate, ac si alius venator Esau, arcum sumit, & pharetra accinctus silvam, mox exploraturus venationem, ingreditur. En primo, ô mirum! aditu, duo ingentes apri ultro accurrunt, quos cælitus directos pari sagitta impetens humi prostravit. Inde exhilaratus Pater ad cœnobium repedat; & Fratribus exposita, jubet apros domum deferri, delatosque exteris in edulium propinari. O indefessæ caritatis fides infallibilis! pinguior quam coturnicum olim in deserto esca aprorum, gratior quam murmurantium manna cibus timentium Dominum.

Prior electus,

ad hospitum refectionem

F

duos apros capit.

ANNOTATA.

a Trinacria *olim* Sicilia à figura triangula, *ut asserunt Dionysius Halicarnasseus lib.* 1 *Antiquit. Romanarum*, & *Plinius, lib.* 3. *cap.* 8. *Resumpta est autem vetus appellatio, quando Fridericus* II *anno* 1302 *pacem cum Andegavensibus pactus est, ea inter ceteras conditione, ut à* Siciliæ *titulo abstinens, ipsam insulam aliasque adjacentes cum titulo* Regis Trinacriæ *possideret. Quæ novitas quia diuturna non fuit, sed cum ipso Frederico evanuit, posteris eius Siciliæ titulum resumentibus, datur intelligi Vitam antiquiorem, unde hæc sumpta est, statim ab obitu viri sancti scriptam fuisse.*

b *Sunt loca huic nomini fere congruentia plura in Sicilia. Est* Galoti *oppidum ad Fitaliæ amnis fontem, sed forte à Politio versus Messanam nimium recedens. Est* Hybla parva, Galeotis *etiam dicta, non procul à Syracusis, ad mare Siculum. Est &* Galeagra *turris, sed hæc eremus non videntur ab illis locis dicta.*

ANGELO SANGRINO EX MS.

c Et S. Mariæ de Alto *sive de* Immariis, *à Mazara, urbe Episcopali ad Lilybæum promontorium maritima, mille passibus distans monasterium, Ordinis S. Basilii, à Comite Rogerio vel ejus Filio seculo Christi* XI *conditum, de quo consule apud Rocchum Pirrum in Sicilia sacra notitiam sextam Ecclesiæ Mazarensis pag.* 533. *verum hæc ædicula S. Mariæ de Alto diversa forsan est & in mappis dicitur* Donna alta, *à Politio versus Orientem* 3 *aut* 4 *millibus passuum dissita.*

d Tragudum *monasterium videtur ex itinere sub-secundo prope Politium fuisse, sed cujus Ordinis non indicatur: quia tamen ex mox dicendis apparet, eleemosynis vicatim conquisitis victitasse Fratres, eremiticum aliquod institutum in ea tunc obtinuisse verosimiliter conjectabis; nec non ex titulo Prioris, ipsi ibidem oblato, quod signum saltem est non fuisse locum Abbatialem.*

CAPUT II.

Exercitatio Gonati per XI *annos: conflictus cum meretrice & dæmonibus.*

Gonati novum cœnobium ædificat.

8 EXpavescens tandem affectus Dei servus frequentiam hominum, non ignorans Angelorum privari contubernio qui hominum delectatur, Tragudum deserere, quod annis quatuor incoluerat; & *a* Gonatum, sibi cælitus præparatum, adire studet. Quod ubi effecit: perpulcrum ibi sacellum erexit, ac Patronæ suæ Virgini dedicavit; nonnullisque cellulis quantocius instructis, plurimos Fratres domi aggregavit, cum quibus tam lætissime crucem Domini bajulabat, quam clarissime noverat impune sibi insidiari inimicum. Contigit interdum servo Dei Guilelmo superiorem ascendere *b* Petraliam, exacturo eleemosynam: ubi vicatim & ostiatim mendicantem impudica mulier & frontosa intuita, sub pietatis fuco, invitat domum: ingresso mensam parat: pane reficit & aqua, deliciis eremitarum: conato demum pausandi locum aperit. Mollem torum improba mulier non dormitura subit: Guilelmus vero post fusas orationum lacrymas, clausurus oculos duro pavimento accidit: dispar cubile, non æqua quiescendi intentio. Hæc namque dum lascivire pergit, jaculo cupiditatis inflicta, perfricto supercilio, facie filicis & meretricis, larva prostrata, effractis casellulæ postibus, pudicum Ioseph nostrum æque ac Ægyptia domina invadit, blanditur; ad nefarium lacessit concubitum: fœda nititur putum temerare, hyæna unicornum, sus armillinum. Cui velut virulentæ aspidi prudens incantator adversatus, Exi, inquit, caput peccati: discede, pabulum mortis, arma diaboli, pestis juvenum, fel femum, lac acre, mel amarum: effuge hinc, vitæ brevitas, janua inferni; castitatis inimica, pudicitiæ venenum, virginitatis latro. An te præterit, temulenta, quod dolor & voluptas sibi invicem succedant, sed brevior voluptas? Si favos componit argumentosa apis, habet tamen improba quod servet aculeum suum: ubi uber, ibi tuber: ubi mel, ibi fel. His tandem & longioribus verbis ter se aggressam meretriculam à se profugavit. Inde triplici bellua stricto verbi Dei mucrone sauciata, diluculo victor aufugiens in claustra se contulit: ubi circumsidentibus se Fratribus, quid ruinæ evaserit seriatim referens, quam malum sit & periculosum extra cellam evagari, quam optimum mulieris vultum fugere, quid dedecoris illi cohabitare, quibus valet enodatius aperit & verbo & exemplo.

B

b Petraliæ in vicatus à muliere in domum

& ad flagitium postulatus,

C

tentatricem à se repellit:

sed, quæ humana infirmitas est,

9 Ceterum mirum est quod subnectendum censeo, audito opus esse reor & consulto. Lubricum quandoque iter est quod currimus, & thesauri nostri in vasis sunt fictilibus: laqueis plena sunt omnia; tenaci visco flumina stagnant: nusquam tutus accessus: qui stat, videat ne cadat: ubique foveæ, passim ignis suppositus doloso cineri, periculoso plenum opus aleæ: mors non nullibi sæva grassatur, nec sathan dormit, quando ut leo rugiens quærit quem devoret: insidiatur tortuosus Leviathan insontibus; per latibula reptans, passim virus effundit. Quorsum hæc tam longis repetita synonymis? Ea est præcipua atque sequitur, ratio. Cum devotus Guilelmus, aliquando præter morem egressus antro, psalmorum modulationi uspiam incumberet, affuit fornicationis spiritus, mentique suæ memoriam illius mulieris adeo tenaciter & medullitus ingessit, ut nec oratione, nec jejunio, nec quovis verbere, per menses plurimos à mente eam extrudere posset. Devictus tandem, obsessus tamdiu miles, herbam dedit. Proh dolor & gemitus! Quem non devincit forma mulieris? quem non dementat aspectus? Quis namque fortitudine præstantior Sampsone? quis sapientia excellentior Salomone? quis unquam sanctitate antecelluit David? quis denique nostro hos usque constantior Guilelmo? Hos tamen omnes amore mulierum infatuatos, qui ibit inficias erit nemo. En distracta primum paupere supellectile, collectis sarcinulis, fascinatus miser imagine mulieris, dementatus objectu formæ illius, antrum deserit, Politii iter carpit, phrenesim curaturus qua debacchatur. O misera hominum conditio! sors fragilis & terrea! Vanitati subjecta est non volens omnis creatura: militia est vita ejus super terram, ludus aleæ, rota tentationum rotæ periculorum impingens: quandoquidem, quæ sententia Pauli est, habemus legem in membris nostris repugnantem legi mentis nostræ, & captivantem nos in legem peccati, ut non quod vult bonum quis agat, sed quod odit malum faciat. Crudele bellum, ubi caro concupiscit adversus spiritum, & spiritus adversus carnem. Intolerabilis pugna, ubi inimicus hominis domesticus ejus. Infelix regnum, ubi duo sunt capita, quorum discors est imperium: quia omne regnum in se divisum desolabitur. O quam erubescendum est, quod admiror! quam expavescendum, quod eminus intueor! Nonne verum fatear, quia septem tempora mutantur super hominem? Sic molli manu evellitur cedrus è Libano; ita tenui auræ flatu palma in Cades ruit: concidit pro pusillo impulsu comata cupressus in monte Sion: capitur à Dalila meretrice fortissimus Sampson: trahitur ad molam à Philisthæis: effossis oculis ludibrio habetur: tandem [superatur] ab infernalibus histrionibus pauperculus noster Guilelmus: Guilelmum in quam, eum, quem paulo ante nec corporalis præsentia lascivientis feminæ allexit, nec tenella manus inflexit, nec blandula lingua unquam depressit, ut tantillam pudicitiæ rapinam ad momentum pateretur.

recurrentis mulieris impulsu ab antro

vilior succumbit, & eremo exire

E

Rom. 7, 23

F

10 Verum numquid justus si ceciderit, collidetur? Non equidem. Nam etiamsi septies in die ceciderit, resurget: quandoquidem Dominus supponit manum suam: & ut non collisus resurgit, ita resurgens non amittit nomen & gloriam justi. Proficiscenti itaque justo Dei Guilelmo gratus & amœnus quiescendi locus non procul arridet: ubi mox deceptum & gravi somno sopitum innumera dæmonum turba, sub informibus bestiarum formis, circumdant, constipant, insiliunt: omnes unitis viribus paribusque animis, circum circa præmortuum hominem tumultuantes ululatu, sævientes insultibus, captam prædam certatim devorare moliuntur. Experrectus illico miserrimus Guilelmus, quid captivus miles ageret, quid pene exanime simulacrum attentaret, hæsitabat: quo se verteret infelix, non videbat; inter acuta cornua, ob scintillantes oculos, ad virulenta guttura,

infestationibus dæmonum vexatur:

guttura, sub rapacibus unguibus, contra ciclopetas monstrorum plantas. Una omnium erat truculenta rabies, dissonus latratus, distincta corporum deformitas, par vindicta animi. Sed quid cum urso agnus? quid ovis cum leone? quid simplex columba cum harpyiis? quid denique inermis ac solus juvenis cum tot dæmonum portentis? Unum dumtaxat in tam gravi luctamine occurrit, quod menti ejus ab alto illabitur, Quia auxilium meum à Domino: & alterum, quod ei plurimum cordi, Invocabis me & ego exaudiam eum; cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum & glorificabo eum. Et statim erectis ad æthera luminibus: Adjuva me, inquit, Domine, in tam gravi angustia positum: salvum me fac Deus, quoniam intraverunt aquæ usque ad animam meam: infixus sum in limo profundi, & urget super me puteus os suum: factus sum præda inferi, esca mortis, dæmonum pompa & ludibrium: circumdederunt me satellites tenebrarum, & inferorum carnifices animam meam perdere contendunt, quam ad tuam imaginem effigiasti, profusoque unigeniti filii tui Jesu Christi sanguine redemisti, fruituram tandem Angelorum gloria, ad quam ab æterno eam creasti.

11 Quibus dictis continuo, velut tenuis umbra, cunctæ illorum portentorum præstigiæ evanuerunt: Guilelmus vero in Domino exultans Salvatore suo, resumptis viribus, quam citissime ad cellulam regressus est: ubi totum illum diem flagellis corpus suum quasi exanime admonuit, ut incendiorum aculeos flagellorum stimulis medullitus extruderet: per biennium autem adeo se jejunio addixit, quod nec coctum quid, nec lacticinii tantillum degustaret.

12 Semel quoddam ingressus antrum, duos teterrimos Æthiopes introrsum conspicatur, qui oculis scintillantibus manus post terga retortas habebant. Horum alter Guilelmo perspicacius rimanti, ait: Quid tu hic? insulsissime virorum, caput omni ludibrio dignum. Non proderunt tibi lacrymæ, quas passim effundis. An te fugit, insipiens, quia peccatores Deus non exaudit? Nam nobiscum hereditatis funiculum sortitus, pœnas facinorum tuorum in gehenna lues. Haud his expletis, ingeminat alter: Repete, inquit, repete, miser, avitos lares, ne mortem tibi cruentam in solitudine conciseas. Quid hic tam audax intrusisti te paratis leti faucibus injectas? Tum indefessus Christi athleta, impresso Crucis signo, Fac mecum, ait, Domine, signum in bonum ut videant qui me oderunt, & confundantur. Et protinus instar tonitrui evanescentes de specu profugiunt.

13 Aliud quandoque ingressus antrellum, ita meditationi sedulus invigilavit, ut sequentem quoque diem orationi adjiceret: interim tantum nivis delapsum est, ut cum tertio jam die prodire niteretur, constipata undique mole hujus, nullum digrediendi aditum offenderit. Hinc sane confecto, viator quidam præ foribus transiens, exonerato jumento, panem benigne suppeditavit: quo gratanter assumpto, viator ocius evanuit.

ANNOTATA.

a *Sacellum hoc dirutum esse, tradit Cajetanus supra Petraliam.*

b Petralia *duplex*, Superior, *olim* Petra, *& sic indicatur in altera Vita, & inferior, recentius oppidum.*

CAPUT III.

Exercitatio ad ecclesiam S. Mariæ à Partu: aliæ ecclesiæ constructæ. Morbus: felix obitus.

14 Commorato per undecim fere annos servo Dei Guilelmo in Gonati monasterio, apparuit matrona quædam omni venustate venustior, & fulgore fulgentior; eique oranti talia exorsa est: Guilelme, surge, & eum locum adito, qui a Mydoniæ montis radicem complectitur, quique vulgo ab omnibus accolis Fabaria appellatur. Hic autem appulsus, templum mihi, ad exemplar quod videris, ædificato. Surgit è vestigio assecla Virginis, Gonatoque alacer egressus, circumspectare cœpit ubi expostulatam ædiculam fundet. En haud procul, mirabile visu! perpulcrum & ingens atrium contuetur; quo versus innumeram puerorum aciem cernit ab Oriente effervescere, quos candentibus stolis amictos gemmatisque focalibus distinctos, per aera glomerare, illucque tandem ovantes ingredi conspectat. Tali ingredientium pompa exhilaratus, quam devote decantare cœpit, Salve Regina. Illi autem candidati parvuli, aliquamter ibi gloriati, ad superas auras evaserunt. Hymno deinde dicto, peritus beatæ Virginis architectus ad locum properat; eumque fore præsagiens ubi intemeratæ Matri sacellum erigat, flexis humi genibus supinisque ad sidera manibus, gratias Deo agit. Cumque precibus operam navat, ecce reserato ostio bipatentis Olympi, Dominum intuetur, in solio excelso & elevato sedentem; matronamque sibi toties visam, à dextris effulgentem præcognoscens, senem à sinistris venerandum canicie & insignem decore prospectat, quem magno Antonio similem ex pictura effigiat. Postremo vox ex alto hæc ipsi sibi edita est, Hic habitabis Mydonem. Quo compertum habuit, quod illic gratam Virgini sedem fundaturus esset: quam quidem continuo, suppeditante illi partem sumptus illustri & pio Alduino Hieracii Comite, ex amussi & mirifice cum nonnullis cellulis construxit: ibique non paucos Fratres brevi colligens, vitam suam, velut lucernam super montem positam, componebat; sal non tantum factus & lux mundi, sed etiam eremi.

15 Aliam interim ecclesiam ædificavit, quæ S. Felix b dicitur, Virginique dedicavit. Dum crebram hominum frequentiam non pateretur, aliam sibi cellulam parare decrevit, ubi remotior ab hominibus diversaretur; locumque de Partu, ob occursantium multitudinem, penitus dimittere. Quod perficere studens, iter montem versus, nomine c Monacum, instituit. Cum autem medium iter ageret, gravi intercipitur ruptura, gravioreque viscerum angore afficitur: unde respiciens locum pristinum de Partu, eo ut potuit æger reversus, petita imprudentiæ venia, profusis lacrymis suæ Virginis adiit; ubi prostratus indulgentiam erroris cum integra corporis sospitate obtinuit: quo deinde sanitatis munere aliam erexit ecclesiam, d quam S. Mariam de misericordia appellari instituit.

16 Effugiturus quandoq; callidas dæmonum versutias, arborem excelsam crepusculo ascendebat, ubi suppeo innixus funiculo pernoctabat. Quadam namque die cellula egressus, & secretum mœstitiæ locum & meditationi commodum nactus, supercœlesti theoriæ inserviebat. Et ecce ex insperato sublimis arbor suis obtutibus offertur, in cujus connato vertice tres præfulgidas sedes cōspexit: in medio autē duas, unam vero radici affixam conspicatus est. Cujus arboris mysterium perscrutanti, vox ex arbore emissa concrepuit: Medius inter duas medias requiesces.

Nnn 3 Quo

Margin notes: ac adsumit vim mu... — quibus ad illum redit ... inventum ... — illi dæmones ad desperationem provocantes — Crucis signo abigit. — famelicus miraculose juvatur. — Deipara jubente Gonato egreditur — & juxta visionem in Mydone — oblatam — ibi cœnobium erigit, — item ecclesiam S. Felicis, — & S. Mariæ de misericordia. — divinis favoribus illustratur.

A B C D E F

AUCTORE ANGELO SANGRINO EX MS.

Quo audito omnis illa visio ab oculis statim elapsa est. Quidam aliquando anachoreta Petrus, ex Provincia veniens, viro Dei ramum salviæ, quinque virentibus foliis vernantem, detulit: quem sibi oranti matronam quamdam, spectabili vultu & cultu regio redimitam, dedisse; ac eumdem illi suo nomine donatum ire jussisse, fatebatur.

ad corrigendam suorum exiguam fidem

17 Cum immane & cruentum bellum e totam pene Siciliam depopularetur, & longe sævius juxta Gangis oppidum grassaretur, Fratres modicæ fidei ac de crastino cogitantes, præter Patris voluntatem decem sibi mensuras farinæ pro imminenti fame secreto & clanculo reponunt; & deficiente interim pane, celeres Patrem adeunt, farinamque singulis partiendam importune efflagitant. Quos dum ipse cernit avaritiæ nota infectos & proprietatis nævo conspersos, arguit diffidentiæ; communitatique suæ consulens, id contra paupertatis votum attentare, quo valebat fide testimonio, inficiabatur. Cui totis nervis obluctantibus Fratribus; Pater tandem invitus delatam in medium farinam dividit, divisamque singulis portionem tribuit: portiunculam verò sibi contingentem in vasis asservari jubet, pauperibus ex tempore erogandam. Quam dum Frater quidam vasis effundere moliretur, vasa omnia farina oppleta nanciscitur, usque ad summum. Quo viso miraculo, Fratres inclamavit, & quam ipsis in deserto annonam Dominus paraverat singulis patefecit. Videntes itaque infideles Fratres munera Domini, resipiscentes, divisam in singulos farinam colligunt in unum, & protinus compuncti deferunt Patri, ejusque arbitrio expendendam humiles asservant.

farinam multiplicat miraculose.

subitò sanatur invocans D. Virginem.

18 Dum semel in genu atque in secretioribus locis quodam excruciaretur dolore, projectus ante imaginem Virginis, diu ibidem lacrymatur, inde exsurrectus, incolumis Virgini assurrexit.

in somno admonitus peccatum impedit.

19 Profundo quandoque somno oppressus vir Dei, hircum nocte concubia somniavit damnate commisceri: quo nefarii & disparis concubitus aspectu perculsus, vocem audivit geminantem, Foras pollutum, Foras veneficam. Qua expergefactus, strato desilit, cellulas explorat, Fratrem quemdam, nomine Albertum, cum femina loquentem invenit. Quos ut vidit, durissime increpavit: tum demum improbam mulierem sacris laribus effugans, Fratrem, pro scelere pœnas daturum, pœnitentiæ nexibus obstrinxit. Iterum per quietem Patri una ex quatuor turribus, in montis vertice fundatis, dirui & in pulverem redigi visa est, voce inde personante, Babylon cecidit. Expergiscitur: Fratrum cellulas rimatur: unum ex quatuor f Fratribus, secum conviventibus, Monasterio digressum offendit.

in partu periclitantem juvat.

20 Cum matrona quædam partu periclitaretur, delatam pene exanimem ante Patrem, ut miseræ suppetiaretur enixe rogatus, miseratur sat, quod sua non esset gratia, dicens; renuit attentare miraculum. Mox lacrymantium precibus devictus, pene mortuæ adhæret, Virginem Patronam suam pia & humili voce lacessit, decantans, sancta Maria, succurre miseris, adjuva pusillanimes. Ad cujus decantationem integer fœtus & vivus editur, ac enixam mulierem cum pignore incolumem comitibus reddit.

extremis Sacramentis munitus

21 His tandem meritis profulgens B. Guilelmus, non sibi, sed Deo & Virgini Matri, vendicabat honorem & gloriam, quanto apud Superos excelsior factus & gratior, quanto apud se despectior & humilior. Cum sibi jam mortis diem superesse conspiceretur, tum febri correptus, cum pectoris angore extortus, lecto decubuit. Sacerdotem ocius accersiri mandat, à quo pluries obtenta peccatorum indulgentia, sacratissimum denique Corporis & Sanguinis Domini nostri Jesu Christi Viaticum tam devotissime suscipit, quam fidelissime semper credidit & humillime adoravit. Deinde cum jam capulo instaret dies, quam prævideras & Fratribus denuntiarat, sexto decimo scilicet die Aprilis; exosculato Crucis ligno, brachiis super pectus cancellatis, Catholicam fidem per articulos confessus, ac se singulis Sanctorum choris commendans, Patronæ suæ & unicæ Matri ac singulari Dominæ eo confidentius se commendabat in morte, quo per tot annos obsecutus fuerat diligentius in vita. Postremo fixis in cælum oculis, voce qua poterat exili dixit: In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum: & hoc dicto expiravit anno Domini millesimo trecentesimo trigesimo primo.

pie obit A. 1331.

Epilogus auctoris.

22 En jam, dilectissimi Fratres, B. Guilelmi vitam, quam potuimus brevitate, perstrinximus. Reliquum autem arbitror, eam haud secus præ oculis cordis nostri habere, atque præfulgidum cælestis doctrinæ speculum, quo inter cetera virtutum insignia, eam ipsam imprimis humilitatis excellentiam admiremur, atque solidum spiritalis fabricæ fundamentum amplectamur. Deinde callidissimis sathana artibus ibi detectis, quam nobis minime credere, quamque maxime Deo ac Virgini Matri spem nostram committere debeamus, aperto confiteamur. Postremo ex præclaris vitæ hujus gestis, velut ex distincto variis floribus prato, nonnullos virtutum flores excerpentes, immarcescibiles nobis coronas, dum vivimus, intexamus. Ut post fatum inter liliata Angelorum & Virginum agmina, inter purpureas Martyrum rosas, cum vernantibus Confessorum violis, atque inter vernantes Sanctorum Spirituum omnium flores, coronati, in ævum Agno assistamus: quem positis ante thronum ejus coronis, tota Cælitum curia flexis adorat genibus, Jesum Christum Dominum nostrum, qui vivit & regnat Deus per omnia secula seculorum. Amen.

ANNOTATA.

a Mydonia, *incolis* Madonia *&* Madunia *: at Plinio lib. 3. cap. 8, & Maurolyco supra* Maro mons *dicitur: ubi &* Gemelli colles *dicuntur à Maurolyco, vulgo* Monte di Mele.

b Ecclesia ad S. Felicem *in territorio Caccabensi tribus M. P. abest à Ciaminna urbe, æque Panormo ac Politio distante.*

c Mons Monacus *tribus M. P. à Castello-Bono.*

d *Hanc Ioannes Hieracii Comes, & primus Castelli-Boni Princeps, in Prioratum erexit.*

e *Intelligitur bellum gestum anno 1299, quando à Frederico II Aragonio* Gangis *antiqua funditus deleta est, cum ab eo Franciscus Ventimilius ejus Dominus insolenter defecisset. In hujus ruinis dein conditum cœnobium Benedictinum, & nova Gangis in vicinia extructa est.*

f *Caietanus addit,* unus ex quatuor primus Fratribus, *& dicit ipsum fuisse præmemoratum* Albertum.

VITA ALTERA

Ex Officio proprio, sed dictione concinniori edita ab Octavio Caietano S. I.

CAPUT I.

Ortus, exercitatio Gnati, conflictus cum meretrice & dæmonibus.

Politii natus

1 GUilelmus in oppido Politio, honestis parentibus, familia Gnoffiorum natus est. Ingressus adolescentiam, pietatis studio incensus, in solitudinem quamdam se contulit: ubi posteaquam quadriennium egit, B. Virginis æde reparata, in

A *vivit in eremo Gonati,*

in Gonati eremum ab eadem Virgine secedere admonetur. Eo in loco socios sibi aliquot adjunxit: seque in virtute exercens, variarum tentationum victor fuit.

In oppido Petra à muliere provocatus semel,

2 Accidit, ut in oppidum Petram emendicaturus aliquando adiret. Acceptus hospitio est à muliere, ut apparebat, pia; re verò improba ac scelerata. Nam cum Guilelmus de multa nocte orasset, ac jam defatigatus corpori quietem, nuda humo stratus, impertiretur; ecce mulier de cubiculo suo exurgens, adolescentem aggreditur invitamentis atque blanditiis. At vero Dei famulus; Desine, inquit, ô infelix mulier, Satanæ vinculis alligata; ô mente perdita, impudens & effrons, desine talia dicere, quæ nefarium est etiam cogitare. Hac oratione perterrita atque confusa, pedem retulit mulier. Vbi rursum diabolicis instigationibus accensa, armat se majore audacia; & intempestæ noctis silentio ad certamen iterum progressa, cœpit manibus dormitantem impudenter tractare. Quam repente cum sensisset vir Dei: O cælo, inquit, expulsa, puteus iniquitatis, radix perditionis, o interitus atrique veneni origo ac fons, ut quid dissipare thesaurum meæ Virginitatis adniteris? Hem, signa te, si vales, signa Crucis signaculo, novissimaque tua, quoniam es moritura, memorare, ne pereas. Scelerata erubuit, seque ad stratum suum fuga corripuit.

iterumque restitit:

B

tertio molestiam

3 Tum juvenis, quia iterum vicerat, depugnatum credidit, & cessaturos insultus hostis toties expulsi. Tantisper igitur cum mentis trepidatione somnum oculis admiserat; & tertium mulier ex insperato prosilit, & Alterum, inquit, o juvenis, elige, vel commiscere mecum tacita & volente; vel commisceri te voluisse cum invita proclamabo. Excanduit Guilelmus, & cum indignatione ad mulierem conversus: Recede, inquit, recede à me citissime, filia Babylonis misera, scutum diaboli, legis antiquissimæ rescissio, hominum felicis status eversio; nam, si tuis ego vocibus corporis jacturam facio, coronam mihi puritatis duplicabit Dominus. Cur, misera, dolo me malo in hospitium admisisti? Apage, o mulierum infelicissima, meque ad tantum scelus perpetrandum; quod omnino nequibis perficere, ne ulterius propelle; citius enim liquescet ferrum, quam mea mens ad tam vile facinus delabatur. Cogita, procax hospita, quam momentaneum est, quod delectat; quam, quod cruciat, æternum. Memorare tremendi judicii diem, quo die coram Iudice severissimo Iesu Christo cum steteris, neque latere omnino, neque effugere valebis. Tunde, miserrima, pectus, & suspiria altius trahe: & hoc, quod per impudentiam tuam tibi contraxisti, sordidissimum crimen, amarissime plorando ablue: ego, ut peccator sum, bonitatem tibi divinam mitigare contendam. Cras ecclesiam tempestive adi: illic in faciem respice Christi tui: Sacerdoti confitere peccatum; dein regressa domum, eleemosynis illud redime. Quæ audiens miserabilis femina, ad Guilelmi pedes prostrata, cum lacrymis audaciæ suæ veniam postulavit. Cui juvenis: Parcat tibi Dominus, qui te creavit, & spatium tibi ad pœnitendum concedat.

C *severa oratione inducit ad pœnitentiam,*

mane fugit, gratias Deo agens:

4 Cum cælum jam luce inalbesceret, Guilelmus aperto ostio exiliit, sublevatisque in cælum oculis, Gratias tibi, inquit, ago, Domine Jesu, quod spurcitias hujus feminæ impolluto etiam corde præterii: ne vero me, permittas à te separari. Reversus Gonatum, id Fratribus enuntiavit suis; & Recte, inquit, vos scitis, & expertus ego sum, corruptibilis carnis diuturnum esse certamen, integræ vero mentis raram victoriam: & nisi quia juvit me Dominus, paulominus habitasset anima mea utique in inferno.

dicta mulieris cogitationibus vexatus,

5 Multis post diebus de cella egressus, psalmis, uti ejus mos erat, recitandis animum exercebat, cum obtulit sese repente species mulieris Petrææ, adeoque inhæsit menti ejus, ut neque diuturnis jejuniis, assiduisque orationibus divelleretur. Sed cum permultos menses nullum quietis spatium, nullæque tentandi induciæ fierent; quem mulier ipsa toties aggressa non concusserat, is cogitatione ejus de suo statu dejectus in seculum regredi deliberat; venditisque, quæ usurpare eremitis fas fuit, utensilibus nonnullis, ibat, quo cæca dictabat ratio, seque hujus mundi anfractibus implicabat: sed Domino suo servus curæ fuit.

horribili visu ad solitudinem revocatur:

6 Fessus de via Guilelmus assidet tantisper, & somnus occupavit: per quietem videt se circumveniri belluarum multitudine varia & incredibili: quarum pars dente, pars ungue sæviret, crudelem in modum: ipse anxius, quemadmodum latera protegere valeret, excitatus; &, Adjuva me Domine, clamans ait, & salvus ero: scio enim ac certus sum, mihi, cum impudicæ feminæ sustinui incursiones, subsidium abs te missum: nunc ergo etiam atque etiam oro, Domine, ne sim descendentibus in lacum similis: animam meam de bestiarum morsibus serva, & de ore leonis unicam meam. Quod si id præstas, ex hoc momento tuis pes meus inhærebit viis, teque, quoad vivam, benedictionibus & laudibus excipiam.

E

& pœnitentiam agit.

7 Hæc cum precaretur, animantium exercitus omnis evanuit. Guilelmus postliminio ad cellam regressus, adeo se integrum illum diem noctemque flagellis acriter cecidit, ut omnem tentationis flammam, verberum cruciatus extinxerint: biennio etiam toto sequenti tam vehementi inedia ab omni se cibo abstinuit, ut neque coctum quid, neque ex lacte aut ovis degustarit.

dæmones ad desperandum incitantes:

F

8 Per id tempus accidit, ut apud Gonatum speluncam quamdam oraturus ingrederetur. Videt intus Æthiopes teterrimos duos, flammeis oculis, manibus à tergo ligatis: id ut internosceret, cum oculos sublevaret, audit ab eorum altero Guilelmus: O hominum vilissime atque insensate, perparum, imo vero nihil tua te juvat deprecatio: tua enim pars integra in infernis manet: nec, quin condemneris, evades. Necdum ille finierat; Et revertere, suscipit alter, ad mundum, si sapis & consilium capis: ne in hac solitudine male pereas. Territus vir Dei, precari cœpit: Fac mecum signum in bonum, Domine, ut videant, qui me oderunt & confundantur. Mox signum Crucis addidit. Quo facto, spelunca terribiliter intonuit, & momento Æthiopes sunt effugati.

signo Crucis fugat:

& famem patiens panes accipit à mox evanescente.

9 Antrum etiam aliud ingressus est Gonati, cumque in sequentem diem orationem produxisset, mane, dum exire cogitat, ostium nivibus obstructum offendit, aditumque omnino præclusum. Illic diutina fame pene cruciabatur, nisi ad viatoris cujusdam vocem prodiisset, qui jumentum onustum panibus ducens, cum servum Dei vidisset, oravit, ut cibum ab se susciperet. Guilelmus gratiis actis, cum panes in antro repositurus ingrederetur, statim deinde regressus, neminem reperit: cognovitque, Deum fuisse largitorem. Hæc postea sociis idem narravit. His

AUCTORE ANGELO SANGRINO EX MS.

in locis per annos undecim propter ædiculam beatæ Virginis ab se reparatam degens, socios ejus vitæ habuit ac discipulos nonnullos, quorum etiam egregias virtutes, miraculorum testimonia comprobarunt.

CAPUT II.

Accessus ad ecclesiam S. Mariæ à Partu. Alia ecclesia constructæ. Munia eremitarum.

Rursum à D. Virg. migrare in alium locum jubetur,

10 DUm autem in Gonato moratur Guilelmus, apparuit oranti mulier habitu regali; quæ illi, Perge, inquit, ad scaturiginem fontis sub radicibus montis a Nebrodis. Ibi, sicut tibi monstrabitur, ædem extrue. Parere cupidus, ad locum properat, præstolatur indicium. Huc tunc non cogitatione solum, sed oculis abeunti, visum ibidem est ubi nunc ædicula Virginis sita, ingens palatium, & pueri de ortu solis ad se maximo numero accedentes, stolis induti niveis, vario decore ac gemmis ornati. Cœpit Guilelmus Virginem alacer salutare, recitantemque Salve Regina, pueri illi, paulisper in palatio commorati, in cælum abeuntes, deseruere. Ergo ad locum accessit, gaudio cumulatus incredibili vir Dei, quo in loco palatium ceteraque providerat: & ecce, secum ipse inquit, locus, ubi Virgini ædificetur ecclesia. Cumque tam de visis quam de commonstrata area grates Deo referret, sublatis in altum oculis, vidit Dominum majestate mirabili; mulierem vero, quæ antea sibi apparuerat, eodem regio ornatu, & senem canitie venerabilem, qui magno Antonio similis videbatur, Domini latera protegentes. Vox vero ad eum missa est: Hic, inquiens, manebis. Ac si diceret: Hæc est toties tibi nuntiata sedes, in qua, quoad vives, in Dei obsequio, famulatuque perseverabis. Sed cum fundandæ, struendæque fabricæ nequaquam suppeterent opes; adfuit liberalitas Aldoini Vigliotimillii, Comitis Hieracii, cujus eleemosynis adjutus ædem perficit, & in honorem divæ Virginis à Partu dicat.

ædem struit D. Virginis à Partu.

ad S. Felicem erigit ædem Deiparæ,

11 Cum vero animadverteret vir optimus, non multa in ea regione consecrata Deo loca esse, seque operarium Dei pene solum sedere; procul ab ea sede, quam nuper extruxerat, ad triginta passuum millia perrexit, atque in loco, qui S. Felicis dicitur, aliquamdiu demoratus, ædem aliam sanctissimæ Virgini dicatam exstruxit, ibique nonnullos coegit, qui sanctitate morum, ac meritis postmodum claruerunt.

12 Hoc facto, ad ædem à Partu reversus est: quo quia magna frequentia populus convenire solitus erat, idque amico solitudinis displicebat; in mentem ei venit alterius in honorem Deiparæ fundandi templi, quod procul à commercio esset; constructum vero atque ab ipsa Virgine præmonstratum omnino deserendi. Itaque ad montem, cui Monaci nomen inditum ab incolis est, viam faciebat, quæ quàm Divæ Virgini non placeret, ita declaratum est. Medio in itinere disrumpuntur Guilelmo viscera, nec progredi ulterius datum. Quod cum accidisse sibi, læsa Virgine sentiret, è vestigio ad locum de Partu cum lacrymis redit. Hic prosternit se coram Virginis imagine, factique veniam petens, sanatum se continuo persentit. Ecclesiam tamen beatissimæ Genitrici, sicut animo constituerat, ædificavit: nomenque S. Mariæ à Misericordia, quod misericordiam ei impetrarat, imposuit.

aliam in monte Monaco S. Mariæ,

b in semper Quadragesimam degit:

13 Hac in æde majoris Quadragesimæ spatium integrum, summa cum abstinentia, inclusus cella, variisque dæmonum tentationibus divexatus perduravit. Inde in veterem à Partu reditum facit: hostes tamen insequuntur, & terriculamentis pergunt infestare. Quorum ut fraudes evitaret, maxime nocturnas, in præcelsam arborem noctu ibat, ibique, ne caderet, funibus ad ramos alligatus, frequenter pervigilabat: interdiu vero mentem oratione, aliisque honestissimis curis ita occupabat suam, ut aditus nullus pateret adversariis ad invadendum.

Locum sibi paratum in visu cognoscit:

14 Sed admirabile est, quod quadam die videre ei contigit. Extra ædiculam suam, secreta in parte, contemplationi rerum divinarum vacabat, oblataque est ejus mentis oculis arbor procera, cælum flagello tangens. Dum admirans tantam altitudinem oculis metitur, ternas in cacumine summo dispositas sellas videt, insitato splendore fulgidas: binas in arbore media, unicam dumtaxat ad truncum. Exspectabat ergo, quis insessurus accederet. Inter exspectandum, vocem accepit, de arbore prodeuntem: Medius in duabus mediis conquiesces. Ad quam vocem exanimatus ac flens procumbit: tum sublato vultu, neque arborem neque aliud vidit ullum. Incessit autem ejus animum nova ædificandi adhuc in laudem Virginis templi cupido: aggestoque ad fabricam apparatu, cum ea ædificatione lædi posse proximum appareret, maluit de suscepto consilio desistere, donec se melior opportunitas daret, quam ne paulum caritas minueretur.

publice concionari desistit:

15 Ausus est aliquando Guilelmus zelo, quem intra se salutis animorum sentiebat ardentem, publica concione de rebus divinis disserere; licitum sibi, quæ naturæ bonitas erat, id muneris existimans. Sed audito, non nisi iis qui mitterentur, prædicare aliis esse permissum; indoluit factum, ac cessavit. Neque propterea, si qua se objiciebat occasio, privatim ad bona opera exhortandi, delabi eam de manibus patiebatur. Sæpe etiam si quos inveniebat, quorum olim publice concionando errores offenderat, verbo minus considerate aut vere dicto, coram iis veniam erroris à Deo postulabat, seque ipse coarguebat. Neque enim, inquiebat, eremitis prædicare convenit; quibus satis est, si Dominum timeant, caritate niteant, Christi fidem ejusq; Ecclesiæ sanctæ complectantur, ejus revereantur ministros, judicii extremum diem intrepidi exspectent, Sacramenta revereantur, sæpius sua peccata per confessionem eluant, Christi passionem contemplentur ac defleant, glorientur in angustiis, secularibus abstineant curis, de sacris Scripturis ne disputent, divinis adsint officiis, humilitatem sectentur, integritatem vitæ tueantur, semper orent, gratias semper agant, veniam suis impetrent erroribus, denique secundum Deum, gloriosissimam Virginem, quantis valent, religionibus promereantur.

privatim exhortatur:

explicat quæ ab eremitis agenda.

ANNOTATA.

a Mons Nebrodes, *inquit Fasellus decade 1 lib. 10,* *vulgo hodie* Modonia dicitur (& *supra* Mydonia) tota Sicilia, præter unum Æthnam, omnium latissimus celsissimusque, mari Tyrrheno prominet.

b *Observat Cajetanus duas ecclesias ad honorem* S. Calogeri *ab eo erectas, alteram quingentis passibus prope Castellum-Bonum, alteram ab eo sex M. P.* Corpus S. Calogeri *asservatur in monasterio S. Philippi Fragalensis Ordinis S. Basilii. Colitur 18 Iunii.*

CA-

A

CAPUT III.

Farina divinitus obtenta. Morbus pius obitus.

Non timet infernum:

16 Si qui, ut fieri solet, paradisum Guilelmo exoptarent, iis ipse negabat, infernum ab se, Deo ac Virgine juvantibus, timeri: tametsi, odione an amore dignus esset, addubitaret. Se quidem paradiso indignum, sed ut citius à morte illuc iret, pro purgatoriis suppliciis subiturum se libenter ajebat, quantum vita produceretur, gravissimas ægritudinum dolorumque formas. Dies erat Paschatis celeberrimus, quo etiam, ut anni ratio ferebat, Virginis Annuntiatæ memoria celebrabatur. Guilelmus tantum diem orando intra ædem transigebat, accidit, ut eodem quoque die, *a* Fridericus Aragonius in Siciliæ Regem coronaretur. Itaque oranti servo Dei voces de eo cælitus sunt auditæ: ad has Guilelmus cohorruit, & fratribus postea suis enarravit. Adjecit etiam tamquam prophetiæ spiritu multa de Italiæ, præcipueque Siciliæ vastatione, locorumque aliorum eversione. Jamque bellum in Sicilia crebrescebat; & annonæ malignitate, cœperant è proximo castro Gangis deficere ad Fratrum subsidium eleemosynæ.

In Paschate voce cælesti terretur,

a

multa prædicit de Italiæ, Siciliæque cladibus:

B

arguit fratres ob farinam absconditam,

17 Ejus rei causa, contra Guilelmi voluntatem Fratres reliqui farinæ modios decem, humana solicitudine commoti, reponunt in vasis: cumque semel in panariis defecisset panis, accurrunt ad eum, pro se quisque trepidi, & ut farina viritim distribuatur, exposcunt: & ille, Cur reservastis eam, inquit? Nonne hoc pacto scissa caritas est? An non melius fuerat, egenorum corpora enutrire viventium, quam custodire corrumpendam & genituram vermes? Sed cum importune insisterent; Misereatur, ait, vestri Dominus, Fratres, qui potens est sine annona ac penu vos alere universos: At illi tandem pervicerunt: distributisque pro portione partibus, suam Guilelmus uni de Fratribus dat in vasa reportandam, ut deinde pauperibus erogaretur. Perrexit is, & farinam cum infundere vellet, vasa offendit farina ad summum os referta, qui, Accurrite, clamans inquit, Fratres, accurrite: copiosam annonam Dominus nostris necessitatibus subministravit. Illi, quod fecerant, cum dolore damnarunt: partesque iterum in commune retulerunt, gratiis Deo peractis.

utque divinitus replet vasa,

liberatur à dolore acerbo invocata Deipara.

18 Aliquando vehemens, atque acerbus dolor invaserat genu Guilelmi, partesque corporis occultas; quem ille Virginis imagini cum lacrymis proponens, talibus eam est allocutus. Sana me quæso, Mater gratiæ, si expedit animæ meæ, & sanabor. Quod si in famulatu tuo vel momentum temporis offendi, furorem mitiga, extingue iram, peccatum condona, nam sæviora iis quæ patior, peccata merentur atque exigunt mea. Orantem ac fessum dolore, somnus ibidem occupat: experrectus, sine ullo dolore se esse sensit.

C

peccatum impedit visu monitus.

19 Nocte autem quadam, dormienti intra cellam, visa est per somnium damula hirco commisceri. Conjugium adeo dispar obstupescentem cælica vox admonuit, foras veneficam, foras pollutum. Surgit hoc monitu, & cellas perlustrat, offenditque cum muliercula colloquentem de Fratribus unum, cui Alberto nomen: utrumque Guilelmus, dolore cordis intimo tactus, pro merito corripit, dein alteram cum ignominia procul ejicit, alterum rursus increpans monet, ut tam gravis atque horrendi sceleris piaculum pœnitendo diluat. Sed frustra: paucis enim post diebus, per somnium iterum Guilelmus vidit, de quatuor turribus, quæ supra verticem montis erant sitæ, corruentem unam, in pulverem redigi: vocem autem accepit talem: Cecidit Babylon, Simul abrupit somnum cognovit, Albertum illum, qui ex antiquioribus quartus in consortio erat, turpiter aufugisse.

AUCTORE CAIETANO.

parturientem liberat;

20 Interea nomen Guilelmi, propter ejus vitæ sanctitatem, celebrius in dies ac notius apud omnes erat. Ergo defertur ei ab consanguineis mulier, quæ propter difficilem partum, tantis doloribus angebatur, ut morti proxima videretur. Obsecrant, ut eam precibus adjuvet suis. Id ille, quia peccatorem sese intelligeret, præstari ab se posse negabat. Sed necessariorum mulieris perseverantia motus, accedit ad feminam, & recitare pie cœpit: Sancta Maria, succurre miseris: cumque sequentia verba exciperet, Juva pusillanimes; inter efferendum ea, mulier facillime fœtum edidit, ac sese incolumis erexit.

In hebdomade sancta æger decumbit:

extrema Sacramenta suscipit:

21 Sed appetebat tempus, quod opportunum elargiendæ mercedi laborum servo suo Dominus adjudicavit, quo de hujus ergastulo mundi ad æternam libertatem immarcescibilemque gloriæ coronam, quam ei præparaverat, feliciter invitaret. Itaque majoris hebdomadæ diebus, ex pectoris astrictione ac febre decumbit: & quamquam multis abinde annis difficultatem spirandi atque angustias pectoris magno animo superavit; eo tamen tempore multo graviorem, exigentibus id, ut ipse aiebat, peccatis suis, patientissime toleravit. Cum vero sentiret jam destituendum sibi corpus esse, tametsi dum vixit bis in mense, ac, si copia daretur Confessarii, sæpius etiam confitebatur; tunc tamen adduci sibi Sacerdotem enixe postulavit: à quo post peccatorum confessionem, cum dolore ac gemitu, absolutione suscepta, ejusdem etiam manibus sanctissimum Iesu Christi corpus in Eucharistiæ Sacramento, tamquam extremum viaticum, recepit. Cum sexta à Paschate feria propter summam corporis imbecillitatem illi ex carnibus pulmentum, croco intinctum, offerrent; admiratus novitatem coloris, Hic, inquit Fratres, mihi extraneus est valde: auferte, si placet. Sed Fratrum hortatione superatus, frustulum intinxit panis, atque ori admovit; ardoremque piperis aspersi mordicatione linguæ persensit: interroganti causam, edisserunt. Atque ille: Tollite, inquit, Fratres mei, tollite: iis enim sum usus numquam; eduliis autem meis condimentum sal semper fuit, saporis amicum. Sexta hæc feria est, & forte nono ab hinc die spiritum Deo vocanti emittam. Ergo auferuntur dapes.

E

feria 6 post Pascha oblatum cibum meliorem renuit:

diem mortis prædicit:

16 Aprilis Sabbato.

F

asserit se mortem non timere.

22 Sed designatus ab eo cum illucesceret dies nonus, qui Aprilis sextus decimus ac Sabbatum fuit, legumina Fratres ei præparant. Quibus ille, Cur hæc, inquit, Fratres? ne quæso id agatis. Presbyterum potius advocate, cujus in conspectu, tamquam si Christus esset, de hoc mundo egrediens, viam universæ carnis ingrediar. Accurrens Presbyter, præ amore, quo in Dei famulum ferebatur maximo plorare ubertim cœpit. Cui ille Amice, cur ploras? nonne diu seculo vixi? neque ego, quia morior, idcirco pertimesco: sed quia junior fui, ac senui, & nihil dignum in conspectu Dei egisse me recolo. Tempus autem est, ut terræ corpus meum commendem. Sub vesperum ejus diei confessione pie peracta, peccatorumque omnium absolutione & venia impetrata, cum Iesu Christi Crucem amplexus magna animi demissione adorasset, decussatis ante pectus brachiis, ut quam in vita servarat fidem, eamdem moriens patefaceret, cœpit alacer dicere: Ipsi in primis Deo Patri, & Filio, & Spiritui Sancto, tum præcipue Virgini gloriosæ animam commendo meam, deinde glo-

facta iterum Confessione

A

Se Deo & Sanctis commendat: gloriosis Angelorum agminibus, fidelissimis Patriarcharum & Prophetarum cuneis, egregiis Apostolorum maxime Principum Petri & Pauli triumphis, inclytis fortissimorum Martyrum victoriis, præclarissimis piorum Confessorum virtutibus, eximiis sanctorum Doctorum precibus, purissimis beatarum Virginum choris, demum justorum omnium patrocinio & orationibus me peccatorem commendo; *fidem profes- sus*, illam me fidem tenere asserens, quam Sancta & Romana tenet, docet, prædicat & confitetur Ecclesia. Hanc suæ fidei, atque animi contestationem ut perfecit, rursus cum dixisset, In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum, in Domino expiravit, anno ab humana salute MCCCXXI XVI, Kal. Maji, qui dies ejus natalis, festusque in Castello Bono, cujus est Patronus, celebratur. Ejus reliquiæ multis indies miraculis illustrantur, præstante Domino nostro Iesu Christo, qui cum Patre, & Spiritu Sancto vivit, & regnat Deus in secula seculorum. D

ANNOTATA.

a *Fredericus* II *fratri suo Iacobo Aragonio successit anno* 1296, *coronatus* 25 *Martii die Paschatis, cyclo Lunæ* 5, *Solis* 17, *litteris Dominicalibus* A G.

b *De anno obitus supra actum.*

c *Indicat Cajetanus* Indulgentiam plenariam invisentibus ecclesiam à Summis Pontificibus concessam.

D. P.

DE VEN. IOANNE DE CASTRO VILLARI

ORDINIS S. FRANCISCI DE OBSERVANTIA.

CONSENTIÆ IN CALABRIA.

CIRCA AN. MDXXXIII XVI APR. B



Ostquàm anno MCCCCXXXIV *antiquissimus S. Francisci conventus, sub ipsa Ordinis initia ædificatus Consentiæ, ad observantioris disciplinæ Professores transivit; adeo egregia sanctitas ibidem effloruit, ut per unius integri seculi decursum, nihilo quam antea studia remissiori culto, illustres hac laude viros quatuor tulerit, Antonium Citrarium, Angelum, & Zaccheum, Consentinos, quorum hic ad* XVI *Februarii, iste ad* X *Novembris, primus* XI *Aprilis ab Arturo nominantur in Franciscano Martyrologio: tum Mattheum Citrarium Sacerdotem, & ipsum pro Beato recensitum* XIII *Iulii.* *Incorrupti corporis veneratio:* *Qui tamen omnes cum non præcesserint totis centum annis Vrbani* VIII *constitutionem, neque de publica eorumdem veneratione quidquam nobis innotuerit, inter Prætermissos relati sunt aut referentur à nobis, donec certiora consequamur documenta. Prætermittere tamen hoc loco non possumus* B. Joannem de Castro-villari (*oppidum est Calabriæ citerioris ad Cibaris amnis initia*) cujus corpus in sacrario prædicti Conventus summa veneratione custoditur, ob ingentia quæ ad ejus invocationem quotidie eduntur *miracula,* miracula: *ita ad hunc diem in suis Annotationibus Arturus ex Gonzaga, Waddingho, Barezzo. Collegii nostri Consentini Rector Franciscus Lubellus anno* MDCLXVI *rogatus à nobis, indagare veritatem & qualitatem venerationis istius, respondit in hac verba:* Venerabile pignus istius Beati Diaconi duplici arca, alterâ crystallina, altera lignea reconditur, atque omnino incorruptum eminentiori quodam in loco honorifice quiescit, ad quod etiam Populus Consentinus incredibili fertur devotione, ob tanti Beati Reliquias. E *Idem ab illius Conventus Patribus requirens miracula, quæ vir Beatus plurima patrasse & patrare indies dicebatur, aliud responsum non retulit, quam non esse opus ea describere, quod ab Arturo & VVadingo abunde & fideliter referantur. Ignoscat hominibus adeo supine negligentibus Deus, cum nec unum quidem miraculum illi referant, ac ne alii quidem, sola nominis designatione contenti: ex quo apparet nec visos quidem ipsis esse, quos citant: & quamvis illi succincte habuissent aliqua, numquid non erat operæ pretium originales memorias, si quæ extant, habere? An dies hic arbitrarie electus ab Arturo sit, an vero peculiari cultu sacer Conventui & Populo habeatur, necdum comperimus: credimus autem ei qui circa annum* MDXXXIII *adhuc putatur in vivis fuisse, non deferri venerationem adeo publicam, nisi cum consensu Apostolicæ Sedis, alioquin ea fuisset post Vrbani Constitutionem abrogata. Ipsa Decreta, Processusque formatos, & miraculorum relationes si nancisci possimus, etiam post hac libenter dabimus, vel in Appendice, vel in condendo post absolutionem operis supplemento.*

XVII APRILIS.

SANCTI QVI XV KALENDAS MAII COLVNTVR.



SANCTUS ANICETUS, Papa Romanus, & Martyr.

S. Isidora, S. Neophyta, } Sorores, Martyres, } Leontinis in Sicilia.

S. Petrus Diac., S. Hermogenes, } Mart. Antiochiæ.

S. Fortunatus, S. Marcianus, } Martyres, in Africa aut Antiochiæ.

S. Mappalicus, S. Barucus, S. Quintus, S. Victoricus, S. Donatus, S. Ianuarius, S. Macorus, S. Gallus, S. Theodora, S. Iulianus Presb. S. Meceonus, S. Miginus, S. Diomedes, } Martyres, in Africa.

S. Fili-

S. Filippianus, S. Fortunion, S. Credula, S. Firmus, S. Ventus, S. Fructus, S. Martialis, S. Ariston, } in Africa

S. Innocentius, Episcopus Dertonensis, in Liguria.

S. Pantagathus, Episcopus Viennensis, in Gallia.

S. Donanus & LII discipuli } in insula Scotiæ Egga occisi.

S. Landricus, Episcopus metensis, Abbas Sonegiensis & Altimontensis.

S. Anthusa Virgo, filia Constantini Copronymi Imperatoris, Sanctimonialis Constantinopoli.

S. Potentiana, Villanovæ, in Hispania Bœtica.

S. Elias Presbyter, S. Paulus, S. Isidorus, } Monachi } Martyres, in Hispania.

S. Donanus, Abbas in Scotia.

B. Geruinus, Abbas Aldenburgensis, in Flandria.

S. Stephanus, tertius Abbas Cisterciensis, in Gallia.

B. Eberhardus, Præpositus Marchtallensis, Ordinis Præmonstratensis, in Suevia.

B. Rodulphus puer, à Iudæis occisus, Bernæ in Heluetia.

B. Clara Gambacorta, Ordinis S. Dominici, Pisis in Hetruria.

PRÆTERMISSI ET IN ALIOS DIES REIECTI.



Anctæ Honoratæ, Virginis ac sororis S. Epiphanii Episcopi Ticinensis, translatio, *hoc die facta indicatur à Spelta de Episcopis Papiensibus*, pag. 95. *De ea actum est in ejus Vita* XI Januarii.

Ammon in Ægypto, pater multorum monachorum ac vir incredibilis abstinentiæ, *memoratur in Viola Sanctorum, Martyrologio Coloniæ & Lubecæ anno* 1490 *excuso, in Auctario Greveni & apud Canisium. In nullis antiquis fit ejus hoc die mentio. Consule dicta hesterno die inter Prætermissos, & dicta de quodam Ammona Abbate in Thebaide* XXVI Januarii

S. Brinolphi, Episcopi Scarensis in Suecia, Canonizatio facta anno 1416, *memoratur in Kalendario Mariano Balinghemii. Vitam dedimus* VI Februarii,

S. Nicephorus, sub Valeriano & Gallieno, in Oriente, ob Christi nominis confessionem, martyrio coronatus, *celebratur in aliquibus MSS. Vsuardi & aliis, item in Martyrologio Coloniæ & Lubecæ anno* 1490 *excuso, & apud Grevenum atque Molanum in Additionibus ad Vsuardum. Est is celebris* Nicephorus, *passus* Antiochiæ, in Oriente, *ut Latina Acta habent, quæ aliaque dedimus* IX Februarii

Jobitæ Martyris & aliorum trium decollatorum *memoria est inscripta MS. Florario, Auctario Greveni ad Vsuardum &* Martyrologio *Germanico Canisii. Quis ille sit non satis assequimur. Forsan est S. Iovita Brixiensis, qui cum S. Faustino est capite plexus: in quorum Actis referuntur varii Officiales S. Caloceri capite plexi, ut dictum est.* XV Februarii

S. Walfridus, Abbas Palatioli, *refertur à VVione, Dorganio, Menardo, Ferrario in Catalogo Generali & Indice Sanctorum Italiæ, cujus etiam eo die festum agi tradit Trithemius lib. 3 de Viris illustr. Cap.* 281. *Vitam ejus dedimus die, quo obiit,* XV Februarii

S. Alexander, Patriarcha Alexandrinus, *hoc die objisse dicitur apud Eschellensem. Vitam dedimus* XXVI Feb.

S. Gervinus, Abbas Centulensis, *memoratur à Saussaio in Supplemento Martyrologii Gallicani. Vitam ejus dedimus* III Martii,

S. Acacius, Episcopus Melitenensis, *refertur in variis Menæis Mss. & à Molano in Additionibus ad Vsuardum. Molanum secutus Thomas Pessina à Czechorod Metropolitanæ Pragensis ecclesiæ Decanus & Officialis in Diario Reliquiarum suæ ecclesiæ*, S. Achatium Ep. *hoc die nominat*, cujus ibidem pars de capite & aliud insigne frustum de brachio & aliud minus *asservetur: sed hujus ea esse quis divinando asseruerit? Nos vitam dedimus* XXXI Martii

S. Domninus, Martyr, *memoratur in Ms. Martyrologio Barberiniano, &* Italiæ *adscribitur; diciturque* unus ex LXXII discipulis *in Ms. Pragensi, & à Greveno in Auctario Vsuardi, & illud secuto Canisio in Martyrol. Germanico Forsan est* S. Domnius Episcopus, *qui traditur à S. Petro Apostolo in Dalmatiam missus, & ibidem Martyr objisse, cujus corpus dicitur postea Romam translatum. De eo egimus* XI Aprilis.

S. Sabas, Gothus, Martyr, *memoratur cum elogio in Ms. Synaxario Claromontano, quod cum Actis martyrii dedimus* XII Aprilis.

S. Ardalion, mimus Martyr, *celebratur in Menologio Basilii Imperatoris cum insigni elogio; quod cum aliis dedimus* XIV Aprilis.

S. Basilissa, S. Anastasia, } Matronæ Romanæ, *memorantur in Ms. Claromontano, cum elogio, quod dedimus* XV Aprilis.

S. Silvester, Abbas in monasterio Reomaensi, *memoratur in Ms. Kalendario Ordinis Benedictini. Vitam dedimus* XV Aprilis,

S. Leonides, S. Chariessa, S. Nice, S. Galena, S. Calis, S. Nunechia, S. Basilissa, S. Theodora, } Martyres, Corinthi in mare projectæ *referantur in Ms. Synaxario Græco Parisiensi collegii Societatis Iesu: de iis egimus* XVI Aprilis.

S. Irene, post alia tormenta capite plexa, *inscripta est eidem Synaxario: ab aliis etiam* XVI Aprilis.

Calixtus & Carisius, cum aliis VII, apud Corinthum in mare mersi, *celebrantur in Ms. Vaticano S. Petri. De iis egimus* XVI Aprilis

S. Adrianus Martyr, *celebratur in Menæis & Menologio Sirleti. De eo egimus etiam* XVI Aprilis,

S. Vasius, Martyr apud Santones, in Gallia, *memoratur à Saussajo in Martyrol. Gallicano Acta illustravimus* XVI Aprilis.

Helenus, in Ægypto, } Abbates, *ex Heraclide memo-*
Paulus, in Lybia } *rantur à Petro de Natalibus, lib. 4 cap. 59 & 60: item à Maurolyco, Felicio, Witfordo, Canisio, Ferrario, sed illius exemplo. Silent antiquiores & Græci & Latini.*

Eochadus Lismorensis, } *Memorantur inter Hibernos in MS. Tamlachtensi. Aliquis etiam* Lugadius
Adamus, } Filius Garvani,
Lugadius, }
Lugadius filius Druchtæ,
Presbyter *refertur in Vita tripartita S. Patricii par. 2 num. 44. quem aliquem ex hisce arbitratur Colganus.*

Wandoni, Presbyteri & Abbatis, depositio in Fontanella monasterio, *absque titulo* Beati *aut* Sancti *adscripta fuit Martyrologii Hieronymiani apographo, & inde inserta editioni Lucensi. In Chronico Fontanellensi, tomo 3 Spicilegii à Luca Acherio editi, res ejus gesta descripta habentur. Intelleximus in ipso monasterio nullam habere cultum Ecclesiasticum: hinc etiam non est inscriptus Martyrologiis monasticis tum aliorum tum Menardi, & Gallicano Saussaii, qui ambo Parisiis scripserunt.*

Cogitosi Episcopi depositio Turonis, *legitur in MS. Latiensi, & iterum in MS. Tornacensi. Sed quia nullus apud Turonenses fuit Episcopus Cogitosus, difficile est assequi quis hic notetur.*

Marianus Scotus, Chronographus, *inscriptus cum titulo* Sancti *Martyrologio Anglicano primæ editionis, quod secuti sunt Ferrarius in Catalogo generali, & Fitzsimon in Catalogo Sanctorum Hiberniæ. At re melius discussa omissus est in secunda editione præfati Martyrologii Anglicani: quod nos etiam fecimus* XXX *Ianuarii, qua die erat relatus in Menologio Scotico Camerarii.*

Rabodo, Canonicus Ecclesiæ Parcensis juxta Lovanium, Ordinis Præmonstratensis, *memoratur à Chrysostomo Vander Sterre in Natalibus Sanctorum dicti Ordinis, cum titulo* Beati: *absque illo, cum illustri elogio, ab Arnoldo Raizzio, in Auctario ad Molanum.*

Gerardus Bredanus, Carthusianus, *ex Chronico Dorlandi & Bostii refertur hoc die in Auctario Raizzii sed absque titulo* Beati.

Jacobi de Cerqueto, Eremitæ Augustiniani, corpus, Perusii in quadam arca dicitur religiose custodiri: *nos ibi de eo nihil singulare cognovimus, multo minus quod hoc die, quo à Iacobillo refertur, cultum habeat aliquem.*

Maria à Christo, *Fonsalidæ in Hispania, Abbatissa Clarissarum constituta an.* 1538:

Anonymus Frater, *Angelico cantu post mortem honoratus in territorio Dertosano, circa an.* 1584:

Franciscus Simbronus, *magno sui relicto desiderio defunctus in India Occidentali, an.* 1574:

Paulus à S. Magdalena, *Londini in Anglia fidei causa publico judicio interfectus, an.* 1643; *in Martyrologio Franciscano referuntur ut* Beati, *ipsa temporum, Vrbaniana constitutione comprehensorum, novitate obstante: quid quod tribus prioribus dies hic ex solius Arturi arbitrio assignetur? quemadmodum ab eodem hoc die notatur,* Conradus, *aliis* Amadeus à Stongle, *Kyriis in Saxonia, dum res ibi Catholica staret, nonnulla sanctimonia notus, sub annum* 1369.

S. Eleutherius, Episcopus Romæ, *memoratur in Mss. Atrebatensi, Tornacensi & Latiensi, indicatis in Supplemento Bedæ. Est is haud dubie* filius Anthiæ *Romæ passus, de cujus Episcopatu & Martyrii tempore plene agetur ad eum quo passim colitur diem* XVIII Aprilis

S. P. N. Euthymius Thaumaturgus *memoratur in Menæis MSS. Mediolanensibus bibliotheca Ambrosianæ, in aliis* XVIII Aprilis.

S. Roberti, primi Abbatis Cisterciensis, Translatio *inscripta est MS. Kalendario Ordinis Benedictini, & MS. Carthusiæ Bruxellensis. Natalis est* XXIX Aprilis.

S. Simeon Episcopus, } Martyres in Perside, sub
S. Abdellas Presbyter, } Sapore Rege, *memorantur*
S. Chusdazat, } *in Menæis Græcis & Me-*
S. Phusæ, } *nologio; eorumque primus*
& alii MCL, } *videtur poni in Kalendario*
S. Jacobus Presbyter, } *Ruthenico, & tabulis Mo-*
S. Azes Diaconus } *scoviticis sæpe citatis: duo vero ultimi ponuntur etiam in Synaxario Claromontano, & in Martyrologiis Galesinii & Canisii. De iis agemus, cum Martyrologio Romano,* XXI & XXII Aprilis.

S. Benedicta, mater SS. Alphii, Philadelphii & Cyrini, *dicitur* Martyr *& à Ferrario adjungitur* SS. Isidoræ & Neophytæ, *ad quarum Acta hoc die de* S. Benedicta *agimus, reliqua seponimus ad natalem filiorum* X Maji.

S. Majolus Abbas, Pater multorum cœnobiorum, qui requiescit in loco Silviniaco, *memoratur in Martyrologiis Florentinis editis & manuscriptis. Dies ejus natalis est* XI Maji.

S. Parthenius, Martyr Romæ, *inscriptus est apographo Vsuardi auctiori, quod fuit in bibliotheca Reginæ Sueciæ. Colitur* XIX Maji.

S. Hadulphus, Episcopus Atrebatensis & Cameracensis, *memoratur à Ferrario; ab aliis* XIX Maji.

S. Hyacinthi Ordinis Prædicatorum, Canonizatio, facta anno 1599, *refertur in Kalendario Mariano Balinghemii. Colitur* XVI Augusti.

Bernardus, monachus Villariensis in Brabantia, aliqua post obitum revelatione clarus, *cum titulo* Beati *refertur à Saussajo, Chrysostomo Henriquez & Bucelino, Citatur etiam Raizzius in Auctario Molani ad Natales Sanctorum Belgii, sed cum hoc, si quid certi de Ecclesiastico cultu constet, poterit agi* XX Augusti.

S. Neophytus, Episcopus Leontinus in Sicilia, *hoc die mortuus dicitur in Lectionibus propriis à Paulo* V *probatis: sed festum ejus translatum publico ritu celebratur, quando de agetur* I Septembris.

S. Agapetus, Papa Romanus, *celebratur à Græcis in Menæis & Menologio à Romanis autem juxta Martyrologium colitur* XX Septembris

S. Thomæ, Episcopi Herfordiensis Translatio, *memoratur in Ms. Florario & alio Carthusiæ Bruxellensis. Colitur* II Octobris

Villici & Arnoaldi, sanctorum Confessorum paritérque Pontificum, depositio Metis: *Ita legi* in Martyrologio Ecclesiæ Metensis *tradit Meurissius, in Historia Episcoporum, in Actis utriusque.* Villicus *etiam refertur à Ferrario cum titulo* Sancti, *qui ei non tribuitur à Claudio Roberto aut Sanmarthanis, utique neque à Meurissio in titulo aut descriptione rerum à* Villico *gestarum: ejusdem etiam non meminit Saussajus, nisi quando agit de* Arnoaldo VII Octobris.

SS. Leoberia & Jolana, quæ Roma in Galliam advenientes, signis & virtutibus præfulserunt in Veromanduis, *memorantur in Gynæceo sacro Arturi du Monstier. At cum S. Benedicta Virgine & Martyre, præcipua itineris ductrice, coluntur in Martyrologio Gallicano Saussaji,* VIII Octobris.

S. Tanchæ Virginis translatio Treccas, *inscripta est Ms. Martyrologio Carmelitano, Coloniæ asservato, & Gynæceo Arturi à Monstier. Ejus dies natalis traditur esse* X Octobris.

Potentiani, Episcopi & Martyris, translatio Aureliis, *inscripta est Martyrologio Gallicano Saussaji. Hic est* Potentianus Episcopus Senonensis, *habitus etiam* Apostolus Aurelianensium *& colitur communiter die* XXXI Decembris.

DE

DE SANCTO ANICETO

PONTIFICE ROMANO ET MARTYRE

G. H.

An. CLIII



Erplexa satis & intricata primo intuitu apparent, quæ à variis de tempore & ordine Pontificatus S. Aniceti scribuntur: in quibus difficultatibus regulas aliquot, à Cardinale Baronio præscribi solitas, nobis præfigimus sequendas. Harum prima esto, quod in his, quæ sunt Ecclesiæ Romanæ, major fides sit adhibenda ejus alumnis, quàm ceteris. *Ita annotat Baronius ad XXVI Aprilis, contra Irenæum, Eusebium aliosque, qui S. Cletum non numerarunt inter Romanos Pontifices, uti late ad Acta S. Cleti deduximus. Altera regula est ejusdem Baronii*, quod tempora adnumerata per Consules libentioribus sint accipienda auribus, cum ceteris illa frequentior, liberalior & verior noscatur esse chronographia, atque in usum frequentiorem accepta, quæ à fastis deducta est Consularibus; & vetera monumenta Consulibus consignata, magno afficiant gaudio, perinde ac si in tenebris oberranti fax aliqua exoptata præfulgeat; *ita ille in Annalibus an. 69 num. 36. Quæ aliaque plenius explicamus in Commentario prævio ad Catalogos Pontificum Romanorum seorsim editos: inter quos præeminet, quem S. Damasus à S. Hieronymo rogatus eidem misit, addens* gesta Pontificum, quæ potuerat reperire in Sedis suæ studio, se ad eum gaudenter dirigere. *Est hic Catalogus deductus usque ad Siricium decessorem S. Damasi, in plures distinguendus partes, quarum prior finit cum S. Urbano, anno Christi CCXXXI Martyre defuncto: & hanc partem forsan collegit* S. Anterus, *postmodum Pontifex Romanus; hic enim* gesta Martyrum diligenter à Notariis exquisivisse tradatur. *Sed quod dolendum est in aliquibus Pontificibus est hiatus: & sic Consules attribuendi S. Aniceto, simul cum decessore Hygino proponebantur.*

Lux ex Romanis Catalogis — *& Consulibus annotatur,* — B

2 *De hoc ista solum habemus.* Hyginus annis duodecim, mensibus tribus, diebus sex: *Consules referuntur in proximo Catalogo, in eoque dicitur fuisse* à Consulatu Magni & Camerini, usque Orfito & Prisco. *Iidem Consules assignantur apud Anastasium & Luitprandum, in Vitis Pontificum, ite in libro Pontificali & Mss. Gestis Pontificum ad Martinum V deductis. Fuerunt autem Consules* Quinctius Niger Magnus & Sulpitius Camerinus *anno CXXXVIII; quo etiam anno mortuus est XII Iulii Hadrianus Imperator, eique substitutus Antoninus Pius. Alii* Consules Corn. Scipio Orfitus, & Q. Nonius Priscus *fuerunt anno CXLIX, quo Antoninus Pius incepit annum XII Imperii, & superfuit S. Hyginus ad X aut XI Ianuarii anni sequentis, ad quos dies memoria ejus celebratur in variis Martyrologiis, & in hodierno Romano ista habentur*: Romæ S. Hygini Papæ, qui in persecutione Antonini gloriose martyrium consummavit. *De Martyrio ejus nihil legitur apud prædictos auctores. Molanus in Notis ad Martyrologium Usuardi, & Onuphrius ad Platinam, opinantur*, Martyris titulum ei dari, quod multa pro Christi confessione fuerit passus. *Forsan verius dicendus est* Martyr, *quod quadriennio integro carceri inclusus vitam finierit, quo tempore S. Pius, ut infra constabit, ejus Vicarius Ecclesiam rexit. Interim post obitum S. Hygini constitutus est S. Anicetus* XI *Pontifex, S. Pio morbo aut exilio impedito, aut alia causa id exigente, nobis in silentio antiquorum incognita. De Pontificatu S. Aniceti ista colligimus ex ante indicato hiatu Catalogi prioris.* Anicetus annis... Fuit à Consulatu Gallicani & Veteris usque Præsente & Rufino. *Iidem Consules continentur in altero Catalogo seculo Christi sexto confecto: item apud Anastasium & Luitprandum, in Libro etiam Pontificali & ante citatis Mss. Gestis Pontificum, denique in antiquis Breviariis Romanis manuscriptis & excusis anno* 1470, 1490, 1522 & 1524, *quæ penes nos habemus: & sic aberrantibus lux magna & exoptata præfulget.* Fuerunt Consules Romulus Gallicanus & Antistius Vetus *anno Christi quinquagesimo supra centesimum, &* Brutius Præsens II & M. Antonius Rufinus *anno Christi* CLIII. *Hinc liquet S. Anicetum non nisi ad quartum annum in suo Pontificatu sedisse, ab anno Antonini Pii duodecimo usque ad decimum quintum, & videri ab aliis annos Hygino decessori detractos fuisse & ad S. Anicetum translatos. Aniceto successit S. Pius* XII *Pontifex, qui in antiquiore Catalogo dicitur præfuisse* temporibus Antonini Pii, à Consulatu Clari & Severi, usque duobus Augustis. *Præfuerunt* Sext. Erucius Clarus & Cn. Claudius Severus *anno* CXLIV, *quando tempore S. Hygini, forsan, ut diximus, carceri inclusi, factus est ejus Vicarius sive Chorepiscopus S. Pius; quo tempore viguisse Valentinum hæreticum ex Irenæo tradit Eusebius lib. 4 Hist. Eccles. cap. 11. Pontifice dein Aniceto videtur permansisse Episcopus Apostolicus, aut Aniceti Chorepiscopus, ac tandem eo vita functo, verus & ordinarius Pontifex constitutus, sedisse annos octo, & ideo cum hisce Catalogis S. Pium postponunt S. Aniceto Optatus Milevitanus lib. 2 de Schismate Donatistarum, & S. Augustinus epistola 165 contra eosdem Donatistas. Præfuit deinde S. Pius usque* ad Consulatum duorum Augustorum. *Hi sunt* Marcus Aurelius Verus Cæsar, & L. Ælius Verus Cæsar *fratres, in suo Consulatu anno* CLXI *Augusti Imperatores facti: His Consulibus proximo anno substituti* Q. Junius Rusticus & Vettius Aquilinus, *à quorum Consulatu describitur initium Pontificatus S. Soteris, uti ad hujus Acta die* XXII *Aprilis plene confirmabitur.*

S. Hyginus sedit — *ab an. 138* — C — *ad 149;* — *& substitutus S. Anicetus,* — *præfuit adhuc an. 153* — *tunc S. Pius olim Vicarius,* — E — *sedit usque ad annum 161,* — *postea S. Soter,*

3 *Stabiliunt hanc nostram resolutionem, præter Optatum & S. Augustinum, tum Consules prænominati, tum Imperator Antoninus Pius, sub quo ad S. Anicetum Romam venisse S. Polycarpum tradunt S. Hieronymus & Eusebius. Verba S. Hieronymi lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis cap. 17 sunt ista*: Hic propter quasdam super die Paschæ quæstiones, sub Imperatore Antonino Pio, Ecclesiam regente Aniceto, Romam venit, ubi plurimos credentium, Marcionis & Valentini persuasione deceptos, reduxit ad fidem. *Hæc S. Hieronymus, in istis Chronicon & Historiam Eusebii secutus, qui lib. 4 Historiæ cap. 14 sub initium ista habet*: Temporibus modo demonstratis *Antonini Pii Imperatoris*, dum Anicetus Romanæ Ecclesiæ præerat, Polycarpus, qui etiamnum superstes erat, Romam venisse ob quæstionem quamdam, quæ de Pascha inciderat, & cum Aniceto colloquium habuisse, tradit Irenæus. *Quam benigne tunc à S. Aniceto exceptus fuerit S. Polycarpus, scribit S. Irenæus in epistola nomine fratrum, qui in Gallia erant, ad S. Victorem Papam missa, cujus epistolæ partem Eusebius refert lib. 5 cap. 24, ex qua aliqua decerpimus, quæ ita narrantur*: Cum beatissimus Polycarpus Aniceti temporibus Romam venisset, atque inter illos de quibusdam aliis rebus modica esset controversia, statim mutuo pacis osculo se complexi sunt, de hoc capite (*super die Paschæ*) non magnopere inter se contendentes. Neque enim Anicetus Polycarpo persuadere unquam poterat, ut observare desineret, quippe qui cum Joanne Domini nostri discipulo, & cum reliquis Apostolis, quibuscum familiariter vixerat, eum morem perpetuo observasset. Neque item Polycarpus Aniceto persuadere conatus est, ut observaret; cum Anicetus eorum, qui ante se fuerant, Presbyterorum morem sibi retinendum esse diceret. Quæ cum ita se haberent, communicarunt sibi invicem;

S. Anicetus qui sub Antonino Pio excipit S. Polycarpum, — F

AUCTORE G. H.

& Anicetus in Ecclesia consecrandi munus Polycarpo honoris causa concessit, tandemque cum pace à se invicem discesserunt, tam iis qui observabant, quam iis qui minime observabant, pacem communionemque Ecclesiæ totius retinentibus. *Hæc ibi, qua pluribus* XXVI *Ianuarii ad Vitam S. Polycarpi produximus. Ceterum quia Eusebius S. Pio postposuit Anicetum, hujus obitum retulit ad tempora M. Aurelii Veri, & L. Ælii Veri, quem varii secuti sunt, etiam relictis Consulibus ante prænominatis, qui tenebris expulsis lucem veritatis apertam contulerunt.*

Nomen in Martyrologiis 20 Aprilis

4 *Dies obitus sive martyrii S. Aniceti assignatur ab Anastasio & in aliis Catalogis* XII Calendas Maji, *sive* XX Aprilis, *quo die Rabanus ante Anastasium ista habet:* Romæ Aniceti Papæ & Martyris, qui constituit in Ecclesia, ut Clerus comam non nutriret: est sepultus in cœmeterio Callisti. *Memoratur etiam in Martyrologio Flori. Eumdem referunt antiqua Breviaria*

17 Aprilis

Romana Martyrem obiisse XII Calend. Maji, *& tamen proponunt venerationem ejus ad* XV *Kalend. Maji sive diem* XVII *Aprilis, ad quem diem legitur in Anastasio Ms. Regis Christianissimi* obiisse Martyrem S. Anicetum, *idemque scribunt in Vitis Pontificum Luitprandus, Ioannes Stella, Onuphrius, Ciaconius, & passim recentiores: & sic ipsum retulerunt in suis Martyrologiis Bellinus, Maurolycus, Galesinius, aliique cum Petro de Natalibus, & Martyrologio hodierno Romano. Ast pridie sive* XVI *Aprilis celebratur ejus memoria in multis antiquis Martyrologiis Mss. ut sunt S. Cyriaci à Baronio sæpius laudatum, Barberinianum aliquod, Coloniense S. Mariæ ad Gradus, Neapolitanum Clericorum Regularium, Leodiense S. Lamberti, item Martyrolog. Adonis Mss. Laubiense, Leodiense S. Laurentii, & aliud Reginæ Sueciæ, cumque iis Notkerus, & auctor Bedæ suppositii.*

B

& 16 Apr.

sepultura:

5 *Paulus Aringhus libro 3 Romæ subterraneæ capite 11 agens de celebri Callisti cœmeterio, in quo sepultus fuit S. Anicetus, num.* 10 *ista scribit.* At vero cœmeterium hoc omni quidem veneratione dignum, uti Pontificibus Maximis dum inter vivos degerent optatissimum aliquando domicilium præbuit. Complures enim ibidem pio fidelium obsequio tumulati quiescunt: inter quos præcipui adnumerantur Anicetus, Soter, Anterus, Pontianus, Fabianus, *aliique duodecim ibi nominati. Ioannes Angelus Dux ab Altaemps cap.* 13 *Vitæ S. Aniceti à se editæ, asserit* credi S. Anicetum sepultum esse ab Eleutherio ejus Diacono, qui post Soterem ad Pontificiam dignitatem ascendit, *& cap.* 14 *hæc de Inventione corporum S. Aniceti & aliorum Sanctorum tradit:* Cum requievisset corpus ejus in cœmeterio Callisti annos MCCCCXXIX, piæ recordationis Clemens VIII Pontifex Maximus, zelo & pietate motus, curavit exhumari [Sanctorum ibi sepultorum corpora] ut decenti in loco collocarentur, majorique devotione à viris coli possent: & ut pluribus petentibus satisfaceret, fecit ut diligenter inquireretur in eodem cœmeterio Callisti; & tandem reperta sunt quadraginta quatuor corpora Sanctorum Martyrum. Quæ quidem exhumata fuere à quodam pictore nuncupato Joanne Angelo, vulgariter nominato Toccafondo: & sciendum hunc virum in hujuscemodi cœmeteria & cryptas descendendi, corporaque illic existentia indagandi, fuisse peritissimum. Hæc Sanctorum Martyrum corpora in palatii Apostolici sacrarium delata fuere, & inde distributa pluribus reverenter expetentibus, ac inter ceteros alios, ego humiliter petii, Aniceti corpus, quod notum mihi erat inter

C

corpus inventum,

ea esse: atque eo majus illud habendi desiderium me tenuit, quia in Officio divino fit de eo commemoratio, atque in Pontificia dignitate se optime gessit. Prædictus vero felicis recordationis Clemens VIII, amoris ergo petitionibus meis benigne annuens, corpus S. Aniceti Papæ & Martyris mihi concessit: quod XXVIII die Octobris anni MDCIV à Reverendissimo D. Angelo Rocca, Augustiniano Tagastæ Episcopo, ejusdem sanctissimi sacrarii Præfecto mihi allatum, in Confessione electis marmoribus contenta, sacello in meis ædibus à fundamentis ad hoc erecto, in thecis, argentea, cupressina & plumbea, ac in labrum flavi marmoris, olim Alexandri Severi Imperatoris sepulcrum, via Appia, tertio ab Urbe lapide repertum, hoc addito monumento pie reponi jussi.

D

& Duci ab Altaemps donatum,

in sacello ejus conditum



MARTYRIS OSSA ANICETI PAPÆ,
AB ARENARIO QUOD POSTEA CALLISTI
COEMETERIUM APPELLATUM EST,
AUCTORITATE CLEMENTIS VIII. TRANSLATA,
JOANNES ANGELUS AB ALTAEMPS DUX
SACELLUM OBTULIT,
CORPUS EJUSDEM MARTYRIS
IN LABRUM QUOD ALEXANDRI SEVERI IMP.
SEPULCHRUM FUIT, COLLOCAVIT D.
ANNO DOMINI MDCXVII.

cum hoc epigraphe.

E

Quem ideo precor, sit defensor, protector & patronus perpetuus hujusce meæ domus. Si divinarum rerum cognitio, vita immaculata, & martyrium pro Christi nomine, ut omnes fatentur, virum gloriosissimum in hoc terrarum orbe reddere valent; quid erit existimandum de Aniceto, in quo hæc simul omnia eminenter enituere?

6 *Hæc ibi Dux ab Altaemps, qui sub finem cap.* 13 *de ejus post martyrium corona accepta ista habet.* Hic fuit præclarus finis vitæ sanctissimi Pontificis & invictissimi Martyris, imo initium perennis beatæque vitæ. Fidelis Domini dispensator, tam provide administrata Christi familia, cui præpositus fuerat, è terris transfertur in cælos, meritas laudes præmiaque consecuturus à Domino. Innumeris perfunctus laboribus, persecutionibus fatigatus; tot difficultatibus, quas in regendo Dei populo passus est, superatis, pacis & gloriæ tandem præparatum sibi locum invenit. Invictus Martyr gladii vim non timuit, mortem non exhorruit: ipse Caput Ecclesiæ suum caput libentissime obtulit amputandum. Huc eum perduxere eximiæ insignesque virtutes, quibus decoratus in vita floruerat. Resplenduit sicut sol in diebus suis: non obscuratus est, sed splendidior enituit in occasu: & modo ejus anima regnat in cælis. Magnis multisque miraculis ipse à Domino illustratus est. *Hæc Dux ab Altaemps, qui late Vitam S. Aniceti deducit, cum rebus memorabilibus, quæ eo Pontifice in Ecclesia sedente contigerunt, ex Baronianis Annalibus potissimum eas desumens.*

encomium ab eodem editum,

F

7 *Masinus in Bononia perlustrata tradit aliquas S. Aniceti Papæ & Martyris reliquias esse Bononiæ in ecclesia S. Stephani, & S. Francisci & S. Pauli Barnabitarum. Colitur idem S. Anicetus sub ritu duplici in ecclesia Societatis Iesu Monachiensi in Bavaria, eo quod habeant caput integrum cum testimonio Romano, quod utinam submissum fuisset. Si obtineamus poterit ad calcem hujus tomi excudi.*

Reliquiæ Bononiæ,

Caput Monachii,


DE

DE SS. ISIDORA ET NEOPHYTA

G. H.

SORORIBUS, MARTYRIBUS LEONTINIS IN SICILIA.

CIRCA ANNUM CCXXXVI.



Eontinorum urbs in Sicilia Episcopalis memoriam servat variorum Martyrũ Christi: ex quibus ad hunc diem celebrantur duæ sorores, in Martyrologio Siculo Octavii Cajetani, his verbis: Leontinis sanctarum Martyrum, Isidoræ & Neophytæ sororum, sub Armato Siciliæ Consulari. *Cajetanum secutus Ferrarius easdem retulit in Catalogo generali & alio Sanctorum Italiæ. Idem Cajetanus tomo 1. de Vitis Sanctorum Siculorum pag. 43 aliquanto latius earum martyrium explicat.* Isidora, *inquit*, & Neophyta, Martyres Leontinæ, sorores fuere stirpe nobiles, altera B. Theclæ mater, altera S. Neophyti Leontinorum Episcopi. Cæsaribus Ecclesiam persequentibus, Armato Siciliæ Consulari, Christianæ religionis accusatæ comprehensæq; cum nulla atrocitate tormentorum adduci possent ut diis sacrificarent, profusa vita, illustre fidei testimonium Iesu Christo dixere. *Hæc ibi. Acta aliqua* S. Theclæ Virginis *dedimus* x Ianuarii, *at S. Neophyti, licet hoc die mortui, ut lectiones propriæ habent, Vitam sepposituri sumus usque ad Kalendas Septembris, quo die Ecclesia Leontina festum translatum celebrat, & publico ritu sacrum illi officium recitat: uti testatur Rocchus Pirrus, tomo 1 Notitiæ Siciliensium Ecclesiarum pag. 445 & sequenti. Nomen S. Neophyti ante fuisse* Alexandrum *habent Lectiones propriæ & Vita MS SS. Alphy, Philadelphi & Cyrini, fratrum & Martyrum Leontinorum, ad diem* x *Maji illustranda.* (Martyrium ex Cajetano.) B

2 *In hac dicitur* S. Thecla, occasionem nacta, de Christo & fidei mysteriis verba cœpisse facere Alexandro, & valde eum promovisse. Erat enim ei sanguine propinquus: Neophyta siquidem illius mater, soror erat Isidoræ, matris Theclæ, quæ quidem duæ sorores, ambæ pro Christo multa perpessæ, gravissimis tormentis vitam finierant sub Armato, qui Leontinorum villam rexerat ante Tertyllum: quæ conditæ sunt in Antianis, quod ipsarum erat suburbanum. (Ex Actis SS. Alphii, Philadelphi & Cyrini.) *Sub* Tertyllo *referuntur passi* Mercurius & XIX socii, *quorum memoria celebratur* x Decembris. *Tunc* Thecla, pecuniis ad Tertyllum missis per Alexandrum, eduxit è lacu Sanctos, eosque lineis involutos in suburbano suo Antiano condidit. Et post obitum Tertylli ecclesiam superædificavit: in quam intulit quoque Isidoram & Neophytam, quæ sub Armato ut dictum est, passæ sunt, appellavitque Ecclesiam sanctarum Martyrum viginti. *At multis interpositis* Alexander, *qui & Neophytus dicitur*, procurrens ad sepulchrum B. Neophytæ matris suæ, & Isidoræ sororis suæ, matrisque Theclæ, lamentabatur & eiulabat dicens: Hei mihi, Domina mater, intercede pro me apud Christum, pro quo sanguinem fudisti, ut salvet animam meam, sicut & B. Isidora soror orat pro Thecla filia; dataque est illi gratia hospitalis & eleemosynæ. *Hactenus illa Acta.* (sepultura. translatio in ecclesiam. invocatio.) E

3 *Tempus martyrii SS. Isidoræ & Neophytæ arbitratur Cajetanus cadere in sextam persecutionem, motam sub Imperatore Maximino Thrace, creato* XVIII *Martii anni* CCXXXV, *& occiso mense Octobri anni* CCXXXVII: *tuncque Siciliæ Præfectum Consularem fuisse Armatum, eique successisse Quinctianum, sub quo in persecutione Decii passa est S. Agatha; & huic subrogatum esse Tertyllum.* (Tempus martyrii.)

4 *Adjungitur hisce sororibus à Ferrario, in Catalogo Sanctorum Italiæ & iterum in Catalogo generali,* S. Benedicta, *citatis tabulis Ecclesiæ Leontinæ & officiis ejusdem Ecclesiæ à Paulo* V *approbatis: quæ omnia indicantur à Cajetano absque mentione* S. Benedictæ, *tam in Martyrologio Siculo, quam in Indice Sanctorũ Siculorum, topographico & chronologico. Dicitur illa fuisse mater SS. Alphii, Philadelphii & Cyrini, quare ulteriore de ea inquisitione remittimus ad præcitata eorũ Acta.* (an jungenda S. Benedicta.)

DE S. PETRO DIACONO ET S. HERMOGENE MINISTRO EIUS

G. H.

MARTYRIBUS ANTIOCHIÆ.

XVII APRILIS



C

Elebris est memoria horum Martyrum in solis Martyrologiis, absque ulla Actorum notitia. Apud Rabanum ista leguntur: In Antiochia natalis Petri Diaconi & Hermogenis; *Addit Ado titulum* Sanctorum. *Usuardus plura de Hermogene tradit his verbis:* Antiochiæ sanctorum Martyrum Petri Diaconi, & Hermogenis ministri ejus. *His similia leguntur in quamplurimis Martyrologiis manuscriptis & excusis quibus plane conformia habet hodiernum Martyrologium Romanum. At sicut* Hermogenes *dicitur* minister ejus, *scilicet* Petri, *ita in Mss. nonnullis dicitur* minister Petri, *& sic habet Ms. codex Reginæ Sueciæ ab Holstenio laudatus, & alter Ms. S. Cyriaci à Baronio sæpius citatus. Verum omisso verbo* ministri, *tamquam distinctus Martyr, præponitur* Petrus *in Martyrologio Notkeri; & quidem cum duobus aliis sociis, his verbis.* In Antiochia nativitas SS. Petri Diaconi & Hermogenis, Petri, Fortunati & Martiani. *Quatuor apographa Martyrologii Hieronymiani, quæ hactenus obtenta sæpius citamus, ab his Sanctis hunc diem ita auspicantur:* xv Kalendas Maji. In Antiochia natalis SS. Petri Diaconi & Hermogenis ministri Petri; Fortunati & Marciani. *Quæ eadem in alio Martyrologio Ms. monasterii Corbeiensis leguntur. In Mss. Augustano S. Udalrici & Parisiensi Labbei nostri ista habentur:* Antiochiæ Petri, Ermogenis, Martiani. *Eadem absque loci mentione traduntur in Mss Aquisgranensi & Tamlachtensi. In Mss. Casinensi & Altempsiano ea sic explicantur:* In Antiochia Petri Diaconi & Ermogenis ministri Petri, Fortunati. *Nos absque ullo præjudicio rejicimus* Fortunatum & Marcianum *in sequentem classem: quia etiam cum SS.* Petro & Hermogene *additur in alio Ms. Casinensi* Isidorus, *qui infra ad Cordubenses Martyres remittitur, aut* Julianus, *qui ad Africanos Martyres spectat.* Petrus Diaconus *in antiquo missali, ante annos 600 exarato, memoratur ad diem* xx *Aprilis. Omittimus etiam secundum* Petrum *apponere, quia ut in aliis Hermogenes scribitur* minister ejus, *scilicet* Petri, *ita in aliis omisso verbo* ejus *videtur adjunctum nomen* Petri. *Apud Grevenum sequenti die celebratur* Petrus Diaconus: *sed* Confessor *dicitur.* F

DE

G. H.

DE SS. FORTUNATO ET MARCIANO

MARTYRIBUS IN AFRICA AUT ANTIOCHIÆ.

XVII APR.



Luctuamus dubii cui potius regioni hos Martyres oporteat assignare. Rabanus relatis Martyribus Antiochenis, de quibus jam egimus, hos sejungit istis verbis: Et in Africa Fortunati & Marciani. *Eadem habentur in MS. Rhinoviensi: & subjunguntur in MS. Richenoviensi alii Martyres Africani, de quibus in proxima classe agimus. MS. Augustanum S. Vdalrici & Parisiense Labbei* Marcianum *Petro & Hermogeni conjungunt;* Fortunatum *vero ab eo separant hoc modo:* In Africa, Baruti, Donati, Macedoni, Fortunati. *Vterque vero simul ab his illisque discretus, seorsim Africæ attribuitur in Martyrologio sub nomine Bedæ excuso: quo aliisque recentioribus citatis in Martyrologio Romano, cum actum esset de aliis Martyribus Africanis, ista adduntur:* Ibidem *in Africa*, sanctorum Martyrum Fortunati & Marciani. *Interim in quatuor apographis Martyrologii Hieronymiam & aliis duobus, scilicet Romano Cardinalis Barberini, & Corbejensi & apud Notkerum, ambo cum martyribus Petro Diacono & Hermogene, in priore classe relatis, tribuuntur* Antiochiæ. *Nos locum martyrii indecisum relinquimus iis, qui certiora monumenta pro alterutro sint collaturi. Nullo apposito loco memorantur ambo in Ms. Martyrologio Tamlachtensi in Hibernia &* Marcianus *in Auctario Greveni ad Vsuardum: at* Fortunatus *in Mss Atrebatensi, Tornacensi & Laetiensi, inter Additiones ad Bedam à nobis ante tomum 2 Martii excusas.*

DE SANCTIS MARTYRIBUS AFRIS,


MAPPALICO, BARUCO, QUINTO, VICTORICO, DONATO, JANUARIO, MACORO, GALLO, THEODORA, JULIANO PRESBYTERO, MECEONO, ITEM MIGINO, DIOMEDE, FILIPPIANO. ITEM FORTUNIONE, CREDULA, FIRMO, VENTO, FRUCTO, MARTIALE, ARISTONE.

G. H.

CAPUT I.

Epistola IX S. Cypriani ad Martyres & Confessores de Mappalico.

POST AN. CCL.



Yprianus Martyribus & Confessoribus Jesu Christi Domini nostri in Deo Patre Salutem. Exulto lætus & gratulor, fortissimi ac beatissimi fratres, cognita fide ac virtute vestra, in quibus mater Ecclesia gloriatur: gloriata & nuper quidem, cum confessione perstante suscepta pœna est, quæ Confessores Christi fecit extorres: confessio tamen præsens, quanto in confessione fortior, tanto clarior & major in honore est. Crevit pugna, crevit & pugnantium gloria. Nec retardati estis ab acie tormentorum metu, sed ipsis tormentis magis estis ad aciem provocati. Fortes & stabiles ad maximi certaminis prælium prompta devotione prodistis. Ex quibus quosdam jam comperi coronatos, quosdam vero ad coronam victoriæ proximos: universos autem, quos agmine glorioso carcer inclusit, pari ac simili calore virtutis ad gerendum certamen animatos, sicut esse oportet in divinis castris milites Christi, ut incorruptam fidei coronam non blanditiæ decipiant, non minæ terreant, non cruciatus ac tormenta detineant: quia major est, qui in nobis est quam qui est in hoc mundo: nec plus ad dejiciendum potest terrena potestas, quam ad erigendum tutela divina. Probata res est certamine fratrum glorioso, qui ad tormenta vincenda ceteris duces facti, exemplum virtutis ac fidei præbuerunt, congressi in acie, donec acies succumberet victa. Quibus ergo vos laudibus prædicem, fortissimi fratres? Robur pectoris vestri & perseverantiam fidei quo præconio vocis exornem? Tolerastis usque ad consummationem gloriæ durissimam quæstionem, nec cessistis suppliciis, sed vobis potius supplicia cesserunt. Finem dolorum, quem tormenta non dabant, coronæ dederunt. Laniena gravior ad hoc diu perseveravit, non ut stantem fidem dejiceret, sed ut homines Dei ad Dominum velocius mitteret. Vidit admirans præsentium multitudo cæleste certamen Dei, spiritale certamen, prælium Christi: stetisse servos ejus voce libera, mente incorrupta, virtute divina, telis quidem secularibus nudos, sed armis fidei credentes armatos. Steterunt torti torquentibus fortiores: & pulsantes & laniantes ungulas pulsata ac laniata membra vicerunt. Inexpugnabilem fidem superare non potuit sæviens diu plaga repetita; quamvis rupta compage viscerum torquerentur in servis Dei jam non membra sed vulnera. Fluebat sanguis, qui incendium persecutionis extingueret, qui flammas & ignes gehennæ glorioso cruore sopiret. O quale illud fuit spectaculum Domino, quam sublime, quam magnum, quam Dei oculis sacramento ac devotione militis ejus acceptum, sicut scriptum est in Psalmis, Spiritu sancto loquente ad nos pariter & monente: Pretiosa est in conspecta Domini mors justorum ejus: pretiosa mors hæc est, quæ emit immortalitatem pretio sui sanguinis, quæ accepit coronam de consummatione virtutis. Quam lætus illic Christus fuit: quam libens in talibus servis suis & pugnavit & vicit protector fidei, dans credentibus tantum, quantum se credit capere, qui sumit: certamini suo adfuit, præliatores atque assertores sui nominis erexit, corroboravit, animavit. Et qui pro nobis semel vicit, semper vincit in nobis. Cum vos, inquit, tradiderint, nolite cogitare, quid loquamini: dabitur enim vobis in illa hora, quid loquamini: non enim vos estis, qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis.

Lætitia Ecclesiæ ob constantiam Martyrum, — *qui vita excesserunt,* — Psal. 115, 15 — *Christo in eis vincente* — Matth. 10, 19

2 Documentum rei præsens prælium præbuit. Vox plena Spiritu sancto de Martyris ore prorupit, cum Mappalicus beatissimus inter cruciatus suos Proconsuli diceret, Videbis cras agonem. Et quod ille cum virtutis ac fidei testimonio dixit, Dominus implevit. Agon cælestis exhibitus, & Dei servus in agonis promissi certamine coronatus est. Hic est agon, quem Propheta Esaias ante prædixit dicens: Non pusillum vobis certamen cum hominibus, quoniam

exemplo S. Mappalici — Esai. 7, 13

niam Deus præstat agonem. Et ut ostenderet quis hic agon futurus esset, addidit dicens, Ecce virgo in utero accipiet & pariet filium, & vocabis nomen ejus Emanuel. Hic est agon fidei nostræ, qua congredimur, qua vincimus, qua coronamur. Hic est agon, quem nobis ostendit beatus Apostolus Paulus, in quo oportet nos currere, & ad coronam gloriæ pervenire. Nescitis, inquit, quia qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, unus tamen accipit palmam? Sic currite ut occupetis. Omnis enim qui agonizat, in omnibus continens est: & illi quidem ut corruptibilem coronam accipiant; nos autem incorruptam. Item suum certamen ostendens, & hostiam se Domini cito futurum esse promittens, ait: Ego jam delibor, & tempus instat assumptionis meę. Bonum agonem certavi, cursum perfeci, fidem servavi. Jam superest mihi corona justitiæ, quam mihi Dominus reddet in illa die, ille justus Judex: non solum autem mihi, sed & omnibus qui dilexerunt adventum ejus. Hunc igitur agonem, per Prophetas ante prædictum, per Dominum commissum, per Apostolos gestum, Mappalicus suo & collegarum suorum nomine Proconsuli repromisit. Nec fefellit in promisso suo vox fidelis: pugnam, quam spopondit, exhibuit; & palmam, quam meruit, accepit. Istum nunc beatissimum Martyrem, & alios participes ejusdem congressionis & comites, in fide stabiles, in dolore patientes, in quæstione victores, ut ceteri quoque sectemini & opto pariter & exhortor: ut quos vinculum confessionis & hospitium carceris simul junxit, jungat etiam consummatio virtutis & corona cælestis: ut lacrymas matris Ecclesiæ, quæ plangit ruinas & funera plurimorum, vos vestra lætitia tergatis; & ceterorum quoq; stantium firmitatem vestri exempli provocatione solidetis. Si vos acies vocaverit, si certaminis vestri dies venerit, militate fortiter, dimicate constanter; scientes vos sub oculis præsentis Domini dimicare, confessione nominis ejus ad ipsius gloriam pervenire: qui non sic est, ut servos suos tantum spectet, sed & ipse luctatur in nobis, ipse congreditur, ipse in certamine agonis nostri & coronat pariter & coronatur. Quod si ante diem certaminis vestri de indulgentia Domini pax supervenerit, vobis tamen manet voluntas integra & conscientia gloriosa. Nec contristetur aliquis ex vobis, quasi illis minor, qui ante vos tormenta perpessi, victo & calcato seculo, ad Dominum glorioso itinere venerunt. Dominus scrutator est renis & cordis, arcana perspicit & intuetur occulta. Ad coronam Dei promerendam sufficit ipsius testimonium solum, qui judicaturus est. Ergo utraque res, fratres carissimi, sublimis est pariter & illustris: illa securior, ad Dominum victoriæ consummatione properare: hæc lætior, accepto post gloriam commeatu, in Ecclesia laude florere. O beatam Ecclesiam nostram, quam sic honor divinæ dignationis illuminat, quam temporibus nostris gloriosus Martyrum sanguis illustrat. Erat ante in operibus fratrum candida, nunc facta est in Martyrum cruore purpurea: floribus ejus nec lilia nec rosæ desunt. Certent nunc singuli ad utriusque honoris amplissimam dignitatem, ut accipiant coronas vel de opere candidas, vel de passione purpureas. In cælestibus castris & pax & acies habent flores suos, quibus miles Christi ob gloriam coronetur. Opto vos, fortissimi ac beatissimi fratres, semper in Domino bene valere & nostri meminisse. Valete.

A — 1 Cor. 9, 24 — 2 Tim 4, 6 — *& collegarum ejus,* — B — *invitat alios ad perseverantiam,* — *quorum voluntas desicientes martyrio coronatur.* — C

Locus Isaiæ supra citatus secundum versionem LXX *sic habet,* Μὴ μικρὸν ὑμῖν ἀγῶνα παρέχειν ἀνθρώποις ϗ, πῶς Κυρίῳ παρέχετε ἀγῶνα; *quod ex nescio qua versione haud modice alteratum accepit Cyprianus.*

CAPUT II.

Memoria horum Martyrum in sacris fastis.

3 *INtegram epistolam S. Cypriani præmisimus, ut facilior fiat memoria S. Mappalici & collegarum ejus, qui hoc die creduntur victoriam gloriosam obtinuisse. De iis in Tabulis Martyrologii Romani ista leguntur*: In Africa natalis B. Mappalici, qui, ut scribit S. Cyprianus epistola ad Martyres & Confessores, cum aliis pluribus martyrio coronatus est. *Eadem plane & eisdem verbis referuntur apud Vsuardum, Bellinum, & in multis manuscriptis Martyrologiis. Ado etiam & Notkerus dictis verbis addunt quam plurima ex præfata epistola, quæ nolumus repetere. VVandelbertus* S. Mappalicum *cum* SS. Petro & Hermogene (*de quibus supra egimus*) *his versibus celebrat.*

Mappalicus quinta decima, Hermogenesq; Petrusq;
Conlucent, merito, virtute & sanguine clari.

Memoria in sacris fastis — *S. Mappalici & sociorum,*

4 *Collegæ priores decem in titulo ita in quatuor apographis Martyrologii Hieronymiani proponuntur:* In Africa Baruci, Quinti, Mappalici, Victorici, Donati, Januarii, Macori, Galli, Theodoræ, Juliani Presbyteri & Meceoni. *At loco* Theodoræ *in unico apographo legitur* Theodori, *ut loco* Macori *etiam* Maconi. *Ex dictis Martyribus quatuor referuntur in Ms. Romano Cardinalis Barberini, & sunt isti;* In Africa Juliani Presbyteri, Baruci, Theodoræ & Maconi. *In Ms. Reginæ Sueciæ ab Holstenio æstimato memorantur*, Victuricus, Januarius & Meconus. *In Mss. Augustano S. Vdalrici & Parisiensi Labbai*, Barucus & Donatus: *at plurimi in MS. Richenoviensi, & sunt isti,* Quintus, Mappalicus, Barucus, Victoricus, Donatus, Gallus, Julianus. *Grevenus in Auctario Vsuardi habet* Donum *&* Magnum, *pro quibus videntur* Donatus *&* Maconus *seu* Macorus *restituendi. In Ms. Tamlachtensi notantur nomina* Quinti, Baruci Mappolici, Galli, Victoricii, Donati, Januarii, Maconi, Ministri, Jacobi, *pro* Meceono *forsan &* Juliano.

horum classis 1, — B

5 *Alii tres dictis Martyribus junguntur in Ms. Corbejensi & Martyrologio S. Hieronymi Parisiis excuso, & sunt isti:* Miginus, Diomedes, Filippianus: *de quibus alibi nihil legimus.* *secunda;*

6 *Vltimos septem, in titulo adjunctos, proposuit in suo Martyrologio Galesinius:* In Africa, *inquit*, beatissimorũ Martyrũ, Mappalici, Fortunionis, Credulæ, Firmi, Venti, Fructi, Martialis, Aristonis, & aliorum, qui fidei vinculo & carceris hospitio juncti, una etiam animorum consensione ad omnem cruciatum confirmati; congressionis, quam constanter susceperant, cursu confecto, præclaræ virtutis & confessionis socii ad sempiternum præmium abeunt in cælum. *Horum nomina pleraque reperiuntur in epistola Luciani ad Celerinum, quæ est* XXII *apud S. Cyprianum, ubi sic scribit Lucianus:* Saluta Numeriam & Candidam, quæ secundum Pauli præceptum & ceterorum Martyrum; quorum nomina subjicio, Bassi in pejerario, Mappalici in quæstione Fortunionis in carcere, Pauli à quæstione, Fortunæ, Victorini, Victoris, Herenæi, Credulæ, Herenæ, Donati, Firmi, Venti, Fructi, Juliæ, Martialis & Aristonis, qui Deo volente in carcere necati sunt. *Hæc ibi. In antiquissimo apographo Martyrologii Hieronymiani indicatur* Bassus cum aliis XX in Africa XIX Martii passus, *sed num is sit qui hic indicatur, non possumus judicare. Ex aliis relatis coluntur* XXII *Februarii*, Paulus, Fortuna, Victorinus *cum pluribus aliis: uti* Hirenæus *vel* Hirena XXV *Februarii. Nomen* Donati *sæpius repetitur. Demum Cyprianus, epistola* XXIII *ad Clerum Romanum scripta, asserit*, Mappalicum Martyrem cautũ & verecundũ, legis ac disciplinæ memorẽ, nullas, contra Euangeliũ litteras fecisse; sed tantum domestica pietate commotũ, matri suæ & sorori, quæ lapsæ fuerant, mandavisse pacem dari.

tertia; — F

7 *Petrus de Natalibus l. 4. Catalogi c. 58, horum martyriũ asserit peractũ esse in civitate Tagastensi. Est ea in Numidia, S. Augustini patria. Sed quidni potius in ipsa Proconsulari Africa provincia, cujus caput est Carthago, dicantur passi: cum* ipsum

A *Locus & tempus Martyrii.* ipsum Proconsulem inter cruciatus generose allocutus fuerit S. Mappalicus. Tempus martyrii statuitur à Baronio in persecutione Decii, post ejus cædem continuata: in qua ipse Cyprianus sub Valeriano & Gallieno occisus est, anno CCLVII. Pejerarium, in quo Bassus obiisse dicitur, locum esse in quo clauduntur perjuri censuit P. Gerardus Gontus Societatis Iesu, in suo Lexico ecclesiastico rariorum vocum ex Patribus collecto: cujus Lexici autographum penes nos Ms.; viri autem diligentissimi elogium impressum extat apud Alegambe in Bibliotheca, ubi Gonchus nominatur. D

G. II.

DE SANCTO INNOCENTIO,

EPISCOPO DERTONENSI IN LIGVRIA.

CIRCA AN. CCCL.



Dertona, urbs Liguriæ antiqua, sub Archiepiscopo & Ducatu hodierno Metropolis Mediolanensis, primarium Patronum veneratur S. Marcianum, *primum suum Episcopum, sub Hadriano Imperatore & Sapricio Præfecto* *Sollennitas S. Innocentii 17 Aprilis:* *martyrii laurea decoratum: cujus Acta illustravimus ad diem* VI *Martii, adjunximusq; historiam corporis inventi à S. Innocentio, ibidem tempore Constantini Magni Episcopo constituto, de quo ad hunc* XVII *Aprilis, diem ejus natalem, celebratur officium Ecclesiasticum sub ritu duplici in tota civitate, tamquam de secundario aliquo Patrono.*

Vita à Celso Diacono scripta, 2 *Vitam hujus Sancti scripsit* Celsus *ejus* Diaconus: *sed libri hujus præcipuum autographum per Gentilium incursiones periit, cum magno detrimento eorum, quæ ad hunc* B *Sanctum pertinebant. Alius dein auctor pauca ex dicti libri* *ab alio collecta,* *fragmentis & aliis notitiis collegit, quæ ex antiquis Mss. chartis edidit ante ducentos circiter annos Ioninus Mombritius tomo 2 de Vitis Sanctorum à se collectis.* *à Mombritio edita,* *Adservatur etiamnum in choro Cathedralis Ecclesiæ liber Antiphonarius antiquus, in pergameno exaratus, in quo Antiphonæ & Re-* *confirmata in Antiphonario,* *sponsoria continentur propria de S. Innocentio, respondentque historiæ Vitæ, quam ex Mombritio à nobis illustratam damus. In tabella Episcoporum sacra Dertonensis Ecclesiæ,* *& Actis Synodi Dertonensis,* *quæ habetur in fine Synodi Dertonensis anno* MDCLIX *habita, continetur aliqua Vita S. Innocentii epitome, ex qua in Annotationibus nonnulla observamus. Inspici possunt Acta* S. *Marciani à nobis collecta, in quibus dedimus duplicem epitomen ejus, aliam dictis Actis Synodi subjunctam, aliam ex Ms. Antiphonario desumptam: quales hic possemus edere; sed cum pleraque sint in Vita quam damus, brevitatis causa istas omittimus. Interim hic agnoscimus huma-* *Dertona nobis missis:* *nissimam benevolentiam Illustrissimi Domini Caroli Septala Episcopi Dertonensis, & eximii viri D. Ioannis Baptistæ Chapuis Canonici Theologi Cathedralis Dertonæ, qui jam indicata documenta nobis submiserunt.*

memoria in sacris fastis: 3 *Aliqua Vita S. Innocentii compendia ediderunt Ferdinandus Vghellus in Episcopis Dertonensibus, & Philippus Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ, ad hanc* XVII C *Aprilis: quo die eumdem referunt Kalendaria antiqui Missalis & Breviarii Ambrosiani, item Grevenus & Molanus in Additionibus ad Vsuardum, Galesinius, Canisius, Ghinius, cum Tabulis Martyrologii Romani. Eundem Ma-* *Reliquiæ & imago:* *sinus in Bononia perlustrata recolit, eo quod aliqua ejus Reliquiæ adserventur ibidem apud Canonicos Regulares Lateranenses. At Dertonenses examinatis anno* MDXCV *sacris suæ urbis Reliquiis, inter eas numerarunt corpus S. Innocentii Episcopi Dertonensis, cujus quidem in Cathedrali pars corporis insignis, reliquum in S. Stephani templo honoratur. In Episcopalis palatii aula majori, inter pictas Episcoporum Dertonensium imagines, conspicitur etiam hujus S. Inno-* *Festum translationis & ordinationis.* *centii. Festum aliquod translationis corporis S. Innocentii adnotatur in antiquis Kalendariis Ecclesiæ Dertonensis, & celebratur etiamnum officio Ecclesiastico sub ritu duplici, uti etiam festum Ordinationis ejus* XXIV *Septembris, & utroque die dictæ solennitates memorantur à Ferrario in Catalogo generali.*

tempus Sedis, & totius vitæ. 4 *Quo anno Christi S. Innocentius vita functus sit non indicatur in documentis, solum indicatur* annos viginti octo in Episcopatu sedisse. *Vghellus asserit* abiisse ad superos anno CCCLIII, *adeoque diceretur ordinatus circa annum* CCCXXV, *& septuagenario major obiisse, natus circa annum* CCLXXX, *ut qui anno* CCCII *explerat annos duos & viginti, in atrocissima Diocletiani & Maximiani persecutione: si quis eum aliquanto citius è vita excessisse probaverit, non displicebit.*

VITA

à Ionino Mombritio ex MSS. edita.

CAPUT I.

Encomium Quintii patris. Captivitas & tormenta illata S. Innocentio, & è carcere eductio. E

1 AD laudem gloriamque Domini nostri Jesu Christi referre curavimus, quæ per ipsum facta cernimus: ne oblivione futuri populi pereat gratia, quam suis concessit fidelibus. Fuit apud civitatem Dertonensem illustris Quintius, qui de stirpe Romana descenderat, *Pater S. Innocentii Quintius* vir prudens, & cui divitiæ ac facultates erant multæ: & hic habuit uxorem, nomine Innocentiam, civem Lucanam. Habebant autem auctoritatem à *a* Valeriano & Gallieno ceterisque *b* Imperatoribus, *a b* ut sine ulla persecutione Christianæ legis cultores essent: ut nemo Imperatorum molestus fuisset generi illius. *Christianus & in persecutione liber,* Habitabat autem prope templum Jovis, sed propter culturam idolorum frequenter manebat cum omni familia sua in villa, quæ appellatur *c* Jata, non longe à civitate Dertonensi, prope fluvium *c* Golubum, sub potestate Adriani, quæ *d* nunc appellatur Vallis S. Innocentii. *d* Facta itaq; persecutione temporibus *e* Diocletiani & Maximiani Imperatorum, solus erat absque persecutione? *e* Hoc enim præceperant, ut omnes ecclesiæ clauderentur aut destruerentur. Comprehenso itaque *f* Marcellino *f* Presbytero, jusserunt eum gladio puniri: Sacerdotes vero alii exilio, alii diversis perpessis tormentis vitam finierunt: quorum corpora absconsa rapiebat Quintius, & nocte sepeliebat, sedensque scribebat certamina singulorum. F *sepelit corpora S. Marcellini & aliorum Martyrum:* Scripturas verò divinas, quæ fuerant ecclesiæ, apud se absconsas habebat: ecclesias autem & libros omnes igni [persecutores] cremaverunt. Relictus autem solus est *g* Julianus Presbyter & Maliodorus Diaconus, qui *g* in abdito apud Quintium latitabant, & secrete in *& S. Juliani Martyris.* domo ipsius extra civitatem sancta mysteria celebrabant. Post menses autem sex nuntiatum est Leoni Præsidi, Julianum Presbyterum apud Quintium latitare. Jussit ergo eum inquiri, & comprehensum in abdito jussit *h* eum duci foras portam *i* Ticinensem, *h i* fecitque eum decollari. Noctis autem tempore rapuit Quintius corpus ejus, & sepelivit procul à domo sua, non longe à fluvio Golubo. Maliodorus verò Diaconus permansit in abditis, & non inveniebatur. Cessavit autẽ Episcopatus annis *k* quindecim. *k*

2 Quintio vero Christianissimo viro erat unicus filius annorũ quindecim qui derivato à patre vocabulo *S. Innocentius,* Quin-

A Quintius appellabatur: nomine autem proprio, quod in baptismi gratia acceperat, Innocentius dicebatur: & filia una parvula nominabatur Innocentia, sicut & mater ipsius. Ipsa autem tempestate, nimio zelo inimici [agitatus], vocatus ad Dominum Quintius, à vita subtractus est, & sepultus extra terram *l* Marineam. Septimo vero die defuncta est Innocentia conjux ejus, & cum eo posita est in uno sepulcro: erat autem tunc Innocentius annorum duorum & viginti. Post mortem vero genitorum ipsius, præsumpsit Leo comprehendere Innocentium, vallans domum ejus. Et cum comprehensus esset, duxerunt eum ad prætorium, & elevaverunt sacerdotes idolorum vocem, dicentes: Si non incendis domum Quintii & semen ejus perit; tota Derthona, quæ fuit filia Romæ, effecta est filia perditionis propter domum Quintii, & dii nobis irati sunt. Tunc Leo jussit B. Innocentium extendi & fustibus cædi, dicens: Diu est quod tu & omnis domus tua sacrilego more vixistis: sacrifica diis. Cæsum autem jussit in carcerem mitti, dicens: Dic, ubi sunt thesauri patris tui & scripturæ quas scribebatis per noctem? Ipse vero respondit, se nescire. Tunc impius Leo jussit omnem substantiam eorum Imperatoris fisco devenire, & gesta omnium Christianorum, quæ apud eum inventa sunt, incendi. Jussit porro iniquissimus Præses iterum B. Innocentium recludi in carcerem ad portam quæ dicitur *m* Vercellina. Misit autem quæstorem suum, dicens: Considera nobilitatem tuam & possessionem tuam: immola diis, & ostende thesauros patris tui, & vives: si non ostenderis, morieris. Respondens autem B. Innocentius, dixit: Præcepta Imperatorum habeo, ut Deo meo serviam: deos tuos non adoro, nec thesauros ostendo. Tunc impius Præses jussit eum fustibus cædi, & cæsum in carcerem recipi: mandavitq; Maximiano Imperatori omnia quæ gesta sunt. Maximianus autem Imperator præcepit: Substantiam Quintii suscipe in prætorium; filium vero ejus, si non sacrificat, igni consume: nobilitas ejus veneat, in opprobrium omnium Christianorum.

[S. Innocentius, post mortem parentum, annos natus 21, comprehensus, carceri includitur: B, m, constans in fide fustibus cæsus adjudicatur igni:]

3 Nocte autem eadem apparuit ei pater ejus, dicens in somnis: Fili exi hinc, & vade Romam: ibi salvus eris in propriis tuis: nondum enim de nobis sensit Diocletianus. Et hoc scias, quia hoc anno ambo *n* morientur, & pax reddetur Ecclesiæ. Expergefactus autem à somno, vidit januas carceris apertas, & exiit foras, dicens: Deduc me, Domine, in viam tuam, ut ingrediar in veritate tua. Custodes vero carceris dormiebant & stertebant. Tunc ivit B. Innocentius in domum suam in Floriaca, cœpitque tres pueros suos, & perrexit Romam. Sororem vero suam commendavit tutoribus ejus, dicens: Prope est ut transeat tempestas hæc: nolite timere. Ipse autem perveniens ad S. Melchiadem *o* Episcopum, honeste receptus est. Eodem anno Diocletianus & Maximianus vitam finierunt.

[à Quintio patre apparente n F è carcere liberatus abit Romam ad S. Melchiadem. o]

ANNOTATA.

a *Cœperunt Valerianus & Gallienus imperare ab anno 254 sub finem vergente; & post Valerianum anno 259 à Persis captum, regnavit Gallienus usque ad annum 268.*

b *Hi fuerunt Claudius 2, Aurelianus, Tacitus, Probus, Carus, Carinus & Numerianus: qui simul regnarunt annis 16.*

c *In Actis Synodi* Jaca.

d *Ita locum emendavimus, in eisdem Actis Synodi erat*, quæ tunc appellabatur villa Innocentii. *Golubum vero putamus dici fluvium qui Dertonensi urbi ad Occidentem fluit, & in mappis hodiernis* Scrivia *nominatur.*

e *Diocletianus sumpsit Imperium an. 284, & socium Imperii accepit Maximianum anno 286.*

f S. Marcellinus Episcopus habetur octavus, ab anno 277, & post 17 annos Martyr effectus anno 294, cum qua concionibus, qua exemplis fidelium mentes ad omnem religionis partem inflammare instituisset. Optione verò à Præside data ut thus idolo adhiberet, vel sanguinem vitamque persunderet; ad hoc detestatus tyranni impietatem, & gratulatus sibi martyrii occasionem, post varia pœnarum genera, gloriosum vitæ finem sortitus est. *Ita in Actu & apud Ughellum in Episcopis Dertonensibus.*

g S. Julianus 9 Episcopus *habetur, diciturque* omnem movisse lapidem ut rem Christianam promoveret.

h *Imo*, in templum abductum jussit thus offerre Herculi, quod strenue negavit se unquam facturum; *& sic* securi percussus est, cum annum in Episcopatu non complevisset. *Apud Ughellum legitur præfuisse ad septem annos; forsan* menses *legendum. Est ibidem parochia seu pagus S. Iuliani versus Alexandriam, an ab hoc S. Iuliano Episcopo & Martyre?*

i *Ticinum, nunc Papia, distat Dertonâ versus Boream 25 millibus passuum.*

k *Ab anno circiter 296 ad annum 311, quando S. Melchiades factus fuit Pontifex Romanus.* E

l *Inter Dertonam & Alexandriam, duabus ab hac milliaribus notant chorographicæ tabulæ vicum* Marengo, *qui hic videtur* Marinera villa *nuncupari.*

m *Vercellensis urbs versus Occidentem distat circiter 30 millia passuum.*

n *Imo*, relinquent Imperium, *quod est civiliter ab Imperio mori: & hoc contigit anno 305.*

o *Melchiades creatus est Pontifex Romanus anno 311, sed potuit S. Innocentium ante excepisse, & detinuisse secum usque ad obitum suum, id est ad 10 Decembris anni 313.*

[EX MOMBRITIO.]

CAPUT II.

Episcopatus S. Innocentii: variæ ecclesiæ extructæ: inventio corporis S. Marciani.

4 Postmodum autem Maliodorus Diaconus, à S. Materno *a* Mediolanensi Archiepiscopo creatus est Episcopus: mansit vero in Episcopatu usque ad conversionem Constantini Imperatoris. Eunte autem ad Dominum S. Melchiade Episcopo, *b* Silvester Episcopus factus est, Innocentium vero ordinavit Diaconem. Cœpit autem Constantinus toto orbe persequi Christianos, pro qua sententia lepra percussus est: quo post baptizato à Silvestro Episcopo jussit privilegia restitui Christianis. Petiit autem pius Silvester à Christianissimo Imperatore toto orbe baptizari credentes, restitui ecclesias, constituere Sacerdotes. Quæ postulatio placuit Imperatori, & jussit Imperiali auctoritate manu publica per universum mundum restitui ecclesias. Eodem namque tempore Maliodorus Episcopus migravit ad Dominum: quo audito, clementissimo Constantino patefactum est à S. Silvestro. Et dum ei omnia de S. Innocentio per ordinem nuntiata fuissent, nobilitas generis & abundantia divitiarum; præcepit Constantinus omnia restitui, quidquid occultum fuerat. Et ordinavit eum Episcopum, deditque ei apicem, qui ei omnia restitueret, & ut omnes Gentiles seu Judæi Christum Dominum adorarent, & qui contempserant exilio destinarentur, & omnis substantia eorum Ecclesiæ Catholicæ permaneret. Accipiens itaque B. Innocentius missum vel præceptum Imperatoris, venit in civitatem Dertonensem, domumque suam tam intus quam foris eversam inve-

[a F b sub S. Silvestro Papa & Constantino Imperatore Christiano, mortuo Maliodoro Episc. succedit S. Innocentius.]

Ex Mombritio

invenit cum ecclesiis: seditque in Episcopatu, c octavo Calendas Octobres. Cœpit colligere Christianos, & baptizare credentes, inquirere pecunias tam Ecclesiæ quam suas.

c occubavit sedem 24 Septemb.

5 Tunc S. Innocentius omnem substantiam suam per scriptum sanctæ Ecclesiæ confirmavit. Sacerdotes templorum, qui baptizati sunt cum uxoribus & universis substantiis in ecclesia venerunt: qui vero noluerunt baptizari, exilio destinati sunt, & omnem substantiam eorum Ecclesia suscepit. Judæi vero, qui habitabant in parte portæ Ticinensis, nolentes baptizari, per singulas provincias dispersi sunt. Everterunt Christiani una cum Papa suo synagogam, & ædificaverunt ecclesiam, ubi Episcopi moram trahunt; feceruntq; baptisterium & fundaverunt aliam ecclesiam secus baptisterium; quo in loco resederat Marcianus vel parentes ejus. d Everterunt templum Martis & Jovis, & ædificaverunt cuncta manu basilicam sancti Martyris Stephani, ecclesiamque e Apostolorum. In vertice castri prioris constituerunt basilicam f SS. Xisti & Laurentii. Sorori vero suæ, quæ à tutoribus fuit nutrita, condidit g monasterium in utraque montis [parte], in medio ascensu civitatis cum tutoribus. Fecit puteos, & eduxit aquam ab antiqua cisterna per cloacas & aquæ ductus, per omnem cellam monasterii: inferius & superius fecit cloacas, in quas decideret aqua, ne occuparet civitatem. Cœpit multa signa facere in nomine Domini Jesu Christi, illuminare cæcos, surdis restituere auditum, claudis gressum, fugare dæmones. Evertit aras & lucos, & omnia loca idolorum destruxit: & factus est omnis populus civitatis Christianus, quia primi milites & robusti habitabant in ea: contra h Marcomannos ipsi dimicaverunt, ita ut minime hi possent contra Romanum imperium caput levare. Gratias Domino Jesu Christo, qui per Sacerdotem sanctum renovavit mundum, & illuminavit & erexit Ecclesiam: in statu constituit Sacerdotes & Clerum: fecit tonsuram in Clericis, sicut à sancto didicerat Silvestro. Factum est autem, ut media pars civitatis Dertonensis, una cum omnibus suburbanis, Ecclesiæ permaneret: quia & res antiqua Ecclesiæ reddita est, & pecunia Judæorum & Sacerdotum Gentiliumq;, quæ multum ampla esse videtur, omnia ad Ecclesiæ jura firmata sunt.

& bona obstinatorum sacrificulorum & Iudaeorum: ecclesias construit d e f g *& monasterium sorori.* B *claret miraculis,* b *stabilit religionem Christianam,*

6 Cum vero legeret quotidie Acta & certamina S. Marciani Martyris vel prædecessorum ejus B. Innocentius; enixe orabat die noctuque, ut Dominus ostendere dignaretur sepulcrum ejus. Cumque consummasset omnia publica, virtute & manu populi, septimo decimo anno Episcopatus ejus expleta sunt omnia ædificia. Dum vero aliquando beatus Jacobus Presbyter observaret vicem suam in i ecclesia S. Mariæ, per visum k dictum est ei: Veni, ostendam tibi ubi est sepulcrum S. Marciani. Et ducens eum foras portam civitatis ostendit ei locum; dicens: Vade, dic Innocentio Episcopo: Ecce ubi positum est corpus Marciani Episcopi. Excitatus autem à somno confestim nuntiavit Episcopo: quo eunte ad locum, ostendit ei: & erat super sepulcrum ejus sambuci arbor condensa nimis. Accersitis vero Celso & Gaudentio Diaconibus, cœperunt fodere: evellentes autem arboris condensa quasi ad pedes tres, invenerunt sepulcrum latere coopertum: & hæc erant scripta in latere: Hic requiescit corpus S. Marciani Episcopi. Tunc B. Innocentius convocavit Sacerdotes & Clerum simul & populum, euntesque ad locum psallentes & aperientes sepulcrum, invenerunt corpus ejus simul, & vas vitreum ejus sanguine plenum, & spongiam l qua collectus fuerat sanguis ejus. Et accipientes eum, cum omni gaudio tulerunt foras, munieruntque sepulcrum & posuerunt lapidem: & verba, quæ fuerunt in latere, scripserunt in lapide. Ædificaverunt basilicam per totum spatium anni. Beatus autem Innocentius Episcopus consecravit eam ipsa die inventionis ejus, tertio decimo Calendas Novembres. In quo loco & die multi infirmi salvi facti sunt: & fiunt quotidie merito sanctitatis ejus.

S Marciani corpus inquirit: C i k *visione calesti invenit,* l *ædificat illi basilicam.*

ANNOTATA.

a *S. Maternus colitur* 18 *Iulii, in cujus Actis, Mediolani à nobis descriptis, dicitur* Dertonam venisse, dispersum ac pene annullatum Cleri ordinem reformasse, & una cum consensu plebis prælectum ex Diaconis Meliodorum, summæ sanctitatis Levitam, Episcopali ministerio decoravisse, plebique poscenti Pastorem tribuisse.

b *Anno* 314, *seditque usque ad* 31 *Decembris anni* 335, *ad cujus Vitam erunt reliqua de Constantino illustranda: ex quibus videntur hic aliqua à posteris intrusa.*

c *In Calendariis antiquis signatur Officium Ordinationis S. Innocentii sub ritu duplici,* 24 *Septemb. sive* 8 *Kalend. Octob.*

d *Acta Synodalia*: Comminutis Jovis ac Herculis simulacris fanum ritu Christiano consecravit, Divique Stephani nomine dedicavit.

e *Eadem Acta*: Singulis quoque Apostolis duodecim ecclesias ære suo ædificandas curavit.

f S. Systus Papa *mortuus est 6 Augusti, die Transfigurationis Domini. Hinc* 7 Augusti sub ritu duplici fit Dertonæ officium de S. Systo Papa & Martyre, ut Patrono minus principali: *& sunt ibidem* aliquæ ejus reliquiæ.

g *Dicta Acta*: In colle, cui Divæ Euphemiæ vocabulum, ad urbis muros & ab arce nova parum distans: sed ob militares excursiones, sanctimoniales ad novum monasterium, in meditullio civitatis excitatum, transiere.

h Marcomannicum bellum *valde atrox duravit per triennium sub Marco Antonino Vero, quando siti aliquando laborantem exercitum Christiana legio, impetrata de cælo pluvia, recreavit anno* 174. *Integro fere seculo junior fuit S. Polyeuctus Martyr, adhuc in legionem Fulminatricem, (nam ita appellabatur, & nomen suum retinuerat) postmodum admissus: ita potuit perseverasse nomen Dertonensium, qui in isto aut simili contra Marcomannos bello decertarant. De S. Polyeucto egimus* 13 *Februarii.*

i *In Actis Synodi dicitur* ecclesia B. Mariæ ab ipso extructa, tanta celsitudine, ut non privata sed plane regia videretur ecclesia. Longitudo constabat triginta supra centum cubitis, respondebatque non dispar amplitudo, viginti ferme columnis affabre elaboratis immanibusque substructionibus tota innitebatur moles: aderantque ex opere musivo & aliis picturis expressæ imagines; omnia nitebant ex auro & gemmis. Turrim habebat cælum ferientem, quæ fulminis impetu percussa anno 1609 una cum templo collapsa est.

k *In Historia Inventionis excusa 6 Martii, dicitur* ab Angelo dictum ei.

l *In eadem Historia*: Qua B. Secundus Martyr inclytus ejus sanguinem collegit, & juxta corpus ejus collocavit. *Plures alia illustres circumstantia ibidem leguntur. Acta varia Sancti Secundi dedimus* 30 *Martii.*

A

CAPUT III.

Iter Romanum: miracula: obitus.

Proficiscitur Romam, Ravennam,

7 Facta est pax Ecclesiarum Dei: quia quo veniebat Episcopus, benedicebat. Tunc demum constitutum est, ut Episcopus Romam pergeret. Beatus autem Innocentius, expletis omnibus, perrexit Romam orationis causa & solicitudine pecuniæ suæ, quam habebat in urbe Roma vel per singulas civitates, sive in Luca sive in *a* Liguria: (quia, ut legimus, magna substantia est Ecclesiæ Dertonensis) simul & per universam Tusciam, quia Romanus vir illuster uxorem Lucanam habuerat: in Ravenna vero & universa *b* Pentapoli diversæ pecuniæ Quintii. Quando igitur B Innocentius perrexit Romam, Etruriam vel Pentapolim, mulier quædam nobilis vidua, jam pluribus annis bonis operibus dedita, eleemosynis & orationibus vacans, infirma longo tempore, spem habens in Domino, quotidie orabat dicens: Domine, ne permittas me mori, donec videam S. Innocentium. Dum hoc dixisset, nuntius appropinquans dixit: Dominus Innocentius jam Ravennæ est. At illa magis clamabat: Domine miserere mei, non permittas me mori, donec videam servum tuum Innocentium. Cumque appropinquasset civitatem Placentinam, nuntiatum est ei: Festina, quia *c* Perpetua filia tua te expectat, valde anhelans & anxie te videre desiderans. Surgens itaque primo mane perrexit. At ubi ingressus est civitatem, invenit eam mortuam: statim abiit domum ejus, quæ ante ecclesiam Domini erat. Ivit ad feretrum & lacrymatus est, quia diligebat eam: quippe quæ Dei erat ancilla. Et inclinans se dixit: Filia, cur insalutata recessisti? Quare absque commeatu abisti? Aut cur à me viaticum non petisti? Statim illa aperuit oculos, quasi à somno excitata: & protinus exiliens cecidit ad pedes ejus, dicens, Gratias ago Deo meo, quia merui videre te. Tunc cuncti admirati sunt, & præ gaudio fleverunt, & benedixerunt Deum: ipsi vero narrabant omnia, quæ cognoverant.

B *Nonantium,* *c* *ibi mortuam resuscitat:*

alia patrat miracula,

8 Hæc & alia multa mirabilia per eum Dominus operatus est: erat enim vigilans & orans frequenter: eleemosynas multas, sicut pater suus, exercebat. Lætabatur in eo omnis plebs & vicinia urbium: eo quod non solum prædicatio, sed & signa procedebant virtutum. Nos pauca quæ ob memoriam ex libro Celsi diaconi ejus didicimus, scribere curavimus, qui à Gentibus deperiit, quas peccato operante super nos Dominus induxit: qui liber omnibus patuit.

C *scripta à Diacono.*

d

9 Fuit igitur quædam mulier *d* Senatrix, filia Prosperi, uxor Sabini Scribæ: quæ tantum duos annos fuerat cum viro suo. Cum autem obiisset vir ejus, in tanta castitate permansit, ut videretur Anna esse, quam Euangelista commemorat, in vigiliis, in jejuniis, in castitate & eleemosynis degens: habitabat autem ante atrium B. Mariæ, tantumque vigilans ut nemo ante eam ingrederetur ecclesiam, solumque sanctum Pontificem inveniebat aliquoties ante ingredi: ipsa vero reficiebat lampadas: scoparum diligentiam non solum ecclesiæ sed & porticibus exhibebat. Dum autem pluribus annis hoc ageret, etiam propriis manibus Pontifici exhibebat obsequium. Cumque cum ea Episcopum frequenter *e* Clerici nocturno tempore inspexissent; cœperunt mutuo dicere: Quid est quod juvenis mulier & vidua hæc & sine filiis, ejus deservit officiis? quia consuetudinem posuerat in baptisterio manere propter calorem: qui ibidem consueverat esse tempore hiemis. Illi autem dum in hoc opere eos perseverantes quotidie vidissent; non divinæ virtutis potentiam credebant, sed solam concupiscentiam carnis existimabant. Cumque hanc famam de eo populo detulissent, cœperunt & ipsi mala colloquia inter se quotidie de eo invehere. Tunc cogitans Pontifex, hujus rei detractionem tacendo voluit diminuere. Quadam vero die Dominica, dum resedisset Pontitex in ecclesia S. Mariæ, coram populo innuit ipsi Dei famulæ, ut sibi ad pedes calefaciendum prunas deferret. Quæ velocius ivit, & ardentes prunas vestimento detulit illæso, & ante Pontificem ad calefaciendum obtulit. At ille porrectis pedibus ad prunas per horam unam vestimento permanebat illæso: quo viso omnis Clerus & populi universi mirabantur valde. O quam gloriosum & admirabile nomen tuum, omnipotens Deus: qui etiam Sanctos tuos à labiis iniquorum & à lingua eorum dolosa superari non permittis: quia nec falsitas in conspectu tuo proficit, nec lingua dolosa ante te dirigetur. Sit nomen tuum, Deus, benedictum in secula. Unde factum est, ut eos, qui hanc infamiam excitaverunt repentinus vastaret interitus: & inter eumdem annum Clerici, qui hoc commiserunt, *f* elephantino morbo percussi, mortui sunt: crevitque timor in omnes & glorificaverunt Deum: & omnes submisso collo Pontificem rogaverunt, ut oraret pro eis, qui evaserant, ne similis eis interitus eveniret.

Luc. 2, 36 *liberatur detractione,*

EX MOMBRITIO *e* *ob conversationem cum pia vidua,* *illa prunas ardentes vestibus illæsas ferente,* *& Clericis detractoribus morte percussis.* *f*

10 Per idem vero tempus virtutes plurimas & miracula per eum Dominus operatus est coram populo, quæ non sunt in hoc libello scripta. Transiit autem idem beatissimus vir Innocentius Episcopus *g* quinta decima Kalendas Majas: & sepultus est à Christianis cum omni diligentia, regnante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre & Spiritu sancto vivit & regnat Deus in secula seculorum. Amen.

clarus miraculis obit 17 Aprilis. *g*

ANNOTATA.

a *Hic erat mendum aliquod amanuensium & pro Liguria legebatur Sicilia, & mox dicitur Quintius habuisse uxorem* Siculam, *quæ erat* Lucana *sive* Hetrusca.

b Pentapolis, *ut ex nomine patet, continebat quinque urbes*, Ravennam, Cæsenam, Classem, Forum-Livii, Forum-Pompilii; *ita Hieronymus Rubeus lib. 4 Historiæ Ravennatum ad annum 655. nam eo tempore fuit vox illa in usu, non tempore Constantini Magni.*

c *In Actu Synodi, dicitur* Perpetua virgo, nobilitate & sanctimonia insignis.

d *Ibidem dicitur* nomine Senatrix.

e *Additur in eisdem Actis*: Dum à flagitiosa vita multos revocare studet, eorum invidiam conflavit atque iracundiam. Inde illibato ejus honori, ac pudicitiæ labem inspergere non dubitarunt.

f *In Antiphonis dicuntur* auctores infamiæ non evasisse illæsi, qui lepra fœda contacti, spiritum exhalarunt inviti, tali fine condigni criminatores Sancti.

g *Additur in Actu Synodi:* Post annos 28 in Episcopatu transactos.

DE SANCTO PANTAGATHO,

EPISCOPO VIENNENSI IN GALLIA.

CIRCA AN. DXL



IN antiqua Notitia dignitatum Imperii Romani, sub dispositione Præfecti prætorio Galliarum, numerabantur Provinciæ Galliarum septemdecim; quarum prima erat Viennensis, eaque Consularis; & hujus nobilissimæ Provinciæ metropolis erat Vienna, Sede Episcopali cum aliis urbibus Galliarum adhuc sub Ethnicis Imperatoribus decorata. Hujus Sedis quamplurimi Episcopi Sanctorum catalogo adscripti leguntur: inter quos ad hunc diem suam habet venerationem S. Pantagathus, quem solitum officio Ecclesiastico coli indicat Breviarium Viennense, anno MDXXII Viennæ excusum, in quo præscribuntur omnia de Communi Pontificis & Confessoris, cum prima oratione Da quæsumus omnipotens Deus &c. Eadem confirmant antiqua Mss. Kalendaria ex Breviario & Missali excerpta, quæ penes nos habemus, cum alio Catalogo Sanctorum Episcoporum Ecclesiæ Viennensis. Ado Episcopus Viennensis ante octingentos annos ista suo Martyrologio inscripsit: Apud Viennam S. Pantagathi Episcopi. Secuti deinceps alii, interque illos auctor Bedæ suppositicii, quod est Martyrologium ex Adone potissimum collectum. Ejusdem meminerunt Mss. Leodiensia S. Lamberti & S. Laurentii, Bruxellense S. Gudilæ, Ms. Florarium, Martyrologium Coloniæ anno 1490 excusum, Grevenus in additionibus Usuardi, Canisius aliique, & cum iis Tabula Martyrologii Romani.

Cultus præscriptus in antiquis Breviariis: *& Martyrologiis.*

B

2 Subscripsit Concilio Aurelianensi III, proximo post S. Lupum Lugdunensem loco, his verbis: Pantagathus in Christi nomine, Episcopus Ecclesiæ Viennensis, juxta id quod omnibus Coëpiscopis meis, qui mecum subscripserunt, placuit, subscripsi. Conditi in eo Concilio fuerunt triginta tres canones, de his, ut dicitur in Præfatione, quæ per longum tempus, observatione cessante, fuerant intermissa, quibus nova pro causarum vel temporũ conditione addenda crediderunt. Dicitur illud Concilium habitum VII Maji anno Childeberti XXVII, qui nobis est annus Christi DXXXVI.

Concilium 3 Aurelianense, cui subscripsit, habitum anno 536,

3 Ado Episcopus Viennensis in Chronico suo, ætate sexta, elogium aliquod edidit de S. Pantagatho, sed temporibus ejus non satis ordinatis. Nam cum tempora indicasset Iustiniani Imperatoris & mortem Chlotharii primi Francorum Regis, quæ contigit anno DLXI, proponit Justinum juniorem annis undecim regnasse, qui imperavit ab anno DLXV usque ad annum DLXXVIII, ac dein tradit ista: Joannes Ecclesiæ Romanæ Pontifex ecclesiam Apostolorum Philippi & Jacobi perfecit & dedicavit; quam decessor ejus Pelagius cœperat extruere: sed illi operi immortuus anno DLIX, cui successit Ioannes III, qui superstes præfuit Ecclesiæ usque ad annum Christi DLXXII, Iustini Iunioris VII. His præmissis ista addit Ado: Pantagathus Viennensis Ecclesiæ Episcopus floruit: hic Consularibus fascibus primum sublimis, sed Christi humilitate * primus, postmodum quinq; annis Episcopalem Sedem fidelissime rexit: sub Consulatu Paulini junioris & Basilii vita functus est: cui successit in Episcopatu Isicius, qui & ipse sub Justiniano floruit. Quatuor fratres filii Chlotharii regnum inter se dividunt. Hæc ibi: in quibus Ado transit à Iustino juniore iterum ad Iustinianum, sub quo & nos mortem S. Pantagathi necessariò notamus: sed diu ante ordinati ut qui Consilio Aurelianensi III interfuit. Et quamvis concedamus non solum quinque quod infra, epitaphium habet, sed decem aut duodecim annis Episcopatum rexisse, necessario tamen è vita excessit antequam Aurelianense V Concilium haberetur, V Kalendas Novembris anno XXXVIII Childeberti Regis, sive anno Christi DXLVII, quando Isicius, sive Esychius, successor, dicto Concilio subscripsit. Quod autem dicatur vita functus sub Consulatu Paulini junioris & Basilii, non caret sua difficultate, cum ii non fuerint simul designati. Præfuit Basilius solus anno DXLI; ac deinceps numerati fuere anni post Consulatum Basilii: ita etiam ante numerati sunt anni post Consulatum Paulini, & dictus annus DXLI fuisset annus VII post Consulatum Paulini, quo Basilius fuit Consul creatus: potuerunt vero sequentes designari post Consulatum Paulini & Basilii, quod in re, tam obscurè ab Adone proposita, nonnihil elucidanda, potest aliquid conferre. Hæc de tempore Sedis ac mortis.

C

elogium ex chronico Adonis:

** al. prior aut parvus:*

tempus sedis:

4 Saussajus in Martyrologio Gallicano ita ejus virtutes depingit: Viennæ S. Pantagathi, Episcopi & Confessoris; qui, quod nomen præfert, Omnibonus reipsa fuit: summa enim cum prudentia ac pietate docendo, concionando, gubernando, provinciam sibi commissam administravit: & in summa integritate commendabilis, postquam Concilio tertio Aurelianensi, inter præclara Galliæ sidera, verum religionis lumen ac columen interfuisset, lætus abiit ad Dominum. Ioannes le Lievre in Antiquitatibus Viennensibus cap. 20 de Pantagatho agit, & in Martyrologio Ecclesiæ Viennensis à se reformato necdum excuso istud elogium profert: XVII Aprilis, Viennæ S. Pantagathi Confessoris, vicesimi secundi Archiepiscopi, qui ex sublimitate Consulatus Pontificale adeptus est fastigium doctrina sua & meritis. Hic interfuit secundo (imo tertio) Aureliano Concilio cum B. Lupo Lugdunensi Archiepiscopo, in quo tria & triginta capitula Ecclesiæ utilissima ordinata fuere, eodem B Pantagatho Præside per omnes Galliæ Ecclesias promulgata. Paulino & Basilio Consulibus quiescit, plenus miraculis ac piis operibus, in oratorio B. Georgii juxta basilicam Apostolorum. Addit idem in Antiquitatibus Viennensibus, sanctas hasce reliquias tempore diuturno fuisse honoratas in dicta Apostolorum ecclesia, sed modo cum aliis reliquiis immistas adservari in eadem ecclesia, post furiosam hæreticorum irruptionem in ecclesias Viennenses factam anno MDLXVII.

Elogium ex Martyrol. Saussaji.

& Vienn. E

Reliquiæ:

5 Extant etiam antiquitates Viennenses ad calcẽ bibliothecæ Floriacensis, inter quas est antiquum epitaphiũ S. Pantagathi, etiam inter vetera epitaphia, ex Ms. codice bibliothecæ Alexandri Petavii eruta ab Andrea Chesneo, tomo I Scriptorum historiæ Francorum excusum, quod est ejusmodi.

Epitaphium antiquum:

Sanctorum Vitas, transactis cursibus ævi
Scriptas, posteritas cernere magna cupit:
Ut valeat similis sanctis consistere viris,
Atque procul tendat vivere post obitum.
Hoc igitur Sancti conduntur membra sepulcro F
Pantagathi, Patris Pontificisque pii:
Cujus vita fuit gemino sublimis honore,
Fascibus insignis, religione potens.
Arbitrio Regum Quæsturæ cingula sumpsit,
Stemmate præcipuus, plus probitate cluens,
Dans epulas primis, & largo munere gazas
Pauperibus, deîn cælica regna petens.
Ingenio solers, intégro dogmate fulsit:
Orator magnus, vates & ipse fuit.
His igitur studiis primævo flore juventæ
Inter Summates esse prior studuit;
In sobole felix, divisam munere vidit;
Pars sacrata Deo, pars genitura manet.
Post matura viro quam gessit tempora vitæ,
Culmen Apostolicum contulit alma fides.
Sic linquens mundum, cælestem possidet arcem,
Qui sit præsidium, celsa Vienna, tibi.
Bis senum vitæ complevit tramite lustrum,
Annis quinque super specula nostra valens.
Inquibus æternæ contemplans gaudia vitæ,
Lucem perpetuam promeruitque suæ.

A

DE SANCTO DONNANO ET LII DISCIPVLIS HIBERNIS IN INSVLA SCOTIÆ EGGA OCCISIS.

G. H.

CIRCA AN. DC.



Homas Sirinus Hibernus, *Ordinis Fratrum Minorum strictioris Observantiæ in Lovaniensi collegio S. Antonii de Padua Provinciæ Hiberniæ, sacræ Theologiæ Lector Iubilatus, cum apographo Martyrologii Tamlactensis pro mense Aprili submisit nobis, quæ hic damus de S. Donano, referenda ad* XVII *Aprilis: ac primo quæ reperit in Appendice dicti Tamlactensis Martyrologii in pergameno scripti, indicat his verbis:* Ega nomen fontis in Aldasain Cattaibh, in boreali Albania: & ibi Donnanus cum sua familia martyrium subjit, quod sic contigit. Quædam mulier dives illic habitabat ante Donnanum, & ibi pascebantur pecora ejus. Hæc ergo propter invidiam, quam circa illos habebat, quibusdam latronibus persuasit, ut interficerent Donnanum. Sed cum illi latrones illuc venissent, invenerunt eos in Oratorio psalmodiam cantantes, & ibi non potuerunt eosdem interficere. Dixit autem Donanus discipulis suis: Eamus in refectorium, ut hi possint interficere nos, ubi vivere carnaliter solebamus: quia quamdiu sumus ubi Deo sategimus placere, mori non possumus: ubi vero carni benefecimus, carnis dispendium solvemus. Sic ergo in refectorio in nocte Paschæ occisi sunt: quinquaginta duo autem passi sunt simul cum ipso Donnano. *Hæc ibi. Sed perperam legebantur* LIV, *cum solum essent* LII.

memoria eorum in Appendice ad Martyrologium Tamlacten.

B

2 *In ipso Martyrologio Tamlactensi ad hunc* XVII *Aprilis de iis ista leguntur:* Donanus magnus cum suis monachis, duo supra quinquagenos erant ejus cœtus; & piratæ Oceani venerunt ad insulam, in qua ii erant, & omnes simul interemerunt. Ega nomen istius insulæ. *Adduntur hæc singulorum nomina,* Ædanus, Jarloga, Maricus, Congallius, Lonanus, Maclasrius, Joannes, Arnanes, Erninus, Baithinus, Rothanus, Andrelanus, Carellus, Rotanus, Fergussanus, Rectarius, Connidius, Endeus, Macloga, Guretius, Junetus, Coranus, Baithanus, Colmanus, Jernludus, Lugadius, Luda, Gruundus, Cucalinus, Cobranus, Conmundus, Cumminus, Balthianus, Senachus, Demanus, Cummenus, Fernlugus, Finanus, Finnchanus, Finnichus, Conanus, Modomma, Cronanus, Kieranus, Colmanus, Navinnius, Remanus, Erninus, Ailchuo, Donnanus. *Noluimus hæc nomina in titulo exprimere, non tam quia veremur ne plura perperam scripta sint, quam quia suspicamur à posteris excogitata; ne pii isti monachi, propter justitiam occubuisse crediti, remanerent anonymi. Kalendarium Casseliense de eisdem ista habet sic Latinè reddita:* S. Donnanus Martyr cum multis sociis ad Britanno-Hibernos profectus, missis à Rege satellitibus, qui eum interficerent, tantisper ad ejus preces expectarunt donec Missam finiret. Qua finita ipse S. Donnanus cum suis Martyrio est coronatus in eodem loco. *Hæc ibi, quæ in Martyrologio Ængussii ita indicantur:* Cum tropæo gloriosi expirat martyrii, cum suorum miti cœtu, Donnanus Egæ frigidæ: *Quæ verba illustrans Maguir,* S. Donanus, *inquit,* in Ega insula cum sua familia, scilicet quinquaginta duobus, à piratis interfectus est. Ega autem insula est in Albania, & in ea colitur Donnanus, scilicet in Cataibh, & ibi Donnanus Sanctus cum sua familia obiit. Donnanus hic profectus est ad Sanctum Columbam-Kille, ut eum acciperet animæ suæ Consultorem seu Confessarium. Cui S. Columba ait: Non ero Confessarius seu Director cruento martyrio decessuri: tu enim cruentum martyrium sustinebis, & tua pariter familia. Quod impletum est. Nam postea Donnanus cum suis ad Britannos Hibernos profectus est, & mansionem fecit in qua villa oves Reginæ illius Reginæ pascebantur. Quod cum Reginæ denuntiatum esset, ait: Omnes illi occidantur. Id infidele facinus foret, inquiunt præsentes. At posteà quidam ad eos trucidandos accedunt. Tunc autem vir Dei Missæ sacrificium offerens, ait ad illos: Parcite tantisper donec Missa finiatur. Annuerunt illi, & postea omnes occiderunt. *Hæc ibi, & hæc sunt monumenta à prædicto Thoma Sirino indicata. Mortuus est S. Columba Abbas anno circiter* DXLVI, *ut eodem tempore floruerit S. Donnanus.*

& in ipso Martyrologio:

Kalendario Casseliensi,

martyrologio Ængussii:

& Maguiri,

E

Egga insula,

3 *Videtur autem Ega sive Egga, una esse ex insulis minoribus Æbudis, quæ cum Ruma, Muza, Canna, & Soabretilla, inter Mulam & Shiam insulas majores, Scotiæ fere adhærentes, ad plagam Occidentalem interjacent: ex quibus Egga satis fœcunda, anseribus marinis abundat. Est autem respectu Hiberniæ sita in Boreali Britannia, quæ Hiberno-Britannia & Hiberno-Scotia dicitur, ab Hibernis potissimum habitata, quibus & idioma Hibernicum in usu est. Meminit* S. Donnani Martyris, *referendi ad hunc* XVII *Aprilis, Ioannes Colganus in Actis Sanctorum Hiberniæ* VIII *Martii, in Notis ad Vitam Sancti Senani num.* 23. *Vt videamur prudenter hæc inserere posse: quamvis in Martyrologiis externis eorum memoria non habeatur.*

C

F

memoria apud Colganum.

DE S. LANDRICO EP. METENSI, ABBATE SONEGIENSI ET ALTMONTENSI IN HANNONIA.

G. H.

CIRCA AN. DCC.



Elebravimus hactenus in hoc opere nostro duas Sorores, quæ in Belgio nostro floruerunt, nobilitate generis & sanctitate vitæ eximiæ, ambæ Parthenonis religiosissimi fundatrices. Harum altera Aldegundis, virgo permansit, & suam venerationem potissimum habet die XXX *Ianuarii, quando late de ea egimus: Altera est S. Waldetrudis, quæ in suo matrimonio hanc habuit gratiæ prærogativam, quod & sanctissimum nacta sit maritum, & quos ex illo suscepit liberos, secum simul & cum marito glorietur Sanctis adscriptos: imo quod post hos susceptos liberos ambo vitam monasticam amplexi fuerint, & singuli pro se monasteria fundarint. Colitur S. VValdetrudis* IX *Aprilis at maritus S. Vincentius Madelgarius* XIV *Iulii. Ex liberis primogenitus habetur S. Landricus, & ejus sacra memoria hoc* XVII *Aprilis celebratur: de quo antiquum Breviarium in pergameno exaratum, cujus usus olim in nobili oppidi Montensis ecclesia collegiata S. VValdetrudis fuit, ista habet in præfixo Kalendario,* XV Kalendas Maji, S Landrici Confessoris & Episcopi: *& hæc postmodum præscribitur*

SS. Waldetrudis & Vincentii filius S. Landricus:

inscriptus antiquis Breviariis

AUCTORE G. H.

scribitur oratio. Deus, qui nos B. Landrici Confessoris tui annua solennitate lætificas, præsta quæsumus, ut pro nobis pius intercessor existat, qui tui nominis devotus extitit prædicator. *Eadem oratio etiamnum ibidem recitatur in officio ecclesiastico, quod sub ritu duplici fit, lectionibus propriis secundi Nocturni ex Vita desumptis. In Ms. Florario Sanctorum hoc de eo elogium l gitur:* Natale S Landrici Episcopi & Confessoris, de stirpe Karolidarum; extitit enim filius B. Vincentii Comitis Hannoniæ, & S. Waldetrudis conjugis ejus *Molanus in suis ad Usuardum additionibus ista habet:* Sonegias natalis S. Landrici Episcopi & Confessoris. *Idem in Indiculo Sanctorum Belgii ac postmodum in Natalibus Sanctorum ejusdem Belgii, illustre encomium profert, ex lectionibus ecclesiæ Canonicorum & Dominorum oppidi Sonegiensis in Hannonia, inter Bruxellas & Montes metropolim Hannoniæ; ubi sacrum ejus corpus in capsa argentea adservari, observat Miræus in Fastis Belgicis. Eumdem referunt Canisius in Martyrologio Germanico, Saussajus in Gallicano, Willotius & alii in fastis Belgicis, Ghinius in Natalibus Sanctorum Canonicorum, Wion, Menardus, Dorganius, Bucelinus in Martyrologiis Benedictinis. Martyrologium Ms. Bruxellense S. Gudilæ eumdem nominat die* XVIII *Martii. At* translationem corporum SS. Landrici Episcopi, & Dentlini pueri fratrum, & filiorum S. Waldetrudis, *inscripserunt suis additionibus ad Grevenum necdum excusis Carthusiani Bruxellenses. De S. Dentlino agunt alii ad* XIV *Iulii, quando recolitur festum S. Vincentii patris.*

& Martyrologiis:

Reliquiæ Sonegiis,

B

Translatio indicata 4 Octobris,

2 *Vitam S. Landrici, hactenus ineditam, damus ex quatuor codicibus Mss, scilicet Sonegiensis Ecclesiæ, quam Canonici in novem distinctam lectiones solebant ad Matutinum recitare; tum cœnobiorũ, Rubeæ-Vallis prope Bruxellas, Bethleemici prope Lovanium, & Corsendoncani prope Turnhoutum, quæ sunt Canonicorum Regularium S. Augustini. In his Actis allegatur num. 6 Vita S. Vincentii Madelgarii, ut quæ censeatur diu ante scripta, ex qua mox damus quæ ad S. Landricum spectant. Aliquod hujus Vitæ compendium habetur in Officiis propriis peculiarium Sanctorum Ecclesiæ Collegiatæ urbis Montensis, in tres lectiones, ad secundum Nocturnum recitandas, distinctum. Heribertus Rosweidus inseruit Legendæ Belgicæ de Vitis Sanctorum totam fere seriem Actorum, ex prænotatis Mss. translatam.*

Vita ex Mss. editur,

3 *Restat dirimenda aut saltem indicanda controversia de S. Landrici Episcopatu: quem plane abnegat, & quidem solus, quantum hactenus scire possumus, Carolus le Cointe, in Annalibus Ecclesiasticis Francorum ad annum* 677, *ubi cum num. 13 de obitu S. Vincentii egisset, ista subdit:* In administrationem monasterii successit Landricus, ejusdem Vincentii filius; ex Waldetrude legitima uxore natus. Meldensis Episcopus à Vincentio dicitur, Metensis Episcopus à Molano. Neutrum illorum Episcopatuum gessit, Abbas ex monacho factus est. Metenses infulæ penes Clodulphum, Meldenses penes Wandelbertum erant. *Hæc ibi. At quæ ab antiquis tradita in contrarium sint videamus.*

C

Perperam adjudicatur omnis Episcopatus:

4 *Relicto Episcopatu præpositum fuisse monasteriis dicunt ceteri; sed quis ille Episcopatus fuerit non æque liquet. Ac primo in quatuor apographis Vitæ S. Landrici supra indicatis dicitur* in Cathedra Metensis Pontificii à Domino sublimatus. *Sed hisce Actis antiquiora multo esse Acta S. Vincentii patris supra diximus: quorum aliqua habemus, quæ olim descripsit Heribertus Rosweydus* ex MS. vetustissimo D. Preudhomii Canonici Cameracensis, *uti ipse adnotavit. In his de S. Landrico filio ista omnia narrantur:* Non post multos itaque dies concipiens venerabilis Waldetrudis, peperit filium, vocavitque nomen ejus Landricum, & adultum tradidit eum Clericis doctis, ad imbuendum litteris: qui eum instruxerunt fidem Domini nostri Jesu Christi diligenter, & imbutum remiserunt eum ad genitorem. At ille genibus patris advolutus, secundum dispensationem Dei humiliter petit, ut sibi comam capitis dignaretur abscindere, Clericumque se fiendum fore gratanter optavit. Quod pater admiratus est valde, & parum contristatus ait: Primogenitus, inquit, erat mihi, ideoque volebam eum conjugio copulare. Sed si eum Dominus ad suum dignatur adscire servitium, illius magis quam nostra voluntas fiat. Et advocans amicos & consanguineos suos, indicavit eis petitionem filii. At illi dixerunt: Si Dominus non inspirasset puero hæc, minime talia posceret: fac igitur prompte voluntatem Dei, & non resistas ei ullo modo, ne te & domum tuam cælestis ira consumat. Dixit ergo Madelgarius felix: Secundum admonitionem vestram curabo obsecundare edictis ejus, & adjecit: Quidquid nobis puer Deo inspirante suggesserit, adimplere necesse est. Tunc advocans B. Madelgarius & conjux Sacerdotes venerabiles & Deum colentes, benedicens Deum in omnibus, puerum Clericum fecit. Erat enim isdem puer egregiæ sanctitatis, & tamquam senior nihil adverse appetens, à jocis se etiam juvenilibus cohibebat; lectioni incumbens, se assi ue delectans jejuniis, & abstinens se multum à cibis: floruitque postmodum multis virtutibus, rexitque Ecclesiam Metensium in Episcopatu diebus multis cum pace. *Hæc ibi, quibus similia habemus in aliis Actis ejusdem S. Vincentii, quæ habemus ex Ms. codice* Sonegiensis Ecclesiæ, *& in alio illustri codice nostro, ubi inter alia leguntur de S. Landrico ista:* Virtutum quoque ejus & signorum potentia, qua clarificatus est postmodum in Dei dextra, cum ubique palam luce fit conspicua, tum præcipue in Metensium Ecclesia:

Metensis tribuitur in Actis ejus & S. Vincentii patris:

cum hoc elogio:

D

E

& aliis Actis S. Vincentii:

Cujus Episcopio longo clarissimus ævo,
Post carnis metam, cæli migravit in aulam.

5 *Hæc ibi. Quod in morbo S. Vincentius eidem filio ad se vocato commiserit suos monachos, in utrisque Actis legitur; Idem ex posterioribus Actis descriptum submiserunt RR. DD. Philippus Froymont & Franciscus Selpin, Altimontenses monachi, prout legebatur in codice sui monasterii, anno* MCLXVII *à suis olim monachis exscripto, unde ista pauca damus:* Accersito deinde venerabili prole sua Landrico, haud mediocris gloriæ viro, Te Rectorem, ait, suis, amantissime fili, superna clementia providit, teque sacræ hujus militiæ Ducem idoneum elegit. Confortetur itaque manus tua: erit enim Dominus fiducia tua, & in hac divini gregis custodia tua viriliter desudet opera. In innocentia cordis tui pasces illum, & in intellectu manuum tuarum educes eum. Cumque monitis nostris obtemperanter consensum dederis, & vices summi Pastoris efficaci solertia compleveris, laudem & gloriam à Domino mereberis, & regni beatitudine in finem sublimaberis. His & aliis quam maxime instructum, in excubias Domini assumpsit virum sanctum, & in eo justitiæ documentum & virtutis animadvertit exemplar futurum. Quo in negotio quam fulserit opere perspicaci, probat experientia laboris eximii, quo se exercuit in Cathedra Pontificali & adornavit tempora Sacerdotii sui. *Hæc ibi. In Ms. erat quo se* postmodum *exercuit: sed expunximus vocem* postmodum, *eo quod in Vita S. Landrici sic legatur:* Cum B. Vincentius infirmitate laboraret, imperat ad se vocari beatissimum Landricum, qui, ut supra memoravimus, cum magnæ Dominicæ servitutis conatibus Metense regebat Pontificium, *& dein:* Post cujus obitum almus Landricus postpositum Episcopium non repetivit .... Rexit itaque utrasque Abbatias à genitore constructas, *Sonegiensem scilicet & Altimontensem: De hac egimus* XVI *Ianuarii ad Vitam S. Marcelli Papæ, cujus ibidem corpus asservatur.*

à moriente patre vocatus,

F

relicto Episcopatu Metensi,

regit Abbatias Sonegiensem & Altimontensem.

6 In

A *Metensis Episcopus habetur in Martyrologiis,* 6 *In Martyrologio Bruxellensi ecclesiæ S. Gudilæ, quod in pergameno exaratum habemus, ista leguntur ad XV Kalendas Aprilis:* Mettis S. Landrici Metensis Episcopi & Confessoris: qui fuit filius SS. Vincentii & Waldetrudis, ac B. Gudilæ Patronæ nostræ Consanguineus. *In Martyrologio Gallice Leodii edito anno* MDCXXIV *dicitur etiam* Episcopus Metensis: *quod idem factum à Ghinio, Wione, Menardo, Bucelino & Ferrario: uti etiam à Molano in Indiculo Sanctorum Belgii excuso anno* MDLXXXIII: *qui Molanus postmodum in Natalibus Sanctorum Belgii editis anno* MDXC *movit dubium, quod* non numeretur inter Episcopos Metenses. *& suspicatur* fortassis solum fuisse Coëpiscopum ad infidelium conversionem, ut multi alii per ea tempora Episcopi: *At quorsum non suspicatus est catalogos Episcoporum Metensium fuisse valde imperfectos? imo quod verosimilius est, quia reliquit suum Episcopatum, nomen ejus non remansisse inter Episcopos, in diptychis notari solitos, ut defunctorum memoria in sacrificio Missæ recoleretur: uti adhuc seculo Christi nono in ecclesia Cenomanensi factum fuisse colligimus ex Vita S. Aldrici Episcopi, ad* VII *Ianuarii ex Mss. in supplemento edenda.* *nomen diptychis Metensibus non inscriptum?*

Tempus Sedis, 7 *Quod autē tempus assignabimus Episcopatui S. Landrici? Carolus le Cointe asserit* infulas Metenses fuisse penes Chlodulphum. *Paulus Warnefridus, Diaconus Forojuliensis in Italia, scripsit aliquod Chronicon de Episcopis Metensis Ecclesiæ, ad Angilramnū Episcopum, vita functum* XXV *Decemb. anno* DCCXCI, *uti ex Chronico Morssacensi constat. Hic de Chlodulpho & successoribus ista solū habet:* Chlodulphus, B. Patris Arnulphi genitalis filius, Anchisi quoq; (à quo semen propagatum est regiū) germanus; ad Episcopale culmen, ob paternæ sanctitatis gloriam, tricesimus atq; secundus ascendit: de quo nihil ad nos amplius, præter quod à tali radice exortus est, fama perduxit. Quo decedente, fidelem populū moderaturus, tertius atq; tricesimus Abbo ascitus est: post quē Aptatus, deinde Felix gregi fideliter Dominico Pastores extiterunt. Dehinc Sigibaldus generosis ortus natalibus &c. *Hæc sunt, quæ fama ad Paulum Diaconū perduxit. Extat Chronicon Episcoporum Metensium insertum tomo 6 Spicilegii Acheriani; in quo si spectentur Pontifices Romani & Imperatores postea adjuncti, esset Chlodulphus ad seculum* VIII *removendus: sed his ineptiis omissis, tempora certiora examinemus. Sigebertus ad annum* DCXL *ista habet:* S. Arnulphus, ex Majore domus Mettensiū Episcopus & ex Episcopo solitarius, dormit in Christo. Chlodulfus filius ejus, post Mettensis Episcopus, sanctitatē patris imitatur. *Quādiu postea vixerit Chlodulphus non constat. Ad eum, circa an* DCL *aut sequentē, à S. Remaclo Episcopo Trajectensi Metas missus S. Trudo plurima bona Ecclesiæ S. Stephani legavit, uti diximus* I *Februarii ad Vitam S. Sigeberti Regis* § 10. *Vixit dein S. Chlodulphus cum Gisloaldo Verdunensi, Ebroino Tullensi & Numeriano Trevirensi, sub Childerico Rege: cujus regni initium alibi ostendimus auspicandum ab an.* DCLIX. *Acta Ms. S. Chlodulphi sed ex fama tenuiter collecta ad diem* VIII *Iunii illustranda, habent, eum* per multa annorum tempora Deo omnipotenti deservisse: *quæ cœpta ab ante indicato an.* DCXL, *& ducta usq; ad tempora Childerici, facient* XIX *annos: sed si his adhuc octo aut decem anni adjiciantur, erit etiam sic tempus sufficiens, quo potuerit S. Landricus Episcopus fuisse usq; ad obitum S. Vincentii Madelgarii: quem consignat Carolus le Cointe anno* III *Theodorici Regis, qui nobis foret annus Christi* DCLXXVII. *Verum videtur S. Vincentius multo diutius superfuisse quod suo tempore examinabitur. Objici posset annos Chlodulpho tribui à Carolo le Cointe* quadraginta. *Ita scilicet persuasus fuit à Catalogo, qui subjungitur Chronico Pauli Warnefridi. Verū respondetur primo, etsi ab anno circiter* DCL *usq; an.* DCXC *per annos quadraginta Chlodulphus sederit, adhuc supererunt anni septem, quibus potuit Landricus præfuisse, cum ipse Cointius initium S. Abbonis referat ad an.* DCXCVII. *Colitur Abbo* XV *Aprilis. Respondetur secundo, quia solū citatur appendix alterius hominis, minus ipso Warnefrido accurati, qui* *post Chlodulphum,*

B

C

Pappolum *decessorem S. Arnulphi etiam omisit: ut non mirum sit si S. Landricus fuerit omissus, quia relicto Episcopatu Sonegias discessit.* AUCTORE G. H.

8 *Favet etiam Episcopatui Metensi præ Meldensi (de quo jam agemus) quod dictus Episcopus Metensis, una cum Cameracensi & huic subjecta Hannonia, fuerit in eodem regno Austrasiorum; cum Meldensis ditio fuerit sub regno Neustriæ. Interim Georgius Colvenerius edidit Chronicon Cameracense & Atrebatense, à Balderico Noviomensi & Tornacensi cōscriptum, & ex tribus codicibus inter se diligenter collatis excusum, an.* MDCXV. *in quo l. 2 c. 46 dicitur.* in villa Sungejas, *aliis* Sonegias, B. Vincentius sepultus cū filio suo Landrico Meldensi Episcopo: *ita legi in duobus codicibus; in altero addi,* alias Metensi: *ac pro confirmatione istius lectionis assumit* Catalogum Meldensium Episcoporū in tabulis Democharis, *ubi* XXIV *Episcopus scribitur* Landricus *seu* Lendicus; *quem ait Colvenerius floruisse in Episcopatu* ~~circa an.~~ DCL, & ætatem convenire. *Verum opponit Carolus le Cointe,* Episcopatum gessisse Walbertū, XIX Episcopum, *saltem quo tempore esset substituendus S. Landricus. At mortuo Walberto substitutus est illi frater ejus S. Faro, consentiente Chlothario* II *Rege Francorum & superfuit ad tempora Chlotharii* III, *cujus anno* VII, *Christi* DCLXII *subscripsit Privilegio libertatis, quod monasterio Corbeiensi concesserat Bertefridus Episcopus Ambianensis, mortuus* XXVIII *Octobris, circa an.* DCLXXII *aut sequentem, regnante post Chlotharium Childerico. Et hæc sunt tempora, quibus S. Landricus fuisset Episcopus Meldensis. Interim sub S. Farone Episcopo institutus fuerat S.* Hildevertus, *eidemque in Episcopatu subrogatus dein successerunt* Hellingus, Pathasius, Ebrigisillus, *quibus à Demochare enumeratis tandem apponitur* Landricus *seu* Lendicus *hoc nostro S. Landrico, multo junior. Corruit ergo tota confirmatio Colvenerii, si solum, quod factum est, dicatur,* urbem Meldensem *ab amanuensis vitio pro* urbe Metensi *collocatam fuisse. Mirum interim est Colvenerii sententiam absq; ullo examine arreptam fuisse, à Claudio Roberto & Sanmarthanis in Episcopis Meldensibus, à Miræo in Fastis Belgicis, Saussajo in Martyrologio Gallicano & aliis: quod antehac etiam in Notis ad Vitam S. Gudilæ insinuavimus.* *Episcopus Meldensis dictus à Colvenerio,* *perperam citato Demochare.*

E

9 *Quamdiu postmodum vixerit S. Landricus, non reperimus indicatum. Forsan eo vivo mansit Sedes Metensis ab alio Episcopo vacua, & sic Abbo statuitur à Meurisso, in Historia Episcoporum Metensium factus Episcopus anno* DCCIII. *Non etiam videtur tam diu Chlodulphus vixisse: sic enim centum annos vivendo explevisset, & ultra quinquaginta rexisset suum Episcopatum. Ceterum remittimus lectorem ad nostram Diatribam de tribus Dagobertis, cui adjunximus librum quartum, in quo ostendimus errores variorum, dum Episcopos, qui dicto seculo septimo floruerunt, etiam ad integra secula aberrando collocarunt, & memoratum* Chlodulphum *ex Sede Metensi perperam ad Archiepiscopatum Trevirensem transmiserunt. Quidni denique, si Dagoberti* II *nomen fuit per mille annos oblivione sepultum, potuerit aliquod nomen alicujus Episcopi, qui sub ipso floruerit, abolitum fuisse.* *tempus mortis:* *& errorum excusatio.*

F

VITA
Ex IV Codicibus MSS.

I CUm constet B. Madelgarium, cognomine Vincentium, flore tam jocundo utriusque nobilitatis pollere, ut proculdubio ab initio gestorum ejus res cognita, armario teneri debeat indefectivæ memoriæ; non dubium est, quin scrutator vitæ ipsius invenire debeat, quot filiorum & filiarum sideribus ornatus coruscat: qui omnes in adorandorum Sanctorum numero adscripti cum agnoscantur; sine ambiguitate B. Landricus, a cujus præcipua memoria lætari expedit, inter ceteros veluti quodam majoris honoris privi- *inter liberos SS. Vincentii & Waldetrudis,* *Sanctis adscriptos,* A

EX MSS. *primogenitus S. Landricus*, privilegio præferendus censetur, quia primus ab utero beatæ matris, almæ videlicet Waldetrudis, nativitatis exordium sumpsit; & postea pervenisse illum ad magnæ dignitatis culmen, non modica fama conversationis ejus in mundo perdocuit *b*. Prius ergo vitam ipsius paucis explicabimus & consequenter gesta virtuosa *c* sanctarum sororum ejus succincte ac breviter continuabimus.

[...]arus litteris, 2 Sanctissimus itaque Landricus, jam illius ætatis puer factus quæ pueros reddit erudiendos ad cujuscumque ministerii destinandi sint usus; commendatur à patre ac matre Clericis Doctoribus; non tamen ea ipsorum intentione ut fieret Clericus, sed, ut *petit Clericis adjungi:* nobiles decet, quo post litterarum eruditionem ad militiam transcenderet seculare sapientius deducendam. Sed bonæ indolis puer, cujus non possunt ad plenum enarrari operationis bona; cum jam in ipsa cui inhærebat disciplina talia caperet documenta, quo experimento cognosceret, summam libertatem esse Domini Dei gerere famulamina; appetivit potius documentum, quod in scholis ceperat, ad Clericatus prosequi honorem, quam tradere oblivioni ad copiam se vertendo militarem. Et cum hac sine dubio à Domino inspirata voluntate genitorem humili pulsavit petitione, ut abscissis capitis comis, secundum Clericale institutione, Canonica frueretur *d* communitate.

3 Pater igitur audiens non gratam sibi filii petitionem, talem decrevit illi reddere responsionem: *S. Vincentio patre se opponente,* Desiste ab hoc animi tui puerili proposito, fili, & me potius audi, qui melius quam tu providere calleo tibi. Gloriare in spe succedendi mihi lege hereditaria, & verte consilium tui consensus ad nuptialia vincula. Non ignoro Clericos quanto sanctioris ordinis sunt, tanto majorem fiduciā cælestis regni acquirendi habere: sed etiam multos laicos bonarum virtutum, fide certum est ad supernum regnum pervenisse, ac perventuros esse. Gaudeo te Domino velle famulari, sed *persistit constans in proposito:* nolo ut degeneres, nec priveris ab hoc officio, quod usque modo vidisti mihi tuo inesse genitori. Qui, ut erat non fragili sed firma aspiratione afflatus, nullo modo sivit à primæ petitionis conatibus avertere velle suum. Considerare est operæ pretium quanta stabilitatis experientia puer hic ceteros pueros antecessit, quibus nunc repentina voluntate animi aliquid libitum ad perpetrandum in mentem incidit, & statim in momento eadem res vilis facta displicere incipit. Hic autem quadam virili constantia, quod semel de servitute Dei gerendum cogitaverat, nec à patre prohibitus, nec puerili tædio desuetus abnegaverat.

4 Tunc pater intelligens in filio divinæ inspirationis hortamentum; non ausus fuit, sicut erat Deum timens, ulterius differre instantiam petitionis ejus, *post adhibitum fidorum amicorum consilium,* quin ad effectum perduceret impetrationis. Et convocans amicissimos suos, ad tam fidum consiliū dandum tutos; per omnia patefecit eis quam instanter filius peteret, & quam invitus ipse annueret. Illi autē expiscantes certo præsagio mentis, hoc non absq; nutu electionis dominicæ fore; salubre consilium, nil cunctantes decreverunt dare; Quamquam tibi displiceat juvenilis hujus adolescentis intentio; recogitanda est virtus Dei, ex qua sine dubio tali incenditur voto. Hæc vere est timenda, cujus rebellatores nulla subsistunt potentia. Dominum non tæduit tibi filiū dare, nec te pœniteat eumdem si reposcit ad *e* servimen ejus representare. Ad hæc hortamenta, absq; dolo à *f* parentibus conflata, pater se parere respondit *impetrat consensum patris:* per omnia, similis scilicet Abrahæ, qui unici filii dilectionem postposuit timori Domini; & maluit placere Domino, quam in servanda vita filii proprio uti desiderio. Jussit etenim accersiri Sacerdotes, probatissimis moribus religioni vacātes, ut in tonsura juste poscentis prolis manus administrent, & admisceantur juste imponentium Sacerdotū sacramenta benedictionis. O ætas puerilis & lasciva voluptas carnis, honorifice superata à viribus animi internis! Ad hoc mini- *in Clericum tondetur:* sterium, ad quod inviti multi propter crebrā verberantiū magistrorū passionē coguntur; hic puer ultroneus, etiam dum pater parat resistere, properare molitur.

5 Beatus igitur Landricus, diu optato eventu potitus, si, antequam fiduciam obtineret se Clericum futurū, sacræ lectioni incubuit; nunc centupliciter ma- *crescit in doctrina & virtute:* gis assuetum studium exercere cœpit. Nobilitatē generosorum parentum flos corporeæ pulchritudinis in illo insinuabat, & precellentiorem animi generositatem frequens bonorum operum usus non occultabat. Sic utrimq; munitus, initium pretiosorum morū ad tales perduxit exitus, ut simul cum ætatis profectibus in bonis accresceret actibus. Quid plura? sic gradatim virtutū acceleravit iter scandere, ut in Cathedra *g* Metensis Pontificii dignaretur eum Dominus subli- *fit Episcopus Metensis,* mare. Cum autem per decus Episcopii, quod merito contigit sibi, terrenarū divitiarum copia major pullularet; non absorbuit eam turpiter recondendo, sed *additus eleemosynis, jejuniis,* per eleemosynarum distributionem Domino, de cujus munere venit, reddendo. Jejuniorum inedia corpus castigabat, per excubias orationum oculos exercebat, asperitate raræ ac duræ commessationis gustū exacerbabat, sacrarum scripturarum admonitioni auditum intendebat, dominici odoris fragrantiæ nares admovebat; quodque dignum foret ad offeren- *mortificatione sensuum:* dum Domino tangebat; & ut breviter dicam, per quinque sensuum officia Domino ministrabat.

6 Postea quippe B. Madelgarius, agnomine Vin- *à S. Vincentio patre,* centius, præfati Antistitis Landrici genitor elegantissimus, cum jam vergeret proclivus ad senium, & congruum cerneret de quibuscumq; præteritis deli- *post constructum ab hoc monasterium Altimontense,* ctis pœnitentiale tempus; in villa suæ proprietatis, quæ dicitur Altus-mons, monasterium cum monasticis officinis construxit; in quo ipsemet monachus factus, posthabita seculari militia, Deo militare cœpit. Qualiter autem idem monasterium Angelo *h* ducente præsignavit non ignorat qui scripta ipsius gesta re- *& templum Sonegiense,* memorans legit. Aliud quoque fundavit templum in prædio suo quod vocatur Sonegias, ubi, sicut narrat præfata Vita, ipse sepultus miraculorum sæpissime *in morbum gravem delapso vocatur,* demonstrat potentias. Cum jam denique viam totius carnis initurus, in supradicto monasterio Sonegias, infirmitate laboraret B. Vincentius, imperat ad se vocari beatissimum Landricum: qui, ut supra memoravimus, cum magnis dominicæ servitutis conatibus *adest morienti:* Metense regebat Pontificium. Sanctus vero Landricus, patrem revisens carissimum, duplici passione percussum habuit animum; lætitia videlicet de præsentia mutuæ collocutionis, tristitia de periculoso conspectu invalescentis infirmitatis. Et cum visum foret ei à quo cuncta videntur, ut de terrenis exemptus B. Vincentius, cælestibus civibus jungeretur; moritur ut aiunt præsenti seculo, & ad revocanda animæ natalitia invehitur futuro.

7 Post cujus obitum almus Landricus postpositum Episcopium non repetivit, sed propter indisso- *Remanet Sonegiis:* lubilem dilectionem patris eidem loco Sonegias *utrique præest monasterio:* vocitato inhæsit; ut grex ante à morigero educatus Pastore, postmodum non degeneraret, hereditario privatus successore. Rexit itaq; utrasq; Abbatias, velut supradiximus, à genitore constructas, donec ad ultimum feliciter vitæ præsentis cursu peracto, patri in vita, patri in morte adhærens, decimo quinto Ka- *moritur 17 Aprilis:* lendas Maji spiritum reddidit: Tumulatur autem in ipso quod Sonegias prænominavimus cœnobio. Qualiter autem à circummanentium notitia virtutum ejus insignia pullularunt, animadvertentibus, secundum veridicorum narrationem, dictamina nostra reserabunt.

8 Est

A *Raptores bonorum monasterii Sonegiensis,*

8 Est pagus in Taxandriæ partibus, Fellepa nomine, quondam B. Vincentio tradita hereditaria distributione eleemosynaria: quo singulorũ annorum tempore constituto proficisci solent Fratres de Sonegiensi monasterio, receptoque statuto debito censsus, remeant æquas dividere portiones remanentibus ad Dei servitium Fratribus. Quodam denique anno noxio casu contigit, quod Advocatus illius villę per vim ad proprios usus annonam rapuit, eodemque tempore commeantes Clerici secum ultionis causa tulerunt corpus Antistitis Landrici: qui paternæ hereditatis pervasores intantum corripuit, ut hi quorumcumque venter, sive militum sive equorum, deprædatam annonam voravit; aut per insaniam turpiter reddendo vomerent, aut alicujus ultionis illata sibi contumelia injuste se accepisse recognoscerent: sicque factum est, ut quod fortis armatus, injustus scilicet Advocatus, auferendo turbaverat; fortior armatus superveniens B. Landricus superaret, qui non alia quam Dei virtute pollebat.

allato corpore S. Landrici puniuntur:

ejus feretrum ab indigni humeris resilit:

9 Hoc etiam non prætermittendum conjicio, quod quadam die advocationis causa ad suprafatam villam transferendum corpus almi Landrici, cum efferretur de templo; quidam in limine, nomine Willebertus, portitoribus occurrit; de quibus unum ut ipse onus subiret admonuit. Sed ab humeris taliter

B

accedentis feretrum resiliit, & absque sustentatoris ope in aëre pependit. Ille autem virtute, quæ fiebat, stupefactus, corruit in terram cernuus, donec ad ultimum resurgeret decantatis à fratribus hymnis & laudibus. Hæc, ut reor, ideo sunt gesta, quia non prius meritum conscientiæ suæ ille ponderavit in trutina, quam dignum se consideraret ad subeunda tam sacri Præsulis membra.

immobilem antea lapidem facit levem

10 Cum mentem voluntarii auditoris nullo deceat dissuescere tædio, si recensetur virtus fidelium Dei repetita crebro, non vobis auditores, fastidium generetur si adhuc accumulavero aliqua; cum plura sint viri Dei insignia miraculorum. Beatus hic noster Partonus, cum vice quadam ut sæpe solebat, ad supradictam villam Fellepam deportaretur, quo ab eo portarentur ipsi, si incurrerent occasionem alicujus periculi; contigit incolas loci illius in quodam loco laborasse, de quo ad altare Deo faciendum lapidem miræ magnitudinis satagebant effodere; sed non æquiparabatur eorum virtus, ad sublevandum tam grande pondus. Ad quorum officinas, multimodis artibus desudatas, cum pervenissent Clerici ex itinere fatigati, fessa membra volentes dare quieti, sacrum corpus eidem superposuerunt lapidi. Ubi per

C

aliquod diei spatium corpora sua requie foventes, una cum operariis B. Landricum precibus postulant, supplicantes, ut propter præsentiam ejus in melius proficerent laborantes. Surgentibus autem Clericis, & ad perveniendum quo tendebant alacrius iter ingressis, fossores lætius operi sese accingunt, quod ad effectum producere multo melius quam ante confidunt. Cujus auxilio freti, tam pretiosum finem imposuere labori, ut lapidem, quem vix multi juvenci gementes plena cervice traherent, pauciores viri moderato nisu eradicarent. Non opus est interrogato, si tunc laus sancti Antistitis inter illos plus solito viguit, de cujus beneficio venit quod diu tentatum opus modo ad effectum perductum extitit. k.

Lapsu temporum ignoratus dies festus,

11 Hactenus (quocumque sermonem vertimus de sæpenominato Pontifice) omnia, quæ de eo calamus indicavit, justo se habuerunt ordine: sed nunc quoddam offendiculum occurrit, quod supremus Arbiter, qui in se sperantes non patitur vilescere, ad melius restituit. Scimus quia nil terrenum stabile, quin vetera semper aliqua mutentur novitate. Conventus ergo ille Sonegiensis Congregationis, cum primum à B. Vincentio locaretur, monachica vita functus esse perhibetur: qui locus prius à monachis cultus, postmodum canonice institutus, deinde à sanctimonialibus innovatus, intantum cognoscitur esse transmutatus, ut cum suppellex ecclesiæ, librorum scilicet ceterorumque ministeriorum tali modo inde subtraheretur; per multos annos Kalenda festivitatis S. Landrici oblivionis rubigine tegeretur. Ignorabant qui eam libenti animo celebrarent, qua die indicium ejus invenire possent. Quapropter annorum multorum labente curriculo, ceteris rite celebratis, nullum reboabat festum B. Landrici: sed cum tanti esset meriti, ab aliorum quasi distabat officio. Incongruum ergo fuit ut dæmoniaca voluntas, quod declinare & toto nisu quo poterat impedire volebat, omnino declinaret; & Domini gratia, quod restituere placebat, non restitueret. Jam jamque post multa tempora, per cujusdam noctis silentia, visa sunt æadituo monasterii somnia in hæc verba: In negligentia à vobis omnibus positæ sunt meæ Reliquiæ, cum constet dies transitus mei hodie; quem sicut & ceteros, absque memoria nominis mei, apposuistis deducere. Qui sive negligens sive quia treugam postulans, primam apparitionem publicare non præsumens, nullum veritatis indicium dedit, quo die viri Dei excessus ab hac vita extiterit. Alius quoque ejusdem monasterii Sacerdos vidit somnium; in quo multa querela de eadem festi negligentia dixit se inculpasse B. Landricum. Tunc solicitissimi fiunt Fratres ad inquirendum, donec revolutis Kalendis, & Nonis, & Idibus; decimo quinto Kalendas Maji justi viri reperiunt transitum.

EX MSS.

aliquibus revelatur:

E

ANNOTATA.

a *In Ms. Sonegiensi,* Cujus præsenti festo lætamur.

b *Hic definit Prologus in dicto Ms.*

c *Sunt hæ* SS. Aldetrudis & Madelberta *Virgines, post S. Aldegundam materteram Abbatissæ Malbodienses; & his* S. Aldetrudis colitur 25 *Februarii, ad quem diem Vitam dedimus huic olim subjunctam: at* S. Madelbertæ *festum incidit in* 7 *Septembris cujus itidem Acta Mss. habemus, ad dictum diem elucidanda.*

d *Mss Bethleemicum* dignitate. *Idem,* inspirationis.

e Servimen *pro servitute etiam accipitur in Vita prima S. Erardi Episcopi* 8 *Ianuarii lib.* 2 *cap.* 2, *qui* amore divini serviminis deposuit curam regiminis secularis: *ita supra* famulamen *ponitur pro famulatu.*

f *Id est* consanguineis, *ut sæpius ex phrasi Gallica in Vitis Sanctorum legitur.*

g *Ita in omnibus Mss. legitur* Metensis. *Colvenerius* Meldensis, *quod supra rejecimus.*

F

h *Hæc ita in pervetusto Ms. Vita S. Vincentii leguntur:* Ecce Angelus Domini apparuit ei in visu, jussitque ei ut pergeret in municipium, quod vocatur Altusmons supra fluvium Sambræ, construeretque ibi ecclesiam in honore S. Petri Apostolorum Principis, demonstravitque ei locum in ipsa visione, exposuitque modum basilicæ, arundineto, quod manu gestare videbatur, &c.

i *Molanus ad hunc diem.* Felep, olim hereditaria ecclesiæ S. Vincentii villa: item Dorne & Erp nunc territorio Ravenstein annumerantur: & refrigente inter multos fide & caritate, parum emolumenti inde percipitur. *Est* Felep *seu* Velp *ad Mosam, parum ultra Gravium oppidum. Vbi hoc tempore Patres Capucini aliquod monasterium extruxerunt, quod cum ipsa Gravia, potius Mosacis, Masegavis vel Maselandis, quam Taxandris annumerandum est:* Erp *vero &* Dorne *Pelandia & territorio Silvaducensi sunt inclusa.*

k *Reliqua desunt in Ms. Bethleemico, forsan postea adjuncta.*

A D

DE S. ANTHUSA VIRGINE,

FILIA CONSTANTINI COPRONYMI IMPERATORIS,

SANCTIMONIALI CONSTANTINOPOLI.

G. H.

Sub finem sec. VIII.

*Eoni Isaurico Imperatori Orientis, hæretico patri ac nefario, successit pessima soboles Constantinus, cognomento Caballinus; qui quod baptismo infans admotus, stercore aquam infecisset, vulgo Copronymi cognomen accepit. Huic nupta fuit anno* DCCXXXII *Irene, Chagani Regis Avarorum filia, quæ Christianis imbuta litteris, ac pietate illustris, Leonis & Constantini impietatem arguebat, constans in sincera & orthodoxa religione retinenda. Genuit hæc viro suo anno* DCCL, *Indictione* III *successorem regni Leonem Chazares; sed aliquot forsan annis citius hanc sanctam Virginem Anthusam, eamque in orthodoxa fide educavit: quæ dein vixit sub imperio Leonis fratris, ac Constantini nepotis, qui sub tutela matris suæ (Irene etiam hæc vocabatur, gesto per se Imperio clara) anno ætatis suæ* X *Christi* DCCLXXI *Imperium iniit. Ab hac Irene fratris Leonis uxore rogata S. Anthusa, ut una Imperium administraret, maluit sibi ac Christo suo vivere; cui ut arctius adhæreret, à S. Tarasio Patriarcha (qui eam dignitatem anno* DCCLXXXIV *suscepit) attonsa est, & inter sanctimoniales in monasterio Eumeniæ velata est; cumque universim vixisset annos duos & quinquaginta, sanctissime mortua, sub finem, quantum colligimus, seculi octavi.*

S. Anthusa parentes,

genus vitæ,

B

tempus obitus,

Acta an conscripta?

2 *Acta piæ conversationis & mortis hujus gloriosissimæ Virginis olim conscripta fuisse non dubitamus; sed quia industria Simeonis Metaphrastæ non fuit extensa ad Acta Sanctorum Aprilis colligenda, facilius plura particularium Sanctorum Acta interciderunt. Eorum loco damus illustria encomia in Synaxariis variis Græcorum asservata: ac primo in Menologio Græco, quod cura & præcepto Basilii Porphyrogeniti Imperatoris fuit seculo decimo concinnatum, ad* XVII *Aprilis hoc elogium habetur.*

elogium antiquissimum ad 17 Aprilis:

3 Sancta Anthusa, cujus memoria agitur XVII Aprilis, fuit filia Constantini, cognomento Caballini: à quo jussa cum viro conjugium inire, non assensit. Post ejus vero obitum omni metu libera, & securitatem adepta, divitias omnes suas distribuit: alias siquidem pauperibus dispersit, alias ecclesiarum & cœnobiorum incolis donavit, alias in captivorum redemptionem impendit. Vestes vero aureas, quas ipsa habebat, in ecclesiarum ornamentum erogavit. Fuit insuper plurium orphanorum mater; abjectos enim & destitutos infantes simul congregans, eos educabat & instruebat. Præterea eos, qui moriebantur, Deo commendabat: eos vero qui in senio supererant, in iis locis, ubi pauperes senes aluntur, collocabat. Sæpissime autem vocata à religiosissima Irene ejusque filio Constantino, ut una cum ipsis imperaret, constanter recusavit; sed à S. Tarasio in monacham velata, in monasterio Eumeniæ ad Dominum emigravit. *Hæc in dicto Basilii Imperatoris Menologio habentur, ubi sub finem ita legitur:* Ἐν τῇ μονῇ τῆς Εὐμενίας πρὸς Κύριον ἐξεδήμησεν: *quod monasterium dictum arbitramur ab aliqua illustri Eumenia ejus fundatrice. Eodem die* XVII *Aprilis, celebratur* memoria S. Anthusæ, filiæ Constantini Copronymi, *in Mss. Menæis Græcis Cardinalis Mazarini, ac aliis adservatis Mediolanis in bibliotheca Ambrosiana, & signatis littera O num. 148 & littera N num 378, additis etiam elogiis, quæ non descripsimus. Eodem die celebratur in Menologio Gallico Virginum Laherii, & appellatur* Floria,

largitas in eleemosynis dandis:

C

vita monastica,

celebritas in aliis Mss. die 17 Aprilis,

4 *Die* XVIII *Aprilis in Ms. Synaxario Parisiensi Collegii Claromontani Societatis* JESU *tale elogium legitur.* Memoria S. Anthusæ, filiæ prognatæ Constantini Imperatoris, cognomento Copronymi. Sæpenumero hæc à patre urgebatur ad nuptias cum viro contrahendas, quas semper recusavit. Postquam autem pater è vita discessit, libertatem adepta, quæcumque sibi relicta ex hæreditate bona fuerant, ea omnibus pauperibus & ecclesiis & sacris ædibus impertivit, facta omnium pupillorum mater, viduarum & pupillorum propugnatrix. Multis sæpe adhortationibus ab Irene Augusta illustrissima rogata & prope coacta, ut secum habitaret unaque imperium administraret, exorari numquam potuit, nec precibus unquam cessit. Quamdiu autem in paterno palatio vixit, regio quidem cultu extrinsecus ornata incedebat, intus autem cilicium gestabat. Omnis autem victus ejus erat, sicut illorum qui Deo in solitudine serviunt, & pro potu aquam bibebat. Natabant in oculis lacrymæ, & laudes hymnosque Dei lingua promebat. Tandem monasticam vitam amplexa, manibus S. Tarasii Patriarchæ detonsa est in monasterio Eumeniæ. Ex eo tempore numquam illa ex monasterio pedem extulit, uti neque aliæ ex Sororibus faciunt. Numquam ab Ecclesiasticis muniis abfuit, corpore deficiens nullas unquam preces neglexit: oculi ejus numquam à lacrymis stillandis cessabant. Humilitas illius omnem fere modum excedebat: Sororibus omnibus serviebat, ecclesiam exornabat, aquam apportabat, mensæ adstabat & inserviebat. Cum ergo hunc in modum omne vitæ suæ tempus peregisset, cum virtutis manipulis ad Dominum translata est, absolutis vitæ annis duobus & quinquaginta.

18 Aprilis in Synaxario Ms.

Spreta nuptiis,

& imperio ab Irene Attrica oblatum:

E

Vita ejus sancta in aula regia,

& in monasterio cum summa humilitate,

5 *Alia reperimus Mss. Menæa in membranaceo codice Congregationis S. Ludovici PP. Prædicatorum Parisiis, item in bibliotheca Cardinalis Mazarini, quorum alterum exemplar convenit cum dicto codice S. Ludovici, & in utrisque elogia referuntur S. Anthusæ filiæ Constantini Copronymi Imperatoris ad diem* XXI. *In Menæis excusis ejus veneratio proponitur die* XII *Aprilis, & idem fere encomium refertur, quod jam ex Synaxario Parisiensi Latine transtulimus, sed quod in aliis indicatur monasterium Eumeniæ, seu Græce* μονὴ τῆς εὐμενίας, *appellatur* μονὴ τῆς ὁμονίας, *quod posset explicari* monasterium Concordiæ: *sed antiquiora exemplaria magis placent. In Menæis additur distichon, facta allusione ad nomen* Anthusæ, *quod Latine* Florentia *diceretur, & est ejusmodi.*

F

solemnitas ejus 21 Aprilis:

> Ῥίζης δυσώδους καρπὸς εὐώδης μάλα
> Ἀνθοῦσα σεμνὴ, γῆς ἀπανθεῖ καὶ βίου.
>
> Florere desiit & terræ & vitæ Anthusa,
> Flos fœtidæ perquam suaveolens radicis.

Eodem die XII *Aprilis celebratur ejus memoria in Mss. Menæis, quæ Divione nobiscum communicavit Petrus Franciscus Chifletius noster. Maximus Episcopus Cytherorum ἐν βίοις ἁγίων suum elogium ex Menæis excusis descripsit. In tanta dierum, quibus colitur, varietate, maluimus amplecti diem* XVII *Aprilis, quod antiquiora monumenta eum diem illius venerationi assignarint, & iis proxime accedat Synaxarium Parisiense, in quo dies* XVIII *præscribitur.*

DE

A

DE SANCTA POTENTIANA

D. P.

VILLANOVÆ IN HISPANIA BOETICA.

XVII APR.



IOannes Tamayus Salazar, in suo Hispanico Martyrologio, præsentem diem ornat hujus sanctæ Virginis memoria, sic scribens: In territorio Iliturgitano, apud oppidū Villanova nomine, elevatio sacrorum pignorum S. Potentianæ: quæ ibidem texturam exercens, vitam laudabiliter egit, & post annorum multorū curricula honorificentissimè loco condita, laude populorum, miraculorū illustratione, & totius veneratione provinciæ, debitam solennitatem promeruit. *Ad quorum confirmationem explicationemque majorem, eorum omnium quæ de ipsa hactenus comperta habentur compendium satis dilucidum profert idem Tamayus; usus, ut profitetur, Historia Gienensi Mag. Francisci Ruspuerta Tom. 1 seculo 12 cap. 1 de eadem Sancta agentis; & P. Francisci de Bilches, S. I. Historia Sanctorum Giennensium, ubi de ipsa tractatur cap. 49, & Ms. Memoriali Sanctorum Giennensium, quod à Martino de Ximena Iurato compilatum, & sibi jussu Cardinalis infra nominandi commodatum, scribit. Ipsum compendium tale est.*

Elevatio corporis,

B

2 Non procul ab Iliturgi, veteri Boeticæ & celeberrima urbe, adhuc oppidum, vulgo Villanueva, ex adverso Boetis fluminis æstuario invisitur. Ibidem juxta molendinum Beltranense, turris antiquitatem redolens perseverat, circa cujus collapsam molem, eremitorium, titulo SANCTORUM etiam vetustissimum, à Gothorum, ut creditur, temporibus extructum, inspicitur. Illic sepulcrum, ad Euangelii latus, in tumuli formam elevatum, & tessellis coopertum, ab immemoriali conspexit antiquorum & præsentium vicinorum invariabilis veneratio. Ergo inter tessellarum vermiculatas picturas, pelta emblematibus variegata albescebat, in cujus glabro, Gothicis, licet patentibus literis, hæc perlegebatur epigraphe:

in veteri eremitorio honorifice condita,

✝
IHS

Benedictus Deum. Laudate Deum.
Timete Deum. Servite Deo.
Hic jacet corpus S. Potentianæ.

C

Hic vero venerabilis sepulturæ locus, tanta à circumjacentibus circuli populis est habitus veneratione, ut undique orationibus & symbolis confluerèt catervatim in necessitudinibus indefessa devotio: quæ in omnium viscera crescebat, quia nullius præcamina retardabat.

3 Hac fide bona, fere decem seculis, Potentianam Virginem & locum honoravit humilitas. Sed ne tanti absconditi thesauri divitem venam obtegeret tessera, Eminentissimus & Reverendissimus Dominus D. Balthasar de Moscoso & Sandoual, S. R. E. Cardinalis, tunc Giennensis Episcopus, nunc Archiepiscopus Toletanus, Hispaniarum Primas, zelo caritatis accensus, tumulum propriis manibus aperire constituit; & indictis jejuniis & orationibus, eremitorium adiit, ubi, innumeris adstantibus, tessellatam discindens capsam, aliam gypsatam, intermediis aggeribus, invenit. Istam itidem destruxit ligo, sub cujus textamine, alius aggeris cumulus repertus est; quo remoto, quadratus lapis, duabus longitudine, & una latitudine constans ulnis, qui totum thecæ hiatum complebat, ex omni latere absque ulla immixtione conflatus apparuit. Illo elevato, urna lapidea cognoscitur, in cujus cavo ossa omnia integraque humani corporis, suavissime redolentia; conspexit affectus; quæ prout erant tenuissima, protinus de feminæ cadavere illa qualificavit inspectio. Honorifice ergo extracta, & in capsam noviter elaboratam recondita omnia, in depositum collocata sunt: & protinus ad probationum examina, circa Virginis vitam, acta, venerationem, & alia quæ elevationem respiciebant, Eminentissimus Dominus Cardinalis juridice processit. Illis demum per totius populorum circumstantium viciniæ ambitum conflatis, innumera ad oculum demonstravit sedulitas patrata miracula, quæ interposita sanctissima Potentianæ deprecatione Deus Opt. Max. in diversis languoribus, natura mirante, peregit. Post hæc comprobatione constitit efficaci, de antiquitate venerationis, de continuatione circa dona, novemdialia, festivitates, sacrificia, quæ ab antiquissimis seculis, ut hujus sacræ Virginis auxilium imploraret, consuevit usurpare devota necessitas deprecantium oppidorum.

facta à Card. Sandovallio,

post diligens examen antiqui cultus,

E

4 Pervetustas etiam iconas secessus, ubi imago S. Potentianæ inter BB. Bartholomæi & Ildephonsi, illius eremitorii compatronorum, effigies conspiciebatur. In nonnullis picturis, sacra Virgo, cum textrina & aliis ad texturam instrumentis pertinentibus invenitur, ex quo (& constans illic traditio est) hanc Virginem in eodem loco & vitam egisse & texturæ officium exercuisse, fatendum est. Apud Forum-Julium antiqua enituit imago, in qua ad dextram S. Euphrasius, ad lævam S. Potentiana; ille infulis, ista palma insignis, uterque urbem manibus sustinens, ceu illius Patroni & Tutelares, invisitur, & in tabulæ vertice inscriptio: Anno à Nativitate Domini XLV S. Euphrasius, Martyr Apostolicus, Episcopus Iliturgitanus, Potentianæ collega sanctissimæ, vixit. *Hæc Tamayus, qui quo auctore Iliturgim vocet Forum-Iulii, non disquiro: imago ut antiqua sit, inscriptionem novam judico & hoc seculo conditam. Commodiorem sensum faciunt versus, quos nescio an ut picturæ olim adscriptos exhibeat Tamayus; an velut explicationem novam accommodatam vetustiori tabulæ, certe non indignam hic legi:*

etiam vetustis imaginibus ejus,

una cum S. Euphrasio picta,

F

Tuta sub Euphrasii manibus Iliturgis haberis:
Potentianæ & Virginis:
Te docet ille pii primus mandata Tonantis,
Illa sepulcro consecrat.

Colitur S. Euphrasius, juxta Vsuardum Episcopus ab Apostolis consecratus, XVIII Maji, quando de eo agemus: huic non ætate, sed patronatus jure, comparem statu S. Potentianam credimus, ideoque de tempore quo vixit & floruit nullum præsumimus ferre judicium, ac ne conjectare quidem. Potius Tamayum ausculto cetera sic prosequentem: Olim erat Confraternitas celebris huic sanctissimæ Virgini dicata, quæ apud ecclesiam S. Mariæ per aliquot extitit conservata tempora; donec refrigescente devotionis affectu, in paupertatem redacta, fuit Hospitio & Confraternitati de la Caridad aggregata, ea conditione & pacto, ut quotannis anniversaria festivitas S. Potentianæ sine intermissione perageretur. Quod & obtinuit, & observavit affectio.

& confraternitate probati,

5 His, & aliis depositionum & traditionis, per Eminentissimum perpensis adminiculis, & doctorum hominum judicii intellectis; elevationem sacro-

per litteras publicas,

AUCTORE D. P.

crorum pignorum efficaci propensione decrevit, ut ex tenore apparet sequentis autographi: In Oppido, quod vulgo Villanueva de Andujar dicitur, XI die Mensis Maji, anno Domini MDCXXXVI, Eminentissimus & Reverendissimus Dominus D. Balthasar de Moscoso & Sandoual, S. R. E. Presbyter Cardinalis, Titulo S. Crucis in Jerusalem, Episcopus Giennensis Regiusque Consiliarius, &c. Visis, examinatis, & perpensis probationibus, informationibus, & instrumentis, quæ de ejus mandato Doctor Joannes de Acuña del Adarve, ipsius Oppidi Parochialis Ecclesiæ Prior, totiusque Episcopatus Generalis Visitator, gessit, compulsavit, & auctoravit, tam in urbe Iliturgitana quam in Oppidis de Cazalilla & Higuera & aliis, circa vitam, acta, miracula, famam & traditionem S. Potentianæ Virginis, quæ olim sepulta jacebat in eremitorio, quod Sanctorum vocant, in territorio prælibati oppidi de Villanueva, & in adversa Bœtis fluminis ripa ædificatum agnoscitur; ex quibus constat fuisse & esse traditionem immemorabilem, uniformem, constantem & perpetuam, per omnes vicinorum oppidorum accolas, quod prædicta famula Dei, ab antiquissimis temporibus, in quorum origine memoria hominum evanescit, uniformiter prout Sancta fuit & est habita, invocata & culta: ideoque ad ejus tumulum, continuo devotionis affectu, universi circumstantium regionum oppidani, in ipsorum & suorum afflictionibus, infirmitatibus & periculis, novendiis, vigiliis, sacrificiis & donariis accesserunt, accedunt, confluxerunt & confluunt, absque ulla de recipiendo auxilio veraciter diffidentia; ex quarum imprecationum remediis innumeri mirabiliter, quidquid efflagitavit devotio, efficaciter sunt adepti. Item constat ipsam sanctissimam Virginem publico, solenni & continuo fuisse & esse veneratam cultu, in totius circuli Iliturgitani & Episcopatus Giennensis territorio: sub cujus Virginis Patrocinio Confraternitatem olim extitisse & adhuc extare, ejusque sanctam effigiem, in festo sanctissimi Corporis Christi, solenniter portari à Confratribus consuevisse. Quæ omnia examinata, discussa & rimata, per aliquas graves, doctas, & timoratæ conscientiæ religiosas personas, præcepit, decrevit & ordinavit idem Eminentissimus Dominus (ne in totum tam pius affectus & innata deperiret devotio) quod sanctissima B. Potentianæ pignora, in sublimiorem locum eleventur, in eodem eremitorio in capella quam ipse Dominus suis sumptibus fabricari facit: & quod deinceps eumdem ipsum cultum, quem olim eidem sanctissimæ Virgini ejusque lipsanis fideles concorditer conferebant, dent, porrigant, & efficaci conferant devotione; quatenus in hujusmodi decreti executione adfuere

B

jubentes eumdem cultum continuari,

C

omnia requisita, quæ sancti Concilii Tridentini placitum, & Bulla S. D. N. Urbani divina providentia Papæ VIII, noscitur postulare. In cujus rei fidem hocce fieri jussit autographum, manu propria signatum, & à Notario Apostolico infrascripto roboratum, ad perpetuam rei memoriam. Cardinalis Sandoual. Mandato Cardinalis Domini mei, Petrus Fernandez Baliemonde. Notar. Apostolic.

D

an. 1640.

6 D. Martinus de Ximena in suo Memoriali Ms. hanc refert elevationem, brevibus, licet gravibus verbis: quam perfectam fuisse fatetur XV Kal. Maji, anno Domini MDCXL, præsente & auctorante D. Eminentissimo Cardinali, astantibus in consistorii forma, prout moris est, Iliturgitanæ Civitatis Decurionibus, qui baldachini perticas pretulere. *Hactenus Tamayus: qui deinde ne quid intactum relinquat, examinanda seu verius explodenda sibi sumit argumenta sex, quibus Hieronymus de Pancorvo Carmelitanus, in Synopsi de hac Virgine scripta & Cardinali oblata, conatus est persuadere, Potentianam hanc de qua agimus*, non fuisse Hispanam origine, sed Romanam, Pudentis filiam & S. Praxedis sororem, *Martyrologio Romano inscriptam XIX Maji. Ob quæ* Sophistam *ipsum appellat*, qui potius volsellis pugnet quam gladiis; *maxime autem & majori jure exagitat opinionem asserentis, quod credibile sit S. Euphrasiam Roma Iliturgim attulisse sacra dictæ Virginis lipsana, cum Romana S. Praxedis soror Martyrium fecerit circa annum CLXII, plusquam integro post Euphrasii mortem seculo nata. O si omnes hujus farinæ ac longe etiam insulsiores fabulas, quas à Pseudo-dextero ejusque sequacibus excogitari potuisse miramur, nedum invenire approbatores, à suo Martyrologio pari severitate resecuisset Tamajus! Sed vir bonus, in eo quo Hispania sua tantillum videtur detrahi oculatissimus; in ceteris, quæ aliquam laudis umbram continent, admittendis magis cæcus est quam Tiresias.*

male tam cum S. Pudentiana Romana confudit aliquis.

E

7 *Est tamen quod ex Pancorvo, per calamum accusatoris sui, discamus; videlicet*, scriptores aliosque omnes, quorum suffragiis motus Cardinalis est ad curandam Corporis elevationem, discordibus inter se variare sententiis; dum alii Virginem, alii Martyrem, nonnulli nec Virginem nec Martyrem, plurimi Anachoretam fuisse dicunt. *Ideo non audemus eam certa alicui Sanctarum classi adscribere: sed non propterea vocamus in controversiam id in quo totius nostræ rei cardo vertitur, titulum videlicet sanctitatis, tam diuturna possessione firmatum, ut interim memoria aboleri potuerit quæcumque alia distinctior generis, ætatis & professionis. Virgo an Vidua, nobilis an plebeia fuerit, sub Romanis Gotthisve floruerit, non divinamus. Ipso in quo sepulta est loco eremiticam duxisse vitam, hoc solum est quod videtur posse conjectura non imprudenti proponi: stante autem incertitudine circa tempus quo vixit, posuimus eam inter S. Anthusam Copronymi filiam, & Martyres in Hispania sub Saracenis passos.*

videtur ipso in loco solitaria vixisse.

F

DE SS. ELIA PRESBYTERO, PAULO ET ISIDORO MONACHIS

MARTYRIBUS IN HISPANIA.

G. H.

ANNO DCCCLVI.

Elogium ex S. Eulogio,



Corduba, Regum Saracenorum olim in Hispania sedes, inter alios Martyres, qui sub illis fidem Christianam sanguine suo cum vita effuso professi fuerunt, hoc die venerantur officio Ecclesiastico sub ritu semiduplici tres, quos hoc elogio prosequitur S. Eulogius, testis oculatus, lib. 3 Memorialis Sanctorum cap. 15. Præterea Helias Presbyter, jam senex, ex provincia Lusitania, cum Paulo & Isidoro monachis, adhuc juvenili ætate florentibus, sub priorum professione perempti sunt XV Kalendas Maji, Æra DCCCXCIV; quorum corpora patibulis elevata, post multos dies Bœtico sinu conduntur. *Hæc S. Eulogius, qui & ipse Æra DCCCXCVIII, die XI Martii, non integris quatuor annis elapsis martyrium passus est sub eodem Rege Mahemado; qui Habderamo, Æra DCCCXC misera morte extincto, successerat. Martyres ergo hi tres occubuerunt anno Christi DCCCLVI, & post hos S. Eulogius anno DCCCLX. Florebat eodem tempore Luteria*

A *nomen in Martyrologiis,* *tia Parisiorum Vsuardus monachus S. Germani, & Martyrologio suo quod Carolo Calvo Imperatori & Regi Francorum dicavit, eos ad hunc diem inscripsit his verbis:* Item in Corduba sanctorum Martyrum Heliæ Presbyteri, Pauli & Isidori monachorum. *Secuti mox quotquot Martyrologia concinnarunt Bellinus, Maurolycus, Felicius, Galesinius, Canisius, aliique cum hodierno Martyrologio Romano. Tamajus Salazar in Martyrologio Hispanico tali eos elogio ornat:* Cordubæ sanctorum Martyrum Eliæ Presbyteri, Pauli & Isidori monachorum memoria perseverat: qui ob Christi fidei exaltationem, nullis territi suppliciis corpora in manus inimicorum ejecerunt, & spiritus coronati in ulnas Christi commendarunt.

etiam monasticis, 2 *Eosdem suis Martyrologiis monasticis inscripserunt Wion, Dorganius, Menardus, Bucelinus: sed contendit Tamajus Salazar* Eliam Presbyterum, *non monachum fuisse: verum potuit & Presbyter & monachus extitisse. An Ordinis Benedictini, non æque liquet. Nolumus tamen hoc negare, maxime si id asserentes aliquid congrua probationis attulerint. Non etiam* Eliam *hodiernis Portugalensibus concedit Tamajus, cum Lusitania omnem fere Extremaduram comprehenderit, ex qua potuerit esse oriundus: quod etiam Martinus de Roa in suo opere de Sanctis Cordubensibus adverterat; qui Paulum & Isidorum censet fuisse Cordubenses. Interim Georgius Cardoso Hagiologio suo Lusitanico inscripsit* Eliam, *quem* Presbyterum & monachum *appellat. Agunt de iisdem (sed verbis ex dicto encomio S. Eulogii sumptis) reliqui historici Hispani, & cum iis Coria & Alegraus in Historia Carmelitica, quos inter Eliades connumerari debere, jure ab illis autumari censet Ioannes Baptista de Lesana tomo 3 Annalium Carmeliticorum pag. 422. Sed hos refutare operosius, nedum sequi, non est hominis satis prudentis. Prudentior Thomas de Herrera in suo Alphabeto Augustiniano, ad nomen B, Helia, quem auctor Theatri triumphalis Ordinis Augustiniano inseruerat;* hunc, *inquit,* quo prætextu referat inter nostros, ignoro: *quod Antonius à Purificatione, in Chronologia monastica Lusitana anno 1642 Vlyspone edita, denuo fecit.* G. H.

DE SANCTO DONANO, G. H.

ABBATE IN SCOTIA.

B E



sæc. XI. Breviarium *Edimburgi, urbe Scotiæ regia, excusum anno* MDIX, *in usum Ecclesiæ Aberdonensis & reliquæ Scotiæ, deducit nos in certissimum cultum & venerationem* S. Donani Abbatis in Scotia, *dum ad* *Cultus sacer & Breviar. Aberdonensi,* *diem* XVII *Aprilis præscribit, ut* ad Matutinum novem Lectiones fiant de Communi unius Confessoris & Abbatis, & hic in Ecclesia de eo dedicata, cum infra passionem Domini evenerit: sin autem post Pascha, fiant de eo tres tantum Lectiones, cum regimine chori Paschalis temporis. Omnia de communi cum Oratione sequenti. Omnipotens sempiterne Deus, quia ad te animas erigimus, nostræ juventutis delicta obliviscere, quæsumus, intercessione B. Donani Confessoris tui & Abbatis; sic quæ negligenter delinquimus, clementer ignoscere digneris. *In titulo dicitur vixisse* sub Rege Machabio anno 640, *imo 1046 aut circiter.*


Elogium ex Camerario: 2 *David Camerarius hoc ei in Menologio Scotico concinnavit elogium:* S. Donanus Abbas Tanglandiæ, qui in religiosa palæstra tantum brevi temporis spatio in schola Christi profecerat, tantoque ardore cucurrerat Christi viam, ut virtutum omnium cumulo æquales suos longo post se intervallo relinqueret; submittebat se omnibus, & hoc se beatum arbitrabatur, si despiceretur ab omnibus: nec ulla ejus auribus vox dulcior quam objurgantis & reprehendentis: longeque ardentius S. Donanus contumelias & ignominias, quam ceteri gloriam & sui nominis honorem, sitiebat. In edomando etiam & macerando corpore nullus apud Donanum finis. Et ut erat infirma valetudine, in ipsis etiam morbis, in quibus fractior esse solebat animus ægrotantis, & constantiam & animi æquitatem sic semper tenuit, ut nec acerbioris morbi frangeretur incommodis, nec usitata pietatis & devotionis munia desereret. Fuit Donanus Sanctus magno in pretio ob virtutum ornamenta apud Duncanum Scotorum Regem; qui, Donani Sancti exemplo, admirabili fuisse dicitur lenitate animi, & ad ignoscendum paratissimus. Ad superos abiit Donanus Sanctus Christi anno MXLIV. De eo vide Regium in Calendario & alios. C

3 *Ejusdem Regii Kalendario citato, ista in suo Menologio Scotico habet Thomas Dempsterus:* Donani Abbatis in Achterles, cujus baculus circumlatus cuilibet languori medebatur. *Idem Dempsterus lib. 4 Historiæ Ecclesiasticæ Gentis Scotorum num. 377 ista habet:* S. Donanus Abbas, aureo illo Sanctorum seculo, incomparabili vitæ sanctitate fulsit: baculum hæretici corruperunt, qui circumlatus febri & morbo regio medebatur. Vixit anno DCXL. Colitur die XVII Aprilis. Breviarium Scoticum. Patronus in Achterles, Thomæ Dempsteri Baronia, cujus sanctæ Reliquiæ elevatæ XVIII Aprilis, & nundinæ frequentes toto eo tractu. *Hæc Dempsterus cum indiculo librorum ab eo editorum, quem ut supposititium omittimus. Ferrarius in Catalogo generali eumdem* Donanum *celebrat, & in Notis aliqua ex Dempstero allegat.* *& Dempstero,* F

4 *Hæc dicti auctores. Citatus supra Rex* Machabius, *alias* Machabæus, *statuitur à Ioanne Leslæo regnasse ab anno* XLVI *supra millesimum, usque ad annum* LXI *ejusdem seculi. Successerunt Malcolmus* III, *Donaldus* VI, *tunc Duncanus* I *ab anno* MXCIII *ad* MCIX, *apud quem dicitur à Camerario* S. Donanus in magno pretio *fuisse. Hæc autem procul absunt ab anno* DCXL, *quem Dempsterus ex vitiosa impressione Breviarii desumpsit. Num autem gratus fuerit* Duncano *jam Regi, an potius adhuc juveni (quod postremum magis congruum esset priori relationi) arbitrio lectoris relinquimus.* *Tempus vitæ.*

DE BEATO GERVINO, G. H.

ABBATE ALDENBVRGENSI IN FLANDRIA.



ANNO MCXVII. Aldenburgum, *oppidum Flandriæ est haud procul Ostenda, de cujus antiquitate, quæ à variis sparguntur, collecta legi possunt apud Antonium Sanderum tomo I Flandriæ illustratæ pag. 316 & sequente. Id inter illustres verbi divini prædicatores veneratur S. Vrsmarum, Episcopum & Abbatem Lobiensem, cujus Acta illustramus ad diem sequentem* XVIII *Aprilis. Est ibidem monasterium Benedictinum, à S. Arnulpho Episcopo Suessionum (ut dicendum erit* XVI *Augusti ad ejus Vitam) usibus monachorum aptatum; cui successit alius Arnulphus, prædicti Sancti ex sorore nepos, mortuus anno* MXCV. *Huic subrogatus* *Acta antiqua deperdita.*

AUCTORE G.H.

gatus est Gervinus, de quo hic agimus; & multum soliciti fuimus ut antiqua de eo monumenta, per Hariulphum successorem scripta, obtineremus, sed frustra: quamvis omnem diligentiam adhibuerit Ignatius de Meyer, Societatis nostræ Sacerdos, qui Brugis urbe satis vicina degit. Damus ergo quæ apud Ioannem Molanum in Natalibus Sanctorum Belgii habentur ad hunc XVII Aprilis sub hoc titulo.

De Beato Gervino secundo Abbate in Aldenburg. Ex libro obituum,& Vita per Hariulphum successorem scripta.

Elogium vitæ ex Molani:

2 Decimo quinto Calendas Maji, obiit Dominus Gervinus,quondam Abbas secundus cœnobii in Aldenburg. Fuit natione Flandrensis, genere mediocris, bis Hierosolymam ex ardore fidei adiit; Romam & alia sancta loca invisit. Cumque vitam ejus innocentem & piam affines & propinqui non recte intelligerent, secessit ad monasterium S. Winoci, ubi ad Presbyterii gradum sub Teruanensi Episcopo ascendit.Imploravit etiam S. Nicolai opem, cum eum negotiatores Barum transtulerant. Habitavit in silva Abbatis Corbejensis, deinde reclusus sub basilica S.Petri in Aldenburg, quia locus ille per dignitatem S. Petri miraculorum signis illustrabatur. Postea sedes fixit penes montem Cassel, donec à Fratribus Aldenburgensibus, qui ejus in sanctis actionibus vitam noverant, electus est in Abbatem. Quibus tandem electus cessit, benedictionem accipiens Gandavi à Lamberto Episcopo Tornacensi. Dæmoniacos & lunaticos sæpe sanavit: In prophetia clarus erat. Quadraginta annis à carne & pinguedine abstinuit. Munera potentum, qui iniquitate prævalebant, accipi non sinebat. Ceterum Abbatiali vitæ præponens solitariam, ea resignata, ad hanc rediit, secedendo in Wasiam ad silvam Cosfort, ubi ædificavit ecclesiolam: apud quam obiit anno millesimo centesimo decimo septimo. Quæ omnia à nobis ignorarentur, nisi extarent ad Wilhelmum Dorovernensem Archiepiscoporum dialogi Hariulphi de Miraculis S. Petri Apostoli in Aldenburg, & de Vita Gervini sui antecessoris.

memoria in aliis fastis:

3 *Hæc Molanus, quem describunt Miræus in Fastis Belgicis, Antonius Sanderus in Hagiologio Flandriæ, primum Antverpiæ anno* MDCXXV *excuso, dein Insulis anno* MDCXXXIX *recuso; Ferrarius, in Catalogo generali; Hugo Menardus & Gabriel Bucelinus, in Martyrologiis Benedictinis; Balduinus Willotius, in Martyrologio Belgico Gallice edito, qui elogium Menardi descripsit, uti in fastis habetur his verbis.* In Wasia, silva Cosfort, depositio Beati Gervini Abbatis Aldenburgensis. *Reliqua habet Menardus lib. 2 Observationum. Edita est* Coloniæ anno MDCLX Vita B. Gervini Confessoris & Abbatis monasterii Aldenburgensis in Flandria Ordinis S. Benedicti, collecta & edita per F. Gervinum Oeckhoven Coloniensem Ordinis FF. Eremitarum S. Augustini Presbyterum, ad Amplissimum virum D. Gervinum Meinersthagen, Juris utriusque Doctorem ejusdemque in Alma Ubiorum Universitate primarium Professorem, nec non liberæ & Imperialis urbis Agrippinensis Syndicum. *Hæc prima fronte; dein subjungitur imago cum hac subscriptione:* S. Gervinus Abbas Aldenburgensis, Flandrensis, annis XL à carnibus abstinuit, dæmoniacos & lunaticos sanavit, secessit in Wasiam ad silvam Cosfort: ibi obiit anno MCXVII, die XVII Aprilis. *In deducenda ejus Vita multa nobis parerga habet auctor, additque* in monasterio S. Winoci, ubi monasticen professus est, extare ejus effigiem radioso capite, & haberi ibidem uti & Aldenburgi pro Sancto sive Beato, & secure hunc titulum præberi; *atque concludit cum* precatione ad B. Gervinum *hoc modo:* Oramus te supplices, Domine Deus, Pater omnipotens, suscipe servorum tuorum orationem; ut Beati Gervini memoriam recolentes, ejus meritis & intercessione, à cunctis adversitatibus liberemur in corpore, & à pravis cogitationibus mundemur in mente. Per Dominum nostrum &c. *Saussajus in Martyrologio Gallicano inter Sanctos eum collocat his verbis:* Eodem die, in Aldenburgensi cœnobio, depositio Sancti Gervini, ejusdem loci Abbatis secundi & Confessoris, viri religiosæ vitæ exemplo ac prophetiæ spiritu clarissimi. *Submisit nobis R.D. Amandus Belver Religiosus Benedictinus in Abbatia S. Winoci, ex Memoriali Benedictino suo conscripto elogium ejus hoc exordio:* Beatus Gervinus Cassetensis, communi loco natus, in adolescentia sua bis Romam & Hierosolymam devotionis causa profectus. *Reliqua omittimus, in elogio Molani contenta.*

Vita aliqua Coloniæ edita.

G.H.


DE SANCTO STEPHANO,

TERTIO ABBATE CISTERCIENSI IN GALLIA.

CAPUT I.

Ortus, Vita monastica: peregrinatio. Accessus ad Molismum & Cistercium: ejus Prioratus.

ANNO MCXXXIV.



Recipui auctores Cisterciensis Ordinis fuerunt S. Robertus, B. Albericus, & jam indicatus S. Stephanus, quem Romani Martyrologii tabula hoc die memorandum proponunt. Vitam S. Roberti Abbatis Molismensis, & fundatoris habiti Ordinis Cisterciensis, damus die XXIX *hujus mensis Aprilis, ubi latius primordia Ordinis totius examinamus: atque allegamus varia de S. Stephano, hic non nisi obiter attingenda, ad quæ, ne moles operis accrescat benevolum Lectorem remittimus. Vitam B. Alberici, sed ex Fasciculo Sanctorum Ordinis Cisterciensis à Chrysostomo Henriquez collecto, dedimus* XXVI *Ianuarii. Habebat illam lib. 1 distinct. 2, eique subjunxit distinct. 3 Vitam S. Stephani, quam curiosus Lector ibidem reperiet. Nos ex variis, & potissimum ex libro utroque Exordii Cisterciensis, præcipua seligimus.*

Varia de eo scripta,

2 *De origine S. Stephani Angelus Manrique, in sua introductione ad Annales Cistercienses cap. 2 num. 4, ita loquitur.* Stephanus, cognomento Hardingus, genere nobilis, natione Anglus, professione fuit monachus; quod vitæ genus ab adolescentia sectabatur, ad Shirburnense monasterium induto habitu. Ex Anglia studiorum causa primum Scotiam, inde in Galliam Parisios transfretaverat. Ibi profanis litteris libatis, sacras penitus hausit disciplinas; labore assiduus, ingenio profundus, meditatione præcipuus: & in quo (ut Malmesburiensis lib. 4 de Regibus Anglorum verbis utar) scientia litterarum cum religione quadrabat: sermone comis, facie jocundus, animo semper in Domino lætus. His solidioribus jactis fundamentis, post aliquot annos Romam proficiscitur, sacris liminibus visitandis venerandisque, Clerico studiorum

Nobilis Anglus, in patria monachus,

Parisiis studiis imbutus,

Romam peregrinatus cum Clerico

A diorum sibi socio adjuncto. Mirum in juvene, quamvis religioso: quo minus integrum Psalteriū singulis diebus devotus decantaret, nullis occupationibus distractionibusve, nullis negotiis potuit impediri: inter ipsa etiam viarum incommoda, naturæ obsequia, & quæ homine trahebant erga proximos opera pietatis utriusq; tabulæ, decantando Psalterio tempus & locus fuit, eodem Clerico alternis respondente, fideli socio & prompto ad omne bonum. *Ita Exordium magnum Cisterciense* lib. I c. 27, *seculo duodecimo à monacho Claravallensi scriptum: ex quo asserit idem Manriquez ad an.* 1106 *cap.* 1 *n.* 5, S. Stephani historiam summe illustrari. *At n.* 5 *cap.* 2 *in Introductione ista addit:*

Psalterium quotidie legit:

3 Post visitata Romæ loca sacra, crediderim & perfectioris adhuc vitæ ab Stephano Hardingo conceptū votum, lætus uterq; Gallias repedabat; cum ecce pervium Lingonense territorium, & in eo Molismus recenti fama ad monachos divertendi occasio fuit. Sensit Stephanus se deberi novæ fabricæ, novo cœnobio, sive quod verius dicam futuro Ordini: & Roberto Albericoq; deerat tertius, triplici illi funiculo texendo, rumpendo numquam, tot homines cælestibus vinculis ligaturo. Non tamen de fuit ferventi tunc Spiritui, sub validiore pietatis specie, acris tentatio: vetus societas solvenda dirimendaque, tum primum Clerico ab ipso dissentiente, nec acquiescente remanere apud Molismum. Parentes olim fratresq; dimissi, relictæq; opes, gloria mundi spreta, oblectamenta & deliciæ superata, minus negotii facesserunt viro Dei, quam unius probi ac probati amici jactura imminens, vel tot Sanctorum convictu compensanda. Sed vicit tandem animum hærentē occulta vis, quæ Stephanum Cistercio præparabat. Auxit Molismensem conventum recens hospes, lætantibus Angelis, tabescentibus dæmonibus, Roberto Albericoque, Abbate & Priore, & ceteris Fratribus suis æque gaudentibus.

Molismi adjungit se S. Roberto & B. Alberico,

tristis ob Clerici dissessum:

B

4 *Deformata postmodum Molismus præ abundantia, nec corrigibilis, à S. Roberto deseritur, cura B. Alberico relicta: sed hic, verbera & carcerem perpessus, cum S. Stephano in eremum, cui Vinicus nomen erat, secessit. Verum ad Molismum omnes revocati multa reformarunt: quia tamen non possent omnia, novum cœnobiū construere meditantur, & ad id facultate à legato Apostolico impetrata, Cistercium eligunt, auctore potissimum S. Stephano: de quo in allegato supra Exordio cap.* 10 *lib.* I *ista leguntur:* Cum verbum innovandæ religionis motum fuisset, ipse Stephanus primus inter primos ferventissimo studio laboravit, ac modis omnibus institit, ut locus & Ordo Cisterciensis institueretur: cujus postmodum, ordinante Deo, Pastor ac Doctor erat instituendus. *Forsan etiam ad Odonem Ducem Burgundiæ, auxilium petitum, missus fuit. Quæ omnia ad S. Roberti Vitam deduximus.*

discedit cum Alberico in eremum,

reversus Molismum,

Cistercium cum utroque & aliis abit:

C

anno 1098

5 *Cœptum ergo incoli cœnobium anno millesimo nonagesimo octavo à die* XXI *Martii, sub S. Roberto primo Abbate: sed hoc jussu Pontificis sequenti anno reverso Molismum, B. Albericus in Abbatem promotus, & S. Stephanus ab eo Prior suffectus est: qui simul cum eo vigorem disciplinæ auxit, confirmationemque monasterii apud Paschalem promovit, juvitque in primis Cistercii statutis formandis: & sic initium reformationis Cisterciensis datum, atque vestis alba assumpta est. In obitu B. Alberici, ab hac vita anno* MCIX *subtracti, habitum à S. Stephano sermonem fuisse, aliqua traditio est: & is, cum reliquiis Alberici Actis, habetur* XXVI *Ianuarii.*

Prior sub Alberico Abbate,

anno 1109 *mortuo,*

CAPUT II.

Abbas creatur: prima ejus statuta. Paupertas domus divinitus sublevata. Attentio ejus in oratione. Humilitas.

6 A*Uctor Exordii magni Cisterciensis lib.* I *cap.* 27, *à Manrique citatus ad annum* 1109 *cap.* 2 *scribit:* Post mortem vero secundi sui Pastoris, Cisterciensis Ecclesia adhuc pauper & modica convenit de electione Abbatis sine personarum acceptione tractare. Et mediante gratia Spiritus sancti, elegerunt virum bonum, nomine Stephanum, natione Anglicum, qui cum eis de Molismo exierat; virum conspicuæ sanctitatis, omniumque virtutum gratia decoratum, eremi amatorem & ferventissimum sanctæ paupertatis æmulatorem. Quod cum donante Domino, sicut præfati sumus, factum fuisset, tamquam fidelis & prudens dispensator, cœpit illico devotissima mentis intentione tractare, qualiter Ordinem suum noviter fundatum, & adhuc in multis vacillantem (quippe nondum perfectis & meram paupertatem redolentibus excultum) in melius proveheret & extolleret, talique moderatione roboraret, ut Domino Jesu fructum plurimum adferre valeret. Convocatis itaque Fratribus suis, & habito cum eis consilio, tam ipse quam Fratres ejus interdixerunt, ne Dux terræ illius seu aliquis alius Princeps curiam suam in aliquo tempore in ecclesia illa teneret, sicut antea in solennitatibus agere solebant. Deinde ne quid in domo Dei, in qua die ac nocte Deo servire cupiebant, remaneret quod superbiam aut superfluitatem redoleret; aut paupertatem virtutum custodem, quam sponte propter Deum elegerant, aliquando corrumperet. Confirmaverunt etiam, ne retinerent cruces aureas vel argenteas, sed tantum ligneas coloribus depictas, neque candelabra, præter unum ferreum; neque thuribula, nisi cuprea vel ferrea; neque casulas, nisi de fustaneo vel lino sive panno, sed sine auro vel argento; neque albas vel amictus, nisi de lino, similiter sine auro vel argento. Pallia vero omnia & cappas atque dalmaticas tunicasque ex toto dimiserunt. Calices non aureos, sed argenteos, & si fieri posset deauratos; fistulam argenteam, & si possibile sit deauratam; stolas quoque ac manipulos de panno tantum, sine auro & argento, haberi voluerunt. Pallæ quoque altarium, ut de lino fierent, & Planæ sine pictura, statuerunt: & ut ampullæ ad ministerium altaris sine auro & argento essent.

Constituitur Abbas,

aliqua cum suis statuta condit:

circa accessum Ducis,

paupertatem

E

& supellectilem sacram.

7 *Hactenus ex citato Exordio, in quo indicati Duces terræ illius, erant Duces Burgundiæ, à Roberto Rege Francorum prognati; ex quibus Roberti ipsius pronepos Odo primus, fundator hujus monasterii, obierat anno* MCII; *& tunc vivebat filius Odonis Hugo, mortuus anno* MCXLII; *cui successit Odo secundus, dicti Hugonis filius, qui superfuit usque ad annum* DCLII. *Horum trium epitaphium extat Cistercii in sacello ecclesiæ ad dexteram. De sacris vestibus, potissimum rejectis & non admittendis inposterum, varia inquirit Manriquez, & pallia videntur potissimum generice sumpta, sub quibus quasi species palliorum sumuntur* cappæ, de choro *scilicet, seu* pluvialia, *pro Presbyteris;* Dalmaticæ, *pro Diaconis & Subdiaconis;* & tunicæ, *pro thuribulario & ceroferariis.* Fistula *in usu erat pro iis, qui præter sacrificantem hauriebant Sanguinem Christi. Quem ritum adhuc in solennibus sacris vidimus observari apud Cluniacenses: & Cajetanus par.* I *quæst.* 80, *art.* 12 *qu.* 3 *indicat*, in Ordine Cisterciensi alicubi communionem fieri sub utraque specie: *quod etiam ad sanctimoniales ejusdem Ordinis pertinuisse, vidimus* XIII *Aprilis in Vita Vener. Idæ de Lovanio lib.* 3 *num.* 10.

3 Ducum ibi sepultura

F

Ritus communicandi sub utraque specie,

8 *De Ordinis sub S. Stephano paupertate usque ad mendicitatem, ista habet dictus auctor Exordii l.* I *cap.* 23 *& ex eo Helinandus monachus Cisterciensis (qui circa annum* MCCXII *in Monte-Frigido floruit) apud Vincentium Bellovacensem lib.* 26 *Speculi historialis c.* 2. Memini me audivisse Ma-

AUCTORE G. H.

gistrum Petrum Cantorem Parisiensem, virum justissimum atque doctissimum, referentem de Abbate isto Stephano Cisterciensi, quod cum ei quadam die nuntiatum esset à suo cellario, nihil haberi in monasterio unde vel una die Fratrum necessitas sustentari possit; respondit: Sternite nobis duos asinos. Qui cum strati essent; fecit secum ascendere Conversum unũ, & jussit ei ut in quodam vico panem ostiatim mendicaret, & ipse similiter in alio faceret; & postquam sic fecissent, ad unum locum, quem ei designaverat, convenirent. In loco prædicto sibi jam redeuntes obviabant, cum ecce Abbas vidit sacculum Conversi multo pleniorẽ, quam suum: & subridendo ait. Ubi mendicasti? ut video in crassiori platea collegistis quam ego. Respondit Conversus: Presbyter ille, quem vos optime nostis, sacculum meum implevit. Quod audiens Abbas, ingemuit & ait: Væ vobis, quare ibi aliquid accepistis? Nesciebatis quod Presbyter ille simoniace ordinatus sit? & quod accepit est lepra & rapina? Vivit Dominus, quia de omni, quod dedit, nihil gustabimus. Absit quo peccatum illius comedamus, & nobis incorporetur. Convocatisque pastoribus ovium, qui non longe erant, totum Conversi sacculum in sinus eorum evacuavit. *Hæc ibi, quibus similia plura narrat auctor Exordii, & lib. 1 cap. 31 ista dicit:*

S. Stephanus panem ostiatim mendicat,

acceptum à Presbytero simoniaco:

distribuit aliis,

B

9 Instabat sancta solennitas Pentecostes, & in ipsa sacratissima die vix tanti panes in eadem domo inveniri poterant, qui Fratribus sufficerent. Tũ vero Fratres vehementer exhilarati, tamquã si de ipsa paupertate sua, quã propter Deum sustinebant, saginarentur, Missam tantæ solennitatis cum summa devotione in jubilo cordis cantare cœperunt. Et ecce necdũ finita Missa, de promptuariis gratiæ Dei largã benedictionẽ repente, unde non sperabant, sibi transmissã cũ multa gratiarum actione susceperunt. In his & similibus vir Dei perpendens, quam veraciter Scriptura dicit, Quoniam nihil deest timentibus eum; largitatem & miserationem Domini super se & super Fratres suos admirans, magis ac magis in sancta religione proficiebat & beatæ paupertatis angustiis gloriabatur sicut in omnibus divitiis. *Dein cap. 34 sequentia, his subnectenda, tradit idem auctor Exordii.*

annonam ex insperato accipit:

Psal. 33, 10

10 Quodam tempore cum domus Cistercii magna fuisset paupertate adstricta, Ven. Abbas Stephanus vocavit unum ex Fratribus suis, & loquens ad eum in spiritu Dei dixit: Vides, carissime Frater, quia magna coarctati sumus inopia; & prope est ut Fratres nostri fame & frigore ceterisque molestiis periclitentur. Vade ergo ad nundinas Verselliaci quæ proxime instãt: & compares ibi quadrigas tres, & earum singulis ternos equos fortes atque tractores, quibus maxime egemus ad onera nostra portanda. Cumque quadrigas illas pannis & alimentis aliisque rebus necessariis oneraveris, adduces eas tecum, cum gaudio & prosperitate revertens ad nos. Respondens autem Frater dixit: Paratus sum, Domine Pater, ut tuis jussionibus obsequar, si pretiũ dederis ad illa subsidia comparanda. Cui venerandus Abbas, in paupertate sua de misericordia Dei magnifice præsumens, respondit: Vere Frater scias, quia cum solicitus & anxius quærerem, unde necessitatibus Fratrum nostrorum subvenirem, tres tantum denarii isti in domo ista reperti sunt: hos si volueris tolle: reliqua vero quæcumque defuerint, tibi Domini nostri Jesu Christi misericordia providebit. Securus itaque vade: quia mittet Dominus Angelum suum tecũ, & prosperum faciet iter tuum. Profectus itaque Verselliacum Frater ille, à quodam viro fideli & timorato, hospitio receptus est. Qui dum itineris ejus causas & Fratrum indigentiam agnovisset; abiit in instanti ad quemdam locupletissimum virum vicinum suum, qui desperate languens ac pene jam moriturus, facultates suas pauperibus erogabat. Cumque Cisterciensiũ monachorum, quorum jam in partibus illis sanctitas celebris habebatur, eidem infirmo penuriã indicasset: vocatus est ad domũ ejus supradictus Frater, tantam pecuniæ summam ab ipso moriente recepit, ut cuncta quæ injunxerat ei Abbas, sufficienter ex ea compararet.

F

mittit monachum ad nundinas ut emat necessaria,

pro pecunia addicit misericordiam Christi,

quam expertus,

D

11 Acceptis itaque tribus rhedis cum novem quadrigariis equis, ornavit atque oneravit eas cunctis, quæ Fratrum usibus opportuna esse cognovit. Et ita qui vacuus venerat, secundum prophetiã Abbatis, plenus & gaudens ad suos remeavit. Cumque Cistercio appropinquaret, nuntium misit, qui Abbati ejus significaret adventum pariter & proventũ. Quo audito venerabilis Pater exultavit in Domino vehementer, & convocatis in unum Fratribus, ait: Deus miserationum Dominus, Deus miserationum libere ac liberaliter egit. Vere nobiliter, vere eleganter fecisti, Procurator & Pastor noster, aperiens manum tuam, & implens benedictione tua penuriam nostrã. Tunc ordinata processione occurrerunt obviam venienti Fratri usque ad portam, ita ut ipse Abbas procederet indutus vestibus sacris cum pastorali virga, ministris præcedentibus eũ cum Cruce & aqua benedicta. Exceperunt ergo solenniter & cum multa gratiarum actione eleemosynam, non ut ab homine præstitã, sed tamquam cælitus missam à Domino & misericordiã à Deo salutari suo. Porro vir iste prudens & spiritualis, sicut intelligi datur, in hac tam celebri susceptione beneficii, filios suos tam præsentes quam posteros admonere voluit, ut hujus miraculi gratiã jugi meditatione retinerent, atque ex eo discerent in cunctis necessitatibus suis pia confidentia præsumere de misericordia Dei; qui nũquam deserit sperantes in se, sed est semper pauperum suorum piissimus consolator, atque adjutor in opportunitatibus in tribulatione. *Hactenus auctor Exordii apud Manrique ad annum MCX. Huic annectimus quæ eidem Stephano ægro post apertam venam contigerunt ac referuntur lib. 2 Exordii cap. 30 his verbis.*

redeuntem monachum occurrit cum processione:

E

docet suos fiduciam in Deum,

12 Minuerat aliquando sanguinem propter Christum pauper Abbas Stephanus, & propter inopiã domus cellarius, cui ex præcepto regulæ pauperũ & infirmorum cura incumbit, nihil ad manũ habebat, unde pauperi & infirmo Abbati suo lautius aliquod edulium præpararet. Et sincera caritate Abbatem suũ diligens, discurrebat si forte alicubi aliquid inveniret: unde caritatẽ, qua intus ardebat, etiam foris ostenderet. Cum ecce avis quædam grandis advolat, non mediocris quantitatis piscem unguibus ferens in quem continuo coram mirantium oculis projecit & recessit, copiosam prædam cellario relinquens, unde Abbatis sui minutioni sufficeret ac provideret. *Sed ex libro 1 ejusdem Exordii addendum illud, quod cap. 32 narratur.*

æger post venam apertam,

F

piscem ab ave allatum pro cibo accipit:

13 Ceterum quam non surdus Stephanus fuerit auctor sanctæ regulæ, præcipientis, ut sic stemus ad psallendum, ut mens nostra concordet voci nostræ, ex eo quod subdimus liquebit. Mos erat ei, ut lecta collatione cum ecclesiam intraret, ostium ecclesiæ manu teneret, & digitos firmius quasi pro signo premeret: sicut solent homines signum aut modum facere, quatenus per hoc admoniti, memoriæ arctius imprimãt, quod oblivisci nolunt. Cumque hoc frequenter faceret, quodam die unus de Fratribus, cui familiaritas ausum præbuit, interrogavit eum cur hoc faceret. Cui Pater sanctus, Omnibus, inquit, cogitationibus meis, quas ex injuncto officio pro dispositione domus per diem admittere cogor, dico ut foris remaneant, nec prorsus ingredi præsumant, sed expectent usque cras, ut dicta Prima hic eas inveniam. *Hæc ibi, quibus similia de S. Bernardo narrantur; qui potuit illud à S. Stephano suo Abbate didicisse. Dein cap. 33 ista adduntur:* Quantæ vero humilitatis fuerit, quamque odio habuerit omnem fastum

excludit à se distractiones inter orandum:

vixit absque fastu:

A fastum superbiæ; ferula pastoralis ejus, cum qua in festivis processionibus incedere solebat, satis indicat: quæ'usq; hodie in Cisterciensi sacrario ob reverentiã tanti Patris conservata, & in magna veneratione habita, non multum à communibus sustentatoriis, quibus senes & debiles inniti fere solent, distare videtur.

CAPUT III.

In tædio deficientis posteritatis consolatio ab apparente monacho defuncto, & à visione moribundi. Adventus S. Bernardi & aliorum.

4 Gvilielmus *Abbas S. Theodorici lib. 1 Vita S. Bernardi cap. 3 ista scribit:* Eo tempore novellus & pusillus grex Cisterciensis, sub Abbate viro venerabili Stephano, cum jam graviter ei tædio esse inciperet paucitas sua, & omnis spes posteritatis decideret, in quam sanctæ illius paupertatis hereditas transfunderetur, venerantibus omnibus in eis vitæ sanctitatem, sed refugientibus austeritatem; repente divina visitatione tam læta, tam insperata lætificatus est, ut in die illa responsum hoc à Spiritu sancto accepisse sibi domus illa videretur: Lætare sterilis quæ non pariebas, & clama quæ non parturiebas: quia multi filii desertæ magis quam ejus quæ habet virum, de quibus postmodum visura es filios filiarum usque in multas generationes. *Hæc ibi. At quomodo in ea desolatione moribundum monachum sit allocutus S. Stephanus, ita narratur in Exordio magno lib. 4 cap. 28.* Vides carissime, in quanto tædio & defectione mentis versamur, quia arctam & angustam viam, quam in regula beatissimus Pater Benedictus proposuit, utcumque ingressi sumus. Sed utrum hæc nostra conversatio Deo placeat, non satis constat nobis: præsertim cum ab omnibus vicinis monachis, tamquam novarum rerum adinventores, & scandali schismatisque incentores dijudicemur. Super omnia vero mœroris acerbissimi jaculo transfigit cor meum paucitas nostra: quoniam singuli morte interveniente quotidie tollimur è medio; & sicut valde pertimesco, nobiscum pariter hæc nova cœpta religio finem accipiet: quoniam personas industrias, & ad humilitatem sanctæ paupertatis idoneas, usque ad præsens Dominus associare nobiscum nequaquam dignatus est, per quas hujus nostræ institutionis formulam ad posteros transmittere valeamus. Quapropter, in nomine Domini nostri Jesu Christi, pro cujus amore arctam & angustam viam, quam in Euangelio sequacibus suis proponit, ingressi sumus, & in virtute obedientiæ tibi præcipio, quatenus post obitum tuum (tempore & modo, quo ejusdem Domini nostri gratia decreverit) ad nos redeas, & de statu nostro, quantum ipsius misericordia voluerit, nos certos facias. Ad quem infirmus, Faciam, inquit, libenter, Domine Pater, quod præcipis, si tamen tuis precibus adjuto, mandatum tuum licuerit adimplere.

in tædio, ne locus deficientibus novitiis decideret, — *Isai. 45, 1* — B — *cupit à Monacho moribundo post mortem edoceri num ea ratio vitæ placeat Deo:* — *Matth. 7, 13* — C

15 Quo mortuo pauci fluxerant dies, & venerabilis Abbas cum conventu Fratrum in labore positus, sicut moris est, pausandi dederat signum: ipse quoq; paululum remotus ab aliis, orationi insistens, caputio coopertus caput, sedebat. Et ecce Frater ille defunctus, magna claritatis gloria perfusus, coram ipso adstitit, ita tamen ut magis in aëre levari, quam in terra consistere videretur. Requisitus quomodo se haberet, vel qualiter sibi esset, respondit. Bene, optime Pater, bene mihi est: bene sit & tibi, quia per doctrinam & solicitudinem tuam, illius interminabilis gaudii, illius incomprehensibilis pacis Dei quæ exuperat omnem sensum, particeps esse merui, pro qua adipiscẽda duros novi Ordinis nostri labores patienter & humiliter sustinui. Et nunc juxta tuum præceptum redii, gratiam & misericordiam Domini nostri Jesu Christi tibi Patri & Fratribus tuis annuntians. Quia vero præceperas de statu vestro vos certificare debere; omni scrupulo dubietatis excluso certum teneatis, quod sancta & Deo placens est vita & conversatio vestra. Porro mœror, qui de non relinquenda posteritate præcordia tua nimium depascitur, quantocius à te repelletur, & in jubilum & exultationẽ evadet. Quoniam adhuc dicent filii sterilitatis tuæ in auribus tuis: Angustus est nobis locus, fac spatium ut habitare possimus. Ecce enim jam ex hoc tempore magnificavit Dominus facere vobiscum, mittens vobis personas multas: inter quas erunt nobiles & litterati viri plurimi qui ita domum istam replebunt, ut hinc, tamquam examina apum æstuantia & redundantia, evolantes, plurimas mundi partes penetrent; & de semine Domini, quod in hoc loco coaluit, multiplices sanctarum animarum manipulos, ex universis mundi partibus collectos, cælestibus granariis inferant. His auditis Abbas sanctus, gaudio & exultatione repletus, divinæ pietati gratias ex intimis medullis cordis retulit, felici experimento probans, quam veraciter Scriptura testatur. Quoniam non derelinquit Dominus sperantes in se.

ab illo apparente in gloria, — AUCTORE G. H. — *intelligit conversationem istam placere Deo* — *& locum multiplicandum:* — *& alia monasteria extruenda:* — *Psal. 33, 23*

16 Parabat interim nuntius cælestis abire; sed sine benedictione Patris spiritualis, quod mirum dictu est, minime præsumpsit. Dixit itaq; Abbati: Tempus est, Domine Pater, ut revertar ad eum, qui me misit: & propterea peto, quatenus benedictione tua firmatum me dimittas. Cui stupens & pavens Abbas, respondit: Quid est quæso quod loqueris? Tu de corruptione ad incorruptionem, de vanitate ad veritatem, de tenebris ad lucem, de morte ad vitam transisti; & à me, qui sub his omnibus adhuc miserabiliter gemo, benedictionem petis? Hoc contra omnem juris & rationis integritatẽ esse videtur. Ego potius à te debeo benedici, & propterea obsecro te, ut benedicas mihi. Cui ille: Non ita convenit, Pater: tibi enim à Domino collata est benedicendi potestas, utpote in apice dignitatis & spiritualis magisterii constituto. Mihi vero discipulo tuo, qui per salutarem doctrinam tuam hujus mundi inquinamenta devitavi, benedictionem accipere optabile est: neque enim prorsus hinc recedam, nisi benedictionem tuam meruero. Abbas vero stupore & admiratione repletus, neque ausus ultra pertinaciter reniti, elevata manu benedixit ei: sicque illa sancta anima disparens, speciem visibilem quam assumpserat, secretis invisibilibus restituit.

rogatus dare benedictionẽ — E — *primo abnuit,* — *dein quasi coactus facit:*

17 Altera vice, cuidam ex Fratribus viam universæ carnis ingressuro, apparuit in visione innumera multitudo hominum, prope oratorium ejusdem ecclesiæ, juxta fontem quemdam lucidissimum, lavans vestimenta sua: & in ipsa visione dictum est ei, quia fons ille fons Ennon vocaretur. Quod cum indicasset Abbati, protinus intellexit vir magnificus, per hoc divinam consolationem significari. *Hactenus auctor Exordii, ex quibus ultima leguntur in Vita S. Bernardi citata cap. 3, additurque:* Et multum quidem tunc Abbas de promissione sed plurimum postea de exhibitione lætatus egit gratias Deo per Jesum Christum. *S. Hieronymus in locis Hebraicis*, Ennon, *inquit*, ubi baptizabat Joannes, sicut in Euangelio scriptum est, & ostenditur nunc usque locus, octavo lapide Scythopoleos inter Salim & Jordanem.

F — *idem intelligit ex visione facta alteri moribundo:* — *Ioan. 3.*

18 *Guilielmus præfatus ita auspicatur caput iv Vitæ S. Bernardi:* Anno ab Incarnatione Domini MCXIII, à constitutione domus Cisterciensis XV. servus Dei Bernardus, annos natus circiter viginti tres, Cisterciũ ingressus cum sociis amplius quam triginta sub Abbate Stephano, suavi jugo Christi collum submisit. Ab illa autem die dedit Dominus benedictionẽ, & vinea illa

excipit S. Bernardum cum 30 sociis.

AUCTORE G. H.

Domini Sabaoth dedit fructum suum, extendens palmites suos usque ad mare, & ultra mare propagines suas. *Hæc ibi, quibus consonant quæ in Exordio parvo (quod traditur anno MCXX à primis Patribus Cisterciensibus fuisse compositum) cap. 18 his verbis proferuntur.* Ergo istis temporibus Dominus visitavit locum illum. Nam tot Clericos litteratos, & nobiles laicos, etiam in seculo potentes & æque nobiles, uno tempore ad illam Dei gratia transmisit ecclesiam; ut triginta insimul in cellam novitiorum alacriter intrarent, ac bene contra propria vitia & incitamenta malignorum spirituum fortiterque decertantes cursum suum consummarent. Quorum exemplo senes & juvenes diversæque ætatis homines, in diversis mundi partibus animati (videntes scilicet in istis possibile fore, quod antea impossibile formidabant) illuc concurrere, superba colla jugo Christi suavi subdere, dura & aspera regulæ præcepta ardenter amare, ecclesiamque illam mirabiliter lætificare & indeficienter corroborare cœperunt.

& horum exemplo alii,

CAPUT IV.

Varia sub eo monasteria constructa. Statuta nova. Charta caritatis dicta.

B

19 Quomodo Ordo Cisterciensis cœperit extra primum domicilium propagari ita legitur apud Manrique, verbis ex Tabulario Firmitatis depromptis: Tantus erat numerus Fratrum apud Cistercium, quod neque substantia quam habebant eis sufficere, nec locus in quo manebant eos convenienter capere posset. Placuit itaque Fratribus, ut locum alium quærerent, in quo pars ipsorum, ab aliis corpore non animâ separata, Deo devote & regulariter deservirer. Quem locum dum Abbas Stephanus solicite ac studiose perquireret, ad notitiam Domini Gualteri Cabilonensis Episcopi & Canonicorum ejusdem civitatis, nec non ad aures duorum Comitum, Gauderici videlicet & Guillelmi, aliorumque illustrium virorum, ista pervenit discussio. Qui vehementer inde gaudentes, & terram suam undequaque perlustrantes, Deo volente tandem locum idoneum prædictis monachis, ad Deo serviendum & regulariter vivendum, invenerunt. Quibus inibi collocandis duo supradicti Comites partem silvæ, quam incolæ loci illius Bragne appellant, læto animo præbuerunt. Piæ posteritati ergo notatum sit, quod decimo octavo mensis Maji, anno Domini millesimo centesimo decimo tertio, monasterium Firmitatis supra Grosnam situm, prima filia Ordinis Cisterciensis, in diœcesi Cabilonensi, ab Illustrissimis Comitibus, Ganderico videlicet & Guillelmo, fundatum est. Cujus quidem ecclesia beatissimæ Mariæ Virginis per Reverendissimum Gualterum Episcopum Cabilonensem, præsentibus Joscelino Lingonensi Episcopo, dictis venerabilissimis Comitibus, aliisque viris quamplurimis conspicuis pietate, consecrata fuit. Quo decimo sexto Maji, vigilia dedicationis ejusdem, venerabilis Pater Stephanus, Abbas tertius Cisterciensis, sese conferens; Fratrem Bertrandum cum aliis duodecim religiosis, propagandæ religionis causa, secum adduxit. *Hæc ex Tabulario Firmitatis, quibus similia habentur in Exordio magno lib. 1 cap. 33 & dein ista subjunguntur:* Nec dubitamus, quin prius solicitudine paterna Stephanus eis, non dico pretio, sed virtutum odore locum ipsum cum ædificiis acquisierit, atque etiam ex Cistercii patrimonio Reliquias, calices, ornamenta, vestimenta, libros ad divinum officium, ad mensam & ad lectionem claustri necessarios, ceteraque ad religionis statutum, juxta morem per ipsum in suo Ordine institutum requisita, ministraverit. *Distat hoc cœnobium Cabillone circiter decem passuum millibus.*

Ob multitudinem quærit alium locum:

anno 1113, invenit locum Firmitatis.

C

eo adducit 16 Maji monachos 13

& necessaria confert:

D

20 *Accessit anno sequente MCXIV alterum cœnobium, Pontiniacum dictum, quatuor leucis ab urbe Autissiodoro distans, in cujus diœcesi fundatum est: atque hæc est secunda Cistercii filia, cui circiter centum monasteria traduntur subjecta, uti Firmitati triginta. At tertia filia Claravallis in diœcesi Lingonensi, à qua urbe quinque leucis distat, præesse aut saltem præfuisse traditur octingentis circiter monasteriis. De hujus origine ista habet Guilielmus lib. 1 Vita S. Bernardi cap. 5* Cum autem complacuit ei qui eum segregavit à seculo & vocavit, ut ampliore gratia revelaret in eo gloriam suam; & multos filios Dei, qui erant dispersi, per eum congregaret in unum; misit in cor Abbatis Stephani, ad ædificandam domum Claræ-vallis mittere fratres ejus. Quibus abeuntibus ipsum etiam Dominum Bernardum præfecit Abbatem; mirantibus sane illis, tamquam maturis & strenuis tam in religione quam in seculo viris; & timentibus ei, tum pro tenerioris ætate juventutis, tum pro corporis infirmitate & minori usu exterioris occupationis. *Hæc ibi. Fuimus nos anno MDCLXII per plures dies Cistercii, & cum veneratione adivimus oratorium, in quo S. Bernardus cum aliis novitiis pia exercitia egisse dicebatur. Fuimus tunc etiam in monasteriis Firmitate & Pontiniaco, ubique benevola caritate excepti, & in Vitis Sanctorum colligendis adjuti. In veteri monasteriorum chronologia ista leguntur:* Anno ab Incarnatione Domini millesimo, centesimo decimo quinto, septimo Calendas Julii, fundata est Abbatia Claræ-vallis: eodem anno & eodem die Abbatia Morimundi. *Quæ de dimissis à Stephano ex Cistercio ad dicta cœnobia monachis videntur esse intelligenda. Est autem Morimundus quarta Cistercii filia, in Lingonensi etiam diœcesi sita, in confiniis Lotharingiæ & Comitatus Burgundiæ. Subsecutæ sunt constructiones plurimorum monasteriorum, quæ Carolus de Visch in Bibliotheca Scriptorum Cisterciensium, ex antiquissima Chronologia, recenset ultra nonaginta tempore S. Stephani erecta, non solum per omnes Galliarum provincias, sed etiam in Italia & Hispania, in Anglia, Germania & Suetia; atque ita, ut supra dictum est,* Ordo extendit palmites usque ad mare & ultra mare propagines suas. *Verum infra, solum erecta fuisse viginti indicatur.*

mittit alios Pontiniacũ anno 1114,

dein Claram-vallem S. Bernardum, Abbatem creatum, cum aliis,

E

& alios Morimundum anno 1115,

alia circumquaque erigi monasteria persum:

21 *Ex istis illustris est Bona-Vallis, à Guidone Archiepiscopo Viennensi, postea Summo Pontifice, Callisto II dicto, fundata, ut ex Chronico Bonavallensi his verbis refertur:* Anno ab Incarnatione Domini millesimo centesimo decimo septimo, cum Dominus Guido sanctæ Romanæ Ecclesiæ Legatus, Viennensis Ecclesiæ Archiepiscopus, nunc autem Papa Catholicus, rediret à Concilio, quod apud Divionense castrum, cum multorum Episcoporum & Abbatum aliarumque religiosarum personarum conventu celebraverat, veniens ad novum monasterium, quod usitato vocabulo Cistercium nuncupabatur, rogavit Dominum Stephanum Abbatem illius loci, ut in Viennensi suo Archiepiscopatu monasterium construeret: ubi monachi sub regula & Abbate viventes, pro se & omni Clero & populo sibi commisso misericordiam Dei devote exorarent. Cujus petitioni idem Abbas, communicato monachorum sibi commissorum consilio, annuens venit Viennam; & consilio & auxilio præscripti Domini Papæ Calixti, in valle quadam cœpit cœnobium ædificare, quod Bonam-vallem idem Papa dictavit vocari. Et sciendum, quod omnes sumptus ad hoc opus necessarii ejusdem Papæ providentia seu administratione provenerunt. *Hæc ibi.*

anno 1117 invitatus à Guidone Archiep. Viennensi, dein Callisto II Papa,

F

Viennam profectus, erigit Bonamvallem:

22 *Cum ita monasteria inciperent fundari & Ordo Cister-*

A

in Capitulo generali edit statuta, Chartam caritatis dicta,

Cisterciensis dilatari; Stephanus Capitulo Cistercii celebrato, *insignes leges seu statuta*, (Chartam caritatis *appellant*) *suis præscripsit.* Considerans autem (*uti in utroque Exordio legitur*) hæc statuta nequaquam inconsulta Sedis Apostolicæ auctoritate firma esse posse, prædecessoris quoque sui imitatus exemplum, cum convenientia Abbatum & Fratrum suorum, Romam misit: à Domino Calisto secundo, tunc Apostolicæ Sedis Pontifice, suppliciter petens, quatenus ea quæ cum Coabbatibus & Fratribus suis ad roborandam monastici Ordinis disciplinam statuerat, auctoritate Apostolica rata & inconcussa fore decerneret. Cujus petitioni Summus Pontifex clementer annuens, ad confirmationem Ordinis decretum promulgavit, decimo Kalendas Januarii, Indictione XIII, Incarnationis Dominicæ anno MCXIX, Pontificatus anno primo. *Hac ibi. Continet autem hæc Charta caritatis Capitula triginta, quæ ad dictum annum apud Manrique legi possunt cap. 4, ubi ex manuscripto Claraloci cap. 5 ista adduntur*: Venerabilis Pater Stephanus, sagacitate pervigil ac mire providus, ad præcidendos schismatum surculos, qui succrescentes exoriturum mutuæ pacis præfocare poterant fructum, eximias leges condidit; & scriptum illud Chartam caritatis competenter voluit vocari, quod ea tantum quæ sunt caritatis, tota ejus series redolent: ita ut nihil pene aliud ubique prosequi videatur, quam nemini quidquam debeatis, nisi ut invicem diligatis. Quæ quidem charta, sicut ab eodem Patre digesta, à præfatis Abbatibus confirmata, sigilli quoque Apostolici auctoritate munita est. *Hac ibi. Ipsum Pontificis diploma habetur cap. 7. At quæ deinceps à S. Stephano statuta sunt, à morte ejus in unum collecta fuerunt: eademque in capitula LXXXVII distincta edidit idem Manrique ad annum 1134 cap. 6. Quæ omnia apud eum videri possunt.*

B

à Calisto Papa approbata.

CAPUT V.

Onus Abbatiale depositum: morbus, obitus, cultus.

23 Cum beatus Pater Stephanus (*uti in Exordio magno lib. 1 cap. 37 legitur*) officium sibi commissum, secundum veram humilitatis Domini nostri Jesu Christi regulam, strenue administrasset; longo confectus senio, ita ut caligarent oculi ejus, & videre non posset; curam pastoralem deposuit. Successit itaque ei quidam indignus, nomine Wido; qui donis externis, adinstar sepulcri dealbati, non mediocriter pollens, interius erat putredine vitiorum sordens. Cum in ipso promotionis suæ primordio Fratrum de more professionem reciperet; idem Dei famulus Stephanus vidit in spiritu immundum spiritum ad illum venientem, atque in ejus os ingredientem. Vix mensis præterierat unus, & ecce revelante Domino, denudata est impuritas ipsius, & eradicata est mox de Paradiso plantatio spuria, quam Pater celestis non plantaverat; *& substitutus est vir sanctissimus Raynardus.*

C

Senex curam pastoralem deponit:

successorem novit indignum,

& alium accipit:

æger decumbit;

24 Instante tempore, quo emeritorum laborum senex in gaudium Domini sui introducendus, & de ultimo paupertatis loco, quem secundum consilium Salvatoris in hoc mundo elegerat, ad summi Patris familias convivium ascensurus decumberet; convenerunt Fratres quidam, etiam ex Abbatibus Ordinis sui (quorum numerus eo tempore usque ad viginti excrevisse traditur) ut amicum fidelem & Patrem humillimum repatriantem devotissimis obsequiis & precibus prosequerentur. Cum vero jam in agonia constitutus, morti approximaret, cœperunt Fratres inter se loquentes, tanti meriti hominem beatificare, dicentes eum secure posse pergere ad Deum, qui tantum fructum in Ecclesia Dei temporibus suis fecisset. Quo audito, & recollecto prout potuit spiritu, quasi increpantis voce dixit: Quid est quod loquimini? In veritate dico vobis, quia sic trepidus & solicitus ad Deum vado, quasi qui numquam aliquid boni fecerim. Nam si aliquid boni in me fuit, vel si fructus aliquis per parvitatem meam provenire potuit, cooperante gratia Dei; timeo & valde contremisco, ne forte minus digne minusve humiliter gratiam apud me detinuerim. Hoc ergo perfectæ humilitatis scuto, quæ in ore sonabat & in corde vigebat, munitus, hominem exuit: & omnia nequissima adversarii tela, quamvis ignea, quamvis sulphurea, potenter repellens, aërias tempestates securus pertransivit, & ad portas Paradisi coronatus ascendit. Sacræ corporis ejus exuviæ, juxta prædecessoris ejus reliquias, venerabiliter conditæ sunt: ut quibus in hac vita unus fuerat spiritus & una fides, sic etiam in æterna beatitudine non dispar esset gloria. *Hactenus dictum Exordium.*

præ humilitate non agnoscit aliquem a se fructum factum.

pie moritur:

E

sepelitur apud B. Albericum;

25 *Tabula antiqua Cistercienses produnt eum obiisse anno millesimo centesimo trigesimo quarto, die vigesimo Octavo Martii: ad quem diem eum referunt Henriquez & Bucelinus in suis Menologiis, & Saussajus in Martyrologio Gallicano, cujus hoc est elogium*: Item ipso die depositio S. Stephani, tertii Abbatis Cisterciensis, viri conspicuæ sanctitatis omniumque virtutum gratia decorati: qui sanctæ paupertatis æmulator ferventissimus, & eremi amator cupidissimus, feliciter exacta religiosæ professionis militia; postquam multos in Christi castra tirunculos, & in his aliorum ducem S. Bernardum transcripsisset; ovans ad supernæ gloriæ evocatus est bravium: cujus beata memoria sacris Ecclesiæ tabulis inscripta, fulget inter Sanctorum Natalitia insignis, decimo quinto Kalendas Maji. *Ad præsentem diem XVII Aprilis, ista leguntur in Martyrologio Romano*: Cistercii in Gallia S. Stephani Abbatis, qui primus eremum Cisterciensem incoluit, & S. Bernardum cum sociis ad se venientem lætus excepit. *Eodem die passim in Martyrologiis monasticis celebratur. Visitur hodie sarcophagum ad ingressum Ecclesiæ Cisterciensis, versus claustrum Capituli, cum hac inscriptione*: Sancti & venerabiles Patres; Abbates monasterii & Ordinis Cisterciensis fundatores & amplificatores, hic simul reconditi sunt, D. Albericus, D. Stephanus, D. Raynardus, D. Gozowinus, D. Fastradus &c. quorum felices animæ, omnipotenti Deo viventes, nostri semper memores existant.

anno 1134, 28 Martii,

quo die ejus memoria recolitur:

F

& 17 April.

sarcophagi inscriptio.

DE

DE BEATO EBERHARDO,

D. P.

PRÆPOSITO MARCHTALLENSI,

ORDINIS PRÆMONSTRATENSIS IN SUEVIA.

ANNO MCLXXIX

Monasterii situs,



Marchtallum, seu (ut antiqua Teutonum lingua protulit, ac pervetustus manuscriptus codex habet) Marchtel, ad ripam Danubii australem & pagum ejusdem nominis, quem ad distinctionem alius inferioris Ober-Marchtall nominant, supra eminente petra in Suevia superiore, Riedlingam inter & Ehingam urbes Austriacas, situm, ad Canonicorum Præmonstratensium Ordinem devenisse constat anno Domini MCLXXI, & quidem sequentes ob caussas: quas, tum ex Annalibus nostris tum litteris fundationis infra ponendis exceptas, propter primum hujus Ecclesiæ nostræ Præpositum D. Eberhardum, qui nomine sanctitatis ac beatitudinis, usque ad præsens anni millesimi sexcentesimi seculum, apud nos posteros suos audiit, cum vita ipsius breviter, ad Dei gloriam & Ordinis nostri Præmonstratensis decorem, in publicum dandas colligere adlibuit. *Hactenus Reverendissimus D. Nicolaus, anno* MDCLXVIII, *quo hæc parabantur Abbas dignissimus, à R. P. Georgio Muglino, Collegii nostri Augustani Rectore, rogatus denuo describenda curare ea quæ nobis in Addendis ad* II *Ianuarii præluxerant circa B Odinonem sive Ottinonem, hujus Eberhardi, ut plurium est opinio, germanum fratrem; & à R. P. Daniele Feldnero Constantiensis Episcopi Confessario tunc submissa, periisse putabantur. Fecit autem abunde quod rogabamus, non enim eadem tantum, ut prioribus post inventis patuit; sed etiam memoriis quibusdam haud inutilibus auctiora, & Annotationibus eruditis illustrata misit, cujus insignem gratiam libenter agnoscimus, & ad aliorum excitamentum prædicamus. Præter appellationem Beati, constantem atque perpetuam, & sacri corporis elevationem translationemque de qua infra, nihil Marchtalli agitur eorum quæ vulgo Sanctis aut Beatis fieri consueverunt, nedum ut cultum habeat toto Ordine diffusum: imaginem tamen illius, quales Beatorum esse consueverunt, Reverendissimus D. Abbas Ioannes Englerus ari curavit incidendam, & Illustrissimo Principi Ioanni Episcopo Constantiensi dedicatam evulgavit: quæ si Amplissimo D. Chrysostomo vander Sterre, Abbati Antverpiensi, Natales Sanctorum Candidissimi Ordinis Præmonstratensis scribenti, venisset in manus, una cum supra citatis & infra proponendis monumentis, haud dubie locum ei dedisset inter sui Ordinis Beatos. Nos quamvis hoc in genere simus abstinentiores, maxime circa professores quorumdam Ordinum, quos novimus liberalius Sanctorum ac Beatorum, non modo appellationem, sed etiam cultum tribuisse quamplurimis; adeo ut nisi præsens aliqua ac publica veneratio adsit, non recipiamus omnes quos illi quomodocumque Beatos nuncupant; dandum nihilominus aliquid putavimus summæ ac pene nimiæ antiquorum Præmonstratensium hac in parte modestiæ; ne paucis illis, quos accepta à majoribus traditio constanter Beatos prædicat, præsertim quorum corpora religiosius collocata atque à communi ceteris humo elevata fuere, subtrahamus titulum Beati, & posteritatem fraudemus monumentis circa eosdem submissis.*

& chronica, — B — *ex quibus hic danda excerpuntur,* — *Titulus Beati cum imagine,* — C — *corporis translatio.*

ACTA

ex MSS. Marchtallensibus.

1 Marchtallense Monasterium, circa annum Domini millesimum, Duces quidam Sueviæ, vicinam montem *a* Altemburg incolentes, fundatum vel restitutum, septem Canonicis secularibus sub Præposito viventibus tradiderunt. Sed cum successu temporis septem Præbendæ, pro totidem Canonicis fundatæ, in hominum etiam secularium manus devenissent; quod Canonici, pinguiores boves macilentis præferentes, ipsique de Cathedralium proventibus largius viventes, consanguineos ex Marchtallensibus alerent; factum ut successu temporis cultus divinus eo loci plane jaceret. Dolebat hoc plurimum nobilissimæ feminæ Elisabethæ, filiæ Rudolphi præpotentis Comitis de Brigantia. *b* Hæc quod Hugoni potentissimo Comiti Palatino de Tuwingen nupsisset, ad quem hereditate Marchtallum & cum eo aliquot ex prædictis præbendis devenerant; assiduis maritum precibus pulsabat, ut locum divino cultui consecratum, sed qui multo tempore jam negligeretur, aliquibus viris religiosis conferret; qui ibidem in laudibus divinis assidui, dispersa congregarent & congregata conservarent. Hujus petitioni Hugo benignus tandem annuens, consideransque quod Ordo Præmonstratensis in breve multum coram Deo & hominibus profecisset; ecclesiam prædictam, cum quibusdam possessionibus obtulit Rothensi ecclesiæ, petens ut Ordinem inibi propagarent, etiam hoc à se gratitudine, quam Deo debebat ob victoriam contra hostes *c* obtentam, exigente; uti professus est litteris tam privatis quam publicis in hunc sensum datis.

Desertum à Canonicis secularibus Marchtallum: — *a* — *b* — *rogatu uxoris Elizabethæ* — E — *c*

2 Prædilectis sibi in Christo Fratribus, Ottenoni Præposito & Conventui Monasterii Rotensis, Hugo Comes Palatinus de Tuwingen, salutem & ad sua beneplacita anhelare. Cum nos auxilio Divinæ gratiæ de hostibus nostris; qui nos & terram nostram obsidione vallaverant militari, victoriam reportaverimus peroptatam; & per litteras nostras vobis intimaverimus nostri desiderii voluntatem, quod ad laudem & honorem nominis ejus, qui nos de inimicis nostris concessit triumphare, de gremio vestri Monasterii, viris utique in religione famosis & virtutum sectatoribus, vellemus Deo concedente monasterium in Ordine Præmonstratensi construere & fundare: Vosque ad operis hujus consummationem promptos invenerimus & paratos; ita tamen quod Conventui locato in locum Marchtallensem, qui nobis jure & titulo proprietatis à nostris genitoribus obvenit, in quo monasterium collapsum & vacans erat, & in quo de novo monasterium fundare intendimus & construere, redditus competentes & libertates, ipsi loco & Ordini necessarios, conferremus, & quod ad majorem ipsius monasterii gloriam & profectum, omni juri nostro quovis nomine nuncupato renuntiaremus. Nos considerantes vestrum desiderium fore consonum rationi, & quod Frater Eberhardus Præpositus, quem nostræ novellæ plantationi in Pastore præfecistis, cum addito sibi Religiosorum contubernio Clericorum, de vestra congregatione assumptorum, dulci fama bonæ vitæ ac discretionis eximiæ, terrestribus se quasi Angelus repræsentat: Ad honorem S. Petri Apostolorum Principis, Monasterij Marchtallensis præfati Patroni, Ecclesiā in Bilningen cum omni jure in dotem ipsius Monasterij designamus & designavimus speciale, Ecclesiam quoque Parochialē in ipsa villa Marchtel, cum Ecclesia in Wachingen &

Hugo Comes Tubingensis, — F — *transfert in Ordinem Præmonstratensem,*

A & Ambra, cum omni jure quod nobis competiit, & competere videbatur, cum dote universali earumdem ecclesiarum; piscationem quoque in fluvio Danubii ipsum Monasteriũ præterfluentis à Nuinburch usque Hohenwarth, & alia quæ privilegium fundationis specialiter continet, in quotidianos usus & expensas Deo militantibus in prædicto monasterio donavimus & donamus: renuntiantes, pro nobis & nostris heredibus universis, omni juri & exactioni, omni repetitioni & exceptioni, omnique advocatiæ & temporalis commodi obsequio, quod nobis in Monasterio præfato ac in omnibus prænominatis competit, competiit, & competere videbatur; protestantes nos pure, simpliciter, & præcise, ad honorem Dei & reverentiam S. Petri, ista omnia resignasse, omnique juri nostro liberaliter renuntiasse, nomen Fundatoris nobis solummodo reservando. Insuper siquis de nostris ministerialibus, hominibusve plebeis monasterio Marchtallensi sæpe dicto sponte aliquid vel pretio accepto voluerit conferre ac donare, in remissione suorum peccatorum vel pro commutatione meliori: nostræ licentiæ ac auctoritatis plenitudinem sibi collatam noverit per præsentes. Datum & actum in Lustenowe anno Domini MCLXXI, VII Idus Iulij, Indictione XIV. Et hæc ut permaneant firmiora, præsentẽ chartulam exinde conscribi fecimus, & nostri sigilli robore communiri.

Quam liberrimo jure.

B. 3 In nomine sanctæ, & Individuæ Trinitatis. Notum esse cupimus omnibus, tam præsentibus quam futuris, qualiter ego Hugo Comes Palatinus de Tubingen, cum dilecta coniuge mea Elisabetha, & filijs nostris, pro remedio animarum nostrarum, successorum, & parentum nostrorum, Ecclesiam in Marchtall, cum omnibus ad ipsam pertinentibus, videlicet, Hubis, decimis, curtilibus, ædificijs, mancipijs utriusque sexus, terris cultis & incultis, pratis, pascuis, silvis, aquis, aquarum decursibus, molendinis, vijs & invijs, exitibus & reditibus, rebusque quæsitis & acquirendis; nec non & ecclesiis quatuor, una in ipsa villa Marchtal Parochiali, secunda in villa Biltringen cum omnibus ad ipsam pertinentibus, tertia in villa Wachingen cum omnibus ad ipsam rite pertinentibus, quarta quoque in villa Ambra cum suis decimationibus, & aliis ad ipsam spectantibus, prebendam quoque 50 mar cis comparatam, Deo & sanctæ ejus Genetrici Mariæ, & præcipue B. Petro Apostolorum Principi, & aliis Sanctis quorum ibi Reliquiæ continentur, & Patri-

Et fundis attributis large dotat.

C. bus inibi Domino sub regula B. Augustini in Ordine Præmonstratensi militantibus, perenniter in proprium donamus. Prædium quoque in Schalstetten, villulam etiam in Bettenkofenck, præsentibus confirmamus & donamus; adiicientes, quod omnia superius scripta & nominata liberaliter prædicto Monasterio elargimur, nullum nobis ac nostris heredibus dominium vel jus & nomen advocatiæ aliqualiter reservantes; sed quidquid dominij vel juris nobis in his prætaxatis competit vel competere videbatur, pure propter Deum resignamus, ac præsenti instrumento renuntiasse omnimode profitemur. Acta sunt hæc in Tubingen anno Incarnationis Dominicæ millesimo centesimo septuagesimo primo, Indictione decima quarta *d*, Alexandro Papa tertio Romanam Ecclesiam feliciter gubernante, regnante gloriosissimo Imperatore Friderico, Othone Episcopo Constantiensem Sedem regente, præsentibus nostro sigillo æternaliter roboratis. *d*

4 Primus itaq; Prælatus D. Eberhardus institutus ibidem, esse dignoscitur de nobili progenie Wolfseggi exortus. Hic multis divitiis in seculo relictis, quippe Archidiaconus fuerat potens & dives, Rothensibus jam multis annis erat tam habitu quam sanctissima conversatione associatus: qui pii patris Ottenonis exempla secutus, per omnia laudabilem vitam gerebat; obedientia, caritate, humilitate, ac ceteris virtutibus prefulgens; unde multorũ precibus, ac maximè obedientia bonæ memoriæ Ottenonis, cum non solum præesse, sed etiam prodesse potuisset, convictus, primus, ut dictum est, Marchtallensem Ecclesiam regendam suscepit, una cum duodecim personis Clericis & Laicis conversis. Eamdem ingressus, possessiones promissas libere possedit; Ecclesiæ nostræ bene præfuit ac profuit, unde & Fundatoris gratiam large promeruit, ita ut alias quoque literas eidem, ejusdemque Conventui traderet *e*. EX MSS. *d* *e*

Sub Præposito Eberhardo,

5 Anno autem Domini MCLXXIX *f* gravissima infirmitate correptus, cum omni integritate sensus, plenus Spiritu sancto, XV Kalendas May quievit in Domino; nec enim, ut ait S. Augustinus, poterat male mori, qui tam bene vixerat: sepultusque est in porticu in quodam sarcophago, pro temporis ac loci opportunitate. Ceterum sexennio elapso, cum B. M. Eberhardi successor Vdalricus, IV Kalen. Martii pariter decessisset, & in eodem cum antecessore sarcophago à Fratribus includi vellet, aperto sarcophago inventum fuit corpus B. M. Eberhardi suavi odore repletum; manus insuper eius dextera, cum qua verus Christi Sacerdos Corpus Dominicum conficere & plebi sibi subiectæ benedicere solebat, tribus prioribus digitis sursum elevatis, posterioribus in volam reductis, apparuit; tamquam astantibus filiis, hoc quoque miraculo attonitis, paterna benedictione dolorem amissi patris leniret. Porro corpus huius sancti Patris (quem Hugo fundator cælestem Angelum vocare non dubitavit, & super morte dulcissimi patris mœstissimos filios securissimos esse, consolationem debitam resumere, & in bonorum omnium retributore confidere iussit, certus pro vita religiosa, quam in hoc seculo gessisset, dilectus existens Deo & hominibus, coronam recipere immarcessibilem) translatum *g* fuit è porticu in Oratorium S. Joannis Baptistæ, anno Domini MCCIV, Idibus Aprilis, presentibus Adm. RR. DD. Amplissimis Præsulibus, Zwilfaltensi Abbate Hermanno; Rothensi, Augiensi, Roggenburgensi Præpositis ac fratribus Clericis cum Decano suo, aliisque multis tum ex Clero tum Laicis. *f*

Cujus anno 1179 mortui

E. *Corpus incorruptum*

Transfertur ad oratorium S. Io. anno 1204. *g*

ANNOTATA.

F. a Visuntur adhuc in hodiernum usq; diem reliquiæ & rudera cuiusdam castri olim, & nunc Altenburg dicti, quod monti impositum iactu lapidis supra profundam vallem, occidentem versus à mœnibus monasterii distat; atque ad prænemoratos Sueviæ Duces pertinuisse Annales nostri testantur.

b Aliunde habemus eamdem ex sorore Welfonis Ducis prognatam, ac Friderici Barbarossæ consobrinam fuisse, atque etiam ex stirpe Henrici Ducis Noricorum aliorumque Principum processisse.

c Bellum enim inter Hugonem ac Welphonem prædictum, quamvis tam propinquo sanguine iunctos, atrox ac sævum exarserat, propter dotem memoratæ Elisabethæ, idque ad Tubingam gerebatur.

d Qui hasce litteras in Annalibus & Privilegiis nostris transcripsit, unius numeri aut vocis omissione, Indictionem IV pro XIV posuerat, quod corrigere placuit.

e Eæ litteræ adhuc exstant inserta prædictis Privilegiis & Annalibus nostris, quarum copias describere non libuit, ne fasciculus in terram longinquam mittendus nimis accresceret.

f Videtur hic errore lapsus Chronista noster, qui post-

Ex M.S.S. postquam ecclesiam Marchtallensem anno Domini 1171 fundatam esse, atque hunc Eberhardum octo annis præfuisse scripsit; ejus obitum tamen in annum 1183 usque extendit, quo pacto necesse foret illum annos omnino 12 regimen tenuisse. Convincitur autem temporis supputationi non diligenter attendisse, vel aliunde seductus esse; primo per litteras, quas sæpe dictus Fundator Hugo ad D. Vdalricum secundum, Ecclesiæ nostræ Antistitem, immediatum B. M. Eberhardi successorem 1179 in privilegiis nostris tradidisse legitur. Deinde per manuscripta D. Joannis Haber-kalt Abbatis nostri, Antiquitatum nostrarum perdiligentis compilatoris, qui gubernaculum ecclesiæ nostræ tenere cœpit anno 1515 22 Iulii.

Tempus obitus b. Ebrhardus.

g De hac translatione alibi sic legitur: Manegoldus, quartus hujus Ecclesiæ nostræ Præpositus, in Domino defunctus, cum sacris vestibus indutus in oratorio B. Ioannis Bapt. sepeliretur; etiam alii tres primi Prælati antecessores, de porticu supra dicta translati, in uno eodemq; sepulchro ibidē cum eo sunt collocati. Hæc ibi. Porro sicut multa in annalibus nostris de Oratorio S. Ioannis præcitato legimus, ita modo ubi illud fuerit, sat evidentibus vestigiis deprehendere non possumus, propter multiplicem ædificiorum ac temporum, Monasterio Marchtallensi damnosam, mutationem: credimus tamen illud ad exitum refectorii moderni stetisse, narrantibus id senioribus Conventus nostri Patribus, qui id olim ab antecessoribus suis audiisse se dicunt: inter quos maxime R. D. Conradus Kneer, ecclesiæ hujus Abbas XIII, qui plusquam septuagenarius, anno Domini 1660 defunctus, fatebatur, se audiisse sæpius, memorato in loco olim id sacellum fuisse. Cum enim sub prædicto Reverendissimo Abbate, ad testudinem quamdam seu scalam educendam, fundamentum ibi foderetur, fossor subito in ossiculum miri odoris incidit, quod sublatum aliis Patribus Conventus nostri, ac Fr. Converso Franciscano Reformato, Zacheo nomine, porrexit; qui eamdem suaveolentiam & perceperunt, & adhuc vivi percepisse se testari possunt. Itum ergo profundius in viscera terræ, ac inventa quatuor corpora, uno in loco jacentia: quæ quatuor primorum Præpositorum, ob locum in quo reperta, suspicati sumus: quare in unam collecta cistulam honeste deposita sunt. Fuit itaque Ecclesia nostra Marchtallensis ab anno fundationis suæ, usq; ad annū 1440, à Præpositis triginta quinque gubernata, quorum trigesimus sextus, Abbas primus factus Henricus nomine, eamdem & tituli amplioris dignitate, ac rebus bene gestis evexit: ita ut usque adhunc annum numerentur Abbates præfuisse quatuordecim ac modernus omnino sit decimus quintus. *Hæc ipsis, quibus ad nos missa sunt, verbis, addidisse sufficiat.*

Novissima inventio corporis an. 1660.


Præpositi in Abbates mutati an. 1440.

DE B. RVDOLPHO PVERO

A IVDÆIS OCCISO BERNÆ IN HELVETIA.

G.H.

CIRCA AN. MCCLXXXVII



Elebrantur hisce diebus tres adolescentuli, à Iudæis in odium Christianæ religionis occisi: horum alter Wernerus *nomine, Vvesaliæ ad Rhenum in diœcesi Trevirensi occubuit anno* M CC LXXXVII, *ad* XIX *Aprilis, quo late Acta martyrii ejus deducimus. Secundum Albertum in Polonia, accepimus circa* XX *occubuisse, anno* MDXCVIII. *Tertius, eodem quo primus anno* MCCLXXXVII *aut sequente, Berna in Helvetia interemptus est hoc* XVII *Aprilis, &* is Rudolphus *appellatur, de quo modo agimus. Petrus Canisius è Societate Iesu, vir eximia doctrina & sanctitate illustris, inter alias lucubrationes edidit Martyrologium Germanico idiomate anno* MDLXII *&* MDLXXIII *Dilingæ excusum cum Kalendario præfixo, in quo singulis diebus unicus fere Sanctus venerationi publicæ proponitur, atque is est ad hanc* XVII *Aprilis* Rudolphus Martyr Bernæ, *ad diem* XIX *vero* Wernerus Martyr Wesaliæ. *Rudolphus ibi celebratur his verbis:* Item Bernæ sancti pueri Rudolphi, qui ab impiis Iudæis martyrio coronatus plurimis miraculis claruit.

Nomen insertum Calendario.

C

Et Martyrologio Canisii.

2 *Canisii exemplum secutus Ferrarius ab hoc Sancto auspicatur hunc diem in Catalogo generali Sanctorum, qui non sunt Martyrologio Romano inscripti, & ista habet:* Apud Veronam in Helvetia S. Rudolphi Martyris. *Vbi* Veronam *appellat, quæ aliis Berna dicitur, urbs inter Helveticos conventus potentissima, sed hæresi jam deformata. Petrus Cratepolius, in suo tractatu de Sanctis Germaniæ, anno* MDXCII *Coloniæ excuso, ista de nostro Martyre tradit:* S. Rodulphus Martyr adolescens, quem impii Judæi ob Catholicam religionem interfecerunt, anno Domini M CC LXXXVII. Requiescit Bernæ in Helvetiis. *Eumdem martyrii annum notarunt Petrus Canisius in margine & Ferrarius in Notis, asseritque illum ab aliis in diem* sequentem reiici, *quo die in Martyrologiis monasticis refertur aliquis* Rodulphus, *sed* Monachus Fuldensis Ecclesiæ, *de quo ibidem inter Prætermissos agimus.*

Ferrarii.

& Cratepolii

3 *Henricus Murerus, Carthusianus Lucernensis, in sua Helvetia sancta Germanice anno* MDCXLVIII *in lucem edita,* De B. Rudolpho puero & Martyre *aliquod elogium profert pag.* 299, *& præter jam memoratum Canisii Martyrologium allegat Chronicon M.S. Bernense usque ad annum* MCCCCXL. *deductum, & aliud recentius Chronicon à Michaele Stettbero anno* MDCXXVII *Bernæ excusum, ex quibus* salva Catholica religione *aliqua excerpsit: & capite primo agit de Iudæorum perfidia, & odio in Christum & Christianos, & crudelitate in interficiendis Christianorum pueris, & dein cap.* 2 *&* 3 *ista prosequitur.*

Acta ex Chronicis Bernensibus à Murero prolata.

4 Cum Ecclesiæ Romanæ præesset Honorius IV Papa, & Romanum Imperium gubernaret Rudolphus I, & urbs Bernensis à sua constructione centum annos perstitisset; Iudæi, quorum plurimi degebant in ea urbe, innatam invidiam & crudele odium adversus sanguinem Christianum effuderunt, dum anno MCCLXXXVIII Bernæ furto abstulerunt puerum nomine Rudolphum, & in domum cujusdam divitis Iudæi abductum in hypogæo seu cella subterranea plurimis tormentis cruciatum trucidarunt, inque odium Christi martyrio coronarunt. Verùm sanguis innocenter profusus vindictam apud Deum exegit, adeo ut ipsum crudele facinus, quamvis omnem industriam crudelis latro & homicida, ut celaretur, adhibuisset, tamen palam continuo innotuit. Corpus ergo, vulneribus confectum & mortuum, est inventum, & à suis maximo animorum sensu assumptum. Quia dein Rudolphus in consilio Sacerdotum & aliorum sapientum virorum Bernensium, judicatus est innocens puer & verus Dei Martyr, in ecclesiam primariam delatus est & prope altare sanctissimæ Crucis sepultus: quod postmodum altare S. Rudolphi est appellatum, ob multiplicia miracula, senibus ac juvenibus, viris ac feminis præstita; quibus Deus omnipotens omnibus manifestavit, quam divinæ suæ misericordiæ gratus acceptusque fuerit hic innocens puer & martyr suus.

Crudeliter occiditur.

F

Honorifice sepelitur.

Miraculis claret.

5 Postquam vero dictum homicidium cognitum atque perspectum esset, Iudæi, tanti maleficii rei & complices, iussu Senatorum urbis comprehensi sunt; precipui auctores rotæ impositi & secundum meritum neci traditi; reliqui quod hujus sceleris notitiam haberent, eique consensissent, in exilium

Iudæis aut occisis aut in exilium pulsis.

A acti sunt: ac iussu Senatorum edictum est, ne ulli in posterum Iudæi in urbem Bernensem admitterentur, ob prædictum homicidium & plures alias urgentes rationes. Anno postmodum millesimo quadringentesimo & quadragesimo dicta ecclesia parochialis destructa est, & alia multo major & pulchrior ædificata: quo tempore corpus hujus Martyris exhumatum, fuit plumbeo tumulo impositum, atque altari sanctissimæ Crucis inclusum; quod summa in veneratione habitum est, non solum à civibus, sed aliis procul inde habitantibus, qui illud magna cum devotione nec minore fructu invisere solebant. Verum cum anno vicesimo octavo supra millesimum & quingentesimum fides orthodoxa Catholica aboleretur, ac nefaria hæresis introduceretur; altaria dejecta fuerunt; imagines destructæ & ornamenta sacra ablata; ac tunc sacrum hujus Martyris corpus, cum suo plumbeo loculo, est terræ mandatum.

Corpus anno 1440 altari impositum

sed anno 1528. ab hæreticis terræ mandatum,

6 *Cur has infantium cædes perpetrent nefarii homines, varia afferuntur caussæ. Antonius Bonfinius rer. Vngaricar. dec. 5. lib. 3. de iis sic scribit:* Cum à senibus caussas tanti patrandi facinoris per tormentorum cruciatum eruerent, quatuor eas esse reperiebant, quibus Tyrnaviæ tum, & alias sæpe in aliis regionibus, eo se Iudæi flagitio adstrinxissent. Unam, quod ita majorum auctoritate persuasum haberent, Christiani hominis sanguinem præputiis in circumcisione appositum, sistendo sanguini opportunum esse remedium. Alteram, quod eumdem ad conciliandum inter se amorem plurimum valere, in cibo datum, existimarent. Tertiam, quod cum viri ac mulieres æque apud eos fluxu menstrui laborarent; sanguinem hominis Christiani epotum, idoneam ad id morbi esse medicinam experti erant. Quartam, ut vetus apud se, sed reconditum, decretum exequerentur, quo quotidianis sacrificiis in aliqua regione Christianum Deo sanguinem libare coguntur: quo factum esse dictitabant, ut in eum annum ea sors Judæis Tyrnaviensibus obtigisset. *Thomas Cantipratanus lib. 2 cap. 29 art. 23.* Certissime compertum est, inquit, quod omni anno in qualibet provincia sortes mittunt, quæ civitas vel oppidum, Christianum sanguinem aliis civitatibus tradat, *Ac deinde significat contra fluxum sanguinis id adhiberi remedium;* ex maledictione enim parentum currere adhuc in filios venam facinoris, per maculam sanguinis: ut per hanc importune fluidam proles impia inexpiabiliter crucietur, quousque se ream sanguinis Christi recognoscat pœnitens, & sanetur. *& subdit:* Præterea audivi quemdam litteratissimum Iudæorum, nostris temporibus conversum ad fidem, dixisse, quemdam quasi prophetam eorum in extremo vitæ prophetasse Judæis, dicentem: Certissime vos inquit, scitote, nullo modo sanari vos posse ab illo quem patimini verecundissimo cruciatu, nisi solo sanguine Christiano. Quod verbum cæci semper Judæi & impii rapientes, induxerunt omni anno in omni provincia fundendum sanguinem Christianum, ut tali sanguine convalescant. *Hactenus Cantipratanus: alii alias causas addunt seu potius nequissimæ gentis inventa, ad superstitiosas suorum mentes patrando sceleri aptandas facilius, & Christiani nominis injuriam odiumque crudele alicujus necessitatis utilitatisque prætextu dissimulandum; puta, quod negent absque eo sanguine fieri posse ut feliciter pariant Hebrææ matres, difficillimos alios labores passuræ.*

Causa varia ob quas puerorum sanguinem expetant Iudæi.

B

C

7 *Si vero plura quærantur exempla, legantur quæ die* XXV *Martii deducimus ante Wilhelmi Norvvicensis Passionem. Quamquam quid opus est peregrinis: cum sola Germania multa suppeditet? Nam eodem die* XXIX *Iunii, quo anno* MCCLV *Lincolniæ passus est S. Hugo, passus etiam est S.* Henricus Weissemburgi in Alsatia *anno* MCCXX, *cujus adhuc sepultura in medio templo ibidem spectari dicitur, & haberi historia Passionis; ideoque libentius hic ejus meminimus, ut prædicta historia copia nobis fiat ab eo qui possidet, vel ab aliis qui norunt ubi sit indiceretur, qua ratione obtinere illa possit. Memorantur etiam à Bollando nostro in quodam Commentariolo, Anonymi aliquot prope Fuldam in Franconia Hassiaque confiniis anno* MCCXXXVI *necati, quorum corpora Hagenoam translata sunt. Item puella septennis Forcheimii diœcesis Babenbergensis in Franconia anno* MCCLXI, *& anno* MCCLXXXVI *puer anonymus Monachii in Bavaria, cujus meminit Stero ad annum* 1288; *aliusque novennis puer* MCCXCII *Constantiæ in Suevia, de quo Annales Colmarienses ab Vrstitio editi. Hos vero ideo nunc commemoramus, ut si quis de eorum cultu ac passionis vel commemorationis annua die, noverit aliquid id nobis curet significare. Idem dictum velim de S. Henrico, de quo sub annum* MCCCXLV *Monachii interfecto nihil se legisse fatetur in Bavaria sancta Raderus, nisi apud Aventinum; ne hoc quidem observans, quam inepte is consignaverit notam temporis,* VI Kal. Iunii, post ascensum Christi in cælum die Sabbathi, *Forte* VI Kal. Iunii *& annum* MCCCXLVI *Aventinus legit, quando Pascha celebratum fuit* XVI *Aprilis.*

Plura crudelitatis ejusdem exempla per Germaniam, tum aliis annis,

AUCTORE G. H.

tum 1345 in Henrico

8 *Addantur his tres ex Turingia, Bohemia, Hungaria. De primo scribit Siffridus Presbyter Misnensis, in Epitome quæ initio mutila & ab anno* CCCCLVIII *incipiens habetur inter scriptores Germanicos à Pistorio collectos editosque, & finitur cum anno* MCCCVII. *Scribit autem Siffridus iste* de Conrado Martyre, *quod* Anno MCCCIII Judæi perfidi, effusioni sanguinis Christiani assueti, scitum quemdam puerum scholarem, Conradum nomine, filium cujusdam Militis in Weisenseha civitate Turingiæ, multis cruciatibus affligentes, & sectis omnibus nervis & venis totum sanguinem ejus elicientes, ante festum Paschatis crudeliter occiderunt. Sed Deus omnipotens, qui gloriosus est in Sanctis suis, innocentis pueri necem occultari non sustinuit, & homicidas perdidit, & martyrium innocentis multis miraculis decoravit. Cum enim dicti Iudæi puerum occisum occulte per plura loca Turingiæ ducerent ad tumulandum, Deo disponente nusquam abscondere valuerunt. Unde ipsum reducentes ad prædictam civitatem Weisenseham, in quadam vinea suspenderunt. Tandem tam crudeli homicidio prodito & rei veritate comperta, Milites de castro prosilientes & cives ejusdem civitatis reliquumque vulgus, una cum Marchione Friderico filio Landgravii Turingiæ Alberti, repugnantes turmatim occiderunt.

E

& 1307 in Conrado pueris,

9 *Hac Siffridus: de secundo, sed Anonymo, Ioannes Dubravius sub finem lib. 18 Historiæ Bohemicæ loquitur, in rebus anno* MCCCV *aut sequenti gestis.* Iudæi sacra die Parasceves facinus in hominem Christianum atrocissimum designarunt. Nempe in locum abditum pertractum, in cruce nudum suspenderunt; circumstantesque alius in illum expuere, alius virgis cædere, alii denique cuncta illa repræsentare, quæ quondam Christus à gente illa immanissima atque impiissima est passus. Hanc Iudæorum carnificinam, cui ad crudelitatem odiumque in Christianos nihil adjici potest populus Pragensis, quanta crudelitate valuit, novis etiam suppliciis excogitatis, ultus est; monumentumque novo Martyri ex Iudaicis spoliis posuit. *De tertio testatur in hunc modum Bonfinius libro & capite præcitatis.* Anno, *inquit,* MCCCCXCIV Iudæi ingenuum adolescentem, Tyrnaviæ in Hungaria occulte captum atque in proximas ædes abductum, obstructis repente faucibus misere strangularunt, & adapertis venis sanguinem ejus, dum animam sensim & singultim efflaret, partim absorbuerunt, partim aliis asservarunt; corpus autem membratim dissectum, membratim humi defoderunt. *Vtrum hi aliquem habeant suis in locis cultum, nescimus dicere; occasionem inquirendi damus aliis; qui hoc indicio excitati, forsitan dignabuntur nos aut posteros nostros instruere plenius.*

F


& 1494 in quodam Hungaro.

D.P.

DE B. CLARA GAMBACORTA

ORDINIS S. DOMINICI PISIS IN HETRURIA.

ANNO MCCCCXIX Petri Hieronymianorum fundatoris forte proneptis,



Ambacortarum familia, inter Pisanas prænobilis, geminam XIV seculo extulit utrique sexui facem; cujus splendore excitati, hinc viri, inde mulieres, vitæ austerioris propositum sequerentur. Etenim Hieronymiana Eremitarum Congregatio, quæ teste Maurolyco in Oceano Religionum fol. 345 per conventus quadraginta sex divisa fuit, principium suum refert ad Petrum Gambacortam, unde & nomen retinet ut S. Hieronymi & B. Petri de Pisa dicatur, itaque distinguatur ab altera simili congregatione dicta Eremitarum S. Hieronymi de Fesulis. Observantiæ autem Regularis in Ordinem S. Dominici reducendæ occasionem præcipuam & exemplum dedit B. Clara Gambacorta; ipsius fortassis Petri ex fratre proneptis Petrus siquidem iste, post vitam primum solitariam in desertis Vmbriæ atque Etruriæ actam, collectis aliquot ejusdem vitæ sociis, in Montebello haud longe ab Vrbino vivere desiit, anno MCCCXL, ut scribit Vghellus tomo 3 Italiæ sacræ col. 544, viginti duobus annis citius, quam Clara nasceretur ex altero Petro, postea Pisarum Domino, quem ita ex nomine patrui appellatum conjectare possis.

B

Pisis colitur ut Beata,

2 Iste, licet Beatus dicatur, an tamen aut Venetiis ubi mortuus, aut alibi in suo Ordine habeat habueritve cultum aliquem Beatis deferri solitum, hactenus ignoramus. De Clara dubitare non siverunt ea, quæ de corporis elevatione supra altare, & veneratione linguæ per miraculum incorruptæ, continuatisque miraculis leguntur apud Seraphinum atque Silvanum Razzios, in libris de Sanctis & Beatis Ordinis Prædicatorum atque Hetruriæ. Quare operam dedimus, ut vitam haberemus descriptam, prout ea dicebatur Pisis apud Reverendas Matres conventus S. Dominici per Claram fundati asservari, sermone Italico in codice vetusto; quod obtinuimus intercessione viri amicissimi atque eruditissimi, D. Antonii Magliabechii, & diligentia nobilissimi equitis D. Francisci Mariæ Cessini. Auctor videtur sanctimonialis aliqua coæva, siquidem num 21 allegat propriam experientiam, qualis non nisi à domestica haberi posset; imo & plurali numero utitur, quasi totius conventus vice loquens. Eodem modo etiam loquuntur eæ per quas scriptæ sunt Appendices geminæ ad hanc Vitam: quæ tamen non integra exstat in Codice isto Pisano: nam hoc certum faciunt loca duo, num. 24 & 27, promittentia quædam inferius dicenda, de quibus nunc invenitur nihil. Addimus tertiam appendicem ex Razziis, de gloria B. Claræ variis revelata: in qua etiam fit mentio plurium miraculorum, publici Notarii manu scriptorum signatorumque; quæ, æque ac Vita integer originalisque contextus, fuere cum aliis monasterii monumentis, aut injuria loci quo servabantur consumpta, aut earum incuria monialium quæ nimis facile aliis credidere thesaurum istum. Si tamen postmodum ea adhuc inveniri contingat, rogamus ut nobis mittantur usui futura in supplemento operis.

ubi scriptam à coæva Vitam hic Latine vertimus,

cum triplici appendice.

C

Viro desponsa impubes Clara,

3 Vitæ compendium ex Razzio traduxit Michael Pio in librum 3 de personis Illustribus Ordinis Dominicani § 6. quod Abrahamus Bzovius in suis Annalibus an. 1420 § 31 Latinum fecit. Bzovium transcripsit Arturus à Monasterio in Gynæceo sacro: qui omnes, unus post alium, scribunt anno ætatis VII desponsam, & XII traditam marito fuisse. Desponsam sic fuisse constat ex Vita: in sponsi domum fuisse deductam, ibique sub socrus futuræ potestate fuisse ab anno XII ætatis, atque de obitu sponsi nuntium accepisse intra triennium, indidem novimus: maritum nusquam appellat Vita, nusquam contracti, nedum consummati matrimonii meminit: & Vitæ ad nos transmissæ titulus expresse Claram appellat Virginem. Eum ergo titulum nos quoque retinebimus eo libentius, quod sponsus extra Pisas mortuus; videri possit peregre vixisse dum sponsa adolesceret; Deo sic ordinante, ut forsan ipse quoque viribus imbecillior, abstinendus tantisper à conjugali amplexu fuerit, dum valetudo corroboraretur: itaque virginitati conservandæ servierint pacta sponsalitia; quæ nisi fuissent ab impubere contracta, difficulter caveri potuisset, ne primis pubertatis annis nuptui à patre traderetur.

numquam tradita fuisse videtur.

D

4 Mortua & in nostro MS. & ab utroque Razzio, dicitur Clara Feria II Paschæ die XVII Aprilis anni MCCCCXX. Obiit 17 Aprilis 1419.
suspicari poteram MCCCCXXX scribi debuisse, quando Pascha in XVI Aprilis cadebat: sed ne id suspicarer obstitit tempus annorum LVII & XXXVII, quos in vita & monasterio egit. Nam eorum LVII, quos egit in vita, initium duci debet ab anno MCCCLXII: siquidem annum septimum ætatis numerabat illa, quando pater ejus obtinuit dominatum Pisanum anno MCCCLXIX. In his hærenti succurrit Cessinus, docuitque Pisanos, eo quod ab ipsa Incarnationis die instituerint anni numerandi initium facere, totis novem mensibus prævenire solitos Æram communiter nunc usurpatam, incipientibus à Kalendis Ianuarii. Sic enim qui nobis est annus MCCCCXIX à Ianuario ad Ianuarium, ipsis, à XXV Martii vel saltem à Paschate præcedenti, incipiebat dici MCCCCXX. Hanc Cessini doctrinam evidenti postea testimonio nobis confirmavit Breve Chronicon Pisanum, ab anno MCI ad MCCLXVIII pertingens, & inter Pisana Chronica tertio loco editum ab Vghello tomo 3 Italiæ sacræ, ubi col. 895 dicitur quod Rex Conradus II, quondam alterius Regis Conradi, intravit civitatem Pisanam cum primo venit de Almannia, MCCLXIX, Indictione XI, die Sabbati sancti, intrante VII mensis Aprilis. Indictio XI & Sabbatum sanctum cum die VII Aprilis concurrens, indicant annum nostrum MCCLXVIII; & tamen hic LXIX numeratur, respectu ipsius Incarnationis, circumcisionem Dominicam, unde nos incipimus, novem mensibus prægressæ.

secundum Pisanos 1420

E

5 Porro cum ratio ista numerandi annos, non à Nativitate aut Circumcisione Christi, sed ab Incarnatione ejus, quæ Dionysii exigui inventum est, quaque quoad rem abolita, quoad nomen apud plerosque perseverat; olim toti Hetruriæ aut saltem pluribus in ea urbibus communis fuerit; patet solutio nodi, qui nos tam implicatos habuit in Martio ad Acta B. Ambrosii Senensis, ut definiverimus mortuum eum esse anno MCCLXXVII, quamvis inde consequeretur Honorium Papam IV, solum diebus quindecim supervixisse Beato, & tamen adhuc ante suam mortem mandasse, ut Beati Vita conscriberetur. Apparet enim publica Notariorum instrumenta, paucis post obitum beati viri mensibus confecta, mense scilicet Majo & sequentibus, quæ nos duxerunt in errorem, ideo habere MCCLXXVII annum adnotatum, quia Senenses ab Incarnatione, id est novem mensibus citius quam vulgo nunc fiat, eum inchoabant, incipientes à Paschate vulgaris anni MCCLXXVI sive à die XIV Aprilis. Apparet etiam quod annuum festum ejusdem B. Ambrosii non ideo affixum sit Feriæ VI, ante Dominicam Passionis, quia sepultura seu depositio incidit in talem feriam, cum inciderit in Feriam V infra Hebdomadem tertiam Quadragesimæ: sed quia in talem VI Feriam incidit primum anniversarium jam dictæ depositionis, quando ex concessione Papæ Honorii, qui per integrum annum & quindecim dies Beato supervixit, pro prima vice celebratum est festum. Patet denique ratio, cur quatuor illi Fratres, qui ex mandato Pontificis Vitam in Romana Curia præsentandam compilaverunt, sequentes stylum ejusdem Curiæ, istic ordientis annum ubi finiebant Pisani & Senenses, scripserint B. Ambrosium obiisse anno MCCLXXXV. Ex quibus mutata & correcta optamus, quæ ex suppositione anni MCCLXXXVII scripta à nobis sunt in Commentario prævio Notisque ad Acta, nec non in tractatu de Gloria postuma sæpe dicti Beati. Similem correctionem faciendam XX Martii notavimus XIV Aprilis agentes de S. Benedicto Aneniomensi.

F

quem stylum etiam Senenses tenuerunt.

VITA

A

VITA
Per Sanctimonialem Coævam.
Ex Italico MS. Monasterii S. Dominici Pisis.

PROLOGUS.

Matt. 27. 12. 1 Cum mundus quasi ad extrema tempora jam sit deductus, de quibus Prophetatum legitur, quod abundante iniquitate refrigesceret caritas; paucique inveniantur ambulantes per semitam arctam, qua itur ad vitam, plerisque aberrantibus ab ea, & largam peccatorum tenentibus viam; videtur ab omnibus oblivioni data moriendi necessitas ineluctabilis, promissique à Deo æternitas præmii. Hinc fit ut quamvis variis humanum genus castigetur afflictionibus, majori tamen parte homines vera luce privati, hærent in salebris peccatorum & vanitate desideriorum suorum, quibus veluti immortui computrescunt; pauci vero inveniantur, qui discrimine suo agnito recurrant ad fontem pietatis, Jesum Christum scilicet, semper vocantem nos benigneque invitantem & gratiose recipientem, neque tantum peccata grandia condonantem, sed etiam copioso donorum suorum ac gratiarum affluxu cumulantem eos, qui requirunt ipsum in veritate, eique soli placere desiderant.

Ad excitandam pietatem languentem,

B

2 Rebus sic se habentibus, mundo nata lux nova est, non minus factis quam nomine clara, venerabilis inquam Mater B. Clara, Priorissa & Fundatrix Monasterii S. Dominici, sub regula Prædicatorum Pisis, siti in fronte vici à S. Julio nominati: quo in monasterio vitam duxit illa & gloriosa morte finivit: quemadmodum ex parte intelligi dabitur hoc libello, in quem colligere proposui pauca de multis, quæ vitam ac mortem ejus reddidere mirabilem. Etenim ea solum hic referam quæ vel propriis oculis vidi vel audivi à testibus fide dignissimis, cum eadem à prima ejus infantia versatis: idque non alio respectu, quam ut alteri diffusius ejus vitam scripturo viam quodammodo ad hoc sternam, ex singulis aliqua delibando, quemadmodum ex infra scriptis capitulis apparebit.

data est divinitus B. Clara.

Vita ejus qua fide scripta.

INDEX CAPITULORUM.

C

CAPUT I.

B. Claræ pueritia & adolescentia sancta: fuga in monasterium post obitum sponsi.

A patre Pisarum gubernatore

3 Fuit vir quidam Pisis, Petrus Gambacorta dictus, qui propter negotia status multo tempore absens ab urbe, illuc tandem reversus est sub annum Domini millesimũ trecentesimum sexagesimum nonum, urbisque & comitatus Capitaneus atque defensor factus, annis circiter viginti quatuor Pisanam rempublicam administravit *a*. Huic præter filios filia quoque fuit, cui baptizatæ Christiano ritu nomen *b* Thora impositum fuerat. Annum ea agebat ætatis suæ septimum, quando in patriam genitor ejus rediit, maxima totius urbis gratulatione ac plausu: qui ad communis lætitiæ augmentum, ut pacis atque amoris inter se ac cives suos pignus certissimum, filiam prænominatam despondit nobilissimo inter Pisanos juveni, Simoni de Massa nominato, admodum opulento atque famoso. Erat puella ipsa gratiosissima, ingenio prompto atque alacri, sed tamen ad religionis ac devotionis exercitia in tenella ista ætate sic addicta, ut in iis studium omne poneret, orationique frequenti ac jejuniis intenderet. Et tamen fassa est postmodum ipsa, jejunium sibi molestissimum fuisse, adeo ut aliquando vacui stomachi tormenta vix sufferens, scamno alicui obnixius incumberet, cujus angulo pectus apprimens, latrantis stomachi orificium coarctabat, atque ita famis sensum acutioris doloris sensu elidebat. Multa quoque etiam tunc erat in lectione librorum piorum, atque ita ad ætatis annum duodecim pervenit.

AUCT. COÆVA EX MS. ITAL.

a

b

septennis desponsa juveni nobili,

jejunat severius.

E

4 Duodennis effecta, supra quam ætas illa ferat, divinitus illustrata præventaque apparuit; in eumque caritatis fervorem exarsit, ut admirabilis omnino esset sensus tenerrimæ pietatis & lacrymarum, quibus suas condiebat orationes. Et quoniam solius cælestis Sponsi tenebatur desiderio, terrenum sponsum nihili faciens, in morem assumpserat, quoties ante Crucifixum oraret aut adoraret sublatum in Missa Sacramentum, cum ardentissimo suspirio dicere: Domine mi Deus, nolo alium sponsum quam te: & in hujus suæ voluntatis testimonium externum, detrahebat digito suo annulum sponsalitium, velut sponso terreno renuntians, utpote quæ nihili ullam faceret dignitatem, sive opes possessionesque terrenas: ideoque ad eleemosynas tam profusa erat, ut socrus ejus ab ea sibi cavere cœperit, arcas obserando; ac sæpe ei diceret, Profecto video omnia te elargituram. Verum illa fervens atque devota soli Deo curabat placere, & ad ejus amorem cultumque coætaneas qua posset ratione invitare. Ergo sæpe cogebat cœtus juvencularum, quas circum se considere faciens, prælegebat eis aliquid ex libro quopiam pio; itaque ad pietatem incitatas, nunc Dei laudes secum cantare jubebat, nunc flexis genibus Rosarium dicere aut alias preces; nec aliud fere noverat exercitium, quam quo inflammabatur erga Deum devotio; alia non frequentabat loca, quam unde lucrum spirituale sperabat.

CAP. II.

Duodennis solum Christũ sponsum cupit;

larga est pauperibus,

pietati cum coætaneis vacat,

F

5 Teneram carnem macerabat cilicio, & quando oportebat eam pro sui status decentia, cultiori ornatu uti, sub eo abscondebat habitum, divinis dumtaxat oculis placiturum; reddens hoc modo quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo. Accidit autem aliquando ut eam nova pretiosaque in tunica fratrum suorum unus intuens, jocando diceret, O pulchram vestem! quam bene conveniret tibi sub ea cilicium! quod illa, ut ab ignaro rei dictum, suavi excipiens risu, id quod erat caute dissimulavit. Jejunii & abstinentiæ leges tam arctas sibi imposuerat, ut nec unius quidem pomi esum indulgeret sibi, quamvis fructuum esset natura appetens, & eorum copia appetitum acueret: quem illa tamen refrænabat, laborem quemlibet levem ducens, præ desiderio placendi Creatori suo. Tantæ etiam erat erga proximum caritatis & compassionis, erga pauperes præsertim infirmos, ut nihil factura

vestitur cilicio,

appetitum domat,

AUCT. COÆVO EX MS. ITAL.

factura fuisset libentius quam visitare singulos, iisque servire si sua id pueritia permisisset: etenim ætatis annum decimum quartum necdum excesserat, adeoque non erat par caritati facultas.

Et aliorum exemplo,

6 Vivebant tunc Pisis mulieres aliquot devotæ: inter quas provectioris ætatis una, Donna Vannuccia dicta, neptem habebat domi suæ, & ipsam devotissimam & habitu S. Francisci indutam. Iisdem eadem in domo convivebat altera, Donna Margarita cognominata; & cuidam Domno Stephano, viro valde spirituali ac famæ optimæ nupta: ipsius autem Vannucciæ maritus grandævus artritico morbo sic constringebatur, ut assurgere ex lecto non posset, omniaque ossa videretur locis suis emota habere. Sed velut parva aut nulla hæc esset exercendæ caritatis materia, receperant prænominatæ mulieres in suam domum feminam, morbo adeo horribili laborantem, ut vultu penitus corroso nulla amplius appareret forma oculorum, & ex putrescentibus genis vermes scaturirent. Huic illæ cum pro Dei amore famularentur obsequentissime, earumque amicitiam Thora studiosius coleret; cœpit etiam ipsa eamdem infirmam frequenter visitare, eidemque suis ministrare manibus, abstergere saniem, atque ex animo compati, usque adeo ut etiam vultum suum vultui eius horrendo superimponeret, velut ejus dolores in se transferre cupiens; talibusque obsequiis delectabatur magis, quam puellaribus ludis aliæ.

Mulieri putrescenti inservit.

B

7 Iam annum decimum quintum expleverat, quando in gravem incidit ægritudinem, eo ipso tempore, quo Pisis absens sponsus *c* suus etiam ipse morbo tenebatur: domum ergo suam traduxit infirmam pater, & cum interim mortuus esset iste, prius quam ipsa convaluisset, neque domesticorum aliquis auderet hoc ei nuntiare, accessit ad filiam consolandam pater ipse: sed prævenit sermonem ejus Thora dicens, quod mortuum sponsum suum suspicaretur, quia campanarum pulsum solito majorem audierat; & addidit: Equidem ad omnem Dei voluntatem contentissima sum, sit ille in omnibus benedictus. Postquam autem sanitati suæ restituta, à mundi vinculis sese solutam vidit, cœpit multo quam antea ferventius cælesti suo sponso servire; cui servire, ut norat optime, regnare est.

c Quindennis sponso suo viduata,

CAP III.

capillos resecat mundo contempto;

8 Læta igitur adolescentula, quod oblatam sibi facultatem videret, ejus quod tantopere semper optaverat, seque Creatori suo intime conjungendi; suos ipsa capillos resecuit, aliisque in rebus omnibus omnimodam quærens abjectionem, multa cœpit agere coram domesticis, quæ nonnullam emoti cerebri debilitatem ostentabant, scientibus quam semper prudenter sapienterque se habuisset: de quibus cum à fratrum suorum uxoribus argueretur, contemptim ac veluti nihil ista curans respondebat, quod vellet commodo suo vivere. Pater autem & fratres, puerili simplicitati potius quam insipientiæ eadem adscribentes, de aliis nuptiis eidem conciliandis agitabant consilia; non parum hac ei de causa molesti blanditiis minisque. Ast illa, ut vera Christi ancilla, nec minis nec blanditiis moveri, arripere scutum orationis, piis operibus insistere, & eleemosynas palam quidem quantas poterat elargiri, clam vero omnia quæ habebat expendere, usque ad ipsas suas vestes. Arguebat eam sæpe mater sua, negans ejusmodi nuditatem & cultus convenientis neglectum decere genus suum, honestatisque & verecundiæ eam commonebat: sed ipsa magistri sui Christi discipula docilis, nihili faciebat ejusmodi verecundiam, respondebatque, satis vestitam esse se. Et illa quidem ejusmodi responsis irritata, duriter inclementerque habebat filiam; hæc vero sævitiā ac blanditias ejus sus-

C

neque ad alias nuptias,

Aut cultum elegantiorē induci potest

deque habens, proficiebat de virtute in virtutem; semper in dilecti sui Sponsi amore ferventior, quem rebus creatis omnibus præhabebat. D

CAP. IV.

Recipit se in cœnobium S. Martini.

9 Utebatur hæc dilecta Dei sponsa perquam familiariter cubicularia quadam sua; eique multum fidens, mittebat ipsam occulte ad monasterium S. Martini *d* Ordinis S. Claræ: & ea mediante clam recepta ad Ordinem, internuntiæ quoque suæ impetravit receptionem, utpote cui consultum non erat domum absque Domina sua, post talem operam ipsi impensam, reverti. Ambæ igitur eo se contulerunt opportuno tempore; maximoque cum gaudio receptæ à sanctimonialibus istis, sacro vestitæ sunt habitu inter consuetas cerimonias; & ipsa Thora deinceps Soror Clara, ut petierat, nuncupata. Restabat ut parentibus, rerum omnium ignaris, quid factum esset nuntiaretur. Id negotii susceperunt in se Fratres Minores duo, patremque in *e* Aula obambulantem nacti, rem omnem ei exposuerunt. Attonuit tam improvisus nuntius hominem, itaque affecit, ut veluti extra se positus præ doloris vehementia, non cessaret ingeminare has voces: Ergo perdidimus, ergo amisimus eam. Apud sic turbatum quia nullum consilio solatiove locum esse viderunt prædicti Patres, ab ejus conspectu confestim recessere. E

d

Re intellecta mœret pater.

e

Fratres ad vim prosiliunt,

10 Notavit vehementem admodum soceri dolorem nuruum una, & causam tantæ afflictionis ignorans, cum solum audiret perditam lamentari, æstimabat ipsa de alicujus munitioris arcis amissione allata esse nova quæ sic turbarent hominem; non tamen audebat interrogare, ecquam ille jacturam doleret. Ergo misit qui aliquem ex filiis Petri accerseret; quorum major Andreas confestim adveniens, interrogavit prædictam suam *f* fratriam, Thomassiam nomine, quid accidisset. Ipsa è contra quærit ab eo quidnam esset amissum, cujus causa sic lugeret pater. Nihil, inquit hic admiratione plenus, quod ego quidem noverim. Tum patrem adit, & reverenter precatur, ut ne causam doloris sui occultet filio, & quid jacturæ factum sit indicet. Ægre ille potuit effari quod erat, adeo grandis mœror animo incubuerat. Verum Andreas, Ne ea te, inquit, res commoveat, pater, cito ego eam ad te reduxero. Dictum factum: congregantur amici, armantur milites, tantoque numero atque furore ad monasterium curritur, ut grande aliquod malum civitas tota timeret: quibus portarum effractionem, domorumque incendium minitantibus nisi restitueretur sibi puella, maximus incussus est sanctimonialibus timor. Quare vim ulteriorem minime expectandam sibi ratæ, continuo illam reddere festinarunt: & sublatam brachiis, per scalas extra claustrum deposuere inter manus suorum, qui in templum S. Martini sororem deduxere. F

f

sororem repetunt & impetrant,

Quæ primum usu pedum privata,

11 Hic medios inter armatos & promiscuæ multitudinis homines deposita Clara, omnem gradiendi ac pedibus insistendi facultatem subito sibi ereptam mirata est: atque conversa ad circumstantes, eisque silentium indicens; Quidnam hoc, inquit, prodigii est, quod pedibus meis insistere nequeam? Obsecro vos, ut cuncti in genua prostrati singuli ter Pater & Ave recitetis in honorem sanctissimæ Trinitatis, oretisque pro me ut gradiendi facultas mihi restituatur: & ego promitto vobis quod absque contradictione ulla secutura sim, quoniam nefas est Dei voluntati resistere. Paruere mox omnes, pusilli ac magni, factaque oratione, ipsa se in pedes erexit & secuta ducentes est, in eodem quem induerat habitu: nec enim permittere voluerat ut hunc sibi auferret quispiam. Renuntiatum deinde patri est eductam esse è monasterio filiam: sed hic videre ipsam tunc noluit, tantum dixit credere se quod satis ei animorum esset, ut invento demum quocumque effugio vel

& post orationem restituta,

Romam

A

ne porro fugiat, *camera includitur:*

Romam usque fugeret, ubi ejusdem observantiæ monasterium g inveniret. Id enimvero ne facere posset curaturos se dixerunt fratres, confestimque sororem captivam cameræ incluserunt, clavis obfirmando fores, & fenestellam dumtaxat exiguam relinquendo, per quam ei ministrarentur victui necessaria. Acta sunt hæc mense Junio, in festo Sanctorum Apostolorum: quo die cum domo esset egressa prætextu adeundi ecclesiam S. Petri, nemo domesticorum fugisse suspicabatur, quam credebant, pro diei reverentia, prolixiori orationi insistere; & ideo ante adventum prædictorum Fratrum quæsita nulli fuerat, quæ reipsa S. Petrum secuta dimiserat omnia, ut Christum inveniret.

ANNOTATA.

a *Pace inter Pisanos Florentinosque sancita, cum Carolus Imperator in Italiam venisset, ibique res Ecclesiæ & Imperii contra Barnabovis Mediolanensis tyrannidem curaret,* Pisanis præsidebat Joannes cognomento Agnellus, *ut scribit S. Antoninus p. 3 tit. 21 cap. 10 §. 1,* qui Lucam ad salutandum Carolum profectus, cum ibi casu prolapsus costam fregisset, delatus confestim Pisas rumor, alios spe, alios metu concitavit; totaque civitas fuit in armis: prævalenteque diversa factione, Petrus Gambacurta: qui ad eam diem exularat, favore suorum receptus, gubernationem reipublicæ suscepit. *Ita ille, qui postea valde laudat dictum Petrum, ut infra videbimus. Fratrem Petrus habuit nomine Gerardum: cujus filius Lottus an. 1382 ex Canonico Pisanæ Ecclesiæ factus est Archiepiscopus, & post gentis suæ exterminium, de quo infra, translatus est ad Tarvisinam ecclesiam, uti scribit Vghellus tom. 3.*

B

b *Contractumne ex* Theodora? *ita crediderim.*

c *Maritum appellat uterque Razzius: sed, ut dictum, nihil est in tota Vita, quod persuadeat ultra sponsalia rem esse progressam.*

d *Fuerat Pisis hoc nomine Prioratus, quem anno 1331 Joannes XXII univit monasterio Clarissarum ibidem fundando à Bonifacio Comite Donoratico, uti tradit Waddingus in Annalibus.*

e *Vox hæc ita generice sumpta, deberet significare locum publicum aliquem, sic antonomastice dictum; puta aulam sive atrium curiæ ipsius: estque id subjectæ materiæ congruum: interim Razzii, non attendentes ad vim articuli, ubi habebatur* la sala, *posuerunt* una sua gran sala, *& sic deberet intelligi quod hominem domi suæ convenissent.*

C

f *Iidem Razzii uxorem faciunt. Hæc autem aliaque similia hic notamus, non quod ipsam rei substantiam magnopere varient, sed ut intelligatur quam facile exerret eorum calamus, qui licentiam sibi sumunt aliena scripta novo stylo ornandi, quantoque purius ex ipso fonte hauriatur veritas: quod toto hoc in opere intendimus.*

g *Puto indicari monasterium S. Silvestri de Capite, de cujus reclusione insignique disciplina egregium testimonium præbuit an. 1322 Prædictus Papa Ioannes XXII Fr. Deodato jus visitationis ibidem in perpetuum confirmans, in bulla quam vide apud Waddinghum.*

CAPUT II.

Quinque mensium Carcere probata Clara in monasterium sanctæ Crucis inducitur, & egregie proficit.

CAP. V. Primis 15, diebus solatiis internis recreata,

12 IN carcere posita adolescentula, & facta Reclusa quæ Monacha esse desideraverat, nihil hac mutatione indoluit; sed hilaris admodum alacrisque remansit, omni, quod optaverat maxime, humano solatio commodoque destitutam se videns; nec enim providere curaverant fratres ut vel lectus illuc inferretur, in quo requiesceret; aut aliud quippiam, quod lecti vicem captivæ præstaret. Jacebat artriticis doloribus afflicta mater: & circa eam occupata familia obliviscebatur non raro filiæ inclusæ: idque eo facilius quod in omnibus patientissima, numquam illa quereretur quippiam deesse sibi aut defuisse: sed solus ac verus amator ejus, qui omnes dilectæ suæ noverat necessitates; eam non modo consolari sed etiam ad futura certamina corroborare volens, per dies quindecim continuos tanta illam spiritus suavitate replevit, ut etiam corporei sensus eâdem abundarent, & cuncta eidem dulcia in suo carcere viderentur: quo fiebat ut in fervore dilectionis erga Jesum Christum, sponsum animæ suæ dilectissimum, magis indies exardesceret.

postea variis tentationibus exercetur;

13 Elapsis quindecim illis divinæ consolationis diebus, placuit Altissimo ablactatam ab ubere pascere cibo solidiore; permittereque ut afflictionibus ac tentationibus undequaque circumdata, nullum uspiam solatium inveniret quam in sola propositi sui recordatione: cui firmiter inhærens, dulcissimum Jesu nomen ore & corde identidem invocavit, certabatque viriliter adversus machinationes diaboli & crudelitatem suorum domesticorum. Hæc autem tanta erat, ut nulli omnino permitterent ad ipsam accedere, à quo solatii spiritualis vel consilii quidpiam posset nancisci. Uni tamen Domno Stephano, Donnæ Margaritæ viro (cujus supra facta mentio est, & infra magis ex proposito fiet, tamquam adjutoris in fundando novo monasterio, cui & duas filias suas dedit) soli, inquam, Stephano visendæ & alloquendæ illius quandoque dabatur facultas: qua sic usa est, ut cum forte intra eamdem, in quam fuerat conclusa cameram, remansisset capsula, mundi sui muliebris custos; per illius manus emitteret foras pretiosiora quæque, quorum pretium fideliter distribueretur pauperibus.

E

muliebrem mundum tradit pauperibus distribuendũ;

morbum sustinet patienter;

14 Accidit præterea aliquando ut similis potestas concederetur Fratri cuidam ex Ordine S. Francisci; cui fidere se posse existimans Clara, tradidit ei gemmeam suam zonam, orans ut ejus pretium, quam fieri posset secretissime, dispensaret in pauperes Jesu Christi. Accepit hic fidei suæ commissum cimelium: postea tamen, sive patris ac fratrum iracundiam veritus, & scandalum ab iis suscitandum si res innotuisset, sive alio quocumque respectu, prætermisit facere quod ipsa volebat, & zonam prædictam ad patrem detulit, tamquam donum ipsi à filia missum: quod animum ejus non modice conturbavit, videntis quam firma in proposito suo persisteret puella a. Ipsa autem, inter tot adversitates & calidioris tempestatis loco tam angusto molestias, gratias agebat Sponso suo dulcissimo; eumque benedicebat, quod dignam habuisset pro nomine & amore suo talia tolerare.

F

a

semel permittitur ad Missam egredi.

15 Jubebat aliquando dici matronis istis præmemoratis sibique familiaribus, agerent cum matre fratrumque uxoribus, quatenus sibi à patre impetrarent indulgentiam exeundi, semel saltem in anno, ad suscipienda Confessionis atque Communionis sacramenta, & Missam unicam audiendi. Itaque die quadam, cum Pisis forte abesset pater, & S. Dominici dies ageretur, accessit ad ipsam è fratriis una, dixitque, Siquidem nobis promiseris quod nobiscum huc reditura sis, ad audiendam Missam ducemus te. Promisit illa, ab iisque deducta ad ecclesiam, Missam audivit; & facta interim confessione, ex manibus ejus qui coram ea celebraverat Sacerdotis, Corpus accepit Dominicum, multis cum lacrymis & devotione exaggeratâ; indeque ad carcerem suum

AUCT. COÆVA EX MS. ITAL. suum obscurum reversa, & istum & reliquum diem impendit agendis Deo pro tam singulari beneficio gratiis. Talibus intenta exercitiis audivit pauperculam quamdam, misere quiritantem in platea, unde per fenestram aliquam lumen carceri suo infundebatur. Hujus ergo necessitati ex animo compatiens, eidem, ut melius potuit, advocatæ monitæque rem secretam habere, vestem suam projecit per eamdem fenestram: sed ipsa insperato perfusa gaudio, non potuit quin multas agendo gratias, benefactricem suam faceret omnibus audientibus manifestam. *vestem suam pauperi donat.*

16 Ita quanto rebus terrenis spoliatior, tanto erat ad divina consectanda habilior. Cumque hebdomadem integram aliquando in pane & aqua jejunasset, Deum rogans ut sibi concederet vitam in aliquo regularis observantiæ monasterio ducere; cælesti revelatione didicit, observantiæ quidem regularis monasterium sibi indulgendum, non tamen sub regula S. Claræ, sed S. Dominici. Advenerat circa idem tempus Pisas Alphonsus *b* Episcopus, olim S. Brigittæ Confessarius, qui Petro Claræ patri olim Hierosolymis familiariter notus, cum esset ab eodem humanissime exceptus, significavit ei Petrus, quid sibi circa filiam suam dilectissimam accidisset, oravitque ut suadere eidem vellet, paternæ voluntati morem gerere. Suscepit in se libenter Alphonsus quod rogabatur: sed puellam allocutus & constantem ejus fervorem expertus, ac summum uni Deo famulandi desiderium; non modo abducere eam à sancto proposito conatus non est, sed etiam ad ejus prosecutionem hortatus, proposito S. Brigittæ exemplo; quod ut ipsa cognosceret melius & imitaretur ardentius, vitæ ejus descriptam historiam eidem reliquit. Acceptavit gratanter donum & consilium Clara, exindeque erga Sanctam pientissime affecta, eam cœpit habere & colere specialem suam advocatam; multisque ab ea gratiis cumulata, prima instituit ut de S. Brigittæ vita atque virtutibus sermo Pisis publice haberetur; & in ejus monasterio usque hodie celebratur quotannis ipsius festum. *Alphonsus Ep. vocationem ejus explorat,* B *eamque S. Brigittæ exemplo animat.*

17 Confortata igitur, & in pio fervore atque amore cælestis Sponsi provecta ancilla Christi, perseverabat crescebatque in exercitio virtutum & bonorum operum. Quam ejus constantiam considerans mater, & intelligens insuper non modo invaletudine gravi, ex incommodis carceris nata, tentatam fuisse valetudinem filiæ; sed etiam triduo integro aliquando fuisse absque cibo derelictam, oblitis necessaria ferre domesticis; omnino decrevit prius ipsam exinde educere, quam Pisis discederet ad experienda balnea sibi ægrotanti præscripta. Inito ergo cum filio natu majori consilio, tum ipsi tum cives alii ex propinquis per ipsos rogati, multis apud Petrum egere, ut si clausam servare filiam vellet, servaret in aliquo monasterio. Cumque ei proponerent sanctæ Crucis monasterium, velut in quo monachæ aliquot *c* raræ virtutis ac spiritus essent, non modo non abnuit pater, sed intelligens absque habitu ibi non retinendam, & filiam tandem solari volens, sanctimonialibus dixit: Tradere eam vobis cupio, sub hac tamen conditione, ut quandocumque voluero *d* ædificare monasterium observantiæ regularis, possim ipsam educere, & istic collocare. Illis porro consensum suum ad hoc præbentibus (modo ejusdem cujus ipsæ erant Ordinis, videlicet S. Dominici, monasterium foret) addidit Petrus quod tunc ei vellet accipere quatuor socias: & in hoc quoque consentientibus sanctimonialibus, de his publicum instrumentum confectum est in festo S. Andreæ, ad quem usque diem, jam inde à festo SS. Petri & Pauli, tenta in suo carcere fuerat vera crucis amatrix. *Mater filiæ compatiens,* C *persuadet patri ut ei concedat monasterium.* *Itaque admissa apud Dominicanas,* D

18 Induta porro fuit sacro habitu magna cum pompa lætitiaque, tam adstantium quam sua, quæ nunc demum arbitrabatur Deo deservituram ex integro sese; dataque est in disciplinam sanctimonialis cujusdam magni spiritus, cui nomen Soror Andrea. Hæc vero sicut amabat Claram, supra quam dici possit, ita vicissim amabatur & observabatur ab ea: videbat enim quod mirabile orationis & lacrymarum donum adepta puella, nihil duceret potius orandi studio. Et huic ut vacaret liberius attentiusque, locum ei solitarium intra ipsum monasterium aptari frater Andreas curaverat, parvæ instar cellæ; ad quem, dum poterat licebatque, sese oratura recipiebat, etsi alias per noctem communi cum ceteris dormitorio uteretur. De ipso autem loco prædicta ejus magistra testabatur, quod in eo sæpe miram sensisset suaveolentiam, imprimis autem vice quadam, hac, quam jam describam, occasione. CAP. VI. *solitarium locum sibi comparat,*

19 Ægrotante quandoque magistra, vix unquam ab ejus lecto recedebat Clara, omni cum caritate & diligentia ipsi serviens: cum autem aliquantum melius illa valere, neque ejus opera tantopere videretur egere; redivit illa ad cellam suam, & moram ibi longiorem traxit. Interim nominatim eam appellans magistra, nec ullum responsum audiens, egressa est ipsa, visura num forte in cella illa sua esset. Invenit autem in oratione fixam, ac penitus instar columnæ immobilem; & quia appellando eam proficiebat nihil, tandem manu tangens ad se revocavit, velut è profundo somno expergiscentem. Qua assurgente, subito incredibili odoris cælestis fragrantia perfundi se sensit Magistra; ita ut dubitare non posset, quin illo in loco sponsus Claræ Jesus adfuisset. *in quo cælestem odorem ejus magistra percipit.* E

20 Paupertatis amatrix & zelatrix præcipua, vestes dumtaxat viles resartasque gestabat; velum grossum & inconcinnum, calceos detritos ruptosque, quos aliæ Sorores dimiserant: ipsaque semel indutos exuebat numquam, ne quid in iis solvendis dissolvendisque temporis amitteret. Cumque illi sic rupti ingratum auribus streperent, erat sæpe audire Sorores, præ commiserationis affectu indignabundas. Ne autem à rigore dilectæ paupertatis vel tantillum deflecteret, nihil unquam voluit possidere: & sæpius eam dicentem audivi, quod non satis capere aut probare potuerit, votum illud Salomonis dicentis, Mendicitatem & divitias ne dederis mihi, Prov. 30, 8 tribue tantum victui meo necessaria; existimans nullam esse paupertatem, cui nulla adesset necessariorum penuria. Postea vero, quando totius ejusque numerosæ familiæ onus ei incubuit & cura infirmarum Sororum, dicebat, nunc demum se verborum sensum capere atque probare. *summa paupertatis studens,* F

21 Non erat quidem in monasterio isto stabilita religiosæ disciplinæ observantia, neque ad communis vitæ rationem tenendam Sorores adstringebantur. Septem tamen ex omni numero sine proprio in communi vivebant; quarũ una, Soror Maria dicta, *e* (ipsa quæ postea ad novum monasterium venit, & post B. Claræ mortem eidem successit in Prioratu) ceterarum curam prudenter gerebat. Quantæ qualisque virtutis hæc fuerit dicere supersedeo, tantum dico quod solita fuerit Sorori Claræ in victum præparare baccas Persicas, inter duo panis segmenta: qua cibi cruditate non contenta, quandoque etiam cinerem aspergebat eidem, nec raro ciborum reliquias ab aliis dimissas colligebat edebatque devote: & quamvis naturaliter esset nauseabunda, quemadmodum in ejus morbis satis experiebamur, faciebat hoc tamen vincendi sui causa. Quotidie etiam scutel- *vitam communem agit cum aliis septem,*

A scutellas lavare delectabatur, aliisque vilibus exercitiis occupabatur libenter, Deo interim laudes canens.

vitia magno zelo redarguit. 22 Quid dicam de zelo honoris divini quo hæc ancilla Christi flagrabat? Tantus is fuit, ut quamvis admodum juvenis esset ipsa, non dubitaret tamen absque aliquo cujuscumque personæ, dignitatis vel auctoritatis respectu, veritatem enuntiare. Quod si de viro aliquo religioso audivisset aliquid reprehensione dignum, simulabat se ei velle confiteri; eaque occasione ingerebat admonitiones tam vivas & efficaces, ut admodum confusi formidarent rursum ejusmodi castigationem mereri.

ANNOTATA.

a *Addit de suo Silvanus Razzius, quod exinde etiam arctius quam antea filiam suam habuerit pater, sed tantam animi duritiem non indicat Vita hæc primogenia.*

b *Mentio ejus fit in vita apud Surium 23 Iulii: dabimus eam primogenio stylo 8 Octob. Fuit autem* Alphonsus *Episcopus, non* Genuensis *in Sabaudia (ut perperam crediderunt aliqui) sed* Gienensis *sive* Gianensis, *vulgo* Jaen, *sub Regno Castellæ: qui permissu Urbani* V *sub annum* 1367 *Episcopatus renuntians, transit ad Ordinem* B *S. Hieronymi, tunc in Hispania pullulantem: qua occasione adjunxerit se socium S. Birgittæ, alibi quæretur. Constat ex donatione facta conventui S. Bartholomæi de Lupiana, cujus in Theatro Ecclesiarum Hispaniæ meminit Gonsalvus d'Avila, eum Romæ fuisse anno* 1378, *quando* 15 *ætatis annum agebat Clara: ut congruum sit in de revertentem, Pisas divertisse. Obiit Genuæ apud Hieronymianos, & in eorum Ecclesia sepultus fuit an.* 1388.

c *Septem eas fuisse infra num.* 21 *dicitur: interpres Seraphini Gallicus nimium stylo indulsit, cum scripsit plurimas ibi fuisse magni spiritus virgines.*

d *Vterque Razzius vertit* quandocumque voluerit, *ipsa scilicet Clara: at Italicus textus clarus est*, quando io volessi, *quando ego vellem.*

e *Hujus Vitam apud Razzios habes: extabatque in antiquo pergameno Latine scripta in Conventu S. Dominici Pisano, quam (si ejus nobis copia aliquando obtingat) dabimus in supplemento Ianuarii, cujus die* 22 *natalem ejus celebrari nos docuit Cessinus.*

CAPUT III.

Fundatur novum monasterium S. Dominici, in quo Clara primum Supprioris sam ac deinde Priorissam agit.

C

a 23 EOdem anno *a* quo monasterium, ut dictum est, ingressa erat Dei sponsa dilecta, abiit ex *CAP. VII. secunda patris Petri uxor,* vita cara ejus mater; & paulo post etiam frater ejus major natu, qui videbatur sancto ejus desiderio favere. His defunctis elanguit in proposito pater, neque de alio monasterio extruendo videbatur amplius cogitare. Interim secundam uxorem duxit, adole- b scentulam nobilem, filiam cujusdam Domini *b* Andronii Legum Doctoris, nomine Oriettam. Celebratis autem nuptialibus festis atque in domum Pe- *privigna amore capta,* tri traducta nova nupta, cum multa admiranda audiret de illius filia, magna cum devotione accessit ad ipsam visitandam, stupuitque ut vidit in adeo vili habitu veloque contempto, puellam hilarem ac gratiosam; magis autem ut loquentis prudentiam affabilitatemque experta probavit. Clara vero occurrens novercæ eamque stricte amplexa, dixit: Domina mea, misit te Deus mihique dedit matrem, ut *operam ei suam addicit,* te tuoque conjuge mediantibus obtineam monasterium, ubi extra hominum conspectum positæ, ab his mundanis distractionibus liberæ, vivere possimus vitam communem ac regularem. Cui illa re- *AUCT. COÆVA EX MS. ITAL.* spondit: Est sane quod tui respectu verecunder, quæ matrem habens spiritualem & totam virtuti deditam, siverim me mundi laqueis irretiri; cum tu extricare te potueris ex tot impedimentis: promitto autem quod apud patrem tuum allaboratura sim, ut desiderato solatio potiaris.

25 Dixit: neque minus quam dixit fecit; adeo *evinciteque ut novum ei struatur monasterium:* instanter orans, tamque solicite preces suas iterans apud maritum & privignos, ut tandem emptus locus sit; cum illa finem non faceret intercedendi, præ desiderio juvandi & consolandi famulam Jesu Christi, in qua cognoverat adeo accensum fervorem, ad serviendum cælesti Sponso in clausura & observantia sanctæ religionis. Quin imo marito suo Petro promisit, quod si post ipsum viveret, numquam rediret Geniam, sed in ipsum quod fundaret monasterium ingrederetur: quemadmodum & fecit, uti suo loco *c* videbimus. Porro vix unus à visitatione præ- c dicta annus abiit, quin rebus omnibus ordinatis transirent monachæ in monasterium novum, in mense Augusto, festo decollationis S. Joannis Baptistæ, cum in priori monasterio Clara annos quatuor demptis tribus mensibus egisset. Venerunt autem in locum qui situs est Pisis, in parte civitatis posterio- E ris, cui Chinsica nomen, in fronte vici S. Ægidii *d* qui d locus hodie nomen proprium habet à S. Dominico.

25 Volens igitur misericors & omnipotens Deus implere famulæ suæ desiderium, juvit eam quomo- *CAP. VIII. in quod cum 4 sociabus deducta,* do suæ placuit bonitati. Fuerunt autem sociæ illius quatuor, videlicet soror Philippa Domini Albizi de Vico, soror Maria Ser. Bacciomei, cujus supra facta mentio est; soror Andrea de Porcellinis, cognomento Casati, magistra B. Claræ; & soror Agnes de Buoncontis: ipsa autem Clara tunc agebat ætatis annum vigesimum, currente Christianæ æræ anno MCCCLXXXII. Ordinabat vero omnia Magister Dominicus de Pecciolis, sacræ Theologiæ Doctor & concionator insignis; qui & quamdiu vixit monasterii Confessarius fuit. Hujus consilio, tamquam fugitivæ propter metum alicujus rumoris bellici, intra urbem *e* venere prædictæ sanctimoniales, quo minus novitatis earum adventus haberet; ingressæque in locum destinatum sunt die vigesima nona Augusti; præsentibus Domina Orietta & Domina Tomasia, aliisque multis nobilibus ac devotis matronis, quæ (nam festinatus adventus fuerat) aptandæ domui manus adjutrices admoverunt.

26 Voluit B. Clara, una cum sororibus aliis, ut F ante craticulam poneretur incerata tela; quatenus ad *sub strictissima clausura,* externorum venientes colloquia, neque viderentur ipsæ, neque viderent quemquam: insuper ut tribus clavibus clauderetur porta, intra quam absque præcisa monasterii necessitate nemini sub excommunicationis pœna licitum esset ingredi, ne Fratribus quidem, excepto casu Sacramentorum morientibus ministrandorum. Idem eis in principio licebat, quoties velandæ monachæ essent: sed postea comperto id fieri posse absque eo quod claustrum ingrederentur, sublata illa exceptio est. Modo autem neque Magister Generalis, neque Provincialis ingredi illuc possunt, nisi semel in anno, quantumcumque alias vellent, idque Pontificia Bulla est confirmatum. Constituerunt etiam ad satisfactionem consanguineorum, ut bis omnino conspici Sorores possent à patre, matre, fratribus & sororibus carnalibus: primum quidem, siquidem ita velint parentes, antequam faciant professionem: deinde postquam velatæ fuerint; idque per modum consuetudinis servant, etsi alias ad eam neminem adstringi velint sub alicujus pœnæ interpositione, sed solum per modum puræ cerimoniæ.

27 In-

AUCT. COÆVA EX MS. ITAL. *primum suppriorissa,* CAP. IX.

27 Inchoato in hunc modum monasterio novo, cœpit sancti Spiritus gratia in Sororibus tanto cum fervore operari, ut visu auditusque mirabile cunctis esset, viderenturque Angeli quidam terrestres esse. Cum autem etiam numero crescerent,(non tamen continuo sed paulatim) Priorissam sibi constituunt, admodum Reverendam Matrem sororem Philippam (de cujus virtutibus satis dicere lingua mea non sufficit, quare eas pro nunc silentio prætereo, aliquid de ipsa inferius dicendum *f* reservans) Suppriorissam vero fecere B. Claram. Quæ cum esset zelo religionis ardens, magnoque pœnitentiæ rigore uteretur, adeo ut numquam sibi satisfaceret quin amplius & amplius desideraret, præ desiderio placendi divinæ majestati; succubuit tandem spiritus fervori impar corpusculum, fuitque per obedientiam adacta contusi pulli carnes sumere. Postea autem, prout divinæ placuit bonitati, pristinis sensim viribus restituta, majori cum ardore nitebatur Deo soli servire, cui servire non esse aliud quam feliciter regnare, identidem inculcabat, nihil magis desiderans quam ut in ejus amorem quamcumque animam accendere, & ad ejus obsequium omnes posset attrahere.

f nimio in seipsam rigore utitur,

multisque exemplo prælucet

28 Studebat pro sua latissima caritate omnes ad bene faciendum vivendumque attrahere; & quoties loquebatur de Deo, loquebatur autem de eo fere semper, non tantum stupori cunctis audientibus erat, sed etiam utilitati magnæ; cum nemo ab ejus colloquio recederet non mutatus interius. Viri feminæque quamplurimæ, ejus exemplis monitisque instructæ, partim religiosum statum amplectebantur, partim retento habitu seculari vitam instituebant spiritualem & sanctam: unde fiebat, ut in omni ordine ac statu multos filios ac filias spirituales haberet; cum absque ullo propriæ utilitatis respectu in solam animarum salutem intenderet animum. Confundebantur viri, cum viderent sese in virtutibus superari à feminis. Etenim tempestate illa nullus erat conventus, in quo vigeret communis vitæ observantia; atque ita religiosi Ordines defecisse videbantur, quando nova hæc lux mundo apparuit, digno nomine Clara dicta. Hujus vero sanctimonia audita, devoti quidam Fratres, inter quos Fr. Joannes Dominici *g* Fr. Thomas de Senis *h*, aliique sancta quadam æmulatione moti, inceperunt Venetiis instituere conventum observantiæ regularis, cujus bono odore atque fama multi facti sunt religiosi: cuncta ordinante ac disponente Fr. Joanne, magnæ virtutis ac scientiæ viro, ac postmodum sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinali. Qui postquam conventum virorum ad normam vitæ communis reduxisset, de novo ibidem Venetiis ordinavit Conventum sanctimonialium, Corporis Christi dictum, ad exemplum ejus cujus ductrix erat B. Clara. *i* O quis numerare posset animas, ipsa mediante ad Deum diversimode reductas!

B

ad strictiorem disciplinam capescendam,

g h etiam viris.

C

i

Priorissa facta,

k

29 Mortua Priorissa *k*, suffecta in ejus locum Clara est, in eoque dum vixit perseveravit, tanta cum caritate erga omnes, ut videretur nullius querelas posse sustinere: quodque magis admirandum est, cum paucos admodum haberet reditus, familiam tamen sic sustentabat, ut nihil cuiquam rerum necessariarum deesset. Infirmis jubebat quam copiosissime prospici: quod si eis subvenire nequiret quomodo putabat eis opus esse, convertebat ad orandum sese cum multa animi afflictione: nec videbatur optimus Deus famulæ suæ lacrymis posse resistere, quin continuo subveniret per eleemosynas, aut aliter eam consolaretur. Et vero familia ei ampla erat, atque adeo multarum rerum indiga; utpote multiplicata usque ad quadraginta tres aut sex: qui numerus diu in hoc statu mansit, aliis morientibus succedentibus aliis. Cum autem ipsa diem suum obiret, quadraginta quatuor sorores numerabantur, absque Commissis *l* aliisque familiaribus extra claustrum constitutis; quibus omnibus licet providere Priorissa deberet, numquam tamen voluit Clara ut pauperes, ad petendam eleemosynam venientes, absque solatio dimitterentur: sed jubebat omnibus stipem dari: mittebat etiam quot hebdomadis, qui carceres cum eleemosyna visitarent.

& in re tenui Deo nixa,

A

l

liberalitatem in pauperes,

30 Omni industria satagebat consolari quascumque personas pauperes ac tribulatas, orando pro eis, & alios ad similiter orandum excitando: quo fiebat ut multi per ejus amplissimam caritatem varias divinitus factas sibi gratias profiterentur. Inprimis autem compatiebatur eis quos in tentatione constitutos noverat. Cum soror quædam juvencula graves à tentatore pateretur molestias, ipsaque sæpius ad se eamdem accerseret; contigit ut quadam vice ipsa pro afflicta orans, caput Sororis lacrymantis seque amplexantis pectori suo apprimeret; statimque ex eo tantam suaveolentiam afflicta persensit, ut cognosceret evidenter illius pectus esse cameram & habitaculum Spiritus sancti: idque ego audivi ex ipsamet sorore, fide dignissima & post mortem Beatæ superstite. Similes alii eventus plurimi ad testandam ipsius caritatem colligi possent, siquidem tota ejus vita perpetuum erat caritatis exercitium: sed omissis ceteris unum dico; faciem ejus semper hilarem fuisse, nisi quando per compassionem erga proximum turbabatur.

caritatem erga omnes,

præsertim tribulatos exercet.

E

ANNOTATA.

a *Cum paulo infra dicatur annos quatuor minus tres menses in monasterio sanctæ Crucis explevisse Clara, inde egrediens anno* 1382 *exeunte Augusto; sequitur annum hic notari* 1378.

b Arondonium *appellant Razzii: & filiam ejus vocant* Orettam. *Nomen hoc esse diminutivum ab* Oria *sive* Aurea *eo facilius crediderim, quod Cessinus moneat ex quarumdam membranarum reliquiis probabile sibi fieri, eam Genuensem fuisse ex Familia* Aurea *sive* Doria, *qua primas etiam tum Genua tenebat.*

c *Nihil hac de re infra dicitur, quia, ut monuimus desidia transcribentis deficiunt in Codice Pisano quædam, & nominatim elogia primarum istius cœnobii Priorissarum: quas inter quarta fuit* Orietta *mutato nomine dicta* Maria, *& annis* 10 *monasterium rexit, sicut nos docuit Cessinus.*

d *Italice*: In capo della Carraia di S. Giglio.

F

e *Hinc colligas, ipsum S. Crucis monasterium extra urbem fuisse.*

f *Neque de hac quidquam ultra reperitur nisi nudum nomen num.* 35: *sed quæ hic omissa fuere, ea Cessinus reperit Latina, in veteri membrana agglutinata antiquo cuidam psalterio, quæ ne pereant post ceteras appendices dabimus.*

g *Razzii minus recte vocant* Joannem Dominicum. *Vitam ejus scripsit Ioannes Carolus Florentinus, quæ extat apud Leandrum Alberti & apud nos Ms. ex codice Florentino. Fundavit monasterium* S. Dominici *Fesulis, ex ejusque disciplina S. Antoninus aliique prodiere. Eum Gregorius* XII *Cardinalem à se creatum tit. S. Sixti tanti fecit, ut ad ejus potissimum persuasionem Papatu se abdicarit in Concilio Constantiensi: inde abductum in Hungariam (erat enim Episcopus Ragusinus) secum ad res fidei constituendas habuit Sigismundus Imperator; ac Budæ anno* 1420 *mortuum multa miracula illustrarunt, Vix dubitamus quin ab Hungaris fuerit pro Sancto habitus & cultus: sed Turcis urbem obtinentibus difficile est aliquid certi de eo scire, maxime cum neque vita diem notet ad quem referri in hoc opere possit.*

h *Agit*

A h *Agit de hoc Michael Pio l. 2 § 80 de viris Illustribus Ordinis Prædicatorum, & an. 1415 mortuũ scribit: ast Razzius in Vita B. Mariæ Venetæ per eum descripta, notat an. 1430.*

i *Addunt Razzii conventus Fabianensem & Asculanum eodem modo fundatos aut reformatos, & multis exaggerant deformationem monasteriorum illius temporis, præsertim muliebrium, inducto ubique proprietatis vitio, prætexta monasteriorum paupertate.*

k *Anno ut infra constabit 1395, 12 Martii.*

l *Intelliguntur famuli rei temporalis procuratores: quales habuisse conventũ apparet infra ex nu. 42, ubi dicuntur viri duo de familia exteriori intro vocati ad fodiendũ sepulcrum.*

CAPUT IV.

B. Claræ caritas insignis, & in ferendis adversis animi magnitudo.

CAP. X. a Exposititi orum domui

31 NOn videtur prætereunda silentio, quam erga expositirios infantes exercuit caritas. Matrona quædam, Domna Cea nuncupata, magna cum caritate longoq; tempore rexerat exposititiorũ *a* hospitale, in quo pauperculi illi, à suis parentibus destituti, educabantur; moriens vero familiam prædictam commendavit Priorissæ S. Dominici. Hæc ergo magna cum solicitudine requirere cœpit personam idoneam, ad prosequendum opus ejusmodi misericordiæ: B neq; facile inventura videbatur, siquidem infantibus istis ablata erat domus, quam habuerant ad portam S. Marci. Non tamen animos despondit Clara, sed per se perq; totum conventum suum orationes ad Deũ fundebat, quatenus providere dignaretur familiæ orbæ idoneum caput. Tandem animum in omnes partes versanti, occurrit vir dives atque devotus, nomine Joannes, Tinellarius *b* ab opificio suo nuncupatus; qui cum haberet uxorem superadultam ac sterilem, pro magna qua Priorissam prosequebantur reverentia, eidem atque ejus conventui destinabat quidquid habebat aut in futurum lucraretur.

Curatorem invenit,

32 Hunc ergo inspirante Deo ad se accersens, rogavit num vellet curam dicti hospitalis suscipere. Cumq; hic alieniorem sese à tali consilio exhiberet, eo magis quod uxorem sciret ab eodem fore alienissimã; convenit ut utrimq; super ea re oraretur Deus, ipso interim monẽte ut de alio Clara cogitaret. Postea rediens atq; interrogans num aliquem invenisset: invenisse respondit. Lætus ille, interrogat quẽ. Cumque ipsummet nominaret: Atqui, inquit ille, jam dixi tibi hoc fieri non posse: quia omnia mea legare volo monasterio tuo: quod, si illuc ivero, fieri non poterit. Beata vero, plena caritatis, non quæ sua sunt sed quæ Jesu Christi quærentis, maluit obventura sibi carere pecunia, quam pauperes Christi opportuno necessa- C rioq; præsidio; neq; prius suadere ac precari destitit, quam Joannes susciperet regendum prædictum hospitale, quod nunc juxta ecclesiam S. Georgii est. Quidquid autem boni Joannes hactenus ibi fecit & adhuc facturum se continuo sperat (quemadmodum novit civitas universa) debetur eximiæ caritati Claræ, similibus pietatis operibus juxta consilium Euangelicum intendere & delectari solitæ.

propria utilitate postposita:

multas absque dote recipit,

33 Quando sibi offerebatur aliqua, desiderans monasterium ingredi, nihil considerabat prius quã virtutem ac bonam voluntatem postulantis; deinde jubebat ut ipsa per se cuncta exploraret scrutareturq; attentius, tum faciebat ipsa, & à conventu fieri jubebat orationem, priusquam aliquid definite responderet; ac deniq; si firmam in proposito reperisset, admittebat absq; ulla dotis adferendæ mentione: quod autem ultro adferebatur seu multũ seu parum, volebat omnibus esse commune: ita quædam absq; ulla omnino, quædam cum dote admodum modica sunt admissæ. Quoniã vero propter Sororũ numerum & angustias loci, maxima Sanctimoniales patiebantur incommoda; quantũ ex eleemosynis aut aliunde acquisitis subtrahere poterat necessitati frugali, seponebat ad amplificationẽ ædium, quibus modo hoc, modo illud curabat adjungi adaptariq; prout facultas aderat. Etenim vehementer angebatur ipsa, cũ videret propter prænotata incommoda infirmari plurimas, multas mori: ideoq; omni curabat solicitudine amplificationẽ domus, faciebatq; Sorores pro ea laborare, ac tandẽ eo rem deduxit, ut potissimã operis partem absolverit; & quamvis non plene, satis commode tamen ædes dilatatas reliquerit, cum hinc in cælum evolavit.

dilatat angustias monasterii,

AUCT. COÆVA EX MS. ITAL.

CAP. IX. Occiso patre

34 Postquam Dominus Petrus, pater B. Claræ annis viginti quatuor civitatem rexisset, populari furore & proditorie occisus est die gloriosæ Societatis sanctissimæ Ursulæ, anno MCCCXCIII, XXI Octobris, quemadmodum credo ab aliis satis esse descriptum. *c* Dies hic Pisis, dies turbinis & procellæ, dies mœroris & amaritudinis fuit. Occiso autẽ patre & ambobus fratribus læsis, eorum junior, Laurentius nomine, vulneratus ut erat, fugere in monasterium Sororis voluit: hæc vero noluit eum admittere, magis animæ quam corporis periculum reformidans in illo, qui ne sic quidẽ securus de vita, certum incurrebat excommunicationis periculum. Magni etiam referebat statuere in eo exemplum ad proximos, ne quis deinceps ibi refugiũ peteret, ubi ipsa illud fratri proprio negasset in tali articulo: proinde nemo impietatis crudelis factum accuset. Fratres igitur deprehensi & in hostis sui domũ deducti, ibi mortui sunt: quo modo, novit Deus. Succedens autem qui mori ipsos fecit, non diu rempublicam tenuit, haud diu post etiam ipse mortuus.

c

fratribusque,

E

35 Cum vero regimẽ urbis suscepisset, egregiæ virtutis Clara exemplum dedit, clarissimeq; demonstravit, nullum in animo suo odium aut inimicitiæ sensũ residere contra eũ, à quo familia sua eversa dejectaq; erat: noverat enim cum Beato Job, non queri de Deo, quo permittente ista acciderant; cum eoq; dicebat, Sit nomen Domini benedictum. Ei autem qui tot malorũ vel causa fuerat vel instrumentum, ex animo omnem condonavit injuriam, pro eoq; orabat. Ut autem excellens Claræ in hoc genere virtus fieret manifestior, contigit ipsã infirmari graviter, neq; dubitare quemquam quin ex animi mœrore, quem videbatur in suorũ cæde debuisse concipere, morbus hic ei obvenisset. Cum autem cibum omnem stomachus fastidiret, rogavit eã Soror Philippa, tum adhuc in officio Priorissæ vivens, num quid esset cujus appetitu teneretur, quodq; crederet se posse comedere. Respondit Clara: Si mittatis domum Domini Jacobi d'Appiano, ut mihi velit mittere panem ac cibum mensæ suæ, quemadmodum mittere solebat pater meus, credo equidem me comesturam. Attonuit omnes responsum ejuscemodi, neq; quisquam è famulitio externo fuit, qui ire vellet; judicantibus omnibus præceptum prorsus incongruum esse. Tandem eunte aliquo, obstupuere ad inexpectatam petitionem Dominus Jacobus ejusq; filius Joannes *d*; eiq; per dies plurimos mane ac vesperi per suos ministros misere cibos mensæ suæ, ex quo comedens Clara sibi paulatim restituta est.

auctorem cædis

non aversatur;

F

d

36 Vere malitia parvulam, adeoq; regno cælorum idoneam se ostendit hoc actu, magis autem eo qui sequitur. Mortuo prædicto Domino Jacobo & filio ejus Joanne, cum tradita Lombardis *e* civitas esset, timebant quam plurimi ne direptioni quoque daretur cum universali civium exterminio. Imprimis autem formidabat male uxor defuncti Domini Jacobi, cui tamquam viduæ ac peregrinæ, non tantum consilium solatiumque impendit Beata; sed etiam, quod aliis permissura non fuisset, indulsit ut una cum geminis filiabus intra monasterium reciperetur, juxta dulcis sui magistri mandatum, bonum pro malo rependens, & implens quod Psalmista dixit, Pupillum & viduam suscipiet; absque ullo injuriæ receptæ sensu easdem consolans re-

e ejusque viduam ac filias ad se recipit,

Psal. 145, 9

AUCT. COÆVA EX MS. ITAL. recreansq; ut melius poterat. Apparuit in hoc summa animi celsitudo, quam & in toto vitæ suæ decursu constanter exhibuit, cum incredibili pene patientia humilitateq; conjunctam, maxime circa finem dierū suorum insolitis agitata persecutionibus, in quibus ostendit semper quam nullam sui ipsius haberet rationem, sed solius Dei honorem in omnibus intueretur.

ANNOTATA.

a *Italice* Trovatelli *id est*, Inventitii.

b *Id est*, *victor*; à tonna, tinna, tinnela, *dolio*.

c *S. Antoninus p. 3 tit. 22 cap. 3, § 17 rem prolixe narrat. Summa hæc est; Iacobum Appianensem Petrus ut filium educaverat ab adolescentia, ascitumque in scribam habebat omnium arcanorum conscium; hic paulatim in Galeatii Mediolanensis partes, Florentinis quibus favebat Petrus contrarias, flexus, clientelis sese cœpit armisque munire, prætextu Landfrancorum adversariorum suorum, quos, quamvis amicos Petri, domi sua occidi fecit. Nec tamen adhuc mali quidquam suspicabatur Petrus, neque permisit pro se cives armari: ergo ingressus urbem imparatam Iacobus, occidi fecit proditorie Petrum juxta domum suam, duosq; filios ejus vulneratos & captos veneno extinxit, & pro parte Gibellina dominium urbis arripiens, sumpsit sibi nomen Capitanei & Defensoris Pisarum. Hæc pluribus ille, & quidem satis pathetice pro Petro, viro, ut ait, bono & modesti animi ac Florentinorum amico.*

B d *Idem Antoninus duos Iacobo filios assignat, qui pariter cum patre fuerint creati equites: quorum minimus natu Gerardus, mortuis anno* 1398 *fratre Ioanne ac patre Iacobo (ipso patre antequam moreretur Pisanos inducente ad eum eligendum) successit in regimen civitatis.*

e *Pergit Antoninus* § 30 Gerardo Appianensi non id animi erat, ut tantæ moli rerum sufficere crederetur, & timebant multi ne ad Florentinos declinaret. Ea occasione invitatus Mediolanensis ad Pisas capiendas animum convertit, & modo promittendo, modo pericula ostendendo effecit, ut, retento sibi Plombino & pecunia accepta, Gerardus Pisas Duci traderet. *Vterque Razzius, fingunt sibi hic nobilem inter Pisanos Lombardorum familiam, factionis contrariæ Appianensibus: nos Mediolanum Lombardiæ caput, & Mediolanenses Lombardos hic dici non dubitamus.*

CAPUT V.

Obitus, sepultura, virtutes, miracula.

CAP. XII. *Inter extremos morbos,* 37 Voluit tandem justus atque misericors Dominus mercedem fidelis obsequii famulæ suę reddere, post longos labores & corporales pœnas, post infirmitates item longosque morbos, quos illa suo in corpore pertulit. Itaq; ad perficiendam coronam patientiæ ejus, gravissimus catharrus in capite, C quod inde cum intolerabili pene frigore vehementer intumuit, accessit ad alia priora incommoda, puta dolores lateris, ipsi admodum frequentes; & sibi invicem contrarios morbos, quibus proinde remedium ferri nullum poterat. Erat interim tranquillo semper animo & fronte serena, ut ipsam videntibus & audientibus solatio esset magno, dicentibus videri *piis colloquiis intendit,* in ea S. Paulum loqui, utpote quæ de Deo rebusque divinis loquens, ostenderet se res usu & propria experientia cognitas sermocinando tractare. Ut vero pars media Quadragesimæ transiit, subito gravi febre correpta est; quæ ne letalis foret metuebant Sorores, eo quod ipsamet ante annos duos quibusdam earum secreto dixisset, non diu se cum ipsis fore; non tamen addens unde hoc sciret, quia in ejusmodi arcanis revelandis admodum parca verborum erat.

moidam in visu ostenditur, 38 Accidit interim ut Soror quædam videre sibi videretur ecclesiam parvulam, in eaque bene ornatum chorum Sanctimonialium: Et hæ, inquiebat, ex nostris sunt: nullam vero distincte cognovit, quia facies habebant nigro velo obtectas, à quibus tamen absistebant splendores radiantes, quos notabat ab aliis aliisque magis ac minus claros procedere. In harum porro medio videbat constitui pulcherrimam sedem, supra quam collocabatur & ab omnibus multum honorabatur formosissima mulier, & facie supra nivem candida; de qua hoc insuper dici audiebat: Hæc est nostra Priorissa. Ast illa sibi, Non est, inquit: nostra enim colore fusca, hæc candidissima est. Est tamen ipsa, respondit vox eadem. Cognovit igitur evigilans Soror, instare mortem Priorissæ, ipseque morbus signa de se dabat vitæ cito finendæ. D *facie candidissima,*

39 Post aliquot ingravescentis infirmitatis dies, cum videret Clara adesse tempus transitus sui, petiit Dominici Corporis communionem; qua bis intra quinque dies refecta fuit, cum maxima spiritus devotione. Postrema autem ejus Communio fuit ipso mane festivitatis Paschalis, quando eam accepit in Viaticum peregrinationis suæ; ac postmodum sacro inuncta Oleo, continuo pejus habere visa est. Demum in agoniam deducta, apertis in crucem brachiis sæpe dicebat, Jesu mi, ecce me in cruce positam: addebat & alia similis fervoris ac devotionis verba, quamvis intermortuis vocibus, nec sine magna difficultate prolatis. Ipsa quam præferebat spiritus efficacia & cordis lætitia ad lacrymas commovebat adstantes atque dolentes filias, quæ illam amabant tenerrime, & reverentissime honorabant. Tandem ad extremum vitæ adducta articulum vultu resplenduit, facieque ad cælum versa risit; ac suam præsentibus absentibusque filiabus benedictionem largiens, quiete atque tranquille animam reddidit Creatori, postridie Dominicæ Paschalis die, decimo septimo Aprilis, anni millesimi quadringentesimi decimi noni, cum vixisset in hoc mundo annis quinquaginta septem, triginta septem in monasterio. CAP. XIII. *suscepto pie Sacramento* *moritur feria 2 Paschæ:* E

40 Sacrum ejus corpus in terra nobis relictum est, admirabili ac suavissimo fragrans odore: qui odor etiam ex vestibus ejus omnibusque utensilibus ac vasis, quorum in ipsa vel circa ipsam usus aliquis fuerat, diffundebatur, durabatque per dies multos, etiam in ipsa ejus cella: quantoque plus circumcidebantur res istæ, tanto vehementior emanabat fragrantia; nominatim vero ex illius pannis ultra mensem, etiam postquam sæpe explicati & ad aerem expansi fuissent. Quo fiebat ut multæ ex Sororibus, non tantum ex devotione erga demortuam Matrem, verum etiam propter delectationem sensibilem, recurrerent identidem ad eosdem amplexandos & naribus applicandos; quamvis aliæ quædam aut nihil aut perperam odoris sentirent, quæ ex parte incredulæ, tamquam de re nec visa nec audita, loquebantur. Quod equidem non absque Dei providentis permissione atque mysterio factum puto: qui permisit ut etiam resurrectionis suæ tempore de ea dubitarent aliqui & credere recusarent, ceteris eamdem absque ambiguitate credentibus atque recipientibus. *corpus ejus ejusque vestimenta suavem spirant odorem,* F

41 Nunc vero, ut historiæ seriem pertexamus, decet exponere quid circa sepulturam sacri corporis acciderit. Nempe stantibus circa illud Sororibus & secundum Ordinis usum psallentibus, redibat semper sub finem cujusque Psalmi, Gloria Patri, pro, Requiem æternam: & quantumvis ipsæ se mutuo admonerent, & memores redderent clausulæ mortualis; quoties tamen ad finem psalmi veniebant, prius quam illius recordarentur, inchoatum erat, Gloria Patri. Tantum præterea se consolatas sentiebant singulæ, quasi non mortuam vidissent sed dormientem, adeo formosus apparebat in feretro vultus ejus, Quapropter non potuerunt persuaderi ut cubitum se nocte illa conferrent, sed in ecclesia pervigilarunt omnes, exceptis paucis senioribus & infirmis, quas oportuit præcepto adigere ad requiem in cellis suis capiendam. Tenebatur autem in feretro corpus vestitum, & chlamyde sui Ordinis indutum, cum multis circumcirca luminibus. *Psallentibus pro ea, loco Requiem occurrit Gloria,*

42 Cæ-

A *corpus vivent simillimum,* 42 Cœpere postea Sanctimoniales eædem ipsi corpori aliquid rerum suarum imponere vel admovere, aliæ quidem scapulare, cingulum aliæ aut velum suum, vel aliquid istiusmodi. Erat præterea idem corpus omnibus membris molle atque flexibile, non ut mortuæ sed dormientis; quodque majorem cunctis stuporem adducebat, instar eboris candidum, licet alias fusco fuisset colore. Imo tempore notabili ex ore ejus sanguis vivus rubeusque manavit, usque dum sepeliretur: quando etiam candor iste adventitius ex parte cessavit, & in vultum color rediit naturalis. Eâdem vespera intra claustrum admissi sunt è familia exteriori viri duo, fossam corpori sepeliendo facturi. Qui cum assueti non essent id facere, non excavarunt illam loco consueto, sed in ecclesia ad pedem altaris, ubi tunc expositum feretrum stabat: permissi autem sunt opus prosequi, cum intentione ibidem successu temporis sepulcrum fabricandi.

sepultura aptatur; 43 Dum autem fossa prædicta fieret, pleræq; monialium à virorum conspectu subduxerũt se, pauculis senioribus apud corpus remanentibus; quod etiam ex communi consensu, vestibus suis multa cum reverentia & honestate exutum, aliis involverunt pannis. Capillos quoque, quamvis brevissimos, resecuerunt: & hæc omnia diligenter custodienda seposuerunt: ex quibus deinde parum quid primum singulis intra B monasterium, deinde civibus quoq; accolisq; è longinquo etiam, memoriæ & venerationis causa petentibus aliquid sibi dari, distributum est. Neq; id solum factum est ejus pannis, sed etiam precatoriis granis quæ sacrum corpus attigerant, ut vel sic fieret satis quampluribus, magno numero petentibus tale aliquod suæ devotionis incitamentum.

CAP. XIV. *& populi conspectui expositum,* 44 Die Martis mane ingens populi omnis ætatis sexus & conditionis multitudo accurrit ad S. Dominici, & ecclesiæ Cathedralis Capitulum voluit exequiis interesse: deinde petiit permitti sibi corpus extra claustrum sepeliendum: quod cum Sorores omnino negarent, rogarunt ut ipsum saltem videre possēt. Tum habito inter se consilio aperuerunt Sorores fenestellam, quæ supra altare est, perquam elevatum in Missa Sacramentum spectari ab illis & adorari consuevit, atque ex adverso collocaverunt feretrum; reductoq; ab ipsa fenestra velo exierunt ab ecclesia, paucis senioribus in ea sic relictis, ut tamen spectari non possent. Itaque per longum temporis spatium plena cunctis advenientibus facultas fuit spectandi mortuam, illi autem fuere plures quam quinq; millia. Vespere autem facto, decreverunt prosequi sepulturam: cumq; continuo alii aliiq, affluerent spectandi gratia ex territorii Pisani villis, dicebant: Videamus Sanctam istam, quæsumus, priusquam sepeliatur. Postea autem venerunt ad monasterium, qui dicerent supra quindecim millia venientium fuisse: & nisi à spectato corpore revertentes dixissent sibi occurrentibus, eam esse sepultam, longe major fuisset numerus. Multi autem ex spectatoribus illis, puro corde se ipsius intercessioni commendantes, varias gratias recepere. Neq; mirandum quod Deus sic voluerit honorari famulam suam, in qua sic abundavit illius gratia, & dum advixit vacua numquam fuit; quemadmodum Apostolus docet electis Domini usu venire.

tandem humatur fer. 3. C

CAP. XV. *animi sinceritas,* 45 Fuit B. Clara magnæ in loquendo sinceritatis & puritatis, adeo ut putem numquam ei verbum ullũ duplicis sensus excidisse: habebat nihilominus ingenium subtile atque perspicax, ut facile cognosceret num ea quæ sibi dicebantur ex invidia aut caritate aliove malo aut bono affectu procederet. In tentationibus expertissima & compatiens (quippe quæ etiam *discretio spirituum,* ipsa fuerat tentata in multis) sæpius ex solo vultu tentatas cognoscebat, absq; eo quod illis loquebatur; & interrogata quibus indiciis niteretur; fatebatur, ad talium occursum terrefieri se interius, nec raro ante ipsas videre nigrã quamdam umbram. Sæpe etiam ipsas tentationes, quæ & quales essent, Sororibus manifestabat: quæ cum intra arcanas cogitationes consisterent, apparet docente Spiritu ipsas cognoscere debuisse. Verumtamen de ejusmodi rebus parcissime loquebatur, neq; facile erat tale quidpiam ex ore ejus elicere, nisi forte præsens necessitas aut grandis proximi consolatio exprimeret quidpiam. AUCT. COÆVA EX MS. ITAL.

CAP. XVI. *orationis donum,* 46 Excellebat orationis & lacrymarum dono, omnesque actiones suæ, seu parvæ seu magnæ, precationis condimento terminabantur, unde & fuerant inchoatæ: similiter auxilii vel consilii causa venientibus ad se dicere solebat, Ora, & ego pro te orari faciam. Nullam unquam admisisset ad monasterium pro qua non fuisset sæpius facta oratio. Numquam Capitulum instituebat, quin longa oratione ad illud se parasset: & facile erat ex ejus sermone cognoscere, quam vicina semper esset ardenti amoris divini fornaci, unde & verba ejus erant ferventis caritatis plena, adeo ut rarissimè accideret quemquam non mutatum interius ab ea recedere. Prolixior forem, si ad explicandam ejus humilitatem, mansuetudinem, caritatem procedere vellem. Mirum est quanta cum dulcedine confortaret eos quibus officiũ aliquid vel onus imponebat, quanta cũ teneritudine affectus reprehenderet delinquentes, aut pro meritis pœnitentia imposita castigaret. Sed hæc pauca sufficiẽt in principio, quæ poterit alius aliquis diffusius extendere si luerit, multaque de ejus virtutibus adjungere, stylo meo prætérita, ne forte evaderet longior quam par sit, hæc præsens narratio. Deo gratias. Amen. a *comitas erga afflictos,* E a

CAP. XVII. *Quidam vir ingenti mærore liberatur,* 47 Ipso sepulturæ die accessit illuc, ab amicis monasterio familiaribus ductus, homo quidam nomine Mag. Joannes b Picchia-pietre, propter filii sui mortem adeo mœstus afflictusque, ut abundantibus præter modum lacrymis gemitibusque parum videretur abesse à desperatione. Qui devote ad sanctum corpus orans, & intolerabilis quo cor suum opprimebatur doloris levamen aliquod per merita ipsius Beatæ postulans, tantam subito interius sensit mutationem, ut sibi omnino alius ab eo qui fuerat videretur: ex eoque tempore factus monasterio amicus singularis, & dolens quod viventis Sanctæ amicitia non fuisset dignus, eidem cum multa devotione sæpe impendebat laborem suum, & moriens in signum gratitudinis magnam facultatum suarũ partẽ ipsi legavit. b c

CAP. XVIII. *& à terrifico spectro mulier.* 48 Mulier quædam, Donna Nanna c nuncupata, uxor Antonii de Aretio, filiam in monasterio habẽs, mihi dixit, quod quandoque vehementer perterrita spectaculo rei ad supplicium ducti, tantum horrorẽ servaverit animo suo impressum, ut quocumque se domi suæ verteret, præsentem semper intueri miserum videretur, cum magna angustia animi & cordis palpitatione insolita. Quodam autem die cameram suam ingressa, cum rursum funestum spectrum suæ obversaretur imaginationi, & majori quã alias horrore eam percelleret, exclamavit: O B. Clara, adjuva me. Vix verba finierat, quin per cameræ medium pertransire vidit Sanctimonialem, magno circumfusam splendore: ex eaque visione confortata consolataque remansit, durante per dies plures lætitia; & prioris horroris causa numquam sibi deinceps renovata est. d F d

ANNOTATA.

a *Hic quidem finitur Vita: miracula tamen duo sequentia ab eadem manu esse adjuncta probabile nobis facit syllabus capitum: forte etiam voluit auctor plura ex ordine consequenter describere.*

b *Gallicus Seraphini interpres vertit* Maistre Jean Masson: *quasi non cognomine proprio, sed appellativo opificii Ioannes hic dictus fuisset,* Picchia-pietre: *quod tamen*

EX MS. ITALICO. men non cæmentarium fabrum, *sed* latomum *significaret, si vocis etymon potius quam usum velimus considerare.*

c *Razzii legunt* Nannina d'Antonio da Reggio, *quasi Regiensis non Aretiensis fuisset Antonius: placet nostri Ms. lectio* d'Arezzo *quia hoc in Hetruria vicinum, istud in ultima Calabria remotissimum. Seraphini interpres* Antoniettam Nanninam *appellat mulierem: quod nescio unde acceperit.*

d *Sequentem Appendicem, diu post ab una Sanctimonialium scriptam esse, fiet clarum legenti: ideoque ipsam & cetera omnia ab antiquioris vita contextu separavimus.*

APPENDIX

Elevatio corporis: lingua incorrupta.

CAP. XIX. *Post annos 13 refosso corpore*

49 CUm sacrum corpus hujus gloriosæ Sanctæ, prout dictum superius, annis tredecim sepultū jacuisset subtus gradus altaris ecclesiæ nostræ; & Matres, quæ tunc in monasterio aderant, vellent ejus ossa habere reverentius; devote ac religiose aperuerunt sepulcrum; unde continuo mira processit suaveolentia. Et vestes quidem una cum carne prorsus consumptæ in cineresque redactæ apparebant, ossa vero integra solidissimaque; in capite autem inveniebatur lingua tam integra & sana quam ipso quo mortem oppetierat die. Magnam ea res admirationem, magnum devotionis excitamentum attulit, & Matres illas ad lacrymas movit; considerantes quod Deus, cum summo ipsius Sanctæ honore, tanto post mortem tempore linguam illam conservasset, quæ tantorum bonorum in vita causa & instrumentum, tot afflictos solata fuerat, tot delinquentes correxerat, tot ignorantes instruxerat, tot litigantes pacaverat, tot peccatores ad Deum converterat, eumque pro necessitatem patientibus toties oraverat, toties in operibus suis laudaverat, seipsam confitens humilem ejus vilemque creaturam. Accipientes ergo Matres præfatæ multa cum reverentia benedictam illam linguam, imposuerunt eam vasi aqua pleno, ex qua omnes sanctimoniales biberunt, vultus manusque eadem tingentes. Una autem inter ceteras cooperta leprâ, nullis medicinis per annos multos curabili, subito ut ista aqua se abluit, omnem pariter abluit infectionem. Sorori nomen Matthea erat, cognomen leprosa; ita nota passim omnibus infirmitas ejus fuit.

B *lingua integra reperitur,*

cujus lotura mundatur leprosa.

50 Alia plura miracula hac occasione facta sunt, quæ registrata non sunt, sanctimonialibus nimia devotione & gaudioso fletu impeditis huic rei attendere, neque curantibus eadem ad notitiam externorum deducenda colligere; & eo, quod habebāt præ manibus sentiebantque, plus satis occupatis. Postea vero reverenda ossa, sublata de terra, collocata sunt in capsula cypressina, ac supra altare majus infra imaginem S. P. N. Dominici collocata: ex quibus unum sæpe cum magna devotione accipitur intingiturque aquæ, magna quantitate benedicendæ & distribuendæ personis devotis, frequentissime pro eadem ad monasterium venientibus, & opportunum suarum infirmitatum remedium in ipsa se habere profitentibus: adeo ut etiam his nostris temporibus plurima audiantur videanturque mirabilia istius aquæ usu patrata, non tantum foris sed etiam in ipso monasterio nostro: vidimus enim aliquas Sorores nostras, graviter ægras, epota ejusmodi aqua, subito sanatas. Fuit autem inter ceteras una, cujus fauces sic angina constrinxerat, ut jam nihil posset deglutire amplius, nec nisi per quam difficulter loqui; hæc prædictam aquam deglutivit facillime, & mox sana egit Deo libera voce gratias. Alia tonsillarum morbo laborans nec remedium inveniens, seque prædicta aqua lavans, non modo morbi vim repressit, sed etiam sustulit omnem inflationem deformitatemque sub gula apparentem.

C *& plura deinceps miracula fiunt:*

D

51 Beata illa lingua collocata fuit in vase crystallino, quod etiam loco prænotato asservatur, estque etiam nunc sana, & salva, sed aliquantulum sicca, & pro insigni Reliquia honoratur, ad gloriam Dei & sanctæ Matris nostræ B. Claræ, claræ nomine & factis, claræ miraculis in vita & post mortem: de quibus sit semper benedictus ab omnibus ille, qui ipsam in mundum venire fecit, & nobis tam insigne donum est largitus, quam gloriari possimus habere matrem, protectricem, advocatam apud Deum; Defensionem, tutelam, arcemque munitissimam contra diabolum; exemplum sincerum vitæ sanctæ, speculum abstinentiæ & patientiæ, lumen & splendorem religionis, magistram humilitatis, scholam virtutum, magisterium omnis perfectionis, confortationem in quavis afflictione, consolationem & refugium in tribulatione; ac denique, quo vota nostra extremum tendunt, scalam atque funem, quibus scandamus trahamurque in cælum, ubi ipsa nos exspectat, cum ipsa intraturas lætaturasque in regno Sanctorum ac Beatorum, in secula seculorum. Amen.

ipsa in vase crystallino religiose servatur,

APPENDIX II.

E

Crucifixus miraculosus viventi allatus; motus ossium in capsa index mortis alicui Sororum imminentis.

52 NOn erit extra propositum in hisce residuis foliis describere singularem favorem, quem B. Claræ facere dignatus est Dominus Jesus Christus, transmittendo ei figuram suæ humanitatis expressivam, & commemorativam amarissimæ suæ passionis, mortisque obitæ in ligno crucis: quemadmodum & scriptum reperitur in quibusdam nostris antiquis chronicis, & Matres nostræ seniores à pluribus fide dignissimis audivisse se meminerunt. Magis autem impellimur ad calcem Vitæ adnotare gratiam nostro monasterio in hoc factam, non solum ad notitiam & memoriam posterorum, sed etiam ut cum tali memoria servetur ipsa quoque devotio, erga rem tam venerandam, ad gloriam Dei & Sanctæ ejus, cujus meritis illa impetrata est nobis, hodieque perseverat. Prius tamen referendum aliud, quod est tale.

F

55 Narrabat sæpe beata nostra Mater cum viveret (secundum fidelem Matrum nostrarum relationem) quod instantissime petierit à Domino, ut nulla earum, quæ ad Deo serviendum hoc monasterium ingrederentur, æternam incurreret damnationem: quod eam obtinuisse usque ad præsentem diem credibile est. Etenim ante uniuscujusque Religiosæ mortem, per unius alteriusve ut summum mensis spatium, audiuntur ossa B. Claræ, non quidem à Sanctimonialibus promiscue omnibus, sed à quibusdam ad hoc à Deo electis; audiuntur, inquam, ossa, super altari in capsula reservata, seipsa commovere, quasi exultantia in felici transitu ejus quæ proxime moritura est. Durat autem motus & sonus ille intra capsam per spatium brevioris Psalmi, adeo clarus distinctusque, ut nemo, nisi prorsus ignorans rerum domesticarum, dubitare possit quid eo signo indicetur. Contigit igitur Reverendam Matrem Sororem Archangelam a Gambacurtam, cum aliis aliquot Sororibus junioribus ac senioribus orationi insistentem eo loci, coeuntium inter se ossium audire strepitum; nec ad id quod subinde ab antegressis per traditionem majorum narrari audiverat applicantem sese, interrogare quid rei hoc esset. Responsum autem eidem est: Ossa hæc sanctissimæ

Oravit Clara neque ex suo monasterio damnentur;

& voti compos facta videtur:

a

A ctissimæ Matris nostræ sunt, quæ sese commovent exultantque, in signum quod intra unum alterumve mensem moritura sit aliqua ex nostris Sororibus internis. Ipsa vero, cum diem & horam hujus motus diligentissime observasset, inventa est prædicta ostensio, præcucurrisse mensibus duobus non integris mortem devotissimam Sororis Vincentiæ Malaspinæ, tum adhuc sanæ vegetæque.

b *Eadem divinitus monita ire ad portam ecclesiæ,*

54 Nunc porro convenit alium eximium commemorare favorem sacræ imaginis Crucifixi, qui etiamnunc in monasterio servatur. Primis annis quibus B. Clara officium gerebat Priorissæ, id est, circa annum Domini MCCCXCVIII, cum illa post Matutinum perseveraret orans in choro circa altare majus, audivit vocem clare distincteque dicentem sibi: Surge, eia, & vade ad portam monasterii, ubi Sponsus tuus te expectat, ut intret huc & maneat tecum, cumque Sororibus tuis præsentibus & futuris. Hac voce obstupefacta atque attonita, quia neminem intra ecclesiam videbat, prosequebatur orationem suam; quando iisdem rursus verbis ad suas aures allapsis, cognovit voces Angelicas esse; apertis igitur fenestris, ut videret num illuxisset, accepit claves monasterii, & duabus Sororibus comitata, juxta optimam hujus loci consuetudinem, aperuit ecclesiam. Et ecce reperit eo jam appulsum Magnificum Dominum Galeatium de Senis, in comitatu multorum civium Pisanorum & nonnullorum è Canonicis majoris ecclesiæ. Habebant autem parvũ sed reverendæ effigiei Crucifixum, qui aspicientibus omnibus viscera commoveret ad compatiendum doloribus mansuetissimi Christi, cuius illic effigies tenebatur: quemadmodum de facto apparebat in iis qui ante ipsum genua humi inclinata tenebant, cum singularis silentii observantia.

B *invenit ibi Galeatium Senensem cum magno comitatu.*

qui inventam à se Crucifixi imaginem,

55 Videns ergo ante portam sui monasterii Clara spectaculum tam venerandum, postquam illud humo prostrata adorasset, his verbis à Magnifico Domino Galeatio præventa ipsa est: Venerabiles Matres, scitote quod cum Senis agerem propter aliqua negotia mea, contigerit me transire per ecclesiam, propter præterita bella semirutam: juxta quam cum equum agerem, famulis aliquod meis pone gradientibus, eique me reverenter inclinarem; vidi eminus hunc Crucifixum, collocatum intra cavum obmuratæ fenestellæ, mihique clarissima voce dicentem: Portate me ad monasterium S. Dominici Pisis, noviter ædificatum, ubi magna cum devotione servabor. Ego vero his auditis, formidine quidem trepidus, sed tamen devotione fidentior, pro honore Domini mei, descendi una cum sociis ex equo; sanctum Crucifixum accepi, & iter retro legens, tamquam propter negotium aliquod urgentissimum, una cum fœderatis mihi amicis veni ad te tuumque monasterium, & nunc ipsam iconem in manus tuas consigno, tantummodo rogans ut coram ea pro me velitis orare. Accipe igitur, reverenda Mater, tam pretiosum donum, quod ipse donorum bonorum largitor hodie tribuit: & hoc dicens porrigebat Crucifixum multis cum lacrymis, in terram prostrata tenens genua.

ut jussus erat,

C

Clara tradit;

56 Ipsa vero, cui pariter copiosæ fluebant lacrymæ præ dulcedine teneritudinis interioris, haud satis idoneam se solam æstimans quæ reciperet munus, quod Sororibus omnibus præsentibus atque futuris fieri intelligebat; tacito nutu admonuit socias, totum ut conventum pulsatis campanis convocarent, & omnes cum luminibus accensis adesse facerent. Quæ dum ordinantur, ipsa aptissima oratione ad præsentes usa, eique devotas ad Deum preces intermiscens, primum gratias egit D. Galeatio de tam prompta adimpletione divini mandati, deinde Dominis Canonicis aliisq; Senensibus ac Pisanis civibus de honorabili ac fideli comitatu, quam Domino suo in terris exhibuerant. Interim adfuit monacharum chorus, & Clara imaginem sanctam excipiens manibus, eamdem extulit versus præsentes; quos genua flectentes, tundentes pectora, suspiriis personantes, cum benedixisset, ipsa imagine eos signans ex porta; convertit se ad Sanctimoniales suas. Quibus hymnum, O crux ave spes unica, aliaque de Passione Domini idonea cantica concinentibus, occlusa post eas porta monasterii est; & post longam per cœnobii ambitus processionem, cui pedibus nudis omnes intervenere, hymnos & cantica lacrymis & suspiriis interpolantes, supra altare majus locatus Crucifixus est, & velis aliquot coopertus, ubi in hodiernum usque diem cum multa servatur reverentia. EX MS. ITALICO.

Crucifixus in ara majori collocatus,

multis ibi miraculis claret.

57 Dicuntur varia deinceps miracula facta in eorum gratiam, qui ad venerationem adorationemque hujus Crucifixi in suis necessitatibus devote recurrerunt; quod faciunt non solum Pisani cives, sed etiam frequentes exteri, quibus ipsa imago videnda exhibetur per craticulam ex adverso altaris positam; per quam etiam conspici potest ingens multitudo votivorum donorum seu anathematum, in signum receptarum gratiarum. Pro quibus omnibus reddendæ sunt gratiæ infinitæ bonitati Domini nostri, qua dignatus est nostrum monasterium honorare, non solum insigni B. Claræ claritate, & conservatione miraculosa linguæ ejus, venerandaque ossium sanctorum præsentia, sed etiam sacratissima imagine sua; ut hac ratione ditatæ & nobilitatæ Sorores, sequantur vestigia suæ Matris; ejusque magisterio institutæ inveniant, tamquam filiæ genuinæ, conformitatem cum Christo, cum eodem in cruce patiendo; atque ita cum eadem sua Matre etiam pertingant ad gaudia regni cælestis, Deo igitur & Jesu Christo sit gloria infinita & benedictio in secula seculorum. Amen. E

ANNOTATA.

a *Plures hujus familiæ ac nominis monasterio præfuerunt: nam in Appellatione facta anno* 1582, *qua Vitam hujus Beatæ apud Seraphinum præcedit, invenitur subscripsisse* Suppriorissa soror Clara Gambacorta, *deinde ex Ordine aliæ* 56, *inter quas signat decima tertia* Soror Archangela Gambacorta, *& immediate ante hanc* Soror Jakelina Malaspina. *Unde judices de ætate hujus Appendicis.*

b *De lingua asserit Cessinus ipsam quoque subinde similiter commoveri; omnesque moniales, talibus prodigiis ab una alterâve earum observatis commonitas, sese tamquam illico morituras præparare ad exitum precibus oblationibusque.* F

APPENDIX III.

Ex Seraphino Razzio de Sanctis & Beatis Ordinis Prædicatorum.

58 Venio ad visiones, quibus gloriam ejus manifestare dignatus est Deus. Soror quædam admodum religiosa, nocte beatum Claræ obitum prægrediente, vidit in somnis magnam multitudinem illustrium personarum; inter se colloquentium de comitatu præstando sponsæ magni Imperatoris. Videbat autem viam; qua transeundum erat, pulcherrime ornatam ac tapetibus vestitam. Cum ecce adduci per eamdem videt, sponsam juvenculam, ætatis annorum quindecim, instar solis formosam, cujus pulchritudinem mirabantur.

Post obitum videtur instar sponsæ deduci.

 Dein-

EX MS.

Deinde cognovit hac similitudine repræsentari animam B. Claræ propter insignem ejus candorem & puritatem.

cuidam sorori dubium solvere, 59 Alia quædam Religiosa à B. Clara adhuc vivente petierat, ut quando in cælis foret, dissolveret ei dubium aliquod, non exprimendo quale ipsum esset. Igitur post mortem ipsi apparens, dixit, animam suam à corpore separatam nulli omnino pœnæ fuisse obnoxiam, sed à sanctis Angelis susceptam deductamque ante thronum sanctissimæ Trinitatis: quam dum adoraret, cognoverit statim illius dubium; cujus consequenter solutionem eidem aperuit disparuitque; plenam gaudii & solatii devotam filiam relinquens.

monasterium summo pio sacerdoti ostendere, 60 Sacerdos quidam grandævus, solitus ex devotione particulari Missas in monasterio celebrare, dum B. Clara in vivis superesset, nocte quadam post Officium matutinum recitatum in oratione persistens, obdormivit, viditque B. Claram in medio duorum formosissimorum Angelorum, magna gloria circumdatam: quæ ipsum videbatur ducere in monasterium, illudque ei ostendere: nullam tamen Religiosam vidit, præter unam admodum senem, quæ ipsis videbatur portam aperuisse. Toto autem visionis tempore tenebat B. Clara pulchram atque
B
purpuream crucem manu, & in capite gestabat coronam valde splendidam, pretiosis lapidibus margaritisque distinctam.

cuidam religiosæ colloqui, 61 Alia Religiosa, in sua cella orans, noctis tempore oculis vigilantibus, vidit B. Claram ingenti splendore circumfusam, qua apparitione conterrita primum, tum ipsius ancillæ Dei voce recreata, sumpsit animos, atque de pluribus eam rebus interrogavit, magno cum solatio suo, eo quod se dignatam videret salutari ejus alloquio: quæ etiam post multa utilia monita dixit ipsi, quod gloriam cælestem possideret. Tandemque Beata, præfatæ Religiosæ benedicens, disparuit, & gaudio spirituali cumulatam discipulam dereliquit.

& piæ matronæ Genuensi, 62 Genuæ morabatur mulier, vitæ spirituali addicta, quæ pridem desideraverat B. Claram videre: cum igitur post ejus mortem sacro Missæ Officio in ecclesia interest, & sub elevationem venerabilis Sacramenti genu flexa, amanter quereretur quod suo desiderio frustrata fuisset, vidit ante se stantem monacham, in cujus manu crux rubea tanti splendoris, ut pyropus clarissimus videretur. Tunc ad ipsam accedens fidenterque alloquens de multis rebus cum ea prolixe est collocuta, & benedictione accepta, in-
C
terna suavitate refecta mansit: exindeque tantopere erga B. Claram ejusque monasterium affecta fuit, ut filiæ cuidam suæ persuaserit ipsum ingredi: quam Pisas deducens, quæ sibi acciderant, narravit Religiosis, Deum in Sanctis gloriosum laudantibus.

ac Venetiis ægrotanti sanitatem reddere. 63 Plurima ejus narrantur miracula Notarii publici manu scripta & signata, quæ brevitatis causa præteriens, unum excerpo. In conventu Corporis Christi Venetiis monialis erat adolescentula, quæ graviter infirma mortique proxima, adeo ut jam usum vocis amisisset, per quamdam sociam commendata fuit B. Claræ, quæ paucos ante dies obiverat: quo facto melius mox habere & loqui cœpit, & quæ moveri de lecto non potuerat, ultro surrexit bene sana, Deum ac B. Claram Pisanam glorificans.

APPENDIX IV.

De Philippa prima monasterii Priorissa ex membranaceo Chronicæ antiquæ fragmento eruta à Franc. Maria Ceffino, Equite.

63 SOror Philippa filia quondam fuit D. Albici de Vico, judicis egregii, & in nostra civitate præcipui. Consimiliter habuit unum filium, D
insignem virum & doctorem in legibus, miro modo famosum, & consilio naturali circa rempublicam atque circa reliquos cives: qui & in scientia & doctrina nonnullo quidem tempore legit Jura, & erudivit adolescentes plurimos nostræ civitatis: & quidem de illo taceo, & de aliis germanis atque de prole ipsa, ad alia tendens, & intendens dicere de ipsa sorore Philippa. *Magnorum Legistarum filia & mater,* Hæc nupta duobus majoribus civibus civitatis nostræ Pisanæ, primo uni militi de Gualandis; qui erat caput illa vice ejus nobilis familiæ: quo de hac vita vocato data est in consortem D. Raynerio Tempanello, qui excessit in hac urbe Pisana, tam in facundia mirabili quam in scientia incredibili, quam etiam conscientiæ puritate: quod raro suis similibus evenire suevit. *duobus maritis viduata,*

64 Hoc etiam subtracto de medio, cœpit desiderium suum ipsa præfata Domina amplius zelo animæ suæ succendere; ita ut, nescienti germano & aliis de domo sua, (quæ erat de primis & majoribus, regentibus & gubernantibus civitatem) non curans nec de deliciis mundi hujus, nec de pompa illius, aggrediens [corde] mundo viam Dei, monasterio Dominarum sanctæ Crucis de Fosse-Bandi, (de quo dictum est supra) summa securitate se clausit; ibique divitiis [spiritualibus] plena, ipsas, *recipit se ad cœnobium S. Crucis.* præ timore gloriæ inanis & vanæ, humilitate E
semper profundissima custodivit; misericordia & caritate præpollens, ut nulla in illo Cœnobio infirma ejus servitio fuerit derelicta. In parvo tempore legere, scribere, & notare didicit plene, sic ut pro miraculo putaretur; officio divino indesinenter intenta, semper in choro orationibus indeficiens, suspiriis & lachrymis inundantibus in copia. *inde translata in novum,* Sed ut breviloquus existam, dimitto quædam quæ dictu essent digna & perpetuo memoranda. Venio nunc ad temporis plenitudinem, quia Deus providit, quod istud *a* monasteriū fundaturæ *b* sex illa vice sorores, de auctoritate Ordinis & ordinatione summi Pontificis Urbani Papæ VI, meditatio sibi *c* sanctissima fuit divinitus inspirata. Sed & mihi *d* pariter cogitanti, quo titulo hujusmodi monasterium vocaretur, ambo pariter à Deo confirmati elegimus, ut titulo Beatissimi Patris Dominici, nostri Ordinis Fundatoris, nominaretur & ecclesia fundaretur; quod prædictus nobilis illustris Miles *e* stupenda cordis lætitia incredibili gaudio acceptans (sit Deus auxilio) fundavit & fecit, cum in civitate Pisana non esset ecclesia sub ejus nomine titulata. *& Priorissa electa,* Quo facto, F
providentia divina veniunt [ad electionem,] & ipsa [quæ prius fuerat] facta Vicaria, fuit electa in Priorissam & Matrem monasterii & Sororum, & celeriter confirmata à Papa super eas.

65 De constitutionibus Patrum, de ingressu Fratrum de silentio stricto, de vita communi, de negata valde penitus visione tacendo; [ante] omnia decrevi [dicere] qualiter rexerit monasterium. *sanctissimè, ut vixerat moritur.* A puellis dilectissima, ad medioeres discrete austera, ad seniores, quæ de seculo jam provectæ ætatis ad Ordinem confugerunt, reverens & compatiens fuit totius visceribus caritatis. De Deo & in Deo confisa [tam] in spiritualium quam temporalium necessitatibus spem in alium non habere [se dicebat]. Si audivisses verba [& sermones ejus, spiritum] divinum comperisses: & si de Deo locutus fuisses, audivisses altiores mugitus, intimo cordis contentos, in cælestia desideria promoventes. Paupertatem super omnia diligens, Christum pauperem, & hominem sanctum & devotum, indefesso calle sequi totis nisibus conabatur, usque quo MCCCXCV in Festo sancti Gregorii *f* de hac terra ad divina fuisset assumpta.

Die

A Die autem octava à suo decessu felici, una de sororibus, quæ cum ipsa fuit de sancta Cruce translata, nomine Maria, *g* qui nitidius Deo semper in omnibus complacere studebat, ætatis provectæ tam seculo quam in ordine, quamque piissimus Deus pluries quibusdam revelationibus consolatus est, ut ab onere carnis abstracta quædam videret forte incredibilia, nisi quia Deo non est impossibile quidquam; dum hora tertia noctis in sua cella orationibus pernoctaret, plorans de tantæ matris amissione (utpote quæ quasi oves remanserant sine pastore) & meditans illius virtuosam vitam & innocentissimam conversationem; in illa meditatione lacrymosa erexit cordiales preces ad Deum, ipsam *b* scilicet obnixe rogando, ut à Christo gratiam impetraret sibi, ut inciperet sequi sua sancta vestigia. Et similiter, ut de se ipsa narravit *i*, gaudio & dolore tangebatur: Dolor inerat inquit super ea, quia ab eis fueram separata, quemadmodum schola discipulorum Christi de ejus recessu dolebat; cum hoc etiam lætabar de gaudio sibi parato, & ut certe putabam jam ei dato. Et dum maxima fiducia super adepta ejus gloria fixius cogitaret, filiasque suas omnes illi ardentius commendaret, ut

g Sorori de monasterii orbitate solicita,

& illius in solis gloriam meditanti,

B pro illis preces emitteret ante Deum, iterum augebatur meditatio sua in hoc, scilicet quatenus anima in illa æterna & summa luce transformatur, & fit felicissime deiformis. In hoc meditationis augumento sic dicebat. O Priorissa mea, & vos estis transmutata in solem illum justitiæ, ut in nobis ipsa solum Deum, & nihil aliud, videaris. Cogitare esse de creatione hominis, & de nobilitate rationalis animæ, quod & Deus voluit nos similes sibi creare, & ipse etiam voluit fieri similis nobis, ut homo fieret pro nostra salute.

atque in extasim rapta,

68 Tunc super hac parte accidit sibi cordis commixtio quædam, sic quod omnia ejus viscera interius miscebantur, velut caldaria dum ferventissime bullit ad ignem. *k* Incepit [inquit] sudare, iterum intentius, deinde gelare; in memet defeci, ut spiritus corporis mihi non inesset, & in tali statu cum esset, repentinus splendor sibi fuit ostensus, sole isto lucidior: & in illo splendore [dixit] ostensam fuisse sibi Prioram cum sororibus tribus, tali videlicet modo. Vestimentum erat ei prout moniales deferunt, & nigrum velamen, nec fuit sibi, ut referebat, possibile cognoscere de vestimento, an esset laneum, vel de

C materia alia, quia splendor oculos, & adspectum præ excellentia lucis impediebat, & præpediebat acumen; tantum potuit de illo comprehendere, quod indumentum omnem albedinem excedebat. Tunica sive stola descendebat ultra plantas duo brachia fere, lapis vero smaragdinus in suo pectore rutilabat, super caput vero ipsius posita erat corona, & à duobus Angelis hinc illinc lucentibus tenebatur, unum caput ab uno, aliud ab alio, quasi essent partiti eamdem ponere super caput: erant ad mensuram unius brachii eminentes, Vultus autem quasi Seraphim apparuit.

apparet magno in splendore,

inter duos Angelos,

68 Et cum ipsa apparuerunt duo viri in habitu religionis fratrum Prædicatorum [cum uno Episcopo. Primus erat B. Dominicus] *l* sub cujus cura vivimus & disciplina; alius cum ipso, erat eximius Doctor S. Thomas Ordinis præfati; tertius autem cum illis erat habitu Pontificali vestitus, [quem] diligenter intuens clare cognovit ipsum fuisse B. Augustinum, cujus Regulam profitemur. Habebat autem B. Dominicus in manu sua apertum librum, in quo erant hæc verba scripta, quæ legit, scilicet, Caritatem habete, humilitatem servate paupertatem voluntariam possidete: quasi significaret aperte, hæc omnia ab ipsa fuisse servata. Erat insuper B. Dominico stella fulgida nimis in fronte, sic quod sol iste, quem modo videmus, ejus comparatione videbatur obscurus; quare Pater Dominicus ipsam Priorissam sic alloqui cœpit: Sponsa Christi Jesu, filia vero mea. Et hoc dicto vertit versus eam, quæ ista videbat, faciem suam; & dixit: Facias, quod Frater Dominicus de Peccioli, cui à majoribus vestris fuit cura commissa, faciat de hac re memoriam per scripturam, & de hujus [gloriæ] visione. Sanctus autem Thomas de Aquino prædictus, librum in manu sua tenebat, in quo scriptum erat, Cantica *m* Canticorum. Cum Priorâ nempe erant tres Sorores vestitæ habitu monachali, non tamen ut ejus erat tam pretiosum illarum indumentum atque solenne, nec in tam sublimi gradu erant prout ipsa levatæ; eo quod Priorissa, quantum unius cannæ mensura in aëre collocata, & illæ tres in inferiori erant loco, de quibus non fuit esse nec nomen revelatum In hac autem visione spatium quinque horarum meo visu duravit & quando ad se fuit reversa, invenit me cum vultu super terram; sic me [enim] posueram, ut orarem. Hæc autem illa mihi fideliter scripsit, & verbo significavit: quare in hanc scripturam redegi ad laudem Altissimi Dei; & ut sit [perfectis] in profectum, cæteris in exemplum vitæ perfectæ. E

cum S. Augustino, S. Dominico,

EX MS.

S. Thoma Aquinate m n

& tribus sororibus.

ANNOTATA.

a *Novum scilicet intra urbem, cujus chronica hic texebatur.*

b *In Vita B. Claræ num. 21 septem dicuntur vixisse in communi: sed soror Maria omnium directrix hi non nu- eratur, quia vel non consensit in principio vel non potuit monasterium sanctæ Crucis dimittere, ideoque Vicariam sibi aliam debuerunt eligere.*

c *Sensus solœcismo non uno turbatus & ex parte mutilus videbatur hoc modo restituendus atque supplendus:* Deus providit quod sex simul sorores monasterium istud fundaturæ, de auctoritate &c. [Vicariam sibi eligerent sororem Philippam: cui sanctissima cogitatio fuit inspirata, quod S. Dominicus novi monasterii patronus esset.]

d *Merito suspicatur Cessinus, hunc qui loquitur, adeoque chronica, unde ista sunt accepta, auctorem, fuisse ipsummet Fr. Dominicum de Pecciolis, quamvis infra in parenthesi de auctore velut in tertia persona loquatur: hic enim ut supra num. 25 dicitur totam rem ordinabat.*

e *Scilicet D. Petrus Gambacorta, B. Claræ pater.*

f *Ita legendum credimus quod, ex vitiato codice accepimus*; di hac tertia adi nona. F

g *Supra num. 25* Soror Maria Ser-Bacciomei.

h *MS.* Vt de ipsa narratur: *quod quia non habet quo referatur, suspicati mendum esse antiquæ membranæ, in congruum magis sensum convertimus.*

i *Expunximus, quia sensum turbabant, sequentia:* In hæc verba, vultu humiliter in terra: *exciderint fortassis aliqua, ad Confessarium referenda, qui eodem loco & tali situ etiam ipse orabat, ut infra ipsemet dicit.*

k *MS. Sic habebat.* Incepit sudare & in memet defeci: *quem modum à tertia ad primam personam transeundi, in fine excusavit auctor, hac clausula.* Et ne mireris lector, quod quandoque loquor ut ipsa, quandoque de ipsa (scilicet cui visio facta est) unde aliquando locutus sum in tertia, aliquando in prima persona: *quam clausulam, ne Lector confunderetur, huc rejecimus; & levi mutatione sustulimus inconcinnitatem, propter quam ea apposita fuerat. Sic etiam paulo inferius.* In tali statu cum essem visus fuit sibi splendor, *posuimus*, cum esset.

l *Hac uti & cætera omnia, quæ [ ] uncis inclusa & à nobis apposita sunt, aut alia similia verba excidisse, liquido apparet ex contextu totius narrationis: appesuimus autem tuo commodo, Lector, ne festinanti necesse foret ad nostras observationes recurrere.*

m *Vel quia is est titulus ultimi opusculi, quod in Fossa-* nova

nova monasterio decumbens sanctus Doctor paulo ante mortem dictavit; sicut verba inscripta libro, quem gestabat. S. Dominicus, videntur continere totam substantiam Constitutionum ab eo relictarum: vel quia, sicut præcepta illa B. Dominicus, vivens observavit Philippa; sic mortua fruitur *deliciis cælestibus, quas in Canticis Canticorum mystagogice designari S. Thomas docuit suo illo commentario.*

n *Delevimus parenthesim* (De quo in principio hujus Chronicæ facta est mentio) *eo quod officeret claritati sensus: cum videatur ipse auctor Chronicæ hæc scribere.*

XVIII APRILIS.

SANCTI QUI XIV KALENDAS MAII COLUNTUR.

SAnctus Calocerus Brixiensis, Martyr Albingauni in Liguria.

S. Eleutherius, S. Anthia mater, S. Parthenius, S. Calocerus, S. Febus, S. Proculus, S. Appollonius, S. Fortunatus, S. Crispinus, S. Expeditus, S. Mappalicus, S. Victorinus, S. Gagus, } Martyres Romæ.

S. Apollonius, Senator Romanus, & Martyr.

S. Septimus Diac., S. Victoricus, } Martyres Salonæ in Dalmatia.

S. Hermogenes, S. Dionysius, } Martyres.

S. Victor, S. Pamphilus, S. Donatus, S. Ianuarius, S. Micion, S. Domnus, S. Turemunus, S. Syricus, S. Priscianus, } Martyres in Africa.

S. Venustianus Proconsul, ejus uxor & filii, } Martyres, Tuderti in Vmbria.

S. Eusebius, Episcopus Fanensis, in Italia.

S. Lasreanus sive Molassius, Abbas Lechglinensis in Hibernia, postea Episcopus & Legatus Apostolicus.

S. Wicterpus Ep. August., B. Herluca, Virgo, } in Germania.

S. Vrsmarus, Episcopus & Abbas Lobiensis, in Belgio.

S. Aia Comitissa, montibus Hannoniæ, in Belgio.

S. Cosmas Confessor, Episcopus Chalcedonensis, in Bithynia.

S. Euthymius Thaumaturgus, apud Græcos.

S. Ioannes, discipulus S. Gregorii Decapolitæ, monachus Constantinopoli.

S. Perfectus Presbyter, Martyr Cordubæ, in Hispania.

B. Idesbaldus, Abbas Dunensis, Ordinis Cisterciensis in Flandria.

S. Galdinus, S.R.E. Cardinalis, Archiepiscopus Mediolanensis, & Sedis Apostolicæ Legatus.

S. Nicus, Eremita Besutii, in agro Mediolanensi.

B. Iacobus de Oldo, Presbyter tertii Ordinis S. Francisci, Laudæ in Insubria.

B. Ioannes Epirota, Martyr Constantinopoli sub Turcis.

B. Andreas de Monte-Regali, Ordinis Eremitarũ S. Augustini in Aprutio.

PRÆTERMISSI ET IN ALIOS DIES REIECTI.

SAnctus Iustinus, Episcopus Theatinus in Aprutio, *dicitur à Paulo Regio parte 2 de Sanctis regni Neapolitani pag.* 380 *& sequentibus* ex hac vita decessisse anno MCXXXII. die XVIII Aprilis. *Regium secutus est Ferrarius in utroque Catalogo. Verum alius est Theatinorum sensus, asserentium eum fuisse primum Ecclesiæ suæ Episcopum, vixisse seculo Christi quarto aut quinto, ac mortuum esse ipsis Kalendis Ianuarii; quo die duæ cantabantur Missæ, scilicet de Circumcisione & S. Iustino. Paulus Tolosa, creatus anno* 1616 *Archiepiscopus Theatinus, in Synodo diœcesana Festum S. Iustini, quod die Circumcisionis solenni ritu celebrari nequiret, transtulit in* XIV *Ianuarii, & mandavit observari in civitate & diœcesi Theatina universa, uti testantur Vghellus, Hieronymus Nicolinus in Historia Theatina, Audrianus Canonicus*

Canonicus Theatinus & alii. Nos ergo quæ collegeramus de S. Iustino, & sepofueramus, ut ad hunc diem edenda, cum Ecclesia Theatina celebraturi ejus Festum, sepenimus in Supplemento ad diem xiv Ianuarii.

S. Agnetis, Virginis & Martyris, susceptio reliquiarum Parisiis, *inscripta est Martyrologio Gallicano Saussaji. Vitam ejus cum variis reliquiarum translationibus dedimus* xxi Ianuarii.

S. Florentinus, Regis Scotiæ filius, *in vico Bonnet prope Ionvillam diœcesis Tullensis celebri peregrinatione colitur, præsertim pro stultis. Eum hoc die consignat Camerarius. Dempsterus in Ianuario eum collocat, & Vitam 19 capitibus extare dicit. Hanc cum nacti necdum simus & ad huc speremus obtinere, differimus de eo agere ad supplementum* xxiv *vel* xxvi Ianuarii.

S. Ammon, Abbas in Ægypto, *absque alio elogio memoratur in MS. Florario: forsan est, quem cum Græcis retulimus,* xxvi Ianuarii.

Osuinus, discipulus S. Ceaddæ Episcopi in Anglia, *refertur in Martyrologio Anglicano utriusque editionis, & à Ferrario. Deinde, tamquam si alius esset* Owinus, *iterum in Martyrologio primæ editionis, celebratur ad diem* xxix *Iulii; ast in posteriore editione cum aliis, quando & nos ejus Acta deduximus, memoratur* iv Martii.

S. Oliva, Virgo Martyr Brixiensis, *à Bernardino Fayno notatur in Martyrologio ecclesiæ Brixiensis, profitente se monumenta ecclesiæ S. Afræ secutum. Egimus de ea ex Martyrologio Brixiensi MS.* v Martii.

S. Victor, Martyr, *officio Ecclesiastico sub ritu duplici colitur in Archimonasterio Antoniano diœcesis Viennensis, ob sacras ejus reliquias ibidem asservatas. De eo aliisque Sanctis, qui ob similem causam ibidem coluntur, egimus* xiii Martii.

Mathildis Comitissa *memoratur cum titulo* Beatæ, *in sacro Gynæceo Arturi à Monasterio; uti iterum, quando inter Prætermissos de ea ex Arturo egimus* xxiii Martii.

S. Acacius, Episcopus Melitines, *memoratur cum longo elogio in MS. Synaxario Pariensi collegii nostri Claromontani. De eo egimus* xxxi Martii.

S. Sabbas Gothus, Martyr, *memoratur hoc die à Græcis in Menæis, Ephemeride metrica, & Menologio Sirleti, eorumque exemplo à Galesinio nec non in Tabulis Kalendarii Muscovitici. Vitam ejus dedimus* xii Aprilis.

S. Ardalion, mimus, Martyr, *celebratur in MS. Synaxario Parisiensi collegii nostri Claromontani cum elogio, quale dedimus, quando etiam celebratur in Martyrologio Romano* xiv Aprilis.

Engratia, Virgo & Martyr, Cæsaraugustæ in Hispania, *memoratur à Galesinio, Canisio & Ferrario. Vitam ejus dedimus* xvi Aprilis.

Petrus, Diaconus & Confessor, *memoratur à Greveno in Auctario Vsuardi. Forsan est* Diaconus S. Gregorii Magni, *cujus Acta dedimus* xii Martii. *aut* Petrus Diaconus Martyr, Antiochiæ *socius S. Hermogenis* xvii Aprilis.

S. Anthusa, filia Constantini Copronymi Imperatoris, *cum illustri elogio memoratur in MS. Græco Synaxario Parisiensi collegii Claromontani. Istud dedimus, quando in aliis refertur,* xvii Aprilis.

S. Donani, Abbatis in Buchonia, elevatio, *indicatur in Menologio Scotico dempsteri. De eo egimus* xvii Aprilis.

Sanctorum Martyrum Catulini, Ianuarii, Florentii memoria *inscripta est antiquo Martyrologio Casinensi, forsan ob corpora Sanctorum ex Africa eo delatorum. Porro inter Martyres Afros ad hanc diem refertur* Ianuarius, *ad* xxiii Catulinus, *quibus facile aliquis* Florentius *adjunctus est.*

Lycii & Iuliani *nomina inter Martyres hujus diei interseruntur in MS. Martyrologio Tamlactensi, quod hic indicare voluimus.*

S. Placidi Martyris Romani *festum agitur in Eremo Deiparæ, vulgo Einzidlensium apud Helveticos, propter corpus (quod pueri circiter duodennis esse probat exilitas ossium) ex cœmeterio S. Calepodii anno 1650 die 20 Augusti extractum, & in prædicto monasterio solenniter exceptum 1654, die 24 Martii. Huic sacro deposito cum esset speciosus ac pretiosus ornatus ab religiosis illis viris comparatus, tandem anno 1659 die 14 Septembris in Dominicam incidente, & cum memoria annua dedicati ibidem ab ipso Christo Domino sacelli Mariani concurrente, facta est solennissima Translatio: utque ipsius sancti anniversaria festivitas hoc die ageretur, quo nullus alius Placidus Martyr in sacris Fastis nominatur, fuit prudenter institutum, uti litteris inde datis didicimus; & hoc loco indicasse satis habemus.*

Felix, *memoratus infra in Actis S. Eleutherii Episcopi & Anthiæ matris; cum illis ut* Martyr *refertur à Ferrario in Catalogo Sanctorum Italiæ, Acta præcitata indicant ejus conversionem, de* Martyrio *nullam faciunt mentionem.*

S. Corebus Præfectus, qui per S. Eleutherium conversus ad fidem, gladio percussus est, *adscribitur Martyribus Romæ passis in hodierno Romano Martyrologio, ex fide Actorum jam indicatorum: verum hæc talia esse ostendimus, ut quamdiu nullum aliud Corebi Martyris indicium proferetur, vix credi possit aliquando vixisse, nedum annuam habuisse in ullis ecclesiasticis fastis memoriam, ut infra ostendetur.*

S. Primitia, Virgo & Martyr, *memoratur à Masino in Bononia illustrata. Ejus corpus sub Gregorio* xv *anno* MDCXXII *Romæ obtentum, asservatur in ecclesia* S. *Mariæ di Galliera.*

Cheren, Collunchile, Lacerii & sociorum *memoria inscripta est Kalendario Aquileiensis Ecclesiæ, quod Romæ apud Patres Congregationis Oratorii reperimus: maius lumen forsan alius adiiciet.*

Apollonius, pater 500 monachorum apud Hermopolim, Apollonius in pauperes & languentes officiosus, } *occasione S. Apollonii Senatoris Romani & Martyris adjunguntur à Petro de Natalibus libro 4 Catalogi capite 63 & 64, & hunc secuto Maurolyco. Priorem etiam referunt Grevenus, Canisius & Ferrarius. Nos certiora monumenta venerationis Ecclesiasticæ desideramus.*

Cogitosi Episcopi depositio Turonis, *legitur in* MS. *Tornacensi & pridie in Latiensi; ubi diximus, cum nullus apud Turonenses fuerit* Episcopus Cogitosus, *nos non posse assequi, quis hic intelligatur. Colganus arbitratur,* Cogitosum scriptorem Vitæ S. Brigidæ *hoc die coli, & memoratur in Martyrologio Tamlactensi hoc die* Cogitosus sapiens. *Reliqua ignoramus.*

Naucratius, Præpositus Studitarum Constantinopoli; exilio ante & carceribus probatus, mortuus est hoc xviii Aprilis anno DCCCXXVIII: *cujus virtutes referuntur 4 Februarii in Vita S. Nicolai studitæ, ubi dicitur* hic una cum B. Naucratio depositus ad dexteram partem in gloriosissimo ac sacro Martyrum sacello, quod à dextris delubri Præcursoris situm est. *Interim non reperimus sacris Fastis inscriptum,*

Monindus senex de monasterio, Molassus Lethglinnensis, Eugenius Episcopus. Lassara filia Egani de Maigin, } *Vt* Sancti Hiberni, *sunt inscripti Martyrologio Tamlactensi: de quibus certiora libenter addiscemus.*

Wilgisus, Episcopus Moguntinus, *memoratur in MS. Florario cum titulo* Sancti. *Mortuus est pridie S. Matthiæ Apostoli, absque ulla ad dictum diem mentione in Martyrologiis: servatur ejus casula in Ecclesia Moguntina cum celebri sanctitatis eius memoria.*

Rotulphus, monachus Fuldensis cœnobii, vir in divinis scripturis eruditissimus, & valde insignis prædicator verbi Dei fuit. Unde ab Hungaris occisus, glorioso coronatus Martyrio, ad cælum evolavit. *Ita Trithemius lib. 3 de Viris illustribus Ordinis S. Benedicti*

dicti cap. 322, non indicato anno aut die martyrii. Wion eum ad hunc decem retulit, citans Kalendarium suum Germanicum, *quod quale sit ignoramus. VVionem sequuntur Dorganius, Menardus, Bucelinus, & hic allegat Annales Fuld. Brovveri, forsan voluit hujus Antiquitates Fuldenses indicare: in quibus lib. 2 cap. 6 agit de Hungarorum irruptione, & incendio Fuldensis basilicæ, sed absque mentione dicti Martyris. Libenter certiora monumenta accipiemus.*

S. Eduardus, Episcopus Aberdonensis, *memoratur in Menologio Scotico Camerarii. Miramur de eo non agi in Breviario Aberdonensi.*

Henricus, Dux & Confessor ordinis nostri, *memoratur in MS. Kalendario Carmeli Mechliniensis. Quis ille sit necdum scimus.*

S. Iubinus, Episcopus & Confessor, cujus corpus requiescit Lugduni supra Rhodanum; *memoratur à Molano in Auctario Vsuardi, & à Ferrario in Catalogo generali: qui citat in Notis Breviarium Ordinis Vallumbrosani. Est etiam nomen* Tubini *in aliquibus Kalendariis: sed nihil de eo reperimus apud Raynaudum in Indiculo Sanctorum Lugdunensium, neque apud Locatellum de Sanctis aut Beatis Vallis umbrosæ.*

Bartholomæus, Conversus Ord. Vallumbrosani, *citatis Tabulis Vallumbrosanis hodie inter Beatos nominatur à VVione: ejus elogium aliquod invenias in hist. Vallumbr. Eudoxii Locatelli lib 2 cap. 43. Nullam alias ejus notitiam Vallumbrosæ reperimus, neque nomen in MS. Hieronymi Radiolani. Obiit seculo XV in monasterio Montis-scalaris, quod an hodieque supersit, & an aliquis ibi eius cultus, hactenus ignoramus.*

Iacobus, Abbas Cisterciensis XXI, *dicitur hodie obiisse in Kalendario Ordinis Cisterciensis, Divione anno 1617 excuso; & in* Menologio *Henriquez & Bucelini, cum titulo* Beati: *à Chalemoto* Pius Pater *appellatur, & à Saussajo inter* Pios *refertur.*

Everardus, Conversus in Hemmerode, *memoratur cum titulo* Beati *in Menologio Henriquez, Chalemoti & Bucelini, quia honorifice de eo loquitur Cæsarius lib. 10 Dialog. cap. 14.*

Iulia Certaldina, *inter Ordinis Augustiniani* Beatas *refertur ab Herrera & Crusenio; diciturque hoc die anno 1307 ad cæli gaudia victrix ascendisse; nobis de cultu ejus nil constat.*

Maria de Incarnatione apud Pontæsiam, sanctimonialis Conversa Ordinis S. Mariæ de monte Carmelo *memoratur cum insigni virtutum elogio à Saussaio in Martyrologio Gallicano: sed solum inter Pios. Arturus in suo Gynæceo sacro* Beatam *appellat.*

Reginaldus de S. Ægidio, Ordinis Prædicatorum, à Deipara apparente visitatus, *inter Venerabiles seu Pios refertur in Martyrologio Gallicano Saussa i.*

Voislaus Belga anno 1570 occisus, Bonaventura Bastiæ, Leo, in Corsica, Alphonsus Ordonezius, in Mexico, Andreas Hibernon, in Hispania, Franciscus Æsinus, Joann. Bapt. Nursinus, Capucini, Maria à S. Francisco, in Hispania, — Ordinis Sancti Francisci, *memorantur ut* Beati *in Martyrologio Franciscano Arturi à Monasterio: & in hujus Gynæceo etiam refertur ultimo nominata* Maria à S. Francisco.

Maria Iosepha Navarra, Virgo Carmelitici instituti, Cæsaraugustæ mortua an-no 1625, cum opinione sanctitatis, *& cum titulo* Beatæ *memoratur in prædicto Gynæceo Arturi à monasterio.*

SS. Expeditus & Fortunatus, Martyres Melitenæ in Armenia, *referuntur in MS. Patriciano, quod Neapoli inter libros Caraccioli reperimus. Coluntur hi cum plurimis aliis sociis* XIX Aprilis.

S. Georgius, Episcopus Antiochiæ in Pisidia, qui ob cultum sacrarum imaginum in exilio mortuus est, *memoratur in Menologio Basilii Imper. synaxario Taurinensi & altero MS. apud Combefisium Parisiis: sed in Menæis & Martyrol. Romano* XIX Aprilis.

S. Victor, S. Zoticus, S. Zeno, S. Acyndinus, S. Severianus, S. Antoninus, — Martyres sub Diocletiano. *Ex his quinque primi memorantur in Menologio Basilii Imperatoris. Alius adjunguntur in Menæis MSS. Taurinensibus Ducis Sabaudiæ & alibi. In menæis excusis & Martyrologio Romano* XX Apr.

Oda, Virgo & Sanctimonialis, instituti Præmonstratensis in Hannonia, *cum titulo* Sanctæ *memoratur à Saussaio in Appendice Martyrologii Gallicani: at Miræus, Raissius, vander Sterren referunt eam* XX Aprilis.

S. Anastasii Papæ primi elevatio *memoratur in MS. Florario, & ejus mentio est apud Grevenum. Dies ejus natalis est* XXVII Aprilis.

SS. Parthenius & Calocerus, Martyres Romæ, *memorantur in Martyrologio Notkeri, in Romano & aliis* XIX Maji.

Maildulphus, *teste Cambdeno in VViltoniensi comitatu,* Scoto-Hibernus, vir summa eruditione & singulari vitæ sanctitate, cum eremiticam vitam duceret ac postea ludum aperiret, cum auditoribus monasticæ vitæ se devovens, cœnobiolum ædificavit Maildulfelburge, & contracte Malmesbury dictum. *Is inscriptus est Martyrologio Anglicano secundæ editionis. Extat Tomo 1 Monastici Anglicani pag. 50 carta de origine dicti monasterii per* Maildulphum, *qui numquam* Sanctus *appellatur, sicut* Aldelmus *discipulus & successor, ad cuius Vitam poterit de Maildulpho agi* XXV Maji.

S. Mariæ Magdalenæ translatio *indicatur in MS. Martyrologio Montis-sancti. Colitur* XXII Iulii.

S, Athanasia, vidua ac Sanctimonialis in insula Ægina, *cum longo elogio celebratur à Græcis in Menæis & Menologio Sirleti & Tabulis Kalendarii Moscovitici. In Actis Græcis dicitur mortua esse pridie festi Assumptionis Deiparæ Virginis; acproinde Lipomanus eius Vitam, uti & sacram memoriam Martyrologium Romanum hodiernum, retulerunt* XIV Augusti.

Aleydis, matris S. Bernardi, translatio *memoratur ab Arturo à monasterio in Gynæceo sacro. De ea inter Prætermissos egimus* IV *Aprilis, latius acturi in Vita S Bernardi* XX Augusti.

Eleutherius, Pater monasterii B. Marci Euangelistæ in pomeriis urbis Spoletinæ, Romæ mortuus, *refertur hoc die ex monumentis Ecclesiæ Spoletinæ apud* Ferrarium in utroque Catalogo, *& ex libro 3 Dialogorum S. Gregorii cap. 33. Sed idem inscriptus est hodierno* Martyrologio Romano VI Septembris.

S. Maternus, Episcopus Trevirensis, *memoratur in MS. antiquo Martyrol. Vsuardi optimæ notæ, MS.* Florario *& aliis nonnullis. Sed iterum in eisdem & aliis plerisque* XIV Septembris.

S. Agapetus, Papa Romanus, *inscriptus est MS. Synaxario Parisiensi collegii nostri Claromontani, aliis Græcis pridie. At Romani colunt* XX Septembris.

S. Florentius, Episcopus Tungrensis, *annotatur à Carthusianis Bruxellensibus ad Grevenum. Habetur hic ejus memoria* XVI Octobris.

SS. Nunilonis & Alodiæ Virginum Martyrum Inventio & Translatio, *ad monasterium Legerense diœcesis Pampelonensis in Navarra, hodie ibidem recolitur: Martyrium vero in Martyrologio Romano ponitur* XXII Oct.

S. Stephani Protomartyris dedicatio altaris Autissiodori, *inscripta est variis antiquis Martyrologiis MSS. & ex iis etiam apud Molanum in Auctario Vsuardi: quod indicasse sufficit. Colitur S. Stephanus* III Augusti & XXVI Decemb.

DE

A

DE S. CALOCERO BRIXIENSI,

G. H.

MARTYRE ALBINGAUNI IN LIGURIA.

ANNO CXIX



Illustrem Martyrii palmam sub Adriano Imperatore adepti sunt quinque athletæ, magno amicitiæ mutuæ vinculo conjuncti. Horum primi fuerunt Brixienses fratres, per Ecclesiam universam notissimi, SS. Faustinus & Iovita: *quos cum leonibus, leopardis & tauris objectos & non læsos vidisset* S. Calocerus, *unus ex præcipuis Adriani Imperatoris ministris, de quo hic agimus, fidem Christi amplexus est. Acta varia SS. Faustini & Iovitæ dedimus* xv *Februarii. Tertius est* S. Marcianus Episcopus Dertonensis, *de quo egimus* vi *Martii. Hic per* S. Secundum, *ut infra constabit, curavit ex carcere* pacem suam portari fratri *suo in Christo* Calocero. *Quartus est* S. Secundus *urbis Astensis vir primarius, à* S. Calocero *in fide instructus: cujus martyrium illustravimus ad diem* xxx *Martii. Quintus & ultimus est* S. Calocerus: *cujus acta hic danda descripsimus ipsi in Burgundia, in celeberrimo monasterio Cisterciensi, ex Codice secundo de Vitis Sanctorum. Pleniora Acta inserta sunt Vitæ triplici SS. Faustini & Iovitæ, à nobis ad* xv *Februarii illustratæ: & quæ ibidem tertio loco datur, eam pro* S. Calocero *edidit Mombritius. Nos quia judicavimus ipsam esse partem uberiorum Actorum circa SS. Faustinum & Iovitam, ibidem dedimus, neque hic repetere volumus, cum istic legi possit: sed hujus loco subjungimus aliqua excepta ex Vita S. Secundi: atque ita arbitramur exhiberi à nobis plenam notitiam* S. Caloceri.

Socii Martyres, SS. Faustinus & Iovita, Marcianus, Secundus, Calocerus: Acta Martyrii ex MS,

B

Excerpta ex Vita S. Secundi.

2 *Inter libros MSS. Serenissimæ Christinæ Reginæ Sueciæ reperimus Adonis Martyrologium, apud Brixienses olim auctum, & dein pro Ecclesia Tolonensi in Provincia circa annum* MCLXX *sub Petro ejusdem urbis Episcopo transcriptum: ex quo hæc ad* xv *Kalendas Maii inserta descripsimus*: Natalis S. Caloceri Martyris, qui, ut superius in xv Kalendas Martii dictum, prædicantibus beatissimis Martyribus Faustino & Iovita in civitate Brixiana sub Adriano Imperatore, videns constantiam atque virtutes, quas adjuvante Domino coram Adriano Imperatore faciebant, per prædicationem eorum baptizatus est cum suo Officio, usque ad duodecim millia, ab S. Apollonio Episcopo Brixiensi, & præcipiente eodem Imperatore multa & varia tormenta passus est: & in Albingana civitate truncatione capitis, Christi Domini omnipotentis Martyr effectus est, ibique prius sepultus est, nunc in monasterio Clavadis nostro tempore conditus requiescit.

C

Sepultura, translatio,

3 *Est* Albinga, *antiquis* Albingaunum, *urbs Episcopalis maritima Liguriæ inter Savonam & Vintimiliam, de qua consule Vghellum tomo* 4 *Italiæ sacræ, qui tradit*, S. Calocerum extra civitatem prope littus maris, è regione civitatis & insulæ Gallinariæ, pro Christo martyrium passum esse: *fortassis ibidem aut in vicinia* prius sepultum, *& ut Petrus de Natalibus lib.* 3. *cap.* 298 *addit* à fidelibus juxta ipsam civitatem: inde ad monasterium Clavadis *delatum. Videtur autem intelligi monasterium aliquod in oppido Pedemontii vulgo* Chiavas *appellatum*, Clavasium *Ferrario, juxta Padum* 12 *milliaribus infra Taurinum. Porro teste eodem Vghello*, Lanfrancus Episcopus XXVIII Albingaunensis, anno MCCLXXXVI transtulit è subterraneo monumento confessionis corpus S. Caloceri Martyris ad honorem ejusdem Sancti magnifice erectum, Ut hæc subjecta carmina præcipue declarant.

Mille gerunt anni cursum simul atque ducenti,
Octoginta quidem sex & sociantur eisdem,
Quando fuit facta translatio vel celebrata
Caloceri sancti, solenniter hic tumulati.
Præsul Lanfrancus translator noscitur hujus,
Cujus & inventor fuit Abbas ipse Ioannes.

At modo dicuntur Sacra ossa S. Caloceri Albigauni in monasterio Sanctimonialium Ordinis S. Claræ esse.

Reliquiæ Brixiæ:

4 *Habemus dono ejusdem Vghelli aliquod Martyrologium recens Ecclesiæ Brixiensis, in quo illud elogium habetur*: Brixiæ S. Caloceri Martyris, qui à SS. Faustino & Iovita ad fidem conversus, sub Adriano Imperatore, Sapricii Præfecti jussu, cruciamentis tortus, ex Christi Iesu confessione constantissimus, egregie coronatus. Ejus sanctum corpus habetur in ecclesia S. Afræ una cum sanctis Martyribus Marciano & Severino. *Aliud elogium habet Bernardinus Faynus in Martyrologio Brixiano: qui in Notis addit*, magnam partem corporis hujus in altari majori inferioris ecclesiæ S. Afræ asservari; ut in Rogito authentico habetur, huc ex Albingauno à Sapricio translatam, ut habet quædam antiqua Chronica manuscripta & inscripta, Martyrium Brixianorum. *At Chronica ista fabulosa est. Quis autem Sapricius? num Præfectus, cujus jussu fuerat occisus? Certiora sunt fundamenta Albingaunensium. Ejusdem* S. Caloceri *sacra memoria inscripta est hodierno Martyrologio Romano, uti olim Kalendario antiqui Breviarii & Missalis Ambrosiani, item Martyrologiis Bellini, Maurolyci, Galesinii, Canisii; Greveni & Molani in Auctario Vsuardi. At* xv *Februarii Martyrologio Anglicano Witfordi; &* XIX *Martii Martyrologiis Vsuardi, Bellini, Molani, Galesinii & in pluribus MSS, cum Petro de Natalibus, qui addit* corpus ejus cum honore humatum esse decimo quarto Kalendas Aprilis: *quo die Acta ejus habent* eum passum esse, *atque dies* XVIII *Aprilis esset ob Corporis translationem assumptus. Passum vero esse anno* CXIX, *ex iis quæ ad Acta SS. Faustini & Iovitæ & potissimum S. Secundi diximus, manifestum est.*

E

Variis fastis inscriptus 18 Aprilis, 15 Februarii & 19 Martii quo occisus

an. 119.

PASSIO.

F

Ex MS. Archimonasterii Cisterciensis.

1 Cum Adrianus Imperator Italiam peragraret, occurrit ei Comes Rhætiarum, Italicus nomine, ad flumen quod dicitur Addua: qui adorans Imperatorem ait: O invictissime Rex & Romanorum triumphator, subveni tuo imperio, & nostrorum deorum injuriam vindica. Sunt duo viri quadam in urbe, quæ Brixia dicitur, Faustinus videlicet & Iovita, qui Deum vivum & verum esse in cælis prædicant, deosque nostros non esse adorandos, sed quasi nihilum contemnendos esse asseverant: & ob hoc non paucam jam populi multitudinē seduxerunt, ut deos vestros deserant, & ad cultum unius Dei, quem ipsi prædicant, se transferant. Audiens vero Adrianus Imperator, quod prædictus Comes plurimum deos diligeret, dedit ei licentiam ut non solum Faustinum & Iovitam, sed etiam omnes deorum contemptores pœnis afficeret. Qui Italicus Comes adveniens mandavit prædictis Martyribus, per Tiberium consiliarium suum, Adriani Imperatoris definitionem super deorum suorum contemptores. Cui Beati Faustinus & Iovita dixerunt: Principis vestri non obediemus præceptis, ut Deum vivū deseramus

a

Italico Comite incitante,

Ex MS.

SS. Faustinus & Jovita capti,

mus, & idola manufacta colamus. His Italicus Comes auditis, nimia indignatione turbatus præcepit, ut Faustinus & Jovita comprehensi, carceralibus tenebris traderentur, quousque Imperator Brixiam devenisset.

2 Factum est autem ut die quarto Brixiam Imperator ingrederetur, & Italicus Comes ea, quæ gesta fuerant super Faustino & Jovita, eidem intimaret. Quod cum Imperator audisset, & interrogasset ex qua progenie ipsi prædicti Martyres essent, eique responsum fuisset, quod pater ipsorum caput Senatus in eadem civitate fuerit; respondit; Homines isti nobis plurimum necessarii sunt, ut per eos plurimi ad Deorum nostrorum cultum convertantur: unde in præsentiam suam adductos ita alloquitur: Nobiles habuistis parentes, qui cum grandi veneratione Deos nostros coluisse narrantur: quos bonum est sequamini, ne degeneres habeamini. Cui Faustinus & Jovita dixerunt. Parentes nostri nefanda fallacia sunt decepti ut Deos aureos ligneosque colerent, in quibus non est sensus vel aliqua virtus. Quibus Adrianus dixit: Estne alius Deus præter solem, aut est aliquis melior illo? Cui respondit Faustinus & Jovita: Stultam rem dixisti, ut meliorem diceres solem quam creatorem ipsius solis: est enim Deus qui fecit solem ad illuminandum diem, & lunam ad illustrandam noctem, qui etiam cuncta creavit ex nihilo, quem colimus, & in quo spem nostræ salutationis locavimus: nam Deos tuos contemnentes pro nihilo ducimus. Tunc iratus Adrianus jussit ut adducerentur ad templum solis: erat autem statua solis ex auro perfusa, habens in capite radios ex auro puro: quibus Adrianus dixit, Videtis gloriam invicti solis: accedite & sacrificate, ut gloriosi in conspectu solis inveniamini. Ad hæc sancti Martyres dixerunt: Homines rationabiles sumus, Deum adoramus, qui nos ad imaginem suam creavit. Denique Sancti, ad statuam solis conversi, dixerunt: Scito quoniam nos adoramus Deum, qui fecit omnia, & qui est in cælo & in terra & ubique: unde præcipimus ut claritatis tuæ falsa species convertatur in nigredinem picis, & radii aurei in similitudinem carbonum mortuorum convertantur. Et hæc cum dixissent, mox statua solis in conspectu populi corruit, & gloria ejus subito disparuit, sanctique Martyres dixerunt: Vide, Adriane, quid factum sit de Deo quem colis.

ad Adrianum Imp. ducti,

spernunt cultum Deorum,

& solis:

B

hujus statuam verbo deiiciunt, & gloriam auferunt.

3 Tunc Imperator ira repletus, præcepit Italico Comiti suo, ut introducerentur feræ sævissimæ, leones scilicet vel leopardi, à quibus subito sancti Martyres devorarentur: quos non solum non devoraverunt, sed etiam statuam Saturni ad imperium ipsorum confregerunt, & ad nihilum deduxerunt, ita ut Italicū & Orphitum Sacerdotem, fratrem Adriani, cum omnibus Sacerdotibus Saturni pariter etiam interfecerunt. Quibus gestis jussit Imperator ut introducerentur quinque tauri miræ magnitudinis, ut sanctos Martyres interimerent. Sancti vero Martyres signum Crucis fecerunt, & statim tauri ante pedes eorum in terram se projecerunt. Quod populi videntes una voce exclamaverunt: Magnus est Deus Christianorum. Ad quos Adrianus dixit: O populi Brixiani, quare Christum magnificatis, quem Judæi crucifixerunt. Ad quos sancti Martyres dixerunt: Videte, cives mei, quanta Dominus mirabilia per servos suos fecerit, & nolite perfidia Adriani seduci: ex quibus fere tria millia crediderunt, & ab Episcopo Apollonio gratiam baptismatis perceperunt. Tunc sancti Martyres dixerunt, Vobis dicimus oves Dei, quæ estis feræ, ut exeatis & neminem lædatis. Populi vero videntes feras mansuetas factas egredi, timore nimio perculsi sunt. Adrianus autem videns quod factum fuerat, dixit ad ministros suos: Videtis quanta Faustinus & Jovita per magicam artem faciunt, recludite eos in carcere. Qui postmodum educti cum diversis pœnis cruciarentur, Faustinus fertur dixisse: Impiissime, multum te sentimus delectari in pœnis Christianorum. Qui cum à ministris vehementissime torquerentur, ad cælum oculos levantes, nemini loquebantur. Quod videns unus de ministris Imperatoris, Calocerus nomine, ingressus ad Adrianum, dixit. Vere magnus est Deus Christianorum, quem Faustinus & Jovita colendo prædicant, quique magna beneficia in se credentibus præstat. Cui Adrianus respondit: Quare insanis, Calocere? attende & prospice, ne tuus sanguis cum ipsorum sanguine fundatur. Calocerus respondit: Bone Imperator, ob quam causam præparas eculeos, aut quos vis torquere in eculeis? Adrianus dixit, Faustinum & Iovitam. Calocerus vero dixit: Falsa deciperis visione. Ministri etiam clamabant: Iam deficimus torquendo, sed ipsi nullo modo sentiunt pœnas.

C

His illæsis inter leones, leopardos

& tauros,

3 millia convertuntur,

D

& S. Calocerus,

4 Calocerus vero videns hoc, doluit valde, exiensque foras vehementer flevit: cui apparuerunt Faustinus & Iovita dicentes: Calocere, quare doles de nobis? accede ad Adrianum, & vide quid agant ministri. Quibus respondit Calocerus: Non recedam à vobis quousque detis mihi signum Christi, per quod liber salvusque efficiar. Quem Faustinus interrogans, dixit: Confidenter spera accipere signum Christi, per quod diabolus effugatur. Et ille inquit, Utique obsecro vos ut dignus esse merear ad sanam fidem tantamque claritatem, vobis intercedentibus, pervenire. Cui Iovita dixit: Fidem O Calocere, tuo serva Creatori, animæque tuæ Redemptoris exempla sequi curato. Denique Calocerus ante Adrianum veniens, vidensque ministros adunare quasi super Martyres Christi carbones, scidit chlamydem qua erat indutus, & exclamavit: Vere magnus est Deus Christianorum, quem tu Adriane denegas, & eos qui ei deserviunt persequeris. Cui Adrianus respondit: Calocere ista dicendo vanus capite factus es: atque Calocerus, Vere, inquit, caput tuum vanum est, quia sensus rationabilis in te esse nullus videtur, cum contra Deum cœlique Creatorem agendo statuam manufactam colere non erubescas. Audiens autem Adrianus vociferationem Caloceri, jussit ut foras mitteretur, dolens quia per eum nomen Domini magnificaretur. Beati siquidem Martyres, cum essent in carcere reclusi, mediæ noctis silentio divina visitatione relevati sunt. Erat in carcere lux magna nimis, & odor suavitatis fragrans, ita ut custodes carceris ad domum Caloceri, curam habentis palatii, fugerent: cui cuncta quæ gesta fuerant in carcere retulerunt. Ad quos ait Calocerus, Ambulemus usque ad carcerem, ut videam utrum vera sint quæ narratis. Qui dum issent, nullo modo poterant propter splendorem appropinquare carceri, sed tantum Calocerus fidei dono roboratus, accedens ad ostium carceris dixit: Mementote mei Martyres Christi, obtinendo à Salvatore, ut in numero ovium suarum me non dedignetur recipere: quatenus calliditatibus diaboli resistere possim. Moxque facta est ad eum vox dicens, Callocere, cognosce exauditam esse orationem tuam: crastina enim die venies cum Martyribus meis ante Adrianum, ad exprobandam ac detestandam ipsius perfidiam. Et quia Calocerus usque mane permansit ad ostium carceris, mane facto venerunt ad eum ministri, dicentes: Ecce Adrianus vadit ad templum Martis audire Faustinum & Iovitam.

E

petit instructionem à Martyribus,

arguit Imperatorem;

F

accedit ad carcerem meridie illuminatum,

voce cœlesti animatur;

5 Tunc conversus ad officium suum Calocerus, dixit: Usque hodie dæmonibus sacrificavi: ab hinc non idola manufacta, sed Deum vivum & verum fideliter

A fideliter colam: unde moneo ut me audiatis, & mei consortes efficiamini, quoniam militia hujus seculi, non solum damnum, sed etiam mors est animæ. Firmissime igitur credite magnum esse Deum in cælis, quem BB. Faustinus & Jovita colunt. Hoc ideo dicebat, quo ipsi fortes effecti, cum ipso decollati, palmam martyrii percipere possent. Nam cum omnes qui ex Officio ejus erant, dixissent ad eum; Unde nobis, ut possimus ad tantam gloriam pervenire; & illum Deum, quem gloria vestra præfert videre? Calocerus fertur respondisse: Si ex toto cordo vestro Deum quæritis, gratiæ ipsius dono mentes vestræ illuminabuntur, ac dabuntur vobis habitacula quietis æternæ. Ad quæ omnes uno animo responderunt: Domine, hactenus fuimus sicut oves sine pastore, non habentes rectorem: nunc anticipet nos misericordia tua, ut illuminentur corda nostra, quatenus non timeamus Adrianum Principem iniquitatis; sed potius te, qui es auctor totius veritatis. His sane dictis misit Adrianus ad Calocerum, ut veniret ad templum Martis: cui Adrianus: Num paratum est quod jusseram ut faceretis? Calocerus dixit: Ad confusionem vestram hæc loqueris, ut iniquitas vestra confutetur. Adrianus dixit: Calocere, dignum te honore inter omnes habeo: sed quia ita pro Faustino & Jovita loqueris, inimicum me reddis animæ tuæ. Cui Calocerus dixit: Nequaquam iniqua propitiatio tua animam meam usque ad mortem perducat.

convertit officio sua subjectos:

B

6 Cum igitur Angelo nuntiante d S. Apollonius Episcopus, Beatos Faustinum Presbyterum & Jovitam Diaconem ordinasset, ipsique multitudinem credentium in Domino baptizarent; venit Calocerus cum omni Officio suo, & prostratus in terram deprecans ait; Miseremini mei, quoniam apprehendit me timor Domini, qui in altis habitat & humilia respicit in cœlo & in terra. Quem S. Apollonius Episcopus inhianter baptizari velle prospiciens, dixit ad eum: Calocere, credis quod Deus te resuscitare possit à mortuis? Respondit Calocerus: Utique credo, quod & nunc fonte baptismatis animæ resuscitentur, & post corpora de terræ pulvere divino jussu resuscitata vivificentur. Omnes etiam ex Officio ejus interrogati dixerunt: Credimus unum Deum & Patrem & Filium & Spiritum sanctum. Tunc B. Calocerum suscepit S. Apollonius, & catechumenum fecit, ac baptizavit in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti. Omnes vero ex Officio ejus baptizaverunt Faustinus & Jovita, cum illis qui ex populo crediderunt. Erant autem omnes qui baptizati sunt quasi fere duodecim millia hominum: quod gestum est circa duodecimam horam. Et quia altare non erat in quo mysteria Corporis & Sanguinis Domini consecrarentur, divinitus procuratum est, ut in sindone Corpus & Calix sanguinis Domini quasi super altare ostenderetur, quo baptizati confirmarentur: insuper etiam quatuor luminaria visa sunt ad tenebras noctis depellendas. Siquidem confirmati cælestibus Sacramentis, secuti sunt omnes S. Apollonium Episcopum. e Beati vero Martyres redeuntes ad carcerem, & intrantes ad Sanctos Martyres salutaverunt eos, atque dixerunt: Ecce confirmati sumus Corpore & Sanguine Domini nostri Jesu Christi, ut & noster sanguis pro confessione nominis ipsius fundatur. Qui cum pariter orarent, audierunt vocem dicentem sibi: Forti animo estote, quia oratio vestra exaudita est: tu vero Calocere, noveris te à Deo omnipotente missum ad incredulos, ut per te convertantur, ab idolorum cultu ad Deum vivum & verum: quatenus pro ipsorum salvatione fructum perpetuæ salvationis recipias. Sed cum Calocerus hæc audiens ad exemplum

d *baptizatur,*

cum subditis,

C *& alii ad 12000,*

& cum illis sacra Eucharistia reficiuntur.

e *& ultro carceri inclusus voce cælesti confortatur,*

Pauli se peccatorem pronuntiasset, & indignum ad aliorum operandam salutem dixisset; admonitus est ab Angelo, ne desperaret: quia divinitus daretur ei virtus populo prædicandi, & constantia patiendi, quo martyrii coronam percipere posset. EX MS.

7 Denique cum Adrianus ad carcerem misisset, gratia inspiciendi utrum signaculum annuli ipsius salvum esset, aut aliquis ad sanctos Martyres intrasset; inventus est annulus integer, & Calicerus repertus est cum Officio suo intus cum sanctis Martyribus. Quod cum Adriano nuntiatum fuisset, admirans valde, jussit ligatos ad Circum duci, & proloquens ait: Calocere, quid fecisti, quare te infirmum reddidisti, qui clarus in palatio meo fuisti? Ad Officium vero ipsius ait: Et vos qua insania estis decepti, ut cum Faustino & Jovita mortem desideretis? Illi vero una voce dixerunt: Adriane, non timemus mortem carnis, quia habemus adjutorem qui regnat in cælis. Quos cum Adrianus interrogasset; unde scirent Deum esse in cælis, responderunt, Fonte baptismatis illuminati intelligimus Deum, quem prius ignorabamus. Tunc jussit Adrianus, ut ligatis post tergum manibus capita eorum truncarentur; Calocerum vero cum Faustino & Jovita ferreis vinculis constringi præcepit, quos etiam post triduum Mediolanum proficisci ab urbe Brixiana jussit: qui illico profecti sunt, Deum laudantes. Adrianus vero Mediolanum post triduum veniens, eos alloquitur: Ecce translati estis sub custodia ab urbe vestra, vel modo convertimini ad deos meamque facite voluntatem, ut liberi à pœnis esse possitis: sacrificate Herculi & Saturno, & eritis nobiles in Italico regno. Calocerus vero dixit, O tyranne, Christianorum persecutor, non sacrificamus diis: quia colimus Deum, cæli & terræ Creatorem.

coram Imperatore fidem profitetur:

& subditis ex officio capite plexis,

E *ducitur cum SS. Faustino & Iovita Mediolanū,*

8 Adrianus vero respondit: Citius videbo, si Deus vester vos liberare possit. Tunc præcepit ministris, ut afferrent eculeos videntibus populis; & suspensos cruciarent, quo usque animas redderent. Ministris vero ita eos torquentibus, B. Calocerus clamabat: O Sancti Dei, obsecro vos, orate ut in his tormentis non deficiam, quia graviter me diabolus tentat. Cui Faustinus ait: Sustine modicum, ecce enim Angelus Domini veniet tibi in auxilium. Moxque Calocerus respondit: Orate; video enim Dei auxilio me superasse diabolum, qui mihi dolores inferebat: ecce pro nihilo duco Adriani tormenta, quoniam divino sum auxilio roboratus. Tunc Adrianus præcepit ministris ut afferrent ante Martyres lampadas, & ponerent circa latera eorum, Ut sentiat, inquit, Calocerus, sententiam nostram. Calocerus vero clamabat: Adriane, nondum est hora tertia: & quomodo tenebræ comprehenderunt te, ut lampadas tibi afferri præciperes. Adrianus dixit: Calocere, mihi videtur, quod adhuc ignem non sentias. Ad quem Calocerus: Vere tibi dico, quod pro nihilo duco tormenta tua. Tunc Adrianus jussit ministris ut adferrent stuppam, resinam & oleum, & ponerent circa eculeos, & supponerent ignem, quo cum ipsis eculeis cremarentur. Erat quoque flamma ignis circa eculeos: sed Sancti Dei ab igne minime sunt læsi; unde Calocerus de igne clamabat: Adriane, idolorum cultor, præpara aliam pœnam: siquidem hæc nos lædere non valet. Hæc audiens Adrianus, dixit ministris: Augete stuppam, resinam & oleum, ut sentiant calorem deorum. Faustinus dixit: Adriane, vides quia in media flamma stamus: mox videbis confusionem tuam. Erant autem statuæ Saturni & Herculis, ubi Adrianus sedebat: ad imperium vero ipsorum Sanctorum, ita statuas ignis combussit, ut mox velut cera defluerent. Adrianus vero hæc videns,

in eculeo suspensus petit preces:

F *admotis ad latera lampadibus,*

manet illæsus,

EX MS. videns, fugit foras: quem Beati Martyres prosecuti, dixerunt ad eum: Ubi nunc sunt minæ tuæ, Adriane? confundet te Dominus Deus noster; & pœnas, quas nobis adhibes, pro nihilo ducimus.

cum illis frustra alligatus ad tauros, 9 Tunc Adrianus dixit ministris: Adducite tauros indomitos, & auferte istos maleficos. Ministri vero jussa complentes, tulerunt Faustinum Jovitam atque Calocerum, ligantes eos post tauros indomitos, & in desertum educentes dimiserunt in silvam. Tauri vero ita steterunt in silva quasi ad præsepe ligati, jussu quoque divino reversi sunt tauri in civitatem cum Sanctis Martyribus. Quod audiens Adrianus, iratus valde, præcepit ut in præsentiam ejus sancti Martyres introducerentur, & cum eos tauri sequerentur, prohibebantur à custodibus palatii; sed ipsi ostia palatii fregerunt, & quoscumque invenerunt occiderunt, quousque ad Martyres Christi pervenerunt. Adrianus vero mirabatur sævitiam taurorum circa alios, & mansuetudinem erga Martyres, & ait, Calocere, video in vobis esse gratiam magnam Dei nostri Silvani, in tantum, ut tauri, quos vobis quasi leones feroces adhibuimus, facti sint tamquam agni: accedite ergo & sacrificate Deo magno Silvano: quia liberavit vos, ne à tauris occideremini. Cui respondit Calocerus: Quem dicis Deum Silvanum? cujus similitudinem pueri sibi de frondibus faciunt, & ignem supponunt & nusquam comparet?

redit: ad Imperatorem,

videt Deum Silvanum,

B

10 Cum ab Adriano hortarentur ad cultum deorum, priusquam morsibus ferarum traderentur, Calocerus respondit: Non audimus Adriane, consilia tua; sed si aliquod habes genus pœnæ paratum, adhibe; ut qui non viderunt, videant. Tunc Adrianus ait ministris: Videte quanta per magicam artem faciunt. Populus vero clamabat: Tolle magos de medio fratrum. Ad quos Calocerus dixit: Audite nos cives Mediolanenses, intendite veritati, & nolite sperare in mendacio Adriani. Et subdidit: Ubi sunt minæ tuæ, Adriane? tauri vel ursi sævissimi, quos ad nos devorandos emiseras, ecce mites jacent in conspectu tuo. Deinde Calocerus Mediolanenses hortatur, ut à cultu deorum se transferant ad venerationem unius Dei: qui liberat sperantes in se, & punit æterna suos contemptores damnatione. Tunc facta est vox ad B. Calocerum dicens: Tibi dico, Calocere, hodie traderis in manu Judicis, ut per deserta loca ducaris, quoad usque ad civitatem pervenias: in qua multi per tuam prædicationem à tenebris infidelitatis liberabuntur: ibique desideratam Martyrii coronam accipies. Dum hæc vero agerentur, jussu Adriani ductus est Calocerus ad palatium atque traditus Antiocho Præsidi. Antiochus autem suscipiens Calocerum, tradidit eum suis ad custodiendum: Calocerus vero Faustinum atque Jovitam deosculans, rogavit eos jugiter pro se orare, quo diaboli insidias superare posset. Quem alloquens Faustinus ait: Calocere Frater, vade in nomine Domini, & præpara nobis habitaculum; quoniam grave tibi instat certamen, & nos quoque cursu peracto te sequemur, perpetue lætaturi tecum in regione viventium.

Adhortatur Mediolanenses ad fidem Christi

voce cælesti docetur, quæ futura sunt.

C

valedicit SS. Faustino & Iovitæ:

11 Tunc dixit Antiochus: Calocere, exi foras. Qui cum ad palatium fuisset à ministris Antiochi deductus, dixit ad eum Adrianus: Calocere, vide, quod magica arte à nobis recesseris, cum dux nostri palatii ordinatus fueris. Deinde Antiochus Præses rogat, ut jussu Imperatoris ei secretarium præparetur, quo aut superarentur Dei Martyres, aut diversis suppliciis extinguerentur. Tunc jussit Adrianus in capitolio secretarium Antiocho præparari, ut Faustinum atque Jovitam audiret. Calocerum vero ad *f* Alpes Tuscias procedere jussit. Qui cum Antiocho dixisset; Martyres, si converti possent, sibi esse necessarios; ipsumque secum proficisci debere; Antiochus respondit: De Calocero vero quid erit, quam ad Alpes Tuscias procedere injunxisti? Ad hæc; inquit Adrianus, mittemus, aliquem in vice tua quamdiu tu nobiscum fueris. Moxque Antiochus respondit: Hujuscemodi vestra pietas ordinet, qui contemptores legum vestrarum crudelissime puniat. Et ob hoc quemdam virum crudelem, Sapricium nomine, qui militabat in palatio eratque princeps Candidatorum, Adrianus direxit, ut vices ageret Antiochii, deditque ei præceptum, ut quoscumque Christianos invenisset, gladio interemisset. Cum vero Sapricius urbem *g* Astensem intrasset, ait ad B. Calocerum: Calocere, sacrifica diis ut possis indulgentiam consequi. Calocerus dixit: Sacrificabo Deo meo & adorabo in conspectu ejus. Sapricius dixit: Quare dicis Deum, quem nemo videt? nam dii quos colimus videntur ab hominibus, & quæ postulantur ab hominibus, eadem hora præstantur. Quapropter sacrifica diis, priusquam adhibeantur tormenta, quæ parata sunt. Calocerus vero respondit: Me servum Dei non videbis in aliquo contristari, sed tristitiam incurres æternam. Tunc jubente Sapricio atulerunt ollas ministri, cum pice & resina; & cum super caput ipsius mitterentur, super ipsos resiliebant ipso permanente illæso. Iterum vero jussit afferri liquamen fervens, & in os ejus mitti præcepit. Qui ita delectabatur in Domino, cum hæc agerentur, ut cum gaudio elevans vocem diceret: Quam dulcia faucibus meis eloquia tua super mel & favum ori meo. Tunc conversus ad populum dixit: Fratres ne vos seducat Sapricius, siquidem tormenta quæ ab ipso ingeruntur nullo modo me nocere possunt. Quapropter hortor vos, ut respiciatis Creatorem vestrum; & convertimini ad eum, qui omnia creavit ex nihilo: & non adoretis deos aureos ligneosque & lapideos, in quibus manifestum est nullam esse salutem.

traditur custodiæ Antiocho,

f

D

dein Sapricio:

g

Astæ in fide constans,

illæsus à pice, resina,

E

& liquamine fervente,

adhortatur Astenses ad fidem:

12 Audiens verba hæc Sapricius, jussit Calocerum fustibus cædi, & in carcerem recipi: furore quoque nimio correptus hanc in eo dedit sententiam ut mox, quo Albinganium fuisset perductus, decollaretur. Qui cum extra muros civitatis Astensis exisset, hanc precem fertur fudisse: Domine Deus, concede mihi tuo famulo, ut Faustinum atque Jovitam videam in conspectu tuo. Tunc accepta sententia ductus est Albinganium, ut hujus vitæ finem acciperet. Qui cum capitali sententia puniretur quievissetque in pace; subito venit non parva multitudo psallentium Angelorum. Sapricius vero cuncta quæ gesta fuerant erga Calocerum Christi Martyrem, transmisit ad Principem Adrianum. Quæ cum omnia relecta fuissent in conspectu ejus, valde lætus effectus est, ita ut juberet Faustinum & Jovitam adduci; quibus & dixit: Quare non mihi præbetis assensum, ut sacrificetis diis, & reddamini liberi? Cui Sancti Martyres respondentes dixerunt, Non sacrificamus nisi Domino nostro, qui regnat in cœlis. Tunc Adrianus dedit sententiam, ut punirentur. Qui responderunt dicentes: Agimus gratias Domino nostro Jesu Christo, cujus sanguine pretioso sumus redempti, & pro cujus nominis confessione sanguis etiam noster funditur. Passus est beatissimus Martyr Calocerus *b* quarto decimo Kalendarum Aprilium, regnante Domino Nostro Jesu Christo, cui est honor & gloria, in secula seculorum.

Albinganii decollatur, Angelis psallentibus.

F

b

AN-

A

ANNOTATA.

a *Quanum. 1 & 2 hic leguntur, videntur contracta ex capite primo Vita prima SS. Faustini & Iovita, & ibi explicantur pag.* 809. & 810.

b *Aliqua sunt contracta ex cap. 2 dicta prima vita,*

c *In 3 Vita, à Mombritio edita (unde sequentia sunt contracta) dicitur:* vidisse Faustinum & Jovitam stare extra Capitolium, & eculeos vacuos & ministros torquere.

d *S. Apollonius colitur 7 Iulii, traditur Episcopus factus anno 116, & diutissime vixisse.*

e *In Vita apud* Mombritium. Beati Martyres redierunt ad carcerem. Mane facto venit Calocerus ad carcerem cum Officio suo,& intrantes *&c.*

f *In alia Vita* Alpes Cottiæ *dicuntur, & adhuc circa Pedemontium ita appellantur:dein* Apenninus *per Liguriam & Tusciam sive Etruriam continuatur, ut vel ideo* Alpes Tusciæ *possint dici.*

g Asta *urbs Liguria mediterranea ad Tanarum fluvium, de qua egimus 30 Martii ad Vitam S. Secundi,per S.Calocerum conversi, uti infra in Excerptis ex ista Vita constabit,*

h *Erat* XIII Kalendas Aprilis,*sed facili errore pro* XIV Kalendas Aprilis; *ut ex Vsuardo & aliis Martyrologiis constat.*

B

EXCERPTA

Ex Vita S.Secundi Martyris Astensis, excusa die XXX *Martii.*

S.Secundus, instructus in fide à Calocero, 13 Erat in civitate Astensi quidam illustris, nomine Secundus, qui magnopere idola venerabatur. Hic multa à S.Calocero didicerat; quia ad eum frequenter in custodiam veniebat... Et cum invenisset opportunitatem,ingressus est ad Calocerum in carcerem, & sic eum alloquitur: Calocere,ora pro me Deum tuum, qui est in cælis,ut possim videre gloriam ejus. Calocerus dixit: Secunde, tu vade, & Dominus cæli tecum sit: & sicut speras accipies baptismum Christi, & venies in civitatem tuam,& percipies coronam martyrii. Tunc Secundus est osculatus manus B.Caloceri, dicens: Modo merui manus tuas osculari. Cum autem regressus fuero, merear pacem tuam percipere. Cui valefacto abiit Secundus...in civitatem Terdonensem... Tunc acceptis vehiculis Secundus abiit cum duobus servis suis Mediolanum: Angelus vero Domini abiit ad carcerem, & dixit: Faustine & Jovita, Fratres & Consortes nostri, venite mecum: quia venit ad vos vir sapiens, ut accipiat baptismum Christi: est enim eruditus valde à Calocero.

C

14 Faustinus & Jovita dixerunt: Gratias tibi agimus, Domine, quia visitasti nos; & misisti ad nos salutem tui servi Caloceri. Tunc surrexerunt cum Angelo ad locum ubi erat Secundus... & ecce subito apparuit tamquam columna nubis, emittens aquam. Tunc dixit Angelus Domini: Ecce aquam, Faustine,quam desiderabas. Videns itaque Faustinus, quia Dei præceptum adesset, quod Secundus venisset; apprehendit Secundum, & posuit eum sub aquam fluentem, dicens; In nomine Patris & Filii & Spiritus sancti baptizo te. Et elevans eum de fonte, consignavit. Tunc tradidit ei Corpus & Sanguinem Domini, dicens: Vade, sustine, & accipe palmam justitiæ in civitate tua. Et data ei pace dixerunt: Audiamus de te bonum cursum consummationis fidei tuæ. Et dederunt ei denuo pacem dicentes: Corpus commixtum in Sanguine Domini porta ad fratres nostros, Calocerum & Marcianum teque per fontem Domini renovatum esse sciant... Angelus autem Domini deduxit B. Secundum per totam noctem, usquequo pervenisset ad civitatem Terdonensem: Tunc Angelus duxit cum ad locum ubi B. Marcianus erat in custodia. Cum vero ingressi fuissent carcerem, salutaverunt B. Marcianum dicentes: Gaude & lætare sapiens, & cultor Dei. Secundus dixit: Ecce quod tibi Dominus transmisit, mittentibus Faustino & Jovita. Accipiens vero Marcianus Corpus & Sanguinem Domini, sumpsit sibi dicens: Corpus & Sanguis Domini custodiat animam meam in vitam æternam. Amen. Et osculatus est eum dicens: Pacem meam portabis fratri Calocero, & gaudentes pariter psallebant cum Angelo usque ad lucem.

baptizatus à S.Faustino,

accipit Eucharistiam, etiam ferendam ad SS. Marcianum & Calocerum.

EX VITA S. SECUNDI

15 Tunc Sapricius videns, quod B.Secundus confidenter Dominum invocaret, jussit eum fustibus cædi: cumque cæderetur Secundus, sic clamabat: Saprici,quare tantam insaniam pateris circa servos Dei? Nihil est quod mihi facis: nec aliquid in corpore meo sentio, quia Dominus mihi adjutor est. Ministri autem cædentes eum, defecerunt: sanctus vero Martyr nihil sentiebat. Tunc ait Sapricius ad ministros, dicens: Tollite eum,& recludite usque mane, ut in isto satietur anima mea. Ministri vero tulerunt B. Secundum, & miserunt eum in custodiam. Ubi cum pervenisset, facta est in carcere lux præclara fulgens. Et ecce Angelus Domini venit ad eum,dicens: Surge, Secunde, & succinge lumbos tuos,& veni, ducam te ad Creatorem tuum. Tunc B. Secundus dixit: Altissimo Deo gratias refero. Cumque exisset una cum Angelo foras carcere; assumpsit eum Angelus secum, & posuit in custodia,ubi erat B. Calocerus & Salvator cum eo. Videns autem eum B. Secundus, projecit se in terram & adoravit dicens: Domine,libera animam meam de isto seculo: ut inimicus in me non habeat potestatem. Tunc ait Salvator: Noli timere,Secunde, quoniam ego sum Dominus Deus tuus,qui eripiam te de manu Saprici,& faciam ut cum Calocero coronam accipias. Tunc benedixit eos & ascendit in cælum. Erat autem Secundus gaudens cum Calocero in carcere.

post varia tormenta in carcerem Dertona inclusus,

E

ab Angelo Astam ducitur ad S. Calocerum,

16 Cum Sapricius venisset in civitatem Astensem, jussit secretarium sibi parari, & adduci B. Calocerum. Ministri vero cum pervenissent ad castrum, ut Calocerum adducerent; invenerunt cum eo S.Secundum. Qui cum magna festinatione renuntiaverunt Sapricio, dicentes: Secundum esse in carcere cum Calocero. Hoc audito, Sapricius jussit ambos adduci. Cumque starent ante conspectum Saprici, Sapricius dixit; Secunde & Calocere, vere sciunt dii nostri vos suos esse contemptores: ideo non faciunt vos singulos mori: modo vero aut sacrificate,aut certe simul moriemini. Secundus dixit: Ego sum servus Domini mei Jesu Christi qui mihi hoc præstat, ut mortem istius seculi non timeam. Nam certum tibi dico, Saprici, quia in pectore nostro nihil poteris prævalere. Sapricius dixit: Sacrificate, ut possitis indulgentiam consequi. Calocerus dixit: Sacrificamus Deo nostro, & adoramus ubiq; nomen sanctum ejus, quia suavis est laudatio ejus. Sapricius dixit: Dicis Deum esse, quem nemo vidit; nam hi sunt dii, quos nos colimus, & omni hora videntur; & quæ ab eis postulata fuerint, ea hora præstantur. Secundus dixit: Qualem stultitiam in te video, Saprici, ut tu coæqualem facias Deum tuis lapideis & ligneis, qui veterascunt, & cadunt in terram, & immutantur. Nam certe homo pauper, cum viderit Deum suum putrefactum, facit de ipso focum, & postmodum cogitat, ut faciat eum novum. Nos autem Dominum nostrum Jesum Christum adoramus, qui est ab initio Deus verus, & erit sine fine.

F

d

Ambo constantes in fide spernunt cultum deorum:

17 Au-

EX MS.

17 Audiens hæc Sapricius, jussit ministris, ut remitterent picem & mitterent supra resinam. *à pice & resina fervente,* Sapricius dixit ad sanctos Martyres: Calocere & Secunde, priusquam vobis adhibeantur tormenta, quæ sunt præparata, consentite mihi & sacrificate, liberi eritis à pœna. Calocerus dixit: Non nos videbis in aliquo contristari. Tu vero vade retro: quia non valebis servos Dei lædere. Sapricius dixit: Afferte, ut videant præparata sibi tormenta. Attulerunt ministri ollas cum pice & resina. Tunc jussit Sapricius super capita eorum fundi. Cumque ministri funderent, resiliebat ab eis, & Sanctos Dei penitus non tangebat. *non læduntur:* Iterum fecit afferri liquamen fervens, & in os eorum mitti præcepit. Cumque ministri funderent, delectabantur & exultabant gaudio magno, dicentes: Quam dulcia faucibus nostris eloquia tua, Domine. Calocerus vero dixit ad populum circumstantem: Fratres, videte ne vos seducat Sapricius per pœnas quas nobis infert; nam omnino non sentimus ejus cruciamenta: vos vero respicite ad Creatorem vestrum, & convertimini ad eum, & adorate eum, qui est in cælis, qui fecit vos; & nolite adorare Deos lapideos & ligneos, in quibus non est salus. Audiens hoc Sapricius, jussit S. Calocerum fustigari, & in carcerem recipi; *avectitur à S. Secundo S. Calocerus,* Beatum vero Secundum capitalem jussit subire sententiam. Qui Secundus apprehendit Calocerum, & osculatus est eum, præsente Sapricio & populo. Quod videns Sapricius, furore commotus, dedit Calocero sententiam, ut ipse mox Albingano finem mortis acciperet. *Albingauni occiduntur,* Tunc exierunt foris muros civitatis, & elevantes oculos ad cælum dixerunt: Domine fac cum servis tuis misericordiam, & præsta, ut ante conspectum tuum videamus Faustinum & Jovitam, sed & fratrem nostrum Marcianum. Et fecerunt sibi vale.

DE SANCTIS MARTYRIBUS ROMANIS,

ELEUTHERIO EPISCOPO ET ANTIA MATRE EIUS, PARTENIO, CALOCERO, FEBO, PROCULO, APOLLONIO, FORTUNATO, CRISPINO, EXPEDITO, MAPPALICO, VICTORINO ET GAGO.

D. P.

XVIII APR. *Nomina Fastis inscripta:*


Ieronyminianorum omnium exemplarium consensu magno, decima octava dies Aprilis inscribuntur hæc verba, à ceteris deinceps martyrologiis transcripta; Romæ natalis SS. Eleutherii Episcopi & Antiæ matris. *Solum in scribendo matris nomine leviter variatur, ita ut quæ in ecgrapho Corbejensi, æque ac Menæis & Synaxariis quibusvis, tamquam si Græcum nomen sit, scribitur* Anthia, *in Lucensi vocetur* Anchia, *in Epternacensi* Antea, *in Blumiano, uti & in Mss. Siculis ac Reatinis;* Antia, *in aliis Actis Latinis* Ancia. *Et quoniam ea ex illustrissimo genere, & Consulis, imo ter Consulis Romani uxor fuisse fertur; suspicatur Octavius Cajetanus, ex eadem gente prognatam, quæ sub Domitiano extraordinarium Consulem* C. Antium *dedit, Iulii Quadrati collegam. Metaphrastes solum appellavit* Euanthiam.

C

2 *Sequuntur in prædictis antiquissimis Martyrologiis nomina Sanctorum* Parthenii, Caloceri, Febi, Proculi, Apollonii, Fortunati, Crispini, Expediti, Mappalici, Victorini & Gagi, *idque rursum absque ulla ecgraphorum diversitate, nisi quod* Victorinus *seu* Victurinus *desit in Ms. Corbejensi.* *an ejusdem societatis omnia?* *Sequuntur autem Sancti illi, post priores duos filium ac matrem, quasi pariter cum ipsis aut eodem saltem loco ac die, martyrium subiissent: unde ipsis cum hodierno Romano* Martyrologio *conjunctos proponimus, quamvis de nonnullis, & maxime de* Apollonio *atque* Calocero, *merito vereamur; ne hic sit Brixiensis* Martyr, *iste Romanus quidem, sed passus sub Commodo: de quibus, hoc ipso die propriam venerationem habentibus, seorsim agitur. Apud Notkerum, Eleutherio & Antia, Romæ passis, junguntur* Parthenius, Calocerus: *in Ms. Richenoviensi, tertius additur* Appollonius: *in Casinensi & duplici Romano Cardinalis Barberini atque Ducis Altempsii, soli nominantur* Proculus & Apollonius; *& urbe* Roma *non expressa, in* Ms. *Augustano S. Udalrici atque Parisiensi Labbei, pro ipsis nominantur* Crispinus, Mappalicus, Victorinus: *in perantiquo autem* Ms. *Trevirensi S.* Maximini Fortunatus & Crispinus. *Romanum denique* Martyrologium *omnibus iis Antesignanum præponit* Corœbum: *qui cur à nobis sit prætermissus, jam data est ratio.*

3 *Atque hæc de istis, qui ex solis* Martyrologiis *absque distinctiori notitia proferuntur, satis dicta sint.* Eleutherium & Antiam *sive* Anthiam *celebris insuper variis in locis cultus illustrat, sed longe celeberrimus Constantinopoli & in omnibus ecclesiis Græcis, nunc eos solos libros usurpantibus qui Constantinopolitanis in usu sunt; adeo ut in Ephemeride metrica mensis Decembris (nam ad hujus mensis diem XV festivitas S. Eleutherii agitur apud Græcos) tamquam præcipuus eo die Sanctus proponatur hoc modo:* *S. Eleutherii cultus C.P. celebris 15 Decembris.*

Θεῖον Ἐλευθέριον δεκάτῃ πέφνε φάσγανα πέμπτῃ.

Ensis Eleutherium decima quintaque trucidat.

Celebritatem cultus hujus exaggerat, non tantum totius illius diei Officium ecclesiasticum in Menæis *ordinatum, sed etiam Canon duplex; quod alias rarum, nec nisi in celeberrimis Sanctis inveniendum.*

F

Accedit ejusdem cultus antiquitas: asserit enim Georgius Codinus, libro de originibus & Antiquitatibus Constantinopolitanis, templum S. Eleutherii tempore Arcadii Imperatoris, *atque adeo haud diu post annum* CCCC, ædificatum fuisse: *quod credimus illud esse* Martyrium *seu* Confessionem, *cujus Menæa meminerunt, atque docent* prope Xerolophum, *id est* Collem-siccum *extitisse; cujus dedicati anniversarium diem crediderim XV Decembris recurrere.* *propter ejus ibi templum erectum ab Arcadio,*

4 *Hinc porro intelligitur, minime vacuum fuisse* templum, *S. Eleutherio dedicatum, sed ipsas ejus reliquias ibidem honoratas: id enim subindicat* Martyrii *nomen. Multo autem clarius idem confirmant Canonum prædictorum verba: nam unius Ode VIII Martyrem glorificat; quia, inquit,* Tua theca rivos sanitatum & miraculorum flumina profundit utentibus; *Unde autem allatæ Constantinopolim Reliquiæ. Utique ab urbe Roma, juxta quam, communi studio Illyricorum (quibus fuerat Episcopus consecratus) ibidem passionis tempore præsentium, & Romanorum Christianorum, sacra corpora condita fuisse indicat* Metaphrastes, *ex aliis antiquioribus Actis; in hoc, quod primæ sepulturæ locum & Episcopatum Illyrici attinet, fide dignioribus, quam alia quæcumque: eo quod Latina* *& allatas istuc Roma reliquias,*

A *tina omnia, de quibus mox, originem Græcam haud obscure præferant.*

una cum qualicumque Vitæ & Passionis notitia:

5 Quare omnino existimamus, tunc cum sacra corpora primum refossa sunt (quod circa tempora Theodosii senioris factum arbitramur, aut saltem sub imperio filiorum) nulla dum scripta passionis Acta extitisse: ipsis vero jam refossis, cum pars eorum Constantinopolim esset dirigenda, translationis futuræ auctores vel curatores sollicite collegisse, quidquid de tormentis Sancto illatis, deque ætate ejusdem ac natalibus memoria fidelium retinebat, idque Græce scripsisse: sed Græca fide, id est cum majori admirationis cienda quam veritatis stabiliendæ cura. Reatinos autem, quibus alia corporum sacrorum pars cesserat; ipsa Græca Acta postmodum nactos, reddidisse Latine. Atque utinam uti facile est in iis observare deductionis Græcæ formam, tam etiam prope ad verosimilitudinem exprimeretur auctorum coævorum modus ac stylus in rebus visu auditisque narrandis, tales enim inducuntur in Mss. Reatinis conscripta à se Acta sic concludere. Hæc nos duo fratres.... Eulogius & Theodulus scripsimus, qui ab eo Eleutherio ordinati sumus: sed hortationibus ejus adjuti semper cum ipso perseveravimus; & ea quæ viderunt oculi nostri & audierunt aures nostræ, omnibus Christianis nota fecimus; credentibus nobis, & de ædificatione vestra qui legitis, & de eorum profectu qui audiunt, apud Dominum misericordiam invenire.

ex qua primum Græce scripta sint,

quæ sub nomine duorum coævorum

B

Latina habemus ex Mss. Reatinis,

6 Hæc Acta, ex duplici antiquo Ms. Reatino descripta habemus, sub nonnulla sed levi lectionum discrepantium varietate; & quoniam ipsa ex Græcis Actis, quæ necdum reperimus, verbotenus fere translata esse credimus; consequens etiam est ut credamus, quod Græcorum originalium defectum melius possint supplere, quam illa quæ apud Lipomanum Suriumque Latine exstantia & hic ad finem libri Græce legenda, stylo proprio composuit Metaphrastes, uti censet Allatius. Quia tamen eadem Reatina Mss. multimodis mendosa & quadamtenus fabulosa sunt; non possumus ea alio loco habere, quam SS. Theodori & Georgii Acta, sub nominibus Pasicratis & Augari famulorum, tamquam testium oculatorum, vulgata. Ex Actis porro Reate descriptis concinnata putamus Acta alia, quæ S. Eleutherium faciunt Episcopum Æcanensis in Apulia urbis, pro qua ibidem postea Troia stetit. Est enim phrasis partim diversa, partim eadem verbis, & quidem talibus subinde ut nequeant utraque ex Græco immediate translata credi; ut cum utrobique dicitur Eleutherii pater ter candidam edidisse. *Deinde Mss. Reatinorũ contextus facile apparet altero antiquior etsi uterque sit valde vetustus. Posteriora hæc Acta Latina, habemus edita in Mombritio, & descripta in antiquo legendario monasterii S. Maximini prope Treviros; eademque censuimus esse cum iis, quæ inveniuntur in* Ms. *Codice S. Huberti in Arduenna, & alio Collegii nostri Duaceni in Gallo-Flandria: item cum visis Neapoli apud Olivetanos, & Florentiæ apud Carolum* Strozzium: *nec non cum contractiori epitome, ex Vltrajectino S. Salvatoris Passionali accepta.*

quæ alibi quoque extant mutata phrasi,

ubi dicitur fuisse Episcopus Æcana.

C

quod secuti multi satis mendose:

7 Eadem posteriora Acta habuisse videntur qui in Galliis atque Germania scripserunt Martyrologia; & quænam esset Æcana Apuliæ *ignorantes, urbis istius ac regionis nomina varia torserunt, ac multis dederunt errandi occasionem, puta Vsuardus, Ado, Notkerus, Rabanus, prout infra apparebit. Omnibus illis cautior & antiquior Florus Lugdunensis, hoc solum ex Actis illis elogium texuit:* Romæ passio S. Eleutherii & ejus genitricis Antiæ, qui sub Adriano Imperatore passi sunt. Quorum Eleutherius in craticula missus, prunis superpositus est; postea in clibanum ardentem projectus; & non consumptus, alligatus est quatuor equis indomitis; nec etiam sic per frusta divisus, sed ab Angelo solutus, novissime jussu Imperatoris gladio est percussus. Anthia vero mater ejus, cum se supra corpus filii projecisset, confessa se Christianam, mox capite plexa est. *Quibus verbis de Sanctorum ipsa passione ea fere continentur omnia, quæ ut vera aut verosimilia merentur recipi: si tamen Episcopi gradum addas; à quo videtur abstinuisse Florus, quod in Actis diceretur Eleutherius ultra vigesimum annum adeo non provexisse ætatem, ut etiam* puer *&* puerulus *appelletur.*

ut Florus Prudenter.

AUCTORE D. P.

alia ex Ms. Syracusano edita

8 Præter Acta hactenus commemorata, alia quædam ex Ms. Ecclesiæ Syracusanæ habuit Octavius Cajetanus, forsitan ex Italico aliquo Ms. transcripta, quod facile esset cognoscere, si ea verbotenus edidisset. Sed ipse immediate ex Græco accepta esse præsumpsit, & quia interpres haud satis feliciter vertisse videbatur, dictionem immutavit, *quamvis nullo Græco textu prælucente,* paucis rebus, *& ut ipse putat* levibus recisis, quas quivis castigandas censuerit, *& pro quibus ad Metaphrasten lectores remittit. Idem Reatinum Ms. habuit, ex eoque in Annotationibus proponit quædam à Syracusani sui Codicis sensu discrepantia, & textui ex Apulia accepto tam similia, ut verosimile fiat ex eodem transumptum esse Syracusanum exemplar: cujus sententiam non solum truncavit Cajetanus, inter alia omittens quæ ibi de Æcanensi Episcopatu deque ablatis Roma reliquiis legebantur, sed etiam commutavit pro arbitrio. Non est tamen quod magnopere doleamus, non exhibitum sincere fuisse Syracusani illius Ms. ecgraphum, quandoquidem neque in ipso neque in Æcanensi ullo codice, ac ne in Reatino quidem, putemus sinceram posse inveniri historiam. Quod tamen ne severius quam fundatius dici, quis æstimet; age ipsum qualecumque est exhibeamus fideliter, & expendamus mature, ac tum demum ad ea quæ sunt certiora transeamus, de Reliquiarum translationibus.*

minus sincere.

cur aliqua hic edantur?

E

cultus Reate.

9 Quam levi indicio persuaserit sibi Cajetanus, Messanensem Episcopum fuisse S. Eleutherium, ex infra dicendis apparebit, nullus certè illius cultus apud Messanenses unquam fuit: & si nunc est aliquis, solius nititur Cajetani auctoritate. Reatini, uti sunt in antiquissima possessione Reliquiarum, quarum Translatio infra datur; ita etiam religione celeberrima Sanctos istos suos Patronos venerantur hoc die. Ecclesia quoque Cathedralis Terracinæ in Campania, inter suffragia Sanctorum (ut Chorus loquitur) Collectam recitat, sanctis omnibus suis Patronis communem; ubi inter alios nominantur SS. Eleutherius & Ansa, *quæ videtur* Antia *esse. Dabitur ea Collecta integre ad diem XIII Maji, ante Acta* SS. Domitillæ, Euphrosynæ & Theodoræ. *Verum quo titulo susceptus sit à Terracinensi Clero cultus ille, necdum didici: suspicari licet etiam ad ipsos aliquam Reliquiarum partem olim venisse, ob quam ita constitutum usurpatumque fuerit.*

& Terracinæ,

F

encomium Græcum,

10 Præter Acta Græca, quæ Metaphrasti attribuenda Allatius censuit, ut diximus supra, invenimus Parisiis apud P. Franciscum Combefis aliquod S. Eleutherii encomium Græcum, hoc principio, Μεγαλαυχὴν ἐυχαριστεῖν ἐπαινοῦμαι. *Non putavimus tunc quidem illud esse describendum, quia auctor ignotus erat, & ejusmodi encomia plerumque recentiora sunt Actis. Nunc vero licet illud etiam habere vellemus, tamen propter difficile hoc bellum, quo nostra cum Francis commercia dirimuntur, non videtur operæ pretium esse pro eo multa moliri, tam exiguam spem habentibus, aliquid ibi reperiendum, unde tenebris Sancto isti offusis lux aliqua obveniat. Itaque judicium tale ipsi P. Combefisio dimittemus, qui hisce lectis definire poterit utrum pro futuro operis Supplementi ipsum nobis describi mereatur.*

ACTA APOCRYPHA Eulogio & Theodulo, ut coævis, affic̄ta.

ex duobus veteribus MSS. Reatinis.

A viduâ matre Christiane educatus,

1 Vigesimo quinto anno Imperii Adrianus Imperator, dum ab Oriente Romam veniret, pervenit ad auditum ejus de beato puero, cui nomen est Eleutherius. Hic namque unicus erat matris suæ viduæ, Antiæ nomine, quæ viderat in corpore B. Paulum Apostolum; virum autem habuit illustrem nomine Eugenium, qui tertio Candidam Romæ ediderat. Quæ ejus relicta, ut diximus nomine Antia, mater Eleutherii, prima omnium matronarum, nutriebat filium suum in religione sancta, & doceri eum fecit sacras litteras ab Episcopo Christi Dynamio. Qui videns eum fortiter in eruditione sancta proficere, XVI ætatis suæ anno fecit eum Diaconum; XVIII promovit eum ad Presbyteratum. Quem videns sanitatem infirmis reddere & dæmones effugare, XX anno fecit eum Episcopum. *a*

Et Episcopus ordinatur,

a

B

Felicem Comitem contra se missum,

2 Tunc Adrianus Imperator audiens hæc, misit ad eum Felicem Comitem suum cum ducentis militibus, & jussit eum ad se perduci. Qui Felix cum venisset ad eum, invenit eum ingentem populum docentem. Quem intuens B. Eleutherius dixit ad eum Quid est quod cum tanta tyrannide ingressus es ad nos? quasi nostra virtute possimus vestram potestatem obligare? Deus, qui dat cunctis virtutem, adest mihi servo suo: ipse extinguat iram tuam. Ad hanc vocem Felix contremuit, quod tanta cum tyrannide ingressus fuisset; & [dixit quod] missus fuerat ab Imperatore Adriano, & quod ad exhibendum ipsum venisset. Cui respondens S. Eleutherius; Numquid nos latere posset, quod missus es ad nos? Nihil est quod ignorari possit ab his qui Spiritum sanctum acceperunt: ipse enim credentibus in se nota facit, non solum quæ sunt & quæ fuerunt, sed etiam quæ ventura sunt. Et cum plurima sancto sermone repeteret, procidit ad pedes ejus Felix Comes, dicens: Eleutheri, famule Dei, da mihi talem intellectum, ut ego credam cui tu credis. Facta igitur oratione imposuit illi manum, & euntes ibant Romam cum omnibus militibus.

convertit ad fidem;

C

& in itinere Romam versus,

3 Carpentes autem iter, de adventu & resurrectione Domini nostri Jesu Christi sermo comitabatur. Cumque venissent ad fluvium sederunt sub arbore: & cœpit eos hortari S. Eleutherius, ut refectionem sumentes ita fluvium transirent. Tunc dixit ei Felix Comes: Vivit Dominus, cujus cultores, quod non capiam cibum & potum nisi me feceris Christianum. Cui S. Eleutherius dixit: Si credis Jesum Christum esse filium Dei vivi, & credis quod in nomine ejus tinctus in hoc flumine remissionem consequeris omnium peccatorum, possunt hæc fieri. Cui respondit Felix Comes: Non ego te ultro rogarem, ut me facias Christianum, nisi ex toto corde meo crederem Christo. Tunc Eleutherius Episcopus, apprehensa manu ejus, tulit eum in partem, & invocato mysterio Trinitatis, baptizavit eum. Post hæc benedixit super caput ejus dicens; Domine Jesu Christe, ita illumina cor ejus, sicut illuminasti cor Eunuchi per Philippum Apostolum tuum, & ostende ornamentum fidei super eum. Hæc & his similia cum dixisset, reliquit S. Eleutherium Felix, & vadit ad fratres suos, indicans eis omnia quæ facta fuerant circa eum: qui & ipsi cum magno gaudio crediderunt Christo *b*.

baptizat.

b

D

Interrogatus ab Imp. Adriano,

4 Cumque ingressus esset S. Eleutherius palatium, nuntiatum est Adriano Imperatori à militibus. Jussit itaque sibi poni tribunal, & sedens jussit eum in conspectu suo præsentari; & interrogans eum Adrianus Imperator, ait: Dic mihi, Eleutheri, quo modo, illustrissimæ vir libertatis existens, tradidisti teipsum insanissimæ superstitioni, & credis hunc Deum, qui ab hominibus crucifixus est. Beatus vero Eleutherius, silentio studens, adstabat. Iterum interrogans eum Adrianus Imperator, dixit: Eleutheri, responde ad hæc quæ te interrogo. Tunc S. Eleutherius respiciens in cælum, facto sancto signaculo quod in Christo est, ita cœpit loqui: Libertas illustrissima & vera hæc est, cognoscere & colere Factorem cæli & terræ & omnium Creatorem. *c* Adrianus dixit: Acquiesce mihi, & ad Deos meos cultor accede, & faciam te magnum in palatio meo. Cui S. Eleutherius dixit: Verba tua dolo & amaritudine plena sunt.

fidem profitetur:

c

super æreum lectum nudus tenditur,

5 Fremens itaque Adrianus Imperator, jussit afferri lectum æreum, & expoliari S. Eleutherium, & nudum per quatuor partes tendi, ut disjungerentur delicati artus membrorum. Omnis itaque populus Romanus cucurrit ad hoc spectaculum tanti certaminis, in quo clamabant omnes, Ingenuum & sapientem & nobilem virum vult interficere Imperator. At cum transisset hora, jussit solvi S. Eleutherium, sperans eum arsisse: erat enim sub ipso lecto æreo ignis copiosissimus accensus. Mox autem ut solverunt manus ejus ac pedes, exurgens cœpit deambulare coram omni populo, & extensa manu dixit: Viri Romani, audite: Verus, magnus, & unus Deus omnipotens; & non est alius nisi hic quem prædicarunt Apostoli Petrus & Paulus, per quos multas virtutes & sanitates ipse Deus fecit in populo, & Simonem in magicis artibus suis gloriantem prostraverunt, & idola muta & surda, quæ colit Adrianus Imperator, suis pedibus conculcarunt.

E

à quo illæsus descendit,

item quoad craticula,

6 Tunc Adrianus Imperator jussit afferri craticulam, & perunctam oleo super carbones ardentes poni: dixitque ad S. Eleutherium: Per invictum solem, quia sicut filium te habebo, si deos meos adoraveris: si autem nolueris, in ista assabo craticula. S. Eleutherius dixit: Lupe rapax, & dii tui & sermones tui sint tecum in perditionem: me autem scias nec Dominum meum relinquere, nec tuam craticulam ignitam formidare. Statimque ut est impositus, ita ignis extinctus est & craticula refrixit, ut in ea tepor ignis qui accensus fuerat, non remaneret. Adhæc insaniens Imperator Adrianus jussit sartaginem immanissimam repleri oleo, & dum ebulliret & inundaret, dixit Eleutherio: Miserere nobilissimæ tuæ juventuti, ne iram Deorum incurras, & quasi unum lopadium *d* in ista sartagine exfrigaris Ridens S. Eleutherius dixit, Cum sis curiosus omnium, miror quomodo non potuisti adhæc pertingere, quod tres pueri Hebræi missi in caminum flammæ ardentis, cujus altitudo cubitis quadraginta novem elata, stridentibus pabulis picis, resinæ & sarmentorum ferebatur, in medium hujus flammæ jactati, cantando potius quam gemendo permanentes, perambulabant illæsi, quia Filius Dei perambulabat in medio eorum, quem ego colo, cujus sum ego exiguus servus & indignus Sacerdos. qui me numquam deseruit ab adolescentia mea *e*.

F

& sartagine,

d

e

tyrannus ad defectionem sollicitanti,

7 Tunc Adrianus Imperator quid ageret, Deus, circa famulum tuum Eleutherium? Insultabat in oleo sartaginis posito (hanc enim sibi virtutem Dominus in sartagine præstitit, ut ignis subtus flammas evomeret, & oleum frigidissimum permaneret) insultans ergo Adrianus Imperator Eleutherio dicebat, Antequam decoquaris promitte te sacrificare diis, & liberabo te. Respondens S. Eleutherius dixit:

EX APOCR. MSS.

A dixit: Hoc dii tibi præstant, quod ipsis metallis natura concessit: sicut enim oculos habent & non vident, sic & tu cæcus remansisti & orbus: nam lectus æneus accensus, & craticula tua, & sartago tua tantum mihi refrigerium præstant, ut algere potius potuerim quam ardere. Sed oculi tui, caligine incredulitatis obtenebrati, non possunt videre quæ Dei sunt. Aperi oculos tuos, Imperator, & considera verum Imperatorem Dominum Jesum Christum. Non vides quomodo ad ejus imperium algeat ignis? tamquam in fonte frigido, ita in oleo sartaginis tuæ non concalesco. Age ergo pœnitentiam de tua ignavia, & verum Deum te non coluisse jam plora.

insultat:

8 Ad hæc Adrianus tanta ira accensus est, ut in angustiam & anxietatem illum transferret. Tunc Corribon *f* Præfectus videns angustiari Imperatorem, dixit ei; Domine Imperator, ab oriente usque ad occidentem totus mundus tuo imperio subjacet, & universæ gentes tuæ jussioni famulantur: hic unus puerulus in conspectu nostro contemnit regnum tuum. Jubeat majestas tua recipi eum in carcerem: ego jubebo clibanum æreum fieri, cum sudibus & cooperculo; in quem ardentem cum fuerit missus & coopertus, ultra non insultabit. B Tu autem surge lætus, & requiesce hodie: crastina vero die in conspectu populi totius Romani, in meo amphitheatro, videbis de eo triumphum. Audiens B. Eleutherius dixit: sic credo & hæc fides mea, quod triumphum de me videat, non suum, sed Dei mei Jesu Christi.

f Præfectus urbis suggerit fabricandum clibanum

9 Alia vero die Corribon Præfectus, invitato omni populo Romano ad amphitheatrum, *g* primo ad delectationem populi fecit à venatoribus aliquantas feras interfici; circa tertiam vero horam fecit Eleutherium ingredi, & positus est in conspectu ejus clibanus magnus & candens, & intrinsecus erat sudibus ferreis instructus: & dixit ad eum Corribon Præfectus: Omnes gentes majestatem Domini nostri Adriani Augusti venerantur: tu solus juvenis, superbus es contemptor jussionis ejus: quapropter aut audi jussionem ejus, & deos deasque quos colit adora, aut scias te in istum clibanum mitti. Dicit ei S. Eleutherius: Audi, Præfecte Corribon: Tu habes Regem tuum, qui te Præfectum fecit; & ego habeo Regem meum, qui me fecit Episcopum: unus ex his duobus Regibus qui vicerit, ipsum adorari oportet & à me & à te. Si enim vicerit clibanus tuus fidem meam, recte adoro Regem C tuum: si autem victus fuerit à Rege meo clibanus tuus, tu adora Dominum meum Jesum Christum.

g quem sibi propositum contemnit Eleutherius,

10 Tunc jussit Adrianus Imperator, ut in clibanum S. Eleutherius mitteretur. Respiciens autem in cœlum S. Eleutherius dixit: Gaudium nostrum & verum lumen omnium animarum credentium in te, tu scis quia omnes passiones pro nomine tuo mihi suaves sunt: sed ut ostendas contendentibus contra te omnia elementa esse contraria, non concedas me famulum tuum in isto clibano consumi. Cum hæc dixisset & jactatus esset in clibanum; illæ sudes ferreæ, quasi ligna fuissent, ita consumptæ sunt, & intus limpida omnia ac frigidissima sunt effecta: & per gyrum quidem clibani aqua frigidissima redundabat ad refrigerium Justi, ex ipso autem clibano clamabat dicens, Transivimus per ignem & aquam, & induxisti nos in refrigerium *h*.

ex eoque illæsus egreditur:

11 Tunc Corribon Præfectus exclamavit voce magna Imperatori, dicens: Sacratissime Imperator, credamus hunc Deum, qui cultores suos ita liberat. Iste namque Sacerdos Dei est: tentemus Sacerdotem Jovis aut Junonis aut Herculis, & mittamus in tales flammas, & tunc videamus si dii possunt liberare eos. Tunc Adrianus Imperator dixit Præfecto Corribon: Numquid auro aut argento à matre impii istius redemptus es? Ego tibi Præfecturam & potestatem dedi, ut auri & argenti facultates exhiberent tibi: sed majora si volueris, ego dabo tibi. Tunc Corribon dixit: Iste honor à te datus temporalis est: tamdiu ego erravi, quamdiu ad veritatem pervenire non potui. Si in contemptu perseverare vis, tu videris: ego autem ex hac hora Christum credo Deum esse, & nego universa idola deos esse: hunc autem unum Deum esse assero, quem Eleutherius prædicat, quia ipse solus est qui ex multis periculis liberat colentes se.

h quo viso conversus Præfectus,

confitetur Christum,

12 Tunc erepto S Eleutherio, jussit mitti Corribon, qui dicebat: Vir Dei, ora Deum tuum, quem hodie confessus sum verum Deum solum; & da mihi signaculum, sicut dedisti Felici Comiti, ut ego insultem Adriano Imperatori: Orante autem cum lacrymis S. Eleutherio, repletus est Corribon Spiritu sancto: & cum missus fuisset in clibanum, ita omnis ignis evanuit, ut nec signum ibidem alicujus teporis remaneret. Videns autem Imperator quod etiam Corribon vinceret, jussit eum in conspectu omnium decollari: Sanctum vero Eleutherium jussit iterum in medio ignis incenso clibano mitti, & E desuper operimento æreo operiri. Post autem fere duas horas aperiri clibanum jussit. Stabat autem S. Eleutherius invictus, flore primæ juventutis velut Angelus fulgens, ita ut nec capillus capitis ejus esset ab igne combustus. Tunc omnis populus Romanus dabat gloriam Deo, qui talem virtutem dedit credentibus in se.

& à clibano similiter illæsus egrediens,

capite plectitur,

13 Contristatus vero Imperator & iratus vehementer, quod victus esset à puero Dei; abstulit purpuram suam, & ingressus in palatium fremens, convocavit Comites suos ad consilium, quærens qualiter Eleutherium posset interficere. Cumque esset B. Eleutherius in custodia multis diebus, cibum non accipiens, columba *i* ei cibum portabat ad satietatem. *i* Refectus autem his, Deo gratias referebat, dicens: Benedico te Domine Deus, qui nutrivisti me à juventute mea: tu enim es qui Eliam in deserto pavisti, & Danieli inter leones constituto prandium transmisisti; & nunc, Domine, servum tuum non deseruisti, sed satiasti me cibo cælestiali; laudem refero nomini tuo, & benedico gloriam tuam in secula seculorum. Tunc Adrianus Imperator, videns eum pulchriorem factum, cum eum deficere existimabat *k*; jussit adduci F indomitos equos, & jungi ad currum, in quo B. Eleutherium retrorsum ligaret, jussitque fieri stimulos, *k l* *l* acutos, per quos percussi equi ex ipso curru, currum violentius raperent; atque per inculta & aspera currentes, ejus delicata membra disrumperent.

Eleutherius, diuturno jejunio robustior,

equis indomitis raptandus alligatur,

14 Eadem autem hora Angelus Domini suscipiens B. Eleutherium, solvit eum, & fecit eum sedere super currum: equi vero duxerunt eum in montem excelsum, ubi erat fons irriguus & arbusta pomifera. Gratia autem Dei erat subsequens eum: nam cum adscendisset in montem, statim jugaturæ equorum dissolutæ sunt, & equi ipsi abierunt. Sanctus vero Eleutherius, sedens in cacumine montis, benedicebat Deum. Congregabantur autem ad eum omnes feræ silvarum, & affectu quodam juxta per gyrum adstabant: jacebant quasi agni leones, & velut oves jacebant ursi, *m* adjungebant se pardi & omnia ferarum genera, & cum omni mansuetudine ad ejus faciem attingebant: nullam ibi leones prædam sitiebant, nulla ursi rabies apparuit, ubi Christus mansuetudinem adduxit. Igitur cum hæc agerentur *n* venerunt venatores feras capere, quæ muneribus erant eo tempore necessariæ. Et videntes oculis suis S. Eleutherium inter feras

ab eisque solutus,

m

feras sibi mansuetas habet;

n

Ex MS.

feras, nuntiaverunt Imperatori: qui statim missis militibus jussit eum ad se adduci. Venientibus eis, feræ impetum faciebant in eos. Videns autem vir Dei tantum bellum pro se committi, ait ad omnes feras: Adjuro vos per nomen Christi Domini, ut nullum ex his contingatis, sed unaquæque vestrum ascendat ad locum suum: ad cujus vocem omnes feræ cum omni mansuetudine abscesserunt.

missos ad se capiendum convertit:

15 Aperiens autem os suum S. Eleutherius, cœpit dicere militibus. Filioli mei, ecce feræ agnoscunt Deum; quanto magis vos, quos ad imaginem & similitudinem suam fecit, debetis cognoscere Creatorem vestrum, & non lapides sculptos & dolata ligna deos credere, & illum qui in cælis est & vitam vobis tribuit denegare. Vos ipsi scitis quia in ejus nomine confidens pœnas evasi. Sic etiam vos, si credideritis in eum, non solum ipse diliget vos, sed etiam fovebit & rectificabit & diriget ad gloriam sempiternam. Verumtamen, à quo venistis, eamus viam nostram. Igitur cum descenderent, baptizati sunt plus quam o sexcenti octo viri, inter quos erant Comites tres nobili genere, qui pedes ejus osculabantur, dicentes, ut abscederet quo vellet. At ille ait: Iram suam in vos Adrianus Imperator, & in filios vestros, & in conjuges vestras retorquebit: sin autem constanter stetero, & meam coronam obtinebo, & vestrum gaudium non amittam.

B

theatrales feras in se dimissas,

16 Tunc nuntiatum est Imperatori quod Eleutherius adductus fuisset: jussitq; fieri ludum ferarum, & spectari eum jussit in medio. Cum primum dimissa esset leæna, immaniter rugiens, agnoscens hominem Dei, cucurrit ad pedes ejus plantasque lingebat. Et cum stupescerent omnes videntes tanta mirabilia; jussit in eum leonem ingentem mitti, cujus fremitu omnis populus tabescebat. Dimissus autem leo cucurrit ad B. Eleutherium, & tamquam pater filium post multum tempus videns, ita coram omnibus flebat in conspectu ejus π & manus ejus ac pedes ejus lingebat. Tunc omnis populus Romanus variis vocibus clamabant; alii nocentem, alii cultorem Dei dicebant, qui auxiliatus est Petro & Paulo contra Simonem: & habentes inter se ipsos contentionem pro infidelitate invicem p laniabant.

habet obsequentes:

p

tyranno insultat,

17 Tunc Adrianus Imperator, vocans ad se S. Eleutherium, dixit: Quamdiu faciunt pro te dii nostri, & tu non obtemperas eis? Tunc S. Eleutherius exclamans voce magna, dixit: Abominatio desolationis, gladius carnifex, & interitus mortis æternæ, tu ausus es imputare dæmonibus, quæ Christus ad laudem nominis sui præstare dignatus est, quique mihi virtutem ad hoc præstitit, ut tuam contrariam virtutem prosterneret? Ecce enim Deus auferet à te regnum quod injuste gessisti, & pœnas quas in Christo confidentibus contulisti, animæ tuæ ad supplicium revocabit. Tunc habebis pœnitudinem infructuosam & vanam, eo quod non credideris Christo, & non posueris potestatem tuam in misericordia ejus. Tunc Adrianus Imperator jussit massa plumbi os ejus contundi. q At ubi sumpsit unus ex ministris, plumbum liquatum est in manu ejus, & arsere digiti ejus. Tunc anxiabatur Adrianus, quod non posset pertingere ad interitum B. Eleutherii. Videns igitur S. Eleutherius nullum dolorem in corpore suo dominari, expavit, ne dum non sentiret ullum tormentum martyrii, ejus amitteret fructum. Tunc expandens manus suas, elevans vultum ad cœlum, dixit: Domine Jesu Christe, largitor gloriæ, gubernator animarum in te credentium, Verbum ante Luciferum ex Patre genitum, per quem creata universa; deprecor, ne me patiaris hodie sine corona de isto stadio exire: & hæc dicens faciebat in toto corpore suo signaculum Crucis. s

C

& plumbo quo erat tundendus liquato,

q

r

orat Deum ut suum agonem coronet,

s

D

18 Tunc accesserunt duo percussores, & interfecerunt eum. Quo facto audita est vox de cælo ingens, vehementior tuba, clamans ac dicens, Veni, Eleutheri, famule Dei: aperta est tibi porta civitatis quæ est in cælis, & Angelus Dei stans expectat te. Multos autem hæc audientes invasit tremor. Tunc S. Antia mater ejus posuit faciem suam super corpus filii sui flens & colligens in linteaminibus sanguinem ejus, [& sepulturæ] aptabat corpus ejus cum esset inhumatum t. Tunc missi sunt ab Adriano Imperatore, qui & ipsam matrem interfecerunt gladio. Videns Adrianus Imperator corpora eorum inhumata, reliquit ea: venientes u autem nocte sancti viri, rapuerunt corpora eorum: & una cum Episcopo, nomine Primo, venerunt ab urbe Roma in campum Reatinum, juxta ipsam civitatem Reatinam milliarium unum, & ibi sepelierunt corpora eorum, in prædiolo quod est Episcopi x Primi, in campo Reatino, in loco qui nominatur Urbanianus, qui est ab urbe Roma milliariis XLI juxta civitatem Reatinam, quique est in via Salaria. In ipso vero prædicto loco, ubi corpora eorum recondita fuerunt, unam SS. Eleutherii & Antiæ matris ejus fabricaverunt ecclesiam, in qua operantur sancti Martyres multa beneficia. Usque in hodiernum y diem, ad eorum corpora ægri veniunt & sanantur, energumini veniunt & liberantur.

& capite plectitur ipse

& mater ejus.

t

u

corpora juxta Reate sepeliuntur,

x

y

E

19 Hæc nos duo Fratres ... Eulogius & Theodulus scripsimus, qui ab eo ordinati sumus, & hortationibus ejus adjuti semper cum ipso perseveravimus: & ea quæ viderunt oculi nostri & audierunt aures nostræ nota fecimus; credentibus nobis & de ædificatione vestra qui legitis, & de eorũ profectu qui audiunt, & de meritis [Martyrum qui laudantur] apud Dominum misericordiam invenire. Ipsorum natalitia celebranda sunt VIII Kalendas z Decembris, [præstante] Domino nostro Jesu Christo, cujus est honor & gloria in secula seculorum. Amen.

Acta finguntur à familiaribus scripta.

z

ANNOTATA.

Quisquis in opere nostro versatus attentius legit editas à coævis scriptoribus Vitas, eum non facile decipiet extrema hac clausula, ut passionis historiam, deductione poetica explicatam, & tot circumstantiis theatralibus auctam, credat oculata fide scriptam esse, aut omnino habere speciem historiæ. Oportuit tamen eam hic producere, ne concinnior & modestior deductio Passionis, per Metaphrasten descripta, firmiorem obtineat fidem, quam hæc unde ipsa accepta est: atque ut etiam ibi sciat Lector discrete ambigere. Eodem consilio studiose transcripsimus prolixissimas duas S. Gregorii Armeni & S. Gregorii Agrigentini vitas Græcas, hanc pro XXIII *Novembris, sub nomine Leontii Abbatis Sabaitæ scriptam: istam pro* XXX *die Septembris Agathangelo coævo attributam, utramque de multa fabulositate suspectam, ut cum fons ipse publico expositus fuerit, non nimium fidenter bibatur ex rivo, quem inde traduxit Metaphrastes: vir sane magnus, sed cujus hic solum scopus fuit, ut quæ in ecclesiis quibusdam Græcis ob rusticitatem aut prolixitatem styli, non sine stomacho prudentium legebantur; ea proprio ipsius stylo brevius concinniusque deducta minus displicerent. Alius nobis in hoc opere propositus scopus est, ad ipsa scilicet cujuscumque circa Sanctos narrationis fundamenta penetrare, cum veri falsiq; discrimine tanto, quantum studio & meditatione obtineri potest. Quæ exercitatio cum usu ipso perficiatur, fit etiam ut quandoque judicemus nonnulla in præcedentibus lucubrationibus nostris indulgentius dissimulata fuisse, quam nunc faceremus, si rursum Acta S. Martinæ (quam Græci Tatianam vocant)* I *Januarii,* S. *Eudociæ* I *Martii, & pauca quædam alia ad examen revocare liceret. Erit ea posterorũ nostrorum cura. Nunc priusquam progrediar ad reddendas rationes censuræ nostræ, de præmissis S. Eleutherii Actis; libet, ad pleniorem fidem,*

Acta apocrypha cur hic

F

& alias quandoque danda,

sed cum liberiori quã antehac censura.

postea

A *postea faciendam, conferre hac ipsa qualiacumque cum aliis supra indicatis Actis, tam MSS. apud nos quam editis apud Mombritium (Æcanensia appellare liceret, quatenus ab Æcanensi ecclesia derivata fuerunt) nec non cum Graca* Metaphrastis *paraphrasi.*

a *De anno Imperatoris deque ætate Sancti, cum ordinatus & mortuus est, infra videbimus: hic notandum initium Actorum aliorum quod tale est.* Eleutherii nobilissimi viri fama nos oblectat, & animat ad fidei veritatem veneranda concertatio. Hujus etenim pater, cum primus fuisset Senatorum ac ter Candidam edidisset; recedens de corpore, parvulum Eleutherium dimisit matri suæ, & unicum reliquit Anciæ filium. Quæ eum postmodum offerens Deo, cuidam sancto tradidit Episcopo sacris litteris edocendum. Eleutherius vero crescebat in fide & ætate. & gratia Domini erat plenus. Cum esset annorum decem & septem ad Diaconatus eum provexit officium (*Mombritius habet* annorum duodecim). Eleutherius vero, adjuvante Dei gratia, magis crescebat in fide. Factus itaque annorum decem & octo, Presbyterii gradum accepit: Dominus autem majora ei gratiæ largitus est dona. Et cum esset annorum viginti, videns sanctus Episcopus, cui fuerat commendatus, multa signa per eum fieri, & spiritus immundos expelli; petentibus mul-
B tis sæpe eum, Episcopum ordinavit, atque in Apuliam civitatem Hecanam destinavit: Dominus autem semper erat cum Eleutherio. Tunc Adrianus Imperator, adveniens Romam de partibus Orientis, audiens famam B. Eleutherii, quod tanta signa & tantas virtutes, in urbe & in loco quo fuerat destinatus, demonstraret; mittens Felicem Comitem cum ducentis militibus, eum exhiberi præcepit. Adveniens vero Felix Comes cum equo in Æcanam civitatem, ingressus est in ecclesiam. *Hac satis ad specimen, tam styli quam discrepantia, qua fere in hoc principio tota est posita: cetera deinceps cum Reatinis MS, maxime conveniunt quoad sensum, nec raro etiam quoad verba. Pater Sancti, qui hic utrobique dicitur* ter candidam edidisse, (*phrasi tribus primis Christianis seculis ignota; & nescio an vel post uspiam invenienda.*) *à Metaphraste vocatur* Τρισύπατος, *id est*, ter Consul, *quales toto eo tempore, de quo sermo esse potest, non inveniuntur in fastis consularibus alii præter Imperatores. quam* Titus Virginius Rufus *anno* 97, Cajus Sosius Senecio *anno* 102, *&* Lucius Licinius Sura *an.* 107. *Horum aliquis, ad fidem Christianam conversus, potuit pro Romanis nominibus (quod tamen eo avo placuisse vereor ut possit per satis certa exempla doceri) sibi ac filio nomina assumpsisse Graca, quibus inter Christianos uterentur, simulque melioris ingenuitatis soli-*
C *diorisque libertatis per baptismum obtenta recordarentur;* Eugenius *enim, ingenuum ac nobilem; liberum significat* Eleutherius. *Interim quid sit* candidam edere *necdum assequimur, fortasis intelliguntur* ludi Circensis; *quibus & tunc & proximis aliquot seculis initium dabat novus Consul, missa seu explicata* mappa: *qua de re vide Alexandrum Wiltuemium in Diptycho Leodiensi. Sed Silvius in Laterculo* tres mappas *uni attribuit Consulatui* VII *Idus Ianuarii, ipsis Idibus &* XIII *Kalendas Maji. Ideoque ab ulteriori conjectura abstinemus. Sufficiat dixisse Consulum imagines ita effictas inveniri, ut elata dextra mappulam stringant. Quod ad Episcopum attinet, cui oblatus puer & à quo ordinatus Episcopus Eleutherius fuerit, eum Metaphrastes nominat* Romanæ Ecclesiæ Archiepiscopum Anicetum. *Ast hic solum iniit Pontificatum anno* 12 *post mortem Adriani: Octavius Cajetanus suspicatur*, Anacletum *legendum: sed hunc ostendemus vivere desiisse plus quam* 20 *annis ante ejusdem Adriani initia.*

b *Hac in Mombritio & aliis MSS. multo contractius narrantur.*

c *Eleutherii responsionem prolixa oratione extendit Metaphrastes.*

d Lopadium *videtur esse diminutivum à Graca voce* λοπὸς cortex, *unde in alio sensu formantur* λοπὰς *&* λοπάδιον ollula, patella, *alibi non invenitur hac similitudo.*

D

e *Alia MSS. partem hujus* § *& proximam totum, quod paulo aliter sic absolvunt:* Sanctus vero Dei famulus Eleutherius, juvenis ætate, senex vero sensu, ut vidit sartaginem bullientem super ignem, insiliens in eam dixit: In nomine Domini mei Jesu Christi ascendo. Sanctus autẽ vir requiescebat super eam, quasi super rorem, qui de cælo descendit in herbam; & dixit ad Adrianum. Tyranne, ubi sunt minæ tuæ & potentiæ tuæ? ecce quantum possunt qui credunt ex fide in Dominum Jesum Christum, qui prosternere habet tyrannidem tuam sub pedibus meis, sicut & patrem tuum diabolum prostravit. *Mombritius* Tyranne, nonne sepulcrum sic carnem desiderat & sanguinem recipere? recipe resticulam tuam, sicut pater tuus, qui dicitur diabolus.

f *Alibi* Consibon *& plerisque* Corribon, *Metaphrasti* Coremon, *Nicephoro* Cerabor, *Rabano* Correvus, *Notkero* Correnus *supposititio Beda* Correus, *Baronio* Corebus: *quo nomine aliquem Romana urbis Prafectura, non nisi nobilissimis Romanis conferri solita, functum esse, agre ex hujusmodi Actis persuadebor.*

E

g *De Amphitheatro alibi altum silentium: indicantur tamen publice gesta omnia.*

h *Metaphrastes non dicit S. Eleutherium tunc missum esse in clibanum: sed finita oratione (cui in aliis Latinis* MSS. *satis importune finguntur Christiani præsentes acclamasse* Amen) *ait propius Martyri accessisse Corremonem, soleque intuitu ejus immutatum, & Martyris innocentiam professum, immissum ejus loco in clibanum fuisse: hoc autem innoxie egresso & capite minuto, injectum denique esse Eleutherium.*

i *Etiam Metaphrastes columba meminit: alia autem* MSS. *solum dicunt, quod* Spiritu Dei nutriebatur.

k *In aliis* MSS. *hac interponuntur:* Post hæc vero procedẽs Imperator, furore repletus, eum sibi offerri præcepit, dixitque ad eum: Adhuc quamdiu patiens ero? consenti nobis, ut vivas. Eleutherius respondit: Miror quod non erubescis à tantis superatus virtutibus, etiam à famulo Dei Corribone, quem in sinu Abrahæ credo requiescere, per cujus bonam confessionem ignis extinctus est.

l *Alibi* Ferreos, *tacet de stimulis Metaphrastes, solum indicat, equos indomitos eo consilio junctos currui, ut ipsius currus insueto fragore consternati equi Martyrem distraherent violentius.*

F

m *Mirum est nihil hic hasitasse Metaphrasten, qui facile scire poterat circumjectos urbi Romana montes, nec leones nec leopardos alere. Alia* MSS. *insulsius aliquid, à scriptore Reatino providentius omissum, sic addunt.* Sanctus autem Eleutherius docebat feras ut laudarent & benedicerent Dominum, At ille, cum aliter non possent laudare Dominum, elevantes dexteros pedes suos benedicebant Deum cæli & terræ, qui omnia creavit. *Similia habet etiam Metaphrastes.*

n *Eadem MSS. paucissimos hic dies interjiciunt.*

o *Moderatius Metaphrastes & alia* MSS. *solum indefinite dicunt conversos esse plurimos ex iis, & tacent de oblata Martyri libertate.*

p *Eos qui vociferabantur, quod magus esset Eleutherius & impostor, invisibili plaga percussos scribit Metaphrastes, alia* MSS. & contendentibus multis interfectæ sunt animæ plus quam quinque millia. *Quis credat?*

q *De hoc novo irritoque tyranni conatu nihil legitur apud Metaphrasten & in aliis* MSS.

ſ *Addunt eadem* MSS. se gladio percuti petit: audiens autem hoc Adrianus, qui in tantis tormentis fuerat superatus, gavisus est, & eum gladio percuti jussit.

t *Eadem martyrium matris sic prolixius describunt:* Cum mater ejus assidue ac sæpius cohortaretur ac confor-

AUCTORE D. P.

confortaret in Domino, ad instar matri Machabeorum, gavisa est in ejus passione, eo quod digna fuerat ex fructu ventris sui Domino munus offerre. Tunc se manifestavit Adriano Imperatori, jactavitque se super corpus filii sui dicens: Memor esto mei, fili, quæ te genui, cum veneris in requiem, quam tibi Dominus dare promisit. Videns vero Adrianus eam, requisivit quæ esset: nuntiatumque est, ipsam esse matrem Eleutherii. Quam interrogavit, quæ diceretur. Respondit, Ancia. Dixitque Adrianus ad eam: Quid desideras, quod super corpus filii tui te jactasti. Ancia respondit, Si mereor, cum ipso vivere in perpetuum, nec ab eo unquam separari. Sicque ad eam Adrianus dixit: Ecce quod desideras nunc facio, ut non sis ab eo separata: & sic eam gladio percuti præcepit. Quæ glorificans Dominum, quod eam ad confessionem sui nominis dignam judicavit, reddidit spiritum.

u *Reliquum hujus paragraphi contextum additum fuisse ab interprete Reatino, prout majorum ferebat traditio, vix dubitamus: Metaphrastes, ex veteri textu Græco, hunc suis verbis sensum reddidit:* Qui vero ex Illyrico aderant religiosi viri, sublatis diligenter reliquiis, cum Romanos viderent de eisdem requirendis solicitos, ipsas indicarunt ubi essent; atque ita communi utrorumque B studio conditæ aromatibus, congruo cum honore sepultæ fuerunt, indeficiens thesaurus Christianis, morbo autem vel dæmone gravatis malorum omnium præsens remedium. *Æcanenses ut apud se depositos primum Sanctos persuaderent, descriptam apud se Legendam finivere sub hac forma:* De civitate autem illa Hecana, in qua fuerat S. Eleutherius Episcopus ordinatus, multi secuti sunt eum. Postquam autem venerabile complevit certamen, occulte per noctem tulerunt reliquias eorum, & transmiserunt in patriam suam. Romani vero altera die cum requisissent Reliquias Sanctorum Martyrum, & non invenissent, turbatio magna erat inter eos. Tunc confessi sunt illi dicentes, Quia nos tulimus Reliquias sancti Episcopi nostri Eleutherii & ejus genetricis Anciæ: & sic mitigata est furia Romanorum. Acta sunt autem hæc circa Sanctos Dei Eleutherium Episcopum & Anciam matrem ejus apud urbem Romanam, die quartadecima Kalendas Majas, sub Adriano Imperatore, regnante Domino nostro Jesu Christo, cui est honor, virtus, & gloria in secula seculorum. Amen.

x *Latent Episcoporum Reatinorum nomina, usque ad S. Probum; qui videtur circa annum 570 obiisse, ut diximus 15* C *Martii. Hic dubitari posset an Episcopus; Sanctorum corporum tumulator; vero nomine vocatus fuerit Primus; an autem primus in serie Episcopali, à posteris, verum nomen ignorantibus, ita ceperit tamquam proprio nomine appellari.*

y *Hæc verba non tantum plenam Ecclesiæ pacem, erectis palam templis ornatam indicant; sed etiam seculi unius alteriusve decursum, post ædis Vrbanianæ constructionem.*

z *Fuerit dies non mortis (de quo ex Hieronymiano Martyrologio certius nobis constat) sed dedicatæ primum in Vrbaniano ecclesiæ, vel translatarum intra urbem reliquiarum ad ecclesiam S. Ioannis Euangelistæ; de quo infra. An autem 24 Dec. etiam nunc festivum habeant Reatini, an vero hunc præsentem Aprilis non comperimus.*

CENSURA ACTORUM.

In his Actis displicent præsens ad omnia Adrianus,

20 *Nunc mihi animum adverte, Lector, atque considera, totis hisce Actis induci Adrianum Imperatorem, eo plane modo, quo in comœdia ageret tyrannus aliquis theatralis; quasi is suppliciis omnibus, non tantum decernendis sed etiam inferendis præsens, infimi cujusque iudicis aut carnificum præfecti partes egerit: sicut in aliis quibusdam Martyrum historiis, multa post secula imperitius scriptis, omnia & dicere & agere finguntur ipsi Imperatores, quæ ipsorum Præsides judicesq; procul ab eorum præsentia notitiaque* D *egere Christianos juxta Imperialia decreta torquendo. Observa deinde quod occidendo Eleutherio quater adhibitum dicatur ignis elementum, idque haud multum dissimili modo; quod est ab usu & ratione alienum. Cum enim magicis artibus adscriberent gentiles, quod ab igne illæsi permanebant Martyres: cui verosimile fiet fuisse tam amentes, ut in quo elemento victores illos semel iterumque experti fuerant, seipsos tertio ac quarto vincendos ridendosque propinarent; & non potius alium inferendæ mortis modum excogitarent, si forte hoc essent superabiles, quos magia sua contra ignem armabat. Arbitror ego, quod unis lectus ignitus erat, id aliis craticulam esse dictam; neque sartaginis oleo bullientis supplicium, distinguendum esse à supplicio clibani candentis: sed quia alii hac, alii ista ex majorum traditione nominabant, quadruplicatum fuisse supplicii tentati modum, quem satis erat geminari, uti prudentior Florus fecit.*

quater resumptum ignis supplicium,

21 *Equis deinde aut curribus alligari vel distrahendos quadrifariam vel raptandos per aspera viarum Martyres sæpe legimus: sed numquam sic illud concepimus fieri, ut equos aut currus observaret nemo, quomodo hic legitur inobservatus Eleutherius subiisse cum suo curru in montem, ibique delituisse donec à venatoribus inveniretur; & iis quidem venatoribus, qui, non assueta Italicis silvis animantia, sed leones ac pardos pro theatralibus spectaculis capturi advenerant. Non adeo parabiles feræ illæ erant, quas maximis sumptibus ex Asia atque Africa tales in usus advehi solitas, Romanarum rerum periti novere. Quid igitur? Objectum feris Martyrem, easdem habuisse obsequentes ferebatur: id satis compilatori fuerit, ut* E *in geminam scenam ipsas induceret, semel ut divinitus adductas ad Eleutherium, alias ut à tyranno immissas. Nihilo minus displicet, quod ad hominē unum, inter feras confidentē, Romam reducendum & Imperatori sistendum, nondico apparitores plures sed plures integræ cohortes cum suis tribunis missi significentur, quando ii, qui ex tota multitudine in Christum credidere, visa quam Eleutherius in feras exercebat potestate, dicuntur fuisse* plusquam sexcenti octo viri, inter quos erant Comites tres nobili genere. *Simile offendiculum in prima comprehensione occurrit dum usque ad urbem, cui Episcopus consecratus fuerat Eleutherius (in Illyrico scilicet vel in Apulia) misisse narratur Adrianus* Felicem Comitem cum ducentis militibus, *& additur quod hic ecclesiam ingressus cum suis omnibus, Episcopum invenerit concionantem: neque enim adducendo uni reo tantus fuit apparatus necessarius, neque alibi tale quid leguntur Romani Imperatores fecisse. Iubebant illi ut scriberetur ad Provinciarum vel urbium Præsides, qui iis quos jussi fuerant transmittere Romam, paucos aliquos custodes adjungebant. Sic Apostolo Paulo miles unus adhæsisse dicitur: sic Ignatius Episcopus Antiochenus gloriatur ire se Romam, alligatum decem leopardis, id est militibus se custodientibus, tamquam ultra morem multis.* F *Idem Ignatius aliique sancti Martyres plurimi, in amphitheatro bestiis objecti leguntur; eratque hoc inter alia spectacula, populo exhiberi solita, frequens; occasione sumpta ab iis quos cum bestiis committi moris erat. At quod Correbon Vrbis Præfectus simili modo, post feras aliquot voluptatis causa cæsas, dicatur produxisse Eleutherium, in ardenti clibano consumendum, non puto probari posse exemplis aliorum vel reorum vel Martyrum, quasi ejusmodi supplicia aut tormenta pars fuerint publicorum spectaculorum.*

equi in observati

leones & pardi in Romanis silvis,

multitudo militum ad Sancti comprehensionē missorum,

Clibanus igneus in Amphitheatro,

22 *Transeo ad notas temporum in Actis signatas. Hic primum quidem S. Eleutherii mater Ancia, dicitur in MSS. Reatinis* viventem in corpore B. Paulum Apostolum vidisse *(quod abest ab aliis Latinis MSS.) à Metaphraste autem laudatur, ut quæ* fidem edocta sit Apostolicis divini Pauli adhortationibus: *deinde Eleutherius, anno ætatis suæ vigesimo jam Episcopus, inducitur sub Adriano passus, idque anno imperii XXV. Nos SS. Petri & Pauli Martyrium ad annum vulgaris æræ LXV pertinere ostendimus; Adrianum vero constat, anno dumtaxat CXVII cœpisse Imperare: demus igitur anno ipsius non dico XXV (nec enim tot annis imperavit) sed anno saltem XV, quando Arabia, Ægypto Asiaque peragrata Antinoum inter deos retulit; demus, inquam,*

tanta Eleutherii juventus,

cum tanta matris senectute;

AUCTORE D. P.

A quam, revertentem de partibus Orientis Imperatorem de Eleutherio inaudiisse, ut dicitur in Actis, fuerit is annus CXXXI. Quod si eo anno vigesimum ætatis agebat Eleutherius, quam grandævam oporteret fingere matrem, quæ cum peperisset circa annum CX & ante annum Christi LXV ejus fidem ex Paulo didicisset?

Episcopatus an. 20 ætatis collatus

23 Tum vero cui satis probari poterunt præmatura ista, & Ecclesiæ usui contraria, ordinationes? Torquet se in iis Cajetanus, & exempla conatur invenire in S. Timotheo Ephesiorum Episcopo, sanctisque Gregorio & Athenodoro; quorum hos admodum adolescentes Episcopos in Ponto creatos asserit Eusebius; istum nondum tres & viginti annos natum existimat Ugo Cardinalis: sed neque ea certa sunt, neque satis intentum probant, ut etiam vigesimo anno credatur Episcopus consecratus. Tutius fuerit perfectæ ætatis virum Eleutherium opinari: eamque solam causam fuisse, cur adeo juvenis ac pene puer ordinatus credatur, quod martyrii comitem habuerit matrem, cui verebantur anilem adscribere imbecillitatem. Hoc autem posito potuerit Eleutherius puer à matre sua fuisse ad ecclesiæ ministerium Pontifici Romano, non quidem Aniceto (quod librarium sphalma esse & nec somnianti quidem Metaphrasti credimus in mentem venturum fuisse) sed Anacleto Romanæ urbis Archipræsuli, qui usque ad annum æræ nostræ XCVI vixit, fuisse oblatus. Quod si liceret pro Adriano Trajanum decessorem substituere, posset adolescentior Eleutherius etiam ante annum ætatis trigesimum martyrio coronatus censeri.

à Romano Pontifice.

B

Quia tamē inter tot fictiones veritas aliqua latere credenda est,

24 His ita deductis, non vereor, ne arguar temeritatis, quod noluerim S. Eleutherii Acta in opere nostro aliter excitare, quam ut apocrypha: quibus nulla firma possit credulitas superstrui circa martyrii ab eodem tolerati seu tempora seu modos: quia tamen de ipsa martyrii veritate constat, nec minus de gradu episcopali, neque cetera omnia in jam expensis Actis credi debent omnino gratis conficta; age vel palpando quæramus, quod verum fundamentum ista, sic à posteris perturbate congesta, habere potuerint; sua cuique libertate relicta, alias quas magis probaverit conjecturas sequendi. Ego puto, & res & tempora sic potuisse ordinari, ut Antia mater, annorum forte duodecim puella cum S. Paulus moreretur, & postmodum viro Consulari nupta, (pro cujus ignoto sibi nomine Actorum auctor Eugenii nomen substituerit, ipsa sui interpretatione magnam nobilitatem significaturum) filium Eleutherium eidem pepererit, non diu post annum vulgaris Æræ LXX: quem apud se Christiane educatum usque ad ætatis suæ annum XII aut amplius, tradiderit Pontifici Anacleto, ab eoque susceptum & Clero adscriptum transmiserit in Apuliam ad Æcanensis urbis Episcopum Dynamium (nisi hoc quoque nomen ad virtutem & probitatem viri significandum, loco proprii quod ignorabatur nominis, suppositum est) ad Dynamium, inquam, Episcopum transmiserit sacris litteris imbuendum: qui ipsum ætate congrua Diaconum Presbyterumque consecrarit, ac denique Romam miserit, ut sibi futurus successor consecraretur Episcopus a Romano Pontifice, puta à Telesphoro, si sub Adriano martyrium pertulit Eleutherius, jam quinquagenario major, matre ad annum ætatis septuagesimum accedente: vel (si pateris Adriano Trajanum substitui) ab Alexandro Pontifice, solummodo tricenarius, adeoque inter confinia ætatis adolescentis ac plenæ, cum mater esset quinquagenaria. Pontifex vero, ad quem tunc forte Illyrii accesserant, Christianæ fidei doctorem aut etiam ecclesiæ viduatæ Episcopum petituri, ipsis tradiderit Eleutherium, quoad usque ecclesia Æcanensis addictum sibi Pastorem reposceret.

suspicamur natum Eleutherium circa Christi an. 70. & Clero adscriptum an. 80 Romæ,

C

eodem ex Apulia rediisse sub Trajano vel Adriano,

25 Ea omnia cum propter insignem generis nobilitatem, & matris inter Romanas matronas notissimam famam, zelum item fidei tuendæ propagandæque ferventem in Eleutherio, & subsequentem miraculorum gratiam, non possent usquequaque manere occulta gentilibus delatoribus; verosimile est quod retractus sit ab itinere, quo in Illyricum tendebat, Eleutherius, & Romam reductus; atque post varia incassum tentata mortis genera, capite plexus una cum matre, palam profitente se Christianam esse: quorum corpora tum ipsi illi qui comitabantur Illyrici, tum Romani condiderint sepelierintque, haud procul ab urbe Roma; & ea ibidem pie coluerint, donec vel Ecclesia pacem adepta sacros Martyres de terra sustulit, præsente ad eam rem aut forte etiam divinitus accito Reatino Episcopo; qui suæ, tunc primum forsitan institutæ, diœcesi patronum optaverit Eleutherium, & bonam corporum partem obtinuerit, parte altera Constantinopolim missa. Verum hæc, non ut historiam, sed ut conjecturam proposuisse sufficiat: ad certiora, & quæ ipsis monumentis rerum ac litterarum probari possint, transeamus.

euntemque in Illyricum cum potestate Episcopali

[illegible] urbem re[illegible]tra[illegible]m, cæsum. & juxta eam sepulturo fuisse.

TRANSLATIO RELIQUIARUM

Reate in Sabinis

Ex Monumentis Ecclesiæ Reatinæ.

26 Urbem Reate, Deum matri Rheæ sacram, ab eaque nuncupatam fuisse, antiqua est incolarum opinatio; ejusque ibidem statuam religiosissimo cultu habitam ac celeberrimo stetisse loco, donec Christiana religione jam pridem stabilita, prope ipsam in quo statua stabat aream ædificata ecclesia est. Ea injuria inhabitatorem statuæ dæmonem putatur excitasse in vindictam de civibus jam Christianis exigendam, Deo id permittente, ut suorum Martyrum corpora, in Urbaniano condita, intervallo unius milliarii, ad se recipere propius Reatini decernerent, itaq; & ab infesto dæmone liberarentur, & recens condita ecclesiæ patrocinium adderent. Habet illa etiam nunc in suo archivo veterem Codicem, ante annos CCCC & amplius exaratum, in quo post Acta supra descripta sequebatur prædictæ Translationis historia: sed liber folio uno evulso mutilus, historiæ initium, Actorum finem deesse sibi indicat; damno quidem ex una parte leviori, eo quod Acta in codicem recentiorem transcripta una cum augmento de prima sub Episcopo Primo Translatione, integrari ex eo potuere: ex altera vero parte irreparabili, quia nullum aliud exemplar superest, unde jam dictæ historiæ recipiatur initium. Proinde, quæ de occasione & causa translationis secundæ diximus, mera nituntur conjectura, fundatâ in eo quod temporis edacitatem superavit fragmento, & tale est,

Ad compescendum dæmonem

E

ex Rheæ statua, ut creditur.

21 Imbecilles horribilibus aspectibus invadebat, dæmon videlicet, ex quo mulieres gravidæ, præ timoris angustia plerumque patiebantur abortus: viri quoque transitum formidabant: sicque civitas ipsa, nefandi hospitis domicilio fatigata, tamquam obsessa periculis, nequibat ab hujus hospitis incursibus respirare. Igitur Episcopus & cives Reatini, confidentes in Domino, qui sperantes in se minime derelinquit, prædictorum Sanctorum corpora (Eleutherii & Antiæ) in Ecclesia B. Joannis Evangelistæ quæ circa prædictam statuam constructa fuerat, in crypta Sanctæ ipsius ecclesiæ subterranea, cum reverentia collocarunt. Volens autem Deus, eorumdem Sanctorum meritis, civitatem & homines prærogativa prosequi speciali, ac Sanctorum cultum dignis ampliare miraculis, dæmonem effugavit: qui ab ejusmodi collocationis die cum suis versutiis statim evanuit, nullo unquam tempore reversurus: & ex tum cum Propheta dixere: Transivimus, & ecce non erat: quæsivimus, & non est inventus locus ejus. Itaque Reatini, à tanto servitutis laqueo liberati, Dominum in cymbalis bene sonantibus laudaverunt, & ad eamdem ecclesiam S. Joannis, ubi prædictorum Sanctorum corpora requiescunt, tanta erat hominum confluentium multitudo, miraculi fama longe lateque diffusa, ut eadem ecclesia amplis munerum copiis pullularet.

cives infestantem

F

transferuntur Reliquiæ in ecclesiam S. Io. Evang.

Ps. 36, 36

& cessat vexatio.

28 Hactenus fragmentum istud, in quo si nomen saltem Episcopi adderetur, per quem Translatio curata est; possemus quadamtenus definire ipsum illius tempus: nunc iterum ad conjecturas recurrendum est. Qui nobis hæc omnia submisit ami-

AUCTORE D. P.

amicis Reatinus, significavit videri sibi ; quod hæc omnia evenerint paucis annis post primam sub Primo Episcopo Translationem, ante quam vix ullo medio temporis inter vallo præcesserit ipsum Sanctorum Martyrium. Nos in diversam omnino partem potentiori impellimur ratione : licet enim Sanctorum corpora in agro, non Romano, sed Reatino primum fuissent condita (quod tamen nobis diximus non probari, imo contrarium ex Metaphraste suaderi) exigit tamen lacinia ista, in Reatinorum favorem Actis prænotatis assuta, cujus unius testimonio nititur veritas primæ Translationis, ut pariter credamus in Vrbaniano Episcopi Primi prædio fabricatam fuisse ecclesiam : hoc autem ante Constantini Magni imperium & pacem rei Christianæ datam factum esse non debet nec potest gratis credi. Exigit etiam eadem lacinia, ut in eadem ecclesia seculis aliquot perseveraverit Sanctorum corporum cultus, priusquam ista scriberetur: cum dicantur Sancti Martyres in eo loco multa beneficia operari usque in hodiernum diem, *quomodo loqui non solemus nisi post temporis longi decursum. Itaque non refragabimur ei qui suspicaretur* S. *Probum, supra ad litt.* x *memoratum, fuisse auctorem corporum intra urbem transferendorum seculo Christi* VI, *quando adhuc multæ variis in locis permanebant statuæ, monumenta superstitionis avitæ. Certe oportet hunc Probum fuisse S. Eleutherio per quam devotum, quandoquidem puer morienti assidens, & candidatorum quorumdam splendidissimorum; virorum ingressu conterritus, hæc ab eo verba audivit*; Noli timere, quia ad me S. Juvenalis (*vicinæ scilicet Narniæ Episcopus & Patronus*) & S. Eleutherius Martyres venerunt. *Quidquid autem de eo sit, constabit ex infra dicendis num.* 31, *sancta corpora postmodum fuisse sub illius ecclesiæ altari reperta, præsente S. Petro Compostellano Episcopo, qui* x *die Septembris colitur, & floruit post annum* DCCCCL.

res acta videtur seculo 6

& forte sub S. Probo Ep.

B

29 *Sequitur in prædicto fragmento, quomodo Reatina civitas à Rogerio Siciliæ Rege destructa, ac deinde à civibus restaurata sit. Vtrumque Vghellus tomo* I *Italiæ sacræ factum scribit sub Adenulpho Episcopo, qui anno* MCLXXXVIII *electus, anno* MCCIX *decessit Cathedra, factus monachus Cisterciensis in monasterio trium-Fontium de Vrbe. Sed quoad primam partem vehementer fallitur: Rex enim Rogerius, qui anno* MCXXIX *regnare cœpit, non ultra* MCL *annum prorogavit vitam : quo mortuo, & septimo desolationis anno necdum elapso, cœpta est civitas restaurari : neutrum proinde potuit ad Adenulphi Episcopatum pertinere. Ipsa fragmenti verba hæc sunt.* Adveniente vero Rogerii Regis Siculi sæva tyrannide, qui contra Reatinos, nulla præcedente causa, concipiens odium, civitatem ipsam cum ingenti comitatu equitum & peditum, obsidione mirabili circumcinxit; licet eadem obsidione plurium annorum curriculis premeretur, tamen viriliter regali potentiæ resistebat. Idem vero Rex odium conceptum evomens, ac erga Reatinos compassionis spiritum non requirens, domos & ecclesias & ornamenta destruxit; factaque est vidua quæ prius uxor erat. Sic homines civitatis ipsius fere per septennium extra lares proprios exularunt : redeuntes autem dicere poterant, Jam seges est ubi Reate fuit.

Circa an. 1143 à Rogerio Rege Siciliæ

C

eversa civitas Reatina

30 Tandem Dominus Jesus Christus memor suorum fidelium, dicto Rege mortis debitum adimplente, viam paravit incolis Reatinis, ut civitatem eamdem sine alicujus obstaculo reintrarent; peste, fame, & aliarum tribulationum angustiis, hominibus pro majori parte consumptis. Intrantes autem & reædificantes domos & ecclesias, felicis recordationis Dominum Innocentium Papam III (*Præfuit hic Ecclesiæ ab anno* MCXCVIII *ad* MCCXVII) Innocentium *inquam*, Papam III cœperunt totis affectibus exorare, ut civitatem Reatinam sui præsentia visitaret ; ut tantorum periculorum immemores, umbra Christi Vicarii foveret; & damnum, quod exterminatio ipsorum intulerat, sui præsentia compensaret. Annuens ergo summus Pontifex petitionibus populorum, civitatem ipsam advenit : ibique aliquandiu moram contrahens, juridica relatione percepit. sæpe dictos Martyres innumeris coruscasse miraculis. Unde dum quidam civis, pro remissione peccatorum suorum, in dicta ecclesia cryptam aliam, subter altare majus, fieri fecisset; de crypta anteriori disposuit præfata corpora, de consilio Dominorum Cardinalium, transferri: ut eorumdem Sanctorum renovaretur devotio, quæ longi temporis inter vallo esset deleta, memor illius verbi Prophetici, Mille anni ante oculos tuos sicut dies hesterna quæ præteriit. Ps. 89, 4

post ejus mortem restauratur.

an. 1298 Innocent. 3

D

decernit translationẽ faciendam ex veteri in novam cryptam:

31 Et quoniã non extabat memoria, in qu a parte cryptæ anterioris dicta Corpora requiescerent, idem summus Pontifex mãdavit diligenter reinquiri. Quibus Sanctorũ corporibus reinventis, ad indiciũ cujusdã imaginis ibi pictæ digito ipsa corpora ostendentis; eadẽ cum reverẽtia qua decuit exhumata, ipse Dominus Papa, Domini Cardinales, Archiepiscopi & Episcopi in Curia commorantes, in novam cryptam cum hymnis & canticis transtulerunt: in qua structuræ nobilis altare propriis sumptibus ædificari mandavit: & volens ut Reatini populi devotio cresceret, omnibus vere pœnitentibus & confessis, & qui in dicto loco in die hujus translationis manus porrexerint adjutrices (sicut à majoribus nostris audivimus) tres annos & tres quadragenas de injuncta eis pœnitentia relaxavit: quam Indulgentiam prædictus Dominus Papa & Domini Cardinales, Archiepiscopi & Episcopi posuerunt in ipso loco perpetuo duraturam. Prædictæ quoque Translationis festivitas sequenti die post festum Assumptionis B. Mariæ celebranda est, ad honorem B. Eleutherii & Antiæ matris ejus Martyrum, & B. Ioannis Evangelistæ, quibus sit honor & gloria in secula seculorum. *In cujus rei fidem & ad memoriam posterorum : imposita sacræ arcæ est lamella, cujus hanc inscriptionem recitat Vghellus tomo* I *col.* 113 ✠ In nomine Domini. Anno Dominicæ Incarnationis MCXCVIII mense Augusti die XIII, tempore Innocentii Papæ III, ipso assistente in civitate Reatina, hic recondita sunt ossa Sanctorum Martyrum Eleutherii & Antiæ matris ejus, in præsentia Domini Sofredi Presb. Card. tit. S. Praxedis & Mag. Petri Diac. Card. S. Mariæ in Via-lata, & Adenulphi Episcopi Reatini: quæ reperta sunt sub hoc altari (sicut antiquus repertus titulus, historia & fama publica indicavit) Petro quondam Compostellano Archiepiscopo præsente.

quæ fit magna cum pompa

& annue recolitur 16 Aug.

E

facta 13 ejusdem.

32 *Quod ad Vrbanianum attinet, sunt qui ibidem jam olim fuisse monasterium asserant, ipsumque esse cujus, ut juxta Reatinæ urbis mœnia constituti, meminit S. Gregorius Magnus Homilia 35 in Euangelia, multis laudibus extollens S. Stephanum, suis diebus istius monasterii Patrem, & lib. 4 Dialog. cap. 19 felicem ejus obitum describens; ob quod ad* XIII *Februarii ecclesiasticis inscriptus Fastis, a nobis quoque commemoratus suo loco est. Id si verum est, vel monasterii illius fundatione prior fuit Reliquiarum translatio ad ecclesiam S. Ioannis Euangelistæ, vel ejusdem desolatione per incursus barbarorum subsecuta posterior: nec enim verosimile est, quod locum, religione & disciplina florentem, sub tam sancto Abbate aut ejus successoribus proximis, voluisset aut potuisset Episcopus eo quo subsistebat & servabatur patrocinio spoliare. Vt ut sit; prima illa S. Eleutherii ecclesia, in Vrbaniano restaurata, seculo* XIII *aut* XIV *aucta fuit insigni Benedictini Ordinis Abbatia, cui jam dicto seculo* XIV *exeunte Abbas præerat Ioannes, frater Ludovici Episcopi Reatini; cum eoque propter vitiorum exterminandorum & disciplinæ restituendæ zelum in odium populi adducto, occisus fuit à conjuratis, dum sacris ambo officiis intersunt, in æde primaria oppidi, Civitas-ducalis dicti, & octo circiter milliariis Reate distantis. Hunc Ioannem ab Episcopo fratre credo obtinuisse partem Reliquiarum S. Antiæ, de quibus superiori seculo inventis & in urbem relatis mox dicere aggredior.*

F

ex suburbana ecclesia S. Eleutherii

Vbi in Abbatia circa an. 1300 fundata

habebantur reliquiæ S. Antiæ:

33 *Prædicta Episcopi & Abbatis cædes, quæ anno* MCCCXCIX.

A MCCCXCIX *contigit, tanta Romanum Pontificem Bonifacium IX indignatione commoverit, ut populum sacris, ecclesiam dignitate Episcopali privarit.* Ursit etiam rebelles Renaldus Alphanus, *qui uti ex illius temporis scriptis narrat Vghellus,* ferro flammaq; succinctus, conspiratorum fortunas opesque dire depopulatus est, ita ut nec corporibus eorum parceret qui aliqua affinitate rebelles contingerent. *Ea calamitas quin ipsum S. Eleutherii monasterium etiam afflixerit, orbatum Abbate, & verosimiliter non penitus à factiosis aut factiosorum consanguineis vacuū, quis poterit dubitare? Fortaßis ex tunc in eam commenda servitutum decidit, qua paulatim attritum exhaustumq; ad nihilum denique devenit, remanente ecclesia; sed adeo desolata, ut anno* MDLXII *otiosi homines, prohibente nemine, pavimentum illius ipsaque altaria suffodere non formidarint, aurea argenteave suppellectilis aliquid inveniendum sperantes. Invenerunt autem meliorem opinione & spe sua thesaurum, ut testatur sequens instrumentum.* Die Dominico XII Aprilis MDLXII, cum esset notorium in civitate Reatina quod nuperrime inventæ fuerint Reliquiæ Sanctorum Martyrum Eleutherii Episcopi & Antiæ matris ejus, subtus altare majus ecclesiæ S. Eleutherii, sitæ extra civitatem per milliare unum, heri pro hodie, de mandato R. D. Vicarii (*Nam Episcopus Ioannes Baptista Osius aberat, præsens Concilio Oecumenico Tridenti*) Canonicorum & Capituli ecclesiæ Reatinæ, supradicta die, hora XXII vel quasi, Vicarius & Canonici & Confratres cujuslibet Confraternitatis, cum eorum confalonibus, crucibus & insigniis, & cum luminaribus, associante majore parte Populi Reatini & hominum utriusque sexus, accesserunt magna devotione, & cum orationibus & litaniis ad dictam ecclesiam S. Eleutherii; & ibi invenerunt reconditas Reliquias, ut supra, Eleutherii & Antiæ matris, in quadam capsula marmorea, super qua erat lapis quadratus cū cooperculo & litteris, OSSA S. ANTIÆ MATRIS S. ELEUTHERII. Et dictæ Reliquiæ sic inventæ, traductæ & translatæ fuerunt processionaliter, & populo sociante cū luminaribus à supradicta ecclesia S. Eleutherii ad ecclesiam Cathedralem Reatinam. *Circa quas Reliquias hoc solum tenendum arbitror, quod solum indicabat titulus marmori inscriptus, S. Antia, non etiam S. Eleutherii eas fuisse, & utrasque ex more vulgi conjunctim antea nominarit Notarius, ista describens.*

eadem post Abbatiæ desolationem,

an. 1562 transferuntur ad ecclesiam Cathedralem,

B

34 *Dum autem hic nominatur ecclesia Cathedralis, non intelligitur ea quæ fuit restaurata ab Adenulpho, sub titulo S. Ioannis Euangelistæ, quæq; hodie in Rectoralem commutata superest: sed alia amplior atq; augustior, sub titulo Virginis Assumptæ nescio quando excitata, non prius certe quam indulgente Martino V an.* MCCCCXIX *Reatinis supplicibus solutum est anathematis vinculum, & jus Episcopi habendi redditum. Non fuerunt autem cum Cathedrâ, translata etiam Sanctorum Patronorum corpora, sed in sua S. Ioannis ecclesiâ relicta; nam in præcitatis instrumentis ita subsequenter legitur:* Die vero XVI Februarii MDXCVII, die Dominico in aurora, in crypta S. Joannis Euangelistæ, in platea Reatis, ab Archipresbytero D. Antonino de Fabris, tunc temporis Rectore dictæ ecclesiæ, fuerunt repertæ duæ capsæ plumbeæ, una latitudinis unius palmi & longitudinis unius pedis, altera ejusdē longitudinis & latitudinis; in unaq; earum erat scriptum REL. S. ELEUTHERII, in altera REL. S. ANTIÆ: quæ conditæ erant in una capsa lapidea, subtus altare majus dictæ cryptæ, super qua capsa lapidea in operculo ipsius erat scriptum litteris majusculis, ✠ REL. SS. ELEUTHERII ET ANTIÆ MATRIS EIUS.

videlicet novam D. V. Assumptæ,

C

in veteri S. Ioan. Euang. an. 1597 ipsa corpora inveniuntur,

35 *Neque dubites, quia* Reliquiæ *solum nominantur, id de præcipua corporum prædictorū parte intelligere: ecce enim testimonium Augustini Vsualdi Rectoris Collegii Societatis Iesu Genuæ, XXIII Ianuarii* MDCXI *Romæ scriptum.* Cum admodum R. P. Carolo Scribani, Rectori Collegii Antverpiensis, unum ex articulis unius digiti S. Eleutherii Episcopi & Martyris, filii S. Antiæ Martyris, (quem ipsemet Reate ex ecclesia S. Joannis, ubi ejus matrisq; sacra corpora honorifice reservantur, extraxi an. MDC) cum facultate Reverendiss. D. Horatii Gentilis, in ea civitate tum Vicarii Apostolici, donaverim; ac præterea partem ossis unius ex sociis S. Placidi Martyris, quorum corpora Messanæ divinitus inventa S. D. N. Paulus V declaravit esse vere ipsorum corpora; ne hujusmodi sacræ Reliquiæ debito honore frustrarentur, de præmissis omnibus, his litteris, mea manu subscriptis ac sigillo Societatis munitis, fidem facere volui. *Servantur eæ Reliquiæ nunc Antverpiæ, cum variis sanctorum Pontificum & Martyrum lipsanis, aliisque Martyrum non Pontificum, in sacrario domus Professorum, intra hierothecas elegantissimas ad eum finem confectas. Utrum vero progressu præsentis seculi mutatum sit aliquid apud Reatinos, non indicat qui superiora documenta suppeditavit; solum de ecclesia Cathedrali hodierna sic loquitur,* tamquam ibi sit capsa, ubi sunt condita corpora dictorum Sanctorum.

unde acceptus articulus S. Eleutherii

AUCTORE D. P.

servatur Antverpiæ apud Patres S. I.

APPENDIX.

De Æcanensi S. Eleutherii Pontificatu, ortisque ex ejus ignoratione erroribus. An ibi ejus Reliquiæ?

36 *Fecit solennitas, præcipuique cultus, quem Constantinopoli antiquißimum habuit S. Eleutherius Episcopus, Antia matrona Consularis filius; ut iis à quibus primū scriptam putamus qualemcumq; eorumdem Sanctorum legendā, ex inventa eorum apud Romanos notitia, hoc quoq; inter alia credendum putemus, ipsum statim à sua consecratione datum fuisse Illyricis: nec enim alio titulo Græcis notus est quam* Episcopi Illyricorum. *Favent horum juri in suis Martyrologiis Rhabanus, Notkerus, & auctor supposititii Bedæ, dum* Aquilejæ ordinatum Episcopum *scribunt: quia ut Ausonius Poëta cecinit* Aquileja ad Illyricos objecta montes, *Illyrico quamdamtenus accenseri potuit. Quia tamen Actorum, quæ Æcanensem Episcopum faciunt, quamvis, ut cetera, apocryphorum, antiquitas maxima esse probatur, ex consensu vetustißimorum martyrologiorum illa Acta sequentium; putavimus Æcanensibus posse concedi, quod apud ipsos sacris litteris imbutus Presbyterioque ornatus, ab eorumdem Episcopo, eum sibi successorem optante, missus fit Romam ordinandus, ab eo qui tunc Petri Sedem obtinebat Pontifice; nam ab hoc omnis fere Italia, etiam primis seculis, suos accipiebat Episcopos. Certe si mater Antia unicum & adhuc puerum filium suum, qui propter generis claritatem non potuisset Romæ sic educari ad ecclesiæ ministerium, quin incurreret in oculos persecutorum; securioris institutionis causa in Apuliam dimisit, exemplū iis temporibus usitatum secuta credi potest: quandoquidem ex Actis S. Sebastiani habeamus, Cajum Pontificem auctorem fuisse Christianis, qui minus fortes ad Martyrium essent, ut in Campaniam recederent: ubi, uti & in vicina Apulia, quietem habebant Christiani, si non perpetuam, saltem rarioribus & minus vehementibus tempestatibus inter turbatam, etiam cum persecutio Romæ & in Romano agro serventißime æstuabat.*

E

S. Eleutherius Ep.

Illyricis fidei præco datus

ad petitionem Æcanensium potuit ordinatus fuisse

F

37 *Hoc posito; aut citra plenam probationem indulgentius concesso, explicandum venit, quænam Æcana fuerit. Dedimus nos XI Februarii ex variis Mss duplicem S. Secundi Episcopi inventionem, quem Troja, urbs Apuliæ Episcopalis in hodierna Capitanata, Patronum colit, una cum SS. Eleutherio & Pontiano Pontificibus atq; Martyribus & Anastasio Confessore: ad eumq; locum pluribus egimus de prædicta urbe Troja, explicantes qua occasione fuerit à Græcis condita, & à S. Henrico Imperatore intercepta; docentes autem hoc potissimū quod (sicut ibidem Guaiferius monachus Casinensis n. 4 tradit) prius fuerit dicta* Ecana, *aliis* Æcana, Hecana *&* Ecananum; *tum quos Plinius l. 3 c. 11* Æcanos *nominat, esse hujus loci oppidanos, deq; eisdem legi in antiqua inscriptione hæc verba.* CUR. REIP. ÆCANORUM: *imo Ferrarium docere,*

Eorum civitas nunc Troja dicitur.

Pro Æcana

AUCTORE D. P.

cere, *in antiquo Itinerario Antonini & Tabulis Peutingerianis dici* Æcas, *sive* Escas. *Non sunt ea nunc iteranda aut confirmanda prolixius: sufficiunt enim sic breviter indicata ad intelligendum, quomodo S. Eleutherius in Actis ad litt.* a *citatis dicatur* in Apuliam civitatem Hecanam, *destinatus: & rursum in iisdem Actis ad litt.* u *dicantur* de civitate illa Hecana, in qua (*verius* pro qua) fuerat Episcopus ordinatus, multi eum secuti, & reliquias SS. Eleutherii & Anthiæ in patriam suam transmisisse. *Quo loco apud* Mombritium *legitur* de civitate Henechum ubi erat Episcopus. *In MS. Passionali montis Oliveti apud Neapolitanos, dicitur fuisse* Episcopus in civitate Equa in Apulia, *aut certe* Equo *ut traditur in MS. Syracusano. In Historia Translationis nominatur* S. Eleutherius Æcanæ urbis Episcopus, quæ nunc Troja dicitur.

nomine perperam scripto.

8 *Hinc qui in Gallia & Germania scripserunt Martyrologia, cum dicta urbs aut non amplius extaret, aut quæ* Hecana, Æcana *vel* Equa *antiquis diceba-tur, tunc* Troja *appellaretur, facillime errarunt, & alios in majores tenebras abduxerunt. In MS. Divionensi, quod est Bedæ genuini aliquod supplementum, & in alio MS. Romano-Francico Parisiis à nobis obtento, adscribuntur* Nesano Apuliæ *pro* Hecana Apuliæ. *Alii magis distorte* Messænam, Missanam, Mesenam, Messanam, Apuliæ civitatem *dixerunt. Ita Usuardus, Ado, Notkerus, Bellinus, Grevenus, Canisius, Molanus; aliique. Sed omissa mentione* Apuliæ, *Galesinius cum hodierno Martyrologio Romano* Messanæ *attribuit. Alii contra, omisso nomine urbis Episcopalis, scripserunt* in Apulia Episcopum ordinatum, & cives Apuliæ corpora ad eorum civitatem transtulisse: *ita cum nonnullis MSS. Petrus de Natalibus lib. 4 cap. 61. Quis autem scit utrum apud eos quoque, qui* Aquilejæ Episcopum ordinatum *Eleutherium scripsere, non irrepserit nomen* Aquilejæ *pro eo quod forte legerant* Apuliæ, *aut corrupte* Apulejæ? *ita censuit Cardinalis Baronius in notis ad Romanum Martyrologium. Maurolycus Siculus in suo Martyrologio,* apud Misenum Campaniæ: *sed* ex conjectura, *inquit Baronius, eo quod* Misenum in Campania situm sit, & non in Apulia: sicut & qui Messanæ legentes, intelligi putaverunt de Messana nobili in Sicilia civitate, quos hallucinatos manifestum est: nam neque Miseni in Campania, neque Messanæ in Sicilia aliqua est ejusdem Eleutherii Episcopi mentio Si igitur consensu omnium Latinorum locus ponendus est in Apulia; cum nec Misenus nec Mesana in ea provincia possit reperiri; conjectura ducimur, ut loco Messanæ legendum sit Messapiæ, quod est oppidum prope Tarentum. *Hac Baronius. Verum* Messapia *non tam oppidum est, quam regio Salentinorum ab Apulia distincta. Quid autem est opus conjectura, cum* Æcana *in antiquis MSS. clare indicetur & quænam hæc sit jam constet ex dictis?*

invenitur apud aliquos Nesanum,

Messana Apuliæ

aut Misenum Campaniæ.

apud aliquos Cannam

39 *Alius error obrepsit quibusdam, deductus ex etymo nominis* Eleutherii; *quod enim Græce est.* ἐλεύθερος, *Latinis dicitur* ingenuus, liber, liberalis; *unde effecerunt* S. Liberalem, *eique omnia plane Acta S. Eleutherii attribuerunt. Ita fecit Petrus de Natalibus lib. 2 cap. 20, qui scribit fuisse* Cannensem in Apulia Episcopum, *scilicet quia* Æcana & Canna *parum differunt. Secuti Petrum sunt, & ad diem* XXX *Decembris, quo ipse S. Liberalem Cannensem retulerat, eumdem suis Martyrologiis cum eodem elogio inscripserunt, Grevenus, Maurolycus, Galesinius, Canisius, Ghinius. Edidit Ughellus tomo* VII *Italiæ sacræ Episcopos Cannenses, sed nullum reperit* Liberalem *dictum, utique qui nullus alius est quam hoc loco memoratus* Eleutherius, Æcanensis, *non* Cannensis Episcopus. *Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ, forsan ut effugiat dictam objectionem, scribit* Canusinum Episcopum; *sed in Catalogo Sanctorum, qui non sunt in Martyrologio Romano postmodum scripto, iterum scribit.* Cannensem Episcopum, *citatis etiam Paulo Regio & Davide Rhomao de Sanctis regni Neapolitani. Verum hi, absque ullo examine, secuti sunt Petrum de Natalibus, & cum errante voluerunt aberrare. Interim Ferrarius* rem aliis discutiendam dimittit, cum Scriptorum copia non suppetat; *quæ non deerit hac nostra ligenti.*

aut Canusium.

40 *Poterat totius controversiæ finis esse, nisi Bonfiglius, in Historia Sicula & Messanensi; Melchior Inchofer, in Veritate Epistolæ B. Mariæ Virginis ad Messanenses vindicata cap. 36; Octavius Cajetanus, in Martyrologio Siculo & in Vitis Sanctorum Siculorum; ac Philippus Ferrarius, in Catalogo Sanctorum Italiæ, eumdem adscriberent* Messanæ Siciliæ; *idque tanta cum fiducia, ut videatur dubitari de eo non potuisse. Verum Rocchus Pirrus, in Notitia Ecclesiæ Messanensis pag. 254 & sequentibus, late rejicit horum auctorum opiniones: quod visa hac nostra elucubratione, paucioribus poterit alius præstare. Ostendit Pirrus primum Messanensibus Episcopum datum Eucarpum circa annum Christi quingentesimum; & ridet eos qui* S. Eleutherium *dicunt esse eumdem qui aliis* Bacchylus *est. Nobis eorum sententia tanto magis infirma & minus digna refutatione videtur, quod ipse* Bacchylus, *æque ac* Eleutherius, *ignotus semper fuerit paulo antiquioribus Messanensibus. Certe si alterutrius, tamquam Messanensis Episcopi notitia aliqua fuisset in vetustis ecclesiæ tabulis aut quibuscumque aliis monumentis, non prætermisisset eorum nomina tamquam Episcoporum Messanensium, Martyrologio suo inserere, Messanensis Abbas idemque patriarum rerum diligentissimus perscrutator Maurolycus, neque Eleutherium ad Misenum Campaniæ, ut supra diximus, transmisisset. Reliqua apud Pirrum legi possunt.*

quidam Messanam Siciliæ assumunt,

41 *Maneat ergo, si pro aliis quam pro Illyriis ordinatus Episcopus Eleutherius est, quod Græci nec negant nec affirmant, pro Æcanensibus ordinatum fuisse: quorum aliqui eum Romam comitati, credi possent eodem revexisse corpus, ut in Actis apud ipsos descriptis legitur, nisi ea Acta judicio nostro accepta essent à Reatinis & per hos à Græcis, utrisque Eleutherii corpus sibi vindicantibus, & antiqua possessione probantibus potius quam Actorum fide, quæ exigua est. Hanc ergo possessionem gratis sibi arrogarunt Æcanenses, sui urbis nomen substituendo pro nomine Illyrici, quod solum apud Græcos legebatur. Ceterum cum iidem Græci aliud non dicant quam corpora clam ab Illyricis à loco martyrii rapta, ab iisdem atque à Romanis communi studio fuisse tumulata; nec Reatinis quidem potuimus assentiri, primam Martyrum sepulturam alibi quam in agro Romano fuisse: ex quo postea, in plena Ecclesiæ pace, refossa, partim Constantinopolim partim Reate avecta sint: de quibus etiam, vel tunc vel postea, provincia alia participarint; imprimis Campania, ubi apud Terracinenses* SS. Eleutherii & Antiæ *patrocinium diximus vigere: ubi &* Mons-Virginis *est inter* Capuam & Beneventum, *uti nos docuit Beatillus noster (quem in tabulis Geographicis non invenimus, nisi forte sub nomine* S. Mariæ della grotta) *& in eo corpus, id est reliquiæ S. Antiæ. Simili modo facile crederem portionem aliquam dictarum reliquiarum Æcanensibus quoque obvenisse, nisi eas S. Eleutherii Reliquias, quas nunc Trojani possident & Æcanensis Episcopi esse putant, non haberent tamquam antiquitus apud se depositas, sed ut Tibure allatas anno* MCV.

Corpora Martyrum neque Æcana,

nec Reate, sed in agro Romano primum sepulta,

postea cum variis communicata, sunt:

42 *Habemus historiam Translationis, tam de ipsis quam de Reliquiis S. Pontiani Papæ & S. Anastasii Confessoris, scriptam ab oculato teste Roffredo ecclesiæ Trojanæ Præcentore: qui nihil dubitavit, quin is, de quo agitur, fuerit Æcanensis Episcopus. Sed cum nullo indicio possim deprehendere quod de hujus corpore aliquid aliquando possederint Tiburtini: & justa causa occurrat suspicandi, quod non minus quam S. Pontianus, Pontifices Romani fuerint S. Eleutherius & S. Anastasius, quorum lipsana* Tibur

quæ tamen S. Eleutherii reliquiæ non habentur Trojæ

A *Tibur allata sunt ab urbe Roma; cogor vereri, ne solus affectus erga eum, qui Æcanæ, nunc Troiæ, educatus ordinatusque credebatur, persuaserit Trojanis, eum, cujus ossa aliqua Tibure acceperant, suum esse Eleutherium absque alia ulla probatione.*

Tibure allatam. 1105

43 *Tiburtinus fuit S. Simplicius Papa, anno* CCCCLXVII *ad sedem Apostolicam evectus, de quo* 11 *Martii egimus, ejusque Reliquias Tiburi conditas asserit Baronius: quod facile de toto corpore intellexerim, quando nulla ecclesiarum Romanarum ipsum sibi vendicat. Ab eo in ecclesia sua Cathedrali dedicatam Salvatoris imaginem credunt & colunt cives. Quidni eumdem suspicemur de patria sua, per sacras Reliquias locupletanda, fuisse solicitum? maxime si ibidem sepeliendum se ordinavit ipse? eas autem assumpsisse ex corporibus Predecessorum Pontificum Eleutherii, Pontiani & Anastasii? Reliquia certe, postmodum Trojam delata, vix aliter appellantur in decursu historia præcitatæ quam* SS. Eleutherii & Pontiani Pontificum & Martyrum, & Anastasii Confessoris, *ut supponitur Pontificis, nam* Fratrem & Coepiscopum Eleutherium *dicitur cum* Pontiano *in Translatione comitatus. Neque refert quod Anastasius Papa mortuus putetur* XXVII *Aprilis, Troiani vero festum celebrent, prout à Tiburtinis celebrandum accepere,* XII *Septembris: hic enim dies translationis fuisse potuit. Non tamen hoc mense Aprilis dicta Translationis Historiam dabimus, nec etiam* XXVI *Martii ad memoriam S. Eleutherii Papæ; sed servabimus eam pro die* XIX *Novembris, quando colitur S. Pontianus, de quo nec ipsi quidem Troiani aliter quam nos sentiunt: habent autem reliquias ipsas in statuis ligneis deauratis, cum capitibus & manibus argenteis; eoque facilius fatebuntur, quas ipsi vocant corpora, partes dumtaxat corporum, & forte permodicas esse.*

videntur esse Romani Pontifici.

AUCTORE G. H.

DE SANCTO APOLLONIO.

G. H.

SENATORE ROMANO ET MARTYRE

CIRCA AN. CLXXXV

B 

EVsebius Pamphili libro quinto *Ecclesiasticæ historiæ caput* XXI *ita inscripsit:* Quomodò Apollonius Romæ Martyrium passus est, *& dein qua occasione martyrium subierit sic describit:* Eodem tempore, Commodo Imperium Romanum obtinente, res quidem nostræ in tranquilliore statu versabantur, pace per Dei gratiam cunctas orbis terrarum Ecclesias complexa. Atque interim salutaris Dei sermo ex omni genere hominum quam plurimos ad religiosum summi Numinis cultum pertrahebat: adeo ut multi ex iis, qui in urbe Roma genere atque opibus eminebant, simul cum universa domo ac familia, salutem consecuturi accurrerent. Verum infestissimus bonis omnibus dæmon, & suopte ingenio invidus, istud ferre non potuit: rursus igitur varias adversus nos machinas commentus armatur. Denique Romæ Appollonium quemdam è numero fidelium, qui in humanioribus litteris & in Philosophia eximius habebatur, in judicium adduxit, suscitato ei accusatore, homine quodam perditissimo: qui ad hujusmodi flagitia idoneus inprimis minister dæmonis videbatur. Sed miser, intempestive suscepta accusatione, cum ex Imperatoris edicto capitalis pœna in eos qui talia detulissent esset constituta, confestim fractis cruribus occiditur, Perenne ejusmodi adversus ipsum sententiam pronuntiante. Martyr vero Deo acceptissimus, cum Judex multis eum precibus obsecrasset, petissetque ab illo, ut coram Senatu rationem fidei suæ redderet; elegantissima oratione pro defensione fidei suæ coram omnibus pronuntiata, capitali supplicio à Senatu damnatus est. Quippe veteri apud eos lege sancitum erat, ut Christiani, qui semel in jus vocati fuerant, nisi à proposito suo discederent, nequaquam dimitterentur.

Sub Commodo Imperat. pax Ecclesiæ data.

S. Apollonius delatus.

C

post orationem in Senatu habitã capite plectitur

2 Porro cuncta ab illo in judicio dicta, & quæcumque Perenni interroganti respondit, & orationem illam, quam pro fidei nostræ defensione in Senatu habuit, quisquis nosse voluerit, ex antiquorum Martyrum Passionibus à nobis collectis poterit percipere. *Hæc ibi Eusebius: at quas allegat* antiquorum Martyrum passiones à se collectas, *nos inprimis cum omnibus sacræ antiquitatis amatoribus deploramus periisse. Hoc ipse in procemio libri quinti appellat* ἀρχαίων Μαρτύρων συναγωγήν. *Multa hinc inde superesse colligimus ex lib. 4 cap. 15. ubi curiosum lectorem, ut quæ* S. Polycarpo *in ultimo certamine contigerunt, plenius cognoscat*, ad epistolam de illius martyrio uberrimè conscriptam amandat, quam in opere de priscis Martyribus, quorum passiones collegit, se ordine suo inseruisse *testatur. Hanc epistolam & Grece edidit Petrus Halloix tomo 1 de Vitis illustrium Orientalis Ecclesiæ Scriptorum, & nos ex Latinis antiquis MSS. illustravimus ad diem* XXVI *Ianuarii: & alia similia monumenta undequaque conquirimus: ast de S. Apollonio non potuimus ulla nancisci hactenus.*

Acta Præsidialia scripta perierunt.

collecta ab Eusebio:

E

3 *Ruffinus Presbyter eadem attingit in sua historia Ecclesiastica lib. 5 cap. 21, quam habemus ex recensione Ioannis Schalli editam Mantuæ anno* MCCCCLXXIX, *& ubi priora sub Commodo Imperatore gesta indicavit, sic pergit:* Primo in urbe Roma [Apollonii Martyris defensionem fidei, apud Græcos passionis ejus historiam, cognovi satis eleganter concionasse de superstitiosa pravitate hominum]. Apollonium quemdam virum, & in fide nostra & in omnibus Philosophiæ eruditionibus illustrem, ad judicium pertrahit accusator ejus, citato quodam infelicissimo & desperatæ salutis homine: quique, (quoniam lex, quæ oblatos puniri jusserat Christianos, in delatorem prius animadvertendum censebat) à Perennio Iudice, ut ejus crura comminuerentur, sententiam primus excepit. Tum deinde exoratur B. Apollonius Martyr, uti defensionem pro fide sua, quam audiente Senatu atque omni populo luculenter & splendide habuerat, ederet scriptam. Et post hæc secundum Senatus-consultum capite plexus est: ita namque à prioribus lex iniquissime promulgata censebat. *Hæc in illa editione Ruffinus: at quæ sub initium uncis [ ] inclusa sunt, desunt in editione Lugdunensi anni* MDXXVI, *facta ex recensione Goffredi Boussardi.*

Aliud elogiũ ex Ruffino Presbytero;

F

4 *S. Hieronymus libro de Scriptoribus Ecclesiasticis cap. 41, pauca, sed additis nonnullis circumstantiis, ita refert:* Apollonius, Romanæ urbis Senator, sub Commodo Principe à servo Severo proditus, quod Christianus esset, imperato ut rationem fidei suæ redderet, insigne volumen legit: & nihilominus sententia Senatus pro Christo capite truncatus est, veteri apud eos obtinente lege, absque negatione non dimitti Christianos, qui semel ad eorum judicium pertracti essent. *Hæc S. Hieronymus: ex quo sua elogia formarunt Vsuardus, Ado, Notkerus, Bellinus & alii posteriores cum hodierno Martyrologio Romano: in quo ista leguntur primo loco:* Romæ B. Apollonii Senatoris, qui sub Commodo Principe & Perennio Præfecto, à servo proditus quod Christianus esset, jussus ut rationem fidei suæ redderet, insigne volumen composuit, quod in Senatu

S. Hieronymo & variis Martyrologiis.

AUCTORE G.H. tu legit: & nihilominus sententia senatus pro Christo capite truncatus est. *In MS. Vaticano S. Petri memoria ejus relata est ad diem sequentem* XIX *Aprilis.*

5 *Hic inquiri posset quomodo Senator urbis Romanæ dicatur à S. Hieronymo, cum id non referat in sua Historia Eusebius: nam quæ apud nonnullos inseruntur in Eusebii Chronico à S. Hieronymo Latine reddito, absunt in viginti codicibus tam manuscriptis quam excusis apud Pontacum, qui tamen ipsa, sed alio charactere,* *An referatur in Chronico Eusebii?* *inseruit ad annum* VIII *Commodi hoc modo:* Apollonius, urbis Senator, lecto Senatui insigni volumine, quod de Christi fide composuerat, capite ob Christi fidem truncatus est. *Desunt illa in illustri nostro codice* MS. *uti apud Miræum & Scaligerum tam Græce quam Latine. Sed esto hæc sint olim intrusa, ex ejusdem S. Hieronymi loco citato; eumdem confirmat idem epistolâ* 84 *ad Magnum Oratorem Romanum: in qua recenset scriptores Christianos, & inter alia habet ista:* *Quia Senator reddidit coram Senatu rationem fidei.* Hyppolytus quoque & Appollonius Romanæ Urbis Senator propria opuscula condiderunt. *Potuit id S. Hieronymus scivisse ex Actis martyrii S. Appollonii, quæ testatur Eusebius fuisse conscripta, & se inter alias Passiones Martyrum collegisse. Hac sane de* B *causa Perennis, qui erat Præfectus Prætorio & ex Equestri ordine, videtur S. Apollonio Senatori imperasse, ut coram Senatu rationem fidei suæ redderet. Hunc scilicet honorem Senatus ei deferre debuit aut saltem voluit, ut hominem Senatorii ordinis non prius damnaret, quam Senatus ipse de ejus crimine cognovisset. Senatus igitur cum Apollonium audisset, hominem juxta legum præscripta respondit esse judicandum: quod Perennis ex Senatus sententia peregit.*

6 *Obscurum etiam est in citato elogio* S. *Hieronymi, quomodo sit* S. Appollonius proditus à servo Severo, *num* *à quo servo delatus fuerit?* Severus *fuerit nomen servi; imo an etiam servus S. Apollonii, uti videtur Christophorsonus locũ Eusebii intellexisse, ubi tantũ legitur* ἕνα τῶν αὐτοῦ διακόνων, *quod cum Valesio retulimus ad malorum incentorem dæmonem, de quo ante actum fuit. Sophronius locum S. Hieronymi vertit Græce,* παρὰ τοῦ δούλου παρὰ Σεβήρου προδοθείς. *quasi S.* Apollonius *esset* D *à servo delatus apud* Severum Iudicem; *qui erat Perennis, non Severus.*

7 *Baronius in Notis ad Martyrologium, miraturo forsitan lectori quod dicatur Ecclesia Dei sub Commodo quievisse, quem & publico populi clamore appellatum esse* Nerone crudeliorem, & Domitiano impuriorem *scribit Lampridius ex Marco Maximo antiquo historico; respondet,* *Sub Commodo Imp. quies Ecclesiæ redempta:* id non clementiæ vel pietatis ergo, sed commodi sui causa fecisse Commodum: *ut qui teste Lampridio* venderet suppliciorum diversitates &c. *Quæ clariora redduntur ex iis quæ Tertullianus scribit de Fuga tempore persecutionis. dum ait:* His temporibus Dei Ecclesiam pacem redemisse, cum Ecclesiæ tributum fisco penderent, ut tuto agerent Christiani. *Quem usum improbabat Tertullianus, Montani tunc hæresi imbutus. Plura possunt videri apud Baronium, & apud Lampridium; qui mortem Perennis, & alia mala subsecuta indicant.* De edicto Imperatoris contra delatores, *supra ab Eusebio indicato, egimus* XIII *Aprilis in Vita S. Iustini Philosophi, ubi cap.* 3 *profertur ipsum Antonini Pii edictum. Quod tamen* legis veteris sanctione punirentur Christiani in jus vocati, *Edicta circa delatores* *videtur factum ex rescripto Trajani Imperatoris ad Plinium Secundum, quod cum hujus epistola edidimus ad Vitam S. Ignatii Episcopi Antiocheni primo die Februarii* § V. *& Christianos in jus vocatos.*

8 *Nicephorus Callistus, lib* 4 *Historiæ Ecclesiasticæ cap.* 26, *de S. Apollonio egit: sed perperam existimavit eumdem* E *esse cum illo Apollonio, qui adversus novam Montani prophetiam scripserat: quos S. Hieronymus libro de Scriptoribus Ecclesiasticis optime distinxit, qui de illo cap.* 40; *de S. Apollonio Senatore, ut diximus, cap.* 42 *agit.* *Apollonius alius scriptor.*

9 *Georgius Cardosus in Hagiologio Lusitano celebrat hoc die S. Apollonium, quod ejus sacrum caput Roma delatum sit tempore Pauli V Pontificis. & collocatum in Sanctuario Eborensi Patrum Carmelitarum Discalceatorum: at Masinus in Bononia perlustrata asserit corpus S. Apollonii cum capite asservari in Ecclesia S. Francisci, obtentum Roma anno* *An caput Eboræ, & corpus Bononiæ?* MDCXII *sub Pontificatu Gregorii* XV. *Quæ an satis sint probata, viderint ipsi.* Os magnum S. Apollonii Martyris *asservatur in ecclesia Domus professæ Societatis Iesu Antverpiæ, & indicatur etiam dies* XVIII *Aprilis.*

DE SS. SEPTIMO DIACONO ET VICTORICO,

MARTYRIBUS SALONÆ IN DALMATIA.

G. H. C

XVIII Aprilis



E urbe Dalmatiæ olim celeberrima Salona, & de Salonitanis à S. Tito fidem Christi edoctis, deque S. Domnio Episcopo ad eos à S. Petro Apostolo destinato, egimus late XI *Aprilis: eo quod S Domnius cum novem sociis militibus occisus, referatur isto die in antiquis apographis Martyrologii Hieronymiani, quæ ipsa hunc diem à duobus Martyribus prænominatis sic auspicantur* XIV Kalendas Maji. Salona civitate natalis SS. Septimi Diaconi, Victorici, *seu* Victurici, *& corrupte in MS. Reginæ Sueciæ ab Holstenio laudato* Victuri. *Ambo etiam celebrantur in MSS. Rhinoviensi* F *& Leodiensi S. Lamberti; & absque loco martyrii apud Grevenum in additionibus ad Usuardum: item in MSS. Augustano S. Udalrici Parisiensi Labbæi, & Tamlactensi in Hibernia sed loco* Victorici, *legitur* Mauritii *in Augustano. Notkerus ista habet:* In Salonica civitate nativitas S. Septimi Diaconi. *qui etiam solus inscriptus est MS. Trevirensi S. Maximini valde antiquo. Inter milites, cum S. Domnio Salonæ* XI *Aprilis martyrio coronatus, est aliquis* Septimus; *quem ab hoc Diacono diversum arbitramur. An fuerit dicti Domnii Episcopi Diaconus quem nunc colimus, septimo die post illius Martyrium occisus, in defectu Actorum non potest certo statui.*

DE SANCTIS MARTYRIBUS

G.H. HERMOGENE ET DIONYSIO.

XVIII Aprilis



Elatis duobus Martyribus Salonæ passis: in vetustissimo Martyrologio S. Hieronymi; quod ex libris Epternacensibus habuimus, additur, Et alibi Hermogenis, *at per contractionem in MSS. Lucensi & Blumiano* Hermonis. *Socius ei datur in MS. Corbeiensi Parisiis excuso, his verbis:* Et alibi Hermogenis & Dionysii. *Refertur &* Hermogenes *in MS. Tamlachtensi. Plura ad hunc diem de his non legimus, Colitur* XVII *Aprilis* S. Hermogenes Martyr, *minister* S. Petri Diaconi, *cum hoc Antiochiæ coronatus. Iterum* XIX *Aprilis* S. Hermogenes *refertur cum pluribus aliis in Armenia passus, à quibus potest alius esse hoc die relatus* Hermogenes.

DE SANCTIS MARTYRIBUS AFRIS

VICTORE, PAMPHILO, DONATO, IANVARIO, MICIONE DOMNO, TVREMVNO, SYRICO, PRISCIANO.

G. H.

XVIII AP. HI novem Martyres Africani tertio loco referuntur, in quatuor apographis martyrologii Hieronymiani, his verbis: In Africa Victoris, Pamphili, Donati, Januarii, Micionis, Domni, Turemuni, Syrici, Prisciani. *Loco* Pamphili, *legitur in uno Ms.* Pamphilici: *pro* Turemuno *habetur etiam* Turemonus, Turimunus *&* Turemimus. *In Ms. Tamlachtensi apud Hibernos sunt expressa nomina* Victoris, Pamphili, Donati, Januarii, Micionis, Domni, Turini, Mumi, Sirici, Prisciani & aliorum XV. *sed aliis* Turini, Mami, *unius* Thremuni *nomen est Notkerus* Victorem *proferre contentus, reliquos ita praeteriit*: In Africa Victoris cum sociis suis. *Ex his alii qui proponuntur in antiquo Ms. Reginæ Sueciæ, quod Holstenius laudavit*: In Africa Victoris, Pamphili, Sirici, Prisciani. *Ex his*, Sirico *dempto, tres reliqui leguntur in Ms. Romano Cardinalis Barberini, ex quo & aliis dedimus Martyrologium genuinum Bedæ, quod hoc die vacat. At Florus in Mss. Atrebatensi & Latiensi ista habet*: In Africa natale SS. Victoris & Donati. *In Ms. Rhinoviensi legitur*: In Africa Victoris, Pamphili. *His additur in Ms. Richenoviensi*, Donatæ, *qui aliis* Donatus *est: & seorsim absque aliis memoratur apud Grevenum in Auctario Vsuardi, in Mss. Augustano S. Vdalrici atque Parisiensi Labbai. Hæc sunt quæ de Martyribus istis Afris hactenus assecuti proferre potuimus.*

DE S. VENVSTIANO PROCONSVLE, CVM VXORE AC FILIIS MARTYRIBVS,

TVDERTI IN VMBRIA.

D. P.



AN. CCCXI. *Factus Tusciæ Proconsularis Venustianus,* CIvitas Tudertina, *apud Vmbros antiqua & Episcopalis, die* XIII *Augusti veneratur S. Cassianum, Antistitem suum ac Martyrem egregium: Ex hujus Vita, ad dictum diem danda, habemus, fratrem ei fuisse Venustianum, quem avus suus Chromatius; in demortui Ablavii patris, Tusciæ Proconsulis locum substituendum curavit*, ut ubicumque Christianos invenisset, puniret. *Ergo* Venustianus venit Mediolano Romam (*ut ibi dicitur*) acceptoque Proconsulatu Thusciæ in civitatem Tudertinam deductus est, ibique sedens pro tribunali, fratrem suum Cassianum sibi præsentari jussit, ad lignumque ligari præcepit, faciebatque eum cædi à quatuor tironibus: *sed & discipulos ejusdem* Marcum, Cletum & Tudinum .... in eculeum levavit. *Tuderti fratrem Cassianum cum discipulis cruciat,* Qui dum diu traherentur, venit nuntius Roma Venustiano, dicens ut eat in civitatem Assisinatem: quia nuntiatum est ibi esse sacrilegum & seductorem, Sabinum nomine. Eadem hora fecit de eculeo deponi dictos scholares, tradiditque eos ligatos Præfecto, ipse vero post paucos dies Assisium pergens, præcepit fratrem suum fame in carcere perire.

Assisii necat SS Marcellinum & Exuperantium, 2 *Hactenus illa S. Cassiani Acta, quæ, prout infra ostendetur, sic intelligenda sunt, ut inter Venustiani promotionem (si vere ea est auctore Chromatio facta) & S. Cassiani martyrium anni circiter viginti quatuor intercesserint. Reliqua de eodem Venustiano ex S. Savini Actis* VII, *aut* XXX *Decembris dandis, consequenter discimus, videlicet quod Assisium appulsus, post varie tentatam Sancti Præsulis ejusque Diaconorum Marcelli & Exuperantii constantiam, horum quidem tormentis immortuorum* corpora jactari præcepit in fluvium, Savinum vero Episcopum manibus truncum retrudi in carcerem .... *Sabinum Ep. manibus truncat:* Post triginta duos dies indoluerunt oculi Venustiani Præsidis Tusciæ, & præ nimio dolore nec cibum nec somnum poterat percipere, ita ut nullus medicorum dolorem ejus mitigare potuisset. Eodem tempore nuntiatum est Venustiano Præsidi Tusciæ, quod S. Savinus cæcum illuminasset. Misit ergo uxorem suam & duos filios suos ut eum honore rogarent S. Savinum Episcopum. Id ubi dictum est S. Savino Episcopo in carcere, dixit, Gloria tibi, Domine Jesu Christe, qui dignaris me vocare inter servos tuos, & statim perrexit ad domum Venustiani.

3 Tunc levaverunt eum in manibus, & projecerunt eum ante pedes S. Savini Episcopi, quem ut vidit lacrymatus est & voce clara dixit: Illuminet te Christus, qui cæcum natum illuminavit. *sed cæcitate percussus,* Respondens Venustianus cum uxore sua & filiis, cum fletu dicebant: Peccavimus in mundo isto. Respondit S. Savinus & dixit: Si credis & pœnitentiam agis, omnia tibi ministrabuntur ..... Respondit Venustianus: Credo ex toto corde: sed peccatum quod in te exercui, ipsum mihi cruciatum ostendit. Respondit S. Savinus & dixit: Mea demerita hoc fecerunt, tu vero innocens demonstraberis à me: sed hoc te admoneo ut pœnitearis, & credas in Dominum Jesum Christum, & baptismum percipias, & salvus eris. Venustianus respondit, Baptiza me in nomine Jesu Christi, & percipiam promissa tua. *& à S. Savino fidem edoctus* Tunc S. Savinus genibus positis oravit, & manibus abscissis catechizavit eum cum uxore & filiis; & benedicens aquam, baptizavit eum dicens: Credis in Deum Patrem omnipotentem? Respondit, Credo. Et in Jesum Christum Filium ejus unicum, Dominum nostrum? Respondit, Credo. Et in Spiritum sanctum? Respondit, Credo. S. Savinus dixit: Et ego te baptizo in nomine Patris; & Filii; & Spiritus sancti, qui te illuminet in vitam æternam; & per ipsum qui venturus est judicare vivos & mortuos & seculum per ignem, in remissionem peccatorum & carnis resurrectionem. *baptizatus;* Venustianus respondit: Credo Christum filium Dei, qui me illuminet.

4 Eadem hora levatus est de pelvi, & aperti sunt oculi ejus, ita ut nullum dolorem post baptismum sentiret. *illuminatusque,* Et tenens Venustianus pedes S. Savini Episcopi, lacrymis rigavit dicens; Ora Dominum Jesum Christum, ut dimittat mihi quod in te exercui. Respondit S. Savinus Episcopus: Ego, fili, propter infidelitatem peccatorum meorum pertuli omnia,

AUCTORE D. P.

nia, tu vero non peccasti. Et habitaverunt simul. Hoc autem factum nuntiatum est * Maximiano Augusto, quia Venustianus baptizatus fuisset: & iracundia plenus misit Tribunum suum, & inscriptione simul damnavit Savinum Episcopum, & Venustianum, & capite truncari præcepit. Vinciens autem Lucius Tribunus sine auditione ipsum Venustianum, cum uxore & filiis, capite truncavit in civitate Assisinate: quorum corpora abscondita sunt, & numquam potuerunt reperiri.

* imo Maxentio

gladio necatur cum suis:

colitur Tuderti 18 Aprilis

5 Ecclesia Tudertina S. Venustianum colit XVIII Aprilis sub ritu Officii duplicis cum lectionibus novis propriis, à Congregatione rituum approbatis anno MDCXXV, *teste Iacobillo, ad hunc diem in Vitis Sanctorum Vmbriæ. In Romano Martyrologio memoria S. Venustiani die* XXX *Decembris notata invenitur hoc modo*: Spoleti Sanctorum Martyrum Sabini Episcopi, Exuperantii & Marcelli Diaconorum, ac Venustiani Præsidis, cum uxore & filiis; *deinde explicatur quomodo singuli diversis temporibus consummati sint, secundum Acta quæ Ms. habebat Cardinalis Baronius. Hunc autem mirum est in iisdem Actis non etiam observasse, quod solus ex omnibus Savinus passus sit Spoleti: sed praiverant exemplo Vsuardus & Ado, quorum Martyria conjunctim legerant etiam nomina conjungendo & locum Martyrii* apud Spoletum *notando. Habuerunt vero etiam hi alios quos sequerentur antiquiores: nam Ado, postquam S. Sabini acta in epitomen satis prolixam contraxisset, dixissetque sepultum eum esse* VII Idus Septembris, *subjungit*, festivitas tamen ejus & supra nominatorum Martyrum tertio Kalendas Januarii agitur: *& sic etiam invenimus in Divionensi ad Bedam supplemento, nec non in Ms. Martyrologio Coloniensi ecclesiæ S. Mariæ ad gradus.*

ab aliis 30 Decembris relatus.

B

6 *De Tempore quid dicemus? S. Tiburtius Martyr, de quo plenissime in Actis S. Sebastiani* XX *Ianuarii, vir, ut dicitur num.* 77 Scholasticissimus, *ut autem num.* 62 juvenis sapientissimus, *nondum susceperat fori negotia, promittit autem renuntiare* soli susceptionis voluntati; *ut multum sit si annum ætatis* XXX *attigerit, quando Pater Chromatius, viduus quidem, sed Baptismi suscipiendi gratia Præfecturam urbis abdicavit, una cum duabus concubinis post uxoris mortem receptis. Quod si Chromatii filia, Ablavio Tusciæ Proconsulari nupta, jam tum habuerit filios Proconsulari dignitati vice patris mortui administrando idoneos, Cassianum atque Venustianum, quorum uno quia Christianus erat recusante, alter ex commendatione avi adhuc gentilis factus sit Proconsularis, uti dicitur in S. Cassiani Actis, oportet omnino eos, si non majores ætate, saltem pares fuisse Tiburtio: atque adeo, si hic sub annum* CCLXXXVII *martyrium subiit, circa annum* CCLX *natum fuisse Venustianum: ut proinde mirum non sit si conjugem & filios adultos habuerit, quando à S. Savino illuminatus fidem Christi suscepit. Nec enim eam suscepit nisi post annum Christianæ Æræ* CCIX; *quando* Maxentio II & Romulo II *Consulibus*, III Kalendas Novembris *declaratus est* Præfectus Urbis Aurelius Hermogenes, *uti legitur in veteri Præfectorum Vrbis Catalogo, apud Bucherium usque ad annum* CCLIV *perducto*, Hermogenianus *appellatus in S. Savini Actis.*

sub an. 287, admotus regimini à Diocletiano,

C

D

& an. 310 novis mandatis simul latus à Maxentio,

7 *Hermogeniano siquidem Vrbis Præfecturam gerente, & duodecies repetitos in circo clamores populi, ut Christiani tollerentur*, XV Kalendarum Majarum *intimante*, Maxentius Imperator (*Maximianum perperam scribunt S. Savini Acta, propterea quod ab eo & Diocletiano indictam persecutionem hic Maximiani gener Romæ continuarit) publice exorsus in Christianos sævire*, X Kal. Majas *enuntiavit, concedi a se Præfecto facultatem*, ubi inventi fuerint Christiani, teneantur. *Deinde* pridie kalendas Majas, *idem per litteras mandavit* Venustiano Tusciæ Augustali, *ipsum titulo* Parentis *honorans. Annus igitur agebatur* CCCX, *& ejusdem anni mensis Majo, quando fratrem suum Cassianum, cum discipulis comprehensum, Venustianus excarnificabat Tuderti; & acceptis Maxentii mandatis indicioque de S. Sabino, fratrem dimittens in carcere, perrexit Assisium, ubi Sabinum tenuit mutilavitque; deinde ab eodem conversus ad fidem est, ipso fortassis tempore quo frater suus Tuderti occidebatur, ut hoc ejus precibus impetratum intelligeretur.*

non nisi anno sequenti occubuit,

8 *Exinde pax aliqua Christianis per Vmbriam & Picenum fuit, Venustiano apud Sabinum commorante, donec re ad Tyrannum delata, subrogatus eidem est quidam Lucius, sub quo si* XVIII *Aprilis martyrium pertulit Venustianus, pertulit illud anno* CCCXI: *quo etiam anno, sub die* VII *Decembris, occisus est Sabinus. Neque dilata diu fuit Maxentio exercitæ jussæque crudelitatis pœna, siquidem sequenti anno à Constantio victus vitam imperiumque amisit.*

E

Tusciæ simul & Vmbriæ Præfectus,

9 *Aliam hoc loco movet difficultatem Ferrarius in Annotationibus, quomodo* Venustianus, *quem constat Tuderti Assisiique jus dixisse, appelletur* Proconsul & Augustalis Tusciæ, *cum istæ urbes accenseantur Vmbriæ. Sed facilis est responsio ex antiqua Imperii Romani notitia, sub Honorio Imperatore conscripta sæpiusque cusa ac recusa; Italiam scilicet universam inter octo Præfectos divisam, qui Honorii tempore* Consulares *dicebantur, primus* Venetiæ & Histriæ, II Æmiliæ, III Liguriæ, IV Flaminiæ & Piceni annonarii, V Tusciæ & Umbriæ, VI Piceni suburbicarii, VII Campaniæ, VIII Siciliæ: *neque causa est suspicandi aliam Præfecturarum divisionem fuisse sub gentilibus Imperatoribus, quamvis earum Præsides tunc dumtaxat Proconsulares dicerentur: adeo ut una semper fuerit* Tusciæ & Umbriæ *Præfectura, à nobiliori parte communiter* Tusciæ *appellata. Idem etiam Venustianus in præcitatis S. Sabini Actis identidem appellatur* Vicarius: *qualem cum Italia solum unum habuerit, consequens foret eum hoc titulo ceteris Italiæ Proconsularibus præcelluisse ac præfuisse.*

atque Italiæ Vicarius.

F

G. H.

DE SANCTO EVSEBIO

EPISCOPO FANENSI IN ITALIA.

POST ANNUM DIII



FAnum *urbs Italiæ antiqua & Episcopalis in littore maris Adriatici, sita est inter Pisaurum & Senogalliam, civitates Ducatus Vrbinatis: sed olim paruit Malatestis & Sfortiis Principibus, ac dein devenit ad Pontifices Romanos, sub quibus aliquot seculis permansit. Nos anno* MDCLX *fuimus Fani humanissime à* Matthæo Galletto *Canonico Pœnitentiario excepti, & antiqua monumenta Ecclesiæ Cathedralis perlustravimus, unde quorumdam Sanctorum Episcoporum Acta ipse rogatu nostro descripsit, atque ad nos Romam transmisit.* S. Eusebii Episcopi *nulla extabant propria Acta: quem interim cum aliis tribus Sanctis Episcopis ut Protectorem urbis suæ venerantur Fanenses, & Officio Ecclesiastico colunt hoc die* XVIII *Aprilis; ac sacrum ejus corpus, una cum corporibus SS. Fortunati & Vrsi ibidem Episcoporum, marmoreo sepulcro inclusum, in Sacello eorundem nomini consecrato, asservant. Hinc colligimus S. Eusebium ita doctrina & vita sanctitate excelluisse, ut præ aliis pluribus qui eumdem Pontificatum gesserunt, ipse inter Sanctos & Patronos habitus, ab Ecclesia Fanensi tanta cum solennitate celebretur.*

S. Eusebii Patroni urbis cultus,

reliquiæ, Sacellum

2 *Edidit Vitas Sanctorum quatuor Episcoporum & Protectorum Fanensium Vincentius Nolfi, laudatque in S. Eusebio eximium amorem erga Deum, ardentem in proximos cari-*

virtutes ejus,

AUCTORE G. H.

A *caritatem, & rigorem pœnitentiæ ad seipsum: in eo extitisse omnem bonitatis, & sanctitatis plenitudinem: in corde ejus non respirasse alium anhelitum, quam ut illud pium, immaculatum & sanctum conservaret Deo Creatori suo: adhibuisse omnem vigilantiam, qua ipse Pastor, in populo ac grege sibi commisso, excitaret majorem fidem & devotionem. Extabat adhuc sacellum, quod ad honorem S. Petri Apostoli olim istic dedicasse traditur S. Apollinaris Episcopus Ravennatium, in quo S. Eusebius fundavit collegium Clericorum. Verum cum illud ob numerum eorum auctiorem nimis foret angustum, alteram scribitur fundavisse ecclesiam eidemque Apostolo Petro consecravisse, quæ etiamnum S. Petri Episcopi ecclesia nominetur. Ad hos Clericos dicitur B. Petrus Damianus scripsisse opusculum* XXVII *libri tertii, de Communi vita Canonicorum ad Clericos Ecclesiæ Fanensis, cum inter hos orta esset contentio, aliis volentibus vivere seorsim sibi, aliis bonis Ecclesiæ in commune collatis; hortaturque eos, ut deposita omni contentione, Apostolorum & primitivæ ecclesiæ sequantur morem: neque enim posse esse unionem animorum, inter quos est facultatum dissensio.*

Collegium Clericorum instituit:

ecclesia S. Petri dedicata:

Interfuit Synodo Romanæ anno 503

3 *Tempus Sedis ejus videtur posse colligi ex eo, quod* Vitalis *decessor interfuerit & subscripserit Synodo Romanæ primæ sub Symmacho Papa anno* CCCCXCIX *habitæ; ac postea Synodo Romanæ quintæ sub eodem Symmacho anno* DIII B *celebratæ interfuerit* Eusebius. *Vterque dicitur* Episcopus Fanestrensis*: more antiquo, quo describitur à Pomponio Mela lib. 2 de Situ orbis cap. 4, ubi ista leguntur:* A Pado ad Anconam transitur Ravenna, Ariminum, Pisaurum, Fanestris Colonia, Flumen Metaurus atque Æsis; & sic transitur Anconam. *Quæ omnia oculis manifesta sunt. Quamdiu postea vixerit S. Eusebius non constat. De S. Eusebio agunt præterea Vghellus in Episcopis Fanensibus. Ferrarius in Catalogo generali, & alio Sanctorum Italiæ: Brautius Episcopus Sarsinæ, hoc eum distichon honorat, in Martyrologio suo Poëtico:*

Fanensis Pastor Fano, quasi lumen ab alto,
Fulsit, & ad lumen currere fecit oves.

Hic verbulo (si forsan vita nostra, aut Fanensium quibus obstricti sumus, non perduraret, usque dum de aliis Sanctis Fanensibus erit agendum) liceat gratias agere Ioanni Baptistæ Alferio Episcopo, Ioanni Baptistæ Marcolino Præposito, Lucæ Amiano Canonico Theologo, & memorato Matthæo Galetto Canonico Pœnitentiario dictæ Ecclesiæ Cathedralis Fanensis, qui sigillo apposito testati sunt, quas desideravimus describi Vitas Sanctorum, de verbo ad verbum ex tabulis, publicis instrumentis, ac membranis pergamenis extractas fuisse. E

DE S. LASREANO SIVE MOLASSIO

ABBATE LETHGLINENSI IN HIBERNIA,

POSTEA EPISCOPO ET LEGATO APOSTOLICO.

D. P.

AN. DCXL.

Ex Ædani Scotorum Regis filia

MVltum Hibernis debuit Ædanus*, Scotorum in Britannia Rex gloriosus, quod eum, post infaustam patris sui Gebrani cædem, à patruis regni invasoribus profugum, cum matre exceperint foverintque annis quadraginta & pluribus, ac demum paterno regno restituerint per S. Columbam: qui quem ipse divino admonitu in Iona insula coronaverat Regem, anno Christi* DLXXVIII *non est veritus ad Kynnatillum adducere, cum spe recipiendi ab eo regni, effectuque intra biennium secuto, quemadmodum Hector Boetius narrat rerum Scoticarum lib 9. Nec minus beneficum Columbam, licet absentem, sensit idem Ædanus Rex, quando precibus ejus adjutus retulit unam alteramve insignem de Saxonibus victoriam, anno* DXC *&* DXCI*, ipso eamdem in spiritu cognoscente & adstantibus significante, ut in S. Columbæ Vita narrat Adamnanus. Plus tamen quam ab Hibernis acceperat Ædanus, iisdem reddidit per filiam suam Gemmam, quæ ipsi in Hibernia exulanti nata, & principi in Vlidia viro desponsa ibidem* S. Lasreanum*, seu ut aliis nomine diminutivo* Molasium*, peperit, insignem postea sanctitate Abbatem in monasterio Lethglinnensi in media Lagenia: cujus deinde monasterii occasione, super propinquum fluvium Barrovum, excitata est ejusdem nominis urbs ampla, titulo episcopali insignis,* Lechlin *vulgo nuncupata.*

natus in Hibernia Lasreanus;

C

inscriptus fastis

2 *Refertur hujus Sancti nomen in Hibernicis Martyrologiis, die, quo & mortuus est,* XIV *kalendas Maji. Et in Tamlachtensi quidem omnium antiquissimo his verbis:* Lasrenus, idest Molassius, Abbas Lethglinnensis. *Apud exteros eodem die additur ad Vsuardi Martyrologium, Lubecæ & Coloniæ anno 1490 excusum, memoria* S. Laceriani Episcopi & Confessoris. *In editione Coloniensi altera anni 1521, relato, ut dictum est,* Laceriano Episcopo & Confessore, *rursum (interjecto* Petro Diacono & Confessore*) ponitur,* in Hibernia *natalis* Lasriani Abbatis & Confessoris. *Quæ certum est de uno eodemque esse intelligenda. In eumdem errorem impegit auctor Florarii Ms. qui primo nomen refert* Lasriani Abbatis, *non addito loco: deinde errorem geminavit cum scripsit,* In Anglia Lasseriani Episcopi & Confessoris. *Henricus Fitzimon in Catalogo præcipuorum Sanctorum Hiberniæ, in priori quidem Alphabetico* Lasrianum Abbatem *nominat,* XVIII *Aprilis colendum; in posteriori vero, per menses digesto, scribit* Lasrianum. *Habet quoque eumdem cum titulo* Abbatis & Confessoris, *sub nomine* Lasriani *in posteriore Germanici Martyrologii editione Canisius, ut colendum* in Hibernia, seu, ut alii inquiunt, in Hispania. *Iberiam fortassis alicubi legerat, unius litteræ omissione ex Ibernia factam.*

etiam externis;

3 *Vita ab incerto auctore, & probabiliter Anglo, scripta est post seculum* XI*, cum jam Scotiæ nomen passim ei parti Britanniæ tribueretur, in qua novum imperium Scoti, ex Hibernia illuc ante plura secula transgressi, devictis Pictis stabilivere. Eam nos in Ms. nostro Salmanticensi habemus, sed parte posteriori mutilam: eamdem, mutato paululum stylo ornatiorem & aliquantulum interpolatam, exhibuit nobis ex suis Mss. Henricus Fitzimon. Priorem integram fortassis habent dabuntque Minoritæ Lovanienses Hiberni: nos hic contextum posteriorem, nihil vel parum in substantia discrepantem præeligimus. Ea Vita ex Hibernicis antiquioribus Mss. compilata videtur: est certe ejusdem fere cum ceteris generis, in miraculis pene tota, in historiis confusa, in fide non ubique secura: quod maxime de infantiam comitantibus prodigiis, quæ eadem fere de omnibus narrantur, dictum intellige. Eget ergo correctione non modica, quam annotationes nostræ dabunt.* F

Vita ex Ms.

4 *Vitæ seriem ordinaturi, necesse habemus pro fundamento ponere regnum Ædani. quo constituto filium puerum in Albaniã duxit Gemma mater: unde post quinquennii aut septennii moram ad maturiorem provectus ætatem, remeavit in Hiberniam, & monasticum institutum amplexus est sub S. Fintano cognomento Munnu, S. Columbæ in Hiensi monasterio antea discipulo. Narrat Beda l. 1 c. 34, quomodo Æthelfridi Nordhanhumbrorũ Regis* profectibus motus Ædan, Rex Scotorũ qui Britanniam inhabitant, contra eum venit cũ immenso ac forti exercitu: sed cũ paucis victus aufugit an. ab Incarnatione Domini DCIII. *exinde, ut asserit in Scoti-chronico apud Vsseriũ* Fordonus, continue mœrens tantis seipsum afflixit doloribus, quod anno

duodennis circiter in Scotiam ductus post an. 580.

secundo

AUCTORE D. P.

secundo post fugam annorum octoginta pene metas attingens, apud Kentyre obierit, *videlicet anno* DCV *æra Christiana. Ab hoc anno si sursum ascendas per annos plenos* XXIV, *quos regno ejus tribuit Poëta Scotus* XI *seculi (quo nullum certius monumentum Scoti Albanii habent, ut vidimus in Appendice Patriciana num.* 29 *) ad annum* DLXXX *pervenietur, quo Kynetillum Ædani decessorem obiisse scribit præcitatus Fordonus, & annum ætatis* LVI *agebat Ædanus, jam tum ex filia Gemma avus Lasreani.*

Romam abiit circa 598,

5 *Fuisse hunc* XII *aut* XIV *annorum adolescentulum, cum ductus ad avum in Albaniam est, verosimiliter existimamus, atque adeo natum esse sub annum* DLXVI, *quando, quem postea magistrum habuit, Fintanus jam monachum in Iona insula agebat, utpote eo profectus statim post S. Columbæ egressum ex Hibernia, anno circiter* DLXIII *imputandum. Quamdiu sub hujus disciplina vixerit Lasreanus, non exprimit Vita, nec item quamdiu eremum coluerit, antequam Romam prima vice proficisceretur: ubi S. Gregorio Pontifici carus, post quadriennii moram (annos quatuordecim perperam habet* Ms. *) ab eodem remissus est euangelizandi causa, ordinatus ibidem Diaconus & Sacerdos, annum ætatis* XXXIII *jam egressus, & Apostolico idoneus muneri, nec non regimini animarum; quarum tamen numerum præcipue auctum credimus, quando ei Lethglinnensem locum S. Gobanus cessit, puta circa annum* DCXIV *aut etiam serius.*

B

eodemque remissus propter quæstionem de Paschate,

6 *Postea gravis inter Hibernos moveri capta est de Paschate controversia, cujus occasione Romam quidem repetiit Lasreanus, una cum aliis adhoc deputatis à Clero: non tamen, quod habet* Ms. *ivit Ædani Regis aut S. Columbæ indictione (illi siquidem jam pridem obierant, & quidem decennio fere ante Ædanum Columba) sed legationis hujus mittendæ auctor præcipuus fuit Cumineus, Hiensis Abbas à Colgano ad* XXIV *Februarii inter Sanctos relatus. Patet hoc ex epistola, quam ipse super ea re scripsit Hiensibus monachis, in se excusans, quod contra ipsorum sententiam Pascha Romanum teneret. Etenim, cum re mature examinata, Synodum in campo Lene convocandum impetrasset; sed decreto istic condito, ut Pascha cum universali Ecclesia in futuro anno celebrarent, intercessisset quidam (S. Fintanum indicari suspicamur, pro Hiberniensium traditione zelantissimum) visum est senioribus causam ad caput urbium referendam.* Misimus *ergo inquit*, quos novimus sapientes & humiles, & prosperum iter in voluntate Dei habentes, & ad Romam urbem aliqui ex eis venientes, tertio anno ad nos usque pervenerunt ... & ante Sancta testati sunt nobis, quod in uno hospitio cum Græco & Hebræo, Scytha & Ægyptiaco, in ecclesia S. Petri simul in Pascha (in quo nos integro mense sejuncti sumus) fuerunt, & per totum orbem terrarum hoc Pascha celebratur.

C

vidit an. 630 ab omnibus uniformiter celebrari contra Usum Hibernorũ,

7. *Annus hic indicatur* DCXXXI, *quando ceteris Pascha suum* XXIV *Martii celebrantibus, Hiberni ac Britones quidem, suo Quartadecimano Cyclo tamquam à S. Columba accepto pertinacius inhærentes, ipsum agebant* XXI *Aprilis. Legatis autem ipso eodem vel sequenti anno reversis, celebrata est Synodus Lethglinensis, utique præsidente S. Lasreano, Romæ interim Honorii Papæ jussu Episcopo ordinato, & cum titulo Apostolici Legati remisso; quemadmodum expresse habent hæc Vita illius Acta, & persuadet ipse locus ad quem vocati Patres convenere. Sed absistente S. Fintano, & ad miraculorum experimenta provocante; cum S. Lasreanus ex una quidem parte magistri sui revereretur sanctitatem, ex altera non putaret in re clara certaque auctoritatis provocandum esse ad miracula Deum; conclusit S. Fintanus*, unusquisque ergo faciat sicut credit, & rectum sibi videtur. *Anno itaque* DCXXXV, *ut ait Beda, scripsit ad Hiberniæ Antistites Honorius*, exhortans ne paucitatem suam, in extremis terræ finibus constitutam, sapientiorem antiquis sive modernis, quæ per orbem terræ erant, Christi ecclesiis existimarent: *quibus effectum est ut, Septentrionalibus in suo errore manentibus*, ii qui in Australibus insulæ partibus morabantur Pascha canonico ritu observare cœperint.

& Ep. ac Leg. Apostolicus factus pro eo in Synodo Lethglin. laborat.

D

Obierat anno præcedenti S. Fintanus, secundum quod ex suis Annalibus Hibernicis notat Colganus, utique ad decrepitam annorum circiter nonaginta ætatem provectus. Neque diu superfuit Lasreanus, sed anno DCXXXIX *mortem etiam ipse obiit, uti ex similibus Annalibus tradit Usserius pag.* 938, *Annales Ultonienses sive Senatenses intelligens, de quibus Annalibus alibi apud ipsum aut Colganum legisse videor, quod Æra vulgaris annos, uno anno præcurrant, sic S. Lasreani mors vel saltem illius sepultura, anno* DCXL *adscribenda, accidisset tertia feria Paschæ, die* XVI *Aprilis celebrati apud Lagenios, juxta Canones, tam ferventer operoseque ab eo propugnatos, ut ab ipsa temporis festivi circumstantia accidentali ejus gloriæ accederet aliquid.*

videtur obiisse an. 640 in festis Paschalibus.

VITA
Ex Ms. Henrici Fitz-Simon S.I.

CAPUT I.

Sancti pueritia & adolescentia miraculis illustrata, regnum repudiatum.

E

Regio genere natus,

1 INter supernæ cives Hierusalem, quos in solio gloriæ suæ rerum Opifex collocavit, gloriosum sidus Lasreanus meritis virtutum dignissimis, eminentis excellentiæ sedem sortitus est: qui de Occidentalibus extitit procreatus. Regali siquidem germine, patre de Ulidia exortus est, *a* mater autem ejus, virtutum meritis & nomine Gemma, Ædani *b* Regis Scotiæ filia, Regisque *c* Britanniæ neptis fuit. Cujus vitæ merita quantâ largitor gratiarum prævenerit gratiâ, ipsa ejus nativitatis primordia protestantur. Nam ut partus est profusus, suscipiens eum obstetrix, quæ se prius sterilem tristis agnoverat, divina inspiratione admonita, manu ejusdem suum signavit uterum, & se postea sensit lætificata fœcundam.

& in ipso sui ortu mire clarificatus,

2 Non multo post cæcus *d* quidam à nativitate, aqua eadem qua fuerat infantulus balneatus, sibi fortuitu faciem lavit, & in ipsa ablutione lumen oculorum, grato cælestis gratiæ dono recepit. Postmodum in natalem *e* sui patriam, scilicet Albaniam, mater cum puero transfretavit: ubi *f* quatuor annis enutritus, signorum prodigiis nonnullis enituit. Contigit namque ibidem nutricem ipsius venenoso serpentis morsu in manu vulnerari: quæ mox ad puerum accurrens, manui suæ manu pueri signum sanctæ Crucis tangendo impressit: totusque subito virulentus tumor ita evanuit, ut in ea nullum remaneret læsionis vestigium.

in Scotia adolescit,

F

3 Reverendus igitur Pontifex *g* Blaanus, ejus avunculus, totum eum corruscare gratia relatu plurium accipiens, videndi eum causa ad ipsum est profectus: & cum ab ejus nutritoribus exultanter susciperetur, unus equorum ejus furto sublatus est. Quod cum sibi nuntiatum esset, quasi *h* jocando ait: Oportet puerum, quem visitamus, aut nostrum restituere, aut alium nobis conferre. Et ecce non multum post, adest fur, strepero cursu eumdem reducens equum; & tremula voce pueri Lasreani protectionem clamitans & præsidium, Episcopo sciscitanti ejus causam, ait, Regis milites me prosequuntur *i*: sed egressi qui aderant, neminem eum insequentem viderunt. Intelligens igitur Præsul, ad gloriam pueri hoc divinitus agi, de virtute miraculi lætus, laudat Dominum, & cum equo suo revertitur ad suæ mansionis locum.

ubi cum visens avunculus suus

equum amissum mirabiliter recuperat,

4 Post

EX MS.

A *in Hiberniã reductus & S. Munno commendatur,* k

4 Post hæc Angelico præcepto per visum admonita mater, puerum in Hiberniam reduxit, & sancto Abbati k Munno edocendum tradidit: cujus tam doctrina quam moribus plenius informatus, sapientia, ætate & gratia apud Dominum & homines indies proficiebat. Etenim facto in eadem cella molendino, cui æstivo tempore aquarum fluenta defecerunt, jubente magistro suo, qui gratiam divinæ virtutis in puerum abundare perpendit, monasterium egressus, cespitem cum baculo fodit secus aquæ cursum, quæ ad molendinum effluere solebat: tantaque subito aquarum copia ibidem erupit, ut abundanter sufficeret, ut & famulantes Deo in eodem monasterio Fratres gaudenter dicerent alterutrum, Fluminis impetus lætificat civitatem Dei.

aquam miraculo elicit,

prædones terret:

5 Renuntiato postea in eodem loco marinorum incursus prædonum advenire, adolescens Lasreanus divina suggerente clementia, qui in patriæ liberatione gloriam Dei dare disponebat, ob hoc in vigiliis & orationibus in monasterio devotus pernoctabat. Piratis igitur, illucescente aurora, terram ingressis, campus monasterio circumadjacens armatis militibus apparuit plenus, l & terga vertentes, armis projectis, navigio effugere gavisi sunt. Quidam etiam viatores à latronibus spoliati sunt: sed latrones mox in se divisi ab invicem interempti corruerunt, & sic spoliati latronum spolia cum propriis acceperunt, & servo Dei gratias agentes itinere suo processerunt.

B

Rex à Vlidiis eligitur,

6 Cum igitur sacra Lasreani fama longe lateque claresceret, & annos pueriles non tamen pueriliter decurrisset, universus ibidem populus (sicut & ei jure hereditario competebat) affectuose sibi eum postulavit in Regem. Verum juvenis inclytus, ejus inhians famulatui cujus regnum æternum est, renuit caducum. Cujus rei occasione solum natale relinquens, quamdam maris insulam, inter Britanniam, & Albaniam constitutam, ingressus est: ubi m sanctæ conversationis merito, Domino amabilis, & totius regionis incolis apparens venerabilis, plura suæ sanctitatis miracula complevit.

vitam eligit solitariam. m

ANNOTATA.

a *Salmantic. Ms. hoc exordio inchoatur.* S. Lasreanus, Apostolicæ Sedis Legatus, & Letglinensis Ecclesiæ gloriosus Antistes, secundum seculi dignitatem ex nobilissimis fuit procreatus genitoribus. Pater ejus Cairellus de nobilioribus Aquilonaris plagæ Hiberniæ oriundus. *Quæ ut cum priori textu concilies intelligendum Vltoniam dici patrem Hiberniæ Borealem: cujus tamen partis occiduum latus teneat Vlidia, Patriciano sepulcro nobilis, Duni Comitatus vulgo dictus. Colganus* 1 *Febr. de S. Caddano agens Annot.* 12 *recitat hoc ipsum quod ex Salmanticensi dedimus Vitæ initium, sed pro* Cairello, Catellum *legit.*

C

b *Regnavit annis ut minimum* 24, *S. Columbæ opera & auxiliis Hibernorum, apud quos cum matre ac reliqua Gobrani Regis prole exulaverat, in regnum inductus circa an.* 580, *cum annum ætatis fere* 56 *ageret.*

c *Mortua prima uxore Erca Hiberna, ex qua S. Blaanus, infra memorandus, hujus S. Lasreani avunculus; alicujus Britannici Reguli affinitatem ambivisse Ædanum, qua recuperandi regni paterni spem firmaret, haud incongruum fuit.*

d Sennachum *appellat* Ms. *Salmant.*

e *Scilicet ex qua oriunda, licet in Hibernia nata: temporis enim ratio exigit, ut sub tempus recuperati à patre regni matrem fuisse dicamus, & quidem filii jam forte duodennium prætergressi.*

f Ms. *Salmantic.* septem, *certe vix ante an. ætatis* 17 *crediderim positum in monasterio gravioribus studiis informandum.*

g *Refertur à Martyrologiis Hibernicis* 10 *Augusti, teste Colgano ad Vitam magistri ejus prænominati Caddani, Annot.* 9 *& in indice vocatur Episcopus Dunblanensis urbis, appellatione ab ipsomet sumpta, cujus urbis alibi notitia nulla occurrit, nedum tituli Episcopalis in ea conservati.*

h Ms. *Salmant.* quasi per signum aliquod excitando puerum.

i *Idem* Ms. Regis Cairrelli milites me persequuntur, & ideo sub patrocinium filii ejus confugi. *Non placet: quia Cairellus formidandus in Albania non erat, sed Ædanus pueri avus maternus: nec scimus Cairellum pervenisse ad Regnum, licet id filio ejus jure hereditario oblatum, forte per mortem proximi consanguinei improlis infra legatur.*

k *Ibidem* Mundo, *absque titulo* Abbatis. *Colganus* 9 *Ian. agens de S. Foilano Abbate Annot.* 8. Floruit, *inquit, in* Hibernia circa an. 626 & circa an. 634 decessit S. Mundus, filius Tulchani, vir celebratissimæ sanctitatis; qui celebrem sanctumque 234 discipulorum cœtum legitur habuisse, ut constat ex Martyrologio Tamlactensi ad 21 Octobris. *Est hic* S. Fintanus *cognomento* Munnu, *cujus vitam dicta die dabimus, qui post an.* 563 *in Hiensi insula monachus sub* S. *Columba factus, anno* 631, *in grandi valde ætate, S. Lasreano Romanum Pascha introducenti cum reliquis senioribus multum restitit.*

l *Salmanticense in hunc modum rem narrat:* Cumque aurora finē daret nocti, ecce prædones illi crudeles terram ingressi, campum circumjacentem monasterio repleverant: sed orante eo cum aliis, quasi à facie persequentium terga dederunt, & relictis spoliis velut amentes ad suas naves fugerunt, *quæ magis placent, uti & quod sequitur:* Alio etiam tempore cum quosdam deduceret sua protectione viatores, ecce adveniunt nefandi latrones, qui nec Deum timentes nec suum servū honorantes, eosdem inhumaniter despoliaverunt. Sed vindictam retribuit Deus in hostes servorum: nā mox ut spolia diviserunt, inter se rixantes propria cæde corruerunt, ac cū spoliis eorū ac rebus propriis, hi qui cum Sancto erant, gaudentes ac Deum in Sancto suo laudantes ad locum desideratum pervenerūt. E

m *Idem,* ubi eremiticam vitam ducens plurimis claruit miraculorum signis. *Araneam porro insulam in freto Dunbritannico, an monam intelligemus? malim priorem, itaque Britanniæ nomen extendere latius, quam nunc pateat nomen Angliæ, ut ad Clutam usque includat ea quæ nunc Scotiæ adnumerantur.*

CAPUT II.

Roma in Hiberniam reversus Sanctus Lethglinense monasterium acquirit, in eoque miraculis claret.

F

7 Postmodum, cum jam diutius ibidem fuisset commoratus, scientiæ perfectioris cupiens eruditione fundari, ad Apostolicæ Sedis urbem profectus est: ibique per annos a quatuordecim moram faciens beato Papa Gregorio exponente, utriusque Testamenti volumina & ecclesiastica instituta intentā aure percepit, & fideli memoria commendavit. Videns autem sanctus Pontifex divinam in eo gratiam clarius elucere, Diaconatus ei Ordinem conferens, in brevi postmodum ad gradum Sacerdotii promovit, sicque sacris sublimatum Ordinibus, Euangelizandi gratia verbum Dei per Hiberniam direxit: cui & in dilectionis signum textum Euangeliorum contulit, & cum benedictione abire permisit.

Romam profectus, a

& Sacerdos ordinatus,

8 Viro ergo sancto Hiberniam versus iter agente, adjunxit se ei virorum illustrium, Anglorum, b Britonum & Scotorum numerosa multitudo, affectans informari conversationis ejus exemplo. Cumque in Hiberniam pervenisset, & ejusdem regiones prædicando perlustraret, nutu divino contigit, eum ad sanctæ aggregationis pervenire cœnobium, in eodem loco

b

in Hiberniam redit.

Ex MS.

c loco ubi nunc est civitas Letghlinensis constitutum: cujus monasterii Abbas, nomine c Gobanus, vitæ sanctitate celebris & famosus, obviam ei processit, & salutatum reverenter suscepit.

occisum resuscitat,

9 Pervenientibus eis ad januam monasterii, ecce mulier quædam decollati tunc à latronibus filii sui corpus cum capite ferens in ulnis, Lasreanum per nomen Dei obnixe flagitat, quatenus filium suum sibi vivificando restituat. O fidem mulieris laudabilem; inaudito prius & inusitato postea miraculo laudabilius remuneratam! Ut apposito corpori capite fudit orationem Lasreanus, surgit de funere juvenis redintegratus. d In cujus miraculi memoria manet in eodem loco Crux terræ affixa, Hibernice Kroken, idest, Crux capitis appellata.

Lethglenn. locum accipit à S. Gobano,

10 Lasreano itaque in cunctis venerabiliter ibidem exhibito, æternum sanctus Abbas pepigit fœdus cum eo, datoque ei monasterio, sibi & suis cellam alibi fundavit. Commissum igitur sibi exercet opus, ubique celebris, ubiq; coruscus. Pullulat exterius plebs Christicola, imbre sacræ prædicationis ejus irrigata, & augetur interius gratia: factusq; est ibi servorum Dei, tanti magistri vestigia imitantium, numerus mille quingenti: quorum vitæ rigor & virtutum potentia, tam suavi fragrantia totius Hiberniæ partes perfudit, ut in eorum odore unguentorum currentes æternarum mererentur hortum introire deliciarum.

& 1500 discipulos colligit,

B

juxta prophetiam S. Patricii,

11 Impleta sunt igitur divinorum præconia vatum, decurso prius tempore grandi de illo prænuntiata. Cum enim beatus Præsul Patricius, verbi Dei disseminandi officium gerens, per viam vallis Letghliniensis iter ageret; & stans e regione trans flumen e Barrovo versus cœnobium Letghlinense aciem dirigeret; vidit in eodem loco condensari maximam multitudinem Angelorum; & astantibus sibi viris religiosis ait: Post f quinquaginta adhuc annos habitabit ibi peregrinus quidam, servus Dei fidelis, nomine Lasreanus, cujus sanctorum tantus erit numerus discipulorum, quantus eorum est quos videtis Angelorum. O felix collegium, cujus præsignandis virtutibus militiæ cælestis apparuit exercitus. Sanctus etiam Cainechus g Virginibus quibusdam, ut ejus se committerent pastoralitati ad eum profectis; Futurus est inquit, qui & vester & plurimorum sit Pater, Sanctus videlicet Lasreanus.

& S. Cainechi,

à S. Barro visitatus,

12 Itaque confluebant ad eum viri sancti quam plurimi, loquendi cum eo & societatis dextras jungendi desiderio accensi. Hac occasione contigit beatum Pontificem Corcagiæ h Barrum, Romam profecturum, ipsum prius adire: qui cum susceptus hilariter, triduo cum eo moram fecisset; & recedentem illum Lasrianus, aliquamdiu moraretur per viam; fœdere inter eos amicitiæ perpetuæ firmato, ait S. Barrus; Gauderem plurimum nostri pacti memoriam aliquam hic relinquere. Respondit Lasreanus, Pete & dabit tibi Deus; Imo tu, inquit, pete, quoniam te nos adivimus. Orat igitur Lasreanus; & cum vernum tempus tunc esset, ecce ibi corylus orta est subito de terra, avellanis ornata: de qua & Crux juxta eum posita, Krocuill Hibernice, id est, Crux coryli nomen est sortita.

C

corylum facit fructificare in vere.

ei maledicentes terra absorbet

13 Tanta etiam ibi divini favoris dicitur effloruisse gratia, ut [quisquis advenisset] ab eo doloris sui remedia petiturus, recederet consolatus: nullus etiam vel leni obtrectationis sibilo præsumeret eum attrectare qui non sine mora defleret damni communis supplicium. Unde tres quidam, qui se poëtica scientia jactabant, ad eum aliquid accepturi accesserunt; & si nihil daret, ex condicto verbis ipsum mordacibus [lacessere] decreverunt. Quibus ad eum venientibus, Lasreanus inquit: Non his & hujusmodi ego, sed Deo & pauperibus ejus deservio. i Qui frustrati petitione abeuntes, ei detrahere cœperunt; & eâdem mox qua Dathan & Abiron morte perierunt. D

i

Beneficiorum autem ejus gratiam avus ipsius, scilicet Albaniæ Rex Ædanus, inter alios expertus est. Cum enim de regno expulsus, & in Hiberniam fugatus, ad virum Dei k Lasreanum confugisset, sonipes ejus nimio cursu & labore ad mortem est fatigatus. Lasreanus igitur orationem Deo fudit, & equum extinctum confestim excitavit. k

ANNOTATA.

a *Tempus non exprimit Ms. Salmanticense: vereor tamen ne pro* quatuor *irrepserit* 14 *sive quia tot annis Papa fuit S. Gregorius, sive alia quacumq; ex causa. Si porro ab eodem Sancto Pontifice* Sacerdos *ut hic dicitur ordinatus & in Hiberniam est destinatus Lasreanus, non potuit Roma diutius mansisse quadriennio, siquidem haud diu ante finem seculi 6 eodem appulit, ut supra dictum est, & S. Gregorius obiit* 604.

b *Ms. Salm.* Cumq; transiret per Angliam & Britanniam, adjungunt se ei, *&c. de Anglis vereor ne sit ab Anglo-auctore adjectum: nā cū his nihildum commune habebant Britones Scotiq; sed eos ut hostes capitalissimos oderant.*

c *Colganus, 26 Martii de* S. Gobano Dairensi *agens, suspicatur, sed absq; ullo fundamento, quod ipse sit hic Abbas Lethglinensis: verosimilior est conjectura, quod hic sit celebris ille monachorum mille pater, qui* VI Dec. *nominatur in Calendario Casselensi* S. Gobanus de Killamruidhe juxta montem Sliab-na-mag-fionn dictum, *in Ossoria: quo scilicet migraverit Lethglinnensem locum relinquens Lasreano, versus Austrum &* Mumoniæ *confinia recedendo.* E

d *Hæc de Cruce absunt à* Ms. *Salmanticensi.*

e Super Barrow *fluvium Lethglinnensis civitas ædificata est: tacet de loco* Ms. *Salmant.*

f *Novo hoc exemplo discas quam incerti sint prophetiarū Patricianarum numeri. Non nisi seculo 7, forte per 10 aut plures annos inchoato, locum hunc obtinuit Sanctus, & Patricius mortuus est an. 460: quamvis autem cum vulgari errore 30 annis serius mortuum dicas, manet tamen enorme mendum. Si annorum numerum expressit Patricius crediderim 150 aut 160 annos definivisse.*

g *Colitur* S. Kainechus, XI *Oct. uti diximus ad Vitam S. Mochœmoci 13 Martii, ubi n. 34 dicitur habuisse* monasteriū Achadbo in Ossrige. *mortuū asserit Colganus an. 598.*

h *Est* Corcagia *urbs Episcopalis in* Mumonia, *ubi 25 Sept. colitur S. Barrius seu Finbarrus, quando inquiremus in annum hujus peregrinationis. Fuisse S. Maidoci Fernensis coætaneum, jam in* Martio *diximus ad Vitam S. Davidis Menenensis: Maidocum autem vult Colganus obiisse 624.*

i *Addit* Ms. *Salm.* Histrionibus enim dare est dæmonibus immolare.

k *Enormis anistoria, ex eo probabiliter orta, quod quo tempore necdum natus erat hic Sanctus, ejusdem nominis alius* Lasreanus Daminisensis Abbas *floreret in Vlidia, de quo agemus 12 Sept. quemque Colganus an. 563 obiisse scribit: hujus autem potuit fuisse hoc miraculum.* F

CAPUT III.

Iterato Romam profectus Sanctus, ordinatur Episcopus & Legatus: novisque miraculis illustratus in Hibernia moritur.

14 BEati postea Columbæ a Regisq; prædicti Sanctorumq; Septentrionalis Hiberniæ rogatu, cum sanctis videlicet viris Apostolicā Sedem adiens, circa Alpes hominem quemdam anxium & gementē obvium habuit, & causam percunctanti tristitiæ, ille respondit: Viginti familiares mihi habenti sustentandos, de solo mihi victus est vomere, qui hodie ruptus est, nec ad reparandum eum suppetit mihi facultas b. Vir igitur iste sanctus ligneum incontinenti vomerē ei facere præcepit, & factum benedicens ait: Hoc, inquit donec revertar, si voluntas Dei est utere. Et Romā profectus, anno & semis ibidem est demoratus, & interim semper vomer duravit. Et facta est ibi patrifamilias tanta messis abundantia, quantā in fertili solo optimus agricola posset acquirere.

a Iterum Romam profectus,

b vomerem ligneum facit præstare vicem ferrei

15 Ro-

A

15 Romæ commorantem summus Pontifex *c* Præsulem consecravit, & reverenti legationis in Hibernia officium commisit. Sed quanto majore sublimari videbatur honore, tanto se in omnibus humilians, minora de se sentiebat. Verum quoniam juxta Salvatoris sententiam, non potest civitas abscondi supra montem posita, quo se gerebat humilius, eo magis eum Dominus miraculorum luce clarificabat. Cum igitur in Hiberniam reversus esset, & juxta Dublinum applicuisset, revocans ad memoriam Euangelium se fuisse oblitum [in loco in] quo navem ascenderat, sancto *d* Mochomet pro ipso redire præcepit. Qui cum mox obtemperaret; Quoniam, inquit, mandatum libenter suscipis, ut tua obedientia multis sit in exemplum, lapide trans æquora veharis. Supersedit igitur discipulus sibi ostenso lapidi, & petra navis obsequium adimplente, æquora transivit, & Euangelium afferens remeavit, quod eidem denique Lasreanus tribuit.

c ordinatur Episcopus, & Legatus: Matt. 5, 14

discipulum in lapide per mare transmittit: d

16 Ceterum vir insignis, Legationis suæ per Hiberniam fungens officio, concessæ auctoritatis gratiam signis sequentibus confirmavit. Felani Regis Lageniæ pedem cancrosum suæ orationis potentia reddidit sanitati: & dæmoniacam quamdam expulso dæmone liberavit. Contigit aliquando Cothinum Regem cujusdem monachi jus deprædando violare; & adenuti eum ob hoc S. Lasreano, cum diebus aliquot inde satisfacere differret, vir Dei de imminente Regis ultione Hibernico versu prophetavit, & sequenti nocte Rex spiritum exhalavit. Adhæc cum in curiam Regis Lageniæ Felani quandoque advenisset, accidit ut missus à Rege minister ad fontem, poscenti servo Dei potum aquæ, negaret. Cumque serviens perveniret ad Regem, nec quidquam Rex in vase reperit, nec reversus nuntius aliquid aquæ in fonte invenit, nec ab illa die quidquam potuit invenire.

Regis pedem cancrosum sanat, e

alterius rapacis pœnâ prædicit,

B

aquam sibi negatam evanescere facit.

17 Erat in Lagenia taxus quædam immensa, ad nulla conveniens opera ecclesiastica: quoniam cum totius Hiberniæ viri sancti ad ecclesiam inde construendam sibi singulatim eam optarent obtinere; tanta erat eis fraternæ caritatis reverentia, ut nullus sibi arborem auderet præscindere, quam alterius voto nosset amplexam fuisse. Ne tamen robur tam nobile frustra videretur excrevisse, statuerunt ut cum suis unusquisque discipulis ad illam accedens, jejunium Deo cum orationibus exsolveret; quatenus ejus vice devotionis caderet, cujus vitam Dominus digniorem judicaret. Singulis autem apud arborem illam jejunantibus, movebantur singulæ radices illius, & Lasreano cum suis jejunante illa corruit. Dubitantibus autem ceteris utrum tota Lasreano deberet cedere, eo quod ipsis jejunantibus radicum motus ruinam ejus videretur præparasse, sancti Pontificis ac Regis tunc Cranmali *f* judicium elegerunt: qui indicavit, captis venatione cervis duobus arboris tabula imponeretur, & quo ipsi tenderent illuc tota deferretur. Factum est ita, & dirigente Deo cervi tabulam sibi impositam ad monasterium Lethlinense detulerunt, & reliquum arboris illuc allatum est. Cumque ad faciendum ibidem oratorium architectus quæreretur, pastor quidam ait: Utinam ego artifex essem, quoniam illud gratis componerem. Et Lasreanus respondit: Facile potest te Deus instruere, si placuerit bonitati suæ. Et apprehensas manus ejus benedicens, arte illa eruditum ipsum reddidit: qui & oratorium excellenter fabricavit. Quod oratorium cum Lasreanus esset dedicaturus, super illud cives Hierusalem nocte dedicationis cecinerunt: quorum suavissima concentus melodia plurimorum auribus procul insonuit.

ingentem arborem, à pluribus expetitam,

C

sibi miraculo vindicat;

EX MS.

f

alioque miraculo oratorium ex illa struit.

18 Beatus igitur Lasreanus his & aliis, quæ non sufficimus enarrare, prodigiis templum sancti Spiritus evidentissime divinitus ostensus, suorum suscepturus præmia meritorum, XIV [Kalendas] Maji ad æternæ lucis vocatus est mansionem: ubi divinæ claritatis gloria circumfultus, omnibus eum pie venerantibus fiducialiter implorat clementiam Salvatoris, Jesu Christi Domini nostri, cui cum Patre & Spiritu sancto est honor & gloria in secula seculorum. Amen.

pie moritur.

E

ANNOTATA.

a *Mortuus erat* S. Columba *an.* 597. *Ms. Salm.* S. Kieranum *habet, sed & hic pridem obierat, neque Rex Albaniæ Ædanus supererat, cum hæc agerentur circa an.* 628: *quæ omnia scriptoris imperitiam arguunt.*

b *Hic nos deserit Ms. Salmantic. reliqua parte mutilum.*

c *Honorius hic fuit ab an.* 626 *usque ad annum* 638 *Romanus Pontifex.*

d *Non videtur hic esse* S. Mochœmocus *sive Pulcherius cujus vitam dedimus* 13 *Martii: hic enim (moriente amita sua S. Itta annorum* 20 *adolescens) ipso Lasreano fuit senior, si vere Itta mortua est anno* 569. *Ceterum miraculum hoc ex eorum genere unum est quæ in plerisque Hiberniensium Vitis occurrunt, & nuspiam merentur magnam fidem.*

e *Colganus* 15 *Ian. ad Vitam S. Berachi Annot.* 10, Foilanum Colmani Lageniæ Regis filium *quartum & ultimum appellat, asseritque patre sub an.* 576 *moriente puerum fuisse, & post tres fratres unumque nepotem, regnasse usque ad an.* 665.

f *Idem in Annotat.* 12 *ad Vitam* 6 S. *Brigidæ, inter filios Colmani prædicti hunc* Cranmal *tertium numerans, initium regni assignat in an.* 610, *quo mortuus est ejus frater secundus Ronanus, relicto filio Crimthanno, Foilani patrui sui junioris decessore & hujus Cranmali successore: quo autem anno obierit non notat. Est igitur hæc historia prior tempore ea quæ immediate præcessit, nisi forte Felanus ibi anticipate Rex nominetur.*

F

DE SANCTO VVICTERPO
EPISCOPO AVGVSTANO,
ET B. HERLVCA VIRGINE.

G. H.

ANNO DCLIV ET CIRCA MCXLII.



Atthæus Raderus, tomo 1 *Bavariæ sanctæ pagina* 49. *in illustri pictura exhibet* S. Wicterpum, Episcopum Augustanum, & B. Herlucam Virginem; *ac dein præclarum elogium utriusque subjungit, in titulo priore vocans* S. Wicterpum, cultorem Eptatici, *in quo loco apud sacras ejus reliquias vixisse* B. Herlucam annos plus minus triginta sex, *testatur infra in ejus Vita n.* 13 *Paulus Bernriedensis, qui cum illa vixit, &* plus quam viginti annis exploravit & investigavit signa sanctitatis ejus, ac tertio depositionis anno in notitiam posteritatis protulit: *ut ipse in Prologo præfatur. In hac Vita capite tertio, secundum nostram divisionem, indicantur varia apparitiones & beneficia, à SS. Laurentio & Wicterpo præstita B. Herlucæ; ex qua occasione, capite quarto & ultimo, indicantur varia de vita & translatione S. VVicterpi: ubi Paulus scriptor conqueritur se nihil de S. Wicterpo scriptum reperisse, quam illa, quæ in Vita S. Magni seu Magnoaldi conscripta sunt; & hanc, ex membranis monasterii S. Magni ad pedem pontis Ratisponæ, vulgavit Henricus Canisius, tomo* 1 *antiquæ lectionis, ubi auctor præfigitur Theodorus monachus S. Galli & discipulus S. Magni, sed à posteris interpolatam. Extat S. Magni Vita apud Goldastum; sed ab* Ermenrico,

Simul referuntur à Radero.

Vita B. Herlucæ

Acta S. Wicterpi ex illa

& Vita S. Magni,

AUCTORE G. H. cum aliis analectis.

Elewangensi monacho, emendata & distincta. *Nos ad* XVI *Ianuarii dedimus Vitam S. Tozzonis Episcopi Augustani & successoris S. Wicterpi, ex dictis Actis S. Magni decerptam: ubi plura de Vita scriptoribus diximus, quæ posteri nostri poterunt latius deducere* VI *Septembris, quando colitur S. Magnus. Hisce autem ex Actis B. Herlucæ & S. Magni indicandæ, præmittenda sunt ex variis quæ S. Wicterpus egit, post primum ante Augustanum Pontificatum.*

S. Wicterpus mortuus est an. 651.

2 Mortuus *traditur in Actis* S. Magnus VIII Idus Septembris, circa horam nonam diei ipsius Dominici, *anno* DCLV, *quando, Cyclo Solis* XX *littera Dominicali* D, *dictus dies* VI *Septembris incidit in Dominicam; cum eodem anno aut proximo præcedente*, defunctus esset S. Wicterpus Episcopus, XIV Kalendarum Majarum, *ut indicat Vita S. Magni, & diem obitus confirmant infra Paulus num.* 51, *Gaspar Bruschius in Episcopis Augustanis, Petrus Cratepolius de Sanctis Germaniæ, Auctor elogiorum ad imagines Sanctorum Augustanorum Vindelicorum æreis tabellis expressas anno* MDCI, *sive is fuerit Marcus Velserus aut alius, & ante memoratus Matthæus Raderus, aliique. At Bernardus Hartsfelder, in Basilica SS. Vdalrici & Afræ, tamquam aliquid indubitatum proferre volens, asserit* diem obitus XVI (XIV *voluit dicere*) Kalendas Maji notatum reperiri. *Antonius Monchiacenus Demochares, de Divino Missæ sacrificio, proferens Episcopos Augustanos, dat ex ante indicato Bruschio elogium* S. *Wicterpi, & quem hic asserit* obiisse decima octava Aprilis, *ipse aut certe amanuensis scripsit*, obiisse 8 Aprilis: *& mox citato Demochare retulit Arnoldus Wion obitum ad diem* VIII *Aprilis, eumque secuti Dorganius, Menardus, Ferrarius; imo, quod magis mirandum est, Bucelinus, malens arripere errores exterorum recentium, quam antiquitatem domesticorum. An autem S. Wicterpus ante Episcopatum fuerit monachus, infra quæretur.*

18 Aprilis

non 16 aut 8 Aprilis,

B

B. Herluca proposita 18 Aprilis.

3 *Raderus S. Wicterpo adjunxit B. Herlucam; ideoque & quia dies ejus Natalis non exprimitur, alii similiter eam ad hunc diem* XVIII *Aprilis retulerunt. Inter hos est Heribertus Rosweidus noster, qui edidit anno* MDCXXVI *Vitas Sanctarum Virginum, quæ sacrum castumque cælibatum in seculo coluerunt, quibus apponitur vita & imago* Herlucæ Virginis, *ac passim* Sanctæ *titulo honoratur; uti etiam fecit idem in Legenda Sanctorum Belgice recusa anno* MDCXXIX, *in qua, post Rosweidi obitum sæpius recusa, eadem Vita legitur. Editum quoque est Insulis in Gallo-Flandria Menologium Virginum, Gallico idiomate, anno* MDCXLV, *in quo ad eumdem hunc* XVIII *Aprilis retulit auctor Franciscus Laherius Vitam* Herlucæ Virginis, *addens et titulum* Sanctæ, *obitumque hoc* XVIII *Aprilis signans. Eamdem Ferrarius in Catalogo generali, citatis* monumentis Ecclesiæ Augustanæ, *ita hoc die refert:* Augustæ memoria B. Heruliæ (*imo* Herlucæ) Virginis. *Quæ eadem ex Ferrario retulit Arturus a Monasterio in sacro Gynæceo: qui* Herlucam, *ut ab* Herulia *diversam, ante retulerat* XVIII *Martii primo loco istis verbis:* Apud Boicam S. Herlucæ Virginis, quæ dono orationis ac lacrymarum fervebat, *ac postea in Notationibus plurima de Vita ejus ex Paulo Bernriedo & Matthæo Radero enarrat. Paulus Bernriedensis passim absque ullo titulo* Herlucam *scribit, at num.* 1 *Vitæ* beatissimam Virginem Herlucam, *in Prologo* Beatam Herlucam Virginem, *num.* 36 *Vitæ* Sanctam Herlucam *compellat. Raderus in Bavaria sancta* Beatam Herlucam, *at par.* 3 *Viridarii Sanctorum cap.* 3 *de Cacis Sanctis num.* 11 Sanctam Herlucam *proponit. Nos malumus solum titulum* Beatæ *tribuere: si quis autem majorem ei honorem deberi æstimet, huic nolumus repugnare. Quod ad ætatem B. Herlucæ spectat, floruit ipsa sub finem seculi* XI, *& magna parte seculi* XII. *Fuerat diu à vanitate mundi avocata, & in vita spirituali exercitata, antequam in Eptaticum venit; ubi annos plus minus triginta sex continuos vixit, & postmodum in loco Bernriedo usque ad obitum perseveravit. Vnicus character temporis videtur in Prologo innui, dum* Walthărius Episcopus Ravennas (*qui decessit anno* MCXLIV) tamquam Sanctus & miraculis decoratus *comparatur cum* Herluca, *tunc* tertio anno depositionis *defuncta: ut videatur post annum saltem* MCXLII *è vivis migrasse.*

C

& 13 Mart.

ab antiquis Sancta & Beata appellata.

D

mortua circa an. 1142.

4 *De loco Eptatico, in quo S. Wicterpus fuit sepultus, & B. Herluca diu morata est, Carolus Stengelius in Commentario suo de S. Wicterpo ista scribit:* Diu investigavi, num adhuc locus ille, Eptaticus, in Vita S. Magni & B. Herlucæ vocatus, extaret: pagum nunc Eppach dici inveni. De ecclesia non ita constabat. Inquisierunt eumdem locum, cum in Vita S. Wicterpi legissent, eximii quidam viri, illuc forsan transeuntes; sed nihil hujus tituli se invenisse testati sunt. Incidi tandem in hominem rusticanum, quem diligentius examinans, num quid ecclesiarum sub titulo B. Mariæ Virginis & S. Laurentii extaret; respondit: In pago Eppach nullam quidem ecclesiam hujus tituli extare, cum duas tamen habeat: itinere vero unius horæ non longe à Lyco flumine, loco omnino solitario & inculto, superesse parvum omnino sacellum hujus tituli. Quo responso omnino in eam deveni sententiam, ut mihi persuaderi pateret, hanc ipsam esse ecclesiam, qua delectatum fuisse B. Wicterpum legimus, ubi & postea Herluca vitam egerit. *Hæc Stengelius. Addit Raderus* Eptaticum fuisse fundum S. Wicterpi, inter Schongaum & Lanspergam situm, *sive, ut in Vita S. Magni traditur S. Wicterpus Episcopus ipsi Magno dixisse*, Bene vocatur iste locus Eptaticus, quia in medio constat inter monasterium S. Afræ, *quod est Augustæ*, & cellam tuam, *sive* Fauces Julias, *sive* Fussen *oppidum; utrimque videlicet* ἑπτὰ, *id est* septem *communibus milliaribus Suevicis seu decem Gallicis distitus.*

Eptaticus locus.

E

& Bernrie seu Bernried.

3 *Alius locus, ultima habitatione, morte & sepultura B. Herlucæ illustratus, est* Beronica *seu* Bernried, supra Monachium quindecim circiter millia passuum propter Verrem lacum, *vulgo* Wirm see: ubi monasterium Canonicorum Regularium S. Augustini fundavit in honorem S. Martini Otto Comes de Vallay, cum conjuge sua Adelhaide, ibidem cum fratre ac sorore sepultus. Fundationem confirmavit Callistus Papa II, pridie Idus Novembris, anno Pontificatus sui IV, Christi MCXXII. In hoc cœnobio recens fundato Paulus, Ecclesiæ Ratisponensis Canonicus, ab Henrico Imperatore schismatico in exilium actus, habitum Ordinis Canonicorum Regularium suscepit, & scripsit Vitam S. Gregorii Papæ VII, *à nobis ad diem* XXV *Maji illustrandam*: deinde res gestas B. Herlucæ Virginis *quas hic damus. Nam &* hæc Eptatico expulsa huc venit, vixit, & moriens voluit in cœnobio Bernriedensi, seu Beronicensi, sepeliri, cujus tumba adhuc conspicitur in media ecclesia, *uti habet Wigulaus Hundius in Metropoli Salisburgensi, tomo* 2 *de monasteriis per Bojariam pag.* 149 *& sequentibus: quorum nonnulla attingit Ioannes Aventinus, lib.* 5 *Annalium Bojorum.*

F

VITA S. WICTERPI

Ex variis collecta.

CAPUT I.

Res gestæ ante Pontificatum Augustanum.

I MInime omnium *videntur à vero aberraturi, qui dicerent nihil sciri posse de rebus gestis S. Wicterpi, antequam fuerit ad* Sedem *Pontificalem promotus; imo de rebus in Pontificatu gestis solum sciri, quæ in Actis S. Magni continentur: atque ita recte dixisse Paulum in Vita B. Herlucæ*, nullatenus se aliam ejus mentionem vel audiendo vel legendo suscepisse.

Nihil certi de rebus ante Pontificatum gestis habetur.

His

A

His non obstantibus quid ab aliis excogitatum fuerit, judicamus necessaria indicari debere. Antiquissima ejus mentio fit apud Gasparem Bruschium tam in Catalogo Episcoporum Augustanorum, cum aliis Episcoporum provinciæ Moguntinæ anno MDXLIX *excuso, quam in Centuria prima monasteriorum Germaniæ præcipuorum, biennio post in lucem data. Hic ergo auctor ita scribit in Catalogo Episcoporum Augustanorum*: S. Victerbus, aliis Victerpus, primum monachus ac monachorum pædagogus, postea Abbas Elefancensis cœnobii, ab Hariolfo quodam Lingoniensi Episcopo fundati; eligitur tandem in Augustanum Episcopum à Rege Galliarum Pippino. Præfuit ibi laudabiliter, ac summo Christianæ pietatis promovendæ & ampliandæ studio, annis sedecim. Ad hunc Victerpum venit S. Magnus, S. Galli discipulus, petens ab eo veniam ac potestatem ædificandi pro se ac discipulis suis cœnobii, quod sumptibus Regis Pippini in hujus Episcopi auxiliis construxit magnificum, ad Lycum amnem in Alpium Sueviæ faucibus: unde Faucense, & hodie adhuc parum immutata voce, Fussense cœnobium ac oppidum id appellari solet. Obiit Victerbus decima octava Aprilis, anni à nato Christo septingentesimi quinquagesimi secundi. Consecravit templa monasteriorum, Cambidonensis, S. Magni, & Benedicti Purrhensis. *Hæc ibi: In quibus Hariolfus Lingonensis Episcopus dicitur fundator cœnobii, in quo S. Victerpus fuit Abbas. De eo Episcopo ista habet Iacobus Vignerius, in Chronici Lingonensis epitome pagina* 51. Apud Lingones pessime prodigo Pastori subrogatus est fidelis ac prudens & frugi dispensator Erlulfus, sive Herulfus, alias Hariolfus, natione Germanus, ex Ducibus Sueviæ & gente Comitum Elwangiæ procreatus, atque olim cum junioribus Clericis monachos inter educatus. Fuit is carus Carlomanno, Burgundiam cum Austrasia sub annum DCCLXIX administranti, nec non Carolo Magno ejus fratri: quo anno sese stitit Lateranensi Concilio Herulfus, unus ex duodecim selectis Galliarum Episcopis, nec inibi sedit postremus. Verum solitudinis amans post annos paucos in Elwangense fraternæ ditionis monasterium concessit, Arnulfoque, seu fratri seu nepoti, baculum pastoralem resignavit. Videtur ille auctor extitisse ejus fraternitatis seu societatis, quæ tum fuit inter Canonicos Lingonenses & Sangallenses, de qua nos suo loco. *Hactenus Vignerius. Bruschius, agens de monasterio Elwangensi, sive Elefancensi, asserit* fundatum an. DCCLXIV ab Hariolpho Episcopo Lingonensi, Abbate primo sui monasterii. *Successit* secundus Victerbus, factus Episcopus etiam Augustanus. *Obiit* anno Domini DCCLII. *Id est annis duodecim, antequam fundaretur ipsum monasterium. Verum esto ibi fuerit secundus Abbas, nomine Wicterpus, alius plane est ab Episcopo Augustano, & plusquam integro seculo junior. De eo in epitaphio Hariolfi, absque ulla mentione Episcopatus, ista leguntur*:

à Bruschio dicitur monachus & Abbas Elwangensis fuisse

mortuus an. 752.

B

Fuit Hariolfus fundator Elwangensis

adhuc anno 769 Episcopus Lingonensis,

C

Clauduntur tumulo hoc Hariolphi Antistitis ossa,
Hunc qui fundavit jure locum proprio.
Pluribus erexit felix feliciter annis,
Victerboque pius liquit honoris opus.

ideoque est alius Victerpus, 2 Abbas Elwang.

En quia adhuc erat anno DCCLXX *Episcopus Lingonensis, pluribus postea annis monasterium rexit, cui subrogatus Victerbus forsan dicendus obiisse anno* DCCCII.

forsan anno 802 mortuus.

2 *Alibi hunc suum errorem corrigit ipse Bruschius, dum de S. Galli Abbatia agens, hanc ait* cœptam fundari anno DCXXX, *ipsamque* S. Gallum anno DCXL obiisse. *At post hujus obitum triennio elapso, cum sepulcrum ejus fuisset ab impiis Ducibus violatum & fractum, sed à Bosone Episcopo Constantiensi restitutum; discesserunt inde S. Magnus, & Theodorus; acceptoque duce itineris S. Tozzone, postmodum S. Wicterpi in Episcopatu Augustano successore, transeuntes Brigantiam, venerunt Campidonam: ibique relicto Theodoro, SS. Magnus & Tozzo venerunt Eptaticum ad S. VVicterpum, tunc Episcopum Augustanum. Annus erat ex calculo Bruschii* DCXLIII *aut sequens. Reliqua ex S. Magni Vita capite proximo proferentur. Verum ante ab his S. VVicterpi gestis eximantur ista Bruschii verba, quod fuerit* primum monachus, ac monachorum pædagogus, postea Abbas Elefanensis cœnobii, ab Hariolfo quodam Lingonensi fundati, *eaque tribuantur alicui Victerbo, centum quadraginta aut pluribus annis juniori.*

S. Gallus à Bruschio dicitur mortuus anno 640,

AUCTORE G. H.

triennio post discessit S. Magnus ad S. Wicterpum:

3 *Ejusdem farinæ arbitramur esse, nisi accuratius probentur, quæ, Carolo Stengelio ad marginem citato, dicto Abbati Elefancensi adduntur apud Raderum in Bavaria sancta*: Et quia *inquit*, ille Abbas se hoc modo modestius gerebat, quo altius ascenderat, non destitit fama nomen ejus celebrare, quoad eum in Neuburgensis Pontificis cathedra collocaret, ut publicam vitæ sanctioris lampadem mundo exempli causa ostenderet. *Sed quis iste* Pontificatus Neuburgensis? *num is, qui in urbem Misniæ Naumburgensem, post annum Christi millesimum, ex Sede Citizensi seculo decimo erecta, fuerat translatus? Si alius hujus nominis locus Pontificali sede fuerit honoratus, cupiunt nobiscum etiam alii edoceri. Sed progrediens Raderus*, Nec his finis, *inquit*, honorum: in Imperatoria demum urbe Vindelicorum Augustana, supremam illi Antistitis Sedem, velut Germaniæ oculo, virtus adsignavit .... qui mox ut Pontificatum suum exorsus est, ab Arianæ pestis late per orbem adhuc grassantis extirpatione initium fecit, nec ullam quietis partem sibi permisit, quoad fœdissimam luem ab ovibus suis aboleret. Quin & D. Afræ, per Hunnorum populationes pene alterum rogum passæ, ædem sacram, nondum civitate donatam, sed extra pomerium sitam, in pristinum aut majorem etiam splendorem restituit. Religiosis viris asceteria, nova partim à fundamentis erexit, partim instauravit, partim initiavit. *Hæc ibi, & hæc sunt quæ* Carolus Stengelius longâ seculorum caligine sepulta, in lucem revocavit: *verum optaremus ea antiquorum scriptorum auctoritate confirmari. Hinc progredimur ad ea, quæ in Vita S. Magni traduntur de VVichterpo, à posteris hinc inde inepte interpolata, & forsan ab iis qui ignorarunt, ante Pippinum Regem & patrem Caroli Magni, alios Principes extitisse nomine Pippini, illique attribuerunt, quæ sub B. Pippino Duce, istius abavo, contigerunt: cujus Acta deduximus* XXI *Februarii.*

An fuerit his Neuburgensis Episcopus?

E

Alia traditur Augustæ fecisse,

CAPUT II.

Excepti SS. Magnus & Tozzo. Dedicatæ ecclesiæ Waldenhovensis & Faucensis.

F

Ex Actis S. Magni decerpta.

4 CAmpidona profectus est B. Magnus, accepto secum conviatore & duce itineris Tozzone Presbytero, relinquens cum Theodoro cæcum qui visum receperat. Itaque cœpto itinere transitoque fluvio perrexit recto tramite, sicut eum viator ducebat: sicque venerunt ad locum, qui dicitur Eptaticus, & invenerunt ibi Episcopum sanctæ Vindelicensis Ecclesiæ nomine Wicterpum. Tozzo igitur, propter notitiam quam in Episcopo habebat, præcessit B. Magnum, venitque ad præfatum Episcopum, & narravit ei omnia de sancto viro quæ viderat & audierat. Præfatus autem Episcopus interrogavit, de qua regione esset. Et respondit Presbyter: Domine, sicut audivi à Theodoro, qui nunc est relictus ad Campidonam, de Hibernia provincia est ortus. Ut autem audivit Episcopus ejus bonam famam, suscepit eum benigne, cœpitque cum eo loqui, atque cum honore fove-

S. Wicterpus moratur Eptatici,

ex S. Tozzone intelligit virtutes S. Magni:

re,

AUCTORE G. H.

re: & moratus est cum eo paucos dies, sciscitans ab eo quotidie de B. Columbano & Gallo, & de itineribus eorum & conversatione & fine vitæ eorum, & de virtutibus quas fecerunt. Deinde interrogavit eum ubi voluntas ejus esset proficiscendi. Respondens B. Magnus, dixit: Domino disponente directus sum ad locum, qui vocatur Fauces, ubi prope sunt fontes Alpium Juliarum, & ubi draco fuit, qui jubente Narcisso Episcopo à diabolo interfectus est: quatenus annuente Domino, quidquid boni ibi ædificare potero, faciam. Nunc igitur paternitas tua decernat, quomodo voluntas tua sit me agere; quoniam ad tuum imperium prompto animo debeo agere, sicuti Dominus revelaverit mihi per os tuum. Ego jam senex & grandævus, cupio in ultimo meo tempore illum locum invisere, & Deo ad serviendum præparare, exemplum sequens Dominorum meorum Columbani & Galli. Ad hæc Wicterpus Episcopus respondit: Locus ille valde angustus est & inhabitabilis, & jam diversæ feræ ibi morantur, id est cervi, apri multi, plurimi ursi, & propter illorum multitudinem Domnus a Pippinus ad suam venationem exercendam saltum illum tenet. Vermes etiam plurimi & diversi generis ibi morantur. B. Magnus arripiens statim boni pastoris initia, dixit: Pater, tale ministerium habuerunt Magistri mei Columbanus & Gallus: & quando ad talia loca venerunt, Dominus noster Jesus Christus feras diversi generis & vermes per orationem illorum illico expulit ab illis locis. Similiter ego credam, quod Dei misericordia non permittet eos manere in ipso loco dum advenero. Acquievit autem verbis illius Wicterpus Episcopus, & dedit ei solamina ciborum, præbens ei conviatorem Tozzonem Presbyterum, & duces itineris, qui eum perducerent ad locum, à Deo sibi destinatum....

cupientem Faucense cœnobium inchoare

opponit difficultatem:

B

abituro dat cibaria & duces itineris:

5 Facta oratione, venerunt per viam juxta Lycum flumen, ad locum speciosum, qui non habebat b nomen: erat autem planities bona. Habebat autem B. Magnus Diaconus pendentem in collo Crucem, in qua continebantur Reliquiæ beatæ Dei Genitricis Mariæ, & de ligno sanctæ Crucis, atque sanctorum Martyrum Mauritii & sociorum ejus, nec non beatorum Confessorum Columbani & Galli. Invenit ergo supra præfatum flumen locum valde honestum & formosum, inque loco arborem stantem pomiferam valde decoram; suspenditque Cruciculam in ipsa arbore, & vocavit Tozzonem Presbyterum, atque prostraverunt se pariter coram Crucicula in orationem... Finita vero oratione cœperunt construere fundamentum, & ædificaverunt ecclesiam. Qua constructa invitaverunt Wicterpum Episcopum, ut veniret & eam Domino & S. Mariæ dedicaret. Venit ergo præfatus Episcopus ad illum locum, admirans valde quomodo illuc pervenire possent nisi per gratiam Dei: & dedicavit ecclesiam in honore Dei, Genitricis Mariæ, & S. Floriani c Martyris Christi: & sic administrare cœperunt ad laudem Christi in illo loco divina officia. Igitur cum fama virtutum, quas Dominus per beati Confessoris sui merita pie quærentibus exhibere dignatus est, longe lateque circumpositorum mulceret aures populorum; cœperunt undique alacri devotione ad tanti Patris suffragia postulanda concurrere, eumdemque locum ab suæ dignitatis memoriam Cellam S. Magni nuncupare, & multiplicibus substantiæ seu possessionum amplificare donariis. Cumque res, hac largitate fidelium collatæ accrevissent; secessit vir beatus propter multitudinem populorum; & perrexit ad vicina loca, quæ vocantur Fauces; quatenus ibi familiarem locum, Domino annuente, sibi construeret ad manendum; relinquens, præfatum Presbyterum Tozzonem in ecclesia ad populum illuc venturum custodiendum... Beatus vero Magnus cum Presbytero Tozzone regressus est ad præfatum locum, & ibi construere cœperunt oraculum parvissimum: accersitusque est à Tozzone Wicterpus Episcopus, & dedicavit ipsum oratorium in honore & sub nomine S. Salvatoris.

in Waldenhofen,

C

erectam ecclesiam

dedicat in honorem S. Mariæ & S. Floriani, c

D

& aliam in Faucibus in honorem S. Salvatoris,

ANNOTATA.

a *Addebatur* Rex *ab interpolatore: cujus loco in sequentibus reposuimus nomen Ducis, omissis aliis, quæ de Pippino Rege erant intrusa: ipse est autem qui anno* 624 *persuasit Austrasiis, ut se subjicerent Regi Clothario; cujus mox infra fit mentio, quique obiit an.* 646, *annis* 12 *post dictum Clotharium.*

b Waldenhoven *à posteris dictum, ostendimus* 16 *Ianuar. ad Vitam S. Tozzonis cap.* 2 *litt.* e.

c Florianus Martyr Laureacensis, *colitur* 4 *Maji.*

CAPUT III.

Vectigalia pro S. Magno apud B. Pippinum Ducem impetrata: Ecclesia Campidonensis dedicata: obitus S. Wicterpi & S. Magni.

E

Ex Actis S. Magni excerpta.

6 Igitur cum fama virtutum per Confessoris sui merita, quas Dominus in illo loco exhibere dignatus est, venerabili Episcopo nota facta sunt quosdam religiosos Clericos in discipulatus ejus memoriam commendavit: qui divino amore succensi, obsequia præbentes ad laudem Christi, die ac nocte, horis atque momentis, jussu suo administrabant. Relictis igitur Patri venerabili, quæ necessaria erant ibi degentibus, profectus est præfatus Episcopus Wicterpus ad gloriosum Ducem Pippinum, secum epistolam portans B. Columbani, quam ad Chlotharium direxit, pro sanctis viris Gallo & Magno, in regno suo consistentibus, ut eos benigne per amorem Domini foveret, eisque familiaria loca, prout opportunum foret, in sua mercede tribueret. Sed hoc Clotharius minime implere valuit, propter diversorum inimicorum Dei infestationes... Cum autem gloriosus Princeps accepisset epistolam, diligenter exquirere cœpit, qualis ille locus esset, quem præfatus Episcopus postulasset. Tunc Dux, nomine Gunzo, ex provinciis Augustiensi & Rhætiæ, respondens dixit: Vere, Domine, ille locus tenuis quidem facultate est, sed optimus si impeditio vermium deesset, ad venandum: quia ibi plurimi cervi, damulæ & hinnuli ibicesque diversi morantur, ursorum quoque ac luporum multitudo plurima. Tunc Episcopus cœpit narrare de virtutibus beati viri, quomodo Domino adjuvante draconem interfecit, & ceteras virtutes quas Dominus per merita ipsius & orationes in illis locis ostendere dignatus est, & quomodo à vermibus locus ille mundatus est. Hæc audiens gloriosus Dux Pippinus, commotus valde animo dixit: In veritate comperi, quia quamvis locus tam tenuis sit facultate, tamen pro meritis tanti viri, celebri erit diffamandus rumore, sicuti auditum habemus jam locum esse, ubi corpus B. Galli requiescere videtur. Inquisivit ergo à præfato Gunzone, quomodo in vicinis locis potuisset tributarios invenire de eodem pago, qui vectigalia annuatim redditibus regiis inferre deberent. Et invenit in ipso vicino loco pagum, qui vocatur * Keltinstein sibi per omnia annuatim tributa

De S. Magno Clericis:

proficiscitur ad B. Pippinum:

F

indicat virtutes S. Magni:

** al. Geltinstein impetrat pro eo vectigalia.*

A buta persolvere. Inter cetera ergo munificentiæ suæ dona, quæ impertivit beato viro, dedit ei totum ipsum saltum cum marcha, firmitatemque in epistola sua fecit conscribi, & vectigalia centum & tredecim, quæ ex præfato pago inferri debeant annuatim; quatenus pro memoria beneficiorum ejus perpetuo ibi permanerent... His Wicterpus Episcopus adornatus solatiis & sublimatus honoribus, impertitisque donis optimis B. Magno à Duce Pippino, lætus ad patriam regreditur, tribuens beato viro ea cum omni diligentia: dansque ei potestatem, ut in loco sibi commendato, ad supplendas B. Mariæ excubias & S. Afræ, omnem ordinem canonicæ institueret vitæ. Ex illo tempore ipse locus, à beato viro Magno exordium sanctitatis accipiens, augmentatus autem & sublimatus à Pontificibus Augustensibus, Christi nomen usq; hodie laudabiliter dilatare non desinit.

regressus confirmat Ordinem Canonicæ vitæ:

7 His prælibatis, Theodorus, qui apud castrum Campidonense morabatur, cœpit properare partes in illas, & narravit innumerabilia quæ passus est à Paganis Hilargaugensibus; sed tamen ædificasse se ecclesiā parvam super littus Hilaræ, quam postulabat ut apud Wicterpum Episcopum impetraret, quatenus illuc proficiscens, ipsam basilicam Domino in honorem S. B Mariæ Genitricis ejus consecraret. Venerunt quippe ambo ad locum, qui dicitur Eptaticus; repereruntque ibi supra scriptum Episcopum in oratorio suo sedentem & orantem. Ergo ut obtutibus ejus adpræsentati sunt, narravit ei B. Magnus Abbas de Theodoro, qualiter cum magno labore ecclesiam construxisset in loco Campidonensi; & quomodo deprecabatur, ut ipse illuc pergeret & ipsam ecclesiam Domino dedicaret. Audiens hæc venerabilis Episcopus, respondens dixit ad eos: Dicam prius, vobis venientibus quæ cogitabam: & sic congruo tempore, Domino annuente, proficiscar. Vere carissime Pater Magne, nunc hic sedens cogitabam, ut quia jam te Deus omnipotens ita magnificatum habet in illo loco per multa miracula ejus, accersirem te proximo venturæ solennitatis jejunio septimi mensis, & ad sacerdotii dignitatem favente superna gratia te promoverem. Inclinato denique capite B. Magnus inquit: Cur hanc objectionem asseris, Pater? Peccatorū meorum squaloribus & flagitiis fœtere me video. Idcirco vita mea non est talis, ut amabilis paternitas tua me ad tantam dignitatem promovere queat. Ergo noli deprecationem nostram pro peccatis abjicere: sed Domini provocatus mandatis, incipe salubre iter, viamque veritatis desiderantibus aperi. Postea mihi servo Dei indigno, quando paternitati tuæ placuerit, secundum C benignitatis munus impende, ne refutare videar, quæ à Domino disposita sunt super servo suo. Et cum hæc diceret, viderunt ambo, Wicterpus Episcopus & Theodorus, coronam splendidissimam adhærentem capiti suo, in modum rotæ circa solem in nubibus fulgentem. Continuo autem surgens amplexatus est eum, & osculans oculos & os ejus, dixit: Deus omnipotens, qui per potentiam majestatis suæ in te tantam virtutem ostendere dignatus est, ut pro ejus amore patriam suam derelinqueres, & præcepta ejus conservares; ipse te faciat locum tibi à Deo destinatum custodire & sublimare, cooperante gratia Spiritus-sancti tecum. Respondit Theodorus: Amen. Ad hæc iterum inquit Episcopus: Bene vocatur iste locus Eptaticus, quia in medio constat inter monasterium S. Afræ & cellam tuam: ideoque scias, quia per meum discessum hanc hereditatem permanere cupio ad S. Mariam & ad S. Afram: quatenus quasi mediator sit locus iste successoribus nostris, inter monasterium tuum & civitatem sanctæ Augustensis Ecclesiæ.

excipitur in Eptatico S. Magnum & Theodorum:

S. Magnum vult Sacerdotem consecrare.

videt super ejus caput coronam splendidam:

disponit de Eptatico hereditate sua:

8 His dictis surrexit venerabilis Episcopus, & profectus est ad castrum Campidonense: descenditque cum eo B. Magnus, comitante simul cum eis Theodoro, & venerunt ad castrum. Convocata autem multitudine populi in die solenni dedicationis Ecclesiæ, vir venerabilis Episcopus prædicationis dulcedine avidorum corda refecit: sicque jussu suo B. Magnus, postea quam ipse dixerat, tanta sapientiæ luce vestivit populorum corda, ut summa cum gratulatione auditus, & ineffabili veneratione à cunctorum ordine sit ornatus. Biduo itaque ibidem manentes cum gratiarum actione, populusque benedictione tanti Patris armatus, & ab Episcopo osculo pacis tributo, ad sua reversi sunt venerabilis Episcopus & sanctissimus Abbas, relinquentes Theodorum ad custodiendam Ecclesiam Campidonensem. Beatus Magnus post susceptam benedictionem Sacerdotalem docuit populum, & convertit ad fidem Christi... Et Dominus illum locum per merita tanti viri sublimare dilatareque dignatus est. Wicterpo Episcopo defuncto, XIII Kalendarum Majarum, Tozzo, per electionem B. Magni, ad Pontificatus honorem deductus est in ultimis diebus suis. Beatus autem Pater Magnus ægrotare cœpit, atque infirmitate febrium languescere, & per dies tredecim laborans, in die Sancto Dominico & in octavo Idus Septembris, commendans se Domino & venerabili Pontifici Tozzoni, in senectute bona, circa horam nonam ipsius diei Dominici, sanctam animam Deo reddidit, de hujus vitæ liberatus ergastulo. E

AUCTORE G. H.

dedicat ecclesiam Campidonensem:

moritur 18 Aprilis,

& S. Magnus 6. Septembris die Dominica.

CAPUT IV.

Sacri corporis sepultura, inventio; translatio Augustam.

9 *Sepultum fuit sacrum S. Wicterpi Episcopi corpus in Eptatico, loco hereditario,* ibique Sacra *ejus memoria conservata. Ex primo sepulturæ loco post annum nongentesimum transpositum est corpus retro altare S. Laurentii, dein ab Henrico Episcopo Augustano circa annum* DCCCCLXXX *ad proprium ejus oratorium relatum, postea miraculis claruit. Tum Hermannus Presbyter, ob sacrilegium in libris S. Wicterpi commissum, lumine oculorum privatus, meritis ejus visum recepit; tum B. Herluca, visitatione S. Wicterpi sæpius recreata, à seculo revocata, ad virtutem incitata est. Leguntur hæc omnia in subjecta Vita B. Herlucæ capite 3 & 4, secundum eam, quam nos fecimus divisionem: atque ibi legi possunt.*

Corpus Eptatici sepultum & honoratum,

10 *Fuit postmodum sacrum S. Wicterpi corpus Augustam Vindelicorum delatum: quod an. Christi* MCCCCLXXXIX F in sacrario illustrissimi monasterii SS. Vdalrici & Afræ repositum esse *docet Gabriel Bucelinus, in suo de hoc Sancto Episcopo ad* VIII *Aprilis elogio. Bernardus Hertfelder, dicti monasterii Prior, edidit anno* MDCXXVII *librum de Basilica SS. Vdalrici & Afræ, & repræsentat parte 2 pag. 62 Aram Sacristiæ, sacris corporibus Martyrum octo & Confessorum Pontificum quatuor conspicuam; inter quos primum in latere dextero positum conspicitur corpus S. Wicterpi, excepto capite, quod integrum seorsim exponitur cum mitra Pontificali, multis unionibus auro & gemmis artificiose distincta, quam pro suo erga Divos dicti templi Patronos affectu, generosam & illustrem matronam, Dominam Veronicam Fuccarinam, Baronissam in Birchberg & Weissenhorn, Dominam in Weldon, fieri curavisse testatur dictus Hertfelder pag. 89. Fuimus nos anno* MDCLX *Augustæ sacras hujus Ecclesiæ reliquias ipsamque dictæ sacristiæ ornatissimam aram venerati, & in bibliotheca repertum antiquum Martyrologium, quod sæpius allegamus, ipsi descripsimus, atque hic pro benevolo suo affectu religiosissimis monachis quam maximas agimus gratias.*

translatum Augustam,

& in templo S. Vdalrici expositum,

VITA

VITA B. HERLUCÆ

Auctore Paulo Bernriedensi Presbyt. teste oculato.

PROLOGUS.

PUsillo gregi Beronicensis Cœnobii Paulus Frater, indignus vocari Presbyter, bonorum collectione magnificari & eorum virtutibus glorificari. Plusquam viginti anni sunt, dilectissimi, quod animus meus voto scribendi obligatus, explorare cœpit, & investigare quædam signa sanctitatis de conversatione B. Herlucæ Virginis; quæ hactenus conservata & collata in corde meo, nunc demum, tertio depositionis ejus anno, in notitiam posteritatis ejus proferre volo: primum quidem ad commendationem divinæ gratiæ, secundo ad consolationem caritatis vestræ. Cupimus enim animam Herlucæ, non in seipsa, sed in Domino laudare; & mansuetos, de quibus estis & vos, hæc audituros lætificare. Testor autem Deum omnis gratiæ, numquam me tanta ipsius dona in aliqua feminarum *a* innotuisse. Proinde frequentatum est hoc verbum inter me, & Gebehardum alumnum meum, numquam nos suavius gustasse Deum ex ore viri, quam ex ore *b* Waltharii Ravennatis Archiepiscopi; numquam ex ore feminæ, quam ex ore Herlucæ. Vere de Pontifice, quamvis sancto & miraculis decorato, humanis tamen studiis nihilominus exercitato, non adeo mirandum; mirandum in femina, prorsus litteraturam non cognoscente, multo evidentius fuit miraculum inspirationis divinæ. Sed jam propositum iter aggredior. *c*

Vitam B. Herlucæ à 20 annis exploravit Paulus,

& anno 3 post mortem hanc scribit.

ANNOTATA.

a Innotescere *hic ponitur pro* cognoscere: *alias sæpius invenias accipi pro* significare.

b Waltharius *sive* Gualterius, *fuerat ante* Canonicus Regularis, *&* (*quod hinc colligimus*) *cum Paulo scriptore in eodem forsan conventu familiarius vixerat. Electionem ejus in Ravennatem Archiepiscopum ratam habuit anno* 1119 *Gelasius* 2 *Papa.* Decessit Idibus Februarii anno 1144, cum Ecclesiam suam, *inquit Ughellus*, summa prudentiæ laude administrasset. *Rubeus etiam lib.* 5 *Historiæ Ravennatum* virum maxima religione & innocentia *præditum laudat pluribus.*

c *Subjicimus titulos Capitum prout sequebantur, quæ in numeros rejicimus, facta alia more nostro capitum divisione: sunt autem ejusmodi.*

I De stirpe, & tempore nativitatis B. Herlucæ Virginis.
II De adolescentia ejus tertio divinitus percussa, & ad propositum sanctitatis conversa.
III De restitutione unius admirabilis oculi per suffragium Martyris S. Cyriaci.
IV De solicitudine ejus circa pauperculos infantes exhibita.
V De vigiliis ejus cum Adelhaide Comitissa, ubi terrores diabolicos ambæ viriliter superaverunt.
VI De simili eventu apud Beronicam, ubi in rivulum molarem à diabolo detrusa est.
VII De improperio diaboli pro reparatione unius denarii.
VIII De improperio S. Felicitatis pro quodam mendacio, licet pio.
IX De miraculo cujusdam Virginis, mentiri nolentis.
X De differenti visione Herlucæ, inter supra dictam Adelhaidam & sorores ejus sanctimoniales.
XI De Wilhelmo & Theokario, venerandis Abbatibus.
XII De adventu Herlucæ in Eptaticum, & patrociniis B. Laurentii & B. Wicterpi.
XIII De consilio prædicti Wilhelmi, & mora Herlucæ apud Eptaticum.
XIV De societate Doudæ, & consilio Sigebodi Ratinbuchensis Eremitæ.
XV De perpetuitate castimoniæ ejusdem Doudæ.
XVI De caritate ipsius erga Herlucam.
XVII De prophetia prioris obitus sui, quam Herlucæ.
XVIII De obitu Fratris Adalberti, secundum præsagium Doudæ, & quod solam filiam pie fefellerit.
XIX Quod huic falsitati, licet piæ, spiritus propheticus contradixerit Herlucæ.
XX De patientia Doudæ, & jocundà invectione in Herlucam.
XXI De falsis criminationibus Doudæ, ad coronam sustinentiæ ipsius commemorandam.
XXII De apparitione Domini nostri Jesu Christi, & allocutione B. Wicterpi.
XXIII De melioratione Richardi Presbyteri
XXIV De miserabili obitu Adelhardi Presbyteri.
XXV De igne excommunicationis.
XXVI. De cælesti jucunditate.
XXVII De gratia convertendi & lucrandi Deo animas.
XXVIII Qualiter Judita, filia Rudberti, conversa sit ad propositum conservandæ virginitatis.
XXIX De sancta Douda vidua, ovinam tunicam huic Virgini promittente
XXX De consecratione & ægrotatione ejusdem Juditæ & alterius virginis.
XXXI De obitu Juditæ, & gloriosis apparitionibus.
XXXII De Agna, filia Ottonis Comitis.
XXXIII De visione, quam simul viderunt in Epiphania Herluca & Douda.
XXXIV De prophetia & obitu Doudæ.
XXXV De collectore & conscriptore beneficiorum B. Laurentii Martyris.
XXXVI De familiaritate S. Laurentii ad S. Herlucam, & de reliquiis Sanctorum Buridunum translatis.
XXXVII De Berga, ubi Herluca vidit maximam multitudinem Sanctorum in celebrationibus Sanctorum.
XXXVIII De Arnoldo & Paulo, & quid uterque retulerit.
XXXIX De perlustratione templorum Romæ, B. Laurentio ductore.
XL De præscientia adventuum Pauli.
XLI De visionibus & allocutionibus, non solum B. Laurentii & Wicterpi, sed etiam Dei Genitricis *Mariæ*.
XLII De causa majoris dilectionis in Paulum, quam in alios mortales.
XLIII De comitatu Gebehardi ad Herlucam, responso B. Laurentii contra separationem.
XLIV De conventione Pauli & Gebehardi ac Herlucæ in Beronica, & expressione prædicti responsi.
XLV Item de responsione B. Laurentii.
XLVI De imaginatione S. Wicterpi.
XLVII De ordinatione S. Magni per B. Wicterpum.
XLVIII De inquisitione corporis B. Wicterpi.
XLIX De inventione corporis ejusdem, & miraculo gravitatis.
L De illatione corporis in oratorium & positione subtus altare.
LI Quare Sanctorum numero sociatus, nondum sit digne glorificatus.
LII De sacrilegio, cæcitate, & illuminatione Hartmanni Presbyteri.
LIII Quod B. Wicterpus Herlucam corripuerit, eique pœnitentiam imposuerit.
LIV De consimili B. Altonis in sanctimonialem suam correptione.
LV Qualiter intelligenda sit responsio B. Gregorii Papæ ad Augustinum.

CAPUT I.

Locus natalis, Conversio ad vitam spiritualem. Discessus in Eptaticum.

IGitur beatissima Virgo Herluca, ex Alamannorum, seu Suevorum stirpe progenita, diem natalem habuit in feria sexta circa Nativitatem S. Joannis Baptistæ; quod in præsignationem futuræ illius parsimoniæ sagaces allusores dixerunt accidisse, nimirum propter tempus abstinentiæ.

Nata in Suevia circa S. Joannis Baptistæ.

2 Verum pubertatis annos adorsa, libenter volebat ingredi vias seculi: sed, Deo gratias, retenta est in manu forti. Gravi namque & longa corporis ægrotatione confracta, inter patiendum quidem vanam esse judicavit adolescentiam & voluptatem: sed tandem convalescens iterum cœpit conformari dilectoribus hujus mundi. Rursum durius prostrata, tardius quidem, sed tamen in spem vanitatis resurrexit. Ter-

à vanitate mundi avocari cœpta triplici morbo.

A Tertia vice amborum luminum [cæcitate] percussa, digitoque Dei tacta, perfecte mutavit mentem pariter & vestem.

meritis S. Cyriaci invocati recipit visum:

3 Posthæc in visione commonita, ut pro restitutione unius oculi orbem cereum dirigeret ad memoriam pretiosi Martyris *a* Cyriaci, obsecundavit, & acutissimam aciem usque in finem perseverantem impetravit; in hoc valde mirabilem, quod neque plurimis lacrymis, neque subtilissimis operum studiis cederet.

juvat pauperculos infantes:

4 Ex tunc habere cœpit solicitudinem infantium, ut matres & nutrices, in lavandis eorum capitibus, & consuendis eorum vestibus, aliisque necessariis exhibendis.

cum Adelhaide Comitissa pernoctans in oratione

5 Adelhaidis uxor Manegoldi Comitis Palatini, de castello quod Moropolis dicitur, mulier valde religiosa, utpote sectatrix sororum suarum electarum Christo Virginum, quarum una Wielica, altera vocabatur Hiltiburgis, quarum etiam mira post obitum gloria B. Herlucæ divinitus ostensa est. Hæc, inquam, eamdem Herlucam sibi assumpsit in adjutorium pernoctandi in oratione Dei. Quadam ergo nocte malignus spiritus volens eis pavorem immittere, & sacris vigiliis illudere, tetra, sicut eum decebat, indutus specie, exstinxit lumen, quod unicum erat in oratorio: quod cum Herluca reaccendisset, iterum exsufflavit. Illis vero vehementius orationi incumbentibus superari se dolens inimicus, tanto cum fragore discedens permovit castellum, quod funditus eversum iri timeretur: & seculares quidam repentino sonitu expergefacti, & nimis attoniti, diversas opiniones tam in ipsa nocte, quam in sequenti die super insolita quassatione conferebant. Porro sanctæ vigiles se quidquam inde scire dissimulabant: tametsi Herluca signum periculosi tumoris acceperat in facie, ex maligni spiritus afflatione.

terrores dæmonis superat:

B

ab illo in rivulum dejecta,

6 Similiter ei ante paucos annos etiam Beronicæ contigit: quando more suo Canonicas vigilias præoccupans, ecclesiam singularis expetiit; in rivulum quoque molarem, vel tunc vel alia vice, ab eodem maledicto detrusa.

alias ob denarium repositum:

7 Quodã etiam tempore exprobravit ei idem adversarius, quod gazophylacium suum fecisset in foramine muri: ubi certe non nisi unum denarium reposuerat, quem in caritate à quadam matrona acceperat.

à S. Felicitate reprehenditur ob leve mendacium:

8 Acceptabilius improperium fecit ei *b* S. Felicitas, mater septem filiorum, super quodam mendacio, licet pio: quo videlicet protexerat ancillam quamdam ab ira dominæ suæ. Male, inquit, fecisti, polluendo labra tua qualicumque mendacio. Non enim sufficit virgini sola abstinentia viri, nisi quantum sapere potest, abstinens esse velit omnis mendacii. Nam, ubi veritas corrumpitur, corporalis integritas non magni penditur.

C

quod evitatum miraculo in alia confirmatur.

9 Opportunum hic videtur introducere narratiunculam ipsius Herlucæ, de quadam virgine penitus mentiri nolente. Hujus itaque fratri assultum quadam die facientes inimici, fugere eum compulerunt in ædem, quæ forte posita erat juxta sororem. Porro illi opinione ducti magis quam visione, venerunt ad eamdem sororem, eamque interrogaverunt, si præcurrens homo illuc intrasset. At illa, nec pro fraterno periculo mentiri volens, Intravit, inquit: ipsi vero exultantes in spe pessima, intraverunt ad perdendum eum. Sed Christo, qui Veritas est, propitiante, & sui dilectionem in germani tutela honorante, cum omnia præter ipsum cernerent, ipsum non solum lædere, sed etiam aspicere, divinitus prohibiti sunt.

vidit Adelhaidis & sororis gloriam:

10 Nec hoc prætereundum, quod ipsa Herluca narravit, se in spiritu vidisse dictam Adelhaidam, Palatini Comitis uxorem, in amœna quidem regione degentem, sed longe ab illa virginali, quam præsignavimus, sorore ipsius, claritate differentem: nam & pauxillum nebulæ videbatur habitaculum ejus aspergere, ad designationem videlicet transactæ conversationis mundanæ.

habet monitores illustres viros c d e f g

11 Habebat tunc temporis Herluca probatissimos sacri propositi monitores, Beatum scilicet *c* Wilhelmum, Hirsaugiensis monasterii Abbatem ac patrem; ejusque discipulum *d* Theocarium, quem post *e* Abbatiam S. Georgii, Metensem Episcopatum sanctitate & doctrina illustrasse cognovimus, ipsumque post obitum Cluniaci sepultum *g* miraculis claruisse comperimus. Adhuc enim in eorum compitis ultra Danubium commorabatur.

in Eptaticum venit: h i k

12 At postquam nobiles *h* alumnos suos Rubertum, & Hadiwigam forte comitata, devenit in ripam Lyci fluminis ad locum magnæ antiquitatis, qui vocatur *i* Eptaticus, tantam suavitatem protinus degustavit in patrociniis beatissimi Levitæ *k* Laurentii, cujus inibi ecclesia est, & S. Wicterpi, Augustensis quondam Episcopi, cujus ibidem corpus in Oratorio sanctæ Dei Genitricis Mariæ sub altari locatum quiescit; ut prædictis alitoribus suis ad propria revertentibus, nullatenus cum eis redire consenserit. Irascebantur quidem carnales patroni, nec residue quidquam disponebatur alimenti: sed spiritualis consolator Wicterpus apparens, ei blandiebatur dicens: Mane hic mecum, filia, & ego, quidquid te offenderet, removebo.

E

ibidem moratur 36 annos.

13 Præfatus quoque Wilhelmus Abbas consilium ei dederat, ut in quocunque loco divinam magis experiretur dulcedinem, in eo quam maxime longam faceret conversandi stabilitatem. Tales ergo duces secuta, continuavit habitationem suam Eptatici plus minus triginta sex annos.

ANNOTATA.

a *Celebris fuit S.* Cyriaci *Martyris in Augustana diœcesi memoria, & ad ejus honorem extructum ibidem monasterium Weisenstaignense: de cujus fundatione anno 861 facta agit Martinus Crusius, lib. 2 Annalium Suevicorum par. 2 cap. 10 & 11. Inter XXV Martyres Augustanos, qui 12 Augusti coluntur, primus est S. Quiriacus, cujus & aliorum reliquiæ ibidem asservantur.*

b *Fuimus ipsi anno 1660 in Franconia in monasterio hujus* S. Felicitatis, *cognomento Schwartzach ubi vidimus eam depictam, septem filiorum capita gerentem. Colitur ipsa 23 Novembris, at 7 filii 10 Iulii.*

c *Hic Abbas* Guilielmus *mortuus est anno 1091, die 5 Iulii, quo cum titulo Sancti adscriptus est Martyrologiis monasticis. De eo agit Trithemius in Chronico Hirsaugiensi, & libro 2 de Viris illustribus Ordinis S. Benedicti cap. 102.*

d Theocarius, *alias* Theogerus, & Dietgerus, *frater Folmari Comitis Metensis.*

e Abbatia S. Georgii *in Hercinia silva: sed monasterio inibi locorum desolato degunt monachi cum suo Abbate in oppido Villingensi.*

f *Episcopus Metensis 53, circa annum 1118.*

g *Hinc Menardus eum ad 22 Aprilis suo Martyrologio Benedictino adscripsit; & Ferrarius in Catalogo generali, 29 Aprilis.*

h Alumnus *active sumit, infra* alitores *vocat seu nutritores.*

i *Etiamnum* Eppach *dicitur, inter Lanspergam & Scongajum.*

k *Esse etiamnum S. Laurentii parvum sacellum, sed in loco inculto, à pago Eppach itinere unius horæ distante, supra diximus.*

F

AUCTORE PAULO

CAPUT II.

Vita B. Herlucæ ab accessu Doudæ usque ad hujus obitum. Utriusque virtutes & visiones. Cujusdam Juditæ obitus.

Accipit sociam Doudam,

14 Sociavit ei Deus inprimis mulierem indigenam, nomine Doudam, excellentissimæ pietatis, & castitatis æmulam, utpote Sigiboldi Reytenbuchensis eremitæ neptem atque discipulam. Nam cum adhuc virgo ad eũ salutaribus monitis instruenda venisset; ille quidem se dixit optare, quatenus possibile foret, in virginitate permaneret; sed, quia minime speraret à propinquis ejus hoc toleratum iri, consilium se dare, jugiter per septennium abstinendi à concubitu maritali, ex quo se primum sensisset impraegnari. Nam, ex quo filiam, nomine Charopolim, devotã Christi Virginem, quæ nunc spiritualis matris Herlucæ sepulcrum die noctuq; lacrymabunda obambulat, feliciter se concepisse persensit, septennem continentiam, consentiente marito, complevit: eidemq; denuo copulata, postquam filii sui, nomine Walterii gravedinem in utero deprehendit, ad torum conjugis ulterius, ut creditur, non repedavit.

matrem Charopolis

& Walterii,

B

postea perpetuatam:

15 Juvit castimoniæ perpetuitatem primitus falsa suspicio mariti de crimine incestuosi adulterii; cujus purgationem subsecuta est tanta infirmitas ejusdem viri, ut tempus longe fiendi ab amplexibus facile posset agnosci.

16 Hæc igitur in solatium derelictæ Herlucæ divinitus accersita, tam stricte eam caritatis ulnis amplexata est, ut ei sincerum matris affectum, & filiæ vocabulum mira cum suavitate impertiverit.

Douda se citius Herluca morituram fore dixit

17 Si quando asperiori vestimento Herluca vestiri voluisset ad carnem, parcens ei Douda suis illud potius castigationibus adaptavit, prædixitque satis eam mature talibus usuram; longe se prius, quam illam obituram, quod quidem ita evenit.

& obitum fratris,

18 Verum cum in multis manifeste prophetiæ spiritum habuerit, verbi gratia, in obitu fratris Adalberti de Reitenbuch, qui cum ab ipsa bene valens discessisset, secundum præsagium ipsius, in proxima hebdomada migravit ex hac vita; in hoc putamus pietatem ejus libenter prudenterque fefellisse, quod filiæ suæ Herlucam dixit superstitem fore, ne videlicet eam supra modum torqueret longa præscientia desolationis suæ.

sed falsa est in obitu filiæ prædicendo:

19 Hoc ita se habere cum sæpe Herlucam audierimus dicere, non arbitrati fuimus eam prophetare, sed optare: numquam enim vidimus illam nisi cupientem dissolvi, & esse cum Christo.

C

20 In tanta vero patientia possidebat animam suam mitissima Douda, ut interdum Herlucæ videretur esse magistra. Nam, quod relatu jucundum est, dum quadam die de ecclesia exisset Herluca, & algore turbata minus serenum vultum repræsentaret, imo repertos in foco titiones huc, & illuc velut irata disjectaret; consuetis eam blandimentis excepit, dicens: Ubi fuisti filia, & unde venis? In ecclesia, inquit, fui, & inde venio. Respondit: Non credo: quia, si ibi fuisses, & inde venisses, suaviorem orationis fructum inde retulisses.

modeste corrigit Herlucam,

21 Piget vero, & pudet dicere, quantis criminationibus tanta innocentia Doudæ pulsata sit; quas omnes, veluti medicinas animæ, stupenda æquanimitate sustinuit. Tamen, quia pro veris criminibus graviter notandus est continuo Presbyter Eptatici Richardus, dicatur & hoc ad coronam Doudanæ sustinentiæ, quod falso dictus est cum tam sancta femina stuprum frequentasse.

falsis criminationibus notatur:

a

22 Hic est enim, cujus & in vita Gregorii VII a talem fecimus mentionem, quod videlicet Dominus noster Jesus Christus ejus denotans incontinentiam, Herlucæ vigilanti & forte singulariter in ædicula sedenti, clara die cum vulneribus sanguine manantibus apparuit; nihilque dicens post momentaneam stationem evanuit. Secutus eum fuerat beatus Præsul Wicterpus; qui paulo diutius subsistens, interrogavit eam dicens: Numquid exhorruisti cruenta vulnera Salvatoris? Vere, inquit, exhorrui. Ait: Non vis eum unquam taliter videre? Respondit: Nolo Domine. Noli ergo, inquit, ulterius audire Missam Richardi Presbyteri. D

Herlucæ à Christo apparente

docetur non audire Missam improbi Sacerdotis.

23 Posthæc tamen adeo melioratus est idem Sacerdos, per assiduas increpationes & exprobrationes Herlucæ, quod in fine suo magnas ei gratias egit de spe liberationis suæ.

24 b Illud etiam in gestis Prænominati Papæ commemoratum non pigritabor hic repetere, quod videlicet quadam die, præsente Domina Hadewiga, dum forte per fenestram prospectaret Herluca, subito percutiens pectus suum, dixit: Væ, Væ, Væ, quod unquam creatus est homo. Contra quod, Domina ait: At at, quid habes? Anima, inquit, Adelberti Presbyteri de c Rota cum magna dæmonum violentia ducitur ad supplicia. Cumq; non hoc ita esse optaret hera; Mittatur, ait Herluca, & probetur. Missum est, & exitum ejus visioni convenisse probatum est. b E

videt animam mali Sacerdotis deferri ad inferos;

25 Vidisse eam aliquando ipsa quoque supplicia Tartari, inde conjeci, quod pro certo dixit, nullum apud inferos ignem ardentiorem esse, igne excommunicationis.

videt supplicia inferorum:

29 Porro quod de cælesti jucunditate nonnihil præviderit, ferventissimum desiderium ejus ostendit. Audivi eam invocare Deum testem, quod numquam tam atrocem alicujus Martyris passionem comperisset, quin eam libenter pateretur, eo pacto quo dissolveretur & esset cum Christo.

& gaudia cælestia:

27 Quantam vero gratiam in convertendis & lucrandis Deo animabus habuerit, nullus sermo explicare poterit: Supradictus Rudbertus, Hadewigæ maritus, & ipse tandem per crebras exhortationes ejus una cum conjuge ad cœlibem vitam conversus, affirmare non dubitavit, numquam præter sanctam Mariam, sibi & suis aliquam feminam tam utilem fuisse, quam Herlucam.

habet gratiam lucrandi animas:

28 Habuit idem Rudbertus filiam pulcherrimam, vocabulo Juditam, quæ hujusmodi occasione conversa est ad propositum conservandæ virginitatis. Cũ diu blandita fuisset ei Herluca, quatenus immaculatam se custodiret ab hoc seculo & nuberet Christo, sed ipsa nihil ad beneplacitum respondisset; forte contigit, ut post Septuagesimalem Vesperam, in qua plurimi dimittere solent, Alleluia; egressis omnibus, ipsæ duæ remanerent in ecclesia, & audirent suavisona beatorum spirituum cantica nihilominus cum Alleluia: qua de re vehementer exultans puella excurrit annũtiare Dominæ Hadewigæ, quatenus & ipsa festinaret particeps fieri cælestis harmoniæ. At illa, unde, inquit, ego peccatrix digna fieri possem tam d herili auditione? Tu potius filia velociter revertere, & beatis auribus Sanctorum jubilationes diligenter percipe. Quid multa? Dum finirentur superna modulamina, finita sunt pariter & infima felicis Juditæ desideria, omnemq; speciẽ seculi parata relinquere, & Sanctũ sanctorum toto corde diligere, dixit Herlucæ: O Herluca, quidquid amodo volueris & jusseris, libentissime faciã. F d

juvatur à cælitibus in inducenda Judita ad servandam Virginitatẽ,

29 Tardante autem desiderium ejus Hadewiga super mutatione habitus ejus, ventum est ad piissimam & religiosissimam viduam, nomine Doudam, cujus filius erat Udalricus de Corninga, vir spectabili genere, fortitudine, & proceritate) hujus ergo cognoscens virginalem affectum, ex dulcedine

quæ tamdem

A cælestis melodiæ conceptum, Non sit, inquit, tibi filia, curæ, quod Hadewiga supersedit tibi sacrum mutatorium dare: quia ego te vestiam ovina tunica valde bona.

sacrum velamen accipit ab Vdalrico Episc. Pataviensi: *e* *f*

30 Qua protinus Judita non multo post sacro velamine à venerabili *e* Udalrico Pataviensi Episcopo, tunc apud Reitenbuch hospitante, & *f* Henricianam persecutionem declinante, communita, eodem anno usque ad mortem est infirmata. Cumque & ipsa, & alia virgo, nomine Luikardis, quæ fuit Herlucæ neptis, languore invalescente, decubuissent in lectulis; audita est inter eas altercatio jucunda de prioritate migrandi ad cælestia regna. Utraque enim obtendit qualemcunque causam, quare præire deberet sociam.

mortua apparet Herlucæ gloriosa *g*

31 Interea Judita defuncta, in cœmeterio monasterii, quod *g* fons Wessini dicitur, est sepulta,& exinde apparuit Herlucæ cum magna gloria.

similis cuidã Agneti:

32 Denique semel interrogavit eam, si qua viveret futura compar ejus in tanta claritate. Vivit,inquit, Agnes, Comitis Ottonis de Daninga, in Admontensi Cœnobio Virginum conclusa.

33 Præsens festivitas Theophaniæ monet me revelationem in Theophania factam repetere, quam & hodie locutus ad plebem commemoravi, & post agnitum Herlucæ transitum Karopoli scriptam destinavi. B Cum adhuc felicis memoriæ Douda, mater Karopolis, viveret;ipsa & Herluca sanctissimam noctem Theophaniæ quadam vice perviligem in orationibus duxerunt. Tum vero beatissimus Levita Laurentius, vultu splendidus, veste rutilus,cum magna Sanctorum multitudine introiens in Oratorium Dei genitricis Sanctique Wicterpi Confessoris, approximavit Herlucæ, eique blandiens ait: Noli filia deinceps esse solicita super Baldeberti patris tui animam: quoniam precibus tuis adjuta, luce fruitur perpetua. Posthæc cœperunt inter se pia humilitate contendere, & neutra sibi, sed altera alteri meritum visionis attribuere.

Herluca à S. Laurentio intelligit fratrem in cælo esse.

ANNOTATA.

a *In Vita S. Gregorii* VII *apud Gretserum pag.* 245 *Paulus scribit*: Felicis namque recordationis Virgo Herluca, cui familiares erant visiones & revelationes Domini, cum infirmitatibus Apostoli,fideli relatu nobis insinuavit, quod ipsa vice quadam, dum solitaria resedisset in cellula sua, subito viderat Dominum Jesum ad se introire,comitante B. Wicterpo Augustensis Ecclesiæ quondam Præsule; habitoque C paulisper silentio subsistere, & vulnera tantum sua cruore manantia ostendere. Cumque horripilasset à timore visionis insolitæ, affatus est eam Episcopus ita dicens; Abhorresne,Soror, à cruenta specie Salvatoris? Ait:Etiam,Domine. Vis eum,inquit, taliter ulterius non videre? Respondit: Volo. Noli, inquit, ergo amodo Richarii Presbyteri Missas audire, qui debitam tanto officio castimoniam non vult custodire. Sic enim vocabatur Presbyter, qui illi Ecclesiæ indignus præerat, juxta quam Virgo Deo dedita manebat. Ex tunc eum publica vitatione confutavit, & exemplo suo plebem, ut idem faceret, animavit.

b *Hoc Paulus ibi pag. 246 ita indicat*: B. Herluca inter socias Virgines & viduas quadam die ex more sedebat,& operi manuum juxta consuetudinem suam diligenter incumbebat:cum ecce subito per fenestram prospiciens,miserabiliter lamentari cœpit & vociferari,dicens:Væ, væ, melius homini illi erat, si natus non fuisset. Cumque nimis attonita quædam illustris femina,nomine Hadewiga, interrogasset eam, quidnam vidisset,unde tantum commota fuisset;Mortuus est, inquit, infelix Presbyter ille de Rota, & anima ejus ab angelis sathanæ sublata portatur ad inferna. Vidi enim eos prætereuntes cum insultatione, & animam comitantem cum ejulatione. Illa optante hoc verum non esse,Mittatur, inquit, qui veritatem inquirat.Missus nuntius familiam lugentem invenit,& eadem hora comperit mortuum, qua beata Virgo spiritum ejus viderat à malignis spiritibus asportatum.

AUCTORE PAULO

e *Ecclesiam de Rota ad alteram ripam Lyci in Noricis fuisse dicitur in Vita S. Gregorii pag.* 246.

d *Celebri phrasi Germanica*, Herlich *sive* Herlucæ *significat rem gloriosam atque eximiam.*

e Udalrici *hujus virtutes describit Paulus in Vita S. Gregorii* VII *pag.* 251. *Mortuus est anno ætatis* 105, *Christi* 1124, *uti indicat Hundius in Metropolo pag.* 307, *qui eum in Terram-sanctam etiam profectum tradit.*

f *Postquam S. Gregorius* VII *in Concilio Romæ anno* 1080 *habito Imperium Henrico* III *Imperatori, seu Regi* IV, *ex solenni formula excommunicato, abrogavit.*

f *Vulgo* Wessebrun *in superiori Bavaria, haud procul Lyco flumine & Eptatico.*

CAPUT III.

Beneficia B.Herlucæ præstita à SS. Laurentio & VVicterpo. Notitia & affectus erga Paulum Scriptorem. E

moritur Douda.

34 Ex tunc præsagire, & omni studio pietatis præmunire finem suum Douda cœpit; qui eam in proximo festo S.Matthiæ Apostoli paratissimam, Deo gratias, invenit,

Beneficia à S. Laurentio collecta:

35 Libet autem occurrentia memoriæ beneficia prænominati Martyris in unum colligere, eaque dumtaxat, quæ videntur ad instantem materiam respicere; quo si forte in manus Romani Collectoris hoc opusculum pervenerit, cum ante paucos annos Romæ positus,pollicitus sum additum ire,in promptu habeat collectam promissionis meæ. Erat enim tunc in agro Verano, ubi videlicet corpus præclarissimi Martyris requiescit, novitius quidam collector, & conscriptor beneficiorum ejus, quæ modernis temporibus accidisse compererat in diversis mundi partibus.

ducit Herlucam ad sacram communionem, F *a* *b* *c* *d*

36 Itaque tantam familiaritatem exhibuit S. Laurentius S. Herlucæ, ut raro se dixerit absque ipsius apparitione atque deductione Sacramenta Dominici Corporis, & Sanguinis accepisse. Hujus tamen dicti prima occasio data est in loco, qui dicitur *a* Berga, ubi nuper multas & magnas Reliquias invenit, & in eremum asportavit Henricus *b* Bureburgensis Præpositus, annuente Ottone *c* utriusque habitationis defensore. Pater namque ejus Adalbertus, *d* vicinæ munitionis Dominus, à qua dicebatur Iringopolitanus,vehementer effloruerat in gratia quarti Henrici, diu pessime regnantis propter peccata populi;ideoque apud Præsules & Abbates impetrabile ei fuit,quidquid expetiit.Tanto itaque collectore non mediocriter ditatus est Sanctorum cineribus & ossibus locus ille.

37 Illuc ergo conducti caritate ad curandam sepulturam,Gepæ,sororis invite tunc absentis Cunradi eremitæ,qui auctor extitis Buribergensis cellæ, præfatus videlicet Henricus & Domna Bertha mater Ottonis[convenerũt]. Ego quoq; Paulus,& Gebehardus alumnus meus,occurrentem nobis magno cum gaudio suscepimus suavissimam Herlucam:quæ cũ non solum pro tractatu funeris contristaretur, sed etiam pro festo S. Jacobi,quod tunc instabat,spirituali nobiscum lætitia jocundaretur; interfuit Missarum celebrationi, quæ agebatur in veneratione ejusdem Aposto-

EX MS. Apostoli. Cumque ventum esset ad Canonem, candentem videre cœpit spirituum justorum multitudinem, ut non solum ecclesiam, sed etiam tectum ejus & atrium repleri cerneret, sacerdotalibus quoque vestibus nonnullos insedisse conspiceret.

38 Et hæc quidem insinuare curavit Arnoldo Paulostatensi, religioso viro & nobili, per quem & ego cognovi, intendens ei commendare personam multorum derogationibus addictam: mihi autem nihil horum, sed hoc tantum discessuro à se, quasi pro viatico retulit, quod & ipsa die & multotiens antea B. Laurentium sacræ communionis ducem habuerit.

in festo S. Jacobi:

39 Eodem etiam ductore perlustravit in spiritu, quadam vice, quidquid templorum est Romæ.

Herluca præscit adventum Pauli scriptoris.

40 Olim cum plus integro anno demorarer cum venerabili Sigeboto, tunc Eptatici Presbytero, postea vero Beronicensi Præposito; post secundam visitationem meam præscire cœpit in nocte, & suis contectalibus primo mane prædicere, quotiescumque Lycum transiturus, & ad eam venturus eram in die. Adhuc enim habitavit hospes meus in Norica ripa fluminis; eo quod in ipsa minus sustineret à supervenientibus importunitates.

B

indicat visitationem S. Mariæ & SS. Laurentii & Wicterpi:

41 In duabus autem hujuscemodi visitationibus meis reminiscor, Herlucam visionibus & allocutionibus, non solum B. Laurentii & Wicterpi: sed etiam gloriosæ Dei Genitricis Mariæ lætificatam fuisse, & audisse quædam oblivioni tradita, quædam propter infirmas mentes silentio velanda. Verumtamen ex tunc cœpit me peccatorem vehementer, ut ipsa juravit, in Christo diligere, & nulli mortalium plus quam mihi de secretis suis credere, magni faciens quod per adventum cæcitatis & surditatis, nequaquam fraudata fuisset tantarum revelationum suavitate.

amat eum ut vitam scripturum:

42 Ego jam dudum animadverti, hanc, illa nesciente, rationem fuisse tantæ erga me dilectionis suæ ex occulta divinitatis instigatione, quod præ omnibus declaraturus essem ipsius sanctitatem. Talis præsignatio caritatis extitit erga Severum Sulpitium in B. Martino, erga Adalbertum Ratisponensem Inclusum in moderno e Udalrico Cluniacensis attinentiæ apud Suevos Præposito, quorum alter precem, materiam, sumptumque dedit ad componendam vitam sui dilectoris.

e

pro eo responsum accipit à SS. Laurentio & Wicterpo:

43 Tertia visitatione mecum ad Herlucam [perrexit] Gebehardus alumnus meus, jam mihi per quinquennium domi forisque sociatus, & apud eam protinus, tamquam in spiritu prævisus, invenit gratiam: perrexit autem præter voluntatem meam, quoniam separationis consilium capessebam. Nimis enim gravatus eram Ratisponensium Clericorum infestationibus, qui me, velut auctorem molestiarum suarum, odio habebant, propter irreprehensibilem vitam & linguam veridicam. Vix ergo & tarde solitariam adeptus Herlucæ conventionem, rogavi eam, quatenus divinam mihi precibus suis perquireret voluntatem. At illa vigilantius orans, subito vidit sibi approximare B. Laurentium, comitante B. Wicterpo, audivitque dicentem: Adhuc nolo te discessionis consilium dare. Hoc autem dixisse B. Laurentium, latuit me usque ad quartum decimum annum.

C

f

simul conveniunt Bernriedæ Herluca & Paulum,

44 Tunc enim & prædictæ societatis biga, quinti Henrici persecutione Ratispona depulsa, & Herluca sceleratorum rusticorum furoribus ab Eptatico decussa, convenit in Beronica; egoque retractans, quod firmiter mihi dissuasisset prænotatam disjunctionem, & nullam reddidisset rationem, supplicavi ei, usque ad prædictæ visionis expressionem: sponte vero sua narravit, quod subjungo.

D

45 Dum forte oraret pro quodam familiari suo in adversitatibus posito, quo citius eum Deus clementer eriperet ex hoc mundo, apparens ei B. Laurentius subintulit: Oportet eum prius majora pati. *iterum responsum accipit à S. Laurentio.*

46 Insequenti die rursus oranti, apparuit sæpe dictus Wicterpus Episcopus; & velut exponens, quod pridie dixerat B. Laurentius, præsignati hominis repræsentavit imaginem talia patientem, qualia & leguntur de g Jacobo Intercisso, & referuntur de Theodomaro Juvaviensi Episcopo, quorum videlicet uterque membratim cæsus fuisse memoratur: ille h temporibus antiquis; iste modernis. *& S. Wicterpo*

g

h

ANNOTATA.

a Berga *est aliquod monasterium sanctimonialium diœcesis Eystettensis, inter hanc urbem & Neoburgum: fundatum an.* 976; *sed num intelligatur hic, non definimus.*

b Bureburg seu Peilberg monasterium Canonicorum Regularium *esse annotavit Gretserus. Meminerunt ejus Hundius & Miræus, citati à Pennotto in Historia tripartita Ordinis Clericorum Canonicorum, par.* 2 *cap.* 39 *num.* 9.

c *Fundatio Burtburgensis traditur ab hoc Ottone facta an.* 1100 *confirmata à Calisto* II *Papa* 1121. E

d Castri Iringi, *vulgo* Irinspurg.

e Udalricus, *in Vita S. Gregorii pag.* 249 beatæ recordationis Odalricus Prior de Cluniaco, *ubi dicitur cum* S. Altmanno Episcopo Pataviensi (*cujus Vita danda est* VIII *Augusti*) *& memorato supra* Wilhelmo Abbate Hirsaugiensi, & Sigefrido de S. Salvatoris Cella, Rector fuisse quadraturæ seu quadrigæ à S. Gregorio VII inchoatæ *in defensionem Ecclesiæ, uti in hujus Vita latius est explicandum* 25 *Maji.*

f Henricus 5 *Rex seu* 4 *Imp. adhuc vivo patre invasit regnum anno* 1105, *eoque anno sequenti mortuo, tenuit usque ad annum* 1125 *quo obiit. Hic contra Gelasium* 2 *Papam anno* 1118 *rite creatum, Burdinum, Gregorium dictum, Antipapam assumpsit, & dire ecclesiam vexavit, usque ad annum* 1122, *quo pax Ecclesiæ reddita est.*

g *Coluntur* S. Jacobus intercisus 27 *Novembris, &* S. Theodomarus *sive* Thiemo Archiepiscopus Saltzburgensis 28 *Septembris.*

h Jacobus *circa an.* 420, Thiemo *anni* 1101.

CAPUT IV.

Vita & translatio S. Wicterpi.

F

47 Nunc stylus noster singulariter vertendus est ad B. Wicterpum, si forte compensare possim aliquam negligentiam majorum. Nam à diebus S. Magni Confessoris, quem idem Præsul apud Eptaticum primitus vidit cælesti lumine coronatum, & paulo post ibidem gratulabundus ordinavit Presbyterum, nullatenus ejus mentionem vel audiendo vel legendo suscepimus, usque ad tempora S. Herlucæ, excepta dumtaxat translatione, quam senes, qui viderant, ipsi Herlucæ sic referre solebant. *S. Wicterpus ordinat S. Magnum Presbyterum, a*

48 Henricus Augustensis Episcopus, indicens triduanum jejunium, congregavit maximam multitudinem Clericorum, monachorum, & laicorum: & veniens Eptaticum cum Crucibus Reliquiisque Sanctorum, aperuit Beati Pontificis sepulcrum: sed non invento corpore, contristatus est valde. Tandem percunctatione habita, repertus est, qui diceret, se suspicari furtive sublatum fuisse à quodam Presbytero malæ conscientiæ, propter offensam tantæ sanctitatis contremiscente, retroque altare S. Laurentii collocatum esse: eo quod ipse puerulus *b Corpus ejus Eptatici depositum,*

pa-

A patrem suum villicum & eumdem Presbyterum nocte quadam secutus fuisset, ac tale quid molitos audisset.

nequit inde exportari

49 Verum cum per hanc indaginem prænominatus Antistes antiquum prædecessorem suum lætissimus invenisset, & versus Augustam ducere cœpisset, tanto pondere fixus est repente, ut penitus moveri nequiverit à tanta quæ aderat, multitudine. Nolebat enim antiquam familiam suam comitialis præsentiæ solatio destituere: quamvis eam, dum vixit de suo, transfuderit in dominium sanctæ Dei Genitricis Mariæ.

c illatum ad ejus oratorium:

50 Quod etiam translator animadvertens, reduxit eum in Eptaticum, miraculo *c* inlevitatis conversо in miraculum, illatumque Oratorio, quod prænotatus miserabilis Presbyter nefanda pollutione profanaverat, & ideo sanctum corpus extulerat, & imposuerat vasi lapideo, cujus usus accommodatus fuerat baptismo; super quo illud altare constructum dedicans, totam domum debita purificatione sanctificavit.

Apoc. 6, 9 Collocatur sub altari,

51 Itaque Sanctorum numero sociatus beatus Præsul Wicterpus, utpote sub altari, secundum Apocalypsin B. Joannis Euangelistæ, Martyrum Christi collocatus, propter exilitatem tamen loci, B & imperitiam sacerdotii, nondum digne est glorificatus. Quidam enim nec depositionis ejus diem hactenus agnoverunt, cum aperte legatur in vita S. Magni, quod obierit in quarta decima die Kalendarum Maji,

d libros S. Wicterpi ablatos cæcus factus,

52 Ex hac imperitia vel incuria processisse puto, quod Hartmannus Presbyter Eptatici, idemque Præpositus apud Augustam Canonicorum S. Mauritii, sacrilegium non timuit in libris B. Wicterpi committere; unde eum & lumen oculorum contigit amittere. Verum de hoc magna Dei miseratio, magnumque meritum sancti Pontificis enituit: quod quamvis alienata volumina nec restituere, nec recompensare valuisset; cum ex corde pœnitenti, & oculis lacrymosis, Deo suoque Confessori supplicando satisfecisset, præsente Herluca visum recepit & gratias egit.

ejus meritis illuminatur:

Herluca ab eo in visione objurgata:

53 Quadam etiam vice corripuit ipsam Herlucam B. Wicterpus in visione, eo quod naturalem infirmitatem, quamvis rarissimam & brevissimam, experta, sanctuarium fuisset ingressa, licet missa à Domina Hadewiga, pro re nescio qua: imposuitque ei ante introitum Oratorii tres Dominicæ orationis recitationes, & totidem geniculationes: EX MS.

54 Pro simili delicto severius se vindicavit in quadam sua Virgine *d* B. Alto, à quo nomen est *e* Altonis monasterio: nec immerito. Nam cum ei per nocturnam visionem interminatus fuisset, ut tali tempore chorum non intraret, si judicium ultionis evadere desideraret, post primam, & nisi fallor, secundam admonitionem inobediens reperta, *f* in tenebras exteriores, ad hanc vitam dumtaxat pertinentes, missa est. d e f

55 Ex his conjectari potest, Responsionem B. Gregorii Papæ ad Augustinum super infirmitate, non fuisse generalem totius Ecclesiæ regulam, sed specialem solius Anglorum gentis in novella Christianitate misericordiam. lib. 12 Regesti ep. 31

ANNOTATA.

a *Ista omnia, ex Actis S. Magni 6 Septembris illustrandis excerpta, supra dedimus.*

b Henricus *Comes à Geysenhausen (natus patre Burchardo matre Adelheyde filia Henrici Ducis Bavariæ, qui erat filius Ottonis I Imperatoris) creatus Episcopus circa annum 974, profectus cum Ottone II in Apuliam, ibidem circa an. 982 occisus est.* E

c Inlevitas *pro ponderositate seu gravitate.*

d *Colitur* S. Alto 9 *Februarii, ad quem diem etiam de ejus monasterio late actum. Dedimus ejus Vitam seculo* 9 *scriptam, in eaque legimus* signa & miracula litteris tradita, fuisse furtive ablata: *quæ tamen Paulus videtur habuisse.*

e *Annotat hic Gretserus*, Exempla hæc esse extraordinaria, nec trahenda in consequentiam.

f *Reliqua, de obitu potissimum B. Herlucæ, desunt. Gretserus ait* subire alterutrum suspicari, aut Paulum cœptæ relationi alia de causa extremam manum non addidisse, & vel certo consilio vel necessitate compulsum, in hac scriptione progredi noluisse; aut certe progressum, sed nobis ob imperfectum exemplum id non constare.

DE SANCTO VRSMARO,

EPISCOPO ET ABBATE IN BELGIO.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

§. I Vita & Miracula à variis scripta. Tempus vitæ & translationis Binchium. G. H.

ANNO DCCXIII.



LObium, *seu* Laubium *aut* Laubacum, *præclarissimum Belgii monasterium, suam originem debet S. Landelino, qui inde discedens Crispinium, illud S. Vrsmaro tradidit incolendum & perficiendum: quod teste Molano in Natalibus Sanctorum Belgii, ad* tantam pervenit rerum temporalium benedictionem, ut feratur possedisse villas centum & quinquaginta tres: nec mirum, *inquit*, quando in eo vigebat dignitas Episcopalis, & quotidiana erant Sanctorum Ursmari & collegarum patrocinia. *Situm est ad Sabis fluvii sinistram ripam, è regione Tudinii oppidi, quod antiqui Abbates ad tuendam Abbatiam magnis sumptibus munierant. Spectat Abbatia ad diœcesim Cameracensem, quamvis sit territorii Leodiensis. Vltimus ex Abbatibus, qui simul erant Episcopi, fuit* S. Theodulfus: *qui, tempore Pippini Regis ejusque filii Caroli Magni, dicto monasterio præfuit mortuus* DCCLXXVI. *Huic successit* Anso Abbas, vir bonus & Sanctus, & pro capacitate ingenii sui litteris studens. Extat libellus Vitæ S. Ursmari ad prædecessorem ejus Theodulfum Episcopum ab eo conscriptus; item & S. Ermini alius: in quibus veritas historiæ, quantum à simplicis eloquentiæ viro describi potuit, amplectenda est, *uti tradit Fulcuinus Abbas Lobiensis, de Gestis Abbatum Lobiensium cap.* 9. *Nos utriusque Sancti Vitam habemus ex eodem* Ms. *codice Vltrajectino S. Salvatoris & utrobique* Erminon *appellatur, qui aliis est Erminus: quam autem de hoc Vitam scripsit Anso, damus* XXV *Aprilis, collatam cum* Mss. *Audomarensi S. Bertini, Leodiensi* S. *Iacobi, & Hubergensi Guilielmitarum. Quam vero hic damus de S. Vrsmaro contulimus cum* Ms. *Trevirensi monasterii* S. *Maximini. Tomo* 6 *Spicilegii Acheriani post Fulcuini Chronicon additur Continuatio, ad nostra usque tempora, excerpta ex antiquis Lobiensis ecclesiæ monumentis, quorum primum finitur ante mortem Abbatis Arnulfi, atque adeo an-*

Lobium monasterium olim dives, ex patrocinio S. Vrsmari,

Vita ante an. 776 scripta ab Ansone Ab[bate] *viro Sancto,*

AUCTORE G. H.

te annum MXCIV; *narrat autem quomodo ipsius tempore Præpositus Oibaldus, dum Presbyteris restaurandi vetus pavimentum aperitur*, inter cetera Sanctorum corpora, quæ sicut inventa sunt reliquit, sanctæ memoriæ Ansonis Abbatis corpus reperit .... & juxta muri structuram in imo recondidit: *sed clam atque secreto, non quasi ad venerationem; confirmatur tamen etiam hinc, quod in magna sanctitatis opinione vixerit & obierit Anso prælaudatus.*

eadem carmine ab Herigero Abbate, creato an. 990.

2 *Mortuo sub annum* DCCCXC *Fulcuino successit* Harigerus, *Abbas Lobiensis* XX, *qui scripsit Gesta Pontificum Tungrensium, Trajectensium & Leodiensium; hæc autem edidit atque illustravit Ioannes Chapeavillaus, Canonicus & Vicarius Leodiensis. Scripsisse eumdem Harigerum metrico stylo Vitam S. Vrsmari testatur Continuator Fulcuini de Gestis Abbatum Lobiensium. Hoc poëma habemus ex antiquissimo Ms. codice Ecclesiæ Gemblacensis transumptum, in quo nihil historicum de S. Vrsmaro reperitur, quod non contineatur in Vita ex prædictis Mss. codicibus hic à nobis danda. Quapropter, & quia poema illud stylo liberiori evagatur, ne ultra necessitatem crescat operis moles ipsum omittimus, libenter daturi cuicumque volenti ipsum publici juris facere. Præfatio sic incipit:*

cum hoc exordio prologi,

Primo supremum mira vertigine cælum,
Afflans cuncta, Dei fecit sapientia summi,
B Quo locat Angelicam, quam condidit ipse, choreã.

Atque ita proponit lapsum Angelorum, creationem mundi & Adami, hujus lapsum reparationemque per Christi adventum & triumphum in cruce. Deinde progreditur ad Euangelium per Apostolos & viros Apostolicos annuntiatum orbi universo ac potissimum vicinis regionibus: & post versus CXC *cum illustri mentione S. Landelini & monasterii Lobiensis finitur prologus, Vitaque historia hoc exordio datur.*

& historia

Ursmarus Sanctus, meritis & honore coruscus,
Nobilitate cluens, morum probitate nitescens,
Commendans almæ gestis præconia vitæ.

Ibi, post patriam descriptam, hæret Poëta in visionibus matri factis ante S. Vrsmari nativitatem, & quidquid fabularum de diis ethnicorum confictum est attingitur, atque post versus facile quadringentos nativitas S. Vrsmari ejusque gesta explicantur per versus alios quadringentos, ex quibus centum quinquaginta quatuor extant editi par. 2 sec. 3 Benedictini. Sunt simul versus pauci ultra mille, qui cum S. Vrsmari sepultura ita desinunt:

& fine Vitæ,

Namque monasterio memorato vallis in imo,
Sancti in honore Petri posito, mons præminet altus,
Cujus in excelso fundatam vertice ab ipso
Ecclesiam pia Virgo simul Theotoche tuetur.
In hac busta Patris venerandi sancta reponunt,
C Thesaurumque sacrum votis tumulant reverenter,
Quo Deus assidue monstrat sua signa decenter,
Ut quivis facili valeat deprehendere sensu;
Quanti sint illic meriti lipsana reposta;
Ejus pro laude, qui vivens regnat ubique. Amen.

3 *Laurentius Surius edidit Vitam, hinc inde latiori phrasi amplificatam, cum præfatione Ratherii, olim monachi Lobiensis, tum Veronensis Episcopi; qui asserit se Vitam ab Ansone scriptam reperisse apud Comenses; additque, eam* continentia rerum auro obrizo topazioque præferendam, locutionis vero solœcismis ita pro sui modulo refertissimam, ut deprehendere difficile fuerit, utrum scriptoris negligentia, an dictatoris id contigerit insipientia. *Hæc* Ratherius, *qui bis* Veronensis, *& toties* Leodiensis fuit Episcopus, ac pulsus quater, vitam egit denique privatus & clausit, vel infelix vel principatui parum aptus, *uti de eo scribit Bartholomæus Fisen lib. 6 Historiæ Ecclesiæ Leodiensis num. 25 ad annum Christi 951. Nos contenti veritate historiæ, simplici, sed non adeo contemnenda eloquentia, ab Ansone Abbate descripta, illam Ratherii comptiorem, (quia apud Surium legi potest, & quia nihil nisi phrases*

Vita alia apud Suriũ comptiori stylo à Ratherio Ep. Veronensi exornata:

prolixiores continet) omittimus. Eadem Vita posterioribus D *temporibus à quodam monacho Lobiensi plurimum aucta est, variis laciniis hinc inde insertis ex Fulcuini historia de Gestis Abbatum Gemblacensium, quam Vitam olim nobis communicarat Aubertus Miræus, Ecclesiæ Cathedralis Antverpiensis Decanus & studiorum nostrorum amantissimus: ex illa autem Andreas du Chesne nonnulla edidit tomo 1 Scriptorum historiæ Francorum pag. 688. Nos aliqua attingimus in Notationibus; reliqua rejicimus in Appendicem ad hanc Vitam; cui subjungimus Appendicem secundam, in qua alia de Gestis S. Vrsmari à Fulcuino indicata damus, eique subjungimus historiam elevationis ejusdem S. Vrsmari, ab eodem descriptam.*

alia postmodum aucta ex Fulcuino; Appendices

cum historia elevationis.

4 *Historia miraculorum S. Vrsmari est in unum quasi corpus collecta, & ex Ms. Lobiensi nobis communicata. Hujus pars prima est à Fulcuino Abbate descripta, quam in tria capita distinguimus; eadem vero in præcitata Fulcuini historia de Gestis Abbatum Lobiensium continetur. Quæ sequuntur capite quarto, tempore dicti Fulcuini & forsan ejus jussu sunt conscripta. Quæ quinto & sexto capitibus proponuntur, ab alio multo juniore sunt composita. Vltimo loco datur* Itineratio S. Ursmari, qua inter Flandrenses voluit glorificari, *& sub isto titulo proferuntur miracula, quæ contigerunt, dum sacrum ejus corpus circumferretur, ab oculato teste compilata.*

Historia miraculorum à variis composita.

5 *Qui ad hæc tempora proximi accedunt sunt Sigebertus Gemblacensis, & Baldricus Episcopus Noviomensis.* E *Ex his Sigebertus tempus S. Vrsmari suo Chronico inscripsit, ac primo ad annum 698 ita habet:* S. Ursmarus, per interventum Hildulfi Ducis, Lobiense cœnobium à Pippino Principe ad regendum suscipit. *Verum hæc ad annum præcedentem ut minimum sunt conferenda, quod in exordio regiminis* XVII *Kalendas Septembris anno* DCXCVII *à Fulcuino dicatur dedicasse ecclesiam monasterii Lobiensis, ut infra ex Appendice 2 constabit. Iterum Sigebertus ad annum 713 ista habet* Sanctus Ursmarus Episcopus & Abbas Lobiensis cœnobii obit, eique S. Erminus in regimine succedit. *At Baldricus lib. 2 Chronici Cameracensis cap. 37 & 38, ista tradit:* Secessurus S. Landelinus Laubiis, eo loci præfecit beatum virum Dei Ursmarum, piis moribus præditum, in functoria tantum prædicatione creatum Episcopum. Hoc doctore, & dein B. Ermino succedente, effloruit locus; & ad Dei gloriam, ut usque in præsens apparet, mos plene adolevit ecclesiasticus. Horum itaque beatorum Dei Confessorum dormitionis habitaculum subjungamus. Erat namque Ecclesia parochialis, subjacens prælibato cœnobio, quæ juxta, scilicet in vertice montis, sita est: ubi ipsi monachi, sed & omnes collimitanei circum & circa degentes, tumulandi ferebantur. Ad hanc beatissimi viri Ursmarus atque Erminus, cum defuncti sunt, portantur humandi: quorum meritis declarandis divina pietas multa miracula est dignata operari. Postquam vero ambo ad remunerationem vocati, in jam dicta parochiali ecclesia tumulati fuissent, tot & tantis munificentiis locus ille donatur, ut modernis temporibus monasterio facto Canonici mitterentur. *Hæc Baldricus. Extat etiamnum vetus illa parochialis ecclesia, in eaque aut cœmeterio adjuncto sepeliuntur Abbas, monachi & incolæ Lobienses. Ceterum, bellis in agro Leodiensi sævientibus anno* MCCCCVIII, *Collegium Canonicorum ex dicta ecclesia Binchium, quod est vicinum Hannoniæ oppidum, se transtulit. Quo factum est, ut Guilielmus Bavarus, Hannoniæ Comes, instanter peteret, ut sedem ibi fixam ac perpetuam vellent figere. Quod & fecerunt, Martino V Papa consentiente & approbante. Eodem tempore, ex prædicta Lobiensi ecclesia, corpora SS. Vrsmari, Ermini & aliorum sex Binchium sunt translata: quæ diversis octo feretris argenteis inclusa ibidem asservantur, & quotannis mense Iulio ineunte, magno hominum concursu, solenni supplicatione per oppidum pie circumferuntur.*

Creatus Abbas an. 698

sed potius 697,

mortuus an. 713;

sepultus in ecclesia parochiali in vertice montis,

F

ubi Collegium Canonicorum institutum;

an. 1408 Binchium translatum,

cum aliis corporibus sacris.

A *tur. Huic supplicationi exornandæ Albertus Princeps Belgarum varias ex auro, argento ac serico umbellas & alium ornatum pretiosum dono dedit; & ipsa sacra lipsana ab Archiepiscopo Cameracensi Francisco Burchio, ceremonia insigni, se præsente, visitanda curavit: uti Autbertus Miræus in Chronico Ordinis S. Benedicti, & Fastis Belgicis describit, ipsique ibidem sacra lipsana, sumus venerati: intelleximus etiam quod M. Ægidius Wauldé Binchiensis Pastor anno* MDCXXVIII *Montibus Hannoniæ curaverit Gallice imprimendam Vitam & miracula S. Vrsmari atque aliorum septem Patronorum Binchiensium una cum Chronicis Domus Lobiensis.*

§. II. Cultus sacer variis diebus, Monasteria & templa constructa.

Colitur 18 Aprilis in Breviariis

6 Lobienses & Binchienses, *ut primum & præcipuum Patronum, solennissimo ritu colunt S. Vrsmarum hoc* XVIII *Aprilis, quo vita functus. Quo item die Officio trium Lectionum celebrat ejus festum Ecclesia & diœcesis Leodiensis. At nobilis Ecclesia Collegiata S. Waldetrudis in urbe Montensi colit hoc die ritu duplici S. Ayam cum commemoratione S. Vrsmari, ut præscribitur in Officiis dictæ Ecclesiæ propriis, anno* MDCXXV *excusis. Verum olim Officium de S. Vrsmaro factum fuisse indicat antiquum Breviarium secundum usum dictæ Ecclesiæ S. Waldetrudis, in quo ista præscribitur Oratio:* Deus qui nos, devota B. Ursmari, Confessoris tui atque Pontificis, instantia, ad agnitionem tui sancti nominis vocare dignatus es: concede B propitius, ut cujus solennia colimus, etiam patrocinia sentiamus. *Eodem modo Ms. Martyrologium Lobiense, sub nomine Adonis, primo loco ista habet:* XIV Calendas Maji Laubaco transitus S. Ursmari, Episcopi & Confessoris: *Sunt eadem sub finem rejecta in Martyrologio Adonis, à Mosandro & Rosweido in lucem dato, cui plura adduntur in Ms. Adone Leodiensi S. Laurentii, sed potissimum de visione matri ante ejus nativitatem facta. In Mss. Atrebatensi, Tornacensi & Laetiensi, ex quibus edidimus genuinum Martyrologium Bedæ & Flori, ista leguntur:* Eodem die Lobiis natale S. Ursmari Episcopi. *In Ms. Bruxellensi ecclesiæ S. Gudilæ primo loco ita refertur:* In Laubiaco S. Ursmari, Episcopi & Confessoris: qui præparatis ad usum monasterii necessariis cœnobium Lobiense, quod Landelinus fundavit, à Pippino regendum suscepit. *Eumdem suis elogiis celebrant Martyrologia Mss, Leodiense S. Lamberti, Centulense S. Richarii, & alia: item Grevenus, Canisius, Galesinius, Ferrarius, & potissimum Molanus in Auctario ad Vsuardum triplicis editionis, & Indiculo atq; Natalibus Sanctorum Belgii: pro quo Vsuardum allegat Baronius in Notis ad* XIX *Aprilis, quo die inscriptus est hodierno Martyrologio Romano, aliisq; Maurolyci & Felicii; quo etiam die,* multa C fulgidum sanctimonia *obiisse scripsit Mejerus in Annalibus Flandriæ; & eo die officium de eo faciendum invenitur in antiquis Breviariis Antverpiensi, Bruxellensi, & aliis.*

& Martyrologiis;

in nonnullis 19 Aprilis.

Elogium Trithemii

7 *Ioannes Trithemius, l. 3 de Viris illustribus Ordinis S. Benedicti, cap. 157, hoc elogium habet:* Ursmarus, ex Abbate Lobiensis cœnobii Episcopus Bobiensis, vir doctus & sanctus, divinique verbi prædicator insignis, qui prædicans temporibus Dagoberti in provincia Flandrensi multas construxit ac construi fecit ecclesias. Hujus Vitam Herigerus Abbas luculento sermone descripsit. Claruit anno Domini septingentesimo: cujus festũ celebratur IX Kalendas Maji. *Hæc Trithemius, non absq; mendis. Nam primo nulla ejus mentio fit in ullo Martyrologio* nono Kalendas Maji, *sed* decimo quarto Kalendas Maji, *deinde anno* DCC *nullus regnabat aut vivebat* Rex Dagobertus, *sed* Dagobertus tertius Rex Francorum, *cœpit puer anno* DCCXI *regnare; sub quo S. Vrsmarus mortuus est anno* DCCXIII. *Præterea non est ex* Abbate Lobiensi *factus* Episcopus Bobiensis, *scilicet in Italia, ubi Bobium monasterium à Columbano seculo Christi* VII *est constructum in eoq; Sedes Episcopalis erecta anno* MXIV, *& Atto primus Episcopus ordinatus. Fuit autem* S. Ursmarus *simul* & Abbas Lobiensis & Episcopus, *sed in* funcτoria tantum prædicatione, *ut supra ex Baldrico diximus: de quo ejus Episcopatu infra in Appendice latius agitur. De Vita ejus metrice stylo ab Herigero conscripta, jam egimus. Arnoldus Wion meliori eum encomio celebrat, sed ad* XIX *Aprilis.* In cœnobio Lobiensi, *inquit*, depositio S. Ursmari Episcopi & Confessoris, qui prædicationis munere permultos ad fidem Christi perduxit, & miraculis clarus quievit in Domino. *Wionem sequuntur Dorganius & Menardus. At longiore encomio ornat eum Bucelinus, ad hanc* XVIII *Aprilis. Aberrat plurimum Wion, dum in Notis ait,* S. Ursmarum successisse in regimine Abbatiæ & Episcopatus S. Hidulpho, Duci & Abbati Lobiensis cœnobii: *solum enim (ut supra ex Sigeberto diximus)* per interventum Hildulphi Ducis suscepit regimen cœnobii Lobiensis. *Colitur S. Hidulphus Dux* XXIII *Iunii: de quo nonnulla hoc die dicimus ad Vitam B. Ayæ uxoris. Constantinus Ghinius eumdem S. Vrsmarum inter Canonicos recenset, & magno eum elogio commendat ad diem* XIX *Aprilis, in Natalibus Sanctorum Canonicorum.*

emendatur;

AUCTORE G. H.

nomen in fastis Benedictinis;

& Canonicorum.

8 *Inter alias solennitates prima censetur festum elevationis factæ an.* DCCCXXIII, *qua celebranda* XXVI Martii *refertur in Ms. Adone monasterii Lobiensis, item à Molano in Auctario Vsuardi & Natalibus Sanctorum Belgii, Canisio, Ferrario, Saussajo, Dorganio, Menardo, Bucelino Sed ea solennitas, tum impedita tempore Passionis Christi aut Resurrectionis, transfertur in Dominicam ante Natalem S. Ioannis Baptistæ. Proxima festivitas est ob commemoratioñe meritorum SS. Vrsmari & Ermini, quando per eorũ patrocinũ liberati sunt Lobienses ab incursione Hungrorum, & celebratur secundo die Aprilis, indicata infra cap. 1 Miraculorum, quæ per Fulcuinum descripta sunt. Memoratur etiam in Ms. Adone Lobiensi, & aliis jam indicatis. In Florario Ms. celebratur* XV *Aprilis depositio S. Vrsmari, &* XVIII *Aprilis translatio sive Elevatio. Sed alia solennitas est Binchii Dominica secunda post festum S. Ioannis Baptistæ, ob translationem SS. Vrsmari, Ermini & aliorum Sanctorum in oppidum Binchiense, factam* XX *mensis Iunii anno* MCCCCIX, *& inscriptam Auctario Molani ad Vsuardum, Martyrologiis Saussaji, Canisii & aliis monasticis, ad diem secundum Iulii: qua potest esse secunda Dominica post festum S. Ioannis. Denique in Auctario Carthusiæ Bruxellensis ad Grevenum annuntiatur aliqua commemoratio ad* XIV *Octobris, ob translationem dictorum Sanctorum in novum feretrum, sub Episcopo Cameracensi Ioanne de Burgundia, qui dictæ Ecclesiæ præfuit ab anno* MCCCCXL *usque ad ann.* MCCCCLXXIX.

alia solennitates 26 Martii;

E

2 Aprilis;

15 Aprilis;

20 Iunii;

2 Iulii;

14 Octob.

9 *Traditur B. Vrsmarus multas ecclesias ac cœnobia fundasse, præter primarium Lobiense. Ex his infra Appendice 2, ex Fulcuino data, censentur* Alna sub Lobiensibus, *quæ non procul distat, & nunc cœnobium est Ordinis Cisterciensis; ac* Waslare versus Theoraciæ saltum in finibus Faniæ, F cui Dodonem præfecit; *colendum* XXVIII *Octobris. Appellatur S. Vrsmarus à nonnullis* Apostolus Tirasciorum; Flandrensium & Menapiensium: *idque propter oppidum Aldenburgum, Brugas inter & Neoportum situm, sed magis vicinum Ostendæ: de quo agens Antonius Sanderus, tomo 1 Flandriæ illustratæ pag. 316 & sequentibus, ex Chronographo Aldenburgensi ista habet:* Reverendissimus Antistes Ursmarus infernalem hanc maxime Flandriam, idololatriæ adhuc cultui, non sine multo tristioris animi argumento, deditam cernens; veræ fidei mox ardore succensus, temporibus Childeberti Francorum Regis, ob baptismi gratiã prædicando perlustravit: multisq; in ipsius pagi Flandrensis locis, maxime autem Aldenburgi, fidei Christianæ fundamenta locavit. Habitationis autẽ sibi locum in urbe quondam illa nobili, sed tum temporis plane lugubri Aldenborch, ob pristinæ ejus dignitatis recordationem eligens, cum suis commilitonibus eo primum accessit: ubi & euangelizabat Jesum, rudisque gentis pectoribus Christianæ religionis dogmata inserebat. *Regnavit* Childebertus *ab anno* DCXCVIII *usque ad annum*

construxisse dicitur monasteria Alnense & Waslarense;

Aldenburgi

A *ecclesiam S. Petri,* *annum* DCCXI, *cui tunc successit* Dagobertus *filius*, de *cujus* licentia templum D. Petri in Aldenborch consecravit S. Ursmarus: quod diuturna stabilitate viguit, longa ætate senuit, & prolixa vetustate corruit. Post multa vero annorum curricula, id est anno MLVI reinceptum est à Rabodone Episcopo, & consecratum prima Maji MLXX; qui condonavit Arnulpho Suessionum Episcopo, illique canonicam de ea fecit investituram. Qui Arnulphus eam donavit in Abbatiam & congregationem monachorum Ordinis S. Benedicti, anno MLXXXIV, & præfuit eidem annis tribus, *mortuus anno* MLXXXVII *in solennitate Assumptionis B. Mariæ; qui Sanctis adscriptus colitur postridie. At Ratbodo Noviomensis & Tornacensis Episcopus creatus est anno* MLXVIII, *mortuus an.* MXCVIII. *& S. Mariæ;* *Præterea traditur* curialis ecclesia Aldenburgi, B. Mariæ Virgini inscripta, peristyliis & laqueari excelso conspicua, à S. Ursmaro sodalitio Clericorum honorata fuisse.

in Singulfi-villa conventum 12 Canonicorum: 10 *In Schedis quoque Binchio ad nos missis ista habentur:* Singulfi villa, nomen est fundi, nunc Zeclesen prope Aldenardam in Flandria, & in eo memoria SS. Petri & Ursmari, in quo tunc Canonicorum duodecim conventus habebatur, ab eodem S. Ursmaro institutus, qui locus à Nordmannis est destructus circa annum DCCCLXXXI. In terra quoque, B *ecclesiam circa Affligem.* quæ Lata-quercus dicebatur, ubi ecclesia Affligemiensis sita est, ejusdem Sancti industria ecclesia ædificata est, & monasterio Lobiensi acquisita, & ab incolis proprie S. Ursmari possessio nominabatur. Verum post variam depopulationem, præfato loco à quibusdam sub obtentu ereminticæ vitæ occupato, Leonius Abbas XXVIII jus suum publice sæpius reclamando, demum apud S. Petrum Gandensem, quorumdam Flandrensium persuasu & interventu, spontaneus cessit.

VITA

Auctore Ansone Abbate Lobiensi V.

Ex MSS. Ultrajectino & S. Maximini.

PROLOGUS AUCTORIS.

Domino meo & vere Domino, Domini servo Christique electo Theodulfo, Episcopo perfectorum virorum comparabili, Ansus, servus inutilis servorum Domini, salutem. O pie C Pater, mi Domine, sera est inquisitio tua, & tarde data est mihi optio scribendi Vitam S. Ursmari Episcopi, cujus opus explere mihi iniungis: de cujus virtutibus multæ labefactæ sunt à memoria, ob transita nonnulla annorum curricula. Sed quamvis ex plurimis pauca queam prodere, quæ à quodam scripta reperi, *Ab alio scripta tradit:* gravatus pondere peccatorum fari vereor, metuens illud Propheticum testimonium: Peccatori autem dixit Deus? *Ps. 49. 16.* Quare tu enarras justitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum? Tamen ne inobediens appaream, tutus tuis sanctis orationibus vallatusque, Vitam præfati jam Sancti scribere exordiar; primitus siquidem quidnam, quod matri ejus fuerat revelatum de illo priusquam nasceretur, vel quid ipse gesserit in Episcopatus fastigio sublimatus. Quamvis enim ad omnia illius nequaquam potuerim pervenire; at ea in quibus ipse conscius tantum fuit nesciuntur: quia laudem ab hominibus non requirens, quantum in ipso fuit, omnes virtutes suas latere voluit. Nos autem sufficere credimus, si tantum excellentiora notamus: simul & legentibus consulendum est, ne quod his pariat copia congesta fastidium. Obsecro autem eos, qui lecturi D sunt, ut fidem dictis adhibeant, neque me quidquam nisi compertum & probatum scripsisse arbitrentur: *eaque probata & comperta,* alioquin melius est tacere, quam falsum dicere.

CAPUT I.

Visiones factæ matri S. Ursmari: vita privata & Episcopalis.

1 Beatus Ursmarus Episcopus, dignus laude bonorum, in pago Hainau vel *a* Theorascensi, in villa quæ vocata est *b* Fleon, oriundus fuit. Qui à Deo electus est è cælo per perdestinationem priusquam nasceretur per originem. Gravida namque matre ejus de eo, apparuit ei quidam senex in visu noctis, in manu sua tenens quemdam puerulum. Tunc ait ad eam senex: Accipe puerum hunc, nutriesque eum. *Visiones matri factæ:* Incubuerat itaque fames tunc magna in illa regione, respondensque mulier ait seni: Unde istum nutriam, Domine, cum mihi desit ob magnitudinem famis quam patimur in hac terra? At ille dedit in manu ejus panem candidum, & dixit illi: de hoc pane nutries eum. Quæ cum accepisset illum, crevit inter manus illius magnus valde. Tunc gaudens eadem mulier ait: Hoc quid est quod video, vel quid significat? E Respondens autem senex ait illi: Filium es paritura, qui de regno *c* magnam sustinebit partem. *indicatur magnus coram Deo futurus,* Qui ita demum prædicando adultus sustinuit: siquidem tantam à Domino gratiam est consecutus, ut omnes pabulo verbi Dei reficeret, qui ad eum gratia colloquendi veniebant.

2 Iterum autem mater ejus depressa somno, aliam vidit visionem. *& iterum alia visione:* Scala quippe super terram contra se stabat, cujus cacumen cælos tangebat: & ipse puer ascendens per eam, cœlum ingrediebatur. Sed & ipsa mulier ascendens post eum usque ad cacumen scalæ, ad illum tamen penitus pervenire non potuit. Tunc demum mulier ad se conversa illico cognovit, veraciter hæc omnia suum figurari in filium, quem clausum adhuc detinebat in utero. Hæc enim & similia de proprio mater cognovit filio ante nativitatem. Unde exultans aiebat: Scio prænoscens per misericordiam Dei, quia magnus erit filius meus coram Domino.

3 *d* Editum proinde puerum adultumque genitores doctoribus sanctarum Scripturarum ad imbuendum tradiderunt. *sacris litteris imbuitur:* Qui litteris sacris est instructus, divinaque lege non mediocriter est imbutus, minime seculariter sed monasterialiter ac regulariter. F Ab ipso enim pueritiæ suæ tempore cor gerens senile, ætatem moribus transiens, mentem ad astra suspendens, minime in voluntate ambulabat propria, sed in voluntate Dei. *strictè addictus legi divinæ:* Quocumque autem illum lex divina constringebat, illic toto annisu applicari curabat, manu cordis indefessus. Crescens quippe ætate, pollebat virtutibus. *e* Erat quidem corpore castus, mente devotus, amabilis cunctis, aspectu pulcherrimus; prudentiæ, temperantiæ, fortitudinis, justitiæque possessor; longanimitate perfectus, eleemosynis largus; patientia, mansuetudine, humilitate, ac pietate solicitus; caritatem habens perfectam. *excellit virtutibus:* Sed & has omnes virtutes decorabat sapientia, quæ est creatrix omnium elementorum. Sermo illius juxta Apostoli dictum *Col. 4, 6.* semper erat sale conditus. Qui ita per multos annos in sanctis actibus vitam duxit, non cessans promere viam salutis: & ad instructionem fratrum de ore velut favus mellis dulcedo redundabat. Si quando opportunum tempus loquendi videbat, sine ædificatione proximorum horam transire minime sinebat.

Terrena

A Terrena quoque omnia despiciens, Domino adhærebat; illi soli vacare desiderans, orationibus frequenter incumbens, cum lacrymis & compunctione cordis deprecabatur Dominum, quatenus sibi tutamen largiretur, ut illa erogaret vel meditaretur opera, quæ in conspectu divinæ majestatis essent accepta. Dominus autem, qui scrutatur renes & cor, pias illius exaudire dignatus est preces.

4 Denique cum Episcopus fuisset ordinatus *f*, tantam illi gratiam divina pietas concessit, ut pene omnes anteiret mortales, & multi exemplo illius vivere optarent: qui ob magnitudinem suæ sanctitatis spiritalis effectus est Pater multorum, Scripturarum Doctor, monasteriorum constructor, Pastor ecclesiarum, custos animarum, nutritor orphanorum ac viduarum, atque redemptor captivorum; siquidem à Pippino potestatem redimendi captivos acceperat. Gregem vero sibi commissum ita dilexit, sicut veritas ipsa docuit, Pastor bonus animam suam dat pro ovibus suis. Si enim in sancta Ecclesia persecutionis rabies exorta fuisset, mori ob causas Dominicas minime trepidasset. Vir quippe iste sanctus dissimilis fuit hominibus quos cernimus temporibus nostris. Non audivimus quemquam nostris temporibus qui in corpore tam prolixum pertulerit martyrium, aut qui tantam cruciationem sustinuit in vita præsenti. Nec sumus idonei evolvere qualis fuerit vita illius, præsertim cum novem annis & decem hebdomadibus absque alimento vixerit panis, ob egritudinem corporis. Prorsus de cibario, quem sumebat, nullum arbitror hominem carnalem vivere posse, nisi per sanctum Spiritum, qui ipsum alebat. Omnes autem qui eum videbant ambulantem aut audiebant loquentem, mirabantur valde quod tam efficaciter loqueretur vivens absque alimonia panis. Fons aquæ erat ejus poculum & refrigerium. Cibus ejus talis erat quem sumere absque officio dentium valebat. Tanta erat ejus patientia in suis tribulationibus, ut compararetur beato Job: sicut enim ille non peccavit labiis suis murmurando contra Deum, sed laudes Domino concinebat; sic & vir sanctus indesinenter Dominum benedicebat, sicut Propheta dicebat, Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus ejus in ore meo. *g*

[Margin: f; *Episcopus creatus,*; *pastoralem curam adhibet:*; Ioa. 11, 11; B; *vivit in mirabili abstinentia,*; *& patientia,*; Job 1, 22; Psal. 33, 2; g]

ANNOTATA.

C a *Ms. S. Maximini.* Threcacensi, *in* pago Hainau, *scilicet in hodierna Hannonia: sed aliis in* Tirascia, *forsan latius extensa, collocatur.*

b Fleon *nunc* Floyon, *prope Avesnas; quo in loco Antonius VVingbius Abbas Letiensis Oratorium in S. Vrsmari honorem erigi curavit. De ecclesiola lignea à S. Vrsmaro ibi constructa, agit Fulcuinus infra in miraculis num. 13.*

c *Mabillon* aliquam sustinebit partem. *Surius*, aliquam Christo lucrifaciet partem.

d *Natus traditur 23 Iulii anni 644 aut sequente.*

e *Hæc virtutum enumeratio deest apud Mabillonem & in* Ms. S. Maximini: *apud Surium latius explicatur.*

f *In Lobiensi Ms. & à Chesnæo edito ista interponuntur, ex Fulcuino de Gestis Abbatum Lobiensium descripta.* Post discessum Laubaco Sancti Landelini (quem recedere ab eo loco gratia illuminandi Crispinium, ubi nunc requiescit, suaserat Spiritus Domini) B. Ursmarus, cui Laubias locum Apostolatus & exercitii sancti delegerat Dominus, verbo prædicationis & virtutum meritis clarus., accersitus à Pippino Seniore (sub quo regnaverunt Theodoricus ab eodem Principe in Textricio villa devictus, nec non & filii ejusdem Theoderici Chlodoveus & Childebertus, filius quoque Childeberti Dagobertus) idem monasterium suscepit regendum per Hidulphi interventum, qui erat unus ex Principibus Regis majoribus: ubi etiam pastorali inthronizatur cathedra, tanta Domini sublimatus gratia, ut pene omnes &c. *Hæc ibi. De dictis Regibus alias egimus, & ostendimus hunc Dagobertum puerum obiisse. De S. Hidulpho hoc die agimus ad Vitam B. Aiæ, ejus uxoris: colitur ipse 23 Iulii.*

[Margin: AUCTORE ANSONE EX MS.]

g *Sequuntur in Lobiensi etiam hæc:* Mentior si hæc ejus exercitia usque ad nostra non decurrunt tempora. Non, ut prætermittam eos quos aut viva voce instruxit, aut quos vicinitate temporis per eos qui viderunt aut audierunt illud silentio &c. *Sunt ea, ex Gestis Abbatum Lobiensium per Fulcuinum, desumpta.*

CAPUT II.

Varia S. Vrsmari miracula: obitus.

E

5 Illud quoque silentio non est tegendum, quam inclytus fuerit virtute ad purgandum energumenos. Erat quoddam monasterium quod vocatur Malbodium *a*, haud procul à Laubaco cœnobio suo, in quo erant sanctimoniales. Itaque cum unam ex eis arripuisset spiritus malignus, cœpit eam graviter vexare, & per os ejus turpia fari. Tunc omnes illic commorantes pavor invasit, ita ut confiterentur se numquam pertulisse talem pavorem: tenentesque patientem consorores, dicebant ad dæmonem; Quomodo ausus es vexare ancillam Christi: & dicebant; Impurissime dæmon, exi ab ea. Quibus ille respondens ait: Non exeam, priusquam Ursmarus veniat; ipse enim compellet me exire *b*. Altera vero die, ordinante Domino, affuit Ursmarus Episcopus. Cumque Sorores dixissent de ea quæ à diabolo torquebatur, jussit eam exhiberi. Quæ cum fuisset adducta, ille de sua virtute minime præsumens, cum Dei auxilio armavit se contra diabolum; ac deinde accipiens librum, exorsus est legere exorcismum super energumenæ caput, ut per conjurationem Divini nominis exire compelleretur: sicque sanctum benedictionis sumens oleum, linivit oculos naresque ejus & os. Quo facto protinus spiritus immundus aufugit ab ea. Ita demum ab ipsa passione famula Dei est sanata, ut ulterius spiritus malignus ad eam non ausus fuerit accedere. Pavor tamen, quem prius malignus inter Sorores seminaverat, adhuc post liberationem puellæ inter eas esse videbatur. Tunc vir Dei Ursmarus præcepit sibi salem & aquam deferri, quibus benedictis spargi jussit per monasterium, & sic pavor cum suo discessit auctore.

[Margin: a; b; *Sanctimonialem, à dæmone obsessam liberat solito exorcismo.*; F]

6 Alio quoque tempore adducta est ad eum puella secularis, dæmonio plena: *c* quam jussit sibi in oratorium deferri. Quo facto præcepit eam vinculis, quibus tenebatur, absolvi: cœpitque Dei potentiam super caput ipsius invocare: ipsumque lemurem nigerrimum, ut à plasmate Dei vivi recederet, increpare. Mirum in modum hostis ille antiquus cœpit continuo anxiari ac fremere, diversasq; ac diras voces emittere. Sanctus vero Ursmarus jussit eam extra oratorium trahi, ipseque subsequens, tetigit eam bis vel ter baculo, quem in manu gestabat: & confestim exiit

[Margin: c; *aliam energumenam sanat tactu baculi;*]

AUCTORE ANSONE EX MS.

exiit ab ea spiritus immundus, ac si ipse corporaliter cæsus fuisset. Deinde perungens eam oleo sancto, sospitem remisit ad domum parentum.

7 Sanctus autem vir habebat neptem in præfato monasterio, quam *d* S. Aldegundi commendaverat. Quæ postquam adulta crevisset, nata est infirmitas in collo ejus sæva nimis *e*. Et dicebant medici quod non posset adipisci sanitatem, nisi caro incideretur à ferro, & sic cum uncino ferreo foras traheretur. Hoc autem cogitantes facere, contigit illuc advenisse S. Ursmarum, & invenit neptem suam graviter ægrotantem. Et ille vocans medicum, dixit illi: Dic mihi utrumne vales salvare illam? Et ille: Nequeo, nisi cum uncino ferreo incisa carne foris morbum traham. Hæc vir Dei agere non permisit, quia tenere eam diligebat. Imponens itaque manum suam sæpius die illa super vulnus, dicebat illi: Vide filia, ne patiaris tibi ferrum imponi: credo enim in Deum quod ipse te curabit ab hac infirmitate. Nocte vero eadem Sanctus uberrime preces fudit ad Dominum: jamque illucescente die altero, puella à strato sospes surrexit in tantum, ut nec vestigium infirmitatis in ea remaneret.

neptem suam ab infirmitate colli sanat,

8 Alio quoque tempore in eodem monasterio alia ægrota jacebat tam pessimo languore obsessa, ut qui eam viderent, recuperari posse sanitatem omnimodis desperarent. Quæ cum audisset tanti viri adventum, cœpit virtute qua poterat dicere: Obsecro, ut rogetis illum venire ad me: confide enim in Deo, me recuperaturam sanitatem quantocius, si eum videre meruero. Quod cum B. Ursmaro fuisset indicatum, confestim properavit ad domum, intuitus febricitantem, elevans manum, signum Crucis super eam edidit, & febre decedente, illico convaluit. Quæ palam prædicabat omnibus, se sancti viri sanatam fuisse orationibus.

& signo Crucis febricitantē:

9 Post hæc S. Ursmarus suam cernens crescere infirmitatem, & diem vocationis suæ imminere, curam egit non modicam, ne grex sibi commissus relinqueretur orbatus. Tunc auctore Deo, optantibus cunctis, *f* S. Arminni discipulo suo curam injunxit pastoralem, studuitque eum commonere, ut vigilanti studio pascerent oves sibi creditas: quod idem postea devotissime egit. *g* Miracula etiam sui magistri opere metrico, juxta elementorum summam, versificator optimus edidit. Nec multum post anno Domini septingentesimo decimo tertio S. Ursmarus beatæ memoriæ Episcopus resolutus est de ergastulo corporis, & officio Angelorum evectus ad æthera, modo remuneratus cum Angelis triumphat in gloria. Cujus discipuli exequias devote celebrantes, sepelierunt eum honorifice in Laubaco monasterio suo, in ecclesia quæ sita est in cacumine montis, ad cujus radices situm est monasterium. Et ædificata est ibi ecclesia in honore sanctæ Mariæ semper Virginis Dei genitricis, ubi præstantur virtutes & beneficia, ad laudem & gloriam nominis Domini Jesu Christi, qui vivit & regnat in secula seculorum. Amen.

ægr constituit S. Erminum successorem:

moritur anno 712,

sepelitur in ecclesia S. Mariæ:

claret miraculis,

ANNOTATA

a *Surius* duodecim millibus, *scilicet passuum*, distans *à Laubaco, ad Sabim fluvium versus Occidentem*.

b *Hic multa apud Surium de dæmonibus & potissimum ex sacra Scriptura interponuntur, quæ ibi legi possunt à Ratherio adjuncta; desunt autem in Ms. S. Maximini & poemate Harigeri.*

c *Hæc ex Ms. S. Maximini inseruimus, quæ paucioribus habentur in* Ms. *Vltrajectino.*

d *Acta fundatricis monasterii Malbodiensis dedimus 30 Ianuarii, ubi etiam de Malbodio pluribus actum.*

e *Additur in* Ms. *Lobiensi*, quæ dicitur gutteria Francilogo, *aut* sermone Gallico *uti est apud Surium. Quæ videntur melius abesse in utroque Mss. Est* Gutteria *aliis dirus articulorum dolor*, *Gallice* la goutte. *Hic sumitur pro vitio gutturis, quod etiam* gutturnositas *dicitur. Colvenerius in Notis ad Chronicon Cameracense Baldrici lib. 1 cap. 16. hunc locum adducit, sed perperam de Sancta Aldegunde dictum arbitratur.*

f S. Armino *seu potius* Erminus *colitur 25 Aprilis.*

g *Hoc S. Ermini poema hactenus cum magno veræ historiæ detrimento periit anno 1546, in bibliotheca Lobiensis incendio. Vt tradit Wauldæus in Vita S. Ermini cap. 12.*

APPENDIX I.

Ex Ms. Lobiensi & ab Andrea du Chesne excuso.

QUantæ autem virtutis sit & famæ, non magnopere nostrum est commendare. *a* Scit hoc magna pars Galliæ & Flandriæ, ubi variis molestiis vexatos, orationibus & meritis suis sanos reddidit quotidie. Per quem cum in partibus Galliæ, in *b* Fania scilicet & Theoracia, multi conversi fuissent, & constructæ quæ adhuc supersunt ecclesiæ; sicut erat lucrandis animabus semper intentus, se ad prædicandum Flandriæ contulit versus Menapum fines, qui adhuc detinebantur ritu gentis vanis superstitionibus. Cujus miraculis multiplicibus compuncti, & prædicatione assidua ad fidem conversi, ex magna parte prædiorum heredem eum statuunt sibi, & eam quæ est in Laubias Christi Ecclesiam. Ipse etiam provinciæ Dominus, Aldo nomine, B. Ursmari prædicatione ad fidem Christi conversus, donavit de suo dictum vocabulo *c* Aldeburch vicum, & mille passus undique per circuitum: in quo construxit atque consecravit Ecclesiam in honore Petri Apostoli: de qua postmodum dotavit Laubiensium Ecclesiam: quatenus ipse beatus Apostolus, cui à Domino ligandi atque solvendi collata est potestas, patrocinaretur Flandrensibus atque *d* Menapibus, qui de diversis idolorum cultibus revocati, facti erant una Ecclesia Christi. Sunt autem loca in circuitu vici Aldeburch dicti: in quo etiam loco ecclesiam, quæ adhuc superest, ædificaverunt in honore S. Ursmari. Ubi crebro quæ & quanta Deus per eum operatus sit miracula, sola illius colligit scientia, quæ ab initio Verbum Patris constat & sapientia. Et quia locus se obtulit reddendæ dubitantibus & quærentibus rationis, cur scilicet dictus sit Episcopus, cum Lobia non sit Sedes Episcopalis; pro tempore expediendum est paucis. Quia enim, ut præfatum est, intentus erat semper lucrandis animabus, & quia multi barbaricæ gentis, ut supra dicti Flandrenses, adhuc detinebantur vanis idololatriæ superstitionibus, prædicandi tantum gratia, sicut competebat rudimentis fidei novellæ, est ordinatus Episcopus: quod factum quoque de S. Amando legimus. A quo etiam locus Lobiensis tantam dignitatem est adeptus, partim ab hoc partim quia locus regius *f* regia munificentia est constructus, ut nulli committeretur, nisi primum esset ordinatus Episcopus, quæ dignitas etiam perduravit in multos succes-

In Flandria multos convertit:

& maxime Aldeburgenses:

Qua de causa sit Episcopus creatus.

A successores, qui leguntur fuisse Episcopi & Abbates. de qua tantum adhuc superest in eo loco, ut Abbati liceat uti sandaliis, tunica Subdiaconali, habere potestatem ligandi atque solvendi, atque ubique uti annulo aureo & chirothecis.

ANNOTATA.

a *Hac desumpta sunt ex Fulcuino sub finem capitis* 2.

b Fania *ad fluviolum Wasterum dituncula versus Tirasciam.*

c *Alii melius quasi* vetus castrum *dictum volunt, & tempore Attila Regis destructum. Consule Mejerum in Annalibus Flandria ad an.* 453.

d Menapii *hi vixerunt in diœcesi antiqua Tornacensi, à quibus & à Morinis Flandri distincti, detinebant olim partem Flandria maritimam in hodierna diœcesi Brugensi, uti alias sapius docuimus.*

e *Mejerus ad an. 668 sub finem ista habet:* Eadem tempestate in pago Flandrensi de religione verba fecit Ursmarus Episcopus Suessionum, atque Abbas idem Lobiensis in Nerviis, qui Aldenburgii præcipue versatus, templum ibi ex materia excitatum Principis Apostolorum honori dedicavit. *Mejero citato Demochares* Ursmarum *eumdem cum* Autcharo *facit, sed bic integro seculo citius vixit. At seculo 7 vixerunt Episcopi S. Ansericus, Bettolenus & potissimum S. Drausius, qui traditur circa an.* 654 *Episcopus creatus, vixit post annum* 675. *Consule qua ad ejus Vitam diximus* 5 *Martii. Hinc nullo modo censemus credibile* S. *Vrsmarum fuisse Episcopum Suessionensem, in summo antiquorum scriptorum silentio.* B

f *Hac contracta ex Fulcuino, qui addit*, scilicet Liptinus: *ubi palatium regium, in quo S. Bonifacius Archiepiscopus Moguntinus Synodum celebravit præsente Carolomanno anno* 743. *Hodie* Lestines *dicitur, locus prope Binchium.*

APPENDIX II.

Ex Fulcuino de Gestis Abbatum Lobiensium cap. 4. & 5.

Beatus igitur Ursmarus in exordio regiminis sui ecclesiam, quæ ante id temporis erat inconsecrata, consecravit: dedicans illam Domino in honore Principis Apostolorum Petri, simulq; Doctoris Gentium Pauli & omnium Apostolorum Christi, cumulans templum donis & altare multiplicibus Sanctorum patrociniis. Facta est autem hæc dedicatio anno, qui est sexcentesimus nonagesimus septimus Dominicæ Incarnationis, decimo septimo Kalendas Septembris, Domino in perpetuum regnante, Pippino autem Francis principante. Quam ecclesiam nequaquam passus pollui cadaveribus mortuorum, fecit aliam in honore S. Mariæ in vertice montis, cui subjacet prædictum monasterium: ubi cœmeterium constituit esse fidelium, & ad quam confluerent populus: nam illicitus, ut nunc quoque nisi certo tempore, apud aliam erat feminarum accessus. Monasterium quoque in Alna ipse construxit, & Lobiis subjecit. Monasterium quoque Wassare, versus Theoraciæ saltum, in finibus Faniæ ædificavit: cui & Dodonem præfecit, virum admodum sanctum, utpote à se instructum: qui aliquantisper ibi demoratus, eremum concupivit, extructaque in eodem Faniæ saltu cellula, cum permissu pii Patris & licentia, vita vixit in ea theoretica, ubi postea multis virtutibus clarus migravit ad Dominum... Beatus igitur Ursmarus, virtutum omnium commerciis plenus, officio sibi credito fideliter administrato, locoque priscis monasteriis regia munificentia

Dedicat ecclesiam Lobiensem anno 697

16 Augusti.

C

extruit aliã in monte cum cœmeterio.

construit monasteria Alnense & Wassariense

constructis coæquato, solvitur carnis ergastulo, & cælesti introfertur paradiso: ubi nunc & semper, nostri petimus memor, feliciter fruatur Domino. Obiit autem anno septingentesimo decimo tertio Dominicæ Incarnationis, nobis in perpetuum Domino Deo regnante, & Pippino agente in sceptris. Qui antequam decederet, fractus longa molestia, se vivo S. Erminum successorem sibi substituerat; in quem familiaritate quadam speciali se totum transfuderat, utpote in dilectum heredem & gratissimum successorem.

D

obit an. 713

creato ante successore S. Ermino.

HISTORIA TRANSLATIONIS.

Ex dicto Fulcuino cap. 9. & 10.

Abbatia Lobiensis pervenit ad Dominum Folradum, piissimum Abbatem, tempore Domni Ludovici Imperatoris... His diebus lucernam suam Dominus, quam justificando igniverat, ignitam beatificaverat, beatificatam miraculis clarificaverat, nolens diutius delitescere; sed ad majorem venerationem cunctis hominibus propalare, prædicti Abbatis cor tetigit, & ut sancti & venerandi & cum omni amore nominandi Ursmari corpus de sepulcro elevaret, accendit. Quæ elevatio facta est jussu & permissu ejus, qui tunc erat Cameracensis Episcopus, agentibus Clericis utriusque Ordinis, cum frequentia magna populari. Expleta itaque elevatione diem illam festivam duxere, nobisque & posteris celebrem esse sanxere. Facta est autem hæc elevatio anno Domini octingentesimo vigesimo tertio; ab ipsius vero Sancti non dicam obitu sed natalitio, quo vere cœpit vivere in Christo, decimo post centum exacto. Abhinc ergo cœpit beati viri celebris fama crebrescere, & confluentibus languentium turmis ad diversa sanitatum genera miraculis coruscare: quæ multa prædecessorum nostrorum seu ignavia seu imperitia ad tempus jacuerunt, & studio litterarum sunt prætermissa. Nos ea quæ vidimus aut audivimus, excellentiora tantum notantes, suis in locis ponemus, & hoc faciemus ordine servato, cum Deo donante ad nostri temporis fæcem pervenerimus.

E

Elevatur corpus anno 823.

plura miracula patrantur.

HISTORIA MIRACULORUM

Auctore Fulcuino Abbate & aliis.

Ex MSS. Lobiensi.

F

PROLOGUS.

Multimoda & magnifica, quæ omnipotentis Dei virtus ac sapientia in electis suis undique locorum multotiens operatur magnalia, nonnullorum disertorum operatores, pro quantitate suæ facundiæ calamo perstringentes, pluribus ecclesiis tradidere; eisdemque præcipue in quibus sanctorum corporum tumulata servantur pignora, beatæ inde immortalitati restituenda; quia frequentior illic imbecillium curatio, scribendorum miraculorum datur occasio. At nos stolidi & inertes, totius ingenii sale carentes, tum corda mole peccaminum pressi, tum voluptatibus carnis miseræ delibuti, curis seculi sen-

Conscripta miracula excitant ad alia impetranda:

EX MS. LOBIENSI. ſus hebetati, ſtertimus ſegnes, præſtantiſſima, quæ in noſtris patribus Urſmaro & Ermino quotidie gerit Deus, magnalia, reticentes: quandoquidem manu ſubducta ferulæ, tramitem illico, pro dolor! liquimus diſciplinantis ſcientiæ; ſolicitudinum temporalium & voluptatum ſentibus ſuffocantes ipſum tenuiſſimi fomitis igniculum, qui ingenio inſtantium magiſtrorum in nobis multo conamine videbatur elaboratus. Videlicet marceſcimus ſteriles, alicujus utilitatis fructum minime referentes. *reſumuntur:* Tandem ergo fructificemus aliquando ne utique illo dominicæ animadverſionis notemur erga infructuoſam ficulneam cauterio: extirpentur ocius corda, inanium ſolicitudinum dumetis obducta; impinguentur inanima, mille cophinis nectarei ſtercoris, Sanctorum cultorum noſtrorum Urſmari & Ermini ſolertia admotis: in quo aliquanto meliuſculus labiorum noſtrorum fructus Deo redditus, loquitur filiis hominum gloriam magnificentiæ & virtutis ejus, quam meritis præfatorum Patrum, evidenti indicio, plurimorum ſæpe obtutibus notificavit & auribus. *& ultimis temporibus facta deſcribuntur.* Et licet innumera & manifeſta iſtorum Patrum merita, univerſorum etiam prudentium rhetorum ſuperent facundiam: B ne quis tamen nos fabuloſum quiddam creperumve ſuſurret cudiſſe, non veternoſa monumenta cujuſlibet compilationis, ſed heſterna mirificæ virtutis opera clamabit omnino cœpti ſermonis calamus.

SYLLABUS CAPITUM.

Subjungimus capita, quæ proponebantur hiſce titulis, quoque in numeros commutavimus ſubſtitutis more noſtro aliis capitibus

CAPUT I.

Lobienſes in irruptione Hungarorum liberati.

1 Gens quædam ripam ulteriorem inſidet Danubii, provinciam incolens quam Pannoniam vocaverunt antiqui; ex qua Hungri venientes, ante à nobis ſunt inſita ſibi & naturali barbarie comperti, quam origine cogniti. *Hungari poſt irruptionem ſub Rege Henrico Au. cupefactam,* Quorum inſatiata crudelitas ſub a Henrico Rege tranſgreſſa terminos E b Morahenſium, quos ſibi non longe antea impia a uſurpavit licentia, pleraſque c provincias regni ejus b ferro & igne longe lateque vaſtavit. c Poſtea ſub d Ottone filio ejus orta tempeſtate, facta eſt diſſenſio d regni (dormiente credo Jeſu in pectoribus vigilum, *ſub Ottone,* ante fores domus Domini excubantium) ita ut quidam ſocii ſathanæ Regem conarentur extinguere: ſed caſſato per Dei miſerationem hoc per ſerpentinum ſibilum concepto conſilio, nequitiæ ſuæ virus per totius regni viſcera diffuderunt. Erat in ea conjuratione Princeps, ipſius Regis filius, e Liudulfus, e ſpectabilis adoleſcens & unice clarus, ſi ſeductoribus non crediſſet, & heres eſſe non proditor voluiſſet: *conjurantibus Lindulfo filio Ottonis,* atque cum eo, quaſi quidam ſtimulus, Cono, Dux paulo ante fortiſſimus: quibus (ut ita dicam) omnia erant in manibus, ſed agendo ut plus haberent, omnimode effecerunt ut nihil haberent. *& Conone Duce,* Hi Hungros, antiquam quam prædiximus peſtem, ſolicitaverunt, ut regnum in ſeipſum diviſum invaderent: arbitrantes hoc modo ſolicitudinem qua premebantur, aut penitus adimi, aut aliquatenus poſſe minui. Hac, ut dicere inſtituimus, occaſione ſæva Hungrorum gens, & qualem numquam terra noſtra ſenſit barbariem, à perverſis civibus illecta, tranſitis Germaniæ & pleriſque provinciis Galliæ, *invadunt Germaniã,* cui jam nobilis ille Francorum populus inſederat, F omnia ferro & ignibus vaſtatura ſe totam infudit. In hac acie Cono, quem prædiximus, cum ſuis ſequacibus militavit. *& Belgium,* Sed ubi Trajectum ventum eſt quam Moſa alluit, incertum qua factione ab eis diſſidium fecit. Hungri Haſbaniam igne & rapina aggreſſi, Carbonariam petunt. *Haſbaniam, Carbonariã,* Fama ad nos perlata, mittitur è collegio noſtro Hucbertus, Frater patiens laboris & fugitans quietis, & ſemet impendere paratus ob amorem loci & ſanctæ religionis, paciſci cum illis. Facta pactione de ſolidis ducentis, revertitur poſt hæc, obſidibus ab eis acceptis. *& non obſtante pactione facta,* Sed noſtri non ſatis creduli (quæ enim vel quanta fides eſſe poteſt infideli) munire f Thudinium tentant, f quod non multo ante, ſuſpectam habens Leodienſem militiam g, Raginerus deſtruxerat; g ſed ab eodem miſſo rurſum milite prohibiti ſunt munitionem reſtruere; Deo, ut poſtea compertum eſt, maxime id agente, ut oſtenderet, non in homine, ſed in ſe & in Sanctorum ſuorum patrocinio, defenſionem illos ſperare debere. Sublata itaque ſpe Tudinium potiundi, & crebreſcente fama

A fama deprædationis & incendii, nullaque extante fiducia in re militari, (siquidem laudata illa & cunctis seculis prædicata Lotharienſium militia, justo Dei judicio in Hungrorum adventu hebetata, suis passim munitionibus erat inclusa) nostra quæ residua erat Deo dilecta monachorum turma, & sibi satis fida ecclesiæ nostræ familia, id quod verum est rata, quod numquam videlicet desit divinum ubi humanum cessat auxilium; montem, ubi Sanctorum Ursmari & Ermini corpora venerantur, diu deliberans scandit, & de Dei fisa adjutorio, cum plaustrorum vel quorumcumque surculorum vel sæpium impedimentis in modum munitionis cingit. Jamque advenerat Paschalium dierum sancta celebritas, in completione octavarum ipsius quæ erant *b* quarto Nonas Aprilis: ecce subito in exordio matutino densaverat aërem equorum nebula, & quasi ex abditis terræ finibus emergebant loricarum & galearum millia. Expavescere nostri & mortem sibi præmeditari. Qui agiliores erant, non dico munitionem, sed simulacrum munitionis scandunt; imo veram munitionem, per Sanctorum Dei intercessionem. Reliqui, qui impeditiores erant ætate aut gravitate, infra monasterii claustra substitere. Qui substiterant capiuntur: obsidentur alii, nulla inter captos & obsessos distantia, nisi quod secundum quemdam gravior est expectata quam illata mors. Obtruncantur in aspectu aspicientium Theodulphus & Theumarus, qui inter captos visi sunt excellentiores; reliqui flagellati captivitati reservantur. Interea urgentur obsessi, nec ulli telorum aut tormentorum parcitur generi: nostri econtra pro viribus resistere, & conglomerato plebium & clericorum ipso etiam monachorum agmine (quamvis illicitum sit huic ordini arma tractare) quoniam pro anima illis erat res, eniti obnixe. Ubi eo ventum est ut desperaretur omnino, tantum audiebatur, Kyrie eleyson, & S. Ursmare adjuva, more gentis usitato. Jam irruptionem timentibus, jam in mutuis osculis hærentibus, jam plerisque deditionem pangentibus; ecce ex respectu miserationis Dei duæ ex adytis templi columbæ evolant: quæ terna circuitione acies obsidentium vallant. Subsecuta est illico pluvia prægrandis, quæ gentiliciam illis sagittandi artem cordarum distensione frustravit. Pavor quoque ac timor tantus in eos irruit, ut maturarent fugam, & Principes ipsi uterentur flagris in eos, qui volebant subsistere. Abducunt autem eos quos infra ceperant. Ecclesiam S. Pauli & ambitum claustri ignis consumpserat, dormitorio illæso & monasterio tentato, sed miseratione Dei salvato. Thesaurum ecclesiæ Theodulfus alius, partim secum ad munitionem quamdam transportaverat, partim in ecclesia ne inveniretur terra obstruxerat. Dictum postea est & putatur verum, quod à quodam capto pusillanimitate sufferendi sit proditus; denique effossus & exportatus est. In commemoratione autem tam mirificæ liberationis, diem illam festivam sanxere sibi & posteris. Et hæc est celebritas quæ ita inscribitur in nostris martyrologiis; Quarto nonas aprilis, commemoratio meritorum Ursmari & Ermini, quo meruerunt Laubienses ab Hungrorum obsidione eripi. Nec tacendum, quod etiam hi qui fuerant capti, in brevi omnes reversi sunt sani & læti. Sed & ipsam gentem perfidam nequaquam passus est Deus impune istud egisse: siquidem anno *k* subsequente, cum jam prope esset summa dies & ineluctabile tempus, quo propitius Deus terræ populi sui, ultus sanguinem servorum suorum, retribuere vellet vindictam in hostes eorum; aggravata est ultra modum & omnino intolerabiliter superbia ferocissimæ gentis Hungrorum, seducta

aliquibus monachis in montem fugientibus

b 2 Aprilis an. 954 Lobiæ invaduntur,

illi reperti monachi detinent captivi: B *duo occiduntur,*

irrupturi in montem, divinitus impediuntur

C

annua celebritas 2 Aprilis.

i captivi etiam sunt reversi,

k Anno 955

credo anni superioris successu: siquidem ut veracissime dictum est; ante ruinam exaltatur cor, & ibi ceciderunt omnes, qui operantur iniquitatem. Prævenit imminentem hanc pressuram ecclesiæ pax, in placito regali, quod in *l* Arnestat habitum fuit, ex integro condicta, ex magna jam parte per Imperatoris nostri fratrumque ejus sapientiam confirmata; & revera tribubus & linguis innotuit, quia non est Deus dissensionis sed pacis, nam hujus initio operatus est salutem in populo suo. Imperatoris quidem spiritus agitabatur in ipso, quia non erat tempus exercitum congregandi: sed fiduciam habuit per Christum ad Dominum, qui potens est salvare in paucis sicut in multis. Aderat ibi Cono, non jam Dux, sed miles, toto ut putabatur animo conversus ad pacem, quam paulo ante atrociter impugnabat, cilicio membra domans, Deum gemitibus ut fertur exorans, ut si sic sancta voluntas ejus existeret, permissa Regi nostro & exercitui ejus victoria, eum ab impiis, quibus se prius male conjunxerat, permitteret trucidari, ut possit in perpetuum ab eorum consortio liberari. Imperator indici sanxit jejunium in ipsam [noctem] quæ tunc erat vigilia S. Laurentii Martyris, per cujus interventum sibi populoque suo ipsum Deum poposcit esse refugium, & propositum suscepti operis urget expedire. Bellum primo sanctæ *m* festivitatis diluculo susceptum, vix dum crepusculo vespertino, Deo misericorditer dispensante & pro suis pugnante, satis feliciter peractum [est. Taceo] miserandum post victoriam *n* Cononis interitum; gloriosissimum Imperatoris triumphum; Regem ipsum barbarorum, duces & principes captivatos; trophea per totam illius regni latitudinem usque ad ejusdem gentis fines frequentissima, quæ omnia proprii industriam operis ad laudem & gloriam Dei omnipotentis expectant.

EX MS. LOBIENSI.

Prov. 16. 18

Psal. 35. 13

victoria de Hungaris,

l

ab Ottone Rege

pugnante pro eo Cenone,

indicto prius die jejunii

m E *in festo S. Laurentii debellantur.*

n

ANNOTATA.

a Henricus Auceps, *qui Conrado Regi Germaniæ 23 Decembris anno 919 defuncto successit.*

b Morahenses *aliis passim* Moravi *dicuntur, de quibus egimus 9 Martii ad Vitam SS. Cyrilli & Methodii, qui dictos populos ad fidem Christi seculo 9 converterunt.*

c *Continuator Reginonis:* Anno 926 Hungari Franciam, *id est Franconiam,* Alsatiam, Galliam & Alemanniam igne & gladio vastaverunt.

d *Mortuo 2 Iulii anni 936 Henrico Aucupi successit Otto 1 postea Imperator.*

e Anno 954 in Quadragesima, Hungari, transito Rheno pervadentes Galliam, inaudita mala in Ecclesia Dei fecerunt: *ita Continuator Reginonis,* sed, *inquit* ducentibus inimicis Regis, *scilicet* Ludulpho filio Ottonis & Conone hujus Duce. *aliis Chunrado, de quorum se ditione ante egerat.*

f Thudinium, *proximum ab altera parte Sabis castrum, ab Abbatibus ante magno sumptu ad tuendam abbatiam munitum, sed à Francone Episcopo Leodiensi ablatum: mortuus hic est anno 903.*

g *Hic est Raginerus II Hannoniæ Comes, anno 959 in exilium pulsus.*

h *Et recte: nam dicto anno 954 littera Dominicali A, Pascha inciderat in 26 Martii. & Dominica in Albis hic indicata in 2 Aprilis. Sigebertus ad annum sequentem ait,* virtute Dei apud Lobias contra eos ostensa, ultra prodire prohibiti, impune redeunt.

i *Recolitur quotannis officio 12 lectionum teste Molano.*

k Anno 955 Hungari cum tam ingenti multitudine exierunt, ut non, nisi terra eos dehisceret vel cælum eos obrueret, ab aliquo se vinci posse dicerent.

F

EX MS. LOBIENSI. rent. *Ita dictus Continuator. Verum de eis prædixit victoriam S. Vdalricus Episcopus Augustanus, ab iu cum sua civitate obsessus, ut late dicendum est 4 Iulii in ejus Vita.*

l *In Arnestat à populo & Clero Moguntino anno 954 electus est in Archiepiscopum Moguntinum Wilhelmus filius Ottonis Regis.*

m *Sebafnaburgensis.* Anno 955 Otto Rex Hungagaros, cum magno periculo sui suorumque magna clade, prostravit in Lechfelt, in natali S. Laurentii,

n *Continuator Reginonis.* Cunradus quondam Dux ibi occiditur, & ab exercitu Regis apud Lichum fluvium tanta cæde, Deo præstante, prostrati sunt Hungari, ut numquam ante apud nostrates victoria talis audiretur aut fieret.

CAPUT II.

Pluvia obtenta: cæci illuminati: dæmoniaci liberati: contractus sanatus.

a in magna siccitate

2 Arebat *a* quodam tempore terra, & denegatis pluviis, sole desuper coquente, Eliæ timebantur tempora. Omnis plebs & tota provincia cucurrit ad nota sibi & sæpius comperta suffragia, Sanctum utique Ursmarum, patronum ad Dei gratiam repropitiandam in hujusmodi anxietatibus assuetissimum. Rogant Abbatem, ut prolatis Sanctorum B pignoribus more letaniarum circumferri ea permitteret. Rem Abbas ad fratres refert: laudant devotionem plebis, dicunt eis satisfacere deberi. Indicto igitur generali jejunio, plebs tanta confluxit, quantam in unum conglobatam vix aliquis unquam vidit aut nemo. Producuntur in feretris composita Sanctorum corpora, non sine multo populi luctu permixta lætitia: & quia tanta erat populi multitudo, ut eam in unum aliquis campus quamvis latissimus nequaquam caperet, & omnes nihilominus ad salutanda Sanctorum corpora populari fremitu impingerent; proposuerunt ut his *b* qui ab ulteriori parte Sambræ erant, primum salutanda deferrentur. Locus ubi deponerentur provisus est in monte supra nominato: ubi quam alacris fuerit Deo digna populi devotio, quam munifica, quam jucunda, non potest prosequi scripto. In eodem autem loco designata illico ecclesia ex sumptibus, quos largitus est populus, cœpta est; de reliquo, quando & à quo erit perficienda, in Dei est providentia. Delata sunt post hæc & citra Sumbram: & hic tanta erat populi frequentia, ut capacitas cujusvis amplitudinis illi esset angusta multitudini. Ostendit etiam Dominus approbasse se hujus fidei devotionem; C nam ipsa die, obnubilata cæli serenitate, factus est sonus subsecuturæ pluviæ: quæ postea tam larga profluxit, ut satis sufficeret, & anni ipsius copias fertilissimas redderet. Et quia ad nostri temporis fæcem, sicut proposuimus, Deo donante pervenimus, & nunc se occasio obtulit, ut paululum hoc de virtutibus Ursmari prægustaremus; libet uberius aliquantulum in fine opusculi nostri in ejus virtutum miraculis immorari: ut qui fuit initium, sit & clausula libri. Nam sic sponsionis nostræ memores fœnus persolvimus, sed & ipsi percipimus. Dicemus igitur non ea quæ plura ab antecessoribus nostris aut neglecta, aut obliterata sunt: sed ea quæ ipsi vidimus aut ab his qui viderunt audivimus.

indicto jejunio,

exponuntur corpora Sanctorum,

b in summo populorum accursu:

& sequitur eodem ase abundans pluvia.

Narrantur deinde quæ auctor vidit aut ab iis, qui viderunt habet.

c In Relia villa,

altare S. Vrsmari, ubi dens ejus est

3 Fundus est, quem villam *c* Reliam vocant: hic nobis vicinus est & in eo memoria S. Ursmari. Ferunt eumdem virum Dei, dum corpore exularet, & Regem Liphtinis commorantem crebrius inviseret, (quia locus contiguus viæ est) illic solitum requiescere: ibique dentem, qui ei illic forte nimio dolore deciderat (qua valetudine ille plurimum laborabat) ibidem infodisse. Locus ille ecclesia sacer est, D sed negligentia civium destructa erat, tantum altare idque incultum remanserat. Cæcus quidam ibi morabatur, cui sedit in mente, ut altare viminibus cingeret, ne pecoribus seu canibus adibile esset. Qui puero præduce in silvam perrexit: dumque attractam virgam ad se applicat, ut eam cum ferramento *d* capularet; in ipso conamine oculi ei ita restituti sunt ut clare videret. At lætior redditus, in recompensatione beneficii, ex facultatula sua illam reædificare cœpit, gratias agens Deo, qui S. Ursmarum in pluribus miraculis mirifice mirificavit.

sepire volens cæcus.

d

illuminatur,

& ecclesiam construit;

4 Abbas Alethrannus, ut diximus, paralysi laborabat. Cæca tunc quædam, eleemosyna Tredesendis, illius quæ Stephano nupserat, alebatur. Hæc quodam die orandi causa ad memoriam S. Ursmari venit: & dum montem, cui supra est ecclesia posita requiei ejus, scanderet; in intercapedine, quam quercus antiqua disterminat, ex adytis templi, quasi per tenuissimas rimulas, aliquantulum luminis se versus vibrare persensit. Progressa demum ad sancti Patris nostri tumulum, visui plene restituta est. Quod factum, Cozberto nuntiante Fratribus, fit jucundissimum & in Dei laudibus speciosissimum,

cæca eleemosynis Abbatis sustentata,

ad corpus S. Vrsmarii illuminatur:

5 Frater Robertus, nostro tempore ecclesiæ S. Ursmari æditituus, baculum recurvum (quem plerique cambuttam, *e* alii petalum vocant) quasi à S. E Ursmaro gestatum & sic proprium, argento fabricavit; petiitque à nobis, ut aliquantulum de corpore ipsius, ad majorem populi venerationem, baculo illi insereremus. Fecimus quod petierat, quæsitis & sumptis de concineratione Sanctissimi corporis in sepulcro ejus duobus dentibus; quibus immissis, ab inferiori ad superius monasterium perlatus est. Anus quædam ibi erat, quæ interdum ecclesiæ stipendiis, interdum fidelium eleemosynis alebatur: cujus manus dextra ita erat contracta, ut ungues digitorum volam palmæ viderentur perforasse. Hæc in ingressu ejusdem baculi (Missæ autem celebrabantur, eratque Dominica Quadragesimalium dierum tertia) in ecclesia loco suo stabat. Cum subito intremuit, & insperante illa cœperunt se nervi digitorum extendere, & manus ad officium suum redire. Mirata illa & perterrita ecclesiam vocibus complet. Plena erat ecclesia, subsequuntur omnes: Deo gratias, Deo laudes, nemine tacente, in commune dicuntur. Curritur ad me ubi eram, in ecclesia forte majori, atque unus post alterum rem actam, quasi non prius esset dicta, rumigerulus nuntiabat. Nos illico ad ecclesiam superiorem scandimus: invenimus illam præ miraculi stupore stantem & trementem, attamen sanam: laudavimus Deum, & sic discessum est.

e

Dum baculus S. Vrsmari

cum ejus reliquiis defertur,

contracta manus subito sanatur;

auctor ad miraculum evocatus adest.

6 Mulier quædam plena dæmonio, à parentibus F ad sancti viri sepulcrum attracta est potius quam adducta. Pedes, manus, & colla arctabant vincula; gutture solum & lingua horribilia quædam promebat & fœtida. Audires interdum canum latratum, sibilum serpentium, taurorum mugitum, quasi in uno essent cubili diversa monstra ferarum. Dies erat festivitatis ejusdem Patris, quo jerant ad festa plus solito populi. Illa ibi jacebat, tam terribiles voces emittens, ut vix Missæ audiri possent in die tam celebri. Festivitate peracta, ubi illuxit dies crastina, Fratres condolentes illi ecclesiam S. Ursmari petunt, pro ejus ereptione deprecaturi. Proposuerant Letaniam prostrati agere, cujus recitatio mihi injuncta est. Ubi ergo, post recitationem sanctorum nominum, ad locum perventum est quo dicere deberem; Per adventum tuum libera nos Domine; vocibus ejus perterritus anticipavi dicere; Per nativitatem tuam. Tunc illa, imo ille quo misera illa torquebatur, Mentiris inquit & præpostere loqueris.

Energumena

in festo S. Vrsmari præsens,

postridie in Letaniis legendis transpositionem reprehendit.

A queris. Expavi, fateor, & pene extra me effectus sum. At ubi me recepi, Letaniam sum prosecutus: cœpique mecum agere tacitus, quod idem apostata spiritus, Dei judicio tortus, vera tunc quoque dixerit coactus & invitus. Peccatis nostris agentibus, tunc nihil actum est: unde desperati parentes ejus eam reducere tentant. Sed ubi ad Sambram ventum est, in pontis medio unus illorum respiciens ad ecclesiam, Eia, inquit, Sancte Ursmare, placetne tibi ut à te tam tristes abeamus, frustrati à te de longinquo quæsita sospitate hujus? Vix verba compleverat, cum subito illa in eodem pontis loco corruit, & aliquantulum illic mortuo simillima jacuit. Quid plura? Miseratione Dei, per merita S. Ursmari, post paululum resedit: quæ circa se agebantur inquisivit, ciboque sumpto omnique sanata incommodo, peste caruit; miraculumque suum ipsa postea circumtulit.

& dum reducitur, liberatur,

7 Nuper quoque quidam æque energumenus ad supradictam memoriam est delatus: quem Clerici ecclesiæ, nobis alia curantibus, per se tentant increpare: immissumque in aqua consecrata, exorcistarum more, exorcizavere. Sed inter manus exorcizantium subito in altum rapitur, ita ut per plantas vix manibus teneretur, & magno satis cum conamine deorsum reduceretur. Instantibus nihilominus Clericis orationi & increpationi, sanatur hic quoque ad Dei laudem, per merita S. Ursmari.

dæmoniacus curatur.

B

ANNOTATA.

a *Incipiunt hic miracula excusa cum tali exordio*: Ecclesia trans Sambram in monte, quem nos, Sanctorum; vulgus, Pulcrum vocat, ejus tempore cœpta est, occasione hujusmodi. Arebat *&c.*

b *Excusum*: qui ultra Sambrum erant.

c *Ita incusum*: *in* Ms. *est* Villam Præliam: *sed clarum est legi debere* Villam-Reliam; *vulgo enim* Vellereille *dicitur prope monasterium Bona-spei ecclesia est S. Ursmaro dicata.*

d *Id est*, incideret. *Lex Salica tit.* 31 § 2 Si quis pedem alterius capulaverit & ibi mancatus remanserit. *Vossius lib. 4 de Vitiis serm.* à gladii capulo factum *putat. Sed* Capulus à Capio *dictus videtur, & nihil ad hanc significationem facit: malim igitur credere, radicem ejus verbi, de quo est quæstio, esse apud Teutones, quibus* Kappen *est findere, securi; cultro, gladio, cæsim impacto.*

e Cambuttæ *nomen in Ianuario ac Februario habuimus aliquoties*, Πέταλον bracteum *significat Græcis*: *quod parum facit ad rem, nisi etiam pro* cornu *vel* ramo *accipiatur, quod est verosimile.*

C

CAPUT III.

Contractus & paralyticus sanati: obtrectatores puniti: alia miracula.

8 ATho quidam erat in servitio fratris mei Godescalci, sutoriam artem agens: quem à puero contractum omnes cognovimus, ita ut progredi quoquam, nisi cum scabellis nequiret. Hic quadam die ad sepulcrum S. Ursmari vota soluturus accessit, ferens secum cerea munera, candelas videlicet geminas; petiitque ab æditu, ut eum ibi pernoctare sineret. Concessit ille: pernoctavit iste. Statim in ipso conticinio, orante illo & Dei potentiam præstolante, cœperunt se tibiæ complicatæ reducere, & tali pedum à diutina cohæsione natium, non sine magno patientis incommodo, sejungere; usque dum plene erectus, custodibus mirantibus, in pedes stetit. Sed præ nimio dolore & indissuetum progrediendi usum, ambulare non potuit. Qui præ nimia gratulatione quodammodo visus est fuisse ingratus; dum insciis omnibus mane ecclesiam egressus, nec tunc laudes Deo dicere fecit; & ipse, ubi plene doloribus caruit, a Rageneriana rebellioni se satellitem miscuit.

Contractus erigitur,

EX MS. LOBIENSI.

a

9 In territorio quoque Villare b, nobis deservìente, quidam fuit nuper colonus, qui cum ceteris, votive ad constructionem transsambrinæ quam prædiximus ecclesiæ lapides subvehentibus, insultaret, seque id servitium subiturum nullomodo diceret; repente omni membrorum officio debilitatus est. Sed ut reatum suum sero licet cognovit, vota accumulavit; & sanus illico effectus, plus ceteris ceteros accendens, quo potuit devotionis ardore confricavit.

b

irridens pro Sancto laborantes, membrorum officio privatur: pænitentia ductus sanatus:

10 Kalendæ erant Augusti, qui est dies celebris apud nos pro commemoratione Vinculorum S Petri: Sambra forte tunc plus solito excreverat, & populus confluens ad festa festinabat. Inter agendum dum celebrantur Missæ, & ad eas Transsambrini globatim maturarent accelerare; pons, quem subierant, multitudine prægravatus decidit: immersosque quos acceperat alveus longe fluvio suo traxit Facta igitur conclamatione turbatur ecclesia, egressi pene omnes dum anxiantur ad cadavera solum requirenda, mira Dei potentia cuncta illa immersorum examina sospita obviavere & læta. Dicat hic quis quod vult, nos liberationem hanc Deo adscribimus: cui proprium est & singulare Sanctos suos ubique magnificare, & fidentes in illis ope misericordiæ suæ in periculis eorum meritis sublevare.

multis ponte fracto, cadentibus in aquam, nullus perit.

E

11 Gislebertus, ex quatuor Comitis Roberti filiis unus, nuper cum aliis qui c Mathildem Comitissam stipaverant, apud nos hospitatum venerat. Qui inter cœnandum, monachico ordini, quasi minus profuso, utpote improvise ipsis venientibus, cœpit detrahere: licet pro opportunitate temporis illis sufficientes administrarentur copiæ. Mane facto, montem oratum eques scandit: sed in ipso transgressu graduum, per quos ascenditur ad superius monasterium, equus sub ipso labitur: qui calcaribus multoties cæsus non erigitur. Putaverunt quod morbo, ut fit, sonipes urgeretur. Tentatum est iterum & tertio: quadrupes proculdubio immobilis jacet. Persuasum est illi ab amicis & comitibus, maxime à Bosone nostro Advocato, ut si quid forte teste conscientia transgressorie egisset, votum vovens, Deo & ecclesiæ ejus satisfaceret: & hoc quantocius posset, promisit; & descendens, equum quidem sanum reperit; sed nisi deorsum montis insidere nequivit.

c

oblocutus monachis montem Sanctorum equo nequit ascendere.

12 Nec tantum in loco felicis ejusdem Patris requietionis fiunt à Domino ejus interventu hæc specialiter mira: sed etiam in remotis ejus memoriæ dicatis locis persæpe ostensa sunt plura miraculo digna. Thudinium denique, nobis adjacens castrum, locum habet ecclesiæ S Ursmari memoria sacrum: in quo quodam tempore, ea videlicet quæ erat Cœna Domini nocte, (sicut audivimus Bosonem Advocatum nostrum, qui interfuerat, referre) dum more solito in matutinali synaxi, Euangelio finito, astantes terræ prosternerentur; tria stillicidia, in modum illorum quæ videmus de porcinę carnis pinguedine ardentia stillare, à summo tecti in pavimento distillavere; adeo ut aliquibus ecclesiam incendere, aliquibus illustrare viderentur. Quod cum omnes viderent, cuidam tamen Tietbergæ nobilissimæ matronæ, oratione inibi procumbenti, vicinius & in ipso pene occipitio visum est distillasse. Et hoc quare factum sit, nobis quidem est incertum: nihil autem in terra sine causa fieri quia legimus, non est dubium. Ternarius siquidem numerus unde sit sacer, Catholicis patet: & ignem Dominum esse, non ficte, sicut à poëtis Vulcanus ignis dicitur, sed vere, ut Apostolus sensit, tam ex ipsius verbis, ubi Deus noster ignis consumens est;

F

Thudinii in ecclesia S. Ursmari, tria stillicidia, quasi ecclesiam accensura aut illustratura, prope piam matronam cadunt:

Heb. 12, 29

Ex Ms. Lobiensi.

est; quam in eo quod spiritus sanctus, verus in Trinitate perfecta Deus, in igneis linguis super Apostolos descendit, orthodoxus quisque intelligit. Hanc igitur ternam igneamq; distillationē Trinitas sancta, vtrum pro alicuius astantis approbanda devotione, egit, quam eadem fortè tunc igniverat (ut ostenderet foris, quod intus agebat) aut propter commendanda Sanctorum patrocinia (quod magis credibile est) quæ ibi populus devotè frequentabat; nos quidem latet: sed ei qui omnia facienda prævidet, & facta moderatur & regit, procul dubio patet.

13. Presbyter est, quem Osingerum nominant, sed & hic adhuc superest: qui ita paralysi erat dissolutus, ut cervix ipsa à iunctura resiliret. Quid dicam? loqui non poterat, cui omnium membrorum officia, solo spiritu anhelante, defecerant: Hic in hac valetudine annum explens, alterius solatio, eleemosynis fidelium sustentabatur. Iacebat autem in villa Fleon dicta, cui vicina est illa nativitatis S. Vrsmari ministra, in quâ erat ecclesiola lignea, quam ferunt eundem proprijs manibus compaginasse & in prædio suo dedicasse. Quadam die, euntibus quibusdam cum plaustris in Augusta Viromandorum mercandi gratia, rogavit virtute qua poterat, ut superpositus plaustro ad supradictam ecclesiolam duceretur. Factum est: positus est in ecclesiolâ, & ibi pernoctavit. Manè autem facto, voluit tentare, confisus de Dei misericordia & S. Vrsmari intercessione, utrum per te in ipso grabato posset sublevatus residere. Fecit: miratus est rem: deinde paulatim revivìscentibus membris, mirum dictu! erexit se, & ambulavit, gratias agens Deo & patrocinatori suo. Nos postea frequentibus eius Missarum celebrationibus in eodem loco fruiti sumus. Sanus ipse de reliquo manet, præterquam quod cervix, quæ resilierat, parum retorta videtur: puto propter commemorationem tam mirifici beneficij, ad propalandum omnibus quantum valeat in conspectu Domini meritum Sancti sui.

Presbyter paralysi dissolutus, in ecclesiola S. Vrsmari in Fleon pernoctans, sanatur:

14 Retulit idem Presbyter nobis, quia dum quadam die in ipsa ecclesia, cui in recompensatione beneficij iam dicti deserviebat, Missas ageret; lecto Euangelio, vas, quod consuetudinaliter iuxta altare cum vino pendebat, in calicem versat: sed vinum ita erat congelatum, ut nec gutta proflueret. Dat vasculum Clerico ministranti, ut glaciem igne resolvat: ipse interim Officium percelebrat. Dum tardat ille, respexit ad calicem, qui plenus vino inventus est, adeo ut pene excresceret.

idem missā celebrans calicem vino plenum reperit

15 Magnitudine seu enormitate suscepti operis evicti & enervati, plura prætermittimus: unum hoc ultimum & omnibus prædicatum, pluribusque sui comperto notissimum, dicemus: quod videlicet nullus, qui ecclesiæ illi unquam intulit damnum, gloriatus sit in annū. Et si forte pro quolibet, ut assolet, iniustè illato damno, monachi ex maiori monasterio, quod quidem inferius est, montem S. Vrsmari scandunt reclamaturi; creditur, nec vana spes est, numquàm inultum iri. Experti sunt hoc plerique, & sero licet ingemuêre. Nimirum locum, quem rexit corpore vivens, tuetur meritis, cum Christo regnans, & in ipso gaudens d.

iniuriam inferentes puniti.

ANNOTATA.

a Scilicet, quando Raginerius III Comitatum Hainonensem, patri ablatum, recuperavit, anno 953 apud Flodoardum in Chronico

b Villare parochia inter Lobium & Binchium.

c Mathildis vxor Raginerij 4 Comitis Hannoniæ. An Robertus fit alijs Rosbodus Comes Namurcensis, pronepos ex matre Raginerij primi non satis liquet.

d. Adattur in excuso. Huc usque Fulcuinus.

CAPUT III.

Beneficia præstita contractæ, lapsæ in puteum, à dæmone obsesso. Pœna raptori illata.

16 a Bermereias nomen est fundi qui nostro fert opem victui, quo quædam muliercula, contractis ægritudine crurum ac renum nervis, quoniam recta cælum nequibat, solum cernua & incurva spectabat. Hanc itaque quandoque iter carpentem in sella rusticana, sibi vterotenus supposita, cerneres quadrupedem potius repentem quam gradientem. Nisu interim licet lento, itinerantium suppeditata auxilio, ad Sanctorum Patrum Ursmari & Ermini basilicam, quæ octo millibus à fundo jam dicto aberat, curam & victum oratum venerat. Hospitam sibi domum mansionis ante fores expetierat basilicæ, memorias eorumdem Confessorum frequentans quotidie, flebiles ibidem singultus pretium dans pro salute. Nō multo post supervenit dies, quo Sanctorum Confessorum meritis, eius Dominus mederet doloribus. Nam ea quæ ante Septuagesimam habebatur Dominica, vrgente solito acrius ægritudine, basilicam, cum jam frequens populus afforet, invecta; cancellos, vbi Sanctorum erant memoriæ, orans tenuerat; cum subito surrexit; & candelam quam attulerat, quo fomentum ignis fieret, erecta porrexit. Stupefacti sane qui aderant, insperato tantæ divinæ potentiæ miraculo, in recompensatione vicissitudinis reddunt grates benedictionis & laudem Altissimo; alacres animis, quod sese Dominus tantorum Patrum dignatus sit ditari præsidiis. Forte tunc reverendus nostri cœnobij Pater Fulcuinus b, nostri ævi temporibus sat probissimus, utilitate quavis loci equitaturus, sese ut moris est, accomodarat equitatui; verum solito maiore stipatus frequentia populi, qui benedictionem ab illo petiturus iam exultantis aulæ terebat atria: cum ecce offendit nos eiusdem basilicæ ædituus monachus noster, Albricus nomine, anhelus huiusce novellæ magnitudinis gerulus. Extemplo prosilivimus, ceterorumque spectantium laudibus hymnum Te Deum canentes nosmet iunximus, ac inter canendum tantæ virtutis spectatione sat oculos pavimus. Nam stabat eadem ægra iam sana, curvum ante modicum gressum, spectantibus ostentans erectum; tanto maiores referens gratias, quanto maiores eiusdem ad Patris reliquias exigebat sospitas. Itaque spatio aliquanti temporis adhibetur ei, jussu prælibati Abbatis, copia cibi sufficientis: scilicet ut quam iam cælestes nostri Patres medicamento animaverant sanitatis, hic corpulentiorem carneis redderet alimentis. Innumera siquidem & alia in S S. Ursmaro & Ermino ante hac deicâ virtute operata miracula scriptorum desidiæ, oblivioni quam memoriæ maluerunt tradere; flocci-pendentes talenti sibi creditam quantitatem defossam occulere, dum fefellit eos mentio id culpa caruisse. Magnorum enimvero voluminum replessent paginas, si minime oblivionis attigissent latebras. Nam ut hæc signorum eorum miracula pretermitamus, que nos, nutantis iam seculi fæces facti, oculis & auribus hausimus; ereptionem scilicet mirificam nō solum Laubacensium à cæde Hungrorum, sed etiam complurium qui ad eorum auxilium timore prescriptæ cædis quaquaversum confugerant exterorum; crebram expulsionem dæmonum ab obsessis, illuminationem cæco-

misere contracta & incurva, subito sanatur. b tempore Fulcuini Abbatis. scriptor cum aliis te Deum canit, ac culpat desidiam negligentium scribere miracula.

EX MS. LOBIENSI.

A cuperationem debilium; diversorum quoque vidimus recuperationem infirmorum, & (ex quibus aliquot sequuntur) innumeras diversitates signorum.

17 Paschalis solennitas celebrabatur, ecclesia à populo frequentabatur, non tantum pro solennitate, verum pro percipienda sacrorum mysteriorum communione, quod ea potissimum competebat die. Parochia villæ est eadem ecclesia, qua requiescunt SS. Ursmari & Ermini pignora: plena erat convenientium & ad id Sacramenti qua poterant devotione properantium. Vix locus erat Sacerdoti sacrosancto altari astanti, ita ab undique circumdabatur frequentia populi. Mulier quædam, in ulnis gestans puellulam, quam cupiebat participare mysteriis, quibus & ipsa; dum hac illacque impellitur à comprimente turba, subito in puteum est delapsa, qui viginti fere pedum altitudinis situs est inter duo altaria. Res ad præsens latuit, quia tunc unusquisque sibi magis erat consulens, quam alterius eventui providens. Finita celebritate Missarum discessum est. Regressi domum quorum erat illa familiæ, cum de ea requisissent ubique, nullius indicii signum potuerunt invenire. Reditum est ad monasterium, nec angulus remansit ad inquirendum. Postremo, ut est humana curiositas, quidam ad puteum accedit; introspicit; vocem exaltat; appellat; respondet ab intus illa: funes adhibentur, extrahitur; quid passa sit sciscitantur; respondet numquam se in tanta tranquillitate fuisse, aquam nec ipsis vestigiis sensisse, sed veluti supra durissimum filicem superstetisse. Miraculi magnitudo omnibus notificatur; fama quaqua versum diffunditur, Deus in commune glorificatur, Sanctorum veneratio augmentatur.

in ecclesia SS. Vrsmari & Ermini in solennitate Paschali,

mulier compressa, cum puellula incidit in profundum puteum,

B *extracta illæsa,*

supra aquam detenta.

18 De Joanne Castellano *d* Belmontensi, quid à senioribus nostris audiverim, referam sub exordio cavendi. Hic ubique crudelitatis suæ edens exempla, quadam die cum hostili manu Lobias ingressus, prædam agens ex ea, domum repedabat velocius. Nec semimilliario abscesserat, cum ecce facie conversus ad eos, quorum tam impius visitator extiterat, vidit super turrim superioris ecclesiæ quemdam residentem, veneranda decorum canitie; qui baculo quem manu gestabat in eum directo, pulsavit eum ictu durissimo. Hac tremefactus visione, instabat cœptum iter perficere, cælesti eum vindicta perurgente. Subsecuti sunt quidam ex monachis nostris, ex ratione & justitia, si forte patrocinaretur aliquis; sin autem, saltem precibus ablata extorturi: sed fefellit eos utrimque spes. Ille enim audita eorum ratione, omnino ex his omnibus quæ acceperat, ne caudam quidem juravit se redditurum. Jam quippe damnatus in obduratione cordis sui, etiam reverentiam abjecerat impendendam ministris Dei. Sic omni spe amissa recuperandi ad monasterium monachi sunt regressi, Patronorumque suorum, Sanctorum scilicet Ursmari & Ermini, decreverunt auxilium expostulari tanto obnixius, quanto necessarius. Videbant enim, si illatam injuriam pateretur inultam Deus esse, in multam despectionem locum ipsum futurum. Sed quando avertit Deus aurem à justa petitione? Die actæ deprædationis tertia, subito Joannes arripitur insania; & qui misereri aliorum noluit, in semetipsum iræ Dei vindex crudelissimus, membra dilacerando dentibus, miserabili morte finivit vitam. Nec satis ingratum monachi duxere prædam illam amisisse, quos uno hoc incommodo plurimis constat liberatos fuisse. Plurimis enim applausisset fiducia, similia audere; si illi hoc impune agnovissent cessisse: quod pro exemplo ad nos usque multis accepimus fuisse.

depraedatus domum Lobiensem,

divinitus percutitur:

C

ablata negat restituere;

implorato SS. Vrsmari & Ermini patrocinio,

furore corripitur & perit.

19 *e* Liphtinas nomen est fundi in pago Hainoënsi, olim sedes Regia, cum adhuc pax & justitia sibi obviarent in terra; nunc in beneficium plurimis distributus, vix sufficit annuis reditibus unius. Ex hoc quidam mente captus, ad memoriam Sanctorum supradictorum à propinquis est adductus. Quid dicam adductus? super carrum ligatus, attractus est potius quam adductus. Tanta quippe in eum erat infestatio dæmonis, ut vix ullis domari posset vinculis: si enim funibus quamvis recentissimis ligatus fuisset, satis sibi commodatæ virtutis oblitus fuisset, si non in momento pessum dedisset. Credo si aliquando ei collibuisset, ut quercum aliquam eradicavisset; quamvis abysso tenus radicibus hæreret, tamen quoquomodo id elaborasset. Ipsa etiam effigies hominis, intuentium mentibus ingerebat quiddam horribile sui habitatoris. Quid plura? Hic talis, ut dictum est supra, ad memoriam Sanctorum attractus, in medio monasterii scalæ est alligatus. Nec sic loco poterat quiescere, quin hac illacque agitaretur volutabri more. Nullus ei accedere erat ausus, quoniam illico publicabatur conscientia ejus. Nam cum ante eum venisset quidam juvenis, Eia, inquit, sodalis, quid ante modicum egeris nonne reminisceris? Ego sedebam super palum, cum tu, sepe exturbatâ studiosius informator chirothecarum tuarum, festinabas ad quod scis scorti diverticulum. Erubuit ille, conscientia convictus; Presbyteroque advocato, quid egerat est confessus: rediensque protinus sciscitabatur ab illo, an aliquid in se cognosceret ex prioribus. Ille furibunda facie, torvis in eum oculis directis, Tu inquit, quis sis noveris; mihi autem cum obstrusus sit aditus omnis, quid me interrogare quæris? Continua igitur agitatione debacchatus; cum jam placuisset Deo per merita Sanctorum misereri ejus, subito in somnum est resolutus: exsurgens autem jam sui compos effectus, de omnibus quæ egerat à Deo & Sanctis veniam precabatur, cum lacrymis & gemitibus. Scandunt actutum monachi, ut eis est nuntiatum, ab inferiori ad superius monasterium; & vocibus devotionem mentis insinuantibus Te Deum laudamus, concelebrant hymnum. Nec ingratus ille redditæ sibi saluti, votum vovit, æquiparationem sui in eadem ecclesia soluturum quotannis: quod devote implevit quoadusque vixit.

Energumenus

mira fortitudine pollens.

E

& cuique obvio sua peccata improperans,

liberatur:

F

ANNOTATA.

a Bermeria *prope Florennam oppidum ditionis Leodiensis, tribus leucis distans Lobiis.*

b *Vixit Fulcuinus usque ad annum* 990. *Hujus jussu videntur hæc ab aliquo ejus monacho scripta.*

c *Extat adhuc puteus in interiori sacello, ubi S. Vrsmarus fuit sepultus.*

d Bellus-mons, *seu* Bellomontium, *vulgo* Beaumont, *oppidum Hannoniæ, Lobiis versus Meridiem duabus leucis distans, etiamnum arcem insignem cum Comitatus titulo obtinet.*

e *Nunc* Lestines *prope Binchium, de quo supra actum est.*

EX MS. LOBIENSI.

CAPUT V.

Dolor dentium sublatus: mures à segete abacti: Fures capti. Bubulci cum bobus & vino à submersione servati.

a Clericus laborans dolore dentium,

20 Boso quidam Clericus *a* Sogheneis habitabat, gravique dolore dentium laborabat. Contigit quemdam peregrinum in hospitium ejus divertisse, cum solito gravius hujus incommodi angustiaretur dolore. Compassus hospes homini, Si, inquit, crederes consiliis meis, forsitan invenirem tibi remedium salutis. Ille, cui erat votum angustia caruisse, Dic inquit, dic: probabis me jam credisse, si tamen fuerit possibile. Subsecutus est peregrinus: Memorabilis in hujus incommodi suffragatione quidam habetur Sanctus, nomine Ursmarus: in cujus honore si deinceps spoponderis te Missam celebraturum quot diebus, spondeo & ego tibi quod omni hoc incommodo carebis protinus. Ferunt enim & ipsum simili laborasse dolore, & idcirco compatitur deficientibus hujusmodi morbo, si illum ex prompta animi requisierint devotione. Pertractans Clericus prudenter ante se dicta; Impossibile est, ait, me per omnia parere consilio; non quod desit devotio, sed quia obstat fragilitas humana quotidie, ut dicis, huic accedere mysterio. Spondeo tamen haud me executurum ulterius diem, quin intercedat memoria ejus. Dictum comitatum est factum, & sic dolore caruit juxta fidei suæ affectum. Ad commemorationem autem voti ne quando subriperetur oblivione, in modum cicatricis quiddam remansit illi in ipsa quondam doloris possessione, quod menstruo recursu solet reviviscere, sine aliqua tamen patientis incommoditate.

& acceptans obligationem celebrandi Missam

B

sanatur,

21 Monachus quidam noster, ex Clerico Conversus, anno millesimo quinquagesimo, *b* Mosomagensis pagi indigena, amore compatriensium à Domino Abbate *c* Hugone, ex Reliquiis Sanctorum petiit donari sibi aliqua. Poposcit & accepit: Presbyteroque parochiæ olim suæ per se ipsum, cum libello vitæ Sanctorum, habenda detulit. Sævissima pestis murium, radicitus segetes devastantium, populabatur in omnibus confiniis regionum illarum. Decreverunt communi consilio Sanctorum reliquias circumferre, si forte meritis eorum mererentur conspectum divinæ clementiæ. Circumtulerunt, nec spe frustrati sunt: intra paucissimos enim dies omnis illa pestilentia ita est penitus sedata, ut nulla ulterius regioni illi intulerit damna. Parum est illos in vicino facere virtutes credite quia multa operantur apud longe positas gentes, quamvis nostras minime attingant aures.

c Per reliquias in Mosomensem ditionē delatas,

mures segetem depascentes abiguntur:

22 *d* Fames prævalida quoquo locorum desæviebat, nonnullos ad latrocinium compellebat, quamplures ad id sceleris cupiditas inflammabat, quæ nequaquam veniabilis erat. Tres in hujusmodi discordia concordes, Quadragesimæ diebus Lobias venerunt, & apud cujusdam indigenæ domum demorati sunt. Frequentabant quotidie ecclesiam Sanctorum, sub obtentu religionis conspirantes ad ictum fraudis: jam enim conceperant dolorem, ut denuo parerent iniquitatem. Quid plura? Ipso sacratissimo die Paschæ, qui feriatus etiam inferis creditur esse ob lætitiam Resurrectionis Dominicæ, ut à Missis est discessum, concesserunt hospitium. Epulati non in azymis sinceritatis, sed crapulæ & ebrietatis, unaque collocuti abscedunt in proximam silvam, competentia nequitiæ tempora operturi. Et jam solari fulgore terræ subducto, tenebræ profusius occurrerant cælo; cum ecce illi, faventis protecti beneficio noctis, à latibulis surgunt, dispectos diu monasterii aditus adeunt; & per fenestram declivem ingressi, per altare suppositum descendunt. Pro nefas? Temeritas semel impunita, ipsa sui licentia efficitur iniquitas condemnanda. Primo tabulam paratam invadunt, argentum omne excudendo comminuunt: deinde quidquid altari suppositum erat apparatus: exigebat enim honor festivitatis nihil haberi intus. Sic in minimis fortuna favente, subibat cupiditas majora audere; siquidem tentabant sacrorum etiam corporum ornatus diripere. Cum subito fragore signa, in ecclesia eadem dependentia, intonuere; quod à multis auditum sæpissime, nec hac vice tantum, in maximum cessit miraculum, tunc autem illis in magni terroris augmentum, ut vix ex tribus jam putarent superesse ullum. Vigiles profundissimus sopor sepelierat, nec voluntas divina in hoc deerat, quæ Sanctos suos clarificare destinabat. Incondite ergo accelerato exitu, versus Montem iter dirigitur: quem ab effectu nomen sortitum, satis patens est indicium, vocant siquidem eum Castri-locum. Cumque jam fugatis cooperatricibus noctis, dies adesset serenissimæ lucis; illi toto ipsius viæ conductu quasi in tenebris sibi palpare videbantur. Tandem summa difficultate venitur, quo voluerunt jam fuisse. Hospitii diversorium accepere apud quemdam trapezitam, nomine Walcherum. Inter cœnandum multa eis ad invicem conferentibus; Si velles, inquit ad trapezitam eorum unus, nostris par esse consensibus, posset non modico lucro tuæ artis prodesse profectibus: argenti enim & auri non mediocre pondus est nobis, quod ex asse conquirere poteris, si ad æquilibrationem semilibra responderis pecuniæ. O lingua faucetenus evellenda! per ei quæ terdenis numismatibus, quasi vile mancipium, vendens eum cujus non erat precium, præ cupiditate suum sibi furata est lucrum. Illo ergo fidem faciente dictis, trapezita miratus quantitatem venæ splendentis, recognoscit ex qualitate operis cujus rei tenerentur criminis. Non vacat, ait, tempus jam noctē ad hoc commercium: crastina die ad invicem ex ratione habebimus consensum, pro ut sors obtulerit faciendum. Sic itum est dormitum. Intempestæ silentio noctis, eo loci quo rei recubabant cœperunt exaudiri voces confusæ multitudinis, mugitus taurorum, hinnitus equorum, balatus, pecorum, dissone imitantes. Qui infra domum quiescebant perturbari, jam jamque sibi mortem meditari: sed paulatim recedentibus tenebris, recedebat & magnitudo timoris. Matutinus trapezita consurgit; Magistratus adit, rem per ordinem pandit. Actutum illi capiuntur, vinculis vinciuntur, in carcerem jussu Comitis *e* Herimanni truduntur. Jamque præveniens fama desperatos Lobienses hoc recreaverat rumore, comprehensos, quos nusquam putabant apparere. Communi igitur consilio legati illuc diriguntur, reosque sibi tradi, & quæ abstulerant reddi obtinuerunt precibus. Revertentibus procedit obvia utraque congregatio, Monachorum scilicet & Clericorum, Te Deum laudamus excelsissime concinentium, & hac modulatione usque superius monasterium scandentium. Sic recepit ecclesia res amissas, finemque debitum accepit consummata iniquitas.

d

tres fures

post diem Pascha,

D

per fenestrā ingressi ecclesiam S. Ursmari,

altaris ornatum sacrorum corporum, turbantur campanis ultro sonantibus:

E

fugiunt Montes Hannoniæ:

cum trapezita hospites

de commutatione argenti:

ab eo dissimulante:

F

& noctu terroribus incitato,

proditi in carcerem conjiciuntur:

e

Thesaurus ablatus recipitur.

23 Er-

A

f

13 Ercliacus villa est in pago Laudunensi, olim S. Ermini possessio, nunc autem deserviens Ecclesiæ Laubiensi, quam scilicet idem S. Erminus usibus monachorum eo tempore concessit, quo in Episcopatu S. Ursinaro meritis & honore successit: ubi etiam condonavit amplissimam possessionem vinearum, quarum liquor per singulos annos deducitur Lobias, non sine grandi tormento boum & hominum: via enim gravis est & longa, utpote distans à Lobiis leucis non minus triginta, omnimoda difficultate nulli usquam comparanda. Nuper igitur eodem vindemiarum mense, quo g Henricus Imperator decessit humanis, ea videlicet vini sterilitate, quæ fuit ubique, è vineis regionis sexdecim tantum ibi h carratæ vini fuerunt, quæ cum magno labore Lobias perductæ sunt. Luna quippe pluvialis difficiliorem effecerat viam, quæ numquam est facilis, usque ad juga boum & sellas equorum exundantibus mille torrentium rivulis. Cumque Lobias pervenissent, & portu tutissimo omnes angustias se evasisse putarent; Sambram offenderunt tantæ exundationis, ut si unquam, raro fit visa grandior ab incolis. Quid ergo facerent? Nihil periculosius si navibus transitum tentarent, cum istud & omne consilium transeundi, excepto uno, amplitudo & impetus aquæ dissuaderent. Sed pons erat per medium aquæ, qui licet vetustus, integer tamen in superficie, omne periculum transeundi videbatur excludere. Qua fiducia nihil hæsitantes, sed absque dubio primi, secundi, & tertii per medium carrucantes, Dei nutu transierunt incolumes. Cumque decimum plaustrum venisset in medium pontis, ubi altior erat à terra pene duabus hastis; statim vetustas illa, tantum pondus non ferens, dissolvitur; & quantum pontis bubulci, boves, & plaustrum occupabant, cum magno sonitu liquescit & funditur. Sed qui pontem & ripas permeabant, ex utraque parte clamantibus, S. Ursmare succurre eis, super i plancam, quæ vix vacua sistebat, plaustrum cum tonna pependit: ulterioribus rotis & bobus, qui conserti erant plaustro, natantibus super aquam, & eorum cornua fortiter tenentibus bubulcis. Quibus cum tanta materies ruentis pontis incubuisset, neutrum animal est repertum, quod alicujus læsionis notam incurrisset. Statim insilientibus naves qui ad hoc exierant spectaculum, ut si non possent vivos, eriperent vel cadavera mortuorum; Dei misericordia invenerunt incolumes; & susceptis hominibus, incisis loris, solverunt & eduxerunt boves: deinde incidentes ligaturas tonnæ, cadentem in aquam tenuerunt, & deduxerunt absque damno vini unius k deneratæ. Ita magnifice liberatis omnibus, non est hæc ab aliquo computata Dei & Sancti sui virtus; sed, qui aliquando solet contingere, rerum pereuntium & non pereuntium casus. Deus vero qui tantam virtutem dignatus est monstrare, voluit etiam pro quibus & per quem id egisset manifestare; non alicui in eadem regione manentium, sed ut latius opera ejus clarerent, cuidam longe in Vimiacensi scilicet pago commorantium. Denique apud S. Walaricum l vice Christi fungebatur & fungitur Abbas m Wazo, quem etsi in vita sua laudari prohibet sapientia favore humano, tres tamen sorores ubi notus est laudant eum, & prædicant sub silentio; caritas scilicet, humilitas, & discretio. Qui cum sequenti nocte in monasterio S. Walarici, quod ipse novum de-

Plaustra vini ex ditione Laudunensi,
Lobias solito advehuntur
g anno 1056.
h ex his unum ob vias pluvia redditas difficillimas,
B
& Sabis pontem confractum,
cum bobus & bubulcis ruit in flumum:
i
servantur bubulci,
C
boves,
& ipsum vinum.
k.
l
m
Wazo Abbas S. Walarici,

EX MS. LOBIENSI

center construebat, ante matutinos aliquamdiu pernoctasset, & ad conclusionem orationis suæ diutius Letaniam continuaret; ad eum locum & ordinem pervenit, ubi post victorias Martyrum, Confessorum gloriam invocare debuit; & invocatis quos voluit cum reverentia & devotione, S. Ursmarum, Lobiæ Pontificem, sed incolam cœli, habebat ordine suo invocare. Statimque reducens ad memoriam monasterium ejus, ubi sæpe Missam celebravit, in ejus contemplatione, quasi eumdem ipsum videret, prolixius lacrymabiliter hæsit: quousque sæpius eum invocando, inter singultus, lacrymas & fletus, paulisper obdormivit. Cui mox in visione apparens S. Ursmarus, orationis ejus utique non surdus auditor effectus; Age, inquit, quod agis; operare quod operaris: quia non est vacuum omne tempus orationis. Oratio fidelium assiduas facit apud Deum orationes Sanctorum, quatenus semper avertant pericula servorum suorum. Ego ipse ita meos consuevi protegere, ut semper adsim eis in omni angustia & tribulatione; & nedum eos, sed neque bubulcos eorum aliquando permiserim perire. Et ne sis dubius in verbis meis, cum veneris Lobias super pontem, experimento probabis, qualiter ibi hodie profuerim bubulcis meis. His dictis evanuit: ille quoque bonus somniator statim evigilavit, & admirans visum, devote, ut cœperat, Letaniam peregit: peracta, surrexit; surgens, signo Crucis se signavit. Stabat ergo hærens, residuum noctis & diei quæ viderat perpendens; &, ne phantasticum quis diceret, cuidam referre timens. Erat autem tempus, quo, sicut omni anno solebat, in regnum Lotharii ad villas S. Walarici erat iturus, & eodem mense ad eundum jam erat paratus. Habuit per Lobias transitum, valde enim caritati suæ complacebat caritas nostrorum, & non modica veneratione dignabatur eumdem locum. Ubi officiose susceptus (quis enim non magni penderet humilitatem ejus) post mutuas collationes & relationes, prædictus Abbas visionem suam apposuit Abbati nostro inter multas circumlocutiones. Nos autem ubi audivimus, vix verbum prolatum ex ore ejus rapuimus, & virtutem, quam putabamus casum aut fortunam, exposuimus. Ostendimus ei pontem noviter restructum, & ad confirmationem rei de eodem vino dedimus ei pleniter potum. Certa enim fuit per S. Ursmarum liberatio, & certa fuit ejusdem liberationis & aliarum multarum visio. Numquam enim ascendimus ab inferiori ad superius S. Ursmari templum pro aliqua tribulatione, quod non citius sit multata, aut vindicta, aut correctione. Sed fiat dicendi terminus: ne dum volo esse lectori officiosus, omnia quæ dici possunt dicendo, fiam incuriosus.

in Litanis invocat S. Vrsmarum,
& ab hoc apparente addiscit ejus protectionem
E
etiam in prædicto casu,
quod veniens Lobias narrat.
F

ANNOTATA.

a Sognesiæ *aliis sive* Sogniacum, *Baldricus* Sungejas *appellat, oppidum Hannoniæ inter Montes & Bruxellas, vulgo* Soigny.

b Mesomagum *urbs munita ad Mosam inter Sedanum ac Satanacum, nunc* Mesomus *dicitur; de ea egimus 9 Februarii ad Vitam SS. Victoris Martyris & Susannæ Virginis.*

c Hugo *fuit Abbas ab anno* 1032 *usque ad annum* 1053. *Sub quo traduntur floruisse studia litterarum inter monachos, è quibus aliquis hæc miracula scripsit.*

d *Bertoldus Constantiensis in Appendice Hermanni Con-*

tracti

EX MS. LOBIENSI. *tradi tradit* an. 1052 & sequente frugum penuriam factam fuisse non modicam.

e *Hic est* Hermannus Saxo, *cui nupserat Richildis filia Raginerii IV, dein nupta Balduino VI Comiti Flandriæ.*

f *Nunc* villa S. Ermini *dicitur, ac fuit Prioratus Lobiensium.*

f *Hic est* Henricus Niger, *filius Conradi Salici, mortuus 5 Octobris anno 1056.*

h Carrata vini, *id est plaustrum vini. Ita 13 Febru. in Vita B. Godefridi Cappenbergensis num.* 62 Carrata vini *dicitur, at* Carraria vini *in Vita B. Ioannis Abbatis Gorziensis num.* 75

i Planca, *tabula plana, in Vita utraque* S. Marcelli *Papæ 16 Ianu. S. Romualdi 7 Februarii & alibi, vox Italis, Francis Teutonibusque communis.*

k Denerata, *seu* Denarata, *pretium denarii. Consule Vossium pag.* 406 *de Vitiis linguæ.*

l *Vitam* S. Walerici *illustravimus ad 1 diem Aprilis, ubi etiam de* ditione Vimiacensi *vulgo* Vimeux *actum.*

m Wazo *Abbas, nonnullis* Walo, *solemnitati revelationis reliquiarum S. Bertini anno 1052 adfuisse dicitur.*

CAPUT VI.

Varii prædones puniti: incendium sublatum: hydropicus sanatus.

B

24 Longo post tempore, *a* Adelardo Abbate, quidam ex monachis ad hoc missi, deducebant de eodem Ercleaco vinum ad usus Fratrum. Permiscuerunt se in eorum comitatu quidam oppidanorum nostrorum, cum carris suis, ut Sanctorum patrocinio irent ac securi redirent. Ventum est ergo ad castellum in medio situm transitu; sed Givardus quidam, pestifer & immanissimus prædo, cum stipendiaria multitudine locum invaserat: & de præda Sanctorum, quos secum habebat satellites, ditabat. Is ergo, nihil veritus justitiam, transeuntes invadi jubet; omnia rapit, primumque ipsos boves, in prædam suis dividit, bubuleos & ceteros comites ferreis nodis in carcerem constrictos tradit. Monachi, qui nullo alio armorum usu contenderent, ad medium deducti, agebant precibus cum pollicitatione pretii, ut permitterentur abire liberi. Sed ille, saxo durior, nec precibus nec pretio ullo modo flecti poterat. Unus ergo ex monachis, Joannes nomine, fidens meritorum S. Ursmari, cucurrit ad fida presidia. In medio conspectu terræ prosternitur, pectus tundit, & omnibus audientibus, Piissime, ait, Patrone S. Ursmare, succurre, adiuva tuos in periculo hoc. Mira dicturus sum. Vixdum verba finierat, & ecce mirabili tremore castrum omne concutitur, carri erectis temonibus violento impetu oppositum montem conscendere, quanta vi aut arte humana numquam impelli potuissent; adeo ut qui erant de numero S. Petri septem tantum, aliis qui præter eum numerum erant incurrentes, non sine ingenti strepitu pene omnes protererent. Quo viso, clamor omnium tollitur, ac virtus divina etiam ab invitis prædicatur: sicque edomitus ille contumax, non homines tantum, verum boves cum vino abire permittit, retentis his qui extra eum numerum erant. Testabatur autem idem Joannes Deum & Sanctos omnes, vidisse se ad unumquemque carrum duos boves copulatos tantæ magnitudinis, ut ab uno cornu usque ad aliud cubitum latitudinis æstimaret: quod tamen solus ipse videre poterat. Satisque evidens fuit illa die, S. Ursmarum suis auxilio fuisse, qui numquam pie invocantibus deest, quod ab hinc colligitur.

a *Monachis aliisque à prædone detentis,*

C *invocatur ab uno S. Ursmarus,*

& mox liberantur reliqui.

D

25 Matrona quædam, Liedrudis nomine, ea nocte quæ periculum præcedebat tota fere pervigil, cum post hymnos Matutinales in ecclesia, qua Sancti corpus requiescit, paulisper obdormisset; videt ipsum S. Ursmarum, Episcopali more alba & stola atque cappa indutum, monasterio velle exire: cumque secus eam transiret, quasi bene cognitum & omni tempore visum, compellat eum. Quo, inquit, Domine mi, iturus es? Quam ille blande respiciens, Vado inquit, quibusdam fidelibus meis auxiliari, quia hodie maxime mea indigebunt ope. His dictis, celeriter pertransivit. Hoc visum illa multis retulit: & re vera compertum est, ea nocte accidisse, quæ sequenti die beatus Confessor miraculum, quod prædictum est, exercuit.

26 Gruduracus nomen est castri, quod situm est ad occidentem Laubiensis oppidi milliario minus quam dimidio. In hoc commorabatur cum prædonum manu quidam Anselmus, scelere ante omnes immanior, cædibus & incendiis & prædis intentus, & omni bestiali feritate crudelior. Is etiam cum multis & magnis damnis Laubiensem locum afflixisset; ad ultimum villam eorum, quæ Strata dicitur, cum vigintiquatuor complicibus suis fregit, & in ipsa ecclesia villicum cœpit, quarto die exeunte Aprili, qui erat sequenti Majo toto serviturus. Permotus hoc sinistro nuntio Abbas cum aliquantis monachis, ascensis equis tendit ad castrum, quo captus villicus servabatur: aggreditur ipsum prædonem, injuriam S. Ursmari & Fratrum necessitates coram conqueritur, &, ut quem ceperat redderet, obtestatur. Ille abnegat, frustraque omnis labor consumitur. Confusi abinde redeunt tam Abbas quam monachi: nec quid agerent, quo se verterent, consilium erat. Tandem venit in mentem, piissimi Patris ac protectoris nostri S. Ursmari memoria: apud ipsum orationibus die noctuque perpetuant. Summo igitur diluculo, ultima die Aprilis, cum sanctissimo corpore iterum ad locum precaturi accedunt: ille, ubi stratis excitus videt rem inopinatam, metu divino, horrore nimio corripitur, & vellet nollet sine mora quod petebatur reddidit. Sed non in longum ultio divina quievit. Post aliquantos dies cum idem & viginti quatuor complices, de vicino Belli-montis castro, prædam suo more rapuissent; permoti injuria facti incolæ repente irruunt, & uno omnes momento crudeliter prosternunt ac perimunt. Atque ita contigit, ut una omnes die crudeliter extincti referrentur Laubacum, qui ad injuriam Sanctorum villicum eorum ceperant, & sanctissimum corpus ante fores suas delatum viderant.

idque, apparente S. Ursmaro, ostensum est cuidam matronæ.

E *prædo nolens villicum S. Ursmari à se captum reddere,*

cogitur allato corpore S. Ursmari,

& omnes paulo post internimuntur.

27 De eodem castro, tempore, quo bellum inter eos & Tudinienses agebatur, cum aliis pluribus quidam pistor Laubias venerat, fæces *b* ad conficiendos panes petiturus; aderant etiam aliquanti de Tudiniensi clientela, & ex verborum iniuriis, ut fit orta est inter eos gravis seditio. Irruunt alteri in alteros, & ut quemque casus armaverat, permixtum vulgus deſævit. Fugiunt Tudinienses, & in ecclesia S. Ursmari, velut tutissimo proteguntur asylo: at vero ille pistor correpto arcu, dum unum illorum intra monasterium telo appetit, nutu Dei volans sagitta ianuæ infigitur. Sedata contentione ubi ab utraque parte discessum est, ille miser confectis panibus, clibanum solito amplius succendit: cumque per concavum loci illius totis viribus dominaretur incendium, sanguineam volvens aciem, revinctis manibus à tergo, in medio flammarum, diabolo instigante, præcipitatur: talique morte, temeratus Ursmari injuriator miserrimam vitam finivit, vindicante Deo Sancti sui injuriam.

F *b* *confugientes ad S. Ursmarum*

conatur pistor lædere sed frustra,

& in clibanum se projiciens perit 1.

28 Tem-

A 28 Tempore etiam c Balduini senioris Comitis, cum in eodem castro moraretur Isaac, unus ex nobilibus Haynoensium, & frequentibus incursibus ipsos Tudinienses &c. totam ulteriorem Lotharingiam vastaret; Laubienses, in confinio utrorumque siti, pene ab his consumpti erant. Omni hora necesse erat fugere, festinare, & velut imminente morte trepidare. Noctibus clangor liturum ostridorque tubarum, non solum homines sed ut ita dicam, Sanctos in Laubiis quiescentes absque ulla reverentia inquietabat. Longa igitur permoti iniuria beati Patroni nostri Petrus & Ursmarus, tam sibi quam nobis consulere parant. Medio cujusdam noctis silentio, cum ille in lectulo jaceret vigilans, repente videt utrosque coram se consistere, furibunda & minaci facie: & B. Ursmarus, armatam habens manum praeacuta sede, dum mortiferum vibrat ictum, ferientis dexteram B. Petrus sustinuit, & clementer. Parce, ait, frater parce huic, & hoc habeat beneficium, pro eo quod in urbe Roma adiit meum sepulcrum; sed caveat ne amplius hic moretur, neque mihi vel tibi ulterius sit molestus; alioquin mortem, quam modo differimus, satis graviorem persolvet. His dictis, visio disparuit. Rapit ille quantocius corpus è lectulo, totamque horrorifico clamore fatigat domum. Inclamat socios, primusque ipse ascenso equo fugam B iniit, sua omnia subsequi jubet: veniensque ad Balduinum Comitem: non sine multorum admiratione, quod viderat, quodque passus fuerat retulit. Ex illo tempore castrum illud fluere ac retro referri cœpit, donec tandem funditus euersum, & nobis pax perpetua ex eo facta est. d

a Isaac perturbator Lobiis.

b SS. Petro & Ursmaro in visione territus.

fugam arripit.

Grudmraco castro paulatim collabente:

29 Quid illud quantoque miraculo est praedicandum, quod nuper, cum populi adiacentium provinciarum divino flagrarent incendio, Laubienses solito more confugerunt ad patronos suos Petrum, Ursmarum, & Erminum. Communi namque habito consilio corpora Sanctorum efferunt; & cum processione ac Litania fines suos circumeunt. Mira res. Cum omnem viciniam lues eadem vastaret, tamen intra habitum circuitionis illius, velut opposito limite, ingredi non ausa, ibi tantum desævire permissa est. Quid in illa processione acciderit referam.

Lobienses ab igne sacro liberantur.

30 Hydropicus quidam, de oppido Soniacas dicto, cum populo aderat: cuius venter in modum utris distentus, totaque cutis interlucente pessimo humore in modum ceræ videbatur. Cum ergo una cũ aliis subter scrinia Sanctorum remedij causa transiret; repente Dei virtute eorumque precibus curatus, C semetipsum miratus est, quis fuerit, vel quis esset: adeo ut tunicam suam, quæ pro infirmitate sua tensa fuerat, cunctis laxam pro miraculo ostenderet. Quod factum in magna populi multitudine celari non potuit.

Hydropicus sanatur.

31 Ibidem cum quidam rusticus alteri rustico, quem pro mortali facto infensum habebat, ut sibi indulgeret, ad pedes cecidisset; & ille obstinata mente, ut est id genus hominum, omnino abnueret; transeuntibus coram eo qui Sanctorum reliquias ferebant, subito visum perdidit. Tum demum coactus hoc verbere, discalceatus & eiulans, primum illi ad pedes cecidit, quem contempserat: dein Sanctis satisfaciens, visum repente recepit, & quod postulabatur, libenter annuit. Sunt & alia multa & stupenda, quæ nostris temporibus contigerunt, miracula.

non condonans petenti fit cæcus.

ANNOTATA.

a *Adelardo, supple* adhuc Abbate, *qui Hugoni anno 1053 mortuo subrogatus vixit usque ad annum 1076.*

b *Cerevisiarias scilicet, quibus pro fermento utuntur Belgæ.*

c *Hic est* Balduinus VI Comes, maritus Richildis, *ut supra dictum.*

d *Continuator Fulcuini primus* tom. 6 *Spicilegii Acheriani, ita loquitur:* Castrum quod dicitur Gruniacum a quo magna capiebamus detrimenta, virtus S. Ursmari in solitudinem babuit: nam ad tantam desolationem redactum est, ut eiusdem Castellanus, noctua visione per S. Ursmarum horribili terrore perculsus, aufugerit, & cum nullus deinceps in castro morari auderet, tandem à Leodiensi Episcopo dejectum est. *Idem immediate antea nominat ecclesiam* de Griaco seu Gruminiaco *nec scio an diversorum locorum aut unius sit nomen tam diversimode scriptum: nam in autographo nostro prius legebatur* Grumucacus.

HISTORIA MIRACULORUM

In circumlatione per Flandriam.

CAPITULA IN MS. PRÆFIXA.

E

1 Qualiter Ursmarus à Laubaco delatus sit in Flandriam.
2 Quomodo quasdam partes Brachbatensium à plaga mortis liberaverit.
3 Quomodo venerit ad castrum quod Insula dicitur.
4 De noverca quæ privignam suam verberavit.
5 Quomodo quosdam inter se discordantes reconciliavit,
6 Quomodo quemdam militem, qui iuvenem quemdam dolo interfecerat, S. Ursmarus à morte liberavit.
7 De quadam puella, quæ quadraginta diebus assidua sanguinis profusione laboraverat, meritis S Ursmari sanata.
8 De quodam monacho à dolore dentium sanato.
9 De quibusdam discordantibus per merita S. Ursmari reconciliatis.
10 De quodam puerulo cæco sanato.
11 De candela in manu cujusdam Clerici divinitus accensa.
12 Item de alia quorumdam discordantium confœderatione.
13 De quadam matrona cæca sanata.
14 De quodam puerulo à febribus sanato.
15 De quodam reo à morte per S. Ursmarum salvato.
16 Qualiter apud Litfengiam terra, tribus mensibus præ siccitate, sterilis, interventu ipsius inundatione maximæ pluviæ madefacta sit.
17 De quodam milite claudo sanato.
18 De quadam puella à dolore lateris & brachii sanata.
19 De quadam vetula, cui oculus restitutus est supposito pastorali baculo S. Ursmari.
20 Qualiter apud Piniam ianuæ templi apertæ sint S. Ursmaro divinitus.
21 De quadem muliere à dolore pedis sanata.
22 De quodam rustico Tudiniensi sanato à cæcitate.

Nos capitulis hisce in numeros commutatis totam historiam more nostro in pauciora Capita dividimus. F

CAPUT I.

Occasio peregrinationis. Iter Insulas & Casletum, inimicitiæ sublatæ, sanitates collatæ.

1 Licet non sit speciosa laus in ore peccatoris; laudare tamen Deum in Sanctis suis, adeptio est quodammodo ipsius speciositatis. Si enim opera Dei bonum est prædicare, virtutes utique Sanctorum, quæ sunt opera Christi, malum silere, in quibus voluntates suas gloriose dignatur mirificare. Unde & si dehortatur iniustitia, exigit res & hortatur obedientia, ut posteris studeamus litterare, qualiter inter Flandrenses S. Ursmarus comitante Deo voluit itinerare. Ea ergo tempestate, a qua inter Henricum Imperatorem & Balduinum Comitem iustitia oppugnata & expugnata non potuit in terris regnare; Lobia fuit in capite, quod

a Lobia ser bello destructa.

nobi-

EX MS. LOBIENSI

nobilitatis suæ titulum coacta est amittere. Perierunt cultores, fugerunt habitatores, nihil residui fuit antiquitatis, præter lapides & aliquos situs, qui adhuc possunt revocare memoriam posteritatis. Sed post quam Henricus Imperator decessit *b* humanis; licet falsa, visa est tamen justitia rediisse terris, & voluissent noluissent, regnavit pax etiam in hominibus malæ voluntatis. Cessaverunt rapinæ, visa sunt Saturnia regna rediisse: &, licet cum paupertate, recepit unusquisque sua ex libertate: Ecclesia vero Laubiensis, quæ oppressa & vastata erat præ omnibus aliis, animum Rectoris sui, Abbatis scilicet Adelardi, graviter angebat ea pacis adeptione, si quando se & sua revelare posset ex tanta dejectione. Qui habito consilio cum suis, non nisi divinitus præponderavit succurrendum talibus ex Sanctorum meritis. Erat enim gravis casus & non una occasio: templum enim S. Petri, quod in pace dejectum & refundatum fuerat, magis aliqua vetustatis ruina videbatur quam renovationis fundatio: & partim guerrâ partim negligentiâ majorum diminuta erat ecclesialis possessio, maxime autem in Flandriis: ubi cum *c* Menapenses, Wasiacenses & ipsos Flandrenses S. Ursmarus convertisset ad Dominum ab errore gentilitatis, multas terras acquisivit S. Petro gratia suæ prædicationis, quas incuria priorum pene amiserat ecclesia, præ longitudine itineris. Cum igitur tot & tantæ res vel importunæ essent vel opportunæ deessent, utriusque *d* Comitis senioris scilicet & junioris consultu, hortatu & petitione, *e* Episcoporum licentia & benedictione, S. Ursmarus effertur, non solum sua redimere, sed etiam rerum suarum dejectioni succurrere. Qui elatus cum honore & digna veneratione suorum, nullum pene diem voluit præterire absque signis miraculorum. Nulla potuit dominari ante eum dæmonis infestatio, nulla inter discordes regnare disceptatio, nulla infirmitatis prævalere passio. Sed ne omnia videamur communiter proferre, singula singulatim studeamus determinare.

B *concipitur peregrinatio instituenda: d e*

2 Perveniente ira Dei super filios incredulitatis, laborabat eo tempore & deficiebat genus humanum pestilentia mortalitatis: quæ cum plurimas occupasset regiones, in tantum desolabat quasdam *f* Bracbatensium partes, ut non una sed utraque manu viderentur rumpere fila sorores. Regnabat mors per omnes ætates & sexus; & si quos impune transisset, hos vitæ desperatio affligebat & intolerabilis metus. Non enim ruebant consuetudine moriendi, sed adhuc sani communionem accipientes, & sua disponentes, & etiam cum amicis convivantes, quasi licentia abeundi vivos catervatim occupabant officio se sepeliendi. Tandem subvenit eis Dei providentia per S. Ursmarum: ubicumque enim Sanctus Confessor per eos habuit progressionis suæ transitum, tanta reliquit vestigia suæ salutis, ut nemo eorum postea incurreret ex ea pestilentia periculum mortis.

f Brabantenses à grassante pestilentia, C liberantur ope S. Ursmari.

3 Exinde progressi, Castrum quod *g* Insula dicitur, altera die venimus cum frequentia populi. Ubi quantus amor erga sanctum Confessorem, & quantus fuit populi affectus, ipse postea erga eos satis patenter ostendit, pio apud Deum pro eis interventu sui: nullus enim inter eos aliqua fuit infirmitate circumventus, qui antequam exisset non sit Dei manu visitatus. Cumque egrederemur in crastino, totius oppidi virorum ac mulierum, juvenum & seniorum, exiit nobiscum multitudo. Quorum petitione cum in trivio corpus Sancti extra villam deposuissemus, notaverunt diligenter sibi locum, ut ibi erigerent Crucem in honorem ejus. Quam cum erexissent, ut ipsi postea retulerunt, quicumque infirmi illuc venientes in eo loco dormierunt, quanti meriti foret apud Dominum, qui ibi depositus fuerat, recepta sanitate persenserunt.

g Insulis multi sanantur, etiam ad Crucem erectam, ubi corpus S. Ursmari quieverat.

D

4 Puella quoque quædam ea die exivit cum aliis; quam, quia speciosa erat, amore sibi devinxerat quidam ex nobilioribus juvenis. Habebat autem novercam, quod genus mulierum solet pessimum esse; quæ cum voluisset post Sanctum exire, videns privignam suam præcessisse, non ausa domum solam relinquere, remansit domi invita quidem, sed tantis verberibus afflixit puellam redeuntem, ut octo diebus surgendi à lecto non haberet valetudinem. Cui etiam exprobrans amorem præfati juvenis, meretricem eam millies vocans, Non existi, ait, causa alterius devotionis, nisi ut illum videres qui uritur flamma tam pessimæ meretricis. At illa, non diu ferens verba exprobrantis novercæ, Judicet, ait, pessima mulierum, S. Ursmarus inter me & te; & si ego eum non ea qua dicis secuta sum intentione, percutiat manum quam super me erexisti pessimo languore. Oravit puella & exoravit: statim enim tantus languor brachium novercæ invasit, ut per quadraginta dies illud ad caput suum erigere nequiverit. Quam rem omnes oppidani noverunt, & cuidam nostrorum per eos transeunti postea pro miraculo retulerunt.

noverca quædam quæ privignam secutam Corpus verberarat, languore brachii punitur:

E

5 Cumque cœpto itinere deambularemus, ad villam quamdam, quæ nova Basilica dicitur, secus *h* Strate selam devenimus: ubi quidam milites ita inimicabantur ad invicem, ut nullus mortalium in eis posset componere pacem: surrexerat enim præteritis annis inter eos tanta seditio, ut patres filios, filii patres, fratres amitterent fratres instinctu diabolico. Cum igitur ad Sanctum populi confluerent undequaque, contigit & illos omnes ex suis partibus convenisse. Ceteris vero, qui immunes erant ab ea seditione, rem nobis intimantibus, segregatos ab invicem cœpimus convenire alternis vicibus, ut Deo & Sancto donarent hanc contentionem, ne plus accresceret interfectorum numerus. Assenserunt quidam, licet inviti, pro timore Dei & Sancti amore: minor autem pars omnino cœpit contraire. Quos cum nullo modo potuissemus inclinare ad consensum, Eia, inquit Balduinus Decanus, circumferamus Sanctum, ut aut consentientes pareant nostro consilio, aut dissentientes sequantur ducem suum diabolum, divisi à nostro consortio. Cumque Sanctum à terra levassemus, & ut omnes in ambitu processionis includerentur, caute & psallendo deambularemus; statim exilierunt solummodo pacis contradictores, ignari omnino quid inter se tractassent nostrates: hæc enim fuit consilii summa, quia tanta erat Sancti, quem sequebamur, fiducia, ut si possent intra processionem includi aliquando, postea non prævaleret apud eos potestas inimici. Nec mora: & ecce patuit diaboli stropha. Transiens enim inter nos & eos nigerrimus canis, ostendit se duce discedere eos à nobis. Quibus etiam ducatum suum non subtraxit, donec post tres ferme menses eos omnes in pugna composuit, à qua de omnibus contradictoribus nec unus vivus superfuit.

h in Stratsela, pars pacem non admittens, F d misere perit.

6 His itaque, quia vinci non poterant, pacem imprecando discessimus; & eam per totum iter nostrum interventu Sancti inserentes multorum cordibus, post aliquot dies apud castrum quod *i* Blarengehem dicitur hospitium sortiti sumus. Ubi seu casu duceremur seu Dei providentia, incertum nobis fuisset, nisi propalasset lux crastina. Præerat ibi quidam juvenis, Hugo nomine, non minus nobilitate morum prædicandus quam nobilitate generis, qui ea die judicium erat agitaturus; quod non absque

i

EX MS. LOBIENSI.

A que multo sanguine potuisset fœderari, nisi per Dei clementiam prævenisset S. Ursmarus. Habebat enim in sua familia duos milites, qui aliquando disceptaverant inter se verbis asperioribus, utpote iuvenes. Non latuit ea contentio Dominum, qui accitis militibus suis, requirens super illis duobus judicium, confecit pacem inter eos usque ad osculum. Sed alter eorum, qui amplius fuerat læsus verbis, male fundans in corde suo osculum confectæ pacis, dissimulavit quidem ad tempus, non diu tamen, nisi quousque sibi suppeteret locus: erat enim minor genere, sed major militis nomine. Et quia, dolus an virtus, in hoste requiritur à paucis; non defuit ei locus licet inlaudabilis. Expectans quippe post biduum Dominum suum Hugonem abesse, illum sibi non caventem pro confecta pace, quæsivit, & invenit securum in hypogæa sedentem; cui dolo transfigens pectus lancea, pro uno verbo intulit mortem. Insecutus est clamor & tumultus: ille statim intravit ecclesiam, multis non valens resistere solus. Quem cum milites voluissent in ecclesia interficere; miles quidam, quem post Hugonem habebat Dominum, datis vadibus eduxit eum hac ratione, ut sub præsentia Hugonis restitueret eum in eadem ecclesia cum armis quinta decima die.

post homicidium patratum

B Contigit ea nocte ad ecclesiam adventus Sancti Confessoris, nocte scilicet anniversaria Dominicæ Ascensionis. Mane ergo facto, convenit cum armis ex utraque parte maxima militum multitudo: hi, ut si non possent ratione, vi eum eriperent: Hugo & sui, ne inferiores facti reum sibi rapi permitterent. Rubebat scutis totum atrium, repercussione matutini solis splendebat acies armorum, confusior erat fremitus & hinnitus equorum. Stabant Hugonenses evaginatis gladiis circa ecclesiam, unius peccatoris sitientes fundere sanguinem. Tandem nos per medium eorum ecclesiam intravimus: miserum illum, iam morti simillimum, ante altare prostratum invenimus: Missam pro cunctis fidelibus in primis celebravimus: Letaniis & omnibus modis lacrymabiliter divinam clementiam pro tanto periculo imploravimus. Post hæc albis & cappis induti, utpote principalem Missam celebraturi, processimus: Hugonem in primis humiliter convenimus, ne pro unius peccatoris sanguine tot arma militum permitteret confligere. Sed nihil valuerunt preces nostræ, cum verba excusantis contra Sanctum & contra nos interrumperent singultus & lacrymæ. Intravimus ecclesiam: iterum sanctum corpus, ignorantibus eis, detulimus in medium eorum. Stupuerunt, oculos humiliter omnes demiserunt, & quis inter eos delatus fuerit, etiamsi nescirent satis patenter ipsa sua continentia ostenderunt. Fluebant lacrymæ ab oculis omnium: pugnabant pietas & ira in cordibus nostrorum. Tandem vicit pietas in Hugone, & miserum illum, vita, membris, & etiam gratia sua donatum abire permisit.

reus extrahendus ex ecclesia & occidendus cum periculo multarum cædium,

præsente S. Ursmari corpore liberatur.

C Huius autem rei occasio, centum ferme inimicitiarum, inter milites qui illic convenerant ea die, fuit confœderatio. Ibi fuit miles quidam clarissimus, nomine & opere Bonifacius: cui duo fratres abstulerant castrum suum, & interfecerant uxorem eius noviter nuptam, & nondum unius anni filium: ex quibus postea unum interfecit, alter vero à facie eius fugit. Sed modo (audita Sancti opinione, quam per se & per suos non audebat requirere, absque alicuius mortalis conductu, per S. Ursmarum præsumpsit misericordiam expetere. Quæsivit & invenit, nec aliquis ea die a Sancto infœderatus redivit: ex quo enim fuit ad terram in medio eorum depositus, tanta pietas irrepsit omnium cordibus, ut nulli posset esse dubium interfuisse gratiam Sancti Spiritus.

alia inimicitiæ sopiuntur.

7 Digressi inde, k Cassellum-montem tendimus conscendere. Paravimus Sancto locum infra suum papilionem: nobis autem hospitium apud quemdam cauponem. Erat ibi puella, quæ in medium frontis sibi fecerat incidi venam, evitandæ cuiusdam infirmitatis causa: sed dum parat infirmitatem effugere, mortem omnino debuit incurrere. Quadraginta enim dies transacti erant ex integro, ex quo ab ipsa plagella non cessavit sanguinis effusio. Cumque iam pene deficeret (non mirum: nec enim quisquam tam virilis, nedum fragilis sexus, qui hæc tamdiu ferre posset) cœpit requirere à nobis, si quid aliquis nostrûm ad sanguinem stagnandum nosset, pro Dei amore sibi intimaret. Nihil inquam, scimus, neque præter S. Ursmarum quisquam nostrûm est medicus; ipsum require, quia talibus & in talibus misericorditer succurrere consuevit. Ad hæc surrexit, & sustinentibus se quatuor mulieribus requisivit Sanctum: ubi statim tanta effusio sanguinis profluxit, ut quasi mortua extra papilionem delata sit. Tamen postquam paulisper respiravit: candelam sibi fieri poposcit: quam cum ante Sanctum statuisset manu sua, ita effusio sanguinis cessavit, ut nec postea una sanguinis guttula exierit. Quæ statim rediens ad nos, nobiscum pro benedictione cibum sumpsit, nobiscum curatorem suum laudavit. O medicum non avarum pecuniæ; qui pro candela vix unius oboli, magis tamen pro fidei devotione, tantam voluit salutem conferre! E

k

Cassleti sistitur fluxus sanguinis

ANNOTATA.

a *Has in Continuatione de Gestis Abbatum Lobiensium pag. 594. ita exponuntur in Adelardo Abbate:* Turbata imo perdita prorsus pace inter Henricum Imperatorem, & Balduinum seniorem Comitem, qui invaso Haynault rebellabat; Lobia in ea parte mali posita, cultoribus & habitatoribus destituta, ad extremam pene desolationem redacta est.

b *Anno 1056, 5 Octobris.*

c Menapii *in diœcesi Tornacensi Gandavum usque;* Wasii, *inter Gandavum & Antverpiam;* Flandri, *ut ab his distincti, in diœcesi Brugensi.*

d *Balduinus 6 Flandriæ & Hannoniæ Comes anno* 1070 21 *Iulii moritur, & Balduinus eius filius, qui Hierosolymitanus dictus, deinde imperavit.*

e *In supra citata Continuatione dicitur*, consilio Episcoporum & Principum, *sed non indicantur Episcopi: quos credimus fuisse, per quorum diœceses progrediebantur, & sunt Cameracensis, Tornacensis, ac Teruanensis.* F

f Bracbatenses *tunc hodiernæ Hannoniæ & Flandriæ partem continebant, & eorum limites fluviis Rupela, Senna, Haina, & Scaldi fere concludebantur: videntur autem monachi per eorum fines progressi, dum circa Condatum oppidum Scaldim transissent.*

g Insulæ *metropolis Gallo-Flandriæ in diœcesi Tornacensi, quam altera die, post relictos ad Scaldim Bracbatenses, attigerunt.*

h Stratzele *parochia territorii Casletani, inter Hasbrucam & Belliolum; nunc in diœcesi Iprensi, olim Teruanensi.*

i Blareghem *in eodem territorio parochia prope Novam-fossam qua Aeria ducitur Audomarum.*

k Cassellum, *aliis passim* Castetum, *oppidum in alto monte cum illustri territorio.*

CAPUT II.

Cæci & varii ægri sanati: Odia varia sublata.

8 Post hæc a Comitem & Comitissam apud Bergis convenimus, injustitiam quæ nobis fiebat-

EX MS. LOBIENSI

fiebat de terris Sancti declamavimus, à quibus reverentia, qua decuit Sanctum, susceptí; Sanctus in templo, nos in *b* claustro hospitium sumus sortiti. Monachus quidam ibi laborabat dolore dentium quem satis graviter ferebat spatio pene trium annorum. Et quia infirmis semper optabile est quodcumque remedium, cœpit requirere à nobis, si quod exinde nossemus medicamentum. Nos nihil quidem, sed dedimus ei vitam Sancti legendam, in qua refertur novem annis & septem hebdomadibus eamdem sustinuisse passionem. Fuit ea nocte solennitas adventus Spiritus Sancti, id est quinquagesimus dies à resurrectione; & quia præ dolore vix parum poterat dormire, statuit ea nocte cum candela sua ante Sanctum vigilare: ubi non sine precibus & lacrymis diu vigilavit, sed paulo post paulisper somno oppressus, Dei gratia sanus surrexit, & Matutinis cum reliquis Fratribus incolumis interfuit.

Brugis S. Winoci dolor dentium curatur, nocte pentecostes:

9 Nos ibi solennitatem diei percelebravimus: in crastino autem exivimus prosequente Comite & Comitissa, & cum eis duobus Episcopis, *c* Londoniæ scilicet Anglorum & *d* Teruannæ, cum totius Flandriæ optimatibus: vixque egressis oppidum, fixit pietas gradum, quia voluit Deus magnificare Sanctum suum in conspectu Principum. Deposita quippe tanti thesauri sarcina, facta est mentio concordiarum & pacis in omnium audientia: recitatum etiam quanta in his eo itinere sibi affuisset divinitus gratia. Deinde ad pacem invitati, & ut erant inter se inimicantes, sigillatim adnominati, tantam inierunt voluntatem & gratiam pacis componendæ, quantam eis S. Vrsmarus à Domino voluit impetrare. Nullus siquidem fuit ex cunctis optimatibus, qui ea ausus fuisset absistere pacis admonitionibus: sed tanta & tantarum rerum facta est inter eos confœderatio, quantam nullus mortalium potuisset conficere pro totius mundi auro, testante qui hæc eadem protestatus est coram omnibus Comite Balduino. Nullus denique remansit infœderatus, nullus abiit inosculatus; sicque confecta pace, cum tanto Patrono digressi sumus.

Pax & concordia inter multos Optimates conciliatur.

B

10 Sequenti nocte hospitio nos recepit Castellanus Furnensis, apud quamdam villam, iussu Comitissæ; qui auditis miraculis quæ fiebant per S. Vrsmarum, cum haberet filium parvulum vix quinque annorum, sed iam tribus annis lumine privatum: misit eum ad nos, ut interpellaremus pro eo Patronum nostrum. Tantus autem tumor excreverat in oculorum loco, ut non oculi viderentur, sed tumens caro. Qui ea nocte ante Sanctum collocatus, in crastino est reductus; & ante tertium diem & lumine & venustate oculorum integritati restitutus.

filiolus Castellani Furnensis caecus illuminatur:

C

11 Egressos inde excepit nos Brugia debitâ devotione; ubi conveniendi metata statione, Sanctum locavimus decenter in suo papilione, & statutis custodibus nos è regione hospitati sumus. Cumque sederemus ad manducandum, flante vento lucernæ sunt extinctæ ante Sanctum. Post cibum vero rediens custos, cui commissum erat ea curare; cum vidisset lumen abesse, Clerico, quem in sui loco dimiserat, cœpit vehementer irasci, cur deesset lumen ante corpus Sancti. Multoties, inquit, ille iam reaccendi, sed spiritum flantis venti papilio ferre non potest. Accipe, ait custos, lampadem: & cave ne deinceps inveniam sine lumine papilionem. Paret ille & egreditur; sed non ex toto egredi à Sancto permittitur. Nondum enim egressus papilionem, candelam respicit in manibus suis ardentem. Miratur, stupet & clamat, & omnes qui aderant adhuc inscios eius rei clamore suo turbat.

Brugis lumē extinctum

Habeo, ait, lumen divinitus missum, glorificate Dominum mecum; cuius rei illico fuerunt testes & predicatores, quotquot infra papilionem aderant ea hora presentes; lumen divinitus missum, divinitus & est servatum, usque dum post mensem pervenimus Gandavum. D

ultro accenditur.

12 Taliter ergo itinerando, numquam à curatione febricitantium, dentes dolentium, & multis modis infirmantium cessante S. Ursmaro, *e* Osburg ingressi sumus, præeunte & subsequente cum laudibus innumerabili populo. Præmissis legatis Osburgenses obviam venerunt. Nobis subeuntibus templum, & de templo mansionis nostræ hospitium, tribus diebus non cessavit funiculus populi euntium & redeuntium. Ubi in quantum fuerit necessarius adventus Sancti, testis est Deus, cuius dispositione & prudentia eo die convenimus. Ibi erant enim in eo oppido quadringenti ferme militum, inter quos tanta erat tempestas inimicitiarum, ut nisi exercitu coacto egredi domum aut regredi auderet eorum nemo. Exigebant ab invicem interfectiones parentum, & vindicando magis augebant ultionis cumulum, quia in ea primo semper habetur mos pugnandi, numquam tamen copia vincendi. E Sed cum seipsos iam non possent ferre, datis obsidibus ad tempus pro servanda fide, ad iustificationem sibi convenerant eo die. Convenerant non animo, sed conventu: jactantia se ostentandi, non pacis affectu; & ideo male cessit, quia debita pax non intercessit. Nulla tamen peior res interfuit, quam cupido: quia hic vult vendere mortem fratris, ille se defendere sacramento, dum mavult omnino se peierare, quam thesaurum suum dissipare. Itaque alii Sacramenta accipiendo, alii decem libras, alii viginti, alii triginta, alii centum & eo amplius deponendo, divisi sunt ea die, redituri in crastino; ut si non interveniret concordia, ardentior fieret ultionis repetitio. Convenerunt quidem in crastino, sed melius cessit quia S. Ursmarus mediator interfuit: quos iam male divisos ab invicem, & paulo post pessime redituros cum armis ad itidem, medio illorum illatus, ad tantam subito revocavit concordiam & pacem, ut omnino *f* exfestucatis inter se redemptionibus & sacramentis, supra corpus iurata pace, ad oscula currerent projectis armis. Deinde cum Sancto introgressi lætanter ecclesiam, ut animabus defunctorum, pro quibus hæc fiebant peteremus a Deo absolutionem & misericordiam, ipsi pariter inceperunt hymnum Te Deum laudamus: & decantantibus nobis cum sonitu campanarum, Patrio more laudabat Deum uterque sexus. F

Osburgi erant odia fatalia, & induciis unius diei factis, coram corpore S. Vrsmari pax plene perficitur.

13 Erat ibi matrona dives & nobilis, sed privata lumine oculorum iam quinque annis, & mente & corpore præ tristitia semper sedebat in tenebris. Quæ audiens Sanctum adesse, surgit festina, & faciens se deduci ad ecclesiam cum candela, nocte & die sedebat ante Sanctum, quasi ad pedes Iesu cum Maria. Aliis ridentibus ipsa flebat, aliis cantantibus ipsa lugebat; & cui deerat usus videndi, abundabat fluvius lacrymandi. Movebat omnes ad pietatem, & maxime nos qui suspensi eramus ad ejus illuminationem. Aliis euntibus manducatum, ipsa jejunans iuxta altare perseveravit: aliis dormientibus, ipsa semper orans vigilavit. Ea autem nocte, quæ hospitalitatis nostræ fuit ultima, quasi sub galli cantu exclamans mulier illa Chananæa, Erigite me & collocate ante Sanctum, ait ancillis suis sentio quippe auxilium summæ pietatis. Vigebant in ecclesia plusquam quingenti utriusque sexus, qui omnes tenentes lucernas in manibus, hymnizabant Deo, non quasi femineis, sed quasi canonicis laudibus. Qui omnes statim accurrentes, & mulierem in modum

caeca illuminatur.

A modum crucis prostratam circumvallantes, expectant orantem & pro ea erant; intendunt lacrymantem, & ipsi suspirant. Quæ cum diu orasset, surrexit; & profluente ex oculis quasi albugine ovi, licet non ex integro, se videre clamavit: & in crastino sine duce secuta Sanctum, curationis suæ testis fuit.

14 Post hæc nos fama præveniens, prænuntia erat ubique adventus nostri; sicut facta ita & infecta de actibus Sancti comminiscens: cuius opinione ex omnibus vicis certatim nobis satagebant occurrere. In villa autem, cujus nomen excidit, qua ea nocte nobis erat hospitandum, mulier habebat filium vix adhuc quinque annorum: qui tribus annis febrium vexatus languore, ea hora qua venturieramus projectus in terra, surdus & mutus jacebat in agone. Cumque villã intrassemus, miseranda mater accipiens puerum in manibus, subtus scrinium Sancti deportavit tribus vicibus; & sic rediens domum projecit eũ ubi jacebat prius, & currens post nos ad ecclesiam petiit à nobis benedictam aquã, cui intingens sancti Confessoris pastoralem baculum, parvulo citissime detulit potum. Quo hausto, cœpit paulisper respirare; & matrem appellans, absoluto sermone illam aquam dixit sibi magnam suavitatem intulisse. Postea cibũ interrogavit, delatum manducavit, confortatus cibo statim surrexit; ubi paulo post venientes nobis emere necessaria (erant enim in ea domo venalia) invenimus puerum cum pueris laudentem, matrem autem Deum laudantem.

filius puerulus curatur.

B

15 Die tertio miles quidam, Baldradus nomine, nos suscepit hospitio: erat autem uno pede claudus, mente autem & intentione eo rectior nullus; juvenis nobilis, & ex ditioribus; sapiens, & ex perfectioribus; miles, & ex melioribus; Consiliarius Comitis, & ex prioribus: qui quanto erga Sanctum exarserit amore, satis patenter ostendit in nostra susceptione, & in Sancti ex muneribus suis honorificatione. Nec perdidit præmium, licet S. Ursmarus ex eo nobis exhibuerit ludum satis jucundum. Cum enim illuc venissemus, omnes erant sani, ipse scilicet & uxor ejus & duo filii: & post biduum, excepto eo omnes sunt infirmati. Veniens autem currendo ad nos tertia die, uxorem & filios cum lacrymis & contritione cordis à Sancto cœpit exigere, & ut pro eis oraremus satis dulciter nos exorare. Sic accepta licentia reversus est domum, & restituta suis sanitate, invenit apud eos pleniter operatum fuisse S. Ursmarum.

Hospitis familia infirmatur.

C

ANNOTATA.

a Balduinus VI Flandriæ & Hannoniæ Comes, & Richildis Comitissa, *de quibus ante actum*

b Monasterium S. Winoci, *à quo civitas* Berga S. Winoci *appellatur.*

c Robertus Foliensis, Episcopus Londinensis, *multas habuit difficultates cum S. Thoma Cantuarensi, ut in hujus Vita legitur.*

d Drogo, ex monacho S. Winoci Episcopus Tervanensis, *scripsit Vitam S. Godeleva Martyris, dandam 6 Iulii.*

e Osburg *ultra Slusam ad 2 milliaria ad Orientem, seu versus Zelandiam, olim emporium celebre. Consule tomum I Flandriæ à Sandero illustratæ pag. 298.*

f Exfestucare, *abdicare jus, possessionem aut dominium, virga aut festuca arreptione & traditione sive abjectione. Meminit hujus verbi Galbertus in Vita B. Caroli Boni Comitis Flandriæ num. 62, Consule ibidem annotata litt. a.*

CAPUT III.

Reus servatus: pluvia data: claudi, cæci, & alii sanati: ostium ecclesiæ ultro apertum.

EX MS. LOBIENSI

16 Nos vero apud villam, quæ *a* Lisweghe dicitur, hospitantes, mane facto cœpimus ad concordiam, propter amorem Sancti, invitare discordes: erant quippe nos secuti plusquam quingenti milites, alii discordes reconciliare volentes, alii per Sanctum pacẽ sibi ab inimicis requirentes. Quos cum omnes per Dei gratiam reconciliatos habere putassemus, quidam furtim per turbam intromissus, projiciens se cum forcipe & scopis ad pedes cujusdam nudus & discalceatus, ante pedes ejus in modum crucis jacendo, centies misericordiam inclamans veniam petebat, quia interfecerat in uno die duos milites germanos ejus. Erat autem ille Robertus, juvenis & potens, militia ducentorum ferme militum præeminens. Qui novitate rei perculsus, partim præ stupore, partim præ dolore super milites cadebat supinus. Flebant omnes suppressa voce: quis enim tam lapideus cui ea hora deesset lacrymæ. Tandem miles ab aliis erectus, iterum prostravit se nostris precibus. Nobis ea res admodũ gravis visa, & pene usq; ad desperationem difficillima, sed non absq; Patroni nostri fiducia. Tamẽ convenimus juvenẽ, in omnes preces descendimus apud ejus sublimitatem: ille vero econtra prætendere plenam doloris piissimam excusatiõnẽ. Restitit ille contradicendo, nos perstitimus precando: reus autem jacebat in medio, semper propter Deum & propter Sanctum sibi misericordiã imprecando. Ad hæc juvenis cœpit flere & tacere, multos colores inducere, modo pallere, modo rubere, & dẽtibus stridens contradicendo pene insanire. Quid plura? si suppetisset locus & hora, lapsus fuisset fuga. Nos interim à prece destitimus, & dissimulando, accipientes scilicet S. Ursmarum ante pedes ejus supra palliũ intulimus. Stupuit juvenis valde, & proruens cũ fletibus in facie, miserũ se clamans, mordebat terrã præ dolore. Prostrati ibi erant tres simili & dissimili modo: S. Ursmarus, quasi veniã petens pro reo; reus, pro semetipso; juvenis apud Sanctum, quod ante se pro se delatus esset veniã petendo. Erat ibi pietatẽ videre, quia nullus erat sonitus, nulla vox nisi lacrymæ: manabant fletibus genæ & barbæ militũ, & ita flendo triũ horarũm spatio inter nos duravit silentiũ: non enim erat aliquis nostrũ, qui sibi præ fletu & singultu posset elicere vel unũ verbum. Tandem vicit S. Ursmarus, & mirabili signo perstringens omniũ animos & aspectus, à terra, qua forsitan non sponte jacebat, fecit se levari citius. Fumus, mirum dictũ! procedens ex scrinio, omnes exanimavit horrore magno: qui statim corruerunt in facies suas, pectore sua pugnis tundendo. Nos vero levantes Sanctũ non sine magno timore, reposuimus festinanter super altare. Ante quem adductus juvenis veniam petebat cũ lacrymis: quam ut mereretur accipere, reo suo veniam dabat, sacramento & osculo confirmata pace.

ob duplex homicidium reus prosternit se ante fratrem occisorum:

E

misericordiã propter S. Ursmarum petit:

F

fumo de scrinio S. Ursmari exeunte,

absolvitur reus.

17 Quibus omnibus exeuntibus nobiscũ, apud villam, quæ *b* Lissengia dicitur, accepimus diverticulum hospitalitatis. Ibi autẽ laborante natura rerum, cælum & terra per tres menses expectant S. Ursmarum. Terra sterilis erat præ siccitate; cælũ, nisi interventu Sancti, nolebat aquam deponere. Cumque processissent nobis obviam, letaniis & cantibus suis per Sanctũ imprecando pluviam, tanta absq; mora subsecuta est pluviæ inundatio, ut nulli dubiũ fuerit, quin deposita sit interventu Confessoris & merito. Prius tamen permisit nos ecclesiã intrare, nolens suos impluere, & ex aqua, quæ caderet super nos, terrã frustrare. Tota nocte pluit; surgens aurora serenum reduxit. Mane surreximus: Missam celebravimus: quotquot voluit

pluvia concessa.

EX MS. LOBIENSI

Deus fœdera solito more composuimus; invitis rusticis, quia volebant nos retinere, discessimus.

18 Hæc & his similia diatim operante Sancto, tam pulchris muneribus hospites suos remunerando, Gandavum venimus die Dominica. Ruunt nobis obviam ut examen apum oppidani sexus utriusq; & in primis introducti c castrum, apud S. Pharahildem orare [cœpimus]. Concordatis ibi plusquam viginti discordibus, transivimus ad monasterium d S. Joannis Baptistæ. Ibi ea nocte hospitati, misimus ad e Blandinienses, inquisitum, si nos in crastino susciperent gratia quiescendi: eramus quippe ex itinere fatigati. Susceperunt Sanctum debita veneratione, nos debita caritate. Nos quidem vacavimus otio: sed S. Ursmarus operatus est pro nobis & pro semetipso. Puella quippe quædam, Deo ducente ingressa templum, venit ante altare, super quod Sanctus jacebat, oratum. Erat autem ita præmortua in sinistra parte, ut non caro sed carbo videretur præ nigredine: brachium quoque hærebat costis, & manus mamillulæ, thorus vero & brachium simul hærebant, ad modum f duciculi transmisso osse. Cumque perorasset, surrexit; & astans seminuda, erat enim pauper & mendica, puellariter se signavit; & ecce brachio à costis, manu à mamilla separata; os, quo thorus & brachium confixa erant, ante altare exilivit, & ex ipso vulnere sanguis abunde profluxit. Cecidit puella quasi mortua, mirabile & miserabile visu: & statim ex integro recepta sanitate momento omnis nigredo sinistræ partis abscessit, sancti Confessoris interventu. Vesperi sonabant campanæ: monachi & laici per plures aderant: Vesperas, cantavimus, & postea confluente populo hymnum Te Deum laudamus. Puella quoque usq; Laubias secuta, Sanctum, non narrando sed se ostendendo, perhibebat suæ salutis testimonium.

Gandavi c cum benevole essent excepti, d e

puella mire contorta, f B *sanatur:*

19 Visum est indecens nobis præterire orationes S. Bavonis: decrevimus ire cum monachica processione, Missam iterum celebravimus apud ecclesiam S. Joannis Baptistæ. Affuit inter Missas cum aliis multis mulier, veterrima quidem, sed orbata plurimis annis unius oculi lumine: orabat sibi superponi Sancti baculum pastoralem. Cœpimus ridere, quia etsi non ex infirmitate, vel per ætatem à viginti annis visum poterat amisisse: sed condoluit ei S. Ursmarus. Cum enim baculum ei superposuissemus, gratias agendo oculum digito extendens, exclamat se nunquam vidisse clarius. Alii præ pietate flebant, alii quia ita oculum extenderet ridebant: omnes autem oppidani se eam nosse confirmabant. Peracta Missarum celebratione, versus g S. Bavonem processimus, frequentia populari comitante; ubi tanta veneratione suscepti sumus, quod si omnes Sancti fuissemus, non fuisset major.

oculus vetulæ restituitur: C g

20 Et accepta licentia egressi die altero, ad villam quæ h Finia dicitur pervenimus post dies octo. Erat autem gravis æstus, & laborabat præ calore populus. Præmisimus ad Presbyterum, ut aperiret ecclesiam, & pararet nobis hospitium. Vocabatur Presbyter Paulus, Paulo male conformatus, nisi dum adhuc esset Saulus: qui statim obseratis omnibus ostiis ecclesiæ fugit, & claves secum tulit. Nos ergo accedentes stetimus ante ostium, & requisitis clavibus audivimus aufugisse Presbyterum. Cumque papiliones nostros cœpissemus in atrio stabilire; patefactis januis contra Sanctum, obicem vidimus & audivimus volasse cum grandi sonitu in medium ecclesiæ. Intravimus omnes cum gaudio, Deum & janitorem nostrum laudando: Presbyter vero rediens non parum confusus, veniam petebat à Sancto & à nobis, lacrymis suffusus, satisfaciens quibus poterat gemitibus. Mane facto, iterum prostratus ante Sanctum, veniam petebat coram omni populo, & absolutus à nobis, quomodo sibi evenisset Theutonice enarrabat populis.

h *Presbytero cum clavibus ecclesiæ aufugiente, ostium ultro aperitur:*

D

21 Jamque accelerando iter nostrum, redeundo venimus Bruxellam. Die octavo concurrente turba, affuit inter ceteros mulier quædam clauda, unoq; suspenso pede, quasi tripes fustibus sincedens, tarda sequebatur à longe, quia ceteros non poterat convenire. Tamen Sanctum ut gradiebatur sola pie invocando, & paulatim in gressus enitendo sensit sibi adesse Dei & Sancti auxilium: & projecto uno baculo retinuit alterum: quo se sustentans summis articulis terram tangendo, statim venit post nos ad ecclesiam Deum laudando, & recuperationem salutis suæ omnibus prædicando. Erat autem omnibus nota: fuerat quippe mima, sed vita & moribus casta. Confecta iam multorum cordibus pax est: nullus enim, postquam osculatus fuisset volens aut nolens baculum Sancti, poterat contradicere. Ab his discedentes, & per alios incedentes gloriose, in vigilia Apostolorum venimus Lobiis, decimo scilicet die; & quia festivitas erat, apud principale templum illuc detulimus Patronum nostrum: ubi etiam per aliquot dies mansit nobiscum.

Bruxellæ clauda sanatur,

22 Ea autem nocte, postquam reddita luce reponendus erat in monasterio suo; venit quidam homo Tudiniensis ad ecclesiam cum filio parvulo, nescio qua occasione per annum visu oculorum orbato. Quem collocans ante Sanctum, vigilabat & orabat usque ad crepusculum. Nocte nihil profecit: referentibus autem nobis in crastino Sanctum; puerum secum tulit. Cumque reponeretur in loco suo, bacellum quem manu tenebat projiciens, Sanctum invocando, Curre, ait, fili, & refer mihi quod illuc projeci modo. Statim recuperato visu cucurrit puer, & videntibus nobis retulit bacellum, quem projecerat, pater. Homo vicinus noster est: puer adhuc Tudinii est, ubi multa non sua videt, nec enim ex ditioribus est: sed quibuscumque egeat, Deo gratias & S. Ursmaro, lumine oculorum dives est.

E *Lobiis cæcus illuminatur.*

ANNOTATA.

a Liswega, *parochia inter Brugas & Oceanum, fere ad medium iter.*

b Lissinga *ad fossam, Neoportum inter & Aldenburgum.*

c Castrum *seu* arx Comitum, *prope Ecclesiam collegiatam* S. Pharaildis, *cujus Vitam dedimus* 4 *Ianuarii.*

d *An ecclesia jam Cathedralis intelligitur? erat hæc olim Parochialis, in qua Parochus cum* 38 *subsidiariis Sacerdotibus olim rem divinam procurabat: qui tunc cœnobialiter simul videntur habitasse. Facta est Collegiata anno* 1537, *& Cathedralis anno* 1559 *assumpto nomine* S. Bavonis.

F

e *De* Blandiniensi *monasterio, à S. Amando constructo egimus ad hujus Vitam* 6 *Februarii.*

f *In Vita S. Vrbani Episc. Lingonensis num.* 4 Ligamina vasorum gladiis præsciderunt, duciculosque abstraxerunt: *id est spinulas quibus immissis clauduntur siphones & eductis aperiuntur ut effluat liquor in vase contentus: extabat igitur extra juncturam cubiti capitulum ipsius ossis sicut spinula extat è vase.*

g *Monasterio hoc destructo, est castrum constructum. De eo etiam actum ad Vitam S. Amandi.*

h *Waulded* Finia: *locus haud dubie inter Bruxellam & Gandavum medius circa Alostum, nunc desolatus: quia nominis nullum apparet vestigium in accuratissimis tabulis chorographicis hodiernis.*

i *Additur*: felix finis. Jam finem tetigi, quem multum desideravi. Fuit hic codicellus x Kal. Aprilis feliciter Laubiis exaratus.

A

DE S. AYA COMITISSA


MONTIBVS HANNONIÆ IN BELGIO.

G. H.

CAPUT I.

Cultus sacer. Lectiones ad Matutinum recitatæ.

SEC. VII.



Nter Martyrologos primus hujus Sanctæ Matronæ meminit Ioannes Molanus, diligentissimus antiquæ venerationis Sanctorum indagator. Hic in prima editione Vsuardi anni 1568, absque ulla mentione Ayæ, refert ad diem XXIII Iunii ejus maritum Hydulphum, Ducem Lotharingiæ, Binchii. Verum in secunda & tertia editione ejusdem Vsuardi, annis 1573 & 1583 adornata, ad hunc diem XVIII Aprilis sub finem ista adjunxit: In Montibus, Ayæ Comitissæ Hannoniæ, tam sanguine quam vita præclaræ, cujus memoriam facit Ecclesia Montensis in Litaniis. Idem Molanus in Indiculo Sanctorum Belgii, sub finem dicti Martyrologii edito, Aya, inquit, conjungitur marito suo S. Hidulpho. In hujus dein elogio ista addit: Meminerunt ejus, Hidulphi, Annales Hannoniæ, & Ayæ uxoris ipsius, quæ Montibus Hannoniæ est sepulta, sed non elevata. Invocatur tamen in Litaniis Montensis Ecclesiæ. Eadem inde descripsit Arnoldus Wion in Martyrologio Monastico ad hunc XVIII Aprilis. Quæ à Molano indicantur Litaniæ Ecclesiæ Montensis, extant cum Officiis propriis Sanctorum Ecclesiæ Montensis S. Waldetrudis anno 1625 Duaci excusa, sub hoc titulo, Antiquæ Litaniæ Ecclesiæ Montensis; & in iis invocantur S. Dominicus & S. Franciscus, & post sanctos Confessores referuntur S. Maria Magdalena, S. Maria Ægyptiaca, S. Waldetrudis, S. Aldegundis, S. Gertrudis, S. Aya, & deinde aliæ mulieres usque ad viginti novem.

Memoria in Fastis,

B

Nomen in Litaniis.

2 S. Ayæ reliquiæ, ut tradit Arnoldus Rayssius in Hierogazophylacio Belgico pag. 546, modo fidelium devotione ac concursu pie venerantur: quæ & nuper à Reverendissimo Domino Francisco Buisseret Antistite Namurcensi, postea Cameracensi Archiepiscopo, visitatæ & approbatæ fuerunt. Creatus est dictus Franciscus in Episcopum Namurcensem anno MDCII, & sequenti consecratus die X Februarii. Inde anno sequente mortuus est die secunda Maji. In antiquo Breviario secundum usum Ecclesiæ S. Waldetrudis Montensis, quod in pergameno exaratum extat in bibliotheca Insulensi Societatis Iesu, præscribitur hoc die Officium Ecclesiasticum de S. Vrsmaro Episcopo, absque ulla S. Ayæ mentione. Verum Romanus Chocquet, de quo infra, profert statutum anno MCCCXIV cum consensu Episcopi Cameracensis (qui tunc erat Petrus de Mirapice) in Capitulo factum, quo cum aliis Sanctis præscribitur cultus S. Ayæ ritu semiduplici ac lectio recitanda de viduis: Mulierem fortem quis inveniet?

Reliquiæ visitatæ & approbatæ.

C

3 Hic cultus, si forsan temporis lapsu omissus fuit, post sacras ejus Reliquias approbatas innovatus est & auctus indicto Officio Ecclesiastico sub ritu duplici, præscriptisque Lectionibus propriis in secundo Nocturno ad Matutinum recitandis, quas olim cum Oratione propria legi solitas fuisse asserit dictus Romanus Chocquet. In tertio Nocturno legitur Homilia S. Gregorii super Euangelio, Simile est regnum cælorum thesauro abscondito, & Lectio nona est de Vrsmaro, cujus etiam in primis Vesperis & Laudibus fit Commemoratio. Extant eæ Lectiones cum Oratione inter Officia propria peculiarium Sanctorum nobilis Ecclesiæ collegiatæ S. Waldetrudis oppidi Montensis, ad normam Breviarii Romani conformata, & primum à sacræ Theologiæ Doctoribus Vniversitatis Duacensis examinata & approbata: quod postmodum anno MDCXXV die III Septembris Franciscus Vander Burch Archiepiscopus Cameracensis ratum habuit, utque tam privatim cum publice ab Ecclesiasticis personis, tum præfati Capituli quam aliis illius diœcesis, recitari, decantari, celebrari, atque ad earumdem personarum commodum & usum separatim à Breviario Romano imprimi libere ac licite possint & valeant, concessit & indulsit. Præscripta vero Oratio est ista, Omnipotens sempiterne Deus, misericordiam tuam ostende supplicibus tuis, ut qui de meritorum qualitate diffidimus, intercedente B. Aya electa tua, non judicium tuum, sed indulgentiam sentiamus. Per Dominum. Lectiones hæ.

Officium Ecclesiasticum.

Oratio

E

Lectiones.

4 Beata Aya, tam sanguine quam vita præclara, matrimonio juncta fuit nobili pariter viro & in armis strenuo, S. Hildulfo Duci Laubiensi, qui unus erat ex proceribus & majoribus regni Lotharingiæ, sub Pippino Principe. Ejus sacrum corpus Laubiis sepultum fuit, ex quo loco, una cum septem aliis Sanctorum corporibus, Binchium est translatum. Huic Ayæ consanguineæ suæ Beata Waldetrudis, videns filios suos & filias terrena despicere & cælestibus inhiare, principatum Ducatus, qui ad ipsam jure paterno devenerat, dereliquit. Quæ vicissim, ut se Deo & B. Waldetrudi non ingratam ostenderet, allodia sua propria, Comas, Nimy, & Braniam Willoticam ecclesiæ B. Waldetrudis, cum omni libertate donavit, & in ejusdem ecclesia urbe Montensi sepulturam elegit: ubi & sacræ ipsius Reliquiæ, jam olim de terra elevatæ, fidelium devotione & concursu pie venerantur: quæ & nuper ab Reverendissimo Domino Episcopo Namurcensi, qui postea fuit Archiepiscopus Cameracensis, visitatæ fuerunt. Porro miraculum, quod ratione prædictæ donationis contigit, non est silentio prætereundum. Defunctâ beatâ Ayâ, multis post ipsius decessum annis, improbi quidam allodia illa, quæ ipsa ecclesiæ S. Waldetrudis contulerat, invadere & sibi usurpare præsumpserunt, dicentes ea hereditario & propinquitatis jure ad se pertinere. Post longam vero inter ecclesiam & illos litem, ipsius ecclesiæ conventus de jure suo non diffidens, qui in Domino spem suam collocaverat, testimonio S. Ayæ, quæ jam multos annos ibidem sepulta jacuerat, rem totam commisit. Quæ de sepulcro suo, utraque parte audiente, testata est, se allodia illa juste donasse ecclesiæ S. Waldetrudis, suamque donationem ratam habere. Sicque omnia illa allodia eadem ecclesia pacifice possedit, quousque major pars Braniæ Willoticæ ad Comitem Hannoniensem ex permutatione pervenit.

Donata à S. Waldetrude,

& vicissim à S. Aya.

Sepultura Montibus:

F

lis ab ea pridem mortua decisa.

AUCTORE G. H.

CAPUT II.

Vita gallice scripta. Varia inde relata.

5 *Romanus Chocquet, ordinis Fratrum Recollectorum S. Francisci ex Provincia S. Andreæ, ut honorem & venerationem S. Ayæ amplius promoveret, late Vitam eius capitibus* XVIII *deduxit, montibus Hannoniæ anno* MDCXL *typis Gallico idiomate vulgatam; ac primo capite natam scribit patre Brunulpho, filio secundo genito Walberti* III *Principis excellentioris virtutis, è stemmate Regum Pharamundi & Clodionis. Matrem eius appellat Dominam Vraiam, filiam Comitis Boloniensis supra mare. De hac familia egimus ad vitam B. Idæ Comitissæ Boloniensis* XIII *Aprilis, de primis autem Regibus Francorum ad vitam S. Sigeberti Kalendis Februarii: sed nihil hactenus quo dictam S. Ayæ genealogiam comprobemus potuimus reperire. Dein consobrina traditur fuisse SS. Waldetrudis & Aldegundis, quasi harum parens Walbertus* IV, *fuisset frater primogenitus supra dicti Brunulphi, patris S. Ayæ. Vitam S. Aldegundis dedimus* XXX *Ianuarii, & S. Waldetrudis* IX *Aprilis, in qua S. Hidulfus dicitur* per coniugem suam ei propinquus extitisse. *Huius etiam vitam scripsit Philippus Harvengius Abbas Bonæ-Spei, ubi de nobilitate generis parentum & Sancti Belgii, qui septimo Christi seculo floruerunt, plurima interserit quæ apud eum possunt videri.*

Nobilis prosapia S. Ayæ

consanguinea S. Waldetrudis.

B

6 *Auctor vitæ quatuor proximis capitibus varias in juventute exercitas virtutes describit, ac potissimum jeiunia, abstinentias & similes corporis afflictiones & mortificationes; tum magnam animi demissionem & contemptum sui, & singularem pietatem & misericordiam erga pauperes, apposita imagine ipsius elemosynam pauperi largientis; apposuit etiam insignia hinc Ducum Lotharingiæ, inde Comitum Hannoniæ, & hac inferius additur inscriptio:* S. Agia, sive Aia, Ducissa Lotharingiæ, Comitissa Hannoniæ &c. Uxor S. Hidulphi Ducis Lobbiensis, vixit temporibus Dagiberti Regis Francorum. *Sed quænam tum temporis erat* Lotharingia? *cujus nomen primum addiri cœpit post aliquot secula ab obitu S. Ayæ, quæ mortuo Lothario Iuniore, in divisione regni illius inter Carolum Calvum & Ludovicum Regem Germaniæ, primum appellatur* regnum Lotharii-*vulgo* Lotherijck; *unde posteri nomen* Lotharingiæ *formarunt. Eodem modo pluribus seculis post mortem S. Ayæ cœptum est audiri nomen* Hannoniæ, *& in dicta divisione* Hanoium *appellabatur: atque ita in diplomate Ludovici Germaniæ Regis anno* DCCCCVIII *dato, quod Chapeavillus tomo* I *rerum Leodiensium recitat, nominatur* Sigehardus Comes Hainuensis: *& Baldricus lib.* I *Chronici Cameracensis cap. 73. memorat* Amulricum Comitem ex pago Hainou, qui Isaaci Comitis Camuracensis duxerat uxorem. *Ita multi olim potentes viri per tractum Hannoniæ, & in aliis provinciis titulo Comitum aut etiam Ducum usi fuerunt. Quod autem insignia apponantur, quæ tunc nusquam usurpabantur, excusari potest per communem pictorum licentiam, ut magna eorum nob litas indicaretur.*

varia virtutes.

Antiquum nomen Lotharingiæ

& Hannoniæ nomina

C

7 *Auctor Vitæ cap. 6 & 7 describit matrimonium S. Ayæ cum S. Hidulpo & sanctam horum conjugum vitam, quasi toto ejus decursu castitatem servassent, adducta auctoritate Thomæ Gozei Doctoris Lovaniensis, qui in Notis ad vitam Beatorum Walberti & Bertiliæ anno 1553 editis, tradidit hoc nonnullos putare & asserere; & nominatim Hieronymum Mordam, Religiosum Villariensem, in suis Annalibus attribuere illis duplicem coronam, virginitatis scilicet & conjugii. Hinc notatis in margine Annalibus Iacobi Guisii & monasterii Lobiensis, sed loco non indicato, asserit Auctor vitæ, hos duos Sanctos, mox atque fuerant conjugati, alias non habuisse cogitationes, quam ut Christum in suis pauperibus heredem constituerent. Quamobrem se servorum & ancillarum Christi patrem & matrem & nutritores effecisse, arbitratos monasteria fore suos Ducatus, Comitatus & Baronatus; hospitalia vero, sua dominia; Religiosos utriusque sexus, legitimos heredes; & pauperes & orphanos eorum, suos infantes & liberos. Quæ auctor cap. 8 iterum confirmat, ubi mutuo consensu eos separatos fuisse tradit, & ex Chronico Lobiensi ista allegat:* Anno septingentesimo septimo, Hidulphus Dux obiit Lobiæ. Hic sub B. Ursmaro sua pariter & seipsum Lobiensi loco conclusit. *Verum ea non habentur in duplici apographo nostro Lobiensis Chronici, neque in eodem Chronico tomo 6 Spicilegii Acheriani excuso, sed cap. 2. traditur,* S. Ursmarus idem monasterium regendum suscepisse per Hidulphi interventum, qui erat unus de Proceribus regni maioribus. *Fuit autem S. Ursmarus Abbas creatus anno* DCXCVIII, *mortuus anno* DCCXIII *hoc* XVIII *Aprilis, uti ex vita iam relata constat.*

Matrimonium.

D

8 *Auctor vitæ eodem capite 8, ex Thoma Gozei Annotationibus, addit ista:* Quæ & quantæ fuerunt Hidulphi divitiæ & nunc videre licet. Nam quidquid eorum fuit, hoc S. Aya, marito dicto superstes, totum Ecclesiæ S. Waldetrudis tradidit. Quæ deinde totum patrimonium in usum sacrarum Virginum S. Waldetrudis donavit: ornamenta, quæ habebat regalia, ecclesiarum decori dedit; prædia vero ac possessiones infinitas, donatione publica tribuit ad opus militantium in basilica tunc S. Petri, nunc Waldetrudis; nihil sibi retinentes præter vile vestimentum monialium Ordinis S. Benedicti. *Explicat dein Auctor vitæ cap. 9 & 10 quomodo S. Aya, relicta mundi pompa, ingressa fuerit sacrum Collegium Canonissarum, & semet in omni virtutum genere exercuerit; digna, quæ S. Waldetrudi vita functæ in regimine Parthenonis succederet; uti prosequitur ipse cap. 11 & cap. 12. ubi scribit eam habuisse familiarem conversationem cum Angelis; & ideo in secunda imagine cum Angelo depingitur in veste Canonissarum, cum hac inscriptione.* S. Aya sive Agia Canonissa primum, deinde Abbatissa nobilissimi Collegii S. Waldetrudis montibus Hannoniæ: obiit plena meritis & miraculis circa annum DCCLXX XVIII Aprilis: *& cap. 13 asserit hanc communem opinionem esse. Verum si ad annum* DCCXXX *pervenerit, ad satis magnam senectutem videtur pervenisse. Mirum vero est in Lectionibus propriis nullam fieri mentionem vitæ cœnobiticæ & regiminis, si eius astruendæ aliquod habetur fundamentum in antiquis monumentis, aut ex traditione satis solida.*

divitiæ a mariti morte relictæ.

E

9 *Capitibus 14 & 15 de eius cultu & veneratione agitur, adductis testimoniis* Molani, Wionis *& aliorum. Quorum loco ex Martyrologio Gallicano Saussaji hoc damus elogium, non absque mendis conceptum hoc modo.* Item in montibus Hannoniæ, tunc sub Præsulatu Noviomensi (*corrige* sub præsulatu Cameracensi) depositio S. Ayæ Comitissæ, admirandæ pietatis & caritatis feminæ, quæ B. Hidulphi Toparchæ Lobiensis conjux, inito cum eo Christi se dedicandi consilio, cum is vitæ religiosæ professus, meritorum splendore micans, Abbas Episcopusque eiusdem loci factus esset; ipsa monasterium Castrilocense, quod consobrina B. Waldetrudis condiderat, ingressa, non modo censu auxit, sed & virtutis eximiæ ornamentis illustravit: sicque piis operibus intenta, & in Sancto religionis proposito perseverans, immaculatam ab hoc seculo Deo reddidit animam. Cuius memoriam Montensis Ecclesia colit, opemque invocare consuevit in Litaniis. *Hæc Saussaius, qui ultima de S. Aya descripsit ex Molano: priora de S. Hildulpho hausit ex Trithemio, de Viris illustribus Ordinis S. Benedicti libro 3 cap. 303 & lib. 4. cap 232, ubi dicitur,* Hildulphus, ex Duce monachus Lobiensis, *ac postmodum* Abbas ibidem & demum Episcopus Lobiensis. *Verum erroris*

F

A *erroris arguitur Tritbemius, in Notis ad Natales Sanctorum Belgii Molani, in editione Duacensi anni* MDCXVI. *Quod pluribus ostendetur ad ejus diem natalem.*

Privilegium Philippi Boni. 10 *Quæ supra in Lectionibus refertur donatio Ducatus à S. Waldetrude derelicta consanguineæ Ayæ, & hujus mutua liberalis oblatio allodiorum suorum, eadem continetur apud Auctorem Vitæ in Privilegio Philippi Boni Ducis Burgundiæ signato* XIV *Ianuarii anni* MCCCCLVIII: *allodia Gallice ita efferuntur*, Quesme, Nimy, Masieres, & Braine la Wihotte, *ubi etiam dicitur inter alia corpora sacra adservari* corpus S. Ayæ, *de quo cap.* 16 *illud antiquum testimonium profertur his verbis*: Tota thesauria S. Waldetrudis ter reducta fuit in cineres, & Reliquiæ Sanctorum permultæ, & inter præcipuas S. Ayæ cum feretro arserunt. *Reliquiæ ab incendio servatæ.* *Annum ultimi istius incendii fuisse duodecimum supra millesimum & centesimum asserit idem Auctor, & magnam partem reliquiarum S. Ayæ fuisse singulari Dei providentia servatam.*

CAPUT II.

S. Ayæ patrocinium in litibus, gratiæ variæ. Reliquiæ & cultus Antverpiæ ac Bruxellis.

11 Citata jam sæpius Vita Gallica, clauditur insigni illo miraculo, quo S. Aya ex ipso sepulcro locuta fertur, atque testata, quod ipsa ecclesiæ S. Waldetrudis donasset allodia sua; sicut etiam refert Iacobus Guisius parte 2 Historiæ Hannonicæ lib. 11 cap. 4, & confirmatur in Lectionibus præmissis. Ea ratione quia terminata creditur actio, intentata Capitulo ab adversariis; ideo cœpta est Beata haberi Patrona eorum, quorum justa causa sub forensium contentionum ancipiti aut diuturna discussione periclitantur; vel probanda justitiæ necessaria documenta infeliciter deperdita, aut fraudulenter subducta non sperantur posse recuperari humana diligentia. Neque frustra: efficax enim auxilium sensere & sentiunt multi, postea testati gratitudinem, curando solenne sacrum in honorem Sanctæ adjutricis cantari: sicut testata est nobis Domicella Margarita de Iausse, dicta de Mastaing, ex præcipuis ac senioribus Capituli una, litteris suis super hac materia scriptis XIII Novembris MDCLXXI, quibus tum alia varia, tum imprimis expressit favores quosdam in B. Ayæ patrocinium à piis Montensibus relatos, ab anno MDCXX, quo multiplicatis ejusmodi beneficiis, recaluit affectus devotionis erga Beatam.* (B; *Colitur patrona in litibus,*)

12 Quidam, *inquit illa*, Ordinis Minimorum religiosus asseruit mihi, matri suæ, ab annis viginti tabe hectica deficienti, apparuisse Beatam atque dixisse, bono ut esset animo, quoniam ventura esset brevi, ipsamque ad se acceptura, propterea quod singulariter sibi semper fuisset devota; & intra octiduum expirasse. Gratiam eamdem meruit quidam hujus urbis portarius, simili tabe consumptus, & similiter B. Ayæ devotus: quæ ipsi se manifestans dixit, ut se ad mortem disponeret, per quam ab omni molestia cito erat liberandus. Quidam hujus Montensis urbis civis, jam jam causa casurus, propter cujusdam instrumenti amissi, & per omnia scrinia frustra quæsiti defectum; vovit octo continuas Missas in sacello S. Ayæ curandas, & desideratam chartam reperit in quadam tabula, ubi nihil hujusmodi positum fuisse constabat. Alius simili in casu, similiter curanda promisit sacrificia aliquot prædicto in loco: & mox intravit domum puer parvulus, qui quod quærebatur supra baculum pro vexillo gestabat cantillans. Personam novi, ipsi Beatæ singulariter devotam, cui angina fauces ita strinxerat semel & iterum, ut chirurgi manum ferrumque postera die præstolaretur: quæ Beatæ auxilium invocans, promptum sensit; post brevem somnum malo omni libera: & hoc accidit anno seculi hujus septuagesimo. Aliam scio fuisse, quæ ab incurabili quoque morbo intolerabiles patiens cruciatus, sanitatem commeruit, vovens Octavam Missarum, cum anathemate sacro ad Beatæ aram appendendo. (*& varias variis gratias præstat,* C; AUCTORE G. H.)

13 *Atque hæc aliaque, licet coram sacris judicibus necdum legitime testata probataque, sed bona referentium fide simpliciter credita, satis fuere efficacia, ut in suis necessitatibus multi recurrerent ad B. Ayam; nec deessent qui Montibus eam experti propitiam eam sibi aut suis, etiam ad exteros tam laudabilem religionem propagarent. Harum una fuit Domicella Anna Breyel, viri senatorii filia, virgo Deo devota, quæ quid petierit obtinueritque Reverendissimo nostro Antistiti Antverpiensi probavit hoc instrumento.* Zacharias Maes, Archipresbyter Montensis, & Parochus S. Elizabeth ibidem, omnibus præsentes inspecturis salutem in Domino. Cum perillustris Domicella de Mastaing, Canonissa Prior Capituli S. Waldetrudis, plurimum apud nos institerit, quatenus vellemus aperire thecam Reliquiarum S. Ayæ, & ex illa partem aliquam extrahere, ad consignandum alicui piæ personæ Antverpiensi, ut illam inibi exponere posset veneratione fidelium cum Superiorum permissu; illius præfatæ Domicellæ precibus acquiescere volentes, procuravimus nobis auctorisationem legitimam à Reverendis admodum Dominis Vicariis generalibus Sedis Archiepiscopalis vacantis, quæ data vigesima secunda Aprilis anni MDCLXIX, modo adjungerentur duo Presbyteri. Vocatique fuerunt Reverendi Domini F. de la Barre dit de Manissart, & P. Gualtier Notarius Apostolicus: in quorum præsentia aperuimus præfatam thecam, ex eaque extraximus tres particulas, quas in unam coalescere fecimus, confidendo, quod prædicta Domicella, pro suo singulari zelo ac devotione, procurabit ut in debito honore habeantur. Quæ quidem omnia supra dicta verissima esse attestamur, & pro fide facienda litteras præsentes dedi, propria manu & præfatorum Presbyterorum subsignatas, nec non sigillo nostro munitas. Montibus Hannoniæ XXXIX Aprilis, anno reparatæ salutis MDCLXIX. Z. Maes decanus. F. de la Barre de Manissart. P. Gualtier not. *His subjuncta est approbatio Ambrosii Capello Episcopi Antverpiensis his verbis.* Concedimus ut præfatæ Reliquiæ S. Ayæ in Diœcesi nostra Antverpiensi publicæ fidelium venerationi exponi possint. Datum Antverpiæ XXIII Julii MDCLXIX. (*Reliquiæ Antverpiam delatæ*, *cum legitimo testimonio,* E, *& approbatione anno 1669.*)

14 *Est Antverpiæ majorum platearum una, Cæsarea dicta; in qua sodalitas Pannitonsorum habet sacellum, pro modo suo sublime ac spatiosum, ex quadrato saxo à fundamentis eductum, ubi sacra ac miraculosa Deiparæ virginis imago, bellorum Hollandicorum tempore ex suburbanis agris intra muros illata, hospitium plurimis annis habuit; crebrisque beneficiis ita accendit animos, non vicinorum tantum, sed longius etiam positorum civium, ad invocandum ibidem cum summa voti obtinendi fiducia Deiparæ auxilium; ut pace agris Brabanticis reddita, cum suum in locum, qui S. VVillibrordi campus dicitur, relata esset prædicta imago, collatis certatim eleemosynis, ad retinendam bene constitutam ibidem religionem, effectum sit, ut brevi multo quam ante ornatior frequentatiorq; esset ædicula illa; magis etiam postquam ibidem præsidet pius Sacerdos D. Petrus de Louwe, quotannis nova adinveniens argumenta, quibus suam probet, alienam excitet pietatem, tum erga præcipuam loci Patronam Mariam Virginem, tum erga sex alios illustres Sanctos, variis in necessitatibus corporalibus aut spiritualibus invocandos. Harum autem una ut esset B. Aya, illata in prædictum sacellum sunt memoratæ Reliquiæ, ipsiusque ibidem imago proposita & festum institutum, tamquam in litibus difficilibus Patrona, uti videre est in libellis imaginibusq; vulgatis per prælaudatum Dominum Petrum, divini honoris ea parte augendi studiosissimum.* (*in sacello plateæ Cæsareæ,* F, *honorantur;*)

AUCTORE G.H.

Alia Bruxellas deportata an. 1673

15 *Hoc Antverpiensium exemplum etiam Bruxellenses movit, ubi non ita pridem duæ Deo devotæ Virgines Margarita de Nymay atque Anna du Bois, ipsi S. Ayæ pie affectæ, obtinuerunt anno* MDCLXXIII Reliquias S. Ayæ, *Ladislai Ionnaert Archiepiscopi & Ducis Cameracensis sigillo munitas, quas idem Præsul testatus est die* XXIII *septembris*, ex ipsius feretro, in insigni ac collegiata D. Waldetrudis ecclesia Montibus asservato, esse desumptas. *Has sibi die* IX *Octobris exhibitas cum recognovisset* Alphonsus de Berghes, Dei & Apostolicæ sedis gratia Archiepiscopus Mechliniensis, *easdem approbavit sub tenore, sequentium litterarum.* Notum facimus, quod nos die datæ præsentium, aperuerimus parvam pyxidem ligneam, fideliter Montibus transmissam, ac in ea invenerimus Reliquias S. Ayæ, juxta litteras testimoniales Illustrissimi ac Reverendissimi Domini Archiepiscopi Cameracensis, his nostris transfixas. Quas quidem Reliquias in aliam pyxidem rotundam, ex cupro affabre confectam & deauratam, crystallo prælucente, super rubro serico affixas & sigillo nostro obfirmatas, reposuimus & inclusimus; easque, ut veras & legales præfatæ S. Ayæ Reliquias, servatis iis quæ a sacro Concilio Tridentino servari debent, recognovimus & approbavimus, nec non publicæ Christi fidelium venerationi in diœcesi nostra exponi posse decrevimus, & harum tenore decernimus: concedentes omnibus & singulis utriusque sexus fidelibus, dictas Reliquias devote visitantibus, & ante eas in spiritu humilitatis & animo contrito pias preces fundentibus, aut quinquies Pater & Ave, iuxta finem Ecclesiæ & pro malorum patriæ imminentium aversione, recitantibus, in ipso festo dictæ S. Ayæ singulis annis, decima octava mensis Aprilis recurrente, ac per totam eius Octavam, nec non singulis primis feriis cuiusque mensis, quadraginta dies de vera Indulgentia, in forma ecclesiæ consueta.

& approbante ordinario

B

D

solenniter exposita an. 1674

16 *Curaverant prædictæ duæ Virgines, priusquam hæc circa Reliquias agerentur, ipso die natali S. Ayæ, speciosam ipsius imaginem exponendam in ecclesia Parochiali Deiparæ, Capella S. Mariæ dicta: ipsas vero Reliquias ipsarumque exponendarum facultatem, ut dictum est, nactæ, dederunt initium maioris solennitatis, quæ hoc ipso anno* MDCLXXIV *peracta fuit, annuo Sanctæ festo recurrente: per quam primum illæ fuerunt expositæ super altari, ad hoc in media ecclesia erecto insigniterque ornato; ubi & steterunt per totam octavam insertæ in basim inauratam inauratæ atque elegantis statuæ, sæpe dictam Sanctam representantis. Auxit fidelium devotionem atque concursum Indulgentia plenaria, à Clemente Papa* X *impetrata; libellus item de vita atque miraculis S. Ayæ vulgatus ibidem, & Principis Vaudemontii uxori dedicatus; quæ religiosissima matrona, Lotharingicæ Domui per matrimonium innexa, crediderat esse officii sui erga Sanctam istam (ut passim nunc appellatur) Lotharingiæ Ducissam, primum exponendarum Reliquiarum actum sua honorare præsentia. Dicti porro libelli exemplum ac reliquam rei hactenus narratæ notitiam, libenter acceptam referimus R. P. Fr. Iosepho Ignatio à S. Antonio Carmelitæ Discalceato, tunc cum hæc agerentur Bruxellis præsenti, & sua manu discribenti diplomata à prænominata ecclesiæ Parocho humaniter exhibita.*

E

DE S. COSMA CONFESSORE

EPISCOPO CHALCEDONENSI IN BITHYNIA.

SUB ICONOMACHIS

Elogium ex menologio Basilii Imp.



M*Enologium Imperatoris Basilii Porphyrogeniti hunc sanctum Episcopum primo loco proponit cum hoc elogio:* Die decima octava eiusdem mensis Aprilis, memoria Sancti Cosmæ Confessoris. Cosmas sanctissimus, Antistes & Confessor Christi, ex vrbe Constantinopolitana fuit oriundus. Ab ineunte vero ætate Deum amore prosecutus, mundum reliquit: & abiens monasticam amplexus est disciplinam. Ac cum seipsum rerum divinarum exercitatione ac reliquis virtutibus clarum effecisset, Deique plane domicilium evasisset, Chalcedonensis Episcopus ordinatus fuit, quo tempore impii iconomachi dominabantur. Idcirco propter orthodoxam fidem plura sustinuit certamina. Iussus enim ab imperatoribus iconomachis, abnegare venerationem sacrarum & pretiosarum imaginum, cum id recusasset, in exilium relegatus est, & plurimas pertulit calamitates. At denuo ab exilio revocatus & vehementer compulsus ut cum ipsorum hæresi conveniret, cum ipsos audire constanter respuisset, multiplicibus ærumnis subjectus fuit una, cum B, Auxentio, cum quo eadem subivit certamina: atque ita laboribus hisce & erumnis vexatus, ac tandem victor evadens, emigravit ad Dominum. *Hæc ibi quæ eisdem verbis leguntur in Synaxario Græco ms. Parisiensi collegii Claromontani Societatis Iesu, ubi sub finem post phrasin parum variatam additur,* corpus eius in sacra æde Apostolorum conditum fuisse, *scilicet Constantinopoli, quam Constantinus Imperator una cum Helena matre sua extrui curavit & exornavit, ut scribit Georgius Codinus in Originibus Constantinopolitanis pag. 38 & 73.*

C

Synaxario Parisiensi.

Græci in menæis excusis eumdem Cosmam celebrant sed Carthaginensem Archiepiscopum *faciunt, facili apud Græcos errore: cum* Καρχηδὼν *sit* Carthago *&* Χαλκηδὼν *sit* Chalcedon: *sed hic error emendatur in duplici Ms. Mediolanensi bibliotheca Ambrosianæ. Est elogium in menæis prædictis à præcedenti variis rerum circumstantiis diversum, quod addimus, sub hac forma.* Eodem die memoria Sancti patris nostri Cosmæ Archiepiscopi Carthaginensis, *imo* Episcopi Calcedonenses. Ab incunabulis hic studuit integritati corporis & animi, religioseque disciplinæ deditus, & abstinentiæ temperantiæque lacte enutritus, templum Dei factus est. Hinc Sacerdotii honore auctus, & pastor à Deo electus, armis cælestibus pectus munivit, ad omnia propugnacula eorum evertenda & fastum deprimendum, qui divinam Christi imaginem contemnere aut contumeliose tractare audebant: quam ille & pie coluit & colendam aliis proposuit, indeque confessionis coronam sibi contexuit. Nam pietatem, quam a puero complexus erat ad ultimam senectutem (numquam somno negligentiæ correptus) custodivit. Quin & ad portum tranquillitatis internæ aspiravit, & cum Auxentio Sapiente, se in virtutis stadio exercuit ac decertavit, Sabbatumque demum ad cælestem quietem profectus celebrare cœpit: unde & corpus eius in sanctorum Apostolorum æde conditum servatur. *In Menologio Sirleti solum ista verba habentur:* Eodem die Sancti patris nostri Cosmæ Archiepiscopi Cartaginis, *& in margine adjicitur,* alia lectio habuit Calcedonis, *quæ certa est. Quis B. Auxentius Sapiens sit nedum legimus. Floruit seculo Christi quinto* S. Auxentius Presbyter, Archimandrita in Bithynia, *cuius vitam illustravimus die* XIV *Februarii; ut mirum non sit, si posterioribus seculis illud nomen pluribus commune fuerit in ista regione.*

aliud ex menæis

F

DE

A

DE SANCTO EUTHYMIO,

THAUMATURGO APUD GRÆCOS.

G. H.

XVIII Ap. Difficile admodum est ut recte dijudicemus, dum sæpius Sancti ejusdem nominis occurrunt, & Acta eorum non adducuntur, num unus idemque sæpius collocetur, an diversi sint constituendi. Exemplum damus in præposito Euthymio Thaumaturgo, qui variis diebus Aprilis celebratur. Ms. Synaxarium Græcum Parisiense Collegii Claromontani Societatis Iesu, ita auspicatur secundum diem Aprilis: Memoria sancti Patris nostri & Thaumaturgi Titi: & certamen sancti Patris nostri Euthymii Thaumaturgi: & certamen sancti Martyris Polycarpi cum sociis suis. En triplex modus proponendi hos Sanctos: ex quibus primus Titus Memoriam habet, de quo egimus dicto II Aprilis. Fuit is monachus & Hegumenus, ac Sacerdos consecratus & hæreses iconomachorum oppugnavit, & ob varia miracula patrata Thaumaturgus appellatus. De tertio scilicet S. Polycarpo & sociis ibidem egimus, cujus certamen cum martyrio proponitur quod is Alexandria sub Maximiano est passus. Qui inter hos collocatur Euthymius Thaumaturgus, is & sanctus Pater noster appellatur & certamen indicatur, qui si hæreses oppugnasset forsan cum S. Tito, ideoque carceres aut exilium esset passus, & inter Confessores fidei numerandus.

Cultus 2 Aprilis,

B

2 Hunc Euthymium inter Prætermissos ad dictum diem retulimus, & ad hunc XVIII Aprilis lectorem remisimus: quo die in eodem Ms. Claromontano ista leguntur: Eodem die memoria sancti Patris nostri Euthymii Thaumaturgi. Omnia eadem sunt excepto primo verbo, cum die secundo legatur ἄθλησις, certamen, hoc loco μνήμη memoria. Eumdem S. P. N Euthymium Thaumaturgum referunt etiam Menæa Mss. Mediolanensia bibliothecæ Ambrosianæ, signata littera O num. 148 & littera N num. 378, item Mss. Menæa Parisiensia conventus Patrum Prædicatorum Congregationis S. Ludovici. In aliquibus ad diem præcedentem refertur.

& 18 Ap.

3 Multum dubitavimus aliquando num forsan hic foret S. Euthymius Magnus & vitæ solitariæ in Palæstina Magister: cujus Acta valde illustria explicavimus XX Ianuarii; verum cum is non appellaretur ita solenni nomine Thaumaturgus, tunc quidem maluimus diversos opinari; postea pene certam nobis opinionem hanc reddidit Eruditissimus Vaticanæ Bibliothecæ Custos Leo Allatius, in Diatriba de Simeonum scriptis pag. 92, laudans Gregorii Cyprii Encomium, in S. Euthymium, Episcopum Madytarum, Thaumaturgum, hoc Principio, Ἐπιτιμᾶσ δικαίως οἶμαι τῶν ἀπάνλων ἕθνει, εἰ καθαίπερ ... : in indice autem pag. 264 appellat Gregorium Cyprium Archiepiscopum Constantinopolitanum. Floruit Gregorius iste Cyprius sub Andronico Imperatore, mortuus anno Christi MCCXC, à cujus eleganti calamo habemus encomium sancti Megalo-Martyris Georgii, quod ad XXIII diem dabimus; & credibile est plures alios Sanctos simili opera exornasse. Si qua ille de hoc Madytarum Episcopo scripsit aliquando in manus nostras veniant, facilius erit de ejus ætate atque obitu judicare. Μάδυτος seu Μάδυτα, urbs Hellespontia, nominatur apud Stephanum ne Urbibus: quæ sub Andronico prædicto, cum antea inter Metropoles, Patriarchatui Constantinopolitano adscriptas, locum LXVIII tenuisset, remota est usque ad LXXX; tempore autem Leonis Sapientis, qui uno post Andronicum seniorem seculo imperavit, censebatur Sedes LXIX uti scribit Aubertus Miræus, in Notitia Episcopatuum orbis lib. 1 & 3, ex Catalogis tunc confectis. Verisimile est autem aut corpus aut corporis partem notabilem Constantinopolim esse delatam, quæ Patriarchæ occasio fuerit dicti encomii scribendi; atque ita poterit ex duobus diebus supra assignatis, alter obitus, alter Translationis credi.

videtur fuisse Episcopus

E

Madytarum in Hellesponto.

DE SANCTO IOANNE

DISCIPULO S. GREGORII DECAPOLITÆ CONSTANTINOPOLI.

G. H.

CIRCA AN. DCCCL. S. Gregorii decapolita Isaurici.

Palæstinæ regio olim erat decapolis, à decem quas continebat urbibus, appellata. Seculo Christi nono alia Isauriæ regiuncula idem nomen obtinuit, & locum natalem S. Gregorio præbuit, ideo Decapolita dicto, in cujus Vita Græca, ad diem XX Novemb. danda, dicitur patria ejus μία τῶν τῆς Δεκαπόλεως, τῶν πρὸς τῆς ἰσαυρίας πόλις, ἧ ὄνομα Εἰρηνόπολις, una ex urbibus Decapoleos in Isauria cui nomen Irenopolis; & in Menologio Basilii Imperatoris appellatur Gregorius Decapolita Isauricus. Hujus S. Gregorii discipulus fuit S. Ioannes, de quo hic agimus, cujus etiam meminit auctor vitæ illius testis oculatus. Erat, inquit, S. Gregorii discipulus Joannes, vir omni reverentia ac pietate exornatus: qui cum plurima certitudine nos agnoscens, inquirebat, unde tam mane ambularemus; & simul quomodo contigerit, me per aliam viam adeo aberrasse, & non longo intervallo ante S. Gregorium appulisse. Nulla deinde mentione Ioannis discipuli facta, describuntur reliqua Acta cum obitu & miraculis S. Gregorii.

discipulus S. Ioannes, memoratus in Vita illius.

2 Inter familiares amicos ejusdem S. Gregorii fuit S. Iosephus hymnographus, cujus Vitam dedimus III Aprilis, in qua num. 23 dicitur ipse Iosephus, à sua captivitate Cretensi liberatus, S. Gregorium mortuum reperisse & luxisse, ac dein num. 24 de S. Ioanne discipulo ista leguntur: In eodem loco Josephus constanter perseveravit, in quo divinus Gregorius inclusus philosophica sese in palæstra exercuerat: elegitque sibi socium laborum suorum Joannem quemdam, qui magni Gregorii discipulus erat atque æmulator: cum quo multo tempore vitam traducens, videbatur sibi Gregorium ipsum videre, ac multa dabat & accipiebat virtutum documenta. Etenim Joannes etiam plurimas in lingua charites residentes habebat. Postquam autem iste, similiter jejuniis vigiliisque corpore edomito atque consumpto, ad Deum emigravit; divinus Joseph, loco illo derelicto, in magni atque aureæ linguæ præditi Joannis templo libenter conversabatur, in quo tamquam thesaurum quemdam, sacratissimas Gregorii reliquias ejusq; discipuli collocavit. Multis autem ad eum concurrentibus, ut ab eo regerentur solertiq; cura dirigerentur, & linguæ illius mellitissima arcana audirent, angustia loci eos excludebat. Unde cum locum undequaque desertum non procul inde invenisset, ibi sedem suam, curarum scholam, collocavit: in qua & discipulorum multitudinem distribuit, & ante omnia, tamquam inviolabile quoddam monumentum, magni Gregorii & ejus discipuli corpus collocavit. Hactenus dicta Vita S. Iosephi Hymnographi.

& S. Iosephi hymnographi,

his simul cum illo vixit.

& mortui reliquias tulit ad ædem S. Chrysostomi

3 Menologium Basilii Porphyrogeniti Imperatoris eumdem hoc elogio celebrat: Eadem die XVIII Aprilis memoria

AUCTORE G. H.

Cultus apud Græcos,

moria S. Joannis discipuli S. Gregorii Decapolitæ. Joannes sanctus Pater noster, à primis pueritiæ annis mundum odio prosecutus, & Deum amore complexus, ad magnum Gregorium Decapolitam accessit, & sub eo monachus factus, imposterum unà cum ipso vitæ certamina sustinuit, in omnibus Deo famulatus. Usque adeo autem in obedientia celebris, & in humilitate obsequens fuit, ac religionis verissimus evasit cultor, ut magnus Gregorius de ipso longe lætaretur & Deum ultro glorificaret. *Quæ eadem habentur in Novo Anthologio Autonii Arcudii, & ad sequentem diem in* Ms, *Synaxario Parisiensi Collegii Claromontani. In Menæis excusis idem elogium ponitur die* XI *Aprilis, cum hujusmodi disticho:*

Ἰωάννη σκίρτησον ὡς Ἰωάννης,
Οὐ γαστρὸς ἐντὸς, ἀλλὰ τῆς Ἐδὲμ ἔνδον.
Exulta Joannes sicut Joannes;
Non intra uterum, sed intra paradisum.

sed distinguendus à S. Ioanne Palæolaurita

Verum quæ in dictis omnibus libris annectuntur de discessu ad Veterem Lauram, ad alium Sanctum etiam Ioannem appellatum spectant, de quo ad diem sequentem agemus. Porro optime uterque distinguitur in Typico S. Sabæ, Horologio duplici Græcorum & Menologio ibidem incluso, Kalendario Græcorum à Genebrardo edito, Menologio itidem Sirleti, & Molano in additionibus ad Vsuardum: in quibus ad hunc XVIII *Aprilis memoratur S. Ioannes discipulus S. Gregorii Decapolitæ, & proximo* XIX *Aprilis S. Ioannes in Vetere-Laura.* D

quia in diversis regionibus & seculis, ambo vixerunt & obierunt,

4 *Locus & tempora optime utrumque distinguunt. Mortuus est S. Gregorius Decapolita Constantinopoli circa annum* DCCCXLI, *aut sequentem. Nam post mortem Theophili Imperatoris, cum pax Ecclesiæ sub S. Theodora & filio Michaele esset reddita, reversus S. Iosephus Constantinopolim, & intellecto obitu S. Gregorii, adjunxit se S. Ioanni, eique convixit usque ad hujus mortem Constantinopoli, quam circa annum* DCCCL *contigisse possumus conjectare. Contra alter Ioannes decessit in Palæstina & eremo sanctæ civitatis, in Laura S. Charitonis; forsan aliquot seculis citius, cum Palæstina necdum à Saracenis devastaretur, multo minus seculo Christi nono, quando pleraque monasteria ibidem erant destructa: uti satis constat ex iis quæ de viginti monachis Lauræ S. Sabæ, anno* DCCXCVII *à Saracenis martyrio coronatis diximus* XX *Martii.*

5 *Tabula Muscovitici Kalendarii sæpius citata proponunt hoc die* S. Joannem *aliquem, sed in habitu Episcopali, qui facile imperito sculptori obrepsisse potuit pro habitu monachali. Putamus ergo hunc ipsum esse Decapolitæ discipulum: eumdemque in Kalendario Ruthenico apud Possevinum in Apparatu hodie quoque notari cum titulo* Sancti Patris.

DE S. PERFECTO PRESBYTERO,

MARTYRE CORDUBÆ IN HISPANIA.

G. H.

ANNO DCCCL.



N *Mahometana apud Cordubenses persecutione Protomartyr occubuit* S. Perfectus Presbyter, anno DCCCL die XVIII Aprilis feria sexta. *Erat ea feria sexta post Dominicam in Albis, sive primam post solennitatem Paschalem, quæ dicto anno, cyclo Lunæ* XV, *Solis* XIX, *littera Dominicali* E, *inciderat in diem sextum hujus mensis Aprilis. Acta martyrii damus à S. Eulogio Archiepiscopo Toletano, & postmodum in hac persecutione* Mahometana Martyre, *descripta lib.* 2 M*emorialis Sanctorum cap.* 1, *ex quo reliqui sua desumpserunt: atque inprimis Vsuardus, qui tunc vivebat; & in suo Martyrologio, quod Carolo Calvo Regi Francorum, Imperatori constituto inscripsit, ista habet:* Cordubæ S. Perfecti Presbyteri & Martyris; *scilicet* à Mauris, quod in Mahometis sectam inveheretur, perempti, *uti additur in hodierno Martyrologio Romano: quibus similia passim habentur in aliis Martyrologiis manu exaratis & impressis, etiam Benedictinis, & Ghinii Natalibus Canonicorum Regularium. Benedictinos oppugnat in Martyrologio Hispanico Tamajus Salazar, & hoc illum exornat elogio:* Cordubæ S. Præfectus Presbyter & Martyr, qui cum nostram Catholicam extolleret religionem, & perversam Mahumetis sectam, falsam exclamaret, martyrii laurea coronatus est. *Agunt de eodem passim alii Scriptores, maxime Hispani, & inter hos potissimum Martinus de Roa de Sanctis Cordubensibus hoc die, Marietta lib.* 3 *Historiæ Sanctorum Hispaniæ cap.* 65, *Ioannes Basilius Sanctorius, Alphonsus Villegas, Petrus Ribadeneira & alii cum Ambrosio Moralez Cordubensi in suis ad S. Eulogium Scholiis, in quibus adducit quemdam auctorem Indiculi Luminosi, & ex eo hoc quod subjicimus de S. Perfecto Presbytero elogium.*

Tempus martyrii.

Acta à S. Eulogio scripta.

Nomen in fastis sacris:

C

memoria apud alios scriptores.

Elogium ex Indiculo Luminoso.

21 Et primum Sacerdotem intueamur Præfectum, gentilitio zelo peremptum, fidei constantia decoratum, martyriali gloria infulatum, & vere in Electorum numero aggregatũ: & quo pacto ad occisionem venerit, sinceriter proferamus. Nempe ad aliud pergentem, aliisque secularibus operibus intendentem, nihilque, de quo gestum est, pertractantem, dæmonicolarum incursionibus [contigit] impulsari. A quibus ille caute & circumspecte, ut istis videtur; ut vero mihi, timide fidem petit: & ne ex responsionibus propriis impediretur, oravit dicens: Multa erant mihi, ex quibus abundantissime vestras poteram confringere nænias, vel destruere anilis historiæ fabulas, si vestræ ultionis non vererer ultrici gladio currentes ultro citroque incurrere sententias. Cui cum fidem dedissent, & ei, ut quæ sibi videbantur exponeret, juramento anteposito imperarent; ille accepta dicendi fiducia, & eorum pro juramento vero sumens mendacia; post varia & multa sententiarum certamina, prophetæ eorum voluptuosam lasciviam & lenocinationis luxuriam, sermone quo potuit exprobravit, & oratione splendida comprobavit. At illi, aliqua super ejus meretricationis subsannium vel conjugatorum adulterii colludium, habita conflictatione verborum, frendentes dentibus & caninis sævientes rictibus, ore vipereo sibilantes & leonum ferocitate frementes, abire eum, propter datum noviter juramentum, permiserunt illæsum. Sed post aliquanti temporis cursum, dolorum semper pectoribus retinentes venenum, & quasi vetustate temporis reputantes abolitum prius illi injectum infidum pactum, dolo eum circumvenientes, apprehensum judici sævissime mendacio inhiantes, quasi destruentem fidem illorum & ritum impie protulerunt; eumque maledicentem eorum vatem suo testimonio vilissimi homunculi firmarunt. Ille inopinato casu perterritus, & inusitata circumventione perplexus, illorum fraudulenta ignorans consilia, quæ contra eum instruxerat commentatio fraudulenta; se hoc penitus non dixisse, infirma satis prosecutione retexuit. At ubi in carcerem missus in se extat conversus, audaci proposito & virili congressu cœpit ipsorum totam legem infringere, & non solum, quod pridie dixerat, quæ super eum imperitiæ factio asserebat, verum etiam alia potiora ingerere; mortisque magis gloriari, quam interitum expectare. Tunc eductum in ipsum diei sui horrendum Pascha, quo soliti sunt pascuis frui carnalibus, & ventri libidinique alimenta

menta ministrare satura gladio vindice peremerunt. A Et quasi victoria hostium potiti, ad orationis conventiculum, obsequium Deo se præstare credentes, elati, & innocentis cruore perfusi, ritum suum perficiendum, ut soliti sunt annue, pervenerunt. *Hactenus Indiculi Luminosi auctor, quem varii censent fuisse Alvarum, S. Eulogii familiarem, à quo hujus Vitam scriptam edidimus XI Martii.*

VITA

Auctore S. Eulogio Episcopo & Martyre.

Sub Habdarrahaman Corduba,

1 IN nomine Domini. Regnante in perpetuum Domino nostro Jesu Chsisto, anno Incarnationis ejus octingentesimo quinquagesimo, Æra octingesima octogesima octava Consulatus autem *a* Habdarrahaman *b* vicesimo nono. Cujus temporibus, rebus & dignitate gens Arabum in Hispaniis aucta, totam *c* pene Iberiam diro privilegio occupavit: Cordubam vero, quæ olim *d* Patritia dicebatur, núc sessione sua urbem regiam appellatam, summo apice extulit, honoribus sublimavit, gloria dilatavit, divitiis cumulavit, cunctarumque deliciarum mundi affluentia (ultra quam credi vel dici fas est) vehementius ampliavit: ita ut in omni pompa seculari prædecessores generis sui Reges excederet, superaret & B vinceret. Dumque sub ejus gravissimo jugo Ecclesia orthodoxorum gemens, usque ad interitum vapularet; venerabilis memoriæ Perfectus Presbyter, Cordubæ natus, & sub pædagogis basilicæ *e* S. Aciscli clara eruditione nutritus, plenissime ecclesiasticis disciplinis imbutus, & vivaci educatione litteraria captus, necnon ex parte linguæ Arabicæ *f* cognitus, totam pene juventuté in prædicto transegit cœnobio.

natus S. Perfectus Presbyter eruditur,

Christi divinitatem profitetur,

2 Quodam vero die, dum ob rei familiaris necessitatem iter perageret, & rerum domesticarum commodis consulens, per urbem ingrederetur; quorumdam Gentiliú sciscitationibus de fide Catholica exploratur: suumq; coram eis de Christo & propheta Mahomet testimonium proferre jubetur. Qui continuo diffuso ore Divinitatis Christi potentiam profitens, & esse Deum super omnia benedictum in secula præconans: Vatem (inquit) vestrum, qualiter apud Catholicos habeatur, exponere non audeo, quia gravi molestia propter hoc vos vulnerari non ambigo. Verum si fœdus intercesserit amicabile, & pacificam fidei pactionem accommodatis, dicam quo Euangelii testimonio denotetur, vel qua veneratione à C Christicolis excolatur. Illico fraudulenter fidé spondent, & quidquid de illo apud religiosos tenetur, omni pulsa formidine enarrare compellunt. Ad hæc prudens Sacerdos Arabice illos reciprocans, pseudoprophetam illum & falsissimum dogmatistam, quia plures seduxerit, ex Euangelio protulit, dicens, Multi pseudoprophetæ venient in nomine meo, & multos seducent, & dabunt signa magna & prodigia, ita ut in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi. E quibus inter ceteros summus hic propheta vester, hostis antiqui præstigiis occupatus, dæmoniorum figmentis illectus, maleficiorum sacrilegiis deditus, multorum parvipendentium corda lethali veneno corrumpens, æternæ perditionis laqueis mancipavit. Sic nulla spiritali discretus prudentia, principi sathanæ eorum fidem accommodat, cum quo ipse asperrima inferorum luiturus tormenta, vos quoque sequipedas secum arsuros inextinguibilis camini deputavit incendiis. Nam quo pacto inter Prophetas reputabitur, aut quare non maledictione cœlesti plectetur, qui Zeinab uxorem vernaculi sui Zaid, specie decoris ejus obcæcatus, jure barbarico auferens, sicut equus & mulus, in quibus non est intellectus, adulterina sibi copula nexuit, seseque ex jussu Angeli hoc egisse prædixit. Multa deinde B. Perfectus de fœditatibus & libidinibus, quæ lege Mahometica præcipiuntur, superaddidit, & tandem finem his verbis fecit. Sic fautor immunditiæ & libidinum voluptatibus serviens, omnes vos perennis luxuriæ impuritatibus dedicavit. Alia etiam plura, prout noverat, de ipsius nefandissima doctrina eis exponens, multaq; auditui exosa coram omnibus denuntians, licet non tunc illum superbo oculo impetierint, accensum tamen ultionis furorem in corde ad perniciem ejus reponunt.

detestatur Mahometi maleficia,

adulteria,

auctore Eulogio & legem impuram.

3 Perficit Dei famulus sibi hinc necessariæ rei utilitatem, & expleto sui itineris cursu, propriæ quietis cellulam repetens, securus aliquamdiu permansit. Ceterum post non longam digressionem temporis, dum occasio familiaris necessitatis eum aliquo ire compelleret, casu per eosdem, cum quibus dudum conflictum gesserat, habuit commeatum. Quem æmuli venientem ab eminus contuentes, æternum adversus eum sub pectore vulnus servatum, in apertum produnt incendium, & in vindictam sui vatis circumastantium hoc modo hortantur conventum: Ecce, quem temeraria pridem impellente insania, tanta coram nobis adversus vatem (psallat Deus super eum & salvet eum) maledictionis verba protulit, quanta nullus vestrorum auditus potest perferre. Hoc autem genere benedictionis semper ad honorem ejus utuntur, Zalla, Allah, Halla, Anabi, V, A, Zallen: quod Latine dicitur, Psallat Deus super prophetam, & salvet eum. Et ita quasi apes stimulatæ, tota illa cohors perditionis in eum furibunda consurgens, apprehensum sub omni celeritate, Judici, vix plantis solum tangentem, offerunt, atque hujusmodi de eo testimonium proferunt: Hunc, quem tuis reverentissimis tribunalibus, Judex, attraximus, maledixisse prophetam nostrum, ejusque cultoribus exprobrasse comperimus. Quæ vero sententia tales ausus compescat, futiamque retundat, melius tua novit prudentia cogitare.

comprehensus, judici offertur:

4 Tunc Judex iniquitatis ergastulis futurum Dei Martyrem tradit: ferroque vinctum importabili pondere vinculorum coarctans, victimandum in eo die differt, quo profanis ritibus festivum Paschæ gaudium apud eos excolitur. Vicit miles Christi, exultantibus animis abdita carceris petens; lætusq; illum reorum specum, quasi ad epulas invitatus, ingreditur. Ubi summa timoris & sanctimoniæ reverentia præditus, vigiliis, orationibus atque jejuniis inserviens, fertur suam sententiam, quam dudum ante Judicem formidine mortis negaverat, fortiori mente in virtute sancti Spiritus confirmasse. Et priusquam foro plectendus educeretur, tradunt prophetico vegetatum spiritu de quodam eunucho vocabulo Nazar, Claviculario Proconsule (qui eo tempore totius rei in Hispaniis administrationem gerebat) dixisse: Húc quem hodie super omnes Iberiæ primates fastus principatus extollit, & cælo tenus gloriosa potestas in hac parte occidua sublimavit, revoluto venturi anni curriculo, ipsum, quo me prosterni die decrevit, non attinget. Quod ita divina virtus, ut Confessori suo jam quidem per squallores carceris elimato revelaverat, implere non distulit.

vinctus carceri includitur:

prædicit mortem Nazar eunuchi.

5 Exactis igitur non multis in carcere mensibus, post expleta jejuniorum suorum tricena diecula, in quibus gastrimargiæ crapulis & fluxu libidinis propensius solito insistunt; illucescit Martyri ceteris temporibus gloriosior dies: ille, ille scilicet, quem solenni veneratione summoque tripudio ritu vanæ legis gerunt dicatum. In quo se magnum Deo suo præstaturi arbitrantes obsequium, eductum

AUCTORE EULOGIO.

Martyr occumbit,

g sed ante repetita professione fidei contra Mahometem:

eductum ex antro gladio vindice trucidarunt, confitentem Christum in gloria Deitatis manentem, & Ecclesiæ Catholicæ inimicum liberis vocibus exprobrantem atque dicentem: Prophetam vestrum & maledixi, & maledico, virum g dæmoniorum, magum, adulterum, & mendacem, sicuti professus sum, & profiteor. Profanationes sectæ vestræ commenta diaboli esse denuntio. Vos quoque cum ipso duce tenebrarum, æterna luituros tormenta protestor. Turba Gentilium, quæ intuitu tantæ festivitatis in campum ultra pontem fluminis, in parte ab urbe Australi situm, b latissima planicie ad exorandum processerat, ovans præpeti regressu ad necem Martyris contemplandam sese divertit. Quæ jam prostratum ante fores prætorii suoque se volutantem sanguine cernens, illitis quoque ipso extincti Sacerdotis cruore vestigiis, aucta jucunditate, ad exolvendum sacrilegium voti compos regreditur. Nihilominus commoda se facilius potitura confidens, quæ tanti hostis sanguine combinatis gressibus incedebat.

navi inversa 2 Mahometani submerguntur.

6 Sed ad propositum redeamus, & quid ad laudem sui Martyris ipso die, quo decidit, divina pietas fuerit operata, sicut plurimorum fideli relatione comperimus, referamus. Nam celerem ad vindicium sui militis ultionem effundens, nonnullos de pessimorum caterva gurgite fluviali immersit. Regredienti namque vulgo, à loco orationis, quo ritu sacrilego irrita vota persolverat, plerique ascensis navibus dorso vectantur æquoreo: sectoque carinis & præpeti navigio amne, domum revertunt. Inter quos una fluctuatione undarum eversa navicula, quæ octonis homunculis vehiculum inter fluctus præstabat, gremio interioris abyssi reconditur. Vix inde nando sex evadentibus, bini naufragio perierunt. Ut non esset vacua Scriptura, quæ dicit: Ego Dominus dabo impios pro morte tua, & divites pro sepultura tua. Unum enim in cælum crudelitas persequentis præmisit, & duos inferis sæva tempestas fluminis dedicavit. Corpus autem sancti Martyris, piis religiosorum officiis, dignoque Præsulis & Sacerdotum obsequio, in basilica B. Acisceli, in eo titulo, quo felicia ejus membra quiescunt, humatur.

Esai. 53, 9

sepelitur in S. Acisceli æde.

Nazar eunuchus misere perit,

7 Illud prophetissimum divinitus ore ejus prolatum de Proconsule eunucho claviculario Nazar, ita (Deo dispensante) impletum est, ut carcere adhuc religatus convinctis prædixerat. Nam priusquam in anno altero profanæ solennitatis paschale gaudium perituris occurreret, multis ante diebus eunuchus idem occubuit. Ignita namque febre intrinsecus viscera ejus adusta, & (ut nonnulli ferunt) toxica potione corrupta, ante obitum, dum urgente corporali necessitate ad purgādum alvum secretius cubiculum peteret, disco effusa sunt, & interiit. Sicuti quidam i poëta Christicola, Arrii finem describens, heroice lusit, dicens,

Visceribus fusis, vacuusquoque ventre remansit.

Sic namque Dominus utroque miraculo militem suum glorificans, magnæ spei solatiis fidelium vota corroborat, impiorumque sacrilegam vanitatem stupore vehementi exturbat. Hæc nos per pauca ex gestis beati Martyris dixisse sufficiat, quæ viris Catholicis referentibus, qui ejus contuberniis à principio in vinculis adhæserunt, sed & ipsorum ethnicorum relatione, vera esse cognovimus; dum nos tempore compeditionis nostræ omnes, cum quibus ille Martyr futurus morabatur, vix paucos solutos reperimus. Consummavit autem vir Dei cursum agonis sui in pace quartodecimo die Cal. Majas, sexta feria, Æra qua supra adnotatum est.

multi ejus exemplo Martyrii occumbunt,

8 Res vero tanti facinoris in Sacerdote commissi, multos, otio securæ confessionis per deserta montium & nemora solitudinum in Dei contemplatione fruentes, ad sponte & publice detestandum & maledicendum sceleratum vate exilire coëgit, majorisq; ardoris fomitem moriendi pro justitia cunctis ministravit. Et quod ab isto uno infida persecutorũ executio primitus violenter extorsit; & quod in hunc callida circumventione suadendo ulciscitur, postmodum in plurimos ultro se tali discrimini offerentes exhorruit. Adeo namq; terrore nimio ethnicorum universitas in horum progressu concussa est, ut perditionem reipublicæ regnique sui excidium jam imminere arbitraretur, ac nostros athletas ab hujusmodi intentionibus inhiberi suppliciter exoraret.

B

C

E

F

ANNOTATA.

a *Quatuor passim censentur hujus nominis Reges Mahetani Corduba habuisse sedem regni, quam primus* Abderrahamen *ibidem collocavit. Sub secundo S. Perfectus aliique passi sunt: ad ultimum ab Ottone primo Imperatore missus est B. Ioannes Abbas Gorziensis, de quo ad hujus Vitam egimus 27 Februarii.*

b *Ergo cœpisset regnare anno* 821, *aliqui citius incipiunt regnum ejus, & multo citius finitum tradunt: sed hic datur optimus character.*

c *Excepta illa parte, qua ad Septemtrionem & Oceanum Cantabricum sita est.*

d Patricia, *seu* Colonia Patricia, *ut ex nummis & aliis monumentis tradit Ambrosius Morales Cordubensis, in descriptione Cordubæ, & aliis antiquitatibus Hispaniæ p.* 109.

e S. Acisclus *ejusque soror S. Victoria, passi Cordubæ in persecutione Diocletiani 27 Novembris, & præcipui Patroni Cordubenses habentur.*

f *Morales hic Hispanismum admittit, quo significatur Hispana phrasi,* insignem Arabicæ linguæ cognitionem qua pollebat, *causam* extitisse, ut notus Mauris esset & in pretio habitus.

g *Forte* dæmoniosum, *uti aliqui volunt legi, qua voce in Apologetico suo usus est S. Eulogius.*

h *Hanc planitiem nunc dici* Campum veritatis *tradit Morales.*

i *Hic est Cælius Sedulius. lib.* 1 Carm.

G. H.

DE BEATO IDESBALDO

ABBATE DUNENSI ORDINIS CISTERCIENSIS IN FLANDRIA.

ANNO MCLXVII,



Agna Belgii Catholici & vicinarum regionum admiratione, inventum fuit, an. MDCXXXIII, *corpus B. Idesbaldi Abbatis incorruptum, & sequenti anno authentica Episcopi Iprensis inspectione examinatum, nec non variis miraculis mox divinitus illustratum. Non defuerunt, qui occasione hujus Inventionis describerent etiam priorem aliam cum nonnullis Actis ejusdem Abbatis: inter quos fuit Theodorus Pybes sacræ Theologiæ Doctor, & dicti monasterii Dunensis religiosus, edito Brugis tractatu præclaro, anno* MDCXXIV, *sed variis amplificationibus de incorruptione corporum & aliis rebus exaggerato. Vivebat tum in eodē monasterio Carolus de Visch, vir admodum eruditus, ac pluribus libris editis clarus, & intima nobis amicitia junctus. Hic anno* MDCLX *ejusdem monasterii Prior, edidit in lucem* Compendium chronologicum exordii & progressus Abbatiæ clarissimæ B. Mariæ de Dunis, *ac postmodum anno* MDCLXVI *plenus dierum & meritorum* XI *Aprilis mortuus est. Ex hoc Compendio, verbis ejus servatis, excerpimus, quæ benevolo lectori proponimus de monasterii Dunensis exordio, B. Idesbaldi vita ac pio obitu, ejusdemque corporis duplici inventione.*

Varia à variis scripta:

hic dantur selecta ex Compendio Chronologico Caroli de Visch.

Sub-

A *subjungimus aliquot miracula, authentica approbatione firmata, prout ab eodem Carolo de Visch Flandrico idiomate conscripta, visuntur prope Mausoleum seu loculum B. Idesbaldi appensa; quibus addimus alia aliquot miracula Latine scripta: una cum alio rerum gestarum & duplicis inventionis compendio, sed admodum contracto, quale nobis submisit Rev. Dominus Edmundus Schipman, ante annos quinquaginta noster in litteris humanioribus discipulus, nunc à pluribus annis ejusdem monasterii Prior, ex quo nonnulla in Notis observamus, ac miracula priora Latine reddidimus, omissis tamen duobus ultimis; eo quod in posterioribus Latinis num. 5 & 9 plenius explicata habeantur. Invisimus ipsi sæpius dictum monasterium, ac sacras ejusdem B. Idesbaldi reliquias veneraturi sumus; & anno MDCXXVI, die IV Septembris in ipso antiquo monasterio Dunensi, dein anno XXX, ac XL ejusdem seculi in translato ad urbem Brugensem monasterio, ac subinde posterioribus annis: assecuti etiam insignem particulam cucullæ B. Idesbaldi, in qua annis quadringentis quinquaginta septem sepultus jacuit: novissime autem an. MDCLXI, quando accuratiori etiam studio consideravimus tabellas votivas circa sanctum corpus appensas. Dies ejus natalis censetur hic XVIII Aprilis; & teste Chrysostomo Henriquez in Menologio Cisterciensi,* olim sollenniter & officio Ecclesiastico colebatur: licet, antiquitatis injuria & bellorum ac temporum vicissitudinibus, hoc intermissum fuerit; tamen usque in hodiernum diem sacrum celebratur in honorem ipsius, de Communi Abbatum, ejus nomine in Orationibus superaddito. *Addit memoratus Edmundus in suis ad nos litteris, idem adhuc licitum credi, ex informatione data ab eximiis Doctoribus Ioanne Caramuele Lobbowitz monacho olim Dunensi, & Rudesindo Barbò Benedictino Anglo in Vniversitate Duacensi. Verum ne qua posset oppositio fieri, in festo B. Idesbaldi cantatur solennis Missa de Sanctissima Trinitate, exponitur Venerabile Sacramentum pridie & in ipso die, & tunc de Virtutibus & miraculis habetur concio, fitque per ambitum supplicatio cum Venerabili Sacramento, uti in similibus festis more Belgico solet fieri. At totius anni decursu colitur cum magna populi accurrentis devotione: invocatur ipsius patrocinium pro salute mentis & corporis impetranda, eumque in finem ad ipsius honorem accenduntur luminaria, suspenduntur varia anathemata argentea & cerea, quibus debilia languentium membra repræsentantur. Arnoldus Raissius, in suo Auctario ad Molani Natales Sanctorum Belgii, elogium B. Idesbaldi retulit ad diem XXI Aprilis.*

cum miraculis ex Flandrico translatis,

Cultus antiquus,

B

& hodiernus,

C

VITA
Ex Compendio Chronologico Caroli de Visch,

CAPUT I.

Monasterium Dunense constructum. Cisterciensibus traditum, tertius Abbas B. Idesbaldus.

1 ANno Dominicæ Incarnationis millesimo centesimo septimo, vir quidam, pia & religiosa conversatione clarus, nomine a Ligerius, natione Gallus, patria Bituricensis, professione monachus Ordinis S. Benedicti; obtenta ab Abbate suo licentia in Flandriam venit occidentalem; ubi in Furnensi territorio, intra Duynkercam & Neoportum, vallem reperit, arenarum collibus (quos incolæ Duynen vocant) undique cinctam. Hanc intentioni suæ accommodam judicans, ibidem tuguriolum erigens, habitaculum fixit. Cum jam longo tempore solitariam hic duxisset vitam, Angelicam magis quam humanam, intercessorum precibus victus, oratorio aliisq; locis Religiosorum functionibus necessariis erectis, juvenes aliquot sibi associavit. Cum dein didicisset, per b B. Vitalem institutam Savigniacensem Congregationem plurimum efflorescere, ejusdem legibus & observantiis se una cum conventu suo subjicere decrevit: quod anno MCXII executioni mandaverunt, approbante & adjuvante Reverendissimo Morinorum Episcopo c Joanne, loci Superiore & Diœcesano, in cujus præsentia peracto probationis anno, vota sua renovantes, anno sequente MCXIII prædictæ Congregationis Savigniacensis strictioribus constitutionibus sese adstrinxerunt. Quo etiam tempore idem Reverendis. Dom. Episcopus oratorium à Ligerio extructum, in honorem beatissimæ Virginis consecravit, una cum cœmeterio: ipsumq; monasterium erexit in Abbatiam, in quo Ligerium constituit & confirmavit Abbatem. Porro in Savigniacensium habitu & observantiis remanserunt Dunenses usque ad annum Domini MCXXXVIII, quo venerabilis d Fulco, Ligerii successor, in Claravalle monasterium suum S. Bernardo tradidit, ipseque resignata Abbatiali dignitate ibidem habitum Cisterciensem induit. Interim maturo habito consilio, S. Bernardus Dunensibus Abbatem designavit, virum non minus sanctitate & doctrina, quam natalium splendore illustrem, Dominum Robertum, patria & gentilitia stirpe de Brugis, cui aliquot alios adjunxit Religiosos, qui Dunenses monachos Cisterciensia instituta docerent. Anno MCLIII Sanctissimo Patre Bernardo ad Superos translato, Robertus eidem subrogatus fuit, Dunenses suos filios deserere coactus. Peractis installationis & confirmationis solennitatibus, carissimorum suorum filiorum Dunensium recordatus, Abbatem illic constituit venerabilem Alberonem, Religiosum etiam Claræ-vallensem, virtutum æque ac sanguinis nobilitate conspicuum, quem chronographi asserunt fuisse nepotem vel cognatum Theodorici Comitis Flandriæ. Qui postquam biennio præfuisset, resignavit onus, rediens ad Claram-vallem, unde directus fuisset.

a Anno 1107 Ligerius in vallem Dunensem venit:

monasterii origo;

EX CAR. DE VISCH.

b Savigniacensi congregationi adjungit,

c anno 1113.

Fulco successor an 1138. habitum Cisterciensem assumit d

Abbates 1 Robertus,

E

2 Albero,

2 Anno e MCLV B. Idesbaldus, resignatione Alberonis & confratrum suorum electione, designatus Abbas, postmodumq; à f B. Roberto confirmatus, & ab Episcopo Morinensi benedictus, serio impositum sibi onus perpendere cœpit, simulq; in memoriam revocare prædecessorum suorum sanctitatem, quo sic efficacius eorũ virtutes & gubernandi normam imitari posset: id quod etiam tam exacte assecutus est, ut de eo specialiter scriptum sit, quod esset vir in religione strenuus, & in rebus agendis circumspectus. Siquidem in Prælatura vigilantiam, in judiciis suis æquitatem, in correctionibus discretionem in convictu pacem, in dictis fidem, in laboribus constantiam, in omnibus deniq; actionibus circumspectionem & prudentiam mirabiliter semper exhibuit. Unde & hoc consecutus est, ut cuncta, quæ suscipiebat agenda, ad votum ei succederent. Quod advertentes Religiosi, singulari eum amore & obedientia colebant. Sed & externi quocumque pergeret, omni reverentia & honore prosequebantur: imo g Theodoricus & Sibylla Flandriæ Comites, illorumque filius Philippus, eum tamquam patrem venerabantur, & præcipuorum quorumcumq; negotiorum consiliis adhibebant.

e 3 B. Idesbaldus, anno 1155. f

F

eximius in omni virtutum genere,

g

3 Cujus autem fuerit hic Idesbaldus, scriptum non reperio. Communis & probabilior opinio est, illum fuisse natione Flandrum, ex nobili familia Vander-Graght, per totam Flandriam olim clarissima, & ante ingressum religionis Canonicum h S. Walburgis in civitate Furnensi, ac de familia Comitis Theodorici, & jam ætate maturum intrasse religionem; ubi intra paucos annos tam illustre virtutis & sanctitatis specimen edidit, ut resignante Alberone concorditer electus fuerit in Abbatem, post-

creditur Flander origine,

h & ex Canonico Furnensi monachus,

EX CAR. DE VISCH.

postquam per annos aliquot Cantoris officio functus fuisset, tanta assiduitate & strenuitate, ut sæpius etiam oblitis vel spretis necessariis naturæ suæ fomentis, visus fuerit ad divina cantica solus recurrere, iisque diebus sæpe integris vacare: de quo aliquando à Fratribus rogatus, quomodo non lassaretur; respondit se majorem delectationem percipere ex divino Officio & canticis spiritualibus, quam ex cibo & potu corporali. Ad quæ alludens celeberrimus Chronographus noster Dunensis i Joannes Brando, à Meyero aliisque Flandriæ Annalistis sæpissime citatus, exclamat. O Angelica vox! O egregia summi Regis buccina, Beate Idesbalde! Quam pulchre suavissima tua harmonia Domini tui aures demulsisti, ut miraculorum donum & gratiam in hac vita pro salario tuo recipere promeritus sis, & in futura æternam pro mercede coronam! Mirificum sanctitatis tuæ argumentum carissimis Fratribus tuis ultimo reliquisti, quando in ipsa sacra corporis tui translatione, ex veteri monasterio ad novum, non ipsam solummodo sacratam tuam undique tumbam inaudita suaveolentia decorasti, sed totum etiam iter & postea domum tuam fragantissimo quasi myrrhæ suffitu roseoque odore in tantum replesti, ut mortales te sequentes & venerantes, gratissimumque illum odorem percipientes, immortalitatis tuæ se participes clamarent. Hæc Brando apud k Adrianum Mesdach in Collectaneis suis & etiam in Chronico. Eidem beato viro sequens posuit epigramma ipse Adrianus Mesdach

& Cantor

addictissimus divino officio.

B

Vivis, avesque mori: sic spes tua spirat Olympum.
Signa patras: at sic vivere, nolle mori est.

ANNOTATA.

a *Ligerius cum titulo* Beati, *memoratur ad diem* 15 *Septembris in Menologio Henriquez, Bucelini & Chalemoti.*

b *De* B. Vitale *ejusque monasterio Savigniacensi in Normannia & Congregatione dependente egimus* 7 *Ianuarii. Hujus* 4 *Abbas Serlo operâ S. Bernardi, habitum & regulam Cisterciensem suscepit.*

c *Vitam* B. Joannis Morinorum Episcopi *illustravimus* 27 *Ianuarii. Huic anno* 1131 *successit Milo hujus nominis primus, qui B. Idesbaldum consecravit, usque ad annum* 1158 *superstes.*

d Fulco *cum titulo* Beati *refertur ad* 31 *Maji in Menologio Henriquez & Chalemoti.*

e *Erat annus* 1156, *sed errore typographico, excusus, ut ex sequentibus patet.*

C

f Robertum *etiam cum titulo* Sancti *referunt ad* 29 *Aprilis Henriquez & Bucelinus, cum titulo* Beati *Menardus & Chalemotus: in Calendario Cisterciensi ad* 15 *Maij memoratur.*

g *Præfuit Flandriæ Comes* Theodoricus Alsatius, *ab anno* 1168, *quando ei successit* Philippus *filius, ex Sibylla* 2 *uxore prognatus. De Theodorico evocato ad Comitatum Flandriæ plurima ex MSS. dedimus* 2 *Martij in Vita* 2 *B. Caroli Boni Comitis Flandriæ cap.* 20 *& duobus sequentibus.*

h *Varia Acta* S. Walburgis *dedimus* 25 *Februarii, &* § 6 *prævio egimus de hac ejus apud Furnenses ecclesia.*

i Joannes Brando *mortuus est anno* 1428. *Ejus Chronicon MS. extat Lovanij in Collegio Atrebatensi.*

k *Mortuus est* Adrianus Mesdach *anno* 1650, *Magister in Theologicis studiis Caroli de Visch.*

CAPUT II.

B. Idesbaldi res gestæ: pius obitus: prima corporis inventio.

S. Guthagoni elevationi interest a

4 ANno MCLIX B. Idesbaldus Abbas Dunensis, à Gerardo Tornacensi Episcopo invitatus, V Nonas Julii interfuit, una cum Abbatibus de Oudenburgo & de Eechout, elevationi reliquiarum a S. Guthagoni quondam Regis Scotiæ, in Oostkercka territorii Franconatensis juxta Brugas. Anno MCLXIII Philippus Comes, Flandriæ Gubernator, absente patre Theodorico, Dunense visitat monasterium; ibique existens absolvit à jure & onere feudali terram novam, non longe à Neoporto, quam in feudum tenuerat Folcranus Valdach, & quam dederat ecclesiæ Dunensi consentientibus filiis suis. Eodem diu dedit ecclesiæ Comes Philippus circiter tres mensuras terræ, apud Hem citra & ultra slusam, quæ erant pars feudi Lamberti Lusci & cohæredum, ipsis annuentibus & condonantibus. Insuper & plures alias donationes, antehac monasterio factas, etiam à parentibus suis, de novo confirmavit. De quibus omnibus extant authentica instrumenta. Anno MCLXV, VI Idus Februarii, Alexander V Pontifex scribit B. Idesbaldo totique Conventui Dunensi, concedens iisdem varia privilegia. I Suscepit monasterium Dunense sub B. Petri & Sedis Apostolicæ protectione. II Confirmat monasterio omnes possessiones, usque ad illam diem acquisitas & postea acquirendas. III Prohibet ne quis à Dunensibus exigat decimas, sive frugum sive terrarum quas ipsi colunt, aut animalium quæ nutriunt. IV Prohibet ne quis Religiosos aut Conversos Dunenses suscipere audeat aut retinere. V Prohibet ne quis, intra clausuram monasterii aut grangiarum, hominem, animalia aut quidquam aliud capere possit. Prohibens omnia jam dicta sub pœna anathematis &c. Eodem anno Philippus Comes, Gubernator Flandriæ, dat Idesbaldo & Conventui Dunensi aquam quæ venit à Sintenes & Mardica, & transit slusam Sintenensem, & sic pergit ad mare cum jure piscationis; approbantibus dictam donationem Waltero & Hugone de Formesele, Dominis de Sintenes. Anno MCLXVI Philippus Comes memoratus donat ecclesiæ B. Mariæ de Dunis & S. Nicolai Furnis centum & circiter octoginta mensuras terræ incultæ, jacentis in ea solitudine, quæ vocatur Voormour, cujus terminus ad Austrum est aquæ ductus, qui vocatur Hannekens-leedt, ad Aquilonem vero Arenæ-dunarum, sub onere dicendi quotidie Missam de Requiem.

D

varia beneficia impetrat à Philippo Comite,

& ab Alexandro V Pontifice.

E

5 Anno MCLXVII Idesbaldus, jam ætate & laboribus fractus, postquam duodecim annis in omni virtutum perfectione, verbo & exemplo commissum sibi gregem rexisset, ex hac vita in æternam subtractus est, cum summo omnium filiorum suorum mœrore, qui ob eximiam illius sanctitatem, contra morem Ordinis, in locello plumbeo eum sepelierunt, fuitque primus omnium Abbatum Dunensium in hac ecclesia sepultus. Hæc omnia collegi ex b Budsio, antiquo chronographo nostro, qui in Chronologia sua hæc habet: Tertius Abbas de Dunis, Domnus Idesbaldus, vir religione strenuus & in agibilibus non piger, factus est anno Domini MCLV. Hic duodecim annis præfuit, intra quos ampliavit plurimum in possessionibus monasterium vetus, in arena & sabulo constructum: in quo primus ipse Dunensium Abbatum sortitus est ecclesiasticam sepulturam &c. Et iterum in Supplemento: Anno MCLV successit Domnus Idesbaldus Cantor, tertius Abbas de Dunis, qui præfuit duodecim annis, & primus in veteri monasterio, & ob ejus sanctitatem in locello plumbeo, sepultus est, anno Domini MCLXVII. Hunc eundem annum obitus B. Idesbaldi expresse etiam asserit c Ægidius de Roya, Budsio adhuc antiquior nonnihil & celebrior, his verbis: Anno MCLXVII mortuo Idesbaldo, tertio Abbate de Dunis, quartus præest Walterus dictus de Dickebusch, annis

moritur anno 1167,

F

sepelitur in locello plumbeo:

annis duodecim. Defuncti Patris memoriam mœsti ejus filii sequenti epitaphio prosecuti sunt.

A *honoratur hoc epitaphio.*

Mœstus, Idesbalde, grex & plebs anxia valde
Tristatur, plangit, dum te mortis mola frangit.
Sed refovet rite melioris adeptio vitæ,
Qua patriæ civis felici fœdere vivis.
Id tibi concedi persuadent plurima credi,
Haud veneranda parum virtutum gesta tuarum.
Nam sibi Doxa Patris te sumpsit ab ubere matris:
Et tua verborum mens fonte refecta suorum,
Ardenter cœptis instans, non hæsit ineptis.

Sub Abbate Nicolao de Balliolo. 6 Anno MCCXXXII electus Abbas, Domnus Nicolaus de Balliolo, rexit domum Dunensem viginti & uno annis, omnibus prædecessoribus suis excellentius. Habuit sub se simul viventes monachos professos centum viginti, Conversos autem seu Fratres laicos ducentos quadraginta octo, in omnibus fere mechanicis artibus exercitatos: quorum operâ plura egregia & sumptuosa ædificia, tam in monasterio quam foris in d grangiis, construxit; nominatim templum, à predecessoribus suis inchoatum, plurimum promovit; & ad eam redegit formam, ut postea perfectum ex pulchrioribus fuerit totius Flandriæ. *anno 1239.* Anno MCCXXXIX, completis jam totaliter B locis regularibus novi monasterii Dunensis, juxta vetus constructi, benedictisque Capitulo, claustro & cœmeterio ad sepulturam tam religiosorum, quam aliorum, qui ibidem sepeliri vellent; Abbas conventum suum, ex dicto veteri monasterio, in novum hoc sollenniter introduxit, ipso cum Venerabili Sacramento præeunte. Volens autem vetus illud paulatim destruere, ut materialia aliis usibus adaptarentur, prius busta ac ossa majorum suorum exinde asportare statuit, ut ea convenientibus locis in novo monasterio sepelirentur. Ecce autem *corpus repertum integrum,* inter alia corpusculum B. Idesbaldi, jam annis septuaginta duobus humatum, incorruptum & integrum, repertum fuit: quod mox tantam suavitatem naribus adstantium ingessit, ut balsamo aliisque pretiosissimis liquoribus & unguentis perfusum dixisses: ubi tamen nihil appositum cernebatur, quam nonnihil vivæ calcis, qua ossa à putore carnium citius solverentur. Rem gestam ipsis verbis referam antiqui chronici, cujus auctor Budsius agens de B. Idesbaldo, ait: Hujus ossa à veteri monasterio, cum aliorum Fratrum exuviis, anno Domini e MCCXXXIX, ad novum monasterium translata sunt, & domui capitulari illata: ubi sancti viri Idesbaldi locellus apertus miram suavitatis fragantiam naribus adstantium inflavit: non tamen corpus, ut conservaretur, aromatizatum erat; sed divino munere C signum sanctitatis apparuit. Hæc ille. Viso inexspectato hoc miraculo, Deo munifico Sanctorum suorum remuneratori cum lætitia & exultatione grates debitas referentes, flosculis aliisque odoriferis herbis collectis corpusculum ornant, *sepelitur in novo Capitulo.* ac in eamdem plumbeam tumbam, calce ex parte rejecta, recondunt: apponentes eidem ad latera sex ansulas ferreas deargentatas: quibus commodius ac decentius, ubi res exigeret, transferri posset: sicque in Capitulo novo (ordinaria Abbatum sepultura) denuo terræ mandant. In cujus honorem perpetuo anniversario, ab omnibus successoribus, ejus memoria multo tempore celebrata fuit. Atque hæc prima fuit beati viri translatio.

ANNOTATA.

a *Colitur* S. Guthagonus *dicto 3 Iulij, quo die corpus est elevatum.*

b Adrianus Budsius *vixit seculo 15, mortuus anno* 1488.

c Ægidii de Roya *Annales Belgicos, ab Andrea Scotto nostro ex MS. Dunensi erutos, edidit typis Francofurtensibus anno 1620 Franciscus Swertius, cum Annalibus Gerbrandi à Leidis & Reineri Snoyi. Præfiguntur, quæ Adrianus Budsius discipulus, de Ægidio Magistro suo scripsit.* Ex carm. de visch.

d Grangias *pro horreis, villis & prædiis sumi sæpius diximus, uti 4 Februarii ad vitam S. Gilberti Simpringhamensis litt.* b.

e *Hinc anno* 1239 *hæc contigisse colligimus, & correximus errorem typographicum, quo scribebatur annus* 1237.

CAPUT III.

Nova corporis B. Idesbaldi inventio, & authentica attestatio incorruptionis.

7 QUadragesimus monasterii Dunensis Abbas, anno MDCXXIII, concordibus Religiosorum votis expetitus, & à Principe nominatus, fuit Reveri Dominus a Bernardus Campmans, vir pariter undequaque præstantissimus: qui ante promotionem suam à duobus prædecessoribus suis diversis functionibus, tam spiritualem quam temporalem statum concernentibus, applicatus, talia strenuitatis & industriæ suæ specimina edidit, ut etiam Serenissimi Principes nostri aliquot commissionibus honorificis illum honoraverint. *Sub Abbate Bernardo Campmans, viro strenuo,* a E Vix Abbatialem consecrationem acceperat, quando Clerus diœcesis Iprensis illum elegit, ut nomine suo Statuum Flandriæ collegio adsideret: in qua functione illum postea etiam continuavit Clerus diœcesis Brugensis. Paulo post, auctoritate Summi Pontificis & Reverendissimi Domini Clarævallensis, creatus fuit Vicarius & Visitator generalis Ordinis Cisterciensis per Belgium. Ob quas tamen functiones proprii monasterii negotia non neglexit. Nam inprimis antiqui Dunensis jampridem diruti, lateres magnis expensis ad alium locum avehi curavit, ne paulatim arenis sepelirentur, sed novo construendo cœnobio inservire possent. Huic operi dum sedulo incumbit, singulari industria B. Idesbaldi tertii Abbatis Dunensis b corpus detegit, & integrum repertum magna cum lætitia ad novum templum defert: ubi ab Iprensi Episcopo, loci Ordinario, adstantibus diversis Prælatis, aliisque primæ dignitatis personis, nec non magna promiscui populi multitudine diversarum conditionum, visitatum, & vera ac firma carne præditum esse comprobatum fuit, prout publico & authentico instrumento idem Reverendissimus Episcopus testatus est, quod sic sonat. b *corpus integrum repertum* F

8 Anno Domini MDCXXIV, mensis Aprilis XXI, Dominica II post Pascha, Reverendissimus in Christo Pater ac Dominus D. Antonius de Hennin, Dei & Apostolicæ Sedis gratia Episcopus Iprensis, ad instantiam Reverendi in Christo Patris ac Domini, D. Bernardi Campmans, Abbatis monasterii S. Mariæ de Dunis Ordinis Cisterciensis & Conventus ejusdem; præsentibus etiam Reverendis in Christo Patribus Carolo ab Argenteau, Abbate monasterii S. Winoci in oppido Bergensi, Ordinis S. Benedicti; Domino Christiano Druve, Abbate monasterii S. Nicolai in oppido Furnensi, Ordinis Præmonstratensis; Domino Remigio Zaman, Abbate monasterii SS. Petri & Pauli, in oppido Loënsi agri Furnensis, Ordinis Canonicorum Regularium S. Augustini; & Reverendis Dominis D. Francisco vander Eecke, Decano & Canonico Ecclesiæ Cathedralis Iprensis; Domino Guilielmo Zylof, S. Theologiæ Licentiato, Archidiacono & Canonico ejusdem Ecclesiæ Cathedralis; Domino Judoco Dixmudde, similiter Canonico; Venerabilibus Fratribus, Antonio Andries, Priore; Antonio Salé, Pat- *ab Episcopo Iprensi an. 1624 visitatum, coram 4 Abbatibus, 3 Canonicis dignioribus,*

AUCTORE CAR. DE VISCH.

in Religiosis Dunensibus 21.

Paschasio du Jardin, Philippo Bonte, Benedicto vander Vinck, Nicolao de Buissons, Venantio le Bailly, Petro du Corron, Ægidio de Raedt, Leone Geux, Cornelio Queval, Petro de Crequy, Joanne Bernardi, Guillielmo de Jonghe, Carolo de Visch, Adriano Meuleman, Presbyteris; Bernardo Joannis, Diacono; Hieronymo de Guyse, Subdiacono; Jacobo Molin, Francisco de Guezere, Ambrosio Mystere, & Gregorio Icx, Religiosis, conventum monasterii Dunensis præfati constituentibus; celebrato prius Missæ officio in Pontificalibus paramentis, aperuit loculum quemdam plumbeum: in quo erat integrum corpus, quod ex veteri monasterio jam destructo prædictus Domnus Bernardus Abbas exhumari & adferri jusserat, XIII Novemb. anni MDCXXIII ad chorum moderni monasterii.

9 Quod corpus (ut cognoverunt tam ex sepulchrali titulo, quam Annalium domus indicio, & continua seniorum monasterii traditione) erat B. Idesbaldi, tertii Abbatis præfati monasterii de Dunis; cum summa sanctitatis opinione defuncti anno MCLXVII. Eratque idem corpus vestitum veste religiosa, alba inferiori, & nigra superiori, adhuc prorsus firmis & integris (quæ tamen scissæ fuerunt ad inspectionem capiendam) cum herbis odoriferis diversi generis, rosmarino, absynthio, calicibus rosarum & aliis, quæ ex forma optime nosci poterant: ac præterea uno magno involucro ex tela cerata, omnino forti, ligato funibus cannabinis: qui quod essent omnino integri & firmi, scissi fuerunt ad inspectionem ut supra.

Vestes, involucrum, funes integri,

B

10 Ex qua inspectione deprehensum est caput integrum, adhuc munitum capillis, inter quos eminebat corona religionis, frons integra, oculi suis tecti palpebris & ornati superciliis, nasus aliquantulum fractus, violento quodam ictu, quo, ut dicebant & Prælatus testabatur, in eumdem impegerant, ejus integritatem exploratam non habentes, dum funem cum linteo quo involutus erat, frustra vi in partes detrahere tentarent. Genæ integræ, labia integra, coloris aliquantulum lividi; os parum patens, ita ut duo aut tres dentes in ipso aliqua sui parte videri possent. Barba valde copiosa, quam quis ab octo aut novem diebus rasam judicasset; ita tamen firma, ut præsentibus nobis fortiter pili ejus à chirurgo tracti, evelli non possent. Tota vultus constitutio, tamquam dormientis, in sinistrum latus versa: collum adhuc ductile & prorsus integrum. Humeri & brachia omnino integra, sicut & manus, in quarum læva adhuc parvi vulneris vestigium apparebat: pectus adhuc valde crinitum & integrum. Venter præterea cum coxis, genibus & tibiis prorsus integris & pilosis, ipsis etiam musculis prominentibus. Pes sinister integer & justæ magnitudinis: dexter vero sicut & dextera manus paulo contractior, ita ut videretur adhuc in vivis existens, paralysi, spasmo aut apoplexiæ malo laborasse. Tibialia omnino integra, ita ut etiam suturæ omnes dignoscerentur. Insuper retulerunt præfati Religiosi, plumbeum loculum, cruce, circulis & ansulis ferreis deargentatis decoratum, nulla sui parte corruptum aut exesum fuisse; cum tamen vicinus alter loculus, æque plumbeus, diversis in partibus exesus, ossaque aliorum inibi sepultorum magna sui ex parte corrupta & in pulverem redacta, inventa fuerint. Qua inspectione facta, curavit idem Reverendissimus Dominus loculum præfatum decenter claudi. In quorum omnium præfatorum fidem & testimonium præsentes per Secretarium litteras signari, & contra-sigilli sui jussit & fecit appensione muniri, anno mense & die prædictis.

partes corporis integri descripta,

C

De mandato Reverendissimi Domini præfati,

Oud. l'Oste, Secret.

11 Anno MDCXXVII, idem D. Bernardus Abbas, considerans locum residentiæ Conventus Dunensis expositum esse Hollandorum excursionibus, & nimis vicinum montibus arenosis, qui vetus monasterium oppresserant; eumdem Conventum suum III Maij ejusdem anni transtulit ad refugium Thosanum in civitate Brugensi; ubi coëmptis aliquot ædibus & fundis vicinis, anno sequenti MDCXXVIII sub finem Aprilis, novi monasterii fundamenta jecit; ex quo plura perfecit loca regularia, tanti splendoris, ut pauca in toto Ordine nostro reperias splendidiora. Adeo ut non nisi templum cum quarterio hospitum restent ædificanda: quorum ædificationem mors intempestive superveniens impedivit, dum anno MDCXLII, XX Decembris virum sustulit.

D

Monasterii Brugas translatum,

ANNOTATA

a Hujus Abbatis humanissimam benevolentiam expertus fui Dunis anno 1626 & Brugis anno 1640.

b Corpus detegit, quod quasi in oblivionem venerat quia totum monasterium fuerat ab hæreticis vastatum & incensum; & obrutum erat sepulcrum ruderibus, laterum & aliis sordibus; imo & aquis stagnantibus quæ ex circumsitis montibus affluebant; uti indicatur in appensa tabula, ab eodem Carolo de Visch confecta.

HISTORIA MIRACULORUM

Ex Flandrica tabella à Carolo de Visch scripta & in templo appensa.

E

1 Puella quædam Furnensis, nomine Gerarda Richart, filia Claudii, opificio fabri, annos circiter viginti nata; à diabolo in corpore suo obsessa, postquam sæpius, sed absque fructu, apud Patres Capucinos fuisset exorcismis subjecta; è consilio alicujus è dictis Patribus vovit recens inventum B. Idesbaldi corpus tertio invisere, & procurare ut ibidem Missæ sacrificium offerretur. Quibus peractis, ex ore suo expuit terribilem bufonem, nec postmodum ullas diaboli molestias experta est. Ita juridice coram Magistratu Furnensi testatus est Pater Capucinus, nomine Bertinus Stenfordiensis; ac jurejurando confirmarunt dicta puella, ejusque pater & mater Furnis habitantes: de quo publicum scriptum à Magistratu Furnensi confectum est, deputatis ad id duobus Scabinis & Domino Zannequino Notario.

Sanatur energumena

ejecto bufone,

F

2 Eodem anno MDCXXIV, alia puella Furnensis, nomine Maria de Portere, filia Matthæi, ancilla Reverendi Domini Sebastiani de Wien Canonici S. Walburgis ibidem, correpta ardente febri continua; atque ad extremum mortis periculum deducta, cum nullis medicamentis nequiret adjuvari, facto voto visitandi reliquias B. Idesbaldi, subito sanata est. Quod miraculum legitime examinatum, & sicut præcedens est approbatum.

ex continua febri desperata,

3 Petrus Otgerus, opificio scriniarius Furnis, ibidemque valde notus, eodem fere tempore apud dictum Magistratum sub juramento declaravit, aliquem ex suis liberis, quatuordecim solum mensibus natum, à febri, qua per integrum mensem fuerat vexatus, fuisse subito sanatum, cum particulam vestis B. Idesbaldi collo ejus appendisset.

alius puer,

4 Jacoba van Torhout, filia Henrici, Ipris nata, uxor Antonii de Menin, residens in pago Bevere prope Rusbrugas, confessa est XXIV Augusti anni MDCXXV, coram duobus approbatis Notariis, se integro quinquennio vexatam fuisse magnis & difficilibus angustiis pectoris, exoriri solitis è catarrhis, continuo è capite defluentibus, ac frustra variis medicamentis usam, tandem ubi ad loculum B. Idesbaldi accessit, sanitatem esse adeptam.

vexata angustiis pectoris & dolore capitis,

Domina

5 Domina Maria Briois, Religiosa parthenonis Markettæ in agro Insulensi, oppressa morbo è judicio Medicorum incurabili, aliqua scilicet specie epilepsiæ, cum continuo capitis dolore, memorato anno MDCXXV, intercessione B. Idesbaldi, sanata est; postquam die secundo Octobris hujus reliquias devote visitasset, ibidemque Sacramentis pœnitentiæ & sacræ Eucharistiæ animam corroborasset: quod cum illa testati sunt D. Iacobus Bart, dicti monasterii Confessarius; Domina Margarita du Chastel, Abbatissa; Domina Maria de la Haye, Priorissa; & Domina Maria Cresel, Iubilaria.

A *epileptica,*

6 Catharina Dyserin, filia Francisci, Insulis nata, & professa Ordinem S. Birgittæ, tribus annis vexata vi morbi incogniti, qui videbatur in phthisin tendere, cum intollerabili dolore lateris; cum nullis medicinis posset adjuvari, per suos parentes anno MDCXXVII, die XXX Martii, peregrinationem instituit ad locum, in quo B. Idesbaldus quiescebat, & sanitatem consecuta est. Quapropter plurimum exhilarati ejus parentes, denuo cum tota familia reversi, Deum omnipotentem in Sancto suo cum plurima gratiarum actione laudarunt, & mnemosynon alicujus picturæ in dicto sacello appenderunt.

phthisi laborans,

B

7 Joanna van Happiot, vidua Maximiliani Briois, Toparchæ Sailly; Catharina Ghery relicta Joannis Herring; Magdalena Massart, filia Nicolai; & Anna Oghe, comparuerunt anno MDCXXX, die XVI Maji, coram Notario, ex certa scientia declarantes & attestantes, quomodo Maria de la Perte, filia Guillielmi, Insulis habitans, per annos duodecim fuerat oppressa morbo interiore, medicis omnibus incognito, & proinde insanabili, qui sæpè tantam ei infligebat molestiam ut in terram decideret & deliquium animæ pateretur; & quomodo intercessione B. Idesbaldi non absque miraculo fuerat sanata.

gravi morbo vexata,

8 Maria Waudre, uxor Ludovici Lardis, residés Insulis in parœcia Sancti Salvatoris, per annos duodecim misere in corpore à malo genio obsessa fuit, & sæpius sacros exorcismos apud varios viros Ecclesiasticos experta, sed absque ullo subsidio. Unde in tantam delapsa est debilitatem, ut non nisi furcillis axillaribus nixa posset progredi. Hæc tandem cũ multa beneficia, quę Deus intercessione B. Idesbaldi præstiterat variis ægris intellexisset, & ipsa pervenit ad locum ubi dictus Beatus quiescit: ibique plenam sanitatem adepta, sua fulcra reliquit, ac domum reversa, nullam amplius diaboli molestiam sensit. In gratiarum igitur actionem attestationem transmisit, confectam anno MDCXXX die XVII Maji, subsignatam à Parocho ejus Ioanne Huchon, sacræ Theologiæ Licentiato; Nicolao Mollet, Sacellano; Juliano Mochet, Locum-tenente, & sex aliis.

item energumena,

C

9 Adam Staubs, civis Brugensis, opificio coriarius; ejusque uxor Maria, filia Victoris vanden Berge, coram Notario aliisque testibus sub juramento declararunt, XXX Octobris dicti anni MDCXXX, quomodo eorũ filius, etiam Adam nomine, per longum tempus laborarit morbo epileptico, ab eoque liberatus sit, postquam cum eo B. Idesbaldum devote visitaverint.

& epilepticus,

ALIA MIRACULA

Latine ab Emmundo Scipman Priore submissa.

1 EGo F. Carolus vander Plancke, Religiosus S. Francisci Ordinis Recollectorum in civitate Dixmudensi, sub initium hujus æstatis anni MDXXXV, existens in consortio sex vel septem Religiosorum Conventus nostri, simul coastantibus R. Patre Confessore monasterii de Hemelsdael & Domino Subpriore, utroque monasterii de Dunis Religioso, qui de beati Patris Idesbaldi insigni memoriâ nec non & de quibusdam miraculis ipsius meritis à Deo factis colloquentes, etiam quorumdam radiorum, qui instar auroræ consurgentis super dictum monasterium & locum in quo beatus Pater sepultus erat, affulserant & à variis visi fuerant, mentionem fecerunt; sed ut referebant nullam aliam attestationem, præterquam communium quarumdam personarum, vicina loca incolentium, quæ eosdem radios sæpius se vidisse testabantur, auspicari poterant. Quæ ego audiens, in memoriam redit, quod mihi olim acciderat propriisque oculis conspicere datum est, quod & ipsum præfatis Religiosis narravi. Re vero plenius digesta, me rogarunt dicti Domini, an hujus relationis à me factæ ipsis attestationem relinquere mihi liberum non foret: quibus respondi quod sic, mediante primum Superiorum meorum consensu; & ut id præstarem à R. Domino præfati monasterii Abbate non semel sum requisitus. Ego igitur F. Carolus, in fide Sacerdotii mei, certifico ac declaro, quod anno MDCVII, me in Conventu nostro Dunkercano Vicarii officio indigno fungente, ad dictum nostrum Conventum venerunt certorum negotiorum causa Pater Marcus Geneveus, Dixmudani Conventus tunc temporis Vicarius; & Pater Michael de Corte, Sacerdos & Prædicator ejusdem Conventus: qui peractis negotiis suis vesperi circa quintam Dunkerca egressi sunt, itinerique se accinxerunt: erat autem initium quadragesimæ. Ego vero, ut ipsis viæ comes fierem in Zuytcote usque, à Patre Guardiano obtinui. Quo ut appulimus, cœpimus ex itineris labore somnolentia premi. Verum quia sequenti die summo mane Neoporti esse ipsis necesse erat; denuo ex Zuytcote nocte Luna clarescente, inter decimam & undecimam horam egrediuntur: me vero ut ipsis comes fiam quamprimum instigant & orant: quibus & lubens acquiesco, ea tamen conditione ut mihi currum quem promiserant, pro reditu meo, altera die procurarent. Devenimus tandem ad eum locum, qui vulgariter Boggaerde vocabatur: quem aliquo usque prætereuntes, inter eum & Oostdunkercke pagum, somnolentia pressi substitimus, atque in Dunis sedentes, ad spatium circiter mediæ horæ dormivimus. Ego interim primus expergefactus, Confratres meos pariter excitavi, indicans ipsis claritatem diei jam vicinam esse, & hoc ea occasione, quod supra veterem domum Dunensem lucem clarissimam, ad instar auroræ surgentis, radios suos lucidissime vibrantem, videremus: & quia ea lux nobis satis vicina erat, putabamus nos urbem Neoportuensem clare intueri, & jam nos illi vicinos esse. Quare illuc tendimus, & ubi loco appropinquamus, à via non parum nos aberrasse deprehendimus; viamque priorem repetentes, tandem ad portam civitatis ad quam tendebamus pervenimus; portam autem minime patentem invenimus, hora enim erat præmatura nimis & quasi quarta. Præstolantes vero diei adventum, porta jam patente, civitatem ingressi sumus, in cujus rei veritatem huic nomen meum apposui.

Carolus vander Plancke Ordinis S. Francisci,

EX MSS LATINIS

audiens radios lucis affulsisse supra tumulum B. Idesbaldi.

E

testatur se quoque & alios duos idem vidisse,

F *media nocte;*

2 Cornelia vander Halle, pia ac honesta vidua Joannis Francque, pene septuagenaria, Dunkercæ oriunda & jam à decem fere annis in nostro Dunensi Cœnobio deserviens, hodieque superstes; sexdecim ab hinc annis verrucæ cujusdam incommodo torqueri cœpit, quæ ei sub oculo dextro ad tantam grossitiem succreverat, ut omnem illi oculo ad operas visus potentiam

EX MSS. LATINIS.

Verruca supra oculum, visum auferens, tollitur.

tiam adimeret. Sæpius sæpiusque naturalia medicamina adhiberi curat; sed frustra, imo grossior quam antea deprehenditur: quare a talibus medicamentis omnino cessandum putat. Eodem vero tempore, quo solennis & canonica B. Patris Idesbaldi visitatio ab Episcopo facta est, eumdem in peculiarem sibi Patronum adscivit, singularique devotionis affectu in ejus cultum ferri cœpit. Perpaucis vero ab inde diebus, partes vestium, ab habitu Beati Patris abscissas, sed ex calce & luto nimis maculatas, à Domino Subpriore mundandas accepit; quas nesciens unde & quid essent, lavit. Lavit vero, sed inaniter: nam præfatas maculas non dicam auferre, imo vero etiam variis adhibitis mediis nihil in eis immutare potuit. Miratur illa, & inanem suam operam dolet, variaque animo revolvens, particulas indumenti Beati Patris suspicatur. Quas ut esse deprehendit, ait: O si Beati illius Patris meritis ab hoc verrucæ incommodo queam liberari, & pristina videndi libertate gaudere! Quo dicto, vovet se spatio novem dierum cum eadem aqua & particula vestium prædictam verrucam abluturam, singulareque eidem Sancto totidem diebus devotionis spondet obsequium. Abluit primo, secundo, & altero die: nocte B vero tertia subsequente, prædicta verruca ita decidisse absque ullo dolore visa est, ut solum sui loco rubeum illudque parvulum reliquerit vestigium, quod ad aliquot usque dies permansit; inde vero ita evanuit, quasi in eodẽ loco nulla unquã verruca fuisset.

3 Eadem mulier octodecim & amplius annis miro brachii dolore, eamque mirum in modum affligente, vexata fuit. Variæ interim chirurgorum super hoc opiniones generantur: alii ex descensu catarrhi provenire judicant, alii ex nervorum frigefactione arbitrantur, alii aliter; juxtaque diversorum judicium diversa adhibentur medicamina, sed frustra; multisque in medicos erogatis expensis, sic manet misera. Dies quidem operibus, quibus valet, transigit; noctes vero insomnes, non solum sibi, sed & toti familiæ suæ singulis noctibus non parum molesta: apud nos vero, ratione illius doloris, sæpius ab operibus ordinariis ita præpedita, ut interdum brachium inflexibile habere videretur. Illa vero memor primæ curationis suæ, totam denuo spem suam in Beati Patris meritis reponit, sacrumque Missæ Sacrificium in illius honorem se fieri curaturam vovet, C novemque dierum ablutionem cum prædicta aqua & vestis particula adhibet, & alia devotionis obsequia spondet & exolvit. Quibus peractis, ita se sanam reperit, ut inposterum quiete & absque omni difficultate somnum capiat, & ad quaslibet operas idonea sit; laudãs & benedicens Deum in Sancto suo.

curatur vehemens brachii dolor,

4 Guillelmus de Grave, filius Henrici, ex oppido Furnensi oriundus, annos natus circiter viginti, tribus ferme hebdomadibus vehementissima febri laborarat, quæ illum singulis vicibus fortius vehementiusque invadere videbatur. De qua cum apud sorores suas conquereretur, ab eisdem ei consulitur, ut potui suo pauxillum ex herbis, in loculo circa ac supra corpus Beati Patris Idesbaldi repertis, immisceat; voveatque se sacras ejus reliquias, expositas in choro Ecclesiæ Dunensis, visitaturum. Quibus cum annueret, potum taliter mixtum sumpsit, subitoque convaluit, nec ad eum ultra febris rediit; liberque à morbo factus, ab obligatione voti cõtinuo se liberat.

& febris:

5 Antonia Parment, miro tibiarum dolore pluribus annis afflicta, frustra remediis naturalibus sibi mederi conabatur: nam uno in altera tibiarum curato vulnere, duo in altera oriebantur, ita ut sic diu misere divexata eo devenerit, ut absque baculorum ope nullatenus incedere valeret. Dum autem supremo dolore vexaretur, contigit illam in Dammensi civitate juxta Brugas, in qua tum annua solennis supplicatio habebatur, ad aliquot dies demorari: ubi D Beati Patris Idesbaldi famam & in patratione miraculorum singularem gloriam audiens, de misericordia Dei optime confidens, sacras Beati Patris reliquias se visitaturam promittit. At eam peregrinationem tali in statu minime perficere valet. Quid igitur, agat? Nummum sumit, quem cum magna devotione se Beati Patri oblaturam spondet: atque ut desideratam sospitatem citius consequatur, prædictum nummum aquæ immergit, ac deinde cum eadem aqua semel & iterum tibias lavat: taliterque sanari cœperunt, ut duobus tribusve abinde diebus dimisso altero baculo iter arripuerit; atque cum uno solo, qui illi ad incedendum adhuc necessarius erat, ad ecclesiam nostram venit; devotioneque peracta, ita se sanam reperit, ut absque alicujus baculi adminiculo mox ad propria redierit; baculumque, quo adveniens usa fuerat, una cum oblatione nummi promissi, ante Beati viri tumbam reliquit.

ex vulneribus tibiarũ clauda;

6 Religiosa quædam tertii Ordinis S. Francisci, in Oppido Neoportuensi, pergravi oculorum dolore laborabat, unde potentia visiva non parum præ- E pediebatur; quæ cum curam puellarum, in eodem Conventu scholas frequentantium, haberet, unam præ ceteris, ob impeditum auris organum, dure valde audientem advertit: in qua sola instruenda plus negotii sibi esse arbitrabatur quam in ceteris omnibus, illa scilicet minus bene vidente, hac durius audiente. Audita Beati Patris fama, totam se illius devotioni addicit; ac cum prædicta discipula peregrinationem ad ejus sacras Reliquias promittit, ac persolvit: ipsaque suo oculorum dolore libera, pristinam videndi facultatem; discipula vero integram audiendi potentiam receperunt.

Sanantur visu impedita & alia surda,

7 Antonius Torrel, Coxidanus, nobisque vicinus, agriculturæ deditus, jam annum circiter quinquagesimum agens, pergravi hæmorrhoidum dolore vexari cœpit, ita ut nec incedere nec domum egredi ullatenus valeret, ipsius tamen præsentia in cultura agrorum & aliis operibus requiritur. In die festo dum ad sacrum audiendum proficisci parat, vehementior solito dolor eum affligit, miserque quo se vertat nescit. Habet penes se particulam vestis Beati Patris Idesbaldi, quam à nostris acceperat: illius ope F ardentius implorata, particulam præfatam aquæ immergit, partesque affectas cum eadem aqua rigat & lavat: subitoque dolor omnis abscessit, nec unquam simile quid inposterum sensit.

Tollitur hæmorrhoidum dolor,

8 Hujus proles manus verrucis plenas habebant, quæ manibus maximam deformitatem adferrent; cum eadem aqua, præmissa Beati Patris invocatione, manus laverunt; ac paulo post ita verrucæ illæ evanuerunt, ut ne una quidem remanserit; aut sui loco vestigium aliquot reliquerit.

verrucæ manuum,

9 Mulier quædam conditionis non infimæ, Atrebato Dunas sacrum Beati Patris corpus visitatura venit: hæc cum trium annorum spatio extraordinario quodam morbo seu potius maleficio affligeretur, jamque tandem deficeret ac pene exanimis videretur, relictis omnibus medicinis naturalibus, ad Beati Patris opem & merita confugit (illius enim fama jam omnes partes illas pervaserat) ardentiusque orat; addito voto peregrinationis, si ab ea infirmitate curaretur. Non illam fefellit spes sua: nam aliquanto post tempore se integre sanam reperit. Nec peregrinationem differt, nam aliquot ab inde diebus ad nos venit, sacraque mysteria in beati Patris honorem & gratiarum actionem fieri jussit: cereos accendit, & pro oblatione partem quadraginta octo assium reliquit, factaque Sacramentali peccatorum suorum confessione, Dominicis munita Sacra-

maleficium trium annorum:

A Sacramentis, ad propria gaudens rediit.

febris, 10 Juvenis quidam, ex Civitate Insulensi, vehementi admodum febre correptus, peregrinationem ad Beati Patris Reliquias promittit, promissionemque suam non obstante morbi vehementia explet, ut igitur ad ecclesiam nostram pervenit, vehementiori quam antea febri torquetur: qua non obstante sacrum Missæ officium integrum audit; atque de Beati Patris ope confidens, sacrum ejus loculum accedit, nobisque videntibus, peracta devotione sua, liber prorsus ab omni infirmitate abscessit.


dolor pleuriticus, 11 Laborarat sæpius acerbo lateris dolore, F. Ambrosius de Mystere, domus nostræ Religiosus; qui dolor quasi quamdam pleuresis speciem præ se ferre videbatur; qui quidem, variis adhibitis medicamentis, interdum remitti videbatur, numquam tamen ex integro sanari. Contigit autem illum acerbius solito divexari, ita ut etiam ex eo medicis operam daret. Verum advertens varias inter eos super hoc opiniones formari, ad beati Viri opem auxiliumque confugit: brevique post tempore dolor omnis, absque ulla medicamentorum naturalium applicatione, ita evanuit, ac si numquam eum persensisset, nec unquam tale quid inposterum ei accidit; aut à choro (quod antea vehementia morbi constrictus agere cogebatur) aut altero quovis officio absens repertus est. *Hactenus MSS. illa Latina: quibus accedat ex Archivio Dunensi deprompta.* B

12 Epistola Insulensis Pastoris Philippi d'Huré, *EX MSS. LATINIS.* Amplissime Domine Præsul aut Reverende Prior. Quia Dei nostri magnalia, Sanctorumque ejus præclara merita revelare & confiteri honorificum est, hinc est, quod ego requisitus à Maria Bocqué, honestis & Christianis parentibus nata, ut veritatis testimonium darem, vobis notum facio & attestor in verbo Sacerdotis; quod licet supradictæ Mariæ, *energumena liberatur.* cum Dei gratia & superioris licentia, per consuetos Ecclesiæ exorcismos & Sacramentorum administrationem, succurrere studuerim, quinque mensium spatio; plenam tamen libertatem, veramque à dæmonio liberationem, non sit assecuta, nisi postquam in festis Pentecostes, monasterium vestrum, & sacellum ubi sacrum B. Idesbaldi corpus requiescit, devote visitavit, suasque ad Deum preces fudit, ut Beati Idesbaldi meritis intervenientibus à dæmonio liberaretur: quod per Dei misericordiam, se in eodem loco consecutam esse, & ipsa sensisse, & itineris comites animadvertisse confessæ sunt. A quo tempore tam pacifice & quiete vixit, ut ad pristinum vitæ statum rediisse & sanitatem recuperasse videatur; quod parentes ejus & vicini, & ego ejus confessarius & ex opposito vicinus testamur. Quare cum itineris labores & molestias iterum suscipiat, ut Deo Optimo Maximo, Beatæ semper Virgini, ac B. Idesbaldo gloriam reddat, testari & subscribere volui. Actum Insulis XXVIII Augusti MDCXXXIII. E

DE S. GALDINO S.R.E. CARDINALE, G.H.

ARCHIEPISCOPO MEDIOLANENSI, ET SEDIS APOSTOLICÆ LEGATO.

ANNO MCLXXVI.



Sancti Episcopi Mediolanenses 35. *INter Acta Synodorum diœcesanarum, quas in Ecclesia Mediolanensi S. Carolus Borromæus celebravit, extat tabula Archiepiscoporum Ecclesiæ Mediolanensis, in qua recensentur Antistites Sanctorum catalogo adscripti quatuor & triginta: quibus accessit ipse S. Carolus quintus supra trigesimum. Inter hos floruit seculo Christi duodecimo S. Galdinus, de quo hic agimus, Sanctæ Ecclesiæ Romanæ etiam Cardinalis, & Sedis Apostolicæ Legatus.* *Vita S. Galdini datur ex MSS. & Mombritio.* *Vitam ejus, olim non diu post obitum conscriptam, damus ex codice pergameno monasterii Blabureensis Ordinis S. Benedicti, in diœcesi Constantiensi, prope Vlmam Imperialem Germaniæ civitatem, quam inde nobis submisit Ioannes Gamansius, sua ibidem manu exscriptam. Eamdem habemus, à ducentis circiter annis excusam, in collectione Ioannis Mombritii tomo I de Vitis Sanctorum. Ioannes Petrus Puricellus, sacræ Theologiæ Doctor, & Ecclesiæ Laurentianæ apud Mediolanenses Archipresbyter, in Monumentis Ambrosianæ Ecclesiæ & monasterii, eamdem S. Galdini Vitam reperit apud monachum Mediolanensem, nomine Hilarionem, & plurima ad confirmationem suæ historiæ ex eadem allegat. Vt autem* C *hanc Vitam illustraremus, videbatur opus Annotationibus aliquanto longioribus, quam quæ singulis capitibus commode annecterentur: quare sub finem Analecta in suos paragraphos distincta conjungimus, & temporum seriem accuratius explicamus.* *adduntur Analecta.*

Cultus sacer ex Martyrologiis, Breviariis, Missalibus. *2 Cultum & venerationem indicant, cum hodierno Martyrologio Romano, Molanus Ghinius, Galesinius, Ferrarius, aliique; sed potissimum antiqua Missalia & Breviaria Ecclesiæ Mediolanensis. Ex his in Kalendario Missalis anno MDLX excusi refertur sequenti die, & notatur festum ejus celebrari Dominica secunda post Pascha: ex istis hanc de ejus virtutibus & miraculis desumimus Præfationem, in Missa recitari solitam:* *Illustre elogium ex Præfatione Missæ,* O æterne Deus: in festivitate Beati Galdini tuæ magnificentiæ gloriam collaudantes, quem mira fidei operum sanctitate magnificum ostendisti, magnificis merito præconiis extollendum. Hic namque Metropolis Ambrosii Archilevita & Cancellarius, ardens zelator fidei adeo extitit & pugil Ecclesiasticæ unitatis, ut patriæ relictis liminibus mallet exul vivere, quam schismaticis, inconsutilem Domini tunicam scindentibus, obedire. Hic Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, Pastor Mediolanensium pervigil, lupos rapaces ne gregem dilanient *synopsis virtutum,* arcet hæreticos, egregius prædicator. Hic caritate fervens, humilitate præeminens, pietate affluens, vocem præveniens petituri, egentes relevat, puellas dotat inopes, senes nutrit, viduarum tutamen, pater & refugium orphanorum. O quam felix hujus beati viri sanctæ vitæ progressus! O quam F felicior est egressus: *& miraculorum;* qui confutans hæreticos, cum verbi Dei convivio populum refecisset, ad convivium introducitur Angelorum! O quam claris miraculis hic coruscat! Ad ejus enim tumulum cæci lumen, claudi gressum recipiunt, sanantur infirmi, dæmones effugantur, per Christum Dominum nostrum, per quem Majestatem tuam &c. *In orationibus, quæ de eodem Sancto singulares recitantur, laudatur* Deus, qui B. Galdinum Pontificem misericordiæ operibus sua gratia decoravit, & qui B. Galdino Pontifici tantam fidei constantiam contulit, ut peregrinari potius elegerit, quam schismaticis consentire, hostibus Ecclesiasticæ unitatis, *alibi* veritatis. *Corpus in ecclesia Cathedrali,* *Mortuus est & sepultus in ecclesia S. Theclæ, in area Cathedralis templi constructâ: verum anno MDXLVIII ea destructâ & complanatâ, corpus S. Galdini cum aliis Sanctis Episcopis fuit depositum in dicto templo Cathedrali, in altari Sanctuarii sub majori altari. Aliquas ejus reliquias, dono S. Caroli Borromæi acceptas, Gabriel Paleottus Cardinalis & Episcopus Bononiensis deposuit anno MDLXXXII* *reliquiæ Bononiæ.* *in Metropolitana sua: cujus sacram memoriam recolit Masinus in Bononia perlustrata.*

VITA

Ex MS. Blaburensi & Mombritio.

Enobilis familia

1 GAldinus vir Mediolanensis, civis egregius, ortus è stirpe nobilium Valvasorum de Sala, civitatis Mediolani portæ orientalis, ab infantia sacris litteris eruditus, in majori ecclesia Mediolanensi constitutus & ordinatus, eousque venit, ut in eadem ecclesia Archidiaconatus dignitate & officio *a* Cancellariæ fungeretur. Qui cum postea suo prædecessori, Huberto de Pirovano Archiepiscopo, fideliter ac devote adhæreret, schismatis tempore sub Alexandro Papa tertio & Frederico Imperatore facti; cum suo Domino ac aliis quibusdam ex urbe sua *b* egrediens, ejusdem schismatis rabiem & suæ civitatis periculum fugiens, ab Alexandro *c* Papa, eamdem schismatis rabiem fugiente, cum Domino suo amice, gratanter & officiosissime susceptus est. Exilium igitur B. Galdinus & non modicos labores, cum Pontifice suo prædictoque Alexandro Papa & aliis quibusdam, perpessus est.

a Archidiaconus, tempore Schismatis

b

c cum Archiepiscopo fugit ad Alexandrum 3,

d

e

B

2 Cum circiter quadriennium in Gallicana exulassent ecclesia, demum navigio *e* Palermum, multis fluminum latronumque periculis, ad Regem Siciliæ pervenerunt. Is vero multo honore eos suscipiens, aliquantis diebus studiose curavit: & deinde eos à se dimittens, multis donavit muneribus. Deinde cum, juxta dispositionem præfati Apostolici viri, Beneventum pervenissent; paulo post vir Dei Galdinus, Archidiaconus simul ac Præsulis sui scriba, ab Alexandro summo Pontifice vocatus, Romam de concessione ejusdem Archipræsulis sui proficiscitur: ibique suis sibi suffragantibus meritis, in Presbyterum *g* Cardinalem S. Sabinæ ordinatur.

degit in Gallia,

f navigat Panormum;

venit Beneventum,

Roma creatur Cardinalis:

g

3 Ibi eo aliquantulum morante, cœpit jam dictus Hubertus Archipræsul gravi detineri infirmitate: jamque sui laboris & certaminis cursu peracto, de hac luce in pace *h* migravit; omnibus relinquens exemplum, pro fide & unitate Ecclesiæ, se morti & periculis dare, ac pro Domino vitam ponere. Procurata autem digne ejus sepultura, dignisque sibi exhibitis funeralibus exequiis in *i* ecclesia sanctæ Sophiæ, quæ in Beneventana est civitate, corpus ejus summo cum honore tumulatum est. Beatus itaque Galdinus, tanto Patre orbatus, tantoque destitutus solatio, multas pro carissimo Patre & Domino lacrymas fudit; compluribus pietatis suæ præbens exemplum: metuens nimirum, ne tanto Patre ex hac luce migrante, Mediolanensis periclitaretur Ecclesia, præsertim cum eo tempore civitas diruta jaceret, & populus sub jugo captivitatis & duræ servitutis detineretur. Sed & Sacerdotes & Clerici, qui fidem & unitatem servantes Summum Pontificem Alexandrum invocare audebant, variis à schismaticis afficiebantur suppliciis; multique suarum rerum damna perpessi, quasi vitæ metuentes, ad detestabile juramentum urgebantur. Sed Deus omnipotens, qui quos diligit castigat, suarum memor misericordiarum, neque sustinens tam sanctam ac nobilem perire Ecclesiam, & dignum sibi providit Pastorem, & civitatem post aliquantum tempus in virtute brachii sui restauravit.

mortuo Archiepiscopo Beneventi,

h

i multum dolet:

C

diruta tunc urbe Mediolano,

& Clero misere distracto.

4 Memoratus enim Alexander, de obitu Confratris paterno dolens affectu, & Ecclesiæ suæ secundum quod poterat, cupiens providere, (quia Mediolanensis Ecclesia, quæ quasi dispersa fuerat, de Pastoris electione tractare nec poterat nec audebat) Argisium Cimeliarcham ex Pirovanorum familia, & B. Galdinum aliosque, quos in partibus illis de Clero Mediolanensi potuit habere, mature admodum vocans; supradictum Galdinum, virum sanctissimum multisque præditum virtutibus, ad preces Fratrum qui aderant, in Episcopum *k* consecravit. Hic, licet, propter exilium & labores quos pertulerat, corporis debilitate laboraret, nec tantum onus voluntarie susciperet; animo tamen constans, caritate fervens, assiduis precibus & crebris suspiriis Dominum exorabat, ut aliquando civitas lapsa surgeret, Ecclesia restauraretur, & tam Clerus quam populus secum pariter ad proprias remearent sedes.

consecratur ab Alexandro 3 Papa Archiepiscopus,

D

k

pro restitutione urbis solicitus.

5 Modico igitur elapso tempore, Lombardi ob similem casum sibi providentes, memores roboris & fortitudinis memoratæ civitatis, clam inierunt consilium, & eam in munimentum ac aliarum civitatum defensionem instaurare statuerunt. Porro etsi quidam, antiquum foventes odium, dissentirent; divina tamen superabundante gratia, Sanctorumque Martyrum & Confessorum suffragantibus meritis, factum est, ut plures Lombardorum, memores pristinæ societatis & amoris, ad ipsam armata manu accederent civitatem: ut cives, qui in quatuor partes dispersi fuerant, ad civitatis introitum hortarentur & confirmarent: Primitusque *l* Bergamenses Milites decem, cum decem vexillis, venerunt; Brixiensesque & Cremonenses, Mantuani quoque cum Veronensibus, cum iis qui Marchiam incolunt Tarvisianam, Mediolanenses introduxerunt in civitatem, anno Domini millesimo centesimo sexagesimo septimo, quinto Kalendas Maji. Tunc fuit videre populum de Babylonica captivitate redeuntem, viros præ gaudio flentes, parvulos & mulieres præ lætitia clamantes. Ferebantur voces in cælum: festinabat quisque ad propria.

Civibus Mediolanum reductis,

E

l

auxilio vicinarum civitatum, anno 1167 27 Aprilis,

6 His ita peractis, Galdinus civitatis suæ restitutionem audiens, provide suscepta Apostolicæ Sedis legatione, iter ad patriam arripuit: & præcavens inimicorum *m* insidias, quæ in plerisque locis sibi tendebantur, mare navigans, in peregrini habitu Venetias, ingentibus periculis, tamen incolumis, pervenit: ac deinde Lombardiam attingens, suscepto Episcopali habitu insignibusque Pontificalibus, Mediolano factus est propinquior. Occurrerunt summa exultatione universi cum toto Clero cives: eumque digna veneratione, ut par erat, suscipientes, usque ad B. Ambrosii basilicam cum hymnis deduxerunt, anno natalis Dominici millesimo centesimo sexagesimo septimo, quinto die Septembris. Facta est igitur in civitate, de tanti Pastoris adventu, ingens lætitia; & exultaverunt omnes, videntes omnia sibi cooperari in bonum. Cesserunt autem universi Ecclesiæ impugnatores: & alii quidem veniam postulantes, alii vero post abeuntes, à persecutione destiterunt.

factus Legatus Apostolicus,

m

Venetias, inde Mediolanum tendit.

F

solemniter exceptus 5 Septembris

7. Suscepit igitur vir ille piissimus Ecclesiam, & eam intrepidus gubernans, prædia & patrimonium Ecclesiæ, quod in prædam & rapinam multorum datum erat, de faucibus eorum quantocius eripuit. Sed & palatium, quod inimici funditus diruerant, longe excellentius miroque decore & ornatu reparavit. Cumque in his omnibus crebris & fere assiduis ureretur corporis infirmitatibus, in suo tamen ita pervigil existebat officio, ut quicumque circa eum fuerant, Clericos psalmodiis & vigiliis atque orationibus fatigaret. Nihil deinde in hoc seculo sciens tutum vel durabile, de morte semper cogitabat, memor Sapien-

Patrimonium Ecclesiæ eripit: palatium restaurat:

in officio vigil,

A Sapientis, dicentis: Pone ante oculos tuos diem mortis tuæ, & in æternum non peccabis. Sed & loquendi tantam à Deo gratiam receperat, ut eum ad populum de divino cultu loqueretur, non homo sed Dei spiritus in eo loqui videretur.

Eccl. 7.40 *orator eximius*

8 Cura autem pauperum præ cunctis mortalibus ei fuerat: & licet in aliis impensis & oneribus quotidianis humana eum tangeret cupiditas; circa pauperes tamen ita erat profusus, ut nihil sibi sed omnia eis se possidere existimaret; adeo ut non sibi, sed pauperibus Christi vivere crederetur. Sed & non minus eorum causa solicitus erat qui inopia & paupertate laborarent, eleemosynamque petere erubescebant. Enimvero vocem petituri præveniens, omnibus misericorditer compatiebatur & tribuebat. Tantæ quoque fuit humilitatis, ut à quibusdam pro sua humilitate contemptibilis videretur. Verumtamen superbis & elatis in virtute spiritus resistens, malos in bono vincere studebat. Pro defensione quoque & exaltatione Ecclesiæ suæ tantam curam & solicitudinem gerebat, ut non quorumlibet minis vel blandimentis moveretur. Porro ita se mansuetum & benignum omnibus exhibebat, ut sua sanctitate & benignitate pietatis & misericordiæ formam omnibus præberet & exemplum. Denique omni præditus virtute, tantæ erga domesticos erat jucunditatis, ut cum solus esset cum illis, quasi unum ex eis sese existimaret, cognoscens se, tamquam & ipsos, mortalem esse.

curator pauperum, *humilis* *superbis resistit:* *mansuetus & benignus,* B

9 Igitur cum omnes fere Suffraganeos suos suis consecrasset temporibus, jamque civitas & Ecclesia sua, Domino faciente, ad pristinum statum esset restituta; cœpit hæresis *n* Catharorum in civitate pullulare, distractionis & schismatis præcedentis causa: quæ usque adeo peccatis exigentibus creverat, ut multi ipsam hæresim aliosque errores ausu temerario publice prædicarent, & multæ simplicium animæ laqueis diabolicæ fraudis caperentur. Huic igitur sævissimæ pesti vir sanctus se opponens, multis sermonibus prædicationibusque populum suum ab illo stulto errore & vesania retrahebat; atque eum rudimentis Catholicæ fidei, quantum poterat, instruens, verbo proficiebat & exemplo.

Suffraganeos consecrat, *n* *Catharos hæreticos solide confutat.*

10 Cum autem decennium in suo explesset Pontificatu; eodem die quo consecrationem accepit, celebrata Dominicæ resurrectionis solennitate, secunda post Pascha die Dominica, in hæreticos zelo Dei accensus, S. Theclæ ecclesiam petit, de more divina in ea officia peracturus. At quia corporis multa debilitate laborabat, Missarum solennia à supramemorato Cimeliarcha, qui postea successit, celebrari præcepit. Ipse vero, confessione cum Fratribus facta, priusquam Euangelii lectio populo recitaretur; pulpitum ascendens, contra præmemoratos Catharos eorumque complices præclarissimam habuit *o* orationem, eorum errores multis argumentis & rationibus apertissime & quantum oportebat confutans, fidemque Catholicam multis sanctorum Patrum exemplis & Euangelicis comprobans scripturis.

C *Dominica 2 post Pascha, in Ecclesia S. Thecla, sub sacrum* *concionatus contra Catharos,* *o*

11 Posteaquam vero finem dicendi fecit; consummato sui certaminis cursu eam corporis cœpit sentire molestiam, qua anima separatur à corpore. Mutationem itaque vultus ipsius Fratres tenebant, considerantes eum paulatim deficere: eum itaque ibidem levi motu deposuerunt. Perlecto autem Euangelio & peractis Missarum solenniis, cum ipse in eodem pulpito jacens, nutibus quibus poterat, Fratribus qui adstabant animam suam commendasset; multo adstante Clero & populo, spiritum Deo reddidit: quo factum est ut & Fratribus & Ecclesiæ non modicam relinqueret tristitiam.

deliquium passus, *in pulpito moritur,*

AUCTORE G. H.

12 Ipse vero assumptus in cælum pro populo suo, ut pie credendum est, non cessat ad Dominum interpellare. Quod multis & manifestis signis & indiciis declaratur: nam ad ejus tumbam veniunt ægroti, vota promittunt, referunt salutem: curvus, erectus redit; & retorti membra, sanatis membris mirantur: dæmon expulsus fugit, & corpus obsessum meritis beati viri derelinquit, atque tormentum sibi demonstrat esse defuncti Præsulis honorem. Tanta Galdini meritis clarescunt miracula, ut nunc seculum Petri Apostoli rediisse videatur ac sociorum. Ergo nos sanctum veneremur Pastorem, quem nobis Dominus Patronum dedit: ne fidem lædant Cathari serentes dogma nequam, quod à Catholica Ecclesia explosum *p* sequuntur. Curaverunt autem sepulturam ejus Fratres ipsius Ecclesiæ, & corpus ejus sub eodem pulpito in lapideo mausoleo multo cum cultu sepelierunt. Porro Divina providentia factum est, ut post aliquantum temporis consilio Fratrum ad altiorem locum ex alia pulpiti parte transferretur, ibique sanctissimum corpus ejus in pretioso conditum sarcophago usque in præsentem celebretur diem. Obiit autem B. Galdinus anno natalis Dominici *q* millesimo cētesimo septuagesimo sexto, Aprilis decimo octavo.

claret miraculis, *p* *sepelitur,* *in altiorem locum transfertur.* *q* E

ANNOTATA

a *Fuit Cancellarius duorum Archiepiscoporum, Riboaldi seu Ribaldi, qui fuit anno 1134 Archiepiscopus factus; & Huberti sive Oberti, qui priori successit ab anno 1145, unde de ætate ejus potest aliquid judicari.*

b *Sub finem anni 1164, aut initium sequentis, ut ex infra dicendis constabit.*

c *Alexander 3 Papa venerat Genuam 21 Ianuarii, anni 1162.*

d *Inter hos ex Mediolanensibus erant Milo Archipresbyter, dein Episcopus Taurinensis & Algisius Cimeliarcha, post S. Galdinum Archiepiscopus Mediolanensis: ita Tristanus Chalcus in Historia Mediolanensi lib. 10 pag. 211.*

e *Simul cum itinere ab egressu ex urbe Mediolanensi, usque ad adventum in urbem Romanam sub finem anni 1165, quadriennium fuit.*

f *Hic est Willelmus primus, qui cum patre Rogerio cœpit regnare anno 1150, eoque mortuo regnavit solus ab anno 1154 ad annum 1166.* F

g *Anno 1165 mense Decembri, non in Gallia anno 1163 ut scribit Ciaconius.*

h *Die 28 Martii, anni 1166.*

i *Est monasterium Ordinis S. Benedicti.*

k *Dominica 2 post Pascha anni 1166, ut infra probatur.*

l *Sunt hæ civitates in Lombardia seu Gallia Cispadana celeberrimæ & notissimæ.*

m *Insidiæ fuerunt ab exercitu Frederici Imp. qui 24 Iulii anni 1167 Romam occupavit.*

n Cathari *in Belgio & circa Coloniam exorti, sub annum 1160, cum bello & schismate in Mediolanum venerunt, de quibus late acturi sumus 29 Aprilis ad Vitam S. Petri Martyris Ordinis Prædicatorum, ab ejusmodi hæreticis occisi: in cujus epitaphio, à S. Thoma Aquinate facto, dicitur,*

Verbi gladius, gladio cecidit Catharorum.

Si in illa hominum ineruditorum fece aliqua Græcæ linguæ fuisset peritia, videri possent ipsos se vocasse Καθαρὲς, *id est* puros, *sicut Calvinistæ in Anglia* Puritanorum *nomine gloriantur. Credibilius est à vulgo Germanico, propter nocturnas coitiones contumeliæ causa dictos* Caters, *id est feles seu lemures; vel ex obsoleta jam, sed apud Otbfridum invenienda voce* Quaten, Quetten, *garrire factum eis esse nomen: quod hodie omnibus in Belgio ac Germania hæreticis commune manet, ut* Ketters *dicantur,* sicut

AUCTORE G.H.

sicut etiam nunc ab ista eadem radice usurpamus verbum Quetteren, *in eadem cum primitivo significatione: quo etymo nihil potest esse vanissimo & loquacissimo isti hominum generi convenientius.*

o *Ripamontius tomo 2 Historiarum Ecclesiæ Mediolanensis lib. 2 concionem, quasi tunc habitam, efformat.*

p *Ex his patet auctorem fuisse coævum, cum adhuc dictæ hæresis pullularet.*

q *Sunt hæc apud Mombritium expressa:* anno MCXXVI, *omisso numero* L, Aprilis XVIIII, *ubi abundat dies unicus, quæ ex infra dicendis optime corrigentur.*

ANALECTA

§I. Calamitas urbis Mediolanensis ab anno MCLIX usque MCLXVII. Exilium S. Galdini, & ejus creati Archiepiscopi adventus.

Odia Frederici Imp. in Mediolanēses an. 1159 aucta,

1 *Afflictissimo Ecclesiæ universæ & maxime urbis Mediolanensis tempore vixit S. Galdinus, primo Archidiaconus, tum Archiepiscopus Ecclesiæ Mediolanensis. Origo hujus calamitatis cœpit anno* MCLIX, *& duplici quidem ex capite. Primo quod mense Ianuario Fredericus Ænobarbus Imperator, qui tunc in Lombardica ditione degebat, Mediolanum Legatos miserit Rainaldum Archiepiscopum Coloniensem, & Othonem Comitem Palatii, ut novos urbi Consules crearent. Verum id adeo libertati suæ contrarium arbitrati sunt cives, ut ad ejiciendos ab urbe Legatos concurrerint, tumultu ipso pene obtritos. Hi ad Fredericum reversi, illatam sibi injuriam retulerunt, & conceptam ante in Mediolanenses indignationem plurimum auxerunt, uti pluribus explicat Tristanus Chalcus, libro 9 Historiæ Mediolanensis pag.* 189. *Eodem anno Kalendis Septembris mortuo Hadriano IV Papa, mox legitime substitutus est Alexander hujus nominis tertius: contra quem, auctore præsertim Frederico Imperatore, intrusus est Octavianus, assumpto nomine Victoris: quando misso ad Mediolanenses Ioanne Anagnino Cardinale, Alexander Papa fœdere cum Mediolanensibus icto* XXVIII *die Martii anni* MCLX, *Archiepiscopum ac Consules Sacramento fidelitatis obstrinxit, uti ad dictum annum late exponit Sigonius de Regno Italiæ. Et hæc altera occasio fuit Frederico Imperatori bellum ardentiore animo cum Mediolanensibus gerendi. Florebat tunc Mediolani S. Galdinus Archidiaconus, qui cum suo Archiepiscopo Oberto, aliis Huberto, & Archipresbytero Milone, mense Februario, concordiæ initæ inter Abbatem Morimundani in ripa Ticinensi cœnobii, & Præpositum de Rosate subscripsit: cujus concordiæ documentum vetus edidit Ughellus in Archiepiscopis Mediolanensibus columna* 213.

ob Legatos ejus male acceptos,

& ob fœdus cum Alexandro 3 Papa ictum contra Victorem Antipapam.

Mediolano obsesso à fine Maji ann. 1160

& fame presso an. 1161,

S. Galdinus cum Archiepiscopo Genuam fugit ad Alexandrum 3,

2 *Anno proxime sequente* MCLXI, *Victor Antipapa, Archiepiscopum & Consules Mediolanenses eorumque fautores, in Conciliabulo in urbe Lauda coacto, excommunicavit; & Fredericus Imperator, novis è Germania copiis auctus, urbem Mediolanensem sub finem Maji obsidione cinxit. Inter has Italiæ calamitates Alexander Papa, ut Ecclesiæ consuleret, Roma discessit sub finem hujus anni; & mare ingressus apud Genuam, appulit* XXI *Ianuarii anni sequentis* MCLXII; *ibidemque ultra duos menses substitit, & contra prohibitionem Frederici Imperatoris ab universo Clero & populo cum honore & gloria susceptus est: sicut ex ejusdem Papæ Actis constat apud Baronium ad præsentem annū num.* 2. *Cum vero tunc temporis Mediolani esset gravissima cibariorum inopia, & tumultus ac jurgia, quod Archiepiscopus Alexandro Papæ adhæsisset, concitarentur; Archiepiscopus, cum S. Galdino & nonnullis aliis, Genuam ad Alexandrum Papam se recepit. Tunc simul omnes Dominica Passionis Genua discesserunt, & in Galliam Narbonensem navigarunt, ac primo Magalonam inde in urbem Montis-Pessulani pervenerunt. Eadem Quadragesima Mediolanenses fame coacti fuerunt se dedere Imperatori Frederico, qui mandavit, ut omnes intra octo dies ex urbe abirent. Tunc ipse urbem ingressus direptioni excidioque eam tradidit: ac celebrato ibidem Palmarum festo, Papiam profectus, diem Paschæ egit.*

urbe eversa degit in Gallia,

3 *Iacuit ergo urbs Mediolanensis absque habitatoribus, in suis fere cineribus, usque ad annum* MCLXVII. *Alexander vero Papa, & S. Galdinus cum suo Archiepiscopo ad quartum usque annum manserunt in Gallia: & inter res alias ibi gestas, Alexander Claromonte Victorem ac Fredericum eorumque factionem sacro rursus anathemate perculit, & anno* MCLXIII *Concilio apud Turonenses* IV *Kalendas Iunii habito interfuit, una cum Ludovico* VII *Francorum Rege, Cardinalibus* XVII, *Episcopis* CXXIV, *inter quos Archiepiscopus Mediolanensis, Abbatibus* CCCCXIV, *& aliis cum S. Galdino: qui acta Papiensis ac Laudensis conciliabulorum, ab Imperatore Frederico convocatorum, resciderunt. Mortuo anno* MCLXIV *Victore Antipapa Kalendis Aprilis, ei substitutus est Guido Cremensis & Paschalis dictus. Anno proxime sequente* MCLXV *civitates Lombardiæ de fœdere ineundo contra Imperatorem agitare cœperunt: & Alexander Papa, urgentibus Romanis, reditum è Gallia paravit; atque infra Octavam Assumptionis B. Mariæ Virginis, una cum S. Galdino ejusque Archiepiscopo, ex Monte-Pessulano ad naves venit; ac mare ingressus Panormum navigavit, ut acta S. Galdini habent. Messanam tamen appulisse tradunt acta Alexandri Papæ apud Baronium ad hunc annum num.* XI. *Inde Alexander Romam profectus, solennissimo ritu inductus est* XXI *Novembris. At S. Galdinus cum suo Archiepiscopo Beneventum profectus, eo venit sub initium dicti Novembris; unde mox Romam evocatus, mense Decembri creatus est Cardinalis S. Sabinæ, quod ad hunc annū etiam indicavit Sigonius.*

an. 1165 navigat in Siciliam,

creatur Cardinalis mense Decembri.

ordinatur Archiepiscopus Dominica 2 post Pascha, an. 1166

4 *Mortuo anno* MCLXVI *Beneventi Archiepiscopo Mediolanensi Oberto sive Huberto* XXVIII *Martii, solenni ritu ab Alexandro Papa inauguratus est Archiepiscopus Mediolanensis S. Galdinus, eodem die, quo postea è vita discessit,* secunda post Pascha Dominica die, *uti Acta num.* 10 *habent. Cum autem dicto anno* MCLXVI *Pascha inciderit in diem* XXIV *Aprilis, consecratio hæc fuisset peracta* VIII *Maji, die Apparitionis S. Michaelis, quando Evangelium Dominica proponit bonum pastorem, qui animam suam dat pro ovibus. Alii consecrationem rejiciunt in diem* XVIII *Aprilis, qui conveniebat in proximam feriam post Dominicam Palmarum. Verum Acta ipsa obstant, & tempus amplius requiritur, ut post notitiam de morte Oberti, potuerint Romæ colligi aliqui de Clero Mediolanensi. Interim dum S. Galdinus Romæ permanens, suum Archiepiscopatum etiam absens administrat; colloquium habuerunt Lombardi, ex pluribus urbibus collecti, in Pontidensi monasterio, Mediolanum inter & Bergomum,* XXVIII *Martii anno* MCLXVII: *& mox, constituta die singulæ civitates Præfectos Frederici per tumultum urbibus exegerunt; & creatis Consulibus Rempublicam veterem restituerunt; ac deinde* XXVII *Aprilis die Iovis Mediolanenses in urbem suam, desertam ac pene deletam, redierunt. Fredericus interim à Paschali Antipapa sollicitatus, Romam aggreditur; eademq; (sed Alexandro Papa per fugam Beneventum elapso) potitur* XXIV *Iulii, & Kalendis Augusti ab Antipapa Paschali coronatur Augustus. Sed postridie, exercitu ejus repentina pestilentia correpto ac magna ex parte pereunte, & ipse Imperator Romam deseruit, & per Etruriam proficiscens in Lombardiā* XI *Septembris Papiā intravit. Discesserat jā ante Roma S. Galdinus, suscepta Sedis Apostolicæ Legatione, in habitu peregrini, ac mari Venetias venit; indeque per Lombardiam Mediolanum versus perrexit,* & in monasterio Claravallis moram traxit: ubi à Mediolanensibus paratum equum sandalio coopertum ascendit, & inde in ecclesiam B. Ambrosii, postea ad ecclesiam majorem, pallium super caput habens auratum, quod cum quatuor hastis à Confaloneriis portabatur, pervenit die quinta Septembris, *uti ex Catalogo Metropolitani Archipresbyteri & Secretarii urbis narrat Puricellus in Monumentis Ambrosianæ Ecclesiæ & monasterii cap.* 493.

restaurato Mediolano an. 1167

& Roma à Frederico occupata & relicta,

venit Mediolanum 5 Septembris.

§. 2 Pro-

A

§. II. Provincia Mediolanensis abolito schismate reducta in obedientiam veri Pontificis.

Frederico fuga in Germaniam elapso anno 1168,

5 *FRedericus Imperator, ab* XI *Septembris Papiæ degens, civitates sibi rebelles proscribit; multa quoque tentat hostilia, & in Mediolanenses potissimum; sed incassum, cum hos S. Galdinus foveret & animaret. Cum dein Lombardicæ civitates contra eum prævalerent, ipse nec Papiæ neq; alibi in Lombardia tutus, in Germaniam, sumpto servi habitu fugit, mense Martio anni* MCLXVIII. *His ita peractis, quo ardebat zelo S. Galdinus, mox ostendit. Rem gestam ex Acerbi Marenæ Continuatore in Laudensi Historia, ejus verbis qui omnia vidit, sic narrat Vghellus in Laudensibus Episcopis col.* 914. Interea Dominus Galdinus de la Sala, Mediolanensis civis & Clericus, & qui quondam Cancellarius Domini Ribaldi & Domini Uberti de Piravano, Mediolanensium Archiepiscoporum, per multos annos fuerat, & in locum jam dicti Uberti ad Archiepiscopatum Mediolani fuerat sublimatus à Domino Alexandro Papa, in Lombardia ipsius Papæ tunc Legatus constitutus, suos Nuntios, scilicet Abbatem S. Ambrosii & Abbatem S. Vincentii de Mediolano, misit Domino Alberto de Cazano, majoris Ecclesiæ Laudensis tunc Præposito, ceterisque Præpositis, Abbatibus, Presbyteris & Clericis & etiam Consulibus de Laude, dicendo atque monendo quod ipsi partem Papæ Paschalis & Domini Frederici Imperatoris omnino relinquerent, & parti Papæ Alexandri faverent, & ipsi Papæ de injuria sibi facta satisfacerent, atque Episcopum Catholicum eligerent: & nisi hoc facerent, ab officio & beneficio Ecclesiastico abstinerent. Dictus vero Præpositus ceterique Clerici hoc audientes, mœsti valde fuerunt; tum quia magna pars eorum mandato Imperatoris juraverant, se Papam Paschalem pro Papa in perpetuum tenere; tum etiam quia omnes fere fidelitatem juraverant Domino * Alberico Merlino, tunc temporis, ut eis videbatur, Laudensi Episcopo Catholico, nec adhuc canonice jure deposito: & ideo hoc facere timebant valde, & sibi in maximum dedecus reputabant.

S. Galdinus mittit Laudem Pompeiam suos, B *mandat ut Alexandrum Papam agnoscant, & alium Episcopum eligant.* * *al. Alberto.*

6 Inter se etiam conferentes, quod si etiam dicti Papa Paschalis & Imperator victores adhuc existerent; ipsi in perpetuum eos damnarent, & quilibet eorum dignitate & gratia privarentur; formidabant nimis mandatis supradicti Galdini obedire. Hoc etiam recusare quod eis mandaverat dictus Dominus Galdinus, stupebant plures: tum propter Papam Alexandrum & secundum Dominum Galdinum Archiepiscopum, qui quasi tum illis partibus victores existerent; tum propter civitates Lombardiæ, fere omnes insimul conjurantes: quia sciebant quod si de Laude expellerentur, in Lombardia habitaculum aut locum, in quo se possent reducere, non haberent. Tandem dubii, angustiis hinc inde satis diu revolutis, cum nullam misericordiam à dicto Archiepiscopo invenire possent, nisi quod eis mandaverat adimplerent; eligentes potius vivere quam mori, magisq; etiam stare in sua patria, quam in aliena vagari; in Papam Alexandrum credere, ejusque parti favere, & Episcopum novum secundum voluntatem Archiepiscopi eligere disposuerunt. Igitur die Jovis sancto, qui fuit tunc quarto Kalendas Aprilis, Indictione prima, in anno millesimo centesimo sexagesimo octavo, suprascriptus Dominus Albericus Laudensis Ecclesiæ majoris Præpositus, communicato insimul consilio tam Laudensis civitatis Abbatum, Præpositorum, Presbyterorum, aliorumque Clericorum, quam etiam illorum, qui extra civitatem in Episcopatu Laudensi fuerant, ad honorem Dei & beatissimæ Virginis Mariæ atq; beati & pretiosi Confessoris Bassiani, Dominum Albertum, tunc temporis Ecclesiæ de Ripalta Præpositum, virum honestum & religiosum, elegit in Laudensem Episcopum & Pastorem. Proximo vero die Mercurii post Pascha, Laudenses Abbates, Præpositi, Presbyteri aliique Clerici multi, Consules etiam Laudenses multique Iudices & sapientes de Laude, Bergamum, ubi tunc Dominus Electus aderat, iverunt: & ipsum insequenti die Jovis proximo Laudem cum ineffabili gaudio conduxerunt: qui ibi honorifice nimis ab omnibus tam Clericis quam laicis est susceptus. *Hactenus verbis Continuatoris Murenæ Vghellus: qui reliqua Acta & felicem obitum ejusdem Alberti Episcopi prosequitur: quem postea Sanctis adscriptum, ut suum Patronum, Laudenses colunt* IV *Iulii.*

post longam disceptationem. C *impetrat postulata.* *electo in Episcopum S. Alberto.*

7 *Acta superius num. 9 affirmant omnes fere Suffraganeos à S. Galdino fuisse consecratos: ex quibus dictus S. Albertus videtur primus fuisse. Proximus forsan fuit Otho, Albensis Episcopus, anno* MCLXIX *ordinatus; cum decessor ejus Petrus ab Alexandro Papa fuisset excommunicatus & Episcopatu multatus. Eodem modo Gerardus Episcopus Bergomensis, quia Frederico Imperatori & Antipapæ adhæsit, anathemate ictus, devolutusque de Sede, etiam de civitate exire coactus est, Galdino Archiepiscopo Mediolanensi, ac Cardinali Legato Alexandri Pontificis factiosissimum hominem persequente. Quo Legato præsente & electionem ratam habente, Clerici Bergomenses evexerunt, anno* MCLXX *die* XXVII *Ianuarii, Gualam, S. Alexandri Canonicum. Eodem anno* MCLXX *apud Vercellenses ordinatus fuit Episcopus Guala Bondanus, ante Præpositus, cujus decessor Vgotius fuerat Frederico Imperatori percarus. Cremonensibus duo consequenter dati Episcopi. Nam mortuo anno* MCLXIX *Oberto, qui sub Imperiali protectione vixerat, creatus primo est Emanuel, ex Ordine Cisterciensi monachus; & hic post paucos menses clarus miraculis dicitur mortuus esse anno sequente* MCLXX, XXVII *Februarii, ad quem diem inter Prætermissos de eo egimus. Emanueli autem substitutus est Vnfredus sive Offredus, vir summa pietate præditus. Apud Astenses, Anselmo,* XXVII *Novemb. dicti anni* MCLXX *vita functo, successit Willielmus; Amizone vero Episcopo Taurinensi extincto, subrogatus est anno* MCLXXI *Milo, ante S. Galdini in Ecclesia Mediolanensi Archipresbyter. Quo etiam tempore Guilielmo Faceto, à Frederico Imperatore in Novariensem Sedem intruso, successit Bonifacius; & anno* MCLXXIII *Raymundo Episcopo Brixiensi,* IV *Augusti mortuo, successor datus Ioannes Flumicellus. De prædictis Episcopis consulendus est Vghellus tomo 4 Italiæ sacræ: sufficit enim hæc paucis collegisse, ut S. Galdini Legati Apostolici industria ac zelus fidei orthodoxæ intelligatur. Præterea ut in Alexandri Papæ Actis legitur apud Baronium ad annum 1175 num. 12,* Alexander Papa in ecclesia Alexandriæ, ad postulationem Mediolanensis Archiepiscopi & Comprovincialium Episcoporum atq; Rectorum civitatum Lombardiæ, Episcopatum constituit: in qua fecit in Episcopum eligi Arduinum, Romanæ Ecclesiæ Subdiaconum, à Mediolanensi Metropolitano tamquam suum Suffraganeum consecrandum. *Sed hic dicitur ante consecrationem obiisse.*

Depositis variis Episcopis, bonos ordinat per diœcesim. E F

§. III. Illustria facinora Mediolani gesta. Tempus mortis.

8 *NOn minorem curam impendit S. Galdinus propriæ suæ Sedi & urbi Mediolanensi administrandæ, & ad majorem Dei cultum instaurandæ. Vnas damus litteras, à Puricello cap. 512 editas; quibus circa annum* MCLXX *scriptis, antiqui Metropolitani Capituli honores confirmantur, & sunt ejusmodi.* Galdinus, Dei gratia Mediola-

Curam propriæ Ecclesiæ gerit:

AUCTORE G. H.

diolanensis Ecclesiæ Archiepiscopus, Apostolicæ Sedis Legatus, dilectissimis Fratribus M. Archipresbytero, V. Archidiacono, & universis Mediolanensis Ecclesiæ Presbyteris, Diaconibus & Subdiaconibus atque Notariis, tam præsentibus quam futuris in perpetuum. Suscepti cura regiminis, quam Divina favente gratia licet indigni gerimus, nos admonet & compellit, justis & honestis petitionibus vestris gratum præstare assensum: & cum aliquod à nobis postulatis, quod rationi & æquitati concordare videtur, ita nostram impendere auctoritatem, ut desiderium vestrum affectu prosequente compleatur. *æquitati studet,* Eapropter, dilectissimi Fratres, jura & honores vestros in omnibus servare cupientes, præcaventes etiam, ne quorumlibet æmulorum temeritate vel importunitate, juri & dignitati vestræ inposterum possit in aliquo derogari, aut aliquid ab aliquo in injuriam & contemptum vestrum ullo unquam in tempore præsumi; antiquas consuetudines seu Patrum traditiones, quas Mediolanensis Ecclesia ab antiquis retro temporibus servavit, secundum quod nostris vidimus diebus in eadem servari Ecclesia, nostra comprobamus auctoritate & præscripti scripti pagina confirmamus: *antiquas traditiones proponit observandas,* statuentes videlicet, ut vobis solis, exceptis monachorum congregationibus, in civitate cum Diacono & Subdiacono Missam celebrare liceat. *circa Missam,* B Primam vero, Tertiam, Sextam vel Horam Nonam & Completorium, nullis nisi vobis, in hiemali ecclesia ullo unquam in tempore liceat publice cantare. *Horas Canonicas,* A dedicatione quoque usque ad Parasceven Matutinas vivorum in eadem ecclesia vos soli cum Lectoribus & ceteris Clericis cantetis. Matutinas vero mortuorum soli Lectores eodem tempore cantent, nisi forte in Anniversariis vobis illisque communibus.

9 Ecclesiam per vos solos vel per nuntios & custodes vestros aperire & firmare, Cruces portare, campanas & campanile vobis tantum habere licet. *custodiam ecclesiæ,* Sedes autem & stadia Sacerdotum vel Diaconorum ad vos solos spectare decernimus: adeo ut vel ipsis sedibus, vobis præsentibus, nulli Decumanorum sine vestra jussione sedere liceat: *sedes & stadia.* nec ad stadia cum Missam cantant iidem Decumani ascendere præsumant: nec similiter cum Missam cantant, per medium chorum ante facies vestras transeant: sed more solito post sedes vestras ad altare ascendant. Cantata vero Missa officia mortuorum in majori choro nec celebrent, nec cum psallenda ad aliquod altare, nisi S. Ambrosii, eis unquam processionaliter ire liceat. C Hæc igitur firma & illibata in perpetuum servari præcepimus, & ad majoris robur firmitatis & omnium in posterum memoriam scripti præsentis patrocinio communimus: decernentes ut nulli nostræ jurisdictionis Clerico vel laico contra hujus nostræ sanctionis & confirmationis paginam temere liceat venire. *pœnis in contravenientes statuit.* Si qua igitur Ecclesiastica secularisve persona, in nostro manens Archiepiscopatu, contra ea, quæ diximus, venire, aut hujusmodi nostri decreti paginam infringere conata fuerit, & commonita non resipuerit; iram & indignationem omnipotentis Dei & B. Ambrosii Patroni nostri sentiat, ac totius sui honoris incurrat periculum, & nisi suo destiterit proposito, in laqueum cadat anathematis, & cum Juda proditore pœnam sentiat æterni judicii. Omnibus vero hæc eadem servantibus sit pax & gratia Domini nostri Jesu Christi. Amen. Ego Adobadus Domini Galdini Archiepiscopi Mediolanensis, Apostolicæ Sedis Legati, scriba, ex mandato & vice ipsius, subscripsi. Datum per manum Domni Algisii Cimeliarchæ & Cancellarii. Ego Adobadus Lector ex mandato ejus scripsi. *Hactenus S. Galdini constitutio, quam direxit ad Milonem, tunc Archipresbyterum, dein Episcopum Taurinensem, & Vbertum Archidiaconum dein Archiepiscopum Mediolanensem, S. R. E. Cardinalem, & Papam Vrbanum III dictum: qui per litteras M & V designantur.* D

19 *Dein* anno MCLXXI, XII Kalendas Octobris, præsente & consentiente Domino Galdino, Dei gratia sanctæ Ecclesiæ Mediolanensis Archiepiscopo, atque Romanæ Sedis Legato, *conventionem quamdam fecit Amizo Abbas monasterii S. Ambrosii, cui,* ex mandato Domini sui Galdini Mediolanensis Archiepiscopi, pro eo subscripsit Wifredus. *alia documenta coram ipso data an. 1171.* *Integrum documentum edidit Puricellus cap. 522. Erat Wifredus monachus & Diaconus dicti monasterii. Aliud documentum habetur cap. 536* actum in civitate Mediolani, in Palatio Domini Galdini Archiepiscopi, anno MCLXXIV, Indictione VII, die X Aprilis, coram Domino Galdino, Dei gratia sanctæ Mediolanensis Ecclesiæ Archiepiscopo & Apostolicæ Sedis Legato, *& 1174.* *quo Dominus Satrapus, Præpositus ecclesiæ S. Ambrosii, confitetur se pecuniæ summam accepisse ab hujus monasterii Abbate Ioanne, propter Milonis Taurinensis Episcopi transactionem, confirmatam ab Alexandro Papa: cujus diploma profertur cap. 533, in qua dicitur transactio facta* de mandato venerabilis fratris nostri Galdini, Mediolanensis Archiepiscopi, Apostolicæ Sedis Legati. *Aliud documentum habet Vghellus, signatum anno MCLXXIII, VI Octobris.* E

11 *Dicto anno* MCLXXIV Fredericus Ænobarbus, ad suggestionem Papiensium & Marchionis de Montisferrato, *ut tradunt sæpius indicata Acta Alexandri apud Baronium ad dictum annum num. 1, cum ingenti exercitu reversus in Italiam, Susam diruit, Astam subegit, Alexandriam obsedit, aliquot civitatibus ultro se dedentibus.* *quo iterum irruit in Lombardiã Fredericus Imperator,* *Verum Mediolanenses aliique fœderati Alexandrinis succurrunt, & anno sequente Papiam aggrediuntur: quo Imperator se recepit, ac fraudulenter de pace agitare cœpit. Erat Papiæ Petrus Toscanus Episcopus, qui Frederico adhæsit, & ideo ecclesiasticis censuris fuit involutus: post reconciliationem vero Frederici suæ dignitati restitutus, superfuit ad annum MCLXXVIII, quo illi suffectus est S. Lanfrancus, cujus dies natalis XXIII Iunii recurrit.* *dicitur Papiam S. Galdinus subjecisse interdicto;* *Civitatem Papiensem interdicto Ecclesiastico à S. Galdino subjectam fuisse, docent elogia Archiepiscoporum in Actis Synodalibus S. Caroli Borromæi. Quod ei attribuatur translatio corporis S. Bassiani Episcopi Laudensis, non admittimus: cum illa facta sit anno MCLXIII à Victore Antipapa, quando S. Galdinus adhuc Archidiaconus degebat exul cum Alexandro Papa in Gallia.* *non transtulit corpus S. Bassiani,* *Consule à nobis dicta XIX Ianuarii ad Vitam S. Bassiani. Non attingimus etiam Ordinem Humiliatorum, quem à S. Galdino jussu Summi Pontificis comprobatum multi recentiores habent:* F *quia eum Ordinem, sub Lucio III Pontifice Alexandri successore, cœptum fuisse, scribunt Silvester Marulus seu Maurolycus, in Mari Oceano sacræ Historiæ omnium Religionum lib. 3 pag. 180 & sequentibus; & Paulus Morigia Mediolanensis, in Historia Originum cujuscumque Ordinis Religiosi cap. 29. At Tristanus Calchus, & ipse Mediolanensis, Historiæ Mediol. lib. 6, Humiliatorum Originem facit multo antiquiorem, initia ejus referendo ad annum Christi MXIX.* *nec videtur Ordinem Humiliatorum approbasse.*

12 Mortuus est S. Galdinus XVIII Aprilis, Dominica secunda post Pascha, *qua etiam Dominica ante decennium consecrationem acceperat. Congruunt accurate hi characteres, in Actis indicati,* cum anno MCLXXVI; *mortuus 18 Ap. Dominica 2 post Pascha, an. 1176.* *quando cyclo Lunæ XVIII, Solis IX, litteris Dominicalibus* D C, *Pascha incidit in diem IV Aprilis, & consequenter Dominica secunda post dictum festum in XVIII ejusdem mensis. Agebatur olim anniversaria S. Galdini celebritas in ecclesia Mediolanensi, dicta Dominica secunda post Pascha, in quemcumque illa diem incidisset. Cujus consuetudinis vestigium, teste Puricello cap. 544, hactenus cernitur, quod primis ejusdem Dominicæ Vesperis, Clerus* *ejus festum olim dicta Dominica,*

A rus urbanus quotannis, à Metropolitana basilica, plenariam in sequentem usque diem indulgentiam deferat ad carceratorum ædes, in aurificum vico sitas, & S. Galdini patrocinio devotas. At S. Carolus Borromæus, cum Breviarium Ambrosianum à se reformatum anno MDLXXXII in lucem ederet, anniversariam S. Galdini celebritatem à dicta Dominica ad XVIII Aprilis, quo ad Superos evolarat, traduxit. Hæc adeo clara sunt, ut videatur nihil opponi posse. Interim Ughellus ad elogium S. Galdini opponit duo originalia monumenta, vetustate pene exesa, ad se missa, confecta anno MCLXXIII die II & XVI Novembris: quibus post alios subscribit Algisius Mediolanensis Archiepiscopus, qui S. Galdino successit, & antea tamquam ejus Cimeliarcha & Cancellarius supra allegatis litteris subscripsit. Ad qua respondemus ea, licet vetustate pene exesa forent, quod humido forsan loco essent adservata, tamen nullo modo esse originalia, sed postmodum transcripta: quia vero Algisius postea fuit Archiepiscopus, ideo majoris auctoritatis causa, loco Cimeliarcha aut Cancellarii, substitutum honorificentiorem titulum à monachis Morimundensibus, instrumenta ista ex originali transcribentibus. Etenim si illis conficiendis adfuisset & subscripsisset Algisius, jam tum Archiepiscopus, fuisset in principio documentorum honorifica ejus facta mentio, sicut factum reperitur in S. Galdini litteris supra relatis, quas nomine ejus subscripsit Adobadus scriba. Sæpius nos deteximus errores similes in diplomatis antiquorum Regum & Episcoporum, etiam ante annos septingentos rescriptis: quibus addita nomina Episcoporum diu ante mortuorum, & anni Regibus aliquot post eorum obitum attributi; & ideo putamus caute procedendum esse in istiusmodi quæstionibus, ex fide transcriptorum diplomatum definiendis. Præterea dedimus documenta coram S. Galdino anno MCLXXIV, die X Aprilis confecta, quæ confirmant cum Actis antiquis & traditionibus Ecclesiæ Ambrosianæ omnia quæ de die, mense, & anno mortis S. Galdini à nobis statuta sunt. Quæ alii ex mera conjectura de tempore obitus dixerunt, eum ad annum quintum, septimum, aut octavum supra millesimum centesimum & septuagesimum referentes, commemorare non lubet, quoniam ex ante dictis efficaciter & evidenter subvertuntur.

Margin: AUCTORE G. H. — anno 18 Aprilis. — ad documenta Ughelli respondetur. — B

HYMNUS


Ex antiquo Breviario Ecclesiæ Mediolanensis.

Felix felici Præsule, Ambrosii Ecclesia,
Confessoris eximii Galdini dic præconia.
Almi tui Pontificis festivum natalitium
Concelebra solenniter, urbs Mediolanensium.
Cujus sancta sunt opera, excellens sanctimonia,
Fides, spes atque caritas, cum ingenti constantia.
Prædicator egregius, hic verbi semen seminat:
Ut fornax vasa figuli, quem Dominus examinat
Hic corpus suum macerat, vacans orationibus,
Jejuniis, vigiliis & genuflexionibus.
Galdinus fuit Pontifex, benignus, mitis, humilis, E
Hic & virtutum artifex, pius, prudens, affabilis:
Hic honestatis speculum, justitia mirabilis,
In tribulatione gaudens, constans, fortis & stabilis.
Cum multa patientia hic & misericordia
Migrat ad cæli gaudia, beatus nunc per omnia.

DE S. NICO EREMITA,

BESUTII IN AGRO MEDIOLANENSI.

G. H.



XIII AP. — Elogium ex Ferrario.

Nicus eremita apud Besutium, oppidum agri Mediolanensis, à Mediolano ad quadraginta millia passuum recedens, vitam egit solitariam. Cumque debitum universæ carnis persolvisset, miraculisque claresceret, honorifice apud illud oppidum conditus est ac venerationi esse cœpit. Ejus corpus à S. Carolo Borromæo, titulo S. Praxedis Presbytero Cardinale & Archiepiscopo Mediolanensi, anno Dominicæ Incarnationis MDLXVI, translatum, & in proprio sacello reconditum fuit, Sodalitio de Pœnitentia nuncupato ibidem instituto. Festus dies Besutii XIV Kalendas Maji celebratur. Ita ex monumentis Ecclesiæ Besutiensis Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ, & paucioribus in Catalogo generali, citata Vita S. Caroli Boromæi, quæ erit illustranda ad diem IV Novembris. Porro in ea, quam scripsit Ioannes Petrus Giussanus lib. 2 cap. 11, dicitur S. Carolus magna cum diligentia corpus quæsitum, reperisse sub terra, in pulverem & cineres redactum, in sarcophago lapideo conditum: sacros cineres reverenter collegisse, & alteri aræ decenter impositos, in altari ejusdem oratorii, ad eum finem adornati, inclusisse; & ex accursu hominum ipsum oratorium in ecclesiam satis capacem auctum esse. De eo ista habet Brautius Episcopus in Martyrologio Poëtico.

Margin: C — & Vita S. Caroli Borromæi. — F

Ignotus quondam Nico latitavit eremo:
Cujus ubique modo nomen honosque viget.

De Vita, Miraculis & Cultu antiquo si quis plura nos doceat, ex monumentis ecclesiæ Besutiensis vel constanti traditione incolarum, optatam materiam suggeret supplemento post faciendo.

DE B. IACOBO DE OLDO,

PRESBYTERO TERTII ORDINIS S. FRANCISCI. D. P.

LAUDÆ IN INSUBRIA.



ANNO MCCCCIV. — Cultus — & elevatio corporis.

Michael Angelus Seghitius, Laudensis Episcopus, quem tomo 4 Italiæ sacræ laudat Ferdinandus Ughellus, quia nihil unquam omisit quod gregi sibi commisso usui esset futurum, inter ceteras Pastoralis officii curas primam duxit, Synodum diœcesanam celebrare; ex cujus decreto compactus est Sanctorum ac Beatorum Laudensium Catalogus, ubi inter alios legitur. B. Jacobus Oldus tertii Ordinis S. Francisci. Anno deinde sui Episcopatus sexto Christi MDCXXI idem Præsul, civitatis suæ ecclesias lustrans, decrevit: Ossa Jacobi de Oldo, fundatoris ecclesiæ S. Juliani, quem publicis documentis & antiquis imaginibus capite radiatis, Beati nomine hactenus insignitum fuisse compertum est, leventur è depresso pavimenti situ, quo ex antiqua æde translata leguntur; & decentiori loco secus altare constituantur intra sex menses, sumptibus obtinentium tutelares hujus ecclesiæ portiones, servato ritu Provincialium Conciliorum, circa Reliquiarum sacrarum compositionem præscripto. Ita ex informationibus authenticis ad se missis Waddinghus in Anna-

AUCTORE D. P. *Annalibus an.* 1404 *num.* 11, *ubi simul ad se missam ait* vitam, ab ejus Confessario Sebastiano Dardadone Minorita anno MCCCCXXIII descriptam: *ejusque compendium suis annalibus inseruit ad eum quo Beatus obiit annum* MCCCCIV.

Vita à Confessario composita, 2 *Eamdem, tali indicio cognitam, ut ipsi quoque obtineremus, actum est apud Laudenses per nostræ Societatis Sacerdotem Franciscum Castillionaeum, ad cujus nunc vita functi instantiam, ipsam* extraxit ad verbum, etiam quoad ortographiam, D. Joannes Petrus Villa nova; Doctor Legum, & Capellanus portionarius ecclesiæ S. Juliani Laudensis, ab ipso B. Jacobo cum duabus capellaniis fundatæ, sub patronatu Nobilium laicorum de Villanova, Carrada, & Cadamosta: extraxit autem ex originali, per ipsum Fr. Bassanum scripto, quod extat apud D. Hieronymum Sommativa, Doctorem medicum & Decurionem dictæ civitatis. *Ita manu sua prænominatus* D. *Ioannes Petrus, in titulo ecgraphi ad nos missi, quod per* *datur ex originali Italico,* *Archangelum Portaluppum Notarium solita Notarialis Collegii attestatione, sigillo, subscriptione firmari fecit anno* MDCLXXIII, *die* XIX *Februarii. Stylus auctoris, lingua vulgari scribentis, non valde cultus & inutilibus digressionibus laciniosus subinde restringi interpretando debuit, ornari non item: quia sicut simplex veritas fucum non exigit, ita nec petit verbatim reddi singula, cum liquidior sensus haberi paucioribus potest. Sententiam ergo invariatam damus; si resecamus aliquid, ut superfluum & historiæ filum importune abrumpens, omissionis causam reddimus in Annotatis, itaque credimus fidelis interpretis vices explevisse.*

B

3 *Annum, quo Vitam scriptam dicit Waddinghus, accepit ipse ex num.* 24, *ubi dicit Fr. Bassianus, quod sæpe rogatus scribere quæ de Beati sancta vita obituque felici norat, distulerit obsequi postulantibus, concionibus domi forisque habendis impeditus; usque dum anno* MCCCCXXIII *propter dolorem dentium coactus cessare, otium aliquod ad scribendum habuit. Verum quidquid illud est quod tunc scripsit, ei extrema manus adhibita non est ante annum* MCCCCXLVIII, *in devexa ipsius auctoris ætate, ut patet* *scripto an. 1448,* *ex num.* 18, *& iis quæ de Indulgentiis Laudæ præpositis deque miraculis Beati collegit post Vitam, quæque nobis caput 4 faciunt. Alius postea eidem scripto fecit per Aurelium Rubeum Notarium ex publicis Actis apponi ad calcem primo Seghitii Episcopi præcitatum decretum, dein aliud documentum hujus tenoris*: Nos infrascripti Guardianus & Fratres Sacerdotes, Ordinis Minorum observantiæ S. Francisci de familia, Conventus ejusdem Ordinis in civitate Laudæ, fidem facimus & juramento attestamur, in nostra ecclesia S. Francisci dictæ civitatis Laudæ, scilicet in prima & tertia columna, à dextra ingressus in dictam ecclesiam, inter diversas vetustas Sanctorum ac Sanctarum effigies, reperiri duas antiquas imagines, cum habitu quo utuntur Fratres pœnitentes Tertiarii S. Francisci, capite undique radiatas, cum inscriptione BEATUS JACOBUS DOLDUS. *Subscribunt autem attestationi* XIII *Maji anni* MDCXXXIII Fr. Archangelus Forettus Guardianus *& undecim Fratres sigillatim; ac denique* Aurelius Rubeus Notarius *prænominatus. Tertio denique sub ejusdem Notarii fide describitur exemplum Testamenti,* X *die Aprilis à B. Iacobo infirmo paulo ante mortem conditi, quod damus pro Appendice.*

& nonnullis appendicibus aucto an. 1633.

C

cultus imaginum ejus,

4 *Sed neque ex hoc neque ex ullo Vitæ loco certo habetur dies mortis. Waddinghus mensem Aprilem expressit, cui Arturus in Martyrologio Franciscano diem* XX *adjecit: utique ex sua conjectura. Verum hanc evertit auctor Vitæ cum ait num.* 22, anno MCCCCIV sub horam noctis XI, quodam die Veneris mense Aprili, *obiisse Beatum: atqui anno isto, habente litteras Dominicales* F E *prima feria* VI *post diem* X *Aprilis fuit die sequenti* XI *ejusdem mensis, tum* XVIII *ac* XXV; *è quibus eligimus* XVIII, *tamquam inter extrema duo medium. Nec enim proprium sibi statumve festum Beatus hic habet, imo ne festum quidem ullum, & tota illius veneratio intra terminos Beati indultos consistit. Fuerat scilicet defuncti corpus, post honestissimas exequias, in sua S. Iuliani æde sepultum ante ipsum altare; cumque miraculis ibi claresceret, curante Flordenina matre refossum ab humo integrumque repertum, post annos septem, conditum est altius à terra, intra monumentum fabricatum ad dexteram altaris prædicti.*

obitus 18 vel 25 Apr.

D

Elevatio an. 1411,

5 *Inde translatum alio cum testaretur decretum Episcopale, quæsivimus ex prædicto Ioanne Petro quando & an decretum esset executioni mandatum: ipse vero respondit*: *translatio corporis,* Decretum Reverendissimi Fratris Michaelis Angeli Seghitii, Episcopi Laudensis, fuit executioni demandatum à me, uti Capellano Beneficiato dictæ ecclesiæ: & juxta illius decreti dispositionem, corpus B. Jacobi nunc reperitur reconditum in capsa lignea, posita supra terram, intra parietem tamen, prope altare à cornu Euangelii intra septa Presbyterii; cum hac inscriptione incisa in lapide sepulcrali marmoreo, supra capsam posito: Jacobi Oldi ossa, ab antiqua S. Juliani æde, quam ipse fundaverat, vetustate collapsa, in hanc S. Ægidii ecclesiam, quæ S. Juliani nomen accepit, anno MDLXXXVII translata hic requiescunt. *Sub hoc scilicet lapide, humi strato, sacra ossa jacebant ante prædictum Episcopi decretum; & sub hoc posuerant illi, qui* ecclesiam S. Ægidii, sub novo S. Juliani titulo à fundamentis restaurarunt, Faustus Rebalius civis Laudensis & Capellanus Beneficiatus ejusdem ecclesiæ ac postea civitatis Suessæ Episcopus, & Ludovicus Calamitus pariter civis Laudensis, & Capellani ibidem nec non Archidiaconi in ecclesia Cathedrali ejusdem civitatis Laudæ; *nihil ausi amplius, ne quid contra recentia Concilii Tridentini decreta peccaretur; ac ne titulum quidem Beati, pro jure præscriptionis jam debitum, usurpandum rati. Quorum nimiam hac in parte religionem non probans Episcopus, ad antiquum statum reduci jussit quod sine necessitate mutatum fuerat; ex ejusque mente posita est supra capsam lapidemque prædictum Beati effigies, coloribus expressa, cum hac epigraphe*: Fr. Jacobi Oldi Laudensis, tertii Ordinis S. Francisci, in Synodo Laudensi tertia inter Beatos Laudenses recensiti, Institutori juris Patronatus laicorum in antiqua S. Juliani æde anno MCCCCIV, huc ea diruta cum ejus corpore legitime translati anno MDLXXXVII, coruscantem effigiem, ad vetusta exempla, in ampliori templo S. Francisci Laudensis proposita, Joannes Petrus Villa-nova I. V. D. hujusque ecclesiæ Compatronus & Rector conformari curavit, anno salutis nostræ MDCXXX.

cum memoria translationis factæ an. 1587.

E

& devotio... factæ an. 1630.

F

6 *Interim si Franciscanum Martyrologium recudat aliquis, poterit vel ad hunc vel ad* XXV *diem transferre Arturi verba, memoriam Beati hujus sic facientia*; Laudæ B. Jacobi Oldi Confessoris Tertiarii; qui misericordiæ & caritatis operibus jugiter intentus, dono prophetiæ ac miraculorum gratia extitit sublimatus. *Enumerat Arturus in Annotationibus scriptores varios, qui in suis lucubrationibus ejusdem Beati cum laude meminerunt; sed cum sint recentiores omnes, ad rem nostram nihil faciunt. Faceret eo Iacobus Thielmannus, ibidem citatus, tamquam si duos tomos scripsisset de Vitis Sanctorum Seraphici Ordinis, siquidem hic aliquando editus in manus nostras veniat, vel necdum editi Manuscripta ubi sint indicetur. Cornelium Thielmannum hac nostra ætate novimus, ante annos necdum quinquaginta defunctum, qui ex Latino Belgice reddidit, tum alia multa, tum plures Sanctorum Vitas, quæ inter scriptores Ordinis Minorum laudantur à Waddingo (cui ejusdem cognominis Iacobus plane ignotus fuit) sed titulos legens ibi enumeratos nullum B. Iacobi vestigium invenies. Præterea Iacobus Raps, Conventus Bruxellensis Guardianus, S. Francisci Vitam cum Vitis*

auctores de eodem Beato sub die 20,

& 16 Apr.

A *Vitis Beatorum Tertiariorum vulgavit Belgice Bruxellis 1655, in quibus ex Latina Waddinghi accepta, quæ illa de hoc Beato habet, ubi ad marginem notavit diem XVI Aprilis; utique nihilo felicior conjectator quam Arturus, quia æque nullum habebat quo niteretur fundamentum.*

VITA

Per Fr. Bassianum Dardadone ex Ordine Minorũ, ipsius Beati Confessariũ.

Ex veteri Ms. Italico Originali.

A TE, Jesu Christe, nostro Redemptore,
Qui mori voluisti ad nos salvandum,
Peto devote, ut pro tuo amore
Mihi des gratiam, ad bene narrandum
Vitam Angelicam civis nostri Laudensis,
Fratris Jacobi de Oldo San-Julianensis.

CAPUT I.

B. Iacobi conversio a Vita seculari ad professionem tertii Ordinis.

B

Patre Marchesio Laudenatus,

1 IN nova Laudensi civitate, quæ in Lombarbardia partibusque Liguriæ juxta fluvium Adduam ædificata est, vivebat vir quidam honestus, nomine Marchio sive Marchesius, vere talis, ut qui marcham auream, quemadmodum audituri estis, de se produxit. Huic ex uxore a Flordonina, sui quoque nominis significationem explente, quia flos erat & speculum omnis virtutis, natus est filius qui solis instar resplenduit, bene appellatus Jacobus, quia juxta nominis sui rationem supplantavit diabolum, carnem contempsit, unaque mundum & quidquid mundus magni facit. Is patre mortuo totum se mundanis vanitatibus dederat, in cultu vestium, in exercitio musices tam voce quam fidibus, in corporis agilitate per choreas ostentanda, juxta patriæ suæ usum nulli in his secundus: quibus facile invenit similibus sibi moribus uxorem Catharinam, vanissimam etiam ipsam. Contigit autem quadam nocte Jacobo cum uxore sua dormienti, ut somniaret grandem à se thesaurum repertum sub terra, eo in loco cui scrinium insistebat. Statim ergo ac mane facto exurgens de lecto conjux ipsius, una cũ socru domo erat egressa ad Missæ sacrificium; ipse quoque de lecto exilivit, sublatoque scrinio terram fodere cœpit: sed neque aurum, neque argentum, neque aliquid ullius pretii reperiens, doluit quod fidem somnio habuisset, deque ejusmodi culpa pœnitentiam egit, qua tentationi stultissimæ succubuerat.

ac primum deditus vanitati,

& somnio illusus,

C

2 Interim uxor illius Catharina gestabat uterum, debitoque tempore, regnante sanctissimo in Christo Patre Urbano Papa VI, anno millesimo trecentesimo octogesimo septimo, filium peperit, cui nomen Antonii positum est. Aliquamdiu post Laudensem civitatem pestilens aer infecit; cives que contagionis metu in villas suas vicinaque loca egressos disparsit: inter quos d. Jacobus cum sua uxore recepit se ad S. Marcum prope b Laudem-veterem, ubi commorabatur socer suus Dominus Joannes Bocchone, prædictæ mulieris pater: qui generum omnemque familiam ejus amantissime suscepit, & magno cum honore apud se habuit. Jam ibi nonnullo tempore manserat, quando domesticæ clausuræ tædio subrepente allocutus socerum, capiendi aeris liberioris facultatem sibi ejusque filio Bassiano petiit, obtinuitque; sed ea lege, ne vel tabernam ullam ingrederentur, vel ad aliquam hominum frequentiam accederent, ubi contagii metus foret. Exierunt ergo Laudem-veterem versus, & circumjectam planitiem pervagati, tandem venerunt in ecclesiam sancti sepulcri, ubi Jacobus cognatum intuens, Volo, inquit, experiri uter fuerit longior, Christus an ego; seque intra ipsius sepulcræ cavitatem extendit.

tempore pestis foras egressus,

b

AUCTORE BASSIANO EX MS. ITALICO.

& super Christi sepulcrum recumbens,

c

3 Vix id fecerat, cum veluti si ferrum candens in aquam frigidam missum fuisset, ita interius mutatus est, Spiritu sancto operante, ut restincto penitus priorum vanitatum æstu, totus alius assurrexerit, atque ad S. Marcum reverterit. Ibi jam mente illuminatus, diversissimam ab eo quam solitus erat vitam instituit. Non erat jam illi amplius cordi cithara sua, delicias ei tot facere solita: sed in ecclesia S. Marci erat frequentior, ubi depinxit Crucifixi imaginem adstantibus Sanctis Maria atque Joanne: totusque divino amore succensus, vacabat operibus devotionis, cum tanta humilitate, ut socero, uxori & notis omnibus maximam admirationem incuteret tanta & tam repentina conversio morum. Voluit deinde reverti in urbem, ubi matrem cum duabus filiabus reliquerat, visurus quomodo se haberet, & uxorem Catharinam filiumque Antonium socero commendavit. Sed domum ingredi non permisit mater, ostium ei claudens, dixitque, Ne mireris, fili te hic non recipi: verum scito, quod ambæ filiæ tuæ heri mortuæ sint, quas ego sepeliendas statim curavi, quia pestilentia extinctæ fuerunt. Ast ne ea res te conturbet tristemve efficiat: sed foras regredere, ibique jucundare.

subito commutatur interius.

E

patienter fert mortem filiarum,

4 Talibus auditis rediit ad S. Marcum Jacobus, ibique devote mansit usque dum cessaret mortalitas, quotidie Sanctorum imagines pingens, quia in hac arte valebat plurimum. Postea Laudem regressus cœpit quotidie Missam audire, qua finita occupabatur in lanificio pectens vellera, eoque labore se exercens totos dies, idque cum lorica supra nudam carnem, juxta verbum S. Pauli Apostoli, Castigo corpus meum & in servitutem redigo, spiritui videlicet id est animæ ipsum subjiciens cum omni humilitate. Hanc ille vitam annis totis septem egit, d quorum tres vixit absq; ullo carnalis consuetudinis usu, quamvis in eodem cum uxore lecto dormiret. Interea vero ad monasterium S. Martini Laudensis accedens, apud quemdam Religiosum, qui Petrus Andreas Bononi dicebatur, diligentem fecit peccatorum suorum confessionem; ibique per aliquod dies mansit, ministrans dicto Sacerdoti (qui propter quamdam gravem infirmitatem de lecto se movere non poterat) cum tanta humilitate & caritate, ut verbo scriptove satis nequeat explicari: hic vero vicissim docebat eum divinum Officium, licet parum idoneus videretur, utpote modicissime litteratus, nec alteri quam vulgari linguæ assuetus. Et sane non caruit admiratione quod adeo cito perdoceri potuerit, eo id præstante qui dixit, Dabo vobis os & sapientiam, & Spiritus est qui loquetur pro vobis.

vacat operibus pietatis,

1 Cor. 9, 27

d

discit divinum officium,

F

5 Sic instructus significavit uxori, quod propositum sibi esset mundum hunc fallacem variisque imposturis plenum dimittere, atque ad Deo melius serviendum inire tertium Ordinem S. Francisci. Verum hoc ejus propositum aliquamdiu impedivit mater Flordonina. Verita enim ut nurus sua Catharina, ætate juvenis, tam facile posset refrænare concupiscentias carnis, uti eas superabat filius suus, eamdem obfirmabat quantum poterat: ne in hoc consentiret viro, ad plenam vitæ conversionem aspiranti, more insipientium matrum, suorum liberorum commoda plus nimio amantium. Igitur piennissimus Dominus, volens Jacobi propositum porro urgere propter ejus bona ac fructuosa opera, visionem quamdam matri ejus obtulit, quæ optime exprime-

cupiens ab uxore divertere,

impedientei matre

AUCTORE BASSIANO EX MS. ITALICO.

Se filio injuriam esse per visum docetur,

primebatur vanarum fallacis mundi pomparum natura: quæ vere aliud non sunt quam fumus quidam inanis. Quadam nocte sub auroram visa est sibi filium intueri, intra domus suæ cameram quamdam clausum, luctari cum densissimo ac molestissimo fumo, atque intercluso pene spiritu clamare, Heu me! quia fumo enecor. Ipsa vero videbatur circum cameram currere in auxilium filii, si qua parte ei vel per ostium vel per fenestram exitum facere posset: sed frustra, cum hæc fortissimis munita cratibus esset, nec illud ulla vi posset reserari. Compatiensq; filio putabat morituro, vices ejus suasque lamentabatur, quæ calamitatem illius, quam sublevare non poterat, spectare cogebatur; ipse vero ad crates ferreas sese applicans, easque convellere nitens dicebat, Certo esto, cara mater, quod ipsa mihi sis causa mortis, in hoc tenebroso ac fœtentissimo fumo obeundæ.

Post ejus & nurus sua continentiã triennio probatam,

6 Ad has voces exterrita mulier evigilare cœpit, & visionis sibi factæ seriem modumque commemorans, absq; mora surrexit è strato, ut eamdem narraret Domino Joanni Bocchone filii sui socero: dixitque quod nullo amplius modo se vellet opponere sanctis filii desideriis, quibus divinam conjungi voluntatem satis certo probassent pii conjuges, toto triennio à carnali copula abstinentes etiam in com-

B

muni thoro, quo nullum certius firmæ continentiæ experimentum haberi potest à conjugibus, in juvenili adhuc ætate constitutis, & illud Apostoli sapientibus, Si secundum carnem vixeritis, moriemini. Hic

Rom. 8, 13

consentiit ut ambo 3 Ordinem profiteantur,

intellectis nihil opposuit socer, etiam ipse judicans, neminem esse retrahendum ab eo quod melius esse constaret, aut impediendum quo minus totus serviat Deo cui servire regnare est. Marito vero consentiens Catharina similem suscepit habitum, tertii scilicet Ordinis S. Francisci, uti & mater Jacobi: cujus ab uxore sejunctio legitime facta fuit per Episcopum

e

e loci, cum consilio virorum quorumdam religiosorum; hinc Flordonina pro Jacobo filio, inde pro Catharina Joanne patre spondentibus. Atque ita Jacobus factus est devotissimus Frater, quemadmodum jam estis audituri.

7 Prima autem cura eidem fuit, utramque mulierem collocare in quadam suæ proprietatis domo, ipsi quam inhabitabat domui vicina, ubi honestissimam vitam ambæ duxerunt. Deinde cameram suam con-

f

quo facto ipse domum suam vertit in ædem S. Iuliani.

vertit in ecclesiolam, quæ etiam nunc superest, S. Juliani nuncupata: atque ita completa fuit prophetica visio, somniantis sub scrinio thesaurum ingentem repertum: ipso enim ubi scrinium steterat loco, in media videlicet camera, erectum fuit altare, in quo pre-

C

tiosissimus omnium thesaurus, ipsum scilicet Dominici corporis sacrificium, quotidie tractaretur. Ad ejusdem sacrificii usum convertit Catharina suum omnem ex argento ornatum, pulchrum calicem inde fabricandum locans, ejusque velo g intexens gemmas

g

quibus antehac usa fuerat; vestes autem sericas in paramenta Sacerdotalia & pallia altari prætendenda

Luc. 18, 22

& possessionem venditam distribuit in pauperes.

commutans. Ipse vero possessionem quamdam suam vendidit. & mille quadringentas libras ex pretio confectas distribuit in pauperes, attendens vocem Christi dicentis; Vade & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo; illud item, Tolle moras, semper nocuit differre paratis. Alteram vero possessionem post suam mortem legavit h dicto

h

oratorio S. Juliani, ad sustentationem duorum Sacerdotum. Dum autem vixit ipse ac mulieres prædictæ, omnem fere illius proventum atque aliorum redituum suorum pauperibus Christi satagebant dividere, in victum, potum atque vestitum, prout cujusque exigebat necessitas. Quin etiam ipse Jacobus per se consueverat obire hospitalia & pauperum lecto affixorum tuguria, impendens eis misericordiam ube- D

rem, quia meminerat professum esse Christum, Mat. 25, 40

Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis.

ANNOTATA

a *Waddingho minus recte* Flordimina.

b Lauda-Vetus, *Vghello teste, tribus dumtaxat milliariis distat à nova.*

c *Etiam in ecgrapho nobis misso satis imperfecte & obscure expressum est Christi nomen, quin ipsum tamen legi debeat dubitari non sinit ipse contextus, manifeste agens de eo quod ibi honorabatur sepulcro, ad similitudinem Dominici sepulcri facto, qualia passim in ecclesiis Sancti sepulcri spectantur: ut mirum sit quomodo Waddinghus intellexerit a*mici sepulturam, *supra quam jacuerit Iacobus.*

d *Hinc colligas ejus conversionem & jam dictam mortalitatem pertinuisse ad annum 1397; adeoq; ann. 33 ætatis expleverat, quando in ordine ad Sacerdotium instrui se fecit.*

e *Fuit hic* Bonifacius Butigella, *ex Ordine Eremitarum S. Augustini assumptus 1393, & eodem quo Beatus anno vita functus, duobus ante ipsum mensibus 5 Februarii. Videntur autem pii conjuges in ejus manus emisisse votum continentiæ perpetuæ.*

f S. Julianus, *primus Laudensis Episcopus, colitur 4 Octobris, ex usu istius ævi S. Ziliano scriptus.*

g *Italice* fece fare un bel amito, *quod licet videatur à latina voce* Amictus *sumi, non potest tamen hic aliud quam velum calicis intelligi; huic enim, non lineo capitis Sacerdotalis amictui, quadrant gemmæ.* E

h *Ipsum testamentum infra dabimus, haud multis ante mortem diebus confectum, quo Antonio filio si absque heredibus moriatur, substituitur hæc S. Iuliani ecclesia: videtur autem ille, mox ut ætatem congruam habuit, ad Sacerdotium aspirasse, uti insinuatur num. 22.*

CAPUT II.

B. Iacobi conversatio cum proximo, commoratio in suburbanis ecclesiis, vitæ rigor.

8 Didicerat, ut supra indicavi, Officium divinum recitare, prænominato Sacerdote S. Martini religioso instructore usus: didicerat autem adeo bene, ut idoneus fuerit ad Ordines sacros suscipiendos.

Sacerdos consecratus Iacobus,

Ergo non diu post consecratus Presbyter, cœpit publice Missas celebrare, cum tanta devotione, ut eamdem aspiraret præsentibus omnibus, utens ad hoc ministerio socii sui quem habuit, Fr. Franciscinum nuncupatum. Cumque laudatissimæ vitæ quam ducebat fama, per totam Laudensem civitatem & circumjecta oppida & reliquam Italiam, paulatim diffunderetur; ad eum brevi se aggregaverunt socii novem. Eorum autem qui spiritualis instructionis causa eum identidem invisebant, tam secularium quam religiosorum, ex Franciscano Ordine aliisque, maximus erat numerus; qui omnes recedebant optime ædificati exemplo humilitatis tam absolutæ: præsertim cum intelligerent, quemadmodum à mundi vanitate, quam sectabatur, ad Dei famulatum conversus fuerit: nec ab ejus vultu mœstus recedebat aliquis, sed velutí si angelico aspectu alloquioque fuisset dignatus, hilari prorsus animo atque tranquillo.

socios sibi aliquos allegit.

F

9 Inter hos fuit matrona quædam nobilissima, Mirandulæ Domina, quæ cum insigni plurium virorum ac decem pedissequarum comitatu Laudam adveniens, atque ad ecclesiam S. Juliani se conferens, postquam locuta fuit cum prædicto Fratre, & insignem illius sanctimoniam penitius introspiciens admiraretur, decrevit mundo valedicere, petitaque facultate ingrediendi a monasteriũ Clarissarum Laudæ, eo tantum fine ut modum vivendi inibi observare solitum cognosceret intimius, eum probavit summopere; & postquam totam S. Claræ b Vitam sibi describendam curasset, revertit Mirandulam, res suas

Mirandulæ Dominam ad religionem traducit.

a

b

A suas dispositura; deinde Mediolanum commigrans, ordinem S. Claræ instituit in monasterio, c quod S. Urſæ dicitur; & sanctimonialis facta, multas nobiles puellas atque mulieres ibidem congregavit; quarum Abbatissa facta sic eas regebat instituebatque, ut disciplinæ exactissimæ odore, quæ ibi observabatur, observaturque ut audio etiam nunc, allecti quam plurimi nobiles, ipsam ejusque d monachas visitatum venirent.....d

10 Tam bonis successibus nō defuit invidia dæmonis, tentare soliti eos qui sese divinis obsequiis tradunt: sed fidelis est Deus, promittens in Euangelio auxilium & dicens, Non permittam e vos tentari supra id quod potestis; quasi diceret: Prompte atq; alacriter in meum transite famulatum, quotquot virtutem diligitis: neq; enim patiar ut à mundo, carne vel diabolo impugnemini vehementius, quam sustinere ac superare valeatis adjuvante gratia mea, cum magno meritorum vestrorum incremento, Sciendū enim quod dæmon admodum infirmus sit, nec vincat nisi eos qui vinci volunt, delectationi peccaminosæ consentiendo. Hic ergo talis etiam Fr. Iacobum tentaturus, immisit in cor Fratrum Franciscanorum, in vicinia ecclesiolæ S. Iuliani cōmorantium, ut dicerent inter se, Quid facimus? quia Fr. Iacobus, per illam tantam suæ virtutis ac sanctitatis famam, omnes ad se B trahit: metuimusq; ne cum suo illo novo f Ordine & f exacta Regulæ Franciscanæ observantia, crescat in damnum nostrum; atq; ejus respectu notemur vulgo tamquam minus religiosi & observantes; atq; ita deseratur ecclesia nostra, & quæ nunc parvula ædes est dilatetur in maximam amplitudinem. Quid ergo? Accusabimus eum apud Generalem aut Provincialem Ordinis, dicemusque non convenire ut intra eamdem civitatem sint duo Ordines ejusdem Regulæ.

e per invidiā Franciscanorum

11 Dictum factum: accersunt ex remotioribus partibus Provincialē aliquē cum nonnullis Religiosis, & coram eo mensi distantiam intra ædes SS. Francisci & Iuliani, paucis passibus minorem quam jura patiantur, effecerunt ut juberetur Iacobus extra urbem migrare. Hoc vero cum intellexissent cives Laudenses, negarunt permissuros se ut à se divelleretur. At ipse prætendens obedientiam à Regula S. Francisci præscriptam, cum in proposito migrandi perstaret, rogatus ab eisdem est, ne saltem extra Laudense territoriū abiret. Quod rogantibus benigne & libenter annuit; seq; Laudem-veterē recepit ad ecclesiam g S. Bassiani g h juxta hSelleram: ubi quotidie Missā dicebat cū larga profusione lacrymarum & multa admiratione præ- C sentiū. Ibi fecit Crucifixum ligneum, ac postea alium in cœmeterio collocandum, qui nunc est ad S. Joannē extra portam regiam juxta viam Mediolanensem, ubi jam degunt Fratres Franciscani de Observantia Fr. Bernardini. Tertium quoque Crucifixum fecit, qui modo spectatur supra altare ædiculæ S. Juliani, estque pulcherrimus; atque in hujusmodi piis sanctisque operibus tempus transigebat.

migrat cum suis discedit,

ad suburbanam ecclesiam S. Bassiani.

12 Post aliquod temporis spatium, dimisso loco S. Bassiani, transiit ad vicinam S. Mariæ ecclesiā trans Selleram: ibique prædicando Dei verbo cœpit intendere, tam solide utiliterque, ut ad eum audiendum non solum ex Laudensi, sed etiam ex Ticinensi ac Mediolanensi districtibus concurreretur, dicentibus populis, O quanta mutatio dexteræ Excelsi! Quis vidit, quis audivit unquam tale? Vere applicari potest huic sancto Religioso, quod de seipso scribit ad Galatas Paulus, Notum facio quod expugnabam Dei ecclesiam supra omnes coætaneos meos: cum autem placuit ei qui me segregavit ab utero matris meæ, & vocavit me per gratiam suam, non acquievi carni & sanguini; sed considerans quod si sectari vellem mundanæ vitæ pompas, damnandus essem ad infernum, & interno sancti Spiritus actus afflatu, elegi fieri prædicator & amplificator ecclesiæ ipsius. Nempe recordabatur devotissimus hic Frater dictum istud verissimum, Non itur ad astra deliciis: proinde sanctam Mariam Magdalenam aliorumque Sanctorum in Scripturis nominatorum austerissimam vitam sibi proposuit imitandam.

inde migrat ad aliam S. Mariæ,

Gal. 1, 15 cum magna omnium ædificatione.

AUCTORE BASSIANO EX MS. ITALICO.

13 Ex quo tempore habitum S. Francisci assumpsit, numquam carnem, numquam vinum gustavit: pro potu autem habebat aquam cum myrrha & thure decoctam, cui bullienti, cum pars tertia decessisset, admiscebat ipse pauxillum mellis, ad temperandam aliquantulum myrrhæ amaritudinem: & hoc ipsi pro vino erat. Postquam vero rupta fuit lorica, qua supra carnem induebatur; ejus loco assumpsit cilicium, ex nodosis contextum funiculis; quod ipsum tribus chordis circum corpus ductis adstringebat, in honorem sanctissimæ Trinitatis; Harum autem chordarum una compacta erat ex porcorum setis admodum acutis, altera ex equinæ, tertia ex caprinæ caudæ pilis, ut magis affligeret ac castigaret corpus, illudque in spiritus servitutem redigeret. Stratum ejus ex sarmentis compositum, pro cervicali habebat durum ac frigidum marmor, in honorem nostri Salvatoris, qui in cruce pendens, & corona spinea transfixus, non habebat ubi reclinaret caput. Atque B hunc vestiendi cubandique modum tenuit, quamdiu in terris vixit, ut posset cum Paulo dicere Christo confixus sum. Gal. 2, 19

in summa austeritate vivens:

14 Proposuit aliquando totam unam Quadragesimam absque cibo corporali transigere, & reipsa primos octo dies sic egit, sola Dominici corporis susceptione contentus: quo tempore recordatur Fr. Franciscinus, illius socius, quod comedentibus Fratribus cibum quidem manu sumeret & velut ori admoveret, non tamen ori ingereret; quandoque etiam se reciperet ad hortū, quo sequens eum ipse Fr. Franciscinus, cum diceret quod ejus præsentiam desiderarent Fratres; mox adfuturum se respondebat Jacobus, iterumque vocatus humiliter imperabat, ut absque ullo suo respectu pranderent: quo facto impransus ipse auferebat mensam, velut omnium minimus omniumque minister. Videns ergo Fr. Franciscinus quod omnino non comederet, timere cœpit ne fame moreretur. Interim ipsius Jacobi mater Indulgentiarum causa Laudem veterem advenit, atque de hac filii abstinentia inaudiens, timensque etiam ipsa ne deficeret, reprehendit eum. Qui cum maternæ reverentiæ intuitu promitteret facturum se quod præciperet illa; ipsa pultem eidem composuit; quam F ex obedientia sumere acquievit, sic tamen ut delicatum ejus saporem dilueret admixtione suæ myrrhatæ aquæ.

institutum integræ Quadragesimæ jejunium,

matris imperio octavâ die solvit,

15 Finito prandio surrexit Franciscinus, & Laudam adveniens narravit Episcopo, quam abstinentiam orsus esset Jacobus, & quomodo eam ex matris imperio interpolasset esu pultis myrrheo liquore temperatæ. Episcopus autem, ejusmodi rebus cum admiratione auditis, jussit ut Fr. Jacobus continuo accerseretur. Eo autem humiliter obediente ac veniente, mandavit Episcopus ut semel in die cibum sumeret deinceps. Cumque excusaret sese humiliter Jacobus, oraretque ne tam severo imperio cogeret copiosiorem, quam revera opus erat, refectionem suscipere; quoniam confideret à Deo sibi adfuturas vires, ad abstinentiæ cœptæ rigorem continuandum; voluit Episcopus & præcise mandavit ut saltem ter in hebdomade reficeretur. Et huic præcepto paruit humiliter Jacobus, talemque vescendi modum tenuit, non solum illa Quadragesima, sed per omnem suam deinceps vitam, sola Dominica tertiaque & quin-

deinde jubente Episcopo,

ter in hebdomade cibum sumit:

ta feria manducans, sed citra carnis ac vini usum; ut posset istud Aristotelis usurpare, studium me fecit ingeniosum, abstinentia vero castum.

AUCTORE BASSIANO EX MS. ITALICO.

16 Erat porro Fr. Jacobus incessu, aspectu, loquela, & omni actione moderatus; animum semper erectum & hilarem præferens, atq; aliis præbens virtutum exemplum: in corrigendo suavis, in docendo placidus, numquam impetu furoris iracundiæque abreptus, sed caritate fervens, nec nisi cum honestis aut religiosis personis conversationem habebat. Quia autem monitum S. Hieronymi est, Semper aliquid boni facito, ut diabolus inveniat te occupatũ; Jacobus modo orabat, modo Patrum Vitas legendo volutabat, modo hærebat in contemplatione rerũ divinarũ defixus; à qua ne impediretur importuno nimioque confluxu civium, non raro sese intra sacristiam recludebat, ibique insistebat divinis laudibus beneficiisq; Creatoris in creaturas sparsis considerandis. Hæc utique ei erat cella, de qua loquitur Basilius in libro de Vita solitaria, dicens: i O cella sanctarum mentium delectatio & intimi gustus inexhausta dulcedo! Cella nempe est paradisus diliciarum, ubi tamquam redolentium species pigmentorũm, vel rutilantes flores aromatum, sic fragrantia spirant odoramenta virtutum.

tempus utiliter occupatum habet,

solitudinis amantissimus.

B

ANNOTATA.

a *Italice* ingrediendi ordinem, *non ut eum solenniter professura; sed dumtaxat ut sub ejus habitu aliquamdiu victura; quare censui substituendam phrasim magis huic loco propriam. Extat autem apud Waddinghum bulla Benedicti* XI, *an.* 1303 *mandantis Lauda institui monasterium Clarissarum, fundationem offerente Antonio de Fuxiraga: unde corrigendus Gonzaga, in Provin. Mediol. monast.* II *sic de eo loquens, quasi illud usque ad an.* 1459 *Tertiariarum dumtaxat fuisset.*

b *Non hoc intelligo de historia vitæ; sed de forma vitæ seu regula quam Clarissæ Laudenses observabant.*

c *Ita Ms. fortassis ex usu vulgi: nam integre scribendum* S. Ursulæ: *Gonzaga in Prov. Mediol. monast.* 3 *cum narrasset quomodo ea domus anno* 1341 *sub Regula S. Augustini instituta fuisset, ita loquitur:* Cumque successu temporis hujusmodi domus omnimodam minaretur ruinam, atque ejus Sororibus summa laborantibus inopia nulla ejus resarciendæ spes affulgeret, ejus calamitati summopere compatiens piissima simul ac dives quædam vidua, ex Mediolano oriunda, nomine Catharina, ad ejus reædificationem se ex promissione adstrinxit, si illius habitatores in primam B. Claræ regulam transire vellent. Quibus denique annuentibus atque Innocentio VII assensum præbente, & domus pristino nitori restituta fuit, & ipsa vidua simul cum ceteris monialibus in prætactam Regulam verba religioso de more fecit. Contigit autem id anno Innocentii illius primo, prout ex ejus diplomate, in archivio hujus loci asservato patet; *adeoque anno* 1404 *post mortem Beati, diploma illud cum facile haberi potuerit, miramur à VVaddingho fuisse neglectũ.*

C

d *Describit hic per digressionem auctor, quomodo camera, in qua uxor ac mater Beati commorari solebant, ipsi adiculæ S. Iuliani contigua, modo serviat ingressui sub eodem communi fornice, augendæ ecclesiæ addita per venerabilem Religiosum Patrem Gerardum de Mayocchis, Rectorem & Beneficiatum ibidem anno* 1435, *idque ex testamento ipsius Iacobi, volentis ut post dictarum mulierum mortem ipsa camera sic uniretur. Hanc digressionem, quia interrumpebat contextum historiæ, ab ea eximere placuit; atque hic ex ea inferre, quod præter testamentum infra dandum, ubi de tali camera nihil dicitur, debeat intelligi codicillus aliquis postea adjunctus: deinde quod dictæ mulieres ambæ ante annum jam notatum obierint, vel saltem jure ususfructus cesserint.*

e *Lapsus hic memoriæ est, adscribentis Christo ea verba in Euangelio, quæ sũt Apostoli,* I Cor. 10, 13, Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis. D

f *Non erat quidem proprie novus Ordo, ac ne Ordo quidem stricte dictus; cum ejus professores non fuerint proprie religiosi; & Tertiariorum institutio sit à S. Francisco: sed erat nova sodalitas, sub observantia Regulæ rigidiori quam esset ipsorummet Franciscanorum, ut hinc apparet.*

g S. Bassianus, *Episcopus Laudensis, de quo fuse egimus* 19 *Ianuarii.*

h *Videtur esse nomen rivuli in Adduam influentis.*

i *Opusculum hoc nemo hactenus Græcum vidit, & an S. Basilii sit merito dubites: extat Latine excusum in editione Parisina Frontonis Ducai an.* 1618.

CAPUT III.

Reversus Laudam juvat captivos, indeque contracto morbo, moritur: corpus elevatur.

17 INstigante diabolo Deoque permittente, per universam Lombardiam ingens exarsit discordiarum incendium, propter enormia peccata, ex pertinacibus odiis nata, inter eos quibus non fuit cordi hoc vulgare dictum:

Flagrantibus Italiæ discordiis,

Si bonam vis vitam & opinionem,
Ne sequere partes juxta a Salomonem:
Pars enim Guelfa & pars Ghibellina
Castigabuntur virtute divina, E
In hac vita cumulo suspiriorum,
Apud inferos pœnis martyriorum.

Igitur prædictus Fr. Jacobus, divina inspiratione præsentiens ingentes qui imminebant motus, quodam die festo prædicans ad populum, cœpit dicere, O nobiles cives, ô matronæ, ô cujuscumq; ætatis & conditionis homines, sive indigenæ sitis sive exteri, rogo atq; obtestor quantum possum, ut dimissis agris recipiatis vos ad vestras civitates, castella & oppida, priusquam vos comprehendant tanta quanta imminent mala: neque contemnite id quod vobis dico, dico enim ex Dei mandato. Ne quæso velitis mori ante tempus, sed ipsius Christi exemplo, cum vellent eum Judæi lapidare, abscondentis se quia nondum venerat hora passionis ejus, vobis ipsis consulite, dum licet & potestis.

prædicit infortunium agri Laudensis vastitatem,

18 Videns autem quod se non commoverent neq; metuerent propter hujusmodi admonitionem, rursus alta voce dixit: O fratres mei, ô sorores, si vos nunc abire non vultis cum tempus habetis; ego cum Fratribus meis Laudam discedo: & concione dimissa, nihil ultra moratus, una cum suis proficisci cœpit. Accurrentibus autem inquilinis ipsius vici, atq; rogantibus ut secum maneret, quia munituri erant ecclesiam adversus quascumq; subitas irruptiones; noluit acquiescere, sed abiit quo cœperat. Populus igitur tanta fugæ acceleratione perterritus, cœpit etiam ipse vasa colligere, onerare currus, se suasque familias Laudam transferre: quidem autem perstiterunt in loco, quos brevi suæ incredulitatis pœnituit, quando spoliati sunt & comprehensi ab hostibus, omnibus extra mœnia domibus eversis incensisve; quæ durantibus bellis in ea desolatione manent in hunc usque annum MCCCCXLVIII, neque ulli extra urbis portas vitæ erat aut libertatis securitas: quos autem periculum comprehendit, in varias & longinquas captivitates abducti fuere; vicissimque ex hostico multi adducti sunt Laudam, & in carceres dati.

& alii fugiendi exemplum daturus,

F

Laudam se cum suis recipit:

19 Tum Frater Jacobus ac Fratres sui, nominatim Fr. Francischinus, infelicem captivorum conditionem miseratus, circuibant per domos potentiorum civium, & eorum quibus displicebat sæveritas contra miseros exerceri solita, & pro Dei amore colligebant eleemosynas inter ipsos distribuendas, manticam panibus, œnophoros vino plenos, cum carnibus coctis portantes, & propriis mani-

addicit se obsequiis captivorum,

A manibus ministrantes iis, qui manicarum catenarumque pondere impediti, aut plagarum enormitate debilitati, suis se manibus juvare non poterant. Atque in hoc caritatis humilitatisque Christianæ exercitio dies toti à mane in vesperam traducebantur, cum interim vestes infelicium illorum ipse Jacobus emundaret à vermibus, suis ipsos vestimentis operiens tantisper, unde haud levem proprio corpori cruciatum referebat domum, undique materiem quærens carnis affligendæ. Non potest satis explicari verbis quanto in his ardore versaretur vir sanctus, istud Euangelicum semper habens præ oculis, ubi in persona Christi dicitur, In carcere eram & venistis ad me. Tantum autem hac ejus solicitudine proficiebatur ut nulli captivorum quidquam deesset rerum ad vitam necessariarum; cum nunc has, nunc illas domos adiret, prout in variis locis vincti solent servari, quemadmodum experti norunt, quotquot inter hujusmodi bella aliquando vixerunt.

cum summa humilitate & caritate,

Matt. 25,36

20 Contingebant porro nonnumquam ut inter captivos infirmarentur aliqui, quos Jacobus, exoratis per multas preces custodibus, portabat ipse ad nosocomium, ibique curabat. Quod si gratis id obtinere nequiret, sed unum & quandoque duos ducatos exigerent inhumani milites; circuibat per ædes devotarum & opulentiorum personarum, usq; dum emendicasset quantum satis erat placandæ militum avaritiæ: & hac ratione multos eximebat è squalloribus carcerum. Inter hos unus fuit, quem ad nosocomium S. Elisabethæ deportandum curarat, cui cum tibia horribiliter affecta pene tota computruisset, & vix solis nervis reliquo hæreret corpori, jussit pro eo confici argenteum quoddam instrumentum, adeoque dextre tractavit infirmum, ut resecta parte incurabili, reliquum servaverit hominem: qui exinde non desinebat laudare Deum ac famulum ejus Jacobum, cujus misericordia fuerat in vivis retentus.

plurimumque salute ærumnis alias extinguendorum

B

21 Longo tempore duraverunt calamitates istæ; quæ cum quotidianos maximosque labores Jacobo parerent, nullus dubito, quin ea in quam decidit infirmitas eorumdē laborum fuerit fructus. Gravis autem infirmitas fuit: sed ipse pacato eam animo hilarique ferebat: & cujuscumq; conditionis ac sexus homines, ad se visitandum accedentes, læto excipiebat vultu. Venit etiam aliquando ad eum præstigiatrix vetula, dixitque Si vis, Frater Jacobe, faciam tibi signum quo sanitatem recuperes. At ille, Apage, inquit, malo enim justus mori quam vivere injustus: atque ita loqui debet quiscumque secundum Dei legem vult vivere, itáque in ejusmodi casu S. Bernardus respondisse fertur alteri vetulæ, simile remedium morbi offerenti: nec satis culpari possunt ii, qui incantationibus diabolicis vitam sic credunt corporis, ut æternam animæ salutem perdere flocci pendant. Quæ vero ad se venientibus monita dabat Jacobus, ea fere ad mutuam cariatem spectabant, cum identidem inculcaret istud Pauli, Omnes sumus Fratres in Christo: & hæc monens ridere videbatur, adeo ut vultus serenitatem tantam in corpore infirmo mirarentur omnes, cum dolores quos patiebatur considerarent: nempe cor gaudens exhilarat faciem, Salomone teste; & Jacobus totus gaudebat in Domino. Tristabatur nihilominus Franciscinus ejus socius: quare consolari eum volens Jacobus, Ne quæso, inquit, mœreas Frater; te enim æque ac me invitat Dominus. Nec vana hujusmodi admonitio fuit: quia paucos post dies dictus Frater morbo correptus est, eoque obiit, infirmitatis suæ die tertio, & apud Fratres Minores in eorum claustro sepultus requiescit.

hinc contracto morbo,

oblatam per incantationes sanitatem recusat:

C

socii sui mortem prædicit

Prov. 15,7

22 Tandem Jacobus etiam ipse, post diuturnæ & miræ patientiæ exercitium, in quo nullum unquam dolorisvel molestiæ signum dedit, numquam vultum contractiorem prætulit, suscepit Ecclesiæ Sacramenta quanta potuit devotione ac reverentia, qualemq; verbis nemo valeat explicare, coram numerosa multitudine tam secularium quam religiosarum personarum circumstantium, anno MCCCCIV; sub horam noctis XI, quodam die Veneris, mense Aprili. Postea cœpit omnes confortare qui aderant, sublatisque in cælum oculis ac manibus dixit, Dirupisti Domine vincula mea; atque hoc dicens expiravit, eadem vultus hilaritate etiam post mortem permanente, qua veluti subridere videbatur omnibus ad spectaculum accurrentibus: quorum postero die mane maximus fuit numerus, cum mortui corpus in atrio domus in habitu religioso, ut talium mos est, spectabile supra feretrum jaceret. Nec erat qui non crederet, tam decoram venustamque speciem & viventi simillimam, argumentum esse ejus beatitudinis, quam anima jam tunc possideret in cælo. Inter cæteros autem qui venerabundi advenere fuerunt mater & uxor defuncti, cum filio ejus Antonio b ad Sacerdotium aspirante.

ipse quoque pie obit

AUCTORE BASSIANO EX MS. ITALICO.

1404 feria sexta.

b

23. Tunc ego Fr. Bassianus Dardadone, ex Ordine Fratrum Minorum S. Francisci & Confessor devotissimi Fr. Jacobi, coram omni populo manibus meis elevans manus defuncti, ostendi eas per omnes digitorum articulos sic tractabiles mobilesque quasi integra adhuc vita animarentur, in signum maximæ sanctitatis ejus. Nec multo post adveniens Clerus, cum multo honore ac reverentia, eumdem sepelivit sub terra, ante altare S. Juliani in propria ejus ecclesia. Quia autem dixit Deus Apostolis suis, Prædicate Euangelium omni creaturæ, annuntiantes virtutes ac vitia; ego de virtutibus mortui sermonem habui. Porro in isto primæ sepulturæ loco corpus per annos septem jacuit: postea vero mater ejus Religiosis quibusdam & secularibus dixit, quod filii corpus vellet de terra elevandum curare, in monumentum ad hoc fabricandum; quod & fecit, juxta altare prædictum ad manum dexteram. Refossum autem corpus suavissimum de se spiravit odorem, velut si copiosis aromatis refertus fuisset locus: & quidam ex præsentibus elevarunt manus ejus, ac rursum æque ac prius invenerunt tractabiles mobilesque, licet consumpta carne sola pellis obducta esset ossibus, firmiter inter sese hærentibus.

honestissimæ exequiæ mortuo fiunt:

E

corpus post annos 7 elevatur integrum;

F

24 Quæ omnia cum certum præberent testimonium excellentis sanctimoniæ, quam vivens fuerat consecutus, sæpius fui rogatus à matre aliisque pluribus ego Fr. Bassianus Dardadone, ut vitam ac mortem ejus beatam describerem. Sed iis morem gerere non potui, cum nullum otium haberem à concionibus in conventu nostro & extra civitatem per varias ecclesias habendis; donec anno MCCCCXXIII, gravi dentium dolore coactus à prædicatione cessare, potui scriptioni attendere, & litteris consignare hæc pauca, quæ mihi de eo suggerebat memoria: nihil dubitans quin alia multa scriptis dignissima ab eodem sint acta, quæ ad meam non venerunt notitiam. Multa etiam sunt quorum memoriam senectus obliteravit: experior enim eamdem mihi factam esse valde labilem; communi senilis ætatis vitio.... c Considerans porro cunctis moriendum esse semel, sive in juventute sive in senectute, extremum hoc monitum cunctis adjungo; Quidquid voluisses fecisse in hora mortis, id facito dum corpore sanus es, declinans à vitiis & exercens virtutem, si vis in vitam æternam ingredi. Deo gratias: id est, Ego Fr. Bassianus ago gratias Deo, qui dignatus est mihi concedere gratiam ad commendandum scripto hanc benedictam Legendam, pro Dei honore & ædificatione quorumcumque volentium bene vivere, sicut vixit hic devotus

c

AUCTORE BASSIANO EX MS. ITALICO

devotus Religiosus, scilicet Fr. Iacobus de Oldo: cum eoque sine fine gaudere in secula seculorum. Amen, ... *d*

ANNOTATA.

a Salomonis *nomen hic promiscue accipi videtur, pro* Sapiente *quocumque, talis dicti auctore.*

b *Natus anno 1387, ut dicitur supra num. 2, dumtaxat agebat annum 18 ætatis quando obiit; qui in suo testamento nihil simile insinuat de filio, ut hoc videri possit per prolepsim additum.*

c *Hinc excurrit auctor in defectus, quos grandior ætas inducit corporis facultatibus; ut discat homo corpus suum non nimis æstimare: quam digressionem placuit hinc, ut superfluam, rescindere.*

d *Explicata jam Vita subjungit auctor longissimam narrationem de Indulgentia quadam, ad altare S. Bassiani concessa anno 1414. cum Laudæ simul essent Ioannes Papa XXII & Sigismundus Imperator, quorum hic Ioannem de Vinea, qui jam inde à tempore B. Iacobi usque tunc Laudensibus simul ac Placentinis gloriose dominabatur, Equitem auratum creavit; iste vero die 29 Octobris concessit plenissimam Indulgentiam prædictam pro festo S. Bassiani, incipiendo à primis Vesperis, in perpetuum duraturam, idque coram testibus hic & in tabula ibidem appensa nominatim expressis, quorum unus fuerit D. Presb. Petrus de Mayorano, tunc solum Diaconus & Secretarius sive Custos ecclesiæ Cathedralis, nunc autem, id est anno 1448, Præpositus ecclesiæ SS. Naboris & Felicis: quam Indulgentiam idem Pontifex, è Confessione S. Bassiani transgressus ad Capellam S. Mariæ ad Nives, pro eadem capella & die 5 Augusti iterari voluerit. Præfatur autem hujus privilegii concessioni se præsentem fuisse: & deinde fuse excusat quod propter bellicos tumultus de eodem non fuerit nec habeatur expedita bulla. Postea proponit bullam alterius Indulgentiæ, centum dierum, pro festo & ecclesia S. Iuliani Laudensis, concessæ à Gerardo tit. S. Mariæ in Transtiberim S. R. E. Presb. Cardin. Comano vulgariter nuncupato, Apostolicæ Sedis Legato sub data XX Iunii, anno Nativitatis Domini MCCCCXL Pontificatus Eugenii IV anno X: cujus Bullæ Latinus textus vulgari postea lingua summatim proponitur. Post quæ omnia, brevitatis causa hoc loco omissa, sequitur titulus novus,* Infrascripta sunt aliqua miracula laudabilia dicti Fratris Iacobi de Oldo, *eaque continuantur prout jam sequitur.*

B

CAPUT IV.

C

Miracula post obitum B. Iacobi patrata.

Sanatur stomacho dolens amita Beati,

25 HIc volo describere quædam miracula, facta per devotum Fr. Jacobum de Oldo in civitate Laudensi post mortem ejus: quorum hoc sit primum. Cum adhuc in feretro staret spectabile corpus, quædam Antoniola, mater Presbyteri Ugonis de Menna, quæ annis duodecim passa fuerat gravem stomachi dolorem eratque amita ipsius Fr. Jacobi, talem ad eum fecit orationem: Fili mi, si tanta gratia apud Deum vales, obsecro ut me liberare velis ab hoc quem patior stomachi dolore: & suæ petitionis compotem sese sensit priusquam terræ mandaretur corpus, neque amplius dolor iste repetiit perfectissime liberatam.

a item paralyticus,

26 Fuit etiam vir quidam de sub S. Nicolino Laudensi, paralysi *a* correptus ab annis duobus, qui cum in lecto noctu non dormiret, sed cogitabundus jaceret, vidit accedere quemdam ad se qui dixit: Mane facto vade ad ecclesiam meam, & cura ibi dici tres Missas, postea sanus eris. Respondit ille: Atqui nescio ego quæ tua ecclesia sit. Ipse vero dixit: Sum Fr. Jacobus de Oldo: vade ad S. Iuliani. Rursum ille: Quomodo autem ibo qui gradi non possum? Ibis, reposuit alter. Et facto mane ivit qui fuerat paralyticus; Missasque, ut jussus erat, curavit dicendas, ac domum rediit ex toto sanus. D

& moribundus,

27 Fuit & alter civis Laudensis, D. Bassianus de Gorgonzella nominatus, habitans in burgo portæ Cremonensis in vicinia S. Pauli: qui ex gravissima infirmitate lecto decumbens, motu non solum corporis sed & linguæ privatus, cibi fere omnis ac potus expers, pro deposito à medicis habebatur, propinquam ejus mortem præsagientibus: ideoque domestici ejus, postquam ut mortuum deplorassent, eidem sepeliendo curaverant sandapilam fieri. Notandum autem quod prædictus infirmus adeo se gravatum sentiens, per Dei gratiam fuerit recordatus benedictæ animæ prænominati Beati Fr. Iacobi de Oldo, cujus viventis fuerat aliquando socius, eumque intra se affari cœpit in hunc modum: O anima glorificata B. Fr. Iacobi de Oldo; quam certissime credo coram Deo omnipotenti assistere, obsecro quam possum cordatissime, ut velis pro me intercedere apud Christum benedictum, quatenus, siquidem ad animæ meæ salutem conducat, restituere mihi dignetur sanitatem corporis: & ego vicissim eidem promitto, quod reliqua omni vita mea, quantum humanitus possibile erit, adnitar ut omnia peccata caveam: quæ sane promissio, si eam subsequatur effectus, Deo carior est alio qualicumque voto, quod vir aut mulier posset nuncupare Deo. Addidit etiam prædictus D. Bassianus certas quasdam devotiones & oblationes, à se faciendas in ecclesia S. Iuliani. E

qui corde invocans B. Iacobum

ab eodem apparente

28 His taliter actis, sequenti mox nocte circa infirmi lectum apparuit beatus Fr. Iacobus de Oldo, griseo tertii Ordinis mantello amictus, & tertio nomen jacentis inclamavit, dicens O Bassiane. O Bassiane. O Bassiane. Multum is quidem tunc gravabatur: interrogavit tamen quisnam esset qui suum nomen sic iterabat. Cui ille: Fr. Iacobus de Oldo sum, qui magna tua devotione & ferventi deprecatione permotus, supplicavi pro te altissimo Deo, ab ejusq; gratia ac misericordia obtinui ut ex hac infirmitate non moriaris, atque ita implere valeas tuam bonam voluntatem, easque devotiones ad quas te ipsum Deo mihique, id est ecclesiæ meæ, sincera mente obligasti. Confortare igitur & esto certus, quod brevi liberaberis ab hac, quam modo pateris, infirmitate & angustia omni, cum magno omnium gaudio. Iubeo autem, ut, quam primum poteris gressum formare, accedas ad meam S. Iuliani ecclesiam, & quidquid tibi nunc accidit palam enarres; idque sub Missæ sacrificium, quando frequentior ibidem est populus, ut occasione hujus benedicti miraculi, gloriosus Deus, pro nobis passus mortuusque in cruce, semper & in æternum laudetur. F

factum in se miraculum jubetur publicare:

prout post 4 dies facit in ecclesia S. Iuliani

29 Sciendum proinde, quod quarto abinde die, prædictus D. Bassianus accessit ad ecclesiam S. Iuliani, eadem hora qua Frater quidam Franciscanus sacra induebat vestimenta Missam dicturus. Hac autem finita, D. Bassianus rogavit ipsum Fratrem, ut convocaret omnes qui ibidem erant, deprecans ne quis egrederetur, & dicens quod ei narrare vellet pulchrum miraculum B. Fr. Iacobi de Oldo, quod ipsi sibi noviter acciderat: cœpitque minutim exponere singula supra indicata; nec modice auxit præsentium omnium erga Beatum devotionem. Sciendum præterea quod populo magna cum satisfactione digresso, D. Flordonina mater dicti Beati ipsum D. Bassianum manu prehensum duxit in domum ejus, id est cubicellum, ubi ipse Beatus solitus erat die & nocte orare, ac libros de vitis sanctorum Patrum diligenti contemplatione evolvere; ibique ei monstravit in angulo quodam stratum ex colligatis

& ducitur ad cubiculum Beati videndum,

A gatis sarmentis compositum, ac durum marmor quod filio fuerat pro cervicali, nec non cilicium ejus & chordas tres quibus illud adstringebat corpori..... Prædictum autem miraculum in persona D. Bassiani contigit quarto post mortem Beati anno: ipse autem postmodum vixit per annos quadraginta duos. b

b sterili matronæ proles impetratur.

30 Matrona nobilis, nomine Aloysia, uxor Aloysii de Vinea nobilis civis Laudēsis, cū marito annis quatuor sine prole vixerat: & spem quoque illius concipiendæ jam deposuerat, quamvis adhuc juvenis esset. Verūtamen audita fama hujus devoti Religiosi, quasdam devotiones instituit facere, atq; ex intimo cordis affectu orare eum cœpit, ut sibi à Deo secundum bene placitum ejus filios aut filias impetraret. Completa autem quam assumpserat devotione, filiam mox concepit, & alios postea ex ordine liberos: asseruitq; suas preces omnes à Beato semper exauditas fuisse.

convalescit puer phthisicus

31 D. Joanna de Paternis, matrona Laudensis, dolenter ferebat filium suum Danielem incurabili phthisi consumi & exarescere, adeo ut morti esset quam vitæ proprior. Quodam autem matutino tempore, ad audiendum sacrum egressa domo, eamdem Cometæ filiæ suæ commendavit; postea reversa, invenit filium ita jacentem in lecto ut caput extra eum B penderet. Quare mortuum existimavit (neque enim vel anhelitum ejus ullum percipiebat) & caput supra cervical reposuit. Sed ecce experrectus parvulus, queri cœpit de matre, dicens, importune id ei accidisse: Jam enim, inquit, aderat mihi Fr. Jacobus de Oldo, dixitque quod tibi domum reversuræ diceerem, ires ad ejus ecclesiam, ibique cereum infantem offerres, ita fore ut convalescam. Fecit mater ut filius monuerat: & exinde tam bene valuit puer, ac si mali nihil unquam passus fuisset.

& mulier, ambo post visum in somnis Beatum.

32 Altera etiam Joanna, Laudensis mulier, diebus aliquantis tam male affecta fuerat, ut somnum nullum oculis caperet. Huic fuit frater, Otto dictus, ex ordine S. Dominici, in Theologia Magister; qui postquam Ioanni Patarino moribundo adfuisset usque dum spiritum redderet, sacras super eum preces recitans, in reditu ad monasterium divertit ad visitandam & consolandam infirmam sororem; quæ quomodo valeret interroganti, responderunt domestici, quiescere aliquantum. Tantisper ego ibidem præstolatus, & postea infirmæ cameram ingressus, ipsam quoq; de suo statu interrogavit: quæ respondit dormivi nonnihil: dormienti autem adfuit Fr. Iacobus C de Oldo, monens ut assumerem habitum tertii Ordinis: idemque sæpius inculcanti, cum hoc promittere detrectarem, tandem dixit me sanandam, in ejusq; rei certitudinem signum dedit dicēns, quod ipso eodem tempore mortuus esset Mag. Ioannes Patarini. Verum id esse confirmavit frater, neque dubitavit quin id divinitus intellexisset soror, quandoquidem ipse adfuisset morienti, nullaque interposita mora accessisset ad infirmam, adeo ut nullus interim ad ipsam nuntius de ejusmodi obitu potuerit penetrare. Veritatem denique visionis illius comprobavit sanitas, intra modicum tempus consecuta.

puer peste contactus subito sanatur.

33 Cuidam Bartholomæo de Fasulis, mortalitatis tempore dormienti cum matre, ut pueri solent, gravis febris advenit, pestilentemque tumorem procreavit. Ille expergefactus, seque oppido gravatum sentiens, & manum versus coxam protendens, sensit insolitam tumefactionem; & matrem ejulans inclamavit. Quæsivit illa quid ei deesset; & suspicata tali tēpore quod res erat, cœpit palpando explorare filioli corpus; nec malum levius quam metuebat deprehendit. Verum quia magnam animo alebat fiduciam in Deum & beatum istum virum, votum fecit, quod si à periculo isto liberaretur puer, bonorum suorum partem aliquam oblatura esset. Neque pluribus opus fuit: quia primo mane locum antea affectum inspiciens, sanum prorsus & absq; macula ac tumore invenit, febri sublata, & puero tam alacri ac si nihil mali passus fuisset. c

AUCTORE BASSIANO EX MS. ITALICO.

34 Alia femina, dicta Facina de Longhis, uxor Ioannis Galli, decumbebat periculose, novem grandibus plagis affectum habens corpus, quarum curationem medici desperabant.. d Sic igitur jacenti & mœstæ, ac pene extra usum rationis positæ, visi sunt adstitisse duo Fratres, alter griseo, alter nigro colore vestitus; quorum unus ipsam nominatim cōpellans, Surge inquit, Facina. Neganti se posse surgere, reposuit ille; Eja, manum mihi porrige; manūq; apprehēsam visus est circumducere per cameram. Sub hæc expergefacta mulier, intimæ cuidā amicæ suæ narravit visionē. Quæ confessa est, quod ejus causa multū solicita instanter supplicasset Beato Fr. Iacobo, quia hunc experta fuerat præsentem in quavis necessitate advocatum. Exinde vero de die in diem melius habere cœpit infirma, usque dum plenam recuperavit sanitatem, Deum & servū ejus Iacobum collaudans.

c d item mulier exulcerata,

alia à bile ad caput elevatione & urinæ obstructione,

35 Domina Bartholina de Somaripis, ex bile per corpus diffusa gravissime infirmabatur, noxiique humores ad ejus sublati caput ita ipsum tumefecerāt, ut muliebrē speciem in eodem ita grandi vix daretur agnoscere. Accessit obstructio urinæ pertinax: & his duobus afflicta malis, ad Deū devotumq; Fr. Iacobū de Oldo, cui pie semper affecta fuerat, invocandum E se vertit, oblationem aliquam ei faciendam promittens, si gratiam faceret sanitatis. Vix votum emiserat, quando ita se persanatam mirata est in instanti, quasi nullum incommodum passa fuisset.

item moribundus an. 1438

36 Civis quidā Laudensis, Martinus Galli appellatus, post gravē annorū octodecim infirmitatē eo re ductus erat, ut præter modicā è zuccaro confectionē nihil omnino caperet alimenti, & à medicis depositus haberetur. Sic jacenti aderat quædā ejus cognata, nomine Thomasina, dixitque, Volo pro te, cognate mi, orare Fr. Iacobum de Oldo, ut si qua valeat apud Deū gratia, sanitatem tibi restituat. Hoc admonitu etiā ipse pro se sequenti nocte tota eādem gratiam postulavit, votum addens de cereo capite ad Beati ecclesiam deferendo si convalesceret. Die autem sequenti cognatā cum cereo capite ad ecclesiam misit, & subito sanus assurrexit. Contigit hoc anno MCCCCXXXVIII.

e & an. 1445 cognata Beati sanæ menti redditur.

37 Tomasina delli Bocchoni, honestissima ac pientissima matrona, filia nobilis viri Ioānis & cognata e ipsius B. Fratris Iacobi de Oldo, sub annū MCCCCXLV in talem decidit ægritudinem, ut eam sibi ignotā esse faterentur medici; & quoniā nihil apte loquebatur, sed rem unā pro altera, credebatur à maligno spiritu possessa. Adhibiti ergo à Sacerdotibus exorcismi sūt: F cumq; nec his quidquam proficeretur, cœpit tandem haberi fatua. Ita affectam videntes filii ejus aliiq; domestici, & quod de die in diem amentia cresceret, atq; omnem demū rationis usū infelici sustulisset, desperabant unquā sanæ mēti restituendā: sed duabus ejus neptibus major in Deū Sanctūq; ejus fiducia fuit, cœperuntq; amitam suā blandissime solicitare, ut spē aliquam poneret in isto devoto Fr. Iacobo, cui toties & tam devote supplicare consueverat. Cumq; idem etiā suggererent mulieres domesticæ aliæ, nec finem facerent talia iterandi simul & orandi pro infirma; huic eatenus mens sana rediit, ut dicere potuerit, O Domine, Fr. Iacobe, Dei famule, dignare mihi auxilium ferre in hac mea afflictione: deinde sensibus omnibus ita sana fuit in momento, ut nullum pristinæ passionis vestigium in ea esset animadvertere: atque ita laudavit Deum & prædictum Fr. Iacobum.

Matrona cancrum patiens in mamilla

38 Aliæ mulieri, D. Dariæ dictæ, uxori nobilis civis Laudēsis Iacobi de Fissiraga, incurabilis cancer advenit in mamilla dextra, qui intra bienniū ita ipsam corrosit, ut ad magnitudinē hostiæ pateret plaga, eiq; implēdæ opus esset pluribus panni linei frustis in orbē sectis, interim dum circa ipsius plagæ labra medicinæ appli-

AUCTORE BASSIANO EX MS. ITALICO

applicabantur. His vero non modo profectum est nihil, sed crescentibus semper cruciatibus cum proserperet indies malum latius, negaverunt medici aliam curationis superesse rationem quam ipsius mamillæ rescissionem, siquidem vitam conservatam vellet, nisi forte per expressum miraculum succurreret ei misericors Deus. Ita sentiebant Mag. Ioannes de Bergomo, Mag. Christophorus Bocchonus, Mag. Martinus de Cassino, Mag. Aloysius Pauli; Mag. Ioannes Gamba, Doctores medici & Ioannes Parasso chirurgus. Tali eorum sententia audita, mulier, quæ pridem multa cognoverat de devotissima & sanctissima vita B. Fr. Iacobi de Oldo, potius quam in rescissionem mamillæ consentiret, maluit humanis omnibus medicinis rejectis fiduciam totam collocare in eum, qui quatriduanum Lazarum suscitavit de monumento, eumdem sibi sperans propitiandum per intercessionem B. Iacobi.

quam abscindendam medici judicabant,

f

39 Sciendum est autem, quod inter eas quæ D. Dariæ persuaserant ut ad B. Iacobum invocandum se converteret, fuerit D. Thomasina, ipsius Beati viri cognata. Quoties enim ad D. Dariam visitandam accedebat, inculcabat ei devotionem erga suum Cognatum, à quo etiam ipsa antea beneficium sanitatis fuerat consecuta. Hujus igitur suasionibus instructa D. Daria, cum eo rem adductam vidit, postquam ex sua parte nihil prætermiserat quod esset ad animæ & corporis salutem expediens.... g extremam denique hanc anchoram arripuit; pieque invocans B. Iacobum, votum fecit cujusdam oblationis ad ejus ecclesiam offerendæ: ipsoque instanti sensit à sua mamilla velut igneum quemdam calorem abscedere: & cœpit, tamquam de adepta sanitate jam certa, gratias agere Christo omnipotenti ac matri ejus & B. Iacobo: deinceps autem visa est ipsorum oculorum experimento quotidie proficere ad sanitatem perfectam. Quod vero miraculum auget, hoc est. Ferebat uterum prægnans Daria, dixerantque medici quanto propinquior fieret partui, tanto magis aggravandum & irritandum eum quo rodebatur cancrum: prorsus autem contrarium accidit, ut quantum maturescebat in utero fœtus, tantum diminueretur malum; adeo ut cum tempus pariendi advenit, omnino libera ab eo extiterit, solis prioris plagæ relictis vestigiis, absque ullo penitus doloris sensu. Atque hoc evenit Dominicæ incarnationis anno MCCCCXLVIII aliquantis ante Domini natalem diebus. Atque ita finitur præsens miraculum: h laus Deo, pax vivis, requies defunctis. Amen.

prædicta Cognata suasu Beatum invocat,

B

g

& una cum partu liberatur à morbo,

C

h

40 Ad laudem & gloriam Dei Omnipotentis, ad exaltationem nominis B. Fr. Iacobi de Oldo, qui præsentem S. Iuliani ecclesiam erigendam curavit, fiat omnibus manifestum, quod dictus B. Fr. Iacobus per merita sua noviter i operatus sit grande miraculum, in persona nobilis viri Mag. Ioannis de Populo civis Laudensis: idque in hunc modum. Patiebatur prædictus Mag. Aloysius gravem infirmitatem, quam medici litteraliter nominant Ad colla malignus, estque species quædam cancri, quæ ipsi Mag. Aloysio enata erat intra ipsam buccam ad partem sinistram. Eo cum graviter affligeretur, neque rem procul à mortis periculo medici abesse iudicarent, inter amicos qui ad infirmum visitandum conveniebant, cœperunt aliqui narrare miraculum, quod in matrona nobili simili fere morbo laborante operatus fuerat B. Fr. Iacobus de Oldo, ab eadem devote invocatus. Non surdis auribus eam narrationem excepit Mag. Aloysius, sed, mente ad Deum ejusque famulum erecta, vovit, quod si similem ipse impetraret gratiam, curaret Missam celebrandam & cereum caput offerendum in honorem Beati. Et ecce, nulla interposita mora, crepuit interius pars male affecta, expuitque Aloysius marcidæ carnis frustrum ad magnitudinem grandioris nucis, & simul totum quo gravabatur malum, nullo ejusdem vestigio remanente. Quapropter hoc quoque visum est non fuisse silentio prætereundum, ut omnium devotio ac reventia erga B. Iacobum augeatur, velut erga alium quemvis è Sanctis Dei, qui per ipsius merita similiter miracula operetur, & deinceps possit velitque operari in pluribus personis ipsum devote invocaturis. Res autem facta est anno MCCCCXLIX die XII Februarii.

i

item vir cancrum in ore ferens,

ad simile votum subito sanatur, ann. 1449,

D

ANNOTATA.

a Paralysin intellige, quæ hic vulgari phrasi dicitur mal di corpo, *quasi* morbus corporis.

b *Hæc videntur addita post annum 1450, incertum an ab ipso auctore.*

c *Ita ex ipso jam adultiori videtur auctor intellexisse.*

d *Causa exulcerationis hæc additur in vulgari,* è questa infirmita vienne per una sua pajolata de uno fantino, *quod Laudensibus explicandum relinquo: suspicor autem indicari quod morbus fuerit ex puerperio relictus.*

e Cognatus, Cognata, *Italica phrasi significat Fratris aut Sororis maritum vel uxorem.*

E

f *Italice* Doviti sapere; *quæ phrasis in vita identidem usurpata ab auctore, & similis ubique stylus, nos certos faciunt, ab eodem esse etiam totum hoc caput.*

g *Omissa fusius hic dicta de confessione, contritione, & satisfactione, in periculo mortis à quovis bono Christiano adhibendis: sicut & alia quædam, verbosius ab auctore dicta in hujus miraculi narratione, ad pauciora contraxi.*

h *In eodem, unde hæc transumpta sunt, MS. invenitur* Protestatio facta per *ipsam* nobilem D. Dariam, filiam nobilis viri Bertholini Zanaboni, & uxorem nobili viri D. Iacobi de Fixiraga civis & habitatoris civitatis Laudæ, viciniæ ecclesiæ S. Nicolini, *quæ* dixit & protestata fuit, quod ipsa D. Daria, per annos tres proxime præteritos vel circa, passa fuit magnam & intolerabilem infirmitatē cancri incurabilis, & quod facto certo voto B. Fr. Iacobo, ob ejus merita liberata fuit & est à dicta infirmitate. *Coram testibus & Notario ibidem expressis* MCCCCXLIX Indictione XII, die XIV mensis Februarii, in ecclesia S. Iuliani: *quod satis est hic indicasse, cum res plenius habeatur ab auctore descripta, prius forte quam instrumentum illud conderetur.*

i *Hoc quoque ab eodem auctore esse credo, quamvis post totius Legendæ completam descriptionem adjectum.*

F

APPENDIX

Testamentum ipsius Beati ex MS. Originali Latino.

41 IN nomine Domini. Amen. Anno nativitatis ejusdem MCCCCIV Indictione XII die X mensis Aprilis, in civitate Laudæ, in domo habitationis infrascripti testatoris, videlicet in ejus camera cubiculari, posita in vicinia ecclesiæ S. Ægidii: præsentibus D. Ottino de Fissiraga &c.... a Quoniam mors & vita in manu Dei sunt, & quia melius est cum metu mortis vivere, quam spe vivendi ad mortem subitaneam pervenire; & alibi dicit scriptura, Omnes stabimus ante tribunal Christi, rationem reddituri de factis propriis quæ gessimus in hac vita, sive bonū sive malum, quodcumq; fuerit illud, & alibi dicatur, Dum in statu sanitatis cursus vitæ revolvitur, debet homo sapienter etiam bona & negotia disponere & ordinare, ut dum D. N. Jesus Christus illum migrare voluerit, non de negligentia reputetur ut impius, sed de bono opere laudetur ut pius. Idcirco venerabilis & religiosus vir Fr. Jacobus de Oldo, filius quo- D. Mar-

De rebus suis volens mature disponere

a

Rom. 14. 10

A D. Marchesii, civis Laudæ, Frater tertii Ordinis Pœnitentiæ Fratrum Minorum Conventus S. Francisci Laudensis, sanus mente & intellectu ac bonæ dispositionis & memoriæ, quamvis suo corpore aliquam patiatur infirmitatem, volens & cupiens testari & sua bona disponere & ordinare taliter, quod inter superviventes, ad quos ea vult pervenire & spectare, nulla lis seu discordia post ejus testatoris decessum possit oriri; fecit & facit hoc suum præsens nuncupativum testamentum seu ultimam voluntatem, quod seu quam voluit & vult perpetuo & omni tempore valere & tenere ....

b testamentum condit infirmus 1504 10 Aprilis

42 In primis namque d. testator cassavit, irritavit & annullavit...c omnia alia testamenta, codicillos &c.... in omnibus autem suis bonis mobilibus & immobilibus, nominibus & juribus nominum & actionum, ubicumque sint & esse reperiantur, sibi heredem universalem instituit Antonium, ejus testatoris filium legitimum & naturalē, ore proprio nominādo, sub hac conditione, quod si d. Antonius decederet sine filiis legitimis à se legitimo descendentibus & superviventibus Dominabus Flordonina matre ipsius testatoris, & Catharina uxore legitima d. testatoris, quod d. Dominæ potiantur & utantur tota hereditate & bonis d. testatoris ipsis viventibus: & post mortem ipsarum Dominarum tota hereditas & bona ipsius testatoris pervenire debeant in ecclesia S. Juliani, patronalem & fundatam de proprio patrimonio ipsius d. Fr. Iacobi, ut dixit, sitam in civitate Laudæ, in vicinia, ecclesiæ S. Ægidii: & eam ecclesiam, eo casu superveniente, heredem d. Antonio ejus filio substituit. Volens tamen & ordinans, quod d. Dominæ, toto tempore vitæ ipsarum, teneantur & debeant manutenere unum Capellanum seu Presbyterum, qui omni die celebret & celebrare debeat Missam unam in dicta ecclesia, sumptibus fructuum bonorum d. hereditatis. Post mortem vero d. Dominarum vult, statuit & ordinat, quod per Laurentium de Corradis, Ottobellum de Cagamostis, Fr. Antonium de Populo, & Bettinum de Villá-nova, cives Laudæ, quos elegit & legit in patronos d. ecclesiæ, manu teneri debeant duo Capellani, qui omni die residentiam faciant in dicta ecclesia, & qui celebrent & celebrare debeant Missam in d. ecclesia, in casu quo facultates d. hereditatis ad prædicta suppetant....d Item legavit d. ecclesiæ S. Juliani d. ejus filio vivente & vitam laicam ducente, florenos decem auri omni anno, ad rationem solidorū triginta duorum imperialium, pro quolibet, causa salariandi Capellanum unum seu Presbyterum unum, qui omni die celebrare debeat Missam unam in d. ecclesia. Et hæc est ejus testatoris ultima sua bona voluntas.... e

c quo heredem substituit filium,

B *atque ante matrem & aviam sine liberis morientem*

D *post ipsarum mortem, ecclesiam S. Iuliani,*

ANNOTATA.

a *Nominantur hic octo testes & duo notarii, quorum nomina prætermitto.*

b *Ex hoc loquendi modo apparet, Tertiarios istos vixisse sub directione Fratrum Minorum: non fuisse autem veros religiosos probat proprietas possessionum usque ad mortem servata, & per testamentum in heredes translata.*

c *Omitto usitatas & prolixas juris formulas.*

d *Hic vetat omnes contractus, quos in fraudem testamenti faceret filius.*

e *Sequuntur subsignationes duorum notariorum. Additur etiam fides Aurelii Rubei, qui anno 1637 testamentum hoc transcripsit in librum, unde hac omnia accepimus, fidem pro eodem facientis Provicario Generali.*

E


DE B. IOANNE EPIROTA, D. P.

MARTYRE CONSTANTINOPOLI.

Sec. XV

Raderus historiam Græcam ex Menæis paraverat,

cum Annotationibus;



Istoria sacra, ex magnis Ecclesiæ Græcæ Menæis deprompta, Latine facta, observationibus emendata, explanationibus illustrata, à Mattheo Radero, Societatis Iesu Presbytero, *typis parata fuit jam inde ab anno* MDCXXXI, *& honestum in folio tomum implevisset, cum eidem etiam accederet* Auctarium omnium Sanctorum, ex omnibus fere omnium ecclesiarum Fastis, Martyrologiis, Breviariis propriis ab eodem auctore collectum. *Hic erat operi titulus, magnificus sane, & vasto viri diligentis voto magis par, quam rei parata modulo. Nam historia quidem aliud non continet quam elogia Sanctorum, ex Meneis collecta, qualia passim inveniuntur in iis libris quos Menologia aut Synaxaria vocamus, absque Canonibus sive Odis Contaciisque & Tropariis ad proprium cujusque Sancti Officium pertinentibus, qua in Menais insuper inveniuntur. Auctarium vero nudus est Index nominum, ordine Alphabetico sic digestorum, ut in proximis columellis* Status, Laurea, Locus, Tempus, Dies, Mensis, & Auctor *adnotentur ad singulorum nomina aut omnia aut aliqua, prout istarum circumstantiarum notitiam assequi Raderus potuit.*

C

qua hactenus servatur MS.

2 *Defuit qui molem tantam, quantam prima fronte continere videbantur octo codices chartacei, susciperet in Bavaria imprimendam; & requisitus Typographia Plantiniana heres, Ioannis Moreti filius Balthasar propatruus illius Balthasaris qui modo ipsam tertius hoc nomine possidet, exigebat ut Latinæ versioni Græcus adderetur contextus, prudenter conjectans haud aliter ab eruditis appetendum. Interim Monachii extremum diem obiit auctor anno* MDCXXXIV *exeunte, atque inter manus Bollandi nostri hæsit autographum, judicantibus Superioribus haud alibi utilius deponendum, quam apud eum, qui eamdem Spartam excolendam suscepisse sciebatur. Hactenus tamen exiguo nobis usui res illa fuit, habentibus ipsos fontes & quidem longe copiosiores, non tantum in libris impressis, quos solos Raderus habuit, sed etiam in scriptis quamplurimis. Annotationes Raderi contigit citari aliquoties: nunc autem primum offertur occasio proferendi ex isto labore aliquid, alibi nuspiam repertum, & tamen lectoris cognitione dignissimum.*

F

3 *Scribit ergo in prælaudata Historia ad diem Aprilis* XVIII *Raderus:* Eodem die S. Ioannis Iunioris Epirotæ Martyris: *deinde in Observationibus ita notat:* Hic Ioannes abest à totis Menæis & Menologiis: quem tamen non iudicavi silentio prætermittendum, cum hoc die in Anthologia seu Florilegio totius anni, ejus vita & mors & martyrium prolixe descriptum Græce extet, ex qua tibi ipsum una cum prologo Latinum sisto. *Fuerit hac Anthologia, Constantinopolitanum aliquod ævi recentioris MS. quale Chiffletianum est; una altera ve prolixiori historia, brevioribus aliorum Sanctorum elogiis admixta, auctum. Nam quod Clementis* VIII *jussu ab Arcudio collectum prodiit anno* MDXCVIII *Anthologion novum nihil tale habet, utpote instar Latini Breviarii contractissimum, ad usum Græcorum iter agentium, quibus ad manum non sunt viginti volumina, totum Græcanicæ Ecclesiæ officium continentia. Ævi autem recentioris fuisse dico; quia Mahometani, sub quibus pro fide Christi mortem Constantinopoli Ioannes pertulit, regiam illam urbem anno dumtaxat* MCCCCLIII *occupaverunt. Quin etiam verosimile est, pro aliqua Græcorum unitorum ecclesia, qui Pera inter Genuenses habitabant, conscriptam fuisse Anthologiam illam: neque enim schismatici Græci hominem Epirotam, atque adeo Romanæ fidei & unionis tenacem, qualem fuisse Ioannem non dubitamus, isto affecissent honore, ut ejus martyrium inter Sanctorum Vitas legendum proponerent.*

in quibus historia Ioannis Epirotæ,

ex quodam Synaxario CP. sumpta;

A

Martyrii causa & occasio sub Turcis CP.

5 *Calumnia Ioanni, ab ejusdem quod ipse profitebatur opificii sociis structa apud Magistratus Turcicos, quasi aliquando à Christi fide ad Mahometi superstitionem transiisset, eadem prorsus est; quam Damasci ab hero suo pertulit Heliopolita Elias apud Saracenos; cujus Martyrium ex Cancellarii Parisiensis codice transcriptum, quia ad Kalendas Februarii pridem editi spectabat, commodavimus Francisco Combefisio, ut una cum Hyacinthi Amastrensis & Bacchi Iunioris Actu Græce Latineque vulgaretur, quod factum est Parisiis anno* MDCLXVI. *Hoc quoque inter Eliam & Ioannem commune est, quod ut istum accusavit herus à fide Christiana apostata; sic Ioannem haud alii accusasse videantur quã schismatici aut ad Mahometismum prolapsi Græci (nam penes hos fere solos Constantinopoli erat omnis artium civilium quæstus, Turcis uni militiæ vacantibus) quorum invidiæ, in Actis notatæ, stimulos additos crediderim ab odio Latinæ unionis, cui Epirotæ inhærebant, saltem ab eo tempore quo fortissimus Scanderbegus omnem eum tractum, à Turcica servitute vindicatum, armis suis asseruit, & orthodoxis conjunxit.*

qualis Elia Heliopolita Damasci sub Saracenis.

Patria Ioannina

6 *Patria Martyri fuisse dicitur]* Joannina, *Epiri veteris urbs præcipua, quam multi volunt fuisse* Cassiopen *antiquis dictam; quod autem & Pyrrhi regia fuerit, nolim sustinere; cum plures hanc prærogativam* Ambraciæ *tribuant. Hoc certum, quod circa annum* MCCC, *imperante Andronico Palæologo seniore,* Joanninorum urbs, cum esset Episcopatus Naupacti *Metropolitæ subjectus,* honore Metropoleos affecta *fuerit, ut dicitur in ordine Episcopatuum Patriarchæ Constantinopolitano subjectorum tunc condito, qui apud Myreum lib. 3 Episcopatuum orbis cap. 2 proponitur, ubi illa* LIII *inter Metropoles numeratur. Partium earum Geographica tabula trans Pindum montem* Jannam *exhibent, amplam urbem in medio lacu, inter Triccam Thessaliæ ad Boream, & Ambraciam Epiri ad meridiem: sed ita ut Thessaliæ quam Epiro potius eam tribuere videantur, utramque Pindo monte discriminantes, quod fortaßis non ita semper fuit. Ferrarius in Lexico suo Geographico, urbem etiamnunc Archiepiscopalem esse statuit, & Turcici Præfecti sedem.*

B

urbs Episcopalis Epiri.

ACTA
Ex quadam Anthologia Græca
Eruta à Mattheo Radero S. I.

C

Ioannina à quodam suo Domino dicta

a

NAtus est hic in urbe dicta Joannina, quæ olim erat Regia prisci illius Regis Pyrrhi in veteri Epiro; ut consensu tradunt rerum scriptores. Postea ultimorum Dominorum fuit sedes; appellata est autem ita à quodam Ioanne, illarum partium Domino, qui nomẽ urbi à suo nomine per ambitionem indidit, ut Ioannina diceretur; sicut Byzantium Constantinus Magnus Constantinopolim, & Adrianus in Odrysiis Adrianopolim dixit, idemq; multi *a* alii Reges factitarũt. Ioannina autẽ celebrabatur olim maxime à pietate & Catholica religione, aliisq; infinitis bonis; & rerum & optimorum virorũ & maximorum Christi cultorum copia & multitudine florebat & abundabat. Sed nihil æque ex omnibus illam exornabat & illustrabat, hodieq; exornat, quam hujus alumnus & civis Ioannes, inclytus Christi Martyr: qui annis quidem admodum adolescens, sed subitis pro Christo exantlatisque, certaminibus senex magnusq; & fortiter factis nobilissimisque facinoribus ad Dei laudem perpetratis facile inter suos primus fuit.

patria hujus Ioannis

2 Et tali quidem cive nobilitari coliq; meruit illa: Ioannes autem parentes etiã pios ac singulares Numinis cultores amatoresq; sortitus est, fortuna mediocri & sobria contentos. Patre dein prope puer adhuc destitutus, Constantinopolim se contulit, ubi artificio sibi victum parabat. At enim *b* vicini ejusdemque artis consortes & opifices, illi, velut peregrino, odiorũ stimulis incitati, magnopere invidebant. Utebatur enim adolescẽs in dicendo sincera libertate, sineque omni metu apud omnes, quod res erat eloquebatur, & quamdam quasi audaciam cum magna fiducia præ se ferebat, quod etiam magis illorum invidiam accẽdebat. Itaque aucupari occasionem & tamquam feri leones in insidiis excubare, siquam saltem in speciem apparẽtem causam per calumniam arripere possent, qua velut *c* nexibus quibusdam adolescentem implicarent: quod & re ipsa perfecerunt, quemadmodum in progressu narrationis apertius ostendetur.

qui CP. manuum labore victitans,

b

D

æmulorum in eodem opificio sociorum invidentia,

c

3 Ioannes ubi sibi ab illis insidias strui animadvertit, ad quod illi ruebant, pulchrũ ratus ipse pro Christo oppetere, primum ad Patrem Spiritualem abit, (erat is magnus Protopapa *d* Calothetus) & quia agebatur tum magnus dies Parasceves, peccata sua illi per exomologesim exposuit, simul etiam insidiantiũ sibi malitiã, suumq; fidei profitendæ consiliũ. Verũ sensit eum non admodum inclinare ad hujusmodi consilia, sed monentem potius ut parceret sibi & attenderet, suspectasque haberet insidias diaboli: Solet enim, inquit, ille multis hujusmodi sæpe cogitationes suggerere, quibus illos instiget ad martyrium, ut eosdem demum deficientes toti mundo ridendos propinet, ut qui non potuerint illi ad finem usque resistere Tum adolescens: Ego vero, inquit, fretus Christo meo, plane spero futurum ut ille non patiatur me hostibus meis, ut ais, ludibrium fieri: sed suppetias ibit mihi, ut ille turpiter à me vincatur, & ego de illo triumphem, & nobile trophæum reportẽ. Ad hæc Ioannis dicta rursus ille vir religiosus: Attende, inquit, fili mi, quod spiritus quidem promptus sit, caro autem infirma, uti sanctissima sacræ paginæ oracula docẽt, quodque ejusmodi res indigeant præparatione quadam, & alacritate mentis & corporis. Desiderant assiduum jejunium, indigent perpetuis precibus, quibus pietatis studiis si ad abstergẽdam omnem ab animo labẽ usus fueris, ab ipso Deo tibi significabitur, quid facto opus, solet enim se Deus puris ita mentibus insinuare. Attende ergo tibi, & vade in pace, precorq; Deum uti te omnibus hostibus tuis, hominibus inquam qui in oculos incurrunt, & diabolis qui non apparent, superiorem & victorem omnium faciat, & cum his dictis illum dimisit.

periclitari se intelligens

d

rem aperit confessario,

summamque desiderium martyrii,

E

Matt. 26, 41

qui jussus maturius deliberare

4 Adolescens postridie ad religiosũ Patrem sereno vultu reversus; Reverende Pater, inquit, scito me in mediis flammis, per nocturnum in somno visum, exultasse & tripudiasse; non secus ac tres pueri olim in Babylone fecerunt. Proinde plenus optimæ spei sum fore ut cælesti ope adjuver, resque felicem finem & exitum sortiatur. Sed & te rogo ut me tuis precibus obarmes. Deus, inquit religiosus Pater, te, fili, confirmet, uti tartareum *e* lupum, draconem inquam inaspectabilem, possis vincere, & pro Christo martyrii palmam referre: itáque cum fausta apprecatione adolescentẽ dimisit. Quẽ ad suam officinam reversum ut illi invidi viderunt, collatis inter se verbis: Nonne, inquiunt, iste est, qui Triccæ (Thessaliæ urbs est) Christũ palam ejuravit & negavit? quomodo ergo nunc iterum se Christianum exhibet, & est, & apparet? Hic adolescens illos atroci vultu respectans: De me, inquit, an alio: aliquo talia dicitis? Et illi: De te, inquiunt, & non alio & nõne vera loquimur? Absit, inquit ille, ut me Deus unquam deseruerit ut Christum meum negarim; neq; Triccæ, neq; alibi, nec ullo unquam loco ejuravi: absit hoc à me ut unquam fecerim. In Christo enim vivo, & vivam semper, sed cum ipso & pro ipso lubens volens mortem oppetã.

& miraculo animatus visu

F

e

Christum animose confitetur:

5 Quibus illi auditis, damnata ejus loquendi libertate, quasi non ex confidentia in Christum, sed imprudentia id dixisset, statim omnes ex officinis suis consurrexerunt; sesèque mutuo cohortati, conjuratione inter se singillatim, ut solent, facta, tamquam artem

A artem quamdam & fraudem commenti, adolescentem arreptum vi pertrahunt ad Iudicis tribunal. Sed ille, si verum & fatendum, traxit potius quam trahebatur, adeoq; læta frõte illos sequebatur, ut ad nuptias potius quam ad crucem vocatus videretur. Atque illi quidem calumnias seu criminationes pro argumento proferebant, ipsi simul, ut hoc genus hominum solet, accusatores, testes, & judices. Post accusationes vero simulabant se commiseratione rei commotos illius vicem dolere, & placatis valde mentibus conabantur illũ eo deducere, uti se reum & mutatum confirmaret, suadebantque uti fateretur se Christum ejurasse. Postquam autem suam ab ipso amentiam refelli viderunt, testantem & obtestantem, nunquam se cultũ & fidem in Christum exuisse aut abjecisse. Tum vero illi ad minas, & secundum illas ad convitia, probra & contumelias conversi sunt. Quæ omnia generosus ille athleta penitus contempsit.

accusatur falso:

ut se reum agnoscat

6 Sed illi à verbis ad tormenta progressi, atrocissime illum excarnificarunt. Cum autem nihil proficerent, toti erant in excogitandis suppliciis occupati, interimque illi spatiũ deliberandi concesserunt, & in carcere concluserunt. Postera autem luce edũctũ rursus interrogarunt, an mentem mutasset? Cumq; constantẽ in proposito viderent, nihilq; à priore mutatũ, tum illum asperis virgis quas duplices appellãt, iterũ cædi immanes illi præcipiunt. Lictores ergo verbera sine fine ingerũt: ille vero, velut indomitus adamas, adeo tacitus plagas sustinebat, ac si alius non ipse diverberaretur. Interea generoso & interrito pectore seipsum hortabatur, & ad certamen pro Christo subeundum quasi athletam, Deum silentio precatus, inungebat; taliaq; intra se ut par est credere dictitabat: Confirma me solus potens Deus: Da mihi virtutem, da vim & robur, & porrige manum auxiliatricem de sancto habitaculo tuo. Et hæc ille forsitan tacitus ad Deum. Ad hostes vero suos, quis pro dignitate respõsa illius, cum summa prudentia & libertate conjũcta, exponat? aut quomodo supercilia & fontes retuderit atque ora obstruxerit truculentorum adversariorum suorum, in ipsum frementium ut innocentem deglutirent. Me, inquit, nihil eorum quæ in mundo sunt, seu bona seu mala censeantur, à proposito meo avertere unquam poterit. Absit ut ego unquam aliud sentiam, quam quod sentiunt Christiani. Absit ut vel adulationibus cedam, vel minaciis terrear. Quod vobis videtur, facite, & me quam primum ex hac vita eripite, ut hoc celerius ad æternam illam transmittatis. Servus Christi sum, Christum sequor, cum Christo morior & vivam.

urgetur verbis & tormentis,

B

sed frustra:

Deum tacitis precatus,

protestatur perseveraturum se.

C

7 Hic Iudices quoque furore correpti, illum quãprimum ab se abripi præceperunt. Apparitores vero arreptum raptabant, & capillis huc illuc trahebant, genas colaphis multabant, & quid demũ non dicebãt? quid non factitabant? Iterum in vincula abreptũ cavea includunt, quæstiones postridie repetituri. Rursum altera luce edũctũ rogant, quanam re fretus tantam præ se ferret pertinaciam. Postquam perinde ac prius constanter respondentẽ audierunt, & eadẽ quæ ante dixerat iterantem; rursus crudeliter cædi imperant. Tum velut latronẽ humi sternunt, immaniterq; cædunt. Atq; lictores quidem illum quanta poterant vi verberabant, ipse vero mente oculisque in cælum sublatis, humi jacens, illud Ecclesiæ solenne carmen decantabat: Surrexit Christus, & quæ ibidẽ sequũtur. Et corpus quidem illius erat videre totũ flagris concisum, pavimentũ vero sanguine inundatũ. Generosus vero ille revera juvenis, capite sæpius sublato, idẽtidem carnifices compellabat: Cædite, inquit, cædite, & pro viribus verbera ingeminate: me vero numquam à mente deducetis, & vestræ sententiæ aut voluntati unquam subjicietis.

reducitur in carcerem

postridie nova tormenta sustinet:

8 Cum ergo illius in perferendis suppliciis patientiã & invictum animũ cernerent, se quidẽ ab adolescẽte victos erubescebant, prætextu tamẽ religionis magis efferati, in præsens quidem rursum in custodiã retrudunt, omnibusq; carceris incommodis affligunt, ut longa saltem mora malorũ animum ejus inflecterent, sibiq; obnoxiũ redderent, & cedere tandem cogerent. Post aliquot ergo dies cum è carcere eduxissent, rursũ ejus experimentũ capturi, eumdemq; qui ante fuerat, constantem & in sententia perseverantem viderent, illum per rogum flammasq; morti addixerunt. Proinde traxerunt illum velut pecudem, imo ut rectius dicam tamquam innocentem agnum ad victimam, Christo immolandũ ad mortem duxerunt, interimq; per viam contumeliis immaniter lacerabant, verberabant colaphis, onerabant conviciis.

EX MS.

denique carceribus aliquot maceratus

damnatur ad ignem:

9 Ubi ad locum supplicii ventum est, pyrã incenderunt, illumq; ad rogum admovent, in quem juvenis ultro exultabundus exiliẽte pede insiliit. Sed insilientem in flammas, parsuri illi, catenis ipsis quibus innexus erat, retraxerunt. Ille vero id ægre ferens: Quare, inquit, non relinquitis me in flammis? quare non dimittitis me ut Christo meo in holocaustũ & gratum sacrificium offerar? Iudices vero, quamquam scirent flãmarum supplicium & grave & acerbum esse, tamẽ tamquam ipsi igni parsuri, utpote ignis, Persarum more, ut videbantur, cultores; ne Christiano sanguine irrigatus pollueretur, uni ex lictoribus nutu significarunt, ut gladio caput innocentis demeteret. Corpus truncum humi concidens, in rogum una cum capite est conjectum, penitusq; in igne velut holocaustum exustum est, inventis paucis una cum capite reliquiis in cinere, quas religiosi quidã ex piis Christianis legerũt, & cum magna pietate & veneratione coluerũt.

in quem ultro prosilit

retrahitur invitus

E

& capite plectitur,

corporis exusti reliquias colligunt Christiani,

10 Atq; hunc quidem in modum iniqui Magistratus iræ suæ litarunt: adolescens autem finem quem optarat consecutus est. Ego vero existimo penitusq; persuasũ habeo, animã ejus ab Angelis velut priorũ etiam Martyrum assumptã, & cum ingenti applausu, gaudio & tripudio in cælum deductam. Si enim, uti Christus ipse dixit, Angeli gaudẽt super uno peccatore pœnitentiã agente, quomodo non exultarent propter Martyrẽ pro Christo mortuum, & præsertim ita generose stadiũ Martyrii in prima juventa decurrentẽ & absolventem. Næ illi omnibus gaudiis incesserunt, Martyri applauserunt, Christumq; qui Martyri vires suppeditavit, omnibus laudibus & hymnis celebrarunt. Ego vero & hoc affirmarim, quod exemplo suo & virtute multos commilitones ad martyrium incitarit, posterisque maximum animi robur ad subeundam pro Christo mortem sua morte addiderit, regnique cælestis occultos, ut ita loquar, heredes effecerit. Multi enim è nobis excitati sunt, & hujus exemplo confirmati corroboratique, ne tam facile, ut ante, religionem nostram ejuraremus. Proinde Christo Deo nostro gratias debitas persolvimus, qui talia in hoc adolescente effecit; ipsique adeo sancto huic Martyri Joanni, per quem nostris his plane dissimillimis temporibus tanto beneficio affecti sumus: per cujus preces, clemens & benigne Deus, nostri miserere.

sequuntur in cælo Angelorum plausus

Luc. 15, 7

in terris optimi exempli fructus

F

ad confirmandos languidiores.

ANNOTATA.

a *Locum hunc plurium exemplorum enumeratione exaggerat Raderus, quibus in re passim obvia opus nihil esse credidimus.*

b *Huc faciunt adagia quæ Raderus adscripsit margini,* Κακὸς γείτων κῆμα κάκιςον, Pessima possessio malus vicinus, *&* Κεραμεὺς κεραμεῖ, Figulus figulum.

c *Ex nota Marginali dicto Græce scriptum fuisse,* σακοῖς τισο ἢ νάκοις: *quæ barbarum aliquid nobis sonant, nescio*

A nescio an ex vulgari seculi 15 usu. Alias σάκκος saccus est, νάκη pellis caprina, hic utraque vox tricas videtur significare: nam qui sic intricatus est ut expedire se nequeat, adagio populari in sacco esse dicitur.

d Protopapas, idem qui Latinis Archipresbyter, ad aram & in regimine Cleri primus à Patriarcha: vide Codinum cap. 1 & Gretzeri in eum Notas cap. 10 num. 4 D

e Græce erat λυαῖον, quod Bacchum significat; ideo mendum censuit Raderus & λύχον legit.

DE BEATO ANDREA D.P.

ORDINIS EREMITARUM S. AUGUSTINI,

MONTE-REGALI IN CONFINIIS UMBRIÆ ET APRUTII.

AN. MCCCCLXXIX.



Mbrosius Coriolanus sive Coranus (utroque enim nomine appellatur à scriptoribus) Ordinis Eremitarum Prior Generalis electus Romæ anno MCCCCLXXVI, *& ibidem officio ac vita defunctus anno ejusdem seculi* LXXXVII, *parte 2 Chronicæ apud Herreram & alios ita scribit, ad annum* MCCCCLXXIX, B. Andreas de Monte-Regali nostris temporibus multis signis & miraculis evidentissimis claruit: in Iure Canonico, Philosophia, & Theologia doctissimus: in monendo, in consulendo pauperibus, in sufferendis injuriis omnique patientia maximum sanctitatis ostendit exemplum. *Annum quidem* MCCCCLXXX, *ut Beato huic mortualem, notat Epitaphium sive epigraphe subjecta imagini ejus marmoreæ: sed is numerus omnino videtur acceptus ex autographo miraculorum instrumento, in quo juxta Notarialem ejus temporis stylum, in Umbria atque Hetruria usitatum, uti jam alias hoc mense observavimus, anni communis initium prævertitur novem integris mensibus, velut à die Annuntiationis seu Incarnationis Dominicæ exordium numerorum sumendo. Cum autem Sanctus obierit die Octava Paschæ, quod anno istius seculi* LXXIX *celebratum est die* XI *Aprilis, congruum est, ut certo alicui diei anniversarium illius, quod alias est mobile, volentes affigere, sumamus diem* XVIII. *Est quidem qui* X *Kalendas Maji notet, ut viro Beato mortualem; sed nescio quid ille secutus fuerit, cum annus* LXXX *seculi quem assumit, Dominicam in albis habuerit non* X *Kalendas Maji, sed* V *Idus Aprilis.*

Annus mortis

B

quomodo dicatur 1480?

quis dies?

2 *Vita primum prodiit impressa Perusii anno* MDLXXX *apud Andream Brixianum, auctore Sanctio Riccetelli quam olim habuit Nicolaus Beatillus Societatis nostræ Sacerdos, & ad veterem suum amicum Ioannem Bollandum misit excerptam ab ea epitomen MS. Ipsam longe gratius fuisset accipere: ideoque eam Perusii & alibi quæri jussimus, accepimusque opera nostrorum Laureti Pœnitentiariorum Hectoris ab Albada & Christophori Grini: sed recusam anno* MDCXIV *Pisis apud Ioannem Fontana, per Angelum Carezzanum de Tortona, cum approbatione Baptistæ Astensis tunc Generalis. Simplicianus à S. Martino, in Vitis Sanctorum sui Ordinis, Tolosæ vulgatis anno* MDCXLI, *ex ea se accepisse profitetur quæ scribit. Simpliciano usus est Cornelius Dielman, qui Gandavi anno* MDCXLVIII *in 8 edidit Vitæ monasticæ normam, in aliquot Viris Ordinis FF. Eremitarum S. Augustini scientia & vita sanctimonia illustribus delineatam: unde nos, quia Latine scripsit, acceptam Vitam prælo paraveramus, additis ex Simpliciano Analectis, & nostris Annotationibus de more: sed integram historiam ex antiquiori & originali Italico nacti, omisso Dilmanno, ipsam maluimus Latinam facere. Hoc vero agendo, didicimus in Archivio conventus ipsius adhuc servari publicum instrumentum, de viginti septem miraculis, intra primum à Beati obitu mensem patratis, pro impetranda canonizatione oblatum Sixto Papæ IV, qui B. Andreæ annis dumtaxat quatuor supervixit. Itaque scriptis denuo litteris exemplum petiimus illorum aliorumque posteriorum, si talium etiam memoria extaret. Responsum autem est,* Processum illum esse in manibus Illustrissimi Domini Antonii Mariæ Ricci, cujus pater diu laboravit in causa Beatificationis dicti sancti viri; sed morte præventus hoc tantum obtinuit, ut altius elevetur. *Apud istum postea sæpius atque instanter actum est, tum à R. P. Priore Augustinianorum Carolo Mevii, tum à duobus Patribus nostris qui istuc Missionum causa excurrerant; sed nihil potuit impetrari ab homine, haud satis intelligente quam parum officio sibi à patre relicto congrueret tam indiscreta custodia monumentorum, non ad aliud creditorum, quam ut B. Andreæ sanctitas Ecclesiæ universæ fieret notior, ejusque cultus ac honor promoveretur. Spem tamen necdum deponimus saltem pro Supplemento hujus operis impetrandi exemplum, & siquando illum contingat in horum tomorum lectionem incidere, putamus ultro missurum libenter, quod nunc rogatus imprudenter negavit.*

Vita edita an. 1580,

C

omissis recentioribus,

Latine datur.

desideratur instrumentum de miraculis.

E

3 *Ioseph Pamphilus Episcopus Signinus, in chronica Ordinis Romæ excusa anno* MDLXXXI, *sub annum* MCCCCLXXXIV *ista habet.* Andreas de Monte-Regali, Umber, Theologus, & in jure Pontificio haud mediocriter eruditus, vitam miraculorum signis inclytam duxit: cujus corpus, cum veste qua tegitur, extat adhuc quasi hac hora fuisset defunctus. *Sequuntur Herrera in Alphabeto, Creusenius aliique scriptores Ordinis, post Vitæ auctorem; qui agens de monumento Mag. Sanctii Alexii, à se erecto; indicat intra chorum Religiosorum proprium esse ipsius B. Andreæ sacellum. Qui autem* Mons-Regalis *hic ubique dicitur passimque sic vocatur etiam hodie; is in tabulis tam Umbriæ quam Aprutii (nam ad hoc pertinet, & in istius confiniis situs est)* Civitas-regalis *nominatur, inter Reate & Asculum via fere media, ac pari fere duodecim milliarium intervallo distans ab Aquilana urbe, eidem ad Euro-Africum vicina, habetque in suo districtu* Masciuni *vicum, qui fuit ipsius Beati patria.*

Statim corpus incorruptum

oppidi situs

VITA

Ex Italico Sanctii Ricetelli.

F

CAPUT I.

Historia vitæ in Ordine Augustiniano ducta.

1 IN quodam Montis-Regalis oppidulo, Masciuni dicto, ex probis piisque parentibus natus est Andreas anno Christi a MCCCXCVII, sub Pontificatu Bonifacii IX, atque in fortuna tenui, quæ puerum patris gregi parvulo pascendo addixit. b Melioris autem vitæ, ad quam ab æterno destinabatur, cupido, viam illi aperuit divina Majestas, curando ut obviaret ei quidam Pater ex Ordine S. Augustini, tunc Prior in hoc nostro monasterio, Augustinus c Interamnensis nuncupatus: ad cujus prostratus genua dixit: Placeat obsecro, Pater, facere me Fratrem ejus habitus, quem portas; & ego promitto tibi, quod cum Dei gratia S. P. Augustini Regulam exacte observabo. Ad hæc motus Prior, vel quia tantam ingenuitatem videbat in puero, vel quia interius movebatur à Deo, qui ipsum illumque fecerat convenire, secum assumpsit Andream anno MCCCCXI, tempore illius calamitosi schismatis, quo Dei Ecclesia

a Ab ovium pascendis

b

c

ad ordinem Augustinianum transgressus,

A sia vacillabat inter tres simul dictos Pontifices, Joannem XXIV, Gregorium XII, & Benedictum XIII, velut qui errorum discussurus erat tenebras, & exstirpaturus schismata, à tenebrarum principe in agro summi patris-familias sata.

post egregium in litteris actvirtute progressum,

2 Annum agebat ille ætatis decimum quartum, quando sacro Eremitico habitu indutus, cœpit summa cum diligentia incumbere studiis litterarum pariter & virtutum; tribus per hebdomadam diebus in pane & aqua jejunans, feria scilicet quarta, sexta, & septima, & brevi aliquod sanctitatis & doctrinæ nomen inter coævos adeptus est. Postea sub annum Christi, MCCCCXXI, Martini autem V quintum, ipse annum agens ætatis XXV ordinatus est *d* Sacerdos; ac denique anno Domini MCCCCXXX, ejusdem Martini Papæ V ultimo, (quo ipso anno jam dictus Pontifex concessit Ordini corpus gloriosæ matris Moniceæ, Ostia Romam transferendum) in Capitulo Generali Mon-pessulano, ex consensu Magistri Augustini Romani, tunc Generalis, & Patrum Definitorum, Doctor & Magister in sacra Theologia est creatus, annum agens XXXIII. Tantopere autem profecit doctrinæ & virtutis ejus fama inter nostri Ordinis Patres, ut in Capitulo Reatino anni MCCCCXLIV, annum VIII sedente Eugenio IV, communi omnium suffragio factus sit Provincialis *e* Umbriæ, & Definitor pro Capitulo quod Avenione celebrandum erat, sed postea translatum Biturigas est, ibique celebratum est anno MCCCCXLV, cum ipse annorum esset XLVII.

d Doctor Theologiæ fit, & Provincialis Umbriæ. e B

sanctam vitam ducit.

3 Prædicavit Dei verbum ad animarum salutem, magna cum efficacia; non solum in Italia, sed etiam in Francia, per annos continuos quinquaginta. Grandi & horrido ex setis equinis cilicio super nudam indutus carnem, circulo ferreo habebat accinctos renes, eumq; nec die neq; nocte dimmittebat à se. Quot noctibus sæviebat in suum corpus aculeatis flagris, & duro lapide percutiebat pectus, nec nisi super stramineum saccum dormiebat, caput suffultus lapide: majorem autem diei ac noctis partem transigebat in ecclesia orationi incumbens. Et vero omne suum tempus partiebatur orando, prædicando, docendo, aut alias juvando proximum: quo fiebat, ut vulgato de ejus sanctimonia rumore, populus quasi infinitus ad ipsum concurreret, auxilium & solatium postulans referensque. *f*

f prophetiæ spiritum habet, C

4 Numquam ille aut ad spectacula visus accedere aut ridere conspectus est. Pertinaces in malo conterrebat auctoritate, & pœnitentes recipiebat amanter benevoleque. Prophetico etiam spiritu donatum eum fuisse apparuit: nam diem & horam mortis suæ prædixit; & conversus ad Patres circumstantes obtestatus est dicens: Conservate omnes libros & scripta mea: brevi enim veniet post me quidam, futurus arca scientiarum. Quod probavit eventus: trigesimo enim circiter anno aggregatus est Ordini R. P. Mag. Sanctes Alexii; qui vere talis in doctrina fuit, qualem Beatus prænuntiavit, & peculiare in templo nostro *g* monumentum meruit, anno MDLXI vita functus.

g & pie moritur.

5 Porro meritorum plenus Beatus ægrotare cœpit, & sacramentis Ecclesiæ religiose munitus, septimo infirmitatis die, quæ fuit dies octava Paschatis, præclarum ad circumstantes Patres sermonem habuit, exhortans eos ad vitæ Christianæ & regulæ Augustinianæ observantiam. Deinde lacrymantibus oculis recitavit septem Pœnitentiales Psalmos; iisque finitis tradidit spiritum, hæc verba pronuntians, In pace in idipsum dormiam & requiescam; anno Domini MCCCCLXXX, Sixti quarti IX, ætatis suæ LXXXII. Dicunt autem seniores nostri, audivisse se ab iis qui morti illius præsentes adfuerunt; quod in exitu illius cantus Angelici fuerint auditi, & campanæ movente nullo per se ipsas sonum dederint totis viginti quatuor continuis horis. EX ITAL. RICCHELLI.

6 Corpus defuncti per triginta *h* dies expositum venerationi publicæ in templo stetit, nullo conditum balsamo: & tamen odore sano semper ac colore vivido, ciebat non tantum admirationem accurentium, sed etiam miraculis coruscabat. Postea intra capsam ferream collocatum fuit in quodam sacello chori. Anno autem MDLXVIII, ut à cunctis commodius posset conspici, in aliam capsam translatum est atque depositum sub altari majori, ubi conspici etiam nunc potest, tam integrum quam primo à morte die: quamvis anni centum elapsi jam sint. Binis per annum vicibus ipsum ostenditur populo numerose affluenti octava scilicet die Paschæ & festo die S. Hieronymi *i* Septembrem mensem finiente.

h corpus ultra 30 dies insepultum, & anno 1568 translatum. *i*

7 Tunica ejus pro Reliquia servatur & monstratur in terra *k* Vixi. Cilicium, ad infirmos energumenosque delatum, operatur mirabilia: unde factum ut ex eo non tantum ad omnes fere civitates Italiæ, sed in ipsam usque Ulissiponem, Portugalliæ metropolim, delatæ particulæ *l* sint, solaque pectoralis pars ægre nobis remanserit integra. Imago ejusdem depicta cernitur Bononiæ, Perusii, Patavii, Venetiis, ac multis aliis locis, nominatim vero in Monte-regali ante frontem ecclesiæ S. Mariæ in foro, & in choro nostri templi, cum majori parte miraculorum circum picta & hoc epitaphio. B. Andreæ Ordini Eremitarum S. Augustini de Monteregali, magnis & innumeris indies miraculis integrum hic quiescit corpus: qui vitæ sanctitate, corporis asperitate, doctrina catholica & melliflua prædicatione, miraculorumque magnitudine, in totius Italiæ Galliarumque urbibus fulgendo, dilectus Deo & hominibus, Religioni honori, patriæ ornamento, proximo utilitati, & seculo per quinquaginta annos continuos Verbum Dei prædicans, magno fuit estque juvamento. Obiit anno Domini MCCCCLXXX, ætatis vero LXXXIII.

Vestium reliquiæ, k l & imagines. E cum elogio,

ANNOTATA.

a *Melius forte notaretur annus 1396: sed nolumus mutare numeros ab auctore subductos, quamvis suspicemur eos supputari ab anno mortis juxta Notarios 1480, qui revera ut diximus tantum fuit 1479.*

b *Simplicianus, vitam latius deducens, suaviter hic exponit pios affectus, quos cura & conspectus ovium potuit commovisse: Masciunum autem ubi natus Beatus oves pascebat, abest à monte Regali circiter sex passuum millia circa fontes Vmani fluvii.* F

c *Pamphilus in Chronica duos hoc nomine illustres viros sui Ordinis indicat, alterum anno 1491 cum auctoritate Apostolica in Hispaniam missum, alterum creatum Generalem anno 1505: sed istum apparet utroque seniorem fuisse.*

d *Episcopus Interamnensis tunc erat Ludovicus Masancollus, Vghello teste.*

e *Herrera quatuor annos numerat, quibus ipsum eo munere functum comperit, videlicet 1444, 1457, 1471, & 1472. Præterea, juxta eumdem Regens & Prior Senarum fuit anno 1459: & Vicarius Generalis in conventu Nursino an. 1452 & 1455. Hic autem, scilicet Nurciæ, in beatum virum orta est tempestas & à civibus & à Fratribus anno 1461 & 1462: sed qui fluctus permiserat intumescere, imperavit ventis & mari, & facta est tranquillitas.*

f *Addit ex Simpliciano Dilmannus: amplissimos dignitatum ecclesiasticarum gradus sæpe oblatos constantissime recusasse, solitum dicere, quod præ illis omnibus mallet S. P. Augustini tractatus in Ioannem.*

g Monu-

EX ITAL. RICCETELLI.

g *Monumentum hoc ad dexteram sacelli, quod B. Andreæ dicitur, ponendum curavit Vita auctor, una cum epitaphio quod hic sequebatur, & apud Herreram etiam extat nec non apud Simplicianum & Dielmannum: eoque fidentius ipsum prætermisimus, velut quod apud illos legi semper possit.*

h *Dielmannus tres dies posuit, & de more sic stetisse ait: nos neque morem triduanæ expositionis mortuorum agnoscimus in Ordine; neque expositionem Andreæ tam arcto spatio possumus definire, contra expressum textus originalis sensum, quem videntur confirmare miracula intra illos 30 imo 35 dies notata, absque ulla indicio sepulturæ aut sepulcri: quibus ex parte relatis prius dictum explicat aut corrigit Dielmannus, agnoscens corpus, non tribus tantum, sed triginta diebus mansisse insepultum.*

i *An quia tunc corpus, sub altari est repositum, an. 1568?*

k *Vissi, oppidum Marchiæ Anconitanæ.*

l *Idem sic loquitur, tamquam totum ibi cilicium esset, illudque ibi ait* continua quotidie præstare remedia cæcis, surdis, claudis, mutis, febrientibus, paralyticis, energumenis, ut continuata, *inquit*, apud eos populos traditione receptum est.

CAPUT II.

Miracula XXVII, intra primum ab obitu mensem notata.

B

a

mortuus elato brachio devota sua benedicit.

8 APrilis die XXIII, cum mortui corpus suo in feretro spectandum prostaret, mulier quædam devota, Martomima Capacchii dicta, Ordinis S. Francisci Tertiaria, cum aliis multis viris mulieribusq; assistens sancto corpori, multum doluit quod ei numquam esset de suis peccatis confessa, quamvis interiori impulsu sæpius ad id se agi sensisset. Itaque lacrymantibus oculis negligentiæ hujus veniam à defuncto postulans, oransque ut sibi suorum peccatorum remissionem impetraret à Deo, ad ejus pedes osculandos accessit. Cum ecce spectantibus omnibus visus est mortuus elevare brachium, & supplici suæ consueto more benedicere. Nec mora: quotquot aderant publicavere miraculum, Misericordia, Misericordia inclamando.

sanat diuturnum dolorem,

9 Clamor hic, tota personans villa, ad aures cujusdam civis allabitur. Joannellus ei nomen erat: qui causam clamoris ab uxore quærens, intelligensque moveri eum propter miraculum quod ipsa hora fecerat B. Andreas; ipse qui diuturno affligebatur cruciatu, magna cum teneritudine animi ad Beatum se convertit, dicens; Eia, Sancte gloriose, ora

C

Deum pro me: & ego promitto quod ibo visitare corpus tuum, & cerean ad illud offeram imaginem. Dixit, & ab omni malo liberatus subito, sic ut erat, de lecto egrediens, discalceatus & solo indusio tectus, ad ecclesiam venit, una cum sua uxore, conclamans, Misericordia, Misericordia.

b

manum læsam,

10 Die XXVI Aprilis, *b* Mariniani, uno ex oppidulis nostris, mulieri cuidam Sanctiæ Nicolai de Cascia, filum ducenti, in dexteram manum sic impacta est fusi sui acus, ut non solum de amittendo manus illius usu, sed etiam de vita periclitaretur, ex judicio D. Ludovici de Augustinis expertissimi medici, Etenim, ex nervorum ossiumque ea in parte concurrentium læsione, nati dolores convulsionesque augebantur continuo. Sed ipsa ut inter ejusmodi cruciatus oculos ad cælum, mentem ad Beatum convertit, ac nomen illius invocavit; in momento reddita est sanitati.

oculos debiles,

11 Julianus de Impaccia Marinianensis, diu infirmus jacuerat multumque minutus visu, cujus reliquias magis magisque deterebat morbus, sic ut jam fere cæcus esset: sed ipso quo prædicta mulier curata est die, & hoc & alia miracula facta audiens, quosdam consanguineos suos rogavit, ut se ducerent ad ecclesiam, ubi sacrum corpus expositum stabat. Mox autem ut pedibus Beati fixit osculum, cœpit eminus cominusque videre quam qui optime: & gratiæ Deo redditæ sunt ab omnibus circumstantibus.

D

detrahentem sibi punit,

12 Eodem die per templum S. Augustini transiens Lucianus Matthæi de Verrico, unus ex quatuor Prioribus oppidi nostri, & tantam circa defunctum videns vulgi compressionem, contemptim dixit: Quid circa corpus istud conglomeramini: numquid ipse æque ac nos homo fuit? quare ergo non sepelitur? Nocte autem sequenti decumbens in lecto, à malignis spiritibus extra eum raptatus misereque habitus, revocavit in memoriam, quid præcedenti die adversus honorem Beato impensum effutiisset: veraque cum pœnitentia ad eumdem conversus, ipsum sibi conspicuum habuit: qui dispulsis præsentia sua dæmoniis, manu apprehensum reduxit ad cubile, & verbis suavissimis consolatus est. Mane autem primo venit ille ad visitandum corpus, & Misericordia, Misericordia clamans, coram testibus plus quam centum enarravit, quidquid sibi ea nocte acciderat.

& liberat pœnitentem.

E

sanat brachium aridum uni,

13 Vulgata fama miraculorum ad Beati sepulcrum crebrescentium, mulierem quamdam Albanensem excitavit, ut ibidem brachio dextero, cujus usum amiserat, remedium quæreret. Nomen mulieri fuit Clara Gentilis. Venit: & facta oratione, brachium, inutile hactenus, movere atque extendere cœpit, quasi nullum umquam passa incommodum.

alterius,

14 Sequenti die qui fuit XXIX mensis præfati, Jacobus Damiani de Saviniano, venit ad sepulcrum cum cereo brachio; quod se oblaturum promiserat, ut similiter amissum dexteri brachii usum reciperet, & voti compotem se factum asseruit in ipso templi nostri ingressu. Marianus Prosperi de Colle, ab ipso suæ nativitatis principio cocles, non levi patrem afficiebat mœrore: à quo statim ac ductus est ad S. Augustini ecclesiam B. Andreæ corpus honoraturus, illuminari cœpit obscura eatenus pupilla, æque ac magis quam sinistra; & hoc contigit ultimo die Aprilis.

puerum coclitem

c

graviter in brachio vulneratum,

15 Die V Maji, in quodam contra Sgherros conflictu deprehensus Santillus, ex comitatu *c* Acumulensi, à quodam istorum inimicorum suorum plagam tam luculentam excepit in brachio sinistro, cultri ictu læsus, ut sistendi sanguinis copiose effluentis nulla ratio inveniretur. Monitus igitur invocare B. Andream de Monte-regali, cujus fama toto Aprutio celeberrima esse cœperat, eidem se devovit; & mox somno captus ipsum Beatum videre sibi visus est, qui signum Crucis brachio læso imprimens; non tantum sanguinem stitit, sed integram reddidit sanitatem.

F

energumenam,

16 Petruccia Nicolai, à malignis obsessa spiritibus, per suos consanguineos ad præsentiam sacri corporis adducta fuit: & exeuntem de illo virtutem sustinere non valentes impuri illi, coram omni multitudine coacti fuere hospitium occupatum dimittere, magnoque cum fœtore recedere.

arthriticam

17 Eodem die sanata in membris pluribus fuit Marinuccia Cervelli de Saviniano; quæ non modo eorum usu privata per arthriticos dolores erat, sed etiam vitæ diuturnioris spem amiserat ex judicio medicorum. Votum autem à consanguineis pro ea factum salutem attulit misellæ, & Beati gloriam amplificavit.

capitis & oculis dolentem,

18 Eodem die Sanctes Buccii, de Labia, comitatus Montis-regalis, voto ad Beatum facto liberatum sese est fassus ab omni molestia, quam dolor capitis vehemens per quinque continuos annos attulerat, cum

cum totius pene visus detrimento, quem deinceps clarum & expeditum habuit.

tibia male affecta, 19 Christophorus Benedicti, Reatinus civis, decem continuis annis passus erat humores quosdam frigidos ac dolorificos, adeo ut tibiarum alteram velut post se trahere cogeretur cum ambulabat: auditis autem miraculis Beati, quæri sibi equum jussit cum quo in Montem-regalem veniret, eoque appulsus die vigesimo Aprilis, sanitatem recepit, statim ac sacris pedibus dedit osculum.

d toto corpore debilem, 20 Quarto *d* Maji mensis die D. Antonella Marini, de Aglione comitatus Montis-regalis, magnos toto corpore dolores passa per annum integrum, adeoque ut induere ipsa se vestibus neque exuere posset, ac ne duos quidem passus gradiendo formare, vovens se mox à recuperata sanitate ituram ad corpus Beati visitandum; ipsam recepit statim ac verba complevit: & lecto surgens continuo se voti ream exhibuit.

pleuriticum, 21 Eodem die grande miraculum & memoratu dignum accidit in Nicolao Specchioli de Mariniano, quem pleuritis immedicabilis eo reduxerat, ut lectis à Parocho commendationibus animæ, jam jam expiraturus crederetur. Sed cum lacrymabundi parentes eum B. Andreæ commendassent, mox oculos, in morte vicina jam clausos, aperiens; hilari cum risu respexit mœrentes, dixitque in illis angustiis visum sibi esse Beatum, & dolores omnes abstulisse: quæ verba excepit communis adstantium conclamatio, Misericordia, Misericordia ingeminantium.

fistulosas mamillas, 22 Sexto die prædicti mensis D. Pascha, de Cagnano Aquilani comitatus, mamillas adeo tumidas infistulatasque habens, ut non modo non posset lactare filium, sed propter spasmos convulsionesque frequentes de vita pene jam desperaret; mox atque Beato sese devovit, sibi filioque accepit opportunum solatium.

incurabili morbo decumbentem, 23 Sequenti, id est septimo die, Petrus Colucciæ de Marano, comitatus Montis-regalis, ex diuturno atque immedicabili morbo decumbens, promisit se discalceatum ad Beati corpus iturum si convalesceret; & subito sanatus exiliit e lecto, omnibusque totius oppiduli inquilinis comitatus, votum suum explevit.

e dolore capitis tabescentem, 24 Stephanus, nobilis Albanensis, sed *e* Asculi habitans, diuturnos capitis cruciatus cum perpetuo aurium stridore patiens, eo erat adductus ut audiendi, videndi, quiescendi facultatibus deperditis, magis mortui quam viventis speciem, vultum ejus considerantibus, exhiberet. Verum cum x die Maji sociis comitantibus venit ad Beati hominis corpus, seque ei devovit, statim in vultum color rediit, omnisque sensuum hebetudo, capitis dolore pulso, recessit.

f puerum leprosum, 25 Bartholomæi Bucciarelli, ex comitatu *f* Mopolini, miserabilis filius, totum corpus lepra infectum habebat, à talis ad verticem, adeo ut non extraneos solum sed & domesticos horribilis ejus species alienaret. Pater autem ejus, die XIII mensis prænominati, firmam obtinendæ filio sanitatis spem concepit per merita B. Andreæ, seque illum ad corpus ipsius ducturum vovit: ipsoque instanti vidit pueri carnem mundari ac restaurari, quasi nihil mali passus esset.

virum surdum, 26 Surdus omnino erat eodem tempore quo priora contigerunt Nicolaus Petrucilli *g* Fanensis: & ad corpus B. Andreæ ductus à suis, subito apertis auribus cœpit audire tam integre quam alius quisquam. XXI die mensis supradicti delatus ad *h aliumignoto morbo captũ,* præsentiam sacri corporis, ut melius ferri potuit, Bernardinus Mei, de *h* Pizzolo Aquilani comitatus, convaluit coram omnibus ab inaudita quadam infirmitate, quæ ossa ejus omnia concutiens faciebat ipsas instar nucum resonare.

i dexteram manca; 27 Eodem tempore D. Justa Petri Pauli de Paganica, *i* ex Forcone comitatus Aquilani, quæ manus dexteræ usum amiserat, ut miracula B. Andreæ narrari audivit, nullam interponere moram voluit, ne tantillam quidem ut domum suam reverteretur: sed è vestigio venit in Montem regalem, suæ manus restitutionem petens coram sancto corpore, & continuo etiam exaudiri meruit.

k veneficiõ vexatam, 27 D. Pina Dominici, de Castello *k* S. Mariæ comitatus Nurciensis, sic tenebatur sortilegiis obligata, ut primo cujusque mensis die per modum omnem instar dæmoniacæ agitaretur; oculis scintillans, ore spumans, vultu ac collo turgens, voce ejulans, seque humi volutans. Passa sic fuerat annis triginta, quando in mentem venit voto facto visitare Beati corpus: fecit, & exinde libera fuit.

cephalæiá laborantem, 29 Eodem mense Majo D. Gentiluccia, Joannis Dominici de Verrico, comitatus Montis-regalis, continuum capitis dolorem passa integro uno anno, & nullum inveniens medium quo vel exiguam mali remissionem acciperet; ad votum Beato faciendum se vertit, atque exaudita in continenti fuit.

brachio impeditum, 30 Grandis quædam ac diuturna infirmitas, quam passus erat Sanctes, filius Joannis Paschini Aquilani, sic eum abhinc biennio dimiserat, ut brachii sinistri usu privatum reliquerit. Hic igitur ut sermonem de miraculis B. Andreæ gliscentem audiit, ad sanctum corpus accurrit, oravit, & gratiam retulit desideratam.

veneno potatum, 31 Eodem quo iste sanatus est die, D. Nicolaus Benedicti Assisias, quem hausto veneno esse incurabilem pronuntiarat medicus expertissimus Mag. Dominicus de Camerino, tum quia jam tota cutis amisso nativo colore defluere incipiebat, tum quia jam cordi appropinquabat malum virus, eumque ad celerem mortem trahebat; remedium tamen & vitam promeruit voto ad Beatum facto, & subito convaluit.

& oculo cæcam, 32 Denique die XXIII Maji, D. Antonella Montanara de Verrico, eidem Beato sese ex animo vovens, cum stupore omnium in templo adstantium, lumen oculi dexteri recepit, quo penitus privata vixerat annis omnino sex.

ANNOTATA.

a *Primum voco, non præcise incipiendo à die quo obiit, sed a mense: alias ultimum miraculum quod* 23 *Maji contigit, evenisset die* 35 *à morte. Quod auctor vitæ de his loquens solum numeret triginta dies, eo factum puto quod æstimaverit primum hic notatum* 23 *Aprilis, immediate post diem mortis accidisse; non advertens infra num.* 19 *notari aliud citius factum scilicet die* 20 *Aprilis.*

b *Neque hic vicus neque alii quidam hic nominati, in tabulis Aprutii chorographicis exprimuntur: sed forte ibi pro* Marignano *male scribitur* Marano, *media fere via inter Montem-regalem & Aquilam, & sic etiam infra num.* 23 *pro* Marano *legendum esset* Mariniano.

d Acumoli *oppidum solu* 4 *aut* 5 *passuum millibus distat à Monte-regali.*

d *In Italico est* ejusdem mensis: *quod relatum ad miraculum immediate præcedens* Aprilem *indicaret, & falleret, aut pro quarto legi deberet* 24: *malui credere, hujus unius extra ordinem interjecti nulla habita ratione, alia præcedentia ac subsequentia spectanda esse, quæ omnia Majo mense accidere.*

e *Abest* Asculum *fere* 20 *M. P.*

f Mon-

A f Mon-polino *sive* Mons-Paulini *idem forte locus qui in tabulis notatur* S. Poleno, *prope lacum Fucinum.*

g *Ne* Fanum *intelligas, nobilem apud Urbinates civitatem, prohibet alterum in Aprutio Fanum,* 5 *aut* 6 P. M. *à Monte-regali versus Aquilam situm.*

h Pizzoli *ad Boream Aquilanæ urbis, intervallo trium fere milliarium.*

i Paganicum *ad Aquilanæ urbis latus orientale invenio*, Forcone *nusquam.*

k Castellum S. Mariæ *inter Nurciam & Montem-regalem situm, utrimque fere abest* P. M. 6.

CAPUT III.

Epilogus auctoris & de recentioribus miraculis Appendix.

De his miraculis instrumenta publica,

33 HÆc viginti septem miracula, à me ordinate descripta, contigerunt intra illos triginta dies, quibus defuncti corpus publicæ venerationi expositum stetit in templo nostro; concurrentibus vicinorum ac remotorum locorum habitatoribus: de quibus omnibus miraculis sigillatim ex mandato magnificæ Universitatis nostræ & reverendi nostri monasterii rogatum est publicum instrumentum, ab egregio Notario B Jacobo de Laurentiis de Monte-regali, coram Jacobo Antonio Santis, Alexandro Rentii, Nardo Notarii Gabrielis, Judicibus ad contractus deputatis, cum subscriptione testium, quando miracula ipsa facta sunt præsentium. Quæ publica instrumenta, in membranis ab eodem Notario descripta, cum subsignationibus dictorum Judicum testiumque, à nostra Magnifica Universitate missa sunt Romam ad S. D. N. Sixtum Papam IV, ad hoc ut intuitu tam evidentium signorum dignaretur Andream adscribere Sanctorum catalogo. Verum cum sua Sanctitas eo tempore gravissimis Ecclesiæ negotiis impediretur, huic rei attendere non potuit animum; ipsoque moriente remansit originale in Cancellaria Pontificia: ubi cum illud reperisset felicis memoriæ Episcopus Telesinus admodum Rev. P. Mag. Cherubinus de Cascia, ipsum ad Montem-regalem retulit anno MDLX: ubi servatur in archivio, ut cuicumque inspicere ac legere desideraturo possit exhiberi. D

Sixto, 4 oblata, ... habentur,

alia infinita taceuntur.

34 Idem Beatus & gloriosus Andreas alia infinita fere miracula fecit, & adhuc facit quotidie; non tantum in hoc oppido nostro, sed in omnibus iis locis in quibus ejus nomen celebratur; quæ si vellem referre omnia, pro parvo, quem scribendum suscepi, tractatulo, ingens volumen nasceretur. Cogor tamen adhuc duo addere, quia me cum aliis multis præsente acciderunt.

curatur puer paralyticus.

35 Anno MDLIX, die III Aprilis, Joannes Vincentii Paulucii, de Monte-Regali, inveniebatur per duorum annorum morbum gravem omnibus debilitatus membris, & usu tibiarum plane præclusus, ut nec stare posset nec ambulare. Malum autem non tantum esse extra spem remedii judicio medicorum, sed indies proficere in pejus, videntes mater ac pater pueri, Vincentius & Martha, recordati sunt B. Andreæ, atque ad arcam corporis detulerunt parvulum, voventes eum albis vestiendum in memoriam beneficii, si sanum eum mererentur referre. Dictum, factum. Stetit subito in pedes erectus puer, & populus omnis qui aderat, Misericordia, misericordia conclamavit; cum vidit puerum suis pedibus domum remeare. E

malleus campanæ citra noxam cadit.

36 Eodem die, quo sic in momento convaluit jam dictus puer, & per totam ecclesiam oppidumque Miraculum, miraculum, audiebatur; cum nobis Fratribus junioribus, qui tunc quatuor eramus, ad pulsandas campanas concurrit magna puerorum multitudo, quæ totum sub campanili locum implevit. Cum ecce dissolutus campanæ malleus fulguris instar deorsum fertur, obvia quæque comminuens; atque inter nos quatuor ita medius cadit, ut duos ex nobis fuerit occisurus, si tantillum in alteram partem se flexisset: quod autem mirabilius etiam fuit, tam multa lignorum, tabularum, laterumque fragmina, quot comitari necesse erat ruinam ejuscemodi, omnia hæserunt in ultimo nobisque vicinissimo fornice: atque ita indemnes cuncti abivimus, innovantes majori cum fervore jam cœptos clamores, Misericordia, Misericordia.



XIX APRI-

SANCTI QVI XIII KALENDAS MAII COLVNTVR.


Anctus Timon, Diaconus ex VII primis, Martyr Corinthi,

S. Hermogenes,
S. Cajus,
S. Expeditus,
S. Aristonicus,
S. Rufus,
S. Galata,
S. Mitina,
S. Arminia,
S. Rufus alter,
S. Hilarius,
S. Aristonicus,
S. Fortunatus,
S. Cajus,
S. Donatus,
} Martyres, Melitinæ in Armenia.

S Mavilinus,
S. Sericianus,
S. Donatus,
S. Helladius,
S Sericianus alter,
S. Hermogenes,
& alii duo,
} Martyres, in Africa.

S. Vincentius, Martyr Caucoliberi in Hispania citeriore.

S. Paphnutius, Ep. M. apud Græcos.

S. Crescentius Subdiaconus, Florentiæ in Etruria.

S. Ioannes Palæolaurita, in eremo prope Hierosolymam.

S. Georgius, Confessor, Episcopus Antiochiæ in Pisidia.

S. Tryphon, Patriarcha Constantinopolitanus.

S. Geroldus Eremita,
B. Vdalricus, } filii,
B. Cono,
} Ordinis S. Benedicti, in Rhetia.

S. Elphegus, Archiepiscopus Cantuariensis, in Anglia.

S. Leo IX, Pontifex Romanus.

B. Bernardus Pœnitens, Audomaropoli in Belgio.

S. Wernherus puer, Wesaliæ occisus, Bacheraci depositus, ad Rhenum in diœcesi Trevirensi.

B. Conradus Milianus, Ordinis Minorum, Asculi in Picæno.

PRÆTERMISSI ET IN ALIOS DIES REIECTI.


Ancti Odilonis Abbatis, exceptio capitis Cluniaci, *celebratur ibidem Officio* XII *Lectionum, & memoratur in Martyrologio proprio, quod ibidem quoque exscripsimus. Vitam ejus dedimus,* I Januarii.

S. Tillo, Episcopus, Confessor Solenniaci, *memoratur in Florario Ms. & Martyrologio Coloniæ & Lubecæ anno* 1490 *excuso, item à Greveno & Canisio. Est* S. Tillo Paulus, *non Episcopus, sed monachus: cujus Acta dedimus* VII Januarii.

S. Columbanus, Abbas, inclusus Gandavi, *refertur à Camerario in Menologio Scotico. De eo late egimus ad diem* XV Februarii.

S. Oliva, Virgo, Martyr Brixiensis, *à Ferrario in catalogo Sanctorum Italiæ hoc die refertur, unius forsitan diei errore, cum die præcedenti eam notari in monumentis Ecclesiæ S. Afræ, quæ citat Ferrarius, testetur Bernardinus Faynus. Ex utroque nonnulla dicenda hoc mense fuissent, nisi jam de ipsa egissemus cum Martyrologio Ms. Brixiensi mense præcedenti: quæ supersunt pauca. potius quam semel dicta hic repetamus, malumus servare in supplementum diei* V Martii.

S. Thesidius, Martyr, Tuscanæ in Hetruria, *memoratur à Ferrario in Catalogo generali. De eo egimus* I Aprilis.

Decius Martyr, *nominatur in scripto Auctario Carthusiæ Bruxellensis ad Grevenum. Forsan* Decimus *est, cujus nominis Martyres dantur* XII & XIII Aprilis.

S. Frontonius, Abbas in Ægypto, *profertur in Viola Sanctorum Hagenoæ anno* MDVIII *excusa, Vitam ejus dedimus ad diem* XIV Aprilis.

Eleutherius Episcopus & Anthia ejus mater, gladio Romæ percussi sub Adriano Principe, *indicantur in MS. Vaticano S. Petri; & Ms. Tornacensi S. Martini. Acta martyrii illorum examinavimus & de cultu ac reliquiis egimus* XVIII Aprilis.

B. Apollonius, Senator Romæ, *invenitur in Ms. Vaticano S. Petri. De eo egimus* XVIII Aprilis.

S. Galdinus, Episcopus Mediolanensis, *notatur in Missalis Ambrosiani anni* 1560 *excusi Kalendario, & festum dicitur semper celebrari Dominica secunda post Pascha. Vitam dedimus* XVIII Aprilis.

S. Ursmarus, Episcopus in cœnobio Lobiensi, *inscribitur Romano Martyrologio, & variarum ecclesiarum Breviariis, prout diximus,* XVIII Aprilis.

SS. Angelinus & Orielda, conjuges, Paulinus & Gentilis eorum filii, *hoc die nomen & festum habent Brixiæ, tamquam antiqui Martyres, ex tabulis ecclesiæ S. Afræ. Cur tabulis istis fides dari nequeat, satis declaravimus in Propylæo antiquario ad hunc Tomum, ubi excussissimus omnia, quæ de his Sanctis dici poterant, siquidem annumerari Sanctis possint.*

Calasranus, Abbas in Africa, *memoratur à Rabano: de eo agimus infra inter Martyres Afros.*

Annas Scarsius, Parisiensis, monachus, dein Abbas Divione in Cœnobio Benigniano, tum Luxoviensi, Cardinalis S. R. E. ac Metensis Episcopus, mortuus hoc die anno 1612 *laudatur illustri elogio à Saussajo in Martyrol. Gallic. inter Pios: Saussajum describit Bucelinus in Menologio Benedictino.*

Filii Ercæ de Dermagia.
Lassia, Virgo de Cluain-mind,
Killenus,
} *inscripti Martyrologio Tamlactensi & Mariani Gormani: nobis ignoti, donec de eorum vita ac cultu aliquid nos doceant,*

ceant, qui post Colganum Acta Sanctorum Hiberni- corum prosequentur.

Wernerus, monachus cœnobii Hemmenrodensis, *laudatur à Cæsario lib. 11 histor. cap. 3, & ad hanc diem inscribitur Catalogo Cisterciensi Divione excuso, cum titulo autem* Beati *ab Henriquez & Bucelino laudatur.*

Burchardus, Abbas de Balerma, in Burgundia, *cum titulo* Beati *nominatur in Menologio Cisterciensi Henriquez, & Benedictino Bucelini: inter* Pios *recensetur à Saussajo.*

Petrus Cosetus, an. 1560 Martyr, in Santonibus, Joannes à Bovadilia, in Castella 1531, Casulla, Bilbili à castitate laudatus 1532, Petrus à Garobiliis, in India Occidentali 1540, Clara Catanensis, Tertiaria Panormi 1617, — *omnes cum titulo* Beati *referuntur in Martyrologio Franciscano: sed iis annis mortui, ad quos ejusmodi appellationis licentiã extendi non patiuntur decreta Vrbani VIII.*

Ataulphi, Episcopi Compostellani, veneranda memoria, *cum titulo* Sancti *& longo encomio inscripta est Hagiologio Lusitano Georgii Cardoso; sed non est inscripta Martyrologio Hispanico Tamaji Salazar, neque Compostellanis Officiis: hinc arbitramur non habere ullam venerationem publicam.*

S. Christophorus, S. Theonas, S. Antoninus, — Martyres, *ut socii* Victoris *& aliorum, præcedenti die relatorum, memorantur in Menæis Mss. variis & Menologio Basilii Imperatoris: de iis omnibus cum* Martyrol. *Romano agemus* xx Aprilis.

S. Marianus, *Monachus Autissiodorensis, hodie refertur in* Martyrologiis *& hagiologiis variis: vitam ejus damus* xx Aprilis.

Vitalis Martyr *præponitur in Mss. Aquisgranensi, Augustano, Labbaano & in Auctario Greveni ad Vsuardum. Varii hujus nominis Martyres occurrunt, forsan hic est, qui inter Martyres Alexandrinos colitur die* xxi Aprilis.

SS. Augustini, Melliti & Paulini & ceterorum missio in Angliam, facta à S. Gregorio Magno, *profertur in scripto Auctario Carthusiæ Bruxellensis ad Grevenum. De ea late egimus ad Vitam S. Laurentii Episcopi Cantuariensis* 11 Februarii *Iterum hoc mense acturi de eadem, ad Vitam* S. Melliti, *dandam* xxiv Aprilis. *Et mense sequenti, ad Vitam* S. Augustini, *illustrandam* xxvi Maji. *At* S. Paulinus, Episcopus Eboracensis, *colitur die* x Octobris.

B. Sinanus, Episcopus in Anglia, *indicatur in scripto Auctario Carthusiæ Bruxellensis ad Grevenum. Videtur* Senanus eremita *esse, in Martyrologio Anglicano memoratus & à nobis referendus* xxix Aprilis.

S. Carus Episcopus Atinas, *profertur hoc die à Ferrario in Catalogo generali: verum ab eodem in Catalogo Sanctorum Italiæ & ab aliis,* xxix Aprilis.

Theodulphi Abbatis translatio *memoratur in Vita ejus, quam dabimus die ejus natali* 1 Maji.

Constantinus Magnus, Imperator, *indicatur in Ms. Florario, ab aliis* xxi aut xxii Maji.

SS. Justi & Clementis Vita xiii Kalendas Maji, *cum hoc titulo reperta à nobis Romæ est, in Ms. Legendario Lateranensi. Sunt hi Patroni Volaterranæ Ecclesiæ, & coluntur ibidem.* v Junii.

S. Theodericus, Abbas S. Theodorici in Francia, *indicatur in scripto Kalendario Ordinis S. Benedicti. Videtur esse discipulus S. Remigii, qui colitur* 1 Julii.

SS. Antonius, Dulcissimus & Carissimus Martyres *memorantur in Ms. Florario. Ex his* Dulcissimus & Carissimus *celebrantur Officio 3 Lectionum, quæ de his recitantur in Breviario Bambergensi anno 1575 excuso. Fuerunt hi discipuli S. Romuli, primi Episcopi Fesulani & Martyris. Quorum Acta erunt illustranda ad diem* vi Julii.

S. Canuti, Regis Daniæ & Martyris, translatio *celebratur à Greveno & Canisio. Dies ejus natalis celebratur* x Julii.

Alethæ, matris S. Bernardi, translatio *indicatur à Saussajo. Nos de ea statuimus ad Vitam S. Bernardi agendum esse* xx Augusti.

S. Joannis Baptistæ elevatio capitis, *indicatur in aliquo Kalendario Molani. Poterit de ea agi in festo Decollationis.* xxix Augusti.

S. Vincentius, Aquensium in Novempopulonia Apostolus & Martyr, *celebratur in Supplemento Martyrologii Gallicani à Saussajo, & Ferrario: ab aliis.* 1 Septembris.

S. Mamiliani, Episcopi Panormitani, secunda inventio corporis *indicatur ab Octavio Cajetano & Ferrario: at dies natalis est* xv Septembris.

S. Theodorus, in cruce suspensus, S. Philippa, mater capite plexa, S. Socrates, S. Dionysius, — lictores lanceis transfixi, — Martyres Pergæ in Pamphilia, sub Antonino Imperatore, *memorantur in Menæis, Menologio Sirleti, & Ms, Synaxario Claromontano, in quo iterum* xxi *Septemb. & in Menologio Basilii Imperatoris, non additis* Socrate & Dionysio, xx *Septemb. At Baronius* SS. Socratem & Dionysium *hoc die retinuit, non indicato loco. Hinc mox Hispani inseruerunt Chronico Pseudo-Dextri, & Tamajus Salazar suo* Martyrologio *Hispanico fingentes,* Iluriffæ in Vasconibus sub Diocletiano passos *cum SS. Victore, Zotico & aliis, xx Aprilis à nobis relatis. Vbi Pseudo-Chronicon rejicimus. Nos quia eadem omnium Acta sunt, & dicuntur Socrates & Dionisius, socii Theodori & Philippi, simul occisi in Martyrologio Romano, etiam simul de illis agemus.* xx Septembris.

S. Jonas Propheta *colitur hoc die Nuceriæ, propter corpus ex Terra-sancta illuc ab Equitibus S. Ioannis translatum; agemus de eo cum Romano Martyrologio ad diem* xxi Septembris.

S. Paphnutius, Ægyptius Martyr, sub Diocletiano, *elogium hoc die habet in Synaxariis Taurinensibus Ducis Sabaudiæ & Parisiensibus Cardinalis Mazarini atque Combefisii: distinguendus ab Episcopo Martyre, qui colitur hoc die; & ab Anachoreta seu Hierosolymita, qui sequenti: de eo agemus cum Menæis & pluribus Mss. nec non cum Romano Martyrologio,* xxiv aut xxv Septembris.

S. Baldrici, Episcopi, depositio *indicatur in Appendice Adonis apud Mosandrum & Rosweidum, sed ex illo transcripta. Veremur ne aliquo amanuensium vitio aut nomen aut dignitas sit perperam indicata. Coluntur S. Baldricus, sed* monachus; *uti &* Galdericus, *sed agricola; ambo* xvi Octobris.

S. Floiberti, primi Abbatis Gandensis, translatio *memoratur à Molano, Canisio, Ferrario, Saussajo, & in* Martyrologiis *Benedictinis: dies Natalis recolitur* x Novembris.

A

DE S. TIMONE DIACONO EX VII PRIMIS, MARTYRE CORINTHI.

G. H.

SECULO I



DVo Diaconi ex septem, quos Apostoli ut traduntur in Actu eorum capite sexto, eligendos curaverunt, suam habent hoc mense venerationem: S. Prochorus scilicet IX Aprilis (ad quem diem, docuimus, qua occasione fuerint Diaconi isti creati) & hic S. Timon præsenti die, quo nolumus retexere ibi dicta communiter de ipsorum electione. Alii duo sunt à nobis relati mense Ianuario, Nicanor & Parmenas, X & XXIII die dicti mensis: quos iterum cum SS. Prochoro atque Timone, colunt communi Officio Græci unaque solemnitate XXVIII Iulii, uti etiam dictum est IX Aprilis; ubi pariter ostendimus, illos in diversis locis propter Christianæ fidei prædicationem persecutionem passos, ac tandem martyrii coronam assecutos fuisse. Latini singulis sua loca attribuunt. De S. Timone Ado & Notkerus ista habent: Apud Corinthum B. Timonis, de illis septem primis Diaconibus. His similia habentur in variis Mss. Vsuardus latius ejus labores & martyrium exponit his verbis: XIII Kalendas Maji Beati Timonis, Diaconi de septem primis, qui primus apud Berœam Doctor resedit: ac deinde verbum Domini disseminans, venit Corinthum: ibique à Judæis & Græcis, ut traditur, primo flammis injectus, sed nihil læsus est, dein cruci affixus, martyrium suum implevit. Vacat hac die genuinum Martyrologium Bedæ, sed qui aliud sub ejus nomine supposuit, idem fere ex Vsuardo tradit, additque, Et sepultus est apud Corinthum gloriose. Vsuardum secuti Bellinus, Maurolycus, Galesinius, Canisius ac ceteri recentiores cum hodierno Martyrologio Romano. In Ms. Centulensi S. Richarii ista leguntur: S. Timonis Diaconi de septem primis, qui crucifixus Corinthi quiescit.

Quatuor Diaconi à Græcis coluntur 28 Iulii, tanquam Martyres.

Latini S. Timonem colunt 19 Aprilis, Doctorem Berœæ,

B

Martyrem Corinthi,

2 Est autem Berœa urbs Syriæ prima Episcopalis, in qua innuitur à Baronio in Notis Timon Episcopus fuisse: vulgo Aleppo dici testantur Zonaras, Cedrenus & alii. Inde ergo cum S. Timon discederet, videtur in insula Cypro verbum Domini disseminasse. Nam ut Acta Latina S. Barnabæ, apud Mombritium & in aliis antiquis Mss. testantur, cum S. Barnabas pervenisset in Cyprum, invenit ibi Timonem & Aristionem, famulos Domini. Timon autem urebatur magnis febribus: cui cum manus imposuisset B. Barnabas, & sacrum Euangelium S. Matthæi Apostoli legisset, per invocationem Domini Salvatoris statim febris fugata est, & adeo curatus est, ut continuo cum gaudio eum sequeretur. Requievit S. Aristion Salamina in Cypro XXII Februarii. Permansisse S. Timonem in eadem Cypro usque post martyrium S. Barnabæ, testantur Acta Græca S. Auxibii Episcopi Soliorum ibidem, quæ illustravimus ad diem XIX Februarii: in quibus num. 4 ista leguntur: Cum autem Barnabas fuisset martyrii corona Constantiæ redimitus, Marcum quoque scelerati Judæi ad necem perquirebant. At ille fugerat, his Ledras usque insequentibus; iuventoque spelæo in illud ingressus, triduum ibi delituit: quo elapso inde recessit, factoque per montes itinere Limnen attigit. Erant autem cum ipso Timon & Rhodon, qui in pagum abeuntes, ibi B. Auxibium, qui Roma recens advenerat, repererunt. Tunc S. Marcus, cum S. Auxibium baptizasset, Episcopum ordinasset, ac ad urbem Soliorum misisset, profectus ipse est Alexandriam: at S. Timon videtur per Asiam & Græciam disseminans verbum Domini venisse Corinthum, ibique palmam martyrii obtinuisse. Solum ejus ac nudum nomen invenitur in scripto quod sub nomine Hippolyti Martyris, ex Vaticana Bibliotheca habemus.

Fuit in insula Cypro.

per S. Barnabam à febri sanatus.

C

& cum S. Marco delituit:

3 Alia quæ nobis minus probantur, leguntur in Catalogo septuaginta discipulorum Domini, qui Dorotheo Episcopo Tyri non absque tanti viri injuria tribuitur, & dicitur Timon (illi Simon) ex septem Diaconis & ipse unus, Bostri Arabum Episcopus factus, à Gentibus combustus. In alio Catalogo eorumdem septuaginta discipulorum apud Petrum de Natalibus lib. 6 cap. 100 sub nomine ejusdem Dorothei, dicitur Simon ex septem, fuisse Episcopus Tyri & Sidonis. Idem Petrus de Natalibus cum lib. 4 cap. 66 elogium supra ex Vsuardo relatum sub nomine S. Hieronymi indicasset, cap. 67 de alio Timone ista scribit: Timon Episcopus & Martyr apud Arabiam passus est, qui ex Diaconatus ordine ad Pontificatum urbis Vesegorinæ, quæ civitas est Arabiæ, electus est. Qui pro confessione nominis Domini flammis combustus, martyrio extitit coronatus, & in ipsa civitate reconditus. De quibus optamus certiora nancisci. Interim Maurolycus, Grevenus, & Canisius hunc secundum Timonem, ut diversum, ex Petro de Natalibus referunt. Bostrum sive pluraliter Bostra, nunc Bussereth nominari ex Leunclavio docet Ferrarius in suo Lexico Geographico: nomen illud quod in Petro legitur nusquam invenimus, & merito suspicamur esse corruptum.

alibi Episcopus Bostri,

E

Tyri & Sidonis dicitur.

F

DE SANCTIS MARTYRIBVS MELITINENSIBVS HERMOGENE, CAIO, EXPEDITO, ARISTONICO, RVFO, GALATA, MITINA, ARMINIA, RVFO, HILARIO, ARISTONICO, FORTVNATO, CAIO, DONATO, MAVILINO,

G. H.

XIX APR.



OPtimum consensum Fasti Latini præferunt circa venerationem primorum sex Martyrum: quos tria posteriora apographa Martyrologii Hieronymiani ita indicant XIII Kalendas Maji. In Militana civitate Armeniæ, Hermogenis, Gagi, Expediti, Aristonici, Rufi, Galatæ, una die coronatorum. Quæ plane eadem leguntur in Martyrologiis Vsuardi, Adonis, Notkeri, Bellini, Maurolyci, & aliorum recentiorum cum hodierno Martyrologio Romano. Quin & Wandelbertus, Vsuardo & Adone antiquior, eosdem omnes suis versibus ita conclusit.

Gaio, Aristonico, Rufo, Hermogene, atq; Galata.
Tertia cum decima Expedito & Martyre fulget:

Martyrologium Casinense pervetustum omnes, absque loco martyrii recenset: Natalis SS. Martyrum Hermogenis, Gaii, Expediti, Aristonici & Rufi. In alio Casinensi & Altempsiano loco Rufi, scribitur Rugi. Ms. Reginæ Sueciæ ab Holstenio laudatum ista habet: Militana civitate Armeniæ, natalis SS. Hermogenis, Gagi cum aliis quatuor. Ita Gagus, Gajus, & Cajus promiscue hic & alibi scribitur, uti urbs Melitina, Militina & Militana: quæ alibi sæpius observavimus. Petrus de Natalibus lib. 11 cap. 130, num. 123 hæc habet: Hermogenes, Cajus, Expeditus, Aristonicus, Rufus, Galatas, Martyres una die coronati sunt in Armenia, civitate Mylittana, scilicet XIII Kalendas Maji. Celebrant (& forte respectu horum Martyrum) Bononienses S. Cajum in ecclesia S. Iacobi Majoris in platea S. Donati, & in Confraternitate pauperum ad honorem Reginæ cæli, dicunturque à Masino in Bononia perlustrata aliqua ejus ibidem Reliquiæ adservari.

Cultus sex Martyrum in omnibus prope fastis sacris,

an S. Caji hujus Reliquiæ sint Bononiæ?

A 2 Hactenus de sex Martyribus actum: quibus in antiquissimo apographo Martyrologii Hieronymiani, (quod ab initio operis citavimus, & præ aliis accuratissimum reperimus) alii octo adjunguntur, & in iis deest illa clausula una die coronatorum, sed consequenter omnes ab initio ita indicantur: XIII Kalendas Maji In Armenia, Militana civitate, Hermogenis, Gagi, Expediti, Aristonici, Rufi, Galatæ, Mitinæ, Arminiæ, Rufi, Hilari, Aristonici, Furtunati, Gagi, Donati. Adstipulatur Martyrologium Ms. Trevirense his verbis: In Militana Armeniæ Hermogenis cum aliis duodecim: imo tredecim; cum universim sint quatuordecim. In aliis tribus apographis Martyrologii Hieronymiani post illa verba una die coronatorum, subjiciuntur eadem nomina, sed primum est immutatum, & loco Mitinæ positum Militidæ, reliqua plane consentiunt in apographis Lucensi & Blumiano, sed in Corbeiensi Parisiis excuso in fine additur Mavilani. In Ms. Aquisgranensi celebratur memoria Hermogenis, Gagi, Rufi, Donati. At Fortunati in Mss. Augustano & Labbæano. In Ms. Barberiniano Rufi & Antonici, in scripto Auctario Carthusiæ Bruxellensis ad Grevenum Antonii, sed is supra Aristonicus dicitur. D

In aliis 14 recensentur.

aut etiam is.

DE SANCTIS MARTYRIBVS AFRIS
SERICIANO, DONATO ET HELLADIO, ITEM SERICIANO, HERMOGENE ET ALIIS DVOBVS.

G. H.

XIX APR.

Apographa Martyrologii Hieronymiani duo, alterum Corbejense Parisiis excusum, alterum Blumianum, ita hos Martyres recensent: In Africa Sereciani, Donati, Heladii, item Sereciani, Hermogenis, cum aliis duobus. In apographis Epternacensi & Lucensi, unicus est Sericianus, qui aliis erat Serecianus; & in Epternacensi sic enumerantur: Et in Africa Donati, Sericiani, Elladi. item Ermogenis cum aliis duobus. Vbi particula item in prioribus melius convertitur cum secundo Sericiano, quē ideo detinemus. B

2 Eamdem lectionem confirmat codex Serenissimæ Reginæ Sueciæ, cujus ista sunt verba, etiam ab Holstenio excusa: In Africa Donati, Siriciani cum aliis quinque, qui numerus ablato altero Sericiano non compleretur. In Ms. Barberiniano notantur: In Africa Sericiani, Heladii, Ermogenis. In Mss. Augustano S. Vdalrici & Parisiensi Labbæi fit mentio Sericiani & Donati. In Martyrologio Rabani aliquod videtur vitium esse, dum, culpa forsan Amanuensium, ista conjunguntur: In Africa Calafrani Abbatis, & Hermogenis & Expediti. Ex his Hermogenes ad hanc classem spectat; & Expeditus ad præcedentem: aut etiam ad præcedentem Melitinensium Martyrum, inter quos est Galatas. An inde Calafranus formatus fuerit, quis dicet? E

DE SANCTO VINCENTIO,
MARTYRE CAVCOLIBERI IN HISPANIA CITERIORE.

D. P.

AN. CCCIII

Illiberis, & postea Cauco-liberis, nunc Colibre, oppidum est maritimum ad radices montis Pyrenæi in Comitatu Ruscinonensi. Antiquissima ejus notitia habetur apud Titum Livium decade 3 lib. 1 ubi dicitur Hannibal cū copiis ex Hispania Gallias ingressurus, Pyrenæū transgressus, ad oppidum Illiberim castra locasse. Quo tempore Galliarum aliquot populi Ruscinonem convenerunt, ad quorū Regulos Hannibal Oratores misit: colloqui semetipsum velle cum his, & vel illi proprius Illiberim accederent, vel se Ruscinonē processurum. Ut vero Reguli Gallorum, castris ad Illiberim extemplo motis, haud gravate ad Pœnum venerunt; exercitum per fines suos præter Ruscinonē oppidum transmiserunt. At Plinius lib. 3 Historiæ naturalis cap. 4, agens de Narbonensi provincia & occurrentia trans Pyrenæos oppida describens, primo omnium, Illiberis, inquit, magnæ quondam urbis tenue vestigium. Verum ut sunt vicissitudines rerum, refloruit iterum Illiberis, urbs etiam Episcopalis facta. Nam Concilio tertio Toletano, anno regni Riccaredi IV, Christi DLXXXIX Æra Hispanica DCXXVII habito, subscripsit XLVI loco Petrus, Illeberitanæ Ecclesiæ Episcopus: à quo alius Stephanus, Eliberitanæ in Bætica provincia Ecclesiæ Episcopus etiam subscripsit XXXI loco, uti XXII Joannes Elnensis Ecclesiæ Episcopus: cui postmodum Illiberitana Ecclesia unita fuit aut certe subjecta. Garsias Loyasa in collectione Conciliorum Hispaniæ tradit pagina 132, Divisionem provinciarum Hispaniæ & earum Sedium, prout invenit in codice Hispalensi Divi Laurentii anno Domini DCCCLXII scripto, sed forsan diu ante confectam. In hac Divisione primo loco collocatur provincia Gallecia, secundo loco provincia Gallia, & in hac Narbona Metropolis, atque sub ea Caucoliberi, Carchasona aliaque urbes, inter quas ultima Elena. Alia dein Divisiones provinciarum subduntur, cum Narbona metropoli & nomine Elna sive Elena, cui tunc Caucoliberi erant annexi aut subjecti, absque ulla expressa horum mentione. Et hæc de situ urbis & Sedis Episcopalis. C

Illiberis oppidum antiquum,

Sede Episcopali illustre:

Caucoliberis dictum.

2 In hac martyrium passus est S. Vincentius, cujus meminerunt passim omnia Martyrologia, excusa & manuscripta: inprimis quatuor apographa Martyrologii Hieronymiani his verbis: Caucoliberi seu Caucolibri, natalis S. Vincentii. Vsuardus ista habet: Civitate Caucoliberi, passio S. Vincentii Martyris. Similia habent Rabanus, Ado, Notkerus, Bellinus, Maurolycus, Galesinius, & alii recentiores cum hodierno Martyrologio Romano. Ejusdem S. Vincentii martyrium celebrant Ambrosius Morales lib. 10 Historiæ Hispaniarum cap. 13, Joannes Marietta lib. 2 Historiæ Sanctorum Hispaniæ cap. 38, Franciscus de Padilla centuria 4 Historiæ Ecclesiasticæ Hispaniarum cap. 18, Thomas de Trugillo in Thesauro Concionatorum ad hunc diem, & Antonius Vincentius Domeneccus lib. 1 Historiæ Sanctorum Cataloniæ.

S. Vincentius inscriptum antiquis Martyrologiis, & historiis Hispanicis.

3 Acta ejus olim extitisse aliqua, credibile facit Ms. Martyrologium, ex Centulensi cœnobio S. Richarii, his verbis: Apud Septimaniam civitate Cauco-liberi, S. Vincentii Confessoris, cujus Acta habentur. Septimaniam sæpe accipi pro Narbonensi Provincia satis notum est: Confessoris titulum verte in elogium Martyris: & aliud non superierit, quam ut gesta requiras, quæ dicuntur haberi. Requisierunt ea nec invenerunt supra scripti auctores: majorem sibi felicitatē obtigisse gratulatur hoc die in suo Hispanico Martyrologio Tamajus de Salazar ita loquens: Ejus Acta penitus evanuisse fatentur universi: eadē apud me in Ms. Segobiensi profuso sermone descripta, dabimus: ut quæ tantis, huc usque fuere occultata doctoribus in publicum prodeant, mei homunculi ministerio & Dei providentia, quæ sæpe sæpius similia occulit proceribus & revelat parvulis: tum ea in Vetusto Codice Legendario, ut ait, sub hoc titulo inventa proponit, Incipit Legenda S. Vincentii Martyris, qui in urbe Hispaniæ Tarraconensis Caucoliberitana ad radices Pirenæi martyrio coronatus est XIII Kalendas Majas anno CCCIII. Ipsa prius legi oportet quam de iis feramus judicium & ad alia veriora antiquioraque quærenda procedamus. F

Acta martyrii.

AC

A

ACTA SVSPECTA.

Ex MS. Segobiensi excusa à Tamaio Salazar.

4 Quo tempore nefarii superstitionis Idolorum propugnatores, impia, contra pietatem ac Religionem sævientes, per singulas urbes ac regiones edicta proposuerunt, ut quicumque Christiani deprehensi essent, idolis sacrificare cogerentur; prioribus hujus interminationis auctoribus, & Romanæ iniquitatis imperatoribus, successere Diocletianus & Maximianus orbis tyranni; qui unus in Orientalibus, alius in Occidentalibus mundi partibus nomen Christianum delere totis viribus satagebant. Quod ut consequerentur facilius, per Provincias Romano imperio subjectas, Præsides & Iudices, qui rem sibi commissam ad unguem adimplerent, dimiserunt. Dacianus ergo unus ex electis Præsidibus, ad tantum immane facinus perficiendum, in partes Hispaniæ & Galliæ delegatur. Qui exantlatis Galliæ regionibus, innumerisque per agonum palestram effectis Martyribus, Hispanias ingredi per Pyrenæi Montis juga horrido furore decrevit. Qui cum ad urbem in illo tractu maritimam, Caucoliberim vocatam, pervenisset, publicatis Imperatorum edictis, comprehensus est Vincentius illius civitatis accola, magnæ fidei & constantiæ vir, & adductus est ad Dacianum Præsidem. Quo ante tribunal constituto, Præses dixit Vincentio: Age: esto Diis ipsis obediens, & Imperatoriis edictis. Illi autem Vincentius respondit: nemo unquam reprehendi aut condemnari poterit, qui Salvatoris Nostri Jesu Christi præceptis obedierit. Tum Dacianus Præses: Tibi consulo, ut ea eligas quæ sunt tibi utilia, & magnis diis te adjungas, & eis una nobiscum sacrifices. Sic enim quæcumque petieris, consequeris. Apud te ergo considera, id consilii capiens, quod & tuæ conveniat nobilitati & animi discretioni, neque velis iræ nostræ facere periculum, neque discere quantum sit malum impietas. Quod si tu his non parueris, neque meis cesseris suasionibus, necesse erit ut meam deinceps tantam experiaris sævitatem, quanta nunc benignitate frueris & mansuetudine: quo tempore etsi ducaris pœnitentia; nihil fortasse tibi proderit. His verbis Martyr respondit: Mihi quidē divitiæ & vita est Christus: mors autē propter ipsum subeunda est mihi vita longe pretiosior: propter quē non aliud, ex his quæ sunt in terra jucunda, mihi jucundum fuit existimatum. Tormenta quæ minaris, ea sunt mihi voluptates potius, quam cruciamina, in illum solum defigenti oculos, & non ea solum pati pro illo cupienti, sed etiam si fieri posset, mori millies. Ergo fac potius id quod est in tua potestate, aut situm est in morum tuorum crudelitate. Nam ego quidem ligneos aut lapideos deos numquam coluerim.

In persecutione Diocletiani

B

ubi iter à Daciano captus,

frustraque ad defectionem sollicitatus

C

5 Tum Præses primum plagas ejus genis inflixit: deinde Martyrem, disruptis vestibus, nudum populo demonstravit. Cujus utrumque latus carnifex fodiens, & carnes ungula cruenta propulsans, cito corpus truentum, humi projectum, repetitis foraminibus sanguinem eructabat. Tunc Dacianus inquit; Quis te, si non pareas, poterit à meis manibus eripere? ego te minutatim dissectum feris apponam agrestibus exedendum. Quale majus dedecus nobili viro, quam nudum hominum conspectibus exponi? Sed si resipiscens, ab ea, quæ te tenet, amentia, ad Deorum accesseris benignitatem, liber & honoribus cumulatus præmia majora recipies. Martyr autem, Mihi, ô Præses, non est turpitudo esse vestibus nudū, sed maximus potius ornatus. Nam, veteri homine exutus, novum induam in justitia & veritate. Minaris, te mortem mihi esse allaturum: ad hoc tibi præsto sum: hoc enim est mihi optandum. Quod si etiā mea membra dissecueris, tunc me afficies majori beneficio. Me enim totum, quantuscunque sum, debeo Creatori meo; & hoc mihi semper fuit in votis, ut ipse glorificetur in omnibus meis membris, & sistam ante ejus tribunal omnia membra mea, nitentia ornatu confessionis. Tunc Præses, missis adhortationibus, processit ad supplicia; ideo tyrannico furore commotus S. Vincentium in tantum trochleis torqueri præcepit, ut membra ejus à suis juncturis vi durissima solui cogerentur. Post hæc in ipsis in sublime elevatus frequenter, ictuque celeri super silices corporis pondere demissus, & lapidibus acutissimis perfricatus, primam illam quæstionem exegit.

ungulis ferreis laniatus,

D

atque in trochleis tortus

6 At Dacianus, qui Hispanorum constantiam præcognitam habebat, quorum animi nullis unquam rigoribus cruciaminum, nullis adversantium fortunarum terroribus vinci facile pervaluere, Martyrem in vinculis esse præcepit, donec quid de illo faciendum sit, deliberet. Sanctus autem Vincentius carcerem ingressus, spiritu exultabat, & gratiarum actione Deum prosequebatur: Gloria, inquiens, tibi Domine, qui non confundis sperantes in te. His dictis, in ergastuli profundo angulo detrusus, orationi insistens, & constantiam in reliquis quæstionibus à Domino petens; lux subito spelæi abdita clarificavit, ita ut Martyr, qui supinus & nudus super nudam humum cubabat, insolito splendore recreatus, membrorum compaginibus reluctantibus, sederet. Tunc iterum Deo gratias solvens, protinus sanus, sine vulnere, sine cicatrice, & animo roboratus, inventus est.

tum carceri inclusus:

E

7 Altera die cum Dacianus Barcinonam proficisci decreverat, multo mane ad forum veniens, quo tribunal extructum erat, satellitibus suis furibunda voce præcepit, quatenus Vincētium ad ejus intuitum è carcere, nisi jam mortuum, invenirent, adducerent. Quē cum carnifices detulissent, & illū integra valetudine fruentem cōspexisset, viscerum adustione furiosus, oculorum indignatione laqueatus, hæc ad Martyrem verba direxit: Ecquid his magicis adumbratus figmentis, in mei præsentiam devenire disponis? Forte credidisti, me tuorum amplexari commenta? Infelix tua hæc deliramenta depone; nam si tete liberum, technis postpositis, intueris, apprehendas necesse est, hoc deorum nostrorum beneficio factum, ut tui erroris pertinaciam, eorum adoratione, cognoscas. Cui Vincentius: Nec magicas artes agnosco, nec deos tuos tamquam valetudinis meæ auctores adoro. Dominus meus Jesus Bhristus, verus Deus & verus homo, qui propter nostram salutem descendit de cælis, & incarnatus est de Spiritu sancto ex Maria Virgine, ut caligantis mundi cæcitatem averteret, in mundum lucem suæ claritatis infudit, de quo dictum est: In ipso vita erat, & vita erat lux hominum, & lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt. Et iterum: Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem, venientem in hunc mundum. Iste nempe, ô Præses, ut mentis meæ tenebras, inter noctis obscuritatem, clarificaret, lucem suæ dignationis in medio ergastuli angulo fuit dignatus emittere: cujus lucis cælestis splendore, vulnera sanata conspexi, & ad majora recipienda paratus, & animatus invenior. Ergo non à diis tuis, quos ut stercora æstimo, sed à Deo meo, qui venit in mundum, & Verbum caro factum est, & habitavit in nobis, & vidimus gloriam ejus, meæ sanitatis beneficia profiteor evenisse.

ubi curatum se non à diis falsis

D

sed à Christo vero Deo ostenderit

8 Audiens hæc Dacianus, præcipitibus furiis agitatus, accenso in medio civitatis copioso igne, jussit

ac denique in ignem conjectus obierit

jussit S. Vincentium, ligatis manibus & pedibus, pœnalibus incendiis cruciari. Tum ministri sancti Martyrem mediis flammis ingerunt: qui inter æstuantis pyræ incendia, Dominum confitens, felici martyrio coronatur XIII Kalend. Maji, Anno Domini CCCIII. In quo illud apparet solenne miraculum, quod ligamina manuum & pedum, nec non capilli capitis ejus, nullam ab igne læsionem sustinerent. Vultus autem illius rosei coloris decore micabat, ita ut potius dormiens, quam extinctus putaretur, unde multi ad Deum conversi crediderunt. Ejus corpus Christiani noctu rapientes sepelierunt, quod postmodum honorifice translatum fuit, præstante D. N. Jesu Christo, qui cum Patre, & Spiritu sancto vivit & regnat in secula. Amen.

Acta hac recentius composita sunt,

9 *Hactenus* Acta, quæ nullus huc usque novit. *Nec mirum: desumpta enim sunt ex MS. Segobiensi Tamaji, ex qua plura alia sublestæ fidei inserta Hispanico martyrologio, cogimur ab opere nostro rescindere: ipsa tamen integre proferre visum est, ut ex stylo appareret, quam recentis figmenti MS. illud sit, quamque levi judicio ipsum ut vetustum sit amplexus Tamajus. Clamant phrases singulæ hujus aut præcedentis ut summum seculi esse omnia è ut probe intelliget, qui aliquem similium usum ex hujus nostri operis lectione nactus fuerit. Minus in istis versato, scienti tamen quandonam cœperint Hispani dimittere usum numerandi annos sua propria Æra, annis XXXVIII communem prevertentis; fidem faciet novitatis, adscriptus* Annus Domini CCCIII, *quamvis eo revera anno sævisse in Hispania Dacianum ostenderimus ad XVI Aprilis, agentes de Martyribus Cæsaraugustanis.* *Nobis sic videtur; cum ex Martyrologiis præcitatis constaret aliquem S. Vincentium Caucoliberi adscribendum esse hoc die, visum fuisse Legendarii prædicti compilatori recentiori, Acta aliqua componere, qualia fere cuivis Martyri possent aptari; ex aliis Hispanicis Martyriis assumendo Dacianum, crudelitatis fama notissimum; eaque comminiscendo ultro citroque dicta, quæ simili occasione fere dicta legimus; tum ex eo quod pluribus accidisse noverat, addendo tormentorum atque flammarum superatarum miracula: & quia nulla corporis memoria apud* Caucoliberitanos *superesset, finisse cum hac probabili conjectura, quod illud* postmodum translatum honorifice *fuit.*

nec videntur aliter quam ex conjecturis scripta.

antiquiora & fide digniora sunt

10 Dedimus XXII *Ianuarii Acta Sanctorum Vincentii, Orontii & sociorum, in confiniis Gerundensibus passorum sub* Ruffino Hispaniæ Præside, *quem in Actis S. Cucuphatis XXV Iulii nominatum quidam suspicantur Datiani fuisse Vicarium; ego ejusdem fuisse in officio decessorem malim existimare, prout insinuatum in præcitato ad diem XVI loco. Acta cum nec in Ebredunensi quidem ecclesia, ad quam olim corpora delata fuerant, haberentur; Ætherii Lugdunensis Archiepiscopi successor Aridius, circa annum DCII institutus, quasdam dictorum Sanctorum particulas nactus, ipsa requisivit à quodam Abbate Hispano, qui* Synodali Galliæ concilio *(puta Cabilonensi) supervenerat, accepitque* valde rustice composita, *& expolivit, addens quomodo corpora Ebredunum delata, & particulæ, de quibus agit, à suo decessore Ætherio fuissent impetratæ ac Noviaci collocatæ. Hæc acta esse S. Vincentii, cujus hoc die Caucoliberi passi antiquissima meminerunt Martyrologia, eo suademur, quod locus passionis talis describatur, in quo & Provinciæ Præses palatium, & sedem constitutam haberet Episcopus; quod cum nequeat de ipsa Grunda intelligi, intelligendum est de aliqua celebri tunc temporis & vicina urbe, quæ fuerit Caucoliberis.*

qua initio sec. 6 expolivit Aredius Lugdun.

primum ex Gerundensium traditione scripta

11 *Ast inquies patrata istius cædes dicitur* in suburbio Gerundensi in Castello Gratianopoli. *Ita est, & ob hoc nonnullaque similia, existimo Acta illa, quæ Hispanus Abbas in Galliam detulit, ex Gerundensium traditione, post unius forsitan seculi decursum, scripta fuisse; non sine confusione aliqua, ut fieri assolet; in eo nominatim, quod Victor Diaconus & paulo post Martyr, Sanctorum occisorum corpora ex loco supplicii transferens, cum iis prope Gerundam deprehensus, ipsa dimiserit in dicto castello: aut in pago Iuliano vicino dimissa, ad se receperint Gerundenses Christiani, & in suo illo suburbano sepeliverint: itaque obliterata sit memoria Caucoliberitanæ civitatis, quam fidelius conservaverint Martyrologia. Quod autem Ebredunenses sancta illa pignora, ad se delata tempore S. Marcellini Episcopi sui, qui sub Theodosio magno floruit, venerentur* XXII *Ianuarii, id propter ignorantiam veri natalis, & S. Vincentii Martyris Cæsaraugustani celebritatem factum credimus; sicut postremis hisce seculis Gerundenses, Ebreduno aut Lugduno nacti notitiam ejus qui in Gallia colebatur Vincentii ac sociorum, cum nollent principalis sui Vincentii festum impedire alterius cultu, acceperunt diem Ianuarii* XXX, *tamquam anno* MDXXII, *quo decretum hujus cultus condebatur, alio nullo officio impeditum.*

& 22 Ianuarii data,

auctoris notitia unde accepta?

12 *Ipsa Acta hic non retexo, utpote* XXII *Ianuarii data & explicata. Ea ibi anonymo cuipiam Episcopo Gallo tributa, cur hic nominatim Aredio Lugdunensi adscribenda putemus, danda est ratio: quandoquidem Ætherius, cui successisse se scribit auctor, solum dicatur in MSS.* Antinciæ *seu* Antimiæ Ecclesiæ Antistes: *quod Bollandum nostrum dicta Acta illustrantem in varias distraxit conjecturas, cum talis nulla ecclesia totis Galliis nominata fuerit. Observa igitur Actorum auctorem num. 19 quadamtenus indicare se Lugdunensem Antistitem, cum ait se* Lugduno ad Principem *properasse. Utique ex loco residentiæ suæ: Lugdunensi autem Antistiti Ætherio, anno* VII *Regis Theodorici defuncto, suffectus quidem Secundinus est; sed paucorum omnino mensium habuit Pontificatum; siquidem ejusdem Theodorici anno* VII *Cabilonensi Synodo præsedit Arredius, ante quam immediate alia nulla Synodus scitur celebrata esse in Gallia. De se autem profitetur auctor, quod occasione Synodi acceperit ea quibus usus est Acta Sanctorum prænominatorum; ubi putamus pro* Antimiæ *legendum esse* Sanctissimæ ecclesiæ. *Primigenia autem Acta prorsus apud Hispanos deperiisse, tot seculorum decursu deperditis plerisque regionum istarum monumentis, nihil miramur; sicuti nec mirandum, quod ex Galliis non alia Acta habeantur, quam ab Aredio ut diximus expolita, auctaque per rerum circa Reliquias gestarum narrationem. Quæ tamen omnia sic proponimus Hispanis, ut si tres sanctos Vincentios, eadem persecutione, in eadem Hispaniæ parte, martyrizatos possint ostendere, ex solidioribus, quam quibus Tamajus nititur, fundamentis, libenter sumus dimissuri conjecturas, quibus persuademur Vincentium Caucoliberi passum, esse fratrem S. Orontii, cujus & sociorum corpora Ebredunum ex suburbiis Gerundensibus fuere translata, ut dictum est.*

DE

A

DE SANCTO PAPHNVTIO,

EPISCOPO MARTYRE APVD GRÆCOS.

D.P.

XIX. APR.

Ex officio proprio habetur dignitas Episcopalis.



SAcrarum odarum Canon, hoc die in Magnis Græcorum Meneis propositus, totus insumitur in laudes S. Paphnutii Hieromartyris, *qui titulus solorum Episcoporum est. Huic consonat Oda octava stropha ultima,* Ὡς ἀληθῶς ὡραῖος ἀνιδείχθης ἐν ἀγῶσι πολλοῖς Ἱερομάρτυς, στολὴν ἱερὰν τῷ αἵματί σου στολισθεὶς φοινιχθεῖσαν. Vere speciosus apparuisti, ô Hieromartyr, sacram stolam tuo sanguine purpuratam indutus. *Ne autem stolam simpliciter Sacerdotalem intelligas, sed ut* Pontificalem *accipias, simulque noveris quo supplicii genere effusus sit sanguis, audi tertiam primæ Odæ strophen.* Ἤυγασας ἐν δόγμασιν Ἱεράρχα τὸν περιούσιον λαὸν, καὶ πόμα κυρίου διὰ τὸ ξίφος ἔπιες, ἀθλήσας καρτερώτατα. Sacris dogmatibus illuminasti populum electum, ô Hierarcha; & calicem Domini bibisti per gladium fortissime decertans. *Alibi multitudo tormentorum, ante capitis supplicium toleratorum, indicatur, & Ode* v *dicitur,* neque gladios, neque feras, neque ignem, nec mortem ullatenus formidasse.

supplicium gladii.

B

ubi item Martyrii locus.

2 *Quo loco ac tempore* per suam tolerantiam everterit castra impietatis, *uti dicitur in Stichario ad primas Vesperas;* & adversariis potestatibus formidabilis verum se Trinitatis cultorem ostenderit, *uti gratulatur ei* II *Strophe Odæ* 6 illas delens, illuminans autem fidelium agmina; *non est facile assequi divinando. Abest enim ab hac die in Meneis, præter solitum, congrua ipsi Canoni lectio Synaxarii, epitomen historiæ exhibitura; & in omnibus quæ plurima vidimus MSS. nullum hactenus, vel alio ullo die, comparuit elogium, quod posset Sancto hic laudato aptari. Quia tamen nulla uspiam fit mentio hæreseon vel hæreticorum, sed solius impietatis devictæ, tuto videmur credere, ad primitivæ ecclesiæ persecutiones sub gentilibus Imperatoribus martyrium ejus pertinere. Hodierni quidem Romani Martyrologii tabulæ, ex Sirleti Menologio auctæ, sic habent:* Hierosolymis S. Paphnutii Martyris. *Sed nimis laxa videtur, ea esse interpretatio verborum Sirleti, quæ sic sonant,* sancti Martyris Paphnutii Hierosolymitani, pietate & rectæ fidei testimonio insignis: *cujus elogii pars postrema, quam certe convenit huic de quo est totus diei præsentis Canon; tam certo non convenit ei, cujus die sequenti memoria agitur, absque ullo indicio martyrii, quique solo nativitatis aut habitationis titulo* Hierosolymitanus *dici videtur.*

videtur sub gentilibus Impp. passus

C

ab eo diversus Hierosolymita.

3 *Quisquis fuit & quocumque loco passus, celeberrimam habuit annui festi reverentiam ea in urbe, ad quam delatum postea sacrum corpus occasionem, dedit componendi Canonis. Quam urbem vel ipsam regiam Constantinopolim esse vel vicinam aliquam, verosimile faciunt Menæa, quippe excusa ad exemplaria ex Patriarchatu Constantinopolitano allata. Dicitur autem Ode* VII exultare Christi ecclesia, quæ velut pretiosum thesaurum sacram reliquiarum Martyris thecam possidet: *& Oda* II gloriantur fideles, quod adversus dæmones objiciant murum inexpugnabilem, dum inungunt se divino oleo quod ex lipsanis ejus scaturit. *Vnde apparet hunc quoque ex Myroblytis Sanctis unum esse, neque metaphorice dumtaxat, sed ad litteram esse intelligendum, quod notat Sticharion tertium ad primas Vesperas hisce verbis,* Τῶν λειψάνων σου θήκη, Ἱερομάρτυς Χριστοῦ, ὡς ποταμὸς ἐκβλύσει τῶν ἰάσεων ῥεῖθρα. Reliquiarum tuarum theca, ô Christi Hieromartyr, tamquam fluvius exundat fluentis curationum.

Corpus in magnam translationem, forte CP.

oleum salutiferum stillat.

E

4 *Concluditur autem universus Canon hac strophe,* Κατάπαυσον Μάρτυς σαῖς εὐχαῖς τὸν τάραχον Ἐκκλησίας τὸν κυμαίνοντα, καὶ διαστρέφειν τὰς εὐθείας πειρώμενον τοῦ Θεοῦ ἡμῶν ὁδοὺς ἐμπνεύσεσιν αἱρέσεων, ἔνδοξε καὶ τὴν εἰρήνην πᾶσιν αἴτησαι. Seda precibus tuis, tempestatem Ecclesiæ effervescentem, & subvertere nitentem vias Dei nostri rectas inspirationibus hæreseon, ô Martyr gloriose: & pacem nobis omnibus posce. *Ex quibus colligas, hymnum hunc esse compositum rebus ecclesiæ perturbatis; idque ante tempora Iconomachorum, fortasse sub Zenone aut Iustino, sub quibus in rebus religione plurimum afflicta veritas fuit.*

invocatur pro Ecclesiæ pace.

5 *In Synaxariis, tam quæ Taurini in Bibliotheca Ducis quam quæ Parisiis apud Combefisium & apud Cardinalem Mazarinum reperimus, proponitur hoc die alicujus Paphnutii Ægyptii elogium, sub Diocletiano & Præside, Arriano crucifixi, cujus etiam Acta aliqua sub nomine Metaphrastis extant apud Lipomanum, die* XXVIII *Aprilis. Sed hic in Meneis refertur ad* XXV *Septembris, ut patet ex elogio, quod isto vel præcedenti die in ceteris omnibus MSS. Synaxariis invenitur.*

Alius Paphnutius M. 24 Sept.

F

DE SANCTO CRESCENTIO,

SVBDIACONO FLORENTIÆ IN ETRVRIA.

G.H.

CIRCA AN. CCCXCVI.



INter antiquiores Ecclesiæ Florentinæ Episcopos celebris est S. Zenobius, quintus dictæ Ecclesiæ Antistes, qui teste Ferdinando Vghello Florentino, ad id dignitatis fastigiũ electus fuit anno fere CCCLXXVI, sibique creditam Ecclesiam administravit usque ad annum CCCCVII; dieque XXV Maji, plenus meritis ac sanctitate conspicuus, evolavit ad superos. *Fatetur interim Vghellus* tantam diversitatem esse in perquirenda ratione temporum in iis, quæ ad hunc Sanctum pertinent, ut nisi conjecturâ veritas indagetur, admodum difficulter videatur posse explicari. *Quod idem videtur dicendum de duobus ejus Clericis, Sanctorum catalogo adscriptis. Horum alter est Eugenius Diaconus, ad diem* XVII *Novembris Martyrologio Romano insertus: alter Crescentius Subdiaconus, cui hic* XIX *Aprilis sacer est, etiam in Romano Martyrologio notatus his verbis,* Florentiæ S. Crescentii Confessoris, discipuli S. Zenobii Episcopi.

Ætas S. Zenobii Episcopi.

ejus Subdiaconus S. Crescentius.

2 *De hujus Crescentii vita elogium aliquod, ante secula pauca compositum, damus, sicut illud Florentiæ descripsimus ex Collectione veterum Officiorum Ecclesiasticorum MSS. contenta in codice 691 folio 45, apud Illustrissimum Senatorem Carolum Strozzium: cujus sedulam industriam, in antiquitatibus rerum Florentinarum sacris & profanis perscrutandis, non satis mirari potuimus. Fuit autem hoc Vitæ elogium distinctum in novem Lectiones, quæ ad Matutinum recitari solebant. In his dicitur* S. Crescentius à Præsule S. Zenobio tumulatus, *ut necessario ante eum è vita decesserit.*

Vita e legiis ex MSS.

AUCTORE G. H.

characteres temporis, quo obiit

deceſſerit. Imo additur ejus tranſitum fuiſſe S. Ambroſio Epiſcopo Mediolanenſi litteris S. Zenobii nuntiatũ, *ergo neceſſario ante annum* CCCXCVII *aut ſequentem, quo S. Ambroſius vitam hanc mortalem exuit, dicendus eſt obiiſſe. Præterea dicitur ad cæleſtem gloriam tranſiiſſe* tempore Honorii & Arcadii Imperatorum, *qui poſt patrem ſuum Theodoſium Magnum, Conſulibus Sexto Anicio Olybrio & Sexto Anicio Probo,* XVII *Ianuarii vita functum imperare cœperunt. His characteribus poſitis, neceſſario dicendus eſſet S. Creſcentius obiiſſe, aut adhuc dicto anno* CCCXCV, *aut aliquo è duobus ſequentibus. Non erat tum iſtorum Sanctorum tempore in uſum introducta Æra Chriſti nati, quam auctor magis ſtudioſus pietatis quam antiquitatum peritus, ſubductis peſſime calculis adhibuit, dicens obiiſſe Creſcentium anno* XXIV *ſupra quadringenteſimum: nam ante iſtum annum deſierant vivere SS. Ambroſius & Zenobius, ipſique Imperatores Arcadius & Honorius.*

male relati ad annos Christi,

memoria in ſacris faſtis:

3 *Interim parachroniſmus iſte tranſcriptus invenitur in MS. Martyrologio, quod laudatus ſupra Strozzius communicavit: iiſdemque verbis continetur in Martyrologio, per Franciſcum de Bonacurſiis Presbyterum edito Florentiæ anno* MCCCCLXXXVI, *quæ ſunt iſta:* Florentiæ, in partibus Tuſciæ, S. Creſcentii, Subdiaconi S. Zenobii ejuſdem urbis Epiſcopi, cujus vita virtute & miraculis claruit, anno CCCCXXIV à S. Zenobio tunc ibi Præſule honorifice in Eccleſia Cathedrali ſepultus, ac litteris S. Ambroſio Mediolanenſi Præſulis nuntiato ejus obitu laudatus. *Hæc ibi, quæ confirmant cultum S. Creſcentii, & probant vitæ elogium, quod damus, ſaltem ſeculo* XV *conſcriptum. Idem extare in bibliotheca Vaticana, ſcimus ex Catalogo aliquo inde tranſmiſſo. Extat apud Surium impreſſa Vita S. Zenobii, à Ioanne Archipresbytero Aretino circa annum* MCCCCXXX *compoſita: in qua de diſcipulis ejus præmemoratis acturus auctor, promittit ſe collecturum* de illorum converſatione & vita, quæ à Simpliciano & aliis ſparſim conſcripta comperit. *Opinari poſſumus Simplicianum iſtum eſſe auctorem, tum hujus elogii de S. Creſcentio, tum aliorum de Sanctis Florentinis potiſſimum Zenobio atque Eugenio, ſimiliter in Lectiones ad uſum chori diſtributorum.*

B

Elogii auctor Simplicianus

4 *Hic vero aut quicumque alii ipſi coævi, unde potuerunt hauſiſſe quæ ſcripſerunt? Utique ex narrationibus Florentini populi per manus traditis haurire & colligere debuerunt omnia. Etenim Laurentius Archiepiſcopus Amalfitanus ſecundus, anno* MXXX *electus, in ea S. Zenobii Vita, quam Florentiæ ſcripſit, quamque ex antiquo codice monaſterii SS. Vincentii & Anaſtaſii ad Aquas-ſalvias Romæ accepit edidítque in Epiſcopis Florentinis Ferdinandus Vghellus, cavet* ne minoris eſſe auctoritatis videantur, quæ à religioſiſſimis, *inquit* viris didicimus, qui veridice aſſerebant, hæc quidem antiquitus fuiſſe deſcripta, ſed incendio quod caſu contigit eſſe conſumpta. *Quod ſi ita actum eſt cum rebus geſtis ipſius magiſtri, quanto minus debemus æſtimare ſervata fuiſſe, ſi quæ extra illius Acta fuerunt ſeorſim ſcripta, de diſcipulis?*

poſt eccleſiæ incendium

C

ex memoria ſeniorum hauſti,

5 *Nunc quæ de S. Creſcentio poſtea concinnaverunt Conſtantinus Ghinius, in Natalibus Sanctorum Canonicorum; & Philippus Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ, hauſta ex Vita S. Zenobii per dictum Ioannem compilata, nihil attinet hic attexere: ſatis ſit dicere, in his aliiſque, dum* Canonicus *vocatur* Creſcentius, & Canonicorum Florentinorum *mentio inducitur, ex ſui, non ex antiqui temporis uſu loqui auctores. Nicolaus Brautius, Epiſcopus Sarſina, in ſuo Poetico Martyrologio, S. Creſcentium hoc diſticho honorat:*

recentiorum encomia,

Crevit in immenſum ſignis Creſcentius altis,
Donec humum corpus, ſpiritus aſtra ſubit.

D

ELOGIUM VITÆ

Ex Breviario Florentino MS.

1 Creſcentius, Florentinus civis, ex honeſtis & Catholicis viris honorabili proſapia traxit originem: quem cum ſui genitores gaudio ineffabili ſuæ juventutis à Deo ſumpſiſſent, ſacri fonte baptiſmatis regenerari fecerunt; & ut de virtutibus in virtutes procederet, Deum exorarunt; & ut ſuæ imprimeretur memoriæ, ut Creſcentius vocaretur, ordinarunt. Annis infantiæ ſub diligenti nutricis cura completis, ſtudio litterarum traditur: in quo brevi tempore mirifice decoratur. Erat enim aſpectu angelicus, converſatione iſti competenti & à vitiis vacuus: voluntati ſuorum genitorum obtemperator aſſiduus, à ſuorum coætaneorum familiaritate omnino extraneus: diſcere ſcientias cupidus, viſitare eccleſiam, audire legem divinam præ cunctis ſolicitus: ab omnibus illis vitiis quibus illud ſolet implicari hominũ genus, omni perfectione ſubtractus.

Catholicis parentibus natus,

pie in litteris educatur:

E

2 Ad notitiam ſancti Præſulis Zenobii, civitatis Florentinæ tunc Epiſcopi, tranſcurrente fama omnium civium ora, pervenit: pro patre ipſius miſit: ipſum popoſcit: ſibi conceſſum benigne ſuſcipit; ut vita & doctrina luceret Chriſti Eccleſiæ, ad poſſe curavit. Adoleſcentiæ ſuæ primordiis, inexpertis, ut reor, incendiis moleſtatus, cœpit arcto jejunio, & aſpero cilicio corpore ſuper nudo, vigiliiſque & orationibus carnem affligere; à Deo inſtructus ne fieret ancilla ſervi Domina, & ſecum egreſſa ex utero munditia laboraret, pergendo vitiorum nequiter per abrupta.

traditur S. Zenobio Ep.

carnem affligit:

3 Quæ dum Præſul Zenobius cerneret, gaudio ſummo repletus, ipſum ad Clericatum promovit, & ſtatuto tempore Cathedralis Eccleſiæ, ſuorum Canonicorũ aſſenſu, Canonicatus & Subdiaconatus eum diademate coronavit. Præfatus igitur adoleſcens ſanctus, conſiderans ſe tam miris vita, ſcientia & morum compoſitione Canonicis ſociatum, ac ſacro Ordini alligatum; cœpit de virtutibus provehi ad virtutes, humili, prudenti, devota & docta converſatione. Statutis temporibus in eccleſia cum aliis Horarum Canonicarum attente & aſſidue reddebat orationes: ad majores, æquales & minores, juxta ſtatum cujuſlibet, obedientiæ, reverentiæ, ac diligentiæ honorabili redditione [ſe exhibebat; cum] tanta cuſtodia in ſuæ puritatis obſervatione, quod numquam ſine digno teſtimonio aliquem ſeu aliquam recipiebat ad ſuam locutionem, notitiam, amicitiam ſeu converſationem: & ubi ſuſpicari poſſet aliquem, cujuſcumque ætatis vel ſtatus, ſuæ fore contrarium honeſtati [eum relinquebat].

fit Clericus, & Subdiaconus:

F

virtutem amat:

ab omnibus ut Angelus habetur:

4 Quem jam Prælati, quem ſubditi ſuæ congregationis, nec non concives omnes in tanta reverentia tenebant, quod communi locutione ipſo abſente ferebant, ipſum fore non hominem, ſed Angelum de cœlo emiſſum, in ipſorum exemplum humanatum: quæ ad Deum maxime eum promovebant, & inter omnes conſocios & alios continue ad humillimam reverentiam, obedientiam, & honorem exhibendam continue ſeu Chriſticolam provocabant.

à S. Ambroſio futurus prædicitur:

5 Cum ex more B. Ambroſius S. Zenobium ſuum cariſſimum Florentiæ viſitaſſet, & ſecum Creſcentium inveniſſet, prima viſione divinitus inſpiratus, quis eſſet & quantus futurus agnovit, S. Zenobio per ordinem dixit, & ſibi eum affectione permaxima copulavit. Ex tunc S. Zenobius, ipſum ſecum ſtare in Epiſcopio aſſidue cum Eugenio Archidia-

A chidiacono suo, summæ sanctitatis viro, fecit; & ut moribus Antistitis Ambrosii, Eugenii, ac suis conformaretur: omni affectione curavit: quod est de eo mirabile, ita eorum mores in omnibus sumpsit, quod in nullo quoad vixit casu aliquo variavit.

Ejus, S. Eugenii & S. Zenobii virtutes imitatur.

6 O virtutibus adornata vere adolescentia, quæ Sanctorum Pontificum Ambrosii, Zenobii, atque Eugenii meruit jungi consortio! Nec immerito. Cernebant enim ejus intellectum ornatum prudentia, voluntatem justitia, in concupiscibili temperantiam, in irascibili constantiam: quibus gradu supremo lucentes, post eos currentem avide assumebant; exemplo Euangelistam Joannem in Apocalypsi assumens, & Archiepiscopum cum ceteris consecratis.

eorum amat consortium:

7 Quodam igitur die, dum cum S. Antistite Ambrosio Mediolani persisteret; & ejus sanctitatis fama hinc inde discurrente, *a* duo dæmonia habentes labore magno ad eum à multitudine deducti essent; ad preces ducentium orationi se dedit, super eos signum Sanctæ Crucis fecit, sanitati pristinæ restituit, & ut redirent ad propria imperavit. Qui jussa complentes, Deo gratias reddiderunt, & quidquid evenerat ubique divulgabant. Quo viso Sanctus Dei, recepta benedictione à sancto Præsule Ambrosio, Florentiam rediit & nulli quod acciderat nuntiavit. Sed B. Ambrosius factum S. Zenobio nuntiavit. Qui gaudio repletus, nihil se scire monstravit, prius quam, cito fama currente, concita tota civitas Florentiæ acclamavit.

a *liberat 2 energumenos signo sanctæ Crucis:* B

8 Adolescens Florentiam dum redisset, & honorem insolitum ob publicationem miraculorum sibi à cunctis fieri conspiceret, consortia omnium fugiebat, abstinentiæ, orationi, jejuniis ultra solitum morem vacabat; & præter victum parvũ & vestitum secundum decentiam sui status, tenere de terra nihil volebat: sed omnia per manus pauperum deferri ad cælestia procurabat. Quadam siquidem vice, cum privatus quidam naturali visu, prætextu languoris ad eum in ecclesia Cathedrali ivisset, & sibi ejus meritis lumẽ reddi multis lacrymis, ejus provolutus genibus, flagitaret; motus pietate genu flexit, & orationi erectis in cælum oculis lacrymando se dedit: signũ Crucis super oculos ipsius fecit, & confestim lumen oculorum gloriose recepit; & ad propria reversus, quod actum fuit omnibus nuntiavit. *b* At vero etsi Dominus tantam fore in eo sanctitatem signis evidentibus demonstraret, ipse tamen humiliter latere affabili conversatione volebat: ostendendo nil scire eorum quæ alii veraciter affirmabant, licet celare non posset propter signa vitæ Apostolicæ, quam verbis & factis assidue observabat.

D *cæcum illuminat* *b*

9 Corpore debilitato exitũ suum imminere prænoscens, sanctum Antistitem Zenobium adiit, & affectione maxima facieq; lætissima per ordinem pandit. Ab eodem sanctæ Matris Ecclesiæ summa devotione omnia Sacramenta recepit, & paucis diebus interpositis, astante ante dicto Præsule Zenobio cunctisque suis consociis una cum Eugenio sancto, in stratulo suo decubans seq; consignans signo Crucis, in cælum visum defixit, & animam suam inter S. Zenobii lacrymantis & orantis cũ adstanti Clero manus emisit, ac cælica penetravit XIII Kal. Maji anno Domini * CCCCXXIV, tempore Honorii & Arcadii Imperatorum. Tunc Præsul S. Zenobius, honore maximo Cleri & totius Florentini populi, conditum aromatibus in Basilica S. Salvatoris, cum devotione tumulavit, suam vitam publice prædicavit, sancto Presuli Ambrosio suis litteris ejus transitum nuntiavit.

munitus ecclesiæ Sacramentis obit. E ** Forte CCCXCVI.* *sepelitur in basilica S. Salvatoris,*

ANNOTATA.

a *Ioannes Aretinus in Vita S. Zenobii*, Plures, à dæmonibus obsessos sua oratione liberavit.

b *Idem*: Paralyticos aliquot diversis temporibus in civitate Florentiæ penitus curavit, & duobus omnino cæcis, pluribus adstantibus, luminis claritatem restituit.

DE S. IOANNE PALÆOLAVRITA,

G. H.

IN EREMO PROPE HIEROSOLYMAM.

F

G *XIX. APR.*

Celebris est XXVIII & XXX Septembris apud Græcos S. Charitonis Confessoris memoria, quem Magistrum vitæ solitariæ in eremo sanctæ civitatis habitum tradunt: utpote qui sub Constantino Magno Imperatore Lauram inceperit, à posteris ob suam antiquitatem veterem cognominatam. Inter illustres hujus Lauræ viros, qui ibidẽ in magna sanctitate floruerunt, fuit S. Ioannes, à loco exercitationis Palæolaurites cognominatus: quem Græci in Typico S. Sabæ celebrant hoc XIX Aprilis: secuti alii in suis Horologiis, & hisce insertis Menologiis, Genebrardus in Kalendario Græcorum, & Molanus in additionibus ad Vsuardum. De eo istud elogium habetur in Menologio, à Cardinale Sirleto collecto: Eodem die XIX Aprilis Dormitio S. Joannis Palæolauritæ, qui desiderio serviendi Deo accensus, relictis hujus vitæ deliciis, Christi cruce suscepta, venerabilia loca adiit, & ad B. Charitonis Lauram profectus, illic certamen vitæ monasticæ susceptum bene & laudabiliter exegit, & in pace quievit. Aliquanto latius ea explicantur in Menæis Græcorum, sed ad XX Aprilis, his verbis: Eodem die sancti Patris nostri Joannis Palæolauritæ. Hic ab incunabulis amore Dei saucius, Deo adhæsit, relictisque mundi voluptatibus & gloria vitæque splendore, relicta patria & domesticis, sublataque Christi cruce, in alienam & ignotam venit provinciam; imitatus Christum, qui in peregrino solo natus, & in peregrinatione vitam peregit. Cumque sacra loca invisisset, in B. Charitonis Laura mansit, & omne virtutum genus præclare exercuit, ac demum ex peregrinis hospitiis, in cælestia, beata, atque æterna tabernacula migravit. Eadem leguntur apud Maximum Episcopum Cytharorum ἐν βίοις ἁγίων, qui in parvo suo Menologio cum aliis retulit ad XIX Aprilis. Distichon in Menæis præfigitur tale, ut nomine Mentium intelligendi sint Angeli.

Cultus sacer 19 Aprilis *& 20 April.*

Νέον τι κέρδος τὸν Παλαιολαυρίτην
Ἰωάννην χαίρουσιν εὑρόντες νόες.

In vetere Laura lucrum reperiens novum
Angelica turba, gaudio exultat novo.

2 Simile elogium legitur in Menologio Basilii Porphyrogeniti Imperatoris, sed forsan ab aliquo inepte postmodum assutum elogio alterius Ioannis, quem S. Gregorio Decapolitæ discipulum fuisse & Constantinopoli circa annum DCCCL mortuum, diximus præcedenti die XVIII Aprilis ex Vita S. Iosephi Hymnographi; qui eidem usque ad obitum in dicta civitate regia convixit, ac sacra corpora SS. Gregorii & Ioannis transtulit ad ecclesiam S. Ioannis Chrysostomi, deinde ad aliam, ubi ipse postmodum vixit. Vitam S. Iosephi illustravimus III Aprilis. Elogium autem in dicto Menologio est ejusmodi. Regionem Joannes adivit peregrinam & incognitã, sicuti Christus inter peregrinos natus & conversatus fuerat. Multos tunc labores perpessus, reliquit sacra loca, in Lauram B. Charitonis ingressus; ac seipsum ibi in pluribus virtutis ac pietatis officiis exercuit: atq; ita cum recte in pace

alius planè à S. Ioanne discipulo S. Gregorii Decapolitæ *relato 18 Aprilis,*

A pace vixisset, ad eum quem semper & sincere dilexerat, pacis Deum emigravit. *Hæc ipsa, sed alterius etiam Ioannis Actis perperam adjuncta; habentur in Novo Anthologio Antonii Arcudii ad XVIII Aprilis, & in MS. Synaxario Parisiensi collegii Claromontani* *& iterum 19 Aprilis.* *ad hunc XIX Aprilis. Quo etiam die Ferrarius in Catalogo Generali celebrat* S. Joannem monachum in Palæstina, *sed in Notis confundit omnia; asserens* in Laura veteri, sub S. Gregorii Decapolitæ disciplina, vitam monasticam professum fuisse: *cum discipulus S. Gregorii Thessalonicæ & Constantinopoli ac vicinis locis vitam peregerit. Paleolauritam Ioannem hoc die exprimunt in habitu monastico Kalendarii Muscovitici tabulæ, Amstelodami visendæ, & in Kalendario Ruthenico apud Possevinum habetur nomen* S. P. Joannes Eurychii, *cujus cognominis causam non assequimur.* D

3 *Tempus quo vixit, & in Laura veteri mortem obiit, nusquam exprimitur. Potuit id contigisse adhuc quarto seculo, post Lauram illam constructam, aut certe sequentibus Christi seculis potius quam nono, quo S. Gregorius Decapolita ejusque discipulus S. Ioannes vixerint: tunc enim monasteria Palæstinæ fere desolata & à Saracenis destructa jacebant, atque adeo longe aberant illa pacifica tempora, qua supra in elogio indicantur. Sic de monachis viginti à Saracenis in Laura S. Sabæ anno* DCCXCVII *occisis egimus* XX *Martii, & hinc inde plura de Palæstinorum cœnobiorum desolatione diximus dicemusque pro re nata.* *tempus vitæ.*

DE S. GEORGIO CONFESSORE

EPISCOPO ANTIOCHIÆ IN PISIDIA.

G. H.

SEC. IX.



Celebravimus *hesterno die* S. Cosmam Episcopum Chalcedonensem, *illustrem Confessorem Christi, qui ob defensionem venerationis imaginum in exilium missus est: huic ad dictum diem S. Georgius, Episcopus Antiochiæ in Pisidia, etiam eadem de causa exilium passus, adjunctus est in antiquo MS. Menologio Basilii Porphyrogeniti Imperatoris cum hoc elogio:* Et memoria S. Georgii Confessoris. Etiam S. Georgius Confessor Christi floruit temporibus iconomachorum. Primum ab ætate puerili Deum amore prosecutus, & monasticam vitam amplexus est, ac propter labores multos & certamina, quæ sustulit, Spiritus sancti templum evasit. Deinde Episcopus Antiochiæ initiatus, recte gregem sibi creditum rexit ac custodivit. Postea vero impio diaboli consilio hæresis iconomachorum excitata est, & omnes Episcopi missis epistolis convocati ab Imperatore fuerunt, ut quam primum Constantinopolim advenirent. Accessit proinde & ipse studens Præpositis obedire secundum S. Pauli præceptum, at jussus abjurare venerationem sacrarum imaginum, noluit id præstare. In exilium mox ablegatus, cum ibidem plures pro orthodoxa fide ærumnas sustinuisset, in pace discessit. *Hæc ibi.*

B *Elogium 18 Aprilis ex Menologio Basilii Imperatoris*

Hebr. 13. 17

2 *Fuisse autem memoratam Antiochiam metropolim Pisidiæ in Asia minore, indicant Menæa Græcorum, in quibus hoc, quod subjungimus, elogium continetur ad diem* XIX *Aprilis, & est hujusmodi:* Eadem die memoria sancti Patris nostri Georgii, Episcopi Pisidiæ & Confessoris. Quo tempore hæresis iconomachorum grassabatur, Sanctus hic, qui à puero fuerat Deo initiatus, propter excellentem virtutem suam Antiochiæ Pisidiæ creatus fuerat Episcopus. Postea vero cum impulsu diaboli pessimi consultoris hæresis iconomachorum esset excitata, & omnes undique Episcopi litteris Imperialibus fuissent repente Constantinopolim evocati; Georgius quoque comparuit: sed cum non posset adduci, ut consentiret hæreticis, & abnegaret venerationem sacrarum imaginum, multis ærumnis conflictatus, in exilium ejicitur, in quo mortuus ad Dominum migravit. *Hactenus Menæa: quæ eadem leguntur in Synaxario Parisiensi Collegii nostri Claromontani* XX *Aprilis. Sirletus hoc compendium extractum in suo Menologio edidit ad* XIX *Aprilis:* Eodem die sancti Patris nostri Georgii Episcopi Pisidiæ Antiochiæ, qui cum illis esset temporibus, quibus pravo instinctu diaboli excitata est hæresis sacras imagines expugnantium, nequaquam persuaderi potuit, ut cum hæreticis conveniret, & Sanctorum imaginum venerationem abnegaret, in exilium missus migravit ad Dominum. *Baronius citato dicto Menologio eum ita celebrat in hodierno Martyrologio Romano:* Antiochiæ Pisidiæ S. Georgii Episcopi, qui ob cultum Sanctarum imaginum exul occubuit.

C *aliud 19 Aprilis ex Menæis,*

Menologio Sirleti,

& Martyrol. Romano.

3 *Iterum ad diem sequentem* XX *Aprilis celebratur ejusdem S. Georgii memoria in antiquo* MS. *Synaxario Græco, Parisiis asservato in Collegio Claromontano Societatis Iesu. Adjungitur elogium, quale jam ex Menæis edidimus. Vbi eidem ex more præmittitur distichon, alludens ad* Georgii *nomen, ab agricultura sumptum; & ad τὸ γεώργιον, quod agriculturæ fructum, messem videlicet ipsam, significat, hoc modo:* *20 Aprilis ex MS. Synaxario,* E

Ὁ Γεώργιος, ὡς γεώργιον μέγα,
Ἔχων ἀπῆλθεν εἶδος ἀρετῆς ἅπαν.
Georgius abit, pro messe copiosa,
Virtutis omne deferens secum genus.

4 *Imperatorem illum, qui Episcopos omnes Constantinopolim accersiit, sibique adversantes exiliis carceribusque multavit, non dubitamus fuisse Leonem Armenium: à quo suscitatam adversus imaginum cultores persecutionem descripsimus* XII *&* XIII *Martii, ad Acta Sanctorum Theophanis Hegumeni & Nicephori Patriarchæ, insignium ea occasione Confessorum. Igitur ad seculum* IX *pertinet hic Sanctus, estque diversissimus ab eo Georgio, quem cognomine Cyprium, una cum S. Germano Patriarcha & Ioanne Damasceno, tamquam jam vita functos, damnavit Pseudo-Synodus, sub Constantino Copronymo coacta anno* DCCLIV, *annis fere* LX *prius quam Leo Imperatorium thronum conscenderet. Idem probari potest ex Nicena* II *Synodi, anno* DCCLXXXVI. *celebratæ, Actis: ubi pro Gregorio Cyprio, cui Pseudo-synodus, ut* S. Germani consentaneo & falsario paternarum doctrinarum, anathema *dixerat, Epiphanius Diaconus hæc in ejus laudem legit:* Et Georgius Patria Cyprius, qui Euangelice vitam instituens, & Christum Deum nostrum, qui dedit nobis normam vitæ suæ, imitans, non contendit, non clamavit; cum malediceretur, non maledicebat; cum pateretur, non comminabatur; percutienti maxillam vertebat & alteram, angarianti se mille passus apponebat & duplum: tulit jugum à juventute sua, bonum arbitratus secundum Prophetam singulariter sedere & silere. *Ex quibus verbis recte colligit Allatius in Diatriba de Georgiis, non modo non fuisse Episcopum qui ibi laudatur, qualis erat quem nunc colimus: sed solum monachum, aut ut summum Hegumenum monachorum: quomodo enim Episcopalem titulum, præ aliis omnibus à Synodo considerandum, laudator Georgii istius omisisset? Erravit igitur Zonaras, qui Constantinopolitanum Patriarcham credidit, eoque erravit magis, quod qui ante Pseudo-synodum Constantinopoli fuere, Georgii Iconomachorum hæresim ætate præcesserint, adeoque damnari ab ea non potuerint, velut qui ipsam verbo scriptove oppugnassent. Ex his porro facile conficitur etiam à Georgio Syncello chronographo, qui sub*

Floruit sæculo 9

diversus à Georgio Cyprio SS. Germani & Damasceni æquali. F

& à Georgio Syncello,

A *sub Tarasio floruit, & Synodo Nicenæ II interfuit, diversum fuisse ipsum de quo agere instituimus: an vero alter ille, Cyprius,* cui perpetuam memoriam *apprecata est Synodus, una cum SS. Germano & Ioanne, quos diximus, aliquem apud Græcos cultum habeat, uti videtur meruisse, non possumus definire, nullo ejus uspiam apparente vestigio.* B

DE SANCTO TRYPHONE

G. H.

PATRIARCHA CONSTANTINOPOLITANO.

POST AN. DCCCCXLV



SVb imperio Basilii Macedonis, filiorum ejus Leonis Sapientis & Alexandri, nepotis Constantini Porphyrogeniti, & hujus filii Romani junioris, ultimi ex Basilii progenie Imperatoris, Sedes Constantinopolitana multos habuit Patriarchas, Sanctitate vitæ eximios, & Cælitibus adscriptos. *Horum primus S. Ignatius anno DCCCLXXVIII, sub imperio Basilii vita functus, & ad diem XXIII Octobris Martyrologio Romano inscriptus. Secundus est S. Stephanus, Basilii Imperatoris filius, qui anno DCCCLXXXVIII mortuus, colitur XVII Maji. Tertius est S. Antonius, cognomento Cauleas, cujus illustria Acta aliqua dedimus XII Februarii, quo ex hac vita migravit anno DCCCXCV; & alia æque lectu digna per Nicephorum Gregoram scripta accepimus postea, servamusque proferenda in Supplemento. Quartus censeri potest Antonii decessor Nicolaus Mysticus, qui sede sua pulsus, & iterum restitutus, vixit usque ad annum DCCCCXXX, & diem XV Maji, quo & vicinis diebus est variis sacris Menæis inscriptus. Quintus est* S. Trypho, *de quo hic agimus: ac sextus S. Polyeuctus, cujus Acta illustravimus ad diem V Februarii.*

Inter varios Patriarchas sanctos istius temporis

B

S. Trypho,

2 *Mortuo memorato Nicolao, ut dictum est, die XV Maji anno DCCCCXXX, subrogatus est mense Augusto Stephanus II, ante Amaseæ Metropolita, cui successit S. Tryphon anno DCCCCXXXIII. Vivebat tum Constantinopoli Leo Grammaticus, qui Theophanis Chronologiam continuavit usque ab obitum præfati Romani Imperatoris, sive annum Christi DCCCCLXIII, & ista de S. Tryphone scripsit:* Mensis Julii die decima octava, Indictione sexta, Stephanus Patriarcha moritur: tum Decembri mense Tryphonem monachum, pietatis & sanctitatis testimonio insignem, ordinant Patriarcham; donec ætatis metam Imperatoris Romani filius Theophylactus, quem Constantinopolis Patriarcham creare statuerant, attigisset. *Pater Theophylacti Romanus Lacapenus, à genero suo Constantino Porphyrogenito in Imperii consortem assumptus, & dein Augustus appellatus, tres filios suos Christophorum, Stephanum & Constantinum ad idem fastigium evexerat: at quartum filium Theophylactum voluit in solium Patriarchale intrudere, sed propter Canones Ecclesiasticos non potuit illud efficere. Electus igitur & ordinatus in legitimum Patriarcham* S. Tryphon, *ut ex infra dicendis constabit; licet Romanus Imperator tantum intenderit, ut Patriarcha foret, dum filius suus Theophylactus legitimam ætatem obtinuisset.*

creatus an. 933,

sanctitatis testimonio publico,

C

3 *Permansit* S. Tryphon *in administratione sui Patriarchatus*, pietatis & sanctitatis testimonio illustris, *usque ad annum DCCCCXLV, quo invitus & nolens vi illata depositus est: qua ita à dicto Leone Grammatico indicantur:* Tryphonem porro Patriarcham, Augusto mense, Indictione tertia, deposuerunt, eoque in proprium monasterium se recipiente, & vita functo, annum unum & menses quinque, nondum matura Theophylacti, Imperatoris Romani filii, ætate, Ecclesia pastore viduata permansit. *Et nonnullis interpositis additur:* Præfatus autem Imperatoris filius Theophylactus, Februarii die Indictione sexta, Patriarcha consecratus est, adstantibus Romani Pontificis Legatis, & tomum Synodalem de ejus ordinatione tractantem proferentibus, eumdemque collocantibus in throno Patriarchali. *Annus is fuit DCCCCXLVIII, quando post violentam depositionem S. Tryphonis elapsi erant anni duo & menses quinque; quod consecratio Theophylacti futura debuerit ante in Synodo aut consistorio Romano, sub Agapeto II, examinari. Verum S. Tryphone interim mortuo, concessa fuit facultas ordinandi Theophylactum; quam Legati Roma missi protulerunt, & ipsum in throno Pontificali collocarunt, & pax Ecclesiæ reddita est. Vis illata ita indicatur apud Cedrenum.*

& paulo post depositionem suam anno 945 factam mortuus,

4 Quæsivit Imperator, quo pacto criminibus intentatis Trypho in judicium vocari, & Ecclesia exturbari posset. Animi dubium, & quo se verteret, non habentem Imperatorem, cernens Theophanes Cæsareæ Episcopus, Chœrinus etiam appellatus, homo nugax, in se recepit conficiendæ rei negotium. Cumque Imperator ejus operam amplecteretur, Tryphonem astu circumveniendum ratus, sic compellat: Multa, Domine, adversum te molitur Imperator, & crimina conquirit, ob quæ te de solio dejicere possit: quantumvis autem magno labore, nihil consequitur. Qui enim insontem criminetur! Vnum proferunt, qui te depositum cupiunt, prorsus te esse litterarum inscium: id vitium si amoliri queamus, utique lupi hiantes fuerint omnes, qui tibi insidiantur. Ergo si me audis, coram toto concilio in munda charta nomen tuum & Pontificatus dignitatem scribe, eamque Imperatori mitte, ut certo cognoscens spem istius criminis irritam esse, desinat ista contra te moliri. Id consilium utile visum. Statim ergo cogitur concilium & Patriarcha tum sic loquitur: Qui me injuste Pontificatu dejicere student, ô divini collegæ, frustra multa moliti, ut probabilem aliquam mei pellendi causam invenirent, extremam hanc excogitarunt calumniam, quod me rudem litterarum dicunt. Proinde jam in conspectu omnium vestrum has exaro litteras, ut videntes sycophantæ, certoque convicti, cessent mihi nullo jure negotium facessere. Hæc locutus chartam puram accepit, & omnibus cernentibus hæc scripsit: Trypho Dei miseratione Archiepiscopus Constantinopolis novæ Romæ, & Patriarcha œcumenicus. Et scriptum hoc per Protothronum ad Imperatorem ferendum dedit. Quod is ubi accepit, superne aliam chartam puram attexens, in ea resignationem perscribit, qua Trypho se tanto munere indignum, cedere solium ei cui vellet profitebatur. Ea resignatione in concilio prolata, Trypho ex Ecclesia abductus est, multis fallaciam deplorans, & Protothronum culpans. *Hæc Cedrenus, quæ si à Leone essent indicata, majorem adhiberemus fidem.*

E *antea dolose persuasus*

ut scribendo publice nomen suum,

probaret quod litteras nosset,

F

cui & aliud attexuisset abdicationis professionem

vi extrusus fuit,

5 *Ceterum ut verum suum Patriarcham agnoverunt Constantinopolitani, & forsan sacrum corpus ad magnam & Patriarchalem Ecclesiam detulerunt asservandum: in qua Ecclesiastico cultu eumdem postmodum fuerunt venerati: quod in magnis Menæis excusis ita testatum reliquerunt:* Eodem die XIX Aprilis Sancti Patris nostri Tryphonis Archiepiscopi Constantinopolitani: cujus celebritas peragitur in sanctissima magna Ecclesia. *Eadem leguntur in Menæis MSS. & apud Maximum Cytharorum Episcopum* ἐν βίοις ἁγίων *& sequenti die XX Aprilis in vetusto Synaxario Parisiensi Collegii Claromontani Societatis Iesu. Ejusdem memoria hoc die etiam extat in Menologio Cardinalis Sirleti, ex quo hodiernum Martyrologium Romanum pene ad singulos dies auctum est; illoque citato Ferrarius eumdem retulit. In Menæis additur hoc distichon:*

& colitur in Ecclesia Patriarchali.

A Θεὸν ποθήσας, ὁ τρυφὴν μισῶν Τρύφων, D
Θεῷ παρέστη τῷ κατοικητηρίῳ.

Alludit hymnographus ad nomen ejus Tryphonis *& τὴν τρυφὴν, quod* delicias, luxum & mollitiem *significat, quod ista odio habuerit, sed Deum sincero affectu quæsiverit, & ideo cum Deo in cælesti habitaculo inter Sanctos lætetur. De mala & scandalosa vita substituti Theophylacti passim agunt Scriptores, & ex illis nonnulla, quæ honestis auribus potuerunt proponi, diximus ad Vitam S. Polyeucti v Februarii § 1. quibus addimus à Leone Grammatico omnia ista summo silentio præteriri: ut vel ideo arbitremur, omnia circa S. Tryphonem, quæ poterant esse contra familiam Romani Lacapeni & personas in ea regias, fuisse alto silentio sepulta.*

Scelera successorum alibi detecta,

DE S. GEROLDO EREMITA,

ET BB. UDALRICO ET CUNONE FILIIS EJUS ORDINIS S. BENEDICTI IN RHETIA.

D.P.

SEC. X.

In sui nominis Præpositura,



Curiensis in Rhetia Diœcesis, & Tyrolensis in Alemannia sive superiori Suevia Comitatus confinia, mons Arula *disterminat, vulgo* der Arlbergh *nuncupatus, estque Rheticarum Alpium, versus Brigantinum lacum procurrentium, pars ultima. Sub hoc monte vitam eremiticam duxit* S. Geroldus, *à cujus nomine etiam nunc ibi superest Ordinis Benedictini Præpositura, accuratissime expressa in Alemanniæ prædictæ Geographica Tabula, per Christophorum Hurterum descripta tom. 3 Atlantis Blaviani; in Geographicis tabulis Helvetiæ, generico dumtaxat nomine* monasterioli, *vulgo* Closterlin, *designata. Procuratur ea Præpositura hodie à sex Religiosis, deductis ex Einzidlensi apud Tigurinos Abbatia, ad cujus proprietatem locus ipse pertinet voluntaria ipsius S. Geroldi cessione, ab eo per cespitis oblationem rite facta, priusquam vitam hanc mortalem finiret in suo illo monasterio; quod etiam filii ejus duo* Udalricus *&* Cuno *incoluerunt, ut eremitæ quoad pater vixit, cœnobiticam postea vitam inter Einzidlenses professi sunt, ac denique apud patrem tumulati, alter in eadem qua pater æde, alter in S. Antonini sacello.* B

Sepultus ipse ac duo filii,

2 *Dies eorum mortualis nec recolitur annue, neque etiam scitur; ut* Beati *tamen passim nominantur, pinguntur, sculpuntur & honorantur: proinde eos collocamus hoc die, quo obiit & annuo cultu honoratur pater: quicum censeri possunt communem venerationem obtinere. Etenim in principali nova ecclesia altari, ubi supremum locum occupat S. Geroldi statua, in habitu Ducali expressa, alam utrimque occupant, ad dexteram* Sanctus Cuno, *ad sinistram* Sanctus Udalricus, *grandibus radiis cincti caput: & utriusque sepulcrum, seu potius sepulcri vestigium, suo utrumque loco ante annos triginta, ab eo qui etiamnum superest Præposito in modum tumbæ elevatum fuit, absque alio corporum aut reliquiarum honore. Eorum nomina non miramur in martyrologiis monasticis Wionis, Meynardi, Bucelini, fuisse prætermissa aut potius ab eorum auctoribus ignorata; quippe qui ne quidem S. Geroldi meminerint, licet is non tantum in sua ecclesia & in monasterio Einzidlensi, sed in tota Curiensi diœcesi Ecclesiastico colatur Officio & quidem sub ritu Duplicis cum Lectionibus propriis. Non fuit ille quidem Regulam Benedictinam professus, ut filii, nihilominus annumerandus erat Ordinis Sanctis propter prædictam loci sui oblationem. Edidit postmodum Bucelinus anno 1666 Chronologiam Rhetiæ sacram & profanam: ubi ad annum 978: proposuit breviter historiam S. Geroldi: & locum* Friesa *dictum, intra quem nobilis Præpositura, de qua agimus, sita est, in Dominio Blumenec collocans, addit,* ibi usque hodie sepulcrum & sacra ossa elevata cerni. *Recognitor Germanici Martyrologii, post Henrici Canisii mortem, Geroldum, nescio qua ex causa, retulit ad XVI Aprilis, cum ejus anniversarium festum apud Curienses & Einzidlenses hac XIX semper actum fuerit. Martyrologium istud secutus est interim Philippus Ferrarius in Catalogo eorum qui non sunt in Romano, his verbis:* Apud Campum ecclesiæ in Rhetia *(Rectius scripsisset* Ecclesiam Campi: *hoc enim sonat nomen proximi oppidi* Fildkerck, *unde paucis milliaribus abest locus)* S. Geroldi, Ducis Saxoniæ & Eremitæ.

hi ut Beati honorantur,

C

ipse colitur ut sanctus officio duplici

3 *Vita historiam primus collegit anno* MCCCCIV *ex traditaper manus narratione, aut antiquioribus & jam deperditis litterarum vel picturarum monumentis, Albertus Bemstatensis, Decanus Einzidlensis monasterii, suoque &* Palatino *sigillo obsignari curavit, reliquitque dicatam Ernesto Electori & fratri ejus Alberto Saxoniæ Ducibus, Thuringiæ Lantgravis & Marchionibus Misniæ. Ita in fine ejusdem Historiæ, à se vel ex Latino in Germanicum versa vel Germanica phrasi recentiori donata, & inter Vitas Sanctorum ac Patronorum Einzidlensium edita, anno* MDCIII, *testatur dicti monasterii Abbas* XXXIX *Augustinus: sub cujus etiam auspiciis anno* MDCX *editi à Christophoro Hartmanno Annales Einzidlenses pag. 88 ejusdem historiæ synopsim continent: sed eadem antea cum Vita S. Mainardi Italice reddita prodierat integre anno* MDCV: *rursum vero anno* MDCXLVIII *ipsam Germanice ac pene verbotenus recudi fecit Henricus Murerus Carthusianus in sua Helvetia sacra. Primus auctor (cujus originariam phrasim, potissimam si Latina ea est, optaremus superesse) ab eo quo scribebat anno* MCCCCIV *ad obitum S. Geroldi ascendens annos collegit circiter quingentos: quem numerum officiorum propriorum Lectiones integro fere seculo imminuunt signantes annum circa quem Sanctus obierit* DCCCCLXXVIII: *quem etiam expressere Hartmannus atque Murerus. Sane Benno Canonicus Argentinensis, sub quo primum cœpit innotescere Eremus, antea S. Mainradi sanguine sanctificata, non ante annum* DCCCCVI *eo advenit, & primus Abbas Eberhardus dumtaxat creatus fuit anno* DCCCCXXXV. *Quamdiu tamen non apparet quo fundamento notatus sit annus iste quem diximus, malumus simpliciter seculo Æræ Christianæ* X *adscribere Geroldi obitum, si forte is accidisset sub Bennonis successore Eberhardo circa annum* DCCCCL.

Vita scripta anno 1404

sæpiusque recusa

E

4 *Quam antiquæ sint Curiensis Breviarii Lectiones nescimus: diu ante seculum quo nunc vivimus compositas vix credimus: ipsas tamen, tamquam totius historiæ substantiam continentes, omissa Germanica relatione, solas damus; quod ex ista amplius dici posset subtus adnotaturi: sunt autem hæ.* Geroldus ex Saxoniæ Ducum stirpe & familia oriundus, ejusque gentis Dux trigesimus octavus, spretis mundi vanitatibus & illecebris, eo loco proposuit vitam agere eremiticã, in quo deductus secum asellus cum sarcina consedisset. Qui cum in vallem Drusianam, usque ad locum Friesa dictum, ad quercum antiquam pervenisset; ibidem suo Domino, quo institutum suũ perficere posset, sub onere quiescens, locum ostẽdit. Quem postea ibi commorantem duo filii, Cuno & Udalricus, summo revisendi patris desiderio ducti, longo post temporis intervallo diu multumque quæsitum, tandem miraculis & vitæ sanctitate celebrem, repererunt; idque magno suo bono. Patris enim exemplo sancto provocati; eamdẽ sibi vivendi rationem indixerunt, ibidemque mundi curis omnibus proscriptis, totos se vigiliis precibusq; mancipãrũt. Quos tres Dei servitio ita simul addictos, Otto Jagbergæ Comes, ex Montfortium Comitum familia, quondã in venatione canum indicio repertos, summe admiratus amicissimeque complexus, in singulari deinceps habuit veneratione. Cujus etiam liberalitate Geroldus monasteriolum ibidem, hodie ex Sancti nomine Præpositura Sancti Geroldi nuncupatum, condidit. Cum autẽ S. Geroldus persensit appro-

F

Lectiones de ipso ex Brev. Curiensi.

A approprinquare sibi vitæ terminum, evulsis aliquot terræ quam incolebat cespitibus & in peram conjectus, comitantibus filiis ad domum Divæ Virginis, vulgo Einzidel, concessit; & ad Altare Deiparæ se, liberos, & fundum de quo cespites erant alportati, sedemque dedit & dicavit: brevique Friesam, unde venerat reversus, ibidem vitam circa annum nongentesimum septuagesimum octavum, decimo tertio Kalendas Maji, terminavit, eodem loco sepultus. Filii postea in eremo, habitu S. Benedicti sumpto, non absque sanctitatis fama mortui, Friesæ uterque, Vdalricus quidem in æde paterna, Cuno vero in sacello Divi Antonii sepultus est.

Dicitur à Saxoniæ Ducibus natus;

5 *Circa has Lectiones primo observo, admodum incertam videri originem è Saxoniæ Ducibus petitam; ac multo magis incertum ejusmodi successionis ordinem, quo Geroldus fuisset Dux gentis Saxonicæ* XXXVIII. *Nulla Saxonum Chronica, scriptores alii nulli hujusmodi Ducem norunt: quidquid autem sit de illius prosapia quæ potest ex antiquis Saxonibus tracta fuisse, non videtur ipse in Saxonia habitavisse, quando se ad Dei famulatum transtulit. Licet enim id dicat primus Vitæ auctor Albertus, aliique post eum; Geroldus tamen, qui asini ductum sequens, ibi decreverat commorari, ubi fessum animal se cum sarcinula reclinasset, non videtur tam longe advenisse: sed potius vicinum habuisse Dominium, & solum diata una distitum à Friesa.* B *In hac vero distantia geographica tabula duplex* Sax *offerunt; alterum versus austrum, humiliori situ ad ripam Lanquarti amnis; alterum in occiduo Rheni latere super excelsam rupem,* Hohen-Sax *propterea cognominatum. Vtrumque crediderim, ut alia similis appellationis plura, nomen suum debere Saxonibus, sub Carolo magno per omnes Imperii provincias sparsis, eoque facilius invalescere potuit popularis traditio, solita Sanctorum titulos gentilitios augere, de S. Geroldi inter Saxones Principatu: quem tenuisse conjectabo in hoc posteriori ad Rhenum, utpote & nunc & olim famosissimo, ipsaque S. Geroldi ætate Dominos à se nominatos habente.*

an quia Saxense Dominium possedit?

6 *Bucelinus in stemmatographia Rhetiæ, exhibet fragmentum genealogicum vetustissimæ familiæ Baronum ab Hohensax, in quo primum locum tenens Fredericus, sub Henrico Aucupe Vngarico bello claruerit anno* DCCCCXXXVI, *unus ex decemviris, ludorum primorum institutoribus: alter Wolfhardus, cum simili titulo Domini, interfuerit ludis secundis Rottenburgi celebratis anno* DCCCCXLII: *qui ambo potuerunt ex filiis S. Geroldi fuisse; inhærendo chronologiæ Alberti Decani, si eum censeamus, pro* CCCCLX *vel* LXX, *numero rotundo scripsisse annos circiter quingentos, qui à S. Geroldi obitu usque ad annum* MCCCCIV *effluxerint. Matthæus Merianus in Topographia Helvetiæ pag. 17 solo liberorum Dominorum titulo utitur, ubi variam castrorum* C *Sax & Forstek fortunam exponit. Infra autem ex Hartmanno nominabimus aliquot Abbates* ex Comitibus Saxi, Mesauci Dominis: *quibus cum is eadem præfigat insignia, quæ suis Baronibus Bucelinus, facit nos credere & Baronum & Comitum communem esse originem: & utrosque à S. Geroldo posse pari conjectandi jure deduci.*

ex eoque descenderunt familia à Sax nominata?

huic castro proximus Iagberga Dominus,

potuit filiis indicasse patrem:

7 *Quod ad Monfortii Comites attinet, ex quibus Friesensis monasterioli fundator genus duxit; nomen ii habebant à castro, medio inter Frisam & lacum Brigantinum itinere, in eodem Arulensium jugorum tractu, prope locum dictum Ranckweiler. Ipsa vero* Jagberga *(unde, per anticipationem tituli, ut existimo, Comes dicitur Otto) eamdem esse dicit Murerus, quæ* Werdenberga *alias nuncupatur: & hoc nomine exprimitur in tabulis ad occiduam Rheni ripam castrum, prædicto castro Sax vicinissimum. Geroldi vetus & familiaris amicus esse potuit Otto iste, si vera est nostra conjectura, eoque propensius eidem favisse, quin & uxori ac filiis Geroldi indicasse quo in loco degeret: & sic nihil mirum erit ex iisdem filiis duos patri se adjunxisse socios; qui si alias in remotiori Saxonia habitassent, haud facile in ejus notitiam venturi fuissent. Eidem Otthoni VVerdenbergæ Domino, socios ad visitandum pie Geroldum adjungit Albertus ex eoque Murerus, Benedictam uxorem ac duos filios: eaque res sic expressa invenitur apud Geroldenses, inter ceteras quæ ecclesiam ipsorum ornant picturas, argumento sumpto ex relatione Alberti, juxta quam in Officio Einzidlensium* VI *Lectio hujusmodi recitatur.*

AUCTORE D. P.

occasione ursi à venatoribus suis reperitur:

6 Cœpit postea ædiculam extruere, in qua adeo sancte & innocenter, tantaque in rerum exteriorum penuria vixit, ut Angelorum frui non solum aspectu sed beneficio etiam meruerit, acceptis ab eis non raro vitæ necessariis. Credidit porro tam illustris lucerna sub modio se latere, sed Ottoni Jagbergæ Comiti insperato illuxit, cum doctus à venatoribus suis fuisset, ursum à canibus agitatum ad sancti viri pedes accurrisse, & solo baculi quo utebatur signo à morsu latratuque canum momento tutum fuisse. Quare accurrens Comes, eum arctissime complexus & magna veneratione prosecutus est, data illi non exigua agri sui portione, ad excitandum hominibus Dei domicilium; quod erexit Geroldus, adjuvante imprimis urso, quo ad convehenda ferendaque ligna & lapides ceu famulo deinceps utebatur. *Hæc autem omnia picturis ut dixi ac statuis expressa sunt, sub annum* MCCCCXC *factis. Earum una, visitationem Angelorum & ministerium representans, olim altare S. Geroldi ornavit: nunc in choro supra majus altare conspicitur, ubi Sanctus depingitur ætate senili; longa atque incana barba, flexis genibus ac manibus complicatis cælum intuens.* E *Sub ea statunculus est, eodem tempore sculptus, sedentis intra cavam quercum; cui accumbit ursus, capite & anterioribus pedibus in viri beati sinum inclinatis. Idem exprimit vitrea quædam fenestra anni* MDXVII, *ubi Geroldus cernitur, sinistra tenens pedem confugientis ad se ursi, dextera vero baculum erigens adversus duos allatrantes catulos.*

qui & miraculis claruit:

9 *Servatur ibidem scyphulus quidam, S. Geroldi dictus, ex quo aiunt Albertus & Murerus febrientibus potum præberi solitum, ipsisque & aliis varie ægrotantibus eo medio sanitatem frequenter redire. Addunt quoque populari sermone circumferri, quod vir beatus solitus fuerit impuros spiritus effugare ab obsessis, surdisque auditum, mutis loquelam, cæcis visum restituere. Quod vero locum suum Einzidlensi obtulerit monasterio, argumentum mihi est nullos ipsum alios vitæ eremiticæ socios habuisse, quam suos illos duos filios; qui mortuo patre illuc sese ad disciplinam regularem tenendam contulere, itaque vixere, ut* Decani alter, alter Thesaurarii *munera meruerint, sicut habent Einzidlensium Lectiones. Cur autem ad illud potius quam ad vicinius Sangallense monasterium se contulit Geroldus? Existimo id factum propter eremiticæ professionis similitudinem, & recentis disciplinæ suavem odorem: nec non ob famam sacelli Mariani, quod anno* DCCCCXLVIII *divinitus fuisse consecratum, cœpit credi propter testimonium S. Conradi Constantiensis Episcopi ad dedicationem faciendam invitati; certoque id confirmarunt copiosa miracula, quibus celeberrimus factus est locus, quæque à Iagbergensi comite aliisque ad se ventitantibus debuit intellexisse Geroldus, siquidem is circa annum* DCCCCL *obiit. Sin vero longius vitam produxit, potuit eadem ipsemet cognovisse adhuc secularis, posito quod in castro Sax vitam egerit (prout nobis omnino verisimile videtur) exindeque prædicto loco pie affectus mansisse, ejusque incrementis voluisse consulere etiam loci sui adjectione, quem post suam ac filiorum mortem deficientibus successoribus desolandum alias poterat formidare.*

& locum cum filiis obtulit monasterio Einzidlensi: F

10 *Abbates Einzidlenses vicissim S. Geroldi locum post ejus mortem habuere carissimum, atque in Præposituram evexere. Fuerunt inter hos ex* Comitibus Saxi, *Rudolphus* III, *in ordine Abbatum* XXXI; *& Geroldus Abbas* XXXIII, *qui suo nomine nos admonet, Geroldi nomen in Saxensium Comitum familia non infrequens fuisse. Hujus successor Conradus* III, *anno Domini* MCCCCXCI *constituit*

AUCTORE D. P. Hujus Abbates nonnulli hic memorandi.

tuit in Eremo curatorem & Vicarium Barnaba ex Comitibus Saxi, ipse ad S. Geroldum concessit, ob venationis commoditates, qua supra sui ordinis dignitatem afficiebatur & exercebatur: ibiq; *ad finem vitæ mansit, zizaniis interim succrescentibus, & Swinglii sequacibus omnia pro arbitrio miscentibus, cum extrema pene loci olim sanctissimi desolatione: usque dum Prælationem obtinuit Ioachimus Abbas* XXXVI, *anno* MDXLIV *electus, qui collapsas Eremi res insigniter resarcivit, &* Præposituram S. Geroldi pene ex fundamentis restituit. *Ioachimo successor datus Adamus, cum universum monasterium anno* MDLXXVII *miserabili incendio combustum vidisset, ruinas quidam illius quadamtenus valuit reparare, sed non potuit resistere Suitiorum potentiæ, contra monachorũ libertatem nimium invalescenti; itaque in S. Geroldi Præposituram secessit, ac denique anno* MDLXXXV *Abbatiam resignavit, reservata sibi sola Præpositura jam dicta: in qua* eodem anno, supra Sancti Fundatoris corpus, curavit extrui elegans ex secto lapide Mausoleũ, quod devotionis causa homines ingredi possent.

præsertim is sub quo facta translatio corporis an. 1663.

II Denique post septem secula *ab obitu B. Geroldi*, corpus ejus à Placido, hujus nominis primo Einzidlensi Abbate, è veteri sepulcro levatum & in Eremum delatum, atq; auro gemmisq; decenter ornatum, anno Gratiæ MDCLXIII, ipso Sancti hujus anniversario die XIX Aprilis, insigni pompa & maximo circumvicini populi accursu, in novam Præposituræ ecclesiam revectum est, *uti dicitur in fine Lectionum pro Einzidlensibus impressarum. Mox autem novis miraculis clarescere cœpit venerabile pignus, quorum duo appensis ibidem tabellis testata, atq; ad nos inde perscripta his verbis sunt.* Erat quidam puer, afflictus maximis doloribus ex ruptura corporis, duos menses natus: nec cibum capere poterat. Tumescẽtibus partibus corporis circa genitalia, & ob doloris magnitudinem denigratis, desperatum erat de ejus salute: sed parentibus facientibus votum, puerulus restitutus est, nec ruptura deinceps apparuit, an. MDCLXIII. Sequenti an. MDCLXIV mulier quædam gravissimos dolores sensit in pedibus, ita ut neq; stare neq; ambulare potuerit: sed facto voto, ad S. Geroldi sepulcrum atq; venerandas reliquias, pristinam sanitatem recuperavit. *Atque hæc sumpta sunt ex instructionibus quas ab ipsis Præpositura Geroldinæ inquilinis petiit acceptiq; hujus nostri operis studiosissimus D. Iosephus Dietrich, monasterii B. Virginis Einsidlensis professus: qui etiam ad nos misit prædicti Abbatis Placidi expressam à morte similitudinem, ex cujus epigraphe didicimus eum obiisse anno* MDCLXX, *regiminis sui* XLI, *ætatis vero* LXXVI, *die* X Julii.

& miracula nonnulla.

DE SANCTO ELPHEGO MARTYRE,

ARCHIEPISCOPO CANTVARIENSI IN ANGLIA.

G. H.

AN. MXII.

Natus anno 954.

Episc. Wintoniensis an. 984, Archiep. Cantuar. an. 1006.

occisus anno 1012.

cultus sacer mox adhibitus.

INter illustres Ecclesiæ Anglicanæ viros eminet S. Elphegus, *sive* Elfeagus. *Hic natus in dicto regno circa ann. Christi* DCCCCLIV, *adolescens habitu monastico assumpto vixit in monasterio Dirhesto. Dein cum aliquamdiu vitam solitariam egisset in Bathanico loco, factus ibidem fundator monasterii, præfuit monachis Abbas. Postmodũ an.* DCCCCLXXXIV, *facta per S. Andream revelatione, consecratus est* XIX *Octobris Episcopus Wintoniensis; ac tandem anno* MVI *Archiepiscopus Cantuariensis. Qua urbe à Danis capta & incensa anno* MXI, *post longam incarcerationem, ab iisdem Danis* XIX *Aprilis anni* MXII, *die Sabbato post solennitatem Paschalem, fuit interemptus. Claruit is in vita & morte multis miraculis, corpus autem primo delatũ est Londinum, & in templo S. Pauli depositum, inde anno* MXXIII *relatum Cantuariam: ubi adhuc anno* MCV *repertum est incorruptum. Aliqua mox de rebus ejus gestis scriptura confecta est, & veneratio Ecclesiastica tamquam de Pontifice Martyre adhibita, & Sanctorum Catalogo traditur inscriptus cum corporis ad Cantuarienses relatione.*

solennior redditus à B. Lanfranco.

2 *B. Lanfrancus, anno* MLXX *ordinatus Archiepiscopus, apud S. Anselmum, tunc adhuc Abbatem in Normannia Beccensem, postea illius in Sede Cantuariensi successorem scrupulum movit utrum rite coleretur ut Martyr. Anselmi resolutionẽ indicat Eadmerus in Vita ejusdem, quam infra* XXI *Aprilis illustramus: hic contenti retulisse, quæ Gervasius in Actis Pontificum Cantuariensium ea de re scripsit.* Anselmo, *inquit*, adscribendum est, quod sancti Martyris Elfegi memoria solenniter celebratur. Cum enim venisset in Angliam, ut sibi commissas visitaret ecclesias, & magistrum suum jam Archiepiscopum videret Lanfrancum; inter alia dilectionis eloquia dixit Lanfrancus, quod Angli quosdam sibi instituissent Sanctos, inter quos & quemdam Elfegum Archiepiscopum, quem Dani occiderunt, eo quod pro redemptione sua homines suos nollet spoliare. Cui cum probabili ratione monstrasset Anselmus, Elfegum, pro justitia passum, verum Dei Martyrem esse; instituit Lanfrancus ipsius memoriam soléniter celebrari. *Plura de ejus martyrio congerit Baronius in Notis ad hunc diem, & nos alibi sæpius diximus, passim omnes Sanctos, qui violenta morte occubuerunt, inter Martyres coli.*

Vita ab Osberno scripta ex Mss. datur.

3 *Tunc jussu Lanfranci historiam vitæ & passionis S. Elphegi diligenti studio conscripsit Osbernus, Ecclesiæ Cantuariensis monachus: qui præfatur se tradere,* quæ de glorioso Christi Martyre Elphego ipse agnovit, *& accepit ab his qui viderunt, aut à videntibus habuerunt, aut certe à senioribus, jam ante* non incommode scripta invenit. *Nos hanc Vitam, hactenus ineditam, damus ex Ms. codice nostro valde antiquo. Extant varia hujus Vitæ compendia, quorum aliquod editum est in Nova Legenda Angliæ, à Ioanne Capgravio Londini anno* MDXVI *excusa; & postmodum recusum à Laurentio Surio ad hunc* XIX *Aprilis, præfixo nomine Osberni, quasi is dicti compendii auctor foret: in eoque Surium Secuti sunt Baronius & recentiores. Habemus Ms. Chronicon universale, compilatum à Theodorico Pauli Gorcomiensi: in quo deducuntur res gestæ Archiepiscoporum Cantuariensium, & inter alios titulos hic præfigitur ejusmodi:* Originalis Legenda S. Elphegi gloriosi Archiepiscopi & Martyris: *vel hinc posset dubitari, num ipsa esset illud scriptum quod Osbernus meminit sibi obtigisse. Potius tamen arbitramur esse Osberni aliquod compendium, à priore diversum, quod in pluribus convenit cum illa S. Elphegi Vita, quam Vincentius Bellovacensis edidit lib. 25 Speculi historialis cap. 1 & septem sequentibus: quæque etiam extat in Ms. Vltrajectino S. Salvatoris, Bodecensi Canonicorum Regularium in Westphalia, & variis aliis.*

ejus Compendium apud Capgravium & Surium: aliud in Mss. & apud Bellovacensem.

S. Elphegum celebrant antiqui scriptores Angli.

4 *Magnifica S. Elphego testimonia præbent antiqui rerum Anglicanarum Scriptores. Ex his sequenti post obitum S. Elphegi seculo floruerunt Florentius Wigorniensis, Willelmus Malmesburiensis, Simeon Dunelmensis, Henricus Huntindoniensis, Rogerius de Hoveden, Radulphus de Diceto, Ioannes Bromton, Gervasius Dorovernensis: qui ultimi vixerunt sub finem dicti seculi, sive circa annum ducentesimum supra millesimum. Iuniores sunt Matthæus Westmonasteriensis & Ranulphus Cistrensis, cujus Chronicon hactenus ineditum habemus: & hi scripserunt seculo* XIV *sive post annum* MCCC. *Seculo dein sequente auctor Chronologiæ Augustinensis, in qua Episcopi Cantuarienses recensentur. Hi omnes, res gestas S. Elphegi, ejusque generosum martyrium ac venerationem sanctam recolunt, & sua ex Actis ab Osberno descriptis mutuati sunt, ejusque sæpe verba referunt, maxime Bromton & Gervasius. At Malmesburiensis, lib. 1 de Gestis Pontificum Anglorum, indicat expresse,* vitam S. Elphegi,

A gi plenam virtutibus & miraculis, ab Osberno scriptam, *& lib. 2 plurima inde transcribit. Ipsis autem Anglis fides potius adhibenda, quam externis qui magis aberrarunt, secuti antiquiorem ætate Dithmarum Episcopum Merseburgensem. Hic enim ex relatu cujusdam Sewaldi multa immiscet à veritate aliena, quæ apud ipsum videri possunt, aut certe refutata apud Michaëlem Alfordum in Annalibus Ecclesiæ Anglicanæ ad annum 1012 num. 7. Magis sincerum elogium confecit Petrus de Natalibus lib. 2 Catalogi cap. 8 transcribens fere Bellovacensem. Sed de suo sub finem, non absque magno errore, adjecit ista:* Passus est v Kalendas Januarii, die videlicet præcedente festum Thomæ Martyris, ejus in Pontificatu eodem & martyrio successoris. *Petrum secuti & alii sunt, videlicet Wiffordus, Maurolycus, Felicius, Wion, Grevenus & Ferrarius; qui conjectat diem à Petro notatum esse diem translationis, & hæc asseritur in Martyrologio Anglicano; indicaturq; illam esse corporis Cantuariam relati memoriam. Verum quia hæc solebat olim recoli XII Martii, ut infra habetur, arbitramur in dicto Martyrologio eam translationem ex mera auctoris conjectura insertam esse.*

aberrat Dithmarus, & in die obitus Petrus de Natalibus,

5 *Celebris imprimis est memoria S. Elphegi ad diem XIX Aprilis in Breviario Sarum, ubi hæc præscribitur Oratio.* Deus qui Beatum Alphegum, Confessorem tuum, Sacerdotii dignitate & palma martyrii decorasti; concede propitius, ita nos apud te ejus intercessionibus adjuvari, ut cũ eo possimus in æterna felicitate lætari. *Eadem Oratio habetur in antiquo membraneo Missali Ecclesiæ Anglicanæ: in quo, in Orationibus secreta & post Communionem, appellatur* Martyr atque Pontifex. *In Ms. Martyrologio Vltrajectino Ecclesiæ S. Mariæ, passim Sancti Anglicani notantur & ista ad hunc diem referuntur:* In Cantia passio S. Elfegi, Archiepiscopi & Martyris, qui à paganis captus & necatus, in Lundonia sepultus est. *Similis fere S. Elphegi cultus viget in Dolensi apud Britannos Armoricos ecclesia, uti apparet ex Breviario ad illius usum excuso sub annum MDXIX. Ejusdem nomen inscriptum est Ms. Martyrologio Trevirensi S. Martini, Ms. Florario Sanctorum, item apud Grevenum & Molanum in Additionibus ad Vsuardum, & apud Witfordum, Canisium, Galesinium & alios, cumque iis omnibus in hodierno Martyrologio Romano his verbis:* Cantuariæ in Anglia, S. Elphegi, Episcopi & Martyris. *Constantinus Ghinius eumdem proponit in Natalibus Sanctorum Canonicorum; Wion vero, Dorganius, Menardus, Bucelinus, & Edouardus Maihew eum adscribunt ordini Benedictino, secuti Trithemium, qui eum refert lib. 3 de Viris illustribus Ordinis S. Benedicti cap. 237 & lib. 4 cap. 113, asserens* monachum & Abbatem fuisse monasterii in Anglia, quod Balneum dicitur. *Nobis etiam magis verisimile videtur eum ordinis S. Benedicti fuisse propter alias dicenda circa antiquitatem Regulæ Benedictinæ in Anglia, haud paulo efficacius nobis quam antehac probatam ex nuper edito Bedæ opusculo de Vita & gestis Abbatum suorum. Osbernus num. 4 ait,* ad informandos pietatis studio monachos, talem se tantumque virum sanctum proposuisse, ut nulla qua instruerentur lectione opus esset; sed omnes in vita legerent, quid quisque vitare quidve imitari deberent.

sacra memoria 19 Aprilis,

B

C

6 *Inter reliquias, quæ olim in monasterio Glastoniensi asservabantur indicatur in Monastico Anglicano pag. 6 fuisse* os unum S. Alphegi, Archiepiscopi Cantuariensis & Martyris.

& Glastoniæ,

VITA

Auctore Osberno, Ecclesiæ Cantuariensis monacho.

Ex Ms. codice S. Mariæ Bonifontis.

PROLOGUS.

D

1 OMnibus in fide Christi manentibus, indignus sanctæ Cantuariensis Ecclesiæ metropolitanæ filius Osbernus: gratia vobis & pax à Deo Patre nostro, & Domino nostro Jesu Christo, & amborum Spiritu sancto. Si cælestis sententia gravem in illum sanxit vindictam, qui acceptam pecuniam sudario reponere, quam mensæ nummulariorum maluit apponere; nequaquam mihi succensendum esse existimo, si hujus sententiæ periculum devitans, ea quæ de glorioso Christi Martyre Elphego ipse agnovi, aliis quoque agnoscenda proponam. Erit autem divinæ providentiæ, & me veraciter dicentem, & illos salubriter audientes, ita retributionis suæ beneficio donare; ut neque me laboriosæ aliquantulum narrationis neque illos usurariæ pœniteat operationis. Illud quoque non mediocriter ad dicendum me invitat, quod eos plerumque torporis accusamus; qui res quas suis quidem temporibus ad honorem Altissimi factas noverunt, dictitandi officio ad sequentes transmittere noluerunt. Quorum nos desidiam aut certe vituperare non debemus, aut ipsi ea quæ memoratu digna scire potuimus efferre, ne quia in repræcedentes improbamus, in ea à subsequentibus multo maxime improbandi videamur. Sane veritatem rerum ita polliceor, ut nulla me, sublato si quis infuerit splendore verborum, dicturum profitear, quæ non ab his qui viderunt, aut à videntibus audierunt acceperim; & eis fide simul & auctoritate plurimum præstantibus. Quorum quidem vocabula idcirco sponte refugio; quoniam dicendi primitias barbaricis appellationibus decolorare nolo. Aliqua tamen de his rebus non incommode scripta inveni: quorum sententias exinde assumptas, præsenti scripturæ congruo ordine inserenda judicavi. Illius itaque freti auxilio, cujus gratuita bonitate sumus quidquid bene sumus; cujus largiflua miseratione sapimus quidquid bene sapimus; tangamus psalterium, tangamus & citharam: ut in altero sempiternam Martyris gloriam exultando prædicemus, in altero corporales ejus passiones imitando veneremur. Ac quemadmodum præcipiente invictissimo totius latinitatis magistro à Lanfranco Archiepiscopo, musica virum modulatione dudum extulimus: sic cogentibus his quas diximus rationum causis, oratoria eumdem narratione extollamus.

Auctor scribit quæ agnovit, E suis temporibus factis, aut accepta ab iis qui viderant vel à videntibus habuerant; & scripto commendarant, F in cujus laudem musica quadam fecerat, incitante B. Lanfranco. a

ANNOTATA

a *Eadmerus lib. 1 Vita S. Anselmi 21 Aprilis, de B. Lanfranco ista scribit:* Historiam vitæ & passionis B. Elphegi diligenti studio fieri præcepit. Quam quidem historiam non solum plano dictamine ad legendum, verum etiam musico modulamine ad canendum, à jucundæ memoriæ Osberno Cantuariensis Ecclesiæ monacho ad præceptum illius nobiliter editam, ipse sua prudentia pro amore illius Martyris celsius insignivit, insignitam auctorizavit, auctorizatam in ecclesia Dei legi cantarique instituit: nomenque Martyris hac in parte non parum glorificavit. *Præfuit B. Lanfrancus Ecclesiæ Cantuariensi ab anno 1070 ad 1089: &, ut ex contextu Vitæ S. Anselmi*

AUCTORE OSBERNO

selmi constat, sub initium Archiepiscopatus hic simul colloquium de martyrio S. Elphegi habuerunt: adeoque non diu post procuravit Lanfrancus, ut hæc Vita conscriberetur. Vitam aliunde etiam prodeant, quæ musicè scripta fuisse ex his constat; facerent enim ad servandam memoriam celebritatis antiquæ, quam aliquando restaurandam speramus, pace Anglicana Ecclesia reddita.

CAPUT I.

Ortus, institutio, vita monastica.

a Splendidis natalibus exortus,

2 PRincipium nascendi splendidissimis *a* natalibus trahens Elphegus, magna prudentia & summa humilitate vitam instituit. Cujus animi ingenium simulque innocentiam vitæ parentes admirati, & quasi, quæ per illum Divinitas erat operatura, futurorum præsagi; litterali eum scientia & Christianæ religionis sapientia imbuendum tradiderunt. Quorum utrumque cum vehementer adolescens amplexatus fuisset; tum hoc quidem vehementissime quod Christum sibi ostenderet, quod amorem vitæ æternæ in se excitaret. Lectis ergo & perlectis, quæ saluti videbantur sufficientia, totum philosophiæ studium convertit ad diligendum Deum; illum semper nosse, illi parere, illius jugo mancipari desiderans. Sed veritus, ne pio desiderio maternus obviaret affectus (nam pie & unice à matre diligebatur) orabat sedulo Dominum, ut voluntas ejus in se fieret, & omne quod in conspectu illius gratissimum foret, aut per occultam inspirationem aut manifestam revelationem edoceret: pollicens se non patris, non matris, non omnium parentum instinctu omissurum, quidquid Divina bonitas indicaret agendum.

studia cum virtute amplectitur:

B

3 Tactus itaque majestatis spiritu, paternæ hæreditatis negligens, maternum dolorem obliviscens, deserit mundum, intrat monasterium cui *b* Dirhestæ vocabulum, religionis habitum induit, cum habitu vitam componit. Et quamvis idem locus raro incoleretur habitatore, eos tamen qui ibidem degebant virtus probatissimos reddebat: dum omne quod animos eorum illicere posset vivaci instantia respuerent, atque ad tolerandum singuli se præpararent. Horum igitur humili severitate & severa humilitate, supra quam dici potest, adolescens animatus, cœpit privata desideria ac solitarias voluntates abigere: cunctorum famulatui subjacere: atque (ut cum vulgo loquar) omnium se instrumentum facere: Deum ferventi spiritu infatigabiliter diligere; atque, ut amplissimum ejus dilectioni in se locum exhiberet, multa hanc jejunii & vigiliarum assiduitate comparare: alterius incommodo commodum sibi non facere, imo suo incommodo alienam magnopere commoditatem quærere: atque, ut sit ad summam dicere, quibuscumque potuit profuit: quibus autem non potuit prodesse, statuit non obesse.

b monasterium Dirhestense ingreditur:

C

proficit in amore Dei, & aliis prodesse studet:

4 Superatis autem aliquot annis, in plurima religione transactis, cum videret tempus adolescentiæ præterire, parumque reputaret, quidquid laborum propter Deum sustinuisset; arctioris vitæ semitam arripere, & singulare cum maligno hoste certamen inire contendit. Egressus itaque de monasterio, iturus quocumque illum divina gratia deducere vellet; pervenit ad locum, qui lingua Anglorum *c* Bathan, latina vere Balneum vocatur: propterea quod calida aqua ibidem emergens, balneorum usum pro voluntate utentium præstet. Quo ille perveniens, habitaculum struit; structo sese includit; inclusum rigore incredibili constringit. Nec mora, confluunt ad eum nobiles quique, suarum vulnera animarum detegentes, & cæleste ab eo consilium perquirentes. Qui postquam ea, quæ fama

in Bathan solitarius vivit:

D

vulgante acceperant, recognovissent; magnis eum beneficiorum donariis honorant, quibus tam se quam omnes sibi adhærentes ab injuria famis & frigoris protegere posset. Alii, seculari ambitione deposita, cingulum solvunt, atque sub ejus disciplina, vitam simul & habitum mutaturi, accedunt. Unde factum est, ut non parva monachorum turba brevi ibidem congregaretur: quæ ferina consuetudine propulsa, mansuetissimis rationibus animum tuebatur: eamdem vitæ sinceritatem ubiq; prætendens; eamdem morum rectitudinem per omnia servans. Ad quos pietatis studio informandos, talem se tantumq; vir sanctus proponit, ut nulla qua instruerentur lectione opus esset, sed omnes in ejus vita legerent, quid quisque vitare, quidve imitari deberet.

accipit ad se confugientem turbam monachorum;

5 Culpabat non modicum, qui secularem habitum mutarent, vitam non mutarent. Si enim inquit, hi qui quomodolibet mentiuntur, divino judicio improbantur, dicente scriptura, Os quod mentitur occidit animam; quid de eis fiet, qui calculum veri numquam tenent, sed omni tempore, omnium oculis speciem obtendunt falsitatis? An non mendacii plenus sibi videtur, qui quod non est esse se ostentat: cum aliud simulat in veste, aliud gestat in corde? Neq; enim solum motu labiorum falsitas operatur, sed & ostensione signorum. Quapropter hinc colligere sensatus debet, in die perditionis impiorum quantus dolor, quanta eos confusio comitabitur; quos nunc omnium vox justos appellat, tunc autem in oculis totius creaturæ ultionis æternæ sententia premet. Homo scit, crede mihi (nam hic jurandi mos erat viro) satius est vestem non mutare, quam sub veste vitam negligere. Et licet hæc pessimum quempiam, ac suæ professionis vel ignarum aut negligentem respicerent; eos tamen præcipue, qui propter inopiam aut arctiorem disciplinam proprias ecclesias deserentes, & in Anglicam terram venientes, bonarum rerum vacui & miseriarum pleni, huc illucque incertis sedibus vagabantur. Ubi autem amplissima mansione perfecta, sobrietatis legem discipulis indixisset, atque ut carnales appetitus rationis fræno moderarentur edocuisset; ipse in angustissimam sese domunculam tulit, delegato qui eis victualia ferret idoneo Præposito. Summorum tamen negotiorum causæ, ad illum referebantur.

inculcat ut dignam habitu vitam ducant: Sap. 1, 11

E

inclusus degit

6 At quoniam sine admixtione malorum vix vivitur in concione bonorum; donec dies illucescat, & quis igni, quis autem horreo aptus sit elucescat; plerique discipulorum, ejus monita parvi facientes, fidei & professionis immemores, seculi vias iterare disponunt, & quo dispositum opportunius expleant, meditantur. Nihili igitur communem vitam habentes, mediis noctibus furtivos cibos edere, ebrietati operam dare, lascivire, & prorsus quæ inhonesta forent, quantum latens audacia sinebat, operari: nam in scientia Patris ausum acciperet nemo. Sed ira Omnipotentis, propter virum quem illuserant, nolens illos impune transire; eum qui in scelere capitalis erat, horrendo subitoque judicio exanimavit, involit, occidit. Nocte vero, quæ sepulturæ illius successerat diem, Elphego sacras de more excubias celebrante, & suave Domino sacrificium semet offerente, contigit validas infra ambitum monasterii voces audiri; voces quasi vim inferentium aut quasi illatam sustinentium. Ratus autem vir Dei, aut sacrilegos in sacro deprehensos, aut invidia dæmonum Fratres incommodi quippiam dormiendo perpessos, propere surgens, concitato gradu ad monasterium tendit. Cumque pro foribus aulæ, in qua vesci consueverat, transitum fecisset, auditus clamor clarior insonuit. Sistit itaque gradum Sanctus, attonitis auribus sonum captat, verba

F

inter immorigeros monachos,

aliquem subito extinctum,

excitato de nocte tumultu,

A *reperit à dæmonibus misere laniari, & dein auferri;* captat, verba discernit, dehinc domum irrumpit. Et ecce is qui nuper obierat, misere afflictus solo jacebat: super quem horridi aspectus & sordidissimi amictus homines stabant, qui taureis eum atq; ignitis serpentibus flagellabant. Ejulante quidem illo ac præ doloris angustia diros ululatus emittente; hi quos tortores patiebatur, talia illi improperando jactitant: Nec tu Deo, nec nos tibi. Atque eadem sepius repetentes, captivum extrahunt loco.

7 Tum Sanctus animo deficiens, & totum se in lacrymas effundens, complosis manibus recessit, sicque recedens dixit: O infelicem horam, qua nos nativitas perduxit in lucem! Quanto felicius pecora essemus, quoniam talium exactorum tyrannidi post mortem non traderemur. Pecus namq; dum moritur, cum vita perdit pœnam: hominis dum vivit, continuus est labor; dum moritur, si male moritur, æternus dolor. Dixit: & quod reliquũ noctis erat, flens ac mœrens insomne duxit. *noctem flendo peragit:* Jamq; sidera solaris splendor fugaverat, cum Sanctus insimul discipulos compelleret, dicturus quæ manifestante Domino ipse vidisset. Postquam itaq; res in commune audita est, videres alios pallorẽ faciebus induere, alios flere, quosdam formidine victos veluti insanire, omnes vero trepidare. At hi quos mortui scelus sodales habuerat, dum vident secretorũ nihil Patrem latere, medii prosiliunt, errorem fatentur, prava gesta postulant ulcisci, ne divinæ ultioni remaneant obnoxii. Requisiti, autem ubi loci conveniendi & convivandi usum habuissent; eum illi designant locum, quo defuncti animam spiritus nequam cruciaverant. Sic pius Deus, propter optima viri merita, dum unius scelus voluit latere, omnium mala noluit detegere; & dum uni noluit parcere, omnium morbos voluit sanare.

B *indicat visa aliis monachis, & immorigeros emendat.*

ANNOTATA

a *Natus est anno* 954, *ut qui anno* 1006 *expleverat annos* 52. *Locus natalis nusquam indicatur.*

b Dirhestæ, *aliis etiam* Derherst, Dierherste, Diherst, Derhorst, Deorhirste, Deorhyrste, *addit Malmesburiensis* exiguum nomen, nunc inane antiquitatis simulacrum. *Hujus loco nominatur* Glasconiæ Prior *in Antiquitatibus Britannicis, à nescio quo fabulatore consarcinatis, & Londini anno* 1572 *excusis: quas recentiores nonnulli describunt.*

c Bathan, *aliis etiam* Bathonia, *& ipse* Bathonicus & Bathoniensis Abbas *appellatur, etiam in Mss. & apud Tritthemium Latine solum nuncupatur* Balneum. *Fuit celebre monasterium Bathoniense in agro Sumersetensi, seculo* 7 *pro sanctimonialibus erectum, quod dein Canonicis traditum, ubi avo Edgari Regis monachi erant. Sed in eodem agro Sumersetensi sunt alia loca* Bathford, Badtweck, *&* Bathcombe, *uti etiam alibi; ut videatur aliquis similis locus electus, forsan à Danis eversus. VVestmonasteriensis tradit monasterium in civitate Bathonia à Rege Ethelredo donatum. Verum diu ante ejus regnum, cum* tempus adolescentiæ præteriisset, *ipsemet* habitaculum struxit. C

CAPUT II.

Episcopatus Wintoniensis. Virtutes exercitæ.

a b *S. Ethelwoldo Episcopo Wintoniensi mortuo,* 8 Interea felicis memoriæ a Ethelwoldo, Wentano Episcopo, ex hac luce subtracto, atque ad cælestia regna translato, quis relictam Ecclesiam digne regendam susciperet, magnum certamen fuit: aliis aliud hinc inde volentibus, nullis autem ad effectum suæ voluntatis pervenire valentibus. Siquidem Clerici ejusdem Ecclesiæ, sceleratissimam vitam agentes, contra Canonum statuta per omnia viventes, cum à præfato Antistite sæpius correpti pravos mores corrigere nollent, imo quæ prava gesserant pertinaci spiritu defendere vellent; regali sanctione decretum fuerat eos extrudi, & alios qui digniores essent eorum vice fungi debere. Itaque c Clericis in exterminium datis, timentes Dominum Monachi admittuntur: ex quo factum est ut in electione Sacerdotis, Clerici Clericum, Monachi Monachum, utrique suæ voluntatis fautorem, utrique suæ professionis auctorem vellent. Qualiter autem hujus contentionis lis, non humano ingenio, sed divinitatis consilio finem acceperit, postea clarebit.

AUCTORE OSBERNO *& in locum Clericorum substitutis monachis,* c *litem de Episcopo eligendo obortã*

9 Eo tempore Dunstanus, sanctæ Cantuariensis Ecclesiæ Archiepiscopus, universis urbibus in Anglica regione constitutis, nec non & aliis regionibus Anglorum regno suppositis Primas præsidebat; vir quidem per omnia justus, & ultra humanam æstimationem divini amoris igne succensus; quem ante sanctificatum quam genitum, sic omnipotentis gratia provexerat atque protexerat, ut omnem ætatẽ absque notabili reprehensione transigeret, ipsisq; Regibus ac tyrannis, tũ animi virtute, tum sanctitatis auctoritate, potenter imperaret. Non erat is homo, quẽ potestas deterreret, quem favor illiceret; sed in quocumq; hominum, in quocumq; nobilium divinas injurias conspicaretur, mox in illum sine dilatione acrius vindicaret. Nemo eum à vero & justo unquam detorquere potuit, nemo eum personam alicujus in judicio accepisse vidit: sed omnibus æquabili jure servato, nec pauperi, ut fere fit, propter inopiã contrarius fuit; nec divitem, ut solent, propter substantiam palpavit. Ita terribilis, quidem malis, venerabilis omnibus apparuit bonis. In dandis vero consiliis tãta inerat efficacia viro, ut omniũ statuta prudẽter dijudicaret, quodque ab illo judicatum fuisset, à nemine postmodum corrigi posset. Testantur ejus consilia & sapientiam bella suo tempore restincta, pax confirmata, largitas divinæ benedictionis, quæ tantam rerum copiam mortalibus effudit, quantam eatenus nemo veteranus vidit. Quis etenim optimas leges sanxit, nisi ille? Quis justas adinvenit mensuras, nisi ille? Quis postremo plenam Ecclesiis Anglorum auctoritatem contulit, nisi ille? Aut quando impius & sceleratus cum illo vivere potuisset, qui nec ipsos bonos præter disciplinam sivisset? Ad hæc cum mundicia vitæ facundia concordabat linguæ; ut si abstinentis vitam vidisses, & euangelizantis verba ipsius audisses, quid in homine potissimum mirareris, omnino nescisses: ita ille utriusque rei gratia præditus, nec alios docuit & ipse facere neglexit, nec ipse fecit & alios docere nescivit.

dissolvit S. Dunstanus vir sanctus, E F

10 Hic itaque felix, comperto quod præfatus Antistes occubuisset, quodq; de eligendo Sacerdote non parva partium dissensio facta fuisset; metuens ne sub tali scandalo plurimarum fieret animarum destructio, ad orationis munus animum intendit; Deum cui futurorum sciẽtia patet, supplicans, quatenus ea pietate qua cetera dignaretur ostẽdere, quis regendæ Ecclesiæ idoneus deberet Pastor succedere. Cumq; illi litẽ, Dunstanus multiplicaret precem; ecce divini nuntii bajulus adest Andreas Apostolus, tali oraculo usus: Quid, inquit, carissime, cõtristaris? Quid tam lugubres questus lacrymando effaris? Surge ergo, & Elphego Abbati manum impone, eumque sacra unctione perfusum, desolatæ Ecclesiæ Sacerdotem constitue: nec te aliquorum potentia prohibeat; quoniam à non quoquam homine, sed ab omnipotentis Dei ore hæc de illo sententia processit. Ac ne de persona tecum loquentis ambiguum te reddam, Andream me, Filii Dei Apostolum, tuæque salutis dignissimum esse custodem, noveris. Sic dixit, & suam sic dicendo præsentiam subtraxit. Pontifex ergo lætissimus tali oraculo effectus, quæ ex Apostolica relatio-

post orationem à S. Andrea apparente intelligit S. Elphegum futurum,

AUCTORE OSBERNO

relatione acceperat, Palatinis auribus exponit: facit intentos auditores, monet ut partium desinant esse fautores.

Is eligitur cum gaudio Regis,

11 Facto itaque conventu omnes transiere in sententiam, clamantes id se velle quod Deus vellet, quodque Dei Pontifex deliberaret. At Regem *d* Ethelredum non modica duabus de rebus lætitia obtinuit, vel quia talem in regno monachum haberet, qui divino fultus testimonio ad Pontificium posset promoveri; vel quod tanti meriti Pontifex repertus fuisset, qui pro illo promovendo dignus esset exaudiri. Mox accitis Sacerdotibus, qui sacrandi Pontificis studio Cantuariam confluxerant, apprehensum Patrem Elphegum dextra lævaque pertrahunt ad ecclesiam, & causas electionis ejus, turbis astantibus manifestant. Oritur ingens clamor populi, immensis laudibus quæ illi ostensa sunt magnalia Dei prosequentis. Vivat, clamitant Episcopi, annis innumeris, vivat Deo gratus, vivat hominibus carus. Et sedato tumultu, quæ Præsulis sunt, *e* Elphego Præsules impendunt. Deinde propriam disponit invisere sedem. Quo accepto, populi Wentani longe remoti, omnes ac si divino magisterio edocti, omnes ac si uno spiritu adducti, obviam prosiliunt, Benedictus qui venit, acclamantes. Æstimabant namque felices se futuros, si quem tantis hominum studiis exquisitum, tam ingenti miraculo ostensum acceperant; eum suæ vitæ Doctorem mererentur habere simul & tutorem. Neq; enim eos opinio fefellit: nam ex quo idem Beatus adeptæ dignitatis thronum ascendit, tam strenue, tam efficaciter se in cunctis agebat, ut nemo dubitaret quin is cordi ejus moderator sederet, cujus ante fuerat electione promotus. Quocirca ubique metus, ubiq; reverentia, nusquam pauperum oppressiones, iniquæ divitum exactiones nusquam: magis autem qui in facienda ejus voluntate promptior fuisset, is felix & sibi & omnibus prædicabatur. Unde populus ab injuria liber, audiendo verbum Dei libere vacabat.

consecratur, — *cum lætitia & reverentia excipitur à Wintoniensibus,* — B

12 Crescebat indies virtus in viro, de virtute fama, de fama populorum frequentia. Exultant itaque rerum ecclesiasticarum provisores; propterea quod talem illis socium divinitus datum conspicerent; cujus nec scientia bene agendi voluntatem refugeret, nec voluntas scientiæ inopiam accusaret. Lætantur illustres heroum catervæ, quoniam quem in subveniendo sciebant humanissimum, eum regiæ potestati viderent amicissimum. At Elphegus omnium se moribus condonavit, ut & omnibus carus esset, & nemo (quod rarum inter homines est) ejus gloriæ invideret. Cumque omnia in illo esset invenire, quæ virum bonum & sanctum decerent; hoc tamen in illo præcipuam populis admirationem præbebat, quod cum in omnes summæ fuerit misericordiæ ac beneficentiæ, in se impius atque crudelis apparebat. Ut enim ad nostram perlatum est conscientiam ab his qui secretorum illius scientissimi fuerunt, hiberno tempore, cum tota terra glaciali frigore concreta rigeret, & profundus omnes homines somnus occuparet; ipse clam de strato surgere, atq; extrarium locum petere consuevit. Ibi nudus pedes, simplicem vestem indutus, tam diu orando stetit, quousq; minores stellæ sol oriens fugaret, & ipse veri solis præsentiam adesse intelligeret. *f* Zetam vero cum veluti pransurus intraret, tam vacuus fere à mensa surrexit, quam vacuus ad mensam accessit: ita ut nec edisse nec non edisse à consedentibus redargui potuisset. Unde corpus illius tanta attenuatum est macie, ut tempore sancti Sacrificii, cum manus ecclesiastico more tensas in altum porrigeret, per medias palmarum juncturas claritas aëris perspici posset, si forte præ se fenestram haberet, quam solaris radius clare perfunderet.

C — *aliis benevolus,* — *sibi durus,* — *noctes in frigore peragit orans,* — *f* *nimia abstinentia maciem contrahit;*

D

Quæ res nonnullis nonnullo spectaculo fuit.

misericors erga pauperes,

12 Jam vero quanta misericordiæ ac munificentiæ in illo virtus claruit, puto quod nec humanus animus valeat conjicere, nedum lingua explicare. Omni etenim generi hominum suum scivit contemperare sermonem & animum. Verum ad hoc utcumque edocendum satis erit signi, quod neq; parochialiū quempiam publice unquam mendicitati servire siverit, neq; alterius loci pauperem vacuum abire permiserit: immanè horrendumq; nefas reputans, si quod natura cōmune instituit, hoc velit homo usurpare privatum. Quapropter nec Dominici corporis membrum esse, qui pauperum indigentiis nollet subvenire, vigilanter disputabat. Nā si patiente uno corporis membro cōpatiuntur cetera, manifestū est ejusdem corporis mēbrum non esse, quod patiente alio, compassionis affectum nescit habere. Quod si patiens inopiæ membrum Christi est, qui autem nō compatitur patientis membrū non est, nec itaq; membrū Christi est. Alienum namq; est credere, ad corpus Christi se pertinere, qui qua in re inimicos Christi superare debent, in ea quam maxime ab eisdē superantur, nec modo superantur, verum superati in blasphemiam Christi deridentur. Attende ait, Judæum, intuere paganum, observa quanto sibi invicē, pro religionis suæ custodia, amore fœderantur; & videbis inter eos rei penuria familiaris neminem laborare, quem non statim congesta in unum pecunia studeant relevare. Qui dum nos ejus virtutis inopes conspiciunt, ad quam hi quidem per naturalem affectum trahuntur, illi vero per divinam eruditionem instruuntur; blasphemo ore impetunt Christum, Christianorum fidem ac religionē, futuræ beatitudinis expectationem. Quos igitur ista blasphemia principaliter respicit, nisi eos qui miseris adesse despiciunt per affectum compassionis? Hisce sermonibus tantum ad largiendas eleemosynas divitiarum possessores animantur, quantum clangore tubarum quibus committendi bellum animus est, incitantur. Ob quam rem in eadem provincia nemo egenus remansit, sed idem Beatus, tū per se, tum per hujus seculi potentes, tum certe per cognationem eorum qui indigebant, omnibus subvenit. Deinde ubi defecissent, quæ ex jure Ecclesiæ ministerio pauperum competere potuissent; thesauros Ecclesiæ, quos ipse multipices paraverat, jubet distribui: docens ad hoc ornatissima quæque Ecclesias possidere ut tempore felicitatis sint honestati, tempore vero necessitatis sint utilitati. Si quem autem sua beneficia ad honorem extulissent, non facile eum pro quavis causa abjicere volebat; grandem in humanis rebus pronuntians prærogativam, si quis operibus & beneficiis faveat suis, nec meritum spectet alienum, sed suæ gratiæ munus intendat. Ergo, ut diximus, viro honestatis omnia habenti, odium in se, pietas in alios quam maxime fuit.

monet eos juvandos ut membra Christi, — *& in eleemosynis dandis avaros scandalum dare Judæis:* — E — *thesauros ecclesiæ à se comparatos, jubet distribui in pauperes.* — F

ANNOTATA.

a *Colitur S. Ethelwoldus 1 Augusti.*

b Wentanus Episcopus *est Wintoniensis. Nam* Wintonia, *teste Seldeno*, Venta Belgarum *dicitur Ptolomeo & Antonino.*

c *De hac Clericorum dissoluta vita & exterminio agit idem Osbernus in Vita S. Dunstani, 19 Maji elucidanda: ubi etiam de S. Elphego, ob S. Andreæ revelationem creato Episcopo, & aliis illius virtutibus hic relatis agitur.*

d Ethelredus *regnavit ab anno 979, sed inter multas miserias & exilia, usque ad annum 1016.*

e *Auctor Chronologiæ Anglo-Saxonicæ cum Beda excusa, qui tunc vivebat, ista scribit.* Anno 984 Episcopus ille benevolus Ethelwaldus Wintoniensis obit: fuitque successoris ejus Alfeagi (qui alio nomine Godwinus dicebatur) XIV Kalendas Novembris consecratio, Sedemque

illam

A illam Episcopalem, die duorum Apostolorum Simonis & Judæ festo, in Wintoniensi civitate occupabat.

f Zetam *sive* Zætam *pro* diæta *sumi sæpius diximus, hic videtur pro cœnaculo accipi: ita etiam in Vita S. Thomæ Cantuar.* Zeta hiemalis, & Zeta æstivalis *cameram 12 conclavium significat: & in Actis S. Sebastiani* Zetæ *pro tricliniis*, Zetarius *pro curatore triclinii Imperatorii, accipiuntur.*

CAPUT III.

Archiepiscopatus Cantuariensis. Iter Romanum. Virtutes raræ.

14 De signis autem ab eo in Episcopatu perpetratis nihil attinet dicere; cum & virtutes possederit, per quas resplenduerunt, qui signa facere potuerunt; & nostræ intentionis sit ea potissimum narrare, quæ de ejus glorioso martyrio vera potuimus relatione cognoscere: & hæc ordine faciemus, si de ejus Patriarchatu pauca dixerimus. Præfatus igitur justitiæ defensor Dunstanus, accepto rumore quod magnus & admirabilis in populo prædicabatur B. Elphegus; excelsas omnipotenti Deo laudes libat, qui tanti luminis claritate patrias oras se vivente resperserat. Sed quoniam merita sua, imo Dei dona, mox coronanda esse præsciverat, & Ecclesiam Dei per malorum successionem turbari metuebat, sollicitis obsecrationibus aures divinæ misericordiæ pulsat, quatenus Elphegum Patriarchatus sui heredem relinquat. Cui statim exaudito quod postulat promittitur; quamvis haud statim, sed tempore decurso, quod promissum fuerat adimpleretur. Quod ea re dilatum fuisse arbitror, ut & omnibus manifestum fieret quantum Deus Dunstanum diligeret, cui quod viventi tam benigne promiserat, hoc defuncto longe post tam veraciter exhibebat; & Elphegum illa potissimum tempora invenirent, quæ eum ad martyrii gloriam provehere possent. Nam a quinquennio, quo simul vixerant Pontifices Dunstanus atque Elphegus, superato; Dunstano autem cum frequenti Angelorum comitatu, in gaudium Domini sui ingresso; b terni post illum, ex ordine sibi succedentes, Patriarchæ sunt instituti. Qui cum Patribus apponendi supremum arbitrium feliciter incurrissent, universi Anglorum Pontifices cum omni Senatorio ordine sibi invicem occurrentes, quatenus qui omnibus præesse deberet, communi deliberatione tractarent; Elphegi nomen omnes attollunt, Elphegum concordi voce magnificant, Elphego certatim manus dare contendunt. Anno igitur incarnatæ Divinitatis millesimo sexto, indictione quarta, ab adventu Anglorum in Britanniam quingentesimo septuagesimo octavo, Elphegus de Wentonia Cantiam translatus, Archiepiscopus ibi levatus est, annos natus quinquaginta duos; cum jam diutina Ecclesiasticarum disciplinarum exercitatione fuisset emeritus, & quantum hominis est universitate gratiæ repletus. Quis tunc mœror, quod murmur Wentanos invaserit cives, & me & omnium mentes fugit, nisi qui populum Cantuarinum ovantem vidissent: nam horum lætitia, quanta fuerit illorum mœstitia, multo indicio est: quantum enim isti de suscepto patre lætificati, tantum illi de amisso fuerant mœstificati.

S. Dunstanus lætatur ob virtutes S. Elphegi:

orat eam sibi successorem dari,

B

qui post tres ante creatos & mortuos,

C

eligitur anno 1006,

cum magno Wintoniensium mœrore,

14 Paucis admodum diebus evolutis, quibus incogniti honoris moderamina disposuit, Urbem cunctis excelsiorem adire instituit. Jamque Ausoniam ingressus, quod primum occurrit oppidum subintrat. Ubi cum ex itineris magnitudine fessus quiesceret, oppidani hominem incognitum habentes, suæ avaritiæ consulentes, domum irrumpunt, res diripiunt, ipsumque Sanctum omni supellectili privatum, tum verbis tum verberibus exire compellunt. At ille suas contumelias leviter ferens, suorum vero mediocriter dolens, via qua venit regressionem facit. Necdum ab oppido longe secesserat, & ecce horrendæ faces mœnia corripiunt, quæ cinerem ædificiis, jacturam civibus minantur. Excitus itaque populus ab igne, strata relinquit, & præceps ad omnia lymphato gressu discurrit. Cumque in immensum flamma excrescens multa pervagasset, nec evadendi incendii spes aliqua civibus infuisset, saniores sensu effecti, qui virum perturbaverant, ne forte ad vindictam ignis ei deserviret, animo pertractant: & exeuntes cum inclytis loci, hominem requirunt, inveniunt, adorant, plorant. Ille vero, ut semper pietatis animum tenerrimum habens, Redeamus inquit, ut ignem cominus videre valeamus. Stansque Pontifex ignem intuetur, lacrymas distillat, Deum compellat. O potentiam Creatoris! ô clementiam Salvatoris! Protinus in aëre ignis suspenditur, perque innumeras domos trajectus, extra loci mœnia invenitur. Ad cujus facti contemplationem omnes, quamvis modicum sensati, experrecti, Angelica sibi ministeria famulata fuisse gloriantur. Sed cognito auctore miraculi, omne vulgus per portas, sicut aqua per rimas, effluere; optanda dicere, munera offerre. Quibus Sanctus; Vobis, ait sint vestra, nobis autem sufficiunt nostra. Verumtamen si quod offensa promeruit laxari votum habetis, neminem deinceps de domibus vestris peregrinum perturbetis; quin potius omnes suscipere; susceptis, quæ officii sunt, impendere, curate. Bonorum namque virorum Deus inhabitator est, & idcirco magnopere gratulandum, si quo in homine Deus suscipitur, eum alius æque homo suscipere meretur. Quod si te interdum tua fefellerit opinio, ut quem religiosum putaveris, eum postea animadvertas irreligiosum; non te ea re mercedis alienum existimes: propterea quod non tam quid fiat, quam quo animo quidque fiat, internus arbiter contuetur. Sic fatus sua recepit, & turbam cum suis redire præcepit.

in Romano itinere,

spoliatus; recedit:

AUCTORE OSBERNO

sed incendium obortum,

requisitus amovet:

munera oblata respuit,

E

sed sua recipit:

15 Perveniens denique Romam, d Romano Pontifici præsentiam exhibuit, colloquia quæsivit. Qui dum omnem loquendi opportunitatem tribuisset, tanto inter loquendum sibi fœderati sunt amore, ut eum idem Apostolicus propria Apostolatus sui stola circumdaret, & ad memoriam cælestis clavigeri coram omni Romano Senatu honoraret. Dum hæc ita agerentur; & mutua sermocinatione dies protraherentur; una dierum gravis Elphegum mœror invasit, qui eum consuetudinis penitus oblitum redderet, & omnino ad alios quam habere solebat motus disponeret. Mirati itaque comites insolentiam viri, vicissim arte succedunt, conantes doloris causas addiscere, animumque illius prudenti consolatione relevare. Sed ille cœptæ prosequens luctum mœstitiæ, Nemo, ait, hodie me hilarem videbit, quoniam is qui mihi successit Wentam e Episcopus hominem exuit. Illi autem nec faciles credendi, propterea quod nemo adventasset qui rem gestam nuntiavisset; nec iterum credendi difficiles, quoniam viro Deum inesse noverant, & ea re mentiri illū non posse credebant; signant diem qui instabat, ut experirentur utrūnam ore fatidico, an sub opinionis ambiguo ista prælibasset. Deinde salutato ac resalutato alterutrū Papa & Archiepiscopo, læti ac tristes digrediuntur. Jamq; reflexo pede Elphegus superaverat Alpes, cum pleraq; Anglorū nobilitas occurrit, quæ sive orandi studio, seu videndi desiderio allecta, urbem Romam attingere tentat. Qui requisiti super Episcopo, jam pridem à servo Dei conclamato; ea die fatentur homine vita

d

Romæ à Summo Pontifice benevole excipitur,

F

revelat ab sens obitum Episcopi Wintoniensis

e

AUCTORE OSBERNO vita decessisse, qua die constitit Elphegũ flevisse. Quẽ *eo die mortui,* jam prætereat, quantum divinæ gratiæ hujus Beati fulsit in pectore, qui cognovit patrios motus a patria longe remotus, & Wentani Præsulis animam de carnis habitaculo egressam, dum adhuc sub peregrino nomine incoleret Romam. Cujus rei fama longe lateque in patria discurrens, amplius multo quam de homine æstimari potest, de illo æstimandum persuasit; qui rerum absentium tam facilis cognitor, tamque verus assertor esse potuerit.

Cantuariam reversus, 16 Sed, ut virum, unde profectus est, restituamus; Elphegus Britanniam appulsus, atque in Sede Patrum locatus, non modo prioris vitæ statum non minuit, verum etiam incomparabiliter auxit. Ab illo namque tempore frequenter & opportune non desivit *f* concilia celebrare, orthodoxam fidem Patribus exponere, ne qui aliorum errores tollere deberent ipsi erronei, & à via veritatis devii exorbitarent. Peccantes, ut ad Dominum converterentur, si verbis non posset, beneficiis provocabat. Nil quod sua interesset negligens: dum quos admonitio verbi non corrigeret, liberalitas beneficii superaret. Omnium peccata ipse deflere, ac pro omnium salute binis per singulos dies vicibus salutarem hostiam offerre. Quod si præcipua solennitas instaret, in qua illum Sacerdotalè pro populo gratiam exhibere oporteret, deductus Sacerdotum manibus in sacrarium, illico se in partem tulit, ac inter hymnos festivo clamore decantatos, privatas Missas tanto devotius, quanto à conspectu populi remotius agebat. Inde plenus Deo ad altare rediens, quod prius inceperat officium peragebat. Ipse autem in vestitu candido, desuper amictus pallio, mitra cæsariem constrictus, diem transigebat; quatenus per exteriorem habitum vestis, interiorem conciret habitudinem virtutis; & spectatores sui eo fierent devotiores ad reverentiam, quo illum spectarent decentiorem ad gratiam.

f frequenter Concilia celebrat: peccatores beneficiis emendat & precibus, in oratione devotus, B *vestitu candido usus,*

ecclesiam ornat: 17 Ornatum ecclesiæ, cujus ipse auctore Christo moderator sedebat, multis ac præclaris opibus ampliabat, quas postea aut Elphegus in usus pauperum expendebat, aut paganus in proprios abusus rapiendo asportabat. *pudicitiam colit:* Pudicitiæ virtus tantum in illo obtinuit principatum, ut nemo in audientia illius obscœnum verbum proferre, nedum in aspectu turpe factum auderet efferre. Dicebat enim hanc esse primam atque præcipuam conservandæ castitatis magistram, ut quos animorum corruptrix temeritas præcipitat, eos morum latrix verecundia compescat. C Sed quid meritorum illius cetera prosequar, cum ad sola misericordiarum illius præconia enarranda omnis periti succumbat facetia? Totus erat clementia profluus, totus in lacrymis resolutus; pauperum piissimus consolator, oppressorum promptissimus relevator; *liberalis in pauperes & afflictos.* liberalis in dando, in accipiendo difficilis; una spes omnibus ad se venientibus; unicum refugium in hac terra afflictis. Ex qua re contigit, ut dum nihil superesset, quod de suo proximis largiri potuisset, hoc ipsum quod erat dare non metueret; malens huic vitæ moriendo deesse, quam proximis vivendo non prodesse. Quod nunc in ejus nomine aggrediar dicere, cujus clementi bonitate factum est, ut ista possem discere.

ANNOTATA.

a *Imo quadriennio non integro, scilicet à 19 Octob. anni 984, quo consecratus est S. Elphegus, usq; ad diem 19 Maji anni 988, quo obiit S. Dunstanus: sed anni 984 & 988 seorsim vt completi sumuntur.*

b *Sunt hi,* Ethelgarus, *ante Australium Saxonum Episcopus, apud Selesejam, qua Sedes postea fuit Cicestria: cui anno 989 mortuo successit* Siricius, *ante Episcopus VViltoniensis; uti etiam huic subrogatus est anno 996* Alfricus, *qui vixit usque ad annum 1006.*

c Invitus, ut aiunt, quod consueto privatus honore, majore premeretur onere. *Ita malmesburiensis.* D

d *Hic est* Ioannes 18, *creatus anno* 1003, 20 *Novembris, mortuus* 18 *Iulii anni* 1009.

e *Is erat* Kenulphus, *qui ante* Abbas Burgensis, Episcopatum, *teste Malmesburiensi,* nummis mercatus fuerat: sed non diu sacrilego ausu lætatus, ante duos annos hominem exuit.

f *Ex his apud Spelmannum extat* Concilium Ænhamense generale sive Pananglicum, hortatu Ælfeagi Dorobernienſis & Wulstani Eboracensis Archipræsulum, ab Æthelredo Rege edictum; accersitisque Episcopis & universis Anglorum optimatibus, in die sanctæ Pentecostes celebratum. *Statuta Concilii apud Spelmannum videri possunt.*

CAPUT IV.

Irruptio Danorum in Angliam, & Cantuariam versus. Generosus animus S. Elphegi.

18 Per idem *a* tempus piratæ (pessimum genus prædonum, propterea quod illos & egestas audaces, & error investigabiles, & desperatio facit invincibiles) Ducibus Suano & Turchillo, Principibus Danorum fortissimis, nonnullam terræ Anglorum maculam intulerant: sed Suano ab omnipotente Deo *b* terribiliter occiso, Turchillus malignæ hereditatis Principatum sortitus est. *Dani,* E Hoc duce piratæ omnes portus maris oberrantes, & nunc hic nunc illic è navibus prosilientes, magno tam vicinis damno quã longinquis formidini fuere. Non enim erat illa gens inimicorum, quæ pietatem coleret, quæ ante fidem cuiquam parceret: hoc solum inerat boni, promissam fidem nolle mentiri: & hoc interdum. Ceterum *homines barbari,* cultus Dei apud eos nullus; & si cultus, nulla cultura religio. Æque etenim omnes anni dies celebrare, æque omnes omnibus vesci; mysteriorum sacra non solum non accipere, sed neque ecclesiam ingredi; legitima conjugia procul spernere, sed quæ sanguine propinquior, ea complexu gratior. Et quoniam actio in eis non prætendebat religionem, minuebatur pietas, crudelitas indies augebatur: proinde quasi lex erat, ut ibi quisque terminum mali poneret, qua potentia deficeret. Igitur cessante obstaculo, hostis *Angliam vastant,* per omnem Angliam spargitur, & quidquid obstaret, tum cæde, tum incendio comminuit. Deserta itaque extrinsecus ab incolis terra, ad urbes vicinas undique confugitur: jacet interim terra, prædonum furori obnoxia, nullo cultore beata. F Rex namque Anglorum Ethelredus, imbellis quia imbecillis, monachum potius quam militem actione prætendebat: homines vero divitiis corrupti, voluptatibus obligati, haud quidquam præter commodum corporis honestum putabant. Quapropter militiam discere, rem aliquam fortiter facere, pro patria mori velle, (ne quod sibi quisque pararat, id eo moriente in jus vicinum transiret) stultum penitus ducebant execrandumque. Ita quisque dum sibi & rebus suis timet, omnes temperabant bello, nemo pro omnium causa certamen experiri tentabat; cum ea re magis certandum esset, ut quod quisque suum esse vellet pro eo quam splendidissime pugnaret. Singuli tamen Principes, quisque sua loca quanta poterant virtute tuentes, frequentes & nobiles de hostibus triumphos referebant: interdum quoque & hostes de ipsis non ignobiliter triumphabant.

19 In tanto igitur rerum discrimine, Elphegus id quod factu difficillimum erat, hostes *adit* adire solebat, verbum eis vitæ prædicare, captivos dato pretio redimere, & eos quos fames opprimebat alere. Tantamque placendi hostibus [facultatem] divina

A vina illi gratia concessit, ut non solum captivos à temporali, verum etiam captivatores eorum ab æterna liberaret servitute; dum & fidei expertes, ad fidem vocaret; & quos fides admiserat, ad fidei opera invitaret. Sed cum pleraque populi turba credentium numero addita fuisset, pars tamen non modica infidelitatis errore detenta, sociorum saluti invidebat, auctoremque salutis eorum infanda conspiratione interficere cogitabat. Metuebant namque ne sublatis his, quibus auxiliariis bellandi consuetudinem agere solebant, minorem vel nocendi licentiam, aut resistendi potentiam cum res deposcerent haberent; & ea re dolebant, bestiales hominum mentes in rationabilem transisse qualitatem, crudelitatem religione superari, præliandi negotium meditandi otio commutari. Unde quantum à fideli populo colebatur, venerabatur, diligebatur; tantum itidem ab infideli multitudine contemnebatur, deridebatur, odiebatur. Sed Beatus ille, malens cum Domino, Beelzebub, quam cum Pharisæo, Rabbi vocari, non destitit incepto operi operam dare, fideles in fide confortare, infideles ad fidem vocare, summa cum auctoritate omnia facere. Neque enim fas erat ut aliquorum ille formidini cederet, qui divinum spiritum suæ mentis rectorem, & maximam populi partem suæ voluntatis fautricem haberet.

multos convertit ad fidem,

non veritus periculum mortis subire.

B

19 Sed totius malignitatis magister simul ac minister, diabolus inquam, dum infidelium paucitatem ad injustam justi hominis necem, propter copiam fidelium, impellere non potuisset; aliam patrandi sceleris artem aggreditur: per quam illi, omni sociorum timore sublato, quod nequissime cogitaverant, crudelissime exequerentur. Quemdam namque c Edricum Rex totius imperii sui Præfectum statuerat, hominem humili quidem genere, sed cui lingua divitias ac nobilitatem comparaverat; callentem ingenio, suavem eloquio, & qui omnes id temporis mortales tum invidia atque perfidia, tum superbia & crudelitate superaverat. Hujus igitur fratrem, primo nobilitati Cantuariorum in præsentia Regis gratuiter maledicentem, deinde ea quæ unicuique ex paterna hereditate provenissent, violenta dominatione invadentem; hujus, inquam, fratrem, lubricum ac superbum, eadem nobilitas aggressum interfecerat, ædes succenderat; justo Dei judicio agente, ut qui in alios injuste exarsisset, ipse juste vindictæ pœnas exsolvisset. Cujus sanguinis, frater superstes ac sæviens, ultionem à Rege postulat. Denegat Rex postulata, jure fratrem peremptum pronuntiat, qui tantam nobilitatem, tanta animi mobilitate regali in palatio impetere præsumpsisset. Præfectus, colorem mutatus, palatium egreditur; junctisque secum decem millibus viris quam optime armatis, occisum fratrem ulcisci conatur. Sed dum conatus suos parum processisse conspiceret, resistentibus his quos importunissimos adversarios habebat, & ingenti virtute contra certantibus; elatus in iram, Danorum conciliabula expetit, auxilia perquirit; non jam ad Cantuaritas solos debellandos, sed ad totius fines Britanniæ invadendos: quorum ignaviam maledictis increpat, quod tot annos laborando nihil effecerint; cum præsertim Rex senio & languore, Principes otio, omnes divitiis ac voluptatibus contabescant. Opus tantummodo esse in cepto, cetera rem ipsam expedire. Regnum post victoriam æqua sorte dividendum; se Orientalibus Anglis principari, illos vero Aquilone potiri. Cujus hominis pollicitationibus Principes Danorum arrecti, simul & memores sociorum per doctrinam Pontificis sibi præreptorum, socios se infatigabiles ad quodcumque ducere vellet promittunt, dextras dant & accipiunt, sacramenta exigunt & porrigunt.

c

Edricus hominis perfido,

ob fratrem à Cantuariis occisum,

C

conspirante cum Danis,

21 Itaque maturato consilio Dani & Angli, Dani (relicta statione quam hyemandi gratia propter Lundoniam ceperant) cum innumera classe & non segniter armata portum d Sandwicum subeunt, ea videlicet ratione, quod illum & ad receptionem navium habilem & civitati ad quam tendebant acceperint proximum. At Edricus, cum innumera pedestri multitudine & ipse pedes occurrens, exercitum intolerabilem facit: hostes Pontifici, Præfectus nobilitati, omnes Cantuariæ necem intentant. Cujus rei fama civitas Cantuariorum vehementer permota, propterea quod neque alimentorum subsidia in ea fuissent, nec illis comparandis tempus jam idoneum suppeteret; totas spes atque res suas in manus summi Sacerdotis commendat; templumque Domini, quod excellentissima omnium populorum veneratione ibidem colitur, assidua supplicatione frequentat. Arbitrabantur etenim sese propter loci sanctitatem ibi tutari posse, & omnia magis fieri, quam se violenta inimicorum manu inde avelli. Sed verus ac sempiternus Deus non est ut dii gentium, qui non modo peccandi impunitatem suis cultoribus tribuunt, verum etiam variis eosdem observationibus atque oblectationibus ad peccandum inducunt, dum metuunt indebitos sibi honores ab hominibus denegari, si non eisdem per mortiferas voluptatum execrandarum licentias studuerint placere. Hinc adulatoria comœdiarum figmenta comperta; hinc ludi scenici instituti; & quod prostituendis animabus malignissimi dæmones adinvenerunt, dii adulteri & illiberales, qui nullam sibi culturæ possunt exhibere reverentiam, si non hominibus peccandi tribuerint licentiam. At Deus & Dominus noster, ut in nullo bonorum nostrorum se indigere, ac per hoc se verum Deum esse manifestet; sic culturam exigit, ut vivendi præcepta dare non metuat; sic vivendi præcepta dat, ut ea servantibus præmia, contemnentibus vere supplicia proponat; quodque parum intelligentibus æque videtur asperius, quos præ ceteris familiarius diligit, eorum ille peccata gravius punit. Unde cum regnum David corroborandum promisisset, de posteritate filiorum illius ista subtexuit dicens: Si autem dereliquerint filii ejus legem meam, & in judiciis meis non ambulaverint, si justitias meas profanaverint, & mandata mea non custodierint; visitabo in virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum; misericordiam autem meam non dispergam ab eo: ac per hoc nullomodo à bono Deo deseruntur, qui tali modo deseri videntur.

AUCTORE OSBERNO

Cantuaria designatur obsidenda:

d

E

Psal. 88, 32

F

21 Mox universa nobilitas, quæ olim in legis violatorem vindictam exercuerat; universa, inquam, nobilitas lacrymabili quæstu Pontificem circumdat, orat ut urbe exeat, vitæ cõsulat. In vulgi morte damnum quidem esse, sed quovis modo tolerabile, illius vero vitam omnium in terra vitas excellere. Sentiens autem Beatus ille, suasionem, tametsi piam, sua tamen æstimatione indignam; Longe, inquit, mihi alia via gradiendum puto, dum præteritos mecum labores reputans, æternam Dei retributionem cogito. Videmini namque tale mihi consilium dare, ut quod invita jucundius habebam pro minimo contemnam: & quod omni semper desiderio à Deo expetebam, id ab eo oblatum sponte projiciam. Sed absit ut gloriam meam ignominia commutem: absit ut immortalitatem, quæ auctore Deo omnibus proposita est, timore mortis evandam. Quod si qualicumque de causa, turpi vel honesta, immortalitas captari posset, esset equidem omnibus elaborandum viribus, ut ad illam quomodocumque pertingere possemus: nunc autem cum tanta moriendi pro Deo honestas existat, ut laudabilior sit qui animam suam perdere volue-

S. Elphegus suadentibus discessum resistit:

Martyrium appetit:

AUCTORE OSBERNO

nihil habens cur mortem formidet,

voluerit, quam is qui eamdem servare contenderit; quis non ultro se ingerat in mortem, si eum amantissimi etiam sui præpedire velint à morte? Neque enim sceleratorum maleficia commisimus, ut ex hinc mortis supplicia pertimescere debeamus. An vere illud erit in crimine, quod eorum delectos à paganismi erroribus retraximus, atque ad unius veri Dei agnitionem cultumq; attraximus? Sed beatum me, si tali in causa mori me contingat: pro qua ut morerentur, elaboraverunt omnes Martyres Christi. An forte ibi offendimus, cum gentis nostræ captivos perditæ libertati restituimus; & quos restituere non potuimus, in captivitate pascere non dubitavimus? Sed utinam pro tali offensa tot in me mortis vulnera deseviant, quot in me membrorum varietates natura formavit. Jam vere si inde furoris eorum exarsit immanitas, quod vitam illorum flagitiis ac facinoribus coopertam, quotidiana invectione reprehendebam; illius me coëgit auctoritas, qui sanguinem impii de manu mea dicit esse requirendum, si eidem scelus suum per me non fuerit annuntiatum. Quod si alia non sunt, quæ pro illorum studio in me culpari valeant, & hæc ipsa talia esse noscuntur, ut sui magis dignitate Deum mihi concilient, quam indignitate exacerbent; alienum profecto à meis rationibus esse existimo, optimis civibus in mortis periculo derelictis, de mea singulari salute, quæ nec salus dicenda est, cogitare. Mercenarius esse potero, si videns oves meas à lupo devorari, ipse incipiam fugam meditari. Proinde quibus Deus inspiravit, ut bona malaque justa perpeti velint, hic quæ nobis præparata sunt pariter expectent.

B

sed animam pro ovibus ponere paratus:

22 Postquam accepere ea homines, quibus omnia quam mors & cruciatus corporis cariora erant, citato mox consilio, diversi, alius alio se transferunt, plures vero placandi gratia Danos accedunt, rati se apud hostes tutos fore, qui infra muros civitatis tuti esse non possent. Sed econtra omnia evenere; & me piget ista narrare. At Elphegus convocatis populi sui pauperibus, hortabatur eos bono animo esse, Deum præ oculis habere, præter eum qui corpus & animam in gehennam perdere potest nihil formidare. Admonebat etiam eos humilitatis Christi ac patientiæ, qui cum Deus esset, & omnia Pater illi in manus dedisset, non solum se de inimicis ulcisci noluit, sed & sævientem Petri amorem ab ultione prohibuit; gladiumque illius, Malchi sanguine cruentum, vagina recondidit. Docebat nihilominus duas esse hominum liberationes, quarum alteram publicus, alteram occultus probaret excursus; nec magno curandum opere, si ea non proveniat, quam humani favoris judicium expectat: propterea quod illam malus quispiam participare valeat, illam vero aliam, quæ divini secreti scientiam fatetur, eo magis optimam atque infestis viribus appetendam, quo ad eam nemo nisi bonus aspirare prævaleat? Ad hæc proponebat constantias Martyrum, & victorias eorum qui fidem non verbis sed tormentis ostendebant, quibus Christiana innocentia non tam honori quam supplicio, quoad viverent, erat. His illos sermonibus institutos, ad quæcumque tormenta persecutor impelleret, Beatus ille paratissimos reddebat: deinde Episcopali super illos benedictione effusa, pacis communione in osculo sancto libata, dum divini epuli omnes participes efficeret, se illis, illos sibi, utrosque autem omnium protectori Deo, commendavit.

subditos, maxime pauperes, confortat:

C

benedictione sua & sacra Eucharistia munit.

ANNOTATA

a *Hæc anno* 1010 *&* 1011 *peracta sunt.*

b Regem Suanum post innumerabilia & crudelia mala, quæ gesserat, III Nonas Februarii à S. Edmundo Rege apparente confossum, miserabili morte vitam finivisse, *ex libello miraculorum S. Edmundi tradunt Hovedenus, & Westmonasteriensis; & consentiunt Simeon Dunelmensis, Florentius Wigorniensis, Rodulfus de Diceto, Ioannes Bromton & alii; referentes ejusdem necem ad annum* 1014; *ut aut hic de alio Suano agatur, quod magis certum videtur, aut certe per aliquam prolepsin hac sint inserta.*

c Edricus *Streone*, *Dux Merciorum*, *Comes Salopiæ, perfidus proditor, passim describitur ab Anglicis historicis & apud quos verba hinc desumpta leguntur. Anno tandem* 1018 *Canutus Rex, Londini in palatio suo, jussit eum occidi.*

d *Ampla nunc urbs, Comitali insignis titulo, intra octavum à Cantuaria milliarium.*

D

CAPUT V.

Cantuaria obsessa & expugnata. S. Elphegus captus & carceri inclusus. Hostes a morte liberati.

23 JAmque dies aderat, primos visura tumultus; & ecce tota civitas, hostili agmine a circumvallata, omnem exeundi civibus libertatem negabat. At illi pro muris consistentes, resistendi audaciam non tam ostendebant, quam simulabant. Vicesimo autem obsidionis die, exhausto quidquid ad usum vitæ paraverant, mittitur à Pontifice, qui Dano suggerat, ut ab incepto desistat; populum innocenter obsidionem pati; caveret ne divinæ correptionis flagello, pro filiorum castigatione ad tempus concesso, nimis insolenter abutatur; fieri plerumque, ut quem pater heredem vult baculo percutiat, baculum post in ignem projiciat. Sed Angli (nam illi ad impietatem procliviores extiterant) quo amplius cognatum populum affligtari cernebant, eo ferociores instare, vineas agere, turres exstruere, arietibus murum ferire, igneas faces jacere, prorsus nihil intactum habere. Inde feralis per contiguas domos ignis conceptus, horrẽdos crines attollit, ac sæviente austro per omnia loca se dilatando spargit. Cernere tibi videreris, aut Romanas flammas Neronẽ mirari, aut Troiana incendia Æneam deflere. Tum vere miseranda inter cives cunctatio, utrumnam desertis murorum propugnaculis ad proprias domos convolarent, an eis neglectis munitioni incumberent. Vicit communem utilitatem privata affectio, filiorum dulcis recordatio, tuendæ familiæ innata compassio. Currunt itaque furore præcipites, animositate audaces, neque vitæ memores, neque mori potentes. Rapiunt è mediis ignibus conjuges & caros liberos, hostili gladio statim feriendos. Sed illis ad cineres ædificiorum attentius occupatis, ecce, quod dictu quoque miserabile est, b effracta urbe exercitus ingreditur, terribilis sonitus ex clamore vocum simul & ex clangore tubarum attollitur, adeo ut omnia civitatis fundamenta concuti viderentur.

a *Obsessa urbe* E

hostem per nuntios monet;

ea incensa

C

F *& vi occupata,* b

24 Quæ tunc facies rerum, quam miserabilis confusio malorum, sub nullius scientiam cadere potest, qui non ejusdem calamitatis spectator affuerit. Alii namque ferro jugulati, alii flammis consumpti, plures vero supra muros præcipites dati; nonnulli vero, quod dicere pudet, per verenda suspensi. Deficiunt Matronæ, quas ceteris clariores nobilitas effecerat, dum thesauros quos non habebant coguntur prodere; capillis per omnes civitatis plateas distractæ, ad ultimum flammis injectæ, moriuntur. Super omnia in minorem ætatem crudelitas desævit, dum parvuli à matrum uberibus avulsi, aut lanceis excipererentur, aut superacto plaustro minutatim contererentur. Jam vero ea quæ sequuntur mala, præ doloris

gladio necatis cives quosque

A loris magnitudine vix enarrare valeo. Ecce etenim venerandus Pontifex, non ferens tantam suorum depopulationem, dum forte plangentium turba monachorum in ecclesia Salvatoris circumseptus fuisset, repente manibus tenentium se lapsus, de ecclesia evasit: cursusque ad locum cadaveribus plenum, inter densissimos hostium cuneos se ingerit, talia geminando inclamitans: Parcite, ait, parcite; & si viros vos esse cognoscitis, innocentem ætatem persequi desinite. Non est ista victoria, qua lactentium perimitur innocentia; nec laudi adscribitur, quidquid in supplices bellando peragitur. Si gloriam de victoria expectetis, hanc vobis potissimum ejus jugulum præstabit, quem cælestis potestas omnibus præesse constituit. En me, qui ut Christianum populum augerem, multo vos milite spoliavi: en qui vestræ impietatis crimina libero ore semper damnavi: &, qui captivos patriæ, horrendo multatos ergastulo, pavi, vestivi, redemi. Si gratuito malos esse delectat, in me præcipue vestra ira deseviat, quem præ omnibus tot peccandi modis vos offendisse constat.

elapsus ex ecclesia

ingreditur & postulat pro suis plecti.

B 25 Protinus ergo innumeris manibus fortissimus athleta capitur, ac intercepto gutture vox loquentis præpeditur: vinculis palmæ innectuntur, genæ unguibus dissecantur. Inter hæc servus Dei muto simillimus, ne uno quidem verbo dolorem prodere, sed sancti Spiritus consolatione roboratus, summa tantummodo labia, quasi cum Deo loquens, movere sicque ad atrium templi, non tam deductus quam impiorum manibus impulsus, jubetur novi flagitii spectator assistere, quatenus mortem ante mortem videret, nullumque mortis genus existeret, quod illum sive patientem sive suis condolentem præteriret. Accedunt itaque filii diaboli ad templum Filii omnipotentis Dei, cuppas super invicem positas inflammant, tectum exinde molientes comburere. Jam plumbi materies, à facie ignis resoluta, cœpit introrsum defluere; cum beata monachorum plebs, caput pallio cooperta, amaris lacrymis faciem rigata, in Deum per omnia confisa, egrediebatur; datura pro Salvatore, quod pro omnibus ille dignatus est impendere. Ad quam ferro excipiendam trux carnifex occurrens, mirabili atque miserabili eamdem cæde devastat. Quid tunc quæso Pontificis agebatur in animo, cum videret totius regni matrem miserandis cineribus involutam jacere, filiorum multiplices catervas per diversas diversarum mortium strages interire, se vinculis irretitum, vulneribus afflictum, saturatum opprobriis, destitutum solatiis?

captus ligatur, & caditur:

ad atrium templi ductus,

videt templum incendi,

& monachos occidi;

C Sufficeret namque ad communem regni perniciem aut sola Pontificis injuria, aut funestum urbis excidium, ne dum utroque Anglia decore privatur, numquam deinceps ad priorem esset statum reformanda. Sed quidquid illud sit quod æterna hoc in facto Sapientia provid erit; magnum quiddam ac præclarum esse dignoscitur, quod tam pio, tam excellenti Pontificem martyrio decoraverit, ut alterum esset quod de morte filiorum doleret, & alterum quod mortem ipse sustineret. Igitur ex omni numero, qui ad octo millia hominum prætendebatur, quatuor solúmodo monasticæ professionis, octingentos autem inferioris ordinis viros remansisse accepimus, quos primum beneficii gratia pro decimis computatos, deinde Dani verberibus acriter exaratos, aut pecuniaria redemptione dignos iudicaverunt, aut servilibus mancipandos operibus secum abduxerunt. Quibus ea solum re Danos existimo pepercisse, ut nullis deinceps temporibus deessent, qui cruentam illorum victoriam prædicare possent. Sed qui hominum malis bene utitur Deus, quod illi ad testimonium crudelitatis, hoc ille parabat ad restaurationem posteritatis.

totam urbem miniis cædibusque impleri,

26 Hactenus urbis excidia deflevimus; nunc ad deflendam sancti viri mortem lacrymas reparemus. Jam populo cæso, jam urbe flammata, denique Christi templo violato, perscrutato, spoliato; extrahitur Sanctus, toto corpore vinctus, furentis populi manibus occidendus. Cumque ad portam septemtrionis præcedentiū raptu ac subsequentium impulsu traheretur; ecce hi, quos solos paulo ante ex omni civitatis ruina superfuisse commemoravi, pedes trabibus inserti, sub militari custodia tenebantur. Qui viso Pontifice, & quæ erga Pontificem agebantur, malorum indignitate; elatis in cælum manibus cum ingenti rugitu exclamant; Deum tantæ crudelitatis inspectorem fore postulantes. Omnes eum viderunt, & elevata voce fleverunt. Subsistens autem summus Sacerdos, ut fractos eorum animos oratione firmaret, repente ab impellentibus se gravi per summos humeros vulnere sauciatur, adeo ut profluente sanguinis unda à toto corpore humerus divisus appareret. Exhorrent facinus compediti, exhorrent ipsi Dani, exhorrent quicumque erant animo humani. Nec ille desiit Deum orare, oculos ad cælum, animos vere ad eum qui supra cælum, est infatigabiliter habere. Ducitur itaque hostia Christi de urbe ad classem, de classe ad carcerem, de carcere ad iniquitatis judicem. Carcerem pronuntio, quem horror tenebrarum cæcavit, quem angustia parietum arctavit, quem ranarū importunitas fœdavit. Ibi virum menses septem duodeno milite septum servavere, rati illum Ecclesiæ patrimonia spoliaturum, ac pro sui liberatione eis daturum. Elphegus nihil sane ad hoc intentus, quippe, cui serū videbatur, quod huic mortali vitæ subtractus, æterna Dei præsētia frueretur. Quocirca patiētissime omnia sustinere, passiones Christi pro potestate ibidem celebrare, grata Deo contriti cordis solennia agere.

AUCTORE OSBERNO.

trahitur ad portam:

captivos consolaturus, graviter læditur;

E *in fœdo carcere 7 mensibus detinetur:*

27 Interea cœpit ira omnipotentis Dei in homicidam populum adeo desævire, ut parvo temporis intervallo, duobus eorum millibus per diros internorum cruciatus prostratis, cetera quoque multitudo, simili morbo percussa, simile experiretur exitium. Commoniti autem à fideli populo, ut reos se in Christum, templum, ac populum illius agnoscant, dicant, defleant, de cetero autem Pontifici satisfaciant, consilium salutis differunt; opinati, non tam divina voluntate, quam fortunæ instabilitate hoc illis infortunium accidisse. Prævaluit interim clades super omnem carnem, quæ Pontifici intenderat mortem; & nunc denis, nunc vicenis, nunc pluribus his terribili viscerum dolore captis, tortis, absumptis, magnam subeundæ mortis formidinem viventibus incussit. Citato igitur concilio, mox ad eum ab omnibus curritur; patratum facinus quamvis invitis lacrymis deploratur, ut ad cæli Regem supplicatio fiat obsecratur. Erat autem solennis ille conciliationis dies, in quo sanctissimum Corporis & Sanguinis sui mysterium Salvator discipulis commendavit. Tum ille, quem paulo ante malignitas tortorum vehementer angebat, nunc eorumdem manibus ad publicos populi aspectus honorifice delatus, atque in sella gestatoria positus, has de sacra pectore edidit voces. Etsi vestra incessabilis crudelitas nullum sibi promerendæ veniæ locum relinquat; nostri tamen interest officii, non tam quid vos pati conveniat, quam quid nos agere deceat intueri. Habemus namque maximum hujus speculationis documentum in hodierno Christi Domini facto, qui cum suorum dignatus fuisset lavare pedes discipulorum, non modo illum non exclusit à quo se tradendum esse præscivit: imo etiam sancto pane, sanctissimis manibus libato, eumdem cibavit. Inde cum ad locum comprehensionis illius ventum fuisset,

multis militibus hostium plaga divinitus intusa pereuntibus,

F *ad concilium honeste adductus, feria 5 in Cœna Domini,*

explicat mansuetudine Christi erga Iudam proditorem,

& alios se comprehendentes;

AUCTORE OSBERNO

set, primo omnes Pharisaicæ impietatis ministros potentiæ suæ verbo elusit; sed confestim pro dignitate beneficii eosdem ipsos erigendo sanavit. Ita omnibus quæ de illo sunt diligenti ratione considerátis, invenimus eum bonitatis suæ clementiam hominibus semper prærogasse, non eorum mala facta per condignam suppliciorum pœnam vindicasse. Quodq; magnæ bonitatis insigne est, quos quotidie mandatis cælestibus pertinaci animo videt resistere, eos in cælo sedens adhuc patitur vivere: Vivere inquam, vivere, immo humanis rebus plurimum ceteris præstare, dum eis & clementia cæli & fœcunditas terræ, filiorum gratia, famulantium clientela, pecuniæ augmentum, ac subjectio arrideat inimicorum. Huc accedit, quod vobis quoque, hominibus quidem, sed canino semper more viventibus, longanimem sui patientiam prætendit: quos olim furoris sui gladio peremisset, si non pœnitentiam quam mortem vestram maluisset. Quapropter quoniam exemplorum illius devotus cupio imitator existere, oblitus incendia civitatis, oblitus innocentium cædes, oblitus, inquam, quæ in me acta est, præteritæ impietatis; sicut ipse Patrem pro suis crucifixoribus, & ego pro meis ipsum tortoribus interpellabo. Afferte ergo panem, statim vobis reddendum salutarem; quatenus ex hoc refecti, & cupitæ salutis beneficium adepti, aut solennes Salvatoris gratias reddatis, aut sceleratiores blasphemi remaneatis.

& ad hunc erga infideles homines,

quo exemplo omnem injuriam condonans,

B

tribuit eis panem benedictum:

ANNOTATA.

a Inter Nativitatem S. Mariæ & S. Michaëlis Cantuariam obsessam *fuisse, tradunt Wigornienses, Hovedenus & alii, ad annum* 1011.

b Per insidias Almeari Archidiaconi (quem S. Elphegus, ne morti traderetur, prius eripuit) pars civitatis incenditur, exercitus ingreditur, urbs capitur. *Ita Wigorniensis & alii.*

c *Aprilis* 10: *siquidem Pascha anno* 1012 *bissextili incidit in* 13 *Aprilis, cyclo Lunæ* 6, *Solis* 13, *litteris Dominicalibus* FE.

CAPUT VI.

Enormis pecunia postulata. Insidiæ à dæmone structæ S. Elphego. Angeli, & S. Dunstani & aliorum apparentium auxilium: vulnera sanata.

28 Postquam Præsul finem dicendi fecit, invocato mundi auctore Christo, datoque omnibus pane à se benedicto, omnes de exitiali liberavit clade. Qui liberati & ab homine confortati, nihilominus perstiterunt, in quo cœpto constiterunt. Exspectato autem sacrosancto Dominicæ requiei sabbato, cum perfectæ salutis integritatem se recepisse, nec quempiam ex omni populo per totum triduum obiisse conspicerent; legant principes legionum quatuor, qui Pontifice adito, primo quidem pro impenso beneficio gratias exhibeant, deinde hujus conditionis alloquium proponant: ut si vita ac libertate velit potiri, sexaginta argenti talenta persolvat, singulis talentis quinquaginta librarum pondere appensis. Præter hæc spondeat se suasurum Regi, ut quoniam impossibile sit absque grandi pecunia Anglos Danis conciliari, ducenta superioris ponderis talenta solvantur, sicque fœdus inter utrosque populos firmum cõstituatur. Quo ille accepto nuntio tale fertur responsum dedisse. Legatio, inquit, legitima non est, cum id petitur, quod petenti jure denegari potest. Jure autem denegari potest, quod ratione haberi non potest. Ratione vero haberi non potest, quod aut ignis devoravit, aut prædo asportavit.

C

Ad postulata 60 talenta argenti

& 200 à Rege procuranda,

negat se aliquid facturû

D

Quod si ad explendam animi vestri dominatricem cupiditatem, ea vos ratione ducimini, ut existimetis me aut ecclesiasticas possessiones exspoliaturum, aut contra patriæ decus Regi suasurum, fallimini: propterea quod Christiani hominis non sit Christianorum carnes paganis dentibus conterendas dare: Ego equidem id faciam, si quod paupertas ad vitam paraverat, vestris hoc morsibus abutendum tradam.

29 Accedentes autem hi, quorum gratia familiarius utebatur, rogabant eum mitius loqui, sigillo suo scripturam firmari, quæ ad deprædandas Ecclesiæ reliquias circumquaque mitteretur; quatenus redemptionis pretium exinde consequeretur. At ille, qui semper erat pater pauperum & invictus patriæ defensor, indigne ferens eos indigna locutos, ita respondit: Si istud mihi flagitium persuadere potueritis, quidquid usquam flagitii est persuadere poteritis. Sed satius est per virtutem emori, quam tali modo vitam mercari: quid namque indignius dici potest, quam ut Elphegus in ultima ætate crudelis esse discat, quem clementiæ ac mansuetudinis virtus ab ipsis infantiæ cunabilis decorabat? Aut quam mercedis gratiam ab æquissimo omnium remuneratore Deo sperabo, si quæ fidelium opera ad honorem Ecclesiæ parata sunt, hæc meo opere distracta perierint? Exciditne animus, quam laudabili ratione beatissimus Martyr Laurentius thesauros Ecclesiæ abscondit, ne illos violenta manus inveniret persecutoris? Quid quod eosdem tam liberali diligentia pauperibus distribuit? Quod si ille quos acceperat thesauros laudabiliter occuluit; ego quos non accepi crudeliter exquiram, crudelius perdam? Et si ille, quæ non habebant egentibus dabat: ego quæ habent eisdem diripiam? Nisi forte mitius sit quod suũ est pauperibus auferre, quam quod nostrum est non largiri. Videte ergo quam id impie dixeritis, quod sobrie vos dixisse putabatis. Hæc ille, nec ad hæc illi.

nec amicorû consilio ut ex templorû thesauro colligantur, acquiescit,

E

30 Sed postquam in castris audita fuissent quæ ipse dixisset, tum quidem omne furoris sui venenum spirare, clamorem & dentium stridorem mixtum attollere; & quid de viro statuendum foret, maligna mente tractare. Nihil ergo prior fames, nihil catenæ, nihil militaris custodia valuere: nova omnia cuduntur, & ea multiplicatis tortoribus cumulantur. Eratque miserabilis rerum conditio, & quam non solum muta animalia, verum etiam ligna & lapides expavescerent: dum qua die universa mundi elementa de Resurrectione conditoris lætabantur, ea ipse inauditis tormentorum quæstionibus puniretur. Sed ille, propter spem quam habebat in Domino, omnibus his malis quasi epulis delectabatur.

F

ipsa Paschatis die diro torquetur:

31 Exarsit itaque impius furor maligni draconis, crediditque se diro invidiæ mucrone perire, si suis artibus victus non cederet, quem suorum militum tormentis vincere non posset. Tegit ergo augmentum furoris velamine pietatis; fraude conatur elidere, quem terroris magnitudine non potuit superare: fit virtus specie non veritate, Angelus ore non operatione. Quinta igitur Paschalis festi luce peracta, aggreditur filium lucis auctor tenebrarum: mentitur se de supernis sedibus destinatum; quatenus leni vigiles somno demulceat, illum vero ad communem gentis salutem de squallore carceris educat; nec vereretur ignavi militis vocabulo notari, cum neque Petro sublimior, nec Paulo esset robustior, quorum alterum sporta contexit, alterum vero carcerali stridore gravatum Angelus absolvit: Christi quoque venerandos teneret pedes, qui ut lapidantium se manus effugeret de templo exivit, ac fugiendi licentiam Euangelico præcepto suis mandavit. His ille sermonibus veluti unguentis delibutus, carcerem egreditur, illum sequens prævium itineris, qui filium

feria 5 à dæmone sub specie Angeli à Deo missi

Dei in deserto tentare præsumpsit. Plurimis autem aquarum alluvionibus per obscuras mortis umbras pervadatis, is qui ore luciferum agebat, repente disparuit. Tum Sanctus, pestiferi ductoris machinas intelligens, ex imo pectore dolens anhelat, mediisque se paludibus injectas, cum maximo fletu Salvatorem implorat. O vitæ dator, ô stirpis Adam unice miserator, cur senem me tua gratia destituit, quem in florida ætate numquam destituere suevit? Tam diu misericorditer servatum, in extremo vitæ pateris perire abjectum? O totum quod cupio, totum quod frui desidero, quid juvat in prælio longum diem victorem fuisse, si peracto die prædam victus victorem abripiet? Aut quæ laus natandi perito, si medium pelagi naufragus evasit, ad littus vero invisæ mortis naufragium sustinuit? Quotiens te in hujus vitæ naufragio Salvatorē inveni? experiar nunc quæso consolatorem in hac dæmonis illusione, adjutor in opportunitatibus, in tribulatione. Adjutor, inquam, in tribulatione, experiar te consolatorem in hac dæmonis illusione. Carcer à tergo, à fronte flumen, tenebræ in gyrum, auctor earum juxta; Elphegus, omnibus his ærumnis inclusus tibi soli derelictus est pauper: pupillo tu eris adjutor.

adducitur ad paludes: *solus tum se conspiciens,* *Christum invocat:*

B

31 Talia vir ille, non clarus Pontificio, sed vilis opprobrio, gemebunda voce commemorans, divinis auribus opplorare non desinit. Sed is qui in mediis tenebris creavit columnam lucis, ut in invio hereditas ipsius viam inveniret; dignatus est erranti viam ostendere, qua loco unde discesserat inclytus bellator redderetur, & coronam cælitus sibi promissam, sine aliquo obstaculo recipere mereretur. Mox igitur cum surgente diei aurora, apparuit vera veræ lucis aurora, juvenis aureo splendore amictus, divini signaculi vexilla præferens, itáque viro alloquium persolvens: Quo te, ait, tui distrahunt pedes? quo impetus fugæ? quo ductoris invidia? Siccine itur ad coronam, fugiendo certaminis luctam? aut potest bravio palmæ fulgescere, qui currendi metas in stadio noluerit perficere? Cui cum retulisset Sacerdos, non se fugere, sed divini nuntii paruisse imperio: Non hoc, ait, imperium fuit divinitatis, sed diabolicæ malignitatis commentum; nec tam te ille de carcere educere, quam extra carcerem voluit seducere. Urget namque illum & præteritæ vitæ tuæ pia operatio, & in tantis tribulationibus præsens semper tibi sancti Spiritus consolatio, cujus præsentia hominibus donat constantiam, constantia victoriam, victoria gloriam; & ea re mavult omnia tentare, quam à te confusus abire. Redi ergo ad locum, amice, coronæ cælitus deputatum, sciturus quod te die crastino Pater honorabit in cœlo, honore illo maximo, ut in æternum sis cum ejus Filio. Elphegus igitur ad locum certaminis ab Angelo revocatus, lætus expectabat horam, qua à Deo reciperet coronam.

ab Angelo apparente docetur fallacias dæmonis,

C

& coronam sequenti die obtinendam:

33 Sed cum prope fuisset, ut terrificum antrum intrare debuisset, comprehensus à turbulenta carnificum turba, plagis afficitur maximis; insuper cerebro capitis violato semianimis ergastulo includitur, ubi accenso foco, & quidquid fœtidissimum fumum vel generaret, vel generatum nutriret, per singulas diei horas injecto; valvarum januas claudunt, relicto illo intrinsecus, quem talibus pœnis cruciandum putarunt. Sed Dei agonista, memor eorum quæ pro se filius Dei perpessus fuisset, pro minimo habuit quidquid ipse pro illo sustinere potuisset. Pleraque igitur sequentis noctis parte exacta, cum illucescente Octavarum Sabbato æternum viro Sabbatum præpararetur in cælo; cœpit terrifica domus cælestis gratiæ participium suscipere, æternæ vitæ odoramina spirare, hymnos mellifluis Sanctorum vocibus modulatos personare. Quos beatus ille in magna cordis lætitia intuitus, Dunstanum quondam Archiepiscopum vultu ac veste gloriosum conspicit assistentem, protensisque ad illum manibus ita dicentem: Ad te, æterni Regis invictissime miles, ad te nostro honorandum obsequio venimus, missi ab illo qui tibi & victoriam præstitit de inimico, & sempiternam coronam præparavit in cælo. En quorum collegio post mortem carnis in perpetuum frueris, civis Jerusalem cælestis ac domesticus Dei, si ea quæ desunt passionum Christi, in carne tua patienter suppleveris. Vidimus namque multiplices urbis labores, templi incendia, filiorum necem, tua cum vinculis opprobria; &, post impensa beneficia, duplicata tormenta. Quod ergo reliquum est, Deitatis potentia vallatus, libens excipe: sciens non esse condignas hujus temporis passiones, ad superventuram gloriam quæ revelabitur in te. Unus namque & hodiernus dies ad supplicium, sed jugis ac sempiternus erit ad præmium. Inter hæc laxantur nodi vinculorum, stringuntur ora hiantia vulnerum, & absolutus ad integrum omnis corporis plaga Elphegus, psallens cum psallentibus, exultans cum exultantibus, incedit.

crudeliter cæsus fœtidissimo fumo cruciatur;

AUCTORE OSBERNO

à S. Dunstano apparente cum aliis Sanctis recreatur: *& sanatur à plagis.*

E

CAPUT VII.

Martyrium: corpus Londinum translatum: miracula.

34 Pavefacti rerum magnitudine custodes, nuntiant his qui in extremo agmine curabant, locum tremendo quondam horrore damnatum, nunc Deorum excubiis magnifice delectari. Qui celeri cursu turmatim ruentes, procumbunt innixi parietibus, præsentem Dei virtutem cernere volentes: sed eadem citius dictu percussi, resiliunt. Quod simul atque Principes exercitus accepissent, socios videlicet à se catervatim defluere, atque ad hominem Dei certatim confluere; statim in illum mortis sententiam promulgant; ne illo diutius vivente contra invicem armati procedant, graviusque à se quam ab exteris gentibus occisi depereant. Proinde missa armatorum manu non parva, Elphegus de loco horroris ducitur ad consilium furoris, de domo fœditatis ad judicium vanitatis. Et quoniam pedes illius diuturna religatione olim noverant fuisse exesos, ad maturandam flagitii immanitatem, hanc viro exhibuere humanitatem; ut eum jumento imponerent, & ita ad synagogam sathanæ pertraherent. Planctus ingens fidelium, luctu & lacrymis divinum equitem prosequentium: quorum ille medius, spectaculum factus Angelis & hominibus, orat ne sibi adversus mundi principem prælianti, impedimento fiant, sed magis orationum suarum auxilia prætendant. Jam tibi in mentem veniret Filius Dei, aut vili asello residens, aut crucem humeris ferens; plangentium mulierum miserandæ lacrymæ, insultantes Pharisæi, & milites crucifigentes. Cumque adhuc spatio volitantis sagittæ procul fuisset; vasto murmure omne concilium ista infremuit: Episcope, aurum, aut hodie mundo eris spectaculum. At ille suorum manibus reverenter exceptus, primo quidem præ lassitudine paululum siluit; deinde postquam accepto flatu respirasset, ita respondit: Aurum vobis

A Principibus Danis adjudicatur morti;

F

ad eorum concilium ducitur, *consolatur propter se plangentes:*

AUCTORE OSBERNO. vobis divinæ sapientiæ propono, ut relicta vanitate quam diligitis, ad unum vivum verum æternumque Deum studia convertatis. *prædicit interitum in infidelitate manentibus;* Quod si consilium Dei per me vobis annuntiatum obstinata mente spreveritis, pejori profecto quam Sodoma morte peribitis, nec in hac terra in perpetuum radicabitis.

35 Tum vere satellites diaboli, venenato spiritu crudelitatem spumantes, nec jam pondus verborum illius ferre potentes, impetu acerrimorum leonum è sedibus prosiliunt, aversis securibus virum dejiciunt, deinde alii atque alii *a* lapidibus eum obruunt. *lapidibus petitur: a* Jamque ad ingressum vitæ erat: cum memor Christi Domini pro omnium salute in cruce pendentis, ac pro inimico populo patrem exorantis, dexterum genu, sinistrum vero pedem telluri impressit, hanc tum pro se, tum pro his qui se infatigabiliter fatigabant, orationem assumens; *orat pro persecutoribus,* Altissimi Patris unigenite Fili, Domine Jesu, qui per uterum intactæ Virginis venisti in hunc mundum peccatores salvos facere; & me in pace suscipe, & istis miserere. Ac prolapsus in terram iterumque resurgens, denuo sic ait: *B* *& filiis ecclesiæ,* Pastor bone, pastor singularis, filios Ecclesiæ quam tibi moriens commendo, tuere. Accurrens autem *b* quidam, quem & ipsum de sacro fonte susceperat, cum videret virum in confinio mortis diutius laborantem; impia pietate motus, securim capiti illius infixit: *securi occiditur:* qui statim in æterna pace requiescens, victorem spiritum cum triumpho dirigit ad cælum. Quis, inquam, post eos, qui primi omnium Dominici gregis ductores fuerunt, aut hoc homine innocentius vixit, aut vitam mansuetius finivit? Aut quorum merita ita fuere similia, ut hujus nostri bellatoris & Stephani Protomartyris? *similis S. Stephano:* nisi quod ille divina potuit mysteria conficere, huic vero licuit offerre; ambo namque erogandis Ecclesiæ stipendiis gnari, ambo ad correptionem malorum vehementissimi, in mortis genere pares, in dilectione inimicorum æquales. Sed ecce lapides sanctuarii, pertranseuntium pedibus quondam conculcati, nunc summo angulari lapidi Christo sunt conjuncti; qui illos, quamvis è diverso venientes, unum in se, amore, voluntate, beatitudine, æternitate, facit.

C

36 At Principes Danorum, cupientes & suum facinus & Elphegi gloriam obscurare, coacti in unum, statuunt corpus illius flumine immergi, *ne corpus submergatur* rati scelerum enormitatem eo facilius contegi posse, quo ejus ab hominibus memoria tolleretur. Verum quod Danis ad contumeliam, Christus Elphego paravit ad gloriam. *impediunt ii quos converterat,* Protinus namque omnis populi multitudo, quæ illo docente errorem abjecerat, armata procedit; malens cum defuncto pariter occumbere, quam illud corpus cujus ministerio sanctificationis susceperat mysterium, fluminea voragini absorbendum tradere. Ita vas illud magnificum in quo dum viveret Spiritus sanctus multipliciter operabatur, ab uno ac diverso populo servatum, nec mergebatur nec sepeliebatur. Sole autem vergente ad occasum, utriusque partis Senatores conveniunt, ut tantæ contentionis litem suis rationibus determinent. Factaque est uno omnium assensu ista consilii deliberatio, ut in commune omnes Sanctum deposcant, quatenus si quid valeat in hoc ambiguo, potentiæ suæ virtutem ostendat. *& ejus sanctitas miraculo probatur,* Cumque in hoc quæstio terminum inveniret, ut virtutis genus inimici Dani eligere debuissent; Ecce, inquiunt, remus de ramo fraxini excisus, succo & cortice omnimodis nudatus; si hunc ejus sanguine litum matutina lux virentem invenerit; justum nos & sanctum occidisse constabit, & quo illum honore sepeliatis penes vos erit. Sin vero in pristina lignum arriditate permanserit, errasse vos in ejus amore dicemus; nostri autem arbitrii erit, quid de ejus cadavere statuere velimus. Placuit itaque omnibus statuti conditio: conditionem sequitur facti approbatio. Ut igitur constaret omnibus quod post mortem viveret Elphegus, contra ordinem naturæ aridum lignum sub unius noctis tempore cœpit frondere: *& sepultura indulgetur,* quod sero Dani tellure fixerunt, & mane surgentes florere viderunt. Nihil ergo contradictionis ulterius habentes Dani, certatim in amplexus defuncti ruere, crebra oscula figere, cervices supponere, lacrymis prorsus & ejulatibus omnia complere. Sublatum ergo cæleste margaritum, bajulantium humeris inimicorum ad arborem ejus triumpho insignem defertur, comitantibus innumeris signorum prodigiis, potenti Dei virtute cælitus ostensis, Deniq; mox salus languidis innovatur, cæcis lumen clare perfunditur, *sequuntur miracula & Danorum conversio:* audiendi munus surdis tribuitur, linguæ organum mutus recipit, composito gradu loripes incedit. Ibi orationis super illum domo ædificata, pleriq; Danorum magnates ex aqua & spiritu in eadẽ regenerati, ad gremium sanctæ matris Ecclesiæ convolarunt. *E*

37 At ubi rumor patratæ crudelitatis Londoniam volasset, virtus quoque signorum linguas omnium in præconia Martyris solvisset, interposita fide, Danos, jam pro nova religione mitiores effectos, adeunt, *corpus Londinum defertur,* multa pecuniæ summa ac diversis pactionibus id agentes, ut sanctissimi corporis possessores fieri mererentur. Quorum importunitati vix illis acquiescentibus, suscipiunt Lundani thesaurum omni auro pretiosiorem, commeantibus ad portam urbis non minus duodecim millibus Danis & Anglis, & perpetratum facinus amaris lacrymis deplorantibus. Inde cum ineffabili totius civitatis tripudio susceptus, ad ecclesiam Doctoris gentium advectus, *in ecclesiam S. Pauli,* in eadem conclamatus, honoratus, collocatus est. In qua basilica plurimis annis in plurima virtutum claritate perfectis, cum pacis tempora redirent, à magnifico Rege *c* Cnutone, toto adhuc corpore incorrupto levatus, atque ad ecclesiam Patriarchatus sui, quam vivens semper amore coluerat, *e* *postea incorruptū Cantuariam translatum,* virtute corroboraverat, pro qua etiam & quacum mortem sustinuerat, translatus est. Ceterum autem quicumque Danorum, post mirificum illud virentis arboris miraculum, ad veram Catholicamque fidem converti nolebat, horrendo statim flagello correptus, acerba morte interibat. *F* Possem equidem dicere, qui dæmonica vexatione lacerati, qui cancri ulcere percussi, qui pelago absorpti, qui manu propria interfecti. Et quod plus mireris, si quis illorum aliquas vestimentorum ejus particulas usurpasset, nocturnæ visionis imagine territus, nolens easdem reddebat, reddens expirabat. *ibi quoque miraculis claret:* O fidele veritatis testimonium, ad comprobanda viri merita declaratum, dum ad ejus exequias, & fideles ægri mirabiliter sanabantur, & infideles sani terribiliter vexabantur. Hæc, inquam, dicere possem, si lectoribus meis fastidio esse non timerem.

38 Sed jam ista omnipotenti Domino qui facit mirabilia solus commendantes, narrationis cursum ad orationis affectum vertamus. Magni Regis magne miles Elphege, qui lavisti stolam tuam in Agni Dei cruore, Filiorum ad te clamantium preces admitte; *invocatur ab Osberno scriptore,* & quos honorasti tua sancta passione, sublevа pia intercessione. Auxilio divino fortis, superasti principem mortis, nos Pater adversus illum robora, atque ut vincamus adjuva. Misertus lapidantium, miserere supplicantium

A tium; nec plus obtineat furentium commotio, quam diligentium devotio. Portas mortis & inferni nesciant tui servuli: sed portas paradisi resera, potestate tibi à Salvatore tradita: qui cum æterno Patre & amborum coæterno Spiritu vivit & regnat, unus, solus, & verus Deus, per infinita secula seculorum. Amen.

ANNOTATA.

a Hovedenus, Wigorniensis, Dunelmensis & Gervasius, lapidibus, ossibus, bovinis capitibus obruunt. Brompton & Dicetus, lapidibus & ossibus bovinis obruunt.

b Westmonasteriensis, Danus quidam, Thrum nomine.

c Anno 1017 Canutus totius Angliæ suscepit imperium, Londini à Livingo Archiepiscopo Cantuariensi consecratus.

CAPUT VIII.

B *Translatio corporis Cantuariam. Per modum Appendicis postmodum adjuncta.*

39 QUia venerandam beati Martyris Elphegi passionem litteralibus quondam monumentis explicavimus; placuit etiam voluntati illorum gratiam præstare, qui quemadmodem sacratissimum corpus ejus de Lundonia Cantuariam translatum sit, ardentissima cupiunt devotione agnoscere. Et quidem quod translatum sit, in fine passionis illius breviter attigimus, sed modum translationis minime exposuimus. Eum ergo nunc exponemus. Anno igitur ab incarnatione Domini nostri Jesu Christi millesimo duodecimo, indictione decima, advesperascente sabbato Paschalis hebdomade, & inchoante Dominica die octavarum Paschæ, tertio decimo Kalendas Maji, gloriosissimus urbis Cantuariæ Pontifex Elphegus, gloriosissima pro ovibus simul & cum ovibus sibi à Deo creditis passione occumbens, immarcessibilem æternæ gloriæ coronam suscepit, anno Patriarchatus sui septimo, nativitatis autem quinquagesimo nono. Cujus venerabile corpus, sive gratia seu pretio à fideli populo receptum, de loco martyrii ejus ad urbem Lundoniam delatum, & in ecclesia beati Pauli Apostoli cum innumeris coruscantis gratiæ prodigiis est humatum. Mox denique salus languidis innovatur, cæcis lumen clare perfunditur, audiendi munus surdis tribuitur, recto gressu claudi incedunt, omnibusque fideliter petentibus divina promptissima beneficia proveniunt. Sed illos qui mortis ipsius auctores extiterant non sine terribili vindicta vindex Dei ira transire sinebat.

Corpus S. Elphegi anno 1012 19 Apr. occisi,

C *Londinum translatum claret miraculis,*

40 Ut enim pauca de pluribus breviter attingam, propono Ducem Haconem, proprio se mucrone transverberantem; vatem, matheseos disciplinis intentum, gutturi suo stylum infigentem; Presbyterum, collariam Martyris crucem pertinaciter abscondentem, ejusdem Martyris manibus occisum; aliumque ejusdem ordinis virum, sandalia illius temere portantem, à dæmone invasum & quousque de pedibus suis traherentur coram omni Lundanæ civitatis populo dirissime vexatum. Ex quibus rebus tam vehemens cunctos Danorum Principes formido invasit, ut vix eos terra teneret; sed marinis se tempestatibus dantes, existimabant in pelago Martyris iram effugere posse, quos ab ejus ira tellus tueri non posset. Sed mox ut in altum spumantibus remis eductum fuisset, centum sexaginta naves, adversis ventorum flatibus actæ, in profundo maris submersæ sunt; quadraginta vero, itemque viginti quinque, ad exteras regiones atque ignotas appulsæ, & quasi quæ insidiarum gratia venissent, ab eisdem miserabiliter interemptæ. Remansit tamen in Anglia male audax princeps malorum Turchillus, pauco tempore prædo futurus, sed in æternum damnati spiritus præda mansurus. Nam parvo tempore evoluto, venit Princeps Danorum Cnut, cum multo navigio in terram Anglorum; diffidensque ab illo propter quaidam res male ac perfide actas, quidquid residuum infandi populi esse poterat, sicut tabulæ stylo deleri solent, delevit: ipsumque Ducem, sex tantummodo navibus munitum, in Danamarcum a fugavit. Qui cum ad terram evasisset, suspectus Danorum principibus ne intestina bella moliretur; statim per cuncta regionis illius loca agitatus, ad ultimum ab ignobili vulgo occisus, ferisque & avibus est miserabiliter projectus. Sic ergo de terra & mari sublati sunt, qui virum sanctum & cum honore nominandum, Elphegum Archiepiscopum occiderunt.

Auctores necis misere pereunt,

160 navibus submersis & 65 captis,

AUCTORE OSBERNO

Thurchillus ex Anglia in Daniam remissus,

à vulgo occiditur.

a

E

41 At princeps Danorum Cnut, cum videret populum suum ab exercitu Anglorum sine intermissione dirissime cædi, & jam fere propter rerum difficultatem ad deditionem se compelli; accersitis omnibus qui ad se confugerant sapientioribus Anglis, consuluit eos quid causa esset, quod tot sibi adversa contigissent. Qui omnes uno ore respondentes dixerunt; Prophetia est venerandi Martyris Elphegi, qui cum à patribus tuis crudeli interrogatione circumventus fuisset, prædixit eis quod in regno Anglorum perpetuo non essent radicaturi, sed peiori quam Sodoma morte perituri. Nunc ergo si vis illum tuis temporibus placabilem facere, hujus te pollicitationis fœdere apud illum constringe, ut cum felix rerum fuerit successio, venerabiles corporis illius reliquias, de loco in quo conditæ sunt, tollas, atque ad sedem Patriarchatus sui, servato more antiquorum, transferre studeas. Assensit itaque Princeps Senatorum consilio: consilium sequitur divinæ propitiationis declaratio. Non post multos etenim dies Cnut pacem obtinuit, post pacem regni dimidium, post dimidium totum. Cumque ab omni bellorum tumultu b liber esset, accersit c Egelnothum Cantuariensem Archiepiscopum: qui Londinum adveniens, recta ad ecclesiam Divi Pauli perrexit. Quod cum Rex intellexisset, statim venit ad Archiepiscopum, & qua gratia eum accersit, narrat: nimirum ut corpus Elphegi d Cantuariam deferri curaret. Tum Archiepiscopus, ad primam auditionem obstupefactus, suas Regi rationes, tantæ rei conficiendæ non satis provisas & præmeditatas, dicit. Vereri propterea se, ne à civibus Londinensibus discerperetur, qui vita potius, quam tanto thesauro & patrono destitui vellent. Ad hæc, Vides, inquit, nos solos & duos monachos adesse: tantæ vero esse magnitudinis lapidem, quo monumentum clauditur, ut vix aliquot boum paria movere possint. Rex, magna fide armatus, respondet, Dei & beati viri, si iis ea translatio placeret, opem non defuturam. Imponitur igitur hoc onus duobus illis monachis, quorum alter Godricus Pontificis, alter Alfwardus Dunstani olim familiaris dicebatur. Qui cum alia deessent instrumenta, cæmentum & minores lapides ferreo quodam candelabro, quod forte occurrebat, dissiparunt. Pleni deinde fiducia, qua nixi id quod supra illorum vires erat, sola in Deum & beatum virum spe erecti,

Canuto Regi suadetur, ut corpus S. Elphegi Cantuariam transferat,

F

b

c

evocatus Egelnothus Archiepiscopus,

d

veritus tumultum civium,

amovetur lapis;

AUCTORE OSBERNO

erecti, flexis genibus aggrediebantur, amovendoque ingenti illi saxo humeros admoventes, levi impulsu in alteram illud partem contorquent: atque mox beatas reliquias contemplantur. Alia tamen adhuc cura eos urgebat, quod lignea tabula, qua corpus ad navem deveherent, deesset: & ecce, dum corpus componunt, & linteis involvunt, conspicantur tabulam, quasi ad eum usum paratam, corpori substratam. Fuit vero corpus integrum & e incorruptum: humeris deinde suis impositum monachi ad ripas Tamesis deferunt, Rege & Archiepiscopo prosequentibus. Dispofuerat vero Rex per civitatem & utrosque Tamesis ripas præsidia, adversus omnem (si quis forte accideret) civitatis tumultum. Cumque ad ultimas Tamesis ripas delatum esset corpus, navi eductum Rex ipse suis manibus curtui imposuit: atque ita honorata pompa magnoque militum cum præsidio Cantuariam devehitur, exceptumque est summo cum honore, incredibilique omnium civium & Cleri lætitia. Et post tertium Regina Emma cum filio Hardecanuto, religiose illud invisit, amplaque donaria obtulit. Nec defuerunt divina miracula, quæ & eo tempore translationem hanc & posterioribus etiam cohonestarunt: habitusque est deinceps non solum pro pio Pontifice, sed & sancto Martyre.

Corpus incorruptum ad Tamesin defertur:

Cantuariā devectum, excipitur:

claret miraculis.

ANNOTATA.

a Anno 1021 ante festivitatem S. Martini, Canutus Rex Turkillum cum uxore sua Egitha expulit Anglia. *Ita Dunelmensis.*

b *Reliqua desunt in apographo nostro: & supplentur ex Historia Ecclesiæ Anglicanæ Nicolai Harpsfeldii, qui seculo 11 cap. 9 illa descripsit suo stylo; sed materia ab Osberno accepta.*

c Ægelnothus, *aliis* Agelnothus, *ordinatus anno* 1020, *mortuus* 1038, *relatus in Martyrol. Angl. ad diem* 30 *Octob.*

d *Vita Ms. in Chronico Theodorici Pauli.* Canonizatus trāsfertur cum magna miraculorū gloria à Lundonia Cantuariā ab Ethelnodo Archiepiscopo Cantuariēsi.

e *Eadem Vita*: Sanctum corpus incorruptum, & immaculatum inventum fuit, & recens sanguis, & corporis illibata integritas. Cujus trāslationis festum colitur 12 die Martii, *qui est S. Gregorio Magno & Anglorum Apostolo sacer; & anno* 1023, *quo hac translatio contigit, incidit in feriam* 3 *post Dominicam* 2 *Quadragesimæ. Interserit Harpsfeldius, Corpus incorruptum centum postea annos perdurasse; & hoc quasi rem certam narrat Guilielmus Malmesburiensis. In Chronologia Augustinensi cœnobii Cantuariensis traditur* corpus S. Elphegi anno 1105 incorruptum fuisse inventum, *tunc annis* 93 *post martyrium ejus elapsos.*

DE SANCTO LEONE IX,

PONTIFICE ROMANO,

COMMENTARIUS PRÆVIUS

G. H.

§ I. Acta Varia scripta: Veneratio sacra: Reliquiæ.

AN. MLIV.

S. Leonis IX



SEculum Christi undecimum illustravit doctrina & Sanctitate Leo Papa nonus, ante Pontificatum Romanum Episcopus Tullensis sub Metropoli Trevirensi in Belgica prima, Bruno appellatus, ex nobilissima Dapsburgensi in Alsatia familia prognatus. Res ejus gestas libris duobus distinctas scripsit Wibertus, ejus apud Tullenses Archidiaconus, qui in Prologo præfatur se de tanto Præsule non tam audita, quam visa, ad ædificationem plurimorum transcribere; *utpote quem* benignitas ipsius dignata est familiarius sibi jugiter assistere. *Quæ vult auctor intelligi de rebus ejus ante Pontificatum Romanum in iuventute & Episcopatu Tullensi gestis, & libro priore indicatis; quas scripsit cum ipse in Pontificatu Romano adhuc viveret, volens tunc scribenda Romanis relinquere, quæ dein Papa Romanus egit. Verum mutato cōsilio postmodum ea libro secundo proposuit. Vitam hanc ex MSS. primus edidit Iacobus Sirmondus typis Parisiensis anno* MDCXV. *Nos eam pluribus locis auctam & emendatam damus ex duplici codice MS. altero ex Imperiali monasterio S. Maximini prope Treviros accepto, altero aliunde transmisso, & forsan ex bibliotheca monasterii S. Huberti in Ardenna: ubi scimus extare. Molanus in suis Notis ad Vsuardi Martyrologium indicat,* in Gerardi-monte ad S. Adrianum esse Vitam ejus, per contemporaneum duobus libris.

Vita à Wiberto ejus Archidiacono scripta,

edita à Sirmondo,

& hic cum MSS. collata.

2 *Alius & quidem oculatus testis, descripsit accurate, quomodo S. Leo se ultimo triduo præparavit ad felicem obitum: adiungitque illustria & plane miranda miracula, quæ intra sex ab eius transitu hebdomadas ultra septuaginta ad eius sepulchrum Romæ patrata sunt. Damus hæc à nobis Florentiæ anno* MDCLXI *descripta ex codice Illustrissimi Senatoris Caroli Strozzi, signato num. 690. fol. 201: & in titulo addebatur ea desumpta esse ex Collectione Officiorum MSS. At miracula plura erant in MS. Hubertino, nobis olim à D. Romualdo Hancart dicti monasterii Priore transmissa, quæ inde edimus, & sub finem ex præfato MS. nonnulla supplemus. Ferdinandus Vghellus tomo* VIII *Italiæ sacræ, in Beneventanis Archiepiscopis pag.* 129, *ex Codice Beneventano, litteris Longobardicis exarato, edidit eadem de gestis triduo ante obitum, & nonnullis miraculis, sed contractiora, & hinc inde alia phrasi amplificata, quæ benevolus Lector poterit ibidem reperire. Ex dicto tamen tomo Vghelli damus, quæ ibidem continentur de ecclesia S. Leonis Beneventi, post obitum eius erecta, & nonnullis ibidem miraculis patratis: quorum plura subnectimus ex dicto codice Strozziano. Aliquod ex his extractum compendium describi curavimus Romæ, à Petro Calo factum, quod omittimus.*

Historia dispositionis ad mortem, & miraculorum,

datur ex MSS.

& Vghelli Italia sacra

3 *Inter familiares & fidos amicos habuit S. Leo Hildebrandum, postea* Summum Pontificem, *& Gregorium* VII *dictum, qui præfuit Ecclesiæ ab anno* MLXXIII *usque ad annum* MLXXXV, *quo obiit* XXV *Maji, ad dictum diem Martyrologio Romano inscriptus. Ab hoc sancto Pontifice accepit nonnulla, quæ edidit lib.* 3 *Dialogorum Desiderius Abbas Casinensis, postea Victor Papa* III. *Item S. Bruno Astensis, Episcopus Signiensis, Vitam aliquam conscripsit S. Leonis* IX, *inter reliqua opera eius Venetiis anno* MDCLI *excusam: quam ne moles excrescat, hic omittimus, cum pauca aliqua ex Actis excerpta, aut à S. Gregorio* VII *accepta indicentur, quorum in Notis mentionem facimus.* Anselmus monachus Remensis (*uti indicat Sigebertus de Scriptoribus Ecclesiasticis cap.* 153) scripsit itinerarium noni Leonis Papæ à Roma in Gallias, ad hoc maxime ut notificaret, quanta auctoritate Remis vel in aliis urbibus Synodum celebrarit: quanta justitia & subtilitate examinaverit causas ecclesiasticas: qua discretione peccantes correxerit: quomodo ei virtus Dei cooperata sit. *Sunt ea omnia in tomis Conciliorum edita sub titulo Concilii Remensis anno* MXLIX *habiti, ex quibus nonnulla inserimus, ceteris omissis cum istic legi possint.*

Alia Vita à S. Brunone Ep. Signiensi scripta.

& Itinerarium ab Anselmo Remensi.

A possint. Non recensemus alia, & passim nota chronica, aut alios tractatus, qui ejus meminerunt. Aliquorum suis locis mentionem facimus.

Sacra veneratio cœpta ab obitu,

4 Sacra veneratio cum pio S. Leonis obitu cœpit, ob multiplicia quæ mox contigerunt miracula: inter quæ recensetur lampas ad illius tumulum sexto post obitum die divino igne accensa, & sequenti mense cereus de tumba ejus acceptus bis ultro accensus. Et non solum Romæ sed Beneventi mox in veneratione fuit, ubi cœpta est ad ejus honorem extrui ecclesia, & annuum festum ejus publice promulgari, & devote coli. Ejus festivitatem in Ecclesia Signiensi celebratam fuisse, testatur S. Bruno Episcopus Signiensis. Memoria inscripta etiam est antiquis Martyrologiis; ex quibus aliquod Usuardi, sed Remis auctum, unde Molanus suum edidit, in quo sub finem antiquo charactere ista addita sunt ad diem XIX Aprilis. Eodem die apud Ecclesiam S. Petri Romæ, depositio Domni Leonis Papæ noni, qui Ecclesiam B. Remigii dedicavit. Cujus elogii prior pars adscripta est Adonis Martyrologio Ms. Leodiensi cœnobii S. Laurentii. In Ms. Bruxellensi S. Gudilæ ista habentur: Eodem die S. Leonis noni Papæ & Confessoris: qui primum Episcopus Tullensis ab Imperatore Henrico ad Papatum promotus, ex hoc conscientiam habens resignavit: & denuo rite electus, post laudabilem vitam in ecclesia S. Petri tumulatur, clarens miraculis. Ejusdem memoria celebratur in Ms. Romano Ducis Altempsii, & Ms. Florario Sanctorum, item apud Bellinum Parisiis anno 1521 excusum, Maurolycum, Galesinium, Molanum, Saussajum Canisium, & cum iis in hodierno Martyrologio Romano his verbis: Romæ S. Leonis Papæ noni, virtutum & miraculorum laude insignis. Eumdem refert in Natalibus Sanctorum Canonicorum Constantinus Ghinius: Benedictinis monachis annumerant Wion, Dorganius, Bucelinus, Menardus. Sed hic miratur lib. 1 Observationum nullam mentionem fieri monachatus hujus S. Leonis in ejus Vita, & excusat potuisse hoc prætermitti, ut alia multa; quæ ad hujus Pontificis vitam spectant, quæ tamen in aliis historicis reperire est: Sed non indicat quibus. Arnoldus Wion allegat Trithemium in Chronico Hirsaugia, & Fratrem Franciscum Yvanez monachum Benedictinum Hispanum in Epitome virorum illustrium Ordinis S. Benedicti. Verum horum auctoritas vacillat: quia Acta ante Episcopatum, accurate a VViberto indicata, aliud suadent. Interim optamus illum Ordini Benedictino, ut saltem colant tamquam singularem benefactorem, uti merito eum colunt monachi Remenses S. Remigii & quidem officio duodecim Lectionum. Tullenses per totam diœcesim celebrant festum officio solleni sub ritu duplici: quorum Breviarium habemus anno MDXXXV excusum. Romani in Basilica Vaticana S. Petri etiam officio duplici ejus festum hoc die peragunt, præscriptis in Missa Gloria & Credo, eo quod etiamnum possideant sacrum ejus corpus.

B & excusis, *inscripta Martyrologiis Mss,* *etiam Benedictinis;* *inserta Breviariis.* C

Corpus in basilica Vaticana

5 Sepultus olim fuit, sicut ipse disposuerat, juxta beati Pontificis Gregorii altare ante fores ecclesiæ, uti in fine Vitæ tradit Wibertus. At Romanus Canonicus ejusdem basilicæ, qui seculo præcedenti vixit, in descriptione Vaticanæ basilicæ ista asserit: Leo Papa nonus requiescit infra ecclesiam B. Petri, in pilo marmoreo prope portam Ravennaticam: de quo sunt apud nos multa & magna miracula. Hic condidit privilegium Canonicorum B. Petri de confirmatione suarum Ecclesiarum. Lucius Saccus in descriptione historica Suessæ civitatis (quæ inter Capuam & Cajetam in Campania est sita) refert cap. 7 Corpus S. Leonis Papæ noni fuisse sub Paulo V anno MDCVIII repertum absque altero brachio, quod Suessæ asservatur, & tunc fuisse in Congregatione Cardinalium ostensam epistolam, qua constabat per antiquam & indubitatam traditionem dictum brachium Sinuessæ asservari. Aliquas etiam hujus Leonis reliquias esse Bononiæ in ecclesia S. Stephani, tradit Masinus in Bononia perlustrata. Corpora sacra quatuor Leonum Pontificum Romanorum fuisse ostensa Kalendis Augusti anno MDLXXX, & iterum XXV Maji anno MDCVIII dictum est XI Aprilis, ad Vitam S. Leonis Magni pag. 21.

brachium Suessæ: *particula Bononiæ.*

AUCTORE G. H.

§ II. Ratio temporis. Acta primo anno in Pontificatu Romano. Controversiæ nonnullæ decisæ.

6 Natus est S. Leo XXI Iunii anno MII; quinquennis ut instrueretur traditus Bertholdo Episcopo Tullensi, ac dein hujus successori Herimanno. Inde translatus ad aulam Conradi Imperatoris, & Diaconus factus, anno MXXV in Longobardiam militem Tullensem duxit. Anno sequente MXXVI absens in Episcopum Tullensem electus, ex Italia redux Tullum venit die Ascensionis Christi, consecratus die IX Septembris. Et hæc ex ipsis Actis certa sunt atque indubitata. Eo autem Tullensem Episcopatum sancte dirigente fuerunt Pontifices Romani, Ioannes XIX, dein Benedictus IX: quo ex Sede Apostolica pulso, & schismate Silvestri III composito, factus est Papa Gregorius VI anno MXLIV. Verum his tribus depositis electus est Clemens II antea Episcopus Bambergensis anno MXLVI: quo anno sequente MXLVII mortuo, iterum sedit Benedictus IX: contra quem electus est Damasus II ante Episcopus Brixinensis, consecratus anno MXLVIII, die XVII Iulii: sed cum sedisset dies XXIII, extinctus est, ut creditur, veneno. Post hunc eodem adhuc anno designatus in Conventu VVormatiensi, hic noster Episcopus Tullensis, tunc Bruno dictus, qui cum Tulli Natalitia Christi celebrasset, XXVII Decembris iter aggressus est per Germaniam, quando Augustæ Vindelicorum audivit Angelica voce resonare harmonicam modulationem. Inde iter accelerans, ob inundationem aquarum fuit coactus per septem dies cum suo comitatu subsistere: & tamen hiemali illo tempore Romam appulit, forsan sub finem Ianuarii aut initium Februarii anni MXLIX, si (ut dicitur ab Anselmo in Itinerario) dignitatis Pontificiæ infulis insignitus fuerit in Hypapante Domini, sive festo Purificationis Deiparæ, dein solenni ritu inthronizatus XII Februarii Dominica prima Quadragesimæ, uti in ejus Actis tradit VVibertus.

Nascitur anno 1002, *fit Episcopus anno 1026,* B *designatur Papa Wormatiæ an. 1048,* *Romæ eligitur anno 1049. 2 Febru.* *coronatur 12 Febru.*

7 Hic aliqua controversia oboritur cum Ottone Frisingensi & aliis eum secutis, quasi S. Leo ad Sedem B. Petri destinatus, assumpta purpura Pontificali per Gallias iter egisset, & Cluniaci ab Hildebrando redargutus purpura deposita peregrini habitum assumpsisset, & ducens secum Hildebrandum, Romam venisset. Fuit Otto Frisingensis integro seculo junior, mortuus anno MCLVIII. Magis ergo credendum VViberto testi oculato, qui asserit, Tulli, sumpto peregrino habitu, Romanum iter arripuisse, & apud urbem Augustam Angelica modulatione recreatum: neque tempus fuit intermedium; quod itineri Cluniacensi attribueretur. S. Bruno Episcopus Signiensis Hildebrandum VVormatiæ adfuisse scribit, in ipsa designatione S. Leonis ad Summum Pontificatum: Illis diebus, inquit, erat ibi monachus quidam Romanus, Hildebrandus nomine, nobilis indolis adolescens, clari ingenii, sanctæque religionis. Hunc igitur beatus Episcopus vocavit ad se, & rogavit eum ut simul Romam rediret... Et tunc Episcopus Romam veniens, prædictum monachum secum adduxit, multum in hoc ipso B. Petro serviens, quod illum hominem secum reducebat, cujus consilio & sapientia Romana Ecclesia aliquando regenda & gubernanda erat. Hic est enim Gregorius Septimus Papa &c. Hujus sancti Pontificis Vitam scripsit Paulus Bernriedensis auctor coævus, in eaque tradit illum aliquantum temporis moram fecisse in aula Henrici Imperatoris: addit deinde Leonem Papam nonum, hujus laudabilis viri prudentiam & sanctitatem ex corde veneratum, & amplexatum ejus per omnia consilia:

non fuit tunc Cluniaci. E *Hildebrandum incomitatum assumpsit Wormatiæ;*

AUCTORE G. H.

creat Romæ Subdiaconũ. *dein Archidiaconum:*

lia: & hanc eorum concordiam plurimum in agro Dominico spinis erutis fructificasse: interea illum Subdiaconum ab eodem Papa ordinatum, monasterio S. Pauli, miserabiliter desolato, prælatum fuisse. *Postmodum* spiritualis agricola, Sanctus videlicet Leo Papa, considerans & admirans multum fructum palmitis hujus, eo quod ipse maneret in Christo & Christus in ipso; dilatavit in eo mansionem Christi, per impositionem Ordinis Levitici; & ut fructum plus afferret Romanæ Ecclesiæ, Archidiaconum instituit. *Hæc ibi. Ex quibus omnibus colligimus S. Leonem non fuisse in dicto itinere Cluniaci, neque inde, sed ex aula Imperatoris adduxisse Hildebrandum; neque hujus admonitione, deposita Cluniaci purpura, assumpsisse peregrini habitum, quem ab initio itineris acceperat. Fuit Hildebrandus primum tergiversatus invitanti, objiciens* quia non secundum Canonicam institutionem, sed per secularem & regiam potestatem Romanam Ecclesiam arriperet. Leo vero, ut erat natura simplex atque mitissimus, patienter ei satisfecit. reddita de omnibus, sicut ille voluerat, ratione. *Hæc Bruno.*

non ivit isto anno ad montem Garganum:

8 *Altera controversia desumitur ex Chronico Casinensi Leonis Marsicani Episcopi Ostiensis, anno MCXV vita functi, qui scribit lib. 2. cap.* 81 S. Leonem Pontificem, eodem quo ordinatus est anno, orationis gratia montem Garganum petiisse. *Verum id contigisse anno sequenti infra patebit. Videtur auctor hic annos à Paschate incepisse, & sic primum etiam annum S. Leonis inchoasse, & hoc posito, consequenter singula accurate suis annis attribuisse eum, infra ostendemus. Verum, ut Anselmus in ejus Itinerario docet, explevit* Romæ Quadragesimalis temporis jejunia, succedentiaque Dominicæ resurrectionis celebravit solennia. *Præterea Hermannus Contractus, qui eodem anno quo S. Leo mortuus est, monachus Augiensis, scilicet* MLIV, *ista scribit*: In Quadragesima ordinatus, Leonis noni nomen accepit. Qui in proximo Pascha Udalricum, Augiensis cœnobii Provisorem, Romam venientem, Abbatis benedictione consecravit; & ejusdem monasterii privilegia, antiquitus à Sede Apostolica tradita, sua auctoritate confirmavit & innovavit, Indictione II, VII Kalendas Aprilis, *id est pridie Dominica Palmarum; ergo hanc Palmarum festivitatem non celebravit dicto anno in monte Casino, quod ex Leone Marsicano assumebatur: sed, ut infra dicetur, anno sequenti.*

B

consecrat Abbatem Augiensem:

9 Idem Papa, *inquit Hermannus Contractus*, in hebdomada post Albas, *id est post Dominicam in Albis*, Synodum cum Episcopis Italiæ Romæ celebravit. *Scilicet, ut VVibertus infra explicat, adversus Simoniacos, & Episcopos tales deposuit; item decimarum usum præscripsit, & incestas nuptias discidit. Varia etiam de hac Synodo tradit B. Petrus Damianus in epistola ad Henricum Ravennatem Episcopum, quæ apud Baronium & in tomis Conciliorum allegatur. Deinde teste eodem Hermanno*, idem Papa in hebdomada Pentecostes aliam Synodum Papiæ congregavit, indeque per montem Jovis cum pluribus Romanorum in Transalpinas partes devenit: *ac primo, ut scribit Anselmus in Itinerario*, adiit Imperatorem, in regione commorantem Saxonica: *qui ambo* Coloniam Agrippinam advenerunt in Apostolorum Petri & Pauli natalitio: *ibidemque S. Leo Herimanno Archiepiscopo varia privilegia concessit; & Herimaro Abbati Remensi cœnobii S. Remigii, istic obviam facto, addixit*, se in solennitate S. Michaëlis Archangeli *Remos* venturum, & in ecclesia B. Mariæ Missarum sacra celebraturum. Festum vero gloriosi Patris Remigii, pretiosi corporis ejus elevationi; & subsequentem diem basilicæ consecrationi, ceteros deinde tres Synodi deputat celebrationi. Ceterum Papa Colonia digressus, Tullum in Exaltatione sanctæ Crucis venit: inde circumjacentium regionum Episcopis & Abbatibus

celebrat Concilia Romæ,

C

& Vercellis,

adit Imperatorem in Saxonia, est Coloniæ 29 Iunii,

Tulli 14 Septembris,

litteris suæ auctoritatis mandari præcepit, ut in præfixa die sibi occurrerent ad Synodum celebrandam in basilica præfati Francorum Apostoli....

D

10 Denique Domnus Papa, à Leucorum urbe digressus, iter ad Remensem ducens urbem arripuit; in vigilia S. Michaëlis ad Curmolensem villam venit: die vero sequenti ad Sanctum pervenit Remigium, Archiepiscopis tribus comitantibus, Trevirensi videlicet, Lugdunensi, Vesontionensi, aliisque viris honorabilibus: inter quos erat Joannes Episcopus Porruensis, & Petrus Ecclesiæ Romanæ Diaconus & ipsius Urbis Præfectus. In atrio basilicæ disponitur decentissima processio, Episcopis tribus, Silvanectensi videlicet, Andegavensi, Nivernensi, longe digestos ordines antecedentibus, textumque Euangelii cum aqua benedicta & aromatum odore ferentibus. Sic Papam advenientem suscipiunt cum digna modulatione: qui expleta oratione, adstantes lætificavit benedictione Apostolica, & exinde deducitur ad civitatis mœnia. Ibi Remensis Clerus, cum Archiepiscopo suo aliisque Episcopis obviam procedens, usque ad ecclesiam S. Mariæ comitatur. Ibi Sacerdotalibus redimitus insignibus processit ad Missarum celebranda solennia. Die subsequenti ad S. Remigium remeavit, imminentem tanti Patris solennitatem in crastino celebraturus. Quo die circa horam tertiam, redimitus infulis Sacerdotalibus, ad gloriosi Patris Remigii sepulcrum processit, cum thymiamateriis & crucibus, sociatis sibi Archiepiscopis quatuor, Remensi videlicet, Trevirensi, Lugdunensi, Vesontionensi cum quibusdam aliis, sed & ipsius loci Abbate, Domnoque Hugone venerabili Patre cœnobii Cluniacensis, & illius Ordinis plurimis. Cum quibus litania facta... feretrum Sancti à suo loco paululum removit: & ubi competenter dispositum fuit, cum præfatis Archiepiscopis & Abbatibus, suppositis humeris illud devote lacrymans extulit... Collocato eo in ecclesia sanctæ Dei Genitricis super sanctæ Crucis altare, Archiepiscopus Vesontionensis Missarum solennia de ipsius gloriosi Patris celebravit festivitate.

Remis 29 Septemb.

30 Sept. celebratin ecclesia S. Mariæ:

E

1 Octobris elevat corpus S. Remigii:

11 Diei interea elapso curriculo, nox subsequitur: mane autem Domnus Papa convocatis Episcopis, intra dedicandi monasterii abdita, singulis singula ad consecrandum delegavit altaria, & Missarum sollennia idem Pontifex ex dedicationis celebravit festivitate. Lecto Euangelio, pulpitum conscendens exhortationis sermonem fecit ad circumstantem populum, multa ex ipsius templi sanctificatione concionatus utilia: diem illam celebrem esse præcepit per Remensis Episcopii confinia.... Constituit etiam ut ad altare, quod in honore Apostolorum Petri & Pauli & Clementis & Christophori Martyrum gloriosique Confessoris Remigii consecraverat, & non indiscrete à quibusq; sicut hactenus sacrosancta mysteria agerentur: sed secundum morem Romanæ ecclesiæ septé tantummodo Sacerdotes digniores ad hoc officium deputarentur. Deinde explicitis divinis Officiis, Apostolica benedictione sanctificans populum dimisit. Die vero altera, quæ est quinto Nonas Octobris, congregati sunt in memorata basilica Episcopi viginti, cum quinquaginta fere Abbatibus & aliis Ecclesiastici ordinis quamplurimis... Quibus residentibus surrexit Petrus, sanctæ Romanæ Ecclesiæ Diaconus, exponens de quibus in Synodo sermo esset habendus: de multis videlicet illicitis, id est, de Simoniaca hæresi; de ministeriis ecclesiasticis & altaribus, quæ à laicis tenebantur; de pravis consuetudinibus, quæ ab eis in atriis ecclesiarum accipiebantur; de incestis conjugiis, & eis qui legitimas relinquentes uxores adulterinis

2 Octob. dedicat ecclesiam:

F

3 Octobris Concilium celebrat,

A terinis iterum nuptiis implicabantur; de monachis & Clericis, à sancto proposito & habitu recedentibus: item de Clericis, mundiali militiæ studentibus; de rapinis pauperumque injustis captionibus; de Sodomitico vitio & quibusdam hæresibus, quæ in eisdem pullulaverant partibus. *Hactenus ex Itinerario ab Anselmo scripto seu Concilio Remensi excerpta; reliqua ibidem legi possunt, & quæ ad elevationem corporis S. Remigii & dedicationem Ecclesiæ spectant, erunt ad Kalendas octobris elucidanda. De Simoniacis tunc depositis agit infra Wibertus.*

& adit Moguntiam: 12 *Remis eum profectum Metas, consecrasse basilicam S. Arnulphi, & responsoria composuisse de S. Gorgonio Martyre, ac dein Moguntiæ Concilium celebrasse, tradit VVibertus in Actis. Adamus Bremensis lib. 3 Historia Ecclesiastica cap. 31 appellat* Synodum generalem, habitam præsidente Domno Apostolico, & Imperatore Henrico, cum Episcopis Bardone Moguntinensi, Eberhardo Trevirensi, Hermanno Coloniensi, Adalberto Hamburgensi, Engelhardo Magdeburgensi ceterisque Provinciarum Sacerdotibus. In eo Concilio quidam Spirensis Episcopus, nomine Sibico, cui crimen adulterii imponebatur, examinatione Sacrificii purgatus est. Præterea multa ibi sancita sunt ad utilitatem Ecclesiæ: præ quibus Simoniaca hæresis, & nefanda Sacerdotum conjugia holographa Synodi manu perpetuo damnata sunt. *Hermannus Contractus asserit* fuisse Synodum quadraginta Episcoporum. *Inde* S. Leonem adiisse Alamanniam, & Augiæ festum S. Clementis & Dominicam ante Adventum VI Kalendas Decembris egisse. *Addit VVibertus ibidem* Ecclesiam in honore vivificæ Crucis dedicasse, & inter Missarum solennia dœmoniacum liberasse. *Inde, teste Hermanno,* per Augustam Bajoariamque transiens, natalem Domini Veronæ coluit.

celebrat Concilium aliud:

B

Augiæ dedicat Ecclesiam,

est Veronæ 25 Decemb.

§ III. Res gestæ anno ML & MLI.

Anno 1050

Concilium Sipunti celebrat,

13 A*nno Christi ML Romam regressus, scyphum fractum redintegrat; Apuliam petit, & Beneventi clinicam sanat; & in Concilio Sipontino prope montem Garganum duos Archiepiscopos deponit: quæ in Actu exponit VVibertus. Huc supra diximus referenda, quæ Leo Ostiensis lib. 2 Chronici Casinensis cap. 81 scribit, & sunt ista.* Sanctus Pontifex Leo, eodem quo ordinatus est anno, orationis gratia montem Garganum *in diœcesi Sipontina* petiit. Inde rediens, in ipsa festivitate Palmarum, ad hoc monasterium valde devotus accessit; & reverentissime susceptus à Fratribus, ipso die Missam solenniter celebravit: atque in refectorio cum Fratribus comedens, post prandium in Capitulum venit: ubi maximas Fratribus pro tam honorifica susceptione sua gratias agens, ac pro viribus semper monasterium ipsum exaltaturum spondens, descendit. Postridie vero ecclesiam S. Mauritii apud insulam, quæ Limara dicitur, ab ipso Abbate constructam, & S. Salvatoris in territorio Atinensi solenniter dedicans, Romam reversus est. Ad quem profectus Abbas, privilegium ab eo, juxta suorum prædecessorum morem, honorabiliter sumpsit: in quo idem sanctus Pontifex sandaliorum usum & Dalmaticæ ac chirothecarum in præcipuis festivitatibus, tam illi quã omnibus in hoc cœnobio regulariter promovendis, ob honorificentiã sancti hujus loci Apostolica auctoritate cõcessit. Quo etiam tempore idem Apostolicus monasterium sanctã Jerusalem, quod Sessorianum appellatur, intra Romanam urbem situm, jam dicto Abbati cum suis omnibus juribus tradidit: & illi exinde privilegium faciens, solam sibi Abbatis consecrationem (quem tamen Casinensis Abbas eligeret) reservavit. *Fuit hic*

montem Garganum petit,

Casini degit 8 Aprilis,

C

ecclesias dedicat 9 Apr.

privilegia concedit Casinensibus,

Abbas Casinensis Richerius, natione Bavarus, quem tradunt ante apud Leodienses Abbatem, Conrado Imperatori carum, in hujus comitatu venisse Casinum, & coram ipso electum in Abbatem anno MXXXVIII, obiisse anno MLV, III Idus Decembris.

AUCTORE G. H.

in Concilio Romæ habito post Pascha,

14 *Romam ergo reversus* Domnus Papa Leo, *inquit Hermannus Contractus,* post Pascha Synodum item Romæ collegit, ubi, *teste VViberto,* Gerardum, suæ Sedis, Leucorum videlicet *seu Tullensem*, olim Præsulem, in numero Sanctorum computandum statuit. *Secundo, ut B. Lanfrancus, qui dicto Concilio interfuit, scribit, in Commentario contra Berengarium de Corpore & Sanguine Domini cap.* 5, *cum* Leo Synodo præsideret, ac resideret secum non parva multitudo Episcoporum, Abbatum, diversique Ordinis à diversis regionibus religiosarum personarum... promulgata est in Berengarium damnationis sententia, privans eum communione sanctæ Ecclesiæ, quam privare sancta Dominici corporis communione satagebat. *Dein cum* B. Lanfrancus fidem suam exposuisset, omnibus placuit, nulli displicuit. *Tertio, uti observat* ex scripto Chronico Andreæ Danduli *Baronius ad hunc annum num.* 3, Leo Papa decrevit Pallium Dominico Patriarchæ Veneto (*imo Gradensi*) eidemque privilegium concessit, ut Crucem ante se deferret, Patriarchalemque Sedem approbavit, & Episcopis Venetiæ provinciæ & Istriæ scripsit, ut huic tamquam Primati suo obedirent, eumque revererentur. *Verum Vghellius tomo 5 Italia sacra hæc omnia scribit peracta in Concilio Vercellensi, hoc adhuc anno habito, cui ait dictum Dominicum Patriarcham interfuisse.*

Gerardum Ep. Tullensem Sanctis adscribit:

damnat Berengarium:

concedit privilegia Patriarchæ Gradensi,

E

etiam videtur Venetias & ad loca alia profectus:

15 *In Ms. Strozziano supra indicato dicitur* S. Leo Papa, pius ac mitis, causa orationis Venetias ad S. Marcum Apostolum & Euangelistam pervenisse. *Nam teste Hermanno Contracto, post Concilium Romæ habitum*, ultra Romam progrediens, nonnullos locorum Principes & civitates tam sibi quam Imperatori jure jurando subjecit, Beneventanosque adhuc rebellantes excommunicavit... Ipso autem autumno Domnus Papa Synodum Vercellis collegit, & Hanfridum Archiepiscopum, pro quadam inter Ravennatem & Romanam Ecclesiam contentione, ab officio suspendit. *Ipse Leo, in epistola ad Principes Britanniæ, id* Concilium Kalendis Septembris futurum *scribit: &* mense Septembri eodem præsidente Pontifice celebratam esse Vercellis Synodum *indicat, qui interfuit, ante memoratus Lanfrancus; idemque confirmat Guitmundus, Archiepiscopus Aversanus lib. I de Veritate Eucharistiæ.* Mox, *inquit,* incipientibus his, *Berengario eique adhærentibus*, audiri, Catholici viri graviter commoti atque intolerabiliter ferentes, præsidente per semetipsum beatissimæ memoriæ Domino Papa Leone Vercellis Concilium ponunt. Ibi (*verba sunt Lanfranci*) in audientia omnium, qui de diversis hujus mundi partibus illuc convenerant, Joannis Scoti liber de Eucharistia lectus est ac damnatus: sententia Berengarii exposita ac damnata: fides sanctæ Ecclesiæ audita, & concordi omnium sensu confirmata. Ab hac sententia numquam discessit S. Leo in omnibus suis Conciliis, seu quibus ipse præsentiam suam exhibuit, seu quæ per Legatos suos in diversis provinciis congregari instituit.

1 Septembris Vercellis Concilium habet:

F

condemnat librum Ioannis Scoti & Berengarii doctrinam:

16 *His factis, inquit Hermannus Contractus,* Gallias & Episcopatum suum, Leucorum civitatem invisit: *& quod indicat VVibertus,* Gerardi Episcopi Tullensis sanctos artus cum summa reverentia transtulit. *Hujus sancti Episcopi Vitam illustrabimus ad diem* XXIII *Aprilis. Tunc secum S. Leo ex monasterio S. Mansueti apud Tullenses duxit* Humbertum, virum, *inquit Lanfrancus cap.* 2, religiosum, fide Christiana & sanctissimis operibus perseverantissime decoratum, scientia divinarum ac secularium litterarum appri-

Tulli elevat corpus S. Gerardi Ep.

Humbertum secum ducit:

apprime eruditum, & ad prædicandum Siculis verbum Dei Archiepiscopum ordinavit, postea vero sancta Romana Ecclesia Præsulem sibi Cardinalem constituit. *Est in diœcesi Tullensi Romaricus mons in Vogeso, haud procul à Mosella ripa, ubi S. Romaricus cœnobium Sanctimonialium construxit sub regula S. Columbani: ibi inquit idem Lanfrancus epist. 13*, S. Leo, Romanæ Sedis Summus Pontifex, Romericensem se præsente ecclesiam dedicavit, cunctaque quæ ante Missam fieri ordo depoposcerat, sine casula consummavit. *Ioannes Ruerus prima parte Antiquitatum Vogesensium lib. 4 cap. 12 asserit*, Leonem Papam nonum, cum Tullensis Ecclesiæ Primicerium creasset Odonem, cum omni honore, solennitate & reverentia Sanctorum Confessorum Catalogo adscripsisse Romaricum, Amatum, & Adelphum. *Erant olim sub Ludovico Pio corpora eorum elevata & translata ad altare, ac postea in loco à S. Romarico apparente indicato deposita: quæ latius erunt discutienda ad dies eorum natales, quibus coluntur, S. Adelphus* XI *Septembris, S. Amatus* XIII *ejusdem mensis, & S. Romaricus* VIII *Decembris. Eodem etiam tempore* S. Arnulphi ecclesiam Metis dedicavit, *uti habet Chronicon Senonense lib. 2 capite 18.*

dedicat ecclesiam Romericensem,

Canonizat SS. Romaricum Amatum & Adelphum:

B

17 *Quoniam vero S. Leo permansit in transalpinis & Germanicis ditionibus usque ad mensem Februarium anni sequentis, videntur multa ex iis peracta, quæ Ioannes Trithemius in Chronico Hirsaugiensi ad hunc annum* ML *attingit his verbis:* Iste sacratissimus Papa Leo nonus multa in Germania bona fecit, ecclesias & capellas & altaria in diversis locis absque numero propria in persona consecravit; & quod Pontificuli plures hodie facere erubescunt, ad quod tamen obligati sunt ratione officii, Summus Pontifex non obligatus facere non despexit. *Hæc Trithemius, qui ad dictum annum* ML *late describit accessum S. Leonis ad Adelbertum Comitem de Calune, monasterii Hirsaugiensis Advocatum, quando corpus S. Aurelii Episcopi Armeni, quod Roma olim, cum monasterium extrueretur, eo delatum, & in persecutione Nordmannica sub terra fuerat absconditum, mandato dicti Papa quæsitum, & in camera subterranea inventum est. Præterea quia Abbatia Hirsaugiensis ab anno* MII *vacarat, S. Leo mandavit Comiti restitui monachos, & omnia monasterio sublata reddi. Quæ poterunt latius ad Vitam S. Aurelii discuti, seu* XXV *Maji quo die vita functus est, seu* XXV *Augusti quo corpus istic depositum olim fuerat, aut alio ejus cultui assignato: post quem S. Leo* IX, *ob tam illustria beneficia præstita, dicti monasterii alter Patronus colitur.*

varias in Germania ecclesias consecrat:

Hirsaugiæ corpus S. Aurelii Ep. elevat:

restitui bona mandat,

C

18 *Habitus dein conventus aliquis est Augustæ Vindelicorum, ad quem evocatus supra memoratus Hunfridus Archiepiscopus, in præsentia Imperatoris & aliorum Pontificum, à Leone Papa qui eum ab officio suspenderat, absolutus est: quod factum fuisse quarto Nonas Februarii, ipso Purificationis festo indicat Hermannus Contractus: addens* caritative à se invicem discessisse, & Papam Romam reversum esse: *ubi inter sacra Missarum solennia die Paschatis dæmoniacam liberavit.* Post Pascha Synodum Romæ collegit: ubi inter alia Gregorium Episcopum Vercellensem, propter adulterium cum vidua quadam avunculi sui sponsa admissum, & perjuria perpetua, absentem & nescientem excommunicavit: quem tamen non multo post Romam venientem, & satisfactionem promittentem, officio priori restituit. *Ita Hermannus. Creduntur tunc statuta esse, quæ Petrus Damiani in epistola ad Cunibertum Episcopum Taurinensem, inserta opusculo 18 dissertatione 2 cap. 7, ita allegat:* in plenaria plane Synodo sanctæ memoriæ Leo Papa constituit, ut quæcumque damnabiles feminæ intra Romana mœnia reperirentur Presbyteris prostitutæ, ex tunc & deinceps Lateranensi palatio adjudicarentur ancillæ. Romæ etiam positus Primicerium Odonem elegit sibi successorem Sanctæ Sedis Leucorum, *uti scribit VVibertus in Actis.*

est Augustæ 2 Febr. anni 1051.

post Pascha Romæ in Synodo excommunicat Ep. Vercell.

meretrices expellit,

D

19 *Ad hunc annum spectant, quæ Leo Ostiensis lib. 2 Chronici Casinensis cap. 84 refert his verbis:* Sequenti anno prædictus Pontifex rursus ad monasterium venit, & in crastinum & die altero Apostolorum Petri & Pauli Missas solenniter celebravit. Et cum die illo sabbatum esset, ingressus ad mandatum Fratrum, pedes duodecim monachis lavit: & ipse vicissim ab illis lotus, in refectorium quoque cum eis una bibiturus, ingressus est. *En festum SS. Petri & Pauli die sabbatino, quod contigit hoc anno* MLI, *litera Dominicali F. quæ supra à nobis dicta confirmant.* Inde perrexit Beneventum, urbemque ab excommunicatione prædecessoris sui benignus absolvit. *Imo ipso anno præcedente* Beneventanos adhuc rebellantes excommunicasse *narratur ab Hermanno Contracto. Videtur eodem in itinere profectus* ad monasterium Sublacense, inventoque monasterio sine Rectore, contristatus est: & habito Concilio ordinavit in eodem cœnobio Humbertum, ductum ex Francia. Sublacianos ad se vocavit, quorum requirens monumenta chartarum, notavit falsissima, & ex magna parte ante se igni cremari fecit. Pontificali itaque præcepto confirmavit monasterium Sublacum & totam Abbatiam. *Quæ ex antiquo Chronico monasterii ejusdem refert Baronius ad hunc annum num. 6. Idem Papa litteris Apostolicis, signatis* XI Kalendas Augusti anno Pontificatus tertio, Indictione IV, *& missis Ioanni Archiepiscopo Salernitano, confirmavit jura Metropolitana ejusdem ecclesiæ.*

Est Casini 29 Iunii

dein Beneventi,

& Sublaci:

E

Romæ 22 Iulii.

20 *Hoc eodem anno S. Eduardus Rex Angliæ, facta pace cum Comite GodVVino, ex voto Romam profecturus, ob resistentes sibi Proceres regni consuluit S. Leonem Pontificem; qui in voto dispensavit, & alia injunxit pia opera his verbis:* Præcipimus tibi sub nomine sanctæ obedientiæ & pœnitentiæ, ut expensas, quas ad iter illud præparaveras, pauperibus eroges, & monasterium monachorum in honore S. Petri Apostolorum Principis aut novum constituas, aut vetustum emendes & augeas, & sufficientiam victualium Fratribus de tuis reditibus constituas: quatenus dum illi assidue inibi Deum laudaverint, & Sanctis augeatur gloria, & tibi indulgentia. *Reliqua possunt legi à nobis edita ad Vitam S. Eduardi 5 Ianuarii, cap. 2 & 3.*

dispensat in voto S. Eduardi Regis Angliæ,

§ IV Res gestæ anno MLII & MLIII. Felix obitus anno MLIV.

F

21 ANno Christi MLII, *Pontificatus sui quarto, varia iterum itinera suscepit S. Leo, ac primum videtur indicare Leo Ostiensis citato cap. 84.* Altero itidem anno Capuam veniens, rursus Beneventum perrexit, inde Salernum: inde ut Normannos expelleret, Imperatorem adiit militum petiturus auxilia. *Aliam itineris ejus postea versus Germaniam suscepti rationem suggerit VVibertus in Actis, scilicet ut Henricum Imperatorem & Andream Regem Hungariæ dissidentes reconciliaret. Sigebertus in Chronico ad hunc annum ista habet:* Rex Hungarorum ab Imperatore dissentit: pro quo reconciliando Leo Papa ad Imperatorem venit, sed amicis discordiæ interturbantibus, id frustra fuit. *Plura interim in hoc itinere præstita fuerunt à S. Leone.* Nam Ratisponæ Nonis Octobris anno Pontificatus sui quarto, *edidit diploma de Corpore S. Dionysii Areopagitæ ibidem existentis, Regi Francorum & aliis ejusdem regni Prælatis & subditis inscriptum. Est hæc ardua controversia à pluribus agitata, maxime ab iis, qui volunt hunc eumdem Dionysium Areopagitum esse, qui Parisiensium factus Apostolus ibidem cum SS. Eleutherio & Rustico*

anno 1052 adit Capuam, Beneventum, & Salernum,

in Germaniam profectus pro pace Hungarica,

Ratisponæ 7 Octobris diploma edit de corpore S. Dionysii Areopagitæ,

A *Rustico est martyrio coronatus. Alii hunc Dionysium Areopagitam asserunt Athenis III Octobris martyrio coronatum; & Dionysium Parisiensium Episcopum, ducentis fere annis serius, Parisiis IX Octobris occisum cum SS. Eleuthrio & Rustico; ejusque corpus esse ibidem in cœnobio S. Dionysii: quo etiam misit Innocentius Papa III anno MCCXV corpus S. Dionysii Episcopi Corinthiorum, uti diximus ad hujus Vitam XIII Aprilis. Reliqua ex epistola. S. Leonis haberi possunt, eruntque ulterius examinanda III & XI Octobris.*

22 *Solum ex VViguleio Hundio lib. I Metropolis Salisburgensis, in Gebhardo III Episcopo Ratisponensi, ista referimus:* Sub eo Leo nonus Pontifex Maximus, ab Andrea Rege Hungariæ pro pace cum Imperatore Henrico III construenda accitus, Ratisponam venit, & S. Wolfgangum in numerum Divorum retulit, similiter & S. Erhardum, nec non ossa B. Dionysii (de quibus diu dubitatum fuit, num haberentur in æde S. Emmerani) vidit, attrectavit, & Apostolico diplomate confirmavit, quod illic servatur, præsente Imperatore Henrico, Gebhardo Episcopo Ratisbonensi aliisque multis Episcopis & Cardinalibus, quin etiam Parisiorum Legatis præsentibus comprobavit & cōfirmavit. Ecclesiam item S. Emmerani, nuper incendio vastatam cum crypta occidentali consecravit: tabulatum in ejusdem ecclesiæ summitate suis sumptibus fieri jussit; sed & sacellum Simonis & Judæ Thadæi, supra fornicem Capitulo contiguum, in eadem urbe consecravit. *Conradus de Monte-puellarum, in Vita S. Erhardi à nobis edita cap. 2, confirmat* Leonem IX transtulisse corpus B. Erhardi, temporibus Imperatoris Henrici III, sub anno Domini MLII. *Coluntur S. Emmeranus XXII Septembris, & S. Wolfgangus XXXI Octobris, ambo Episcopi Ratisponenses. Sed pergit Hundius.* Cum vero Leo Pontifex Ratispona Noribergam proficisceretur, Comites de Swartzenburg illi obviantes rogant, ut sacellum quoddam in honorem sanctæ Crucis, quod hodie Prugdorffium appellatur, dedicet. Sanctus Pater sacellum à longe visum consecrat. Cum autem morosi interpellatores hac longinqua consecratione sibi illudi existimarent; & ut præsens sacellum consecraret flagitarent; Ite, inquit Beatissimus Pater, & nisi omnia consecratæ Ecclesiæ indicia inveneritis, veniam, & præsens vestram ædiculam consecrabo. Sed cum illi omnia integra comperissent, laudantes Deum acquieverunt. Extant ejus eventus monumenta adhuc hodierno die. *Hactenus Wiguleius Hundius, quæ omnia Andreas Bruner parte 2 Annalium Bojorum elegantiori suo stylo exornarit.*

Sanctis adscribit Wolfgangum & Erhardum Episcopos:

consecrat ecclesiam S. Emmerani,

B

& eminus sacellum S. Crucis Prugdorffiense:

C 23 Tunc inter ipsum Apostolicum & Imperatorem factam esse commutationem de Benevento & Bambergense Episcopio *asserit loco citato Leo Ostiensis, & latius prosequitur Hermannus Contractus, his verbis:* Imperator cum Domno Papa multisque Episcopis & Principibus Natalem Domini Wormatiæ egit; ubi cum Papa, sicut dudum cœperat, Fuldensem Abbatiam, aliaque nonnulla loca & cœnobia, quæ S. Petro antiquitus donata feruntur, ab Imperatore reposcens, exegisset: demum Imperator pleraque, in ultra Romanis partibus ad suum jus pertinentia, pro Cisalpinis illi per concambium tradidit. *Addit, quæ supra ex Leone Ostiensi retulimus & sunt ista:* Cumque idem Papa de Normannorum violentiis & injuriis, qui res S. Petri se invito vi tenebant, multa conquestus esset, ad hos etiam inde propulsandos, Imperator ei auxilia delegavit... Ad horum igitur nefaria & inextricabilia scelera illis ex partibus eliminanda, indigenasque ab eis liberandos Dominus Papa intendens, summa cum caritate ab Imperatore Romam reversurus digreditur. *Annus tunc MLIII cœperat.* Secuti sunt autem eum plurimi, Theutonicorum, partim jussu Dominorum, partim spe quæstus adducti: multi etiam scelerati & protervi, diversasque ob noxas patria pulsi. Quos ille omnes tum consuetæ misericordiæ nimia compassione, tum etiam quia opera eorum ad imminens bellum videbatur indigere, clementer & gratanter suscipiebat. Transiens ergo per Alemanniam Purificationem S. Mariæ Augustæ egit, Mantuæque Quinquagesima acta, & nonnullis suorum orto inibi tumultu occisis, infra dies Quadragesimæ Romam pervenit. *Hæc ibi incidebat dicto anno MLIII Dominica Quinquagesima in diem XXI Februarii, quando eum Mantuæ Concilium habendum statuisse, sed factione quorumdam perturbatum scribit Wibertus in Actis. Hippolytus Donesmundi lib. 3 Historiæ Mantuanæ pag. 203 hunc accessum Leonis Papæ describit, quasi sacrum Christi cruorem, qui ibidem asservatur, coram adoraturus advenerit, frustraque conatus impetrare Romam auferendum, populi pro eo retinendo in seditionem versi collaudarit zelum; & novam S. Andreæ ecclesiam, licet non plene absolutam dedicarit, ac modica pretiosi thesauri particula excepta (quam Romam ad S. Ioannis Lateranensis ecclesiam detulit) reliquum cum S. Longini Martyris corpore in præparatum ad id locum deposuerit. De S. Longini corpore, cum sacro Christi cruore Mantuæ reperto, egimus XV Martii ad Acta utriusque Longini § 3.*

25 Decemb. accipit Beneventum pro Bambergensi Fuldensi & aliis in Germania locis:

conscriptum militem educit an. 1053

2 Febru. est Augustæ,

21 Febru. Mantuæ,

dedicat ecclesiam S. Andreæ:

corpus S. Longini & Sanguinem Christi deponit:

24 *Romæ post Pascha iterum Synodum habitam esse affirmat Hermannus Contractus: sed qua de re non indicat. Certe non, uti in Conciliorum tomis excuditur, de Canonizatione S. Gerardi Episcopi Tullensis, quod actum est anno ML; non etiam de Primatu Patriarchæ Gradensis, quod eodem anno ML aut Romæ aut Vercellis factum fuisse supra ex Baronio & Ughello ostendimus. Potius arbitraremur ob Hæresin Fermentaceorum collectum, quam tunc exortam fuisse scribit VVibertus, asseritque libellum luculentissimum adversus eam hæresim à S. Leone scriptum: quæ est in tomis Conciliorum epistola prima, in XLI capita distincta. Direxit etiam Constantinopolim Apocrisiarios sanctæ Romanæ Sedis, Humbertum tunc Silvæ-Candidæ Episcopum, Fredericum post S. R. E. Cardinalem tunc Cancellarium, & Petrum Amalphitanorum Episcopum. Dein Roma Casinum venit, ibique restitui fecit monasterium S. Stephani, supra Terracinam positum, ut pluribus tradit Leo Ostiensis cap. 87.*

post Pascha Romæ Synodum habet:

E

forte ob hæresim Fermentaceorum.

adit Casinum:

25 Movit *postea* contra Normannos exercitum Leo Papa (*verba sunt Hermanni Contracti*) Cumque illi pacem petentes subjectionem servitiumque illi promitterent; & quæ prius injuste sibi usurpantes invaserant, ejus beneficio gratiaque retinere se velle dicerent; idque Papa abnegans, ut & injuria captas res S. Petri repoeceret, eosque perperam pervaso cedere loco juberet; illi, quia numero longe præstabant, quasi rem injustam sibi propositam refutantes, se potius bello obvium ituros, armisque acquisitam patriam armis defensuros, vel morte occubituros, denuntiant. Sicque XIV Kalendas Julii valida pugna confligentes, prima acie à Theutonicis pene victi sunt: sed succenturiatis copiis ex insidiis nostros circumvenientes, Italis citius terga vertentibus, Theutonicis maxima ex parte, sed non inulte occumbentibus, occulto Dei judicio; sive quia tantum Sacerdotem spiritalis potius, quam pro caducis rebus carnalis pugna decebat; sive quod nefarios homines quam multos, ad se ob impunitatem scelerum vel quæstum avarum confluentes, contra itidem scelestos expugnandos secum ducebat; sive justitia divina alias quas ipsa novit ob causas nostros plectente, quamvis nimis cruentam hostes adepti sunt victoriam; ipseque Dominus Papa in quodam ab eis castello obsessus, cum ex pugnata jam jamque munitione necessitate coactus, communionem eis prius interdictam reddidisset, acceptus ab eis, Beneventum cum honore reductus est: ibique tempore aliquanto detentus, nec redire permissus.

F

exercitu ejus à Normannis 18 Junii cæso,

ab hostibus ducitur Beneventum.

AUCTORE G. H.

scilicet à Beneventanis. Nam teste Leone Ostiensi, Comes Normannorum Hunfridus Pontificem adiit, & in sua illum fide suscipiens cum suis omnibus Beneventum perduxit, spondens quandocumque Romam ire disponeret, ipse illum Capuam usque deduceret. Intravit autem idem Papa Beneventum mense Junio, vigilia S. Joannis Baptistæ: mansitque ibi usque ad mensis Martii duodecimum diem: ibique infirmatus, vocato prædicto Comite, ab eo Capuam usque perductus est. Ibi duodecim dies remoratus, accersito tandem Abbate Casinensi sui itineris socio, Romam rediit: ibique post paucos dies quievit. Ad cujus tumulum Deus plurima tunc temporis signa effecit. *Hac Leo Ostiensis. Hermannus Contractus qui S. Leoni paucis dumtaxat mensibus supervixit in fine sui Chronici addit*, memorari eum miraculis claruisse.

23 Junii, in de dessessit anno 1054 12 Martii. obiit Romæ: clarus miraculis;

26 *Desiderius Abbas Casinensis, Cardinalis titulo S. Crucis, dein Summus Pontifex creatus anno MLXXXVI & Victor III dictus, hoc de eo testimonium profert*: Leo vir per omnia Apostolicus, Regali genere ortus, sapientia præditus, religione conspicuus, omniq; Ecclesiastica doctrina apprime eruditus, ac qui (quemadmodum scriptum est) cœpit invocare nomen Domini, quemq; etiam vidi, ejusq; familiaritatem habere merui: sæpe etiam, eo in ecclesia Missas celebrante, cum illo ad divinum altare sacris indutus vestibus steti, eique Euangelium legi: à quo omnia ecclesiastica studia renovata ac restaurata, novaque lux mundo visa est exoriri. Hic sæpe Sacerdotale Concilium advocans, Sacerdotes, Diaconos, & reliquos Clericos non regulariter ordinatos removit, & in eorum locis, ad veri & summi Dei cultum, qui digne ministrare possent, constituit. Quotidie quoque per se suosque discipulos ubique missos populis viam Domini, litteris & verbis prædicans, ostendebat: qui per Apostolicam viam semper gradiens, Apostolicos etiã viros in miraculis est imitatus. *Hac Desiderius, ex quo aliqua miracula infra referemus. Concludimus autem hunc pravium Commentarium cum hisce Leonis Ostiensis verbis:* Hic sanctus Pontifex, inter innumera suæ bonitatis insignia, quamdiu Romæ remoratus est, omni tempore tribus per hebdomadam diebus à Lateranensi ecclesia usque ad S. Petrum, privato habitu nudisque pedibus, cum duobus aut tribus Clericis, noctu psallendo & orando pergebat.

Gen 4, 26. B in omnibus perfectus Pontifex, noctu invisit basilicam S. Petri.

C

VITA

Auctore Wiberto ejus Archidiacono.

Ex Mss. codicibus S. Maximini & S. Huberti collatis cum editione Iacobi Sirmondi.

PROLOGUS.

1 Viam universæ carnis ingresso Pontifice Herimanno, successit venerabilis Bruno, vir talium prærogativa atque morum elegantia mirabiliter decoratus à Domino: qui licet jam quasi postremus appareat in Pontificalis discessionis catalogo; primus tamen enituit ex summi Pontificatus privilegio; & velut Lucifer cæli statione novissimus, sed soli propinquior exiit, dum post longam decessorum seriem, suo Sacerdotio Leucam urbem, immo totum Christianorum orbem illustravit, & verum solem sibi vicinum, errorum fugando caliginem, vivacitate sui candoris ostendit. Nec præjudicium incurrit ex posteritate, qui ante secula divinitus præfixo destinatus est in tempore: immutabilis enim Divinitas, cui cuncta assistunt acta & agenda simul, sic disponit alternationes mutabilium, ut non sibi quidquam serum aut præposterum sentiat in ordine rerum. Nempe, ut de reliquis interim taceatur, redemptio generi humano maxime necessaria in fine seculorum exhibita comprobatur; & qui plus omnibus laboravit Paulus, post Apostolos omnes à Domino de cælo vocatur, unde etiam abortivum semet nuncupasse invenitur. Verum ne diutius hic hæreatur, suscepto negotio stylus reddatur, ut de tanto Præsule non tam audita, quam visa ad ædificationem plurimorum transcribantur. Siquidem benignitas ipsius dignata est meam parvitatẽ familiarius sibi jugiter assistere, unde meum studium effecit, ut plura de eo imitanda valuissem per memet dignoscere: nonnulla quoque veracium & gravium personarum relatione, de quibus quædam vix summotenus perstringo quædam etiam sciens prætereo, ne aut sim longus plus justo, seu adulatoris noter elogio; aut, quia adhuc superest, impugner illo Salomonis proverbio; Ne laudes hominem in vita sua. Sed quoniam propositum habemus dona Dei laudare in eo, quæ sunt laudanda & in pagano; non hominem laudamus, sed illum à quo & per quem omnis homo veniens in hunc mundum illuminatur, ut aut bona cogitet, dicat, vel operetur. Numquid vero tantum Præsulem protestamur in hac misera vita, quæ utique est tota tentatio, sine peccato aliquando vixisse aut vivere, quod nec unius diei infanti valet evenire? Sed quibus est studii divinas virtutes in aliquo homine impressas ad utilitatem aliorum prædicare, peccata hominis, quæ jam à Deo tecta sunt, nolunt ad ejusdem improperium retegere. Hinc est quod Israëlitæ jussu Dei aurum & argentum in vasa formatum ab Ægypto asportaverunt, effigiatum autem in idola omnino reliquerunt. Unde ab ipsius exordio noster jam ordiatur sermo, in quo plurimum nobis successisse credemus, si ea tantum, quæ in Pontificatu Leucorum laudabiliter gessit, ex aliqua parte quovis stylo posteris transmiserimus. Sapientum autem & præcipue Romanorum erit, si quæ ipse Papa Romanus egit, Catholicæ Ecclesiæ fideli pagina non ingrati transmiserint.

De S. Leone. a se visa scribit auctor. dum is adhuc viveret, Eccl. 11, 30 D E

LIBER PRIMVS

CAPUT I.

S. Leonis genus, nativitas, litterarum studia.

F

2 Reverendus igitur Bruno utriusque parentis lineam adeo retinuit generosam, quatenus ab ipsis atavis & supra, quicumque ad nostram potuerunt pervenire notitiam, aut Regni seu Imperii retentaverunt habenas, aut proximas Regibus & Imperatoribus gestaverunt infulas. Procreatus est autem in dulcis Elisatii *a* finibus, patre Hugone, matre vero Heilewide: quorum religiositas multorum ora consuevit ad laudem Dei aperire. Et pater ejus, natione Teutonicus, Imperatoris *b* Conradi consobrinus, in patria lingua atque Latina disertissimus; mater quoque Latina, æque utriusque linguæ perita: quorum *c* patres & avi à prima indole armis & animis supra modum fortiter compresserunt acies sibi resistentes, se suasque defensando partes; & circa senium, abjecta omni superbia generis & luxu mundi, induerunt humilitatem & paupertatem Christi, patrimonia sua dando Ecclesiis, cœnobia construendo in suis & ex suis prædiis: sicque tandem perfecte secuti Christum, seipsos etiam abnegarunt; stultaque sapientia seculi omnino posthabita, sapienti stultitiæ Dei atque monastico habitui tota cordis contritione submiserunt, laudabilique per cuncta fine decesse-

a Pater ejus Hugo. b c majores militia clari, habitum monasticum susceperunt.

A d e *construxerunt 2 monasteria,* f g *Hugo aliud sanctimonialium,* h

decesserunt. Etenim inter plurima, quæ sparsim divinis distribuerunt templis, duo monasteria instituerunt ex suis prædiis, scilicet Hissam honori B. Martini Pontificis, nec non alterum *e* cœnobium venerationi S. Cyriaci Martyris: quin etiam *f* Lutrense cœnobium patrimoniis suis plurimum ampliaverunt. Quorum devotionem imitatus Hugo Comes præcipuus, & ejus devotissima conjux, parentes utique præfati Domini Brunonis, cœnobium remotæ vitæ aptissimum construxerunt *g* Woffenheim, penes nobile castrum suum *h* Engesheim dictum, ex prædiorum suorum decimis: in quo ad præsens sanctimonialium congregatio consistit, ad venerationem & gloriam almæ & victoriosissimæ Crucis.

i B *S. Leo edocta per visum matre,* *nascitur 21 Iunii anno 1002,* k

3 Hi denique ambo tantam tamque honestam exhibebant cunctis conversationem, ut etiam Ecclesiasticæ personæ & diversis gradibus functæ, ab Episcopis usque ad laicos, quiddam imitabile sibi in eis deprehenderent. Nam ut modo de multiplici eorum erga Deum vigilantia taceamus, utrum integre reddidissent rerum suarum decimationem, sub judicio aquæ *i* frigidæ perscrutabantur. Per quos dum decrevisset omnipotens Deus Ecclesiæ suæ Præsulem destinare, genitrici gravidæ qualem quantamque prolem in utero gestaret, dignatus est præmonstrare. Nam quadam nocte vir in religioso habitu per visum eidem apparuit, & quia masculam sobolem magnamque ante Deum futuram concepisset edocuit, atque Brunonem nominari jussit. Qui undecimo Kalendas Julii, anno videlicet ab humanato Dei Verbo millesimo secundo, Indictione quinta decima, ubi in hanc lucem fusus est, mirabile dictu, totum ejus corpusculum invenitur *k* charaxatum quasi crucicularum stigmatibus. Cujus rei novitate mater permota, & ex prioris visionis pollicitatione certior effecta, præter suam consuetudinem à nulla alia, nisi à seipsa pertulit eum sustentari lactis alimonia. Quem congruo tempore ablactatum, *l* Bertholdo sanctæ Tullensis Ecclesiæ Antistiti tradidit jam quinquennem, liberalitere ducandum litterarumque studiis imbuendum. Qui videlicet Bertholdus, genuinæ honestatis sectator mirabilior præ suis prædecessoribus, Leucam urbem filiis nobilium nobilitavit, in diversis speciebus thesauros ejus & decus valde ampliavit, ædificiis quamplurimis decoravit, litteralis exercitii personis adimplevit, monasteriorum normam intus & exterius restauravit.

l *instruendus traditur Bertholdo Ep. Tullensi;*

C *ingenue proficit:*

4 Tam idoneus itaque vir infantulum præfatum gratanter susceptum, & litteris fecit erudiri & omni honestate ingenuis pueris competenti. In quo cum quotidianis corpusculi incrementis, accrescebat egregia indoles mentis, quæ eum præ ceteris consodalibus commendabat cunctis. Sicut enim doctissimus pater Hieronymus attestatur, mollis cera & ad formandum facilis, quadam tractabilitate naturali divinitus formabatur, etiamsi exterioris artificis cessasset manus. Unde cælesti præeunte & subsequente gratia, cunctorum in se benevolentiam provocabat, quia nihil extollentiæ in eo conspiciebant, ex regalis stemmatis atque divitiarum, formæ quoque ac ingenii excellentia, quibus solent carnales supra modum intumescere, moxque detumescere. Erat quippe affabilis omnibus, etiam infimis, aspectu & affatu quoque hilaris; obedientissimus, non tantum majoribus & coæqualibus, verum & suis minoribus.

5 Ejus quidem collegæ, quamvis eo majusculi, extiterunt duo Adalberones contribules sui: ex quibus prior immaturo est hinc raptus exitu, Ducis videlicet *m* Theodorici filius, alter autem *n* Hezilonis Ducis germanus, ac Frederici eximii Principis natus, sub scholarum magistro, magister nepotuli sui Brunonis constitutus, quia tunc pro tempore habebatur sciolus: qui postea ad Antistitium Mediomatricæ urbis, voto Cleri & plebis magis quam suo assumptus, vir huic nostro tempori refulsit apprime prædicandus. Nam à principio soli Deo placendi cupidus, supra ætatem suam & valetudinem, carnem suam cum vitiis & concupiscentiis crucifigere aggressus est; adeo fervens igne divinitatis, ut ab ipsis Christiani tirocinii rudimentis putaretur perfectissimus. Denique ut in præsentia de plurimo ejus cœlibatu, de columbina innocentia, de serpentina prudentia, de discreta acrimonia, deque matura gravitate, in tenera indole taceatur; intantum semet jejuniis & vigiliis affecit, ut illud B. Job etiam historialiter dici possit: Pelli meæ, consumptis carnibus, adhæsit os meum.

AUCT. WIBERTO. m n *cum Adalberone,*

optimo jam juvene;

Iob 19, 20.

proficit in studiis & moribus.

6 Huic ergo tali collegæ indivisibiliter gemino connexus affectu, spectabilis puer Bruno insistebat litterali gymnasio, deque liberalitate sua sibi congaudebant mutuo. Quibus etsi adhærebant nobilium examina puerorum, ipsi tamen duo omnibus suis consodalibus præminebant, tam capacitate liberalium studiorum quam honestorum excellentia morum. Nempe ut primum competit rudibus, decurso artium trivio, non solum claruerunt prosa & metro; verum & forenses controversias, acuto & vivaci oculo mentis deprehensas, expediebant seu removebant sedulo: denique quadrivium naturali ingenio vestigantes degustarunt, atque non minimum in ipso quoque valuerunt, sicut sequentia ex parte indicabunt. Igitur cum ibidem pariter educarentur prædicti pueri, domini Brunonis genitrix somnio hujusmodi edocetur de futura promotione filii sui. Nam videbat quasi seipsam a parte Pontificalis cameræ venerandam basilicam beatissimi Protomartyris Christi Stephani ingredi, sanctæque memoriæ Præsulem Gerardum *o*, in vita & post mortem clarificatum miraculis, occurrere divinitus sibi, ac solventem à propria cervice orarium, quod vulgo stola dicitur, eidem reposuisse in manica. Quod filius ipsius non tam Sedis suæ, quam boni studii successorem cælitus prædestinabat. Nam cum quintus à Domino Gerardo reverendus Bruno computetur, ab ipso tantum, & non ab aliquo sequacium ejus videtur præelectus, quoniam Deo annuente eum præ illis est imitatus. Sed quia omnipotentis Dei pia dispensatio consuevit donis suis flagella & tribulationes permiscere (quemadmodum novimus beato Job, atque Apostolo Paulo, & pene cunctis electis contigisse) dicendum videtur, qualiter in ipsius pubertatis ingressu fuerit periclitatus, & mox accedente cælesti medela salvatus.

B o D

ANNOTATA

a *Prope Lotharingiam hodiernam, ubi Comitatus de Dasborch est, haud procul Salma & monasterio Senoniensi, Consule Chronicon Senoniense lib. 4 cap. 121 tomo 3 Spicilegii Dacheriani.*

b *Hic est* Conradus Salicus, *Dux Wormatiensis, à morte S. Henrici Imperatoris, Rex Germaniæ creatus anno 1024, die 8 Septembris; coronatus Romæ Imperator die Paschatis anno 1027; natus patre Henrico Duce & matre Adeleide seu Adelaide: quæ & Hugo pater S. Leonis, erant ex duobus fratribus, Eberardo illa, Hugone hic prognatus: & sic isti erant fratrueles; & hic Conradus & Hugo dicuntur consobrini, quod per matrem Imperatoris essent consangui-*

AUCT. WIBERTO.

sanguinei. Consule Tabulas genealogicas Alsatiæ ab Hieronymo Vignerio editas & sic Conradus infra num. 18 suum erga S. Leonem amorem, appellat consanguineum invicem affectum avitæ propinquitatis.

c *Vignerius dicti* Hugonis patrem & avum *appellat etiam* Hugonem, *& de hoc utroque sequentia intelligit & ex priore Hugone, per filium Gontrannum, deducitur familia Habspurgica & Austriaca. Quod autem Hugo*, Teutonicus, *Helleweldis*, Latina *fuisse dicatur; intellige quoad patriæ linguæ diversitatem.* Latina *autem lingua tum dicebatur, quæ nunc* Gallica, *aliis* Romana *appellatur, cujus tunc usus erat per Lotharingiam & Burgundiam, atque etiam nunc est.*

d Hessam monasterium sanctimonialium penes Sareborch *appellat Chronicon Senoniense lib. 2, cap. 14. Est vero superius Saraburgum inter Salmam & Vinstringam, cui adjacet Hessa.*

e *Videtur in dicto Chronico dici* Aldorf Ordinis S. Benedicti in Alsatia: *& ut observat Bucelinus in Germania sacra*, inter amnes Ergers & Breuschium, bello Waltheri de Geroltseckh Argentinensis Episcopi exustum, neque multo post restauratum.

f *De Lutrensi in Burgundia Comitatu monasterio egimus 18 Ianuarii, ad Vitam S. Deicoli ibidem Abbatis.*

g *Lib. 4 dicti Chronici Senoniensis cap. 21* Vuffenhem in Episcopatu Basiliensi.

B h Engeisheim, *aliis* Egenisheim, *vulgo* Ensheim, *olim caput superioris Alsatiæ, ubi camera & sedes juridica, Brisgoviæ quoque & Sundgoviæ: in cujus vicinia sunt pagi plurimi, in* hem *(quod domum sonat) nominis terminationem sortiti.*

i *Spelmannus in Glossario, ad vocem* Judicium Dei, *agens* de priscis suspectorum examinibus apud Christianos, *hoc quoq; aqua frigida judicium attingit, plura promittens ad vocem* Ordalium, *sed hæc pertinebat ad partem secundam, quam morte præventus vulgare non potuit: interim allegat Ludovici & Lotharii Imperatorum leges ejusmodi judicium prohibentes, quod in eo consistebat, ut si crimen verum esset aut supernatarent gravia aut levia mergerentur: apparet tamen non fuisse culpatum in quocumque casu, quando non ipsi homines sed res aliqua inanima subjiciebatur examini, ut hic indicatur.*

k Charaxare *à Græco* χαράσσειν, *sculpere, scribere, pingere. S. Greg. lib. 7 Registri ep. 40 ait* notitiam donationis non esse de polyptychis charaxatam.

l *Sedisse* Bertholdum *anno* 1005 *constat ex Chronico Alberici.*

m *Fuit* Theodoricus Dux Mosellanorum, *cujus meminit Sigebertus ad annum* 1009: *& tempora congruunt: filius ejus prior* Adalbero *designatus Episcopus Metensis.*

C n *Alter* Adalbero, *filius Friderici I Comitis Luxemburgensis, factus Episcopus Metensis anno* 1047, *vixit usq; ad annum* 1072, *at frater eius Hezelon Dux hic memoratus est* Henricus, *cognomento* Hezelin, Comes Ardennæ & Dux Bavariæ.

o S. Gerardi Ep. Tullensis *Vitam damus* 23 *Aprilis.*

CAPUT II.

Sanitas è periculoso morbo divinitus collata: Vita aulica apud Imperatorem, militaris in expeditione Longobardica.

7 CUm jam solito liberiorem à scholari jugo adeptus fuisset cervicem, multotiens parentum suorum invisebat mansionem delectatus non tantum genuina affectione, quantum religiosa eorum conversatione, & liberrima domus suæ in militibus & familia dispositione. Ergo quodam æstivo tempore, dum ex more cum eis apud nobile eorum castrum Eginisheim nuncupatum moraretur, superveniente cujusdam nocte sabbati in amœnissimo cubiculo soporabatur. Cujus dexteram faciem venenosa illa rana, quæ bufo nuncupatur sive rubeta, conscendit, eique ex anterioribus pedibus unum in genis, alterum autem sub labio, & ex posterioribus pedibus priorem post aurem, alterum vero sub mento affigens, fugere ac stringere immaniter cœpit. Quo dolore expergefactus, horribilis animalis deprehendit faciei suæ incumbere pernitiosum pondus. Tanto itaque tamque novo periculo attonitus, à strato se ocius corripuit, & immodicum non perferens cruciatum, ictu palmæ post aurem libratæ virosum illum in eumdem stratum suum decussit, timens ne si manu medium arreptum extrahere tentasset, acrius irreperet. Tunc nequam ille, licet in suo super lectum casu elisum sonitum reddiderit, tamen capitalem pulvillum denuo conscendere, ipso perspiciente, non distulit: nam lunaribus radiis tunc illustrabatur omne penetral e cubilis. Nec mora famulorum turba repentino dilecti Domini sui clamore excita accurrit, lucernam secum exhibuit, sed pestiferum illud animal sub illorum ingressu nusquam comparuit. Inquiritur passim diligentissima vestigatione vernaculorum, sed omni suppellectili cubilis eversa ac perscrutata, minime fuit repertum. Sed sive illud verum aut phantasticum fuerit, plagas tamen veras & dolores veros reliquit: quibus etiam totum vultum, guttur ac pectus tumefactus, usque ad desperationem aliquatenus recuperandæ sospitatis est infirmatus. Vterque ejus parens omnesque sui super hoc miserabiliter duobus mensibus plenis consternabantur, solum funus jam efferri suspicantes, lugubrem illam exequiarum pompam continuis suspiriis & lacrymis præstolabantur.

Dormiens à bufone sauciatur:

D

E

gravi morbo laborat,

8 Verum benignus Jesus, desperatis rebus succurrere solitus, super plenaria ejus sospitate subito parentes ejus est consolatus; & ecclesiæ suæ per hunc relevandæ secundum propositum suum recordatus. Nam cum jam duobus mensibus à lecto per se minime surgere potuisset; jamque concrescente infirmitatis nimietate, sine loquela octo diebus permansisset; tandem quadam die apertis oculis, supino, ut recubabat, vultu vigilans, conspexit quasi luminosam scalam ab ipso suo grabato per se ipsam erigi, & fenestra ad pedes ejus transita usque in cælum porrigi, atque per eam quemdam nimiæ claritatis reverendæque caniciei senem descendentem in habitu monachali, cujus dextera gestabat crucem conspicuam in longo hastili. Qui ad ægrotum ut pervenit, sinistra manu scalam retinuit, dextra vero eamdem crucem primum ori ejus apposuit, deinde loca tumoris ipsa signavit, & totius veneni incoctam putredinem post aurem extraxit; statimque via, qua venerat, reversus dimisit infirmum habentem se melius. Nec mora denique Adalberonem suum Clericum, tunc tantummodo ejus assidentem lectulo, allocutus, per eum optato nuntio paternam domum cunctam repressit à diuturnis planctibus. Post aliquot autem dies omni veneno, pustulæ illius rupta cute, post aurem dexteram ejecto, sospes & incolumis evasit, sub maximo cunctorum miraculo atque gaudio. Qui, sicut nunc usque inter commonitoria colloquia tam evidentem Dei miserationem super se agnitam recitare suis familiarissimis est solitus; profitetur se in præfata ecstasi beatissimum Patrem monachorum Benedictum illico luce clarius agnovisse, ex qualitate vultus & habitus; cujus corporis accidentalem dignoscentiam ita hactenus commemorat, quasi præ oculis carnis adhuc habeat. Porro sequentia lecturi, desinent profecto mirari, hunc potius per S. Benedictum, quam per alium quemlibet Sanctorum restitutum sospitati: ubi volvente sermonis rota perpendere poterunt ex paucis, quan-

à S. Benedicto apparente,

sanatur:

postmodum ordini monastico valde addictus,

F

10

A ro zelo pii amoris erga Monachorum institutionem & correctionem flagraverit. *a*

a Herimanno Episcopo Tullensi paret: 9 Hinc itaque, decedente Domino Bartholdo suo nutritore, succedenti Herimanno non recusavit æque parere: quasi illud beati Papæ Gregorii dictum jugiter præ oculis mẽtis videretur habere: Præesse nõ audeat, qui subesse non didicerit; nec obedientiam subjectis imperet, quam Prælatis non novit exhibere. Compatiebatur equidem tunc temporis adversa passis, præsertim venerabilibus venerabilis viri *b* Apri cœnobitis, in quos procacissimæ adulatorum & invidorum linguæ supra modum instigabant animum præfati Antistitis. Nunc pro eis murum semet, quantum poterat, opponebat: nunc, quod solum poterat, cum flentibus flebat. Ejus etiam annitente auctoritate & industria, in statu, quem ab idoneis & prioribus Præsulibus acceperat, integerrime permansit sub Herimanno institutio & præbenda canonica, intra beatissimi Levitæ & Protomartyris *c* Stephani claustra.

b compatitur afflictis monachis:

Canonicis S. Stephani opitulatur: c

B 10 Verum quoniam omnia tempus habent, secundum quod dispensat temporis Conditor, temporis tamen expers, qui per quædam aliena suos perducit ad sua; accidit ut eximius adolescens à parentibus & consanguineis assignaretur glorioso Imperatori Conrado, contribuli suo, ejus educandus in aula, atque excubaturus in basilica. Ubi nondum multis decursis diebus, omnium aulicorum benevolentiam perfecte est adeptus; utpote quem gratiosum exhibebat, præco ejus conversationis ac prudentiæ, generis ac formæ decus: unde cum ab eis ibidem Brunones æque vocarentur multi, hic tamen Bonus Bruno meruit prænominari. Quam prærogativam ita in dies augmentando, sine sodalium invidia, vendicabat sibimet, ut & minoribus sese quadam rationabili condescensione aptaret, majoribusque liberali dignitate per omnia congrueret.

degit apud Conradum Imperator.

carus aulicis

d & ipsis Augustis. 11 Præterea unico & *d* patrio affectu ab Augusto Augustaque adeo est dilectus, ut etiam in secretissimis eorum consiliis grataner admitteretur, & sententia ipsius reverenter dulciterque exspectaretur, ac promulgata indubitanter susciperetur. Quem cum quotidie deliberarent, incessanterque ambirent sublimare honore quam maximo, &, ut patenter dicam, donare Pontificio temporalibus copiis supra modum locupletato; ipse jam præmonitus Domni Gregorii irreprehensibili & aureo stylo, cœpit hoc suspectum habere omnino, ne sibi divinitus imputaretur, quasi munus ab obsequio: à quo nonnullos consociorum suorum ob aliquantulæ sublimationis spem, nulla corporis poterat revocare fatigatio; nulla rei familiaris annullatio. Unde quia nec ab Imperiali latere recedere sibi licebat, nec taliter obsequi libebat; in animo suo tantum Deo conscio & teste proponebat, ut si cum beneplacito ejus ad quantumlibet pauperrimæ Ecclesiæ invitaretur regimen, alacrior ad id accederet, quam si eum Majestas regia ad supremæ potestatis & locupletationis dignitatem aliquo carnali affectu impelleret. Quod quidem tanto admirabilius est habendum in levitate juvenili; quanto rarius deprehenditur & in gravitate senili. Sed jam dicendum videtur, qualiter iste humiliari pro Deo cupidus, paulatim ab ipso fuerit mirabiliter sublimatus: sicut in libro Regum per Prophetam testatur, Glorificantem me glorificabo, qui autem contemnunt me, erunt ignobiles.

C præ amplissima Ecclesia

mavult pauperrimam præesse.

1. Reg. 2, 30

Anno 1025 in Longobardiam 12 Anno igitur ætatis suæ vigesimo tertio, cum jam alteram adolescentiæ hebdomadam fuisset ingressus, & ab incarnato Dei Patris Verbo millesimus vicesimus quintus excurreret annus; vice sui Pontificis Herimanni, in expeditione præfati Conradi Imperatoris, super Longobardiam & maxime super Mediolanum tunc rebellem, præclarus Bruno est profectus, Levitico officio insignitus. Namque illo suo Antistite annis morbisque prægravato, ipse auxiliares militum copias Imperatori, venientes à Tullo, ducẽdas suscepit, tam ejusdem Episcopi quam Augusti placito: salvo tamen per omnia proprii gradus sacramento. In illius itaque secularis militiæ dispositione, sic repente sagax apparuit & providus, quasi hujusmodi negotiis tantum fuisset hactenus exercitatus. Metabatur castra suis, disponebat stationes cum vigiliis, sumptus & stipendia opportunis administrabat in locis & horis, sobria sufficientia apparatas dapes distribuebat suorum singulis: quos sic per assignata & congrua unicuique officia curabat ordinare, ut tantum pro se quisque tam nobiles quam privati debuissent soliciti esse. Cujus certe solicitudo, & suis erat tuitio, & hostibus dejectio, & sibi ipsi digna laudatio: taliter suos regens consilio & solicitans præcepto, per eosdem prospere perficiebat, quæ sibi communiter expediebant & procinctui publico. Unde f ctum est, ut reddendo quæ sunt Cæsaris Cæsari, & Deo quæ sunt Dei, per Apostolum suum præcipientis; quatenus omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit, quoniam non est potestas nisi ab ipso, per alienum quantocius ad suum pervenire promeruit. Et quia fideliter ac prudenter inservivit exterioribus, ad plenum remuneratus est interioribus, ut super multa constitutus, & Conditori suo adhæreret celsius, & proximo compateretur profundius.

AUCT. WIBERTO. militem Tullensem ducit:

sagax in omnibus.

Rom. 13, 1

E

ANNOTATA.

a *Hinc videretur colligi eum non assumpsisse habitum Benedictinum: id enim alias hic debuisset indicari.*

b S. Aper Episcopus Tullensis *colitur* 15 *Decembris, & cœnobium S. Apri est in suburbio Tullensi.*

c *Est Ecclesia Cathedralis dicata* S. Stephano.

d *Ita Sirmundus: at* MS. Patricio,

CAPUT III.

Electio in Episcopum Tullensem. Assensus Imperatoris tandem impetratus.

F 13 Deinde instante anno ab Humanitate Filii Dei millesimo vicesimo sexto, Leucus Præsul Herimannus abstractus est carnis ab hospitio, cum Quadragesimali tempore moreretur Coloniæ in quodam suo prædio. Ex templo Clerus & populus provisore orbatus, concordi voto eademque sententia confœderatus, diu sibi desideratum, & jugiter dilectum Brunonem consonis & continuatis expetit vocibus.

Anno 1026 mortuo Tullensi Episc. concordi voto eligitur:

14 Hinc totius recrastinationis impatiens, deprecatorios atque contestatorios super tam unanimi electione sua dirigit Imperatori apices. Quorum, ut compendiose dicatur, causa ista fuit. Post præmissam debitæ salutationis reverentiam, nimium compunctam suæ calamitatis exponunt tragœdiam, dicendo se quaquaversum impeti atque inquietari pene quotidianis deprædationibus sive côcertationibus, utpote in trium regnorum constitutos confiniis, in imperii sui videlicet finibus, in quibus tanto acrius ab hostibus laborarent, quanto longius terrarum spatia ab ejus præsentia eos arcerent. Præterea civitatem suam à Francorum Regibus jugiter reposci, diversis & multis machinationibus: cui damno reipublicæ, ac suo, vexationique suorum, si dignaretur obviare, destinaret eis Pastorem nobilem ac sapientem quam maxime, cujus strenuitas & industria sibi infensam hostium rabiem valeret propulsare. Ad quem

& ab Imperatore expetitur:

AUCT. WIBERTO. que utiq; vestigandum non esset valde laboraturus, quandoquidem Cleri & plebis unanimitate delectus, penes ejus Imperialem majestatem consanguineus Bruno haberetur, Deo bonisque hominibus dilectus: eo quod hunc sibi notissimum, utpote suum ipsorum alumnum, & inter ipsos atque ab ipsis liberalium litterarum scientia eruditum, sine querela conversatum, & per singulos gradus Ecclesiæ regulariter ad Leviticum ordinem provectum; hunc non modo cum suburbanis urbani, verum & omnes circumcirca expeterent vicinæ plebes, & comprovinciales Episcopi. Aut concederet ergo eis, cum beneplacito Dei & suo, istum aut nullum: quoniam in promptu haberent illud beati Papæ Cælestini decretum: Habeat unusquisque fructum suæ militiæ in Ecclesia, in qua suam per omnia officia transegit ætatem: in aliena stipendia minime obrepat, nec debitam alteri sibi audeat vendicare mercedem. Sit facultas Clericis renitendi, si se viderint prægravari, & quod sibi ingeri ex transverso cognoverint, non timeant refutare: qui si non debitum præmium, saltem vel liberum de eo, qui eos recturus est, debent habere judicium. Et illud Domni Leonis præclari Doctoris. Nullus invitis & non petentibus ordinetur, ne civitas Episcopum non optatum aut contemnat aut oderit, & fiat minus religiosa quam convenit, cui non licuit habere quem voluit. Contra tam evidentem & Canonicam auctoritatem si posset eis terrena potestas violentiam inferre; non tamen benevolentiam eorum ab isto suo electo valeret aliquando avertere. Tandem igitur unanimi & præcordiali prece ipsorum moveretur Imperialis ejus Serenitas, & magis in hac parte attenderetur Ecclesiæ Dei utilitas, quam illa quæ secundum seculum pertractabat altius eum sublimare ejus consanguinitas.

15 Interea & speciales litteræ Domino Brunoni sunt directæ, quæ totius Cleri, Abbatum, & cunctarum congregationum universique Leucæ diœceseos populi taliter nitebantur desiderium seu negotium perorare; quod viduati Pastore ipsum sibi concorditer solum delegissent, & ab Imperatore exigerent; propter Omnipotentis timorem pariter & amorem, nullo pacto eos inde perturbaret. Ac ne paupertatem illorum, cujus hactenus bene conscius erat, abhorreret; contestabantur ei per illum, qui cum esset dives pauper pro nobis factus est: nec quod tanti præconii tantæque nobilitatis personam ipsi viles & abjecti præoptarent, majoribusque ac suis merito congruis urbibus inviderent, ad injuriam sibi aliqua, quam adhuc in eo non deprehenderant, arrogantia reputaret. propter eum qui semet pro nobis humiliavit usque ad mortem. Liceret eis laboris sui fructu perfrui, & versa vice à nutritio suo nutriri: quia secundum Apostolum, laborantem agricolam oportet primum de fructibus suis percipere. Consequens enim foret, ut Ecclesia, quæ talem educare meruisset, talem & sibi mereretur destituta Pastorem: qui etiam pro modulo divinitus concesso mortalibus, illud speciale boni & summi Pastoris dicere posset: Cognosco meas, & cognoscunt me meæ. Non vero eos lateret, quod terreni Principis pietas ad majora eum, merito consanguinitatis & complacitæ illi conversationis, promotum ire deliberaret: itaque si ipsos post se clamantes exaudiendos censeret, continuis precibus de reliquo cælestis Imperatoris largitatem pulsarent, ut ei cælestem ac terrestrem honorem accumularet: si autem contemnendos putaret, quia eminentioris dignitatis apici seculariter inhiaret; divina æquitas contemptus illorum ultrix sic accederet, ut nec ad illum cui intendebat, nec quemlibet alium honorem aliquando ascenderet.

[Margin: & per epistolam invitatur. — B — C — 1. Cor. 9, 7 — Joan. 10, 14]

16 Hujusmodi ergo syllabis à Domno Norberto, tunc laudabilis vitæ monacho, pridem autem sancti Protomartyris Stephani Canonico, atque Liethardo adhuc quidem Canonico susceptis, qui præ sui comitibus itineris alacres & impigri executores tantæ talisque causæ fuerant designati à Clero & populis; plurimo varioque curarum æstu uterque afficiebatur, Imperator scilicet ac Domnus Bruno eidem carissimus. Et Imperator quidem, quamvis gauderet dilectionem, quam erga ipsum venerabilem Brunonem meram & germanam debito affinitatis considerationeque strenuitatis ejus possidebat, multorum laudibus vel testimonio commendari & approbari; non mediocriter tamen contristabatur, quia illud suum desiderium, quo appetebat illius temporaliter sublimiorem dignitatem, sentiebat præpediri. Timebat ne Deum offenderet, si Ecclesiæ ejus tam unanimi voto repugnaret: dolebat, si tantæ personæ pro meritis non responderet. Quid hic multis hæreo? In tanta mentis fluctuatione deprehensus, per Legatos, à latere suo directos, omnibus ingeniis inde jam sæpedicti Domni Brunonis intentionem revocare est conatus; modo conflictationes creberrimas atque depopulationes illius Ecclesiæ commemorando, & modo paupertatem supra modum exaggerando; modo quod in extremis Imperii sui finibus urbs illa posita, aut numquam aut rarissime æstimaretur digna Imperatoris diversorio; modo quod eumdem nepotem suum, sibi per omnia carissimum, nequiret perferre æquo animo disgregari à se tanto terrarum spatio. Parceret igitur sibimetipsi, & tam suæ utilitati consuleret atque quieti, quam medullitus eum amantis Imperatoris voluntati & perturbationi: potius surda aure illos præteriret, qui suam ipsorum necessitatem seu consolationem, quam ejus salutem & honorem pluris penderent; maxime cui ipse condignam suo generi ac merito dignitatem instanter prævideret. Verum quia multa consilia in corde viri, voluntas autem Domini fiet, ut Salomon ait, longe aliter afficiebant subditum Deo animum Domni Brunonis, destinatæ sibi syllabæ ab Ecclesiæ populis: quorum unanimi & humili invitatione, sentiebat se ad humilia invitari ab ipso Magistro humilitatis, qui Rex hominum fieri refugit, & ultro ad crucem venit: nec immemor illius sui prioris propositi, quo malebat jugiter omni humilitate, vilitate, & extremitate contentus, Christo famulari, quam temporaliter cum aliqua corruptela integræ conscientiæ, id est quavis venalitate, sublimari, quam trimodam comperaret dictis B. Gregorii, scilicet à manu, ab obsequio, à favore.

17 His utique tribus pedissequis ambitiosæ venalitatis animadvertens Ecclesiasticas dignitates nimis confundi ac subrui nec facile aliquem ab aliqua istarum immunem posse reperiri, nihil sibi tutius fore credidit, quam populari electioni, ad humilia se vel adversa attrahenti, assentiri; & Imperiali suggestioni, ad magna vel prospera incitanti, reluctari. Denique laudabile est quemquam pro Deo prospera declinare: sed multo laudabilius constat adversis se sponte offerre. Hinc est quod Moyses ad principatum divinitus vocatus excusat, & se postposito alium postulat, dicendo, Obsecro, Domine, mitte quem missurus es; atque Isaias, ad nuditatis ignominiam multiplicemque passionem, nec nominatim, designatus, ultro se ingerit proclamando: Ecce ego, mitte me. His ergo & aliis virtutum incitamentis succensus, & oleo divinæ gratiæ repletus, rectæ intentionis flammam tanto spargebat alacrius, quanto flatibus carnalium affectionum impellabatur acrius: fiebatque ut illa dissuasoria aura à Cæsare veniens & ejus aula, magis augmentaret ac confoveret

[Margin: D — varios casus & obstacula Imperatoris, — E — Prov. 19, 21 — rejicit, — F — contemnit electionem ad vilorem Episcopatum. — Exod. 4, 13]

A ret, quam consopiret aut exstingueret ignem divini sacrificii devotæ mentis in ara.

18 Itaque illam beati Petri sententiam, qua dicit, Humiliamini sub potenti manu Dei, ut vos exaltet in tempore visitationis, gratanter amplexus, disruptis cunctæ dilationis nexibus, Imperatori adhuc dissuadenti obtulit syllabas missas sibi à Clero & plebibus, ingenua tamen (ut ita dicam) virgineo pudore ora suffusus. Apicum autem tenore clarissimus Princeps edoctus, ad lacrymas est permotus, & uberrimis fletibus attestantibus extrinsecus palam fecit, quanti eum haberet intrinsecus. Demum aliquanto interjecto silentio, linguam famine soluit in isto: Meam sententiam super honore tuo, dulcissime mi nepos, jam diu deliberatam superna video sententia impugnari, imo expugnari: cui cogor manus dando, sicut debeo, suffragari; quoniam non sine pernicie nostrum amborum & multorum possum diutius refragari. Pietas Omnipotentis jam nunc tibi in hoc adsit, quæ quid ambobus nobis & omnibus expediat magis novit. Mihi ergo jam libet, quod evitare non licet. Tu tamen gratia Dei contentus, qua sola crederis ad illius Ecclesiæ regimen præelectus, nullo venalitatis modo, nec ipsius conjugis meæ, nec cujusvis mortalium tuæ parti concilies affectus, ne hinc ex te per omnes tibi credendas oves serpat hujus simoniacæ hæreseos nævus. Proculdubio enim

1. Pet. 3, 6 obtinet assensum Imperatoris.

B qui cœpit in te bonum opus perficiet quantocius. In ipsius gratuita pietate tuum jacta cogitatum, & ipse te enutriet, secundum viridicum suæ divinitatis sententiæ promissum. De nostri autem consilii & juvaminis solatio, quantumlibet illud sit, ne fias ullo modo dubius: quia super omnes tui ordinis, de tua re prosperanda semper ero solicitus, quem nobis commendat & indefessus labor fidelis ergo uos serviminis, & consanguineus invicem affectus avitæ propinquitatis. Tantum satage Omnipotenti fideliter deservire, & bonorum morum indolem, quæ in te à cunabulis laudatur, studeas augmentare. His aliisque verbis à regali dulcedine roboratus venerabilis Bruno, sponte laborioso se submisit oneri, in solo fisus Domino: quippe qui noverat se non vocari ad prosperitatis gaudia, sed ad gravium laborum perpetienda pericula.

Phil. 14, 23

CAPUT IV.

Pericula subita in discessu ex Italia. Inthronisatio & Ordinatio in Episcopum.

19 Adeptus ergo donum Pontificalis culminis, in non minimo reliquit contribules aulicæ potestatis mœrore, qui ejus semper innitebantur consiliis salutaribus, quorumque causas sedulò procurabat interventibus strenuis: & licet ei congratularentur de attributo honoris culmine; sibi tamen dolebant, quod carerent ejus contubernalis familiaritatis & affaminis prædulci solamine. Accepto autem ab Imperiali majestate digrediendi commeatu, deferuntur illi nova adversitatis nuntia in ipso itineris procinctu; scilicet nisi præcaveat se fore passurum insidias à Longobardis patriensibus, qui per id adhuc temporis contra Augustum superbis rebellabant cordibus. Nam illis forte diebus regius exercitus a Orbam Mediolanensium oppidum oppugnabat, quia inibi insidi infidelitatis apostatæ Imperatori subjectionem denegantes latitabant. Commonetur ergo à familiaribus horum insidias avertendo præcavere, affluentibus fore utilius aliam viam quamlibet longiusculam expetere, quam incaute propter itineris compendium in manus eorum incidere. At ille expers timoris juxta illud Salomonicum, Justus

C

Monitus de insidiis Longobardorum.

Prov. 28, 1

quasi leo confidens absque terrore erit, scuto fidei præmunitus, lorica justitiæ galeaque spei salutis adornatus, taliter se à recto itinere dehortantibus infit. Omnipotentis manibus cunctam nostræ salutis curam committamus, quia nemo valet illi nocere, quem divina voluerit protectio defensare. Si autem me destinaverit igne tribulationis à peccatorum scoria expurgare, non abnuo voluntati pii artificis me ad informandum committere, quoniam nec debet figmentum ei qui se finxit, Quare me fecisti sic? reclamando dicere. Via regia absque diverticulo gradiamur, & quidquid nobis supernus arbiter præviderit, libenti animo patiamur.

AUCT. WIBERTO.

generose respondet,

20 Tali itaque commonitorio suos sagaciter adhortatus, cœptum tendebat iter, de celesti auxilio jam securus. Sed qui erat vas humilitatis dicatum Deo, ne notaretur superbiæ cauterio, si omnino refutaret familiarium uti consilio; partim voluntati eorum obsequitur, scilicet ut à grege comitantium cum paucis disparatus eos itinere præiret diei unius. Interea in cunctis pene mansionum abditis Longobardorum occultabantur insidiæ, ubi spes erat eum causa corpus reficiendi debere pernoctare, maximeque apud b Iporeium civitatem hujusmodi insidiarum parantur fraudulentiæ. At ipse, ut dictum est, paucis, hoc est, non plus quam quinque comitantibus, poli axe solis calore jam fervente, per medium ejusdem civitatis ingressus, ita secure, Dei annuente gratia, omnem illius urbis popularem frequentiam pertransiit, ut nec in alloquendo quidem ullus ei viam incommodaverit, neque sibi alium alloquendi necessitas ingruerit. Jam autem solis sphæra undas irradiante Oceani, urbem intrant ejus sequipedes comites post terga relicti, moxque ab omnibus insidiarum latebris accurritur, acsi diu quæsita canum præda violenter rapiuntur; in cunctorum vultibus solus Bruno requiritur, sed quē Christi virtus eruerat, inter omnes solus Bruno minime reperitur. Toto noctis spatio fit de eo quæstio, abieritne an veniat, sed nulla veri ratio ejus factum publicat. Nascitur suspicio, quod jam pridem pertransierit: ad quem insequendum celeres diriguntur veredarii. Sed dilectus Præsul, jam ad extremos Italiæ fines pervenerat, locumque qui dicitur ad c Cameram subintraverat, ubi eum mirabili consilio divina providentia liberat. Nam sui pauci comites, longinquo defatigati itinere, ibidem ad recreandum disposuerat residere: Sed ille præsagus mente, solus uno contentus portas pertransit Cameræ, expectaturus socios parva refocillandos requie. Cum vero ab eis esset ablongatus intra spatium duorum sagittæ jactuum, subito prædicti insecutores anhelo cursu adveniunt, lassos ejus comites jam discumbentes reperiunt; raptos retrogrado itinere celeriter Iporeium reducunt, sperantes se diu quæsitam prædam reperisse, quos Deus jocoso miraculo quodammodo voluit deludere. Tali itaque consilio divina virtus malorum nequitiam propria spe defraudavit, sibique fidelem ab ipsorum rabie liberavit, cui etiam mox cuncta sua de integro salva restituit, suppetiante ejus cognata, nepte d Rodulphi Regis Jurensis, conjuge sui germani nomine Gerardi, strenuissimi atque elegantissimi militis.

feliciter evadit, E

b

captis suorum comitibus.

c

F

quos omnes recipit, d

21. Auspicato ergo cursu cœptum iter exequitur, à cunctis prætergrediendis urbibus per viam plausibiliter excipitur: à propriis civibus ejus desiderio inhianter attonitis favorabiliter præstolatur. Tandemque die Dominicæ Ascensionis e tertio decimo Kalendas Junii omnium inexplebili gaudio susceptus, præsentibus cunctis Belgicæ Galliæ primatibus electus ac laudatus, à suo consobrino Domino f Theodorico Mediomatricorum Præsule est Pontificaliter inthronizatus. Quique sciens se esse debere

Tullum venit, e

inthronizatur, f

in dos-

AUCT. WIBERTO. in domo Dei lucernam, non sub celante modio, sed super refulgens candelabrum collocandam; solicita studuit vigilantia mox expromere divinæ religionis ignem, quo semper incaluerat, ac sibi subditos ardenter in supernæ virtutis zelo verbis & exemplis accendebat. Et sicuti fertur exemplo seculari,

Quoque magis tegitur tectus magis æstuat ignis, ita cœpit in eo diu clausus cælestis amoris fervor inardere, sicut qui ab ipsius infantiæ bona indole solitus erat Christi inspiratione fervescere. Suum itaq; sagax studium super omnia convertit in propaganda religione monastica, quæ præter sancti Confessoris Christi Apri cœnobium in omni sua diœcesi, jam (proh dolor!) longo tempore refriguerat: *g* Medianensis namque ac S. *h* Mansueti monasterii Prælatos, *reflorat disciplinam monasticam:* qui posthabito animarum sibi commissarum studio in solo exteriorum dominatu se putabant constitutos, deposuit in ipso suæ electionis exordio, atque Domno venerabili Widrico, tunc per id temporis Præposito præfati cœnobii B. Apri commendavit; cujus provisione & solerti industria ordo monasticus, uti adhuc in propatulo est, in eisdem locis ferventer recaluit.

B 22 Victoriosus vero Rex Conradus, auditis, fama vulgante, ejus laudabilibus actis, indies erga illum magis magisque ardebat affectibus pleni amoris, præsagiens ipsum futurum vas fidele ad reformandam sacræ religionis normam, & ad augmentandam jam defluentem Romanam Rempublicam. Et quoniam caussis instantibus usque insequenti Pascha distulerat sibi à Domno Apostolico Romæ dandam Imperialem benedictionem; itidem etiam isti vinculis perfectæ dilectionis astrictus differri jusserat *non vult in coronatione Imperatoris Episcopus ordinari, à Papa,* ejus Episcopalem ordinationem, uti simul unaque in basilica sumerent utrique ab eodem cæli Clavigeri Vicario prædestinati officii consecrationem. At ipse prænominatus Deo amabilis Bruno, custos veræ humilitatis & servantissimus præceptorum Divinæ auctoritatis, cognito quia hic terrenus honor sibi ab Augusto collatus aliquos invido dente mordebat, quoniam Trevirorum Archipræsul prolatione sui cujusdam privilegii huic Regiæ voluntati obstare cupiebat; hic noster mox adiit Regem obnixo precamine, ut à tali desisteret conamine; asserens se libentius honore hujus benedictionis carere, quam C in alicujus dissidio contradictionis contra quemquam in futuro remanere.

23 Vix ergo & cum summo difficilique labore Domnum Augustum ab ea voluntate resipiscere cogens, ac ipsius dulci commeatu Belgicam Galliarum *sed à Trevirensi Archiepiscopo, i* repetens, à Domno Archiepiscopo Trevirorum *i* Poppone, Pontificalem humiliter poposcit benedictionem; atque inter se statuerunt tempus hanc sanctam fieri ordinationem. Trevirim ergo venitur, consuetus ordo consecrationis inquiritur: ubi durus quæstionis scrupulus omnem rem peragendam diutius intricat, ita ut omni imperfecto labore jam dictus dulcis Pater frustratus domum redeat. Nam à prælibato Archipræsule quoddam privilegium promulgatur, *detrectat ardunm votū emittere,* in quo hæc lex superflua atque impossibilis à nemine servanda continebatur, scilicet ut quisque suorum Suffraganeorum ab eo ordinandus, prius sub divinæ præsentiæ testimonio spondere debeat, quatenus in cunctis rebus agendis eum sibi ad consilium adhibeat, sublatoque omni excepto, nihil extra suum præceptum aut velle, quasi quidam servus, agere præsumat. Memor itaque divinæ Scripturæ fidelis Bruno: *Eccl. 5, 3* Quia displicet Deo infidelis & stulta promissio, omnimodis se abnegat hujus incongruæ rationis fore sponsorem, ne per impossibilitatis effectum mendacii incurreret offensam. Diuturno autem spatio hujusmodi alternatim perstitit litigium: nostrumque sæpedictum Patrem re infecta contigit à D Treviris habere regressum. Quo cognito divæ memoriæ Conradus Augustus ad suum palatium Wormatiæ utrosque evocavit concitus, ipsiusque innitente auctoritate, tandem vicit Archiepiscopum justæ rationis demonstratio, atque cessit à superfluo *quo per Imperatorem mitigato,* quod injuste exigebat professionis voto, tantum requisivit sibi ab eo sponderi, quod in Ecclesiasticis negotiis agendis, ipsius uteretur auctoritate consilii. Hac ergo accepta sponsione, quinto Idus Septembris, *ordinatur 9 Septembris.* cum summa omnium gratulatione, fit sancta ordinatio, atque demum utrique inviolabiliter perstitere in perfectæ amicitiæ soliditate. Hoc vero idcirco tam expresse perstrinximus, ut cujusmodi fuerit humilitatis hic vir liquido panderemus, & ad evitandum mendacii nævum, prout homini fit possibile, quantum extiterit cautus.

ANNOTATA.

a Ortam *videtur legendum, quod est oppidum in parte Alpestri, ad lacum ejusdem nominis Ortam.*

b Iporeium, *antiquis* Eporedia, *Italis* Yvrea, *Marchionatus caput, Pedemontio subjecta.*

c *Vulgo* la Chambre *in finibus Sabaudiæ p. m. circiter 90 distans Eporedia, in valle Maurienna intra extremas Alpes.* E

d Rudolphus Rex *successit patri Cunrado, mortuo anno 994, & vixit usque ad an. 1032, ut tradit Andreas du Chesne lib. 2 Regum & Ducum Burgundiæ cap. 24 & 25.*

e *Imo XIV Kalendas Iunias, nam Pascha fuerat 10 Aprilis cyclo Lunæ 1 Solis 27, littera Dominicali B.*

f *Hic Sigeberto ad annum 1009 dicitur* Deodericus, frater S. Cunegundis, uxoris S. Henrici, *uti ad hujus Vitam 4 Martii deduximus § 3. Mortuus est Theodericus anno 1046.*

g *De* Mediano monasterio, *à S. Hildulpho Archiepiscopo Trevirensi in Vosago constructo, egimus lib. 4 Diatriba de 3 Dagobertis Regibus Francorum cap. 5, ubi priores Abbates ex Mss. dedimus.*

h S. Mansuetus Ep. Tullensis *colitur 3 Septembris:* monasterium S. Mansueti *est in suburbiis Tullensibus.*

i Poppo, filius Leopoldi Marchionis Austriæ, *creatus anno 1015, mortuus an. 1047.* F

CAPUT V.

Varia gesta & tolerata in Episcopatu. Virtutes & obitus matris.

23 IGitur ad Sedem propriam repedans, læto cunctorum excipitur tripudio: moxque uti sua erga sanctum ac gloriosum Aprum major erat devotio, Domnum religiosæ vitæ & conversationis *Widricum constituit Abbatem: a* virum jam dictum Widricum sub nomine Abbatis eidem præfecit cœnobio, voluntate & petitu Domini Guilielmi ipsius loci tunc temporibus venerabilis Patris: cujus sancta fama cis mare per cunctos fines orbis extat memorabilis. Hujus Præsulis solatio non minimum sudavit prælibatus pater Widricus in ampliando sui cœnobii decore: quod jam pene labens incepit à fundamentis restruere, cui idem *eidem 30 libras:* Pontifex triginta librarum supplementum sua contulit largitate. Eumdem etiam delegit Abbatem supra prænominatas Medianensis Sanctique Mansueti Abbatias, quibus, ad augmentandum in eis sanctæ religionis statum, nonnullas tribuit ecclesias. Quin & in Portus suavis cœnobio, à suo prædecessore ex Pontificalibus stipendiis inchoato, sed à se studioso *sanctimoniales ædificiis extruit:* labore ædificiis & sumptibus ad unguem exornato, devotam sanctimonialium constituit congregatione, atque nobilis generis vitæque laudabilis quamdam,

A dam, nomine Betzennam, ipsi cœtui Matrem ordinavit: cujus instanti solicitudine divini fervor servitii ibidem florescendo crevit, & divina opitulante gratia, in longas post generationes crescendo florebit.

excellit mira morum comitate, 24 Inerat quoque ei mirabilis & honesta morum elegantia; adeo ut cũ splendido corporis decore (quẽ illi super cunctos illius temporis contulit Omnipotentis munificentia) quidquid agebat cunctorum animis complaceret, quidquid dicebat omnium corda intimo amoris effectu delectaret. Cum serpentina astutia tantum pollebat in eo columbina simplicitas, ut ab hujus seculi prudentibus omnium videretur superior in prudentia, & à divina sapientibus mire coleretur pro puræ mentis innocentia. Tanta largitatis abundabat caritate, *pietate in pauperes,* ut pene cuncta distribuens indiscrete, in aliorum opulentia ipsum multotiens contingeret indigere. Eleemosynarum virtuti ante omnia & super omnia insudabat, nec pro ullo seculari impedimento quemquam diem omittebat, quin omni mane ipse per se pauperum turbæ deserviret, ac Christi exemplo eorum vestigia abluendo victum sufficientem tribueret. Devotione *cordis compunctione,* B contriti cordis, & compunctione lacrymosorum gemituum inundabat mirabiliter; adeo ut nihil secretæ orationis, nullum divini officii sacrificium superno vultui præsentaret, quin continuo lacrymarum flumine faciem & pectus irrigaret. Tali se holocausto conspectui Divinæ majestatis mactabat assidue, sciens certissime, sacrificium gratum Deo spiritum contribulatum fore. Sapientia divinarum humanarumque *artium & Musicæ peritia,* artium in eo refulgebat amplissima, maximeque delectabatur artis musicæ peritia, qua antiquis auctoribus non modo æquiparari poterat, immo in mellifica dulcedine nonnullos eorum præcellebat. Nam componens Responsoria in veneratione gloriosi Martyris Cyriaci *b* Sanctique Hidulphi Trevirorum Archiepiscopi, nec non B. Odiliæ Virginis, atque venerandi Anglorum Apostoli Gregorii Doctoris, divini laudes servitii mirifico decore ampliavit. *humilitate & patientia.* Humilitatis quoque ac patientiæ donum ita in eo enituit, ut si forsan aliquem subjectorum pro suæ culpæ noxa increparet, utque fieri assolet, ille impatientiæ motus felle, multa improperiorum convitia arguenti Præsuli irrogaret; iste pro verborum injuriis non verbera, sed lacrymas condolendo impenderet.

15 His ergo aliisque bonis actibus perspiciens C eum cluere humani generis adversarius, ejus piæ religioni modis omnibus contraire nititur. Et licet nõ possit eum usquequaque à recto deviare tramite, tamen per suos satagit satellites tentationum & adversitatum *Patitur invidos* spiculis à sancto proposito deterrere. Nam quidam hujus primores patriæ, eum sapientiæ luce fulgere cernentes, & in disponendis regni consiliis apud Imperialem majestatem super cunctos pollere invidentes; dum apud aulicos, quos omnes sibi nimio amore devinxerat, nequeunt ei moliri insidias; apud exteros contra eum tractant artificiosas calliditatum machinas. Itaque Odonem, vicinæ Com-*& Odonem Comitem adversarium,* marchiæ Francorum Comitem, in beatum Præsulem concitant, eumque multiplici adversitatum molimine ab Imperialis fidei stabilitate dejicere laborant. Videres fidem in uno Brunone contra multorum fraudes viriliter decertãtem, miranda patientia multorum spicula hostium æquanimiter perferentem, præcordiali compassione subditorum sibi dispendia dolentem, ipsis inimicis affectuosa caritate quam facillime indulgentem. Sed non est necesse, quos bellorum motus, quas Ecclesiæ sibi commissæ devastationes, prædas, incendia pertulerit recensere, dum Omnipotentis gratia de cunctis ejus æmulis, in nequitia radicatis, citũm dignata est finem imponere, ac sibi fidelem famulum pia consolatione per visum voluit relevare. Siquidem cum adhuc adversitatum angoribus arctaretur, quadam nocte multiplicium solicitudinum fessus laboribus, miseriam sibi subjecti populi revolvendo, lacrymabiliterque suis eam reputando criminibus, soporatur; ac videt in somnis quemdam Angelici vultus præferre sibi sphæram, supra solis splendorem fulgidam, quæ videbatur in se totius mundi retinere machinam, in qua etiam specialiter ei ostendebantur duo præclaræ formæ homines. Quorum dum nomina discere cuperet, hujusmodi vox suas pervenit ad aures: Hos Mariam Magdalenam, Galienumque noveris esse Episcopum, quorum consortio te frui in futuro lætaberis. Dumque eamdem sphæram lætabundus accipiens manibus, sibi in sinum vellet ponere; præsago futurorum est experrectus sopore. Nec mirum hunc Beatæ Mariæ prædici fore consortem, cum par erga Deum dilectionis affectus, & continuus lacrymarum velut fontanarum aquarum decursus, ejus meritorum illum reddidit participem. Quamvis autem à nobis adhuc ignoretur, quis iste Galienus extiterit, non est tamen dubium magni eum esse meriti, quem divina vox tantæ laudis viro coæquaverit.

AUCT. WIBERTO,

visione nocturna recreatur:

E

16 Quam visionem subsecuta est efficax divinæ gratiæ consolatio, præfato Odone Comite, per bellicosum nostræ patriæ Ducem *c* Gozilonẽ, turpiter morti tradito; ac pace per hunc beatum Præsulem restituta, non solum Lotharingæ regno, verum etiam adjacentibus provinciis, Christi annuente suffragio. Nam ejus intercurrente sapientia, legatione & consilio, est Romano adjunctum & corroboratum Imperio regnum Austrasiæ, quod dudum ab origine tenebat Rodulphus Rex Iurensis Burgundiæ: & idem jam dictus Pontifex est directus Legatus, pro pacis concordia inter suprafatum Conradum Romanorum Principem ac Robertum *d* Franciæ regem. Quam legationem quàm honeste compleverit, est testis Francia: quæ adhuc quasi novum refert, quanta in eo resplenduerit sapientia, quæ humilitas; quæ denique in cunctis cœptis efficacia; quam decorus fuerit habitu mentis & corporis, quam congruus in inferendis verbis legationis: quem cuncti ut patrem nimio amore suscipiebant, quem omnes ut Sanctum summa veneratione excolebant. Itaque tanta firmitate pacem & concordiam inter utraque regna stabilivit, ut quoad vixerunt præmemorati Principes cum sibi succedentibus filiis *e* utrisque Henricis, nullus quantumcumque fraudulenta arte discordiam inter duo regna serere valuerit.

Odone occiso

c

pacem conciliat Lotharingiæ:

regnum Austrasiæ adjungit Imperio:

d

pacem firmat inter Imperatorem & Regem Francorum,

e

F

17 Sed invidus humani generis hostis, perpendens se nequire ejus piam devotionem per suos satellites à recto tramite deflectere, per se in illum divino permissu insurgens, nimio corporis aggravat languore, continuatim annali tempore. Aderat tota lugubris plebis multitudo, de ejus sospitate desperans: aderat etiam cœtus medicorum; dolorem desperativis verbis augmentans: omnium rigabant ora lacrymæ, ipsi quoque jam defecerat spes vitæ. Tunc divino admonitus instinctu, jubet se nocturnali hora ante S. Blasii altare ferri, confisus se ejus dignis meritis à præsenti angustia citissime liberari. Itaque ibidem raptus in ecstasi, non dico per somnum, qui eum omnino aufugerat, videt quasi S. Blasium, ab altari progressum, sese invisentem, atque modum languoris compatienter exquirentem; cunctisque suis languentibus præcordiis apertis, veluti ipse ea conspicaretur, misericordi manu abluentem, ac medicamine refoventem; omnibusque suo loco restitutis, eo quo venerat redeuntem. De qua ecstasi regressus, sospes de lecto surgens, circumstantes advocat, visionem lætus pandit quam viderat, ac sicut præli-

difficili morbo diu æger,

ante altare S. Blasii sanatur.

AUCT. WIBERTO.

prælibatus Martyr jusserat, responsorium: Quis Deus magnus sicut Deus noster? cum præsentibus in voce jubilationis concinit, & nocturnis impletis officiis, pedibus propriis alacer domum rediit.

18 Verum quoniam majora exarare stylus properat, videtur congruum, ut quiddam de ejus matre dignum memoratu brevi referat. Nam quanta illi fuerit devotionis sinceritas, quanta usque ad novissimum quadrantem eleemosynarum largitas, quam diutina in divinis orationibus, vigiliis, jejuniisque instantia, quam longanimis in carnis maceratione pœnitentia, non est facile promere verbis, cum ipse finis, in quo omnis laus canitur secure, manifeste prodiderit. Siquidem in tantam corpulentiam superflui abundantia humoris ejus corporis quantitas excreverat, ut vix rheda posset vehi, quo opportunitas commonebat. Quæ gravitas ponderis quoniam sibi videbatur intolerabilis, multotiens Christi gratiam profusis exoravit lacrymis, ut sicut unius matris eam protulit alvus mundo; ita unius mulieris ulnis possit terreno mandari sepulcro. Cujus vocem exaudivit Oriens ex alto: nam diutini maceratione languoris ita ad ultimum fuit tenuata, ut pene cuncto humore carnis exiccato, sola ossa cute & nervis sese tenentibus viderentur tantummodo cohærentia. Itaque ad extremam vitæ metam veniens, cunctis distributis quæ ipsa per se, exceptis mariti reditibus, ex proprio sumptu in usus pauperum expendendo quotidie aggregaverat, sacra Inunctione ac vivificæ Communionis participatione munita, diu exanimis & absque omni vitali flatu jacuit, cuncta ejulante familia, cum pauperum, viduarum atque orphanorum catervis. Quæ subito resumpto spiritu rediens, ac confusum deplorantium clamorem sedari præcipiens, omnes domo eliminari jubet, solamque *f* Regelwidem cœnobii sanctæ Crucis Abbatissam cum proprio retinet marito. Quibus cum fletu admirantibus, quid sibi vellet ait: Non me lugeatis quasi morituram, quoniam nunc mihi adfuit piissima Dei genitrix Maria, quæ me dulcissima affabilitate consolans, promisit secum æternaliter victuram; & in sempiterna gloria feliciter conregnaturam. Unum ergo te, ô amantissime conjux, suppliciter oro, ne meæ petitionis verba, quæ dictura sum, molesto feras animo. Cumque ille ignarus futurorum gratanter se impleturum sponderet, quæcumque illa ex prompta voluntate juberet, ait: Precor, ut sicut nuda egressa sum de utero matris meæ; ita me nudam in tumulo suscipiat alvus terræ, & quidquid ornamenti ad consepeliendum mihi paraveras; in usus pauperum fideliter erogare studeas. Cujus petitioni, quamquam invitus, jam præfatus sponsus annuit: eamque cum summa alacritate mentis hominem exutam, modo quo constituerat sepulturæ tradidit. Hæc autem ideo tam studiose retuli, ut patescat præsentibus & futuris, quantæ fidei & devotionis hæc mulier extiterit, quamque fervens in eleemosynarum largitate fuerit. Sed congruum videtur, hic anchoram nostri navigii figere, quatenus aliquantulū respirantes, reparatis armamentis, cœptum valeamus æquor efficaciter transmeare.

mater ejus sancta,

languore extenuata,

B

sua pauperibus distribuit,

extremis Sacramentis munitur,

f

invisitur a S. Maria,

C

petit absque ornatu sepeliri.

ANNOTATA.

a *Quam multas Abbatias hic rexerit aut reformarit patet ex Vita ad 1 Ianuarii illustrata, ubi num 5 Comm. prævii hic etiam Tullensis S. Apri nominatur.*

b *Coluntur hi* SS. Cyriacus Martyr 8 *Augusti*, Hildulphus Archiepiscopus 11 *Iulii*, Odilia sive Othilia Virgo *ex ejus consanguinitate* 13 *Decemb.* Gregorius Magnus 12 *Martii.*

c Gozilo *seu* Gothilo *anno* 1008 *Marchio Antwerpiensis, anno* 1019 *Dux Lotharingiæ inferioris, anno* 1034 *Dux utriusque Lotharingiæ, mortuus* 1044.

d Robertus *successit Hugoni Capeto anno* 997, *moritur an.* 1031 *aut sequente.*

e Henricus *scilicet* primus, Rex Franciæ, *vixit usque ad an.* 1060. *&* Henricus II Imperator, *Conrado patri anno* 1039 *mortuo successit.*

f MSS. Regilindam *appellant: monasterium autem sanctæ Crucis intelligitur id, cujus ab Hugone marito in Engesheim fundati mentio fit supra num.* 2.

D

LIBER SECUNDUS.

CAPUT I.

Prævia dispositio ad Pontificatum Romanum: denominatio Wormatiæ.

1 Suscepti munus operis, Christi suffragio annuente prosecuturi, & qualiter ad Apostolicam dignitatem pervenerit vir beatus, quæque ei ibidem contigerint, immo quæ per eum ejusque temporibus Dominus efficere voluerit, monstraturi, opportunum videtur præcedentes causas ad id pertinentes ostendere, & quomodo superna gratia ei ventura revelaverit notificare. Summa inerat ei devotio Summum Pontificem & primum cæli Clavigerum annuo invisere recursu, & pro ovibus à Deo sibi creditis ejus juvamen supplici exorare precatu. Itaque quodam tempore solitum aggressus iter, comitante cœtu Clericorum, necnon laicorum quingentorum numerum supergredientiū, qui pro ipsius meritorum dignitate, affabilitate, sanctitate, indivulsum ejus sequebantur comitatum; cunctis surrexit lues dira, Italici corruptione aëris, ita ut nulli hac tabe infecto esset spes in crastinum differendæ mortis. Vir autem Domini, immodice mœstus de afflictione sese comitantis turbæ, festinum reperit remedium divina gratia præcurrente. Nam Sanctorum, quæ secum vehebat propria manu tinctis vino pignoribus, maximeque S. Apri articulis, cui se commendabat devotius; quicumque hujusmodi poculum quantulumcumq; libasset, mox convalescebat, quantuscumque languor eum invasisset, si tantum liquoris illius saporem gustare valuisset. Ipse etiam pene dietim toto itinere divini Sacramenti victimam offerendo; & inter Missarum solennia populos astantes ad correctionem morum pœnitentiamque commonendo, cunctos piis hortatibus ad suprema capessenda animavit, & ab imminentis mortis articulo sanctis precibus liberavit. Itaque toto noctis interstitio turba comitum & patriensium, quorum necessitas intererat, ad ejus hospitium cum luminaribus excubias celebrabant, ac mane per Sanctorum merita, ejus annuente suffragio, integram sospitatem reportabant. His ergo causis per cunctas Romanæ provinciæ partes celerrime divulgatis, vir Domini summa veneratione excolitur, ejusque dilectio omnium cordibus funditus inculcatur: quæ ille videns non ad humanam extollebatur auram, sed incessanter Christi prædicabat magnificentiam.

E

Quotannis invisit limina Apostolorum,

comites suos pestiferos infectos sanat.

F

2 Hic autem suus erat mos assiduus, ut nocturnæ quieti membra traditurus, Sanctorum pignoribus sese attentius commendaret; & à secularibus absolutus curis, in sancta contemplatione animū relaxaret; atque in ipsa meditatione, necessarium corpori soporem susciperet. In hac ergo pia intentione quadā nocte soporatus, per visum ad principalem Ecclesiā Wangionum est adductus: ubi contemplatur quasi consistentem infinitam multitudinem albatorum, quo-

dormiturus Sanctis se commendat.

A quorum major pars videbatur esse Sacerdotum, inter quos unum recognoscebat quondam sibi familiarem, Bezelinum Archidiaconum, qui ejus comes in Romano itinere exuerat hominem. Quem interrogans quæ esset tanta multitudo, audivit hos omnes mundanam finisse vitam in principis Apostolorum servitio. De hoc intra se miranti, veluti cælorum claviger B. Petrus superveniebat, & illam multitudinem sancta Communione ejus manibus participaturam esse aiebat. Quem pontificaliter indutum idem B. Petrus cum Protomartyre Stephano ad altare prædictæ ecclesiæ, cum ineffabili cantus melodia, deducebant, & sacris peractis officiis omnes de ejus manibus vivificum munus percipiebant. Visum quoque ei fuerat, quod post sacram communionem ipsi S. Petrus quinque *a* calices aureos conferret: alteri autem sese subsequenti tres, tertio vero unum calicem tribueret. Hæc ergo suis familiaribus referens, quid portenderent secum mirabatur, sed quis eorum fuerit exitus, in sequentibus suo loco dicetur.

visus communionem dare in servitio S. Petri mortuis,

& ab eo 5 calices aureos accipere; a

3 Alio itidem tempore illi per somni quietem videbatur, quod quasi persona cujusdam deformis vetulæ eum importune imperere, & veluti familiari, sed tamen sincero colloquio sibi adjungi exposceret. Quæ tam horridi vultus, discissæ vestis, hirsutis capillis atque turpiter erectis visebatur, ut vix quidquam humanæ formæ in ea recognosceretur. Cujus deformitatis horrore nimium perculsus, eam plurimum volebat evitare: sed ipsa tanto magis illi nitebatur insistere. Qua importunitate motus vir Domini, ei signum Crucis in faciem imprimebat: at illa ad terram veluti mortua proruens, in admirabilem pulchritudinem denuo resurgebat. Cujus visionis terrore experrectus, ad nocturnas surrexit vigilias: denuoque in hujus rei admiratione sopori tradidit membra. Cui videbatur in somnis adesse venerabilis Abbas *b* Odilo, quem quasi rogabat sibi portendere quæ esset hujus visionis significatio. Qui lætissimus ei tali respondebat oraculo: Beatus es tu, & tu animam ejus de morte liberasti. Hæc non esse ficta probat idonea virorum ac venerabilium testificatio; Domni videlicet Walteri Leucorum claustri Decani, nec non intimi consecretalis ejus Warneheri, qui asserunt se audisse talia cum lacrymis ab illo referri, & quid signarent quamplurimum admirari. Nec incredibile esse videtur, talia ei à summa divinitate præmonstrata fuisse: cum crebro nocturna in lecto suspiria, & frequentes pectoris tunsiones, ac stratus sæpe à veridicis cubiculariis repertus irrigatus lacrymis, ostendant illum divina visione fuisse dignum. Nulli autem dubium est, quid significet prælibatæ mulieris visio, quicumque legit pene simile somnium Magni Constantini pro restituenda urbe Byzantio. Nam certum est horribiliter *c* extabuisse per diversas orbis partes Ecclesiasticum decorem, immo Christianam religionem; & per eum, Christi adminiculante suffragio, ad pristinum reductam esse honorem.

B *aniam deformem vetulam,*

signo Crucis reddere pulchram, & vita vestitam visus

b

C

monetur decorem Ecclesiæ reddere; c

4 Interea apud Wangionum urbem, ante præsentiam gloriosi Henrici secundi Romanorum Augusti, fit Pontificum reliquorumque Procerum non modicus conventus. Inter quos hic Christo dignus Præsul convocatur: quippe sine ejus consilio intra Imperialem curiam nihil magni disponebatur. Et repente, illo nihil tale suspicante, ad onus Apostolici honoris suscipiendum eligitur à cunctis. Quod officium humilitate commonente diutissime refugiens, dum magis ac magis cogitur, triduanum consulendi depoposcit spatium: in quo jejuniis vacans & orationibus, omnino sine cibo potuque permansit. Cumque denuo repungeretur ad obedientiæ im-

In conventu Wormatiensi,

in Papam eligitur:

pletionem, spontaneè coram omnibus suam dixit confessionem; conatus quasi quadam suorum enormitate scelerum; communem permutare electionem. Quis autem queat ejus inundantiam fletuum referre, quos in publica confessione emisit, cum etiam omnium affectus in nimias lacrymas excitaverit? Unde unanimiter cunctorum ore hæc pia vox resonabat, Nolit Deus, ut filius tantarum lacrymarum pereat. Videns ergo nullo modo se posse effugere Imperiale præceptum, & commune omnium desiderium; coactus suscepit injunctum officium, præsentibus Legatis Romanorum, ea conditione, *d* si audiret totius Cleri ac Romani populi communem esse sine dissidio consensum. Sicque ad propriam Leucorum scilicet Sedem repedans, cum summa devotione ibidem Domini celebravit natalem, cum coëssentia quatuor Pontificum, *e* Hugonis scilicet de Pisa urbe Italorum Legati Romanorum, & *f* Everardi Archiepiscopi Trevirorum, Adalberonis quoque Metensis, atque *g* Theodorici Virdunensis Præsulis.

AUCT. WIBERTO.

frustraque reluctatus cum admittit

d sub consensu Cleri & populi Romani.

e

f

g

5 *h* Inde humilitate magistra, contra omnium Apostolicorum morem, sumpto peregrino habitu Romanum arripuit iter, indefesse sacris orationibus ac divinæ vacans contemplationi, non tam pro rerum commissarum sibi, quam pro cura animarum nimiæ intentus solicitudini. In qua meditatione apud urbē Augustam *i* suspensus, divinam promeruit cōsolationē, dum in revelatione audivit Angelica voce resonare harmonicam modulationem, dulcissime consonantem, Dicit Dominus, ego cogito cogitationes pacis & non afflictionis: invocabitis me & ego exaudiam vos, & reducam captivitatem vestram de cunctis locis. Qua pia consolatione animatus, & de superno adjutorio certior jam factus, cœptum iter perficere aggreditur: utque tāti meriti personam decebat, cum infinita multitudine undequaque supervenientium comitatur. Inter quos quædam religiosæ vitæ ancilla Dei ei adhæret, quæ eum talibus ex præcepto divino admonet verbis: Mox ut prima vestigia intra valvas Ecclesiæ Principis Apostolorum posueris, ne sis immemor his divinis uti verbis: Pax huic domui, & omnibus habitantibus in ea: quam Dominicam jussionem & humiliter suscepit, & devote adimplevit. Venit ergo cum tanto comitatu super *k* Teronem fluvium, qui ita crescendo proprium prætergressus erat alveum, ut per septem dies totum ibi cogeret remorari populum. Vir autem Domini mœstus de afflictione plebis diu secum expectantis, cæleste auxilium invocat, ac benedictionem ecclesiæ S. Joannis in vicino constructæ inchoat. Sed antequam divinum esset peractum officium cœptæ consecrationis, ita fluvius est mitigatus demissis undis, ut mox securum iter omni transeunti præbuerit: quod omnis præsens multitudo hujus beati viri meritis contigisse affirmavit.

h habitu peregrini Romam abit,

E

i in meditatione Angelicam audit melodiam,

monetur de dicendis in ingressu Ecclesiæ S. Petri

k

F *fluvium inundantem sistit,*

ANNOTATA.

a *Per* calices *infra Pontificatus anni intelliguntur, & sic sedit S. Leo annos 5. At Victor proximus successor tres annos, & dein Stephanus IX vix integrum annum.*

b *Est hic S.* Odilo Abbas Cluniacensis, *qui tam recenter cum magna opinione sanctitatis obierat cuius Vitam dedimus 1 Ianuarii.*

c *S. Bruno Episcopus Signiensis in Vita ejus, inter alia ait:* Omne sal erat infatuatum, neque erat aliquid in quo condiretur. In hac igitur tanta tempestate B. Leo Apostolici culminis Cathedram suscepit &c.

d *Idem S. Bruno:* Se sub hac conditione facturum esse promisit: Romam vado, ibiq; si Clerus & populus sua

 sponte

AUCT. WIBERTO.

ſponte me ſibi in Pontificem elegerit, faciam quod rogatis. Aliter autem electionem nullam ſuſcipit. At illi gaviſi confirmant ſententiã & laudant conditionem.

e Hugo Epiſcopus Piſanus *in Catalogo Vghelli dicitur non diu poſt annum* 1030 *vixiſſe, eique ſucceſſiſſe Actius an.* 1031 *& huic Opizzus an* 1044. *qui vel non ſubſiſtunt, vel ab eo diverſus fuit qui anno* 1048 *hic Tulli adfuit Legatus Apoſtolicus. Quid ſi erratum ſit in urbe? In MSS. enim legitur* Cyſa *&* Cyſſa urbe Italorum; *quam ignoramus quidem, novimus tamen Calabriæ urbem Epiſcopalem* Caſſanum *olim dici* Coſam; *nomina autem Epiſcoporum uſque ad Pontificatum Vrbani* II *in obſcuro latere.*

f *Memorato ante Popponi, 16 Iunii anno* 1047 *defuncto, ſucceſſit* Eberardus *ſive* Eberhardus, Heſelini Comitis Palatini filius, *extinctus anno* 1066.

g Theodoricus *in MSS. & paſſim alii, at* Theodorus *in Vita excuſa: ſedit ab anno* 1047 *vſque ad* 1090.

h *Diſceſſiſſe Tullo* 28 *Decembris ſupra diximus.*

i *Vulgo* Avoſta, *urbs in Pedemontio, prima fere occurrens poſt tranſitos montes S. Bernardi dictos.*

b *An* Neram *ſeu* Neronem? *qui antiquis* Nar *præcipiti curſu delabitur ex Apennino, & tranſit Interamnum & Narniam, ac dein in Tiberim immergitur, qui Italis* Tevero, *dicitur; ut vel inde loco* Teveronem *poſſit eſſe ſcriptum* Teronem.

B

CAPUT II.

Electio & coronatio in Pontificem.

Romam nudis pedibus intrat:

6 OMnipotentis igitur roboratus flamine Romam appropinquat, cui tota urbs cum hymnidico concentu obviam ire parat: ſed ipſe pedes longinquo itinere nudis plantis incedit, & magis ad mentis devotionem & fletuum inundationem, quam ad laudum delectationem animum inflectit. Quis autem ejus contriti cordis in devota oratione affectus? quis ſuſpiria & gemitus? quis denique referre queat continuos lacrymarum velut rivorum decurſus, cum nullius cogitatui ſit penetrabile, nedum verbis effabile? Poſtquam ergo diutiſſime ſe taliter Chriſto mactavit in cordis altari, hoſtiam vivã, ſanctam, Deo placentem; etiam aſtanti Clero & populo divinam, qua plurimum affluebat, aggreditur proferre exhortationem. Imperialem de ſe electionẽ in tam laborioſo officio brevi ſermunculo promulgat; eorum voluntatem (qualiſcumque erga ſe ſit) pandere expoſtulat: dicit electionem Cleri & populi Canonicali auctoritate aliorum diſpoſitionem præire: affirmat ſe gratanti animo in patriam rediturum, niſi fiat electio ejus communi omnium laude: oſtendit ſe coactum ad tam grande onus ſuſcipiendum veniſſe a. Cumque videret unanimem omnium acclamationem; ad correctionem vitæ, cœptam repetit exhortationem, ſupplex cunctorum expetit orationem atque abſolutionem. Itaque divina favente gratia, cunctis applaudentibus conſecratur; ac Dominica quadrageſimalis initii, pridie Idus Februarii, Apoſtolicæ Cathedræ inthronizatur.

Imperialem electionem indicat:

C

Canonicam petit:

inthronizatur 12 Februarii.

7 Quantus vero fervor devotionis ad Omnipotentis ſervitium in eo excreverit, quanto ſolertiæ vigore ad res Eccleſiaſticas diſponendas enituerit, quis brevi explicare valeat, cum pene nec totus mũdus ad hæc enarranda ſufficiat? Non autem ſub clavi ſilentii occulendum æſtimo, quantam indulgentiam, ejus dignis precibus, Hugoni ipſius germano divina contulerit miſeratio. Nam jam dudum ante ejus ad Apoſtolatum electionem exuerat hominem, atque hic beatus cauſa prædictæ ordinationis Romam tendens Populeium advenerat. Vbi ejuſdem prænominatus frater cuidam boni teſtimonii Clerico per viſum apparuit, illiuſque ſuffragium apud Domnum Apoſtolicum ſupplici oramine depopoſcit. Siquidem videbatur memorato Clerico prælibatus Hugo, in loco ineffabili amœnitate referto, cum multis collætantibus in curruli ſella reſidere, ſed ſine ſuppedaneo ſcabello pedes ad ima pendentes retinet. Quem cum prædictus requireret Clericus ſuper qualitate ſui ſtatus, reſpondebat bene ſibi eſſe in omnibus, niſi quod ad infima laborioſe penderet non firmis pedibus. Petebat quoq; ut idem Clericus fratrem ſuum hunc beatum, ad Apoſtolicam euntem conſecrationem, exoraret, quatenus in introitu valvarum Eccleſiæ Principis Apoſtolorum ſui meminiſſet, dicens quod ejus precibus divina pietas ſibi indulgentiam concederet. Quam viſionem præfatus Clericus ſancto Pontifici retulit, ac eum ad Chriſti gratiam pro ſalute fratris exorandam animavit. Qui poſtmodum per viſum eidem Domno Apoſtolico apparens lætus, innumeras reddidit gratias; quia ejus meritis ſuperna clementia à cunctis eum laboribus abſolverat.

D

Fratrem ſuum Hugonem mortuum,

precibus cælo tranſcribit;

E

8 Igitur hic Deo devotiſſimus, mores & vitam Magni Leonis imitatus, cujus & vocabulo fuerat inſignitus, immo Leonem de Tribu Juda pro poſſe ſecutus, omnibus exemplum bene vivendi fiebat; lucerna ardens & lucens, non ſub modio, ſed ſuper candelabrum præeminebat; atque verus ſal terræ, condimentum ſupernæ ſapientiæ cunctorum mentibus infundebat. Verum licet omnium virtutum gemmis Chriſti decoraret diadema, hæ tamen ſplendidius in eo lucebant, miſericordia & patientia; celer erga delinquentes in danda indulgentia; mira compaſſione collacrymans propria confitentibus ſcelera; in eleemoſynarum largitate etiam uſque ad ſui indigentiam indiſcrete prærogans omnia. Sed quoniam cunctis divino inſtantibus ſervitio ſolet ſtimulus ſupervenire adverſitatis, divina ſcilicet probatio, quæ oſtendit cujus fervoris ſit erga Deum cujuſcumque mentis affectio; hic Pater venerandus, dum in initio ſui adventus Romæ commoratur, aliquanto anguſtiæ & mœroris dolore perſtringitur. Nam ibidem adveniens, nihil Pontificalium ſumptuum invenerat: jam enim erant in domeſticos uſus abſumpta, immo in eleemoſynarum prærogationem, cuncta quæ ſecum attulerat diſtributa. Defecerant cunctorum ejus comitum plenæ delatæ crumenæ: non erat ulla ſpes opis, niſi proprias veſtes ad minus pretium venderent, & quacumq; ſecreta arte benigniſſimum Patrem fugiendo in patriam redirent. Quorum renitendo conſilio vir beatus, in divino confidere ſolatio ſagaciter admonebat: ſed tamen illorum afflictioni miſericordi affectu ex intimis condolebat. Inſtante autem die, quo cuncti comites ejus diſpoſuerant clanculo recedere, ecce adſunt legati nobilium Beneventanæ provinciæ; deferentes xenia Apoſtolicæ congrua dignitati, ejus benedictionem atque ſolatium ſuppliciter depoſcentes promereri. Quos Deo dignus Præſul: ut ſuam decebat honorificentiam ſuſceptos, ſacra benedictione roboravit; non tam lætus de oblatione munerum, quam Deo rependens grates de devotione fidelium. Dehinc ad præſentes, præ nimia anxietate pridem diffidentes, converſus; continuo caritativa increpatione in eos invehitur, & de Dei miſericordia numquam amplius deſperare nec diffidere cohortatur.

Leonis nomẽ aſſumit,

excellit patientia & miſericordia,

F

ſuorum inopiam conſolatur,

accipit xenia à Beneventanis,

9 Ex tunc beati viri fama divulgatur per populos, & uſque ad mundi fines cunctaſque gentes ejus pervagatur rumor, Chriſti ubique prædicatur gloria in ſuo admirabili famulo, nomen Papæ Leonis quocũque orbe terrarum reboat ore conſono. Nec mirandum rationabilem creaturam in ejus reſonare laudẽ, cum

ab omnibus laudatur,

A cum etiam irrationabilia animalia (mirum dictu) illius prædicando nomen, humanam formarent vocem. Nam sicut à veridicis fertur relatoribus, apud Beneventum gallus frequenti voce ejus nomen repetebat, & naturalem emissurus sonum, cunctis mirantibus; Papa Leo insonabat. *e* Dicitur etiam illis temporibus in finibus Apuliæ canis extitisse, qui latrando solitus erat humanis verbis, Deus meus, inclamare. Non autem est incredibile, brutum animal in ea regione Dei misericordiam quocumque modo invocasse, dum certum est Christianam religionem ibidem pene omnino deperisse, incolasque illius patriæ alienæ potestati subditos esse, ut ad invocationem superni auxilii saltem irrationabilis pecudis excitarentur voce.

non sine prodigiis. — *e*

10 Fama igitur eximiæ laudis ejus usquequaque propalata, præter solitum multos animabat ad visenda summi Apostolorum Principis limina: qui omnes ejus recreabantur consolatione, & roborabantur benedictione. Si quibus autem obstabat impossibilitas ejus frui præsentia, cum fide ei propria dirigebant xenia, recepturi ab eo Apostolicæ benedictionis donaria. Illud etiam habebat consuetudinarium cum aliis bonis actibus; quia si quid Apostolico more suis offerebatur pedibus, nihil patiebatur in suos suorumve expendi usus, sed cuncta pauperum largiebatur necessitatibus. Inter multos ergo qui ejus ambiebant præsentiam invisere, Rex *d* Danamarchiæ transmisit illi avem psittacum in munere, in quo quædam divina apparuit gratia, admirabili virtute. Quamvis enim quædam aves humana formare verba discant magistra fame; hæc tamen (ut fertur) nullo cogente, toto itinere, dum ad Domnum Præsulem deferretur, ad Papam vado, recinebat. Et mox ut ei est præsentata, nemine docente, voce dulcisona, Papa Leo, inclamabat. Si quando etiam hic Pastor venerandus, exteriori dispositione lassatus, sese in secreto conclavi reciperet, aut forte nimiis solicitudinibus afflictum ejus animum aliqua mœstitudo arctaret; hæc avis ægritudinis illius levamen frequenter aderat, & concinne ac recise, Papa Leo, resonans, robur mentis illi excitabat. Nec tamen videatur cuiquam reprehensibile, hunc justum in sui consolatione hujus avis usum modulaminis, cum legamus beatum Augustinum, pro exitu suæ matris inconsolabiliter lamentantem, musicam melodiam ad levamen mœroris sibi adhibuisse; Sanctumque Antonium rigori monastico aliquantulum oblectamenti certo tempore concessisse.

venientes ad limina Apostolorum consolatur: — *oblata in pauperum usus expendit:* — B — *recreatur à psittaco dicente Papa Leo,* — C

ANNOTATA.

a *S. Bruno Signiensis*, Secundum consuetudinem Romanam cum magnis laudibus à Clero & populo in Pontificem electus est, deinde vero in B. Petri Apostoli cathedram elevatus.

b *Scilicet anno 1649, quo cyclo Lunæ 5 Solis 22 littera Dominicali A, Pascha convenit in diem 26 Martii.*

c *Nomine* Populei *videtur* Forum-Popilii, *seu* Forum-Pompilii *designari, in Romandiola inter Forum Iulii & Cesenam, in ipso itinere ordinario, vulgo* Forlimpopli: *nisi forte per Liguriam Hetruriamque iter fuit, &* Populonii, *nunc* Porto barrato, *navim conscendit Pontifex, Ostiensi via Vrbem intraturus.*

d *Ita excusum exemplar: at Ms. S. Maximini* Dalmaciæ. *Ms. aliud* Dalamichia:

e *Chronicon Senoniense, quod extat tomo 3 spicilegii Acheriani, compositum sesqui seculo post mortem S. Leonis, lib. 2 cap. 14 per auxesim minus verosimilem ita id extollit.* Cujus igitur sanctitatis idem Bruno futurus esset, in quamcumque civitatem vel vicum aut villam intrarent, galli earumdem villarum, lingua ejus patriæ per quam transibat, densis clamoribus eum Papam futurum clamabant; Leo Papa, Leo Papa; (cum sibi nomen imponendum omnes ignorarent) & iterum hoc nomen atque iterum reciprocabant, Leo Papa, Leo Papa. Quo audito, qui cum eo erant, eum in summa veneratione habere cœperunt, *quæ ex casu semel facto & quidem ipso absente, sic adornata videntur rumore populari.*

AUCT. WIBERTO.

CAPUT III.

Concilia varia habita: & aliæ res gestæ anno MXLIX.

11 QUantam autem solertiam in Catholica lege conservanda adhibuerit, in primo Romano *a* Concilio, quod multis Episcopis considentibus habuit, demonstravit: ubi statuta quatuor Synodorum principalium viva voce corroboravit, decretaque omnium antecessorum suorum Pontificum tenenda confirmavit: Simoniacam etiam hæresim damnavit, quæ jam nonnullas mundi partes invaserat; & in eodem Concilio quosdam deposuit Episcopos, quos prædicta hæresis nævo suæ nequitiæ maculaverat. In quo Concilio quid contigerit non congruit reticere, ubi Christus auctoritatem ejus sua dignatus est gratia roborare. Nam Episcopus de *b* Sutrio, reus ejusdem culpæ accusatus, voluit injuste se excusare; falsis prolatis testibus: sed peracturus jusiurandum, repente est divinitus perculsus; & inter manus exportatus, non longo post tempore humanis rebus est exemptus. Cunctis hoc audientibus nimius incutitur timor, ne quem in ejus præsentia ad falsum judicium humanus impelleret pudor. Decimas quoque à cunctis dandas Christianis, quarum nec mentio erat apud Apuliam & per quosdam orbis fines, Ecclesiis restituit. Venditiones altarium sub anathemate prohibuit; sed constituit ut partes decimarum, ad Episcopum pertinentes, aut quisque Præsul sibi teneret, aut cuicumque vellet tribueret: partem autem ad altare pertinentem proprio Pastori Ecclesiæ gratis concederet. Incestas consanguineorum nuptias, in multis orbis partibus indiscrete habitas, discidit; pluresque nobilium, hoc turpi devinctos nexu, separavit. Alia quoque perplura canonum capitula studuit renovare, quæ, ne fastidium gignant, hic supersedimus recitare.

Concilium Romæ colligit, — *a* — *adversus Simoniacos,* — *b* — *aliquo subita morte punito:* — E — *decimarum usum præscribit:* — *incestas nuptias discindit:*

12 His sanctis insudans studiis, antiquam *c* repetit patriam, suscipiturque à totius gentis nobilissimo atque reverendissimo Archiepiscopo Herimanno apud Coloniam: cujus petitu concessit Domnus Papa hoc privilegium sedi Ecclesiæ Coloniensis, ut ad altare S. Petri *d* septem Presbyteri Cardinales quotidie divinum celebrarent officium in sandaliis. Dedit ei quoque officium *e* Cancellarii sanctæ Romanæ Sedis, ejusque successoribus, tribuens illi Ecclesiam S. Joannis ante portam Latinam. Hinc invitatur ab Herimaro, Abbate venerandi cœnobii S. Remigii Remorum Pontificis, ad consecrandam Ecclesiam in ejus honore restructam: ubi non est dictu facile, quanta multitudo à finibus terræ, Hispanorum, Britannorum, Francorum, *f* Anglorum, advenerit ejus invisere præsentiam.

c — *patriam repetens,* — F — *Herimanno Archiep. Coloniensi privilegia concedit:* — *d e* — *Remis ecclesiam consecrat:* — *f*

13 In qua frequentia, adfuit etiam non modicus cœtus Pontificum, cum quibus advenit venerandus Chrysopolitanorum *g* Archipræsul *h* Hugo, Deo & hominibus amabilis, præ cunctis jucundæ eloquentiæ & affabilitatis: cui in restituendis suæ rebus Ecclesiæ nemo prædecessorum aut successorum est comparabilis, in quo Christi tunc apparuit virtus admirabilis. Nam gloriosus Apostolicus ibidem

à pluribus invisitur, — *g* — *h* — *in Concilio Simoniacos destruit;*

AUCT. WIBERTO.

dem habito Episcoporum Concilio, quosdam simoniaca infectos hæreti deposuit ab injuste suscepto officio. Inter quos Hugo Lingonensis Episcopus, multis ac horribilibus infamatus accusationibus, est vocatus ad reddendam rationem: qui prædictum Archiprælulem Chrysopolitanorum, utpote eloquentissimum, sibi expetiit causidicum ac prælocutorem. Hic igitur coactus à Domino Apostolico, illius suscepit causam dicendam: sed repente obmutuit ante cunctorum præsentiam: ut profecto patesceret, Deum noluisse falsis excusationibus verorum criminum tanti Pontificis inquinari linguam. Lingonensis igitur Hugo hoc miraculo exterritus, noctu, judicium Concilii metuens, aufugit. Cunctis vero pro infortunio Archiepiscopi præsentis afflictis & lacrymantibus, Dominus Apostolicus cum summa contritione cordis ad Christum conversus, suis sanctis precibus ejus impeditam linguam resolvit. In crastinum vero in synodo idem Episcopus requisitus, & non adesse repertus, lecta sententia, tertio vocatus est. Tunc Vesuntionensis Episcopus surrexit, & quomodo eumdem reum conatus defendere, obmutuerit, coram omnibus patefecit. Quod audiens Domnus Papa, hoc miraculum meritis B. Remigii asscripsit: & cum omnibus qui aderant surgens, gratias Deo, inde Domno Sancto Remigio cum magno psallentio reddidit. Postmodum tamen præfatus Episcopus Lingonensis, divino compunctus instinctu, ad Domnum rediit Papam, & cum ingentibus lacrymis publice crimina confessus, spontaneam suscepit pœnitentiam; & Romam nudis vadens pedibus, ab eodem nostro pio Pastore promeruit absolutionem: & in redeundo nimiis affectus jejuniis, corporisque maceratione, in bona perseveratione vitam reliquit præsentem.

punito unius eorum patrono,

B

& utroque pœnitentiam agente,

consecrat Metis altare S. Arnulphi:

14 Inde per urbem Mediomatricorum remeans, petitu venerandi Abbatis *k* Warini consecravit ibidem sancti Pontificis Arnulfi basilicam; exoratusque à Domno Sigifrido *l* Gorziensi Abbate, composuit in veneratione gloriosi Martyris *m* Gorgonii nocturnalium responsoriorum dulcisonam melodiam. Hinc generale apud Maguntiam Concilium habuit; in quo Spirensis Præsul Sibicho criminali reatu accusatus, voluit se expurgare terrifico sacramento Dominici Corporis: sed ut fertur maxilla ejus mansit contorta paralysi, quamdiu præsentis vitæ spatium duxit. Quod ideo hic breviter volui annotare, ut audientibus fiat notum, quam horribile sit etiam secura conscientia hujusmodi judicium adire, sacra dicente Scriptura, Horrendum est incidere in manus Dei viventis.

componit Responsoria de S. Gorgonio,

Moguntiæ Concilium celebrat,

sacrilego divinitus punito;

Heb. 10, 31

C

Augiæ dedicat ecclesiam,

15 Demum Domnus Papa apud Augiam in honore vivificæ Crucis Ecclesiam dedicavit, ubi divina pietas in proprio famulo suam gratiam mirifice ostendit. Nam inter sacra Missarum solennia ibidem adducitur catenis nexus dæmoniacus, qui vix à multitudine poterat coarctari; alienaque violentia possessus, horrendos emittens stridores, clamores atque fremitus, hymnidicam totius Cleri harmoniam suis diris evincebat vocibus. Itaque Christi servus, sacrum incepturus Canonem, non valens hujusmodi pati inquietudinem, utpote ad Deum totam directurus mentem, à longe signo Crucis edito, manu indixit silentium; & citius dicto obmutuit dæmonium; & homo vinculis solutus, sospes, cunctis admirantibus, domum propriam repedavit.

dæmoniacum liberat.

ANNOTATA

a *Habitum id est post Dominicam in Albis.*

b *Kilinum appellatum fuisse ostendit Ughellus tom. 1 Italia sacra: est autem Sutrium urbs antiqua Etruriæ suburbicaria seu Patrimonii S. Petri, inter Romam & Viterbum.*

D

c *Ratio itineris supra deducta est ex Anselmo in Itinerario ejus, quod sub nomine Concilii Remensis excusum habetur.*

d *Ita etiam in dicto Itinerario,* secundum morem Ecclesiæ Romanæ septem tantummodo Sacerdotes digniores deputati, qui Remis ad altare Apostolorum sacrosancta mysteria agerent.

e *Ita epistola ejus* XI *ad Ioannem Archiepiscopum Salernitanum concluditur.* Datum IX Kalendas Augusti per manus Friderici Diaconi, Sanctæ Apostolicæ Sedis Bibliothecarii & Cancellarii, & Domini Hermanni Coloniensis Archiepiscopi & Archicancellarii, anno Domini Leonis IX Papæ tertio, Indictione IV. *Præfuit ab anno* 1037 *usque ad* 1055. *De Cancellarii officio & dignitate agit Angelus de Nuce in Notis ad cap.* 87 *lib.* 2 *Chronici Casinensis.*

f *Fuisse* à S. Eduardo Rege Anglorum directos Ailwinum Abbatem Ramesiensem, & Abbatem monasterii S, Augustini, *tradit Radulfus de Diceto: & loco* Francorum *legitur in Mss.* Scottorum.

g Chrysopolis *seculo* 9 *& sequentibus appellata est Vesontio, urbs Imperialis Burgundiæ.*

E

h Hugo I, *de Salinis cognominatus, ordinatus anno* 1031 *mortuus* 1070.

i Hugo *Episcopus Lingonensis simoniace factus anno* 1031, *depositus Roma redux, in cœnobio Virdunensi S. Vitoni, cui frater ejus Valerianus Abbas præerat, reliquum, vitæ tempus, pietatis operibus vacans, exegit: uti in Chronico Lingonensi explicat Iacobus Vignerius. Nonnulla de Episcopo Gallo (an hoc, dubium) narrat Desiderius Casinensis, & ex hoc Baronius anno* 1049 *num.* 27, *& S. Bruno Signiensis: quæ apud illos videri possunt.*

k *VVarinus seu Guarinus tunc multa privilegia à S. Leone accepit, pie mortuus* 19 *Novembris anno* 1050.

l *De* Gorziensi *monasterio late egimus* 27 *Februarii ad Vitam B. Ioannis Abbatis Gorziensis, qui uti hic memoratus Sigifridus omissi sunt in Catalogo Abbatum apud Sanmarthanos; nos ibidem magis sincerum dedimus.*

m *Corpus S. Gorgonii, à S. Paulo I Pontifice Romano acceptum, ad monasterium Gorziense à se fundatum transtulit S. Chrodegandus Episcopus Metensis, uti in hujus Actis diximus 6 Martii. Colitur S Gorgonius 9 Sept.*

CAPUT IV.

Res gestæ anno ML *& sequenti. Varia itinera suscepta.*

F

16 Romam igitur rediens, plebem de sua diutina absentia mœstam lætificavit: ubi superna gratia ejus mirabile meritum omnibus publicavit. Siquidem prædictus Herimarus, Abbas Cœnobii S. Remigii Remorum Pontificis, ei quemdam scyphum pretiosi *a* marmoris obsui memoriam obtulerat, quem vir sanctus pro caritate dantis in proprios usus sibi servari constituerat: sed quadam vice minister ei potum daturus, in multas partes casu confractum repererat. Cujus particulas electus Domini quotcumque erant sibi deferri præcepit, & nihil tale futurum suspicatus, suo loco quasi delectando reposuit, astantibusque lætabundus dixit; Potens est Omnipotentis majestas in pristinam integritatem has restituere fracturas. Quo dicto, protinus consolidatæ sunt partes, ita ut ad memoriam facti signum fracturæ, ad instar subtilissimi capilli, circumquaque appareret: sed quod magis mirum erat, nihil intra positi liquoris efflueret. Hujus rei adest *b* testis congruus, venerandus Hugo jam dictus Chrysopoleos Archiepiscopus, qui cum lacry-

Romam reversus,

a scyphum fractum integritati restituit,

b

lacrymis se præsentem adfuisse testatur, & devoto furto se illud vas sancto viro abstulisse lætatur.

pacem & religionis augmentum procuraturus Apuliam petit:

17 Semper autem memor officii sibi à Deo commissi, ut fidelis servus & prudens, in tempore dispensans mensuram tritici, iter sumpsit peragraturus fines Apuliæ, ut Christianam repararet religionem, quæ ibidem videbatur pene deperisse: maximéque inter accolas regionis & Normannos concordiam componere satagens, quos dudum adjutores contra exteras gentes susceperant Principes regni, sed tunc sævissimos tyrannos ac patriæ vastatores non sponte sustinebant. In hoc ergo sancto opere solicite intentus venit Beneventum, ubi aliquamdiu

e clinicam sanat

commoratus, cuidam clinicæ divina præeunte gratia vitale præbuit auxilium. Nam per annos fere quindecim diutino confecta languore, de proprio grabato, nisi aliorum deportata manibus, nequibat exire: ita cuncta ejus membra paralysis erant dissoluta ægritudine. Cui per revelationem ostensum est, ut de lympha, qua beatus Pastor sacras abluerat manus, post celebrationem Missarum hauriret, & absque mora sospitatem reciperet. Qua impetrata atque eum fideli spe hausta, in crastinum sospes sacra Missarum solennia adiit, Deo sanctoque Pontifici gratias redditura. Itaque zelo sanctæ

B d *in Concilio Sipontino 2 Archiepiscopos deponit:*

religionis fervens Præsul venerandus, apud *d* Sipontum habito Concilio, duos deposuit ab officio Archiepiscopatus, qui cum mercede sanctum assumpserant ministerium, vitio elationis unus ambiens præcellere alterum. Inde *e* repetito gressu Romam rediit, ubi superna admonitus revelatione B. Gerardum suæ sedis, Leucorum videlicet, olim Præsulem, in numero Sanctorum computandum *f* statuit. Eodemque anno in patriam regressus, ipsius sanctos artus cum summa gloria transtulit. Quæ omnia dilucide sunt exarata in ejusdem vita & miraculis. *g*

e Romæ Sanctis adscribit Gerardum Episcopum Tullensem: f g

18 Erat autem huic viro Dei non modica concertatio contra pervasores rerum sanctæ Romanæ Sedis; maximeque contra Ravennatem Episcopum, spiritu repletum contumaciæ & rebellionis: cui nonnulli favebant Palatini, gloriæ invidentes Domini Apostolici. Quorum caput in fomento discordiæ erat *h* Nizo Episcopus Frisingiæ, super quem divina virtus hujusmodi horrendam ultionem dignata est ostendere. Nam pro responsis Imperialibus in Italiam directus Ravennam devenit, & in favorem Ravennatis detrectatoria verba contra hunc Beatum proferre cœpit: inter quæ ducto sub gutture digito ad hæc blasphema prorupit: Hoc guttur gladio abscindatur, nisi eum deponi fecero ab honore Apostolatus. Quo dicto, eodem momento ipsum intolerabilis dolor gutturis invasit, & impœnitens die tertio vitam obiit. Archiepiscopus autem Ravennatium ob incorrigibilem præsumptionem est à sancto Papa anathematizatus. Ideoque Imperiali jussu Ausburgiam vocatus, cum justitia redditis quæ perverse invaserat, absolutionem est petere coactus. Qui cum licet corde contumaci ante pedes Sancti stratus jaceret, cunctusque cœtus præsentium Pontificum ei absolutionem peterent, ait vir beatus: Secundum ejus devotionem tribuat illi Omnipotens cunctorum scelerum absolutionem. Ille vero surgens, cum subsannatorie subrideret adhuc superbia tumidus; venerandus Pastor in lacrymas resolutus, inquit secreto circumstantibus, Heu! mortuus est miser iste. Nec mora, ille languore corripitur, & vix in patriam revectus, vita & honore quo tumebat, celeriter *k* privatur.

in S. Leonis contumaces divinitus puniuntur morte Episc. Frisingiæ, h i

C

& Archiepiscopi Ravennatium,

k *Romæ dæmoniacam liberat,*

19 Magnificus autem Pastor Romanam revisens Sedem, dum Paschalibus solenniis apud S. Laurentium esset celebraturus divini Sacramenti oblationem; inter sacra Missarum solennia ei quamdam obtulerunt mulierem, quæ plena dæmonio sanam amiserat mentem. Quam incessanter debacchantem cernens, fremitumque circumstantium, ac eam vindictam trahi non ferens, econtra vexillo Crucis edito, omnes a longe stare præcepit; sed illam mox immundus pervasor reliquit, & sana mente incolumis ad propria repedavit. Solicitus autem de salute animarum, primum sibi specialiter commissarum, Romæ positus venerabilem Primicerium *l* Odonem elegit sibi successorem sanctæ Sedis Leucorum, atque ad eum sibi subrogandum Imperiali Majestati proprium direxit Legatum. Siquidem ob honorum morum honestatem, sanctæque religionis fervorem, & piæ devotionis intentionisque devotionem, illum hoc officio dignum judicabat; & paterno eum amplectens affectu, proprium filium vocitabat. Sperabat quoque, ejus prudentiâ, qua in divinis humanisque affluenter pollet, perfici posse, si quid minus plene peregisset in suæ primævæ Sedis augmentatione. Quod etiam nunc ex plurima parte fit, Christi annuente suffragio, & ut vere credimus in dies erga Deum accrescet ejus sancta devotio. Sed nunc ejus laudibus supersedendum arbitramur, ne nævo elationis denotemur: in fine, securius cantabitur.

AUCT. WIBERTO.

l eligit Odonem Episc. Tullensem,

E

20 Non modicus quoque ei inerat fervor in augenda Republica. Idcirco Hungariæ Principes, à Romano nuper Imperio dissidentes, multiplicibus legatis adierat, ne detrectarent solita subjectione Imperatori prisca persolvere tributa: quod & consenserant, si præteritorum commissorum eis concederetur indulgentia. Quapropter sancta commonente pietate coactus est tertio antiquam patriam repetere, & pro reorum miseratione, qui contra Imperium moverant bellum, persuasoriis precibus Imperiales aures expetere. Sed quia factione quorumdam Curialium, qui felicibus sancti viri invidebant actibus, sunt Augusti aures obturatæ precibus Domni Apostolici; ideo Romana Respublica subjectionem regni Hungariæ perdidit, & adhuc dolet finitima patriæ prædis & incendiis devastari.

Hungaros dissidentes ut Imperio reconciliet, Germaniam petit, m

21 Dum autem pro regni pace solicite laborans ibidem aliquandiu moraretur, divina prædestinatio ei in somnis revelare voluit, quid sibi futurum portenderetur. Nam videbatur sibi quod stans in edito familiares suos ad se de periculo confugientes reciperet, eisque sua pluviali veste, quæ Cappa vocitatur, inclusis, sanguine eorum sibi vestes infici conspiceret. Qua visione certus redditus, mœstitudinem sibi suisque affuturam, sicut triticum in area Domini recondendum, ad tentationem sese præparat sustinendam. Itaque repedans in Italiam, Concilium apud Mantuam habendum constituit: quod factio quorumdam Pontificum, severitatem ejus justi judicii timentium, perturbavit. Nam familiæ eorum fautrices scelerum, subitaneum contra Domni Apostolici familiam moverunt tumultum, secure adstantem ante basilicam in qua publicum habebatur Concilium; ita ut vir sanctus cogeretur à medio consessu surgere, & ante portam ad sedandum strepitum procedere. Cujus præsentiam non reveriti Deo odibiles, eo magis magisque in nequitia pertinaces, nitebantur ad eum examinatos confugientes ante oculos ipsius confodere, & à valvis Ecclesiæ ut ibi tutarentur repellere: ita ut impetus sagittarum & saxorum circum ejusdem Sancti aures & ora volitaret, atque quosdam ejus veste defendi cupientes vulneraret. Qui tumultus admodum difficulter sedatus, cœptum rigorem Concilii imperfectum coegit relinqui. Sed in crastinum cuncti hujus seditionis incentores severa examinatione damnandi, à piissimo Patre sunt misericordi indulgentia absoluti,

in visione adversa imminentia cognoscit,

F

in Concilio Mantuano impeditur tumultu concitato,

seditionis auctorem absolvit.

AUCT. WIBERTO.

ti, ne videretur causa ultionis asperitatem in eos exercere judicii.

22 Videtur etiam indignum sub sera oblivionis occludere, quod ejus temporibus ad divinam laudem apud *n* Narniam gestum refertur memorabile: cujus rei testes visorii, à minimo usque ad maximum cuncti illius urbis dicuntur extitisse. Nam biennio antequam ibidem hic venerandus Papa Dominicum celebraret Natalitium, contigit quodam die æstivo tempore infinitam multitudinem juxta eadem mœnia habere transitum: cujus terrore attonita universa plebs muros ascendit, quasi ob capiendæ civitatis defensaculum. Quæ multitudo infinitum terræ spatium, quantum humanus posset comprehendere visus, implebat, & præ celeri gradu Orientem versus transcurrebat. Videbantur autem cuncti miro candore habitus, vultusque ac capitis canitie venerandi, pene consimilis formæ qualitate decori. Quod miraculum omnes à muris urbis aspectantes stupidos reddidit, & à primo mane usque ad horam nonam excurrere non destitit. Sole autem declinante, cœpit illa admiranda multitudo paulatim rarescere. Unus quoque ex muro spectantium, fidentior reliquis, ausus est extra procedere, & è vicino cum tremore astans, spectabat, si quem eorum posset agnoscere. Tunc inter extremos videt quemdam, sibi olim familiarem, ipsius urbis civem, boni testimonii & devotæ mentis hominem, qui jam non diu præsentis vitæ excurrerat finem: quem cum divina adjuratione nomine tenus appellans, ad se vocitavit, & quæ esset illa tanta multitudo sibi manifestari depoposcit. Cui inquit: Licet sis indignus divina mysteria cognoscere, tamen noveris nos peccatrices animas, adhuc immeritas cælestis regni gaudia possidere, vice pœnitentiæ loca sancta continuatim circuire, & nunc de S. Martini majori monasterio venientes, ad beatæ Dei genitricis Mariæ cœnobium in *o* Farfa iter agere. Quo dicto disparuit, ac nimio illum terrore confectum reliquit, quippe integro anno languens recubuit in lecto, & hæc eadem Domno Apostolico retulit ore proprio.

visos plurimos juxta mœnia Narniæ transire,

à mortuis loca sancta circumire intelligit.

ANNOTATA.

a *Anselmus in Itinerario scribit, cum esset in Episcopum designatus, ei* missum in munere vas ad bibendum idoneum, intus & exterius auro decentissime decoratum. *Desiderius Abbas Casinensis* poculum lignarium; *& S. Bruno Signiensis,* scyphum ligneum *fuisse asserunt. In Mss. hujus Vitæ dicitur* scyphus pretiosi marmoris, *pro quo excusum* mazeris: *quid si fuerit* pretiosæ materiæ, *quamvis lignea?*

b Huic miraculo interfuisse B. Gregorium, VII *ejus nominis Papam, tunc Hildebrandum dictum & sibi* narrasse *testantur S. Bruno, & Desiderius ante memorati.*

c *Hoc iter peregit anno* 1050, *tempore Quadragesimali.*

d *De Siponto late egimus 7 Februarii ad Vitam S. Laurentii Episcopi Sipontini. Fuit urbs ea Episcopalis, ad radices montis Gargani: qua eversa ex ejus ruinis est Manfredonia constructa circa an.* 1256. *Erat tunc* Sipontinus Archiepiscopus Vbertus, *uti ad Vitam S. Geraldi Abbatis Silvæ-majoris in Aquitania 5 Aprilis dictum. Nomen deest Vghello, qui ex Anonymo Barensi scribit Leonem* IX *anno* 1050 *synodum Siponti habuisse. Erant tunc in Apulia & Lucania Sedes Archiepiscopales quinque, quarum Præsules sic enumerat Vghellus, tom. 7 Italiæ sacræ, ut aliquem ex iis in hoc consilio depositum nequeas suspicari, nisi forte Tranensem: horum enim Catalogus hiatum habet hoc tempore, quo sederit Ioannes quidam post annum millesimum, & alius Ioannes circa* 1053, *forte in locum depositi decessoris anonymi subrogatus. Plures ejusmodi Sedes in Calabria utraque suggerit Tomus 9, catalogis hoc tempore quandoque hiantibus: & credibile est ad hoc Concilium non Appulos tantum, sed etiam Calabros Episcopos convenisse.*

e *Tunc reversurus Romam, Casini celebravit Palmarum festivitatem 8 Aprilis.*

f *In Synodo Romana post Pascha celebrata.*

g *De his agemus 23 Aprilis.*

h Nizo, *Wigulejo Hundio* Nicerus *&* Nitgerus, *dicitur etiam ab Hermanno Contracto,* jussu Imperatoris Ravennas perductus, subita inibi morte periisse.

i Frisingia *urbs Bavariæ Episcopalis, media fere inter Monachium & Lanshutum.*

k *Hieronymus Rubeus lib. 5 Historiæ Ravennatium Hunfridum vocat, asseritque* Ravennam regressum, ibidem veneno, ut plerique suspicati sunt, subito interiisse IX Kalendas Augusti *anni* 1051.

l Odo, *alius* Udo, *ex illustri prosapia Principum Sueviæ, vixit usque ad annum* 1070, *cum ante hæc Vita esset edita.*

m *Varia tunc in Germania peracta, supra deduximus.*

n Narnia: *urbs Vmbriæ prope Interamnum 40 millia passuum Roma distat.*

o *De* Farfensi *in Vmbria monasterio egimus 3 Febr. ante Vitam* S. *Laurentii Illuminatoris Episcopi Spoletini.*

CAPUT V.

Hæresis Fermentaceorum repressa.

23 Ea tempestate orta est hæresis Fermentaceorum, quæ calumniatur sanctam Romanam Sedem, imo omnem Latinam & Occidentalem Ecclesiam, de azymis vivificum Deo offerre sacrificium. Quam calumniam etiam scripto ediderunt *a* Episcopi Michaël Constantinopolitanus & Leo *b* Achridanus: pervicaciter exhalantes pestiferas *c* mephites adversus sanctam & Apostolicam fidem. Hæc quidem calumnia, Græco sermone edita, & *d* Joanni Tranensi Episcopo in suggillationem omnium Latinorum directa, cum fuisset Trani exhibita Fratri *e* Humberto sanctæ Ecclesiæ Silvæ-candidæ Episcopo, in Latinum est translata ejus studio, atque delata Domno Papæ Leoni nono. Itaque gloriosus Apostolicus libellum composuit luculentissimum, adversus jam dictas præsumptiones & nimias vanitates eorum, conatus illos ad viam veritatis adducere: sed postmodum incorrectos Ecclesiastico damnavit anathemate. Prædictus etiam Frater Humbertus edidit contra eorum putida scripta responsionem instar *f* Dialogi, ab ipso Latine scriptam Apocrisariatus sui tempore Constantinopoli: & jussu Imperatoris religiosi & orthodoxi *g* Constantini Monomachi Græce editam, sub nominibus Constantinopolitani & Romani, anno Domini millesimo quinquagesimo quarto.

Adversus Fermentat. eorum scripta hæretica,

scribit libellum,

incorrectos damnat:

24 Domnus quoque *h* Fredericus, tunc Cancellarius, post à Deo electus Romanæ sedis Apostolicus, invective respondit quibusdam objectionibus, quas ediderat Niceta monachus Constantinopolitanus, qui & Pectoratus, contra Latinam Ecclesiam: quem libellum titulaverat de Azymo, de sabbato, & de nuptiis Sacerdotum. Quæ invectio de Latino translata & publice coram prædicto Imperatore est recitata, idemque Niceta coactus est damnare & comburere sua scripta: habita disputatione apud monasterium Studii in urbe Constantinopolitana. Siquidem gloriosus Apostolicus direxerat Constantinopolim sanctæ Romanæ Sedis Apocrisarios, præfatum scilicet Humbertum & *k* Petrum Amalfitanorum Archiepiscopum, Fredericum quoque tunc Diaconum

per suos Apocrisarios Constantinopolim missos,

Nicetam damnat cum sua scripta.

A conum & Cancellarium. A quibus Niceta, accipiens perfectam suarum propositionum solutionem, iterum sponte anathematizavit omnia dicta & facta vel tentata adversus primam & Apostolicam sedem, sicque ab eis in communionem receptus, effectus est eorum familiaris amicus. Michaële autem Constantinopolitano Episcopo præsentiam illorum & colloquium devitante, atque in stultitia sua perseverante, præfati nuntii Domni Apostolici adierunt Ecclesiam sanctæ Sophiæ; & super ejus obstinatione conquesti, Clero ex more ad Missas præparato, jam *m* hora tertia die *n* sabbati chartã excommunicationis sub principale altare deposuerunt, sub oculis præsentis Cleri & populi. Inde mox egressi etiam pulverem pedum suorum excussere in testimonium illis, juxta dictum Euangelii, proclamantes, Videat Deus & judicet. Hinc ordinatis Ecclesiis Latinorum intra ipsam Constantinopolim, & anathematizatis cunctis qui deinceps communicarent ex manu Græci, Romanum sacrificium vituperantis; accepta orthodoxi Imperatoris licentia, in osculo pacis cum donis Imperialibus S. Petro sibiq; collatis, alacres sunt reversi. Itaque Imperator adversus Michaëlem commotus, quod ad Concilium in sui præsentia & nuntiorum Domni Apostolici venire detrectaverit, imo seditionem vulgi contra eum incitaverit; amicos & affines ipsius honoribus privatos à palatio eliminavit, contraque ipsum usque in finem graves iras retinuit.

l in communionem recipit.

Michaelem Patriarchã obstinatum excommunicat: m n

B

ANNOTATA.

a Michaël *cognomento* Cerularius, *Latinorum hostis capitalis, sedit ab anno* 1043 *usque ad* 1058, *quando de Sede expulsus & in exilium amandatus est.*

b Achris & Achrida, *metropolis olim Serviæ & Bulgariæ, ita hodierna Albania mediterranea.*

c *In Ms. S. Maximini*, mentes.

d *Hic* Joannes, *Tranensis in Apulia Peucetia Episcopus, cum dictis Græcis colludens, à Nicolao 2 Papa depositus est anno* 1059.

e Humbertum *tunc etiam Cardinalem fuisse asserunt passim alii: desiit vivere anno* 1063.

f *Est hic Dialogus excusus in Appendice ad tomum* XI *Annalium Baronii & Bibliotheca Patrum.*

g *Regnavit hic ab anno* 1054.

h Fredericus, *Gozzelonis Ducis Lotharingiæ filius, à* S. *Leone creatus* S. R. E. *Cardinalis & Cancellarius, anno* 1057 *creatus Papa & Stephanus* X *appellatus.*

i Die nativitatis S. Joannis Baptistæ Ind. 7 anno Constantini Imp. 12, *Christi* 1054. *Ita Humbertus in Dialogo, quo tempore à morte S. Leonis Sedes vacabat.*

C

k *Sedit Petrus Amalphitanus in Picentinis, nunc Principatu citeriore, Archiepiscopus, sub 7 Pontificibus Romanis, ab anno* 1048 *usque ad* 1070.

l *Extat ea ab Humberto scripta.*

m Hora tertia *tunc Italis & Orientalibus erat ea, quæ transmontanis nunc est hora nona; & hora sexta, semper erat meridies.*

n XVII Kalendis Augusti, *inquit Humbertus; & recte, anno* 1054 *littera Dominicali B.*

CAPUT VI.

Clades comitibus S. Leonis illata: illi pro Martyribus habiti, hujus pœnitentia & miracula.

Apuliam petit:

25 INterea piissimus Pastor, solicitus pro ovibus sibi à Deo creditis, ac clementi condolens affectu inauditæ afflictioni Apuliæ gentis; collecto aliquanto comitatu, rursum movit iter versus Beneventum, nisus omnimodis Normannorum sævissimum mitigare impetum. Non est nostrum lacrymo-

sis expendere verbis, quid sibi in hoc itinere contigerit: dum ipse *a* brevi scripto Imperatori Constantinopolitano cuncta intimaverit. Ait enim inter alia: *EX MSS. a*

26 Illa solicitudine, qua omnibus Ecclesiis debeo invigilare, videns indisciplinatam & alienam gentem Normannorum, crudeli & inaudita rabie & plusquam pagana impietate adversus Ecclesias Dei insurgere, passim Christianos trucidare, & nonnullos novis horribilibusque tormentis usque ad defectionem animæ affligere: nec infanti, nec femineæ fragilitati aliquo humanitatis respectu parcere; nec inter sanctum & profanum aliquam distantiam habere; Sanctorum basilicas spoliare, incendere, & ad solum usq; diruere; sæpissime perversitatem ejus redargui, commonui, obsecravi, prædicavi, opportune importuneque institi, terrorem divinæ & humanæ vindictæ denuntiavi. Sed quia, sicut quidam Sapiens ait; Nemo potest corrigere, quem Deus despexerit, &; Stultus verbis non corrigitur; adeo obstinata & obdurata ejus malitia permansit; ut de die in diem adderet pejora pessimis. Unde non tantum exteriora bona pro liberatione ovium Christi cupiens impendere, sed superimpendi ipse præoptans, visum est mihi ad testimonium nequitiæ ipsorum nihil sic expedire ad repressionem contumaciæ, quam humanam defensionem undecumq; attrahendam fore: audiens ab Apostolo, Principes non sine causa gladium portare, sed ministros Dei esse, vindices in ira omni operanti malum; & quia Principes non sunt timori boni operis sed mali, & Reges atque Principes missos à Deo ad vindictam malefactorum. Suffultus ergo comitatu, qualem temporis brevitas, & imminens necessitas permisit, gloriosi Ducis & Magistri Argyrei, fidelissimi tui, colloquium & consilium expetendum censui; non ut cujusque Normannorum seu aliquorum hominum interitum optarem aut mortem tractarem, sed ut saltem humano terrore resipiscerent, qui divina judicia minime formidant. Interea nobis eorum pertinaciam salutari admonitione frangere tentantibus, & illis ex adverso omnem subjectionem ficte pollicentibus, repentino impetu comitatum nostrum aggrediuntur, sed & adhuc de victoria sua potius tristantur, quam lætantur. Sicut enim tua pietas scribere curavit ad nostram consolationem; pro ista sua præsumptione majore in proximo expectant sibi superventuram indignationem; post illam quam experti sunt suæ catervæ diminutionem. Nos quoque divinum nobis adjutorium affore, & humanum non defore confidentes, ab hac nostra intentione liberandæ Christianitatis non deficiemus; nec dabimus requiem temporibus nostris, nisi cum requie sanctæ Ecclesiæ periclitantis. Et hæc quidem Domnus Apostolicus.

deplorat sævitiam Normannorum;

E

Rom. 13, 4

& suum comitatum

ab illis oppressum:

F

27 Itaque pessima gens Normannorum, peracta cæde familiæ mitissimi Papæ, non sine magno detrimento suorum, aggreditur oppidum Civitatulam cognominatum, ubi idem Beatus, ignarus eorum quæ acta erant, tardantem suum expectabat comitatum. Qui cum imminentes hostes cerneret, & quid suis contigisset intelligeret; cum ea quæ sibi remanserat Clericorum frequentia, cœptum iter versus Beneventum arripuit, & cunctis hostibus attonitis, quasi Leo confidens absque terrore per medium illorum transiit. *b* Ergo tam admirandam perpendentes confidentiam, mutatis animis, in ejus sunt conversi obsequelam, cujus osculantes vestigia, sibi immeritam deposcebant indulgentiam. Quibus vir sanctus pauca locutus pro tempore, ipsis deservientibus studuit funera cæsorum honorifice procurare, tumulans ea in vicina ecclesia, ab antiquo diruta tempore. Et quoniam pro amore Christi afflictæque gentis liberatione devotam mortem voluerunt subire, multiplicibus reve-

per medios hostes transiit:

occisos honorifice curat sepeliri;

AUCT. WIBERTO.

revelationibus monstravit eos divina gratia in cælesti regno perenniter gaudere: nam & ipsi diversis modis sese ostenderunt Christi fidelibus, dicentes se nõ esse lugendos exequiis funebribus, immo in superna gloria sanctis conjunctos Martyribus. Ab eisdẽ quoque illorum interfectoribus super ipsos restructa venusto opere basilica, ac concione Deo servientium ibidem aggregata, omnipotentissima Dei virtus multa per eos exercet miraculorum insignia. Ferocissima vero gens Normannorum his exterrita gestis, crudelitate deposita, populos quibus cohabitabat ex tunc ut compatriotas amicabilius tractavit, ac venerabili Papæ quoad vixit in omni subjectione fideliter deservivit.

ut Martyres habitos, & miraculis claros,

28 Eximius autem Pastor *d* Beneventum veniens, ipsis Normannis etiam injussis per totum iter obsequialiter illum comitantibus, non modico illic anni spatio est commoratus, semetipsum sanctis exercens virtutibus, patientia, vigiliis, jejuniis & orationibus. Siquidem omnem lecti molliciem refugiebat: sed sumpto ad carnem cilicio, & tapeti terræ in strato recubans, capiti lapide apposito, nocturnis horis paululum somni insumebat, reliquumque noctis spatium cum integri decantatione Psalterii, ac innumera genuum inflexione excurrebat: idem quoque Psalterium per singulos repetens dies, cum oblatione divini Sacrificii, cursum multiplicium orationum indefesse transigebat. Illud etiam erat in eo admirandum, quod ultra quinquagenarius tanto fervebat studio, ut divinarum lectionem Scripturarum Græco addisceret eloquio. Et quoniam visceribus pietatis & misericordiæ, supra quam credi potest, affluebat, innumera pauperum multitudo indefesse ad ejus largitatem accurrebat, quibus absque discretione necessaria ministrabat.

d Beneventũ venit, dure cubat, legit Psalterium de nocte & die, B quinquagenarius Græca addiscit: pauperes alit:

29 His itaque piis insistens actibus, dum quodam sero cuncta ejus familia causa nocturni secessisset soporis, ipse prævio lumine cum puero deambulabat per vacuum sui Palatii spatium, viditq; in angulo jacentem leprosum, scissis panniculis ac ulceribus obsitum, lurida putredine tabidum: qui nimia pressus ægritudine nequibat gressum movere, vixq; poterat ex effœto corpore verba proferre. Cui venerandus Pater genibus affixis diu est familiariter locutus, & propriis involutum vestibus, suis intulit humeris ad lectum, qui sibi Pontificali more fuerat præparatus: intrinsecusque januis obseratis, ac ministro soporato, ipse solitæ institit psalmodiæ in vicino oratorio. Demum post diutinam horam assueto usu humi cubaturus rediit, leprosum quem in extructo locaverat thoro minime reperit, excitatum puerum interrogat quorsum pauper abierit. Ille attonitus cunctos circuit angulos domus, ostiorum solicite tentat aditus, sed omnia inveniens obserata, cum summa admiratione regreditur. Hoc ergo facto stupidus Domnus Apostolicus dat fessa soporiferæ quieti membra, & nescio quid divini in somnis cernens, mane puero cum terrifica adjuratione imperat, ne cui quoad viveret ullo modo panderet quod actum fuerat. Credo illi in somnis Christus, ut B. Martino Pontifici, ejus indutus vestibus apparuit; aut, velut *e* Martyrius Monachus, leprosum de suis exilientem ulnis cælum ascendere vidit: & causa humilitatis, ne sibi pro humana laude virtus surreperet superbiæ, hoc voluit latere miraculum: tamen non absque re sub tanta comminatione jussit hujusmodi celari factum.

leprosum humeris suis sublatum, in lecto suo collocat: quem requisitum non invenit: C vult celari miraculum: e

30 Rursus quodam die ibidem solus cum solo Clerico sanctæ psalmodiæ exercitio insistebat: cum ecce quidam rusticus, secum insanam deducens filiam advenerat: quam multotiens pessimo torqueri dæmonio suspiriose proclamabat, ejusque meritis liberari cum lacrymis & gemitu deposcebat. Cujus precibus pius Pater diutius nitens contradicere, jussit eum Sanctorum suffragia, quorum innumeræ ibi continebantur reliquiæ, supplici voto exorare. Sed rusticus in proposito obstinatus, immo in solidæ fidei stabilitate firmatus, dicebat se exinde non recessurum, donec ejus benedictione divinum promereretur auxilium. Itaque vir sanctus ipsius importunitate devictus, granum salis in proximo repertum benedixit, ac in os puellæ cum divini invocatione nominis projecit; moxque dæmone cum purulento expulso sanguine, lætus pater cum sospite filia domum repedavit. Possent autem de hoc Sancto plurima admiranda referri, sed studioso est cedendum lectori, vel incredulo auditori, ideoque brevi ejus memorantes transitum, finem cœpto imponamus operi.

D energumenam liberat,

ANNOTATA.

a *Si quis plura velit scire de infelici hoc bello, legat Leonis Ostiensis Chronicon Casinense, lib. 2 cap. 87.*

b *Passim tunc* captus ab hostibus *traditur, forsan ad breve temporis spatium,* detentus carcere, *ut infra dicitur.*

c *Ita Mss. excusum erat* pro fide Christi.

d *Perductus* ab Hunfrido Normano Comite, *venit Beneventum mense Iulio anni* 1053.

e *De hoc* Martyrio *agit S. Gregorius homilia 39 in Euangelia: De eo egimus 23 Ianuarii, quo die alius S. Martyrius monachus colitur.* E

CAPUT VII.

Morbus, obitus, sepultura.

31 Boni ergo certaminis cursu consummato abundantiori supernæ beatitudinis indies æstuabat desiderio, & tamquam cum Paulo diceret, mihi mundus crucifixus est, & ego mundo, sic funditus curis hujus vitæ curabat abrenuntiare, ut in corpore adhuc positus videretur beatam Angelicæ conversationis vitam exercere. Pro defunctorum quoque requie incorruptorum Sacramentorum celebrationi solito frequentius invigilabat: & quamquam hic labor ei fuisset præcipuus toto tempore sui incolatus, ferventiori tamen studio & copiosiore votorum numero insistebat tam glorioso operi circa diem sui obitus. Et quoniam divinitatis providentia, tum indulgendo, tum verberando, operatur salutem sibi obsequentium, ad virtutis cumulum eum adeo flagellavit afflictione salutifera, ut perdito omnis cibi desiderio, irrepentis morbi dolor eum continuare cogeret, quæ olim sponte exercebat jejunia, solius lymphæ poculo marcido corpori præbente sustentacula.

Gal. 6, 14 sæpius Missam pro defunctis celebrat, in morbum incidit: F

32 Interea evoluto anni orbe instabat ejus ordinationis dies *a* anniversarius, in quo solito devotius quotannis Christo piis insistebat precibus. Quamvis itaque languoris invalescens molestia, fatigati divinis operibus corporis jam debilitaret præcordia; Spiritu sancto tamen roboratus, à quo totus ejus vitæ dirigebatur cursus, cum Apostolicæ dignitatis honore eo die Missarum solennia persolvens, Beneventanos, cum quibus tunc morabatur, gratificæ affabilitatis exhilaravit lætitia. Et hoc fuit ultimum in divinis Sacramentis obsequium, quibus semper se præbuerat dignum. Certificatus autem de suæ vocationis termino, Romam se *b* ferri fecit lecticæ vehiculo. In quo itinere sic eum conciliavit divinitas, non solum suis, verum etiam his qui nuper fuerant inimici; ut copiosa manus Normannorum, quos supra retulimus diu cum hoc viro habuisse dissidiũ, totius animi sincerissima devotione se invicem prævenirent ad ejus obsequium. Et decebat utique

a anniversario ordinationis factum celebrat Beneventi, b Romam refertur, à Normannis deductus:

que fortissimum defensorem Christianæ religionis, ut Regis sui Christi aditurus Palatia deduceretur nobili triumpho victoriæ, præeunte scilicet hostium jam subjugatorum mansuefacta multitudine. Aliquantulum ergo commoratus in Lateranensi Palatio, præstolabatur quid de se statueret interni judicis clementissima dispositio.

ex Lateranensi Palatio,

33 Beatus autem Petrus, non immemor diutini sudoris, quo sibi in regendo ovili Ecclesiæ assuerat cooperator hic vir memorabilis, eum sibi vicinius deliberavit conjungere; utpote participem futurum magnifici honoris & gloriæ, quam summi Pastoris præeunte gratia Romanæ impertivit Ecclesiæ. Divina itaque revelatione est edoctus, quod non alias eum remaneret carnis resolutio, nisi in locis B. Petri vicinis Oratorio. Nec mora, gratulabundus super tali visione, seque intelligens visitari divini respectus miseratione, lectica denuo subvectus Oratorium B. Petri est ingressus. c Ibi ex imo cordis fundo lacrymis permanantibus, ad Deum extendens puram mentem cum manibus, diutissime clementiam Domini secretis invocavit precibus. Dein delatus in vicinam Episcopii domum, visitatus est frequentia fidelium, summæ dilectionis gratia ad eum confluentiū. Quorum pia consideratio, perpendens non diutius eum retinendum corporis ergastulo, decrevit ut quoniam plures Episcoporum, Abbatum, ceterorumque fidelium confluxerant turbæ, eis præsentibus inungeretur sacrati olei liquore.

revelatione edoctus,

vehitur ad Oratorium S. Petri, c

B

extremis Sacramentis munitur:

34 Super quo facto exhilaratus usquequaq; munitusque Dominici corporis & sanguinis communione, Teutonica lingua, ut testati sunt qui adfuerunt, tali cum Deo locutus est oratione: Miserator Domine, omnium Redemptor, unica salvatio, si judicas expedire oculis tuæ majestatis, ut adhuc communi utilitati populorum tuorum inserviam; merear (oro) celeri medicina tuæ visitationis instantis ægritudinis evadere molestiam: sin aliud aliquid deliberat tuæ divinitatis providentia, deprecor Domine, ut quantocius concedatur mihi exire hujus corporis habitacula. Finitis precibus astantes respiciens, singulis pro sibi exhibito obsequio gratias retulit: fessaque membra ad requiem componens, tolerabilius solito se dolorem sentire perhibuit. Credidit circumstantium fidelium multitudo, mox eum depositurum carnis exuvias: suspiriosisque singultibus proficiscēti animæ competentes solvebat exequias. Quorum voces comprimens beatus vir. Hoc, inquit, quod nunc agitur differte in horam tertiam diei crastinæ, expectantes quid de me placeat omnipotentiæ Dei. Vigilantiori igitur affectione postero die adfuit horâ tertiâ copiosa fidelium frequentia, & circa horam nonam resolutum carne spiritum, cælosque petentem, deducunt commendatione devotissima.

se Deo committit,

& hora à se prædicta moritur:

C

35 Affluente autem totius Romanæ plebis multitudine, cum summo honore ejus celebratæ sunt exequiæ: & sicut ipse disposuerat, sepultus est juxta beati Pontificis Gregorii altare, ante fores ecclesiæ. Et merito in decore sepulturæ illi extat conjunctus, quem in divina religione ac sanctæ Ecclesiæ instauratione est fideliter imitatus: cujus vitam & sanctitatem quidam brevi disticho sic est prosecutus.

sepelitur juxta altare S. Gregorii.

Victrix Roma dolet, nono viduata Leone:
Ex multis talem vix habitura Patrem.

Exemptus est autem hic vir magnificus ab hujus vitæ laboribus, ætate quinquagenarius, anno incarnationis Dominicæ d millesimo quinquagesimo quarto, Leucorum Episcopatus vigesimo e octavo, Apostolatus autem sexto: siquidem Romæ sedit annis quinque, adjectis duobus mensibus & novem diebus, impleta visione quam supra de revelatione calicum retulimus. Nam quinque calices ei à beato Petro collati, signabant quinquennale ejus vitæ spatium: reliqui tres, sui successoris Victoris triennium: sequens unus, beatæ memoriæ Frederici in Apostolatu unius anni cursum. Sed quoniam adhuc restant plurima ad dicendum, quæ ad ejus tumbam fiunt divina pietate miracula, Romanis relinquimus exaranda, in quorum dietim ostenduntur præsentia. Nostrum est ejus merita devotis precibus exorare, ut viscera pietatis & misericordiæ, quibus in præsenti abundabat vita, nunc in superna positus gloria nobis dignetur aperire: quatenus ejus sancto suffragio scelerum nostrorum abruptis nexibus, supernæ mereamur esse participes gloriæ, eo annuente qui in Sanctis suis facit mirabilia, à quibus etiam sibi cantatur laus & gratiarum actio in secula seculorum. Amen.

d

mortuus anno 1054. Sedis 6,

AUCT. WIBERTO.

claret miraculis:

invocatur à scriptore,

ANNOTATA

a *Is erat 12 Februarii anno 1054.*

b *Discessit, Benevento 12 Martii.*

c *Quæ biduo ante obitum gesta sunt, ea infra ab oculato teste accurate describuntur.*

d *Erat errore amanuensium in excusis & Mss. notatus annus quintus, loco quarti supra millesimum & quinquagesimum.*

e *Imo* Episcopatus vigesimo nono.

D

HISTORIA MORTIS ET MIRACULORUM

Ex Mss. Strozziano, Hubertino & Beneventano collecta.

PROLOGUS.

1 ANno millesimo quinquagesimo quarto Domini nostri Jesu Christi, Indictione VII, decima tertia Kalendas Majas, depositione exultemus Beati Patris nostri Leonis Papæ IX, regnante Henrico Imperatore filio Conradi Imperatoris Romæ. Ad laudem & gloriam Domini nostri Jesu Christi, & ad memoriam B. Leonis Papæ, certamus hunc intimare laborem certaminis, quem oculis nostris vidimus, omnes Presbyteri & Diacones & cuncti Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Catholici. Sæpe vidimus in ejus vita multam largitatem, vel eleemosynas erogantem pauperibus civibus ac peregrinis, ita ut cunctos thesauros Ecclesiæ & cuncta quæ habere poterat plurimam partem viduis, orphanis & Deum timentibus erogaret. Propterea Romanorum perfidia contra eum murmur & bella suscitabat: nam ut inexpugnabilem suæ Ecclesiæ murum Dominus contra dementes hæreticos erigeret, huic viro in litterarum studiis plerique catechizati fuerant. Iste almificus Præsul Leo humilibus suaviter blanditus est, iste superborum colla constringens, iste derogatoribus suæ vitæ necessarium victum subministrans, virginitatem prædicans, matrimonia casta defendens, virtutum certamina gloriosa collaudans, lapsum Clericis, atque monachis pravitatem accusans, etiam ubi res tulit Gentilium exempla dulcissima varietate permiscuit: sed tamen hoc non erat suæ voluntatis, sed, ut ita dicam gravissimæ necessitatis, ut probaret ea quæ à sanctis Prophetis ante secula prædicta sunt, tam Græcorum quam Latinorum, & aliarum gentium linguis vel litteris; vere totus explicans, totus exornans, & per disputationis genera semper æqualis incedens. Cum vere dixerimus Catholicam hominis illius scientiam; sana doctrina, quocumq; conversatus est loco, stabilis permanet

Auctor à se visa scribit.

E

Ex MSS. manet firmitate fidei *b* nam ista pauca excerpsimus
b de ejus vita, plura vero ad magistrorum peritiam dimittamus; & de ejus mirabilibus, quæ vidimus, fideliter doceamus.

ANNOTATA.

a *Addebantur plura in Ms. Strozziano: scilicet* Monomacho Imperatore totius orbis, & regnante Dominico Contareno Duce Venetiarum & Dalmaticorum, nec non Dominico Patriarcha in civitate Gradensis Ecclesiæ, Venetiæ ad laudem, B. Leo Papa pius ac mitis, causa orationis, ad S. Marcum Apostolum & Euangelistam pervenit, & ibidem susceptus est. *Congruunt tempora. Præfuit memoratus* Contarenus *ab anno* 1041 *usque ad annum* 1069, & *Patriarcha Gradensis* Dominici *meminit S. Leo in epistola ad Episcopos Venetiæ & Istriæ: quos voluit illi tamquam Primati subesse.*

b *In Ms Beneventano apud Ughellum, plurimis omissis, ita concluditur Prologus:* Ex multis pauca hujus sancti viri in medium proferamus, & præcipue ea, quæ imminente ejus morte acciderunt.

CAPUT I.

Extrema S. Leonis acta & monita: piissimus obitus.

B

die 17 Apr. æger adhortatur Episcopos & alios:

2 QUinto decimo Kalendas Majas, cum gravi infirmitate longe maceraretur in corpore, idem Dominico die *a* quinto decimo post Pascha, vocavit omnes Episcopos & Clericos ad se, & ita locutus est eis, dicens: Audite, Fratres mei & Coepiscopi, me enim Dominus de hac vita vocavit. *b* Memores vero estote Euangelici sermonis dicentis: Vigilate quia nescitis qua hora Dominus vester venturus sit. Rogo enim vos, carissimi, ut in me aspiciatis, & cogitetis qualiter flores hujus mundi cito marcescant. Nam infelix ego, qui indignus Apostoli Petri honorem suscepi, modo quantum ad corporis partes fere ad nihilum sum redactus. Nam ita mihi obscuratur præsens mundus iste, quasi jam habitem in obscurissima domo: quia in hac nocte in visu vidi illum quo iturus sum mundum; & videor quasi jam non habitem seculum istud, sed potius illud quod in visione prævidi; pro quo timens & timidus nimium sum. Vidi enim multa quæ videre expavi. Verum gavisus sum in nostris Fratribus, qui pugnantes in Apulia pro Deo sunt trucidati. Vidi enim illos *c* in Martyrum numero, & eorum sicut aurum splendentia vestimenta; tenentes omnes palmæ ramos in manibus suis, plenos floribus immarcessibilibus, excelsaque voce me vocabant dicentes: Veni, mane nobiscum, quia per te hanc gloriam possidemus. Hinc ex alia parte respondendo unius aliam vocem audivi: Nequaquam, sed die tertia in nostro erit collegio: quia locus ejus iste est, & sedes ejus inter nos feliciter præparata consistit. Si vero meæ visioni non creditis, probate ea quæ dixi. Si super tres in seculo isto permansero dies, visio hæc cassa & vana deputetur: & si die nuntiata transiero, servanda vobis sunt quæcumque dico. Nunc unusquisque ite ad loca vestra, & aurora lucescente ad me venite. Multis secundum ejus præceptum ad domos recedentibus suas, steterunt quidam cum eo per totam noctem: à quibus dicitur & mire testificatur, quod totam illam noctem, in tanta mole ægritudinis positus, pervigilem duxerit, atque in terra prostratus pro grege sibi commisso in oratione permanserit.

(margin: *a*; *b* Matt. 25, 13; *in visu a comitibus cæsis invitatus*; C *c*; *die 3 se moriturum prænoscit:*)

18 Apr. in ecclesiam portatus,

3 Mane facto, adveniente omni Clero & cuncto populo Romano, præcepit ut se ad tumulum suum marmoreum ducerent in ecclesiam: quo facto jussit lectum, in quo jacebat, in ecclesiam mitti. Romani vero videntes tumulum ejus ad ecclesiam deportari, irruerunt unanimiter pergentes ad palatium Lateranense ut illud expoliarent, sicut mos illorum erat: sed tale fuit meritum & virtus Beatissimi Leonis, ut nec unus potuerit pergere, nec infra palatium introire. Hæc videntes, omnes confusi & perterriti timore, cum grandi verecundia reversi sunt. Inter hæc Beatissimus Pontifex, cum intra ecclesiam S. Petri suum thorum deportari præcepisset, convocatis omnibus qui aderant ex fidelibus, jussit eos sedere & intentis auribus sua præcepta audire. Quibus residentibus cum summo silentio, dixit *d* Fratres & conservi Domini nostri Jesu Christi, estote memores præceptorum Dei, & ambulate in bonis actibus, dum adhuc lumen habetis. Præcipio enim ut nullus emere præsumat villam aut vineam seu terram, vel aliquam rem pertinentem ad regimen sanctæ Ecclesiæ per possessionem ad usum suum tenere: qui hoc facere præsumpserit, æterni judicis iram sine dubio incurret. Item præcipio ut usus jurandi vestro deleatur ex corde: multa enim dignoscimini incurrisse perjuria, quæ ego propter Deum vobis dimisi, licet in eadem iterum cecidistis. Præterea contestor vos omnes, ut consanguineæ vestræ non commisceamini. Item præcipio ut advenientibus ex cunctis pene partibus hominibus ad orandum Deum & ejus Apostolum, pro sua & omnium Christicolarum salute, nullus impedimentum exhibeat: etiam præcipio ut ex omnibus frugibus terræ quas vobis Deus dederit, & de animalibus, ei primitias detis; nisi talia feceritis, salvi esse nequibitis.

(margin: D; *salubria monita præsentibus dat, d*; E)

4 Hæc & his similia dicens ad populum, vocavit juxta se omnes Episcopos & Clericos, cum quibus veram faciens confessionem & conversus hinc ad partem Orientis, incumbens in lectulo suo respexit sanctam Crucem, & perfusus lacrymis oravit diutissime; & dimittens peccata eorum, qui canonice fuerant obligati ab illo, absolvit eos: imo & ceteris omnibus; Si servaveritis, inquit, quæ vobis præcepi, de præteritis malis vobis indulgentia detur. Et hæc dicens iterum respexit in cælum, & sic oravit: Domine Jesu Christe, Pastor bone, qui per Euangelium tuum *e* hesterno die dicere dignatus es: Ego sum pastor bonus, qui pro ovibus meis pono animam meam? Tu pie Pastor de cælo descendisti, & B. Mariam sancto spiritu obumbrasti, & quem omnis mundus capere non potest in solo ejus utero mirabiliter habitasti, servilemque formam pro nobis peccatoribus induisti, & duodecim Apostolos elegisti, quibus ligandi & solvendi licentiam propriam tribuisti, & Petrum Apostolum fundamentum Ecclesiæ esse fecisti, dicens illi: Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in cælis; & quodcumque solveris super terram, erit solutum in cælis. Tu Domine dixisti: Petite & accipietis, quærite & invenietis, pulsate & aperietur vobis; ideo obsecro clementiam tuam & peto, ut mihi, quem indignum voluisti ejus cathedram sanctissimam residere, petitionem meam tribuere solita pietate digneris. Rogo enim ut Ecclesiam tuam Sanctam Catholicam, diffusam per universum mundum, custodias; pacem ei tribuas; à visibilibus & invisibilibus inimicis eam protegas atque defendas, omnemque pravitatem hæreticorum atque perfidiam ab ea repellas. Deprecor quoque clementiam tuam, ut fidelibus tuis fratribus nostris, qui ad defendendam sanctam Catholicam & Apostolicam Ecclesiam sanguinem suum fuderunt, absolutionem tribuas omnium peccatorum, & eos in eo numero sociare jubeas, qui pro tuo nomine suas animas posuerunt; ut fideles omnes cognoscant

(margin: *varias preces fundit,*; *e*; F; Matt. 16, 19; Matth. 7, 7; *maxime pro statu Ecclesiæ,*)

A *conversione hæreticorum & excommunicatorũ:* gnoscant, quia tu es omnium bonorum fidelis remunerator. Imploro etiam, immense Deus, clementiam tuam, ut omnem pravitatem infidelium vel hæreticorum disrumpas, ut cognoscant te verum Deum esse Jesum Christum. Obsecro quoque pietatem tuam, ut omnium, qui anathematizati sunt vel excommunicati, vincula & peccata digneris absolvere, & fac illos ad tuam converti veraciter veritatem, ut cognoscant me non invidia victum egisse, sed ad cõfirmandam fidei veritatem, & benedictio tua super eos piissima ostendatur. Domine Jesu Christe, qui
Luc 9, 4 dixisti Apostolis tuis. In quamcumque domum aut civitatem intraveritis, dicite, Pax huic domui; rogo
pace regionũ, in quibus fuit, pietatem tuam, ut quamcumque ambulavi civitatẽ vel provinciam, pacem & concordiam eis concedas qui pro pace & benedictione tua me receperunt, & in nomine tuo mihi obedientiam fecerunt. Tu enim dixisti: Qui vos recipit me recipit & qui me recipit,
Mat. 10, 40 recipit eum qui me misit. Domine, qui non meis meritis, sed pietate tua, Vicarium Apostoli tui Petri me constituisti, & ligandi & solvendi potestatem dedisti; dignare benedicere famulos & famulas totius provinciæ, per quam ambulavi: & quos oculis meis vidi & corporaliter benedixi, spiritualiter repleantur & ab omnibus peccatis absolvere eis digneris, &
B fructifica in eis prædicationem quam prædicavi eis: & perfidiam Judæorum vel hæreticorum recipiscere jubeas, eosque per totum mundum ad te dignare convertere & tuam voluntatem implere: provinciisque omnibus & civitatibus, per quas ambulavit servus tuus, da plenitudinem frumenti, vini & olei, ut cognoscant quod in tuo nomine ambulaverim, sicut Apostolis præcepisti: Ite in universum mundum
Mar. 16, 14 prædicate Euangelium omni creaturæ. Ego quidem in tuo ambulavi præcepto, docui, obsecravi, increpavi. Tu scis, omnia fideliter fieri: sed quia pius pater es, dignare convertere omnes adversarios tuos ad tuam pietatem, ut te verum cognoscant Deum, qui es benedictus in secula seculorum. Tunc omnes qui ibi erant responderunt, Amen.

5 In illa hora tantus odor procedens ab altari S. Petri Apostoli totam ecclesiam replevit, ita ut nullus putaret ex hominibus nisi Paradisi amœnum esse odorem. Hoc facto jussit sibi ferri aureum scyphum, *f* plenum pane & vino. Quo adducto, comedit de eo quantum potuit accipere ore, ac præcepit dari præsentibus Episcopis, qui similiter ex eo
& pro conversione Simoniacorũ: comedentes dederunt cunctis adstantibus; Hoc ita peracto levavit oculos suos in cælum, & oravit secrete quasi unius horæ spatio: & post elevans vocem,
C leniter dixit: Magne Deus, humani generis Redemptor, qui per Apostolos tuos Petrum & Paulum Simonis perfidiam de alto [cadere] præcepisti invocato tuo nomine: sicut eos exaudire dignatus es, ita exaudire dignare me servum tuum, & ad te converte Theophylactum & Gregorium & Petrum qui in toto pene mundo Simoniacam hæresim solidaverunt: & ita fac eos cognoscere viam veritatis, ut derelinquant errorem suum, & ad te, mitissime
ad tumulum accedens, Domine, revertantur. Tu enim promisisti dicens: Nolo mortem peccatoris sed ut convertatur & vivat: revoca illos ab errore, qui convertisti Paulum persecutorem; converte illos, ut te verum Deum cognoscant Patrem, Filium & Spiritum sanctum: & omnes circumadstantes responderunt, Amen. Et iterum dixit circumstantibus: Ite filii unusquisque ad domum vestram, & crastina hora diei prima revertimini ad me. Et mox surrexit de lectulo, in quo jacebat: & perrexit ad tumulum sibi præparatum; & incumbens super illum cum lacrymis dixit: Cernite Fratres, ex tantis divitiis & honoribus, quam parvam & vilissimam mansiunculam expectamus: ego enim tantis usque modo repletus divitiis, & dignitatibus decoratus, ex omnibus hoc solum marmor, quod videtis, exspecto. Et elevans manum suam signo sanctæ Crucis illud signavit: Benedictus tu inter lapides, qui non mea dignitate sed misericordia Dei, mecum sociari, dignus fuisti: me cum gaudio suscipe, & retributionis tempore præsenta me thoro resurrectionis. Credo enim quod Redemptor meus vivit, & in novissimo die de terra surrecturus sum, & in carne mea videbo Deum Salvatorem meum. Et hoc lacrymans dixit. *EX MS. profitetur resurrectionem futuram,*

6 Et reversus ad lectulum suum, benedixit omnes qui ibidem erant: quorum quidam reversi sunt ad propria, quidam cum illo perseverantes postea nobis retulerunt, quod eum tota nocte perseverantem in magnis precibus audivissent, & eum publice audivissent orantem: Domine Deus Sabaoth, respice in me servum tuum, & exaudi orationem meam, & dignare per tuam gratiam omnes te orantes in veritate audire: concede ut prædicatio tua non vacua sit omnibus audientibus eam, sed ostende veritatem tuam in nobis; & ubi invocatum fuerit nomen tuum per me servum tuum, illos qui invocant exaudire digneris de quacumque tribulatione clamaverint: & si fuerint aliqui ex fidelibus qui memoria meum anniversarium pernotare voluerint, sive per ecclesias sive per eleemosynarum distributionem, dignare eis Domine restituere centuplum, & post hoc seculum eis vitam æternam concedas. Non dignitate mea, sed bonitate tua hoc peto; tu enim dixisti: Petite & accipietis. Peto incessabiliter ut à te exaudiri valeã, quo ad tuam des fidelibus gratiam. Pulso ut januas mihi tuas aperias. Non quæro secundum meritum meum, sed secundum pietatem tuam: non pulso secundum justitiam meam, sed secundum magnam misericordiam tuam. Non nomen meum peto ut exaltetur, qui meritus non sum talia dona: sed ut Apostolicam Sedem sublimare digneris, propter nomen tuum Domine, qui es benedictus in secula seculorum. Amen. *pernoctat in oratione:* E *Matth, 7, 7*

7 Sequenti vero nocte viderunt quidam religiosi viri non dissimilem visionem, duos candidissimis vestitos vestibus viros stare ante lectulum prænominati Pontificis, tenentes chartam in manibus, loquentes cum eo & scribentes, quos *b* veraciter cognoverunt esse Apostolos Christi Petrum & Paulum. Hoc videntes surrexerunt à somno: & campanæ cœperunt pulsari tempore matutino. Cumque dies illuxisset, congregatis omnibus Episcopis, Presbyteris & Diaconibus, cunctoque Clero & populo Romano in ecclesia B. Petri; surrexit de lectulo, hinc & inde à ministris suis gubernatus duobus, ad ipsum B. Petri sacrum altare: ante quod cum lacrymans prostratus fuisset in terram, oravit quasi spatio horæ unius: & reversus ad lectulum jussit silentium fieri, monens populum sermone brevi. Hinc munivit corpus suum signo gloriosissimæ Crucis Christi, & vocatis Episcopis confessionem fecit, & jussit sibi ab uno Episcoporum cani Missam: à quo accipiens Corpus Christi & Sanguinem, dixit: Audite propter Dominum, habete silentium, forsitan possem propter modicum accipere somnum: & cum inclinasset caput in lectum, quasi horam dimidiam quievit: in qua quietudine obdormivit in pace. Tunc unus de Episcopis surrexit & tetigit illum, putans vivere illum: quem cum cognovisset defunctum, nuntiavit ceteris Coëpiscopis qui aderant omnes Dominum exorare. Mira dicturus sum, quæ Dominus in suis factis dignatus est. Hora qua eximius Præsul suam animam Christo commendavit, nullo ministrorum pulsante, à se ipso S. Petri campana sonare cœpit. Qua scilicet hora quidam Albertus *invisitur à SS. Petro & Paulo:* b *19 Aprilis* F *& sumpta sacra Eucharistia* *pie obit,* *campana ultro sonante;*

Ex MSS. visa anima ab Angelo, inter lampades duci ad cælum, i

tus nomine, ceteri quinque de Tudertina urbe protestati sunt vidisse se quasi stratam palliis fulgentibus adornatam & innumeris coruscantem lampadibus, qua anima ejus ab Angelis i ducebatur ad cælum. Tanta itaque fuit quietudo in ejus obitu per totam urbem Romanam, ut nec arborum frondes aura modicum agitaret. Obiit autem Beatissimus Leo Papa XIII Kal. Majas, feria IV, & sepultus est in pace. Vere enim Deus sua pietate pium Leonem fecit. Sed ne temporis tarditas me comprehendat, ad ea quæ dicturus sum attingam: nam ista pauca detersimus de ejus vita de multis; sed de miraculis, quæ per eum Dominus dignatus est post ejus transitum ostendere, fideliter doceamus.

ANNOTATA.

a *Nam Pascha fuerat celebratum 3 Aprilis.*

b *Hæc latius explicantur in MS. Beneventano, sed fere paraphrasticώs.*

c *Hæc & sequentia eadem simili fere phrasi habet S. Bruno Signiensis.*

B

d *Sequentia in MS. à scriptore festinante & ad alia tendente omissa excusantur.*

e *Igitur hæc pridie ante mortem 18 Aprilis acta: nam 17 fuit isto anno 1054 celebrata Dominica II post Pascha, cujus est Euangelium istud ex Ioannis 10.*

f *MS. Beneventanum*, quanta potuit tribus vicibus ore suscipere.

g *Idem*, Hæc illo dicente, omnis quæ adstabat multitudo conversa est in planctum.

h *Idem*, In ipsa visione ostensum est eis.

i *Desiderius Casinensis*: Ab hac instabili luce, ad Christum, qui vera & æterna lux est, cælorum lætantibus civibus, Angelicis subvectus manibus, commigravit.

CAPUT II.

Miracula post mortem usque ad vigiliā Ascensionis.

Die 20 Aprilis

C

dæmon ex ore energumena confessus quomodo homines invadat occulte

8 Altera vero die post ejus obitum, quædam mulier de Tusciæ partibus venit ad Ecclesiam Beati Apostoli: & cum cœpisset per gradus ascendere, cœpit eam dæmon vexare & per os ejus clamare, & dicere, O S. Leo, quare catenis igneis me vinctum trahis? non te læsi unquam. Et cum ducta fuisset ad tumulum ejus, cœperunt adstantes increpare dæmonem & dicere: Dic, maledicte, quomodo huc venisti, aut unde in Christianos tantas vires sumpsisti ad vexandum. Dæmon respondit: Ego & ii qui adsunt mihi, missi sumus subvertere animam hominis, & tamdiu tentare quoad usque nostra faciamus adimplere mandata. Cumque nobis obtemperans consentit servire, corpus ejus quasi domum propriam intramus, quod quidem multo tempore habitamus occulte. Tunc dixerunt quidam de Sacerdotibus: Dic scelerate, & cum occulte in hominis corpore habitatis, quomodo tunc eum primum læditis. Dæmon respondit: Inprimis incipimus in illo mittere somnolentiam, pigritiam & famem: & dum dormiendo & pigritando quiescit, maximum acquirimus lucrum. Cumque totum corpus ejus nostræ subdidimus potestati, contingit eum ad ecclesiam ire, & inter bonos & Catholicos viros commisceri: *& aperte,* quorum eloquentiam spiritualem non valentes sufferre, incipimus ira excitati lacerare corpus ejus, eo quod ultra non possumus occultari. Tunc dixit unus de adstantibus Episcopis: Adjuro te per viventem in secula seculorum, ut dicas nobis, si Leo Dei servus & Papa inter Sanctos fruitur aliqua potestate. At ille cum gemitu & suspirio dixit: O malefice, quare nominasti illum adversarium nostrum & seductorem totius provinciæ, per quem tanta gens subversa est, & à nostro collegio separata; nos etiam quotidie expellit & vinculis catenarum constringit, atque ejicit de habitaculis: unde vagi & instabiles ac venales, per deserta & infructuosa loca perambulātes, in nullo unquam requiem invenimus. Et Episcopus ait: Non ad ea quæ interrogavi respondes: sed alia videris enotare. Et dæmon respondit. Leo, vester Papa ac Dominus, vere inter Sanctos est, inter quos magnum obtinet triumphum: qui non cessat quotidie persequi nos, ut nostrum possit nomen evacuare, per quem & hodie de hac domo ejiciendus sum. Talia eo dicente, mulier quædam respondit, inter ceteros mente perfida, dicens a: In hora qua Leo Papa dæmones fugaverit, ego Regina ero; & omnes quos fecit gladio perimi, ego statim resuscitabo. Vix talia compleverat verba, subito à dæmonio crudeliter cœpit vexari; illa autem mulier, quæ à Tusciæ partibus venerat, eadem hora à demonio est liberata. Tunc omnes populi qui aderant cœperunt præ timore esse perterriti, clamantes unanimiter, Sancte Leo, parce nobis quia injuste egimus.

D

ipsa dimissa, a *invadit aliā blasphemantē S. Leonem,*

E

sanantur 2 contracti, *mutus & surdus,*

9 In illa hora duo viri contracti venerunt ad tumulum ejus, habentes nodosa & contorta genua sua, quorum calcanei natibus adhærebant: qui venientes, sani reversi sunt, nullum signum habentes pristinæ infirmitatis. Ipso item die hora vespertina, venit quidam vir mutus & surdus, & sinistrum latus aridum habens, totusque phantasmate quodam maculatus; qui cum fuisset ad sacrum tumulum deportatus, solutus est à vinculis quibus corpus illius tenebatur. Tunc omnes cœperunt Deum salutis auctorem continuatis laudibus honorare, qui tanta mirabilia operatur per Sanctum Pontificem suum Leonem. Romani igitur videntes tantas virtutes, currebant certatim cum cereis & oblationibus, gaudentes & exultantes.

21 Aprilis ferreo cingulo coarctatus liberatur:

10 Alia vero die venit quidam vir de Francia, qui habebat corpus suum ferreo cingulo coarctatum, ita ut per gyrum corporis sanies multa decurreret in terram: quod videntes qui aderant nares sibi præ nimio pavore & fœtore obturaverunt, deprecantes Dominum, ut per S. Leonis merita misero illi succurrere dignaretur. Res mira! statim ferrum crepuit, & multa fusa sanie homo redditus est penitus sanitati: ex quo gavisi omnes, Deum & servum suum S. Pontificem collaudare cœperunt.

F

obsessa pridie à dæmone,

11 In illa hora dæmon per os mulieris illius quæ superius dixerat, Hora qua Leo Papa dæmones fugaverit, ego Regina ero; & quos ipse fecit perimi gladio, ego resuscitabo; cœpit clamare dicens: Heu heu! quare ingredimur & coarctamur exire cum tormentis? Nihil te læsimus Leo, quare nos non permittis vel una requiescere hora? Tunc Episcopi qui aderant dixerunt: Maledicte, revertere, unde huc advenisti, & exi ab illa. Qui respondit: Non possum reverti unde exivi, quia signata est: nam hesterno die exivi de domo mea, & hanc in commutationem recepi. Dixitque Episcopus: Et quare de ista ultro exis? Ille respondit: Quia Leo mihi eam dedit ad possidendum heri, propter blasphemias quas locuta est in eum: sed tamen ille mobilis est, & sermones ejus non sunt veri: hesterno die dedit nobis, & hodie ejiciet nos de ista habitatione. Tunc dixit Episcopus: Et unde scis quod hodie ejiciet? Respondit dæmon: Vidisti heri, quando mutam linguam resolvit, ipsa hora perrexit cum b Marco Episcopo Apuliæ & cum Marciano Episcopo c Frequentinæ Ecclesiæ Beneventum. Dixit Episcopus: Pro qua causa perrexerunt. Respondit dæmon: Nescio, sed scio quia in Apulia sunt, ubi pugnam contra Sanctos Normani

b c *mulieda de S. Leone*

A Normani commiserunt. Ait Episcopus: Vere sunt sancti Alemanni, qui sunt ibidem interfecti? Ait dæmon: Triginta & quinque sunt sanctificati ex eis, per quos signa & mirabilia fiunt in loco illo, eo quod sponte venerunt & cum fidelitate pro justitia pugnare maluerunt. Ceteri illic tunc mortui in paradiso sunt omnes, sed quia invite venerunt, inter illos minime deputati sunt. Illi quoque triginta quinque propria voluntate venerunt, & gaudentes morti se tradiderunt, propter Deum quem coluerunt: & per ipsos multa mala crescunt in nobis. Ait Episcopus: Venerunt ipsi Sancti Romam? Respondit dæmon: Vere, inquiens, hodie venient cum Papa Leone. Dixerunt quidã de Presbyteris, qui præsentes aderant: Et unde sciemus quando huc venient? aut quando cognoscere poterimus? Dæmon respondit: Citius jam prope Romam sunt: quibus venientibus ego hic stare ultra nõ potero. Sunt enim hic & alii fratres mei; dum illi venerint, omnes mecum fugam arripient. Vos autem aspicite in lampade ante signum ejus, & cognoscetis signum adventus eorum. Tunc vere secundum dæmonis dictum, quasi circa horam quartam, odor magnus factus est per totam ecclesiam; & aspicientibus in lampadem, viderunt eam ascendere prope ecclesiæ tegmenta, cum qua & tres ardere lampades visum est. In ipsa hora cœpit dæmon ululare sicut lupus, & modicum vexans mulierẽ exivit ab ea. Tũc circumstantes cœperunt laudare Deũ & B. Leonẽ famulũ ejus. d

& occisis in Apulia laudat. B *liberatur.* d

12 Tertia die post sepulturam B. Leonis Noni Papæ, facta sunt duo miracula ad tumulum ipsius, videlicet duo homines, qui diu ante januas Apostolorum Principis jacuerant: contracti, per meritum B. Leonis Papæ abierunt erecti, & hoc pene tota civitas novit, quæ eos contractos antea vidit. Mulier quædam, spatio sedecim annorum languens & contracta, jacens in grabato, ejus ad tumulum devecta est: & quia fideliter credidit, sana & erecta illinc rediit: & hæc similiter civibus nota est. Altera vero mulier de Lateranis, Stephana nomine, uxor cujusdam Petri, dæmonium habens, ad tumulum illius venit: ubi sanguinem vomens & volutans se, tres nigros carbones ore reddidit: cum quibus & dæmonium abscessit, & illa sensu recepto laudans Deum rediit.

Die 22 Aprilis sanantur 2 contracti, & alia 16 annis contracta: liberatur energumena:

13 In Letania majore, ad tumulum illius lampas divino igne accensa est. Nec hoc semel actum est, sed bis & ter, & hoc vidit quæ illa die fluxit ad Ecclesiam B. Petri omnis Romana multitudo. In Merculana e regione quædam mulier, Rogata nomine, habens dæmonium ab ipsa infantia, auditis miraculis ad tumulum venit: ubi jacens immundos spiritus ita reddidit, videlicet prius murem tria capita habentem, secundo ranunculum, tertio lacertam, quarto ranam, quinto f scabronem: & post multam effusionem sanguinis, sanitati restituta est, multis testibus non solum auditu sed & visu probantibus. Mulier quædam, nomine Stephania, habitans trans Tiberim, dæmonio vexata longo tempore, audita fama beati Corporis venit, & duos carbones una cum multo sanguine evomuit. Quo facto sanitati restituta est, & mente recepta visa est ab omnibus astantibus redire libera. In regione g Arenula, quidam habitabat Joannes nomine, qui vernis contractis, manum aridam ab utero matris habebat. Hic beati viri veniens ad tumulum, extensam & validam eam reportavit.

C *25 Aprilis lampas ultro accenditur:* e *liberatur energumena ab infantia,* f *alia longo tempore energumena:* g *curatur manus arida:*

14 Homo quidam, veniens de longinquis regionibus, in pœnitentia ferro ligatus, ante tumulum stetit: & dum diutius incumbens orationi commissa sua defleret, Divinæ pietatis dono, ferrum, ubi magis solidum fuerat, crepuit. Sanctimonialis quædam, similiter ferro ligata, ad loculum accessit; & eodem modo soluta à ferro, benedicens Dominum qui est in Sanctis suis mirabilis, ad propria incolumis rediit. In una die restituti sunt duo juvenes sanitati, quorum unus habens os retortum ad aurem dexteram, & manum aridam cum toto latere: quem mater nomine Maria, uxor Joannis Orbitani, deflens scapulis apportavit; sed duplo læta miraculo, gaudens cum filio rediit, & hic est notus omnibus apud S. Angelum morantibus. Alter vero ab infantia officio ambarum manuum privatus, sanitati restitutus, manuum suarum laboribus vivit.

pœnitentes 2 ferro ligati liberantur: EX MSS. *sanantur contracti,*

15 Multis astantibus loquelam recepit mutus quidam, nomine Guido, de Casamala ortus. Puer quidam, Petrus nomine, officium recepit manus dexteræ. Puer quidam de regione Coloseo, habebat manum dexteram aridam, cum toto latere & pede: quem mater, Stephania nomine, deflens ad tumulum ipsum apportavit; & sanitati restitutus est multis astantibus & videntibus. Homo quidam, Benedictus nomine, b Phlebotomator, habitans in regione Septemviis, ulceribus plenus, auditis miraculis ad tumulum venit; ibique per meritum beati Pontificis, sanus factus est, ita ut nec signum cicatricis in carne ejus appareret: Quidam vir, Majus nomine, de i Palliano, habitans trans Tiberim, à dæmonio vexatus per annos quindecim, audita fama beati viri, venit ad tumulum ejus, & duas k blactulas, cum multo sanguine evomuit, cum quibus & dæmonium abscessit. Quidam juvenis, Franco nomine, qui cæcus extitit, lumen recepit, nepos ostiarii S. Mariæ de Monte acuto. Juvenis quidam de Civitate Tiburtina, Joannes nomine, filius Joannis, ab utero matris mutus, astantibus multis loquelam recepit.

mutus & 3 contracti h *plenus ulceribus,* E i *energumenus annis 15* k *cæcus, mutus,*

16 Homo quidam Benedictus nomine, habitans in Campo Martio, habebat filium nomine Gratianum, qui sinistrum pedem habebat aridum. Hic per meritum B. Leonis sanitati restitutus, gaudens cum patre rediit. Quidam vir nomine Petrus, filius Nuccii phlebotomatoris, habitator ipsius regionis, ab utero matris mutus, astantibus multis loquelam recepit. Quædam mulier de Fallari, dæmone vexata, ad tumulum venit, ibique liberata est. l Mulier quædam de Aquapendente, manum habens aridam, auditis miraculis ad locum venit, & officium manus recepit. Quidam vir, ortus de Tuscanis partibus, manum habens aridam, per meritum B. Leonis restitutus est. Quædam mulier, Maria nomine, habitans in Castro Cornazano, manum sinistram habens aridam, ad tumulum venit: ibique sanata est. Altera mulier, Beatrix nomine, de Apuliæ partibus, manum dexteram habens aridam, similiter sanitati restituta est. Quidam Juvenis ibidem visum recepit per merita B. Leonis. Mulier quædam, Ermengarda nomine, relicta Petri textoris de Castro vico m, manum sinistram habens aridam, per meritum B. Leonis Papæ, videntibus multis, officium manus recepit.

contractus pede, mutus, energumena l *contracta manu,* F *cæcus,* m *2 contracta manu,*

ANNOTATA.

a *Plurima ex iis habent Bruno Signiensis & Petrus Calo.*

b *Sunt hi duo Sancti in magna veneratione Beneventi,* S. Marcus *Episcopus Lucerensis & Patronus Bovinensis in Apulia, qui colitur* 14 *Iunii; &* S. Marcianus *Episcopus Frequentinus, qui colitur* 14 *Iulii: ambo sub Metropoli Benevento.*

c Frequentum *vulgo* Frigento, *Hirpinorum antiquissima civitas, in Principatu ulteriore,* 12 *mill. passuum Benevento distat.*

d *Sequentia miracula, in Ms. Hubertino accuratius notantur, quare ea potius inde accipimus, facta collatione cum Ms. Strozziano.*

e Ne-

EX MSS.

e *Nominantur hodie quatuordecim* Regiones *urbis, vulgo* Rioni *: sed ea vel nunc aliter distincta sunt quam olim, vel in plures partes subdivisa singula, quarum hæc una fuerit, vel etiamnum sit : nam qua ratione infra nominatur* regio Colossæi *id est Amphitheatri (quæ alibi quam Romæ quæri non debet, & tamen non est una ex 14 dictis, sed pertinet ad Regionem Montium) ita persuademus nobis alias quoque, hic nominatas, esse ipsius urbis Regiones : quas Romanis civibus relinquimus illustrandas, quoniam chorographorum diligentia ad hasce minutias sese extendere nequit. Ecclesia S. Matthæi, 22 in Regione Montium,* S. Matthæi in Merulana *dicitur.*

f *Videtur poni pro* Scarabeo *majori.*

g *Ms Stozzianum* Ternula.

h Φλεβοτομία venæ sectio, *hinc* Phlebotomare *apud Bedam & alios, pro* venam incidere, Phebotomatus, Phebotomator *&c.*

i *Agri seu Campaniæ Romanæ oppidulum est.*

k *Pro vermibus hic* blactulæ *dici videntur, quasi diminutive à* blatta.

l *Urbevetani territorii oppidum haud ignobile.* Falaris *autem prænominata urbs olim Episcopalis fuit vicina Civitati Castellanæ, nunc ejus Episcopo subjecta.*

m *In Sabinis locus est* Vico di Sarrento *dictus, quem præ aliis synonymis intelligi persuadet urbis Romanæ vicinia.*

B

CAPUT III.

Miracula patrata à Vigilia Ascensionis usque ultra Octavam Pentecostes.

Die 11 Maji sanantur surda, cæca, energumena,

17 IN vigilia Ascensionis Domini, per intercessionem Beatissimi Papæ Leonis, sanatæ sunt tres feminæ: una manum recepit, altera auditum, altera visum. In vigilia noctis Ascensionis Domini, mulier quædam, Berta nomine, famula Petri opificis, qui dicitur de Udo, habitans in regione a Campitello, dæmonium habens, ibi liberata est. *contracta ambabus manibus:* In eadem noctis vigilia, quædam mulier cujus nomen ignoramus, ambas manus, quas gerebat contractas, sanas recepit. Quo facto quoddam miraculum ibi mirifice accidit. Quidam Ioannes de Civitate, habitans in regione Campo-Martio, cereum de tumba ejusdem beatissimi Papæ Leonis accensum in manu accepit & extinxit. Hoc facto, dum secure extinctum teneret, subito accensum vidit. Quem ille non bene extinctum credens, iterum extinxit. Et quis Dei miracula valet perscrutari? Iterum se in manu illius accendit. Hic etiam cereus in testimonium servatus est.

C

12 Maji contracta pedibus, cæca annis 15

18 In die Ascensionis Domini sanata est puella b Amata nomine: patre genita Engelberto. Hi fuerunt ex partibus Campaniæ de Rocca de Risa: hæc autem ita fuit contracta ut numquam pedibus ambularet. Una alia puella, nomine Maria, filia Cicæ, quæ habitabat in regione Arenula, lumen recepit, quæ per annos quindecim non viderat. *contractus latere,* Quidam puer patre rustico genitus, de civitate Ortana, erat ita contractus, ut unum latus in sua potestate non haberet: sed Dominus eum per sanctissimi Pontificis meritum sanavit, & latere recepto, cum gaudente patre votum ei vovit, & incolumis rediit. *2 cæci,* Et fere hora noctis erat media; cum duos cæcos mirificæ sanavit: unus Pipo, alter vero Adelbertus dicebatur: Isti enim de c Lama civitate fuere. *vulneratus in pede,* Et quemdam, Randisium nomine, filium Berardi Comitis Mursicani, qui lancea percussus fuit, & ita attractus, quod pedem unum ad terram ponere non valebat; sed jubente Deo, per meritum beati Pontificis sanus recessit. *contracta manibus & pedibus,* Quædam puella omnimodo manibus & pedibus, ita contracta fuit quod nunquam ambulare valebat, nec manum ad os ducere; & per meritum B. Leonis, officium membrorum recepit, & sana recessit.

D

19 Proxima die post Ascensionem Domini, duæ mulieres quæ à spiritu immundo vexabantur, per sancti viri meritum, sanitati pristinæ restitutæ sunt. *13 Maji 2 energumenæ,* Investituram Culcitræ, quod est magnum & inauditum miraculum, quædam mulier Amantii Diaconi famula lavare ivit, quæ proprie erat de lecto beatissimi Leonis Papæ. Ex qua dum aquam extorqueret, inter crura sua tenuit, & ita media parte sui corporis stupefacta fuit, ac si paralysim haberet. *paralysi & ulceribus plena,* Sed ad istud malum supervenit aliud: nam ulceribus plena visa est in eadem parte corporis, & hæc venit ad tumulum B. Leonis, & sana recessit.

20 Quædam puella, Rogata nomine, filia Mariæ, *14 Maji contracta brachio,* feria septima mense Majo intrante, eodem mense die quarto decimo, ad venerabile ejus sepulchrum, sinistrum brachium contractum ferens venit; ejusque sancta suffragatione, sanitatis beneficium consecuta est, & hæc erat de Castro quod vocatur d Stabla. Quidam de civitate Florentina, cum servis suis, ad tumulum ejusdem beatissimi Leonis venit cæcus; & gratia divina comitante lumen recepit, & præ gaudio *cæcus,* magno quod inde habuit, eosdem servos libertate donavit. Quidam Romanus, Adelbertus nomine, *blasphemus in S. Leonem à dæmone liberatur,* dum ferro recideret vineam suam, contigit quod de Domno Apostolico Leone turpiter loqui non exhorruit. Sed istud facinus absque culpa non evasit: quia malignus spiritus, corpus illius repente invasit, & graviter vexare cœpit. Hoc autem vivente illo actum est. Sed divina favente gratia, cum post obitum illius veniret ad sepulcrum ejus, per meritum ipsius sanatus est.

E

21 Quidam Grimoaldus nomine, de S. Benedicto, de monte Cassino, in Dominica quæ dicitur *22 Maji sanatur mutus,* Pascha e Rosata, ad tumulum Beati Pontificis ita mutus ægritudine advenit, quod nemo loquelam ejus intelligere valeret: sed Dei favente gratia per meritum B. Leonis rectam loquelam recepit. *contractus pedibus,* Quidam puer, qui fuit de Verona utroque pede contractus, Dei comitante gratia, per meritum beati viri ibi sanatus cum parentibus rediit. *energumena,* Quædam mulier de Aqua pendente à dæmonio erepta est, nocte eadem quæ dicitur de Pascha Rosata. Quidam puer, Petrunculus nomine, de Sena, cum parentibus ad *contractus manibus & pedibus,* tumulum venit: hic enim pedibus, manibusque contractus erat. Quem ego dum rogatu Senensium qui pro anima f sua eum adduxerant, ad tumulum Beati Pontificis erexissem; repente me vidente, coram omni populo, officium membrorum recepit.

F

Quidam Presbyter Franco nomine, de Cora g oppido, quinque annis vexatus fuit, & cum in die *energumenus,* Dominica quæ dicitur Pascha Rosata, ad tumulum ejusdem Sanctissimi viri adductus fuisset, statim dæmonium per sanguinem evomuit, cadens in terram mortuus. Et cum omnis populus eum asportare vellet, quia exanimem videbant, divina favente gratia, per meritum B. Leonis ad vitam sanus rediit, omni populo qui aderat, Domino & Sancto gratias referente.

b2 Quidam Benedictus nomine, filiam suam, *contracta manibus,* nomine Bonam, causa recipiendæ sanitatis, ad tumulum beati Pontificis attulit, quæ erat ambabus manibus contracta: sed divina favente gratia per meritum Beati Pontificis recepit sanitatis gaudia. Fuit in Marsicana villa de Monte, quædam mulier de Civitate Spoletana diu cæca: *cæca,* quæ dum orationis gratia beati viri sepulcrũ requireret; in Sabinensi Episcopatu, antequam ad locum ubi corpus ejus requiescit perveniret, per meritum sancti Pontificis lumẽ recepit, ac iter quod cœperat gaudẽs peregit. *mutus & claudus,* Quidã puer de predicta civitate, quinq; annos habens, atque à nativitate grassus & loquela carens, parentum auxilio ad

A *alius claudus,* ad sepulcrum Sancti ductus, per meritum ejus gressum & loquelam simul recepit. Item alius ejusdem territorii, septem annorum per tres annos gressu pedum caruit: sed dum ad sepulcrum Antistitis accederet, per meritum ejus subito erectus est. *i claudi,* Quidam *i* puer, Leo nomine, de monte Casino, in eadem Dominica claudus ita advenit quod nulla modo absque duobus sustẽtatoriis baculis incedere valebat: sed per meritum B. Pontificis absq; ductore, abjectis baculis, sanitatem membrorum secum reportavit. Puer quidam, qui fuit duobus pedibus attractus, cernente populo mirifice extensus est: mox ille qui numquam ambulavit, currendo ad arcam S. Petri ire cœpit; & innumerabilis multitudo qui aderant, Domino Deo & S. Leoni laudes immensas reddidere.

k *21 Maji mutus;* 23 Trigesimo & secundo *k* die depositionis ejusdẽ Pontificis, mutus quidã de Episcopatu Castellano, de quadam plebe ejusdẽ Episcopatus, quæ dicitur Graciolum, venit ad sepulcrum jam dicti Pontificis: ubi l præsente *l* Episcopo suo & multis qui eum agnoscebant, loquelam recepit, cujus rei testis est Ordinans Episcopus qui bene eum agnovit. *mutus, surdus, cæcus, & contractus manu annis 9* Quidam vetulus monachus de Monte Casino, nomine Joannes, erat mutus & surdus & cæcus & dextra manu attractus: has autem passiones per annos novẽ portavit in corpore. Sed cum sensisset quotidie divulgari miracula sanctissimi Confessoris nostri Leonis Papæ, votum ei B in suo corde devovit, quod si eum orationibus suis beatus Papa salvaret, veniret ad tumulum ejus cum luminaribus. Hæc cum dixisset, subito divina respectus gratia, salutẽ pristinam recepit sui corporis; itaq; sanus apparuit ac si has infirmitates numquã habuisset. Ut autem se sanum vidit, votum quod Domino ac sanctissimo Confessori vovit, adimplevit, & ad tumulum ejus venit, laudesque ei retulit, & cum omni populo qui ibidem aderat gaudens annuntiavit, qualiter Deus per suum Confessorem ei dignatus est pristinam sanitatem reddere. Quidam Petrus nomine, de civitate Cajeta, filium suum parvum Joannem, qui habebat latus sinistrum cum manu arida per annos septem, ad famam sanctissimi Leonis cum eodem filio causa recipiendæ salutis advenit. *contractus manu & latere.* Cumque filius tumbam oscularetur, & pater lacrymaretur, divina respectus puer gratia salutem pristinam recepit, gaudensque cum patre ad propria remeavit.

23 Maji 2 energumenæ, 24 Quædam mulier vetula, nomine Maria Marsicana, de castello Alvo, triginta annos à dæmonio fuit vexata: sed secunda feria, quæ est proxima Pentecostes, hora diei nona, dæmonium in modum muscæ C evomuit. Altera autem mulier, Berta nomine, de terra S. Benedicti, eadem die & hora dæmonium cum vomitu fœtido evomuit: gratia sit Deo & sanctissimo Pontifici, qui eam saluti restituit.

29 Maji cæcus, 29 Quidam parvulus, qui per multa tempora cœcus fuerat hora nona in octava Pentecostes lumen recepit: pater ejus Arnulfus vocabatur, & erat quidem de terra S. Benedicti. *attractus genibus,* Quidam homo, Lodoicus nomine, de terra de Forcone, cũ filio qui erat attractus genibus, advenit ad tumulum beatissimi Confessoris: & dum residerent juxta tumulũ, patre orante ac flente, repente noster sanctissimus Papa contulit ei salutis dona. Ita ille, qui numquam absque baculis incedere valuit, abjectis illis, coram omni populo qui aderat, de altare B. Petri firmiter ire currendo cœpit; & laudes cum patre ei reddidit, qui eum per merita B. Leonis sanavit. *energumena* In eadem die mulier quædã, quæ per multa tempora graviter fuit à dæmonio vexata, advenit: quæ cum oscularetur tumbam, statim per vomitum sanguinis antiquus hostis habitaculum corporis ejus deseruit, & salutem recepit. Hæc autem de terra, m quæ vocatur *m* Camerino, fuit. Puella quædam, Læta nomine, quæ fuit attracta manu sinistra, cum matre, Dei comitante gratia, pervenit ad tumulum: & dum Sanctum tetigisset, subito manum, quam per paralysim amiserat, recepit sanam. *EX MSS. attracta manu,*

30 Erat mulier quædam in urbe Roma, quæ emebat & vendebat piper & thymiama: dum quidam simplex vir à partibus Croatiæ venisset, emit ab eadem muliere thymiama, quod deferret ad tumulũ B. Leonis Papæ. *mulier ob deceptum veneficio emptorem,* Qui adtoxicatus maleficiis mulieris, dedit denariũ, visumq; est illi accipere multum: accepit autem nihil. Cumq; perrexisset ad tumulum, prostratus in oratione surrexit, mittensq; in sacculo manum ut thymiama proferret, invenit illum nihil habentem. *manu à serpentibus vulnerata,* Tunc ille cœpit proclamare magnis vocibus dicens: O sancte Leo, inter Romanos hæreticos voluisti manere: ego si in domum iero propriam, de te plurimam blasphemiam loquar, nisi vindicer ex malefica illa muliere & iniqua. Eodem die, dum ea mulier in porticu esset faciens negotia mala, mittens in suo sacculo manum ut piper venderet, invenit illum serpẽticulis plenum, à quibus vulneratam manum produxit. *pœnitens sanatur:* Cognoscens itaque reatum suum, cucurrit ad tumulum B. Leonis, coram omni populo sua manifestans commissa. Tunc E videntes omnes qui aderant manum mulieris totam vulneratam à serpentibus, timore magno perterriti stupuerunt. Mulier vero non sufferens dolores, clamavit vocibus magnis: S. Leo beatissime Papa, ignosce mihi iniquæ, & libera me à tormentis horum serpentium, quibus crudeliter crucior. Tunc ille qui emerat ab ea thymiama illud, vidẽs hoc, dicere cœpit: Dignus es, beatissime Leo, magnis honoribus, qui ad te venientes protegis, & iniquorum facta cõstringis: gaudeo quidẽ in virtute tui triũphi: ne quæso irascaris mihi indigno quia iniqua locutus fuero cõtra te: miserere mei. Mulier autem non cessabat clamare: S. Leo succurre mihi, miserere, & libera me ab his tormentis quæ patior: promitto enim nullo tempore pessima quæ gessi negotia exercere. Hæc cum lacrymis illa dicente, & ceteris qui aderant una cum viro illo simplice pro ea orantibus; affuit divina clementia, & mulierem illam à peste liberavit; quæ sanitatem ad plenũ recipiens, dedit illi homini tripliciter quod F prius tulerat ei: & omnes qui hoc viderunt & audierunt, benedixerunt Deum & S. Leonẽ famulum ejus.

ANNOTATA.

a *Hæc una est ex 14 nominatis, & inter eas prima; nomen à Capitolio, quod complectitur, habens; eo modo corruptum, quo vulgo pro Capitolio* Campidolio *dicitur.*

b *MS Strozzianum* Amriata.

c *Forte* Larina *quæ est civitas Capitanatæ in Regno Neapolitano, alias in eadem Capitanata est* Torre della Lama.

d *Istud credo, quod* Castel à mare di Stabia *vulgo dicitur, ditionis Pontificiæ oppidum ad sinum Neapolitanum.*

e *Ita* Pentecosten *nominant Itali: nominis causam reddunt auctores Vocabularii della Crusca; quod eo fere tempore Rosæ floreant.*

f *Clarius infra num.* 36 Pro mercede animæ suæ.

g *Vulgo* Cori, *Campaniæ Romanæ oppidum.*

h *Duplex* Marsicum *hodie nominatur in confiniis citerioris atque ulterioris Principatus; aliud* vetus, *aliud* novum: *vetus hic designari crediderim, cum novum à Regni Neapolitani Chorographis ad fluvium constituatur.*

i *In MS. Hubertino* quidam pauper: *ipsum autem MS. hic definit: quare cetera dantur ex solo Strozziano.*

k *Fuisset hic ipsa Vigilia Pentecostes, atque hoc miraculum deberet præcedere quadam antescripta.*

l *Anno 1033, cuidam Benedicti IX privilegio subscripsit* Benedictus Fallaritanæ & Castellanæ Episcopus *(unitæ enim sedes erant, & manserunt, abolito tamen prioris jam tum desolatæ appellatione) postea Ughellus tom I Italiæ sacræ Castellanæ civitatis Episcopos tres, eodem Petri nomine subjungit, nulla rationabili causa distinguendi apparente: nam primus qui anno 1059 Consilio Romano subscripsisse* inve-

EX MSS. *invenitur, per P, primam nominis sui litteram, & ultimum, cujus memoria postrema extat ad annum 1183, solum annos 24 involvunt, qui facile ab uno eodemque homine potuerunt expleri, imo etsi hic esset idem qui hic indicatur, non erit incredibilis annorum etiam 32 Episcopatus.*

m *Nota Episcopalis urbs in Marchia Anconitana.*

MIRACULA BENEVENTI PATRATA.

Partim ex MS. Beneventano à Ferdinando Ughello in Episcopis Beneventanis edita, partim ex MS. Strozziano accepta.

PRÆMONITIO UGHELLI.

27 NOn prætereundum, quod *a* Walderico Præsule ad cælum evolavit Leo IX Pontifex Maximus: cui post obitum, cum multis claruisset miraculis, Beneventanus populus sanctissimo viro, & de ejus *b* civitate bene merito, ejus nomine intra civitatis mœnia ecclesiam ædificarunt, & quolibet anno solenni ritu ac fastu eam incolere cœperunt: cujus & causa ejusdem miracula aliquot in Beneventana regione meritis illius patrata litteris consignari fecerunt. Quæ cum in antiquissimo codice litteris Longobardicis exarata in bibliotheca Beneventana invenisset noster Cælestinus, fideliter conscripsit, mihique transmisit: ut ad augendam pietatem hoc in loco lectoribus exhiberemus. Quod libenter fecimus, cum in iis aliqua contineantur, quæ ab aliis, qui vitam sanctissimi Pontificis litteris demandarunt, omissa fuerint. Auctor anonymus est & Leonis synchronus.

(margin: a; b *Historia hac ex MS. Beneventano eruta:* B)

ANNOTATA.

a Valdericus *initio Iulii anno 1053 in Episcopum à S. Leone Papa consecratur apud Ughellum: qui addit illustrem bullam tunc ei concessam pro confirmatione Ecclesiarum subjectarum.*

b Sunt qui scribant cum Baronio ab Henrico II Imperatore Pontifici Leoni IX Romano oblatum Beneventum, ut annua pensio ab Ecclesia Bambergensi Romanæ Ecclesiæ pendi solita ea ratione compensaretur. *Ita Ughellus in Præfatione de Beneventana metropoli: qua de re & nos egimus hic in Prolegom. num. 23.*

HISTORIA MIRACULORUM.

C 28 LOnge divulgata fama miraculorum beatissimi Leonis, Beneventi cœpta est ædificari ad ejus honorem ecclesia: ut, quem Beneventani cives vivum à Normannis carcere detentum aspexerant, jam mortuum & spatiis cælestibus perfruentem, venerarentur. Interea accidit *a* ut Nicolaus quidam de Castello Molliniana & Berardus de loco Carrara, quorum alter perdito brachio dextero, retractis poplitibus & nervis; alter vero frigus & febrim usque ad dysenteriam passus; cum uterque se deferre fecissent ad prædictam ecclesiam, quæ construebatur Beneventi, illico omnium judicio desperatam recuperarunt sanitatem.

(margin: *Sanantur* a *contractus & dysentericus*)

29 Rusticus quidam ex oppido *b* Ordonum cum annualiter votive festum B. Leonis excolere contigit ut præ nimia oppressione laborum, quos in agro gerebat, die Dominica, quando festa annuntiantur populo, minime ecclesiam adierat. Erat autem dies festus S. Leonis in *c* quinta feria sequenti, quod prædicto rustico erat incognitum. Ille itaque valde mane surgens, sumpsit secum unum puerulum, quem filium unicum habebat, & securem rastrumque fossorium. Mox ut applicuit suo agro, dimisit prædictum puerulum suum ad sarcinam: ille vero fodere anxie cœpit. Ex alia parte lupus ore aperto tulit filium ejus puerulum, & fugam arripuit. Quod à longe cernens pater, currere post lupum cœpit, hæc clamitans: O Sancte Leo, Patrone mi, adjuva me nunc in præsenti, & redde mihi unicum filium meum. Quæ vix locutus fuerat, cum ecce lupus dimisit puerum ita illæsum, ut in vestimentis nec vestigium quidem appareret dentium lupi, in ea parte qua eum lupus arripuerat. Reversus itaque rusticus ad oppidum, hæc omnia narravit: sentiensque eam ipsam diem esse anniversariam in memoriam B. Leonis, novo se adstrinxit voto, ad eam quotannis solenniter custodiendam. Sicque nedum Beneventi, sed per totam Apuliæ oram, celeberrimum evasit Leonis nomen: Deo sic disponente, ut is in eisdem locis, in quibus paucis ante annis profligato ejus & Ecclesiæ exercitu, ipse captivus detentus fuerat; postmodum ingruente miraculorum ejus fama, iidem qui adversus eum steterant in prælio, supplices & venerabundi ejus memoriam excolerent, & magis ac magis erga sanctam Ecclesiam fideles se præstarent, ad laudem & gloriam omnipotentis Dei, cujus nomen per cuncta secula sit benedictum. Amen. *d*

(margin: b; c *puerulus à lupo abreptus*; D *invocato S. Leone servatur incolumis.*; d)

E 30 Hæc sunt miracula quæ Deus fieri voluit per beatissimum Leonem famulum ejus in Benevento. Joannes quidam nomine, ex castello vocabulo *e* Serra, contractus dolore capitis ex quadam occasione, videlicet dum in area discuteret fruges hordei, volatu unius grani ejusdem frugis in oculum caligine obsitus lumen videre non poterat; quem Dei virtus & S. Leonis Papæ primum in Benevento curavit, restituto sibi lumine. *f* Item quidam puerulus, habens brachium ad humerum stupefactis nervis spatio septem annorum, veniendo ad præfatam ecclesiam, quæ construebatur Beneventi in honorem B. Leonis Papæ, Dei misericordia & precebus ipsius, pristinam sanitatem recepit. Alius vero Joannes de cujusdam civitatis regione, vocabulo *g* Vico, dum esset passus paralysin, perdidit officium linguæ & brachiorum & aliorum membrorum, tribus annis, in tantum ut nec quoquam posset, nisi reptans cum scabellis per terram, ambulare: sed in ecclesia eadem pristinam sanitatem recepit. Rursum alius Joannes, de castro nomine *h* Celone, dum contra Dei legem percussit matrem suam, divina ultione amissis quatuor digitis pedum & duobus manuum ex morsu cancri; nervis etiam tibiarum contractis (sic ut non bene erectus, sed flexis poplitibus ambularet Beneventum) in via sanatus est.

(margin: e *Sanantur cæcus,* f *contractus brachio,* g *paralyticus,* F h *læsus in digitis pedum & manuum,*)

31 Item mulier quædam, vocabulo Uzancia ex Benevento, cujusdam Balzani Clerici, forte casu è lecto cecidit: ruinæ autem lapsu intantum tibia ejus stupefacta est, ut nullo modo ambulans, in lecto tribus annis ægritudine cubaret: quæ tandem cum invocaret auxilium B. Leonis, statim restituta est, atque confestim ad præfatum locum, ubi ecclesia construebatur in honore ejus, perrexit, Deoque & B. Leoni gratias reddidit. Puella quoque nobilis feminæ, uno anno in lecto infirma cubans, ut nequaquam ingredi vel egredi, nisi brachiis suorum supportata valeret: quæ, dum repertus est sanguis ejus & deportatus cum hymnis & laudibus in Ecclesia Episcopii, illuc ducta & prostrata ante altare sanctæ Dei Genitricis, confestim erecta est & ambulavit. Puer quidam, Dominicus nomine, ex castello *k* Vicari, arreptus à dæmonio, venit Beneventum ductus à matre; quem sic ablatum ab officio linguæ ut nequaquam loqui vellet nisi nimis fustigaretur, & hoc duo vel tria verba non plus, meritum B. Leonis ita sanus reddidit, ut recte & expedite loqueretur.

(margin: *decumbens triennio læsione tibiæ*; i *alia integro anno ægra:*; k *energumenus mutus,*)

Ex

A

32 Ex territorio civitatis vocabulo S. Agathæ, *l* quæ confinis est Beneventi, narratur quod adolescens, nomine Nicolaus, dum incoleret translacto mense Maji vineas cum patre & fratre, subito cecidit in terram amisso linguæ officio aliorumq; membrorum omnium: quod accidens pater & frater valde condolentes cœperunt flere: de hinc invento asino imposuerunt illum ibi & deduxerunt eum domum. Die vero alia usi meliori consilio, iterum in lecto illum ponentes, Beneventum duxerunt ad prænominatam ecclesiam, ubi meritis B. Leonis redditus est perfectæ sanitati, in tantum ut qui mutus venerat & alienis delatus humeris, Dei loquens magnalia, sanus & lætus veloci gressu suis pedibus ad propria remearet; castellum videlicet unde venerat, *m* Torre-licosi vocabulo. Femina quædam ex regione Murronis *n* civitatis, pluribus à dæmonibus vexata, audiens rumorem miraculorum B. Leonis, assumpsit spem (quæ non frustrata est) quod si ad jam prefatam basilicam veniret, à dæmone illo curaretur: quod & fecit quæ dum staret [ante altare] dæmonium, quod decipere illam erat solitum, instar corvi ab humeris ejus avolavit; & nusquam amplius eam vexavit: [sic] Dei favente gratia & intercessione B. Leonis curata est à dæmone.

l mutus & paralyticus.

m

n energumena

B

33 Quidam oriundus ex civitate *o* Confinia nomine, audita fama signorum ejus venit cum aliis ejusdẽ loci Beneventum; & per intercessionem B. Leonis Papæ sanitatem quam amiserat consecutus est. Quidã [contractus brachio], cum per dies sex in præfata ecclesiã degeret, somno opprimitur: sed à turba hominum coactus est fugere & vigilare. Qui bene vigilãs surrexit, opemq; divinam sibi attributam sensit: cœpit enim extendere brachium, quod contractis nervis ad collum ligatum habuerat, & hac illacq; volvere; & quæ solitus erat, expedite cum eo agere. Quod cum viderent qui aderant, omnipotenti Deo & S. Leoni benedixerunt. Rursus unus adolescens & duæ puellæ in festivitate B. Augustini sanitate ibi consecutæ sunt: quorum una puella ex civitate Monopoli erat, *p* altera vero ex Frequentina civitate: adolescens vero ex finibus Apuliæ, iste autẽ & puella quæ Frequẽtinã oriunda fuerat, per quinq; annos oculorum lumina amiserunt: sed largiente Dei misericordia & intercessione B. Leonis, ambo eodem die cœperunt videre sic ut nunquã melius: illa autem quæ ex Monopoli erat, unum latus totum habens perditum, similiter consecuta est sanitatem per merita B. Leonis Papæ. Ad quod spectaculum tota civitas Beneventus confluxit, horumq; trium miraculorum testis extitit, dum in laudem Dei hymnos & gratiarum actiones altis vocibus personuit.

o infirmus,

contractus brachio,

cæci,

p

C

habens latus perditum:

34 Quædam mulier, de finibus Beneventi, habens unicam filiam, quæ ab infantia manuum & pedum officio carens, nullo modo contractis omnibus nervis vel ambulare poterat vel opus manibus operari. Hæc cum audisset famam miraculorum quæ in præfata ecclesia Christus per suum servum Leonem sanctissimum dignatus est operari, à sua matre super asellum posita, deportata est ibi. Cumque per sex dies perseveraret ibidem jacens, & plurimis sanitati restitutis ipsa nihil boni consequeretur, dixit matri suæ: Mater, quoniam nostra peccata merita Sancti superant, celeriter eamus hinc: indignæ enim sumus consequi sanitatem ab illo: quam mox ejus genitrix asello imposuit, & ad propriam domum ire cœperunt. Vere pius Dominus petentes se numquam repellit, & suos Sanctos omnibus glorificat modis. Nam cum prolongasset ab ecclesia quasi stadiis quinque, matre paululum remorante, cum asellum in quo sedebat ipsa vellet pausare, vehiculum, quod brachium sustentabat cum manu ejus, in terram cecidit: statimque oblita suæ infirmitatis, quasi sanus vir, post baculum in terram se dedit, ut eum auferret rursum & resideret asellum. Sed dum pedes ejus terram tetigissent, virtutem Christi sensit super se in tantum evenisse, ut veniens ejus genitrix reperiret eam totam sanissimam, juxta asellum expeditis pedibus ac toto corpore stantem, & voce clara cælestem medicum collaudantem. Quæ mox ad ecclesiam S. Leonis Papæ, ex qua egressæ fuerant, revertentes, palam sibi obviantibus Domini annuntiaverunt virtutem, ibique Christi & S. Leoni gratias & laudes egerunt; admirante populo & collaudante ipsius Christi gratiam & gloriam & virtutem: qui ut voluerit, suos ubique ita glorificat Sanctos, ut & hominum semper laudes consequi mereantur, & cum illo sine fine in cælo inter Angelos glorientur. Amen.

contracta manibus & pedibus.

EX MS.

ANNOTATA.

a *Refertur etiam hoc duplex miraculum in MS. Strozziano, & prius castellum dicitur* Marca, *secundum* Carre: *videntur juxta Beneventum requirenda hac loca: alias* Carrara & Modigliana *ad Hetruriæ Ducem pertinent.*

b *Forsitan* Ortana *quæ duplex est: altera* ad mare *dicta, in Aprutio citeriore; altera in ulteriore, dicta* Marsorum.

c *Anno forsan* 1061 *littera Dominicali* G. *& sic ultimum hoc miraculum post alia, mox est MS. Strozziano subjicienda, patratum foret.*

d *Hactenus ex Ms. Beneventano: nunc ex Strozziano prædicto.*

e *Duplex etiam* Serra *est in Capitanata, altera cognomento* Capriola, *altera della* Castagna, *hæc* 40, *illa* 30 *circiter P.M. Benevento distans.*

E

f *Hic interserebantur miracula supra relata de Nicolao & Berardo seu Bernardo sanatis.*

g *Forsitan* Vito: *nam in tabulis Chorographicis inter Treiam & Beneventum notant,* oppidum S Viti. *Eadem tamen etiam* Vicum *notant sed in quadruplo maiori distantia ad extimos fines Capitanatæ versus mare.*

h *An* Celano *ad lacum Fucinum, qui nunc ab eo nomen habet in Aprutio ulteriori?*

i *Nihil alibi de hujus sanguinis inventione legimus: ex venæ sectione reservatus Beneventi ab aliquo fuerit, & in oblivione aliquamdiu manserit.*

k *Alias etiam* Biccaro *juxta Treiam, circiter* 18. *p.m. à Benevento.*

l *Præter duo huius nominis oppida in ulteriori ac Citeriori Calabria: tertium est in Capitanata, haud longe à Lesina vicinum mari, & multo minus quam duo illa Benevento distans, vix tamen minori intervallo quam* 40 *M.P.*

F

m *Tabula chorographica simpliciter* Torre *nominant, estque iam dicto oppido proximum in ipso littore maris.*

n *Vulgo* Morrone, *trans Apenninũ in Comitatu Molisino.*

o *Nicolaus Samson in Tabula Alphabetica locorum Italiæ* Confidianni castrum *nominat, in regno Neapolitano.*

p *De* Frequentina *supra egimus ad num.* 11 *lit. c.* Monopolis, *urbs quoque Episcopalis est inter Barium & Brundusium ad mare Adriaticum.*

MIRACULA DUO.

A Desiderio Abbate Casinensi dein Victore Papa III descripta.

35 POst obitum beatissimi Pontificis Leonis multa & magna ad ejus tumulum, aliisque in locis per eum, Domino tribuẽte, claruere miracula. E quibus, omissis ceteris, duo tantum, ædificationis gratia subnectam, sicut à veridicis viris nobis relata sunt. *a* Victor Papa, qui in regimine Sacerdotali ei successerat, audita fama miraculorum ejus, quod per eum Dominus talia operaretur, fidem non accommodabat. Sed quia, ut ait Apostolus, Linguæ in signum sunt non fidelibus sed infidelibus, omnipotens Dominus experimento eum docere voluit quæ audita à pluribus minime credere volebat.

a

1 Cor. 14

36 *b* Curiensis quidam Episcopus, cujus nomen & memoria excidit, cum supra memorato Pontifice Victore à Germania veniens, ejus in obsequio

b

A Romæ morabatur. Hic puerum ab utero matris mutum habebat, quem pro mercede animæ suæ pascens ac vestiens, quocumque ibat, secum ducere consueverat, in cujus vacuo ore nec indicium quidem linguæ inesse videbatur. Qui etiam Episcopus, ex mirabilibus ad B. Leonis tumulum, similiter ut Papa, incredulum animum gerebat. Cum igitur quadam die ad Sedem sui Episcopatus, jam accepta licentia, reverti decrevisset; ecclesiam B. Petri Apostoli orationis gratia ingressus, postquam B. Petro se intentius commendavit suis cum clientibus, equis ascensis, puero in eadem ecclesia oblito, festinus viam, quæ eum ad suam ducebat patriam, egressus Urbe gradiebatur. Cum itaque longiuscule adhuc esset ab Urbe profectus, repente ei in memoriam rediit, quod mutum puerum in ecclesia B. Petri reliquisset. Qui mox substitit, ac famulos suos, à quibus puer reduci deberet, quosdam remisit. Igitur cum illi Apostolorum Principis basilicam essent egressi, conspiciunt puerum ante tumulum B. Leonis stantem, atque cum his qui circumstabant, loquentem. Illis itaque mirantibus, & qualiter hoc sibi evenisset quærentibus, puer inquit: Postquam Dominus meus, hac in ecclesia me relinquens, discessit, huc ad sepulcrum B. Leonis me contuli; si forte omnipotens Dominus officium, quo carebam vocis, meritis ejus mihi restituere dignaretur. Nec sum meo, quod corde poscebam, voto fraudatus: sed mox ut ante ejus venerandam memoriam lacrymas aliquantulum prostratus jacui, illico recepta voce loquens, ut ipsi videtis, surrexi. Ab illa utique die, quod mirabilius est, cœpit in ore ejus lingua, quæ defuerat, paulatim crescere, ita ut intra paucos dies pleno ore linguam perfecte reciperet, & verba sine impedimento sonaret. c Denique qui missi fuerant, curaverunt puerum ad Episcopum ducere, & quem tacentem reliquerat, B. Leonis suffragantibus meritis ei loquentem adducunt. Regressus igitur Episcopus, Romanum Pontificem adiit: & quod omnipotens Dominus per B. Leonem operari dignatus fuisset, ostendit. Ex tunc cœperũt ipsi ejus venerãda merita cunctis prædicare, qui aliis antea referentibus non patiebantur audire.

mutus natus sine lingua,

ad tumulum S. Leonis loquitur,

B

lingua accrescente:

C

2 Illustris vir Maximus, Romanæ urbis civis, nuper retulit mihi de eodem venerabili Præsule, quæ narro. Bernardus quidam pessimæ mentis miles extitit, qui Apostolicæ Sedi contrarium se in omnibus, quibus potuit, modis exhibebat. Sed in bello, quod à vicinis circa Urbem manentibus, conjurantibus cum d Cadalao Parmensi Episcopo, qui tunc Apostolicam Sedem invadere tentabat, cum militibus, qui Romanam Ecclesiam defendebant, commissum est, justo Dei judicio confossus interiit. Hic igitur audita fama miraculorum, quæ omnipotens Deus meritis B. Leonis fidelibus populis exhibebat; non solum non credebat, verum etiam ore sacrilego deridebat & blasphemabat. Cum denique quadam die in conventu appareret populi; & sermo inter eos de signis & virtutibus B. Leonis exortus esset, cœpit ridere dicens: Si Sanctus est, ut dicis, contrahat mihi digitum meum. Cumque compesceretur ab iis qui astabant, ne de sancto viro talia loqueretur; dimisso conventu discessit. Cum ecce forte canis, qui eum sequebatur, suem in platea inventum invasit. Ille vero, ne porcus discerperetur, festine cucurrit, & injecta manu canem tenere voluit: sed mox porcus hianti ore digitum ejus momordit, sicque ab illa die omni tempore quo vixit digitum contractum habens, nullatenus eum extendere potuit. Unde factum est, ut qui Dei famulum irridere præsumpserat, ipse contracto digito omnibus derisui haberetur. Hæc de tanto Patre B. Leone dicta sufficiant, quia ad aliorum narranda gesta properamus.

D d

miles blasphemus in S. Leonem punitur,

E

ANNOTATA.

a *Hic est* Victor 2, *creatus, cum Sedes fere integro anno vacasset, die* 13 *Aprilis* 1055; *mortuus* 28 *Iulii anno* 1057. *At Sede vacante patrata erant miracula supra relata, quando aberat Victor, Eystadii in Germania Episcopus, Gebehardus nomine.*

b Diethmarus *scilicet apud Rhætos in Alpibus Germanicis, anno* 1040 *creatus Episcopus, mortuus* 1070, *cum teste Bruschio laudabiliter & utilissime triginta annos præfuisset. Consule etiam Guillimannum lib.* 4 *de rebus Helveticorum cap.* 2 *& alios.*

c *Idem miraculum narratur à S. Brunone, acceptum ab Episcopo Portuensi.*

d Cadalous *contra Alexandrum* II *fuit anno* 1061 *electus Antipapa, uti diximus* 2 *Februarii* 3 *ad Vitam Beati Petri Damiani* § 5.

F

DE B. BERNARDO POENITENTE

AUDOMAROPOLI IN BELGIO.

C.H.

ANNO MCLXXXII



Ntiqui Belgarum populi, Morini, urbem præcipuam incoluerunt Teruanam, sub Christianis Episcopalem: qua excisa tres fuerunt erectæ Sedes, Bononiæ, Ipris & Audomaropoli. Ultima huic nomen dedit S. Audomarus Teruanensis Episcopus, cum ante Sithieu *appellaretur: quod nomen diu adhæsit monasterio, ibidem à S. Bertino inchoato, donec eo abolito à suo fundatore nuncupatum est monasterium Bertinianum, certe unum ex præcipuis monasteriis, quæ in Belgio suo antiquitate & splendore excellunt. Floruit in hoc monasterio Abbas Ioannes, hujus nominis quintus, de Ipra oriundus, qui librum Abbatum S. Bertini scripsit anno, ut præfatur,* MCCCCXXXIV; *& capitulo* XLV *agit de Domino Simone, hujus nominis secundo & Abbate* XLV, *atque inter alia parte quarta collocat hunc titulum:* De Domino sancto Bernardo pœnitente, & ejus obitu: *& dein ista adjungit:* Alexandro Papa mortuo successit Lucius Papa III, cujus anno secundo, imperante Frederico II, Francorum Rege Philippo II, Comite Flandriæ Philippo, Morinorum Episcopo Desiderio, Domini quoque Simonis Abbatis nostri anno VII, id est anno Domini MCLXXXIII, sanctitatis sepulcrum & exemplar Dominus Bernardus, vere pœnitens, de confinio Montis-Pessulani civis Magalonensis; post dignos fructus pœnitentiæ, quam tam publice quam private fecerat; post peregrinationes & itinera, quæ Sanctorum patrocinia quærens exegerat; finaliter in hoc monasterio diu conversatus, tandem hic sub Domino Simone Abbate nostro in monachum assumptus, de hoc seculo nequam ereptus, cælicas migravit ad sedes: & in hoc monasterio, à latere sinistro ecclesiæ, juxta altare S. Laurentii, ubi ipse corpore vivens orationibus incumbere solitus erat, cum multa reverentia sepelitur: quem propter multa, quæ tam in vita quam ad tumbam ejus evenerunt, miracula, collegio Sanctorũ aggregatũ pietas credit Ecclesiastica. Cujus actus & miracula, in libello, qui de his cõscriptus penes nos est, per ordinem continentur. *Hæc ibi.*

In monasterio Bertiniano

Ioannes Abbas,

iste tradit de B. Bernardo

ejusque Vita & miraculis scriptis

2 *Est hic libellus conscriptus partim dicti Abbatis Simonis imperio, partim aliorũ monachorũ rogatu; & mox ab obitu Bernardi, qui contigit anno* MCLXXXII, *non sequentis ut supra relatum*

A relatum. *Auctor scribit aut à se visa aut fideliter cognita; fuit vero ipse monachus Bertinianus & Ioannes dictus, forsan Simonis successor, Abbas* XLVI, *qui jam nominato monasterio præfuit ab anno* MCLXXXVII *usque ad annum* MCCXXX. *Ipse Bernardum pœnitentem fere semper Sanctum appellat: uti ex Actis liquet, quæ ex dicto Bertiniano apographo descripta damus. Erant ad capita Vitæ tituli satis longi, quos omittimus, & eorum loco damus marginalem synopsim. Forsan sub finem aliqua miracula ab aliis sunt adjuncta, ut & duplex homilia de ipso, quam etiam præterimus, unico solum inde excerpto miraculo. Vltimo habebatur* officium, *quod solebat olim* cantari in ecclesia S. Bertini, in depositione S. Bernardi pœnitentis. *Erat illud, non de Sanctissima Trinitate, quale modo fieret pro aliquo non solenniter canonizato; sed ex usu antiquo Belgii, olim in talibus servari solito pro omnibus fidelibus defunctis in genere, sub finem Missæ cantabatur Responsorium:* Justorum animæ in manu Dei sunt, Et non tanget illos tormentum malitiæ. Visi sunt oculis insipientium mori, illi autem sunt in pace. Gloria Patri &c. *Finito Responsorio Sacerdos dicebat:* Exultabunt Sancti in gloria *&c.* Dominus vobiscum. Oremus, Propitiare quæsumus Domine, nobis famulis tuis, per Sanctorum tuorum, quorum reliquiæ in præsenti continentur ecclesia, merita gloriosa; ut eorum pia intercessione ab omnibus semper muniamur adversis. Per Dominum *&c.*

à Ioanne monacho, *teste oculato:* *officium Ecclesiasticum dicto 19 Aprilis.*

B 3 *Memoria Bernardi pœnitentis hoc* XIX *Aprilis cum titulo* Beati *continetur, apud Molanum in Natalibus Sanctorum Belgii, Miræum in Fastis Belgicis, Menardum & Bucelinum in Martyrologiis Benedictinis, Rosweidum in Legenda Sanctorum Belgice, edita Ferrarium in Catalogo Sanctorum, Saussajum in Martyrologio Gallicano, qui solum tribuit titulum* beatæ memoriæ: *at Simon Martin in sacris Reliquiis deserti cum auctore vitæ* Sanctum *appellat. Arnoldus Raissius in Hierogazophylacio Belgico pag.* 100, *asserit* B. Bernardum pœnitentem quiescere in sacello S. Catharinæ. *Præponimus hic litteras Episcopi Magalonensis, quarum mox mentio, & explicatio fit capite primo Vitæ: sunt autem ejusmodi.* Joannes Dei gratia Magalonensis Episcopus, omnibus Ecclesiæ Catholicæ Rectoribus, subjectis, æternam in Domino salutem. Notum sit omnibus vobis, quod Bernardo, præsentium litterarum latori, talem pœnitentiam pro peccatis suis horribilibus injunximus, quod usque ad septem annos nudis pedibus incedat, camisiam non ferat omnibus diebus vitæ suæ, quadraginta dies ante Natale Domini in cibis quadragesimalibus jejunet, quarta feria à carne & à sagimine abstineat, sexta feria præter panem & vinum nihil comedat, in omni sexta feria quadragesimæ, & quatuor temporum præter aquam nihil bibat; omni sabbato, exceptis solemnibus diebus & nisi ægritudo intercesserit, à carne & à sagimine abstineat. Quapropter clementiam vestram in Christo suppliciter exoramus, quatenus pro redemptione animarum vestrarum præfatum pœnitentem, quia pauperrimus est, in victualibus & vestibus misericorditer sustentetis, orationibus sublevetis, de pœnitentia etiam sibi injuncta secundum quod ratio exigit benigne relaxetis. Data Magalonæ, anno ab Incarnatione Domini MCLXX, mense Octobri. Usque ad septem annos tantum valeat. *Saginimis nomine apud Cæsarium aliosque medii ævi scriptores intelligitur arvina & omnis pinguedo carnea, ad ciborum, etiam hortensium, condimentum quandoque solita adhiberi ab aliis qui alias à carnibus abstinent. Vide Vossium de Vitiis sermonis lib.* 5.

memoria in Martyrologiis. *Litteræ Episcopi de injuncta pœnitentia.*

C

VITA

Auctore Ioanne monacho Bertiniano,

Ex codice MS. Bertiniano.

PROLOGUS.

Cum S. Bernardus jam ad gaudium Domini sui intrasset; & quid à Domino recepisset, apertis miraculis ostenderet: ne divina opera posterorum cognitioni nostra negligentia celarentur, Domini Simonis Abbatis imperio coactus, Sancti annotare miracula sum aggressus. Unde nonnulli sodalium meorum, sumpta occasione, pro sua quam erga Sanctum habebant devotione, ut de pœnitentia vel conversatione ejus aliquid scriberem, instanter flagitare cœperunt. Sed quia hæc forte aliquibus posse displicere putavi, invitus quidem assensum præbui: quia tamen iterum fraternæ caritati non ausus fui contradicere, S. Bernardi, si possem, obsequiis vellem deservire; cum innocente Jona permisi me à fratribus meis in pelagus præcipitari, quo enatato, Dei gratia opitulante, de Ninivitarum utinam possim conversione gaudere.

Auctor imperio Abbatis annotavit miracula: *& rogatu aliorum scripsit Vitam:*

2 Considerans autem in meipso tum juvenilem ætatem tum scientiæ tenuitatem, Dei Sanctique auxilium invoco, id præcipue exorans, ut ex labore meo & Domini gratiam acquirere, & simplicium possim ædificationi proficere. Sed ne quis me vel præsumptionis arguat vel more balbutientium, qui, quod nequeant, fari semper gestiunt, me ad id ingessisse credat; testor Dominum Sanctique miracula, quod mallem aliena etiam cum verecundia discere, quam mea impudenter ingerere. Quisquis igitur vel vitiosa corrigere, vel prætermissa addere, vel etiam superflua reserare intenderit; teste conscientia mea ego non ei indignari, sed ut dignam à Domino remunerationem accipiat, paratus sum deprecari. Libenter enim concedo, ut meo opere penitus abolito, quicumque voluerit, venustius aliquid ad honorem Sancti componat; præsertim cum non intendo gloriam meam in hoc quærere, sed timeo ne miracula propter pluralitatem suam à memoria nostra se valeant elongare.

E *invocat Deum & B. Bernardum:* *permittit sua emendari,* *vel aboleri:*

3 Primum igitur de pœnitentia & conversatione ejus scribere intendens, testem invoco Deum, in animam meam, me nihil scripturum, nisi quod fidelium relatione cognitum, vel à me visum fuisse constiterit. Et ne licentia poëtica abuti videar, non solum propria figmenta prorsus exterminare, sed etiam multa; quæ mihi relata sunt, pro removenda incredulitatis suspicione, delibero temperare. Verum quia de causa pœnitentiæ & priore ejus conversatione parum me scire profiteor, si quis post hæc egregius dictator, cognito melius veritatis ordine, de vita Sancti tractare voluerit, mihi non debet pro hac brevi compilatione indignari. Nam sicut septuaginta interpretum translatio, B. Hieronymi translationem non obscuravit, sed ut clarior fieret quoddam præparamentum fuit; ita, licet à minore ad majus hæc fiat comparatio, hæc mea brevis compilatio rhetoricis tractatibus nil laudis auferre poterit: sed laudem augebit veterem, si quis non pro auctoris dignitate, sed pro sua quem erga Sanctum habuit devotione, hæc legere dignatus fuerit: & si me alicubi à regula artis declinasse perpenderit, mihi quæso indulgere velit, illius saltem exemplo qui S. Bernardo omnium peccatorum suorum indulgentiam tribuit. Nam cum tenuitate

scribit aut visa aut fideliter cognita: F *ut vel inde ab alio egregium opus componatur.*

AUCTORE JOANNE EX MS.

scientiæ hoc mihi quoque impedimento fuit, quod illi qui me ut hoc scriberem incitaverunt, præ nimia devotione moras pati nescierunt, unde operi meo in ordine simul & ornatu non modicum detraxerunt.

LIBER PRIMUS

De Vita & obitu B. Bernardi.

CAPUT I.

Natales Bernardi, peregrinationes, pœnitentiæ pia Audomaropoli conversatio.

Matth. 3, 2. *Vitam ejus sanctam indicant miracula:*

4 INitium euangelicæ doctrinæ, ubi Præco veritatis & ipsa Veritas salubriter clamant, Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cælorum, quam efficaciter vir laudabilis Bernardus audierit; laus miraculorum, quæ in fine ejus canitur, ostendit. De conversatione tamen ejus, qualis in patria sua in annis prioribus fuerit, vel de conversione scilicet, qua ostensionis causa tanto pœnitentiæ rigori se astrinxerit, quia perpauca sunt nobis cognita, stylo brevitatis sunt perstringenda. Venerabilis itaque Bernardus, patre Thoma oriundus, claram quidem à progenitoribus originem traxit, quam ipse morum provectibus clarior, virtutum titulis adornavit. In regione autem quæ *a* Provincia dicitur locum nativitatis ejus esse non ambigimus, quodque Magalonensis Ecclesiæ filius fuerit, ex ejus pœnitentialibus litteris verisimile habemus,

B *Natus honestis parentibus.* *a*

5 Cur tamen exulaverit vel propter quam offensionem tanta austeritate pœnituerit, temere definire non audeo: præsertim cum ipse omnia opera sua, in quantum potuit, occultaverit; & in litteris pœnitentialibus (quas sigillo Magalonensis, sui scilicet Episcopi, & Narbonensis sui quoque Archiepiscopi, signatas secum ferebat) nihil aliud de reatu ejus scriptum fuerit, nisi quod pro horribilibus peccatis suis pœnituerit. Nemo tamen Sanctum horribilia peccata fecisse audiens, audacius ad illicita declinet; præsertim cum forte verius sit, eum nihil enorme, nihil inhumanum perpetrasse, nihil quod nostri temporis peccatoribus videretur horribile; sed Sancti, quia cælestibus desideriis inhiant, omnia quæ mundi sunt horribilia putant. Unde, ut puto, vir iste, quia more pœnitentium melius pro Dei amore se posse exulare credidit, generaliter omnia peccata sua comprehendens horribilia ea vocari voluit. Nam prout rei veritatem melius investigare potui, utque ab eis, qui se patrem & matrem ejus cognoscere asserebant, accepi, in patria sua legitime conversatus, numquam ex aliquo criminali peccato fuit infamatus. Hoc tamen præcipue in causa exilii fuisse dicitur, quod in mortem Domini sui, qui injustis exactionibus concives suos opprimebat, cum nobilioribus civitatis conjurationem fecerit, & occisioni ejus interfuerit. Sed cum ex cognitione vel consideratione alieni peccati plerumque etiam justi tententur, & è contrario ex cognitione alterius justitiæ injusti emendentur; viri hujus peccata investigando non multum debemus laborare; sed quid pœnitendo meruerit, pro emendatione nostra studiosius retractare.

in litteris Pœnitentialibus traditur horribilia peccata patrasse,

C *numquam aliquo crimine infamatus; interfuit occisioni Domini ditionis,*

pro pœnitentia septem annis discalceatus, & laneis indutus, debet esse,

6 Cum jam Dominus igne suo, quem in terram venerat mittere, cor Bernardi succendisset; servus Dei suum Episcopum adiens, & quod in se reprehendebat veraciter confitens (ut in litteris quas secum attulit legitur) hoc ab Episcopo suo accepit: ut septem annis discalceatus & laneis indutus pœnitere debuisset. Sed quia vere pœnitens numquam se satisfecisse æstimat, permissione Metropolitani sui districtiori adhuc pœnitentia seipsum castigat, septennem enim pœnitentiam Archiepiscopali auctoritate privilegiat, & in nonnullis observationibus eam augens, omnibus diebus vitæ suæ sic manere deliberat. D

7 Præterea, quod quidem in pœnitentiali mandato scriptum non reperimus, sed tamen verum esse non ambigimus; septem vinculis ferreis se ligari fecit: & quasi in palæstrali certamine cum antiquo hoste congressurus, undique à dextris & à sinistris armis justitiæ munitus, processit. Pectus siquidem, lumbos & collum, brachia & crura disciplinari loro castigavit; prudenti nimirum solertia satagens, ut dum omnia peccati instrumenta ferro constringeret, omnem in se peccati effectum enervaret. Sciebat etenim peccati initium, malas scilicet cogitationes, in pectore versari, originalis peccati concupiscentiam in lumbis dominari; à collo vero otiosa & nonnumquam etiam criminosa verba egredi; per manus ejus, quæ brachiis adhærent, illicita perpetrari; per pedes quoque, quæ crura sustentant, illicitis operibus in eundo famulari. Hac ut credo consideratione servus Dei, juxta Euangelicum edictum, relictis omnibus Christum sequens, & ut fortis athleta cum diabolo conflicturus, omnia mundi retinacula abjiciens, ultra quam sibi indictum fuerat, ferreis ut dictum est, vinculis se nectens, spontaneum exilium elegit: & gratia communicandi fraternis orationibus, & Sanctorum patrocinia impetrandi, omnem pene orbem circuivit. Hierusalem enim, ubi ille qui est pax nostra, qui fecit utraque unum, corporaliter visus est, tertio videre & adire studuit: Indiam quoque & quæ ibi sanctus Thomas Apostolus fecit miracula, vidit: & ut generaliter particularia comprehendam, omnem accessibilem terram, ubi Christiani habitant, ut dicitur, pererravit: ita quod non solum nomina regionum memoriæ commendasset, sed etiam Episcopales & Archiepiscopales, quotquot in Christianismo sunt, memoriter nominaret. Quantas interim in fame & siti, in frigore & nuditate incommoditates pertulerit, quis digne æstimare poterit?

septem vinculis stringitur.

in pectore, lumbis, collo, brachiis, & cruribus;

Luc. 5, 11

E

peregrinatus Hierosolymam tertio,

in Indiam

& per universum orbem Christianum;

8 Cum tandem ad castrum, quod S. Audomari dicitur, pervenisset; locum habitandi juxta monasterium S. Bertini eligens, ibique vallem lacrymarum in interiori homine faciens, ascensiones in corde suo disposuit, & arctioris adhuc vitæ propositum arripuit. A quodam enim religioso viro, Wilhelmo nomine, prope templum hospitio receptus, omnibus horis, quibus in templum intrandi licentiam habere poterat, interesse non negligebat. Primus illuc veniebat, novissimus semper recedebat, & cum ratio temporis ostia claudi faciebat, ipse multotiens aforis orationi intendebat. Raro vel numquam in templo aliquis eum sedere vidit, sed in æstate in calidioribus, in hieme in frigidioribus locis stationem suam facere consueverat. Dum tamen psalmos suos legeret, continuum standi usum nonnumquam prætermittebat, & ut attentius lectioni suæ intenderet, aliquando sedere consueverat.

Audomaropoli habitans arctiorem vitam instituit,

F

in templo assiduus

9 Præterea, sicut religiosorum tam virorum quam feminarum testimonio comperi, sæpe cum in asperrima hieme nudis plantis super nudam & frigidam humum diu immobilis staret; cutem plantarum siquando, abire volebat, terræ congelatam relinquebat. Cum etiam ex nimietate frigoris horribiles scissuras in pedibus haberet, mirabili medicinæ genere curam vel, ut verius dicam, combusturam rimis hiantibus adhibebat. Nocte enim cum ratio temporis ad lectum eum vocabat, in se-

cutis pedum frigore terræ astringitur;

cretiori

A b secretiori parte cubiculi sui ardenti thyrso *b* & infusione liquentis ceræ, scissuras illas & læsiones pedum urere consueverat; unde infestæ carni (quod nulli dubium est) plus doloris quam remedii proveniebat.

Assiduus in divino officio, 10 Sicque cum paululum sopori indulsisset, ad primum campanæ tactum vel maturius, ad ecclesiam veniebat; auditisque seriatim Matutinis nostris, nec his contentus erat, sed pervigil Clericorum S. Audomari Matutinas expectans, & his quoque interesse non negligebat. Super omnia parochialis sui Presbyteri, qui de luce canebat Matutinas, & omne diei officium audiebat; nec tamen propter hoc horis nostris aliquando se absentare volebat. Quam diligens autem circa honestatem vel religionem extiterit, ex his quæ hic annectere volo, facile animadverti poterit. Altaria enim sanctæ Crucis & S. Jacobi, quæ in exteriori parte ecclesiæ sunt, scopabat: & omnia immunda à sanctis & à templo *loca sacra munda servat:* prope abjiciebat; insuperque si inordinatum quid in templo vel in atrio agi circumspiciebat, hæc magna constantia reprehendebat. Dum etiam ad Ma- B tutinas vel aliquo ibat, si lapides in platea inordinate jacere vidisset, non procedebat donec eos com- *lapides in platea disponit:* petenti & necessario loco nudis pedibus coaptasset. In qua re non solum pium opus commendatur, sed etiam modus operis; quod scilicet nudis & ulcerosis pedibus incedebat, nec unquam vel ablutionem aquæ vel aliud quam quale dixi fomentum læsionibus suis indulgebat.

indutus cilicio, lorica, 11 Ut autem de habitu vestimentorum ejus succincte loquar, circa collum & corpus ferro ligatus, & ad carnem asperrimo cilicio & deinde lorica indutus erat: cui etiam, ut instrumenta pœnitentiæ celaret, vel ut ceteras vestes à contactu ferri illæsas servaret, pelleam tunicam superinduxerat: super hac autem duas laneas albi coloris & aliquantulum *& cuculla:* spissas tunicas habebat: super quæ omnia quandam vestem induerat, quæ quidem ad similitudinem nostræ cucullæ omnimodis formata erat, sed colore & spissitudine cum tunicis conveniebat. De vinculis autem jam memoratis semperque memorandis hoc adhuc sciendum esse volo; quod stricti ligaminis austeritas pluribus in locis carni inhæserat, & ex putredine corruptionis exinde vermes scaturiebant. Numquam tamen propter hoc vincula sua *aliquot vinculis divinitus solvitur.* detrahi vel relaxari voluit, donec à Deo, quam remunerationem patientiæ suæ expectavit, tandem solvi promeruit Apud Coloniam enim in ecclesia C B. Petri pectoralis fascia dissiluit: cetera vero omnia, absque eo quod in collo gerebat, ligamina in hac villa confracta fuisse multorum relatione constat ad meam notitiam pervenisse. Verum lumbare vinculum prætermissis aliis reparari fecit: cujus reparatio cum paululum ultra velle suum retardaretur, loricam induitur, cum tamen nec prædictum vinculum nec cilicium sibi detrahi pateretur.

Psalterium discit: 12 Litteras omnino nesciebat, sed ex eleemosynis, quas à fidelibus excipiebat, Psalterium comparaverat: discendique amore scholas frequentans, Clericorum magisterio se subjiciens, quotidie modicum quid addiscere non prætermittebat. Et quoniam, ut scriptum est, nulla in dicendo mora est, ubi Spiritus sanctus Doctor adest, quod devote vir Dei incepit, satis strenue implevit: totumque in brevi Psalterium per se legere didicit,

mendicando accepta in pauperes distribuit: 13 Pauperes & ægrotos summa diligentia visitabat, & quod mendicando acquirere poterat, caritative mendicis distribuebat. Quidquid boni agebat, occultum semper esse volebat, nec sicut hypocritæ fimbrias suas dilatabat, sed ut melius seculum deciperet, superbo membrorum gestu & hilaritate vultus se magis secularem quam pœnitentem exhibebat. In secreto cubiculi sui secundum Dominicum *AUCTORE JOANNE EX MSS.* edictum orare amabat: ibique (quod nulli eo vi- *Matth. 6, 6* vente solique Deo cognitum erat) mirabile lectisternium ex acutissimis lapidibus sibi straverat, ita quod post mortem ejus perforatâ mattâ, qua tecti *lecto lapillis sternis:* fuerant, in multis locis lapides apparerent.

14 Reclusos quoque & religiosos viros frequenter visitabat: cum quibus nunc discendo nunc do- *reclusos visitat,* cendo salutis verba communicabat, illum autem Reclusum qui juxta ecclesiam S. Michaelis extra villam S. Audomari sitam manebat, sæpius & affectuosius visitabat: cui etiam ex melioribus cibis, quos invenire poterat, caritativum munus nonnumquam adferebat. Tempore vero nivis cum quadam die ad visitandum eum iret, dicitur quod in voraginem ni- *nivem intra vestes sinit liquefieri,* vis inciderit, receptamque intra vestes nivem ejici non permiserit, sed gelidum liquorem per tremulos artus colari fecerit. In ore ejus semper Christus, semper pax erat: si quis ei, vel si ipse alicui loquebatur, hoc in ore ejus semper proximum erat, ut Deus nos in bono consummari concederet, vel ut proprie verbis ejus utar, bonum finem donaret.

15 Et quia innumerabilia sunt bona ejus opera; mihi plerumque incognita, ut breviter de eo concludam, quidquid Deo placere sciebat, incessanter E opere implebat. Quam parcus in cibo vel potu fuerit, quis ad scribendum idoneus erit? Diebus quibus *arcte jejunat:* seculares carnibus vescebantur, in domo eleemosynarii nostri permodicum cibi sumebat: ceteris diebus à religiosis viris coactus cum eis comedebat vel omnino abstinebat. At veteris nempe legis institutione jejunium primi, quarti, septimi & decimi mensis observans, quatuor in anno quadragesimas jejuna- *in anno 4 quadragesimas servat:* bat: in quibus, tribus in hebdomada diebus, panem tantum & aquam ad refectionem sumebat. In omni etiam sexta feria & Vigiliis Apostolorum simili parsimonia abstinebat, vel, ut dictum est, omnino jejunus remanebat. Mirumque in modum cum & à Clericis & laicis & à nonnullis etiam monachis multo diligentius quam à nobis tractaretur, & ut relicto nostro monasterio, cum eis habitaret affectuosius hortaretur; numquam eis assentiens, hunc locum omnibus præponebat: & ut hic mori posset *desiderat apud S. Bertinum manere.* omni desiderio expetebat. Nec hoc sine magna Dei clementia, & S. *c* Bertini & aliorum *d* Sanctorum, quorum vel corpora vel reliquiæ apud nos venerantur, oratione factum esse credo: qui locum istum tanti Collegæ sui & suffragatoris nostri volebant in- c d F signire privilegio.

ANNOTATA

a Provincia, *simpliciter pro particulari regione sumpta, est Gallia Narbonensis pars inter Rhodanum & Alpes maritimas sita: at latius hic sumitur, ita ut complectatur etiam primam Narbonensem, in qua sub Metropoli Narbonensi est Megalonensis Episcopatus, dein in Montem-pessulanum translatus.*

b *Ea vox antiquis significans frondosum hastile cujus in sacris Bacchi usus erat: hic pro cerea face accipitur; quam* Tortse *vulgus Flandricum, Gallicum* Torche *nominat; estque tractum ab eo quod* Intortitium *medii ævi scriptores vocant, eratque hastile ligneum cereo funali circumtorto vestitum: postea ad omne funalium genus vox eadem transiit.*

c *Colitur* S. Bertinus *monasterii fundator* 5 *Septemb.*

d *Sunt hi potissimum* S. Silvinus Episcopus, *cujus vitam* 17 *Februarii dedimus, &* S. Folquinus Episcopus Morinorum, *qui colitur* 14 *Decembris.*

CA-

AUCTORE JOANNE EX MSS.

CAPUT II.

Miracula varia in vita patrata.

16 Ceterum si quæ vivus miracula fecerit, non multum nobis est cognitum: quippe cum ipse, si quid tale fecisset, omnimode celatum esse voluisset. Si quis tamen diligenter quæ scripturus sum inspexerit, eum hanc ærumnosam vitam non penitus absque miraculis peregisse, facile poterit advertere. Quodam tempore succensa domo, in qua famulus quidam manebat, qui cum Sancto, dum ægrotos visitabat, comes ire solebat; Sanctus illuc, quasi pro amore famuli, advenit & mira celeritate incendium omne sedavit. Dum enim utensilia domus exportarentur, & domus, ut contra ignem defendi posset, jam detegi inciperet; omnes qui hæc agebant, ab incepto opere Sanctus jussit desistere, & per domum transiens, & signum Crucis super ignem exprimens, omne imminens periculum fecit conquiescere. Tua sunt hæc, Christe, opera, qui omni tempore per Sanctos tuos, quando vis & quomodo vis, tua facis miracula. Qui enim quondam de tuo persecutore fecisti tuum prædicatorem; tu nunc, Domine, de peccatore facis miraculorum perpetratorem: qui tres pueros in igne Babylonico illæsos à combustione custodisti; nunc quoque pro Sancti tui glorificatione hunc ignem mirabiliter extinxisti.

Incendium signo Crucis extinguit:

B

17 Alio quoque tempore quædam ex nostris velatis Sororibus, nomine Gertrudis, cum intolerabili cruris passione laboraret; vidit per somnium à Sancto crus suum signari, & sanitatem sibi restitui. Sequenti igitur die, cum mulier Sanctum invenisset, quid de eo viderit retulit: & ut cruri suo benediceret, humiles preces intulit. Illo autem hæc de se dici prohibente, & è contrario illa in precibus persistente; elevata tandem Sanctus manu, ægram signavit, & inter signandum ut eam Deus sanare dignaretur oravit. Visionem itaque comitante efficacia, mulier ab omnis incommodi convaluit molestia.

sanat contractam crure sanctimonialem,

18 Simili modo quoque homo quidam, Elbodo nomine, cum ex dolore cruris contractus pene fuisset effectus; vidit in visu, quod si Sanctus crus suum tactu manus & signo Crucis confirmasset, sanitas sibi reddi debuisset. Mirum in modum mox sopore finito, homo omnibus membris se alleviatum sensit: unde & quasi tutior de recuperanda salute ad Sanctum venit, & ut sibi secundum visionem suam facere dignaretur, devote rogavit. Ad hæc Sanctus, quia verecundissimus erat, primo contradicens, cum illum in petitione perseverantem videret, seorsum in secretum locum illum duxit: & crus nudum nuda manu pertractans, singulis locis ubi patiens dolorem acrius sentiebat, signum Crucis impressit; & ut Deus homini juxta fidem suam faceret subdens, eum abire permisit. Meritis itaque Sancti cum fide hominis operantibus, æger in brevi recte incedendi usum recepit: & ad omnia opera sua facienda, pristina virtute convaluit.

item alium contractum,

C

19 Item alio tempore quædam cephalicam passione sustinebat, quæ nec aquis nec pontibus appropinquare audebat: quippe si aliquantulum immobilis stetisset, vertigine capitis impellente necessario caderet. Hæc quoque in visu est admonita, ut Sancto caput suum signari faceret, & exinde sanitatem reciperet. Venit itaque ad Sanctum mulier, quia loquelam ejus nesciebat, per mulierem interpretem loquens, quid vidisset aperuit, & ut caput suum manibus illius adstringi & signari deberet oravit. Ad hæc vir Dei, ut erat jucundissimus, in vehementissimum risum prorupit, & se medicum, licet putaretur, non esse dixit. E contrario cum illa à precibus non desisteret, quasi per jocum puellam inter brachia arripuit, & amplexu unius brachii caput vertiginosum aliquantulum firmius astrinxit. In qua re quid aliud notandum: quia vir iste fomitem inanis gloriæ, popularem scilicet favorem, in quantum potuit vitavit; qui de se magna dici audivit & erubuit. Ne tamen iterum dum inanem gloriam devitaret, caritatem relinqueret; tam prudenter quod petebatur implevit, ut joculationis gestu hypocrisim declinaret, & benedictionis effectu sanitatem restitueret. Mulier itaque quod fideliter petiit, fugata omni vertiginis inquietitudine, efficaciter obtinere meruit.

& mulierē vertigine capitis laborantem.

D

per jocum amplexando sanat:

20 Alia quoque vice unus è famulis Camerarii nostri, Bricius nomine, è solario lapsus, & graviter læsus, lecto decubabat, pene de vita desperatus. Hunc cum vir Dei visitasset, & inter verba consolationis dum discederet signasset; mox signaculi effectum æger sensit, & paulatim cedente infirmitate in brevi perfecte convaluit.

item lapsum è lapsu:

21 Vere virum hunc Apostolis comparare potero, quem in miraculis eis similem esse perpendo. Res quippe, quam refero, in conventu ecclesiæ perpetrata, multorum testimoniis ad nostram cognitionem est perlata. Dum quadam vice, Dominica die, vir Dei in loco stationis suæ orationi intenderet, puellula in aquis suffocata, magno populi persequentis ejulatu, in templum affertur: quam ille, cum ad stationem suam illata fuisset, inter brachia sua arripuit, & tertio genu flexo tertioque super mortuam signaculo Crucis expresso, illa oscitare cœpit. Cito igitur super altare sanctæ Crucis, ubi prope statio ejus erat, reviviscentem deposuit: & quo secretius potuit, ne de inani gloria tentaretur, à conspectu populi se subtraxit: & in eodem momento, quæ paulo antea mortua fuerat, viva apparuit. Ecce alterum Helizæum video, quem in re consimili similia Prophetæ fecisse perpendo. Sicut enim Helizæus, dum supra defuncti pueri membra incumberet, vivum illum matri suæ reddidit; sic vir iste, dum mortuam inter brachia teneret, & cum Crucis signaculo super illam oraret, ad vitam revocavit.

puellam aquis suffocatam resuscitat:

E

22 Ex alterius quoque miraculi perpetratione, prædicti Prophetæ virtutem in hoc beato viro video renitere. Quædam siquidem mulier nota satis, Gerlindis nomine, morbo elephantiæ percussa, ab omnibus qui eam videbant, dicebatur leprosa. Jam enim in facie & nonnullis partibus corporis pestis lepræ, per deformia ulcera erumpens, se manifestabat: adeoque totum corpus interius & exterius morbo infectum erat, uti vix vel levem quemlibet manus tactum sustinere posset. Unum etiam brachium, in quo lepra magis apparebat, deformiter distortum erat, & manu per contractionem jugiter clausa ungues digitorum palmæ inhærebant. Quid dicam quod à lecto surgere non poterat, quæ in lecto sine alterius ministerio se non vertebat? Cum vero naturæ necessitas, ut à lecto deponeretur, exigebat: incomparabilem ægritudinem clamor miserabilis & ejulatus indicabat. His tamen omnibus cum molestius sustineret, quod leprosa dicebatur; quia de viri Dei virtutibus multa dici audierat, ad eum misit, & ut ad se venire dignaretur per internuntium rogavit. Ille vero vitandæ causa jactantiæ, ea vice ad eam venire noluit: sed quia in addiscendo psalterio occupatus esset remandavit. Tertio tamen die cum vir Dei ante domum illius transiret, & iterum ut eam visitaret rogaretur; quia tunc declinandi occasionem non habuit, rogantium petitioni acquievit. Ingresso itaque viro Dei domum, illa ulcerosas cicatrices & contractam manum & pedem ei ostendebat;

F

mulierem leprosam & contractam invisens;

AUCTORE JOANNE EX MSS.

A bat: & ut ab illius Sancti manu signari mereretur, rogabat. Ad hæc vir Dei, ut erat compatientissimus, benigne eam consolabatur, & ubicumque eum manus patientis ducebat, signum Crucis imprimebat. *signo Crucis mundat,* His ita gestis (sicut ipsius relatione, quæ hæc pertulit, mihi compertum est) mox omnes corporis maculæ evanescentes, cito redactæ sunt ad nihilum. Ecce comparationis similitudine non multum discrepante, quasi alter Helisæus Naaman à morbo suo curat, dum Deus per viri hujus meritum mulierem ab imminenti lepra liberat. De contractione tamen manus & pedis mulier tunc non convaluit; quam Deus in initio miraculorum Sancti sui, ut in sequentibus patebit, sub feretro mortui sanandam reservavit. Hoc tantum interim causa remedii obtinuit, quod digitos, qui carni infixi erant, à palma sejungere & movere poterat: quod, ut puto, futuræ erectionis præsagium erat.

23 Quadam die cum ad visitandos ægrotos pergeret, contigit, ut per agrum, in quo quidam rusticus triticum suum seminabat, iter ageret. *segeti incrementum procurat,* Cumq; vir Dei rusticum quid ageret interrogaret, & ille se seminare responderet; elevata Sanctus manu signum Crucis faciens, sementem benedixit: ubi postmodum, sicut asserunt qui rem diligentius consideraverunt, B tanta ubertas frugum crevit, quanta antea vix unquam ibidem crevisse potuit. Hæc de miraculis Sancti quæ vivus fecit summatim perstrinximus, multa quæ dicere poteramus propter incredulos prætermittentes; & nonnulla quæ diximus, propter fastidiosos abbreviantes. Si enim omnia scriberem, quæ de eo scribi possent; membranæ mihi prius quam verba de piis ejus actibus deficerent.

In linguas totus si vertar, vel mihi detur,
Ferrea vox, impar laudibus ejus ero.
Non Maro, nō Socrates, nō docta manus Ciceronis,
Digne Bernardi scribere posset odas.

CAPUT III.

Morbus: pius obitus: miracula.

24 Cum jam ultra constitutū terminum a quartum in pœnitentia annum Sanctus perageret, quidam religiosus vir vidit per somnium, eū Sacerdotalibus vestibus indutum, ecclesiam S. Bertini intrare, & tantam canentium & laudantium multitudinem subsequi, ut intra ambitum templi nequaquā omnes possent recipi. *ex visione alteri facta* Quid hoc signi portenderit post mortem suam melius ipse miraculis, quam ego scriptis, declarare poterit. C Hac visione vir Dei de se cognita, subrisisse fertur: rem tamen solicitius examinans, & ex hac vel alia secreta inspiratione de sua celeri vocatione non dubitans, *prævidet se brevi moriturum.* districtius quam eatenus fecerat, seipsum macerare deliberavit.

25 Veniente enim sacro die b Paschæ, pro reverentia quidem tantæ festivitatis per modica placenta, vel ut vulgariter loquar, c Flatonis delibatione quadragesimalē abstinentiam dicitur infregisse, *in Paschate modicam placentam delibat,* & numquam postea præter panem & aquam aliquid comedisse. Secunda feria cum jam infirmari cœperat, *feria 2 incipit ægrotare:* dietam suam in pane & aqua servavit: quatuor vero sequentibus diebus usque in Sabbatum creditur indubitanter vel omnino abstinuisse, vel si forte aliquibus cibis, non aliis quam prædictis, usus fuisse. Quinta feria, quasi vale familiari amico dicturus, prædictū. *feria 5 valedicit recluso:* Reclusum, quem juxta ecclesiam S. Michaelis manere diximus, adiit: & ut consueverat caritatis ei munus attulit: ibique inter extrema verba, dum amico valediceret, quod numquam antea fecerat, flevit; & quod numquam eum ulterius esset visurus prædixit. Unde constat virum hunc, inter cetera virtutum suarum insignia, spiritum quoque prophetiæ habuisse, cum appareat omnia quæ prædixit irrefragabiliter evenisse. Inter loquendum enim, dum adhuc cum Recluso esset, subitos & solito acriores infirmitatis insultus cœpit sentire, *vehementius æger,* adeoque totus contremiscere ut vix ad hospitium suum posset redire. Prævalente itaque infirmitate, vir Dei in suo nobili lectulo, qui pro plumis, ut diximus, acutissimis lapidibus stratus erat, se collocans, deficientes artus spiritui servire cogebat.

26 Secunda post hæc die, d Sabbato scilicet Paschalis hebdomadæ, ex familiaribus sibi escis pane & aqua paululum gustavit, *Sabbato panem & aquam ultimo gustat:* nullumque omnino postea corporalem cibum sumpsit; sicque, quod dictu mirabile est, usque ad diem decimum septimum jejunus permanens, cum ad mortem usque infirmaretur, omnia Ecclesiastica Sacramenta solenniter ei exhibuimus. Et primo quidem, ut moris est, Corpore & Sanguine illius, cujus ipse erat membrum, eum munientes; *extremis Sacramentis munitur:* & ut fortem athletam contra aëreas catervas pugnaturum, Oleo sanctificato unguentes, ad ultimum diu desideratum monachicum ei habitum circumduximus: si quid autem in eo culpæ erat, E hujusmodi infirmitatis austeritate omnino purgatum fuisse, *habitu monastico induitur.* cum jam ultimum exhalaret spiritum, aperta miraculi ostendit probatione.

27 Quædam fidelis mulier puerum suum, à pestiferis vermibus in collo perforatum, ad virum Dei *moribundus ægrum tactu manus sanat* adferens, & manu jam pene mortui loca infirmitatis tangens, statim ut domum rediit, puerum dormire fecit: quem post dormitionem diligentius intuens, extirpatis vermibus, sedatis inflationibus, nihil in eo maculæ nisi rubeas quasdam e liniunculas in collo reperit, quas in testimonium sanati morbi remansisse facile potuit advertere. e

28 Sanctus interim Bernardus, jam monachus effectus anno Incarnati Verbi millesimo, centesimo, *moritur an. 1182, 19 Apr.* octogesimo secundo, tertio decimo Kalendas Maji, Deo animam reddidit: & ut post apertius demonstravit, ad cæleste convivium cum Fratribus suis epulaturus intravit. More enim nostro indutus, & feretro positus, quia pœnitens, in exteriori parte ecclesiæ est relictus: ut ibi secularibus ad eum veniendi liber daretur aditus. *sub feretro contractus manibus & pedibus sanatur:* Nec mora, cum multi ægroti sub feretro tanti mortui sanandi jacerent, puer unus anno uno vel eo amplius contractis manibus & pedibus curvus, evidenti miraculo est erectus.

29 Mox in laudem Dei campanis concrepantibus, & Fratribus Te Deum laudamus devote canentibus, F novitas rei per villas & rura diffamatur, & concurrente tam Clericorum quam laicorum innumerabili multitudine, ab omnibus in præconium Dei conclamatur. Corpus quod in forinseca parte ecclesiæ paulo negligentius relictum fuerat, accurrentes qui aderant, devotis obsequiis adoraverunt; *vestimenta ex devotione auferentur:* & quasi pro reliquiis aliquid de eo habere volentes, pene omnia ejus indumenta discerpserunt. Unde propter violentiam vel Clericorum vel burgensium, corpus sanctum in chorum introducentes, nec ibi quidem securi fuimus; donec per vim eliminatis omnibus, quos in dolo excubare putabamus, soli vigilias nostras celebrare potuimus.

30 Sequenti die, cum solitas pro eo exequias agere deberemus, quia tanta utriusque sexus multitudo advenerat, *in exequiis adest maxima multitudo,* ut non solum intra ecclesiam, sed nec infra omnes monasterii officinas vix recipi possent; hoc quod fidelis vir, ut diximus, de eo viderat, jam impletum esse aperte ostendi poterat. Quis digne scriberet, quanta devotione mortui feretrum omnes osculari studebant? quanta fide corrigias vel quæli-

AUCTORE IOANNE EX MS.

quælibet sua indumenta super eum posuisse gaudebant? Quis, quæso, Rex vel Imperator tot devotissimos clientes ad exequias suas conducere posset, quot huic pauperculo & omni tempore vitæ suæ inter vilissimos reputato, ad serviendum etiam nimios esse videres? Glorificanda est in his omnibus Dei clementia, qui quasi de stercore etiam erigens pauperem, cum principibus populi sui apertis miraculis ostendit potentem sedere. Supra memorata enim mulier, Gerlindis nomine, notissima satis, & ab ipso in vita sua à lepra curata, & multis annis contracta, coram omnibus ibidem est erecta. *contracta sanatur.* Vix tandem officio Missæ peracto, metuentes ne propter tantæ multitudinis violentiam aliquid offendiculi contingeret, diem sepulturæ quasi in crastinum futurum simulando protelavimus: & sic partim populo imminuto, congruo honore corpus sepelivimus.

31 Sed quia nihil dignum de reliquiis ejus, visum venientibus ostendere poteramus, habito secretiori consilio, sepultum tumulo retraximus: loricaq; & cilicio & vinculis ferreis, quæ adhuc circa collum & corpus erant, cum magno reverentiæ timore eum exuentes; & corpus in aqua mundissima abluentes, infirmitatibus hæc ad remedium procuravimus; mirumq; in modum corpus, quod anteriori die ex squallore longæ infirmitatis aliquantulū sentiebatur corruptum, nunc cunctis aromatibus suavius redolebat, nive nitidius resplendebat. *sepulti corpus refossū suave olens invenitur:* B Quot infirmi gustu aquæ illius, vel deosculatione reliquiarum, vel dormitione juxta sepulcrum convaluerint, quis omnes rememorari, numerare, seu scribere poterit? *miracula quam plurima fiunt.* Vere, omni hyperbolica æstimatione remota, si omnia miracula, quæ vel ipsi vidimus, vel relatu fidelium virorum facta esse cognovimus, perfecte scribere vellemus; verborum prius quam miraculorum defectum incurreremus. Hic igitur, quia S. Bernardum præsentem vitā finisse audivimus, primam partem operis nostri fine claudamus: hoc à Domino postulantes, qui omnium electorum suorum finis est & consummatio, ut in die ultimo, laboris hujus & nostræ devotionis ipse fiat retributio. Amen.

32 Me, Bernarde, tibi Laudes persolvere cogit *laudatus ab odore,*
Dulce tuum nomen: quod quasi nardus olet.
Tu bene ver, versu dicaris tu quoque nardus,
Nam nobis spiras semper aroma novum.
Suavis odor tua vita fuit, mors auget odorem,
Succrescitque tibi laus in odore bono.
In vita nobis vitæ documenta dedisti, *ab exemplo dat,*
Sed Doctor vitæ nunc melioris ades.
C Illam nam vitam finiri morte necesse;
Sed qua nunc vivis, est sine fine manens.
Mira quidem vivus fecisti, sed modo multo *à miraculis.*
Plus miranda facis atque stupenda magis.
Das claudis gressum, das cæcis lumina, curas
Ægrotos, mutos promere verba facis.
Auditum surdis, extinctis flumine vitam
Restituis; quævis morbida membra foves.
Hinc cor, lingua, manus te laudet, cogitet illud,
Illa tuas laudes prædicet, illa notet.

EPITAPHIUM.

Hic bene pœnituit, quem Christus justificavit:
Hinc jam promeruit quod ei sine fine manebit.
Exemplar fidei fuit & virtutis imago,
Nunc hæres Christi gaudet de perpete regno,
Tresque decemque dies Majas in Aprile Calendas
Cernebant, sedes hoc accipiente paratas.
Debita dat mortis, cælestis præmia sortis
Accipit, eximiis Christi conjunctus amicis.

HYMNUS.

Cōmendemus nos Bernardo, pio patri, suavi nardo:
Qui redolens virtutibus, Promoveat nos precibus:
Ut ejus intercessio, nostra fiat promissio: D
Et Deus per hunc jugiter nos audiat salubriter.
Per hunc Patrem & Filium, laudemus & Paraclytū:
Ut qui est personis trinus, nos liberet Deus unus.

VOTUM AUCTORIS.

Hoc modicum qui fecit opus, rogat ut sibi detur,
Nominis interpres gratia diva sui.
Hoc vice mercedis à te, pie Sancte, requirit, f
Nominis illius finis f S, Ique caput.

ANNOTATA.

a *Cœperat hic quartus anno Christi* 1181, *mense Octobris: & in eo mortuus est, sed anno Christi* 1182.

b *Die* 28 *Martii cyclo Lunæ* 5 *Solis* 15, *littera Dom.* C.

c Flato, *Flandris* Flay, *quæ placentæ illis in Paschate sicut ova sunt usitata: notandum est autem, monachis Bertinianis æque ac toti olim oppido, communem fuisse usum Teutonicæ linguæ, qui adhuc in suburbio Altipontano perseverat, postquam urbs reliqua Gallice loqui cœpit. Patet hoc ex num.* 35 *lib.* 2 *ubi vocem Græcam* juxta Teutonicæ linguæ idioma interpretari *nititur auctor*.

d *Die* 3 *April.* e Liniunculæ *pro lineolis seu lineamentis*.

f Joannes, *habet primam litteram* I, *ultimam* S. *& significat gratiam*.

LIBER II. E

De miraculis B. Bernardi.

CAPUT I.

Miracula XXX *statim post sepulturam facta.*

1 Quoniam favente Domino de pœnitentia & miraculis S. Bernardi, quæ vivus vel in feretro jacens fecit, pro modulo scientiæ nostræ tractavimus; nunc ad ea miracula, quæ post sepelitionem ejus facta per eum esse cognovimus, stylum vertamus. *Miracula quotidie fiunt.* Sed cum quotidiana miraculorum perpetratio nondum me aliquantulum respirare permittat; hoc ad præsens sufficere puto, si genera infirmitatum & modos curationum summatim attitulare potero; ubi nonnumquam, ut miracula melius distingui possint, verba personarum in quibus curatio facta est, interserere delibero. Et quia pondus rei longe vires meas excedere video, auxilium mihi à Domino per tua, S. Bernarde merita mihi administrari deposco.

2 Quædam mulier in accessu febris furiosa, fugato morbo tranquillitatem mentis est adepta. *sanatur furiosa.* Etsi enim multi ex quartanis vel tertianis sint liberati, de hac tamen nominatim scribere volui, quia incomparabilis erat hujus infestatio incommodi. F Alia quoque mulier in castro S. Audomari, facie & infirmitate satis nota, quæ bis a ad S. Jacobum cæca ierat, ad Sancti sepulcrum venit; *item cæca,* & prædictas Sancti exuvias cæcis oculis apponi fecit; & quod nusquam per aliqua Sanctorum patrocinia obtinere potuit, fugatis oculorum tenebris ibi lumen recepit. Scurra b Hospitarii nostri, quatuor annis uno oculo privatus, Sancti exuvias super locum incommodi sui poni petiit & obtinuit. *cæcus altero oculo.* Nec mora, torsiones & punctiones quasdam pruriginis in oculo sentiens, manum sano oculo supposuit; excæcatumque aperiens, se vidisse asseruit: albugo, quæ oculum obtexerat, in modum pelliculæ divisa cessit, & in inferiorem oculi partem dilapsa, absque ulla gravedine latuit. Eodem quoque die quædam mulier, in latere uno paralytica, solidata dissolutione membrorum, est sanata. *paralytica.*

3 Non multo post quidam ex castello, quod dicitur Mons-falconis c, aquatico humore terribiliter turgidus, cum S. d Thomam in Angliam adiisset, nec convaluisset, & in præceptis medicorum nihil utilitatis comperisset; *hydropicus,* statim postquam de prædicta aqua bibit, & secus sepulcrum dormivit, mirabiliter gracilis coram

A *contracta,* coram omnibus apparuit. Duo etiam Scoti, sexu & genere infirmitatis disparati, incolumitati sunt redditi. Fæmina contracta erigitur: vir chronica passione diu vexatus, melius se habere experitur. In utriusque autem curatione Sancti merita plurimum deberemus commendare, si non aliorum multitudo miraculorum nos cogeret brevitati studere. Mulier enim dum ad sepulcrum dormiret, vidit albatos viros corpus Sancti in feretro ferentes: quæ aliquid ex vestibus, unde feretrum tectum erat arripere conata est, & in ipso conatu expergefacta, pedibus paralyticis insiliens est erecta. *alius decumbens ex fistula,* Vir autem morbo illo, quem physici fistulam vocant, expositus erat, &, ut dictum est, chronica infirmitate lecto decubuerat: qui contra utrumque incommodum, Sancti meritis gavisus est se percepisse remedium.

4 Interea Dominus Abbas, à negotiis suis domum rediens, & de his quæ gesta erant, supra quam dici potest gaudens; *Abbas in somno videt sepulcro inscriptos versus:* cum Sancto honorificum sarcophagum facere disposuisset, sequenti nocte se Sancti sepulchro astitisse per somnium vidit, miræque pulchritudinis lapidem desuper jacere; in quo ultra modum radiantibus litteris duo versus scripti fuere, quos se dicit toties legisse, donec eos in hunc modum commendaret memoriæ.

Formam Virtutis tegit hic lapis atque salutis,
Virtus Bernardi cunctis redolet vice nardi.

B Hoc autem non tam somnum quam miraculum fuisse, qui de visione non dubitat, facile poterit conjecturam habere. Rem mirabilem non minus miranda subsequitur. Cæmentarius enim ad inquirendos lapides, unde Sancti sarcophagum faceret missus, competentes satis operi & electiores, quam alicubi in hac terra posse inveniri credidit, in prima telluris apertione invenit. *lapis sepulcralis prægrandis facile movetur:* Dum autem major lapidum, quem vix quindecim homines levare possent huc adveheretur, in itinere pene à curru deciderat: quem suo loco reponere duobus famulis, qui currum regebant, per Sancti merita non fuit difficile. Uno enim illorum ad villas propter adjutores currere volente, alter, quia Sancti lapidem ducebat, de ejus auxilio præsumens, hoc fieri prohibuit, & cum socio ingentem molem accipiens loco suo restituit.

5 Homo quidam ex oppido *e* Bergis filiolum suũ, *e sanantur, puer æger,* nescio qua infirmitate oppressum, huc afferens, licet eumélioratum sentiret, de integra tamen sanitate diffisus ac domum reversus, cum puer de die in diem melius convalesceret, pater pro filio quem sanum recepit, ferreum puerum Sancto remisit. *paralytica,* Quædã mulier, in uno latere adeo paralytica, ut partim curru, partim C nave se huc advehi fecisset; statim ut ex sæpe dicta aqua bibit, sicut ab ore ejus ego ipse audivi, visum est ei potionem illam omne latus suum circumire, & quasi pruritũ quemdam faciendo insensibilibus mẽbris sensum restituere; sicq; cum paululum juxta sepulcrum obdormisset, adeo sanata surrexit, ut pedibus remearet propriis, quæ advecta fuerat alienis. *hydropica,* Alia quoque mulier, hydropico humore male impugnata, potu salutaris aquæ medicata, naturalem gracilitatem est adepta.

6 Filia cujusdam hominis de vico circa *f* Casletũ, septem ferme diebus nescio quo infortunio excæcata fuerat: quæ ubi iter suum ad S. Bernardum promisit, statim meliorari cœpit. *cæca,* Cum ergo in itinere ductores adhuc nil pene videntis, templum S. Bertini se videre dicerent, & Sanctorũ ibi quiescentium auxiliũ invocarent; aperiens cæca oculos, templum quod nominari audierat, vidit, & manum illo tendens, si illud esset, inquisivit. Admirati omnes qui aderant, & in fletum præ gaudio prorumpentes, cœptum iter peregerunt: & debitas gratiarum actiones S. Bernardo Sanctoq; Bertino persolventes, hæc nobis tali ordine retulerunt. Et quia hoc in die *g* elevationis S. Bertini factum fuisse recolo, considerans rei ordinem, salvo tamen honore S. Bernardi, S. Bertinum hic cooperatorem esse non ambigo. Et ut miraculi veritas melius patesceret, dicitur quod tertio post hæc fuerit excæcata, semper ad sepulcrum reilluminata. Quædam rursus mulier ad Sanctum secrete veniens quæ esset, quidve pateretur nulli confiteri volens, quia per Sancti merita quod quærebat obtinuit, sequenti die cereos subtulares Sancto remisit.

AUCTORE IOANNE EX MSS.

g

7 De *h* Archas item mulier, contractis cruribus *h* ex multo tempore clinica, *clinica,* vidit per somnium Sanctum lecto suo astitisse, & de recuperanda sanitate spem promittere; effectu autem visionem prosequente, altera die vidimus mulierem, ad reddendum Sancto gratias, lætam & incolumem huc advenisse. Duæ mulieres, quarum altera manus horribiliter inflatas habebat, altera quadam jugi infirmitate laborabat, ad sepulcrum Sancti sunt sanatæ. Hæc pro curatione manuum; quia pauper erat, & manifesta ejus infirmitas, nil nisi gratias obtulit; illa in testimonium sanitatis Sancto baculum suum reliquit. *i æger biennio,* Homo quidam, de vico qui dicitur *i* Frutine, duobus annis lecto ægrotans decubuerat: qui cum adeo melioratus fuisset, ut duobus fultus baculis qualitercumque incedere valeret, ad S. Thomam iter arripuit; & licet laboriose, tamen eo usque pervenit. Sed quia nullam ibi æger E meliorationem obtinere potuit, quod scriptum est, honore invicem prævenientes, *Rom. 12, 10* Sanctos quoque observare puto; dum S. Thomas suum peregrinum sanare noluit, quem à suo collega S. Bernardo sanandum esse præscivit. Æger itaque, quasi jam desperans, domum rediens, cum S. Bernardi nomen sicut oleum effusum late odorem suum spargere cœpisset, divertit ad Sanctũ, qui sanari indigebat: miraq; velocitate, ubi debitam Sancto ex more reverentiam exhibuit, divinam virtutem in se operari sentiens, abjectis baculis ambulare cœpit. *hydropicus puer,* Puer aquatico humore mirabiliter turgens, ad Sanctum venit: qui mirabiliter à Sancto se visitatum esse sua gracilitate ostendit.

8 Mulier de castello quod, ut superius dixi, Falconis mons dicitur, *cæca uno oculo, & magnos in eo dolores passa,* quatuor fere annis uno oculo nihil viderat. Hæc nuper partu liberata, lecto, ut moris est, decubabat. Cum interim dolore oculi solito gravius eam urgente, S. Bernardi miracula de die in diem gloriosius prædicari audiebat. Elevans itaque de lecto, ubi quasi pagana jacebat, ad cælum manus suas, ad Sanctum se adituram mox, ubi more parientium sanctificata fuisset, promisit; & ut à Deo preces suæ admitti possent, Sancti patrocinio affectuosius com- F misit. Interea in oratione persistens, cum non multo post paululum videre cœpisset; statim, ubi more suæ purificationis peregit, ad Sanctum una cum viro suo ut devoverat venit: quæ ubi Sancto suam reverentiã exhibuit, adeo clare quam unquam antea viderat se videre dixit. Alia quoq; mulier de *k* Bourbourg multo tempore incurabili dolore aurium laborabat, *k alia à verme aurem ingresso.* in tantum ut per vices & maxime tempore novæ lunæ pene extra semetipsam fiebat. Causa autem hujus doloris erat pediculus ovinus, quem Grammatici *l* usiã quasi ab urendo vocant, qui casu aurem dormientis intraverat, & nullatenus vel artificio quolibet vel medicina extrahi poterat. *l mirabiliter liberatur.* Sed ut probaretur Deo nihil esse impossibile, ubi de sæpe memorata aqua auri suæ ægra imposuit; sequenti nocte cum juxta sepulcrum dormiret, vermis divina quadam virtute ab aure eliminatus egreditur: & per brachium descendens, manum dormientis ingreditur. Mirumque in modum vermis gradiendi licentiam non habuit, donec mulier expergefacta hostem suum invenit, inventumque interfecit. Sicque cum nihil amplius

AUCTORE JOANNE EX MSS.

plius doloris sentiret, facile dignoscere potuit, quod vermem, qui eam indesinenter vexaverat, interfecerit.

hernia laborans. *m*

9 Famulus de quodam rure; quod *m* Energhem vocatur, circa verenda diruptus; materia ruptionis erumpente, cum propter nimium tumorem coxas ad ordinate ambulandum combinare non posset, hoc se voto astrinxit: ut si Sancti meritis convaluisset, numquam de cetero vestem ferret, quæ more secularis fastus subterius incisa esset, quodque quousque viveret semel in anno Sanctum orationis gratia requireret. Ad Sanctum itaque ut devoverat venit, humiles preces profudit, & quod constanter petiit efficaciter impetravit. Nam cum paululum ad sepulchrum orasset, manum inguinibus, dolorem suum, ut consueverat, palpaturus, apposuit: & quod auditu mirabile est, nullum tumoris vestigium invenire potuit. Rem hoc ordine gestam ille, qui incommodum sustinuit, cunctis audientibus retulit. Sciant igitur quicumque hæc legerint, me nil omnino scribere, quod non vel ab his qui curati sunt audivi, vel ex eorum relatione, qui rem se optime scire asseruerunt, comperi. Eo tempore venit homo duo cerea crura offerens, qui affirmabat duabus ferme hebdomadibus quadam passione irremissibiliter se laborasse, ita quod juncturas poplitum suorum crederet aut dissolutas esse aut penitus emarcuisse. At vix quod Sanctum requireret, devovit, & statim meliorari cœpit. Et quia, quod integram sanitatem recepit, ipsum qui dolorem sustinuerat referre audivi, hoc scripto commendare justum putavi.

contractus poplitibus,

B

misere cruribus fractus,

10 Eodem tempore homo quidam de Casleto, Gerardus nomine, ad Sanctum venit: per cujus crus duobus fere annis transactis currus transierat, quod ita ossibus demolitis emarcuerat, ut mallet crus penitus abscissũ fuisse, quam sua in medicos tam inutiliter expendisse. In duobus fulcris subnixis vix ad sepulcrum usque pervenire potuit: sed ibi nonnullis qui aderant audientibus, crure quemdam sonitum fragoris reddente, quod quasi solidationis nervorum & ossium indicium fuit, æger abjectis fulcris surrexit: ac divina virtute se sanatum esse recte incedendo monstravit. Quidam homo de *n* Bethune nuper videndi usum amiserat: qui cum ad S. Thomam pro illuminatione sua fuisset, auditis S. Bernardi miraculis, ad eum divertit; & Dei miserante clementia, ipso die quo primum miraculum contigit, pristinum oculorum officium recepit. Post hæc secundo die duo homines, quorum alter de *o* Drincham, alter de *p* Tardinghem erat, ambo non nisi cum *q* crucis incedere valentes, ad Sanctum venerunt. Hi dum ad sepulcrum sederent, emendationis auxilium se sensisse dixerunt: idque relictis ibi in signum baculis suis, verum esse probaverunt. Sequenti die mulier, tribus annis & eo amplius loquelæ suæ & unius lateris impotens, dum à S. Thoma aliquantulum emendata rediret; si quid imperfectæ emendationi meritis S. Bernardi superaddi potuisset, tentavit: & huc decurrens, secundum fidem suam quod petebat obtinuit. Nam ego eam & satis distincte loquentem audivi: & ut satisfaceret incredulis, manum, quæ paralytica fuerat, volubiliter satis movere & capiti suo supponere vidi.

n caecus, *o* *p q claudi,*

C

muta & contracta latere,

caecus altero oculo,

11 Homo quidam in nemore nescio quid agens, ictu rami in oculo percussus, unius ferme mensis spatio ejusdem oculi officio fuerat privatus. Ad Sanctũ veniens, cum multotiens ore & oculis sepulcrum deosculatus fuisset, & loca læsionis ex pulvere sepulcri perfricasset; statim egrediens, inventis ante fores templi mercatoribus, chirothecas emit; ibique quod emerat diligentius intuens, lumen amissum se recepisse intellexit. Per idem tempus venit ad Sanctum homo mutus, qui mira devotione, nunc sepulcrum amplectendo, nunc terram ejusdem sepulcri comedendo, interdum etiam de sæpe memorata aqua bibendo; cum uno die misericordiam Dei ibidem expectasset, per divinæ virtutis præsentiam tali modo amissam adeptus est loquelam. Sedens ad sepulcrum dum manus & oculos ad Sanctum dirigebat, sanitate redeunte, divinæ virtutis potentiam non ferens, pallidus & tremulus super sepulcrum cecidit; & inter cadendum, soluto linguæ vinculo, S. Bernarde adjuva, tertio clamavit: sicque paulatim melius loqui incipiens, unde fuerit, quidve sustinuerit, quidve nunc Sancti meritis obtinuerit, coram omni populo retulit. Dicebat enim se esse de Castelio, quod dicitur *r* Lucheu: ubi cum ante annos septem molendinum quemdam servaret; quadam nocte per somnium subita horripilatione percussus, omnium membrorum officio fuerat destitutus: cito tamen passio illa, relictis membris, ad guttur & superiora se collegit, loquendique instrumenta tam præcipitanter hebetavit, ut vix mense decurso penitus obmutesceret. Astantibus quoque nonnullis, qui eum mutum fuisse cognoverant, addebat adhuc ille, ut melius agnosci posset, quod omni tempore, quo mutus extiterat, curiam Comitis *s* de S. Paulo prosecutus fuerit, ibique infelicem vitam utcumque sustentaverit: plus autem necessitate quam voluntate se hoc fecisse dicebat, tum quia ex labore vivere non poterat, tum quia mendicandi instrumentum amiserat.

D *mutus,* *r* *s* E

t puella submersa revixit, *u*

12 Sequenti die venerunt à vico, qui dicitur *t* Cappella, vir quidam & uxor ejus, suam Sancto filiolam afferentes, quam dicebant submersam fuisse, sed meritis Sancti revixisse. Præterita enim *u* Dominica, ut dicebant, interim dum ad Sanctum venerant, contigit, ut filia eorum à famulâ domi dimissâ neglecta, sola juxta aquam luderet & intus caderet; nulloque præsente, qui auxilium ferre posset, suffocata expiraret. Reversis interea parentibus quæstio de filiola oritur: & cum non inveniretur, foras quæri jubetur. Egressa igitur ad requirendam puellulam famula, primo cum eam in aqua submersam videret, canem vel morticinum aliquod existimans; ei qui aquam immundam fecisset maledixit; & ut illud immundum extraheret, aquæ insiluit: & propius accedens, pedem puellæ desuper apparere vidit: quem ad se attrahens, illam quam quærebat puellulam esse cognovit: magnoque ejulatu famula inclamante, pater & mater occurrunt, tristique eventu cognito per immoderantiam doloris in calumniam Sancti prorumpunt, O S. Bernarde, dicentes, talemne à te peregrini tui mercedem recipiunt? Si quid potes redde filiam nostram, quam abstulisti: alioquin non solum nos te omni reverentia indignum dicemus, sed omnes juxta posse nostrum à tua veneratione retrahemus. Non se avertit Sancti pietas à mœstorum petitionibus: quos etsi per dolorem contigerit indiscrete fuisse locutos, sciebat tamen Sanctus nihil per dolum esse calumniatos. Circa mediam denique noctem parentibus corpusculum exanime ut calefieri deberet fricantibus, & ex insperato levem cujusdam venæ in collo pulsum sentientibus, cum auxilium Sancti quasi jam præsumptuosius invocarent, regrediente anima mortua respirare cœpit, & circa gallorum cantum viva apparuit. Hujus rei gratia cum parentibus, qui puerum suum ad Sanctum attulerunt, Deo Sanctoque ejus gratias referamus, & ut semper suam ergo nos misericordiam amplificet, deprecemur.

C

F

ANNOTATA.

a *Scilicet Compostellam, in Hispania, ubi corpus ejus quiescit.*

b *Quam*

A b *Quamvis Audomarenses, ut dictum, Teutonica uterentur lingua, habebant tamen eidem admixta multa vocabula Gallica seu Francica, uti & reliquæ urbes Flandricæ Walonibus finitimæ: horum unum est* Garzoun, *etiam Brugis usitatum, à Francico* Garzon, *quod hic scurra vertitur; quasi Latinæ vocis æque ac Francicæ indifferens esset significatio:* puerum *seu* famulum *significari intellige.* Hospitarius *autem, est qui alibi* Curator hospitum.

c Mons Falconis, *vulgo* Faucqueberg, *prope Rentiacum oppidum.*

d *Hic est S. Thomas Archiepiscopus Cantuariensis & Martyr, ob plurima miracula celeberrimus, occisus anno* 1170, 29 *Decemb.*

e Bergas S. Winoci *intellige in Flandria, Audomaropoli distantes circiter sex leucis.*

f Casletum *situm in edito monte oppidum, intervallo fere trium leucarum.*

g *Elevatum est corpus S. Bertini 2 Maji anno* 1052. *Erat autem ob obitu B. Bernardi dies* 14.

h Archas, *aliis* Arques, *haud procul Audomaropoli versus meridiem.*

i *An* Fruges, *media inter Audomaropolim & Hesdinium via circa ortum Lisæ?*

B k *Distat fere horis quinque, alias* Brouckborg, *versus mare.*

l *Quinam illi? Plurima habemus Glossaria MSS. interq; ea Bertinianum unum: nihil tamen simile uspiam reperimus.*

m *Nullum vicum* Everghem *reperiens in vicinia, dubito an recte scriptum nomen; & num forte legendum sit* Ereghem *vel* Ebbelghem, *quorum hoc duabus ad orientem, istud quatuor fere leucis ad septentrionem Audomaropoli abest.*

n Bethune *Munitum Artesiæ oppidum, pari sex leucarum intervallo hinc Audomaropoli inde Duaco distans.*

o Drincham *in agro Bruckburgensi, in confiniis territorii Bergensis.*

p Tardinghem *in Comitatu Bononiensi versus Comitatum Ghisnensem; est & aliud* Tardinghem *prope Casletum.*

q *Ita furcas subaxillares vulgo appellant Flandri ac ceteri Teutones.*

r Leucheu *in Picardia, prope* Dourlens *oppidum.*

s S. Pauli *oppidum in Artesia est, media fere inter Audomaropolim & ambianum via: qui eum Comitatum tunc obtinuerit non vacavit operosius indagare.*

C t Capella *in Tirascia ad confinia Hannoniæ, inter Vervinum & Avesnas; vulgo* la Chapelle: *sed quia vicus appellatur, suspicari merito possumus locum, Audomaropoli viciniorem intelligi; quales chorographica Cassellensis territorii tabula plures exhibent, sed fere cum addito; præter vicinissimum unum duabus ab Audomaropoli Leucis, qua dividitur via hinc veniens, & una quidem sui parte Casletum altera Belliolum ducens; qui* Cappel *dicitur.*

u *Prima post Betnardi sepulturam Dominica fuit* 25 *Aprilis & festum S. Marci: qua accidisse hoc miraculum probabile est, eo magis quod credibile sit, primum festivum diem à parentibus captatum ad novum Sanctum honorandum.*

CAPUT II.

Alia XX miracula. Malevoli & blasphemi in B. Bernardum puniti.

13 Homo in castro S. Audomari, quinque annis jugi cruris dolore vexatus, eo tempore quo mercatores ad a Provin pergere solent; quia ex eadem arte & eodem loco victum suum quærere indigebat, & impediente infirmitate non poterat; ad S. Bernardi auxilium confugiens, hoc se voto astrinxit, ut si opitulante Sancti clementia mercatum suum prosequi posset, auxiliatoris sui de cetero servus existeret. Insuper etiam cum rediret, Sancto crus ferreum afferret. Mirabili modo, sequenti die, homo, qui jacebat clinicus, surrexit, & ad mercatum suum sanus ivit & redivit; & ut promiserat, Sancto ferreum crus attulit. Duo etiam paralytici eodem die sunt curati; de quibus ut breviter loquar, alter eorum erat pedibus debilitatus, alter omni corpore tremulus. Homo quidam de Bourbourg tribus annis quamdam perpetuæ noctis imaginem sustinuerat: quippe qui non nisi solem & clariora quælibet videre poterat. Is cum pro illuminatione sua multa Sanctorum loca adiisset, nec precibus suis effectum impetrasset; tandem ad S. Bernardum venit, & lumen pene amissum in pristina claritate recepit.

Sanatur miles cruris dolore vexatus,

AUCTORE JOANNE EX MS.

2 paralytici,

aliquis pene cæcus,

14 Juvenculus quidam de civitate, quæ dicitur b Ulterius-Trajectum, in obsequio cujusdam hominis in has partes advenerat: qui quoniam nuper contractus effectus fuerat, à domino suo abjectus, in quadam villa juxta mare utcumque degebat. Is super genua cum baculo incedens, & miserabiliter curvus ad Sanctum venit; & passione, quam sex hebdomadibus sustinuerat, est liberatus. Mulier quædam de c Blaringhem tribus annis satis contracta extiterat: quippe in renibus & cruribus adeo debilis erat, ut aliquando non nisi adjutorio mariti vel puerorum suorum à lecto surgere posset; aliquando infirmitate aliquantulum sedatâ, super genua acclivis & procurva cum baculo incederet. Hæc ministerio mariti sui huc adducta, Sancti meritis sanitati reddita, propriis pedibus domum est regressa. Eodem die hominem de Witsant, qui sedecim annis infirmitate renum vexatus, pene omnino incedere non poterat, Sancti pietas sanitati reparat. Hic sine nostra licentia domum reversus, post aliquot dies gravius quam prius infirmari cœpit: qui hoc peccatis suis imputans, quod Dominum de sua curatione laudari non fecerat, consultu Presbyteri sui rediit, & perfectius quam prius convaluit.

b contractus membris,

c contracta cruribus & debilis in renibus,

E

d dolore renū vexatus annis 16.

15 Puerulus cujusdam hominis de Bourbourg, dum mater ejus panes coqueret ad furnum, ut tortellum rogaret, per ludum, ut fieri solet, missus, in aquam cecidit, & nullo præsente qui auxilium afferret, suffocatus expiravit. Cum igitur post duas fere horas puer in aqua inventus fuisset, & adhibitis ei omnibus, quæ circa submersos agi solent, nihil in eo vitæ appareret, parentes Sanctum invocantes, hac se promissione adstrinxerunt; ut si puer eorum resurgeret, eum Sancto offerrent, & rationabili æstimatione juxta modum divitiarum suarum à Sancto resuscitatum redimerent. Mortuum itaque post paululum respirare senserunt: & quod S. Bernardus, quem invocaverant, in auxilium suum advenisset, aperte animadverterunt. Puerum igitur, cum ex læsione aquæ convaluisset, parentes ad Sanctum attulerunt, & ut voverunt sibi eum redemerunt. Sacerdos de e Surkes novem fere mensibus transactis à paralysi percussus, omnium membrorum officio fuerat destitutus, &, quod adhuc gravius sustinebat, loquelam pene omnino amiserat. Hic semel ad Sanctum venit, & meliorari cœpit. Venit secundo, & iterum augmentum sanitatis sensit. Venit tertio, & plenissime convaluit. Cujus rei veritatem multi tam Clerici quam laici recognoscunt, qui Presbyterum pene mutum & omnibus modis tremulum fuisse sciunt, quem nunc bene loquentem & satis fortem obstupescunt.

Submersus puer resuscitatur,

F

& B. Bernardo oblatus redimitur.

Sacerdos à paralysi liberatus, & pene mutus loquelam recipit,

16 Matrona illa, quæ Sanctum hospitem habere meruit, Ogina nomine, ex Reliquiis Sancti pileum & caligas & multa alia, in quibus sanctitatis aliquid esse credebat, ob memoriam tanti hospitis sibi reservaverat. Ex quibus reliquiis multa miracula facta esse audivimus, & ut diligens lector

ex

AUCTORE IOANNE EX MSS.

ex paucis plura intelligat unum eorum hic advertimus. Mulier quædam crus inflatum & ulcerosum & in modum *f* lanternæ perlucidum habens: quia infirmitatem suam viris ad sepulcrum revelare erubescebat, ad matronam venit; & ut ex prædictis reliquiis cruri suo aliquid apponeretur, devote oravit. Accipiens ergo matrona Sancti caligam, mulieris ulcerosum crus ex ea involvit: qua statim retracta, omnis inflatio disparuit, & cutis ex vitio morbi perlucida, ad similitudinem ceteræ carnis est redacta. Pileum quoque Sancti quicumque febricitans super caput suum semel habere meruerit, statim à febre convalescit. Multa præterea in longinquis partibus, nobis absentibus, in ignotas personas miracula facta esse fidelis quilibet dubitare non debet. Retulit enim nobis Clericus quidam de Casleto, quod mulier quædam vicina ejus, quam multo tempore paralyticam noverat, Sancti meritis nunc incolumis perseveret. Hæc ad Sanctum venerat, sed antequam sanaretur perfecte, redierat; paulatim tamen infirmitate cadente, ut asserit Clericus, nunc de perfecta sanitate exultat.

f Crus inflatum attactu caligæ curatur,

sanantur paralytica mulier,

B

17 Ab oppido Bergis allatus est ad Sanctum puer: quem cum jam ætas ad recte incedendum roboraret, infirmitas paralytica contraxerat: quodque adhuc in eo turpius erat, collum ejus retro supra humeros distortum pendebat. Hac necessitate compulsi parentes, ad S. Bernardi auxilium se contulerunt; & quod puerum suum adhuc adferrent, promiserunt. Ut igitur probaretur non esse localem tanti advocati potentiam, Sancti pietas devote se invocantes prævenit: & antequam puer huc adferretur, quod morbus in eo vitiarat, divina medicatio reparavit. Unde quod multorum relatione comperi, verum esse apparet: quod scilicet quicumque in angustia vel infirmitate aliqua Sanctum invocaverunt, etsi huc aliqua necessitate impediente venire non possunt, Sanctus tamen se ab eorum auxilio non subtraxit.

puer paralyticus, & obtorto collo laborans,

18 Quanta autem miseratione & compassione Sanctus ad se venientibus subvenit, quodam tempore tali miraculo demonstravit. Cum ad sepulcrum ejus multi ægroti jacerent, & plures honesti viri, abjecto divitiarum fastu pauperibus permixti, pari devotione ibidem misericordiam Dei expectarent; Frater vinarius, hospitibus de vino serviens, ultimam pene ollæ suæ effusionem egenis direxit: quod multiplici & mirabili usura in Sancto recepit. Ut enim asserit Frater ille, cum post paululum de eadem olla vinum aliud afferre vellet; vas, quod pene vacuum putabat, usque ad diffusionem plenum invenit. In hoc miraculo jure Sanctum istum B. Helisæo comparandum esse puto: quia sicut ille viduam à creditore suo cum filiis suis abstrahendam misericorditer liberans, quotquot mulier habebat vasa divina virtute implevit; ita Sanctus iste vinum, quod suis ægrotis distributum fuerat, multipliciter reddidit. Femina de *g* Helchy tribus *h* gibbis in renibus & innaturali tumore ventris non modicum dehonestata, dum ad Sanctum veniret, ex fatigatione itineris aucta infirmitate, duæ vesicæ, parum gibbis dissimiles in quantitate, ei super inguina crevere. Sed Deus qui propter se laborantes multiplici mercede remunerare consuevit, laborē & devotionem famulæ suæ satis largiter remuneravit: in qua meritis Sancti sui non solum gibbos renum & ventris tumorem sedavit, sed etiam ortas noviter vesicas ad nihilum reddegit.

Vinum peregrinis dari solitum divinitus augetur.

C

g h varii corporis tumores curantur,

19 Sed necdum antiqua Judaicæ infidelitatis rabies quievit, & vetus Pharisæorum fermentum in calumniam Christi multos adhuc corrumpere non desinit. Fuere enim nonnulli, qui divina miracula in malignam partem interpretari non timuerunt, & nullam Sancto reverentiam exhibentes, hæc non in Christo sed in Beelzebub facta esse dixerunt. Quid autem uni ex calumniatoribus Sancti acciderit, ad terrorem malefactorum, laudem bonorum, hic interserere mihi non videtur inutile: & quia fomitem hujus calumniæ Sancto adhuc vivēte initium sumpsisse cognovimus; rem, prout fidelium vivorum relatione comperimus, seriatim referamus. Cum quadam nocte Sanctus adhuc vivens solus per villam iret; tres juvenes curiositati & elationi operam dantes, eum invenerunt, inventumque, quia ebrii erant, graviter calumniantes, vestibus suis eum exspoliare voluerunt. Adhæc vir Dei pedibus eorum advolvitur, & ut absque opprobrio abire posset, humillime deprecatur. Illis autem per preces flecti nolentibus & à vexatione insontis non desistentibus, vir Dei tres quos forte habebat nummos proferens, & eis tribuens, quod precibus & humilitate obtinere non potuit, vili satis pretio gulosorum insaniam pacificavit. Sed divina ultione injuriam famuli sui non parvi pendente, duo illorum non multo post, ut dicitur, improvisa morte interiere. Tertius vero, Wilhelmus nomine, de quo nobis hic sermo, in nequitia sua perseverans, malignitatis opera augere non timuit. Post hæc enim quadam die, dum stultus ille puerum de quodam ponte in aquam præcipitare vellet, vir Dei qui forte ibi aderat, inter dissidentes se medium objecit, & stultum illum, ut pro Dei & suo amore à læsione pueri desisteret, humiliter rogavit. Ad hæc ille, utpote semper ebrius, indignatione & elatione plenus, virum Dei satis irreverenter à se abiecit, & ut decreverat, innocentem puerum aquæ iniecit. Nec hoc maligno illi sufficere potuit, sed sanctæ Trinitati contrarius, tertium malignitatis suæ opus implere voluit. Alia quippe vice, cum stultus ille in taberna ebrius sederet, contigit virum Dei ibi transitum facere; quem ille vi introducens, vinum, quo omnino decreverat abstinere, eum bibere coëgit: & quod stulto magis adhuc timendum erat, irrisionem de viro Dei facere non formidavit. Necdum tamen compungi potuit stulti pertinacia, sed quem mortalem in derisum habuit, impune quoque jam immortalem se posse deridere credidit. Cum enim Sanctus, jam miraculis coruscans, in feretro adhuc inhumatus jaceret; quia omnis fere civitas ad exequias tanti Sancti mortui collecta erat, ille quoque stultus cum quibusdam sociis suis, plus curiositatis quam venerationis causa, illic advenerat. Omnibus autem debitam Sancto reverentiam & obtentu sanitatis corrigias vel quælibet sua indumenta super feretrum projicientibus; solus ille miser, in sordibus constitutus, & adhuc sordescere volens, injustitiam parturiens, concepit sibi dolorem & peperit iniquitatem. Nam cum tacita cogitatione Sanctum blasphemaret, & quod ipse plus mortuo quam mortuus ei conferre posset, maligno corde diceret; cælesti quadam ultione percussus, subito totus contremiscere cœpit; & præ angustia, sudore ex omnibus membris ejus undatim profluente, vix pedibus consistere potuit. Et licet miser ille peccatum suum jam manifestum esse sciret, & jam pro vindicta sceleris sui mori se vel subito debere contrahi timeret; non tamen de reatu suo veniam postulavit: sed confusionis & dedecoris plenus, celeriter fugam inivit.

D

tres juvenes ebrii injuriâ Bernardi viventi inferunt:

horum duo morte subitâ extinguuntur:

E

tertius qui iterum Sanctum illuserat

& vinum bibere coëgerat,

dum in exequiis B. ejusdem blasphemat,

F

contremiscit & sudore opplettur,

22 His ita gestis, cum quadam vice aliqui sodalium sæpe memorati miseri ad Sanctum venirent, & ut cum eis veniret rogarent; ille ne de culpa sua detegi & confundi posset, suasionibus illorum assensit: sed quia nondum vere pœnituit, cum ad illud interius templi ostium, per quod secularibus ad Sanctum aditus patet, pervenit; intrandi licentiam non habuit. Simulata itaque ante ostium privata necessitate,

arcetur [illegible] ingressu templi:

A tate, confusus quidem ac tristis abscessit: sed ad modicum compunctus, absque pœnitudine adhuc in peccato remansit. Simili quoque modo secundo ad Sanctum venire voluit, & nec tunc prædictum ostiũ intrandi licentiam habere potuit. Tertia quoque vice, dum ad Sanctum venire vellet, nec ecclesiæ quidem B. Bertini appropinquare potuit: sed dum in atrio nostro, inter templum S. Martini & domum illum, in qua Sanctus adhuc in hac vita constitutus manserat, miser ille transiret: subito adeo intremuit, ut ibidem statim se fore contrahendum timeret. Sicque justo satis judicio factum est, ut qui tertio adhuc mortalem in honeste tractaverat, toties quoque ab immortali dehonestari debuisset. Quarta vero vice, dum miser ille juxta fererrum mala cogitaret, tanto citius & severius injuriam suam Sanctus vindicavit, quanto quod immortalis esset jam ostendere poterat: & quia exemplo istius, malitiosis volebat terrorem incutere. Cum igitur Sanctus suam satis injuriam vindicasset, & miser ille manum Dei super se extentam in malo videret; tandem pœnitentia ductus, tali modo Sancto reconciliatus est. Primo de excessu suo facta confessione, sequenti nocte à thoro uxoris suæ abstinuit; & secum in strato suo quod male egisset retractans, in lacrymas resolutus, ante lectum suum nudus super nudã humum in modum crucis prosternitur: & à Deo & Sancto ejus lacrymabiliter veniam deprecatur. Hic modo totam pene noctem insomnem ducens, cum mane surrexisset, accepta oblatione sua ad templum ivit: & quia jam compunctus erat, ad Sanctum intrandi licentiam obtinuit. Quantum vero interim iram Sancti expaverit, tremebundo & incõposito gressu aperte demonstravit. Cum tandem ad sepulcrũ pervenisset, facta prius oblatione, in modum crucis ibidem se prostravit: & de hoc quod superbe commisit humiliter veniam postulavit. Hinc confundantur & erubescant malevoli; exultent & lætentur benevoli, & ut Deus opera misericordiæ suæ semper erga nos multiplicet, Sancti pietas indignos famulos suos Domino suo reconciliet.

donec resipiscens ac pœnitens

B

admitti ad sepulcrum obtinuit.

21 Homo de Callais *i*, in villa S. Audomari cum falsis nummis deprehensus, in carcerem est retrusus; ibiq; modicum oculorum lumen, cujus vitio in hunc errorem nummorum inciderat, lacrymando & vigilando penitus amiserat. Cum autem ille de fraude accusatus, quod pistor esset & quod nummos illos de pane suo accepisset assereret, nullamq; in moneta se fraudem scivisse, cum multis satisfactionibus jurare vellet; cogente judice unum è duobus ad eligendum ei est propositum, ut scilicet judicio se purgaret, vel reorum sententia succumberet. Immitis igitur comminatione sentẽtiæ permotus, in Domino omnẽ spem suam ponens, promisit S. Bernardo, quod si in hujus necessitatis articulo innocentiã suam defenderet, ipse ei deinceps servus existeret. Quid plura? Cæcus ille, Sancti, ut puto, eum docẽte prudentia, omnia quæ ad calidum ferrum adjudicati facere solent, satis prudenter implevit, & ab omni crimine liber absolutus abscessit. Veniens itaq; ad Sanctum, quasi pro liberatione sua gratias redditurus, lumen quod amiserat recepit, & pro utroque beneficio ultra quã dici potest Deum & ejus Sanctum glorificans, lætus domum rediit.

i

C

Vir caecutiens invocato Bernardo calumniam calentis ferri judicio diluit

& visum recipit:

22 Vir quidam & uxor ejus, de supra memorato vico Blarighem, ex eadem infirmitate languebant: qui manus & pedes & omnia corporis membra tamquã furiosi agitantes, quod inenarrabilẽ passionem sustinebant, miro & inenarrabili modo se agẽdo demonstrabant. Hi quasi mox morituri, cum ad terrã depositi fuissent, totam intentionem suam ad S. Bernardum direxerunt, & ut de tam improvisa & instanti morte eriperentur, voce qua poterant & simplicitate cordis supplicabant. Mox meliorari inceperunt, Sanctique

maritus & uxor à vehementi corporum agitatione liberantur

præsentiam adfuisse temperato aliquantulum incommodo suo senserunt: sequenti autem nocte, Sancto eos per visionem visitante, & signum Crucis super eos faciente, omni fugata passione, non multo post perfectam sanitatem recepere. Et quia hi ad Sanctum venerunt, & multis eis testimonium perhibentibus, hæc indubitanter vera esse dixerunt, scripti hujus in causa fuerunt.

AUCTORE IOANNE EX MSS.

23 Puer parvulus, caduco morbo vexatus, à Bourbourg ad Sanctum allatus, in diebus sanctæ Pentecostes *k* integram sanitatem est adeptus. Hunc mater ejus absque nostra licentia domum retulit, quem plenarie convaluisse postmodum remandavit. Homo de villa, quæ dicitur S. Vulmari *l*, novem fere mensibus transactis, dum quadam die in cultura agri sui laboraret, pedem in stipitem offendit, & nõn mediocriter læsus in gravem infirmitatem incidit. Mox enim pede inflari incipiente, claudicandi vitium incurrit: & procedente tempore adeo processit infirmitas, ut utroque crure debilitato, recte incedendi penitus adimeretur facultas: sicque factum est, ut aliquando jugiter lecto decumberet, aliquando paululum mitigato lãguore, cum duobus baculis incederet. Is equo se huc adduci fecit, & domum nullam intrare volens, in vestibulo templi nostri in oratione pernoctavit. Mane autem reseratis foribus, cum baculis suis ad Sanctum veniens, dum juxta sepulcrum orationi intentus sederet, & quidam de Fratribus ibidem ad altare S. Nicolai Missam cantaret, divinæ propitiationis auxilium sensit: & relictis baculis surgẽs, recte incedendi possibilitatem obtinuit. His ita in conspectu populi gestis, ordinem infirmitatis suæ, ut dictum est, nobis ille retulit: & quia plures testes habuit, omnẽ dubitationis nubẽ corde nostro detersit. Unde oculata veritate ostendi potest, quod multotiens me cogitasse profiteor, quia quos magnitudo devotionis huc à remotis partibus adducit, Sancti pietas tanto citius & efficacius eis subvenit, quanto non ficta devotione eos huc advenisse constiterit.

Sanantur vexatus morbo caduco,

k

l

& decumbens ex pedis læsura & inflatione,

E

advectus ad sepulcrum.

24 Res, quam scribere volo, celebri est notitia divulgata, & in cõventu ecclesiæ solenniter recitata. Ut enim melius probari possit, quod Sãctum plus offendat quam placeat ficta devotio; trahatur in medium cujusdam religiosi Presbyteri, cujus nomen est Simõ, vera & fidelis relatio. Dum quadam die prædictus Presbyter cõcionaretur in ecclesia, initium sermonis sui à S. Bernardo sumens, incredulitatem eorum & duritiam cordis, quod parum devoti erga Sanctum existerent, increpavit: & de ficta devotione eos convincens, quid famulæ suæ contigerit, in exemplum terroris retulit. Famula, inquit, mea, dum febre vexaretur, S. Bernardo nummum & candelam promisit, & statim convalescens quindecim diebus sana remansit. Sed dum diu nummum, quem necessitate plus quam devotione promiserat, retineret, iram Sancti, ut justum erat, incurrit: & illico amissam febrem recepit. Male igitur retentum nummum secundo promisit: & tunc quoque à febre liberari meruit. Veniens itaque ad Sanctum, quasi pro beneficio gratias reddituta, febri quidem sed nõ avaritiæ m orbo liberata, nec tunc quod promiserat reddere voluit: sed præsumptuosa satis temeritate seipsam justificare credens, de aqua Sancti bibere non timuit. Mox mendacem cælestis vindicta subsequitur, & febris quæ secundo ablata fuerat, quasi cum usura gravius redditur. Jam igitur temeraria illa, se erga Sanctum deliquisse cognoscens, nec ultra mendaciter agere audens: nummũ & candelam, ut voverat, Sancto obtulit, & continuo omnẽ inquietudinẽ febris evasit, sicque in una & eadẽ re, cum simulatione, Sãctus cũ severitate castigavit, simulatoribus terrorẽ incutere voluit; & dum pœnitentẽ recepit, pœnitẽtibus spẽ veniæ quodãmodo innuit.

item puella febricitans

F

ob voti neglectum relapsa,

ANNO

AUCTORE IOANNE EX MSS.

ANNOTATA.

a Provin *seu* Previn *est in ditione Castetana ac silva Nipensi, sed alibi sunt similia loca: in quibus non lubet ad nauseam lectoris exactum esse.*

b Ulterius Trajectum, *& contracte* Ultrajectum, *caput unius provinciæ Belgicæ inter Hollandiam & Gelriam.*

c Blaringhem *in agro Castetano versus Ariam.*

d Witsandt *probabilius portus Iccius, in agro Bononiensi.*

e Surqué *vicus tribus ab urbe leucis Bononiam versus.*

f *Gallis Flandrisque communis idiotismus pro* laterna.

g Helchy *infra dicitur in pago Boloniensi esse.*

h *Hic* Gibbus *generice sumitur pro quocumque tubere.*

i Calais, *Latinis* Caletum, *urbs maritima satis nota, inter Bononiam & Gravelingam.*

k *Erat solennitas Pentecostes 16 Maji.*

l *Colitur S. Vulmarus 2 Iulii: de monasterio ejus in* Nemore *&* Silviaco, *aut etiam* Bosco *egimus 13 Aprilis, in Vita B. Idæ viduæ matris Godefridi Bullonii, quæ illud restauravit, in quo plures Comites Bononienses seu Bolonienses sunt sepulti.*

B

CAPUT III.

Alia xx miracula. Corpus B. Bernardi translatum.

Curantur manus arida

25 PUer de villa, quæ S. Audomari ecclesia dicitur, manum habens aridam ad Sanctum venit: qui pene tota die manum suam sub lapide sepulcri tenens, eam aliquantulum vigoratam sensit; & Converso, qui sepulcrum custodiebat, id cum gaudio narravit. Sed quia ex longa infirmitate manus adhuc nimis erat gelida, Conversus hoc nobis indicare noluit: sed puerum abire permittens, si stabilis esset melioratio, ut rediret indixit. Puer igitur domum rediens, cito perfecte convaluit, & pia quam erga Sanctum devotionem habebat eum impellente, pro reddendis gratiis, ut jussus fuerat, rediit: & manum suam corã nobis volubiliter movendo, medici sui peritiam demonstravit. Eodem die homo de oppido quod *a* Bella dicitur; à gravi quadam infirmitate ad sepulcrum convaluit: ipse enim, ut dicebat, interius in corpore, & maxime circa pectus tantum dolorem sentiebat, quod vix etiam cum magno labore respirandi possibilitatem habebat. Hunc absque anhelatione satis aperte loquentem audivimus, & quia nullum dolorem in pectore se sentire asseruit, scribendi mihi materiam præbuit.

a pectoris dolor

C

pedis inflati cruciatus,

26 Sequenti die homo de castro S. Audomari ad Sanctum venit: qui alia vice ad sepulcrum sanatus fuerat, sed quia tunc hoc nobis nõ indicaverat, nunc ad supplendum, quod minus egerat, devotus redierat. De cujus infirmitate vel modo curationis, ne lectorem suspensum relinquam, quæ ab ore ejus fuisse relata didici, ex ordine revolvam? Hic dimidio vel eo amplius anno, tantum in pede dolorem sustinuerat, acsi veraciter clavo ferreo pedẽ transfixum haberet: nec tamen aliqua cicatrice pes læsus apparebat, nisi quod modica inflatione à similitudine alterius pedis alienaverat. Si quando pedes ire volebat, non nisi talo terram tangere poterat: & hoc ipsum cum magno labore faciebat. Unde quia mercator erat, & in multis locis necessaria vitæ eum quærere oportebat, equum sibi comparaverat: quem tamen nisi aliquo sublevante ascendere nequibat. Cum igitur peritissimo medico pedem suum ostendisset & quia incurabilis erat, medicus nullum ei curã adhibere voluisset, sed ut pes abscinderetur consuluisset; tandẽ æger ad S. Bernardum confugit; & cereum subtularem secum ferens, cum magno labore (quod ex sudore ab omnibus ejus membris defluente apparebat) ad sepulcrum perveniens, quod devoverat obtulit. In secretum vero locum secedens, dũ orationi intenderet, pedem terræ forte apposuit, & nullum, ut solebat, dolorem sensit: quod & secundo & tertio fecit, & pedẽ semper fortiorem invenit. Se ergo sanatum sentiens, lætus recessit, & ad mercatum suum, quo paulo ante equo vix pergere potuit, propriis pedibus ivit. Sed quia hoc nobis indicare noluit, & Dominum in curatione sua laudari non fecit; quod voluntarie debuit fecisse, postmodum coactus est implere. Dum enim quadã nocte redivivos in pede cruciatus sentiret, Dominum sibi iratum timens, mane ad Sanctum est reversus; & quod stulte celaverat, coram omnibus est confessus. Notandum igitur quantum Sancti intercessio ad augmentationem bonorum operum nobis conferat, qui dum glorificationem miraculorum suorum celatam esse noluit, in hoc nos gloriæ suæ quodammodo participes effecit. Quapropter nostra devotio debet semper erga eum crescere, quem quotidie experimur pro nobis incessanter orare.

cum periculo abscissionis,

D

& ob miraculum celatum innovatur,

E

27 Mulier de *b* Aria, cephalica passione incomparabiliter laborabat, quippe cum faciei inflatione caput ita obstupefactum habebat, ut tactum quemlibet vel etiam punctionem ferri vix sentire potuisset. Hæc quadam die ab infirmitatis suæ molestia solito gravius agitata, cum per villã tamquam furibunda erraret, occurrente ei quadam vicina sua, quæ à Sancto curata redibat; cõsultu illius ad Sanctũ iter promisit: & mox post verba promissionis dolorẽ suũ mitigatũ sensit. Postquam igitur promissum iter huc veniendo persolvit, tam perfecte convaluit, ut non solũ capitis inflationẽ disparuisse ostenderet; sed etiã nullũ alicubi se dolorem sentire sub jurejurando assereret. Eodem die puer de pago Boloniensi, de villa, quæ Helchy dicitur, sanitatem adipiscitur. Is duobus gibbis ante & retro dehonestatus erat, & circiter duos annos contractus, si quando incedere volebat, una manu genu apposita, cum altera sustentamento baculi debilem gressum regebat. Hujus patiẽtia per duarum hebdomadarum exspectationem probata, tandẽ Sanctus, quod petebatur concessit: & sedatis gibbis contractum puerum incolumem & rectum fecit. In crastino autem puella ex *c* Hesdinensi pago, à caduco morbo, debita laudum nostrarum auxit præconia. Septem enim annis hoc incommodo fatigata, causam morbi in manu gestabat, quam ac si contracta esset clausam habebat; sed accedente infirmitate citato motu aperiebatur: & mox puella morbi sui infestatione impulsa, cadens cruciabatur: sicque fere omni tempore ei contingebat, & infra diem ac noctem quatuordecim vel eo amplius vicibus miserabilem illam passionem sustinebat. Hæc ubi se ad Sanctum ituram devoverat, nullam postea cadendi molestiam sustinuit: & quoniam ad sepulcrum tribus diebus sana perseveravit, & manum quæ quasi pro causa infirmitatis contracta fuerat, sanam & erectam ostendit, de perfecta illius curatione fidelis quilibet non debet ambigere.

b Curantur gravis capitis dolor

duplex gibbus & molesta contractio,

c F morbus caducus,

28 Mulier quoq; de *d* Renynuiescure quinq; annis hydropico humore turgida, semel ad Sãctum venerat, & nullã tũc sanitatem adepta, domum redierat. Huic autem non multo post per visum Sanctus apparuit, & ut iterum ad sepulcrum rediret admonuit: quodq; in alio quam prius jacuerat loco ex altera sepulcri parte dormitum iret, dictavit. Mulier igitur de recuperanda salute jam secura, secundo ad Sanctum venire cœpit. Sed quia ex diuturno languore ultra modum debilis erat, & non solum in corpore, sed etiam cruribus horribiliter intumuerat; vix tertio die unius & di-

d hydrops,

A & dimidii miliaris itinere peracto, ad tumbam Sancti pervenire potuit. Ibi itaque, sicut à Sancto docta fuerat, dormiendi locum eligens, statim ut à somno surrexit, in omnibus membris valetudinem sensit: & abjecto fuste, quo sustentata advenerat, saltans & exultans, corpus & crura sua satis naturaliter gracilia nobis ostendit. Et quia, quod multa Sanctorum corpora ibidem quiescant, majores nostros frequenter referre audivi, puto quod S. Bernardus ægram suam super alicujus Sancti tumulum dormire fecit, quem in hac curatione honorare & gloriæ suæ participem esse voluit.

contractio, 29 Eodem quoque die quidam Scotus, debilitatis renibus contractus, cum duobus baculis ad Sanctum venit: qui accepto lapide, qui unus ex illis lapidibus erat, quibus Sanctus lectum suum substraverat, loca infirmitatis suæ signavit, & statim obdormivit. Cum autem à somno expergefactus fuisset, dolorem à renibus abscessisse intellexit: & dimissis baculis surgens, hæc per interpretem monachum, qui linguam ejus sciebat, indicavit. His tribus miraculis Malachias Abbas sanctæ Trinitatis Scotorum interfuit, quem ideo hic testem apposuimus, quod si hæc aliquando ad Apostolicam Sedem B deferri necesse fuerit, hujus Abbatis testimonio veritatem nostram confirmare possimus. Si autem Abbatum istius terræ testimonio eguerimus, omnes finitimos Abbates hujus rei assertores veraciter in medium deducere poterimus, præsertim cum duos Abbates hic sanatos fuisse ex eorum relatione cognoverimus. Abbas enim e S. Joannis de Teruana, dum S. Bernardus noviter tumulatus fuisset, ad nostram dedicationem venit: cui cum Abbas noster sermonem Capituli & officium Missæ injungere vellet, ille utrumque recusavit, & propter dolorem capitis neutrum se posse facere dixit. Quia autem S. Bernardus jam tunc miraculis coruscabat, Abbas ille cum magna veneratione ad eum ivit, & loricam ejus capiti suo apponi fecit; & ut postmodum nobis retulit, nullum ex illa infirmitate dolorem ultra sensit. Abbas autem de f Cappella B. Mariæ per idem tempus in villam S. Audomari adeo infirmus advenerat, ut in Abbatiam intrare ausus non fuisset, sed in villa suæ personæ & infirmitati congruum hospitium elegisset. Mittens igitur per famulum suum duos Sancto nummos, humiles preces profudit: & quod tertium, si sanitati restitueretur, ipsemet nummum ei afferret, promisit. Interea familia Abbatis à Sancto redeunte, Abbas dolore suo mitigato, equitandi possibilitatem obtinuit; & quotidie melius convalescens, post paucos dies vota sua redditurus ad Sanctum venit: & ut ipse asseruit, ibidem dum adhuc ad sepulcrum esset, divinæ medicationis auxilium sensit.

e *capitis dolor,* *f* *molesta infirmitas,* C

g 30 Juvenis quidam in oppido g Furnis, in uno latere & lingua à paralysi percussus, cum aliquantis diebus ad sepulcrum Sancti perseverasset; tandem perseverantiæ suæ remunerationem accipere meruit.

paralyticus, Cum enim tempus jam se ultra quintum decimum diem protraheret, illeque adhuc discedere nollet; remunerator patientiæ illius Dominus devotionem humilis respexit, & cum vivificatione emortui lateris linguam pene in officio suo deficientem ad recte loquendum reparavit. Et quoniam bis illum, sicut de ceteris ægrotis facere consuevimus, semel ad sepulcrum, & in choro nostro coram idoneis testibus, probavimus; omnem dubitationis caliginem ab infidelium cordibus detergere sategimus. Per idem

furor mentis, tempus homo quidam de Teruanensi territorio, ad Sanctum filiam suam attulit, quam dicebat furiosam fuisse, sed per Sancti patrocinium ad sanam mentem rediisse. Dum enim puella furiosa esset, pater ut eam ad Sanctum adduceret promisit: & statim per potentis Advocati interventionem, furiosam suam sanam recepit; & juxta voti sui tenorem eam huc adduxit. Unde apparet quantum iste Sanctus apud incircumscriptam Domini majestatem possit, qui in remotis locis efficacius suis invocantibus subvenit.

AUCTORE IOANNE EX MS.

31 Monachus enim quidam de Guasto, Cluniacensi Prioratu, vidit per somnium se in templum nostrum advenisse: qui dum ante altare S. Dionysii, ubi hospites orationes facere solent, esset, & ad Sanctum ire vellet, nec iter sciret, nullumque qui eum illuc duceret haberet; prospexit subito in illa parte ecclesiæ, ubi Sanctus tumulatus jacet, inenarrabilem claritatem emicuisse; ad quam cum gressum flexisset, contigit eum à somno excuti, & sic visionis summam non contueri. Nocte autem sequenti alia ei de Sancto visio apparuit: in qua se dicebat protensis palmis pro quadam privata necessitate devotas ad Sanctum preces fudisse, tantamque in eadem visione fiduciam habuisse, ut mox iter suum non tardaret huc promittere: sed dum in redditione voti sui paulo negligentior fuit, paucis evolutis diebus in gravem infirmitatem incidit. Hoc igitur sibi pro neglectu evenisse credens, & cito tomentum accipiens, funiculum ad opus candelæ, quam Sancto afferret, torquebat: quam ubi ad collum suum mensurasset, sicut nobis sub veritatis testimonio retulit, statim omnis morbi infestatio conquiescere cœpit: sicque in brevi integræ incolumitati restitutus, candelam suam Sancto attulit; & misericordiæ opus, quod sibi exhibitum fuerat, palam fecit.

Monachus visione duplici excitatus, *& ob negligentiam voti explendi punitus,* E *sanatur:*

32 Eodem tempore duæ mulieres ab oppido, quod h Messines dicitur, ad Sanctum venientes, muneribus devotione magna tumulum ejus honoraverunt, causamque sui itineris indicare non neglexerunt: altera enim illarum infirmitate quam septem annis sustinuerat per Sancti merita se liberatam esse dicebat. Altera vero referebat se acuta febre infirmatam fuisse, & exinde in desperabilem languorem incidisse, & sic penitus ut infirmis contingere solet loquelam amisisse; post quinque tamen dies sedata extasi paulolum loqui cœpit, & tota mente se ad S. Bernardum convertens, quod eum requireret, votum fecit. In eodem igitur momento Sancti patrocinium experta, ad sanitatem cito rediit; & capitalem candelam & ferreum vinculum huc veniens, Sancto attulit.

h *Curantur infirmitas 7 annorũ,* *acuta febris,*

33 Non multo post homo à civitate Atrebato ad Sanctum veniens, duobus annis dicebat se manum habuisse aridam: quam cum iter suum ad Sanctum promisisset, recepit sanatam. Hunc præsente i desiderio Teruanensi Episcopo coram Clericis ejus vera dicere probavimus, quippe quem multorum testimonio infirmum fuisse cognovimus. Allatus est ad Sanctum puer parvulus in cunabulis, de cujus mirabili curatione, laude multiplici, Sancti magnificentiam debemus attollere. Mater quippe pueri, qui eum huc attulit, ordinem rei nobis referens, dicebat: quod puer suus brachium fractum habuerat. Sed utrum vel in utero vel postea in cunabulis hoc ei contigerit, nesciebat: nuper enim partu liberata, cum unum pueri sui brachiolum deformiter sub latere ejus pendere conspiceret; frequenter illud erigens, quia, erectum semper enormiter recedebat; tandem mater vitium membri intellexit, & quod fractum esset tangendo comprobavit. Et quia de S. Bernardi virtutibus jam multa dici audierat, promisit quod illa & vir ejus, laneis induti & discalceati, puerum suum secum afferentes, Sanctum requirerent, si debilitatum in puero membrum naturalem vigorem reciperet. Votis itaque suppli-

F *Manus arida:* i *brachium fractum,*

AUCTORE IOANNE EX MS.

supplicum, aspirante Sancti patrocinio, cælesti chirurgia fracti brachioli solidatur læsura. Nam ne aliqua de divinis operibus subrepat dubitatio, cum parentes puerum suum huc attulissent, quidam adhuc in brachiolo nodus tangi poterat, ubi fracturam fuisse dicebant.

Corpore 29 Iulii ad novum Mausoleum translato,

34 Anno Domini millesimo centesimo octogesimo secundo, tertia decima hebdomada post sepelitionem primam, corpus S. Bernardi iterum à terra retractum, & in honorifico mausoleo, quod Dominus Simon Abbas fieri jusserat, quarto Kalendas Augusti est reconditum. Post hæc autem secundo die, sexta scilicet feria, ad vesperum cum jam structura mausolei erecta esset, novum ibidem miraculum contigit, per quod ut puto Sanctus favorem suum & beneplacitum in hac re demonstravit. Homo enim de Bethune, qui septem fere hebdomadibus infirmitate renum fatigatus fuerat, & unius cruris & pedis vigore penitus amisso, pedem alterum vix terræ apponere poterat; illo die dum mausoleum ædificaretur, illuc advenit: & statim post factam orationem melius se habens, de sanitate spem accepit. Nocte igitur illa in oratione perseveravit, & mane cum se sanatum intellexisset, baculum suum Sancto obtulit; discessurusque misericordiæ opus, quod sibi exhibitum fuerat, nobis indicavit.

postridie curatur infirmitas renum, & pedum:

B

Sanantur mulier icterica, & vitiosa carne abundans,

35 Post paucos dies mulier, ex Atrebatensi civitate ad Sanctum veniens, infirmitatem, quam in corpore, & maxime circa cor, se pati dicebat, pallida & icterica facie demonstrabat: cujus infirmitatis vocabulum, si quis nosse velit, Physici, ut puto, morbum illum Græco nomine sarcoma, id est vitiosam carnis superabundantiam vocant: quod si vulgariter juxta Teutonicæ linguæ idioma interpretari volueris, mulierem illam k sublardatam fuisse dicere potero. Hæc ubi Sancti exuviis signata fuit, accepto lapide (quem ex illis lapidibus, ex quibus lectus Sancti stratus erat, unum fuisse diximus) capiti suo illum supposuit, & sic obdormivit. Cum autem post paululum expergefacta esset, multum sibi hanc dormitionem profuisse dicebat: & in hujus rei argumentum, manuum & quorumdam membrorum suorum tumorem resedisse ostendebat. Sequenti igitur nocte, quia jam meliorari inceperat, ad sepulcrum remorari permissa; suavissimum odorem, omnia, ut sibi videbatur, aromata superantem, tertio ex sepulcro prodire sensit: quæ suavitas omnem à corde ejus dolorem amovit. Die jam reverso, cum se omni corpore diceret alleviatam, & ut credebat sanatam, locum illum unde suavis odor exierat, digito suo adhuc in lapide demonstrabat.

k supposito capiti lapide B. Bernardi,

& postea ad sepulcrum pernoctans,

C

36 Quidam Frater, nomine Simon, diutino languore vexatus, adeo jam ex nimia infirmitate defecerat, ut nec à lecto surgere, nec ad necessaria naturæ suæ nisi cum duobus baculis & ministri auxilio posset procedere. Is more suo cum baculis ad sepulcrum quadam nocte ivit: & ibidem dormiens cum innumeris visionibus ludificaretur, nec aliquid perfecte videret; circa mediam noctem ex alicujus visionis terrore de somno dissiluit; & abjectis baculis, super quibus debilitatos pedes [firmabat, ante sepulcrum] stetit; & de sepulcro baculum faciens, quasi infantulus incedere discebat, & ad ambulandum seipsum portabat. Ibi itaque redditæ sibi virtutis experimentum capiens, ad proxima altaria & per totam ecclesiam absque fulcimine ivit. Et cum aliquantulum ad sepulcrum orasset; lectum repetiturus, baculos suos intra brachia arripuit; & mutata vice eos, qui paullo ante eum attulerant, retulit. Paucis evolutis diebus, homo de marinis partibus prope Wit-Sandt ad Sanctum venit, qui ut asserebat, Viginti hebdomadibus morbo dysenteriæ laboraverat: sed ubi Sancto iter suum promisit, divinæ propitiationis medelam sensit: & abinde huc cum oblatione veniens, se omnino sanatum esse dixit.

& monachus prae debilitate incedere nequiens,

item dysentericus,

D

ANNOTATA.

a Bella, *seu* Belliolum, *oppidum Casletum inter & Ipras cum sua Castellania, habet Societatis Iesu Collegium & Patrum Capucinorum conventum.*

b *Vrbs munita, vulgo* Arien, *Francis* Ayre, *tribus leucis distans.*

c Hesdinum *ad Canchiam flumen, distat Audomaropoli leucis circiter novem ad meridiem.*

d *An contracte* Ruyschure? *Est is in Casletana ditione prope Audomaropolim, pagus cum castro, vix sesquimiliari, ut hic dicitur, distans.*

e *Abbatia jam Ipras translata est ad templum S. Nicolai.*

f *Est hæc Abbatia à supra memorata B. Ida, uti late ad hujus Vitam deducimus, anno 1091 fundata: ibi Deipara Virgo miraculis clara: ibidem B. Ida mortua est.*

g Furnæ *oppidum cum amplo Ambacto seu territorio, 7 vel 8 leucis distans Audomaropoli.*

h Messines *prope Ipras monasterium est nobilium Virginum, ab Adela uxore Balduini Pii sive Insulensis Comitis Flandriæ fundatum.*

E

i Desiderius, *creatus Episcopus anno 1169, Synodo Lateranensi interfuit anno 1179, mortuus 1194.*

k *Teutonice* onderspekt *diceretur: Spek enim hac lingua* Laridum *seu* Lardum *est.*

CAPUT IV.

Alia XIII miracula. Mirabilis peccatoris conversio: & periclitantium in mari liberatio.

37 Anglica quoque mulier, quæ sanctos Martyres Thomam & a Edmundum causa remedii adierat, nec convaluerat; in has partes transfretans, ad partes nostras venit: & ab infirmitate pene inaudita, Dei miserante clementia, liberari meruit. Quo quidem vocabulo infirmitatem illius nominem, ignoro: quam incomparabiliter infirmatam fuisse scio, cum nimirum, ac si furiosa esset, indesinenter caput circumagitaret. Cum igitur ad Sanctum venisset, & prope sepulcrum solito acrius à sua passione infestaretur; dolor in saniem collectus per aurem erupit: & sicut nonnulli, qui adfuerunt, testati sunt, duo vermes magni & deformes simul cum sanie ex aure prodierunt: sicque à passione, quam novem hebdomadibus omni die sustinuerat, per misericordiam Dei liberata, ad probandam perfectæ curationis veritatem, septem diebus nobiscum permansit incolumis & sana.

a

Quædam à gravi in languore sanatur,

F

geminis vermes ex auribus prodeuntibus;

38 Civis quidam ex castello S. Audomari accipitrem suum amiserat, quem uno die requirens, cum non invenisset, promisit S. Bernardo ceream volucrem afferre, si amissam avem posset recipere. Sicque factum est ut post unam fere horam, dum homo Sanctum invocaret, amissus accipiter ante pedes Domini sui advolaret, & captivam aviculam inter ungues afferret. Hæc narratio forte pro ludo æstimabitur: sed nulla hic falsitas deprehendetur. Famulorum namque relatione, qui ceream volucrem à Domino suo missam huc attulerunt, res hæc innotuit: & à multis cognita per totam civitatem celebris fuit. Et ne quis miretur & dicat, Dominum de volucribus non curare; sciat ex divinæ testimonio Scripturæ, quod Dominus nihil eorum odit, quæ fecit: maxime cum legamus eremitas in solitudine

alius accipitrem amissum recuperat:

Sap. 11, 25

A dine circa bestias virtutes multas exercuisse, & quotidie videamus in rebus minimis divina opera gloriosius renitere. Licet enim in hac volucre superbia possit notari, de occultis tamen non est nostrum judicare: quin potius si hoc Domini opus est, debemus ei pro sua ineffabili pietate quas possumus gratias rependere.

39 Homo ex Pontivo, ex castello quod dicitur *b* Rue, puerum habebat caduco morbo laborantem; qui illico, ubi pater suus, quod eum ad Sanctum afferret, promisit; omnem morbi sui infestationem puer amisit. Et quia huc pater cum filio suo veniens, in verbo Domini asseruit, quod per tres menses nullam infirmitatis suæ notam senserit, hinc conjecturamus quod omnino convaluerit. Huic simile alii cuidam homini de Bethunia cum filia sua parvula, ipso coram nobis omnibus narrante, contigisse comprobatum est. Prædicta namque filia sua ejusdem morbi infestatione ita per aliquot menses laborabat, ut semper in novolunio fere per octo dies, multotiens quotidie cadendo, humi tamquam mortua jaceret: quam postea pater ad sepulcrum S. Bernardi adductam ibi convaluisse putavit, & domum reduxit. Post mensem vero de sanitate illius plene confirmatus, huc rediit cum filia, Deo Sanctoque Bernardo debitas gratias redditurus. Cum jam odore virtutum beati viri diffuso, undique populi quasi aquilæ ad sanctissimum corpus illius convolarent; quædam mulier de Aria, aurium officio privata, inter alios ad memoriam ejus accessit: quæ facta oratione, pulverem de Sancti sepulcro propriis manibus surdis auribus injecit; moxque aqua reliquiis ejus sanctificata illis ablutis, statim antiquus audiendi renovatus est usus.

b Sanantur puer caduco morbo laborans,

item puella;

B

item mulier surda,

40 Puer in castro S. Audomari, cum in cerebro vulneratus esset, quodam die calidum panem comedens, subita passione percussus, fere exanimis ad Sanctum est allatus. Cum igitur tota die pene mortuus ibi jaceret, & imminente vespera Frater, qui sepulcrum custodiebat, circa illud immunditias everri juberet; mater pueri, videns ibidem stramenti inopiam esse, & advenientes peregrinos dum genua flecterent, se in pulvere fedare: S. Bernarde, inquit, si velles mihi filium meum reddere, ego coram sepulcro tuo scirpeam mattam non tardarem substernere. Sicut autem nonnumquam dolentes ad mortuos loqui solent, sic mater post prædicta verba ad puerum fere exanimem conversa, si sponsioni suæ consentiret, requisivit. Et puer, caput elevans, Etiam, respondit. Mammam etiam matris manu accipiens, & ori suo admovens, lactabat, loquebatur & comedebat; & ad omnia quæ anteriori die fecerat, satis validus erat. O mira Sancti virtus, qui pauperis mulieris mattam, adeo acceptam habebat, ut pro illius sponsione morienti puero dignaretur sanitatem restituere. Eadem, ut mihi videtur, hilaritas adhuc miraculis elucescit, quæ olim in eo dum pœnitens esset enituit.

puer in cerebro graviter læsus:

C

41 Filia cujusdam mulieris, de castello quod dicitur Bella, diutino languore vexata, tandem morbo succumbens, nativæ mortis pulsare januam putabatur. Cujus mater tanta vitæ discrimina videns, tandem ad beati viri, cujus miraculorum famam nuper acceperat, patrocinii asylum cum hujusmodi precibus divertit. O, inquit, S. Bernarde, cujus miraculorum mundus repletur odore, succurre filiæ meæ, succurre, quæso, cælesti medicamine; cui, ut datur videri, nec artes nec opes prodesse possunt humanæ: spondeo eam futuram tibi ancillam: comparabis me famulam tibi devotissimam: dum adsis miseræ, in mortis vicinia constitutæ. Mox finem orationis sensus sequitur meliorationis: nam exhinc succrescente de die in diem sanitate, ubi convaluit, huc cum matre venit, & veri ordinem nobis referens, & sanatori suo debitas gratias exolvens.

puella morti vicina:

AUCTORE IOANNE EX MS.

42 Rem narramus, quam narrante cui narrata est ab ipso cui contigit, fideliter accepimus. Ipsius quidem propriam personam (cum nec nomen ejus nec notitia nos lateat) rem ipsam, loqui, audire possemus; sed tutius nobis esse duximus secundæ notæ testes inducere, quam juveni, cui res accidit, jam converso & pœnitenti, super peccato suo quæstionem movendo, erubescentiam & offensionem parere; scriptum quippe meminimus, Væ illi per quem scandalum venit. Prædictus itaque juvenis, uxori licet fuerit legitime sociatus, extra concessam tamen copulam longius evagatus, cœnosæ militans imperatrici, manibus omnes effudit habenas voluptati. Nam præter innuptarum choros simplices, conjugatorum conjugatus violavit sedes, adeo ut ab eo aliorum conciperent uxores, & tanti parerent sceleris infantes. Sic igitur, ut diximus, totus immunditiæ deditus, equum vixit & mulum, quibus non est intellectus. Sed quemadmodum multiplicasti misericordiam tuam Deus, homines & jumenta salvas, Domine. Surgente itaque Aquilone veniens Spiritus sanctus perflavit cor ejus: suum mox Presbyterum adivit, vulnera nudavit: quibus Presbyter prudenter vinum & oleum infundens, & de perpetratis castigato pœnitentiam indixit, & ut in eadem mente perstaret, plurimis persuasionibus delinivit. Sed pœnitentiæ postmodum oblitus à proposito declinavit. Quid ergo? Culpa magistri scilicet arguitur, sed non est in medico semper curetur ut æger. Aggreditur autem iter, pro pœnitentia indictum, valde protensum: terras ergo perambulavit, maria transivit, Hierosolymam pervenit, oratum est & domum redivit. Quid ergo? Quid agitur? Peregre quidem profectus es, Crucem bajulasti, sed utinam in corde! Sic sic enim secutus esses Dominum. Bonum autem opus operatus es, sed numquid de terris in terras, de regionibus in regiones, & non magis de virtute in virtutem ambulandum, ut videatur Deus Deorum?

Matth. 18, 7

Iuvenis adulter,

facta peccati confessione,

E

Hierosolymam peregrinatur:

reversus eadem peccata repetit:

Cælum non animũ mutant, qui trans mare currunt. Maria transisti, sed de morte ad vitam nondum transivisti: lavisti pedes tuos, quomodo inquinasti eos? Ad vomitum tuum redisti: minutus es vitiis, sed non fugasti. Interea dum adulteria repetuntur, & lenocinia renovantur, ad Sancti memoriam Bernardi oratum venit. Ubi dum oratur, visum est ei vestimenta sua ab inferioribus partibus proserpente flamma undique absumi. Aspicit, miratur, peccatorum recordatur, timet rem videri à circumstantibus, timet Dominum sibi valde iratum pro sceleribus. Pro confusione ergo duplici & rubore divertens in vicinum angulum, vestes exuit, & ab amico comitante qua se tegeret unam accepit. Oratorium itaque statim confusus exivit. O S. Bernardum! O Virum laudabilem! O pœnitendi scientia instructum hominem! Militem de militia, medicum de medicina, sed Bernardum nostrum consule de pœnitentia: exercitatus est in hujusmodi schola: novit vulnerum species, novit diversas & competentes subventiones. Ecce enim juvenem, quem in infimis aquilo ille totum infrigeravit, dum vestimenta ejus exterius visibiliter ignis accendit, meritis beati viri flamma sancti Spiritus invisibiliter intus accendit.

F

veniens ad sepulcrum vestes suas ardere sentit:

43 His ita se habentibus, juvenis sæpe dictus quemdam inclusum haud longe extra burgum S. Audomari degentem, S. Bernardo quondam familiarem, continuo petivit, & sicut aquam cor suum ante conspectum Domini effudit. Exponit totum tam rei quam eventus ordinem. Collaudat vir Dominum, in peccatoribus misericordem, & in Sanctos suos

adit inclusum rursus pœnitens;

AUCTORE IOANNE EX MS. suos mirabilem. Increpavit ergo juvenem pro commissis, obsecravit pro virtutibus acquirendis. Viri auditur doctrina, auditur & amplectitur in omni patientia: renovatur ergo pœnitentia, renovatur & *alium mutatur:* aggravatur; castigatur corpus & in servitutem redigitur; vitia destruuntur, virtutes ædificantur. Hæc mutatio dexteræ excelsi. Paucis ergo evolutis diebus incidit menti ad sanctum sepulcrum redire; & *inde ad sepulcrum reversus,* reditur. Ubi diu humiliter oravit, diu genua flexit, & pro tam pia correptione Sancto gratias egit, & pro incepta usque in finem, suis meritis conservanda correctione devotissime rogavit. Profusa ergo oratione, abire tentavit, sed non valuit: valuit quidem orare, genua flectere, sed nullo modo potuit *ubi aliquamdiu retinetur occultavi,* recedere. Gelidus ergo timor occupat artus: orat tamen, sicut diximus: genua flectit & adorat, ita ut juvenem à Sancto hujusmodi verbis compellari putares amicis: Expecta paulisper, expecta amice, & audi me, quem noveris extitisse intercessorem pro te. Iram quidem Domini pro scelerum enormitate meruisti, & cum descendentibus in lacum deputatus fuisti: sed, Deo gratias, me interveniente evasisti: evasisti dico, si bonum principium, meliori augmento decoraveris usque ad vitæ supremum. Cogita quæso me quondam peccatorem, recogita quæso postmodum pœnitentem: vide autem pro temporali pœnitentia modo æternaliter coronatum & exultantem. Hic te in oratione paulisper volui detinere, ut contra eum, qui non dormit, sed semper vigilat, circuiens & quærens quem devoret, bellum habens, vigilare discas & orare. Expertus sum quod dico: crede experto. Gratias ergo agens Domino, vade in pace; & ne quid tibi deterius contingat, jam amplius noli peccare. Mox ergo secundum animam sanatus recessit homo ille, & gratias Domino sanctoque intercessori suo Bernardo rependens, religiose vivit usque hodie.

B *quasi monendus ad pœnitentiæ constantiã Bernardi exemplo.*

44 Pretiosa in conspectu Domini hujus sancti viri merita, quanta devotione in arctis necessitatum periculis à fidelibus sint expetenda, non solum omnipotens Dominus ad sepulcrum ejus vel in remotis utique terrarum locis, verum etiam inter tumentes sævientis pelagi fluctus mirifice sua pietate monstrare dignatus est. Quidam enim Mercatores, villam S. Audomari una cum conjugibus & familiis inhabitantes, negotiandi gratia cum merce multiplici peregre profecti, diversaque terrarum loca peragrantes, tandem antiquam Britanniam, quæ nunc Anglia dicitur, adierunt: ibique merces suas venditioni exponentes, aliasque à patriæ illius indigenis comparantes vel mutuantes, alii in Flandriam repedarunt, alii exteras regiones cum suis mercibus petierunt. Ex quibus duo ad invicem mutua societate devincti, navigio Scotiam adire tentantes, in Britannico mari nimia tempestate quassati, inæstimabili ordine atque miraculo inusitato, erga se cunctosque qui cum eis erant, omnipotentis Dei gratiam per hujus Sancti patrocinia mirabiliter cognoverunt. Nam cum in eorum morte procellosis ventis elevati fluctus sævirent, arbore navis una cum velis undis projecta, totum vas nimiis fluctibus quassatum, ab omni sua compage dissolutum est. Undis itaque irrumpentibus totum vas usque ad superiora repletur: ita ut non tam navis intus undas, quam undæ intra navem esse viderentur. Quid multis moror? Virium suarum penitus destituti solamine, mox ad divinæ pietatis se contulere subsidia. Dum ergo alii omnipotentem Dominum, ipsius elementi conditorem rectoremque, suppliciter exorant; alii intemeratæ Dei Genitricis & Virginis suffragia deposcunt; atque alii diversa Sanctorum patrocinia, prout eos ducebat devotionis affectus, interpellant; duo prænominati socii omnipotentem Dominum per merita S. Bernardi sibi propitiari instantissima prece salubriter implorant. Quid ergo? Protinus ad tanti viri invocationem, omnipotens Dominus, qui eorum mentes mirabiliter terruit, eorum quoque vitam per merita Sancti sui mirabilius reformavit. Nam navis vi quadam validi afflatus undis eripitur, atque in sublimi quasi ad unius sagittæ jactum vel eo amplius per altum aëra subvecta, trans tumentes oceani gurgites, in quodam mari tranquillissimo, sed minus profundo, cum maximo omnium stupore defertur: qui ibidem se scopulis allidi periclitarique timentes, remis rudentibusque navem sustentabant, quousque deducerentur in portum voluntatis eorum. Dum igitur illi tanta divini terroris animadversione percelluntur, eorum conjuges in Flandriis degentes, de suorum virorum prosperitate sollicitæ, quadam die orta tempestate sævissima ceream navem componentes, pro ipsorum salute Domino Sanctoque detulere Bernardo. Paucis postmodum evolutis diebus, prædicti viri ad propria reversi, dum de tantæ rei miraculo ad invicem conferrent, & eorum conjuges quid pro eis egerint indicarent; diem sollicite perquirentes & horam, ipsam esse comperiunt, qua de naufragio erepti, uxores eorum pro sua salute Domino Sanctoque Bernardo preces & munera obtulerunt. O virum mirificum, omni virtutum laude mirifice persequendum, quem Dominus tantis miraculorum signis insignitum mirificavit: cujus merita antiquorum Patrum c Nicolai atque Ægidii meritis coæquavit, quem per hoc ipsis fore consimilem, consimili miraculo mire manifestavit.

Mercatores Audomarenses

C *tendunt in Angliam,*

Inde duo in Scotiam navigantes,

jactantur tempestate:

D *dum invocant B. Bernardū;*

navi per aëra sub vecta,

feruntur ad optatum portum:

uxoribus tum ceream navem offerentibus.

E

45 Miles quidam de terra d Ghisnensi avem suam, quam falconem vocant, quatuor circiter dies perdiderat: quam dum quadam die huc illucque quærere studeret; accidit ut aliquot peregrinos de S. Bernardo in instanti venientes videret. Post mutuas ergo salutationes brevesque verborum vices, memoratus miles dixit se falconem per optimum nuper amisisse, & de hac causa illum sic discurrere. Cujus sollicitudini unus peregrinorum hoc audientium mox consulens, Ecce, inquit de S. Bernardo, cujus miraculorum famam aures tuas non attigisse credere non possumus, omnes nos, sicut hic vides, simul venimus: illic inter multiplicium signa miraculorum, ad honorem Dei & laudem beati viri juxta sepulcrum ejus dependentium, etiam accipitrem pendere vidimus de cera factum: accipe igitur, si placet, consilium meum, & si falconem tuum S. Bernardus tibi reddiderit, alium de cera factum illi te recompensaturum spondeto. Ad hæc miles, Assentio, inquit, si modo quod memoras fortuna sequatur. Sic ergo dictum & ab invicem discessum est. Contigit autem ut dum prædictus miles non multo post pro foribus suis de more sederet, ubi falconem suum quem perdiderat venientem vidit, solitis eum signorum advocans nutibus, brachium porrexit: avisque advolans super illud resedit. Lætus ergo suum recepit falconem, miratusque eventus ordinem, S. Bernardum sicut promiserat adivit, avemque de cera factam, sponsionis non immemor, ibidem ad miraculi memoriam offerens dimisit.

Falco perditus recuperatur,

F

ANNOTATA.

a S. Edmundus, *Rex Orientalium Anglorum, à Danis occisus colitur Martyr* 20 *Novemb.*

b Pontivum *regio ad dexteram ripam Somonæ: ubi haud procul à mari est* Rue, *oppidum hic memoratum.*

c Coluntur

A c *Coluntur S. Nicolaus 6 Decemb. S. Ægidius 1 Septemb. in quorum Actis hujusmodi miracula leguntur.*

d *Maritimus inter Caletum & Boloniam tractus, nomen habens ab oppido* Guines, *octo circiter leucis distito.*

CAPUT V.

Alia XXX *miracula: tres mortui suscitati.*

a Ob filium cum mercibus submersum, pater in amentiam delapsus, sanæ menti restituitur:

46 HOmo quidam de civitate, quæ dicitur *a* Trajectum, Adam nomine, officio mercator, dum cum mercibus suis & pecunia ad transmarinas partes filium suum transmitteret, orta in mari tempestate, filium undis absorptum cum tota amisit facultate. Dum ergo plus æquo prædictus vir ægre tulit foris amissa, sensu præ nimio privatus dolore, graviori intus addictus est jacturæ. Cum tandem ad Sancti sepulcrum spe meliorandi pervenit, illud deosculatus, reliquiisque Sancti caput suum signatus; pristinæ sanitati, sicut speravit, est restitutus. Alius quidam homo, Robertus vocabulo, de villa quæ dicitur Bouelinges, dum quadam die sumendo cibo inhiaret nimis avide, carnesque, ut ita dicam, ingurgitaret multum inhumane; os sumptæ carnis ejus gutturi inhæsit; vicinasque aviditati insidias gulositate seductus sic pertulit. Hic ergo per quindecim fere dies, neque loqui, neque cibum neque potum, osse meatum obturante, valens trajicere; ad memoriam S. Bernardi tandem venit: ibique oranti, ubi aquam Sancti reliquiis sanctificatam gustavit, osse potus virtute inferius dimisso, amissa loquendi reformatur facultas; moxque Dei laudes ore resolvens, Sancto quoque debitas pro sanatione sua reddidit gratias.

B Ossiculum per 15 dies guttur occludens aqua reliquiarum gustata eximitur:

Curatur pes inflammatus jam abscindendus.

47 Ex oppido Bergensi mater quædam familias filium suum, cujus pedem jam infernalis ignis pene consumebant incendia, per diversa Sanctorum loca circumduxerat: qui nusquam aliquid remedii vel curationis adeptus, novissime burgum S. Audomari, non orationis causa neque meritorum S. Bernardi, quin potius ut pes ejus abscinderetur, adivit. Dum igitur *b* cireticos domi parentum & amicorum expectat; ad memoriam S. Bernardi simul cum puero mater accessit, suppliciter exorans, ut in conspectu divinitatis pro puero pius intercessor existat, & ne aliquando pes ipsius abscindatur, sua prece apud Dominum clementer obtineat. Non frustratur spe misericordiæ, sed desiderium piæ postulationis subsequitur effectus curationis. Puero, C namque ante sepulcrum soporato, sopitur incendium: caro quoque exusta, panniculis circumvolutis adhærens, à sana disiungitur: statimque dolore fugato pristinæ sanitati restitutus cum matre discessit. Vere Dominus ac Redemptor noster sponsionis suæ non immemor, qua dicit, Opera quæ ego facio & vos facietis; ea quæ Sanctos suos seculis venturis facturos spospondit, per hunc Sanctum suum in conspectu filiorum hominum mirabiliter operari non desinit: qui nimirum Salvatoris sui vestigiis adhærens, per vias vitæ & semitas gradiendo justitiæ, lenocinantis mundi blandimenta devitans, tanto liberius præsentis vitæ naufragio transnatavit, quanto districtius illecebrosæ carnis voluptates edomuit. Unde non immerito in illa beatitudine cælesti perpetuæ felicitatis munere ditatus, quam felix, quam gloriosus gloriæ Conditoris assistat, ex his quæ per eum Dominus operatur, liquido manifestatur.

Ioan. 5, 36

Sanantur mulier toto corpore inflata,

48 In castro S. Audomari mulier quædam, Christiana nomine, inflatione totius corporis laborabat: quæ à multis sapientibus consilium acceperat, & tamen ab omni sanitatis spe frustrata remanserat. Hæc sub hospita beati viri ancilla extiterat, & cum ea habitando familiaritatem ejus adipisci promeruerat. Huic quadam nocte Sanctus apparuit, & utrumne dormiret, requisivit. Cumque illa quis sibi loqueretur inquireret; ille se Fratrem Bernardum esse respondit: & ut ad se veniret indixit. Ad hæc ægrota respondente, se à lecto non posse surgere, & quo illum quæreret prorsus ignorare; Sancti preceptio urgebat, quatenus ad S. Bertinum, ubi ipse corpore requiescit, vel adducta vel advecta veniret, si sanitatem recipere vellet. Mulier igitur visioni non incredula, ad Sanctum se portari fecit. Quæ dum supra sepulcrum procumbens oraret, quidam eructuationis sonus à ventre ejus est auditus, & sic omnis inordinatus tumor ad nihilum est redactus. Factum mirabile non minus mirandum comitatur. Dum enim, pro miraculi novitate, omnis populus in laudem Dei voces attolleret; homo quidam, qui quatuor annis & eo amplius surdus extiterat, ibidem jacens obdormierat: sed ex tanto clamore excitatus, obstupuit, & quid contigisset reddito auditu inquisivit. Duplicato itaque miraculo, duplicatur & clamantis populi gaudium, & per omnia Sancti declaratur meritum.

surdus per 4 annos,

D 49 Femina quædam, Hedewidis nomine, de Villa nuncupata Carbeke, cum duabus aliis feminis, quas quasi in testimonium adduxerat, quinquennem filium ad Sanctum attulit: circa quem Sancti virtutem gloriose effulsisse, multis astantibus retulit. Ante Dominum enim Richardum *c* Archiepiscopum Cantuariensem & Magistrum *d* Walerunum Electum Roffensem, Magistrumque *e* Petrum Blesensem, & alios quamplurimos magnæ famæ Clericos, puer est allatus, & matre referente veritatis ordo in medium est prolatus. Mater siquidem, dum quadam die sedens in domo filium suum abesse conquereretur, frater ejus ad requirendum illum egreditur: quem in aqua suffocatum inveniens, pavitantium more obstupefactus, domum recurrit: & cum ejulatu magno miserandæ matri tristem eventum indicavit. Hoc mater audiens, tremebunda & pene exanimis ad lacum properavit: corpusque filii sui, quod adhuc capite deorsum verso in aqua jacebat, extrahit: sed nulla in eo vitæ signa reperire potuit. Omnes quippe qui aderant, mortuum eum esse dicebant, mortisque argumenta comprobantes, sanguinem, qui ab ore & naribus profluebat, ex cordis & intimorum diruptione profluere affirmabant. Mater E tamen de Dei clementia & Sancti patrocinio non diffidens, fidelis advocati implorabat auxilium: spondebatque quod Sancto suum cum muneribus, quæ habere poterat, adferret filium; cum quo & seipsum ad Sancti de cetero deputaret servitium. Mira dicturus sum. Vix mulier verba compleverat, & puer redeunte spiritu singultare cœpit, cælestique fotus medicamine, cito incolumitatem recepit. Hoc ordine, quo nostri styli processit rusticitas, mater filium suum adducens coram memoratis testibus, rei eventum notificavit. Per omnia benedictus Deus, qui Sanctum suum ita glorificare non desinit.

puer aquis suffocatus reviviscit.

Quidam linguæ usum recipit.

50 Dum aliquando Hospitarius noster in Anglia pro redditibus suis ivisset, nepos Presbyteri, qui unam parochiarum marinarum tenet, desperabiliter languebat; præsertim cum & in ore & in lingua ultra modum inflatus esset, & non solum loquendi, sed pene etiam respirandi facultatem amisisset. Cum igitur ex Presbyteri relatione languor nepotis Hospitario cognitus fuisset, S. Bernardi ille incipiens narrare magnalia, suadebat illis ut Sanctum fideliter invocarent, promittens præsumptibiliter, quia sanitatem æger reciperet. Ad hæc eum Presbyter verbis, æger nutu quo poterat, Sanctum interpellarent;

AUCTORE IOANNE EX MS.

monachus reliquias Sancti, quas secum habebat, capillos scilicet ejus, aqua intinxit; apertisque cum cultello ægri dentibus, ex eadem aqua modicum in os ejus instillavit. Mox medicamenti effectu subsequente, æger amissam penitus loquelam recepit, & inflationis & ulcerationis vestigiis evanescentibus, tertio die ad perfectum convaluit.

sanatur juvenis à cruris unius cruciatu gravi:

51 Juvenem quemdam, Anglicum natione, uno crure claudicantem & baculo se sustentantem, ad Sanctum venisse audivimus, cujus curationis ordinem subscribere deliberamus. Dum coram tumba Sancti clamans ille & tremens procumberet; monachus, qui ibidem pro reddendo responso sedebat, causam clamoris requisivit. Cui ille, Domine, inquit, indicibilem passionem in crure meo sustineo, & nunc solito acrius morbi mei infestatio me vexat; & ut mihi videtur, quasi vivum animal interius latens, ossa & medullam devorat. Monachus igitur super miserabili incommodo compunctus, Sancti lapide crus hominis signavit, & ad orationem eum exhortans dormire præcepit. Post paululum vero juvenis se melius habere dicens, surrexit, & sedens femur suum discooperuit; & quamdam ibi ligaturam amovens, stuppas sanguine rubentes à carne extraxit. B Cerneres itaque mirum in modum stuppas sanguine rubere, & tamen in foramine unde extractæ fuerant, sanguinem nullum apparere. Interrogatus autem de nomine infirmitatis suæ, dicebat, quod ab equo percussus fuerat, & inter saxa lapsus, tum ictu equi, tum repercussione saxorum in multis locis vulneratus extiterit; duobus tamen annis sanatus, nuper vulnera ejus sanie effluere cœperant, ita quod à quibusdam fistulam, à quibusdam vero vermem habere putaretur. Hujus rei causa ad S. Mariam de *f* Rupe-Madoli & S. Leonardum *g* peregre profectus fuerat: sed nusquam sanitatem adeptus, tandem ad S. Bernardum venit: & tali modo, ut præscriptum est, se ibi sanatum fuisse ostendit. Sed quia advena erat, publice & privatim eum probare studuimus: qui quoniam à prima assertione deflecti non poterat, & animam suam super veritate sua testem interpellabat, nos procul dubio dictis suis fidem adhibere cogebat.

moribundus & scabiosus,

52 Audivimus etiam hominem quemdam de Falconis-monte ad Sanctum venisse, qui se dicebat desperabiliter ægrotasse, jamque secundo pro mortis periculo salutiferis sacramentis communicasse. Dicebat etiam omne corpus suum universali scabie, ac C si leprosus esset, obtectum fuisse, sed per S. Bernardi suffragium, quem in auxilium suum invocaverat, tam à lepra quam à mortis discrimine evasisse. Coram populo etenim vestem dirupit, carnem suam ostendit: ubi quidem veteris morbi cicatrices adhuc apparebant, sed pauca vel nulla scabiei vestigia remanserant. Puer quidam manum vehementer inflatam habebat: pro qua mater ejus ceream Sancto manum spopondit: & puer, omni tumore & dolore sublato, sanitatem obtinuit. *curatur manus inflata,* Multa quidem & alia miracula à Sancto facta fuisse audivimus, sed cum sanatorum negligentia ea non publicaverit; ne verbositatis notam incurramus, nec nos scribere voluimus, quod aperte probare non poteramus.

item manus contracta:

53 Erat in castro S. Audomari mulier quædam, quæ uno anno vel eo amplius utrasque manus contractas habuerat, sed ad sepulcrum Sancti sanata, dum de modo sanationis suæ probaretur, plures de præterita contractione testes habuit, & quid sibi contigisset tali ordine manifestavit. Dixit namque quod nocte quadam quæ sextam feriam præcedebat, quædam reverendi viri effigies sibi apparuit, & de recuperanda sanitate consilium dans, ad fratrem Bernardum, qui in ecclesia S. Bertini requiescit, ire D præcepit. Mane autem facto dum visionem suam retractaret, de salute quodammodo secura erat; iter suum tamen pro debilitate corporis usque in crastinum distulit, Sabbato vero ad Sanctum ivit, & illuc perveniens caput & brachia intra foramina Mausolei ejus posuit, & sic ad orationem procubuit. Dum igitur aliquantulum sic procumberet, manus suas relaxari & digitos extendi sensit: femineæque levitatis imperio agitata, clamans & exultans à foraminibus prorupit; & contractas paulo ante manus, sanas & erectas ostendit. In territorio Furnensi puer molestia lapidis angustiabatur: pro cujus salute parentes sua vota offerentes, S. Bernardum precabantur: quodque pro lapide, si exinde liberatus esset, æqualem argenti quantitatem offerrent pollicebantur. Pollicitationem itaque, vel ut verius dicam, fidem illorum Sancti interventione prosequente, puer statim lapidem eminxit, & parentum veritas promissam argenti quantitatem fideli Patrono attulit. *puer calculo cruciatus,*

54 Puella Audomarensis castri indigena, deformiter inflata, lata magis quam longa apparebat: ad quam multi periti viri & medici accersiti fuerunt, qui unanimem de numquam recuperanda salute sententiam proferebant, quodque naturali hydropisi infecta esset confirmabant. E Hujus rei causa parentes filiam suam ad S. Bernardum adduxerunt, & tumorem ventris Sancti vinculis signari fecerunt. Post hæc domum reversi, advocato medico qui discernendarum infirmitatum sciolus erat, cum causam tumoris per phlebotomiam experiri vellent; puella in medium processit, & rejectis vestibus ventris tumorem resedisse ostendit. Taliter res gesta taliterque ad nostram notitiam perlata, multorum testimonio qui parentes & puellam noverant, est approbata. *& puella hydropica sanatur;*

55 O veneranda Sancti merita! O reverendus facer ille locus, ubi tam sancti corporis reconditum habetur pignus! Inter cetera enim miracula rem mirabilem accidisse vidimus, de qua si vera fides populi esse constiterit, absque falsitatis scrupulo affirmamus, quod per hunc Sanctum antiqua Apostolorum miracula restaurata viderimus. Puer siquidem qui credebatur mortuus, ad Sanctum allatus, cum super tumbam ejus fuisset positus, vitalis spiritus in eum est reversus. Quapropter monachus, qui ibidem pro reddendo responso aderat, cum ex his quæ acciderant obstupesceret, & utrumne vivus illuc adductus fuisset, vel ibi revixisset ignoraret; ad ejulantes mulieres quæ puerum attulerant se convertit, F & vivere eum dicens, increpando, à lacrymis cessare præcepit. Mater igitur, quæ hujus rei causa accurrerat, filium suum vivere audiens, præ gaudio, ut creditur, exanimis in terram corruit, ita quod nonnullis astantium plus matris exanimatio quam pueri mors terroris ingesserit. Post aliquot tamen horas matre ad seipsam reversa, cum de eventu rei solicitius inquireremus, summam facti ex illorum assertione, qui rei interfuerant, breviter didicimus. Dicebant namque quod puer diu in aqua jacuisset, nullaque, cum ex ea extractus esset, in eo vitæ signa apparuissent: quem nihilominus huc allatum mortuum esse credidissent. Probabiliter ergo fides populi hoc illius meritis factum esse credit, ad cujus tumbam puer prius vivus apparuit. *ad sepulcrum delatus, revixisse creditur puer, qui fuerat submersus:*

56 Mulier erat in civitate Atrebato, quæ dum dormiret subita passione percussa, distorto ore, cæcatis oculis, turpiter fuerat deformata. Cum igitur multa in medicos inutiliter expendisset, post decem hebdomadas, durante adhuc infirmitate, totam spem suam ad Dominum contulit, & fideles internuntios *deformata ore distorto, & cæcatis oculis,*

Thomam

A Thomam & Bernardum interpellans, quod eos laneis induta & discalceata requireret, devovit: & in eadem fere hora convalescens, integram cito sanitatem recepit. *primum voto facto;* Verum cum per negligentiam reddere aliquantulum differret, dolor redivivus rediit: quod neglectui suo juste imputans, iter promissum arripuit: nec tamen morbi sui infestatione caruit, donec ad Sancti nostri tumulum pervenit. *deinde eo dilata,* Unde licet utrosque Sanctos, Thomam scilicet & Bernardum in curatione suæ peregrinæ operatos esse credimus, Major tamen veneratio Sancto nostro videtur exhibita, ad cujus memoriam, ægræ sanitas est restituta. *iterum ad sepulcrum sanatur.*

b 57 Puer, de villa *b* Stenfort nuncupata, uno oculo per aliquot dies excæcatus, ad Sanctum venit: qui quia per integram hebdomadam devotionem pro posse suo exhibuit, amissi luminis claritatem recepit. *Curantur cæcitas unius oculi,* Adolescens quoque, hujus loci indigena, Philippus nomine, in uno latere paralysi percussus, quamdam in se mortis imaginem ostendebat: cui nimirum omnia lateris membra officere magis quam officium impendere videbantur: cum ea non sicut sua agere, sed tamquam aliena cogeretur post se trahere. *paralysis unius lateris,* Hic ad tumbam Sancti allatus, mirabili velocitate reddito amissorum membrorum officio, incolumitati est restitutus. B Ex eadem quoque infirmitate & similiter in latere puella vexata & insuper pene muta, ad Sanctum est adducta; & ab omni, quod patiebatur, incommodo est liberata. Homo etiam ex Bergensi oppido triennem puerum adduxit, circa quem Sancti pietas quam mirabilis exstiterit, nobis celatum esse noluit. *faciei adustio.* Ait enim, quod puer in ignem vehementer accensum ceciderit, adeoque facies ejus deformata fuerit; ut nec unus oculus nec nasus in ea appareret, magisque semiustæ carnis quam faciei speciem similaret. Cum igitur, inquit, homo ille, de infortunio meo lugerem, ad S. Bernardum, quem suis veneratoribus fidelem esse Patronum multotiens audivi, tota mente me converti, & quod eum una cum puero meo requirerem promisi. Sic igitur de eventu rei timidus, puerum, prout melius scivi, in strato suo reposui: altera vero die dum diligentius inspicerem, talem ut nunc videtis, inveni. Facies siquidem ex præterita adustione paululum rubebat, sed nasus & oculi integri & sani apparebant.

58 Multas præterea simplicium assertiones de Sancti miraculis audivi: sed sicut seriatim omnia revolvere superfluum videretur & nimis tædiosum; ita C nonnulla, veritatis testimonio probata, summatim perstringere fortassis non erit inutile. Quidam noster famulus, Lambertus nomine, uxorem longo tempore lecto decubantem habebat, pro qua vile satis munus, crus cereum, Sancto obtulit, statimque mulier sanitatem obtinuit. *Sanantur mulier ex morbo decumbens,* Puer quoque gravi passione vexatus, ad Sancti tumbam convaluit. *puer æger,* Juvenis item multo tempore unius brachii impotens, dum prope sepulcrum dormiret, visum est ei quod vermis superioris doloris loco per brachium in digitos descenderet, quem à se excutere volens, à somno exiliit: & adhuc ex visione territus, brachium quod pene mortuum fuerat elevans, seipsum signavit. *habens brachium pene mortuum,* Tali ordine homo convaluit, ac omnibus qui rem audiere, mirandi materiam reliquit. Alius item homo navem suam, per septem hebdomadas perdiderat: qui cum Sancto nostro ceream promisisset, amissam reperit; idque Sancti præconiis adscribendum non immerito judicavit. *navis amissa recipitur:*

59 Puer quoque circa genitalia morbiter inflatus, cum ruptus esse crederetur, parentes ad eum medicum adduxerunt, & inflationis causa inquiri debuerat. *puer ab inflatione molesta liberatur;* Inter hæc mater, naturali affectione magis sollicita, S. Bernardum sedulis precibus interpellabat; & juxta filii sui longitudinem ceream candelam faciens, hanc cum magna devotione ei promittebat. Altera autem die, cum causa infirmitatis inquirenda esset, puer omnino sanus erat, ita quod nec aliqua preteritæ inflationis signa in eo remanserant. Multa ejusdem generis miracula brevitati me servire suadent, quia non solum à fastidiosis immo etiam à benevolis lectoribus reprehendi potero, si in pluribus similibus rebus ubique longos tractatus facere voluero. Rem itaque magnam parva oratione concludens, quid in hac nostra insula contigerit, breviter explicabo. Puer parvus in aquam cecidit, ibique à tertia usque ad sextam jacuit. *puer submersus revivisci;* Post hæc facta inquisitione, in fundo gurgitis, facietenus limo inhærens, est inventus, ac deinde extractus. Hinc cum terra simul & aqua ab ore ejus excuteretur, nec aliquid in eo vitæ reperiretur; mater inter querulos planctus Sanctum frequenter invocavit: & circa horam Nonam mortuus revixit, ac omnibus qui adfuere laudandi atque mirandi causa extitit.

60 Ex castro S. Audomari femina quædam à S. Jacobo redibat, quæ subito cruris dolore redeundi difficultatem perpessa, dum post comites suos remanere debuisset; in hujus necessitatis articulo S. Bernardum in auxilium suum invocavit: quem mox adjutorem experta, altera die omnis doloris expers, iter cœptum peragere non est impedita. *curatur dolor tibiarum in muliere,* E Quodam tempore cum mercator ex præfato castro in Angliam venisset; invenit ibi suæ professionis hominem Fresionem: cum quo cum de artis suæ commerciis mutuam collocutionem haberet, Fresio ille de S. Bernardi virtutibus quærere cœpit, & quid sibi per Sanctum illum contigisset, argumentis adhuc apparentibus ostendit. *& duobus conjugibus Frisiis,* Referebat quidem, quod ipse & uxor ejus, uno tempore ambo inflatione & infirmitate tibiarum lecto decubabant: quibus cum Sancti nostri merita jam innotuissent, & ipsi eum in hac angustia invocassent; astitit eis per somnium reverendæ formæ vir, qui præcipiebat quod novo Confessori Bernardo in Flandriæ partibus cereas tibias vel deferrent, vel mitterent, & sanitatem postea reciperent. Exhinc igitur jam de salute non diffidebant, sed ad invocandum Sanctum, qui per visum ostensus fuerat, quotidiana devotione & per devotionem in salute proficiebant. Hæc nobis mercator noster retulit, & in signum hujus F rei quatuor tibias de cera factas, quas Fresio incolumis ei dederat, Sancto nostro apportavit.

61 Novi quemdam in cœnobio nostro monachum, de quo fidelium relatione comperi, quod per Sancti patrocinium à magna infirmitate meruit sanari. *hernia difficilis monachi Bertiniani sanatur,* Quia vero infirmitas nulli nostrum nota, partes secretas invaserat; nomen Fratris ne erubescat subticendo, tantummodo curationis ordinem scribo. Ab annis quidem puerilibus diruptus fuerat: qui cum inter prima miracula quemdam adolescentem ex eadem infirmitate sanatum vidisset, ad tumulum Sancti accessit, & pro familiaritate quam erga juvenem habuerat, audacius cum eo ratiocinando, taliter oravit. O Bernarde, succurre mihi supplici, quia te adhuc in hac mortalitate constitutum diligebam, & cum nihil de tuis miraculis scirem venerabar. Justitiæ namque (prout mihi videtur) ratio exigit, ut me potius quam extraneos cures: quia etsi latitudo caritatis etiam ad inimicos se extendat; affectuosius tamen amicos intra suum sinum congregat. Sic cum orasset, dormitum ivit: qui mane surgens, dum loca infirmitatis suæ consueto tactu confovere vellet, quid sibi Sancti

AUCTORE IOANNE EX MS.

Sancti intercessio præstiterit, integram sanitatem adeptus, agnovit.

62 In pago Bourbourgensi, villa Loon *i* nuncupata, homo quidam, Walterus nomine, sagitta percussus fuerat, ita quod ferrum per medium faciei transiens, ex altera parte pene usque ad aurem pertingebat. Sex itaque annis hoc incommodo laborans, cum nulla medicorum arte curari posset; ad S. Bernardum venit: eique promisit, ut si aliquando ferrum, quod in capite gerebat, extractum fuisset; similitudinem illius ex argento factam offerre paratus esset. Tali igitur promissione erga Sanctum astrictus, domum rediit: ac post aliquot dies sagitta ad superiorem cicatricem contra naturam quidem est regressa: tantumque de hastili, ferro adhuc inhærente, extra apparuit, ut forcipibus illud apprehendere difficile non fuerit. Ut autem perpendamus hoc non fortuito, sed miraculo evenisse, ferrum & hastile suum simul extrahi potuerunt; sed mox extracta præ nimia putredine, in manu extractoris dissoluta dissiluerunt. Homo igitur sanus effectus, juxta voti sui tenorem, ferri similitudinem de argento factam Sancto attulit; cujus relatu res ista ad nostram pervenit notitiam.

sagitta sex annis capiti infixa miraculo eximitur,

B

63 Quædam mulier ex Atrebato Sanctum peregre requisivit: quæ tres ad tumbam ejus candelas, & ad singula circum altaria singulas apposuit: deprecata est autem Fratrem custodem sepulcri, ut eas quamdiu ardere possent, non extingueret; dicens hoc à S. Bernardo præceptum esse, quem sibi veraciter apparuisse astruebat, sed utrum vel dormierit vel vigilaverit certum non habebat. Sex enim septimanas præ nimia faciei inflatione cæcata fuerat, cum reverendus vir, qui se Bernardum nominabat, ut dictum est, apparuit & de recuperanda salute consilium dans, sepulcrum suum in ecclesia S. Bertini adire præcepit. Quia igitur, sicut muliere affirmante cognovimus, visionem sanitas est comitata, jure res hæc inter miracula est annumeranda.

sanatur ex inflatione faciei cæca.

ANNOTATA.

a *Hic intelligitur Trajectum ad Mosam, Leodium inter & Ruremundam.*

b *Forte* Cirugicos, *quomodo sæpedictos medio ævo* chirurgos *invenies: sed neque sic sensus subsisteret, nisi loco per conjecturam emendato, qui talis erat in ecgrapho nostro,* Dum igitur cireticus hominum, parentum & amicorum expectat.

C

c Richardus, *successor S. Thomæ, mortuus est anno* 1188.

d Waleranus, *Waltero 26 Iulii anni hujus* 1182 *mortuo, electus, non diu præfuit, mortuus anno* 1184.

e Petrus Blesensis, *erat Archidiaconus Bathoniensis.*

f *Ita Latine reddi putavit locum qui vulgo* Rocamadoul *dicitur, revera autem* Rupes-amatoris *redditur. De famosi autem illius loci patrona Deipara historicam relationem scripsit noster Odo Gissaius.*

g S. Leonardi *cultus est in celebri Abbatia ejus in agro Lemovicensi: colitur is 6 Novemb.*

h Stenfordia *insignis & amœnus locus in agro Castetano.*

i Loon *ibidem prope mare inter Gravelingam & Mardicum.*

D

CAPUT VI.

Alia XII miracula: è quibus nonnulla à posteris adjuncta.

64 Ex territorio Furnensi homo, Lambertus vocabulo, de S. Jacobo rediens, quadam nocte, dum ad necessaria naturæ surgere vellet, super crus suum cecidit & pedem ac genu vehementis collisit, ita quod aut crus confractum esse, aut juncturam aliquam à sua compagine dissiluisse non dubitaret. Dum ergo hinc pro sua læsione, inde (quia post comites suos manere timebat) gravi dolore afficeretur; S. Bernardum in hac angustia sibi suffragari poposcit, cui etiam quod pedem & genu ex ferro adferret, voto se astrinxit. Sicque factum est, ut cum homo inter querulas preces obdormivisset, omnis simul dolor consopiretur; & mane reverso, ad peragendum diuturnum quotidie iter, nequaquam aliqua læsione impediretur. Huic veritati perhibet testimonium pes ferreus, cum genu dependens ad Sancti tumulum.

Genu & pes collisus curantur:

E

65 Extitit in pago Tornehem oriundus homo quidam, nomine Nicolaus, in arte carpentaria industrius & peritus: qui dum una die artis suæ exerceret officium, domumque Domino suo, Comiti scilicet de Ghisnes, ædificaret; morbo advolante, unius cruris sui virtute sub momento privatus est. Sagittæ *a* vero morbo nondum cessante, non diu immoratum est, cum admirantibus cunctis qui præsentes aderant, non solummodo cruris virtute, sed etiam à totis viribus suis ab articulorum suorum novissimis pubetenus in una parte sui destitutus est. Percipiens itaque tantam in se morbi rabiem insanire, ad domum propriam & uxorem suam, tum sociorum adminiculo tum baculi sustentamento, quocumque modo divertit. In hunc modum cum dolore gravissimo atque importabili totam diem illam præteriit. Sequenti autem nocte, morbo eum magis magisque infestante, adeo sui utrobique factus est impotens, quod neutrum crurium aliquamve quorumlibet artuum suorum compaginem movere valeret vel flectere. His & hujuscemodi ærumnis & cruciatibus per tempus aliquod angariatus, ad S. Bernardum advectus est: cujus inhærens tumulo, oculos à vigiliis, ora à precibus devotissimis, pectus à suspiriis ad astra pertensis, per totam unam hebdomadam non relaxavit, nec voti sui quidquam impetravit. Super hoc nonnulli condolentes monachi & etiam admirantes, timuerunt, ne & ipse eis illuderet, vel seipsum dissimulans sceleris cujuspiam inhiaret insidiis. Ea propter quidam de Fratribus rei veritatem volens extorquere, cœpit illius tibias palpare, contractare, huc illucque distrahere, dicens: Homo expergiscere, sustenta tibias, attenta si vigor earum revixerit. Qui dum attentasset, sustinere eas sine monachi adminiculo non potuit, sed inanes ac si carerent ossibus insimul corruerunt. Tunc quia diuturnis invigilaverat orationibus, & incassum; jussu Fratrum & admonitione ad domum suam reportatus est, nulla Sancti sentiens beneficia. Quo audito Comes de Gisnes ei compatiens, ad Audomarense castrum fecit eum reportari, & ibidem physico fideli & sciolo eum ad curandum commendavit. Cumque circa eum medicus laborasset per tempus innumerum, nihil ei salutis contulit, nihilque conferre potuit. Similiter & ceteri quamplures physici inutiliter in eo operati sunt.

a subitam paralysim, motu omni privatus,

postquam apud sepulcrum B. Bernardi integra hebdomada sedisset,

F

frustra experitur medicorum industriam

Tunc

A Tunc æger jam à principio prænominatus, contempsit medicos, contempsit herbarum vires, contempsit & carmina, reminiscens quia non est medicus homo quispiam sicut Deus. Et statim Dei misericordiam super se cœpit invocare: & ut facilius apud Dominum impetraret, coadjutorem atque interpretem Sanctum sibi prælegit Bernardum: vovitque nulli medicorum se deinceps committere, nullum habere *b* opificem præter Sanctum illum, quem jam prælegerat. Sanctum scilicet Bernardum, monasterio Sithiu requiescentem. Ab illo ergo die & sub ipsa etiam die, in qua Sancto vovit, Domino miserante & Sancto opitulante, cœpit curari, & in tantum meliorari, quod sub paucis diebus & quasi momentaneè pristinæ omnino restitutus est sanitati. Pulsa morbi læsione, tanta sub modio miracula recondere nec ausus est nec voluit. Unde Dominum laudans & Sanctum magnificans, ad nos venire non distulit; & eventus sui seriem retegens, coram omni nostra congregatione & populi secularis multitudine, quemadmodum scripsimus, veritatem istam ipse docuit.

denique voto se obligans B. Bernardo, *b*

sanitatem recipit,

B

66 Quanto igitur splendore virtutis, quantaque flagrantia beatitudinis gloriosus noster Bernardus Beatorum redolet universitatem; ad exemplum videlicet, ad eruditionem, ad correctionem; universis Ecclesiæ filiis gustu melius percipitur quam auditu. Unde illud: Gustate & videte quoniam suavis est Dominus. Magnificatus est ergo in conspectu principatus, & data est ei victoria super potestates tenebrarum, quia hic est filius Domino dilectus, in quo ei bene complacuit. Dum enim adhuc aura vesceretur, quam sincerum quam eximium in ara cordis holocaustum cremaverit [occultabat]: sed postquam naturæ solvit debitum, quantis signis, prodigiis, virtutibus elucens extiterit, quis arca mentis includere, quis indicio litterarum elucubrare, seu una voce valeat explicare. Civitas enim supra montem posita numquam delituit. Posset itaque beatus iste congrue dicere: Fac mecum, Domine, signum in bono, ut videant qui me noverunt: quoniam tu, Domine, adjuvisti me, & consolatus es me. Bernardus hic pauper & modicus pluribusque ærumnarum laboribus exhaustus, factus est Domino vivum verumque sacrificium, & templum inhabitationi divinæ dignissimum: recepit enim cum Lazaro in vita sua mala spontaneus, nunc autem consolatur. Multa quidem per eum operatus est Dominus haud perpetuo damnata silentio: verum etiam hoc tantillum succincta brevitate perstringentes, memoriæ applicabimus.

Ps. 33, 9

Gloria B. Bernardi ex multitudine miraculorum innotescit.

C

97 Erat quædam mulier, cui nomen Agatha, in villa vocabulo Thetinghem, *c* non longe à Bergis remota: quæ dum partu abortivum edidit, balneis, quæ summo desiderio tam ante quam post partum fertur affectasse, se intromitti fecit. Cumque res sic agitur, gravior & ardentior ingruit infirmitas: ita ut eam sine intermissione in balneis persistere compelleret, & posse & velle sine ipsis esse prohiberet: nam dum semel aut sæpius à balneis cessare tentabat, se subito de medio rapi, nisi statim eisdem reciperetur, clamabat. O miram rem & usque ad extremos orbis cardines incognitam! Si quando amici ejus, ab invisa illa aquarum mansione miseram extrahentes, detinere nitebantur, illa tum clanculo aufugit, & fossulæ, quam forte reperit, insiluit, utque ibidem suo insatiabili liberius indulgeret affectui, delituit. Dumque attentius perquiritur, post triduum ibi reperitur; extrahitur, domum adducitur, & non sine continuo amicorũ adjumento & caritativæ humanitatis obsequio (quia egens erat) circiter annos viginti duos & dimidium in hujusmodi miseria perseverare permittitur. Postremo sub imagine somni ei monstratum est, ad tumbam supra memorati Sancti præsentari, & ibidem ejusdem meritis pristinæ sanitati debere restitui. Quod illa suis narrare non distulit, sciens quod fama Bernardi certis loca pervolat alis, quia virtus Dei exibat de illo, & sanabat plurimos. Nec mora, ocius advehitur, nullatenus inde ab assueto liquore sequestrata; ad tumbam sæpius dicti Sancti exponitur: tandem non modica fidei constantia & norma confessionis solidata, balneis extrahitur; & statim tractus suspiriosos extorquens, & quasi rupto filo in fata properans, voce tam querula, tam clamosa malum illud execratur ex animo, non mentiens, donec per sacrosanctum Eucharistiæ Sacramentum divinæ gratia miserationis munitur: sicque factum est, & lecythus olei pauperi mulierculæ non defecit ad incrementum salutis; donec è miserando aquaticæ pestis ergastulo, meritis B. Bernardi penitus absolvitur, & balneis tam continuis ulterius non abuti docetur. Eja respicite, Fratres, quæso respicite, quomodo divinæ virtutes fidei nostræ munimen conciliant. Videte ergo ut imbecillitati nostræ plurimum proficiant. Reducite ad animos seculi prosperitates, temporum multitudinem, virorum sublimium pompas, matronarum gloriam, divitiarum abundantiam. Attendite & pensate, quoniam hæc omnia quasi nulla sunt, quia qui ista diligit, quasi somnum vigilans videt. Hæc igitur recordatio magna debet esse institutio. Illa ergo sunt appetenda, illa summopere diligenda, quæ inventa non transeunt, nec adepta deficiunt. Sed quia ad horum desiderium anhelare sine divinæ gratiæ misericordia nullus valet, oremus Omnipotentem Dominum, ut nobis & velle exigendi, & posse tribuat obtinendi: quatenus hic in suo vivere timore concedat, & post hæc in beati & gloriosi nostri Bernardi & Sanctorum consortio cum gaudio recipere dignum ducat.

c

delira mulier, in balneis continuo manere affectans

AUCTORE JOANNE EX MSS.

per annos 22

tandem ad sepulcrum B. Bernardi delata,

liberatur.

E

68 Nec minus silendum quod & alio tempore per eumdem Sanctum actum est, quem constituit Dominus redemptionem plebis suæ. Juvenis quidam in Burgundia fuit, cui reliquus pes, debiti vigoris non reminiscens, penitus aruerat, ita ut ipsum laborioso recessu secum traheret, & de cetero duorum solatio baculorum se sustentaret. Contigit ergo ut veniret in loco qui dicitur *d* Viscamp, sed cui locus iste tam celebris satis innotuit, vulgaribus auris mille aditus ubi plebs famæ peregrina ministrat. Nec latebat inhabitantis Viscamp rumor almicanus Bernardi, Sithiense scilicet cœnobium miraculosis portentis per eumdem Sanctum non modicum clarere, & longo benedictionis obsequio florere. Quibus auditis hilaratus ille, ut saltem divinæ gratiæ portiunculam tenore fidei mercaretur, in Sithiu venire disposuit, & alterum de duobus baculum, devotionis animante affectu, abjecit: reliquo vero contentus vix locum exierat, cum jam offensam pedis, prius mortui impotentique nisu subsequentis humumque verrentis, sentire didicerat. Venit ergo, & monumento Sancti divinæ liberationis obtentu accubuit. Sed & tu homo, tu quis es ut respondeas Deo? Sanctum quidem voce votoque sollicitasti; ille vero impetravit, quem dignum in conspectu Principis summi fidejussorem habuisti, quia erexit eum Dominus cornu salutis nobis, in domo Bertini pueri sui. Porro adolescens ille, cælestis medicinæ confectione gratuita in æde B. Bertini reficitur, receptoque pedis officio, baculum sustentatorium, quem solum, ut dictum est reliquo spreto retinuerat, ad testificandum

habens alterum pedem aridum sanatur.

d

F

AUCTORE IOANNE EX MS.

candum rei exitum populari spectaculo ibidem reliquit.

69 Illud quoque notandum scriptoque commendandum; quia puer quidam hic mortuus fuerat & revixit. Quædam igitur mulier, cui nomen Anna, venit de Bergis in castrum quod dicitur Audomari, ubi habitabat multis diebus, sortita jam filium, Ioannem nuncupatum, qui nonnullo jam adultus annorum numero, cœpit ad sepulcrum B. Bernardi cum coætaneis suis optativo & celebri studio quotidie currere, sedere & ludere, ut lenitas animi puerilis distrahit actus. Mater vero hujus videns memorabili tumbæ tam frequenter, tam diligenter adhærentem, candelam juxta staturæ ejus longitudinem Sancto vovit; eo quod noverat eum quadam ægritudine graviter torqueri, & ex hac indies deterius irretiri: ipsa tamen, eo quod nulla aut tenuis esset sibi substantia, voti propositum distulit. Post hæc puero flagitante, inquietante, plurimumque pro cereo perseverante, mater demum acquievit. At ille voti debitum solvit, & deinceps omnem corporis sui molestiam sopiri, matri asseruit. Postea vero circa horam diei sextam contigit ut nescio quo casu à ponte præcipitaretur, & ab injurioso torrentis hiatu absorberetur: dumque huc & illuc aqua cum impetu diutius inquietaretur, supervenientes quidam reperiunt, extrahunt & deferunt, fatali pridem frigore rigidum, & toto corpore lividum, nihilque in eo vitæ comperiunt residuum. Cui ut, si possent, aliquo experimento vitalem spiritum excitarent, capite dimisso, ut aquæ defluerent, partibus inguinariis manus firmiter apponunt. Dumque varias in eo astutias expendunt, nec proficiunt; ad tumbam Sancti corpus à matre portatur, & divinæ dispositioni melius commendatur. Illa vero ejulante de interitu filiali & debacchante, fit concursus utriusque sexus populi, præstolantis beatam spem & adventum gloriæ cælestis. Quid plura? Respexit Dominus in orationem humilium, & viro quodam reliquiis Sancti puerum signante, & dentibus cultrum interponente, & digito subsequente, puer digitum levi motu dentibus tenere cœpit. At ille videns faciem pueri jam rubefactam, testatur salutis accelerare subsidium, & jam mortis nullum habere vestigium. Nec mora, puer levatur, cunctisque admirantibus & de gratiosis virtutum exercitiis gratanter ovantibus, sanus & vivus per merita Confessoris redditur. O Virum ineffabilem! O si quis Virgiliano vel Tulliano dives eloquio adventaret, & ad scribendum de tali & tanto viro operam daret. Parvitas enim nostra non sufficit nec ullus unquam sufficere poterit ex omni natione, quæ sub cælo est. Quippe mulier illa, coram veneranda monachorum phalange & secularium collectione, mœrore prorsus exulante, cum filio læta fronte in medium processit: quæ de circumstantiis rerum interrogata se Brugis oriundam indicabat, & quà insula cœnobii nostri circumsepta vicinat, per multa temporum spatia habitasse, [& numquam alias causa Sancti se habitaturam affirmabat: de filio autem omnem rei eventum certis assertionibus exposuit, sicque omnem ambiguitatis nubeculam oculata fidei notitia enucleatius abstersit.

puerulus cereo oblato liberatur morbo:

B

& submersus,

ad sepulcrū reviviscit:

C

70 Quædam præterea mulier in vico quem, vulgari Vocabulo Brelum appellamus, Audomarensi castro contermina, ut tradunt, oriunda, dum vice quadam nihil mali in membris suis nihilque molestiæ sentiens, post diurnos labores se pausatum tradidisset, & post sub nocturno silentio, ut fit, sese huc atque illuc in lecto versaret; attonita est brachium suum sinistrum simul & crus ejusdem lateris, omnino non posse moveri. Cumque de inopinato infortunii malo querula hæsitatione quateretur, & illa duo membra, soliti penitus oblita vigoris, tam repente arefieri, stupida recordaretur, memoriæ Bernardus occurrit: & divinæ miserationis subsidium propter Sancti merita anhelo spiritu efflagitare cœpit. Postera autem die ad tumbam Sancti perducta, summæ devotionis intuitu exponitur; oratur; nec sic primo, nec secundo, nec tertio melioratur. Dumque sic decurso diei spatio de profectu fidei nihil ageretur, & à sepulcro propter horæ incompetentiam arceretur; sequenti tamen die revertitur, & instat precibus impetratoriis, Sanctique memoriæ sedula intentione spiritaliter incumbit. Quid plura? Oblata est obtutibus fidelium, quia pristinum in præfatis membris prius arefactis recepit solatium. Memini quamdam mulierculam ad Sanctum venisse, quæ referebat Sancti virtutem se mirabiliter expertam esse: & ut melius dictis ejus fides adhiberetur, commemorabat ex ordine, unde esset, quid passa fuisset, quidve Sancti meritis obtinuisset. Castri namque, quod *e* Abbeville dicitur, juxta suam relationem civis erat, & caduca passione jam multo tempore laborabat. Morbi sui incommodum ter omni die sustinuerat: & in aquis & in igne mortis periculum frequenter incurrerat. Cum igitur indesinenti infirmitate & mortis periculo anxiaretur, ad S. Bernardi patrocinium se contulit: & iter peregrinationis devote arripuit. Mirum itaque in modum ex ea die, qua peregrinari cœpit, usque dum ad Sanctum perveniret, nullam prorsus quotidiani morbi molestiam sensit. Et hæc nobis narrans, quia integram sanitatem se recepisse credidit; cunctis qui adfuerunt credendi & laudandi Dominum occasionem adduxit.

D

sanatur mulier contracta brachio & crure

E

& caduco morbo laborans, *e*

71 Quidam mercator causa mercimonii sui in castrum S. Audomari deveniens, cum gravi febre correptus fuisset, hospitis sui consilio candelam B. Bernardo devovit: sed cura rerum secularium eum alias trahente, votum minime persolvit. Sequenti itaque die mitigata febre sponsionis suæ oblitus, mare adiit, & in Angliam transfretans, Cantuariam usque devenit. Ubi cum redivivis morbi sui insultibus acerrime urgeretur, ad S. Thomam auxilii gratia cucurrit: sed nequaquam in prece persistens, ac per hoc forte nec salutem consequi valens, comperta physici præsentia, eum fecit accersiri. Quid plura? Interim cum medicus accersitus fuisset, Sanctus noster in visu febricitanti apparuit, eumque de voti transgressione redarguit, & dulci postmodum consolatione ægrotantem de spe salutis ita lætificavit: Si vis, inquit, salvus fieri, nullam ab homine medicinam quæras: sed spem in Domino constituens, sepulcrum meum adeas, sciens cum votum persolveris ab infirmitate tua liberaberis. Inter hæc homo à dulci somno excitus, jam se convaluisse credebat: statimque medicum & Angliam deserens, in Flandriam rediit; & cum voto suo ad Sanctum veniens, seque sanum ostendens, hæc de Domini ac Sancti miraculis fideliter enarravit. Homo, Michaël nomine, unum pedem penitus emortuum miserabiliter post se trahens, quadam die prope sepulcrum Sancti spe auxilii se collocavit: quem nequaquam spes sua

febricitans,

F

& in eam ob votum dilatum relapsus,

pede aliis claudus,

A *mulier contracta utroque crure*

sua fefellit. Jacens enim, novas in emortuis membris torsiones sensit; Sanctoque mediate divinum auxilium efflagitans, surrexit, stetit, & ambulavit. In territorio quoque Bergensi mulier utroque debilitata crure, quorum alterum contractum, alterum paralyticum erat, Sancti meritis incolumitatem obtinuit, & in signum obtentæ salutis baculos, quibus vice pedum nitebatur, Curatori suo devote obtulit. f

Puer in balneo submersus revivificat:

72 Puer de castro S. Audomari, in balneo submersus, satis evidentibus indiciis mortuus esse ostendebatur: quippe quem vitalis reliquerat halitus; pallor & nigredo deformaverat vultus, & rigor per totum corpus occupavarat. Flentibus ergo parentibus qui prolem suum videbant exanimem; fit magnus populi concursus; & vitam quam solus Deus reddere poterat, homines studii sui solertia revocare cupiebant. Nam alii ut receptum intra corpus aquam ejicerent, puerum per pedes capite deorsum pendebant; alii corpus rigidum nunc faciebant, nunc frigidum calefaciebant. B Sed cum omnem studii sui solertiam nil valere conspicerent, & hi qui sapientiores esse credebantur corpus sepeliri juberent; mulier quædam illud inter brachia arripiens, ad Sancti tumulum cucurrit, dicens S. Bernardum tantæ sanctitatis esse, ut Deus ejus precibus mortuum deberet resuscitare. Et quoniam mulier non hæsitavit diffidentia, non fefellit eam fides & erga Sanctum spes sua. Mox etenim ubi corpus exanime supra tumbam Sancti est depositum, sanguis per os & nares mortui exiliit, & revertente spiritu puer oscitare cœpit. Spargitur lætus rumor in populo, & nonnulli qui prius ad clamorem luctus accurrerant, ad vocem lætitiæ concurrentes astiterunt; qui dicerent: quod nequaquam imputarent hoc B. Petrum impetrare à Domino potuisse, unde plus de Bernardo quam de Petri sanctitate se dicebant confidere. Stulta quidem hæc fuit confidentia; sed quia de pia erga Sanctum affectione, potius quam de malitia processit, pie est excusanda; Sanctique virtus pro his & aliis miraculis jure prædicanda. Ad nostram quoque notitiam pervenit, quod homo quidam, infernali, ut dicitur, igne succensus, ibidem per Sancti merita fuerit extinctus. Multa præterea miracula in eodem loco evenisse audivimus & credimus: quæ quia per nostram incuriam sunt neglecta, & de rei gestæ ordine & sanitatum modo non satis docti sumus; eligimus potius silere; quam in aliquo falsitatis notam incurrere.

AUCTORE IOANNE EX MSS.

curatur ignis sacer,

ANNOTATA.

a *Sagittam appellat, celerem noxii humoris & dolorifici motum.*

b Chirurgi *Græca voce dicuntur, eam medicinæ partem professi quæ operi à Theoricis præscripto manum admoveri docet: hujus autem vocis vim exprimunt Franci & Flandri iis vicini, vocando* operatores, *quod Latinius* opifices *dici auctor hic existimavit.*

c *Scilicet non integra horâ intra orbem & littus vicini maris.*

E

d *Ita dicitur quasi* Fisci-campus, *in Normannia celebre monasterium, vulgo* Fescam, *alias* Fiscannum, *de quo pluribus actum 9 Ianuarii ad Vitam S. VVaningi.*

e *De* Abbavilla *Picardiæ oppido actum 20 Martii ad Translationem* S. *VVulfranni num. 4.*

f *Quod sequitur miraculum excerptum est ex una Homiliarum duarum, quas in Bertiniensi codice pariter descriptas inveniri, principio indicavimus: ubi auctor post commendationem aliquam laudabilis pœnitentiæ à Bernardo peractæ, sic transit ad id quod præ manibus est.* Verum illa scire volentibus, ad seriem vitæ ejus recurrendum esse relinquamus: & quod nuper ad tumbam ejus accidisse audivimus, feliciter enarremus:

DE S. VVERNHERO PVERO

VVESALÆ A IVDÆIS OCCISO, BACHERACI DEPOSITO,

AD RHENVM IN DIOECESI TREVIRENSI,

D. P.

ANNO MCCLXXXVII

C

A Iudæis plurimi pueri occisi,

*I*mmane seculis omnibus in Christum & Christianos Iudæorum odium fuit, qui illos quotidie devovent, & atrociter persequuntur, eorum pueros furtim abducunt & crudeliter mactant; potissimum illis diebus, quibus vel suum ipsi Pascha agunt, vel Ecclesia Catholica passionem & mortem Christi Salvatoris pie solet venerari. Ita S. Simon puer Tridenti, & S. Ioannettus puer in diœcesi Coloniensi, impie à Iudæis occisi, proponuntur in hoc opere nostro ad diem XXIV Martii; item S. VVilhelmus puer, Norwici in Anglia; & S. Richardus, Parisiis ab eisdem Iudæis interempti referuntur XXV Martii: ubi etiam agitur de aliis pueris simili perfida gentis rabie interfectis. Eodem modo à crudelissimis illis occisus Rudolphus puer, colitur XVII Aprilis; & S. VVernherus puer, de quo hic agimus, trucidatus est VVesaliæ, diœcesis Trevirensis oppido, in læva Rheni ripa, inter Bacheracum (ubi corpus occisi fuit depositum) & oppidum S. Goaris sito, in veteribus Itinerariis Vosavia *scripto, accolis* Wesel, *ceteris Germanis* Ober-Wesel *dicto, quod* superiorem Wesaliam *sonat, ut ab altera VVesalia, in Ducatu Clivensi, ad ejusdem Rheni dexteram sive Germanicam ripam, juxta Lippæ seu Lupiæ amnis confluentes posita, distinguatur.*

& S. Wernherus VVesaliæ in diœcesi Trevirensi.

2 *Acta martyrii, non diu post ejus obitum conscripta, extant; sed contracta, in antiqua Legenda Sanctorum, cusa Coloniæ & Lovanii anno octogesimo tertio & quinto post millesimum & quadringentesimum. Eadem postmodum a Laurentio Surio ex MS. codice descripta sunt, & mutata dictione ad hunc* XIX *Aprilis vulgata. Nos integra primævo stylo damus, ex vetusto codice in pergameno conscripto; olim collegii Paderbornensis Societatis Iesu, nunc permutatione aliorum librorum facto Domus nostræ Professæ Antverpiensis, & in ea Musæi nostri, in quo vitas Sanctorum prælo paramus. Inserta quoque reperiuntur, & pene ad verbum, nova Historia sive Officii Lectionibus: ex quibus supplementum antiquæ vitæ in Annotatis dabimus:*

F *dantur ex MS. Acta martyrii antiqua*

& Epitome:

3 *Ceterum nulla res magis nos iuvit ad gloriam sancti pueri illustrandam, quam insignis Collegii nostri Trevirensis Codex membraneus, sub fide Notariorum septem fidelissime descriptus anno* MCCCCXXIX, *studio VVinandi Pastoris Bacheracensis, ad B. VVernheri cultum promovendum & solennem ejusdem canonizationem impetrandam, zelosissime satagentis: cujus voti compotem factum persuaderet Legenda recentior, Vesontione post annum* MDXLVIII *scripta (ubi dicitur VVernherus, sive ut ibi scribitur Vernerius,* à Martino v Pontifice maximo in Divorum catalogum relatus) *si vel minimum hujusmodi assertionis fundamentum appareret in aliquo vetustiori auctore Tunc autem*

tum ex Processu ad canonizationem

AUCTORE D. P. autem id factum esse debuisset ultimo anno Martini, qui fuit post mortem Sancti, non CXX annus, ut dicit Legenda illa, sed CXLIV. Dabimus ex ea historiam translati Vesontionem digiti, cujus occasione assumptus ibidem est in Patronum Viticolarum, erecta sub ejusdem nomine Sodalitate: (datur, ante ultimam inventionem) & huic gratificari volens Fr. Eusebius Capucinus Legendam prædictam Gallica reddidit, vulgavitque anno MDCXXI. Sed prius quam agamus de reliquiarum in partes exteras avectione, proferemus in lucem multa illustria documenta, ex dicto codice Trevirensi accepta: rem autem totam concludemus narratione inventi denuo corporis anno MDCXXI, dum immortalis apud Belgas memoriæ Heros Ambrosius Spinola, Regis Catholici arma per Palatinatum Rheni circumferret. Titulus Ms. faciebat istius narrationis auctorem P. Thomam Sailly Societatis Iesu, Superiorem nostrorum tunc in castris ministrantium. Certe ab eo ejusque socio, ut gesta res sic & subsignata relatio fuit. (Synopsis antiquiorum,)

4 Porro Treverensis, quam dixi, Codex, aliud non est quam Processus, juridice formatus, auctoritate Apostolici Legati, Iordani Cardinalis Vrsini, anno MCCCCXXVIII, prædicti Papæ Martini anno XI; cui verbotenus inseruntur omnia de S. Wernhero monumenta, usque ad illum annum jam inde ab ipsius passionis tempore, publicis privatisve litteris consignata; ex quibus hoc loco post Historiam B passionis ejusque Epitomen jam indicatam, dabimus primo Synopsim miraculorum nonaginta, intra primos duos à martyrio menses patratorum: deinde Narrationem detecti anno MCCCCXXVI corporis, atque in novam arculam repositi: (& historia recentiorum miraculorū,) quam solennissimam actionem secuta sunt evidentia miracula complura, undecim publicis Instrumentis testata: quæ instrumenta pene integra damus, & vocamus Historiam miraculorum recentiorum. Ac tandem colligentes initium & finem Processus, interrupti productione tum eorum quæ jam dixi, tum aliorum quæ brevitatis causa omittuntur & in Annotatis dumtaxat indicantur, monumentorum; venimus ad examen ducentorum undecim Testium; quod prolixissima deductione medium ferme codicem implet. Nos autē, prout in S. Francisco Paulano alisq; fecimus, eorumdē depositiones tali digessimus ordine, quo nihil lateat ad historiam faciens, & caveatur tædium, ex rudi indigestaq; mole lectori proventurum; nec tamen quidquam deficiat necessariæ auctoritatis, dum ipsis Testium verbis omnia efferuntur, addito cujusque nomine, conditione, ætate ac scientiæ causa. (cum depositionibus Testium 211)

5 His ita deductis, quid attinet rei gestæ testimonium ab Annalium scriptoribus petere? Dabimus tamen ex Boemundi Archiepiscopi Trevirensis gestis Mss. illustre compendium Passionis istius: de qua etiam agunt Henricus Stero Altahensis in Bavaria monachus, in Annalibus à Marquardo C Frehero tomo I scriptorum Germanicorum editis, tunc cum res gesta est vivens; & Steronis æqualis Siffridus Presbyter, lib. 2, Epitomes inter scriptores editos à Ioanne Pistorio; & Trithemius in Chronico Hirzaugiensi. Accuratissimus inter eos Siffridus ad annum MCCLXXXVII, Hoc anno, inquit, felix adolescens Wernherus excruciatus est à Judæis, & occisus in die Parasceves, ad littus Rheni fluminis, in civitate Wesalia, & in oppido Bacherach sepultus: cujus sanctitatem miracula ibidem protestantur. Trithemius ad eumdem annum Abbatis Crafftonis anno quinto, Judæi quemdam puerum Christianum, ex villa Wamraid oriundum, furtive rapientes, ad oppidum Wesaliense juxta Rhenum secum abducunt, eumque pro recipiendo sanguine ejus, XIII Kalendas Maji, acubus & cultris pungentes, post longum martyrium crudeliter occidunt. Erravit tamen in eo quod furtim raptum Wesaliamque adductum credidit, qui ultro eo venit suamque operam Iudæis pro mercede locavit: cetera verius, ubi ait, cujus corpusculum in oppido Bacherach humatum usque in præsentem diem, idest, ad annum circiter MD, in quadam capella ostenditur incorruptum, & ab incolis loci pro Martyre veneratur, signisque claruisse multis dicitur. Stero eam- (Annalium testimonia de passione & miraculis ejusdem,)

dem miraculorum famam pro suo tempore verbis fere similibus expressit, sed erravit cum Pacherat adscripsit D diœcesi Herbipolensi; magis autem cum signavit annum MCCLXXXVIII.

6 Etenim annus martyrii certissimus, nec in dubium revocandus, est millesimus ducentesimus octogesimus septimus, quo Pascha celebratum fuit VI die Aprilis: & consequenter (quod valde notandum est) festum Ascensionis incidit in XV Maji, & festum Pentecostes in XXV ejusdem: qui dies aliique plurimi, cum suis Dominicis & Feriis, accuratissime signantur in Synopsi miraculorum, quæ mox ob obitum ejus sunt patrata; incipiendo à Vigilia Apostolorum Philippi & Iacobi idest ab ultima die Aprilis, quando credimus corpus cum solenni pompa juxta Bacheracum in ecclesia S. Cuniberti depositum fuisse. Historiam vero Passionis legenti apparet, inter diem cædis & diem depositionis prædicta dies haud multos fluxisse; ut dubitare non possimus, utrum (quod dicitur in fine ejusdem Historiæ, & omnes alii tam coævi quam posteri scriptores sive in Annalibus sive in Sanctorum Fastis notavere) passus sit S. Wernherus tertio decimo Kalendas Maji. Verum difficultas est quomodo cum hoc consistat, quod in iisdem Actis dicitur idem S. Wernherus, cum in Cœna Domini corpus Christi sumpsisset captus à Iudæis; quodque exinde deductum velut consequens, post annos centum quadraginta, Winandus E Pastor Bacheracensis inseruit nova historia seu Officio à se composito, obiisse Wernerum ipsa die mortis Christi aut sepulturæ. Miraus, scriptor alias accuratus, nullam hic difficultatem animadvertens, in Fastis Belgicis atque Burgundicis scripsit, quod Iudæi anno MCCLXXXVII die Parasceves, qui tunc erat XIX mensis Aprilis, in Vesalia superiore Wernerum adolescentem forcipibus & cultro dilaniarunt. Difficultas autem in eo est quod dicto anno Pascha fuerit celebratum à Christianis die VI Aprilis, atque adeo Cœna Domini die ejusdem mensis III. (occisi anno 1287, 19 Aprilis)

7 Observo igitur Iudaicum Pascha, quod dicto anno MCCLXXXVI celebratum fuerat die XXV Martii Feria III, juxta resolutionem Rabbinorum Amstelodamensium de hac re consultorum, impiis fuisse præteritum, quando in manus ipsorum sanguinolentas venit innocens Wernherus; adeoque eosdem nihil causa habuisse, quo minus destinatam cædem different in aliud quodvis sibi opportunum tempus. Distulisse autem illam ad dies saltem quatuordecim, credibile mihi facit, monitus ancillæ indicio Sculteus, & ad eam in qua Wernherus detinebatur domum accedens: qui licet pecunia delinitus in suorum tortorum manibus dereliquerit adolescentem, nequidquam obtestantem ut ejus jussu dimitteretur: non credo tamen id fuisse facturum, si ipsi crudeli carnificinæ superveniens tam immani in scelere deprehendisset F Iudæos, à quibus quantamlibet pecuniæ summam potuisset extorquere, ob manifeste designatum licet non consummatum facinus; ipsumque Wernerum metu gravioris mali obligare ad tacendam injuriam sibi irrogatam. Neque vero magnus hic error fuerit, si initium finemque passionis conjunxerint ii qui rei gestæ seriem, non ex ipsa Iudæorum confessione, sed ex indiciis parum distinctis cognovere: ipsius autem hanc puto fuisse seriem. Primo redeuntem à sumpta Communione Wernherum (quod utrum ipsa die cœnæ Domini an alia intra Paschale tempus fecerit, puto ex relatione tam parum accurata haud satis constare) conati fuerint eamdem extorquere, suspensum in caput retinendo aliquamdiu: cum autem id non succederet, servatum adolescentem ad consilia alia postea sumenda: quæ cum ancilla Christiana subolfecissent, merito formidanti ne primis deteriora succederent, adierit illa Sculte tum & significarit quomodo herili in domo Christianus quidam habitus fuisset atq; etiamnunc teneretur, verosimiliter occidendus: Iudæi autem ingressum ad se Schultetum præoccuparint, aliam quamvis detentionis causam mentiendo, & sic efficiendo ut ipse externi & pauperis adolescentis, prætensas rationes refellentis, defensionem non satis æquus audierit; ejusque adversariis, periculum excusantibus turbarum si publice à Sculteto educeretur (cum feria I initio mensis fuisset in manibus Iudæorum, securitatem peragendi sceleris prætendentium.)

A *cernitur, ac promittentibus illum clam educere, consensum praebuerit, nihil ultra solicitus. Tunc vero dies aliquot expectaverint Iudaei, si forte interim requireretur à consanguineis aut notis: cumque nihil à quoquam moveri viderent, tutumque crederent quidvis audere, rursus convenerint ad eum excruciandum die* XVII *Aprilis, illaque & sequenti feria* VI *habuerint in tormentis, sub quibus tandem spiritum beatum efflarit die* XIX. *Et tunc quidem nihil egerint circa cadaver, ne sacrosanctum suum scilicet Sabbatum violarent, postera autem Dominica die extulerint atque inter vepres abdiderint; ubi prodigiosis nectium aliquot luminibus indicatum vicinis, & Bacheraci in praetorio expositum fuit, donec in sacello S. Caniberti deponeretur: ad qua omnia sufficiunt decem illi dies, qui usque ad finem mensis restabant, unde sumitur initium narrandorum miraculorum.*

8 *Atque haec de anno ac die martyrii satis dicta sint: ad Processum praememoratum, à quo digressi sumus, quod attinet, totus is potissimum eo spectat, ut evidentissime comprobetur perpetuus & celeberrimus fuisse cultus.* S. *Wernheri, tamquam certi ac indubitati Martyris: ideoque inter alia talis cultus argumenta appenditur à Notariis, Processum concludentibus, quod ejus imago in templis depicta conspiciatur cum palma, corona, & diademate, tamquam sanctitatis, virginitatis & martyrii symbolis, & quidem inter alios Sanctos. Igitur etiam in fronte Codicis Trevirensis conspicitur pictura non inelegans, ubi inter SS. Andream Apostolum &* B *Cunibertum Archiepiscopum medius consistit S. VVernherus, in penula rubea, cingulo pretioso ad stricta, coronatus serto gemmis distincto, & caput circulo Sanctis omnibus communi circumdactus; manu quidem dextera palmam & cultellum, necis suae instrumentum, praeferens; Sinistra vero innixus supra alveum ligneum, figura ovalis, tamquam conquirendi victus instrumentum (nam terra egerenda praetextu ad Iudaicum hypogeum inductus narratur) eodemque facit putatorium ferrum, longiori infixum manubrio, quod praedicto alveolo acclinatum cernitur; quale etiam sepulcro ejus illatum, postea repertum est cum ipso corpore. Similiter in medio codice, ubi Officium Missae pro S. VVernhero compositum proponitur sub nota, cum Introitu unius Martyris tempore Paschali,* Protexisti me Deus, *in capite palmaris littera* P, *unde illa Missa incipit, ipse in eodem schemate assidet, dextram cum cultello & palma super genu reclinans, sinistra tenens suum illud putatorium, erecto sursum ferro, satis lato ac triangulari; alveolus autem ad dextrum latus jacet, super floridum pratum, asperis rupibus circumcinctum, ut Rheni ripam aliquam videatur pictor exprimere voluisse.*

Imago ut Sancti inter Sanctos depicta.

C

HISTORIA PASSIONIS

Ex Ms. Antverpiensi Societatis IESU.

PROLOGUS I.

1 WErnherus dicitur, secundum quod sonat Teutonicum *a*, Abactor vel *b* Praemonitus, quia à se tres abegit inimicos, & vita sua docet abigendos, vanitatem videlicet mundi, invidiam diaboli, & desideria carnis. Primo à se abegit vanitatem mundi, per virtuosam simplicitatem, & manuum suarum operationem; secundo suggestiones diaboli, per vitae innocentiam, tertio desideria carnis, per virginalem puritatem: vel quia abegit à se infidelitatem, per fidei integritatem & veram religionis Christianae confessionem; ambitiosam hujus mundi vanitatem, per sui contemptum & amaram passionem; carnales delicias, per virginalis continentiae integritatem.

a b Nominis etymon & mystica ratio:

2 Et propter haec tria promeruit praerogativum triplex, videlicet Martyrum, Virginum, & Confessorum. Primum promeruit per amarissimam martyrii palmam, non quidem subito ut multi Martyres, quia triduum puer pius & Catholicus suum continuavit martyrium, martyrium utique novum, stupendum, & singulare. Primo namque iste Martyr inclytus, loco Christi passus est: quia dum Judaei ipsum corpus Christi verum habere non poterant, exarserunt in ipsum corpus mysticum. Secundo in ipso Christus passus est: videntes namque Judaei quod corpus Christi verum ex ipso extorquere non possent, illud tamen venerabile Sacramentum, cui contumeliam inferre intendebant, affecerunt tormentorum contumeliis in ipso puero. Tertio in Christo passus est, quia per illud venerabile Sacramentum fuit ille benedictus puer Christo incorporatus, in Christo manens, & Christus cum eo. Quarto Martyr Christi passus est cum Christo, quia eodem tempore, & eodem die, quibus illud mysterium ab Ecclesia frequentatur *c*; vel quia realiter per passionem secutus est servus Dominum suum. Quinto pro Christo, quia dum perfidi Christum regnantem in caelis persequi non possunt, persequuntur pro eo Christianum ejus cultorem. Sexto pro Christo, quia sicut Christus passus est, ut fieret & salvaretur Christianus, sic Christianus patitur propter Christum, ut exaltetur fides Christiana, & glorificetur Deus. Beatus ergo qui persecutionem patitur propter Christum. Habes passionis causam. Sileat vel nunc insipiens & stulta lingua, cui opera Dei non sapiunt, privatus sapore sapientiae praedulcissimo, orbatusque lumine fidei serenissimo. Secundum vero promeruit per virginalem puritatem. Tertium praerogativum promeruit per veram fidei ac Christianae religionis confessionem, tum quia Judici venienti se cum exultationis voce inclinavit, ac si diceret; Diligite justitiam qui judicatis terram. Quam cum Judex impius & iniquus dissimularet, declaravit tam Judici quam Judaeis Dei misericordiam, ut eos emolliret, ut se converterent, dicens: Si tu mihi non subveneris, subveniat mihi misericors Deus & dilecta ejus Mater. In quo tamen praecipue Judaeorum percussit perfidiam, dum eis gloriosam Virginem matrem Dei dilectam innotesceret, & hoc mirabiliter cum exultationis voce. Quis est tam duro corde, qui haec audiat, & corde percipiat, non compungatur corde, non spiritu inardescat compunctionis, nec compatiatur tam innocenti & pio puero? Corpus quidem ejus amarissime torquebatur, & spiritus ejus exultavit in Domino. Haec est vera Sanctorum patientia, in tribulatione gaudere, benignum esse ad suos persecutores, & pro eis orare, exemplo Domini, qui dicebat: Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt.

triplex praerogativa, Martyrii, virginitatis, confessionis. Sap. 1. 1 EX MSS. D E F

ANNOTATA.

a *Non placet etymologia. Est quidem* Weren *Teutonice*, abigere, defendere: *sed hinc formatum participiale*, abactor, defensor *esset* Wêrer *non* Wernher. *Dico ergo nomen esse compositum, & pastoritiae conditionis puero aptissimum, ex* Wêr *vervex, pluraliter* Weren *seu* Wêrn *verveces, &* herr, *Dominus: quasi dicas* Dominus ovium *seu* vervecum; *sic vervecina seu ovilla caro*, Wern-vleisch, *communissime vocatur: &* Wernfridi *nomen*, Pax ovium *seu* ovium pacificator *redditur*.

b *Legenda impressa* praemonitus: *parum apte: quamvis nec satis apte impressum alibi* praemunitus, *quasi* Weren *Teutonice idem sit, quod praemunire; aut quasi in nomine* Wernher *sit aliqua apparentia participii passivi. Fuit hic temporis illius stylus, ut Sanctorum Legendas ordirentur scriptores à nominis etymologia, in ea non tam spectantes veram originem (quam plerumque ignorare non poterant diversissimam esse) sed allusionem sive similitudinem*

EX MSS. *dinem aliquam ad voces idoneas instruendæ laudationi, quam animo præconceperant, uti hic factum apparet.*

c Sequentia desunt in Legenda Coloniæ excusa: nec vero magni momenti est totus hic Prologus: qui alterius omnino auctoris esse videtur, & postea adjectus, sumpta materia ex sequenti & genuino primi auctoris Prologo: qui tamen à Surio & in antiqua Legenda omissus fuit.

PROLOGUS II.

Utiliter memorantur Acta SS:

3 Wernheri sancti pueri, Christi loco passi, natalitium pertractantes, dilectissimi, quamvis beata vita Sanctorum florida maneat immarcessibili coronâ æternaliter apud Deum omnipotem, & eorum nomina beatæ vitæ liber adscripta seclusâ quacumque oblivione retineat jucundissime nihil tamen Christianæ religioni obsistere æstimamus, si eorum merita mente crebrius revolvamus, gestuque illorum pro nobis commemoramus, & conscripta posteris notificamus, quorum juvamine & precibus nos adscribi speramus in cælestibus. In Sanctis enim suis gloriosus Deus Jesus Christus, & in majestate sua mirabilis (cujus ineffabilis altitudo providentiæ, nullis inclusa limitibus, nullis terminis comprehensa: qui recti censura judicii cælestia pariter & terrena disponit) etsi cunctos ejus ministros magnificet, altissimis decoret honoribus, & cælestis efficiat felicissimos beatitudinis possessores; B illos tamen, ut dignis digna rependat, potioribus altioribusque erigit insigniis dignitatum, & præmiorum uberiori retributione prosequitur, quos digniores agnoscit, & commendat ingentior excellentia meritorum. Nostra inde pro salute provenit, ut ipsa quæ de vita ac natalitio beatissimi pueri Wernheri certissima majorum relatione scripturâ & ipsius Legendâ, necnon Officio, quasi tripartitâ verbis & dulcissimâ melodiâ transacto ævo redolenter compositis, agnovimus, perlegimus, & diligenter pertractavimus, segniter præterire non debemus. Justum enim & dignum est, illum piis commendare memoriis Christifidelium, in quo Christus, & cum quo Christus, & pro quo Christus passus est; & cujus patientiâ exemplariter ad æternam vitam erudimur.

ut præsertim hujus Martyris,

NARRATIO.

4 Electus ergo à Christo Wernherus Martyr & Virgo, fere quatuordecim annorum, de C villa *a* Wammenrait, infra dietam à *b* Bacheraco, ubi requiescit, oriundus fuit, simplici stirpe rustica, sed cultu Christi nobilissima, religione Christianus, & Christi fidelis; puer simplex, humilis, pius & timoratus, puritateque virginali redimitus, & rusticalibus se nutriens laboribus: qui quantum vires admittebant, panem suum in labore & sudore quæsivit, de hoc & quantum potuit pauperibus pie erogavit. Felix itaque iste puer legitur, ut *c* præfertur fuisse simplex & timoratus, & mortem habuisse in his sibi consonam; sed ambos vitricum persequentem. Unde pius puer, persecutionem vitrici declinans, & arida terra errans, *d* fame sitique fortiter laborasse, & post acceptum panem caritativum à *e* pastoribus, etiam valenter sitientibus, sui baculi infixione in terram, pro extinctu sitis, beneficium largissimi fontis in Christi nomine, tam sibi quam illis tam ardenter sitientibus dicitur ministrasse.

a b S. Wernherus rusticus puer,

c vitricum fugiens

d e fontem baculo elicit:

5 Post hoc veniens ad Imperiale oppidum Trevericam Wesaliam, in ea laborem, quem quæsivit, invenit. Hunc itaque juvenem perfidi Judæi, in eodem oppido commorantes, callide ad laborem inducunt; ad quem se promptum reddit: sicque ad profundum ergastulum pro portando terram puerum induxerunt. Instante autem solennitate Paschali, dixit puero hospita sua, apud quam hospitabatur: Certe, Wernhere, cave te à perfidis Judæis: quia instat dies parasceves. Sine dubio te comedent. Respondit puer columbina simplicitate perfectionis verbulum, & veræ spei in Christo expressivum; Hoc, inquit, committo Deo. Veniente igitur sacratissima die Cœnæ Dominicæ, puer vere Catholicus & Christo devotus, Confessione sacramentali præmissa, à suo Sacerdote Corpore Christi devotissime communicatus est. Et eodem die à perfidis Judæis callide ad quippiam operis faciendum in eorum domum *f* allectus. Et sic die Parasceves, in qua omnis Christianus, compatiendo amaræ morti Christi, se humiliat; hunc sibi perfidi Judæi tamquam aptum pro suo repetunt facinore. Unde absque mora suum ostendunt furorem. Nam primo apprehendentes puerum, obstruxerunt vocem ejus, per globum plumbeum ejus ori impressum, ne vociferaretur. Deinde ligaverunt sive suspenderunt ad statuam *g* ligneam, ad hoc paratam, per pedes sursum & caput deorsum, ut haberent corpus Christi verum, quod eodem die benedictus puer acceperat. D f g

Wesaliæ operam suam Judæis locat,

ut Eucharistiam eo die sumptam per os reddat frustra tentant,

6 Sed frustrato eorum studio, se penitus dederunt ad martyrizandum corpus ipsum mysticum, & ad tollendum ejus vitam & sanguinem; & sic cum flagellis varia & profunda in corpus ejus inflixerunt vulnera. Accipientes nihilominus cultrum, quod usque hodie penes ipsum continetur, inciderunt venas ejus per omnem partem corporis; nec non cum forcipibus, in pœnam etiam amarissimam, de venis sanguinem expresserunt in pedibus, manibus, collo & capite, sic quod nulla apparuerat in eo sanitas. Sic perfidi Judæi illum sanctum puerum triduo tenuere suspensum in illa statuâ ligneâ donec *h* cruentare desiit, versando sæpe corpus, modo caput sursum, modo deorsum. E h

vacuatur sanguine:

7 In hac domo Judæi famulam habuerunt Christianam, quæ secreto vidit hoc martyrium; quæ tacta dolore cordis intrinsecus, accersivit Judicem, *i* Sculterum tunc Wesaliensium, ipsumque adduxit ad locum certaminis, non absque ingenti stupore Judæorum. Ipsi tamen muneribus & salario, valde multo liquefecerunt Judicem, ut averteret sensum suum, & declinaret oculos suos videre cælum, neque recordaretur judiciorum justorum. Cumque puer intuitus fuisset Judicem, cum exultationis voce pro sui liberatione temporali se inclinavit. Sed Judex, capta iniquitatis mercede à Judæis, puero in tormentis posito adjutorium negavit. Tunc benedictus ille puer neganti respondit: Si tu mihi non subveneris, subveniat mihi misericors Deus, & dilecta ejus Mater. i F

Deum & Dei Matrem invocat:

8 Sicque sancto puero à Sculteto derelicto, & à Judæis interfecto, mox cum dies abscesserat, & se cœca nox adduxerat, acceperunt sancti Martyris corpus, suo rubricatum sanguine: & per mœnia clam ascendentes, ut factum nulli panderetur, in aquam festinarunt, & paratas naves intraverunt, ituri ad Maguntiam. Deus autem, cui cuncta patent, eorum destruxit calliditatis consilium, quod ipsi omni sua fortitudine, in hac noctis longitudine, hunc thesaurum ultra unum *k* milliare non poterant deducere. Cum orto sole ipsorum falsum cor multum tremefactum, & cura ingens illos circumclusit omnes, qualiter ipsum inclytum Martyrem abscondérent. Nam artem invenire nequibant, quomodo illud corpus in aquis submergerent: sed in valle prope Bacharacum parvulâ cryptula apparuit, septa spinis atque vepribus, ubi nunc S. Wilhelmi *l* Ordinis clau- k l

corpus, quod avehi longius non potuit,

inter vepres abjicitur.

A claustrum, dictum Wyndesbach, est situm; ibi sancti Martyris corpus projecerunt, & mox inde recesserunt.

cælesti luminis illustratum, 9 Sed Dei Filius hoc diu noluit latere, ostendens illico sua miracula. Nam cunctis circum vigilibus castrorum, claritas luminum illuxit tempore noctium; quod illi non absque admirationis stupore declaraverunt. Inde corpus mox repertum, & adhuc suo rubricatum sanguine, & panis cæli dans odorem: portatur inde, occisorum *m* consuetudine, ad aulam Judicialem [oppidi] Bacharacensis & rei gestæ comperta veritatis serie, & omnibus mirantibus odorem miræ suavitatis ab ejus corpore exhalantis, & claritatem quæ nocte ejus beatitudinem declarabat, cum affectu devotissimo & condigno, deportabatur ad capellam S. Cuniberti *n*, in colle montis prope parochiam situatam, ibique fuit interratus, & proprio sanguine convolutus, habens in capite sertum aureum seu vittam, pro signo suæ virginitatis, subtus cussinum sericeum violis repletum; & in capite peplum ex serico multiplicatum, in suæ innocentiæ & sanctitatis signum; nec non de subtus putatorium, pristini laboris sui instrumentum.

repéritur, m

n honorifice sepelitur, ut Martyr.

B 10 Fuit quoque Sanctorum more supra terram ad palmam in tumba quercina solidissima, cum parvula tumbula cedrina, venerabi liter inclusus, & seris fortissimis seratus. Ex tunc cum gloriosis ad locum hunc deponitur ceremoniis, & illico affluunt populorum utriusque sexus diversæ multitudines, ad tam novæ rei stupendum spectaculum. Quorum gratia etiam Judæorum famula, Christianæ religionis mulier, quæ ea quæ de puero hoc sancto scripta sunt vidit, & compatiendo audivit; aperit modum per ordinem, & gestæ rei seriem, juxta veritatis sententiam, Nihil occultum quod non reveletur, neque opertum quod non sciatur. Et dixit puerum triduo pendentem, & globo plumbi ori ejus injecto ipsum sono vociferandi privatum, eculeo, modo quo prædiximus, suspensum, flagellatum, incisum, sanguine ejus in quadam urna congregato, cum summa patientia, & Dei benedictione, Deo spiritum reddidisse: se ipsam quoque in principio tormentorum ad Sculteum oppidi cucurrisse, & illud spectaculum tam miserabile intimasse, & ipsum ad præsentiam tam lamentabilis visionis adduxisse.

Cædis modus ab occultata teste narratur,

Luc. 12, 2

C 11 His autem gestis fiunt mox *o* miracula magna & stupenda; cæci vident, surdi audiunt, claudi ambulant, muti loquuntur, aridi, paralytici, monocoli, & quique defectuosi maleque habentes, curantur. Quid plus? Mortui resurgunt, atque multimoda usque in præsens Christicolis miracula Dei clementia per suum Martyrem operatur. Passus est autem sanctus puer Wernherus anno Domini millesimo ducentesimo octuogesimo septimo, tertio decimo Kalendas Maji. *p*

o sequuntur miracula.

p

ANNOTATA.

a *Legenda*, Wannerayt. *Surius* Pago Wammerato. *Nova Historia*, de Villula Wammenraydt.

b Baccaracum *oppidum Palatinatus ad Rhenum in Ducatu Sommerensi: quod nugaciter aliqui dici volunt quasi* Bacchi ara: *sed lingua ac locorum periti norunt, quod in ejusmodi nominibus* ak *rivum seu aquam denotet, adeoque* Backer-ak *idem valeat ac* Rivus pistorum, *istic scilicet ubi nunc hujus nominis oppidum, in Rhenum influens.*

c *Nova historia*; ut Historia suæ Passionis & Natalitii attestatur, adunatis sibi scripturis circa epitaphium ejus, ipsa die Dominicæ cœnæ, præmissa Confessione receptoque Corpore Dominico devotissime, hoc ordine pro Christo est martyrio coronatus in Wesaliensi oppido superiori: *ac mox (omnibus quæ hic ponuntur omissis) venitur ad fusius Iudæorum exaggeratius explicandum: quod hic simpliciori stylo narratur.* EX MSS.

e *Eusebius Cappucinus, in Vita Gallica Vesontione edita, pro pastoribus vinitores nominat: qui in Latino, quod secutus est, generice dicuntur* Coloni.

f *Nova historia:* In cellarium gratia exportandi glebulam allectus: *Browerus* Hypogeum seu penuariam cellam *interpretatur.*

g *Eadem* eculeum, *Browerus* columnam, *Bezontionense Ms.* stipitem *vocat: ipsum lignum adhuc Wesaliæ visebatur, seculo 15 quando condebatur Processus.*

h Cruentare *id est* sanguinem emittere, *voce activa neutraliter accepta.*

i *Latini Prætorem dicerent: in Longobardorum legibus* Sculdasius *invenitur nominatus, ab exigendis mulctis seu debitis, quasi* Schult-haysch: *quid ni similiter alia dialecto*, Scultetus, *quasi* Schult hêt, *multam imperans sive indicens? Belgis* Schout *&* Schoutet. *Nova historia prætermittit hæc omnia.*

k *Germanicum scilicet: cui Browerus* ægre milliaria quatuor *(Italica videlicet) substituere maluit.* B

l *De S. Guilielmo ejusque Ordine egimus* X *Februarii: ubi in catalogo monasteriorum dicitur* Vallis-Principum Wijnsbach juxta Bacharacum: *Browerus addit ipsum* honori Martyris extructum fuisse; *& hoc probant ipsius Conventus ac Prioris testimonia, inferius danda.*

m *Idem Browerus*: ut cæsorum corpora solent, in publico posuere contrectandum à magistratibus: *qui mos hodieque obtinet; nisi quod corpora relinquantur in loco, ubi inventa, donec à magistratu inspiciantur: cujus deinde auctoritate, si diutius ignota maneant, transferuntur ad curiam, spectanda à populo, donec innotescant quinam & unde sint.*

n S. Cunibertus *Episcopus Coloniensis colitur* 12 *Novembris.*

o *Infra proferuntur miracula* 90 *intra duos ab obitu menses patrata.*

p *His itaita expositis adde pro clausula sextam Lectionem ex nova historia, de capella Sancto speciosissime ædificata, quæ veteri narrationi, post hæc verba* mortui resurgunt, *ita subnectitur:* ut scriptis circa sepulchrum ipsius Sancti, & ejus cista patet; antiquitate omnem viventium memoriam excedentibus. Unde jam recitata, vigore legitimæ præscriptionis, etiam centenariæ, cum fide bona, non minimam habere auctoritatem absque ambagio sunt credenda: maxime his novis nostris temporibus, maximis & stupendis miraculis suffragium præstantibus. Offert his visis non torpens fidelium plebs ad Domini tabernaculum & omnis in lege spontaneus, quod habet aurum & argentum.

S. Vvernherus claret miraculis;

F

Inde odor bonæ famæ, longe lateque penetrans regna, Hungaros, Sclavos, ceterasque nationes diversorum linguagiorum, remote & distanter positas, licet advenas, ad tam sereni Martyris ducit obsequia. Nec mora: in propria dote Pastoriæ Bacheracensis Ecclesiæ, in monticulo capellæ S. Cuniberti, aptatis omnibus singulisque necessariis, cum debitis fundamentis supra solida inchoatur, ad instar trium rotundorum foliorum, artificiosa nimisque sumptuosa & pulcherrima Basilica; non sine Dei justissima providentia, usque ad præsens nostrum tempus, nondum consummata; sed quasi ad testudinem in duobus choris subtilissime erecta; ubi illud sanctum corpus, quasi incorruptum, visibiliter requiescit; ut bene conveniat,

basilica cœpta construi.

niat, Convertisti planctum meum in gaudium mihi, conscidisti saccum meum, & circumdedisti me lætitia; quia carne mea requiescente in spe, portio mea est in terra viventium. Causas ignotas nobis, quare tam mirificum opus ecclesiæ nostri Martyris usque ad nos non fuerit opere consummatum, infallibilis altitudo divitiarum sapientiæ Dei (quæ omnes & singulas rerum ab æterno causas præscivit) ignorare non potuit. Sed & cognita potest esse nobis causa: quia fuit quidam Archiepiscopus, cui pro tunc gratia pignoris suberat illud territorium: qui dum affluentium hominum, ut aquarum torrentia, congregari cerneret cum muneribus; cupiditatis oculo misere seductus, thesaurum apportatum in Christi gazophylacium, Nabuchodonosorico modo templum incompletum spoliando, hujusmodi Christi thesaurum vi recepit, & in thesauros dei sui asportavit. Inde larga eleëmosyna & aperta manus claudi potuit, ne affluens æque pariter retinenti, debito fine frustraretur. Potuit etiam iis miraculorum quotidiana diminutio, & populi contra Archiepiscopum indignatio fomentum non minimum ministrasse. Tamen alia probabilior videtur

Intermittitur.

B esse causa. Forte Deus, non illo, sed nostro tempore [opus cœptum absolvendum decrevit] ut suum Martyrem novis miraculis, antiqua vincentibus, ostenderet relucentiorem; & non uni dumtaxat illi, sed sibi Trino & uni, suæ dulcissimæ Genitrici, utrique Joanni, & omnibus electis, ac illi, voluit & vult illam nobilem Basilicam consummandam consecrari; non à quibuscumque, sed, ordine Salomonici templi, ab illis dumtaxat, quibus ipse Omnipotens hoc de melliflua gratia concesserit: unde circa sancti Martyris epitaphium & mausoleum ita scriptum est,

ut postea augustius dedicetur,

Trifoliũ, speciem gerens imaginis almæ [*Trinitatis*]
Hoc templum, Domino trino dotatur & uni,
Et tibi Christiferæ, Christo, utro-cumque Joanne,
Cum superis civibus, ut pantῶn (*id est ab omnibus malis*) parcere nobis [*velit*].
Hoc faciet Princeps, (*scilicet Christus*) gladius cui portitur, *idest geritur*, anceps,
Et [*de quo*] dubites minime [*quin*] facto regnet sine fine.

uti circa epitaphium legitur.

quod nobis, de generali massa damnationis erutis, concedat fructus beatissimæ virginis Mariæ semper virginis, æternaliter super omnia benedictus. A-

C men. *Hactenus sexta novi officii Lectio; cujus fini insertos versus de trifolii, seu trichori templi (τριχόγχιον Græci dicerent) dedicatione; versus, inquam, male tornatos, ut facilius intelligi possent, propriis verbis additis interpolavimus. Legenda Vezontionensis, de ejusdem templi inchoata ædificatione agens, addit hæc verba:* cujus altare, quod proximum est loculo Martyris, Hermannus Episcopus, qui tum Suffragium Pontificatus, Archiepiscopo Trevirensi Apostolica auctoritate suffectus, impendebat, pro more ecclesiæ consecravit, atque honori primorum Patronorum dicavit.

EPITOME.

Ex Mss. Actis Boëmundi Archiepiscopi Trevirensis. a

11 ANno Domini MCCLXXXVII, Domino b Boëmundo adhuc in Romana Curia existente, puer quidam Christianus & mendicus, Wernerus nomine, cum apud Wesaliam, villam Trevrensis diœcesis, de cellario cujusdam Judæi cum cophino terram exportaret; hora quadam, dum facultas se obtulit opportuna, inito consilio, perfidi Judæi, Christiani nominis inimici, irruerunt in eum.

B. VVernheri à Iudæis cæsi.

D Qui diversis plagis innocentem puerum afficientes membratim laniabant, & tandem crudeli morte peremerunt, corpusque exanime & exangue longius à villa in dumis & vepribus absconderunt. Deus autem corpus sui Martyris à bestiis & avibus conservans intactum; inventum est à quodam rustico, qui ibi juxta terram arabat.

corpus invenitur:

12 Et ad hoc spectaculum vicinis convocatis, exortum est murmur in populo, quod impii Judæi hoc facinus perpetrassent. Sicut etiam ancilla quædam Christiana Judæis serviens testabatur, quæ asseruit se per rimam parietis præmissa conspexisse. Quã ob rem homines illius terræ, longe vel prope positi, furore repleti, in miseros Judæos miserabiliter exarserunt, quosdam suffocantes, alios cum uxoribus & parvulis concremantes, alios submergentes, & plurimos gladio perimentes. Tantum illi qui se in castris & munitionibus Nobilium recipere poterant ab ejusmodi peste tuebantur. c Corpusque venerabile Martyris translatum est Bachariacum, & statim ibi ad honorem Dei & sui Martyris cappella construitur opere sumptuoso: cujus mortem pretiosam in conspectu suo Dominus pie creditur multis miraculis declarasse. Ad cujus tumulum, spe veniæ, peregrinorum turbæ de propinquis & longinquis regionibus catervatim concurrunt. Versus in morte ejus.

fit horum strages:

illa capella & miracula honorantur. c

E

Anno millesimo, centum bis, & octuageno
Septeno, Christo nobis de Virgine nato,
Est puer occisus Wernherus; postea visus. d

ANNOTATA.

a *Annales Trevirorum Mss, transcribendos ex veteri codice curavit Heribertus Rosweydus noster. Masenius in Additamentis ad Browerum, eorum auctorem facit Ordolphum Secretarium, qui eos jussu Balduini Luxemburgii an.* MCCCVII *electi collegerit. Alexander Wilthemius, Conenii à Falkenstein (fuit hic anno* MCCCLVIII *institutus) Chronicon appellat, in epistola citata cap. I num 32 Apologiæ præliminaris; sed hi fortassis solam primam operis partem respiciunt, nam totius collectionis varii auctores esse videntur: quorũ primus per libros & capita scriptionem digesserit usq; ad Eberhardum anno* MXLVII, *vel ad Engelbertum anno* MLXXVIII *electum. Post hunc, absq; ullo notabili scriptionis discrimine, nisi quod omittatur capitum distinctio, eamdem materiam uberrime continuavit Henricus, monasterii S. Matthiæ Trevirensis Procurator: qui agens de appellatione contra Henricum Trevirensem Electum, facta an.* MCCLXII

F *pro Abbate suo Theodorico, ita loquitur.* Cum à loco recederemus, ubi facta fuit dicta appellatio, quidam satellites dicti Electi, Mag. Joannem...verberarunt, & ipsum & me dictum Henricum Procuratorem, capere voluerunt: *qui & totum hoc opus in ejusdem Henrici morte, anno* MCCLXXXVI *obita conclusit. Sequuntur deinde extra ordinem* Capitula, in quibus continentur omnia, quæ venerabilis Trevirorum Archiepiscopus Joannes Ecclesiæ Trevirensi temporibus suis, divina clementia favente, conquisivit. *Extra ordinem dico: sedit enim Ioannes ab anno* MCXC *ad annum* MCCXIII, *videntur tamen hæc capitula, ex modo procedendi, esse ejusdem Henrici Procuratoris. Postea* incipiunt Gesta Domini Boëmundi, Trevirorum Archiepiscopi, *electi post mortem Henrici; his præmittitur invectiva contra æmulos ampla, instar prologi; & narrata electione ac consecratione Boemundi, sequitur longa digressio, quæ suscipit auctor* luculento stylo sub mira brevitate perstringere, quare Sancta Trevirensis ecclesia primatum obtineat super Gallos & Germanos; & quare in gestis antiquorum, Trebis secunda Roma, appelletur, à quo condita extiterit, unde gens Trevirorum ortum habuerit, & quomodo à paganismi sordibus abluta fuerit & semina vitæ susceperit; denique quot Pontifices Trevirensem ecclesiam

A

Codici verũ Trevirensiũ, usque ad an. 1286 continuato, accesserunt gesta Boëmundi

ecclesiam rexerint. à tempore S. Eucharii usque ad tempora D. Boëmundi. *Auctoris nomen nec dum reperi: ipse tamen est, qui suũ huic tractatui inseruit Epitomen, cujus causa hæc attigimus. Boemundum excepit Diethmarus Nassovius, ab an.* MCCC *usq; ad seculi* XIV *ann.* VII, *Trevirorum Archiepiscopus: cujus gesta nemo curavit scribere. Sequuntur libri tres, sub mira præfatione & mirabiliori syllabo Capitum sic digestorum, ut singulorum capitum prima verba, per suas initiales litteras, construant hoc nomen*, BALDEWINUS DE LUZCELLINBURCH ARCHIEPISCOPUS TREVERORUM. *Tum auctor alius & alio stylo* Gesta Domini Cunonis *describenda suscepit; idemque sive nova præfatione, continuans opus, addidit* Gesta Domini Wernheri. *Post hæc omnia sequitur Historia præmemorati Henrici Archiepiscopi, per modum Chronici ab anno* MCCXLVIII *usque ad* MCCLXXXVIII *deducta. Ac deniq; in ecgrapho nostro absq; ullo titulo ponuntur varia diplomata, incipiendo à Privilegio Leonis* III. *pro monasterio Horreensi, quod ab ipso S. Modoaldo impetratum fingitur, & sic consequenter alia, in Annalibus omissa primum à transcribente, & successive addenda usq; ad libri 2 Capitulum 38, pro quo ponitur Privilegium Victoris Papæ* II, *datum anno ejus* III, *qui est Christi* MLVI. *Nunc an primæ partis, quam principio indicavi, Ordolphus aut Conon censeri auctor possit, viderint qui id asserunt, allegantes verba, quæ dicta prima parte leguntur. Potuit alteruter vel uterque in unum volumen collegisse quæcumq; de rebus Trevirensibus scripta à variis reperit. Sed neuter dici potest auctor totius collectionis, neque illa commode venire potest sub nomine Annalium aut Chronici: ideoque in titulo allegare malui Acta Boemundi. Hæc autem pluribus hic deduxi ad pleniorem notitiam codicis illius, quod ea neq; Browerus in Proparasceve Annalium, neque Masenius in Additamentis explicare curaverint.*

Baldewini & Cunonis, cum vario supplemento.

B

Boëmundi Archiepiscopi electio & iter Romanum duplex.

b *Mortuo Henrico die 26 Aprilis, 1286, discrepantibus Canonicorũ sententiis, tres electi sunt: quorum unus Sirckius pacis causa suo jure cessit; Egbertus & Boëmundus Romæ causam egerunt, sed Egbertus Romæ obiit*, Sede Apostolica etiã tunc vacante, *ut habet Vita Boëmundi; utiq; post mortẽ Honorii* III *obitã 3 Aprilis 1287. Tunc vero annuentibus Cardinalibus ut Canonici nova suffragia inirent, iidẽ qui prius Egberto adhæserant, Gerardum Eppenstein elegerũt; contra Boëmundum, quem alii retinere nitebantur: & utroq; electo rursum Romam pervolante*, causaque & negotio coram D. Nicolao Papa IV nuper creato, hinc inde ventilatis, *pependit ea res* judicio Domini Papæ reservata; *qui tandẽ, considerato periculo ecclesiæ Trevirensis, ex tam diuturna vacatione, Boëmundum ab omnibus fere suffraganearum Sedium Prælatis commendatum ordinavit; eique pallium tradidit Dominica in Albis, cum antea Gerardo, cujus similis causa agitata ibidem fuerat, Moguntinam Ecclesiam tradidisset Dominica Quadragesimæ secunda. Quibus si addas, Nicolaum Papam (qui utriusq; causam morose dicitur examinasse in prædicta Boëmundi Vita) solum creatũ fuisse 1288 22 Februrarii, & secundam Dominicam Quadragesima eo anno, quo Pascha 28 Martii celebratum est, incidisse in 21 Februarii; miraberis Browerum in Trevirensibus, & Serrarium in Moguntiacis ita potuisse hallucinari, ut non viderent utriusq; Archiepiscopi confirmationem anno, non 1288, sed 1289 fuisse factam; quod etiam ex Colmariensium Dominicanorum annalibus confirmatur; Henrici Moguntini mortem adscribentibus ipsi an. 1288 XIV Kal. Aprilis. Hæc porro notare oportuit, ut intelligeretur agi hic de tempore primæ profectionis Boëmundi Romam; atque ut tolleretur scrupulus qui circa annum mortis Wernhero illata alicui posset ex hoc capite provenire.*

C

Judæi protectionem Imp. pecunia eruunt,

c *In Annalibus Colmariensium Dominicanorum ad annum 1288 hæc leguntur.* Retulit Frater Alradus, Prior Fratrum Argentinensium. In Alsatia dicebatur, quod Judæi conquesti fuissent Regi Rudolpho, quod Christiani plus XL Judæos sine causa turpiter occidissent. Christiani autem conquesti fuerunt de Judæis, quod servum atque Christianum in die Parasceve in cellario, occulte atque Christianis ignorantibus, occidissent. Judæi Regi Rudolfo, ut eis de illis de Wesela atque Bopardia justitiam faceret, & eos à periculo liberaret mortis, & ipsorum Rabbi, id est supremum Magistrum, cui schola Judæorum [commissa erat & cui] honores divinos impendere videbantur, quem Rex captivaverat, à captivitate carceris liberaret, viginti sibi millia marcarum promiserunt. Rex Judæorum petitionem exaudivit, Judæum captivum libertati restituit, illos de Wesela atque Bopardia in marcis bis mille condemnavit, & eos à mortis periculo liberavit. Insuper fecit Rex Dominum Archiepiscopum Moguntinum solenniter prædicare, quod Christiani Judæis injuriam maximam intulissent, & quod bonus Wernherus, qui à Judæis occisus communiter dicebatur, qui pro divino à quibusdam Christianis simplicibus colebatur, deberet igne cremari, & cinis corporis ejus in ventum dispergi, & ad nihilum dissipari. In hac prædicatione Domini Archiepiscopi plusquam quingenti Judæi in armis sederunt, ut si aliquis Christianus in contrarium dicere voluisset, ipsi eum suis gladiis occidissent. *Hæc an satis fida relatione habeantur, non dijudico: tantum addo, licet ex parte Dei justa fuerit in perfidam & crudelem gentem vindicta; injustam tamen fuisse ex parte vulgi, nulla legitima auctoritate contra sontes æque ac insontes armati. Ut ut sit, protectio illa qualiscumq; non ad deponendam, sed ad confirmandam malitiam Judæis valuit: quare rursum anno sequenti scilicet* 1289. Clamor validus pene omnium Suevorum nobilium contra Judæos invaluit... *Et quia* cognoverunt perfidos puerũ cujusdã nobilis & potentis viri, quasi in contemptum nominis Christiani, impie jugulasse; surrexerunt Suevi, & virum quemdam nobilem dictum Ruisfleis eligentes in principem & ductorem, congregatoq; exercitu maximo, Judæos ferociter invaserunt, nulli parcentes; elevatis signis & vexillis bellicis, per diversas terras transeuntes violenter; civitates, munitiones & castra, in quibus Judæos esse cognoverant potentes infringentes; & ita per loca diversa multa millia Judæorũ occiderunt. *Ita auctor gestorum Boëmundi præfatis, haud multo post cædem S. Wernheri narratam. Longum esset omnes recensere clades, quas ob hujusmodi scelera pertulit natio infelix & obstinata; utque solum perstringam propiora temporibus S. Wernheri, constat ex Hirsaugiensi chronico Trithemii, quod anno 1282* Cives Moguntini, seditione facta in Judæos, multos interfecerunt, & reliquos omnibus bonis spoliatos ejecerunt de civitate, moxq; generalis Judæorum persecutio in Alemannia tota secuta fuit. *Ad annum 1288 notat Stero, quod anno Wernheri cædem præcedente* Judæi, in Monacho civitate Frisingensis diœcesis, puerum quemdam Christianum pro simili causa occiderant: propter quod populus ejusdem civitatis, non expectato judicio vel sententia, omnes Judæos illius civitatis, in domum unam confugientes, ignibus suppositis concremavit. *Anno denique 1349 in omnibus fere Borealibus provinciis, nullo sexus aut ætatis discrimine iidem Judæi mactati inhumanissime sunt, ut ipsum Romanum Pontificem Clementem* VI *oportuerit edita constitutione cavere, ne innocentes injuria afficerentur, uti ex vetustioribus ad eum annum narrat Spondanus num. 1.*

D

& an. 1288 ob simile facinus iterum affliguntur;

E

eodem circiter tempore etiam alibi persecutionẽ passi:

F

d *Canticum vulgare de S. Wernheri passione, quod in Mss. Carthusiæ Confluentinæ & nostri Collegii Trevirensis invenitur, Latine antiquitus redditum à Winando Pastore Bacheracensi, non est visum hic dare, propterea quod verbotenus acceptum sit ex prima, quam attulimus, narratione quæ autem de corporis inventione & honore expressius ibi habentur, ea præstat in Processu & Actis Vesontionensibus legere.*

MIRACVLA XC.

intra duos ab obitu menses patrata.

a *Ex a Tabula triplicata appensa ad sepulcrum.*

b 13 ANno Domini millesimo ducentesimo octogesimo septimo, in Vigilia Apostolorum Philippi & Jacobi, scilicet in die b B. Quirini Martyris hæc miracula facta sunt in Bacheraco, per Dei misericordiam, & per merita suæ Genitricis Virginis Mariæ, & omnium c Sanctorum suorum. In ipsa vigilia cæcus puer, Eberhardus de Diepach, in uno oculo visum recepit. Item in eadem die mercator quidam bonæ vitæ & bonæ famæ, contractus in brachio curatus est. In crastino Apostolorum Philippi & Jacobi, quod est d feria sexta, scholaris de Wesalia, contractus in brachio & pede, redditus est sanitati. Item eodem die, puer de Tittelbach, contractus in brachio, redditus est sanitati. Ipsa die, quædam mulier de Wesalia, dicta Heydentrut, quæ sex annis in lecto ægritudinis contracta jacebat, curata est. Sabbato, scilicet in Inventione sanctæ Crucis, mulier quædam de Erbach, per multos annos cæca, visum recepit. Ipsa die, Henricus de Welmmeche contractus in cruribus, curatus est. Eadem die, Stacia, relicta Domini Ottonis de Schonenberg, contracta in cruribus, sanata est. Ipsa die quædam puella de Liebenshuysen, contracta in cruribus, sanata est. Ipsa die, puella de Wesalia, contracta in cruribus, curata est. Dominica sequenti, qua cantatur e Cantate Domino, puella de inferiori Heymbach, cæca, illuminata est. Eadem die, quidam de Langhenscheit, contractus in cruribus, curatus est. Ipsa die, quidam de Wesalia, contractus in cruribus, sanatus est Eadem die, puer quidam de Wilmechen, contractus in cruribus, sanatus est.

Anno 1287 sanantur 30 Aprilis, c cæcus, contractus. 2 Maji tres contracti. d 3 Maji cæca, E 4 contracti. 4 Maji cæca, e 3 contracti.

14 Feria secunda sequenti, Henricus de Germersheym, contractus in cruribus, sanatus est. Ipsa die, Theodricus de Palentina, contractus in cruribus, sanatus est. Ipsa die Henricus de Comeda, contractus in cruribus, curatus est. Ipsa die, Elizabeth de Rudensheym, contracta in brachio, sanata est. Eademdie, mulier quædam de Buly, contracta, in brachio, sanata est. Ipsa die, Gertrudis de Bodenbach, cōtracta in brachio, sanata est. Eadē die, Joannes de Leythert, contractus in cruribus, sanatus est. Feria tertia sequenti, quod est Joannis ante portam latinam, Ysendrut de Seitehelt, contracta in brachio, sanata est. Ipsa die, Elizabeth de Moguntia, cæca, illuminata est. Eadem die, Rudewinus de Werlen, submersus in Rheno, & de vita sua desperatus, de profundo evasit vivus. Feria quarta sequenti, Clementia de f S. Goare, contracta in cruribus, curata est. Ipsa die, Theodricus de Bickenbach, contractus in cruribus, curatus est. Eodem die, Methildis de Pingwea, contracta in cruribus, sanata est. [N.... erat contracta in cruribus] & in brachiis, quæ per multos dies jacens in lecto ægritudinis, curata est. Feria quinta ante Servatii, Ermetrudis de Navray, contracta in cruribus, sanata est. Ipsa die, Aleydis de Kesteln, obsessa à dæmoniis, scilicet Flamma & Exkin, liberata est. Eadem die [N.... de] Markenscheit, contracta in brachio, curata est. Ipsa die, Joannes de Mastereshusen, surdus & mutus, curatus est. Ipsa die, Gerhardus de Badenachen, contractus in cruribus, sanatus est.

5 Maji 7 contracti. 6 Maji contracta, cæca, C submersus. f 7 Maji 3 contracti. 8 Maji contracta. 9 Maji energumena contracta, surdus & mutus, contractus. g 10 Maji cæca. 11 Maji contracta,

15 Sabbato ante Dominicam g Vocem jucunditatis, Sophia de Confluentia, uxor Conradi Rectoris, cæca, illuminata est. Dominica qua cantatur Vocem jucunditatis, Elizabeth de Arwiler, contracta in brachio, sanata est. Ipsa die Conradus de Boperdia, cæcus in uno oculo, illuminatus est. Eadem die, Gertrudis de Buckenheym, contracta in cruribus, sanata est. Ipsa die, Patze de Confluentia, contracta in brachio, curata est. Eadem die, Kunnegundis de Buthen, contracta in brachio, curata est. Ipsa die, Henricus de Redershagen, cæcus in uno oculo, illuminatus est. Feria secunda sequenti, Wernherus de inferiori Ingelheym, contractus in cruribus, sanatus est. In ipsa die, Hildegundis de Maguntia, contracta in crure, sanata est. Eadem die, Beatrix de Boperdia, contracta in cruribus, curata est. Ipsa die, Alheidis de Leychert, contracta in brachio, curata est. Feria tertia sequenti, Gerlacus de Titerbach, contractus in manu, sanatus est. Eadem die, Otto Trevirensis, contractus in cruribus, sanatus est. Feria quarta, scilicet in vigilia Ascensionis, Getza de Wilren, contracta in crure, sanata est. Eadem die, Demud de Spanheym, contracta in cruribus, sanata est. Ipsa die Henricus de Aspenheit, contractus in cruribus, sanatus est. Eadem die, Aleydis de Wilrenbach, contracta in manibus & in cruribus, curata est. Feria quinta in ipsa die Ascensionis Domini, Christianus de Spanheim, contractus in manu & in crure, sanatus est. Ipsa die, Elizabeth de Lostein, contracta in cruribus, sanata est. Eadem die, Heddewigis de Spanheym, contracta in cruribus, curata est.

D cæcus, 3 contracti, cæcus. 12 Maji 4 contracti. 13 Maji 2 contracti. B 15 Maji 3 contracti.

16 Feria sexta, videlicet in crastino Ascensionis, Elizabeth de Lutzenburg, cæca per multos dies, illuminata est. Eadem die, Reynendrudis de Brotheim, contracta in cruribus, curata est. Sabbato post Ascensionem Domini, Jutta de Maguntia, contracta in cruribus, curata est. Ipsa die, Otto de Kederchem, contractus in crure, curatus est. Dominica post Ascensionem Domini, Aleydis de Eltbil, surda, curata est. Ipsa die, Beatrix de Winckel, contracta in brachio, curata est. Eadem die, Conradus de Crucemnachen, cæcus in uno oculo, visum recepit. Feria secunda sequenti, scilicet post Ascensionem, Maria de Thurun in Burgundia, contracta in brachio, curata est. Feria tertia sequenti, Alheidis de Pingwea, surda, curata est. Eodem die, Gerhardus de Sofernheit, contractus in brachio, curatus est. In Octava Ascensionis Domini, Alweidis de Loufheym, muta, curata est. Feria sexta post Octavam Ascensionis Domini, Henricus de Rockenhusen, contractus in brachio, curatus est. Ipsa die Gunterus de Nederen-Hamerstein, per multos annos cæcus, illuminatus est. In die Pentecostes, Catharina de Argentina, contracta in crure, sanata est. Ipsa die, Hertliebus de Nassauwe, submersus in fluvio i qui k Lan dicitur, & omnino de vita sua desperatus, evasit vivus. Eadem die, Wernherus de Pingwea, cæcus in uno oculo, sanatus est. Feria secunda sequenti Agnes de Andernacho, gibbosa & contracta in crure, sanata est. Ipsa die, Benigna de Schonenberg, cæca, illuminata est. Eadem die, Beatrix de Quobery, contracta in cruribus, curata est. Ipsa die, Henricus de Offenbach, surdus & cæcus in oculo, curatus est. Eadem die, Conradus de Maubach apud Waldekech cæcus in uno oculo, illuminatus est. Feria tertia sequenti, Conradus de Confluentia, mutus & contractus in brachio, sanatus est. Feria quarta sequenti, Hazecha filia Frederici de Lapide, contracta ab infantia in

16 Maji cæca, contracta. 17 Maji contracti. 18 Maji surda, contracta. cæcus. 19 Maji contracta. 20 Maji surda contractus. 21 Maji muta. 23 Maji contractus. F 25 Maji contractus, submersus i k cæcus 26 Maji gibbosa & contracta, cæca, contracta, surdus & cæcus alius 27 Maji mutus & contractus. 28 Maji 2 contracti.

A in cruribus, curata est. Ipsa die, Hadewigis de Steyngouwen apud Stoltzenberg, contracta in cruribus per multos dies, sanata est. Eadem die, Conradus de Breubach, cæcus in uno oculo, sanatus est: feria quinta sequenti, Beatrix de Oppenheym, cæca & contracta in cruribus, curata est. Ipsa die, Catharina de Maguntia, filia Lodewici textoris, submersa, curata est. Feria sexta sequenti, Bertha de Babenberch, surda & muta, sanata est. Eadem die, Margareta de Wormatia, per decem annos cæca, illuminata est. Sabbato sequenti, Herewicus de Laudinsborch, contractus in manibus natus, sanatus est. Ipsa die, Joannes de Semheit, contractus in cruribus, sanatus est. Eadem die, Jacobus de Loffbach, contractus in cruribus, sanatus est. Ipsa die, Petrus de Enghersha, contractus in cruribus, curatus est. Dominica, scilicet post Octavam Pentecostes, Gerhardus de Maguntia, hydropicus, sanatus est. Feria secunda sequenti, scilicet Marcellini & Petri, Odilia de Winsesheim, cæca in uno oculo, visum recepit. Eadem die, Tielmannus de Sturburch, surdus & mutus, curatus est. Feria tertia sequenti, Alheidis de Moguntia, cæca, illuminata est. i

cæcus, 29 Maji cæca & contracta, submersa, 30 Maji surda & muta, cæca, 31 Maji 4 contracti, 1 Iunii hydropicus, 2 Iunii cæca, surdus & mutus, 3 Iunii cæca, i

ANNOTATA.

B

a *Extat* copiæ Tabulæ triplicatæ, ejusdem tamen tenoris, circa sepulcrum à majoribus suspensæ, *sub hoc titulo in Ms. Trevirensi, ex quo hic damus. At cujus sint singula tabula ætatis, infra in Processu Bacheracensi deducitur num.* 5.

b *Vitam S. Quirini dedimus 30 Martii die ejus natali: at festum Translationis Novesium colitur 30 Aprilis, qui hic indicatur.*

c *Infra in Processu dicuntur* 90 primæva S. Wernheri miracula, *at nomen hic non exprimitur, quod non diu esset mortuus, & necdum aliqua auctoritate Ecclesiastica permissum ut ejus nomine publicarentur: & ita modeste supra in Vita num.* 10, *dicuntur facta miracula, non exprimendo ejus nomen cui tribui debeant.*

d *Scilicet dicto anno* 1287, *cyclo Solis* 8, *littera Dominicali* E, *incidit dies* 2 *Maji in feriam sextam, & ita consequenter.*

e *Est introitus Missæ*, Cantate Domino, 4 *Dominica post Pascha, dicto anno* 1287 4 *Maji, quia Pascha fuit celebratum* 6 *Aprilis, cyclo Lunæ* 15.

f S. Goar *Presbyter (à quo vicinum VVesaliæ superioris oppidum ad Rhenum appellatur) colitur* 6 *Iulii. Reliqua loca indicata & fere vicina omittimus indagare & explicare, cum passim in Mappis geographicis videnda prostent.*

C

g *Iterum introitus Missæ Dominica* 5 *post Pascha & ante dies Rogationum.*

h *Lanus fluvius præterfluit Nassoviam Oppidum, & supra Confluentiam in Rhenum labitur.*

i *In fine tabulæ scriptum fuisse eadem manu dicitur in* MS. *Trevirensi*: Anno Domini 1283 passus est Wernherus de Wammerayt, XIII Kal. Maji: *sed hæc non habent suam auctoritatem, ut supra monuimus.*

INVENTIO CORPORIS,

Ejusque in novam arcam translatio.

Ex Ms. Trevirensi.

17 In nomine Domini, Mediatoris Dei & hominum, Jesu Christi Redemptoris nostri. Amen. Wynandus de Stega, Decretorum Doctor, Pastor Bacheracensis, universis & singulis Christi fidelibus, præsentibus & futuris, præsentium auditoribus, inspectoribus, seu aliis quovis modo cordis oculo speculantibus, salutem in eo, sine quo nulla salus. b Dudum quidem usque in præsens diversi Christi fideles, zelum Dei habentes, diversis vicibus, diversisque & variis introductionibus, nostras aures, ut sequitur, propulsarunt. Quidam vero adjutrice veritate conquerebantur, exteriorem cistam quercineam, mauseolum B. VVernheri, in capella S. Cuniberti Bacheracensis quiescentis, ad contactum terræ intantum descendisse (quæ tamen supra terram prius quasi ad ulnam posita apparebat) sic quod ejusdem terræ contactu ipsa verisimiliter præsumeretur putrefacta: unde corpus tam beati viri, licet ætate juvenis, faciliter membratim distrahi posset; maxime hoc tempore passagiæ beatissimæ Mariæ semper Virginis in Aquisgrani, præsertim à Slavis & Ungaris, zelum hujusmodi corporis ab antiquo tempore usque in præsens habentibus. Aliis ad hæc asserentibus eumdem juvenem, Christi testem instar innocentum Christi, scilicet moribus sanctissimum, nõ esse in ipsa cista inter clusum. Tertiis vero opinantibus eumdem adolescentulum, miraculis attestãtibus felicissimum, ibi fuisse positum: sed brachium ipsius & manum dextram in Windsbache fore & esse trãslata. Ut igitur horum omnium & singulorum ambiguitates & pericula tollerentur; fuit nobis à nostris parochianis utriusque sexus valentioribus, & zelum divini cultus præ ceteris plus habentibus, humiliter supplicatum, ut eamdem cistam quercinam, unica simplici sera dumtaxat seratam, certis adhibitis personis, quarum intererat gratia officiorum suorum; nec non Notariis publicis & Advocatis & aliis juratis Serenissimi Principis & Domini nostri, Domini Ludowici Comitis Palatini Rheni, sacri Romani Imperii Archidapiferi, & Ducis Bavariæ inclytissimi, zelatoris hujus B. Wernheri, & structuræ ejusdem promotoris præcipui, nec non testibus fide dignis, absque vi differare paternaliter dignaremur; ut comperta veritate, quacumque superstitione remota, vera fides, super montem veritatis posita, staret in cordibus Parochianorum nostrorum infallibiliter inconcussa.

EX MSS. b Rogantibus variis, tum ut corpus Wernheri contactu terræ putrefieret, tum ut sileretur non esse sublatum totum aut ex parte; B

18 Nos itaq; Winandus, Doctor & Pastor præfatus, hujusmodi justis petitionibus non valentes obdurare aurem surditate constipatam, ne periculo periculosiora adderentur, ipsorum piis precibus & rationabilibus favorabiliter annuentes; & ne quidquã sinistre suspicari posset, assumptis nobiscum provide & deliberato animo, honorabilibus Dominis Hermanno Bere, Capellano nostro seniori; Joanne de Laudenburg, Notario c Theolonii Bacheracensiũ prænotati; Joanne Prume, Connotario ejusdem Theolonii & operis magistro S. Wernheri sepæ tacti; Stephano Prume, Advocato seniori; & Hermanno Doirenremher, Advocato juniori licet ætatis sene, Joanne Seliche & duobus notariis publicis infrascriptis ut in hac re fide dignis, maturis & authenticis personis, contestibus & Notariis publicis, ipsam cistam, mauseolum, aut tumbam quercinam aperuimus, & in ipsa comperimus aliam tumbam cedrinam, per omnia tumbæ similem, in quibus pauperes solent sepeliri, à vermiculis infective corrosam; sed linteo cereo, etiam vetustate hinc inde perforato, præter desuper, consutam seu delinitam. Verum desuper ipsa tumba nec tegmentum neq; linteum habebat; sed terram argillosam, ultra medietatem tumbæ positam, quasi compactam: per quam brachium dexterum, à scapulis usq; ad medium, d se eminus ostendebat: & aliæ duæ cannæ ossium ejusdẽ brachii anterioris partis, licet super terram ipsam deciderint; videbantur tamen nobis se olim extendisse, & compagi-

Pastor Bacharensis, F *c coram viris honoratis & Notariis publicis, tumbam cedravit aperiri. invenitur brachium dexterum,* d

EX MSS. paginatæ fuisse ad manum argento circumamictam, quæ cernitur super tumbam quercinam; cujus manus, infra labium ejusdem tumbæ, adhuc caro seu nervosa compactio palpitatur.

caput, 19 Ad hæc nobis incipientibus à parte boreali ipsam terram interioris tumbæ leniter ejicere; comperimus caput ejusdem tam piæ recordationis Christi Athletæ, consertum vitta coccinea, alias & vulgarius serto de serico rubeo, in quo apparebant rosæ argenteæ deauratæ, coralli, & margaritæ. Erat etiam ipsum caput circumdatum sudario sericeo, in quo prima facie antiquissima sanguinis apparebant vestigia. Illud quoque venerandum caput tenaciter annexum erat corpori beato, jacenti in supino: habuitque ipsum caput de subtus pulvinar serici nigri, repletum violis odoriferis, quibus peroptime convenit tempus suæ passionis; immo, quod spiritualis gaudii est, de subtus iis inveniebamus ipsius egregii pueri putatorium, cum quo vitæ quærens victum ligamina dissolvebat vitium. Post hæc terra leniter sublata, seclusis intestinis totum apparebat corpus, caput, mentumque, & dentes singuli in suo ordine primævæ naturæ debite constituti. Apparebant autem ipsius corporis in dorso jacentis brachium manusque sinistra, ipsi corpori firmiter & nervose quasi carnea, colligata & ungulosa, & crus, & pes dexter integerrime: similiter & sinistrum crus, cujus pedis caro ossaque solutione patebant; unde ossiculum recepimus satis tenue, ad longitudinem digiti vel ultra modicum se extendens. Item eumdem venerabilem in ipsa tumba, ut præmittitur, comperimus, teste veritate, integerrimum, & lineo cerato consutum, quod tamen lineum sua vetustate viluit vetustissima. Insuper comperimus, duo ligna perforata ad longitudinem brachiorum, tam præclaræ indolis & ipsius passionis (ut præsumimus) testimonium ostentantia: & unam cannam, ut præsumimus, roseam, unius anni, ad longitudinem ipsius corporis se protendentem, & forte palmam sui martyrii repræsentantem; corrosam tamen, & cineri proximam. Unde ipsam eamdem cum terra cinerosa posuimus in aliam cistam, cui inclusimus terram, seu cinerem, in interiori tumba corporis inventam & extractam.

corpus in dorso jacens

cum reliquis membris

B

integerrimum,

cum 2 lignis & canna,

20 Quibus omnibus & singulis, ut præmittitur, absque quacumque superstitione seu novæ rei introductione, humiliter & simplici corde peractis; ipsum corpus, à pulveribus ceterisque inquinamentis mundatum, in sua tumba licet vetustate quasi consumpta, & sudario, cussino, ac serto sericiis, nec non lineo, prout jacebat, immobiliter jacere dimisimus; ponentes super faciem & corpus tam præclari miraculatoris sericium album & aliud mundum linteum, ne pulveribus novis coinquinaretur corpus, cujus animam cum Christo regnare pie confidimus. Ipsam autem, non tumbam interiorem, quam antea clausam non comperimus, sed exteriorem quercinam seris tutioribus communivimus. Clavem quoque ejus ad commune gazophylacium (cujus claves diversæ apud nos diversos deputatæ sunt) providenter interclusimus: & ipsam cistam quercinam supra terram, ut videtur, ne ipsius contactu putrefiat, elevari mandavimus; & præmissorum ineffabili testimonio nostrorum sigillorum, & inscriptione Notariorum & testium, robur firmitatis adhibuimus. Unde non est dubitandum, illum Sanctum alibi non esse, aut partem ejus (seclusa pecia pedis sinistri satis parvula) quam in suo sarcophago primævo, nec manum & brachium ipsius alicubi, quam ibi fore venerandum e. In quorum omnium & singulorum evidentissimum testimonium, mandavimus infrascriptis nostris duobus scribis & Notariis publicis, ut una cum munimine nostræ Bacheracensis ecclesiæ sigilli majoris, & nostri; ac omnium supra & infra scriptorum testium sigillorum, super iis publicum conficerent instrumentum. Acta sunt hæc anno Domini millesimo quadringentesimo vigesimo sexto, die Jovis, undecima mensis Julii, hora nonarum usque ad horam Vesperarum, indictione quarta, Pontificatus sanctissimi in Christo Patris, ac Domini nostri, D. Martini divina providentia Papæ quinti, anno ejus nono, præsentibus ibidem venerabilibus & discretis viris supra præmentionatis Dominis Hermanno Bere, Cappellano seniori; Joanne de Laudenburg, theolonii Scriptore, alias Notario; Joanne Prume, ejusque socio; Stephano & Hermanno Advocatis, nec non Joanne Selig contestibus & instigatoribus, cum eorum sigillis, una cum nostris sigilla præmissa contestantibus.

reponitur in eadem tumba,

C

sub seris tutioribus

supra terrā collocata.

e

D

conficitur instrumentum authenticum

an. 1426. 11 Julii,

f

21 Et ego Thomas Cube de Bacheraco, Clericus Trevirensis diœcesis, publicus Imperiali auctoritate Notarius, quia præmissis omnibus, & singulis præsens interfui, & ea sic contractavi, & aperitionem mausoleoli, reperitionem B. Wernheri, serrarumque tutiorum communitionem, clavium interclusionem, una cum prænominatis testibus, sic ut præmittitur, fieri vidi, & audivi: ideo hoc præsens publicum instrumentum exinde confeci, publicavi, & una cum sigillis omnium præscriptorum, de mandato prædicti Domini mei Pastoris signavi; signo quoque & nomine meo, solitis & consuetis, subscripsi; & ex superabundanti sigillum meum appendi, in evidens signum & testimonium omnium & singulorum præmissorum, ad hoc vocatus specialiter & rogatus,

à Notario publico,

E

21 Et ego Joannes Kese de Bacheraco, Clericus Trevirensis diœcesis, publicus Imperiali auctoritate Notarius, quia præmissis omnibus & singulis præsens interfui, & ea sic contractavi, & aperitionem mausoleoli, reperitionem B. Wernheri, serarumq. tutiorū communitionem, clavium interclusionem, una cum prænominatis testibus sic ut præmittitur, vidi & audivi, ideo hoc præsens publicum instrumentum de mandato prædicti Domini mei Pastoris exinde confeci, publicavi; & per præfatum Dominum Thomam, publicum Notarium, fideliter manu sua propria de mandato ejusdem Domini mei Pastoris subscripsi, signoque & nomine solito & consueto una cum sigillorum appensione omnium, & singulorum præscriptorum signavi, specialiter ad hoc vocatus, rogatus, & requisitus in fidem & testimonium omnium & singulorum præmissorum g.

alio subscribente.

F

g

ANNOTATA.

a *In Ms. Trevirensi hic titulus præponitur.* Processus compertionis & novæ repositionis B. Wernheri cum nota. Si Pastor Bacheracensis se in nomine purificat, non pro ostentatione suæ personæ facit: sed ut evidenter sciatur, eum se solo nil fecisse, sed cum aliis à Principe deputatis. Nec quem moveat B. Wernherum hic nominari Sanctum, Beatum, aut Bonum: cum sic multi adhuc mortales sint à Patribus nominati; præsertim cum sic hic nominetur sub optima forma suæ felicitatis, absque temeritate: cum etiam Dominus Cardinalis ipsum statim infra in suis litteris nominet S. Wernherum.

b *Alia historia hujus inventionis in lectiones IX distributa, sic incipit.* Oculo cordis circumspiciendum, quod calamo compingimus. Hoc anno Domini 1426, post festum Paschæ, apud bonos & graves surrexit conscissa sententia.

c Theolonii *vox semper in hoc codice scribitur, pro* Telonio, *ab avi medii scriptoribus magis usitata.*

d *Alia historia:* se erigebat versus suam manum: quæ argento

A argento recondita super epitaphiũ quercinũ cernebatur, quæ nunc in pretiosa ministrantia carnea (uno digito præ quinquaginta annis, ut dicitur, ab Ungaris zelosis plus B. Wernheri cultoribus, furato, dumtaxat excepto) Christi ostenditur fidelibus.

e *In Historia ejusdem inventionis præmemorata sequebatur summarium quoddam miraculorum deinde patratorum, quam hic adnectimus his verbis.*

LECT. IV. Quamvis ille puer beatissimus, illico potitus victoria passionis, plurima fecerit stupenda miracula, sub Euangelica veritate contenta, in cæcis, claudis, aridis, surdis & mortuis; & post hæc lapsu temporum, quasi silenter multa similia (ut in Domino Joanne Humzerich venerabili Presbytero paralytico præ duodecim annis claruit) Omnipotens tamen & mirabilis in Sanctis suis Deus, iis temporibus post ipsius novam Repositionem, numerosius, generosius, jucundius, & gloriosius per suum Militem dilectissimum coruscat miraculis, quanto à desiderio servitii, & structuræ suæ basilicæ flagrantius in solertiam inardescimus. *Plurima patrantur miracula,* Unde infra proximi dimidii emergentis anni spatium, quemdam grandævum virum de Lorch, phreneticum, triginta annorum spatio patientem, sanavit. B Hydropicos de Mannebach, masculum & feminam, jam prope spiritus exhalationem positos, citissime curavit. Claudum quadriennalem utriusque partis corporis sanitati restituit: & mulieri de Heymbach hoc idem beneficium impertivit. Cæcam surdamque filiam cum cæca matre de Diepach sanavit: nec aliquem puerum, peccato non submersum, debilem aut infirmum sine sanitatis beneficio dimisit. Insuper filiam Sculteti antiqui Bacheracensis à morbo caduco Christi gratia liberavit. Crebisz, oppidanum Bacheracensem, in arido brachio reformavit; & filium Georii, magistri fabricæ S. Wernheri, in agone constitutum, pristinæ sanitati reddidit. Sartorem in Diepach residentem, longo tempore in crure dolentem, sanum lætificavit: & quemdam mercatorem divitem, de Novomagio in Pinguia, in rotũdum tibiæ periculose clavo vulneratum, citissima sanitate ditavit. Liberalis valde nimis, LECT. V. quæ sequitur, subventio. Quidam nobilis se hic nominare formidans, ipsum beatissimum Puerum sanctum aliquando derisui habuit: qui à suis inimicis in Mosellam fugatus, & inundatione ab equo in abyssum armis prementibus evulsus & immersus, sanctum Puerum invocavit; *Irrisor Sancti liberatur à periculo submersionis* Puer affuit, & sibi adjutricem C manum porrexit, ad salutis portum educendo. Et quod dulcius est, equus dominum sequitur: quo adscenso ipsum adoptatum deportavit delusis hostibus habitaculum: qui cum cerea imagine trium florenorum ipsum Sanctum humiliter, absque sui nominis expressione, visitavit. Liberalior & dulcissima parentum, licet pauperum, consolatio. *2 mortui resuscitantur:* Duos pueros, diebus diversis & locis, in Perscheit scilicet & in Bupach, mortuos, & glaciali frigiditate exanimes, invocatus à parẽtibus, vitæ restituit. Et hæc sunt pauca de multis conscripta, ut patet pluribus instrumentis publicis, sigillis multorum fide dignorum, & testimonio veridicorum hominum, & aliis scriptis, circa epitaphium ejus Sancti positis. LECT. VI. Ecce post hoc jam recentissime venit quidam opilio, nomine Ioannes, opilio in Commede prope Semery; & produxit filium suum cum oblationibus, nomine Nicolaum: quem, per Baptismum & fidem suam, asseruit, jam recenter fuisse infirmatum usque ad mortem, & diu positum in extasi; *moribundus sanatur:* ipsum & matrem quoque ejus de ipsius decennis pueri vita penitus desperasse: unde in planctu constitutis accurrentes feminæ, eis compatiendo persuaserunt, ut filium cum quarta libræ ceræ ad S. Wernherum voverent; ita quem æstimabant mortuum, Dei gratia Sancti [illegible] reviderent vivum: quod, & factum est, & illico juvenis oscitavit, & infra duas horas restitutus est integerrimæ sanitati, quem talem multi vidimus. EX MSS.

LECT. VII Gratia devotionis si quis iis ulteriora videre voluerit, videat ejus quasi tripartitam Legendam cum dulcisonis Responsoriis & Antiphonis, post ejus jam novam Repositionem, non absque admiratione antiquis & litteris compertam, cum nota quod tempore jam scripti miraculi, jam recentissime, quidam famulus cujusdam sartoris, dicti Loschin, in Trisz super Mosellam opposito Cardonis (prout nobilis & veridicus vir Ioannes de Senen & alii nobis notissimi retulerunt) in S. Wernherum verba blasphemiæ protulit; *blasphemus punitur;* mox furore arreptus, post paucos dies, diem suæ vitæ clausit furiosus. Adhuc quemdam adolescentem Bavarum de Strabingin, in Germersheim in Rheno submersum, voto adstantium post tres horas in vitam revocavit. *moribundus curatur & cæcus;* Insuper adolescentem alium, cæcatum auræ flatu mirabili, facto voto, octava nocte mirabilius illuminavit. . . .

LECT. VIII Tempore hujus anni quo Reverendissimus prædictus Pater & Dominus, Jordanus de Ursinis, Episcopus Albanensis, Cardinalis &c. in dote Bacheracensi, cum suis Episcopis, Doctoribus & familia resedit, & ipsum Sanctum cum suis vidit, precibus & muneribus honoravit, in mundam tumbam poni videndo mandavit; *conceduntur Indulgentiæ* E concessitque per ipsum, suos Coepiscopos domesticos, ac Archiepiscopum Bizuntinum ducentis viginti Indulgentiarum diebus, scilicet anno Domini MCCCCXXVI, in crastino Assumptionis; tunc inundarunt nova, ut conscriptum est miracula, in laudem summæ majestatis. . . .

LECT. IX. Quæ, ultra omnia quæ dicta sunt apparent in sanatorũ oblationibus variis, diversis, distinctis & multiplicibus. *anathemata plurima offeruntur.* Est enim verum & notissimum, quod præter notabile aurum & argentum ac cuprum in ollis excessive ponderosum, hoc dimidio præsenti anno, tantum in cera est oblatum manu fidelium, quod non obstante fixa luce cerei unius aut plurium, plus quam tria millia cereæ peciæ circa sarcophagum ejus pendent, crescentes ultra ignis consumptionem quotidie. . . .

f *Congruunt characteres: nam dicto anno* 1426, *Cyclo solis* 7, *fuit littera Dominicalis* F, *& Martinus Papa Creatus fuerat* XI *Novembris anno* 1417.

g *In Codice Trevirẽsi,* primo sequitur testimonialis littera, quomodo supra & infra scripta [repositio] nulla temeritate, sed Domini Cardinalis Legati de latere, *Decernunt Bacheracenses* F & per consequens Apostolica fuit gesta auctoritate; & eadem auctoritate pro tempore ostendantur Reliquiæ B. VVernheri. *Est ea tota scripta Germanice, nomine* Henrici VVolf à Spanheime, Burcgravii Bacheracensis: Altmanni Bettendorffer, Armigeri; Nicolai Germersheim, Cubæ; & Joannis à Laudenburg, Bacheraci Scribarum theolonii; Stephani Prume & Joannis Prume filii ejus; Hermanni Dornkemher, Stephani Bruningh & Henrici Busze fratrum: Ewaldi Kremher & Ghelmanni Lorze, Ioannis Seliche & Emerici Hunne, civium Bacheracensium; *attestantium, quod D. Legatus, cum duobus assistentibus sibi Episcopis, dederit Indulgentias; de quibus mox; jusseritque in novam capsam transponi corpus* coram D. Joanne Schallerman Judice Curiæ Romanæ & Capellano Pontificio; D. Angelo de Prato-Ioannis, & D. Paulo de Capollanis, V. I. Doctoribus; *ex ordinatione D. Legati* *mandaveritque ut Dominus Pastor ipsique præfati. & illius ipsorumque successores. exteriorem S. VVernheri arcam recluderent, quatuor vicibus per annos singulos, quamdiu durabit fabrica capellæ, & postea semel aut bis in anno: ita ut interior arca clausa ac vitreis specularibus operta maneat, & à manu laica non moveatur; rursumque claudatur, postquam fuerit populo spectare volenti factum satis:* quod-

EX MSS. quibus diebus populo debeat ostendi corpus. *quodque ipsi præfati, de consensu Legati, elegerint ad istam aperiendæ arcæ ceremoniam, quatuor* festa, *videlicet* S. Bartholomæi Apostoli, Stephani Martyris, immediate post Natalem Domini, Dedicatationis Bacheracensis diem posterum, id est Feriam II post Dominicam Quasi modo, ac solennitatem SS. Petri & Pauli Apostolorum. *De quibus factum sit hoc publicum instrumentum, ipsorumque sigillis munitum, anno 1426, postridie Assumptionis B. Mariæ: quam diem, ex ritu consecrandi herbas, per Adrhenanas & Admosanas provincias etiam nunc usitato, nominant* Consecrationis herbarum. Factum est autem hoc Instrumentum ad S. Wernherum coram testibus reverendis Sacerdotibus, D. Jacobo Mantel & D. Joanne Bescher, Vicariis in Bacheraco, Joanne Himpurg ludimagistro Joanne Kannegeiszer & Joanne Moir civibus Bacheracensibus, ad hoc vocatis.

summarium Bullarum Card. Vrsini, & duorum Episcoporum *Sequuntur* II Indulgentiæ centum & LXXX dierum, quas Dominus Jordanus Cardinalis & Legatus de latere, ac sui Episcopi, *Iacobus Vrbinas, & Bernardus Cavallicensis; hi quidem dies quadraginta singuli, iste centum, dederunt; suis quique sigillis firmantes diploma*, Spiræ, sub anno à Nativitate Domini MCCCCXXVI, Indictione quarta, die vero Mercurii decima mensis Julii, *&c.*

III Qualiter altare S. Gabrielis est consecratum in honorem Annuntiationis, & Sanctorum Vincentii, Apollinaris, Etheriique sponsi S. Ursulæ, B. Wernheri & aliorum Sanctorum quorum Reliquiæ (B) reconditæ sunt in eodem altari per memoratos, Legatum & Episcopum Cavallicensem, *ipsum altare coram Legato consecrantem, anno 1426,* die Lunæ, quinta mensis Augusti, in qua fuit festum Nivis: *qui iidem voluerunt,* dedicationem ejusdem altaris fore & esse singulis affuturis annis, in jam tacto festo Nivis, nec non ipsa die Annuntiationis Christiferæ beatissimæ; *concesseruntque* in festis Assumptionis, Purificationis, Annuntiationis B. Mariæ, Nativitatis D. N. J. C. & Octava ejusdem, Epiphaniæ & ejus Octava, Palmarum, Paschæ & per ejus Octavas, Ascensionis, Pentecostes, Corporis Christi & Octavas eorumdem, Trinitatis, Joannis Baptistæ, Michaelis Archangeli, Omnium Apostolorum singulariter, quatuor Euangelistarum & quatuor Doctorum, Laurentii ac SS. Mariæ Magdalenæ, Margaritæ, Catharinæ, & in festo Omnium Sanctorum, *Legatus centum, Bernardus quadraginta, & Iacobus Episcopus Vrbinas etiam quadraginta dies Indulgentiarum*; & præmissas Indulgentias, in præmissis festivitatibus. ad ecclesiam S. Petri Bacheracensis, nec non capellam S. Annæ Stegensis ejus filiam, prorogarint; *publico instrumento desuper* (C) *confecto, anno & die quibus supra, per Thomam Cube, ut alibi, Notarium.*

Theobaldi Archiep. Bizuntini. IV Indulgentiæ Archiepiscopi Bisuntini *dierum quadraginta, primum quidem* ad prætactam capellam S. *Wernheri*, diebus quibus supra & utriusque sanctæ Crucis, *concessa ac prorogata* ad capellam S. Annæ nec non B. Wernheri (*utique aliquam à principali in Bacheraco diversam*) Bacheraci die S. Michaelis Archangeli: *postridie autem, ibidem* Bacheraci, anno Domini MCCCCXXVI, ipsa die S. Hieronymi, *multipliciter amplificata, per tenorem qui sequitur.*

V Theobaldus de Rubeo-monte, Dei gratia Archiepiscopus Bisuntinus, omnibus Christi fidelibus, cum subscriptorum notitia, salutem in eo qui est omnium Christi fidelium vera salus. Beatissimi testis Christi, Martyris Wernheri, heri Reliquias integre positas, devotione qua poteramus cum nostris videndo; ipsius sanctitatem, ex merito vitæ & signorum miraculorumque congerie multiplici (de quibus testimonio fide digno, ut apparet, fuimus sufficienter avisati) in Domino collaudantes; Indulgentias nobis possibiles suæ ædificandæ capellæ, ad honorem Dei & prædicti Sancti, nec non humiles (D) preces D. Winandi de Stega, Decretorum Doctoris, Pastoris Bacheracensis, amici nostri in Christo carissimi, elargiti fuimus, certis anni festivitatibus, quas etiam ad alias capellas prorogavimus. Nunc autem matricem ecclesiam S. Petri Bacheracensis, ad instantiam etiam ejusdem Domini Doctoris, præ ceteris honorare cupientes; easdem quadraginta dierum Indulgentias, omnibus diebus scriptis in ipsis litteris prætactis, nec non aliis quibuscumque quibus agitur de Apostolis, Martyribus, Confessoribus, aut Virginibus ac Viduis, nec non per totam Quadragesimam ac Domini Adventum, & singulos dies Quatuor temporum, ad ecclesiam S. Petri prædictam, nec non B. Mariæ Virginis in inferiori Heymbache, ac S. Petri in castro Stegensi, capellas præfatæ ecclesiæ Bacheracensi subjectas, præsentium vigore misericorditer prorogamus. *Supervixit autem Theobaldus iste adhuc annis tribus. Romæ mortuus anno 1429, 16 Septembris.*

VII Heinricus miseratione divina tituli S. Eusebii sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbyter Cardinalis, de Anglia vulgariter nuncupatus (*utpote ex Regum Anglorum sanguine à Martino V assumptus anno* *& Henrici Card. de Anglia.* (E) *1426*) per universam Germaniam ac Hungariæ & Bohemiæ regna Apostolicæ Sedis Legatus, *considerans, quod* fabrica capellæ in oppido Bacheracensi.... laudabiliter inceptæ & ultra medietatem jam elaboratæ (prout Altmannus Bettendorffer, ejusdem fabricæ magister, sua petitione monstravit.) sit adeo sumptuosa, quod ad illius consummationem Christi fidelium subsidia sint plurimum opportuna; *omnibus qui per festa (ipse supra nominata eorumque Octavas* capellam præfatam devote visitaverint, & ad fabricam & consummationem hujusmodi manus porrexerint adjutrices, singulis festivitatum & celebritatis diebus centum, Octavarum vero & sex diebus festivitatum Pentecostes immediate sequentibus, quadraginta dies pro injunctis pœnitentiis misericorditer relaxat; *per litteras perpetuo valituras, datas* Heidelbergæ, Wormatiensis diœcesis, III Nonas Januarii, Pontificatus sanctissimi in Christo Patris ac Domini D. Martini Papæ V undecimo: *qui fuit Christi 1428.* (F)

HISTORIA MIRACULORUM.

Publica auctoritate descriptorum, anno MCCCCXXVI & duabus sequentibus.

Ex MS. Collegii Trevirensis.

INSTRUMENTUM I.

1 IN nomine Domini, Amen. Per hoc præsens publicum instrumentum cunctis pateat evidenter, quod anno à Nativitate ejusdem millesimo quadringentesimo vigesimo sexto; indictione quarta, Pontificatus sanctissimi in Christo Patris ac Domini nostri, D. Martini divina providentia Papæ quinti, anno ejus nono, prima die mensis Augusti, hora Vesperarum vel quasi, in cœmeterio ecclesiæ S. Petri parochialis Bacheracensis, Trevirensis diœcesis, in præsentia venerabilis, & circumspecti viri, Domini Wynandi de Stega, Decretorum Doctoris, Pastoris Bacheracensis, nec non honorabilium Dominorum, Hermanni Bere, Hermanni Corbache, prædicti Domini Pastoris Cappellanorum; Arnoldi Kornhere, Joannis Kelnhere, Jacobi Mantel Presbyterorum Ecclesiæ Bacheracensis prædictæ; Stephani *Anno 1426* *coram Pastore Bacharacensi, Presbyteris, & aliis.*

A phani Prume, Joannis Gerkin, Stephani Bruning, Joannis Seliche, ad sigillandum subscripta; testiumque infrascriptorum, ad hoc vocatorum & rogatorum, meique Notarii publici, subscripti, etiam ad hoc legitime requisiti, personaliter comparuit honestus vir Gerlacus Gingke de Breytscheid Trevirensis diœcesis prædictæ: qui pro præclara indagatione nudæ veritatis à prædicto Domino Pastore solenniter conjuratus, ut per fidem in Baptismate receptam, & sub obtestatione divini judicii ac perpetuæ damnationis & æternæ salvationis; sibi & omnibus circumstantibus diceret nudam & claram veritatem, quid gestæ rei circa eum paulo ante acciderit; deliberato & gaudente animo respondens, in hanc prorupit vocem: Ego olim Dei permissione tactus morbo caduco, cadens in terram, pedem unum in ignem stravi: sensu tactus non utens, ignis fervorem non percepi; & sic adeo læsus fui in eodem pede ab æstu ignis, quod me solo, in tribus fere annis, & absque sustentamentis gradi per aliquem passum numquam potui: & horum annorum medio, nullo medicamine per quemcumque sanari valui, immo me unquam sanari quodammodo desperavi. B Iis autem diebus, cum alios utriusque sexus homines sepulcrum B, Wernheri visitantes, divina manu opitulante, intercessione ejusdem B. Wernheri martyris, à diversis audierim languoribus curatos; vovi & ego, me sepulcrum prædictũ visitaturum, & munus oblaturũ. Modici spatii intervallo translapso, surrexi cum sustentamẽtis; & conducentium juvamine gravissime ad sepulcrum ascendi: cunctorum circa sepulcrum astantiũ, ut gratiam invenire mererer, precibus invocatis, & ibidem per me & eos orationibus ad Deum fusis; statim melius in pede meo habui: & relictis sustentamentis, absq; conductione, solus de monte gradatim [descendens] cerã oblationis comparavi: & iterum solus ascendens, in laudem Dei Omnipotentis & honorem B. Wernheri, ante ejus sepulcrum juxta promissum obtuli. Hæc acta sunt anno, mense, hora &c. quibus supra; præsentibus magistro Joanne Loley scholarium Bacheracensium Rectore, Paulo Kempen, Petro Cranenmeyster, Conrado Elesfelzer, Petro Grufzer, Joanne Surelzig. Joanne Ginglre, Petro Gingk, Gutta & Catharina Reyensteynes, Nesa Scrits, Agneta Rachen, & Agneta Kempen, oppidanis Bacheracensibus, testibus ad præmissa vocatis, pariter & rogatis.

Gerlacus Gingke sub juramento testatur,

quod ante 3 annos tactus morbo caduco, & lapsus in ignem, atque in pede læsus.

adductusque ad sepulcrum sanatus sit.

veritatem attestantibus 13 personis.

C 2 Item anno Indictionis, & Pontificatus quibus supra, mensis Augusti die tertia, coram eodem Pastore & ceteris, comparuit discretus vir, Magister Georgius, pro nunc in Heidelberga domicilium habens, Illustrissimi Principis Domini Ludowici Comitis Palatini Rheni lapicida, conjuratus ut supra, dixit, suum filium Wentzlaum, tunc astantem, in sinistro pede tanto languore gravatum fuisse, quod ipse putaret illum pedem gehennæ incendio incensum; & omnes physici & chirurgici eum medicare denegarent. Tandem diversis habitis medicationibus, puerum B. Wernhero ad suum sepulcrum, oblaturum pedem cereum, unius libræ portantem, vovit; statim melius habuit, & sanatus est. Item comparuit Jeckel Emer, de die Paschæ; referens se in litis pendẽtia, ad unius anni spatium, suspensum fuisse & impeditum; sic quod, licet ex justis sciverit se procedere, triumphare tamen nequaquam potuit: B. Wernhero votum vovit, & proxima die juridica intentum obtinuit & triumphavit. Item Catharina Petri Ythers, de Bacheraco, bis prægnans, non nisi abortivum parere potuit; sed tertio in partus angustia constituta, votum S. Wernhero vovit; & sic puerum vivum parturiit, qui Baptizatus in cælum meavit.

2 laborans immedicabili dolore pedis, curatur:

3 lite vincit.

parturiens liberatur.

3 Item mensis Augusti die octava, circa forum, prope domum Joannis Selig. hora Nonarum vel quasi, comparuit Conradus Einicher de Comede, laicus triginta annorum, retulit, se contractũ in ambabus manibus fuisse: votum B. Wernhero vovit, & duas cereas manus obtulit, & sanatus est, præsentibus pluribus suprascriptis & honestis viris, Henrico Fuedersacke de Stega, & Joanne Buysze, Dominis Henrico Mannedache Vicario Bacheracensi, Henrico Richehre, Joanne Auspurg Clericis, Bambergensis & Moguntiensis diœcesis, testibus ad præmissa vocatis pariter & rogatis. Et ego Thomas Cube de Bacheraco, Clericus Trevirensis diœcesis, publicus Imperiali auctoritate Notarius, quia prædictarum personarum conjurationi, admonitioni & examini, omnibusque aliis & singulis, una cum prænominatis testibus, dum sic, ut præmittitur, præsens interfui, & sic fieri vidi, & audivi: ideoque hoc præsens publicum instrumentum, sigillis plurimarum personarum superius scriptarum sigillatum, exinde confeci, scripsi, subscripsi, & in hanc publicam formam redegi, publicavi, signoque & nomine meis solitis & consuetis, una cum appensione sigillorum majoris Ecclesiæ Bacheracensis, Domini Pastoris & personarum præscriptarum consignavi, in fidem & roborem omnium præmissorum, ad hoc vocatus & requisitus. E

EX MSS.

5 Contractus utraque manu sanatur:

omnia judicio consignante Notario.

INSTRUMENTUM II.

4 IN nomine Domini.... omnium Christifidelium pateat seculis, quod... vigesima quarta die mensis Augusti.... hora Nonarum vel quasi, in aula habitationis venerabilis & circumspecti viri, Domini Winandi de Stega decretorum Doctoris.... comparuerunt honestæ matronæ, Elizabeth VVernheri, & Catharina ejus filia, uxor Jacobi Ortim, de Perscheit, Trevirensis diœcesis; producentes ibidem puerum legitimum jam tactæ Catharinæ, ætatis unius anni & sex septimanarum, nomine Jacobum; asserentes, eumdem precibus B. VVernheri miraculose à mortuis resuscitatum. Ipse autem Dominus Pastor, tamquam vir prudens & jurium tritus, nolens omni spiritu credere, asserens scriptum, Spiritus probate, unde pro præclara indagatione nudæ veritatis hujus facti, easdem honestas mulieres, fide dignas & toti territorio notas, solenniter conjuravit, ut per fidem in Baptismate receptam, & ob attestationem divini judicii ac perpetuæ damnationis & æternæ salvationis, sibi dicerent & omnibus circumstantibus claram, nudam, ac apertissimam veritatem, quid gestæ rei circa hunc acciderit puerulum. F Quæ deliberatissime responderunt, quod idem puerulus, nomine Jacobus, jam quindecim elapsis diebus proximis, certo languore ingravescente, fuit maxima infirmitate gravatus, & tandem à morte superatus, & revera mortuus, omnibus juncturis à vita dissolutis, vere vita carens, infrigidatus; & separata anima, cadaver, per horam & ultra, ad sepultutam faciendum, seorsum extiterit sepositum. Quibus stantibus, ipsa tristis mulier, Catharina nomine quo supra, nullum subterfugium, nisi Omnipotentis Dei & ejus beatissimi Martyris S. VVernheri habens, illud corpus, imo ex fide tamquam puerum corpore animatum, vovit ad ejusdem S. Wernheri sepulcrum, cum quarta parte ceræ libræ, tanquam paupercula, nesciens quid ultra faceret, firmiter credens ejus precibus ipsum revicturum. Quo voto facto, ad planctum matris revixit filius, ut ipsa cum matre testabantur: & omnium vicinorum, non rumor, nec sola fama, sed mera veritas hoc famabat, & famat de præsenti. Puerum omnes vidimus incolumem; matrem

1 Resuscitatur mortuus puer.

1 Ioa. 4, 1

EX MSS. trem, aviam, & alios testes olim mortuum testificantes.

5 Ad hæc eisdem die, & hora, & loco. Elsa, ejus filia, uxor Joannis Fredeman de Nedern die Paschæ comparuerunt: & simili obsecratione & fide dignorum testimonio veritatem fecerunt, se ambas fuisse surdas; & Elsam matrem cæcam, & Elsam filiam paralyticam: & ad votum visitandi S. Wernherum, luce meridiana se probaverunt ab omni infirmitate surditatis, cæcitatis, ac paralytici morbi perfectissime sanatas; & votum reddiderunt cum media libra ceræ. Hæc facta sunt præsentibus prælibato Domino nostro Pastore, & honorabilibus viris, Dominis Hermanno Bere, Henrico Salhert Capellanis, Jacobo Mantel, Joanne Trutmanne Vicariis ecclesiæ Bacheracensis; nec non Joanne de Laudenburg Notario Theolonii Domini Ducis, Joanne Selig, & Emmerico Hunne, Ioanne Tzingk Campanatore, Henrico Kynne oppidanis Bacheracensibus testibus ad præmissa vocatis per Dominum Pastorem præfatum, & alias ad hæc deputatis & legitime requisitis. Et ego Thomas Cube, &c. *ut supra, quod semel hic monitum, suppleatur mente, etiam post cetera quæ sequuntur* B *Instrumenta; quemadmodum & verba in principio punctis signata, ex primo Instrumento petenda. Nota autem in sequentibus semper scribi* Epilenticus *pro* Epilepticus.

Sanantur surdæ duæ, altera etiam cæca, altera paralytica.

INSTRUMENTUM III.

6 In nomine Domini.... Pateat quod.... vigesima nona die mensis Augusti..... in monte S. Wernheri, ante capellam S. Cuniberti.... comparuerunt, primo, Petrus Scholteisz, & Catharina uxor ejus, de Mannebach, ad requisitionem prædicti Domini Pastoris, seriosissime & conjurative factam, sub bona fide & per vim Christianæ religionis, recognoverunt, ipsam Catharinam per triennium & ultra hydropicam, nec valentem quocumque medicamine sanari: votum vovit S. Wernhero, visitaturam sepulchrum ejus cum tribus libris ceræ; & eadem nocte in ultimum examen vitæ deducta est: sed obdormiens quievit; & mane facto evigilans, se bene habere sensit. Unde quæsita à marito, qui in ea penitus quasi desperavit, ipsa læte respondit. Bene habeo; sed aqua undiq; perfusam me sentio. Et compertum est foramen recens super umbilicum, unde ex corpore vice una tria quartalia aquæ & ultra ;, & altera C etiam nunc vice, quæ erat feria tertia post festum B. Mariæ Magdalenæ, quiete dormiens, nocte alia, aquæ magnam copiam dixêre effluxisse. Illam vidimus coram nobis suprascriptis sanam, & honorabilibus viris Dominis Hermanno Bere Capellano seniore, Ioanne Kese juniore, Stephano Prume, Engelman Lotze, Joanne Busze, Henrico Krunge, Joanne Bruning, Joanne Prume, Joanne Selig, Joanne Tzingk; Jacobo Magistro hospitalis, Petro Truden, ac multis aliis utriusque sexus personis fide dignis, testibus ad hæc vocatis & rogatis. Item eisdem die, hora, & loco, quibus supra, dum hæc fierent, à casu supervenit Ermetrud, uxor Petri Sculteti in Bupache, Trevirensis diœcesis, cum aliis honestis viris, & sub fide & Baptismate per Redemptorem suum professa est; quod filius suus, puer quatuor annorum, die hesterna, hoc est vigilia decollationis B. Joannis Baptistæ, recalcitratu equi ad cor percussus sit, tam forti ictu, quod etiam lignum flagelli in duas dissipatum fuerit partes, & cor fractum, & puer interfectus, mortuus & infrigidatus ut lapis, per duas horas. Quibus elapsis, mater invocavit B. Wernherum; & post hæc planctu magno in B. Virginem & B. Wernheri adjutorium firmiter confidit: & puer duarum horarum exanimis, ad vitam rediit

Sanatur hydropica incurabilis,

& suscitatur puer mortuus,

incolumis. Hoc miraculum heri gestum, hodie veritatis fama deducitur, præsentibus, quibus supra, D testibus.

7 Insuper eisdem die, hora, loco, quibus supra, comparuit Joannes Criebesz sutor, oppidanus Bacheracensis, referens se in brachio dextero contractũ fuisse per unum annum cum medio: apud sepulcrum B. Wernheri voto reddito, sanatus est; præsentibus testibus quibus supra. Porro retulerũt honorabiles viri Domini Hermannus Bere, Hermannus Corbache, Hericus Salhart, Capellani prædicti Domini Pastoris; se nomine ecclesiæ Bacheracensis, in præsentia multarum honestarum mulierum de Rudisheym, recepisse manifestissimum signum & testimonium à Joanne Snabel, sartore de Asschaffenburg; quod ipse ab insanabili vulnere (pro quo sanando triginta florenos dedisset libentissime) solutione sui voti & intercessione B. Wernheri, plenissimam recepit sanitatem. Simili confessione Geruse, de Heymbache nata, in ambobus cruribus contracta, apud sepulcrum B. Wernheri confessa est se esse sanatam. Tandem, eadem die, nobilis puer Otto, Ottonis Feyszt de Schonenburg filius, mortiferum pectus habens, * stranguineavit; E candela suæ longitudinis oblata, intercessione B. Wernheri liberatus est. Item eadem die Catharina, olim à surditatis & cæcitatis infirmitatibus, intercessione B. Wernheri liberata, obtulit puerum (à sanitate tantum destitutum, quod non putabatur ipse, sed alius fore) B. Wernheri sepulchro cum certa cera: statim est liberatus præsentibus testibus pluribus supra cum aliis inscriptis, & Domino Jacobo Schiesszer Vicario ecclesiæ Bacheracensis, Joanne * Cantarifusoris, & Joanne Serratoris, etiam testibus ad hæc vocatis.

Sanantur 1 contractus

2 æger insanabili vulnere,

3 contracta,

** forte sanguinavit.*

4 surda & cæca,

5 puer valde æger,

** alias Kannengeisser*

8 Et finaliter penultima Augusti, cum ante venerit rumor, fama & veritas de prole Wolf, quondam Sculteti Bacheracensis, scilicet, quod idem puer epilepticus fuerit, & ceciderit valde multis vicibus: ideoque votus fuerit bipartita vice ad B. Valentinum in Kedriche Maguntinensis diœcesis, nec desideratus voti secutus sic est effectus: votumque fuerit emissum B. Wernhero pro eodem epileptico, & statim sanatus; prælibatus Dominus Pastor & Communitas, hujus rei veritatem explorare carissime desiderantes, quamvis sibi sufficientissime facta fides fuerit; nihilominus tamen suos speciales familiares, & subditos Hermannum Corbache Capellanum, Joannem Trutman Vicarium, Joannem Loley Magi- F strum scholarium Bacheracensis ecclesiæ, & me Notarium publicum subscriptum ad utrumque prædicti epileptici parentem misit, ad negotium fidelissime explorandum. Et quamvis plenissima fides de hoc miraculo Domino Pastori prælibato facta fuerit; cupivit tamen invenire, qui Deo gratias ageret; licet non erat masculus, qui faceret. Nam intrantes domum, ipsa honestissima mulier Catharina, omnia per ordinem enarrare incepit, asserens ipsam prolem in Kedriche valde multis vicibus cecidisse; nec illud votum, sed S Wernheri iuvisse. Et ipsa pro laude Dei narrante supervenit vir nomine * Lupus, tamquam Nabal Carmeli, & nos omnes inhoneste licentiavit; nec gratias Deo de hoc beneficio egit, præsentibus Presbyteris duobus, magistro scholarium, & me Notario præscriptis. In horum omnium testimonium præsens instrumentum ad honorem Dei, gloriosissimæ Christiferæ, omnium Sanctorum, & B. Wernheri, de mandato & requisitione præfati Domini Pastoris, est confectum, & sigillis ecclesiæ Bacheracensis majore & ejusdem Pastoris honorabiliumque virorum & Dominorum, loco testium suprascriptorum, sigillatum, in majus robur Christianæ fidei, & Dei miraculorum.

6 epilepticus

** Germ. Wolf*

9 Finaliter

A *Peregrinatio ad S. Valentinum in Kedrich.*

9 *Fuimus nos anno* 1660 *die* 14 *Augusti in prædicto* Kedrich *sive* Kidrich, *insigni prorsus municipio atque amplo, dum Moguntia ad Erbacense monasterium excurreremus; vidimusque ex eleemosynis, per celebrem ad S. Valentinum peregrinationem affluentibus, magnificum templum, quadratis lapidibus structum; & ipsius S. Valentini Reliquias honoratas argentea grandi herma, cum præclarioribus quas alibi cernere licuit comparanda, & non ita pridem condita ex spoliis defuncti Pastoris; qui protestatus se mature condere testamentum, ne bona a se dimittenda in manus venirent Archiepiscopalium Harpyiarum, commeruit ut ipsum irritum declararetur, & aliter longe quam statuerat ipse expenderentur omnia. Festum autem S. Valentini agebatur* XIV *Februarii, ubi de variis sanctis Valentinis egimus.*

INSTRUMENTUM IV.

10 In nomine Domini.... die prima mensis Septembris, ipsa die B. Ægidii Confessoris infra divinarum Missarum solennia, in vestibulo Parochialis ecclesiæ S. Petri Bacheracensis.... motu proprio, ad laudem Omnipotentis, suæ Genitricis, Ecclesiæ sanctæ & B. Wernheri Martyris; Hansman Joannes de Cuba, oppidanus in Loirche, sexaginta annorum, & honestæ conversatonis & gravium morum, ut prima facie apparere potuit, & libertate plena potitus, fuit publice professus, qualiter ipse proximos continuos triginta annos & ultra, vehementē dolorē capitis sit passus, sic quod putabat fieri phreneticus; quod dormire non potuerit, comedere bibereque non valuerit: sed audiens famam miraculorum B. Wernheri, se cum quarta libræ ceræ ad corpus prædicti S. Wernheri devoverit, votum compleverit; & inde jam plenam sanitatem recepit illius defectus. Supra quibus sic recognitis prælibatus Dominus noster Pastor, una & cum confitente, requisierunt me Notarium publicum, ut desuper cōficerem pro præsentium & futurorum seculorum memoria publicum instrumentum, majoris Ecclesiæ Bacheracensis, nec non prædicti Domini Pastoris, Domini Arnoldi Kurnherz, Joannis Kelnherz, Henrici Salhart, Joannis Anthonii Vicariorum sigillis communitum præsentibus venerabilibus & discretis viris jam sigillantibus; nec non Joanne Kese juniore vicario, & Joanne Loley Licentiato in artibus, Rectore scholarium, testibus ad præmissa requisitis.

liberatur phreneticus, B

11 Item eadem die, peracta Missa summa in choro Bacheracensi, coram prælibato nostro Domino Pastore, Domino Hermanno Bere, & Henrico Salhart Capellanis, coram meque & subscriptis testibus, se obtulit in medium Petrus Steynbecher, oppidanus in Mannebache, quadraginta annorum vel circa: & requisitus per Dominum Pastorem, quomodo tam gravissime fuerit inflatus per totum corpus, & jam præclare sanatus; ipse per fidem respondit: Quod ex quadam flascula potaverit, de qua exierit magna multitudo venenosarum muscarum, vulgariter vermes aurium invasores nuncupatarum; & inde fuerit inflatus per totum corpus maxima inflatione, ut notissimum sit omnibus in Mannebach habitantibus. Sed & ibi fuerit quædam mulier hydropica, nomine Catharina Scolteszen, jam recenter intercessione S. Wernheri sananter liberata. Quo audito, cum ipse jam præ maximo dolore quasi crepuisset, ipse se voverit ad S. Wernherum, singulis annis cum quarta parte libræ ceræ visitādum, & illico fuisset sanatus. Super quibus sæpedictus Dominus jussit per me fieri hoc publicum instrumentum: & decrevit una cum aliis hic conscriptis Presbyteris majoris Ecclesiæ Bacheracensis suæ, Dominorum Hermanni Bere, Henrici Salhart, ac Stephani Meyster oppidani Bacheracensis sigillis sigillandum, præsentibus, Domino Joanne Kese juniore, Joanne Schobenrauche Cellerario, Ioanne Ausburg de Meysenheym Camerario, & Ioanne Tzingk Campanario prædicti Domini Pastoris, testibus ad hæc introductis, & gestis ad mandatum Reverendissimi in Christo Patris & Domini, Domini Jordani de Ursinis Episcopi Albanensis, sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, & ejusdem summi Pœnitentiarii & Legati de latere per totā Almaniam in causa fidei. EX MSS.

C *& alius gravissime inflatus per totum corpus.*

INSTRUMENTUM V.

12 In nomine Domini.... prima die Septembris in domo dotis ecclesiæ Parochialis Bacheracensis.... personaliter & de proprio motu comparuit magnæ discretionis vir, Gerhardus de Novomagio, per suum Baptisterium recognoscens, quod dum in proximo, gratia mercium suarum, in Pinguia Maguntinensis diœcesis navim intrare vellet, in tibia sinistri genu vulnus accepisset insanabile, ob vehementem casum in quemdam clavum; & sic descendens per navim, nationis suæ partes petēs, Bacheracum præteriit: tandemque à consedentibus quibusdam suis sit monitus, quod votum faceret B. Wernhero cum munere certo ceræ in laudem Dei, ut intercessione B. Wernheri sanari posset. Ipse autem bona fide censens hoc nō cassum, mox votum fecit; ad Novomagium ultra, unde natus erat, per triginta milliaria in navi descendit, & statim sanatus fuit. Haud multū post venit cū sua oblatione votū completurus, ipsum persolvit; & Dei omnipotentiā laudando casum exposuit in mei publici, testiumq; infrascriptorum præsentia, videlicet honorabilium virorum Domini Hermāni Bere, Hermāni Corbache Capellanorū, Arnoldi Korner Vicarii, Magistri Ioannis Luley Rectoris scholarum, Ioannis Schoberauche Cellerarii, Ioānis Meysenheymere Camerarii D. Pastoris ecclesiæ Parochialis Bacheracēsis.

In tibia vulneratus sanatur:

E

13 Item anno Pōtificatus ejusdē, Indictione quinta, octava die mēsis Octobris, in medio Curiæ domus dotis Bacheracii personaliter constitutus, honestus vir Ioannes Reuber, de Gauwelscheym Maguntinensis diœcesis, una cum uxore sua, matre, fratre & sorore ejusdem, produxerunt in publicum quemdā suū puerum trium annorum vel circa, quem asseruerunt perdidisse, nec scire vestigium situs ejus: unde fecerunt votum S. Wernhero pro puero inveniendo, ne saltem à bestiis læderetur, aut malevolis deportaretur. Protracta tamen perditione per diem naturalem & ultra, altera die ipsum puerulum, in loco paludinoso & cannoso infixum, repererunt sanum & illæsum: tamen præsumptio fuit [prius] à feris & bestiis, hominem adultum devorari, quam per viginti sex horas tenerum puerum à læsione sustentari. Hæc confessio facta est præsentibus Dominis Hermanno Corbache Capellano, Ioanne Kelnherz Vicario, Henrico Richehere, Ioanne Ausburg, Ioanne Scobenrauche familiaribus Domini Pastoris ecclesiæ Bacheracensis, Clericis Maguntinensis, Trevirensis, & Bambergensis diœcesis. Item eodem die, in eadem dotis Curia, hora Vesperarum, comparuit Ioannes Hurr, de Ockeheym, sacræ Maguntinensis diœcesis, & recognovit se habuisse crus insanabile infectum letali infectione, sic quod omnis spes medicinæ recessit per triennium: tandem votum vovit S. Wernhero, & plenam sanationem recepit. Hanc confessionem sub fide Christianitatis fecit loco quo supra, ubi etiam præsentes erant venerabilis & circumspectus vir Dominus Winandus de Stega decretorum Doctor, Pastor Bacheracensis Parochialis ecclesiæ; nec non nobilis vir militaris Gerhardus Knebel de Katzeneleboghe, Altmannus Bettendorffer Consularis Bacheracensis, & Ioannes de Laudenburg Notarius Theolonii Bacheracensis: ad quorum instantiam, nec non principalis expositoris, ipse Dominus Wynandus Pastor jussit hoc instrumentum inde fieri, & sigillo majoris ecclesiæ Bachera-

puerulus amissus in loco palustri invenitur.

F

sanatur crus incurabile.

EX MSS. Bacheracensis una cum sigillo suo, Altmanni Bettendorffer & Joannis Notarii Theolonii prædicti communiri. Et ego Thomas Cube *ut supra*.

INSTRUMENTUM VI.

Anno 1427 14 IN nomine Domini, Amen. Anno Domini millesimo quadringentesimo vigesimo septimo, Indictione quinta, quarta die mensis Aprilis in Bacheraco, circa sepulcrum S. Wernheri, hora Primarũ vel quasi.... Joannes Furster de Altzeya, quinquaginta annorum & ultra, recognovit & per fidem suã dixit, quod hoc esset notũ omnibus suæ civitatis, quod ipse fuerit cæcus per octo proximos annos; & emisso voto, intercessione B. Wernheri, jam in proximo fuerit illuminatus: & vidit usq; in præsens inclusive. Hæc cõfessio facta est præsentibus Hermanno Advocato, Joanne Selig, Henrico Cloysze, Joanne Moyr, Petro Mauweler, Nicolao Mauweler, Swaven Henne, & Junge Henne oppidanis Bacheracensibus, & multis aliis hominibus utriusq; sexus. Item eadem die & hora & loco Joannes de Bilchin produxit uxorem suã Ursulam, quam per fidẽ suã asseruit, diu fuisse phreneticam; & intercessione B. Wernheri, emisso voto, integræ restitutam sanitati. Acta præsentibus Dominis Hermanno Bere, Jacobo Mantel Presbyteris, Joanne Prüme, Henrico Cloysze, & multis aliis ad præmissa vocatis. Super quibus confectum est præsens publicum instrumentum, una cum sigillis Capellanorum Jacobi Mantel Presbyteri, Joannis Prume, Hermanni Advocati, & Joannis Seliche oppidanorum Bacheracensium communitum. Et ego Joannes Kese *ut supra*.

cæcus illuminatur,

phrenetica sana menti restituitur,

B

INSTRUMENTUM VII.

15 IN nomine Domini.... die nona mensis Iunii, hora Missarum vel quasi.... honesta mulier Hebel Stercken, de Ludenrait, Trevirensis diœcesis, circa sepulcrum S. Wernheri in Bacheraco, ipsa sexaginta annorum & ultra, ducens personaliter ad manus neptem suam, nomine Agnetam; & per Christianitatem suã, recognoscẽdo exposuit; quod hoc proximo mense elapso, ipsa exponente equo proprio dante fœnum, in una die, prædicta neptis quinq; annorum vel modicum infra, nesciente avia, cum parvo ligno equum ad posteriores pedes percusserit: unde equus recalcitrans pedibus posterioribus puellam ad mortem percusserit, signãter ad pectus; unde ipsa jacentem prolem lamentabiliter involutam mantello & vere mortuam, infrigidatam, vicinas clamavit: & accepto consilio, fusisque orationibus, ipsam prolem cum oblationibus ad S. Wernherum vovit. Puella illico revixit, vocata Agnes: & ipsam B. Wernhero præsentavit, & hodie vivit sana. Hæc confessio facta est præsentibus honorabilibus viris Domino Iacobo Mantel, Ioanne Provisoris, Vicariis Bacheracensibus; Hermanno Mannebache Advocato ibidem, Ioanne Prume Notario Theolonii Bacheracensis, Engelman Lorze Sculteto, Joanne Busze Scabino, & Magistro Ioanne Monetario, & multis aliis testibus ad hæc vocatis & requisitis.

Puella ex percussione equi mortua reviviscit:

C

16 Item eadem die & loco, hora nona vel quasi, Frantze Sutor Maguntinensis, quinquaginta annorũ, simili sub obtestatione suæ fidei profitebatur; quod hoc anno ante festum Palmarum accensus fuerit igne infernali, hoc est B. Antonii: & profusis lacrymis ad Deum, per intercessionem B. Wernheri, citissime sanatus fuerit. Hæc professio facta est præsentibus Ioanne Provisoris Presbytero & Vicario Bacheracensi, Ioanne Selig, Lippen Henne, Auwen Henne, Falkensteyn, & multis aliis testibus ad hæc requisitis, Item eadem hora in eodẽ loco constitutus, Ioannes filius Ioannes Smet, de Maguntia, annorum duodeviginti, & sponte confessus fuit examinatus per fidem Christianitatis, quod fuerit paralyticus seu podagricus, omnino officio pedum privatus; & ad preces B. Wernheri fuerit liberatus, præsentibus testibus jã supra. Item eadem hora, Wernherus Rabender, de Heydensheym, quadraginta annorum & ultra; simili sub fide recognovit, quod congregatis hoc anno prædonibus inimicis suæ villæ, & pervenientibus illis ad villã pro ipsius incineratione; & exponentis & aliorum rusticorum sibi vicinorum captione; ipse cũ aliis, fusis ad Deum precibus, per intercessionem B. Wernheri, cui votum visitandi emiserunt, nihil mali ab inimicis sunt perpessi; præsentibus quibus supra facta est hæc recognitio, & sigillis hic signatorum testium communita, scilicet, Iacobi Mantel, Ioannis Provisoris, Hermanni Mannebache, Ioannis Prume, & Ioannis Seliche. Et ego Iannes Kese *ut supra*.

ignis sacer curatur:

podagricus sanatur:

D

liberantur plures ab hostili incursione.

INSTRUMENTUM VIII.

17 IN nomine Domini.... tertia mensis Septembris.... hora Vesperarum vel quasi, in cœmeterio ecclesiæ Bacheracensis, in multitudinis Cleri & populi & infrascriptorũ testium præsentia, personaliter constitutus Albertus de Straubingen, laicus, Ratisponensis diœcesis, familiaris Ioannis Heydendorffer, Camerarii Reverendissimi in Christo Patris & Domini, D. Conradi Archiepiscopi Maguntini, non dolo tractus nec vi coactus; sed liberrime & sponte, nullo eum impellente, sub Christianitatis fide & salute animæ suæ proponendo recognovit, & dixit; qualiter ipse paucis elapsis diebus, fortuito casu de navi in Gernscheym, in abyssum Rheni ceciderit, ibique juxta tunc præsentium assertionem per alteram dimidiam horam undis vallatus fuerit: quod plus mortuus, & exanimis, tandem fuerit extractus, & ad ignem applicatus, nihil vitæ habuerit: tandem Theolonarius ibidem ipsum cum libra ceræ ad S. Wernherum devoverit; ipse quoque exponens facto voto gurgitem aquarum illico evaserit, & restitutus fuerit pristinæ sanitati. Unde Omnipotenti Deo, Beatæ Virgini, & S. Wernhero debitas agendo gratiarum actiones, cum suo voto venerit, ipseque humiliter persolvit; supplicans quod tantum miraculum, tam publice factum, ceteris annotaretur miraculis. Unde venerabilis & circumspectus vir Wynandus de Stega.... tunc una cum infrascriptis testibus præsens, mandavit mihi Notario publico infrascripto, ut super iis conficerem publicum instrumentum quæ acta sunt ut supra præsentibus honorabilibus viris Domino Hermanno Ber Pastore in Dolghescheym, Domino Henrico Salhart Vicario in Lumberschem, Capellanis, Altmanno Bettendorffer Camerario Domini Ducis, Ioanne Nynt, Eberhardo Hebestryt, Iacobo Aurifabri, & pluribus aliis testibus rogatis, & requisitis.

Submersus in Rheno

E

vitæ restitutus;

F

18 Item eodem anno, ut supra, in vigilia Francisci constituta Styna de Leydeneck prope Kestel, produxit adolescentulum, proprium filium, ut aiebat, quindecim annorum, nomine Nicolaum qui licet simplex & rusticalis, sicut & mater ejus, per Baptisma tamen suum recognovit, quod proxima elapsa septimana, feria quarta scilicet, existens in agro ad laborandum cum equis, quidam aër ad oculos suos volitans, ipsum reddidit cæcum, usque ad feriam tertiam præsentis septimanæ. Et tunc ipsa Styna, cum marito dicto Korbers Henne, voverunt filium cum quarta libræ ceræ ad S. Wernherum: & eadem nocte ipse puer visum clare recepit; & illa die mater cum filio votum solvit. Recognita sunt hæc præsentibus prælibatis Domino Pastore, & honorabilibus Dominis Henrico de Luternbache Capellano, & Ioanne Besyher Vicariis Ecclesiæ Bacheracensis, Magistro Ioanne a Muntzmeyster, Ioanne Selich o Wardino, & aliis utriusque sexus, vocatis & requisitis.

cæcus illuminatur,

a b

Pro

A Pro quorum majori firmitate jussit prædictus Dominus Pastor per me fieri hoc instrumentum, & sigillum Majoris ecclesiæ Bacheracensis, & Capellanorum ejusdem ecclesiæ, Nobilis viri Altmanni Bettendorffer, Domini Joannis Besyher, magistri Joannis Muntzmeyster, & Joannis Selich communiri. Et ego Joannes Auspurg de Meysenheym Clericus Maguntinensis, *ut supra*.

ANNOTATA.

a *Id est*, Monetariæ officinæ Magister, *supra simpliciter* Monetarius *dictus*.

b Wârde *Teutonice pretium valor: hinc* Wardinus *vocatur is, cujus est munus in jam dicta officina definire valorem cuiusque auri vel argenti, quod signandum offertur, maiorem minoremve, pro maiori vel minori puritate illius.*

INSTRUMENTUM IX.

19 IN nomine Domini, Amen. Anno Domini millesimo quadringentesimo vigesimo octavo, Indictione sexta, prima die mensis Februarii, hora Primarum vel quasi, circa sepulcrum in Bacheraco.... Reyntze Ritter, & Catharina ejus uxor, de Nedernberg, Trevirensis diœcesis, præsentaverunt filium suum, & per fidem sibi invicem juratam dixerunt, fuisse spatio trium horarum præmortuum; & emisso voto ab ipsis, intercessione S. Wernheri, puer revixit. Acta, præsentibus Domino Joanne Provisoris Presbytero, Petro Dyme juniore, & Nicolao Mauweler, ac multis aliis hominibus utriusque sexus. Item eodem anno in festo S. Lucæ, Hermannus de Wyszely, Trevirensis diœcesis, auriga venerabilis Domini Wynandi Pastoris Bacheracensis, sub fide recognovit, Dominum suum in septimana Paschali præsentis anni fuisse vocatum ad Officialem Confluentinum; & feria sexta post Pascha ipsos iniisse per viam reversionis ad domum, & ipsum exponentem sedisse in equo albo Domini sui: & dum pervenissent prope *a* tercum quemdam magnæ abyssi Rheni, subtus Theolonium S. Goaris; equus, stupefactus à quodam trunco ligneo, se cum assessore præcipitanter projecit in abyssum, & tercus aquæ circumduxit eum in flumine validissimo, nunc subtus nunc supra. Et cum non esset spes vitæ, ipse intra se collegit, & S. Wernhero vovit: & post quartam submersionem & magnum circuitum, intercessione B. Wernheri & gratia Omnipotentis, liberatus fuit. Dixit Dominum suum, cum Camerario suo Joanne Hackenberg, præsentes Equestres fuisse, & vidisse: ipse quoque exponens, omnia vestimenta, quibus indutus erat, cum gladio & ocreis, portavit ad S. Wernherum; & pro laude Dei & sui liberatione ibi dimisit. Prædictus etiam Dominus Wynandus Pastor, & Joannes Hachenberg recognoverunt se hæc omnia vidisse & interfuisse; sed de emissione voti dixerunt sibi non constare; sed stupefacti inclamaverunt Deum & Beatam Virginem pro liberatione illius in summo periculo constituti. Pro quorum testimonio Dominus Wynandus jussit sigillum majus ecclesiæ ac suum præsentibus appendi: & pro aliorum fortiore fide, sigillo Domini Joannis Provisoris, hic inscripti communiri. Et ego Ioannes Kese de Bacheraco *ut supra*

B *Anno 1428 mortuus resuscitatur*

a alius à periculo submersionis liberatur.

C

ANNOTATA.

a *Intelligitur haud dubie vortex aquarum.*

INSTRUMENTUM X.

20 IN nomine Domini,... die secunda mensis Aprilis.... hora Vesperarum vel quasi, Getza Gehers de Weschoffen, prope Wormatiam, obtulit puerum suum, Matthiam nomine, unius anni & ultra, sanum & elegantem; quem asseruit, conjurata per Crucifixum, hesterna die per tres integros dies mortuum, & ipsam tantum clamasse, quod major campana in Westoffen fuisset pulsata: & congregato toto populo, ipsa inclamasset tota fide humiliter ad S. Wernherum, ut redderet sibi infantem vivum: promittens se non comesturam, quoadusque infantulum cum oblatione viva S. Wernhero præsentaret. Quibus sæpius repetitis, puer revixit; & ipsa cum puero iter arripuit, & votum cum infante implevit. Hæc recognitio facta est ad requisitionem Domini Winandi, præsentibus Domino Theodrico de Gouda, in Artibus magistro, & Rectore scholarum Bacheracensium, Ioanne Carnificis, sociis in divinis ecclesiæ Bacheracensis; Joanne Dunner, Ioanne Kese, & Henrico Doirenkemher, Presbyteris altaristis ejusdem ecclesiæ; Ioanne & Stephano Bruning, oppidanis Bacheracensibus, testibus ad præmissa vocatis & requisitis. Item die duodecima mensis Aprilis, Ruckerus de Lymburg cum Ele Linwedy matre ejus, Trevirensis diœcesis, coram testibus infrascriptis, dixerunt, quod idem Ruckerus duodecim annorum cæcus fuisset per mensem; votum vovit ad S. Wernherum & sanatus est. Præsentibus Domino Ioanne Fudersack, Ioanne Dunner, & Ioanne Prume, oppidanis.

Puer triduo mortuus revivisit.

E

illuminatur cæcus unus

21 Item die tredecima mensis Maji, Gorge Oswalt de Hilsbache, occasione cujusdam miraculi, sub fide Baptismatis dixit, coram testibus infrascriptis, quod cæcus fuisset per decem & octo hebdomadas: votum vovit ad S. Wernherum, & visum recepit. Præsentibus Domino Joanne Dunner, Domino Henrico Capellano Domini Pastoris, Henrico Richere, Vicariis ecclesiæ ejusdem. Item die decimoseptimo mensis Maji Dominus Decanus, nomine Joannes Buweman de Saulhem, ecclesiæ S. Pauli VVormatiensis diœcesis, recognovit & dixit coram testibus infrascriptis, quod pestilentiam habuisset, & claudus factus fuisset, quod non potuit ambulare: votum vovit ad S. VVernherum, & sanatus est. Præsentibus Domino Joanne Dunner, & Henrico Mannebache, Vicariis ecclesiæ Bacheracensis; Joanne Selig, Joanne Pistoris laicis. Item die vigesima septima mensis Octobris, Joannes Botz de Lotstad, inter Spiram & Lauda sito, exposuit, Dominam Nesam de Meckenheym, militaris viduam, habere filiam, virginem quatuordecim annorum vel circa, dictam Nopurg, quæ fuerat obsessa intantum, quod catenis ferreis ligata se dissolvebat, & homines lædebat. Tandem consilio cujusdam Presbyteri Spirensis diœcesis, mater vovit filiam ad S. VVernherum, cum tribus libris ceræ & dimidia: & emisso voto, virgo fuit liberata; & nobilis mulier solvendo suum votum, misit exponentem huc cum ipsa cera, quam realiter obtulit nomine prædictæ virginis: & hæc Dominis infrascriptis per suum Baptisterium exposuit. Hæc recognitio facta est circa mensam Domini Pastoris Bacheracensis, præsentibus venerabilibus viris Domino VVinando Pastore jam

& alter.

F

à peste contracta claudus sanatur:

energumena liberatur;

Ex MSS. jam tacto, Magistro Joanne Pastore in Hoffen-Margaretæ Coloniensis diœcesis, Henrico Salhart Vicario in Lumberscheym, Theodrico Trutzburg, Capellanis prædicti Domini Pastoris. Super quibus prætactus Dominus Pastor mandavit fieri instrumentum, & sigillari ut videtur. Acta sunt omnia hæc in domo dotis Bacheracensis. . . . Et ego Joannes Auspurg de Meysenheym &c. *ut supra.*

INSTRUMENTUM XI.

Immobilis ob dolores ventris & vicinarum partium sanatur,

22 IN nomine Domini. . . . tredecima die mensis Novembris, hora nona vel quasi, in Bacheraco. . . . Joannes Pletze de Hernscheyn, prope Wormatiam, per Christianitatem suam recognovit, quod per quatuor septimanas passus est dolorem ventris & regionis genitalium, sic quod se movere non poterat: votum vovit ad S. Wernherum cum semilibra ceræ, & illico liberatus est: & singulis annis cum consimili, oblatione visitavit S. Wernhernm. In cujus rei testimonium præfatus Dominus Pastor jussit fieri hoc publicum instrumentum, & sigillum majus ecclesiæ Bacheracensis, ac suum appendit, præsentibus honorabilibus & discretis viris, Magistro Joanne Capellano, Hermanno de Giefzin, Jacobo Mantel, Joanne Kese juniore Presbyteris, Magistro Joanne de Lovanio scriptore, Henrico Richel Vicariis Bacheracensibus, testibus fide dignis ad præmissa vocatis pariter & rogatis. Et ego Ioannes Kese *ut supra.*

B

item crus infectum,

& languor diuturnus,

22 *His Notarialibus instrumentis, accedat viri nobilis attestatio, de miraculo in se patrato, in Trevirensi codice, circa finem relata his verbis*: Ego Ioannes Hoffman, de Heydelbergia VVormatiensis diœcesis, sub juramento, Domino meo naturali Duci Bavarorum præstito, recognosco me per tres & ultra plures menses [habuisse] crus circa tibiam infectum. Et audiens famam S. Wernheri me personaliter vovi ad sepulturam ejus cum muneribus: & statim sanatus, hoc infrascripto die, votum meum Bacheraci personaliter, ut potui, persolvi. Imo adhæc frater meus, Petrus Hoffman, de Heidelbergia, toto corpore longo languidus tempore, voto emisso sanatus est; & firmiter & quam cito poterit, votum redimet. In quorum testimonium supplicavi Domino Pastori Bacheracensi, coram quatuor suis domesticis familiaribus, ut has litteras sigillo suæ ecclesiæ communiret. Datum Bacheraci anno Domini MCCCCXIX, in Vigilia Epiphaniæ Domini.

C

PROCESSUS BACHERACENSIS,

De vita, martyrio & miraculis B. Wernheri.

Ex Codice MS. Trevirensi.

CAPUT I.

Introductio ad causam, & instrumenta ad cultus antiqui præscriptionem probandam.

Monumenta hactenus data, pro fuere in processu,

1 ANtiqua *monumenta omnia, ad Historiam passionis aut miraculorum S. VVernheri spectantia conscriptaque, prius quam D. VVinandus Bacheracensis Pastor publicum plenumque de tota causa processum formandum curaret, produximus hactenus; pauca si excipias, quæ non putavimus integre danda, & sunt Lectiones, Responsoria, Hymni de S. VVernhero pro vario illius Officio tunc composita, cum non dubitaretur de Canonizatione mox secutura: hujus autem procuratione, ob causam infra indicandam, in longius tempus suspensa, illa in usum publicum introducta nunquam, nec recepta ab Ecclesia fuerunt: ideoque satis habuimus ipsa delibare inter Annotata. Producta sunt etiam variorum Præsulum Indulgentiæ authenticæ, quas etiam ad longam expansas proponere. non est visum operæ pretium, satis autem esse, si quod in iis historicum est in Annotatis infra dandis exhiberetur. Restat nunc, ut quod in Trevirensi codice est præcipuum, & cujus occasione dumtaxat priora ista inibi reperiuntur descripta, ponatur ob oculos. Processus, inquam Bacheracensis, à quo incipit & in quem desinit liber pulcherrimus, cum hac Rubrica, tituli locum tenente & his verbis concepta*: De reverentiali consilio, imo verius mandato reverendissimi in Christo Patris & Domini, *a* D. Iordani de Ursinis, divina providentia Episcopi Albanensium, sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, & ejusdem summi Pœnitentiarii; non absque masticatione matura Reverendorum Patrum & Dominorum duorum Episcoporum & in sacra Theologia Professorum; nec non aliorum quatuor venerabilium, licet diversarum facultatum, Doctorum, de familia jam scripti Domini Cardinalis existentium, & cum eodem in Bacheraco aliquam diu in pastorali curia quescentium; ad reverentiam nec non informationem Apostolicæ Sedis ejusque summi Pontificis, & reverendissimorum in Christo Patrum & Dominorum Cardinalium ejusdem, nec non Reverendissimi in Christo Patris & Domini Trevirorum Archiepiscopi, & suæ Sedis sanctæ; ea quæ subscripta sunt diligentissima & exacta diligentia, ut videtur, comite veritate, in unum sunt collecta. Principalissime ad gloriam Sanctissimæ Trinitatis, Domini nostri Jesu Christi, Christiferæ semper Virginis, & ad honorem utriusque Joannis, omniũ quoq; electorũ cælestis curiæ, Capellæ B. Wernheri patronorum: succedenteque adhæc jussu illustris Principis & Domini *b* D. Ludovici Comitis Palatini Rheni, sacrosancti Romani Imperii Archidapiferi & Ducis Bavariæ inclytissimi, B. Wernheri zelatoris præcipui & instructionis suæ nobilissimæ capellæ. *c*

D

a formato ex voluntate Legati Ap.

E

b & Comitis Palatini

c sub Martino Papa V

& Ottone Archiep. Trevirensi.

anno 1428 26 Septemb.

2 Sanctissimo in Christo Patri & Domino D. Martino, Omnipotentis providentia Dei sacrosanctæ Romanæ & universalis Ecclesiæ summo Pontifici; ejusque Confratribus, reverendissimis Patribus & Dominis, jam tactæ illibatæ Ecclesiæ in Domino dignissimis Cardinalibus; nec non venerabilissimo in Dei & hominum mediatore, Patri & Domino D. Ottoni Archiepiscopo Trevirensi præclarissimo, osculis manuum præmissis ac pedum summi Pontificis beatorum; universis quoque & singulis in Christo Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, Prælatis & Clericis, maxime in universitatibus quibuscumque regentibus, & gratiam Apostolicæ Sedis habentibus, illustrissimis Regibus, Ducibus præfulgentibus, Marchionibus, Comitibus, Nobilibus, Militibus, Militaribus, Officialibus quibuscumque, Communitatibus, Civitatibus, Civibus, oppidanis ac rusticis, ceterisque utriusque sexus Christi fidelibus, cujuscumqne præeminentiæ fuerint, status, sexus, aut conditionis; in Christi ac propriis meritis feliciter assequi vitam sine fine futuram, & præsentibus adhiberi fidem indubiam. Scilicet quod anno à Nativitate Domini nostri Jesu Christi millesimo quadringentesimo vicesimo octavo, Indictione sexta, Pontificatus sanctissimi in Christo patris & Domini nostri D. Martini divina providentia Papæ quinti anno ejus undecimo, die solis, vigesima sexta mensis Septembris, hora primarum vel quasi, in planitie ambitus majoris capellæ, vulgariter dictæ S. Wernheri, ante chorum principalem, in circumspecti viri Domini Winandi de Stega decretorum Doctoris Pastoris Bacheracensium, meique & subscriptorum Notariorum publicorum, venerabiliumque testium, & magna

F

A & magna multitudine hominum ad hoc speciatim vocatorum, & per *d* pedellum secularem citatorum præsentia personaliter constituti, magnæ circumspectionis viri, Domicellus Henricus Wolff de Spanheim, Militaris, Burggravius & Vice-Dominus territorii Bacheracensium, gloriosi & nobilissimi Principis ac Domini D. Ludovici Sancti Romani Imperii Archidapiferi, Comitis Palatini Rheni, Ducisque Bavariorum potentissimi; nec non Dominus Joannes de Laudenburg, Notarius Theolonii, etiam præscripti Principis præclarissimi; maturis præhabitis declarationibus cum quibusdam articulatis punctis, præsentem materiam positive ambientibus; quæ quidem puncta scriptis historiis, instrumentorum fide, voce publica & fama plene probari laborabant; plura ibi in publicum varia & diversa deduxerunt.

in quo processu, ad probandum martyrium,

3 Primo verbo oratorio, prout etiam (ut aiunt) omnibus tum præsentibus & vicinis publicis fama innotesceret, majorum relatione, publicis miraculis, scriptis, munimentis & sigillis, palam, publice & notorie perorarunt; qualiter venerabilis in Christo puer seu adolescens, Sanctus Wernherus, sic ab omnibus vocatus, tentus & reputatus; dudum circa annum Domini millesimum ducentesimum octuagesimum septimum, ipsa die Cœnæ communicatus & B munitus corpore Christi vero, à perfidis Judæis, quorum sectam & nequitiam ignorabat, callide fuisset ad ipsorum unam domorum utcumque attractus; ibique ad statuam ligneam triduo suspensus, & tandem cultro incisus diriter interfectus; & hoc in Wesalia superiori Treverensium diœcesis, in hoc ipso loco, ubi nunc est hospitale sancti Spiritus: in cujus Capella & Choro, statua ejus lignea, & hoc ipsum cultrum suæ incisionis veneratur à Christi fidelibus. Fuitque idem Deo carus puer, perfidorum Judæorum concurrente & practicante pecunia, sua liberatione frustratus, saltem temporali; licet Judæorum abra illud nefas tunc Sculteto Wesaliensium indicavit. Fuitque idem puer beatus clam per Judæos callido modo supra Bacheracum, in desertum locum, ubi nunc est S. Guilhelmi monasterium, absconsus (ut majorum fama publice usque in præsens famat) sub spinis & vepribus, & tandem in sacco & sanguine proprio involutus, miraculosis luminibus Christicolis ostensus, rursumque ad aulam deportatus Bacheracensium judicialem; ibidemque iterum lumininaribus Christianorum turbis, pro puero Deo caro & Martyre, indicatus, Indeque solenni [supplicatione] cum Clero & populo per notabilem, latum, & amœnum ascensum in parvam C & antiquam B. Cuniberti religiose repositus capellam, non ut Principes, Prælati, Nobiles, cives, seu rustici subtus terram sepeliri [solent] tumulatus; sed cereo involutus, cum vitta aurea, rosis ornata aureis, in signum suæ virginitatis, cum sericeo cussino violis pleno, & putatorio sui laboris instrumento, in cedrina tumbula modica circumdatus; intra quercinam fortem tumbam, bene munitam & seratam & ferramentis fortissimis retiatam; fuit, Sanctorum more & Dei electorum, religiosissime pro requie inclusus.

sanctitatem Beati Wernheri,

& publicum cultum,

4 Feceritque ex tunc signa multa magna nimis, tot tantaque, quod non solum proximæ gentes, imo regnicolæ de valde multum remotis locis suis sanctum Puerum visitassent, cum muneribus & pecuniis maximis; sic quod mox destructo altari antiquo, in honorem SS. Cuniberti & Andreæ consecrato, & majori parte illius capellulæ; novum altare, cum novo ædificio illius pretiosissimæ capellæ, in sexto anno ab ejus passione, erectum, & in honorem eorumdem SS. Cuniberti & Andreæ per quemdem Hermannum venerabilem Patrem & Episcopum Sambiensium solenniter reconsecratum, & diversis indulgentiis, tam tunc Domini Petri Archiepiscopi Maguntini, quam plurimorum Treverensium & aliorum duodecim Archiepiscoporum, fuit ditatum; indeque nova & magna Capella cum tribus notabilibus choris, ut hodie cernitur, in petra firmissima, cum viginti longis, largis, & triperticatis & quadruplicatis fenestris, amplis & altis lapidibus pretiosisque quadratis & sectis, ac à partibus ductis bene remotis, fuit cum multorum florenorum summa, Christi fidelium solertia, ferventer instaurata; & ubi abundavit habendorum florenorum copia, in multo superabundavit oblatorum florenorum & pecuniarum summa nimis magna. Indeque crescente avaritia cujusdam Archiepiscopi, tunc terram Bacheracensium nomine pignoris occupantis, maxima pecuniarum summa fuit violenter ab ipso ædificio subtracta, & digna illius, sancti pueri, immo verius omnipotentis Dei & suæ Matris vindicta, prope Bacheracum in Rheno (quo nunc imago venerabilis Beatæ semper Mariæ Virginis, inter januas solennes illius Capellæ sculpta, non sine miraculo terribiliter respicit) fuit cum raptoribus indignanter submersa. Indeque illius sancti pueri canonizationem, & tam placidi ædificii consumationem fuisse usque ad nostra impedita tempora; ipsum tamen Sanctum Wernherum passim & lente diversis temporibus & annis diversa fecisse miracula. Et tandem, ad obstruendum ora male loquentium, ipse sanctus puer, præ triennio, luci solis, reseratione majoris tumbæ, de novo fuit expositus; non absque fide digno testimonio & ex mandato supradicti Domini Principis Ludovici: & tandem superveniente reverendissimo in Christo Patre ac Domino D. Jordano Albanensium Episcopo, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ summo Pœnitentiario & Legato de latere, cum duobus Episcopis, sexque diversarum facultatum Doctoribus, ostensum fuit illud sanctissimum corpus, recentibus & novis & quotidianis coruscans miraculis. Visum insuper fuit hoc Corpus, per eumdem Dominum Cardinalem in novam & mundam tumbulam positum, quam in antiquam tumbam reponi quercinam, serisque muniri & fortibus repagulis, ut hodie hæc docet dies: & miracula sancta, quæ Deus per ipsum faceret, jussit publicis conscribi instrumentis.

EX MSS.

E

recentemque corporis repositionem;

5 Ne autem præmissa omnia & singula, seu ipsorum aliqua labantur mutabilitate hominum penitus ab humana memoria, sed inconcusse de cetero in cordibus hominum conserventur, Deus in hoc glorificetur, Dei Genitrix, uterque Joannes, & omnes Electi Dei illius Capellæ Patroni, cum puero sancto eorum compatrono, condigne venerentur, & Romana nec non Treverica Ecclesiæ, & eorum Pastores facilius ad hujus Sancti dignam Canonizationem subscriptis testimoniis, fama, scriptis, & monumentis lucidius informati, inclinentur. Primo probatione punctorum infra scriptorum super antiquis gestis eorum & fama, produxerant tres tabulas, præ memoria omnium hominum circa venerabile Epitaphium ipsius S. Wernheri suspensas; quarum una, ultra centum annorum antiqua, magni *e* textus, continet illius S. Wernheri primæva nonaginta miracula. Quæ quidem tabula habuit quoddam antiquum exemplum sibi per omnia concordans, etiam bonæ textualis litteræ, solenniter conscriptum: & quia in cista S. Wernheri, inter cetera ejus monumenta reconditum est, apparebat tam vetustum; & est tabula venusta, concordans cum præmissis per omnia, textualis litteræ & recentior. Secunda vero antiquior erat prima, continens

varia instrumenta exhibita;

F

EX MSS. nens dies indulgentiarum. Tertia quasi quinquaginta, vel sexaginta apparuit annorum, rythmatice & vulgari, ambiens ipsius Sancti totale martyrium. Secundo principaliter produxerunt unam valde antiquam *f* historiam, cum antiphonis, responsoriis Canonicarum horarum, non simplicem, immo potius quadruplicem vel quintuplicem, cum notis & diversis melodiis. In cujus historiæ coopertorio ab intra, textuali valde antiqua littera, continebatur factum rei gestæ & causa martyrii cum passione: & hæc littera distincta erat in Lectiones. Item posthac immediate producebant litteras indulgentiales, unam *g* duodecim Episcoporum, cum transfixo consensus olim *h* Boëmundi Archiepiscopi Treverensium: aliam *i* Petri Archiepiscopi Moguntini & consensus ejusdem litteræ Domini Petri: & aliam Domini *k* Baldewini Archiepiscopi Treverensium. Item litteram Episcopi *l* Hermanni Sambiensium, reconsecratoris altaris S. Cuniberti post passionem S. Wernheri.

ANNOTATA.

a *Iordanus Vrsinus, ab Innocentio* VII *anno* 1405 12 *Iunii, cum aliis Cardinalis creatus; electionem Martini* V, *licet ex æmula Vrsina familia Columnensi, valde promovit: variis sub eo & Eugenio* IV *legationibus functus, obiit* 29 *Maji* 1439.

B h *Hic est Ludovicus Barbatus, filius Ruperti Regis Romanorum*, vir pius & inclytus, *qui ut scribit Trithemius in Chron. Spanheimensi, anno* 1426 amore Domini nostri Jesu Christi ultra mare ad terram sanctam profectus est, & Salvatoris nostri sepulcrum in Jerusalem cum ingenti devotione visitavit. Reversus autem de partibus transmarinis, barbam, quam in peregrinatione Sancta nutrierat, radi amplius non permisit; sed eam, quamdiu vixit, in memoriam suæ peregrinationis, inviolabiliter conservavit: & ob hoc deinceps à vulgo DUX CUM BARBA fuit appellatus. *Ita Trithemius. Ast Hieronymus Henninges, ne sacras peregrinationes à majoribus obitas probare videatur, in genealogia Comitum Palatinorum Rheni tom.* 4. *scribit* in Palæstina militasse. *Nota autem in Ms. pro* Palatino, *haberi semper* Palentinum, *quod semel sufficit monuisse; &* Trevirenses *scribi* Treverenses.

c *Huc usque Rubrica: cetera quæ textus sunt, nigris scripta inveniuntur.*

C d Pedellus, *pro apparitore sumitur; Italis* Staffiero, *ut his à* Staffa, *sic aliis à* Pedo *præferendo magistratibus dictus videtur; Franci aliique* Bedellum *fere nominant, quod à* Bidden, *orare, invitare, malunt derivare: est enim Bedelli officium, citare ad Actus publicos, citatis suum assignare locum pro gradu uniuscujusque.*

e *Id est, magnis characteribus scripta. Hujus tabula tenorem supra dedimus num.* 13.

f *Huic historiæ (quæ aliud non est quam complexum versuum, Antiphonarum, Lectionum, Responsoriorum, Hymnorum & Collectarum proprium Officium constituentium) hæc præmittitur Rubrica*, Sequitur Historia prima; de verbo ad verbum extracta, à primæva S. Wernheri antiqua historia, circa novam Sancti ipsius repositionem, non absque admiratione mirabiliter reperta: continens in seipsa plures & diversas illius Martyris historias, Pindarice, heroice, prosaice & musice compositas notatasque, in eumdem tamen finem formaliter confluentes, ut in ipso eorum fonte & his duobus historialibus profluviis, *stricta scilicet & soluta orationis*, diversa harmonia dulcisonis (*nam præter Lectiones & Collectas cetera omnia sub nota scribuntur*) limpidissime, non à detractoribus sed Christi caritate inflammatis, possit speculari pro gloria Christiferæ & Omnipotentis.

D g *Titulus in Rubrica est hic*: Littera Indulgentiarum prima duodecim Episcoporum Capellæ S. Cuniberti, in qua corpus S. Wernheri requiescit. *Hi in contextu Codicis Trevirensis, post annos* 140 *à data harum litterarum scripti, fortassis non correctissime nominantur. Ad dignoscendum veritatem serviet similium Indulgentiarum Bulla hoc eodem anno* II *Nicolai* IV, *Christi* MCCLXXXIX *data Carmelitis Senensibus, quam citat Vghellus in Italia sacra tamquam subscriptam ab Episcopis Italicis quibusdam hic nominatis, scilicet Parentino &Ameliensi. Hic autem nominantur*: Petrus Arborensis Joannicius Mokitensis, *alibi* Joannes Mockytensis *&* Theoctistus Adranozolensis, Dei gratia Archiepiscopi. *Primus in Sardinia, ubi urbs Archiepiscopalis Arborea, hodie Oristagnum dicta: duo alii Titulares solum fuisse videntur; sed titulis adeo corrupte transcriptis, ut nulla verosimili conjectura eos assequi possim. Ceteri sunt*, Bonifacius Parentinus *in Istria ditionis Veneta sub Patriarchatu Aquilejensi*; Conradus Tullensis *in Lotharingia, apud Sammarthanos nominatus, sed qui ejus successorem Probum jam inde ab anno* 1287 *nominant, nullo allegato documento; fortassis uno numero corrigendi, ut scribi debuerit annus Christi* 1289 *& hujus Conradi ultimus ac primus Probi*: Peronus Larmensis, *ignota nobis Sedis, & forsitan Titularis ac perperam scripta*: Maurus Ameliensis, *sive, ut antiqui loquebantur*, Amerinus, *anno* 1286 *sub Honorio* 4 *creatus, teste Vghello*: Guilielmus Callensis, *seu potius* Calliensis, *ab eodem Honorio institutus anno* 1285; *juxta præfatum Vghellum*.

Indulgentia à 12 Episcopis concessa.

E Waldebrunus Avellonensis, *forte* Avellinensis *in Campania, & Latino nomine* Benedictus *apud Vghellum, anno* 1288 *promotus*: Romanus Crohensis, *seu* Croiensis *in Albania Titularis*. Philippus Fesulanus, *ex Ordine Minorum assumptus an.* 1282: *&* Hesricus, *imo* Henricus Tridentinus, *hoc ipso anno Romæ mortuus, teste Vghello*; eadem gratia Episcopi. *Hi omnes*, cupientes ut capella *prædicta* congruis honoribus frequentetur, omnibus vere pœnitentibus & confessis qui ad dictam Capellam causa visitationis accesserint in festis Nativitatis, Epiphaniæ, Resurrectionis & Ascensionis atque Pentecostes: in singulis festis gloriosæ Virginis Mariæ, sanctæ Crucis, S. Michaelis Archangeli, Joannis Baptistæ, singulorum Apostolorum, SS. Stephani & Laurentii Martyrum, Nicolai & Martini Pontificum, SS. Catharinæ, Margaritæ & Agnetis Virginum, S. Mariæ Magdalenæ, omnium Sanctorum atque

F Animarum, in die Patroni & Dedicatione ipsius Capellæ, vel in anniversariis ipsius diei, & per Octavas omnium festorum prædictorum; aut qui ad fabricam, luminaria, ornamenta seu alia necessaria ejusdem capellæ manus porrexerint adjutrices; aut in extremis laborantes quidquam facultatum suarum legaverint dictæ capellæ; singuli singulas dierum quadragenas de injunctis sibi pœnitentiis (dummodo consensus Diœcesani accesserit) relaxant. Romæ Id. Aprilis, anno Domini millesimo ducentesimo septuagesimo nono (*imo* LXXXIX *ut mox infra*) Pontificatus D. Nicolai Papæ IV anno secundo. *Ex quibus colligas seculo illo fuisse in Curia Congregationem quamdam collectam ex Episcopis tum præsentibus, à qua ejusmodi gratia peti consueverant: quam hic petitam credimus.*

h Confirmatoria prædictæ litteræ, *quæ adjunguntur dictis indulgentiis* quadraginta dies, *data* apud Montabur diœcesis Trevirensis, anno Domini millesimo ducentesimo LXXXIX, quarta Kalendas Octobris.

i Datum Aschaffenburg v Idus Martii, anno Domini millesimo trecentesimo vigesimo: *quo etiam quadraginta dierum Indulgentia donatur vere pœnitentibus & confessis, manus adjutrices porrigentibus.*

k Do-

A k *Duplex hujus Antistitis diploma extat in Ms. Trevirensi; alterum confirmatorium Indulgentiæ per Petrum Moguntinum concessæ; alterum in* tabula, circa sepulcrum à majoribus suspensa, cujus scriptura absque lotione legi præ vetustate non poterat, *& incipit* Nos miseratione Divina Boëmundus & Balwinus, Trevirensis Ecclesiæ Archiepiscopi, sacri Imperii per Galliam Archicancellarii; Petrus Moguntinensis sedis Archiepiscopus, sacri Imperii per Germaniam Archicancellarius; Petrus Arborensis *&c. præmemorati & sic concluditur*: Nos Boëmundus & Balwinus, Archiepiscopi supradicti, profitemur publice, ut in litteris nostris patentibus patet luce clarius, præter Indulgentias, quas nos adjecimus Indulgentiis Venerabilium Patrum & Dominorum, Archiepiscoporum & Episcoporum, nos easdem approbasse & auctoritate ordinaria confirmasse. Nos Boëmundus Archiepiscopus supradictus approbamus & confirmamus Indulgentias currentes, sub nostro tempore, anno Domini millesimo CCLXXXIX, IV. Kal. Octobris. Nos vero Balwinus, Archiepiscopus prædictus, confirmamus omnes prædictas Indulgentias & approbamus. Datum Treviris anno Domini MCCCXXIV, Pontificatus Joannis Papæ XXII anno octavo. *Sequitur in Rubrica*: Hæc littera erat manu currentis nobilis: sed in fine, B in magna & grossa littera textuali, erant scripta hæc verba: Summa Indulgentiarum præscriptarum hæc est mille quadringenti dies; *quot dies hactenus, supputando singulorum indulta, non invenimus.*

l *Incipit* Frater Hermannus Dei gratia Episcopus, quondam Sambiensis (*est autem Sambia Prussiæ Ducalis provincia, cujus Episcopus, ante hæresim Lutheranam, in Regiomonte residere solebat, teste Miræo*) in spiritualibus vices gerens, venerabilis in Christo Patris D. Sifridi Archiepiscopi Coloniensis. *Hic autem* omnibus vere pœnitentibus & confessis, qui ad capellam S. Cuniberti in Bacheraco, in qua corpus boni Wernheri requiescit, in die Patronorum, scilicet B. Cuniberti ac B. Andreæ Apostoli, ac in anniversario dedicationis altaris ipsius, quod, *inquit*, de licentia venerabilis Patris Domini *Boemundi* Treverorum Archiepiscopi ibidem consecravimus, usque ad octavas ejusdem anniversarii causa devotionis accesserint, vel ad fabricam dictæ capellæ, sive in vita sive in extremis, pias eleemosynas fuerint elargiti; quadraginta dies cum una karena, de injunctis sibi pœnitentiis, misericorditer relaxamus. Datum anno Domini millesimo ducentesimo XCIII, in vigilia Bartholomæi. *Et hæc littera in* C *Ms. Trevirensi, pro ordine temporum, ponitur post litteram duodecim Episcoporum & confirmatoriam Boemundi.*

CAPUT II.

Puncta ad legitimam probationem delata.

6 R*Evertor ad Processus jam delibati contextum, Annotatis prolixioribus interruptum, qui talis est*: Item produxerunt unam aliam *a* historiam, non tam antiquam, ex prioribus litteris & historiis extractam; & super ejus nova repositione. Et ad probandam illam historiam, statim produxerunt plura & diversa *b* instrumenta, hic successive inscripta. Quorum punctorum *c* & ceterorum omnium jam tactorum tenor, de verbo ad verbum, successive sequitur, & est talis:

a Probandum assumitur, b c

7 Primus, quod circa annum Domini millesimum ducentesimum septuagesimum tertium vel quasi, S. Wernherus, rustica stirpe Christiana Christi fidelis, & in Christo renatus, de villa Wammeraydt, puer simplex & rusticalibus se nutriens laboribus, fuerit oriundus: sic fuit & est publica vox & fama, à majoribus, litteris & historiis ad nos derivata *d*. Item quod idem puer, sanctus & simplex in vita sua aliqua miracula (scilicet signo Crucis fontem *e* de arida terra extrahendo) vel in suæ passionis mirabili fecit tolerantia. Quodque illa passio sit celebrata post annum Domini millesimum ducentesimum octuagesimum septimum, tribus diebus *f* ante Pascha. Item quod idem Sanctus puer Wernherus, ipsa die Cœnæ, fuit à Sacerdote *g* communicatus corpore Christi: & eodem die à perfidis Judæis in Wesalia, Trevirensium diœcesi, callide, ad quippiam operis faciendi, in eorum domum allectus.

quod rusticus puer Wernherus,

D *d e fontem miraculo eliciuerit. f g post sumptam communionem,*

8 Item, quod idem venerabilis puerilis *h* adolescens ab eisdem Judæis fuerit suspensus ad statuam deorsum, ut Judæi haberent Christi corpus *i* verum. Quo frustrato studio, se penitus dederunt ad martyrizandum corpus ipsum mysticum, & ad tollendum ejus vitam & sanguinem. Item quod iidem perfidi Judæi istum sanctum puerum triduo tenuere suspensum in lignea statua, ejus sanguinem per omnem partem corporis sitienter incidentes, hodie testibus statua in loco suæ passionis, & cultro, sudario, ac cereo lineo, sanguinolentis, in Bacheraco in loco sepulturæ ejus. Item quod medio tempore passionis ejus, per ancillam *k* Judæorum Christianam, sancti pueri passio fuerit prodita, & ad Eberhardum, Scultetum tunc Wesaliensem, deducta. Item quod idem Eberhardus *l* Scultetus venerit ad locum certaminis, & à S. Wernhero exultationis voce fuerit inclinatus pro sui liberatione, scilicet temporali. Item quod idem Scultetus Eberhardus, capta iniquitatis mercede à Judæis, puero in tormentis adjutorium denegaverit, & quod sanctus puer neganti responderit: si mihi non subveneris, subveniat mihi misericors Deus, & dilecta mater ejus. Item quod de præmissis omnibus, & singulis sit publica vox, & fama historiæ, ac diversa cantica.

h à Iudæis suspensus triduo, i sanguine copioso extracto, k E l à Sculteto derelictus,

9 Item quod puero relicto per Scultetum Judæorum voluntati, & tandem interfecto; ipse fuerit per Judæos utcumque ad locum, ubi nunc claustrum *m* in Windesbach est, inter vepres & spinas absconsus, propter adventum diei; & ibi miraculosis pansus luminaribus. Item quod ex tunc fuerit deportatus ad domum judicii Bacheracensium, & similibus luminaribus iterum pro Sancto proditus. Item quod inde fuerit ad cappellulam antiquam & parvam S. Cuniberti, in colle montis prope Parochiam situatam, venerabiliter apportatus. Item quod ibidem [positus sit] in cerata & proprio sanguine convolutus, habens in capite sertum aureum seu vittam pro signo suæ *n* virginitatis, subtus cussinum sericeum violis repletum, & in capite pepulum *o* ex serico multiplicatum, in suæ innocentiæ & sanctitatis signa; nec non de subtus putatorium, pristini laboris sui instrumentum. [Et quod collocatus] fuerit Sanctorum more supra terram ad palmam; in tumba quercina solidissima, cum parvula tumbula cedrina, venerabiliter inclusus; & seris fortissimis seratus, fueritque hoc gloriosum tumulum ferramentis tutissimis circumcirca retiatum, apposito *p* gazophylacio super tumbam quercinam: sitque hoc experientia nunc viventium testium verum, publicum & manifestum.

& corpus eccise inter vepres rejectum, m sed lumine celesti proditum F *deportatum ad sacellum S. Cuniberti, n o & more Sanctorum tumba cedrina inclusum,*

10 Item quod post præmissam depositionem primam, illico capellula parva S. Cuniberti, cum altari antiquo, pro majori parte fuerit destructa: & una nova capella, immo ecclesia pretiosissima, sectis & quadratis lapidibus, cum novo altari & tribus choris notabilibus & sumptuosis, extiterit erecta: sitque hoc ad oculum verum notorium. Item quod

atque in novo sacello,

A *in dextero choro collocatum, altari consecrato,* quod illud altare, situm in dextero choro, tamen minus principale illius ecclesiæ, præcise ante Sancti gloriosum tumulum, fuerit per quemdam Hermannum Episcopum, pro tunc Archiepiscopi Treverensium Suffraganeum, de novo reconsecratum in honorem primorum Patronorum: quodque hoc pateat litteram *p* ejusdem Episcopi hodie intuenti. *p* Item quod ad istam capellam à pluribus Archiepiscopis & Episcopis pro tunc fuerint datæ certæ Indulgentiæ, & eædem pro consummatione illius capellæ novæ à diversis Archiepiscopis Treverensium, ipsorum etiam adhibitis Indulgentiis, confirmatæ *q*. *& indulgentiis honorato,* *q* Item quod ex tunc S. Wernherus, infra modici temporis spatium, nonaginta fecerit miranda miracula, ecclesiam Dei ædificantia. *ubi claret miraculis,*

11 Item quod post hæc nova capella fuerit usque ad tectum duorum chororum cum magnis expensis fabricata: ut hodie claret ad oculum palam & notorie. Item quod hoc non obstante, pecunia eleemosynaria superabundaverit in maxima copia: unde Archiepiscopus *r* quidam Treverensis, tali quali spiritu ductus, illam pecuniam vi cepit: & pecunia cum raptoribus, prope Bacheracum, in abysso Rheni submersa fuerit. *Quod pecunia sacra raptores Rheno mersi sint,* *r* Item quod tempore illius submersionis, *s* lapidea imago B. Mariæ Virginis, in porticu illius ecclesiæ nobiliter sculpta, quæ pro tunc filiolum in ulnis amabiliter inspiciebat, tamquam Patrona illius capellæ principalis; duriter offensa, se vertendo ab imagine Christi, vindicative post raptores prospexit; non tamquam Virgo placabilis, sed tamquam mulier irata & judex terribilis: quodque adhuc appareat unicuique ad oculum hodie illam imaginem intuenti. *s* *statua Deiparæ post illos conversa,* B Item quod hæc subtractio pecuniarum impediverit illius Sancti justam Canonizationem *t*, & etiam illius ecclesiæ consummationem, per centum viginti annos & ultra usque ad nostra tempora. *sicque impedita sit Canonizatio:* *t* Item quod post hæc passim iste Sanctus varia & diversa fecerit miracula. Pateatque hoc multis manicis & compedibus *u* ferreis magnis, cereis imaginibus *x* & similitudinibus & pugilum *y* defendiculis, & aliis insigniis, ab antiquis temporibus usque in præsens in ipsa capella multifariam suspensis. *u* *& inter alia miracula,* *x y* Item quod præ viginti annis idem S. Wernherus in quodam religioso *z* Presbytero, vita & moribus laudabili, in utraque manu contracto, fecerit evidentissimum miraculum, hodie multis hominibus visu & præsentia notissimum. *z* *sanatum Presbyterum manibus contractum:*

C 12 Item quod nondum quadriennio translapso, illud corpus sanctum integrum, dempta manu in aurea ministrantia posita, ut præmittitur, in eodem loco positum, fuerit, reserata tumba seris & repagulis, visui hominum ostensum; & cum suæ sanctitatis, virginitatis, & martyrii insigniis inventum palam, publice & notorie. *denique quod Corpus publice ostensum,* Item quod illud corpus, de mandato Reverendissimi Patris & Domini, D. Jordani Episcopi Albanensium, sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ summi Pœnitentiarii, Cardinalis & Legati de latere, in novam & mundam tumbulam positum, in pristinum locum quercinum venerabiliter, adhibitis quam plurimis fidedignis testibus, fuerit tutissime reclusum. *in nova tumba depositum,* Item quod illud corpus, à septuaginta annis supra & citra, usque à plusquam trecentis millibus, immo innumerabilibus hominibus diversorum regnorum incolarum & exterarum gentium, sit venerabiliter visitatum, & cum muneribus multipliciter honoratum. *à 30 millibus peregrinorum visitatum sit,* Item quod ex iis eleemosynis illa *a* ecclesia jam fideliter ædificetur, & tota pecunia absque quacumque defalcatione cujuscumque hominis, etiam proprii Pastoris, in structuram illius ecclesiæ, pro laude Dei, suæ dilectæ Matris, utriusque Joannis, & omnium electorum illius ecclesiæ Patronorum ac honore B. *a* *templumque constructum.* D Wernheri convertatur, pateatque hoc notorie, testibus & visu, publice & manifeste. Item quod inter hæc ille Sanctus hodie clareat & quotidie coruscet incomparabilibus majoribus & numerosioribus ac multiplicioribus miraculis, quam fecerit tempore suæ passionis; sitque de iis singulis & omnibus publica vox, fama & veritas, ut patet diversis & variis desuper confectis instrumentis.

ANNOTATA.

a *Hac est nova Historia, similiter ut antiqua (de qua actum capite superiori) notas musicas superscriptas habens, pro iis partibus quæ communiter sic notari solent in choralibus libris. In hac ad Vesperas Collecta ponitur eadem quæ in veteri officio,* Deus qui in memoriam Passionis unigeniti filii tui, B. Wernherum ab impiis Judæis mirabiliter pati sustinuisti; concede propitius, ut nos peccatores, qui martyrii ejus merita veneramur in terris, à te Domino Deo omnipotente, gloria & honore coronari mereamur in cælis. *Novum Officium S. Wernheri.* *Lectiones primi & secundi Nocturni, quæ fuerant in antiquo Officio velut sermo quidam encomiasticus; nunc sunt ipse contextus antiquæ Passionis (paucis verbis mutatis vel additis) omisso quem dedimus prologo & adjuncta particula illa de ecclesia, quam supra litt.* exhibuimus *in fine Annotatorum ad ipsam primigeniam Vitam. Euangelium,* Ego sum vitis vera, *ex Ioanne; & tres super illud Lectiones, ex Augustino, retinentur ut fuerant in veteri Officio, juxta commune unius Martyris tempore Paschali.* E *Antiphonæ, Capitula, Hymni, Responsoria, omnia nova sunt, & aptiora quam antea, ac notis musicis etiam novis instruuntur. Collecta ad Laudes in veteri officio hac præscribebatur,* Domine Deus omnipotens, mirabilis in tua majestate existens, qui famulum tuum Wernherum pauperculum, de miseria labentis seculi eruisti, & per innocentiam passionis gloriosis miraculis extulisti; præsta quæsumus, ut omnes, qui te per ejus martyrium invocant, in suis necessitatibus animæ & corporis, benignitatis tuæ beneficia consequantur. *cum Collectis,* *Ast in novo Officio, per Laudes & Horas, eadem quæ in primis Vesperis Collecta præscribitur; in secundis autem nova præponitur hæc,* Omnipotens piissime & misericors Deus, qui nullam ætatem à filiorum adoptione excludis, quique B. Wernhero, necdum trium lustrorum, cibo Angelorum satiato, tempore tui triumphi ab impiis Judæis pro te interfecto, dedisti mirabiliter triumphare: præsta quæsumus, ut qui ipsius natalitia colimus, participes tuæ gloriosissimæ resurrectionis fieri mereamur. F *Deinde* sequitur officium Missæ, *quod in veteri Historia non describitur, sed jubetur lector illud* per totum *requirere* in nova: *quo fit, ut an mutatum fit aliquid, discernere non valeamus. In hac, Collecta est ipsa, quæ supra ad Vesperas secundas præscripta: Graduale, & Sequentia bene longa nec æquali metro constructa, continent historiam passionis. Secreta oratio hæc est:* Beati Wernheri Martyris tui solennitate tibi munera deferentes, quæsumus, clementissime Domine, ut sicut illum, tui vice & pro te passum, martyrium fecit gloriosum; ita nos ejus intercessio & verbo & opere tibi reddat acceptos. *& Missa,* *Post communio.* Refecti cælesti alimento quæsumus, mitissime Domine Deus, ut sicut benedictus puer, Martyr tuus S. Wernherus, eodem cibo potuque munitus, Judaicam rabiem sua vicit morte amarissima, ita & nos eadem refectione sancta, mundum, diabolum & carnem, tua præpotenti gratia, superare valeamus. *Denique* sequitur de inventione & nova repositione S. Wernheri & Lectiones *novem*, cum Responsoriis per hebdomadam, *tali principio*: Oculo cordis circumspiciendum, quod calamo compingimus. Hoc anno Domini *ac per Octavam.*

A Domini MCCCCXXVI post festum Paschæ, apud bonos & graves surrexit conscissa sententia. *Substantia narrationis & verba pleraque desumpta sunt ex instrumento publico desuper confecto, & num. 17 superius producto: atque ad calcem illius inter Annotata lit. e dedimus ex bisce Lectionibus, IV, V, VI, & partes Lectionis VII, VIII ac IX, continentes compendium miraculorum paulo post patratorum.*

b *Sunt illa universim undecim, & ea dedimus superius atq; vocavimus* Historiam miraculorum, publica auctoritate descriptorum anno MCCCCXXVI & duobus sequentibus.

c Materiam præsentem positive ambientium, *uti supra num. 2. in fine dicitur,* quæ scriptis historiis, voce publica & fama plene probare laborabant *ij, de quibus ibi actum.*

d *Pro hoc puncto, de S. Werneri natalibus & conditione, testimonium dixere Testis* 10, 47, 79, 83, 117, 118, 140, 155, 157, 181, 183.

e *De fonte testantur* 5, 12, 126, 183 *aliique.*

f *Scilicet in Cœna Domini, in Parasceve & in Sabbatho sancto.*

g *Hanc circumstantiam confirmavit Testis* 10.

h *Ea vox pro erecto stipite seu trabe ædificium fulciente sumi videtur, ideoque à teste* 124 *vocatur* columna: *quo autem in honore sit, plurimi testantur.*

i *Hoc Iudæorum intentum attigerunt Testes* 4, 12, & 181.

k *Hujus ancillæ expresse meminerunt Testes* 8, 17, 124, 155, 159, 167.

l *Sic eum etiam nominant Testes* 42, 44, 47, 167, *& alii.*

m *De hoc claustro, tum alios multos, tum ipsum Priorem ejusque Religiosos infra audiemus.*

n *Eamdem Sancti virginitatem, ex tali signo confirmant Testes,* 8, 13, 115, 157, 183.

o *Alibi* peplum, *&* sudarium.

p *Hujus epistolæ meminimus capite superiori ad lit.* l.

q *De singulis ibidem jam egimus.*

B r *Nisi Testes,* 32, 111, 119, 162 *Balduinum nominarent, non crederemus tam avaritiam potuisse subrepere tam laudato Præsuli, ac plurium monasteriorum fundatori, qualis in suis Actis & apud Sammarthanos describitur. Fuerit ea potius ministrorum culpa, Domini nomine abutentium; qui tamen ad reparandum damnum confirmaverit Indulgentias, ante propositas porrigentibus manus adjutrices ad fabricam. Testis* 13 *in dubio ponit sub eo, an decessore, fuerit commissum facinus; Dietherus Nassovius hic fuit, eo propior tali suspicioni, quod Trevirensibus obtrusus à Papa, cum iisdem perpetuas exercuerit lites; seque etiam bello Confluentino movendo implicuerit, ac demum ad dicendam causam evocatus Romam obierit, multa haud dubie pecunia egens.*

C s *Ad hanc visendam appellant Testes varii, specialiter* 5, 10, 45, 119, 135, 171, 185.

t *Iidem & alii hanc causam impediti operis utriusque adducunt.*

u *Horum meminere præsertim* 1 *&* 12 *Testis.*

x *De ingenti ceræ quantitate, ad tumulum allata, nominatim deponunt, Testis* 76, 141 *&* 185.

y *De his loquitur nemo, neque quid sint satis plene assequitur conjectura.*

z *Plurimi oculati Testes huic miraculo accessere videlicet* 1, 2, 15, 41, 111, 115, 127, 131, 155, 156, 159, 170, 181, 196, 199.

aa *Quam fideliter huic rei impensæ sint eleemosynæ testantur in primis Clerici Bacheracenses: ipsa autem ecclesia etiam nunc vocatur templum S. Wernheri, uti patet ex oppidi Bacheracensis delineatione, in Topographia Palatinatus Rheni, anno* 1645 *Germanice excusa à Matthæ Meriano.*

CAPUT. III.

Ingressus ad Testium receptionem & primi Testis responsio integra.

13 *Monumentis omnibus, supra prolatis aut nominatis, ad punctorum dictorum probationem facientibus, prolixe descriptis in Codice Trevirensi; venitur ad receptionem Testium cum ipsorum juramentis: qui fuerunt Bacheracenses aut Stegenses inquilini, anno* MCCCCXXVIII *auditi, die* XXVIII *septembris & deinceps, usque ad nonaginta sex: tum Cubenses undecim, in ipso Cubensi oppido auditi,* IV *Octobris ejusdem anni. Admissæ etiam examinatæque fuerunt* Matronæ potiores & viduæ parochiæ Bacharacensis, *numero triginta octo;* tum virgines notabiles, devota, Deo in castimonia servientes, *triginta quatuor. Harum examen sequitur processus circa Clerum, & Cleri responsio per testes viginti quatuor: quos sequitur Prior Windesbacensis cum suis quinque Religiosis: ac denique ipse Pastor Bacheracensis, universim ducenti undecim testes: qui quomodo adducti & examinati singuli sint, sequens Notarialis deductio & primi testis responsio palam faciet. Fuerunt autem Notarii septem qui responsa excepere, & suam ad calcem subscriptionem signaque notarialia addidere Processui concludendo; eumdem autem processum, Capitibus duobus primis inchoatum, & tot litterarum scriptorumque productione ac lectione explicatione que interruptum, continuant hoc modo.* Item eadem die hora & loco quibus supra; *videlicet* XXV. *Septembris, hora primarum vel quasi, in planitie ambitus majoris capellæ;* *Testibus audiendis* E

14 præmissis litteris coram tunc convocato Clero & citato populo, omnibus & singulis cum tabulis, ex requisitione prædictorum Burggravij & Notarii (immo verius ex jussu mandatorio præmissi illustris Principis Domini Ducis) per supratactum venerabilem Dominum Winandum, Pastorem & Doctorem, de verbo ad verbum Clero perlectis, & populo vulgarizatis; prælibatus Domicellus Heynricus de Spaynheym, Burggravius, sumpto promissorio juramento à tunc potioribus Consulibus, Scabinis & populo subscriptis, ut per nos Notarios publicos, diligenter, juxta puncta subscripta, examinati, dicerent nudam, veram & sinceram veritatem, quidquid eis constaret seu constare posset, ex scientia, visu seu auditu, de fama & veritate & aliis circumstantiis hoc factum circumcernentibus, neminem habendo præ oculis præter Deum propriamque salutem. *deputantur Notarii,* F

15 Nobis quoque injunxit, omnibus Notariis infrascriptis, ut eosdem testes approbatos, non excommunicatos, nec aliquo crimine famoso irretitos, cum omni diligentia, prout ad nostrum spectaret officium, examinare minime postponeremus, Ad hæc, quod, captis juramentis potiorum matronarum & viduarum Parochiæ Bacheracensis, simili modo faceremus: tertio quod virgines notabiles, devotas & Deo in castimonia servientes, & juratas, super prædictis punctis quid sentirent, reciperemus: & tandem Clericos Ecclesiæ Bacheracensis similiter juratos, cum Priore & fratribus Claustri in Windsbach Ordinis S. Wilhelmi, etiam Pastori Bacheracensi subjectis, in præsentia ejusdem Pastoris, diligenti subjiceremus examini: demumque ipsum Pastorem, per juramentum Domino Duci, cujus Consul est, præstitum, diligentius super præmissis (ut cujus principaliter interesset) de notoria fama & aliis circumstantiis requireremus: postremo etiam quid nos Notarii sentiremus in iis factis, in nostris inscriptionibus poneremus, neminem *qui jubentur audire etiam matronas & virgines* *tum Clerum & monachos:* *ac denique suum ipsi sensum edicere.*

EX MSS. advertendo, tam nos quam alii, in singulis præmissis, nisi solum Deum, salutem animarum & sinceritatem fidei Catholicæ. Quibus omnibus, ut præmittitur, mature distincteque gestis, & etiam facta inquisitione per eumdem Domicellum Heynricum, seu interrogatione à Clericis Ecclesiæ Bacheracensis, ut infra ponitur in principio ante examen primi testis inter Clericos, scilicet Joannis Fudersack, ab illo loco recessum est.

Primus testatur 28 Septembris anno 1428

16 Primo, Anno jam scripto, die Martis, vigesima octava mensis ejusdem, Stephanus Prume, Advocatus senior, Scabinus sanctæ Synodi Bacheracensis, annorum octuaginta vel quasi, juratus, receptus, admissus & examinatus, quæsitus, dixit, sibi tantum constare, per omnem memoriam suam & parentum suorum, à centum annis citra & supra, S. Wernherum fuisse taliter vocatum, & pro tali veneratum, non solum ab incolis, sed à gentibus remotissimis, scilicet Hungaris & Sclavis. Etiam, per omnia tempora vitæ suæ, vidit eum ab externis & incolis indifferenter cultum: immo quod ista Capella nova sit ipsius nomine fabricata; & altare antiquum Capellæ S. Cuniberti, licet fuerit destructum, & cum novo opere reconsecratum in honore ejusdem sancti Cuniberti; tamen dicit, si B. Wernherus ibi non requiesceret, numquam de hac structura cogitatum fuisset. Immo per se quasi innumerabiles, ante viginti, triginta, quadraginta, quinquaginta, sexaginta & ultra notabiliter annos, vidit diversas gentes adventantes, & nomen illius suppliciter invocare.

ab annis 100 Sanctum vocatum, & cultum,

sacellum constructum

B

credi Martyrem,

17 Immo non solum ab ejus nova Repositione, cui cum aliis interfuit; sed, ut prædictum est, ante & etiam post, firmissime etiam credit, eum esse sanctum Martyrem Christi, ut Legenda ejus canit: quam veritatem omni dubio secluso, lucis claritate credit circumamictam. Dixit enim, se à parentibus suis, Clericis & laicis, audivisse, istum sanctum puerum fuisse virginem, & virginitatis insigniis in proprio sanguine involutum, & in isto pretioso mauseolo, circumcirca ferrato, supra terram (sic quod spatium pedis sit inter terram & tumbam) manifeste ad oculum, positum. Et ex eventu exitus rei hoc compertum est verissimum, quod præsens fuerit, cum Notariis, testibus & aliis melioribus oppidi Bacheracensis, à Domino Duce Ludovico Imperii Electore destinatis; & cum Pastore & Clericis ibi præsentibus, una cum ipsis, compererit Sanctum in linteamine sanguinolento involutum, cum crinali, quod in istis partibus est verissimum virginitatis signum, nec alicui superponitur, nisi virgo esse sciatur, & alias taliter compertus fuerit, quod nulla ambiguitas est de ejus sanctitate; sed dumtaxat hoc credit interesse, quod (ut Legenda ejus vulgaris & famosissima fama nutrit) post martyrium ejus unus Archiepiscopus Treverensis, videns tam ingens ædificium ejus nomine fabricari, avaritia ductus, ipsum maxima pecunia spoliavit, quæ etiam subtus Bacheracum submersa fuerit: unde ejus forte Canonizatio impedita fuerit, ut audivit.

ac Virginem

& ideo corpus mansisse incorruptũ:

C

thesaurum furto ablatum periisse

miracula facta:

18 Quod etiam sæpius perlegerit, ipsum fecisse innumera gloriosissima miracula, ut patet in tabulis inde conscriptis, antiquissimis, in bona textuali littera combinatis; in multis ferramentis, compedibus & manicis, sibi ante multa tempora solenniter à captivis, ejus beneficio liberatis, suppliciter oblatis. Plus dixit, quod præ viginti annis, quidam Religiosus valde Presbyter Bacheracensis, dictus Dominus Joannes Hunczerich, ad Missas legendas valde flagrans, arefactus fuerit in utraque manu, sic quod sua celebratione penitus fuerit frustratus: & dixit, quod ille Presbyter, flens ejulansque magno cum singultu & multitudine hominum Bacheracensium ad beati Pueri sepulcrum ascenderit. Immo dicit, quod ipsemet & quidam olim Dominus Henricus Bere Presbyter, eumdem Presbyterum Dominum Joannem Hunczerich inter brachia duxerit usque ad tumulum, & communi oratione illius Sacerdotis & populi facta, mox pristinæ sit restitutus sanitati: publice ibi se vovens peramplius futurum Capellanum S. Wernheri, & ipsum omni die visitare: quodque ex tunc idem Presbyter, per viginti annos & ultra, omni die, ut firmiter putat, ad S. Wernherum ascendit, & Missas in ejus capella semel, bis, ter in hebdomada celebraverit. Et quæsitus unde hoc sciret, dicit, quod sæpissime hoc viderit; cum met soleat omni die ipsum sanctum Puerum personaliter invocare & visitare.

D

contractum Presbyterũ à se ductum ad tumulum & sanatum,

nefas esse de miraculis factis dubitare:

19 Ad hæc dixit, se vidisse alia multa plura miracula, quorum multa sunt instrumentata: ubi ipse etiam pro teste sit requisitus: refert se ad illa, & ad ejus historiam, quam credit indubiam; & pro nefas crederet aut alienationem mentis, si quis contrarium sentiret, saltem rem gestam sciens ut ipse: & credit sic etiam à cunctis parochianis ecclesiæ Bacheracensis firmiter credi. Immo adhuc quæsitus de sanctitate, dixit eum tantæ sanctitatis esse, quod etiam remotissimæ gentes, Hungari, Sclavi, &c. hauriant de fonte ejus juxta suam capellam posito, quem secum deportarent, & reversi dicerent, quod idem fons in primo gustu & dulcedine sic remaneret.

E

coli ut Sanctum etiam à viris primariis:

20 Quæsitus ipse testis (cum esset litterata persona, & sciret Sanctum non esse canonizatum solenniter per ecclesiam) quare eum pro Sancto coleret; respondit se non esse sapientiorem, altiorem, aut etiam similem Cardinalibus, Episcopis, Doctoribus in Theologia & Jure Canonico, legibus & medicina, Ducibus, Comitibus ac Comitissis, Nobilibus & Presbyteris, de quorum omnium genere oculo viderit quam plurimos, ipsum S. Wernherum suppliciter cum muneribus devotisque orationibus venerabiliter honorare, cum auro & argento, clinodiis ex cera & magnis & ponderosis, etiam centum & triginta & supra & infra, imaginibus. Quæsitus, qui fuerint illi; dicit, quod quidam Cardinalis de Latere Legatus, cum sex Doctoribus, quorum duo Episcopi erant. Quæsitus unde hæc sciverit, respondit, quod apud S. Wernherum in pastoria per tres septimanas pausaverint, & Indulgentias ad structuram dederint, & ipsum sanctum Puerum munde poni jusserint; sic tamen quod de loco non mutaretur: Archiepiscopus quoque Bisuntinus fuerit unus post illos: & quod Comes Palatinus, cum filio & uxore, etiam crebrius Sanctum honorent, cum magnificis muneribus in cera, & magna Florenorum summa: item Comes de Catzenelnboghen cum uxore reverenter ipsum visitent singulis annis: similiter Comitissa de Nassauwe, hodie residens in VVesebaden; quodque similia facere soleant Prælati Doctores & populi: quare sibi in nullo est dubium, ipsumS Wernherum fore canonizatione dignissimum: & quod quidquid hic exposuerit, major pars Oppidi Bacheracensis credat verum.

F

& suam explicat conditionem:

21 Quæsitus de vita propria; excommunicatum se negat, satis divite dicit in feodis & patrimonialibus; corruptum se negat; nihil muneris sperat, nisi vitam æternam; omnem fictionem dicit, non aliquam, nec aliquid esse; sed simpliciter verum, ut deposuit: litteras noscit: Scabinus synodalis est: & multis annis fuit Advocatus civitatis; & magister fabricæ Parochialis ecclesiæ Bacheracensis.

CA-

A

EX MSS.

CAPUT V.

Depositiones juratorum testium circa stirpem, martyrium, revelationem & capellam S. Wernheri.

Testes affirmant,

22 Ceterum Testium responsiones integras ac singillatim describere, laboris non tantum longi sed etiam fastidiosi esset; lectoribus autem parum grati: quam igitur in processibus de S. Francisco Paulano fabricatis aliisque similibus, tenere cœpimus rationem, hic quoque servabimur; ipsisque testium verbis referemus cuncta, quæ antehac minus plene ac minus clare dicta invenerimus. *Et primum ad originem nativitatis quod attinet, Testis* LXXXIII Petrus Scholteisz de Mannebach, quinquaginta annorum, dixit quod audivisset ab avia sua, quæ etiam noverit S. Wernherum, quod ipse fuisset natus ex uno latere de villa dicta Constanza, prope Wammerayt, ex alia linea de Wammerayt, Trevirensis diœcesis. *Testis* XLVII Joannes Crebisz, oppidanus Bacharacensis LXV annorum, adjecit quod ipse & S. Wernherus, de rustica stirpe natus, habuissent communes consanguineos. *Testis* CXIX Catharina Stumps octuaginta annorum, propter senium ne moriatur recepta, respondit, sibi constare, prout sibi retulerit mater sui mariti, quæ Byel Cruls vocabatur, quod mater S. Wernheri tantam habuerit consanguinitatem cum oppidanis Stegensibus, quod ipsa testis loquens & consanguinei suorum filiorum condiviserint utensilia; & inde pervenerit olla una ærea ad Joannem Smalcz in Stega, quæ fuit matris S. Wernheri. *Et ipse* Joannes Smalcz LIII annorum, *Testis* LXXIX, affiniter, ut notum est, S. Wernhero colligatus, dixit se habere *dictam ollam... usque ad eum per progenitores* descensam; *declaravit autem S. Wernherum* fuisse Christianum de Christianis; *idque* Elizabeth uxor Joannis Busz Scabini Synodalis & Judicii Bacharacensis, matrona honesta, annorum LX vel quasi, *Testis* CXL, *affirmavit*, attestante ejus parentela rustica & consanguineis adhuc superstitibus: *quorum aliqui forsitan descenderint ex ipsius Sancti fratre, de quo Testis* X Joannes Carst de Mannebach, senior annorum LXXX & ultra, dicit quod sua avia, viduata quadraginta annis, centum annorum, in obitu suo sibi dixit, pluries uterino fratri B. Wernheri eleemosynas dedisse post passionem S. Wernheri. *Et* Joannes Provisoris, annorum XXXIII, *Testis* CLXXXIII, dixit S. Wernherum descendentes & cognatos plures habere, scilicet Joannem Becker & Smalcz oppidanos Stegenses, & alios in Wammerayt & in Wesalia. *Denique Testis* I Joannes Bintreiff doliator, oppidanus Bacharacensis, dicit se in domo neptis S. Wernheri, in Wammerayt villa, unde ortus fuit, aliquando fuisse, & cum illa collocutum fuisse.

in Wammerayt natum,

B

stirpe rustica

cujus posteritas adhuc superstit bene Christiana:

C

ipsum rustico labore victitasse,

23 Gutta Schieszers, relicta quondam Joannis Gerckens, annorum LXV vel circa, *Testis* CXVII, confitetur se audivisse à quodam Joanne dicto Schuring, oppidano Stegensi, quod viderit beatum puerum Wernherum de rure, & ut talem puerum simplicem, rusticalem, fimum cuidam nobili Stegensi, dicto Breytscheit senior, ad vineas portantem, & quod fuisset virtuosus puer. *Hoc autem observatum est, postquam sanctus puer* ex Wammerayt cum parentibus expulsus venit in Urber prope Wesaliam, *ut deponit* Catherina Hunczerichi, virgo abstractæ vitæ LI annorum & ultra, *Testis* CLV. *Testis vero* IX Henricus Calart de Stega, annorum LXX, quæsitus an eum pro Sancto habeat & quæ sit causa scientiæ, respondit, quod uxor sua Hilla confessa est, se servivisse cuidam mulieri, quæ serviverat ante tempora alteri mulieri, dicenti se famulam fuisse domus, in qua ipse puer etiam moram traxit: quodque omnibus alloquentibus eum ita hilarem se exhibuerit, & in omnibus operibus & negotiis tam velocem & agilem se ostenderit, cunctisque virtutibus tam decoratum, moribus compositum, actibus sic virtuosum, ut sibi similem putaret numquam vidisse. *Porro de unico sancti pueri ante suam passionem miraculo quatuor habentur Testes, inter quos* Nesa Strytlacks, *Testis* CXXVI, vidua LXX annorum aut quasi, sibi dixit constare, quod audiverit veridice, & quod credat, hodie hoc cuidam oppidano Mannebachensi plenius constare, quod ipse beatus puer Wernherus, ante ejus passionem, venerit ad quosdam rusticos, desiderans panem: & quod illi rustici pastores, ex fontis carentia, sibi sancto puero conquesti fuerint econtra ipsorum sitim intolerabilem: quodque tunc puer utriusque partis miseriam miserans, signo Crucis aridam terram siccamque nimis munivit, & inde fons largifluus effluxerit. Quæsita ubi fons sit, dicit, quod in via inter Bacheracum & S. Wendelinum, ut à pluribus audivit: & hodie multi potent de illo fonte, & vocetur fons S. Wernheri.

optime moratum fuisse

& fontem miraculo excitasse,

24 *Ceterum* Joannes *Provisoris præfatus, unus è Clero Bacheracensi, interrogatus* de miraculis in vita à Sancto factis; *apte respondit, quod* non credit in Martyribus passis, *idest manifestis* (*nam ita sæpius in hoc codice usurpatur vox* passus, *velut participium à verbo pando*) non tam stricte fore quærendum de miraculis in vita, ut in Confessoribus, ut in Felice & Adaucto & quatuor Coronatis. Item quod ejus tolerantiam in passione credit magnum miraculum, à Deo ad Sanctæ Ecclesiæ roborationem sibi instinctum. *Hujus autem passionis seriem multi, ut audiverant, narraverunt: ex quibus* Elizabeth Weselers LXX annorum, *Testis* CXX, *ipsam* dicit se audivisse à quodam oppidano Stegensi, dicto Orit Keyser, qui fuit avus Domini Winandi, qui nunc est Pastor Bacheracensis; & à multis aliis qui tempore Martyrii S. Wernheri vixerunt. Getza *quoque*, relicta olim Joannis Mals, LXXX annorum, sana mente & corpore, *Testis* CXXVII, recitavit historiam martyrii ejus. Quæsita unde sciverit, dicit ab avo suo dicto Sifrid Amborn, qui tempore illius Sancti vixerit, viderit, audiverit. *Similiter* Nesa, filia Joannis Morelene senioris, annorum LVI & ultra, virgo, patris sui in domo, licet matre orbata, vitam agens virginalem, *Testis* CLXIX, quæstionibus sibi factis respondit, se à suis progenitoribus, scilicet patre, qui & ultra à suis valde veteribus parentibus audierit, didicisse. *Quin etiam* Joannes Ottonis, oppidanus in Cuba & Scabinus, LXXX annorum & ultra, *Testis* XCVIII; Joannes Sneplok, LXX annorum & ultra, Scabinus Cubensis, *Testis* XCIX; Joannes Lottringer, Scabinus Cubensis LXX annorum, *Testis* C; Joannes Fridages, Scabinus Cubensis, LX annorum vel ultra *Testis* CI, *cum essent interrogati*, quivis eorum quatuor elegantissime scivit causam martyrii & martyrium cum omnibus circumstantiis, & recitaverunt singuli seorsum, prout habetur in antiquis & antiquioribus B. Wernheri diversis historiis.

Non esse quærenda viventis miracula,

E

in tam manifesto Martyre,

F

& cunctis notissimos

25 *Et horum quidem plerorumque testimonia de ipsa serie passionis sic in genere notata sunt: alii plurimi ut de re notissima loquentes, paucis attigere alligationem ad statuam, delationem ancillæ, Sculteti perfidiam, occisi corporis avectionem, absconsionem ac revelationem; quæ ex ipsa historia melius petentur. Hic noto quod* Sophia *Testis* CLXVIII, *de qua plura infra num. 56, dixerit quod* visio candelarum, in Windspach ad corpus lucentium, prius apparuit vigilibus in castro Furstenberg: *& quod* Jacobus Smidt LVI annorum, oriundus de Bacheraco & ibidem etiam commorans, *Testis* XXIII declaret, quomodo in Wesalia domus Judæi in hospitale sancti Spiritus sit

EX MSS.

sit mutata; *& immediate præcedens Testis* XXII Nicolaus Arnoldi de Wesalia, LXXX ann. & ultra, commorans in Bacheraco, dicit se plusquam viginti annis fuisse in hospitali illius domus, ubi martyrizatus fuit iste Sanctus; & statuam ibi stare in choro asseribus conclusam quod ab advenis infinitis petiis sit multum diminuta: qui etiam gratia statuæ & S. Wernheri, ibi passim obtulerint magnas pecunias, & coluerint statuam propter Sanctum. *Et hæc duo puncta de Wesaliensis domus ac statuæ veneratione, alii multi suo confirmavere suffragio; ac nominatim Testis*, XX, XXIX, XXXII, XXXIX, XLI, XLII, L, CXII, CLXII *&* CCV. *Specialiter autem Testis* XIII Joannes Brunigh, oppidanus Bacharacensis, annorum LII, *respondit*, maxime ab Ungaris & Slavis *honorari statuam*, *quæ* ab exteris per minutas petias in medium sit multum minorata; & ne totaliter deportetur, *fuerit inter asseres concludenda. Ioannes porro Crebisz supramemoratus, cum narrasset quomodo ad pueri agonem adductus ab ancilla Sculteti, opem petenti responderit*, Te juvare non potero, cum pecunia mihi pro te data sit notabiliter copiosa; *mox addit*, quod ille idem Scultetus Eberhardus ex tunc evanuerit infra modicum tempus, quod numquam scitum fuerit de ossibus ejus & carne. Quæsitus *autem* de causa scientiæ, dixit, se sic audivisse ex matre & avia, quæ hoc tempore vixit.

unde Iudæi domo Wesaliæ conversa in Hospitale.

& trabs ad quam ligatus puer fuit in honore sit.

B

26 Joannes Biene centum annorum vel quasi, primo super senectute sua unde tam antiquus sit quæsitus, dixit ex eo quod recordatur Bacheracum circa montes minime muratum fuisse: item recordatur tempus belli inter Trevirenses & Ducales, in quo fuerit . . . cujus temporis prolixitas scripta est in magno pretioso Breviario ecclesiæ Bacheracensis. *Ducalium nomine intelliguntur subditi Electoris Palatini Bavariæ Ducis: verum in Annalibus Trevirensibus Broweri nihil invenio, unde hujus belli tempus definiri possit, quod proinde Trevirensium rerum studiosis melius investigandum relinquo, & pergo ad depositionem hujus tam annosi Testis* XVIII, *qui, ut additur*, Macellarius est rationis compos, & adhuc hodie laborans in Stega, *atque* ulterius interrogatus, dicit historiam S. Wernheri & martyrii ejus se audivisse à parentibus suis, & duo præclarissima miracula accidisse immediate post mortem: unum scilicet, dum S. Wernherus per Judæos à Sculteto Wesaliensi Eberhardo fuisset quodammodo emptus; hoc est eorum voluntati derelictus, & ipsi Judæi eum occulte ad Maguntiam ducere vellent, prodente luce solari, ipse fuisset positus inter vepres supra Bacheracum cis Rhenum, ubi nunc est claustrum B. Guilielmi, tunc recenter erectum post mortem S. Wernheri; & dum deferri deberet ad Bacheracum, fuisset contentio inter Bacheracenses & Wesalienses de corpore: & illud fuit expositum libere in Rhenum. Qui licet fluat de Bacheraco ad Wesaliam, cum illud perveniret ad Bacheracum, libere descendens impetu aquæ; contra aquæ cursum se posuerit ad littus Bacheracense: & illud dicit fuisse famosissimum, tempore suæ juventutis, ab omnibus scitum.

contentione orta de corpore.

C

ipsum transverso Rheno applicuisse Bacheraco.

27 *Idem narrans Testis* XLIII Nicolaus Smidt de Stega LXV annorum & notabiliter ultra, dicit se audivisse à quodam Wernhero, Vaszbender dicto, oppidano Bacheracensi tum centenario, ut ille aiebat, quod viderit S. Wernherum hoc modo in Wesalia fuisse passum &c. & tandem controversia inter Wesalienses & Bacheracenses orta, ipsum in medio magni fluminis Rheni positum, ut quo vellet descenderet: & dum ex opposito veniret Bacheraci, non obstante immenso impetu Rheni; ipsum transversaliter in Bacheraco littus petiisse. Item quod viderit eum in domo judicii positum, & candelis passum. Immo dixit Wernherum dixisse, quod oculis propriis vidisset columbas circa funus granis se pascere; & ipsum corpus non absque miraculis multis in capella S. Cuniberti depositum; cum sæpius tentatum fuerit ipsum alibi deponere frustratorie. *Atque hoc ultimum plenius à præmemorato Henrico Callarti, Teste* IX, *confirmatur*: *qui* addidit *aliis à se dictis*, quod, cum in judicii domo positum corpus staret, intendebat id alium in locum ponere quam in quo jam requiescit: sed tamen Dei voluntate & mysterio hoc disponente, nec in ecclesia aut hospitali, neque aliis in locis permanere voluerit: & in quemcumque locum ædificium mausolei delatum fuerit, semper in monte, in quo requiescit nunc, mane repertum fuit. *De candelis sive luminaribus, quibus passum, id est manifestatum, fuisse sacrum corpus & hic & alii Testes complures asserunt, specialiter audienda est* Lisa Seckelers, virgo LXXV annorum, *quæ* dicit se audivisse à proprio patre, quod avus ejus uno mane inter vepres ejus reperit S. Wernherum, à Judæis interfectum: & quod ejus sanctitas primo per candelas, tam ibi quam in prætorio Bacheracensi Scabinali fuerit prodita, maxime à tribus virginibus seu beguttis, ante mane ecclesiam visitantibus. *Scilicet in Bacherach: nam in Windspach candelas primi videre vigiles Furstenbergici, ut dictum supra.*

D

& ibi variis signis honoratum fuisse.

E

28 *Aliud miraculum à præcitato Teste* XVIII *narratum differo in locum commodiorem; & pro eo substituo alterum, immediatius subsecutum, quod narrat* Margareta, *Testis* CXVIII, uxor Ewaldi mercatoris, quinquaginta annorum & ultra; *aliis à se dictis superaddens*; quod veraciter audiverit, quod eo tempore quo interfectus in Bacheraco ad judicium deportatus fuit, duæ mulieres filiis orbatæ supervenere, & oraverunt ut indicaret quæ mater esset: qui tunc extenderit manum mortuam matri. *Nempe celebritas novi Martyris, alteram illam induxerit, ut ejus se matrem diceret, cujus intuitu copiosa tolerandæ paupertatis subsidia sperare poterat; contra certante, quæ vere mater erat. Fortassis etiam hæc causa fuit cur manus dextera fuerit seorsim à corpore argento ornata, ac supra capsulam posita, prout in Historia Inventionis num.* 19 *dicitur, & infra num.* 64.

sanctamque matrem indicasse.

29 *Exhinc tanta multitudo & evidentia miraculorum exuberare cœpit, tot undique peregrinorum caterva accurrere, tam copiosæ oblationes colligi (quæ singula plerique Testium exaggerant, ad confirmandum quod Wernherus, ut Sanctus, semper & fundatissime fuerit habitus) ut strui potuerit insignis illa basilica: quæ quod omnino consummata non sit, à multis expresse imputatur Episcopo, pecuniam ibi collectam sibi vindicare conato. Browerus ad annum* MCCCXXXVIII *id refert, quo Wesalienses ac Bopardienses à Baldwino Episcopo castigandi fuere, quod privata auctoritate sumptis armis Iudæos interficere, & eorum bona diripere essent aggressi: suspicaturque Bacheracenses ab hac causa non secernendos,* qui aversam hoc tumultu ab Hebræis gazam, in B. Wernheri templum, odio gentis & facti prisci memoria incluserint; inde Balduini jussu pœnæ merito in fiscum abductam. *Sed caret fundamento istiusmodi suspicio; potius ad Episcopi excusationem dixerim, ipsum Iudæis compatientem eorumque querelis nimis credulum, persuasum quidem fuisse Iudaica spolia B. Wernhero fuisse oblata; sed Deum submersione prædatricis navis palam fecisse quam falsa fuerit istiusmodi persuasio.* Prænominata Catharina Stumps, *octogenaria*, *asseruit fuisse* tria vasa diversis monetis repleta.

mox de copiosis oblationibus cœpit strui templum.

C

F

sed pecunia avertente Archiepiscopo intermissum esse.

30 *Quod autem ob hoc facinus illa lapidea Beatæ* Virginis

A Virginis imago, quæ in porta nobilissimæ illius capellæ magistraliter est constructa, & ante habuit directum ante se aspectum aut delectabiliter infantulum de more respiciebat: tamquam irata mulier suæ prædæ invidens, & injuriæ sibi, tamquam principali Patronæ, factæ vindicatrix; iratum vultum & terribilem, à proprio puero aversum, versus raptores in Rhenũ direxerit, adeo formidabiliter, ut statim omnes prædones submergerentur cum spolio; & adhuc imago sic videatur facie irata & aversa stare; palam & notorie apparere, *dixit* Irmetrudis, *Testis* CLXXI, filia Rupen, olim Scabini Bacheracensis de Diepach, LV annorum virgo, in propria domo commorans: *idemque plures testes brevius affirmavere.* CLXII *ait*, subtus Bacheracum immediate *submersam navem*; CLII, prope Bacheracum. *Signantissime autem Testis* XLV, Joannes Truman de Stega, annorum LIV, asserit, vetisse se vultum imaginis illa via, quæ fuit inter turrim ripæ & latronum turrim, ubi nunc murus est de turri ad turrim: & ibi submersa fuit pecunia cum omnibus in nave. *Adjicit autem Testis* XLII, Joannes Herden, annorum LXXV & ultra, de Hensch-huysen infra limites ecclesiæ Bacheracensis.... quod pauper peregrinus, propter Deum navigare volens, inscius maleficii, tantummodo evaserit: quæsitusq; de causa scientiæ, dicit, se ita audivisse à parentibus suis & progenitoribus, non pro fama tantum, sed pro verissima veritate, *quod idem Testis* IX *præcitatus affirmat.*

prædantes, fortiter post eos verso statua B.V.

submersos,

uno solum peregrino salvo:

B

31 *Ceterum quam fuit abominabilis cupiditas sacram pecuniam rapientium, tam fuit laudabilis abstinentia Pastoris aliorumque, nihil pro jure suo inde decerpentium, sed omnia in fabricam impendentium prout expresse confirmant varii, ac signantissime Testis* XCVI, Altmannus Bettendorff, militaris, Ratisponensis diœcesis, unus duodecim militarium Consulum consilii Bacheracensis, & superior Camerarius illustris Domini Ducis Ludovici Comitis Palatini Rheni; *qui* dicit, quod vidit plusquam viginti millia hominum B. Wernherum personaliter visitasse, & muneribus & pecuniis venerasse: quæ tamen omnia sint sine defalcatione conversa, pro honore Dei & fidei in fabricam illius ecclesiæ, & augmentum divini cultus: nec etiam præsens Pastor quidquam canonicæ portionis capit. Quæsitus unde sciat, dicit se una cum aliis duobus esse Magistrum fabricæ, sed nihil inde habeat præsidii præsentium, sed speret futurorum. *Similiter ejus in officio socius Testis* III Joannes Prume, filius primi Testis; quadraginta annorum, Connotarius Domini Ducis in Theolonio Bacheracensi, satis dives;.... quæsitus quantum emolumenti inde habeat, dicit, penitus nihil; sed habeat laborem, & speret vitam æternam. Imo dixit omnem pecuniam ad structuram converti, nec Pastorem recipere unum obulum de illa. *Quin Testis* CCI Adam, Rector scholarium Bacheracensium in artibus Magister, *affirmat*, quod erectio structuræ absque dubio damnum sit notabile Domini sui Pastoris & suorum: quia (*ut addit Testis immediate sequens* Theodericus de Isennach, Capellanus in dicte Bacheracensis ecclesiæ, XXXV annorum vel quasi) pauperes, qui ei in confessionibus & oblationibus forte subvenirent, gratia Indulgentiarum ad structuram ponunt, *& Testis* CCIX Heynricus Salhart, senior Capellanus Domini Pastoris Bacheracensis, concordat cum proximis Testibus dicens, damnum se bene sentire in bursa.

aliam omnem pecuniã

soli fabricæ impendi,

C

nec Pastore quidem portionem canonicam accipiente:

32 *Cera, in memoriam beneficiorum acceptorum oblata, tanta affluebat copia, ut* Joannes Donner, *Testis* CLXXXV, Altarista Stegensis in capella S. Annæ infra limites ecclesiæ Bacheracensis, custosque una cum matre & familia capellæ S. Wernheri, *dicat*, quod *ejusmodi* signa cerea fecerunt plusquam quinquies mille pecies in proximo biennio & cetera: quorum quatuor millia vel quasi, in proximo mense, in domo loquentis Testis; imo verius S. Wernheri, fuerunt in decem massas resolutæ: quarum una per tres homines non absque labore habebat in ipsam capellam suspendi: ultro hoc dimissis circa epitaphium mille peciebus, in signum miraculorum illius Sancti; non obstante quod jugis candela cerea, super corpus Sancti, ad honorem Dei luceat. *Quod idem affirmans* Hebela, mater *prædicti* D. Joannis de Cuba, custos cum filio & familia per Dominum Ducem deputata, ad epitaphium custodiendum illius S. Wernheri, LXX annorum & notabiliter ultra, *Testis* CXLI, *dixit, illas imagines sic resolutas* infra spatium mensis unius, *id est præcedenti mense*, ad decem vel undecim centenariorum libras *se excendisse, quarum* quælibet pecies singulare portendebat miraculum. *Sed & Testis* LXXVI, Joannes Lipp, oppidanus Bacheracensis annorum XL & supra, se nutriens labore & arte, *iisdem Ioanni & Hebelæ in fundenda cera tunc cooperatus*, de mandato Domini Ducis Ludovici & Pastoris Bacheracensis, *attestatur, quod unam ex decem magnis massis præmemoratis* ipsemet tertius vix suspendere potuerit; fuderitque ultra hæc ex istis & aliis peciebus diversarum humanarum partium, hominum & brutorum animalium, circa Sancti mausoleum pendentium plures alias massas. *Quod ad compedes & manicas attinet Testis* XII Joannes Selig, annorum XL vel circa, *vir* litteratus, *& qui* in Bacheraco moram traxit ultra viginti annos, uxorem *ibi* habens, & magister ædificiorum Archiepiscopi Coloniensis in Bacheraco, dixit se audivisse à Domino Heynrico Beren Presbytero, quod omnia ferramenta fenestrarum duorum chororum illius capellæ, quæ sunt multa & magna nimis, facta sunt de compedibus & manicis ferreis, illi Sancto per solutos à vinculis, Dei & ejus adjutorio, oblatis.

cerea anathemata ultra 5000 intra biennium oblata esse,

EX MSS.

ad pondus plusquam 1000 librarum,

E

& magnam vim manicarum ac compedum.

CAPUT V.

Depositiones eorumdem circa cultum S. Wernheri.

33 M*ultitudinem ad sepulcrum Sancti venientium exaggerarunt Testes quam plurimi: & signantissime Testis* IV, Emmericus de Waldek, filius olim Emmerici militaris, annorum LXX, dixit, quod per omne tempus suæ recordationis, ante & post usque in præsens, honoratus sit Wernherus pro Sancto, & honoretur ab incolis & exteris, nobilibus & communibus; quodq; vidit Prælatos, Cardinales, Archiepiscopos, Episcopos, Doctores, Principes, Comites & Nobiles venientes ad istum Sanctum de diversis regnis, ut Anglia, Almania, Tuscia, Lombardia, Ungaria, Sclavonia & Burgundia. *Testis autem* CXI Gutta Schelarts LXX annorum, uxor Joannis Brungins, oppidani Bacheracensis, *dicit*, quod vidit exteras gentes etiam flexis genibus capellam circuire: immo fontem prope capellam, pro sancto & ab infirmitatibus liberante, ab Ungaris & Sclavis sæpe in flascula capi, qui etiam fœtori non subjacet. *Expressius autem Testis* XII *Ioannes Selig præcitatus testatur, quod* cum fons, *id est aqua illius fontis*, portatus fuerit ad ipsorum remotissima loca, post septennium illos acciderit reversos fuisse: & illum fontem fore clarissimum & absque omni infectione suavissimum audiverit declarari. Quæsitus unde hoc sciat, dicit, fontem illum stare prope capellam, & illos homines de septennio ad septennium solere ad Beatam Virginem Aquisgrani transire, & munera apud gazophylacium dimittere.

Testantur omnis generis homines undique ad visendum sepulcrum venire,

F

& aquam de fonte vicino haurire

34 *Transeo ad aliud genus honoris, sacro sepulcro per publicam Cleri ac populi processionem solitum haberi, cujus, præter alios, Testis* LXXII, Bertolfus dictus Becker, oppidanus

Ex MS. Christi Corpus illuc portari in processione.

pidanus Bacheracensis, LX annorum vel quasi, dicit se istum S. Wernherum, cum omnibus incolis parochiæ suæ, colere pro Sancto; & ut talem venerari muneribus & honoribus & orationibus; sicq; semper fecit, cum uxore & filiabus & omnibus vicinis, sequens pro tempore Corpus Christi, usque ad altare S. Cuniberti prope ejus sepulcrum: quodque hoc fecerit usque in præsens, & sperat se facturum usque in finem vitæ suæ, ut iste S. Wernherus intercedat pro ea, quia potens est ob ejus præclara merita, quæ valde multis apparent miraculis & ad oculum videri possunt. Catharina Scheiden. vidua Bacharacensis LXX annorum, devota & valde honesta, *Testis* CXXX affirmavit, Corpus Christi, præ quadraginta annis & etiam quinquaginta, processionaliter prope tumbam fuisse deportatum. Elisabeth *autem*, uxor Petri Humerecht, oppidana in Bacheraco LX annorum vel citra, *ait id fieri* certis anni festivitatibus.

quod cum semel omissum esset

35 *Est porro circa hanc consuetudinem valde notabile, quod dixit Testis* CLXIII; Catharina de Ebren, Trevirensis diœcesis, virgo & Clusinaria in Clusa B. Mariæ Virginis in Heymbach ecclesiæ Bacheracensis; quæ jam ibi fuit per tredecim annos, in abstinentia & castitate cum ceteris convirginibus vitam ducens B communem, manibus cum ceteris quærens inclusa victum, utens cum aliis etiam aliquando pietate eleemosynarum, absque mendicitate publica inhonesta, triginta annorum & paulo ultra. Dixit *autem* sibi constare, quod præ viginti annis signanter, in hyeme, propter nimis intensum frigus, corpus Christi non fuit portatum ad S. Wernherum contra antiquã consuetudinem, quæ hodie servatur: & ob ib (ut pro tunc à multis audivit) fuit magna confusio & commotio multorum quadratorum lapidum circa venerabile illius Sancti sepulcrum, quod tunc fuit & est supra terram ultra spatium pedis erectum, ferramentis circumcirca circumflexum, & verosimiliter ab omni ejus parte, subtus, supra & in lateribus.... Quæsita de scientiæ causa, dicit se ante conversionem cum Celerario Domini Ducis in Bacheraco habitasse, & commotionem lapidum vidisse.

commotos fuisse lapides pavimenti,

idemque alias sæpius accidisse,

36 *Simile ante decennium etiam contigerat: nam* Nesa Strytzacks, *septuagenaria, Testis* CCXXVI *jam ante citata,* præ triginta tribus annis, *quando præcedens necdum nata erat,* vidit lapides planos circa sepulcrum repente in distortum revolutos, *sive* (*ut loquitur* Catharina Stumps *octogenaria Testis* CXIX) quod lapides C circumcirca à planicie converterentur in scopulos. *aut* (*ut ait* Metza Mulners, virgo annorum LX, oppidana Bacheracensis, *Testis* CLXXII) quod de planicie se erexerint in asperum præ triginta annis. Ela *autem* Stuben, *sexagenaria, Testis* CLXII, lapides quadratos se in magnam inæqualitatem convolutasse, non semel, sed sæpius vidit: quæsitaque quid æstimet per hoc figuratum; dicit tunc homines & se communiter dixisse, quod hoc prodigium indicaret canonizationem. *Ejusdem sententiæ fuisse se fatetur Testis præcedens, nec non Testis* CXVIII. *Simpliciter autem* lapidum commotionem *à se visam testatur Testis sequens; &* Odilia, uxor Oirkins annorum LXX, *Testis* CXXI; *&* Elizabetha Goldgins, *æque septuagenaria, Testis* CXXII. *Eamdem* commotionem miraculose factam præ triginta annis, sepulcro & capella quiescentibus, circa nativitatem Domini, *testatur oculari fide* Joannes Tzing campanarius ecclesiæ Bacheracensis LVI annorum, clericus uxoratus, qui campanator fuit ejusdem ecclesiæ XXXVI annis, *Testis* CXCIX *& addit*, quod tota die campana pulsabatur præ miraculi evidentia.

circa Natalem Domini,

37 *Alias*, præ triginta tribus annis, Elisabeth Lauwers, virgo LV annorum, *Testis* CLII, interfuit & propriis oculis vidit, quod ipse Sanctus in die Circumcisionis cum toto sepulcro, super terram patenter & elevanter posito, moverit, & ibi suavissimus D odor emanaverit. *Similiter Testis* LV Bartholomæus Rosenbecher, annorum LX, oppidanus Bacharacensis, commorans prope Pastorem, præ ceteris dicit, tempore adolescentiæ suæ semel circa festum Circumcisionis maximam motionem fuisse circa sepulcrum illius Sancti, sic quod quadrati lapides capellæ valde dispare se erexerint, quamvis ipsa capella cum glorioso tumulo sit posita in colle firmissimæ petræ. *Et Testis* CLVIII Agnes Kempen., virgo abstractæ vitæ, L annorum, deposuit, se audivisse à tribus personis, sepulturam illius Sancti ante decennium & vigennium, custodientibus alias ibi companariis, quod sæpe cum magna extasi & stupore fuerit illius sepulturæ supra terra alte positæ commotio; quadratorumque lapidum, prius plane positorum, notabilis inæqualitatis dissolutio; sic quod quasi prærupti se collocaverunt. *Similiter*, Elisabeth filia quondam Joannis Gercken, virgo XXX annorum, *Testis* CXLIX, dicit sæpius audivisse à quodam honesto viro dicto Heynz Gorgel, custodis illius capellæ & Sancti: E quod ipse Sanctus sæpius exultanter se moverit, & fuisset maxima suavitas odoris, & quod non prætenderit aliud nisi ejus canonizationem. *Huic consentit* Ella, uxor Joannis Rudissemmers, LXX annorum, *Testis* CXV: *quæ* requisita ubi *id viderit*, dicit se scholarem in monte S Wernheri, una cum aliis virginibus, litteras didicisse. *De solo autem odore sæpius percepto, Testis* CLXII Ela Struben de Mannenbach, annorum LX & notabiliter ultra, magistra Clusæ in Heymbach in finibus limitum ecclesiæ Bacheracensis, ipsa virgo virginalem in sanctimonia cum ceteris virginibus ducens Deo vitam, quæsita de singularibus causis (quia ipsa Testis cum aliis virginibus sibi colligatis sanctissimæ creduntur esse vitæ) *ob quas pro Sancto Wernherum habeat*, simpliciter & sinceriter respondit, quod præ XXVII annis & ultra, ipsa sanctum puerum suppliciter adoraverit, & quod immediate ex tumba tam dulcissimus & desiderabilis odor exivit, ultra quod exprimi potest.

& in die Circumcisionis etiam sepulcrum

cum fragrantia suavissimi odoris:

38 *Canonizatio quam illo lapidum aut sepulcri motu, in solidissima alias petra positorum (ut asserit prænominata Testis* CXV) *portendisse est judicata, fuit magnifica illa elevatio corporis superius descripta; & auctoritate Legati Apostolici facta: nam ultra processum non est. Ideo* Tielmannus Rudiger, Plebanus in Mannebach, XXXV annorum, obedientiarius Pastoris Bacheracensis; F *Testis* CXCV, *cum dixisset* S. Wernherum ab omnibus progenitoribus suis & aliis innumeris hominibus, magnis & parvis, omnium conditionum & statuum, per omnia tempora suæ memoriæ, fore cultum & veneratum pro Christi Martyre, palam, publice & notorie; seque ipsum & Convicarios & Plebanos, Pastori Bacheracensi subditos, eumdem Sanctum pro ultimo posse venerari; *excusavit tamen quod id non faciant* publicis officiis; ob reverentiam Apostolicæ Sedis, *à qua eam facultatem obtinendam esse scirent. Testis autem* CLXXXIII, Joannes *scilicet* Provisoris *supra citatus*, quæsitus, an coluerit Wernherum pro Sancto, dicit, quod licet progenitores sui & ceteri omnes populi, quos noverit, colant eum pro tali; ipse tamen & alii Presbyteri non colant eum manifeste: & hoc credit provenire ex eo, quod Pastores Bacheracenses semper fuerint litterati viri, curtisani, & ut plurimum Doctores, qui hoc non fecerunt: ergo ipse & sui similes non faciant.

non tamen à Clero cultu Officii ecclesiastici,

39 Æque bene non dubitat *idem Testis, esse eum* Sanctum Christi Martyrem & Virginem; cum ipse præsens fuerit in apertione tumuli ejus, & viderit eum proprio sanguine & linteo involutum, cum crinali suæ virginitatis, cum cussino serico violis pleno

licet idem sanctitatem ejus pro certa habeat,

A pleno, & sudario serico in capite ejus sanguinolento: & credit durum esse si quidquam opponatur ejus sanctitati, quam in cælis habet, & à terris centum quadraginta annis usque in præsens possedit. Imo credit quod circa Bacheracum circumcirca sint viginti millia Sanctorum canonizati, qui non fecerunt tot præclara miracula: ut patet in multis ex decem millibus Virginum, & innumerabilibus Martyribus in Treviris, qui uno die in Bacheraco celebrantur, & tamen de evidentissimis non coruscant miraculis, sicut hujus S. Wernheri. *Similiter* Petrus Tedefusz, LXXX annorum vel quasi, Vicarius in Diepach & subditus Pastoris Bacheracensis, *Testis* CLXXXVIII, dixit periculum fore in Ecclesia Dei de sanctitate tam præclari miraculatoris voluisse quæstionare, quem jam coluissent per centum & quadraginta annos, omnis sexus, conditio & ætas hominum & statuum, publice & notorie, hoc sciente tam Romana ecclesia quam Treverica: maxime cum signa suæ sanctitatis sint verissima, voce, fama, scientia, scripturis & littera, sequentibus infinitis signis & miraculis. Joannes *autem* Trutman, *Testis* CLXXXIX, annorum XL, sub obedientia Pastoris Bacheracensis B positus, concordat cum proximo conteste, addens, Utinam vidissent illum Sanctum sic honoratum Dominus Apostolicus & ceteri Cardinales, sicut summus præ tribus annis vidit Pœnitentiarius; & perfecte vidissent, quæ nos quotidie videmus; condignis honoribus illum Sanctum canonizarent.

putetque sine scandalo non posse de ea controverti.

40 *Patet interim, quod alibi monui, abstinuisse Clerum Bacheracensem in divinis Officiis, à facienda publice commemoratione Sancti; atque adeo Historias, in hoc Processu relatas, in ecclesia numquam usurpatas esse: sed tantum mature fuisse compositas descriptasque etiam cum nota, ut essent ad manum quandocumque Sedes Apostolica annuisset. Ferebantur ea nihilominus per hominum manus: nam Testis* XCVII, *& inter Cubenses primus*, Heynricus Cellerarius Domini Ducis, LXX annorum (qui licet foret alienigena, satis remote oriundus, fuerat tamen his in partibus spatio XL annorum & amplius succentor Bacheracensis) dixit, quod cum responsoriis, *qua* S. *Wernherus* habet propria valde multa, scholares pauperes etiam hodie panem acquirant; *iis scilicet vel describendis vel cantandis vicatim.*

Officium ejus descriptum haberi:

41 *Popularem quoque & receptissimam venerationem hujus Sancti declaravit Testis* LXXXI, Wilhelmus Knebel de Catzenelebogen, filius quondam Ottonis Knebel Militis, Burggravius in castro Stegensis Ducatus Principali dicto Stailberg.... addens *ad cetera argumenta*, quod avus suus olim D. Wernherus Knebel, in honorem illius Sancti hoc nomen Wernherus C sortitus fuerit: quodque simili modo habuisset patruum, Canonicum ecclesiæ Maguntinæ, pro gloria hujus Wernheri, Wernherum vocitatum: habuissetque etiam patruelem dictum Wernherum, & proprium fratrem, nunc defunctos, pro honore beatissimi Wernheri & protectione taliter nominatos. *Similia asseruit* Elisabeth, *Testis* CXLIII uxor *præfati* Wilhelmi Knebel; *eamque immediate præcedens alia* Elisabeth, olim uxor Domicelli Wernheri Knebel, *similiter* in castro Stailberg Burggravii, nobilis vidua, Deo devota; *hac autem addidit* non *esse* mirum quod colatur iste S. Wernherus, coruscans tot tantisque miraculis; cum D. N. Jesus Christus in ipso fuerit interfectus mystice, & ipse pro Christo. Cum ergo venerentur primi infantes & lactentes, quare non iste, qui sui martyrii non solum sensualitatem habuit, sed & intelligentiam maximamque tolerantiam. *Denique* Gutta Schieszers dicit se S. Wernhero tulisse omnes suas proles, statim post egressum à puerperio, cum candelis & offertoriis. *Neque dubium quin eadem fuerit plurium puerperarum pietas, licet pluribus testimoniis in hoc processu non habeatur confirmata.*

in ejus honorem multos appellari Wernheros;

eidem recens natos offerri

EX MSS.

42 *Denique ad confirmatam B. Wernheri sanctitatem, seu potius certissimam fidelium de ea opinionem declarandam, appendunt multi Testes*, *eum* usque ad præsens esse & fuisse honoratum, infinitis muneribus, ceremoniis & orationibus, non solum in loco sepulturæ, sed & statuæ passionis in Wesalia, & absconsionis veprium in castro Windspach, *uti deponunt Testis* XIII *pranominatus*, *& Testis* XXIX Joannes Kersel de Stega, Advocatus Bacheracensis, & inter duodecim cives Consules ejusdem oppidi unus consilii ejusdem, quod integratur viginti quatuor personis ex duodecim nobilibus & duodecim civibus. *Itē* Wernherus Keyser, oppidanus Bregensis annorū L, *Testis* XXXII; Joannes Ulenhuser de Stega, annorū LXXX vel quasi, *Testis* XXXIX; Petrus Hobrost LXV annorum, *Testis* XLI, *aliique. De sua autem VVesalia nominatim loquens* Joannes Mews de Wesalia, Clericus Trevirensis Diœcesis, publicus Imperiali auctoritate Notarius, *quartus inter eos qui Codicem Trevirensem (quo utimur) testatus est concordare cum aliis duobus exemplaribus, tunc pariter descriptis*; In Sancti, *inquit*, Spiritus capella, apud nos testudinata de superius & inferius, ubi statua suæ passionis venerabiliter à dextris altaris collocatur, est quædam pretiosa & vetustissima tabula, exterius interiusque E pro illitteratorum eruditione sumptuose depicta, in qua super altare posita inter ceteros Sanctos, bine & bine collocatos non absque auri refulgentia, prope cum S. Martino, diademate circumdatus, socialiter est aliis condeputatus: de subtusque locus suæ horribilis passionis in magno cellari assistit.

in veneratione haberi prædictum locum sepulturæ,

etiam locum passionis Wesaliæ;

43 *De fundatione VVindsbacensi, meretur audiri ante omnes Testis* CCV, *scilicet* Philippus Bruning, Prior claustri seu domus in Windspach, alias domus S. Wernheri, annorum XLVI, qui juratus, receptus, admissus & examinatus, prælectis sibi punctis & intellectis, dicit, nullo modo hæsitandum, quin B. Wernherus fuerit & hodie sit Sanctus, & pro tali à Christiano populo reputatus. Quæsitus de causa, respondit, quod notorium sit eum habere infra unum milliare tria notissima oratoria; unum in Wesalia, quod est sancti Spiritus, in quo veneratur statua suæ passionis; secundum, quod est principale, in loco suæ sepulturæ in Bacheraco; & tertium in loco sui claustri, ubi Prioris officio fungitur. Quæsitus unde hoc sciat: respondit simpliciter: Si S. Wernherus, in sacco suo sanguine F involutus, non fuisset ibi absconsus inter spinas & vepres, numquam illud claustrum fuisset ibi erectum: quod quidem claustrum hodie per totam provinciā inferiorem vocatur domus S. Wernheri. Et de hoc legit & vidit antiquum valde librum, in domo sui Ordinis, in oppido Duren Coloniēsis diœcesis contentū.

& locum absconsionis in Windspach.

ubi monasterium Ord. S. Guilielmi

44 Quæsitus de ulteriori causa, respondit, quod domus eorum in Windspach, quæ, ut præmittitur, S. Wernhero intitulatur, originem sumpsit ex martyrio S. Wernheri, ut jam tactum est: & in secundo anno post ejus martyrium, scilicet anno MCCLXXXVIII, tredecimo Kalendas Martii, quidam tunc illustris Comes Palatinus Rheni, & Dux Bavariæ, Dominus temporalis illius loci, donasset eis aream veprosam, ut ibi erigerent claustrum. Et adjecit quod ex tunc anno Domini MCCXCII, VIII Kalendas Octobris, quidam alius Dominus, Ludovicus Comes &c. secundam fecit donationem ad illam domum: & quidam Rudolfus filius hujus Ludovici, anno Domini MCCXCIII, Nonis Decembris, fecit tertiam donationem: & ex tunc quidam Domini, Rudolphus & Ludovicus, filii Ludovici Comitis Palatini &c, quartam fecerunt donationem de parochiali ecclesia in Snarbach, & hoc anno Domini MCCCV, in feria tertia, in hebdomada Paschali. Item has omnes donationes etiam olim Nicolaus Papa quartus sic factas, auctoritate

à Principibus Palatinis fundatum & dotatum,

Ex MSS

te Apostolica confirmavit, prout hæc omnia Papali bulla & majoribus sigillis illorum Principum, una cum litteris desuper confectis, quæ in suo examine in publicum produxit, clare ad oculum patent.

& subjectum Pastori Bacheracensi.

45 Quæsitus quare juravit, cum ipse Religiosus sit; respondit, quod ipse venerabilis Pastor Bacheracensis pro tempore, ex antiqua & præscripta consuetudine, & antiqua ordinatione Principum fundatorum illius claustri & Provincialium Ordinis, habet jurisdictionem in eos, ut coram eo querulantibus teneantur respondere. Inde provenit quod hic responderit & ita sit deventum in eum & suos, quod ipsi tenentur obedire Pastori Bacheracensi, intra cujus limites consistunt, salvis tamen substantialibus suæ professionis: & hæc ordinata sunt, ne cogantur laicis in vetito judicio seculari respondere, sed potius coram Pastore loci. Inde conclusit, ex quo S. Wernherus fuisset martyrizatus anno MCCLXXXVII, quod clarum sit hæc postea evenisse: & sic audiverit etiam à suo patre viro antiquissimo, qui fuit Scabinus utriusque sedis Bracharensis; & credit avum suum recordatum fuisse martyrii S. Wernheri.

B

CAPUT VI.
Depositiones Testium circa miracula S. Wernheri.

Affirmant sanctitatem miraculis testatissimâ,

46 HÆc ita cum sint, Ioannes Donner Altarista Stegensis S. Annæ *Testis* CLXXXV, miratur, quod Sanctus tam valde mirabilis, & multos Martyres vincens miraculis, in numero, efficacia & multiplici excellentia, diu non fuerit canonizatus: & dicit quod multa miracula fieri vidit evidentissima, instrumentis publicis consignata; & alia tam multiplicia magna & parva, experta & credita, quod ipsorum signa cerea fecerunt plusquam quinquies mille pecies in proximo biennio. Imo tanta est evidentia suæ sanctitatis, *inquit Testis* XXIV, Ioannes VVeteler de Stega, LXX annorum vel circa, quod firmiter credat, si quis contrarium pertinaciter diceret, ut hæreticus comburendus esset. *& Testis* L. Ioannes Bintreiff, de ejus sanctitate quasi de dubio quæsitus, propter ejus præclarissima signa, tantum abhorruit, quod dixit: Qui non crederet ipsum VVernherum esse Sanctum, deberet comburi vel submergi. Jacobus *autem* Ortrud, unus de duodecim Consulibus inter cives consilii Bacheracensis *Testis* LXXIV, dicit scandalosá rem fore, si quis tam longævæ possessioni sanctitatis S. VVernheri detraheret, quæ possessio limitat omnem memoriam hominum. Vnde non est dubium, *inquit*, fieri errorem magnum, si contra Deum & ejus sanctum Martyrem quidquam tentaretur sinistri, qui tam longissimo tempore, centum quadraginta annorum & ultra, ab intraneis & extraneis & remotissimis gentibus sit cultus, & colatur hodie, pro sancto Martyre, palam, publice & notorie, concurrentibus tam variis signis & miraculis. *Et Testis* LXXVIII Hora Swab de Stega, *dicit quod* hoc non foret aliud nisi Hussonicum introducere in novam sectam, contra paternam legem, in scandalum reipublicæ. *Similia dixit*, Ioannes Stump, oppidanus Stegensis, *Testis* LXXX *aliique.*

non posse sine gravi scandalo adduci in quæstionem,

C

notissimam esse sanitatẽ Presbytero contracto redditam;

47 *Miraculorum præcipua publicis instrumentis consignata exhibuimus: de eo autem quod ut vulgo notissimum, solum in propositis ad examen punctis invenitur expressum, de sanitate inquam, Presbytero cuidam, utraque manu contracto, ante annos viginti reddita, plurimos Testes nominavimus in Annotationibus ad lit.* Z; *eique nomen fuisse* Ioannis Hunczerich *dixit, ante omnes alios idem nomen exprimentes, Testis* I, *qui* eum inter brachia una cum alio Sacerdote duxit ad tumulum ipsemet, ac postea diu sanum vidit. *cui post alios oculatos testes attestans* Gutta Schelarts, *Testis* CXI *alibi jam memorata, dicit quod* ipsa viderit manus contractas poni supra tumulum S. VVernheri, ipsumque Presbyterum singultando orantem & multum populum complangentem, & met planxerit; *&* Catharina Hunczerichs, *ipsius qui curatus fuerat verosimiliter consanguinea, Testis* CLV, dicit simpliciter esse verum & ita factum, quod sibi personaliter serviverit ad annos viginti duos. *Testis etiam* XV Petrus Dym, annorum LII Scabinus utriusque sedis Bacheracensis, dixit quod sciat miraculum istud verissimum esse, quia viderit, & patruus ejus fuerit dictus Presbyter.

D

48 *Nunc porro alia particularia miracula, vel gratias S. Wernheri meritis imputatas, lubet consequenter attexere, ex ore ipsorum testium, eo quo deposita conscriptaque sunt ordine. Testis* VII Ioannes Busz, Scabinus Synodalis & judicii secularis Bacheracensis, annorum L...., admirative respondit, quare non deberet coli pro sancto, cum ipsemet testis proximo anno inunctus, in extremo articulo vitæ constitutus, cum omnes de vita ejus desperassent, nec aliquod remedium medicinæ subesse posset; & se vix ad tantum dare posset, quod lingua & corde seipsum cum muneribus S. VVernhero sponderet: quod cum fecit, statim & illico melius habuerit, & se S. VVernhero præsentaverit, & ei pro structura sua tantum de meliori suo vino obtulerit, quod sibi hodie, si adhuc haberet, viginti florenos solveret: addens, qualis fictio possit esse hic, cum ipse hæc in sinceritate fidei fecerit, & de adiutorio principaliter Christi, suæ matris & illius Sancti, illicam sanationem de puncto mortis susceperit: cujus rei etiam testes sunt omnes vicini & pro tunc sibi præsentes. *servatum vita jam inunctum,*

E

49 *Testis* IX Heynricus Calart, quæsitus an Wernherum pro Sancto teneat & quæ sit causa scientiæ, respondit ex signo jam in ista hebdomade acto in eo; cum enim vehementi dentium dolore se sensisset gravatum, S. Wernhero votum vovit; oblationem ceræ in modum dentis formatæ portavit; & statim sanatus est. *Testis* XI Ioannes Kremer, oppidanus Bacheracensis, annorum L vel circa, refert se casu ad domum cujusdam oppidani Bacheracensis venisse, in qua quemdam reperit advenam de diœcesi Moguntina; qui exposuit se fuisse fabrum, & per decem & octo annos in duobus oculis fuisse cæcum: donec de instigatione & monitione sui Plebani votú vovit S. Wernhero, & cum oblatione advenit, offerensque ante ejus mausæolum & orationem suppliciter fundens, visum recepit. *Testis* XVII Petrus Diecz de Stega, annorum LXXII, *aliis à se dictis* adjunxit, quod propria filia Margarita habuit morbum caducum; & ad invocationem S. Wernheri, oblato munere fuerit clementissime liberata, & sit sana in præsens. *Et huic attestatur ipsius puellæ frater*, Ioannes Diecz de Stega, *Testis* XXX. *curatus dolores dentium, oculos di cæcatus, morbum caducum.*

F

50 *Testis* XX Ioannes dictus Stayl, annorum LV *aliis à se dictis* adjunxit quod in præsenti anno filius suus Petrus, decem & octo annorum, habuisset pestilenticas mortales pustulas decem & octo in uno crure; & votum fecerit S. Wernhero cum duabus libris ceræ, & gratiose sanatus statim fuit. *Testis* XLVI Ioannes wich, de Nauwen infra limites Bacheracenses, annorum XXXV, dixit, sibi constare, quod propria uxor contracta fuerit utraque manu quinque quartalibus anni & ultra; & emisso voto ad S. Wernherum & soluto, illico fuisset sanata: & hoc notorie constet omnibus, vel pro majori parte, plebisanis ecclesiæ Bacheracensis. Item dixit, se ex rixa unum familiarem Stephani Pistoris, oppidani Bacheracensis, uno mortali vulnere læsisse, sic quod inunctus & desperatio erat hujus vitæ: testis autem loquens devotum votum fecerit S. Wernhero, & statim *pustulas pestilentes, utriusque manus contractionem, letale vulnus,*

statim sic ab eo quasi intersectus melius habuerit, & hodie sanus vivat. Ioannes Crebisz Bacheracensis, *Testis* XLVII, *aliis à se dictis*, bonum miraculum adiecit. Ipsemet contractus erat in brachio, sic quod manum ad os porrigere non poterat ad longum tempus: tandem se vovit S. Wernhero, & illico liberatus fuit, & hodie est, adjutorio ejus.

A *sanatos, brachio contractum,*

51 *Testis* LVI, Joannes Rudishemmer Bacheracensis, dicit articulos sanctitatis esse veros & in eo met fuisse comprobatos: ipse enim anno proximo, ut dixit, habuit crus tam pestiferum, quod voluisset libenter abscissum fuisset Quid plus? Inter tormenta votum fecit S. Wernhero cum crure cereo, quod emit pro uno floreno: & cum magno labore fuit à matre propria, dicta Paulina, & ab uxore dicta Ella, & à duobus legitimis carnalibus filiis hodie superstitibus, ad S. Wernherum cum difficultate allatus: sed porrectis precibus & oblatione suspensa, sanus met gradiens recessit, in præsentia matris & uxoris contestium & filiorum & plurimorum hominũ: & hodie æque sanus est & incolumis. *Hujus uxor, Ella, Testis* CXV, *mariti dicta confirmat*, quia interfuit & vidit: *similiter & mater, Testis* CXXVIII, *videlicet* Paulina Ortruds de Stega, annorum LXXX & ultra, habitans in Bacheraco cum suo filio vidua; cujus maritus de numero civium Consularis fuit consilij Bacheracensis.

crure infirmum,

B

52 *Testis* LXV Engelman Locz, de Lorch Moguntinensis diœcesis, annorum LV vel circa, Scultetus Judicii Bacheracensis, dixit quod ille Sanctus successive à tribus infirmitatibus ipsum testem, suis precibus Christo porrectis, clementissime liberavit. *Testis* LXVI Nicolaus de Germersheim Spirensis diœcesis, Notarius Domini Ducis in theolonio in Cuba, annorum L, dicit, quod licet remote natus sit à sepultura hujus Sancti, tamen idem Sanctus præ centum annis unum de suo oppido clementer curavit. *Testis* LXXV Joannes Kannengeisser, LXVI annorum & ultra, dicit se in quodam corporali casu maximo infra triennium, precibus illius Sancti liberatum. *Testis* LXXXIII Petrus Scholteisz de Mannebach, requisitus de causa *cur Wernherum pro Sancto habeat*, respondit sufficientem esse causam, quia uxor sua Catharina in quartum annum ægra & in ultimum vitæ constituta, spoponderit se ad S. Wernherum ituram, & eadem nocte fuisset sanata, & hodie vivit sana, & vixisset jam per biennium post votum: ut in instrumento desuper confecto, & sigillis decem sigillato, clare dixit contineri *Est autem hoc instrumentum, inter superius prolata tertium.*

ter ægrotantem,

alium ægrum

graviter lapsum,

moribundam

C

53 *Testis* LXXXIX Gerhardus Fulckwin, oppidanus in Diepach, Scabinus utriusque Sedis, addit se vidisse apertissima miracula à S. Wernhero facta in duabus hydropicis personis in Mannebach, de quibus sunt sigillata instrumenta, ad quæ se refert. Catharina Kempen, oppidana Bacheracensis LX annorum, *Testis* CVIII, vidit passim præ multis annis, etiam tempore iuventutis suæ, à S. Wernhero fieri plura signa: inter quæ vidit duo evidentissime oculis propriis, unum fieri in sanatione D. Joannis Hunczerich, aliud fieri in uxore cujusdam oppidani Bacheracensis dicti Gauwer, quæ fuit cæca & in cruribus contracta, & asportata ad S. Wernherum, & fuit statim sanata: & pro tunc in utroque signo campana S. Wernheri fuit pulsata. Elisabeth Herdens vidua Bacheracensis, LX annorum, *Testis* CX addit, quod jam descendit de Francofordia, quod tunc quidam honestus homo secum descendisset cum muneribus suis ad sanctum puerum Wernherum, dicens se ejus precibus fore à mortis periculo liberatum. Adjunxit quoque quod in jam sæviente pestilentia, quidam notabilis civis Maguntinus, omnibus personis suæ domus, uxore, filiis & filiabus, famulis & famulabus repente privatus; ipse, ne moreretur, se S. Wernhero voverit, & sanitatem receperit, & secum cum muneribus descenderit.

hydropicas duas,

cæcam & contractam,

duos de vita periclitantes,

ex pe[illegible]

54 *Testis* CXVI Mechtildis oppidana Bacheracensis, LVI annorum, dicit, quod met ulcus mortiferum & pessimum in collo & in inguine habuerit, & illum S. Wernherum humiliter imploraverit, promissisque oblationibus exaudita fuerit, integrèque sanata: unde sancto puero annulum de auro puro obtulit. Catharina Keyensteyn, virgo LXX annorum, abstractæ vitæ, in castitate Deo serviens, *Testis* CL dicit, quod viderit unum Presbyterum de Spira circa ejus tumulum cum offertorio; & pessima peste pruritus cum fœtido tumore liberatum: qui & sibi retulerit quod alium virum in maxima infirmitate depressum induxerit, ut votum faceret S. Wernhero, quo facto liberatus fuerit. Elisabeth Lauwers, virgo quinquaginta annorum, *Testis* CLII, dixit, quod præ proximo anno Nesa virgo abstractæ vitæ, filia Ewaldi oppidani Bacheracensis, habuerit unum crus ut apparebat cum tribus genibus & morbo desperato: quæ se voverit ad S. Wernherum in sinceritate fidei, & illico liberata fuerit: & morbus fuit inveteratus duorum annorum, sic quod spes omnium medicorum ablata fuit. *Et ipsa* Nesa, filia Ewaldi mercatoris, virgo XXVII annorum & ultra, abstracta in domo paterna, in castimonia Deo serviens, *Testis* CLIII, dixit, quod ipsa sit illa, de qua jam mentio facta est de crure: & quod desperatum illud crus habuerit, votum fecerit, compleverit, & statim liberata fuerit. *Et Testis* CLIV Elisabeth, soror jam dictæ Nesæ, virgo XX annorum, cum sorore in domo paterna Deo serviens, miraculum in sorore factum per juramentum profitebatur verum. *Et mox citanda Testis* CLVIII *respondit*, quod hoc sciat esse verissimum, quia viderit.

peste Astrictam,

& alios duos,

genu incurabiliter tumidum,

B

55 Catharina, filia Heynrici Yeks, virgo virginalem vitam ducens in domo paterna, annorum XXV, *Testis* CLVII, dicit quod viderit noviter quemdam virum, ut verosimilius credit, Coloniensem, magnæ circumspectionis, qui dixit se precibus S. Wernheri à mortali peste curatum, & ideo projecit duos bonos florenos Rhenenses ad gazophylacium, quod supra mausoleum ad pedes ejusdem Sancti, cum multis clausuris & ferramentis, est colligatum. *Testis* CLVIII, Agnes Kempen, virgo abstractæ vitæ, annorum quinquaginta, respondit, quod viderit aliud miraculum circa primam ostensionem corporis S. Wernheri, de quodam puero jam emortuo, alieni viri, honesti tamen, & subito sanato: qui etiam propter maximam pressuram varii populi, ad locum & ad montem sepulturæ ascendere non potuerit. Catharina Kyesels, soror Advocati Bacheracensis, virgo abstractæ vitæ annorum LII, *Testis* CLIX dixit, puerum fratris sui junioris, scilicet Emerici, præ quadriennio proximo ad invocationem Sancti Wernheri ab hereditaria scabie capitis & sanie maxima fuisse liberatum.

peste laborantem,

puerum emortuum,

alium scabiosum,

56 *Testis* CLXVIII, Sophia de inferiori Heymbach, Maguntinæ diœcesis, virgo LXX annorum vel quasi, quæ in hospitali in Heymbach ejusdem Maguntinæ diœcesis per XXXVIII annos & ultra Deo servivit, & pauperibus infirmis ministravit, tandem recepta sed non jurata, quia alterius diœcesis nec superiorem habuit; sed per baptismum suum ad honorem Dei, B. Mariæ, & sanctæ fidei Christianæ, de pura veritate dicenda, solicite super punctis interrogata ... adiecit, quod elapso biennio ipsa inciderit in infir-

moribundā,

EX MS.

infirmitatem mortis, sic quod ipsa non habuerit spem alterius vivendi: verumtamen, devovit S. Wernhero imaginem trium librarum ceræ, qua facta & visa fuisset tanto gaudio repleta, quod illam infirmitatem evaserit, & illam imaginem per Hebelam Virginem contestem B. Wernhero miserit. *Idem paulo ante affirmaverant prædicta* Hebela de Bacheraco, *Testis* CLXVI, Virgo Clusinaria in clusa B. Mariæ Virginis in Heymbach, cum aliis convirginibus virginalem vitam ducens, annorum quinquaginta; *& Testis* CLXIII *num.* 35. *præcitata*, *Hebela socia*, Catharina de Ebren, *qua pariter Sophia ministraverat.*

paralyticam aliam,

37 Lisa Seckelers virgo *similiter num.* 27 *præcitata*, *Testis* CLXX, dicit seipsam fore per S. Wernheri intercessionem, à paralysi liberatam. *Deinde Testis* CLXXI Irmetrudis virgo, *cujus num.* 30 *facta est mentio*, dicit, quod semel tracta fuerit, ad judicium Bacheracense, & impetita à quibusdam: & quia inconsueta fuerit, de illis paralamentis hominum perterrita vix venit ad ecclesiam, & ibi in tantum fuit debilitata cruribus quod se movere non poterat: vovit S. Wernhero quod illud cœmeterium ecclesiæ non exiret, nisi prius eum in sua ecclesia, quæ contigua est parochiæ, visitaret, & sanata fuit. *Denique* Nicolaus Smidt annorum LXV *Testis* XLIII, *alibi etiam nominatus*, signanter dixit, quod in pluribus S. Wernherum devote invocaverit, & sibi nihil negaverit.

cruribus debilem

B

punitos blasphemos varios

58 *Talia fuere quæ divina bonitas in gratiam sui Martyris concessit hominibus beneficia: videamus nunc quomodo ejus honorem adversus blasphemos similis ulta justitia sit. Testis* XI Joannes Kremer, oppidanus Bacheracensis, annorum quinquaginta vel circa, inter cetera dixit, se fuisse satellitem & hominem etiam rapacem aliquando, & audivisse multos blasphemos in S. Wernherum, qui post, retributa malitia eorum in colla eorum, ululantes veniam petierint. *Centenarius etiam ille, cujus depositio num. 26 est delibata, Testis* XVIII, *nomine* Joannes Biene, dixit, quod præ quinquaginta annis, quidam ductor suum, in Bacheraco suem deviantem in platea reclamavit cum blasphemia in S. Wernherum. Quod audiens quidam faber, zelo Sancti accensus, cum malleo illum jactavit, quod ad terram semivivus cecidit; & sic jacens, ad invocationem S. Wernheri sanus surrexit, blasphemiam emendavit, & sues quo voluit duxit.

imprimis subulcum quemdam,

C

59 *Testis* LXXXII Joannes Senheym, Militaris, quinquaginta annorum, commorans supra Mosellam navale flumen, habens multa bona infra limites ecclesiæ Bacheracensis, non juratus sed motu proprio, & zelo, ut dixit, Dei, sub fide baptismatis recognovit & dixit, quod in una villa super Mosellam, famulus cujusdam sartoris verba blasphematoria intulisset in sanctum puerum Wernherum: & statim fuisset arreptus furore sic octo diebus continuo, quod in furore diem ultimum clausit. Hoc vidit oculis & illum novit, & credit etiam suum dictum in Instrumentis publicis fore commendatum. Hic vir nobilis valde bonæ vitæ præsumitur: nam licet nobilem habeat uxorem, tamen legit Horas Canonicas, ut Presbyter: hoc nos tres Notarii infrascripti experientia sumus experti. *Denique* Nesa Pedefusz, *Testis* CLX, virgo in castitate vitam ducens, annorum LV, quæsita de sanctitate Wernheri pueri, dicit quod quidam Pastor ecclesiæ Bacheracensis, dictus Joannes Rummel, Militaris, nobilis genere & moribus, fuit in quadam comitiva ambasiatæ Ducis Gelrensis: & veniendo de Mediolano, inter Pinguiam & Bacheracum, quidam satellitii lusor S. Wernhero maledixerit: & subito orta tempestate, Rhenus tantum se inspumaverit, quod spes vitæ navigantium non fuerit: prædictus D. Joannes Rummel votum S. Wernhero voverit, & tempestas cessavit, & ea vidente votum persolvit. Item quod alius lusor in Bacheraco blasphemaverit puerum sanctum; sed infra triduum latera ejus & etiam viscera usque ad pulmonem consumpta fuerunt: & hodie habeat nepotes in Bacheraco.

famulum sutoris,

lusores duos.

D

CAPUT VII.

Syllabus Testium reliquorum hactenus non expressorum.

60 **H**Actenus eorum collegimus verba, qui singulare aliquid ad Sancti pueri honorem deposuisse noscuntur: alii solum in genere Martyrii veritatem, sanctitatis certitudinem, perpetuitatem cultus & miraculorum frequentiam testando confirmarunt, quibus tamen ne pereat memoria religioni ipsorum debita, congruum duximus eorum nomina sub aspectum ponere, eo quo testati sunt ordine.

Testis V Paulus Cemp annorum LXV.

VI Gerardus Knebel de Catzenelebogen, filius olim Theodorici Militis, annorum LXX vel quasi.

E

VIII Petrus Durman, annorum centum vel quasi.

XIV Stephanus Brunig, frater Testis XIII, annorum L vel quasi.

XVI Heymericus de Spangenborg Maguntinensis diœcesis, doliator, annorum LXII & ultra, moram traxit in Bacheraco per longa tempora.

XIX Joannes Moer senior, alias Morlene, annorum LXXXV & ultra, fere coævus Testi XVIII & fuit secum in conflictu suprata*cto num.* 26.

XXI Joannes Scheleweck, annorum LXV.

XXV Emmericus Halzabe de Stega, LXX annorum.

XXVI Jacobus Seckeler de Stega, senior, annorum LXXIV vel circa.

XXVII Petrus Kune de Stega, LXIV annorum & ultra.

XXVIII Heynricus Fudersach, Militaris, commorans in Stega, quinquaginta annorum & ultra, inter duodecim nobiles consilii Bacheracensis unus.

XXXI Heynricus Elias de Stega, LXX annorum, & ultra, prædives.

XXXIII Joannes Elias, XXX annorum de Stega, Scabinus Bacheracensis.

E

XXXIV Joannes Salcziger, dictus Port, de Stega, annorum XL & ultra.

XXXV Nadis Swab, oppidanus Stegensis, dives, annorum L vel quasi.

XXXVI Heynricus Keyser de Stega, annorum LX & ultra.

XXXVII Hans Hardube, oppidanus de Stega, annorum LX & ultra, competenter dives.

XXXVIII Nicolaus Ickus de Stega, annorum L & ultra.

XL Petrus Herbord oppidanus Stegensis, LXXX annorum & ultra.

XLVIII Joannes Heyneczman de Nauwen LXXX annorum vel quasi.

XLIX Jacobus Seckeler, oppidanus Bacheracensis, filius antiqui Sculteti ibidem, annorum LX & supra.

LI Joannes Duchscherer, oppidanus Bacheracensis.

LII Joannes Cutting, oppidanus Bacheracensis, familiarisque in theolonio illustris Principis Ludovici Comitis Palatini Rheni Ducis Bavariæ &c. LXXX annorum vel circa.

LIII Cumanus Lupoldi oppidanus Bacheracensis, supprovisor theolonii Domini Ducis, annorum LX vel quasi.

LIV Smicz Henselin, de Argentina, oppidanus Bacheracensis, & provisor principalis prædicti Domini

A Domini Ducis in theolonio Bacheracensi, annorum quinquaginta vel citra.

LVII Joannes Moer, oppidanus Bacheracensis; annorum LX vel citra.

LVIII Wilhelmus Folcz, LX annorum vel citra, oppidanus Bacheracensis,

LIX Crismannus Trutz, oppidanus Stegensis, L annorum.

LX Heynricus Surwin, annorum L & ultra, oppidanus Bacheracensis.

LXI Joannes Pyl, de Altavilla Maguntinensis diœcesis, oppidanus in Nurayt, infra limites Bacheracensis ecclesiæ per XXXVI annos commoratus: Rusticus laborator est.

LXII Joannes de Crucenach, Maguntinensis diœcesis, L annorum, oppidanus Bacheracensis.

LXIII Joannes Sonnenschyn, oppidanus in villa Windespag infra limites Bacheracensis ecclesiæ, concordat cũ proximo teste; ultra requisitus, rusticaliter respondit, se non multa curare ultra vasa sui laboris.

LXIV Petrus Widerait, oppidanus Bacheracensis, jam electus per Dominum Ducem in Consularem inter duodecim cives consulares consilii Bacheracẽsis.

B LXVII Joannes de Schonenburg, XL annorum, Burggravius castri Palatinatus in medio Rheni, inter Cubam & Bacheracum.

LXVIII Petrus Sluch, familiaris in Cubensi theolonio Domini Ducis, annorum XXX & ultra.

LXIX Joannes de Boel, Cellarius Domini Ducis in Bacheraco, ibidem uxoratus, LXIV annorũ & ultra.

LXX Ingebrant de Pinguia, Maguntinensis diœcesis oriundus, L annorum & ultra, oppidanus Bacheracensis, satis habens in bonis.

LXXI Petrus Dym, Scabinus tam sanctæ Synodi quam Judicii Bacheracensis,

LXXIII Heynricus Fudersack, Militaris, Armiger, unus ex duodecim nobilibus Consulibus consilii Bacheracensis.

LXXIV Jacobus Ortrud, unus de duodecim Consulibus inter cives consilii Bacheracensis,

LXXVII Jacobus Goltsmit, XL annorum & ultra, oppidanus Bacheracensis.

LXXXIV Ewaldus, oppidanus Bacheracensis, cum loci ditioribus, LX annorum.

LXXXV Joannes Cellerarius Domini Ducis in castro Furstenberg, LX annorum.

LXXXVI Heynricus Busz, oppidanus Bacheracensis.

LXXXVII Joannes Munczenhemmer, Advocatus in Diepach & Scabinus sanctæ Synodi Bacheracensis.

LXXXVIII Nicolaus Norrysz, oppidanus Diepachcensis & utriusque Sedis Bacheracensis Scabinus, tam spiritualis quam secularis.

C XC Bombsz de Leyhen, Militaris de Diepach.

XCI Goecz de Mannebach, dictus Geweldiger, Consul unus inter duodecim civiles Bacheracenses, LXX annorum.

XCII Gerardus Henselin de Diepach, Scabinus Bacheracensis, annorum LX.

XCIII Petrus Gysel, septuagenarius, oppidanus in Mannebach.

XCIV Petrus Strack, unus de potioribus & ditioribus Mannebachensibus.

XCV Arnoldus Dieczman, Militaris LX annorum, Scabinus sanctæ Synodi & inter nobiles unus de duodecim Consularibus Bacheracensibus.

CII Hans Zymmerman, Magister fabricæ oppidi Cubensis.

CIII Nicolaus Smidt, oppidanus Cubensis, LX annorum,

CIV Petrus Nesen, oppidanus Cubẽsis LXX annorũ.

CV Petrus Schyrmer, LXX annorum, oppidanus Cubensis.

CVI Antonius Plecz, oppidanus & Consul in Cuba, Ex MS.

CVII Joannes Dorenkemer de Mannebach, unus de duodecim Consulibus civibus cõsilii Bacheracẽsis.

CIX Catharina Waimpsch, vidua Bacheracensis, annorum XLVI vel circa.

CXII Margareta Kesen, vidua Bacheracensis annorum LVII.

CXIII Margareta Moers, uxor Joannis Moers, LIV annorum vel supra.

CXIV Elisabeth Roictgins, vidua Bacheracensis, LXX annorum vel circa.

CXXII Catharina Truttmas LXVI annorum vel circa.

CXXIV Elisabeth uxor Monachi, laici. Stegensis, LXX annorum.

CXXV Catharina Hunneh, LXV annorum.

CXXIX Sophia Militaris uxor nobilis viri Heynrici Fudersack de Stega, XL annorum vel quasi, nata de Hachsteyn Maguntinensis diœcesis.

CXXXI Odilia, vidua Bacheracensis, nata de Heymbach, annorum L & ultra.

CXXXII Elisabeth uxor Altmanni Bettendorff, supremi Camerarii Domini Ducis, &c. inter nobiles duodecim Consulares consilii Bacheracensis, unius, satis annosa.

CXXXIII Elisabeth, uxor Joannis de Boel, Cellerarii Domini Ducis, oppidani Bacheracensis, LX annorum & ultra. B

CXXXIV Agnes, uxor Bertolfi dicti Becker, LX annorum & ultra.

CXXXVI Christina, uxor legitima principalis Notarii D. Ducis & ejus theolonii Bacheracensis, XL annorum, honesta & devotoria.

CXXXVII Elisabeth, uxor olim Joannis Dudenhorn, D. Ruperti divæ memoriæ Romanorum Regis Camerarii, & Consulis oppidi Bacheracensis, nunc vidua XLV annorum, laudabilis matrona & vivens de propriis.

CXXXVIII Catharina, uxor Joannis Prum, LX annorum vel quasi, competenter dives, & matrona honesta devotoria.

CXXXIX Catharina, uxor Joannes Selig, XXX annorum & ultra.

CXL Elisabeth, uxor Joannis Busz, Scabini Synodalis & Judicii Bacheracensis, matrona honesta, LX annorum vel quasi.

CXLIV Agnes, uxor Antonii Plecz, XVI annorum & ultra, nata de Stega, filia fratris Domini Pastoris Bacheracensis.

CXLV Margareta Glesers, mulier Deo dedita & devota, quæ sua jam delegavit ad divina post mortem, & est septuagenaria. E

CXLVI Agnes Gysels, LX annorum, uxor Petri Gysels, oppidana in Mannebach.

CXLVII Agnes Rathen, virgo in possessione, XL annorum vel supra.

CXLVIII Agnes Wernheri, virgo annorum L.

CLI Catharina dicta in Zendehuse, virgo, LXXX annorum.

CLVI Ida, filia Madis Smids, virgo LX annorum & ultra.

CLXI Gertrudis Dorffmans, virgo abstractæ vitæ, LX annorum.

CLXV Margareta de Mannebach, virgo in clusa montis B. Mariæ in Heymbach infra limites ecclesiæ Bacheracensis, communem vitam cum aliis ducens consororibus, XXIV annorum.

CLXVII Catharina de inferiori Heymbach, XXXIV annorum vel supra.

CLXXIII Gertrudis, filia Stephani Prume, Advocati antiquioris, cum patre in decrepita ætate constituto, virgo Deo serviens.

CLXXIV Gecza Stegs, virgo L annorum & supra, de

EX MSS. de Stegá, stans cum propria matre decrepitæ ætatis.

CLXXV Agnes Folmans de Stega, virgo XL annorum vel circa.

CLXXVI Amelia, filia olim Domicelli Wernheri Knebel, admissa absque juramento, quia sanctimonialis.

CLXXVII Domicella Elisabeth, Soror jam dictæ Monialis.

CLXXVIII Domicella Carisma, soror jam scriptarum duarum Testium, virgo stans cum matre, Teste CXLIII: & quia hæ Testes trigesimum non excedebant annum, singulariter singula non sunt ab iis requisita.

CLXXIX Margarita Kelners, virgo LXXX annorum devotoria & eleemosynaria.

CLXXX Barbara Schonweders de Mannenbach, virgo XLVI annorum vel quasi.

CAPUT VIII.
Processus Oratorum circa Clerum; hujus responsa.

B

Ex parte Comitis Palatini.

61 ITem anno, die & loco quibus supra in principio. In mei & aliorum conscriptorum Notariorum publicorum, venerabiliumque testium, & magna multitudine hominum ad hoc specialiter vocatorum & per pedellum citatorum præsentia personaliter constituti, magnæ circumspectionis viri Heynricus Wolf militaris, Burggravius & Vice-Dominus gloriosi & illustris Principis & Domini D. Ludovici sacri Romani Imperii Archidapiferi, Comitis Palatini Rheni & Ducis Bavariæ inclytissimi, districtus parochiæ Bacheracensis; nec non Joannes de Laudenborg, Notarius theolonii Bacheracensis, & jam tacti inclyti Principis, & nomine ejusdem, in præsentia venerabilis & circumspecti viri, Domini Winandi de Stega, Decretorum Doctoris & Pastoris Bacheracensis, interrogarunt, quæsierunt diligentius, & inquirebant à subscriptis discretis viris & Dominis, scilicet Joanne Fudersack SS. Petri & Pauli, Joanne Kiese seniore, Joanne Dommer S. Nicolai Episcopi Capellæ S. Annæ Stegensis, nec non à Joanne Kelver S. Joannis, Joanne Trutman S. Barbaræ, Heynrico Dorenkemmer B. Mariæ, Joanne Kiese juniore S. Nicolai, Jacobo Mantel S. Michaelis, Joanne Besieher S. Catharinæ, Jacobo Schieszer S. Margaretæ, altarium Ecclesiæ Bacheracensis Vicariis, quisnam eorum esset superior & Judex immediatus. Qui unanimiter & consona voce respondebant; quod ex antiqua & præscripta consuetudine, & diversorum antiquorum instrumentorum ex munimine, nec non Regali scilicet Divæ memoriæ Domini Ruperti Romanorum Regis inclytissimi semper Augusti provida de consensu Cleri ordinatione, immo verius nova approbatione vel collaudatione, ipsorum superior & collator omnium ipsorum beneficiorum districtus Ecclesiæ Bacheracensis ordinarius, pro nunc esset prælibatus Dominus Winandus Pastor Ecclesiæ Bacheracensis, prout sui antecessores fuissent usque in præsens, à tanto tempore, cujus initium non sit in memoria hominum: habeatque idem Dominus Winandus eis præcipere, mandare, inhibere, & caussas eorum, non solum eorum, sed etiam Prioris & Conventus in Windspach infra limites ecclesiæ Bacheracensis, discutere, non solum inter eos, sed etiam inter eos & Laicos; adjuncto sibi, dum caussa Laicos concernit, Burggravio Bacheracensi, prout hæc instrumentis & Regalibus litteris plenius continentur, & de consueto inviolabiliter obtentum sit usque in præsens. Quæ & nos tres Notarii hic subscripti pro nobis etiam recognoscimus, quia altaristæ & subditi supratacti Domini Pastoris, etiam ab ipso Burggravio interrogati.

interrogatus Clerus Bacheracensis

C

cujus obedientiæ subsit

& respondens quod D. Pastoris,

D

62 Qua quidem responsione, ut præmittitur, facta, idem Heynricus Burggravius cum Joanne Notario, loco & vice suprascripti Domini Ducis Ludovici, requisiverunt supradictum Pastorem, sub præstitis fide & juramento sæpescripto Domino Duci, quod ipse, super præscriptis punctis, suorum Vicariorum, & singulariter à singulis, ad hæc, ut moris est, per campanarium convocatis, recipiat promissiones & juramenta, de veritate dicenda & falsitate evitanda. Qui quidem Dominus Winandus, præmissa protestatione quod hæc in præjudicium sui diœcesani non faceret, nec facere intenderet quovis modo; sed solum tamquã obedientiæ filius sui naturalis Domini hæc faceret, ad Dei Omnipotentis gloriam & sinceræ veritatis indaginem; recepit à singulis prædictis Vicariis promissiones & juramenta de clara veritate dicenda, quantum eis & quid constaret de inquirendis ab ipsis & ab eorum quolibet. Puncta autem, per ipsos Burggraviũ & Notariũ ipsis assignata hæc sunt. Primo quid sciant de vita, martyrio, morte, repositione S. Wernheri, de structura novæ Capellæ ejusdem sancti Wernheri, & de antiquis miraculis, & conscriptione eorumdem, & de novis miraculis etiam quotidialiter coruscantibus ab eodem; & ceteris circumstantiis, ad indaginem hujus facti pertinentibus.

ab hoc compellitur ad juramentum

de veritate dicenda præstandum,

E

63 Et primo Dominus Joannes Fudersack *Testis* CLXXXI, juratus, receptus, admissus & examinatus, sexaginta annorum, non excommunicatus, aut crimine irretitus famoso, satis abundans in tẽporalibus, nihil lucri seu emolumenti sperans, at solum Deum & ejus gloriam præ manibus retinens; primo dixit, quod non solum esset publica vox & fama; sed tamquam sincera veritas à suis parentibus, & etiam cuncto populo, clericis & laicis; à vita S. Wernheri usque ad eum, & ad tempora divulgata, quod ipse beatus puer S. Wernherus, de Wammerayt, villa Treverensis diœcesis rustica stirpe fuerit ortus, puer simplex & pius: quodque ipsa die cœnæ Domini in Wesalia fuit communicatus, & ab impiis Judæis crudeliter martyrizatus, in eo quærentibus Christi Corpus: verum quod dum habere non poterant, suam sævitiam converterunt in Corpus Christi mysticum, scilicet puerum sanctum, & ipsum suspenderunt ad statuam; quæ hodie in Wesalia Treverensis diœcesis, in capella sancti Spiritus, à cunctis in non modica habetur reverentia: & ibi eumdem sanctum puerum occiderunt, prout hæc in Legenda antiqua ejusdem Sancti, pro tunc in omniũ præsentia producta, in primo & ultimo foliis pargameneis, Antiphonis, & valde multis Responsoriis, vetusta littera cum dulci harmonia in papyro conscriptis plenius continetur, ad quam etiam se refert.

Primus testatur

S. Wernheri nativitatem

martyrium,

F

64 Quæsitus, quare nominetur S. Wernherus, & unde sciat eum esse Sanctum; respondit, quod non sciat nisi ex relatu progenitorum, cum hæc non viderit; sed firmissime credat eum Sanctum, cum pro tali ab omnibus incolis, clericis & laicis, per omnia tempora vitæ ipsius loquentis testis, fuerit habitus, tentus, & taliter nominatus. Et semper etiã ante quadraginta annos vidisset positas candelas à probis hominibus supra sepulcrum suum; quandoquidẽ sepulcrum & structura pretiosissima novæ capellæ circum capellam S. Cuniberti sint suæ sanctitatis maxima indicia. Quæsitus, unde hoc: respondit, ob id & ex eo, quia in capsa quercina, inter ferramenta securissima supra terra, sic quod etiã canis inter tumbam & terrã currere posset, illud venerabilissimum corpus fuerit venerabiliter positum: & manus ejus dextera deargentata fuerit caute supra tumbam posita, quæ hodie

Sanctum appellarit

candelas accendi,

corpus ejus decentem,

A hodie in ministrantia monstratur aurea. Hujus Depositionis honorem non credit alicui Principi fieri. Item quæsitus, unde ex capella nova ejus credat veriorem sanctitatem, dicit ex hoc luculenter apparere, quia ipsa capella post ejus martyrium pretiosissime fuerit inchoata, & ob ejus structuram forte altare minoris capellæ, scilicet S. Cuniberti, fuerit destructum, & de novo, ut ad oculum apparet, cum nova structura erectum, & per Reverendum Patrem Dominum Hermannum Episcopum Sambiensem, in Pontificalibus tunc Domini Sifridi Archiepiscopi Coloniensis Vicarium, de novo consecratum; etiam de expresso mandato Archiepiscopi Treverensis, adhibitis consuetis Indulgentiis ad eamdem structuram fiendam, prout in littera prædicti Domini Episcopi consecrantis tenetur; ad quam se refert.

Sacellum constructum,

Indulgentias datas.

65 Quæsitus anne alias causas sciat sanctitatis ejusdem S. Wernheri, respondit quod sic. Prima est, quia olim Dominus Petrus Archiepiscopus Maguntinus, circa triginta annos post passionem ejusdem S. Wernheri, ad illam capellam sic erectam & pro ejus consummatione, elargitus fuerit quadraginta dies Indulgentiarum, accedente consensu Ordinarii saltem. Quodque has Indulgentias Ordinarius pro tunc, scilicet Baldewinus Archiepiscopus Trevirensis suis litteris roboravit. Item ex alio, quia ad structuram novæ capellæ ejusdem, scilicet biennium circa post Martyrium ejusdem Sancti, duo Archiepiscopi & decem Episcopi, ut verius credit, ad consummationem ejusdem operis, suas mellifluas porrexerunt Indulgentias; quas etiam Reverendus Pater Boemundus, olim Trevirorum Archiepiscopus confirmavit, prout in sigillatis litteris omnium prædictorum Archiepiscoporum & Episcoporum, hodie apud S. Wernherum contentis, clarissime continetur; ad quorum tenorem se refert. Quæsitus, anne aliquas alias causas sanctitatis ejusdem beati pueri fore sciat, dicit, quod circa epitaphium S. Wernheri pendeat, valde antiquæ, grossæ, & textualis litteræ, plusquam centum annorum ut credit, tabula; quam etiam viderit ibi pendentem præ quinquaginta annis; in qua, ut credit, nonaginta floridissima miracula diligenter & solicite sint conscripta; & quod illius tabulæ sit exemplum in cista S. Wernheri, simili littera conscriptum, cum tabula in tenore concordans, & ut credit in senectute, licet appareat novius, forte propter ejusdem inclusionem. Item dicit ibi semper pependisse, & hodie pendere unam antiquam tabulam, ejus vitam, miracula & sanctitatem vulgariter continentem. Item quod hodie ostendatur cultellus deargentatus, cum quo ipse puer fuerit occisus.

B

miracula facta,

C

66. Quæsitus, utrumne sciat alia miracula: respondit, quod viderit Dominum Joannem Hunczerich, contractum in ambabus manibus, amarissime plorantem ob id quia Missas legere non poterat, adductum ad S. Wernherum, per Stephanum Prume seniorem Advocatum hodie superstitem, & Dominum Henricum Beren, & Dominum Bertholdum Presbyteros cum multitudine Cleri & populi; mox facta oblatione & oratione integræ sanitati restitutum, & postea omni die ascendisse ad ipsum S. Wernherum, qui ipsum sanum præservaverit pluribus annis, quibus Missis & aliis Divinis Deo fideliter servierit & S. Wernhero; etiam illud altare ante sepulcrum S. Wernheri usque ad finem vitæ officiaverit. Et etiam retulit de plurimis miraculis, per jam proximum triennium factis, quæ sunt multa magna nimis, ut in mente retinere non possent; sicque varia, quod de variis ceræ peciebus, miraculorum intersigniis, sint plusquam decem centenarii, immo plusquam quindecim conglobati; luceatque ibi jugis candela, & sint copiosissime circa ipsius Sancti mausoleum cereæ pecies, nec non compedes & manicæ de ferro fortissimæ: immo tam vulgaris sit ipsius sanctitas & sanctitatis possessio, sic ut fas esset dicere, quod ipsa transcenderet omnem præscriptionem, etiam centenariam. Immo firmiter credit, si aliquis infra limites ecclesiæ Bacheracensis B. Wernherum astruere vellet non Sanctum, generaret in Clero & populo maximum scandalum; & forte tantam seditionem, quod lapidibus obrueretur, propter tam multiplicia & varia ipsius beati pueri præclarissima miracula, quæ pluribus patent publicis instrumentis, ad quæ se refert. Conductum, circumventum, subornatum, aut alias quovis modo instructum seu coactum se penitus negat; sed hæc simpliciter facere seu deposuisse ad gloriam Dei & ad exaltationem sanctæ fidei; ut sancta Apostolica, nec non Treverensis Sedes, super præmissis se plenius valeant informare.

Presbyterum à se visum, contractum, & sanatum:

anathemata appensa.

D

nefas esse si dubitetur de sanctitate.

67 *Huic depositioni congruunt responsiones reliquorum de Clero, ex quibus jam antecedenter nominati à nobis sunt Testis* CLXXXIII, V, VIII, IX *ac* CXCV *&* CXCIX; *tum* CCI, III, IV, V; *ceteri his nominibus ordinate testimonium dixere, videlicet*

Ceteri testes ex Clero,

E

CLXXXII Joannes Kelner, notabiliter ultra quinquaginta annos.

CLXXXIV Joannes Kiese junior, XXVII annorum, Altarista ecclesiæ Bacheracensis.

CLXXXVI Jacobus Mantel, XXXVI annorum, Altarista capellæ S. Michaelis subtus structuram S. Wernheri.

CLXXXVII Jacobus Schieszer, Altarista ecclesiæ Bacheracensis, XXXV annorum vel citra.

CXC Jacobus Sliechtingh, XL annorum, Presbyter Altarista ecclesiæ in Diepach, positus sub Pastoris obedientia.

CXCI Nicolaus Ennelin, L annorum, in Mannebach Beneficiatus, subditus Pastoris Bacheracensis.

CXCII Conradus, Altarista S. Catharinæ in Diepach, de obedientia Pastoris Bacheracensis.

CXCIII Henricus Dorenkemmer, Altarista ecclesiæ Bacheracensis, XXVI annorum.

CXCIV Gemperlin, capellæ B. Mariæ Virginis in monte Heymbach Rector, obedientiarius Pastoris Bacheracensis, non credit excedere XLV annum.

CXCVI Joannes Margborg, Plebanus in Diepach, subditus Pastoris Bacheracensis, L annorum vel quasi.

CXCVII Henricus Richhere, Altarista Bacheracensis, XL annorum.

F

CXCVIII Joannes Aulpurg de Meysenheym, Altarista S. Judoci, sub obedientia Pastoris Bacheracensis, XXX annorum.

CC Joannes Schonweder, de Mannenbach, Presbyter infra limites ecclesiæ Bacheracensis, annorum XL.

CCII Joannes Cappellanus in Bacheraco, Magister in Artibus, familiaris Domini Pastoris, XL annorum vel quasi.

CCVI Petrus Pistoris de Diepach, Cellarius domus in Windspach sive S. Wernheri annorum XXXVI, de mandato sui Prioris juratus.

& Fratres ex Windspach;

CCVII Tilmannus Finkeler, Frater Sacerdos ejusdem domus annorum XXXVI & ultra.

CCVIII Jacobus Caldarificis de Diepach, Frater ejusdem domus, annorum XXVI & ultra.

CCIX Joannes Falendail, Frater ejusdem domus, XXII annorum vel circa.

CCX Nicolaus Angeli de Keiserfluteren, Spirensis Diœcesis, Frater ejusdem domus, L annorum & ultra.

68. Finaliter *Testis* CCXI, D. VVinandus de Stega

EX MSS.

Stega decretorum Doctor Pastor Bacheracensis, non juratus (cum superiorem adhoc præsenté dixit se nõ videre) sed alterius intuitu, videlicet Domini Ducis, per Consulare juramentum, quod eidem, tamquam suo vero Domino naturali & in temporalibus Superiori, præstitit: requisitus super singulis punctis, quæ optime novit; respondit seipsum credere illa infallibiliter fore vera. Sic pia veritas se habet erga quam plures Sanctos, de quorum litterali canonizatione non constat. Ipse enim dixit se perlegisse crebrius multas antiquas historias de martyrio hujus Sancti, & remittit se ad illas. Et præ quinquaginta annis vidit terræ motum circa sepulcrum hujus Sancti, Sancto immoto, licet sepulcrum sit supra terram, & terra petra solidissima, cum lapidibus quadratis strata, quæ tamen in prærupta fuissent mota. Item ipse ad dubitationem & instantiam Magnatum cum aliis, quæsivit Sanctum in tumba; & ipsum in suo sanguine reperit, prout desuper historia cànit, & plura publica instrumenta. Item constant sibi multa miracula, in hoc Processu instrumentaliter conscripta, ad quæ se remisit.

Pastor allegat antiqua Acta.

sepulcrum in terræ motu immotum,

miracula in Processu conscripta.

69 Quæsitus, an ipse eum colat pro Sancto: dicit, quod ipse cum suis subditis publice non ipsum colat, propter præceptum Apostolicæ Sedis (& loquitur de suis Clericis) in privato vero honoravit & honorat eum, & credit eum Sanctum, propter Christum in eo quæsitum, in eo passum, & ipsum passum propter Christum. Immo ipse vidit eum honorari plusquam à trecentis millibus hominum, spatio quinquaginta annorum, à Cardinalibus, Archiepiscopis, omnium facultatum Doctoribus, Principibus, Comitibus, Nobilibus, & quod plus est ab omni conditione & sexu hominum. Quæsitus, quid emolumenti habeat inde; dixit hoc fore suum emolumentum, quod ab antiquo consuevit habere sexaginta vel centum florenos in oblationibus Missarum à subditis suis & schola; nunc vix habeat triginta florenos, quia offerant ibi gratia Indulgentiarum. Quæsitus, quid de ibi oblatis loco Canonicæ portionis accipiat; respondit, quod penitus nihil, propter duas causas. Prima est avaritiæ, quia notaretur ab omnibus vicinis, & etiam à Principe, sine cujus favore & protectione suum statum ibi tenere non possit. Secunda causa & fortior, si ipse Canonicam habere vellet portionem, statim structura illius nobilissimi operis postponeretur; & sic ipse Pastor frustraretur suo fine, qui est, quod ille, Sanctus, coruscans tot & tantis miraculis præclarissimis, canonizetur; summum Altare illius Nobilissimæ capellæ, in honore Trinitatis, B. Mariæ Virginis & Sanctorum utriusque Joannis; ac illius B. Wernheri dotetur; & omni die una Missa cum nota summo mane de Christifera beatissima celebretur; ut ex hac dotatione & aliis jam præmissis ipse Pastor summum finem capere valeat sine fine.

B

vidit eum honorariá 300 millibus hominũ,

intendit cultum promovere

C

CAPUT IX.

Attestatio magistratus Wesaliensis, & Conventus Wilhelmitarum: & Notarialis Processuum transcriptorum fides.

70 P*rocessui Bacheracensi confirmando accessere postremum publica duo instrumenta; primum sub hoc titulo.* Recognitio Communitatis oppidi olim Imperialis Wesaliensis superioris, *hujusmodi tenore*; Nos Scultetus, Scabini, Magistri civium, & Consules Oppidi & Communitatis Wesaliensis, Trevirensis Diœcesis, tamquam veri Christi fideles & sub fide ejusdem, præsentium sub tenore publice recognoscimus, quod per publicam & notoriam vocem & famam, palam à nostris progenitoribus, à tempore cujus memoria nunc hominum viventium non est, usque ad nos delatum, aperte auditum sit & scriptis manifestatum, beatæ memoriæ Wernherum adolescentulum de villa Wammerayt ortum sumpsisse, & in septimana pœnosa ab infidelibus Judæis, in nostra prædicta civitate, in quodam cellari prope capellam sancti Spiritus miserabiliter passum & interfectum fuisse: ipsumque deinde deductum usque ad Windspach super Bacheracum, & ibi absconsum rursumque manifestatum, & in Bacheraco (ubi nunc jacet) honorifice sepultum fuisse; & sub ejus nomine nobilem capellam ibi inceptam. Fuitque idem Wernherus ex tunc, à multis progenitoribus nostris & vicinis circumcirca; ut Hungaris, Sclavis &c. pro sancto & Christi Martyre tentus & veneratus; & sic veneratur in præsens ab innumeris hominibus, non solum in Bacheraco ubi requiescit, sed & in diversis mundi partibus, prout communis docet experientia; imo & nostro oppido præfato statua suæ tormenturæ à variis gentibus honoratur, in tanto honore, quod incisa particulatim, multa millia petierum ejus ad diversa regna cum veneratione sunt deportata; & ipsa statua in tantum diminuta, quod nos, ne in totum deportaretur, ipsam asseribus communivimus, ne incidi posset ulterius. In cujus rei evidens & verum testimonium, sigillum secretum civitatis nostræ præfatæ præsentibus duximus appendendum, sub anno Domini millesimo ccccxxviii die B. Catharinæ Virginis & Martyris.

Communitas Wesaliensis testatur.

D

in sua civitate interfectum,

pro Martyre à suis & aliis habitũ:

E

71 *Posterioris instrumenti* (*nam* signum Joannis Hoffman *de miraculo in se facto, quod hic inserebatur, dedimus post Historiam miraculorum*) *titulus hic erat*: Recognitio domus Windspach alias Furstentayl; tenor *vero ut sequitur*: Nos Philippus, Prior & totus Conventus cœnobii a Furstentayl, prope Bacheracum Trevirensis Diœcesis, alias S. Wernheri, juxta inferioris provinciæ denominationem, Ordinis S. Wilhelmi, pro futurorum memoria sub veritate nostræ professionis, prout ad nos ex antiquorum relatione, fama, publica veritate, & litteris quamplurimis, per authenticos & sigillatos, quibus etiam stabiliti sumus, pervenit; tenore præsentium recognoscimus, quod B. Wernherus Bacheraci in monticulo in antiqua capella S. Cuniberti, circumdata nova pretiosissima capella requiescens, non multa distantia à nostro cœnobio, huc usque per continuos centum annos & notabiliter ultra, venerabiliter ab omnibus incolis & innumeris exteris pro Sancto & Christi Martyre, multimodis miraculis & altissimis coruscante, in tribus locis, scilicet in nostro cœnobio, in Bacheraco, & in Wesalia, suæ gloriosissimæ palmæ loco, Trevirensis Diœcesis venerabiliter est veneratus, cultus, & pro tali ab omnibus tentus: prout in Wesalia, ab antiquo Imperiali civitate, litteris ac sigillis ejusdem civitatis, ac statua ejusdem passionis in capella sancti Spiritus, & suum corpus in Bacheraco, & sui corporis absconsio apud nos tempore suæ passionis, notorie & publice attestantur. Imo, quod plus est, nostrum cœnobium ab ejus passione & sanctitate denominationis suæ sumpsit exordium, ut claret diversis litteris præclarissimorum Principum Rheni, Romani Imperii Electorum. Nam anno secundo ejus martyrium subsequente, pro ipsius honore, fundati sumus, & à multis Principibus, ob reverentiam ejusdem Martyris sumus stabiliti, & tandem per Nicolaum quartum confirmati. Imo firmiter credimus, quod magnum scandalum, seditionem & schisma generaret in Ecclesia Dei, si tam præclare sancti-

Prior & Conventus S. Guilielmi in Windspach.

F

testatur venerationem antiquam tribus locis,

qua martyri [illegible]

A sanctitatis signis homo refulgens, in certum poneretur dubiosum: qui pro Christo passus, & Christus in eo tanta sustinuit, quod fere tota Christi Ecclesia, eum etiam longissima præscriptione coluit pro Sancto & tenuit palam, publice & notorie. Nec credimus quod miracula, in vita facta, ruminanda sint in Martyribus, pro Christo, pro justitia aut libertate Ecclesiæ passis, sicut in Confessoribus; cum passionis in his sufficiat humilis tolerantia, ut patet Legendas Martyrum inspicientibus. Unde concludendo credimus & pie profitemur, illum puerum piissimum S. Wernherum, canonizatione Apostolica, propter ejus sanctitatem & miracula præclarissima, esse dignissimum: & si secus fieret (semper salva determinatione Apostolicæ Sedis) formidaremus scandalum in Ecclesia Dei affuturum. Unde nostræ administrationis, prioratus & conventus sigilla sunt appensa, anno Domini MCCCCXXIX, die vero XIV mensis Februarii.

Subscribunt Notarii publici Imperiali auctoritate Thomas Cube, 72 *Hactenus præclarissimus Codex, textuali firmæ constitutionis litterâ totus conscriptus; sequuntur propria ac currenti singulorum Notariorum manu exarata eorumdem subsignationes; digna integre referri, quia singula motivum continent speciale: tantum loco signi notarialis substituemus ✠, sic autem sonant.* ✠ Et ego Thomas Cube de Bacheraco, Clericus Trevirensis diœcesis, publicus Imperiali auctoritate Notarius, quia præmissis, solenni perorationi, Cleri & populi congregationi, instrumentorum, monumentorum, & aliarum litterarum authenticarum multifariarum & aliarum testimonialium litterarum ac historiarum successivæ productioni, & pene omnium testium examinationi præsens interfui; & ea omnia, vel maximam eorum partem, cum aliis Connotariis, aut eorum majore parte, ac multis fide dignis testibus, sicut præscriptum est, fieri vidi & audivi, & relationem multorum signorum præclarissimorum illius sancti beatissimi pueri in notam assumpsi; & ipsum pene ab omni genere hominum, utroque sexu, & omni conditione, ac diversis gentibus pro Sancto palam, publice & notorie venerari vidi: ideoque, cum appensione authenticorum sigillorum, Ecclesiæ Bacheracensis scilicet & vallium Rheni, quibus in arduissimis utuntur causis, certa collatione facta omnium monumentorum hic insertorum, & per alium fideliter conscriptorum, riteque & diligenter collationatorum; his codicibus, diligentissimi de folio ad folium b concatenatis, me subscripsi, in fidem & evidentissimum testimonium omnium & singulorum præscriptorum, in laudem Omnipotentis Dei, suæ Matris, totius Curiæ cælestis, & saluberrimum Ecclesiæ Christi Redemptoris incrementum.

B

C

Joannes Ausburg, 73 ✠ Et ego Joannes Auspurg de Meisenheim, Clericus Moguntinæ Diœcesis, publicus Imperiali auctoritate Notarius. Quia præmissis omnibus & singulis secundum modum & formam quam tangit proximus Connotarius suprascriptus, una cum aliis Notariis & testibus præsens interfui, eaque sic fieri vidi & audivi, circumspectissimam collationem omnium feci & verissimam, cum originali concordantem in quibuscumque litteris, historiis & depositionibus: ideo hunc rectissimum codicem sigillis munitum, & per omnia originalibus concordantem per alium fideliter conscriptum subscripsi, signoque & nomine meis signavi (pro gloria Omnipotentis Dei, suæ Matris, utriusque Ecclesiæ Christi, & veneratione beatissimi Wernheri) in fidem & testimonium omnium præmissorum.

Joannes Trutman, 74 ✠ Et ego Joannes Trutman de Stega, Clericus Trevirensis diœcesis, publicus Imperiali auctoritate Notarius, quia perorationi, diversarum litterarum productioni, miraculorum multorum originali collationi, & quam plurimis aliis ut testis præsens interfui; & eumdem S. Wernherum à Reverendissimis Patribus Cardinalibus, Archiepiscopis, Episcopis, Prælatis, Principibus, Comitibus, & eorum uxoribus, Nobilibus, & omnium conditionum & sexuum hominibus, in multorum millium numero, solenniter pro Sancto religiose coli & venerari vidi & audivi; si in contrarium introduceretur, credo scandalum in Ecclesia Dei generari; ideo hunc codicem, aliunde scriptum, bene tamen collationatum, compositum, & sigillis communitum, subscripsi, pro gloria Dei, legitime requisitus. *Ex MSS.*

Joannes Arbis, 75 ✠ Et ego Joannes Arbis de Wesalia, Clericus Trevirensis diœcesis, publicus Imperiali auctoritate Notarius. Quia præscriptorum munimentorum, litterarum ac scripturæ productioni, & exemplationi, & omnium supra tactorum fidelissimæ concordantiæ inventioni cum originalibus, una cum aliis Connotariis & testibus præsens interfui, & in hunc sigillatum libellum transcriptum comperi; ipsumque beatum Martyrem & Virginem S. Wernherum, non solum in Bacheraco ubi requiescit; sed etiam apud nos in Wesalia, ubi statua suæ passionis est venerabiliter collocata, in capella Sancti Spiritus honorari, & ipsum pro Sancto coli ab hominibus innumerabilibus, & pro tali cultum, tentum, & ab omnibus veneratum vidi & audivi.... c ideo hunc consignatum libellum, ut præmittitur, collationatum, & originalibus concordantem, aliunde conscriptum, cum aliis Connotariis subscripsi, signoque & nomine meis solitis & consuetis signavi, in fidem & evidens testimonium omnium præmissorum, legitime requisitus. E c

Petrus Fabiani, 76 ✠ Et ego Petrus Fabiani de Henzberg, Misnensis diœcesis, publicus sacra Imperiali auctoritate Notarius; quia præmissorum Venerabilium Illustrissimi Principis Domini Ludovici Comitis Palatini Rheni peroratorum factis, gestis, productis examinationibus, & multis & mirandis miraculis, & multorum testium productionibus & depositionibus præsens interfui; sanctumque Wernherum ab innumeris hominibus, immo innumerabilibus, pro Sancto coli vidi & audivi; imo hodie solennissime colitur permissione d Apostolicæ Sedis, & suis meritis; ita quod contrarium asserere scandalosum inEcclesia Dei produceret scandalum; ipseque frequenter inter Sanctos Ecclesiæ canonizatos tamquã Sanctus depingitur, in Wesalia loco sui martyrii, in Bacheraco & aliis multis locis cum palma & diademate; adhæcquoque hunc instrumentosum libellum optime vidi collationatum, originalibusque in tenore concordatum; ideo me subscripsi, nomine & signo meis consuetis rite applicatis, pro præmissorum testimonio et fide legitime requisitus. d F

Tilmannus Rudigeri, 77 ✠ Et ego Tilmannus Rudigeri de Bacheraco, Clericus Trevirensis diœcesis, publicus Imperiali auctoritate Notarius; quia Sanctum Wernherum inter Sanctos diademate & palma renitentem depictum multifariam comperi; præmissi catenati libelli confectioni in valde multis passibus cum aliis Notariis interfui; ipsumque cum originalibus concordantem vidi, omnes Testes vel quasi, hic receptos, cum tributis testimoniis efficaces & veridicos novi & vidi; ideo hunc codicem diligentissime examinatum & veritate fulcitum (etiam vrgente conscientia, cum dubitare de sanctitate tam præclarissimi Martyris scandalum induceret Dei ecclesiæ scandalosum) subscripsi, nomineque meo & signo signavi, cum appensione duorum sigillorum, legitime requisitus.

78 ✠ Et ego Joannes Kese de Bacheraco, Clericus

EX MSS. *Ioannes Keso*, e

cus Trevirensis diœcesis, publicus Imperiali auctoritate Notarius, quia venerabilium præscriptorum peroratorum e arengæ, propositioni, convocationi Cleri & populi, litterarum productioni, juramentorum receptioni, testium exhibitioni, historiarum ostensioni, juramentorum præstationi, & & pene omnium testium examinationi una cum ceteris Connotariis publice interfui, & ea sic fieri vidi & audivi; ideo hunc codicem, licet aliunde fideliter conscriptum, tamen per nos communiter fidelius collationatum, & de folio ad folium certis figurarum litteris f & sensibus concatenatum & duplicatum, ex requisitione prædictorum Oratorum subscripsi, & cum sigillis ecclesiæ Bacheracensis & Communitatis ejusdem munitum, signo & nomine meis solitis & consuetis, pro laude Christi, suæ Matris, & incremento ecclesiæ concernentibus tot altissimis miraculis, signavi & publicavi; (præsertim cum S. Wernherus in possessione suæ sanctitatis per centum annos & ultra fuerit; & inter Sanctos, laicorum g scriptura, sit ut Sanctus multipliciter depictus in diversis locis, cum diademate & palma; & contrarium asserere scandalum introduceret) in fidem & testimonium omnium præmissorum.

B *& cum iis Wynandus de Stegâ Pastor.*

7 Et nos Wynandus de Stega, Decretorum Doctor, Pastor ecclesiæ Bacheracensis Trevirensis diœcesis, totumque Consilium ejusdem Oppidi & vallium Rheni, quod ex duodecim constat Nobilibus & totidem civilibus personis; quia nobis limpidissime constat, omnia suprascripta esse verissima, & ipsa omnia & singula coram nobis, aut coram aliquibus non paucis è nobis fore gesta, & ut Notarii conscripserunt facta, conclusa, & perfecta, & in tres h per omnia concordantes codices fideliter conscripta, collationata, subscripta; similiq; fidelitate redacta; constetq; nobis prælucida scientia ipsum sanctum puerum, juxta seriem suarum historiarum, pro Christo, & Christum in eo passum; ipsumque in possessione hujusmodi sanctitatis ultra memoriâ omnium nunc viventium hominum, apud optimos & gravissimos, continue immo à die suæ sepulturæ, pacifice, spatio centum & quadraginta annorum usque in præsens, fuisse & esse; eumdem quoque felicem Martyrem ab omni gradu, conditione, genere & sexu infinitorum hominum in diversis locis, scilicet in Wesalia sui martyrii, in Windspach suæ absconsionis; & in Bacheraco suæ magnificæ sepulturæ, vidimus pro sancto Christi Martyre coli & devote venerari, & laicorum scriptura inter Sanctos diademaliter depingi; & multa & miranda ob ejus invocationem quotidie fieri præclarissima signa & stupenda miracula, omnem trepidationem de ejus sanctitate penitus absorbentia; in tantum ut si tam serena sanctitas verteretur in dubium, in Christi Ecclesia, in multis regnis & provinciis, pestilens induceretur scandalum: ideo ad exaltationem fidei & incrementum sacrosanctæ Romanæ & Apostolicæ Ecclesiæ, ad requisitionem supra scriptorum venerabilium peroratorum Heynrici VVolff de Spanheim, Burggravii, &c. ac Joannis Protonotarii theolonii Bacheracensis, nomine Domini nostri Illustrissimi Principis Domini Ludovici, Comitis Palatini Rheni, sacrosancti Romani Imperii Archidapiferi, & Ducis Bavariæ inclytissimi; fecimus cum subscriptione septem Notariorum, tam ecclesiæ Bacheracensis quam præmissi Consilii magna sigilla, ex certa scientia iis coappendi, pro fide præsentium & futurorum, non quærentes nisi bonorum præmium æternorum. Amen. Datum & conclusum, ac sigillatum Anno Domini Millesimo quadringentesimo vigesimo nono, in die Dominicæ Annuntiationis, i quæ fuit tam Christi quam sui Martyris VVernheri passionis. D

C

ANNOTATA.

a *Vox hæc significat* Vallem-Principum: *sed talis appellatio, licet à fundatoribus indita, numquam tamen in usum induci potuit, prævalente priori nomine & S. Wernheri veneratione, ut ex prædictis liquet.*

b *Concatenatio in hoc consistit, quod ad intimam foliorum concatenandorum oram, uno, duobus aut pluribus locis, majuscula quadam littera sic scribantur, ut pars una litteræ in ora unius folii, altera in alterius folii immediate connectendi ora itidem extrema inveniatur; & nihil auferri vel inferri possit, quin divulsis partibus fraus appareat, sive litterarum formas spectet quis, seu sensum ex litteris istis colligendum: qui sensus in hoc codice talis nascitur, litteris ordinate collectis,* AD LAUDEM IESU CRISTI, REVERENSIAM IOHANNIS ET OMNIUM CRISTI ELECTORUM AC BEATI WERNHERI, HOC STRUXIT OPUS WINANDUS, DOCTOR DECRETORUM. *Sunt autem totidem fere folia quot hic litteræ, pauca enim duas habent; sed extrema duo, ut sensus intentus absolvatur, litteris septem concatenatur.*

c *Quæ hic exempta sunt verba, leguntur supra n. 42.* E

d *Non quidem solenni illa, quæ Canonizatio dicitur: sed alia ordinis inferioris, declarata per Nuntium Apostolicum, post diligens antiqui cultus examen.*

e Arenga *seu* Haranga *allocutio est à militia ad quoscumque publicos cœtus traducta: est enim* Rang *Teutonice, ordo sive series maxime militum, cui juncta præpositio* An, *ad, facit* An-rang *unde* Anrangen *Ordines alloqui: vel potius ab* Hêr *exercitus fit* Hâr-rang *ordo militaris, ad quem habitus sermo* Haranga *dicatur, &* Harangeren *verba facere ad militem in acie positum, sicut* concio *dicitur (& hinc* concionari) *ipse sermo ad concionem habitus.*

f *Hos sensus jam expressimus.*

g *Eodem modo etiam infra loquitur Pastor, ut intelligatur id non esse factum auctoritate Cleri, hactenus à publico cultu abstinentis, populo tamen permittentis, ut quoscumque Sanctorum honores deferret Beato Wernhero.*

h *Horum unus haud dubie est Codex hic Trevirensis, ipsi forsitan Archiepiscopo destinatus, reliquorum duorum alterum Romam missum, alterum Bacheraci retentum credibile est. Et hic videtur esse Protocollus cujus infra fit mentio num. 8.*

i *Siquidem hoc anno Pascha cadebat in 27 Martii, atque adeo dies Parasceves (quo Christus passus est & VVernherus occisus passim dicitur) in diem dicti mensis 25, quæ eadem est Annuntiationis Dominica.* F

TRANSLATIO RELIQUIARUM

§ I. Digitus S. Wernheri Vesontionem deportatus.

1 Ioannes Iacobus Chiffletius, *in sua Vezontione parte 2 cap. 85, ita scribit:* Anno MDXLVIII Joannes Chuppin, Canonicus S. Mariæ Magdalenæ Bisuntinæ, digitum indicem dextræ manus S. Vernerii, clarissimi apud Trevirenses Martyris, cum parte sudarii ejusdem, ex oppido Baccaracensi Trevirensis diœcesis ad ecclesiam S. Mariæ Magdalenæ detulit, ex Joannis Trevirensis Electi & Friderici Comitis Palatini licentia. Tum Bisontini viticolæ, magna pars plebis, bonis avibus S. Vernerium Patronum sibi cooptarunt, ac sub ejus nomine & patrocinio pia sodalitas erecta est in prædicta S. Magdalenæ ecclesia. *Officium ecclesiasticum* sump-

A

sumitur de communi Martyris, Lectiones propriæ de ipsius S. Wernheri historia, quibus in ipso ecclesiæ præfata Legendario prænotatur, Kal. Januariis, *legendas esse. Credo quia hunc diem ut sibi commodiorem Sodalitas ipsa elegit.*

componuntur Vesontione lectiones novæ,

2 *Lectionibus conficiendis, prout apparet ex transcripto, per prælaudatum Chifletium ad nos misso, materiam præbuerunt notitiæ Treviris aut Bacheraco accepta: quas ita secutus auctor est, ut in ipsa historia substantia nusquam à vero aberraverit, in circumstantiis quibusdam tenuibus hallucinatus fuerit: primum quidem pro nomine* S. Cuniberti, *ejus in quam illatum corpus Wernheri est capella Patroni, substituendo nomen S. Lamberti, facili primorum ductuum alteratione: deinde eam approbationem cultus qua anno* MCCCCXXVII *per Legatum Apostolicum facta, sumendo pro absoluta Canonizatione facta à Martino Papa; cum eam præcise excludat protestatio testium, affirmantium ob tot argumenta in processu allata dignum esse Wernherum qui canonizetur. Dum autem dicitur,* anno centesimo ac vigesimo postquam sanctus Martyr Vernerius (*sic nomen Burgundis scribitur*) à Judæis interfectus, est à Martino Pontifice maximo in Sanctorum Catalogo relatus; *geminatur error, eo quod pro* CXL *vel* 140 (*quod spatium temporis inter approbationem prædictam & Martyrium Wernheri fluxit*) *visus fuerit auctor* CXX *vel* 120 *legere.*

non sine mendis,

B

per certiora monumenta corrigendis,

3 *Errorem dico, quia quamvis Bacharacensis Pastoris diligentia, quantam supra vidimus, plenam canonizationem intenderit; & Martinus Pontifex uno adhuc anno vixerit post conscriptum signatumque à Notariis monumentorum codicem: credi tamen non debet res fuisse peracta, cujus apud Bacharacenses & Trevirenses nullum reperitur vestigium. Simili errore dicitur in iisdem Lectionibus quod* singuli tanta liberalitate suas opes in ædificando templo contulere, ut opere perfecto magnificeque constructo ingens pecunia superfuerit; quam tamen Archiepiscopus quidam Trevirensis abstulit: *expresse enim Winandus pastor aliique supra causam non absoluti operis in turpem Archiepiscopi rapacitatem conjiciunt. Neque magis credibile est, in tanto Bacharacensium rem eam narrantium silentio, quod dicatur* ea pecunia cum raptoribus flumine Rheni mersa ad Bacharacum oppidum tandem pervenisse, *id est redivisse eo unde ablata fuerat: magnum enim hoc fuisset miraculi augmentum, nec minus tenaciter inhæsurum memoriæ incolarum; quam alia longe minores circumstantiæ ultionis in sacrilegos prædones exercitæ, & à testibus commemoratæ.*

C

interim ex iis constat

4 *Omissis igitur lectionibus Burgundicis, quatenus ex iis nihil discere possumus, quod non certius habuerimus in præmissis monumentis explicatum; demus hic earum partem ultimam, quæ est de digiti Translatione, atque his verbis exprimitur:* Hic itaque sanctissimus Martyr Vernerius, cum innumeris miraculis ac prodigiis ad hæc usque tempora gloriosus inclaruerit; illud sane in præcipuis habendum putatur, quod ea in provincia, ubi colitur, Lutherana peste laborante, numquam tamen desitum sit, hujus patrocinium publicis privatisque votis religiose requiri. Tantam enim lucem nullæ hæreticorum tenebræ, nullæ sathanæ artes, nulla pravorum hominum perfidia depellere potuit. Quo vero tempore Carolus Quintus Cæsar invictissimus, bello Germanico feliciter gesto, motus illius provinciæ singulari pietate componebat, ac in omnem animi conatum meditabatur, ut vulnus, quod per hæreticorum insaniam acceperat Ecclesia, tandem obduceretur; eo ipso tempore vir quidam bonus ac pius, accensus desiderio propagandæ gloriæ divinæ, quæ in Sanctis fit illustrior, curavit particulam sanctarum reliquiarum Martyris Vernerii donari Ecclesiæ, quæ Vesuntii Divæ Magdalenæ sacra est; qui quantum sive gratia sive auctoritate

cultus sancti etiam sub Lutheranis:

cujus index cum particula sudarii,

EX MSS

valere potuit, id, amplissimorum virorum adhibito suffragio, eo contulit, ut ab his, penes quos jus erat impartiendi quod optabat, impetraret. Concessu igitur Legati sanctæ Sedis Apostolicæ, nec non auctoritate Trevirensis Archiepiscopi, Fredericus Comes Palatinus & Sacri Romani Imperii Archidapifer & Princeps Elector liberaliter indulsit, ut è corpore Martyris Vernerii index dexter excerperetur, ac sudarii particula, sanguine ejusdem Martyris tincta, à civibus Bacheracensibus diœcesis Trevirensis donaretur.

5 Lætus igitur tam insigni munere homo pius, gratulabundus, quanta maxima celeritate potuit, eum digitum cum sudarii particula officiose & honorifice eo transmisit, addita syngrapha ac symbolis ac testimoniis ejusdem Archiepiscopi, Principis & civium. Quod tam præstans munus illius Ecclesiæ Canonici ac Clerus universus summa religione ac alacritate suscepit; ac nihil antiquius habuit, quam ut non modo ab oppidanis & civibus Bisuntinis, sed & tota Sequanorum provincia sanctissimi illius Martyris Vernerii memoria coleretur: idque ut legitima auctoritate procederet, Reverendissimo Patri Domino pro tempore Administratori Ecclesiæ Bisuntinæ supplicaverunt, ut calculo auctoritatis suæ testatum atque comprobatum decerneret, nihil in ea re fictum, aut per fraudem cogitatum, sed esse sinceras verasque ejusdem Martyris reliquias. Qui pro sua fide ac religione statuit ac pronuntiavit, nulli post hæc de ea re dubitandum esse. Ut autem daretur occasio fidelibus majori devotione Deum in Sanctis suis honorandi, ac hujus beatissimi Martyris patrocinium deprecandi, de inexhausto Ecclesiæ thesauro Indulgentiæ quadraginta dierum ordinaria potestate conferuntur iis, qui in eadem æde Divæ Magdalenæ, ejusdem sancti Martyris reliquias cultu, eleemosynis & obsequiis venerantur. Deus itaque qui Pater misericordiarum est & Deus totius consolationis, hanc civitatem, quæ jam multorum Sanctorum monumentis ornata, novissime hujus sanctissimi Martyris Vernerii reliquiis locupletata est, benedictione sua fœcundet, concedatq; ut eumdem Sanctum Martyrem ita colamus invocando, ut illius semper præsidia percipiamus orando, per Christum Jesum Salvatorem nostrum.

Vesuntione reverenter suscipitur,

E

& publicæ venerationi exponitur.

§ II Corpus S. Wernheri Bacheraco ablatum, transit in potestatem Marchionis Spinolæ.

F

6 Totam *historiæ in titulo prænotatæ seriem damus ex authentica copia ejus relationis, quam sua manu descripsit* P. Thomas Saillius, Superior Missionis in Castris Catholicis sub Excellentissimo Domino Marchione Spinola in Palatinatu belligerante, *universæ rei auctor actorq; præcipuus: ipsum accipe.* Postquam Excellentissimus Dominus Ambrosius Spinola, Marchio de Sesto, Consiliarius status Majestatis Catholicæ, & Capitaneus Generalis in Palatinatu, ad obedientiam Cæsareæ Majestatis, urbeculam, Baccharach nominatam, cum arce, ad Rhenum sitam, die III Octobris, cum pluribus aliis oppidis redegisset; intellexit ibidem reconditas esse Reliquias quasdam adolescentis, cui nomen Wernherus, qui ultimus fuit (ut asserunt viri fide digni) Germaniæ Martyr. Hic cum ibidem ob hæresim Lutheranam primo, deinde Calvinianam introductam jaceret incultus, qui in summo pretio & honore olim habebatur ab Orthodoxis, & ab iis-

Marchio Spinola occupato Bacheraco,

EX MS. dem tempore persecutionis ibidem fuerat depositus, omnem navavit operam Marchio, ut corpus illud, sacrumque pignus, ex loco obscuro erueretur. Quod ut facilius atque securius, in tanta hostium nostrorum, & fidei Catholicæ osorum perfidia, fieret, Excellentia sua statuit ad Illustrissimum ac Reverendissimum Dominum Nuntium Apostolicum, Coloniæ residentem, *a* Episcopum scilicet Vigiliarum recurrere, eumque per litteras rogare, ut Canonicos S. Andreæ ad se evocaret, ab iisque intelligeret, tamquam Provisoribus Ecclesiæ istius Bacharacensis, quid scirent, de isto Sancto. Qui humanissimas XII Februarii hoc anno MDCXXI ad suam Excellentiam responsi loco litteras dedit, laudans conatum ejus, quod tam mature atque prudenter in rebus dubiis procederet; sciens fraudes quorumdam, qui loco verarum Reliquiarum falsas aut minus certas, sæpius venditant; mittens simul *b* relationem, quam à dictis Canonicis obtinuerat, cum aliis quibusdam testimoniis aliunde haustis.

inquirit de corpore S. Wernheri,

accepta relatione Canonicorum S. Andreæ, b

& Moguntia unius è Societate Iesu,

B

7 P. Martinus Schefferus, jussu Rectoris Collegii Moguntini. P. Balthasaris Haggeri, ad eumdem P. Thomam Saillium responsi loco de iisdem Reliquiis jam antea scripserat XIV Decembris anno MDCXX. Quod ad sanctas reliquias attinet S. Wernheri, hoc habeo ex ore Rectoris, quod fuerint duo nostri Bacheraci, qui dicunt omnino incolas dicere, illius sancti Martyris se habere reliquias, in templo illo adhuc occluso, quod existimant ad honorem illius Sancti extructum: & demonstrari locum, ubi illud quiescat, etsi aliqui affirment illud servari supra fornicem templi. Quæ omnia ipse Gubernator optime intellexit. *c*

c

Commissio ne data Capitaneo Tourlandt,

8 His testimoniis confirmatus Excellentissimus Dominus Marchio, commisit Domino Jacobo Tourlandt, Capitaneo peditum, qui nunc est Locum-tenens Illustrissimi D. Principis Chimai, ut secreto servato, in ruinoso illo & clauso templo à multis annis (de quo mentio supra) ad quod per centum gradus à cœmeterio parochialis templi ascenditur, inquireret corpus Sancti, cum licentia Gubernatoris. Qui cum jussisset militibus aliquot fidis, ut sub prætextu inveniendi abscõditos aliquos pecuniæ thesauros, perfoderent totum pavimentũ, & scrutarentur ipsos fornices, si forte & ibi aliquid lateret; nihil invenit. Sed duplicans labores, ferreo malleo parietes circũquaque pulsando, deprehendit ex opposito loci, ubi olim erectum fuerat altare ad latus sinistrum, aliquid esse concavum: & ex resonante bombo collegit aliquid ibidem esse reconditum. Quare statim quadratũ curavit eximi ex pariete lapidem: quo ablato caput cõparuit innixum pulvinari serico, herbis bene olentibus repleto, cujus odor adhuc spirat suaviter; ut videre est modo, postquam in alia pyxide, majori decentia à P. Thoma positũ fuit; quamquã ob vetustatem, & carnis humiditatẽ sit perforatum & nõnihil laceratũ.

C

invenitur,

9 Quod ubi visum fuit ab illo Capitaneo, qui summo studio sanctum juvenem quærebat; curavit statim loculum reserari, & calce rimas factas obturari, donec Marchioni quod peractum erat significaretur. Is communicata re cum dicto Patre, desideravit ut quam primum ipse Bacharcum proficisceretur, datis litteris credentiæ ad ipsum loci hujus Gubernatorẽ, quasi aliqua alia negotia tractaturus. Dictũ factum. Ipse quippe die octava Martii, cum curru suo, & assumpto socio P. Cornelio Medardo, libens hoc iter suscepit, una cum Capitaneo alias nominato, qui rẽ totã prius exploraverat. Circa decimam vespertinã, dum homines altum dormire solent, junxit se illis D. Balthazar de Baucen, Gubernator loci, Eques auratus, ut ad locum sepulturæ tenderent. Adfuit & Petrus Lichtermoet, Designator hospitiorũ, quẽ vocant

mittuntur eo PP. Saillius & Medardus

cum Gubernatore loci & aliis de nocte accedunt:

D

Fourier, & alius Quartiermaester dictus Petrus Mander, viri honorati & Catholici milites; qui adhibitis instrumentis ferreis loculum aperuerunt, Quo facto dicti Patres, accensis luminaribus, cum debita reverentia sacrum Caput integrũ ante omnia à corpore reliquo separarunt, & in cistula adhoc adducta decenter deposuerunt, cum ipso pulvinari cui incubuerat, pleno lavendula, & aliis quibusdam herbis: tum reliqua omnia ossa usq; ad minimas pedum manuumque extremitates exemerunt. Ex ipsius cranii dentium aliorumque ossium quantitate, facile apparet, non virum, sed puerum vel adolescentem fuisse, qui ibi ab antiquis Catholicis (cum ob persecutiones forte celeritate opus esset, ne tantus thesaurus ab iconoclastis vel cremaretur vel abjiceretur) depositus fuit, relictis sarcophagis ligneis atq. ornamẽtis, de quibus supra dictum est. Nam & nostro tempore ante quadraginta annos multa corpora Sanctorum ornamentis suis spoliata fuere; & in locis secretis abscondita, paucis consciis: quæ nunc iterum sedata tempestate in Belgio pristino honori restituta sunt, Deo miserante.

caput a corpore separatum,

ossa omnia colliguntur.

E

10 Visa autem sunt in hac sepultura aliqua rariora & observatu dignissima. Primo quod in ipso pariete, ex vivis & quadratis lapidibus, iisque durissimis, aptatum & excisum fuerit sepulcrum, vi ferri & malleorum, non longius nec latius quam ut corpus adolescentis capere possit. Secundo, quod post caput, reliqua pars corporis, (quod forte adhuc integrum erat) perfusa fuerit viva calce. Tertio, apparuere digitorum vestigia, qui corpus illud in calce accõmodabãt, & lapidem circumcirca linebant calce eadem, ut rudior paries ex ictibus, planior appareret & honestior, ut fit quando in rupibus scinduntur loculamenta. Quarto, extabat fenestella olim fabricata, quæ erat jã calce contecta & obturata sectis lapidibus, per quam sanctum illud corpus potuisset videri, & extrinsecus coli ab adventantibus peregrinis, qui munuscula sua, nummorum, florum, cereorumque offerre soliti olim erant. Quinto quod adhuc inventus sit nummus antiquæ monetæ Francfordiensis argenteus: fortassis plures fuere abscõditi in ruinis sepulcri, quos primi milites, qui sepulcrum aperuere, forte invenere & ex devotione vel aliter eos clepsere. Item foliũ unum palmæ. Item aliqua quantitas ceræ ad pedes liquefactæ. Hæc enim dona pauperum sunt. Supra caput & reliquum corpus verisimile est aliquam telam fuisse extensam, ut apparet ex quibusdam frustulis adjunctis. Sexto, inventæ sunt multæ particulæ carnis, quam forte calx non attigit, nec consumpsit.

Erat sepulcrũ ex quadratis lapidibus,

calx viva corpori adjecta, eaque lapides linitis:

& fenestella obturata:

ibidem inventa, nummus,

F

folium palmæ pars ceræ,

& carnis.

11 Septimo, quod supra locum parietis exterioris, ubi latitabat corpus, picta fuerit aliqua cassa, per modum templi vel sacelli, ante quam multi flectunt peregrini utriusque sexus, habentes rosaria in manibus, & quasi venerantes dictum sacellum pictum. Paulo supra erat imago picta, Sacerdotem repræsentans, qui more antiquo casulam & stolam indutus, videbatur, elevatis manibus cum hostia, ad altare pictum dicere sacrum; post cujus dorsum videbantur peregrini varie depicti, aliqui flexis genibus, aliqui stantes, orare. In pictura, cum rotulo quodam erant aliquot verba expressa, unum ex iis fuit ita corruptum, ut legi non potuerit: alia erant ejusmodi: 1437, feria 6 post Natalem Domini hic effusus & reconditus. *d* Existimatur olim aliquis in vicino altari casus accidisse dum Sacerdos quispiam celebraret, vel in Hostia sacra, vel in effusione Calicis, ut videre est in multis Flandriæ oppidis & alibi. Inventa est supra pectus S. Wernheri aliqua Reliquia, serico panniculo involuta, & filo ligata. Quid hoc sit non potest sciri. Imagines illæ figura sequenti adumbrantur.

in pariete erat pictura, sacelli, peregrinorum flectentium,

& sacerdotis celebrantis,

d

12 Octavo



martyrium in fenestra depictum,

12 Octavo notandũ ad latus ſiniſtrum altaris (quod deſtructum eſt ab hæreticis) in pulcherrima & vetuſta feneſtra expreſſum eſſe martyriũ S. Wernheri. Nono in ipſa primaria porta templi, affabre & ex duriſſimo ligno facta, expreſſa eſt parva ſtatua illius Sancti cum inſtrumento ligneo inſtar lintris, in quo calx præparata à ſervis fabrorum murariorum ferri ſolet ad fabricas aut muros extruendos. Traditio eſt, bonum adoleſcentem ſimilibus operibus vel foſſionibus victũ ſibi quæſiviſſe. Decimo ibidem adhuc extare canalẽ lapideum, qui ex fonte vicino olim tã alte creſcebat, ut per eum deflueret aqua per totum templum in alteram partem nocte & die: nunc vero depreſſus, & per oculta loca ſubterranea ſeſe exũdat, neſcitur quo. Hac aqua multi infirmi ſanari ſolebant olim; & qui modo ea volunt uti, hauriunt eam ſitulis eſtq; limpidiſſima & inſueti ſaporis. Undecimo notabile quoq; eſt, quod vir quidam annorum ſexaginta, Joannes Lymbor, arte vitriarius civiſq; Bacharacenſis, coram P. Thoma Saillio & Cornelio Medardo Societatis Jeſu Sacerdotibus, teſtatus fuerit; ſe à parentibus ſuis audiviſſe, Hungaros eo tempore adventaſſe, & à Palatino Frederico Monoculo, Patre Comitis Caſimiri, petiiſſe unum ſaltem digitum hujus Wernheri, paſſoſq; repulſam: ſeque ſua ætate vidiſſe templum hoc integrum viſitatumq; ab Hungaris peregrinis illoſq; aquam ex eo fonte hauſiſſe; cumq; non eſſet ſpes habendi reliquias, ſaltem lagenas ſalutaribus undis repleviſſe, ad ſuccurrendum variis languoribus in ſua patria frequentibus. Teſtatus quoq; eſt ſe in eodem templo conciones audiviſſe, & litteras, ubi in ſcholam converſum eſſet, didiciſſe.

Statua in porta templi.

canalis lapideus ex fonte aquam deducens,

C

Ungarĩ ſoliti eam aquam efferre.

13 Duodecimo inſuper notatu dignum, quod quidam Sacerdos pius, Dominus Andreas Stronck, Canonicus Wormacienſis in D. Virgine, Sacerdos annorum triginta duorum: qui hoc iniquo tempore exul à ſua Eccleſia, inter milites Catholicos Bacharaci Sacellanum agit ſub D. Balthaſare Bancen Equite, quod hic inquam, civis Weſaliæ ſuperioris aſſerat; ſe audiviſſe à ſenioribus illius oppidi, in quo natus fuit, iſtum Wernherum martyrio affectũ in Weſel, & ibidem extare columnam in quodam hoſpitali, cũ inſcriptione exprimente genus martyrii. Aſſeruit deinde, ſeniores illius oppiduli pro certo habere, quod cum corpus martyris ſepeliretur, non manſerit in terra; ſed permiſiſſe Deum, ut extra terram ſe ejiceret; ac cum curtui impoſitũ à duobus bobus traheretur, illi ſine ductore ibidem figerent pedes, ubi modo invectum fuit atq; ſepultum; nec à loco dimoveri potuerint, donec Sancti corpus deponeretur. Et ipſi Weſalienſes in hodiernum diem aſſerunt, non apud ſe, ſed Bacharaci quieſcere. Quod de facto probarunt. Nam ſoliti ſunt quotannis in diebus Rogationum cum variis crucibus (ut moris olim fuit) & proceſſionaliter Bacharacum ad templum illud procedere. Senex autem quidam adhuc vivens, & per tres annos decumbens, ait ſe in ſua pueritia hunc morem advertiſſe. Qui autem modo Weſaliæ Prætorem agit, dicitur de familia ejus eſſe, qui cum audiſſet Wernherũ clamantẽ pro ſuppetiis, cum à Judæis opprimeretur, noluit ſuccurrere, corruptus pecunia à perfidis accepta: qui mori non potuit, donec ſecretũ manifeſtaret. Ille qui modo eſt Prætor decumbit à tribus annis, ſperans ſe conſecuturum ſanitatem, ſi poſſet ſanctum corpus inviſere. Extat protocollus quidam Weſaliæ, in quo mira habentur miracula, quæ ad hoc corpus patrata ſunt.

columna exprimens martyrium eſt Weſaliæ.

Proceſſio Weſalienſis Bacharacum

F

14 Accepit quoq; P. Thomas Saillius litteras antiquiſſimas, à ducentis annis ſcriptas in pergameno aut membrana, lingua Germanica, continentes rara miracula, quas illi IX Martii miſit Dominus Ludovicus Cuſtia, Gubernator modo oppiduli Kanbiacenſis, ex oppoſito quaſi Baccharach ultra Rhenum, ad quem P. Saillius hominem miſerat, ut ſi quid haberet ſpectans ad hunc Martyrem mitteret; quod fecit Originale litterarum dictarum mittitur cum iiſdem reliquiis: ipſas autem curavit Pater in linguam Latinam verti & hic addi.

miracula ex Germanico tranſlata.

15 Exemplar litterarum continentium miracula S. Wernheri, ex Germanica lingua in Latinam tranſlatum. Miracula infra deſcripta acciderunt à die SS. Petri & Pauli anno milleſimo quadringenteſimo vigeſi-

à die 29 Junii 1426,

A f vigesimo sexto, virtute Dei omnipotentis, ad invocationem S. Wernheri, quarum veritas per *f* informationem, per instrumenta, per testes super his auditos, confirmata fuit.

I Primo puer quidam unius anni, ex Catharina de Perscheit natus, jam hora integra mortuus erat, qui ad vitam invocatione hujus S. Wernheri rediit. *g*

g II Item Elizabetha Porren surda erat & cæca, & filius ejus Elizabeta *h* hydropica & cæca, utraque sanitatem recuperavit & visum,

III i Item Joannes Snabel *i* Aschaffenburgi natus, erat incurabilibus plagis affectus, à quibus liberatus est, & valetudinem acquisivit.

IV k Item Catharina *k* Scholteisz de Manbach, cum anno cum dimidio hydropica fuisset, & valde turgida, aut corpore inflata, sanata fuit.

V l Item filius Schulteti *l* aut Prætoris de Buxbach, quatuor annorum, ex calce equi ferocientis percussus, mortuus est & revixit.

VI Item Henricus Kricht, luxatus brachiis ac laborans ex iis plusquã anno, pristinæ valetudini est restitutus.

VII Nobilis quidam, Godefridus de Schoenenburch, laborans angustia cordis, liberatus fuit.

VIII Filius Jacobi Ortwins de Mambach, totus phthisicus, melius habuit.

IX m Gerlacus Irmele *m* de Breitscheyt cum haberet alterum pedem combustum, & igne incensum, nec per triennium curari potuisset, invocando S. Wernherum obtinuit sanitatem.

X Wenceslaus, filius Magistri Gregorii d'Albanil Heydelbergensis, cum in altero pede intolerabili cruciaretur dolore, ac desperatæ esset valetudinis, convaluit invocatione Sancti.

XI n Item Catharina *n* uxor Magistri Petri Chirurgi, cum bis peperisset duos filios mortuos, tertia vice recurrendo ad S. Wernherum, & aliqua munuscula offerendo, postmodum prolem unam peperit vivam.

B XII Petrus de Condexens, liberatus fuit à variis suis morbis,

XIII Hospita, quæ habitabat Magontiæ in domo quæ habebat intersigne ovis aureæ, uno anno decubuerat membris luxata, scilicet brachiis, convaluit.

XIV Nobilis quidam Eques, qui obtulerat magnã statuã ex cera confectam, cũ inimici ipsum insequerentur, & cogeretur Eques flumẽ Mosellam intrare, invocavit S. Wernherum, & ad marginẽ fluminis enatavit salvus.

XV Joannes Biersten ex Walhausen, cum cæcus biennio fuisset peregrinatus ad S. Wernherum, in ipso itinere visum recuperavit.

XVI o Ursula uxor Joannis *o* de Birchem stulta facta, & absque judicii usu, ad se rediit sana facta.

XVII Joannes Furster de Altzey, octo annorum spatio cæcus; optime vidit.

XVIII p Uxor de Hebel Stercken de Ludenrait, habuit cognatam, quæ vocabatur Agnes, *p* annorum quatuor cum dimidio: percussa equi alicujus calce, inde mortua est, & vitam recuperavit.

XIX Franciscus Calcearius Moguntinus, infernali foco adustus, quem nonnulli vocitant ignem S. Antonii, tandem liberatus est.

XX C Filius Henrici Bunder Moguntini, duodecim annorum, utroque pede ita tortus, ut non posset ambulare, nec in pedes stare; sanitatem recuperavit, ita ut recte posset incedere.

XXI Uxor cujusdam Appel Moguntina, adduxit filium suum annorum quatuor cum dimidio; qui utraque tibia ita erat contusus, ut nec stare posset, nec sedere: deinde mutus erat. Cumque Wernherum in auxilium vocasset, integre refectus & sanus effectus est.

XXII q Item Petrus Sartor de Wilstain, & uxor ejus nomine Margareta, in festo *q* S. Kiliani filiam suam Kunigundam annorum quinque, quæ muta fuerat novem diebus, ad Sanctum adduxerunt, & cœpit loqui. D

XXIII r Laurentius Ryt, & uxor ejus Catharina de Widerborch, adduxerunt ad Sanctum, filium suum Joannem, ætate septem annorum, *r* qui tribus horis mortuus fuerat, iterum ad vitam rediit.

XXIV Conradus Budeter Moguntinus, casu occiderat parvulum calce equi recalcitrantis: qui iterum usura vitæ usus est,

XXV s Anna *s* Leideneck circa Cestelẽ adduxit unũ ex suis filiis, nominatum Nicolaum, annorum quindecim, qui per tres dies cæcus fuerat, & visum obtinuit.

XXVI Albertus de Straubing, qui in Rheno circa Gerinsheim demersus fuerat, & per horam sub aquis fuerat, iterum vixit, simul atq; invocaverat S. Wernherum.

XXVII Fredericus de Walkalgesheim & Gutilda ejus uxor adduxerunt filiam dictam Margaretam, quæ amplius quam quinq; horis mortua fuerat; simul atque ad S. Wernherum pervenerunt, iterum vitam recepit.

XXVIII Item Joannes Bechman de Wisenburch, multas per annos quindecim passus est infirmitates, qui in die S. Matthæi eo venerat; ubi S. Wernherum pro auxilio provocavit, salutem obtinuit.

16 Ex his miraculis aliisq; signis prællegatis, probabiliter credi potest, hoc corpus quod Excellentissimus Dominus Marchio tanta devotione ex antro illo educi voluit, esse S. Wernheri, cujus precibus & meritis nos humiliter commendamus, & ab eo auxilium, in hoc justissimo bello sperare possumus. Ne autem hæc patria suo plane privetur Patrono, aliquod ossa minora seposita delata sunt, cum licentia dicti Marchionis, Moguntiam ad collegium Societatis Jesu mittenda; ut quo casu aliquando Catholica religio restituatur, Bacharaci habeat eadem Ecclesia aliquod sui Martyris monumentum. Hæc ita inventa esse asserit præfatus P. Thomas Saillius & P. Cornelius Medardus, qui in omnibus testes oculares fuere; & huic scripto subscripsere manu propria, in Cruzenack, die XI Martii MDCXXI. Hæc relatio approbata & signata fuit à RR. PP. Thoma Saillio & Cornelio Medardo Sacerdotibus Societatis Jesu oculatis testibus. Quod verum esse attestor ego infra signatus, qui & ipsam relationem ex originali excerptam descripsi. F. Medardus Robillartz, Religiosus Sacerdos indignus ordinis S. Benedicti. E

aliquot ossa Moguntiæ deposita.

subscribunt PP. Saillius & Medardus.

ANNOTATA.

a *Hic erat Antonius Albergatus, Ludovici Ludovisii Cardinalis Vice-cancellarii patruelis, Nicolai Cardinalis Ludovisii patruus, Vigiliensi Episcopatu in Apulia sub Archiepiscopo Tranensi donatus anno 1609, & postea, potissimum tempore Gregorii XV, Nuntius Apostolicus Coloniæ.* F

b *Inserebatur relatio Vitæ & martyrii, ex Surio potissimum contracta, quam omittimus.*

c *Altera hic addebatur relatio, à priore parum nisi phrasi differens, quam etiam omittimus. Supra abunde relatam.*

d *Cum delineatio ad nos missa rotulum purum exhiberet, malui purum relinquere in imagine, quam ex conjectura inserere litteras diverso forsitan loco & forma quam reipsa sint: interim ex ipsis residuis verbis, & argumento picturæ jã jam descriptæ, conjectare possis, verbum in rotulo abolitum fuisse,* sanguis Christi, *aut aliud similis significationis: & corporale atq; tobaliam illo tinctam inclusam fuisse cũ corpore S. Wernheri: & hæc fuerint frustula telæ jam indicata.*

e *In Processu simpliciter vocatur* Cuba.

f *Mirum est quod hæc informatio non fuerit, si scripta extabat, adducta in Processu: nam licet quædam miracula hic indicentur, de quibus habentur Instrumenta, adduntur tamen hic aliquando circumstantiæ, ibi deficientes; & major hic relatorum pars, nec in Processu quidem à Testibus exponitur. Thomas Saillius in Belgium reversus, Bruxellis è vita discessit 8 Martii, 1623, cujus illustres virtutes referuntur in Bibliotheca Scriptorum Societatis Iesu apud Philippum Alegambe, & in*

A *& in Imagine primi seculi ejusdem Societatis Provincia Flandro-Belgica anno 1640 edita, potissimum lib. 6. Ab hoc viro fuisse* corpus S. Wernheri in arcula decenter collocatũ ac Bruxellã translatũ *scribit Aubertus Miraus in Fastis Belgicis & Burgundicis an. 1622 Bruxellis editis.*

g *De hoc est Instrumentum* II *num.* 4.

h *Harum nomen ibidem num.* 5 *contracte scribitur* Elsa, *& filia non hydropica, sed paralytica fuisse dicitur.*

i *Agitur de eo plenius Instrumento* III *num.* 7.

k *Ibidem num.* 7. l *Ibidem num.* 6.

m *Vide de hoc Instrumentum* I *num.* I, *ubi cognomen scribitur* Gingke. n *Ibidem num.* 2.

o *De hac & sequente caco est Instrumentum* VI, *ubi maritus vocatur* de Bilchine

p *Vide. Instrum.* VII *de Agnete & sequenti Francisco.*

q *Colitur S. Kilianus Episcopus & Martyr* 8 *Iulii.*

r *Ab hoc miraculo inchoatur Instrumentum* IX.

s *Instrumentum* VIII *num.* 18 Annam *vocat, & precedit miraculum quod hic sequitur.*

§ III. Reliquiæ Sancti in Belgio & Italia.

Domui Professa S. I. Antv. donatur dens B

17 *Cornelius Medardus, cujus supra facta mentio est, tamquam præsentis prænarrata inventioni eiusque veritatem attestantis, non tam otiose sacra illi actioni astitit, ut non suæ peculiari erga Sanctum devotioni indulgeret aliquid & navata opera mercedem acciperet venerandi corporis particulas aliquas, quarum unam Domui nostræ Antverpiensi reliquit sub hoc chirographo.* Ego infrascriptus, Societatis Jesu Sacerdos, postquam excellentissimus Dominus Marchio Spinola, in Palatinatu cum exercitu regio existens, curam dedisset R. P. Thomæ Sayllio & mihi, conquirendi corpus S. Wernheri, pueri quindecim annorum Martyris, idemque reperissemus; inter ceteras Reliquiarum partes, quas devotionis causa mihi servavi, etiam hunc dentem accepi, quem dono lubens dedi R. P. Jacobo Tirino, Domus Professæ Societatis Jesu Antuerpiæ Præposito, XXIX Junii anno MDCXXI. In quorum fidem hæc manu propria subscripsi & subsignavi. Bruxellæ XIV Julii anni prænotati.

cum approbatione Episcopi.

18 *Quonam pervenerint alia, quas se devotionis causa servasse Cornelius dicit, particulæ, hactenus ignoramus: ipse anno* MDCXXIII *die* XVI *Februarii Antverpiæ moriens ad Apostolicorum suorum laborum præmia evolavit: nos dentem ab eo donatum servamus in locupleti sacrarum Reliquiarum suppellectile, intra magnificas, si qua uspiam lipsanothecas, recondita; quarum alba una insigni opere laborata, cum aliis Sanctorum Martyrum non Pontificum reliquiis ipsum continet. Ejusdem dentis notitiam expressam invenimus in approbatione atque enumeratione Reliquiarum nostrarum, rogatu R. P. Ioannis de Tollenare dicta domus* C *Præpositi, signata à Reverendissimo Antuerpiensium Episcopo Ioanne Maldero, anno* MDCXXV, XXX *Octobris. In eadem domo nostra etiam nunc habitat Iubilarius senex R. P. Iacobus Libenius qui meminit, quod cum ipse circa idem tempus, quo dens nobis donatus, Mechliniæ novitium Societatis habitaret, eodem advenerit P. Thomas Sayllius, & sacrarum Reliquiarum thesaurum, ad excitandam Novitiorum pietatem pignoribus plurimorum Sanctorum copiose instructum, auxerit ossiculo quodam S. Wernheri; quod ibi etiamnum servari in peculiari pyxide, & esse os geniculare (medici patellam appellant) testatur Collegii illius & Novitiatus Rector R. P. Ludovicus de Camargo, per litteras requisitus, sed nihil ea de re scriptum inveniri.*

Novitiatui Mechliniensi os geniculare

Ex reliquo corpore in Italiam avehendo

19 *Mortuo Ambrosio Spinola in obsidione Casalis S. Evasii quo fuerat à Rege Catholico evocatus, filius ejus atque bonorum hæres in Italiam deportari jussit quidquid paterni juris in Belgio remanserat: eaque occasione accidit, capsulam, quæ S. Wernheri corpus continebat, Insulis, Flandriæ opulentissimo emporio, deponi apud* spectabilem & eruditum virum D. Joannem Paulum Guidoboni Pessini, Regiæ Majestatis Consiliarium & Magistrum Computuum in sua Camera suprema Flandriæ dignissimum, nec non Thesaurarium Illustrissimi Marchionis Ambrosii Spinolæ *dum viveret: cujus Ioannis Pauli rogatu* Ludovicus Fardeau, Sedis Apostolicæ Protonotarius atque ecclesiæ Collegiatæ S. Mariæ civitatis Lensensis, diœcesis Atrebatensis in Comitatu Arthesiæ, Canonicus, *proprio chirographo dato Bruxellis* XVI *Decembris anni* MDCXXXIII *attestatur, se* extraxisse parvulam costam, quam prædictus Dominus Pessini devotionis pietatisque causa sibi sumpsit, ex corpore S. Wernheri Martyris: quod quidem corpus extractum fuit ex urbecula Bacherac, ad Rhenum sita, ex sacello S. Cunberti, quod est in colle prope parochiam dicti loci, cum consensu Illustrissimi ac Reverendissimi Domini Nuntii Apostolici, atque ex debita licentia Canonicorum S. Andreæ Coloniæ residentium, tamquam Provisorum ecclesiæ Bacheracensis, Illustrissimoque & Excellentissimo Marchioni Spinolæ donatum, dum erat in expeditione Palatinatus inferioris. *Authenticum exemplar hujus attestationis (in qua etiam nominatim allegatur scriptum* PP. *Sailly atque Medardi, tamquam executorum & testium inventi translatique corporis) asservatur Insulis apud Carmelitas Discalceatos, ad quos demum devenit prædicta costula cum notariali instrumento quod ex originali Gallico Latinum addo, & est tale.*

EX MSS.

desumpta Insulis donata,

E

donatur Conventui Carmelit. istius urbis

20 Coram me notario ac testibus infrascriptis comparuit Domicella Maria Francisca Roberti, uxor D. Joannis Philippi l'Entailleur, Scutiferi, Domini de le Warde & de Haute-porte: quæ ad majorem Dei & S. Wernheri gloriam declaravit, habuisse se os unum, acceptum ex glorioso corpore dicti S. Wernheri: quod os ipsa jam pridem donavit R. P. Petro Thomæ de S. Ludovico, Carmelitæ Discalceato, in residentia Duacena ad præsens commoranti, eo fine ut omni possibili ratione curaret promovere honorem tam venerabilis certæque Reliquiæ. Nunc autem rogata Domicella prædicta fidem desuper habendam corrobare, declarat quod dicta Reliquia, donata præfato P. Petro Thomæ, ac bis sigillata sigillo sui quondam mariti, & fascia rosei coloris obvoluta, accepta fuerit de corpore S. Wernheri, coram Domicella Maria Robillart, matre sua, tunc secundis nuptiis conjuncta cum D. Joanne Paulo Pessini, Consiliario Regis & Cameræ computuum Insulis Magistro: idque cum dictum sanctum corpus esset Insulis in ejus domo, publicæ venerationi expositum, priusquam mitteretur in Italiam ad Marchionem Spinolam, filium ejus qui Generalis Regiorum armorum Ductor in Belgio fuerat: cui cum subacto Palatinatu ingens pecuniæ summa offerretur, ipse quidem eam recusavit; sed ejus vice, propter magnam quam erga S. Wernherum habebat devotionem, petiit & impetravit ipsius corpus; quod cum magna cautela & certitudine in has partes delatum esse, probatur attestationibus authenticis; dicto Petro Thomæ in manus simul cum Reliquia traditis.... Actum Bruxellis XX. Martii MDCXLIV, coram R. P. Juliano de S. Petro Carmelita Discalceato Residentiæ Bruxellensis, & D. Philippo de Monstreuil Vexillifero, testibus ad hoc vocatis & rogatis, meque Notario Regio Joanne Sdroogen.

cum registro attestati ejus Notarialis

F

& approbatione Vicariatus Tornacensis,

21 *His aliisque documentis visis, Vicarii Generales Episcopatus Tornacensis Sede vacante, per litteras datas anno* MDCXLVII *die* VII *Februarii attestati sunt; quod* inspecto & examinato quodam ossiculo, longitudinis circiter medii digiti, extracto de corpore S. Wernheri Martyris in Germania; cum duobus sigillis dependentibus ex bysso coloris rosacei.... P. Petro Thomæ de S. Ludovico donato, & per eumdem

 Patrem

Ex MSS.

Patrem Conventui oppidi Insulensis donando, repererint dictum ossiculum veras dicti sancti Martyris Reliquias, easque ut tales recognoverint & approbarint. *Quæ omnia nobis quoque probata, sunt submissis authenticis prædictarum attestationum exemplis, beneficio R. P. Petri de matre Dei; qui præterea in sua epistola testatur, donatam sibi esse à Conventus Tornacensis Procuratore particulam exsiccatæ carnis ex corpore ejusdem Sancti, inventam in scrinio cujusdam P. Felicis, qui ipsam à dicto P. Petro Thoma habuerat: de cujus Reliquiæ veritate tanto certius sibi constare scribit, quanto expressius in historia inventionis dicitur*, quod inventæ sunt multæ particulæ carnis, quam forte calx non attigit nec consumpsit, *uti habetur num.* 10

An. 1644 mittitur Genuam attestatio de antiquo cultu

22 *Reliquo corpore in Italiam delato, cum de eo publicæ venerationi exponendo cogitaret D. Marchio Ambrosii filius, scripsit ad Bollandum anno* MDCXLIV *nostrorum Patrum Genuensium aliquis, nomine prædicti Marchionis, daret operam, ut per Ordinarium loci constaret S. Wernheri corpus in honore fuisse tamquam Martyris, & hoc illud esse quod ad Marchionem Spinolam detulere P. Saillius & P. Medardus. Fecit luculenter quod postulabatur Bollandus: nam ex iis quæ tum ad manum erant typis excusa aut manu exarata monumentis, collegit Commentarium de martyrio & cultu S. Wernheri, qui nobis etiam nunc adjumento haud modico fuit; fecitque ut minime necessarium videretur, in tanta publicorum scriptorum luce, testimonium Ordinarii requirere: deinde scriptam à dictis Patribus relationem illustravit annotationibus suis; utque relationi illi aliorum etiam testium pondus adderetur, si quod addi posset amplius, scripsit ad Collegii nostri Moguntini Rectorem Ioachimum Hamman, qui varios interrogando, tandem ex Patre quodam nostro, circa Bacheracum nato (cujus nomen non exprimunt Rectoris litteræ VI Augusti anno jam dicto datæ) obtinuit attestationem his verbis scriptam*: Memini optime, cum ante tumultus Suecicos Crucenaci in Palatinatu Inferiori sub regimine Hispanico degerem, sæpius me ab eodem Regimine, atque ab ipso Confessario Illustriss. Marchionis Spinolæ R. P. Hermanno Hugone P. M. intellexisse, Sanctum Puerum & Martyrem Wernherum Bacheraci in Basilica in honorem ejusdem Martyris extructa quievisse, usque ad ipsam ejusdem oppidi à Marchione Spinola Catholici Regis jussu atque imperio occupationem. Occupato oppido Marchio tantum thesaurum, calumniis Calvinistarum subductum, Regi Hispaniarum sic annuenti, in ipsas Hispanias ablegasse tum dicebatur. Vidi ego non multo post Bacharaci, tumbam ejus lapideam, muro Basilicæ supradictæ, in sinistro aræ summæ latere, inclusam, apertam & vacuam: immo ab incolis ipsismet, licet acerrimis Calvini asseclis, eadem, quæ narravi, intellexi sæpius.

& corporis ablatione prædicta

ipsum nunc Roxani depositum putabatur,

23 *His in Italiam missis non est inde aliquid ad nos scriptum postea, quo doceremur, an in aliqua & qua ecclesia sacrum pignus depositum esset. Ergo cum jam sub manibus esset Aprilis hic, dedi Genuam litteras ad R. P. Ioannem Stephanum Fliscum, strenuum operis nostri in partibus Liguriæ adjutorem, ut inter familiæ Spinolææ Proceres quæstione habita, ante omnia discere conaretur locum sacri istius depositi, deinde & cetera nancisci conaretur: qui tandem ad quæsita sic respondit.* Excellentissimus Marchio Paulus Spinula-Doria, familiæ ab Ambrosio Marchione ductæ caput, procul hinc abest pro Catholica Regis Hispani Majestate apud Augustissimum Cæsarem Leopoldum Legatus Viennæ: non licuit eum convenire, & per ipsum impetrare requisita documenta; interim ex quodam illius domestico accepi sequentia. S. Wernherum, advectum in Italiam, & aliquamdiu habitum domi intra privatas ædes, postremo in æde magnifice constructa, Roxani (quod est oppidum diœcesis Dertosanæ & feudum ejusdem Marchionis) collocatum esse intra capellam, in qua alia nonnulla Sanctorum lipsana recondita sunt, suis quæque loculis inauratis inclusa: ejus vero ecclesiæ curam gerere Franciscanos, ab Observantia cognominatos, & frequentem populum sacras illas reliquias venerari.

unde petita & promissa documenta

24 *Hac notitia habita ad ipsum Marchionem dedi litteras, ut avitæ pietatis monumenta depromi transmittique juberet Antuerpiam: qui continuo in hæc verba respondit*: Accepta epistola Paternitatis vestræ, plena sane tum religionis in Sanctos, tum benevolentiæ in me avumque meum, utrumque dulcissimum ac gratissimum habui: scripsique illico ad Guardianum Roxanensem, ut in sacello sacris Reliquiis dicato, quod est in templo percelebri monasterioque ab eodem avo à fundamentis erecto, perquireret sanctum depositum; meque de eo distinctius faceret certiorem, deque aliis quæ in eisdem lipsanis reperta fuerint, ut ea omnia transmitti curem Antuerpiam. Interim hac benignitate vestra in me singulari & propositi laudabilissimi sanctitate, qua historiam S. Wernheri scribendam suscipis, vel jam scriptam publice præparas, summe devinctus, apprecor operi perennitatem. Viennæ IX Martii MDCLXXIII. *Iam prona mihi sperabam cetera, meque ea manibus tenere credebam; quando venit à Guardiano responsum, quod inspecto catalogo Reliquiarum, quas suus conventus asservat, nulla ibi inventa sit mentio S. VVernheri, aut corpus in aliqua sacrarum thecarum. Novis ergo litteris interpellatus est Excellentissimus Marchio; sed is nihil certi habuit quod responderet; scriptis rursum litteris, quas etiam ipsas subjicio, ut appareat nullam diligentiæ humanæ partem à nobis fuisse prætermissam. Verba epistolæ eodem anno die* XXX *Novembris Viennæ datæ hæc sunt.*

necdum haberi potuerunt,

propter absentiam Marchionis,

25 Summe doleo, quod, durante adhuc absentia mea à domestico archivio, nihil certi possit afferri de corpore S. Wernheri. Siquidem valde verosimiliter suspicor, quod Avus meus consignaverit illud sacrum corpus, alicui alteri ex suis prædilectis templis, vel monasterio S. Leonardi Genuæ, in quo educabantur ejus filiæ, vel etiam filio suo Cardinali Compostellæ & deinde Hispalis Archiepiscopo. Sed ut dictum est, nihil certi habeo: nec archivium meum domesticum potest ita facile excuti & evolvi absente me, quod ego præsens libentissime facerem. Gratias igitur ago Paternitati vestræ, pro summa, quam professa est, erga me avumque meum benevolentia: doleoque quod hic detinear circumstantiis temporum, ita ut non possim eam r:ddere efficacem in re tantæ pietatis, ex qua insuper immortale nomen resultaret nostræ familiæ in opere tam insigni, cui sanctissimorum virorum virtus & doctissimorum calamus jure promittit perennitatem. *Hæc ille, meritis nostris majora, eoque dumtaxat fine hic allata, ut si contingeret virum præstantissimum, publici boni causa absentem à patria, vel aliter ab optimæ voluntatis executione cum redierit impeditum, votis nostris non posse satisfacere; filiorum aliquis aut nepotum, lectis hisce paternæ voluntatis indicibus litteris, eamdem satagat adimplere, pro futuro operis supplemento. Interim quæsitum est apud S. Leonardi monachas, responsumque ne ibi quidem sciri aliquid de S. VVernhero. In Hispaniam pro re tam incerta recurrere non placuit.*

summe dicto cupientius submittam,

DE

DE B. CONRADO MILIANO D.P.

ORDINIS MINORUM ASCULI IN PICENO.

ANNO MCCLXXXIX

Cultus corporis



Beatorum Seraphici Ordinis catalogum texens Franciscus Gonzaga, parte I operis pag. 93, eosque alphabetico ordine adnumerans atque ad litteram C perveniens, inquit: B. Conradus miraculis insignis jacet Asculi. *Quod verbis reipsa eisdem Martyrologii Franciscani auctor in 2 editione an. 1623 sic expressit:* Asculi in Piceno B. Conradi Confessoris, vita & signis admirandis celebris. *In annotationibus addit Lucam VVaddingum, in Additionibus ad Tomum 2 Annalium, post Tomum 4 editis num. 33, ex Processu pro illius canonizatione compacto, vitam, genus & acta sub compendium reduxisse. Hoc indicio excitati, & aliunde edocti quod corpus ejus in ecclesia S. Francisci Conventualium requiescat sub Altari Resurrectionis cum hac epigraphe:* Hic jacet corpus B. Corradi de familia Milianorum de Asculo, Ordinis Minorum Conventualium S. Francisci, Theologi atque Doctoris Parisiensis, nec non socij jurati Nicolai Papæ IV. Obiit anno Domini MCCLXXXIX, die XIX Aprilis. *Hæc inquam edocti, simulque festum ejus dicta die XIX Aprilis* magna cum populi frequentia & veneratione *peragi, & imaginem pingi supra arcam cum radiis, atque ante eam jugiter ardere lampadem; nihil prius nobis curandum esse censuimus, quam ut prædictum nancisceremur Processum, per quem constare deberet quanto cum fundamento Beati appellatio ac veneratio B. Conrado tribuebatur.*

& obitus dies.

B

Processus pro eo canonizando factus,

2 *Stylus epitaphii prænarrati, omnimodam sapit novitatem (quis enim* Minores Conventuales *aut* Doctores Parisienses *seculo paulum antiquiori dixit?) ipsum tamen probat sufficienter præsentem illius cultum: qui cum sit ab immemorabili tempore juxta Vrbani VIII præscriptum, non potest moveri dubium de jure tituli, quo* Beatus *dicitur. Ei tamen confirmando magnopere conducere poterat dictus Processus, & simul ablaturus necessitatem per varios auctores sparsum requirendi minori sub fide, quod sub jurata haberi ibidem collectum poterat. Ergo pro eodem impetrando litteras dedimus ad Asculanæ civitatis Antianos (penes quos intellexeramus esse ipsum originale, cujus solum compendium & quidem Italicum Waddingus habuerat) responsumque ab iisdem humaniter est XXI Martii an. 1671, in hæc verba.* Jucundissimæ litteræ vestræ ab adm. R. P. Didaco Calcaneo Collegii hujusce Rectore nobis redditæ, in nostro Concilio Centum & Pacis à Secretario perlectæ, Senatorum omnium animos impulerunt ad sanciendum, ut duo deputati ad id specialiter electi, puta D. Franciscus de la Torre & D. Octavius Novellus, toto conatu incumbant, ad colligenda præclariora facinora B. Corradi Migliani, conterranei nostri dignissimi, cujus gloriosi obitus dulcis memoria recolitur die XIX Aprilis.

& ab Antianis Asculanis quæsitus,

C

minimeque inventus.

3 *Nulli labori parcitum fuisse ab iis, qui ad suprascripta deputati fuerant, certos nos fecit vir clarissimus ex eadem cum Beato familia Iosephus Migliani, frater uterinus Francisci de la Torre, unius ex Deputatis: sed omnem laborem fuisse irritum significavit, eo quod tabularium Asculanum combustum olim fuerit, cum insigni jactura multarum antiquarum scripturarum. Idem suspicatus Romam delatos fuisse prædictos processus, & vel in Bibliotheca Vaticana vel in archivio Congregationis Rituum asservari; aut saltem exemplatos haberi in archivio Episcopali; amicos quoscumque potuit solicitavit exercuitque in ipsis ibidem perquirendis: sed hac quoque diligentia optato effectu caruit hactenus. Interim ex epistola ejus X kal. Februarii anno MDCLXXII data didicimus sequentia.* Corpus requiescit in sacello eleganti operis plastici atque inaurati, familiæ proprio ejusque sumptibus ornato, intra duas arcas, quarum exterior marmorea, cupressina interior est; intactumque & integrum jacens, mirifice gratum quovis tempore spargit odorem. Multos dies ante ejus festum pulsantur campanæ; ipso festo, tam in primis quam secundis Vesperis, coram Illustrissimis civitatis Proceribus, Psalmi hymnique congrui modulate cantantur; postea quam ad illius altare antemeridianis horis frequentia oblata fuerint Deo Sacrificia, à Sacerdotibus ad honorandam Beati Confessoris memoriam confluentibus: è quorum manibus complures utriusque sexus cives sacro reficiuntur epulo, donec solenni ritu Missa votiva celebretur? Multa insuper alia lætitiæ ac devotionis publicæ signa isto die monstrantur à civibus, quæ singula prosequi longum foret.

festi annui celebritas,

4 *Porro deficientibus quæ diximus, Actis publicis, dabimus hic compendium Vitæ ex Waddinghi abbreviatore & successore dignissimo Francisco Haroldo, ad annum 1289 num. 14. Ita autem habet:* Hoc eodem anno obiit Asculi B. Conradus Asculanus; in eadem civitate, anno MCCXXIV die XVIII Septembris, Francisco Miliani & Agnete Marcelli de Saladinis parentibus nobilibus natus. Ab ipsa infantia jejunii diebus ubera tantum semel sugebat, & crescens puer alios abstinentiæ modos prosecutus, aliisque virtutibus & humanioris litteraturæ disciplina excultus, adhuc adolescens prophetico spiritu donatus, quoties Hieronymum, rusticum puerum, offendebat, eum flexis genibus adorabat: quod, ut affirmabat, claves regni cælorum in pueri manibus consiceret. Is enim erat Hieronymus Asculanus, qui postea Nicolaus IV Pontifex rexit Ecclesiam, & tunc in pueritia icto perpetuæ amicitiæ fœdere cum Conrado gradiebatur: unde uterque ad virtutum opera unanimiter concurrentes, nomina sua simul Minoritis dederunt, simul professi, simul studuerunt, simulque Doctoratus laurea, quam humiliter declinabant, ab Angelo moniti ne reluctarentur, donati fuerunt.

Nicolai 4 Pontificatum juniot præsagit.

E

eique amicitia junctus,

5 Postea Romam profecti, cum pari cursu Theologicis prælectionibus & verbi Dei prædicationibus insisterent, Hieronymus ad Ordinis officia assumptus est: Conradus vero, semper suspicatus se ad animarum curam idoneum non esse, ab Hieronymo, jam facto Ministro generali, obtenta licentia in Africam transfretandi, per multos labores & ærumnas, per varias Libyæ regiones, sexies mille quadringentos septuaginta octo homines, & præter hos integras aliquot familias, prædicatione sua & multis miraculis ad Christi fidem convertit; multas proinde à dæmonibus insidias & verbera passus. Ne vero, dū aliis prædicat, ipse reprobus efficeretur, paucissimis contentus, vili lacerna tectus, nudis ad terram plantis incedebat. Omnes hebdomadæ dies in diversa jejunia distribuens, plerumque pane tantum & aqua vescens, Christi Salvatoris passioni meditandæ totus intentus erat. Quibus exercitiis & alia multa virtute promeruit multas animas è purgatorii pœnis liberare; Christum spinis coronatum aliisque doloribus affectum sæpe videre; Angelorum frequenti colloquio frui, in sanctissimæ Trinitatis nomine, quod impense colebat, cæcos illuminare, claudos erigere, paralyticos persanare, dæmones fugare, & duos demum in Africa mortuos suscitare.

& Gallica legatione expeditus

fructificat in Africa:

F

Vita ejus austeritas

6 Hinc auctoritate Pontificia vocatus in Europā, ut cū suo fratre Hieronymo Parisiis pace inter Reges tractaret, ejus adiutorio & precibus effectum est, ut Hieronymus legatione sua feliciter fungeretur. Cardinalitia propterea dignitate donatus, Conradū secū in

mors Asculi obita,

EX MSS. in urbem reduxit, & post biennium remisit Parisios sacram Theologiam publice prælecturum. Demum anno MCCLXXXIX per Hieronymum factum Pontificem, iterum in Urbem vocatur, ut inter Cardinales adoptaretur, sed Asculo transiens, ibi sanctissime mortuus est, die XIX mensis Aprilis. Tribus diebus flexibili & suaveolenti corpore, propter concurrentis populi devotionem insepultus, multis miraculis claruit. Quo audito scripsit Nicolaus Pontifex ut honorifico tumulo conderetur. In quo, dum ejus translatio alium in locum fieret anno MCCCLXXI, corpus ejus integrum repertum est: quod crebra adhuc miracula patrat, & se invocantibus præstat beneficia.

7 Electus est ad totius Ordinis regimen Hieronymus anno Christi MCCLXXIV, & in Galliam profectus ejusdem seculi anno LXXVII, indeque reversus, Pontificia sede per Ioannis XXI mortem vacante, ab ejus successore Nicolao III creatus est Cardinalis: ex quibus tota quæ ad Conradum spectat chronologia lucem accipit. Distinguendus est autem hic Conradus ab altero ejusdem nominis & Ordinis, tunc Alemanniæ Provinciali, qui à Rodulpho Romanorum B *Rege missus Procurator & Nuntius, primo anno Nicolai III, ad præstanda ea quæ olim Gregorio X ab eodem Rege promissa fuerunt: quibus de rebus confectæ tabulæ extant in Raynaldi Annalium Eccles. tom. 4. Vitam B. Conradi scripsisse dicantur FF. Benedictus à Podio Canosa & Dionysius à S. Hemero ejus socii: quod forte Processus prædictus attestabatur. Utinam ea adhuc superstit & nobis aliquando mittatur! Interim eam accepimus quæ anno 1664 Maceratæ est impressa Italice, à Francisco Antonio Migliani Francisci præmemorati filio composita: & vero dignum fuit ut qui eumdem cum Conrado sanguinem, & nomen à Milliani insigni & vetusto castello ductum participabant,* alia Italice edita, *ejus honori promovendo solicitius adlaborarent. Ex hac autem (quæ tota fere à VVaddingo, Haroldoque & quadam epitome ad ipsum conventum spectante sumpta est) didicimus causam præmemoratæ translationis fuisse, quod ipse Conventus ex loco suburbano translatus intra urbem fuerit, fabricato ibidem novo ac sumptuoso templo, haud procul ab ecclesia S. Mariæ, inter vineas dictæ. Ibi juxta ostium, quo ad sacrarium introitur, deposita fuit arca intra murum; postea autem collocata subtus altare prædicti sacelli; quando etiam, & non prius, existimo factam marmoream arcam cum prænotata inscriptione.*

8 Nulla ex antiquis miraculis post mortem editis specificavit hic auctor, veteribus documentis destitutus: solum gratias quasdam, intercessioni illius Beati ab iis qui sunt experti attributas, commemorat; videlicet, virum Ascu[li] A *nobilem, sibi aliisque professum sæpius, quod incurabili podagra afflictus in juventute, medicis humana auxilia desperantibus, ipse ad divina per istum Dei servum invocanda recurrerit; obtestans ut saltem in alium minus difficilem morbum hac sua molestia converteretur; eaque tam limitata prece non nisi limitatam quoque obtinuisse gratiam, humore peccante vernis autumnalibusque diebus aliquot instar aquæ erorumpente per pedum digitos, absque molestia alicujus sensu. Alium oriundum ex Saladinorum familia (quæ B. Conrado materna fuit) & inunctam oleo lampadis ante sepulcrum ardentis, à se expulisse artriticum istud malum. Mulierem ægram podagricis ischiacisque doloribus, adeo ut nec in latus alterum ipsa se posset convertere, statim atque Conradum invocavit surrexisse de lecto, & quocumque voluit expedite ambulavisse. Aliam moribundo filiolo, cum omnium circumstantium stupore, vitam & sanitatem continuo ut preces fudit, recuperasse. Tertiam voti compotem factam quo prolem masculam desiderabat. Denique super omnia appendit hic auctor, quod anno MDCXXVIII in primis Vesperis, unde festum B. Mariæ Angelorum sive Portiunculæ Fratres Minores ordiebantur mense Augusto, effigies B. Conradi, supra arcam deposita, visa sit fluere miraculoso sudore, qui sequenti deinde die duravit, prognosticus violandi in secundis Vesperis templi per cruentam civium dimicationem: in qua nonnemo Beato devotior, cum vehementer saucius pro mortuo haberetur, non tantum servavit vitam, sui ut credidit Patroni beneficio, sed etiam à vulnere cito convaluit.* E

testis quarumdam gratiarum ipsi attributarum.

9 In prima Martyrologii Franciscani editione anni 1638 Beatus iste refertur ad V Iulii: non quia aliquis, eorum quos auctor allegat Scriptorum, diem mortis aut cultus talem tradiderit; sed quia, in omnium silentio, liberum sibi credidit ille, pro ea quam sibi sumebat auctoritate, quem collibuisset diem accipere. Quod quia de plurimis aliis fecisse cognoscitur, quorum ignorabat diem, qui tamen postea aliunde innotuit; ideo nihil illi credere possumus etiam de talibus agenti, quorum alias satis certus satisque publicus cultus habetur, donec ex ipso loco aut ab aliquo fidei melioris teste cognoscamus certius, an revera ejusmodi dies ipsis conveniat. Atque hoc dictum sit in eorum gratiam, apud quos publica aliqua est alicujus Beati Minoritici veneratio; ut, si eum velint operi huic inseri, informandos nos esse sciant; neque satis esse putent, quod ejus nomen possimus in isto Martyrologio legere; alias inter Prætermissos rejiciendum intelligant.

Nomen ad 5 Iunii removendum.



XX

SANCTI QUI XII KALENDAS MAII COLUNTUR.

Sanctus Sulpitius,
S. Servilianus, } Martyres Romæ.

S. Victor,
S. Zoticus,
S. Acindynus,
S. Zenon,
S. Cæsarius,
S. Severianus,
S. Christophorus seu Chrysophorus,
S. Theonas,
S. Antoninus, } Martyres Nicomediæ in Bithynia.

S. Aradius Presb.
S. Taccius, } Martyres Alexandriæ.

S. Servanus,
S. Araicus,
S. Silvanus seu Silvanianus,
S. Fortunatus,
S. Ioannes,
S. Honoratus sive Oratus,
S. Donatus,
S. Marcia,
S. Gemma,
S. Comelia,
S. Gemina,
S. Cornelia,
S. Fortunata,
S. Vincentia, } Martyres in Africa.

S. Silvanus seu Salvianus,
S. Asaiacus sive Aiaricus,
S. Donata,
S. Quinta, } Martyres Romæ via Nomentana.

S. Genesius seu Senesius,
S. Publius seu Pullius, } Martyres.

S. Victor,
S. Felix,
S. Alexander,
S. Papias, } Martyres Romæ passi.

S. Marcellinus, Episcopus Ebredunensis, in Gallia.

S. Theotimus, Episcopus Tomitanus, in Scythia,

S. Theodorus Trichinas, in eremo Thraciæ, prope Constantinopolim.

S. Paphnutius Hierosolymita, Eremita aut Monachus apud Græcos.

S. Mamertinus Abbas,
S. Marianus Monachus, } Autissiodori, in Gallia.

S. Wiho, Episcopus Osnabrugensis, in Westphalia.

S. Heliena, Virgo Laurinensis in Italia.

S. Hugo, monachus Benedictinus in S. Martini apud Æduos & Prior Enziacensis in Gallia.

B. Guilielmus, peregrinus, in Bavaria Transdanubiana.

Vener. Oda Ordinis Præmonstratensis, in Hannonia.

S. Hildegundis Virgo Ordinis Cisterciensis, Schonaugiæ in Germania.

B. Dominicus Vernagalli, Ordinis Camaldulensis, Pisis in Hetruria.

S. Agnes de Monte-Politiano, Ordinis S. Dominici, in Hetruria.

B. Simon Tudertinus, Ordinis Eremitarũ S. Augustini, Bononiæ in Italia.

B. Ioannes, eremita Massacii, in Piceno.

Ven. Dominicus Leonesius, Ordinis Minorum Urbini in Italia.

Albertus, puer, à Iudæis occisus in Polonia, depositus Lublini in Collegio Societatis Iesu.

PRÆTERMISSI ET IN ALIOS DIES REIECTI.

Sancti Vincentius & Dominius in socii S. Marcellini Ep. Ebredunẽsis, & ab ipso missi & educti Diniam, ubi Ecclesiam rexerunt si facti Dinienses Episcopi, *referuntur cum dicto S. Marcellino hoc die à Wandelberto & in variis Mss. & memorantur in hujus Actis: at seorsim colitur* S. Vincentius xxII Ianuarii. *&* S. Domninus xIII Februarii.

S. Benedicti cõmemoratio gratiæ & gloriæ, *celebratur in Menologio Bucelini. Vitã ejus illustravimus* xxI Mart.

Felix de Barbarano, virgo Deo devota, *hoc die obiit Romæ, sepulta in ecclesia S. Cecilia in monte Iordani, anno* 1553. *Vitam descripsit Confessarius D. Caccia-guerra in epistola prolixa ad quamdam monialem: quam aliquantulum abbreviatam licebit Italice legere apud Silvanum Razzium tom. 2 de Feminis sanctitate illustribus, sed prudenter titulo* Beatæ *abstinuit, cum nullum ipsa cultũ habeat: rectius quoq; eodem abstinuisset Arturus in Gynaceo sacro, nescio cur, diem eidem signans* xxx Martii.

S. Engratiæ, Virginis & Martyris, *festum celebratur in Ecclesia Eborensi, ut indicatur in Breviario anni* 1548. *Vitam eius illustravimus.* xvI Aprilis.

Petrus Diaconus, *inscriptus est kalendario vetusto Missalis ante annos 600 exarati. Videtur is esse de quo egimus* xvII Aprilis.

S. Anicetus Papa Martyr, *refertur à Rabano & Floro in Mss. Attrebatensi, Tornacensi & Laetiensi. Acta dedimus* xvIII Aprilis;

B. Jacobus de Oldo, Confessor Tertiarius Laudæ, *notatur in Martyrologio Franciscano: Vitam damus eo quo potuit obiisse die.* XVIII Aprilis.

S. Tryphon, Archiepiscopus Constantinopolitanus, *refertur in Ms. Synaxario Claromontano. De eo egimus* XIX Aprilis.

S. Georgius, Confessor, Episcopus Antiochiæ in Pisidia, *memoratur in Ms. Synaxario Parisiensi. In Menæis & Martyrol. Rom.* XIX Aprilis.

S. Joannes Paleolaurita, in Palestina & eremo sanctæ civitatis, *memoratur in Menæis excusis & nonnullis manuscriptis: in aliis* XIX Aprilis.

S. Jacobi Apostoli capitis transpositio, & aliarum Reliquiarum Translatio Atrebati facta, *memoratur in Historia Relationis capitis S. Iacobi 3 Ianuarii edita, & celebratur sub ritu Duplicis majoris Dominica 2 post Pascha, ut traditur ab Arnoldo Raysio in Hierogazophylacio Belgico pag. 303 & sequentibus; ubi Reliquias enumerat, de quarum singulis actum est aut agetur diebus propriis natalibus.*

S. Dionysii, Martyris Romani, corpus asservari Montibus Hannoniæ, in ecclesia Carmelitarum Discalceatorum, ejusque memoriam hoc die celebrari, *tradit Willotius in Hagiologio Gallo-Belgico.*

S. Leontii Martyris corpus Roma acceptum solenni pompa illatum Ratisponā XX *Aprilis anno* MDCLIII.

Reliquiarū invētio in Stabel *forte* in Stabuleto *explicat Rosw. in Martyrologio vetere, ut arbitratus est*, Romano.

S. Marcus Episcopus, in Autissiodoro civitate, *memoratur in Ms. Martyrologio monasterii S. Sabini de Levitania in montibus Pyrenæis. Verum quia inter Episcopos Autissiodorenses nullus annotatur Marcus, arbitramur intelligendum, aut* Mamertinum Abbatem, *aut potius* Marianum monachum, *qui ambo Autissiodori vixerunt & hoc die coluntur.*

S. P. Theodosii *nomen inscribitur Kalendario Ruthenico apud Possevinum in Apparatu: sed* S. Theodorus *vocatur à Moscovitis, qui & Rutheni, in figuratis sui Kalendarii tabulis apud Cl. V. Laurentium vander Hem Amstelodami servatis. Putarem quod sit* Theodorus *Trichinas, de quo hodie Græci, si huic conveniret habitus Episcopalis ibi expressus, forte per errorem pictoris.*

Walderedus Episcopus Cæsaraugustanus *memoratur cum titulo* Sancti *in Martyrol. Hispan. Tamaji Salazar, ob auctoritatem Luitprandi: qui in Adversariis num. 109 vocat* Sanctū, *& dicit* obiisse XX Apr. *Tamaiū sequitur Bucelinus in Menologio Benedictino. Nos quia vacillat Adversaria Luitprandi, certiora monumenta requirimus.*

Ceduualla Rex Occidentalium Saxonū, ex insula Britannia Romam peregrinatus, à Sergio Papa anno 689 baptizatus, die XII Kal. Majarum, *ut inquit Beda l. 5 c. 7* solutus est à carne, & Beatorū est consortio sociatus in cælis. *Verba Bedæ descripsit Westmonasteriensis, ob quæ auctor Martyrologii Anglicani in utraq; editione eum ut Sanctū, & venerationi expositum refert, eumq; secutus Alfordus. Ast Harpsfeldus seculo 7 c. 14. ab omni titulo Sancti & Beati abstinet, solum ista dicit:* anno 689, XII Kalēd. Majarum ad Christum migravit. *Non meminerunt ejus Witfordus, in suo Martyrologio Anglice anno 1526 excuso; non Porterus, in Floribus præcipiorū Sanctorū Angliæ, Scotiæ & Hiberniæ anno 1632 impressis. Secutus est Ceduallam in regno Ina, cujus Acta recensuimus, VI Febr. & secuti Martyrologium Anglicanum* Sancti *titulum ei dedimus, quod jam optaremus non fuisse factum, uti modo in Ceduualla non facimus.*

Luthardus Ep. Paderbornensis, *cum titulo* Beati *inscriptus est Fastis Westphalicis, nuper confectis & ad nos missis.*

Agnes, soror S. Hildegūdis, ab Angelis delata in cælū, *refertur in Ms. Florario. Dicta historia infra in Vita S. Hildegūdis refertur, & priore quidē n. 7 at posteriore n. 17*

Uda *sive* Oda religiosa femina, in Brabantia in villa Thorerbais dicta, accepisse sacram Eucharistiam è manibus Christi Domini *traditur à Cæsario Heisterbacensi l. 9 c. 35, & Ioanne Gillemans prima parte Novalis Sanctorum Brabantiæ, qui addit* sancto fine quievisse. *Eam Raysius in Auctario ad Natales Sanctorum Belgii retulit ad hunc XX Aprilis, quo mortua alia* Oda, Sanctimonialis Ordinis Præmonstratensis, *cujus Acta infra damus. Addit Raysius priorem floruisse circa annum* 1220, & Venerabilem *appellat.*

Joannes, ex monacho Benedictino S. Dionysii, Cisterciensis, Abbas Igniacensis & Claravallensis, & Archiepiscopus Mithelenensis, obiit Claravallæ 20 Aprilis anni 1240, *& cū titulo* Beati *refertur à Chrysostomo Henriquez & Bucelino: sed in libro sepulcrorum solum* Bonæ memoriæ. *Eumdem celebrat Chalemotus, sed perperam Abbatem Claravallensem nominari asserit.*

Guido, ex Abbate Cistercīēsi, Archiepiscopus Remēsis & S. R. E. Cardinalis, & Sedis Apostolicæ Legatus, Gandavi defunctus, *cum titulo* Beati *relatus est in Menologio Henriquez & Bucelini; uti ad diem XX Maji in Kalendario Ordinis Divione anno 1617 excuso, & hujus exemplo à Chalemoto.*

Sanctorum Corporum, quæ per annum in Suessionensi S. Medardi monasterio humi prostrata jacuerant, relevatio & glorificatio, anno 1038 facta, *celebratur in Fastis dicti monasterii.*

Jacobus de Florentia, Episcopus Zaitonensis, *Martyr sub Saracenis in Oriente* 1363.
Stephanus à Borda & Antonius de Pulchro-visu, *In Aquitania à Calvinistis occisi* 1565.
} *ab Arturo inscripti Martyrologio Franciscano, quia necdum ab ecclesia vindicati, hic solum indicantur.*

S. P. N. Anastasius Sinaita, *memoratur cum insigni elogio in Menologio Basilii Imperatoris: ab aliis* XXI Aprilis.

Simeon Martyr, *post alios hujus diei Martyres adjungitur in* Ms. *pervetusto Casinensi, quem suspicamur coli.* XXI Aprilis.

S. Exuperantiæ translatio *indicatur in Mss. Parisiensi S. Germani de Pratis, Remensi Ecclesiæ SS. Timothei & Apollinaris, & Divionensi S. Stephani, sed perperam in hoc* Exuperiæ *scriptum: colitur illa Virgo Trecensis* XXVI Apr.

S. Monicæ translatio capitis & aliquot ossium Aroasiam *indicatur in Ms. historia, quā dabimus* IV Maji.

S. Domitilla Virgo *celebratur in Viola Sanctorum, Hagenoæ anno* 1508 *excusa. Acta dabimus* XII Maji.

SS. Senesius & Theopantus, Nicomediæ passi, & in cellam Ratolfi translati, *sub finem Ms. Usuardi à Widone Krantzelin adjuncti; videntur esse* S. Synesius & Theopompus, *ab aliis relati* XXI Maji.

S. Adalarius, à S. Bonifacio Erfordiensibus datus Episcopus, *memoratur hac die in Breviario Erfordiensi, anno* 1518 *excuso, ubi officio Ecclesiastico colitur ritu duplici, ob translationem corporis, & refertur in variis Martyrologiis, sed fere recentioribus. Habemus aliquam Translationis historiam & aliam inspectionis Reliquiarum anno 1633 facta. Quæ omnia more nostro danda ad diem martyrii, quod cum S. Bonifacio subiit, & in antiquioribus Martyrologiis refertur* V Junii.

Baudelius Martyr Zamorensis, sub Diocletiano, anno 288 passus XX Aprilis, *refertur à Iuliano Petri in Adversariis num. 321, ubi addit diem natalem celebrari Kalendis Novemb. refertur tamen ad hunc XX Aprilis in Hagiologio Lusitano Georgii Cardoso. At Tamaius Salazar ex poemate Auli Hali contendit festo Apostolorum Petri & Pauli occubuisse, atque ex Chronico Fl. Dextri adjungit Iuliam & alios Martyres. Verum quia dicti auctores nobis de suppositione sunt suspecti imo convicti, nihil de iis asserere possumus. Si certiora nanciscamur monumenta, ea poterunt proferri* XXIX Junii *aut die* I Novembris.

S. Sernanus, Epis. & Ap. Orcadiensium, *memoratur à Camerario in Menologio Scotico: ab aliis* I Julii.

S. Anacletus Papa, Martyr, *indicatur in Ms. Trevirensi S. Martini: colitur* XIII Julii.

B. Joan-

A B. Joannes Agnus, Episcopus apud Trajectum superius, *indicatur in scripto Auctario Carthusiæ Bruxellensis ad Grevenum. Dies ejus natalis* XXV Julii.

S. Georgii Betleemitæ, monachi & Martyris, & S. Venantii Abbatis corporis revelatio apud S. Germanum *inscripta est antiquo Martyrologio Usuardi, in dicto monasterio adservato. Miramur eorum nullam fieri mentionem apud Menardum, qui ibidem monachus vixit aut apud Saussaium, qui Parisiis scripsit. Meminit Menardus* XX Octobris Translationis reliquiarum S. Georgii monachi *ad dictum monasterium S. Germani, & in Indice censet* Martyrem Cordubensem, *qui colitur.* XXVII Julii.

Meminit & depositionis S. Venantii Abbatis Turonis XIII Octobris.

S. Victor, Papa, Martyr, *refertur ab Usuardo, Adone, Nockero & aliis recentioribus; ut hoc die dicimus ad Martyres Romanos, Victorem, Felicem, Alexandrum & Papiam. Dies natalis S. Victoris Papæ est* XXVIII Julii.

Capitis S. Agapiti Martyris, à Theodosio juniore Vesontionem transmissi nova inventio *in ecclesia S. Stephani, hoc die facta recolitur quotannis officio Ecclesiastico, teste Ioanne Iacobo Chiffletio parte 2 Vesontionis pag. 196, & Historia inventionis in tres lectiones distributa invenitur inserta Breviario Vesontionensi anni 1590, putaturque esse S. Agapitus Prænestinus, ideoque quæ de hoc est in Breviario Romano Oratio etiam Vesontione recitanda præscribitur. Itaque quamvis hic dicatur ejus esse Natalis, agemus de ipso die quo colitur.* XVIII Aug.

B S. Zachæi Apostoli memoria *celebratur in Menæis excusis & in aliquo Ms. At quis ille sit non indicatur neque additur aliquod distichon. Celebratur ab Usuardo & aliis* Zachæus Episcopus Hierosolymitanus X Kalendas Septembris; *& additur ab aliquibus* Zachæus publicanus, de sycomoro à Christo evocatus, *quasi postea fuisset Episcopus Cæsareæ Palestinæ. Adduntur & alii Zachæi; proinde & hunc transmittimus ad dictum diem* XXIII Augusti.

Victor, Episcopus Carthaginensis, *refertur à Petro de Natalibus lib. 4 cap. 70, & ejus exemplo à Maurolyco. Sed is est* Victor, Episcopus Cartennensis in Mauritania Cæsariensi, *relatus à Gennadio cap. 77. Galesinius loco hujus retulit* Victorem, Episcopum Uticensem. *Ferrarius dubius de loco,* In Africa, *inquit,* S. Victoris Episcopi. *An* Victor Uticensis *sit* Sanctus vindicatus *disputat Petrus Franciscus Chiffletius cap. 16 elucidationis in* Victorem, *quem ipse* Vitensem *appellat. Quæ erunt latius discutienda, ad diem, quo Victor Uticensis inscriptus est Martyrologio Romano,* XXIII Augusti. D

S. Cosmæ Martyris Translatio, ex insula Creta Venetias ad ecclesiam S. Georgii Majoris, *celebratur ibidem hoc die, & memoratur à Ferrario in generali Catalogo. Dies ejus natalis notatur à plerisque* II Sept.

S. Januarius, S. Desiderius, S. Proclus, S. Sosus, S. Pheustus, S. Eutyches, S. Acution, Martyres, *referuntur in Ms. Synaxari Græco Parisiensi collegii Claromontani Societatis Iesu. Sunt hi Martyres Puteolani, à Latinis relati* XIX Sept.

B. Joannes Prandotha, Episcopus Cracoviensis, *in Vita excusa hodie dicitur obiisse; sed Chronicon Episcopale antiquum Ms. in Archivio Ecclesiæ Cathedralis expresse notat diem S. Matthæi Apostoli & Evangelistæ,* XVI Sept. E

S. Sturmius, Abbas Fuldensis, *refertur in Diario Reliquiarum Metropolitanæ Pragensis, propter partem cruris brachiique an. 1361 à Wilhelmo Archiepisc. Coloniensi donatam Carolo IV Imperatori colitur* XVI Decemb.

Petrus, ex Abbate Cisterciensi, Episcopus Atrebatensis, mortuus anno MCCIII, *memoratur à Claudio Chalemoto cum titulo* Beati, *qui num illi jure Ecclesiastico recte tribuatur, poterit discuti, ad diem, quo inscriptus est Kalendario Ordinis Cisterciensis, Divione excuso, & Menologio Henriquez ac Bucelini* XVIII Decembris.

S. Anastasius, Hieromartyr Antiochiæ, *celebratur in Menæis Græcorum excusis, & in disticho adjuncto dicitur* gladio cæsus, *In Menæis Mss. Chiffletianis dicitur* Archiepiscopus, *& esset ille, qui sub Phoca Imperatore à Iudæis fuit occisus estq; inscriptus Martyrologio Romano, quando poterit ea lis dirimi ad diem* XXI Decembris.

DE SS. SULPITIO ET SERVILIANO
MARTYRIBUS ROMANIS.

G. H.

Sub Traiano.

C *Acta horum Martyrum dantur ex Mss. Actis SS. Nerei & Achillei.*



De XV Aprilis dedimus res gestas sanctorum Martyrum Maronis, Eutychetis & Victorini Presbyterorum, exceptas ex Actis martyrii SS. Nerei, Achillei & Domitillæ, quæ habemus in quamplurimis & valde illustribus codicibus Mss. Interponuntur in iis varii tituli, inter quos est hujusmodi: Explicit de passionibus Eutycetis, Victorini & Maronis: incipit Domitillæ, & Euphrosinæ & Theodoræ Virginum; & Sulpitii ac Serviliani. *Ex his duo ultimi hoc die XX Aprilis coluntur, & quæ ad illos spectant ex dictis Actis excerpta hic dantur.*

Erant desponsati, adhuc ethnici

2 Factum est autem postquam omnes Dei Sanctos tulit à solatio Domitillæ Aurelianus, dixit ad Sulpitium & Servilianum, juvenes illustres viros: Scio quia conlactaneas Domitillæ habetis sponsas, id est Euphrosinam & Theodoram virgines sapientissimas. Cum ergo Domitillam deponi fecero de insula ad Campaniam, istæ ad illam visitandi gratia vadant, & suasione sua revocent ad gratiam meam animum ejus. . . , His factis venit Aurelianus cum duobus sponsis ipse tertius, cum tribus organariis, ut quasi uno die trium virginum nuptiæ fierent. Sulpitius autem & Servilianus videntes mutam loqui, & Herodem Theodoræ fratrem illuminatum signo Crucis & precibus Domitillæ, crediderunt. Quos cum Aurelianus instanter hortaretur, ut una die simul acciperent sponsas suas, Sulpitius & Servilianus prudentissimi homines dixerunt ei: Da honorem Deo, cujus virtute cæcum illuminatum conspicimus, & mutam loquentem videmus. Aurelianus autem non curans de his quæ illi loquebantur, fecit per potentiam suam includi in cubiculo Domitillam, ut securius faceret violentiam; & positis organis post cœnam cœpit lætus saltare inter eos. Cui saltanti more solito nuptiarum, omnibus autem deficientibus, ille incessanter tamdiu saltavit per duos dies & duas noctes, quamdiu corruens expiravit: Videntes autem quæ evenerant, omnes crediderunt.

convertuntur ob cæcum & mutam sanatos à S. Domitilla

F *& Aurelianum divinitus mortuum.*

3 Frater autem Aureliani, nomine Luxurius, petiit ab Imperatore Trajano, ut hos omnes ad sacrificandum compelleret: qui si non consentirent, pœnis eos quibus vellet interimeret. Unde factum est ut Sulpitium & Servilianum Præfecto Urbis Aniano traderet: quos Præfectus confessos, quod nuper facti essent Christiani, nolentes penitus ultra idolis immolare, decollari eos præcepit. Quorum corpora Christiani posuerunt in prædio eorum; via Latina milliario secundo: in quo loco exuberat virtus eorum usque in præsentem diem. *Hactenus Acta ex quamplurimis & optimæ notæ codicibus MSS. His consentanea sunt antiqua Martyrologia, & quod Usuardus scripsit ita habet:* Romæ sanctorum Martyrum Sulpitii & Serviliani, qui prædicatione & miraculis Domitillæ Virginis ad fidem Christi conversi, cum nollent idolis immolare, à Præfecto Urbis Aniano capite cæsi sunt. *Quæ in hodierno*

à Luxurio delati,

Iussu Aniani Præfecti capite plectuntur,

inscripti Martyrologiis,

AUCTORE G. H.

hodierno Martyrologio Romano eadem adhuc leguntur. Aliquanto plura ex Actis habent Ado & Notkerus: secuti passim recentiores in suis Martyrologiis Mss. & excusis.

4 *Paulus Aringhus lib. 4 Romæ subterraneæ cap 4 tradit in prædicto horum Martyrum prædio factum fuisse cœmeterium, vetustissimum præ ceteris via Latina, & SS. Gordiani & Epimachi cœmeterio cohærens: cujus meminit Anastasius Bibliothecarius, in Vita S. Hadriani I Pontificis Romani, his verbis*: Simili modo & basilicam SS. Gordiani & Epimachi seu cœmeterium ejusdem Ecclesiæ Simplicii & Serviliani, atque Quarti & Quinti Martyrum, & B. Sophiæ, una cum cœmeterio S. Tertulli; foris portam Latinam, à novo renovavit. *Et paulo post addit Aringhus*: Extat in viridario quodam, juxta ecclesiam B. Michaelis Archangeli, quæ communi omnium voce in Burgo nuncupatur, pervetusta inscriptio lapidi insculpta, quam è celebri eodem cœmeterio illuc advectam credere nobis par est; eamdemque ipsorum Martyrum sepulcro affixam olim fuisse, quæ contemplanti se offerunt, conjecturæ suadent. Inscriptus autem lapis hujuscemodi tenoris est: SIMPLICIUS MARTYR, SERVILIANUS MARTYR, *interposito bis corde flammam eructante. Sed qui hic* Simplicius, *alibi* Sulpitius *dicitur & socius* Serviliani; *pro quo alibi etiam* Semiliani *legitur, & simul coli dicitur* XII *Calendas Maji.*

sepulti in cœmeterio via Latina.

cum inscriptione,

B

Corpora an sint Romæ in ecclesia S. Praxedis,

5 *Octavius Pancirolus, in Thesauro abscondito almæ Vrbis Romanæ, regione 2 cap. 42, docet è dicto cœmeterio SS. Sulpitii & Serviliani Corpora translata fuisse ad Ecclesiam S. Praxedis, & istic integra etiamnum asservari. At Gaspar Bruschius, in Chronologia monasteriorum Germaniæ fol. 48, hæc corpora sub dicto Papa Adriano in Germaniam delata fuisse scribit his verbis*: Elephanciacum, alias Elefancense, vel ut hodie vocant Elwangense, magnificum Ordinis Divi Benedicti ad Jagistam vel Jaxtum Franconiæ amnem, in Virguna hodie Virngrundt situm, & à capto ibi tragelapho dictum monasterium; fundatum est anno Domini DCCLXIV ab Episcopo quodam Lingonensi Hariolpho: quem Pipinus & Carolus Magnus Galliarum Reges carissimum habuere, & Patrem salutare soliti sunt. Consecutus est Harcolphus fundator privilegia, & corpora SS. Sulpitii & Serviliani Martyrum, à Papa Adriano. *Habemus Icones eleganter sculptas SS.* Benigni, Sulpitii & Serviliani Martyrum, Ecclesiæ Elvacensis Patronorum, *iisdemque subjuncta Vitarum compendia, simul anno* MDCXII *Augustæ Vindelicorum excusa; ubi de dictis Martyribus sub finem sic habetur*: Corpora SS. Sulpitii & Serviliani via Latina primum condita, ubi multis claruere miraculis, demum Elvacum in Ecclesiam collegiatam S. Viti, ab ejusdem Ecclesiæ Fundatoribus Beato Hariolpho & Erlolpho, Adriani Pontificis gratia & auxilio, translata sunt: ubi solenni cultu devote honorantur. *Hæc ibi. Festum translationis celebratur* XXIII *Maji: dicitur autem ecclesia collegiata, quia postea facta esse, uti jam visitur*, nobile Canonicorum secularium, equestro genere natorum, collegium, *scribit Gabriel Bucelinus, tomo* I *Germaniæ sacræ par. 2; ubi ait, monasterium esse* fundatum à BB. Hariolpho & Edolpho fratre ejus, Lingonensi Episcopo, anno Christi DCCLXIV, qui & corpora SS. Sulpitii & Serviliani Martyrum eidem intulerunt. *Vtrumque fuisse Lingonensem Episcopum scribit Iacobus Vignerius in Chronico Lingonensi. Cœpit præesse Ecclesiæ Adrianus Papa à die* X *Februarii anni* DCCLXXII, *usque ad annum* DCCXCV, *qui obiit* XVI *Decembris.*

an delata in Germaniam ad monasterium Elwangense.

sub Adriano Pontifice,

C

ab Hariolpho & Edolpho Episcopis Lingonensibus.

6 *Bononiæ etiam Franciscani celebrant hoc* XX *Aprilis festum* S. Serviliani Martyris *Officio Ecclesiastico sub ritu duplici, eo quod habeant caput alicujus Serviliani cum corpore, uti constat ex Calendario Sanctorum dicti conventus, quod nobis tradidit anno* MDCLX *Innocentius Guardianus apposito sigillo suo. Meminit ejusdem S. Servilian Masinus in Bononia perlustrata ad hanc* XX *Aprilis, asseritque illud Roma delatum esse Bononiam anno* MDCXXII, *sub Pontificatu Gregorii* XV, *procurante Mario Antonio Gozzadino Cardinali Bononiensi, ad petitionem Michaelis Miserotti Episcopi Bitectini, Ordinis Conventualis S. Francisci, qui & ipse Bononiensis erat. Videntur hi, accepto corpore S. Serviliani, confugisse ad Martyrologium Romanum, in quo hic unicus Servilianus est & Romæ passus: deinde ex communi atque inveterato errore conclusisse se ejus corpus habere. Addit Masinus aliquas S. Sulpitii reliquias esse in ecclesia B. Mariæ Servitarum.*

D

Bononiæ est corpus alicujus S. Serviliani,

acceptum anno 1622,

7 *Est apud Picentes in diœcesi Firmana, oppidum Servilianum nomine, ad caput torrentis cui tabulæ chorographicæ Leti-mortui appellationem signant, inter Tingam & Asonem fluvios, millibus passuum circiter viginti ab Adriatico mari. Dictum esse à Servilio aliquo, an Serviliano ipsius loci quondam domino (uti & pleraque alia hujusmodi terminationis pene infinita, quibus non præponitur titulus* Sancti) *puto extra dubium esse debere. Hujus oppidi cives cum in Romano Martyrologio cognominem suæ patriæ Martyrem, & quidem tam illustrem, invenissent; dederunt operam ut aliquas ejus Reliquias haberent Roma, ubi passum constabat. Obtinuerunt autem ex Romanis cryptis corpus alicujus S. Serviliani Martyris (an vere in cryptis reperto nomine, an ad arbitrium inventoris indito, nihil attinet quærere) & juxta eum quem supra notavimus communem atque inveteratum errorem, eumdem esse rati, quem Martyrologii signabant tabulæ, anno* MDCLXIII *magna solennitate intulerunt in ædem Parochialem, ibique ad aræ principis sinistrum latus in altari marmoreo collocavere. Opera pretium erit inspicere ipsa Romanæ inventionis testimonia; vix enim dubitamus, quin inveniendum sit nomen cœmeterii alterius, ex quo sumptum illud corpus est, quam ejus in quo famosum Martyrem Servilianum tumulatum fuisse constat. Quamvis autem idem cœmeterii nomen proderetur, certi tamen quod famosi illius corpus adeo diu non delituerit, quodque unius ejusdemque nominis plurimi potuerint, imo debuerint, in tanta Martyrum undique adductorum copia, uno cœmeterio condi; non possemus persuaderi ipsum esse id quod nunc recens est erutum. Mallemus ad vitandam confusionem, in statuendis talium Martyrum noviter inventorum festis, abstineri à diebus illis, quibus nomen in Romano Martyrologio occurrit: non tamen propterea receptum jam usum improbamus penitus; & ideo istius quoque S. Serviliani hic facimus mentionem, ex indicio nobis facto à R. D. Francisco de la Grange Sacerdote Gallo, istuc peregrinato, & nunc apud Divæ Virginis Lauretanæ ad... Sacellano.*

Aliud in oppido Serviliani apud Picentes,

E

acceptum an. 1663.

F

8 *Aliquod* mediocre ossiculum S. Serviliani Martyris *habet Ecclesia Domus Professæ Societatis Iesu Antverpiæ, & tanquam huc spectaret appositus est dies* XX *Aprilis. Allata autem* Roma *fuere anno* MDCXXIII *à P. Marco vanden Tympel Societatis nostræ, eas ibidem nacto beneficentia Excellentissimi Domini Ioannis Ferdinandi Pacheco, Marchionis Villenæ; anno* MDCVI *pro Majestate Catholica apud Paulum Papam* V *Oratore: qui P. Marcus ipsas aliasque tunc pariter acceptas allatasque, & à Ioanne Maldero Episcopo Antverpiensi approbatas, dedit Domicellæ Mariæ Hautappels, insigni domus nostræ cum suis sororibus benefactrici: & hæc easdem ad sacelli Mariani ornamentum nobis restituit anno* MDCXXVI; *postea vero in varias Hierothecas distributæ sunt singulæ, atque ita os Mediocre S. Serviliani, nunc in ea requiescit, quæ inscribitur titulo Sanctorum Martyrum non Pontificum.*

particula Antverpiæ,

DE

D

DE SANCTIS MARTYRIBUS NICOMEDIENSIBUS

VICTORE, ZOTICO, ACINDYNO, ZENONE, CÆSARIO, SEVERIANO, ITEM CHRISTOPHORO, THEONA, ANTONINO,

G.H.



Os Martyres in duas turmas distinctos, ad duos diversos dies profert antiquum Menologium Græcum, jussu Basilii Imperatoris Porphyrogeniti seculo Christo decimo ordinatum: ac priores hoc elogio celebrat die XVIII *Aprilis.* Certamen sancti martyris Victoris & sociorum ejus. Eo tempore, quo Diocletianus impius Imperator maximam illam & terribilissimam persecutionem adversus Christianos excitavit, ac comprehensus invictus Christi Martyr Georgius multiplicibus subjectus fuit tormentis, & longe admirabilia supra vires humanas edidit prodigia; multi hæc videntes Christianæ fidei nomen dederunt: & ex his alii quidem illico capite obtruncati sunt aut igne cremati, alii vero in carceres detrusi, ut postea cruciatus perferrent. Inter priores fuerunt sancti Christi Martyres Victor, Acindynus, Zoticus Zeno & Severianus, qui, cum S. Georgium vidissent rotæ alligatum, & nullatenus propterea læsum; fidem Christi sunt amplexi. Idcirco cum in iram exarsisset Diocletianus, primum quidem ipsi pluribus tormentis acriter subjecti fuerunt: demum vero cum idolis sacrificare recusassent, capitibus abscissis martyrium compleverunt.

2 *Hæc ibi. Ad diem vero sequentem* XIX *Aprilis ista in eodem Menologio continentur:* Certamen sancti Martyris Christophori & sociorum. Hi quoque tres Martyres eadem die, qua variis tormentis cruciatus fuit Megalo-Martyr Georgius, astabant Imperatori hastas ferentes; ac cum prodigia vidissent, projectis non modo armis sed & militaribus balteis, coram ipso libere professi sunt Christum. Deprehensi proinde & catenis devincti, in carcerem detrusi fuerunt. At sequenti die è carcere educti, & vinculis onusti, coram ipso Imperatore constituti sunt. Ac primum quidem comminationibus, tum etiam cruciatibus sed moderatis Christum deserere cogebantur: cum vero constantem & immutabilem Christi fidem custodirent, suspensi sunt ac facibus in lateribus incensi, & sic in carcerem conjecti. Posthæc iterum è carcere educti, denuo Christum abnegare & idolis sacrificare jussi sunt. Nolentes autem obtemperare martyrium consummarunt. *Hæc Menologium Basilii Imperatoris ante septingentos annos conscriptum. De aliis tunc in carceres conjectis, ac postea coronatis agemus die* XXIII *&* XXIV *Aprilis. Hos omnes referunt ad jam citatos dies Mss. Menæa Taurinensia Ducis Sabaudiæ & Parisiensia Cardinalis Mazarini & alia Patrum Dominicanorum in platea S. Honorati.*

3 *Iidem Martyres in Magnis Menæis excusis & manuscriptis & apud Maximum Cytherorum Episcopum referuntur hoc* XX *Aprilis adjuncto hoc elogio:* Eodem die sanctorum Martyrum Victoris, Zotici, Zenonis, Acindyni, Cæsarii, Severiani, Christophori, Theonæ & Antonini. Hi omnes impio Diocletiano imperitante, martyrii agonem sustinuerunt, quando & multarum palmarum Athleta Martyr Christi Georgius comprehensus torquebatur, & inter supplicia, admiranda plane edebat prodigia. Victor enim, Acindynus, Zoticus, Zeno & Severianus cum viderent S. Georgium in rotam actum & tamen nihil læsum; una simul omnes voce se Christianos esse professi sunt, & mox capitibus plexi. Christophorus autem & Theonas & Antoninus erant satellites, hastas ferentes coram Imperatore: qui quodam die dum juxta Imperatorem adstarent, & ab hoc viderent Megalo-Martyrem Georgium quæstionibus crudeliter tractari; qui tamen coram illis mortuum paganum, invocato Christo Deo, in vitam subito revocarat; abjectis statim militaribus cingulis, & in conspectu Imperatoris totiusque theatri armis depositis, Christum verum Deum esse profitebantur. Comprehensi ergo & in vincula ducti conclusique fuerunt; & post aliquot dies ad tyrannum producti, & in eculeo suspensi crudeliterque cæsi, admotis etiam ad latera tædis ardentibus ustulati, ac demum in rogum projecti, martyrii coronam reportarunt.

E

4 *Hæc dicta Græca Menæa, prætermisso in ipsa narratione Cæsario, quod typothetarum aut librariorum incuria adscribendum putamus. Ex Menæis suo more Sirletus in suo Menologio hoc elogium formavit ad hunc* XX *Aprilis:* Eodem die sanctorum Martyrum Victoris, Zotici, Zenonis, Acindyni, Cæsarii, Severiani, Christophori, Theonæ & Antonini, sub Diocletiano impio Imperatore martyrio coronatorum. *Galesinius citatis Græcorum monumentis ista tradit:* In Græcia sanctorum Martyrum Victoris, Zotici, Zenonis, Acindyni, Cæsarii, Severiani, Christophori, Theonæ & Antonini. Ii Diocletiano fidei adversario, pro Christo Domino dimicatione suscepta varie, torti ac varie item necati, admiranda constantia martyrium obierunt. *Denique Martyres iidem referuntur in Martyrologio hodierno Romano his verbis:* Eodem die sanctorum Martyrum Victoris, Zotici, Zenonis, Acindyni, Cæsarii, Severiani, Chrisophori, Theonæ & Antonini, qui sub Diocletiano varie tentati martyrium compleverunt. *In notis citantur Græci in Menologio, scilicet Sirleti, in quo & apud Galesinium* Christophorus *dicitur, uti etiam in Menologio Basilii Imperatoris & reliquis Menæis. Verum hic Diocletiani satelles videatur potius* Chrysophorus *dictus, aut* Chrestophorus, *& ab aliis* Christophorus *post martyrium appellatus. Idem* Christophorus *adjungitur* XXIV *Aprilis SS. Eusebio, Neoni, Leontio & Longino, ab S. Georgio fidem Christi edoctis, & securi percussis, uti & ipse Christophorus. De mortuo, à S. Georgio ad vitam revocato, in ejus Actis ad diem* XXIII *Aprilis agitur: uti & de variis illi inflictis tormentis.*

F

4 *Hic finis foret encomii horum Martyrum, nisi post editum Romanum & Galesinii Martyrologium atque post Sirleti Menologium anno* MDCIV, *visi fuissent nulli loco aut regioni adjudicati, eo quod in horum encomio non fieret ulla mentio S. Georgii, ac propterea crederentur fore primo occupantis. Ut ergo attribuerentur Hispaniæ, inserti sunt Pseudo-Chronico Lucii Dextri, sub hujus seculo initium confecto, in quo ad annum Christi* CCC *ista leguntur:* Iturissæ in Vasconibus sancti Martyres Socrates, Dionysius, Victor, Zoticus, Arcadius, Cæsarius, Severinus, qui sub Diocletiano varie torti martyrium compleverunt: quibus additi sunt Christophorus, Antonius, Theonas, qui varie torquentur. *Ad quem locum ista annotat Rudericus Carus:* De Socrate & Dionysio Martyrologium Romanum XIX Aprilis: de reliquis XX ejusdem tacito martyrii loco. *Verum*

Margin notes: *in Menologio Sirleti* — *Martyrologio Galesinii,* — *& Romano.* — *an Christophorus melius Chrysophorus dicatur?* — *relatus etiā 24 Apr.* — *in Pseudo-Chronico Dextri adscripti perperam Hispaniæ:*

A rum hunc jam demonstravimus esse Nicomediam, ubi coram Diocletiano præsente palmam meruere. Bivarius ad hunc Dextri locum eosdem dies Aprilis assignat. At codex Dextri, inquit pro Chrisophoro habet Christophoro, litterula variata. Verum ne omnia sint cum dictis martyrologiis eadem, omittuntur Zeno & Acindynus, & obtruditur Arcadius nescio unde acceptus: qui autem aliis sunt Severianus & Antoninus, huic Pseudo-Dextro scribuntur Severinus & Antonius. Omnium nomina resumpsit Tamajus Salazar in Martyrologio Hispanico, ipse quoque eosdem Iturissæ in Vasconia adscribens, atque Iturissam nunc Sanguessam dici conjectans. A

G. H.

DE SS. ARADO PRESB. ET TACCEO

MARTYRIBUS ALEXANDRIÆ.

XX APR.



ANtiquissimum apographum Martyrologii Hieronymiani, ante mille propemodum annos exaratum, quo hactenus usi sumus, ab his duobus Athletis auspicatur diem vigesimum Aprilis his verbis: XII Kalendas Maji. In Alexandria Aradi Presbyteri & Taccei. Martyrologia pervetusta monasteriorum Richenoviensis prope Constantiam in Suevia & Rhinoviensis in Helvetia ista habent: In Alexandria Aradi Presbyteri, Silvani. Sed hic in priore apographo & passim in aliis Martyrologiis refertur ad Martyres Afros sub alio ordine hic consequenter.

DE SANCTIS MARTYRIBUS AFRIS.

G. H.

SERVANO, ARAIACO, SILVANO SEU SILVANIANO, FORTUNATO, IOANNE, HONORATO SIVE ORATO, DONATO, MARCIA, GEMMA, COMELIA, GEMINA, CORNELIA, FORTUNATA, VINCENTIO.

B

XX APR.



ESt hæc altera Martyrum classis in prædicto apographo Martyrologii Hieronymiani sic indicata: In Africa Natalis SS. Silvani, Fortunati, Johannis, Honorati, Donati, Marciæ, Gemmæ, Corneliæ, Fortunatæ. In aliis tribus apographis Martyrologii Hieronymiani deerant duo Martyres Alexandrini jam relati, & multo plures recensentur Martyres Afri, hoc modo ex codice Lucensi excepti: XII Kalendas Madii. In Africa natalis SS. Servani, Arajaci, Silvaniani, Fortunati, Joannis, Orati, Donati, Marciæ, Gemæ, Corniliæ, Geminæ, Corneliæ, Fortunatæ. Apographum Blumianum loco Arajaci & Corniliæ habet Aralaci & Conciliæ: in reliquis consentit. Apographum Corbejense Parisiis excusum eosdem Sanctos refert cum aliqua scriptionis varietate; & loco Servani, Orati, Corniliæ, Fortunatæ legitur, Serviani, Oratis, Corneliæ, Fortunati, ac deinde additur Vincentiæ: quod nomen in aliis desideratur: & sic tredecim aut quatuordecim sunt nomina Martyrum in posterioribus apographis, cum in antiquissimo Epternacensi sint solum novem: desiderantur namque in hoc duo priora nomina, Servani & Arajaci: dein loco Silvaniani, Orati, Geminæ, legitur Silvani, Honorati, Gemmæ: desunt etiam ibidem alia duo nomina, scilicet Comeliæ, Corneliæ seu Conciliæ, & Geminæ, & adsunt duo ultima Corneliæ ac Fortunatæ, quibus in Corbejensi codice additur nomen Vincentiæ.

Nomina in antiquis Martyrologiis S. Hieronymi.

Varietas in scriptione.

2 In Ms. codice Reginæ Sueciæ, quod in Animadversis ad Martyrol. Rom. delibavit Holstenius, ista leguntur: In Africa natalis Sanctorum Silviani, Fortunati, Joannis cum aliis octo. Ms. Trevirense S. Martini hæc prodit; In Africa Silviani Martyris cum aliis decem. In Ms. S. Sabini in agro Tarbiensi refertur passio S. Donati. Universim ergo undecim fuisse notantur in dictis Martyrologiis. Ms. Barberinianum aliquos hoc modo indicat: In Africa natalis Servani, Silviani, Fortunati, Joannis. Est & nomen Joannis in Trevirensi S. Maximini parvo sed pervetusto, & Auctario Greveni. Mss. Augustanum S. Udalrici & Parisiense Labbei tres dumtaxat suggerunt: Africa Serviani, Aricatii, sive Arnati, & Joannis. Nomen Serviani, primo loco traditur in Mss. Aquisgranensi & Corbejensi: at Silvani additur in Mss Richenoviensi & Rhinoviensi. Omnibus consideratis proponimus in titulo nomina quatuordecim Martyrum, ut lector de omnibus per se ferat judicium.

Nomina in aliis fastis.

G. H.

DE SS. VICTORE EP. FELICE, ALEXANDRO, PAPIA.

MARTYRIBUS ROMÆ PASSIS.

XX APR.



TErtia classis Martyrum in sæpius laudatissimo apographo Epternacensi Martyrologii Hieronymiani his verbis proponitur: Romæ Victoris Episcopi, Felicis, Alexandri, Papiæ. In aliis tribus apographis ejusdem Martyrologii Hieronymiani, scilicet Lucensi, Blumiano & Corbejensi Parisiis excuso, parum auctius ista leguntur: Romæ depositio S. Victoris Episcopi, Felicis, Alexandri, Papiæ. Mss. pervetusta Vaticanum ecclesiæ S. Petri, alia Romana Cardinalis Barberini & Ducis Altempsii, Casinense charactere Longobardico & Richenoviense sive Augiæ-divitis prope Constantiam in Suevia, ultimo omisso, ista tradunt: Romæ depositio Victoris Episcopi, Felicis, Alexandri. Omisso etiam Alexandro, reliqua continentur in Ms. Rhinoviensi. At Ms. Reginæ Sueciæ ab Holstenio etiam excusum ista solum habet: Romæ S. Victoris Episcopi. At Romæ Victoris legitur in Mss. Augustano S. Udalrici & Parisiensi Labbæi. In Ms. S. Cyriaci à Baronio in Notis Martyrologii sæpius laudato habetur: De præsidio Victoris Episcopi: forsitan vitio amanuensium, & scribendum Depositio Victoris Episcopi, uti ea leguntur in Mss. Atrebatensi, Tornacensi, & S. Sabini in agro Tarbiensi. In Ms. Trevirensi S. Martini etiam absque palæstra Victor Episcopus, & in Aquisgranensi Victor memoratur. Et hæc sunt antiquiora Martyrologia confecta aut ante tempora Usuardi & Adonis, aut certe non habita horum notitia. Iterum XXI. Aprilis in quatuor apographis Martyro-

Cultus sacer in antiquis fastis.

Martyrologii Hieronymiani ista habentur: Et alibi Victoris, Papiæ, Felicis. *Quæ, ultimo omisso, traduntur in Ms. Richenoviensi. De quibus dubitamus, num sint iidem, qui hoc die accuratius sunt relati.*

4 *Damus toto hoc opere plures Episcopos Romæ, Nicomediæ, Alexandriæ, & Carthagine martyrio coronatos, qui non fuerunt istarum urbium Episcopi, sed aliunde ad illas adducti. Ita* XVIII *Aprilis dedimus classem* XIV *Martyrum, ex quatuor apographis dicti Martyrologii Hieronymiani, hoc initio,* Romæ natalis SS. Eleutherii Episcopi & Anthiæ matris ejus. *Quis hic non arbitretur esse* S. Eleutherium XIV Pontificem Romanum, *si Acta non extarent, è quibus fuisse* Æcanensem in Apulia Episcopum, *ac Romam martyrii causa abductum constaret? S. Eleutherio Papa successit* S. Victor, *quem* juxta corpus B. Petri V Calendas Augusti sepultum, *tradunt cum libro Pontificali antiqui Catalogi Pontificum seculo* VI *&* VII *confecti, & ab Anastasio bibliothecario aucti, cum antiquis Breviariis & variis Martyrologiis, ejusque cultus hactenus ad dictum* XXVIII *Iulii constanter perseverat. Quibus omnibus cum supra memoratis Martyrologiis collatis, videtur haud improbabile* Victorem Episcopum, *hoc die* Romæ martyrium cum sociis passum, *aliunde, ut istic pateretur, adductum fuisse.*

3 *Potuit interim aliquis sciolus extitisse qui repertum* Victorem Episcopum & Romæ Martyrem, *continuo nihil ulterius cogitans, indicarit Pontificem Romanum fuisse: & placuit opinio Vsuardo, ita ad hanc diem scribenti:* Romæ natale S. Victoris Papæ, qui post B. Petrum quintus decimus rexit Ecclesiam annis decem, & sub Severo Principe martyrio coronatus est. *Similia habent Ado, Notkerus, Auctor martyrologii sub nomine Bedæ suppositi, & ab his dicitur perperam* tertius decimus post B. Petrum. *Præterea rexit Ecclesiam annos circiter duodecim, uti ex obitu S. Eleutherii, & Consulibus Commodo & Glabrione, quibus cœpit; & Laterano & Rufino, quibus finivit Pontificatum, alibi stabilimus. Martyrologium pervetustum, quod in monasterio S. Savini de Levitania in Pireneis descriptum extat (unde excerpta ad Gallias spectantia habuit ediditque Saussaius pag. 1248) ita loquitur:* Eodem die, XX *Aprilis* depositio S. Victoris Episcopi, & passio S. Donati Martyris: *quorum verborum pars prima etiam legitur in Ms veteri ecclesiæ Vaticanæ S. Petri, & additur* Romæ, *ut videatur etiam ibi Romanus Episcopus intelligi, de cujus martyrio tacent antiquiores Catalogi: posterior videtur spectare ad* S. Donatam, *Romæ etiam passam, de qua mox infra: quæ in Corbejensi Ms.* Donatus *quoque dicitur.*

AUCTORE G. H.

S. Victor Papa à nonnullis relatus.

DE SS. SILVANO SEU SALAIANO, ASAIACO SIVE AIARICO, DONATA ET QUINTO,

MARTYRIBUS ROMÆ VIA NOMENTANA.

G. H.

R.

Nomentana via, *quod tenderet Nomentum vetustum Sabinorum oppidum, appellata, celebris olim fuit; tum ob monumenta varia Ethnicorum Romanorum, tum ob varia cœmeteria Christianorum Martyrum in illa constructa. Ms. Vaticanum basilicæ S. Petri, ex quo & ex aliis edidimus genuinum Bedæ Martyrologium, cujus nomen præferebat, ista hoc die habet:* XII *Kalendas Maji* Romæ depositio S. Victoris Episcopi, Felicis, Alexandri, *de quibus supra egimus,* Et in cœmeterio Martyrum, juxta viam Nomentanam, Salviani, Aragaci. *Eadem ex dicto Ms. allegat Paulus Aringhus lib. 4 Romæ Subterraneæ cap. 26. Mss. Casinense & Altempsianum ista suppeditant:* In cœmeterio Martyrum, juxta viam Nomentanam, Aralari, Donatæ. *Quæ ita leguntur in Ms. Vaticanæ bibliothecæ signato numero* 5949. Romæ via Numentana SS. Aralaci & Donatæ. *In Ms. Romano Cardinalis Barberini, tres Martyres indicantur:* In cœmeterio via Numentana, natale SS. Silvani Aiaraci, Donatæ. *Quæ in antiquissimo Epternacensi apographo martyrologii Hieronymiani ita scribuntur:* Item Romæ Silvani, Asajaci, Donatæ. *Ms. Lucense ista prodit:* In cœmeterio militari via Montana, natale SS. Silviani, Aiarici. *In Blumiano codice:* Via Momentana Natale SS. Salviani & Aiarici. *In Ms. Corbejensi Parisiis excuso, nulla facta locorum mentione, indicantur nomina,* Silviani, Tiaraci, Donati, Quinti. *En quanta in omnibus diversitas. Via* Nomentana, *seu* Numentana, *perperam* Momentana *&* Montana *dicitur:* Cœmeterium Martyrum, *seu* militare *dictum, quod ibi plurimi coronâ martyrii donati, & inter illos Papias & Maurus milites excelluerint. Martyrum primus* Silvanus, Silvianus *ac etiam* Salvianus *dicitur. Secundus maxima varietate,* Aiaracus, Alaracus, Aiaricus, Aragacus *atque* Asajacus *scribitur: tertio loco est passim* Donata, *ac semel* Donatus *habetur: Quarto loco in unico Ms. Corbejensi additur* Quintus. *Ex his memorantur in Ms. Augustano S. Vdalrici* Ageracius, Salvianus, Donatus. *Horum primus in Ms. Parisiensi Labbæi* Aiaracus *dicitur: reliquis duobus idem nomen assignatur: Est* Donatus *supra relatus inter Martyres Afros, unde facile hoc nomen ejus pro* Donata *transcriptum.*

E

F

DE SANCTIS MARTYRIBUS

GENESIO aut SENESIO, PUBLIO seu PULLIO.

G. H.

R.

In apographo Blumiano Martyrologii Hieronymiani sub finem adduntur ista verba: Natalis S. Genesii Martyris: *quæ Ms. Richenoviense ita profert:* Alibi S. Genesii Martyris. *Wandelbertus ante annos octingentos eumdem hoc versu honoravit,*

Festaque Senesii celebrantur Martyris almi.

In Wandelberto excuso Synesius *scribitur. Scimus* Romæ S. Genesium *antea mimum, subito conversum ac martyrio coronatum referri die* XXV *Aug. Sed cum hic Martyr fere* Senesius *aut etiam* Synesius *scribatur, malumus eum hic proponere lectori, quia forsan lumen præbebit aliis plura indagandi. Martyrologium Ms. Trevirense S. Martini Romanum Martyrem facit, & alios adjungit his verbis:* Romæ Senesii Martyris, Pullii, Sulpitii & Serviliani. *De his duobus ultimis Romæ passis supra egimus. Ipsis interim, in Martyrol. Ms. Vltrajectino Ecclesiæ S. Mariæ, præponitur nomen* Publii Martyris, *qui cum in antiquis apographis non exprimatur, hoc loco ejus meminimus, ut vel sic memoria antiquior, si qua latet uspiam, reviviscat. In Ms. Vsuardo à Widone Krentzelin aucto, ista leguntur:* In Nicomedia SS. Senesii & Theophanti: hi sunt translati in cellam Ratolfi. *Forsan hi sunt* SS. Synesius & Theopompus, *ab aliis relati* XXI *&* XXIII *Maji.*

DE

G. H.

DE SANCTO MARCELLINO.

EPISCOPO EBREDUNENSI IN GALLIA.

SECUL. IV.


Ebredunum urbs Galliarum antiquissima, juxta Druentiam fluvium, rupi inaccessa in hodierno Delphinatu imposita, Alpium maritimarum metropolis, creditur aliquod fidei Christianæ lumen à B. Nazario, postmodum sub Nerone Mediolani passo, percepisse, quod erit ad diem XXVIII Iulii examinandum. Verum cum sequentibus seculis dictum fidei lumen inter persecutiones plurimas esset extinctum; voluit Divina misericordia illud resuscitari, cum quarto Christi seculo pax esset Ecclesiæ data, ac tum ex Africa in has Alpes maritimas transmisit cum duobus sociis S. Marcellinum, fundatorem Ecclesiæ Ebredunensis ac primum ejus Episcopum, à S. Eusebio Vercellensi & Cameliano Valentino consecratum. Hujus Marcellini Acta aliqua edidit Ioninus Mombritius, in sua de Vitis Sanctorum collectione, ante ducentos circiter annos excusa: quæ eadem Mss. extant in Imperiali monasterio S. Maximini apud Treviros; & multo exactius, cum addito libro secundo (qui nobis Caput 3 erit) miraculorum, in Ms. codice Nicolai Fabri, olim Parisiis ad nos misso; & in veteri Ms. monasterii S. Claudii, quod Petrus Franciscus Chifletius communicavit: eademque Acta nobis etiam Ioannes Mabillon obtulit, vir Actis Ordinis Benedictini editis notus. Auctor hujus Vitæ, facta diligenti inquisitione etiam apud illos qui annum ætatis nonagesimum aut fere centesimum agebant, selegit illa, quæ judicavit maxime veritati consona; eaque posteritati tradidit, adjunxitque miracula, quæ Deus per intercessionem S. Marcellini suis temporibus operari est dignatus.

S. Marcellini 1 Episcopi Ebredunen.

Acta apud Mombritiũ, dantur integriora ex Mss.

B

2 Hisce conformia sunt, quæ in antiquis Martyrologiis traduntur. Verba Usuardi sunt ista: In Galliis civitate Ebredunensi S. Marcelli (imo Marcellini) ejusdem urbis Episcopi & Confessoris, qui divino jussu cum sanctis sociis Vincentio & Domnino ex Africa veniens, maximam partem Alpium maritimarum verbo & signis admirandis, quibus usque hodie refulget, ad fidem Christi convertit. Hæc Usuardus; Ado insuper addit: Ita ut baptisterium, quod ipse apud præfatam urbem condidit, in sacrosanctis Paschalis festi vigiliis, divina virtute, singulis annis, aquis subitis inundetur; & per septem ejusdem solennitatis dies, gratia exuberante, permaneat. Venerabiles socii ejus apud Diniensium urbem conditi, gloriosis nihilominus miraculis commendantur. Hæc Ado, qui Marcellinum appellat. Hunc describunt Notkerus, Petrus de Natalibus lib. 4 cap. 69, Ghinius in Natalibus Sanctorum Canonicorum, & alii. Usuardum vero sequuntur Bellinus, Maurolycus, Galesinius & alii cum hodierno Martyrologio Romano. Saussajus in Martyrologio Gallicano, longiore Sanctum ornat elogio, additque ab Adone subjici, beatorum cooperariorum S. Marcellini corpora, post inclytum eorum transitum, ad Diniensium oppidum delata, ibidem condigno cultu quiescere, signisque micare gloriosis. Hæc ibi. Verum Ado, ut verba ejus allata indicant, asserit illos apud Diniensium urbem conditos, non post transitum delatos. Certe Acta infra habent eos à S. Marcellino Dinam missos & eductos. Ex his S. Vincentius traditur coli XX Ianuarii: ubi quia nihil de eo dictum, consule quæ de S. Domnino primo Episcopo Diniensi diximus, XIII Februarii: quo colitur. Simul etiam memorantur hoc die & sequenti in Ms. Martyrologio Centulensi seu S. Richarii & nonnullis aliis, nec non in hoc disticho Wandelberti.

Compendia ejus apud Usuardum,

Adonem,

C

& alios:

Marcellinus, Domninus, Vincentius, æque
Nomine bissenâ radiant, festoque, fideque.

Gregorius Episcopus Turonensis, lib. de Gloria Confessorum cap. 69 solim ista de S. Marcellino Episcopo sic scripsit. Habet & Ebredunensis urbs Patronum proprium Marcellinum Antistitem; per quem dum adhuc in corpore moraretur, multa Christus miracula operatus est. Hic enim fecisse dicitur lavacrum ad baptizandum, in quo in die Natalis Domini & Dominicæ cœnæ, aqua dicitur divinitus exoriri. De quo etiam ad aliud lavacrum, in quo consuetudo prisca baptizari instituit, aqua defertur. Non tamen cumulatur, ut de illis fontibus Hispaniæ supra retulimus. Ad hujus Sancti sepulcrum lychnus assidue lumen præbet: sed accensus semel multis noctibus sine ullo additamento perdurat: & plerumque contingit, ut extinctus à vento, divinitus iterum accendatur. Ex quo oleo plerumque infirmi medicamenta suscipiunt. Hæc dictus Gregorius. Est oppidum aliquod S. Marcellini in eodem Delphinatu haud procul à dextera ripa Isaræ fluvii. Fuit etiam Ebreduni una ex septem Ecclesiis S. Marcellino dicata, sed ab hæreticis diruta. Caput ejus Diniam translatum, una cum Sanctorum comitum reliquiis, magna in hunc usque diem veneratione coli testatur eruditissimus Petrus Gassendus Præpositus Diniensis in Lectionibus, quas de S. Marcellino composuit. Colitur autem sub ritu Officii duplicis in Ecclesia Maurianensi, juxta Breviarium anni 1513: & cum Officio 3 Lectionum, quarum ultima erat propria, inveniebatur in Breviario Turonensi anni 1611: sed in posterius edito anni 1635 omittitur memoria hujus S. Marcellini.

D

elogium ex Gregorio Turonensi.

oppidum & ecclesia S. Marcellini.

E

Caput Diniæ.

VITA

Ex variis MSS. codicibus & Mombritio.

PROLOGUS.

1 Inter illustrium Martyrum gloriosa certamina, & beatorum Confessorum clara præconia, ita totus pene mundus Christo estillargiente repletus; ut singulæ quæque urbes peculiarium se gaudeant Martyrum patrociniis defensari. Sicque fit, ut quantum illis inæstimabile scribitur virtutum præmium, tanto magis accrescat fidelium gratia populorum. Unde & ego dum singulas delector perquirere testium palmas; ad civitatem usque Ebredunensium veni: ibique invenio virum, multis jam temporibus dormisse in Domino; nunc insignia virtutum a peragere miracula: ita ut quantum fides devota postulat, opere desiderato proficiant. Sed quia hæc singula suis deputanda sunt locis, ad solicitudinem b angoris mei sermonem convertam. Cumque curiosius sciscitarer, quænam fuisset in pueritia hujus sancti hominis conversatio, quæve patria quantisque signis ac virtutum miraculis ad sublime illud Pontificatus officium pervenisset; omnes quæ postea scripta reliqui, una voce mihi declararunt. c Imo & quos præcipue ætas veternosa pertraxerat; ex quibus nonnulli nonagenos ant fere centenos ducebant annos, una & consona voce id dedere responsi, hunc fuisse ac esse virum, cujus vitam præsens confirmaret gratia virtutum: & non difficile ea in veritate posse consistere, quæ corpore indutus fuerit operatus, cum nova semper gesta priscum videantur semper renovare triumphum. At vero ne fastidium sui lector per longinguita-

F

Auctor miraculis S. Marcellini motus,

a

b

inquirit de ejus vita,

c

quitatem sustineat inculti sermonis, jam cum virtutum miraculis nomen beati inseram Sacerdotis. Prius tamen, ut nobis misereatur Deum quæsumus, ut intercessione pii Pastoris trepidationi nostræ veniam placatus impertiatur; quia cum ad bonitatem nominis ejus propinquo, magis magisque intremisco: & conscientiæ terrore detentus, loqui non valeo quod eum memorare cognosco. Memoriam tamen ejus seculis venturis transmittere cupiens, imbecillitatem meam pondus tam Sanctum ferre non posse profiteor. Parcat quæso, & Dominum pro nobis eximius adeat suffragator: ut cum nomen ejus celeberrimum personuerit, ipse in os nostrum pacificatus introeat.

ANNOTATA.

a *In aliis Mss.* digerere *aut* elicere.
b *Ibidem*, languoris.
c *Hic finit Prologus apud Mombritium.*

CAPUT I.

Sedes Ebreduni constituta. socii Diniam missi, fides miraculo calicis redintegrati promota.

2 MArcellinus igitur, Africanæ provinciæ civis, primus Sanctæ Ebredunensium Ecclesiæ constitutus Antistes, fuit non infimis, ut fertur, oriundus parentibus. Sed qualiter ad culmen Pontificatus ascenderit, lectio succedens demonstrabit. Is ergo cum in adolescentia sacris divinisque insisteret disciplinis, divino admonetur Spiritu, ut Gallias, quas tunc dæmonum cultura fœdaverat, sancta solicitudine visitaret: id sibi laboris à Domino injungi, ut quoscumque Gentilitatis errore deprehenderit sordidatos, per gratiam prædicationum ad viam *a* virtutis & luminis revocaret. Cumque hoc præceptum divino inspiramine concepisset; soli Deo notus, ac antiquo serpenti non incognitus repugnator, inconsultis parentibus contubernii sodalem beatum sibi tantum elegit Vincentium; ad cujus nunc sacratissimos cineres non minimas Dominus dignatur operari virtutes. Itaque ab Africæ portu cum uterque navi solvisset, felicibus prosperisque successibus ad *b* castrum Nicensium usque perveniunt.

3 Exinde jam verbo salutis imbutam, aratro Dominicæ Crucis proscindendo culturam; per diversas mundi partes jactus sancti seminis irrigabant; atque inter immensas Alpium rupes humilitas celsa percurrens, velut in rota mundi tonitru oris eorum vox euangelica persultabat: erantque, ut scriptum est, exultationes Dei in faucibus eorum, & gladii ancipites in manibus eorum, ut alios gratia virtutum, alios admiratione patientiæ, multos etiam sancti Spiritus gladio ab idolorum culturis abscinderent, & *d* in rudi campo Christi novellam frugem infatigabiles operarii excitarent. Qui cum Alpinam illam quæ vocatur maritima, crederent expetendam, tandem ad locum hunc, qui nunc orationibus numquam irritis frequentatur, perveniunt. Jam hic quales se quantosque præbuerint, non est nostræ facultatis evolvere. Sed ea tantum sufficit explicare, quæ aut recens memoria mandavit Patrum, aut vera loquuntur opera virtutum.

4 Primo igitur omnium orationis locum juxta muros urbis condendum statuunt: ubi cum die noctuque in psalmis & orationibus persisterent ac non in solo pane, sed in omni verbo quod procedit ex ore Dei vitam beatam transigerent, jejuniis macerati, fide refecti, florebant. Ex hinc confusio Paganis & non parvus quotidie livor nascebatur: cum illi divitiis ac delitiis opimi, ipso quidem corporis vultu se esse turpiores aspicerent; & illorum lucere aspectum divina gratia mirarentur. Sicque per omnem mundum odor bonæ hujus suavitatis inolevit, ut sicut de Apostolis cecinit David: In omnem terram exivit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Itaque universa cohors idolatriæ ad divinum auxilium confugiens, multi se ab eis effici Christianos devota mente postulant.

EX MS insistunt orationi & prædicationi

Psal. 16, 4 multos convertunt:

5 Qui cum consecrationem loci, quem constituerant per se implere minime auderent (sed quid non esset sanctum quod à talibus Sanctis fuerat collocatum?) tamen ad venerabilem *e* Eusebium, Vercellensis Ecclesiæ egregium Confessorem, peculiaris B. Marcellini fama, quæ latere non poterat, rumore est currente perlata. Et cum raros, adhuc fide pullulante, Sacerdotes Ecclesiæ Domini per singulas civitates possiderent; missis epistolis suis à prædicta Ligurum civitate, in solatium sibi B. *f* Æmilianum, Valentinæ urbis ascivit Episcopum, indicans ea de homine Dei, quæ jam opera virtutum assidue publicant: adjiciens etiam *g* digne illum Pontificatus gratia cumulandum. Tunc per ipsos ad Pontificatus officium provectus est. Cui impositioni cum ille indignum se esse omnimodis reclamaret; ab omnibus magis magisque dignior consonis vocibus clamabatur. Et post hæc sic egit suscepti Pontificatus officium, ut divino quotidie participaretur alloquio.

e à S. Eusebio Ep. Vercellensi, f E & Cameliano Valentino, g consecratur S. Marcellinus Epis.

7 Nam ille B. Vincentius, cujus supra fecimus mentionem, tanto collega dignissimus, una cum viro venerabili condiscipulo suo Domnino, quem superius pro quadam oblivione mentis pene omisimus, *h* Diniensium civitatis eligentes partes, plures suo salvaverant exemplo. Nam & ipse non immerito Domninus scripturæ commemoratur eloquio, quem parem fecit beata devotio. Denique usque in hodiernum diem ad venerabiles sepulturas eorum & dæmonia ejiciuntur, & multi sanantur infirmi. Nec enim fas erat, ut in tribus personis non trina dominatetur potestas: ut inseparabilis Trinitas, dum tres in unum connectit affectum, sanctitatis inde efficeret caput. Memoratum igitur Antistitem Ebreduni relinquentes, sese minoris meriti judicabant; nec posse unum absque alio comitari, nisi forsitan illum, in quo Christi perfecta plenitudo ad integrum manebat. Sed hoc beati viri permissu potius quam suo nisi sunt præsumere ausu. Denique vir beatissimus his eos verbis alloquitur, dicens: Ite, inquit, filii, Domini custodientes præceptum, quoniam ipse misit discipulos suos binos & binos prædicare pœnitentiam in remissionem peccatorum. Vos uno utimini commeatu: ego etsi corpore absens, spiritu semper usque ad diem resolutionis meæ præsens vobiscum manebo. De cetero Domini, ut confido, nos nullatenus dispensatio separabit. Cumque huic præcepto contradicere omnino non possent, vestigia ejus osculantes, vale dicto, profecti sunt. Et cum eos non sine lacrymarum imbre prosecutus fuisset, in civitatem quam elegerat regressus est.

SS. Vincentium & Domninum, h ultimis monitis instruit,

7 Jam ibi conversans, factus est velut Christi mitissimus agnus: ac intra semetipsum Euangelicum illud assidue Domini præceptum commemorans; Quia ecce ego mitto vos sicut oves in

Mat. 10, 16 omnibus omnia factus,

EX MSS. in medio luporum. Sed hanc similitudinem de perfidia dictam sufficiat Paganorum; quoniam universa illa civitas idolorum referta ferebatur ceremoniis. Ipse tamen tanta erat simplicitate columbæ præditus, ut astutiam serpentis per omnia præcaveret. Cumque omnibus omnia esset, ut omnes lucrifaceret; venit dies, ut inter convivas qui ad sancti Sacerdotis convivium fuerant evocati, unus interesset Paganus. Quem cum ille allocutione provocaret blanda, nec fastidiret dæmonum cultorem Sancto participari convivio, quem optabat ceteris aggregari fidelibus; primum monuit dicens: Licet, inquit, fili, nos in mandatis acceperimus, mensam cum Gentilibus non habere communem; tamen mirum mihi est, ut cum tota Domino inspirante, salvata sit civitas, ipse solus mente lupina in magno grege ovium dura cervice audeas permanere. Ad hanc ille vocem velut fatigatus, immo confusus, hæc dicitur dedisse responsa: Multa sunt quidem quæ te audio operari: sed si me coram posito tale aliquid feceris, adhuc minime æquari poteris maximo Deo nostro Apollini.

admittit ethnicum inter alios ad convivium,

8 Quod cum ille spiritu urgente diabolico balbutiens i prompsisset, casu puer, cui pincernæ officium erat, dum calicem plenum Gentili illi ad medium fere convivii obtulisset, de manu ejus corruens totus comminuitur. Cujus fragmenta dum pallidus studet colligere minister, ille Paganus ait: Hic tuæ si possunt, Marcelline, appareant artes. Si fractum resolidare potueris vitrum: credimus quod ea quæ de te ferunt fabulæ, sic etiam opera signent. Adhæc beatissimus Pastor ait: Licet non tua hoc mereatur, Pagane, perfidia: tamen non defuturam in hac parte Christi credo virtutem. Et ecce confestim fragmenta minister Sancto obtulit Marcellino. Ille clara voce audientibus cunctis, porrectis ad cælum oculis, ait: Domine Jesu Christe, cui subjecta sunt omnia, cui universa famulantur, cui & sensibilia deserviunt, & insensibilia obediunt; fac hoc vas solidum, sicut fuerat prius. Mox ad vocem ejus omnes illæ particulæ resolidatæ sunt, ita ut per totum illud convivium ac deinceps calix ille usui quotidiano deserviret. Sed nec Paganus ille moram faciens, respondit: Fateor, inquit, tibi, beatissime Papa, quod hoc non faceret noster si ab inferis rediret Apollo. Sed ecce cognosco nullam esse salutem in his diis, quos aut faber conflavit in ære, aut certe sculpsit in lapide. Nunc quoque precor te, quia vana sunt quæ huc usque colui, non patiaris me à grege Sanctorum diutius effici alienum. Cumque vir beatissimus professionem hanc auribus accepisset, Crastina, inquit, die, si fidem operibus adornaveris; faciam quæ desiderare te video. Et ecce die Dominica maturius lucescente, ille gratia baptismatis consecratur; inter domesticos apostolici viri se adnumerari congaudens, postea discipulus dicitur fuisse perfectus. In viro tamen beato virtus indeficiens permanebat; & ita per ipsum immensæ florebant virtutes, ut maturatæ per universum discurrerent orbem. Etenim Dominus dabat verbum euangelizantibus in virtute multa. In illum tamen nullam jactantiam, nullum stimulum vanitatis, seminare antiquus ille valuit serpens: sed hæc omnia per gloriam Dei à Domino fieri judicans, nihil propriis suis viribus adscribebat. Non in illius ore nisi modulatio psalmorum: non in illius corde nisi Christus per omnia repausabat.

calicem comminutũ, B *precibus suis redintegrat:* *& ethnicum convertit ad fidem,* C *& baptizat:* *omnia Deo tribuit:*

ANNOTATA.

a *Alii*, veritatis & luminum.

b Castrum, *alii* Castellum Nicensium, *urbs Liguria maritima, vulgo* Nizza *vel* Nice *aut* Nice *in Provincia, ditionis Subaudica: Episcopalis sub Metropoli Ebredunensi.* D

c *Mombritius*, Divina semina aratro Dominicæ Crucis in diversas mundi partes excolebant.

d *Alii*, in viridi Christi campo novellam messem investigabiles.

e S. Eusebius *ordinatus est Episcopus Vercellensis circa annum* 340, *Martyr occubuit Kalendas Augusti anno* 371.

f *Alibi* Camelianus, *Mombritio* Hemilianus, *Ioanni Columbi in Episcopis Valentinis* Æmilianus. *Forsan is, qui Concilio Valentino interfuit Æmilianus anno* 374. *De hac Valentina ad Rhodanum urbe agemus ad Vitam SS. Felicis, Fortunati & Achillei 23 Aprilis.*

g *Ms. S. Maximini cum Mombritio*, dignæ Pontificatus gratiæ copulandum.

h Diniensium *legendum est*. *Mombritius litteris turbatis* Climentiũ, *in aliis etiam* Ebredunensiũ *scriptum*.

i *Alias* prorupisset.

CAPUT II.

Alia viventis miracula & opera: pius obitus.

9 INterea dum secum aliquid Psalmorum volveret & a passu extensiore paululum à civitate fuisset progressus, subito per aggerem publicum legatio velox superveniebat. Et ecce ob nimiam festinationem, dum mulio veredum amplius quam poterat properare certat, ipsa defecit evectio. Nec longe vir beatus aberat. Ille igitur cujus jumentum b defecerat, arreptum pondus quod ante se deferebat in cervicibus Beati ad civitatẽ deferendum imposuit. Quẽ ille laborem benigne suscipiens, incunctanter tulit: ac illi, per quem injuria illata fuerat, sermonem facere hoc modo cœpit: Si Dominus & Salvator noster, ô fili, in humilitate carnis suæ vulnera nostra alligare dignatus est, & vinum compunctionis ac oleum misericordiæ adhibuit, curamque ut pius & peritissimus instituit medicus, ac doctor gentium velut stabulario solicitudinem gerendam mandavit; cur ego onera vehiculi tui non deferam? & inter hæc & his similia simul responsorium canebat Domino dicens, Ut jumentum factus sum apud te, & ego semper tecum. E

pondus gravius permittit humeris imponi & defert lætus

10 Sed ubi jam ad civitatem progressi, adhuc impositum onus famulum Dei deferre cogebant; simulque & insanire incipientes, cum juxta domum ipsius, ubi eos opportunitas itineris adduxerat, præterirent; unus ex instantibus, causa humanæ fragilitatis accinctus, ad parietem domus beati viri aquam fundere superbia instigante præsumpsit. Tunc à memorati Sancti parietibus evolavit flammæ globus, qui protinus virum absorbere potuisset, nisi ille se, velut ad Sanctum refugiens, ante pedes Sancti quem oneraverat projecisset. Nec prius spiritualis flamma discesserat; nisi onus, quod indigne tanto viro impositum fuerat, à comparibus jacentibus fuisset ablatum. Tunc universi ante vestigia ejus provolventes, omnimodis precabantur; ut eos, injuriarum causas non rememorans, illæsos pateretur abire. Et ille oratione data, respondit; Abite, inquit, filii securi, Dominum pro ignorantia vestri supplicate erroris: & hortor ne talia repetatis, ut ne talia iterum patiamini. Multæ ab eis beato viro dicuntur oblatæ pecuniæ: quas ille velut venenum diaboli respuit, dicens, multos esse per aggerem publicum pauperes; quibus omnis eorum largitio erogari deberet: sibi gratiã Salvatoris in eo collata satis abundeque sufficere. F

eumque qui injuriam fecerat à flammis liberat: *ceteris veniam precantibus condonat:* *pecuniam oblatam respuit:*

11 Sed

11 Sed nec multo post alia sequens superbior advenit missa ab Imperatore legatio. Qui cum memoratum beatum virum subito in platea Domino vacantem reperissent stantem; mox unus consignatos ei veredos custodire mandavit: insuper adjecit, ut flagello, quod manu gerebat, Beatum percutere minime dubitaret. Unde factum est ut citius percussor caderet, quam miles Domini ictum ferientis exciperet: nam à dæmone, cujus hoc instinctu præsumpserat, arreptus, tremere ac stridere non mediocriter cœpit. Tunc curiosius socii requirentes, quisnam fuisset ille, qui hanc pertulisset injuriam; didicerunt à cunctis Christianorum hunc esse Pontificem. At illi hunc placare sua humilitate nitentes, omnes qui præerant civitati ad Antistitem summum cum grandi devotione miserunt. Qui cum eorum precibus reniti non potuisset magis nec voluisset voluntate sancta, cum jam forte domum fuerat progressus, ad corpus pene exanime regressus est. Cumque jam ipsa satis torpentibus membris fila vitæ *d* laxasset, intonare diabolus his vocibus cœpit. Numquid non suffecerat, Marcelline, quod nos ab Africæ finibus excluseris ut vel in Galliis nobis quietis habitare liceret? Ille, cum paululum diaboli irrisisset dementiam, percutiens pectus, ac tota mente commotus; ait: Tibi dico, spiritus immunde, qui superbia elatus, super cervicem hominis hujus residere præsumis, ut in nomine Domini Jesu Christi discedas à famulo Dei, & alienus efficiaris ab eo quem ad imaginem suam plasmare dignatus est. Et adhuc vix fere eloquium hoc ex ore proruperat; jam ille ignem sancti eloquii non ferens, cum ingenti fœtore discesserat. Sicque homo ille redditus sanitati, statim Christianum se effici postulabat.

12 Tunc cum omnes inspiramine Dei omnino ad fontem salutis properarent; cœpit ecclesia Christi undis fœtantibus parturire, & ad unum ovile multi Catholici greges concurrere. Sicque factum est, ut omnes, projectis ante pedes S. Marcellini secundum formam Apostolicam pecuniis, majorem sibi ecclesiam, quæ universam fidelium multitudinem recipere posset, desiderio ardenti fieri postularent: cui adjunctum baptisterium, parvo quidem opere; sed divino omnimodis effulget miraculo. Hic fons precibus Beati, immo ut veridico ore referam, de Domini pietate (securi quia quæcumque fides postulat, impetrasse se gaudeat) irriguus ac indeficiens assidue manat, ac in perpetuo Deo ordinante manabit. Talis enim in argento non fulget gratia, qualis in manantibus aquis. Cum ad sacram Dominicæ resurrectionis noctem conveniendum est, Domino largiente, ipse quoque ad mensuram certissimi loci profluit: & septem sanctissimis diebus paschæ in plenitudine sua manens, octavo die paulatim minui prospicitur; non quod ipse unquam deficiat; sed ut proveniente anno novitatem sui miraculi recrescens ostendat. Ex cujus sacratissimo latice siquis qualibet infirmitate detentus potando sitierit, omnium suorum statim consequitur sanitatem *d* morborum: hæcque non solum veterum narrat historia, sed præsens dat testimonium veritati.

13 Cum inter primitivorum greges Ecclesia fœcunda gauderet, jamque à vicinis locis multitudo fidelium concurreret; in sexto decimo à civitate milliario, propter longinquitatem populorum, ecclesiam Domini propriis viribus credidit construendam. Ad cujus sancta solennia celebranda ipse cum multitudine populi à civitate properans, ad quemdam fluvium cui Consanctio *e* nomen est, perveniunt: qui enormitate pluviæ ac nivium resolutione tumescens, devotam Deo plebem ad opus desideratum accedere non permittebat. Tunc beatissimus Pastor & cum omni veneratione colendus, conversus ad populum hæc consolationis verba depromit: Æquo animo estote filioli, quoniam Dominus noster hodie fidei vestræ patefaciet vias: & cum vos ad desiderata perduxerit loca; Paganis non minimam confusionem generabit. Aut quomodo illa inclyta Divinitatis dextera sine virtutibus ac mirabilibus consistere potest, in qua universæ virtutes manere noscuntur? Si enim indissolubiles marinos fluctus Moysi Duci aperuit, ut pedes Sanctorum pulverulentam viam ac lucis peregrinam [ingressi] calcarent saxa profundi; & è contrario inimicam gentem pelago demersit, ut populum justitiæ parem ac æquitatis consortem condigna laudibus suis præconia liberarent; cur nostris non propitietur meritis, & ignoscat peccatis, & nobis per mare seculi istius gradientibus fluminis hujus impedimentum aperiat? Cumque hæc fuisset effatus, elevata dextera vexillum Crucis extendens, audientibus cunctis, his vocibus aures divinas nota jam sibi securitate pulsare non desinit: Domine Jesu Christe, fili Dei vivi, qui super creaturam aquæ plantis non desidentibus ambulasti, quique Apostolum tuum apprehensa dextera super solidos latices sustentasti, ut quid possit fidem sustentare, persuaderes; ad cujus imperium aquæ, originem propriam oblitæ, in vini se saporem converterunt; aperiat nunc nobis, quæsumus Domine, invicta tua dextera viam, atque fluminis hujus post nos revocans cursum, siccum nobis iter adire concede: quia tibi est honor & gloria, virtus & imperium in secula seculorum. Cumque omnes respondissent. Amen; ecce & tumidi æquoris fluctus resupinatusque amnis post tergum eorum defluere cœpit; quia nec prius vir beatissimus à supplicatione discesserat, nisi omnis illa multitudo in ulteriores ripæ partes aqua cedente se pervenisse gauderet.

14 Hæc jam stirps illa parvissima, quæ remanserat, Paganorum audiens, ipsum iterum remeantem cum laudibus atque devotione plenissima excipientes, omnes uno momento, universa ætas & sexus, gratia baptismatis consecrati sunt. Nam & diversæ infirmitates ab eo sanatæ dicuntur, ita ut claudi reciperent gressum, cæci visum, surdi auditum, & hi qui à spiritibus immundis vexabantur omnes fuerint absoluti *g*.

15 His itaque per ordinem atque in veritate compertis, festivitatem ejus duplici gaudiorum remuneratione locupletatam cognovi: ita ut cum transitus ejus die Iduum *b* Aprilium pro transinigratione veraciter excolatur; post octo, dies, id est XII Kal. Majas depositio venerabilius adimpleatur. Quodsi quando pascha esse contigerit, in his octo diebus paschalis lætitia non deerit. Sed hæc non alia res fecit, nisi quod Episcopi, qui ad Sancti Confessoris exequias interessent, longe positi videbantur: hæc interim breviter atque ut potuimus tenui sermone perstrinximus.

EX MS. — *e ad ejus solennitatem accedens per fluvium intumescentem,* — *precibus ad Christum fusis,* E — *f* — *iter pandit:* — *reliquos ethnicos conversos baptizat:* F — *miracula patrat:* *g* — *obitus eccia die in 13 Aprilis,* *b* — *depositio in 20 Aprilis,*

ANNOTATA.

a *Alia Mss.* passuum cursu extensiore.
b *Ibidem*, deperierat.
c *Alibi*, lassasset *&* lassesceret.
d *Mombritius cum Ms.* Membrorum.
e Consanctio, *in Mss. etiam* Cusinctio, *Mombritio* Sanctio.
f *Mss. etiam* solutos.
g *Sanmarthani in Archiepiscopis Ebredunensibus, dicunt* multa

EX MS. multa & ea quidem acerbissima à Constantio Imperatore Ariano passum in exilio animam reddidisse, *de quo nihil alibi legimus.*

h *Eo die refertur à Galesinio & Ferrario.*

CAPUT III.

Miracula post mortem.

16 LIcet superiori libello Vitam S. Marcellini, ut potuimus, tenui sermone perstrinximus; adjacet etiam illa memorare, quæ ad sepulcrum ejus, usque in hodiernum, miseratio divina mirabilia fieri concedit. Quodam igitur tempore uni ex pauperculis, insidia obviante diaboli, manus pectori adhæsit, ita ut etiam ungues interna ejus penetraverint. Cumque ad ipsam animæ sedem ungues crescentes assidue pervenirent, ad sepulcrum Beati devotus advenit. Tunc ex oleo, quod luminaribus illius præerat, fide plenissima ungere cœpit: & ubi infirmitas diuturna vim sancti liquoris accepit, mox absoluta manus pristinæ sanitati ac usui quotidiano restituta probatur. Sed & illud mirabile credidi adjungendum, mulierem quamdam in seipsam incurvata manu, simili fuisse sanatam exemplo.

Sanantur 2 habentes suas manus pectori infixas,

B

17 Quod vero nunc dicturus sum, longe lateque percrebuit, & non solum à fidelibus, verum etiam & ab ipsis Arianorum cultoribus veritas vulgata taceri non potuit. Cum jam ad civitatem memoratam hostilis manus advenisset, necesse fuit ut se incolæ loci intra septa urbis ipsius concluderent; & antequam portæ inimicis infestantibus clauderentur, quasi valedicturi, omnis omnino utriusque sexus & ætatis conditio, ad ejus sepulcrum cum grandi amaritudine & anxietate perveniunt; & cum lacrymis auxilia consueta implorare non desinunt, dicentes; Quid inquam, piissime Pastor, tuis profuit, in pace, tua intercessione tueri alumnos, si nunc eos permiseris inimicorum subjacere periculis? Commove nunc illius tua legatione inclytas aures, qui juxta est his qui tribulato sunt corde. Per te ad eum nostrarum confessionum deferantur lacrymæ, per quem nobis semper non sunt commemoratæ offensæ. Accipe, si non nostros, quos peccata impediunt, vel parvulorum innocentium gemitus: neque simul pereat justus cum impio; ne tanto auctore manente, indigena esse incipiat peregrinus. Cumque ex more Missarum fuissent celebrata mysteria, ac ipsam Sanguinis Dominici plenitudinem cum imbre lacrymarum perfunderent, in civitatem commendatione celebrata regressi sunt, opperientes quidnam aut eorum obtinuerant preces, aut quæ pietas summi Præsulis largiretur. Et ecce Noë noster, nostris vere renovatus temporibus: qui dum in arca ecclesiæ, inundationem suscepit lacrymarum, beneficia collata restituit meritorum. Etenim talis extitit copia fletuum, quæ deleret abundantiam peccatorum: pugnabat quippe gemitus parvulorum pro salute parentum: & miserandæ matrum lacrymæ, pro quibus primitus funderentur ignaræ, erant quidem ob hoc ne solveretur quod Deus ligaverat, sed & ne periret quod Deus nasci præceperat. Quid inter hæc tu agis, vetustissime ac sanctissime Pater? quid somno deprimeris? quidni tantis ploratuum stimulis excitaris? Surge jam; & nobis illam spiritalem admitte columbam, quæ sub tempora illius arcæ natatilis conditoris, ramum exhibuit viridantis olivæ. In illa etenim hora, cum à basilica ipsa egrederentur, aspiciunt Crucem, quæ cuidam ædificio supposita habebatur, in seipsam totam commoveri, & in rotali turbine gyrum in gyrum convertere, quasi fugam sine dubio admonere, mirantibus eis quid sibi hoc ostenderet signi. Et ecce exercitus qui dudum sperabatur advenit. Sed quando tuas in quibuslibet rebus contines, Christe, virtutes, ut Crux nunc redderet salvos, quos jam antea tenebat redemptos? Tunc omnes recipiunt vires, & non deesse sibi auxilia divina credentes, quos jam stemma Crucis securos ac in totum reddiderat fortes: quia & columba nive candidior, luce rutilans, ea hora à basilica ipsa egrediens, super turrem portæ auxilium erat præbitura. Sed quid mirum si illa omnem curam salvandæ plebis impendat, quæ te Jordanis alveum sanctificaturum ingressum, sancto obumbravit Spiritu? Et veluti his diebus fluenta ejus ad usum demissa consuetum, ante faciem tuam tremefacta refugiunt, ita & hanc similis comitatur cælestis elementi conditio. Denique donec hostium tela pennis insita volitarent, ipsa minime recedebat. Cumque incassum inimicorum conatus proficeret, ac in seipsos jacula transmissa redirent, vix horæ spatium intercedebat, & ecce pluvia ab æthere aderat ministrata, serenoque vibratos arcus madefaciens, certaminis furorem restinguebat: & ita pharetræ vacuæ domibus itineralibus, inimicis nihil proficientibus, revehebantur; sicque Beato intercedente livor profanus evanuit, ut nihil se inibi profecisse gauderet.

civitate ab hostibus obsessa

Incolæ ad S. Marcellinum confugientes,

C

Cruce commota,

D

& columba apparente,

liberantur.

E

18 Illud vero quale judicabitur? Cum quidam religionis ac devotionis studio, ad basilicam ipsam orandi causa venisset; ancipitem gladium, quem manu gerebat, ante postes templi pro reverentia loci exposuit. Et ecce, subito viator alius affuit, qui arreptum gladium furto auferre tentavit. Cumque cursu propero aufugere conaretur, ille oratione completa pro foribus egressus est: & cum requisitum gladium minime reperisset, pede continuato ad auxilium Christi confugit, & dicere voce clara cœpit; O B. Marcelline, quando mihi ligata peccatorum vincula solves, si aufers commendata? aut nescio quo pacto mihi tua largiaris, si non mea prius reddideris. Qui cum paululum rei sustineret eventum, opperiens quidnam Dei servus esset acturus; ecce ille qui scelus hoc furti perpetraverat superveniens, sua crimina confiteri his vocibus cœpit; diaboli se solicitatione fuisse præventum; & ubi is qui perdiderat, aures Beati sua suggestione adire exorsus fuisset, illico se catenis indissolubilibus visibiliter à S. Marcellino fuisse constrictum. Et ita reddito ense, non solum crimine sed & dæmone purgatus est.

Furatum ensem à S. Marcellino constrictus, refert,

& liberatur.

F

19 Sed ne forte dum similes res virtutum edicimus, falsæ ab incredulis judicentur, præsentes hi sunt, quibus id miraculi quod sequitur, pro sua devotione contigit meruisse. Quidam est ergo apud nos, quem jam Presbyterii venustat officium: hujus filius lateris dolore afflictus supremum ducebat spiritum: & cum jam spes desperatæ salutis patri & matri vetaretur, ac irremediabile illud esset quod plangerent, spes quædam materna obsederat viscera: in asylo illo interiori quod corpus sanctum ambit præveniens, à pulveribus Sancti nulla abstrahi poterat ratione; donec & lingua muto, & vita pene defuncto, nec non & parentibus filius redderetur. Paria hæc sunt, ô mi Domine, illius quondam Eliæ, qui Sareptæ viduæ unicum sua intercessione restituit filium: & sancto ille suo tepore, innocentis calefecit membra corpusculi, ac diurnæ luci, sepofita oculorum restituit. Sed Elizæus jam mortuus mortuum suscitans in sepulcro, ostendit non posse mori, tuâ, Christe, morte redemptum. Sic nobis, quæsumus Domine, istius tanti Præsulis

Sanatur moribundus,

A lis dum vivent merita, numquam sint moritura suffragia.

20 Quid inquam loquar, quidve taceam? Si universa complectar, immensum volumen legentibus concitabo: si autem aliqua omisero, miserum fortasse videbitur. Sed quia multa & immensa sunt, quæ de ejus virtutibus lingua paupertatis meæ non valet edicere, sufficere credidi illa præterire, quæ occultis viribus mundo teste clarescunt. Ante aliquot annos dura quædam infirmitatis procella per diversas mundi partes intonuerat: cumque partem populi depopulata fuisset, atque Ægyptiæ illæ vesicæ plagaque ipsa videretur, unum subito ex vernaculis Ebredunensis Ecclesiæ arripuit. Et confestim præsens Pontifex (cujus si tempus requiras, non ignorabitur nomen) ad sepulcrum ejus, velut ad divinum auxilium confugit: & apprehensum (quem sæpius nominavimus) olei sancti liquorem cum omne corpus infirmi fuisset perunctum; ita omnes illæ febrium pustulæ tabuerunt, ut nitidiori quam fuerat cute, statim mundus fuerit egressus. Sicque contagio venenosa à civitate illa cessavit: nec ultra genus hoc morbi, Beato intercedente, in locis illis apparuisse cognoscitur.

21 Per idem fere tempus infantulus unicus, matri suæ, gravissima infirmitate detentus, pene intra annos lactentes vitæ terminum clauserat. Quem cum B mater ejus in sepulchro memorati Antistitis, devota mente projecisset; ubi lactentia membra violentiam sancti pulveris acceperunt, omni sunt infirmitatis vinculo relaxata: & ita mors devicta recedens, intercessor consuetus vitæ gratiam reparavit.

22 Additur etiam & illud. Dum puella quædam adolescens, vase apprehenso, ad hauriendam aquam proficiscitur, in se constricta manu ansam ipsius ita strinxerat, ut à validissimis viris nulla potuisset ratione dissolvi. Sed quid humana fragilitas aut solvere valeat, aut ligare? nisi forsitan illius immensa majestas, cui & solvendi & ligandi indeficiens permanet in æternum potestas? Præsertim hoc & beato viro reservatum confidimus; ut inibi diabolus vinceretur, ubi etiam peccata nobis confidenter præsumimus dimittenda. Ut ubi januas basilicæ ejus introivit, confusus victusque satanas, qui hoc genus supplicii intulerat, discedens, ipsa extensa manu, vas quod adhæserat resolutum reliquit.

23 Aliud ergo huic simile genus miraculi perclaruit. Cum ad locum sepulcri ejus adolescens quidam fuisset exhibitus, omni ex parte pene præmortuus, ita ut ei usus linguæ, aurium, manuum ac pedum per omnia fuisset ablatus; septem diebus à custode basilicæ, ipsius oleo sancto perunctus, octava die omnia memoratorum membrorum officia, usui sunt pristino restituta.

24 Modo, dum opusculum hoc emendandum relegerem, mirabilem rem, quæ & auribus & oculis nostris patuit, non omittendam penitus judicavi. Homini cuidam panis ab usu ciboque quotidiano fuerat ablatus. A mense ergo Augusto usque ad mensem Martium, qui apud nos primus sine dubio vocitatur, esca superius memorata fuerat illi denegata. Ad limina ergo Sancti convolare, non nisi perfecta fide curavit: cui etiam manus usu ab ore erat retractus. Cumque in basilicam ipsam fuisset ingressus, & panem manducare, & manum ori applicare consuetudine pristina cœpit: sicque gaudens nobis relegentibus supervenit, simulque & rogare nos cœpit, ut opus quod in eo Dominus Sancto intercedente fuerat operatus, opusculo huic inserere deberemus. E

25 Hæc interim pro devotione petentium, præ fastidio lectorum breviter credidimus inserenda. Ceterum multa sunt, quæ & operatus est & operari dignoscitur. Vos ô quæso auditores, vosque curiosissimos lectores, ut quotiescumque hoc opusculum legere cœperitis, non attendatis inopiam sermonis quam pauper usus præsumpsit, sed magis vestra ad hoc accendatur devotio: simulque sint lumbi vestri prætincti, & spiritales luceant in manibus vestris lucernæ; ut de vobis, si non possunt meliora, vel similia conscribantur.

DE SANCTO THEOTIMO. G. H.

EPISCOPO TOMITANO IN SCYTHIA.

C *Tomi urbs antiqua est Mysia inferioris, in ea Ponti Euxini ora, qua Scythia Pontica fuit appellata, olim Ovidii poëta exilio & carminibus celebrata; ast post susceptam Christi fidem sede Metropolitana Scythia autocephala, & praclaris aliquot Episcopis & Martyribus magis nobilitata. Inter Martyres dedimus die secunda Ianuarii SS. Argeum, Narcissum & Marcellinum, & die tertia hujus mensis Aprilis SS. Evagrium, Benignum & sex commilitones ibidem nominatos, alios alibi daturi. Inter Episcopos celebravimus* XXV *Ianuarii S. Bretannionem, & hoc die* XX *Aprilis colimus S. Theotimum, quem tabulæ Martyrologii Romani referunt his verbis*: Tomis in Scythia S. Theotimi Episcopi, quem, ob insignem ejus sanctitatem atque miracula, etiam infideles barbari venerati sunt. *Ad quem locum varia annotat Baronius.* De eo, *inquit*; item Græci inter quos Sozomenus & Socrates: *ac prior ista habet lib. 7 cap. 25.*

2 Eadem memoria Tomitanam & reliquæ Scythiæ Ecclesiam gubernabat Theotimus Scytha, vir in philosophia enutritus, quem ob virtutem admiratione & laude prosequentes barbari Hunni, accolæ Istri, Deum Romanorum appellabant: nam sane divinas in eo virtutes experti fuerant. Fertur enim, quod aliquando iter per hanc barbarorum terram facientes, eadem via obviam facti sunt iis, qui ad prædationem adequitabant. Lamentantibus igitur ejus sociis, perinde ac si jam jam perituri essent, ille descendens ab equo orabat: quo facto barbari neque ipsi, neque comitibus ejus, neque equis quibus insidebant nocuerunt, sed intuiti præterierunt. Cum autem crebris incursionibus Scythas infestarent Hunni, quamvis natura sua essent feri; tamen eos ad mansuetudinem convertit, tum conviviis tum muneribus liberaliter excipiens. Qua quidem ex re vir quidam barbarus opulentum esse eum suspicatus, dolo capere statuerat. Parato igitur ad hoc laqueo ad scutum alligato, sicut in hostes consueverat, illi dum colloquitur, sublata dextra funem immissurus erat, tamquam eum ad se & ad contribules attracturus. At vero manus in ipso conatu elevata, in aëre remansit: nec antea barbarus ex invisibilibus istis vinculis liberatus est, quam aliis pro ipso intercedentibus, Theotimus Deum exorasset. Aiunt præterea hunc in coma nutrienda perseverasse, & philosophiæ studium, uti cœperat, prosecutum fuisse, ac tenui victu usum, sumendique nutrimenti, non semper idem, sed cum fame & siti, tempus determinasse: Philosophi enim erat ut opinor, his quoque pro necessitate F

G. H.

& non pro otio locum dare.

an Hunnos ad fidem converterit? 3 *Hæc Sozomenus, quæ cum Baronius retulisset in Annalibus ad an.* 402 *num.* 10 *&* 11, *ista addit*: Putamus equidem eodem sanctissimo viro auctore factum, ut Hunni illi, quos S. Hieronymus Christo jam credidisse tradit, ad fidem conversi fuerint: etenim ut eos lucraretur Theotimus, omni officiorum genere eos demereri curasse ex Sozomeno vidimus. Porro ejus memoriam ex tabulis Ecclesiasticis XII Kalendas Maji anniversaria die Catholica Ecclesia celebrat. Hæc ingerimus, ut cum tantum virum pro Joanne Chrysostomo stetisse audis, intelligas etsi non justam causam, justos saltem causæ prætextus fovisse Chrysostomum. *Reliqua apud Baronium legi possunt: qui in Notis ad* XX *Aprilis ista adhuc scribit de S. Theotimo*: Floruit temporibus Arcadii Imperatoris, interfuitque Synodo Constantinopolitanæ, stetitque pro Joanne Chrysostomo, in qua actum de abolendis operibus Origenis, fuitque de ea re ejus sententia, ne Origenis scripta tollerentur, quæ esse sinceræ fidei probarentur: in eamdem sententiam scripsit S. Hieronymus epistola LXXV ad Tranquillinum, & S. Augustinus epistola IX, ac denique Gelasius Romanus Pontifex in Canone de Scripturis authenticis apud Gratianum distinctione XV cap. Sancta Romana.

adhæsit S. Chrysostomo

cum Gelasio Papa, 4 *Porro ista scribit Gelasius*: Item Origenis nonnulla opuscula, quæ vir beatissimus Hieronymus non repudiat, legenda suscipimus: reliqua autem omnia cum auctore suo dicimus esse renuenda: *& S. Augustinus in dicta epistola ad S. Hieronymum ista habet*: De Origene autem, quod rescribere dignatus jam sciebam, non tantum in Ecclesiasticis libris ac litteris, sed in omnibus recta & vera quæ invenerimus approbare atque laudare, falsa vero & prava improbare atque reprehendere. *Simili modo præcipit S. Hieronymus*, ut bona diligamus, vitemusque contraria. Nec enim, propter doctrinam ejus, prava suscipienda sunt dogmata; nec propter dogmatum pravitatem, si quos commentarios in Scripturas sanctas utiles edidit, penitus respuendi sunt. *His obiter indicatis, referimus quæ à Sozomeno & Socrate, sed fautoribus Origenis, in hac re de S. Theotimo sunt relata. Ac Sozomenus lib.* 8 *cap.* 14 *cum narrasset dissidium inter S. Chrysostomum S. Epiphanium & quæ tunc Constantinopoli gesta fuerant, ita subdit.* Et quia consortium habere cum Joanne Epiphanius fugeret, convocatis privatim Episcopis iis, qui Constantinopoli morabantur, ostendebat ea, quæ adversus libros Origenis decreta erant: ac nonnullos induxit, ut cum his ipsis suum suffragium quoque adjicerent, quod tamen plurimi facere detrectabant. Quin Theotimus, Scythiæ Episcopus, Epiphanium in os perstrinxit. Aiebat enim, nequaquam esse fas eum, qui jam pridem esset mortuus, afficere contumelia; neque extra blasphemiam esse majorum censuram calumniari, & quæ ab illis decreta sint reprobare. Hæc cum dixisset, librum quemdam Origenis in medium profert ac recitat, & recitata Ecclesiis utilia esse demonstrat. Ineptum quiddam, inquit, his accidit qui ista vituperant: periculum enim est ne ea ipsa damnent, de quibus hi libri conscripti sunt.

S. Augustino

& S. Hieronymo,

D

sentit aliquos libros Origenis utiles esse,

5 *Socrates fere eadem habet lib.* 6 *cap.* 11. Episcopis, *inquit*, convocatis, Epiphanius decretum quod libros condemnabat Origenis, legit. De illis nihil equidem habeo dicere, sed hoc dico, visum esse Epiphanio ac Theophilo eos condemnare. Ex Episcopis nonnulli, qui Epiphanium reverebantur, illi decreto subscripserunt: complures vero id facere renuerunt: ex quorum numero fuit Theotimus Episcopus Scythiæ, qui Epiphanio ita respondit: Ego, Epiphani, neque hominem jam olim mortuum contumelia afficere volo; neque facinus tam nefandum aggredi audeo, ut eos condemnem libros, quos majores nostri neutiquam condemnarint, præsertim cum nullam doctrinam malam in illis comprehensam intelligam. Itaque quodam libro Origenis allato, eum legit, Scripturæque interpretationes fidei Ecclesiæ congruentes, quæ in eo continebantur ostendit. Deinde adjunxit hæc verba: Qui ista contumeliis afficiunt, illi eas res contumeliis imprudentes afficiunt, de quibus libri ipsi conscripti sunt. Hæc quidem Theotimus, vir, ob pietatem & rectam vivendi rationem, multorum sermonibus celebratus, Epiphanio respondit. *Hæc ibi. Colitur S. Epiphanius* XII *Maji. Palladius in Dialogo de Vita S. Joannis Chrysostomi asserit*, necessitatum Ecclesiarum gratia Asiæ Episcopos Constantinopolim venisse, Metropolitas omnes ac Senes, *inter quos dicitur venisse* ex Scythia Theotimum, *idque* tertia decima distributione *sive* Indictione. *Consule Baronium ad annum* 400 *num.* 73. *Ex quibus videtur colligi posse Theotimum tunc senem, non valde diu superstitem vixisse.*

E

& fidei Ecclesiæ congruentes.

G. H.

DE S. THEODORO TRICHINA

IN EREMO THRACIÆ PROPE CONSTANTINOPOLIM.

XX APR.



Olennissimo officio celebrat hoc die festum S. Theodori Trichinæ Ecclesia Constantinopolitana, ut civis sui, & cum hac reliqua Ecclesia Orientalis & Occidentalis. Illustre rerum gestarum compendium damus ex Ms. Menologio, jussu Basilii Porphyrogeniti Imperatoris ante septingentos circiter annos collecto, in quo ista habentur: Die vigesima ejusdem mensis Aprilis Sancti Patris nostri Theodori, qui Trichinas *seu* Pilosus cognominatur. Theodorus sanctus Pater noster, cognomento Trichinas, Constantinopolitanæ urbis nobile fuit germen & alumnus, divitum parentum filius: quos tamen una cum divitiis & gloria dereliquit, & in solitudinem, quæ ab ipso desertum Trichinæ nuncupatum fuit, discessit, & vitam solitariam monachus egit. Ibi usque adeo rigidæ seipsum subjecit vitæ rationi, ut prope mortuus cunctis videretur. Tota etenim nocte ac die in frigore & glacie assiduas Deo preces offerre consueverat, unica dumtaxat veste indutus, atque hæc rustica erat & ex pilis contexta: idcirco enim Trichinas, id est Pilosus, vocatus est. Nudis insuper pedibus absque calceis incedebat, neque caput ullo unquam tegumento opertum habebat. Quapropter etiam supra dæmones potestatem exercuit, & plurima alia miracula patravit: & fini vitæ suæ proximus non cessavit miracula facere. Congruas siquidem præstitit medelas singulis, qui ad ipsum accedebant.

Natus Constantinopoli,

in eremo arctam vitam ducit,

ob vestem ex pilis Trichinas dictus,

miraculis clarus:

2 *Hæc dictum Menologium, quæ eadem leguntur in Ms. Synaxario Græco Parisiensi collegii Claromontani Societatis Iesu, & nonnulla accuratius exprimuntur; ac rigida vitæ ratio non explicatur solum per σκληραγωγίαν, sed additur κακουχία, qua status in malis, vexatio & afflictio indicatur. Præterea dicitur αἴθριος stetisse* sub dio, & cælo aërique expositus, dæmonum fallacias detexisse: *demum à morte ejus sepulcrum distillasse* unguentum optimi odoris.

sub dio vivit,

3 *Græci*

G. H.

A *Elogium ex Menæis & Menologio,*

3 *Græci in Menæis aliquid; sed magis contractum, vitæ compendium habent; quod Cardinalis Sirletus in suum Menologium transtulit his verbis:* xx Aprilis sancti Patris nostri Theodori, cognomento Trichinæ. Hic propter ærumnas & vitæ duritiam, cui se subjecit, frigore & æstu propter Christum ipsum vexatus, crassa & aspera veste corpus tegebat: ex quo factum est ut Trichinas cognomento appellaretur ob: idque contra dæmones potestatem accepit. Cumque ita vixisset & ad Dominum, quem desiderabat, emigrasset; omnibus fidelibus sanitates confert, unguento ex sancto ejus sepulcro scaturiente. *Hactenus Menologium, quo citato his verbis est inscriptum tabulis hodiernis Martyrologii Romani:* Eodem die S. Theodori Confessoris, ab aspera cilicii veste, qua tegebatur, cognomento Trichinas, qui multis virtutibus, præsertim adversus dæmones, claruit: ex cujus corpore unguentum scaturiens, ægrotis sanitatem impertit. *Kalendarii Muscovitici tabula eumdem repræsentant hoc die in habitu Episcopali, quod sculptoris ignorantiæ ignosci debet.* *& Martyrol. Rom.*

4 *Deerat in Menologio Sirleti & Martyrologio Romano locus nativitatis & exercitationis eremiticæ: hinc videbatur S. Theodorus posse transferri ad quemcumque locum, quod consarcinator Chronici Pseudo-dexteri ad annum 300 Commentario 3 num. 9 præstitit his verbis, satis modestis.* In eremo Metellinensi S. Theodorus Admirabilis. *Quid inde? inter tot Sanctos Theodori nomine claros, quare hic* Theodorus Trichinas *intelligendus sit non video, nisi dicamus vocem Græcam* Trichinas *Latine esse* Admirabilis. *Interim Hispani recentiores Theodorum, de quo hic agimus, sibi asscribunt, quos allegat Tamajus Salazar in suo Martyrologio Hispanico & ipse defendit, ac talem ejus vivendi rationem tradit.* Theodorus, *inquit*, origine dignoscitur Græcus, patria ignoratur, altrix Hispania, cultrix Lusitania, situs Metellinum, secessus ejus eremus. Post primos militiæ ardores, abjecto militiæ baltheo, castra deseruit, & varia credimus perlustrasse loca, quousque apud Coloniam Metelli in Lusitania, xx millibus ab Augusta civitate Emerita dissitam, eremum invenit. Vestem ex caprarum pilis sic asperrimam contexuit, ut deinceps Trichinas vocaretur. Illo ergo vestimenti contactu obsessi liberati, claudi sanitati redditi, & innumerabiles infirmitatibus oppressi, curati: quorum mirabilium operum frequentia ex tunc Theodorus Admirabilis cognominari cœpit. Ad cælestem patriam evolavit die xx mensis Aprilis anno ccc. *Hæc ex longa deductione excerpta sufficiunt. At quorsum patria ignoratur, cum constet ex Menologio Basilii Imperatoris & ex perantiquo Synaxario Græco,* S. Theodorum Constantinopolitanæ urbis fuisse germen & alumnum, ac divitum parentum filium. *Quæ Græce ita traduntur in utroque codice,* Θεόδωρος ἦν Κωνσταντινουπόλεως τῆς γέννημα καὶ θρέμμα, πλουσίων δὲ γονέων ὑπάρχων υἱός. *Patriam ergo ejus ignorabant fictores chronici, quam illis ostendimus, dicimusque reliqua, quæ apud Græcos non habentur, esse mera deliramenta: quorum loco si legissent odas & hymnos, quos soli Græci S. Theodoro accinunt hoc die nosque Latine edidissent, rem Deo & Sancto gratiorem præstitissent: faceremus id nos, nisi laudes Sancto singulariter propriæ, omnes ex vitæ epitome jam notæ essent; & aliæ, cuivis solitario aptabiles, cum generica virtutum præcipuarum enumeratione, nihil omnino facerent ad historiam. Georgius Cardoso eumdem suo Hagiologio Lusitano inscripsit, eodem Pseudo-Dextri Chronico nixus. Sed omnibus ignoscendum, quia de dictis antiquitatibus Græcis nihil sciverunt. Notus ergo Constantinopoli est; & in vicino aliquo solitario loco Thraciæ, qui ab ipso eremus Trichina dicebatur, vitam sancte peregit; non sub Diocletiano, sed posterioribus seculis; cum fides Christiana ibidem pacifice floreret.*

B *perperam transfertur in Hispaniam & Lusitaniam.*

B *vixit in Thracia fide Christiana in pace florente.*

DE S. PAPHNUTIO HIEROSOLYMITA

D. P.

APUD GRÆCOS.

XX APR. *satis distinctus à Martyre diei præcedentis:* C

Hierosolymitanum Paphnutium ad diem præcedentem referens, Sirletus in suo Menologio, quod levi nimium opera accuratioqueque non magna ex Græcorum Menæis consarcinavit (unde errores nonnulli etiam in Romanum Martyrologium defluxerunt) ornavit eum titulo Sancti Martyris: cum in Menæis aliud nihil sit legere quam hæc verba, τῇ αὐτῇ ἡμέρᾳ τοῦ ὁσίου Παφνουτίου τοῦ Ἱεροσολυμίτου, Eadem die *scilicet xx Aprilis (non XIX, quando alius, ab hoc diversissimus, Hieromartyr solemni totius diei officio colendus proponitur in titulo & Canone istius diei)* Eadem, *inquam*, die S. Paphnutii Hierosolymitæ. *Titulus* Ὁσίου Eremitam *aut* Monachum Sanctum *denotat ex usu Ecclesiæ Græcæ: plus aliquid indicat titulus, huic eidem, ut videtur, additus in Synaxario Collegii Claromontani Parisiis die XXI Apr.* Μνήμη τοῦ ὁσίου Πατρὸς ἡμῶν Παφνουτίου ἀναχωρητοῦ Memoria Sancti Patris nostri Paphnutii Anachoretæ. *Peculiarem enim quamdam unius loci, cujus est Synaxarium, aut universalem totius monastici Ordinis erga Sanctum aliquem religionem arguit titulus* Sancti Patris nostri; *suadet tamen vicinia cultus ut eumdem esse credamus, qui pridie, cum titulo* Hierosolymitæ, *proponitur in Menæis.*

videtur esse idem cum eremita diei sequentis,

2 *Porro scrupulus nobis nullus est quin hic diversus sit, tum ab eo, quem XIX hujus colendum ex Menæis proposuimus, Paphnutio Hieromartyre, gladii pœna consummato; tum ab altero, qui in Ægypto crucifixus meruit Septembri mense potissimum coli: sed quanto ex hac parte solicitamur minus, tanto magis angimur, quod in nullis Græcorum aut Latinorum fastis inveniamus celebrem illum in Vitis Patrum Paphnutium, de quo cap. 61 Palladius his verbis:* Vidimus autem locum (*Rufinus lib. 2 cap. 16* Monasterium *vocat*) Paphnutii Anachoretæ, viri magni & virtute præditi, qui haud ita multo ab hinc tempore consummatus est, in regione quæ est circa Heracleotas Thebaidis, de quo multa multi narrarunt, *quæ passim in Vitis Patrum à Rosweido collectis & illustratis occurrent quærenti. Iam enim aliquam Synaxariorum Græcorum notitiam nacti, eaque docti omnes fere celebriores sanctiores anachoretas aut monachos, qui à dictis auctoribus laudantur, etiam commemorationem piam diei annuam habere in sacris apud Græcos officiis, difficulter nobis possumus persuadere, illum præ multis minus memorabilibus fuisse præteritum.*

& forte est celebris ille in Vitis Patrum,

F *cui alias nullus usquam dies assignatur.*

3 *Ne tamen quæ de ipso dici possent, huc, tamquam ad proprium ejus diem, referamus, prohibet titulus* Hierosolymitæ, *quem præferunt Menea, & ex Menæis Maximus Episcopus Cytherorum ἐν βίοις ἁγίων. Iste autem & quicumque alii in dictis Vitis Patrum laudantur, puta Macarii Alexandrini discipulus, & quidam cognomento* Scetiotes, *atque aliis* Cephala *cognominatus, nec non Paphnutius ille qui S. Onuphrii vitam scripsit, unus forsitan ex indicatis, Ægyptii omnes fuisse videntur; fateor nihil habens apud auctores, quod suadeat credere eorum ullumquem hic notari.*

Ast hodiernus cognominatur Hierosolymita.

4 *Quo loco poni debuerat Epitome vitæ, solum invenitur hujusmodi distichon, cuicumque Sancto, præsertim anachoretæ, aptabile.*

desideratur Vita aut ejus Epitome.

Τὸν Παφνούτιον τάφῳ κεκρυμμένον,
Ἀνθρώποις ἐστὶ καὶ σιγῆς κρύψαι τάφῳ.

Terræ

A Terræ ſepulchro conditum Paphnutium,
Silentii ſepulcro abſcondi non decet.

Vitam aut Epitomen Vitæ ſi in Ms. aliquo accuratiore quam unde excuſa Menæa ſunt inveniat quiſpiam, ipſamque nobis ſubminiſtret, bene merebitur de Hiſtoria Sanctorum, bene de ipſis Sanctis, atque hoc præſertim adeo tenuiter cognito; & tamen, ob mortem in conſpectu Domini pretioſam, aliis celebrioribus adnumerato. D

DE SS. MAMERTINO ET MARIANO

G. H.

MONACHIS AUTISSIDORI IN GALLIA.

SECULO V.



Autiſſiodorum, antiqua Galliarum urbs Epiſcopalis ſub Metropoli Senonenſi, poſtmodum regno ſeu Ducatui Burgundiæ inſerta, è pluribus quos recolit Sanctis, hoc die veneratur Mamertinum & Marianum, & in antiquioribus Breviariis hac de iis recitatur Oratio: Præſta quæſumus, omnipotens Deus, ut qui ſanctorum Confeſſorum tuorum Mamertini atque Mariani ſolennia colimus, à cunctis malis imminentibus eorum interceſſionibus liberemur. Eodem modo in titulo ſolum vocantur Confeſſores: at Preſbyteri etiam appellantur in variis Martyrologiis, & quidem in antiquo Ms. Sereniſſimæ Chriſtinæ, Reginæ Sueciæ (quod olim ad Fuldenſes aut vicinos Germanos videtur pertinuiſſe) hoc elogium extat: Autiſſiodori depoſitio ſanctorum Confeſſorum Mamertini & Mariani Presbyterorum, quorum primus dum ſacrificaret idolis, cæcitatem unius oculi & ariditatem manus pertulit: qui poſtea mirabili viſione admonitus, B. Germanum expetens, ab eo non ſolum baptiſmum percepit, ſed & ſanitatem promeruit: atque congregationi monachorum ipſius ſe ſocians, & vitæ ſanctitate conſpicuus extitit, & Patri monaſterii Alodio, qui tunc forte præerat, vitæ meritis ſucceſſit. Alter vero in eodem monaſterio non longo poſt tempore monachus fuit, cujus & vita miraculis claruit, & mors pretioſa nihilominus miraculis refulſit. Hæc ibi quæ plane eadem extant in vetuſtiſſima membrana cœnobii S. Laurentii apud Leodienſes, ſub nomine Adonis aucta; item, ſed aliquanto contractiora, in Ms. Florario Sanctorum. At priora hæc verba, Autiſſiodori SS. Mamertini & Mariani ſive Marciani Presbyterorum leguntur in antiquis Martyrologiis Centulenſi S. Richarii, Divionenſi S. Stephani, Carmelitano Coloniæ adſervato, & aliis Mss. item apud Maurolycum, Felicium & Galeſinium. In Ms. antiquo ſub nomine Bedæ, loco Mamertini, per quandam ſyncopen legitur Martini. De hoc ſolo ſub finem antiquorum Martyrologiorum S. Hieronymi, in codicibus Mss. Lucenſi, Blumiano & Corbejenſi Pariſiis edito, adjuncta leguntur iſtæ: In Autiſſiodoro depoſitio S. Martini Presbyteri & Confeſſoris qui in Mss. Atrebatenſi & Tornacenſi dicitur Epiſcopus. aſt in antiquiore codice Epternacenſi loco Martini legitur Meriani & videtur Marianus intelligi. De eiſdem utriſque iſta tradit Sauſſajus in Martyrologio Gallicano: Eodem die Autiſſiodori SS. Marciani & Mamertini Presbyterorum, qui naſcentis hujus Eccleſiæ cunabula ſanctis prædicationibus ac ceteris Sacerdotalibus officiis promoventes, genita Chriſto copioſa credentium ſobole, demum beato fine ad gloriam properarunt. Hæc ille aſſerit glorianti ſtylo: ſed jam diu ante fides Chriſtiana apud Autiſſiodorenſes floruerat.

Cultus utriuſque in Breviariis,

& in Martyrologiis,

B

& dicuntur Presbyteri

C

2 Seorſim S. Mamertinus Abbas monaſterii S. Germani Autiſſiodori, refertur XXX die Martii à Petro de Natalibus, Greveno, Witfordo, Maurolyco, Felicio, Caniſio, Wione, Dorganio, Menardo, Bucelino, Sauſſajo: aſt ſolus S. Marianus ſeu Marcianus, Presbyter Autiſſiodorenſis, celebratur hoc die in Mss. Albergenſi, Ultrajectino, Barberiniano, Leidenſi, Hagenoenſi, Lovanienſi & aliis: item in Martyrologio Baſilienſi anno MDLXXXIV excuſo. At ſolum Confeſſor, apud Bellinum de Padua & Molanum in Auctario Uſuardi, & hujus Martyrologio auctius edito Lubecæ anno MCCCCLXXV, ubi litteris tranſpoſitis Maritani loco Martiani legitur. Apud Petrum de Natalibus lib. XI cap. 130 num. 127 Martianus Confeſſor Autiſſiodori quieſcit XII Kalendas Maji: ad quem die, in Hagiologio Franco-Galliæ à Labbæo edito, dicitur Marinus Presbyter & Confeſſor. Iterum XXIX Aprilis Grevenus in Auctario Uſuardi iſta habet: Autiſſiodori S. Mariani monachi & Confeſſoris: quæ habet etiam Caniſius in Martyrologio Germanico nonnulla ex Actis infra dandis addens: multo plura ex iiſdem Sauſſajus in Martyrologio Gallicano his verbis decerpſit: Eodem die XXIX Aprilis depoſitio S. Mariani monachi, qui à partibus Bituricenſium Autiſſiodorum adveniens, ob religionis amorem, regente monaſterium S. Germani viro venerabili Mamertino, aſcetarum ſodalitio ſe poſtulavit ſociari: quia idem monaſterium, antiquæ beatitudinis retinens ſtatum, odorem ſuaviſſimum redolebat. Ubi ſumma caritate ſuſceptus, arbor frugifera ſoli fœcunditatem compenſans, ſanctitatis eximiæ flores & fructus uberrimos emiſit: ac demum vitæ præſentis curſu ad Dei beneplacitum conſummato, aulæ cæleſtis adyta penetravit, Beatiſque annumeratus, claræ ſuæ ſanctitatis & gloriæ reliquit monumenta: inter quæ nobile eſt cœnobium, quod prope urbis mœnia ejus in honorem conditum, & nomine & ſacris ejus reliquiis hactenus gloriatur. Hæc ibi. Quia vero feria quarta Paſchatis migravit ad Dominum, ac ſepultus fuit in monaſterio S. Germani; arbitramur hunc diem eſſe depoſitionis, aut ſaltem tranſlationis ad monaſterium ejus jam dictum. Eſt autem monaſterium S. Mariani Autiſſiodorenſis, extra muros conditum ſub regimine Clericorum ſeculo VIII, ac poſtmodum tranſlatum ad Præmonſtratenſem Ordinem, in quo ibidem claruit Robertus hiſtoriographus, anno MCCXIV mortuus, qui de B. Mariano iſta habet ad annum 473. Hoc tempore apud Autiſſiodorum, præſulante B. Alodio, & regente monaſterium S. Germani viro digno ac venerabili Mamertino, S. Marianus, à partibus Bituricenſium adveniens, prædicto monaſterio ſociari ſe poſtulabat; quia idem monaſterium, retinens antiquæ beatitudinis ſtatum, odore ſuaviſſimo redolebat. Porro hic beatus vir, quantæ ſanctitatis extiterit, libellus de vita ejus plene oſtendit.

Seorſim Marianus Presbyter, aut ſolum Confeſſor refertur.

etiam 29 Aprilis E

Reliquiæ & monaſterium S. Mariani.

F

3 Vitæ libellum eſſe credimus hiſtoriam quæ in S. Mariani monaſterio habetur Ms. & per Lectiones ad uſum ſacri Officii diſtributa: quas nobis una cum antiquis Breviariis dictæ Eccleſiæ Autiſſiodorenſis tranſmiſit D. Petrus le Venier Canonicus & Pœnitentiarius, cujus eximiam virtutem & doctrinam ipſi coram anno MDCLXII Autiſſiodori ſuſpeximus, admirati iſtic raram bibliothecam, quam ſibi magnis expenſis compararat. Hiſce lectionibus inſeruimus nonnulla, quæ nobiſcum Autiſſiodori communicavit Reverendus Dominus Georgius Viole, in S. Germani monachus, vir antiquitatis amans, qui nobis licet ſenio gravis omnia antiqua eccleſiæ monumenta oſtendit, & late expoſuit. Eadem nos deſcripſimus Romæ in bibliotheca Vaticana, ex Ms. codice 1198, & habuimus ex codice Ms. ante memorata Reginæ Sueciæ.

Vita S. Mariani et Ms.

3 Quia autem S. Marianus fuit exceptus in dicto monaſterio à S. Mamertino, præponimus quæ ex Vita S. Germani

mani contracta de hoc Sancto accepimus à jam memorato Domno Georgio Fiole, & quæ reperimus Romæ à Petro Calo collecta, à quo addebantur plurima à S. Mariano præstita, quæ alteri adscribebantur; uti eadem in aliquibus Breviariis Ecclesiæ Autissiodorensis plane intricata & confusa recitantur: & in his dicitur tertio Kalendas Aprilis die Parasceves Spiritum emisisse; *ad quem diem vita functum tradit Petrus de Natalibus lib. 4 cap. 13, & cum dictis Breviariis utriusque Sancti Acta confusa habet. Eodem die eumdem referunt Grevenus, Maurolycus, Felicius, Canisius, & hoc cum elogio in supplemento sui Martyrologii Saussajus:* Autissiodori S. Mamertini Abbatis, qui ad S. Amatoris sepulcrum gratiæ lumine irradiatus, paulloque post à S. Germano baptizatus; exuto veteri homine, ut novum conservaret, & in spiritus novitate coram Deo ambularet, factus S. Allodii Abbatis discipulus, brevi in magistrum perfectæ pietatis & sanctimoniæ se erexit, miraculis & spiritu prophetiæ emicuit, multisq; congregatis Christo filiis, informatis sanctæ institutionis egregiis discipulis, manipulisq; præditus justitiæ, carne excessit, cælumque petens sibi apertum, laborum emeritam est consecutus mercedem. *Hæc Saussajus.*

4 *Benedictino Martyrologio eumdem ad dictum XXX Martii inscripsit Arnoldus Wion his verbis:* Autissiodori S. Mamertini Abbatis, admirandæ virtutis & humilitatis viri, *& in Notis,* Fuit, *inquit,* monachus S. Germani Autissiodori sub S. Allodio Abbate, cui in regimine successit. *Secutus Wionem Benedictus Dorganius, qui suo Kalendario Benedictino, an. MDCXXII excuso, ista habet:* S. Mamertini Abbatis, viri magnæ humilitatis. *At Gabriel Bucelinus in Menologio suo Benedictino, an. MDCLV edito, maximum adfert elogium; in quo inter reliqua asserit* S. Mamertinum, Autissiodori à S. Germano baptizatũ, S. Allodii Abbatis discipulum & cœnobii sui Abbatem creatum. *Dein multa ex Actis S. Mariani congerit; uti supra à Petro Kalo, Petro de Natalibus aliisq; factũ diximus. Eodem modo ad diem XXIX Aprilis Wion S. Marianum suis Benedictinis adscribit his verbis:* In cœnobio Fontaneti in Gallia S. Mariani monachi depositio, qui fuit discipulus S. Mamertini Abbatis Autissiodorensis. *Secutus iterum Dorganius* S. Marianum Confessorem *proponit. Quis ergo auderet negare hos fuisse Benedictinos, & non timeret argui quasi honorem Ordinis Benedictini minueret, quamvis videantur citius obiisse, quam S. Benedictus nasceretur? Certe S. Germanus (qui S. Mamertinum jam adultum baptizavit) cum S. Lupo Episcopo Trecensi (cujus tempore dicitur in Actis fuisse,) anno CCCCXXVI in Britanniam à Cælestino Papa missus est: de cujus obitu agunt Baronius & Spondanus ad annum CCCCXXXV. Verum anno CCCCXLVIII migrasse ad Dominum probabilius asserunt alii, quod erit XXX Iulii ad ejus Acta examinandum. S. Germano Episcopatum gerente Abbas S. Allodius instruxit S. Mamertinum, quem & postea, dicto scilicet anno CCCCXLVIII successorem habuit, cum ipse in locum S. Germani subrogatus Episcopatum capessivisset. Colitur S. Allodius XXVIII Aprilis. Sub hos monachus factus S. Marianus, postmodum mortuus* Feria quarta Paschali die XX Aprilis: *ergo si servatus fuit Canon Paschalis Alexandrinorum, aut an. CCCCLXVI aut CCCCLXXVII, quibus an. Pascha celebratum est XVII Aprilis littera Dominicali B. At S. Mamertinus mortuus traditur* die Parasceves XXX Martii, *ergo aut anno CCCCLXII, aut CCCCLXXIII, quando littera Dominicali G Pascha incidit in Kalendas Aprilis.*

B

C

VITA S. MAMERTINI

Ex variis MSS.

EX MS.

1 Mamertinus fuit tempore S. Lupi Trecensis. Hic cum prius Paganus idola coleret, unum oculum quadam die perdidit, & alterius manus ariditatem incurrit. Qui cum se Deos offendisse putaret, & ad templum ad adorandum idola, & ad petendum ab eis veniam pergeret; quadam die obviavit ei quidam, Savinus nomine, tonsus caput, & habitu religionis amictus. Qui dum eũ requireret, unde ei tanta infirmitas accidisset; respondit: Deos nostros offendi, & ideo semper eos cum lacrymis rogo, & orare vado ut mihi reconciliati, quæ mihi abstulerunt irati, reddant propitii. Tunc ille, Erras, inquit, quia deos dæmones putas: sed vade ad S. Germanum Autissiodorensẽ Episcopũ; & si ejus consilio acquieveris, continuo sanus eris. Qui statim iter arripiens, venit ad sepulturam *a* S. Amatoris & aliorum Sanctorum plurimorum; & cogente pluvia, nocte illa secessit ad quamdam cellulam super tumbam *b* S. Corcodomi collocatam, & cum fatigatus itinere obdormisset, apparuit ei visio mirabilis: scilicet quod quidam vir pulcherrimus venit ad festum, quod *c* S. Peregrinus & S. Amator cum aliis Episcopis faciebant. Cui ille respondit de tumulo, non possum modo venire; quia hospitem habeo, quem oportet me custodire, ne à serpentibus qui hic sunt occidatur. Abiit ille renuntiare quæ audierat, & reversus est dicens: S. Concordome, surge & veni, & adduc tecum *d* Vivianum Subdiaconum & *e* Jovinianum Lectorem sive Acolythum, ut faciant officium suum; Alexander enim, qui tecum est, hospitem tuum custodiet. Visum est igitur Mamertino, quod S. Corcodomus apprehensa manu ejus duxit eum secum, & ostendit ei Sanctos Peregrinum & Amatorem, & duos alios Episcopos. Et cum isset ad eos S. Corcodomus, dixit illi S. Amator: Quis est ille qui tecum ecclesiam est ingressus? Qui respondit: Hospes meus est. Et ille: Expelle eum, quia pollutus est idolis, & nobiscum esse non potest. Qui cum expelleretur, prostratus coram eis, S. Amatoris gratiam impetravit: qui jussit ei, ut ad S. Germanum pergeret festinanter. Mox igitur evigilans & visione certificatus, ad S. Germanum venit, & prostratus coram eo veniam postulabat. Et cum ei sciscitanti quæ ei contigerant, enarraret, perrexerunt ambo simul cum multis aliis ad tumbam S. Corcodomi, ubi serpentes erant, & remoto lapide, viderunt serpentes octo, qui *f* decem pedum longitudinem singuli excedebant; & cum astantes omnes fugerent præ timore, B. Germanus stans immobilis jussit eos illuc secedere, ubi nulli possent omnino nocere: & post hæc Mamertinus baptizatus est & sanatus, & factus monachus monasterii S. Germani, & postea fuit Abbas ipsius Ecclesiæ post S. Allodium *g*. Ad instantiam Fratrum Dominica Palmarum Missam eis solenniter celebravit, & eodem sero ægrotare incipiens, die Parasceves spiritum emisit, tertio Kalendas Aprilis.

S. Mamertinus Paganus, uno oculo amisso, & manu arida,

missus ad S. Germanum:

obdormiens super tumbam S. Corcodomi,

in visione ducitur

E

ad SS. Peregrinum & Amatorem,

& jussu hujus,

S. Germano visa narrat;

& serpentibus fugatis,

baptizatus sanatur.

F

ANNOTATA.

a S. Amator *Episcopus Autissiodorensis decessor S. Germani colitur 1 Maji.*

b S. Corcodomus, *nonnullis* Carcodemus, & Concordius *S. Peregrini* Diaconus Martyr Autissiodorensis, *colitur cum aliis sociis 4 Maji.*

c S. Peregrinus, *primus Episcopus Autissiodorensis, solenni officio colitur 16 Maji. Plurima de hisce tribus leguntur in Vita S Germani 31 Iulii.*

d *Acta S. Germani:* Jovianum Subdiaconum, *in Ms. Carnotensi.* Immarium Subdiaconum.

e *Petrus Calo* Vivianum *etiam appellat.*

f *Vita S. Germani:* Primus immanissimus, ceteri vero septem paulo inferiores, *& infra:* æstimatus est serpens habere longitudinem septem cubitorum.

g *His apud Petrum Calo & in Breviario multa interseruntur, quæ ad S. Marianum spectant. Reliqua selegimus ex Breviario.*

EX MS.

VITA S. MARIANI

Ex Ms. Officio Ecclesiastico & aliis Mss.

1 TEmpore beatissimi Allodii Pontificis, Germani reverendissimi successoris, idem monasterium antiquæ beatitudinis retinens statum, odore suavissimo redolebat. Hujus namque inspirationis nectare Marianus illectus, ad idem cœnobium à finibus Bituricensibus adventavit. Erant autem tunc temporis horum finium possessores Gothi, Christianæ religionis doctrinæ evidentissimi inimici. Nefariam ergo pollutionem eorum evitans & perfidiam horrens jam dictus vir, præcinctis lumbis & roborato brachio, confestim de terra & cognatione egressus, è laribus propriis commigravit. Ibat autem sub peregrini habitu civis cælestis, sub humilitate celsior, sub egestate mundo potentior, sub seculari vero indumento spiritalis gratiæ stola præcinctus. Erat enim divini amoris igne succensus, & Euangelicæ perfectionis zelo imbutus. Is ubi ad vestibulum gloriosi monasterii est Dei ductu delatus, de more à seculo discedentium rogare cœpit, ut sub ejusdem monasterii culmine ad habitandum reciperetur. Præsul vero monasterii, vel diversi habitatores, videntes perseverantiæ ejus constantiam (erat enim sæpius repulsam passus, verborumque asperitate & contumeliis tentatus) annuerunt petitioni ejus, quam diu depoposcerat, proponentes ei regulæ severitatem. Illic ergo in domum Dei receptus, & desiderii sui integritate perfruitus, ita constantissime monachorum uti regula cœpit, ut exemplar fuisset bonæ conversationis etiam monachis veteranis.

S. Marianus relicta patria Bituricensis agri, venit ad monasterium S. Germani, B *sancte vivit:*

2 Admirabantur omnes obedientiæ ejus atque abstinentiæ temperantiam. Mamertinus tunc Abbas diligentissime viri actus volens comprobare, vile ei monasterii commisit officium, pastorem eum constituens bubalorum & bucularum. Beatissimus ergo Marianus, divina pietate præventus, ita cum summa hilaritate jubentis Abbatis præceptum festinavit implere, veluti si honores ei cujusdam sublimissimi ordinis largiretur. Proficiscitur igitur *a* ad locum, cujus vocabulum est Meziclis: in quo præceptus fuerat gregibus boum pastoralem præbere cautelam. Multiplicabatur eodem die grex fœtibus, & proventu lactis mulctralia spumosa exuberabant.

fit custos armentorum, a b C

3 Tanta sanctitate pollebat, quod *b* & aves silvestres ad se venientes manu propria nutriebat. Die autem quadam cum esset in nemore, canes aprum latratibus excitantes, cum jam eum gravius perurgerent, fugit ad cellam S. Mariani; qui ubi canes latrantes audivit, desertis bobus illuc properans, & canes compescuit, & aprum incolumem abire permisit.

aves Silvestres fovet: aprum dimittit:

4 Una autem dierum, cum idem vir, beatissimus Confessor, non procul à pecoribus spatiaretur ecce vis depopulantium inopinate irruit, eumque strictis gladiis circumsepsit. Qui injicientes manus in eum, expoliaverunt, ut nihil vestimentorum reliquerint præter pallium. Cumque expoliato eo abirent, clamavit: Revertimini, *c* ferocissimi viri, adhuc superest in meo corpore, quod rapinis vestris proficiat. En denarium pallio meo colligatum, oportet etiam ipsum auferre in marsupiis vestris. Qui protinus reversi, cum pallium cum denario rapuissent, eum nudum penitus dimiserunt. Latrunculi vero abscedentes, nitebantur in suas latebras se recipere, ferebanturque per spatium totius diei fatigati; sed Christo procurante, circa solis occasum prope cellulam sunt reverendissimi viri reperti. Quos cum inspexisset, ad cellulam suam eos evocavit, benigne suscepit, detractisque caligis pedes eorum lymphis abluit, ciboque pastorales alimentaque elegantissima paravit, & hospitalitatem quantum potuit ministravit. Unde cunctis facti sui pœnitentibus unus eorum ad fidem conversus fuit, ab eodemque baptizatus in clarissimum evasit prædicatorem.

à latronibus spoliatus, c ultro denarium offert: D *reversos excipit pedes lavat: unum convertit:*

5 Ursa quædam, siccis sanguine faucibus catulorum suorum propulsa, consueverat nocturnis horis intra septa ad juga boum irrepere, & anniculis vitulis insidiari. Quodam igitur tempore monachi, qui cum eo ad custodiam fuerant deputati; juvenili voluntate ursæ cum catulis ejus insidiabantur, & laqueis capere voluerunt. Cumque illi juvenes Meziclensium, armati contra eam, cupientes mandare neci, nocte laqueos tetendissent; S. Marianus hoc præsciens, de lecto surrexit, & clam velox dirigit gressus, & pergit ad locum, in quo bestia actu sæviens, pecoribus necem moliens, in laqueos irruens tenebatur. Cumque stetisset coram ea dixit: Quid agis, ursa? quid facis hic, misera? Surge velocius, & insidiosas desere latebras. Tunc ursa cervice reflexa, veluti Deo gratias agens, humiliter & mansuete discessit, nec unquam visa est. Marianus monachos sectantes inveniens increpavit, & ursam incolumem abiisse nuntiavit.

ursam captam dimittit: E

6 Solebat autem singulis Dominicis ad propinquam ecclesiam proficisci Marianus: cui nihil Domino revelante erat absconditum. Qui cum die Dominico ad ecclesiam in vico positam proficisci vellet, unum ex Fratribus, nomine Olinitium, monuit ut comitatui ejus associaretur. Cui monachus ait: Non possum, quoniam sors mea est ad mensam Fratribus ministrare, & alimoniam parare. Tunc illi senior ait: Priora sunt Dei quam hominum necessaria: & cogente imperio sacri viri ivit. Venientibus illis in sacratissimum locum, impositum est comiti monacho, ut caneret Alleluia. Consummatoque officio, & finito Euangelio, statim cursu rabido foras ecclesiam egreditur: & apprehensis sui equi habenis, ascendens ad domum citius redire nitebatur *d*.... Sed cum equum inde movere non posset, licet eum dure calcaribus perurgeret, intelligens causam, confusus rediit ad ecclesiam. Et finita Missa dixit S. Marianus: Dic mihi Frater, perrexisti ubi volebas, qui me relicto discedere cupiebas? Ecce equus obedivit Deo, cui tu repugnabas. Cum autem Missæ fuissent perfectæ, sponte sua equus ad cellulam iter arripuit.

cum fratre abit ad ecclesiam: quem fugere tentantem frustratur, d *finita Missa admonet:*

7 Adveniente die Paschæ rogabant eum Fratres, ut diem Paschæ in Fontaneto *e* monasterio celebraret: quod cum fecisset, transacto primo die Paschali, sequenti die corripitur dolore febrium, & cœpit stimulis mortis comprimi; & quarta sequenti feria obiens migravit ad Dominum. Cumque sanctissimum ejus corpus à Meziclensibus devehebatur ad civitatem, transiens per oppidum Leviaticum infertur. Erat autem in eodem vico vir facinorosus. Cumque urgeret turba, misit ad Canomenum, qui tunc temporis centenariam habebat potestatem, dicens: Absolve eum qui tenetur in vinculis: qui noluit. Adhuc eo loquente de pedibus rei vincula dissolvuntur, scinduntur que manuum ligamenta, & coram sacro corpore quod penitus inde movere nequiverant, undique liber, qui fuerat reus, statuitur. Cum vero appropinquassent civitati, Episcopus qui tunc præerat Ecclesiæ, coadunato Clero & populo, conjunctisque agminibus, corpus sacratissimum, cum processione solenni exceptum, in loco à Præsule præparato, in ecclesia S. Germani collocatur: ubi quotidianis momentis innumerabilia curationum miracula demonstrantur, regnante Domino nostro Jesu Christo cui honor & gloria in secula seculorum. Amen.

e F *Paschate celebrato in Fontanetensi feria 4 moritur:* *captivum solvit:* f *solemniter exceptus sepelitur in S. Germani:* *miraculis clarus.*

AN-

EX MS.

A

ANNOTATA.

a *Alia Mss.* Ad villam, quæ erat prope villam, quæ dicitur Mitiglis, id est Mesiglos: *fortasis hodie* Merry *dictum, media inter Altißiodorum & Fontapetum via intervallo utrimque leucarum trium: nam Fontaneti mortuus, relatus est Sanctus ut infra dicitur*, à Mesicliensibus ad civitatem.

b *Deerant hæc de avibus & apro in Lectionibus, sed indicabantur in Responsoriis Mss. ex aliis Mss. hic inserta.*

c *Aliqua Mss.* Domini mei.

d *Addebantur, quæ nullum sensum facientia expunximus*, Institit coram populo, & quanto magis ictui resistit. *exciderunt haud dubie aliqua verba, quæ nolumus ex conjectura supplere.*

e Fontanetum *monasterium in vicina Burgundia sub Episcopatu Augustodunensi, anno 1219 conditum à Cisterciensibus dicitur: nihil tamen prohibet credere multis seculis antea ibidem vetus monasterium fuisse; id enim suadet loci vicinia, solis sex leucis Autißiodoro distantis, & totidem Augustaduno.*

B

f *Defuncto* Allodio *decennium vacavit Episcopatus, & tunc electus* S.Fraternus, *ipsoque consecrationis suæ die occisus à barbaris successorem habuit* Censurium, *qui hic videtur designari.*

HYMNUS.

Ex Ms. Officio Ecclesiastico.

Ad Vesperas & Matutinum.

Exultet omni gaudio devota plebs fidelium,
Dum Mariani laudibus instamus & præconiis,
Hic nempe mundi gloriam & cuncta fluxa despuens,
Lares reliquit patrios cum gente Christo perfida.
Admissus in domum Dei, mox caritate præminet,
Et stringit abstinentia serpentis antiqui caput,
Semper quiete providus, pudicus & voti tenax;
Sibi corde mitis, ut brevi exemplar esset ceteris. *Ad Laudes.*
Tũc forte jussus progredi haud vile munus deputat,
Malens obedientiæ quam jura carnis subsequi.
Hinc lacte grex & fœtibus augescit, hinc feræ truces,
Muti canes, aves quoque Sancti ferunt arbitrium.
Nudatus à latrunculis, malo rependit gratiam,
Hos dum lotos cibo fovet, ad fidem Christi vocat.
Jam dum feretro tollitur, mirum, resistit in via:
Donec reus de vinculis per se solutus cernitur.
Nunc Christe Rex piissime, hujus precatu quæsumus,
Nostros reatus diluas, ferosque mores corrigas.
Laus honor & victoria, Deo Patri cum Filio,
Sancto simulque Pneumati, in sempiterna secula. E
Amen.

DE SANCTO VVIHONE

G. H.

EPISCOPO OSNABRUGENSI IN WESTPHALIA.

SEC. IX.



Osnabrugum in veterum Bructerorum regione, *à Saxonibus postmodum occupata, quæ nunc ad Westphaliam pertinet, civitas insignis, in valle amœnissima, quæ Hasa flumine irrigatur, sita est. In hac vicinaque Westphalia ditione olim Dux Wittekindus dominatus est, & plurima bella adversus Carolum Magnum gessit: à quo tandem devictus, Christianam est religionem amplexus, & vitam sancte peregit: uti latius ad ejus Vitam* VII *Ianuarii deduximus. Inter hæc bella, inquit Albertus Krantzius lib.* I *Metropolis cap.* 2, Carolus anno à mundi salute septingentesimo octogesimo, in loco Osnaburga, habitatoribus satis frequente, cum vicinam Wittekindi arcem jam captam imposito firmasset præsidio, ecclesiam exædificavit primam in provincia Episcopalem, eique virum sanctum præfecit Wihonem, primum ejus loci Pontificem, hominem gente & origine Frisium: quod in ea gente per Bonifacium Archiepiscopum Moguntinum, ibi Martyrem, multi jam Christo credidissent. Cui de provinciæ proventibus assignavit, unde cum suo Clero viveret, ad confirmandos recens baptizatos in suscepta Christi religione. Egit vir sensatus, pro zelo sacræ religionis, satis verbo insistens & opere, ut creditas animas & servaret & multiplicaret.

Osnabrugi post devictũ Wittekindum à Carolo Magno,

S.Wiho ordinatus Episcopus:

C

Officium Ecclesiasticum de eo.

2 *Franciscus Guilielmus è Comite de Wartenberg Episcopus Osnabrugensis, Ratisbonensis, Mindensis & Verdensis (ac postmodum ad S.R.E, Cardinalitiam evectus dignitatem) jussit edi anno* MDCLII *Officia propria Sanctorum Ecclesiæ & Diœcesis Osnabrugensis, & in iis est Officium sub ritu duplici de S.Carolo Magno ad diem* XXVIII *Ianuarii, ad quem & nos Acta ejus edidimus. Ast hoc* XX *Aprilis fit Officium etiam sub ritu duplici de S.VVibone Episcopo Osnabrugensi & Confessore, & Oratio præscribitur illa, quæ in Missa de Communi Doctorum solet legi: & hæc de eo recitatur quarta Lectio peculiaris:* Wiho natione Friso, ob singulares virtutes ac vitæ sanctitatem illustris, cum Carolus Magnus Osnabrugensem fundaret Ecclesiam, ab Adriano Papa primus illius Sedis Episcopus ordinatur. In quo munere sedulus semper fuit ac indefessus zelo animarum in convertendis totius Saxoniæ populis, quorum ipse Pastor erat constitutus. Tandem multas tribulationes perpessus ac laboribus fatigatus, plenus dierum, cum præfuisset Ecclesiæ suæ triginta duobus annis, sancte in Domino obdormivit. *Hæc ibi. Similia inserta sunt Martyrologio Osnabrugensi. De tempore fundatorum in Saxonia Episcopatuum agetur à nobis die* XXX *Aprilis, ubi de S.Suiberto primo Verdensi Episcopo; docebimusque plenam saltem constitutionem eorumdem ad seculi* VIII *finem aut* IX *initium pertinere: quo posito ad annum circiter* DCCCXXX *vitam protraxisset VVibo; nisi in horum annorum censum adducere velis eos quibus Osnabrugensem ecclesiam, cum solo Presbyteri titulo fortaßis administravit.*

altare ei dicatum.

F

3 *Idem Illustrißimus Princeps & Episcopus Osnabrugensis Franciscus Gulielmus, quas olim credebatur excitasse scholas Græco-Latinas Osnaburgi Carolus Magnus, restituit & dotavit, Academia ibidem erecta & Carolina appellata: quam & Urbanus Papa* VIII *approbavit, & Ferdinandus* II *Imperator confirmavit anno* MDCXXX. *Ad ejus auspicia cohonestanda Societas Iesu Osnabrugensis, cujus collegium in dictum finem ab eodem Principe fundatum est, edidit Athenæum Christianum, vario genere doctrinæ illustratum: in cujus hypotyposi, schemate 23 atque orationi subjuncta dicuntur* Osnabrugenses ad Christianam mansuetudinem cœpti efformari per Carolum Magnum Victorem, perque primum Ecclesiæ Osnabrugensis Præsulem S. Wihonem, ejus primum Rectorem, magnum virum, hominem sanctum, Frisiæ gentis decus & ornamentum, Carolinæ Academiæ Rectorem, non tam seculari pompa magnificum, quam insigni doctrina modestiaque venerandum. *Et hypotyposi 3 (in qua agitur de templo novo, in honorem S.Ignatii Societatis Iesu Fundatoris erecta) schemate* I *inducitur* S. Wiho scholarum Carolinarum Moderator, *& divæ Religioni carmine aliquo applauditur, & schemate 19 describitur quintum templi altare dicatum* SS.Carolo Magno, Carolo Borromæo, Wihoni primo Osnabrugensium Episcopo, ac B.Adolpho vigesimo octavo:

EX MS. *cujus Acta illustravimus XI Februarii, & de S. VVibone ista subjunguntur:* olim ille majores nostros à Gentilitatis errore vindicatos ad Christianæ libertatis castra ac vexilla traduxit: conflata ex omnibus incolarum domibus idola in medio foro exussit: concreditum sibi gregem ad saluberrima vitæ pascua deduxit: pavit fame pereuntes, lupos insidiantes avertit, contra vim infernalis exercitus obarmavit, ad Christianarum virtutum pugnam incitavit, victoresque secum plures splendidissimis cælorum templis triumphali ritu invexit. *Additur* plausus S. Wihoni Episcopo I Osnabrugensi, tertii altaris patrono *poëmate elegiaco factus: quod istic legi potest, uti aliud hypotyposi 4 schemate I excusum, in quo* S. Wiho Reginæ Sapientiæ, Osnabrugi denuo triumphanti, applaudit. D

DE SANCTA HELIENA. G. H.

VIRGINE LAVRINENSI IN ITALIA.

XX APR.



PÆstum, *urbs Lucaniæ littoralis, rosarum fragrantissimarum præstantia singulari apud Poëtas celebris, in hodierno Principatu citeriore, ad sinum Pæstanum sita fuit & sedem olim habuit Episcopalem: quæ nunc exciso Pæsto translata est ad Caput-aqua, urbem recentem, vulgo* Capaccio noevo. *In hac Caputaquensi diœcesi sunt variæ oppida, ab Vghello tomo 7 Italiæ sacræ columna 663 recensita: interque ea* Lauretum, *sive* Laurianum *vulgo* Lauriano: *ubi nata est* S. Heliena Virgo, *inde* Laurianensis *dicta, qua colitur die XX Aprilis: cujus Vitam, ex Actu Ecclesiæ Caputaquensis descriptam, & in tres Lectiones, quæ in Officio Ecclesiastico ad Matutinum recitari solebant, distributam, nobis olim Neapoli transmisit Antonius Beatillus, Societatis nostræ Sacerdos, & studiorum nostrorum strenuus fautor atque cooperator. Hanc ergo* Legendam Sanctæ Helenæ Virginis Laurinensis *(nam iste titulus præfigitur) hic damus, & est ejusmodi.*

Vita in 3 Lectiones distributa datur ex Ms. Caputaquensi.

2 LEC. I. Cum in divinis voluminibus inveniatur: Non est Propheta sine honore, nisi in patria sua, Beata Heliena, non de eximia prosapia, sed de infimis Laurini parentibus orta est: tamen ab adolescentia sua in Christi operibus solidata, die ac nocte, sine intermissione, Deo servire non desistebat. Parentes sui, & propinqui, & affines, eam existimantes fatuam esse, ludibria & verbera multa ei inferebant; & ipsa fundebat precatum Domino pro eis, dicens: Domine, indulge eis quia nesciunt quid faciunt. Et ne blandimenta hujus seculi obfuscarent eam, & aliquam maculam sibi inferrent, secessum deserti loci appetebat: sed præ sui corporis fragilitate viam arripere metuebat, ideoque omni die Creatorem suum flagitabat, quatenus dignaretur sibi consilium super hoc destinare. Descendit Angelus Domini de cælo, & vocavit eam: Heliena ancilla Dei. Et illa respondens ait: Domine, quis es tu? Et ille respondit: Ego sum Angelus Dei, missus ad refocillandum te in operibus tuis, & præparandum iter tuum; Veni, sequere me.

B

Mar. 6, 4

Nata Laurini,

à suis vexata,

ab Angelo invisitur:

C

abducta in specum.

3 LEC. II. Et ipsa cum maxima aviditate vestigia ejus sequebatur; & duxit eam ad cryptam, quæ vocatur specus, juxta horreum veteris Rofrani; ubi mansit incognita per unius mensis spatium: & nihil aliud comedebat, nisi semel in die panem intinctum in aqua, & legumina cruda. Quod postquam venit ad notitiam vicini monasterii, monachi ipsius loci mirati sunt valde, & ascenderunt illuc duo viri religiosi, & ei supplicaverunt, ut ab ecclesia quotidie acciperet alimentum. Annuit eis accipere sub conditione, quod ipsa quidquid operaretur suis manibus, ad opus ecclesiæ cupiebat operari. Viris religiosis faciebat cucullas, & thiaras, & pastoribus operabatur sclavinia. Postquam autem divulgata est fama ejus per totam provinciam, infirmi ex longinquis partibus veniebant ad eam; & ipsa singulis manus imponebat, & cum sospitate ad propria revertebantur.

ab ecclesia alitur,

pro hac operatur,

claret miraculis.

4 LEC. III. Finito vero tempore vitæ suæ migravit ad Dominum, & campanæ præfati monasterii cœperunt, sine manibus trahentibus, fortiter pulsari. Prænominati Monachi ipsius loci, magno pavore attoniti ascenderunt ad eam; & invenerunt ergastulum corporis, cupientes illud ad eorum ecclesiam cum magno tripudio receptare. Sed Angelus, qui adduxerat eam illuc, non permisit eis hoc agere; sed festinus perrexit ad Pæstanum Pontificem, & in somnis admonuit eum, ut adduceret illuc honeste & religiose sanctum corpus, eique etiam in somnis demonstravit, ubi sanctissimum corpus jacebat. Et evigilans somno, territus magno pavore, præceptum Angeli cito adimplevit, & cum viris honestis & pudicis duxit sanctum corpus in Ecclesiam suam & cum maximo honore illud ipse humavit XII Kal. Maji. Anima ejus in Collegio sanctarum Virginum in domo Dei gratulatur; auxiliante Domino nostro Jesu Christo, cui est honor in secula seculorum Amen.

In obitu campanæ ultro sonant.

Angelo monente

sepelitur Pæsti 20 Aprilis.

5 *Bernardus Iustinianus in Vita B. Laurentii Iustiniani 8 Ianu. num. 24 Sclavinam vocem ita explicat:* Cubile habuit vix sex pedes protensum, tomento paleari & opertorio, quod veteres centonem, nostri sclavinam vocant. *Vtinam tam facile esset explicare, quo tempore Virgo sancta vixerit: quia tamen Episcopus Pæstanus non Caputaquensis nominatur, verosimili conjectura dici posse videtur, ipsam floruisse ante Saracenorum in partes illas irruptionem, qua eversum esse Pæstum credimus, & ante Principum Normannorum dominatum, sub quibus restauratum translatumque Episcopatum vix ambigimus. Ex Pæstanis Episcopis nomine suo notus est nemo præter Laurentium, quem anno quingentesimo subscripsisse Romanæ Synodo scribit Vghellus: inter Caputaquenses, primus ex Actis publicis designabilis, occurrit Arnulphus apud dictum Vghellum, in quodam Regis Rogerii Privilegio nominatus anno* MCXXVI.

Tempus vitæ.

F

DE SANCTO HVGONE, G. H.

MONACHO ÆDVENSI ET PRIORE ENZIACENSI.

ORDINIS S. BENEDICTI IN GALLIA.

CIRCA AN. DCCCCXXX



IN *variis Ordinis S. Benedicti monasteriis vitam egit S. Hugo; ac primo à piis parentibus collocatus fuit septennis in monasterio S. Savini in diœcesi Pictaviensi, ab ipsa urbe versus ortum ad fluvium Gartempam novem leucis dissitum: ubi sancte adolevit, & in virum evasit, Diaconus ac dein Sacerdos ordinatus. Inde cum aliis septemdecim translatus est ad monasterium S. Martini, in suburbano Augustodunensi olim constructum. Postea comes factus B. Bernoni, Balmense in diœcesi Vesontionensi monasterium adivit, illumque juvit ut debita restitueretur disciplina: ac dein ambo Cluniacense monasterium inceperunt:*

Vixit monachus in monasteriis S. Savini,

S. Martini,

Balmensi,

A runt: ubi B. Bernone Abbate ordinato, ipse missus est. Enziacum, vulgo Anzi le Duc ad Arrontiam fluviolum, qui paulo post in Ligerim defluit: ubi Prior constitutus usque ad finem vitæ vixit, & teste Bartholomæo Cassanæo in Catalogo gloriæ mundi part. 12 Consideratione 60, eumdem locum hodiernis temporibus sua sanctissima gleba decorat. Nam hactenus ibidem esse Prioratum conventualem, dependentem ab Abbatia Æduensi S. Martini, indicat Registrum generale beneficiorum diœcesis Augustodunensis anno MDCXLVIII excusum.

Vita edita ex Mss. 2 Vitam S. Hugonis, ex Ms. Legendario antiquo Abbatiæ S. Martini Æduensis erutam, misit ad nos anno MDCXXXVIII Andreas du Chesne, sua doctrina orbi notissimus, cum ante inde pars esset edita in Bibliotheca Cluniacensi pag. 6, ubi in titulo scribitur S. Hugo, Abbas S. Martini Æduensis, cum ibidem tantum monachus fuerit: & ita titulum Vita solum habet, quam iterum Augustoduno accepimus, cum hac sub finem subscriptione: Hæc Vita S. Hugonis transumpta fuit ex antiquo Legendario Abbatiæ S. Martini Æduensis, Ordinis S. Benedicti, Congregationis S. Mauri: in cujus rei fidem Domnus Major Prior & Subprior se subsignaverunt, & à Secretario infrascripto sigillo Conventus muniri fecerunt, die nona Septembris, anni à Nativitate Domini millesimi sexcentesimi sexagesimi tertii. Fr. Aleboucher de Flogni, Major Prior; Fr. Joannes Baptista Saulnier, Subprior; Fr. Baptista Cœur-de-Roy, Scriba, de mandato Domni B Majoris Prioris. Hæc inde, quæ beneficii præstiti causa grato animo hic recolimus.

tempus mortis 3 Mortuus est S. Hugo hoc XX Aprilis, senio confectus: sed quo anno Christi nusquam indicatur. B. Berno socius ejus, cum præfuisset annis sedecim cœnobio Cluniacensi, mortuus est anno DCCCCXXVI, & videtur S. Hugo ad illum annum pervenisse, aut etiam aliquot annis diutius vixisse. translationis Corpus ejus, XIII Decembris anno millesimo primo, solenni cum veneratione elevatum est, & in sacello conditum, & annis subsequentibus sæpius ad conventus seu concilia Episcoporum translatum; deinde dicto seculo undecimo Acta, quæ damus, fuerunt conscripta. & Vita scripta.

VITA

Ex Ms. codice Augustodunensi monasterii S. Martini.

CAPUT I.

C *Ordo S. Benedicti in Gallias translatus. S. Hugonis vita monastica, Sacerdotium.*

Intuitu Trinitatis condentis hominem ad imaginem suam 1 Auctor universitatis benignissimus, manens in simplici Deitate Trinus, hominem formavit propriæ bonitatis instinctu, ne tanto colono viduatus, absque sui intellectu degeret mundus. Sicut enim adimpletio hominis est inspiratio trinæ Divinitatis; ita completio mundanæ dignitatis institio formæ humanitatis . . . . a Summæ igitur Divinitatis essentia opulens, quæ in sese æternaliter triplici constat effigie; suæ formam imaginis propriam vel ideam hominis indidit menti: qui videlicet ab ipso primordio suæ creationis, præ ceteris mundialibus, Auctoris configuratione, pollet indifferenter trina moderatione; nosse scilicet & velle nec non & meminisse. Totidem quippe donis in eodem clarificatur Conditor, id est, fide, munere & opere; opere conditionis, munere meliorationis, fide bonorum cognitionis proprii Auctoris: cujus gratia ineffabili vacui extiterunt, hi qui pereunt; ac ipsius benignitatis misericordia viguerunt, hi qui salvi fiunt. Et quoniam non obliviscetur misereri, & misericorditer per gratiam reformantis neque abscondet usque in seculi finem misericordiam suam (ut ipsa Veritas promisit suis, manere scilicet cum eisdem, & operari semper cum æterno Patre & Spiritu sancto) idcirco priscorum ac venerabilium Patrum Catholicorum informati roboratique traditionibus & exemplis, optamus qualicumque sermone Domni atque religiosissimi viri ac sanctitate præcipui Hugonis, aliquorumque ipsius confratrum & sociorum vitam, nec non & conversationem, pie in Christo viventibus palam facere. D proponit auctor scribere Vitam S. Hugonis,

actam secundum normam S. Benedicti 2 Constat ergo relatione veridica ac non mediocri auctoritate subnixa, sanctissimum Patrem Benedictum, ubique terrarum notissimum, illorum Fratrum monachorum fuisse pædagogum, quorum educaminis linea enutrivit atque ad perfectionis culmen direxit sanctum ac venerabilem Hugonem monachum illiusque contubernales, in regularissima nec non & sanctissima disciplina: si quidem ideo ista præmisimus, ut à quanta perfectione primitus ejusdem exordium cœperit, religiosorum auribus inculcaremus.

3 Præterea eodem tempore, quo isdem præcellentissimus Pater jam dictus Casini montis cœnobio præerat, quidam spectabiles viri à partibus Galliacum, divino spiritu acti, ob amorem sanctæ religionis, quam in eo esse fama passim vulgante didicerant, b legationem direxerunt ad eumdem Patrem, qualiter aliquos de suis monachis, regularibus disciplinis imbutos, ad Gallias dirigeret; ut monachile institutum, quod pene in illis partibus annullatum deperierat, aliquatenus reformare satagerent. Qui Pater sanctissimus illorum petitionibus benigne annuens, protinus eligens de suis duodecim Fratres, quibus etiam præfecit suum dilectissimum alumnum; videlicet sanctissimum Maurum monachum. Illi quoque protinus, cum tanti Patris benedictione & gratia, iter arripientes, licet cum difficultate aliqua & laboris gravamine, ad Gallias devenerunt. Tunc vero aliter valde quam sperare poterant illis dignoscitur evenisse. Tandem quippe in territorio Andegavensi monasterio stabilito, in loco qui Glannifolium cognominatur, ibidem multorum ad eum confluentium Fratrum in brevi tempore facta est congregatio permaxima: quibus etiam, ut beatissimus Benedictus instituerat, illorum Pater extitit sanctissimus Maurus: floruit enim ibidem sanctæ religionis institutio, quamdiu vixit, ac post ejus obitum in c longinquum. b E à quo in Gallias missus S. Maurus; monasterii Glannifolii erexit: c

4 Subsequenti quoque tempore, post aliquorum annorum curricula, occulto Dei judicio, seu propter ultionem plebis peccatricis, egressa est Normanorum gens à transmarinis partibus; quæ bestiali ferocitate immanissima permaximā Galliarum partem depopulans, latissimas strages dedit. Tunc etiam præfatum cœnobium, cum aliis quam plurimis Sanctorum locis, omni honestate propriæ supellectilis expolians, in eremiticam redegit solitudinem. Quod cernentes monachi ejusdem cœnobii, arripuerunt fugæ præsidium, cum omnibus quæ secum ferre poterant, usque dum devenirent in Pictavense territorium, ad sancti videlicet Martyris e Savini monasterium; quo in loco resumptis viribus, Deo sibi auxiliante, cœpit longe lateque norma regularis per eosdem Fratres diversis in cœnobiis, bona fruge multipliciter f propagari; multosque etiam simul, quos vita & ambitio secularis irretitos olim retentaverat, sub jugum sanctæ regulæ applicare: qui tamquam ex ferocissimis belluis in mitissimas Christi oviculas subito sunt mutati, ipsius regnum cum sanctis & fidelibus feliciter percepturi. Ipsi quoque Francorum Reges nec non & devotissimi totius regni Præsules, à primo g Childeberto Rege, qui d F & hoc à Normannis destructo, monachi fugientes ad S. Savini propagarunt ordinem e f adjuvantibus Regibus & Episcopis. g

EX MS. B. Maurum ultra omnes suscepit devotissime; semper illos excoluerunt summa veneratione.

S. Hugo septennis collocatur in monasterio:

5 Præterea cum ad eumdem locum ex diversis orbis partibus evocatio divina quarumque conditionum viros, ob amorem regni cælestis congregaret; contigit tunc ut clarissimum virum, Domnum scilicet Hugonem, parentes illius, puerum fere septennem, Dei omnipotentis servituti satis devote atque honorifice ibidem applicarent. Fuit enim pater ejusdem vir spectabilis curiæ, atque industria militari insignis, opum vero & latifundiorum largus possessor; mater vero inter matronas egregia, pari dignitate præcipua: ambo tamen cives & natione Pictavenses. Qui puer optimæ indolis, scientiæ litterarum efficiebatur capacissimus, humilitatis quoque ac totius probitatis luculentissimus. Elucebant namq; in eodem cum incremento corporis insignia sanctitatis, eratq; tam senioribus quam coævis carus, & amabilis universis. Gesta vero & instituta sanctorum Patrum memoriter retinens, lectioni atque orationi instabat, assiduus potius quam frequens; non enim sibi tantum sed magis Deo vivere gestiebat, publice & privatim, pro Christi amore pariter & timore, honeste ac dulciter cunctis obediens: secularis etenim pompæ cothurnum ita fugiebat, ac si morsu appetisset eum lividus serpens.

proficit in doctrina & virtute:

B

Fugit fastum:

Non minus etiam vitabat pessimæ detractionis jaculum, à quo taliter avertebat auditum, quasi contra se grassari mortiferum sensisset venenum. A verbis nempe noxiis & inanibus sic custodiebat os suum, ut sermo ipsius statera discretionis moderatus ac spiritali gratia conditus, cunctis esset carus ac benevolus. In abstinentia ergo talis illi erat sobrietatis modus, ut triduanis jejuniis laudabiliter præferretur: communis etiam vitæ amor, ac rerum licitarum participatio hujusmodi, *b* ut nullo modo diligeret in rebus concessis magis partem census quam totum. Munditiam quoque mentis, & castitatem corporis, simulque largitionem eleemosynarum, indefessus operator, sine interpellatione exercebat: de quavis autem re, à quocumque interpellatus, dabat tale consilium, ut jure crederetur animarum medicamentum.

odit detractionem:

deditus abstinentiæ

b

& eleemosynis.

decernitur ad sacros Ordines promovendus,

Prov. 28, 14 & 1:

C

6 In processu vero temporis, optimis illius exigentibus meritis, ad ministerium sacrorum Ordinum, tam à Patre ejusdem monasterii quam à cæteris Fratribus, promoveri decernitur: ille tamen humiliter renitens, se indignum pronuntiabat, timens illud quod plurimis contigit, qui dum insulse cupiunt seculi lucrum, incidunt in suæ animæ damnum; & quoniam beatus homo qui semper est pavidus; licet eadem lectio dicat, quod justus quasi Deo confidens absque terrore erit, Utrumque nimirum in uno eodemque homine possibile est fieri; timor scilicet humanæ fragilitatis, confidentia vero fidei puræ sinceritatis. Tandem quoque vir devotissimus, illius veritatis exempli memor, quod ait, Non veni facere voluntatem meam sed ejus qui misit me, paruit obedienter in cunctis seniorum præceptis: sicque ex more Ecclesiastico, gradatim sacratus processit usque ad *i* [Acolythi] officium. Et licet in minoribus gradibus adhuc constitutus, tamen ipsis reverentissimis Sacerdotibus erat admirandus. Non post multum quippe temporis spatium effectus *k* vesticeps, ad leviticum promotus est gradum, quo per aliquot annos strenuissime functus, Sacerdotalem indeptus est dignitatem; tam denique omni decore virtutum fuit ornatus, ut nullus tunc temporis in eadem provincia ei inveniretur secundus.

Joa. 6, 38

i

k

ordinatur Diaconus dein Sacerdos:

D

ANNOTATA.

a *Expunximus interjecta hæc sensum turbantia, & nullum per se habentia:* si nutu quoque in didemo Hierarchiæ theorematibus Hellades expressere inquiunt, Notio divina Anthropos in re divina constituta.

b *In Vita* S. Mauri 15 *Februarii dicitur Legatio directa ab Episcopo Cenomanensi, qui* Bertichramnus *ibidem appellatur, sed is multo junior, Badegisilo anno* 586 *mortuo successit, & missi dicuntur* Flodegarius Archidiaconus & Harderadus Vice-Dominus. *Verum uti loco* Bertichranni *diximus videri substituendum* Innocentem *sive* Innocentium Episcopum, *ita forsan alii potuerunt missi fuisse; personarum enim nomina à Fausto auctore præterita, uti & alia nonnulla interpolator Odo adjecit, non sine erroribus.*

c *Usque ad tempora Pippini Regis, ut tradit jam dictus Odo in Translatione S. Mauri, id est per* 200 *circiter annos. Tunc Gaidulfus, cui Glannofolium à Rege erat traditum, illud evertit, scripta dissipavit, monachos expulit. Sed postmodum sub Ludovico Pio fuit restauratum.*

d *Circa annum* 845, *quando corpus S. Mauri translatum fuit in Burgundiam* 11 *Martii.*

E

d S. Savini monasterium 9 *leucis ab urbe Pictavensi ad Gartempam fluvium à Carolo Magno constructum, & postea cum aliquam destructionem passum esset, à Ludovico Pio reparatum traditur in hujus Vita.*

f *Simili modo quo in Italia contigit post destructum à Longobardis & à Petronace restauratum Casinense cænobium.*

g *Melius hic* Childebertus *assignatur, quam in Vita S. Mauri* Theodebertus, *qui Austrasiis præerat: & Chlodomeris Regis Aurelianensis regnum æqua lance diviserant à morte eius, Childebertus Rex Parisiorum, & Chlotharius Rex Suessionum.*

h *Ms.* Hujusmodi veluti vitæ institum: *Vox vitæ supra deerat, quo ipsam retuli: alias duas, ut inutiles expunxi.*

i *In altero apographo legitur,* natinei, *in altero* natum ei: *apparet ex sequentibus agi de summo gradu inter minores: ideo notum nomen substitui, pro certo mendo.*

k *Id est,* Puber, *sic Tertullianus lib. de anima.* Ecce obiit verbi gratia infans sub uberum fontibus, puta nunc puer investis, puta vesticeps; *eleganter tres primos humanæ ætatis gradus distinguens: vide quæ multa suggerunt antiquarii de ætate ponenda prætexta & toga assumenda apud Romanos.*

F

CAPUT II.

Habitatio Augustidunensis in monasterio S. Martini. Monasterium Balmense reformatum. Cluniacense constructum. Oddonis socii sanctitas & miracula.

Tempore Caroli Calvi,

a

7 Regebat ergo illis diebus regnum Francorum Carolus Rex, cognomento & habitu Calvus, cum Regina *a* Chrodechilde ipsius conjuge: utrique Dei omnipotentis timoris pariter & amoris munere insigniti, idcirco igitur totius regni ipsorum partes summa pax & tranquillitas gubernabat. Paganorum quoque infestationes, quæ olim patriam debacchaverant, omni ex parte sedatæ erant. Rex ergo pariter & Regina in restaurandis ecclesiis ac monasteriis, quæ barbarorum hostilitas atque rabies desolaverat, certatim insistebant: totum enim pene sui reipublicæ regni censum in ejusmodi expensis tribuebant. Erat quippe in ipsius Regis palatio tunc temporis Comes quidam, Badillo nomine, qui veniens ab Aquitaniæ partibus, vir licet in seculari

Badillo Comes,

vita

A vita positus; correctis tamen & religiosis moribus atque conversatione, sacris viris per omnia consimilis: Extiterat enim opum gratia opulentissimus, & auri & argenti ditissimus. Qui cernens Regem nec non & Reginam in restaurandis Ecclesiis Dei toto conamine inservire, zelo divino & ipse ductus cœpit illorum in hac parte devotus ac pius æmulator existere, Qui inter ceteras Paganorum strages, conspiciens apud civitatem Æduam egregii Confessoris Christi Martini monasterium, olim à Regina Brunichilde nimium excellenter atque honorifice constructum, tum tamen miserrime dirutum, atque omni supellectili nudatum atque dehonestatum: accedensque incunctanter isdem Comes ad Regem, humiliter petiit, ut sibi ad restaurandum daretur præfatum monasterium. Dicebat etiam spondens se in voto habere, ut post monasterii restaurationem se ipsum ibidem, relictis seculi curis honorumque solicitudinibus, Domino manciparet: quod denique postmodum, annuente Christo, rei probavit eventus. Hoc igitur Rex pariter & Regina comperientes, libentissime assensum præbuerunt, & ut expetiverat concesserunt; insuper & juvamen ei polliciti sunt se impensuros, in cunctis quæ illi expedire cernerent. Statim denique vir devotissimus certatim, actutum, summa cum festinatione, hujusmodi operis utensilia apta coadunavit; atque instanter labori insistens, usque dum ad perfectum duxit, qualiter potuit totum basilicæ reintegravit opus.

Augustiduni monasteriū S. Martini per Paganos dirutum,

restaurat:

B

8 Qua prout valuit reformata, atque per Pontificum manus iterum consecrata, cœpit solicite inquirere ejusdem loci possessiones, quæ olim illi largissime per liberalitatem Brunichildis Reginæ seu aliorum Regum privilegiis concessæ fuerant. Fertur enim primitus ipsius cœnobii summa fuisse totius possessionis ad *b* centum usque millia mansos. Extiterat enim præfata Regina in ecclesiarum basilicis construendis affluentissima, in memoriis plurimorum Sanctorum, & B. Mariæ semper Virginis, Sanctique Petri Apostolorum Principis, nec non & beati Levitæ & Martyris *c* Vincentii: quamvis vulgi fama illam in quibusdam ex parte fuscaret. Interea beatissimum Martinum Confessorem semper ultra omnes extollere in voto habebat; atque in Dei honore & ipsius Confessoris nomine, ceteris pluriores ecclesias ac monasteria ædificari jussit, & de propriis thesauris nec non & prædiis honorificentius ditavit. Statuerat denique ante suæ mentis oculos, quoniam Martinus, qui partem sui indumenti pauperi tribuit, Christum vestivit. Præ cunctis tamen istud extulerat cœnobium, in quo suæ sepulturæ mausoleum habere decreverat: nam inter cetera donaria quæ illi contulerat, *d* columnis etiam marmoreis ac trabibus abietinis formosis illud decenter instituit: & musivo opere mirifice decoravit. Habebat enim eadem Regina religiosos ac sanctissimos Præsules, sanguinitate sibi proximos affinesque, Fratrem scilicet germanum *e* S. Syagrium, Augustodunensem Episcopum, inter Pontifices egregium; & nepotem quoque beatissimum *f* Desiderium, Antissiodorensem Episcopum, inter Præsules Pontificem nobilissimum; Sanctissimus denique Papa urbis Romæ Gregorius in tanto amore ac diligentia illam habebat, ut plurimas ei *g* Epistolas mitteret, atque per ipsam Episcopos & regni Primates de statu Catholicæ fidei & religione Ecclesiastica commonefaceret, gratulans valde devotioni ipsius & largitati, quam in honorificentia omnipotentis Dei liberalissime impendebat. Luponi quoque primo ejusdem loci Abbati propriam direxit *h* Epistolam, hortans illum qualiter religiositatem gregis sibi

à olim donatas Brunichildis, Regina,

b

et alia plura,

c

devota erga S. Martinū,

C

d

adjuta à SS. Siagrio

e

f

Desiderio Autissiodor. & Gregorio Magno.

g

h

commissi custodiret; atque tam Deo quam hominibus, iter justitiæ gradiens, placere studeret. Præcepta etiam regalia nec non & privilegia ipsius loci isdem Pontifex annuli sui impressione sigillans roboravit: locum vero ipsum, sicuti Reges Francorum statuerant, ab omni humana subjectione decrevit esse liberrimum; deinde sub anathemate execratus est omnem invasorem rerum ipsius loci ac transgressorem ejusdem decreti. Quod utique statutum decentissime ab universis custoditum est, usque ad barbarorum invasionis depopulationem: tunc enim cum cetera supellectili edax ignis consumpsit, quæcumque in futurorum notitiam devenire potuissent. Perspicuum enim est quoniam, sicut lux solis constituit diem fugatq; tenebrarum caliginem, ita litteræ illustrant præteriti seculi antiquitatem, & fugant oblivionem.

EX MSS.

9 Sed jam nunc ad narrationis ordinem redeamus. Postquam denique vir illustris Badillo, prout posse habuit, loci restaurationem exercuit; cœpit anxie perquirere viros sancta religione imbutos, qui in eadem domo Dei dignanter eidem servituris officia persolverent. Qui dum hoc sedule ageret, reduxit ad memoriam beati Martyris Savini cœnobium: in quo olim noverat ceteris honestius districtiusque vigere instituta monachorum regulæ. Pergens quoque protinus illuc, adduxit inde viros numero decem & octo, monachos religiosissimos: inter quos etiam excellentissimum meritis sanctum ac venerabilem Hugonem, in quo pendebat cura ceterorum Fratrum totius moderaminis. Alios quoque duos, inter ceteros non dispari sanctitate monachos, Domnum scilicet Oddonem, virum sagacem & mitissimum; atque Joannem, admodum humillimum. At ubi ad præfatum Augustodunense cœnobium devenerunt, instructis regularibus officinis, veluti leges uberrimi soli, cœperunt centuplicatum, Deo agricolante, producere fructum. Claustrorum videlicet munificentiam, silentii taciturnitatem, jejuniorum parsimoniam, nec non & eleemosynarum largitatem, peregrinorum susceptionem cum hilaritate, simulque hospitium universorum; deinde vero in omnibus suis actibus & corporum gestu, in loquela oris & moderatione sermonum, ut per omnia & in omnibus his revera glorificaretur Deus; taliter scilicet, ut quicumque aliquem ex illis cerneret, divinum spiritum in eo esse minime dubitaret.

adducuntur 18 monachi à monasterio S. Savini,

E

in quibus S. Hugo,

Oddo, Ioannes,

viri perfecti,

10 Tunc etiam cœpit fama loci ipsius circumcirca divulgari, atque sitibundo pectore à fidelibus exoptari. Interea elegerunt sibi unanimes Patrem & Abbatem, vita & moribus probatissimum, Deoque & hominibus acceptabilem, Domnum scilicet Arnulphum (cum consensu tamen & voluntate illius protectoris, Domni videlicet Badillonis) virum per omnia, (ut postmodum claruit, & uti expediebat) utilissimum; qui quamdiu in corpore vitam duxit, tam in divinis rebus quam humanis ita omnibus in commune profuit, veluti optimus pater dulcissimis filiis. Hic tamen in cunctis quæ agebat, dictatore & consiliatore præ cunctis Domno fruebatur Hugone; qui gratia humilitatis obediebat patri, vice humillimi discipuli. His vero ita gestis cœpit postmodum vir Dei Badillo de propria salute acrius solicitus esse, qualiter hujus seculi ambitiones & illecebras postponeret; semetque in monasterio tonsurare, & monachum fore disposuit. Audientes quoque Fratres, quos à Pictavensi provincia ipse illuc deduxerat; & præcipue Domnus Hugo, cujus hortatu conversus fuerat, gavisi sunt valde. Quod utique dum expleset, quantæ humilitatis quantæque patientiæ atque obedientiæ extiterit, à nemi-

F

præficitur Arnulphus Abbas,

usus consiliis S. Hugonis.

cujus hortatu Badillo Comes fit monachus,

EX MS.

à nemine potest enarrari. Quem etiam venerabilis Hugo speciali amore regularibus monitis benigne instituens, perfectissimum militem Christi reddidit. Habebat igitur idem Badillo nepotem sibi æquivocum, benignæ satis indolis; quem etiam à secularibus negotiis abstrahens, in eodem monasterio secum divinæ servituti mancipavit. Et non minus quidem & ipse, secundus videlicet Badillo, in cultu divino devotus atque perfectus extitit. *quem secuti plures,* Tunc denique fama bonorum operum loci ipsius in longinquū se propagante, multi relinquentes mundi hujus vanitates & pompas, iter mandatorum vitæ perpetuæ arripientes, ibidem convertebantur: in quorum præcipue spiritali gymnasio præcipuus index & institutor datus & semper assiduus extiterat Hugo sanctissimus. Ipsi quoque Francorum atque Austrasiorum Reges ac totius Galliæ Proceres (veluti prisco in tempore ipsius cœnobii constitutionis, ut beati Papæ Gregorii registratum habetur testimonio) tanta veneratione ac reverentia illud cœnobium [habebant] cum omnibus quæ ipsius esse videbantur; ut si quispiam, quiscumque hominum contra jus sese adversus illud ageret, reus majestatis atque sacrilegii reputaretur; res quæ fuerant primitus ipsi loco deditæ, utriusque regni undecumque collectæ, tam cis Ararim quam citra ligerim & infra spatium duorum, integerrime, quantum inquiri posse fuit, restitutæ sunt.

11 Interea contigit, ut unus illorum Fratrum ex supra taxatis, Domnus videlicet Oddo, S. Hugonis familiaris amicissimus concors, haberet usui, post expletionem matutinalis synaxis (ut beatus permittit Benedictus) in oratorio specularis gratia orationis remorari. *Oddo S. Hugonis socius, post Matutinū orans,* Qui dum sedule id ageret, atque cum lacrymarum imbribus & compuncti cordis gemitibus, Creatorem universorum tam pro suis quam pro aliorum peccaminum solvendis nexibus exoraret; ostensum est mirum dictu & insigne miraculum. Contigit ergo una dierum, ut more solito veniens ante signum salutaris Crucis ipsiusque Salvatoris imaginis, quod constat decenter erectum in monasterii medio; dum expansis manibus in mentis jubilo ad cælum oculos dirigeret, visus est à quibusdam (qui speculandi causa prosecuti illum fuerant) in sublime aëris elevatus, *elevatur in aëra, ante Crucem se inclinantē,* spatio fere altitudinis trium ulnarum, alacriter unius horæ spatio immobilis persistere: eademque hora ipsa Jesu Christi Domini ac Salvatoris icona, cruci affixa, visa est ab ipsis speculantibus contra eumdem virum Dei sese humiliter inclinare. Erant autem tam ipse præfatus Abbas quam ceteri qui ista conspexerant nimium paventes, & alta admiratione perterriti, non habebant quid dicerent. Antea nempe jacula plurimorum convitiorum atque irrisionum in eum intorserant, dicentes mussitando, quod gloria vanæ jactationis, post communis persolutionis Fratrum obsequia, solus in oratorio remoraretur: deinceps autem fallaces existimationes & linguas omnes æmuli compescuerunt, virumque sanctitate dignum summo cum honore & reverentia, ut decebat, postmodum venerati sunt universi. Nam & plurimorum infirmorum sanitates per ipsum Dominus fieri contulit, *& plurima miracula patrat:* multisque virtutum miraculis usque in finem vitæ claruit, quæ etiam, si notarentur, maximam voluminis partem operirent.

12 Tunc per diversa terrarum procul & in vicinis cœnobiis, humiliter exposcentes, rogabant sibi dari, ad regimen suorum correctionemque morum, de personis monachorum ejusdem monasterii, quod utique noverant cunctis excellere in religionis sanctitate. k Balmense igitur cœnobium inter cetera erat tunc temporis omni regulari districtione destitutum: ad cujus regimen invitati, communi consilio delegerunt prætaxati Christi tirones unum, ex sui vigoris regularis tenore acerrimum ac sanctitate prædītum, nomine Bernonem; *B. Berno præficitur Abbas Balmensis monasterio.* qui, ut rerum exitus perdocuit, divinitus electus extitit. Qui Abbas constitutus in præfati cœnobii regimine, semper quæ Dei sunt præ oculis habens, magis animarum lucris quam rebus transitoriis insistens, multiplicem in brevi ovilis Christi coadunavit gregem. Cui etiam more solito, ut in ceteris, Domnus Hugo per omnia fidissimus adjutor existens, creditum sibi talentum à Domino ut epibata sagacissimus amplificare studebat. Hoc denique cœnobio domi forisque diversis bonorum copiis referto, plurima ad ipsius exemplum per eosdem viros aut noviter fundata, seu in melius reformata claruere monasteria.

13 Erat igitur tunc temporis Guillelmus Arvenorum Dux & Aquitanorum primorum Celticæ provinciæ liberalissimus; *à Guillelmo Duce evocatus,* cujus familiares milites sæpius ipsum Balmensem frequentabant locum; qui à præfato Abbate nec non & à Fratribus ejusdem loci affectuose excipiebantur; at ipsi revertentes ad Dominum suum, quidquid boni vel honestatis ibidem conspexerant, oppido diligenter illi referebant. At ille, ut erat vir omni bonitate conspicuus, cœpit mente tractare, si quomodo valeret reperire locum, hujusmodi religionis usibus congruum; qui protinus mittens ad virum Dei Bernonem, mandavit illi, ut ad se quantocius deveniret. Ipse vero illico occurrens ei, devenit ad eum, in locum revera à Deo bonorum omnium largitore prælectum, atque æternæ saluti prædestinatum, cognomento Cluniacum. Ad quem cum venisset, habens secum clarissimum Hugonem, *cum S. Hugone* cujus consultu universa agebat; statim jam dictus Princeps suscipiens eos summo cum amore, patefecit eis suæ mentis desiderium: de constructione videlicet cœnobii; quod optabat explere si Divinitas annueret illi. Qui dum circumquaq; loca circumstantia perspicaciter intuiti fuissent, *Cluniacum ducitur,* nullum ad hujusmodi congruentiam tam habilem repererunt locum, sicuti Cluniacum. Sed cum diceret isdem Dux, propter infestationem canum venatoriæ industriæ, quæ ibidem semper morabatur, fieri non posse; fertur Abbas facete ac jucunde, ut erat vir prudentissimus, tale eidem Duci dedisse responsum: Tolle, inquiens, canes exinde, & immitte monachos. Tu enim ipse bene nosti, quod præmium restet tibi canum à Domino, vel quæ merces monachorum. At ipse cum summa exultatione gaudens suscepit verba viri Dei, & ait: Saniore, Pater, prudenter es usus consilio, & sine fictionis fuco: nunc quoque fiat cooperante Christo ut tua hortatur benignitas. Denique protinus cœptum opus est, atque in brevi persecutum, & in honore principis Apostolorum Petri consecratum. *ibi fundario monasterii,* Perparva tamen primitus Fratrum conciola in eodem est constituta loco, quoniam isdem Princeps dominium in promptu non habebat quod daret. Sed quam ingens copiosaque seges ex illo paucissimo semine procedens excrevit, soli Deo notum constat non cuipiam mortalium hominum: optimam tamen loci famam inclyte norūt.

Belgicus & Celtes, Aquitanus, Wester & Auster.

Sed jam ad ordinis seriem redeamus. Interea m Gigniaco nec non n Vizeliaco, aliisque quam plurimis ditioni illorum subactis atque strenue emendatis, alacriter in divino proficiebant cultu.

ANNOTATA.

a *Videtur* Richildis *ab aliis dici post mortem Ermentrudis anno 869 nupta, ac tum Regina, postea Imperatrix coronata.*

b Ita

A b *Ita utrumque apographum, sed forsan error fuit in autographis: cum* centum mansi *sit præclara possessio*, mille *abundans; quid ergo* centum millia? *Cente mansus est fundus, unde quis se & familiam suam commode valeat sustentare, & censum domino referre.*

c *S. Vincentii in suburbano Laudunensi: cujus & ecclesiarum in honorem S. Martini erectarum meminit Aymoinus lib. 4 cap. 1*

d *Has columnas & trabes describit* Chassanæus *De Gloria mundi par.* 12 *pag.* 352.

e *Colitur S. Syagrius* 27 *Augusti officio* 9 *Lectionum in Ecclesia Æduensi, & sex priores in Breviario anni* 1534 *sumuntur de Vita, prima autem sic incipit:* Beatus Syagrius, Brunechildis Reginæ Franciæ, cœnobii S. Martini ad muros Æduensis Fundatricis Frater. *Fuit Brunechildis anno* 613 *occisa, & in dicto monasterio sepulta. Robertus Monachus Antissiodorensis S. Mariani in Chronico pag.* 66 *etiam asserit* S. Desiderium propinquam fuisse Brunechildis Reginæ, *illiusque liberalitatem erga ecclesias & monasteria describit. Colitur* 27 *Octob.*

g *Extant ea epistola lib.* 5 *Registri num.* 51 & 59, *& potissimum quæ huc spectat est epistola* 8

B *lib.* 11.

h *Est ea Epistola* 12 *libri* 11.

i *Imo* discipuli: διδάσκαλος *enim* magister *est: sed, ut infra apparebit, Græca quidem verba ab aliis audita subinde affectat auctor, ipse vero linguæ ignarus erat.*

k *De Balma cœnobio Burgundiæ egimus* 13 *Ianuarii, ad Vitam S. Eutychii ibidem Abbatis, cui Acta B. Bernonis subjungimus, & hic relata explicamus, lateque de Guilielmo Duce Cluniaci fundatore agimus. De hoc & aliis Guilielmis Ducibus Aquitaniæ egimus etiam* 10 *Februarii ante Vitam S. Guilielmi eremitæ, potissimum* § 2.

l *Anno* 910.

m *B. Berno in suo testamento, relato* 13 *Ianuarii* § 7, *præficit Widonem* cœnobio Gigniacensi, Balmensi, Æduensi, cum cella quæ dicitur S. Laureni. *Colitur hic* 2 *Novembris.*

n Vezeliacum, *inter Antissiodorum & Augustodunum, in cujus diœcesi est, constructum anno* 846; *ad quod dicitur à Badillone monacho translatum corpus S. Mariæ Magdalenæ, anno* 849: *quod latius discutiendum ad hujus natalem* 21 *Iulii.*

CAPUT III.

C *Enziacus. Prior S. Hugo. Ejus ibi vita, obitus, miracula.*

14 Subsequenti igitur tempore, Domno *a* Arnulpho Abbate adhuc in corpore degente, quidam vir spectabilis, in Augustodunēsi diœcesi commanebat, Leobaudus nomine, habens uxorem genere & moribus honestā, vocabulo Altasiam. Uterque Deum timentes & hominibus cari (erant enim illis possessiones ab attavis copiosissimæ & census opum multiplex) qui divino amore conjuncti, accedentes pariter ad B. Martyris Confessoris monasterium, dederūt illi in loco, qui *b* Enziacus dicitur, hereditariam possessionem in perpetuum possidendam: domū etiam propriam, ibidem honorifice constructā, à se cum ceteris transcribentes, omnipotenti Deo in Basilicā Ecclesiæ cōsecrari studuerūt. Ad hujusmodi igitur ministeriū explendū electus est totius boni officiosissimus Domnus Hugo; pergens illuc ex Abbatis imperio & Fratrum obsecratione, seminarium, uti mos erat illi, sparsurus divinæ mercedis: quod etiam loci cognomen, bene congruens rei futuræ, explicat. *c* Enziacus namque quasi laudabilis seu laudativus dici potest. Enziæ quippe Argolice, laudes Latialiter nuncupantur: siquidem tam positio ipsius fundi quā fertilitas soli, ejusdē loci vocabulum congruenter asserunt. Condignum igitur fuerat ut tali in loco maneret præco Divinitatis, qui Deo & hominibus universis foret jure laudabilis. Transfixum est igitur, ut diximus, ad Sanctuarium à viro devotissimo omne jus hereditarium, cum omnibus ad eumdem locum pertinentibus; qui cœpit paulatim per incrementa temporis per sanctissimum Hugonem dilatari, ac bonis quibuscumque ad meliora reformari. Ipse vero vir devotissimus, postpositis curis ac ambitionibus aliorum locorum, specialius loco huic impendit laborem atque intentionem suæ devotionis. Construxit enim ibidem, secundum suum posse vel loci mediocritatem, officinalia regularia, usibus monachorum omnimodis apta revera: totiusque loci facultatibus præparatum est Xenodochium Christi pauperibus. Erat etiam viro Dei, inter cetera Largitoris beneficia, unum quoddam singulare specialitatis donum, ex consuetudine proprio vocabulo attributum: nam si quis fortuitu illum in vita nominabat, protinus adjungere mos erat, Domnus, videlicet, Hugo, bonus ac sanctæ regulæ amator. Distat autem prædictus locus à Ligere flumine duobus millibus, à civitate quoque Ædua millibus quadraginta.

a

b In Enziaco

Prior constitutus S. Hugo,

ex MS.

locum incolit,

officinas & xenodochium construit.

E

15 Confluebant denique plures utriusque ordinis & sexus è diversis locis ad eumdem locum, expetentes humiliter ac devote viri sanctissimi consolatoria verba, implorantes sese illius orationum, ceterorumque beneficiorum illius, largissimis copiis ac spiritalibus fieri consortes. Si quæ vero in provinciis circumjacentibus ordinationes locorum, Abbatum, seu Præpositorum ex necessitate fieri imminebant; ejus consilio, nutu ac voluntate, dum consultus fuisset, perficiebantur: & quicumque ad eum accessisset, velut ex petra salis, conditus recedebat. Propterea si contigisset in tempore istius Christi Theologi, ut aëris infesta perturbatione tempestas aliqua proveniret (quod manifestum constat propter ferocia hominum corda & eorum brutam conversationem in eadem creberrime evenire provincia) *d* concurrebatur ad virum Deo devotissimum illico, tamquam ad veræ Divinitatis cōfugium: qui protinus, assumpta Cruce cum Sanctorum pignoribus, procedebat obviam imminenti cladi: statim vero, ut vir Dei signum Crucis expressisset, continuo illa brumalis aëris coagulatio, Christo Domino miserante, ita diversas in partes dispersa liquefiebat, ut nec vestigiū alicujus obnubilati vesperuginis appareret: & plerumque ipsas grandinum tumultuationes compertum est per eumdem conversas fuisse in suavissimum imbrem. Nec minus interea bonum à totius boni Auctore concessum fuerat tam in diversis infirmitatibus hominum, quam in multimodis cladibus animantium. Quodcumq; igitur homini seu alicui animanti infortunium supervenisset, si dextera signum Crucis illi imponeret, seu ab eodem aqua sanctificata illata fuisset, continuo expulso languore, omnis dolor aut infirmitas recedebat. Multi etiam semina spargenda deferebant ad eumdem virum Dei meliorandi gratia; at ipse benedictione condita remittebat eis: qui copiosa postmodū ab eisdem seminibus ubertate suscepta, Domino omnipotenti ejusque famulo gratias retulerunt. Præstigiorum quoque fascinationes & verborum illusoriorum *e* apotelesmata (quæ tam in Kalendis Januarii quam in nativitate S. Joannis Baptistæ insipientium multitudo committebant) ita abhorrebat, ut sub anathemate, hoc à nullo mortali fieri prohiberet, ut ait quoddam proverbium,

invisitur à pluribus,

d tempestates pellit,

F

semina reddit fertiliora

e fascinationes tollit.

ex MS. Quamlibet in multis studueris, quam juste tenax sis.
Nec tamen est virtus ni deteriora refutes.

Sed quid plura? Universis itaq; donis virtutum affabre erat refertus, & è diversis partibus ad ipsũ, tamquam ad divinæ salutis remedium, pro omni necessitate concurrebatur. Magnopere tibi, Domine Creator seculorum, honorificentiæ gratias & benedictionum laudes agat omnis ordo creaturarum, qui ita famulos tuos, ad honorem tui nominis, exornas claritudine miraculorum.

senex ad cælum aspirat: 16 Jam vero ad ejusdem sancti viri transitum optamus inflectere articulum: compositis enim ac decenter ornatis, procul & in vicinis circumcirca, nutu & consilio venerabilis Hugonis, cœnobiorum conventibus Fratrum; senio jam confectus, cygnæo capite decoratus, & quasi in procinctu itineris universæ carnis constitutus, decessum suæ mortalitatis præstolabatur securus: jejuniis quoque & orationibus assiduis intentus, in cælum frequenter aspiciebat, quo post paululum sequens Dominum Jesum se credebat iturum: verba tamen salutis quibus poterat erogabat. *commonet suos;* Commonebat quoscumque paterno affectu pœnitere de præteritis facinoribus, vivere in præsentiarum à peccatis, providere futuris humanæ fragilitatis excessibus, præcipue tamen de incorruptione *inculcat fidem,* fidei Catholicæ, quam pertimescebat aliquotiens in quorumdam pectoribus *f* vacillari, maxime ob A- *B* postolici præsagii oraculum quod ait, Erunt in novis- *Mat. 24, 12* simis diebus tempora periculosa; & abundabit iniquitas, & refrigescet caritas multorum: deinde à vitiis subtrahendum, maxime vero à cupiditate & su- *fugam cupiditatis & superbiæ:* perbia, ex quibus pene cetera flagitia oriuntur, sicut videlicet è contrario ex vera humilitate & perfecta caritate copiosa virtutum multitudo exuberat. Sæpissime Fratrum memoriæ [inculcabat] actus & præcepta Sanctissimi Patris Benedicti, nec non exem- *observantiã regulæ,* plar obedientissimi discipuli ejus Mauri, tamquam cælestis tramitis fidelissimos indices. Asserebat enim sub ostentatione communis & veræ fidei, quoniam si in quocumq; locorum observatus fuerit tenor prædicti Patris regularis institutionis, nullius indigentiæ *addicens benedictionem temporalem;* passuros penuriam qui ibidem habitaverint: quod etiam plurimis in locis in quibus custoditur, hodie dignoscitur expertum; nec minus interea in illis, in quibus frigescendo tepuit, egestas & inquietudo cubile locavit. Multa denique vir illustris, tam in ordine monastico quam in quibusdam ordinibus seculi hujus, futura prædixit, quæ postmodum in tempore subsequente probavit eventus.

C 17 In spatio igitur trium annorum ante ejus obi- *triennio ultimo se continet in cella,* tum, cohibuit se ab omni re seculari in prædicta cellula conclusum, lacrymis & orationibus inserviens, magis assiduus quam frequens. Ibi vere pauper in an- *g* gusto triumpho regnabat, *g* præstolans in mentis jubilo adventum Domini nostri Jesu Christi, post discessum hujus mortalitatis cum eo regnaturus in gloria beatæ perennitatis. Adveniente Quadragesimalis observantiæ tempore, artubus frigore lassescentibus, mens illius roborabatur igne sancti Spiritus: Fratres enim secum cohabitãtes ac funus illius pertimescentes ita confortabat, ut ex mœstitia paulatim redderet gaudentes. Promittebat autem spondens se oraturum *sub finem suos animat:* assidue pro eis, ut quandoq; largiente Christo pariter fruerentur gloria paradisi. Expleto autem sacro Quadragenario, ac supervenientibus gaudiis Dominicæ resurrectionis, attentius præstolabatur diẽ sui discessus; manibusq; frequenter ad cælum expansis, paululum moventibus labiis, oculis lacrymis perfusis, totus conspiciebatur esse in extasi. Duodecimo nem- *moritur 20 Aprilis.* pe Kalendarũ Majarum die, felix & beata anima ipsius, relicta corporis gleba, migravit ad Christum. Sepultum vero est sacratissimum ejus corpus à devotissimis ejusdem loci Fratribus, quos ipse devote edu- *D* caverat in spiritalis militiæ virtutibus, infra ambitum *sepelitur in ambitu cellæ* præfatæ cellulæ, quam ipse Deo consecrari fecerat ad percipiendam viam vitæ. Quo in loco, cujus sanctitatis ac meritorum in vita fuerit, signis & virtutibus multipliciter Deo largiente claruit. Nam post obitum illius multiplex infirmantium seu devotorum popu- *claret miraculis:* li multitudo, ad ejus tumulum devotissime confluẽs, quidquid suæ utilitatis ibidem exposceret, absq; ulla difficultate gaudenter reportabat. Quasi enim ex debito requirebant ab eodem Patre dulcissimo, more filiorum, opem salutis, quos statim consolabatur suæ meritis intercessionis. Talibus atque hujusmodi virtutum insignibus præditus fuit Sanctissimus Hugo, Sacerdos & monachus; ut dignum sit credere, quod maneat post carnis depositionem in omnipotente Deo vivus. Jam vero ex parte vita illius & actus atque transitus explicati habentur.

EPITAPHIUM.

18 *b* Vivere post obitum testantur hic ossa Beati, *b* *Epitaphium*
Hic cineres produnt vivere post obitum.
Corpora dum melius morituris spe reparantur,
Quam prius extiterant corpora dum melius.
Functus amore Dei, præstans pia dona petenti,
Dat bona credenti, functus amore Dei.
His opibus decorat tumbam pernobilis Hugo: *E*
Omne quod hunc rogitant his opibus decorat.
Gloria, quem refovet, sibi dat pro munere laudem,
Omnipotentis ovans gloria quem refovet;
Dic bona verba Deo, tumulum qui cernis Hugonis;
Ut decet omnis homo, dic bona verba Deo.

19 Contigit igitur post obitum Domni sanctissimi Hugonis, clarescentibus miraculorum signis, ut totius plebis multitudo utriusque sexus & ordinis, pro diversarum sanitatibus infirmitatum, ad illius conflueret sepulcrum. Tunc denique vir quidam adductus est in carruca, trahentibus se bobus duobus, usque ad fluviolum *i* Arrontiæ: eo vero *i* tempore idem alveus ita excrescens intumuerat, ut non foret cuipiam pediti præter navigium transmeabilis. Erat autem prædictus vir contractis nervorum poplitibus ad nates usque calcaneo tenus, nec jam per tria lustra quiverat in eundo per arvum figere gressus. Qui dum, ut diximus, præ inundantia aquæ *contractus* alveum transire non posset; misit unum de suis, *sanatur:* qui candelam ad mensuram sui corporis deferret ad sepulcrum S. Hugonis: ipse vero nomen S. Hugonis tandem sæpius invocans, pro sibi reddenda sanitate attentius Dominum precabatur. Die quoque altera mane facto, sensit virtutem Christi in *F* se operatam, per meritum S. Hugonis: nam resolutis poplitibus cruribusque extensis, recepit corpus suum ex medio totum, pulsansque ostiolum *k* andronæ, quæ super carrucam erat, rogabat sibi aperiri; & voce qua poterat, in- *k* vocans adjutorium Dei, iterabat nomen S. Hugonis. Foras itaque egrediens, stabat erecto corpore, ostentans suæ sanitatis profectum, & suis gaudium. Qui protinus mittens dedit Sancto unum de bobus, quibus illuc adductus fuerat, pro mercede vel gratiarum actione receptæ sanitatis: qui dum ad monasterium adductus fuisset, Fratres ejusdem loci pietate commoti, jusserunt ut restitueretur suo Domino. Statim quoque nutu divino intelligens animal quid vellent seu quid potissimum expediret; arrepto itinere, absque ullo ductore repedavit, veniens ad proprium Dominum. Ipse vero cognoscens Fratrum benignitatem ac Dei omnipotentis miserationem, jungens illum socio, agensque Divinitati gratias, hilaris ac lætus repedavit ad propria.

20 Eo

A *ob blasphemiam in Sanctum læsus,* 20 Eodem quoque Tempore vir quidam, Theobertus nomine, ejusdem loci indigna, habens dolabram in manu, incidebat lignum: tenens pedem super S. Hugonis sepulcri lapidem. Qui dum à circumstantibus moneretur, ut exinde se tolleret aliàs procedens, sanctoque viro reverentiam exhiberet; ille stomachabundus respondens, dixit: Ego enim non novi Sanctum istum, quem dicitis, aliquando virtutem alicujus rei perpetrasse: idcirco quod cœpi facere instanter peragam. Si tamen illi aliqua potestas ulciscendi esse constiterit, in promptu fuerit demonstrare. Hæc dicens continuo elevata manu dextera, toto nisu illisit dolabram in levam [tibiam,] ita se vulnerans, ut pene mancus illico fuerit. Circumstantes vero stupefacti & admiratione perterriti, sancto viro, ut decebat, idoneum præbuere testimonium. Qui *ejus beneficio curatur,* autem vulnus acceperat, in spatio sex mensium deguit feriatus: tandemque postmodum, per sancti viri intercessionem sanitate recepta, Domino egit gratias, & sanctum virum, ut decebat, excoluit. Claruit etiam multiformiter in sancto viro, diversarum virtutum miraculis, evidentissima fuisse gratia omnipotentis Christi.

21 Quidam igitur ejusdem cœnobii monachus, *custos ecclesiæ,* causa obedientiæ, imposita erat custodia ipsius ecclesiæ; qui quasi in futurum providens, ex parte B improvidus, circa Sanctum apparuit negligens, ac tenax seu avarus: erat autem ejus vocabulum Hademarus. Cum ergo è diversis partibus ad eumdem locum multitudo conflueret virorum ac mulierum, afferentes copiosissima luminaria candelarum, ac cetera stipendia congruentia usibus humanarum necessitatum; subrepuit in eumdem monachum, ut diximus, nimium tenacitatis studium. Nam statim, ut po- *ex avaritia candelas oblatas extinguens,* nebatur candela sancto viro delata, illico eam arripiens velociter extinguebat. Hoc autem studebat facere die noctuque, quasi fidissimus rerum custos, absque ulla interpellatione. Contigit vero una noctiū, ut à fidelibus more solito candelæ offerrentur: sed ille avide suscipiēs, excussa flamma ab omnibus, mansit in tenebris locus & ipsemet monachus: qui continuo cæcitate percussus, & ut erat mente, effectus & corpore cæcus, cœpit quoque manibus palpitare, gressu oberrans, nesciens qua parte quæreret deberet aditum *fit cæcus;* ecclesiæ. Tandem ita cæcutiens, reperto ostio inde exiens, convocans aliquos famulorum, reaccendens cādelam, rursus ad sepulcrum Sancti jussit se perduci: quo veniens cœpit devotissime orare cum lacrymis C Domini misericordiam Sanctiq; Hugonis intercessionem: seseque increpare, se reum & peccatorē esse negligenterq; egisse in officio debitæ servitutis; spondens insuper, si diu viveret, se omnimode emendaturum. Dumque id ageret, subito aspexit quasi per tenuissimam rimulam super sepulcrum Sancti lucidissimam micantem stellam: cujus radiis illius obtundebatur intuitus: ipse vero attentus deprecabatur Dominum, ut per intercessionē præsentis Confessoris, misereretur sui. Sed misericors Dominus differendo quod optabat, intulit ei plenitudinem, ut plenā daret *& post annum sanatur* remissionem. Anno siquidem integro manens acie oculorum debilis, non valuit quod cupiebat, perfecte intueri. Dehinc cognoscens quem metuendus, seu cujus meriti esset vir sanctissimus, & de correptione emendatus, pariterq; ex restauratione visus oculorū lætificatus, narrare studuit ceteris quod per semet expertus probavit. Simili modo quoq; contigit cuidam *uti & alius, Hugo dictus.* hujus Confessoris æquivoco, dum incaute debita luminaria subtrahens auferret, ut ob ipsius ultionem propria perderet. Sed divina miseratio post expertam viri Dei sanctitatem, & negligentis correctionem, restituit devoto quod subtraxerat noxio.

22 Testes existunt tam hi, quos superius descripsimus, quam alii perplures, quoniam his diebus tanta multitudo infirmantium ac debilium ob recuperandam sanitatē illuc confluxerat; ut incredibilis numerus scabellorum atq; f oscillorum post perceptā incolumitatem à redeuntibus ibidem remaneret. Tūc deniq; inter ceteram multitudinem mulier quædam movens à Bituricensi territorio, ut illuc pergeret, devenit usq; Ligeris fluvium: erat autem lunatica, & ut verius fatear, dæmoniaca. Quam dum nullus transeūtium auderet secum in navim assumere, timentes *dæmoniaca liberatur:* cuncti ne propter eam periclitarentur; ipsamet intrans navim, absq; nauclero vel remige impulit scapham in undas. Egrediens vero recto tramite impulit in ripam alteram: illico autem retro remeans devenit ad locum pristinum: rursus inde egrediens tantumdē ut optabat pertransiit, arreptoq; itinere pervenit ad sancti viri sepulcrum. Ubi dum corruisset cœpit illā malignus spiritus introrsum lacessere, atq; mente rabida concitare. Conclamans autem alternis vocibus aiebat: Propter Martinulum nō exeam, nec pro Hugonculo recedam; hoc sæpius identidem repetens, ut nulli dubium foret quin ab immundo agitaretur spiritu. Altero quoq; mane facto diu multumq; fatigata, evomuit in modum scarabæorum tria reptilia; quorum nihilominus forma nequam spiritui satis condecens esse poterat qui illam possidebat: demonstrat enim in ejusmodi effigiebus divina gratia, cujus vilitatis sit dœmonum species vel forma. Post hæc mulier, sana mente recepta, glorificans Deū, grates egregio egit Confessori; mirantibusq; universis, incolumis restituta est suis. Innumerabilia etiam constant cujuscumq; mortalium signa & prodigia virtutum, quæ Dominus operari dignatus est per sanctissimum Hugonem, famulum suum, tam in viris quam in mu- *plurima miracula fiunt* lieribus; diversarum infirmitatum concessis sanitatibus, ad sui nominis gloriam & honorem, multis cernentibus. Jam vero qualiter contigerit ut illius ossa, exinde ubi primitus locata fuerant, sint translata, in subsequenti opere Domino largiente relaturi sumus.

EX MS. f E

ANNOTATA.

a *Hinc corrigendæ tabulæ Abbatum hujus monasterii, in quibus collocatur secundus Abbas* Arnulphus, *& septimus* Hugo, *contemporaneus S. Bernonis, cujus Hugonis consilio fundatum est Cluniacum. Atqui hic est Hugo sanctus, de quo agimus; & qui non Abbas, sed monachus Æduensis fuit.*

b *Chassanæo* Auxiacus, *potius* Anxiacus, *vulgo* Ancil le Duc.

c *Ex veteri ante Romanos lingua vel ex latina corrupta, uti cetera* in acūm, *factum esse nomen (quacumque primæ partis notio sit) nihil ambigimus: sed quis auctori imposuit, quod* Enziæ *apud Græcos dicantur* laudes? *nec in hac nec in ulla significatione vocabulum tale aut similé apud Græcos invenitur.* F

d *Ne longiori parenthesi divulsus sensus fugiat lectorem, ecce tibi alteram dictæ parenthesis partem, exemptam contextui.* Licet idem contingat in ceteris pluribus locis, pro facinoribus peccatricis plebis, ut Sanctorum Patrum auctoritas efficacius attestatur: aiunt enim, Nullo modo grata elementorum consocialis positio discors fieret, si non, ad ultionem sumet, humani generis improbitas, Deo judice, fieri mereretur.

e Apotelesmata *Græcis proprie sunt operationes seu responsa genethliacorum, quibus prænuntiant, quænam fortuna aliquem maneat, ex eo quem sibi fingunt natalis constellationis influxu. Auctor pro superstitiosis lustrationibus usurpat, quas sæpe extinctas sæpe repullulare, maxime inter vulgus simplex ac rusticum, dolent ii quibus cordi est puritas Christianæ religionis: nam earum quæ hic carpuntur nūc quoque memoria viget, utinam nō etiam usus apud aliquos.*

f Vacillari *passive pro* labefactari.

EX MS. g *Additur*, habere maximum donum, *quod claritatis causa expunximus.*

h *Miracula S.Benedicti simili carminum genere scripta esse à PauloWarnefridi diximus ante Acta illius 21 Martii num.* 5, *aliorum opinionem secuti. Sed simile prorsus poëma de S.Mauro, æque eidem Paulo attribuitur, quod tamen post annum* 845 *compositum esse demonstrat Mabillon. sec.* 1 *ante Vitam S. Mauri, cum Paulus ad annum* 832 *vivendo non pervenerit; ex quo concludit, poëma de S. Mauro potius tribuendum Laurentio monacho Casinensi, quem constat versibus Vitam Sancti scripsisse. Quidni igitur suspicemur, scripsisse eumdem sic de S.Benedicto: & circa hunc æque ac circa S.Maurum errasse, qui Pauli nomen præfixerunt.*

i Arruntia *fluvius, Papiro Massonio* Arutius, *vulgo* Arroux, *ipsum monasterium præterlabens.*

k Andronam *nemo currulem sellam vocavit quod sciam:* Andron *Plinio, Ioanni Diacono* Androna *in Vita S. Gregorii lib.* 2 *num.* 29, *spatium angustum significat inter duarum domuum non contiguarum parietes: an quia uni soli viro pervium? Ita corrigere malim, quam adhærere mordicus alteri ejusdem voci significationi, qua* virorum triclinium *intelligitur ab aliis, quos tunc secuti sumus.*

B l *Fulcra subaxillaria intelligit,* Oscillum *autem Virgilio & aliis antiquis funis est, ex alto demissus cujus sinui insidens alterno motu libratur in altum. Statius* Petaurum *dicere maluit; & hic ludus* oscillatio *dicebatur: Est tamen aliqua similitudo inter eos qui tali ludo jactantur, & qui corpora super furcillas librata movent, sicque progrediuntur, ut claudi solent.*

CAPUT IV.

Corpus elevatum, ad varios conventus seu concilia Episcoporum delatum. Miracula facta.

23 SAnctorum voluminum paginis edocemur, miraculisque plurimorum Sanctorum instruimur, ut translationes eorum sincero affectu recolamus. Dum enim per ossa Sanctorum fiunt miracula, constat testimonium efficax animas illorum vivere cum Christo in æterna gloria. Sancti igitur ac beatissimi Confessoris Hugonis translationem, quam præsentialiter devota plebs excolit & veneratur, qualiter fieri contigerit si evidentius referatur est operæ pretium. Multiplicibus ergo miraculorum signis, est ostensus. Requirebatur enim à multis jam humo defossus in universis necessitatibus, acsi in carne degeret vivus. Et revera vivit Deo, cujus cinis & ossa, plurima pie petentibus præstant beneficia, ac recreant animas simul & corpora.

Cum pergeret clarere miraculis

C

24 Circa millesimum igitur incarnati Verbi annum, sub viro Dei *a* Heldegrino Abbate, erat quidam Frater in eodem cœnobio, videlicet Enziaco, in quo sanctissimus Hugo quiescebat, vita & conversatione monachus, *b* Emirardus nomine, vir sanctæ conversationis, qui etiam olim Hierosolymam perrexerat ab amorem sepulcri Domini Salvatoris, degens ibidem spatio fere septem annorum; indeque rediens delegit sibi præfatum cœnobium, ad fine tenus inibi commanendum. Erat enim Sacerdotalis officii gratia insignitus, ac divinæ servitutis devotione præcipuus; humilitatis obeditione, majorum imperio pronus; coæqualium ac minorum pura dilectione amicissimus: huic denique sanctitate venerabilis Hugo sese frequentissime in visione ostendens, familiari cum eo, ut ipse cum lacrymis solitus *c* [est referre, utebatur] colloquio. Imminente etiam die solennitatis Dominicæ, solus frequentius cœpit prædicto Fratri venerabilis Hugo in visione apparere: ipse vero attentius, ut tempori ipsi congruit, jejuniis & orationibus se affligens, ei quod magis expediebat, Dominum obsecrabat ut fieret. Ita vero transactis tribus vel quatuor hebdomadibus, ventum est ad sacratissimam Natalis vivifici Verbi noctem; expletisque solenniter à Fratribus ut moris est ipsius noctis solennibus, Missisque devotissime celebratis, retulit prædictus Frater, Domnum Hugonem præsentialiter se vidisse in Dei laudibus psallere cum ipsis.

a circa an. 1000

b

Emirardo sæpius apparens colloquitur:

c

& videtur in nocte Nativitatis psallere cum aliis.

25 Quid plura? Omnibus rite peractis obsequiis officiorum, ventum est ad horam prandii: qui ex consuetudine regulariter in unum convenientes, sumpserunt cibum corporis cum edulio animæ sacræ lectionis. Post refectionem vero Deo concorditer gratiam agentes, ad Ecclesiam repedarunt. Quam dum intrarunt repererunt universa luminaria ejusdem ecclesiæ hilariter accensa, cum nullus mortalium in ea remansisset, de quo dubium fore posset quod ea accendisset: omnia quippe ostia ipsius ecclesiæ pessulis & clave diligenter tota prandii hora à clavigeris obserata erant. Quod cernentes Fratres qui convenerant, magno repleti gaudio, collaudantes Dominum, non habebant quid ultra dicerent. Post hæc vero accedens prædictus Frater, videlicet Emirardus, ad sepulcrum sui consecretalis & familiaris amici, Domni videlicet Hugonis; reperit lapidem, qui superpositus erat, ex omni parte remotum, ac sesqui pede circiter in altum exilientem. Tunc convocans ceteros, ostendit eis eventum rei, innuens quid ex eo sentirent. Ipsi autem stupore perterriti, anxiabantur animo ex geminis & evidentissimis in tam præclara solennitate ostensis sibi miraculorum signis. Divulgata sunt enim hæc circumcirca totius provinciæ, factumque est universis in summa admiratione.

deinde luminaria ultro accensa:

E

& lapis sepulcralis amotus: cernuntur

26 Quod comperiens *d* Walterius seu Galterius Præsul Augustodunensis, convocavit ad se Heldegrinum Abbatem cum aliquibus Fratribus, diligenter perquirens, qualiter se res haberet, cujus famam compererat: At ipsi narraverunt ei ordinatim quam evidentissimis miraculis pius Dominum famulum suum, Sanctum videlicet Hugonem, multotiens clarificare dignatus fuerat. Tunc idem Præsul venerabilis, ac reverentissimus Abbas, cum ceteris Fratribus utriusque ordinis, unanimiter decreverunt, ut ossa sancti viri, quem tot signa prædicabant, exinde levarentur; & uti condecens erat, palam ut esset, honorifice conderentur. Quod audientes quique totius provinciæ, tam vicini quam longe constituti, dignum fieri judicaverunt. Dehinc anno pene evoluto, idibus Decembris mensis, cum summo apparatu & totius plebis conventu, revoluta sunt ossa sanctissimi viri, atque exinde elevata, vinoque & balsamo perlustrata: nec non in locello, ubi nunc adorantur, diligenter sunt condita. Odor autem suavissimus profluxit ab eis, quamdiu manibus tractabantur, quem sensit olfactu totius populi conventus. Tunc etiam multitudo febricitantium aliorumque debilium, qui convenerant, pristina sanitate recepta, collaudans Deum, Sanctumque glorificans Hugonem, remeavit ad propria. Ex vino quoque, unde sacra ipsius ossa abluta fuerant, multi infirmantium in potu sumpto, illico convaluerunt. Tunc ex longinquis provinciis, diversis morbis & infirmitatibus gravati, simul cum vicinis ejusdem loci illuc advenientes, pernoctantesque biduo vel triduo, dehinc cum summa exultatione, quod fideliter optaverant, absque difficultate consequebantur.

d ab Episcopo Æduensi,

Abbate S. Martini & aliis,

F

elevantur ossa 13 Decembris,

& in locello colloncantur:

sanantur febricitantes

& alii ægri.

27 Post hæc vero in subsequenti tempore facti sunt *e* conventus Episcoporum in plerisque locis, ob studium reformandæ pacis, aliquantisper vero propter

e

A *ossa deferuntur ad Conventus Episcoporum*

ter statum reintegrandum Catholicæ fidei: in quibus conciliorum conventibus obsecratum est à fidelibus, ut illuc usque deferretur sancti viri corpus. Quo delatum à Fratribus, semper claruit cujus esset meriti vir Sanctus sacris virtutibus. Audires ex viis ac domibus & agris, dum in eundo & redeundo transitum per loca haberet, clamare viros ac mulieres pia voce cum exultatione dicentes: Pater Hugo sanctissime, miserere & exora Dominum pro totius plebis salute, ut tuis meritis & precibus eripiat nos à peste & fame, & valeamus post mortem clarius percipere tecum gaudia æternæ vitæ. At ubi ventum fuisset ad conventum Concilii Episcoporum & plebis, cernere erat cunctos ut benignum Angelum, omnes ut Dei Apostolum, universos in commune ut Christi amicum suscipere, laudare, & exorare dulcissimis vocibus beatum virum. Sic igitur & nos, quamvis illis inferiores meritis, imitemur pro posse fidem illorum; eorumdemque, Christo nos juvante, sequentes vestigia, recolamus digne sancti viri memoriam, universorum Deum ac Dominum nostrum in eo collaudantes consonis vocibus; & exoremus humillimis precibus, eum qui nobis nostræ gentis & ordinis talem dignatus est largiri Patronum. Ipse enim, post multa alia Ecclesiarum Dei beneficia, locum istum sua consecravit habitatione, & exemplo beavit: per cujus nos suffragia muniamur inter mundi molimina, ut quandoque pervenire valeamus ad æternæ vitæ gaudia; præstante Domino nostro Jesu Christo, qui cum æterno patre vivit & gloriatur Deus per omnia secula seculorum. Amen. f

omnibus eum invocantibus,

B

f

g *Corpus delatum ad Concilium in diœcesi Lugdunensi,* h

28 In Lugdunensi diœcesi apud castrum vocabulo *g* Ansa, ex consuetudine Episcoporum Concilium haberi erat solitum. Quodam igitur tempore, dum idem Concilium præpararetur haberi; multa Sanctorum pignora in diversis *h* apophoretis, ut solitum erat facere, illuc delata sunt à fidelibus, ut Sanctorum gratia, meritis, & precibus, exinde omni plebi oriretur profectus. Contigit autem ut beatissimi viri Hugonis corpus illuc cum ceteris deferretur; ubi dum locatum satis decenter fuisset, maxima pars totius populi qui convenerat, devotissime ad illum confluxit. Tunc quicumque gravabantur aliquibus imbecillitatibus, aut ipsimet devenerunt, aut delati sunt manibus alterorum. Narrari non potest quas voces, quos gemitus cum lacrymis daret universus populus, Hugonem Sanctum acclamans. Tunc divina miserante clementia plures à febribus liberati, alii à vexationibus emundati, quam plures vero membris debilibus in melius reformati: quorum singulæ personæ non possunt viritim numerari. Aliis quoque recedentibus occurrebant pluriores prioribus; quibus ad *i* capiendum erga Sanctum vix inveniebatur locus: cunctis tamen subveniebatur divinitus.

claret variis miraculis:

C

i

petens in præsentia corporis mori,

29 Erat quoque in ipsa multitudine populi vir quidam, magna nimis ac plenus pia devotione: qui cernens virtutem Domini in diversarum infirmitatum ægrotis; corde compunctus, venit ante præsentiam corporis S. Hugonis; stansque illic expansis manibus in cælū, illacrymans oculis, hujusmodi proferebat verba: O Sancte Hugo, Confessor Christi, piarum virtutum operator, obsecro te, per gratiam omnipotentis Creatoris, quam meruisti, ut impetres mihi apud ipsum, si ego in spatio hujus anni finem præsentis vitæ ex decreto ipsius sum habiturus, non permittat me hinc abire; sed in præsentia tui corporis, quemadmodum opto, contingat mihi. Stans vero idem homo hujusmodi verba replicans, manebat immobilis: post duarum autem vel trium horarum spatium, leviter flexis poplitibus in terram corruens, spiritum exhalavit: quod cernens ipsa multitudo præsentis plebis virorum ac mulierum, cuncti stupore perterriti glorificabant Deum, in laude sancti famuli sui Hugonis. Sed quid in hoc facto intelligi debet præter illud, quod proverbialiter dici solet, quoniam non potuit male mori, qui bene vixit? Non enim putandum est, quod vir iste ita ad votum suum fuisset consecutus vitæ exitum, nisi primitus ita vixisset, ut hoc à Domino fieri promeretur sibi: & in quantum conjici potest, optabilius fuit taliter miseram istam vitam finiri quam de communi morte ad illam resurgere. Asserunt enim sancti patres nostri, sacræ Scripturæ tractatores, Dominum Salvatorem majus miraculum fecisse in Mariæ Magdalenæ internorum delictorum remissione, quam in fratris ejus Lazari corporis resuscitatione. Interea decretum est à sagacibus viris, & præcipue à venerabili Odilone *k* Cluniacensi Abbate qui ibidem aderat, ut in eodem loco corpus ipsius hominis (Erat autem nomen ejus Andreas) sepulturæ traderetur, quo finem vitæ, S. Hugone intercedente Deoque jubente, perceperat: ibidem dignum judicantes expectare beatam illam resurrectionem, ubi præsentem amiserat vitam. Quo sepulto secundum universorum judicium, constituerunt fideles viri cellulam super eum, ut memoriale hujusmodi miraculi foret per longinquum temporis spatium seculo futuro evidentissimum. Dehinc quique redeuntes ad propria magnificabant Deum, Sanctumque Hugonem ipsius famulum per cuncta prædicabant.

ibidem exspirat.

D

k *& S. Odilone aliisque ibidem sepelitur,*

E

30 Post expletionem igitur præfati Concilii, dum fuissent exinde exportata ossa beati viri, fama illius circumquaque crebrescente, multi infirmi angebantur pœnitudine, moram sui increpantes tardius illuc devenisse. Tunc cæcus quidam, toto privatus lumine, ex longinquo veniens, S. Hugonem, Christi Confessorem ac Dei amicum, cœpit creberrimis vocibus acclamare. Dum hoc ageret, percunctabatur; quonam in loco præsentialiter Sanctissimus Hugo quievisset. Quo veniens, flexis genibus, pugnis percutiens pectus suum, simul & lumine vacuos humo defigens oculos, hujusmodi sese increpabat verbis: Væ mihi misero & negligenti propriæ salutis, cui non contigit reperire isto in loco amicum Dei omnipotentis: credo enim ex intimo cordis affectu, quoniam ipsius interventu oculis meis reformasset lumen pius Dominus. Hæc dicens respexit in cælum, & miserante Domino aperti sunt oculi ejus; receptoque lumine cœpit videre clarissime: indeque surgens assiduis clamoribus magnificabat Deum, in Sanctis suis mirabilem, Sanctumque Hugonem suum intercessorem prædicabat mirificum. Hæc & infinita alia miracula, quæ causa brevitatis omissa sunt, operatus est piissimus ac benignissimus Dominus noster Jesus Christus, & adhuc quotidie operatur, in laudem & gloriam sanctissimi nominis sui: qui cum æterno Patre & Spiritu sancto vivit & regnat Deus, per infinita secula seculorum. Amen.

cæcus illuminatur, visitans locum ubi corpus ante fuerat.

F

ANNOTATA.

a Hildegrinus Abbas *S. Martini Æduensis collocatur à Sanmarthanis, si tamen tabulis eorum fidendum quas vitiosas jam deprehendimus.*

b *In altero apographo*, Euvrardus *scribitur.*

c *Ita correximus pro eo quod habebatur*, solitus usum fuisse colloquio.

d Walterius *ex Abbate Flaviacensi factus Episcopus, adhuc vivebat anno* 1005.

e *Glaber Radulphus lib.* 3 *historiæ cap.* 3 *monet circa an.* 1002 *pluribus Galliæ locis habita fuisse Concilia.*

f *Quæ sequuntur, postea videntur adjecta.*

A g Ansa, *oppidum ad dexteram ripam Araris, infra Villam-Francam.*

h Apophoreta *propriè sunt munuscula à mensis sublata & ad amicos missa: auctor hic ea voce pro feretris utitur.*

i *Sic Itali* Capitare *dicunt pro pervenire, pertingere.* D

k Odilo *præfuit Abbas ab anno 994 usque ad anni 1049 Kalendas Ianuarii, ad quem diem dedimus ejus Acta.*

DE B. GVILIELMO PEREGRINO

G. H.

IN BAVARIA TRANSDANVBIANA.

CIRCA AN. MCXL

Prope Winburgum cœnobium,



AMplissimum cœnobium *Ordinis Præmonstratensis visitur in Boica trans Danubium, qua Bohemiam spectat,* Winburgum, *vulgo* Windperg *dictum, haud procul Pogenio; cujus Comites Albertus, ejusque liberi Albertus, Berchtoldus, Hartwicus dictum cœnobium seculo Christi duodecimo fundarunt, approbante Eugenio Papa III, per Bullam super fundatione ac privilegiis an.* MCXLVI *signatam. Quæ pluribus legi possunt apud Wigulejum Hundium & Christophorum Gewoldum tomo 3 Metropolis Salisburgensis pag.* 488 *& sequentibus.* Ad hanc viciniam, *inquit Matthæus Raderus tomo* I *Bavariæ sanctæ pag.* 128, velut ex tempestate

B & naufragio longæ peregrinationis delatus Guilielmus, atque ex vinculis elapsus, maximisque laboribus & periculis defunctus, hic gratum quietis portum invenit à Luicarde, quam & Hedwigem & Hadewigam dixêre, Alberti Comitis Pogiani conjuge, liberaliter adiutus atque annona sublevatus. Rebus divinis solis in locis assidue deditus, multa à Cælitibus didicit, quæ Imperatori ac Imperio imminebant. Præsagiebat bellum & stragem Henrici III, (qui Germanis est quartus) cum Saxonum gente. Alberto Comiti valetudinem restituit, suam met secuturam mortem prædixit. A morte eidem visus auctor fuit, ut quo loco corpus servabatur, sacellum tamquam fostrum pro recepta sanitate, gratique animi nemosynon poneret. Fuit hic Albertus Winburgensis etiam cœnobii conditor. Guilelmus socium peregrinationis habuit B. Junanum, ex cujus defuncti artubus, divini cujusdam odoris supra omnes Arabiæ liquores, fragantiam halasse memorant. Guilelmus vixit XII Kalendas Maji anno incerto, nec multo tamen ante MCXLVII, quo Albertus decessit.

degit in Comitatu Pogiano

varia prædicit:

Comitem sanat:

moritur 20 Aprilis.

2 *Hæc ibi Raderus. Addit Hundius dictum annum mortis Alberti haberi in sepultura ejus cum* V Idus Januarias. *Interim notat* Bullam Eugenii III, anno MCXLVI editam, testari ipsum fundatorem jam tum defunctum fuisse. *Quæ simul possunt consistere, si Bulla non diu post illius obitum ante Pascha aut festum Verbi Incarnati fuerit signata: cum scilicet secundum morem curiæ Romanæ necdum cœpisset annus* MCXLVII, *jam ab initio Ianuarii apud Boicos inchoatus. Eumdem* Guilelmum Peregrinum *cum titulo* Beati *inseruit Catalogo suo generali ad hunc diem Ferrarius. Præclara effigies B. Guilielmi, in habitu peregrini, radiis cælestibus circumcincti, & Alberto Comiti ad mortem ægro apparentis, è ita est in dicta Bavaria sancta Raderi cum his subscriptis versib s.* E

effigies sculpta.

Mille per & casus & mille pericula rerum,
Præbuit, elapso, Boica terra solum.
Senserat Albertus, flexo cui nomen ab arcu
Depositus medicis omnibus, hujus opem.
Cui monitus posuit pro fostris nobile templum,
Accensus Divis cum Guilielme fores.
Winburgum locus: invideant cui Thessala tempe;
Sanctus ab æde sacra, sanctior indigenis.

templum erectum:

DE VENERABILI ODA

G. H.

ORDINIS PRÆMONSTRATENSIS IN HANNONIA.

ANNO MCLVIII

C

Odâ sanctimonialis Ordinis Præmonstratensis,

sub Abbate Odone & Philippo ab Eleemosyna vita ejus scriptore.



ORdinis *Præmonstratensis monasteria, vivo S. Norberto fundata, inter sextum censetur, quod in Hannonia prope Binchium extat, Bona-Spei appellatum, circa annum* MCXXVI *cœptum construi; cujus primum primum Abbatem Odonem, anno circiter* MCXXX, *Lietardus Episcopus Cameracensis sua benedictione impartivisse dicitur. Haud procul à dicto virorum cœnobio extructum est aliud sanctimonialium ejusdem Ordinis Præmonstratensis, uti sub initium Ordinis passim solitum fieri ostendimus* V *Aprilis ad Vitam B. Iulianæ Virginis, Priorissæ Montis-Cornelii apud Leodium. In hoc sanctimonialium cœnobio vixit, sub indicato Odone Abbate, Venerabilis Virgo Oda, dicti monasterii Priorissa, de qua hic agimus. Sub eodem Odone inter viros ibidem floruit Philippus Harvengius, postea Odonis in ipso Bonæ Spei cœnobio successor & Abbas secundus, vir disertissimus & mirifice doctus, pius & Sanctus, ac S. Bernardo familiaris, cujus opera simul edita sunt Duaci anno* MDCXX, *inter quæ sunt variæ Sanctorum Vitæ & hisce inserta* Vita Venerabilis Odæ, *tempore hujus Philippi mortuæ: quæ, ut inquit in Prologo,* suis temporibus, suis sub oculis, virtute insignis claruit; *cujus meritis se commendans,* Vitam ex devotione aggreditur balbutire: *& in epilogo* sperat, quod & sibi, qui illius Vitam studio dilectionis & devotionis rogatuque Sororum sit aggressus scribere; veniam dabit, & ampliorem gratiam impetrabit, & ad optatum portum ducet, ut Deo placere cum illa mereatur in regione vivorum. *Ioannes le Paige in Bibliotheca Ordinis Præmonstratensis lib. 2 pag. 486, & sequentibus, exhibet, ut in titulo præfatur,* Vitam Beatæ Odæ Virginis, Priorissæ monialium de Rivroelle, juxta Bonæ-Spei cœnobium, erutam ex ea, quæ est per venerabilem Philippum Harvengium, Bonæ-Spei Abbatem secundum, fideliter libro quorumdam Sanctorum conscripta. F

Beata dicta,

2 *Mortua est hæc Virgo Oda* XX *Aprilis, die Paschatis anno* MCLVIII, *cyclo Lunæ* XIX, *solis etiam* XIX *littera Dominicali* E. *Aubertus Miræus, qui antiquitatibus monasticis illustrandis prima sua studia impendit, & Ordinis Præmonstratensis Chronicon an.* MDCXIII *vulgavit, post annos deinde decem in Fastis Belgicis ac Burgundicis hoc ejus elogium concinnavit:* Aprilis XX die, B. Oda Virgo & monialis, instituti Præmonstratensis in Hannonia: nobilibus parentibus Wiberto & Thescelinâ nata in Hannonia, & per Odonem Abbatem Bonæ-Spei in proposito servandæ virginitatis confirmata, carnales sprevit nuptias. Ad quas ne invita à patre traheretur, nasum sibi ipsa præscidit, eo nomine Martyribus merito annumeranda. Vestem itaque monasticam Ordinis Præmonstratensis à dicto

& Fastis inscripta.

A ᵭo Odone accipitur, Virginum cœnobium haud proculà Bonæ-Spei Abbatia olim situm (quod nunc desiit) est ingressa, in quo Priorissa, XII Kalendas May anno MCLVIII vivere desiit. Sepulta est in dicto Bonæ-Spei monasterio: certus tamen tumuli locus hodie ignoratur. Vitam illius eleganti stylo scripsit Philippus Bonæ-Spei Abbas *&c. Ioannes Chrysostomus Vander Sterre, in Natalibus Sanctorum Candidissimi Ordinis Præmonstratensis, hoc eam encomio exornat:* Duodecimo Kalendas Maji. Apud Binczium, Hannoniæ oppidum, juxta Bonæ-Spei cœnobium, natalis B. Odæ Virginis Ordinis Præmonstratensis. Quæ miro stratagemate mundi elusis amoribus, proque integritatis fide sponso suo cælesti datâ plurima perpessa, post contextas sibi varias patientiæ coronas, cum Virginibus sacris egregia sanctitate præfuisset, ad percipiendam inviolatæ virginitatis lauream emigravit. *Philippus Brasseur in Originibus cœnobiorum Hannoniæ pag.* 181 *appellat* B. Odam Virginem, quæ miro stratagemate sponsam elusit, ut alteri, in quem Angeli desiderant prospicere, copularetur. *Nos, quamvis videamus eam à citatis auctoribus & aliis* Beatæ *titulo honorari, malumus tamen cum Arnoldo Raizzio, qui in Auctario Molani aliquod Vitæ compendium habet, solum* Venerabilis Virginis *titulo uti, sed absque præjudicio aliorum scriptorum. Saussajus etiam in Martyrologio Gallicano eam inter Pios collocat,* & beatæ memoriæ *appellationem tribuit. Balduinus denique Willotius, in Hagiologio Belgico,* Beatam Virginem Odam *honoris causa nominat.*

à nobis titulo Venerabilis honoratur.

B

VITA

Auctore Philippo Harvengio. Abbate Bonæ-Spei.

PROLOGUS

SI Poëtas, ineptarum atque anilium conjectores fabularum, qui veritatem nube mendacii obducentes, vitium pro virtute colere statuerunt, cæcus error Gentilium magnis studuit laudibus commendare, & eorum nomina clarioribus titulis dilatare; multo magis nostros philosophos, assertores veri, justitiæ & virtutis amantes, decet præcipuis efferre præconiis, qui quidquid usquam vel in sententiis Doctorum prædicabile, vel in gestis illustrium virorum clarum enituit, scripti vinculo diligentius consignarunt; & ad posterorum notitiam legendum & non negligendum, celebri memoria derivarunt. Quorum quidem usque ad nos, per successionem labentium seculorum, prudens invigilavit intentio; ut non solum virorum, sed etiam feminarum, quæ supra sexum virtute mirabiles claruerunt, dignus memoria catalogus texeretur: quatenus si quem tanti rumoris salubris aura perflaverit, ad similiter vivendum pio studio provocetur: & sic in hujus mundi nocte deciduis temporibus, quorsumlibet lampas hujusmodi accensa splenduerit, sub modio non celetur; sed ad lucendum omnibus qui in domo Dei sunt, supra candelabrum elevetur. Sicut autem non minimam vituperii notam incurrit, qui vel scientia inflatus, vel corruptus invidia, seu ignavia pressus, quod didicit sibi soli scire eligit, quam ad aures extendere plurimorum; sic laudabilem se constituit & gratiam addit capiti suo, qui dignos laude viros in Ecclesiis attollit & prædicat in capite omnium compitorum. Quod primus Apostolorum facere curavit; cum prohibentibus se Scribis & Pharisæis, ne in nomine Iesu loquerentur, hujusmodi responso eleganter obviavit: Non possumus, inquit, quæ audivimus & vidimus non loqui. Nam, ut quidam ait, quodammodo societatem laudis affectat, qui aliena bene vel dicta vel gesta primus enuntiat. Nullius enim boni sine socio jucunda possessio est.

Præ Poetis ethnicis

laudandi scriptores Christiani,

C

maxime qui vitas Sanctorum composuere,

Act. 4. 20.

AUCT. PHILIPPO AB.

2 Eapropter, licet ingenii mei grossitiem lima doctrinæ litteralis minus expolierit; licet sophisticam Socratis conclusionem vel enthymema Demosthenis, aut opulentiam facundiæ Tullianæ nullatenus attigerim; devotione tamen magis fretus quam scientia, Vitam cujusdam Virginis, quæ nostris in diebus, nostris sub oculis, virtute insignis claruit, pedestri sermone aggrediar utcumque balbutire: commendans me meritis ipsius, ut in laudem sui os meum dignetur aperire, quatenus debile principium fortuna melior subsequatur: nec vereor æmuli venenum lectoris, nec garrulum judicem pertimescam; dum in velamento orationum ipsius, securus ab hujusmodi turbine & pluvia, delitescam.

sicut auctor ex devotione scribit Acta Odæ,

ejus se meritis commendans,

CAPUT I.

Ortus: amor castitatis, fuga secularium.

SIcut nocte media interlucentibus astris grata polus varietate depingitur: & umbrarum vellus horridum lucis beneficio sensim ab orbe detergitur; sic in hujus peregrinationis profunda cæcitate, Sanctorum congregatio diverso meritorum fulgore mirifice investitur: quæ dum multiplices per mundum exerit virtutum radios, super omnem stellarum pulchritudinem clarior invenitur. Hujus diversitatis gratia varietas pascit oculum intuentis, quoniam confusum nil novit, dissonum in se nil recipit, sed semper recurrit in idipsum. Sicut in illa supernæ civitatis habitatione, cujus est participatio in idipsum, multæ sunt mansiones, distincti ordines, diversa claritudo: unus tamen Deus omnibus est omnia, lux inextinguibilis, vita non moriens, pax indeficiens, immarcescibilis pulchritudo. In hoc ordine sedium æternarum quidam clarioribus titulis ceteros antecellunt, donati munere beatitudinis potiore: qui videlicet in hujus pressura torcularis pro testamento Dei sua corpora contriverunt, vel qui se sibi abnegantes, carnem & spiritum in tentationum frixorio confrixerunt, multis insudantes jejuniis, vigiliis & laboribus. His omnibus castitas virginalis altiore gradu & quadam dignitatis prærogativa merito principatur: Regem gloriæ, Agnum sine macula, quanto consimilius, tanto propinquius, comitatur. Hanc vitæ celsitudinem Oda virgo venerabilis aggredi concupivit: in qua ipse auctor & consecrator ejusdem virginitatis, votis ejus benigne aspirans, usque ad gloriosum vitæ finem intemeratam custodivit.

E

Stellis comparati Sancti,

alii aliis clariores,

uti sunt Virgines,

& inter has Oda,

4 Tempore siquidem quo universalis Ecclesiæ currum Papa a Innocentius aurigabat, b Lotharius Romanum imperium in occiduis partibus ministrabat, c Lodovicus Philippi apud Francos jus regium obtinebat, vir venerabilis d Rainaldus Rhemensem metropolim, e Liethardus vero Cameracensem diœcesim providebat, & Balduinus Hiolendis principatum f Haynau possidebat; in prædicto pago, villa quæ vulgo Allodium g dicitur, hæc virgo claris processit natalibus; patre Wiberto, matre nomine Thescelina: qui tam pietate divini cultus, quam nobilitate splenduerunt genuina. Virgo itaque sapiens, nobilem utroque parente carnis trahens originem, noluit vita degeneri nativam obscurare claritudinem: sed carnis pruritum, qui mollitiem femineam potenter enervat, in ipso velut germine relegans, se ductibilem mundi blanditiem affe-

a b
c d
e
g

Parentibus piis & nobilibus nata,

AUC. PHILIPPO AB. affectusque illicitos à se penitus relegavit; & in scholam virtutis se totam conferens, primam ætatem suam castitatis flore & pudicitiæ titulo decenter venustavit. Sentiebat quippe secundum quemdam *b* Ethnicum, quod sine causa parentum titulis niteretur, nisi propriis iuvaretur. Unde & Boëtius; Splendidum te, inquit, si tuam non habes, aliena non efficit claritudo. Proposuit igitur in animo suo ac devovit virginitatis suæ privilegium Sponso illi cælesti adhuc adolescentula dedicare: & meditabatur quotidie ut columba, quomodo locis palustribus voluptatis terrenæ derelictis, in montem vitæ sanctioris, aptius ac liberius valeret enatare: & in humilis petræ caverna suum nidulum collocare.

b castitatem amat:

Christo ut sponso se consecrat:

Cant. 4. 6.

5 Jamque votis omnibus aspirabat ad illud Cantici Canticorum; Ibo, mihi inquiens, ad montem myrrhæ, & ad colles libani. Videbat namque multos, in planitie vitæ secularis, libertate noxia per morum declivia licentius effrænari: & sciens nisi ad regulam prava non corrigi ad montem myrrhæ, id est, ad arduam regularis formulæ disciplinam optabat elevari. Et quia lilium castitatis, inter dumeta transitoriæ vanitatis, & vallis lutulentæ proluvia, plerumque cogitur absorberi: ad colles libani, id est, ad religiosarum conventicula feminarum, quæ totius sanctitatis candore gratissimo reflorebant, cupiebat transportari. Enimuero post factum votum suum, sub custodia parentum usque ad annos pubertatis delituit; & feriato à mundi rebus animo, quod primum compositæ mentis argumentum est, in se recedere secumque commorari instituit. Et ne innocentiæ suæ fama invida aliquo modo novercaretur, conventicula & colloquia puellarum, quibus luxus & desidia cordi erat, velut viperas declinavit: solas ad se *i* Sabinas admittens, quibus de honestate & amicitia sermo erat, quarum publicum testimonium privata actio non obumbraret. Cujus licet exteriorem vultus speciem color genuinus mirifice investiret, & virgineo moderamine mellita pocula secum loquentibus impartiret, omnis tamen decor ejus & gloria ab intus erat: quia Dilectus ejus inter duo ubera sua delectabiliter morabatur, cum quo in secreto conscientiæ velut in thalamo nuptiali jugiter loquebatur. Proinde juvenum lascivos affatus & aspectus verebatur, vel potius contemnebat, quorum oculus nuntiat impudica, & os loquitur vanitatem: qui supino pectore incedentes super se inaniter extolluntur, & in omnem præcipites rotantur libidinis voluptatem.

B *aspirat ad vitam monasticam:*

i puellas lascivas evitat

honestas amat,

juvenum consortium contemnit:

6 Dum igitur animo illius terrenum nil sederet, dum votis suis quotidie satisfacere deliberat, dum amore concepto irrefragabiliter, sed feliciter, æstuaret; quemdam cognatum suum præ ceteris sibi familiarem accersivit, & ei sanctos æstus suos, licet pavida, ad unguem expedivit: orans illum multisque lacrymis contestans, ut secretum, quod illi crediderat, parentibus suis summo studio celaretur, & ad optatos effectus ipsius suffragio pervenire mereretur. Verum quia animo cupienti nihil satis festinatur, iterat preces ne præsens votum suum in crastinum differatur: sed ad Dominum Odonem, Bonæ-Spei tunc Abbatem, quantocius deferatur: quatenus ab ipso & sub ipso sanctæ religionis habitum indilate consequi mereatur. Sed quia nusquam tuta fides, nec facile amicus caveri potest, si velit insidiari; dum virgo simplicitate columbina votum suum secretius existimat procurari, ille conversus est retrorsum; nec veritus amicum pectus lædere, ire perrexit patri & matri secretum deoperire, & vice versa ordineque perverso, iter, quod parare debuerat, studuit impedire. Cujus genitores cum de filia rem hujusmodi auribus percepissent; turbati sunt, & commoti super hoc verbo graviter doluerunt: & communicato cum suis consilio, maritali compede castitatis propositum infirmare decreverunt. D

C *uni soli secretum revelat:*

ab eo parentibus indicatum.

ANNOTATA.

a Innocentius II. *præfuit à die* 24 *Februarii anni* 1130, *usque ad* 14 *Septembris anni* 1143.

b Lotharius, *Dux Saxoniæ, coronatus est Imperator* 13 *Septembris anno* 1125, *mortuus anno* 1137 *sub finem Novembris aut initium Decembris.*

c Ludovicus 6, Crassus *dictus*, *filius Philippi* I, *regnavit ab anno* 1108 *usque* 1137.

d Raynaldus *seu* Reginaldus *traditur sedisse ab anno* 1124 *usque ad* 1137.

e Liethardus *sedit ab anno circiter* 1131 *usque* 1137.

f *Hic est* Balduinus III *Balduini & Iolentæ, hic* Hiolendis, *filius.*

g *Vereor ne addi debeat proprium aliquod nomen, quod exciderit culpa librariorum; nec enim talis nominis vicum in Hannonia tabulis invenio.*

h *Forsitan alludit ad istud Ovidii Metamorph.* 13
Et genus, & proavos, & quæ non fecimus ipsi
Vix ea nostra puto.

i Sabinarum *veterum gravitas, Poetarum carminibus nota, occasionem auctori dedit eo nomine appellandi quascumque severioris modestiæ virgines.* E

CAPUT II.

A parentibus nuptiæ paratæ. Assensus coram Sponso & Sacerdote rogatus.

7 QVæritur igitur virgini sponsus, qui genere, moribus, divitiis & honore aptus ejus nuptiis invenitur: convocataque hinc & inde multitudine amicorum & proximorum, tractatur de confœderandis ad invicem nuptiis liberorum. Juvenis ille, Simon nomine, oblatam à patre & parentibus sponsam cum suorum pari assensu prono favore suscipit, felicemque se fore tantis nuptiis, bona licet spe, tamen propemodum gloriatur: fidemque promissis quantocius facere admonet, quod & sine dilatione cum jurisiurandi sacramento confirmatur. Dato itaque ab utraque parte fœdere, tandem celebrandæ huic copulæ dies præfixa nominatur.

Ad nuptias destinatur,

8 Interea dum virgo sacra inter spem metumque pendula fluitaret, mentemque ejus diversa ac dubia teneret cogitatio, tristi & insperato hujus rumoris terretur auspicio; dum scilicet secretum, quod in aurem unius celandum deposuerat, audivit ab omnibus in publicum ventilari: & quæ viri thorum in delicto nescire decreverat, suas accepit in proximo nuptias debere celebrari: & quæ jam paraverat egredi de domo patris sui, & expedito itinere ad locum pergere propositæ sanctitatis; gravi præpeditur offendiculo, novoque timore concutitur, ne perdat virgineæ sigillum castitatis. Sed qui non est tentatus, quid scit? Porro non est virtus vel esse non videtur, quam diligens athleta, in tentationum gymnasio, crebro exercitio sudare non compellit; quam vel protervus Auster totis viribus non urget, vel Threicius Boreas flatu libero frequentius non impellit; quæ nocivo pressa torpore, sagittas hostium toxicatas à se fortiter non repellit. Virtus enim ex eo vocatur, quod suis viribus nitens, non superetur adversis. Virtus autem nil habens in se contrarium, non clarescit: nec splendida F

permissa remori,

ut virtus clarescere:

A splendida fine examinatione fit: non probata vero nec examinata, nec virtus est; nec potest magnos spiritus ad certamen afferre, qui numquam suggillatus est. Eapropter Dominus virtutum, qui suos pugiles sic tentari patitur, ut tamen secundo proventu possit tentatio sustineri; ancillam suam (quam agone triumphali cum hoste confligere disponebat, ut haberet consuetudinem præliandi) in hac palestra diligentius voluit exerceri: consuetudo enim perpessionem laborum faciliorem facit. Permisit, inquam, & voluit eam tentari, non ut infirmitate feminea sub fasce deficiens, ab hoste impulsa versaretur; sed ut mirandum cunctis spectaculum præberetur: dum puella inermis & humilis, contra loricatum & sublimem illum Goliad, ad certamen singulare mitteretur: & congressu virili hostem fortiter expugnando, palma victoriæ digne pro merito potiretur.

9 Sentiens itaque virgo varios tentationum turbines adversum se commoveri, hostemque totis viribus sibi bella parantem; recurrit in se, suscitatque dilectum, in humili cordis sui hospitio delectabiliter decubantem; querulasque voces apud eum deponit, & nuntiat hostem pro foribus insidiantem; mittique auxilium sibi de Sancto postulat, & accingi fortitudine lumbos suos, sciens quia fortitudine opus est contra fortiter dimicantem. Commendat etiam Christo attentius suæ privilegium castitatis, quod illi adhuc ætate parvula consignavit: & ut viam veritatis quam elegit inoffenso pede & calle impolluto possit decurrere, orat vincula disrumpi, quæ illi sathanas in ruinam & scandalum præparavit. Dum sic ad ostium amici grata importunitate insistit, preces iterans; evigilat ille, & ad vocem sponsæ aurem inclinat pietatis, aperitque illi, & mollem diligentis animum benigne consolatur, imprimens osculum internæ caritatis. Et ne timeat à timore nocturno vel ad quoslibet paveat occursus tentationis, pane fortitudinis illam reficit, omne delectamentum habente & omnem saporem suavitatis: seque illi fore præsidio pollicetur in die tribulationis. Hoc percepto divinitus oramate, & velut semine quodam fortissimo in agro fertili recepto, cassas virgo secludit formidines: & quæ paulo ante ad cujusvis auræ tenuem flatum poterat inclinari, jam stabilis manens ridet ætheris iras, maris sonitus, ventorum turbines. Dum circa eam hostis multiplici intendit aucupio, ut inevitabile flos virgineus incurrat detrimentum; illa conceptum semel bene vivendi propositum ardentiore voto proponit adimplere, liberoque volatu enatat ad petræ solidæ munimentum. In locis itaque munitissimis fixo tentorio, jam non timet millia populi se circumdantis: sed gnara præliandi si consistant adversum se castra, in hoc sperans gloriatur; provocat magis hostem quam ipsa provocatur; secura jam cum Paulo dicere, Quod nec tribulatio, nec gladius, neque mors, neque ulla creatura poterit eam à caritate Christi deducere.

[Margin: precibus fusis, ... & Christo sponso invocato, ... B ... confortatur: ... C ... Rom. 8. 35]

10 Instat denique nuptiarum dies, & ad aures plurimorum fama celebri divulgatur; domus cultu vario pictisque tapetibus decoratur; solito nitidior ac lætior incedit familia; ornatus multiplex ad cultum virginis summa cura, summo studio procuratur: ipsa tamen non ambulat in magnis neque in mirabilibus super se, neque vultus ejus gravitas in diversa mutatur. Induerat quippe animum virilem; præter quem, ut quidam ait, mirabile nihil est: cui magno magnum nihil est. Animadvertens pater ad cupitum voluntatis suæ propositum filiam nullatenus inclinari, timore nimio perurgetur, ne dum insistit totis viribus invitam desponsari, dolor nimius ejus occupet animum, & morbo incurabili cogatur infirmari; vel certe fugam inire moliatur, de qua non possit facile revocari. Has opinionum quæstiones dum querulo versat in pectore, falso tandem illis occurrere proponit argumento: & incumbente vespera, quæ in diem desponsationis occumbebat, sermonem blandum virginis infert auribus, mendacii opertum velamento. Non decet, inquit, filia, ut tuæ flos iuventutis in ipso ortu suo decidat & arescat, ne color genuinus alicujus inficiatur mœstitudinis atramento: sed potius lætare in adolescentia tua; & multa possessione multisque fruere divitiis, & tristitiæ terso nubilo lætitiæ induere ornamento. Omnem quæso ab animo proturba gravitatem, & parentum vultu tristi noli lædere pietatem. Ac ne timeas quod non est timendum, ego diem nuptialis copulæ; quem in crastinum æstimas celebrandum, quibusdam occupatus negotiis prolongavi, in tempus aliud propensius exequendum. Audito illa verbo, quod sibi pater in corde & corde loquebatur, quasi pro omine illud accipiens, falsum pro vero nesciens amplexatur: & ignorans quid superventura pareret dies, quasi primum cornu prælii confractum gloriatur.

[Margin: AUCTORE PHIL. AB. ... intelligit à parentibus diem nuptiarum indictum;]

11 Enimvero nocte transacta cum revoluto axe sol diei matutinum radiasset, adest sponsus juxta præfinitum tempus cum multo suorum comitatu: adveniunt & puellæ parentes, multæque virgines nobiles & matronæ, multo comptæ studio pretiosoque nitentes vestium accuratu. Et quia ecclesia haud prope erat, multitudo convenarum in patris puellæ curiam adunatur, ipsa quoque venire mandatur. Quæ quia noverat parentibus obediendum, mandatis parere non cunctatur, & procedit non ut nuptura in atrio, sed velut in theatro pugnatura; quantusque castitatis in ejus pectore maneret amor, non solum verbis, sed etiam operibus evidentius ostensura. Cumque Sacerdos (ut moris est) sponsum Simonem, trina interrogatione conveniret, utrum Odam Virginem sibi legaliter copulari voluntarie consentiret, ille se ad hoc venisse respondit; & quæ lex conjugalis præcipiebat, omni studio se impleturum spopondit. At ubi ad virginem ventum est, & an vellet prædictum sponsum accipere, secundum morem quæsitum est; illa vultu rubore perfuso & fronte tenera inclinata, quidquid ejus vel oculis vel auribus perstrepebat inane reputans & superbum, non respondit Sacerdoti ad ullum verbum. Hoc ejus silentium cum ex circumstantibus alii arrogantiæ, alii verecundiæ assignarent, & puram ejus conscientiam diversis sententiis lacerarent; una matronarum, quæ lateri ejus familiarius jungebatur, pudori consulens virgineo, blande eam & leniter sic affatur: Non verearis, O virgo generosa, ad ea quæ interrogaris licita jam, responsione tuæ voluntatis assensum emutire: quia sicut honestatis & verecundiæ fuit, ut semel & secundo submonita reticeres; sic ignorantiæ & contemptus notaberis, si ubi & quando oportuerit, os tuum vel nescieris vel nolueris aperire. Tempus enim loquendi & tempus tacendi. Et licet à sapientia juveni consulatur, ut etiam in causa sua vix loquatur: ne tamen nimietatis dignam incurrat reprehensionem, cum secundo interrogatus fuerit, initium habere docet illius responsionem. Ne igitur tot & tantorum vultus hominum nimium verecunda confundas; ne in coævas tibi puellas exemplum silendi, imo contemptum respondendi effundas: ad interrogationem Sacerdotis ter prolatam jam quæso generosum os aperi, & responsionem infer gratam.

[Margin: E ... adducitur ad ecclesiam, ... & post consensum à sponso datum Sacerdoti, ... rogata silet; ... F ... Eccli. 32. 11]

AUCT. PHILIPPO AB.

12 Ad hæc virgo: Quia, inquit, tantopere quæritis, utrum animo sedeat hunc habere sponsum, quem mihi nominatis; nec ipsum, nec alium me velle accipere certissime cognoscatis: quoniam illi amore juncta sum, illi soli servo fidem, cui Virgini virginitatis meæ titulum, cum adhuc essem parvula, volui consignari; à cujus amplexibus nec amore alterius vel muneribus, nec minis parentum aut verberibus, ullatenus potero separari.

carnales sprevit nuptias.

CAPUT III.

Amore castitatis nasus præscissus.

13 AD hujus responsionis novitatem omnis quæ aderat multitudo admirans obstupescit, Simon autem se contemptum vehementer erubescit: & quærens confusionem suam objectionis alicujus palliare supercilio, illam se nolle mendaciter jactat, quæ muta careret loquendi beneficio. Cumque pendente supercilio se avertisset, & abiret indignans, &, velut hostis à tergo insisteret, equo veloci domum cum suis repeteret; parentes Virginis, & qui cum ea remanserant, seipsos non minus confusos arbitrantes, adversus eam graviter stomachabantur; & verbum quod de corde puro & conscientia bona & fide non ficta prolatum fuerat, sinistræ suspicionis fermento inficere conantur. Sic nimirum, sic humanus oculus dum libenter invidiæ lippitudine caligat, minus diligenter in dubiis veri sententiam investigat: & ea quæ plerumque bono fiunt animo, in partem reprobam eligit inclinare, quam sanum habendo oculum de occultis nil temere judicare. Unde cum Anna in templo Dominum fusis lacrymis precaretur, & labiis summotenus palpitantibus vox ejus nulla penitus audiretur, Heli Sacerdos, cujus oculus jam senectute reproba caligabat, os orantis & vultum attentius, ut scriptum est, observabat; & eam non tam loquelam effundere gemitus, quam nimiam ructare potationem senex delirus æstimabat; Digere, inquit, paulisper vinum quo mades. Verum mentem firma sibi ratione cohærentem, ab status sui rectitudine, non est facile removeri; & pura conscientia, linguis oblatrantium invidorum, non potest deterreri: unde Apostolus Corinthiis, Mihi, inquit, pro minimo est ut à vobis judicer aut ab humano die. Stat itaque Virgo prudens, mente placida & sereno adspectu in medio, ut ita dixerim, Babylonis, nec potest virginitatis arcem concutere flatus vehemens Aquilonis: quia filia Hierusalem, vallo totius sanctitatis & castimoniæ circumsepta, luxuriæ porcos & oculum petulantiæ aspernatur: nec habet quid commune cum filiabus Ascalonis. Sed enim pater ejus, veritus ne mendacii vel perjurii arguatur, ne nota vituperii ejus nomini inferatur; assumit secum quosdam sibi necessarios, & ire pergit juvenem confusum quantocius revocare: eique filiam suam, velit nolit illa, promisso conjugio copulare. Frustra autem jacitur rete ante oculos pennatorum.

Sponso discedente:

B

1 Reg 1. 12.

1. Cor. 4. 3

C

ad eas cogenda à patre,

14 Comperto siquidem illa quid pater adversum se moliretur; dum quæ remanserat turba, super his quæ acciderant murmurans, turbaretur; nacta occasionem, clam recessit; domumque veniens, in matris thalamum secessit. Firmatoque ostio super se, Deum in adjutorium suum orat intendere: & arrepto gladio, quem ad caput lectuli videt dependere, nasum suum festinat præcidere. Sed manus tremula nec docta in gladio percutere, dum nervorum superiorem duritiem ictu feminino non prævalet excutere; indignata sibi ait: O ensis quam retusæ es aciei, qui mordaci acumine nequis destruere meæ decorem faciei! Hæc dicens, erexit se contra se, ferrumque pressit durius, & obliquo vulnere nares sibi detruncavit, pretiosumque rosei sanguinis rivulum in pelvim distillavit: sicque vultus sui genuinum splendorem admodum deturpavit. O mirandum Virginis pectus! Ut non esset idonea huic nequam seculo conformari, elegit naso vivere pravo; & seductibilis formæ speciem deformari, quam adulterino fuco falsa pulchritudine depingi, & lascivos oculos in se procaciter impingi. Maluit, inquam, ancilla Christi, cute sordida & humili cultu, in domo ejus abjecta manere, & inter ancillas illius David vel ultima reputari; quam ornatu superfluo in modum vulpium caudis pulverem tergere, corpusque meretriciis fovere unguentis, quibus solet adulterorum nausea provocari.

in conclavi

D

nasum sibi præscindit:

15 Leguntur quædam sanctæ mulieres, tam nuptæ quam virgines, cum earum ab hominibus impudicis castitas incursaretur; aliæ gladium pectori forti vibramine injecisse, aliæ profundo aquarum se immersisse, nonnullæ ignibus seu præcipitio interiisse, & illorum ausus temerarios morte ultronea prævenisse, sicque venerandum martyrii nomen gloriosæ pretio mortis emisse. Videre autem videor Odam Virginem nihil minus illis martyrii pertulisse: quæ etsi carnis suæ tunicam, vel suo vel persecutoris ictu momentaneo, non exuit; etsi eam pœnalis tormentorum durities non contrivit; lavit se tamen in sanguine Agni, & candida vestimenta sua, donec de medio fieret, custodivit. Quomodo vero, si necessitas ingrueret, mori subterfugeret pro Christo; quæ sic se pro amore illius defigurans, præter carnem corpore vixit in isto? Hoc enim genus martyrii majus puto, omnesque materias excedere tormentorum, siquis in carne præter carnem vivat, si tamen castraverit se propter regnum cælorum. Denique omnibus indicitur sententia generali, ut cum ratio fidei exegerit in mortem animas suas ponant; & huic fundamento non domos, non uxores, non filios, non seipsos anteponant: hoc autem nulla præscribitur lege vel in præceptum trahitur, sed velut summum optimumque proponitur, nec arguitur transgressionis, nisi qui se voto obligaverit vel sponte propria susceptum temeraverit. Qui potest, inquit Dominus, capere capiat. Et Apostolus: De virginibus, inquit, præceptum non habeo; consilium autem do. Beatus quoque Fulgentius, in quodam sermone virginitatem commendans, Imperari, inquit, virginitas non potest, sed optari. Porro multos invenimus magnificos viros, multas vitiorum potentias fortiter superasse, multas adversum se munitiones impugnatione valida expugnasse, quos calor genuinus à totius virore sanctitatis postmodum exiccavit, quos prutitus lumborum propemodum fatigavit, quos ut infirmos & imbelles feminea sibi mollities turpiter subjugavit. Qui vero adversus hanc illuviem, adversus hostem hunc, gratia adjutus prævaluit, nec corruptelæ locum dedit in carne vel in mente sua, dignus laude est, quoniam fecit mirabilia in vita sua. Martyr igitur & virgo Oda est, quia virginitas esse non potest sine martyrio, quæ incentivam umbilici rebellionem fortis castimoniæ repressit cinctorio; & eam quæ de se sibi displicebat pulchritudinem, ut noxiam abhorrens, gladiali faciem suam signavit cauterio; dicens, non voce, sed opere, illud Agnetis, Posui signum in faciem meam, ut nullum præter Christum amatorem admittam. Sed jam ad propositum revertamur.

E

ob hoc carnis luctam superatam,

Matt. 19. 12.

1 Cor. 7. 25

F

Martyr censenda.

16 Cum

A

16 Cum hi qui domi tunc aderant, quidnam in conclavi puella secreti ageret, suspecti tenerentur, & modo auribus, modo oculis rem curiosius sciscitarentur; vocem secum murmurantis auribus perceperunt, pulsantesque ad ostium, aperiri sibi multa prece, multa instantia quæsierunt. Cumque illa responsum nullum referret, nec vellet aperire; suspicati eam vel gladio vel dolore nimio deperire, in ostium pariter impegerunt, ipsumque in securi & ascia dejecerunt. Videntes autem quod in seipsam tam immaniter desævisset; quod eam pene exsanguem multa sanguinis effusio reddidisset; quod pallor gelidus os ejus admodum jam tinxisset; irrugierunt clamore vehementi, & ultra quam dici possit admiratione sunt detenti. Porro genitrix ejus videns vultum filiæ deformatum, cadit in faciem, pectus tundit, laxis senectute pellibus incurvatum; longaque trahens ab alto suspiria, graves undas effundit lacrymarum; texensque lacrymabilem tragœdiam, se omnium proclamat infortunissimam feminarum. Pervolat ad patris aures, qui tunc aberat eo loci, tactusque dolore cordis intrinsecus domum regreditur equo veloci: intuitusque undam sanguinis à facie filiæ defluentem, anumque sociam canos capitis cum amaritudine fletuum evellentem, totamque domum voce lacrymabili velut mortuæ luctus officium impendentem, ferre non sustinens, prorumpit ad lacrymas & inconsolabili mœstitudine prægravatur, nec virilis animi temperamento dolorem lenit, vel lacrymas moderatur.. Vertitur in luctum cithara, & vox lætitiæ in mœrorem, joculatorius ille plausus tristes complodit manus, & gravi intercidente suspirio novum ingeminat dolorem; virginum quoque chorus, festas parans ducere choreas, dulcis melodiæ cantum ponit. mœstosque modos inire cogitur; omnisque nuptiarum ille splendidus apparatus fuligine sordida tenebrescit, & veste lugubri obtegitur: &, quod amplius admirere, flentibus omnibus, ipsa permanet sine fletu; velut voti compos, tristes de se querimonias surda transit aure, nec concutitur ullo metu.

ostio perfracto

invenitur sanguine perfusa

à matre lamentante,

B

& patre in lacrymas effuso:

ipsa constans sine fletu.

CAPUT IV.

Ingressus in Monasterium.

C

Invisitur à 2 religiosis Bonæ-spei,

17 HÆc autem cum certa relatione præfatus Odo Bonæ-spei Abbas comperisset, eumque virtus feminæ tam celebris commovisset; accersivit ad se duos de suis, religiosos viros eosque illo sub obtentu hospitandi destinavit: quibus ut eam piæ consolationis manu refoverent, & quid agere intenderet convenirent, summa cum diligentia demandavit. Quos ad se venientes pater virginis liberalissime suscipiens, super omnia vultus hilares impartivit: ipsa vero missos velut à cælesti sede nuntios venerata, devoto illis ministerio deservivit. Cumque illis clam sciscitantibus votum suum & propositum ad unguem expedisset, & eorum sibi in hoc auxilium præsto esse aure credula percepisset; postulavit patrem suum, ut viam castitatis quam elegerat nullis ultra conjugalis copulæ [vinculis] impediret; sed sibi, jam inutili & quasi jam repudiatæ, exeundi de seculo, benigno favore, licentiam impertiret. Ille petitioni huic nullatenus accedit, sed contradictoriæ negationis objectat repagulum: frivolumque reputat quod voluntariæ paupertatis & religionis arctissimæ quærit angustum subire latibulum; cum multarum hæres possessionum claro nomine potius debeat insigniri, & florida viridisque juventa viro pubertatis suæ lege uxoria counire. Tunc illa: Si, inquit, vocem deprecationis meæ non admittis, nec dimittis me ut ad locum supernæ vocationis jam pede libero valeam proficisci; si bravium, pro quo in hoc stadio currere intendo, te impediente nequivero adipisci; florem, quem dicis, iuventæ meæ, adeo destruam & succidam, ut non solum à nobili quolibet, sed nec à plebejo debeat concupisci: sed & dolorem capiti tuo addam, quem etsi volueris, non poteris oblivisci. Quid me invitam conjugari tanta tamque vana solicitudine contendis? quid mundo mortuam iterum mundo non posse vivere diligentius, non attendis? Revera, pater, noveris, quod si votis meis spes non alia penitus arrideret, si mihi, inquam, secundos viæ successus nisi hæc sola conditio responderet, ut te videlicet pedibus meis in cœno quolibet substrato pontem mihi tuo corpore ministrares; si mihi ad transeundum teipsum incurvares; fronte libera fateor, per te transire non tardarem; & te contempto imo conculcato, ad locum quem elegi gratulabunda properarem.

à patre iterum tentata, constans persistit:

18 Cum his vel his similibus verbis, pio cum patre litigio decertaret; ille autem se proficere jam penitus desperaret; turbatum est in illo vehementer cor ejus, tandemque, licet tristis, annuit votis ejus. Accepta licentia præfatos hospites convenit, & precatur, ut illorum ducatu vel patrocinio de Ægypto festinanter egredi mereatur. Qui petitioni illius aurem benevolam inclinantes, ad monasterium quam celeriter sunt regressi, & Abbati rem seriatim retexere sunt aggressi. Quorum nuntio Abbas lætabundus applaudit, assumptisque secum quibusdam Fratribus virgini festivus occurrit. Quæ videns eum, ad pedes ejus humiliter accurrit, eique propositum suum ore satis facundo decurrit. Postquam vero ad invicem pia colloquia miscuerunt; & causam, pro qua convenerant, disposuerunt; valefaciens illa parentibus & seculo, de domo & cognatione sua egressa est; & ab eodem Abbate sanctæ religionis habitum suscipiens, claustrum obedientiæ sub ipso ingressa est; ac monasticæ professionis disciplinam, cum devotis illic feminis, utiliter aggressa.

E

& accipit licentiam:

ab Odone Abbate Bonæ-spei admissa,

19 Quæ quanto fervore sanctitatis & studio in brevi profecerit, quanta humilitatis & obedientiæ ceterarumque virtutum in illa fuerit perfectio, dicere non sufficio, sensu pauper, vita, verbis, ingenio. Ut enim bono principio finis optimus succederet, prius sumptus qui necessarii erant sedens computavit, quam ædificandæ turri pedem supponeret: ne si forte cœpto operi sumptus deesset vel materia, cachinnum moveret transeuntibus, & defectum risibilem pateretur inchoata nec perfecta materia; nec tam turris ædificio responderet jactum improvide fundamentum, quam speluncam videretur præbere latronibus, vel aptum recondendis mortuorum cadaveribus monumentum. Ea propter montis cacumen altum bibulasque vitans arenas, in profundæ humilitatis fossa primum statuit pedes suos: utque ædificationis suæ constructio in directum consurgeret, cresceretque in templum sanctum in Domino, ad Euangelicæ institutionis lineam dirigere studuit gressus suos. Quia igitur jugum oneris Christi leve ac suave, flexa cervice sibi imposuit; quia decantans canticum graduum, ascensiones in corde suo in valle lacrymarum disposuit; immisit Dominus in os illius canticum novum, quod nemo potest cantare in terra aliena, nisi illa in Apocalypsi ducta sub numero millia Virginum centena. Solarum enim Virginum canticum illud est, earum dumtaxat quæ

Religionis habitum suscipit:

F

humilitati studet:

AUCTORE PHIL. AB.

carnem suam domat.

quæ sequuntur Agnum quocumque ierit. Porro tanta cibi & potus abstinentia carnem suam edomuit, ut motus nativæ rebellionis, in arido, ut ita dixerim, ventre locum recalcitrandi non inveniret; ut mentem castam & sobriam, nec mollities delicata nec distenta crassitudo, ad veneream intemperantiam emolliret. Unde quidam ethnicus. Sine Cerere, inquit, & Libero friget Venus. Siquando autem adversus eam bellicus vitiorum tumultus increbuit, si quando ventus contrarius intumuit; impatientiæ non dedit manus, sed patientiæ fortis ariete suos ad petram parvulos allisit; & serpentis caput, suo insidiantis calcaneo, in terram fortiter elisit. In cujus virtutis officina quantopere studuerit insudare, subsequens indicium evidenter poterit demonstrare.

CAPUT IV.

Separata vita ob speciem lepræ. Electio in Priorissam.

20 CUm enim, mundialis gloriæ spreto lenocinio, adhuc recens jugo obedientiæ collum flexibile subjecisset; & seposita mollitie vestium, ciborumque suavi edulio, paupertatis ac parsimoniæ, velut quibusdam compedibus, pedem voluntarium injecisset; asper cultus & cibi parcitas corpus tenerum & delicatum attenuaverunt, & à pristinæ valetudinis robore infirmaverunt. Illa namque viridis ac robusta membrorum compactio, indigesta ciborum cruditate, soluta est; & corruptis humoribus, nitidæ cutis superficies maculosis tumoribus infecta est. Attendentes igitur, Sorores virgineæ speciem faciei in pallorem gelidum tam celeriter immutatam; & cutem, quæ fuerat vitro clarior, quibusdam in locis inflatione vitiosa jam rugatam; suscipicatæ sunt eam lepræ contagio prægravari, cœperuntque ad invicem murmurare, quod deberet à ceterarum consortio, velut de castrorum medio, sequestrari. Quod cum jam palam ab omnibus ventilaretur; & à quibusdam, qui sibi prudentiores in hoc videbantur, loco diligentius inspecto, leprosa reputaretur; jussa est illi in partem casula fabricari, & humano lippiente judicio, mente & corpore munda, velut immunda, extra ceteras commorari. At vero humilis ancilla Christi, hujus despectionis opprobrium nequaquam ægre tulit; quinimo sciens virtutem in infirmitate perfici, injustam nominis sui reprobationem gratanter sustulit; & his quæ de se falsa suspicio mentiebatur supersedens aliquo modo obviare, in locum denominatum secedere non distulit. Cui dum quædam de Sororibus ætatis præmaturæ in sociam eligeretur, quæ juvenculam materno affectu consolaretur, & necessaria studeret providere; infausta mulier, fronte licet rugata, sed animo irreverenti & infrunito, mandatis renuit obedire; dicens se adeo pusillanimem, sed ut verius dixerim vecordem, ut hujus contactum immunditiæ nullo modo posset pati; seque malle inobedientiæ offensam incurrere, quam illius ferre solamen infirmitati. Cujus rebellem concontumaciam digna quidem sententia castigavit censuræ regularis: & cui suum cana infantilitas obsequium denegarat, promptum deinceps exhibuit famulatum ætas virginum puellaris. Porro ipsa inter tot adversitatum crepitus non est mota, quin potius ex rerum difficultate animus illi crevit, & ad summæ sanctitatis apicem per passionum tolerantiam est promota: factaque omnium peripsema & velut domus inutile purgamentum, illius semper formam præ oculis gestabat, qui pro nobis percussus non habuit speciem vel decorem nec crucis recusavit subire tormentum. Hoc secum loquebatur, hoc sedulo retractabat, in hoc suos reflexerat cogitatus: manum illam sæpius intuens & deosculans, quam tumor occupaverat reprobatus. Noverat siquidem Virgo prudens, quoniam quisquis hanc militiam professus est, patientia illi necessaria est: quia, ut quidam ethnicus ait, Levius fit patientia quidquid corrigere nefas est. Et Apostolus, Tribulatio, inquit, patientiam operatur, patientia probationem, probatio vero spem, spes autem non confundit. Quia; ut ait Symmachus, spes, quæ rerum semper adversarum patientiam suadet, in tuto est. Tanto namque devotius, quanto secretius Dominum exorabat, ut de tot periculis nave solida emergere, tempore beneplacito sibi conferret; nec magni pendebat pro illius amore, siquid grave vel asperum jam sufferret, certa quod laboris & patientiæ fructum vitam æternam referret. Rom. 5, 3

Leprosa reputata, separatur:

in tribulatione patientissima:

21 Sed enim postquam in hujus areæ tritura plurimum est ventilata, postquam in aspero ejus est ungula probabiliter indurata; ille qui suos tentari non patitur supra id quod possunt, castigationis suæ flagellum temperavit; & vitiosi humoris deleta sorditie, sanam & incolumem in castra cum ceteris revocavit. At vero tam diligenti solertia, tam solerti diligentia, obedientiæ auditorium frequentavit, ut nulli in hac disciplina inferiorem se esse pateretur: cujus legum custodiam adeo est amplexata, ut nil asperum, nil importabile, sed gratum ac leve reputaret, si quid facere juberetur. Unde non multo post conversionem suam elapso tempore, à patre jam dicti monasterii in Magistram super condiscipulas eligitur; & quia virtutum merito socias anteibat, quasi pro speculo vel regula ceteris præfigitur. Facta autem Priorissa, non inani flatu superbiæ intumuit, ob sui fastigium Prioratus; quin potius humiliorem ac devotiorem illam reddidit injuncta cura, & amplioris debitum famulatus. Quæ matrem potius quam Dominam se agnoscens, tanto affectu filias suas fovit, & ad tam sublimem religionis artem promovit, ut eam timore & amore filiali unanimiter amplexarentur, & ea duce ac prævia, profectu voluntario ad meliora se cogi gratularentur. Hujus vita quodammodo sermo erat, quæ matura discretione sapientibus & insipientibus adeo præsto erat: ut ubique par sibi idemque manens se tamen singulis conformaret; non ut tepor noxius vel dissoluta lentitudo tenorem rigoris propositi aliquatenus infirmaret, sed ut eas amore traheret, vinciret affectione, quo ad plenius grata impressione Christum in earum pectoribus informaret. Et quia turpe est, ut quidam ait, aliud loqui, aliud sentire; verbis ejus opera respondebant, & velut in unam percussa formam sibi invicem congruebant: sicque in culpas subjectarum auctoritate magistra invehebatur & regularem exercebat disciplinam, ut abrasa radicitus putredine vitiosa, benignum malagma imponeret, & apponeret sanativam inflicto vulneri medicinam.

Sanata ad communitatem revocatur:

creatur Priorissa:

præit bono exemplo:

22 Erga infirmos & pauperes, ipsa propter Christum pauper & dolens, tantis misericordiæ visceribus affluebat, ut non solum illis necessaria provideret, quibus materna solicitudine præsidebat; sed & siquem circa se positum vel paupertatis vel invaletudinis alicujus nosset incommodo laborare, per quemdam hujus secreti sui fidelissimum vicarium, de suo exiguo illorum utcumque studebat inopiam revelare. Dicebat enim illi, pium hoc esse furtum, quo infirmo misericorditer subveniret, quo Christum

infirmis & pauperibus succurrit

A *omni genere virtutum praelucet aliis.* Christum in nudo paupere operiret. Denique, ut brevi utar compendio, tanta in vultu illius relucebat sanctitas, in moribus honestas, in consilio maturitas, in verbis utilitas, in carne & spiritu integritas, in diligendis omnibus profusa caritas, ut modum naturæ fragilis magnitudo virtutis excelleret, & normam supernæ illius conversationis in corpore mortali prætenderet. Nec mirum, si imbibitum sapiebat liquorem, quem pleno vase hauserat: quæ suam in cælis esse conversationem cum Apostolo dicere poterat. *Philip. 3. 20* Cujus splendor gratiæ infra parietum latebras non potuit detineri, quin longe lateque vastis eructantibus radiis coruscaret; & fractum in domo obedientiæ optimum nominis ejus unguentum, tanto circumquaque diffusum est odore, ut multos utriusque sexus ad currendum viam bonam in odore unguentorum suorum invitaret. Nec fecit eam celebrem popularis favor, vel secundæ vulgi voces, quæ cum ipso sonitu pereunt; sed probatę virtutes animi, quæ possessorem sui, licet in angulo positum, licet absconditum in petra, per virtutum arbitros ad æternam seculorum notitiam deferunt. B

CAPUT V.

Ultimus morbus obitus & sepultura.

23 Igitur cum complesset numerum dierum suorum, jamque reposita illi esset justitiæ corona, pro merito laborum suorum, placuit ei qui eam vocavit & justificavit, viam peregrinationis suæ post cursum debitum terminare, & ex mundi naufragoso incolatu, ad locum placidæ mansionis, hujusmodi assumptione gloriosa transportare. Corripitur siquidem febre ultima & diutino languore fatigatur, *Ægra febri,* dolorque letifer infra pectoris domicilium crebris punctionibus debacchatur: & jam exhausti longa pœnitentia corporis velut quasdam reliquias duro dente corrodens, circa vitalem spiritum amplius ingravatur: *asthmate, tussi,* humor subinde vitiosus superioris fistulam instrumenti obducens, meatum respirandi frequenter intercidebat: tumultumque diræ tyrannidis exercens, infra stomachi vastitatem, tussim importunam ejiciebat: sicque morbus suas pedetentim radices inserens & extendens, per dies singulos increscebat. C Sic profecto, sic decebat ut hoc conflatorio ejus scoria ad purum excoqueretur, quatenus sic probata, sic excocta, in summi Regis diademate digne insculpi mereretur. Propter quod *patiens.* licet minus habens virium, magno tamen animo sustulit hanc pressuram; gratias agens Deo, quod sibi tantum incusserit colaphum, quod eam subire voluerit hanc trituram. Orationi itaque diebus ac noctibus instantius vacabat, *& orans,* faciemque Domini in confessione præoccupabat: & seipsam ante se constituens, causam suam diligenti discussione sub oculis illius districti judicis dijudicabat; & quæcumque de se sibi displicebant, rigida invectione corrigens, pedes ejus cum Maria fletibus irrigabat.

24 Cumque languor oppressivus eam jam per annum dimidium fatigasset, totisque contractis viribus super lectum ægritudinis penitus incurvasset; dolor redivivus, intima cordis pulsans mordacius, indicavit eam debere in proximo resolvi; & vas suum, quod in sanctificatione & honore hactenus possederat, communi sorte mortalium involvi. Adeo namque virtus naturalis vel appetitiva vel retentiva illam abnegaverat, ut nullum cibum jam appeteret; quin potius stomacho refragante, sumptum protinus rejiceret. *sacro oleo inungitur:* Inuncta proinde sacri liquore olei, jam sopitis, imo sepultis naturæ officiis, sancta ejus anima in corpore semivivo tota cælestibus intendebat; & eorum quæ retro sunt oblita, in anteriora se extendebat: jugibusque orationibus & lacrymis Christo se commendans, cui in vita sua perfecte studuit ancillari, expectabat agonem suum læto exitu consummari. *Auc. Philippo Ab.* Cumque sanctam Matrem tristes admodum filiæ circumstarent, & ut earum curam gerere translata ad Superos dignaretur, lacrymosis precibus postularent; ipsa morbum jactantiæ declinans, turbata est hoc sermone; & erumpens in lacrymas tali illis occurrit responsione: Quare, inquit, ô filiæ, me peccatricem hujusmodi sermonibus compellatis? cur à me quæ nullius momenti sum, quæ vix alicujus boni mihi conscia sum, ea quæ Apostolorum ceterorumq; Sanctorum sunt, postulatis? Parcite vobis quæso à verbis hujusmodi; & meis potius delictis veniam dari implorate: & ut migrantem me hinc sinus ille Abrahæ excipiat, orationibus finem meum, ei cui vivunt & per quem sunt omnia, attentius commendate.

25 Supervenienti denique die solenni Paschæ, *die Paschatis* cum peracto cursu, ultimo jam palmæ spatio propinquasset, cum vetus corporis ejus fermentum ad purum languor diutinus expurgasset; celebratis sacrosanctis nostræ redemptionis Mysteriis, illud salutare Viaticum accepit: E *viatico munita* & inclinato die ad vesperum, coram positis Abbate, Fratribus & Sororibus, ejusque exitum ex more orationibus & psalmis commendantibus, duodecimo Calendas Maji, anno incarnati Verbi millesimo centesimo quinquagesimo octavo, in pace requievit. *moritur 20 April. an. 1158.* Quam cum obdormisse sacræ Virgines cognovissent, tanto affectu motæ sunt, tanta cordis mœstitia gravatæ sunt, ut earum vultus tristi admodum pallore obscurarentur, & desolationem suam lacrymis & suspiriis irrefragabiliter causarentur; orationibusque & lacrymis devotas excubias impendentes funeri sancto ejus, sanctam illius animam psalmis & hymnis deduxerunt in montem Domini, & in tabernacula sancta ejus. Ut autem dies illuxit in crastinum, corpus illud sanctum à Fratribus ad Abbatiam deportatum est, ibique in commemoratione ejus sacrosanctis Hostiis ad Deum allegatis, à venerabili Abbate a Alnensi Gregorio, b Philippo ipsius loci Abbate, Odone jam præfato, & à Sacerdotibus multaque Fratrum circumstantia, cum multo, ut decuit, honore sepulturæ mandatum est. *a b 21 April. sepelitur:* Quod licet seminatum sit in infirmitate, credo quod resurget in virtute; seminatum in corruptione, surget in incorruptione; seminatum in mortalitate, surget in immortalitate; seminatum in ignobilitate, surget in gloria.

26 Felix igitur & beata ejus anima, quæ ea die exire meruit de Ægypto, qua verus ille paschalis Agnus libertatem veris reddidit Israëlitis; qua Christus resurrexit à mortuis, non amplius gustaturus de amaro genimine hujus vitis. Felix inquam & beata, quæ ea die in Galilæam meruit transmigrare, qua mundo primum innotuit novæ gloria resurrectionis; quæ tunc Regem Salomonem in decore suo meruit videre, quando mater sua coronavit eum in die solennitatis & lætitiæ, in die desponsationis suæ. Felix, inquam, Virgo Oda, & secundum nomen suum laude digna est, imo Oda c emphatice laus est: c sicut Psalmista memor beneficiorum Dei, non *Ps. 143. 2* eum misericordem, sed misericordiam per excellentiam appellat; Deus meus, inquiens, misericordia mea. *Vivit cum Sanctis in cælo,* Jam profecto videt & gustat pia Virgo quam suavis est Dominus, non tam per speculum & in ænigmate, quæ prima abierunt; sed ambulat in lumine vultus Dei, & in nomine ejus exultat tota die, cum illis Beatorum choris, qui in agone

AUCTORE PHIL. AB.

certaminis permanserunt. Dormit felici somno inter amplexus Sponsi cælestis, inebriata ab ubertate domus Dei; nec patitur ut quis eam suscitet vel evigilare faciat, quamdiu somno voluerit indulgere tam beatæ requiei. Quæ licet de sorte suæ beatitudinis sit secura, tamen pro Fratribus & Sororibus suis ejus semper invigilat pia cura, pro quorum pace & salute divinam clementiam interpellat; orans ut omnes adversariorum impugnationes ab eorum sensibus vel sedibus procul pellat. Unde spero quod & mihi, qui illius vitam studio dilectionis ac devotionis, rogatuque Sororum utcumque scribere sum aggressus, sicubi in verbo offendi, si modum scribendi licitum sum transgressus, dabit veniam & ampliorem mihi gratiam impetrabit: & laborantem adhuc in maris magni & spatiosi fluctibus, orationum suarum remigio ad [portum] optatum ducet cursu perfacili, quamvis ligno portatum fragili. Ut igitur tandem absorpta morte in victoria, Deo placere cum illa mereamur in regione vivorum; confiteamur nomini sancto ejus, & in laudem ipsius gloriemur, qui vivit & regnat per omnia secula seculorum. Amen.

& pro suis orat:

quod scriptor Vitæ pro se fieri optat.

ANNOTATA.

a Alnense *monasterium ad Sabim fluvium, à Lobiensi monasterio milliari dissitum, à S. Landelino constructum: fuit olim Canonicorum in communi viventium collegium; at tunc Abbatia Ordinis Cisterciensis, ab anno* 1148.

b *Hic est ipse Philippus Harvengius Vitæ scriptor, cui Odo regimen ante biennium cesserat.*

c *Ita quidem Græce, Teutonice vero (nam hinc petenda est vera nominis ratio)* Ood *adjective vacuum, inanem; substantive locum desertum incultumque significat seu etiam novale. Hinc* Oodmout *submissio animi,* Ootmoudich *animo demissus, aut superbia vacuus, sive humilis, & nomina locorum varia, ut* Frederix-ode *Friderici desertum, nunc oppidum non ignobile, aliaque similia. Cum autem humilitas virtutum omnium Christianarum sit fundamentum, hinc inter majores nostros Christianos dumtaxat, velut ad ejusmodi virtutis præsagium inveniuntur nomina* Odæ, Odonis, Ottonis *ab eadem radice omnia.*

DE S. HILDEGUNDE VIRGINE,

ORDINIS CISTERCIENSIS SCHONAUGIÆ IN GERMANIA.

[D.P.]

ANNO MC LXXXVIII



Schonaugia nomen à situs pulchritudine seu amœnitate sumptum (nam aw vel auge, pratum vel regionem pabulosam; Schoon, *pulchrum notat) pluribus in Germania monasteriis datum invenitur: ac primo est Abbatia virorum Ordinis S. Benedicti in Silva Hircinia, in finibus diœcesis Trevirensis, sub jurisdictione Comitum Nassoviorum, quod etiam S. Florini monasterium solet vocari. Ab hoc monasterio aliud Sanctimonialium, Ordinis etiam Benedictini, sola platea intermedia separatum est: in quo vixit Elisabeth de Schonaugia, multis revelationibus cælestibus honorata, mortua* XVIII *Junii anno* MCLXIV. *Alia duo sunt Ordinis Cisterciensis, alterum nobilium Virginum in Franconia situm; aliud de quo hic agimus, in diœcesi Wormatiensi, in dominio Palatini Rheni duobus circiter leucis ab Heidelberga dissitum, agnovit Fundatorem Buggonem Wormatiensem Episcopum circa annum* MCXLIV, *cujus structuram olim splendidissimam furor Calvinisticus evertit, & reliquit solum ingentia ecclesiæ saxa subruta, cum aliquot locis, quæ subserviunt textoribus Gallicis & Wallonicis, qui eo amore hæreseos transfugerunt. Hoc in loco sub habitu virili vixit S. Hildegundis, virum mentita ac Ioseph vocata, vita functa die* XX *Aprilis anno* MCLXXXVIII.

Schonaugia plura monasteria:

unum circa Heidelbergam in quo vixit S. Hildegundis.

C

2 *Angelus Manrique tomo 3 Annalium Cisterciensium anno* 1186 *capite 7 num. 1 de S. Hildegunde acturus ita incipit:* Mirabilis virago, sanctitate & miraculis præclara, sed clarior adhuc ipsis ab eventibus, in quibus nihil non singulare, nihil non rarum; & ut aliqua nequaquam imitanda, nihil non admirandum invenitur. Habemus Vitæ ejus duos scriptores, coævum utrumque, Cæsarium Heisterbacensem, qui scribebat anno MCCXXII, nec de aliena provincia sed de propria, & notissimo sibi monasterio; & anonymum alium ejusdem domus, nimirum Sconaugiæ: hunc auctorem, manuscriptum à se inventum, evulgavit Raderus in suo Viridario. *Hæc Manrique. At Raderus asserit se referre Acta* συντόμως καὶ συλλήβδην, quæ prolixe ab auctore sunt perscripta, quodq; certiora ex Ms. codice, quem à Marco Velsero Duumviro Amplissimo acceperat, summatim edidit. *Nos eam Vitam integram damus ex dicto codice, excepta foliorum duorum lacuna. Auctor in Prologo dicit se scribere coactum ab aliis, dicentibus,* quod nemo dignius & plenius Vitam beatæ Virginis stylo mandare potuisset, quam is, qui eam non aliunde, sed ex ipsius ore Virginis didicisset. *Etenim Sacerdos ad Ordinem veniens, non mediocri litterarum peritia, rerum etiam politicarum experientia aliqua, & summa morum gravitate præditus fuit; ut merito Hildegundis eum, quamvis adhuc novitium, suum tamen in litteris ac spiritu magistrum, reverenter amarit, suas omnes tentationes eidem aperuerit, & totam admirabilis suæ vitæ seriem eidem cognitam fecerit; ipsum sexus occultati secretum eidem sub vitæ terminum manifestatura, nisi id impedivisset ad vocantem venientis tarditas, & moribunda præcepta loquendi facultas: ita namque præsumere jubent dicenda num. 34. Sacerdotii indicium habes num. 30 ubi eum Confessarium sibi petit Sancta; experientiam graviorum rerum indicat, quod num. 10, agens de grandi, quæ Colonia agebatur controversia, super electione Abbatissæ, dicat se ei* causæ sæpius interfuisse, & allegationes partium hinc inde propositas crebrius audivisse, *probabiliter ut Magistrum in Iure Canonico aut etiam in alterutro foro causarum Advocatum. Cetera per se palam fient; ex eoque maxime, quod hominem recens professum maximi faceret B. Eberardus de Commeda, homo notissimæ sanctitatis, quam probabit Vita* XXX *Novembris illustranda.*

Vita epitomè Cæsarius dedit,

aliam Raderus: sed hic ex Ms certissimæ fidei, unde & nos damus,

scriptam à ejus confessario & magistro,

E

3 *Vix ille secundum à finita probatione & consecratione monastica suscepta annum absolverat, quando circa annum* MCXC, *(juxta dicti Eberardi prophetiam, num. 24 notatam) deducta est in Bebenhausen ex domo Schonaugiensi Colonia nova; & ipse* unus ex illis fuit, qui mittebantur ad tale negotium procurandum; *ibidemque desperate æger à discipula sua apparente sanari meruit ac multa edoceri, quæ præterire maluit num. 35, nequis* propter jactantiam existimaret scripsisse. *Ibi dum agit, fortassis ut Prior aut Oeconomus, videtur Schonaugiensium monachorum aliquis, eo absente Hildegundis, jam fama celebris, Vitam (qualis circumferebatur inter ora Fratrum, qui partim viderant, partim ex prædicto ejus magistro ac senioribus audierant) suscepisse scribendam. Habemus eam in illustri nostro Codice Ms. de Vitis Sanctorum, qui Collegii Paderbonensis quondam fuit; & primo loco dandam paraveramus prælo: sed postea eamdem accuratius*

ad corrigendos defectus alterius minus accuratæ

A *& à Cæsario transcripta;* *curatius conferentes cum altera, judicavimus, quod ubicumque ab ea deflecteret etiã à veritate deficeret; non quidem quoad ipsam rei substantiam, quæ utrobique est eadem, sed quoad præcipuas nonnullas ejusdem rei circumstantias: ideoque ut inutilem rejecimus. Interim pia narrationis novitas, ubique grata, locum ei in Legendariis fecit; ipsamque solam, nec integram, sed prima sui parte mutilam nactus Cæsarius, eumdem I libro Miraculorum cap. 40 sic inseruit, ut quæ ibi inducitur ipsa, de suis antequam Schonaugiam adveniret casibus, narrare Priori, paulo ante mortem semper in prima persona loquens; ea ipse retulerit in persona tertia, addens quædam sibi narrata ab Hermanno monacho, tunc cum res agerentur adhuc puero annorum quatuordecim.*

scripsit autẽ hæc ex ore Virginis audierat, 4 *Cum igitur vel hæc scriptio venisset ad manus præfati monachi, quondam S. Hildegundis connovitii & magistri, ut diximus, vel videret non satis certa post suum discessum à Schonaugiensibus de ipsa narrari; sed multimodis desectuosa & ex parte falsa (uti solet aqua, quæ per multos ac varios canales transfunditur, vix unquam eadem puritate referri ad fontem) consensit rogantibus ut accuratius ac denuo rem scriberet, ex sua scientia certiori, quam immediate hauserat ex ore Beatæ ipse solus, non autem (quod alii crediderant) Prior; idque forte per sæpius iteratam* B *narrationem, cum ea commemoratio multum faceret ad firmandum in proposito suscepta religionis perturbatissimum animum, certamque in Deo fiduciam persuadendam. Scripsit autem postquam officio & Vita functus esset Abbas Gothefridus, sub quo ad habitum fuerat admissa Hildegundis, juvenis credita; non sub Theobaldo, immediato forsitan Gothefridi successore, cujus nomen pro nomine istius subrepsit Cæsario, propria personarum nomina, quæ prior Vita non expresserat, supplere conato. Item postquam prælaudatus Eberardus de Comeda migrasset ad Superos, uti constat ex num. 21. Quandonam obierit Gothefridus non constat; sed credibile est haud diu superfuisse Hildegundi, ut eo excusabilior sit Cæsarii lapsus, iique errores qui in Vitam Schonaugiæ scriptam irrepsere.* *fortassis intra annum 10 aut 12 ab ejus obitu.* *De B. Eberhardo scimus, obiisse illum anno MCXCI ætatis suæ XXVI: Vitam autem esse scriptam eodem anno quo quartus Eberardi frater Norbertus defunctus est, & adhuc in seculo vivebat quintus nomine Henricus, ac Soror Adelaidis cœnobii cujusdam Abbatissa; aliique plurimi familiariter viro beato usi. Atqui jam tum scripta extabat & in monasterio de Comeda legebatur Vita Hildegundis, ex qua Caput integrum inseritur Vitæ ipsius Eberhardi, nosque ad unius lacunæ defectum supplendum integrandamque historiam, alias incorrigibiliter mutilam, adjutos profitemur;* C *putamusque haud improbabiliter credi posse, quod Vita Hildegundis hæc secunda & accuratior scripta fuerit priusquam Historiam suam ordiretur Cæsarius, etsi eam ipse non habuerit.*

5 *Alium quidem titulum Velseri Ms. codex non præfert, quam* Vita Joseph; *quo scilicet nomine Schonaugiæ cognita Virgo erat; & in Vita Eberardi solum allegatur,* Agenda Hildegundis, quæ cognominata Joseph, sub habitu masculino in Schonaugia facta fuerat Novitius. *Tamen, tam in prologo quam fine, appellat eam auctor cum titulo* Sanctæ Virginis, *& B. Hildegundem absolute scribit Cæsarius: mox autem ampliorem cultum, & qui vocari publicus possit, eidem esse attributum, varia persuadent argumenta. Nam primo in nostro præfato Codice Ms. in quo prior Vita à nobis omissa continetur, hic præponitur titulus,* Incipit Legenda Sanctæ Hildegundis Virginis, XII Kal. Maji: *ubi venerationis causa & Sancta appellatur, & dies cultui sacer indicatur; quod à collectore Vitarum, isto codice comprehensarum, casu aliquo aut temere factum non fuisse demonstrant reliqui Actis præfixi tituli, propterea hic commemorandi, qui sunt;* *Nomen Sanctæ in antiquo Ms. codice.* Vita S. Hildulphi Archiepiscopi Trevirorum, V Idus Julii; S. Severi Presbyteri & Confessoris, VI Idus Augusti; De beata visione translationis Imperatoris Caroli Magni, VI Kalendas Augusti; Vita & miracula recolendæ memoriæ Margaretæ Virginis, Ordinis Prædicatorum, Regis Hungariæ filiæ, V Kalendas Februarii; S. Romualdi Confessoris & eremitæ, XIII Kalendas Julii; S. Hugonis Episcopi Lincolniensis, XV Kalendas Octobris; S. Morandi Confessoris, III Kalendas Julii; S. Popponis Abbatis, III Kalendas Februarii; S. Lazari Episcopi & Confessoris, XVI Kalendas Januarii; S. Wernheri, XIII Kalendas Maji; Vita Domini & Magistri Alberti Magni, egregii Doctoris de Ordine Prædicatorum, XVII Kalendas Decembris; S. Arnoldi Confessoris, XV Kalendas Octobris, Vita devoti Presbyteri Heymeradi in Hasingun recondita; Vita venerabilis Domini Petri Aroldensis Præpositi; Vita S. Ethburgis Virginis; Historia nova XI millium Virginum; Mirabiles visiones sanctimonialis Elizabeth de Schonaugia; Passio sanctorum Martyrum Ebbekestorp, Kalendis Augusti; Passio S. Simeonis Episcopi & Martyris, XIII Kalendas Martii; Depositio S. Wulfranni Episcopi & Confessoris, XIII Kalendas Aprilis. *Hæc ibi, inter quæ decimo loco inserta est* Legenda S. Hildegundis Virginis.

AUCTORE D. P.

6 *Secundo inter Martyrologia varia Usuardi quæ ad usum variarum Ecclesiarum aucta habemus, est aliquod* à Widone Krentzelin anno MCCCCXVII ut ipse asserit, cum quibusdam additionibus suis propter Prædicantes prolongatum: *in quo ad hunc diem primo loco ista habentur:* XII Kalendas Maji, In Nussia Sanctæ Hildegundis Virginis. *Est Nussia antiquis Novesium, urbs diœcesis Coloniensis, in qua aut ejus vicinia est S. Hildegundis nata, & inter Sanctimoniales educata: in qua etiam mater ejus & soror Agnes sunt sepultæ: ut videatur in dicto monasterio, aut etiam aliis ecclesiis in veneratione fuisse singulari. Auctor Ms. Florarii Sanctorum, Canonicus Regularis, de Agnete & Hildegunde ista habet:* XII Kalendas Maji Agnetis Virginis, sororis S. Hildegundis Virginis. In Sconavia monasterio depositio S. Hildegundis Virginis præfatæ, quæ animam S. Agnetis suæ sororis, cum penderet ad patibulum, lætantibus Angelis ad cælum ferri audivit. Quæ post sumpto viri habitu, se Joseph nuncupans, in Sconavia monachum professa, glorioso fine quievit, anno salutis MCLXXXVIII. *Secuti postmodum plures; inter quos primus censeri potest Grevenus Carthusianus Coloniensis, qui in Additionibus ad Usuardum ista habet:* Item sanctæ memoriæ Hildegundis Virginis, sanctimonialis Cisterciensis Ordinis, quæ & Joseph dicta est. *Grevenum describunt Canisius in Martyrologio Germanico & Molanus in Auctario Usuardi. Arnoldus Wion in Martyrologio monastico, ita loquitur:* Sconaviæ depositio Sanctæ Hildegundis Virginis, Ordinis Cisterciensis, quæ simulato sexu in monasterio vivens, à Fratribus Joseph appellabatur. *Wionem sequuntur Dorganius, Menardus, & cum longo elogio Bucelinus: Item in Menologio Cisterciensi Chrysostomus Henriquez, & ante illum Barnabas de Montalbo par. 1 lib. 4 cap. 13, & Bernardus Brito, qui lib. 5 cap. 31 fol. 363 eam* Catalogo Sanctorum Ordinis Cisterciensis adscriptam fuisse testatur.

E *item primo loco in Martyrologio Ms.* *& insertum Ms. Florario,* F *aliisque Fastis maxime monasticis*

7 *Præivit hos Trithemius in Chronico Hirsaugiensi, in quo tale de ea dat testimonium:* S. Hildegundis Ordinis Cisterciensis, in monasterio Schonaugiensi anno MCLXXXVIII obiit, duodecimo Kalendas Maji: quæ simulato habitu masculum se fingens, inter monachos ibidem novitiatus habitum susceperat; ac mutato nomine se Josephum appellavit; & usque ad mortem incognita permansit. Hujus Vitam Cæsarius monachus Heisterbacensis conscripsit. *Hæc ibi. Cæsarius sub finem hujus historiæ ista in hunc locum reservata ingerit:* Cum ante hos annos consecraretur novum

& apud Trithemium. *atque Cæsarium.*

A vum oratorium in Schonavia, ex diversis provinciis ad dedicationem populi confluentes, & prædictas B. Hildegundis virtutes audientes, tumulum ejus frequentaverunt; matronæ maxime sanctis ejus orationibus se commendantes, Deumque super tantis mirabilibus glorificantes. Et nos Fratres cum illis gratias referamus Salvatori nostro, qui hæc fieri voluit nostris temporibus in Ordine nostro, ad gloriam suam & ædificationem nostram, qui vivit & regnat cum Patre & Spiritu sancto in secula seculorum. Amen. *Addit autem hoc epitaphium.*

ejus epitaphium.

Omnis homo miretur, homo quid fecerit iste.
Hæc, cujus fossa cineres inclusit & ossa,
Mas vivens paret, moriens sed femina claret.
Vita fefellit, morsque refellit rem simulatam.
Hildegunt dicta, vita est in codice scripta,
Maji bissenis est hæc defuncta Kalendis.

Quædam afficta.

8 *Angelus Manrique, in Laurea Euangelica lib. 3 discursu 7, vult illam multis annis monacham vixisse. in libro 3 Annalium Cisterciensium an. 1188 cap. 8 num. 10 & sequentibus, nonnulla historiæ addit ex Bernardo Brito, & scriptis S. Hildegundis in laudem Ioannis Baptistæ, quæ ne incuriosus videretur, ipse edidit: nos, malumus omittere, cum ibi videri possint, & non sint satis consona veritati:* B *tenuiter enim tinctam fuisse litteris hanc Schonaugiensem Hildegundim, constat ex Vita, & obiisse intra annum suæ probationis; quo tentationibus gravissimis exercita, credi vix potest scriptitasse aliquid, quod memoriam posteritatis mereretur. Magis optaremus servata fuisse sacri corporis ossa; aut eadem etiam nunc inter ecclesiæ rudera divino indicio reperiri: nihil enim Schonaugiæ nunc superest, quod S. Hildegundem ibi cultam fuisse doceat, nisi vitrearum quarumdam fenestrarum reliquiæ, quas anno MDCXX lustravit noster Ioannes Gamans, testatus in alio nullo cœnobio vidisse tam insanas & audaces ingentium saxorum & molium substructiones, quæ nunc omnes subrutæ jacent.*

VITA

Auctore Sacerdote Connovitio, ipsius Sanctæ familiari & magistro.

Ex Ms. Codice Marci Velseri.

PROLOGUS.

Rogatu Fratrum

C 1 SAnctorum Fratrum pia devotio crebris exhortationum studiis conscribere me Vitam Joseph provocarunt; non illius, qui filius fuit Jacob & Rachel, inter Patriarchas duodecimus, & à fratribus in Ægyptum venditus; sed illius, qui sub nomine & habitu virili sexum celabat muliebrem, simulans se esse masculum, quod non erat. Grave satis & perdifficile meis humeris onus imponentes viri virtutum, asserebant tam pretiosam margaritam, auro & argento decenter ornatam, seu monile tam præclari fulgoris, quod manu superni fabricatum foret Artificis, non debere subduci, sed in pectore potius aut in facie sanctæ Ecclesiæ suspendi: quod multorum, qui hoc diligenter essent inspecturi, proficere posset non mediocriter utilitati. Sed hæc, quæ me facilius incitarent, ad hujusmodi laboris studium & disciplinam nihilominus adjicientes, aiebant; Lucernam à Domino accensam, non sub modio ponendam sed super candelabrum, ut omnes, qui ingrederentur domum, lumine suæ claritatis illustraret. His & hujusmodi rationum & assertionum stimulis, cum me recalcitrantem & renitentem, frustra licet, adhuc reluctari cernerent; oppositione talis argumenti me vicerunt, inferendo, quod nemo dignius ac plenius Vitam beatæ Virginis stylo narrare potuisset, quam is, qui eam non aliunde, sed ex ipsius ore Virginis didicisset, cum ea commorando, convivendo, conversando positus in domo novitiorum, novitius & ipse noviter conversus, in loco qui dicitur Sconaugia, ubi domus est Ordinis Cisterciensis famosissima & religiosissima, virtutum divitiis & spiritualium studiorum deliciis opulentissima. Quid plura? Parui, feci, non quod ego, sed quod ipsi voluerunt, qui me minus sapientem suis, ut dictum est, allegationibus ad hujus opusculi confectionem pertraxerunt. Ego quidem tamquam pictor ignobilis colore simplici, quod novi, quod didici, depinxi; quoadusque veniat idoneus magis, qui varietate colorum pingat, condat, & faciat ex vili pretiosum. Obsecro ergo legentes, ut fidem dictis adhibeant, nec me credant aliquid amore vel favore sanctæ Virginis inserere, quod ab ea non acceperim, quod ab ea non didicerim. Mallem potius (Deum testor) omnino tacuisse, quam falsa jactanter & inconsulte pro veris intulisse.

auctor hanc Vitam scribit

ad plurimorum utilitatem

D

qui una cum illa fuerat novitius Schonaugiæ,

ut ab ea intellexit.

CAPUT I.

Hildegundis ortus & educatio: peregrinatio in terram sanctam & reditus.

E

2 IN a territorio civitatis Coloniæ, juxta Rhenum positæ (quæ metropolis est illius provinciæ, civitas utique mœniis, & munitionibus fortissima, situ loci amœnissima, cultui divino dedita, bonis actionibus præ ceteris secularibus intenta, ubi posita sunt undena Virginum millia) fuit puella quædam progenie quidem nobilis, sed fide nobilior; facie pulchra, sed pulchrior vita. Cujus parentes cum non haberent liberos, essentque secundum seculum nobiles, & rebus locupletes; ob hoc solum temporalem felicitatem, qua præ ceteris pollebant hominibus, minuebant, quod eis heres collatus à Deo non fuerat: qui patrios lares subintrans, substantia sibi reservata suo tempore potiretur; aut quod eorum prosapia genusque decedentibus ipsis, & viam universæ carnis ingressis, terminum postmodum lugubrem sortiretur, prole non progenita & superstite relicta. Pro qua re Dei omnipotentis misericordiam implorandam censuerunt, & ejus gratiam deprecandam: ut eorum vota dignanter intueri dignaretur, & largiri benedictionem prolis optatæ.

a In Coloniensi territorio.

parentes ejus nobiles & divites,

quod prole carerent,

pro ea obtinenda instant orationibus,

F

3 Cumque pro hujuscemodi causa crebra suspiria lacrymasque fudissent, & eleemosynarum copiam Deo ferventer obtulissent; Pater quoque devotus sæpius Apostolorum Petri & Pauli aliorumque Sanctorum limina visitasset, preces fundendo, innumera dona suppliciter largiendo, nihilque proficiendo, uxore propria, non modicum religiosa, adhuc sterili permanente; tandem inspirante Divina gratia ad mentem revocantes, qualiter Anna beata, mater Samuelis, ex voto, quod vovit Deo, non tam filium, quam Prophetam fuerit assecuta; ambo pariter pari voto, vir & mulier, inito salubri consilio, se constrinxerunt, idipsum solicite facientes, idipsum voventes; quod Anna in Silo coram Domino constituta. Gratias Deo, quod devotio non dissimilis, & ratio consimilis, non est frustrata benedictione desiderata. Nam mulier protinus concepit, & peperit non unum sed b gemellas, quod est mirabile dictu, sub uno partu femellas. Quæ cum fuissent ablactatæ, & quotidianis proficerent incrementis, pater devotus à sancto Spiritu edoctus, ambas in c monasterio sanctimonialium litteris sacris imbuendas, claustralibusque disci-

eleemosynis,

peregrinationibus;

Exemplo Annæ matris Samuelis,

voto se obstringunt,

b Nascuntur puellæ duæ & in monasterio educantur,

c

A disciplinis instruendas, tamquam thesaurum pretiosum à Deo præstitum censuit deponendas. Ibi, quantum in Dei amore profecerint, quantumque in omni disciplina & omni scientia convaluerint, rerum postmodum probavit eventus: quod in sequenti serie narrationis plenius exponetur.

b Iter in terram sanctam concipit;

4 Sæpe dictus itaque pater, ut Deo debitas gratiarum actiones plenius exsolveret, pro collatis tantis beneficiis mente concepit, ut accepto sanctæ Crucis signaculo mare transiret, sepulchrum Domini visitaret, & ubi steterunt pedes ejus, in omnibus locis adoraret. Sed antequam ad inspiratum sibi cælitus propositum peragendum succingeretur, bona mulier, quæ ad omne parata bonum, viro semper in omnibus obeditione promptissima se substraverat; quæ etiam corde & animo jucundabatur, quod non tam seculo, quam Domino parturierat; interim febre corripitur, lecto prosternitur, & invalescente languoris molestia, accersitis inopum turbis, spe salutis æternæ eleemosynas largas faciebat, pauperes reficiebat: dehinc Sacerdotibus accitis, ut exitus sui transitum efficaciter communiret, accepto sacrosancto Dominici Corporis viatico, Oleoque sancto peruncta, omnibusque rite peractis, quæ secundum fidem Catholicam fuerant exhibenda, in gratiarum actione perseverans, hymnosque Deo cum Clericis qui ejus obitum præstolabantur, decantans, feliciter migravit ad Dominum. sepulta in loco, ubi filiæ eius Domino fuerant commendatæ: cui honor est, & gloria in secula seculorum. Amen.

mater febri corripitur, dat eleemosynas, susceptis Ecclesiæ Sacramentis, B pie obit.

5 His ita gestis, pater liberior & hilarior factus, ea quæ divinitus conceperat, accelerare pro posse satagebat. Collectis siquidem omnibus, quæ ad usus proprios in peregrinatione fuerant necessaria, filiam illam, de qua fit sermo, secum ducere, viæque suæ conviatricem, facere, alteramque in monasterio Sponso copulatam immortali, perpetuo derelinquere cogitavit: idque, prout in corde destinaverat, hoc modo studuit adimplere. Proximo igitur *d* passagio, cum omnes simul [sub suis] signis ad loca marina ituri alacriter & constanter se præpararent, & mutuo se caritate divina ferventer exhortarentur; filiolam suam, quam tenere diligebat (quodam secreto Dei consilio, qui ad fortia manum mittere voluit, & sicut scriptum est, certamen forte dedit illi, ut vinceret, & sciret, quoniam omnium potentior est sapientia) de monasterio extraxit, ut masculum totondit, habitu maris induit, nomen ei Joseph imposuit, ut sic securior iens, non feminam, sed marem ducere videretur. Solo etiam contentus fuit mancipio, qui eis deserviens ministraret, res habitas conservaret. Sic sic procedendo, sic sic pergendo, ad maris littora pariter pervenerunt. Ubi dato nauclero navigii pretio, miles Christi cum suo Joseph pontum conscendit, & arridentibus ventorum flatibus, aliquamdiu prospere navigavit.

Pater proficiscitur, alteram filiam Christo desponsat: d Hildegundem secum ducens, C Sap.10,12 sub veste virili & Ioseph appellatione, navigat Hierosolymam

6 Sed quamdiu serenitas ista perduravit? quamdiu prosperitas ista perseveravit? Heu, Heu! Miles intrepidus, pater fidelis, & devotus suum Joseph in proximo derelicturus, cui jam vivere Christus erat & mori lucrum, languere cœpit, penitusque deficere. Cumque se jam proximum morti conspiceret, & ad vitalia se iam spiritus migraturus colligeret, vernaculum vocavit, Joseph ei fideliter & intime commendavit, aurum & argentum, quod apportaverat, contradidit: Sacramentis Dominicis participans, complosis manibus in modus crucis capite demisso, proh dolor! spiritum exsufflavit. In mare projecto dehinc cadavere, sicut moris est, quantas lacrymas, quales gemitus, quæque suspiria super patris anima Joseph, utroque parente destitutus & orbatus, ediderit, quis edicere queat, quis æstimare sufficiat? Flere magis libet, & dolere cum flente & dolente Joseph, quam dicere.

c morbo gravi correptus, — Auc. conNovitio ex Ms. — moritur in mari.

7 Ipse tamen cum suo procuratore mare pertransiens, *e* Hierosolymam venit, ibique Sepulchrum Dominicum aliaque loca sancta, ubi pedes Domini steterant, invisit; *f* Acconemque rediit, ubi portus erat navigii. Ibi cum pernoctando requiesceret suo cum vernaculo; miser ille & miserrimo deterior, omnibus quæ fuerant Joseph furtim ablatis, mane surgens fugam arripuit, & non domicellum, quod putabat, sed domicellam, in exilio solum dereliquit. Initia dolorum hæc. Evigilans deinde Joseph, velut à somno gravi tamquam Jacob, amisso sodalitio, solum se reperit, solum se omni jam solatio destitutum invenit. Eia, fratres carissimi, quis modo dolenti non condoleat? quis modo cum flente non fleat? Bone Jesu, tuus Joseph, tuus, inquam, quid agat, quo se modo vertat, non habet. Tibi derelictus est pauper, orphano tu eris adiutor. Hunc versiculum sæpius in dolore replicans, se suamque pudicitiam Domino commendavit. Miserator & misericors Dominus, homo Jesus Christus, qui neminem vult perire, qui suos novit de tentationibus eripere, numquid poterat ancillam suam, sibi soli cognitam, in tam arcta tentatione positam derelinquere? Ubi est quod scriptum; Adiutor in oportunitatibus in tribulatione? Et iterum: Quis speravit in eo, & derelictus est? Absit ut Christus suum Ioseph, quem talia fortassis pati voluit, ullatenus deseruerit. Absit ut eum suo præsidio destituerit, quem ad partes transmarinas idcirco devenire voluit, ut Terram sanctam, & loca sancta, velut Paula & Eustochium, peragrando perlustraret; cunctaque quæ leguntur in Scripturis, ut divinitus erudiretur, investigaret.

e filia invisit loca sacra. f à suo mancipio spoliatur: in angustia relinquitur, Ps.10.14 E à Christo adiuvanda: Psal.19.10 Eccli.2.12.

8 Superest ergo nunc scire, quid actum sit, postquam dimiserat eam furtim elapsus procurator malignus, & socius infidelis. Ipso nempe die, quo ille declinaverat, abiens retrorsum post sathanam, qui procurator & ministrator fuerat deputatus; cum jam spes omnis consolationis ei videretur ablata, repentino & quasi inopinato casu supervenit adiutor & pius consolator, à Deo missus, qui eam cibo reficeret & in suum sodalitium reciperet, multimodaque consolatione deliniret, Hierosolymamque reduceret. Ubi cum per annum stetisset, in domo Templariorum recepta, & omnia loca sancta perambulando per vidisset, cunctaque quæ ei fuerant ostensa, perdidicisset; advenit quidam, Deo mirabiliter disponente, de partibus Coloniæ propinquus & sanguineus ejus, inquirens de amico, si viveret, an defunctus obiisset. Qui cum perductus foret ad Ioseph, ignorans quod progenies esset ipsius, & rescivisset, Ioseph referente quod filius esset ejus, quem requirebat; qui per annum commoratus Hierosolymis post obitum patris, præstolaretur si forte Deus aliquem de sua parentela adveheret, qui eum ad terram, de qua fuerat oriundus, reduceret. Cogitavit homo peregrinus nepotem secum pergentem propriis restituere propinquis & cognatis. Proficiscentes ergo pariter, prospereque pergentes, & patriam domosque proprias repetentes; cum jam venissent ad fines provinciæ civitatis Coloniæ, pius ille conductor & procurator ille fidelis,

adsciscitur in sodalitium pii viri, F Hierosolymis degit apud Templarios: à consanguineo invisitur reducitur in patriam. ab illo quo moriente instructa viatico.

AUC. CON- NOVITIO EX MS.

fidelis, nihilominus judicio Divino morte præventus, interiit: ibique sepultus, nummos, & argentum, quod habere videbatur, Joseph dereliquit.

Deo gratias agit ob pudicitiam servatam.

9 Tunc athleta fortissimus, bellator inclytus, miles Deo carus, toties solatio destitutus humano, toties amisso solatio tam necessario, Deo gratias agebat, quod post tot discrimina & pericula, post tot maria spatiosa laboriose emensa, sine damno suæ integritatis, terram jam suæ nativitatis lætior factus aspiceret, & suæ parentelæ foret in proximo restituendus, non jam gladios, non ignes, non bestias, nec ullas metuens hostium ferocium injurias. Sciens scriptum: Omne solum forti patria est: siquidem jam famem, sitim, gelu, nivem; omnem distemperantiam frigoris & caloris, cunctumque laborem pro Domino plene didicerat sustinere.

& pericula superata:

Cogitabat tamen civitatem Coloniam intrare, ibique post sudores innumeros & labores infinitos aliquamdiu requiescere, & inter honestos viros & matronas Deo devotas, ipse non vir, sed femina, Deo se protegente delitescere.

excipitur à Canonico Coloniens.

Casu igitur progrediens introivit domum cujusdam Canonici, in civitate amplam domum habentis: qui eam credens quod esset peregrinus (quod utique fuit, qui tot terras peregrinas perambularat) benigne suscepit hospitio, fovitque beneficio, non sinens abire, sed petens aliquamdiu sibi commanere.

B

ANNOTATA.

a *Novesii sive Nussa, ut vult Cæsarius, aut certe haud procul inde in vicinia.*

b Agnes & Hildegundis *dicta.*

c *In urbe Novesiensi, uti infra indicatur.*

d De Sacris Passagiis (*ita vocabant expeditione Christianorum Principum transmarinas ad terram sanctam*) *actum 29 Ianuarii ad Vitam S. Petri Thomæ, Legati sacri Passagii.*

e *In alia Vita dicitur*, In reditu vero pater meus apud Tyrum de medio factus, me meaque omnia ministri sui fidei commendavit; qui avaritia & fraude pessimis consultoribus usus, omnia mea auferens, in domo relicta, clam navigavit. *Sed præterquam quod major fides hujus sit, accedit ad confirmationem ejus, quod prænavigata Tyro, Acconem naves semper appellerent, quæ milites & peregrinos ferebant, & ibidem rursus conscendi solerent à redeuntibus. Nam Tyrus proprium habebat Comitem, à Rege Hierosolymitano sæpe dissidentem: eique potissimum imputatur quod Hierosolyma non diu post, scilicet anno 1187, intercepta à Saracenis fuerit.*

C

f Accon *sive* Achaon, *ut hic scribebatur, antiquis* Ptolomais, *celeberrimus tunc portus erat: in qua urbe Patriarchæ Hierosolymitani è Sede sua pulsi diu resederunt. Consule dicta 8 Aprilis, ad Vitam B. Alberti Patriarchæ Hierosolymitani.*

g *Vita altera minus verosimiliter*: Idioma terræ ignorans, in ecclesia cubabam, non habens ubi caput reclinarem: mendicabam, & scholas frequentabam. Transito in ea miseria & mendicitate anno, transfretantibus Alemannis, cum infortunii mei casus cum magno ejulatu eis quererer, quidam nobilis & dives & potens, misericordia motus, in curam suam me suscipiens, revexit in terram nativitatis meæ. *Quæ hic certius & distinctius habentur.*

D

CAPUT II.

Iter versus summum Pontificem susceptum. Periculum suspensionis divinitus submotum.

10 NEc silentio prætereundum, quod Canonicus idem sororem habebat carnalem *a* in monasterio sanctimonialium, valde religiosam & devotam, quæ in eodem monasterio tunc temporis fuerat electa in Abbatissam, à majori & saniori parte illius congregationis. Sed & aliam juvenculam corpore, quinque de eodem conventu, nobilem, quidem genere (nam neptis fuerat Domini *b* Philippi Coloniensis Archiepiscopi) promovere curabant, ut electionem legitimam & authenticam cassarent & impedirent. Ipse etiam Dominus Archiepiscopus, in animæ suæ magnum detrimentum, parti favit infirmiori, quo suam cognatam tanta dignitate sublimaret, contrarius existens omnino Electæ priori. Me quoque contigit huic causæ sæpius interfuisse, & allegationes partium hinc inde propositas crebrius audivisse; ideoque de falsitate scribendi nemo me potest arguere. Quæ causa cum diu ventilata determinari non valeret, Episcopo obsistente; tandem ad hoc ventum est, quod Canonicus memoratus Archiepiscopum citando, Apostolicam Sedem appellavit. Quod ideo duxi memorandum & huic opusculo inferendum, quoniam ad hoc negotium consummandum Joseph pius mirabiliter est adductus & assumptus; quod sequentia manifeste declarabunt.

a Contra Canonici sororem Abbatissam electam suscitatur schisma,

b

E

11 Ea tempestate *c* schisma fuit in Ecclesia Trevirensi temporibus Imperatoris Frederici, propter duos Electos, quorum unum, nomine Volmarum, virum magnæ virtutis magnæque prudentiæ, pari voto communique consilio, ferme tota civitas Trevirensis elegerat in Pastorem; alterum vero, nomine Rudolfum, virum æque reverendum, Fridericus Imperator nominavit, paucis sibi faventibus, timore potius Imperatoriæ majestatis, quam amore devotionis & pietatis. Hunc itaque Princeps memoratus, non agens ratione, sed magis utens potestate, intendebat ingerere, & ad Archiepiscopatus apicem evehere, judicans Electum suum potiorem & digniorem, magisque competere Ecclesiæ Trevirensi: ideoque sublimandum, & in cathedra Pontificali censuit ponendũ, Volmaro violenter extruso. Quod ita factum est, paucis de plebe plebeja acclamantibus, laudesque decantantibus. Volmaro igitur appellante & ad Sedem Apostolicam provocante, Imperator ausu temerario Deo odibile ideoque contemptibile promulgavit edictum, ut, si quis videlicet Clericorum litteras portans Romam pergere vellet, à suis raperetur, caperetur & teneretur, & suis aspectibus, aut male cedendus, aut acriter trucidandus, præsentaretur *d*.

c Iter eius ad Papam per schisma Trevirense impeditum.

F

12 Quod audiens Canonicus Coloniensis, cujus supra facta mentio est, ut suam posset prosequi appellationem, mediis omnibus supplicabat Joseph, ut secum Romam pergeret; plurima dona promittens, & ampla beneficia post laboris expletionem. Vidensque eum juvenem (non feminam) ut putabat, elegantem & expeditum, qui & viam nosset, & loquelam intelligeret; adeoque minus suspectum; magis instabat orando & supplicando. Cumque ille diu reclamasset denegando & abjurando, tandem precibus convictus petentis, laborem reciprocando, magnoque periculo se subji-

d rogata Hildegundis comitari Canonicum Romam ituri.

A

subjiciendo, consentiendum duxit tantæ importunitati, & constantiæ talia postulantis. Sumunt ad hoc iter necessaria expendenda; simul proficiscuntur,

cum eodem in viam se dat:

mutuo sibi subserviunt, servus & dominus, magister & discipulus. Pergentes ergo, Maguntiam prospere pervenerunt: quæ metropolis est totius Alemanniæ. Inde proficiscentes intraverunt Sueviam, & perlustrantes civitates & oppida in illis finibus posita, pervenerunt ad quoddam oppidum infra Augustanam diœcesim constitutum, nomine e Zusemarhusen, ubi pernoctare statuerunt, & summo diluculo, ne viderentur, civitatem Augustam (quæ prope fuit, duabus tantum leucis distans ab hospitio, quo latebant) clanculo & occulte subintrare.

pernoctant prope Augustam,

Metuebant enim nimis & verebantur, quoniam civitas illa regalis fuerat, ne forsitan ab Imperatoris vasallis, quorum inibi copia multa fuit, deprehenderentur; & spoliati rebus & litteris, quas ferebant, aut contumeliis aut pœnis nimis atrociter afficerentur. Quale vero miraculum omnipotentis Dei benignitate in locis illis acciderit, omnium qui audierint est memoriæ commendandum, & per æterna secula prædicandum. Mane facto, cum ab illo oppidulo, quo tenebantur, se movissent; dominus litteras, quas baculo conclusas gerebat, Ioseph commendavit: ipse vero solus equo residens, Augustam festinanter properavit.

Canonico in equo præcedente,

B

Quem cum Ioseph, quasi discipulus & scholaris magistrum, pedes iens f subsequi debuisset, & concite nemus, quod erat vicinum, introisset; homo quidam perditissimus, qui nocte eadem furtum commiserat in oppido prænominato, subsequebatur, saccum portans cum rebus quas fuerat furatus.

pedes sequens Hildegundis,

Is cum audisset homines, qui fuerant spoliati, à tergo se insequentes, & eum vellent comprehendere; saccum dedit Ioseph, cum rebus intus contentis, quasi jam reversurus, & itineris ejus conviator futurus. Quid faceret Ioseph? Saccum recepit; super eo sedit; socius dum rediret, sustinuit; nullum malum suspicans, de bona conscientia securus. Reus autem ille diffugiens se occultabat, donec videret, quid socio nequiter relicto accideret. Subsequuntur homines spoliati; cum multo tumultu venientes, leonibus ferociores, animis efferatis; Joseph comprehenderunt, laniaverunt, plagis infinitis affecerunt; existimantes illum reum esse, furtumque, quod commissum fuerat, perpetrasse.

pro fure comprehenditur,

Cum negaret ille, ut detestaretur malum tam enorme, non audiebatur, deridebatur, contumeliis afficiebatur. Tandem reductus ad oppidum, de morte ipsius, ut condemnaretur sine miseratione, tractatum est.

& morti adjudicatur:

C

14 Igitur Joseph cum se videret damnandum, & impiorum manibus, tamquam latro, perimendum; Sacerdotem requisivit, qui confessionem pereuntis reciperet, & Sacramentum Dominici Corporis & Sanguinis innocenti præberet, ne sine Viatico mortis ad exterminium immunitus abiret.

petit Sacerdotem pro confessione & viatico;

Quod vix tandem & non sine gravi difficultate petentium, qui aderant ad hoc spectaculum, quibus mens sanior & pronior ad compatiendum cum fuisset, obtentum. Sacerdos vocatus venit, Corpus Dominicum attulit, Joseph vinctum à tergo, de facto convenit. Qui cum per ordinem rem gestam, Joseph referente, perdidisset; & baculum, in quo litteræ continebantur, pervidisset, & cujus habitus, cujus staturæ fuerit homo, qui ei saccum porrexit percunctando singula plene agnovisset; quemdam vagum & lubricum suspectum habebat, qui omnem suam substantiam vorando consumpserat, ne forsan hoc ille malum commiserit, quod & verum fuit.

ab hoc de statu suo & furis qualitate rogatur,

Sacerdos itaque accepta veritate per hujusmodi inquisitiones, exterminans & nihilans omnino factum, Joseph ipsum excusando plebi suggessit, ut ad nemus, quod erat vicinum, redirent, reumque perquirerent.

AUC. CONVITIO EX MS.

Quod cum factum fuisset, securior factus miserrimus ille, qui hoc furtum commiserat, post innocentis comprehensionem; in revertendo h capitur, ligatur, & ad Joseph adducitur.

hunc adductum agnoscit,

Inquisitus Joseph, an ipse fuerit, constanter asserebat, quod ille veraciter esset, qui ei saccum cum rebus in nemore commendasset. Inficiabatur ille; affirmabat iste. Cumque diutius ab utrisque super hoc fuisset altercatum i, nec facile posset veritas inveniri, propositum est à Sacerdote ferri candentis judicium. Quod cum uterque cogente judice, subisset; Joseph, velut Susanna, aut quasi in camino pueri, à falsitate mali perpetrati per Dei gratiam liberatus est: alter, tamquam reus, ferro candente exustus.

& ferri candentis judicio liberatur,

Quapropter in eum sententia lata, in arbore quadam suspensus est, & Joseph innocens liber dimissus.

reo suspenso.

ANNOTATA.

a *Erat tunc monasterium sive Abbatia sanctimonialium in agro sanguinis seu Vrsulano, dein ad Sanctos Machabæos dictum, Virginum Benedictinarum.*

b Philippus *de Heinsbergh præfuit ab anno* 1167 *usque ad annum* 1191. *Fundavit anno* 1188 *Heisterbacense monasterium, occasione cujus sæpius in ejus laudem excurrit Cæsarius.*

c *Hæc controversia de Archiepiscopatu Trevirensi, inter Volmarum Archidiaconum canonice electum & Rodulphum majorem Præpositum à Cæsare intrusum, cœpit anno* 1183, *mortuo tunc Arnoldo Archiepiscopo, & duravit septem annis usque ad mortem Frederici Imperatoris, sive annum* 1190. *Videri potest Arnoldus Abbas Lubecensis lib.* 3 *Chronici Slavorum cap.* 10 *& sequentibus, & ex recentioribus Christophorus Browerus lib.* 14 *Annalium Trevirensium. In altera Vita res sic narratur, quasi Colonienses, cum suo Archiepiscopo pro Volmaro stantes, legatum cum litteris ad Papam direxerint; ubi apparet causam, ob quam Canonicus ad Papam ibat, confundi cum causa, ob quam suas Iosepho litteras ferendas commisit.*

d *Eadem dicit, id jam pluribus accidisse, qui ante missi fuerant; idque scientem legatum sumpsisse comitem Iosephum. Sed minus habet verosimilitudinis, quod periculum istud fuerit Coloniæ præcognitum, cum in viam se dabant.*

E

e *Cæsarius & Browerus* Zusmarhusium *appellant.*

f *Atque adeo, ut notat Vita altera, minus obnoxius suspicioni & examini futurus, maxime si à domino suo aliquantum iret sejunctus, quasi ad ipsum nil pertinens.*

F

g Ad secessum se ire dissimulans, *inquit Cæsarius.*

h *Altera Vita*, Nemore, militibus, retibus & canibus circumdato, fur est comprehensus: *quod non videtur fuisse necessarium, cum ille credere potuerit extra suspicionem se fore, quantumcumque à socio, accusaretur, utpote ignoto & peregrino.*

i *Ipsius altercationis verba pluribus apud Cæsarium deducta lege, prout ille ex altera Vita accepit.*

CAPUT III.

Hildegundis à suspendio mirabiliter liberata Romam adit: indeque reversa Spiram, ducitur Schonaugiam: inter tirones probatur.

15 DEniq; Sacerdos gratias egit Deo, quod athleta suus tam manifeste, tam celebriter tanti mali ruinam evasisset; datisque quinque solidis monetæ illius, Joseph ad suum dominum pergere data benedictione permisit.

Ab amicis suspensi capta, suspenditur.

Quo discedente, nemusque subeunte, a sathanæ satellites, cognati scilicet hominis qui laqueo suspensus interierat,

AUC. CONNOVITIO EX MS. Joseph comprehenderunt, & in eadem arbore, ubi damnatus juste pependerat, suspenderunt, opprobrio sempiterno tali patrato flagitio se commaculando. Restat nunc videre, quid factum sit de Virgine, sancta mente, & corpore illibata, quæ sub specie maris tanta mala sit passa arboris in ramo; an eam Dominus dereliquerit pendentem, an inde redimendo liberavit? Absit quod, pius Dominus aliquando deseruerit, quam de tot periculis erutam ante liberarat; & ne periret, misericorditer in omnibus suis angustiis & necessitatibus conservarat. Non distulit ancillulæ suæ, sic deformatæ, sic dehonestatæ, brachium suæ potentiæ porrigere, & eam potentialiter ab hujusmodi opprobrio liberare. *ab Angelo sustentatur* Angelus itaque Domini, tortoribus abeuntibus, protinus affuit, qui eam sustentans interire non sivit. Sciscitabatur igitur bona virgo, quisnam esset, qui eam teneret, & tam immensa suavitate quasi reficiens, foveret.

& fovetur: 16 Nuntius de cælo missus respondit: Angelus Domini tuæ custodiæ deputatus sum: ne timeas, quoniam te liberabo, & quid actura sis, *intelligit quomodo victura & moritura sit,* cum abieris, annuntiabo. Domino quippe te dirigente & protegente, confecto negotio, pro quo sollicita es, propter quod Romam pergis; inde rediens, Spiram venies, & tunc bono Fratre B te ducente, Schonaugiam perges ad domum Ordinis Cisterciensis; ubi inter Dei filios, habitu eorum assumpto & tonsura monastica recepta, priusquam finiatur annus tuæ probationis, viam universæ carnis ingredieris: inde ad cælos assumpta, æternaliter cum omnibus Sanctis Domino felici copulata conjungeris matrimonio, pro sancti laboris mercimonio. Hæc cum cælestium secretorum conscius & interpres pronuntiando prosecutus fuisset, audivit in cælo beata Virgo voces super mel dulces, & melodiam non humani sed Angelici cantus harmoniam. *feliciemque sororis ad cælos transitum,* Sciscitabatur ergo dicens, Quid est, quod audio? Sanctus Angelus dixit: Socii mei sunt, deferentes animam sororis tuæ Agnetis, quæ jam expiravit in claustro, ubi commendata fuit; suo, quem dilexit in morte, sponso in cælesti socianda thalamo: scias que te secuturam intra hoc *b* biennium, cum eodem jubilo nobis canentibus, hymnosque Deo debitos persolventibus.

Res in oppido propalatur, 17 Pervenerat interim rumor ad oppidum superius commemoratum, quod juvenis ille suspensus vitam perdiderit, quem Dominus apud eos de infamia sibi illata liberarat; judicantibus omnibus, C morte turpissima condemnandos, qui tam grande piaculum commisissent. Quod beatam Virginem non latuit, eo quod in arbore pendens, quidquid interim homines de civitatula loquebantur, penitus audivit. *c* Sed & pastores, suum juxta eam gregem pascentes, & de ejus morte (nescientes quod *ipsa à pastoribus ad sepulturam deposita* viveret) conferentes, corpus terræ gremio commendare deliberaverunt. Cumque fossam fecissent, & corpus à ramo, in quo pendere videbatur, caute deposuissent, antequam terram projicerent, in momento duo lupi de luco repentino cursu prodierunt, & gregem illorum rabido morsu invaserunt. Quod videntes pastores accurrebant, ut animalia possent eruere; postpositaque sepultura, pecudes oppido subducere properabant certatim *d*.

d 18 Quibus casu mirabili fugatis, Joseph liber ab omni vinculo, se erigens, Angelum equo candidissimo insidentem intuita est: qui cum diceret: Numquid Dominum tuum videre desideras, quem quasi videbaris perdidisse, ait: Opto, & desidero. Da mihi, inquit Angelus, manum tuam, & ego te equo meo impositam ad ipsum citissime perducam. D Quod cum fecisset, Angelus iterum replicavit verba, quæ prius dixerat: quod Schonaugiam, omni occasione posthabita, esset ventura, ibique certissime moritura. Cumque simul pergerent equo sedentes, Joseph obdormivit: & post breve tempus cum evigilasset, Angelus rursus assumpta sua parabola, dixit: Vides hanc civitatem? Hæc est Verona *e*. *e f* Assumpto igitur baculo *f* tuo cum litteris, *Veronam,* Dominū tuum in illius hospitis invenies hospitio: memoremque te verborum meorum, donec impleantur, esse volo: ego quoque tuus ero custos in omnibus viis tuis, & quocumque perexeris. Hoc dicto, Angelus disparuit, & Joseph eum amplius non vidit. *ubi Canonicum jam reperit,* Præcedens itaque Joseph, Dominum, sicut Angelus prædixerat, invenit, litteras obtulit, causas impedimenti sui retulit, magnumque gaudium Domino fecit. Pro qua re elevatis in cælum manibus Dominus; Gratias, inquit, ago Deo, quod te incolumem rehabeo.

19 Reciprocato rursus itinere, Romam pariter adierunt, omniaque quæ ad causam spectabant, pro qua venerant, determinanda, *g* consummabant. *& Romæ cum illo adita redit Spiram:* Denique tanto labore explicato Spiram revertendo devenit: ibique Episcopum *h*, qui Judex causæ fuerat postulatus, quæsierunt. *g* *h* Quem cum non invenissent, Canonicus ait Joseph: Aut in civitate ista me sustine, donec ad te revertar; aut conducto navigio perge Coloniam, ibique meam lætus, postquam meis locutus fuero judicibus, exhibebo præsentiam. E His dictis, perrexit Episcopum Spirensem quem sibi demonstrari petebat, indagare; reliquosque judices, quos impetrarat, investigare. *ibidem dein clusa suscipitur,* Joseph iterum, suo Domino abeunte, cum solus remansisset, domum cujusdam Inclusæ Mechtildis nomine, [adivit; ab eaque receptus hospitio, scholas cœpit frequentare. Interim divulgatur rumor, quod Reclusa] de omnibus Sanctis, scholarem penes se haberet, juvenem elegantem, decorum forma, vultuque conspicuum. Quod ubi compertum est esse verum, conversus quidam, Bertholdus nomine, quondam miles in seculo, Spiram adiit, Sanctæ feminæ domunculam intravit: ubi scholaris esset quem hospitio excepisset, & quo nomine censeretur, requisivit. *à converso Schonaugiensi* Quæ cum dixisset; Nomen habet Joseph, & in ecclesia *k* scholas frequentat, legens cum legentibus, studens cum studentibus. *k* Ille caballo in stabulo locato, ad scholas festinus pergebat, si quo modo scholarem sibi demonstratum posset invenire. Quem cum sibi citius oblatum reperisset, verbis eum blandis & ad illiciendum persuasoriis aggreditur, ut secum Schonaugiam Deo militaturus pergat, hortatur. F Quod cum ille renueret, & aliquamdiu quasi contradicendo recusaret; tandem victus oratione petentis, memor Angelicæ præfationis, iturum se cum eo pollicetur. *abducitur Schonaugiam,* Bonus igitur homo, postquam ad sua vota pervenit, & iter suum directum vidit, Joseph *l* assumpsit, Schonaugiam lætus perrexit. *l* A Domino factum est istud & est mirabile in oculis nostris; qui vidimus, & audivimus, & testificamur hæc omnia, quæ facta sunt ab eo, cujus regnum & imperium sine fine permanet in secula seculorum. Amen.

20 Secretum Regis celare bonum est Dei, vero mirabilia prædicare magnificum est: de quo dicitur, *Psal. 67, 36* Mirabilis Deus in Sanctis suis. Cum sint omnia quæ Deus fecit opera miranda, & admiratione digna, *Mirabili Dei dispositione,* mirabilis tamen in Sanctis suis dicitur, quia mirabiles eos facit, per quos fiunt mirabilia; non solum per viros sexu fortiores, verum etiam per feminas & teneras virgines (quod est mirabilius) sexu fragiliores & infirmiores. Nam si vir, virilem habens

A

habens animum; facit quid mirabile; multo mirabilius eſt, quod femina viros opus virtutum faciens prævenit & præcellit, nihilo minus mirabilia faciendo. Quid [magis, mirum quam quod] feminam ſub habitu viri latentem, ſic abſcondi voluit Deus, ut neſciri poſſet quod femina fuit? Ingreſſus itaque Joſeph Schonaugiam, ſub ſpecie ſcholaris habitum virilem portans, humiliter & devote ſe gerens, ut inter monachos reciperetur, ſuppliciter oravit. Quid faceret Abbas, Prior, reliqui Fratres? Oculi quippe eorum tenebantur, ne eum agnoſcerent. Annuerunt votis petentis, neſcientes quod pro viro feminam reciperent. Denique, ſicut moris eſt, ad Capitulum introducitur; veniam petens, quid quæreret interrogatur. Qui, cum reſpondiſſet, Dei gratiam, petitio admittitur. Hinc ad hoſpitum domum, paucos ibi dies facturus, deducitur. Hinc, ſecundum Ordinis conſuetudinem, monachi tonſura ſuſcepta, monaſticis veſtibus, ſuis depoſitis induitur: in congregatione recipitur; deinceps inter novitios, ſub regulari diſciplina, moribus & vita clauſtrali inſtituendus, deponitur.

ut ſcholaris petit habitũ & impetrat:

veſtibus monaſticis induitur:

21 Poterit hic aliquis argumentum non irrationabiliter allegando proponere, & dicere, cum ſcriptum ſit: Trepidare virginum eſt, & ad omnes viri ingreſſus omneſque viri affatus, vereri; unde huic Virgini animus, tanta fiducia, præſumptio talis, ut ſine verecundia, ſine reverentia, denique ſine pudore, ſe viris ingereret, ultro ſe offerret, & hoc ageret, ut monachus videretur? Quid ad hæc reſpondeam non habeo, niſi hoc ſolum, quod ab Angelo educta, quod à Domino confortata, & ut breviter dicam, voluntas Domini fuit, ut ita fieret; qui ejus animo hoc inſpiravit ut ita faceret, & non aliter; qui eam mirabiliter uſque in finem, ne agnoſceretur, ne proderetur, conſervavit. Erat igitur ingrediens & egrediens nobiſcum, qui ſimul eramus in domo novitiorum. Ego quoque tunc temporis, conſilio & auxilio boni hominis, qui Eberhardus *m* dicebatur de Commeda, per quem Deus multa fecit mirabilia, quæ ſilentio non ſunt prætereunda, Schonaugiæ fui receptus, & in domo probationis inter ceteros Fratres, qui nihilominus probandi fuerant, poſitus. Itaque Dominus Abbas *n* Gothefridus, vas electum, vas omnium virtutum divitiis refertum, lucerna lucens & ardens in diebus ſuis, qui tunc præerat monaſterio Schonaugienſi, audiens Joſeph inter Fratres legentem & pſallentem, intellexit quod in ſtudio diſcendi non modicum neglectus fuerit. Ideoque, neſcio quo pacto, quo merito, cum ego nuper veniſſem de ſeculo, adoleſcens erudiendus & inſtituendus, ipſum mihi commendavit; ut infra domum probationis, quoad poſſem, erudirem, regerem & inſtruerem. Feci, quod potui, metuens mihi magis, quam ille. Verum quia multa dixi minus utilia, quæ aut breviter dicenda, aut omnino fuerant prætereunda, brevitatis cauſa multa prætereo, quæ mihi dicta ſunt à meo condiſcipulo.

B

S. Ambroſ. lib. de Virg.

omnia implet ex voluntate Dei:

m à ſcriptore hujus Vitæ tunc novitio

n ita exigente Gothefrido Abbate,

C

inſtruitur:

22 Sic eramus, viventes inter Fratres, legentes, ſtudentes, die noctuque in diſciplina regulari, quantum Domino placuit, proficientes. Et ut verum fatear, intus & extra ita Joſeph ſe geſſit, ut irreprehenſibilem ſe præberet, omnibus amabilem ſe redderet; corporeæ teneritati non parcens, laboribus duriſſimis ſe ſubjiciens; lapides & onera gravia de ſilva cum monachis portando, vigilias amando, jejunia ſectando, lectioni & orationi frequenter incumbendo; uti merito non mulier, ſed vir ſtrenuus reputari poſſet & robuſtus.

præclare omnia munia peragit:

ANNOTATA.

a *In altera vita dicitur Ioſeph* ex domo Sacerdotis violenter extractus *ad ſuſpendium; quod nulla ratione eſt credibile.*

AUC. CONNOVITIO EX MS.

b *Ergo tunc annus erat* 1186, *& dies etiam* 20 *Aprilis.*

c *Altera vita dicit ſic* per triduum *pependiſſe.*

d *Eadem minus veriſimilem fugæ cauſam hanc ſcribit:* Cumque ut condixerant me deponerent, Angelus, qui ſuſtentaverat, manum ſubdendo ne caderem, plane me ad terram ſoſpite vita ſubmiſit. Reſpexi, & territi paſtores fugere.

e *Lucius* 3 *Papa Roma pulſus Veronam abierat, ibique mortuus eſt* 25 *Novemb. anni* 1185, *adeoque res iſtic non eſt peracta: quod tamen dicit Vita altera; ſed ibi Dominum ſuum Ioſeph reperit.*

f *Et hunc ſervatum fuiſſe, peculiare fuit Angelicæ cuſtodiæ argumentum.*

g *Apud Vrbanum* 3 *Papam, qui Lucio ſubrogatus præfuit uſque ad* 20 *Octobris anni* 1187.

h *Rabodo Epiſcopus Spirenſis, electus anno* 1184, *mortuus anno* 1188.

i *Deerant hic aliqua, & fortaſſis integrum folium, reſpondens alteri, quod æque amiſſum infra dolemus. Senſum hic qualitercumque ſupplentes, exiſtimamus, Recluſam ſuſcepturam Ioſephum non fuiſſe, niſi vel certo cognoviſſet feminam eſſe, ipſamet ſexum ſuum conſilii & auxilii cauſa revelante, vel hoc ei Deus expreſſe mandaſſet, volens per occaſionem ſcandali in populo ſuſcitandi, viam ſternere Virgini ad monaſterium, cui ipſam deſtinabat: quæ diſtincte narrata facile folium unum implere potuerunt. Vita altera dicit, quod* precibus Incluſæ (quæ monaſterio nota erat fama non facie) *fuerit* in Fratrem ſuſceptus.

B

k *Addebatur* Mori, *& in margine adſcriptum:* Mauri opinor, *quidni potius* S. Mauritii, *cui in illa urbe eſt dicata aliqua eccleſia parochialis.*

l *Cæſarius, qui neſcio quo errore Schonaugienſem Abbatem, à quo receptus eſt Ioſeph, vocat Theobaldum, cum infra conſtet Gothefridum eſſe dictum, videtur ipſi Abbati ejus deductionem tribuere, dum ſic ſcribit.* Putans eam idem Abbas *Schonaugienſis ſcilicet*, eſſe adoleſcentulum, poſt tergum ſuum in eodem equo ſedere juſſit: quæ cum loqueretur voce feminea & gracili, dixit ei Abbas: Frater Joſeph, nondum mutaſti vocem tuam? Reſpondit illa: Domine, nunquam illam mutabo.

m *B. Gerardus de Commeda obiit anno* 1191 30 *Novembris, quando vitam ejus dabimus.*

n *An is, quem Henriquez cum titulo Beati refert* 5 *Septembris in Menologio Ciſtercienſi?*

CAPUT IV.

F

Graviſſimis exercita tentationibus Hildegundis, omnes ſuperat.

23 VIdens ergo diabolus, quod Chriſti novus tiro tantis creſceret virtutibus, & quotidianis proficeret incrementis; invidit tantæ probitatis tirocinio, ipſumque fortiſſimæ tentationis *a* aggreſſus eſt prælio. Ut enim bellator inclytus, undique divina protectione vallatus, tamquam aurum in fornace probaretur, traditus eſt ad horam tentatori, qui eum aliquamdiu vexaret, animam tantum ſervaret, & ſecretum quod latebat, non proderet. Denique accepta poteſtate, hæc egit hoſtis antiquus ſua nequiſſima ſuggeſtione, ut mente conciperet, quod habitum clauſtralem deponeret, & de monaſterio clanculo recederet: quod tamen, ad effectum non pervenit, divina gratia procurante, & prohibente tales dæmonum inſultus & irriſiones. Nam quod ante ſecula de ſervula ſibi dicata diſpoſuerat Deus, nullo ſævientis hoſtis incurſu, nullius tentationis impetu poterat immutari. Stupendum tamen omnibus & permetuendum, quod ille damnatus atque à Paradiſi gaudiis excluſus, poſt tot pœnarum paſſionem, poſt eculei

a diabolicis impugnatur tentationibus,

incitatur ad fugam à monaſterio

AUC. CON-NOVITIO EX MS.

eculei suspensionem, indeque liberationem, post Angelicam visionem & allocutionem, demumque post obitus sui denuntiationem, menti tam sanctæ poterat ista suggerere, venenoque pestifero tam castum pectus inficere? Non erit abs re, si modo persequor referendo, bono Joseph quid acciderit, postquam fraudis [suæ venena] malignus protulit; & veteris fermenti conspersionem producens, artificiosa suggestione mentem corrumpere voluit, quæ Dei templum jam fuerat facta. Siquidem propositum, quod conceperat à maligno, mihi primo *b* . . . . .

B. Gerardus de Comeda

24 Anno probationis meæ finito Frater Eberardus de Comeda supervenit, consecrationi meæ volens interesse, eo quod ipse fuerat cooperator meæ conversionis, & procurator deductionis ad Schonaugiam. Ipso siquidem die, quo mihi meoque socio, qui mecum fuerat receptus & ingressus domum novitiorum, benedictio danda fuit ab Abbate piæ memoriæ Godefrido, præsens adstabat; cumque ventum fuisset ad illum locum ubi dicitur, Exuat te Dominus veterem hominem cum actibus suis, raptus est homo Dei, sive in corpore sive extra corpus nescio Deus scit, adstante Abbate & omni congregatione. Mirabantur omnes quid acciderit, vel quid evenerit homini. Post spatium vero trium aut quatuor horarum, cum corpus, ubi ceciderat in choro, quasi exanime jacuisset, Abbate & omni Conventu circumsedente, & præstolante quid sibi vellet casus tam mirabilis, numquam antea visus; cœpit homo loqui verba, non humana sed Angelica, omni corpore immobili permanente. Porro sermonum ejus hoc erat initium: Angelus locutus est in altitudine lætitiæ. Deinde Teutonico utens eloquio verba mystica protulit, tum de nobis qui jam fueramus in monachos consecrati, tum de statu Congregationis & totius mundi tribulationibus: adjiciens nihilominus quod ex illa domo Schonaugiensi nova domus in continenti nasci deberet. Et post annos duos domus, quæ dicitur *c* Bebenhausen, de domo Schonaugia exivit, ut impleretur prophetia qua dixit: Domus illa proficiet & dilatabitur rebus & personis: & animas innumerabiles, ex hoc mari magno & spatioso, ad illam cælestem patriam, supernam videlicet Jerusalem, perducet.

postquam in extasi prædixisset novi conventus erectionem,

B

c

C

& dæmonum insidias cavendas monuisset,

25 Quo sermone dicto cum cessaret loqui, spiritus ejus iterum rapiebatur, corpore quasi mortuo jacente. Quo viso Abbas jussit corpus, quod quasi exanime videbatur, ad infirmitorium deferri, eo quod ad Sextam celebrandam foret eundum, & Conventus deberet reficere. Quo completo alium item sermonem fecit, de dæmonum insidiis & eorum pugna contra fideles; Monachos, Conversos & omnes advenientes alloquens hoc modo: Isti sunt hostes & inimici vestri, die noctuque vos persequentes, & ut aliquem capiant ex vobis infatigabiliter insistentes: sed ne timeatis eos, quoniam Angeli Dei vobiscum sunt, qui vos omni hora tuentur & succurrunt in omni necessitate. Sicque permansit jacens die illo & nocte sequenti, sine cibo & potu; nec pedem nec manum movens. Mane vero surgens cum Missam audisset, & debile corpus aliquo liquore reficere deberet, sedens in coquina monachorum infirmorum, rem vidit dignam, relatu memoriæque mandandam.

videt in ipsa meridie duplex solare lumen,

26 Mensula posita fuerat, cibusque præparatus: de quo cum gustaret, inter prandendum sol de cælo radiabat à parte meridiana, & radios suos per fenestras trajiciebat: deinde sol alter non dissimilis claritatis ab Aquilone refulsit, qui totam coquinam suo splendore *d* replevit. Hoc viso admirabatur,

d

D

unde sol ille proveniret, & quid sibi vellent duo soles, hinc inde fulgentes. Egrediens ergo de coquina, & intrans domum infirmariam, eodem lumine plenam invenit: Volens rescire unde procederet ille tam clarus splendor, procedens vidit quod egrederetur de monasterio. Subinde monasterium ingressus, quod quasi totū fuerat eadem claritate perfusum; quemdam monachum, nomine Wolframum, hominem jam decrepitum, qui sexaginta annis & eo amplius in Ordine desudaverat, ad altare Domini Salvatoris Missam reperit celebrantem, de quo claritas ista tota procedebat: cujus facies erat quasi cornuta, sicut de Moyse legitur, præ fulgoris magnitudine. Ad quam Missam Angelorum tanta multitudo comparuit, & tam inæstimabilis gloria divinæ majestatis, qualem ante numquam viderat: nam Angelos, & dæmones videre cælitus erat. Pro visione gratias agens Deo, pronuntiabat mihi dicens: Quod in illa domo parem meritis hominem non esset possibile inveniri. Adjecit & aliud dicens, Quod numquam Missa celebraretur in mundo, in qua non comparerent ad minus duo Angeli assistentes, & servientes suo Creatori. Posthæc egrediens de monasterio ad mensulam rediit, & corpus modico cibo, quem reliquerat, refecit.

quorum alterum deprehendit procedere à celebrante Missam,

Ex. 34, 29

eique innumeros Angelos assistere

E

27 Facto prandio benedictionem Domini Abbatis requisivit, eo quod vellet ad claustrum suum reverti, quod ipse mirabiliter Angelo docente fundaverat, sibique omnem statum futuræ domus præmonstrante condiderat. Qua percepta cum de infirmitorio procederet, contigit ire me secum. Cumq; venisset contra ostium domus novitiorum, vidit ibi Joseph sedentem, de quo dixit, quod quidam dæmon ignea catena ligatum foras trahere niteretur; & nisi gratia divina subveniret, esse impossibile quod in illo loco perseveraret. His dictis pariter euntes venimus ad hospitum domum; ibique salutato eo, & vale facto abeunti illi, reversus sum ad Joseph, referens ei quod vir Dei mihi retulerit, quod viderat; & de suo collega, maligno scilicet spiritu. Obstupuit illa, & quasi exsanguis facta, existimans quod mihi suum secretum prodiderit, sciscitabatur dicens: Quid est quod vidit? Numquid aliud aliquid vobis dixit? Et ego cum responderem, Non aliud; illa subridens, & jucundior facta; Eja, inquit, Propheta vester non habet oculos ad videndum quod adhuc latet; meum non est ei datum videre secretum. Hoc verbum mihi fuit absconditum, nec intelligere poteram, quod de femineo sexu talia dixit, usque ad obitum suum. Tunc primum hæc, & alia multa, quæ mihi proposuerat sunt declarata: quorum unum exempli gratia duxi referendum.

deinde dæmonem qui ignea catena Josephum tenebat ligatum,

non tamen secretum ejus cognovit.

F

28 Quodam tempore, cum de Scripturis sacris aliqua dissererem, quæ videbantur homini congruere tentato, quæsivit à me dicens: Magister care, si femina, forte sub habitu masculino veniens reperiretur in hac congregatione, & casu aliquo proderetur, & cognitum fieret quod esset mulier, quid facerent monachi de illa? Numquid ejicerent eam? aut in aliqua domo sanctimonialium ponerent, ne periret? Cui ego: Quid est quod quæris? Numquam audivi talia. Quæ mulier tam petulans, tam lasciva, tam insana, quæ hoc auderet præsumere? Item alia quæstio: Quid quod monachi cum moriuntur, discooperiuntur, & corpora postea lavantur. Hoc videtur inconveniens & turpitudo quædam, quæ nec deceret seculares. Ad quod ego. Absit, ut ibi nudentur, ubi sunt non videnda. Mallem, inquit illa, hoc mihi post meam mortem non fieri. Tales cum mihi sæpius quæstiones faceret, nequaquam poteram

ipsa quærit ex auctore quid fieret femina inter monachos deprehensa,

nec probat lavari mortuorum corpora.

A poteram intelligere talia loquendo quid intenderet. *e*

ANNOTATA.

a *Cæsarius, qui Vitam hanc non vidit, Apollonio suo quærenti num aliquas in ordine habuisset tentationes, respondet*: De ejus tentationibus nihil audivi: sed quod aliis causa fuerit tentationis satis intellexi. Cum appropinquaret tempus resolutionis, ejus cœpit infirmari, & cum præ nimia debilitate ad lectum suum portaretur, monachus quidam eam intuens, juxta se stantibus clara voce dicebat: Homo iste vel femina est vel diabolus: numquam illum respicere potui sine tentatione. *Sed nec Vita prioris initium potuit habuisse Cæsarius, ibi enim legisset*: ingressus vero monasterium habuit durissimam cum diabolo & carne propria luctam: *ibi ergo incepit Cæsarii ecgraphum, ubi Ioseph suis verbis vitæ suæ seriem ante mortem texit.*

b *Sequebatur haud dubie quomodo tentationem illam ipsi scriptori, tum forte & Priori, aperiens superavit: ne plura desideremus, facit Vita B. Gerardi, ubi citata hac ipsa S. Hildegundis Vita, verbotenus describuntur, quæ mox subjungo, quæque in Codice Velseriano sequebantur usque ad num.* 28.

B c *In Vita B. Gerardi notabatur ad marginem*, Bebenhausen *esse* Monasterium Ducatus Wirtenbergensis, *de quo pluribus agit Gaspar Iongelingus lib. 2 Notitiarum Ordinis Cisterc. docetque à Rudolpho Comite Palatino Tubingensi circa annum 1181 fundatum esse & Præmonstratensibus in diœcesi Constantiensi deputatum, postea tamen introductos Cistercienses, quorum primus Abbas fuerit Diepoldus.*

d *Hactenus pertinebat lacuna Velseriani MS.*

e *Eodem spectat quod refert Cæsarius*: Cum esset iuvencula multæ gravitatis, tamen, ne sexus ejus notaretur, quandoque suis sociis in probatione ostendit signa aliqua levitatis: nam absente magistro, monachum, qui hoc nobis retulit, Hermannum nomine, tunc puerum quatuordecim annorum, ad scyphum suum ducens, ait, Consideremus in hoc vino, quis nostrûm sit formosior. Et cum relucentes in eo facies attenderent, iterum ajebat: Hermanne, quomodo tibi placet facies mea? Tunc ille: Videtur mihi mentum tuum dispositum sicut mentum mulieris. Tunc illa quasi indignando recessit. Postea pro neglecto silentio ambo vapulabant. *Credibile est autem Hermannum, cum ista aliaque Cæsario narravit, fuisse perfectæ ætatis monachum, unde supra intulimus conjecturam de tempore quo opus illud suum cœpit scribere Cæsarius. Credibile etiam non tam levitatis notam hic affectatam à Iosepho, quam solicitudinis causa, ne forte in ipso vultu adhuc traluceret sexus, illud ab innocenti puero experimentum petiisse: ejus autem responsio haud dubie valde auxit formidinem ne proderetur, & ideo forsitan pragressas interrogationes magistro suo & connovitio fecit.*

C

CAPUT V.

Morbus, obitus, agnitio feminei sexus, sepultura.

Tertio fugam moliens fluxu sanguinis impeditur,

29 Non cessavit tentator, ut supra dictum est, persequi hominem soli Deo cognitum, ut abstraheret, ut traduceret, ut perderet. Tandem, non valēs sustinere dæmonum conflictus, de claustro exivit, ad portam venit, habitum ibi deponere voluit: ubi virtus divina potenter eam revocavit flagello quodā: nam sanguinis fluxum tam vehementer pati cœpit, quod eam redire necesse fuit. Et hoc usque ter factum est. Quod cum fieret tertia vice, tam vehementer est afflicta dolore ventris, quod in infirmitorium est delata, & infirmario commendata. Ubi totam Quadragesimam (Quadragesimale quippe tempus tunc erat) valetudine gravissima detinebatur, & de die in diem deficienti dolor quotidie crescebat & augmentabatur. Tempus quippe aderat, quo se *a* prædixerat morituram, sicut per Angelum antea cognoverat.

AUC. CONNOVITIO EX MS. *fertur ad valetudinarium,* *a*

30 In die Parasceves rogavit, ut ego vocarer. Vocatus veni: quid vellet inquisivi. Ubi cum mihi infirmitatis suæ molestias exposuisset, hoc adjecit, quod sine dubio proxima feria quarta foret ex hoc seculo migratura. Tunc ego. Quomodo pergis? Bene, inquit, & secure: nam scoria mea ad liquidum est à Domino purificata. Tunc ego: Fecisti confessionem? *b* Faciam, inquit. Cui? *c* Vobis ait. Non mihi, [inquam] sed Abbati facies aut Priori. Cave ne cæles aliquid: qui enim abscondit scelera sua, non dirigitur. Faciam, inquit quod vultis, & nihil celabo. Cucurri ergo ego, & vocavi Priorem. Qui veniens, & interrogans de singulis: Numquid, ait feminam aliquam cognovisti? Qui respondit: Neque feminam, neque virum cognovi unquam. Hoc verbum Prior non intellexit: sed ei pœnitentiam indixit, Dehinc Corpore Dominico sibi dato, sancto eam inungi fecit Oleo. Quo facto, magis ac magis infirmitas invaluit, & languor continuus mortem vicinam denuntiavit.

in die Parasceves prædicit se morituram feria 4 proxima. *b c* *Priori confitetur* *munitur extremis Sacramentis:*

E

34 Feria quarta in hebdomade Paschæ ante Vesperas, cum jam esset moritura, iterum me vocare fecit, ideó puto, quod suum mihi circa finem mysterium revelare voluit. Tandem vocatus veni, quid vellet, iterum requisivi. Sed heu! heu! cum mihi loqui vellet, non poterat: quia me sero veniente, penitus defecerat; & Spiritus jam in agonia positus, ad Dominum, qui vocaverat eam, proficisci properabat. Quid facerem? Flens & ejulans hæc Abbati nuntiare propere festinabam. Interea matta sternitur in medio domus, juxta morem, & super eam corpus deponitur. Cœna facta, tabula pulsatur: nihilominus per campanam tota congregatio convocatur. Adest Abbas cum virga pastoriali, ad obsequium faciendum præparatus. Accurrunt omnes, & statione facta, recitatur psalmodia: dein subfertur Letania. Qua perdicta, cum diceretur, Ut Spiritum famuli tui in sinu Abrahæ recipi jubeas, te rogamus audi nos; prout certius notare poterant, qui propriùs astabant, mirabilis ille Joseph expiravit, flagitatum divinis operibus Deo reddens spiritum.

Feria quarta sub Vesperam in agoniam adducitur, *& inter preces monachorum exspirat.*

F

32 Deinde corpus sublevatur, & ad lavandum defertur. Quod cum, sicut fieri solet, denudaretur, circa pectus defuncti fascia muliebris est inventa, qua constricta fuerant ubera, ne fluerent aut dependerent, ac per hoc posset deprehendi cum viveret, quod esset mulier. Quam cum solvisset infirmarius, ubera vidit, & Fratres astantes, ut & ipsi viderent, adscivit. Qui videntes obstupuerunt omnes, utrumne femina foret an vir, dubitantes. Tandem infirmarius rei veritatem explorans, ad *d* Abbatem, qui interim faciebat obsequium, cucurrit; quid viderat nuntiavit; ut Famulam diceret, ubi Famulum dixit, suggessit. Audiens Abbas hæc intimata sibi, non credidit; sed vocat Priorem & quatuor de senioribus: quibus mandat, ut videant diligenter, si ita res sit sibi significata. Vadunt illi, vident, & renuntiant defunctum feminam esse, non virum. Quo audito, lacrymatus est, & tunc primum correxit, quod in orationibus mutandum fuit.

Denudatum corpus, *invenitur esse femina.*

33 Interim conventus admodum mirabatur, pro qua re fieret ille strepitus & discursus; æstimantes, quod & verum fuit, aliquod novum accidisse. Denique corpus impositum feretro infertur & in medio ponitur

corpus feretro imponitur:

AUC. CON. NOVITIO EX MS.

corpus feretro imponitur:

ponitur. Finitis commendationibus, Abbas omni congregationi, quod acciderit, retulit. Videtis, inquit, Fratres, corpus, quod coram vobis positum est. Non est hoc, ut putavimus, viri corpus, sed feminæ. Deus omnipotens apud nos hominem habere voluit, qui nobis usque ad hanc horam omnino incognitus fuit: cujus animam Angeli sancti susceperunt, & ad gaudia vitæ perennis in hac hora sine dubio perduxerunt. Agamus ergo gratias ei, qui nobis hunc thesaurum tam desiderabilem dereliquit; & in cælo talem Patronam habere voluit. Quo dicto, flebant omnes, & præ nimio stupore, nec ad preces Abbatis poterant Amen respondere. Dictis ergo, quæ dicenda fuerant; Cantor imponens Responsorium, Libera me Domine, corpus sublevatur; in choro deponitur, Abbas ut cantent viriliter nutibus & signis hortatur. Deinde Missis celebratis & omnibus rite peractis, beatæ Virginis corpus terræ gremio commendatur honore condigno, ad laudem & gloriam ipsius, qui solus laudandus & glorificandus, per infinita secula seculorum. Amen.

Abbas feminam fuisse suis indicat

eamque sepelit honore condigno.

34 Celebratis denique exequiis, & virgineo corpore deposito in loco sibi competenter aptato, sepultura consummata, scribuntur breves, & more solito per diversas provincias ad monasteria religiosorum diriguntur; ut ibi commemoratio fieret Ancillæ Christi defunctæ, per orationum suffragia devote Deo pro absolutione animæ impensa. Sic enim scribere decreverunt in brevibus destinandis, Fratres Sconaugienses. XII Kal. Maji N. Ancilla Christi defuncta est, eo quod nec dum proprii nominis notitiam poterant habere. Qua propter Dominus Abbas Sconaugiensis cum litteris suis nuntium mittere, qui nomen investigaret in monasterio, quo deposita, ut litteris imprimeretur, necessarium duxit, & quæ dicta fuerant de vita, vel moribus Virginis, indagare. Qui reversus litteras Abbatissæ de Nusse (sic enim vocatur monasterium, in quo cum sorore sua Agneta à parentibus fuerat commendata) retulit in quibus continebatur, quod Hildegunt vocaretur *e*, & mater, & soror obiissent, pater quoque Cruce signatus apud loca maritima cum memorata remansisset: quid autem contigerit ipsis, modo primum rescisse. Unde per totam Coloniæ civitatem, & per universam provinciam fama nominis ejus percrebuit, comperto, quod apud Sconaugienses talis puella inter monachos recepta fuit; & usque ad obitus sui diem delitescens, quod femina fuit, tunc primum fuisset apertum *f*.

B

Novesio

indicatur nomen Hildegundis.

fama quaquaversum vulgatur.

C

35 Neque hoc silendo præterire patiar, quod mihi per visionem de eadem mea condiscipula, quoad mortem ipsius, fuit revelatum. Tempore illo, quo Fratres duodecim mittebantur Bebenhausen, ad inchoandam novellam plantationem, de domo Sconaugiensium, unus ex illis ego fueram, qui mittebantur ad tale negotium procurandum. Cumque pariter ad locum venissemus memoratum, quadam valetudine tam gravi me contigit vexari, quod inutilis omnino reddebar Fratribus, ut nec legere, nec cantare, aut aliud opus penitus præ dolore facere prævalerem. Cum ergo vires, quas habueram perdidissem, & de sanitate recuperanda nulla spes esset convalescendi; nocte quadam, cum membra debilia sopori parvissimo reficerentur, apparuit mihi Virgo sancta in eodem schemate, quo prius videbatur: & jucunda facie dicebat mihi: Benedicite: Cui cum, Dominus, respondissem; subjungit, Quomodo te habes, care magister? Non bene, sed male, dixi. Tunc illa: Scito, inquit, quod bene habebis, & convalesces incontinenter de hac infirmitate, Nam & ego propter hoc ad te missa sum, tibi talia nuntiare. Quod cum dixisset, paulatim velut candida nubecula disparuit. Adhuc quædam narrando revelavit; quæ brevitatis studio prætereo, ne quis propter jactantiam existimet me aliquid scripsisse, quod veritate non videbatur subnixum. Post hanc visionem, Deum testor, ita convalui, quod usque hodie permaneo, sicut tunc per ejus benedictionem sanitati pristinæ sum restitutus. Gratias ergo Deo, qui me, per suam visitare dignatus est ancillam, per cujus gratiam beneficium sum consecutus incolumitatis. Ipsi laus, & honor, & gloria, cujus regnum, & imperium sine fine permanet in secula seculorum. Amen.

f

Scriptori vita agro,

Hildegundis apparet,

D

addicit valetudinem

Obiit autem anno ab Incarnatione Domini MCLXXXVIII.

O miranda Ioseph, mas credita, Virgo fuisti.
Hic mea tres jungit famulas tibi littera Christi,
Cum quibus æthereas sedes, ut credo, subisti. *g*

ANNOTATA.

a *Cuinam vero? Existimo quod non alteri quam ipsimet scriptori, totius vitæ conscio & solius sexus ignaro; idque ante hunc ultimum morbum. Nihilominus in altera Vita inducitur Priori accito omnia præter sexum confiteri, & sic concludere:* Et quia hodie effulsit biennium quo percipiendæ coronæ pignus cælitus accepi, scio quod tempus meæ resolutionis instat, & portus tenendi hora appropinquat: & cum migravero, apparebit in me unde stupeatis, & Deo bonorum omnium largitori gratias agere debeatis. His finitis, cum Prior diceret; Frater inaudita refers, ex quo argumento credam te vera asserere? Respondit: Si ea feria qua prædixi obiero, & ante obitum vix spatio unius Missæ legendæ officium linguæ deposuero, quæcumque dixi vera credatis.

E

b *In Ms. erat* Feci: *sed mutavimus, quia hoc magis videntur exigere quæ sequuntur: nec videtur prætermissurus fuisse auctor, si æger immediate ante fuisset sibi sacramentaliter confessus.*

c *Ergo, ut jam supposui, Sacerdos, & forte in studio Coloniensi graduatus ad Ordinem venerat Vitæ hujus scriptor; ideoque ei adhuc Novitio committebatur, ut esset Ioseph non tantum in litteris sed etiam spiritu magister.*

d *Altera vita simpliciter nominat* Sacerdotem.

e *Altera vita sic habet,* Studiose investigantes, inventa, quadam anu, quæ cognata Beatæ erat, quod Hildegundis vocaretur, compererunt, *deinde hac additur conclusio*: Cujus meritis & precibus Deus, qui ei in fragili femineo sexu tam virilem tamq; fortissimum donavit animum; det & nobis spiritum fortitudinis, quo valeamus vincere eumdem fortissimum leonem diabolum &c.

F

f *Tunc primum credo, videns auctor etiam inde confirmari, quæ clam & secreto à vivente audierat de ejus ortu & fortuna; cœpit Fratribus enarrare quæ audierat; sed (ut fieri in narrationibus extemporalibus assolet) minus distincte expresserit quædam, unde est illa dissensio, quam supra notavimus, inter historiam ex ore illius per ora Fratrum vulgatam scriptamque, & inter hanc post accuratam memoriæ excussionem, ab ipsomet profectam relationem.*


g *Difficile est divinare utrum hi tres versus auctoris sint an librarii: utriuscumque sint, aliud ex iis non intelligo, quam simul cum hac S. Hildegundis Vita, aliarum trium Sanctarum Vitas fuisse descriptas, vel ab eodem auctore vel saltem ab eodem calamo in uno codice.*

A D. Pr

DE B. DOMINICO VERNAGALLI

ORDINIS CAMALDULENSIS PISIS IN HETRURIA.

ANNO MCCXVIII.



Abuit Camaldulensis Ordo Pisis monasteria tria, sub invocatione Sanctorum Michaelis, Fridiani atque Zenonis, nominata in Privilegio Alexandri IV, quo anno MCCLVIII omnes Ordinis possessiones confirmavit. Horum primum, alias in commendam dilapsum, postliminio ad antiquum jus ac libertatem rediit, beneficio D. Severi Volaterrani, Vicarii Generalis S. Joannis Baptistæ de Padua, *uti scribit in sua Historiæ Camaldulensis Epitome Silvanus Razzius; qui ibidem annis multis Abbatem egit, & scripturus Vitas Sanctorum ac Beatorum Camaldulensium, multam adhibuit diligentiam, ut sciret aliquid de B. Dominico Vernagalli, cujus corpus in ejusdem monasterii ecclesia perquam honorifice habetur; nec tamen nisi paucissima quædam invenire potuit, partim traditioni seniorum nixa, partim testimonio antiqui cujusdam codicis. Eadem fere reperimus nos comprehensa epitaphio, submisso per Illustrissimum Equitem Franciscum Mariam Cessinum, qui in quodam MS. (ipso fortassis, quod præ oculis habuit Razzius) notatum reperit, illud fuisse sculptum vel pictum in mensa altaris; ejusque utique, quod juxta cathedram concionatoriam eidem Beato erectum dicit præfatus Razzius: quod sine dubio factum non est, nisi propter magna & evidentia sanctitatis in vita, & beatitudinis post mortẽ argumenta; quamvis illa incuriosa ingrataque posteritas oblivioni mandarit. Epitaphium autem tale est:*

In monasterio S. Michaelis

sancte obiit

B

Pisani hospitalis Fundator;

Anno milleno cum ducentis & nono deno,
Migravit ad Christum, qui tumulum possidet istũ,
Dominicus, Christi sacerdos: qui loco isti
Se subiugavit, & Hospitale fundavit.

Obiit XII. Kal. Maji.

Hospitale hoc situm fuisse prope monasterium S. Fridiani *testatur Alexander IV in præcitato privilegio; quod cum ipso suo Fundatore, jam Sacerdote, ut videtur, transiit in jus Ordinis Camaldulensis: in quo deinde eum* diu ac sanctissime *vixisse ait Razzius, &* demortui corpus in pretiosa marmorea arca collocatum, sub *eo, quod diximus*, altari *quievisse*. Ibi, *inquit*, mansit annis quadraginta duobus, magna frequentia Pisani populi honoratum ac visitatum: postea autem, cum amplificaretur ecclesia, translata est illa arca sub pulpitum præmemoratum anno MCCLXII. Sed neque ibi diu relictum est: quia in ultima restauratione ecclesiæ & chori, positum fuit, ubi hodieque est (*scilicet anno* MDC, *dum sua vulgaret*) in una capellarum ad latus sacristiæ. *Cessinus, anno* MDCLXXI *scribens, dicit servari sub ara S. Romualdi, quæ, utpote Fundatoris Camaldulensium, post aram principem dignissima est. Primus mentionem ejus fecit in Historia sua Camaldulensis parte I an.* MDLXXV *Augustinus Florentinus: eum secutus est Razzius, & Thomas de Minis in catalogo Sanctorum ac Beatorum totius Ordinis Camaldulensis: sed quia eorum nemo diem mortis expressit, ideo videtur à Bucelino præteritus in Menologio Benedictino. Iidem omnes erraverunt in anno mortis, non advertentes ad stylum veterum Pisanorum, annum suum finientium in Paschate quando modernus annus non nisi in tertii, quartive mensis fluxu est: quo fit ut Pascha anni communis* MCCXVIII *cadens in* XV *Aprilis, ipsis inchoaverit annum* MCCXIX, *sicut ostensum jam est ad Vitam B. Claræ Pisanæ* XVII *Aprilis.*

corpus sub altari honorificè conditur.

B

DE S. AGNETE VIRGINE

D. Pr

ORD. S. DOMINICI MONTE-POLITIANI IN HETRURIA.

ANNO MCCCXVII.

1 

Aymundum de Capua, (quem virgo Deipara S. Catharina Senensi magistrum vitæ spiritualis delegit, postea ad totius sui Ordinis Magisterium assumendum) aptitudinis suæ ad animarum piarum directionem prima experimenta dedit eo loco, ubi B. Agnes virgo sanctissima à se collectum sanctimonialium cœtum, sub Regula S. Dominici, egregiis moribus informatum dimiserat, ad cælos abiens anno MCCXVII; *circa quod tempus Raimundum ipsum credimus venisse in lucem. Itaque, recentiori adhuc tam eximia sanctitatis memoria*, dum ex obedientia sacri Ordinis mei, *inquit ipse in Vita S. Catharinæ, num. 195*, apud monasterium, in quo sanctum corpus ejusdem Agnetis Virginis requiescit, per tres annos & amplius positus essem pro Rectore, ex quibusdam scripturis, quas ibidem inveni, & ex relatione quatuor Sororum quæ fuerunt ejus discipulæ & adhuc supervivebant, Legendam ejus tempore juventutis meæ, Ipse composui. *Puta circa annum Domini* MCCCL, *obiit enim* MCCCXCIX, *& ista scribebat circa annum seculi XC.*

Vita scripta circa an. 1350.

C

2 *Hæc est illa B. Agnes, de qua revelatum fuit S. Catharinæ præfatæ*, quod in regno cælorum cum eadem, idque in eodem gradu locari deberet, ipsamque habere consociam beatitudinis sempiternæ, *ut dicitur in ejusdem vita XXX Aprilis danda num. 325. Hæc est, quæ destinatam sibi à Deo consortem gloriæ, mortua tamquam vivens excepit, pedem suum porrigens osculaturæ, ipsamque eodem cælesti manna perpluit, quo fuerat sæpius conspersa dum viveret. Rem prolixè narrat Raymundus in jam citata vita ad finem partis 2; simul & Agnetis elogium texit; ex eâ quam junior scripserat Vita: in qua ne mirareris tam insigne miraculum desiderari; ideò nosse te volui, Lector, prius eam scriptam fuisse, & multo prius; quam istud contingeret. Sed quamvis à juvene scripta sit; si tamen conferatur cum altera S. Catharinæ, ab eodem jam sene composita; apparebit, gravitate ac maturitate styli vix quidquam unam alteri cedere; & hoc solum interesse, quod de rebus sibi visis deque persona sibi intime nota plenius uberiusque tractarit, quam tractare potuit de auditu dumtaxat lectuque cognitis, deque persona prius forte mortua quàm ipse nasceretur. Extat ea apud Montem-Politianum in membranis exarata; unde cum transcriptam accepisset Ambrosius Taegius, suoque 3 libro de insigniis Ordinis Prædicatorum, Distinctione 8, folio 146, eamdem inseruisset, omisso caussa brevitatis Prologo: nos anno* MDCLXI *Mediolani existentes, exemplar sumpsimus; & qui deerat Prologus, eum è Monte-Politiano petentes, impetravimus curâ R. P. Gentilis Paganelli, nostri ibidem Collegii Rectoris; & beneficio P. Mag. Nicolai Barberii, à cujus calamo, præter S. Dominici Vitam, etiam BB. Guidonis & Margaritæ Cortonensium Vita prodierunt.*

ab eodem qui postea scripsit de S. Catharina Senensi,

E

hic datur ex Ms. Taegii.

3 *Quæ post antiquam istam Legendam poterant ad nostra usque tempora desiderari, suggessit B. Agnetis Vita Italica, anno* MDCVI *vulgata à P. Mag. Laurentio Surdini Mariani. Hic in primo sui operis limine, recensitis auctores & monumenta ex quibus suum istud opus collegit; allegat, præter Chronicum MS. Conventus Politianensis, ejusdem conventus scripturas authenticas, in archivio repositas sub hisce numeris, 4. 7. 9. 11. 13. 21. 25. 32. 38. 39. 42. 100. 101. 102. 103. 104. Et quoniam continent fidem originalem de miraculis, à Raymundo descriptis, fuerunt etiam*

Instrumenta Notarialia de miraculis,

AUCTORE D. P.

etiam à nobis postulata, optantibus instrumenta ipsa Notarialia, sicut de B. Ambrosio Senensi ad XX Martii fecimus, integra exhibere: sed pium nostrum votum fraudavit simplex nimium obedientia. Cum enim Reverendissimus P. Ioannes Baptista de Marinis, Magister Generalis Ordinis Prædicatorum, laudabili omnino consilio decrevisset, Archivium generale, in præcipuo quod Ordo Romæ habet supra Minervam conventu erigendum, eoq; originalia quæcumq; monumenta Conventuum aliorum mitti jussisset; ita prompte obedivere ii, penes quos talia erant, ut nec de eorumdem exemplis authentice describendis, quæ vice originalium servarentur, cogitationem susceperint. Itaque quod saluti esse scripturis istis debuerat, ipsis & aliis multis exitio fuit, dum vel inter manus haud satis ipsas æstimare scientium perierunt, vel in cumulos chartarũ minus necessariarum utiliumve conjecta ita delitescunt, ut ab iis qui Archivii curam gerunt hactenus reperiri non potuisse dicantur.

delata ad Romanum Archivium,

4 Ita cum legissemus in Bulla de Canonizatione S. Vincentii Ferrerii, prout v Aprilis apparet, quod mandasset Calixtus Pôtifex processus omnes, super miraculis sancti viri habitos (qui quidem Romam tunc advenerant, scilicet Avenionensem, Venetensem, Tolosanũ & Neapolitanum) in ecclesia domus S. Mariæ super Minervã de urbe ad perpetuã rei memoriam custodiri, & illorũ copiam volentibus exhiberi: cum item legissemus in Prologo ad librum III vitæ querentem Ranzanũ, quod processus ex consulto Nicolai v, qui ante Calixtum Ecclesiæ præfuit, Barcinonæ, Valentiæ, & in pluribus aliis utriusq; Hispaniæ, Galliarum & Italiæ locis confecti, opportuno tempore ad Romanam Curiam delati non fuissent, talia inquã, cum legissemus, & de his, saltem postea allatis, Romæ inveniendis spem nonnullam; de istis, fiduciam concepissemus certissimam; idemq; de iis facere intenderemus, quod ad II diem Aprilis fecimus, de processibus factis in causa S. Francisci Pauloni; utroq; voto nos frustratos doluimus, simili accepto responso. Idem si respondeatur ex Veneto Bononiensique Conventibus, de informatione circa sanctitatem & miracula S. Catharinæ Senensis, sumpta à Francisco de Malavoltis Olivetano, & Thoma atq; Bartholomæo Senensibus Dominicanis, ipsius Sanctæ Confessariis, quorum Actorum originalia instrumenta servari in Veneto Patriarchio, exempla vero authentica in prædictis conventibus, scribit qui vidit & habuit Ioannes Rebac à S. Maria; nemo profecto conqueri poterit, defuisse nobis diligentiam, undecumq; petendi quæ ad Sanctorũ istius Ordinis gloriam spectare credebamus. Quod tamen non jactantiæ causa dictum Lector existimet; sed ad eorum zelum solertiamq; exstimulandam, quorum in eruendis & ab interitu aut inerti situ vindicãdis ejusmodi monumẽtis operæ utilis esse poterit, nobis, paratis vel in Supplemẽto proferre, quæ nunc minus haberi potuerint, & interim inveniri mittiq; contigerit.

modo non inveniuntur, uti & alia plura.

B

ibi & alibi male custodita,

C

5 Sed ad B. Agnetem revertimur. Nomen ejus Martyrologio Romano inscribi voluit Clemens VIII, his verbis: In Monte-Politiano S. Agnetis Virginis, miraculis claræ: adeo ut nihil sit opus privatorum auctorum de Sanctorum memoriis fastos hic commemorare. Vitam ante Raymundum anonymus aliquis scripserat, post illum secuti scriptores plurimi vulgaribus linguis, quos enumerare longum æque ac superfluum, cum passim noti sint & in hoc opere citentur sæpius, tum qui vitas Sanctorum ordinis tum qui chronicas ejusdem collegerunt, aut egerunt de Mulieribus sanctitate claris. Qui de Agnete sola ex professo scripserint, duo nobis per Laurentium innotuere, necdum visi; scilicet Andreas Pisanus, & Raphael de Columbis: à quibus compositas Vitas operosius requirendas non putavimus, cum dicti Laurentii diligentia abunde suppleat, quidquid ultra originalia instrumenta posset à quocumque desiderari.

Alii de eadem Vita scriptores,

6 Quod attinet ad Montem-Politianum ipsum, is ad Clanias paludes situs Aretiensi olim diœcesi subfuit, suberatq; cum viveret B. Agnes: variis deinde Italicarum turbarum agitatus fluctibus, & nunc huius nunc illius civitatis subjectus dominio, tandem in Florentinorum tutela feliciter conquievit: & eorum Ducibus Medicæis insigniter faventibus, primum ab Aretini Antistitis jurisdictione exemptus, nullius habitus est diœcesis; ac demum anno MDLXI titulum civitatis adeptus, proprium cœpit habere Episcopum. Hic quamvis præclaros, multos viros protulerit, etiam sanctitate illustres, de quibus infra, nec non Romanum Pontificem unum, Marcellum Cervinum; nullius tamen nomine latius universalisq; innotuit, quam B. Agnetis; dum ejus sanctitas à sanctissimo Prædicatorum Ordine, toto orbe diffuso, meritis ubiq; celebratur encomiis. Quare quod Ferdinando Vghello, hujus civitatis Antistites descripturo, excidit ut diceret, quod inter præcipua illius ornamenta primo loco numerari debeat, Flos ille sanctitatis, ex Ordine Prædicatorum, Margareta Virgo sanctissima, id exerranti præter auctoris mentem calamo ignoscendum potius quam vitio memoriæ imputandum: evidens enim est pro nomine Agnetis obrepsisse nomen Margaretæ, quod nullum nisi pro S. Margarita martyre notum apud Politianos esset, si non intra decimum sextum à suo Monte lapidem sita foret Cortona, ibique celebris Margarita tertii Ordinis S. Francisci, non Dominici, pœnitens; cujus Vitam dedimus XXII Februarii. Inter Margaritas, quas sanctitate claras, plures habet Ordo Prædicatorum, proxima Tusciæ est Tifernensis, cujus Vitã dedimus XIII Aprilis.

Mons Politianus in Episcopatum erectus,

D

maxime illi clarus per B. Agnetem.

VITA

Auctore Mag. Raymundo de Capua, primum Polit. monasterii Confessar. Postea Ord. Prædicat. Gener. XXIII.

Ex MS. Ambrosii Taegii Conv. Mediol.

E

PROLOGUS.

1 Agnus ille immaculatus & innocens, qui de immaculata Virgine sine macula conceptus & natus, nostras maculas, suæ mortis immaculato sacrificio, delere decrevit; cujus deliciæ sunt cũ filiis & filiabus hominum; similibus sibi habitans, immaculatas agnas, Sponsas sibi ab æterno elegit, introducendas in suam cellam vinariam, ut ibi gustantes ejus dulcedinem, à maculis omnibus expurgatæ, nobis maculatis & turpibus verbum puritatis & innocentiæ eructarent: sicq; earum munditiam quasi visibiliter speculantes, ipsum invisibilem fontem puritatis & gratiæ, per ea quæ coram oculis nostris facta sunt, intellectu conspiceremus. Quapropter etiam nostris temporibus nos usquequaq; nõ derelinquens Agnus ipse mansuetus & pius, nobis suæ sanctitatis imaginẽ, in quadam sua sponsa & virgine, in partibus Tusciæ, tam mirabiliter quam misericorditer demonstravit.

Agni castissimi

2 In qua quidem virgine similitudinem Agni, non solum ex operibus virtuosis inferius inserẽdis aspicimus; quin imo ex ipso sui nominis (quod Agnes dictum) sono vocali, manifestissime cernimus. Agnes enim proprie derivatur ab Agno, & in omnibus, præterquam in una vocali, hæc duo nomina concordare probantur. Quid igitur Agnes, nisi Agna? & quid Agna, nisi sponsam Agni nobis denominat? Cum enim rebus nomina sint secundum proprietates imposita, consonum Agno visum fuit & congruũ, sponsam suam, sibi per perfectionem caritatis unitam, nomine quodammodo suo nomini unito vocare, ut signum proprie concordaret signato: unde sibi merito dici potest illud Propheticum, Secundum nomen tuum sic & laus tua. Laus, inquam, quam pura virginitas, fervens caritas, profunda humilitas, morum honestas, pudicitiæ maturitas, & signorum ac miraculorum radiosa luciditas, ei gloriose ac decorabiliter præstitere: nec cessat adhuc Divina clementia, quin quotidie invocantibus eam tam pie quam large auxiliando succurrat.

sponsa Agni,

F

Ps. 47. 11

3 Gaudeat igitur castrum Montis-Politiani, tanta felicitate dotatum: sed & Tuscia tota exultet, thesauro tam nobili decorata. Jubilet etiam felix Ordo Prædicatorum, sub cujus correctione & regula,

de quo merito gaudendum,

ex

A ex revelatione divina, se tam lucida stella supposuit, prout inferius patefiet. Iucundetur insuper alacriori tripudio & gaudentius ceteris, Collegium Virginum monasterii, per hanc Virginem miraculose fundati: & super tam firmam petram ædificatum, ac tali brachio roboratum, secure securum esse confidat. Sane tanti luminis motus splendore, nec suo motui valens resistere, ego infimus & ignorantissimus Ordinis Prædicatorum, suam Legendam, supra meum ingenium, cum confidentia sui auxilii, sum compulsus componere. Et ut fides adhibeatur dicendis, noverit lector quicumque, quod quidquid inferius inferetur, fuit mihi, aut à videntibus ejus magnalia & ab ipsam audientibus, fideliter & perfecte relatum; aut in scriptis inveni, per manus Notariorum Imperialium vel Religiosorum fidelium, cum testium inscriptione probatum. Inter audientes autem & videntes facta ejus miranda fuerunt mihi relatrices quatuor religiosæ Sorores, quæ superstant adhuc, & fuerunt cum ea à suæ juventutis primordiis conversatæ, ac ab ipsa sacræ religionis monitis doctrinatæ.

& Vita scribenda assumitur: qua fide

4 Suscipe igitur, o lector, cum devota & fideli mente, quod legis; ne radiis hujus solis, si infidelis fueris, obcæceris. Tunc videbis, si æqua lance dicenda libraveris, non esse de miris mirandum; sed

B potius stupendum, si tantæ sanctitati non adfuissent miranda. Ut autem facilius possis comprehendere quæ dicentur; noveris hunc librum per partes suas in numero ternario dividi; in quo, secundum fidem & etiam scientiam naturalem, omnis perfectio continetur. In prima quidem de suo ortu & pueritia, ingressuque religionis, ac mirandis operibus, quæ in castro Proceni egit, Domino docente tractabimus. In secunda autem de ejus adventu seu reditu in castrum Montis-Politiani, ædificatione prædicti Monasterii, ac aliis actibus mirabilibus, usque ad ejus obitum, divina gratia instruente narrabimus. In tertia vero de ipsius transmigratione laudabili, & miraculis ac prodigiis subsecutis, usque ad nostra moderna tempora, divino lumine illustrante dicemus. Unum autem opto tibi, lector Christianissime, fore notum, quod juxta meam fragilitatem sua gesta colligere sim conatus: nihilominus tamen, tum propter tædium tui vitandum, tum quia multi & multæ sunt de hac luce subtractæ, quæ melius & perfectius noverant vitam suam quam superstites nunc viventes, multa de virtutibus & mirabilibus ejus omittere sum coactus. Quapropter de multis pauca nunc recipe; & ad saporem istorum, quam sapida fuerint omissa, percipe: illique laudes referas & gloriam & honorem, à quo omnis sapor bonitatis conceditur, qui trinus in unitate & unus in trinitate, est benedictus in secula

C seculorum. Amen.

Tripartita operis distributio.

TITULI VETERIS DIVISIONIS

PARS PRIMA.

PARS SECUNDA.

PARS TERTIA.

E

F

CAPUT I.

Agnetis infantia & pueritia magnæ sanctitatis præsagiis & effectibus illustrata, vitæque religiosæ initia.

5 Agnes virgo, nobilis fide & devotione, ex parentibus a temporalium rerum copia divitibus, ex Monte-Politiano sanctam & inclytam duxit originem. b Quam quidem originem nolens Deus omnipotens præterire sine signorum claritate, spiritualem lucem à Virgine inposterum processuram, tali ostendit præsagio. Apparuerunt enim statim post suam nativitatem in camera, ubi mater pariens cum quibusdam obstetricibus dominabus se clauserat, quamplures cerei, miranda luce accensi divinitus, qui adstantibus stuporem simul & gaudium ministrarunt. Igitur ostenso per alicujus horæ spatium, quid de

a b

Recens natæ futuram sanctitatem prænuntiant lumina prodigiosa,

AUC. RAYMUNDO CAP. EX MS.

de puella nata esset futurum, tandem ab omnium disparuerunt intuitu. Quæ adhuc in infantilibus annis posita, cum Dominicam orationem ac Angelicam salutationem didicisset; pullulante devotione in parvula, quæ in adulta copiose germinare debebat, dimissis puellis consociis, puellaribusque jocis neglectis, ex parte posteriore domus secretò secedebat juxta parietem: ibique, quod devote didicerat, flexis genibus junctisque manibus devotius expromebat. Cumque hæc diutius fierent, cœpit in animo puellæ desiderium religionis succrescere, & appetebat quotidie amplius se totam divino servitio mancipare. Cœpit suum motivum parentibus prodere, attestans puerilibus verbis, quibus sciebat, omnino se sanctimonialem esse debere.

ætate tenera concipit Religionis propositum:

6 Quæ verba cum ab audientibus levia putarentur, nec puellæ sanctæ desiderio satisfacerent; accidit, Deo mirabiliter ordinante, ea existente circa ætatem annorum novem, & veniente de villa, quæ Gratianum *c* vetus appellatur, districtus montis Politiani, ad dictum castrum; quod dum appropinquaret ad quemdam collem, prope portam *d* castri positum (ubi tunc publicæ meretrices sui sceleris habitaculum possidebant, nunc autem monasteriũ Virginum, per ipsam in temporis processu fundatum, sub religionis apice est cõstitutum) de ipso colle quidam corvi nigerrimi, crocitantes furiosissime, exeuntes, ipsam aggressi unguibus & rostris, caput ipsius incisim dilaniare cœperunt. De quo mirantibus mulieribus, cũ quibus concitabatur, & cogitantibus, quid sibi vellet tam mira corvorum rabies, super puella tã pura; ipsa conceptus sui non immortale fertur dedisse responsum: Idcirco, Deo permittente, isti mihi corvi tam crudeliter adversantur, quia non permittitis me sub religionis habitu divino obsequio mancipari. Quod quidem verbum, licet ex sancto puellæ proposito processerit, & parentes ejus voluntati consentire coëgerit; nihilominus aliud mirabilius & utilius illa corvorum sævities indicabat. Prævidebant enim illi maligni spiritus, qui tunc corvorum similitudinem prætendebant, Domino eis ad eorum stimulum revelante, puellam sanctam post aliquod tempus ipsos de turpitudinis loco pulsuram, & ibidem sanctæ castitatis & religionis monasterium fundaturam, sicut rei postmodum probavit eventus: de quo quanto invidiæ torquerentur furore, actibus furibundis & bestialibus demonstrabant.

c

d infestatur à dæmonibus sub specie corvorum,

B

dum transit lupanar, quod erat in monasterium conversum.

C

ipsa, dicens id fieri quia suum propositum impediebatur,

7 Quia vero, justo Dei judicio, mala quæ hostis antiquus contra electos opponere nititur, in illorum utilitatem & ipsorum confusionem redundant; hæc ipsa corvorum molestia, quâ tortuosus serpens puellam credidit infestare, in perfectionem crevit sancti propositi. Nam cum ante dictum iter reiteraretur quam pluries, nec cessaret infestatio infernalis, & supradicta verba prudens puella repeteret; inclinati sunt parentes & consanguinei ad satisfaciendum suæ petitioni; cœperuntque visâ diabolicâ rabie, verba puellæ venerari, quæ prius tamquam puerilia contemnebant. Dant ergo operam facto, sollicite quærendo; ubi eam possent inter congregationem Virginum collocare decenter & congrue. Omnipotentis Dei judicio in monasterio, quod in dicto castro situm erat, in quo Sorores quæ de *e* Sacho dicebantur, propter scapulare quod ex humilitate de *f* Sachino panno ferebant], sanctam Virginem Agnetem; cum ejus non parvo gaudio, locavere.

collocatur inter Sachinas,

e

f

8 His peractis videns se Virgo, in ætatis flore, anno videlicet nono, Deo dicatam, cœpit non segniter sese toto tempore, quod humanæ fragilitati & necessitati subtrahere poterat, orationi, lectioni, & obedientiæ supra modum humanum mirabiliter dare. Cumq; esset sub cura & magisterio cujusdam Sororis tradita, nomine Margaritæ, tanta erat obedientiæ ejus & humilitatis dulcedo, quod magistram suã dulci ad se dilectione trahebat, & de tantis virtutibus in admirationem ducebat. Illo autem in tempore, paucis diebus post ejus ingressum, accidit ut quædam sanctimonialis femina, religione & virtutibus veneranda, quam propter sanctitatis culmen diœcesanus Episcopus *g* Aretinus pluribus præfecerat Congregationibus Virginum, ut ejus visitatione simul & correctione regulariter viverent, ad supradictum monasterium, ubi Agnes noviter ingressa degebat, visitationis gratia, quibusdam religiosis feminis sociata, veniret. Quæ cum de statu monasterii requisisset, dictum est ei inter alia, puellam quamdam monasteriũ esse ingressam. More piæ matris eam ad se accersiri fecit, ut sanctis monitis eruditam in religionis proposito confirmaret. Cum puellam virginem esset intuita, divino afflata spiritu, ore prophetico ipsam est taliter allocuta: Gaudeo in Domino de te, filia, quia indubitanter te totius nostræ Congregationis gloriam futuram esse & coronam [credo]. Et conversa ad Sororem Margaretam, sub cujus cura tradita erat, dixit: Solicitam curam age circa venerandam hanc puellam: quia ex divina revelatione tibi dico, quod sicut Agnes Virgo & Martyr, cujus reliquiæ Romæ quiescunt, hoc nomen, Sancta Agnes, initiavit in ore fidelium; ita hæc sancta puella, idem nomen in sancta Ecclesia fœcundabit.

ætatis suæ anno 9.

D

g monasteriis visitatrix sancta

prædicitur eam fore gloriam ordinis:

E

9 Quod quidem dictum sic omnipotentis Dei clementia moderno tempore factis explevit, quod cum nondum sit per summum Pontificem Sanctorum catalogo adscripta, ex miraculorum multitudine & evidentia, non solum S. Agnes à fidelibus appellatur, quin immo ecclesiam, per eam sub vocabulo perpetuæ Virginis Mariæ *h* fundatam, non nisi sub S. Agnetis nomine fideliũ devotio hodie vocet. Cumq; à pluribus talis denominatio reprehensa fuerit, tum propter reverentiam Virginis gloriosæ, Matris Dei, tum etiam quia sub nomine Virginis, Sanctorum catalogo nondum adscriptæ, nulla debet ecclesia nominari; quid sibi velit ignoro, quia ipsimet reprehendentes in communi locutione & omnes alii, monasterium & ecclesiam sub S. Agnetis nominatione appellant. In quo nihil aliud video, nisi quod fidelis Dominus in omnibus verbis suis, promissionem per famulam suam prophetice factam, in præsentiarum opere complet, quia sanctus est in omnibus operibus suis.

quod probat ecclesia, dicta solito ejus nomine,

h

licet necdum canonizata:

F

10 Post hæc admiranda præsagia & futuræ sanctitatis indicia, incipit puella sancta agere, quod multifarie olim Deus de ea ostenderat. Nam taliter & in tantum erat mentaliter cum Deo ex favore spiritus juncta, quod cum in secreto spiritum suum colligens Deum oraret, ex dicto spiritus fervore sæpius in puellari adhuc ætate, à terra per spatium unius cubiti & sine aliquo corporali sustentaculo in aëra elevari, & factori suo subjungi [cerneretur.] Et licet hoc quam pluries ageretur, videntibus quibusdam Sororibus, quæ propter admirationem & exemplum facta ejus curiosius observabant, unum tamen visum est semel per dictas Sorores, quod stuporem audientibus ingerit pariter & amorem. Dum enim quadam vice, puella Deo devota coram imagine Crucifixi devotius oraret, in tantum eam arripuit amor Sponsi sui, quod relicta terra tam alte fuit corpus suum purissimum sublevatum in aëre, quod ipsi imagini supra altare in eminenti loco positæ se pari situ conjunxit: ubi osculans & amplexans, visa est super Dilectum suum innixa, & ut unionem

in oratione sæpius elevatur à terra,

i

& semel usque ad crucifixum supra altare positum,

A unionem mentalem, qua cum Christo erat unita interius, manifeste in corporalis imaginis amplexatione vidisses, & mentis elevationem in altum ex suspensione corporis miraculosa conspexisses; postquam suæ ferventis caritatis affectui per actus exteriores, quantum ei licuit, satisfecit, ea levitate, qua in altum ascenderat, descendit ad ima: factumque est ut puella, ætate tenera, moribus cana, ex tantis virtutibus ab omnibus sanctimonialibus, tam iuvenibus quam antiquis, in mira reverentia haberetur.

14 anno æt. præficitur cellario.

11 Erat enim obedientia lenis, humilitate placida, oratione fervens, conversatione tractabilis, caritate hilaris, prudentia gravis, & omnium morum compositione placibilis. Propter quod cum ante annum ætatis suæ quartum decimum ei esset per Prælatam monasterii k cellarii cura imposita, ut secundum prudentiam sibi datam temporalia Sororibus ministraret juxta earum indigentiam; tantam ei gratiam contulit Dominus, quod omnes consolans, omnibus hilariter satisfaciens, suæ assuetæ pœnitentiæ rigorem assiduæque orationis fervorem nullatenus per exteriora dimisit. Quod quidem, licet inexpertis facile videatur, si tamen interrogentur qui hæc probando noverunt, non solum difficile, sed quasi impossibile quodammodo apparebit, non tamen illi apud quem nullum verbum est impossibile. Admirantur autem omnes consociæ; &

B *sed nihil de oratione ac pœnitentia remittit.*

Agnetis actus, caritate & prudentia regulatos; sollicitudinemque, modestiam, ac sapientem hilaritatem universæ considerantes, ultra quam credi potest stupentes; datori omnium munerum gratias referentes, ipsam Virginem in corde suo affectuosissime rapiunt: ita ut sola Agnes commendaretur, sola laudaretur, & ei quasi per excellentiam omnis virtus tribueretur; ex eo quod ceteræ, quasi stellæ, ejus solaris luciditatis obfuscatione laterent.

accipit à B. Virgine tres lapides

12 Interim quoddam futurorum præsagium fuit sibi oranti ostensum, quod, propter subsecutum opus infra dicendum, silere non debeo. Cum enim puella devotæ orationi & contemplationi esset totaliter intenta, concepit erga matrem Dei singularem & ferventem devotionis affectum. Quapropter, cum crebrius ad eam affectuosissime oraret; quadam vice, dum orando in amorem ipsius Reginæ Virginum mens ferveret, virginea ipsa mater Dei, Agneti virgini manifeste apparuit; eamque consolans ac dulciter alloquens, tres lapillos parvos sua venerabili obtulit manu, dicens: Sciens scito filia, quod antequam de hoc mortali corpore exeas, ædificatura es ecclesiam nomini meo: in cujus rei signum hos tres lapillos accipe, ac supra petram confessionis fidei Trinitatis excelsæ omnis tua ædificatio roboretur. Quos cum illa cum prompta & humili obedientia accepisset, continuo illa inclyta visio ab ejus oculis disparuit, remansitque sancta puella cum pectoris non parva dulcedine; ac pignus futuræ fundationis sibi tam grate datum, omni tempore reverenter ac secreto servavit.

C *pignus fundandæ ab ea ecclesiæ.*

ANNOTATA.

a Ex familia Segniorum, *inquit Sordinus*, patre Laurentio, *hoc quidem ex illius familiæ scriptis, istud ex antiqua traditione haberi affirmans.*

b *Anno* 1268 quantum, *inquit idem*, per accuratiorem supputationem temporum sciri potuit. *Cur ea non indicatur? Alias, secundum quod dicetur ad caput 4 fuisset solum nata ann. 1274*

c *Ibi natam & educatam Agnetem, idem scribit.*

d Portam Gracciani *ipse appellat.*

e *Alias* de Sacco. *Iordanus de Saxonia aliique volunt* Fratres de pœnitentia Iesu Christi, Saccitas dictos, *comprehensos ea eremitarum congregatione & unione quos Alexander IV an. 1256 sub Generali Landfranco & Regula S. Augustini in unum collegit ordinem, quod nobis ad X Februarii post Acta S. Guilielmi de ista unione agentibus num. 24 probari non potuit. Esto Regulam S. Augustini aut tunc habuerint aut postea susceperint dicti Fratres, & per consequens etiam Sorores ejusdem instituti: quod non tantum in Italia, sed etiam in Galliis floruisse apparet ex Testamento S. Ludovici Regis, 1269 condito: & Celsus Falconius lib. 3 Memoriarum Bononiensium agens de Episcopo Iacobo Boncambio, qui eis Bononiæ ad portam S. Mamæ locum dedit, dicit ortum habuisse Massiliæ à quodam Fr. Daniele Ord. Prædicatorum.*

AUC. RAYMUNDO CAP. EX MS.

f Sacchinus pannus, *id est* rudis, *qualis ad saccos conficiendos adhiberetur.*

g Guilielmus Vbertinus, *circa annum* 1248 *Episcopatum adeptus, vitam pene omnem in armis egit, finivitque media in acie pugnans ad castrum Puppii an. 1289. Quem tamen non omnino commissi sibi gregis curam dimisisse, vel ex hac visitandorum monasteriorum cura apparet.*

h *Sic & in titulo Prologi Ms. dicitur Agnes* fundatrix monasterii S. Mariæ novellæ, *ad distinctionem haud dubie alterius sub eadem appellatione vetustioris, uti in aliis pluribus Italiæ urbibus.*

i *Ioannes Rebat de S. Maria,* corã omnibus *id factũ ait.*

k *Item ait constitutam Procuratricem: sed valde diversa ista officia sunt, tam apud monachas quam monachos: nam Procuratoris sive Provisoris est de rebus temporalibus agere cum externis, advehendo, petendo, emendo, &c. Cellarius domi condita distribuit & dispensat in usus communitatis, earumque conservationi intendit.*

B

CAPVT. II.

Abbatissa apud Procenenses constituta Agnes, manna cælesti perpluitur: puerum Iesum visibili specie amplexatur.

Procenensibus, novi monasterii institutricem petentibus;

13 Volens igitur omnipotens Deus tam ardentem lucernam, etiam ad tempus, latere sub modio; mirabiliter disposuit eam supra candelabrum Ecclesiæ ponere. Unde accidit quod quidam castrenses cujusdam castri comitatus Vrbevetani, quod a Procenum dicitur, audientes famã conversationis sanctæ illarũ sanctimonialium, inter quas virgo sancta Domino serviebat, solennes nuntios ad castrum Montis-Politiani ad domum Sororum de Sacco sollicite direxerunt. Postulant igitur per prædictos nuntios ab eis, quatenus unam earum, de cujus religione & sanctitate confiderent, ad castrum suum Proceni mittere dignarentur; quatenus ibi fundato monasterio, & congregatis Sororibus, sanctæ conversationis exemplo populum ædificare valerent, ac piis precibus & justis meritis ad Deum terrigenas adjuvare. Quorum votum Ancillæ Domini attendentes, cœperunt inter se quærere, quam possent eis concedere Sororem, quæ melius absque monasterii damno opus illud exequi posset.

E

mittitur cum sua magistra Agnes:

14 Cum de sancta puella Agnete nulla fieret mentio, propter puerilem ætatem, tum etiam quia maximum damnum de ejus absentia monasterio prætendebant; tandem est inter eas deliberatum, quod Soror Margarita, magistra & instructrix ipsius Agnetis illuc mitti deberet. Quam cum ad se vocatam caritative monerent, ut ad Dei gloriam & illius populi utilitatem dictum laborem assumeret; illa, instigante Spiritu sancto, respondit, se nullatenus posse tanto labori submittere colla, nisi sua sancta filia & perfecta discipula Agnes sibi in sociam traderetur. Quod illæ renuentes omnino volentes pro se potius pretiosum tenere thesaurum, tandem illorum hominum compulsæ instantia & Sororum ad hoc dispositarum, ipsam sororem Marga-

AUC. RAYMUNDO CAP. EX MS.

Margaritam ad dictum castrum Proceni miserunt, eique pro socia Agnetem virginem tradiderunt.

& magno successu opus promovens,

15 Currebant duæ pariter ad opus Dei viriliter exequendum: sed Agnes præcucurrit citius, hoc est perfectius Margarita. Cum enim in ipso castro Proceni Sororum Congregationi & monasterii fundationi sollicite & viriliter operam darent, tanta gratia in labiis Agnetis diffusa est, quod dulcibus monitis & suavibus alloquiis ejus nulla virginum resistere poterat, quin post eam in Dei servitio currerent, in odorem sanctorum exemplorum ejus. Cœpit insuper de castris vicinis puellas attrahere; &, sicut veri pastoris vicaria, oves dominicas in loco pascuæ congregare. Dantur ergo laudes Deo à circumstantibus, & tam mirandæ puellæ virtutibus stupefacti, qui prius operi sancto Sororem Margaritam præferebant, postea congregato grege virgineo, Agnetem virginem, puellam tempore, antiquam virtute, sanctitate & moribus venerandam, omnibus Virginibus præficere statuerunt.

b *fit Abbatissa an. anno 15,*

16 Quapropter auctoritate summi *b* Pontificis, per D. Federicum tunc Ostiensium *c* Episcopum, qui ejus virtutes noverat, impetrata, Agnes virgo quindennis, propter eminentem ejus perfectionem, illi monasterio præficitur ut Prælata *d* principalis, & sub ejus obedientia omnes ponuntur. Posita igitur super candelabrum Ecclesiæ lucerna accensa, cœpit omnipotens Deus eam radiosis facere coruscare miraculis: quæ, quantum mihi audire licuit & legere fuit concessum, fideli & veridico sermone recitare conabor, licet forte ordo temporis miraculorum gestorum in ordine recitationis plene non observatur. Sufficit tamen mihi, & cuilibet vitam scire volenti; si facta ejus fideliter recitentur, omni falsitate semota. Et ut mirandis factis ejus facilius fides adhibeatur, quædam de virtuosis operibus ejus ante omnia prædicemus.

B

clarescit miraculis fideliter narrandis,

annis 15 jejunat in pane & aqua, humi cubat,

17 Igitur virgo sancta, videns se tam juvenculam cunctis præpositam, cogitavit corpus suum omnino spiritui subdere (& hoc per parcimoniam cibi & potus aliasque asperitates) spiritumque Deo, per devotam orationem. Unde in eodem monasterio quindecim in pane & aqua jejunavit annis, & his quidem arctissimis: lectum autem nullum habebat, sed more futuri Patris sui Dominici super nudam humum corpusculum suum inclinabat, habens pro cervicali sub capite petram durissimam. Nec tali vitæ citra mortem terminum posuisset, nisi quia post dictos quindecim annos, gravi & diuturna infirmitate corporea superveniente, de medicorum consilio & Confessorum imperio, cibos & stratum mutare compulsa est. Orationi tam ferventer & ardenter inhærebat, quod si aliquando Sororem contigisset ad eam orantem quacumque ex causa accedere, statim magnis clamoribus expellebat eam, dicens, illos suos esse inimicos & hostes crudeles, qui eam à conjunctione sui Sponsi quomodolibet impedirent. Propter quod, volens omnipotens Deus ostendere, quantum ei sua oratio fuerit grata, sæpissime dum oraret à terra elevans, mantellum quo tegebatur totum manna replebat: locumque ubi virginea genua flectebat, floribus cælicis & inusitati odoris summæque pulchritudinis miraculose spargebat: quorum quidam à quibusdam observantibus collecti fuere, & usque ad hodierna tempora illæsi servati.

C

orationi incumbens manna cælesti perfunditur,

loco ipso floribus conspirato:

18 Sed quod dictum est de manna, super eam orantem veniente de cælo, mihi quatuor prædictæ Sorores ejus olim discipulæ, taliter retulerunt. Ferunt enim sanctam Virginem quandoque post orationem suam de cellula sua exiisse, ut Sorores suas visitans, ne torperent otio in sancto opere, sollicitare valeret: quam venientem intuentes Sorores prædictæ, viderunt ejus mantellum taliter albefactum. Cumque appropinquantes investigarunt, unde albedo illa procederet; viderunt eam quasi totam co-opertam quodam minuto manna in modum nivis, quod dividebatur per multa grana, quorum figura erat in omnibus eadem, scilicet figura salutiferæ Crucis. Ipsis igitur intuentibus, cum ipsarum una simplicior ceteris, ex puerili quadam simplicitate, credens veraciter manna nivem esse, ejus pallium vellet excutere; prohibuit sancta virgo modesto sermone, dicens: Sine, filia, sine: quod mihi ex dulcedine divina concessum suaviter porto, tu noli à me auferre. Quam responsionem advertentes aliæ, quæ erant majoris prudentiæ & ætatis; intuentesque pallium, quod nec nivi nec alicui albo corpori consueverat natura talem dare figuram; manifesto noverunt, opus hoc esse divinum: maxime quia, non nisi quando ab oratione surgebat, ipsam sic dealbatam poterant intueri.

D

manna ipsi habebat formam crucularum:

19 Sed licet hæc quam sæpius visa fuerint, tam in supradicto castro Proceni quam in monasterio Montis-Politiani per eam fundato (ubi nunc sanctæ ejus Reliquiæ requiescunt, ad quod propter continuationem materiæ, prætermisso ordine historiæ, nostrum sermonem extendimus) unum tamen in dicto castro Proceni valde mirabile accidit, quod numquam de alio vel alia memini me legisse. Dum enim Diœcesanus *e* Episcopus, ancillam Christi suis vellet manibus consecrare, sanctumque velamen, ut moris est sanctimonialium, ejus capiti cum benedictione imponere; statuta die ad hoc officium peragendum, peractis omnibus necessariis, introeunte Episcopo una cum Clero ecclesiam, ubi virgo Agnes consecrari debuerat, inventa est ecclesia supradicto manna repleta. Cumque mirantes aspicerent, & inter se, quid illud esset, sollicite quærerent; sic quæritando, altare principale illius ecclesiæ adeunt, totamque tabulam desuper positam ipso manna plenam divinitus, & in tanta quantitate refertam inveniunt, quod in manibus, agiliter inde repletis, alteri alteris cum admiratione ostendebant *f*.

E

e *eoque tempore ipso inveniunt templum in quo erat consecranda,*

f *cum admiratione Episcopi & aliorum,*

20 Cum igitur clare per Episcopum videretur & Clerum, maxime propter figuram Crucis, quæ in ejus granis apparebat, aperte hoc omnipotentis Dei miraculo accidisse, & quanti ancilla sua apud eum meriti esset ostenderet: cœperunt omnes Creatori laudes referre, ipsumque in famula sua venerari. Sic igitur cum gaudio & reverentia, pariter officium consecrationis perficitur, redeuntque cuncti ad propria, plenis devotione pectoribus, ac de sanctitate virginis, omni remota suspicione & dubio, redduntur plene certificati. In quo quidem inusitato miraculo, voluit omnipotens Deus omnibus patenter manifestare, [quod] famulam suam, quam Episcopus consecrare volebat per quædam signa sanctificationis exterius; ipse Sanctus Sanctorum prius sanctificaverat per dona suæ gratificationis interius: & quemadmodum per illa dona animam ancillæ suæ puram reddiderat interius, sic in die consecrationis manna mirabile de cælo transmisit.

F

Cupida videndi corporaliter Christum,

21 Nec hoc silendum puto, quod omnipotens Deus, in signum immensæ dilectionis & augmentum nostræ devotionis, sibi concedere dignatus est. Erat enim, ut diximus, virgo sancta orationi valde dedita, ex amore & desiderio Sponsi sui: cumque caritas Christi magis ac magis abundaret in ea, cœpit mens ejus quotidie amplius fervere appetitu quodam sancto, sed non à quolibet præsumendo, videndi scilicet facie ad faciem Dei filium, Dominum Jesum Christum, & ipsius amplexibus posse frui.

A frui. Quæ cum consideraret, inter creaturas & Creatorem, maxime existentes in via, nimiam esse distantiam; cogitavit per illam scalam velle ad Deum ascendere, per quam Deus descendit ad homines; & illo funiculo Altissimum attrahere ad suam faciem ostendendam, qui eum traxit ad carnem humanam propter nos assumendam. Hæc scala, peccatorum advocata, Maria: ad hanc Reginam virginum Agnes virgo tota devotione recurrit, ipsam precibus sæpius ac ferventius obsecrando, quatenus suum ei filium dignaretur ostendere, ut sic ejus gaudium impleretur: asserebat enim se nullatenus dubitare, tantam excellentiam ei à filio concessam, quod eum posset juxta beneplacitum suum etiam viatoribus ostendere.

recurrit ad B.V. Mariã,

22 Adstricta igitur virginum clementissima Regina tam ferventi Agnetis prece, solitæque pietatis inclinatione; non valens ancillæ suæ petitum negare, in nocte Assumptionis suæ, ei, quod toties petierat, præstare curavit. Dum enim in nocte prædicta virgo sancta oraret, totoque conatu mentis spiritum collegisset ad orandum Reginam virginum ut in festo Assumptionis suæ hanc sibi gratiam concedere dignaretur; subito circumfulsit eam lux de cælo, & in medio lucis apparuit Domina mundi, amicta lumine sicut vestimento, habens inter ulnas filium, ætatis, ut videbatur, infantilis. Ex qua visione dum virgo devota stupore pariter & gaudio raperetur, ipsa Regina cæli eam dulciter alloquens, filiumque clare ostendens, locutione & actu ad amplexandum Sponsum suum ipsam curialiter invitabat. Quod illa advertens, sui desiderii non oblita, Creatorem suum matre donante accepit: quem restrictis manibus ad se stringens, ipsumque sibi appropians, ineffabili jubilabat tripudio, & indicibili dulcedine replebatur. Nec mirum: quia invenerat, quem diligebat anima sua; quem in lectulo hujus mundi quærens & non inveniens, magno desiderii fervore & orationis labore, Maria juvante, meruerat [invenire]. Sic igitur Agnes Agno quasi inseparabiliter adhæret: & eum cui interius caritatis nexibus jungebatur, quasi intra se vel se intra eum inserere nitebatur.

& in festo Assumptionis effecta voti compos

B

puerum Iesum intra ulnas excipit, sed

23 Cumq; sic per alicujus horæ spatium Regina cæli absentiam filii, propter Agnetis solatium, sustinuisset; tandem finem visioni volens imponere, cœpit Agnetem requirere, ut filium suum ei reddere non tardaret. Quod dum Agnes omnino renueret, asserens se nullatenus [posse] à Sponso tam dulcissimo separari; nec aliquibus blandimentis aut precibus ad restitutionem filii à Matre Domini flecti posset; ipsa Dei genitrix filium suum manibus apprehendens, quadam pia violentia, ad se trahere conabatur. Sed cum Agnes ex alia parte juxta posse traheret & teneret, facta est inter eas caritativa concertatio & pia. In quo certamine dum Agnes se deficere cerneret, quia videlicet Mater ad se filium trahebat totaliter, & de manibus suis paulatim puer Jesus exibat; quamdam Crucem parvulam, ad pueri Jesu collum parvo filo ligatam, tam fortiter apprehēdit, quod potius potuisset manus avelli à corpore, quam crux illa auferri à manu. Propter quod ad Mariæ virginis tactum filius quidem ablatus est, sed crux ipsa remansit in pugno: sicque ab oculis ejus disparuit tam delectabilis visio.

ab ejusque à se tandem divulsi collo,

C

raptam parvam crucem retinet,

24 Ex qua quidem disparitione, & sui Sponsi ablatione, tantus dolor cordi Agnetis inhæsit, quod post magnos & horrendos clamores in terram ejulando decidit semimortua. Ad cujus clamorem excitatæ Sorores, ad consuetum orationis locum currentes, ipsam semineceem & quasi mortuam repererunt. Cumq; post aliquod spatium ad se ipsam redisset, interrogata à Sororibus, quid ei accidisset ultra solitū, quod tantam in ea novitatem causasset; tamquam vera sponsa, suum tenens secretum sibi, nulli pro tunc revelare voluit: postea cuidam Sorori Catharinæ, sibi ex religione & vitæ sanctitate multum dilectæ, secreto facti seriem revelare voluit; crucemq; quam sibi Dominus dispensative dimiserat, demonstravit. Quæ crux cum Reliquiis reverenter posita, usque hodie conservatur; & cum veneratione maxima, prima die Maji, post solennizationem sui transitus, cum ceteris Reliquiis, populo manifeste ostenditur.

AUC. RAYMUNDO CAP. EX MS

qua adhuc servatur.

ANNOTATA.

a *Distat à Monte-Politiano* castrum Proceni *circiter* 22 *p. m. Razzius, quem sequitur Rebac* Porsennæ castrum *nominat, sed corrupto vocabulo ait ab incolis vocari* Procenam; *tatus fortassis ab antiquo illo Etruscorum Rege Porsena, Tarquiniorum fautore, nomen loco inditum: nos tale nihil apud auctores reperimus; & incolis non* Procena, *sed* Proceno *dicitur, Alberto Leandro* Procenum.

b *Posito per Surdinum nativitatis an.* 1208 *insistendo,* 15 *annus Agnetis fuisset Christi* 1283, *quando Pontifex erat Martinus* 4: *alias ad an.* 1289 *& Nicolai* 4 *Pontificatum res spectabit.*

c *In tota Ostiensium Episcoporum ordine nullus* Fredericus *reperitur; sed nec inter omnes qui tota Pontificia ditione aut in Hetruria hoc seculo fuerunt Episcopi, nedum inter Cardinales: cum autem ex publicis Actis liquidissima sit successio hujus primariæ in Romano Patriarchatu Sedis, quam hoc tempore tenebat Latinus Malabrancha Vrsinus, Nicolai* 3 *nepos & sacri Cardinalium Collegii Princeps; consequens omnino est Fredericum hic nominatum, fuisse* Episcopi Vicarium *seu Chorepiscopum, & erravisse Surdinum qui ipsum etiam Cardinalem fecit.*

E

d Abbatissam *nominatam invenies infra num.* 29 *&* 31. *Razzius & Rebac minus recte vocant* Priorissam: *nec enim Priorissa ab Episcopo consecrari solent, sed Abbatissa tantum: consecratam autem fuisse Agnetem mox dicetur.*

e *Fuerit hic* Franciscus de Monaldeschis *an.* 1280 *electus &* 1295 *ad Florentinam cathedram translatus.*

f *Addit Surdinus fuisse qui ex eo manna vasa nonnulla implerint, & devotionis causa diu servarint.*

g *Seraphinus Razzius, in variis circumstantiis rei seriem mutans (ut solent, qui minus presse ex una in aliam linguam aliquid transferunt) scribit à Sorore ista manum Beatæ, necdum sensibus redditæ, violenter apertam itaque conspectam Crucem fuisse: quam idem Razzius asserit à se frequenter visam, tractatam & aliis ostensam. Surdinus eamdem accuratius describens, ait habere formam quadratæ bullæ sive rhombi, angulis in modum crucis se respicientibus, in cujus medio sit parvulum foramen, quale videri solet in parvulis seris: videri autem ex matre-perla sive majori concha; ex qua materia etiam videtur esse annulus sponsalitius Divæ Virginis Perusii asservatus, de quo egimus XIX Martii, ubi de S. Iosepho. Cum eadem & certis orationibus benedicitur etiam aqua, infirmis distribuenda.*

F

CAPUT III.

Reliquiæ per Angelum acceptæ; Olei, pecuniæ, panis multiplicatio miraculosa.

25 Sed neq; hoc mihi est licitum præterire, quod misericors Deus ex singulari privilegio voluit miraculose illi conferre. Ferunt enim prædictæ Sorores, 4 relatrices & informatrices meæ, se audivisse ab ejus ore, recitantis de se tamquam de alia, obscure quidem ab ea, sed clare à Sororibus quæ tunc temporis secum erant, quod dum esset in castro Proceni prædicto, assueta erat quandoque in horto monasterii sui sola descendere, ibique juxta quamdam arborem olivarum

Dominica die in oratione persistenti a

Auc. Raymundo cap. ex MS.

varum orationi vacare. Cumque hoc diutius fieret, accidit sanctam Virginem quodam mane diei Dominicæ ad prædictum locum orationis etiam accedere. Quæ ibidem flexis genibus junctisque manibus, juxta morem suum, orando, cum lacrymis repleretur: in tantum excrevit ardor mentis ejus & fervor, quod orationem suam ab auroræ diluculo usque ad altam protraxit b [diem].

b ab Angelo allatam Eucharistiam accipit

26 Dum autem, intra orationem, recoleret diem esse Dominicam, nec licere talem diem, Missarum solenniis non auditis, pertransire; ex alia parte, urgente dulcedine Sponsi, non posset orationis fervorem dimittere; facta in agonia magis ac magis ferventer orabat. Et ecce post paululum adfuit Angelus, ferens illud Dominici Corporis venerabile Sacramentum, propter quod omnia Missarum solennia dicuntur & fiunt. Quo viso, ancilla omnipotentis Domini humilem reverentiam primo Regi Angelorum, deinde Angelo devote exhibuit; & tandem ipso annuente, de manu ipsius Angeli sacram Communionem recepit: sicque Agnes virgo, ex speciali gratia Salvatoris, nec orationem suam dimisit, nec Sacramentis Missalibus est privata; quin potius Sacramentis ipsis communicatis, Angelorum est præsentiâ confortata. Nec suffecit largo Datori munerum hanc gratiam semel vel bis facere sponsæ suæ; sed decem Dominicis diebus continuis repetiit idem munus, ut videlicet secundum Decalogi numerum, in quo est omnis perfectio sanctitatis, sanctissimum Corpus de manu sancti Angeli Agnes sancta, amplius sanctificanda, suscipere mereretur.

B *per decem vices continuas*

27 Adhuc autem tacere non debeo aliam novam & mirabilem gratiam, quam etiam orando accepit à Domino. Nam cum magno affectu appeteret sancta virgo visitare loca ultramarina, in quibus Salvator noster conceptus, natus, conversatus est & passus pro nostra salute; & de hoc Dominum diutius exorasset, ut si possibile esset ei concederet, modo convenienti, quo sciret ad prædicta loca posse accedere; tandem videns Spiritu sapientiæ sibi dato, hoc dispositioni Divinæ, quæ eam in partibus [Hetruriæ] fructificare volebat, omnino non convenire; humiliter Deum exoravit, quatenus aliquid de terra illa, & rebus quas sua majestas contigerat, sibi concedere dignaretur. Quam petitionem dulcissimus Sponsus virginum sanctæ virgini denegare [nolens], taliter consolatus est sponsam suam. Dum enim ipsa oraret, & quod jam dictum est cum lacrymis peteret; subito divinitus invenit manum suam pulvere plenam terreo, congelato & duro, ac in lapidis modum redacto. Quæ cum admiraretur quam plurimum, cogitans quid hoc esset; fuit ei à Domino per Angelum revelatum, hanc terram inde fuisse acceptam, ubi Salvator mundi in cruce positus pro iniquitatibus nostris terram illam suo sanguine madefecit. Attulit etiam ei Angelus præfatus, ad majorem ejus consolationem, quamdam illius pelvis particulam, in qua Salvator noster in tenera ætate constitutus, parvulorum more balneatus extitit. Quæ dona ancilla Christi libenti animo accipiens, humiliterque Omnipotenti gratias agens, ipsa reverenti loco sollicite ac devote reposuit, ac simul cum aliis Reliquiis conservavit c.

& ad explendum desiderium adeundi Terram-sanctam,

C *portiunculam de terra, Christi sanguine aspersa accipit*

28 Licet autem nondum ad opera quæ egit post secundi monasterii ædificationem, ubi ad Montem-Politianum rediit, se sermo noster extendere debeat; propter continuationem tamen historiæ, aliquid quod ei Dominus præstitit, simile ei quod diximus, quamvis multo post tempore fuerit, inserere intendo. Contigit autem post secundi monasterii fundationem, Romam ad quemdam Apostolicæ Sedis d Legatum accedere; quo dum ibidem Apostolorum Petri Paulique limina visitasset, à Deoque fervore concepto per iter, desiderium aliquid de eorum Reliquiis [habendi] concepisset; totam se in principis Apostolorum ecclesia ad orandum contulit, & Apostolos oravit, quatenus aliquid de eorum Reliquiis sibi concedere dignarentur. Quod & statim completum est: nam ipsa sic devote orante, subito inventæ sunt in ejus gremio duæ vestimentorum particulæ, quarum altera erat præcisa divinitus de veste principalis Vicarii Jesu Christi, altera de Doctoris gentium indumento; sicut ei, antequam inde recederet, fuit à Domino revelatum. Quas quidem particulas devota Virgo devote suscipiens, humiles & reverentes laudes Creatori suo & Apostolorum Principi reddere non tardavit: sicque ad propria cum gaudio remeavit.

D *item de Reliquiis SS. Petri & Pauli.*

29 Inter hæc secreta mirabilia, quæ omnibus non patebant, cœpit Dominus Sanctam suam coram omnibus illustrare. Nam ea adhuc in prædicto castro Proceni existente, accidit quod in castro Aquæpendentis, eidem castro e propinquo, quidam à dæmonio obsessus, actus horribiles faciens, omnes sibi conjunctos tristitia pariter & angustia molestabat. Quapropter multis Sacerdotibus convocatis, ut sacris verbis Euangeliorum sanctarumque orationum dæmonem de corpore obsessi expellerent, post multa dicta & facta, inventum est dæmonem non solum non recessisse, sed de eorum verbis non curasse; Domino sic volente, ut ostenderet gloriam Sanctæ suæ. Tandem consanguineis quasi desperantibus de salute, fuit qui diceret, in castro Proceni esse quamdam sanctissimam feminam, Agnetem nomine, cujusdam monasterii Abbatissam, per quam omnipotens Deus miracula multa demonstravit. Quibus auditis, cum cernerent consanguinei dicti obsessi, propter horrendos actus, illuc non posse perducere eum; deliberaverunt ad eam ipsi accedere, ipsamque piis & humilibus precibus inclinare, ut solita caritate ad ipsum infirmum accedere dignaretur. Quod cum fecissent, & instantissimis precibus ipsam cogerent; sancta virgo, quæ nulli erat supposita clausuræ, compassione & caritate commota ac coacta, una cum rogantibus & aliis religiosis feminis ad dictum castrum Aquæpendentis accessit.

e Aquampendentem accedens

E

dæmonem expellit ab energumeno,

Mira res & nostris stupenda temporibus! Statim cum ancilla Christi dictum castrum intravit, dæmon ille superbus & turgidus, qui paulo ante nullum vel nullius verbum videbatur curare, tantæ sanctitatis vim non ferens, cœpit corpus illud huc illucque divertere, & per novos actus violentiam sibi à sancta Virgine factam ostendere. Cum Agnes, magis appropinquans domui, ingrediendo primum pedem in ostii limine poneret, continue dæmon per os obsessi clamavit, dicens: Stare non possum, quia Agnes virgo intravit. Quibus dictis absque omni mora discessit. Qua quidem discessione simul & semel, vellet & nollet, hominem liberavit. Cœperunt omnes adstantes Deum in sua famula venerari, laudibus eam gratificis extollendo: sed Virgo Domini, licet de laudibus sui Creatoris congratularetur quam plurimum, suam tamen gloriam humiliter fugiens, omnibus laudatoribus suis, sanctis & prudentibus responsis & verbis, silentium imponens, concito gradu ad suum rediit monasterium. Non tamen sic miraculum latuit, imo potius sua humilitate amplius extitit dilatatum.

F *ipso fugiens domum ingressa.*

31 His miraculis etiam addo ea, quæ tam frequenter per sanctam virginem omnipotentis dono operata fuere, quam sæpe quorumcumque tem-

Vasculum olei vacuum,

A temporalium suo monasterio indigentiæ aderat. Contigit, in supra dicto monasterio & castro Proceni, Sororibus suis oleum quandoque deesse realiter & omnino: quod ei per Sororē, ad cujus officium pertinebat temporalia ministrare, cum nuntiatum fuisset; famula Domini, in seipsa parumper cogitans, nuntianti respondit: Vide, filia, utrum aliquid, quantumlibet parum olei in vase remanserit. Cum illa diceret, nec unam guttam penitus remansisse, seque ita certe hoc scire, quod frustra esset amplius revidere; Virgo sancta respondit: Crede, filia, quod vas vacuum non est. Redi igitur, & iterum videas: quia indubitanter omnipotentis Dei munere oleum in vase invenies. Ad cujus vocem fidelis discipula humiliter obediendo, ad vas ipsum perrexit, ipsumque plenum oleo usque ad summum invenit. Quæ statim cum hilaritate & admiratione ad Sanctam revertens Abbatissam, miraculum nuntiavit. Illa vero, cui novum non erat, quod à Domino suis precibus obtinuerat, sanctis ac sapientibus verbis hilaritati ejus modum imposuit, ac ut quod divinitus datum erat large dispensaretur admonuit. Quod dispensatrix prædicta fideliter obediendo perficiens, tandem invenit, sicut ipsa postmodum recitavit, quod vas parvum olei, quod vix paucis diebus ad quotidianum

facit plenum inveniri,

& pro tota Quadragesima sufficere;

B usum Sororum solebat sufficere, tunc per totam Quadragesimam in omni necessitate monasterii copiose impensum, abundanter sufficit.

32 Idem etiam sæpe contigit in castro Proceni & in terra Montis-Politiani, deficiente pecunia pro solvendis ædificatoribus sive aliis creditoribus monasterii sui, ipsa scilicet remittente Sororem bursariam ad bursam iterum requirendam, in qua nihil esse bursaria ipsa ex certa scientia referebat: & tamen ab ea missa, respiciens, invenit in ea denarios, quotquot opus habebant.

item pecuniam in bursa exhausta.

33 Adhuc autem simile huic est, quod misericors Deus per famulam suam ostendit in castro Montis-Politiani prædicto. Dum enim in monasterio, ubi nunc Reliquiæ ejus venerabiles degunt, ipsam Sorores, quas duodecim collegerat, quadam die [monerent] panem omnino deficere; ancilla Christi suas cœpit filias dulcibus confortare verbis, atque caritative monere, ut de divinæ largitatis abundantia nullo modo diffiderent, promittens divinum auxilium esse propinquum. Cumque Soror, cujus

panem miraculose multiplicat; idque semel,

C officium erat respondere pulsantibus, ad rotam accessisset, invenit virum attulisse quatuor panes parvulos, qui vix ad duarum Sororum escam sufficere potuissent: quos cum Deo & viro illi gratias agens accepisset, ad suam & sociarum spiritualium spiritualem matrem gratulabunda detulit, dicens: Ecce Domina verbum, quod modo dicebatis, Dominus implere cœpit: & hæc dicens, ostendit panes allatos. Quos cum sancta Virgo vidisset, statim præcepit mensam lætanter apponi, Sororesque more solito sedere. Post quod paniculos illos in suas sanctas manus accipiens, gratias agendo benedixit & fregit, discumbentibusque gratiose distribuit. Quo facto ita dicti panes creverunt in manibus ejus, quod Sorores prædictæ saturatæ sunt & repletæ: remanseruntque reliquiæ adhuc tantæ, quod plures aliæ saturatæ fuissent.

34 Hoc autem miraculum de panibus multiplicatis, ac etiam de novo inventis, sæpius & frequenter Dominus per famulam suam ostendit. Dum enim quandoque puellæ parvulæ, quæ monasterium in juvenili ætate erant ingressæ, puerorum more extra horam refectionis panem peterent ad edendum, panisque omnino deesset, nec propter hoc infantes desisterent à petendo, sed potius querulosis vocibus & puerilibus magis instarent; sancta virgo, earum auditis clamoribus, supradictam Sororem Catharinam sibi dilectam festinanter vocans, mandavit ut panem petentibus puellis afferret. Quæ cum respondisset, nec modicum quidem panis in monasterio esse; omnipotentis Dei famula iterato mandavit, quatenus ad arcam, ubi panes reponi consueverant, rursus accedens, panem quem inveniret portaret petentibus, ut manducare valerent. Cumque illa, mandato constricta, obediens ad arcam redisset; invenit eam tot panibus repletam, quot ejus capacitas capere poterat: cum tamen ex querimonia dictarum puellarum eam aperiens, vacuam omnino reliquisset. Qua ex causa stupens pariter & gaudens, gratias Altissimo reddidit, panes infantulis dedit, & reliquos pro monasterii necessitatibus reservavit.

iterum,

35 Eadem etiam Soror Catharina retulit relatricibus meis, quod in castro Proceni, ubi ipsæ relatrices cum sancta Virgine tunc fuerunt, semel in monasterio deficiente pane totaliter, adveniente hora qua Sorores cibum sumere deberent, ancilla Christi mensam apponi jussit, & Sorores omnes sedere, ipsaque pariter sedit ad mensam: cumque eas ad patientiam hortaretur, illæque se disponerent ad herbas crudas sive quodlibet aliud, quod Dominus daret, sine pane cum gratiarum actione sumendum; Virgo devota suis filiabus compatiens, materno affectu paulisper intra se oravit Dominum: & finita oratione, magna cum hilaritate in altum respiciens, manusque levando, quasi aliquid accipere vellet, porrigens; subcinericium panem traxit ab aëre. Quem super mensam declinando ponens, post gratiarum actiones inter omnes divisit: sicque totum collegium satiavit, ac si tota mensa panibus plena fuisset. Nec mirum: quia manus Angelica panem illum detulerat, quem factor omnium segetum largiter miserat. E

ac tertio,

ANNOTATA.

a *Razzius hæc ita transtulit, quasi scriptum sive subscriptum à pluribus Sororibus testimonium de sequenti gratia Agnetis facta inveniatur. Rebac, expresse* scriptum authenticum *nominat* in archivio monasterii inveniendum, *quod non videtur ex verbis Legendæ sequi, sed contrarium potius.*

b *Multo ineptius idem Rebac, nemine præeunte, definit,* fuisse quintam horam vespertinam: *evidens enim est tali hora, qua nefas est sacrificium celebrare, dubitaturam non fuisse Sanctam, essetne, dimissa oratione, ad Missam accessura, nec ne.* F

c *Narrat Sordinus quod ante non multos annos (scribit autem* 1606) *D. Dominico Danesio Politianensi, sedulo requirenti quidquid ad hanc Beatam spectarat aliquando, relatum fuerit à D. Lucretia Pia Sforza Marchesana, Proceno oriunda, aliquas Reliquias quæ olim B. Agnetis fuerant, servari intra quamdam statuam Deiparæ Virginis; qui eodem se contulisset, & statuam sibi indicatam reperisset in æde S. Martini Franciscanorum Scarpantium, ad latus dextrum altaris majoris; jusserit eam deponi, accurateque scrutatum observarit tandem, quod in vertice ipsius essent indicia cujusdam aperturæ: cujus orificium, hactenus à nemine in illa statua notatum, cum ferro reseraßent, inventi sunt convolvuli quidam, quorum unus terram ex parte rubefactam continebat, alii alia velut Reliquiarum frustilla, præsentibus tum aliis tam sæcularibus quam religiosis istius conventus, tum R. P. Mag. Antonio postea Episcopo Signino: qui alius esse non potest quam Marcus Antonius Salomonius, ad istam Sedem promotus (ut ait Ughellus) an.* 1591, *unde rei gestæ tempus intelligas. Creditum ab aliquibus est, ex ruinis monasterii, ultimum sub Clemente* VII *destructi, servatam statuam ad ædem S. Martini delatam fuisse.*

d Nempe in Galliis tunc agebat Pontifex Clemens VI Quid autem si Legatus hic fuerit Arnaldus Episcopus Sabinensis anno 1310 creatus, & sequenti anno Romam missus ad coronandum Imperatorem Henricum ac res Italiæ componendas; à quo concessas esse 40 dierum indulgentias novi monasterii fabricam promoventibus scribit Surdinus? Facta ergo hæc fuerint antequam ille anno 1313 Avenionem in Galliam rediret.

e Intervallum est p. m. dumtaxat 4 aut 5 inter Procenum & Aquam-pendentem. Ferdinandus di Castiglio, quem sequitur Rebac, fingit eam pro caussis monasterii Procenensis Roma redeuntem hac iter habuisse: contrarium ex hoc contextu apparet.

CAPUT IV.

Agnetis in morbis patientia & erga proximum caritas divinis favoribus honorantur.

36 Erecta igitur sancta virgine in virtutum culmine, voluit omnipotens Deus, ut mirabilior appareret in adversitatis nocte, signa lucida demonstrare, quæ in prosperitatis die ostenderat. Contigit enim sanctam virginem in supradicto castro Proceni (ubi decem & septem annis a moram dicitur contraxisse) post quintum decimum annum à fundatione monasterii, & inceptione suæ asperrimæ pœnitentiæ superius dictæ, infirmitatem gravem & diuturnam incurrere; quam ut magis patienter portaret, Sponsus virginum, per quamdam dulcem & lætam visionem, suam sponsam voluit prævenire. Cujus quidem visionis series talis est. Videbatur enim ancillæ Christi se raptam in paradiso, ibique arcana Dei videre, & mirabili tripudio jubilare. Cumque sic exultaret, vidit gloriosam virginem Dei Matrem in sede majestatis suæ sedere, & coram eo Angelorum multitudinem sibi assistentium: quorum quidam ante faciem ejus gloriosam quibusdam pulcherrimis manutergiis auram excitare videbantur, prout consuetum est nimio calore ferventibus fieri: quidam autem melodis vocibus & dulcibus consonantiis dulcisone decantabant, illam devotam Sequentiam, ad honorem ipsius Virginis editam, quæ incipit, Vernans rosa, spes humilium b præcipua, &c. Ad quorum cantum dum Agnes virgo indicibiliter exultaret, tum propter jucundam visionem Reginæ Virginum, tum etiam propter devotum obsequium Angelorum, post tantam moram, quanta Altissimo placuit ancillam suam lætificare, & finem tantæ jucunditatis imponere, disparuit visio; & Agnes in se reversa est.

a Gloriosa Deipara visione recreata,

B

b

C

37 In qua visione voluit Conditor omnium nuntiare, corporalem adversitatem futuram, & ipsam ex impatientia, sua refrigerante gratia nullatenus ruituram: acsi aperte dixisset omnipotens Deus, Afflictionem quidem in corpore sustinebis, sed mea refrigerante gratia ac dulciter consolante, absque impatientiæ tædio cuncta portabis. Scimus enim Reginam cæli auræ refrigerio non indigere, nec vocis consonantia opus habere: sed omnia illa propter Agnetem sunt figurata, ad suum refrigerium demonstrandum. Ex quo quidem refrigerio tantam consolationem accepit, quod etiam postquam ad seipsam rediit, non potuit se continere, quin illam devotam Sequentiam, quam ab Angelis decantari audierat, ipsamet voce altissima intonaret; cum tamen ab homine verba illa vel cantum dictæ Sequentiæ nunquam audivisset. Sane post hanc hilaritatem tam dulcem, cœpit sancta virgo corporales sentire molestias, & infirmitate non modica toto tempore, sed maxime in capite gravari. Quæ cum non posset propter hoc à suo fervore temperari, cum omne corporis malum derideret: conabantur sorores & filiæ eam [inducere] consilio medicorum & Confessorum suorum mandato, ut pœnitentiæ suæ rigori modum imponeret; & ut cibos mutans, ac in stratus mollitie recubans, sanitati sui corporis provideret. Sed cum illa invitissime à consueto rigore tepesceret, allegans inimico proditori compatiendum non esse; tamen sicut tota humilis, obedientiæ sacrificium præ omnibus eligens, ne in suo sensu pertinax esse videretur, consulentium & mandantium voluntati suum velle submisit.

intelligit morbos sibi obventuros,

& solatiis divinis relevandos:

D

38 Quod statim ut Sorores senserunt, carnes diligenter & solicite paraverunt, & coram sancta virgine ut comederet detulerunt. Quod cum illa videns nimis horresceret, ex eo quod ei appareret nimius motus de extremo ad extremum, scilicet de jejunio panis & aquæ ad carnium comestionem nimis subitus motus; cœpit Sorores rogare, ut eam ad tantam incontinentiam, maxime in infirmitatis principio, non deducerent: sed si omnino vellent eam consuetos mutare cibos, saltem pisces vel alia quadragesimalia sibi afferrent. In cujus oppositum cum omnes Sorores, importune instarent, ac collatum cibum modis omnibus comedere cogerent; ipsa paulisper intra se rediens, ac spiritum ad orandum Dominum colligens, humiliter poposcit à Domino, quod cibum illum in piscem sua potentia commutaret: quod ut petiit, ita factum est. Nam subito, omnibus filiabus suis cernentibus, pariter & stupentibus, sunt carnes mirabiliter in piscem transformatæ: quod famula Dei intuens, cum gratiarum actione alacriter suscepit, quod prius ex asperitatis consuetudine sumere non volebat. c

horum causa appositas sibi carnes

E

oratione in pisces conversis.

c

39 Indignum vehementer existimo & incongruum valde, si aliis suis virtutibus recitatis, aliquid de caritate sua, quæ regina est virtutum, dicere non velimus. Et quia caritas, qua bonum erga proximum operamur, duplici membro dividitur, spirituali simul & temporali; à temporali incipientes, ad spiritualem postmodum veniemus, ut per imperfectiora deveniamus in perfectorum cognitionem. Legisse enim me memini in quadam nimis brevi Legenda, hactenus de ea composita, quod adhuc existente virgine sancta in castro Proceni, contigit semel hiemali tempore, de mense d hiemali; transire per dictum castrum quosdam viros magnæ pœnitentiæ, laudabilis famæ, & sanctitatis eximiæ, quorum vita erat in solitudinibus habitare, & solum contemplationi sui Conditoris vacare. Qui cum ad monasterium, ubi Agnes præerat, propter ejus famam, caritatis gratia, declinassent; famula Dei servos Dei omnipotentis, instinctu quodam spirituali, cognoscens, ipsos mira cum caritate & veneratione recipiens, postquam cum eis sancta colloquia & ædificatoria habuit, ad cibum sumendum de eleemosyna monasterii sui coegit; ipsaque pariter ad mensam cum eis, ut diutius loqui possent, quasi cibum sumptura, consedit.

d

Religiosos quosdam hospites hieme excipiens

F

40 Cumque cibus esset allatus, & coram singulis cum pulmento singulæ paropsides positæ; dum collocutio sancta simul cum cibi sumptione fieret; subito miraculose rosa pulcherrima, miri odoris delectabilisque coloris, in Agnetis paropside, cunctis videntibus ac mirantibus, est inventa. Quod cum sancti illi viri aspicerent, mutuoque signa admirationis ostenderent, sancta Virgo hæc perpendens, suæ sanctitati imputari, statim sicut vere humilis talem sententiam dicitur protulisse: Ideo omnipotens & misericors Deus, tempore frigido, florem æstivum, pulchrum & odoriferum, nobis sua benignitate mittere voluit; quia vos igne caritatis vestræ, nostras mentes frigidas accendistis, ac pulchritu-

religiosa mensa & colloquio,

rosa de cælo missa honoratur.

A chritudine sanctorum documentorum, odoreque exemplorum virtuosorum, nos delectabiliter confortastis. Illis autem è contrario dicentibus, non eis, sed sibi rosam missam à Domino, ex quo patebat suis hoc meritis Dominum concessisse; facta est inter eos pia concertatio: ex quo mirum in modum utriusque victoria, & plenior quam prius exstitit concordia. Itaque in hoc unanimiter conveniunt, quod mirabili Deo, juxta posse, gratiæ referuntur & laudes. Post quæ volentes illi servi Domini cœptum prosequi iter, post multa sancta colloquia valedicentes famulæ Dei, ab ea ædificati mirabiliter, recessere.

amicum suum, per annos 30 nunquam rite confessum,

41 Alio tempore erat in dicto castro Proceni castrensis quidam, sanctæ Virginis familiaris, ac sui monasterii benefactor: qui cum se suis orationibus sæpius commendasset; ne periret is, pro quo tam acceptæ preces Domino fundebantur; sibi oranti talis fuit de eo visio demonstrata. Videbat enim ancilla Christi, in quodam loco inferni vacuo, dæmones parare horribiles pœnas, ignem accendere, ollas superponere, & instrumenta ad tormenta inferenda colligere: quæ cum à Domino peteret, pro quo tam horrenda supplicia pararentur; responsum est ei, quod pro illo castrensi, pro quo ipsa Dominum toties precabatur. B Ad quam responsionem illa, tota igne caritatis accensa & compassionis, causam tam diri supplicii inquisivit, ut posset antequam moreretur, per sufficientem correctionem illum à tantis liberare periculis. Cui rursum responsum fuit, quod idcirco pœnas tam immanissimas merebatur, quia triginta annis continuis nunquam fuerat per veram confessionem à peccatorum nexibus absolutus.

visis pœnis ideo ei paratis apud inferos,

Quod illa audiens diligenterque notans, postquam ad se rediit, statim dictum castrensem per festinum advocavit nuntium. Qui cum sine mora venisset, causamque tantæ festinationis quæritasset; illa sermone caritatis pleno prædictam ei visionem enarravit, ac dulcibus verbis ad confessionem inducens, advocato Presbytero statim eum pure & humiliter confiteri fecit. Post quam confessionem per breve tempus idem vir infirmitate correptus, ad extrema perductus est. Cujus animam sancta virgo, in suo monasterio posita, vidit de corpore egredientem, ab æternis incendiis, sibi prius ostensis, suis meritis ac virtute confessionis salvatam: quod cum Sororibus nuntiasset, illis de infirmitate scientibus, sed de morte penitus ignorantibus, post modicum adfuit nuntius, qui dixit, illa hora, qua sancta Virgo dixerat, C ipsum omnino vitam finisse.

monitum liberat à periculo.

ANNOTATA.

a Surdinus pag. 33 dicit Agnetem Proceni fuisse annis 22. An ideo fortassis ipsam anno 1268 natam statuit? Optarem scire cur ab auctore suo recedat, alias (supponendo Agnetem rediisse ad Montem-Politianum circa an. 1306, quod ait, & publicis tabulis fundati monasterii scire potuit Surdinus) alias, inquam, dicere mallem anno 1289 venisse Procenum & anno 1274 natam fuisse; atque ita anno 1317 moriens fuisset annorum non 49 sed solum 43. Eamdem temporis rationem sequitur Razzius.

b Surdinus legit propitia.

c Addit idem, hujus sic transmutati cibi usu eatenus restauratas vires, quatenus ad monasterii regimen necessarium erat.

d Ait idem, Ianuarium fuisse. Hunc sane Carolus Magnus sua Teutonica lingua Wintermant vocandum instituit, quod ad litteram est Mensis Hiemalis.

CAPUT. V.

In monte Politiani, eo loco ubi publicum lupanar fuerat, monasterium Ordinis Prædicatorum extruit Agnes, divinitus excitata & adjuta.

42 Scire te volo, Lector carissime, quod dum Virgo sancta in dicto castro Proceni moram faceret, seque Creatori suo placitam ac hominibus mirabilem pariter ac venerabilem suis virtutibus exhiberet; cœpit ejus opinio & fama circumquaque diffundi, in tantum ut ad castrum Montis-Politiani, quod à dicto Proceno per viginti duo distat milliaria, magnus ac bonus rumor de ejus virtutibus perveniret. Propter quod moti terrigenæ, & potissime gradu consanguinitatis sibi adstricti, eam personaliter a adeuntes, precibus humilibus cogere nitebantur, ut ad suæ terram originis redire, & ibidem inhabitare disponeret; putantes se magno thesauro fore ditatos, si tam venerabilem Dei famulam secum habere possent. At illa, quæ pedem habebat plumbeum gravitate virtutis, nolens per diversa vagari, id quod petebatur omnino negavit. Quibus multum instantibus & diversis de causis inducentibus, tandem obtinuerunt ab ea, ut saltem ad dictum castrum Montis-Politiani gratia visitationis accederet, suis attinentibus ad tempus gaudium de E sua præsentia impensura, ac ad suum monasterium postea reditura.

Visitatis in Monte-Politiani consanguineis suis,

43 Quæ cum pro promissione explenda, decenti & honesta comitata societate, illuc accessisset, Dominoque disponente dispositiones loci vidisset; ad suum monasterium, cum aliquali appetitu condescendēdi voluntati dictorum petentium, est reversa; maxime propter displicentiam, quam Deo volente conceperat, de publica inhonestate, quæ in quodam colle, prope portam dicti castri sito, committebatur. Post quam reversionem nihil volens disponere, quod cum dispositione divina non concordaret; cœpit sedula & ferventi oratione divinam exorare clementiam, ut quid eam agere oporteret, quid suæ esset placitum voluntati, sibi per revelationem misericorditer dignaretur ostendere. Et quia ejus oratio, sicut ex superioribus potes colligere, vacua redire non poterat; idcirco omnipotens Deus famulam suam supernaturaliter instruendo, tali visione consolari disposuit. Videbatur siquidem ancillæ F Christi, quod quoddam mare sub ejus esset b pedibus, in quo tres magnas & pulchras videbat naves: in quibus tres intuebatur Patronos & Ecclesiæ columnas, videlicet Augustinum, Dominicum & Franciscum: Quorum cum quilibet ad suam navem sanctam virginem trahere vellet, & maxime B. Franciscus, allegans habitum, quem tunc ipsa gestabat, cum habitu Sororum suarum quasi totaliter concordare; post longam concertationem, dixit gloriosus athleta B. Dominicus aliis duobus consociis: Non sic erit, ut dicitis: sed in mea stabit navi, quia sic omnipotens Deus disposuit. Et extendens manum, traxit eam, & in suam introduxit navim: sicque simul & naves & Patroni disparuerunt.

per visionem SS. Augustini, Francisci & Dominici,

quorum ultimus ipsam ad se traheret,

44 Hic tamen visio non fuit consummata: sed statim adfuit nuntius Domini, qui sanctam Virginem taliter informavit. Recordaris, inquit, cum adhuc esses puella, in primo monasterio, ubi primo religionis habitum assumpsisti, te à Domina accepisse miraculose tres lapides, dictumque tibi fuisse, quod ædificatura eras ad huc vivens

docetur ibi ab ea fundandam ecclesiam

AUC. RAYMUNDO CAP. EX MS

vivens ecclesiam nomini suo? At illa respondit, Et recordor, & gratias ago: quia hoc monasterium ipsa juvante ædificavi. Cui statim per loquentem responsum est: Non est hæc ædificatio, illius promissionis completio: sed ibis ad castrum Montis Politiani, unde originem traxisti; ibique super collem, ubi nunc publicæ habitant peccatrices, ipsum inhonestate sua fœdantes, ædificabis ecclesiam sub perpetuæ Virginis Mariæ vocabulo: ubi etiam fundabis monasterium Virginum, quod collegium ad omnipotentis Dei servitutem congregabis; ut locum, quem turpitudo luxuriæ operante diabolo defœdavit; illustrante Domino & tuum opus perficiente, sanctitas castimoniæ & pudicitia virginalis exornet.

& monasterium loco lupanaris

45 Et quia tam boni operis odor diffundetur per loca vicina, ideo religiosi in locis illis degentes, te & tuum monasterium sub sua cura multum habere optabunt: quia vero Fratres Prædicatores illis in locis conventum non c habent, disposuit magnæ misericordiæ Deus, quod te & tuum collegium illorum curæ submittas, habitumque illorum assumas: ut sic per te, non solum in sexu muliebri, sed etiam in virili, servitium suum multiplicatis servitoribus augmentetur. Et hoc est quod in visione trium navium B & trium Patronorum te trahere volentium, uniusque sola attractione, tibi paulo ante fuit ostensum: ut scilicet sub habitu B. Dominici de cetero, cum Sororibus præfati monasterii, Deo omnipotenti militare studeas, & secundum illius Ordinis instituta te tuumque monasterium gubernare contendas. Confortare igitur & viriliter age: quia Dominus tecum erit, in omnibus operibus tuis. His dictis pariter vox loquentis & visio disparuit; virgoque ad seipsam rediens, immensas gratias omnipotenti Deo referre non distulit, de tam clara visione, tam completa informatione, & tam larga adiutorii sponsione.

sub regula Prædicatorum.

46 His igitur tam altis & salutiferis monitis informata famula Domini, tamquam corpus figuræ sphæricæ ad motum perfectum perfecte disposita, divinæ inspirationis tactu pulsa, omni mora postposita, postquam vices suas cuidam discretæ Sorori, quæ locum suum in monasterio teneret, commisit; ipsa una cum Sorore Catharina, sibi familiaritate singulari constricta, ad castrum Montis-Politiani prædictum celeriter advenit. Ubi cum consanguineis & attinentibus sibi votum suum de fundando monasterio expressisset; cœperunt illi, gaudentes quia petitionis suæ effectum obtinerent, inter se de loco habili & disposito quærere. C Quod sancta virgo perpendens, eos taliter est affata: Non oportet vos solicitari, quia jam Deo docente inveni: dum tamen mihi velitis manus vestras porrigere adiutrices. Intentionis meæ est in colle prope portam situato, ubi nunc publica inhonestas committitur per feminas peccatrices, fundare; & collegium religionis & honestatis, expulsa inde fœditate peccati, congregare.

& ad montem Politianum regrediens, animi propositum amicis exponit;

47 At illi admirantes suum laudabile & insitatum propositum, exquisierunt ab ea, quod adiutorium sibi ab eis in tali negotio vellet impendi. Quibus illa respondit: Adiutorium vestrum in hoc requiro, ut si habetis pecuniam, mutuetis; si non habetis, fide jussores mei apud mutuantem esse velitis; quatenus valeam omnes illius collis pertinentias integraliter emere: & spero firmiter in omnipotentis Dei adjutorio, quod pecuniam, quam mutuaveritis sive pro qua fide jusseritis, in brevi tempore absque vestri dispendio rehabebibitis. Dant ergo fidem, Virgini omnes propinqui; & fide jussione data pecuniaque recepta, sub spe futuræ remunerationis divinæ, manum misit ad fortia sancta virgo: & colle superius dicto integraliter ac juridice empto, D expellit à sua habitatione diabolum, & constituit Domum Christi: sicque nox in diem reducitur, & tenebræ convertuntur in lucem, mirabilisque Deus in Sanctis suis per suam famulam de magno malo magnum elicit bonum, sua indicibili virtute & potentia. Mirantur omnes castrenses & loci illius terrigenæ, tum quia vident sanctimonialem feminam, nil habentem, tam magnam pecuniæ quantitatem, mille scilicet & ducentas libras monetæ Senensium, expendentem; tum etiam quia cernunt inhonestatem turpissimam in tantam castimoniam tam subito mutatam; admirationique laudes adiungunt Creatori, ac sanctam virginem ex tam virili principio incipiunt venerari.

pecuniaque ab iis subministrata, locum emit;

eliminatis meretricibus moniales constituit,

48 At illa, tamquam bellatrix robusta, post forte principium, fortius prosecutione exequitur, & fœditatis diabolicæ domo prostrata, viriliter domus Dei ædificationem aggreditur, die noctuque sedulis & ferventibus precibus promissum auxilium implorando à Domino. Diffunditur ergo odor sanctitatis ejus, & augetur quotidie amplius apud audientes facta ejus admiranda præterita ac præsentia; & ad suæ caritatis fragrantiam currunt undique virgines, suam virginitatem Deo voventes, & perpetuæ obedientiæ se E humiliter supponentes. Illa vero, sicut tota catholica, nolens nisi per ostium intrare, Diœcesanum adiit d Episcopum, & licentiam una cum Sororibus humiliter petiit, ecclesiam sub vocabulo perpetuæ Virginis Mariæ fundandi, B. Augustini regulam profitendi, ac sub eadem regula monasterium fundandi. Quam licentiam, sicut petierat, divino nutu plenarie & gratiose obtinuit e; sicut publicæ etiam f duplicatæ, quas ego pluries vidi, usque hodie manifestant. g Insuper post alicujus temporis spatium, primo ab ipso Episcopo, deinde à quodam Cardinali Legato Apostolicæ Sedis, ut divina impleretur dispositio, obtinuit, ut cura monasterii ipsius committeretur Ordini Predicatorum plenarie & omnino: in cujus rei testimonium extant privilegia sigillata h. Vt clare suos per Vicarios summus Pastor ostenderet, Agnetis opus in conspectu suæ Majestatis acceptum esse. i

ecclesiam construit,

instituit regulam S. Augustini,

& Ordinem B. Dominici.

49 Non solum per Vicarios suos, sed etiam per seculares personas fideles, voluit Dominus ostendere, Agnetis opus sibi gratum existere. Nam, ut cuiusdam fidelissimi viri ipsius castri Montis-Politiani narratione didici, antequam sancta Virgo ad ipsum redisset, contigit quemdam virum F Montis-Politianensem, appropinquante vitæ termino, de corpore egredi: qui antequam moreretur suum condidit testamentum, & inter alia legavit cuidam filiæ nuptæ centum libras Cortonenses, quas pro suarum peccatorum remedio per eam voluit in illud opus expendi, quod magis omnipotenti Deo esset acceptum. Post cujus mortem cum fidelis filia patris sui voluntatem solicite adimplere curaret, ignoraretque quod opus esset in conspectu Dei magis acceptum; servos & ancillas Dei humiliter adiens, precabatur humilius, ut pro ea orarent, quatenus sibi Dominus ostendere dignaretur, quomodo dictam pecuniam pro salute animæ patris sui expendere posset. Cumque inter alios rogasset pauperculam quamdam & infirmam, quæ in magna humilitate & patientia Domino serviebat; atque ut eam magis arctaret, de suis temporalibus bonis ejus necessitatibus subvenisset; illa, ut benefactricis suæ precum non immemor, ac petitioni ejus satisfacere cupiens, juxta posse suum spiritum ad deprecandum

eidem operi applicantur 100 libræ,

ex testamento impendi jussas ubi Deo gratias fert,

Deum

A Deum collegit, ut dispensatrici suæ ostenderet quod volebat.

50 Dum autem oraret, facta est in ecstasi, viditque in colle prope portam sito, ubi sancta Virgo ædificatura ecclesiam erat & collegium Virginum collectura, de loco ubi nunc Sorores ad divinas laudes promendas horis Canonicis congregantur, quamdam scalam ascendere usque ad cælum, quæ summitate sua cælum tangebat; & Angelos ascendentes & descendentes per eam. Quod cum dictæ filiæ defuncti patris fideliter retulisset; illa visionem intelligere non valens (maxime quia tunc ibi peccatrices publicæ residebant; & in loco, unde scala visa fuit scandere, quædam diabolica vetula, totius nefandi sceleris mater, impudicitiæ recollectrix, in suis iniquitatibus habitaret) iterum rogavit præfatam Christi ancillam pauperculam, quatenus Dominum precaretur, ut clarius ostenderet quod volebat. Sed cum illa oraret, & eamdem visionem Dominus vice quadam k replicaret, nec dicta legatrix hoc intelligeret; contigit post modicum temporis intervallum Agnetem Virginem de castro Proceni venire, dictum collem emere, diabolum expellere cum fœditatibus suis, ac sanctitatis domum inchoare. Quod illa dum aspiceret, videretque visionem illius pauperculæ gratiose & mirabiliter declaratam, statim pecuniam illam Agneti Virgini obtulit, dicens: Gratias omnipotenti Domino ago, qui te huc misericorditer misit ad hanc recipiendam eleemosynam, & patris mei animam liberandam. Cumque supradicta omnia per ordinem retulisset, cœperunt ambæ Altissimum magnificare, & quantum inceptum opus Deo gratum esset clarius intueri.

propter visionem de loco illo pia mulieri factam,

cum ibi adhuc meretrices habitarent.

B

ANNOTATA.

a *Ioannes Rebac à S. Maria imaginatur sibi, rem fuisse actam per litteras.*

b *Idem inducit Sanctam, sua privatim navi utentem.*

c *Habebant tamen, inquit Surdinus, ibidem hospitium ad usum transeuntium Fratrum; primum quidem circa ecclesiam parochialem, deinde anno 1275 concessus eis erat locus juxta domos Agnelli Danesi & Petri Salimbeni, cujus possessionem inivit 5 Iunii Fr. Ben-defendens: accessit anno 1296, intercedente Ioanne Pauli tum Provinciali provinciæ Romanæ, postea Nicosiensi ac denique Pisano Archiepiscopo, domus ex bonis cujusdam Francisci Crespori, propter receptos hereticos ad fiscum ecclesiasticum devoluta: addidit anno 1300 Agnellus Danesi aliam vicinam domum: adeo ut non tantum ad paucos dies illac transeundo, sed etiam tempore Quadragesimali & Paschali concionum habendarum causa subsistentes, diutius & commode morari istic possent Patres.*

C

d *Ildebrandinus, Comitis Guidii de Romena filius, creatus anno 1290, Imperialis & Pontificius per Italiam Vicarius, ob totam fere Æmiliam Ecclesiæ redditam; obiit anno 1313.*

e *Surdinus addit executionem commissam fuisse* B. Bonaventuræ *Forteguerri Pistoriensi, tunc Priori conventus S. Mariæ Servorum in Monte-Politiano; eumdemque excepisse primarum Sororum professionem, quarum præcipuas nominat, Catharinam, Danielam, Luciam, Matthiam, Ciam & Margaritam. Agit de hoc* Bonaventura *pluribus locis Gianius in Annalibus Servorum B. M. sed* Bonacursium *cognominat, aitque lib. 7 cap. 2 Vrbe-veteri defunctum an. 1311, 14 Decembris, miraculis à morte clarum.*

f Duplas *vocat Cassiodorus, ex eo fortassis quod sub Romanis ad majorem cautelam solenne fuerit actuum publicorum gemina scibere exemplaria, ut altero pereunte superesset alterum: Franci etiam hodie* doubles *vocant, utique ex Iure Romano, in quo tamen, uti & apud Suetonium, plerumque ejusmodi publicas litteras, præsertim Principum, invenies dici* Diplomata. *voce Græca.*

g *Addit Surdinus B. Agnetem, communi consensu electam Abbatissam: quam electionem Episcopus Aretinus jusserit per D. Bindum Rectorem ecclesiæ S. Bernardini examinari, publicari & confirmari.*

h *Idem postea, teste Surdino, plenius confirmatum fuit tempore Innocentii VI anno 1352 per Ægidium Cardinalem tit. S. Clementis. Primus autem ex ordine qui hac occasione cum titulo Prioris & Confessarii stabiliter cœpit in Monte-Politiano habitare, fuisse dicitur Fr. Bartholomæus, qui infra num. 56 truncato nomine dicitur* Fr. Meus.

i *Adde ex Surdino magnam partem conventus, à B. Agnete levi opera structi & arundinibus tecti, intra breve tempus corruisse: ad cujus restaurationem conferre sumptus rogata communitas sit, causam perorante anno 1511 die 6 Aprilis Guilielmo Pecora: Arnaldus item Cardinalis & Episcopus Sabinensis Legatus Apostolicus concesserit 40 dierum Indulgentias opus juvantibus.*

k *Etiam tertia vice replicatam dicit Surdinus.*

AUC. RAYMUNDO CAP. EXMS

CAPUT VI.

Visum cæcæ reddit Agnes: gravem morbum incurrit; balneum adit, suaque virtute & miraculis illud illustrat.

E

51 Postquam in montibus Virgo Christi domum Domini fundasse se vidit, cœpit quotidie robustius agere; & sicut vera planta, quam Pater cælestis plantaverat, uberiores fructus emittere: propter quod suum monasterium numero cœpit & merito augeri. De cujus augmento, quia Deo incrementum dante, hodie melius demonstrat effectus quam verba, ad presens silentio prætereo: non enim Sororum suarum, sed ejus Legendam pro nunc scribere statui. Ipsius igitur mirabilia recitare intendens, monuisse te velim, lector carissime, quod plura gesta miranda hujus Virginis sanctæ, quæ postquam secundum fundavit monasterium facta fuêre, propter continuitatem materiæ in præcedenti parte legisti, sicut ibi tibi prædictum fuit.

Aucto Sororum numero

52 Pro aliis, quæ ibi scripta non sunt, recitandis, scire te volo, quod augmentato Sororum numero, contigit quandam earum nomine Mitam infirmitate a quadam capitis gravari, in tantum quod debilitatâ visivâ potentiâ, post alicujus temporis spatium totaliter visum amisit. Quod videntes qui ei carnaliter attinebant, inquirere cœperunt, si cæcitati ejus aliquod posset remedium adhiberi: & dum inquirunt, inveniunt per quædam (ut existimo) fabulosa, quod in quodam castro propinquo erant nobiles de cujusdam Sancti progenie, qui virtutem habebant cæcos illuminandi. Ad quos cum dictam Sororem Mitam ducere disponerent, & apud sanctam virginem precibus importunis instarent, ut ipsam claustrum egredi permitteret, dictos nobiles aditurам; ancilla Christi eos dulcibus verbis allocuta, prudenter ab eis dilationem temporis impetravit: infra quod tempus lacrymosis precibus Dominum deprecata est quatenus Sororem evagari non permitteret.

cum earum unam visu orbatam

a

F

remedii causa educere vellent propinqui,

53 Quo facto, firmiter sciens Sponsum suum nihil sibi denegaturum, cognoscensque per spiritum quod de malo illo bonum vellet Deus elicere, dictam Mitam virginem accersiri fecit? cui post aliqua verba dixit: Mita filia, si clementissimus Dominus de sua consueta pietate de recuperatione visus tibi gratiam fecerit, visne temporibus quibus vixeris, quod tibi injunxero adimplere? Ad quæ illa, Domina, inquit, Mater, quidquid mihi tua mandaverit sanctitas, cum Salvatoris adjutorio, totis viribus adimple-

ipsa eidem reddit sanitatem oculorum.

AUC. RAYMUNDO CAP. EX MS

re curabo. Quibus dictis sancta Mater adjunxit: Volo filia mea prædilecta, quamdiu vixeris numquam istis oculis damnum aliquod temporale, sive pro damno aliquo temporali defleas *b*, ob nobilissimi Sponsi tui amorem. Quod cum illa annuendo promitteret, omnipotentis Dei famula immaculatis suis manibus signum sanctæ Crucis super ejus oculis edidit, & continuo eam pristinæ restituit sanitati: sicque evagatione vitata, ac fletu temporalium damnorum correpto, Sanctam suam misericors Deus tanto decoravit miraculo, ut omnibus tam Sororibus quam secularibus, de virtute ejus ac sanctitate, verissima ac clarissima notitia præberetur; fidelibusque omnibus imposterum, de ipsius adjutorio, firmissima sequeretur fiducia.

b pacta ut iis non fleret temporalia damna.

54 Licet omnipotens Deus ancillam suam, tamquam verum aurum, in tribulationis alicujus fornace in castro Proceni probasset: quia tamen de virtute in virtutem suam sponsam volebat ascendere, ut altioris perfectionis gradum eam attingere faceret, per asperioris & diuturnioris languoris corporei ignem examinare disposuit: ut sic clare pateret, quod in ea nulla inveniebatur iniquitas. Quem quidem languorem, ut paratior fieret ad portandum, per Angelum suum primo tali visione monstravit. Videbatur siquidem ancillæ Christi, quadam die Dominica in aurora profunda, dum post orationem aliqualiter obdormivisset, sibi adstare Angelum Domini, ipsamque de sua cellula usque ad quamdam arborem olivarum manuductione pædagogica ducere, ibique calicem porrigere cum his verbis: Bibe, sponsa Christi, calicem hunc, quem Dominus Jesus Christus etiam pro te bibit. Quæ dum ob amorem Sponsi sui libenter & avide biberet, antequam calicem exhaustum redderet, disparuit visio; famulaque Domini ad se reversa, in sua se reperit cellula ut prius. Cumque attentius & sæpius cogitaret, quid sibi visio illa voluisset; sequenti die Dominica eadem hora, similiter ei accidit sicut prima; iterum & sequenti; ut brevius complectar, novem diebus Dominicis continuis, eadem hora, eadem visio Agneti virgini Domino revelante apparuit: nec multo post secuta est gravis & diuturna infirmitas, quæ numquam ab ea secessit, nisi cum finita peregrinatione gloriose & triumphanter adiit Sponsum suum.

E *Novies jussa in visione Christi calicem bibere,*

tandem gravi infirmitate corripitur:

55 Irruente igitur tempestate corporalis molestiæ, sancta Virgo, quæ supra petram domum suam ædificaverat, in nullo mutata, opus cœptum nullo modo omittens aut negligens, cunctos ex magna sui constantia in admirationem ducebat. Erat licet corpore languida, mente solicita, spiritu laboriosa, & circa omnes caritate operante admodum fructuosa: ita ut alia videretur esse Agnes, quæ gravissimam, & quasi inauditam patiebatur infirmitatem; & alia, quæ erga filias suas & cunctos ad se adventantes caritatis actus operabatur. Et vere ita erat: nam spiritus operabatur, & caro patiebatur. Verum quia multis utilis à multis diligebatur affectuose, cœpit multa dilectio perdiligenter sanctam virginem infestare, ut suæ infirmitati remedium aliquod quæreret corporale. Quæ dum, tamquam vera sponsa, sui Sponsi conscia voluntatis, omnino resisteret; illis nihilominus omnino instantibus, ne in conspectu rogantium superbia appareret, quod ex revelatione divina fiebat; humili voce, placido vultu, ac moderata loquela eis assensum præbuit, & alienæ voluntati totaliter se supposuit. Quo facto per diligentes prædictos undique remedia conquiruntur, ut Agnetis infirmitas perfecte curaretur: & dum inquirunt, fuit qui diceret, balneum quoddam infirmitati illi perutile, prope portam per tria milliaria, esse, juxta quoddam castrum, quod Clancianum, dicitur: ad quod si sancta Virgo duci valeret, brevi tempore pristinæ saluti redderetur. Quo audito sanctæ Matris filiæ eam urgere cœperunt, ut illuc sine mora ire disponeret.

F *quam patientissime tolerans officium suum integre exequitur,*

Sinit se curationis ergo ad balneum duci;

D

56 Paratis ergo necessariis, omnipotentis Dei famula ad supradictum balneum una cum fratre Meo, monasterii sui Rectore, multæ religionis viro, nec non & Dominarum honestarum comitata consortio, filiarum suarum prece impellente, accessit. Nec permisit Deus misericors iter ancillæ suæ infructuose transire, quin per eam in balneo, quo eam non indigere sciebat, salutem multorum mirabiliter operaretur. Hoc autem divina bonitas egit, ut mutato naturæ ordine, id quod solis corporalibus infirmitatibus proderat; per Agnetem Virginem, balneo non egentem, fieret, visis mirabilibus, etiam salutiferum animabus. Cum enim Virgo pura sero quodam dictum balneum primo intrasset, suum corpus purissimum lavatura; non balneum ipsam lavit, sed ipsa balneum divino miraculo decoravit. Nam statim post ejus ingressum, cœpit balneum manna de cælo paulatim repleri, in tantum ut per totam noctem, ipso manna scaturiente divinitus, sequenti mane ab ingredientibus totum eo coopertum inveniretur. Qui quidem ingredientes, dum vehementer stuperent, unde nix æstivo tempore balneum ipsum intrasset, maxime partibus circumstantibus siccis; ex admiratione subtilius intuentes, invenerunt id quod nivem putabant, manna cælicum, cujus grana in modum Crucis omnia figurata, manifeste monstrabant, se nullius esse causæ naturalis effectum.

quod post curationem sancti corporis E *manna cælesti operitur;*

57 Ipsum ergo mirantibus, & inquirentibus unde tantum miraculum procedere potuisset, fuit qui diceret, quamdam sanctimonialem feminam de castro Montis-Politiani præcedenti die venisse: ad cujus ingressum cœpit manna illud floridum apparere, sicque per totam noctem miraculose crevisse. Ad quam vocem, cum adstantes non sufficerent admirari, cœperunt omnes per totum balneum hoc manna colligere, ut tanti miraculi signum absentibus ostendere possent: & dum colligunt, invenerunt quod in loco, ubi Agnes virgo se balneavit, aqua subterranea, qua balneum ipsum per quosdam meatus ebulliendo repletur, quamdam ebullitionem noviter & miraculose causaverat, per quam abundantius & copiosius solito aquam balneare volentibus ministrabat: quæ quidem aqua usque in præsens, propter miraculi magnitudinem, balneum S. Agnetis ab omnibus appellatur,

& augetur nova scaturigine aqua, F

58 Comperto igitur quod ancilla Christi, per quam manna descenderat, ibidem se lavisset; fide concepta ex miraculo præcedenti, multos infirmos aqua illa balneare cœperunt: statimque pristinæ saluti reddebantur. Propter quod etiam de eadem aqua ad infirmos absentes portantes, similem effectum sunt consecuti. Ex quo, his visis miraculis, in tantum ebullitionem illam revereri cœperunt, quod, ut dictum, usque hodie S. Agnetis balneum publice appellatur. *c* Nec omissæ sunt laudes Creatori tunc temporis, quin ab omnibus audientibus videntibusve redderentur; crevitque in mentibus omnium hominum mira veneratione Agnetis opinio. In eodem etiam balneo alia miranda gessit, quæ omittere quia non debeo

quæ Balneum S. Agnetis dicitur. c

A debeo, ideo scribere coactus sum. Ante signa autem sive miracula unum præclarius indicium suæ patientiæ præmitto, secundum B. Gregorium, qui virtutem patientiæ signis ac miraculis putat esse majorem.

e egre- ... ientem ... jus.

59 Cum enim sancta Virgo, monasticum habitum deferens, dictum balneum quandoque intraret; quidam juvenes discoli & vaniloqui, ante introitum dicti balnei stantes, ac verbis scurrilibus seipsos ad risum inanem provocantes, famulam Dei, de balneo exeuntem, indutam religionis habitu intuentes, cœperunt quibusdam derisoriis verbis post eam clamare, & monacham suo vulgari vocantes cachinando cum ignominia exprobrare. Quorum verba & actus cum adstantes, & potissimum Fratrem Meum [& quemdam] d monasterii Oblatum ex zelo justitiæ ad iracundiam commovissent; sancta Virgo in nullo mutata, zelatores suos compescens, ad locum in quo hospitabatur cum omni mansuetudine rediens, paucos pullos, quos de monasterio pro infirmitate tulerat, statim occidi mandavit, occisosque decoqui, & coctos suis subsannatoribus cum omni caritate portari. Quod cum dictus Frater Meus dedignans impedire conaretur, omnino illa suavibus verbis eum redarguens, affirmansque quod juxta Salvatoris sententiam male facientibus benefacere oporteret, exenium, sicut disposuerat, dictis derisoribus misit, atque ex parte Sororis irrisæ eis fecit gratanter & liberaliter præsentari. Propter quod irridentes prædicti, sanctæ Virginis liberalitate devicti intrinsecusque compuncti, statim ad famulam Domini accesserunt, ad ejus pedes flexis genibus se humiliter prostraverunt, propriasque zonas circa collum habentes de culpa commissa veniam petierunt, promittentes linguam amplius ad talia non laxare. Ipsa autem, benignissima, qua plena erat, caritate eos recipiens, & de terra velocius erigens, dicebat se eis nimium obligatam, quod sibi spiritualis lucri materiam & exercitium patientiæ ministrassent.

...atos sibi ...os eisdem ...ari jubet.

B

veniam antes co... ter excipit.

ANNOTATA.

a *Clemens 8 in Bulla Beatificationis vocat* Mitem, *quod scriptores Gallici reddiderunt* Douce, *id est*, Dulcem: *sed arbitror diminutum esse à* Domitilla. *Addit Surdinus quod in hanc devoluta demum fuerit ampla parentum hereditas, sed ex qua, per subnatas lites admodum accisa, non valde multum obvenerit monasterio.*

b *Videtur Sancta præsagisse, injustam subtractionem hereditatis per consanguineos intentandam.*

C

c *Quæritur Surdinus Clanianensium incuria balneum istud sic neglectum jacere, ut potius speciem habeat fœtidi lacus: proindeque salutiferam virtutem ejus ipsis merito esse subtractam.*

d *Cum Oblati dicantur, qui aliis Conversi aut Laici, non videbatur hic titulus convenire Bartholomæo Sacerdoti, ideo interposuimus verba quæ putamus excidisse: nec vero credibile est absque socio Religioso illuc ivisse Bartholomæum, in comitatu muliebri.*

CAPUT VII.

Varia miracula ad preces Agnetis patrata, ejusdem propheticus spiritus.

60 Narrato signo spiritualis virtutis, ad virtutes, per Agnetem virginem in corporibus factas, transeat sermo noster. Propterea nosse te volo, lector carissime, quod Domina quodam de Monte-Politiano, Soror de pœnitentia B. Dominici, adhuc superest, honestæ admodum vitæ & veridici testimonii mulier; quæ mihi quædam mirabilia, per sanctam Virginem in dicto balneo coram oculis suis operata, fideliter retulit, quæ nolo silentio preterire. Refert enim se tunc, ætate teneram & corpore parvulam, una cum matre sua, in servitio præfatæ Virginis, apud sæpe dictum balneum, plurium dierum spatio laborasse: infra quod tempus, dum essent ad mensam, simul cum famula Domini cibum sumentes; accidit vinum in mensa deficere, nec prope esse ubi vinum inveniri valeret: quod Agnes virgo dum cerneret, suarum sodalium compassione commota, dictæ meæ relatrici mandavit, ut de propinquo fonte aquam deferret. Quæ cum jussa implesset, in reditu ipsum vas aqua plenum in manu sanctæ Virgini porrexit: quod illa cum maturitate accipiens, oculosque ad cælum levans, ac paulisper intra se orans, sanctæ Crucis signum super vas edidit, & mox discumbentibus ut biberent gratiose tradidit.

...ficiente ...o

D

jubet aquam afferri,

61 Cumque illi, aquam putantes, in vitrea vasa fudissent; colorem vini in vino simul & saporem gustantes, invenientes incredibilem & insuetam vini sapiditatem, cœperunt inter se quærere, unde tam bonum invenissent. Sed & reperientes à puella prædicta, relatrice mea, nunc cana, quod aqua, quam ipsa detulerat, inter manus Agnetis virginis, per Crucis signaculum editum, mirabiliter erat in illud vinum conversa; ultra quam dici potest stupentes, laudes immensas omnipotenti Deo referre cœperunt; omnesque qui ad dictum balneum advenerunt, advocavere, ut de aqua vinum factum omnes gustarent, & Creatoris potentiam ac Agnetis sanctitatem laudarent. Quod ancilla Christi omnino impediens, laudatores suos juxta posse compescuit, ne miraculi diffamatio fieret. Sed licet totum quod volebant, ipsa prohibente, non facerent; plus tamen quam ipsa vellet, miraculo compellente, facere coacti sunt. Propter quod in omnes fama venit miraculi: sicque Agnes virgo, tamquam imitatrix primi miraculi Salvatoris ac vera ejus discipula, ab omnibus commendatur.

quæ inter ejus manus convertitur in optimum vinum.

E

62 Retulit jam mihi dicta relatrix, quod tunc temporis quadam die, Agnete virgine, una cum matre ipsius ac quibusdam aliis, hora refectionis ad mensam sedentibus; ipsa relatrix, tunc puella, panem incidere volens, ipsum puerorum more genibus super ponens, cultellumque arripiens, dum scindendo premeret, non solum panem & vestimenta genu tangentia, sed etiam carnem & nervum ipsius genu præcidens, ossa sectione nimia patefecit: quod cum timore verberum abscondere vellet, nimia sanguinis effusio ac faciei palledo adstantibus demonstravit id, quod puella occultare volebat. Cumque mater ejus detecto genu, ex immanitate vulneris filiæ, flens & ejulans remedia quæreret opportuna; sancta Virgo mox puellam manu apprehendens, adstantibus dixit: Sinite eam mecum venire; & cum omnipotentis Dei adjutorio, sanam eam vobis reducam.

genu graviter cultro læsum

F

63 Quibus dictis ipsam ad dictum balneum duxit, & in aquam, quæ suis meritis paucis ante diebus miraculose apparuerat, balneavit. Quod cum adstantes prohiberent, dicentes, quamlibet a aquam vulneribus esse nocivam; Domini famula, quæ supra naturam sciebat se operari virtute divina, prohibentia verba non curans, dictam puellam juxta suum beneplacitum lavit; ac demum ipsam inde educens, matri sanam reddidit; dicens, Respice utrum sana facta sit filia tua, gratiasque omnipotenti Deo redde. Illa vero vulnus filiæ intuens perfecte curatum, ac etiam solidatum; nec aliud signum vulneris, nisi parvam cicatricem in signum miraculi

in suo balneo abluens sanat.

a

AUC. RAYMUNDO CAP. EXMS

li cernens; continuo in voces laudis erumpens, omnes circumstantes suis attraxit clamoribus, ad miraculorum spectaculum contuendum. Propter quod stupentes singuli de puellæ tam subita sanatione, cum aqua potius obesse debuerat; dant laudes una voce omnipotenti Deo, qui per ancillam suam mirabilia operabatur tam frequenter: crescebatque quotidie amplius Agnetis opinio in mentibus hominum.

ibidem submersum puerum,

64 Adhuc unum cogor inserere, quod supradictis mirabilibus de ejus sanctitate evidentius testimonium perhibebit. Dum enim sancta Virgo in dicto balneo moram faceret, contigit quemdam puerum incaute ipsius balnei aquam ingredi, parvitateque sua ab aquis balnei superari, sicque nullo juvante in aquis ipsis submergi, ac penitus suffocari. Quod dum matri, per aliquale spatium distanti, nuntiatum fuisset; ad balneum ipsum festinanter currens, filiumque submersum reperiens, fletibus & ejulatibus cunctos circumhabitantes attraxit. Cumque corpus extincti filii de aqua esset abstractum, cœpit illa amplius se totam dilaniare, querulasque voces emittere ac dolorosas. Quibus vocibus Virgo sancta, quæ una cum aliis dominabus ad condolendum matri convenerat, grandi pietate commota, & ex compassione nimia ferre non valens tantam orbatæ matris angustiam; coram omnibus corpusculum pueri intra suas ulnas recipiens, in alium se contulit locum, ubi tanta multitudo non esset. Ibi ergo flexis genibus orationi se dedit, ut filium reddere posset matri suæ mœstæ. Mira res & nostris temporibus maxime stupenda! Dum enim Agnes virgo orationi finem imposuit, & corpusculum signo Crucis devote signavit; statim, quasi à somno evigilans, puer surrexit: signaque omnia vitalia ostendit. Quem sancta Virgo propria erigens manu, lacrymanti matri sanum ac viventem reddidit. Quod cum illa cerneret, & præ lætitia stupens admiraretur; post paululum ad se rediens, lamentabiles voces in gaudiosos clamores convertere cœpit, & circummorantes ad sui visionem gaudii advocare. Stupent omnes, & ultra quam dici potest admiratione replentur; dum puerum (quem paulo ante defunctum penitus, & omnino conspexerunt exanimem) vivum & sospitem in tam parva temporis distantia intuentur. Propter quod alta voce immensas mirabili Deo universaliter inferunt gratias, famulamque suam multis inter se laudibus efferunt, multisque sermonibus ejus sanctitatem absentibus prædicant: sicque factum est, ut una & eadem pueri suscitatio, omnipotenti Deo gratiarum actiones, matri indicibilem consolationem, adstantibus mirabilem devotionem, absentibus laudabilem ædificationem, & Agneti virgini magnam afferret commendationem.

vita restituit B *cum magna omnium admiratione.* C

65 Licet in superioribus paragraphis narrata, circa finem sanctæ Agnetis Virginis gesta fuerint: quia tamen non tam ordinem, quam veritatem suæ vitæ inquirimus, unum super hoc addo, quod, antequam ad dictum balneum accederet, contigit. Cum enim Domini famula secundum monasterium cum Domini brachio fundasset, Virginesque circiter octodecim Domino congregasset, disposuisset que in animo ibidem mortalis vitæ terminum exspectare; mandavit primi monasterii Sororibus, ut sibi aliquam ex ipsis in Prælatam eligerent, *b* quia ipsam amplius habere non possent; rogavitque ut crucem illam, quam à Domino pro magno receperat munere, quæ apud illas inter Reliquias servabatur, sibi mittere non tardarent. Quod cum illæ facere omnino recusarent, allegantes, quod ex quo tantæ Matris privabantur solatio, aliquid de suis mirabilibus eas omnino habere deceret, ut saltem de ejus sanctitatis memoria consolationem reciperent, illa iterum atque iterum mandavit, dicens; Nisi mihi transmittatis quod peto, faciam quod vobis invitis auferetur. Cumque Sorores illæ, ad dictam crucem mittendam, nec minis nec precibus flecti possent; sancta Virgo totam se contulit ad orandum Dominum, ut munus sibi semel donatum ab eo, sed à Sororibus illis ablatum, sua omnipotentia ei misericorditer reddere dignaretur.

Cruculam à Iesuli collo acceptam *b* D *dum resistere nolunt Processu fuit*

66 Cujus oratio humilis sic vicit Invincibilem (ut Bernardi more dixerim) & ligavit Omnipotentem, quod statim Angelus Domini dictam crucem, de loco ubi reposita erat, sumens, eam ad Agnetem Virginem, adhuc orantem, mirabiliter detulit, ac intra ejus manus imperceptibiliter collocavit. Quod cum illa aspiceret, immensas omnium munerum Datori gratias referens, crucem ipsam secreto & reverenter in loco ad hoc ordinato reposuit. Quibus peractis rursus ad dictas Sorores nuntium destinavit, ut quærerent, si sanctam illam crucem, toties denegatam, haberent. Quod dum illæ fecissent, & minime invenissent, stupentesque mirarentur, quis eam de loco, tam secreto & seris firmato, potuisset absque earum scitu auferre; nuntius à sancta Virgine informatus subjunxit: Hæc dicit Soror Agnes, Rogavi vos pro munere mihi divinitus dato iterum atque iterum, & renuistis omnino: rogavi Dominum meum semel tantum, & sua benignitate statim mihi reddidit, quod prius dederat, & modo petebam. Discite ergo numquam voluntati Domini contradicere. Quibus auditis illæ statim, de sua pertinacia pœnitentes Dominumque magnificantes, sanctæ Matri per eumdem nuntium remandaverunt, ut ex quo preces ejus quidquid vellet à Domino obtinerent, ipsas preces pro earum salute non oblivisceretur ad Dominum fundere; addentes, quod firmiter & indubitanter sperabant, se Domini pietate salvari, si pro eis tam acceptæ preces funderentur ad Christum. Sicque ancilla Christi suis precibus & quod voluit obtinuit; & filias suas modeste corripiens, ipsarum etiam mentes de divina fiducia confirmavit.

ipsa fusis precibus per Angelum recepit. E

67 Licet multa alia miracula per Agnetem virginem, post fundationem secundi monasterii, fuerit Dominus operatus, ceteris tamen omissis, quædam epilogando in præsenti paragrapho, Deo dante, narrabo, ut tandem ad ejus transitum transeundo, huic parti finem imponere possimus. Narrant siquidem mihi relatrices meæ prædictæ, quod hæc sacra Virgo mirabilem super immundos spiritus virtutem habuit à Deo. Multi enim dæmoniaci ad eam dum adhuc viveret, ducebantur: inter quos quidam erant, qui à multis annis dæmonibus ligati, vix poterant detineri: quibus omnibus Dei famula, imperando dæmonibus, integram sanitatem suis meritis obtinebat. Quadam vice quidam inter ceteros ad suum ductus est monasterium: qui ab hominum multitudine vix ligatus perveniens, omnem appropinquantem unguibus ac dentibus laniabat. Cumque intra monasterium positus, antequam Agnes virgo ad eum descenderet, omnia vincula indicibili insania dirupisset, per claustrum discurrens, puellam quamdam parvulam casu inveniens furioseque arripiens, versus quemdam puteum ibidem positum festinabat, ut ipsam in profundum aquarum projiceret suffocandam. Sed antequam hæc sancta Virgo descendens, ei festinantissimæ occurreret, tali eum sermone compescuit, dicens: Ex parte omnipotentis Dei tibi, immanissime dæmon, præcipio, ut statim puellam hanc sine læsione deponas. Quibus dictis immediate immundus spiritus ita Agnetis obedivit præcep-

multos ex energumenis liberat. F *imperium in dæmones absolutum exercet,*

præcepto; ac si concessam potentiam non nisi secundum Agnetis volitum exercere valeret. Statim ei sancta Virgo appropians, signumque Crucis fronti ejus imprimens, fidem catholicam per canticum illud, Quicumque &c. devotissime depromens, furibundum illum dæmonem divina virtute ab homine expulit, suisque conductoribus sanum restituit.

68 Recitant etiam, quod quam pluries, postquam Sorores dormire inciperent, ancilla Christi in cellâ suâ posita orationi invigilans, sentiebat dæmonem dormitorium introire, ut sacras virgines molestaret. Quæ statim omnes excitans & ad cellam suam advocans, admonebat omnes, ut de commissis vel omissis veniam humiliter se accusando expeteret, modo quo solent Religiosi vel Religiosæ coram Prælatis suis se in capitulis accusare; ne antiquus hostis, qui dormitorium erat ingressus, ullam super eas potestatem habere posset. Quod dum illæ fecissent humiliter & devote, ad suos lectulos purificatas remittens, Ite, dicebat, filiæ, animo securo dormite: quia non dormitabit neque dormiet protector noster omnipotens Deus, qui nos custodiet.

69 Referunt etiam ipsam Virginem prophetiæ habuisse spiritum, etiam de occultis cogitationibus cordium, quod non nisi virtute & gratia divina haberi potest. Ajunt enim se & alias consocias suas, sæpius ab ea de cogitationibus quibusdam puerilibus reprehensas, quas ita per ordinem eis narrabat, ac si ipsas cogitasset, non illæ: unde factum est, ut omnes filiæ, non tantum operari & loqui, sed etiam cogitare quæ bona nō erant, timore spiritualis Matris, quam præsentem in omnibus esse videbant, omnino caverent. Multa etiam futura diversis prædixit personis, quæ directe sicut prædixerat acciderunt: inter quæ unum narro, cujus tot, si viverent, essent testes, quot Sorores tunc temporis in monasterio suo erant: inter quas erant hæ quatuor relatrices meæ, quæ adhuc supersunt. Contigit enim illo in tempore, quo Virgo sancta adhuc degebat in corpore, in castro Montis-Politiani prædicto magnam oriri dissensionem inter terrigenas, & potissimum inter quosdam nobiles: ex qua quidem dissensione cum totius terræ minaretur excidium, quidam viri timorati, rei publicæ zelatores, famulam Dei adeunt, obnixius deprecantes, pro salute terræ suæ ad Dominum preces effundere non cessarent. Quod illa non negligens, cunctas filias sollicite congregavit, unaque cum eis coram quadam Beatæ Virginis imagine, pro imminente terræ periculo cœpit ferventius deprecari.

70 Ipsis autem Sororibus orantibus humiliter & devote, volens ostendere Regina Virginum suis Virginibus, quātum in supportatione criminum illius populi, ut ita dixerim, laboraret; subito facies dictæ Virginis cœpit pallere, crispantes rugas multiplicare, guttas sudoris emittere, qualiq; in supportatione gravis oneris laborans, anhelitum frequenter educere. Quod dum Sorores aspicerent, suamque Matrem sanctam, quid ageret, observarent, Virgo Deo devota ad suas Sorores cum lacrymis & planctu conversa; Orate, inquit, Sorores, & obsecrate quam frequentius & ferventius potestis, quia clare video multas in terra hac tribulationes futuras. Dissensiones enim, propter eorum peccata, permittet Dominus inter terrigenas, & præcipue inter magnates & dominantes oriri: ex quibus evenient scandala & guerræ non modicæ, in tantū ut non solum castrū hoc quodammodo desoletur, sed etiam tota Tuscia ex hoc principio tribuletur. Sed quia clementissimus Deus est, & pius Dominus noster, orate quotidie, & non cessemus: quia potens est serenum dare post nubilum, & omnia nostra mala in bona commutare. Post quæ verba ita punctualiter facta sunt ad litteraq;, secuta sicut prædixit; ut nō oporteat aliquo testimonio confirmare ea, quæ tot[a] Tuscia urgentibus guerris; jam dictis dissensionibus ortis, est scire coacta c. Multa quidem & alia signa per Agnetem virginem sponsam suam adhuc viventem fecit Jesus, quæ non sunt scripta in libro hoc: sed hæc scripta sunt ut credatis, & ut credendo suum coram Domino imploretis auxilium.

A UC. RAYMUNDO CAP. EX MS 6

ANNOTATA.

a *Surdinus id restringit ad aquam mineralem.*

b *Apparet hac facta fuisse, prius quam Dominicanam Regulam profiteretur, atque adeo intra quinque primos secundæ fundationis annos vel etiam citius. Rebac ad ejus à balneis reditum vitaque extremum annum rem differt.*

c *Videri possunt rerum Florentinarum & Mediolanensium scriptores, qui diffuse tractant turbas per absentiam Pontificum, & nimiam Italicarum urbium in asciscendis mutandisque Prefectu libertatem, ea atate gliscentes.*

CAPUT VIII.

Ultima Agnetis ægritudo, & ipsum obitum comitata gloriæ ab eâ adeptæ indicia.

71 Consummato per hanc lucidam stellam, post mirabilem ortum, laudabilem ascensum, & commendabilem progressum, vitæ corruptibilis cursu; disposuit universorum Dominus sponsus ejus, subarrhatione hic facta per annulum aureum caritatis & patientiæ, cum sponsa nuptias matrimoniales perficere in cæli palatio: justum & conveniens judicans Justus Dominus & Judex, ut post tantum laborem requies, post tot sancta opera præmium, post tot pugnas pax & victoria post tot virtutes honor & gloria sequerentur. Nam cum de dicto balneo, post aliquot tēpus, ad monasterium rediisset; cœpit infirmitate corporea amplius quotidie gravari; & in lecto gravius solito decidens, ostēdere signa patentia corporalis ægritudinis appropinquantis. Quod dum ejus spirituales filiæ cernerent, dolore pariter & timore sauciatæ, lectum piæ Matris decumbentis circumdant omnes, suumq; damnum pariter querulosis vocibus & singultuosis fletibus deflent. Quas cum illa modeste redargueret, dicens, quod si eam diligerent, potius gaudere deberent, quia intrabat gloriam Spōsi sui; illisque respondentibus, quod ei utique congauderent, sed sibi met de tam utilis Matris orbatione condolebant; illa respondit: Nullus vos timor aut dolor conturbet de meo recessu: quia si usque nunc dono Dei vobis in temporalibus & spiritualibus utilis fui; de majori adhuc dono confisa, audacter & fideliter vobis promitto, ex parte Dei omnipotentis, quod me vobis utiliorem in posterum exhibebo, & largiore vos dono dotabo: ita ut me non vos dereliquisse, sed potius arctius assumpsisse noscatis.

Ingravescente morbo E *suas solatur,* F *& præsentius à morte auxilium addicit:*

72 O mira & dulcis promissio, per quam Patrem suum B. Dominicum imitata, suasq; filias fideliter consolata, quantum cum Deo posset ostendit. Sed ô fidelis promissionis completio! qua monasterium suum in præsentiarum cernitur, respectu ejus quod erat quando hæc dicta sunt, taliter augmentatum, roboratum & in religione firmatum, ac de magnis periculis liberatum, nec non & in necessitatibus temporalium tam mirabiliter sustentatum, quod negari non possit, in his Agnetem supernaturaliter operari, & suas filias plus quam cum viveret consolari. Post hæc verba viribus corporis cœpit repente destitui, & ad propinquum exitum festinare. Sicque post humilem & devotam orationem, & spiritus fidelem commendationem, circumpositis & orantibus Sororibus, anno Domini MCCCXVII, Indictione XV die

mortem an. 1317, 20 Aprilis pie obitam

AUC. RAYMUNDO CAP. EX MS.

dic xx mensis Aprilis, media nocte quartam feriam præcedente, tam lætanter quam innocenter hic vixerat, sancta illa anima carne soluta est. a Cujus exitum quædam mirabilia sunt comitata, quæ nullo modo judico præteriri debere.

infantes è cunis clamando vulgant:

73 Statim enim ut Sancta decessit de mortali hoc corpore, pueri parvuli, qui in stratibus cum suis erant parentibus, subito excitati divinitus, cœperunt ore lactenti ac infantili sanctæ Virginis laudem perficere, parentibus suis sic dicendo: Soror Agnes, Priorissa monasterii S. Mariæ novellæ, quæ est Sancta, modo migravit de corpore. Ad quæ verba omnes admirabantur, [talia] à dictis pueris audientes, qui diversi per diversas domos sæpius prædicta repetebant verba, nec tunc, propter incompetentem horam, certificari poterant, an verum esset quod dicerent. Tandem quando Sorores ejus obitum propalarunt, certitudinaliter invenerunt, eadem hora sanctam Virginem de corpore decessisse, qua infantes prædicti verba illa prophetico ore protulerunt: factumque est ut puræ Virginis purus & sanctus egressus, per puram veritatem à puerorum ore prolatam, factus est ignorantibus manifestus; ut merito puritatem puritas commendaret, & sacram virginitatem primo puerilis innocentia prædicaret.

B

Virgines ceram pro sepultura corrogant.

74 Alio etiam puritatis testimonio ejus sanctitas fuit tunc temporis demonstrata, quod silendum non judico. Postquam enim cœpit inter terrigenas divulgari sanctam Priorissam Agnetem obiisse, puellæ virgines, quæ nondum matrimonio aptæ erant, hoc audientes, subito, nullo nisi Deo vocante, ad invicem congregatæ, inter se collegerunt pecunias, quibus cerei emi valerent ad exequias Agnetis virginis exequendas; nec contributionem alicujus corruptæ admittere voluerunt sed Dei spiritu instigante, solo dono virgineo puellarum incorruptarum cera, pro sepeliendo corpore Virginis, empta fuit. b Verumtamen, sicut infra patebit, nulla indiguit sepultura corpus ejus: sed cera ista, ad ejus honorem & gloriam, fuit igne comburente consumpta. Puto autem quod quia sancta Virgo providit ceram & cereos sibi per terrigenas afferri debere, sicut & modo fit, ideo voluit quod cera sibi primo oblata esset virginea, propter continentiam & testimonium excellentissimæ puritatis.

Ipsa se videndam exhibet mulieri infirmæ

75 Adhuc aliud miraculum recito, quod post mortem ejus prius cœpit ejus ostendere sanctitatem. Erat enim in castro Montis-Politiani tunc temporis mulier quædam, quæ infirmitatem quamdam in brachio per plura sustinuerat tempora, in tantum molestam & gravem, quod ipsius brachii usum omnino perdiderat.

C

Hæc in hora transitus Virginis sanctæ in stratu suo posita, & præ dolore dormire non valens, vidit subito Agnetem virginem ad se venientem, velut astra matutina, luce mirabili rutilantem, multis spiritibus Angelicis comitatam, seque taliter alloquentem: Agnoscisne me? Quæ cum considerata ejus figura dixisset: Videtur quod similis es Sorori Agneti, Priorissæ Monasterii S. Mariæ novellæ; illa respondit: Ego sum, & nunc hac hora, relicta habitatione terrena, domum cælestem, cum gloria quam intueris, ascendo. Tu vero postquam dies illuxerit, ad meum perges monasterium, ibique meis tactis Reliquiis tui brachii integram recipies sanitatem: & his dictis disparuit.

& corpus suum adire jubet pro sanitate,

Die igitur adveniente, prædicta mulier de lecto surgens, ad Agnetis monasterium solicite venit, pulsavitque ad rotam; & advocatis Sororibus; pro omnipotentis Dei amore humiliter petiit, ut eam intra monasterium admittentes, sacrum virginis Agnetis corpus tangere concederent, ut sui brachii reciperet sanitatem.

76 Illæ autem (quia sic disposuerant ejus obitum occultare usque ad adventum Fratrum, quos de Urbe-veteri expectabant, ne tantus thesaurus ab eis auferretur) ipsi mulieri respondentes dixerunt, Parcat tibi omnipotens Deus, soror carissima, quid est quod loqueris? Priorissa enim nostra, licet graviter in lecto decumbat, non adhuc à corpore migravit. c Quibus illa, claræ visionis conscia, incunctanter respondit: Quid me celare vultis, Sorores meæ, quod ipsa mihi sancta Virgo manifeste ostendit? Apparuit enim mihi Virgo sancta manifeste circa noctis medium, velut fulgidissima stella, dixitque eadem hora vitam hanc reliquisse; mihique mandavit, ut huc adveniens, sacras ejus reliquias tangerem, sicque salutem hujus brachii essem receptura integraliter. Tunc Sorores, his auditis, nolentes divino nutui contraire, ipsam introduxerunt, ad corpusque sanctæ Virginis duxerunt, omnesq; ad videndū miraculū pariter cōvenerunt. Stupenda res & potissime nostris diebus invisa! Mox enim ut illa sacro appropinquavit corpori, ad sanctarum tactum Reliquiarum, in ipso instanti, integram & perfectam recuperavit sanitatem: quæ statim in laudes prorumpens Salvatoris, licet ad preces Sororum usque ad adventum Fratrum se continuerit, eis tamen advenientibus magna & aperta voce miraculum prædicavit. E

D

quam illuc admissam sanat:

familiari matronæ alii

77 Matronæ cuidam, in ipso castro commoranti, sibi in vita per familiaritatem conjunctæ, quæ plures filios diversis infirmitatibus gravatos habebat, in visione apparens, taliter eam est allocuta: Agnoscisne me, talis? nomine eam proprio vocans. Cui cum illa diceret, quod non, respondit? Ego sum Soror Agnes, tibi olim amicitiarum fœdere conjuncta, apparuique tibi, ut de mea gloria tuorumque filiorum salute consolationem recipias. Vade igitur quantocius ad meum monasterium, ducque tecum tuos filios infirmos: cumque ibi omnipotenti Domino & Reliquiis meis, pro ipsius reverentia & honore, cum eis reverentiam feceris; scias eos omnes ab omni languore continuo liberandos. Finitis verbis, visio finita fuit: matrona autem illa evigilans, visioni Sanctæ absque dubitatione fidem præbens, eadem die mandato Agnetis virginis fideliter paruit, & fidelis promissionis perfectam habere promeruit completionem. Unde una cum ægrotis filiis sacras visitavit Reliquias, debita cum reverentia & oratione devota; statimque omnis languor ab omnibus ejus liberis, virtute sacrarum Reliquiarum, abscessit. F

adducit filios ægros & sanat.

ANNOTATA.

a *Rursum hic inculcat Surdinus computum factum, nescimus ex quibus fundamentis, unde sequatur obiisse Sanctam anno ætatis 49, quare juxta hujus auctoris sententiam de mora Procenensi annorum dumtaxat 17 vel 18, detrahendi essent anni sex.*

b *Razzius indicat processionaliter accessisse cum suis cereis ad sacrum corpus honorandum: sed non videtur hæc fuisse intentio ceram ementium, Surdinus suspicatur, actione puellari occasionem dante, postea constitutum fuisse decreto publico ut quotannis in die Kalendarum Maji (uti in Actis legitur) Priores Communitatis ad ecclesiam S. Agnetis ferrent cereum 15 librarum; itemque ut Rectores singuli comparerent cum cereo accenso ibidem relinquendo: quod nunc mutatum sit in oblatione 25 librarum Senensium, antea autem datas 100 aut 50.*

c *Mitius Razzius, & forte verius (nam verba ista vix possunt à mendacio excusari) respondisse quod viveret Priorissa; vita scilicet æterna in cælis.*

A

CAPUT IX.

Miracula ad invocationem Agnetis defunctæ patrata.

Ex rosario Sanctæ cælestis odor percipitur,

78 Post transitum hujus almæ Virginis felicem, circumstantibus filiabus orbatis Matris lectulum & sua damna deflentibus, una earum ex devota Matris recordatione, sua, ut ita dixerim, Pater-noster filo inserta, in proprias manus accipiens; & devote a deosculans, tantum subito sensit odorem, quod statim luctus & dolor in admirationem & gaudium sunt conversi. Cumque aliis Consororibus ipsum Pater-noster porrigeret, ut viderent si eumdem sentirent odorem, omnes eamdem fragrantiam perceperunt. Adhuc autem eis mirantibus & loquentibus, tantus subito odor cellam, ubi sacrum corpus jacebat, implevit, quod putasses, non corpus mortuum, sed omnium aromatum vasculum ibi repositum. Nec solum de virgineo corpore odor ille prodibat, sed de omnibus quæ ipsum corpus in vita vel in morte tetigerunt. Nam petiæ super quas expuerat, dum adhuc infirma esset, tantum reddebant odorem, quod videbantur non sputis deturpatæ, sed inter aromatum species jacuisse.

item ex corpore ejus & pannis:

B

79 Nec mirum: quia corpus inhabitaverat anima, tam plena bono Christi odore virtutum, quod in odore unguentorum suorum adolescentularum multitudinem traxerat, dum vivebat: inter quas adolescentulas erant illæ virgines Sorores, quæ odorem illum mirificum & delectabilem tum sentiebant. Quæ quidem Sorores, ex delectatione illa fervore concepto, in voces magnas & clamores laudificos erumpentes, castrenses quamplurimos suis excitarunt rumoribus. Quorum quidam, audito miraculo, monasterium honeste ingredientes, ac coram sacro corpore humiliter genua flectentes, dum pedes ejus reverenter oscularentur, mirabilem sensibiliter perceperunt b suavitatem. Dantur ergo duplicatæ laudes altissimo Domino, & currunt undique circumstantes ad tam mirum miraculorum initium: nec potest occultari lucerna sub modio; sed sicut in vita fideles spirituali luce traxerat, ita eos etiam postmortem odore attraxit corporali.

hinc ad pedes osculandos multi confluunt,

C

80 Cunctis igitur ex tali signo stupentibus cœpit omnipotens Deus miraculosum principium mirabili prosecutione perficere. Nam ut cognoscerent omnes Agnetem virginem potentem esse, omnibus languentibus, ad suas Reliquias venientibus, præstare salutem; diversis in locis ipsa Virgo claris visionibus diversis infirmis apparuit, monens ut sacras ejus Reliquias visitarent, ut sic à suis liberarentur languoribus: inter quas duæ fuere mulieres, de quibus supra dictum fuit. Cum igitur hæc & alia miranda per suam sponsam operarentur Altissimus, cogitaverunt terrigenæ c sanctas ejus Reliquias inhumatas tenere, ut ad fidelium devotionem & suæ sanctitatis testimonium monstrare valerent. Dubitãtes vero ne more aliorum corporum ejus corpus ex corruptione putresceret, miserunt usque ad Genuensem civitatem nuntios, qui inquirerent diligentes, si balsamum pro quocumq; pretio invenirent, ut sacrũ corpus Virginis Agnetis, sic balsamo conditũ diutius servaretur absq; corruptione. Sed omnipotens Deus, qui in suis Sanctis est mirabilis, in suisq; factis mirabilibus nulla indiget creatura, uno & eodem signo mirabili, simul & semel ostendit, & Agnetis reliquias, pro incorruptione, balsamo non indigere; & de seipsis, balsamum quærentibus, absque auri cõmutatione posse, nedum balsamum sed pretiosiorem adhuc liquorem educendo donare. Nam statim post missionem nuntiorum prædictorum, cœpit corpus sanctæ Virginis desudare, circa manuum extremitates & pedum, ac frequentes guttas pretiosi liquoris emittere, suppositosque pannos de ipso liquore replere; ut clare daretur intelligi, quod balsamo non egebat corpus ejus, quod de seipso liquorẽ, balsamo pretiosiorem, producebat. Quod perpendentes Sorores, vasa supponunt d, Fratres advocant, miraculum monstrant; & congregantibus ad cratem terrigenis, cuncti Agnetis mirabilia absque ambiguitate conspiciunt. Ad hæc currunt circumstantes populi; juvenes ac virgines, nuptæ [& innuptæ], senes & parvuli, catervatim ruunt ad intuendum tam stupendum miraculum. Currunt languentes mares & feminæ, petuntque devote ungi sacro liquore: & quotquot inunguntur, statim absque temporis dilatione liberantur.

dum mittuntur nuntii pro balsamo ad corpus condiendum,

Auc. Raymundo cap. exmi ipsum per se exudat liquorem salutiferum

81 Exit ergo fama hæc in universam Tusciam, cœperuntq; de remotis & longinquis partibus concurrere languidi ad Agnetis ecclesiam, omnesque perfectę sanitatis beneficia comportabant. Inter quos languidos, qui (ut puto) majorem de ejus sanctitate fidem habebant, statim ac ad quemdam e pontem ipsi ecclesiæ vicinum pervenerunt, antequam ipsam intrarent ecclesiam, languorum suorum liberationem integram sentiebant: quidam autem, qui (ut æstimo) minorem fidem habebant, & vehiculo ducebantur, ipsam ingrediẽtes ecclesiam, mox perfectam recipiebant sanitatem: quidam vero in suis habitationibus commorantes, facto voto visitandi Reliquias Agnetis, à gravibus liberantur morbis. Propter quæ omnia, vidisses illos, de ponte versus ecclesiam, cum clamoribus & tripudiis accedentes; & istos infra ecclesiam voces depromentes altisonas: alios gratias in suis terris habitas Notariis & testibus sub juramento fideliter referentes, cunctosque omnipotentem Dominum in Agnete virgine magnifice collaudantes audisses. Insuper ad miraculorum clariorem ostensionem, in cunctorum curatione ossium & nervorum [audire erat] mirabilem sonitum in Agnetis ecclesia & rumorem apertum, ita ut negari non possent membra illa contracta fuisse, quæ extensionis suæ manifestum demonstrabant effectum. His igitur mirabilibus omnibus in genere recitatis, clare ostenditur, quod mirabilis Deus in Sanctis suis, corpus sponsæ suæ, per quod operabatur miracula, absque balsami condimento semper servare poterat ut volebat. Quod attendentes prædicti terrigenæ, reversis nuntiis, qui nutu Dei balsamum invenire non potuerunt, de condiendo sacro corpore amplius nihil cogitaverunt, eiusque conservationem operi sui Conditoris reliquerunt. f

accurrunt undique ægri, & partim in via,

E

partim in ecclesia sanantur:

quidam etiam domi suæ gratias optatas recipiunt.

F

82 Licet autem multa superius hujus sacratissimæ Virginis mirabilia dicta sint: tamen ne omnino ejus videar sanctitatem maximã velle cito pede pertransire, quædam miracula, post mortem ipsius Virginis per ipsam facta, narrabo. Mulier quædam devota, & propter visa stupenda miracula dulci admiratione plena, dum ex castro Montis-Politiani rediret, pergeretq, ad propinquũ g castrũ quod Monticellũ nuncupatur, quemdam convicinum suum obvium habuit, qui furibundus & totus armatus, ut de inimico suo vindictam sumeret, properabat. Qui dictam mulierem interrogans unde veniret, respondit, quod in Monte Politiano fuerat, ubi his diebus Soror quædam sancta, quæ Agnes vocabatur, defuncta fuerat, per quam omnipotens Deus infinita operabatur miracula. Ad cujus verba & expressionem sancti nominis hujus almæ Virginis, subito ille, qui ita terribilis & crudelis apparebat, in terram cecidit; tali modo attonitus & debilitatus, quod necesse

Ad inimici cædem properans,

audito nomine Agnetis terretur,

AUC. RAYMUNDO CAP. EX MS

necesse fuit à convocatis operariis, qui in proximo erant, ipsum ad castrum deportari.

83 Ubi cum tali divinæ percussioni nullum prodesset humanum remedium; sentiens miser ille se consumi, venit in mentem ejus, illius implorare auxilium, per cujus potentem virtutem fuerat in terra prostratus. Quapropter dum hæc in corde suo revolveret, ecce felix hæc Virgo, mirifica luce refulgens, eidem apparuit, & cum ea lucidissimus Angelus. Quam miser ille subito conspiciens, cum desiderioso affectu salutiferum postularet auxilium; videbatur quod Agnes sancta terga vertens, nullam ei penitus concedere vellet gratiam. Sed illo perseverante magna cum instantia, Angelus qui eam comitabatur, respondens dixit: Idcirco hæc sancta Virgo tuas exaudire non vult petitiones, quia propositum adhuc habes tuum perimendi inimicum, propter quod hesterna die ipsius virtute miraculose ad terram humiliatus es. Unde si per ejus [intercessionem] vis pristinæ restitui sanitati, ipsi fideliter promittas, omne te dimittere odium, cum tuoque inimico perfectam componere pacem. Continuo disparuit visio, & infelix infirmus ille in se reversus est: talique modo emisso voto, deperdita rediit fortitudo, ita quod die eadem ad inimicum suum pedes pervenit, qui à loco per triginta duo distabat milliaria. Ad quem perveniens, & in terram se prosternens, armis projectis ipsum suavi cum amplexu deosculans, divinum hujus sacræ Virginis narravit miraculum: omnique injuria remissa, perpetuam inter se firmaverunt pacem.

& eidem sibi apparenti meliora pollicitus,

sanatur ac pacem reddit inimico.

B

84 Mulier quædam cum in balneo, de quo supra mentio facta est, cum quodam suo nepote parvulo esset constituta; discedens aliquantulum à dicto balneo, præfatus puer incaute in aquis ipsius balnei descendens, submersus est. Quod cognoscens afflicta mulier, cum ejus memoriæ occurrerent admirandæ virtutes hujus almæ Virginis, continuo devote & corde fideli nepotem suum eidem commendavit, facto voto, quod si ipsum vitæ amissæ restitueret, puerum ad suum deduceret monasterium, omnibusque patratum miraculũ manifestum faceret. O mira hujus Virginis sacræ pietas! Emisso voto puer vivus surrexit, vivũ & incolumem gaudens mulier accipiens, voto completo, coram Notario publico & testibus idoneis *b*, consecutum miraculum fideliter propalavit.

puer submersus in balneo Sancta

suscitatur.

b

ANNOTATA.

a *Videtur dici, quod Rosarium quod vel viventi Sanctæ fuerat in usu vel manibus defunctæ ex more insertum, pia virgo fuerit osculata: interpretes tamen Surdinus & Rasius, ipsi manui datum osculum dicunt.*

C

b *Addit Surdinus, certioris experimenti causa petiisse aliquos, ut soleæ à pedibus tollerentur: & tunc suavitatem etiam ex iis manasse fragantiam.*

c *Quomodo vox* Terra *Italis significat oppidum; ita hic* Terrigenæ *dicuntur oppidani.*

d *Addit Surdinus, adhuc apud Patres Dominicanos in Monte-Politiano unũ servari ex istis vasis, seq; istius Conventus Priorẽ ipsum sæpius vidisse, attigisse ac monstrasse aliis, atq; videri nunc æque delicatum & vividum, ut cum primũ scaturiit.*

e *Distat hic Pons, inquit idem, ab ecclesia quantum est jactus lapidis, & nominatur* Pons-siccus.

f *Addit idem, exequiis deinde, post nescio quot dies, quibus corpus palam expositum stetit, celebrandis adfuisse universum Clerum; quibus transactis, depositum illud sit in urca, quæ claudi & aperiri desuper posset, velut cui nihil timeretur à corruptione futura.*

g *Tribus duntaxat milliaribus distare ait Surdinus. In tabulis appellatur* Monte-Chieli *quod* Montem-Clelii *Latine redderemus, estque inter Clancianum & Pienzam Monti-politiano ad Austrum:* Monte-celli *vero sive* Mons-celii *oppidum est comitatus Senensis ad p.m. 24 distans Monte-Politiano: videtur autem unum nomen positum pro altero, quod idem num. 91 factum etiam est.*

D

h *Ex instrumento desuper confecto didicit Surdinus, mulieri Francisca, puero Ioannis nomen fuisse.*

CAPUT X.

Miraculosæ curationes per S. Agnetem impetratæ. Liberati à dæmone vinculisve.

85 Juvenis quidam, Meus nomine, de castro *a* quod Ascianum dicitur comitatus Senensis, cum super scalam quamdam, incaute juxta debilem ramum cujusdam arboris pyri appodiatam, ut fructus colligeret, ascendisset, ad supremosque scalæ gradus *b* pervenisset: ramo fracto tantum pondus ferre non valente, subito in terram decidit; & à scala ramoque prædicto percussus, quasi exanimis in terra jacuit. Mater autem; quæ vidua erat & [cui hic] unicus sic præsentatur, tanto fuit dolore compressa, quod altissimis clamoribus intensissimisque fletibus ad gemitus lacrymasque circumstantes commovebat. Post effusas autem lacrymas debilitata plurimum & afflicta, juxta proximum parietem caput reclinanti & aliquantulum quiescenti subito Virgo hæc sacra apparuit, & post piissima verba ipsam admonuit ut fideliter proprium ei commendaret filium. Ad quam visionem evigilans dolorosa mater, sanctæ Virgini subito devote filium commendando, facto voto quod una cum ipso suas cum decenti oblatione visitaret Reliquias, subito ille, qui motu sensuq; privatus ante matrem jacuerat, non sine magno adstantiũ gaudio & admiratione, per seipsum de terra surrexit, & omnis plaga *c* ossiumque fractura, nullo penitus interveniente naturali remedio, taliter cõsolidata sunt & sanata, quod in termino dierum quatuor sanus & incolumis rediit ad propria consueta exercitia.

a

b Ex alta arbore lapsus

E

& Agneti à matre commendatus,

c sanus ab omni plaga surgit.

86 Simile quid accidit in castro quodam Senensis comitatus, quod Castiglionum *d* dicitur: nam puer unus ex ponte quodam altitudinis cubitorũ sedecim cadens in terram, semivivus matri delatus est: quæ emisso voto, quod una cum filio nudis pedibus sacras B. Agnetis visitaret Reliquias, altareque filo circumdaret argenteo, ac imaginem filii offerret, brevi temporis spatio plene ab omni percussura sanatum incolumem recepit. In villa comitatus Montis-Politiani, quæ Gratianum-vetus dicitur, puer quidam, Guidonus nomine, *e* dum in asino domum rediret, de asino ipso tam graviter corruit, quod domum delatus, ad extrema perductus, candelam ei de more accenderunt, ejus transitum expectantes. Quod mater *f* cernens, ac filii mortem timens, Agneti virgini devovit se sacras ejus visitare Reliquias una cum puero, si & à Domino vitam impetraret. Quo facto puer subito convaluit, ac perfectam sospitatem in conventu plene adeptus est.

d item puer sanus de ponte,

d

F

e alius ex asino præcipitatus,

f

87 Quidam, qui Gratinus dicebatur, Senensis, à quodam inimico suo graviter in capite percussus, cum à medico, qui curam ejus susceperat, os quoddam ex capite extraheretur incaute, vena capitis est aperta. Quam, ob copiosum sanguinem effluentem, arte sua sanare non valens, de ipsius vita desperans, ab eodem medico derelictus est. Quod videntes parentes ejus, qui circa infirmum tristes & mœsti assistebant, infirmo suaserunt, ut cum fide non dubia ad sanctam virginem Agnetem recurreret, per quam Omnipotens miranda operabatur. Ad quorum verba compunctus infirmus, fideli corde seipsum huic almæ Virgini commendans, promisit suum sacrum visitare corpus, imaginemque ceream offerre, si à Domino quasi deperditam vitam impetraret. Subito parumper obdormienti sancta Virgo apparuit, ipsumque consolando promisit, quod in brevi sospes evaderet; & sic visione recedente, sanguis se restrinxit & plaga mirabiliter per seipsam sanata, brevi temporis spa-

plaga capitis & venæ ruptura

consolidatur.

A ris spatio fuit perfectissime liberatus. Hoc autem miraculum cum juramento, coram Notario & testibus, attestatus est. *g*

g *incendium grave restinguitur.* *h*

89 In villa quadam comitatus Perusini, vulgariter *h* Cuglianum nuncupata, ex aliquorum incuria ignis taliter accensus est, quod humano deficiente auxilio, omnes totius villæ ultimam præstolabantur consumptionem. Quod viri quidam timorati cernentes, humili cum prece B. Agnetis implorabant auxilium, promittentes suas visitare Reliquias. Quo facto ignis taliter vim suam restrinxit, quod omnes aperte perpenderunt virtutem quamdam divinam incendio illi se opposuisse. Unde videntes villæ præfatæ habitatores, brevi temporis spatio incendium extinctum fuisse, miraculum cognoscentes, Deo & B. Agneti immensas pariter gratias egerunt.

illuminantur cæca tres, cæci duo.

90 Quamplura alia miracula, de quibus publica extant instrumenta manu Notariorum subscripta, ob tædiosam prolixitatē evitandam sub brevi compendio narrabimus. Mulier quædam, quæ per annos octodecim lumine visus oculi sinistri privata fuerat, ad ecclesiam B. Agnetis veniens, infirmū oculumdevote cum velo, quod sacras tetigerat Reliquias, tangens, subito illuminata fuit. Consimile beneficiū donavit hæc sacra Virgo mulieri cuidam de Clanciano, B & viris duobus qui totaliter cæci facti erant. Similem etiam gratiam consecuta est mulier alia, quæ facto voto visitandi sacras virginis Agnetis reliquias pedibus nudis, continuo illuminata fuit *i*.

i *contractus erigitur.*

91 Extendere me nolo ad narrandum multiplicia miracula, variis contractis & claudis facta, quæ de facili cognosci possunt, si quis tabulas & cereas imagines, ad ejus venerabile corpus dependentes, perspexerit. Unum tamen mirabilius & aliis notius interseremus, quod in castro Monticelli quidam notissimus contractus, cui nomen erat Petrus, ex non parva ossium contractione, & nervorum ita vi naturali privatus erat, quod non nisi magna cum difficultate ambulare poterat, cum ligneis sustentaculis tamen. Cum autem fama mirabilium, quæ Dominus per hanc almam Virginem operabatur, ad aures ejus pervenisset; deliberavit firma fide sacrum ejus corpus visitare. Unde quam primum ecclesiam, in qua corpus hujus sacræ Virginis quiescebat, ingressus fuisset; tanta fuit virtus hujus Virginis sanctæ, quod erectum fortificatumque omne os contractum & nervum debilitatum in se sentiens, stupens inseipso cognovit se perfecte sanatum: quippe in altum se erigens, & præ gaudio tamque stupendo miraculo, inutilia sustentacula projiciens, C currens & saltans Deum sanctamque Virginem jugiter laudabat.

l *loquela restituitur viro ac mulieri:*

92 Vir quidam habitator *l* Cursignani, qui à nativitate surdus & mutus fuerat, cognitis per externa signa mirandis, quæ per sponsam suam Dominus operabatur; eidem devote se commendans, & firma fide, continuo loquendi simul & audiendi usum recepit. Quapropter coram proprio se præsentans Sacerdote, integre omnia peccata sua confessus est, & cum eodem Sacerdote sacras Virginis visitans Reliquias, coram Notario & testibus tam stupendum recitavit miraculum. *m* Mulier quædam ex quadam infirmitate gravi usum loquendi perdidit, ita quod per eam quindecim annos muta permansit: quæ beatæ Virgini humiliter se commendans, continuo pristinæ amissæ loquelæ restituta fuit, Deo & sanctæ Virgini gratias agens *n*.

n *eadem adimitur blasphemanti Agnetis miracula,* *o*

93 Non minimum argumentum amplissimi meriti hujus sacræ Virginis subsequens miraculum esse demonstratur: nam in castro Montis-Politiani *o* quidam fuit, qui non solum frequentibus hujus almæ Virginis recitatis miraculis fidem non præstabat, imo ipsa cum quadam irrisione deridebat. Unde vice quadam juxta ecclesiam, in qua corpus sanctæ Virginis requiescit, transitum faciens, & occurentia miracula narrari audiens, ipsa mordicus irridebat. Post hæc intrans ecclesiam, risu valde dissoluto & cachinnis nec non & vanissimis verbis impudentissime divinis effectibus detrahebat. Quamobrem volens justissimus Dominus ostendere, quantum sibi talis impudica irrisio temerariusque contemptus displicuisset, intrans infelix incredulus ille domum propriam, subito Dei judicio loquela privatus est. Quapropter in seipso compunctus, commissum agnoscens delictum, devote & humiliter ipsius sanctæ Virginis imploravit auxilium, quam antea superbus irreverenter contempserat. Frequentans igitur per tres continuos dies preces, promittensque quod linguam amplius non laxaret ad tales nefarios usus, tandem inclinata hæc clementissima Virgo, divina ultione manifestata, illi perditam impetravit loquelam: unde factum est, ut ille qui fuerat hujus almæ Virginis irrisor, fieret continuo gloriæ ipsius efficacissimus prædicator.

AUC. RAYMUNDO CAP. EXMS *& pœnitenti redditur.*

liberantur energumenus

94 Vir quidam habitator Montis-alti, [habebat filium] quem taliter ab ætate tenera maligni agitabant spiritus, quod nullo pacto alicujus Sancti imaginem aspicere poterat, nec in ecclesia quando divina celebrantur persistere valebat: qua de re audientes parentes ejus, mirabiles, quas per hanc sacram Virginem Dominus operabatur virtutes, filium ita vexatum ad præfatæ Virginis ecclesiam duxerunt, & subito malignus spiritus obsessum tam diu corpus reliquit *p*. Mulier *q* quædam tantum ab infernalibus spiritibus molestata fuit, quod nisi impedita fuisset, multoties seipsam peremisset: unde multoties per sacros exorcismos adstricti dæmones, se exire non posse vociferabant de corpore, nisi B. Agnetis virginis ecclesiam visitarent. Propter quod vir ejus & consanguinei, consueto intervallo exspectato, quo à malignis spiritibus non vexabatur, dictæ persuaserunt obsessæ, ut Agnetæ virgini se devote commendaret, promitteretque suas visitare Reliquias. Quod pariter exequentes, cum ad castrum Montis-politiani appropinquarent, prævidentes maligni spiritus suam expulsionem, ab incepto impedire conati sunt monstruosis actibus; execrabili voce clamantes, quod ulterius progredi non poterant. Quamobrem amplius comitantes consanguinei confortati, violenter intra ecclesiam conduxerunt subitoque à vexatione malignorum spirituum fuit plenissime liberata.

E

p q *& energumena.*

F

pudicæ mulieri violatam maleficium dissolvitur.

95 Non minus memoria dignum est & imitabilis exempli honestissimis mulieribus, quod narrare intendo. Fuit in comitatu Perusino juvencula quædam pudicissima, cujus pulchritudinis & venusti aspectus [amore] scelestus quidam ac nefandus Sacerdos captus; cernens inefficacem esse omnem expertum conatum, ut ipsius constans propositum posset [superare]; volensque omnino effrænato suo satisfacere desiderio, tali modo diabolica arte, mediante quodam alio sacrilego Sacerdote, dictæ juvenculæ molestus erat, quod per bestiales & impudicos actus, imaginationi ipsius præsentatos, erat quasi ab omnibus propter insolitos actus insana & amens reputata: propter quod vir ejus, infirmitati ejus condolens, ex omni parte opportuna querebat remedia. Votum igitur vovit B. Agneti virgini, ut si dulcissimam ejus consortem à tam miserabili casu sua sanctissima prece liberaret, una pariter, divinum magnificando miraculum, suas devotissime visitarent Reliquias, hoc inter omnia potissimum reputans ac singulare [remedium]. Facto igitur voto, paulatim cœperunt infernales deficere nequitiæ, & brevi temporis spatio integraliter fuit per merita B. Agnetis liberata.

f

AUC. RAYMUNDO CAP. EX MS

s t

Grossetanus ei vu è carcere dimittitur:

96 Vir quidam s habitator civitatis quæ Grossetum nuncupatur, in bello captus à Comitibus de t S. Flora, sub pensione centum quinquaginta florenorum, diro carceri & asperrimis tormentis damnatus; aliud non reperiens in tantis angustiis refugium quam cum lacrymis clementissimum Dominum implorare, mediante hac sacra Virgine; cum hujus sanctissimum nomen ei ignotum esset, Deum ferventissime exorabat, quatenus dictum nomen ei revelare dignaretur, dubitans propter hoc non exaudiri. Nocte autem sequenti, dum quiescendo dormiret, apparuit ei B. Agnes, tota splendida, & nomen ei suum manifestavit, ipsum dulciter [admonens] quod si suas promitteret visitare Reliquias, esset continuo liberatus. Evigilans autem ille devotus, voto subito emisso, omnis aspera catena miraculose fracta est, portaque patefacta, & liber de manibus inimicorum suorum securus evasit: quamobrem, juxta promissam fidem, sacrum Virginis corpus visitans, absque dubio cognovit ipsam veraciter fuisse Agnetem sanctam, quæ ei in carcere posito apparuerat, de ipsoque obscuro carcere miraculose eduxerat.

B

u

& quidam capitis reus è vinculis,

97 Alius quidam, u propter perpetratum homicidium Aretium ductus, ut capite puniretur; devote se Agneti virgini commendavit. Nocte sequenti, antequam ad præfatam perveniret civitatem, beata Virgo ei apparens, dixit: Postquam, fili, te mihi commendasti, nullo modo mortem timeas: sed quã primum cum armatis satellitibus, castro dicto x Plebe propinquus fueris, fractis divina virtute omnibus quibus ligatus teneris vinculis, in vicinam domum diruptam confugies tibi propinquam: in qua obcæcati satellites te non invenientes, vacui ad propria revertentur. Quæ omnia, prout sibi ostensum fuerat, adimpleta fuere. Simile etiam accidit cuidam Perusino, qui cum in obscuro quodam carcere & in fundo cujusdam turris inclusus esset, ob quoddam à se perpetratum scelus, deberetque in brevi capitalem subire sententiam, devote in sui auxilium beatam invocabat Dei Genitricem. Apparuit autem ei beata Dei Genitrix Maria nocte sequenti, [monens] ut beatæ Agnetis invocaret [auxilium,] quia multiplicibus eam Dominus decorare miraculis disposuerat. Evigilans autem captivus ille, continuo huic sacræ Virgini (cujus nomen solummodo in visione cognoverat) promisit, si suis meritis à tali liberaretur periculo, se ecclesiæ suæ perpetuo serviturum. Facto voto subito se reperit extra carcerem, à duris catenis & compedibus liberatus. y

x

y q

iterum alter incarceratus

C

sanantur, mulier amens,

z

98 Volens omnipotens Deus in omni gradu hanc ancillam suam decorare, suam potentem virtutem per ipsam in quadam incurabili & desperata amentia manifestavit. Nam mulier quædam Aretina, z quæ excepto quodam lucido intervallo rationis usu penitus privata erat, B. Agneti devote se commendans, interioribus firmatis sensibus, fuit plenarie sanata. Inter alios etiam per merita hujus almæ Virginis liberatæ sunt personæ decem, ab horribili epilepsiæ morbo. Quædam mulier doloribus pleuresis vehementer afflicta, implorando auxilium B. Agnetis & Christinæ Virginum, quas in summa devotione venerabatur, ambæ sibi in visione apparentes; B. Christina, ut sibi videbatur, post longam concertationem, dixit, se à Domino obtinuisse, ut ab Agnete impetrare deberet auxilium. Unde infirmæ pectore leniter discooperto, super locum doloris Agnes sancta manum apposuit, dicens: Confortare, filia, quia plenarie sana eris. Mira res. Illa tali modo disparente, devota illa mulier plene sanata est, ita quod illo in loco dolorem de cetero non sensit. w

epileptici decem,

pleuritica una,

w

D

ANNOTATA.

a *Est* Ascianum *ad Umbronis initia situm, paulo vicinius Monti-Politiano quam Senis, media ferme via.*

b *Graduum triginta scalam fuisse Surdinus ait.*

c *Fuisse plagam capitis idem scribit, ejusq; nil preter parvam cicatricem post miraculum superfuisse: quemadmodum, ex ore matris, rem ex voto narrantis, descripsit manu propria Iacobus de Laterina; Confessor monasterii ex Ord. Pradic.*

d *Distat* Castilionum *circiter 10 p. m. in valle Orcia situm oppidum, ad Loritam fluviolum.*

e *Surdinus ait tenerrima ætatis fuisse, & domesticos culpat, quod sic temere asino imposuerint, neque adjunxerint aliquem qui asinum duceret.*

f *Idem pro matre, consanguineam aliquam dumtaxat nominat, & voto addit cereæ imaginis promissionem.*

g *Ex instrumento desuper confecto docet Surdinus, miraculum Aretii contigisse.*

g Cuglianum *à Monte-Politiano distans 8 circiter p. m. trans Clanias paludes.*

i *Eadem miracula ex ipsis instrumentis simili fere brevitate referens Surdinus, primæ mulieri, nomen Gemmam, patriam Montem-Politianum fuisse ait; secundæ, patriã Clancianum, nomen Dulcinam; & utrique unum solum oculum vitiatum. Idem primum virum, patria Aretinum, nominat Vannuccium; alterum Fojanensem, Angelum appellat: deniq; ultimam mulierem Perusinam facit, quæ Lætitia dicebatur, aitque non tantum nudis pedibus sed etiam cilicio indutam ire voluisse: neque subito, sed proximo mane oculo sinistro, postridie etiam dextero videre cœpisse.*

k *Surdinus sex miracula hujus generis addit, quæ infra cum aliis colligentur.*

l *Hodie* Pientia *dicitur à Pio* II, *inquit Surdinus; & viro nomen facit* Puccius, *sive* Philippucius.

m *Addit idem testari Raymundum, quod instrumentũ desuper confectum sæpe viderit: sed id hoc loco non reperio clare dictum: videtur autem Surdinus insinuare, ipsum non amplius extitisse cum scriberet.*

n Minam *appellatam fuisse idem ait, & miraculum accidisse in ecclesia S. Agnetis.*

o *Addit etiam habitasse eam in platea, cui nomẽ* Caniani.

p *Contigit, hoc teste Surdino, ipso quo Beata mortua est anno, puer autem Ioannes, pater vir pauper, Bernardus dicebantur; habitabantq; non in* Monte-alto, *qui Senis ad Orientem adjacet intervallo milliarium 8: sed in* Castello *seu* Monte-Latronis, *media inter Senas & Castrum via, utrimque distans ad p. m. circiter 30.*

q *Fojanensis hæc fuit, nomine* Benedicta. *Est autem* Fojanum *intra quintum ab urbe Senensi lapidem.*

r Monaldus *hic, ista vocabatur* Meldina, *quam decem dæmones infestabant, ut patuit ex Instrumento.*

s *Nomen ei* Vannuccius *erat.*

t S. Floræ *castrum æquo pene intervallo distat à Grosseto & Monte-politiano, à recta via modice deflectendo ad fines Urbevetanos.*

u *Ex villa, ait Surdinus, quæ dicitur* Abbatia Pini; *forsan* Plani *(sic enim notatur in tabulis) dictus à vulgo rusticano* Capotone.

x *E regione Clusii trans paludes Clanias distans ab Abbatia circa 20 p. m. atque hinc deinde secundum dictas paludes, rectum iter Aretium ducit.*

y *Addit Surdinus, post aliquanti temporis servitium in ecclesia B. Agnetis, occasione uxoris suæ coactum dimissionem petere à Sanctimonialibus, remeasse ad propria: nominatumque fuisse* Seum de Plegario, *eoq; pluris æstimandum miraculum, quod ita vinctus ut erat extra carcerem se invenerit, nesciens ipse quo modo; domumque adrepens ut potuit, ibi solvi catenas fecerit, atq; ita venerit in Montem-Politianum ubi curaverit miraculũ à quodam Fr. pro concione enarrari.*

z *Nomine* Gratia, *uti ex instrumento habetur.*

w *Addit Surdinus ex districtu Urbevetano fuisse mulierem, & miraculum in se factum narrasse Fr. Nallo Ord. Prædicatorum*

E

A dicatorum viro magna sanctitatis & miraculis claro, qui ipsum in scripta redegerit, idque testari Fr. Raymundum in Vita hujus Beatæ: ex quo apparet illam hic haberi quadamtenus mutilam, & supplementum optari.

ANALECTA
Potissimum ex Italico Fr. Laurentii.
CAPUT I.
Reliqua quædam miracula.

1 *Ambrogius Taegius hic finem faciens, idque verosimiliter, quia nihil ultra reperit in Ms. Politianensi (sicuti nec reperisse videtur Laurentius Surdini Mariani, eumdem, qui hic servatur, miraculorum ordinem servans etiam ipse) conclusionem addere parabat* de quodam stupendo miraculo, nostris temporibus inaudito; *hoc modo exordiens*: Finem jam antiquis ponendo miraculis, unum solum mirabile narrare intendo, quod Christus Jesus Sponsus Virginum, ut frigida mortalium corda in devotione suæ prædilectæ Sponsæ accenderet, nostris voluit demonstrare temporibus multoties, anno Domini MDX, & singulariter die ultima Januarii & XXVII Februarii assistentibus. *Hactenus Taegius: cetera scribere volenti, tunc forte improvisum aliquod impedimentum se objecit; postea autem memoria excidit, ut intermissam narrationem continuaret, eo majori historiæ damno, quod de iis quæ narrare parabat, nulla videantur Instrumenta condita, quorum beneficio potuisset Surdinius eorum meminisse. Placuit tamen non occultare fragmentum initiale, si forte aliquando inveniantur tali indicio cetera, in Supplemento danda. Nunc alia pauca, quæ vel non attigit Fr. Raymundus, vel Taegius transcribendo præterit, antiqua miracula hic colligimus, qualia ea apud Laurentium Surdini Italice recitantur.*

desideratur miraculum anni 1500,

B

2 Mulier quædam, nomine Rosa de Monte-Politiano, adeo debilis pedibus ut absque subalaribus fulcris nequiret incedere, B. Agnete invocata obtinuit gratiam expediti incessus, & priusquã ab ecclesia egrederetur crocias suas tradidit Fr. Bartholomæo Priori & Confessario conventus, & domum cum gratiarum actione reversa est libera. Alia similiter Politianensis civis, Milia dicta, jurejurando affirmavit, quod filius suus multis annis mancus pedibus, voto per ipsam facto ad S Agnetem, subito obtinuit sanitatem. Pari modo sanata fuit mulier alia, cui quædam infirmitas tibiæ gradiendi abstulerat facultatem. Cortonensis quidam faber, dictus Brucciarellus, simili successu fecit votum offerendi ad corpus B. Agnetis imaginem ceream pro filiolo, pedum ac tibiarum nervis contracto. Angelus de Monte-Politiano, per contractionem nervorum ad eum reductus statum, ut nec fulcris quidem juvare gressum posset, & integro mense loquela se privatum cerneret; aliquot ceræ libras vovit, & continuo restitutus est pristinæ sanitati: qui mox, sicut & Mendus quidam ex vicinia Montis-Politiani, à pari incommodo tibiarum liberatus vovendo cereum intortitium, coram Notario & testibus fidem fecerunt facti in sua persona miraculi per publicum instrumentum.

sanantur claudi varii,

C

item muta

3 Mancuccia quædam, decimum octavum mensem muta, magna cum fide veniens in Montem-Politianum ad visitandũ corpus B. Agnetis, gratiam promptæ loquelæ subito impetravit, idque confecto instrumento publicum etiam fecit. Huc etiam spectat P. Roberti Bellarmini è Societate Jesu postea S. R. E. Cardinalis testimonium, in quadam ad Dominicum Danesium Epistola sic scribentis: Testis esse possum insignis miraculi, quod me puero contigit in civitate nostra (fuit enim ex Monte-Politiano Bellarminus oriundus) quod nescio an sit ab aliquo litteris mandatũ. Summa hæc est. Concionabatur in summo templo per Quadragesimam vir quidam valde pius ex Ordine Prædicatorum: at nefarii quidam homines magicis incantationibus effecerunt, ut cum is in suggestum ascenderet, continuo vox eĩ deficeret. Tandem voto concepto ad D. Agnetem, detectæ sunt incantationes, & vox reddita. Ego illum in suggestu vidi semel atq; iterum, cum loqui nullo modo posset; & paulo post eumdem audivi, cum in templo S. Agnetis clarissima voce sermonẽ luculentum de ejusdem B. Virginis laudibus haberet ad populum, & simul miraculum enarraret & vota persolveret. *Natus est Bellarminus anno Christianæ Æra* MDXLII, *ætatis an.* XVIII *Societatem nostram ingressus: anno autẽ* MDLXXVI *è Belgio regressus in Italiam, tandem* MDCIX *creatus est Cardinalis: ex quo de tempore tum facti miraculi tum scripti testimonii facile est arbitrari.*

& concionator per maleficium obmutescens,

AUCTORE D. P.

4 Quidam Aretini Comitatus indigena, ex Castello quod Laterina dicitur, nomine Blancuccius, captus à Comite Aginolfo, & intra profundam turrim conclusus fuit, custodibus insuper adhibitis. De cujus salute cũ multa esse inter consanguineos ejus dubitatio, quidam ex illis nomine Cambius, vovit si amicum salvum reciperet eum deducere ad Montem-Politianum. Ille autem ipso instanti sensit sibi invisibili manu solvi catenas, & vidit ultro sibi aperiri minorem portulam dictæ turris, per quam egressus, velocissime properavit in domum suam, narraturus quod sibi acciderat miraculum: quando obviam ei factus Cambius, & magno cum stupore cõplexus amicũ, interrogavit qua hora esset è turri egressus. Cumq; comperisset quod eadẽ qua votum ipse fecerat, pariter ambo se contulerunt ad ecclesiam S. Agnetis, ibique suo jurejurando coram testibus fidem fecerunt miraculo quod narrabant. Invenitur præterea quod B. Agnes varios ab hydrope, acutis febribus, diversisque morbis liberarit: item ab incendiis, inundationibus, aliisq; ejusmodi casibus, quæ non est visum deducere singula, tum ne prolixitas circa res non admodum grandes, si conferantur cum prioribus, tædium pariat; tum quia non habentur, sicut hæc, authenticis scripturis testata ac roborata.

ad amici votum captivus absens liberatur,

E

alia multa gratia impetrantur.

CAPUT II.
Honor corpori sancto exhibitus & varie auctus.

5 Anno MCCCLIV cum Italici populi male sibi metuerent à nimia Vice-comitum Mediolanensium potentia, Lombardiæ fœderati cum civitatibus Hetruriæ inierunt armorum societatem; quibus accesserunt Veneti, Patavini, Veronenses, Mantuani & Ferrarienses; & Carolo IV Imperatori persuaserunt, ut cum exercitu veniret in Italiam, quod fecit die XIV Octobris anni supra memorati. Anno deinde sequenti iter per Hetruriam instituens Romam versus, die XX Aprilis prandium sumpsit in Monte-Politiano, rerum ibi tunc potientibus Jacobo & Nicolao Cavaleriis, & varia loco privilegia concessit, prout etiam nunc in libro, Copparum dicto, legere est. Cum autem illa ipsa dies, ex more jam inducto, admodum festiva esset civibus, transitum B. Agnetis ex hoc mundo celebrantibus, & corpus ejus ostendi deberet populo judicatum est expedire ut ea de re admoneretur Imperator. Gratissimum id accidit Imperatori pientissimo; qui proinde cum toto suo comitatu interesse tã solenni actioni voluit, adfuitq; magno suo bono. Mox enim ut aperta fuit arca, ipsa etiã Beata aperuit oculos eosq; intendit in Imperatorem; quemadmodum diffuse scriptum reperitur in appendice ad vitam Beatæ, scriptã in pergameno ipsius Fr. Raymundi manu, ut voluit quidam, alii quibus idem videtur esse tam Vitæ quã appendicis character, scriptorem utriusq; faciunt Vincentium Marottam Gissonensem Legum Doctorem, qui B. Agnetis Vitam versibus

F

corpus visentis oculos ipsi suos aperit,

AUCTORE D. P.

versibus hexametris pentametrisq; descripsit; Appendicem autem sic orditur: Ut legi in quibusdam chronicis vetustissimis sic de verbo ad verbum habetur &c. *Hoc autem optaremus sic quoque habere.*

eumque Ordini Prædicatorum conciliat,

6 Quid Imperatori intus in corde tunc dixerit sacra Virgo, quæ tam amanter eū intuebatur exterius, novit ipse qui expertus est. Si quis voluerit considerare, quanto exinde affectu prosecutus ipse sit Ordinē Prædicatorum, à quo alieniorem ipsum reddere aliqui conabantur, resuscitata importune calumnia de veneno, quod ipsius avo Henrico Luxemburgio sub sacra Hostia datum fuisse per Confessariū, dicti Ordinis Religiosum, rumor sparserat; vanus ille quidē falsissimusque, adeo tamē late vulgatus, ut necesse habuerint Cardinales epistolā scribere ad Prælatos Alemanniæ super assertionem innocentiæ Fr. Bernardi de Monte-politiano (perperam aliqui de Monte-Pessulano scripsere) hæc inquam considerare qui voluerit, haud abs re suspicabitur intuitu illo voluisse Beatam excusare simul & commendare Ordinem suum, aut corroborare constantiam in eo amando ac protegendo. Agnovit autem favoris sibi facti excellentiā Imperator, & in vicem varia pretiosa munera donavit ecclesiæ; inter quæ etiam pulcherrima quædam arma fuere, eminenti loco juxta altare Beatæ collocata, de quibus testatur Fr. Modestus Billiotti, anno MDLXII Prior conventus Politianensis, dictum sibi esse à Fr. Petro Pistoriensi admodum sene, quod ab iis qui dicta arma adhuc ibi viderant, sermonem crebrius illatum meminisset: fuisse autem alienata propter extremam conventus indigentiam, bellis circum circa ardentibus. *Ad hanc terreni Imperatoris visitationem addi potest, alia longe testatior famosiorque & miraculis illustrior, post annos circiter* XXV, *per S. Catharinam Senensem: sed quoniam in dicta Sancta Vita plene describitur, ab eodem qui Agnetis Vitam juvenis scripsit Raymundo Capuano, ad eam illic num.* 195 *legendam remittimus lectorem in diem* XXX *Aprilis.*

& muneribus honoratur.

B

Conceduntur Indulgentiæ

7 Tanta autem ecclesiæ S. Agnetis accessit celebritas per gratiam, Imperatori, uti dictum est, factam; ut Fr. Augustinus Episcopus Narniensis anno MCCCLVII, per bullam quæ incipit, Splendor paternæ gloriæ, de consensu diœcesani Episcopi constituerit omnibus ecclesiam S. Agnetis visitantibus quadraginta dierum Indulgentias. Anno deinde MCCCLXXX Cardinalis Galeottus Tarlati de Petra-mala, tempore Urbani VI, ampliores dierum centum indulsit, pro festis B. Agnetis, diebus Paschalibus, Divæ Virginis & Apostolorū solennitatibus, nec non S. Joannis Baptistæ, S. Laurentii, S. Stephani, singulisq; Dominicis Quadragesimæ. Postmodū seculo nobis viciniori & an. MDXXXI Paulus Papa III vivæ vocis oraculo, per Cardinalem Cervinum postea Marcellum Papam, omnibus, qui ad Kal. Maji rite peccata confessi sacraq; Communione refecti, in prædicta ecclesia preces devote funderent Plenariam Indulgentiam est largitus: quā simili modo per Cardinalem Joannē de Riccis renovavit Pius Papa IV anno MDLXI. Cum autem anno ejusdem seculi LXVIII Provinciæ Romanæ Patres in Monte-Politiano celebrarent Capitulum Provinciale, concessit Pius V, ut dicto Capitulo durante ipsam ecclesiam adeuntes, toties quoties, lucrarentur Indulgentias annorum septem & totidem Quadragenarum. Denique cum ego indignus constitutus essem dicti conventus Prior anno MDCII, rogatus Reverendissimus Episcopus noster Salustius Taurusius, per Cardinalem Taurusium impetravit similem indulgentiam pro XX Aprilis, quinquennio duraturas.

C

etiam Plenaria

Monasterium quod Virginum fuerat,

8 Porro monasteriū istud S. Mariæ novellæ ut fuit à S. Agnete pro sacratis Deo Virginibus institutū, sic perseveravit usque ad tempora Eugenii IV; quando propter continua per Hetruriam bella, & imminutā populorum pietatem ac Sanctimonialium paucitatē, judicatum fuit, non posse aut in tam exiguo numero servari congruam disciplinam, aut eumdem in iis temporū circumstantiis commode augeri. Itaq; per Procuratorem Ordinis Generalem Fr. Jacobum expositus Pontifici est monasterii status calamitosus, qui an. MCCCCXXXV die XX Junii mandavit, ut paucæ illæque quæ supererant ad conventum S. Pauli Urbevetani traducerentur, atq; ut suppresso monasterii nomine fieret conventus Fr. Prædicatorum: quibus insuper idem Pontifex anno post secuto attribuit Hospitale S. Petri, cū omnibus suis facultatibus. Paulo ante obtinuerant iidem Patres à Martino Papa V monasteriū S. Lucæ quod fuerat monacharum Sacchitarum, in quo primum recepta fuerat B. Agnes, atque in illud immigrarant; sed quia hunc locum parum commodum usibus suis reperiebant, obtinuerunt iidem ut ipsum cedere possent Confraternitati S. Sebastiani, quæ eo titulo quovis anno gratam accepti beneficii testatur memoriam.

D

fit conventus Fratrum an. 1435.

9 Cum igitur ibi jam habitarent Prædicatores, cœperunt solicitius cogitare de corpore B. Agnetis honorificentius habendo, atq; Communitati suadere ut specialem aliquem ornatum eidem faciendum decerneret. Facta igitur est ex nuce grandis capsa, in formā tumbæ elegantius laborata atq; inaurata, intra quam collocatum est sacrum corpus; supra eam vero sanctæ Virginis statua in habitu Dominicano: ipsius quoq; arcæ factæ sunt tres claves, quarū una penes Fratres manet, duæ aliæ penes Communitatem: atq; ita facta est translatio ab uno latere, ubi eo usque jacuerat tantus thesaurus, ad ecclesiæ caput subtus aram principem. Anno deinde MDXXXIX Cardinalis Gaddus, nescio quo accepto beneficio B. Agneti obstrictus, per D. Franciscum Bartoli misit pluries bonam pecuniæ summam, ad prædicti altaris ornatum ex ligno artificiose sculpto, quem volebat auro illustrari: sed mors præveniens invidit absolutionem præclaro operi, quod ut magnificentius assurgeret, pro sua quoque parte haud levem summam contulerat Communitas Politianensis ad lapideas bases, operi assurrecturo subjiciendas, prout hodieque cernitur.

sub his fabricatur nova arca,

E

transfertur corpus,

altare ornatur.

10 Accidit autem ut cum aliquando arca prædicta aperiretur coram primoribus oppidi multisque aliis assistentibus, ut sacrum corpus sudarit sanguinem: quod cum credere referentibus quidam nollent, rursum ipso Paschatis die cruentus sudor copiosius prorupit; neq; dubitatum fuit, quin motus bellicos, quibus tota esset Hetruria commovenda, portenderet. Affirmat etiam D. Dominicus Danesi, audivisse sæpius D. Spinellū urbis Episcopum, quod avus suus publice narraverit, quomodo preteritis tēporibus contra Senenses rebellarit Mons-Politianus: quam ob causam Carolus VIII Rex Franciæ, Neapolim properans (fuit id an. MCCCCXCIV) substiterit Monte-fullonicæ, intendens mittere partē exercitus, ad cognoscendā rebellionis causam culpāq, vindicandam Gravi igitur imminentis excidii metu cōsternati, oppidani, corpus B. Agnetis, quod in sua ecclesia extra oppidū manebat, deferri fecerunt cum decenti luminariū comitatu ad ecclesiam majorē: quæ luminaria in proximo Montis-fullonicæ castro visa, in oculis Regis regiorumq; ministrorū visa sunt pene innumerabilia, suspicionemq; dedere magnarum copiarum ad loci tutelam adductarum: quare mutato consilio castra moveri jussit Rex, nulla molestia Politianensibus illata. Plura similia alia referuntur, quæ quia sola vulgi traditione nituntur prætereunda putavi; ne hactenus dictis quæ vel ex scripturis authenticis vel ex testibus omni exceptione majoribus habentur, istiusmodi narrationum minus certarum admixtione detrahatur auctoritas.

corpus sanguinem sudat.

F

urbs ab excidii periculo liberatur.

CA-

CAPUT. III.

Festum & Officium proprium B. Agnetis à Sede Apostolica impetratum.

11 PErseverabat in hunc modum apud Politianenses æstimatio grandis de B. Agnetis sanctitate, & Kalendis Maji quotannis accurrebat innumera hominum multitudo ad corporis incorrupti conspectum venerationemque: non tamen inter divina officia diei illius, cui ipsa præcipuam dabat celebritatem, ejus audiebatur nomen. Itaque Fr. Angelus de Diaccetto, tunc Provincialis Romanus postea Episcopus Fesulensis, ut erat erga B. Agnetem devotissime affectus, impetravit à Pontifice hujusmodi Breve:

Clemens 7 indulget Politianensibus

Dilectis filiis Priori & Fratribus Domus Ordinis Fratrum Prædicatorum, ac Vniversitati & hominibus Montis-Politiani, nullius diœcesis. Clemens Papa VII salutem & Apostolicam benedictionem. Romanus Pontifex, Salvatoris D. N. Iesu Christi Vicarius, ipsius Domini electos, quos vitæ puritas & excellentia meritorum commendat, laudibus personare præcipuis & spiritualibus honoribus venerari disponit: ut Christi fideles, eos invocantes, ipsorum precibus & meritis adiuti, regni cælestis participes facilius effici mereantur. Exponi siquidē nuper nobis fecistis, quod cum Beata (ut pie creditur) Agnes de Monte Politiano, Monialis Ordinis S. Augustini sub cura Fratrum Prædicatorum, dum in humanis ageret, exemplari vita, odore bonæ famæ, & sanctimonia plurimum claruit, ac etiam nunc in domo Ordinis eorumdem Fratrum oppidi Montis-Politiani, nullius diœcesis, in qua sepulta existit, cooperante Altissimo, quamplurimis fulgeat miraculis: & propterea cuperetis, ad Divini nominis laudem & gloriam, eamdem B. Agnetem, ad quam singularem geritis devotionis affectum, licet inter Sanctos relata & canonizata nondum existat, colere & venerari. Nos igitur qui fideles singulos ad devotionis actus libenter incitamus, vestris in hac parte supplicationibus inclinati, vobis, ut dictam B. Agnetem, licet canonizata non sit, in ecclesia domus prædicti Ordinis, & aliis dicti oppidi ecclesiis, & in dicto oppido tantum, privatim & publice ac solenniter venerari & colere, nec non de illa Officium proprium celebrare, ac solenne festum facere libere & licite valeatis, auctoritate Apostolica, tenore præsentium concedimus & indulgemus, non obstantibus ordinationibus Apostolicis ceterisque contrariis quibuscumque. Datū Romę, apud S. Petrū sub annulo Piscatoris die XXVIII Maij, MDXXXII, Pontificatus nostri anno IX.

B

ut de S. Agnete festum & officium faciant,

C

an. 1593. composita Lectiones propria,

12 Ex vi talis indulti celebrari cœpit proprium B. Agnetis festum cum officio de Communi Virginum, idque factum usque ad annum MDXCIII, quando visum est fore convenientius si propriæ de ipsa Beata Lectiones ex ejus Vita concinnarentur: quales cum sacræ Rituum Congregationi essent propositæ à R.P. Fr. Augustino de Monte-Alcino Magistro in Theologia, ex parte Ordinis; ex parte vero Cleri Politianensis, à D. Dominico Danesi, Protonotario Apostolico; ipsæque die XXIV Octobris essent in Congregatione lectæ; R. P. Roberto Bellarmino, tunc adhuc Societatis Jesu Sacerdoti, demandata est cura easdem accuratius examinandi: qui imposito sibi munere fideliter functus, sententiam retulit in hæc verba. Ego Robertus Bellarminus testor, me has Lectiones examinasse & invenisse veras omni ex parte. Nihilominus prædicta Congregatio, denuo super his deliberans, die XIV Nov. commisit Cardinali Gesualdo, ut scriberet adm. Illustri & Reverendo D. Spinello Politianensi Episcopo, quatenus dictas Lectiones cum ipsius Beatæ Vita, apud Patres Dominicanos existente in membranis conferret, & siquidem eidem per omnia conformes reperisset, id sacræ Congregationi renuntiare curarent: quod cum anno MDXCIV die XVII Maji fecisset, suamque supplicationem pro earumdem approbatione pariter addidisset; lectæ iterum sunt à Congregatione, easq; prolixiores indicatas cum restrinxisset prædictus Robertus Bellarminus, testor, inquit lectiones has à me antea diligenter examinatas, nunc etiam breviores factas, detracta parte, ut minimum, tertia.

AUCTORE D. P. an. 1594. restringuntur festiva.

13 Denique cum etiam sic prolixiores viderentur, D. Antonius Viperanus vir eloquentissimus, tum forte ad visitanda limina Apostolica Romæ præsens, rogatu Cardinalis Gesualdi magis eas restrinxit, atq; sub hac forma XXX Augusti Congregatio sacrorum Rituum censuit, concedi posse Canonicis & Clero ecclesiæ Cathedralis civitatis Montis Politiani, ut in festo B. Agnetis Virginis, quod ex felicis recordationis Clementis Papæ VII indulto, die XX Aprilis, sub Duplicis officii ritu celebratur, liceat eis recitare tres suprascriptas Lectiones, ex ejusdem B. Agnetis Virginis Historia desumptas, à sacra Congregatione examinatas & approbatas. Sub simili tenore censuit Congregatio permitti posse Patribus Prædicatoribus dictæ civitatis Lectiones novem, quas sibi privatim juxta proprii Breviarii ritum composuerant: & consequenter formatum super ejusmodi concessione est Breve Clementis VIII die XVIII Octobris anno MDXCIV. Congregationis autem dictæ Prosecretarius Rutilius Gallicinus Familiarius, à Bellarmino & Danesio sæpius rogatus, totius negotii processum collegit; & ex scripturis authenticis, apud Cardinalem Gesualdum asservatis, propria manu descripsit, atque in hunc modum conclusit:

iterumque,

& à Congregatione Rituum approbantur;

E

14 Est igitur vobis Politiani cives, quod vobis ipsis mirum in modum gaudeatis; non ob alia quidē quibus affluitis bona, terrena illa quidē & brevi tempore transitura; sed propter hanc beatissimam Virginem, civem & patronā vestrā, cujus pretioso corpore ditati estis Habebit quidem vestra civitas in novissimo die (ut S. Joannis Chrysostomi utar verbis) quam mittat Christo rosam: at non hanc solam rosam, sed & alias plures, nimirum Beatos Joannem & Bartholomæum, utrumque ex familia Martinotia inclytos Christi Martyres; alterum præterea Bartholomæum Pucci Franciscī Franciscū Petrigorium, Hieronymū Paganuccium, & Angelinū Danesium, omnes ex clarissima familia S. Francisci. Mittet præterea alias rosas, nempe Fr. Philippū Augustinianum Martyrē, Fr. Jacobum olim Episcopū in Diatagora Persidis civitate Ordinis Prædicatorum, Fr. Nicolaum Jesuatū, & Bartholomæum Taurusium secularem; quorum eximia sanctitate vestra civitas maxime illustratur. O vos felices! quibus summo Dei beneficio contigit tot habere Christi athletas, tot duces, tot illustres vestræ pietatis ac religionis testes. Novimus alios complures viros, innocentia & vitæ sanctitate conspicuos, quorum nomina scripta sunt in libro vitæ, ex eadem vestra civitate prodiisse; verum non est nobis hoc loco propositum omnes recensere, aliud præsertim agentibus. Vos, inquam beatos & felices! sed multo quidem feliciores eritis, si, quod strenue facitis, ad præclarissimam vestrorum civium, quos enumeravimus, vitam, mores vestros effinxeritis: ut iisdem, quibus illi vestigiis insistentes, ipsorum tandem consortio perfrui mereamini in cælis. Amen.

Politianenses fama sanctitatis clari,

F

15 *Hanc dicti processus conclusionem (etsi ad id quod hic agimus; nihil admodum facientem) integram producere placuit; ut si Politiani cives postquam hæc nostra legerint, possint ac velint suppeditare aliquid circa vitā, miracula, cultū eorū, quos ita pleno ore Beatos iste Congregationis Rituum Prosecretarius, (qui optime scire debuit an & qualiter Beati titulus possit alicui ante judicium Romana ecclesia tribui)*

AUCTORE D. P.

ex quibus aliqui inscripti Martyrologio Franciscano.

tribui) id nobis curent subministrare, huic operi inserendum. Ioannes de Martinotiis anno MDXLV *fertur martyrium in Cayro pertulisse, ad diem* XV *Aprilis in Martyrologio Franciscano relatus, ejusque ut Martyris effigiem spectari apud Politianenses in ecclesia S. Francisci, & alia S. Mariæ ad fontem Castelli, scribit Frater Laurentius cap.* I *operis sui de B. Agnete, ubi & plerorumque hic memoratorum notitiam præbet aliquam. Bartholomæus, Ioannis prædicti gentilis, ipsum ante annos fere centum ibidem præcesserat ad coronam, anno scilicet* MCCCLIII, *& in dicto Martyrologio nominatur ad diem* XXX *Aprilis. Bartholomæus alter, ibidem ad* VI *Maji relatus, miraculis dicitur claruisse circa annum* MCCCXX. *Franciscus Petrigorius, vir Apostolicus, per annos triginta octo laboravit in Mexico, & obiit* MDLXXVIII, *nominatus ad diem* XXIX *Iulii. Hieronymus ad Cappucinos ab Observantibus transiit, & floruit Ferrariæ circa annum* MDXLVI, *cui tribuitur dies* XXIII *Ianuarii: sicut dies* XVI *Iunii Angelino, tamquam Tertiario, cujus imagini in aula publica publicis sumptibus posita subscribitur elogium,* quod D. Franciscum, ad Politianos crebro divertentem, hospitio excepit. *Quibus omnibus ne diem pro suo arbitratu legerit Martyrologii Franciscani auctor Arturus, merito formidamus; ideoque inter Prætermissos retulimus ac porro relaturi sumus, nisi de cultu aliquo ecclesiastico & privata venerationis terminos egresso, atque de illius cultus die certius edoceamur.*

B

alii alibi laudantur.

16 *De ceteris hæc suggerit Fr. Laurentius.* Philippus *circa annum* MCCCLIX *floruit, & Martyrium in Hispania peregit, eoque intuitu in antiquis ecclesiarum vexillis apud Montem Politianum & Pisas depicta cernitur ejus effigies: sed nullum in Augustiniano Ordine cultum habet, ac ne nomen quidem apud scriptores Hispanos. Iacobus Episcopus ad an.* MCCCXXXII *laudatur à sui Ordinis scriptoribus, ut clarus miraculis: sed de anno & die mortis nil additur, nedum de cultu ejus aliquo. Fr. Nicolai Iesuati Vita scripta dicitur à Paulo Morigio, quæ necdum ad manus nostras pervenit, adeoque de ea statuere nil possumus: floruit sub annum* MCCCCLXXIX. *Denique apud Politianensem Episcopum Salustium Taurusium ait Laurentius extare monumenta aliqua de sanctitate Bartholomæi, ex eadem familia nati: quæ si cultum probent, libenter ei locum in hoc opere dabimus. Prædictis autem adde si placet duo Romanæ Purpuræ clarissima lumina, olim terris fulgentia, nunc, ut pie credimus, rutilantia cælo; Robertum Cardinalem de Nobilibus, condendi in patria Societatis collegii auctorem, in qua ut votum semper ei fuerat vivere, sic obire meruit pientissime anno* MDLIX, *Ianuarii die* XVII, *condigno elogio ornatus in Historiis nostris parte 2. lib. 3. num. 1 & seqq. atque Robertum Cardinalem Bellarminum, genere, scriptis, virtutibus clarissimum, qui obiit anno* MDCXXI *die* XVII *Septembris, de cujus Vita per Iacobum Fuligattum Italice scripta & per Silvestrum Petrasancta Latine reddita, cum ad istum mensem opus nostrum pervenerit eidem inserenda, sperare nos faciunt Cardinalium Eminentissimorum pro illius canonizatione ardentia studia.*

C

CAPUT IV.

Extensio Officii per totum Ordinem Prædicatorum.

Intercessione Henrici 4 R. Fr.

17 R*Estabat ut Politianis concessa gratia toti Prædicatorum Ordini communis fieret: idque haud ita difficulter impetrari posse suadebat Clementis* VIII *præcipuus erga Ordinem affectus, quo Sanctorum Catalogo adscripserat S. Hyacinthum & S. Raymundum, hunc* VII *Ianuarii, istum* XVI *Augusti colendum. Ergo Eleonora Borbonia, quæ Priorissam egerat aliquando sub regula FF. Prædicatorum & B. Agneti afficiebatur devotissime, conciliatrice usi Patres, apud nepotem ejus Henricum* IV *Regem Franciæ; eodem Pontificem interpellante, responsum est Regi in favorem Ordinis, hæc quæ sequitur epistola, quæque pro Bulla Beatificationis haberi quodammodo potest.*

Carissimo in Christo filio nostro Henrico, Francorum Regi Christianissimo, Clemens Papa VIII.

Carissime in Christo fili noster, salutem & Apostolicam benedictionem. Ardentissimum istud studium, quod (sicuti per nomine tuo ad Nos & Sedem Apostolicam destinatum Oratorem nobis significatum, & per dilectum filium nostrum Arnaldum Cardinalem Dossatum, illius in absentia sua vicesgerentem, expositum est) viget in dilecta in Christo filia Eleonora Borbonia, Generali Abbatissa totius Ordinis Fontis-Ebraldi ordinis S. Benedicti, & amita tua, ac olim Priorissa domus seu monasterii de Pruliano Ordinis S. Dominici sub cura FF. Prædicatorum, collaudandi Beatam, ut pie creditur, Agnetem Politianam, ejusdem Ordinis professam; suo quasi jure postulat, ut admiranda ipsius B. Agnetis vita, ab omnibus dicti Ordinis, Prædicatorum professoribus, in toto Ordine, eodem animi sensu ac præcipuo quodam cultu concelebretur.

D

& instante Eleonora Borbonia, impetratum

18 Cum itaque dudum felicis recordationis Clemens Papa VII, prædecessor noster, Priori & Fratribus domus dicti Ordinis Prædicatorum ac Communitati & hominibus civitatis Montis-Politianensis, tunc oppidi montis-Politiani nullius diœcesis, ut eamdem B. Agnetem, in ecclesia dictæ domus, in qua sepulta est & cooperante Altissimo quampluribus fulgebat miraculis, & aliis dictæ civitatis ecclesiis ac ipsa civitate tantum, privatim & publice ac solenniter venerari & colere, nec non de illa Officium proprium celebrare ac solenne festum facere, libere & licite valerent, per quasdam die XXVIII Maji Pontificatus sui anno nono desuper confectas litteras concesserit & indulserit: ac novissime Nos, Priori & Fratribus quibuscumque dicti Ordinis Prædicatorum, in dicta civitate Montis-Politianensis commorantibus, uti in Officio, quod die XX Aprilis sub duplici ritu celebrant, novem Lectiones in ipso officio, ex Vita dictæ B. Agnetis depromptas, jussu nostro à venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus, Congregationi sacrorum Rituum propositis, examinatas & à nobis approbatas, juxta ipsorum ritum legere & recitare libere & licite possent, perpetuo etiam concesserimus & indulserimus: prout in dictis Prædecessoris ac Nostris, die XVIII Octobris anni Domini MDXCIV Pontificatus nostri anno tertio desuper confectis litteris, in quibus tenor dictarum Lectionum insertus fuit, plenius continetur.

ut sicut Politianensibus concessa erat facultas, festum agendi,

E

& recitandi Officium de B. Agnete,

19 Nos qui singulos Christi fideles ad devotionis actus libenter invitamus, tenores dictarum singularum litterarum, perinde ac si de verbo ad verbum insererentur præsentibus, pro expressis habentes; ac intuitu & contemplatione dilectorum Filiorum nostrorum, Francisci Mariæ Taurusii ac Cæsaris Baronii & Roberti Bellarmini nuncupatorum, S. R. E. Presbyterorum Cardinalium, nobis desuper humiliter supplicantium, ex sententia Cardinalium dictæ Congregationi sacrorum Rituum præpositorum, indultum & concessionem dicti Prædecessoris, ac illius & nostras litteras prædictas, ad omnes & singulas dicti Ordinis Prædicatorum utriusque sexus domos, in quibuscumque orbis partibus consistentes, Apostolica auctoritate, tenore præsentium, perpetuo extendimus & ampliamus; ita ut in omnibus & singulis ecclesiis domorum dicti Ordinis Prædicatorum, tã virorum quam mulierum in universo orbe terrarum existentium, publice, solenniter ac privatim dictã B. Agnetem venerari & colere, nec non de illa officium proprium dicta die XX Aprilis celebrare, ac solenne festum facere singulis annis, etiam in Litaniis, Missis ac aliis divinis officiis, cũ dictis novem Lectionibus, libere & licite valeant. *Deinde postquam inhibuit Pontifex, ne quis Fratres aut Moniales super his molestare præsumat; & suarum litterarum transsumptis legitime subsigna-*

F

idem licet toti Ordini.

ex indulto Clementis 8 an. 1601.

A subsignatis, fidem haberi aeque ac originali jussit; ipsas Lectiones describit verbotenus (quas quia in Annalibus Abrahami Bzovii & Breviario Prædicatorum excusa inveniuntur; minime necessarium videtur hic attexere) atque ita finitur Breve, Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, XXIII Februarii MDCI, Pontificatus anno decimo.

20 Ut autem in Vrbe orbis capite, ubi B. Agnetis sanctitas tam solenni testimonio probata fuerat, *inquit Fr. Laurentius hæc prosequens*, primum executioni mandaretur Pontificium indultum, idque fieret quam ornatissime, curavit R. P. M. Paulus Picus Ordinis Prædicatorum & in Congregatione Indicis Secretarius, ut pro eodem tempore quo celebrandum erat Romæ Generale Capitulum Ordinis ad electionem Magistri Generalis, parata haberentur omnia: itaque die V Junij anni prænotati solennissima est instituta festivitas, cui interfuere Cardinales Veronensis, Camerinus, Asculanus, Taurusius, Baronius, Dossatus, Antonianus, Bellarminus, Mantica, & Bonvisius, Missam cantante P. Mag. Stephano Merio Provinciali Langedociæ eodemque Inquisitore Avenionensi & totius Ordinis Vicario Generali. Orationem latinam habuit P. Bernardinus Stephonius Societatis Jesu, quæ non tantum in publicam lucem data est, ad memoriam præsentium & solatium absentium: sed etiam commentariis perquam idoneis aucta fuit à Fr. Hieronymo de Cavaleriis, ut de eadem Sancta alios aliosque deinceps panegyricos sermones composituris copiosior præberetur materia. Denique à Fr. Angelo Crimilianensi propositæ fuerunt Theses, ad illius Sanctæ honorem directæ, quibus dum propugnarentur præsentiam suam exhibuêre Cardinales Bellarminus atque Taurusius.

quod Romæ solennissime factum 5 Junij,

B

21 Diffusa deinde per totam Europam novi festi lætitia fuit, & ubique solenniter acta sed potissimum Florentiæ in ecclesia S. Mariæ Novellæ, cui ego æque ac nostro Politianensi conventui Indulgentiam festo propriam impetraveram, ita rogatus à Priore Thoma Philippi de Prato: ubi in supplicatione apparatissima circumlata fuit Beatæ statua, una cum particulis viscerum ejus ex Monte-Politiano acceptis. In ipso autem Monte-Politiano curatum est ex magnifica munificentia D. Guidonis de Nobilibus & ad meam suggestionem, ut sacrum illud corpus, cujus animam in cælis positam intendebamus festivius deinceps invocare, majori etiam in gloria conspiceretur super terras, indueretur novis ex serico vestibus, in quibus sic servarentur Ordinis Prædicatorii colores niger atque albus, ut tamen iisdem gratia adderetur ab auro artificiosa manu per vestimenta ducto. Acta sunt hæc per D. Salustium Taurusium Episcopum nostrum Pontificalibus indutum, die XXX Aprilis, postquam eumdem habitum ceremoniis ad hoc institutis consecrasset: cui eidem actioni manus admovere, una cum dicto Episcopo & mecum, præcipui Patres conventus coram magna populi multitudine: quæ postridie multo adhuc frequentior adfuit, quando ipsum Beatæ festum celebravimus.

& Florentiæ,

C

Corpus novis vestibus induitur,

22 Curavi etiam circa idem tempus ut ex utraque parte claustri nostri, sub arcuato ejusdem fornice, depingeretur vita ipsius Beatæ, præhabito illorum qui expensas conferre rogabantur assensu: in quibus cum præcipua liberalitate eminerent Cardinales Politianenses Taurusius & Bellarminus, priores tres arcuatæ, infantiam Beatæ repræsentantes dedicatæ fuerunt Cardinali Taurusio; aliæ tres, Bellarmino, & in his spectabantur, Ingressus Agnetis in monasterium, Apparitio Deiparæ, tres lapillos porrigentis, & Angeli Reliquias è Terra-sancta deferentis: tres reliquæ, Episcopo Taurusio inscriptæ, renovabant memoriam cælestis manna, supra Beatam cadentis; Deiparæ filium amplexandum præbentis, cum illa ab ejus collo cruculam abstulit; & conversarum in pisces carnium. Denique ejusdem lateris frontes geminæ, impensa D. Guidonis de Nobilibus & D. Julii Riccii adornatæ, habebant visionem trium navium una, altera miraculum pedis, ad osculum B. Catharinæ Senensis ultro se attollentis. Pars altera claustri similiter sub fornicibus descripta fuit, sed ita ut singuli arcus singulis nobilibus tribuerentur: quorum primus, post eum quem D. Guidonis fuisse diximus, repræsentat Agnetem, Dominicani Ordinis habitu induendam, estque D. Marcelli Lorenzini, eo quod ipse per matrem genus referat ad Signiorum familiam, ex qua nata creditur ipsa Beata: secundus D. Monaldi Bellarmini, monasterii Politianensis constructionem cum propheticæ illius scalæ visione exhibet: tertius D. Asdrubalis Ægidii, multiplicationem panum repræsentat: quartus D. Ascanii Cervini, suscitationem infantis in balneo suffocati: quintus D. Ascanii Mattioli, aquæ in vinum conversionem; sextus denique liberationem furentis energumeni, qui fuit D. Francisci Fanti; uti etiam is qui est super aditum Sacristiæ, ubi conspiciuntur flores, loco quo genua flexerat Agnes, divina virtute subnati. Et hæc omnia cum multa approbatione totius civitatis absoluta fuere anno MDCIII, manu Vlyssis Giocchi de Monte-Sansovino.

Vita per claustrum depingitur,

AUCTORE D. P.

E

23 Congruum porro videbatur ut Excellentissimæ & Illustrissimæ D. Eleonoræ Borboniæ, cujus intercessioni totus Ordo noster novam hanc felicitatem acceptam referebat, vicissim rependeret aliquod grati animi monumentum. Ergo cum haberemus in sacristia B. Agnetis viscera, jam in cineres resoluta, intra capsam cujus clavis unica erat in nostra potestate, de licentia meorum Superiorum desuper requisita & in scripto obtenta, earumdem sacrorum cinerum partem transtuli in pyxidem ad hoc idoneam, & direxi ad Illustrissimum & Excellentissimum Legatum Franciæ: per quem haud diu post recepi prædictæ Dominæ humanissimum responsum, testantis suum singulare gaudium in talis thesauri participatione. *Hactenus Fr. Laurentius Surdini Mariani, atque in his concludit Vitam Italico sermone & stylo ornatiori fidelissime compositam, atque Florentiæ evulgatam anno MDCVI; addens extrema in pagina orationem à Raymundo Capuano compositam, ut in B. Agnetis festo aut qualibet commemoratione recitetur: quæ talis est.* Deus qui speciosam tuam sponsam Agnetem, sanctitate præcipua, virginitate mirifica, & miraculorum gratia feliciter florere fecisti; fac nos quæsumus ejus imitatione semper ante te virtuosæ vitæ fructibus redolere. *Pertinet ad ejusdem Sanctæ gloriam, quod uti nobis scripsit P. Mag. Nicolaus Barberius, hujus sanctæ Virginis veneratio in novum usque orbem sit propagata, ubi in civitatis Cusco, Angelopoli, Sanctæ-Fidei ob summam istorum populorum erga S. Agnetem devotionem, monasteria erecta sub ejus nomine habentur.*

Pars viscerum mittitur Eleonoræ Borboniæ.

F

Oratio propria.

cultus ad novum orbem propagatus:

D. P.

DE B. SIMONE TUDERTINO

ORDINIS EREMITARUM S. AUGUSTINI.

BONONIÆ IN ITALIA.

ANNO MCCCXXII.



Augustiniani Eremitæ, qui usque ad annum MCCLXIII *habitationem extra muros Bononienses habuerant, ad ecclesiam SS. Philippi & Iacobi de Savena dictam, uti ex Bullis Pontificiis eo directis probat in suo Alphabeto Thomas de Herrera; anno post sequenti in urbem migravere, auspiciis Octaviani Ubaldini, Episcopi Bononiensis & S. R. E. Cardinalis; cum ante annos septemdecim idem tentatum consilium effectu caruisset. Ibi emptis anno* MCCLXVII *domibus & turri in platea S. Donati, nova ædis ecclesiaque jacta sunt fundamenta, quibus denique pulchra structura absolutis anno* MCCCXV, *magna accessit celebritas, per* B. Simonem Tudertinum, *doctrina Theologica & concionatoria facultate magnum, majorem tamen sanctitate. Quanta hæc viventi fuerit, licet vix ulla vitæ memoria probet, cognosci tamen ex miraculis potest, quæ mortem ejus sunt consecuta, quæque ex originalibus instrumentis transcripta misit nobis adm. R. P. Ludovicus Torellus, Ordinis Eremitani Historiographus; à quo præter tomos Annalium partim jam editos partim edendos, habet O do illustrium sanctitate personarum elogia, in sex centurias sermone Italico distributa.*

A morte miraculis clarissimus

B

2 *Ea miracula antequam proponamus more nostro digesta, & resectu formularum identidem recurrentium superfluitatibus repurgata, atque ad congruam huic operi brevitatem redacta; audiendum est ex B. Iordano de Saxonia, libr. 2 de Vitis Fratrum cap. 8, viri elogium, quod unicum superest de viventis sanctimonia monumentum.* Fr. Simon de Tuderto, Lector, & olim Prior Provincialis, & localis in pluribus locis, magnæ reverentiæ vir & sanctitatis fuit. Hic à quibusdam æmulis suis graviter delatus fuit apud Priorem Generalem in Capitulo generali, me præsente, licet ipse fuerit absens: propter quas delationes, taliter qualiter deductas, multa incommoda gravia improperiaque calumniosa perpessus est. Sed ipse sciens quia scriptum est, In patientia vestra possidebitis animas vestras, cuncta sibi intentata & illata gravamina, propter eum qui pro nobis contumelias & terrores passus est à suis calumniatoribus, sustinuit patienter. Qui tandem Bononiam in prædicatorem destinatus, sicut gratiosus in sermone, populum Dei & verbo doctrinæ copiose instruxit, & exemplo vitæ salubriter illustravit. Hic suum obitum ante in publica prædicatione prædixit, & sic felici exitu vitam terminavit, qui etiam nonnullis miraculis coruscavit. *Hactenus Iordanus, qui hic appendi jubet* qualiter humilitas & patientia caritatem & concordiam corroborant inter Fratres: Nam, *inquit*, si præfatus Frater Simon de Tuderto se ad defensionem viriliter posuisset, talis homo, qualis ipse fuit, totam suam provinciam, immo magnam partem Ordinis commovisset, & varia disturbia suscitasset.

in Vitis Fratrum laudatur ab humili patientia.

Luc. 21. 19.

C

3 *Umbriæ fuisse Provincialem scripsit in Chronica Iosephus Pamphilus: Umbriam certe incolatu suo & lectoria illustravit. Nam Ioannes Bapt. Possevinus in libro de Beatis & Sanctis Tudertinis, in hujus Beati elogio, testatur, quod* in *istius urbis* Conventu Augustiniano S. Praxedis, servatur liber manuscriptus in pergameno, continens multos istius Beati sermones in festa Sanctorum, plenos doctrinæ & sanctitatis: *& Thomas Herrera*, Legi, *inquit*, in Romano archivio instrumentum in charta pergamena, sigillo ceræ albæ munitum, de anno MCCCXI Indictione VIII die XXVII Maji, in quo Masseus Episcopus Interamnensis ecclesiam S. Bartholomei Dursangnano, in diœcesi seu districtu Interamnensi sitam, in loco dubio & solitario positam, tradit Fratribus Eremitis Ordinis B. Augustini, Conventus S. Petri de Tirlo de Interamna, incolendam per viros religiosos, qui ibi de majorum suorum licentia vitam eremiticam & solitariam ducerent. Id autem testatur se facere maxime precibus & gratia Fr. Simonis Rainalducii de Tuderto, in ipso ordine Lectoris & amici carissimi. *Ughellus in Italia sacra Episcopum hunc* Masseum *nominat, & ponendo primo lapidi Augustinianæ ecclesiæ Spoleti præsentiam suam commodasse affirmat, sedisse vero ob anno* MCCXCVII *ad* MCCCXVI. *Porro quod Tudertinis Fratribus bonum conciliarit vivus Simon, et simile aliud meritis ejusdem jam cælis recepti acceptum ferre possunt Bononienses, quibus anno* MCCCXXIII *obtigit parochia S. Cæciliæ & eorum cœnobio unita fuit, ut scribit Herrera: qui postquam varias variorum de anno mortis opiniones recensuit, eosdem redarguit ex fide processuum, jam jam producendorum.*

qui vivus Umbriam illustravit,

Bononiam moriens,

E

4 *Deinde nominat Herrera Scriptores, à quibus Beati titulo honestatur Simon; & sunt Augustiniani Ordinis omnes, præter Possevinum prænominatum*; ejusque effigies splendoribus Beatorum effulgere *testatur; atque ad extremum dolet*, virum tantum, tot illustrem miraculis, Augustinianæ Religionis vel paupertate vel incuria nec Divorum catalogo adscriptum nec de ejus adscriptione tractatum. *Nobis æque dolendum & multo magis mirandum videtur, quod miraculorum statim à morte in omnis generis conditionisque infirmos ubertim manantium, frequentia tanta, ut iis summatim excipiendis tres Notarii fuerint occupandi; celebritas autem & fama sanctitatis per totam Italiam repente diffusa, adeo ut non tantum ex territorio Bononiensi, sed etiam Mutina, Faventia, Florentia, Mediolano, Regio-Lepidi aliisque locis remotioribus advenerant, receptam gratiam professuri Bononiæ ad ejus sepulcrum; mirandum, inquam, imprimis videtur, quod modo dicta nulli ex coævis & familiaribus cogitationem injecerint, Vitam describendi, ad hoc ut devotis populis posteritatique innotesceret, quis vir ille fuerit, cujus sanctimoniam tam singulariter illustrabat Deus.*

ubi ut Beatus colitur,

F

5 *Festum ejus non tam ecclesiastico decreto aliquo quam populari pietate institutum, ipso quo obiit die* XX *Aprilis, consequentibus exinde annis in ore ac veneratione vulgi fuisse, apparet ex num. 60 & sequentibus. Quandonam & qua auctoritate elevatum à terra corpus fuerit, oblivioni datum est. Hoc solum scimus ex Antonio Paulo Masini (qui in sua Bononia perlustrata diem hunc notavit, ut annuæ memoriæ Bononiensibus recolendum) corpus Beati viri supra altare S. Alexii, quod familiæ Ursorum est, publico cultui expositum servari. Addit in sua his de rebus epistola Torellus*, capsam esse inauratam & pictam eleganter, cujus caput apte claudit medii parietis foramen, & hinc inde hæc verba leguntur. HIC IACENT OSSA BEATI SIMONIS DE TUDERTO. Cultus qui jam inde ab ejus obitu invaluerat, magis etiam excitatus est hisce novissimis temporibus, cum anno MDCLXVI Eminentissimus Hieronymus Cardinalis Boncompagnus, Bononiensis Archiepiscopus, illius corpus rite visitasset: exinde enim à variis allata sunt frequentiora donaria, & vota cerea atque argentea, quæ adhuc altari appensa visuntur; nec umquam deliit ante illud ardere accensa lampas. *Ita ille.*

festo annuo, & corpore posito supra altari.

6 *Miracula instrumentis tribus, eodem confectis tempore,*

A *Miracula quomodo scripta.*

port, signata fuere: primum, manu Philippi Papazonis festinantissime scriptum, fere sola habet nomina curatorum, infirmitatum ac testium, quasi numero obrutum notarium piguerit (nam ultra septuaginta unus hic scripsit) modum rationemque miraculi diffusius explicare: duo alia, manu Alberti Anselmi & Ioannis de Manellis consignata, plenius lectori faciunt satis: omnia tamen eodem quo ad nos missa fuerunt ordine proponemus, legentium arbitrio relinquentes, an prima quatuor capita velint transilire levi oculo delibata, aut posteriora tria prius evolvere. Sunt qui quatuor Processus numerant: sed qui illis quartus est, nobis potius videtur esse appendix ad tertium, appositæ à manu ejusdem Notarii absque subsignatione Notariali; fortassis quia animus erat plura scribendo expectare, & tum demum simul omnia in publici instrumenti formam redigere, quomodo redacta sunt ea quæ sex primis capitibus hic continentur.

MIRACVLA
Ex processibus authenticis MSS.

CAPUT I.

Miracula facta tribus proximis diebus à morte B. Simonis.

B *Die 20 & 21 Aprilis facta miracula,*

7 IN Christi nomine. Amen. Anno ejusdem Domini millesimo trecentesimo vigesimo secundo, Indictione quinta, die vigesimo mensis Aprilis, obiit Beatus Frater Simon Tudertinus, de Ordine FF. Eremitarum S. Augustini, in civitate Bononiæ: cujus virtutibus & meritis, post mortem ipsius, apparuerunt multa miracula & signa in ipsa civitate Bononiæ. Sed die ipsa qua obiit & sequenti, nulla miracula fuerunt scripta; ex eo quia in ecclesia S. Jacobi, Stratæ S. Donati de Bononia, dictorum FF. Eremitarum, fuit tanta multitudo gentium & tantus clamor, quod fere unus non poterat intelligere alium, & erat beatus qui poterat tangere corpus suum. Et dilaceraverunt eidem omnes vestes suas: & præ devotione illius corporis erat beatus ille, qui poterat habere aliquantum de vestibus ejus. Et hæc duraverunt his duobus diebus. Post hæc nocte sequenti, videntes Fratres quod non poterant sustinere tantum laborem, miserunt pro aliquibus de majoribus & melioribus hominibus civitatis præfatæ, quorum consilio & adjutorio fecerunt sepeliri corpus supradicti Fr. Simonis: quod facere non potuissent absque potentia illorum bonorum virorum. Et postea adveniente die, apparuerunt infrascripta miracula & signa, scripta per me Philippum qu. Alberti Papazonis, Notarium ad hoc deputatum, mensibus & diebus infrascriptis, ut inferius continetur.

scribi præ confusione affluentis ad corpus populi non potuere.

C

8 Die XXII d. mensis Aprilis, quædam mulier, nomine Thomasina, filia qu. Joannis de S. Marino, quæ nunc moratur Bononiæ in a capella S. Proculi, in burgo Mirasolis, dixit & sacramento affirmavit, quod bene sunt quatuor menses quod non vidit lumen: & habuit devotionem in B. Simone, & meritis & virtute ejus liberata est. Acta fuerunt prædicta Bononiæ in d. ecclesia S. Jacobi, præsentibus Dominis Alberto Anselmi Notario, Petro de Saladinis, & Fr. Angelo de Neapoli & pluribus aliis testibus ad hæc vocatis & rogatis. *Atque hoc modo signantur miracula singula tribus quatuorve nominibus eorum qui depositioni adfuere; quorum attestatio cum nihil faciat ad ipsum miraculum, de quo deponitur, reddendum certius unicuique, superfluum videtur hanc formulam* Acta sunt hæc, *& nomina præsentium ad singula miracula addere: itaque deinceps ponemus consequenter, additis duntaxat ipsius facti testibus, qui plures simul de eodem miraculo deposituri concurrerunt.*

a Curantur puer cæcus,

EX PROCESSU MS.

9 Eadem die, quædam mulier, nomine Lucia Aymerici, de Marano Comitatus Bononiæ, dixit & suo sacramento affirmavit, quod erat impedita & contracta à b corigia infra, ita quod ire non poterat nisi cum baculo, jam sunt tres anni vel circa; & habuit devotionem in B. Simone & meritis & virtute ejus liberata fuit ..... Quædam mulier, nomine D. Billixena c, filia qu. Petri Pexalana, de Capella S. Leonardi, dixit, quod bene sunt sexdecim anni quod habuit & habebat brachium dextrum aridum & assideratum: & à d. tempore citra non potuit se juvare cum d. brachio: & ex magna devotione quam habuit in B. Simone, meritis ejus liberata est. ..... Quædam mulier nomine Oliva, filia Bernabæ, & uxor d Betini Guidolini, de capella S. Leonardi, dixit, quod patiebatur in pede quamdam magnam ægritudinem, ita quod non poterat ire: & habuit devotionem in B. Simone: & virtute & meritis ejus liberata est ab infirmitate .....

b mulier contracta.

c brachium cujusdam,

d pes debilis,

10 Quædã mulier, nomine Catharina, filia Ymeldæ, testimonio & sacramento dictæ suæ matris dixit & affirmavit, quod sunt bene septem anni, quod fuit impedita continue toto d. tempore; ita quod ire non poterat nisi cum manibus & pedibus per terram, & non poterat se erigere, & habuit devotionem in B. Simone: & sana facta est, ita quod ibat recta ..... Quidam puer, nomine Franciscus D. Landi de Monte-catino, testimonio & sacramento d. sui patris, dixit quod ipse Franciscus erat crepatus, & virtute B. Simonis & meritis ejus liberatus est: & prædicta affirmavit d. D. Landus suo sacramento .....

incessu privata,

E

puer herniosus,

11 Die XXIII mensis Aprilis, quædam mulier nomine D. Vinicia D. Vgnizonis de Luca, quæ moratur ad burgum Panichalis e comitatus Bononiæ, dixit, quod sunt sex menses, quod eidem exivit sanguis de ore continue, & habebat malum visum oculorum, & habebat malum in f flancos & habuit devotionem in B. Simone, & meritis ejus liberata est ab infirmitatibus suis ..... Quædam mulier, nomine Magdalena, filia qu. Franchi, de Capella S. Martini de Aposa, dixit, quod jam sunt tres anni quod impedita & contracta fuit, ita quod ire non poterat sine baculo. Et habuit devotionem in B. Simone, & meritis & virtute ipsius liberata fuit. D. Soror Agnesia, qu. D. Zayni, de Capella S. Ceciliæ; Donadinus Franchi, capellæ d. S. Martini, testes, eorum sacramento affirmarunt de impedimento ejus, & etiam de liberatione ejus ....

e varie infirma,

f

à triennio contracta,

F

12 Quædam puella, nomine Jacoba, filia qu. g Tonioli Bonaventuræ, de Ulmetula comit. Bonon. sacramento D. Ymeldæ filiæ D. Carbonis & uxoris Gerardi; & etiam sacramento D. Benincasæ, filiæ qu. Bonaventuræ de d. terra, dixerunt & affirmaverunt, quod claudicabat à die nativitatis suæ, & virtute & meritis B. Simonis liberata est ..... Quædam puella, nomine Catharina Chiradella, ætatis quatuor annorum, quæ moratur ad hospitale S. Petri majoris Bonon. sacramento D. Margaritæ, filiæ D. Azzonis de Bochinpanibus de Ferraria, quæ custodit pauperes ad d. hospitale, dixit, quia sunt tres anni quod impedita erat à die nativitatis suæ citra, ita quod numquam ivit nec ire potuit: & virtute B. Simonis liberata est. Et Mag. Jacobinus de Tronizonibus medicus, qui eam curabat, suo sacramento affirmavit de impedimento & etiam de liberatione ejus.....

g à nativitate clauda,

incessu privata,

13 Quædam puella, nomine Bona, filia qu. Joannis D. Rolandini de Porcis, de capella S. Laurentii

utrimque claudicans,

EX PROCESSU MS. rentii Portæ-sterii, quæ claudicabat ambobus pedibus, à die quo cœpit ire citra: & meritis & virtute B.Simonis liberata est. D. Mirabilis, uxor d. D.Rolandini, avia d. Bonæ. D.Francisca, uxor qu. d. Joannis, & mater d. Bonæ, earum sacramento affirmarunt, de impedimento ejus & liberatione ejus. .... *claudus pede dextro,* Quidam homo ætatis quadraginta annorum & ultra, nomine Stephanus Mag. Alberti de Burgundia, dixit, quod erat claudus pede dextro, ita quod ire non poterat sine *b* ferla, jam sunt viginti tres menses, & virtute B.Simonis liberatus est. D. Nicolaus qu. D.Mini de Galixano; Bartholomæus, filius Salviati de Saliceto, eorum sacramento affirmaverunt, quod claudus erat & fuit à d. tempore citra....

14 Quidam puer, nomine Nicoletus, filius Ghisilardi de *i* Trento, qui nunc moratur Bononiæ in capella S.Georgii de Pozale; in burgo Durlecchii, *puer caecutiens,* qui habebat maculas sive squammas in oculis, ita quod vix videbat: & meritis & virtute B.Simonis illuminatus est, ita quod clare videt. D. Ghisilardus ejus Pater, Simoninus qu. Nicoleti de Burgundia, eorum sacramento affirmaverunt de infirmitate ejus & etiam de liberatione ejus...... Quædam puella, nomine Bexola, filia Bruniti Yvani de Capella S. Iuliani, erat *k* assiderata brachio dextro, jam sunt tres anni: & virtute B.Simonis liberata est. D.Lucia, filia D.Dominici de Tectacapris, mater d. Bexolæ, & D. Dulcis, filia qu. Thomasini, ejus convicina, affirmaverunt.... *brachium aridum,* Quædam puella, nomine Ioanna, filia Bon-joannis Taganelli, de burgo Panicalis comit. Bonon. erat clauda pede dextro à die nativitatis suæ citra: & virtute & meritis B.Simonis liberata est. *dextro pede clauda,* D. Beatrixia Azzolini, filia Petri Bon-joannis; Bonaventura, filia d. Beatrixiæ, de d. terra burgi Panicalis; Claudia, filia qu. Mag. Lanzaloti Medici, de Capella S. Donati, affirmaverunt......

15 Quidam juvenis, nomine Bonamicus, ætatis sexdecim annorum, filius D.Vgolini de terra Cheve, *alius sinistro,* comit. Bonon. erat claudus pede sinistro jam sunt sex menses & ultra, & non poterat ire sine ferla: & virtute B Simonis sanatus est. d. D. Ugolinus, ejus Pater; & Iacobus D. Franchini affirmaverunt.... *caecus oculo uno,* Quidam juvenis, ætatis quindecim annorum, nomine Petrinus, filius Iacobi, de Syon ultra montes, dixit, quod non vidit de oculo dextro, jam sunt septem anni & ultra: & virtute B. Simonis illuminatus est, & clare videt. Fr. Blasius, qu. D. Gracioli Alberti, calzolarius: D.Valle qu. D.Antonii Auliverii, Notarius, affirmaverunt predicta vera esse, & quod *elumbis,* clare videbat..... Quidam puer ætatis duodecim annorum, nomine Dominicus qu. Viniani, de capella S.Mariæ de Templo, erat plenus doloribus & impeditus, ita quod ire non poterat sine baculo, jam sunt duo menses & ultra: & virtute B.Simonis liberatus est. D.Bartholomæa, filia qu.D.Stephani, ejus mater: D Benvenutus qu. Martini Strazarolus, affirmaverunt....

16 Quedam puella, nomine Checca, filia Compagnoni, de terra S. Mariæ de donis, com.Bonon. *gressu privata.* erat plena doloribus & sgalonata, ita quod fere non ibat à die nativitatis & citra: & virtute B. Simonis liberata est. D. Compagnonus, ejus Pater; Bitinus Ioannis de Fabris, de d.terra; Manellus qu.D.Zambonini de Manellis, de capella S. Ceciliæ, affirmaverunt..... *herniosus,* Quidam puer, nomine Bonfigliolus, filius Guidaccii de Certulo comit. Bonon. erat crepatus jam sunt duo anni & ultra, & meritis & virtute B.Simonis liberatus est. Bellinus Aldrovandini de Seta & D.Beatrixia uxor Bartholuccii, de d. terra, affirmarunt.... *surda,* Quædam femina, nomine Sibyllina, filia qu. Bartholuccii, de terra Montis Acuti-alpis, erat surda: & dixit quod sunt decem anni & ultra, quod non audivit: & meritis B. Simonis apertæ sunt ambæ aures ejus, ita quod clare audit..... D

17 Quædam juvenis, ætatis quatuordecim annorum, nomine Margarita, filia mag Grimaldi Paiolarii, de capella S.Matthei de Accarixiis, erat impedita pede dextro, ita quod non poterat ponere pedem planum in terram, jam sunt novem anni: & habuit devotionem maximum in B. Simone: & virtute & meritis ejus liberata est. Mag. Grimaldus prædictus, Pater ejus; D.Ymelda, uxor d. Grimaldi, mater d. Margaretæ; Martinus, filius Mag. Bonaventuræ; Cursinus, qu. Bonaventuræ de Candelio, affirmaverunt...... *clauda dextro,* Quidam homo, ætatis sexaginta annorum & ultra, nomine Franciscus, qu. D. Iacobini, de capella S.Vitalis de Bononia, dixit quod bene sunt octo anni, quod erat impeditus ambobus pedibus: & fuit continue toto d.tempore ita quod ire non poterat sine ferlis: & habuit devotionem in B.Simone & virtute & meritis ejus liberatus est. *impeditus utroque pede,* Piglus, D.Gerardi, de Castro S. Petri; Rodulphus Palmerii, de capella S.Ceciliæ; Bartholomæus qu. D.Rodaldi, de Mandina; Bartholomæus Hentipipti, de Brayna, affirmaverunt.....

18 Quædam femina, nomine Thomasina, filia qu. Rudolphi, de capella S. Mariæ Magdalenæ Bononiensis, dixit, quod sunt sex menses & ultra, quod fuit passa magnum dolorem in osse brachii dextri: & virtute & meritis B.Simonis liberata est. E *brachio dolens,* D. Dominica, filia qu. Janbonini, & uxor qu. Ugolini de Rambace, affirmavit prædicta vera esse.... Quædam juvenis, æt. XVI ann. nomine Richimilia, filia qu.Joannis, de Roncagle comit. Bonon. dixit quod à diebus nativitatis citra fuit sgalonata, & claudicabat ab utraque parte, & liberata est. *utrimque clauda,* D.Chartilia, filia qu.D. Simonis de Buliveris; D. Beatrixia, filia qu. D. Albergitii; D. Bonafemina, filia qu. D. Rolandini Chambaldi, affirmaverunt.... Quidam homo, æt. XXVIII ann. nomine Gregorius, filius Mag. Joannis Sartoris, dixit quod erat infirmus infirmitate mali caduci, & sæpe stabat stupefactus cum *m* schuma magna ad os, & nesciebat ubi esset: & nisi gentes essent, quæ obviabant sibi & eum juvabant, multoties cecidisset: & aliquando tantum cadebat quod non poterant eum sustinere: & liberatus est. *epilepticus,* D. Joannes Pater ejus; D. Iacobus qu. Bartholomæi Bixillerii, affirmarunt vera esse..... F

19 Quædam puella parva, nomine Thomasina, filia Mag. Francisci de Dentibus, non videbat de oculo dextro, jam sunt quatuor menses: & virtute B. Simonis jam clare videt de d. oculo. *oculo uno caeca,* D. Franciscus pater ejus affirmavit vera esse.... Quidam puer nomine Thonius, filius Nicolai, de plebe Centi, comit. Bonon. erat contractus pede sinistro, ita quod non poterat ire: & liberatus est. *pede contractus,* Albertus Renduccii de plebe Centi præd. affirmavit quod sunt quatuor anni, quod fuit ita contractus; & liberatus est.

ANNOTATA.

a *Vt Romæ per* Regiones, *Florentiæ & Senis per* Populos *seu* Plebes, *Mutinæ per* Cinquantanas, *Mediolani per* Portas *discriminantur cives; ita Bononiæ udem discriminantur per* Capellas, *quas licebit* Parochias *intelligere, itaque eas indigetat Antonius Pauli Masini.*

b A corrigia *id est* à lumbis *seu* cingulo.

c *Fortassis* Polyxena.

d Bettinus, *Diminutivum à nomine* Bertus, *quod porro truncatum ab alio composito, puta,* Ubertus *vel simil.*

e *Sæpe alibi notavimus,* Comitatus *Italis vocari territoria seu districtus urbium: hic autem nominatum* burgum Panichale *ipsum esse videtur, quod in tabulis perperam scribitur* Bonnacciale, *inter Renum & Lavinum fluvios.*

f Itali-

A f *Italis & Francis latus dicitur*, Flanco, Flanc.

g Toniolus *Diminutivum à nomine* Antonii.

h *Videtur contracta vox ex Latino*, Ferula, *& à* Ferendo *sumpta nominis ratio*; *alii* crocias, *alii* potentias *appellant subaxillaria ista ferendo corpori fulcra.*

i Tridentum *integre dicitur, urbs ad Italia ingressum notissima: sed forte legendum* Brento, *vicus agri Bonon.*

k Sideratus *Latine dicitur maligni sideris afflatu aridus; & à plantis ad animalia translata videtur metaphora, qua hic usupatur vox* Assideratus.

l Sgalonatus *id est*, Elumbis, *prout nobis rescripsit P. Mag. Torellus.*

m Schuma, *Vox Teutonica* Schuym *vel* Schume, *Francis*, Escume, *Latine* Spuma.

CAPUT II.

Alia miracula ejusdem anni & mensis Aprilis usque ad Majum.

20 Die xxiv mensis Aprilis, quidam homo ætatis perfectæ, nomine Bonincontrus, filius qu. Ioannis, qui moratur in terra Argellatæ, comit. Bonon. dixit quod sunt quatuor menses, quod fuit impeditus à corrigia infra, ita quod ire non poterat sine ferlis: & liberatus est. Benvenutus, qu. Zambonelli de cap. S. Mariæ majoris; Dominicus, filius d. Bonincontri liberati; Tura, qu. D. Matthei de Cap. S. Mariæ præd. affirmaverunt.... Quædam puella, æt. xii ann. nomine Francisca, filia Plassellini de Plassellis, de cap. S. Ioseph, burgi Galeriæ Bononiensis, dixit quod bene sunt duo anni, quod habuit fistulas in gutture, ita quod vix poterat sustinere caput, & habebat magnos dolores in flanchis: & liberata est. D. Francisca, filia D. Ioannis d. cap. D. Bartholomæa, filia qu. Sourani Guidonis Victorii; D. Benvenuta filia qu. D. Corvolini, affirmarunt.... Quidam puer parvus, nomine Bonaparte, filius Iacobi, de terra Ulmetulæ com. Bon. erat crepatus, jam est annus & ultra, & liberatus est. Mag. Iacobinus de Zovezonibus, qui eum curabat; D. Iacobus, pater d. Bonapartis; & D Beatrixia, filia Rolandi de Raygosa & uxor d. Iacobi, mater d. Bonapartis affirmarunt....

Curantur claudus, B *fistulas in gutture patiens*, *incessu debilis*, C *ruptus*, *gressu privatus*, *oculo caecutiens*, *utrimque impedita*,

21 Quædam juvenis, æt. xv. ann. nomine Margarita, filia qu. Burnioli de Badali. Com. Bon. dixit quod erat impedita à corrigia infra, ita quod ire non poterat sine baculo & etiam sine adjutorio matris suæ, jam sunt tres menses & ultra, & liberata est. D. Vinicia, uxor qu. d. Furnioli, mater d. Margaretæ affirmavit..... Quidam puer parvus, nomine Dominicus, filius Francisci Tacconis Becharii, de cap. S. Ioseph burgi Galeriæ, erat crepatus, jam est annus & ultra: & liberatus est. D. Mona, uxor d. Francisci & mater d. Dominici; D. Ioannes Dominici Atrazarolus, de cap. S. Ioseph præd. Bartholomeus, qu. Francisci Gessadelli, de cap. S. Synesii affirmarunt.... Quidam puer, ætatis x ann. nomine Petrus, filius qu. Cantonis de terra Plumatii com. Bon. erat impeditus, ita quod vix ire poterat, jam sunt sex hebdomadæ & ultra, & liberatus est. Benvenuta, qu. uxor d. Cantonis, mater d. Petri; D. Thomasina, filia qu. D. Petroboni Aiguabellæ, amita d. Petri, affirmarunt....

22 Quædam femina ætatis perfectæ, nomine Bona filia qu. Curtii, de burgo Mirassolis, & uxor Ioannis qui facit puteos, dixit quod bene sunt triginta anni quod non vidit clare de oculo dextero: & virtute B. Simonis illuminata est., & clare videt.... Quædam puella, æt. xi. ann. nomine Bonafemina, filia qu. Iacobini, de Varga Comitatus Luchæ, quæ nunc moratur Bononiæ, in cap. S. Mariæ de Muradellis, erat impedita & contracta ab utraque parte, ita quod ire non poterat sine ferlis, jam sunt tres anni: & liberata est. D. Bonaventura, filia qu. Matthei, de d. terra, ejus mater; Messina, filia qu. Vanni de monte Fregasexe Comit. Luchæ; Anthoniola filia d. D. Messinæ, affirmaverunt.... Quædam femina ætatis perfectæ, nomine D. Benvenuta, filia qu. D. Bonhominis de cap. S. Gervasii, dixit, quod erat possessa à dæmone, jam sunt tres anni & ultra: & liberata est. Bona ejus filia, & filia qu. Bernardini; Iacobus vocatus Muzolus, qu. Maynardini, de cap. S. Columbani, affirmaverunt..... Quædam puella æt. x. ann. vel circa, nomine Felixia, filia Agnesinæ, de cap. S. Prosperi Bonon. erat debilitata manu dextera, & tenebat continue pugillum clausum, excepto digito existente juxta grossum, quem tenebat rectum continue; & non poterat extendere alios digitos aliquo modo: & liberata est. D. Nuta, uxor Andreæ de Prato, ejus convicina, affirmavit....

ex processu MS, *dæmoniaca*, *dextra debilis*,

23 Die xxv mensis Aprilis, quidam puer ætatis viii ann. nomine Michilutius, filius qu. Montis, de terra Montis-Rumixi comit. Bon. erat surdaster à die nativitatis suæ, & habuit devotionem magnam in B. Simone: & apertæ sunt aures ejus & audit.... Quidam homo ætatis lx annorum & ultra, nomine Fr. Bitinus qu. Alberti, de cap. S. Mariæ Majoris, qui moratur in burgo Pollicini, Ordinis Fratrum Pœnitentiæ, dixit in virtute Spiritus sancti & suo sacramento affirmavit, quod bene sunt septem anni quod fuit impeditus pede & tibia dexteris, ita quod non poterat ire sine ferla: & eo existente in ecclesia S. Petri majoris Bonon. habuit devotionem magnam in B. Simone, & liberatus est.... Quædam puella æt. xii ann. nomine Agnesia, filia D. Boninsegna de Mesciazano, erat contracta pedibus & manibus, ita quod ire non poterat, nec poterat se juvare, jam sunt quinque anni & ultra.... Quidam puer æt. vi. ann. nomine Nicolaus, filius Dominici qu. D. Floravantis, de Marano Com. Bon. erat crepatus, jam sunt duo anni.... Quædam femina, nomine D. Thomasina, filia Petri de S. Domnino & uxor Pionis, de d. loco, dixit, quod sunt duo anni & ultra quod fuit plena doloribus, ita quod vix ire poterat. *Et hos omnes virtute & meritis B. Simonis liberatos, affirmavere testes infirmitatis, vel impedimenti & liberationis conscii, quos omisimus nominatim exprimere, sicut & deinceps sola curatorum nomina & infirmitatem hic consequenter attexemus.*

surdaster, E *dextro latere captus*, *contracta*, *herniosus*, *plena dolore*,

24 Quidam puer æt. x. ann. nomine Michael, filius Iacobi Aldrovandi, qui moratur in Guardia civitatis Bononiensis ad crucem Gissi, erat surdus à duobus annis citra, & pater suus mittebat eum ad scholam, sed postquam contigit ei casus prædictus noluit quod plus iret ad scholas.... Quædam femina, nomine Guilelma, filia qu. Venturæ; quæ fuit de Barga comitatus Luchæ, & nunc moratur Bononiæ in cap. S. Mariæ majoris, dixit quod sunt quatuor anni vel circa quod fuit possessa à dæmone.... Quædam puella æt. vii an. nomine Catherina filia Albertucii qu. Bencevennis Casarenghi, de terra Ulgiani comit. Bon. habebat brachium & manum dexteram contractam, ita quod aperire vel claudere non poterat manum.... Quidam homo, æt. lv ann. nomine Gherarduccius, qu. Petri de Bagnarola, qui nunc moratur in terra Alceti comit. Bonon. dixit quod sunt quatuordecim anni, quod erat claudus à latere sinistro, & fortiter claudicavit & claudicabat à d. tempore citra continue, ita quod oportebat eum ire cum baculo.... Quidam puer, ætatis v ann. nomine Franciscus, filius Iacobi Bidelli de cap. S. Salvatoris, habebat

F *surdus*, *dæmoniaca*, *brachio dextro contracta*, *sinistro latere claudus*,

EX PROCESSU MS.

apostematicus, *herniosus,*

habebat quamdam *a* postemam in corpore, ex quo exibat ita magnum vituperium, quod medici non poterant eum curare, & dicebant quod non poterat evadere, & dereliquerunt eum.... Quidam puer æt. XII ann. nomine Guizardinus Baudini de Fregnano, dixit quod sunt quatuor anni & ultra quod fuit crepatus....

possessa, *herniosa,* *b c* *manu contractus,* *dæmoniaca,* B *d*

23 Die XXVI mensis Aprilis, quædam juvenis æt. XXIV ann. nomine Margarita, filia qu. Joachimi, de Persico Comit. Cremonæ, quæ nunc moratur Bononiæ in cap. S. Marci, erat possessa à dæmone, jam sunt quinque anni & ultra.... Quædam puella, æt. VIII ann. nomine Lucia, filia Bertolini, de terra Altedi Comit. Bonon. erat impedita & *b* sanchata ab utraque parte & *c* corporupta ante, à die nativitatis suæ citra.... Quidam puer æt. XV ann. nomine Petrus, filius Francisci qu. Alberti, de cap. S. Barbatiani, erat contractus manu dextera, ita quod nihil poterat facere cum ea, jam sunt anni tres.... Quædam mulier æt. XXIII ann. nomine Margarita, filia qu. Rolandi Bondi Ayguinæ, de Rosseno, & uxor Henrigisti Joannis Henrigisti de Fregnano, dixit quod erat possessa à dæmone, jam est annus & ultra, & erat tota plena doloribus & *d* fittis, in tantum quod videbatur ei quod canes corroderent viscera ejus: & quando malum ascendebat, projecisset se in puteo, in igne, vel in aqua, ubi citius potuisset, nisi gentes tenuissent eam.... & meritis B. Simonis liberata est, *uti priores atque sequentes.*

claudicans, *e* *pede & manu contractus,* *f* *claudus,* C

24 Die XXVII mensis Aprilis quædam juvenis æt. XVIII ann. nomine Joanna, filia Laurentii Fabri, de cap. S. Joseph burgi Galeriæ, quæ moratur extra circulum d. burgi, dixit quod claudicabat fortiter à latere sinistro, quia quidam currus ascendit ei super *e* ancha: & hanc infirmitatem passa est decem & septem annis.... Quidam homo æt. XLV ann. nomine Joannes qu. Jacobi, qui fuit de Parma & nunc moratur in terra Ronchgale com. Bon. dixit quod erat contractus pede & manu sinistris, ita quod trahebat pedem ex transverso per terram, & manum non poterat ducere ad os, nisi adjutorio alterius manus, jam sunt anni viginti quatuor & ultra..... Quidam homo æt. XL ann. nomine Ugolinus qu. Ugolini, de terra la Mole com. Bon. dixit quod sunt decem anni & ultra, quod habuit quamdam *f* doliam in ancha sinistra, & præ nimio dolore claudicabat fortiter pede sinistro, & ibat cum magno labore cum quodam baculo. Dixit etiam quod non poterat tantum elevare illum pedem à terra, quod posset ascendere unum gradum, nisi primo ascenderet cum alio pede: & habuit maximam devotionem in B. Simone & virtute ejus liberatus est, *sicut & ceteri; sed hic*, antequam accederet ad sepulturam ejus: *de qua in aliis nulla quidem mentio: videntur tamen ad eam omnes sanati.*

brachium fistulis plenũ, *clauda à sinistro,* *alia ab utroque,*

25 Quidam puer æt. duorum mensium, nomine Petrus, filius Joannetti Naxelli, de cap. S. Mariæ Magdalenæ, habebat tres fistulas, habentes quinque plagas in brachio dextro, jam est unus mensis; & meritis B. Simonis liberatus est, uti affirmaverunt Mag. Jacobinus de Zovezonibus & Mag. Bologittus Ricardi de Cussolara, medici, qui eum curabant.... Quædam puella æt. X ann. nomine Joanna, filia qu. Bettini, quæ moratur ad Domosfabrorum com. Bon. erat impedita in ancha à latere sinistro, ita quod fortiter claudicabat, à die quo cœpit ire citra.... Quædam puella æt. sex ann. nomine Zavola, filia qu. Ghibertelli de cap. S. Mariæ majoris, erat contracta & impedita ab utraque parte, ita quod fortiter claudicabat & habebat pedes retortos, jam sunt quatuor anni: & meritis B. Simonis liberata est, *æque ac puer prædictus.* D

dæmoniaca, *g* *h*

26 Die XXVIII mensis Aprilis, quædam mulier æt. XLV ann. nomine Albarina, filia qu. D. Bernardini de Argellara de cap. S. Mariæ-majoris, & uxor D. Prohenzalis qu. D. Florini, de terra Argellata com. Bon. dixit, quod sunt XV menses & ultra quod fuit possessa à dæmone: & à die quo fuit impedita citra, nunquam potuit videre Corpus D. N. Jesu Christi, & non sinebat eam facere *g* facta sua: & quadam die ille inimicus Dei projecit illam in quodam puteo: & ea existente inibi cœpit clamare: & quædam filia sua cucurrit versus puteum, & porrexit ei quemdam *h* ancinum: & ipsa cœpit se ad d. ancinum, & extraxit eam foras de d. puteo: & omnia acta faciebat sicut faciunt dæmoniacæ: & meritis B. Simonis liberata est. D. Prohenzalis maritus ejus, Bonaventura eorum filius, & Ysabetta eorum filia affirmaverunt.

manu contractus, *clauda,* E *brachio contractus,*

27 Die XXIX mensis Aprilis, quidam puer æt. VII ann. nomine Bartholomæus, filius Petri de Fondacia, de cap. S. Christinæ, erat contractus manu dextra à die nativitatis suæ citra.... Quædam puella æt. X ann. nomine Mina, filia Pighi, de terra S. Martini com. Bon. erat impedita in ancha sinistra, ita quod fortiter claudicabat pede sinistro, à die quo incepit ire citra.... Quidam puer æt. IX ann. nomine Petrus, filius Francisci filii D. Pacis Pelliparii de cap. S. Mariæ majoris, qui morabatur in domo Fr. Bonutji de Argellata, erat contractus brachio & manu dextris, jam sunt duo anni & ultra, ita quod non poterat se juvare: & meritis B. Simonis liberati sunt.

ANNOTATA.

a Postema, *Corruptum ex Græca voce* Apostema.

b Sanchatus *videbatur nobis idem esse quod elumbis, privativum scilicet ab* Ancha: *sed Torellus monuit esse* membris attractum.

c Corporotto *Italis est* corpore ruptus, *supra num.* 8 Crepatus.

d Fitto *iisdem est*, fixus: *videtur autem hic substantive poni* fittà *pro* punctura.

e Ancha, Coxendix; *Francis*, anche.

f Dolia *accipitur à Bononiensibus pro* dolore *seu* cruciatu.

g *Id est*, officium suum, *usitato Italico idiotismo.*

h Ancinus *est* Uncus. F

CAPUT III.

Reliqua hujus anni & trium sequentium miracula.

femina clauda,

28 Die primo mensis Maji, quædam femina æt. XXXV ann. nomine Esficha, de terra Saxi-mussarii com. Bon. quæ nunc moratur cum D. Alberto de Saviolis, de cap. S. Gervasii, erat contracta à latere sinistro ita quod fortiter claudicabat, jam sunt sexdecim anni & ultra: & habuit devotionem in B. Simone: & ea devote veniente ad visitandum sepulturam B. Simonis, incontinenti per viam liberata est: & hæc dixit & affirmavit suo sacramento. *Et tres personæ ex ejus vicinia* affirmaverunt, quod est jam unus annus & ultra, quod eam cognoverunt & viderunt claudicantem, & jam liberatam.

brachio contracta,

29 Die III mensis Maji, quædam juvenis æt. XXI ann. nomine Magdalena, filia Petri Mariani & uxor Alberici Liguccii, de cap. S. Mariæ-Majoris, & moratur in Puglola juxta Avexellam, dixit

A quod est unius mensis & ultra, quod habuit brachium sinistrum contractum, ita quod non poterat elevare manum ad os . . . . . Quædam juvenis æt. XVI ann. nomine Belda, filia Zenonis de Frenis de cap. S. Leonardi, habebat spatulam sinistram grossam, plenam guttis & humoribus, ita quod gentes vocabant eam, O gibbosa! jam sunt octo anni & ultra: & meritis B. Simonis liberatæ sunt, *& hæc affirmaverunt suo sacramento vera esse, qui impedimentum & liberationem cognovere, quod idem de sequentibus omnibus atque ac prægressu dictum intellige.*

arthritica,

herniosus,

30 Die IV mensis Maji, quidam puer æt. sex ann. nomine Bencevenne, qui dicitur Cevenellus, filius Joannis vocati Nanne, de Saygiana com. Bon. erat crepatus, jam sunt quatuor anni & ultra à latere sinistro: & erat in magno periculo, eo quod interiora ejus exibant ei quotidie de ventre. . . . . Quædam mulier æt. XL ann. nomine D. Luchisina, filia qu. Palmiroli & uxor Salvieti filii qu. Andrioli, de cap. SS. Simonis & Judæ, dixit quod fuit possessa à dæmone, jam sunt XXX anni & ultra, ita quod non poterat aliquid operari, nec sinebat eam videre Corpus D. N. Jesu Christi: & habebat cancrum in tibia habentem quatuor *a* boccas, & totam tibiam tumefactam, ita quod ire non poterat sine magno labore: & videbatur eidem quod canes corroderent totam suam personam, jam sunt duo menses & ultra: & habuit devotionem in B. Simone, & meritis ejus liberata est, *sicut & puer prædictus . . . .*

dæmoniaca & cancro exesa,

B

brachio contracta,

31 Die VIII mensis Maji, quædam mulier æt. XL ann. nomine D. Joanna, filia qu. Mag. Tomasini de Mutina, & uxor Bartholomæi de Grassis, de terra Argelis com. Bon. quæ nunc moratur in d. terra Argelis, habebat brachium sinistrum contractum, ita quod nihil poterat operari cum manu, nec aliquod exercitium facere, jam sunt septem menses & ultra: & hæc dixit suo sacramento, & habuit devotionem in B. Simone, & meritis & virtute ejus liberata est. . . .

periculose sternutans,

32 Die VIII mensis Maji, quædam juvenis æt. XVIII ann. nomine Bonafemina, filia qu. Bellondi, de castello Aglarii de Fregnano, & uxor Petricini D. Albertini de Semelsana, dixit, quod erat gravata quadam magna infirmitate, videlicet quod sæpe contingebat eidem, quod quando sternutabat cadebat in terram, & exibat multus sanguis de naso, & ad os veniebat ei spuma, jam sunt duo anni quod prædicta eidem contigerunt. . . . Quædam mulier æt. XL. ann. nomine Carissima, filia Petri Raimundi de Castro-Leone com. Bon. habebat tibiam infistulatam & postematam & brachium dextrum contractum, ita ut non poterat se juvare, jam sunt viginti quinque anni; nec elevare manum ad caput, jam sunt quatuor menses: & virtute B. Simonis liberatæ sunt . . . .

C

tibia apostema & brachii contractio,

rupta tibia debilis,

33 Die ultimo mensis Maji, quidam juvenis æt. XVIII ann. nomine Gandulfus, filius D. Joannis Finelli de Perdiveclis, de Roncoribus de comitatu *b* Regii, dixit & suo sacramento confirmavit, quod jam sunt tres menses quod cecidit infra de quadam nuce, ita quod fregit sibi tibiam: & ex d. fractura exierunt sibi tres *c* petii de osse: & stetit uno anno in cura medicorum: & non potuit liberari & continuo ibat cum ferlis, & aliter non potuit ire. Et habuit devotionem in B. Simone, & venit ad visitandum sepulturam suam, & meritis & virtute ejus liberatus est . . . .

b

c

incessu privatus,

34 Die VIII mensis Augusti, quidam homo æt. XXXII ann. nomine Petrus, qu. D. Guldonis de Cremona, qui nunc moratur Bononiæ, in cap. S. Luciæ in burgo Auri, dixit quod à tribus mensibus citra erat & fuit continue contractus & impeditus, ita quod ire non potuit sine ferlis: & habuit devotionem in B. Simone, & liberatus est. Andreas qu. Gerardi de Parma ejus convicinus, & D. Joanna filia Manfredi de cap. S. Luciæ eorum sacramento affirmaverunt prædicta omnia vera esse, & eum liberatum esse . . . .

ex utroque crure ...

contracta,

35 In Christi nomine Amen. Anno nativitatis ejusdem Domini MCCCXXIII, Indictione VI, die XXIII mensis Aprilis, quædam mulier nomine Joanna, filia Jacobini, de castro Brittorum com. Bon. erat impedita & contracta à latere dextero, ita quod ire non poterat sine ferlis, jam sunt plures anni . . . . Die XXVI mensis Decembris, D. Mag. Albertus qu. D. Rolandini de Muglo, Faber, de cap. S. Felicis, qui est homo æt. L ann. dixit quod sunt XXX anni, quod fuit passus in quadam sua gamba dextera quamdam magnam ægritudinem, ita quod vix ire poterat: & multoties habuit consilium medicorum, & numquam potuit liberari: & meritis B. Simonis liberatus est . . . . Anno Dom. MCCCXXIV Ind. VII die XV Aprilis D. Benvenuta, filia qu. D. Gherardini Rustighelli & uxor qu. Ioannelli Rolandi, de terra S. Joannis in Persiceto com. Bon. quæ est æt. LV ann. dixit quod sunt duo anni cum dimidio, quod fuit gravata infirmitate morbi caduci, & vovit se Deo & B. Simoni, quod si meritis ejus liberaretur, veniret ad visitandum corpus & sepulturam suam, & virtute Dei & meritis B. Simonis liberata est . . . .

crure debilis,

epileptica,

E

calculum molestissimum patiens,

36 In Christi nomine. Amen. Anno MCCCXXV, Ind. VIII, die V mensis Maji, D. Clara, uxor Rodulphi qu. Palmerii de cap. S. Ceciliæ, una cum Hostia ejus filia, quæ Hostia est ætatis septem annorum cum dimidio, dixerunt, & d. D. Clara ejus mater cum sacramento affirmavit, quod d. Hostia ejus filia, jam sunt duo anni, habuit malum lapidis continue, & emittebat urinam continue die noctuque, & marcidabat omnes pannos de lecto ubi jacebat, & quando volebat mingere non poterat, & tunc patiebatur magnum dolorem, & clamabat fortiter, ita quod mirabile erat. Et dum ipsa cum d. sua filia esset in domo Joannis qu. Jacobi Simonis, die festivitatis S. Petri Martyris, XXIX mensis Aprilis anni præsentis, & pateretur magnum dolorem, & dicebat quod videbatur eidem quod canes corroderent omnia interiora ejus, & clamaret ita quod tota vicinia cucurrit. Et tunc d. D. Clara dixit: O B. Simon, juvetis me de ista mea filia, vel rogetis Deum quod mittat sibi mortem. Et tunc meritis & virtute B. Simonis d. Hostia emisit bene duas quartas urinæ, & unum lapidem *d* gropolosum, grossum sicut una nux: & incontinenti post hæc habuit magnum fluxum sanguinis: & liberata fuit & est à d. sua infirmitate . . . .

F

d

puer à curru obtritus,

37 Die XIV mensis Junii, D. Joachimus de Beneivenis de Curionibus, de cap. S. Ceciliæ, una cum Jacobo ejus nepote, qui Jacobus est æt. XVI mensium, dixit quod dum ipse Jacobus esset in via publica, quidam homo cum currui onerato lignis cum duobus bobus transibat per viam: & unus ex d. bobus percussit d. Jacobum cum *e* muso, & ipse incontinenti cecidit ante d. bovem, & rota d. currus sic onerati ascendit super renes & *f* longiam ipsius pueri, & statim tota vicinia cucurrit, credendo quod ipse Jacobus mortuus esset. Et tunc D. Nivis uxor Bonafidei filii d. Joachimi & mater d. Jacobi, vovit eum Deo & B. Simoni, quod si ejus filius evaderet, faceret pingi figuram & imaginem d. B. Fr. Simonis, & offerret certas alias oblationes. Quo voto facto in continenti, gratia Dei & meritis & virtute B. Simonis, ipse Jacobus sanus & liber factus est.

e

f

Ex processu ms.

Et ipsa mater cum tribus testibus dixerunt quod viderunt prædicta omnia, & omnia vera esse, & Jacobum esse sanum & illæsum.

Subsignatio Notarii.

✠ Ego Philippus qu. Alberti Papazonis Imp. auct. Notarius prædicta omnia supra scripta, ut scripta sunt, publice scripsi & in publicam formam redegi, ex auctoritate & licentia, mihi attributa ac data à Reverendo Viro D. Rogerio Cacia, Vicario Vener. Patris D. Uberti, Dei gratia Bonon. Episcopi, scripta manu Ioannis qu. D. Pauli Lazarini, Decretorum Doctoris & Notarii.

ANNOTATA.

a Bocca, *sive*, bucca, *os vulneris seu carcinomatis.* . . .

b *Ducali titulo insignita civitas*, Regium-Lepidi *dicta, sub Duce Mutinensi, diversum à celebriori in extima Italia* Regio.

c Petius *Italis masculine* Pezzo, *particula; Francis feminine*, Piece; *unde apud nos fere invenies particulas dici* Petias.

d Gropolosum *videtur poni pro aspero & inæquali: nam* groppo *Italis est nodus.*

e Musum *in brutis vocatur pars tota capitis, ab aure ad extremum usque labrum & nares.*

B f Longia *hic significat spinam dorsi humani: nunc solum pro parte suilla carnis accipitur.*

CAPUT IV.

Processus secundus de miraculis B. Simonis.

Anno 1322 cœpta scribi curationes,

38 IN Christi nomine. Amen. Hæc sunt miracula B. Fr. Simonis de Tuderto, Ordinis FF. Eremitarum S. Augustini civitatis Bononiæ, quæ apparuerunt & facta fuerunt post mortem ipsius Fr. Simonis, qui in anno MCCCXXII, Indict. V, die XX mensis Aprilis, de hoc seculo ad cælestem patriam transmigravit, meritis ipsius B. Fr. Simonis, in infrascriptis personis, patientibus ægritudines infrascriptas, in diversis earum partibus personarum, ante mortem d. Fr. Simonis, qui liberati fuerunt ab eorum infirmitatibus; diligenter super his receptis testibus fide dignis cum juramento, ut inferius per ordinem describuntur, & scripta per me Albertum Anselmi Notarium, ex auctoritate mihi tradita, à C Reverendo viro Rogerio Cacia Vicario Vener. Patris Uberti, Dei gratia Bonon. Episcopi, currentibus annis Domini MCCCXXII, diebus & mensibus infrascriptis.

mulieris dæmoniacæ & debilis,

39 Die XXII mensis Aprilis, D. Ægidia, filia qu. Ioannis Bernardini & uxor Lamberti, de terra Argellaræ com. Bon. erat à dæmone possessa, & erat à latere dextero adeo debilitata, quod adjuvare se non poterat, & ire non poterat sine baculo: quam calamitatem passa est circa decem menses. Ducta fuit ad sepulturam d. Fr. Simonis cum magna devotione; cujus meritis liberata est manifeste: quæ dimisit baculum ad d. sepulcrum & sic liberata recessit. a Testes d. miraculi D. Francisca Mag. Iacobi & uxor Gerardini de Guarinis, & D. Lucia, filia Tadei de Bernardinis de terra Argellaræ, ambæ cap. S. Laurentii de Guarinis, jurarunt corporaliter ad sancta Dei Euangelia se cognoscere d. Ægidiam, dictas infirmitates patientem, & ipsam esse liberatam à dictis languoribus. Actum Bon. in ecclesia S. Iacobi FF. Eremitarum, ad altare ubi sunt campanæ, Præsentibus . . . testibus.

puellæ claudicantis,

40 Eodem die, D. Avenante, filia Martini di Vignaji, de cap. S. Mariæ in donis, com. Bon. claudicabat fortiter à latere dextero à nativitate sua citra, & D. Maxima mater ejus, audiens de miraculis d. B. Simonis, cum magna devotione duxit d. filiam suam D ad sepulcrum ejusdem: & meritis & virtute ejus liberata est, ita quod recte ambulabat: & sic liberata recessit . . . . Dominicus filius Zivinini de terra Possicini com. Bon. dixit in præsentia mei Notarii & testium infrascriptorum b, quod iverat cum ferlis sex annis & ultra, & sine ipsis ire non poterat: qui audiens de sanctitate d. B. Simonis & ejus miraculis, cum magna devotione venit Bononiam ad sepulturam ejus: cujus meritis liberatus est, ita quod recte ibat; & ferlas dimisit ad sepulturam . . . . Benvenuta, filia Placiti, de burgo Punicalis dixit . . . quod erat impedita pedibus & genibus, ita quod ire sine ferlis non valebat, quam infirmitatem dixit passam fuisse circa decem & octo menses: audiens de miraculis B. Simonis & ejus sanctitate, venit cum magna devotione ad sepulcrum ejus, & flexis genibus orans devote, meritis ejus liberata est, & recessit liberata, dimittens ferlas ad sepulturam . . . .

pueri gressu privati, *genibus contracta*

41 Zunta Guidonis, de Caxaliesso Reni, dixit, quod erat impeditus & ire non valebat sine ferlis: audiens de miraculis & sanctitate d. B. Simonis accessit ad sepulcrum, & orans devote liberatus est à d. infirmitate, dimittens ferlas ad sepulturam . . . . . Lucia Aymerici de Mazano com. Bon. dixit, quod erat impedita à corrigia infra, & non poterat ire sine E baculo vel ferla, & infirmitatem passa fuit ut dixit tribus annis vel circa, quæ . . . venit ad sepulturam d. B. Simonis, & liberata dimisit ferlam . . . . Iacobus qu. Donati de terra Ydicis com. Bon. erat dæmoniatus, & opera, ut faciunt dæmoniati & dæmoniatæ faciebat. Nullus eum tenere poterat. Dicebat quando petebatur, ego sum diabolus. Ductus fuit per vim ad sepulturam B. Simonis: qui stans per horam super arcam liberatus est meritis d. B. Simonis, in sua prosperitate, sanitate & bona memoria ac intellectu revertens. Qui Jacobus liberatus, à me Notario infrascripto petitus, quomodo cepit d. infirmitatem, respondit sane & cum bona memoria, quod faciendo quoddam d pergolare visum fuit eidem, quod malus spiritus introiret in eum: & quod totus fuit territus, & sensum & memoriam amisit jam sunt duo anni, & usque nunc non fuit in suo sensu nec intellectu: dicens se fore optime liberatum, laudans Deum, & d. B. Simonem, cujus meritis confessus fuit se fuisse liberatum, cum F gaudio recedens . . . . .

viri ac mulieris debilium, *dæmoniaci*

42 Die XXVII mensis Aprilis, Antonius filius Nicolai de Cagalanis, de plebe Centi com. Bonon. æt. VI ann. erat debilitatus pede sinistro, adeo quod recte non ibat, imo fortiter claudicabat: & hanc infirmitatem passus est, ut dixit D. Berta mater ejus, quatuor annis vel circa: quæ duxit eum ad sepulturam B. Simonis & liberatus est . . . . Die XXVIII Aprilis, Petrus filius Alberti Ferrarii, de terra Plumatii com. Bon. æt. XII ann. dixit, quod non audiebat, nisi in auribus ejus gentes fortiter clamarent. Parentes autem ejus duxerunt eum ad sepulcrum B. Simonis, & ejus meritis est liberatus, audiens clare & aperte, & homines plane eidem loquentes audiebat ut audiunt aliæ personæ . . . . . Castellanus, filius Uberti, de terra Marani, com. Bon. æt. XX. ann. dixit habere pedes inflatos ita quod ire non poterat, jam sunt anni tres: & quia non poterat laborare, nolebat aliquis eum in suo opere ponere; ita quod non poterat lucrari unde posset se alere. Venit ad sepulturam B. Simomonis, cujus meritis liberatus est . . . . .

claudi, *surdi,* *pedes inflammati,*

43 Die XXIX Aprilis, Zaninus filius qu. Massoli de terra Soragra com. Parmæ, ætatis XLIIII ann. dixit, quod die XXVIII d. mensis fuit ad

e ad e azardum & amisit: & præ dolore ludi & A amissionis pecuniæ blasphemavit Deum & Matrem ejus & d. Fr. Simonem deridebat, & de eo truffabatur, dicendo, Quomodo posset iste Fr. Simon dirigere assideratos? non posset esse. Credo quod sint f truffæ quod sit tantæ virtutis: nec credo ipsum esse Sanctum, nec credere volo id quod dicitur de eo: & alias derisiones de eo faciebat. His vero dictis & eo cœnato, ivit ad lectum cum ista pessima fide. Et in primo somno captus fuit, & de lecto projectus super solario: & statim amisit loquelam, & stetit mutus ab ipsa hora usque ad meridiem, & loqui non valebat. Et pœnitentia motus pœnituit illorum quæ dixerat de B. Simone: & cum magna fide & devotione ac lacrymis venit ad sepulturam ejus, cujus virtute & meritis liberatus est diligenter, in sua prima sospitate permanens, laudans Deum & B. Simonem.....

blasphemus in B. Simonem.

punitur & curatur.

44 Die ultimo mensis Aprilis, D. Maria, filia Michaelis, de terra Fani com. Bononiæ, erat à dæmone vexata, & opera faciebat ut faciunt dæmoniatæ: & oportebat ligari, ut sibi & aliis nullam posset facere læsionem. Et consanguinei ejus, intelligentes de miraculis B. Simonis, eam duxerunt per vim super uno curru cum magna fide & spe: & hoc accidit ei jam sunt tres dies, ipsa existente ad mensam B & comedente. Quæ existens ad sepulturam B. Simonis, ejus virtute & meritis liberata est à d. vexatione, faciendo magnam reverentiam ad d. sepulturam & ipsum Beatum collaudando, in sua sanitate & bono intellectu permanens..... Franciscus, filius Rolandi de Mongardino, com. Bon. ætatis sex ann. habebat guttur inflatum à latere sinistro, & D. Iacobina mater d. pueri duxit eum ad sepulturam B. Simonis: & ibi rogans fideliter pro d. suo filio, & ipsum super arcam ponens, meritis ejus & virtute liberatus est, sanus permanens de suo gutture.....

liberatur dæmoniaca.

Curatur guttur inflatum,

45 Die II Maji, Benvenuta qu. Maji Gardini, cap. S. Columbani, æt. XVI ann. dixit quod claudicabat fortiter pede dextero, & non poterat se calceare nisi cum auxilio alterius, jam sunt sex anni; venit ad sepulturam B. Simonis, & liberata est, recte ambulans in conspectu omnium ibi adstantium, Deo & B. Simoni gratias agens.... Ioannes qu. Blasioli de Locha, æt. XII ann. de terra Regii dixit, quod fuit vulneratus in manu sinistra à quodam puero, cum g una g lexena ad suendum sotulares: ex quo vulnere amisit manum & non poterat se juvare, jam sunt tres anni. Et Carmaninus de Locha suus patruus vovit C d. Ioannem Deo & B. Simoni die XXVI mensis Aprilis. Et habens ipse Ioannes magnam devotionem & fidem in B. Simone, obtulit se visitaturum sepulturam ejus, & offerre unum brachium de cera cum manu. Et nocte sequenti habens maximam devotionem & fidei nitorem ut liberaretur, excitatus à somno & surgens se invenit de d. manu totaliter liberatum. Et surgens præ gaudio ivit eo mane ad domum patrui sui, se ostendens liberatum: & omnibus convicinis ejus fuit habitum magnum miraculum. Inter omnes istud miraculum per civitatem Regii h cucurrit. Et prædicta gesta fuerunt Reverendo viro D. h Guidone de Abaixio Regiano Episcopo: qui statim misit pro d. puero; & tangens manum liberatam, gratias egit Deo & B. Simoni, admonens eum ut Bononiam venire deberet ad visitandum sepulturam d. B. Simonis: & cum magna devotione gratias agendo obtulit unum brachium cum manu de cera, ut promisit ad sepulturam; hoc miraculum scribi faciens in honorem & gloriam B. Simonis. Ioannes Zenardini Canevarii, Ioannes Salvoni, Carmaninus de Locha, cives civitatis Regii omnes, juraverunt ipsum vidisse d. manu debilitatum, & nunc esse diligenter liberatum.

clauda,

manus læsa,

46 Die III d. Mensis Ægidia qu. Pacis, de Camagnano com. Bon. nunc habitans in cap. S. Proculi æt. L ann. erat à dæmone vexata & lædebatur potius in pede & in manu sinistris; & faciebat opera quæ faciunt i adversatæ, & sua facta facere non poterat; dicens quod maritus noluit secum morari postquam sic turbata fuit: & hanc passionem sustinuit jam sunt XXIV anni. Venit ad sepulturam B. Simonis, & ejus meritis liberata est. ..... Die VII Maji, Bonafante, quæ dicitur Fantina, filia Hentigipti Sighicelli, de Manzolino com. Bon. æt. XI ann. erat adversata, & à dæmone vexata: & hoc accidit sibi in uno campo placato k: quæ à d. tempore citra non fuit in suo sensu nec memoria nec intellectu. Ducta fuit per vim ad sepulturam B. Simonis, & liberata est, in sensu & bona memoria permanens..... Die XXIII Maji, Prixiata, filia Nicolai Iacobi de terra Castri-leonis com. Bonon. & uxor Guiduccii de terra Gazi Castri-leonis, erat dæmoniata, & opera dæmoniata faciebat, eundo huc & illuc, & eundo sine sensu & intellectu; quam vexationem cœpit jam XVIII menses: & hoc accidit illi comedendo unum pyrum Reginum & non signando illud: & cum comedisset, statim corpus suum evenit inflatum. Ducta fuit ad sepulturam B. E Simonis per vim: & ipsa existente super arcam d. Sancti est liberata, & in sua sanitate & bona mente persistens.

EX PROCESSU MSS. energumenæ tres,

47 Die XIV Iunij, Iulianus, filius qu. Deomeldæ de Migarero com. Faventiæ, erat tamquam adversatus, & carebat sensu & intellectu, & à Paschate Resurrectionis citra caruit visione oculorum, & XII præsentis Iunij venit Bononiam humiliter & devote ad visitandum corpus B. Simonis, ut liberaretur ab ejusmodi languore. Qui cum fuisset ad sepulturam ejusdem Sancti, preces humillimas porrigens cum magna fide, à dictis languoribus est diligenter ejusdem Sancti meritis liberatus..... Die XVIII Iunij Zanzonus Tiburtini Bonzi, de terra Dugloli com. Bon. dixit quod patiebatur in crure dextero, dicens se habuisse totum inflatum & habens plures fistulas habentes plures plagas, ex quibus exibat magna & infinita putredo, adeo quod uxor ejus & filii non poterant secum morari. Et hanc infirmitatem dixit se passum fuisse sex mensibus vel circa, & non poterat modo aliquo liberari. Audiens de sanctitate & miraculis B. Simonis habuit magnam fidem in eo ut liberaret eum, & vovit eidem se, supplicans ut eum liberaret ab infirmitate F sua. Et hanc orationem fecit in terra Dugloli ad domum suam: & liberatus est. Qui videns se liberatum, præ gaudio venit Bononiam, ad gratias agendum corpori ejusdem Sancti, & ipsum humiliter honorandum.

possessus à dæmone,

crus fistulosum;

48 Die XXVI Iunii, Francischinus, filius Cresini de Barbagna, civis Mediolanensis, qui moratur in porta Gomesana in loco dicto Postoreno, dixit quod quædam mulier de civitate Mediolani petebat aliquid ab eo quod ipse eidem negavit, & ipsa mulier ipsum l convitavit ut secum cœnaret: iste assentivit, & in sero secum cœnavit: & cum cœnaverat dedit eidem bibere, & postmodum recessit ab ea. Et cum fuit domi, effectus fuit tamquam demens ex illo potu, & amisit sensum & intellectum, & opera ut faciunt stulti faciebat. Dixitque quod aliquando sentiebat & cognoscebat se facere opera stulti, & non verecundabatur: & ibat potius nudus quam vestitus, & potius stabat in loco turpi quam nitido, & se totus vibrabat, & stare rectus aliquando non poterat, & dilacerabat indumenta sua; & hæc dixit passum fuisse septem mensibus. Ductus fuit ad sepulcrum B. Simonis, & con-

ex veneficio furiosus.

EX PROCESSU MS.

& continuo existens ibi liberatus est perfecte ab infirmitate sua: & dixit se fore liberatum meritis B. Simonis, gratias eidem agens ....

✠ Ego Franciscus Alberti Anselmi, Imperiali auctoritate Notarius, & missus ad dicta miracula scribenda & in publicam formam redigenda, ex auctoritate & licentia mihi tradita à Rev. viro D. Rugerio Cacia .... Scriptum manu Joannis qu. D. Pauli de *m* Cospiis Decretorum Doctoris.

ANNOTATA.

a *Quæ sequitur formula concludendi & attestandi miraculum fere eadem in omnibus est, nomina testium si excipias, quibus chartam hic implere nil opus est.*

b *Additur ubique* ac juravit ad sancta Dei Euangelia: *nos deinceps simpliciter scribemus* dixit, *aut*, juravit.

c *Et hanc formulam omnibus communem*, audiens de sanctitate & miraculis B. Simonis, *deinceps emittemus.*

d Pergolare *Derivatum à* Pergula; Pergolarium *etiam invenias, Italis* pergolaio.

e Azardum *Teutonibus, Italis, Francis communis vox, sed quibusdam aspirata pro* fortuna *seu* casu felici: *nec umquam in partem sinistram sumitur.*

B

f Truffa. *sæpius in Martio notata vox, significans, jocum, imposturam, unde* truffare *jocari: sed fere in malam partem accipitur, ut iocum contumeliosum significet.*

g Lexena, *Id est*, subula, *nunc fere ab Italis* Lesina *dicitur: observandum est autem sæpe in his processibus inter duas vocales scribi* x *ubi solum* s *Itali nunc adhibent, ut* Felixia, Beatrixia.

h Vidonem Abaisium *appellat in Italia sacra Vghellus: & duos ejusdem nominis & cognominis Episcopos videtur facere, mediante quodam Petro.*

i *Num adversati sunt energumeni; quomodo diabolus quo possidentur,* adversarius & inimicus *antonomastice dicitur?*

k Placatus *accipitur pro* planus, *in quo nullum offendiculum: sic* diligenter *pro* integre, *& alia similia à nativa significatione detorta hic occurrunt.*

l Convito *Italis convivium dicitur; hinc* convitare, *invitare ad convivium.*

m *Pauli hujus cognomentum fuerit, quod idem exprimitur in Processu tertio; in primo autem Processu Notarius Vicarialis paterno nomini addiderit nomen avi loco cognominis.*

CAPUT V.

Processus tertius de miraculis B. Simonis. a

Liberatur energumena,

49 IN Christi nomine. Amen. Nativitatis ejusdem anno MCCCXXII, Indict. V, die XX mensis Maji, Benella Michaelis de Castro-Leone com. Bon. quæ est æt. XXV ann. coram me Joanne Notario & testibus infrascriptis corporaliter *b* juravit ad sancta Dei Euangelia, quod à festo Nativitatis D. N. Jesu Christi proxime præterito citra, fuit & erat à dæmone vexata, & opera faciebat ut faciunt dæmoniatæ quasi continue. Tamen extra unam vicem, quod præsenti mense Maji existens in suo sensu, & audiens de miraculis B. Simonis, vovit se Deo & d. Sancto, rogans Deum quod meritis d. B. Simonis eamdem in pristinum statum sanitatis reduceret. Quibus dictis sensit se in continenti liberatam, & ab eo tempore citra, nullam ægritudinem passa fuit. Et ideo volens corpus d. B. Simonis visitare, venit ad arcam ejus cum una imagine cerea, quam super d. arcam dimisit, ipsum humiliter & devote collaudando, & in sua sanitate & bono intellectu permanens. *c* Quæ quidem omnia & singula supradicta dixit, juravit & testificata fuit d. Benella, Bononiæ in ecclesia S. Jacobi Stratæ S. Donati FF. Eremitarum, juxta arcam d. B. Simonis, præsentibus ..... testibus: qui omnes etiam juramento dixerunt, Benellam vidisse infirmam & nunc liberam. D

50 Die I mensis Junii, Benvenuta, qu. Jacobi de Andreis, de terra S. Agathæ com. Bon. quæ solita fuit morari cum D. Jacobo & Missotto de Saladinis, & nunc moratur cum D. Bartholomæa de Guidozaynis, quæ est æt. XL ann. juravit, quod jam sunt x anni & ultra, quod ipsa habebat gossum & gutturem grossum & inflatum fortissime: & audiens & videns d. Benvenuta miracula B. Simonis, toto corde se vovit Deo, rogans eumdem quod meritis B. Simonis de d. infirmitate eamdem liberare curaret. Quo facto adivit ad arcam B. Simonis, & liberata est à d. infirmitate..... Die III Junii, D. filia Pacii & uxor Martini Gratiæ, de Florentia, de populo S. Laurentii, quæ est æt. XXX ann. juravit, quod ipsa existente in civitate Florentiæ, subito de mense Maji proxime præterito evenit eidem quædam ægritudo in manu sinistra in digito indice d. manus, ita & taliter quod ullo modo non poterat d. manum sinistram movere, nec ex ea poterat se adjuvare: & videbatur eidem quod moreretur, & quod medici eidem consilium nullum dare sciebant. Quæ sic stando reminiscens de B. Simone, corde & animo vovit se Deo ut meritis d. B. Simonis eam à d. languore liberaret: & si liberaret eam, quod ipsa personaliter veniret ad arcam d. B. Simonis visitandam. Quo voto facto, in continenti sensit se liberatam. Et ideo volens votum adimplere, hodie se præsentavit Bononiæ ad arcam d. B. Simonis ipsum collaudando, & à d. infirmitate in totum liberata permanet.

guttur inflatum,

sinistra manus,

E

51 Die XI Junii, Gerardus Gosmari, sartor de cap. S. Luciæ, qui est æt. XXX ann. pater Gosmarini sui filii, æt. v ann. juravit quod d. Gosmarinus ejus filius erat impeditus in cruribus & tibiis, ita & taliter quod nullo modo se movere poterat: & sic stetit d. infirmitate gravatus spatio duorum annorum & ultra. Et etiam eo existente in d. ægritudine, brachium & manum sinistrum & sinistram [invasit morbus], ita & taliter quod dictis brachio & manu juvare se non poterat: Et etiam patiebatur morbum caducum. Videnfque d. Gerardus miracula B. Simonis, vovit toto corde & animo d. ejus filium Deo, dicens, quod si Deus ejus filium meritis B. Simonis de dictis languoribus liberaret, ipse eum duceret ad arcam d. Beati, cum imagine cerea, & ipsam imaginem super d. arcam dimitteret. Quo facto voto in continenti d. Gosmarinus cœpit liberari. Videns d. Gerardus hæc, d. ejus filium duxit incontinenti ad arcam B. Simonis omni die usque ad dies tres: & sic d. Gosmarinus, virtute Dei & meritis B. Simonis, liberatus est; & eum Gerardus pater suus hodie, liberatum in totum & sine aliquo languore, duxit & præsentavit cum voto ad d. arcam, Deum & B. Simonem collaudando .....

puer paralyticus,

F

52 Die XIII Iunij, Ghisella, filia qu. Zanis & uxor qu. Andreæ, de cap. S. Antonii, quæ est æt. XXX ann. juravit, quod jam sunt quatuor anni, quod ipsa habuit & habebat tibias & crura omnino fractas, ita & taliter quod nullo modo poterat portare pannos juxta ipsas, & fere non ibat: & aliqua medela quam ipsis faceret nihil proderat. Audiensque & videns miracula, manata meritis B. Simonis, vovit se Deo & B. Simoni, rogans D. N. Iesum Christum, quod meritis B. Simonis ipsam liberare curaret à d. infirmitate. Quod quidem votum fecit à decē diebus citra: ipsa namq; d. precatione exaudita liberata est. Nolens autem d. beneficio ingrata esse, hodie

tibiis debilis,

hodie se præsentavit ad arcam B. Simonis....

A 53 Die XXI Junii, Nicolinus Emonitii de Bentaxio comitatus *e* Savojæ, juravit, quod eo, mense Maii proxime preteriti, existente in mari piscari in quadam navi de Gambacurtis; d. navis ex fortunali & periculo periculavit & suffocavit in mari, ita & taliter quod omnes qui in d. navi erant morientes suffocati fuerunt. Ipse autem Nicolinus existens in d. periculo in navi, recordatus fuit de miraculis quæ audiverat dici de B. Simone: totoque corde & animo vovit se Deo & B. Jacobo, rogans ipsos quod meritis B. Simonis eum de d. periculo liberarent, rogans etiam B. Simonem quod preces suas porrigere deberet D. N. Jesu Christo, ut meritis ejusdem de d. periculo evadere posset: quod si evaderet, ipse veniret personaliter advisitandum corpus d. B. Simonis, cum uno *f* bordono ferreo in manu, conjuncto cum una catena ferrea, cum uno collari ferreo ad gutturem ejus. Quo voto facto, in continenti, ipso instanti, quasi antequam votum bene complevisset, apparuit eidem Nicolino una *g* assis de ligno veniens ante eum: qui videns eam cœpit eam in continenti, & projecit se super eam cum pectore: & virtute Dei & B. Jacobi & B meritis B. Simonis cum d. asside de mari exivit, & de d. periculo evasit. Volens igitur votum per eum factum & promissa adimplere, hodie XXI Junii cum d. bordono in manibus, conjuncto cum una catena ferrea, cum uno collario ferreo ad gutturem, se præsentavit ad arcam B. Simonis, Deum & S. Jacobum & B. Simonem magnifice collaudando, dictumque bordonum, catenam & collarium super d. arcam dimittens, omnia supradicta testificatus fuit.....

e liberatur naufragus.

54 Die XXIV Augusti, D. Mixina, filia qu. Relonis uxor Berti, de Butrio, quæ moratur in terra Galixani com. Bon. æt. XXV ann. juravit quod possunt esse quindecim dies, ipsa existens in domo suæ habitationis posita in terra Galixani & bibens, capta fuit à dæmone; & visum fuit sibi in ipsa potatione quod ipsa dæmonem biberet. Et in continenti subito cœpit facere ut faciunt adversatæ, exclamando & alia faciendo ut faciunt adversatæ, ita quod aliquis nullo modo eam poterat tenere. Verumtamen dixit, quod ea existente die XIII Augusti in suo bono sensu, ipsa & mater ejus voverunt se Deo, rogantes Deum quod meritis B. Simonis d. Mixinam à d. infirmitate liberaret. Quo C voto facto, in continenti die sabbati XIV Augusti, d. Mixina ducta fuit nondum liberata super unum currum ad arcam B. Simonis, & ibi stetit dæmoniata & adversata usque ad diem Dominicam sequentem post prandium: & d. die Dominica post prandium, virtute Dei & B. Simonis, liberata fuit. Et ideo volens prædicta patefieri, hodie se præsentavit ad arcam d. B. Simonis, sanam & à d. infirmitate liberatam; Deum & gloriosam Virginem Mariam & B. Simonem collaudando, & in suo vero & bono sensu permanens.

& dæmoniaca una

55 Anno MCCCXXIII, Indict. VI, die I Martii, D. Sandra & D. Rossa sorores, & filiæ Franchi de Sambuca, quæ nunc morantur Bononiæ in cap. S. Catharinæ de Saragocia; quæ D. Sandra est æt. XXIV ann. & D. Rossa æt. XXXV ann. iuraverunt quod ipsa Sandra erat dæmoniata & adversata, & sic stetit spatio quatuor annorum & ultra, ita & taliter quod quasi continue faciebat ut dæmoniatæ faciunt; & ultra tam capta erat à dæmone, quod ipsa nullo modo ibat, nec ire volebat, nec poterat ad aliquam ecclesiam, nec etiam Corpus Christi videre volebat nec poterat. Et etiam die Jovis XXIV mensis Februarii proxime præteriti, in die S. Matthiæ, subito amisit visum, ita quod nullo modo videre poterat. Et sic stando d. D. Rossa die Dominica penultima Februarii proxime præteriti, videns D. Sandram ejus sororem sic gravatam, dixit eidem Sandræ; Soror mea, ego volo preces porrigas Deo, quod meritis B. Simonis te liberet: & ego etiam quamvis indigna rogo eum toto corde, quod meritis ejus Matris gloriosissimæ Mariæ & B. Simonis te liberare dignetur. Et tunc d. Sandram per vim duci fecit die Dominica præd. ad arcam B. Simonis, & ibi steterunt cum ea usque heri ultimo Februarii hora Nonæ. Et d. die heri hora Nonæ libera fuit de visu & captione dæmonum, surrigendo se, & postmodum flexis genibus ante arcam B. Simonis & coram Crucifixo se ponendo, Deum & gloriosam Virginem Mariam & B. Simonem & omnes Sanctos & Sanctas Dei collaudando devote & benigne: & ibi ad d. arcam permansit usque in hodiernam diem, & vidit corpus Christi, collaudando eum & ipsi se recommendando.

atque altera,

EX PROCESSU MS.

56 Die XXII Martii, D. Lucia, uxor Francisci Ugonis de cap. S. Leonardi, mater Bartholomæi sui filii & filii d. Francisci, qui ejus filius est æt. duorum ann. juravit, quod existente d. Bartholomæo ejus filio die XIX præsentis mensis Martii, in strata publica S. Vitalis cum uno randallo *h* in manibus, duo boves cum uno curru transibant per d. stratam, & unus ex d. bobus percussit cum cornibus d. puerum, & projecit eum in terram ante se, & posuit unum ex pedibus super faciem & caput d. Bartholomæi, & alium posuit super corpus d. pueri: & sic euntе bove, rotæ d. currus transierunt super corpus & brachia d. pueri, & super randallum quem habebat in manibus. Et tunc videns d. D. Lucia, quæ erat sub porticu ante d. stratam, voce magna clamavit toto corde; O S. Simon, adjuvetis filium meum, quē vobis recommendo. Et in continenti surrexit & ivit in stratam, & cepit d. filium suum, & surrexit eum de terra, credens eum esse mortuum: & invenit esse sanum sine ullo malo vel languore, & d. randallus, quē d. puer habebat in manu, totus fuit fractus à rotis currus. Et ideo nolens tanti beneficii ingrata esse & prædicta latere, hodie d. ejus filium præsentavit ad arcam B. Simonis, cum una imagine cerea magnitudinis d. pueri, quam imaginem supra d. arcam dimisit....

servatur puer a bove & curru obtritus, B

57 Die XXIX Martii, Blasius qu. Petri Pasaselate, qui fuit de terra Funi com. Bon. & nunc moratur in terra Roncorum pater Jacobi sui filii, & D. Bartholomæa uxor d. Blasii & mater d. Jacobi, qui Jacobus est æt. sex ann. juraverunt, quod d. Jacobus eorum filius stetit spatio quinque annorum quod ire non poterat, & tempore mortis B. Simonis erat sic impeditus. Et stantes prædicti in d. terra Roncorum & audiētes miracula B. Simonis, voverūt filiū Deo & B. Simoni, & eum duxerūt ad arcā B. Simonis, & ibi steterunt spatio duorum dierum, & postmodum recesserunt cū d. suo filio non liberato. Et post hæc stantes in domo ipsorum habitationis, & iterato audiētes miracula B. Simonis, voverunt eū Deo & B. Simoni toto corde & animo, dicentes, quod si d. eorum filius virtute Dei & meritis B. Simonis liberaretur, ipsi de sua paupertate offerrent ei unam imaginem ceream super arcam B. Simonis. Quo voto facto, statim infra tres dies post d. votum, d. Iacobus existens in domo habitationis eorum, subito cœpit ire & bene liberatus est, & rite & bene vadit, & sine aliquo languore remansit. Et ideo volentes votum attendere, hodie d. eorum filium cum imagine ad arcam B. Simonis præsentaverunt sanum, Deum & gloriosam Virginem Mariam & B. Simonem collaudantes....

alius gradiendi facultate destitutus sanatur, F

58 Die IX Aprilis, Ioannes filius Francisci mag. Iuliani, de terra Gazani com. Bon. qui est æt. XXV ann. juravit, quod de anno proxime præterito, de heb-

item vir debilis,

EX PROCESSU MS.

hebdomade sancta, eo existente in quodam campo ad *i* zappandum subito evenerunt sibi magnissimæ doliæ in anchis ipsius, ita quod nullo modo poterat ire nec se movere: & sic stetit impeditus de d. doliis usque ad tempus quo blada metuntur. Et sic stando audiens miracula B. Simonis, vovit se toto corde B. Simoni. Quo facto infra paucos dies in d. terra Gazani subito surrexit & liberatus fuit. Et ideo nolens d. beneficio & gratiæ ingratus esse, hodie liberatum se præsentavit ad arcam B. Simonis, cum una *k* bottaglia magna, quam obtulit & dimisit super arcam d. B. Simonis......

i item vir debilis,

k

59 Die XI Aprilis, Agnesia, filia qu. Guilelmi de Cluxuriis de Archoato com. Placentiæ, quæ est æt. XV ann. ut asserunt, juravit quod jam est annus & ultra, quod ipsa patiebatur morbo caduco, & in die festivitatis conversionis S. Pauli proxime præterito venit ad standum in civitate Bononiæ, cum D. Ioanna qu. Henrici de cap. sancti Vitalis & D. Bisina de Castro-franco: & in d. domo pluries habuit d. infirmitatem. Et sic stando d. duæ Dominæ Joanna & Bisina dixerunt eidem Agnesiæ, quod voveret se Deo & B. Simoni, quod eam liberaret. Quæ Agnesia audiens prædicta, toto corde & animo se vovit Deo & B. Simoni, preces porrigens eisdem, quod de d. infirmitate eam liberaret. Quod votum fecit jam sunt duo menses & ultra, & ab eo tempore citra d. infirmitatem passa non fuit, quam solita erat habere bis in hebdomade & bis in die....

& puella epileptica,

B

ANNOTATA.

a *Præmittebatur exordium, iisdem plane verbis scriptum, quale est initio Processus secundi, quod non putavimus hic iterandum.*

b *Hac formula repetitur in omnibus subsequentibus depositionibus, pro qua simpliciter scripsimus* juravit.

c *Etiam hæc conclusio aliis omnibus communis deinceps omittitur, neque hæc tantum; sed etiam accessus ad sepulcrum voti solvendi causa, iisdem pene verbis ubique expressus.*

d Gossum *pro gula, Francis,* golier *q. d.* gossarium, *à prædicta radice* gosso.

e *Ita passim appellatur Sabaudia, trans Alpes posita regio, Bononiæ remotior: quare suspicor legendum esse* Savonæ, *quod est maritimum oræ Ligusticæ oppidum, vix dimidio spatio dissitum.*

C

f Bordonum *Italis Francisque communis vox, pro oblongo baculo viatorio, quali utuntur ad sacra loca peregrini.*

g *Academici della Crusca in suo vocabulario dicunt, quod* Asse *Italis sit antenna minor, haud magis quam tres digitos crassa: an vero hic etiam pro majori non sumatur, quam Itali* Panconem *vocant, posset ex hoc loco dubitari.*

h *Ecgraphum nostrum* scandallo: *sed hæc nullius significationis vox: mendum ergo rati correximus: nam* randello *Italis est baculus curtus & arcuatus, quo arctius adstringuntur funes sartinatorii.*

i Zappa *Italis est,* ligo: *hinc,* Zappare, *est,* fodere.

k Bottaglia *poni videtur pro vini poculo.*

CAPUT VI.

Tertii Processus pars altera.

60 Die XX Aprilis, D. Bartholucia, filia qu. Bandini & uxor Sumentini de Orto, quæ moratur ad Roccam-majorem, mater Julianæ ejus filiæ, quæ est ætatis quinq; mensium, juravit quod d. Iuliana patiebatur *a* morbo caduco & passa fuit spatio duorum mensium & ultra, & d. malum habebat ad minus bis in hebdomade: & quod jam sunt tres hebdomadæ, & ultra quod ipsa votum fecit Deo, quod si meritis B. Simonis ipse ejus filiam liberaret, ipsa faceret d. B. Simonem depingi. Quo voto facto à d. tempore citra, ejus filia d. infirmitatem passa non fuit: & ideo vere credit eam liberatam esse, quia ut supra dixit d. infirmitate ad minus bis in hebdomada patiebatur. Et sicut vovit d. Fr. Simonem pingi fecit, & filiam ad ejus arcam præsentavit.... Eodem die Martinus Acursij de cap. S. Antonii laborator, & Ægidia ejus uxor juraverunt, quod Cursius eorum filius, qui est æt. IV ann. ortus fuit crepatus, & sic stetit usque ad mensem Januarii vel Februarii proxime præteriti, portando continuo unum *b* brachirolum. Et sic stantes, uno supradictorum mensium, recordati fuerunt de miraculis B. Simonis; & fecerunt votum Deo & B. Simoni, quod præsentarent eorum filium ad arcam Beati hodie in die suæ festivitatis, & dimitterent ad arcam brachirolum quem portabat, & transfigerent arcam præd. cum uno statuali *c* cereo. Quo facto, incontinenti d. Cursius liberavit, & ab eo tempore citra liberatus permansit, & sic eum ut voverunt hodie præsentaverunt ad arcam, & dimiserunt brachirolum, & arcam transfixerunt, Deum & B. Simonem collaudantes.....

Curatur epileptica puella,

a D

b *puer herniosus,*

c

E

61 Die III Maii, D. Bartholomæa, filia qu. Boninsegnæ & uxor Marcadantis Bazallenii, de cap. S. Ægidii, mater Antonii ejus filii & filii d. Mercadantis, qui eorum filius est æt. IX ann. juravit quod d. ejus filius occasione unius forevarii *d* seu chazetinæ crepavit, jam sunt octo anni vel circa, & sic stetit crepatus & devastatus usque ad tempus mortis B. Simonis. Et mortuo B. Simone, ipsa & d. Mercadante ejus maritus, videntes miracula B. Simonis desuper manata, voverunt & votum fecerunt Deo, quod si eorum filius meritis B. Simonis à d. infirmitate liberaretur, quod ipsi facerent comburi unam lampadem ad arcam d. Beati. Et incontinenti incepit lampadam comburi facere, & jam sunt tres menses & ultra quod jam d. eorum filius, virtute Dei & meritis B. Simonis, liberatus est..... Die XIV Maji, Antonius Jacobi Ortolanus, de cap. S. Antonii, juravit, quod quidam suus filius, nomine Nannes, qui est æt. XI Mensium, principio Quadragesimæ proxime præteritæ fortiter cecidit in terra, ita & taliter quod crepavit & devastatus fuit. Et videns d. Antonius prædicta, votum fecit Deo, quod si meritis B. Simonis d. ejus filius liberaretur, ipse faceret d. Beatum depingi ad d. ecclesiam S. Antonii. Quo voto facto quasi per tres hebdomades vel circa, ejus filius liberatus fuit & est. Et stetit usque ad hodiernum diem ad ducendum filium ad arcam B. Simonis, eo quod volebat videre firmiter si liberatus erat: & sic vere virtute Dei & meritis B. Simonis liberatus est, & filium ad arcam B. Simonis præsentavit.....

alius,

d

F *tertius,*

62 Die XIV Junij, D. Bartholina, filia qu. Stephani Ortolani de Faventia, & uxor qu. Ugolini de Cassadello, quæ morabatur in civitate Faventiæ in *e* contrata portæ Montanariæ, juravit quod jam sunt XXV menses vel circa, ipsa existente in civitate Faventiæ sub porticone domus cujusdam suæ vicinæ, subito impedita fuit pedibus & manibus & totius personæ, ita quod se nullo modo adjuvare nec movere poterat. Et sic stando audiens miracula B. Simonis, fecit se portari super unam carrettam à civitate Faventiæ ad arcam B. Simonis, jam sunt quatuor menses vel circa: & ibi stetit usque ad diem festivitatis B. Simonis de mense

e pedibus & manibus capta,

A se Aprilis proxime præteriti: & d. die liberatâ fuit & est, ita quod nunc se adjuvat manibus & pedibus, & vadit quo vult sine aliquo auxilio .... Die xxvi Junij, Jacobinus qu. Amici de Vauxio de Mediolano, qui est æt. xl ann. juravit, quod jam sunt xxvi menses, ipso existente in civitate Senarum ad laborandum in quodam palatio illorum de Saracenis; ipse cum multis aliis cecidit de palatio in terra: & alii qui cum eo ceciderunt incontinenti mortui fuerunt, & ipse evasit; tamen omnia ossa sua confracta fuerunt, & omnia interiora iverunt à latere inferiori, & se juvare non poterat de brachio dextero ullo modo. Et heri dum venisset in civitate Bononiæ, de novo audivit miracula B. Simonis; & audiens ea, venit toto corde puro & animo ad arcam B. Simonis: & ibi stetit heri & hodie; & virtute Dei & B. Simonis hodie liberatus est de d. brachio....

sanatur lapsus ex alto,

63 Die xxix Junij D. Richelda, filia qu. Gerardini & uxor Berti, de cap. S. Mariæ de templo, quæ est æt. xl ann. juravit quod jam sunt tres anni, quod ipsa non poterat se adjuvare in genibus, & in ipsis habebat dollas, ita quod nullo modo poterat stare recta, nec ire sine baculo. Audiensque miracula B. Simonis, vovit se toto corde Deo & B. Simoni, rogans Deum quod meritis B. Simonis eam liberaret. Quo facto liberata fuit, post votum intra octo dies vel circa, ita quod recte & sine baculo & sine dolore vadit ubique. Nolens igitur prædicta latere, hodie præsentavit se liberatam ad arcam B. Simonis, Deum & d. Beatum collaudando ..... Die xxvi mensis Julij, D. Ægidia, uxor Bernardi, de cap. S. Ægidii, juravit quod quidam ejus filius, nomine Joannes, jam sunt duo menses & ultra, crepavit: quod videns ipsa, die xxii præsentis mensis, vovit d. ejus filium Deo & B. Simoni, quod eum liberare curarent. Quo voto facto incontinenti & sine mora d. ejus filius f liberavit: & ideo eum præsentavit hodie ad arcam B. Simonis....

genibus debilis,

B

f

64 Die x Augusti, Francisca, uxor Jacobi Victuralis, de cap. S. Ceciliæ, juravit, quod quidam ejus filius, nomine Bartholomæus, à die suæ originis ortus fuit cum una magnissima g natta in capite à latere dextero, magna ut ovum anseris, & quod non poterat unquam eidem aliquod remedium facere consilio alicujus medici, vel non quod ipse liberari posset. Videns igitur d. Francisca & audiens miracula B. Simonis, votum fecit Deo, jam sunt sex menses vel circa, quod si ejus filius meritis B. Simonis de d. infirmitate liberaretur, ipsa offerret & præsentaret super arcam Beati unum caput pueri cereum. Quo voto facto, quasi post quindecim dies, filius integraliter liberatus fuit. Volens igitur votum adimplere, hodie d. filium ejus liberatum, cum capite cereo, ad arcam B. Simonis præsentavit....

g caput tuberosum,

C

65 Die iii Octobris Rainaldus Laurentii de Florentia, familiaris Marci qu. Lanfranchi de Pistorio, qui nunc moratur Bononiæ in hospitio Sotti h hospitatoris, juravit, quod die Veneris proxime præterito, primo præsentis mensis Octobris, ipso existente in d. hospitio de nocte, audivit equos in d. hospitio existentes insimul rixari: & audiens hæc in continenti surrexit, causa eundi ad eos. Et eundo ad stabula visum sibi fuit unum hominem videre super unum ex d. equis, & in continenti taliter pavescit, quod cecidit in terram & non potuit se adjuvare, nec ire, nec etiam loqui: & sic stetit usque ad diem. Et die facto veniens D. Marcus ad stabulum, invenit d. Rainaldum sic jacentem, & quod non poterat se adjuvare neque loqui; d. Marcus vovit d. Rainaldum Deo & B. Simoni, & eum conduci fecit heri de mane sic infirmum ad arcam Beati: & d. die heri hora Nonæ liberatus fuit, & ideo hodie se præsentavit..... Die iv Octobris, D. Pellegrina, uxor Francisci qu. Jacobi de Apoxa de cap. S. Vitalis, juravit, quod quædam ejus filia nomine Cola, æt. xxv mensium, à die nativitatis suæ usque ad decem dies subsequentes, stetit cæca oculorum, & non videbat: elapsis vero dictis decem diebus cœpit aliquantulum videre, sed male: & sic stetit quasi cæca quod non videbat usque ad unum mensem proxime præteritum retro. Videns itaque d. D. Pellegrina miracula B. Simonis, vovit filiam Deo & B. Simoni, & eam duxit pluries ad arcam. Et jam sunt quindecim dies & ultra quod liberata fuit: & hodie eam præsentavit.

diabolico spectro consternatus, h

EX PROCESSU MS. puella cæcutiens,

66 Anno mcccxxiv, indict. vii, die xvi mensis Aprilis, D. Massara, filia qu. Damiani & uxor Bonaventuræ Ioannis de Mascardis, quæ moratur in terra Funi com. Bon. juravit, quod quidam ejus filius, nomine Antonius, qui esse potest æt. trium ann. infirmus erat morbo caduco; & videns & audiens miracula B. Simonis, fecit votum Deo, quod si meritis B. Simonis d. ejus filius liberaretur, portaret eum ad arcam B. Simonis, & offerret eidem unam candelam ceream magnitudinis d. Antonii. Quo voto facto incontinenti liberatus fuit: & jam sunt decem & octo menses quod deinde malum non habuit, quod solitus erat habere bis vel semel in hebdomada.... Eodem die D. Margarita Ghiberti, uxor Baldini de Marciis, de Funi com. Bon. i bajula filiæ Venetici de Personaldis, quæ est æt. xviii mensium, juravit, quod die v præsentis mensis Aprilis d. filia existens in area d. Margaretæ, subito cecidit in terram super latus sinistrum, & incontinenti amisit brachium & manum sinistram, nec poterat se adjuvare. Et tunc eam portavit cuidam medico, credendo quod brachium esset motum: & medicus invenit brachium motum non esse, & sic stetit per unum diem & unam noctem. Quod videns ipsa vovit eam Deo & B. Simoni, quod si ipse eam liberaret, ipsa eam duceret ad arcam B. Simonis, & daret eidem unam candelam ceream, magnitudinis dictæ puellæ. Et in continenti facto voto, liberata fuit & incepit brachium movere ....

puer epilepticus,

E

i item puella;

67 Die v mensis Maji, D. Verdillia, filia Benvenuti de Tizano com. Bon. & uxor Martini Honebenis de Coro com. Bon. juravit, quod quædam ejus filia nomine Bartholomæa, quæ est æt. iv ann. orta fuit clauda, & sic stetit spatio trium annorum. Audiensque d. D. Verdillia miracula B. Simonis, vovit filiam Deo & B Simoni, jam est annus vel circa, & eam jam est annus vel circa portavit super arcam B. Simonis; & ibi stetit spatio unius diei. Et sic stando ad arcam, d. Bartholomæa liberata fuit, & portavit domum liberatam, & stetit usque in hodiernum diem providendo si liberata permaneret. Videns igitur quod liberata permansit & est liberata, ideo, ne prædicta laterent, hodie ad arcam d. Beati se præsentavit cum una imagine cerea, ipsam super arcam dimittendo ..... Die xi Iulij, D. Agnesia filia qu. Bartholomæi & uxor Alberti Batani de cap. S. Sismundi; & Ægidia ejus filia, æt. xiv ann. juraverunt, quod d. Ægidia in festo carnisprivii proxime præteriti, usque per totum mensem Junij proxime præteriti, stetit infirma gravissima infirmitate: & quod à latere dextero habebat corpus totum inflatum, & crus & tibiam cum magnissima inflatura, ita quod fere ire non poterat. Et sic stando habuerunt consilium cum pluribus medicis, qui omnes dicebant quod necesse erat facere emplastrum, & ponere eum super d. malum, ad hoc ut faceret k caput, ut posset incidi. Quæ

alia clauda,

F

tibia tumefacta

k

EX PROCESSU MS.

Quæ sic audientes die primo præsentis mensis Julii, ambæ prædictæ fecerunt votum, quod si d. Ægidia liberaretur sine incisione, ipsæ darent & præsentarent ad arcam B. Simonis unam tibiam magnam ceream, & facerent dici unam Missam ad honorem Dei & B. Simonis. Quo voto facto, in continenti incepit liberari, & se sensivit liberatam . . . .

puer herniosus

68 Die XXVIII mensis Julii, Petrus Jacobi de Gastagnolo-majori, qui nunc moratur in terra Ronchorum com. Bon. juravit, quod quidam ejus filius, nomine Joannes, die sabbati vigilia S. Catharinæ *l* de Quadragesima proxime præterita, ex quodam squasso *m* crepavit. Et tunc eum duxit Bononiam ad quemdam medicum, & eum fecit mederi bene per unum mensem, & liberari non poterat. Et videns quod non liberabatur, D. Texola, ejus uxor & mater d. Joannis, jam est mensis vel circa, fecit votum Deo, quod, si d. ejus filius meritis B. Simonis liberaretur, ipsa portaret eum ad arcam B. Simonis, & offerret super d. arcam unum puerum de cera, & quod toto tempore vitæ suæ jejunaret vigiliam d. B. Simonis, in pane & aqua. B Quo voto facto, post paucos dies d. Joannes liberatus fuit, & hodie liberatus est.

✠ Ego Joannes Nicolai de Manellis, Imp. auct. Notarius, dicta omnia miracula suprascripta, ut scripta sunt, publice scripsi & in publicam formam redegi auctoritate *&c ut supra.*

ANNOTATA.

a *Ita passim toto hoc Processu verbum* patior *construitur cum ablativo, quem, ne offendiculo continuo foret, plerumque in accusativum mutavimus.*

b 12 *Martii in Vita S. Iustinæ Aretinæ num.* 5 Bracheriolum, *herniæ vinculum: vide ibidem hujus vocis etymon.*

c *An intelligitur statua seu imago cerea, arcæ affigenda?*

d *Neutrius vocis vim assequimur.* Crevache *Francis crepatura est,* à crever *crepare:*

e Contrata, *quasi* conterrata, *ut alibi dictum, significat idem quod* regio.

f *Ita frequenter in hoc processu verbum* liberare *ponitur neutraliter, pro* liberari, *quod hic noluimus dissimulare, & si variis locis correxerimus substituta terminatione passiva, maxime ubi habebatur* liberaret, *&* C *scripsimus* liberaretur.

g *Tuber capiti innascens non sine periculo, Italis* Natta *dicitur.*

h *An* Sottus *significat stultum, sicut* Sot *Teutonibus & Francis.*

i Bajula, *id est nutrix, Italis* balia.

k Far capo, *inquiunt Academici della Crusca, dicitur de apostematis, quando suppuratione perfecta incipiunt fluere.*

l *Non illius antiquæ Virginis & Martyris, quæ colitur* 25 *Novembris, sed* Catharinæ *Bononiensis, de qua egimus* 9 *Martii. Verum anno* 1342 *dies* 8 *Martii non in sabbatum, sed in diem Iovis incidit, littera Dominicali G. fuerit hic lapsus memoriæ.*

m Squassus *dicitur succussio, unde* squassare, *cum impetu succutere.*

CAPUT VII.

Appendix miraculorum ad Processum tertium.

Sanantur, puer distortus,

69 IN Christi nomine. Amen. Anno nativitatis ejusdem MCCCXXIV, Indict. VII, die XI mensis Septembris D. Sania, filia qu. Fugerii & uxor Benvenuti Michaelis Leci, quæ moratur ad Guazarellum com. Bon. coram me Joanne de Manellis Notario infrascripto & testibus infra positis, corporaliter D juravit ad sancta Dei Euangelia, quod quidam ejus filius, nomine Michael, ætatis quatuor annorum cum dimidio, stando in domo suæ habitationis, de mense Julii proxime præteriti, uno mane evenit eidem Michaeli gamba dextera, à genu infra usque ad pedem, tota torta quasi ad modum arcus, & non poterat quasi ire & quando ibat, portabat pedem dexterum totum tortum. Et d. D. Savia videns hæc, portavit d. ejus filium sæpius ad medicos, & non invenit aliquem qui eum liberare posset vel sciret. Videns igitur quod liberari non poterat, recordata fuit de meritis B. Simonis; & stando in domo suæ habitationis, toto corde & animo fecit votum Deo, quod si d. ejus filius meritis B. Simonis liberaretur, quod ipsa d. ejus filium duceret ad arcam B. Simonis, & super d. arcam offerri faceret unam gambam ceream cum pede, & faceret, dici & celebrari unam missam in honorem Dei: quod votum fecit de mense Augusti proxime præteriti, quodam sero. Et voto facto in continenti mane d. ejus filius surrexit & liberatus est à d. infirmitate. Volens igitur votum adimplere, hodie d. ejus filium liberatum ad d. arcam B. Simonis præsentavit cum E voto prædicto, Deum & B. Simonem collaudando: quæ quidem omnia dixit & testificata fuit præsentibus mag. Tomasino qu. Mag. Lanzaloti, Petro Gerardi calzolario & Masimbene Alberti, Testibus.

oculi conf.,

70 Die VIII mensis Octobris, D. Franciscus qu. D. Pasquæ drapparii, de cap. S. Luciæ, & D. Ioanna ejus uxor juraverunt, quod quidam eorum filius, Nicolaus nomine, æt. IV ann. existens sub porticu domus eorum, de hebdomada sancta anni proxime præteriti, quidam alius eorum filius, nomine Antonius, existens super quemdam equum d. Francisci, & eum ducendo per porticus & currendo, d. equus dedit d. Nicolao ita & taliter, quod eum projecit in terra, & in quodam murello dedit eum capite, ita & taliter quod oculi in totum de capite ejus exibant, cum magna effusione sanguinis: & in continenti misit per medicos multos, qui omnes concorditer dicebant ipsum oculos & visum amisisse. Et tunc d. D. Ioanna audiens prædicta, corde & animo fecit votum Deo & B. Mariæ, quod si meritis B. Simonis d. ejus filius liberaretur, eum ad arcam ejus duceret, & offerret eidem unam imaginem ceream. Et voto facto incepit liberari, & in die Paschatis Resurrectionis sequentis de mane, in totum liberatus fuit.... Eisdem die, loco, & testibus d. D. Franciscus suo Sacramento dixit, quod die III præsentis *febris vehemens,* mensis Octobris, ipso existente in lecto, subito eidem evenerunt febres magnissimæ, ita quod credebat subito mori: & sic stando in tremitu mortis in lecto, recordatus fuit de B. Simone. Et tunc votum fecit Deo & gloriosæ Virgini Mariæ, quod si ipse meritis B. Simonis liberaretur, faceret d. Fr. Simonem depingi: quo voto facto incontinenti liberatus fuit & est...... Die XXIV Novembris, D. Francisca, filia qu. Spinelli & uxor Iacobi Benvenuti, de cap. S. Mariæ de Allamannis, juravit, quod quidam ejus filius, nomine Iulius, æt. VII ann. jam sunt duo anni vel circa, crepavit & devastatus fuit, nec liberari poterat: & quod sunt duo *gravis hernia,* menses vel circa, quod ipsa fecit votum Deo, quod si d. ejus filius meritis B. Simonis liberaretur, ipsa faceret continue uno anno unam lampadem comburi ad arcam d. Beati: & quod jam est mensis & ultra quod d. suus filius liberatus fuit & est. . . . .

71 Anno

A *oculorum tumor,* 71 Anno MCCCXXV, Indict. VIII, die XV Martii, D. Jacobina quæ dicitur Mina, filia qu Jacobi & uxor Nicolai Fabri de cap. S. Blasii, juravit, quod quidam ejus filius, nomine Francus, æt. XX mensium, dum esset ætatis trium mensium, oculi ejus evenerunt eidem grossissimi & inflati: & postmodum ipsa fecit mederi: & in fine in totum oculi ejus descolati *a* fuerunt, & medici omnes concordes erant, quod erant in totum descolati & unquam videre non poterat: & sic stetit per quatuor menses quod non vidit. Et videns prædicta fecit votum Deo, quod si d. ejus filius meritis B. Simonis liberaretur, ipsa manibus propriis portaret eum ad arcam Beati, & super d. arcam offerret unam imaginem ceream magnitudinis d. Francisci, & quod ipsa toto tempore vitæ suæ jejunaret vigiliam B. Simonis: Quo voto facto, quasi ea die, d. ejus filius aperuit oculos cum luce clarissima, & liberatus fuit & est.

gutturpessime affectum 72 Die XXIV Martii, Guido Bitini Capelli de Crevalcorio com. Bon. qui est æt. XX. ann. juravit quod de mense Maji proxime præteriti, subito evenit eidem in gutture à latere sinistro quædam ægritudo, quæ vocatur Noli-me-tangere, ita & taliter quod quasi ex ea mortuus fuit. Et videns hæc quædam ejus amita, nomine D.Bona fecit votum, quod si d. Guido meritis B. Simonis liberaretur, ipsa duceret eum ad arcam d. Beati & d. arcam transfigeret uno statuario cereo: quo voto facto, incontinenti eodem die liberatus fuit.

B 73 Eodem die Albertinus Honenbene Terelarius, de terra Galeriæ com. Bon. & D. Laurentia ejus uxor, juraverunt, quod de mense Februarii proxime præteriti, in tempore *b* carnisprivii, subito evenit eidem Albertino, in pectore in latere sinistro, magnissima inflatura, ita & taliter quod quasi quiescere non poterat. Et tunc ipsi venerunt Bononiam, & habuerunt consilium cum medicis civitatis Bononiæ: qui omnes dicebant ipsum mortuum esse, & non posse evadere: dicebant enim illam esse infirmitatem quæ vocatur Noli-me-tangere; & quod eidem consilium dare nesciebant, nisi quod ipse iret ad arcam S. Antonii *c* de Vienna. Audientes hæc recesserunt de civitate Bononiæ & ibant domum plorando, nescientes quid facere deberent, quoniam quatuor filios parvulos habebant. Et hodie sunt tres hebdomadæ, stando & credendo mori, fecerunt votum Deo & B. V. Mariæ, quod si d. Albertinus liberaretur meritis B. Simonis, & quod si eum meritis ejusdem liberatum redderent quatuor dictis ejus filiis parvis & egenis, ipsi venirent personaliter ad arcam d. Beati, & offerrent eidem quatuor imagines cereas, ut quatuor filios habebant. Quo voto facto incepit liberari, & post votum per spatium octo dierum legitime & bene liberatus fuit & est....

b dolor lateris,

C

d cruris inflatio, 74 Eodem die Rainerius filius qu. Petri calceatoris de Mutina, de cinquantina *d* S. Marci à latere interiori, qui est æt. XXVII ann. juravit, quod in gamba ejus sinistra evenit eidem quædam infirmitas magnissima, ita quod tota fortissime evenit inflata, ita & taliter quod bis in d. infirmitate incisus fuit per Mag. Petrum qui dicitur Medighini filium Mag Henrici Cardellini de Mutina, medicum; ex quibus infirmitate & incisionibus nervi se retraxerunt, ita quod quando d. incisiones *e* salidatæ fuerunt, d. gamba & nervi remanserunt retracti, ita & taliter quod d. Rainerius sine ferlis ire non poterat & sic stetit per duos menses. Videns ergo quod liberari non poterat, & reminiscens de sanctitate B. Simonis: fecit votum Deo & gloriosæ Virgini Mariæ, quod si ipse meritis B. Simonis liberaret eum, veniret personaliter pedes ad visitandum arcam d. B. Simonis: quod votum fecit mense Maji proxime præteriti. Quo voto facto, quasi per sex vel octo dies post d. votum, liberatus fuit legitime, & libere vadit ubique.....

AUCTORE D. P.

puer moribundus. 75 Die X mensis Aprilis, D. Jacoba, filia qu. Gerardi & uxor Guidonis Calzolarii, de civitate Mutinæ, de cinquantina Becariorum, juravit, quod quidam ejus filius nomine Joannes, æt. XI ann. cum dimidio, eo existente in lecto die Dominica, in festivitate S. Lazari *f* proxime præterita, subito evenit eidem quod ipse amisit visum & loquelam: & sic stetit bene de mane usque ad Nonam quasi in transitu. Videns hæc ipsa incepit clamare & plorare, ita quod omnes vicini & vicinæ ejus transibant ad eam & aliqui ex eis iverunt per medicos Mutinæ. Qui medici, cum viderunt & tetigerunt eum, dixerunt eum esse in periculo mortis, & nullo modo potuerunt eidem aperire os neque manus; & faciebat ut faciunt hi qui moriuntur. Illa videns & audiens quod d. ejus filius erat in periculo mortis, recordata fuit de B. Simone, & coram omnibus vicinis & vicinabus ejus, qui & quæ erant in domo sua cum ea ad prædicta videnda, ipsa alta voce & toto corde cœpit clamare & dicere, O Sanctissime Simon, rogo vos, quod vobis placeat reddere mihi filium meum, si est pro meliori, & eum liberare. Et hoc dicto, in continenti, coram omnibus vicinis & vicinabus ejus & pluribus aliis personis quæ hac transierant, credendo d. ejus filium mortuum esse, d. ejus filius surrexit de lecto suo sine aliquo languore, & incepit se induere, & dicebat matri suæ, Quo iverunt ista magnissima luminaria, quæ nunc erant ibi? Et quando indutus fuit exivit foras liberatus. Quo viso omnes qui hic erant, flexis genibus Deum & B. Simonem collaudaverunt. Et ideo d. beneficii esse ingrata nolens, sed corpus B. Simonis visitare, venit à civitate Mutinæ cum d. suo filio pedes & discalceata & in cilicio, ad arcam B. Simonis: & hodie cum d. ejus filio ad d. arcam se præsentavit prædicta narrando, & devotissime Deum & B Simonem collaudando: quæ omnia dixit præsentibus Guidone Antonii Sartore qui fuit de Mutina, Joanne Dominici de cap. S. Vitalis Matino Jacobini Barberio, & Raido Albertini de cap. S. Sismondi testibus.

E

ANNOTATA.

a Descolare *sive* scolare, *est, guttatim effluere, exstillare.*

b *Cum Pascha hoc anno fuerit 7 Aprilis, evenerunt hæc ante diem Cinerum 20 Februarii.*

F

c *Est hic* Magnus Antonius, *de cujus Translatione in Galliam ad diœcesim Viennensem & monasterio ejus nomini ibidem erecto egimus 17 Januarii: quæ quia celeberrima erat peregrinatio, ideo ab eâ vulgò cognominatum Sanctum, sicut alios plures à locis sui præcipui cultus, etiam hoc confirmat, quod Ferdinandus Vghellus in Appendice ad Tomum 5, post 7 Tomum impressa, enumerans reliquias à Theobaldo Episcopo, anno 1316 collocatas in ecclesia Carmelitarum sub altari inter* S. Laurentii *&* S. Martini *nomina, ponat nomen* S. Antonii de Vienna.

d Cinquantina. *Latine diceretur*, Quinquagena: *nomen sumptum videtur à numero familiarum, unum quasi tribum constituentium.*

e Saldare *Italis est, quod Latinis,* solidare.

f *Masinus in Bononia perlustrata, notat hoc festum agi Dominica Passionis in parochiali ecclesia hospitalis S. Lazari extra portam majorem: scilicet occasione Evangelii de Lazaro, lecti Feria VI præcedenti: Dominica autem ista anno 1325 incidit in 24 Martii.*

DE BEATO IOANNE
EREMITA MASSACII IN PICENO.

D.P.

ANNO MCCCXCIX.



INter Æsinæ diœcesis oppida non ignobile censetur, quod decimo circiter ab urbe milliario versus Africum, Massacium dicitur, & Camaldulensis instituti Abbatiam olim habuit. Ad hanc sepulturæ causa delatus Joannes Eremita, de quo agere instituimus, haud dubie ejusdem Ordinis Beatis nunc accenseretur, sicut Vallumbrosanis B. Torellus, de quo XVI Martii; nisi prioribus incolis pridem vacuatus locus esset, & ideo in oblivionem apud Camaldulenses Joannes venisset. Ita factum est ut eum Tertiariis suis impune adnumeraverint Franciscani, ibi jam ab annis plusquam CCXX commorantes; more ipsis solenni, quoscumque solitariæ vitæ postremis his seculis professores, nulli certo ordini addictos, propter vestitus eremitici formam, haud multum à Franciscano discrepantem, deputandi tertiæ suæ Regulæ, quod nec reprehendere volumus neque possumus approbare. Abstinemus tamen à titulo, quo B. Joannem Martyrologio suo inseruit Arturus à monasterio: majoremque gratiam nos debere fatemur Lucæ Waddingho ejusque abbreviatori Francisco Haroldo, quod vitæ ejus synopsim aliquam, qualem colligere ex illius loci quæ scriptis quæ memoria traditis monumentis potuerunt, studuerint Annalibus suis inserere: ex quibus Waddinghus ad an. MCCCXCIX sic loquitur.

In Abbatia olim Camaldul. sepultus — *accensetur Tertiariis S. Francisci.*

B

2 Hoc anno vel circiter, die XXII Aprilis, ad Massacium, Marchiæ Anconitanæ castrum, obiit Joannes eremicola, tertii instituti S. Francisci sectator. Hic inter rusticos patribus hæreticis natus, tamquam è spinis rosa, divina gratia præventus est clementer, ut à consanguineis erudiretur in fide Catholica, & à pueritia divinos experiretur favores. Assidue orationem repetebat Dominicam, & ad frequentes preces alios puerulos excitabat, Divinis rebus ita erat addictus, ut de his solis vellet fieri sermonem. Candorem animi & latentem sub tenello pectore virtutem Deus manifestaturus, voluit ut arescentibus arvis æstivo calore, & deficientibus pastoribus ac pecudibus præ aquarum inopia, Joannes puerulus educto in terra circulo, & invocato nomine Jesu, venam aquæ abundantissimam sitientibus aperiret. Ad majorem miraculi confirmationem adhuc fons iste emanat, & communi appellatur nomine, Fons caprarum B. Joannis.

puer orationi deditus — *in penuria aquæ fontem elicit:*

C

3 Adolescentior factus, custodia gregum dimissa, custodiendæ & excolendæ animæ totus incubuit, Ad sanctissimi Patriarchæ Benedicti exemplum secreto specu se abdidit, communicato consilio cum sola genetrice, per ejus preces conversa. Hæc per funem, ad tintinnabuli tinnitum, panem, aquam & herbas crudas ministrabat. Ille vero totum tempus in sacris meditationibus, rigidis pœnitentiis & diris cum hoste conflictationibus consumebat. Invidebat ei dæmon tantam virtutem, nihilque non excogitavit, ut eum ab hoc vitæ genere deturbaret. Validis tentationibus animum pulsabat, spectra horrenda objiciebat, minis terrebat; & aliquando verbera adjiciebat. Sed inconcusso adolescentis animo tandem tot certaminibus victus dæmon, confusus recessit, & puerili quadam vindicta projecto lapide tintinnabulum fregit. Ita frequenter evenit, ut dæmon majora non valens, ad minora se vertat; & in magnis victus, in parvulis ridiculum se exhibeat congressorem. Damnum hoc, exile satis, genitrix reparavit, empto altero tintinnabulo: quod dum inimicus simili modo contereret, rogavit Joannes, ut tertium emeret mater ex sui laboris pretio; dicens, fortassis propterea duo priora à dæmone contracta, quia empta fuerunt nummo male acquisito. Non inanem fuisse hanc suspicionem, & genitricis confessio, & campanula laboris mercede comparata, in hunc usque diem integra comprobarunt. Pendet in architriclinio Fratrum Minorum, ad constantem hujus rei memoriam.

adultior in speluncam se recipit, — *tentatur à dæmone,* — *sed frustra,*

4 Mansit in spelunca ista toto tempore quo genitrix vixit: at illa decedente, dum non esset qui panem ministraret, oportuit per ædes circuire. Pia conversatione quorumdam Religiosorum allectus, habitum assumpsit tertii Ordinis S. Francisci: sub quo miros adinvenit modos pœnitentiæ. Quotidie sacrosanctis Pœnitentiæ & Eucharistiæ Sacramentis animam sanctam recreabat: assidua oratione & longo jejunio contra dæmonis insidias se exercebat: perpetuis lacrymis sibi aliisque peccatorum veniam implorabat; donec attrito laboribus corpore, ex gravi & diuturna infirmitate tandem obdormivit in Domino. Placuit virtutum, quibus fulgebat, Auctori, manifestare sanctitatem ejus & obitum annuntiare, per mirabilem sonitum campanarum monasterii sive Abbatiæ Massacii monachorum Camaldulensium. Stupentibus omnibus ad occultum motum & sonitum, nulla humana ope editum, quid hoc portenderet prodigium, cœperunt interrogare. Quibus casu respondit quidam, fortassis eremitam Joannem decessisse: non enim per aliquot dies extra antrum prodivit. Abierunt qui explorarent, inveneruntque flexis genibus, manibus ad modum orantis ante pectus conjunctis, recto corpore, facie in cælum elevata, firmiter rigentem.

intendit rigorem pœnitentiæ; — E — *mortui virtutem campanæ ultro sonantes produnt,*

5 His in populum sparsis, omnes in antrum convenere, visuri & veneraturi servum Dei: deinde in hymnis & canticis sanctum corpus, qua potuerunt solennitate, ad monasterium duxerunt, ubi ex mirabili sonitu campanarum, judicarunt eum voluisse locum indicare sepulturæ. Cœpit innumeris clarere miraculis, præsensque exhibere omnibus infirmis remedium. Qua de causa oppidani suum designarunt apud Deum tutelarem, & festum ejus colunt ritu solenni. Minores transtulit Martinus quintus, & translationem confirmavit Nicolaus quintus anno MCCCCL. Qua ratione factum est, ut B. Francisci alumnus in potestatem sectatorum sancti Patriarchæ deveniret.

sequuntur miracula: — F — *locus Franciscanis traditur.*

6 *Hactenus Waddinghus, de anno mortis dubie locutus, quia apud Marcum Ulyssiponensem legerat annum* MCCCXCIII. *Verum Waddinghi breviator Haroldus, monitus nullam sibi aliam de tempore mortis haberi memoriam, quam pro anno* MCCCXCIX; *absolute scripsit eo anno mortuum; simili suggestione posuit diem Aprilis* XX, *errori typographico imputans, quod apud Waddinghum* 22 *pro* 20 *haberetur. Arturus typothetæ errorem, quem suspectum habere non potuit, etiam non potuit declinare; ideoque suo Martyrologio Ioannem inscripsit ad diem* XXII *Aprilis. Utrumque Haroldi correctionem calculo suo approbavit Eminentissimus Antonius Cardinalis Bichius, quem cum solita fiducia rogavissemus, Massacio petere quæcumque istic de B. Ioanne haberi poterant documenta; ab urbe sua Auximana, cui feliciter Episcopus præsidet, legavit illuc virum Patricium: quo referente de anno ac die mortis,* ex

dies & annus mortis certius cognoscitur:

A *ex Massaciensium mente, cognovit ac judicavit; cetera, quæ idem collecta attulerat, parum authentice probata censens Eminentissimus, jussit inhærere iis quæ de Beato scripsere Waddinghus atque Haroldus.*

sub annum 1537 fracta arca,

7 *Quod ad præteritum ac præsentem beati viri cultum attinet, idem Eminentissimus ita scribit in epistola, Auximo data ultima Decembris anno* MDCLXX. Dico ex relatis, quod vere lipsana B. Joannis, post ejus mortem per annos centum septuaginta octo in templo, quod nunc est Reformatorum Observantiæ Franciscanæ, publico cultui ac venerationi fuerunt exposita, intra marmoream arcam, scilicet usque ad annum MDLXXVII: sed tunc ex cujusdam Fratris suggestione, privatim & occulte fracta est arca, ossaque educta. Unde Episcopus Æsinus, sub cujus ditione est locus, fragmenta quæ intra arcam remanserant tolli & occultari curavit, utpote ambiguus de eorum veritate & identitate, cum iis quæ antea ibidem clausa, ex tacito Ecclesiæ consensu cultum venerationemque habuerant. Nunc autem neque in picturis neque in tabellis ullum memoriæ monumentum existit.

datur occasio abolendi cultus.

Erat tunc Æsinus Episcopus Gabriel de Monte, *Julii III Papæ pronepos, annos* MDLIV *ad eam Sedem promotus, cui per annos* XLIII *& menses aliquot præ-* B *fuit: in cujus tempora incidit solennis illa Italicarum ecclesiarum visitatio, de qua* XIII *Martii egimus, ubi de B. Erico, Perusii post mortem culto. Digna autem fuit temeraria illa Fratrum licentia sic castigari; digni Massacienses privari patrocinio ejus, cujus venerationem usque adeo siverant in oblivionem venire. Si enim in viridi observantia fuisset annuus Beati hujus eremitæ cultus, non adeo severus fuisset hac in parte Antistes, facileque exorari potuisset, ut priorem in statum cuncta restitui sineret. Sed nec magnopere pro ea restitutione solicitos fuisse existimo aut hos aut illos; cum horum curam, illorum devotionem potius ad se traheret alius Ioannes Minorita, de quo præcitato loco Waddingus testatur,* quod in eadem ecclesia sub altari sanctissimi crucifixi jacet, signis & miraculis illustris, & anno MDLIX, die XI Martii defunctus: *ad quem tamen diem nulla ipsius apud Arturum memoria; sed die* II *ejusdem mensis, quando ejus nomen posuimus inter prætermissos. Nempe, cum ista imprimerentur, nondum ad manus nostras venerat collectio authenticorum maxime miraculorum, facta anno* MDCLXIX, *cui coram se & in suo monasterio S. Laurentii facta, testis præsens Reverendissimus Andreas Vallemarius Camaldulensis, tunc Massacii residens; ipsius ecgraphum legitime signatum ad nos misit: idque servamus in supplementum Martii, cetera quæ interim contingent & pari fide scribentur similiter expectaturi.* E

AUCTORE D. P.

prius tamen neglecti

ob cultum alterius B. Ioannis.

DE VEN. DOMINICO LEONESIO

ORDINIS MINORUM URBINI IN ITALIA.

D. P.

ANNO MCCCCXCVII



F*Ranciscus Gonzaga, Ordinis Minorum Minister Generalis, ac postea Episcopus Mantuanus, vir ut genere sic & virtute doctrinaque clarissimus, in suo opere de Religionis Franciscanæ origine parte 2, describens monasterium S. Claræ Urbini, quod XIV est in Provincia Marchiæ, fundatum à Clara Federici Urbinatium Ducis filia, atque post mariti Malatestæ unicæque ex eo filiolæ mortem, ipsimet ad cœtum Virginum Deo sacratarum adjunctione nobilitatum, subiungit, quod* in earum ecclesia, sub summo altari, corpus Beati Patris Dominici Leonesii in Domino requiescit: cujus sanctitatem editaque miracula, vota, in ejus sepulchri gyro appensa, manifestissime indicant. *Scire cupientibus, sumne adhuc sancto isti Corpori honos constaret & Urbinatis populi erga eum devotio; respondit Fr. Philippus Foro-Semproniensis ex Ordine Observantium Reformatorum, & Confessor dictarum sanctimonialium, destructo veteri novam esse fabricatam ecclesiam, tempore nunc regentis Abbatissæ; & Dominici corpus, quod eatenus sub ara delituerat, ut civium oculis magis conspicuum magis etiam excitaret devotionem, translatum esse in arcam marmoream; atque sub fenestra claustri positum cum hac inscriptione.* Hic jacet corpus B. Dominici à Leonessa, Ordinis Minorum Observantium. *Est autem Leonessa oppidulum in Aprutio ad confinia Umbriæ pari fere sex septemve milliarium intervallo Nurcia & Reate distans.*

Cultus corporis

in ecclesia S. Claræ

C

2 *Addit prædictus Fr. Franciscus in epistola scripta X Iulii* MDCLXXI, *tali occasione visum fuisse Abbatissæ, ad commune solatium eorum qui intercessioni Beati istius confiderent, separare à reliquis ossibus os unum, quod cum decenti ornatu positum in loco honorato, ad infirmos id postulaturos posset deferri: secutasque esse & quotidie sequi gratias singulares, tali medio impetratas. Imprimis adm. R. Matrem Sor. Teresiam Zepherini Foro-Semproniensem, plus vice simplici perfunctam regimine istius loci, cum gravissimis arthritici morbi doloribus cruciaretur; ad ossis prædicti, quod sibi adferri jusserat præsentiam & venerationem illi à se exhibitam, acceptam Beato retulisse gratiam maximi nec nisi divinitus sperandi solatii. His ita se habentibus, licuit Arturo ipsum cum Beati titulo inserere Martyrologio Franciscano, sub hac forma:* XII Kal. Maji, Urbini, B. Dominici Leonesii, Confessoris, qui ob præclaras virtutes septies Minister Provincialis Marchiæ effectus, toties mira prudentia, caritate & sanctitate atq; signis admirandis refulsit. *Diem mortis sumpsit ex Historicis Ordinis mox citandis, ex quibus etiã Fr. Lucas Waddinghus in Annalibus compilavit Vitam, quam hic damus, destituti antiquioribus, quæ nulla in loco extãt, monumentis.*

Os brachii

infirmitantibus salutare.

Vita ex Waddingo.

3 Decessit hoc anno MCCCCXCVII vir insignis, Dominicus à Leonessa, ad Sanseverini nobile Piceni oppidum, inter colles Apennino finitimos ex antiquæ urbis Septempedæ ruinis ædificatum, natus; cognomẽ sortitus à Leonessa, Regni Neapolitani pago, in quo translata familia, pueritiæ & virtutis prima jecit fundamenta. Ad ignita verba B. Nicolai Auximani prædicantis corde compunctus, seculo valedixit, & Minorum subivit institutum. Hic litteris institutus, orationi semper intentus, perpetuo studio carnem spiritus legi subjecit. Singulis noctibus flagris multis in se animadvertebat: diebus Veneris panem dumtaxat admittebat & aquam: humi frequenter cubabat, vel genuflexus somnum eludebat. Magno fervore & fructu, ubique Dei verbum disseminabat; ejusque prædicationi accepto, fert sodalitium viros optimos, Fratres Julianum & Venantium Fabriano oriundos. Eo in oppido sermones habebat ad populum anno MCCCCLXVI, & prædixit ante bienniũ illic pestem grassaturam vehementer: sed in tanta necessitate se non defuturum. Secuta est, quam prænuntiavit, pessima lues: & ille, juxta fidem datam, cum socio accessit, omnibus omnia exhibiturus obsequia; nec recessit, nisi contagione deleta.

Egregiis instructus à virtute

F

ad conciones,

pestem Fabriani prædicit,

4 Interrogatus à consodale adolescentulo, quid sibi in Religione agendum, ut Deo perfectius serviret; respondit: Obedito simpliciter, ora ferventer, stude diligenter: eo tamen ordine, ut propter obedientiam, si oportuerit, orationem & studium dimittas, & propter orationem studio valedicas. In monasterio S. Bernardini Urbinate, tiro quidam vehementer agitatus à malo genio ut ad seculum rediret, frustra laborante magistro, ut ten-

tironem defectioni proximum

AUCTORE D. P.

tationes pelleret, & in sancta vocatione perseveraret; ad virum hunc senecta venerandum, ibidem commorantem, ductus, mentis vulnus aperuit. Collacrymatus senex laboranti juvenculo, dixit, tentationes in primo limine facile fugari; ulterius progressas, difficile; intima pervadentes & quasi radicitus infixas, vel impossibile vel non sine supremo labore. Non ergo, inquit, fili mi, illas admittas, sed ad primum appulsum profligato: sic feliciter de satana triumphabis. Servi Dei dum tentantur, gratias Deo reddere debent: quo in hac tribulatione positi, & undique afflicti, à peccatorum illecebris ad illicita non pertrahentur. Tu vero novus miles, ad hæc molesta certamina & callidas hostis insidias, ne paveas: hæ illius artes sunt & frequentes, ut pereant qui animabus curandis ad claustra recedunt. Has ego ipse in tirocinio probavi valde molestas, tribusque modis per Dei adjutorium elusi. Primo, religioso aliquo corporis exercitio conabar avertere mentem ab hujusmodi suggestionibus: secundo, statim cuncta deferebam ad præceptorem & Confessarium, qui tamquam ex altiori specula explorabant & detegebant versuti hostis insidias: tertio, corpus edomabam jejuniis, flagris, vigiliis; & qua poteram orationis instantia precabar Deum, ut in meum intenderet adjutorium. Fac similiter, fili, & convoca in auxilium tuum religiosos Patres, qui pro te orent: ego meas qualescumque preces adjungam: & Dominus procul à te faciet istam tentationem. Dixit: oravit: novitius monachus hostem devicit.

contra tentationes efficaciter munit:

5 Illius prudentia, bonitate, & disciplina allecti Patres provinciæ Marchiæ Anconitanæ, eum volebant perpetuum habere Præfectum. Cum id ex instituti legibus & consuetudine non liceret, communibus suffragiis septies crearunt Ministrum Provincialem. In diuturno & toties repitito regimine plurima eluxit sapientia. Bonos ad potiora, propositis præmiis, excitabat: malos, negatis quos ambiebant honoribus, confundebat: & indulgenti supplicio à vitiis revocabat, quos duriori timebat flecti non posse sed frangi. Ultima correptus infirmitate, in postrema Præfectura, dum cœnobia lustraret, misit Dux Urbinas aulicos & servos, qui in urbem ducerent, ne alibi moreretur, & pati contingeret hominis jacturam, quem venerabatur, & mortuum noverat futurum urbis splendori. Tanto turbatus comitatu, humiliatus est nimis, & spiritu contribulato exclamavit: Ut quid pauperculo Fratri deducendo copiosus hic equitatus, qui Pontifici sufficeret? Permittite misellum humilius abduci, vel neglectum, ubi contigerit, spiritum emittere. Per universam vitam vilius haberi cupivi: nunc, dum in terram propendeo, vultis in altum ferre, & auræ vanitatis exponere? Ite præ: sequar: & optimi Principis votis minori tumultu satisfaciam.

septimum Provincialis,

magnifice Urbinum invitatur;

6 Urbini honorifice exceptus à Principe, morti subeundæ Christiano studio se præparavit. Nec defuerunt cælestia subsidia, accurrentibus Angelis & se monstrante Virgine Maria. Familiarem habuit & secretorum conscium Fratrem Nicolaum Gallum, virum probum ac doctum, disertissimum concionatorem, arcanarum cælestium etiam dignum repositorium. Percusserant inter se fœdus sanctum, polliciti utrimque divinas revelationes patefacere. Accessit Nicolaus à prandio die Veneris ad cubiculum decumbentis: vidit per ostii rimulas erumpentes radios insoliti splendoris: hæsit: expectavit parumper: deinde prorumpens in cellam, repente lux illa prorsus evanuit. Divinum quid suspicatus, promissionis & fœderis accusavit, compulitque ut enarraret, sibi apparuisse Divam Virginem Angelicis choris effulgentem. Paulo ante mortem idem Nicolaus, intuitus quamplures homines præ foribus cubiculi, confuso sermone & impatienti motu susurrantes; interrogavit, quid vellent. Aliunde coacti, dixerunt: Nos dæmones sumus, qui expectamus ut ab hac cella recedat Virgo Maria, nostras partes acturi cum Dominico languente. Abegit ille, qua polluit auctoritate, malos genios, & præparatas sibi insidias narravit amico. Hinc ille ratus mortem non longe abesse, jussit ne amplius quispiam, præter Nicolaum & cœnobii Præfectum, ad ipsum accederet, animæ suæ causam cum Christo & ipsis acturus. Devotaque & serena mente, præmissis Christiani hominis officiis, proxima sequenti die Veneris, Aprilis XX, piam animam suo reddidit Creatori.

ægrotanti adsunt B. Virgo Angelique,

& sic prohibentur accedere dæmones.

7 Exanime corpus mire statim resplenduit, pulchrius & tractabilius: quod importunæ populi venerationi in ecclesia per biduum oportuit dimitti: sepultumq; est tandem, jubente Principe Guidobaldo, ad S. Claræ Parthenonem, in quo aliquando Confessarii munus obivit, prope altare præcipuum, sub illa crate per quam sanctimoniales sacram Communionem accipiunt: ubi multis effulsit miraculis. Ex rostris & familiari colloquio hæc verba solebat inculcare: Unam accepisti animam, hanc cura diligenter: istam si perdas, alteram non licet substituere. Qui ejus Vitam scribunt, Speculum vocant perfectionis, Italiæ tubam, Fulcrum provinciæ Picenæ. *Hactenus Waddingus, citatis in margine scriptoribus Vitæ; Mariano de viris illustribus, cujus ipsa verba, hactenus in MSS. latentia maluissemus in sua prima simplicitate legenda exhibere, si ipsa nancisci potuissemus; Marco Ulyssiponensi, qui Lusitanice scripsit, Hispanice, Italice ac Gallice redditus parte 3 lib. 7 cap 31; & Cimarello lib. 7 cap. 37 quem recentem arbitramur auctorem esse, scripsisseque post innovationem ecclesiæ; ab eoque accepisse Waddinghum (cujus tomus VII anno dumtaxat MDCXLVIII excusus est) istam de præsenti loco sepulturæ circumstantiam, diverso ab eo quem designavit antiquior Gonzaga.*

mortui facies splendidior apparet.

Auctores unde hæc accepta:

8 *Marcus Ulissiponensis non meminit loci, quo depositus est Dominicus. Habet tamen annum mortis à Waddingo signatum, eique ac ceteris prævivit, componendo cum feria VI diem Aprilis XX; quod in annum non istum, sed in sequentem quadrat; quando littera Dominicali G dies Dominica eademque octava Paschæ, diei XX Aprilis in Feriam VI cadenti proxima, agebatur ejusdem mensis die XXII. Oportet igitur errorem hic aliquem vel in anno, vel in feria, vel in die mensis agnoscere: quorum quid corrigi potissimum debeat, non est nostrum divinare: ideoque in titulo tenuimus annum & diem à Waddingo notatum, donec certius sciamus, quo argumento dicatur Dominici mors in Feriam VI incidisse. Guidobaldus, auctor sepeliendi apud sanctimoniales corporis, frater fuit Claræ fundatricis, cujus id petentis precibus hoc tributum esse credimus, non ausis repugnare Fratribus in S. Bernardini monasterio commorantibus.*

error in die vel anno mortis.

9 *Nicolaus, cujus concionibus motus fuit Dominicus ad ineundam Religionem, vir sane & à scriptis & à prædicandi fervore laudatissimus, Romæ in Ara-cæli sepultus jacet, absque ullo vel minimo venerationis publicæ signo, Vitam ejus inter Vitas Sanctorum atque Illustrium Auximatium dandam à se ultimo loco promittit Ioannes Baldi, ipsius Nicolai ex sorore Bernardina de Romanis pronepos: sed abstinet titulo, qui cultum ecclesiasticum denotet. Nescimus igitur quo jure à Waddingo vocetur* Beatus, *nedum quo fundamento eum Arturus ad XXIII Februarii inscripserit suo Martyrologio Franciscano; quod etiam fecit de Iuliano Fabrianensi ad XXVI Iulii, & Venantio itidem Fabrianensi ad VI Maji; ob hanc licentiam distribuendorum arbitratu suo per fastos nominum, quibus aliquā virtutis laudem aut sanctæ mortis commendationem additā*

ejus socii Beatis adscripti ab Arturo.

apud

A

apud auctores inveniebat, dictus à Waddingho, haud inepte jocante, Magnus Ordinis Minoritici Papa: utilis tamen nobis, quod citatis diligenter auctoribus, materiam præbeat & occasionem indagandi de multis, & indagando inveniendi de variis: qui licet non inveniantur Sanctorum adscripti catalogis, nihilominus obtinent cultum ecclesiasticum aliquem publicum, nullis sanctæ Sedis decretis vel abrogatum vel contrarium, ob quem eis locum in nostro opere concedere debeamus. Idem faciemus de pluribus aliis, quos solius Arturi testimonio non audemus aggregare Beatis, vel diei per ipsum designato adscribere, quosque ideo nunc inter Prætermissos referimus; si vel ultro mittantur nobis requisitæ instructionis præsidia, vel petentibus respondeatur aliquid, quo nobis lectoribusque nostris putemus fieri satis: sicut hic in Dominico fecimus, contenti tamen titulo Venerabilis, quo & contentus Waddinghus fuit: cum neque Gonzaga dixerit absolute Beatum, *sed* Beatum Patrem; *quod vix aliud sonat quam quomodo passim dicimus* Beatæ memoriæ, *de quibusvis piis, ut confidimus, morte in Domino defunctis.*

AUCTORE D.P.

Ipse an idem qui Dominicus à Gonissa?

10 *Prædictus Arturus in suis Annotationibus Dominicum à Leonessa vult eumdem credi, qui à Waddingho laudatur ad annum* MCCCCLII, *vocaturque* Dominicus à Gonissa Picenus, *velut qui Aquilæ concionans eodem tempore, quo ibi in templo S. Francisci magnus alius orator, sed strictioris observantiæ desertor, Robertus Liciensis verba instituerat habere ad populum, maximam auditorum partem ipsi antea addictam averterit ad se potius audiendum, dicentem in area S. Mariæ de Asserico. Rursumque anno* MCCCCLXIII *prædictus Dominicus à Gonissa, Bosnæ & Dalmatiæ Vicarius constitutus dicitur. Et hac tomo Annalium* VI. *Equidem nullum invenio Italiæ vel Piceni castrum & oppidum Gonissæ dictum, unde tale nomen profluxerit. videoque errorem potuisse in primis litteris obrepsisse: Puto tamen duo hæc nomina contra Waddinghi mentem in unam conferri personam: qui si tomo* VI *erratum scribendo credidisset, haud dubie sequenti tomo ex professo agens de B. Dominici vita & obitu, correxisset errorem saltem tacite, inducendo mentionem Dalmatici Vicariatus.*

DE ALBERTO PVERO

IN POLONIA A IVDÆIS OCCISO

DEPOSITO IN COLLEGIO LUBLINENSI SOCIET. JESU.

D.P.

ANNO MDXCVIII



Vperioribus diebus, videlicet XVII *&* XIX *hujus mensis, agentes de SS. Rudolpho atque Wernhero, tam multa diximus, de inexplebili sanguinis Christiani siti, qua flagrat gens impia Iudæorum, & tot similis feritatis cumulavimus exempla; ut refugeret animus hunc rursum diem augere narrationibus tam horrendis; nisi ea ipsa commemoratio plurimum conferret, non modo ad longam eorum memoriam faciendam, quorum vitam brevem effecit rabies impiorum; sed etiam ad reparandam contumeliam, Christo Deo nostro per ejus inimicos in suis membris sceleratissime factam. Prodeat igitur ex Polonia puer* Adalbertus, *sive ut auctores contractius scribere maluerunt,* Albertus: *sed prodeat absque titulo* Beati *aut* Sancti, *quoniam sub finem seculi superioris passus, eum honorem necdum consecutus est ab Apostolica Sede; cum interim sub altari honorifice habeatur reconditus ab ipsomet loci Ordinario S. R. E. Cardinali, sacra Congregatione Rituum verosimiliter consulta, neutiquam certe improbante quod publice factum latere non potuit.*

Corpus sub altari

absque titulo Beati:

C

Historia ex Actis publicis Polonice scripta

2 *Rei gestæ historiam lingua Polonica diffusissime scripsit Fredericus Szembeck, Societatis nostræ Sacerdos, anno* MDCXIV, ex tabulis Castrensibus, Mielnicensibus, Lokoviensibus, Krasnostavensibus; ex Actis amplissimi Tribunalis in Regno Poloniæ, & causis criminalibus civitatis Lublinensis; denique ex accurata inquisitione illustrissimorum duorum Episcoporum Luceoniensium, Bernardi Maciejovii (qui deinde Cracoviensis Episcopus & S.R. E. Cardinalis, nec ita multo post Archiepiscopus Gnesnensis atque universi Regni Primas fuit) & successoris ejus Martini Syskovii, in Lositze, in Vorniki, in Liteuniki, in Sanowietz, diversis temporibus instituta: quarum Tabularum, Actorum, Causarum, Inquisitionum exemplaria seu transscripta, fide publica probatissima & sigillis obsignata, Cracoviæ in Archivio Societatis Jesu ad S. Petrum adservantur. *Ita ex Polonia scriptum Heriberto Rosweido, colligere Vitas Sanctorum exorso; simulque significatum historiæ illius in Latinam linguam vertendæ cogitationem nonnullam susceptam. Interim ejusdem compendiariam synopsim, à Simone Kacorovio nostræ similiter Societatis Sacerdote confectam, misit in Belgium ipse P. Fredericus, quam huic operi inserendam judicavimus.*

à Frederico Szembek,

3 *Habet auctor hic insigne elogium, in Bibliotheca Societatis à Philippo Alegambe concinnata, propter doctrinam, prudentiam, pietatem, ac nominatim ob hoc* quod Sanctorum cultum mirifice promovit, procuratis multorum sacris pignoribus, quæ per diversa Poloniæ loca distribuit; suam in hoc operam commodans Serenissimis Poloniæ Regibus Sigismundo III & Vladislao IV: *nec non quod Polonice scripsit & edidit Vitas* S. Dorotheæ Viduæ Patronæ Prussiæ, & S. Juttæ Brunswicensis, ejusque Confessarii B. Joannis Lobedavii, & aliorum Prussiæ Patronorum: *quas utinam Latinas nobis faciat aliquis pro* V *Maji &* XXX *Octobris, ad quos dies de illis agendum nobis esse persuademur, nisi alios eis dies convenire fuerimus edocti ab iis, qui & linguæ istius intelligentes sunt, & quo singuli die ac modo colantur melius scire possunt. Libris porro hisce atque aliis à Friderico elaboratis cur non accenseatur ea, cujus occasione hæc tractamus, Alberti pueri historia, aliam causam nullam potui excogitare, quam quod ipsa lucem non vidisset; ad cujus autem manus postea devenerit hactenus nequivit scrutando assequi is, quem super ea re interpellaveram antehac R. P. Ludovicus Hoffman, cum esset Provinciæ suæ Procurator Cracoviæ. Idem deinde ad collegiũ Lublinense translatus, scripsit anno* MDCLXXIV, XV *Ianuarii, se* incidisse in librum impressum anno MDCII Polonico idiomate, cum inquisitionibus & decreto tribunalitio anni MDXCIX circa XXV Martii, ubi graphice describitur origo & processus causæ: auctorem vero libri esse Simonem Alexandrum Habiki, tunc Lectorem Episcopi Cracoviensis, hujus causæ optime conscium, quia per manus ipsius hoc negotium Episcopo, tamquam hujus diœcesis Pastori, propositum fuit.

Reliquiis Sanctorum ornandis & vitis scribendis notus:

item ab eo qui toti causæ examinandæ præfuit,

F

4 *Hujus tam authentici scripti cum Latina versio promitteretur, eo magis recreatus sum, quo minus aut ex archivio Cracoviensi, per irruptiones dissipato, haberi ipsa originalia judiciorum Acta poterant; aut ex iis collectus Friderici tractatus inveniendus sperabatur. Sed quæ missa deinde relatio est, vix unam chartæ pagellam implens, quia prædicti libri non versionem simplicem, sed brevissimam continebat epitomen, quamvis accuratissima, minus satisfecit expectationi: & quia præstolari plura non licet diutius, exhibeo Szembekianæ deductionis compendium, tamquam*

prioris epitome hic datur.

AUCT. KACOROVIO S. I. *ab auctore coævo scriptum, & ab ipso Szembeko recognitum ac propria subinde manu emendatum; cui posteri nostri, in operis totius recognitione, substituere poterunt Habikiana vel Szembekiana lucubrationis versionem integram, si eam aliquis curet huc mittere, vel ex ipsis verbis Actorum originalium, sicubi forte reperiantur, novam deductionem conficere; exemplo earum quas non uno hujus mensis loco ex similibus testium juratorum examinibus collegimus.*

die 18 Apr. 5 *Kacorovius confectæ à se epitomæ hunc præfixerat titulum:* Illustre martyrium quadrimi pueri Alberti seu Voicechi Petreniæ, à Judæis occisi in Polonia, xx Aprilis circiter, juxta novum Kalendarium anno Domini MDXCVIII, cum suum *scilicet* ipsis Pascha instaret, *ut dicitur in contextu, absque ulla mentione mensis aut diei. Neque refert quod eo anno Christiani, juxta Kalendarii recentem innovationem, celebrarint suum Pascha XXII Martii. Non enim solum alii, Iuliano adhuc calculo inhærentes, id faciebant XVI Aprilis, ut illi numerabant; sed Iudæi, peculiarem suum, valde exerrantem, habebant cyclum, absque ullo respectu ad plenilunium astronomicum; uti demonstravimus ad finem Exercitationis I ad antiquos Pontificum Romanorum catalogos, agendo de die mortis Christi, eo tempore à Iudæis comprehensi, quando luna nullum amplius lumen dante, adeoque longe ultra plenilunium promota, opus fuit laternis & facibus, uti expresse docet Evangelicus textus. Iudaicorum annorum cyclum & quod consequens festorum annue recurrentium, qualem Iudæi dictitant ante mille & centum annos observatum, explicat Dionysius Petavius noster lib. 7 de doctrina temporum à cap. 17 ad 20; & cujus rationem omnem, causas, ac principia disputaverat lib. 2 sui operis, ejusdem hic usum ac methodum tradit, secundum quam, anno nostro MDXCVIII, Iudæi, tunc annum mundi VↀCCCLVIII numerantes, Pascha suum celebrarunt die XXI Aprilis Feria III, prout Amstelodamenses Rabbini, super hoc consulti, suo assensu confirmarunt. Hanc porro Iudaici Paschatis rationem fortassis alias quoque juvabit observare, ut causa reddi possit cædis, patratæ die aliquo cum Christiani Paschatis calculo minus congruente, saltem in proxime præteritis seculis: sunt enim qui dicant, hunc quem Iudæi nunc observant computum, non nisi ante pauca secula usu esse receptum.*

circa Pascha Iudæorum

B

HISTORICA EPITOME

Auctore Simone Kacorovio S. I.

C

Rusticana stirpe natus

1 IN Poloniæ regno in Podlassia, in provincia Drohicensi, in diœcesi Lucensi seu Luceoriensi, ab oppido regali Lositze mille passibus amplius jacet vicus Swinarzewo, dotis nomine illustri viro Stephano Pati *a* Ungaro, mox regni Ungariæ Senatori, addictus inter ceteros; in quo familiæ rusticanæ omnes, ritus Græcos sequebantur, præter unum patremfamilias Latinum, Matthiam Petrenium, cum uxore, & liberis. Huic inter alias proles ex Anna conjuge editus Vocechus seu Adelbertus, quartum jam annum indole præclara, eleganti facie, vultu hilari, magna spe implebat animum: ideoque perpetuo in oculis habere avebat: & anno MDXCVIII (qui puero fuit ultimus) XXV Martii, postridie à Latinis paschalibus feriis, in agrum, solarii causa, araturus abduxerat. Qui sub vesperam moræ pertæsus, pueriliter solus in vicum revertitur; securo erroris, quod via rectissima nec longa esset, multo minus crudelitatem, qua innoxius puellus mox interiit, metuente misero patre. Verum solatium illud & securitas magno illi stetit. Namque Vocechus divulsus inde, cum, ut in hac ætatula, rectum iter tenere nescivisset, flexit in viam, quæ ad alium vicum Wozniki ducit; ubi (ut passim in oris illis, more improbo) Judæus Marcus Sachnowitz, è Miendzyvzetsche oppido vicino itidem, molas & diversorium publicum redemptum *c* habebat.

abit in agrū cum patre, *& domum solus rediens*

D

2 Interim ejusdem Marci filius Aaron Gromek, & gener *d* Isaac Chaitschyk, domum ad oppidum dictum, haud procul inde *d*, cum reverterentur, conspicati errantem puellum, & omnia tuta undique (quoniam à Salomone Rabbino suo haud ita multo ante rogatus erat Aaron, ut victimam hujusmodi pro Pascha imminente provideret) occasione læti, absque mora infantem, blanditiis allectum, in carrum sustollunt; citatissimis equis ad diversorium paternum in Wozniki advolant, & in cellam subterraneam recondunt.

Iudæi fit præda.

3 Pater *e* pueri, ut ex agro rediit, & ipsum abesse intellexit, illico in viam qua aberraverat excurrit, clamavit, obvios rogavit, frustra omnia fecit. Nox intempestiva tum hominem in domum compulit, sed curam non abstulit. Postridie quaquaversum digressi ambo parentes, id solum cognovere ab Adamo & Matthæo, Bojaris *f* Calecciis, habuisse obvios pridie illa in via, in qua perierat puer, Judæos quos dixi: unde conjecturam cœperunt, id quod res erat, à Judæis ablatum esse. Verum appellare sicarios non sunt ausi, tum quia argumentum manifestum habebant nullum, tum quia absente fundorum illorum domino per id tempus Stephano Peti, non erat qui orborum patronus esset. Iverat eo tamen pater, si fors aliquo vestigio ad nidum ipsum perveniret: sed elusus responsis fallacibus, & vaticinatione mendaci ab uxore Marci, nullum dolori suo solatium reperit.

inquirito amissum à parentibus;

E

4 Captus interea in carcere illo ab Anastasia, Græci schismatis muliere & trucibus illis Judæis debitorum nomine atque servitiorum obnoxia, alebatur & deliniebatur, donec tempus ejus mactandi adesset. Jam appetebat Pascha *g* ipsorum immanissimum, ergo quarto die ante, nocte profunda, è propinquis locis coëunt primarii inter eos Moses & Salomon, quorum monitu jam rei præclaræ factum erat initium: & quæ sola tum erat in domo ancillâ Christianâ Margaritâ, ut lumen attulit, abire ad quietem interpellatam jussâ; ipsi è cella puellum in specum secretiorem efferunt. Ibi omni ope destitutam sacram hostiam, cultris lanioniis armati circumstant, attonitam novitate spectaculi vel pecudi horribilis. Deinde, qua clamore prodi metuentes, qua eluvione viscerum effusum sanguinem contaminari, fune gulam barbarissime stringunt. Inde clavo ligneo meatum occludunt firmiter: oculos palpebris consuunt: demum Salomon & Moses, ante alios, sicespitas *h* sub pectus inter costas ex adverso adigunt, & linguæ subjectas venas secant. Isaac in palmis inque plantis decisa cute venas *i* aperit omnes: virili bus quoque amputatis, ex omni parte manantem sanguinem subjectis excipiunt vasis. Ita immanissime excarnificato, & in angulum sub vasa cerevisiæ abjecto, sanguinem, portione ejus patrifamilias relicta, secum auferunt: & ad suos, in panis massam (quem illi *k* Evicomen, quasi Dei auxiliatoris omen appellant) fundendum mittunt.

in specu subterraneo diebus multis alitur:

Horrendum in modum mactatur;

F

5 Noluit Deus inultum scelus tantum: ac primum domesticis, deinde mundo toti est patefactum. Quoniam enim cadavera talia sepeliri dirum sibi esse ducunt (ut Marci uxor Anastasiæ, sepeliendum suadenti, ultro fassa erat) intempestæ noctis silentio in arundinetum stagni subterfluentis illud *l* abjiciunt: ubi *m* auceps, qui forte anates indagabat, conspectum aulæ Woznicensis curatori indicavit: à quo pater mœstus admonitus carissimum filium agnovit, & mœrore maximo in aulam eamdem Domini sui Peti detulit. Omnes jam certi erant Judæos

Patefactio mors:

a · c · d · e · f · g · h · i · k · l · m

Judæos tantum ausos, sed quos aut quomodo convincerent, consilium non suppetebat. Donec illa ipsa Anastasia, cum die fori in oppido proximo caleteecisset caput, quamvis toties monita, loquacitate sua (an Deo ultore cogente?) prodidit auctores; & Margarita ancilla eodem delata, fidem dicenti fecit, narratis iis, quæ visa sibi erant de sanguine, deque adventu Judæorum, & abitu intempestivo. Volat fama, puerum à Judæis occisum nuntians: ibi. tam manifesta re Abraham Skowieski ex ordine Equestri, vici illius moderator ab Stephano Peti institutus, Marcum, & Isaacum generum, & Aaronem filium ex fuga retractum, & alios ex eadem domo in vincula conjicit. *Capti Iudæi,*

6 Multa prætereo brevitatis causa, quæ Judæi, pro suis proque communi causa laborantes, tentarint, juris exceptionibus, rationibus aureis, terroribus qua humanis, qua ab arte venefica accitis: quomodo denique falsorum testium inficiatione rem omnem potentissime vaferrimeque; à se in caput actoris avertere conati sint: vicissemque, nisi Deus alienigenam religiosissimum virum Stephanum Peti innoxio sanguini patronum addidisset. Cum ex juris formula crimen testibus & indiciis manifestis patuisset: & in tabulas n omnia relata essent, fide publica scrutinio conscripto, clauso & obsignato, ad summum regni tribunal Lublinum ablegantur. Huc armata manu deducti vincti, cum indice Anastasia, Judicibus traduntur; obtestationibus summis, uti per Christi sanguinem innoxii pueri cædem ne inultam dimitterent. In summa, post multos labores, adnitentibus Adamo Stadnitzki o de Zmigrod inter judices illos amplissimos Quæsitore (Marschalcum vulgo dicunt) & Joanne Gostomski, de Lenzenitze uxoris ejus fratre, p gravissimis ac religiosissimis nobilissimisque hominibus, de auctoribus sanguinariis compertum q, non tantum de ipso crimine, verum etiam de usu sanguinis, quod diligenter quærebatur. *B* *& ad summum tribunal regni deducuntur,*

7 Fassus enim est Isaac, Rabbinus quippe, partim in vino, partim in pane paschali uti eo sanguine Judæos: sed cum causam nollet dicere, fassus tamen idcirco insepulta corpora ejusmodi abjicere, quod nefas esse gentilibus à se præstari officium ullum pietatis putent: nec plura loqui voluit, hoc ipsum sibi excidisse dolens: ex his tamen cognitum odio nominis Christiani immanitatem hanc in pueros innoxios exerceri. Quare è præscripto legum, viventes laniandi in partes addicti Marcus & filius Aaron: Isaaco, ad pleniorem cognitionem causæ, ob quam trucident infantes & sanguine utantur, reservato. Qui sibi diffidens, ne denique tam immania mysteria, ut jam cœperat, proderet, manus carnificis magno præjudicio causæ suæ prævertit, & gulam funiculo obligans fregit; cadaver tamen, quod vivo debebatur, in partes dissectum publice. Quid hic non tentarunt rursum Judæi; ut, quando vitam auctorum non poterant, saltem famam eorum & incolumitatem suam defenderent? Sed hæc alia occasione fortasse plenius dicentur aliquando: nos divini pueri honorem explicemus. *ac fassi scelus, & usum sanguinis,* *C* *Damnantur,*

8 Bernardus Macejovius, Lucecoriensis adhuc Episcopus, tum leniendo suo dolori, quem tam iniqua gregis ejus lanien attulerat; tum venerationi illius, quem Christus imitatione vulnerum suorum honorasset, deberi ratus ut sepulchro magis conspicuo honoraretur; exorat patrem, ut sanctum ei corpusculum donet. Quo Antistiti suo concedente, effossum & allatum, cicatricibus manifestis insigne, maxime sinistri lateris, primum in sacello domestico, mox in templo Liteunicensi, ubi per id temporis agebat, summa solennitate, ut in cælis regnantem ornavit; & honorifice ante aram in specu tabulis occlusit, obrui terra non sustinens; adjuvante & collaudante Christophoro Piasetzki, Theologo & concionatore celebri Societatis Jesu; expectans siquid melius suggereret Deus. Mensibus decem & septem ibi non sine veneratione jacuit: donec anno MDC idem ipse Bernardus Macejovius, Cracoviensis Episcopus designatus, in Lublinensis Collegii, à se & ab illustrissimo Nicolao Zebrzydowski, nunc regni Senatore, Cracoviensi Palatino, fundati sacellum temporarium, in arca eleganti opere ex plumbo albo clausum, solenni pompa, plurimis è Collegio nobilissimorum Judicum tribunalis regni, & duobus Episcopis, Stanislao Gomolinski Chelmensi, & Paulo Wolutzki Camenecensi; aliisq; omnium ordinum comitantibus, intulit, & Societatis Patribus illud collegioque suo, monimentum insigne amoris, relinquere protestatus (quod ii habuere gratissimum) intra aram condidit. *Prima honorifica translatio beati pueri.* *AUCT. KACOROVIO S. I.* *Altera celebrior. an. 1600,*

9 Interea templum Collegii perfectum est, quo sacra omnia transferri oportuit. Quare, cum ita necesse esset, sacello & ara diruta, in specu ad usum mortuorum exædificato sub ara principe, editiore loco in pariete excavato, donec & locus commodior aptaretur, & consuleretur Episcopus, repositum est. Indeque rursum anno MDV Bernardo Macejovio jam S. R. E. Card. concedente, & potestatem faciente, religiose in sacellum privatum privatim ab iisdem Patribus elatum, in veneratione ipsorum & aliorum huc usque habetur. Neque miracula defuêre: possemque nominare, qui opem ejus contra spiritus impuri petitiones pertinacissimas experti, chirographo suo id professi sunt, nisi nominatim vetuissent. Quare pudori eorum & precibus æquis concedens, aliud in tempus opportunius, ut & plura alia, differam. Et hæc quidem nunc breviter scripsisse sufficiat: nam si ut gesta sunt narrare vellem omnia, quoties scilicet Judæi, quibusve artibus, rem ipso meridie clariorem obscurare tenebris conati fuerint: quomodo libris r æditis, tabulis depictis, ad summum Pontificem Clementem VIII, adque alios viros Principes & Antistites missis, atque adeo in templa illatis, beatus puer honoratus sit: qua fide, ac diligentia hæc omnia, indagata, & collecta sint: longiorem quam pro instituto commentarium instituere necesse esset. Finem facio, Deum sempiternum orans, ut qui in parvis æque magnus est, ac in maximis, gloriam suam, (ut cœpit) & mortalium solatia per beati infantis patrocinium perpetuet ac frequentet: qui regnat in omnia secula ter unus, solus beatus, immortalis, omnipotens. Amen. *tertia anno 1605,* *E* *Opem ejus non frustra imploravere nonnulli.* *F*

ANNOTATA.

a P. *Szembek ubique manu sua notavit in margine, ut legeretur*, Pethoco sive Peti. *P. Hoffman addidit eidem titulum* Comitis de Zgierze, *nomenque uxoris expressit, ad cujus dotem locus spectabat*, Illustriss. Annæ Kiszanckа Palatinidæ Podlachiensis.

b *P. Kacorovius notavit in Margine, quod* S. Adalbertus Episcopus & Martyr, Vocechus prius dicebatur, & hoc nomen Poloni retinent. *Acta duplicia S. Adalberti illustramus ad 23 Aprilis, & utrobique hoc primum Sancti nomen indicatur, diversa plane significationis à nomine Germanico, quod ei ab Adalberto Episcopo Magdeburg. patruo suo in Confirmatione datum, & in sacris hactenus retentum fuit.*

c *P. Hoffman* Tabernarum & molendinorum Arendatorem fuisse *dicit*, *& mox infra* ad tabernam suæ Arendæ *detulerunt*; *adeo ut* Arenda *prædium dici* illic

A *istic videatur; & Arendare, prædium conductum colere.*

d *Nam ut distinctius scribit P. Hoffman: ex Woznikt in Lositze pollentam vehens Aaron, oberrantem puerum observarat, ideoque deposita celeriter pollenta in Lositze, socerum ibi acceperat Isaacum; cum eoque rediens, puerum in eadem via adhuc ludentem deprehendit.*

e *Idem addit primam matrem, solicitam de puero, diutius absente, misisse filiam quæ reduceret; ab eaque, fraterculum non invenientè, ad monitum patrem.*

f *In margine notabatur,* Bojaros *esse* nobiles conditionis inferioris.

g *Judæos suum Pascha celebrasse circa diem, qui stylo novo dies Aprilis 20, stylo veteri 30 dicebatur, jam diximus.*

h Secespitas à secando *dixit antiquitas, teste Festo, cultros sacrificales, quorum formam idem Festus accurate describit.*

i *Hoffman distinctius ait,* decem vulnera *pueri manibus per Isaacum inflicta:* idque cultro quo jumenta secantur.

k *Idem* Cwilhomen, *id est*, Adjuvabit te Deus.

l *Idem ait,* quatuor sexagenis seu florenis germanicis conductam (Anastasiam, quæ cerevisiæ promendæ causa in cellarium ingressa, latens sub doliis exsangue corpus deprehenderat & sepeliendum suaserat) illud detulisse ad lutosa & hominibus impervia loca; comitante ipsam Marci uxore, & fatente inter

B confabulandum, quod si talis sanguis non haberetur, nullum apud se Pascha foret.

m *Idem* puerum *designat, quærentem* ova anatum seu parrarum.

n In castro Mielnicensi primum causa agitata, ibique cicatrices & livores circa collum & per alios artus juridice descripti sunt, *inquit idem Hoffman.*

o Castellanum *huc fuisse* Calissiensem & Senatorem gravissimum, *indicat nota Marginalis.*

p *Similis alia addit, quod hic fuerit* Palatini Posnaniensis filius; *& tunc, cum ista Antverpiam mitterentur,* primarius Palatinus Vladislaviensis Regnique Senator.

q *Quæstionis & confessionis modum ita describit Hoffman,* Judæi cum Anastasia torturis examinati, & ignibus admotis ustulati; postea coram Judicio, præsentibus etiam Judæis senioribus, videlicet Moyse Doktorowicz, Salomone Doctore medicinæ, & altero Salomone scholæ magistro, nuncupato Skolnik, singuli separatim, benevole & conformiter rem, ut descripta est, confessi, judicati & capitis damnati, pœnas sibi debitas persolverunt, sabbato ante festum S. Margaritæ Virginis proximo, eodem anno

C 1598.

r *De eo qui anno 1602 prodiit jam supra diximus; de aliis necdum comperi; nisi quod extent typis editi versus, quibus in sua depositione puer à pueris est salutatus in collegio S. I.*

APPENDIX.

De pluribus Innocentibus per Judæos excruciatis

Ex impresso Polonico anni 1602.

Collector idem qui Alberti Martyrium scripsit

1 *Simon Alexander Habiki, qui præmemoratam de Alberti martyrio librum Polonice vulgavit, utile etiam duxit eidem attexere syllabum plurium Innocentium, ab impiis Judæis excarnificatorum, quorum notitiam erat ex variis auctoribus assecutus; nec non horribilium sacrilegiorum, contra sanctissimam Eucharistiam exercitorum. Utrorumque synopsim Latine reddidit, nobisque transmisit Ludovicus Hoffman. Posteriora, quoniam ad institutum nostrum non faciunt, Parisios misimus ad R. P. Iacobum de Machault, editis de venerabili Sacramento libris complurībus clarum pridem scriptorem, & nunc sub manu habentem Annales Eucharisticos. Ex prioribus eos hic decerpto, quorum alibi necdum facta à nobis mentio, ipsis quibus indicati sunt verbis, sed ordine ad seriem annorum immutato, absque operosiori singulorum examine, quod illud hujus loci ac temporis non sit.* D

2 Anno MCCLXI in villa Pfortzheim, quædam vetula puellam septem annorum vendidit Judæis; qui collum ejus strophio colligantes, acubus venas pupugerunt, & inde sanguinem expresserunt. Sic enecatæ corpus in profluentem projecerunt, & lapidibus obruerunt. Piscator postea, piscibus captandis intentus, divino permissu corpus illud invenit, cum manu ad cælum erecta. Allato corpore ad civitatem cunctus populus, talium carnificinarum gnarus, exclamavit: Judæi, Judæi impii interemptores. Rescivit hoc Dux Badensis: qui postquam ad corpus venit, illud, licet exanime, surrexit, manum protendens ad Principem, velut justitiam postularet: & post dimidium horæ iterum decubuit. Adducto ad corpus illud Judæo, statim ex omnibus venis sanguis emanavit. Videntes Judæi prodigium, confessi sunt facinus, & una cum vetula acti in rotam, præter duos qui suis sibi manibus mortem consciverunt. *Est* Pfortzheim *Marchiæ Badensis oppidum ad fluvium Entz, inter duas olim celebres Abbatias Hirschaugiensem ac Maulbrunensem, ab ipsa Bada distans sex milliaribus Germanicis.* E

inter alia refert puellam 1261 Pfortzheimii cæsam,

3 Anno MCCCCI, in civitate Diessenhof in Suevia, Judæi apud quemdam rusticum tribus florenis sanguinem Christianum mercati sunt. Is cum ex quadrimo puero eum effunderet, perterrefactus & captus, confessus est: quare in rotam actus ipse, Judæi combusti sunt. *Est autem Turgoviæ oppidum Diessenhof ad ripam Rheni, & Helveticam confœderationem spectans, paucis leucis supra Schaffhusiam.*

an. 1401 pueri sanguinem emptum in Suevia,

4 Anno MCCCCVII, sub Jagellone Rege Poloniæ Judæi in Cracoviensi civitate habitabant, qui puerum unum occiderunt. Factum hoc dissimulante Officio, Concionatores, præcipue R. Budek, ex cathedra populo exaggerarunt. Concitatus populus zelo exarsit, & obvios quosque Judæos contudit, domosque illorum diruit & combussit. Residui, qui de clade supererant, ultra Casimiriam pulsi sunt: & sic Cracovia illorum incolatu liberata est.

similia facta Cracoviæ 1407,

5 Anno MCCCCLIV, in Castilia, puer Christianus à Judæis captus atque in frusta sectus est: cujus cor in cineres exustum, condiendis inter epulas ferculis poculisque subserviit, ob quod factum & similia alia Judæi ex tota Hispania pulsi sunt anno MCCCCLIX.

in Hispania 1454,

6 Anno MCCCCLVII ad Taurinum (*credo Pedemontii capitalem intelligi*) volens Judæus mactare puerum, cum non posset, propter metum supervenientium ea via hominum, frustum de sura pueri præscidit, & strophio cum sanguine involvens fugit. F

Taurini 1457,

7 Anno MCCCCLXXX in civitate Motta ditionis Venetæ, (*est Marchiæ Tarvisinæ oppidum ad Liventiam flumen in Finibus Foro-julii*) Judæi suam crudelitatem exercuerunt in puerum, quem die parasceves crudeliter trucidarunt: *ea Christianis cecidit tunc in ultimam Martii.* Ex quibus tres deducti Venetias, prævia confessione in torturis, capitis condemnati sunt.

Mottæ 1480

8 Anno MCCCCXCIV Tyrnaviæ in Hungaria, Judæi duodecim & duæ Judææ, puero comprehenso clam venas & artus præsciderunt, & sanguinem ad unam guttam expresserunt. Parentes puerum diligenter inquirentes, ad Judæorum suspectam domum miserunt: ubi reperto sanguine recenti, qui nullo modo potuerat elui, omnes capti sunt. Et primum Judææ eculeo tortæ, confessæ crimen sunt & alios complices prodiderunt: dein simul cuncti exusti sunt. *Nota satis Tyrnavia est in comitatu Posoniensi, hodierna Sedes Archiepiscopi Strigoniensis,* milliariis Hungaricis fere quindecim

Tyrnaviæ 1494,

A cim distans Vienna: ubi cum rursum anno MDXXIII alium puerum occidissent iidem Judæi; alium Biringæ, ejusdem regione oppido, exusti triginta, ceteri Hungaria tota pulsi sunt.

& 1513 Duo pueri Iudæis venditi ad lanienam, Waltkirchi à patre

9 Anno MDIII pater filium proprium quadriennem Judæis vendidit Waltkirchi florenis Rhenensibus decem, hac conditione ut modico sanguinis emisso restituerent vivum: illi vero eum pupugerunt usque ad mortem. Ita rem actam captus & morti adjudicatus pater, constanter asseruit: cum quo pœnas luit etiam is, qui conductus à Judæis sanguinem istius pueri Waltkircho Elgasum ad alios Judæos referebat, & aperte id multis adstantibus fatebatur. *Et hoc in Alsatia gestum videtur, ubi* Waltkircha *notum oppidum, duabus à Freiburgo milliariis Germanicis. Quid vero miramur patrem id fecisse? quando & mater oblivisci potuit fructus ventris sui, eumque Iudæorum arbitrio dimittere.* Cracoviæ *id actum scribit auctor noster, priusquam inde Iudæi exigerentur. Ibi* femina quædam cum suo filiolo & altera comite cujusdam negotii prætextu ad Judæos accessit, iisque puerum vendidit. In reditu rogata à comite ubi esset puer; respondit, præcessisse domum. Sed cum nec domi quidem compareret amplius, suspicata quod erat comes illa; rem ad judices detulit: sed hi accusatrici indixere silentium, graves comminati pœna, si quid amplius moveret.

& Cracoviæ à matre.

B

Plures denique in Polonia & Lituania anno 1547

10 Anno MDXLVII Ravæ in majori Polonia, *oppido ad caput cognominis sibi fluvii, leucis Polonicis quindecim Versavia distante*, duo Judæi, Moses & Abraham, cuidam sutori, nomine Michaeli, puerum sustulerunt & occiderunt. Pater intentavit eis litem, & jure convictos ex decreto Officii comburi curavit: reliqui vero omnes æternum proscripti sunt, ut nulli hactenus habitare ibi liceat, quod Acta anni citati testantur. Ex eadem etiam ratione Judæum nullum, extra nundinarum tempus, apud se pernoctare patitur Pultovia, *Mazoviæ oppidum, ex intervallo leucatum sex Versaviam prænominatam respiciens.*

an. 1569

11 Anno MDLXIX quidam Laurentius de Bobrowia, primum in tortura, deinde libere confessus est, quomodo puerum biennem, nomine Joannem, filium viduæ Margaretæ Kozanina accolæ Petricoviensis, vendiderit pro duabus marcis Iacobo de Leizyca Iudæo: quem deinde ab impiis crudeliter confossum ac trucidatum Acta advocatialia Petricoviensia testantur. Martyrium istud Ludovicus Dycx, Administrator Regiæ Cracoviensis, idemque Advocatus Petricoviensis, in sua ad Regem relatione descripsit: addens etiam in Bielko & alibi sanguinem Christianorum à Iudæis esse copiose effusum. Extat vero crudelitatis prædictæ memoria in monasterio Witoviensi ubi

C

hucusque demonstratur pueri à Iudæis occisi sepulchrum. EX LIBRO POLONICO

12 Idem fecit anno MDLXXIV Iudæus Ioachim Smierlowicz, in civitate Punia in Lituania, *an. 1574* quæ civitas distat duodecim milliaribus Vilna, super fluvium Niemen: ubi septennem puellam, nomine Elisabetham, filiam Ursulæ viduæ Lublinensis, die Martis ante Dominicā Palmarum crudeliter concidit, & sanguinem in ollam collegit. Non multo post, in Zglobice supra fluvium Dunaiec, furati Iudæi puerum deduxerunt Tarnovium. Cum vero ex certis fundamentis suspicio in illos caderet, & acres tormentorum comminationes accederent, sibi ipsis consulentes, puerum domui cuidam deserta injecerunt. Tarnovii item repertus apud Iudæos est Christianus puer, Iudaico indutus amictu: quod nisi tam cito notatum fuisset, facile est conjicere quid de illo acturi fuerint: quare etiam ad pecuniariam mulctam damnati fuere.

13 Anno MDXC, prope Szydlow in pago, Iudæi puerum unum rusticanum subripuerunt, mirisque *an. 1590* tormentis & venarum præcisionibus atque puncturis variis expresso sanguine, corpus in devia abjecerunt. Sed sanguine innocuo ad cælum clamante, E & accedente parentum cura, repertum est cadaver, tam horrendæ carnificinæ vestigia retinens, ut absque ingenti animi dolore nemo illud posset intueri.

14 Anno MDXCV Gostini, mulier quædam tertium jam, ut ferebatur, infantem Iudæis ad similia *an. 1595* tormenta vendidit: cujus facti illo tempore plena erat Polonia, ita ut imaginibus in populum sparsis, crudelitas contra hunc puerum exercita illustraretur, cujus causa Iudæi duo sub torquentium manibus extincti sunt.

15 Anno MDXCVII, non procul à priore loco prope Szydlow, apud quemdam hominem simplicem *& an. 1597* rusticanum observarunt Iudæi infantem: cui aliquamdiu insidiati, prætexebant emere se apud rusticum velle quæ sibi necessaria essent. Et licet nihil venalium rerum apud se haberi excusaret ille, pergebant tamen frequentare ejus domum, ut sibi saltem panis venderetur instantes, Donec tandem reperta occasione, cum forte solus puer domi esset, sustulerunt eum, ac mox per tormenta exquisita occiderunt, servato sanguine, quo novam suam Szydloviensem Synagogam asperserunt; cadaver autem prorsus F exuccum atque infumatum extra limites territorii abjecerunt: quod inventum confossum, in palpebris gutture, venis, artubus variis, item in unguibus & carne, concisum quoque in genitalibus & ab igne constrictum: adeo ut mœstissimo eo spectaculo intuentium omnium corda tabescerent.



XXI. APRILIS.

SANCTI QVI XI KALENDAS MAII COLVNTVR.

Ancta Alexandra, Augusta, Martyr, Vxor Diocletiani Imperatoris.

S. Apollo, S. Isacius, S. Crotates, illius famuli, Martyres Nicomediæ in Bithynia.

S. Arator Presb., S. Fortunatus, S. Silvius, S. Vitalis, Martyres Alexandriæ in Ægypto.

S. Apelicus sive Amphelicus Martyr in Sicilia.

S. Simeon Episcopus Seleuciæ & Ctesiphōtis, Sancti centum Episcopi, Presbyteri aut Clerici, S. Vsthazanes Eunuchus, S. Abedechalas, S. Ananias, Presb., Martyres in Perside sub Sapore Rege.

S. Pusicius, Præfectus artificum & filia hujus,

S. Maximianus, Patriarcha Constantinopolitanus.

S. Cyprianus, Episcopus Brixiensis in Italia.

S. Anastasius Presbyter, monachus Sinaita, in Arabia.

S. Anastasius, Patriarcha Antiochenus, in Syria.

B. Wolbodo, Episcopus Leodiensis, in Belgio.

S. Anselmus, Archiepiscopus Cantuariensis, in Anglia.

B. Ioannes seu Ioagnolus, Tertiarius Ordinis S. Francisci, Callii apud Vrbinates, in Italia.

B. Bartholomæus de Cerveriis, Martyr Ordinis Prædicatorum, Savigliani in Pedemontio.

PRÆTERMISSI ET IN ALIOS DIES REIECTI.

Icheæ Prophetæ Commemoratio *refertur in Menologio Sirleti, qui in Menologio Basilii Imperatoris* unus ex Prophetis minoribus *statuitur; uti & sequenti die in Synaxario Ms. Parisiensi Collegii Claromontani. Nos de eo egimus* xv Januarii.

S. Liberæ Virg. *festum Ecclesia Veronensis celebrat hoc die Officio simplici teste August. Valerio Ep. Veron. qui & Vitam ejus extare ait in monasterio S. Euphemiæ. Hanc requisivimus & tempore pestis amissam videri respondit R. P. Alexander Salvatius Rector Collegii S. I. 1669. Itaque nihil habemus addendum ad dicta de S. Liberata, cum qua creditur esse eadem, & quæ cum Faustina Sorore, hoc etiam à quibusdam die relatâ colitur* XVIII Ian.

S. Bobinus, Episcopus Trecensis, *memoratur in Martyrologio Carmelit. Coloniensis & Menardi. De eo egimus* XXXI Ianuarii.

SS. Macarii, Ruffini, Iusti, Theophili translatio corporum Roma Barium, facta an. 1613. Dominica 2 post Pascha 21 Aprilis. *De ea egimus ad horum Sanctorum natalem* XXVIII Februarii.

S. Oswaldi Episcopi Eboracensis translatio, *notatur in Martyrologio Bellini, Molani, Canisii. Vitam dedimus* XXVIII Februarii.

SS. Sulpitius & Servilianus, Martyres Romani, *indicantur in Ms. Altempsiano: in aliis* XX Martii.

S. Oediluadi, *sive* Odilwaldi, *aut* Athelwaldi Presbyteri depositio, *memoratur in Ms. Epternacensi Martyrologio S. Hieronymi iuxta Anglicum scripto aliquod exemplar, item in Kalendario Ms. ante computum Bedæ in Mss. Trevirensi S. Maximini & Coloniensi Carmelitarum. Est* S. Ædelwaldus Presbyter & anachoreta in Anglia, *cujus Acta dedimus* XXIII Mart.

SS. Valerianus, Maximus, Tiburtius, Martyres Romæ via Appia in cœmeterio Callisti, *referuntur in Martyrologio S. Hieronymi & aliis plurimis: Acta dedimus* XIV Aprilis.

S. Anthusa, filia Constantini Copronymi Imperatoris, *memoratur hoc die in Mss. Menæis Cardinalis Mazarini & aliis conventus S. Ludovici PP. Prædicatorum Parisiis. De illa egimus* XVII Aprilis.

Idesbaldus, Abbas Dunensis, *indicatur in Auctario Razzii ad Natales Sanctorum Belgii per Molanum. Acta dedimus* XVIII Aprilis.

SS. Victor, Papias, Felix *memorantur in apographis Martyrologii Hieronymiani, forsan iidem sunt relati* XX Aprilis.

S. Marcellini Episcopi Ebreduni, & SS. Domnini & Vincentii sociorum memoria *celebrantur in Mss. Centulensi, & variis aliis. De iis egimus* XX Apr.

S. TIMOTHEUS Martyr *ex Romanis cœmeteriis Ravennam adductus ad ecclesiam S. Vitalis, ibidem hoc die colitur; uti nos per Epistolam docuit Hieronymus de Fabris, de historia Ravennati optime meritus, quod hic sufficit indicasse.*

S. Georgii certamen in civitate Bargia *indicatur in Martyrologio Arabo Ægyptiaco, à Gratia Simonio translato; & iterum* XXIII *Aprilis* Certamen Megalomartyris Georgii; *ut merito dubites an magnus Georgius hoc* XXI *Aprilis colatur in dicta civitate* Bargia, *an alius in eo passus fuerit. Forte etiam pro* Bargia *legendum* Berythum, *cui loco à quibusdam adscribitur fabulosa Georgii pugna cum dracone.*

Drusiana, discipula S. Ioannis Evangelistæ, *memoratur ab Arturo du Monstier, quasi esset* Electa, *in ejus Epistola 2 dicta: de qua ejusque cultu antiquiora testimonia requirimus.*

Arator poëta, qui heroico carmine scripsit Acta Apostolorum, *occasione S. Aratoris Presbyteri & Martyris*

tyre, qui hodie colitur. adscriptus hic est à Ghinio in Natalibus Sanctorum Canonicorum.

B. Demetrii Eremitæ imago S. P. Sic legitur sub effigie Eremitæ cujusdam, aureis radiis caput cincti; hoc anno 1671 deprehensâ latere post aliam tabulam pictam in æde S. Pauli juxta Spoletum, quæ nunc Franciscanorum Observantium, primum monachorum Benedictinarum fuerat, sed circa an. 1239 Damianitis, id est, Clarissis concessa, anno 1460 habitabatur ab Observantibus. Vix dubitamus quin hic ille sit, de quo agit Marcus Vlissypon. part. 3 lib. 7 cap. 17. Sed neque videmus cur huic diei adscribatur ab Arturo, neque intelligimus cur idem judicetur cum altero ejusdem nominis in conventu Montis-luci, itidem prope Spoletum, sepulto, de quo Gonzaga part. 2 prov. S. Francisci Conv. 7 cum hic post B. Franciscum Papiensem, an. 1454 mortuum vixerit, utpote juxta eum tumulatus; iste toto forsan Franciscano Ordine fuerit antiquior, adeo ut iis qui templū possident plane ignotus foret, nisi nuper mero casu retecta ejus esset imago. Cum de ejus antiquo cultu certiora sciemus, quod vix sperandum, libenter de illo agemus plenius. Qui modo istic loci Guardianus præest, à nostri collegii Rectore Michaële Massa requisitus, respondit non videri sibi quod Franciscanus fuerit: & hoc videbatur habitus ipse probare, valde diversus à Franciscano.

SS. Ianuarius & Theodorus notantur & pinguntur hoc die, una cum S. Anastasio Sinaita in Tabulis Kalendarii Moscovitici. De Anastasio hoc die agemus: Theodorus in habitu Episcopali, more Græco palliatur, dextera benedictionem impertiens, sinistra librum gestans exprimitur, ut alii ibidem Episcopi. Ianuarius nudus assistit, nisi quantum tegit subucula stricta, ægre ad cubitos genuaque pertingens, manibus ante pectus decussatis. Qui sint hi libenter docebimur. Kalendario Rutherino apud Possevinum in Apparatu, inscribitur hodie nomen S. Mart. Varii: quod vereor ne pro Ianuario sit depravate transcriptum. Suspicamur in ipsis tabulis inversa esse nomina, & Episcopo adscribendum fuisse nomen Ianuarii Episc. Mart. de quo mox: alteri autem (qui non tam in subucula quam in cilicio hic pingatur) esse Trichinatem Theodorum, de quo egimus die præcedenti.

S. Severi festum, item Sisanii Martyris memoria refertur in Kalendariis Arabicis apud Seldenum de Synedriis veterum Hebræorum. De ipsis alibi nihil legimus.

B. Raymari Presb. Inventio, Duaci in ecclesia S. Amati, hac die contigit anno 1637, uti nobis constat ex epistola Duaco postridie data: narrat eam Martinus l'Hermite in Historia Sanctorum Insulens. Duacens. & & Orgiacensium pag. 485, meritoque appendit translationem corporis in tumbam marmoream elegantem, quodque ea tumba loco maxime conspicuo collocata fuerit atque soleret incensari à Sacerdote, quoties ascendebat ad sacellum superius, incensum daturus Corporibus Sanctorum ibidem quiescentium, quamvis nesciretur quis ibi conditus esset. Aperta autem tumba exhibuit integerrima ossa, sericeis pannis involuta, adeo adhuc integris post annos 415 ac si recenter venissent è textrino. Inventa est simul plumbea lamina cum hoc titulo. Hic jacent ossa B. Raymari Presbyteri & Præpositi, translata à Roberto Præposito de medio templi in hoc vase, in quo prius jacuit corpus S. Amati Episcopi Senonensis, Patroni nostri, anno D. N. Iesu Christi MCCXXII Idibus Iulii. Floruisse eum seculo XI ad finem vergente colligitur ex litteris Philippi I, datis anno regni ejus sedecimo, id est Christi MLXXVI, quibus acquiescit petitioni Rotberti, Flandrensium Comitis, & nepotis sui Balduini Comitis de Haynau, nec non & Richeldis matris ipsius Balduini, Canonicorum etiam S. Amati Duacensis, qui virum religiosum Raymarū ipsius ecclesiæ Præpositum, & Gualterum Castellanū, de rebus prædictæ ecclesiæ augendis & conservandis multum solicitū; miserunt. Vbi etiam consequenter continentur privilegia, quæ postea Philippus III anno MCCLXXVII confirmavit. Plura de vita, morte, sepultura, canonizatione cum non inveniretur, placuit deinceps inventionem omittere, usquedum plenior notitia humanitus divinitusve haberetur; quæ si forte aliquando obtingeret, voluimus hactenus cognitorum memoriam hoc loco extare.

Henricus I monachus Hemmerodensis, Ordinis Cisterciensis, laudatus à Cæsario lib. 7 cap. 38 ob visam Deiparam Virginem in quadam extasi: cum titulo Beati refertur à Bucelino, Chalemoto, Henriquez.

Sex Martyres Minoritæ, in Bosnia an. 1557,
Guido à Bolsena, Columbani in Tuscia,
Gerardus de Monte, in Piceno an. 1399.
Ludovicus à Vincentia, IX Gen. Vicar. Ultram.
Ioannes Ruiz Autonii in Hispania an. 1590.
Andreas à Valconera, in Castella an 1590.
Magdalena Magalonia, Cæsaraugustæ an. 1530.
cum aliqua opinione sanctitatis vixerunt aut obierunt: eis publicum aliquem cultum legitime tribui, non satis nobis constat ex Martyrologio Franciscano, cui cum titulo Beatitudinis inscribuntur.

S. Cajus Papa memoratur à Wandelberto & in nonnullis Mss. uti etiam observamus ad ejus Acta XXII Aprilis.

S. Sother Papa, refertur in Variis Mss. sub nomine Adonis. Item à Notkero, ab auctore Martyrologii sub nomine Bedæ, & à Molano. Vitam ejus damus XXII Aprilis.

Iulianus, Episcopus Viennensis & Confessor, indicatur in Ms. Florario, & in Auctario Greveni ad Vsuardum; sed litteris fere translatis Lucianus, scribitur, cujus nominis non fuit istic Episcopus. Colitur S. Iulianus XXII Aprilis.

S. Epipodius Martyr Lugduni in Gallia, Ferrarius ex Renato Benedicto. Vitam damus XXII Aprilis.

S. Apronculi Episcopi depositio proponitur in 4 apographis Martyrologii Hieronymiani, & in Ms. Richenoviensi. Videtur esse Episcopus Trevirensis, qui colitur die XXII Aprilis.

S. Maximianus Decio & Optimo Proconsule, post alia tormenta lapidibus obrutus in Asia, celebratur apud Rabanum, Notkerum, auctorem Martyrologii sub nomine Bedæ suppositi, & alios. Est hic Martyr alius Maximus dictus, cujus Vitam damus XXX Aprilis.

Fastradus Ab. Cisterciensis absque ullo Beati aut Sancti titulo relatus à Molano in natalibus Sanctorum Belgii mense Majo, ab Henriquez, Chalemoto & Bucelino hodie cum titulo Beati ponitur: sed Bucelinus rursum de eodem agit prolixius mense sequenti. Eum hoc die obiisse arbitratur Manriquez ad an. 1163 cap. 1 num. 8. quem Lector consulat. Si tamen intelligamus aliquem publicum cultum Cistercii habere ei, libenter referemus XIX Maji.

Maria peregrina, conversa in Lorvan, profertur à Chalemoto & in Calendario sacri Ordinis Cisterciensis Divione excuso. In Menologio vero Henriquez & Bucelini III Iunii.

Valentinus, Episcopus Trevirensis, indicatur in scripto Auctario Carthusiæ Bruxellensis ad Grevenum: ab aliis refertur VII Iunii.

Domitius Abbas refertur in Menologio Scotico Camerarii & Dempsteri: ille citat Wionem, apud quem non reperimus; hic asserit discipulum S. Columbæ Abbatis fuisse, quod idem ex Dempstero descripsit Ferrarius. Poterit, si quid certi nanciscamur, de eo agi ad Vitam S. Columbæ IX Iunii.

Pantaleon, monachus Nicomediæ, memoratur in Ms. Martyrologio Reginæ Sueciæ, etiam ab Holstenio in Animadversis ad Martyrol. Rom. & 23 hujus dicitur Pantaleemon & Pantalimon: & videtur esse S. Pantaleon seu Panteleemon medicus, qui hic monachus perperam scribitur, & qui colitur die XXVII Iulii.

A S. Victor, Episcopus Uticensis, *indicatur in Martyrologio Germanico Canisii ab aliis* XXIII Augusti.

S. Zacchæus Apostolus, *id est Apostolorum discipulus, memoratur in Mss. Synaxariis, Taurinensi Ducis Sabaudiæ, Parisiensi Claromontani collegii & aliis, nulla nota ulteriori addita, uti & die præcedenti* XX *Aprilis, quando eum rejecimus, ob rationes istic datas, ad* XXIII Augusti.

Victor Papa tertius, & Confessor, & beatæ memoriæ, *indicatur in Auctario Greveni ad Usuardum, & Martyrologio Germanico Canisii. Ferrarius, ex tabulis Ecclesiæ Casinensis cum Martyrologiis monasticis, ad diem* XVI Septembris.

S. Januarius, Episcopus, S. Proculus, S. Sosius, S. Faustus, Diaconi, S. Desiderius Lector, S. Acutio, Martyres sub Diocletiano & Timotheo Præside Campaniæ, *memorantur à Græcis in Menæis & Menologio, à Latinis* XIX Septemb.

S. Theodorus, Martyr in Perge, *memoratur in Typico S. Sabæ, & Kalendario Græcorum, apud Genebrardum, & Molano in Auctario Usuardi, Iterum à Græcis & in Martyrologio Romano* XX Septembris. D

S. Hermelindis Virginis, translatio corporis *hoc die memoratur à Molano Saussajo Ferrario Wione & aliis, Dies ejus natalis est* XXIX Octobris.

S. Cæsarius, Martyr Terracinæ in Campania, *memoratur in Martyrologio S. Hieronymi & aliis. In Romano & aliis pluribus* I Novembris.

S. Eugenii, Episcopi Toletani, translatio dexteri brachii Parisiis Toletum, *indicatur à Saussajo: dies ejus natalis est,* XV Novembris.

S. Eugenii Episcopi Toletani dexterum brachium à Ludovico VII Rege Christianissimo Parisiis missum ad Alphonsum Castellæ Regem perhonorifice hoc die susceptum est atque insigni pompa, Rege ipso cum duobus filiis pie subjectis humeris vectitante, Proceribus ac sacris Ordinibus solenni supplicatione procedentibus cum magna confluentis populi turba in Ecclesiam primatialem Toletanam invectam est. *Ita Saussaius. Dies ejus natalis est.* XV Novembris.

DE SANCTIS MARTYRIBUS NICOMEDIENSIBUS,

G. H.

ALEXANDRA IMPERATRICE UXORE DIOCLETIANI, APOLLO, ISAACIO, ET CODRATO.

B AN. CCCII



Nter opera Dei mirabilia videtur illud posse notari, quod in palatiis multorum Imperatorum, pessima ac profligata vita, fuerint plurimi & præclarissimi aulici, viri sanctissimi, qui fidem Christianam & sincere Catholicam sanguine etiam effuso confirmarunt. Imo adhuc mirabilius potest censeri, quod plurima fuerint similium Imperatorum, non solum filiæ aut sponsæ, sed ejusdem cum ipsis thori consortes & propriæ uxores, quæ præ omnibus hujusmodi regiæ domus deliciis amaverunt Christum ejusque fidem orthodoxam (quales plures hoc opere nostro proferimus) veluti complacente sibi in hoc ultionis genere divina justitia, & dolorem eis, qua parte sensibilior futurus erat cum ignominia, reponente. Dignus autem hac pœna præ ceteris fuit Diocletianus impurissimus, qui castissimas Virgines plurimas Deo sacratas imperavit ad scelestima prostibula duci & turpissimorum lenonum libidini exponi, ut qui Christi sponsas nitebatur contaminare, non una vice factum se viduum ingemisceret, ab suis ipsius uxoribus præ Christo contemptus. Fuerunt hæ Serena & Alexandra, quarum prior circa annum CCXCVI *extincta, colitur* XV *Augusti; altera anno* CCCIII *evolavit gloriosa ad cælum. Hujus sacram memoriam celebrant Græci ad hunc diem* XXI *Aprilis, & tale ei encomium præbent in perantiquo Menologio Basilii Porphyrogeniti Imperatoris, seculo Christi decimo ante annos jam septingentos concinnato: in quo ista leguntur.*

Duæ Diocletiani uxores Sanctæ,

Serena & Alexandra.

C

Hujus encomium ex Menologio Basilii Imp.

2 Die vigesima prima mensis Aprilis, certamen sanctæ Martyris Alexandræ Imperatricis. Alexandra, Christi Martyr, fuit Diocletiani Imperatoris uxor: quæ cum S. Georgium videret excruciari, contodire in ventre percussum, nec ullatenus propter hæc læsum; deinde pœnali rotæ ex acutis ferris compositæ alligatum, & auxilio desuper immisso vinculis exolutum: corpore insuper plurimum dissecto, denuo sospitem redditum, & coram Imperatore, qui idolis tunc sacrificabat, intrepide consistentem, ac tam mirabili spectaculo plures ad Christi fidem evocantem; quorum aliqui extra civitatem capite minuti sunt, alii vero in carceres detrusi fuerunt; cum hæc, inquam, vidisset, Imperii gloriam despiciens, etiam ipsa fidem Christi est amplexa, & coram Imperatore se Christianam est confessa. Jussu proinde Diocletiani in carcerem conjecta fuit. At posthæc edicto promulgato ut una Georgius & Alexandra capitibus abscissis interimerentur, cum id ad ipsius notitiam pervenisset, quæ tunc in carcere Deo preces fundebat, animam emisit. *Hæc in dicto Basilii Menologio: quæ eadem leguntur in perantiquo Ms. Synaxario quod spectat ad Collegium Claromontanum Societatis Iesu Parisiis: paucis verbis, sed solum explicationis causa, adjunctis. Eadem habentur in magnis Menæis & apud Maximum Episcopum Cytherorum,* de generosa virtute. E

Ms. Synaxario & Menæis.

memorant alii scriptores ignoti.

3 *De quorum veritate non est cur dubitet aliquis, propterea quod de hujusmodi Diocletiani uxore nihil legatur apud auctores profanos. Nam præterquam quod in nominandis Imperatorum, etiam clarissimorum uxoribus, admodum negligentes illi fuere; in Diocletiano duæ peculiares sunt causæ, cur minus nota sint ea quæ diximus. Prima generaliter totam ipsius historiam concernit, videlicet decretum Senatus, quo Acta ejus fuerunt abolita; altera uxores ejus proprie spectat, ipsius nempe & ministrorum ejus odium adversus omne Christianum nomen; in quod cum uxores illius transirent, actum omni modo est, ne vel in statuis vel in nummis earum memoria publica superesset. Interim sicut certissimum est, ipsum habuisse legitimis nuptiis susceptam filiam Galeriam Valeriam, Galerio Maximiano desponsam: ita verosimile est hujus matrem fuisse Serenam prænominatam: de qua, quod fuerit Diocletiani uxor, indubitatam fidem faciunt sincerissima accuratissimaque Acta S. Susannæ, quæ fuit Diocletiani neptis. Serena autem de medio sublata, congruum fuit aliam uxorem assumi, quæ fuerit Alexandra, magnorum haud dubie natalium & pulchritudinis rara prærogativis digna judicata Augustæ titulo. Sed eam præcipue memorabilem nobis reddidit corona martyrii, quam ei, licet gladium reipsa non exceperit, incunctanter tamen tribuens S. Andreas Cretensis in Encomio S. Georgii,* Missos, *inquit,* facio singulos, quos Christi miles ad ejusdem certaminis rationem adduxit, in quibus & Regina Alexandra Moysis virtutem in se ostendit, cum melius ac præstantius thesauris regiis Christi improperium esse duxit: quæ prompto animo mortem gladio inferendam, quantum ad ejus propositum pertinuit, Christi causa suscepit, & cæleste ac sem-

F

Laus apud S. Andream Cretensem.

A *Encomium trium ejus famulorum & Martyrum:* sempiternum regnum cum caduco & terrestri commutavit.

4 *Exemplo tam illustri permoti ejusdem Alexandræ famuli, pari etiam ipsi constantia tulere martyrium, quorum generosæ virtuti Menæa Græcorum & ex his Maximus Cytheræus sic attestantur.*

5 Apollo autem & Isaacius & Codratus, ministri antea Alexandræ Imperatricis, ubi viderunt Dominam suam, contempto mortali & perituro Imperio, Christi fidem amplexam fuisse, & propter eamdem mortem subjisse; ipsi quoque fidem Christi susceperunt, eamdemque apud Imperatorem libere professi, ejusdem impietatem coarguerunt, ipsum ferum & immanem appellitantes, quod uxoris propriæ & thori sui consortis misertus non esset. Concitatus ideo ira super hoc Imperator, mandavit eos in carcerem conjici. Quo facto per totam noctem deliberabat, quo mortis genere eos extingueret. Mane autem facto e carcere educi curavit, & Codratum capite plecti mandavit; Apollo vero & Isaacium in carcerem reduci: in quo fame confecti post paucos dies animas suas Domino reddiderunt: *Hactenus Menæa: in quibus subjungitur talis titulus:* Eadem die XXI *Aprilis* sanctorum Martyrum Apollo, Isaacii & Codrati, qui fame & ferro vitam finiverunt. *Et hæc quidem necdum Latine fuerant edita. Sirletus in suo Menologio ista transtulit:* Eodem die XXI *Aprilis*, sanctæ Martyris Alexandræ Reginæ, uxoris Diocletiani, quæ propter fidem Christi confessionem securi percussa est. *Imo solum adjudicata ut capite plecteretur, in carcere inter preces animam Deo reddidit. In eodem Menologio, variis interpositis, de aliis, quasi ad S. Alexandræ familiam non spectantibus, ista referuntur:* Certamen sanctorum Martyrum Apollo, Isacii & Codrati, fame & ense consummatorum, Diocletiano Imperatore, sub quo militarunt. *Hæc in Sirleti Menologio: quo citato ista leguntur in Martyrologio hodierno Romano:* Item Sanctorum Apollinis, Isacii & Crotatis, qui sub Diocletiano passi sunt.

Item ex Menologio Sirleti.

B

& Martyrol. Rom.

AUCTORE G.H.

Non sunt hi tres passi in Isauria,

5 *Porro quia, in Sirleti Menologio non adjunguntur S. Alexandræ, neque ullus locus exprimitur, Baronius illos variis Martyribus adjunxit in suis Annalibus: ac primo ad annum* 105 *num.* 16 *ista scribit:* Isauria Tationis martyrio illustratur, quem cum Græci tum etiam Latini celebrant, itemque Azæ & sociorum centum quinquaginta militum: sed & Cleonici, Eutropii & Basilisci, qui sub Præside Ascelepde pro Christi nomine certantes coronati sunt: quibus jungendi Apollo, Isacius, Crotates. *Ex prædictis Martyribus coluntur Tatio* XXIV *Augusti, Azas cum sociis* XIX *Novembris. At de Cleonico, Eutropio & Basilisco egimus* III *Martii, absque ulla mentione trium Martyrum, de quibus hic agimus. Rursus Baronius ad annum* 310 *num.* 23 *refert ex Eusebio S. Petrum Episcopum Alexandrinum & alios Alexandriæ passos, additque* Apollinem, Isacium & Crotatem: *de quibus nulla fit apud Eusebium mentio. Ne interim hi Sancti viderentur derelicti orphani, eos assumpserunt fabricatores Pseudo-Chronici Dextri, in quo ad annum* 300 *sic fabulantur:* Albæ prope Accim, in Hispania Bætica, Sancti Christi Martyres Apollo, Isacius, Crotatonque, eorum socius gloriosus. *Et subscribunt elucidatores Dextri Bivarius & Rudericus Carus, hos esse in Martyrologio Romano & Menologio Sirleti relatos: imo Tamajus-Salazar allegat aliqua horum Martyrum Acta ex Ms. Legendario Asturicensi, sed quod videtur hoc seculo conscriptum. Passos ergo dicimus* Nicomediæ in Bithynia, *ubi tunc erat Diocletianus. Consule Acta S. Georgii & aliorum Martyrum* XXIII *Aprilis, imo varii alii tunc passi referuntur* XX *&* XXIV *Aprilis.*

neque in Ægypto,

neque in Hispania:

E

sed in Bithynia.

DE SANCTIS MARTYRIBUS ALEXANDRINIS

ARATORE PRESBYTERO, FORTUNATO, FELICE, SILVIO, VITALE.

G.H.

XXI APR.

Memoria in antiquis fastis,

C



Quatuor antiqua apographa Martyrologii Hieronymiani auspicantur hunc XXI Aprilis his verbis: XI Kalendas Maji, Alexandria civitate natalis SS. Fortunati, Aratoris Presbyteri, Felicis, Silvii, Vitalis. *Loco Fortunati legitur in duobus apographis* Fortunatæ: *ita loco* Aratoris, *in Lucensi est* Oratoris; *& loco* Silvii, *est in Corbejensi* filii: *& sub finem additur* in carcere quiescentis, *quasi de solo Vitale illud sumeretur: ast in Mss. Lucensi & Blumiano, legitur* in carcere requiescentis. *In antiquissimo codice Epternacensi habetur* in cessar quiescentis. *In Martyrologio Cardinalis Barberini ad supplementum genuini Bedæ ista notantur:* In Alexandria natalis SS. Fortunatæ, Aratoris Presbyteri, Felicis, Silvii, Vitalis in carcere requiescentium. *In Martyrologio Adonis ea ita exprimuntur:* Apud Alexandriam SS. Fortunati, Aratoris Presbyteri. Felicis, Silvii, Vitalis: qui in carcere quieverunt, *Eadem extant apud Notkerum, auctorem Martyrologii sub nomine Bedæ excusi, & in variis Mss. Usuardus ordine tali profert:* Alexandriæ SS. Aratoris Presbyteri, Fortuni, Felicis, Silvii, Vitalis, qui in carcere quieverunt. *Quo ordine etiam referuntur in hodierno Martyrologio Romano, sed* Fortunato, *in locum* Fortuni *ex aliis restituto. At palæstra non indicata in Martyrologio Casinensi valde antiquo ista traduntur:* Natalis sanctorum Martyrum Aratoris, Felicis, Fortuni, Silvii, & Vitalis. *Verum in antiquis Mss. Rhinoviensi, Richenoviensi & alio Corbejensi hæc verba sunt:* Alexandriæ Fortunati & Aratoris Presbyteri: *Loco* Presbyteri *additur* Vitalis *in Mss. Augustano S. Udalrici & Parisiensi Labbei.*

F

2 Vitalis Martyris *memoria celebratur in Bononia perlustrata Masini, quod aliqua reliquia* S. Vitalis Martyris *asserventur in ecclesia S. Francisci, & in ecclesia S. Iacobi Majoris in platea S. Donati; sed difficulter probaretur esse hujus Martyris Alexandrini. In codice Lucensi secundo loco ponitur nomen* Johanis. *Verum cum in omnibus aliis Martyrologiis desit, veremur ne nomen illud ex die præcedenti huc perperam fuerit translatum, & ideo in titulo omisimus, dum major aliunde lux affulgeat.* Vitalis Martyr *memoratur* XIX *Aprilis in citatis supra Martyrologiis Augustano & Labbeano, item in Aquisgranensi & Auctario Greveni.*

an Vitalis hujus reliquiæ Bononiæ.


an addendus Iohannes Martyr.

DE S. APPELICO SIVE AMPHELICO

G, H.

MARTYRE IN SICILIA.

XXI APR. *Nomen varie scriptum.*



HVnc sanctum Martyrem indicant Martyrologii Hieronymiani apographa quatuor, cum aliqua scriptionis varietate. Antiquissimum Epternacense ita habet: In Sicilia Appelici. *Lucense vero ita scribit,* Et in Sicilia natalis S. Amfelici; *pro quo in Blumiano codice est* Amphelei. *In Corbejensi Parisiis excuso est aliquis hiatus, & sic videtur* Terracinæ *adscribi: sed huic loco ab aliis tribuitur* S. Cæsarius, *de quo inter Prætermissos agimus. Eo ergo* Cæsario *cum subsecuto novo titulo ab amanuensibus omisso, sequitur natalis* S. Amphelici, Jocundi. *In Ms. Richenoviensi sive Augia-Divitis prope Constantiam ita traditur:* Et in Sicilia S. Amphelici. *Quia locus in Ms. Corbejensi est corruptus,* Jocundum *non audemus conjungere. Errorem apographi Corbejensis imbiberunt alii, ac inprimis auctor Appendicis Adonis apud Mosandrum & Rosweidum dum ista adjunxit:* In Campania natalis S. Amphelicis. *Secutus est Ferrarius: sed nomine mutato* Amphisium *scripsit, & de suo adjicit* Confessoris. *Hinc Saussaius in supplemento Martyrologii Gallicani ista scribit:* Eodem die in Campania S. Amphisii Confessoris. *Legebantur ista in antiquis apographis Martyrologii Hieronymiani:* Et in Terracina Campaniæ S. Cæsarii. In Sicilia Appelici *sive* Amphelici. *In codice Corbeiensi omissis verbis* S. Cæsarii *&* in Sicilia, *reliqua male connexa præbuerunt aliis aberrandi occasionē.*

An addendus Iocundus.

2 *Incidit aliquis scrupulus, num forte hic* Appelicus *sive* Amphelicus, *sit* Ampelus, *qui cum* Cajo *martyrio coronatus* Messanæ in Sicilia, *colitur* XX *Novembris, inscriptus eisdem antiquis Martyrologii Hieronymiani apographis: item Martyrologiis Adonis, Vsuardi, & hodierno Romano. Verum cum possit esse alius, voluimus hunc modo proponere; ut si aliter Seculis visum fuerit, possit ad dictum* XX *Nov. tota res clarius proponi; cum valde parum lucis conferatur ab Octavio Cajetano, qui de dictis* SS. Ampelo & Cajo *agit tom, 1 de Vitis Sanctorum Siculorū pag. 122.*

An videatur S. Ampelus esse.

DE SANCTIS MARTYRIBVS PERSIS.

B E

SIMEONE EPISC. SELEVCIÆ ET CTESIPHONTIS, ALIIS CENTVM EPISCOPIS, PRESBYTERIS AVT CLERICIS: VSTHAZANE, EVNVCHO NVTRITIO REGIS SAPORIS: ABEDECHALA ET ANANIA PRESBYTERIS: PASICIO PRÆFECTO ARTIFICVM ET FILIA EIVS.

G. H.

ANNO CCCXLIX.



CRuentissima fuerunt bella Romanos inter & Persas, imperante apud illos Constantio filio Constantini Magni, & apud istos Sapore Christianæ religionis hoste infensissimo. Acrem hic movit adversus Christianos persecutionem, quam cœptam anno Imperii Constantii septimo tradit S. Hieronymus in Chronico, is est annus Christi CCCXLIII. *Acerrima ea fuit duobus potissimum annis; ac priore horum passi suam habent sacram venerationem hoc* XXI *Aprilis, reliqui ad diem sequentem, uti tunc dicemus. Dies priorum Martyrum fuit Feria sexta hebdomadæ sanctæ in Parasceve, excepto Vsthasane Eunucho, qui pridie in* Cœna Domini *fuerat obtruncatus. Si ergo componatur dies* XXI *Aprilis cum dicta Feria sexta in Parasceve, videtur necessario signandus annus* CCCXLIX, *quando cyclo Lunæ* VIII *Solis* XXII, *littera Dominicali* A, *Pascha fuit celebratum die* XXIII *Aprilis: quo anno, Vipio Limenio & Fabio Catulino Philoniano Consulibus,* Constantius *bello Persico in* Mesopotamia *illigatus, veteranorum filios ad militiam evocavit, & ipse mense Aprili Antiochiæ constitit, uti ex legibus Codicis Theodosiani erudite probat Iacobus Gothefredus. Anno vero sequente* CCCL, *quo Constans Imperator interiit, morabatur* Constantius *Edessæ in* Mesopotamia *ob bellum Persicum, uti testatur Philostorgius lib. 3 Historiæ cap. 22 & ex eo Nicephorus Callistus lib. 9 cap. 28. Tunc Sapores Rex iterum ipso die Parasceves edictum adversus Christianos crudelissimum misit per universam Persidem, ut sequenti die dicetur. Baronius retulit* S. Simeonem *cum suis passum anno* CCCXLIII, *sed tunc incidebat dies Parasceves in* XXV *Martii, quo die in nullis Fastis recoluntur hi Martyres, bene autem die* XIV *in Ms Strozziano. Item à Bellino, Maurolyco, Molano refertur* S. Simeon Archiepiscopus apud Persidem, *quem esse hunc Seleuciensem Simeonem, & ex superabundanti* Archiepiscopum *dici, quia inter Episcopos Martyrii socios primæ auctoritatis fuerit, existimamus cum prædicto Molano.*

C

Tempus martyrii an. 349. 21 Aprilis, feria 6 in Parasceve Domini.

2 *Acta martyrii fusius olim descripta videtur habuisse auctor* Menologii, *quod sub nomine Basilii Imperatoris identidem citamus, inde enim videntur accepta ipsius* Simeonis *& aliorum encomia ad diem* XIV *mensis. Ibi dicitur, quod alibi nusquam;* S. Symeon non ferens impia Persarum opera, eorumque mandata, scripsit Regi: Quia nos, cum simus servi Jesu Christi Dei nostri, non sustinemus vobis esse subjecti: fac ergo quod vis. *Nos dum primigenia Acta latent, cogimur iis esse contenti, quæ ex ipsis sumpsit antiquus auctor & qui proximo à Sanctorum passione seculo floruit, Hermias Sozomenus, in sua Historia Ecclesiastica ad Theodosium Iuniorem Imperatorem lib. 2 cap. 8 & duobus sequentibus: & ex hoc ea sumpsit Cassiodorus l. 3 Historiæ tripartitæ cap. 2 cū omnibus fermè Martyrologis Latinis. Itaq; post Vsuardum, Adonem, Notkerum & alios referuntur in hodierno Martyrologio Romano:* In Perside natalis S. Simeonis, Episcopi Seleuciæ & Ctesiphontis: qui jubente Sapore Persarum Rege comprehensus, ferroque onustus, iniquis tribunalibus exhibitus, cum solem ipsum adorare nollet, & de Jesu Christo voce libera & constantissima fateretur; primum carcerali ergastulo cum aliis centum (ex quibus alii Episcopi, alii erant Presbyteri, alii diversorum ordinum Clerici) longo tempore maceratus est: deinde cum Usthasanes Regis nutritius, qui ante jam lapsus à fide, sed per eum ad pœnitentiam fuerat revocatus, martyriū constanter subiisset; postridie, qui erat annus Dominicæ passionis dies (omnibus ante Simeonis oculos, qui unumquemq; strenue exhortabatur, gladio jugulatis) novissime & ipse decollatus est. Passi sunt etiam clarissimi viri Abedechalas & Ananias ejus Presbyteri, Pusicius quoq; Præfectus Regis artifi-

Acta martyrii dantur ex Sozomeno.

F

memoria in Fastis sacris Latinis & Martyrol. Rom. 21 Aprilis.

A artificum, eo quod Ananiam titubantem corroborasset, collo circa tendinem perforato, & lingua exinde extracta, crudeli morte occubuit; post quem & filia ejus, quæ erat sacra Virgo, necata est. *Est Ctesiphon urbs Assyriæ, ad alteram Tigris ripam, tunc Episcopalis, in odium haud procul distantis Seleuciæ olim à Parthis extructa. De utraque latius legimus 20 Februarii, ad vitam S. Sadoth, qui S. Simeonis successor, ab hoc ad martyrium est per visionem invitatus.*

In Menologio Basilii Imper. 14 Aprilis.

3 *In Menologio, referuntur hi Martyres ad diem* XIV *Aprilis, forte quod secundum aliquorum tabulas, ut tunc sæpius fiebat, fuerit octo diebus Pascha citius celebratum. Et in priori encomio dicuntur cum S. Simeone* occisi Presbyteri, Diaconi & alii centum & quinquaginta: *qui apud Sozomenum & alios sunt* solum centum, *& dicuntur* Episcopi, Presbyteri, & Clerici. *In secundo deinde encomio agitur de* Pusicio, *qui* Phasic *appellatur ejusque* filia sanctimoniali *seu* Virgine sacra, *de qua ista narrantur, à Sozomeno non indicata:* Huic coram se adductæ jussit Rex, ut Christum denegaret, & soli atque igni sacrificaret. Cum vero ad id persuaderi non pateretur, primum quidem Rex eam denudari jussit, & crudeliter flagellis cædi, facibusque latera aduri; deinde eam suspendi ac ferreis ungulis dilaniari, sacramque demum ipsius cervicem ense abscindi mandavit. *Hæc ibi.*

B *Apud alios Græcos 17 Aprilis.*

4 *In Menæis excusis & Synaxariis Parisiensibus Mss. tum Collegii Claromontani Societatis Iesu quam Iulii Cardinalis Mazarini, Martyrum horum festiva memoria celebratur* XVII *Aprilis, sub hoc titulo:* Certamen sacrosancti Martyris Simeonis Archiepiscopi Persidos, & sociorum ejus Abdela Presbytero Chustazat & Phusic, & aliorum simul centum quinquaginta. *Eodem die de eisdem Sanctis Martyribus reliquum fit officium, cujus Canonem S. Ioseph Hymnographus huic Acrostichidi innexuit.*

Στέφω μάκαρ σε Συμεὼν ὑμνῳδίαις. ΙΩΣΗΦ.
Hymnis, beate Symeon, te corono; IOSEPH.

Ephemeris quoque metrica Symeonem, ut die XVII *Aprilis gladio plexum, celebrat: quo aliud non probatur, quam hunc præcipue Græcis Constantinopoli, in honore Symeonis & sociorum ejus, festum fuisse: an occasione Reliquiarum istuc translatarum, an alia ex causa quis dicet? Satis est monuisse, Ephemeridis istius stylum esse, ut mortem laudet Sanctorum, velut eo obitam quo coluntur die.*

5 *Galesinius, qui bonam sui Martyrologii partem ex Menæis hausit, diem eumdem retinuit; suoque exemplo facem prætulit sequenti se Canisio Martyrologii Germanici auctori. Apud hos* Presbyter Abdella *scribitur, & est is qui supra* Abedechala *dicitur, ac socium habuit* Ananiam *etiam* Presbyterum *hic omissum.* Chusthazat, *in Menæis* Chusdazat, *supra* Usthazanes *appellatur;* eunuchus *scilicet* & nutritius Regis Saporis. Phusio *deinde in textu* Curopalates *dicitur, supra* Pusicius, *Sozomeno* Pusices Præfectus artificum Regis. *Qui in Menologio Basilii Imperatoris & in Synaxario Parisiensi adduntur* centum & quinquaginta Martyres, *in Menæis dicuntur* mille centum quinquaginta: *& mille Martyribus, unum; centum autem quinquaginta, aliud distichon applicatur hoc modo:*

C *Nomina varie scripta.*

Πίπτοντας ἀνδρῶν ἀμφὶ χιλίους ξίφει
Ἰδών, ἔφης ἄν, Παῦλε Μαρτύρων νέφος.
Si cadere gladio mille conspicias viros,
Nos, Paule, habere Testium nubem, inquies.
Τέμνουσιν ἀνδρῶν, τετπλοπεντηκοντάδα,
Τὴν Τρισπροσώπην προσκυνοῦσαν οὐσίαν.
Perimunt virorum ter quinquaginta chorum,
Trium qui adorabant essentiam Personarum.

Sed isti mille, in Menologio Basilii Imperatoris prædictisque Parisiensibus Synaxariis duobus, transferuntur ad Martyres sequentes, XXII *Aprilis celebrandos, ubi etiam sunt* ducenti & quinquaginta Martyres: *ut colligamus inde similes numeros eorumdem Martyrum in Perside coronatorum facile aliis & aliis adjunctos reperiri. Quid autem est, quod elogium in Menæis & Synaxario Claromontano sic inchoetur?* Κτησιφῶν καὶ Σαλὴχ, ἡγεμονεύοντες ἐν ταῖς κατὰ Περσίδα πόλεσι, ἐπιστέλλουσι τῷ Βασιλεῖ, ὅτι ὁ Ἀρχιερεὺς τῶν Χριστιανῶν Συμεὼν καὶ ἕτεροι οὐκ ὀλίγοι. Ctesiphon & Salec, præsidentes civitatibus in Perside constitutis, detulerunt Imperatori quod Præsul Christianorum Simeon & alii non pauci nollent ipsi parere. *An quia Ctesiphontis & Seleuciæ Archiepiscopus fuit S. Symeon, consequens esse putabit aliquis, ut ab harum civitatum Præfectis processerit accusatio: & alius deinde civitatum nomina transformarit in nomina propria Præfectorum? Quod Acta asserunt, hoc tenemus: Actorum abbreviatores errare non raro, didicimus experientia: nec opus est singulorum errorum originem indagare. In Menologio Sirleti ad eumdem* XVII *Aprilis ista leguntur:* Sancti Martyris Symeonis apud Persidem Episcopi, & sociorum Abidellæ Presbyteri, & aliorum mille centum quinquaginta. *In perpetusto Ms. Casinensi ad diem* XX *Aprilis, post alios istius diei Martyres recolitur memoria* S. Simeonis Martyris, *quem arbitramur esse ab aliis Latinis ad hunc diem relatum. Ast ecclesia Dolensis in Aremoricis Sanctum hunc Simeonem præsenti die colendum quoque suscepit cum officio trium Lectionum, quarum tertia propria in Breviario anni 1519 invenitur. Idem faciebat Turonensis ecclesia, juxta Breviarium anni 1611, sed in hujus posterioris recognitione facta anno 1635 abrogatus est usus talis officii. Franciscus Laherius in Menologio Virginum* Pusicii filiam Pusicen *appellat, quod ei nomen fuisse alibi non legimus.*

AUCTORE G. H.

& 20 Apri.

E

ACTA MARTYRII.

Ex Historia Ecclesiastica Sozomeni lib. 2. cap. 8, 9 & 10.

1 Cum tempore progrediente numerus Christianorum apud Persas vehementer cresceret, adeo ut conventus agere, & Sacerdotes ac Diaconos habere cœperint; hæc res non mediocriter offendebat animos Magorum, qui velut tribus aliqua aut sacerdotalis stirps, successione quadam religionem Persarum inde fere ab initio administraverant: Judæos quoque permagna affecit molestia, qui præ invidia, naturaliter quodammodo ipsis insita, religioni Christianæ semper infensi esse solent. Et ob eam causam Simeonem, id temporis Seleuciæ & Ctesiphontis, urbis in Perside primariæ, Archiepiscopum, cœperunt apud Saporem, tunc Regem Persarum, accusare, quod Imperatori amicus esset, quodque ei res Persarum proderet. Quorum calumniis persuasus Sapores, primo omnium tributis immoderatis eos affligit Christianos, quod ipsorum quamplurimos voluntariam egestatem excolere norat. Deinde viris difficilibus & inhumanis illorum tributorum exigendorum potestatem dat: quo & inopia pecuniæ & exactorum feritate coacti, suam religionem aspernari inciperent, de qua una re summopere ab eo laboratum est. Post hæc Sacerdotes & ministros Dei gladio trucidari, ecclesias dirui, earum thesauros ac monumenta in publicum proferri, & Simeonem, ut regni Persarum & religionis proditorem, adduci jubet.

S. Simeon à Magis & Iudæis accusatus, apud Saporem.

F

post Christianos vinctos aut occisos.

2 Itaque Magi ope Judæorum, qui in ea re eos alacri animo juvabant, ecclesias demoliuntur: Simeonem comprehensum, & catenis ferreis vinctum, ad Regem deducunt: qui se ibi & spectatum & strenuum virum præstitit. Nam cum Sapores eum, ut daretur in quæstionem, introduci jussisset; neque veritus est quidquam, neque Regem adoravit.

Qua-

Ex Sozomeno.

adductus, Regem honorat,

Quare graviter commotus Rex sciscitatur quid sit causæ, cur jam neutiquam ipsum adoret, cum ante id fecisset. Cui Simeones, Non ante, inquit, deductus eram ad verum Deum prodendum; & propterea non recusabam debitos honores Regi præstare: at jam idem ipsum facere fas non est: nam jam pro pietate & nostra religione decertaturus venio. Quæ cum dixisset, jubet Rex ut solem adoret: quod quidem si facere velit, pollicetur se ei multa daturum munera, & in magno honore habiturum. Sin autem detrectet, & illum, & universum Christianorum genus e medio sublaturum minatur. Ubi vero Simeonem neque minis terrere, neque promissis flectere posset, sed virili & constanti animo affirmantem, se numquam vel solem adoraturum, vel suam ipsius religionem proditurum audiret; jubet in vinculis aliquamdiu teneri, ratus, ut videtur, eum velle resipiscere.

solem negat adorare:

obiurgat Vsthazanem apostatam,

3 Quem in carcerem deductum conspicatus Vsthazanes, senex eunuchus; educator Saporis, & in familia Regis principem locum obtinens, consurgens (sedebat forte pro foribus palatii) eum honorifice salutat. At Simeones verbis illum contumeliosis increpare, & bile incensus vociferari cœpit; atque adverso vultu ideo præteriit, quod cum esset Christianus, paulo ante vi coactus, solem adoraverat. Quare Vsthazanes eunuchus fundere lachrymas, ingemiscere, vestem splendidam, qua erat indutus, exuere, & tamquam homo in luctu constitutus, nigram circumjicere cœpit: pro portis regiæ sedet, lamentatur, plorat cum gemitu, sicque ait; Heu me miserum! qualem erga me Deum fore debeo expectare, quem jam dudum denegaverim? nam ob hanc causam Simeones, ne verbum mihi loqui dignatus, sic ore averso propere prætergressus est.

B

& convertit.

4 Ubi ista rescivit Sapores, illum accersit, rogat causam luctus, & ecqua illi in ædibus obtigisset calamitas. Cui Vsthazanes: In hisce, inquit ædibus, ô Rex, nihil mihi accidit infortunii, Utinam enim pro eo, quod mihi contigerit, in omnia alia calamitatum genera incidissem: quippe id quidem certe fuisset toleratu multo facilius. Iam vero lugeo, quod maneam in vita, quodque cum dudum mori debuissem; adhuc tamen solem videam, quem, quo tibi gratificarer, non revera ex animo, sed specie solum simulata adoraverim: adeo ut utraque de causa mortem meritus sim: tum quod Christi proditorem, tum quod veteratorem erga te meipsum ostenderim. Quæ cum dixisset, cæli & terræ opificem Deum cum jurejurando testatur, se in posterum de ea sententia numquam destiturum. Sapores autem incredibilem eunuchi mutationem vehementer admiratus, graviore quidem iracundia in Christianos exarsit, perinde quasi illi præstigiis hanc rem confecissent: sed tamen misericordia erga senem commotus, modo mansuetum, modo ferum se in illum ostendit, atque omnibus viribus laboravit, ut de sententia deduceret. Ubi nihil profecit, constanter asseverante Vsthazane, se numquam tam stultum fore, ut pro omnium conditore Deo res ab eo conditas colat; tum ira inflammatus, mandat caput ense cervicibus abscindi.

Vsthazanes apud Saporem agnoscit se errasse: constans in fide Christiana adjudicatur morti,

C

5 Ad quod supplicium à lictoribus deductus Vsthazanes, orat eos, ut paulisper expectent: rem enim se animo tenere, quam Regi significare velit. Vocato igitur ad se eunucho sibi fidelissimo, jubet ista Sapori nuntiare: Quam tandem benevolentiam ab ineunte adolescentia ad hoc usque tempus, ô Rex, erga tuam familiam præstiterim, & quanto studio tum patri tuo, tum tibi inservierim, nullis videor egere testibus, apud te præsertim, qui hæc satis explorate cognita habeas. Quare pro omnibus officiis, quæ in vos aliquando tam benevole contulerim, hoc mihi unum velut remunerationis loco concede, ut his, qui me ignorant, non videar tamquam infidus erga regnum tuum, aut in aliquo maleficii genere deprehensus, istud supplicium subire. Et quo hoc pateat omnibus, fac præco palam prædicet, caput Vsthazani amputatum esse, non quod improbitatis cujusquam in palatio ab ipso admissæ convictus sit, sed quod sit Christianus, & Deum suum, quo Regis voluntati morem gereret, negare noluerit. Atque ista quidem Regi nuntiavit eunuchus; Sapores autem eadem, sicut Vsthazanes postulaverat, præconem prædicare jubet. Nam ratus est alios prompto ac parato animo de religione Christiana descituros, si certiores fierent, nemini Christiano misericordiam tributam fore, quippe cum Vsthazanes senex, educator Regis, ei familiaris & benevolus, etiam esset interfectus. At Vsthazanes ad alium finem supplicii sui causam prædicari tam impense desideravit: si quidem cogitavit, quod sicut, quando timore perterritus solem adoravit, multis Christianis metum injecerat: sic jam non pauciores ad suam animi magnitudinem & constantiam imitandam incitaret, si modo intelligerent, eum pro religione Christiana trucidatum esse. Hoc modo Vsthazanes vitã, quam hic in maxima gloria traduxerat, deseruit.

rogat, & impetrat, ut per præconem proclametur, quia Christianus est

D

capite plectitur;

E

Simeones confirmat 100. Episcopos, Presbyteros, Clericos, dein capite plectitur,

6 Simeones autem de ejus morte in carcere certior factus, Deo gratias pro illo egit. Postridie ejus diei, qui erat sextus dies hebdomadæ, in quo ante celebrem diem festum Resurrectionis, memoria salutaris Christi passionis quotannis recoli solet, decernit Rex, ut Simeones gladio feriatur. Nam ante denuo è carcere deductus ad Regem, forti & magno animo cum Sapore de fide Christiana disseruit, & neque illum, neque solem adorare voluit. Eodem die centum alios quoque, qui erant in carcere, Rex itidem obtruncari jubet: ad extremum Simeonem, cum ceterorum omnium mortem oculis adspexisset, trucidari. Horum pars Episcopi, pars Presbyteri, pars ex aliorum Clericorum ordine fuerunt. Cum omnes ad locum, in quo erant necis supplicium subituri, deducerentur; princeps Magorum percunctatur ab illis, utrum velint vivere, & eamdem cum Rege religionem colere, solemque venerari. At ubi nemo eorum his conditionibus vellet in vita manere recta ad locum, in quo erant securi feriendi, deducuntur. Dum autem lictores in opus incumbunt, & in cæde Martyrum occupantur, Simeones adstans illis, dum interficiuntur, jubet bono animo esse, verbaque apud eos facit de morte, de resurrectione, de pietate; & testimoniis ex sacris Literis depromptis confirmat, ita mori, esse vere vivere; atque præ ignavia Deum prodere, esse vere mori: eos enim, etiamsi nemo ipsis necem afferret, brevi morituros, quandoquidem à nemine in hanc lucem edito hic finis vitari potest; post mortem vero ea, quæ sunt æterna, non eodem modo omnibus eventura; sed singulos velut trutina quadam examinatos, accuratam vitæ anteactæ rationem reddituros: & hos pro recte factis præmia percepturos immortalia, illos pro maleficiis pœnas sempiternas luituros: denique pro Deo velle mori, esse in bonis summum & rem multo beatissimam. Dum ista Simeones dicendo percurreret, & tamquam magister gymnasii præciperet, quo modo in certaminibus se gererent, singuli aures attentas ei præbentes, ad necem cupide gradiebantur. Lictor autem, postquam centum illos interemit, postremo in loco Simeonem obtruncavit, atque Abedechalaam & Ananiam una, ambos senes, Presbyteros ecclesiæ, cujus Simeones erat Episcopus, pariter cum illo & comprehensos, & in vincula conjectos.

F

ipse obtruncatur cum 55 Abedechalaam & Anania Presbyteris;

7 Eo-

A

S. Pusicius extracta lingua cum filia occiditur.

7 Eodem temporis momento Pusices; Præfectus omnium Regis artificum, ibi forte stans, cum videret Ananiam, cui jam cædes parabatur, contremiscentem, Paulisper, inquit, ô senex, oculos occludito, & bono animo esto: nam statim lumen Dei videbis. Vix est hæc locutus, cũ comprehensus est, & ad Regem deductus. Atque cum esset se Christianum confessus, quoniam libero ore apud Regem pro religione Christiana, & pro Martyribus verba fecerat; idcirco quasi aliquid nefas dixisset, dabatur lictoribus mandatum, ut admodum peregrino & crudeli imprimis mortis genere afficeretur. Lictores igitur collo ejus circa cervicem perforato, illac linguam extrahunt. Porro autem ejus filia virgo, falso à quibusdam in crimen vocata, comprehenditur, eodemque temporis articulo occiditur.

D

DE SANCTO MAXIMIANO

G. H.

PATRIARCHA CONSTANTINOPOLITANO.

ANNO CCCCXXXIV.



Roma natus

Constantinopoli Sacerdos initiatus,

B

& Nestorio expulso

Patriarcha creatur,

an. 2. mensis 5 prefuit.

colitur in ecclesia Apostolorum

C

Celebris est S. Maximiani memoria apud Græcos, & quidem in Menologio Basilii Porphyrogeniti Imperatoris, ante annos prope septingentos conscripto, hoc de ejus patria & rebus gestis profertur elogium: Eodem die, XXI Aprilis, memoria S. Maximiani Patriarchæ Constantinopolitani. Maximianus magnus Christi Sacerdos, exortus fuerat ex antiqua Roma, divitum ac nobilium parentum filius. Oblata autem non levis negotii cura, Roma discessit, Constantinopolim profectus: ubi ob bonam indolem, & multiplicem doctrinam, ob vitæ etiam morumque sanctitatem, & vigilans æquitatis studium, sanctæ Constantinopolitanæ Ecclesiæ Sacerdos initiatus fuit à Sisinnio spectatissimo ac laudatissimo Patriarcha: cujus integritatem ac documenta in omnibus plane virtutibus expressit, constanter ita permanens, quousque damnatus fuit Nestorius hæreticus, qui sanctissimo Sisinnio successerat. Hoc ergo expulso, fuit Maximianus, tamquã Christianæ fidei & orthodoxæ religionis propugnator, cõmuni omnium suffragio, Imperatoris, Cleri, ac populi, Patriarcha Constantinopolitanus ordinatus: ac tandem, cum sancte ac religiose Christi gregem gubernasset, & Ecclesiam à scandalis omnibus tutam servasset & defendisset, eique per annos duos & menses quinque præfuisset, in pace quievit. *Hactenus Menologium Basilii Imperatoris, cui congruunt, quæ in Ms. Synaxario Parisiensi collegii Claromontani leguntur, in quo sub finem additur:* Festiva ejus solennitas celebratur in Ecclesia Sanctorum Apostolorum, *à Constantino Magno & matre ejus constructa. Appellatur autem in dicto Synaxario non* Maximianus, *sed contracte* Maximus, *uti etiam in Menæis excusis & Menologio Sirleti in hac nimia brevitate memoratur* S. P. N. Maximus Patriarcha Constantinopolitanus. *Si patria & occasio dignitatis ob expulsum Nestorium & aliæ ejus virtutes fuissent indicatæ, scitum fuisset, de Maximiano agi patria Romano; & facilius memoria eius fuisset Martyrologio Romano inserta.*

a Legatis Synodi Ephesinæ

creatus,

2 *Depositus fuit Nestorius in Concilio III Generali Ephesi, anno CCCCXXXI ab Episcopis plusquam ducentis sub finem Iunii cœpto haberi: cuius Acta extant duobus tomis è typographia regia Parisiis excusa, & in posteriore tomo, qui omnium Conciliorum sextus est, cap. 14 pag. 257 ista leguntur:* Cum septem & septem ex utraque parte Episcopi Constantinopolim venissent, Imperator certo comperit, sanctam & œcumenicam Synodum, canonico legitimoque ordine in omnibus servato, Nestorium deposuisse. Itaque, Legatorum Synodi sententia approbata, Orientales quidem condemnat, Nestorium vero exilio multat. Iis præterea, qui ex sancta Synodo legati venerant, injungit: ut ad ecclesiam se conferant, ibidemque sanctæ Ecclesiæ Constantinopolitanæ Episcopum creent. Illi in ecclesiam ingressi, Maximianum Episcopum creant. *Missa mox Constantinopoli Synodalis epistola cap. 16 relata, in qua asseritur, eos* in hoc solicite incumbentes æquum judicavisse, simul atque sanctissimus Deoque per omnia dilectissimus Maximianus magnæ civitatis Episcopus institutus est, litteras submittere, iisque Synodicas litteras subjicere. *Sequitur cap. 17 exemplum epistolæ scriptæ à Maximiano creato Episcopo ad Cyrillum Archiepiscopum Alexandrinum, ubi inter cetera scribit ista:* Quia ad magnæ hujus civitatis Archiepiscopatum promoti sumus, dignare, Deo dilectissime, & precibus nos fulcire, & consiliis informare, & omni denique benevolentiæ studio nos prosequi; ut hac ratione illud Scripturæ dictum in nobis adimpleatur: Frater qui adjuvatur à Fratre quasi civitas firma.. Cum itaque Christo Domino dignus evaseris, propterea quod crucem tuam sustulisti, & illum secutus es; Christum pro nobis deprecari ne omittas, fraternæ virtutis ornamenta proprias prærogativas esse ratus. Vale in Domino, & pro me, Deo dilectissime & sanctissime frater ac comminister, ora.

scribit ad S. Cyrillum Alexandrinum & precespetit.

Prov. 18, 19

E

3 *Hæc ille, cui S. Cyrillus in responso cap. 18 inter alia sic rescribit:* Opportune, ut arbitror, convenienterque hoc tempore, quo tua integritas exoptatum illud Sacerdotium sortita est, cum Propheta nobis dicere liceat; Lætentur desuper cæli & exultet universa terra, & clamet cum lætitia: Non enim os, quod magna loquebatur, contra Salvatoris nostri gloriam ultra se extollit: neque cornu amplius in altum subrigit, qui hoc facere solebat: neque iniquitatem, Domino qui nos redemit negato, contra Deum amplius loquitur... Proinde congratulamur etiam vobis, rectam inculpatamque fidem habentibus. Surrexit enim sacrorum minister, quem satis, & diuturnum tempus vobis commendavit, & ipsa rerum experientia decoravit: quique in solicitudine pro vobis gerenda multum temporis insumpsit, venerandamque adeo canitiem emisit. Oportebat enim, oportebat selectis Salvatoris nostri gregibus sapientem peritumque Præsidem dari: cui animus esset pastorali industria refertus, quique pabulo bono & loco pascuo pascere sciret: qui denique rebus ipsis probatus foret tamquam fidelis sincerusque œconomus. Qui enim ita vivere instituerunt, eos Christus recipit, & quovis honore censet dignos.... Hic ut speramus sanctitati tuæ opem feret, eamdemque opitulante manu cælestibus donis exhilarabit: quo verbum veritatis recte tractando, & sanctorum Patrum fidei, veluti quibusdam vestigiis, insistendo, laudabilis perseveres per misericordiam & benevolentiam Christi Salvatoris... Valere te nostri memorem precor à Domino, reverendissime Deoque dilectissime frater. *Idem S. Cyrillus cap. 19 ad Iuvenalem Episcopum & ceteros Concilii*

1 Par. 16, 31.

laudatur à S. Cyrillo ob fidem rectam

F

pastoralem industriam

& quis sit à Christo adjuvandus.

AUCTORE G. H.

cilii Legatos Constantinopolim missos, à quibus fuerat S. Maximianus electus; Resplenduit veritatis dogmatum pulchritudo, ordinato Episcopo secundum decretum Dei atque Concilium per sanctitatem vestram, reverendissimo & Dei cultore Maximiano: quem etiam & longa ætas ornavit, non in desidiis & deliciis constitutum, sed in laboribus & virtute, & qui multa rerum decoratus est cura pro veritate & dogmatibus pietatis. Congaudens igitur universis Ecclesiis & populis ibidem constitutis, merito proclamabo: Benedictus Dominus, quia visitavit & fecit redemptionem plebis suæ. Sic bonus Pastor malignam quidem bestiam à sacra & divina aula repulit, sapientissimum autem & totius virtutis insignem præceptorem elegit: quem etiam credimus decorari in omni bono, & venerabili atque præcipua virtute pollentem, gubernare sua manu populum constitutum.

decoratus longa ætate in laboribus peracta

Luc. 1, 68

4 *Miserat Synodus Ephesina epistolam ad S. Cælestinum Papam de ejecto Nestorio, & in ejus locum electo S. Maximiano; misit & hic Patriarcha de sua electione epistolam ad eumdem Papam. Sed hæ duæ non extant; extat vero responsum S. Cælestini ad utramque. Et in epistola quidem ad Synodum Ephesinam cap. 20 de S. Maximiano ista interserit:* Legimus ejus à vestra fraternitate scripta præconia, nec quisquam nostrorum mirari potuit, quia nota dixistis. Bonorum hunc actuum palæstra semper exercuit: talem hunc didicimus, qualem Doctor noster esse præcepit Sacerdotem, ut convenienter omnium judicio mereatur audire: Ecce homo vere Israelita, in quo dolus non est. Nonne laudibus in eum vestris ista conveniunt? Talem successorem quærebat sanctæ memoriæ Sisinnii beata simplicitas, ut locum suum non nisi sui similis obtineret. Scimus quo itinere sanctus Frater & Coëpiscopus noster Maximianus, quibus gradatim stipendiis ad fastigium Sacerdotale pervenit. Non hunc divitiarum gloria, non velut in potentia cupidũ, qui solet inesse ambientibus, honorum saltus evexit: suffragio pauperum, quibus fidelis servus & prudens cibum dabat in tempore, super omnia Domini sui constitutus est bona; & tamen, etiamsi desiderium fuit Episcopatus, non nisi propter opus bonum, sicut ait Apostolus concupivit. Data Idibus Martiis Aëtio & Valerio Consulibus. *Is est annus Christi* CCCCXXXII. *In epistola ad ipsum Maximianum cap. 22 ita scribit idem Cælestinus Papa:* Vidimus & amplexi sumus fraternitatem tuam in litteris tuis, talemq; sanctitatem tuam, qualem noveramus, inspeximus, simplici scilicet puritate gloriosam, & mentis fulgore potius quam sermone perspicuam. Redit in se atque in statum suum illa, de cujus fide semper gloriabamur, Ecclesia, quæ nunc te Præsulem divino judicio accepit; postquam illum, qui eã obsidebat, ejecit... Sequere priorum, à quibus eruditus es & nutritus, exempla Pontificum, beatissimi Joannis in prædicando scientiam, S. Attici in repurgandis hæresibus vigilantiam, decessoris tui Sisinnii, cujus te successorem credimus, simplicem puritatem; ut de illa, sicuti solebamus, gratulemur Ecclesia. Cõgrega sparsos, piumque animum, qualem te habere novimus, in eos, quos dissipaverat perturbator, exerce. Congrega populos tuos ad matris suæ ubera, revoca quos illito veneni sapore abstraxerat inimicus... Latus campus est, Frater carissime, in quo gloriam & vigilantis Pastoris & benigni Sacerdotis exerceas, & saporem Christianæ salubritatis infundas; ut plus in reparando potuisse te liqueat, quam ille potuit in lædẽdo, qui imitator diaboli maluit esse quã Christi. *Data* Idibus Martiis, Aëtio & Valerio VV. CC. Coss. *Reliqua ibi legi possunt, uti illa quæ cap. 21 idem Cælestinus Papa tunc scripsit Imperatori Theodosio Juniori quem obsecrat, ut* Maximiano, tanto pro suo merito il-

A S. Cælestino Papa

B

habetur verus Israelita,

Ioan. 1, 47

& fidelis servus & prudens:

1. Tim. 3, 1

C

incitatur ad exempla decessorum, ut excolat suam Ecclesiam.

lius Ecclesiæ Sacerdoti, electo taliter, & consensu sanctæ congregationis quæ interfuit ordinato, ad cõponendum Ecclesiæ statum, & omne vulnus pravæ hæresis radicitus evellendum, ne audeant quæ abscissa sunt pullulare, arma præstet.

D

petito auxilio Theodosii Imperat.

5 *Hæc S. Cælestinus hoc eodem anno* CCCCXXXII *mortuus* VI *Aprilis, ad quem diem ejus Acta dedimus. Successit illi S. Sixtus* III, *cujus Acta illustravimus ad diem* XXVIII *Martii. Ad hunc scripsit Ioannes Patriarcha Antiochenus cap. 27 se assentiri ordinationi Maximiani,* sanctissimi & religiosissimi sanctæ Ecclesiæ Constantinopolitanæ Episcopi: *& in libello ad S. Cyrillum Alexandrinum misso cap. 28 confitetur idem Ioannes, se* Maximiani sãctissimi Episcopi ordinationẽ suscipere. *Quantum autem laborem adhibuerit S. Cyrillus, ut omnes* sanctissimi piissimique Episcopi Maximiani ordinationem approbarent, *indicat cap. 35 in epistola ad Acacium Melitenæ Episcopum, & cap. 38 in epistola ad Donatum Nicopolis veteris Epiri Episcopum; sed & cap. 39 de pace Ecclesiæ reddita ita scribit ad ipsum S. Maximianum:* Dubium plane nullum erat, quin sãctitatis tuæ preces omnino efficaces esset, quandoquidẽ Salvator omniũ prompte alacriterq; eorum votis annuere solet, qui ipsum diligunt... Divulsa Ecclesiastici corporis membra inter se coadunata sunt, & iã nihil reliquum est, quod ministros Euangelii Christi per discordiam sejungat. Omnes autem una fide ornamur, cum Nestoriũ impietatum inventorem è sacris septis expulimus, & falsum Pastorem à nobili grege seclusimus. Et hoc quoq; præclarum opus tuis precibus perfectum est... atq; ita sanctitate tua, reliquisq; omnibus, ex quibus perfectum sanctæ Synodi corpus constitutum est, ad hoc annuentibus & concurrentibus reducti sumus ad concordiam... Benedictus Salvator noster, qui hanc tempestatem sedavit, concordiãq; tranquillitatem restituit: idque per preces & intercessiones sanctitatis tuæ & aliorum omniũ, qui rectam sinceramque fidem habentes, in spiritu & veritate adorationem ac servitutem ipsi deferunt. *Demum se plures epistolas S. Maximiano scripsisse testatur S. Sixtus Papa cap. 41 in epistola ad S. Cyrillum Alexandrinum: sed eas dolemus non extare. Idem Sixtus in epistola ad memoratum Ioannem Antiochenum, quæ est secunda inter ejus epistolas tom. 7 Conciliorum, sic ait:* Dilucida & perspicua majorem credulitas, nulla cœni permixtione turbetur: habet probatum nobis virum, Fratrem & Coepiscopum nostrũ Maximianum Constantinopolitanæ Ecclesiæ Sacerdotem, divino illic judicio consecratum: ut ægritudinis morbum, quem astutiæ venena sopitis infuderant superet simplicitatis dulcedo succedens: qui non illic aliud, quam credimus, poterit prædicare: nisi quod à decessoribus meis nobiscum positus frequenter audivit. Datum XV Kalendas Theodosio XIV & Maximo Consulibus. *Is est annus* CCCCXXXIII, *ubi confirmantur quæ supra diximus, S. Maximianum Romæ natum & educatum in orthodoxa fide fuisse.*

S. Cyrillus pacem ecclesiis redditam tribuit precibus S. Maximiani.

E

huic plures epistolas misit S. Sixtus Papa,

F

qui illum visitavit.

6 *Superfuit S. Maximianus usq; in annum* CCCCXXXIV, *quo eum mortuum esse asserit Socrates, lib. 7 Hist. Eccles. cap. 40, his verbis.* Maximianus vero, cum biennium ac menses quinque Ecclesiæ pacate præfuisset, mortuus est, Consulibus Areobindo & Aspare, duodecima die Aprilis. Accidit autem ut hebdomada esset jejuniorum, Paschatis festo vicina; erat autẽ dies illa quinta vocata, *scilicet in Cœna Domini. Fuit autem dicto anno* CCCCXXXIV *Pascha celebratum* XV *Aprilis, cyclo Lunæ* XVII, *Solis* XXIII, *littera G Dominicali. Eadem ex Socrate habet Nicephorus, lib. 14 cap. 37. At præter annos duos & menses quinque præfuisset Ecclesiæ suæ adhuc dies octodecim; si, ut scribit Socrates dicto lib. 7 cap.* 36, Maximianus ad Episcopatum electus fuerit vicesima quinta Octobris, Basso & Antiocho Consulibus. *Liberatus in Breviario de causa Nestoriana*

mortuus anno 434. 12 Aprilis in cœna Domini,

electus anno 431 25 Octob.

A *cap. 7 hæc de ordinatione ejus habet.* Cum quatuor transissent menses post Nestorii damnationem, Maximianus ordinatur Episcopus, vita quidem monachus, ordine vero Presbyter, constans quidem in fide vera, idiota fere sermone, & sub quiete vivere potius eligebat. *Socrates cap. 4 dicti libri 7 sic loquitur:* Quadrimestri spatio post abdicationem Nestorii percurso, Maximianus Episcopus designatur, vir monasticum vitæ genus excolens, dignitatis genere Presbyter: opinionem pietatis jam pridem propterea consecutus, quod monumenta, in quibus pii viri ex hac vita migrantes sepelirentur, suis impensis construeda curaverat. Erat vero & sermone idiota, vitamq; quietam aliisque minime molestam sibi proposuit ad traducendum. *Apud Christophorsonum, legitur in hujus loci translatione,* Bimestri *spatio percurso, cum Græce habeatur:* πτεραμηνιαίου διαδραμόντος χρόνου. *Quos etiam,* quatuor menses *licet non plane integri hi fuerint, habet ante citatus Nicephorus, qui etiam* monumenta ab eo constructa *tradit. Idiota videtur dici, aut quod ipse Romanus non adeo exacte Græce loqueretur, aut quod in controversiis fidei tunc agitatis non esset eminenter instructus.* B *Ceterum eorum quæ ad statum Sacerdotalem & Episcopalem spectabant satis gnarum fuisse, ejus epistola & ipsa electio ostendunt. Porro* Imperator Theodosius, *ut Liberatus ait cap.* 8, vocans ad se Maximianum Episcopum & alios plurimos Constantinopoli repertos Episcopos, quomodo tolleretur Ecclesiarũ dissensio cogitabat. At illi dixerunt: quia non aliter hoc fieret, nisi prius crearetur & præferretur unius fidei vinculum, & Joannes Antiochenus Episcopus anathematizaret Nestorium & improbata dogmata ejus. Et gaviso valde super hoc Imperatore, missus est hoc ipsum agere Aristolaus Tribunus &c. *Ex quibus elucet ejus in consilio dando industria & prudentia.* D

construxerat ante sepulchra. — *quomodo idiota habitus,* — *prudens in consilio dando*

7 Mortuo S. Maximiano, *ut tradit Socrates cap* 40, Theodosius Imperator, ne denuo in electione Episcopi disceptatio oriretur & Ecclesia perturbaretur, incunctanter, nondum humato Maximiani corpore, præsentibus Episcopis præcepit, ut Proclum eligerent & in throno Episcopali collocarent. Ordinatus itaque Proclus, funus corporis Maximiani procuravit. *In Menologio Basilii Imperatoris ad diem XXIV Octobris in elogio S. Procli, dicitur hic Episcopus Constantinopolitanus constitutus, cum* adhuc corpus decessoris Maximiani defuncti in sanctissimæ ac magnæ Ecclesiæ Dei sacrario jaceret. *An ergo illud XXI Aprilis Sabbato post festum Paschale sepultum, dederit occasionem ut dies depositionis apud posteros celebris ritu Ecclesiastico celebraretur? Potuit & illo die postmodum translatum fuisse ad Ecclesiam Sanctorum Apostolorum: in qua festivam solennitatem isto die celebrari solitam supra ostendimus.* E

corpus ejus à S. Proclo successore sepelitur, — *num. 21 Aprilis?* — *an eo die translatum.*

DE SANCTO CYPRIANO

EPISCOPO BRIXIENSI IN ITALIA.

D P.

CIRCA AN. DLII.



Brixiensis Ecclesiæ Antistites triginta, à S. Philastrio usque ad seipsum, numerat Rambertus Episcopus, in ejusdem S. Philastrii Translatione apud Surium XVIII Julii: horum multi sacris Brixiensium Fastis adscripti, ex quibus mense Martio tres produximus, quatuor hoc mense daturi sumus, ab antiquis monumentis melius quam tunc instructi, beneficio Clarissimi quondam Viri Bernardini Fayni. Martyrologium Brixiense Ms. ab annis circiter centum exaratum, quod nobis Ferdinandus Vghellus donavit; commemorationem unius eorum facit his verbis: XI Kal. Maji Brixiæ Natalis S. Cypriani ejusdem urbis Episcopi. Hic sanctus Episcopus quantæ sanctitatis & meriti extiterit [testatur] populus Brixiensis, [qui] diebus antiquis Transitus ejus solennitatem C venerabatur. Corpus ejus habetur in ecclesia S. Petri in Oliveto sive ad septem candelabra aurea. *Quod hic de solennitate Transitus dicitur, Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ sic explicat,* Acta illius ita interciderunt, ut neq; patria sciri potuerit: eumtamen Ecclesiam sibi creditam sancte pieq; administrasse certum est: cu in Brixiensis ecclesia semper, ab obitu ad hæc usque tempora, uti Sanctum habuerit colueritque. *Faynus in annotationibus ad novum Martyrologium distinctius hoc modo:* Tantæ olim in Brixiana Ecclesia devotionis extitit Cyprianus, ut ejus natalis dies veluti dies Dominica celebraretur.

Olim festivius cultus, — *requiescit in ecclesia S. Petri de Oliveto*

2 *Sedit Cyprianus inter Paulinum & Herculanum ut passim Historici Brixienses, Martinengus, Nazarius, Rossius, Capreolus, aliique, & cum iis Vghellus in Italia sacra, ab anno DXLVI ad DLII; & cum titulo* Episcopi & Confessoris *refertur à Galesinio* ex tabulis ecclesiæ Brixianæ. Hujus corpus, *inquit Franciscus Florentinius in Ms. Catalogo Episcoporum Brixiensium,* contendunt Serlenses jacuisse quondam in æde S. Petri in monte. *Eam eadem alias monachorum Casinensium fuisse, junctumque habuisse eorumdem monasterium, nunc autem esse de jure Canonicorum S. Petri Olivetani monet Faynus in Catalogo 4 Calis sui Brixiensis, describens Pedemontanæ regionis sub Episcopatu Brixiano ecclesias; in qua Meridionali diœcesis parte inter Navilium & Mellam fluvios procurrente est parochia Serlarum, Montem-Vrsinum suo ambitu complectens: Canonici autem qui ecclesiam S. Petri Olivetani tunc cum ista scriberentur tenebant, fuerunt Congregationis S. Georgii in Alga, recenti memoria extincta: apud quos cum anno* MCCCCLIII *inventæ fuissent Reliquiæ Sanctorum quatuor Brixiensium Episcoporum; de Capite S. Cypriani decretum legitur in libro Provisionum civitatis, sub die XIV Februarii, hoc modo:* Caput S. Cypriani, inventum integrum, non relinquatur cum Reliquiis Sanctorum Episcoporum Pauli, Evasii, Deus-dedit, & ejusdem S. Cypriani: sed per Patres S. Petri Oliveti fiat dicto Capiti nobilissimum ornamentum ex auro: & ad omnem requisitionem civitatis illud deferri faciant in processionibus, quæ fiunt in civitate cum devotione & luminariis. F

eo allatus Serlis. — *caput circumfertur in Processionibus:*

3 *De Corpore quoque ipsius S. Cypriani & aliorum trium constitutum est die* XXVII *Maji ejusdem anni:* Corpus S. Evasii Episcopi & Martyris, inventum in altari magno S. Petri Oliveti, in loco terraneo, cum aliis sanctorum Episcoporum Brixiæ corporibus, videlicet Pauli, Cypriani, Deus dedit: quæ si non sunt diminuta, ut creditur, bene claudantur & implumbentur cum stangis ferreis, pro conservatione tanti thesauri, in arca marmorea. *Coluntur die* II *Decembris Evasius,* X *ejusdem Deus dedit, at Paulus* XXIX *Aprilis. Notat autem Bernardinus Faynus, Corpora, quæ fuerant inventa sub ara spectante ad Septentrionem, translata fuisse ad altare majus ejusdem oratorii subterranei versus meridiem, & anno denique* MDIII *delata fuisse ad aram totius ecclesiæ principem: ubi quid iis factum sit anno* MDXLII, *videbimus ad diem S. Pauli prænominati.*

corpus sub ara majori locatur.

A D

DE S. ANASTASIO PRESBYTERO MONACHO SINAITA IN ARABIA,

ET S. ANASTASIO PATRIARCHA ANTIOCHIÆ IN SYRIA,

CAPUT I.

Cultus sacer & res, gestæ S. Anastasii Sinaitæ.

CIRCA AN. DC

Elogium S. Anastasii monachi Sinaitæ ex Menologio Basilii Imp.



Floruit apud Orientales eximia doctrina & pietate illustris S. Anastasius Sinaita: cujus solennitatem celebrant Græci die XX & potissimum XXI Aprilis. Priore die secundum Menologium jussu Basilii Porphyrogeniti, seculo Christi decimo concinnatum, istud recitatur elogium: Eadem die XX Aprilis memoria sancti Patris nostri Anastasii, qui in monte Sina vixit. Anastasius, religiosus Dei cultor ac Pater noster, mundum & omnia quæ in mundo sunt generose reliquit, & crucem suam tollens, juxta sacri Euangelii præceptum alacri animo secutus est Christum: &abiens ad quoddam monasterium, monachus ibidem factus est. Verum desiderans majora subire certamina, & perfectiorem adipisci virtutem, Hierosolymam petiit: & cum sacra illa ac veneranda loca adorasset, abiit in montem Sina: ubi cum plures invenisset viros religiosos & sanctos monasticam vitam exercentes, apud ipsos permansit, obediens eis & prompto animo serviens. Idcirco propter tantæ humilitatis virtutem accepit à Deo donum scientiæ ac sapientiæ multiplicis: unde & sanctorum Patrum Vitas conscripsit, & multos ad animarum utilitatem ac profectum sermones composuit: quorum plures deinde reperti, ac discendi studiosis propositi sunt, atque in animarum salutem ac commodum promulgati. At post hæc, Deo in omnibus gratus & eximie carus, in pace decessit. *Hæc in dicto Basilii Imperatoris Menologio ad diem XX Aprilis: quæ fere eadem ad hunc XVI Aprilis leguntur in Ms. Synaxario antiquo Collegii Claromontani Societatis Iesu Parisiis, in magnis Græcorum Menæis excusis & manuscriptis, & apud Maximum Cytherorum Episcopum* 'εν βίοις 'Αγίων, *in quibus omnibus dicitur* in grandæva senectute decessisse. *In Menæis excusis additur hoc distichon:*

B

& aliis Græcorum Fastis.

'Αναςάσιος ἐν Σινᾶ Μώσης νέος,
καὶ πρὶν τελευτῆς τὸν Θεὸν βλέπειν ἔχει.
Anastasius hic in Sina Moses novus,
Deum videre meritus est ante exitum.

In Menologio Sirleti hæc pauca continentur: Eodem die XXI *Aprilis*, sancti Patris nostri Anastasii montis Sinai. *Græcos Moscovitæ de more imitantur, & in sui Kalendarii tabulis Sanctum hunc exprimunt, non ut Episcopum, quem errorem infra confutabimus; sed ut monachum, & quidem absque stola, qua fere Hegumeni sive Abbates ibidem solent designari. Mons Sinai, Moysis Prophetæ acceptarumque cælitus legum memoria toto orbe celeberrimus, postea monachorum Christianorum asceteriis circumquaque fuit obsitus. Ibi* SS. Sabbas, Esaias, & alii triginta sex monachi sub Diocletiano martyrio affecti, *à nobis relati sunt die* XIV *Ianuarii, Quo etiam die memorantur* SS. Theodulus Presbyter, Paulus, Ioannes, Proclus, Hypatius, Isaac, Macarius, Marcus, Benjamin, Elias & alii, *seculo sequenti à Barbaris interfecti; quorum martyrium scripsit S. Nilus, tunc ibidem monachus, ad* XII *Novembris insertus sacris Fastis. S. Nili socius fuit S. Theodulus, ad eumdem* XIV *Ianuarii relatus. Non minus celebris fuit S. Ioannes Climacus, Abbas sancti Montis Sina, ibidem sub finem seculi sexti vita functus: cujus à nobis Acta illustrata sunt* XXX Martii, *conscripta tum à Daniele monacho cœnobii vicini Raithuni, tum à monacho Sinaita* qui eum asserit suũ Præsidẽ & Abbatem fuisse, *Hunc Sinaitã Monachum arbitramur esse S. Anastasium, de quo agimus,* qui Vitas sanctorum Patrũ conscripsit, Βίυς Πατέρων συνεγράψετο ἁγίων. *Quidni potissimum eorum, qui in monasteriis Montis-Sina ac vicinis locis vixerunt? Ex eo tractatu Appendicem ad Vitam S. Ioannis* Climaci *dedimus, in qua fit mentio alterius Anastasii, qui ibidem degebat monachus venerandus, cum attonderetur S. Ioannes* Climacus *circa annum* DXX, *& plane ab hoc S. Anastasio est diversus; adeoque quæ istic de eo annotavimus nunc sublata volumus. Pervenit autem vivendo S. Anastasius (ut qui describit olim, sed sua adhuc ætate, sub Mauritio Imperatore facta) ad tempora Heraclii Imperatoris, qui regnavit ab anno* DCX, *usque ad annum* DCXLI. *Erat satis frequens & celebre nomen Anastasii isto ævo inter monachos: & tale assumpserat* S. Anastasius Persa *anno* DCXXVIII *occisus, ante monachus factus* in monasterio sancti Abbatis Anastasii *quatuor milliaribus Hierosolymis distante. Vti ex Vita prædicti S. Anastasii Persæ* XXII *Ianuarii elucidata constat. S. Ioannes Eleemosynarius, anno* DCXVI *vita functus, inter alios misit* Anastasium Præfectũ magni montis Antonii, ad recipiendos eos, qui abducti fuerant in captivitatem, vim auri præbens prope innumerabilem. *Vti in illius Vita traditur* XXIII *Ianuarii. De monte S. Antonii actum est ante hujus Vitam § 2. Ita etiam apud Ioannem Moschum, qui isto etiam tempore florebat, in Prato spirituali cap.* 48 *&* 49 *narravit varia* Anastasius Presbyter, & ornamentorum sanctæ resurrectionis Dei & Domini nostri Jesu Christi custos; *sicut & cap.* 50 Anastasius Abbas Scythopoleos in secunda Palæstina metropolis. *Inter hæc autem monasteria Palæstinæ & Ægypti interjacent illa, de quibus hic agimus, in monte Sina constituta.*

C

Post plures Sanctos monachos montis Sina

vixit sub S. Ioanne Climaco,

& Vitas Patrum sanctorum scripsit,

mortuus sub Heraclio Imper.

E

Varii monachi istis temporibus Anastasii dicti,

3 *Ipse S. Anastasius, in quadam sua Oratione in Novam Dominicam & in Apostolum Thomam, narrat, quam pure sancteque à teneris unguiculis puer & adolescentulus in orthodoxa fuerit educatus fide, & ita ad Euangelii verba auscultarit, ac si Christum loquentem audivisset: ita imaginem Christi aspexerit & veneratus fuerit, ac si Christum intuitus adorasset: tanta pietate sacram Eucharistiam sumpserit, ac si brachiis corporeis Christum gestasset. Verba ejus infra damus num.* 13 *Quantum idem pro ecclesia Dei usque ad senectutem laborarit, ostẽdunt varia ejus scripta, quæ referemus; ubi de Patriarchatu Antiocheno, à duobus Anastasiis consequenter administrato, egerimus; quod hi à S. Anastasio Sinaita non satis apud nonnullos distinguantur.* Maxime *elucet zelus hujus Sinaitæ contra Acephalos, indicatus in libro ejus, qui* 'Οδηγὸς *seu* Dux viæ *inscribitur. S. Sophronius Archiepiscopus Hierosolymorum, qui hoc tempore floruit, in Oratione de Hypapante Domini à nobis edita* 2 *Februarii cap.* 2 Acephalorum hæresin *appellat* miseram ac vere capite carentem gangrænam. *Fuit ea in varias sectas divisa, quas Sinaita cap.* 6 *prædicti libri vocat* Ecclesiæ hostes, Jacobi, Severi, Theodosii, Timothei, Dioscoriq; discipulos, *& à primo deinceps potissimum Iacobitæ dicti, qui suæ sectæ Patriarchas habuerunt Concilii Chalcedonensis hostes. Contra hos S. Anastasius non tantum in suo monasterio scriptis certavit, sed Syriam, Arabiam, Ægyptum petendo ubique dictam hæresim oppugnavit, & pro viribus suis conatus est profligare: quæ omnia ex propria ejus confessione sunt nota.*

S. Anastasius piedocatus,

F

contra Acephalos Ecclesiam propugnavit,

CA-

CAPUT II.

S. Anastasii Patriarchæ Antiocheni res gestæ & cultus, Nicephori Callisti menda detecta.

Tempus Sedis S. Anastasii Patriarchæ;

4 *Dicto seculo sexto & initio sequenti, fuerunt duo Antiocheni seu Theopolitani Patriarchæ, Anastasii appellati. Horum primus ab aliquibus, sed perperam, Sinaita dictus, Sedem illam ab an.* DLXI *obtinuit sub extrema Iustiniani Imperatoris tempora; sed à Iustino Iuniore à Sede deturbatus est anno* DLXXII, *substituto Georgio, cujus post mortem imperante Mauritio pristinam dignitatē recuperavit, & in ea vixit usq; ad annum* DXCVIII, *aut sequentem; quando illi mortuo successit alter Anastasius, Martyr nuncupatus, quod à Iudæis excarnificatus sit circa annum* DCVIII *aut sequentem, Martyrologio Romano inscriptus ad diē* XXV *Decembris, uti prior ad hunc* XXI *Aprilis his verbis:* Antiochiæ S. Anastasii Sinaitæ Episcopi, *& in Notis indicatur* de eodem agere Græcos hac die in Menologio: *qui sane* Anastasii Sinaitæ *meminerunt, sed nulla facta mentione* Antiochiæ *aut* Episcopatus. *Idem inter* Sanctos Patres *recensetur in Synodo Nicæna* II, *& passim in titulis præfixis ante ejus opera infra indicata. Hujus temporis scriptor fuit Euagrius Scholasticus, qui l.4 Historiæ Ecclesiasticæ cap.38 asserit,* post Domninum Episcopum Theopolitarum, *id est Antiochenorum,* creatum Anastasium, *& cap.39 ejus studia & res gestas exponit his verbis.*

cultus sacer:

B

excellens doctrina & bonis moribus,

5 Anastasius Vir erat cum in sacrarum litterarum cognitione apprime disertus, tum in moribus ac tota vitæ ratione adeo exquisitus, ut etiam rerum levicularum magnam curam haberet, neque in illis à constanti & stabili animi sui proposito decedere vellet, nedum in rebus maximi momenti & ponderis, & quæ ipsum Deum viderentur attingere. Quin etiam ita suum temperavit ingenium, ut neque propter lenitatem animi atq; comitatem, nimis facile his rebus quæ minus rationi consentientes erant, cederet, neq; propter severitatem & inclementiam, ægre his quæ recta ratio postulabat assentiretur. Rebus seriis audiendis ejus patebant aures, & ut sermone profluens, ita in quæstionibus dissolvendis acutus & perspicax fuit, rebus autē ineptis & nullius momenti occlusit aures: linguam vero sic quasi fræno cohibuit, ut & sermonem ratione moderaretur, & silentium loquela præstabilius efficeret. Istum tamquam turrem munitissimam oppugnare omni machinarum genere aggressus est Justinianus, illud scilicet complectens animo, se si istum everteret, nullo labore civitatem totam occupaturum, recta fidei dogmata redacturum tamquam in servitutem, & oves Christi denique captivas ab Ecclesia abducturum. Verum Anastasius sic divina quadam animi celsitudine elatus fuit (nam supra firmam fidei petram constitit) ut Justiniano per litteras suas libere & aperte contradiceret, tum perspicue admodum tum diserte ostendens, divinos Apostolos & Sanctos Patres confessos esse atque adeo tradidisse, corpus Domini interneciοni obnoxium fuisse, & affectionum quæ sunt natura in animis impressæ, quæque reprehensione carent, particeps. Eodem modo etiam monachis majoris & minoris Syriæ, ejus de hac re sciscitantibus sententiam, respondens, omnium confirmavit mentes, atque ad certamen ineundum præparavit: in ecclesia denique lectitavit quotidie illam Pauli vasis electionis sententiam: Si quis vobis euangelizaverit præter id quod accepistis, etiamsi Angelus de cælo sit, anathema esto. Quibus omnes, paucis exceptis, assensi, simile studium erga fidei defensionem declararunt.

C

contra Iustinianum Imperat. hæreses inducentem,

ostendit corpus Christi passibile & mortale fuisse:

Gal.1,19

AUCTORE G. H.

6 Idem porro Anastasius cum accepisset, Justinianum velle ipsum in exilium mittere, scripsit ad Antiochenos orationem, qua eorum animos in fide confirmaret: quæ certe tum ob sermonis elegantiam; tum ob crebritatem sententiarum, tum ob testimoniorum è sacris Litteris petitorum frequentiam, tum denique ob historiam, quæ tam commode in ea narrata est, optimo jure sane permagni facienda est. Verum Justiniani edictum divina providentia, qua melius nobis prospectum fuit, minime divulgatum est. Nam Justinianus, qui Anastasio & suis Sacerdotibus exilium indixerat, ex improviso perculsus, cum triginta octo annos integros & menses octo regnasset, ex luce migravit. *Hac ibi. Eustathius auctor coævus, in Vita S. Eutychii Patriarchæ Constantinopolitani, eadem de causa à Iustiniano in exilium acti, ista interponit num. 31 ad diem* VI *Aprilis.* Nam omnes Patriarchæ multique Episcopi præcipueque Orientales recusarunt Imperatoriæ opinioni subscribere, eique tum Synodo tum scriptis restiterunt, ante omnes autem sanctissimus Theopolis Patriarcha Anastasius, qui easdem quas magnus Eutychius, ærumnas, ne dicam an coronas? pertulit. *Hac Eustathius. Mortuus est Iustinianus* XIV *Novembris anni* DLXVI, *cum regnasset annos* XXXIX, *menses* VII *dies* XXIII. *Successit Iustinus junior, illius ex sorore Vigilantia nepos. De eo & Anastasio idem Euagrius lib.5 cap.5 ista tradit:* Justinus porro Anastasium, his illi objectis criminibus, primum quod sacrum thesaurum extra modum & in nullum usum necessarium profuderat, deinde quod convitia in ipsum jecerat (Anastasium enim, cum rogaretur quid causæ esset cur thesaurum sacrum tam effuse absumpsisset, ingenue respondisse ferunt: Ne à Justino, communi totius orbis pernicie, diriperetur) Sede Antiochena exturbavit. Quin etiam dicitur Justinum Anastasio succensuisse, quod postulanti ei pecuniam, cum Episcopus esset designatus, Anastasius dare noluerit. Alia prætereo crimina, objecta à quibusdam, qui Imperatoris instituto, credo, inservire studebant. Post illum Gregorius ad sacrum Episcopatus gradum elatus est. Quo mortuo, *inquit idem Euagrius cap.23,* eo tempore, quo Gregorius Magnus Episcopatum antiquæ Romæ gessit, Anastasius post viginti tres annos Sedi suæ Antiochenæ restitutus est. *Ac tum Euagrius finit suam historiam anno* XII *regni Mauritii Imperatoris, qui incepit* XIII *Augusti anno* DXCIII.

confirmat Antiochenos

à Iustiniano in exilium mittendus,

E

à Iustino juniore sua Sede exturbatur.

tempore Mauritii restituitur,

F

ei sæpe scribit S. Gregorius Papa,

libenter excepisset Romæ,

gratulatur Sedem restitutam.

7 *S. Gregorius Magnus inter Epistolas suas scripsit aliquam, relatam lib.1 Registri cap. 24,* Joanni Episcopo C.P. Eulogio Alexandrino, Gregorio Antiocheno, Joanni Hierosolymitano, & Anastasio Patriarchæ Antiocheno, *adhuc à Sede depulso: cui seorsim sequentem epistolam* XXV *misit, & in his agit de onere pastorali sibi imposito, & cap. 27 scribit Sebastiano Episcopo Risiniensi,* indicans suggestionem se apud piissimos Dominos summis precibus plenam fecisse, ut virum beatissimum, Dominum Anastasium Patriarcham, concesso usu pallii, ad B. Petri Apostolorum Principis limina secum celebraturum solennia Missarum, transmittere debuissent, quatenus si ei ad Sedem suam minime reverti liceret, saltem secum in honore suo viveret. Ejusdem Domini Anastasii animum cognosci & quidquid ei de hac re placuerit, sibi indicari cupit. *At libro 4 epistola 37, data Indictione* XIII *anno* DXCIV, *congratulatur eidem, quod Sedi suæ Antiochenæ sit restitutus, in qua sub finem ista habet:* Benedictionem vestram qua debuimus, mente suscepimus, bene redolentem, bene sapientem: & omnipotenti Deo gratias agimus, quia & odora sunt & sapora, quæ agitis, quæ dicitis, quæ datis. De vita igitur vestra dicamus pariter, dicamus omnes, Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. *Eidem dein variis occasionibus*

AUCTORE G. H.

nibus scripsit S.Gregorius, ex quibus epistola 24 & 31 libri 6, data sunt anno DXCVII *Indict. xv. & 3 libri 7 data anno* DXCVIII *Indict.* I. *qua consolatur eum inter adversitates hujus mundi.* Ecce, *inquit*, in senectute sancta vestra beatitudo multitudo multis tribulationibus laborat. *& postea*: Indicat mihi suavissima sanctitas vestra, quod mecum, si potuisset fieri, sine charta & calamo loqui voluisset, & dolet quod nobis Orientis pene & Occidentis spatium interjacet. Sed hoc quod sentio verum dico: & in charta mihi mens vestra sine charta loquitur: quia in verba vestræ sanctitatis sola caritas sonat; & divisi locis non sumus, qui ex dono omnipotentis Domini dilectionis vinculo uniti sumus. Cur igitur accipere pennas columbæ deargentatæ quæritis, quas jam habetis? Pennæ quippe ejus sunt caritas Dei & proximi. Per ipsas enim sancta Ecclesia evolat, per ipsas terrena omnia transcendit: quas si vestra sanctitas non haberet, ad me cum tanta caritate per litteras non venisset. Rogo autem, ut pro mei cordis infirmitate enixius rogetis, quatenus omnipotens Deus mentem meam pro vestra intercessione tueatur, & citius me de tot procellis hujus tempestatis eripiat, atque in æterna quietis littora perducat. Benedictiones vero locupletissimas omnes quæ directæ sunt suscepi, quæ mihi vir Dei pauper Spiritu transmisisti, de quibus dicitis: Quid enim det pauper, nisi ea quæ pauperis sunt? Sed nisi vos per humilitatis spiritum pauperes essetis, benedictiones vestræ locupletes non fuissent. Omnipotens Deus sua vos à malis omnibus protectione defendat: & quoniam vita vestra bonis omnibus valde est necessaria, post longa adhuc tempora vos ad cælestis patriæ gaudia perducat. *Hæc ibi ad Anastasium Episcopum scripta, qua videri possunt lib.* I *num.* 49 *lib.* 2 *num,* 13 *&* 49 *& lib.* 4 *num.* 1 *&* 25.

laudat caritatem,

commendat se ejus orationibus:

B

& bene precatur.

8 *Nec diu vixit postmodum Anastasius Patriarcha, qui hoc forsan adhuc anno* DXCVIII *aut initio sequentis vita functus, suum Patriarchatum cessit alteri Anastasio, à quo cum S.Gregorius Papa ex more professionem fidei accepisset, scripsit illi epistolam Indictione* II, *anno* DXCIX, *qua est lib.* 7 *Registri cap.* 47. *Utriusque Anastasii mentio est in Tabulis insertis Chronographia Theophanis, & Catalogo Episcoporum Antiochenorum apud S.Nicephorum Patriarcham Constantinopolitanum, atque in Historia Ecclesiastica Nicephori Callisti, qui ex Euagrio, qua supra dedimus, describit lib* 17 *cap.* 29 *sub finem, cap.* 39 *integro, de ejus depositione cap.* 36, *& de restitutione lib,* 18 *cap.* 26. *Verum destitutus dicto duce Euagrio, plane aberrat, dum cap.* 44 *dicti libri* 18 *scribit, Anastasium vixisse ad tempora usque Phoca Imperatoris; eumque interfectum à Iudais: hoc enim ejus successori, etiam Anastasio dicto, contigit an.* VII *Imperii Phoca, ad quem Theophanes ita scribit:* Hoc anno seditione mota Hebræi Antiocheni tumultuati sunt, & Anastasio magno Antiochiæ Patriarcha occiso virilia in ejus os inseruerũt, & per medias urbis vias raptatũ interfecerũt. *Secundus iste Anastasius in tabulis Theophanis substituitur priori ad annum* XIX *Imperii Mauricii: Ceterũ his error, quo duos Anastasios in unum conflavit Nicephorus, potuit à multis facilius notari, quam alius ab eodem commissus in priore Anastasio, quando eum & S. Anastasiũ monachum Sinaitam unum eumdemq; fecit. Id autem fecit, ut jam monuimus, dum describit ex Euagrii historia caput* 39 *libri* 4, *immutando titulum; & cum Euagrius huncpræponeret,* Περὶ Ἀναϛασίȣ Ἀρχιεπισκόπȣ Ἀντιοχείας, *ipse istum lib,* 17 *cap.* 29 *collocat:* Περὶ Ἀναϛασίȣ τȣ͂ Θεȣπόλεως τȣ͂ Σιναίτȣ. *Eodem modo libro* 18 *cap.* 16 *hunc titulum habet:* Quomodo post Gregorium Anastasius Sinaites Sedem suam receperit. *Sed vel maxime hoc fecit cap.* 44 *ejusdem lib.* 18, *ubi utrumq; errorem suum combinando ait:* Huic Anastasio, propterea quod in Sinæo monte philosophatus sit, & sensũ ibi carnis domuerit, Sinaitæ cognomen inditum est. Atq; ille quidem in populi tumultu peremptus vitam finiit. *Qua ultima sunt successori ejus Anastasio attribuenda, & priora S. Anastasio monacho montis Sina, eque illustri scriptori, ut ex sequentibus manifestum fiet.*

Nicephorus Callistus nomen à Iudæis successori illatam, illi attribuit,

C

& perperam Sinaitam appellat.

D

CAPUT III.

Libri à S. Anastasio Sinaita conscripti.

Scripta uni, usq; Anastasii sepa...

9 **H***Anc controversiam vix ullus Latinorum attigit, quod à Nicephoro Callisto sint in eum errorem abducti, ut unum eumdemque virum crediderint Sinaitam monachum & Antiochenum Patriarcham. Petri* Nicephori historiam non sine delectu atque acri judicio legendam esse, monuisse viros eruditos, *tradit Philippus Labbe in Dissertatione de scriptoribus Ecclesiasticis*, ut quæ multas fabulas quisquiliasque contineat, ex incertis dubiæq; fidei scriptoribus conquisitas. Prudentis *ergo concludit* lectoris esse pretiosum separare à vili, & gemmas è sterquilinio colligere. *Ablegatis ergo hisce quisquiliis Nicephori, cum Leone Allatio, homine Græco ex insula Chio oriundo, utrumque Anastasium separamus, uti hic fecit in sua de Simeonum scriptis diatriba.*

S. Anastasii Sinaita libri in Hexaëmeron,

10 *Michaël Glycas ducentis annis ante dictum Nicephorum scripsit Annales quadripartitos, in quibus præter Historiam, Physica ac Theologica continentur. In his citatur Anastasius viginti circiter vicibus; & numquam Episcopus aut Patriarcha Antiochenus appellatur, sed decies aut sæpius* Anastasius Sinaites, vir divinus *& vir eximius. Subinde,* vir divinus Anastasius, *aut* divinus Anastasius, *sed iisdem citatis libris, quorum primus est* Commentarius de sex primorum dierum operibus. *Sunt hi,* libri undecim Anagogicarum contemplationum in Hexaemeron ad Theophilum, *in Bibliothecis Patrum Latine editi ab ignoto interprete, qui Nicephori fabulis seductus, in titulo nuncupat* S. P. N. Anastasium Sinaitam, Patriarcham Antiochenum. *Sæpius etiam à Michaële Glyca citatur* Anastasius Sinaites, vir divinus in oratione sua de Resurrectione. *Inter Orationes quinque à Francisco Turriano Societatis Iesu Theologo Latinitate donatas, & à Petro Stevartio editas, ac Bibliotheca Coloniensi veterum Patrum insertas, quarta est* Anastasii Sinaitæ de Passione & Impassibilitate Christi; *quinta est* Anastasii Sinaitæ de Resurrectione Christi: *sed in ea non leguntur sententia, qua à Michaële Glyca citantur, ut hac à Turriano edita aut alia sit, aut saltem imperfecta.*

E

orationes de Resurrectione,

& passione Christi.

11 *Iacobus Gretserus ex bibliotheca Augustana edidit illustre opus, cui titulus,* Ὁδηγός, *hoc est* Viæ dux, *quod Nicephorus Callistus adscripsit Anastasio Patriarcha Antiocheno. Verum titulus in codice Ms. hujusmodi est:* Ἀρχὴ βιβλίȣ τȣ͂ ὁσίȣ Ἀναϛασίȣ μοναχȣ͂ τȣ͂ Σινᾶ ὄρȣς. Exordium libri S. Anastasii monachi Sinaitæ: *& capite quarto hic titulus legitur:* Anastasii minimi Presbyteri sancti montis Sina, opus de fide, œconomia Christi Dei filii, ad sanctam Catholicam Ecclesiam Babylone scriptum, Fratribus nostris in ea Christi studiosis & orthodoxis petentibus. *Et cap.* 6 *exponit dogmata Severi hæresiarcha, asseritq;* se & in Syria & in Ægypto & Alexandriæ edoctum, eos qui unam naturam in Christo adstruunt, omnia dicta Scripturæ & Patrum ad Severi normam & præscriptionem exigere & interpretari, *quod & in Babylone sibi objectum ait: & cap.* 10 *profert suam disputationem cum hæreticis Alexandria habitam, ubi etiam* Anastasius monachus sancti montis Sina *professionem fidei scripsit, & ita se alibi* minimũ monachum *nominat. Alius liber, à Nicephoro Callisto adscriptus Anastasio Patriarcha Antiocheno, est Commentarius in sextum Psalmum Davidis, qui Latine translatus à Philippo Suevenzelo Societatis Iesu extat Græce & Latine, tomo* 3 *Antiqua Lectionis ab Henrico Canisio editus sub hoc titulo.* Τȣ͂ ἐν ἁγίοις Πατρὸς ἡμῶν Ἀναϛασίȣ μοναχȣ͂ τȣ͂ Σινᾶ ὄρȣς, λόγος εἰς τὸν ἕκτον ψαλμόν. Oratio sancti Patris

ὁδηγός seu Dux via

F

contra Acephalos:

Commentarius in 6 Psalmum:

A Patris nostri Anastasii, monachi montis Sina, in sextum Psalmum. *Edidit eumdem librum Franciscus Combefis bis in novo Auctario bibliothecæ Græcorum Patrum cum sua interpretatione, priorem ex editis à Canisio, posteriorem ex Græco codice Regis Christianissimi. In his apparet tempus, quo auctor saltem juvenis vixerit sub Mauritio Imperatore*, ἐπὶ τῆς ἡμετέρας γενεᾶς ἐπὶ Μαυρικίου τοῦ τῶν Χριστιανῶν βασιλέως γεγονότος, nostra ætate, *aut* nobis genitis, sub Mauricio Christianorum Imperatore constituto. *Verum in posteriore exemplari absque mentione suæ ætatis dicitur* temporibus Mauricii pii Imperatoris latro conversus, *ut vel hinc liceat inferre hunc S. Anastasium adhuc monachum vixisse in monte Sina, cum alter jam pridem esset Patriarcha Antiochenus, aut etiam è vita decessisset. Alia Oratio extat apud dictos Canisium & Combefis*, τοῦ μακαρίου Ἀναστασίου μοναχοῦ τοῦ Σινᾶ ὄρους λόγος περὶ τῆς ἁγίας συνάξεως, καὶ περὶ τοῦ μὴ κρίνειν καὶ μνησικακεῖν. Beati Anastasii monachi montis Sina oratio de sacra Synaxi, & de non judicando deque oblivione injuriarum. *In ea illustre exemplum monachi morientis, qui neminem judicarat, neque injuriarum memor fuerat, sub finem profertur. Extat* Expositio materiaria eorum, quæ de Deo à Theologis dicuntur, in decem decades distributa, *auctore Ioanne Sapiente, cognomento Cyparissiota, & Francisco Turriano Societatis Iesu interprete, Romæ anno* MDLXXXI *excusa, & dein in* XI *tomum Bibliothecæ Patrum editionis Coloniensis translata, in qua decade 6 cap. 4, 5, & 7 allegat auctor sententias* Anastasii Sinaitæ, sive Anastasii qui in monte Sina habitavit, in Oratione de Transfiguratione. *Videtur illa esse, quam Leo Allatius in Diatriba de Simeonum scriptis allegat pag. 116 hoc exordio*: Ὡς φοβερὸς ὁ τόπος οὗτος συνεξισάμενος χάριν τῷ Πατριάρχῃ Ἰακώβ. *Alia ab eodem Allatio indicatur pag.* III Oratio Anastasii Sinaitæ εἰς τοὺς κοιμηθέντας ἐν Κυρίῳ, in eos qui in Christo dormierunt, *cum hoc exordio*: Τί τοῦτο σήμερον ἀγαπητοὶ σπουδαίων ὁμοῦ τε καὶ ὄξεος. *Necdum scimus hosce libros typis mandatos.*

orationes de Synaxi sacra,

B

Transfiguratione,

& in eos qui in Christo dormierunt,

Historia de S. Theodoro,

13 *S. Ioannes Damascenus, qui circa annum* DCCXL *in Syria florebat, & adversus Iconoclastas hæreticos strenue decertabat, lib. 3 de Imaginibus refert ex historia* S. Anastasii à sancto monte Sina, *templum* quatuor milliaribus Damasco dissitum ad honorem S. Theodori erectum, à Saracenis profanatum, imaginem læsam sanguine defluente, & sacrilegos punitos: *ubi sub finem addit*: Multi eorum, qui rem viderunt & eo tempore fuerunt, adhuc vivunt. Et ego ejus imaginem vidi & quod vidi monumentis tradidi. *Consule quæ diximus 7*

C

Februarii ad Vitam S. Theodori Ducis § 4. *Idem Damascenus in eadem oratione refert fragmentum* Sancti Anastasii sancti montis Sina in novam Dominicam & in Apostolum Thomam, *ubi suam S. Anastasius piam educationem ita describit*: Qui Christũ in carne cernebant, Prophetam ipsum existimabant. Nos autem qui illum non vidimus, statim à teneris unguiculis pueri adolescentuliq; Deum ipsum, Dominum, & omnipotentem & seculorum effectorem, splendoremque Patris confitemur: sic enim ejus Euangelium cum fide auscultamus, ut si ipsum Christum loquentem videremus. Et immaculatam Corporis ejus margaritam suscipientes, gestare nos illum ipsum Christum arbitramur. Quin etiam si divinam ipsius effigiem pictura tantum expressam aspicimus, tamquam è cælo nos intuentem ducimus, adoramus, procidimus. Magna nunc est Christi fides. *Demum S. Anastasii Sinaitæ ex sermone de sancta Cõmunione fragmentum extat tomo I Bibliothecæ veterum Patrum ex editione secunda Parisiensi, quod ibidem columna 344 Lector reperiet. Aliqua etiam contra Ioannem Philoponum hæreticum videntur hujus esse, de quibus agit Gretserus supra citato libro.*

& S. Thoma Apostolo.

Sermo de sancta Communione

& Philoponus refutatus,

CAPUT IV.

Libri editi à S. Anastasio Patriarcha Antiocheno: alii eidem perperam attributi.

14 *Non minori doctrina ob libros scriptos claruit S. Anastasius Patriarcha Antiochenus, cujus utinam epistolas ad S. Gregorium Magnum & alios viros illustres conscriptas haberemus. Nonnulla ex S. Gregorii responsis & epistolis ad illum supra collegimus. Quin in epistola* XXII *libri* X *ad Ioannem subdiaconum Romanum ista habet Gregorius*: Dilectissimæ memoriæ Anatholius Diaconus, quærenti ac jubenti Romano Imperatori librum Regulæ Pastoralis, dedit, quem sanctissimus Frater & Coepiscopus meus Anastasius Antiochenus in Græcam transtulit, *scilicet lingua etiam Latinæ gnarus. Meminerunt hujus translationis Ioannes Diaconus lib. 4 Vitæ S. Gregorii, Sigebertus & passim recentiores. In Nicæna* II *Synodo Oecumenica, anno* DCCLXXXVII *habita, inter alios Sanctos Patres pro cultu & veneratione sacrarum imaginum prolatos, Ioannes Presbyter & Vicarius Apostolici throni Orientis obtulit librum, in quo B. Anastasius docet de diversa adoratione, ex quo jussu sanctæ Synodi Stephanus monachus ista legisse ibidem traditur*: Τοῦ ἁγίου Ἀναστασίου

Epistola ad S. Gregorium Magnum.

hujus Regulæ Pastoralis Græce translata.

E

Ἐπισκόπου Θεουπόλεως ἐπιστολὴ *&c.* Sancti Anastasii Episcopi Theopoleos epistola ad quemdam Scholasticum, per quam respondit ei ad illatam sibi ab eo aporiam: cujus initium est: Si tantum interroganti sapientiam sapientia reputabitur. Et post pauca: Et nemo offendatur adorationis significatione. Adoramus enim homines & Angelos sanctos, non tamen servimus illis: Dominum enim, inquit Moyses, Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies *&c. Constantinus etiam, Episcopus Constantiæ Cypri*, librum *tradidit* S. Anastasii Episcopi Theopoleos, *ex quo Stephanus Diaconus & Notarius ista legit*: Sancti Patris nostri Anastasii ad Simeonem Episcopum Bostræ sermo de Sabbato, cujus initium est. Si Patres oportet, secundum quod dictum est & sicuti ipse fateris, interrogare, nec non & seniores. Et post pauca. Sicut enim, dum abest Imperator, imago ejus pro ipso adoratur: cum vero jam præsens fuerit, superfluum est deserto primitivo adorare imaginem *&c. Quæ eadem, citato* Anastasio Episcopo Antiochiæ ad Simeonem Bostrorum Episcopum, *leguntur apud S. Ioannem Damascenum in oratione tertia de Imaginibus, ex qua supra duo testimonia S. Anastasii Sinaitæ produximus, unde intelligas in eadem oratione clarissime distingui à Damasceno Anastasios duos.*

epistola ad Scholasticum,

sermo de Sabbato,

F

15 *Leo Allatius, in supra memorata Diatriba de Simeonum scriptis, duas Orationes habet in Annuntiationem Deiparæ Virginis: prioris initium indicatur pag.* 109 *his verbis*: Σήμερον ὑμῖν, ὦ ἄριστοι παῖδες, λόγον ἐρῶ. *Alterius hoc traditur pag.* III *exordium*: Τί πάλιν ἐπὶ γῆς ὁ μέγας βούλεται Γαβριὴλ ἡμῖν. *Vtramque orationem typis Elsevirianis edidit Græcè Lugduni Batavorum Ioannes Meursius in libro Variorum divinorum, cum hoc à Græcis præposito titulo*: Τοῦ ἐν ἁγίοις Πατρὸς ἡμῶν Ἀναστασίου Ἀρχιεπισκόπου Ἀντιοχείας εἰς τὸν εὐαγγελισμὸν τῆς παναχράντου καὶ Θεοτόκου Μαρίας λόγοι β. *Vtramque à dicto Meursio editam, Latine reddidit Franciscus Combefis, inseruitque Auctario Græco-Latino bibliothecæ Patrum & tomo 6 Bibliothecæ Patrum concionatoriæ ad* XXV *Martii, addiditque ex codice Regio aliam sub hoc titulo*: Sancti Patris nostri Anastasii, Archiepiscopi Antiocheni, sermo in Transfigurationem Domini nostri Jesu Christi: *Quam etiam eamdem edidit Latine tomo 7 Bibliothecæ Patrum concionatoriæ ad diem* VI *Augusti. Estque ea plane diversa ab ea, quam à S. Anastasio Sinaita conscriptam fuisse supra diximus. Aliæ tres orationes ejus extant à Francisco Turriano è Græco trans-*

orationes in Annuntiationem.

& Transfigurationem,

AUCTORE G. H.

translata Ingolstadii, & à Petro Stevartio tomo singulari insignium auctorum inserta, ac postea recusa Coloniæ tomo 6 Bibliotheca veterum Patrum, quæ ante ex interpretatione Godefridi Tilmanni extabant in Bibliotheca Patrum Parisiis excusa: omnium autem titulus generalis est, S. Anastasii Patriarchæ Antiocheni, de rectis dogmatibus verissimæ fidei nostræ; *& dein*, Oratio prima, de Sancta Trinitate; secunda, de Incircumscripta Dei essentia; tertia, de Divina œconomia id est Incarnatione. *Ante memoratus Leo Allatius aliam Anastasii Archiepiscopi Theopolitani orationem indicat pag.* 104 *de Hypapante sive Occursu Domini hoc exordio*: Πάλαι Συμεὼν ἐν ἀγκάλαις βαςάζει τὸν Δεσπότην. *Nicephorus Callistus citato cap* 44 *libri* 18 *asserit* se orationem quandam Anastasii legisse ad Antiochenos in introitu suo scriptam, & pacificatoriam aliam, quam vigesimo tertio anno in thronum suum postliminio reversus composuit, Mauricio Imperium obtinente, quem etiam in eo scripto, quod ab exilio revocatus sit, laudibus effert. *Quæ sine dubio, si extiterint aliquando, fuerunt S. Anastasii Antiocheni: quem cum Synodo II œcumenica Nicæna & aliis antiquis scriptoribus* Sanctum *compellamus. Evagrius supra laudat orationem ejus scriptam, cum sub Iustiniano Imperatore erat ei exilium demandatum.*

de SS. Trinitate. Dei essentia, Incarnatione

Hypapante,

E

Historia de rebus in Perside gestis

16 *Inter alias hujus Anastasii lucubrationes censet Leo Allatius pag.* 83 *relationem de rebus in Perside gestis cum hoc exordio*: Βασιλεύοντος Ἀρνάτη τῆς Περσικῆς χώρας, γέγονε φιλονεικία. *Asserit Gretserus in Præfatione ad Anastasium Sinaitam de Via Duce, se eam sub Anastasii Episcopi Theopolitani nomine reperisse in codice Ms. Augustano, in eaque agi* de disceptatione Christianorum Præsulum cum Ethnicis, Græcis & Judæis, judice Aphrodisiano Regis Persarum Archimagiro, cui etiam se Anastasius interfuisse dicit, & quidem solum ex Romani Imperii Episcopis. Sed oratio illa, *uti addit*, olet nescio quid fabularum, ut difficile creditu sit ex Anastasii officina prodiisse. *Cœperat ipse eam in linguam Latinam vertere: sed* multitudine mendorum & fabularum pedem retraxit: neque ulli putat hanc διήγησιν fore perviam, nisi emendatiorem aut plures manuscriptos codices acquirat. *Quale nactus fuerit apographum Allatius nescimus. Saltem vivo Anastasio Antiocheno nullus fuit Rex Persarum supra indicatus Arenatus, sed annis* XLVIII *Chosroes, & dein Hormisdas annis* XV, *uti eos exhibet Theophanes.*

fabulis referta non videtur illius esse.

F

Responsio ad interrogationes sub nomine Anastasii Episcopi Niceni,

17 *Extat* Responsio Anastasii Episcopi ad orthodoxorum aliquorum Christianorum interrogationes de diversis capitibus Ecclesiasticis: *quam Gentianus Hervetus Latinam fecit, tribuitque cuidam* Episcopo Niceno, Anastasio *dicto, in Bibliotheca Patrum secunda editionis Parisiensis tomo primo excusam. Contra hunc tractatum, ejusque textum plurimas cautiones præscripsit Ioannes Maria Brasichellensis sacri palatii Apostolici Magister tomo primo Indicis librorum prohibitorum; aliquas etiam adjecit Nicolaus Alamannus, olim bibliothecæ Vaticanæ Præfectus: quas omnes simul edidit Iacobus Gretserus: qui dictas Quæstiones & Responsiones multo auctiores edidit Græco-Latinas, sed fallaci titulo suffultas, his verbis:* Liber qui vocatur Ὁδηγός, hoc est, Dux Viæ, Sancti Patris nostri Anastasii Sinaitæ, Episcopi Antiocheni, Interrogationes & Responsiones de diversis capitibus à diversis propositæ. Solutiones non ex seipso, sed ab experientia & ex sacris litteris desumpsit. *Ita aliquis Græcus, forsan Nicephorus Callistus, aut alius eum secutus, nisi aberrandi occasionem præbuerit aliquanto senior, Græcorum errores infarsit. Nempe quia Anastasius Sinaita, illustrem tractatum composuerat, qui* Ὁδηγὸς *hoc est* Dux viæ *vocatus fuit, eumdem titulum operi huic furfureo auctor adoptavit: qui quia Nicephorus Callistus eumdem Anastasium Sinaitam perperam vocarat Episcopum Antiochenum, unus idemque & Sinaita & Antiochenus videri voluit, ex Constitutionibus Apostolorum, quæ sub nomine Clementis Romani à posteris protrusæ sunt, multa excerpens, seque hoc ipso demonstrans esse impostorem. In illis etiam Quæstionibus citantur Canones Synodi Quinisextæ sive Trullanæ, Constantinopoli anno* DCCVII *conditi, integro scilicet seculo post utriusq; Anastasii mortem: citatur etiam S. Nicephorus Patriarcha Constantinopolitanus, quem mortuum esse anno* DCCCXXVIII *ostendimus ad ejus Vitam* XIII *Martii: citantur denique Olympiodorus, qui ad decimum seculum spectat; S. Maximus monachus & Martyr, Moschus & alii, juniores omnes. Demum ad quæstionem* 117 *respondetur sub finem*, tunc septingentesimum annum agi, *quod* Ariani sint expulsi ex locis Sanctis, eaque à à Barbaris esse occupata, *ut mirum non sit si tot errores posteriorum Græcorum sint infarti his Quæstionibus & Responsionibus, quas eliminandas omnino judicamus è catalogo Tractatuum, tam eorum quos S. Anastasius Sinaita, quam quos Anastasius Antiochenus composuit.*

censurata,

perperam tributa Patriarchæ Antiocheno;

D

à posteris Græcis scriptas

18 Anastasii Patriarchæ Theopolitani & Cyrilli Alexandrini compendiaria fidei orthodoxæ explicatio *extat tomo 4 Bibliotheca Patrum in editione 2 Parisiensi, quæ in editione Coloniensi parte 2 tomi 6 tribuitur juniori* Anastasio Patriarchæ Antiocheno, *à Iudæis interfecto: quod idem fecit Aubertus Miræus de Scriptoribus Ecclesiasticis pag.* 213. *Sed quæ de causa ita censuerint, prorsus tacent. Videtur illa compendiaria fidei explicatio potius ex libris SS. Cyrilli & Anastasii ab aliquo tertio extracta. Margarinus de la Bigne aliqua Anastasiana opera inedita commemorat, videlicet*, Ad interrogata monasteriorum primæ & secundæ Syriæ responsiones; *sed hæ forsan sunt de quibus jam ante egimus.* Ad Antiochenos συντακτήριον sive de coordinatione aut disciplina. De constructione hominis libri duo. Contemplatio mystica passionum Christi. Encomium Ægypti. Quæstio adversus eos, qui dicunt tres essentias in divinis. Contra Judæos libri duo. *Hi ultimi Latine redditi à Francisco Turriano, editi sunt tomo 3 Antiquæ Lectionis Henrici Canisii, sed auctor citatur* Anastasius Abbas contra Judæos, *qui ætatem suam exprimit, dum ait*, jam octingentesimum annum & amplius agi, ex quo Judæos Deus dispersit & Titum atque Vespasianum ad vastandam urbem vocavit. *Floruit ergo hic Abbas Anastasius sub finem seculi* IX. *Quæ citata est* Contemplatio mystica passionum Christi *videtur esse Anastasii Sinaitæ* de Passione & Impassibilitate Christi. *Et sic alii libri sub aliis forsan titulis latent.*

Compendiaria fidei explicatio ex SS. Cyrilli & Anastasii operibus.

E

Aliqua inedita custo.

liber contra Iudæos est Anastasii Abbatis sub finem seculi 9 scriptus.

F

19 *Occasione oblata misi synopsin hujus Commentarii Romam ad R. P. Petrum Possinum, qui postridie Kalendas Maji anni* MDCLXXI *ita respondit*: Ad ea quæ de Anastasiis & eorum scriptis disquirit annotatque erudite R. V. ut aliquid reponerem, consului Vaticanos indices & plura longe, quam vobis nota sunt in iis reperi. Solius Synaitæ catalogus istic servatorum operum quatuor implet magnas paginas. Omnino posset lucubrationum ejus Patris uti & aliorum plurium præclara utiliter editio vulgari: sed ubi reperietur qui possit & velit eam operam præstare? ubi qui sumptum in editionem conferat? *Hæc Possinus. Verum quia ex dubiis operibus multa non vidimus, & non fuit otium inter sese conferendi alia, si hinc inde à vero deflexim us, meminerit criticus lector, id solum nos agere voluisse, quo demonstraremus distinguenda esse Sinaitæ & Antiocheni opera; quibus examinandis illustrandisque alius quivis plus otii nactus laudem posset mereri. Videbatur olim in hunc laborem Lucas Holstenius propendere: sed dum libris parandis edendisque morosius incumbit, è vita sublatus est anno* MDCLXI, *quando eidem moribundo extremam eam operam impendimus, quam in ejusmodi articulo possunt & solent amicis impendere religiosi Sacerdotes.*

Possini judicium;

DE

DE BEATO VVOLBODONE

G. H.

EPISCOPO LEODIENSI IN BELGIO.

AN. MXXI.



IOannes Molanus, in Natalibus Sanctorum Belgii, agens die vigesima prima Aprilis de obitu B. Wolbodonis, Episcopi Leodiensis, ex monumentis ad Divum Laurentium, *ista habet:* Leodii, ad S. Laurentium in monte publico, Dominus Wolbodo, Leodiensis piissimus Episcopus, à seculo migravit anno millesimo vigesimo primo: qui huic loco res sacras dedit, & in eo humari elegit. Vitæ historiam scripsit loci monachus Reinerus, cujus initium est: Claræ nobilitatis Wolbodo genus ex Flandria duxit: sed claritatem generis clariore illustravit vita, eruditione & Pontificali prærogativa. Debet autem majoribus nostris multum fuisse celebris, quia plusquam in triginta manuscriptis Ecclesiarum Martyrologiis depositionem ejus annotatam observavi, in quibus tamen non facile alium Sanctum reperias, cujus natalis alibi non celebretur.

Elogium Molani,

2 *Hæc Molanus, & quam ille citat Vitam, ex autographo Laurentino hic damus. Auctor illius* Reinerus monachus S. Laurentii, *teste Valerio Andrea in Bibliotheca Belgica,* claruit circa annum Domini MCXXX. *Scripsit idem Vitam S. Lamberti Episcopi Trajectensis, editam tomo primo de Gestis Pontificum Tungrensium Trajectensium & Leodiensium à Iacobo Chapeavillæo; qui etiam observat hunc auctorem floruisse circa annum jam indicatum* MCXXX. *Huic præponimus aliam antiquiorem Vitam, seu Vitæ illustre elogium, quod arbitramur intra paucos post Beati obitum annos fuisse scriptum: definit enim cum obitu Durandi in Episcopatu successoris. Sumpsimus illud ex antiquissimo Ms. Martyrologio ipsius monasterii S. Laurentii, in quo ponitur etiam ante elogium S. Simeonis, Episcopi Seleuciæ & Ctesiphontis, & sub Sapore Rege Persarum Martyris, de quo jam supra egimus. Videtur Reinerus hoc elogium illustrasse & auxisse. Aliam B. Wolbodonis Vitam Leodii ipsi reperimus in bibliotheca Laurentina & descripsimus, quam, ut placido sermone deductam, statueramus dare, & aliam à Reinero scriptam, omittere. Verum cum hujus ultimæ Vitæ auctor asserat, se floruisse anno* MCCCCL, *solum quæ de miraculis accuratius referuntur, in Appendice ad priorem Vitam addimus. Varia etiam de eodem scripserunt Anselmus Canonicus Leodiensis, in Gestis Pontificum Trajectensium & Leodiensium; & Ægidius monachus Aureæ-Vallis, in suis ad Anselmum additionibus: quæ omnia apud citatum Chapeavillæum legi possunt. Ex Martyrologiis Mss, quæ plusquam triginta vidit Molanus, nos varia habemus. Primum censeri debet Ms. Laurentinum, unde infra ut diximus, elogium damus. In pluribus aliis Martyrologiis ista leguntur:* Leodii, in Ecclesia B. Laurentii, depositio Wolbodonis, ejusdem Ecclesiæ Episcopi & Confessoris. *Ita Ms. Albergense Canonicorum Regularium. Cum titulo* Beati *præposito, memoratur in Ms. Bruxellensi Ecclesiæ S. Gudilæ, Ms. Leidensi S. Ceciliæ, & in aliquo Ms. Reginæ Sueciæ. Cum titulo* Sancti *præfixo, refertur in Mss. Vltrajectino domus S. Hieronymi, Lovaniensi Societatis Iesu, Antverpiensi nostro alioque Teutonico; item in excuso Lubecæ & Coloniæ anno* 1490. *In Ms. Florario ista leguntur:* Juxta Leodium, in ecclesia S. Laurentii, dormitio S. Wolbodonis Episcopi & Confessoris, de stirpe Carolidarum. Hic singulis diebus psalterium legere consuevit ante quam celebraret. Cui etiam S. Laurentius diem transitus sui revelavit anno Salutis MXX. *Hæc ibi, sed non absque mendis. Ac primo cum fuerit mortuus aliquamdiu post Pascha, & feria quinta, non potuit id contigisse anno* MXX *bissextili, quo litteris Dominicalibus* C B, *Pascha celebratum est die* XVII *Aprilis. Deinde die* XXI *Aprilis non celebratur* dormitio *ejus seu dies obitus, sed* depositio corporis ejus in ecclesia S. Laurentii; *uti reliqua antiqua Martyrologia habent. Mortuus autem est die* XX *Aprilis, feria quinta post Dominicam secundam à Paschate & anno* MXXI, *quando cyclo Lunæ* XV, *Solis* XXII *littera Dominicali A Pascha incidit in diem secundum Aprilis: ac postridie corpus ejus delatum est & depositum in ecclesia S. Laurentii. Martyrologia recentiora Greveni, Molani, Canisii, Saussaji & aliorum non est necesse recensere. Celebrant ejusdem memoriam Wion, Dorganius, Menardus, Bucelinus aliique Benedictini: & bene, quia plurima beneficia præstitit monasteriis eorum Leodiensibus SS. Iacobi & Laurentii, ac Trudonopolitano, quibus privilegia ante concessa à decessore probavit. Non tamen admittimus eum in monasterio Stabulensi monachum fuisse, qui à puero* Canonicus fuit Ecclesiæ Vltrajectinæ, *deinde* Scholasticus *ac postea* Præpositus. *Extat etiamnum ibidem claustrum Canonicorum, in publicam Academiam ab heterodoxis conversum, de quo Acta ejus agunt.*

B *Vita ex Ms. datur, scripta à Reinero circa ann. 1130.*

præponitur antiquius elogium ex Ms. Martyr. S. Laurentii.

additur Appendix ex alia Vita Ms.

C *Cultus sacer in Mss. Martyrologiis, 21 Aprilis,*

quo corpus depositum est in ecclesia S. Laurentii,

mortuus est anno 1021 die 20 Aprilis,

non fuit monachus Benedictinus.

VITÆ ELOGIUM.

E

Ex antiquo Ms. Martyrologio Ecclesiæ S. Laurentii.

1 LEodii in ecclesia B. Laurentii depositio Wolbodonis, urbis Episcopi: qui quantum se ad exercendam sanctæ justitiæ & religionis lineam laxavit, & quantum se ad reprimendam fluxæ vanitatis ventosam gloriam restrinxit, apud sepulcrum ejus evidens est experimentum, & apud diversos infirmos sanitatis receptæ memorabile testimonium. Qui ante Episcopatum apud ulterius Trajectum, sub religiosis admodum Patribus, in Ecclesiasticis claustralis vitæ adolevit disciplinis: quibus postea ex bono discipulo optimus Magister effectus, subditorum vitam exercere studuit. Et licet Præpositus factus exteriorum curam suscepisset; apprime tamen regendis interioribus constanter invigilabat. Et seipsum quidem ante omnia suavissimo Christi jugo subjiciendo, alios secum intra angustas illius viæ oras, quæ ad vitam ducit, tam exemplis quam documentis cohibebat. Senioribus filium, junioribus fratrem, adolescentibus se patrem exhibebat: quorum lascivam ætatem hinc arctiori disciplina reprimebat, hinc ipse per se sacræ Scripturæ lectionibus erudiebat: nullusque alicui evagandi aut à sanctæ religionis tramite exorbitandi sub eo locus erat.

Vltrajecti educatus, Scholasticus & Præpositus

habet curam disciplinæ,

F

2 Hunc ob eximiæ vitæ meritum Imperator Henricus miro caritatis affectu amplectebatur: qui & eumdem invitum ab claustri quiete abduxit, & secum in capella aliquamdiu commorari voluit. Leodiensis ergo Episcopii Sede Pastore viduata, inspirante, ut credimus, Deo, hunc beato viro nec opinanti, imo amarissime flenti, ejusdem regendi securus curam committit. In cujus nimirum gradus culmine, nihil de prioris vitæ statu remittere, imo rigore interiore corpus instituit edomare: ne, ut ait Apostolus, aliis prædicans, ipse reprobus efficeretur. Nam præter arctissimam, qua sub oculis superni Inspectoris afflicto corpori imperitabat, disciplinam; jejuniorum & vigiliarum impiger executor extitit. Nihil illi dulcius erat, quam si cui idem cordi esset, explorare; quorum aliquos si quando aut in angulis, aut circum altaria invenisset, hos magni pendere & donis honorare consueverat: nullum à quo Dominum timeri sciebat, negligere: à quo autem Dei servitus negligeretur, nullius momenti ducere.

à S. Henrico Imp. amatur,

assumitur in Episcopum Leodiensem,

1 Cor. 9, 27

amat pios homines,

3 Eidem statura procera, non ex carne sed ex ossium mole, venerabilis inerat corpulentia: cui dupla quam cuilibet exili corpore refectio esset necessaria

EX MS.

deditus abstinentiae, necessaria, ut videmus in hominibus ejusmodi. Quod tamen corpus suum, tali magnitudine vastum, cibario pane aut aliis cibis communioribus longe citra saturitatem reficiebat: & lautiora quidem, & exquisita quæ sibi apponerentur, manibus, ac si in momento esset voraturus, contrectando, nihil de his sibi indulgere volebat: sed omnia pauperibus distribuebat, se gulosum, se edacem esse accusans, qui necdum multorum secularium parcitatem assequi posset: licet ut dictum est, longe minus quam immenso corpori sufficeret, victus acciperet. *eleemosynis,* Enimvero cum in mensa sibi parcissimus, pauperibus esset humanissimus, tum alias nihilominus cujuscumquemodi egenis largitor erat tam profluus, ut quæcumque posset sibi fideli furto subtrahere, nihil pene sibi retinens, per manus pauperum Christo reddere non cessaret. Unde plerumque pallia, tapetia vel quælibet Episcopii ornamenta contra pauperes, qui ea nocturnis horis à Domino Præsule accepissent, pretio quo possent à camerariis redimi opus erat. *vigiliis & orationibus,* Quid dicam de vigiliis & orationibus, quibus exequendis adeo studiosus erat, ut multas hibernas noctes insomnes continuaret, Sanctorum limina circumeundo, & pauperum manus, qui sese per nota viarum diverticula divisissent, largiter replendo. Attestari solet quidam de his, qui familiarius sibi adhærebant, quod inter lavandum pedes ejus, frigore & glaciali viarum asperitate adustos viderit, ut ex usu ejusmodi deambulationis sanguinem ab interioribus elicitum in utroque pede constaret occalluisse.

B

4 Iratum contra se Imperatoris Henrici animum placaturus, *S. Henricum sibi infensum,* consilio suorum aliquantum pecuniæ contraxerat: quam ut eidem pro gratia ejus offerret, Coloniæ occurrere deliberaverat. Sed subinde retractus animo, cur non potius daretur Largitori omnium, in cujus manu sunt corda Regum; offenso cælorum Dominatore, frustra terrenum Principem placari, itemque Creatore placato, quantumlibet sublimati hominis minas debere contemni; *pecunia omni, qua placandus videbatur, in pauperes erogata,* cœpit ipsa, qua in crastinum profecturus erat, nocte, quæ collegerat, fideliter dispergere, & inter dandum adeo omnia expendere, ut ne unam quidem ex memoratæ pecuniæ summa ad placandum Principem sibi retineret siliquam. Jamque fama quibusdam deferentibus ad aures Imperatoris præcurrerat, Wolbodonem, ob conciliandam sibi gratiam ipsius, non parvam auri argentique copiam coëgisse; cum ecce expectans, quando hæc ad cameram suam deferretur, iterum audit deputatam sibi, ut crediderat, pecuniam pauperibus esse distributam. Et licet, in aliis sane perfectum, aliqui contendant hunc orthodoxum virum contra avaritiam minus consuluisse; in hoc tamen facto venerabilis Episcopi, æquitatis contra seipsum censuram tenuit: & qui si carnales sequeretur affectus, succensere habebat ex splendido illo suo contemptu, *magis sibi benevolum reddit:* unde eum amplius amaret invenit, suamque vanam potentiam in hac parte à bono Sacerdote derisam esse oppido gavisus est. Sicque magis celebre hujus nomen Episcopi nihil largiendo in aula regia est effectum, quam aliorum quorumque Præsulum, qui creditas sibi spoliantes ecclesias, mimos ceterosque palatinos canes ditare contendunt, ipsique scurrilibus vaniloquiis & turpissimis circa Reges adulationibus inservire non erubescunt.

C

5 Hujus veteris novique morbi Antistes hic noster omnino immunis, male blandientis seculi lenocinia fortiter calcabat, *spreto mundi fastu,* ad cælestia toto desiderio suspirabat. Per duos & semis annos, quibus in Episcopatu vixit, præter spontaneam, qua corpus servituti subjicere non cessabat, affectionem, continua stomachi infirmitate laboravit, eoque magis animæ vires roborans, erga subditos tam monitis quam exemplis, ecclesiasticis rigorem auxit disciplinis: multique à levitate, quam retro fuerant secutati, ad gravitatem morum conversi, inniti vestigiis sanctitatis ejus sunt conati. *suo exemplo emendat alios.*

D

6 Celebratis, ut solebat, in spirituali jucunditate diebus Paschæ; sentit se vocante Deo ad perennis Paschæ gaudia invitari. *in ultimo morbo* Tum ingravescente morbo, præmortua non valens ulterius sustentare membra, spiritum cælo intentum psalmodia & divinæ legis meditatione roborabat; vilibus stramentis & superjecto nudus incumbens cilicio; *poenitentiæ & pietati intentus,* Fratresque, qui sibi assistebant, saluberrima exhortatione contestans, ut eam, quam sibi instare cernerent horam, præsenti exemplo reformidare discerent. Cumque idem sæpius iterasset, conversus ad Joannem Archidiaconum, postea Præpositum, ipsi identidem inculcabat, neminem à foribus domus, in qua jacebat, arceri volens, omnibus admissis sui morientis præberet spectaculum; ut tanto cuique sua caro in pulverem redigenda vilesceret, quanto abjectius hanc in Episcopo emori viderent. Nec defuere interim illius *insidias dæmonis oratione & aqua benedicta pellit:* draconis insidiæ, qui more suo explorare volens, si quid suum in egrediente sancta anima inveniret, prope vestigia jacentis adstitit. Quem ille ut visum agnovit, mox orando cum aspersione aquæ benedictæ repulit. Nequaquam, inquiens, ô sceleratissime tenebrarum accola, donante Deo, tibi præda ero: *in amplexu Crucifixi moritur.* nullam partem habiturus cum sinistris, lucis mansione fruiturum me confido cum dexteris. Orat deinde circumstantes, sine intermissione psallere pro sui exitus expectatione: ipse incipiendis psalmis Antiphonas, itemque finiendis Collectas imponens: & ut hoc efficacius posset, os & linguam, vicina jam morte siccatam, aqua infusa madefieri jubebat. Tandem oblata Crucifixi imagine, caput suum ejusdem petit admoveri vestigiis, & inter salutandum & inexplebili dulcedine deosculandum, Crucifixo Domino, cujus imaginem amplectebatur, reddidit spiritum. *claret miraculis,* Ad cujus corpus in B. Laurentii Martyris monasterio tumulatum, quicumque ex fide petunt, diversi generis languorum medicinam inveniunt: ejusque meritorum apud Dominum efficaciam, tum ex nobis ipsis, qui beneficiis ejus perfruimur, tum ex aliis sumus experti.

E

7 Huic venerabili Antistiti subrogatus est Durandus, *Durandus successor,* natus quidem ex humili genere servorum Godescalci majoris Ecclesiæ Præpositi, qui S. Bartholomæi ecclesiam construxerat, quamque dedicatam ex allodiis suis, unde duodecim Canonicis fratribus victus & vestitus sufficiens foret, dotaverat. Natus quidem, ut diximus, Durandus de genere humili, *vir vere humilis,* sed admodum pollens nobilitate ingenii; de quo fertur, quod cum idem Dominus suus manus sibi jam Episcopo facto dare vellet, ut mos est, & sacramentum facere; cum magna reverentia de sede Episcopali ei assurrexerit, & hoc fieri humiliter recusaverit; asserens se potius servum Domino suo debitam servitutem exhibiturum. Hic vita excessurus, triennio & paullo plus Sacerdotio Pontificali functus, amore & (ut dicunt, per visionem) admonitione prædecessoris sui, in prædicta Ecclesia B. Laurentii se præcepit tumulari; *apud ipsum cupit sepeliri.* accipiens locum sepulturæ, brevissimo intervallo disparatum à Domini Wolbodonis sepulcro. Est autem dies transitus ejus nono Kalendas Februarii.

F

ALIA

ALIA VITA
Auctore Reinero monacho Leodiensi S. Laurentii.

Ex Ms. codice ejusdem monasterii.

PROLOGUS.

Prov. 25. 11 MAla, inquit Salomon, aurea in lectis argenteis, qui loquitur verbum in tempore suo. Nam spectantium sicut quodammodo pascit oculos, si argentea cujuslibet lecti fabrefactura malis adornetur aureis, ut, quas parit natura species, ars docte assimilet, metallumque arborea videatur germina quasi parturire; sic, imo verius, studentium alit animos, vel de auro intelligentiæ spiritualis, vel de argento experientiæ moralis, apte formata, & opportune prolata eruditio. De qua, licet vix quippiam assecutus sim, tamen benevola, quorumdam Fratrum æstimatio per aliquantum temporis me urgebat, quatenus de Domino Wolbodone Episcopo, qui penes nos quiescit, aliqua memorarem; scilicet, ut ea quæ apud diversos sparsim Scriptores de illo habentur, mutuatâ tantum ab eisdem materiâ, proprio dictatu congererem, & unum ex pluribus formarem scriptum. Sed minus idonee capit effectũ, quod supra vires fuerit attentatum: quin potius juxta Poëtam, metiri se quemque suo modulo ac pede, verum est. Proinde & ego illud sedulo mihi propponebam Euangelicum: Quis ex vobis volens turrim ædificare, nonne prius sedens computat sumptus, qui necessarii sunt, si habeat ad perficiendum? atque metiens meipsum, penitus refugiebam incipere, quod commode non possem consummare. Attamen non refriguit fervens petentium piaque exactio. Igitur recepi tandem, quod spiritus pietatis, fraterno quidem ore, sed suo instinctu injungebat, ne culpa offenderem indevoti, nisi parerem aliquatenus devotioni. Et quia defixeram apud reverendum Confessorem propriæ sponsionis manum, præsentis opusculi exsolvi verbum; quod utinam sim locutus in tempore suo, id est, quod fructuosum sit vel legentibus vel audientibus: quod si cui tamen displicuerit, attendat quam magnopere exactus sum, patientiusque feret imperitiam, qui non verba cogitabit, sed materiam. Nec enim usquequaque curat de verborum apparatibus, qui proficere quærit de Sanctorum virtutibus.

Hæc vita ex variis selecta. — B — *Luc. 14. 28.* — C

CAPUT I.

VVolbodonis ortus, studia: vita in Canonicatu Vltrajectino, Aulâ S. Henrici Imperatoris & Episcopatu Leodiensi.

2 CLaræ nobilitatis Wolbodo genus ex *a* Flandria duxit, sed claritatem generis clariore illustravit vita, eruditione, & Pontificali prærogativa. Hic à pueritia primitivo flore, quasi lilium candens, bonæ indolis spirare cœpit odorem; dum traditus scholis, etiam ultro ad omne bonum aspiraret documentum: docibilisque sensu ac ingenio mansuetus, ex suis jam tunc studiis faceret intelligi, quod munda & recta essent opera ejus. Igitur ut ætate, ita litterariis proficiebat incrementis; poëticumque exercebat illud non segnis:

——————— Nunc adbibe puro
Pectore verba, puer: nunc te melioribus offer:
Quo semel est imbuta recens servabit odorem
Testa diu.

Nec vero defuit piorum cura parentum; qui præ cunctis opibus suis hunc habentes pretiosum, modestis atque illustribus pædagogis commiserunt & magistris; quatenus claro institutionum auro tam carum sibi adornarent saphyrum, qui & mentis & faciei sereno, cœlestis quodammodo æmularetur firmamenti serenum. Nam boni parentes hanc suis debent filiis diligentiam, ut bene instituantur. Philippus Macedonum Rex, tam litteris quam militaribus gestis egregie potens, dum Aristoteli Philosopho scriberet, natum sibi esse Alexandrum; Equidem Diis habeo, inquit, gratiam, non proinde quia natus est, quam pro eo, quod nasci eum contigit temporibus vitæ tuæ: spero enim fore, ut educatus & eruditus abs te, dignus existat & nobis & rerum susceptione Regalium. Sed humanæ insitum est naturæ, quod libentius docendi labor assumitur, si beneficia labori compensentur. Scribitur autem, dignum esse operarium mercede sua; Nec infrænandum os bovi trituranti; bonasque artes stimulo præmiorum felicius incitari. Itaque bonis habenda est gratitudo Magistris, quo non litteris solum, sed quod probabilius est, ad bonos etiam mores suos informent scholares. Unde & Symmachus vir Clarissimus, Romanæ Vrbis Præfectus, Theodosio scripsit Augusto, Inter præcipua negotiorum sæpe curatum est, ut erudiendis Nobilibus Philosophi præceptores ex Attica poscerentur. Itaque nonnullos jus & auctoritas publica in usum nostræ Vrbis accepit, Dominé Imperator: nunc vestri seculi bonitas ultro optimatem sapientiæ Romanis gymnasiis arrogavit. Siquidem Celsus, ortus Arthemio patre, quem memoria litterarum Aristoteli supparem fuisse consentit, juventuti nostræ magisterium bonarum artium pollicetur, nullum quæstum professionis affectans: atque ideo dignus in amplissimum Ordinem coaptari, ut animum vitiis avaritiæ liberum, dignitatis præmio muneremur. Sidereum ergo est æternitati Numinis vestri, hunc genere, eruditione, voluntate laudabilem, adjudicare Nobilibus pignore dignitatis, cum prærogativa scilicet Consulari; ne sumptum ejus magis quam magisterium quæsisse videamur, non sine avaritiæ nota, si ab eo munia publica postulemus, qui spondet gratuita præcepta.

3 Igitur Wolbodo, pudoratus adolescens, bene institutus, ac semper in anteriora se extendens, ibat de virtute in virtutem; & summopere sobrietati studens ac pudicitiæ, sicut Samuel in tabernaculo Domini, sic penes ecclesiam vel claustrum erat assiduus, &ne lenociniis fœteret secularibus, foras evagari omnimodo refugiebat Christi Nazaræus. Quippe, ut scriptum est, qui tetigerit picem inquinabitur ab ea; sic non erit alienus à contagio, qui curiosa sectans non se subtraxerit à seculo. Dehinc juventute spectabili ut palma florens (nam & procero corpore, & membris erat directis) omnes in Clero præcellebat Ecclesiæ Vltrajectensis; in qua etiam fuerat *b* Canonicus à puero; quæ tunc temporis religione, pariterque divinis & humanis vigebat disciplinis. Magister denique scholarum factus, erudiebat multos; quoniam instar Sancti Job, lucerna Domini splendebat super eum. Et Domini appropinquans pedibus, accipiebat de doctrina illius. Itaq; pro gradu, pro ætate, pro capacitate singulorum, affabilis & benignus, secundum Apostolũ erat, omnibus omnia factus. Ad Præposituram deinde majoris ecclesię promotus, satagebat tamquã fidelis dispensator & prudens, qualẽ in Euangelio commendat Dominus, dare in tempore tritici mensuram confratribus suis: ut solertior non fuerit quondam filius accrescens Joseph horrea dispensare Pharaonis. Nec tamen pro cura exteriorũ curam negligebat interiorũ, sed pie severus, discrete districtus, omnem cohibebat indisciplinationẽ; Practicæ quidẽ ut Martha, Theoricæ insistens ut Maria. Quoniam ergo Canonicus, Regularis interpretatur: opor-

a Genere nobilis, cum litteris bonos mores imbibit:

Ex Ms. — *Luc. 10. 7.* — *1 Cor. 9. 9.* — E — *Eccli. 13, 1.* — F — *b Ecclesiæ Vltrajectinæ Canonicus, Scholasticus, dein Præpositus* — *Iob. 29. 3.* — *Luc. 12. 42.* — *habet curam disciplinæ:*

EX MS. opportune, importune arguebat subditos, & obsecrabat, tam moribus quam habitu esse regulares, illud
Prov. 4.13. attendens Salomonis: Tene, fili, disciplinam, ne dimittas eam; custodi illam, quia ipsa est via tua.

ab Henrico Imperatore amatur; 4 Imperator Henricus, qui propter insignia virtutum generisque claritudinem agnominatus est Gloriosus, Wolbodonem magni habebat, præcipuoque censebat loco inter amicos; & interdum detenti secum in Palatio fruebatur familiaritate, consiliis, ac religiositate. Qui scilicet orthodoxus Princeps, unice S. Laurentio devotus, Babenbergensem Ecclesiam, ad illius c Titulum constructam & dedi-
c catam, possessionum atque opum munificentissima liberalitate donavit & honore extulit, quatenus Sedes ibi Pontificalis haberetur. Proprii namque Corporis heredem non habens, Christum & ejus Martyrem rerum devovit suarum nec non patrimonii heredes habere, ut puta qui ante Regnum vel Imperium, Dux fuisset præpotens Baioariorum.

d 5 Interea Baldrico, ut genere, sic vita & memoria illustri Episcopo diem d obeunte, qui suæ Diœcesis Ecclesias multimodis quaquaversum rebus provexit, ad postremum vero in insula hujus urbis S. Iacobi Fratris Domini fundavit cœnobium: directa est ad
B Imperatorē legatio Ecclesiæ Leodiensis, alium sibi Pastorem substitui per litteras virosq; industrios ex-
e petentis. Erat quippe tunc Regiæ e potestatis sive juris, Episcopos ad suum electos arbitratum, per annulum & baculum pastoralem investire, nec non destinare Ecclesiis cum sua commendatione: sed
assumitur in Episcopum Leodiensem: attente curabant religiosi Principes, in hunc honorem tales assumere, qui regno subjectisque possent prodesse; ut profuerunt plerique diversis temporibus per diversa loca. Gloriosus itaque Imperator, qui gloriam Christi quæreret, tractabat, quem daret Leodiensibus Pastorem: quibus & Wolbodonem assignavit, quo digniorem nullum attenderet. Hic in-
consecratur à S. Heriberto; dignum se profitens, precibus & lacrymis contra nitebatur: acquievit tamen postremo, ne diligentem se admodum Principem contristaret, immo ne jacturā obedientiæ aut notam pertinaciæ incurreret. Missus itaque cum auctoritate Augustali, exceptus est magno assensu & gaudio Cleri ac populi; nec enim per ambitum sumebat sibi honorem, sed vocatus à Domino, tamquam Aaron. Proinde quia faciebat illum Dominus crescere in plebem suam, benedictionem accepit à Domino; atque ut Sacerdotio illo fungeretur, vestitus secundum Aaron vestem sanctam in gloriam & decorem, f sacratus est in Episcopum à
g S. g Heriberto Coloniorum Archiepiscopo.

C 6 Quia igitur hic Pastor intravit per ostium in
Prait suis exemplar virtutum: ovile ovium, illi ostiario aperiente, id est, Christo, ad instar David pascebat Israël Christianum, pascebat, inquam, hereditatem Christi in innocentia cordis sui, & in intellectibus manuum suarum deducebat eam. Et quidem faciebat prius, quæ postea doce-
1.Tim. 4.8. ret; ideoq; ut monet Timotheum Apostolus, attendebat lectioni, exhortationi, doctrinæ, exercens quam maxime seipsum ad pietatem; quæ, sicut idem definit Magister Gentium, ad omnia utilis est, promissionem habens vitæ quæ nunc est & futuræ. Erat
addictus eleemosynis, itaque erga pauperes tam liberalissimæ pietatis, ut si deesset interdum quod largiretur, tapetia, urceolos, pallia, seu alia quævis Episcopii ornamenta clam sibiipsi sublegeret, atque nocturnis maxime horis distribueret egentibus, quæ scilicet à camerariis ac ministerialibus erat redimi necessarium. Quid nempe
vigiliis, memorē illius in orationibus seu vigiliis instantiam; dum plerumq; noctes etiam hibernas transegerit insomnes, aut Sanctorū oratoria circumeundo, aut misericordiæ operam infirmis & pauperibus impendendo, qui secretius, ipsomet dictante, per nota eum diverticula viarum observabant? Filius quidem lucis ambulabat per noctem, quoniam ad verum tendebat D
diem: videlicet ambulabat in tenebris, quoniam nitorem oderat vanæ ostentationis, juxta Dominicum Math. 6.3.
illud: Te faciente eleemosynam, nesciat sinistra tua, quid faciat dextera tua, ut sit eleemosyna tua in abscondo; & pater tuus, qui videt in abscondo, reddet tibi. Attestari denique solebat quidam illi familiarior, quod, cum pedes ejus lavaret, frigore & glaciali viarum deprehenderit asperitate adustos, sanguinemq; ab interioribus elicitum, in superficie cutis occalluisse. Adeo ut Christi luminosum fratrem Jacobum imitatus sit, qui orando ad Patrem luminum, pro assidua genuflexione callos in modum cameli scribitur contraxisse in genibus.

7 Ignis, ait Dominus ad Moysem, in altari semper Lev. 6. 12.
ardebit, quem nutriet Sacerdos subjiciens ligna mane per singulos dies, & imposito holocausto desuper, adolebit adipes pacificorum. Ignis est iste per- *ardet caritate Dei & proximi;*
petuus, qui numquam deficiet in altari. Ardens sane Wolbodo igne caritatis in Deum & proximum, nutriebat illum veluti Sacerdos officiosus in altari sanctæ meditationis; operumque subjiciens ligna bonorum, holocaustum desuper eleemosynarum, quasi adipes adolebat pacificorum. Nec enim vaca- E
bat mensalis illius refectio, à ferculis dilatata largitionis; dum lautiora quæque & delicatiora sibi apposita Christo dispertiret, hac vel illac infirmis & indigentibus mittendo; se vero pane cibario atq; escis communibus, quamquam longe citra saturitatem, reficiendo. Iure igitur ad illum Sancti Iob derivatū sit præconiale: Si negavi, quod volebant, pauperi- Iob. 31.16
bus; si oculos viduæ expectare feci; si comedi buccellam meam solus, & non comedit pupillus ex ea. Potissimum tamen quos Deum timere & mandata ejus observare nosset, commendabat verbis, honorabat donis; quamlibet à nullo miserationis subtraheret manum, dicens cum Apostolo: Sapientibus & insipientibus debitor sum. Nec fore insipidum prorsus Rom. 1. 14.
æstimo, si rem hic inseram Græco sale conditam. Herodem Atticum, Consularem virum & amœno civilem ingenio, adiit palliatus quispiam, & crinitus, barbaque pubetenus porrecta, petiitque sibi æs donari. Tum Herodes interrogat quisnam esset; Ille vultu vocisque sonitu objurgatorio Philosophum sese profitetur, demirari autem cur quærendum putaverit, quod videbat: Video, inquit Herodes, barbam & pallium, Philosophum necdum video: sed cum bona- F
te venia quæso, dicas mihi, quibus nos uti posse argumentis existimas, ut esse te Philosophum experiamur? Stomachante illo, tum vero qui aderant erraticum esse hominem & nullius rei dicere, quin immo incolam sordentium esse ganearum, ac nisi accipiat quod petit, convitio turpi solitum incessere. Demus, inquit Herodes, huic aliquid æris, cujuscumque modi est; demus, tamquam homines, tamquam non homini; jussitque dari pretium panis triginta dierum.

ANNOTATA.

a *Meyerus ad an.* 1020. *de Wolbodone ista scribit:* Maternum traxit genus, ut tradunt, ex domo clarissimorum Principum Flandriæ. Nam Gothofredi Ducis Montani erat filius, ex Ioanna filia Comitis Flandriæ Balduini Iunioris. *Vtinam Meyerus indicasset, quinam id tradant, cum apud alios probatos auctores, non reperiatur mentio hujus Ioannæ. Dein quis hic Gothofredus Dux Montanus? Fuerunt consequenter Ragineri quatuor Comites Montani seu Montenses in Hainou sive Hannonia: Vidua Balduini Iunioris, secundo nupsit Godefrido Virdunensi & Ebhamensi Comiti. An hinc capta occasio ista scribendi? quis dicet? Ergo hoc solum admittatur, quod claræ nobilitatis genus ex Flandria traxerit.*

b *Iterum*

A

b *Iterum Meyerus asserit ante fuisse* monachum Stabulainicum, *quod etiam minus probatur. Anselmus Canonicus Leodiensis ait, quod* Apud Ultrajectum, sub religiosis admodum Patribus, in Ecclesiasticis claustralis vitæ adoleverat disciplinis.

c *Imo Apostolis Petro & Paulo & S. Georgio dicatam habent Acta S. Henrici ad 15 Iulii elucidanda. Alibi tamen legitur etiam S. Laurentio valde devotum fuisse Henricum.*

d *Referuntur à Sigeberto in Chronico ad an.* 1018 *mors Baldrici, & successio S. Wolbodonis: quod autem statuatur à Meyero* Walbodus *tunc* fuisse Cancellarius regni, *mallemus apud antiquos legere.* Capellanum suum ob Imperatore factum *scribit Ægidius Aureæ-vallis monachus, in Additionibus ad Chronicon Leodiense Anselmi.*

e *De hoc jure* investitutæ, *perperam usurpato, late agimus infra in Vita S. Anselmi Archiepiscopi Cantuariensis: nonnulla diximus 4 Februarii ad Vitam S. Remberti Archiepiscopi Bremensis* §. 4.

f *Mense Novembri anni* 1018.

g S. Heribertus *præfuit Ecclesiæ Coloniensi ab anno* 999 *usque ad annum* 1021, *quando mortuus est 16 Martii, quo die Vitam ejus edidimus.*

B

CAPUT II.

S. Henricus Imperator SS. VVolbodoni & Heriberto reconciliatur. Frisonum pax procuratur.

8 Enimvero ut ad nostrum redeam Wolbodonem, maledici quidam averterunt ab eo pristinam Augusti benevolentiam, detractionum serentes zizania, de quibus est dictum: Susurro & bilinguis maledictus, multos enim turbavit pacem habentes. Verumtamen pacis sectator, qui fideliter Cæsari redderet, quæ essent Cæsaris, & quæ Dei Deo, suorum consultu fidelium paravit xenium Cæsare dignum, quo illius contra se tranquillaret animum, non ignorans illud de Proverbiis: Time Dominum & Regem: sicut enim rugitus Leonis; ita & terror Regis. Itemque illud Petri Apostoli: Deum timete, Regem honorificate: hæc est enim gratia, si propter conscientiam Dei sustinet quis tristitiam, patiens injuste. Præterea retractans & illud: Cor Regis in manu Dei, quocunque voluerit, inclinabit illud: Cœlesti Rege placato, terreni facilius Regis posse indignationem sustineri; ut excuteret manus suas sicut ab omni, sic etiam ab isto munere; quicquid congessisset pecuniæ, dispersit & dedit pauperibus, perinde, ut ne unam inde quidem siliquam retineret. Coloniam deinde profectus, ubi tunc idem Imperator agebat Natale Dominicum, se illius præsentiæ exhibuit, grandia expectantis à Wolbodone auri & argenti talenta. Interrogatus, superno Imperatori, quæcumque attulerat, se per manus pauperum attribuisse, submisso & gratanti ore respondit, quatenus illum Summus Imperator illiusque tueretur semper Imperium. Augustæ civilitatis Cæsar, quod S. Laurentium esset imitatus, cui erat & ipse devotissimus, sereno accepit animo & vultu, dum terso protinus omnis offensæ vel scandali nubilo, sibi congratulans & amplexans fecit considere. Majore igitur est habitus gratia Wolbodo nihil dando, quam ceteri qui multa dederant Episcopi, palatinorum frivulos favores aut mimorum plausus & facetias appetendo.

Eccli. 28. 15

S. Henricum sibi infensum,

Prov. 10. 2.

1. Petr. 2. 17

Prov. 21. 1

C

pecunia omni in pauperes erogata,

placatum & magis benevolum reddit.

9 Quoniam quidem scriptum est: Qui conscientiæ servat munditiam, propter gratiam labiorum suorum habebit amicum Regem. Idem nihilominus Imperator, Archiepiscopo Heriberto *a* graviter erat diuque infensus; & dicere causam opportunum est. Otto hujus nominis Imperator III, Crescentem, Romanorum Patritium contra se rebellantem, bello Romæ aggressum vicit: fugientem, sed retractum ex fuga, cepit: abjudicatum, & vili jumento aversè impositum, circumduci per Urbem fecit; paulatimque truncatum membris, ante muros ad ultimum suspendi jussit. Hujus uxor, spe imperandi, Imperatorem ad suum illexerat amorem: sed cum doleret repatriantem, & nuptiis se frustrari, misso clam veneno illum infecit. Roboam Salomonis minutus prudentia legitur; sed non minus Imperatorem istum dixerim minoratum sensu, qui mulierculæ insolenti & lascivæ, cujus tam dedecorose tractasset maritum, cujus parentes Romanamque rempublicam damnis admodum profligasset ac mortibus, se crediderit, se acclinaverit. Fugit Ottonem, quod in libro Sapientiæ scribitur: Non est caput nequius super caput colubri; & non est ira super iram mulieris. Commorari leoni & draconi placebit, quam habitare cum muliere nequam. Nequitia mulieris immutat faciem ejus, & obcæcabit vultum suum quasi ursus. Per hanc itaque ursam actus est Otto in mortem; & agens in extremis, Heriberto Coloniensi Archiepiscopo, qui tum aderat, & cui potissimum confidebat, insignia Imperii commendavit; ut ea scilicet illi assignaret, quem communis electio & assensus Principum in Regnum substituisset: nam carebat filiis. Dum milites autem Transalpini corpus ejusdem defuncti transportarent ad Galliam, pluribus Italorum insidiis atque incursibus lacessiti sunt; sed viam sibi haud segniter armis paravere. Verumtamen cum in tuto jam esse res putaretur, Henricus, de quo nunc mentio est, Imperator, Dux Bajoariæ tunc existens, in Archiepiscopum, ad quem spectabant, & cui patebant omnes, insurrexit, atque ab illo insolentius injuriato, eadem insignia per vim extorsit; dicens, hereditario sibi jure illa competere. Suum etenim fuisse avum, fratrem Primi Ottonis Imperatoris Henricum. Hoc seminarium simultatis & discordiæ apud Cæsarem contra Archiepiscopum fuit; quem & molestius æquo aliquoties insectatus est. Porro ad pœnitentiam divino tandem timore compunctus, mediante & elaborante ad bonum concordiæ acceptissimo ambobus Wolbodone; nunc uti præmissum est Coloniæ degens, humillima satisfactione Archipræsuli est eidem reconciliatus.

Prov. 22. 11

a Post mortem Ottonis 3 in Italia

EX MS.

Eccli. 25. 22 23 24

ob insignia Imperii commendata S. Heriberto,

E

incensus ei fovente S. Henrico;

eos reconciliat:

10 Qui Dominicum *b* Pascha dum Leodii postmodum celebraret, interpellatus est à fratribus Baldrici Episcopi, de quo prælibatum est, eidem Augusto pro sua nobilitate & industria gratissimis, quatenus pietate prospiceret Imperiali cœnobio S. Jacobi, quod idem frater eorum fundaverat quidem: sed præventus morte, reliquerat imperfectum, ac sine providentia tutoris alicujus desolatum. Itaque cum magna Nobilium plebisq; frequentia Imperator venit ad locum; cryptam intravit, ad nomen S. Andreæ Apostoli extructam, & reliquiis consecratam: quas ipse scilicet Augustus, Venerabili Baldrico, tamquam mutuæ affectionis pretiosum pignus, dono dederat. Cujus & tumulum illic corpore quiescentis adveneratus, tibi O Episcope, inquit, Wolbodo (nam aderat præsens) tibi, O dilecte nobis, hunc pauperem locum, hanc vice nostra committo Ecclesiam, tu pupillæ Pater ac sedulus sis Tutor; & de bonis, quibus eam tuus subarrhavit antecessor, opus perficias imperfectum. Dehinc munificam fecit super altare oblationem. Episcopus ergo, quamquam multis aliis curis detentus, loco tamen illi paterne superintendebat; cui & præfecit Olbertum, *c* Gemblacensis Ecclesiæ Abbatem, virum virtutibus, religione, sapientia summe spectabilem: qui etiam studio vigilanti, Episcopo cooperante, ut idem cœnobium perficeretur, institit; in quo & post felicem

b

F

cœnobii S. Iacobi curam,

S. Henrico exigente, suscipit:

c præficit Olbertum Abbatem Gemblacensem

à seculo

EX MS. à seculo decessum, jam *d* senex emeritus, accepit sepulturam.

e *f* 11 Ceterum ad idem tempus *e* Fresones debellabat Gandavensis Comes *f* Theodoricus, eo, quod illius occiderint Patrem Arnulphum. Ad quem inhibendum Imperator *g* Godefridum Lotharingiæ Ducem cum exercitu misit: & cum succedere pax non potuisset; condicto die in pugnam *h* pars utraque processit. Jam in sese acies concurrebant; dum novo repente monstro pertonuit vox terrifica, nescitur unde emissa. Fugite, fugite. Hinc attonitus cum suis Dux, ac terroris quadam vertigine actus, diffugium fecit. Perstitere vero Fresones, paucique plurimos cecidere adversariorum, ipso insuper Duce capto, quoniam reputarent doli ac proditionis caussa prælio illum excessisse. Permotus est Imperator cum audisset, atque Wolbodonem cum Legatis Fresoniam misit, quod genere & sanctitate clarus eo locorum haberetur. Qui etiam, (ut ait Salomon, Legatus fidelis sanitas, &, sicut frigus nivis in die messis, ita Legatus fidelis ei, qui misit illum, animum ejus requiescere facit) sua effecit industria, ut & captivitate Dux solveretur, & illata Duci & Regno injuria Fresonibus ab Imperatore donaretur.

In gravi Fresonum bello,

Prov. 13.17 25.13

pacem componit.

B

ANNOTATA.

a *De hisce inimicitiis, per invidos suscitatis, late agitur in utraque Vita S. Heriberti 16 Martii, uti etiam in Vita S. Henrici.*

b *Anno* 1019, *quando Pascha est celebratum* 29 *Martii.*

c Gemblacum, *Benedictini Ordinis in Brabantia monasterium, de cujus fundatione agemus 23 Maji ad Vitam S. Guiberti. Ejus monasterii Chronicon extat tomo 6 Spicilegii Acheriani, ubi inter alia hæc leguntur:* successor Baldrici Wolbodo, quia omnino deditus erat religionis studio, Olbertum Abbatem religiosius ceteris vivere libenti accipiebat animo, & eum dignatus suo latere & auricula, eum contendere sua provocabat gratia. *In privilegio vero quod subditur, testatur Episcopus, quod* Abbas *prædictus,* instructu *suo,* ecclesiam novam *Gemblaci* ædificavit, juxta quam (antiqua relicta, quia erat parvula & cito lapsura) claustrum & omnia transmutare curavit. *Hujus ergo, quem prudentissimum cognoverat, manibus deliberavit novum hunc S. Iacobi locum etiam committere,* qui diu multumque reluctatus, vix tandem anno MXXI suscepit obedienter, *eaque gessit ad loci & disciplinæ instructionem quæ ibi describuntur, solitus* continua regendi instantia alternatim habitationem suam mutare, *&c. usque ad extremum vitæ tempus utrique monasterio sub tali vicissitudine præfuit.*

C

d *Fuse describitur in prædicto Chronico, quomodo imminentem sibi mortem præsentiens, Gemblacensibus in festo SS. Petri & Pauli valedixerit, & Leodium profectus extrema Sacramenta contulerit Watoni Episcopo, ipseque septimo post eum die, ut optarat,* quod est II Idus Julias, felicem spiritum cælo reddiderit, anno Domini MXLVIII, postquam Gemblacensi per annos XXXVII, Leodicensi vero cœnobio circiter XXIX regnasset. *Tum exponitur luctus Gemblacensium, quod ejus corpore privarentur, & laudatur sepultura sub hoc Epitaphio:*

Hic jacet Abbatum speculum, decus & monachorũ,
Abbas Olbertus, flos, Paradise, tuus.
Præfuit ecclesiis normali tramite binis:
Legia corpus habes, Gembla carendo doles.

e *Sigebertus in Chronico ad annum* 1018. In Fresonia Deoderico Comite, filio Arnulphi Gandavensis, debellante Fresones, in vindicta patris sui ab eis occisi; Godefridus Dux, ad eum debellandum, ab Imperatore mittitur; & conserto prælio repente, voce, nescitur unde, emissa; Fugite, fugite, cunctis fugientibus; multi à paucis Fresonibus perimuntur: Dux vero capitur; *& anno* 1019 Godefridus Dux, imperrata Fresonibus totius injustitiæ impunitate, à captivitate solvitur: *quod missu tunc S. Wolbodone est peractum.* D

f *De familia antiquorum* Comitum Gandensium *præ reliquis accurate agit Andreas du Chesne, in Historia Genealogica familiarum Gisnensium, Ardrensium & Gandensium in Præfatione ad librum* 2.

g *Hic est* Godefridus Improlis, *Dux Lotharingiæ inferioris, nullis relictis liberis mortuus anno* 1023, *paulo ante obitum S. Henrici Imperatoris; cui tum ejus frater Gothilo Magnus, ante Marchio Antverpiensis, successit. Consule Chronicon Belgicum Miræi.*

h *Locus colligitur ex Baldrici Chronico lib. 3 cap. 19, ubi dicitur* Theodericus participium monarchiæ Frisonum tenuisse, & fecisse municipium in Mereweda, ubi Mosa & Wala fluvii pariter corrivantur. *Exinde defluit Gorcomio versus Dordracum; ubi, nominibus Mosa & Wala abolitis, fluvius* Merwe *dicitur.*

CAPUT III.

Extremus morbus & pius obitus: virtutes viventis & miracula mortui. E

12 Leodium inde regressus, Dominicum Pascha, *a* devotione solita & spirituali gaudio, celebravit, utpote, cujus esset mos, Paschalia quot diebus in Sancto altari celebrare mysteria, veriq; Agni carnes igne Passionis assas edere: quas profecto veluti cum azymis panibus & lactucis agrestibus, valde scilicet amaris, edebat, cui erant lacrymæ suæ panes die ac nocte; qui loquens Deo in amaritudine animæ suæ (Heu mihi quia incolatus meus prolongatus est) fermento careret malitiæ & nequitiæ. Igitur ad verum & perpetuum Pascha evocandus ab Ægypto seculi hujus, evocandus, inquam, à tenebris in admirabile lumen Dei, dolore stomachi ex nimia contracto abstinentia, urgeri ad mortem cœpit; superjectoque vilibus stramentis cilicio, & cineribus aspersis, decumbebat: precibus, psalmodiæ, lectioni divinæ, quam sibi faciebat legi, desideranter intentus, suspirabat quando veniret & appareret ante faciem Dei. Denique assidentes sibi, ut sua semper memorarent novissima, & dum dies salutis essent, suæ saluti providerent, paterne admonens; præcipiebat, ne quis ad se prohiberetur ingredi: videlicet, ut in ipso mortis angustiam, mortis considerarent in Episcopo amaritudinem, quæ comparata sit dulcedine pomi illius, quod temeraverunt in horto deliciarum tam austeri, tam acidi suo in posterum generi, parentes primi. F

a Post Pascha incidit in ultimum morbum:

pietati intentus,

permittit omnibus accessum.

13 Nec antiqui defuere serpentis insidiæ, explorantis, si quid in illo suum inveniret: quem signo Crucis, & aquæ benedictæ repulit aspersione infirmus, assistentem propter illius vestigia. Nam omnis sermo Dei, secundum Scripturam, ignitus clypeus est sperantibus in se. Quo scilicet Wolbodo munitus, Absiste, inquit, funeste tenebrarum accola, pars mihi nulla tecum, sed portio mea Christus in terra viventium. Beata spes, felix expectatio infirmi hujus, dolentis hujus, qui confidenter Deo dicere potuerit, Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificaverunt animam meam. Beatus namque Laurentius, cum inæstimabili suavitate & gloria, illi è vestigio apparuit, & consolans, quinta, inquit, feria mecum eris. Qua consolatione super mel & favum dulciore, quã promissione ut nectare divino refectus æger, Majoribus Ecclesiæ, Clericorumque nonnullis plus justo lætabundus eam exposuit; & illis congratulantibus

signo Crucis dæmonem pellit

Prov. 30.5

cum obitum à S. Laurentio intelligit

A lantibus sibi Unctione sancta, & viatico Christi Sacramentorum sese communivit.

extremis Sacramentis munitur,

b 14 Denique *b* Popponi Ecclesiæ Stabulensis opinatissimo tunc Abbati, hujus loci commisit providentiam, quia nulli adhuc fuerant ad serviendum Deo instituti vel Abbas vel Monachi. Cœperat quidem Ecclesia hæc construi ab Episcopo gloriosæ commendationis Euraclo *c*, qui jam in urbe ista SS. Pauli & Martini Basilicas egregia liberalitate construxerat; sed paucis post diebus eo decedente, relicta est imperfecta: utcumque dotata quidem, sed miserabili facie, quia nec saltem cooperta, nisi quod *d* Nothgerus, qui successerat Episcopus (insigne tuum diadema ô Leodium) perfectis tandem & æquatis parietibus, superponi tectum fecit. Itaque ut venit dies qui promissus erat, qui desiderabatur, vir ille desideriorum suo est frustratus desiderio: fuit siquidem culpæ, visionem dignitatis tantæ, indignis æque ut dignis innotuisse. Quapropter admodum mœstificatus, cor suum ipse discussit, & culpam in se deprehendens, Wielandum bonæ conversationis Clericum familiarem sibi obtestatus est, per tremendam Divinitatis majestatem, quatenus se astrictum loris, verberibus subjiceret districtis. Vinctum igitur suum Dominus non despexit; quem velut sanctum Job dixisse advertas, Ipse me reprehendo, & ago pœnitentiam in verbere, in favilla & cinere. Unde pœnitentis oratio Wolbodonis directa est sicut incensum in conspectu Domini; elevatio, inquam, manuum illius in mortem vesperascentis, quasi sacrificium vespertinum apud Patrem misericordiarum & Deum totius consolationis. Siquidem sensit per Spiritum, carnis se vinculis jamjam absolvendum, & humillime circumstantes admonebat instantius orare; psalmis Antiphonas incipiendis ipse imponens, finitis Collectas ipse subjungens. Atque ut hoc efficacius posset, linguam, vicina jam morte siccatam, madidari aqua interdum faciebat.

S. Popponi committit monasterium S. Laurentii, c

d

vult loris astringi:

B

Job 42, 6

erat indesinenter,

15 Quinta igitur subsequentis hebdomadæ feria mox migraturus, crucem Dominicam accepit in manibus, & mira dulcedine, affectu inexplebili diu complectens, pedesq; Crucifixi, manus, & latus exosculans, Christo spiritum Crucifixo reddidit. Cujus suorum reddatur merces laborum, deductus est in via mirabili; quia Laurentio duce transivit in locum tabernaculi admirabilis, usque ad domum Dei. Corpus autem venerabile ad hunc locum, ad hanc domum Martyris, quem sibi specialem fecerat Patronum, magna Cleri & populi frequentia & honore delatum, operoso atque spectabili, quemadmodum spectari potest, sepulcro est reconditum, circa quod auratis hoc litteris habetur exaratum:

in amplexu Crucis moritur:

C

sepelitur in æde S. Laurentii cũ hoc epitaphio,

Ingens carnis honor, sed morum gratia major;
  Præsulis officio te locat & solio.
Sensit dives, egens, ut eras ad singula præsens,
  Istis unde salus; his fluit unde cibus.
Hinc eadem cunctis assunt, & viscera nobis;
  Hincque salutiferum excolimus tumulum.

f Migravit anno Dominicæ Incarnationis MXXI, undecimo *f* Kalendas Maias, præsidente Sedi Apostolicæ Benedicto, à Beato Petro Apostolo CXLIV, Gloriosi vero Henrici tam Regni quam Imperii anno XX; sui autem Præsulatus Mense XXX. Qui procul dubio terræ viventium heres, de sua re mancipi S. Laurentium hereditavit munifice; trecentas insuper argenti marchas in opus perficiendæ dimittens Ecclesiæ, mirabili affectione, ô Martyr Sancte, tibi thesaurizatas. Nam si advixisset diu, quantum erga te suam extendisset devotionem, cum Deo, qui metitur hominum corda, plenius nosti. Septem denique matrices ecclesias contulit, & in Flandria sibi à progenitoribus dimissa multorum prædia redituum; quibus nos violenti homines, alienorumque cupidi pervasores, adversante sathan exheredavere, contra diei malitiam, contra seculi hujus injustitiam, nobis frustra reclamantibus.

relicta sidem sua hereditate,

E X MS.

16 Nec vero prætermiserim, quod diligens ipse decorem domus Domini, Stationes instituit seu Processiones, quæ ab universo communiter Clero civitatis, ad majorem ecclesiam, certis per annum solennitatibus fiunt; quatenus per hujusmodi conventus, in Choro Leodiensi jugiter caritatis maneat, ut ita dixerim, concentus: hoc est, ut majori ecclesiæ à minoribus, tamquam matri à filiabus, privilegium servetur, competensque subjectio; ab eo modificata, qui habitare facit unius moris in domo, monente Apostolo solicite servari unitatem spiritus in pacis vinculo. Labri denique illius ænei (quod fecit Moyses, ut lavarent in eo Aaron & filii ejus manus suas ac pedes, quando ingressuri erant Testimonii tabernaculum, & quando accessuri ad altare, ut offerrent in eo thymiama Domino) recordari nos facit liber ille Psalmorum conspicuus, quem propria manu scripsit, & in quo unicuique Psalmo, compositam ex eodem, & à se dictatam subjecit orationem; de bono thesauro cordis sui proferens bona. Hic à nobis hactenus diligenter asservatur; in quo videlicet manus ac pedes nostros, id est, actuum sive intentionum motus, compunctione lacrymosa, velut ænea ad Deum sonoritate psallendo, lavare possimus, introituri ad Sancta Sanctorum. Inter cetera enim etiam istud piissimi amplectimur Wolbodonis memoriale; cui diebus singulis mos erat, antequam Divina celebraret mysteria, de integro perorare Psalterium, thymiama utique Christo acceptabile in odorem suavitatis.

stationes instituit:

Ephes. 4. 3

Psalterium scribit cum orationibus interpositis,

E

id ante Missam perlegit.

17 In Episcopatum est subrogatus ei Durandus, nostræ satis Ecclesiæ durus; quoniam bona, quæ plurima nobis dederat antecessor ejus, abstulit, & partim ad mensam Episcopalem retinuit, partim militibus beneficiavit. Ipse ignobilis quidem genere, utpote ex familia Godescalci, majoris Ecclesiæ Præpositi, fuit; sed ingenii atque literarum clara viguit nobilitate. Qui, videlicet Godescalcus, S. Bartholomæi construxit ecclesiam, ex suis sufficienter allodiis duodecim Canonicos instituit, liberalissimo illum Wolbodone consiliis & beneficiis animante. Sed Durandus, quamquam natus serviliter, tamen in hoc etiam se commendavit nobiliter, quod eumdem Godescalcum, nec fidelitatem sibi Episcopo, ut mos est, jurare, nec hominium facere passus fuerit. Ingenue morigeratus, qui non attenderet, quid tunc esset, sed antea quid fuisset: nec jam servus, tamen quasi servum sese obsequiis Godescalco exhiberet. Fuit ergo in theatro mundi quasi fabula, quod suis dominaretur dominis homo ex tam paupere & humili familia, cum Dominus pauperem faciat & ditet, humiliet & sublimet.

ejus consilio ecclesia S. Bartholomæi construitur & 12 Canonici instituuntur.

F

18 Hunc, propter vitæ modestiam & scientiæ prærogativam. Wolbodo benignus habebat gratissimum; atque ideo Imperatori Henrico Clericum quærenti scientem litterarum, assignaverat eum, & summopere commendaverat. Quam Augustus commendationem adeo habuit non irritam, ut ipso decedente, illum Cathedra sublimaret Leodiensi. Idem etenim Babenbergensem Ecclesiam, ab eodem destinatus Augusto, doctrinarum jam pridem & religionis claro sidere illustrarat. Sed plerique acceptorum obliviscuntur beneficiorum, & bonas etiam mentes depravant aliquando curæ seculares. Unde & Durandus, misericordis erga se Wolbodonis oblitus, misericordiam eleemosynæ defraudavit, ut præmissum est, quam Laurentio in hoc ejus loco delegaverat; leve æstimans, si eam nemine *i* sibi contradicente tolleret. Qua-

ejus commendatione Durandus gratus S. Henrico,

constituitur successor,

propter oblata S. Laurentio ad, direpta,

i

Ex Ms.

à S. Wolbodone apparente monetur,

19 Quapropter visione durissima semel ac secundo redargutus est, eodem apparente sibi Sancto, & suam acriter eleemosynam repetente. Quod ille cum suis non modice concussus denarraret, aiebant (maxime hi, quibus rapta fuisset elargitus) non debere illum somniis attendere; multas sequi curas somnia; eum dormientem videre, quod vigilans versaret mente; sapientis esse, ut quasi fumum reputet somniorum phantasias. Canum hujusmodi, ut ita dictum sit, adulantium linguæ, conceptum timoris stillicidium illius facile ex animo elambuere. Venerat quidem Wolbodo semel ac secundo in spiritu lenitatis; sed jam tertio in virga furoris aderat, comminansque terribiliter, quod auditus non fuisset; quod culpam ille non correxisset; ad radices arboris jam securim esse positam dixit. Gravissime ergo illum cecidit, eumque continuo mortis prævia corripuit ægritudo. Cujus angore nimio & clamore, turbata est familia: evocati celerius sunt Archidiaconi, nec non civitatis Majores. Quæ viderat, quæ audierat, innotuit: Et ecce, inquit, jam morior; ad misericordiam Domini mei, Wolbodonis me perferetis, atque illius ex opposito, extra Ecclesiam scilicet S. Laurentii, secus parietem, me sepelietis. Tradit deinde S. Laurentio prædium in Wasegga, quod nuper à Roberto emerat Archidiacono, & quatuor auri marchas sibi tantum residuas, k spondens viscerabiliter, quod si spatium sibi daretur, cuncta quæ abstulerat ex integro restitueret. Juxta Zachæi votum forsitan reddidisset ablata in quadruplum; sed non expectatus obiit; atque hic, sicut petierat, extra Ecclesiam sepultus est. Ibi sub dio tam diu jacuit, quousque nova ædificaretur Ecclesia, & tunc inclusus muro atque admissus sub tectum est; lapidemque sepulchralem, qui nunc usque cernitur, Abbas g Stephanus, pro Episcopii veneratione, super illum componi, atque hoc fecit epitaphium inscribi.

& reprehensus in extremum morbū incidit:

legat S. Laurentio prædium,

B

k

ibidem sepultus:

cum hoc epitaphio.

Durandus jacet hic; qui paulo plus tribus annis
Tungrensem rexit nobiliter cathedram.
Pauperis in nido patrimonii natus & altus;
Ingenio summos evolat ad Proceres.
Quos tulerat Dominos, iisdem famulantibus usus;
In theatro mundi fabula quanta fuit?
Septima lux urnam fundentis in orbe fluebat,
Cum faceret rebus, triste vale, Senior.

S. Wolbodo claret miraculis.

C

20 Denique ad corpus dilecti Deo Wolbodonis quicumque petierint ex fide, diversorum remediis languorum sospitantur; meritorumque illius efficaciam, tum ex nobis ipsis, qui ejus beneficiis fruimur; tum ex aliis nonnumquam sumus experti. Ut de innumeris, duo saltem perstringam breviter. Adelardus in Ecclesia S. Trudonis, hujus nominis Abbas secundus, acerbissima phrenesi à se alienatus, dum ad sepulchrum nostri Wolbodonis pertractus fuisset, ibique jacuisset aliquamdiu, suffragio Sancti plenam recepit sensus sobrietatem. Item alius è Fratribus nostris gravissime infirmatus, atque ad Sancti misericordiam deportatus est; quo sibi dignanter apparente, ac tertio super illum sanctæ Crucis signaculum faciente, tamquam ab ipsis retractus mortis faucibus, sine mora convaluit.

curatur phrenesis,

gravis infirmitas.

21 Sed corporum sanitates, pariunt nonnumquam animarum infirmitates, dum miracula quæ debeant excitare ad devotionem, sibi materiam indisciplinati vendicent ad dissolutionem; præsertim cum monachico non expediant instituto vel quieti frequentiæ seculares. Quocirca improbandum non fuerit, quod, uti ferebant Seniores nostri, primus loci hujus piæ recordationis Abbas Stephanus, hunc aliquando Sanctum per Divinum nomen contestatus sit, quo temperaret à miraculis; tantæ Fratribus fiebant per occasionem infirmorum noctu & interdiu molestiæ. Verum quamlibet rarescere ex tunc miracula cœperint, tamen per præsentiam meritorum Wolbodo semper nobiscum est: dum & aliquotiens à Religiosis quibusdam visus fuerit ad tuum altare, O sancte Laurenti, pro statu Ecclesiæ istius, præsente mirabiliter sanctissima Trinitate, arcanis Divinorum fungi mysteriorum, Sacerdos exaudibilis secundum ordinem Melchisedech, cujus hostias, tuarumque odorifera precum libamenta acceptaverit, ac sempiterne acceptet idem trinus & unus Deus, cui gloria nunc & in diem æternitatis. Amen.

D

conjuratione Stephani Abbatis cessant miracula:

visus est S. Wolbodo celebrans.

ANNOTATA.

a *Die 2 Aprilis littera Dominicali anno* 1021.

b *Vitam* S. Popponis *illustravimus ad diem* 25 *Januarii.*

c Euraclus, *aliis* Everacear, Eraclius, & Everaclus *præfuit ab anno* 959 *usque ad an.* 970.

d *Nothgerus successor vixit usque ad annum* 1007.

e *Quinta feria incidebat in diem* 20 *Aprilis, post Dominicam* 2 *à Paschate.*

E

f *Imo migravit* 20 *Aprilis, sed videtur depositus* 21 *Aprilis, in æde S. Laurentii; & sic coli annua depositio, ut in pluribus aliis.*

g *Præfuit ab anno* 1026, *mortuus anno* 1059. *de eo plura in Appendice.*

h *Adelardus hic secundus præfuit ab anno circiter* 1055 *usque ad annum* 1082.

i Quia necdum positi fuerant, qui in hoc loco Deo militarent, *inquit auctor Vitæ postremæ, ex qua datur Appendix.*

k Unde factus est postea optimus calix, *ut idem addit.*

APPENDIX I

De Miraculis post obitum.

Ex alia vita Ms.

22 Interea quidam ecclesiæ mansionarius, homo pauper & exiguus, sed forte apud Deum meritis magnus, mira quædam per visiones nocturnas audire & videre perhibebat: vadensque per civitatem festis diebus simplicitate rustica, & quadam, quæ virorum pauperum est, licentia, palam omnibus proclamabat, Laurentium Sanctumque Wolbodonem in publico monte commune habere hospitium, eos totis noctibus suum metiri habitaculum: & quia parum eis videretur conduxisse, vetus debere dirui, novumque fabricari. Cumque multis ostenderet dicens, Hucusque in longum, sic in latum, tantoque in altum suas lineas ipsi tetenderunt; tamdiu stolidum & insaniæ proximum cuncti crediderunt, donec universa quæ dixit effectus vera probavit.

F

SS. Laurentius & Wolbodo modum novæ Fabricæ ostendunt:

23 Post Durandum Dominus Reginardus Leodiensium fit Episcopus: ad cujus manus Abbas Poppo curam hujus loci, quam à sancto Pontifice Wolbodone susceperat, quia jam de illo desperare cœperat, se absolvens remisit. Tunc agente obnixius apud Episcopum Comite a Hezelone, & dicente, se scire Virduni quemdam probatæ vitæ monachum, nomine Stephanum, quem rogaret præfici in hoc loco in Abbatem; Episcopus respondit, se facturum, si ille adesset. Quo audito Comes celeriter dedit operam ut ille adesset: quem Episcopus sibi præsentatum, sex monachos vitæ probabilis secum habentem;

a

Stephanus Abbas,

A bentem, benedixit, & huic loco præfecit. Sed hic in initio dolores habuit ut parturientis, eo quod & Episcopus locum penitus negligeret, & ipse cum his qui secum venerant sex Fratribus, necessariis egeret. Cum igitur humilis servus Christi vere exulem se & egenum conspiceret, & pro hoc loco circa sepulcrum sancti Pontificis totis noctibus fleret & oraret; quadam vice post uberes lacrymas, cum residens deflexo inter manus capite paululum obdormisset, hoc modo divina illum gratia ibidem consolata est. Vidit assistere sibi juvenem speciosum ac splendidú, qui à pio Patre Wolbodone se esse missum assereret: & consolans eum, Tu, inquit, nunc quidem tristitiam habes, sed in proximo est ut hæc tristitia tua convertatur in gaudium. Etenim SS. Laurentius & Wolbodo locú hunc pariter ante Deum assumpserunt, & fundamenta ejus in illis sanctis montibus sunt: & quamdiu fuerint hic inquisitores regni Dei, omnia quæ necessaria corporis sunt adjicientur illis. Et hoc tibi erit signum. In proximo Episcopus, flante Spiritu Dei, huc animum suum applicabit: & de grandi periculo in quo nunc est enatans, hoc in loco suæ spei figet anchoram. Ecce & is Frater, quem hodie mittis, ut ad vestimenta comparanda mutuum aliquid accipiat, cum venerit ad forum rerum venalium, præparatum à S. Wolbodone virum inveniet, qui quantum necesse est gratis tribuat. His ille acceptis evigilans, confestim Fratrem Renardum, quem ad Vizeti *b* forum ire præceperat, jam egressum citius revocari imperat: expositaq; visione cunctisque gaudentibus eumdem Fratrem abire præcipiens, ex ejus eventu firmius didicit quid de ceteris oraculi deberet sperare promissis. Ille vero Frater vadens ad forum, stabat in foro attonitus, expectans divinum promissum. Et ecce venit ad eum quidam sibi ignotus, & interrogavit ab illo, quid quæreret. Cui cum respondisset se à S. Wolbodone missum, ut Fratribus deferret aliquid vestimentorum, nec tamen se habere pretium; sexaginta probatæ monetæ aureos solidos ab ipso, satis hilariter tribuente, lætabundus accepit. Regressusq; ad monasteriú, Abbatem & Fratres in Domino multum lætificavit; & in divino auxilio, sibi in proximo sperando affuturo, plurimum confortavit.

tristis ad sepulcrum S. Wolbodonis orans,

divinitus recreatur,

addito Episcopi adjutorio,

B

b

Monachus vestimenta empturus divinitus accipit 60 aureos:

24 Non longo post tempore Episcopus tactus Spiritu Dei *c*, die quadam summo diluculo ascendens ad orationem, visitavit locum, & consolatus humilem Abbatẽ Stephanú, omnia visioni supra scriptæ convenientia repromisit: & transacta hieme repente, tertia Februarii summo diluculo, requiescente adhuc Abbate cum Fratribus, operarii Episcopi cœperunt tectum ecclesiæ dissipare, murumq; diruere cum ingenti alacritate & clamore. Diruto itaq; veteri ædificio, locus in quo steterat, positis fundamentis, per medium divisus est. Fundamenta quippe novæ ecclesiæ à medio ejus foris in occidentalem plagá deducta sunt: reliquum ejus ab orientali plaga, cedens inhabitationẽ sancto Episcopo Wolbodoni; fundamenta cryptæ accepit, in honorem B. Mariæ semper Virginis. Nec prætereundú est quod mansionarius suprascriptus, arbusculam quamdam, quam vulgo *d* falangrá vocant, dixerat infra longitudinem ecclesiæ includendam. Et jam parietes ecclesiæ non modice surrexerant. Et ille nihilominus ita futurum esse confidenter asserebat. Mira res! Venit ad locú Domini Episcopi frater *e*, & inspecto opere vituperare cœpit & detestari: & potenter ac fiducialiter imperat operariis, quadraginta pedes in longum augere parietes, asserens, si Episcopo nostro non placeret, propriis ipse sumptibus augmentum illud suppleret. Sic inclusa est arbuscula, & pauper ille, his à quibus irrisus fuerat arridens, in dominos insultabat, & sanctitatem Wolbodonis ubiq; prædicabat.

c

C

novum ædificium erigitur:

d

dilatata ecclesia ab Episcopi fratre:

e

25 Deniq; ad corpus Deo dilecti S. Wolbodonis quicumq; petierunt ex fide, diversorum languorú & infirmitatum curationem recipere meruerunt. Sed corporum sanitates pariunt nonnunquam animarum infirmitates, dum miracula quæ debent excitare ad devotionem, aliqui indisciplinati sibi materiam vindicent ad dissolutionem: præsertim cum monachorú proposito vel instituto & quieti non expediant frequentiæ seculares. Quocirca improbandum non fuit, quod, ut referebant seniores nostri, Dominus Stephanus, loci hujus Abbas primus, Sanctú hunc aliquando per divinum nomen contestatus sit, quò temperaret à miraculis; tantæ Fratribus fiebant, per occasionem infirmorú, nocte dieq; molestiæ. Simile legitur in libro de illustribus Viris Cisterciensis Ordinis, cum ad exequias B. Bernardi Dominus Cisterciensis cú pluribus aliis Abbatibus sui Ordinis venisset, & propter miracula quæ fiebant importunitatem tumultuantis populi vidisset, timere cœpit, ne crebrescentibus signis, intolerabilis populorum turba concurreret, eorumq; improbitate disciplina Ordinis periret, & ordinis ac sanctæ religionis fervor in eodem loco tepesceret. Quapropter, habita super hoc deliberatione, reverenter accedens, per virtutem obedientiæ, ne signa ulterius faceret, inhibuit: & sic deinceps publica miracula cessaverunt ibi fieri. Eodem modo, quamvis publica miracula per B. Wolbodonem in hoc loco rarescere cœperint; tamen per præsentiam meritorum semper nobiscum est, & interpolatis vicibus ipsum invocantibus auxiliari non definit.

EX MS.

ægri sanantur ad sepulcrum S. Wolbodonis

sed ne quies turbaretur,

precibus Abbatis cessarunt miracula.

E

26 Tempore Adelardi *f*, secundi hujus nominis Abbatis S. Trudonis, sepulcrum S. Trudonis tantis coruscabat miraculis, ut multitudinem peregrinorum non solum templi ambitus, sed etiam totius oppidi locus ferre non posset: oratorium, claustrum nocte & die fuit plenum: quod magnæ molestiæ fuit senioribus, in silentio & quiete Deo servire cupientibus. Sed juniores, quibus tædio fuit religio, ex tali occasione cœperunt omnia agere ex libito. Oblationes tantæ erant quasi per totum tempus prædicti Abbatis, scilicet ultra viginti sex annos, quòd in hebdomada centum marchis æstimabantur, & plurimos in custodiendo fatigabant. De quibus prædictus Abbas ædificavit magnam ecclesiam S. Trudonis, & ecclesiam S. Mariæ in foro, & duodecim alias in diversis villis proprietatis ecclesiæ suæ. Igitur ipso occupato in ecclesiis materialibus construendis, & de templis Dei vivis, id est, de salute animarum sibi commissarum remisse & negligenter agente; percussit eum Dominus, & sensu alienatus, phreneticus est effectus: & cum tanta miracula Dominus per S. Trudonem quotidie operaretur; ipse tamen ibidem non potuit curari. Quapropter ductus ad Leodium, & factis non paucis diebus in crypta B. Mariæ more phrenetico, tandem ad sepulcrum S. Wolbodonis meruit curari, & in sobrietate sensus usque ad finem vitæ suæ permansit. Obiit anno Domini millesimo octogesimo secundo: & in tertio sequenti *g*, occulto Dei judicio, igne consumptum est nobile & sumptuosum opus ecclesiæ S. Trudonis, columnæque cum monasterio corruerunt; illudque completum, quod terribilis Deus in consiliis super filios hominum.

f

Adelardus 2. Abbas S. Trudonis,

F

post constructas ex oblationibus plures ecclesias,

in phrenesim lapsus,

ad sepulcrum S. Wolbodonis sanatur.

g

27 Unus ex Fratribus nostris gravissime infirmatus, atque ad S. Wolbodonis sepulcrum deportatus est: qui sibi apparuit, & tertio signaculo sanctæ Crucis eum signavit: & statim, tamquam ab ipsis retractus mortis faucibus, sine mora convaluit. Tempore Radulphi *h* Episcopi quidam dæmoniacus de Leodio ad sepulcrum ejus curatus fuit. Item & quædam mulier in die anniversarii ejus à quartana febre

febre liberata. Temporibus nostris, an. Domini millesimo quadringentesimo quinquagesimo quarto, Dominus Arnoldus Snaeck, Canonicus sanctæ Crucis, testatus est coram Fratribus, se quinquies tam à febribus quam ab aliis incommoditatibus ad tumbam ejus liberatum. Hic duxit secum quemdam Presbyterum infirmum: cumque orationem fecisset, sanum secum reduxit. Item Joannes Adencat, qui fecit aquilas in S. Jacobo & in S. Paulo, cum haberet filiam ægrotam quæ subito loquelam amiserat, ad exhortationem uxoris ejus vovit eam S. Wolbodoni, & misit ad sepulcrum ejus lampadem metallinam cum candela; & statim convalescere cœpit, & aperuit oculos, sicut parentes ejus retulerunt nobis: unde Dominus Abbas, i Henricus Dellecoraux, emit ab eodem aliam lampadem consimilem anno quinquagesimo secundo vel circiter. k

EX MS. — alii agri,

ANNOTATA.

a Hezelo, *sive* Henzelo, *aliis* Hermannus *aut* Herimannus, Comes Dagisburgensis, *Frater Godefridi Improlis, de quo supra actum, postea Virduni ad S. Vitonum monachus cum fratre Frederico. Est autem Comitatus Dagisburgensis seu de Dasborch, haud procul Salma & monasterio Senoniensi, de quo agitur in hujus monasterii Chronico lib. 4 cap. 21 tomo 3 Spicilegii Acheriani.*

b Vizetum, *Oppidulum munitum ad alteram Mosæ ripam, pari fere intervallo à Leodio & Trajecto.*

c Secunda die Novembris, *inquit Ægidius Aureævallis in Vita Reginardi.*

d *Ignotum nomen. Quid si legeretur* Saulgiam? *nam vulgo* Saulge *est*, *quæ Latine* Salvia, *& in humile arbustum culta assurgit.*

e Huneco *dictus à prænominato Ægidio.*

f *Adelardus* II *successit Guntranno, anno* 1055.

g *Anno* 1085 VII *Idus Martii, ut est in Chronico Trudonensi.*

h *Præfuit* Radulphus, *non optima rerum gestarum fama, ab anno* 1167; *mortuus post reditum ex Syria anno* 1191.

i Henricus de Cherat *ab aliis scribitur, mortuus anno* 1461.

k *Sequebatur rythmus de B. Wolbodone, qui extat apud Chapavillaum post ejus Vitam excusus.*

APPENDIX II.

De novissima corporis elevatione.

Ex relatu testium oculatorum.

28 ANno Domini MDCLVI, Leodii residente, cum extraordinaria Clerum ac monasteria visitandi facultate, Josepho Sanfelicio, Archiepiscopo Consentino, Alexandri Papæ VII Nuntio ad tractum Rheni cum potestate Legati, de mandato ejusdem Nuntii, indicto prius jejunio, cœptum est in monasterio S. Laurentii die XXVI Octobris per Henricum Borghet cœmentarium fabrum, sub horam post meridiem quintam, laborari in aperiendo monumento B. Wolbodonis Episcopi Leodiensis: quod ex marmore fabricatum, & in magna antiquitus veneratione habitum, clausum hactenus steterat in media crypta inter columnas quatuor. Sequenti autem die XXVII, quæ cum Feria hebdomadæ VI concurrebat, facta est sacrorum ossium elevatio, coram sacræ Theologiæ ac Medicinæ Doctoribus & Religiosis monasterii, pluribusque ipsius Illustrissimi Nuntii familiaribus. Cœpit omnes admiratio & animi lætitia ingens, cum in conspectum venêre universa corporis sancti ossa, ab uno Religiosorum induto stola sacerdotali suo extracta loculo, & grata odoris cujusdam suavitate fragrantia: quæ inventa in situ suo naturali (licet ferreæ catenæ quibus sustentabantur ærugine essent exesæ) rursum eodem ordine per chirurgum peritum collocata fuere, intra sandapilam sericis nobilioribus eleganter ornatam, unumquodque ad juncturam suam: itaque steterunt in eadem crypta, vigilias circum servantibus Religiosis per noctem totam, & preces continuantibus.

Jussu Nuntii Pontificii. — ex veteri monumento elevatur, — propemodum bene olentia,

29 Die XXVIII adfuit Illustrissimus ipse, & sacrum pignus reverenter inspexit atque adoravit: tum majorum omnium campanarum pulsu signum dari jussit ad publicam processionem, Dominica sequenti instituendam. Adfuit igitur die XXIX Octobris omnium ordinum frequentia, cum populi multitudine maxima: cantataque solenni Missa facta est Processio, in qua sacrum corpus, pretiosissimis ex serico palliis opertum, suis humeris successive detulere Illustrissimus Nuntius, & Episcopus Dionysiensis Serenissimi Principis Leodiensis Suffraganeus, nec non Decani ecclesiarum Collegiatarum SS. Petri & Martini. Studium autem pietatemque erga sanctum Episcopum suum palam fecere primarii quique Leodiensium civium, prælatis facibus illustrando viam qua pompa ducebatur; dum interim aer resonaret festivo campanarum omnium sono ac tormentorum æneorum boatu, per totum diem continuato.

& 29 Oct. 1656 solemniter circumlatum,

30 Finita processione & cantato Te Deum, Illustrissimus Nuntius populo benedicens, indulgentias ex data sibi facultate impertiit, sanctumque corpus reliquit publicæ venerationi expositum die reliquo: ac rursum cum esset digressurus ab urbe, rediit, ipsum intra majorem sacristiam adoraturus; ubi coram omnibus Religiosis professus est, quod hujus Sancti meritis acceptum referret solatium grande, quo fuerat relevatus in sua quadam gravi infirmitate. Mandavit autem postmodum idem Illustrissimus Reverendissimo Domino Guilielmo Natalis, Abbati nostro, corpus prædictum ut curaret loco quam decentissimo magnifice reponi. Extructum est ergo mausolæum splendidum, in latere majoris sacristiæ dextero altius elevatum, cui insidet ipsius Sancti affabre celata effigies: uni autem Religiosorum demandata est cura, ut ipsa sacra ossa cupientibus aperto tumulo venerari, eadem per vitrum spectabilia faciat: prout fit sæpius, cum pietatis publicæ privatæque incremento. Sic testantur, qui aderant & etiamnunc vivunt, Religiosi prædicti monasterii anno MDCLXXIV die XXIV Junii; & hæc per unum è suis scribi fecerunt, rogatu Rev. P. Antonii Terilli Rectoris Collegii Anglicani Societatis Jesu in eadem urbe Leodiensi.

collocatum in novo mausolæo.

DE SANCTO ANSELMO

G. H.

ARCHIEPISCOPO CANTUARIENSI IN ANGLIA,

AN. MCIX.

Eadmerus sive Edmerus scripsit Historiam Novorum in Anglia,



HAbuit S. Anselmus illustrem rerum suarum Scriptorem, monachum Cantuariensem, Eadmerum sive Edmerum nomine, qui illi toto tempore Archiepiscopatus adfuit, laboris & itineris, dum is viveret, continuus comes. Edidit autem Eadmerus, primo omnium anno MCXXII Historiam Novorum in Anglia sex libris, quos Ioanne Seldenus, typis Londinensibus anno MDCXXIII, vulgavit, præfatus se id facere ob singularem operis præstantiam, quam cerni asserit tum in reipsa, tum in eximio auctoris narrandi judicio, pari fide, & non contemnendo sermonis nitore. *Quæ singula latius explicata apud Seldenum videri possunt. Ipse Eadmerus infra lib. 2. num. 37 occasione Concilii Barensis ita de se testatur:* Inter hæc ego Patri *Anselmo* per omnia præsens aderam, paratus videlicet ad servitium ejus. Et quia mihi ab infantia hic mos erat, semper nova, quæ forte, sed maxime in Ecclesiasticis, occurrebant, diligenti intentione considerare, ac memoriæ commendare; dispositum Concilium, loca & ordines personarum, modos & examinationes causarum, curiosa fortasse magis quam sagaci mente & oculo hinc inde, utpote qui prius talia non videram, modesto intuitu consideravi. *Quæ ejus diligentia in toto opere elucet. Ex dictis autem sex libris*, ex amore S. Anselmi *se quatuor priores libros*, causa Historiæ ipsius describendæ, *composuisse testatur sub initium libri quinti, uti infra ex Appendice inde decerpta liquet. Hos ergo quatuor libros hic damus, excepta priore libri primi parte, quæ ad B. Lanfrancum, S. Anselmi in Archiepiscopatu decessorem spectat, ad hujus Vitam elucidanda.*

magna diligentia, B

ex amore S. Anselmi.

quæ ad hunc spectant inde damus,

2 *Idem* Eadmerus *sive* Edmerus *scripsit præterea duobus libris* Vitam S. Anselmi: *ac priore quidem res gestas ante Episcopatum assumptum comprehendit, posteriore illustriora facinora in ipso Episcopatu usque ad obitum patrata describit; at quæ ea omnia diversitate in Historia Novorum & in hac Vita tradat, plenius ipse in hujus Prologo explicat: scilicet in Historia* ea, quæ inter Reges Anglorum & Anselmum Archiepiscopum facta sunt, inconcussa veritate designari: *in Vita vero* contineri quæ ad privatam conversationem, vel ad morum ipsius qualitatem aut ad miraculorum exhibitionem pertinere videntur: *ac tandem* pronuntiat, plene actus ejus scire volentibus nec illud sine isto, nec istud sine illo sufficere posse. *Nos ergo Eadmeri monitum secuti, utrumque damus, ac primo loco Vitam, quod omnia in ipsa ab ejus nativitate usque ad obitum designentur: deinde subjungimus, quæ in Historia Novorum reperiuntur ad S. Anselmum spectantia, in iisque quamplurima, quæ hactenus latent, sive ea sint Concilia habita, aut in iis tractata, sive etiam epistolæ ejus ad Summos Pontifices, aut horum ad ipsum responsa. Quantum autem Vrbano II & quali apud S. Anselmum in æstimatione fuerit Eadmerus, colligere possumus ex Willielmo Malmesburiensi, qui lib. 1. de Gestis Pontificum, agens de S. Anselmo ista scribit:* Obedientiæ pertinax custos, cum Archiepiscopus liberæ potestatis esset, rogavit Papam Urbanum, ut sibi aliquem proponeret, cujus jussis vitam disponeret. Is Eadmerum exhibuit: cujus Anselmus jussa tanti faciebat, ut cum eum cubili locasset, non solum sine præcepto ejus non surgeret, sed nec latus inverteret. *Hæc Malmesburiensis, hanc Historiarum suarum partem Eadmero debens. Qui primus Vitam S. Anselmi Antuerpiæ suis typis vulgavit anno* MDLI *Ioannes Gravius: quique postea eamdem ante opera ejus ediderunt, & cum illis Laurentius Surius, aliique illos secuti, auctorem appellant Edinerum, ex solo amanuensium errore, qui litteram* m *diviserunt, ejus loco positis litteris* i *&* n. *Idem autem est* Eadmerus *&* Edmerus, *sicut etiam* Eadgarus *&* Edgarus, Eadmundus *&* Edmundus, Eadwardus *&* Edwardus, Ealredus *&* Elredus: *in quibus Ea prisci Anglis diphthongus erat.*

idem scripsit ipsius Vitã,

C

quam primo loco edimus,

Fuerat ab Vrbano 2 Papa datus Sancto director,

perperam ab aliquibus Edinerus dictus,

3 *Natus est S. Anselmus Augustæ Prætoriæ circa annum Christi trigesimum tertium supra millesimum: qui* anno ætatis suæ vigesimo septimo, *ut infra dicitur lib. 1. Vitæ num.* 8. Becci monachus factus est: *annum vero Christi* MLX *tunc fuisse indicatur in Chronico Beccensi, edito cum operibus B. Lanfranci, qui tum ibidem Prior erat: sed ut in eodem Chronico traditur,* cum anno Domini MLXII Lanfrancus regimen accepisset S. Stephani Cadomi, Anselmus factus est Prior Beccensis, cum tribus annis fuerat sine Prælatione, *ergo hujus electio ad Prioratum, referenda est ad annum sequentem* MLXIII. *At* defuncto Herluino, primo Abbate Beccensi, XXVI Augusti anno MLXXVIII, paucis interpositis diebus, electus est Abbas ejusdem loci Anselmus, qui Prior quindecim annis fuerat. Sequenti vero anno in festivitate S. Petri, quæ dicitur Cathedra, benedictus est Abbas in ecclesia Becci, ab Ebroicensi Episcopo Gisleberto. *Ita Chronicon Beccense: in quo iterum indicantur* anni quindecim *ejus regiminis, postquam Abbas fuerat constitutus ac dein* designatus *&* acclamatus Archiepiscopus Cantuariensis anno MXCIII, pridie Nonas Martii, prima Dominica Quadragesimæ, consecratus pridie Nonas Decembris. *Vt ea leguntur lib. 1. Historiæ Novorum infra num. 9 & 13. Excusabat se Sanctus, quod* grandævus esset & omnis terreni laboris impatiens, *annos scilicet sexaginta natus. Demum* defunctus est S. Anselmus XI Kalendas Maji, & die sequenti, quæ fuit Cœna Domini, sepultus, anno Incarnati Verbi millesimo centesimo nono, regni Henrici Regis Anglorum nono, Pontificatus ipsius Anselmi decimo sexto, ætatis septuagesimo sexto. *Vti Eadmerus scribit infra lib. 4 Historiæ num. 57. & lib. 2 Vitæ num. 73, ubi tamen in prioribus editionibus irrepserat error typographicus, quem correximus, cum annus Pontificatus notaretur* XIII, *qui erat* XVI. *Dicto autem anno* MCIX, *cyclo Lunæ* VIII, *Solis* XXVI, *littera Dominicali* C, *Pascha fuit celebratum* XXV *Aprilis, & sic feria quarta hebdomadæ sanctæ incidit in diem* XXI *ejusdem mensis, quo ex hac Vita decessit S. Anselmus.*

S. Anselmus natus anno 1033

fit monachus an. 1060,

E

Prior an. 1063

Abbas 1078

Archiepiscopus 1093

mortuus an. 1109,

F

feria 4 hebdomadæ sanctæ.

4 *Ad dictum* XXI *Aprilis sacra memoria S. Anselmi est inscripta hodierno Martyrologio Romano his verbis.* Cantuariæ S. Anselmi Episcopi, sanctitate & doctrina conspicui. *Similia aut etiam multo plura leguntur in Ms. Florario Sanctorum, in Martyrologio Coloniæ & Lubecæ anno 1490 excuso, in additionibus Greveni & Molani ad Vsuardum, in Martyrologio Anglicano & Gallicano, item apud Galesinium, Canisium, Wionem, Dorganium, Menardum & Bucelinum in Martyrologiis monasticis, & Ghinium in Natalibus Sanctorum Canonicorum. Coloniæ Agrippinæ inter quamplurima monasteria etiam sanctimonialium est aliquod Carmelitica-rum Virginum in platea Butgassea; apud quas colitur hoc die* S. Anselmus, *eo quod* pars superior capitis *illius ibidem asservatur. De illo monasterio ejusque sacris Reliquiis agit Ægidius Gelenius de Magnitudine Coloniæ Agrippinæ lib. 3, Syntagmate 76, item ad hunc diem in*

memoria in sacris Fastis 21 Aprilis.

Reliquiæ Coloniæ,

AUCTORE G. H.

Praga,

in Fastis Agrippinensibus & Saussaius in supplemento Martyrologii Gallicani. Pars de scapula, per Carolum IV Imperatorem allata ex inferiori Germania anno MCCCLXXII, *Servatur Praga in Metropolitana S. Viti ecclesia, uti testatur Diarium Reliquiarum ab ejusdem ecclesiæ Decano nuperrime vulgatum.*

Bononia,

Masinus in Bononia perlustrata tradit aliquas Reliquias S. Anselmi esse in ecclesia S. Stephani & S. Nicolai in platea S. Felicis.

A Iuliis celebratur 5 Iulii,

5 *Franciscus Maurolycus in suo Martyrologio, non meminit S. Anselmi ad hunc XXI Aprilis, sed ad diem V Iulii ista habet:* Eodem die Anselmi Cantuariensis Episcopi ac Doctoris in Ecclesia celebris. *Cum Maurolyco eumdem referunt iterum Galesinius, Canisius, Wion, & alii. Praivit Petrus de Natalibus lib. 6 Catalogi cap. 56, ubi post longum elogium ista habet:* Clarus virtutibus quievit in pace III Nonas Julii.

& is perperam dies mortis habetur,

Hinc per errorem ad dictum diem arbitramur ab aliis ejus natalem relatum. Arrepta tamen hac occasione auctor Martyrologii Anglicani in prima editione, appellat translationem corporis S. Anselmi in eminentiorem locum in ipso choro Cantuarensi, *citatis in margine prædictis Martyrologiis; sed in his nulla est mentio ullius translationis.*

an translationis 5 aut 3 Iulii?

In posteriore editione ejusdem Martyrologii Anglicani refertur eadem translatio *ad diem tertium Iulii, citatis iterum præfatis auctoribus, qui ad diem quintum retulerant simplicem memoriam.*

B

alia memoria 18 Dec.

In Ms. Florario Sanctorum ad diem XVIII Decembris ista habentur: In Anglia apud Cantuariam S. Anselmi Episcopi & Confessoris anno salutis MCIX. *At quæ ratio fuerit istius memoriæ non liquet, cum* depositio *in dicto Florario recte celebretur ad hunc XXI* Aprilis. *Nihilo magis intelligimus cur in Kalendario antiquo Missalis Mediolanensis & Breviarii Meldensis festum S. Anselmi notetur XVIII Martii.*

& 18 Martii.

Reliquiæ Antverpiæ.

6 Pars ex spina dorsi & pars costæ *sancti hujus Episcopi, Roma in Lusitaniam ad sacelli Regii ornatum missæ fuit, uti §. 4. ante Vitam S. Mariæ Ægyptiacæ dictum est die II Aprilis: quæ quomodo per annos aliquot ibi honorata sit approbato trium Lectionum officio à Sacellanis Regiis, ac deinde cum aliis Sanctorum triginta quatuor Reliquiis Antuerpiam delata ad Cisterciense S. Salvatoris monasterium, fuse ibidem exposuimus. In solennissima Translatione anni MDCLXXII, sub novo ejusnem pompæ labaro, quod Apostolicorum virorum erat, ab ipsius Abbatis officiantis Assistentibus monachis deportata illa sunt cum hoc lemmate, annum tam festivi actus notante,* AnseLMVs fIDVs CantVarIæ tVtor. *Institutum etiam est ut simile quale in Lusitania officium, de eodem quotannis ex Communi Pontificum ab iisdem Religiosis decantaretur; & proponerentur XL dierum Indulgentiæ iis, qui hoc die accederent sacras Reliquias veneraturi.*

C

Libri scripti,

7 *Opera S. Anselmi collegit, & quæ potuit habere, etiam multa inedita, simul typis Lugdunensibus in lucem vulgavit an. MDCXXX Theophilus Raynaudus, quæq; aperte notha eidẽ perperam adscribuntur, in partem quartam seposuit, & de eisdem postea egit in Criticis sacris tomo XI operum, erotemate 10 de libris supposititiis configendis pag. 270 & sequenti. Præclare etiam de eisdem agit Labbaus in Dissertatione historica de Scriptoribus Ecclesiasticis: quæ indicasse sufficit, cum teste Rainaudo* pleraque scripserit suo digna ingenio.

& Epistolæ:

Aliquorum meminit in Vita ejus Eadmerus, & ipse vix ulli scriptorum istius seculi secundus. Habere nos aliquas ejusdem Epistolas necdum editas, jam diximus ad II Aprilis occasione S. Mariæ Ægyptiacæ, cujus Vita metrice reddita ex nostro illo Ms. Codice proferebatur. Lucas Acherius Spicilegii sui tomo 9 octo alias, à Petro Francisco Chiffletio nostro sibi communicatas, inseruit; tomo autem 3 pag. 121 protulerat unam similiter ineditam, scriptam cum adhuc Abbas esset, atque B. Landfranco Cantuariensi directam una cum Monologio, quod per eam offert examinandum, dubitans, utrum illud non solum legere sed & transcribere volentibus *Fratribus*, denegare debeat aut concedere. *Eidem tomo inseritur tractatus Asceticus, in Ms. Cœnobii S. Ebrulfi inter varia S. Doctoris opuscula repertus: sed in eo nec stylum nec genium Anselmi agnoscens ipse Spicilegus, merito dubitat possitne sub ejus nomine vulgari.*

D

quædam ei dem male tributa.

Si Anselmus vocabatur auctor, crediderim hoc Sancto juniorem fuisse, qui ejus opera quædam legerit; quia asserit Acherius se in Anselmo nonnulla legisse, quæ in dicto Tractatu reperiuntur, præcipue cap. 2 molarum similitudinem eidem Patri familiarissimam. *Nos quoque Passionem S. Fingaris seu Guigneri & Sociorum, à nobis XXIII Martii editam, licet auctor se Anselmum vocet, non fuimus ausi Cantuariensi huic Archiepiscopo tribuere, quamvis id alii ante nos fecissent, nullam idoneam ejus opinionis rationem invenientes: quæ nec nunc quidem ulla nobis occurrit, ideoque in priori manemus sententia.*

VITA

Auctore Eadmero sive Edmero, monacho Cantuariensi, ejus in Archiepiscopatu individuo comite.

E

PROLOGUS.

Auctor scribit hanc Vitam post historiam Novorum.

Quoniam multas insolitas rerum mutationes, & antecessorum nostrorum temporibus & nostris diebus, in Anglia accidisse & coaluisse conspeximus, ne mutationes ipsæ posterorum scientiam penitus laterent, quædam ex illis succincte excepta, litterarum memoriæ tradidimus. Sed quoniam opus ipsum in hoc maxime versatur, ut ea, quæ inter Reges Anglorum & Anselmum Archiepiscopum Cantuariorum facta sunt, inconcussa veritate designet, quæque omnibus puram illorum historiam scire volentibus, tunc temporis innotescere potuerunt, licet inculto, plano tamen sermone describat: nec adeo quidquam in se contineat, quod ad privatam conversationem, vel ad morum ipsius Anselmi qualitatem, aut ad miraculorum exhibitionem pertinere videatur: placuit quibusdam familiaribus meis, me ad hoc sua prece perducere, ut sicut descriptione notarum rerum posteris, ita designatione ignotarum satageremus tam futuris quam & præsentibus aliquod officii mei munus impendere: quos eo quod offendere summopere cavebam, dedi operam voluntati eorum pro posse morem gerere. Opus igitur ipsum, de vita & conversatione Anselmi Archiepiscopi Cantuariensis titulatum, taliter Deo adjuvante curavi disponere, ut quamvis aliud opus, quod præsignavimus, ex majori parte de ejusdem viri conversatione subsistat; ita tamen in sua materia integræ narrationis formam prætendat, ut nec illud istius, nec istud illius, pro mutua sui cognitione, multum videatur indigere: plene tamen actus ejus scire volentibus, nec illud sine isto, nec istud sine illo sufficere posse pronuntio.

F

LIBER I.

Acta S. Anselmi ante Episcopatum.

CAPUT I.

S. Anselmi ortus, studia, discessus in Gallias, deliberatio de statu vitæ amplectendo.

Augustæ nobilis natus,

1 Instituta vitæ & conversationis Anselmi Cantuariensis Archiepiscopi litterarum memoriæ traditurus, primo omniũ vocata in auxiliũ meum summa Dei clementia & majestate, quædam breviter dicam de ortu & moribus parentum ejus, ut hinc lector advertat,

A adverterat, de qua radice prodierit, quod in studiis nasciturae prolis postmodum fulsit. Pater igitur ejus Gundulfus, mater Ermerberga vocabatur. Utrique juxta seculi dignitatem nobiliter nati, nobiliter sunt in a Augusta civitate conversati. Quae civitas confinis Burgundiae & Longobardiae, Ermerbergam in se edidit: Gundulfum, in Longobardia natum, civem sui ex advena fecit. Conjuncti sunt lege conjugali, ambo divitiis non ignobiles, sed moribus ex quadam parte dissimiles: Gundulfus enim seculari deditus vitae, non adeo curam suis rebus impendere, sed habita frequenter abs re distribuere, intantum, ut non modo largus atque beneficus, verum etiam prodigus atque vastator à nonnullis aestimaretur: Ermerberga vero, bonis studiis serviens, domus curam bene gerens, sua cum discretione dispensans atque conservans, bonae matris familias officio fungebatur. Mores erant probi & irreprehensibiles, ac juxta rectam considerationem ratione subnixi. Haec fuit vita ejus: in hac, dum vixit, permansit, in hac finem vitae sortiri promeruit. Gundulfus vero circa diem obitus sui, spreto seculo monachus factus, monachus defunctus est.

patre prodiga, matre frugali,

2 At Anselmus, filius horum, cum puer parvulus esset, maternis, prout aetas sua patiebatur, colloquiis, libenter animum intendebat: & audito unum Deum sursum in caelo esse, omnia regentem, omnia continentem, suspicatus est, utpote puer inter b montes nutritus, caelum montibus incumbere, in quo & aulam Dei esse, eamque per montes adiri posse. Cumque hoc saepius animo volveret, contigit ut quadam nocte per visum videret, se debere montis cacumen ascendere, & ad aulam magni Regis Dei properare. Verum priusquam montem coepisset ascendere, vidit in planitie, qua pergebat, ad pedem montis mulieres, quae Regis erant ancillae, segetes metere: sed hoc nimis negligenter faciebant & desidiose. Quarum puer desidiam dolens ac redarguens, proposuit animo, se apud Dominum Regem ipsas accusaturum. Dehinc monte transcenso, Regiam aulam subit, Dominum cum solo suo dapifero invenit: nam familiam suam, ut sibi videbatur, quoniam autumnus erat, ad colligendas messes miserat. Ingrediens itaque puer, à Domino vocatur. Accedit, atque ad pedes ejus sedet. Interrogatur jucunda affabilitate, quis sit, vel unde, quidve velit. Respondit ille ad interrogata, juxta quod rem esse sciebat. Tunc ad imperium Domini panis ei nitidissimus per dapiferum affertur, eoque coram ipso reficitur. Mane igitur cum quid viderit, ante oculos mentis reduceret, sicut puer simplex & innocens, se veraciter in caelo ex pane Domini refectum fuisse credebat, hocque coram aliis ita publice asserebat.

ex puerili de caelis coeptu B b

somniat se ad Dei mansam in monte admitti. C

3 Crevit ergo puer, & ab omnibus diligebatur: mores etenim probi in eo erant, qui magnopere eum diligi faciebant. Traditur litteris, discit, & in brevi plurimum proficit. Necdum attigerat aetatis annum quintum decimum, & jam qualiter secundum Deum vitam melius instituere posset, mente tractabat: idque concepit apud se, nihil in hominum conversatione monachorum vita praestantius esse. Quam assequi cupiens, venit ad quemdam sibi notum Abbatem, rogans illum, ut se monachum faceret. Sed Abbas, voluntate illius agnita, quod petebat, inscio patre illius, ne offenderet animum ejus, facere recusavit. At ille in suo proposito perstans, oravit Deum, quatenus infirmari mereretur, ut vel sic ad monachicum, quem desiderabat, ordinem susciperetur. Mira res! Ut enim Deus declararet, quantum etiam in aliis de suae pietatis auditu confidere posset, preces illius exaudivit, ac illi protinus validam corporis debilitatem immisit. Acriter igitur infirmatus ad Abbatem mittit, mortem se timere pronuntiat, orat ut monachus fiat. Praefato timore obstante, non fit quod postulabat. Et hoc quidem ad humanum tantum spectabat examen: ceterum Deus, quem futura non fallunt, servum suum ipsius loci conversatione noluit implicari, propterea quod alios quosdam in sinu misericordiae suae reconditos habebat, quos, ut postmodum claruit, magis per illum ad suam voluntatem in posterum disponebat informari. Post haec sanitas redit juveni: quodque tunc nequibat, in futuro se per gratiam Dei facturum mente proponit.

Vita monastica desiderio,

impetrat sibi morbum:

AUCTORE EADMERO

4 Exinde cum corporis sanitas, juvenilis aetas, seculi prosperitas ei arriderent; coepit paulatim fervor animi ejus à religioso proposito tepescere, intantum, ut seculi vias magis ingredi, quam relictis eis monachus fieri cuperet. Studium quoque litterarū, in quo se magnopere solebat exercere, sensim postponere ac juvenilibus ludis coepit operam dare. Verumtamen pia dilectio & diligens pietas, quas in matrem suam habebat, nonnihil eum ab istis restringebant. Defuncta vero illa illico navis cordis ejus, quasi ancora perdita, in fluctus seculi pene tota dilapsa est. Sed omnipotens Deus, praevidens quid de illo facturus erat, ne animam suam, pace transitoria potitus, perderet, infestum ei & intestinū bellum generavit: hoc est, animum patris ejus acerbo contra illum odio inflammavit intantum, ut aeque, aut certe magis, ea quae bene, sicut quae perperam faciebat, insequeretur. Nec aliqua poterat patrem humilitate lenire: sed quanto illi se exhibebat humiliorem, tanto illum sibi sentiebat asperiorem. Quod nimis intolerabile cernens, & ne deterius quid inde contingeret timens, elegit potius paternis rebus & patriae renuntiare, quam patri suo vel sibi quamlibet infamiam ex sua cohabitatione procreare. Paratis itaque his, quae necessaria erant in viam ituris, patria egreditur, uno, qui sibi ministraret, Clerico comitatus. Cumque dehinc in transcensu montis c Senisii fatigaretur, & laboris impatiens corpore deficeret, vires suas nivem mandendo reparere tentabat: nec enim aliud, quo vesceretur, praesto fuit. Quod minister illius advertens, doluit; & ne forte quid edendum haberetur in sacculo, qui asino illorum vehebatur, diligenter investigare coepit; & mox contra spem panem in eo nitidissimum reperit: quo ille refectus, recreatus est, & viae, incolumis restitutus.

mortua matre patrem infestum habens, E

fugit trans Alpes: c

5 Exactis dehinc partim in Burgundia, partim in Francia ferme tribus annis, Nortmanniam adit; ibi quemdam nomine d Lantfrancum, virū videlicet valde bonum, praestanti religione ac sapientia vere nobilem, videre alloqui & cohabitare volens. Excellens siquidem fama illius circumquaq; percrebuerat, & nobilissimos quosque Clericorum ad eum de cunctis mundi partibus agebat. Anselmus igitur viro adito, eumque singulari quadam sapientia pollere agnito, ejus se magisterio subdit, eique post modicum familiaris prae ceteris discipulis fit. Occupatur diu noctuque in litterarum studio, non solum quae volebat à Lanfranco legendo, sed & alios, quae rogabatur studiose docendo. Propter quae studia, cum corpus vigiliis, frigore & inedia fatigaretur, venit ei in mente, quia si aliquando monachus, ut olim proposuerat, esset, acriora, quam patiebatur, eum pati nō oporteret: nec tunc sui laboris meritū perderet, quod nunc, utrum sibi maneret, non perspiciebat. Hoc ergo mente concepto, totā intentionem suam ad placendum Deo dirigere coepit, & spernendo mundum cū oblectationibus suis, revera cupit fieri monachus.

fit discipulus S. Lanfranci d F

redeunte priori desiderio

6 Quid plura? Cogitat ubi melius perficere queat, quod facere desiderat, & ita secum tractat: Ecce, inquit, monachus fiam. Sed ubi? Si Cluniaci vel Becci, totum tempus, quod in discendis literis posui, perdidi: nam & Cluniaci districtio ordinis, & Becci supereminens

deliberat de loco, e

AUCTORE EADMERO

peremineus prudentia Lanfranci, qui illic monachus est, mihi aut nulli prodesse, aut nihil valere comprobavit: itaque in tali loco perficiam, quod dispono, in quo & scire meum possum ostendere, & multis prodesse. Hæc, ut lubens ipsemet referre solebat, secũ meditabatur; addebatq; Necdum eram edomitus, necdum in me vigebat mundi contemptus. Unde quod ego, ut putabam, fretus aliorum caritate dicebam, quam damnosum esset, non advertebam. Postmodum autem in se reversus: Quid, inquit, Essene monachum, hoc est, velle scilicet aliis præponi, præ aliis honorari, ante alios magnificari? Non. Illic ergo deposita contumacia, monachus deveni, ubi, sicut æquum est, cunctis, propter Deum postponaris, cunctis abjectior habearis, præ cunctis parvipendaris. Et

ac Beccum eligit,

ubi hoc esse poterit? Equidem Becci. Ibi siquidem nullius ponderis ero, quandoquidem ille ibi est, qui præeminentis scientiæ luce conspicuus, cunctis sufficiens, cunctis honorabilis & acceptus est. Illic ergo requies mea, illic solus Deus intentio mea, illic solus amor ejus erit cõtéplatio mea, illic beata & assidua memoria ejus, felix solamen & satietas mea. Hæc cogitabat, hæc desiderabat, hæc sibi provenire sperabat.

7 Raptabatur quoque mens ejus per id temporis in alias sectandæ semitas viæ, sed vis desiderii ejus in

B

Ecli. 32.

hanc, quam maxime declinaverat. Sciens itaque scriptum esse, Omnia fac cum consilio, & post factum non pœnitebis: nolebat se alicui uni vitæ earum, quas mente volvebat, inconsulte credere, ne in aliquo videretur Scripturæ præceptis non obedire. Amicos insuper multos habens, sed cui se totum in istis committeret, consiliarium unum de mille, videlicet præfatum Lanfrancum eligens, venit ad eum, indicans voluntatem suam ad tria pendere: sed per consilium ejus ad unum, quod potissimum judicaret, duobus re-

consulto Lanfranco

lictis, se velle tenere. Quæ tria sic ei exposuit. Aut enim, inquit monachus fieri volo, aut eremi cultor esse desidero, aut ex proprio patrimonio vivens, quibuslibet indigentibus propter Deum pro meo posse exinde ministrare, si consulitis, cupio (Jam enim pater ejus objerat, & tota hereditas ad illum respiciebat) in his, inquam, tribus voluntatem meam, Domine Lanfrance, fluctuare sciatis: sed precor, ut me horum potissimo stabiliatis. Differt Lanfrancus sententiam ferre, suadetque negotium ad venerabilis *f*

f

& maurilio Ep. Rotomag.

Maurilii Rotomagensis Episcopi audientiam magis referre: acquiescit Anselmus consilio, & comitatus Lanfranco Pontificem petit. Tanta autem vis devotionis pectus Anselmi tunc possidebat, tantumque veri consilii Lanfranco inesse credebat, ut cum Rotomagum petentes, per magnam, quæ super Beccum

C

est, silvam pergerent, si Lanfrancus ei diceret, in hac silva mane, & ne, dum vixeris, hinc exeas cave, proculdubio, ut fatebatur imperata servaret. Pervenientes ergo ad Episcopum, adventus sui causas ei exponunt; quid inde sentiat, quærunt. Nec mora, monachicus ordo præ ceteris laudatur, ejusque propositum omnibus aliis antefertur.

ANNOTATA.

a *Est hac non* Augusta Taurinorum, *ut intellexisse arguitur Thomas Vnionatus, sed* Augusta Prætoria, *metropolis olim Salassiorum facta ab Augusto conditore, vulgo* Aoste, *ac Ducatus caput sub hodierno Pedemontio: limes Italia dicitur à Solino & Capella, uti hic Burgundia & Longobardia; Est autem Episcopalis, in provincia Alpium Grajarum, sub metropoli Tarentasiensi; hac vero una ex sex metropolibus Burgundia apud Gervasium Tisleberiensem in descriptione Galliarum edita apud Andream du Chesne tomo 1 Scriptorum historia Francorum pag. 22. & hac ratione Italus habetur Anselmus apud Ordericum Vitalem lib. 4. hist. Eccles. ad an. 1072, ibi natus circa ann.* 1033

b *Scilicet Augusta undiquaque montibus cingitur.*

c *Est notissimus* mons Senisius, *ejusque difficilis ascensus per quem transitur ex Italia in Galliam, uti hic factum; aut etiam vice versa ex Gallia in Italiam.* D

d *Erat B.* Lanfrancus *origine Papiensis ex Italia, postea Archiepiscopus Cantuariensis.*

e *Notissima monasteria: de* Cluniaco *sæpe egimus, potissimum 13 Ianuarij ad Vitam B. Bernonis primi Abbatis. Est* Beccum *in diœcesi Rotomagensi trans Sequanam ad rivum Beccam prope amnem Rillam, dotatum à Guilielmo Duce Normannia an. 1034. In utroque monasterio anno 1662 singularem caritatem experti sumus, eo profecti ob monumenta de Vitis & veneratione Sanctorum.*

f *Maurilius præfuit Ecclesia, Rotomagensi ab anno* 1055 *ad* 1067.

CAPUT. II.

Vita monastica: Prioratus administratus. Adolescens in vita & à morte adiutus.

8 ANselmus hæc audiens & approbans, omissis aliis seculo relicto, Becci monachus factus est, anno ætatis suæ vicesimo septimo *a*. Regebat eo tẽpore cœnobium ipsum Dominus Abbas, Herluinus nomine vir grandævus, & magna probitate conspicuus; qui primus ipsius loci Abbas, monasterium ipsum à fundamentis de suo patrimonio fecerat: sæpedictus autem Lanfrancus gradum Prioris obtinebat.

a Monachus Becci factus,

E

Anselmus vero novus monachus factus, studiose vitã aliorum religiosius viventium æmulabatur. Immo ipse sic religioni per omnia serviebat, ut quisquis religiose in tota ipsa congregatione vivere volebat, in ejus vita satis inveniret quod imitaretur, & ita per triennium de die in diem semper in melius proficiens, magnus & honorandus habebatur.

9 Venerabili autem Lanfranco in *b* Cadomensis *c* cœnobii regimen *d* assumpto, Prioris officio functis est, sicque Deo serviendi ampliorem libertatem potitus, totum se, totum tempus suum, in illius obsequio expendere, seculum & cuncta negotia ejus ab intentione sua funditus cœpit amovere. Factumque est, ut soli Deo cælestibusque disciplinis jugiter occupatus, in tantum speculationis divinæ culmen adscenderit, ut obscurissimas & ante tempus suum insolitas de divinitate Dei & nostra fide quæstiones, Deo reserante, perspiceret ac perspectas enodaret: apertisque rationibus, quæ dicebat, rata & catholica esse probaret. Divinis namque Scripturis tantam fidem adhibebat, ut indissolubili firmitate cordis crederet, nihil in eis esse, quod solidæ veritatis tramitem ullo modo exiret. Quapropter summo studio animum ad hoc intenderat, quatenus juxta fidem suam mentis ratione mereretur percipere, quæ in ipsis sensit multa caligine tecta latere. Contigit ergo quadam nocte, ut ipse in hujusmodi mente detentus, ante nocturnas vigilias vigilans in lecto jaceret; & meditando secum rimari conaretur, quonam modo Prophetæ præterita simul & futura, quasi præsentia, olim agnoverint, & indubitanter ea dicto vel scripto protulerint. Et ecce cum in his totus esset, & ea intelligere magnopere desideraret; defixis oculorum suorum radiis, vidit per medias maceries oratorii ac dormitorii, monachos, quorum hoc officium erat, pro apparatu matutinarum altare & alia loca ecclesiæ circumeuntes, luminaria accendentes, & ad ultimum unum eorum, sumpta in manibus chorda, pro excitandis Fratribus scillam *e* pulsantem: ad cujus sonitum conventu Fratrum de lecto surgente, miratus est de re, quæ acciderat. Concepit ergo apud se, Deo levissimum esse, Prophetis in spiritu ventura monstrare; cum sibi concesserit, quæ fiebant, per tot obstacula corporeis oculis posse videre.

b c d & Prior constituitur,

totum se studiis divinis tradit,

F

& quasdam futuras prophetias donum visu docetur,

e

10 Hinc perspicaciori interius sapientiæ luce perfusus, mores omnis sexus & ætatis ita discretionis ratione mõstrante penetravit, ut eũ palã inde tractanté, adverteres

ipsisque spiritu consilii impletur.

adverteres cuiq; sui cordis arcana revelare. Origines insuper, & ipsa, ut ita dicam, semina atq; radices, nec non processus omnium virtutū ac vitiorū detegebat, & quemadmodum vel hæc adipisci, vel hæc devitari atq; devinci possent, luce clarius edocebat. Tantā autē omnis boni consilii vim in eo elucere cerneres, ut pectori ejus spiritū consilii præsidere non ambigeres. Quam promptus vero atq; assiduus in sanctis exhortationibus fuerit, supervacuum est dicere, cum illum semper in ipsis infatigabilem, omnes ferme audientes constat fatigasse: quodq; dicitur de sancto Martino, Ejus ori numquam defuit Christus, sive justitia, vel quidquid ad veram vitam pertinet; incunctanter cōfirmamus sine mendacio posse dici de illo. In his leve est lectorem advertere, eum de mensa Domini, non sine quodam præsagio, per visum jam olim nitido refectum pane fuisse.

11 De corporalibus ejus exercitiis, jejuniis dico, *abstinentia,* orationibus atque vigiliis, melius æstimo silere, quā loqui. Quid namq; de illius jejunio dicerem, cum ab initio *f* Prioratus sui tanta corpus suum inedia maceraverit, ut non solum omnis illecebra gulæ penitus in eo postmodum extincta sit, sed nec famem sive delectationem comedendi pro quavis abstinentia, ut ipse dicere consueverat, aliquando pateretur? Comedebat tamen, ut alii homines, sed omnino parce: *orationi,* sciens corpus suum sine cibo non posse subsistere. In orationibus autem, quas ipse juxta desiderium & petitionem amicorum suorum scriptas *g* edidit, qua solicitudine, quo timore, qua spe, quo amore Deum & Sanctos ejus interpellaverit, nec non interpellandos docuerit, satis est & me tacente videre: sit modo, *vigiliis intendit:* qui eis pie intendat, & spero, quia cordis ejus affectum, suumq; profectum in illis & per illas gaudens percipiet. Quid de vigiliis? Totus dies in dandis consiliis sæpissime non sufficiebat: addebatur adhuc pars maxima noctis. Præterea libros, qui ante id temporis nimis corrupti ubique terrarum erant, nocte corrigebat, sanctis meditationibus insistebat, ex contemplatione summæ beatitudinis & desiderio vitæ perennis immensos lacrymarum imbres effundebat; hujus vitæ miserias, suaque, si quæ erant, peccata & aliorum amarissime flebat, & vix parum ante vigilias nocturnas, sæpeque nihil somni capiebat. Talibus studiis vita ejus ornabatur.

12 Qualiter autem erga subditos se habebat, det *æmulos sibi caritate devincit,* Deus, ad æmulationem Prælatorum, posse vel quid modicum dici. Cum primum igitur Prior factus fuisset, quidam Fratres ipsius cœnobii facti sunt æmuli ejus, videntes & videndo invidentes illum præponi, quem juxta conversionis ordinem judicabant eis debere supponi. Itaque turbati aliosque turbantes, scandala movent, dissensiones pariunt, sectas nutriunt, odia fovent: at ipse cum his, qui oderant pacem, erat pacificus, & detractionibus eorum reddebat officia fraternæ caritatis, malens vincere malitiam in bono, quàm à malitia eorum vinci in malo. Quod miserante Deo factum est: siquidem illi animadvertentes eum omnimodis pure ac simpliciter in cunctis actionibus suis incedere, neque quod jure blasphemari posset, in illo residere, mala voluntate in bonā mutata, dicta ejus & facta in bono æmulari cœpere. Verum ut clareat, quo pacto id provenerit, unum ex ipsis exempli gratia ponam, quatenus agnito, quo dolo Anselmi à sua pravitate sit mutatus, qualiter & alii per eum correcti fiant, perpendatur.

13 Osbernus quidam nomine, ætate adolescentulus, ipsius monasterii monachus, ingenio quidem *in quibus Osbernus, ex rebelli,* sagax, & artificiosis ad diversa opera pollens manibus, bonam in se bonæ spei materiam præferebat; sed mores, qui in eo valde perversi erant, ista multum decolorabant, & insuper odium, quod omnino more canino contra Anselmum exercebat. Quod odium, quantum ad se, Anselmus non magnipendebat: sed tamē mores illius convenire sagacitati ingenii ejus magnopere cupiens, cœpit quadam sancta calliditate puerum piis blandimentis delinire, puerilia facta ejus benigne tolerare, multa illi, quæ sine ordinis detrimento tolerari poterant, concedere, in quibus & ætas ejus delectaretur, & effrænis animus in mansuetudinem curvaretur. Gaudet puer in talibus, & sensim à sua feritate ipsius dimittitur animus. Incipit Anselmum diligere, ejus monita suscipere, mores suos componere. Quod ille intuens, præ ceteris eum familiariter amplectitur, nutrit, fovet, & ut *factus, Anselmi observantissimus,* semper in melius proficiat, omnibus modis hortatur & instruit: dehinc paulatim ei, quæ concesserat, puerilia subtrahit, eumque ad honestam morum maturitatem provehere satagit. Non frustratur pia solicitudo ejus, proficiunt in juvene ac roborantur sacra monita ejus. Ergo ubi de firmitate boni studii adolescentis se posse confidere animadvertit, mox omnes pueriles actus in eo resecat, & si quid reprehensionis eum admittere comperit, non modo verbis, sed & verberibus in eo acriter vindicat. Quid ille? Æquanimiter cuncta sustinet, confirmatur in proposito omnis religionis, fervet in exercitio disciplinæ omnis sanctæ actionis; suffert patienter aliorum contumelias, opprobria, detractiones; servans erga omnes affectum sinceræ dilectionis. Lætatur Pater in his, ultra quam dici possit, & diligit filium sancto caritatis igne, plusquam credi posset.

14 Sed cum ipse (ut flens referebat) eum ad magnum Ecclesiæ fructum proficere speraret, ecce gravi *obsequiis ejus æger fruitur,* corporis infirmitate præripitur, lectoque recipitur. Videres tum bonum Patrem, felicis juvenis amicum, lecto jacentis diu noctuque assidere, cibum & potum ministrare, omnium ministrorum super se ministeria suscipere, veri amici morem in omnibus gerere. Ipse corpus, ipse animam ejus studiosissime refovebat. Appropinquanti autem ad exitum, familiari præcepit alloquio, quatenus post obitum suum, si possibile esset, suum esse sibi revelaret. Spopondit, & transiit. Corpus defuncti ex more lotum, vestitum, in feretro impositum, in ecclesiam delatum est. Circumsederunt Fratres, psalmos pro ejus anima decantantes: Anselmus vero, quo liberius pro eo preces funderet, in secretiorem ecclesiæ locum secessit. Qui *eique post mortem apparens,* cum inter ipsas lacrymas ex gravi cordis mœstitudine corpore deficeret, & paululum oculos in somnū deprimeret, vidit in spiritu mentis suæ quasdam reverendi vultus personas, candidissimis vestibus ornatas, domum, in qua idem Osbernus vitam finierat, introisse, & ad judicandum circum consedisse. Verum cum judicii sententiam ignoraret, eamque solicitus nosse desideraret, ecce Osbernus adest, similis homini, ad se, cum aut ex languore aut ex nimia sanguinis minutione fuerit exanimatus, redeunti. Ad quem Pater: Quid est, fili? Quomodo es? Cui ille hæc verba respondit: Ille antiquus serpens ter insurrexit in me, & ter cecidit in semetipsum, & Ursarius Domini Dei liberavit me. Quo dicto Anselmus oculos à somno levavit, & Osbernus non comparuit. En obedientiam mortuus vivo exhibebat, quam vivens viventi exhibere solebat.

15 Quod si quispiam audire velit, qualiter hæc *declarat, deletis peccatis suis,* obedientis verba defuncti, ipse Anselmus fuerit interpretatus, brevi accommodet aures. Ter, inquit, antiquus serpens insurrexit in eum, quia de peccatis, quæ post baptismum admiserat, priusquam à parentibus ad servitium Dei in monasterium offerretur, illum diabolus accusavit: de peccatis etiam, quæ post oblationem parentum ante suam professionem fecerat, illum accusavit: de peccatis nihilominus, *nihil in se dæmonem potuisse.* quæ post professionem ante obitum suum egerat, illum accusavit. Sed ter cecidit in semetipsum, quia peccata,

AUCTORE EADMERO peccata, quæ in sæculo constitutus admiserat, per fidem parentum, quando eum Deo obtulerunt, deleta invenit: & peccata, quæ postmodum in monasterio degens ante suam professionem fecerat, in ipsa professione deleta invenit: peccata etiam, quæ post professionem ante obitum suum egerat, per veram confessionem & pœnitentiam deleta atque dimissa in ipso ejus obitu confusus invenit: sicque malignas versutias suas, quibus eum ad peccandum illexerat, justo Dei judicio in se ad cumulum suæ damnationis retorqueri ingemuit. Et Ursarius Domini Dei liberavit eum. Ursarii Dei, boni Angeli sunt: sicut enim ursarii ursos, ita Angeli malignos dæmones à sua sævitia coërcent & reprimunt, ne nobis tantum noceant, quantum volunt.

Anselmus toto anno missas pro eo offert,

16 Post hæc Anselmus, ut sanctæ dilectionis munus, quod vivo impenderat, mortuo non negaret, per integrum annum Missam pro anima ejus omni die celebravit. Quod si aliquando à celebratione ipsius Sacramenti impediebatur, eos qui Missas familiares debebant, suam pro anima Fratris Missam dicere faciebat, & ipse Missas eorum, dum opportunum erat, ante Missam sui defuncti alia Missa persolvebat. Itaque per singulos dies totius anni aut ipse pro illo Missam celebravit, aut ab alio celebratam alia Missa mutuatus est: super hæc missis circumquaque epistolis, pro anima sui Osberni orationes fieri petiit & obtinuit. Hæc Fratres videntes, & socordiam sui cordis redarguentes, se miseros ac infelices, Osbernum beatum prædicant ac felicem, qui talem amorem, talem meruit invenisse subventionem. Ex hoc ergo singuli quique corpore & animo se subdunt Anselmo, cupientes in amicitiam ejus hereditario jure succedere Osberno. At ille, in conversione ipsorum Deo gratias agens, omnibus omnia factus est, ut omnes salvos faceret.

B

cum magno exempli fructu.

formandæ inventuti præcipue intendit,

17 Verumtamen adolescentibus atque juvenibus præcipua cura intendebat, & inquirentibus de hoc rationem, sub exemplo reddebat. Comparabat ceræ juvenis ætatem, quæ ad formandum sigillum apte est temperata. Nam si cera, inquit, nimis dura vel mollis fuerit, sigillo impresso, ejus figuram in se nequaquam ad plenum recipit: si vero, inquit, ex utrisque, duritia scilicet atque mollitie, discrete habens, sigillo imprimitur, tunc forma sigilli omnino perspicua & integra redditur. Sic est in ætatibus hominum. Videas hominem in vanitate hujus seculi ab infantia usque ad profundam senectutem conversatum, sola terrena sapientem, & in his penitus obduratum: cum hoc age de spiritualibus, huic de subtilitate contemplationis divinæ loquere, hunc secreta cælestia doce rimari, & perspicies eum nec quid velis quidem posse videre. Nec mirum: indurata cera est: in istis ætatem non trivit, aliena ab istis sequi didicit. Econtrario consideres puerum, ætate ac scientia tenerum, nec bonum nec malum discernere valentem, nec te quidem intelligere de hujusmodi differentem: nimirum mollis cera est & quasi liquens, nec imaginem sigilli quoquo modo recipiens. Medius horum adolescens & juvenis est, ex teneritudine atque duritia congrue temperatus: si hunc instruxeris, ad quæ voles, informare valebis. Quod ipse animadvertens, juvenibus majori solicitudine invigilo, procurans cuncta in eis vitiorum germina extirpare, ut in sanctarum exercitiis virtutum postea competenter edocti, spiritualis in se transforment imaginem viri.

C

Absolvi à Prioratu petens,

18 Sed cum inter hæc eum diversa diversorum negotia fatigarent, & nonnumquam illius mentem à sua quiete turbarent; consilium super his à supradicto venerandæ memoriæ Archiepiscopo Rotomagensi Maurilio postulaturus, Rotomagum venit. Cumque sui adventus causam Pontifici exponeret, ac inter verba pro amissa status sui tranquillitate vehementissime fleret; ab onere Prælationis, quod sibi fatebatur importabile, ut relevari mereretur, magnopere cœpit rogare. At ille, sicuti vir magnæ sanctitatis, Noli, inquit, mi fili carissime, quod quæris quærere, nec te à subvectione aliorum, tui solius curam gerens, velis retrahere: vere etenim dico tibi, me de multis audisse, multosque vidisse, qui quoniam causa suæ quietis proximorum utilitati per pastoralem curam invigilare noluerunt, per desidiam ambulantes, semper de malo in pejus profecerunt. Quapropter ne tibi (quod absit) hoc idem contingat, per sanctam obedientiam præcipio, quatenus Prælationem, quam nunc habes, retineas; nec eam, nisi tuo jubente Abbate, quomodolibet deseras: & si quando fueris ad majorem vocatus, eam suscipere nullatenus abnuas. Scio enim, quod in hac, quam tenes, non diu manebis, verum ad altiorem Prælationis gradum post non multum proveheris. Quibus auditis, Væ, inquit, misero mihi. In eo quod porto, deficio: & si gravius imponitur onus, rejicere non audeo? Repetit Præsul edictum, & ut prius, jubet ne transgrediatur.

D

jubetur in eo & in majori postea gradu perseverare,

ANNOTATA.

a *Anno Christi* 1060.

b Cadomus *urbs præcipua inferioris Normanniæ ad Ornam fluvium, cum celebri academia & variis monasteriis.*

E

c *Cœnobium S. Stephano Protomartyri dicatum, à Guilelmo Conquestore Rege Angliæ & Duce Normanniæ fundatum, sed à sceleratissimis Calvinistis eversum: chartas fundationis edidit Lucas Atherius, in Notis ad vitam B. Lanfranci editam ante ejus opera.*

d *Assumptus est Abbas Primus B. Lanfrancus anno* 1062 *uti supra ex Chronico Beccensi retulimus.*

e Scilla *aliis* Squilla *&* Skella *ex Teutonica lingua significat* nolam: *auctores vide* 12 *Febr. ad Vitam S. Benedicti Anianensis, num.* 38.

f *Ab anno Christi* 1063 *usque ad annum* 1078 *per annos quindecim.*

g *Forsan sunt* Alloquia cælestia seu Faculæ piorum affectuum erga Deum, Christum Dominũ, Deiparã, Cælites complures, *à Raynaudo edita à pag.* 197.

CAPUT III.

Benignitas erga omnes: Libri nonnulli & epistolæ scriptæ.

19 Dehinc Anselmus ad monasterium reversus, talem se cunctis exhibuit, ut ab omnibus loco carissimi patris diligeretur. Ipse enim mores omnium & infirmitates æquanimiter sufferebat, & unicuique, sicut expedire sciebat, necessaria suggerebat. O quot in sua jam infirmitate desperati, per piam solicitudinem ejus sunt ad pristinam sanitatem revocati. Quod tu, Herewalde decrepite senex, in te ipso percepisti, quando gravatus non solum ætate, sed & valida infirmitate, ita ut nihil tui corporis, præter linguam, haberes in tua potestate; per manus illius pastus, & vino, de racemis per unam in aliam ejus manum expresso, de ejus ipsa manu bibens es refocillatus, ac pristinæ sanitati redonatus. Neque enim alium aut aliunde potum sumere poteras, qui tibi cordi esset, ut referebas. Ipse quippe Anselmus in usu habebat, infirmorum domum frequentare, singulorum Fratrum infirmitates diligenter investigare, & quod infirmitas cujusque expetebat, singulis absque mora seu tædio subministrare. Sicque sanis pater, & infirmis erat mater, immo sanis & infirmis pater & mater in commune. Unde & quidquid secreti apud se quivis illorum habebat, non secus quam dulcissimæ matri, illi revelare satagebat. Verumtamen solers diligentia juvenum hoc præcipue exercebat.

F

Sanis æque ægris pater & mater se exhibet,

20 De quorum numero quidam in ipso conventu hoc

A hoc apud se proposuerat, quatenus nulla occasione umquam suam manum suis genitalibus membris admoveret. Cui proposito invidens diabolus, tantum dolorem & angustiam in eisdem membris fecit eum sentire, ut se juvenis nullo modo ferre valeret: sentiebatur etenim caro ipsa tanti ponderis esse, ac si quædam plumbi gravissima moles ad ima eum detrahens, in illa sui corporis parte penderet. Cumque in habitu suo anxietatis magnitudinem dissimulare non posset, requisitus ab Anselmo quid haberet, rem celare non potuit. Admonitus itaque, ut modum ægritudinis, admota manu probaret, verecundatus recusavit, timens ne propositum violaret. Tunc Anselmus, assumpto secum quodam grandævo fratre & religioso, juvenem languidum in secretiorem locum ducit, utpote modum infirmitatis illius agniturus, & auxilium pro possibilitate laturus. Quid amplius? Caro sanissima reperitur, & admodum mirati sunt. E vestigio quippe omnis illa diabolica vexatio cadit: nec in hujusmodi fatigat ulterius juvenem, quem simplex Anselmi adspectus à tanta clade fecit immunem.

item senem morientem B

21 Præterea quidam ex antiquioribus ipsius cœnobii Fratribus, qui veteri odio plurimum erat infestus Anselmo, nec ullatenus poterat super eum respicere simplici oculo, infirmitate pressus, ad extrema perductus est. Cum itaq; Fratres meridiana hora in lectis ex more quiescerent; ipse in domo infirmorum, in qua jacebat, cœpit miserandas voces edere, & quasi quorumdam horridos aspectus subterfugere gestiret, pallens & anxie tremens; vultum suum delitescendo hinc inde commutare. Territi Fratres qui aderant, quid haberet, percunctantur. At ille: Geminos immanes lupos me inter brachia sua compressum tenere, & guttur meum impressis dentibus jam jam suffocare videtis; & quid mihi sit quæritis? Quo audito, unus ex monachis, Riculphus nomine, ad Anselmum, qui tunc in claustro emendandis libris intendebat, concitus perrexit, & eo extra claustrum educto, quid circa infirmum Fratrem ageretur, patefecit. Jussus ergo Riculphus ad ægrum rediit, & Anselmus in secretiorem locum solus secessit. Post modicum, domum, in qua frater qui patiebatur erat, ingrediens, levata manu, signum sanctæ Crucis edidit, dicens: In nomine Patris & Filii & Spiritus sancti. Ad quod factum statim æger conquievit, exhilarato vultu, intimo cordis affectu Deo gratias agere cœpit: dicebat enim, quod Anselmo ostium ingrediente, & extensa manu signum sanctæ Crucis edente, viderit ex ore illius flammam ignis in modum lanceæ procedentem, quæ in lupos jaculata eos deterruit, & celeri fuga delapsos procul abegit. Tunc Anselmus ad Fratrem accedens, atque cum eo de salute animæ suæ secretius loquens, ad pœnitudinem & confessionem omnium, in quibus se Deum offendisse recordari valebat, cor ejus inclinavit. Paterna dehinc auctoritate à cunctis absolutum, dixit eum hora qua Fratres ad Nonam surgerent, præsenti vita decessurum. Quod & factum est: nam monachis à lecto surgentibus, ipse ad terram depositus est; & illis circa ipsum in unum collectis, defunctus est.

ab horrificis spectris, C

super orantis caput globus igneus conspicitur.

22 Præfatus Riculphus secretarii, id est custodis, officio in ipso cœnobio fungebatur. Hic quadam nocte, dum tempus & horam, qua Fratres ad vigilias excitaret, per claustrum iens, observaret, forte ante ostium Capituli pertransivit: introspiciens vero, vidit Anselmum in oratione stantem, ingenti splendentis flammæ globo circumcinctum. Miratur, & quod videbat, quid novi prætenderet, ignorabat. Existimabat enim Anselmum ea hora sopori potius, quã orationi occupatum. Ocius itaq; dormitorium ascendit, ad lectum Anselmi vadit, sed eum ibi nequaquam invenit. Regressus igitur hominem in Capitulo reperit, sed globum ignis, quem reliquerat, non invenit.

AUCTORE EADMERO

23 Alio quodam tempore eidem Anselmo mandatũ ab uno de Principibus Normanniæ est, quatenus ad se in Angliam [navigaturum] transire vellet, cũ propter alia negotia, tũ ut sua prece iter illius per maritima pericula tueretur. Ascendit, abiit, jam dies mutui colloquii in vesperã declinabat, & Principem de hospitando Anselmo nulla cura detinebat: quod ubi Anselmo innotuit, nihil super se cuiquã locutus, accepta licentia, loco decessit. Eunti autem, & quo diverteret incertum habenti (Beccus enim longe aberat) occurrit unus de monachis Becci, volens illuc ire, quo eũ sciebat Principis colloquio detineri. Interrogat ergo eum Anselmus, quo tendat, ac deinde quid consilii de suo hospitio ferat. Respondit: Et quidem, Pater, hospitium qualecumque non longe habemus: sed quid vobis & Fratribus præter panem & caseum apponatur, nõ habemus. At ille subridens: Bone vir, ait, ne timeas: immo citus procede, & misso reti in vicinum amnem, statim invenies piscem, qui sufficiet omnibus nobis. Ille accepto mandato prævolat, accitoque piscatore, quid Anselmus jusserit, intimat: ac ut velocius rete in fluvium jactet, jubet, hortatur & obsecrat. Admiratus ille parere petenti moratur, ridendum potius quam attentandum, quod dicebat, fore pronuntians. Tandem tamen à Fratre coactus, contra spem rete jecit, & illico trutam insolitæ magnitudinis cum alio quodam pisciculo cœpit. Territus piscator ad factum & obstupefactus, asseruit se jam per viginti annos recessus aquæ illius rimasse, & numquam hujusmodi trutam in ea reperire potuisse. Parata igitur & viro apposita, juxta verbum ejus, sibi & suis copiose suffecit, & superabundavit.

De hospite & tractando solicitis,

truttam capiendam B

& sturionem adferendum prædicit.

24 Alia vice vir quidam, Walterus nomine, cognomine Tirellus, eumdem hominem per terram suã transeuntem detinuit, nolens eum à se impransum dimittere. Verum cum ipse de penuria piscium conquereretur, & quod tanto viro ac monachis ejus, nisi vilia quædam, non haberet quæ apponeret, alludens dixit ei Anselmus: Sturio unus en tibi defertur, & animus tuus de deliciarum inopia quæritur? Ridet ille, fidem his quæ audiebat præbere nullatenus valens. E vestigio autem verborum Anselmi, duo ex hominibus viri attulerunt sturionem unum prægrandem, quem in ripa fluminis Altejæ *a* dixerunt à pastoribus suis inventum, sibique transmissum. Si spiritum Prophetiæ in his viro affuisse quis dubitat, gestæ rei veritas, quid sit tenendum, declarat. *a*

F

varios libellos conscribit *b*

25 His temporibus scripsit tractatus *b* tres, scilicet de Veritate, de Libertate arbitrii, & de Casu diaboli. In quibus satis patet, ubi animum fixerit, quamvis ab eis, quæ aliorum cura expetebat, talium rerum consideratione nullo se modo subtraxerit. Scripsit & quartum, quem intitulavit, de Grammatico: in quo cum discipulo, quem secum disputantem introducit, disputans, cum multas quæstiones dialecticas proponit & solvit, tum qualitates & qualia, quomodo sint discrete accipienda, exponit & instruit. Fecit quoque libellum unum, quem Monologion *c* appellavit: solus enim in eo secum loquitur, ac tacita omni auctoritate divinæ Scripturæ, quid Deus sit, nec aliter esse posse, probat & adstruit. *c*

scriptaturus de attributis divinis calitus illustratur.

26 Post hæc incidit sibi in mentem investigare, utrum uno solo & brevi argumento probari posset id, quod de Deo creditur & prædicatur: videlicet, quod sit æternus, incommutabilis, omnipotens, ubique totus, incomprehensibilis, justus, pius, misericors, verax, veritas, bonitas, justitia, & nonnulla alia; & quomodo hæc omnia in ipso unum sunt. Quæ res, sicut ipse referebat, magnam sibi peperit difficultatem: nam hæc cogitatio partim illi cibum, potum, & somnum tollebat: partim, & quod magis eum gravabat, intentionem ejus, qua Matutinis & alii

AUCTORE EADMERO.

alii servitio Dei intendere debebat, perturbabat. Quod ipse animadvertens, nec adhuc, quod quærebat, ad plenum capere valens, ratus est hujusmodi cogitationem, diaboli esse tentationem, nisusq; est eam procul repellere à sua intentione. Verum quanto plus in hoc desudabat, tanto illum cogitatio ipsa magis ac magis infestabat. Et ecce quadam nocte, inter nocturnas vigilias, Dei gratia illuxit in corde ejus, & res patuit intellectui, immensoque gaudio & jubilatione replevit omnia intima ejus. Reputans ergo apud se, hoc ipsum & aliis, si sciretur, posse placere; livore carens, rem illico scripsit in tabulis, easque solicitius custodiendas uni ex monasterii Fratribus tradidit. Post dies aliquot tabulas repetit, à custode: quæruntur in loco, ubi repositæ fuerant, nec inveniuntur. Requiruntur à Fratribus, ne forte aliquis eas acceperit: sed nequaquam: nec enim hucusq; inventus est, qui recognoverit se quidquā inde scivisse. Reparat Anselmus aliud de eadem materia dictamen in aliis tabulis, & illas sub cautiori custodia tradit custodiendas. Ille in secretiore parte lectuli sui tabulas reponit, & sequenti die nil sinistri suspicatus, easdem in pavimento sparsas ante lectum reperit, cera, quæ in ipsis erat, hac illac frustratim dispersa. Levantur tabulæ, cera colligitur, & pariter Anselmo reportantur: adunat ipse ceram, &, licet vix, scripturam recuperat. Veritus autem, ne qua incuria penitus perditum eat, eam in nomine Domini pergameno jubet tradi. Composuit ergo inde volumen parvulum, sed sententiarum ac subtilissimæ contemplationis pondere magnum, quod Proslogion *d* nominatur: alloquitur etenim in eo opere, aut seipsum, aut Deum. Quod opus cum in manus cujusdam venisset, & is in quadam ipsius operis argumentatione non parum offendisset; ratus est eamdem argumentationem ratam non esse: quam refellere gestiens, quoddam contra illam *e* scriptum composuit, & illud fini ejusdem operis scriptum apposuit. Quod cum sibi à quodam amico suo transmissum Anselmus considerasset, gavisus est, & reprehensori suo gratias agens, suam ad hoc responsionem edidit, eamque libello sibi directo subscriptam sub uno, ei qui miserat amico remisit: hoc ab eo & ab aliis qui libellum illum habere dignantur, petitum iri desiderans, quatenus in fine ipsius suæ argumentationis reprehensio, & reprehensioni sua responsio subscribatur.

& ægre recuperatum scriptum,

B

d Proslogion nominat,

e eique Apologeticon addit,

C

f Inter alias epistolas

27 Inter hæc scripsit etiam quamplures epistolas, *f* per eas nonnullis ea, quæ secundum diversitatem causarum sua intererant, procurare mandans; & nonnullis consilium de negotio suo quærentibus, pro ratione respondens. Et quidē de his, quæ diversæ causæ scribere cogebant, mentionem facere supersedemus. Quid autem consilii cuidam Lanzoni, noviter apud Cluniacum facto monacho, per unam mandaverit, huic operi inserere curavi, quatenus in hac una cognoscatur, quid de aliis perpendatur *g*. Scripsit itaque inter alia sic: Ingressus es, carissime, professusq; Christi militiam: in qua non solum aperte obsistentis hostis violentia est propellenda, sed & quasi consulentis astutia cavenda. Sæpe namque, dum tyronem Christi vulnere malæ voluntatis aperte malevolus non valet perimere, sitientem tamen poculo venenosæ rationis malevole callidus tentat extinguere. Nam cum monachum nequit obruere, vitæ, quam professus est, odio, nititur eum cōversationis, in qua est, subruere fastidio. Et licet illi monachicum propositum tenendum quasi concedat; tamen quia hoc sub talibus, aut inter tales, aut in eo loco incepit, illum stultum nimis imprudentemque multimodis versutiis arguere non cessat: ut dum illi persuadet incepto Dei beneficio ingratum existere, justo judicio nec ad meliora proficiat, nec quod ac-

g unum scribit Lanzoni Cluniac.

cepit, teneat, aut in eo utiliter persistat. Quippe dum incessanter laboriosis cogitationibus de mutando, aut si mutari non valet, saltem de improbando initio meditatur, numquam ad finem perfectionis tendere conatur. Nam quoniam illi fundamentum, quod posuit, displicet; nullatenus illi structuram bonæ vitæ superædificare libet. Unde fit, ut quemadmodum arbuscula, si sæpe transplantetur, aut nuper plantata, in eodem loco crebra convulsione inquietetur, nequaquam radicare valens, ariditatem cito attrahit, nec ad aliquam fructus fertilitatem pervenit; sic infelix monachus, si sæpius de loco ad locum proprio appetitu mutatur, aut in uno permanens, frequenter ejus odio concutitur; nusquam amoris stabilitus radicibus, ad omne utile exercitium languescat, & nulla bonorum operum ubertate ditescat: cumque se nequaquam ad bonum, sed in malum proficere (si forte hoc recogitat) perpendat, omnem suæ miseriæ causam non suis, sed aliorum moribus injustus intendat, atq; inde se magis ad odium eorum, inter quos conversatur, infeliciter accendat. Quapropter quicumque cœnobitarum forte propositum aggreditur, expedit ei, ut in quocumque monasterio professus fuerit (nisi tale fuerit, ut ibi malum facere invitus cogatur) tota mentis intentione amoris radicibus ibi radicare studeat, atque aliorum mores aut loci consuetudines, si contra divina præcepta non sunt, etiamsi inutiles videantur, dijudicare refugiat. Gaudeat se jam tandem invenisse, ubi se non invitum, sed voluntarium tota vita mansurum, omni transmigrandi solicitudine propulsa deliberet, ut quietus ad sola piæ vitæ exercitia exquirenda sedulo vacet.

D

docens à diabolo esse cogitationem de loco mutando,

E

28 Quod si sibi videtur majora quædam ac utiliora spirituali fervore appetere, quam illi præsentis monasterii institutionibus liceat, æstimet aut se falli, sive præferendo paria paribus, vel minora majoribus; sive præsumendo se posse, quod non possit, aut certe credat se non meruisse, quod desiderat. Quod si fallitur, agat gratias divinæ misericordiæ, qua ab errore suo defenditur, ne sine emolumento aut etiam cum jactura locum vel vitæ ordinem mutando, inconstantiæ levitatisque frustra crimen subeat, aut majora suis viribus experiendo fatigatus, deterius in priora aut etiam in pejora prioribus deficiat. Si autem vere meliora illis, quæ in promptu sunt, nondum meritus optat, patienter toleret divinum judicium, quod ulli aliquid injuste non denegat; neque murmurando aut obloquendo Deum offendat, sed æquanimiter omnia sufferat, omnia ad meliora conetur deducere ferendo; ne per impatientiā judicem justum exasperans, mereatur quod non habet non accipere, & quod accepit amittere, aut quod non amat, inutiliter tenere. Si vero misericordiam seu judicium erga se in illis, quæ non habet & optat, persentiat, lætus ex his quæ accepit, largitati supernæ gratias dignas persolvat: & quia ad qualemcunque portum de procellosis mundi turbinibus potuit pertingere, caveat in portus tranquillitatem, ventum levitatis & impatientiæ turbinem inducere; quatenus mens, constantia & mansuetudine tutantibus quieta, divini timoris solicitudini & amoris delectationi sit intenta. Nam timor per solicitudinem custodit, amor vero per delectationem perficit. Scio, quia hæc majorem aut scribendi, aut colloquendi exigunt amplitudinem, ut plenius intelligatur, quibus scilicet dolis antiquus serpens ignarum monachum in hoc genere tentationis illaqueet, & è cōtra quibus rationibus prudens monachus ejus callidas persuasiones dissolvat & annihilet: sed quoniam jam brevitatem, quam exigit epistola, excessi;

& qualiter quis gerat contra eam, si debeat,

F

&

A

& totum, quod hinc dixi, aut dicendum fuit ad custodiendam mentis quietem pertinet, hujus rei brevis exhortatio epistolam nostram terminet. Nec putes, carissime, hæc me idcirco dicere, quod suspicer te aliqua mentis inquietudine laborare: sed quoniam dominus Urso cogit me aliquam admonitionem tibi scribere, nescio quid potius moneam, quam cavere hoc sub specie rectæ voluntatis, quod scio novitiis quibusdam solere subrepere. Quapropter, amice mi & frater dilectissime, consulit, monet, precatur te tuus dilectus dilector, totis cordis visceribus, ut totis viribus quieti mentis studeas, sine qua nulli licet callidi hostis insidias circumspicere, vel semitas virtutum angustissimas prospicere. Ad hanc vero monachus, qui in monasterio conversatur, pertingere nullatenus valet sine constantia & mansuetudine, quæ mansuetudo indissolubilis comes est patientiæ: nisi monasterii sui instituta, quæ divinis non prohibentur mandatis, etiamsi rationem eorum non perviderit, ut religiosa studuerit observare, Vale, & omnipotens Dominus perficiat gressus tuos in semitis suis, ut non moveantur vestigia tua, ut in justitia appareas in conspectu Domini, & satieris cum apparuerit gloria ejus.

quietique studere.

B

ANNOTATA.

a Althea *Rivulus Picardiæ, prope oppidum* Dourlens, *de quo in Actis S. Fursei 16 Ianuarii.*

b *Quatuor hi priores libri per modum Dialogi inter Magistrum & discipulum scripti continentur, parte prima inter opuscula Didactica apud Raynaudum à pag. 37, uti in prioribus editionibus.*

c *Hoc* Menologium *in capita 77 distinctum, extat inter dicta Didactica opuscula apud Raynaudum primo loco.*

d *Hoc* Prosologion *substituitur dicto Menologio, in 26 capita distinctum.*

e *Substituitur sub hoc titulo* Liber pro insipiente, ad B. Anselmi in Prosologio ratiocinationem, auctore incerto: *& additur*, Liber B. Anselmi apologeticus contra insipientem, *capitibus 10 comprehensus.*

f *Continentur lib. I epistolæ quas necdum Abbas scripsit, & sunt 77, simul cum paucis ad eum epistolis aliorum.*

g *Est hæc epistola 29 ubi plura sub initium hic omissa continentur.*

CAPUT IV.

Oblatæ divinitus visiones, consilium circa regimen puerorum, amor vitæ communis & discretio.

C

Æger in extasi videt quam fordida mundanorum

29 Inter hæc cum jam, ut dictis & scriptis suis mores sui in nullo discordarent, totam suæ mentis intentionem in contemptum mundi composuisset, & his solis, quæ Dei erant, totum studium suum infixisset; contigit, ut infirmitate correptus, graviter affligeretur. Sed ipse in Deo semper existens, languore paulisper sedato, extra se per mentis excessum raptus, videt fluvium unum rapidum atq; præcipitem, in quem confluebant omnium fluxuum purgaturæ, & quarumque rerum terræ lavaturæ. Videbatur itaque aqua ipsa nimis turbida & immunda & omni spurcitiarum sorde horrida. Rapiebat igitur in se, quidquid attingere poterat, & devolvebat tam viros quam mulieres, divites & inopes simul. Quod cum Anselmus vidisset, & tam obscœnam revolutionem illorum miseratus, unde viverent, aut unde sitim suam refocillarent qui sic ferebantur, inquireret; accepissetque responsum, eos ea, qua trahebantur, aqua vivere delectarique, indignantis voce inquit: Quomodo? Taline aliquis cœno potatus, vel pro ipso hominum pudore se ferret? Ad hæc ille, qui comitabatur eum, Ne mireris, ait. Torrens mundi est, quod vides, quo rapiuntur & involvuntur homines mundi: & adjecit, Visne videre, quid sit verus monachatus? Respondit: Volo. Duxit ergo illum quasi in conspectum cujusdam magni & ampli claustri, & dixit ei: Circumspice. Adspexit, & ecce parietes claustri illius obducti erant argento purissimo: herba quoque mediæ planitiei virens erat & ipsa argentea, mollis quidem & ultra humanam opinionem delectabilis. Hæc more alterius herbæ sub his, qui in ea pausabant, leniter flectebatur; & surgentibus ipsis, & ipsa erigebatur. Itaque locus ille totus erat amœnus, & præcipua jucunditate repletus: hunc ergo ad inhabitandum elegit sibi Anselmus. Tunc ductor ejus dixit ei: Eia, vis videre, quid sit patientia vera? Ad quod cum ille magno cordis affectu gestiret, & se id quam maxime velle responderet, ad se subitò reversus, & visionem & visionis demonstratorem dolens ac gemebundus pariter amisit. Duas autem, quas viderat, visiones intelligens, secumque revolvens, eo magis unius horrorem fugere, quo alterius amœnitate studuit delectari. Totum ergo deinceps sese dedit in hoc, ut verus monachus esset, & ut vitam monachicam firma ratione comprehenderet, aliisque proponeret. Nec est privatus desiderio suo: quod quidem, ut æstimo, aliquantum percipi poterit ex verbis ejus, quæ per vices huic opusculo indere rati sumus, juxta quod series gestæ rei, quam suscepimus enarrare, postulabit. Nec enim mihi videtur, pleniter posse pertingi ad notitiam institutionis vitæ illius, si descriptis actibus ejus, quis vel qualis fuerit in sermone, taceatur.

AUCTORE EADMERO

quam pulcra & amœna religiosorum vita sit.

E

30 Quodam igitur tempore cum quidam Abbas, qui admodũ religiosus habebatur, secum de his, quæ monasticæ religionis erant, loqueretur; ac inter alia de pueris in claustro nutritis verba conferret, adjecit: Quid obsecro, fiet de istis? Perversi sunt & incorrigibiles, die ac nocte non cessamus eos verberantes, & semper fiunt sibiipsis deteriores. Ad quæ miratus Anselmus: Non cessatis, inquit, eos verberare? Et cum adulti sunt, quales sunt? Hebetes, inquit, & bestiales. At ille: Quam bene omne nutrimentum vestrum expenditis, qui de hominibus bestias nutrivistis? Et nos, ait, quid possumus inde? Modis omnibus constringimus eos, ut proficiant, & nihil proficimus. Constringitis? dic mihi, quæso, Domine Abba, si plantam arboris in horto tuo plantares, & mox illam omni ex parte concluderes, ut ramos suos nullatenus extendere posset, cum eam post annum excluderes, qualis arbor inde prodiret? Profecto inutilis, incurvis ramis & perplexis: & hoc ex cujus culpa procederet, nisi tua, qui eam immoderate conclusisti? Certe hoc facitis de pueris vestris. Plantati sunt per oblationem in horto Ecclesiæ, ut crescant & fructificent Deo. Vos autem intantum terroribus, minis & verberibus undiq; illos coarctatis, ut nulla sibi penitus liceat libertate potiri. Itaque indiscrete oppressi, pravas & spinarum more perplexas intra se cogitationes congerunt, fovent, nutriunt, tantaque eas nutriendo vi suffulciunt, ut omnia, quæ illorum correctioni possent adminiculari, obstinata mente subterfugiant: unde fit, ut quia nihil amoris, nihil pietatis, nihil benevolentiæ sive dulcedinis circa se in vobis sentiunt, nec illi alicujus in vobis boni postea fidem habeant, sed omnia vestra ex odio & invidia contra se procedere credant: contingitque modo miserabili, ut sicut deinceps corpore crescunt, sic in eis odium & suspicio omnis mali crescat, semper pronis & incurvis ad vitia. Cumque apud nullum fuerint in vera caritate nutriti, nullum nisi depressis super-

Abbatem de pueris querulum

F

docet, eos nequaquam nimium coarctari debere.

AUCTORE EADMERO

superciliis oculove obliquo valent intueri.

neque solis flagris posse formari,

31 Sed propter Deum vellem diceretis mihi, quid causæ sit, quod eis tantum infesti estis? Nonne homines, nonne ejusdem naturæ sunt, cujus vos estis? Velletisne vobis fieri, quod illis facitis, si quidem, quod sunt, vos essetis? Sed esto: solis eos percussionibus & flagellis, ad mores bonos vultis informare. Vidistis unquam aurificem ex lamina auri vel argenti, solis percussionibus imaginem speciosam formasse? Non puto. Quid tunc? Quatenus aptam formam ex lamina aptet, nunc eam suo instrumento leniter premit & percutit, nunc discreto levamine lenius lævat & format, sic & vos, si pueros vestros cupitis ornatis moribus esse, necesse est, ut cum depressionibus verberum, impendatis eis paternæ pietatis & mansuetudinis levamen atque subsidium. Ad hæc Abbas: Quod levamen? quod subsidium? Ad graves & maturos mores illos constringere laboramus. Cui ille: Bene quidem. Et panis & quisque solidus cibus, utilis & bonus est, eo uti valenti: verum subtracto lacte, ciba inde lactentem infantem, & videbis eum magis ex hoc strangulari, quam recreari. Cur hoc? Dicere nolo, quoniam claret. Attamen hoc tenete, quia sicut fragile & forte corpus pro sua qualitate habet cibum suum, ita fragilis & fortis anima habet pro sui mensura victum suum. Fortis anima delectatur & pascitur solido cibo, patientia scilicet in tribulationibus, non concupiscere aliena, percutienti unam maxillam præbere alteram, orare pro inimicis, odientes diligere, & multa in hunc modum: fragilis autem adhuc in Dei servitio, tenero lacte indiget, mansuetudine videlicet aliorum, benignitate, misericordia, hilari advocatione, caritativa supportatione, & pluribus hujusmodi. Si taliter vestris & fortibus & infirmis vos coaptatis, per Dei gratiam omnes, quantum vestra refert, Deo acquiretis. His Abbas auditis, ingemuit, dicens: Vere erravimus à veritate, & lux discretionis non luxit nobis: & cadens in terram ante pedes ejus, se peccasse, se reum esse confessus est; veniamq; de præteritis petiit, & emendationem de futuris repromisit. Hæc idcirco diximus, quatenus per hæc, quam piæ discretionis & discretæ pietatis in omnes fuerit, agnoscamus.

neque sicut monachos perfectos tractari.

B

Augetur numerus sub Anselmo:

32 Talibus studiis intendebat, in istis Deo serviebat, per hæc bonis omnibus valde placebat. Unde bona fama ejus non modo Normannia tota est respersa, verum etiam Francia tota, Flandria tota, contiguaque his terra omni; quin & mare transiit, Angliamque replevit. Exciti sunt quaqua gentium multi Nobiles, prudentes Clerici, strenui Milites, atque ad eum confluxere, seque & sua in ipsum monasterium servitio Dei tradidere. Crescit cœnobium illud intus & extra: intus in sancta religione, extra multimoda possessione.

C

Iter facturus pro Abbate nihil sibi uni servari permittit,

33 Cum vero Abbas Herluinus, cujus supra meminimus, jam decrepitus, monasterii causis intendere, & opem ferre non valeret; quidquid agi oportebat, sub Anselmi, utpote Prioris, dispositione fiebat. Exigentibus igitur multiplicibus causis, eum foras monasterium ire sæpe necesse fuit. Cui dum nonnumquam equi & alia, quæ sunt equitaturis necessaria, deessent; præcepit Abbas ei omnia, quæ opus erat, parari; & illi soli, sicut propria, ministrari. At ille ad nomen proprietatis inhorruit, & reversus de itinere, quæque specialiter fuerant præparata in viam ituris, communiter exponi jussit: nec propter secuturam, quam forsan erat passurus, penuriam unquam se retraxit, quin ex sua copia ceterorum suppleret inopiam. Nec mirandum, cum jam mundo illuxerat, eum se Fratribus suis talem exhibuisse; cum, sicut ipsemet referre solitus erat, etiam quando adhuc in seculari

omnia volens in commune referri.

D

vita degebat, eo circa alios amore fervebat, ut quemcumque sui ordinis minus se habentem videret, ejus inopiam de abundantia sua libens pro posse suppleret. Jam tunc enim ratio illum docebat, omnes divitias mundi pro communi hominum utilitate ab uno omnium Patre creatas, & secundum naturalem legem nihil rerum magis ad hunc quam ad istum pertinere. Taceo, quod illi sæpe plura auri & argenti pondera à nonnullis sunt oblata, quatenus ea in suos suorumq; usus susciperet, servaret, dispenderet; quæ ipse nulla patiebatur ratione suscipere, nisi forte cōmuni Fratrum utilitati profutura, Abbati præsentarentur. Sed cum is, qui sua offerebat, è contra diceret, se nullam tunc voluntatem habere, ut Abbati vel monachis aliquid daret, nisi ei soli; referebat ille, se talium opus non habere, nec aliter à quoquam velle quidquam accipere.

inventus annulus episcopatum ei præsagisse creditur,

34 Illud autem breviter dico, quod inter hujuscemodi studia, die quadā dum ad lectum suum in dormitorio diverteret, annulum aureum in eo insperatus invenit, & admodum miratus est. Reputans ergo apud se, ne forte aliquis eorum, qui res monasterii procurabant, quovis eventu eumdem annulum ibi reliquerit, levavit eum & singulis ostendit. Mirantur illi, & se rei conscios omnino negant. Ostenditur aliis atque aliis, sed hucusque nullus fuit, qui recognoverit, unde vel à quo illuc delatus sit. Et tunc quidem annulus idem in opus Ecclesiæ expensus est, & res ita remansit: postmodum vero, cum ipse Anselmus ad Pontificatum sumptus est, fuerunt qui hoc ipsum per annulum illum jam tunc quodam præsagio præsignatum fuisse assererent. Nos autem quæ gesta sunt, simplici tantum stylo digerimus.

E

Dæmon Caduli militis orationem turbat,

35 Invitabatur præterea à diversis Abbatiis, quatenus ibi & publice in Capitulo Fratribus, & secum privatim loqui volentibus, verba vitæ ministraret: namque solenne extiterat omnibus, ut quidquid ab ore illius foret auditum, sic haberetur quasi plane divinum responsum; unde requirendi consilii gratia, ex diversis ad eum locis festinabatur: quæ res invidia gravi diabolum vulnerabat. Nonnullos ergo, quos ab ea intentione secreta fraude non poterat, manifesta increpatione avertere machinabatur. Exempli causa. Miles quidam erat, Cadulus nomine: hic quadam vice vigiliis & orationibus Deo intentus, audivit diabolum sub voce scutarii sui extra ecclesiam, in qua erat, vociferantem, & turbato murmure, equos & omnia sua fracto hospitio à latronibus jam tunc direpta esse atque abducta conquerentem, nec aliquid eorum ulterius recuperandum, ni citius accurreret. Ad quæ cum ille nequaquam moveretur, majus videlicet damnum deputans orationi cedere, quam sua perdere, dolens diabolus se despectum, in speciem ursi demutatus est, & ecclesiæ per tectum dilapsus, ante ipsum præceps corruit, ut horrore saltem & fragore sui casus, virum à cœpto perturbaret. Sed Miles immobilis permanet, & monstrum securus irridet. Post quæ statum vitæ suæ proposito sanctiori fundare desiderans, Anselmum adiit, consilium ejus super hoc addiscere cupiens. Verum dum ad ipsum vadens, iter acceleraret, ecce malignus hostis humanam vocem ex adverso edens, in hæc verba prorupit: Cadule, Cadule, quo tendis? Igitur cum ille ad vocem hanc subsisteret, scire volens, quis esset qui talia diceret, repetivit dæmon & ait: Quo tendis, Cadule? Quid te tantopere Priorem illum hypocritam cogit adire: opinio siquidem ejus omnino alia est à conversatione vitæ illius. Quapropter suadeo, consulo, ut celerius redeas; ne seductus ab ea stultitia, qua modo traheris, illaqueeris; hypocrisi namque sua jam multos decepit, & spe vana delibutos, suis vacuos & immu-

F

& ne Anselmum adeat impedire frustra conatur.

A immunes effecit. Hæc ille audiens, & dæmonem esse, qui loquebatur recognoscens, signo se Crucis munivit: & spreto hoste, quo proposuerat ire, perrexit. Quid plura? Audito Anselmo, abnegato seipso & seculo, religiosæ vitæ se tradidit, & apud Majus-monasterium monachus factus est. Hunc etenim usum Anselmus habebat, ut numquam alicujus commodi causa suaderet alicui seculo renuntiare volenti, quatenus in suo monasterio potius, quam in alieno, id faceret. Quod nimirum eo intuitu, ea consideratione faciebat, ne ullus postmodum loco, quem propria deliberatione non intraverat, aliqua, ut fit pulsatus molestia, detraheret; & scandali sui ac impatientiæ murmur persuasioni illius imputaret; itaque se aliis, & alios sibi, ad multa divisus, graves efficeret.

CAPUT V.

Abbatis electi benignitas erga hospites & domesticos. Iter in Angliam. Colloquium cum B. Lanfranco de cultu S. Elphegi.

B 36 Defuncto sæpe superius nominato Abbate a Herluino, uno omnino Fratrum Beccensium consensu in Abbatem eligitur. Quod ipse omni studio subterfugere gestiens, multas & diversas rationes, ne id fieret, obtendebat. Sed illis nec auditum quidem rationibus ejus patienter accommodare volentibus, anxiatus est in eo spiritus ejus, & quid ageret ignorabat. Transierunt in istis dies quidam: verum ubi Anselmus vidit se monachorum unanimem constantiam non posse verbis mutare, tentavit si quo modo eam valeret vel precibus inclinare. Eis itaque pro re sub uno constitutis, ac ei, ut omissis objectionibus solitis, Abbas fieri acquiesceret, insistentibus; ille flens & miserandos singultus edens, prosternitur in faciem coram omnibus, orans & obtestans eos per nomen Dei omnipotentis, per si qua in eis erant pietatis viscera, quatenus respectu misericordiæ Dei super eum intendant, & ab incepto desistentes, se a tanto onere quietum manere permittant. At illi omnes e contra in terram prostrati, orant ut ipse potius loci illius & eorum misereatur, ne postposita utilitate communi, se solum præ C ceteris singulariter amare convincatur. Acta sunt de his utrimque plurima in hunc modum: sed jam nunc eis istum ponimus dicendi modum. Vicit tandem dicendi importunitas & importuna diligentia Fratrum, jugum Domini sub ejus regimine ferre volentium: vicit quoque, & multo maxime vicit præceptum, quod, ut supra retulimus, ei fuerat ab Archiepiscopo Maurilio per obedientiam injunctum, videlicet ut si major Prælatio, quam illius Prioratus extiterat, ipsi aliquando injungeretur, nullatenus eam suscipere recusaret: nam sicut ipse testabatur, numquam se Abbatem fieri consensisset, nisi eum hoc, quod dicimus, imperium ad hoc constrinxisset. Tali ergo violentia est Abbas effectus, ac Becci debito cum honore b sacratus. Qualem vero se deinceps in cunctis sanctarum exercitiis virtutum exhibuerit, inde colligi potest, quod numquam de retroacta sanctitatis suæ conversione causa Abbatiæ aliquid minuit, sed semper de virtute in virtutem, ut Deum deorum in Sion mereretur videre, conscendere studuit.

a Abbas electus, post irrita preces, tandem cedit,

memor mandati ab Episcopo accepti

à lucri cupiditate alienus justitiā cuique simpliciter facit

37 Delegatis itaque monasterii causis curæ ac sollicitudini Fratrum, de quorum vita & strenuitate certus erat; ipse Dei contemplationi, monachorum eruditioni, admonitioni, correctioni jugiter insistebat: quando autem aliquid magni in negotiis ecclesiæ erat agendum, quod in ejus absentia non æstimabatur oportere definiri; tunc pro tempore & ratione negotium, quod imminebat, mediante justitia disponebat. Abominabile quippe judicabat, si quidvis lucri assequeretur, ex eo, quod alius contra moderamina juris quavis astutia perdere posset: unde neminem in placitis patiebatur à suis aliqua fraude circumveniri, observans ne cui faceret, quod sibi fieri nollet. Hinc procedebat, quod inter placitantes residens, cum adversarii ejus per sua consilia disquirerent, quo ingenio, quave calliditate suæ causæ adminiculari, & illius valerent fraudulenter insidiari; ipse talia nullatenus curans, eis, qui sibi volebant intendere, aut de Euangelio, aut de aliqua alia divina Scriptura, aut certe aliquid de informatione morum bonorum disserebat. Sæpe etiam, cum hujusce auditores deerant, suaviter in sui cordis puritate quiescens, corpore dormiebat. Eveniebatque nonnumquam, ut fraudes subtili machinatione compositæ, mox ubi sunt in audientiam illius delatæ, non quasi à dormiente, qui tunc erat, sed sicut à perspicaciter vigilante & intendente, sint detectæ atque dissectæ. Caritas enim, quæ non æmulatur, quæ non agit perperam; quæ non quærit quæ sua sunt; in eo vigebat: per quam, quæ videnda erant, veritate monstrante, extemplo perspiciebat. E

AUCTORE EADMERO

38 Quam vigil autem atque solicitus fuerit circa hospitum susceptionem, eorumque in omni humanitatis officio relevationem, ex eo probatur, quod illum pio studio in hoc & se & sua novimus expendisse; se in omni hilaritate, sua in omni largitate. Quod si aliquando ad refectionem corporum victus omnino pro voto suo non sufficiebat, hoc, quod deerat, ejus bona voluntas & vultus alacritas apud hospites gratiose supplebat. Præterea nonnumquam cibus Fratrum suo jussu de refectorio sublatus, & hospitibus est allatus atque appositus: neque enim tunc in promptu aliud erat, quod eis apte posset apponi. Victus autem monachorum ita Deo providente dispensabatur, ut nihil eorum, quæ necessitas expetebat, illis deesset, licet sæpissime in hoc essent, ut timeretur ne in crastinum eis cuncta deessent: sicque nonnumquam inter aliquid & quasi nihil ferebantur, ut aliquid eis non superflueret, & quod erat quasi nihil eos nequaquam per inopiam fatigaret.

erga hospites etiam in penuria liberalis,

39 Quod penitus illis contingebat secundum verba sui Patris, qui ea prædicebat, dum ministri ecclesiæ apud eum querebantur de formidine imminentis necessitatis. Frequenter namque à cellariis, à secretariis adjutus est, & quid consilii contra penuriam, quæ cujusque obedientiam pessumdabat, daret, inquisitus: quibus cum responderet, Sperate in Domino, & spero, quia ipse necessaria quæque vobis ministrabit; mirabili modo non secus eveniebat in re, quam ipse dicebat se habere in spe. Videres enim post hæc verba statim ipsa die, vel certe sequenti mane, sive, quod falli non poterat, priusquam penuria aliqua illum affligeret, aut naves de Anglia oneratas omni copia in usum illorum juxta appelli, aut quemlibet de divitibus terræ fraternitatem Ecclesiæ quærentem, cum magna pecunia adventare; aut aliquem, relinquere mundum volentem, se & sua in monasterium offerre; aut denique aliunde aliquid apportari, unde per plurimos dies necessaria quæque poterant ministrari. F

in hac numquā frustra Deo confidit,

40 Habebat præterea ipsum cœnobium plures possessiones in Anglia, quas pro communi Fratrum utilitate necesse erat per Abbatis præsentiam nonnumquam visitari. Ipso itaque suæ ordinationis anno, Anselmus in Angliam profectus est. Ad quod licet hæc, quam dixi, satis firma causa existeret, alia tamen erat non infirmior ista, videlicet ut reveren-

Transfretat in Angliam

AUCTORE EADMERO

dum Lanfrancum, cujus supra meminimus, videret & cum eo de his, quæ corde gerebat, familiari affatu ageret. Ipse siquidem venerabilis vir jam de Abbate Cadomensi factus fuerat *c* Archiepiscopus Cantuariensis, omnibus valde honorabilis, & sublimi probitate conspicuus.

apud monachos de caritate disserit, d

41 Cum igitur Anselmus, transito mari, Cantuariam veniret; pro sua reverentia & omnibus nota sanctitate, honorifice à conventu ecclesiæ *d* Christi, in ipsa civitate sua, susceptus est, Pro quo honore nolens ingratus existere, postmodum ipsi monachorum conventui, à gratiarum actione inchoans, procedente in hoc verborum serie, de caritate locutus est, rationabiliter ostendens eum, qui caritatem habet, majus aliquid habere quam illū, ad quē caritas ipsa habetur. Ipse enim inter alia inquit: Qui caritaté habet, hoc unde Deus ei scit gratias, habet: ille vero, ad quem tantummodo habetur, minime. Quas etenim gratias mihi debet Deus, si tu me vel quilibet alius diligit? Quod si majus est habere hoc, unde Deus scit homini grates, quam hoc, unde nullas; cum pro habita caritate gratias sciat, pro suscepta non adeo; colligitur, eum qui caritatem erga alium habet, majus quid habere, quam ipsum, cui impenditur. Amplius. Is, cui dilectio alterius servit, solius commodi munus perfunctorie suscipit; verbi gratia, honorem unum, beneficium unum, prandium unum, vel quodlibet officii genus in hunc modum: alius vero caritatem, quæ commodi munus exhibuit, sibi retinuit. Quod in vobis & in me, sanctissimi fratres, libet in præsenti considerare. Ecce unum caritatis officium mihi impendistis: impendistis, inquam, mihi caritatis officium unum, & à me jam ipsum officium transiit; caritas vero ipsa, quæ Deo est grata, vobis remansit. Nonne melius judicatis bonum permanens bono transeunti? Adhæc, si ex ipso officio circa vos aliquid caritatis in me crevit, & hoc ipsum vobis ad cumulum retributionis erit, qui fecistis unde mihi tantum bonum provenit: si non, vobis tantum caritas vestra remansit; à me officium quod exhibuistis, penitus transiit. Hæc igitur si recta consideratione attendimus, profecto perspiciemus, magis nobis esse gaudendum, si alios diligimus, quam si diligimur ab aliis: quod quia non omnes faciunt, multi potius ab aliis amari, quam amare alios cupiunt. Hæc & hujusmodi multa locutus est, & accepta fraternitate monachorum, factus est inter eos unus ex eis; degens per dies aliquot inter eos, & quotidie aut in capitulo, aut in claustro, mira quadam; & illis adhuc temporibus insolita, de vita & moribus monachorum coram eis rationabili facundia disserens. Privatim quoque aliis horis agebat cum his, qui profundioris ingenii erant, profundas eis de divinis nec non secularibus libris quæstiones proponens, propositasque exponens. Quo tempore & ego ad sanctitatis ejus notitiam pervenire merui, ac pro modulo parvitatis meæ, beata illius familiaritate, utpote adolescens qui tunc eram, non parum potiri.

quantoque præstet eam impendere quam accipere.

B

inter eosdem familiariter degit.

C

B. Lanfranco ritus Anglicanos innovanti.

42 Inter reverendum autem Pontificem Lanfrancum, & hunc Abbatem Anselmum, quid in illis diebus actum dictumve sit, planum est intelligere his, qui vitam & mores noverunt utrorumque. Qui vero non noverunt, ex eo intelligant, quod, inquantum nostra & multorum fert opinio, non erat illo tempore ullus, qui aut Lanfranco in auctoritate vel multiplici rerum scientia, aut Anselmo præstaret in sanctitate vel Dei sapientia. Erat præterea Lanfrancus adhuc quasi rudis Anglus, necdumque sederant animo ejus quædam institutiones, quas repererat in Anglia: quapropter complures de illis, magna fretus ratione, mutavit, sola auctoritatis suæ deliberatione. Itaque dum illarum mutationi intenderet, & Anselmum, unanimem scilicet amicum & fratrem, secum haberet, quadam die familiarius cum eo loquens, dixit ei: Angli isti, inter quos degimus, instituerunt sibi quosdam, quos colerent, Sanctos: de quibus cum aliquando, qui fuerint, secundum quod ipsimet referunt, mente revolvo, de sanctitatis eorum merito animum à dubietate flectere nequeo.

D

dubitantique an S. Elphegus possit coli ut Martyr,

43 Et ecce unus illorum est in sancta, cui nunc Deo auctore præsidemus, Sede quiescens, *e* Elphegus nomine, vir bonus quidem, & suo tempore gradu Archiepiscopatus præsidens ibidem: hunc non modo inter Sanctos, verum inter Martyres numerant, licet eum non pro confessione nominis Christi, sed quia se pecunia redimere non voluit, occisum non negent. Nam cum illum, ut verbis utar Anglorum, æmuli ejus & inimici Dei Pagani cepissent, & tamen pro reverentia illius ei potestatem se redimendi concessissent, immensam pro hoc ab eo pecuniam expetiverunt: quam quia nullo pacto poterat habere, nisi homines suos eorum pecunia spoliaret, & nonnullos forsitan invisæ mendicitati subjugaret, elegit vitam perdere, quam eam tali modo custodire. Quid hinc igitur tua Fraternitas sentiat, audire desiderio. Et quidem ille, sicuti novus Angliæ civis, hæc summatim perstringens, Anselmo proposuit: attamen causam necis Beati Elphegi historialiter intuentes, videmus non illam solam, sed aliam fuisse ista antiquiorem. Denique non ideo tantum, quia se pecunia redimere noluit, sed etiam quia paganis persecutoribus suis civitatem Cantuariam & Ecclesiam Christi in ea sitam concremantibus, civesque innocuos atroci morte necantibus, Christianæ libertate obsistere, eosque à sua infidelitate convertere nisus est, ab eis captus, & crudeli examinatione est occisus.

e

E

ratione & exemplo S. Baptistæ

44 Sed Anselmus, ut vir prudens, viro prudenti juxta interrogationem sibi propositam simpliciter ita respondit, dicens: Palam est, quod is, qui, ne leve quidem contra Deum peccatum admittat, mori non dubitat; multo maxime mori non dubitaret, priusquam aliquo gravi peccato Deum exacerbaret. Et revera gravius peccatum videtur esse, Christum negare, quam quemlibet terrenum dominum, pro redemptione vitæ suæ homines suos per ablationem pecuniæ illorum ad modicum gravare: sed hoc, quod minus est, Elphegus noluit facere: multo igitur minus Christum negaret, si vesana manus eum ad hoc mortem intendendo constringeret. Unde datur intelligi, miram pectus ejus justitiam possedisse, quando vitam suam maluit dare, quam spreta caritate proximos suos scandandalizare: quamobrem longe fuit ab eo illud Væ, quod Dominus minatur ei, per quem scandalum venit. Nec immerito, ut reor, inter Martyres computatur, qui pro tanta justitia mortem sponte sustinuisse veraciter prædicatur: nam & B. Joannes Baptista, qui præcipuus Martyr & veneratur & creditur à tota Dei Ecclesia, non quia Christum negare, sed quia veritatem tacere noluit, occisus est. Et quid distat inter mori pro justitia, & mori pro veritate? Amplius. Cum testante sacro eloquio, ut vestra paternitas optime novit, Christus veritas & justitia sit, qui pro justitia & veritate moritur, pro Christo moritur, Ecclesia teste, Martyr habetur. Beatus vero Elphegus æque pro justitia, ut B. Joannes passus est pro veritate: cur ergo magis de unius, quam de alterius vero sanctoque martyrio quisquam ambigat, cum par causa in mortis perpessione utrumque detineat? Hæc me quidem, reverende Pater, in quantum perspicere possum, rata esse ipsa ratio docet: attamen vestræ pruden-

F

plene satisfacit.

A dentiæ est, & me, si aliter sentit, ab hoc corrigendo revocare, & quid potissimum in tanta re sentiendum sit, Ecclesiæ Dei docendo monstrare. Ad quod Lanfrancus: Fateor, inquit, subtilem perspicaciam, & perspicacem subtilitatem ingenii tui vehementer approbo & veneror, firmaque ratione tua edoctus, B. Elphegum, ut vere magnum & gloriosum Martyrem Christi deinceps me colere & venerari ex corde, gratia Dei juvante, confido. Quod ipse postmodum devote executus est: quin & historiam vitæ ac passionis ejus diligenti studio fieri præcepit. Quam quidem historiam, non solum plano dictamine ad legendum, verum etiam musico modulamine ad canendum à jucundæ memoriæ f Osberno Cantuariensis Ecclesiæ monacho, ad præceptum illius nobiliter editam, ipse sua prudentia, pro amore illius Martyris, celsius insignivit, insignitá auctorizavit, auctorizatam in Ecclesia Dei legi cantarique instituit, nomenque Martyris hac in parte non parum glorificavit.

ANNOTATA.

a *Defunctus est B. Herluinus anno* 1078, 26 *Augusti: quando poterit ejus Vita illustrari.*

B b *Sacratus est Anselmus in festo S. Petri ad Cathedram anno* 1079, *ab Ebroicensi Episcopo Gisleberto.*

c *Anno* 1070.

d *Est ecclesia Cathedralis, à S. Augustino primo Episcopo dedicata in honorem Salvatoris Iesu Christi, cui adjunctus fuit conventus monachorum. De ejus antiquitate & possessionibus agitur tomo* 1 *Monastici Anglicani pag.* 18 *& seqq.*

e *Colitur* S. Elphegus 19 *Aprilis, ad quem diem nonnulla de cultu proponuntur.*

CAPUT VI.

Monitorum suavitas & efficacia: miracula.

Agens in Anglia cum variis

45 Post hæc Anselmus ad agenda, propter quæ venerat, terras ecclesiæ Beccensis per Angliam adiit, utilitati monachorum suorum per omnia studiose secundum Deum inserviens. Vadens autem & ad diversa monasteria monachorum, Canonicorum, sanctimonialium, necnon ad curias quorumque nobilium, prout eorum ratio ducebat, perveniens, lætissime suscipiebatur, & suscepto quæque caritatis obsequia gratissime ministrabantur. Quid ille? Solito more cunctis se jucundũ & affabilem exhibebat, moresq; singulorum in quantũ sine peccato poterat, in se suscipiebat: nam, juxta Apostolum, his, qui sine lege erant, tanquam sine lege esset, cum sine lege Dei non esset, sed in lege Christi esset, se coaptabat; ut lucrifaceret eos, qui non modo sine lege, ut putabatur B. Benedicti; sed & eos, qui seculari vitæ dediti, in multis vivebant sine lege Christi. Unde corda omnium miro modo in amorem ejus vertebantur, & ad eum audiendum famelica aviditate rapiebantur. *aptat se omnibus,* C *1 Cor. 9, 21*

& congrua dat monita

46 Dicta etiam sua sic unicuique hominum ordini conformabat, ut auditores sui nihil moribus suis concordius dici posse faterentur. Ille monachis, ille clericis, ille laicis, ad cujusque propositum, sua verba dispensabat. Monachos, ut ne minima quidem sui ordinis contemnerent, admonebat, contestans, quia per contemptum minimorum, rueret in destructionem & despectum omnium bonorum. Quod dictum sub exemplo vivarii proponebat, dicens clausuram illius districtioni ordinis monastici assimilari: Quandoquidem, inquit, sicut pisces decurrente aqua vivarii moriuntur, si clausuræ ipsius minutatim ac sæpe crepant, nec reficiuntur: ita omnis religio monastici ordinis funditus perit, si custodia ejus per modicarum contemptum culparum, paulatim à fervore sui tepescit, attestante scriptura, quæ ait: Qui modica despicit, paulatim decidit. Clericos quoque, qualiter se in sorte Dei custodire deberent, instruebat, eisque magnopere esse cavendum, ne si à sorte Dei caderent, in sortem diaboli per neglectum conversationis & ordinis sui deciderent. Conjugatos etiam, qua fide, qua dilectione, qua familiaritate, tam secundum Deum, quam secundum seculum sibi copulari deberent, edocebat: virum quidem, ut suam uxorem sicut seipsum diligeret, nec præter illam, aliam nosset; ejusque, sicut sui corporis, absque omni sinistra suspicione curam haberet: mulierem vero, quatenus viro suo cum omni subjectione & amore obtemperaret, eumque ad bene agendum sedula incitaret, necnon animum ejus, si forte contra æquum in quemquam tumeret, sua affabilitate mitigaret. *AUCTORE EADMERO monachos, Clericos, conjugatos*

eoque ab omnibus expetitur,

47 Hæc autem, quæ eum vel admonuisse, vel instruxisse, vel edocuisse dicimus, non eo, ut aliis mos est, docendi modo exercebat, sed longe aliter, singula quæque sub vulgaribus & notis exemplis proponens, solidæque rationis testimonio fulciens, ac remota omni ambiguitate, in mentibus auditorum deponens. Lætabatur ergo quisquis illius colloquio uti poterat, quoniam in eo, quodcumque petebatur, divinum consilium in promptu erat. Hinc eum omnis sexus & ætas mirabatur, & mirando amplectebatur: quo quis potentior aliis erat atque præstantior, eo magis erat administrandum ei devotior atque proclivior. Non fuit Comes in Anglia seu Comitissa, vel ulla persona potens, quæ non judicaret se sua coram Deo merita perdidisse, si contingeret se Anselmo Abbati Beccensi gratiam cujusvis officii tunc temporis non exhibuisse. Rex ipse a Wilhelmus, qui armis Angliam ceperat, & ea tempestate regnabat; quamvis ob magnitudinem sui cunctis fere videretur rigidus ac formidabilis; Anselmo tamen ita erat inclinatus & affabilis, ut ipso præsente, omnino, quam esse solebat, stupentibus aliis fieret alius. E *etiam à Rege a*

reversus Beccum illustratur miraculis.

48 Pro sua igitur excellenti fama, Anselmus toti Angliæ notus, ac pro reverenda sanctitate carus cunctis effectus, iter repetendi Normanniam ingreditur, ditatus multiplici dono, quod honori ac utilitati ecclesiæ suæ usque hodie servire dignoscitur. Familiaris ergo ei dehinc Anglia facta est, & prout diversitas causarum referebat, ab eo frequentata. Ut autem omnipotens Deus demonstraret, se gratiæ ipsius, quam invenerat apud homines, esse auctorem; & illum apud se, quam apud homines, gratiam invenisse potiorem; quosdam viros per visum dignatus est visitare, & qualiter per eum ab infirmitate, qua nimis graviter vexabantur, convalescerent, edocere. Horum, quæ dico, duos, qui inter suos non ignobilis famæ erant, exempli causa proponam: qui sicut à veridicis ipsius monasterii, cujus Abbas diu extiterat, monachis accepi, in eodem ipso monasterio, illis præsentibus, per eum curati sunt. F

nobilis leprosus mandatur, b

49 Quidam igitur vir nobilis & strenuus, in confinio Pontivi b ac Flandriæ præpotens habebatur. Hic in corpore lepra percussus, eo majori mœrore afflictus est, quo se & à suis, contra dignitatem natalium suorum, pro obscœnitate tanti mali; despici deserique videbat. Conversus itaque ad Deum est, & crebris orationibus, cum eleemosynarum largitionibus, opem ab eo precabatur. Una igitur noctium ei per visum quidam apparuit, monens, ut si pristinæ sanitati restitui vellet, Beccum iret; & apud Abbatem Anselmum efficeret, quatenus aquam, unde manus inter Missam suam lavaret, in potum illi conferret. Qui visioni credulus, quo monebatur, impiger *epota qua manus laverat aqua:*

AUCTORE EADMERO

impiger tendit, atque Anselmo, cur adveniret, secreto innotuit. Stupet ille ad verba, & hominem ut à talibus desistat, multis modis adjurat. At ipse in precibus perstat, & multo magis, ut sibi misereatur exorat, nec patiatur ut ea medicina fraudetur, unde sibi cælestem salutem affuturam pro divino promisso credebat. Quid plura? Vicit pietas pectus humilitatis, & pro homine Deum postulaturus, matutino tempore Missam secretius celebrat. Admittitur æger, & quam petebat aquam, de manu viri accepit. Quæ in potum illico sumpta, & hominem morbidum integerrimæ sanitati restituit, & in laudem Dei multorum ora dissolvit. Clam itaque virum, qui venerat, à se Anselmus emisit, denuntians ei in nomine Domini, ne unquam hoc factum sibi adscriberet, sed sola divina miseratione perfectum esse certissime sciret, & hoc ita esse, tacita funditus mentione suæ personæ sciscitantibus responderet.

Moribundus sanatur:

50 Quo etiam tempore quidam Frater de congregatione, valida corporis infirmitate percussus, ad extrema deductus est. Huic in somno quidam adstitit, & quod vitam atque salutem recuperaret, si aqua ab Anselmo sanctificata adspergeretur, ipsi promisit: æger vero Anselmum se visitantem solita visitatione, de aqua precatus est; & voluntatis compos effectus, è vestigio sanitati restitutus est.

B

ipse docet quanto præstet alienæ voluntati aptare se quam facere suam,

51 Hæc pro ostendenda gratia viri paucis dicta sunt. Attamen de gratia, quam meruerat apud homines, non multum his, qui mores illius novere, mirandum video; propterea quod quædam appetibilis suavitas, ubicumque erat, ex conversatione ejus emergebat, quæ in amicitiam illius ac familiaritatem cunctos agebat: ipsius etenim studii semper erga omnes extiterat, ut ea potissimum ageret, quæ aliis magis commoda esse posse intelligebat. Unde cum interrogaretur, quid emolumenti acquirerent, qui servata æquitate, aliorum voluntati, in quibuscumque possent concordare, satagerent; quidve detrimenti incurrerent, qui suam potius, quam aliorum voluntatem implere studerent, hoc modo respondebat: Qui aliorum voluntati concordare per omnia in bono nititur, hoc apud justum Judicem Deum meretur, ut quemadmodum ipse aliorum voluntati in hac vita, ita Deus & omnia secum, suæ voluntati concordent in alia vita: qui vero aliorum voluntate contempta, suam implere contendit, id ejusdem Judicis sententia damni subibit, ut quoniam ipse in vita præsenti voluntati nullius, nullus quoque in futura velit aut debeat concors esse voluntati illius: eadem quippe mensura, qua quisque aliis mensus fuerit, remetietur ei. Hujus igitur rationis Anselmus consideratione subnixus, nulli gravis, nulli volebat onerosus existere, etiamsi à monachicæ institutionis austeritate hac de causa deberet aliquantulum temperare. Et quidem, ut eum discretionis ordo docebat, nonnumquam ab ipsa severitate aliis condescendendo temperabat. In quo quid hi sensuri sint, qui post nos ista fortassis lecturi vel audituri sunt, præscire non possumus: nos tamen, qui vitæ illius modum scire meruimus, magis in eo laudandum æstimamus, quod à rigore sui propositi aliquando pro ratione descendebat, quam si continue in ipso rigidus indiscrete persisteret. Ratione siquidem agi, virtutis est: vitii vero, contra.

C

Bosonem, alloquio conversum,

52 Inter hæc quidam Clericus, ætate juvenis, Boso nomine, Beccum venit, Abbatis colloquium expetens: erat enim idem acer ingenio, & quibusdam perplexis quæstionibus involverat animum, nec reperire quemquam poterat, qui eas sibi ad votum evolveret. Loquens igitur cum Anselmo, ac nodos ei sui cordis depromens, omnia quæ desiderabat ab eo sine scrupulo deceptionis accedit. Miratus ergo homine est, & nimio illius amore devinctus. De hinc ergo cum ejus allocutione familiariter potiretur, illectus ad contemptum seculi, emenso brevi spatio, Becci monachus factus est. Cujus conversioni simul & conversationi diabolus graviter invidens, in tantam illum tentationis procellam demersit, ut succedentibus sibi variis cogitationum tumultibus, vix mentis suæ compos existeret. Transierunt in hoe quidam dies, & se ipsa semper fiebat immanior tentatio eadem. Turbatus ergo & mente confusus, Anselmum adiit, animique sui fluctus illi exposuit. At ipse, cum singula intellexisset, hoc solum pio affectu, scilicet, Consulat tibi Deus, ei respondit; illicoque fratrem à se dimisit. E vestigio autem tanta tranquillitas mentis illum secuta est, ut, sicut ipsemet mihi referebat, ultra quàm dictu credibile sit, subito alius fieret ab eo, qui fuit: itaque omnis illa tentatio penitus evanuit, nec quidquam hujusmodi in se ulterius sensit.

D

gravi tentatione liberat:

multa alia miracula facit.

53 Fiebant præterea ab Anselmo plurima in hunc modum, quæ nos brevitati studentes, ex industria prætermimus. Silentio quoque præterire placuit innumeros homines, tam per lavaturas manuum ejus, quam per reliquias ciborum ejus, ante illum clam eo subtractas, à diversis languoribus, sed maxime febribus curatos, dispensante Deo sua dona juxta meritum fidei uniuscujusque. Nam si cuncta, quæ inde à veracissimis viris accepimus, describere vellemus, loquacitati potius, quam rerum gestarum simplici narrationi nos operam dare (ut reor) judicari possemus. Quapropter ne nimis longum faciamus hujuscemodi immorando, istis omissis, tendamus ad alia. Verum ne inculta oratio prolixa sui continuatione legentes seu audientes fastidio gravet, *hic* primum cœpto operi terminum ponamus: quatenus illis, quæ magis delectant, recreati, aliud exordium, sequentia nosse volentes, expediti reperiant.

E

ANNOTATA.

a Wilhelmus Conquestor *occupavit Angliam anno* 1066, *& regnavit usque ad annum* 1087.

b De Pontivo *regione ad dexteram ripam agendum erit ad Vitam S. Richarii* 16. *Aprilis. Ei contigua est Arthesia, tunc pars Flandriæ habita, inde avulsa anno* 1192, *& sic* Flandria *hic late sumitur.*

F

c *Hactenus Annotata ad primum librum: ad secundum pauciora dabimus: cetera servantes ad Historiam novorum: quam, licet prius scripta sit, post Vitam tamen visum est ponere.*

LIBER II.

Gesta in Archiepiscopatu Cantuariensi.

CAPUT I.

Archiepiscopatus assumptus: quies monastica delata: aliqua cum Rege dissensio.

In Angliam transgressus

1 Defuncto memorato Rege Anglorum Wilhelmo, Wilhelmus filius ejus regnum obtinuit. Hic sublato de hac vita venerabili Patre Lanfranco, ecclesias ac monasteria totius Angliæ gravi nimium oppressione afflixit. Cujus oppressionis anno quarto Anselmus invitatus, immo districta interpellatione adjuratus ab Hugone Cestrensi Comite, multisque aliis Anglorum regni Principibus, qui eum animarum suarum medicum & advocatum elegerant, & insuper Ecclesiæ suæ prece atque præcepto pro communi utilitate coactus, Angliam ingressus

A gressus est. Pridie igitur Nativitatis beatæ Dei Genitricis & perpetuæ Virginis Mariæ, Cantuariam venit. Ubi, cum quasi ex præsagio futurorum multi & monachi & laici conclamarent, illum Archiepiscopum fore; summo mane à loco discessit, nec ullo pacto acquiescere petentibus, ut ibi festum celebraret, voluit. Venienti autem ei ad curiam Regis, Optimates quique alacres occurrerunt, magnoque ipsum cum honore susceperunt: Rex ipse solio exilit, & ad ostium domus viro gaudens occurrit, ac in oscula ruens, per dexteram eum ad sedem suam perduxit. Consident, & læta interim quædam inter se verba permiscent. Deinde Anselmus, secretius cum Rege acturus, ceteros secedere monet. Omissis igitur monasterii sui causis, pro quibus maxime illuc venisse putabatur, Regem de his, quæ fama de eo ferebat, Anselmus arguere cœpit; nec quidquam eorum quæ illi dicenda esse sciebat, silentio pressit: pene etenim totius regni homines omnes talia quotidie, nunc clam nunc palam, de eo dicebant, qualia regiam dignitatem nequaquam decebant. Finito colloquio, divisi ab invicem sunt, & de Ecclesiæ suæ negotiis ea vice ab Anselmo nihil actum est.

Regem fidenter arguit:

B 2 Deinde Cestram ad Comitem abiit, ac in partibus illis degere per plures dies ex necessitate compulsus est. Interea Rex Wilhelmus gravi languore corripitur, & pene ad extrema perducitur. Suadetur ei inter alia à Principibus, ut de Matre totius regni, Ecclesia videlicet Cantuariensi, cogitet, & eam à pristina viduitate & calamitate per institutionem Pontificis relevet. Acquiescit ille consilio, & Anselmum in hoc opus fore dignissimum pronuntiat. Acclamatur ab universis, edictum Regis laudat Clerus & populus omnis, nec resonat ibi ulla contradictio cujuslibet hominis. Audit hoc ille, & fere usque ad exanimationem sui contradicit, reluctatur & obsistit: prævalet tamen Ecclesiæ Dei conventus. Rapitur ergo, & violenter in vicinam Ecclesiam, cum hymnis & laudibus portatur magis, quam ducitur. Acta sunt hæc anno Dominicæ Incarnationis millesimo, nonagesimo tertio, pridie Nonas Martii, prima Dominica Quadragesimæ.

Designatus Archiepiscopus Cantuar.

3 In subsequenti autem festo Paschæ Wintoniam Anselmus advenit, & in suburbio civitatis hospitatus est. Una igitur nocte in tecta suburbii per incuriam ignis dilabitur: quo crescente, ædificia quæque passim consumebantur. Et jam ignis idem hospitium Anselmi consumpturus, duabus tantum domibus interpositis, aderat. Quibusdam igitur ea quæ in domo erant asportantibus, interdixit domina domus, affirmans se nullo modo sibi vel suis aliquid damni timere, quæ tantum hospitem, hoc est Anselmum Archiepiscopum, meruisset secum habere. Pro quibus verbis Balduinus, vir strenuus & monachus, mulieri compassus, suasit Anselmo, ut hospiti suæ subveniret. At ille: Ego? in qua re? Egredere, inquit, & signum Crucis igni oppone: arcebit illum forte Deus. Respondit: Pro me? Nihil est, quod dicis. Egressus tamen domum est, timore incendii ductus. & visis flammantibus globis, à venerabili Gundulfo Episcopo & ab eodem Balduino, contra ignem signum sanctæ Crucis, erecta in altum dextera edere coactus est. Mirabile dictu. Non prius manum extenderat, quam in se incendium retorqueri, flammas deficere cerneres, ita ut domum etiam, quam vorare cœperant, semiustam relinquerent.

Wintoniæ incendium cruce restinguit,

C

4 Igitur Anselmus propter multas rationes, quæ intervenerant, nondum consenserat electioni, quæ de se facta fuerat, ut Pontifex fieret: sed tamen detinente illum Rege, morabatur in Anglia, conversante cum eo ex jussu Regis præfato Gundulfo Roffensi Episcopo, & ei quæ opus erant ministrante. Ablatis autem de medio rationibus illis, tandem post longum temporis spatium, obedientia simul ac necessitate constrictus, consensit; & pridie Nonas Decembris debito cum honore ab omnibus Episcopis Angliæ, Cantuariæ consecratus est. In qua consecratione Evangelica illa sententia super eum reperta est: Vocavit multos, & misit servum suum hora cœnæ, dicere invitatis ut venirent, quia jam parata sunt omnia: & cœperunt simul omnes excusare. Dehinc cum se Regali curiæ in Nativitate Domini Jesu præsentasset, & honorifice à Rege susceptus, primos dies festivitatis circa Regem lætus transegisset; post instinctu diaboli, hominumque malorum mutatus est animus Regis contra eum, eo quod ipse, spoliatis hominibus suis, mille libras denariorum ei pro agendis munificentiæ suæ gratiis dare noluit: & ita Principe turbato, à curia discessit.

Consecratur 4 Decembr.

AUCTORE EADMERO

5 Veniens autem in villam suam, quæ Hergâ vocatur, dedicavit ibi ecclesiam ad parochiam pertinentem, quam quidem antecessor ejus Lanfrancus construxerat, sed obitu præventus, dedicare nequiverat. Ad quam dedicationem quidam Clericus inter alios de Londonio veniens, seque inter Clericos viri quasi ad comministrandum mittens, chrismatorium Pontificis clam subripuit, & in turbam mersus, fugam arripuit. Dum igitur iter, quod Londoniam ducit ingressus cum furto fuisset; reflexit gressum, non autumans se ad locum, quem fugiebat, festinare. Sed cum rediens adunatæ plebis multitudinem reperisset, animadvertit se cupitum iter permutasse, & qua venerat, viam repetit. Aliquantum processerat, & iterum visum est sibi eo tendere, quo fugiebat. Factum est hoc frequentius, & nunc hac nunc illac, nesciens quo iret, erroneus ferebatur. Populus autem, qui eum sic se habentem intuebatur, quidnam haberet mirabatur. At ubi ministri Pontificis vas chrismatis perditum esse cognoverunt, confusi & tumultuantes discurrunt; quod perditum erat hinc inde quærunt, ignorantes à quo vel ubi id certo quærere debeant. Rumor damni fertur in populum, & opinio multorum cadit erroneum in Clericum. Capitur, & sub cappa illius vas abreptum invenitur. Refertur Antistiti, quod actum erat: at ipse modesto vultu menteque tranquilla statim jussit culpam ignosci, & Clericum ad sua liberum dimitti. Tunc ille iter, quod furto gravatus nullatenus tenere sciebat, liber, illico & nihil hæsitans, ingressus agebat.

in dedicatione ecclesiæ subreptum Chrismatorium

E

miraculo recipit.

F

6 Post hæc paucis diebus interpositis, mandatur ad curiam ire Anselmus, Regem mare transiturum sua benedictione prosecuturus. Qui transitus dum vento obstante differtur, Anselmus opportunum se tempus nactum existimans, Regem pro ecclesiarum, quæ de die in diem destruebantur, relevatione; pro Christianæ legis, quæ in multis violabatur, renovatione; pro diversorum morum, qui in omni ordine hominum quotidie nimis corrumpebantur, correctione; cœpit interpellare. Quæ ipse omnia cum magna indignatione suscipiens, nec se causa illius quiquam de omnibus acturum fore protestans, hominem discedere, nec se transfretaturū diutius ibi expectare iratus præcepit.

Rege ad correptionem indignante,

7 Considerans Anselmus post hæc, quid quietis perdiderit, quid laboris invenerit; anxiatus est spiritu, & vehementi dolore attritus: ducebat enim ante oculos suæ mentis, qualem in Prioratu & Abbatia positus, vitam agere solebat; quam scilicet jucunde in Dei & proximi caritate quiescebat ac delectabatur; quam devote verba vitæ loquens, ab omnibus audiebatur; quam devotius ad suæ, ut spera-

dolet se à monastica quiete abstractum.

AUCTORE EADMERO

sperabat, cumulum retributionis, quæ dicebat, opere exercebantur: & nunc è converso, cum in melius per Episcopatum proficere debuerit, ecce die ac nocte in secularibus laborans, videbat se nec Deo, nec proximo secundum Deum, juxta pristinum morem intendere posse; nec quemquam ex ore suo verbum vitæ, quod facto impleret, ad suæ, ut reputabat, detrimentum mercedis audire velle. Accesserant istis in augmentum mali sui, crebræ suorum hominum oppressiones, quotidie auribus suis insonantes, & minæ malignantium, deteriora in posterum pollicentium, circumquaque detonantes. Sciebatur enim regiam mentem contra eum in furorem concitatam esse: & ob hoc quisque malus beatum se fore credebat, si quod illum exasperaret, ullo ingenio facere posset. Multis itaq; ac diversis injuriarum procellis fatigabatur, & nulla terreni honoris vel commodi suavitate, unde consolationē haberet, fovebatur.

& inter monachos solatium quærit.

8 Verum salva in omnibus & ad omnes innocentia suæ conscientiæ, modicum respirabat ab his, & magnopere consolabatur, si quando se monachorum claustro inferre, & quæ institutio vitæ ipsorum expetebat, coram eis effari valebat. Quod ipse quadam vice Capitulo eorum præsidens, & ex more de hujusmodi liberius agens, dicendi fine completo, jucunda hilaritate alludens, jocosa comparatione innotuit, dicens: Sicut bubo, dum in caverna cum pullis suis est, lætatur, & suo sibi modo bene est: dum vero inter corvos aut corniculas seu alias aves est, incursatur ac dilaniatur, omninoque sibi male est; ita & mihi: quando enim vobiscum sum, bene mihi est, ac grata & singularis vitæ meæ consolatio; quando vero remotus à vobis, inter seculares conversor, hinc inde variarum me causarum incursus dilacerant, & quæ non amo, secularia negotia vexant. Male igitur mihi est, quando sic sum: ac tremens pertimesco, ne meum hujusmodi esse procreet immane dispendium animæ meæ. Ad quod verbum, licet alludens, ut dixi, cœpit amarissime flens subinferre, & ait: Sed, quæso, miseremini mei, miseremini mei, vos amici mei, quia manus Domini tetigit me. Quia ergo in tali conversatione magnopere respirabat, ea sibi deficiente, graviter suspirabat. Deum testor, me sæpe illum sub veritatis testimonio audisse protestantem, quod libentius vellet in congregatione monachorum pueri loco inter pueros sub virga magistri pavere, quam per pastoralem curam toti Britanniæ prælatus, in conventu populorum, Cathedræ Pontificali præsidere.

Quod tamen perpetuum ei esse non poterat,

9 Forte dicit aliquis: Si tam bonum, tam jucundum erat illi habitare cum monachis, cur non continue habitabat Cantuariæ cum suis? Ad quod ego: Si hoc solum sibi possibile esset, magno se consolatum putaret: sed & hoc partim remotio villarum suarum, partim usus & institutio antecessorum suorum, partim numerositas hominum, sine quibus eum esse Pontificalis honor non sinebat, illi adimebat, eumque per villas suas ire ac inibi degere compellebat. Præterea si Cantuariam assidue incoleret, homines sui ex advectione victualium oppido gravarentur, & insuper à præpositis, ut sæpe contingebat, multis ex causis oppressi, si quem interpellarent, numquam præsentem haberent, magis ac magis oppressi in destructionem funditus irent. Nullo tamen loco vel tempore sine suis monachis & Clericis erat: his dumtaxat exceptis, qui ad eum ex diversis locis confluentes, raro deerant. Omnes etenim ad se venientes, dulci alacritate suscipiebat, & cuique pro sui negotii qualitate efficaciter respondebat. Videres siquidem istos scripturarum sententiis ac quæstionibus involutos, mox ratione proposita, ab eo evolvi; istos in morum discretione nutantes, non segnius informari; illos necessariarum rerum tenuitate laborantes, datis, quibus opus habebant, ab inopia relevari. Nec ista largitas solummodo monachorum seu Clericorum penuriam sublevabat, sed in quosque laicos ea indigentes, ea sibi subveniri petentes, pro posse & nonnumquam ultra posse pii patris, redundabat.

Scribit de Verbi incarnatione.

10 Quoties autem opportunitas sese præbebat, in remotiorem cameræ suæ locum secedere, solis cælestibus studiis consuevit inhærere. [Unde fidei Christianæ zelo commotus, egregium & pro illius temporis statu pernecessarium opus de Incarnatione Verbi composuit: quod opus epistolari stylo conscriptum, venerabili sanctæ memoriæ Urbano Romanæ Ecclesiæ Summo Pontifici dicavit, destinavit. Quod ille gratiose suscipiens, ac invincibili veritatis ratione subnixum intelligens, in tanta auctoritate habuit, ut postmodum contra Græcos in concilio Barensi, cujus suo loco mentio fiet, disputans, inde robur suæ disputationis assumeret, & quam damnabilis fuerit error eorum in hoc, quod Spiritum sanctum à Filio procedere negabant, adstrueret.

Assumptis super mensam colloquiis.

11 Sed nos ista prætermittentes, & certæ narrationi operam dantes, dicamus quod ipse Anselmus ad refectionem corporis sedens, modo de sacra, quæ coram eo legebatur, lectione materia loquendi sumpta, convescentes ædificabat; modo ex sua parte sacra verba edisserens loco sacræ lectionis, præsentium mentes instruebat; modo de aliqua re utili vel necessaria requisitus, requirentem pariter & coaudientes mira suavitate reficiebat. Hujus rei cognoscendæ gratia, quod levius occurrit, exempli causa unum subjiciam: non quo ulla doctrinæ ejus efficacia per hoc designetur, sed ut in quibus lingua ejus inter carnales epulas versari solita fuerit, paulisper intimetur.

monacho querenti se occupari exterioribus, solatur,

12 Venit ad eum quadam vice quidam ex seculari vita monachus factus, consilium de vita sua flagitans. Hic cum alias familiarius ei locutus fuisset, inter prandendum opportunitate potitus, dixit: quia cum se in seculari vita teneret, intellexit non rectum fuisse iter suum pergendi ad vitam; quamobrem, inquit, relicto seculo, veni ad ordinem monachorum, sperans me ibi posse penitus intendere vitæ perenni & Deo. Ecce autem ex præcepto Abbatis mei secularibus negotiis intendo, & dum res Ecclesiæ contra seculares defendere tueríque desidero, placito, litigo, nec mihi forsan magnæ curæ est, si alii perdunt in meo lucro: quapropter fere cogor desperare, dum ea, quæ reliqui cum tot peccatis videor administrare. Ad hæc Anselmus tali sub exemplo respondit. Tota vita hominum comparari potest molendino, super præcipitem fluvium constituto: sit igitur in hoc molendino ad manum hominis molens mola, qua qui molunt, alii sic suam farinam negligunt, ut tota in fluvium labatur ac defluat; alii parte retenta, partem in præceps ire sinant; alii totam colligant, atque in sua custodia condant. Horum scilicet, qui nihil sibi de farina servavit, quod in vespere comedat, non habebit: qui parum retinuit, pro portione sua parum inveniet: qui totam collegit, large se pascere poterit.

humanam vitam molendino comparando

13 Itaque molendino assimiletur, ut dixi, vita hominum; molæ, actus illorum. Nam sicut mola, dum aliquid molit, in circuitu ducitur, & circumducta simili cursu sæpe reducitur: sic & actus humani quibusque temporibus in se revertuntur. Verbi gratia: arant homines, seminant, metunt, molunt, panificant, comedunt. En circuitum suum mola peregit. Ultrane quiescit? Nequaquam. Repetitus

A petitur enim id ipsum. Aratur, seminatur, metitur, molitur, fit panis, & comeditur. Hæc fiunt omni anno, & more molæ recurrunt in idipsum. Videas ergo hominem, cuncta opera sua pro terreno commodo facientem, nihil in eis nisi transitorium quid desiderantem: iste quidem molit, quia operatur; sed tota farina sua, qui fructus est operis, à fluvio, id est, à fluxu secularis desiderii rapitur ac præcipitur: hic cum in fine vitæ suæ molendinum egressus, atque in domum suam reversus, operum suorum fructus manducare voluerit, nihil inveniet, eo quod fluvius torrens totum absorbuit: jejunabit ergo, væ misero! in æternum. Est alius, qui suam non omnimodis farinam perdit, quoniam nunc aliquam pro Deo eleemosynam facit, nunc ad ecclesiam pro Dei servitio vadit, nunc infirmum visitat, nunc mortuum sepelit, & aliis in hunc modum bonis intendit: verum cum is ipse voluptatibus carnis inservit, pro illata injuria per odium sævit, humanis laudibus pascitur, crapula & ebrietate sopitur, horumque similibus enervatur, ne farinæ pars maxima pereat, nequaquam cautus invigilat. Quid de isto erit in futuro? nisi quia recipiet prout gessit.

B *& fructum ejus demonstrando qui omnia ex obedientia agit;*

14 Jam tertium genus in ordine monachorum attende. Est igitur monachus sub Abbatis sui imperio positus, obedientiam in omnibus, quæ sibi secundum Deum injunguntur, professus, sua, quantum in se est, voluntate numquam claustra monasterii pro quovis seculari negotio egredi volens: huic forte præcipitur, ut extra claustrum ad custodiendam aliquam ecclesiæ villam eat: excusat se, & ne fiat, obsecrat: perstat Abbas in sententia sua, & per obedientiam jubet peragi imperata: non audens ille recusare, paret: ecce venit ad molam, necessario illum molere oportet. Insurgunt hinc inde querelæ, placita, lites. Custodiat ergo sapiens monachus farinam suam, eamque in vas suum diligenter recipiat, ne in fluvium defluat. Quo, inquis, pacto? Nihil per inanem jactantiam agat, nihil quod Deus prohibet, cujuslibet lucri gratia faciat: obedientiæ, quæ sibi injuncta est, ita studeat, ut & res ecclesiæ contra omnes viriliter justeque tueatur & protegat, & de alieno per injustitiam sub dominium ecclesiæ nil redigere satagat. Si in hujusmodi conversatur & vivit, quamvis aliquando pro talibus Missas perdat, nonnumquam loquatur cum Fratres in claustro tacent, & quædam similia horum faciat vel dimittat quæ ipsi nec faciunt nec dimittunt; obedientiæ virtus, quam exercet,

C hæc cuncta consumit; & vas suum integrum servans, farinam de sua mola fluentem, quæ illum æternaliter pascat, totam ac puram colligit atque recondit: non enim secundum carnem, sed secundum obedientiam incedit, ac per hoc, ut Apostolus ait, nihil damnationis illi erit. *Rom. 8, 1*

qua bene distinguenda à licentia.

15 Et quid de illo sentiendum est, inquit, qui se ultro ad dispositionem villarum offert, atque ut id quod cupit, ad effectum perveniat, clam sibi adjutores advocat, munera pollicetur, gratiam spondet? Refert: Nihil hoc ad propositum monachi pertinet. Ait, Quare? Nonne hic talis, licet hoc, quod dixi, cupiat, tamen sine licentia Prælati sui nil facere tentat? Respondit: Licentia multos decepit. Obedientia enim & inobedientia contraria sunt: harum media, licentia est. Is igitur, quem obedientia non constringit claustra monasterii egredi, vult tamen exire, regulæque districtionem licenter declinare; quamvis nolit sine licentia id præsumere, & idcirco actum suum licentia, qua nititur, possit defendere; peccatum tamen habet ex illicita voluntate. Nec enim postquam mortuus mundo claustrum subiit ad mundi negotia vel voluntate ullatenus redire debuit. Quia tamen ipsum velle suum non, nisi permissus, facto implere voluit, obedientia, quam in hoc amplexus est, ipsum factum excusabit: sed velle, quod contra obedientiam habuit, periculosum, nisi pœnituerit. Quod nonnulli minus attendentes, licentia quam pro implenda voluntate sua expetunt, sæpe falluntur. AUCTORE EADMERO

Ipse cibi parcissimus,

16 Hæc, ut dixi, non pro ostendenda doctrinæ suæ qualitate proposui, sed quibus inter epulas occupari solitus erat, levi exemplo monstravi. Nam si de humilitate, de patientia, de mansuetudine, & de hac, quam nunc paululum tetigi obedientia, necnon de aliis innumeris ac profundis sententiis eum, ut singulis fere diebus audiebamus, disserentem introducerem; aliud opus cudendum, & quod in manu habemus, esset intermittendum. Quando ergo, ait aliquis, manducabat? Manducabat plane inter loquendum, parce quidem, & ut mirareris unde viveret. Verumtamen fatebatur, & verum esse cognovimus, quia dum alicui longæ disputationi occupatus erat, magis solito nescienter edebat; nobis, qui propinquiores sedebamus clanculo panem ei nonnumquam subministrantibus. Cum vero absentibus hospitibus privatim cum suis ederet, & nulla quæstio spiritualis cujusvis ex parte prodiret; prælibato potius quam sumpto cibo, mox cessabat, lectionique intendens, manducantes expectabat. Quod si aliquem cerneret aut pro sui expectatione celerius comedentem, aut forte cibum relinquentem, utrumque redarguebat; & quo suo commodo, nihil hæsitantes, operam darent, affectuose admonebat. Ubi autem alios libenter edentes advertebat, affabili vultus jucunditate super eos adspiciebat, & adgaudens levata modicum dextera, benedicebat eis, dicens: Bene faciat vobis. E

indulgens erga alios erat.

CAPUT VI.

Variarum virtutum exercitatio.

Doctrinæ sua vita conformis,

17 Exposito igitur, quibus modulis Anselmus inter suas epulas delectari consueverat, ut paucis exponatur, quibus etiam aliis horis intenderit; repetam, quod de eo me superius dixisse recordor, videlicet: Ejus ori numquam Christus defuit, sive justitia, vel quidquid ad veram vitam pertinet; omneque tempus perditum iri asserebat, quod bonis studiis aut necessariæ utilitati non serviebat. Opinari autem illum secus vixisse, quam docebat, profiteor nefas esse. Nam cum illum, ex quo religionis habitum sumpsit usque ad susceptam Pontificatus dignitatem, omnium virtutum ornamentis ratum sit studuisse; ipsasque virtutes, in quorumcumque mentibus poterat, verbo & exemplo inseruisse; ita nihilominus ratum esse confirmamus, eum totius Britanniæ Primatem factum, omnimodis in hac parte claruisse. Unde etiam pro ipsarum indiscreta (ceu nonnullis & mihi quoque aliquando visum est) virtutum custodia sæpe reprehensus, & quod monachus claustralis, quam Primas tantæ gentis esse deberet, præjudicatus est. Hoc pro excellenti humilitate ejus, hoc pro immensa patientia ejus, hoc pro nimia abstinentia ejus dicebatur: dictum accusabatur, accusatum damnabatur. Præcipue tamen, in servando mansuetudinem, indiscretionis arguebatur: quoniam, sicut à pluribus putatum est, multi, quos ecclesiastica disciplina corrigere debuerat, intellecta lenitate ejus, in suis pravitatibus quasi licite quiescebant. Verum audita super his excusatione sua, (nam nemini sperne- F

discretio, mansuetudine excellit;

AUCTORE EADMERO

spernebat, nemini rationem ad inquisita reddere contemnebat) mox liquido cognoscebatur, ipsum aliter quam faciebat, minime in talibus facere debere vel posse, dum se in regula veræ discretionis vellet absque errore tenere.

abhorret à negotiis secularibus:

18 Secularia vero negotia æquanimiter ferre nequibat, sed pro suo posse modis omnibus suam eis præsentiam subtrahebat. Si quando autem talis causa emergebat, ut ei necessario interesse oporteret; soli veritati studere, nulli fraudem, nulli quodlibet præjudicium, quantum sua intererat, patiebatur inferri. Si vani clamores, si contentiones, si jurgia, ut fit, oriebantur, aut ea sedare, aut citius sese absentare curabat: nisi enim ita faceret, tædio affectus, statim animo deficiebat, & insuper gravem corporis ægritudinem incurrebat. Quam consuetudinem ejus edocti, sæpe illum, re ipsa cogente, de medio multitudinis eduximus; proponentesque aliquam ex divina Pagina quæstionem, illico corpus & animam ejus, quasi salubri antidoto medicatum, in consuetum statum reduximus. Requisitus autem, quamobrem sic imbecillis ad seculares causas aut pusillanimis existeret, respondebat: B Qui omnium secularium rerum amorem ac concupiscentiam ab animo meo jam dudum pepuli, qualiter in causis earum fortis & diligens existam? Imo veritatem dico, non mentior, quia quando ipsæ mihi sese importune & ex necessitate ingerunt, ita mens mea illarum horrore concutitur, sicut infans, cum aliqua terribilis imago vultui ejus ingeritur. Nec in earum dispositione magis delector, quam puer in uberibus matris delectatur, dum illis, acerba amaritudine superlitis, ablactatur. His necessitatibus actus, totam domus suæ curam & dispositionem Domino Balduino monacho, cujus supra meminimus, imposuit, quatenus ad nutum illius cuncta penderent, & statuta extra ordinationem ejus irrita fierent. Ita igitur securitate potitus, spiritualibus disciplinis & contemplationi operam dabat.

immunitatem ecclesiasticam multipliciter carpentes

19 Verumtamen diversæ tribulationes & anxietates, quas tum propter terras Ecclesiæ, quas quidem maligni injuria, Rege non prohibente, invadebant; tum pro pecuniarum exactionibus, quæ totum regnum, sed maxime suos homines in immensum devastabant; tum pro monasteriorum oppressionibus, quas sedare non poterat, & quotidie ad eum referebantur; tum pro multis aliis, in hunc modum sæpe patiebatur; hanc ejus quietem inter- C rumpebant, & aliena quædam meditari compellebant. Præterea hi, qui ante Episcopatum viro submissi, eum diligebant, diligendo favebant, favendo quæque electa de suis alacres conferebant; nunc terras Ecclesiæ petere, nunc equos rogare, nunc pecuniam, nunc hoc vel illud, ad quod scilicet sua quemq; voluptas trahebat, ab eo precari. Adverteres itaq; petita obtinentes, in præsentia ejus ficta pace adgaudere, retributiones & obsequia polliceri: alios in cõtraria lapsos, honori ejus detrahere, homines ejus pro posse impugnare, in immensum minari.

patienter sustinet:

20 Ille autem in patientia sua sciens possidere animam suam, cum his, qui oderunt pacem, erat pacificus, verba mansuetudinis & pacis semper reddens impugnatoribus suis, cupiens malum illorum in bono vincere. Attamen ea, quæ poterant in sequenti tempore Ecclesiæ suæ damno esse, nequaquam æquo animo tolerare, aut sub negligentiam cadere patiebatur. Sed quid dicam? Tanta cupiditas ea tempestate dominabatur in mentibus quorumdam, ut nec patientia ipsius deliniti, monitis acquiescerent; nec terroribus pulsati, cæcitatem sui cordis exirent. Verum de extraneis non multum forte mirandum: ipsi sui proprii ac domestici D homines, mentiti sunt ei & infideles facti. Animadvertentes quippe mansuetum, lene, simplexque cor ejus, in pluribus causis fraudulenta calliditate compositisque sermonibus eum multoties circumvenire, & quæ illius juris esse debebant diminuentes, ac exinde sua non jure augentes, qua ei fuerant alligati, fidem perdidere. Qua de re cum à Balduino aliisque fidelibus suis nimiæ simplicitatis minorisque prudentiæ familiariter reprehenderetur, simplici admiratione respondebat, dicens: Quid est hoc? Nonne Christiani sunt? Et si Christiani, num alicujus commodi causa vellent contra fidem suam scienter mentiri? Nihil est. Tanto nempe studio mihi loquentes sua verba componunt; & ea, fide sua interposita, vera esse jurant; ut incredulitati putetur posse ascribi, nolle credere eos ipsa veritatis firmitudine niti. Dicebat hæc ille, æstimans ipsos sibi nolle, quod sciebat se nemini facere velle. Cumque responderetur, sui moris illos non esse, ajebat: Fateor, malo decipi, bona de illis credendo, etiamsi me nesciente mali sunt; quam decipere meipsum, credendo mala de ipsis, quos nondum vere probavi, quod boni non sint. E

à familiaribus fraudatur mavult quam male de iis suspicari,

deceptum se videns

21 Hæc tamen in principio Pontificatus sui dicta meminerim. Postmodum enim, rei veritas viro innotuit, & quæ vere à suis dicta fuerant, nimis vera fuisse cognovit. Quamvis igitur solitam fidem non ex toto verbis eorum deinceps præbuerit, tamen suis rebus in posterum non parum obfuit, quod ipsis in principio tam credulus fuit. Siquidem illi certo scientes, eum pro malis sibi illatis ad mala reddenda cor non habere, à timore suspensi, sibique ipsis deteriores effecti, in pejus profecere. Quod Pater tractans apud se, magis illorum, quam subsequi prævidebat, perditioni, quam suæ indoluit transitoriæ deceptioni. Pro qua tamen deceptione & fidei non servatæ corruptione, sæpe Anselmus dicere solitus erat, eos quandoque aut in se, aut in liberis suis, de rebus Ecclesiæ, quibus nunc in sublime raptabantur, exheredandos, & antiquæ paupertati, in qua nati fuerant & nutriti, subjugandos, aut certe aliqua gravi & contumeliosa vindicta, ante mortem vel in morte, quod deterius esset, puniendos. Quod dictum ejus jam in quibusdam completum videmus: & ex hoc, quid aliis etiam timendum sit, conjectamus. Ideo autem eos corrigere nequibat, quoniam ipsi more densarum spinarum perplexi, F argutis verborum assertionibus se tales non esse, qui hujusmodi correctione opus haberent, affirmabant.

ipsorum causa magis dolet,

quia peccatum horrebat præ ipso inferno.

22 At ille contentioni servire devitans, dimittebat eos sibi, timens ne mensuram discretionis excederet, si in rimandis actibus illorum nimis studiosus existeret: nil enim in mundo magis, quam peccare, timebat. Conscientia mea teste non mentior, quia sæpe illum sub veritatis testimonio profitentem audivimus; quoniam si hinc peccati horrorem, hinc inferni dolorem corporaliter cerneret, & necessario uni eorum immergi deberet; prius infernum, quam peccatum, appeteret. Aliud quoque, non minus forsan aliquibus mirum, dicere solebat, videlicet, malle se purum à peccato & innocentem, gehennam habere, quam peccati sorde pollutum, cælorum regna tenere. Quod dictum cum aliquibus extraneum videretur, reddita ratione, temperabat, dicens: Cum constet solos malos in inferno torqueri, & solos bonos in cælesti regno foveri; patet, nec bonos in inferno, si illuc intrarent, posse teneri debita pœna malorum; nec malos in cælo, si forte accederent, frui valere felicitate bonorum. Propter hæc magno studio semper nitebatur peccatorum contagia devitare, & quidquid eis aliquam nascendi occasionem

A casionem poterat ministrare, ab intentione sua omni sollicitudine propulsare. Nec in his momentaneus erat: in his versabatur quotidiana institutio morum ejus, in his stabat assidua conversatio vitæ ejus, in his vigebat indeficiens executio propositi ejus, in istis Deo serviebat, pro his quibusque bonis acceptus erat, per hæc vitam æternam adipisci satagebat.

CAPUT III.

Ægre tandem impetrata ab irato Rege adeundi Romam facultate, valedicit suis.

Urbani Papæ obedientiam profitens,

23 Regem autem de transmarinis locis regressum Anselmus adiit, & ut sibi Romam ad Papam Urbanum pro stola sui Archiepiscopatus eundi licentiam daret, humiliter petiit. At ille ad nomen Urbani turbatus, dixit se illum pro Papa non tenere, nec suæ consuetudinis esse, ut absque sua electione alicui liceret in regno suo Papam nominare. Hinc igitur orta quædam dissensio gravis est, sed in aliud tempus discutienda est dilata. Jubetur ergo, ut totius Angliæ Episcopi, Abbates & Principes, ad discussionem dissidii hujus apud castrum, quod Rothingeham dicitur, veniant. Factum est, & tertia B septimana Quadragesimæ juxta edictum convenerunt. Causa in medium ducitur, & Anselmus diversis querelis hinc inde concutitur. Siquidem multi, & maxime Episcopi, regiæ voluntati favere volentes, spreto æquitatis judicio, id probare nitebantur, quod Anselmus, salva fide, quam Regi debebat, nullatenus posset in regno Urbanum Sedis Apostolicæ Præsulem pro Papa tenere. Quibus cum plura, quæ ratio tulerat, objecta fuissent, & Anselmus eos ex verbis Domini, Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo, aliisque nonnullis, quæ ratio nulla refellere poterat, penitus infrænasset; illi è contra, quid dicerent non habentes, eum in Regem blasphemare uno strepitu conclamavere, quandoquidem ausus erat in regno ejus, nisi eo concedente, quidquam vel Deo adscribere.

culpatur à Rege & Episcopis,

obedientiam ideo sibi negantibus:

24 Igitur ad unam Regiæ indignationis vocem, quidam ex Episcopis Archiepiscopo suo atque Primati omnem subjectionem, professamq; obedientiã uno impetu abnegant, eique unitatem fraternæ societatis pari voto miserandi abjurant: quidam vero, in eis tantum quæ ex parte Urbani Papæ præciperet, illi se obedituros negant. Episcopi itaque omnes, qui affuerant, Roffensi solo excepto, aut uno C aut alio modo debitam illi subjectionem & obedientiam abnegant. Rex etiam ipse cunctam ei confidentiam & securitatem suis in omnibus adimit, nec se illum pro Archiepiscopo vel Patre amplius habiturum jurat, nisi ipse Vicario beati Petri se ulterius obediturum statim deneget. Tres dies in isto negotio, clamoribus in Anselmum & contumeliis gravidi, expensi sunt; & tandem in hoc, quem dixi, fine conclusi sunt.

non tamen aut ex Anglia discedere,

25 Tunc Anselmus in suo proposito constans, per internuntium conductum à Rege postulat, quo tutus regno decedat. Quod Principes multi damnosum fore dignoscentes, pro restituenda pace, inducias utrimque usque ad Pentecosten dari precantur & obtinent: ac sic eum, ne regno decedat, impediunt. Spondet igitur Rex, se rebus ejus, usq; ad præfixum tempus induciarum, plenã pacem & tranquillitatem indulturum, & tunc voluntati illius pro sua religione, multum in negotio, quod emerserat, condescensurum. Verum omnino in contraria lapsus est, & Anselmus, Domino Balduino extra regnum depulso, hominibusq; suis captis & expoliatis terrisque vastatis, in immensum afflictus est.

AUCTORE EADMERO

aut Romam adire permittitur.

26 Attamen posthæc & Urbanum per Walterum Albanensem Episcopum, qui pallium Anselmo à Roma Cantuariam detulit, pro Papa suscepit, & Principum suorum consilio actus, in amicitiam suã virum recepit. Verum post aliquantum tempus idem Rex, à Gualis victor regressus, renovata ira propter milites, quos (sicut falso à malignis dicebatur,) male instructos in expeditionem Anselmus direxerat, contra ipsum turbatus est. Tunc Anselmus considerans apud se, omni tempore talia pro nihilo posse oriri, & se eis occupatum, semper ab officio Pontificali posse impediri; tractavit secum sibi Romam eundum, & consilium à Sede B. Petri super his petendum. Cum igitur in solennitate Pentecostes ad curiam apud Windelhoram venisset, per familiares suos Regi mandavit, sibi pernecessarium esse Romam ire, & hoc, si ei placeret, se per licentiam eius facere velle. At ille, Nequaquam, inquit: nec enim eum aut in his, quæ agenda sunt, cujusvis consilii inscium, aut alicui gravi peccato obnoxium esse scimus, unde vel Papam consulere, vel illius absolutionem necesse sit illi implorare. Et res igitur ita tunc quidem remansit.

occasione leporis sub se equum fugientis

27 Discedente autem Anselmo à curia, & ad villam suam, nomine Heysem, properante, pueri, quos nutriebat, leporem sibi occursantem in via canibus E insecuti sunt. & fugitantem infra pedes equi, quem Pater ipse insidebat, subsidentem consecuti sunt. Ille sciens, miseram bestiam sibi sub se refugio consuluisse, retentis habenis, equum loco fixit, nec cupitum bestiæ voluit præsidium denegare: quam canes circumdantes, & haud grato obsequio hinc inde lingentes, nec de sub equo poterant ejicere, nec in aliquo lædere. Quod videntes, admirati sumus. At Anselmus, ubi quosdam ex equitibus adspexit ridere, & quasi pro capta bestia lætitiæ fræna laxare, solutus in lacrymas, ait: Ridetis? Et utique infelici huic nullus risus, lætitia nulla est. Hostes ejus circa eam sunt, & ipsa de vita solicita, confugit ad nos, præsidium flagitans. Hoc plane est & animæ: nam cum de corpore exit, mox inimici sui, scilicet maligni spiritus, qui eam in corpore degentem per anfractus vitiorum multis modis persecuti sunt, crudeliter adsiliunt, parati eam rapere, & in mortem æternam præcipitare. At ipsa nimis anxia, huc illucque circumspicit, & qua tueatur, defensionis & auxilii manum sibi porrigi ineffabili desiderio concupiscit. Dæmones autem è contrario rident, & magno gaudio gaudent, si illã nullo fultam F adminiculo inveniunt. Quibus dictis, laxato fræno, in iter rediit, bestiam ultra persequi clara voce canibus interdicens. Tunc illa ab omni læsione immunis, exultans præpeti cursu, campos silvasque revisit: nos vero depositis jocis, sed non modice alacres effecti de tam pia liberatione pavidi animalis, cœpto itinere viam detrivimus.

explicat anxietatem animæ à dæmonibus cinctæ.

alias ex consideratione aviculæ ligatæ

28 Alia vice conspexit puerum cum avicula in via ludentem. Quæ avis pedem filo annexum habens, sæpe, cum laxius ire permittebatur, fuga sibi consulere cupiens, avolare nitebatur. At puer filum manu tenens, retractam usque ad se dejiciebat: & hoc ingens gaudium illi erat. Factum est id frequentius. Quod Pater aspiciens, miser condoluit avi, ac ut rupto filo libertati redderetur, optavit. Et ecce filum rumpitur, avis avolat, puer plorat, Pater exultat. Et vocatis nobis: Considerastis, inquit, jocum pueri? Et confessis considerasse, ait: Simili consideratione jocatur diabolus cum multis hominibus, quos suis laqueis irretitos pro sua voluntate in diversa vitia pertrahit. Sunt enim quidam, ut verbi gratia dicam, aut avaritiæ & similium flammis succensi, & ex magna consuetudine illis

exponit pravæ consuetudinis vim.

AUCTORE EADMERO

illis addicti. His contingit aliquando, ut sua facta considerent, defleant, seque amodo à talibus cessaturos sibi promittant. En more avis se volare liberos autumant. Sed quia pravo usu irretiti ab hoste tenentur, volantes in eadem vitia dejiciuntur. Fitque hoc sæpius; nec omnimodis liberantur, nisi magno conatu per respectum gratiæ Dei, filum pravæ consuetudinis dirumpatur.

importune instans pro licentia eundi,

29 Hinc iterum Anselmus ad curiam veniens, jam bis petitam licentiam Romam eundi à Rege petivit: sed eam nõ obtinuit. Postquem mense Octobri invitatus à Rege, Wintoniam vadit. & quod jam bis rogaverat, attentius per internuntios tertio rogat. Turbatur ille, & nimium se vexari ab eo, anxie queritur. Ad quod Anselmus: Et quidem, quod Romam ire dispono, causa sanctæ Christianitatis, quam in hac terra regere suscepi, causaque salutis animæ meæ, causa etiam sui honoris & utilitatis, si credere velit, id ago: si ergo mihi bono animo licentiam dederit eundi, gratiosius accipiam: si non, ego utique, quod Deus præcepit, postponere non debeo, quia scriptum est: Obedire magis Deo oportet, quam hominibus. Quod ille audiens, turbato animo jubet, ut aut cœpto desistat, & insuper se numquam B. Petrum vel Sedem ejus pro quolibet negotio appellaturum jurejurando promittat, aut sine mora, omni spe remeandi sublata, suo regno decedat. Et subdens, ait: Si vero territus istis, cœpto desistere & remanere quam ire, delegerit, tunc volo, quatenus mihi, prout judicabit curia mea, emendet, quoniam illud sibi concedi à me tertio petiit, in quo se perseveraturum certus non fuit. Respondit: Dominus est: quod vult, dicit: ego tamen sciens ad quid assumptus sim, & quid in Anglia gerendum susceperim, non mihi esse honestum pronuntio, cujusvis transitorii commodi causa illud omittere, quod in ope misericordiæ Dei spero futuris temporibus Ecclesiæ ejus utile fore. Acta sunt hinc his multo plura: quæ quoniam alias scripsimus, hic paucis perstringimus. Rege igitur & curialibus contra virum in iram permotis, ipse ad eum placido vultu ingreditur, & ad dexteram ejus ex more assidens, ait: Ego Domine, ut deposui, vado; sed primo meam vobis benedictionem, si non abjicitis dabo. Quam cum ille se nolle abjicere responderet; conquiescentem Regem ad hoc levata dextera benedixit: sicq; relicta curia, Cantuariam venit.

Act. 5, 29

B

ideoque exulare à regno jussus,

benedicit Regi;

monachos suos ad patientiam in adversis hortatur,

C

30 Postera die adunatos monachos, in ipsa sede Domino Jesu Christo famulantes, his verbis allocutus est: Fratres & filii mei dilectissimi, sicut audistis & scitis, ego ex regno proxime sum dicessurus. Causa quippe, quæ inter Dominum nostrum Regem & me jam diu de Christianæ religionis correctione versata est, ad hoc est tandem perducta, ut aut ea quæ contra Deum & honestatem meam sunt me oporteat agere; aut è regno sine mora decedere. Et ego quidem libens vado, & spero in respectum misericordis Dei, iter meum libertati Ecclesiæ futuris temporibus nonnihil profuturum. Super vos tamen, quos ad præsens relinquo, non modica pietate moveor, utpote quos tribulationes & angustias, oppressiones & contumelias acerbius solito, me absente, passuros intueor. Licet enim constet, illas nec me præsente ex toto fuisse remotas; tamen quando emergebant, contra eas vobis quoddam quasi umbraculum extiti; & ne in immensum vos ferirent, scutum me vestræ protectioni medium objeci. Et quidem majori pace ac securitate vos usos existimo, postquam inter vos veni, quam à decessu venerandæ memoriæ Lanfranci Patris nostri usi fueritis, usque ad introitum meum: unde etiam videor mihi videre, eo magis ipsos, qui vos infestare solebant, adversum vos, me abeunte, sæituros, quo à dominatu, quo vos opprimebant, vident se in præsentia mei dejectos. Sed vos non estis rudes aut hebetes in schola Domini, ut qualiter in hujusmodi, si ingruerint, debeatis vos habere, opus habeatis doceri: paucis tamen suggero, ut quia Deo militaturi in conseptum hujus monasterii convenistis, præ oculis semper habeatis, quemadmodum militetis. Non enim omnes uno modo militant: quod etiam in terrenorum curiis Principum videre planum est. Est etenim Princeps, diversi ordinis in sua curia milites habens: habet namque, qui pro terris, quas de se tenent, servitio suo invigilant; habet, qui pro stipendiis in militaribus armis sibi desudant; habet etiam, qui pro recuperanda hereditate, quam in culpa parentum suorum se perdidisse deplorent, invicta mentis virtute voluntati suæ parere laborant. Hi ergo, qui pro terris, quas possident, serviunt, jam radicati sunt & fundati, nec evelli formidant, dum se in domini sui voluntate conservant: at hi, qui pro stipendiis in militiam sese dederunt, nonnumquam fatigati laboribus, à militia, quam aggressi sunt, segniter cadunt, dum forte magnitudini exercitii atque laboris, magnitudo, sicut ipsi existimant non æquatur stipendii ac retributionis: qui vero recuperandæ causa hereditatis serviendi conditionem arripuere, quamvis nunc istis vel illis laborum generibus opprimantur, nunc his vel illis contumeliis afficiantur, æquanimiter omnia sustinent, si firmum recuperandæ hereditatis suæ amorem certæ spei gratia tenent.

D

ut qui cælesti Regi serviunt profitentur,

E

31 Hæc fieri inter homines liquet, & hinc, quid in curia Principis omnium fiat, re ipsa monstrante, advertere libet. Deus enim cujus sunt omnia quæ sunt, in his tribus generibus distinctam ad sui obsequium curiam habet. Habet quippe Angelos, qui æterna beatitudine stabiliti sibi ministrant; habet etiam homines, sibi pro terrenis commodis, quasi milites stipendiarii servientes: habet quoque nonnullos, qui diu noctuque suæ voluntati inhærentes, ad regnum cœlorum, quod in patris sui Adæ culpa perdiderunt, hereditario jure pervenire contendunt. Sed nobis ad beatorum Spirituum societatem magis est suspirandum, quam de eorum procinctu, quo Deo perenniter adstant, in præsenti disputandum. Ad solidarios Dei milites verba vertamus. Videatis quamplurimos, in seculari vita degentes, Deum in his, quæ possident, speciètenus diligentes, & ejus per quædam bona opera, quæ faciunt, famulatui insistentes: supervenit his Dei judicio tentatio aliqua, perdunt sua: Quid dicam? Mutata protinus mente, volant ab amore Dei, deserunt bona quæ faciebant, murmurant, injustitiæ Deum accusant. Quid de istis dicendum? Solidarii sunt, & impletur in illis, quod dicit Psalmus: Confitebitur tibi, cum benefeceris ei. Hoc de secularibus dictum. Sed nos monachi utinam tales essemus, ut horum similes non essemus. Nam qui in propositi sui norma, quam professi sunt, stare recusant, nisi cuncta quæ sibi ad votum sunt copiosius habeant, nec hinc propter Deum cujuslibet rei penuriam, nec hinc regulæ disciplinam pati volunt, quibus (obsecro) rationibus juvabuntur, ne horum similes habeantur? In omni quippe opere suo prius mercedem exigunt, quam cui merces debetur ministerii munus exolvant. Et hi tales, regni cælestis heredes erunt? Fidenter dico, Nequaquam, si non pœnituerint, se tales fuisse.

non pro temporalium bonorum stipendio

F

Psal. 48, 19

32 Qui vero ad recuperandæ vitæ regnum, obsequii sui dirigit intentionem, Deo per omnia inhærere; & totam fiduciam suam inflexibili mentis statu

sed solius cælestis hereditatis spe.

statu in eum defigere nititur. Nulla hunc adversitas Dei servitio detrahit, nulla transeuntis vitæ voluptas ab ejus amore compescit: per dura & aspera viam mandatorum illius incedit, & ex spe retributionis futuræ, cor suum indeficienti caritatis ardore succendit: ac sic in cunctis vera patientia fretus, cum Psalmista lætus canit; Magna est gloria Domini: quam gloriam sic in hac peregrinatione positus gustat, gustando ruminat, ruminando desiderat, desiderando à longe salutat, ut ad illam spe perveniendi subnixus, ea se intra mundana pericula consoletur, & alacriter cantet, Magna est gloria Domini. Et sciatis, quod hic ipsa gloria Domini nullo modo defraudabitur; quoniam totum, quod in eo viget, voluntati Domini famulatur, atque ad hanc obtinendam dirigitur. Sed & jam ab istis inter vos mihi cessandum video. Fratres mei, obsecro vos, si hic dolentes nunc ab invicem separamur; tendite, ut in futuro ante Deum læti ad invicem conjungamur. Estote isti, qui veraciter velitis effici heredes Christi.

ac denique moestis valedicit.

33 His dictis, erumpentes ab ejus oculis lacrymæ, eum plura loqui prohibuere. Gemitum Fratrum, qui subsecutus est, quis enarrabit? Ita fletus implevit omnia, ut vox nulli superesset ad verba. Tandem Pater medios rumpens singultus, ait: Carissimi mei, scitis quid vos esse, & quo vos tendere cupiam. Sed hora hæc plura loqui vetat. Deo omnipotenti & beatissimo Apostolorum principi Petro vos commendo, ut & ipse Deus inter suas oves vos cognoscat, & beatus Petrus in sui tuitionem, sicut oves Dei sibi commendatas, vos suscipiat. Ego vestra licentia & benedictione vado, ac ut Deus pacis ac dilectionis vobiscum maneat, oro. Post hæc surrexit, & dato pacis osculo cunctis, in oratorium ivit, populo sanctū ejus alloquium præstolanti, pro instantis qualitate negotii verbum consolationis & exhortationis ministraturus. Quod ubi excellenter peregit, adstante monachorum, Clericorum ac numerosa populorum multitudine, peram & baculum peregrinantium more coram altari suscepit, commendatisque omnibus Christo, ingenti fletu & ejulatu prosecutus, egressus est.

B

CAPUT IV.

Discessus in Galliam, inde Romam & in Samnium.

C

Abituri supellectilis injuriose excussa.

34 Ipso die ad portum Dofras ivimus, ibique Clericum quemdam, Wilhelmum nomine, à Rege ad Anselmum directum reperimus. Detenti autem ibi quindecim diebus sumus, vento nobis transitum prohibente. In qua mora idem Wilhelmus cum Patre intrans & exiens, & in mensa illius quotidie comedens, nulli, propter quam rem missus fuerat, denudare volebat: die vero quintodecimo, cum nos nautæ urgerent naves petere, & nos transire avidi ad hoc fatigaremur, ecce videres rem miserandam: Patrem patriæ, Primatem totius Britanniæ, Wilhelmus ille, quasi fugitivum & alicujus criminis reum, in littore detinet; ac ne mare transeat, ex parte Domini sui jubet, donec omnia, quæ secum ferebat, sigillatim sibi revelet. Allatæ igitur ante illum bulgæ & manticæ reseratæ sunt: tota supellex illius, spe pecuniæ reperiendæ, subversa atque exquisita est, ingenti plebis multitudine circumstante, ac nefarium opus pro sui novitate admirando spectante, & spectando execrante. Rebus ergo eversis, sed nihil horum, quorum causa eversæ sunt, in eis reperto; delusa sollicitudo perscrutantis est, & Anselmus cum suis abire permissus.

35 Itaque navem ingreditur, ventis vela panduntur, & aliquanto maris spatio promovemur: cum subito nautæ, primum inter se submurmurantes, ac deinde murmur ipsum depromentes, manifesta voce affirmant, nullo penitus conatu, nullo numerosorum remorum impulsu, eo quo ferebamur vento, Witsandis pertingendum; imo si marinis fluctibus pariter involvi nollemus, sine mora remeandum. Ingemuit Anselmus ad ista, & ait; Si omnipotentis Dei judicio placet, me magis redire ad pristinas miserias, quam liberatum ab illis, tendere ad id quod ipse novit me animo proposuisse; ipse videat, ipse dispenset: ego voluntati ejus obsequi paratus sum: nec enim meus, sed ipsius sum. Dixit, & suffusis in lacrymas oculis ejus, illico ventus ex alio latere surgens, velum percussit, & nautas jam, velo reflexo, terram petentes, ad priorem cursum reverti coëgit. Nos igitur non modicum exhilarati, & in brevi prosperrime marinis fluctibus evecti, Witsandis pro voto appulimus.

Auctore Eadmero & vento adverso in prosperum mutato

defensusque miraculo ne mergeretur.

36 Egredientibus autem nobis de navi, hi, quorum navis erat, retinentes Dominum Balduinum, quem provisorem & ordinatorem rerum Anselmi supra diximus, ostenderunt ei mirabile quiddam, quod acciderat. In fundo etenim navis, quæ virum per undas transvexerat, fractura unius tabulæ foramen unum, ferme duorum spatio pedum magnitudinis habens, effecerat, quod fluitanti elemento locum demonstrabat, sed nullum omnino, quamdiu Anselmus in eo fuerat, reserabat introitum: quæ res si admirationem sese tuentibus intulit, non puto mirandum. Tunc Balduinus summo studio cunctis rem celare præcepit, & ea res per id temporis non multis innotuit. Ego autem cum inde quædam persensissem, ac post longum tempus dum istis, quæ in manu habemus, scribendis animum applicuissem, nihilque unde mihi vel levis dubitatio inesse poterat, describere voluissem; interrogavi eumdem virum de negotio, & veritatem magnopere sciscitatus sum: qui interposita veritatis assertione, qua servus Dei ac verus monachus inniti debet, confessus est rem ex toto, sicut eam retuli, factam, nec quidquam in ea confictum.

E

appellit in Flandriam:

37 Anselmus itaque extra Angliam positus, magnifice lætatus est, & multiplices Deo gratias egit, quod se quasi immanem Babylonis fornacem evasisse, & culmen quodammodo placidæ quietis contigisse videbat. Wilhelmus autem, audito Anselmum transfretasse, confestim præcepit cuncta, quæ illius jura fuerant, in suum transcribi dominium, & irrita fieri omnia, quæ per ipsum statuta fuisse probari poterant, ex quo venerat in Archiepiscopatum. Quas itaque tribulationes Ecclesia Christi passa est intus & extra, cogitatu, nedum dictu, percipere difficile esse pronuntio.

F

Audomaropoli plurimos confirmat.

38 Igitur Anselmus à Witsandis mane discedens, & post dies ad S. Bertinum veniens, magna plebis, Clericorum ac monachorum alacritate susceptus est, & per quinque dies ibi detentus. Interea rogatu amicorum & Canonicorum, altare unum apud S. Audomarum consecravit. Quo facto, venerunt ad eum honorati quidam de indigenis viri, flexis genibus obsecrantes, quatenus filios eorum per impositionem manus suæ sacri chrismatis unctione signaret. Ad quod mox ita respondit: Et hos, pro quibus petitis, libens in hac causa suscipiam, & alios hoc Sacramento egentes, si præsto fuerint, non abjiciam. Qua illi facilitate responsi benignitatem viri admirantes, magnifice læti sunt, & gratias egerunt: confirmatisque pueris suis, illico totam urbem his, quæ ab ejus ore acceperant, impleverunt. Videres ergo viros ac mulieres, magnos ac parvos,

AUCTORE EADMERO

parvos, è domibus ruere, certatimque currendo, ad nostrum hospitium prædicti gratia Sacramenti properare: plures siquidem anni apud eos transierant, in quibus nullus Episcoporum illic fuerat tali officio passus occupari.

quod in recessu uni negatum dolet,

39 Sexto demum die, cum jam innumeram multitudinem confirmasset, & nos à loco discessuros longum iter ipsius diei, quod instabat, festinare compelleret, ecce puella quædam domum, de qua equos ascensuri egrediebamur, introiit, flebili pietatis affectu se confirmari deposcens. Quod quidam ex sociis nostris audientes, nimis moleste tulerunt: & verba illius, utpote qui jam talium erant tædio affecti, contradicendo depresserunt. Quid plura? Virum precibus puellæ assensum tribuere volentem, ipsi objecta longitudine diurnæ viæ, objectis periculis, quæ nocturnos viatores in peregrina quam maxime patria, comprehendere solent, detinuerunt; & ne voci ipsius auditum præberet, obtinuerunt. Sed ubi aliquantum processimus, venit Patri in mentem, quibus acquieverit, quid egerit: illico nimis impietatis seipsum arguens, tantum exinde concepit cordis dolorem, ut quamdiu vitæ præsenti superfuit, pœnitudo ipsius facti, ut sæpe fatebatur, ab animo ejus non recesserit.

B

Post aliquam Lugduni moram,

40 Nobis dehinc cœptum iter de die in diem accelerantibus, fama viri multo celerius præcurrebat, & multiplici populos voce replebat: unde turbarum concursus, Clericorum cœtus, monachorum exercitus ei, quocumque veniebat, occurrunt; isti gaudio & exultatione concrepantes, illi vexillis & sonoris concentibus Deo pro illius adventu conjubilantes. Cum autem Lugdunum venisset, & ab Archiepiscopo civitatis ipsius gloriose susceptus fuisset, post dies paucos, missis litteris, consilium à Domino Papa de negotio suo quæsivit: & quia partim imbecillitate sui corporis, partim aliis pluribus causis præpeditus, ultra Lugdunum progredi nequaquam posset, ei suggessit. Ita ergo Lugduni resedit, reditum nuntiorum suorum ibi expectans. Post tempus Roma nuntii redeuntes, quoniam omni sublata excusatione, eum ad se Papa properare præceperit, referunt. Ille nescius moræ, Pontificalibus jussis obaudit; viæ se periculis, mortem pro Deo non veritus, tradit.

a Ignotus Secusiam transit,

41 Hinc Secusiam venimus, & nos Abbati loci illius præsentavimus. Eramus quippe monachi tres, Dominus videlicet & Pater Anselmus, Dominus Balduinus, & ego qui hæc scribo Frater Edmerus; qui ita ibamus, quasi pares essemus, nullo indicio, quis cui præstaret, coram aliis ostendentes. Ab Abbate igitur, qui vel unde essemus, interrogati, paucis respondimus. Et audito, quosdam ex nobis Beccensis cœnobii monachos esse, sciscitatus est: Fratres, obsecro vos, vivit ille adhuc, ille Dei & omnium bonorum amicus Anselmus, scilicet cœnobii ipsius Abbas, vir in omni religione probatus & acceptus? Balduinus ad hæc: Ille, ait, in Archiepiscopatum in aliud regnum raptus est. At ille: Audivi. Sed nunc, quæso, qualiter est? valet? Equidem ex eo tempore, ait, quo functus est Pontificatu, non vidi eum Becci: dicitur tamen bene valere ubi est. Tunc Abbas: Et ut valeat, oro. Hæc de se Anselmus dici audiens, confestim tecto cucullæ suæ caputio capite, demisso vultu sedebat. Nolebamus enim agnosci, ne forte præcurrente fama de adventu tanti viri, cuivis periculo nostra incuria fieremus obnoxii. Celebratis dehinc in b cœnobio S. Michaëlis Archangeli, quod in mōte situm, Clusa vocatur, passionis ac resurrectionis Dominicæ solenniis, in iter reversi, Romam festinavimus. Mirum dictu! Pauci atque ignoti per loca peregrina ibamus, neminem agnoscentes, nemini, qui vel unde essemus, innotescentes: & ecce solus Anselmi adspectus in admirationem sui populos excitabat, cumque esse virum vitæ designabat. Unde cum jam hospitati etiam inter eos, quorum insidias metuebamus, fuissemus; nonnumquam viri cum mulieribus hospitium intravere, & ut hominem videre, ejusque mererentur benedictione potiri, obnixe precabantur.

G *& velut absens ibidem laudatur,* *b* D

quod etiam Clusæ accidit.

42 Tali ergo vulgi favore Romam usque prosecutus, Lateranis, ubi tunc temporis Summus Pontifex morabatur, advenit. Nuntiatur Pontifici Patris adventus, & ovans jubet illum in parte ipsius sui palatii hospitari, & die illo indulgere quieti. Mane confluit ad Papam Romana nobilitas, & de novi hospitis adventu sermo conseritur: adducitur cum reverentia vir in medium, & in qua coram Papa decenter sedeat, sella profertur. Ingressus, humiliat se pro more ad pedes Summi Pontificis: sed statim ab ipso erigitur ad osculum ejus. Sedet, ac pro adventu illius lætari se Apostolicus cum Romana curia dicit. Acclamat curia dicto. Postea silentio facto, multa in laudem hominis Papa locutus est, virum illum virtutis ac totius religionis esse contestans. Et quidem inquit, ita est: cumque illum, utpote hominem cunctis liberalium artium disciplinis innutritum, pro magistro teneamus; & quasi comparem, velut alterius orbis Apostolicum & Patriarchā, jure venerandum censeamus; ita tamen excellens menti ejus humilitatis constantia præsidet, ut nec marinis periculis, nec longissimis peregrinæ terræ spatiis terreri potuerit, quin vestigiis B. Petri nostræ parvitatis ministerio se præsentare, nosque magis illius, quam illum nostro egentem consilio, super causis suis consulendos adire studuerit: quapropter considerate, quo amore, quo honore suscipiendus sit & amplectendus. Hæc cum Anselmus de se, & multo his plura, pro sui laude dici audiret, sicut ipsemet sæpe fateri solebat, non parum erubuit; quoniam se talem apud se, qualis à tanto viro prædicabatur, minime cognovit. Verumtamen erat inter verba tacens, decentius fore perpendens, ad hujusmodi silere quam loqui. Post hæc de sui adventus causa percunctatus à Papa, eo sibi modo narravit eam, quo veritatis ac discretionis ratio poposcit. Ille ad audita miratur, & subventionem plenam pollicetur: præcepit itaque, ut subventionis ipsius effectum circa se Anselmus præstolaretur.

& valde laudatur a humilitate, E *causa sui adventus exposita,*

F *diversis in Campania;*

43 Verum quia calor æstatis in partibus illis cuncta urebat, & habitatio Urbis nimium insalubris, sed præcipue peregrinis hominibus erat, Joannes quidam nomine, olim monachus Becci, tunc autem Abbas cœnobii sancti Salvatoris Telesini, annuente Papa, suscepit eum ut proprium Patrem amice, & duxit in suam villam, Sclaviam nomine, quæ in montis vertice sita, sano jugiter aëre atque tepenti, conversantibus illic habilis extat. Igitur habitatio nostra in montis erat summitate locata, à turbarum tumultu instar solitudinis vacua: quod Anselmus advertens, ex spe futuræ quietis exhilaratus ait: Hæc requies mea, hic habitabo. Ad primum igitur conversationis ordinem (quem antequam Abbas esset habebat, quemque se in Pontificatu positum maxime perdidisse deflebat) vitā instituit, sanctis operibus, divinæ contemplationi, mysticarū rerū enodationi diu noctuque mentem intendens: unde Christianæ fidei amore permotus, insigne volumen edidit, quod, Cur Deus homo, titulavit: quod opus, sicut in prologo ejus ipse testatur, in Anglia cœpit, sed hic, in Capuana videlicet provincia, constitutus, absolvit. Inter hæc omnia sese omnibus faciens, cunctis pro posse subveniens, cunctos, qui se audire volebant, non considerata alicujus persona, ad suum col-

& scribit librum, cur Deus homo.

A loquium admisit; singulis pro qualitate motæ quæstionis benigna affabilitate atque affabili benignitate satisfaciens. Quapropter fama illius in brevi circumcirca percrebuit, & in dilectionem atque venerationem ejus cunctorum corda convertit. Quicumque igitur eum videre, ejusque potuit benedictionem habere, beatum se proprii censura judicii æstimavit.

Loco in quo ipso rogatus benedicere

44 Monachus etiam, qui villæ ipsius pro Abbatis imperio custos erat, quique nobis more boni hospitis in nonnullis ministrabat, considerans vitam & actus Patris, concepit apud se spem magni boni, & gratiam Dei in eo vigere, credidìtque quod Deus multa libens faceret ob merita ejus. Homines autem villæ, multas incommoditates quotidie patiebantur pro penuria aquæ: in devexo tamen latere montis puteus unus nimiæ profunditatis habebatur, sed ita singulis diebus exhauriebatur, ut ab hora diei nona nulla, quæ extrahi posset, in illo aqua usque mane reperiretur. Cui incommodo Frater ille subventum iri desiderans, rem Anselmo conquerentis more innotuit, & suæ voluntati inesse subjunxit, puteum in ipso, quo habitabamus, loco facere, si forte Deus sua pietate dignaretur hoc incommodum propulsare. Laudat Anselmus piam Fratris voluntatem, & rem tentare suadet. Lætatur ille ad hæc, & rogat quatenus ipse locum inspiciat, ac præmissa prece, cum benedictione sua, primus terram aperiat. Acquiescit ille precanti, nolens offendere voluntatem hospitis sui. Quid dicam? Cernebatur miræ celsitudinis rupes, & quasi dementia videbatur, in tali loco fontem velle aquæ investigare. Vadit tamen Anselmus nobis comitatus ad locum, & supplici prece præmissa, hoc est, ut abundantiam jugis atque salubris aquæ Deus ei largiretur, tertio feriens terram aperuit, & reliquo operi dare operam jussit. Perpauci dies cœpti operis transierunt, & ecce fons vivus è duritia rupis erumpens, ingenti cunctos stupore percussit. Nec mirum: aqua enim, quam se magister operis nec in plurimis diebus reperturum putabat, non mirum, si stuporem incussferit brevi reperta. Perfectus itaque puteus est, modicæ quidem profunditatis extans, sed limpidissimæ atque salubris aquæ jugi fonte redundans. Quæ res illico divulgata, non parvæ admirationis fuit, & eam viri meritis omnis, qui audivit, adscripsit. Itaque puteus ille, puteus Cantuariensis Episcopi usque hodie ab incolis ipsius terræ vocatur. Ferunt autem hi, qui ad nos inde sæpe venerunt, quia multi diversis languoribus ac febribus tenti, sumpta in potu eadem aqua, pristinæ sanitati mox restituuntur. c

& puteo fodiendo initium dare, B *facit ibi fontem inveniri,* C *qui adhuc in ejus nomine salutifer est.*

ANNOTATA.

a Secusia vulgo Susa, haud procul Senisio monte, in Pedemontana ditione. Est ibi Abbatia S. Justi, erecta anno 1029, cujus erectionis instrumentum cum Chronologia Abbatum exhibet Franciscus Augustinus ab Ecclesia in Historia Chronologica Pedemontana regionis, pag. 237 & sequentibus.

b Celeberrimum illud tunc erat cœnobium S. Michaelis, anno 966 consecratum, cui varia erant subjecta Abbatia: nunc est Ecclesia Collegiata Canonicorum Secularium, uti legitur in citata Chronologia pag. 209 & seqq.

c Hujus rei testes litteras habemus à Cl. viro D. Silvestro Ayossa, Presbytero Capuano; qui anno 1640 devotionis caussa ad puteum illum profectus, eum invenit profundum 50, latum 6 palmos; haustaque inde aqua implevit vasculum & Capuam detulit; deinde mulieri febrienti potandam dedit, & cum ea subitam sanitatem: ex eadem, rogatus communicate aliquid juveni Notario, Leonardo Pizzo, de vita desperanti, similis effectus experientiam habuit; vivebatque adhuc juvenis ille anno 1660, quando scripta epistola factum in se miraculum prædicans. Duravit aqua illa, modicis portiunculis dispensata, annis omnino tribus absque corruptione: postea vero ejusdem Silvestri hortatu, Doctor medicus cuidam deposito ægro ex ipso puteo aquam cum fide obtulit anno 1650, & sanum subito fecit, cum sua magna admiratione. Hæc Ayossa, significans castrum Sclavorum esse in districtu Calatinæ seu Caiacensis civitatis, distantis à Capua circiter 9. P. M. versus Orientem.

AUCTORE EADMERO

CAPUT V.

Excursio in Campaniam. Reditus in Galliam. Varia miracula.

45 His diebus Rogerus Dux Apuliæ civitatem Capuam obsidebat: qui fama viri permotus, mittens rogavit eum venire ad se. Ascendimus, ivimus, & plures in obsidione dies exegimus, remoti in tentoriis à frequentia & tumultu perstrepentis exercitus. Erat autem, ubi eramus, quædam ecclesiola penitus deserta, & juxta ostium cisterna desuper dirupta, magnæ profunditatis hiatum sua diruptione prætendens. In qua ecclesia, velut in camera, pro velle conversabamur, tam quieti quam operi in ea indulgentes, & Ducem ipsum cum suis nobiscum singulis diebus, ut volebamus, in promptu habentes. Quadam vero nocte, cum in ea dormiremus, contigit Anselmum sui corporis necessitate silentio surgere, & ne inquietaremur, suo more lento pede ad ostium tendere. Quod cum exisset, & immemor foveæ, per tenebras in partem divertisset, in profundum cecidit, clamosa voce cadendo dicens: Sancta Maria. Ad quem sonitum nos ac socii nostri, qui in tentoriis quiescebant, expergefacti, lectis prosilivimus, accurrentes hominem in profundo vidimus, & præ timore simul & angustia cordis exanimati fere sumus. Quod ipse percipiens, mox levato capite, vultu jucundo, intuitu nobis innuit, nil læsionis sese perpessum. Descendentes igitur quidam ex nostris ex altera parte ipsius præcipitii, qua via erat descendendi, eduxerunt eum à loco sanum omnino atque incolumem.

Accedens ad Rogerium in obsidione Capuæ, E *illæsus evadit è præcipitio*

46 Cum post hæc Sedis Apostolicæ Pontifex Urbanus illo adventaret, & ei ab Anselmo & Principibus totius exercitus obviam itum esset, ingenti mundialis gloriæ pompa prosecutus, ductus est in tentorium, quod juxta nos sibi ceteris excellentius constitutum erat. Sicque, donec civitas in deditione transiit, obsidio illius Dominum Papam & Anselmum vicinos habuit, ita ut familia utrorumque magis videretur una, quam duæ: nec facile quivis declinaret ad Papam, qui non diverteret ad Anselmum. Papa namque colebatur à cunctis, quemadmodum Pater & Pastor communis; Anselmus vero diligebatur ab omnibus, sicut homo mansuetus & mitis, & cui suo judicio nihil debebatur à quovis. In Papa denique supereminens vigebat cum dignitatis auctoritate potestas; in Anselmo mira, & quæ cunctos demulcebat, pura cum simplicitate humilitas. Multi ergo, quos timor prohibebat ad Papam accedere, festinabant ad Anselmum venire, amore ducti, qui nescit timere: majestas etenim Papæ solos admittebat divites; humanitas Anselmi sine personarum acceptione suscipiebat omnes. Et quos omnes? Paganos etiam, ut de Christianis taceam. Siquidem nonnulli talium, (nam eorum multa millia in ipsam expeditionem adduxerat homo Ducis, Rogerus Comes de Sicilia) nonnulli, inquam, talium, fama bonitatis ejus inter suos exciti, mansionem nostram frequentabant, & sumptis ab Anselmo cor-

juxta Papam, huc quoque venientem, hospitatus F *frequentatur ab omnibus, etiam à Saracenis.*

AUCTORE EADMERO

corporalibus cibis, gratiosi revertebantur, admirandam viri benignitatem suis prædicantes, quam experiebantur. Unde in tanta deinceps veneratione apud eos habitus est, ut cum per castra illorum, quæ in unum locata erant, transiremus; ingens multitudo eorum, elevatis ad cælum manibus, ei prospera imprecarentur, & osculatis pro ritu suo manibus, propriis etiam coram eo genibus flexis, pro sua benigna largitate grates agendo, venerarentur. Quorum etiam plurimi, velut comperimus, se libenter ejus doctrinæ instruendos submisissent, ac Christianæ fidei jugo sua per eum colla injecissent, si crudelitatem Comitis sui, per hoc in se sævituram, non formidassent. Nam revera nullum eorum pati volebat Christianum impune fieri: quod qua industria, ut ita dicam, faciebat, nihil mea interest, viderit Deus & ipse.

In Synodo Barensi Græcos confutat:

47 Dehinc soluta obsidione, Anselmus multa prece Papam ad hoc flectere conatus est, quatenus ab onere Pontificali eum absolveret, & quieti liberum vacare concederet. Verum cum, quantum quidem ad effectum spectabat, in nihilum laborasset; fretus benedictione ejus, Sclaviam reversus est, operiens ibi tempus Concilii, quod idem Papa apud Barum Kalendis Octobris erat celebraturus. Cui concilio dum Anselmus se præsentasset; & persuasus à Papa, Græcos in processione Spiritus sancti, utpote quem à Patre, non à Filio procedere adstruebant, errantes, rationabili atque catholica disputatione confutasset; magni apud omnes habitus est, & veneratione dignissimus comprobatus.

Romæ moratus honoratur à Papa,

48 Finito concilio, Romam cum Apostolico profecti sumus. Transactis autem aliquantis diebus, venit Romam Wilhelmus ille, cujus in exitu Angliæ mentionem fecimus. Is inter alia hoc effecit apud Apostolicum, ut inducias Regi Angliæ daret de causa Anselmi, usque ad festum Michaelis Archangeli. Quod Anselmus agnoscens illico Lugdunum redire volebat, sed prohibitus à Papa est propter Concilium, quod se tertia hebdomada Paschæ Romæ habiturum statuerat. Morati itaque Romæ sumus ferme per dimidium annum, continue circa Papam degentes, & quasi in commune viventes: unde & ipse Papa nonnumquam ad Anselmum veniebat, læte cum eo sese agendo, & curiam ei faciendo. Dedit ei quoque hospitium, in quo conversabamur eo jure, ut si aliquando Romam rediret, contra omnes homines illud sibi vendicaret. Ipse in conventu nobilium, in processionibus, in stationibus, semper & ubique à Papa secundus erat, præ cunctis honoratus, cunctis acceptus, & ipse omnibus simplici humilitate summissus. Præterea Angli, illis temporibus Romam venientes, pedes ejus, adinstar pedum Romani Pontificis sua oblatione honorare desiderabant: quibus ille nequaquam acquiescens, in secretiorem domus partem fugiebat, & eos pro tali re nullo patiebatur ad se pacto accedere. Quod ubi Papæ relatum est, admiratus in homine humilitatem mundique contemptum, jussit sese in se tenere, & nullum benefacere ultra volentem prohibere, sed omnes pro tali causa adventantes patienter admittere. At ille modesta quadam verecundia actus; jussa profecto postponeret, si non inobedientiæ nævo corrumpi timeret.

à suis Anglis, ... simo & à rebellibus Romanis.

49 Quid referam nonnullos cives Urbis, quorum ingens multitudo, propter fidelitatem Imperatoris, ipsi Papæ erat infesta, nonnumquam in unum conglobatos, Anselmum, à Lateranis ad S. Petrum euntem cum suis, propter odium Papæ capere volentes, sed mox viso vultu ejus territos, projectis armis, terra procumbere, & se illius benedictione deposcere insigniri? Hi honores, & horum similes vulgi favores ubique illum comitabantur, quia mores sui in cunctis Deo famulabantur. Hinc etiam erat, quod non facile à quoquam Romæ simpliciter homo vel Archiepiscopus, sed quasi à proprio nomine, sanctus homo vocabatur. Quicumque igitur ei serviebamus, amori & honori cunctis eramus. Cum vero ad præfatum Concilium ventum esset, & jam quæ recidenda, recisa; & quæ statuenda videbantur, statuta fuissent; excommunicationis sententiam tam in laicos, qui Investituras ecclesiarum dant, quam in eos, qui de manibus eorum illas suscipiunt, cum toto Concilio Papa intorsit. Eadem sententia quoque damnavit & eos, qui in officium sic adepti honoris aliquem sacrarit.

Finita Synodo Romana

Lugdunum revertitur,

50 Soluto conventu, accepta licentia, Roma digredimur. Via vero redeundi multis erat periculis obnoxia: sed protegente nos Domino, pericula cuncta evasimus, ac Lugdunum illæsi pervenimus. Ubi summo cum honore gaudioque suscepti, & à Pontifice civitatis, venerabili scilicet Hugone detenti, mansionem nostram illic firmavimus, amissa omni fiducia, vivente Rege Wilhelmo, Angliam remeandi. Habitus est ergo ibi Anselmus, non sicut hospes aut peregrinus, sed vere sicut indigena & loci dominus: unde nusquam ipse ipsius urbis Antistes, eo præsente, suo volebat loco præsidere; sed præsidente ubique Anselmo, ille mira humilitate & honestate præditus, inferioris & quasi Suffraganei loco simul & officio fungebatur. Super hæc ut Episcopale officium per totam parochiam suam pro velle exerceret, in voluntate ejus ac deliberatione constituit. Quod ubi per loca vicina innotuit, illico frequens populorum concursus factus est, unctionem sacri chrismatis per impositionem manus illius poscentium sibi conferri. At ille omnes ad gratiam ipsius sacramenti admittebat, ita ut sæpissime in hoc totus dies expenderetur; & nos, qui ei ministrabamus, gravi tædio afficeremur; ipso semper jucundo & hilari vultu existente. Crevit autem ex hoc in eum mira quædam & incredibilis dilectio omnium, & bonitas ejus divulgabatur per circuitum.

ubi multis Confirmationem impertit.

Plures ægri sanat,

51 Igitur qui illis diebus saltem reliquias de mensa illius poterat habere, contra omnia pericula & infirmitates se salutifera credebat medicina ditatum. Nec ista fides fallebat eos. Nam revera nonnullos febribus tentos, & quibusdam aliis infirmitatibus pressos, mox sumptis ciborum ejus reliquiis, novimus integræ sanitati restitutos. Exempli gratia: *a* Festivitas B. Mauricii celebris habetur Viennæ. Rogatus itaque Anselmus *b* à Guidone, ipsius urbis Archiepiscopo, in ipsa Festivitate venit eo: & celebrato solenni Missæ ac prædicationis officio, cum ad refectionem corporis sedisset, venerunt ante illum milites duo, voce & vultu ægrotationis molestiam, qua premebantur, præferentes, rogantes quatenus de micis sui panis eis dare dignaretur. At ille, Nequaquam, inquit: nec enim pane integro, nedum micis, vos indigere conspicio. Sed si comedere vobis placet, amplus locus est: sedete, & cum benedictione Dei, quæ vobis apponentur, comedite. Responderunt se pro hoc non venisse. Nec ego, ait, vobis aliud faciam: intellexerat enim, quo intenderent. Unus ergo ex his, qui in ejus dextera sedebant, intelligens illos salutis propriæ curam habere, & virum in hoc nihil, quod miraculo posset ascribi, velle facere; quasi eorum importunitatis pertæsus, arrepta desuper mensa fragmenta præbuit eis, & ne hominem fatigarent, secedere monuit. Qui statim ut exinde modicum gustaverunt, cum benedictione viri egressi sunt. Post mensam in secretiorem locum me tulerunt, magnopere postulantes, quatenus adjuti mea

A mea ope, ad Missam Patris mererentur de manu ejus Dominicum Corpus & Sanguinem sumere. Quos cum libenter audissem, & quando, & quove in loco id fieret, edocuissem, gratiosa voce responderunt: Et nos quidem, omni excusatione semota, sicut dicis, veniemus; si hac medicina, quam nunc de mensa ipsius suscepimus, à quartanis, & mortiferis febribus, ac intestinorum tortionibus, quibus intolerabili cruciatu concutimur, liberati non fuerimus. Et hoc erit signum inter nos & te: quoniam si convaluimus, non veniemus: si non venimus, convaluimus. Quibus dictis, ab invicem divisi sumus. Non venerunt, quia, sicut accepi ab eis, qui utrumque noverunt, eo quod de mensa acceperant, ad plenum Dei gratia convaluerunt. Quod quidem si ita non fuisset, quemadmodum illos infirmitate gravatos, sanitati voluisse restitui, credibile est: ita eos requisitione istius posterioris medicinæ supersedere noluisse, dubium non est.

accepto de ejus mensa pane,

convalescunt:

52 Nempe tenebant ista, se quin convalescerent, falli non posse; scientes quemdam non ignoti nominis virum, eo solo quod spe recuperandæ sanitatis Missæ illius interfuit, à pari tunc invalitudine convaluisse. Siquidem unus è Principibus terræ illius diu, eadem qua ipsi, languoris molestia vexatus fuerat. Hic agnito Anselmum in ecclesia B. Stephani c Missam ex more celebraturum, festinavit illo, arbitrans sibi ad recuperandam sanitatem utile fore; si Missa tanti viri ac benedictione meruisset potiri. Fateor, vidimus hominem suorum manibus innixum, ecclesiam introëuntem, mortuo quam viventi similiorem. Sedit, & finita Missa, egressus est. Nobis vero, nec quis vel unde aut cur advenerit, scientibus atque curantibus; idem vir, evolutis paucis diebus, ad Patrem venit, flexis genibus ei pro adepta sanitate gratias agens. Ad quod cum ille obstupesceret, indicavit ei ordinem gestæ rei; confirmans quod ab ea hora, qua se Missæ illius præsentavit, omni doloris vexatione depulsa, sanitati restitutus sit. At ille nihil ad se hoc pertinere, sed ipsius fidei ac meritis beati Martyris, ad quem divertit, adscribendum asserens; quæ saluti animæ illius competerent, eum instruxit; & familiarem sibi effectum, correctiori vitæ, ut post multorum testimonio comperimus, reddidit.

uti alius antea, audita ejus Missa.

B

53 His fere temporibus Cluniacum euntibus nobis occurrit quidam sacri ordinis homo, lacrymosis precibus virum deprecans, quatenus & se oculo misericordiæ & sororem suam, nuper amentem effectam, dextera suæ benedictionis dignaretur respicere. Et subdens: Ecce, ait, in via, qua transituri estis, inter multos tenetur, sperantes, quia si tu Domine, ei manum imposueris, continuo, favente gratia Dei, suæ menti restituetur. At hæc ille muta voce & quasi surda pertransiit aure. Presbyterum eo magis instantem ac preces multiplicantem repulit à se, omnibus modis asserens tam extraneum factum nulla sibi ratione tentandum. Inter hæc procedimus, & illam in medio adunatæ multitudinis cominus teneri conspicimus, furibundos motus & inhumanos nutus vultu, ore, oculis, corporis gestu edentem. Populus itaque virum advenientem circumdat, retentis habenis preces ingeminat, ut miseræ mulieri manum imponat, orat, obsecrat. Obsistit ille, dicens, quod postulant, nequaquam Anselmi esse. Obiiciunt illi vulgi more, quæ occurrebant, saltem improbitate vincere gestientes. Tunc vix aliter se non posse evadere sentiens, hoc solo eis morem gessit: videlicet, quod nulli negare solebat, signo eam sanctæ Crucis levata dextera signavit. Quo facto, laxatis habenis ocior abit, impositoque cucullæ suæ capitio capiti, remotis sociis, singularis vadit, infelicis feminæ ærumnas pietatis affectu perfusus lacrymis tenerrime deflens. Hac nos contritione afflicti Cluniacum, illa vulgi manibus acta domum tetendit. Necdum pes ejus limen suæ domus attrivit, & integerrimæ sanitati donata, in laudem viri linguas omnium solvit. Quam rem sic factam, dum certa relatione Cluniaci accepissemus, gavisi sumus, ac pro sua misericordia Deo gratiam & gloriam dedimus.

Cluniacum tendens Anselmus

C

furiosæ mulieri sanam mentem reddit.

AUCTORE EADMERO

54 Actis deinde, propter quæ Cluniacum advenimus, reversuri Lugdunum, iter per civitatem Matisconensem arripuimus. Ubi Anselmus, rogatu Episcopi d & Canonicorum, Missam publice apud S. Vincentium celebravit: & inter sermonem, quem ad populum habuit, ut omnes Dominum pro siccitate, qua in immensum terra aruerat, communiter precarentur, admonuit. Dicunt se jam id sæpius fecisse, sed nil effecisse, & ea re ut preces eorum ipse sua prece coram Deo efficaces efficiat, magnopere orant & obsecrant. Quid dicam? Necdum pransi eramus, & ecce subito stupentibus cunctis, serenitas cæli in nubilum vertitur, ipsaque die, priusquam civitatem egrederemur, pluvia dulcis & copiosa terris illabitur. Plebs igitur, viso hoc facto, benedixit Dominum, & ejus post Deum auctorem magnis laudibus prædicavit Anselmum. Itaque in habitaculum nostrum Lugdunum reversi, quietam vitam ab omni tumultu negotii secularis agebamus. Anselmus vero veram vitam servi Dei, in sanctis meditationibus, in omnis sexus, ætatis & ordinis hominum ad se venientium ædificationibus, ac in ceterarum virtutum exhibitionibus exercebat. Per id etiam temporis scripsit librum unum. De conceptu virginali & peccato originali, & aliud quoddam opusculum, multis gratum & delectabile, cui titulum indidit, Meditatio redemptionis humanæ.

Matisconi pluviam in transitu impetrat.

D

E

libros aliquot Lugduni scribit.

ANNOTATA.

a *S. Mauritius Agaunensis colitur ibidem bis solenni officio, scilicet 22 Septembris die natali, & iterum 26 Octobris, & dicitur festum Revelationis S. Mauritii & Sociorum, quando sacra eorum corpora eo fuerunt delata, & hæc* Festivitas *hic videtur indicari: estque illi Ecclesia Cathedralis dedicata.*

b *Guido Viennensis Archiepiscopus, creatus an.* 1083, *factus est Pontifex* 1119, *Calixtus* II.

c *Oppidum* S. Stephani de Furennis, *intra novam à Vienna leucam, fortasse intelligitur: si tamen extra civitatem ipsam Viennensem, Lugdunensem, aut similem aliam quærendum hoc templum est.*

d *Bernardus is fuit, anno* 1097 *factus Episcopus Matisconensis.*

F

CAPUT VI.

Mors VVillielmi Regis, & nova cum successore Henrico difficultas ob Investituras: Romana legatio, reditus interdictus.

55 Inter hæc Urbanus, Sedis Apostolicæ Pontifex, huic vitæ decedit, & ad inducias, quas de causa Anselmi Regi dederat, non pervenit. Quo tempore multa etiam de Regis interitu à multis prædicebantur; & tam ex signis, quæ nova & inusitata per Angliam monstrabantur, quam ex visionibus, quæ pluribus religiosis personis revelabantur; quia ultio divina in proximo eum pro persecutione Anselmi oppressura esset, ferebatur. Sed Anselmus in nihil horum animum ponens, quotidie pro conversione & salute ejus Deum precabatur. Hinc exilii nostri anno tertio, qui, quo à Roma Lugdunum venimus, erat secundus, ivit Anselmus a Marciniacum, loqui Domino Abbati

Pro Regis Willelmi salute orat.

AUCTORE EADMERO

Abbati Cluniacensi Hugoni, & sanctimonialibus. Ubi cum ante ipsum Abbatem consedissemus, & de his, quæ inter Anselmum & Regem eousque versabantur, verba, ut fit, nonnulla hinc inde proterrentur; intulit idem venerabilis Abbas, sub testimonio veritatis, proxime præterita nocte eumdem Regem ante thronum Dei accusatum, judicatum, sententiamque damnationis in eum promulgatam. Ex quibus verbis admirati non modice sumus: sed perpendentes eminentiam sanctitatis ac reverentiæ ejus, fide his, quæ dicebat, nullatenus habere nequivimus.

mortuum & damnatum ex Hugone Cluniac. intelligit:

56 Postera die, cum inde digressi, Lugdunum venissemus, & in instanti festo B. Petri b, quod colitur Kalendas Augusti, dictis Matutinis, nos, qui circa Anselmum assidue eramus, quieti indulgere cuperemus: ecce quidam juvenis, ornatu ac vultu non vilis, Clerico nostro, qui prope ostium cameræ jacebat, & necdum dormiens, oculos tamen ad somnum clausos tenebat, adstitit, vocans eum nomine suo: Adam, inquit, dormis? Cui dum ille responderet. Non; dixit ei: Vis audire nova? Et libens, inquit. At ille Pro certo, ait, noveris, quia totum dissidium, quod est inter Archiepiscopum Anselmum & Wilhelmum Regem, determinatum est atque sedatum. Ad quod ille alacrior factus, illico caput levavit, & apertis oculis circumspectans, neminem vidit. Sequenti autem nocte inter Matutinas unus nostrum clausis oculis stabat & psallebat. Et ecce illi quidam chartulam, admodum parvam, legendam exhibuit. Adspexit, & in ea, Obiit Rex Wilhelmus, scriptum invenit. Confestim aperuit oculos, & nullum vidit præter socios.

b quod aliis duobus modis divinitus indicatur.

B

57 Post triduum abhinc ad Abbatiam, quæ vocatur Casa Dei, multis precibus invitatus, Anselmus perrexit. Ubi cum honorifice susceptus & hospitatus fuisset, una dierum, Fratribus loci illius post mensam in lectis suis pausantibus, subito fragore cælum intonuit, & vibrantibus coruscis, crebra per montem fulgura volitant. Crescit tempestas illa, & multiplicata, non modicum fulminis super domum, qua fœnum monasterii servabatur, præcipitat. Unde protinus horridus ignis accensus, teterrimum atque fœtentem ex se fumum per aëra spargit. Quicumque igitur cum Anselmo in hospitio erant, timore concussi, dissiliunt. Remansi itaque solus cum solo. At ille lecto volens decumbere, interrogavit me, utrumnam ignis, qui eruperat, sopitus esset. Cui cum responderem, auctum potius quam sopitum esse, erexit se, ac vultu placido atque modesto dixit: Melius est, ut nobis provideamus, quia tunc tua res agitur, paries cum proximus ardet. Quo dicto, ad ignem concitus venit, eoque viso, mox illi sanctæ Crucis signum levata dextera objecit. Videres è vestigio flammā se ita demittentem, acsi pro suscipienda benedictione illius conquiesceret. Ignis ergo statim in semet rediens, totus elanguit, nec aliquid absumpturus usquam processit. Quodque fortassis non minus stupeas, voratis quibusdam ædibus quæ circum erant, nil læsionis intulit fœno monachorum, qui Anselmum hospitem habebant: quo scilicet fœno domus ferme plena erat, super quam fulgur ipsum primo corruerat.

incendium in monasterio

C

signo crucis extinguit.

58 Exinde duo sui monachi ad Anselmum venerunt, nuntiantes ei decessum præfati Regis. Siquidem secundo die mensis Augusti, qui post primam visionem, quam Lugduni factam noviter retuli, secundus, & post secundam primus illuxit, idem Rex mane in silvam venatum ivit, ibique illum sagitta in corde percussit, & nulla interveniente mora extinxit. Quo Anselmus vehementi stupore percussus, mox est in acerbissimum fletum concussus. Quod videntes, admirati admodum sumus. At ille, singultu verba ejus interrumpente, asseruit, quod si hoc efficere posset, multo magis eligeret seipsum corpore, quam illum sic ut erat, mortuum esse. Nobis post hæc Lugdunum reversis, ecce nuntii unus post unum Anselmo occurrunt, litteras ei cum precibus ex parte Matris Ecclesiæ Anglorum, & ex parte novi Regis Henrici, qui fratri successerat, nec non ex parte Principum regni, deferunt, summopere postulantes eum festinato gressu redire, & asserentes totam terram in adventum illius attonitam, omniaque negotia regni ad nutum ejus pendere dilata.

luget infaustam Regis mortem:

D

ab Henrico revocatur;

59 Verum ubi Serberiam ad Regem venit, & ei, quid de Ecclesiarum Investituris in Romano Concilio acceperit, plano sermone innotuit; turbatus est Rex ac vehementer indoluit, nec nutū ejus in aliquo, sicut nuntii dixerant, expectare voluit. Quæ igitur inter eos per duos semis annos pro isto negotio acta sint, & quot quantasve minas ac tribulationes Anselmus passus sit, vel quomodo nuntii semel ac iterum Romam pro mutatione ipsorum decretorum missi sint, quidque effecerint, qui nosse voluerit, opus illud cujus in prologo opusculi mentionem fecimus, legat, & ibi singula plane, ut puto, digesta reperiet. Post quæ omnia rogavit Anselmum Rex, quatenus ipsemet Romam iret, & cum nuntio, quem eo directurus erat, causæ, quæ emerserat, pro suo honore opem ferret. In quo cum omnes totius Angliæ Episcopi, Abbates & Principes acquiescerent, & eum pro tanta re, quin iret, nullatenus supersedere debere conclamarent: se quidem iturum respondit, sed nil, quod vel Ecclesiarum libertati, vel suæ posset obviare honestati, suo vel rogatu aut consilio unquam Papam acturum, viva voce respondit. Itaque cum Romam venisset, à domino Papa Paschali, qui Urbano successerat, totaque Vrbis nobilitate honorifice susceptus est. Die dehinc constituto, Wilhelmus ille, cujus supra meminimus, à Rege directus, causam Regis in medium tulit: ac inter alia, quod Rex ipse, nec pro regni amissione, investituras Ecclesiarum pateretur amittere, minacibus verbis asseruit. Ad quæ Papa: Si, quemadmodum dicis, Rex tuus nec pro regni amissione patietur Ecclesiarum donationes amittere, scias (ecce coram Deo dico) quia nec pro sui capitis redemptione, eas illi aliquando Paschalis Papa impune permittet habere.

In causa investituræ dissentiunt ab eo,

multa patitur;

E

& Romam mittitur:

60 In his negotium Regis ita finem tunc temporis sumpsit, & Anselmus aliis atque aliis cum Papa de Ecclesiasticarum rerum institutionibus actis, iter reversus, civitatem Florentiam usque pervenit, & nocte una in ea quievit. Lecto igitur, in quo sopori Antistes indulserat, dominus domus, eo discedente, pro amore decubuit. Cui obdormienti adstitit quidam ignoti vultus homo, monens ut lecto ocius decederet: nec enim decet, inquit, te tua præsentia loco præripere, quod ex præsentia tanti viri meruit obtinere. Qui mane consurgens, & visum mente revolvens, phantasmati deputat, ac nocte sequenti in eodem se lecto nihil hæsitans collocat. Dormit, & ecce, qui venerat, secundo jam vultu paululum minaci adstitit, repetens dicta, quæ primo protulerat. At ille expergefactus, ac visione ut primum posthabita, nocte tertia in solito loco somno se tradit. Cui obdormienti, idem, qui secundo apparuerat, jam tertio apparuit, irati mentem vultu ac voce prætendens. Quare, ait, facis, quod jam semel tibi & iterum, ne faceres, dixi? Nunc igitur vel tertio admonitus surge, & te à lecto Pontificis amodo cohibe: nam dico tibi, quia si ultra in eo repertus fueris, experieris nihil phantasmatis esse in istis, quæ audis. Tunc ille vehementer exterritus, lecto desilit, Episcopum c civitatis super negotio consulturus celerius adit, eique ordinem rei

lectus in quo Florentiæ dormierat;

F

triplici visione jubetur reverentiam servari.

c

A rei in præsentia multorum exponit. Episcopus autem jam dudum viri sanctitatem fama discurrente edoctus, ac nuperrime ex collocutione illius eam nonnihil expertus, hominis audaciam durius increpavit: & quia stulte & insipientium more egerit, quod lecto, ubi vir tantus quieverat, cubare præsumpsisset, asseveravit. Eumdem itaque lectum reverenter deinceps servatum iri præcepit, & ne aliquis in eo ulterius jacere præsumeret, jussit. Quod usque hodie, uti accepimus, servatum est.

Prohibitus in Angliam regredi,

61 Anselmus autem cum emenso itinere Lugduno appropinquasset, præfatus Wilhelmus, comitatum illius deserere volens, interdixit ei ex parte Domini sui Regis redire in Angliam, nisi ipse omnes patris & fratris illius consuetudines, postposita Sedis Apostolicæ subjectione & obedientia, se ei servaturum certo promitteret. Quod ille audiens, admiratus est, sciens se alia conditione Angliam exisse. Perveniens ergo Lugdunum, resedit ibi ex more antiquo in pace & quiete, propriam præfati reverendi Hugonis, ejusdem urbis Archiepiscopi, domum inhabitans; & ne ad horam quidem ab his, quæ Dei sunt, verbo se vel actu elongans.

Lugduni moratur:

cæcum illuminat:

B 62 Accidit autem una dierum, dum ipse Pater, celebrato solenni Missæ officio, solus, prout ei consuetudinis erat, in oratorio per fletum Deo sese mactaret; ut quidam homo, pedes suos baculo regente, adveniret, oratorium ipsum irrumpere gestiens. Quem Frater & socius noster Alexander, monachus scilicet Ecclesiæ Cantuariensis, qui pro foribus egressum Patris forte præstolabatur, intuens ecclesiam subire volentem, detinuit, sciscitans quidnam vellet. At ille clamosa voce se oculorum lumen amisisse respondit, ac velle, ut servus Dei sibi manum imponeret, sciens, quod sancta merita ejus sibi subvenirent. Pater igitur clamorem audiens, sed verba minime discernens, innuit præfato Fratri venire ad se, & causam clamoris ipsius intimare. Tunc ille: Domine Pater, ait, pauper quidam venit, conquerens se in oculis graviter affligi, precaturque per vos ei signum sanctæ Crucis imponi. At ille pio vultu, Ipse veniat, dixit. Itaque tertio super oculos ejus, quod petebat, signum Crucis cum pollice pingens, oravit sic: Virtus Crucis Christi illuminet oculos istos, & ab eis omnem infirmitatem depellat, integræque sanitati restituat; & adspergens eos aqua sanctificata, hominem præcepit abire. Alexander

C vero mox illum reducens, monuit ut si factum viri Dei non usquequaque illi hac vice prima profuit, mane rediret, pollicens quod hoc ipsum illi repetita vice fieri impetraret. Ad quæ ille: Ego quidem, bone Domine, hac de causa non redibo, quia gratia Dei & fidelis ejus famuli, omni cæcitate fugata, clarissime video. Hæc ita scripsi, sicut ab ore ipsius Alexandri, qui præsentem se fuisse testatur, accepi.

spoliatur à Rege.

63 Rex autem Henricus, ut comperit Papam in sua sententia stare, mox Archiepiscopatum in suum domininm redegit, & Anselmum suis omnibus spoliavit. Acta sunt hinc inter eos multa, & anno uno ac semis indignatio Regis non est sopita.

Ex Gualone Ep. intelligit quomodo inventum sit corpus S. Priscæ;

64 Inter hæc venit ad nos Gualo, Episcopus Parisiensis, vir bene religiosus, & Ecclesiasticarum consuetudinum institutionibus ab ineunte ætate imbutus. Hic Romæ notus & Apostolicæ legationis ministerio functus, familiaritate Patris Anselmi potiebatur. Igitur iste à Roma ad nos veniens, quorumdam Sanctorum reliquias secum ferebat, quas, ut certo comperimus, sibi Romæ datas habebat. Itaque cum Anselmo, me præsente loquens, innotuit ei, quid reliquiarum à Roma secum detulerit. Ad quod cum ille Deo gratias ageret, Episcopus unum os, quod de capite sanctæ Martyris Dei Priscæ esse afferebat, è pyxide protulit, & id qualiter adeptus fuerit illico subinferens, ait: Romæ eram, & oratorium nominatæ Martyris, in quo beatissimus Apostolorum Princeps Petrus altare sacravit, vetustate consumptum, dirutum est, & corpus Martyris in nova recondendum ecclesia, me adstante, levatum est. Igitur cum loci ipsius Cardinalis reliquias in suo jure haberet, & ipse idem mihi familiaris existeret; os istud, quod videtis, de sacro corpore sumptum, mihi pro signo mutui amoris dedit. Finierat Præsul in istis. Ast ego earumdem reliquiarum habendarum amore illectus, ut ex ipso osse mihi partem daret, deprecari Episcopum cœpi. Et ille: Accipe, inquit, & quantum inde primo conatu frangere poteris, tuum sit. Accepi, & en, extra quam sperabam, in principio mei conatus, una mihi particula in dextra manu remansit. Cumque de parvitate ipsius mœrorem animi dissimulare nequirem, & ut semel adhuc frangere inde mihi liceret, magnopere gestirem; rupit desiderium meum Anselmus, & ait: Noli, noli: quod habet, sufficiat tibi: in veritate quippe dico tibi, quia pro toto auro, quod Constantinopoli & ultra citrave habetur, non omitteret Domina ipsa, cujus est, quin illud sibi vindicaret in die resurrectionis cunctorum: quamobrem si debitam illi reverentiam exhibueris, æque suscipiet, ac si toti corpori ejus exhiberes. Quod ego audiens, acquievi, & quam decentius potui, ipsum ex hoc hucusque servavi. De quo osse post plures dies Petrus quidam, monachus Cluniacensis, vir suo *d* tempore magnæ autoritatis, qui Camerarius erat Domini Papæ Urbani atque Paschalis, ad nos veniens, à me percunctatus est quid sentiret. At ille, ubi me referente accepit, qualiter id adeptus fuerim, vera omnino esse confessus est, quæ Episcopus inde dixerat; seque præsentem fuisse asseruit, quando idem os à corpore Martyris sublatum, à Cardinali susceperat.

AUCTORE EADMERO

& particulam, licet minimam, maximi æstimandam docet.

E

d

ANNOTATA.

a Marciniacum, *monasterium Sanctimonialium in diœcesi Augustodunensi à S. Hugone constructum, uti ad hujus Vitam late deducimus 29 Aprilis.*

b *Est id festum Vinculorum S. Petri.*

c *Rainerius hic fuit, qui Florentinam sedem 42 annis tenuit, à 1071 ad 1113.*

d *Si de subsequenti tempore agitur, deque illa auctoritate qua* Petrus *sub Paschali floruit usque ad annum 1118, suspicari quis posset, hunc eumdem esse famosum illum gestis, scriptis, ac sanctitate Petrum, anno 1122. factum Abbatem Cluniacensem; sed conjecturam moratur non tam annus mortis, qui fuit Christi 1157 (quidni enim octogesimum vitæ annum attigerit aut transcenderit?) quam quod nihil de rebus à Petro ante Prælaturam gestis inveniatur quod istam fulciat: & quod Eadmerus scribens post istius Petri qui Abbas fuit electionem, quæ haud dubie Cantuariæ cito innotuit, non expresse addiderit, eum de quo agit Petrum, haud ita pridem fuisse factum Abbatem.*

F

CAPUT VII.

Reconciliatio cum Rege: reditus in Angliam: morbus, obitus, miracula.

65 Post hæc, tum pro exercendo Ecclesiasticæ disciplinæ rigore, tum pro Ecclesiarum in Anglia constitutarum relevatione, relicta Burgundia, Anselmus ad Franciam ivit. Quod ubi Regi Anglorum Henrico innotuit, rogatus ad eum in Normanniam venit: ibique Rex, ex timore simul & amore Dei correptus, revestivit illum de suis, & in amicitiam ejus receptus est. Conversante dehinc Anselmo in

Reconciliatus cum Rege Becci ægrotat.

AUCTORE EADMERO

in Normannia, reversisque Balduino & Wilhelmo, qui ex jussu Regis atque Pontificis Romam pro expletione negotii, quod de investituris Ecclesiarum inter eos eousque versabatur, directi fuerant; Wilhelmus in Angliam ad Regem vadit, ac in brevi Beccum ad Anselmum regressus, rogat eum ex parte ipsius Regis, ut jam sopitis retroactis querelis, ocius Angliam visitaret. Cui cum ille promptus acquiesceret, & iter aggressus, Gemmeticum veniret, infirmitate, ne iter expleret, inibi detentus est. Qua sopita, Beccum revertitur, Regem Angliæ transfretaturum illic præstolaturus. Ubi cum pro reditu omnes exultatio mira teneret, ecce infirmitas Anselmi renovata, & ipsum lecto, & subversa exultatione, gravi cunctos mœrore prostravit. Igitur ipse nec manducare, nec aliquid, unde salutem ejus sperare possemus, facere poterat, & de morte illius tantum nos formido immensa tenebat. Inter hæc ut in cibum aliquid sumeret, diligenti cura petebatur; sed ille nihil sibi animo esse, quomodo poterat, anhelo spiritu fatebatur. Nobis tamen preces multiplicantibus, tandem ne penitus negando, nos magis magisque gravaret, Forte, ait, de perdice comederem, si haberem. Quid plura? Per campos & silvas dispersi sunt quique suorum, & dies unus in requirenda perdice casso labore consumptus. Contigit autem, ut unus ex monasterii servientibus ipsa die per vicinam silvam iter forte caperet, negotio quo alii occupabantur nihil intendens: & ecce in via, qua gradiebatur, bestiola, quam *a* martiram vocant, perdicem in ore ferebat: quæ bestiola, viso homine, suam ei prædam reliquit, sibique fuga consuluit. At ille perdicem assumens, ad nos detulit. Ex qua æger noster refectus, statim meliorari ab ægritudine cœpit, ac demum indies melius meliusque habendo, pristinam est sanitatem adeptus.

perdicem appetenti — *una mirabiliter offertur,*

B

a

66 Post hæc Episcopis & Abbatibus, qui exequiarum illius causa convenerant, in sua remeantibus, remeavit etiam Radolphus *b* Abbas S. Martini Sagiensis, qui unus erat ex eis. Unus igitur ex omnibus hominibus ejus per viam cœpit Anselmo detrahere, & quod merito nullus infirmitati ejus compati deberet, præsertim, inquiens, cum ipse cibo & potu saluti suæ, si remota jactantia vellet, facile succurrere posset, maledica voce adstruere. Quod Abbas audiens, hominem monuit ut sileret, nec de tanto viro quid sinistri ultra proferret. Quæ ille subsannando despiciens, & in his, quæ cœperat, furore quodam exagitatus persistens, equo calcaribus institit, ut ab Abbate elongatus, liberius ederet, quod suæ mentis amaritudo sibi proponeret. Verum cum ipse præpeti cursu ferri gestiret, ac remissis habenis ocius ire inciperet, quem sedebat, quadrupes corruit, eumque magno cum dedecore tergo suo excussit, ac per devexum montem longo rotatu præcipitatum, à viri blasphemia linguam compescere docuit.

Abstinentiæ illius detrahens famulus, *b* — *de equo excutitur.*

C

67 Dehinc in Assumptione beatæ Dei Genitricis & perpetuæ Virginis Mariæ, Rex Henricus Beccum adveniens, omnia, quæ inter se & Anselmum de sæpedicto negotio resederant, moderante Sedis Apostolicæ sanctione, delevit; atque de singulis, ad quæ tendebat, suæ illum voluntatis compotem fecit. Cum igitur Angliam repetendi iter Anselmi certis ex causis aliquantisper demoraretur, rogatus ab Abbate Beccensi, dedicavit Capellam unam, infra curiam ipsius cœnobii sitam. In qua dedicatione quidam Clericus, phrenesis valetudine tunc noviter captus, à suis est ante Pontificem ductus, illicoque ad benedictionem ejus à suæ mentis alienatione sanatus.

Anselmus Becci cum Rege agit, — *capellam dedicat,* — *phreneticum sanat,*

68 Cum post hoc prospero cursu in Angliam venisset, magno sanctæ Ecclesiæ gaudio & honore susceptus est. Inde evolutis diebus nonnullis, vir quidam Anglus, nobilis quidem & dives, valida corporis infirmitate gravatus, ab Anselmo sibi panem à se benedictum transmitti per nuntium petiit, & accepit: unde paululum gustans, juxta fidem suam statim convalescere cœpit, integræque sanitati donatus, Deo & Dei viro ex corde gratias egit.

D

item nobilem ægrotum in Anglia.

69 Inter hæc Rex in Normannia positus, valde lætabatur, sicut ferebant hi, qui ad nos veniebant, quod fuerat Anselmi pace potitus. Unde etiam firma sibi spe applaudebat, suo se dominio totam Normanniam subjugaturum, Quod & factum est: nam conserto gravi prælio, fratrem suum Robertum, Normanniæ Comitem, & alios Principes, qui contra illum in bellum venerunt, cepit, innumerisque peremptis, totam terram victor obtinuit, idque per literas Anselmo gaudenter & gratiosus mox intimavit. Omnes vero, qui hæc gesta tunc temporis audiere, ea meritis concordiæ, quam Rex cum Anselmo fecerat, asscripsere.

ubi de Normannia subacta literas accipit à Rege.

70 Ipso anno Anselmus, celebrata Paschali solennitate in curia Regis apud Londinum, abiit ad Abbatiam S. Edmundi, electum inibi *c* Abbatem sua autoritate roboraturus, & alia quædam officia Pontificalia pro suo jure celebraturus. Quæ ubi solenniter cuncta peregit, gravissima febre correptus, per plures dies pene usque ad emissionem ultimi flatus vexatus est. Pro quo illic octavas Pentecostes usque detentus est, & Concilium, quod se viduatis Ecclesiis Rex proposuerat collaturum, propter ejus absentiam in Calendas Augusti dilatum est. Eo igitur tempore, adunatis in palatio Regis Londini cunctis Primoribus Angliæ, victoriam de libertate Ecclesiæ, pro qua diu laboraverat, Anselmus adeptus est. Rex enim antecessorum suorum usu relicto, nec personas, quæ in regimen Ecclesiarum sumebantur, per se elegit; nec eas per dationem virgæ pastoralis ecclesiis, quibus præficiebantur, investivit.

ægrotat in monasterio S. Edmundi *c*

E

ecclesiarum libertatem stabilit,

71 Scripsit inter hæc Anselmus libellum unum de Concordia præscientiæ & prædestinationis, & gratiæ Dei, cum libero arbitrio. In quo opere contra morem, moram in scribendo passus est: quoniam ex quo apud S. Edmundum fuerat infirmatus, donec præsenti vitæ superfuit, solito imbecillior corpore fuit. Quapropter de loco ad locum migrans, lectica deinceps, non equo sedens, vehebatur. Vexabatur præterea frequentibus & acerbis infirmitatibus, ita ut vix illi vitam promittere auderemus. Ipse tamen numquam pristinæ conversationis obliviscebatur, sed semper aut meditationibus bonis, aut exercitationibus sanctis, aut aliis piis operibus occupabatur.

scribit de concordia libertatis & gratiæ:

F

72 Tertio igitur anno, postquam à secundo exilio per Regem Henricum revocatus est, omnes cibi, quibus humana natura vegetatur & alitur, in fastidium ei versi sunt. Manducabat tamen, naturæ suæ vim faciendo, sciens se vivere non posse sine cibo. Qua vi per dimidium circiter annum vitam quoquo modo transigens, sensim corpore deficiebat, animi virtute semper idem, qui esse solebat, existens. Spiritu itaque fortis, sed carne nimium fragilis, pedes oratorium adire nequibat: attamen consecrationi Dominici Corporis, quod speciali quodam devotionis affectu venerabatur, interesse desiderans, singulis diebus illuc se in sella faciebat deferri. A quo dum nos, qui ei serviebamus, eum, quia multum exinde fatigabatur, declinare niteremur, vix quinto ante sui exitus diem evincere potuimus. Exin ergo assidue lecto decubans, anhela voce omnes, qui ad eum accedere merebantur, in suo quemque ordine Deo vivere hortabatur. Illuxerat Dominica dies Palmarum, & nos pro more circa eum sedebamus.

Stomacho cibos fastidiente debilior,

Dixit

Dixit itaque unus nostrum: Domine Pater, ut nobis intelligi datur, ad Paschalem Domini tui curiam, relicto seculo, vadis. Respondit: Et quidem, si voluntas ejus in hoc est, voluntati ejus non contradico: verum si mallet me adhuc inter vos saltem tamdiu manere, donec quæstionem, quam de Animæ origine mente revolvo, absolvere possem, gratiosus acciperem, eo quod nescio, utrum aliquis eam, me defuncto, sit absoluturus. Ego quippe, si comedere possem, spero convalescere: nam nihil doloris in aliqua parte sentio, nisi quod lassescente stomacho, ob cibum, quem capere nequit, totus deficio.

optat absolvere librum de origine animæ.

73 Vesperascente dehinc tertia feria, cum ipse verba, quæ intelligi possent, edere jam nulla valeret, rogatus à Rodulpho *d* Roffensi Episcopo, ut nobis, qui aderamus & aliis filiis suis, Regi quoque & Reginæ cum liberis eorum, ac populo terræ, qui in ejus obedientia se sub Deo tenuerant, suam absolutionem ac benedictionem largiretur; dexteram, quasi nil mali pateretur, erexit, & signo sanctæ Crucis edito, demisso capite sedit. Jam Fratrum conventus in majori ecclesia matutinas laudes decantabat, & unus eorum, qui circa Patrem excubabant, sumpto textu Euangeliorum, legit Passionem coram eo, quæ ipsa die ad Missam *e* legi debebat. Ubi autem venit ad verba Domini, Vos estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis, & ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus, regnum, ut edatis & bibatis super mensam in regno meo; lentius solito spiritum trahere cœpit. Sensimus igitur eum jamjam obiturum, & de lecto super cilicium & cineres positus est. Adunatoque circa eum universo filiorum suorum agmine, ultimum spiritum in manus Creatoris emittens, dormivit in pace. Transiit autem illucescente aurora quartæ feriæ, præcedentis Cœnam Domini, quæ erat XI Kalend. Maji, anno videlicet Dominicæ Incarnationis millesimo centesimo nono, qui fuit annus Pontificatus ejus decimus sextus; vitæ vero septuagesimus sextus.

Regi ac regno benedicit. d

e Evangelio Passionis legeretur expirat. B

74 Loto igitur ex more corpore ejus, petiit supra sæpe memoratus, rerum Anselmi provisor ac dispensator, Balduinus, quatenus facies Patris balsamo, quod admodum parum in parvulo vase sibi, majori ejus parte perdita, remanserat, inungeretur; sperans atque præoptans eo modo illam vel modicè amplius servatum iri, ne corrumperetur. Acquievimus, viri industriam amplectentes. Vas ergo ipsius liquoris in manum Episcopus sumpsit, & uncturus vultum defuncti, digitum fundo vasis immersit. Quem illico extrahens, sed vix summitatem ejus madefactam reperiens, ratus est balsamum ipsum ungendæ faciei haud quaquam posse sufficere. Quapropter rogat balsamum, quod conficiendo chrismati in majori ecclesia servabatur, afferri, cupiens videlicet una cum capite, dexteram ejus, per quam multa bona atque divina dixerat & scripserat, tali unctura honorari. In his cum Episcopo eram, & eum in ministerio illo juvabam. Impressi post eum in vas balsami digitum meum, & æque aut certe minus digito ejus madentem extraxi. Itaque rogatus Episcopus mihi vas in palmam versare, si forte inde aliqua gutta deflueret, acquievit: & illico, stupentibus cunctis, liquor desiliens, copia sui manum meam complevit, & supereffluxit. Hoc ipsum secundo & tertio ac sæpius factum est. Et quid dicam? Tantam abundantiam balsami vas ferme vacuum ministravit, ut intacto vase ecclesiæ, non solum caput & manus, sed brachia, pectus, pedes quoque & totum corpus, non una, sed sæpius repetita vice, omni ex parte inungeremus. Dehinc more summi Pontificis vestibus est sacris indutus, & in oratorium debita cum veneratione delatus.

Balsami vasculum fere vacuum

C *eo tempore in ungendo mirabiliter abundat.*

75 In crastino autem, cum sepulturæ traderetur, sarcophagus, qui illi fuerat pluribus retroactis diebus præparatus, longitudine quidem & latitudine aptus, sed profunditate magna ex parte minus habens inventus est. Quod considerantes, animo deficiebamus, nulla scilicet ratione pati valentes, ut superiori lapide pressus, sua integritate aliquatenus læsus privaretur. Cum itaque in hoc, plurimi fluctuarent, & alii sic, alii vero sic rem posse componi dictitarent: quidam ex conferta multitudine Fratrum, acceptum baculum episcopi Roffensis, qui funeris officium præsens agebat, per transversum sarcophagi super corpus Patris ducere cœpit, & jam illud omni ex parte corpori jacentis præminere, magna nobis exinde admiratione permotis invenit. Ita ergo venerabile corpus Patris Anselmi, Cantuariensis Archiepiscopi ac Primatis totius Britanniæ, sepulcro inclusum, quid conditio sortis humanæ habeat in se, omnes, qui pertranseunt, sui exemplo monet attendere. Sane in obitu & post obitum ejus multa à multis visa narrantur, quæ gloriam ejus, quam pro meritis suis eum recepisse à Deo non dubitamus, attestantur. Quibus tamen scribendis laborem intrare noluimus, magis videlicet eligentes silentio nostro omnes, qui dormiendo ea viderunt, pares facere, quam ista scribendo, illa non scribendo, unum alii, quasi potiora viderit, anteferre: ut enim cuncta scribantur, infiniti negotii est. Aperta denique facta, quæ Deus per eum facere dignatus est, & hos talium nudi pro posse digessimus, puto sufficere ad notitiam retributionis & conversationis vitæ ejus. Sit itaque Deo omnipotenti & Filio & sancto Spiritui laus & gratiarum actio, nunc & per omnia seculorum secula, Amen.

AUCTORE EADMERO. Ejus sarcophagus incongruus corpori,

videtur se aptat.

Variis variæ visiones offeruntur.

B

ANNOTATA.

a Martira, *vulgo* Martre, *alias* Fouine, *latine* Martes *dicitur; ovis pullisque infestum animalculum, quasvis facile perreptans angustias.*

b *Paulo post, scilicet anno* 1108 *Roffensis Episcopus, & anno* 1114 *Cantuariensis Archiepiscopus creatus: in Sagiensi autem Abbatia (quæ à Rogerio Montis-gomerii Vicecomite & uxore Mabilia restaurata fuerat anno* 1060) *successerat ipse anno* 1089 *primo ejus Abbati Roberto.*

c *In monastico Anglicano pag.* 295 *dicitur post mortem Roberti Abbatis, anno* 1107 *defuncti, vacasse Abbatiam S. Edmundi annis septem, ac demum anno* 1115 *Abboldum esse confirmatum, qui fuerat Prior S. Nicasii de Melent: an autem electus vivente S. Anselmo, an postea cassata priori electione substitutus, quis dicet?*

E

d *Qui scilicet ex Abbate Sagiensi, jam ante assumptus erat, ut dictum est.*

e *Ea est Passio secundam Lucam, præscripta pro Feria IV Majoris hebdomadæ, quæ illa nocte erat inchoata.*

ALIA VITA
Ex Historia Novorum in Anglia ejusdem Eadmeri sive Edmeri.
LIBRI I PARS II.
CAPUT I.

Acta S. Anselmi in morbo Guilhelmi I & II Regum Angliæ, & apud Comitem Cestriæ.

1 Per idem tempus erat quidam Abbas Becci, nomine Anselmus, vir equidem bonus, & scientia litterarum magnifice pollens: contemplativæ vitæ totus intendebat. Hic toti Normanniæ atque Franciæ, pro suæ excellentis sanctitatis merito, notus, carus & ac-

AUCTORE EADMERO

& acceptus, magnæ famæ quoque in Anglia habebatur, ac Regi præfato necnon Lanfranco Archiepiscopo sanctissima familiaritate copulabatur. Huic, cum nonnumquam pro diversis Ecclesiæ & aliorum negotiis ad curiam Regis veniret, Rex ipse, deposita feritate, qua multis videbatur sævus & formidabilis, ita fiebat inclinus & affabilis ut, ipso præsente, omnino quam esse solebat, stupentibus cunctis, fieret alius. Hunc itaque & Lanfrancum, videlicet viros divina simul & humana prudentia fultos, præ se magni semper habebat; & eos in omnibus, quæ sibi, quantum officii eorum referebat, agenda erant, dulciori præ ceteris studio audiebat. Unde & consilio eorum ab animi sui severitate in quosdam plurimum & sæpe descendebat; & quatenus in sua dominatione ad observantiam religionis monasteria surgerent, studiose operam dabat. Quæ religio ne nata deficeret, procurabat Ecclesiarum pacem undiquaque tueri, & eis, quæ in usus servientium Deo proficerent, in terris, in decimis, in aliis redditibus, ex suo largiri. Hac tamen benevolentia super Ecclesias Normanniæ propensius respiciebat.

Willelmus, familiaris SS. Anselmo & Lanfranco, eorum consilio utitur:

2 Hic ergo Willielmus cum a vicesimo primo regni sui anno infirmitate, qua & mortuus est, detentus apud Rotomagum fuisset; & se meritis, ac intercessionibus Anselmi omnimodis commendare disposuisset; eum ad se de Becco venire, & non longe à se fecit hospitari. Verum cum ei de salute animæ suæ loqui differret, eo quod infirmitatem suam paulum levigari sentiret; contigit ipsius Principis corpus tanta invalitudine deprimi, ut curiæ inquietudines nullo sustinere pacto valeret. Transito igitur Sequana, decubuit lecto in Ermentrudis-villa, b quæ est contra Rotomagum in altera fluminis parte. Quidquid tum deliciarum Regi infirmo deferebatur, ab eo illarum medietas Anselmo infirmanti mittebatur. Verumtamen nec eum amplius in hac vita videre, nec ei ut proposuerat quidquam de anima sua loqui promeruit: tanta enim infirmitas occupavit utrumque, ut nec Anselmus ad Regē Willielmū, nec Willielmus posset pervenire ad Abbatem Anselmum. Et quidem Willielmus ita mortuus est: non tamen, ut dicitur c inconfessus: atque Anselmus è vestigio est ab infirmitate relevatus, pristinæque saluti post modicum redonatus. Qui autem Regio funeri interfuerint, quave pompa corpus ejus Cadomum delatum sit, quamque libera imo quam servili calumnia in ecclesia B. Stephani sepultum sit; & dictu lugendum & auditu fatemur esse miserendum. Quem enim conditio sortis humanæ non moveat ad pietatem, cum auditum fuerit, Regem istum, qui tantæ potentiæ in vita sua extitit, ut in tota Anglia, in tota Normannia, in tota Cenomanensi patria, nemo contra imperium ejus manum movere auderet; mox ut in terram spiritum exhalaturus positus est, ab omni homine, sicut accepimus, uno solo dumtaxat serviente excepto, derelictum, cadaver ejus sine omni pompa per Sequanam navicella delatum, &, cum sepeliri deberet, ipsam terram sepulturæ illius à quodam rustico calumniatam, qui eam, hereditario jure reclamans, conquestus est illam sibi jam olim ab eodem injuria fuisse ablatam d. Quantus autem mœror Lanfrancum ex morte ejus perculerit, quis dicere possit; quando nos, qui circa illum, nuntiata morte illius eramus, statim eum, præ cordis angustia, mori timeremus?

a illum ad se vocat Rotomagi æger,

b sed eo æque ægro uti nequiens moritur,

nec sine querela sepelitur.

3 Defuncto itaque Rege Willielmo, successit ei in regnum Willielmus filius ejus, qui cum Regni fastigia fratri suo Roberto e præripere gestiret, & Lanfrancum, sine cujus assensu in regnum asciscī nullatenus poterat, sibi in hoc ad expletionem desiderii sui non omnino consentaneum inveniret; verens ne dilatio suæ consecrationis inferret ei dispendium cupiti honoris, cœpit tam per se, quam per omnes quos poterat, fide sacramentoque Lanfranco promitteret, justitiam, æquitatem, & misericordiam se per totum regnum, si Rex foret, in omni negotio servaturum; pacem, libertatem, securitatem Ecclesiarum contra omnes defensurum, necnon præceptis atque consiliis ejus per omnia & in omnibus obtemperaturum. Sed cum posthac in regno fuisset confirmatus, postposita pollicitatione sua, in contraria dilapsus est. Super quo cum à Lanfranco modeste redargueretur, & ei sponsio fidei non servatæ opponeretur, furore succensus, Quis, ait, est, qui cuncta quæ promittit implere possit? Ex hoc igitur non rectis oculis super Pontificem intendere valebat, licet à nonnullis, ad quæ illum voluntas sua trahebat, ipsius respectu, eo superstite, temperaverit. Erat enim Lanfrancus idem, vir divinæ simul & humanæ legis peritissimus, atque ad nutum illius, totius regni spectabat intuitus. Qui, cum de hac f vita translatus fuisset, quam gravis calamitas ex obitu illius Ecclesias Angliæ devastaverit, multa prætermittendo paucis ostendere placuit. Confestim enim Rex foras expressit, quod in suo pectore, illo vivente confotum habuit. Nam mox, ut alia quæ perperam gessit omittam, ipsam totius Angliæ, Scotiæ, & Hiberniæ, nec non adjacentium insularum matrem, Ecclesiam scilicet Cantuariensem, invasit; cuncta quæ juris illius erant, intus & extra per clientes suos describi præcepit; taxatoque victu monachorum inibi Deo servientium, reliqua sub censu atque in suum dominium redigi jussit. Fecit ergo Ecclesiam Christi venalem: jus in ea dominandi præ ceteris illi tribuens, qui ad detrimentum ejus in dando pretium, alium superabat: Unde misera successione singulis annis pretium renovabatur. Nullam siquidem conventionem Rex stabilem esse sinebat, sed qui plura promittebat excludebat minus dantem; nisi forte ad id quod posterior offerebat, prima conventione vacuata, prior assurgeret. Videres insuper quotidie, spreta servorum Dei religione, quosque nefandissimos hominum regias pecunias exigentes, per claustra monasterii torvo & minaci vultu procedere, hinc inde præcipere, minas intentare; dominationem potentiamque suam in immensum ostentare. Qua de re quæ vel quot scandala, dissensiones, inordinationes ortæ sint, reminisci piget. Super hæc, quidam ipsius Ecclesiæ monachi, malis ingruentibus dispersi ac missi sunt ad alia monasteria; & qui relicti, multas passi tribulationes & improperia. Quid de hominibus Ecclesiæ dicam? qui tam vasta miseria, miseraque vastatione sunt attriti; ut dubitarem, si sequentia mala non essent, an salva vita illorum possent miserius atteri. Nec ista quæ dicimus in sola Ecclesia Cantuariensi facta sunt. Desævit immanitas ista etiam in cunctis per Angliam constitutis filiabus ejus, quæ viris suis, Episcopis scilicet seu Abbatibus decedentibus, in viduitatem ea tempestate cadebant. Et quidem ipse primus hanc luctuosam oppressionem Ecclesiis Dei indixit, nullatenus eam ex paterna traditione excipiens. Destitutas ergo Ecclesias solus in dominio suo tenebat: nam alium neminem præter se substituere volebat, quamdiu per suos ministros aliquid, quod cujusvis pretii duceret, ab eis extrahere poterat. Itaque planum erat ubique miseriam videre. Duravit autem fere per quinq; annos (ut de aliis taceam) super Ecclesia Cantuariensi hæc ipsa miseria, semper in pejus proficiens, sibique ipsi miserior deteriorque succrescens.

Willielmus II. ut Rex fiat,

Lanfranco de servandis optima quæque;

sed brevi fidem fallit:

mortuumque Lanfranco,

tum alias omnes regni ecclesias,

tum maxime Cantuariensem

& monachos in ea affligit,

per quinque fere annos.

4 Quarto inter hæc anno, Hugo Comes Cestrensis, volens in sua quadam Ecclesia monachorum g h

rum Abbatiam instituere, missis Beccum nuntiis, rogavit Abbatem Anselmum Angliam venire, locum inspicere, eumque per monachos suos regulari conversatione informare. Renuit ipse, nec venire voluit: jam enim quodam quasi præsagio mentes quorumdam tangebantur; &, licet clanculo, nonnulli ad invicem loquebantur, eum, si Angliam iret, Archiepiscopum Cantuariensem fore. Quod quamvis omnino remotum esset à voluntate ejus; & firmitas propositi sui, se numquam hoc onus subiturum, certitudinem promitteret animo ejus; tamen quia hoc non omnes intelligebant (providendo bona, non tantum coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus) Angliam intrare noluit; ne se hujus rei gratia intrasse quisquam suspicaretur. Contigit interea Comitem ipsum acri languore gravari: quod mox Anselmo mandans, magnopere precatus est, quatenus antiqua familiaritate considerata, ad consulendum animæ suæ sine mora veniret. Et, si timor, inquit, suscipiendi Archiepiscopatus, ne veniat, eum detinet; fateor, inquit; in fide mea, quoniam id, quod rumor inde jactat, nihil est; ac per hoc indecens ejus sanctitati esse sciat, si nihilo tentus magnæ meæ necessitati subvenire detrectat. Perstat ille in non veniendo, & Comes æque permanet in requirendo. Tertio itaque mandat illi hæc, Si non veneris, revera noveris; quia numquam in vita æterna in tanta requie eris, quin perpetuo doleas te ad me non venisse. Quod ille audiens, Angustiæ, ait, mihi sunt undique: si Angliam ivero, vereor ne cui per hoc prava suspicio surrepat, & me causa consequendi Archiepiscopatus illuc ire existimet: si non ivero, fraternæ caritatis violator ero, quam quidem non solum amico, verum exhibere jubemur & inimico: quæ denique, si erga inimicum violata peccatum est; erga amicum quid est? Et certe amicus meus familiaris ab antiquo Comes Cestrensis Hugo fuit, qui mei nunc, ut dicit, indiget. In necessitate probatur amicus. Si ergo propter obliquam, quam in me forsan homines habere possunt opinionem; amico meo in sua necessitate non succurro, meum certum, pro dubio aliorum, peccatum incurro. Commendans igitur me, atque meam conscientiam, ab omni terreni honoris ambitione vacuam, Deo, pergam, respectu sancti amoris ejus, morem gerere amico meo: cetera ipse Deus agat, & me salua gratia sua ab omni secularis negotii impedimento, pro sua misericordia, immunem custodiat. Exigebant etiam tum temporis ecclesiæ suæ quædam valde necessariæ causæ, ut Angliam pergeret, sed præfato illum cohibente pavore, nullo pro eis pacto volebat iter arripere. Contigit interea ut Comitissæ Idæ i locuturus Bononiam iret; ubi cum per dies aliquot necessario detentus moraretur, mandatum est illi à Beccensibus, ne, si peccato inobedientiæ notari nollet, ultra monasterium repeteret, donec transito mari, suis in Anglia rebus subveniret. Profectus igitur, mare transiit, & Dofris appulsus est. Inde citato gressu, ad Comitem venit, ipsumque ab infirmitate jam convaluisse invenit. Detentus est tamen in Anglia fere mensibus quinque, detinente eum non solum Abbatia quam disponere venerat, sed & multiplicium ratione causarum, quæ illius adventus causa non inferior, sicut diximus, erat. Sicque hujus temporis spatium, transit, ut de Pontificatu Cantuariensi nihil ad eum vel de eo dictum actumve sit; ipseque sui periculi, & antiqui timoris securus effectus fuerit. Post hæc in Normanniam regredi volens, negata à Rege licentia, copiam id agendi habere non potuit.

A — *S. Anselmus à Comite Cestrensi rogatus in Angliam venire,*

B — *tandem importunius instanti eidem,*

C — *ex suorum Beccensium imperio,*

illuc trajicit, & ibi detinetur mensibus 5.

5 Inter hæc cum gratia Dominicæ nativitatis, omnes regni Primores ad Curiam Regis, pro more, venissent; contigit, ut eorum optimi quique uno consensu inter se de communi Matre regni quererentur, quod viduata suo Pastore, tam diu & tam inaudita vexatione opprimeretur. Hujusmodi ergo de hoc ab eis consilium sumptum est, ut supplici prece Dominum suum Regem convenirent, quatenus orationes, quod posteris mirum dictu fortasse videbitur, per Ecclesias Angliæ fieri ad Dominum permitteret; ut ipse sua pietate Regi inspiraret, quatenus instituto illi digno Pastore, à tanta eam clade, & alias per eam relevaret. Quod cum illi una suggessissent, ipse licet nonnihil exinde indignatus, tamen fieri, quod petebatur permisit; dicens, quod quidquid Ecclesia peteret, ipse sine dubio pro nullo dimitteret, quin faceret omne quod vellet. Hoc ita responso accepto; Episcopi, ad quos ista maxime pertinebant, Anselmum super reipsa consuluerunt; & quod ipse orationis agendæ modum & summam ordinaret, vix obtinere suis precibus ab eo potuerunt: Episcopis enim præferri in tali statuto, ipse Abbas fugiebat. Coactus itaque, juxta quod magis Ecclesiæ Dei expedire sciebatur, modum orandi cunctis audientibus edidit: & laudato sensu ac perspicacia animi ejus, tota quæ convenerat Nobilitas regni, soluta curia in sua discessit. Institutæ igitur preces fiunt per Anglorum Ecclesias omnes.

6 Hæc inter evenit, ut die quadam unus de Principibus terræ, cum Rege familiariter agens, promeantibus verbis in hoc, ut fit, sic ei inter alia diceret; Hominem tantæ sanctitatis nullum novimus, quantæ est, ut vere probamus, Abbas Beccensis Anselmus. Nil etenim amat præter Deum, nil (ut in omni studio ejus claret) cupit transitorium. Ad quod Rex subsannans, Non, inquit, nec Archiepiscopatum Cantuariensem? Cui cum alter referret, nec illum quidem maxime, sicut mea multorumque fert opinio. Obtestatus est Rex, quod manibus ac pedibus plaudens, in amplexum ejus accurreret, si ullam fiduciam haberet, se ad illum posse ullatenus aspirare. Et adjecit, sed per sanctum Vultum k de Luca, (sic enim jurare consueverat) nec ipse hoc tempore nec alius quis Archiepiscopus erit, me excepto. Hæc illum dicentem è vestigio valida infirmitas corripuit, & lecto deposuit, atque indies crescendo ferme usque ad exhalationem spiritus egit. Quid plura? Omnes totius regni Principes coeunt, Episcopi, Abbates, & quique Nobiles, nihil præter mortem ejus præstolantes. Suggeritur ægro, de salute animæ suæ cogitare, carceres aperire, captivos dimittere, vinculatos solvere, repetendarum pecuniarum debita perdonare; Ecclesias, suo eatenus dominio & servituti subactas, locatis Pastoribus, libertati restituere, præcipueque Ecclesiam Cantuariensem; cujus oppressione, inquiunt, totius in Anglia Christianitatis constat esse detestandam dejectionem. Hac tempestate Anselmus inscius horum morabatur in quadam villa non longe à Glocestria, ubi Rex infirmabatur. Mandatum ergo illi est, quatenus sub omni festinatione ad Regem veniat, & ejus obitum sua præsentia tueatur & muniat. Accelerat ipse venire, audito tali nuncio, & venit. Ingreditur ad Regem, rogatur quid consilii salubrius morientis animæ judicet. Exponi sibi primo postulat, quid se absente ab assistentibus, ægro consultum sit. Audit, probat,

AUCTORE EADMERO

Pro restitutione Cantuariensis Ecclesiæ,

preces indicendas rogatus ordinat:

E

Rex pertinax in proposito contrario, morbo corripitur,

k

F

& animæ suæ consulturus, Anselmum advocans,

AUCTORE EADMERO

probat, & addit, Scriptum est, Incipite domino in Confessione: unde videtur mihi ut primo de omnibus, quæ se contra Deum fecisse cognoscit, puram confessionem faciat, & se omnia, si convaluerit emendaturum sine fictione promittat, ac deinde quæ consuluistis, absque dilatione fieri jubeat. Laudatur hæc consilii summa, sibique hujus confessionis suscipiendi injungitur cura. Refertur ad notitiam Regis, quid saluti animæ illius magis expedire Anselmus dixerit. Nec mora, acquiescit ipse, & corde compunctus, cuncta, quæ viri sententia tulit, se facturum, necnon totam vitam suam in mansuetudine, & justitia amplius servaturum pollicetur. Spondet in hoc fidem suam, & vades inter se & Deum facit Episcopos suos, mittens qui hoc votum suum Deo super altare, sua vice promittant. Scribitur Edictum, regioque sigillo firmatur, quatenus captivi quicumque sunt, in omni dominatione sua relaxentur; omnia debita irrevocabiliter remittantur; omnes offensiones antehac perpetratæ, indulta remissione, perpetuæ oblivioni tradantur. Promittuntur insuper omni populo bonæ & sanctæ leges, inviolabilis observatio juris, injuriarum gravis, & quæ terreat ceteros, examinatio. Gaudetur à cunctis, benedicitur Deus in istis, obnixe oratur pro salute talis ac tanti Regis.

confessioni correctionem malorum promittit.

B

ANNOTATA.

a Willielmus *obtenta de Haroldo victoria coronatus est Londini ad finem anni* 1066 *& mortuus anno* 1087.

b *Ea nunc* Sotte-ville *nuncupatur*, *quasi* villa inferior.

c *Simeon Dunelmensis ait*, *quod* Wilhelmus I, *Rex Angliæ*, cælesti Viatico munitus *excesserit*, *interim tam ipse quam ceteri Regem punitum insinuant*, *quod*, *oppido quodam in Francia occupato*, *omnes ecclesias in ea sitas*, *& cum his duos sanctos Reclusos combussisset*.

d *Ioannes Bromton in Chronico*, *satis pathetice rem describit*, *additque*, quod illa querela adeo omnes movit, ut prius viro conquerenti pro voto satisfacerent ut ac deinde exequias mortuo adimplerent.

C

e *Ex dispositione paterna id factum scribunt ceteri*; *eo quod Robertus primogenitus*, *ob non relictam sibi libere Normanniam rebellans patri*, *apud Philippum Franciæ Regem ageret*.

f *Mortuus est* Lanfrancus *anno* 1089, *Guilielmi* II *anno* 2, Quinto, *aliis* Nono Kalendas Maji.

g *Anno Christi* 1082.

h Hugo Comes Cestrensis *nepos Willielmi I ex Sorore*, *vixit usque ad annum* 1106 *teste Knyghtono lib.* 2 *cap.* 8 *de Eventibus Angliæ*.

i *Est hæc* B. Ida, *mater Godefridi Bullonii*, *dein Regis Hierosolymitani*: *illius Vitam illustravimus ad diem* 13 *Aprilis*. *Plures ei epistolas S. Anselmus Scripsit*.

k Vultus sanctus de Luca *est imago Domini Crucifixi*, *quæ creditur à Nicodemo sculpta*; *& circa annum* 702 *è Syria in Hetruriam translata*, *Lucæ colitur*, *miraculis celeberrima*: *de qua videndi historici Lucensei*, *& post alios Franciottus de Sanctis Lucensibus pag.* 155

CAPUT. II.

Electio in Archiepiscopatum Cantuariensem; *& post varias tergiversationes consecratio.*

7 INterea Regi à bonis quibusque suadetur, quatenus, communem totius regni Matrem, instituendo illi Pastorem, solvat à pristina viduitate. Consentit libens, & in hoc animum suum versari fatetur. Quæritur itaque quis hoc honore fungi dignius possit. Sed cunctis ad nutum Regis pendentibus, prænuntiavit ipse, & concordi voce subsequitur acclamatio omnium, Abbatem Anselmum tali honore dignissimum. Expavit Anselmus ad hanc vocem, & expalluit: cumque raperetur ad Regem, ut per virgam pastoralem investituras Archiepiscopatus de manu ejus susciperet; toto conamine restitit, idque multis obsistentibus causis nullatenus fieri posse asseruit. Accipiunt igitur eum Episcopi & ducunt seorsum de multitudine, hæc ei verba dicentes: Quid agis? quid intendis? quid contraire Deo niteris? Vides omnem Christianitatem in Anglia fere periisse, omnia in confusionem venisse, omnes abominationes emersisse quaquaversum; nos ipsos & quas regere deberemus Ecclesias Dei, in periculum mortis æternæ per tyrannidem istius hominis decidisse, & tu, cum possis subvenire, contemnis? Quid, ô mirabilis homo, cogitas? Quo fugit sensus tuus? Ecclesia Cantuariensis, in cujus oppressione omnes oppressi sumus & destructi, te vocat, te sublevatorem sui & nostri anxia quæritat; & tu postposita libertate ejus, postposita nihilominus relevatione nostra, fratrum laboris participium abiicis? tui solus otiosam quietem appetis? Ad hæc ille, Sustinete, inquit, quæso, sustinete, & intendite: fateor, verum est, tribulationes multæ sunt, & ope indigent: sed considerate obsecro, Ego jam a grandævus sum, & omnis terreni laboris impatiens: qui ergo pro me ipso laborare nequeo, qualiter laborem totius Ecclesiæ per Angliam constitutæ suscipere queo? Ad hæc, sicut mea mihi conscientia testis est, ex quo monachus fui, secularia negotia fugi, nec unquam eis ex voto intendere potui; quia nihil in eis esse constat, quod me in amorem aut delectationem sui flectere queat. Quare sinite me pacem habere, & negotio, quod numquam amavi, ne non expediat, implicare nolite. Tu tamen, inquiunt, primatum Ecclesiæ nihil hæsitans suscipe, & i præ in via Dei, dicendo & præcipiendo quod faciamus; & ecce tibi manus dabimus, quod sequendo & obtemperando quæ jusseris non deficiemus. Tu Deo pro nobis intende, & nos secularia tua disponemus pro te. Impossibile est, ait, quod dicitis: Abbas sum monasterii regni alterius, Archiepiscopum habens cui obedientiam, terrenum b Principem cui subjectionem, monachos quibus debeo consilii atque auxilii subministrationem. His omnibus ita sum astrictus ut nec monachos deserere possim, sine illorum concessione, nec me à dominatu Principis mei valeam exuere sine ejus permisione, nec obedientiam Pontificis mei subterfugere queam cum salute animæ meæ absque ipsius absolutione. De his omnibus, aiunt, leve consilium, & facilis erit assensus omnium. Ait ille, Nihil est omnino; non erit quod intenditis.

8 Rapiunt igitur hominem ad Regem ægrotum, & pervicaciam ejus exponunt. Contristatus est Rex, pene

Designatur Archiepiscopus Cantuariensis,

E

a multis se excusat apud Episcopos,

F

A *urgetur à Rege,* pene ad suffusionem oculorum, & dixit ad eum: O Anselme quid agis? Cur me pœnis æternis cruciandum tradis? Recordare quæso fidelis amicitiæ, quam Pater meus & mater mea erga te & tu semper erga eos habuisti, & per ipsam obsecro, ne patiaris filium eorum me in corpore & anima simul perire. Certus sum enim quod peribo, si Archiepiscopatum in meo dominio tenens, vitam finiero. Succurre igitur mihi, succurre Domine Pater, & suscipe Pontificatum; pro cujus retentione nimis confundar, & vereor ne in æternum plus confundar. Compuncti sunt ex his verbis quique assistentium, & Anselmum se excusantem, & tantum onus nec tunc quidem subire volentem, invadunt, talia cum quadam indignatione, & conturbatione ipsi ingerentes: Quæ dementia occupavit mentem tuam? Regem turbas, turbatum penitus necas, quandoquidem illum jam morientem obstinatia tua exacerbare non formidas. *incitatur à socio Baldwino,* Nunc igitur scias, quia omnes perturbationes, omnes oppressiones, omnia crimina, quæ deinceps Angliam prement, tibi imputabuntur; si tu hodie, per susceptionem curæ pastoralis, eis non obviaveris. Inter has angustias positus Anselmus, vertit se ad duos monachos, qui secum erant, Baldwinum videlicet & Eustachium, B dixitque illis: Ah Fratres mei, cur mihi non subvenitis? Dixit hoc (ecce coram Deo, quia non mentior) in tanta, sicut affirmare solebat, anxietate constitutus, ut si ei tunc optio daretur, multo lætius salva reverentia voluntatis Dei mori eligeret, quam Archiepiscopatus dignitate sublimari. Respondit itaque Baldwinus: Si voluntas Dei est ut ita fiat, nos qui sumus qui voluntati Dei contradicamus? Quæ verba lacrymæ, & lacrymas sanguis ubertim mox è naribus illius profluens secutus est, palam cunctis ostendens, ex qua cordis contritione cum lacrymis verba prodierint. Audito hujuscemodi responso, Anselmus; Væ, quam cito, inquit, baculus tuus confractus est. Sentiens ergo Rex, quod incassum labor omnium expendebatur, præcepit ut omnes ei ad pedes caderent, si forte vel ita *vincitur;* ad consentiendum illici posset. Sed quid? Cadentibus illis, cecidit ipse coram eis, nec à prima sententia sua cadere voluit. At illi, animati in eum seque ipsos, pro mora quam objectionibus ipsius intendendo passi sunt, ignaviæ redarguentes, Virgam huc pastoralem, Virgam, clamitant, pastoralem. C Et arrepto brachio ejus dextro, alii renitentem trahere, alii impellere, lectoque jacentis cœperunt applicare. Rege autem ei baculum porrigente, manum contra clausit & eum suscipere nequaquam consensit. Episcopi vero digitos ejus strictim volæ infixos erigere conati sunt, quo vel sic manui ejus *acclamatur & consecratur;* baculus ingereretur. Verum cum in hoc conatum suum aliquamdiu frustra expenderent, & ipse pro sua, quam patiebatur, læsione verba dolentis ederet; tandem, indice levato, sed protinus ab eo reflexo, clausæ manui ejus baculus appositus est, & Episcoporum manibus cum eadem manu compressus atque retentus. Acclamante autem multitudine, Vivat Episcopus, vivat; Episcopi cum Clero, sublimi voce hymnum Te Deum laudamus decantare cœpere, electumque portaverunt Pontificem potius quam duxerunt in vicinam ecclesiam; ipso modis, quibus poterat, resistente, atque dicente; Nihil est quod facitis, Nihil est quod facitis. Gestis vero quæ in tali causa geri in ecclesia mos est, revertitur Anselmus ad Regem, dicens illi, Dico tibi, Domine Rex, quia ex hac tua infirmitate non morieris, ac pro hoc volo noveris, quam bene corrigere poteris, quod de me nunc actum est; quia nec concessi, nec concedo ut ratum sit. His dictis, reflexo gressu discessit ab eo. AUCTORE EADMERO

9 Deducentibus autem eum Episcopis cum tota regni Nobilitate, cubiculo excessit: conversusque ad eos, in hæc verba sciscitatus est: Intelligitis quid molimini? Indomitum taurum, & vetulam ac debilem ovem; in aratro conjungere, sub uno jugo disponitis. Et quid inde proveniet? Indomabilis utique feritas tauri sic ovem, lanæ & lactis & agnorum fertilem, per spinas & tribulos hac & illac raptam, si jugo se non excusserit, dilacerabit, ut nec ipsa sibi, nec alicui, dum nihil horum ministrare valebit, utilis existat. Quid ita inconsiderate ovem tauro copulastis? Aratrum Ecclesiam perpendite, juxta Apostolum dicentem, Dei agricultura, 1 Cor. 3. 9 Dei ædificatio estis. Hoc aratrum in Anglia duo boves ceteris precellentes regendo trahunt, & trahendo regunt, Rex videlicet & Archiepiscopus Cantuariensis: iste seculari justitia & imperio, ille divina Doctrina & magisterio. Horum boum unus, scilicet Lanfrancus Archiepiscopus, mortuus est; & alius, ferocitatem indomabilis tauri obtinens, jam *prædicit calamitates subsecuturas* inventur aratro prælatus: & vos loco mortui bovis, me, vetulam ac debilem ovem, cum indomito tauro conjungere vultis? Quæ dico, satis intelligitis; & ea re, quid cui velitis associare, vellem E considerareris. considerantes ab incepto desisteretis. Quod si non desistitis, en prædico vobis, quia me, de quo lanam & lac verbi Dei & agnos in servitium ejus nonnulli possent habere (extra quam modo putetis) regia feritas diversis à se fatigatum injuriis opprimet; & gaudium, quod nunc de me quasi pro relevationis vestræ spe vos tenet, multos (cum nil consueti consilii aut sperati auxilii per me habere potueritis) versum in mœstitiam dolentes efficiet: eoque proficietis, ut *suamque expositionem;* Ecclesiam, quam relevare à viduitate, tantopere satagitis; relabi in viduitatem, etiam vivente Pastore suo, quod peius est, quandoque cernatis. Et hæc mala, quibus imputabuntur, nisi vobis, qui tam inconsiderate Regis feritatem & meam imbecillitatem conjunxistis? Cum igitur me oppresso, nullus ex vobis fuerit, qui ei in aliquo audeat obviare; vos quoque proculdubio pro libitu suo non dubitabit undique conculcare. Hæc dicens, ac, erumpentibus lacrymis, dolorem cordis simulare non valens, ad hospitium suum, dimissa curia, vadit. Acta sunt hæc anno Incarnationis Dominicæ mil- F lesimo nonagesimo tertio, Pridie nonas Martii, prima Dominica c Quadragesimæ. Præcepit itaque c Rex, ut sine dilatione ac diminutione investiretur *recipit jura Archiepiscopalia.* de omnibus ad Archiepiscopatum pertinentibus intus & extra, atque ut civitas Cantuaria, quam Lanfrancus suo tempore in beneficio à Rege tenebat, & d Abbatia S. Albani, quam non solum Lanfrancus d sed & antecessores ejus habuisse noscuntur, in alodium e Ecclesiæ Christi Cantuariensis, pro re- e demptione animæ suæ perpetuo jure transirent.

10 Anselmus autem post hæc in villis ad Archiepiscopatum pertinentibus ex præcepto Regis morabatur, conversante secum ac victui suo exinde necessaria quæque procurante venerabili Gundulpho f Roffensi Episcopo. Interea missi sunt à Rege nun- f tii cum litteris in Normanniam ad Comitem, ad Pontificem Rotomagensem, ad monachos Beccenses, quatenus iis, quæ in Anglia de Abbate Beccensi gesta fuerant, singuli quantum sua intererat assensum præberent. Sed quid? Plurima in hunc modum acta nihil apud eos profecerunt: tandem tamen importuna ratione ac rationabili importunitate, Deo disponente, devicti, quæ de Anselmo cœpta erant,

AUCTORE EADMERO

per litteras, ab Archiepiscobo Rot. & Duce Norm. scriptas jubetur acquiescere suæ electioni. g

erant, perfici concesserunt; & ne onus impositum subterfugeret, ei, per obedientiam, injunxerunt. Unde & litteræ à singulis singulæ scriptæ sunt, quæ in uno eodemque concordantes, per nuntios Anselmo & Regi sunt transmissæ, de quibus omnibus unas huic opusculo inseram, quatenus in ipsis & aliarum sensus eluceat. Sint igitur hæ: Frater Guilielmus g Archiepiscopus suo Domino & amico Anselmo, Dei benedictionem & nostram. De his quæ de vobis à me Rex quæsivit, & de quibus ipse mihi scripsistis, sicuti de tanta re decuit huc usque diu multumque pertractavi, & amicorum meorum ac vestros super hoc consilium quæsivi. Qui utrimque voluissent, si possibile fuisset, & vestram semper, ut olim, habere præsentiam, & non facere unde offenderent divinam voluntatem. Sed quia ad hoc res venit ut utrumque impleri nequeat: sicut dignum est, divinam voluntatem nostræ præponimus, & nostram voluntatem divinæ subjicimus, atque ex parte Dei & S. Petri, omniumque amicorum meorum ac vestrorum, qui secundum Deum vos diligunt, jubeo, ut pastoralem curam Cantuariensis Ecclesiæ & Ecclesiastico more benedictionem Episcopalem suscipiatis, oviumque vestrarum, vobis, ut B credimus, divinitus commissarum saluti deinceps invigiletis. Valete, Viscera mea.

11 Istæ literæ, cum aliis Anselmo directis, prius ipsi quam Regi suæ sunt allatæ. Inter hæc, juxta quod Anselmus prædixerat, Rex ab infirmitate convaluit. *a Rege Sanitati restituto,* Mox igitur cuncta quæ infirmus statuerat bona dissolvit, & irrita esse præcepit. *sed in pejus dilapso,* Captivi nempe, qui nondum fuerant dimissi, jussit ut arctius solito custodirentur; dimissi, si capi possent, recluderentur; antiqua jamque donata debita in integrum exigerentur; placita & offensiones in pristinum statum revocarentur; illorumque judicio, qui justitiam subvertere magis quam tueri defendereve curabant, tractarentur & examinarentur; ad miserorum utique oppressionem & pecuniæ direptionem potius quam ad alicujus peccati correctionem. Orta est ergo tam vasta miseria miseraque vastatio per totum regnum, ut qui illius recordatur, parem se ei ante hanc vidisse in Anglia, sicut æstimo, non recordetur. Siquidem omne malum quod Rex fecerat, priusquam fuerat infirmatus, bonum visum est, comparatione malorum quæ fecit, ubi est sanitati redonatus. Quæ si qui scire velint de quo fonte manaverint, ex eo perpendere pos- C sunt, quod ipse prædicto Roffensi Episcopo, cum illum, recuperata sanitate, familiari affatu moneret, ut se amplius circumspecte secundum Deum in omnibus haberet, respondit: Scias, ô Episcope, quod per sanctum Vultum de Luca, numquam me Deus bonum habebit pro malo quod mihi intulerit. Hæc de Rege ad præsens succincte memorasse sufficiat, jamque ad destinatum narrandi ordinem sermo recurrat. Cum igitur Anselmus, secundum quod prælibavimus, litteras à Normannia destinatas suscepisset, & Rex de Dofris à colloquio Roberti Comitis Flandriæ Rovecestram, ubi tunc ipse Anselmus erat, venisset; in secretum locum Anselmus Regem tulit, eumque taliter allocutus est: In utroque dubius pendet adhuc, Domine mi Rex, animus meus, utrum videlicet acquiescam Pontificatum suscipere, an non. Verum si me ad susceptionem illius ratio perduxerit, volo brevi prænoscas, quid velim mihi facias. *exigit restitutionem omnium ad Ecclesiam Cantuariensem pertinentium* Volo equidem ut omnes terras, quas ecclesia Cantuariensis, ad quam regendam electus sum, tempore beatæ memoriæ Lanfranci Archiepiscopi tenebat, sine omni placito & controversia ipsi Ecclesiæ restituas; & de aliis terris, quas eadem Ecclesia ante suum tempus habebat, sed perditas nondum recuperavit, mihi rectitudinem judiciumque consentias. D Ad hæc volo, ut in iis quæ ad Deum & Christianitatem pertinent, te meo præ ceteris consilio credas, ac sicut ego te volo terrenum habere dominum & defensorem, ita & tu me spiritualem habeas patrem & animæ tuæ provisorem. *& debitam Urbano Romano Pontifici obedientiam,* De Romano quoque Pontifice Urbano, quem pro Apostolico hucusque non recepisti, & ego jam recepi atque recipio, eique debitam obedientiam & subjectionem exhibere volo, cautum te facio ne quod scandalum inde oriatur in futuro. De his quæso tuæ voluntatis sententiam edicito, ut ea cognita certior fiam quo me vertam. Rex itaque, vocato ad se Willielmo b Dunelmensi Episcopo, & Roberto b Comite de Mellento, jussit ut eis præsentibus, quæ dixerat, iteraret. Fecit imperata, & Rex sibi per consilium ita respondit: Terras de quibus Ecclesia i saisita quidem fuerat sub Lanfranco omnes, eo, quo tunc erant, tibi modo restituam; sed i de illis quas sub ipso non habebat, in præsenti nullam tecum conventionem instituo: verumtamen, de his & aliis, credam tibi sicut debebo. Finierat Rex in istis & ab invicem discesserunt.

12 Deinde, paucis diebus interpositis, Rex E ipse consensum, quem à Normannis super Anselmo, juxta quod præfati sumus, expetierat, per epistolas accepit. Et veniens in villam suam, quæ k k Windlesora vocatur, Anselmum per se suosque convenit; *Regi id ægre facienti,* quatenus & secundum totius regni de eo factam electionem Pontifex fieri ultra non negaret, & terras Ecclesiæ, quas ipse Rex, defuncto Lanfranco, suis dederat pro statuto servitio, illis ipsis hereditario jure tenendas, causa sui amoris condonaret. Sed Anselmus nolens Ecclesiam, quam necdum re aliqua investierat, expoliare; terras, ut petebatur, nullo voluit pacto concedere: & ob hoc, orto inter eum & Regem dissidio, quod primum quoque de Pontificatu ejus agebatur, indefinitum remansit. Unde Anselmus oppido lætatus est, sperans se hac occasione à Prælationis onere per Dei gratiam exonerandum. Jam enim cum Virga pastorali curam, quam super Beccum Abbas susceperat, pro descripta superius absolutione, ipsi Becco restituerat: *absolvendum se sperat:* & nunc, eo quod terras Ecclesiæ injuria dare nolebat, Episcopalis officii onus sese lætus evasisse videbat. Verum cum decurso non exiguo F tempore, clamorem omnium, de Ecclesiarum destructione conquerentium, Rex amplius ferre nequiret; virum ad se Wintoniæ, adunato ibi conventu Nobilium, venire fecit: ac multis bonis & Ecclesiæ Dei profuturis promissionibus illectum, *sed frustra.* Primatum Ecclesiæ Anglorum suscipere suasit atque persuasit. Ille igitur more & exemplo prædecessoris sui inductus, pro usu terræ, Homo Regis factus est; & sicut Lanfrancus suo tempore fuerat, de toto Archiepiscopatu saisiri jussus est.

13 Venit posthæc Cantuariam VII Kalendas Octobris, atque immensa monachorum, Clericorum, totiusque plebis alacritate susceptus, ad regendam Ecclesiam Dei, locum Pontificis, magno deductus honore, conscendit. *excipitur magno gaudio Cantuariæ 25 Septemb.* Eodem die venit Cantuariam à Rege missus quidam, nomine l Ranulphus, regiæ voluntatis maximus executor: qui, spreta consideratione pietatis ac modestiæ, placitum contra eum ipsa die instituit; & ferus ac tumens tantum Ecclesiæ gaudium conturbare non timuit. Quæ res cunctorum animos graviter vulneravit, conquerentium ac nimis indigne ferentium tanto viro tantam injuriam fieri, ut nec primum quidem suæ dignitatis diem permitteretur in pace transigere. Quorum indignationi hoc quoque

A quoque non parum doloris adjiciebat, quod negotium unde agebatur ad jura Ecclesiæ pertinebat; nec in aliquo regalis judicii definitionem respiciebat. Igitur eo tempore nimis atroci plaga percussi sunt homines ipsius Ecclesiæ. Unde Anselmus vehementissime dolens, sed Regi contraire non valens, ex præsentibus futura conjecit; &, quia multas in Pontificatu angustias foret passurus, intellexit atque prædixit. Accedens itaque ad novum sibique insolitum genus serviendi Deo, juxta Salomonem, stabat in timore, & præparabat animam suam ad tentationem, sciens omnes pie volentes in Christo vivere tribulationem necessario pati oportere.

sed mox à ministro Regis perturbatur,

Eccli. 2. 1.

14 Instante vero tempore suæ consecrationis, venit ex more Thomas *m* Archiepiscopus Eboracensis, & omnes Episcopi Angliæ, Cantuariam; eumque debita veneratione ibi Pontificem consecravere pridie nonas Decembris. Duo tamen Episcopi, Wigornensis *n* videlicet & Exoniensis *o*, infirmitate detenti, huic consecrationi interesse non valuerunt. Sed nuntiis apicibusque directis, absentiam suam Coëpiscoporum suorum præsentiæ hac in causa præsentem & consentaneam fore denuntiaverunt. Verum cum ante ordinandi Pontificis examinationem, Walchelinus *p* Wentanus Episcopus, rogatu Mauritii *q* Episcopi Lundoniensis, cujus hoc officium est, Ecclesiastico more electionem scriptam legeret; mox in primo versu Thomas Eboracensis graviter offensus, eam non jure factam conquestus est. Nam cum diceretur, Fratres & Coëpiscopi mei, vestræ fraternitati est cognitum, quantum temporis est ex quo, accidentibus variis eventibus, hæc Dorobernensis Ecclesia totius Britanniæ Metropolitana suo sit viduata pastore, subintulit, dicens, Totius Britanniæ Metropolitana? Si totius Britanniæ Metropolitana; Ecclesia Eboracensis, quæ metropolitana esse scitur, Metropolitana non est. Et quidem Ecclesiam Cantuariensem Primatem totius Britanniæ esse scimus, non Metropolitanam. Quod auditum, ratione subnixum esse, quod dicebat intellectum est. Tunc statim scriptura ipsa mutata est, & pro, Totius Britanniæ Metropolitana, Totius Britanniæ Primas scriptum est, & omnis controversia conquievit. Itaq; sacravit eum ut totius Britanniæ Primatem. Cum igitur inter sacrandum pro ritu Ecclesiæ, textus Euangelii super eum ab Episcopis apertus, tentus, &, peracta consecratione, fuisset inspectus; hæc in summitate paginæ sententia reperta est. Vocavit multos, & misit servum suum hora cœnæ dicere invitatis ut venirent, quia jam parata sunt omnia; & cœperunt simul omnes excusare. Deinde jam consummato ordinationis suæ die octavo, Cantuariam egrediens, ad curiam Regis pro imminente Nativitate Domini vadit. Quo perveniens, hilariter à Rege totaque regni Nobilitate suscipitur.

n o consecratur 4 Decembris,

p q

B

ut Primas non ut Metropolita Britanniæ.

C

ANNOTATA.

a Grandævus *erat annorum sexaginta.*

b Robertus *hic* Dux Normanniæ *erat, Guillelmi Conquestoris, ut dictum, primogenitus: cui Normanniam moriens pater dimiserat, utpote hereditario jure ad eum spectantem: de aliis, quæ acquisierat armis, credidit se, eo propter rebellionem excluso, posse pro arbitratu disponere. Sed neque Normanniam in pace possedit, omnia agente Guillelmo ut ea quoque parte fratrem excluderet, uti & fecit: quæ fuse Normanni & Angli tractant.*

c *Fuit eo anno cyclo Lunæ 11, Solis 10, littera Dominicali B, Pascha celebratum 17 Aprilis, dies Cinerum sive initium Quadragesimæ 2 Martii.*

d Abbatia S. Albani, *in agro Hertfordensi, constructa ab Offa Rege Merciorum, & à Lanfranco Archiepiscopo instaurata & possessionibus aucta. Colitur S. Albanus 22 Iunii, quo die sub Diocletiano est martyrio coronatus.*

e Allodium *est prædium liberum, nulli servituti obnoxium, sive ex solido concessum sine onere, quod ipsum indicat vocis etymon* Al-ôd, *quod est, plane vacuum. Consule Seldenum & Glossarium Spelmanni.*

f Gundulfus Roffensis *ex cœnobio Beccensi assumptus fuerat, adnitente B. Lanfranco anno 1077; & Episcopatum magna cum laude tenuit usque ad 7 Martii anni 1108.*

g Maurilio *Rotomagensi Archiepiscopo supra memorato (qui mandatum Anselmo dederat non recusandi quantumcumque magnam Prælaturam, ut dictum, in Vita)* Joannes *successit anno 1067, Ioanni* Guillelmus *hic anno 1079, & sedit usque ad 1110,*

h *Hunc* Guilielmum *Dunelmensem Malmesburiensis depingit, ut fœdum Regis assentatorem, omniumque turbarum S. Anselmo suscitatarum signiferum, alias suo Episcopatui utilem, quem tenuit varia fortuna usque ad an. 1097.*

i Saisire *in possessionem mittere, alias* investire, *cujus composita* Dissaisire *possessione exuere, &* Resaisire *in possessionem restituere. Vox origine Gallica, & apud Gallos nunc violentam occupationem significans.*

k *De* Windlesora *villa pluribus agetur 23 Aprilis, in Analectis post Acta S. Georgii. Cap. 11, tamquam de Garteriani Ordinis natali loco.*

l Ranulfum Dunelmensem *coloribus suis describit Malmesburiensis, tamquam consultorem & executorem omnium de rebus sacris nundinationum per Angliam, qui Dunelmensem Episcopatum oblato pretio emerit an. 1099, ac tenuerit annis 29.*

E

m Thomas, *hujus nominis primus* Archiepiscopus Eboracensis, *institutus anno 1070, mortuus 1100, valde laudatur à scriptoribus.*

n Wigorniensis Episcopus *erat* S. Wulstanus, *an. 1062 consecratus, mortuus an. 1095, 19 Ianuarii, quando ejus Acta illustravimus.*

o Osbernus Exoniensis Episcopus, *sedit ab anno 1074 ad 1103: ad quem est Epistola infra lib 3 num. 15.*

p *Creatus est* Wintoniensis Episcopus Walkelinus *an. 1070 ad 1097, laudatus Præsul, nisi quod erga monachos iniquior fuerit: alibi* Walchelmus *scribitur & forsitan melius.*

q Mauritius Londiniensis institutus *an. 1087, viginti annis sedem tenuit, & ecclesiam S. Pauli exustam restaurans, fecit opus tota Anglia famosissimum, nupero incendio Londiniensi consumptum.*

CAPUT III.

Acta cum Rege in Normannia abituro, Ecclesia dicata. Episcopus Lincolniensis consecratus. Concilium petitum.

F

15 EA tempestate. Rex Normanniam fratri suo Roberto, toto conamine, auferre laborans, multam & immensam undecumque collectam pecuniam in hoc expendebat; adeo ut nonnullas etiam difficultates pateretur, quas regiam pati Excellentiam indecens videbatur. Suasus igitur ab amicis suis novus Pontifex, quingentas argenti libras Regi obtulit; sperans & pollicentibus credens, sese pro hoc ejus deinceps gratiam firmiter adepturum; & quæ Dei sunt intendere volentem, fautorem in cunctis habiturum; necnon rebus Ecclesiasticis intus & extra pacem tuitionemque illius contra omnes æmulos acquisiturum. Rex ergo tali oblatione audita, bene rem quidem laudando respondit: sed quidam malignæ mentis homines Regem, ut fieri solet, ad hoc perduxerunt, quatenus oblatam pecuniam spernendo recipere non acquiesceret.

Regi profecturo in Normanniã offert 500 argenti libras;

16 Tu, inquiunt, eum præ ceteris Angliæ Principibus honorasti, ditasti, exaltasti; & nunc, cum tua necessitate considerata duo millia, vel certe, ut levissime dicatur, mille libras pro agendis munificentiæ tuæ gratiis tibi dare deberet; quingentas

 (proh

AUCTORE EADMERO

(proh pudor!) offert. Sed paululum sustine, faciemque tuam super eo commuta, & videbis quod consueto aliorum ductus terrore, ovans ad tuam benignitatem recuperandam, quingentis quas offert totidem libras adjiciet. Siquidem hunc ipse Rex morem, erga cunctos quibus dominabatur, habebat, ut cum quis eorum aliquid ei pecuniarum, etiam solius gratiæ obtentu, offerebat, oblatum, nisi quantitas rei voto illius concurreret, sperneret: nec offerentem in suam ulterius amicitiam admittebat, si ad determinationem suam oblatum munus non augeret. Opinati sunt ergo illi maligni Anselmum quoque hoc more terrendum, atque ad explendam Regis voluntatem aucta pecunia illico permovendum. Verum mentita est iniquitas sibi. Itaque mandatur illi, Regem oblatam pecuniam refutare; & miratus est. Aditoque Rege, sciscitatus est, utrum ab eo tale mandatum processerit, an non? Audit vere processisse: & statim postulans ait, Ne mi Domine precor hoc facias, ut quod in præsentiarum offero suscipere abnuas. Licet enim primum sit, non tamen extremum Archiepiscopi tui donum erit. Et fateor, utilius tibi est & honestius, à me pauca cum amica libertate & sæpe suscipere, quam violenta exactione mihi multa simul sub servili conditione auferre. Amica nempe libertate me & omnia mea ad utilitatem tuam habere poteris, servili autem conditione nec me nec mea habebis. Ad quæ, iratus Rex, Sint, inquit, cum jurgio tua tibi, sufficient mea mihi. Vade. Surrexit ergo & exiit, reputans apud se, forte non fine sui præmonitione, primo ad Sedem suam introitus die, Euangelium lectum fuisse, Nemo potest duobus Dominis servire. Et alacrior in seipsum reversus. Benedictus sit, ait, omnipotens Deus, qui me sua misericordia immunem servavit ab omni infamia. Si enim hæc quæ obtuli, Rex gratiose suscepisset; profecto à malignis hominibus, qui exundant, jam ante pro Episcopatu promissa, & nunc sub callida oblatione reddita, fuisset putatum. Sed modo quid agam? Præsignatum utique munus pro redemptione animæ suæ pauperibus Christi dabo, non illi: & quo ei suam gratiam infundat meque ab omni malo defendat, devotus orabo. Quæsita dehinc per internuntios, sed quia pecuniam duplicare noluit, minime acquisita gratia ejus, à curia, festivitate finita, recessit, solicitius agens, oblato munere, ut proposuerat, Christi pauperes recreare.

sed his à sperante duplum non acceptatis,

B

gaudet se periculo infamiæ liberatum,

& eas in pauperes distribuit:

C

17 Veniens autem in villam suam, quæ Herga vocatur, dedicavit illic ecclesiam quam Lanfrancus quidem fabricaverat sed morte præventus sacrare nequiverat. Inter quam dedicationem, venerunt illuc duo Canonici de S. Paulo, ab Episcopo Lundoniæ missi, litteras ex parte Episcopi deferentes, in quibus ut ipsam dedicationem, donec simul inde loquerentur, differret, deprecatus est. Dicebat enim ipsam ecclesiam in sua Parochia esse, & ob hoc licet in terra Archiepiscopi fuerit, dedicationem illius ad se pertinere. Audiens hoc Anselmus, & antecessorum suorum antiquam consuetudinem sciens; ratus est ab ipso ministerio pro hominum precibus non cessandum, nec fecit. Si quidem mos & consuetudo Archiepiscoporum Cantuariensium ab antiquo fuit & est, ut in terris suis ubicumque per Angliam sint, nullus Episcoporum præter se jus aliquod habeat: sed humana simul & divina omnia, velut in propria Diœcesi, in sua dispositione consistant. Anselmus tamen nulli quidquam injuriarum, quasi libera utens potestate, facere volens; diligenti postmodum inquisitione consuetudinis hujus certitudinem studuit investigare; quatenus si eam ratam non fuisse constaret, amodo ab ea temperaret.

dedicat ecclesiam in villa sua, frustra reclamante Episcopo Londinensi.

Supererat adhuc beatæ memoriæ Wolstanus Episcopus, unus & solus de antiquis Anglorum Patribus, vir in omni religione conspicuus, & antiquarum Angliæ consuetudinem scientia apprime eruditus. Hunc Anselmus de negotio consuluit, & quo simplicem sibi veritatem innotesceret, postulavit. Quo ille suscepto, scripsit illi hæc.

postea super ea re cognit. ris judicium S. Wolstani Episcopi,

18 Reverendissimo ac Beatissimo vitæ sanctitate & summæ Sedis dignitate Prælato, Anselmo Archiepiscopo, Wolstanus servorum Dei minimus Wigorniensis Ecclesiæ Episcopus merito indignus, orationum obsequia fideliaque ex caritate servitia. Novit prudentia vestra quotidianos labores & oppressiones sanctæ Ecclesiæ, malignis eam opprimentibus, & ipsis, quos oportuerat eam tueri, auctoribus existentibus. Ad hos repellendos, & contra tales sanctam Ecclesiam defendere, Sanctitas vestra locata est in summa arce. Ne igitur dubitet, non eam secularis potentiæ timor humiliet, non favor inclinet; sed fortiter incipiat, incepta cum Dei adjutorio perficiat, insurgentibus obsistat, opprimentes reprimat, sanctamque Matrem nostram contra tales defendat. De his autem unde nobis dignitas vestra scribere & nostræ parvitatis consilium est dignata quærere, quantum recordari possumus, dicere non omittimus. Hanc denique unde consuluit causam ventilari numquam audivimus: quia nullus aliquando extitit, qui hanc Cantuariensi Archiepiscopo potestatem adimere vellet, & ne dedicationem propriarum dumtaxat ecclesiarum publice faceret, defenderet. Extant quippe & in nostra Diœcesi altaria, & quædam etiam Ecclesiæ in iis scilicet villis, quas *a* Stigandus vestræ Excellentiæ Prædecessor, haud tamen jure Ecclesiasticæ hereditatis, sed ex dono possederat secularis potestatis, ab ipso dedicata nostris & antecessoris nostri temporibus, nobis inconsultis, nec antea nec postea inde calumniantibus, utpote hanc spiritualem potestatem ejusdem Metropolitani Episcopi esse scientibus. Judicium tamen hinc agitatum, aut hoc ex jure sibi judicatum aliquando, minime audivimus; sed quod in nostra Diœcesi eum fecisse libere agnovimus, in aliorum etiam facere posse credimus. Ecce quantum inde reminisci aut scire potuimus, prudentiæ vestræ intimavimus; jam quid faciendum sit, ipsa consideret. Valeat Paternitas vestra & oret pro nobis. Roboratur igitur Anselmus ex istis, atque ex multis aliorum, quos longum est enumerare, testimoniis; secure deinceps suorum morem antecessorum æmulabatur, non solum ecclesias inconsultis Episcopis sacrans, sed & quæque divina officia in cunctis terris suis per se suosve dispensans.

E

quo ejus factum de simili confirmante,

a

F

progreditur jus suum exercens,

19 Evolutis dehinc aliquantis diebus; ex præcepto Regis, omnes fere Episcopi, una cum Principibus Angliæ ad Hastinges *b* convenerunt, ipsum Regem in Normanniam transfretaturum sua benedictione & concursu prosecuti. Venit & Pater Anselmus, suis quam maxime orationibus per marina pericula Regem protegendo ducturus. Morati vero sunt ibi Rex & Principes plus uno mense, vento transitum Regi prohibente. In qua mora Anselmus sacravit in ecclesia sanctæ Dei genitricis Mariæ, quæ est in ipso castello, Robertum *c* ad regimen Ecclesiæ Lincolniensis, ministrantibus sibi in hoc officio septem *d* de suffraganeis Episcopis suis. De qua tamen consecratione quidam de Episcopis atque Principibus conati sunt contra Anselmum scandalum movere, intendentes ad hoc ut eumdem Episcopum absolute absque debita professione consecraret. Quod nullo jure fulti, ea solummodo re sunt aggressi, quia putabant se animo Regis aliquid

consecrat Episcopum Lincolniensem,

b

quid

A *suscepta professione subjectionis & obedientia.* quid ex conturbatione Anselmi, unde lætaretur, inferre; scientes eum pro suprascripta causa adversus ipsum non parum esse turbatum. Sed Anselmus ex his nil rancoris mente concipiens, placido vultu nulla ratione assensum eis præbere, nec Episcopum, nisi primo suscepta professione ab eo de subjectione & obedientia sua, sacrare voluit. Rex quoque, ubi quid Episcopi moliebantur audivit, asseruit se nullo pacto consensurum, ut pro inimicitia quam contra Archiepiscopum habebat, Matri suæ Ecclesiæ Cantuariensi de sua dignitate quid quivis detraheret.

In capite jejunii luxuriose comatis sacros cineres negat. 20 Eo tempore Curialis juventus ferme tota crines suos juvencularum more nutriebat; & quotidie pexa ac irreligiosis nutibus circumspectans, delicatis vestigiis, tenero incessu, obambulare solita erat. De quibus cum in capite Jejunii sermonem in populo, ad Missam suam & ad Cineres confluente, idem Pater habuisset; copiosam turbam ex illis in pœnitentiam egit, &, attonsis crinibus, in virilem formam redegit. Illos autem quos ab hac ignominia revocare nequivit, à Cinerum susceptione & à suæ absolutionis benedictione suspendit. Erat autem in iis & hujusmodi prudenter ac libere agens; B nec non solius justitiæ respectum præ oculis in omnibus habens, qualiter ad Dei servitium justitiamque colendam Regem provocaret studiosius intendit.

21 Die igitur quadam ad eum ex more ivit, & juxta illum sedens, eum his verbis alloqui cœpit. Mare te, Domine mi Rex, transiturum, & Normanniam tuæ ditioni subjugaturum disposuisti. Verum, quo hæc & alia quæ desideras tibi prospere cedant; obsecro primum, fer opem & consilium, qualiter in hoc regno tuo Christianitas, quæ jam fere tota in multis periit, in statum suum redigi possit. Respondit: Quam opem? quod consilium? Jube, ait, si placet Concilia ex antiquo usu renovari, quæ perperam acta sunt in medium revocari, *exigit à Rege, ut Concilium congregetur;* revocata examinari, examinata redargui, redarguta sedari. Generale nempe Concilium Episcoporum, ex quo Rex factus fuisti, non fuit in Anglia celebratum; nec retroactis pluribus *e* annis. Quapropter multa crimina eruperunt, & nullo qui ea recideret existente, in nimium robur per pravam consuetudinem excreverunt. At ille: Cum, inquit, mihi visum fuerit de his agam, non ad tuam sed ad meam C voluntatem: sed in hoc aliud tempus expendetur. Et adjecit subsannans: Tu vero in Concilio unde loquereris? Tunc ille: Nefandissimum Sodomæ *contra vitia carnis:* scelus (ut illicita consanguineorum connubia, & alia multa rerum detestandarum facinorosa negotia taceam) scelus inquam Sodomæ, noviter in hac terra divulgatum, jam plurimum pullulavit, multosque sua immanitate fœdavit: cui fateor nisi districtius à te prodiens sententia judicii, & Ecclesiasticæ vigor disciplinæ celerius obviet, tota terra non multo post Sodoma fiet. Sed conemur una quæso, tu regia potestate & ego Pontificali auctoritate, quatenus tale quid inde statuatur, quod cum per totum fuerit regnum divulgatum, solo etiam auditu quicumque illius fautor est, paveat & deprimatur. Non sederunt hæc animo Principis, & paucis ita respondit: Et in hac re quid fieret pro te? Si non, inquit Anselmus, pro me, spero fieret pro Deo & te. Sufficit, dixit, nolo inde ultra loquaris. Tacuit ille, sed mox verba sua vertit ad alia dicens. Est & aliud cui tuam industriam intendere vellem, & intendendo consilii tui manum extendere. Abbatiæ quamplures sunt in hac terra suis Pastoribus destitutæ; *petit Abbates constitui in monasteriis,* quamobrem monachi, relicto ordine suo, per luxus seculi vadunt, & sine confessione de hac vita exeunt. Unde consulo, precor, moneo, quatenus tanta re diligenter inspecta, secundum voluntatem Dei, Abbates illis instituas, ne in destructione monasteriorum & perditione monachorum tibi, quod absit, damnationem acquiras. Non potuit amplius spiritum suum Rex cohibere, sed oppido turbatus, cum iracundia dixit: Quid ad te? Numquid Abbatiæ non sunt meæ? Hem, tu quod vis agis de villis tuis: & ego non agam quod volo de Abbatiis meis? Ait: Tuæ quidem sunt, ut illas quasi Advocatus defendas atque custodias, non tuæ autem ut invadas aut devastes; Dei scimus eas esse, ut sui ministri inde vivant, non quo expeditiones & bella tua inde fiant. Denique villas & quamplures redditus habes, unde pleniter administrare tua potes: ecclesiis si placet sua dimitte. Pro certo, inquit, noveris mihi valde contraria esse quæ dicis. Nec enim antecessor tuus auderet ullatenus Patri meo talia dicere; & nihil faciam pro te. Intellexit ergo Anselmus se verba in ventum proferre, & surgens abiit. *AUCTORE EADMERO*

22 Reputans autem in hujusmodi responsis, non nihil pristinam iram operari, & considerans offenso Principis animo nequaquam posse pacem rebus dari; quo & rebus consuleret, & liberius, favente sibi regali providentia, Deo fructificaret, humili per Episcopos prece Regem deprecatus est, ut in amicitiam sui sese gratis admitteret. Quod si (ait) facere non vult, cur nolit edicat; & si offendi, satisfacere paratus sum. Relata sunt ista ad Regem, & respondit: De nulla re illum inculpo, nec tamen ei gratiam meam, quia non audio quare, indulgere volo. Quod cum Episcopi viro retulissent, percunctatus est quidnam illud esset, quod quia non audiebat, preces suas exaudire nolebat. Mysterium hoc, inquiunt, planum est: nam si pacem ejus vis habere, necessario te oportet ei de pecunia tua copiose præbere. Jam nuper obtulisti ei quingentas libras, sed quoniam parum sibi visum est, noluit illas recipere. Nunc si vis nostro consilio credere, &, quod in simili negotio facimus, tu quoque facere; suademus, ipsas ei quingentas libras ad præsens da, & tantumdem pecuniæ quam ab hominibus tuis accipies illi promitte, & confidimus quod & tibi amicitiam suam restituet, & tuam ut voles pacem habere permittat. Aliam, qua exeas, viam non videmus, nec nos pari angustia clausi aliam exeundi habemus. At ille, continuo intelligens quid consilii hujus effectus prætenderet, ait; Absit hic exitus à me. Nam cum ipse mihi juxta quod dicitis, nullam alicujus offensæ calumniam imponat, & tamen tantum iratus est mihi, ut non nisi mille libris argenti pacari queat; forte si nunc novus Episcopus hac eum donatione pacarem, ex ipso usu alia vice similiter irasceretur, ut pari voto pacaretur. Amplius: Homines mei, post obitum venerabilis memoriæ Lanfranci antecessoris mei, deprædati sunt & spoliati; & ego cum hucusque nil eis unde revestiri possint contulerim, jam eos nudos spoliarem, immo spoliatos excoriarem? Absit. Nihilo quoque minus hoc absit à me, amorem Domini mei facto ostendere venalem esse. Fidem ei debeo & honorem; & ego illi hoc dedecus facerem, scilicet gratiam suam quasi equum vel asinum vilibus nummulis emerem? Emptum denique amorem ejus utique tanti penderem postea, quantum pretium pro eo datum æstimarem. Sed longe sit à me sublimitatem tantæ rei humili pretio comparare. Magis autem satagite quo gratis & honeste me, sicut Archiepiscopum Cantuariensem & Patrem suum spiritualem, diligat; & ego ex mea parte dabo operam,

E *Ut gratiam Regis ideo offensi recipiat non vult pecunias expendere;* F *excusans pessimam sequelam, suorum paupertatem, & Regis proventurum dedecus.*

AUCTORE EADMERO

ram, ut me & mea ad servitium & voluntatem ejus, juxta quod debebo, exhibeam. Dixerunt, Scimus quod saltem oblatas ei quingentas libras non negabis. Respondit: Nec ipsas utique illi amplius dabo, quia cum eas sibi offerrem suscipere noluit, & jam plurimam partem earum, ut promisi, pauperibus dedi. Nuntiata sunt ista Regi, & jussit hæc ei contra referri. Heri magno, & hodie illum majori odio habeo; & sciat revera, quod cras & deinceps acriori & acerbiori odio semper habebo. Pro Patre vero vel Archiepiscopo nequaquam illum ultra tenebo, sed benedictiones & orationes ejus execrans, penitus respuo. Eat quo vult, nec me transfretaturum pro danda benedictione diutius expectet. Festinantius igitur à Curia discessimus, & ipsum voluntati suæ reliquimus. Et ipse quidem in Normanniam transiit, expensaque immensa pecunia eam sibi nullatenus subigere potuit.

ANNOTATA.

a Stigandus *Sedem Cantuariensem invasit anno* 1052, *& ab ea depositus, mortuus est sub finem anni* 1070.

B b *Ferrarius ex Cambdeno putat, haud longe Camaloduno fuisse* Harlinges, *in Essexia, ubi Idumani fluvii amplissimum æstuarium commodam quantævis classi prabet stationem.*

c *Tenuit* Robertus *Episcopatum Lincolniensem ad an.* 1122.

d *Cantuariensis Ecclesia suffraganea Sedes numerantur universim* 21.

e *Spellmannus in Catalogo Conciliorum, ultimum Generale Concilium statuit Enhamense, quod hortatu Ælfeagi Dorobernensis & Wulstani Eboracensis ab Ethelredo Rege indictum fuit, anno* 1009: *sub novo autem Normannorum dominatu mire collapsa res ecclesiastica, reformatione magna egebant. Infra tamen libro* 3 *num.* 6. *videtur indicari aliquod Generale Concilium sub Landfranco.*

CAPUT IV.

Controversia Regem inter & S. Anselmum ob Urbanum II Papam ab hoc admissum, contra nitente Rege.

23 INfecto itaque negotio in Angliam reversus est. Quem consistentem in quadam villa, quæ tribus milliariis à Sceftesberia distans, Ilingheham vocatur, Anselmus adiit, eique suam voluntatem in hoc esse innotuit, ut Romanum Pontificem pro Pallii sui petitione adiret. Ad quod Rex, A quo, inquit, Papa illud requirere cupis? Erant quippe, illo tempore, *a* duo, ut in Anglia ferebatur, qui dicebantur Romani Pontifices, à se invicem discordantes, & Ecclesiam Dei inter se divisam post se trahentes. Urbanus videlicet, qui primo vocatus Odo, fuerat Episcopus Ostiensis; & Clemens, qui Wibertus appellatus fuerat, Archiepiscopus Ravennas. Quæ res, ut de aliis mundi partibus sileam, per plures annos Ecclesiam Angliæ in tantum occupavit, ut ex quo venerandæ memoriæ Gregorius, qui antea vocabatur Hildebrandus, defunctus fuit; nulli, loco Papæ, usque ad hoc tempus subdi vel obedire voluerit. Sed Urbano jamdudum pro Vicario B. Petri ab Italia Galliaque recepto; Anselmus etiam, utpote Abbas de Normannia, eum pro Papa receperat; & sicut vir nominatissimus nec non auctoritate plenus, ejus litteras susceperat, eique velut summo sanctæ Ecclesiæ Pastori suas direxerat. Requisitus ergo à Rege, à quo Papa usum Pallii petere voluisset, respondit: Ab Urbano. Quo Rex audito,

C

Petit à Rege facultatem, accipiendi pallium ab Urbano II, a

D

dixit illum pro Apostolico se nondum accepisse, nec suæ vel paternæ consuetudinis eatenus extitisse, ut præter suam licentiam aut electionem aliquis in regno Angliæ Papam nominaret; & quicumque sibi hujus dignitate potestatem vellet præripere, unum foret ac si Coronam suam sibi conaretur auferre. Ad quæ Anselmus admirans, in medium protulit, quod supra retulimus, se videlicet antequam Episcopus fieri consentiret, ei apud Roveceстram dixisse, quod ipse Abbas Beccensis existens Urbanum pro Papa susceperit, nec ab illius obedientia & subjectione quoquo modo discedere voluerit. Quibus ille auditis, iræ stimulis exagitatus, protestatus est illum nequaquam fidem, quam sibi debebat simul & Apostolicæ sedis obedientiam, contra suam voluntatem, posse servare. Anselmus igitur, salva ratione sua, quam de subjectione & obedientia Romanæ Ecclesiæ in medium tulerat, petivit inducias ad istius rei examinationem; quatenus Episcopis, Abbatibus, cunctisque regni Principibus una coeuntibus, communi assensu definiretur, utrum salva reverentia & obedientia sedis Apostolicæ posset fidem terreno Regi servare, annon. Quod si probatum, inquit, fuerit, utrumque fieri minime posse; fateor malo terram tuam, donec Apostolicum suscipias, exeundo devitare, quam B. Petri ejusque Vicarii obedientiam vel ad horam abnegare. Dantur ergo induciæ, atque ex regia sanctione ferme totius Regni Nobilitas quinto Id. Martii pro ventilatione istius causæ in unum apud Rochingheam coit.

idemque se majus nihil illum inurerii:

E

24 Fit itaque Conventus omnium, *b* Dominico die, in Ecclesia, quæ est in ipso castro sita, ab hora prima, Rege & suis secretius in Anselmum consilia sua studiose texentibus. Anselmus autem Episcopis, Abbatibus & Principibus, ad se à regio secreto vocatis, eos & assistentem monachorum, Clericorum, laicorum numerosam multitudinem, hac voce alloquitur: Fratres mei, filii Ecclesiæ Dei, omnes dico qui hic congregati estis in nomine Domini, precor intendite, & causæ, propter quam ventilandam adunati estis, pro viribus opem vestri consilii ferte. Quæ autem ipsa causa sit brevi, qui nondum pleniter audistis, si placet, audite. Verba quædam orta sunt inter Dominum nostrum Regem & me, quæ quamdam videntur dissensionem generare. Nam cum nuper licentiam adeundi Urbanum, Sedis Apostolicæ Præsulem, juxta morem antecessorum meorum pro Pallii mei adeptione ab eo postulassem, dixit se Urbanum ipsum pro Papa necdum suscepisse, & ideo nolle me ad eum illius rei gratia properare. Quin etiam ait, si eumdem Urbanum aut quemlibet alium sine mea electione & auctoritate in regno meo pro Papa suscipis, aut susceptum tenes; contra fidem quam mihi debes facis, nec in hoc me minus offendis, quam si Coronam meam mihi tollere conareris. Unde scias in regno meo nullum te participium habiturum, si non apertis assertionibus probavero te omnis obedientiæ subjectionem Urbano, de quo agitur, pro voto meo negaturum. Quod ego audiens, admiratus sum. Siquidem, Abbas eram, ut nostis, in alio regno, per misericordiam Dei conversatus ad omnes sine querela: nulla vero spe vel desiderio Pontificatus, sed quibusdam rationabilibus causis, quas nullatenus omittere poteram, in hanc terram sum venire coactus. Ipso autem Rege infirmato, omnes qui tunc aderatis ei, ut Matri suæ & vestræ scilicet Ecclesiæ Cantuariensi per institutionem Pontificis ante mortem suam consuleret, pro voto consuluistis. Quid dicam? Suscepto consilio, placuit illi & vobis in hoc opus eligere me. Objeci plurima, subducere me Præsulatui gestiens, nec

b

In conventu Episcoporum exponit

F

se Abbatem sub obedientia Urbani,

A nec acquievistis. Professus sum inter alia me hunc, de quo nunc querela ista conseritur, Urbanum pro Apostolico suscepisse, meque ab ejus subjectione quoad viveret vel ad horam discedere nolle; & qui ad hoc tunc temporis mihi contradiceret, nemo fuit. Sed quid? Rapuistis me & coëgistis onus omnium suscipere, qui corporis imbecillitate defessus meipsum vix poteram ferre. In quo facto putabatis forsan mihi ad votum servire: sed quantum illud desideraverim, quam gratum habuerim, quantum illo delectatus sim, dicere in præsenti quidem, cum nihil prosit, supervacuum æstimo. Verum ne quis in hac re conscientiam meam nesciens, scandalizetur in me: fateor, verum dico, quia salva reverentia voluntatis Dei, maluissem illa die, si optio mihi daretur, in ardentem rogum comburendus præcipitari, quam Archiepiscopatus dignitate sublimari. Attamen videns importunam voluntatem vestram, credidi me vobis, & suscepi onus quod imposuistis; confisus spe auxilii vestri, quod polliciti estis. Nunc ergo, ecce tempus adest, quo sese causa obtulit, ut onus meum consilii vestri manu levetis. Pro cujus consilii adeptione petivi inducias ab eo die, quo mihi præfata verba dicta sunt, in hunc diem; quatenus in unum convenientes, communi consilio investigaretis, utrumnam possim salva fidelitate Regis, B servare obedientiam Apostolicæ Sedis. Petivi, inquam, inducias, & accepi: & ecce gratia Dei adestis. Omnes itaque, sed vos præcipue Fratres & Coëpiscopi mei, precor & moneo, quatenus istis diligenter inspectis, studiosius, sicut vos decet, quo inniti queam, mihi consilium detis: ita ut, & contra obedientiam Papæ nihil agam, & fidem quam Domino Regi debeo non offendam. Grave siquidem mihi est Vicarium B. Petri contemnendo abnegare: grave, fidem, quam Regi me secundum Deum servaturum promisi, violare: grave nihilominus quod dicitur, impossibile mihi fore unum horum, non violato altero, custodire.

& ab ea nolle discedere protestans, tamen, raptum esse ad Episcopatum

& quærit quomodo ea salva possit obedire Regi,

25 Ad hæc Episcopi responderunt: Consilium quod à nobis petis, penes te est; quem prudentem in Deo ac bonitatis amatorem esse cognoscimus, & ob hoc in tam profunda re consilio nostro non eges. Verum si, remota omni alia conditione, simpliciter ad voluntatem Domini nostri Regis consilii tui summam transferre velles, prompta tibi voluntate, ut nobis ipsis, consuleremus. Attamen, si jubes, verba tua ipsi Domino nostro referemus, & cum audierimus quid inde sentiat, dicemus tibi. Annuit ipse, & fecerunt ut dixerant. Præcepit itaque Rex, C ut omnia in crastinum, quia dies Dominica erat, differrentur; & Anselmus ad hospitium suum, Curiam mane repetiturus, reverteretur. Factum est ita. Et mane, juxta condictum, reversi sumus. Itaque Anselmus, in medio Procerum & conglobatæ multitudinis sedens, ita orsus est. Si juxta quod à vobis, Domini Fratres, hesterno die consilium de præsenti causa petivi, vel nunc dare velletis, acciperem. At illi: Quod heri respondimus, modo respondemus: scilicet, si pure ad voluntatem Domini Regis consilii tui summam transferre volueris, promptum, & quod in nobis ipsis utile didicimus, à nobis consilium certum habebis. Si autem secundum Deum, quod ullatenus voluntati Regis obviare possit, consilium à nobis expectas, frustra niteris; quia in hujusmodi numquam tibi nos adminiculari videbis. Quibus dictis, conticuerunt, & capita sua, quasi ad ea quæ ipse illaturus erat, demiserunt. Tunc Pater Anselmus, erectis in altum luminibus, vivido vultu, reverenda voce ista locutus est. Cum vos, qui Christianæ plebis Pastores, & vos, qui populorum Principes vocamini, consilium mihi Principi vestro non nisi ad unius hominis voluntatem dare vultis; ego ad Summum Pastorem, & Principem omnium, ego ad magni consilii Angelum curram; & in meo, imo in suo & Ecclesiæ suæ negotio, consilium quod sequar ab eo accipiam. Dicitur beatissimo Apostolorum Petro, Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ Inferni non prævalebunt adversus eam: & tibi dabo claves regni cælorum, & quodcumque ligaveris super terram erit & in cælis ligatum, & quodcumque solveris super terram erit solutum & in cælis. Communiter etiam Apostolis omnibus. Qui vos audit, me audit; & qui vos spernit, me spernit, & qui tangit vos, sicut qui tangit pupillam oculi mei. Hæc sicut principaliter B. Petro, & in ipso ceteris Apostolis dicta accipimus, ita principaliter Vicario B. Petri, & per ipsum ceteris Episcopis, qui vices agunt Apostolorum, eadem dicta tenemus; non cuilibet Imperatori, non alicui Regi, non Duci, non Comiti. In quo tamen terrenis Principibus subdi ac ministrare debeamus, docet & instituit idem ipse magni consilii Angelus, dicens, Reddite quę sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo. Hæc verba, E hæc consilia Dei sunt. Hæc approbo, hæc suscipio, hæc nulla ratione exibo. Quare cuncti noveritis in communi, quod in his quæ Dei sunt, Vicario B. Petri obedientiam: & in his quæ terrenæ Domini mei Regis dignitati jure competunt, & fidele consilium, & auxilium pro sensus mei capacitate impendam. Finierat Pater in istis. Omnes igitur assidentes oppido turbati, cum festinatione & magno tumultu surrexerunt, turbationem suam confusis vocibus exprimentes, ut eos illum esse reum mortis una clamare putares. Conversique ad illum cum jurgio, Scies, inquiunt, nos hæc verba tua minime Domino nostro tua vice portaturos. Quibus dictis ad Regem reversi sunt.

suadentibus ut voluntati Regiæ cedat,

opponit se in his quæ Dei sunt, velle sequi consilium Vicarii S. Petri,

Matth. 16, 18

Luc. 10. 8

Zach. 2. 8

Matth. 22, 21

26 Quia ergo nemo, cui verba sua Regi deferenda tuto committeret, cum Anselmo remansit; ipsemet ad Regem ingrediens, quæ dixerat, viva voce innotuit, illicoque reversus est. Ad quæ Rex vehementer iratus, cum Episcopis atque Principibus intentissime quærere cœpit, quid dictis ejus objicere posset, nec invenit. Scandalizati ergo inter se ab invicé sunt in partes divisi, & hic duo, ibi tres, illic quatuor in unum consiliabantur, studiosissime disquirentes, si quo modo possent aliquod responsum contra hæc componere, quod & regiam animositatem deliniret, & prælibatas sententias Dei adversa fronte non im- F pugnaret. Solus inter hæc Anselmus, sedebat, tantum in innocentia cordis sui & in misericordia Domini Dei fiduciam habens. Adversariis vero ejus conciliabula sua in longum protelantibus, ipse ad parietem se reclinans, leni somno quiescebat. Facta itaque longa mora, redeunt Episcopi cum nonnullis Principibus à Rege, hæc viro dicentes: Vult Dominus noster Rex, omissis aliis verbis, à te sub celeritate sententiam audire, de his videlicet quæ inter illum & te dicta fuerunt apud Illingheham, unde petisti inducias in hunc diem respondendi. Res nota est, & expositione non indiget. Verumtamen noveris totum regnum conqueri adversum te, quod nostro communi Domino conaris decus Imperii sui, Coronam auferre. Quicumque enim Regiæ dignitatis ei cōsuetudines tollit, Coronā simul & Regnum tollit: unum quippe sine alio decenter haberi non posse probamus. Sed re cognita, rogamus te, & Urbani illius qui offenso Domino Rege nil tibi prodesse, nec ipso pacato tibi quidquam valet obesse, obedientiam abjice, subjectionis jugum excute, & liber, ut Archiepiscopum Cantuariensem decet, in cunctis actibus tuis voluntatem

idemque Regi per se dicit.

Iterum ab Episcopis urgetur ad Urbanum abjiciendum

AUCTORE EADMERO luntatem Domini Regis, & jussionem expecta: necnon, quod secus egisti, culpam agnosce; ac ut tibi ignoscat, voto illius in omni quod à te inde petierit sapientis more concurre: quatenus inimici tui, qui casibus tuis nunc insultant, visa dignitatis tuæ sublevatione, erubescant. Hæc, inquam, hæc rogamus, hæc consulimus, hæc tibi tuisque necessaria esse dicimus & confirmamus. Respondit: Quæ dicitis audio, sed, ut ad alia taceam, abnegare obedientiam Domini Papæ nullatenus volo. Jam dies declinat in vesperam; differatur si placet, in crastinum causa ista, quo tractans mecum, respondeam quod Deus inspirare dignabitur. *inducias respondendi negante Episcopo Dunelmen.* Suspicati ergo illum, aut quid diceret ultra nescire, aut metu addictum jam statim cœpto desistere, reversi ad Regem persuaserunt inducias nulla ratione dandas; sed causa recenti examinatione discussa, supremam, si suis acquiescere consiliis nollet, in eum mox judicii sententiam invehi juberet. Erat autem quasi Primus & Prolocutor Regis in hoc negotio Willelmus supra nominatus, Dunelmēsis Episcopus, homo[magis]linguæ volubilitate facetus, quam pura sapientia præditus; hujus quoque dissidii, quod inter Regem & Anselmum versabatur, erat auctor gravis, &
B incentor; Regiq; spoponderat se facturū, ut Anselmus aut Romani Pontificis funditus obedientiam abnegaret, aut Archiepiscopatui, reddito baculo & annulo, abrenuntiaret. Qua sponsione fretus Rex applaudebat sibi; sperans illum, vel abjurato Apostolicō, infamem remanere in regno suo; vel eodem retento, rationabiliter extorrem fieri à regno suo. Et ista quidē volebat propterea, quod omnē auctoritatem exercēdæ Christianitatis illi adimere cupiebat: nec enim regia dignitate integre se potitū suspicabatur, quamdiu aliquis in tota terra, vel etiam secundum Deum, nisi per eum quidquam habere (nota dico) vel posse dicebatur. Quam cordis illius voluntatē Dunelmensis intelligens, omni ingenio satagebat, si quo modo Anselmum calumniosis objectionibus fatigatum regno eliminaret, ratus, ut dicebatur, ipso discedente, se Archiepiscopatus solio sublimandum.

27 Cum igitur Regi persuasisset, quæsitas inducias Anselmo non esse dandas, comitatus quam pluribus, qui verba sua suo fulcirent testimonio, ad virum ingrediens, ait: Audi querimoniam Regis contra te. *& ad acerba hujus verba,* Dicit quod, quantum tua interest, eum sua dignitate spoliasti, dum Odonem Episcopum Ostiensem sine sui auctoritate præcepti Papam in sua Anglia facis, & sic spoliatum petis tibi inducias dare, quo possis eamdem spoliationem tuis adinventionibus
C justam esse demonstrare. Revesti eum primo si placet debita Imperii sui dignitate, & tunc demum de induciis age: alioquin noveris illum sibi ipsi odium Dei omnipotentis imprecari, nosque fideles ejus imprecationi ipsius conniventes acclamare, si vel ad horam inducias dederit, quas tibi in crastinum dari precaris. Quare jam nunc è vestigio ad Domini nostri dicta responde; aut sententiam tuæ vindicem præsumptionis dubio procul in præsenti experiere. Nec jocum existimes esse quod agitur, imo in istis magni doloris stimulis urgemur. Nec mirum: quod enim Dominus tuus & noster in omni dominatione sua præcipuum habebat, & quod eum cunctis Regibus præstare certum erat, hoc ei quantum in te est, inique tollis, tollens fidem; cum sacramentum quod ei feceras polluis, & omnes amicos ejus magna in hoc confusione involvis. *modeste respondens,* Audiens hæc Anselmus patienter sustinuit, moxque ad tantæ calumniæ nefas ita brevi respondit: Qui propterea quod venerabilis sanctæ Romanæ Ecclesiæ summi Pontificis obedientiam abnegare nolo, vult probare me fidem

D & sacramentum violare quod terreno Regi debeo, absit, & in nomine Domini me paratum inveniet ei sicut debeo & ubi debeo respondere. Quibus auditis, aspicientes sese ad invicem, nec invenientes quid ad ista referrent, ad Dominum suum reversi sunt. Protinus enim intellexerunt, quod prius non animadverterunt, nec ipsum advertere posse putaverunt, videlicet Archiepiscopum Cantuariensem à nullo hominum, nisi à solo Papa, judicari posse vel damnari; nec ab aliquo cogi pro quavis calumnia cuiquam, eo excepto, contra suum velle respondere. Ortum interea murmur est totius multitudinis, pro injuria tanti viri summissa inter se voce quærentis. Nemo quippe palam pro eo loqui audebat ob metum Tyranni. Verumtamen Miles unus de multitudine prodiens, viro astitit flexis coram eo genibus, dicens: *animatur à Milite,* Domine Pater, rogant te per me supplices filii tui, ne turbetur cor tuum ex iis quæ audisti: sed memor esto beati Job vincentis diabolum in sterquilinio, & vindicantis Adam, quem ipse vicerat in Paradiso. Quæ verba dum Pater comi vultu accepisset, intellexit animum populi in sua secum sententia esse. Gavisi ergo exinde sumus,
E & animæquiores effecti, confidentes juxta scripturam vocem populi, vocem esse Dei. Quid agam? Si minas, si opprobria, si contumelias, si mendacia viro objecta singulatim describere voluero, timeo nimius judicari. *Hinc paratus quidlibet pro Sede Apostolica pati,* Quæ tamen omnia pro fidelitate Apostolicæ Sedis æquanimiter sustinebat, & juvante Deo, invicta quæque ratione destruebat, ostendens potius in veritate sese consistere; atque in cunctis quæ negotii summa respiciebat, Deum auctorem habere.

28 Cum hæc omnia Rex agnovisset, usque ad divisionem spiritus sui exacerbatus, Episcopis dixit; Quid est hoc? Nonne mihi polliciti estis, quod eum omnino ad velle meum tractaretis, judicaretis, damnaretis? Cui Dunelmensis ita inprimis tepide & silenter per singula loquebatur, ut omnis humanæ prudentiæ inscius & expers putaretur: & adjecit, Nox est: jubeatur ad hospitium ire: & nos, jam plene agnita ratione sua, cogitabimus pro te, usque mane. Hinc ad Regis præceptum repetivimus hospitium nostrum. Mane autem reversi, sedimus in solito loco, expectantes mandatum Regis. At ille cum suis omnimodo perquirebat, quid in damnationem Anselmi componere posset, nec inveniebat. Requisitus Wilhelmus Dunelmensis, quid ipse, ex condicto, noctu egerit apud se; respondit nil rationis posse afferri ad enervationem rationis Anselmi, præsertim
F com omnis, inquit, ratio ejus innitatur verbis Dei & auctoritati B. Petri. Verum mihi violentia videtur opprimendus, & si Regiæ voluntati non vult acquiescere, ablato baculo & annulo, de Regno pellendus. *post inquisitiones varias* Non placuerunt hæc verba Principibus. Et ait Rex: Quid placet, si hæc non placent? Dum vivo parem mihi in regno meo utique sustinere nolo. Et si sciebatis eum tanto in causa sua robore fultum, quare permisistis me incipere placitum istud contra eum? Ite, consiliamini, quia per vultum Dei, si vos illum ad voluntatem meam non damnaveritis, ego damnabo vos. Ad quæ Robertus quidam, ipsi Regi valde familiaris, ita respondit: De consiliis nostris quid dicam, fateor, nescio. Nam cum omni studio per totum diem inter nos illa conferimus, & quatenus aliquo modo sibi cohæreant conferendo conserimus, ipse nihil mali econtra cogitans, dormit; & prolata coram eo, statim vno labiorum suorum pulsu quasi telas araneæ rumpit. Et vos, Episcopi mei, quid dicitis? Dixerunt, Dolemus quod animo tuo, Domine,

satis-

A *Episcopi jubente Rege illius obedientiæ & amicitiæ renunciant*

satisfacere non valemus. Primas est non modo istius Regni, sed & Scotiæ & Hiberniæ, necnon adjacentium Insularum, nosque Suffraganei ejus. Unde patet nos rationabiliter eum judicare vel damnare nullatenus posse; etiamsi aliqua culpa in eo, quæ modo non valet, posset ostendi. Ait: Quid igitur restat? Si eum judicare non potestis, nonne saltem omnis obedientiæ fidem ac fraternæ societatis amicitiam ei abnegare potestis? Hoc quidem, inquiunt, quoniam jubes, facere possumus. Properate igitur, & quod dicitis citius facite; ut cum viderit se à cunctis despectum & desolatum, verecundetur, & ingemiscat, se Urbanum, me Domino suo contempto, secutum. Et quo ista securius faciatis, En ego primum in imperio meo penitus ei omnem securitatem & fiduciam mei tollo, ac deinceps in illo vel de illo nulla in causa confidere, vel eum pro Archiepiscopo aut Patre spirituali tenere volo. Actis ex hinc pluribus ac diversis contra virum machinationibus, quæ ab incepta sui propositi norma eum avellerent, nec in aliquo proficientibus; tandem, sociatis sibi Abbatibus, Episcopi retulerunt Patri quod dixerat Rex, suam pro voto illius abnegationem, quam prælibavimus, ingerentes. Quibus ille respondens, ait: Quæ dicitis audio. Sed cum propterea quod

B

me ad B. Petri Principis Apostolorum subjectionem & fidelitatem teneo, mihi omnem subjectionem, fidem & amicitiam, quam Primati vestro & Patri spirituali debetis, abnegatis, non recte proceditis. Absit tamen à me, similem vobis vicem rependere. Verum fraternam paternamque vobis caritatem exhibens, nitar, si pati non refugitis, vos ut fratres ac filios sanctæ Matris Ecclesiæ Cantuariensis, ab hoc in quo lapsi estis trepido errore convertere, & per potestatem mihi à Domino datam ad viam rectitudinis revocare. Regi autem, qui mihi omnem in regno suo securitatem adimit, meque pro Archiepiscopo vel Patre spirituali habere se amodo nolle dicit, omnem cum fideli servitio securitatem, quantum mea interest, spondeo; & paterno more diligentem animæ illius curam, si ferre dignabitur, habebo; retenta semper apud me in Dei servitio potestate, nomine & officio Pontificatus Cantuariensis, qualicumque oppressione vexari contingat res exteriores.

29 Ad hæc ille respondit: Omnino adversatur animo meo quod dicit, nec meus erit quisquis ipsius esse delegerit. Quapropter vos, qui regni mei Principes estis, omnem fidem & amicitiam, sicut Episcopi fecerunt, ei denegate, quatenus appareat quid lucretur in ea fide, quam offensa voluntate mea servat Apostolicæ Sedi. Dixerunt: Nos numquam fuimus homines ejus, nec fidelitatem quam ei non fecimus abjurare valemus, Archiepiscopus noster est: Christianitatem in hac terra gubernare habet, & ea re nos qui Christiani sumus, ejus magisterium, dum hic vivimus declinare non possumus; præsertim cum nullius offensæ macula illum respiciat, quæ vos secus de illo agere compellat. Quod ipse repressa sustinuit ira, rationi eorum palam ne nimis offenderentur, contraire præcavens. Igitur Episcopi hæc videntes confusione vultus sui operti sunt; intelligentes omnium oculos in se converti, & apostasiam suam non injuste à cunctis detestari. Audires enim si adesses, nunc ab isto, nunc ab illo, istum vel illum Episcopum aliquo cognomine cum interjectione indignantis denotari; videlicet, Judæ proditoris, Pilati, vel Herodis horumque similium. Qui paulo post singulatim requisiti à Rege, utrum omnem subjectionem &

C *quod idem facere Principes recusant,*

ad Episcoporum verecundiam.

obedientiam, nulla conditione interposita, an illam solam subjectionem & obedientiam, quam prætenderet ex auctoritate Romani Pontificis, Anselmo denegassent; cum quidam uno, quidam alio modo se hoc fecisse responderent; hos quidem qui, nulla conditione interposita, funditus ei quidquid Prælato suo debebant se abjurasse professi sunt, juxta se sicut fideles & amicos suos honorifice sedere præcepit; illos vero qui, in hoc solo quod præciperet ex parte Apostolici, se subjectionem & obedientiam illi abnegasse, dicere ausi sunt, ut perfidos ac suæ voluntatis inimicos, procul in angulo domus, sententiam suæ damnationis ira permotus jussit præstolari. Territi ergo & confusione super confusionem induti, in angulum domus successerunt: sed reperto statim salubri & quo niti solebant domestico consilio, hoc est, data copiosa pecunia, in amicitiam Regis recepti sunt. Anselmus autem sciens omnem sibi in Anglia securitatem à Rege sublatam, mandavit ei dare sibi conductum, quo cum suis portum maris tuto petens, regno decederet, donec Deus tantæ perturbationi modum dignanter imponeret. Quo ipse audito gravi cordis molestia elanguit: nam licet discessum ejus summopere desideraret, nolebat tamen eum Pontificatus dignitate saisitum discedere; ne novissimum scandalum, quod inde poterat oriri, pejus fieret priore. Ut verò Pontificatu illum dissaisiret, impossibile sibi videbatur.

videm discedendi facultatem petenti

E

30 Turbatus itaque, & Episcoporum consilio, per quod in has angustias se devolutum querebatur, omisso, cum Principibus consilium init; quid facto opus esset inquisivit. Rogant illi quatenus vir cum summa pace moneatur ad hospitium suum redire; responsum Regis super petitione sua mane recepturus. Fit juxta verbum illorum, & perturbatis etiã Curialibus plurimis ad hospitium repedavimus. Rati sunt quippe hominẽ à terra discedere, & ingemuerunt. At ille lætus & alacer sperabat se perturbationes & onera seculi, quod semper optabat, transito mari, evadere. Cum igitur inter spem à regno discedendi, & metum in regno remanendi animus ipsius fluctuaret; ecce Principes à latere Regis mane directi, Rogat, aiunt, Dominus noster Rex te venire ad se. Adscendimus, ivimus, & supremam de negotio nostro sententiam avidi audire, in quo soliti eramus loco consedimus. Nec mora, veniunt ad Patrem nostrum Proceres regni, nonnullis Episcopis comitati, hæc ei dicentes. Antiqua tui amicitia moti dolemus, discordiam istam inter Dominum Regem & Te esse exortam. Quare cupientes in pristinam concordiam vos revocare, prævidimus in præsenti utile fore, inducias utrimque de negotio dari, quatenus hinc usque ad definitum aliquod tempus inter vos pace statuta, nec à te illi vel suis, nec ab eo tibi vel tuis quidquam fiat, quod concordiæ metas erumpat. Hoc inquam utile fore prævidimus, & volumus dicas, an velis in hoc adquiescere nobis. Respondit: Pacem atque concordiam non abjicio: verumtamen videor mihi videre, quid ista, quam offertis, pax habeat in se. Ne tamen ab aliquo judicer magis velle meo sensui quam aliorum in istis credere; concedo suscipere, quod Domino Regi & vobis placet pro pacis custodia secundum Deum statuere, salva semper apud me debita reverentia & obedientia Domini Vrbani Sedis Apostolicæ Præsulis. Probant dictum, & referunt ad Regis auditum. Dantur ergo induciæ usque ad octavas Pentecostes: ac Regia fide sancitur, quatenus ex utraque parte interim omnia, ut dictum erat, essent in pace. Et Rex, Si integritas, inquit, perfectæ pacis, istam quæ inter nos est controversiam, ante hunc terminum non sedaverit; omnino qualis

inducias cum Rege habendas persuadent.

F

eas ipse honesta conditione admittens,

AUCTORE EADMERO qualis hac die est, talis in præfinito termino induciarum definienda in medium revocetur.

31 His ita gestis, accepta à Rege licentia, ad suam Anselmus revertit Sedem, præsciens apud se pacem & inducias illas inane & momentaneum velamen esse odii & oppressionis mox futuræ. Quod in brevi postmodum patuit. Siquidem evolutis paucis diebus, Balduinum Monachum, in quo pars major consiliorum Anselmi pendebat, & duos Clericos ejus Rex ipse, præscripti dissidii caussa, ab Anglia pepulit, & Anselmum in hoc facto atroci mœroris verbere perculit. Quid referam Camerarium ejus, in sua camera, ante suos oculos captum? alios homines ejus injusto judicio condemnatos, deprædatos, innumeris malis afflictos? Et hæc omnia, infra dies induciarum & præfixæ pacis, regalis constantia fidei contra virum exercebat. Passa est igitur ea tempestate Ecclesia Cantuariensis in omnibus hominibus suis tam sævam tempestatem, ut fere universi conclamarent, melius sibi absque Pastore jam olim fuisse, quam nunc sub hujusmodi Pastore esse. A cujus tempestatis descriptione temperantes, modum præsenti volumini imponemus; caventes, ne prolixa fatuitas & fatua prolixitas orationis legentes vel audientes, si forte aliqui fuerint, nimio tædio afficiat.

& egressus Cantuariam interim suos affligi videt.

ANNOTATA.

a *Cœperat illud* Schisma sub S. Gregorio VII, *uti dicetur ad ejus diem Natalem 25 Maji, contra quem erat Wibertus Archiepiscopus Ravennas, agente Henrico Imperatore anno 1083 creatus, & Clemens dictus. At mortuo S. Gregorio successit ei Desiderius Abbas Casinensis, an. 1086 & Victor III dictus: cui successit anno 1088 Odo Episcopus Ostiensis, Vrbanus II appellatus.*

b *Dominica 5 Quadragesimæ, quæ vulgo Dominica Passionis dicitur, incidit anno 1095 in diem V Idus Martii citatum, id est mensis prædicti diem XI ac dein Pascha fuit celebratum 25 ejusdem Martii, littera Dominicali G.*

c *Festum Pentecostes, eodem anno, in diem 13 Maji cadebat.*

LIBER II.

CAPUT I.

Pallium Roma delatum & assumptum. Pax coalita cum Rege. Episcopi Angli & Hiberni Ordinati.

Cum datarum dies induciarum præstolaretur, & hinc inde fides utrorumque, Willielmi videlicet Regis & Anselmi Archiepiscopi, certis indiciis panderetur; Regis scilicet, omnia quæ spoponderat in contrarium pervertendo; & Pontificis, sua sponsione servata patienter irrogatas injurias perpetiendo; a Albanensis Episcopus b Walterus nomine, ab Urbano Sedis Apostolicæ Præsule Roma missus, Angliam venit, adducentibus eum duobus Clericis Girardo scilicet & Willielmo, qui de capella Regis erant. Siquidem ipse Rex, ubi sensit Anselmum suæ voluntati in præscripto negotio nolle obtemperare; clam & Anselmo ignorante, eosdem Clericos Romam miserat, Romanæ statum Ecclesiæ per eos volens certo dignoscere. Erant namque Romæ in illis diebus, sicut prædiximus, duo Pontifices, qui à diversis Apostolici nuncupabantur, sed quis eorum canonice, quis secus fuerit institutus, ab Anglis usque id temporis ignorabatur. Scire itaque veritatem hujus rei Romam missi sunt hi duo Clerici, eaque cognita, jussi sunt sacris promissionibus illectum ad hoc, si possent, Papam perducere, ut ipsi Regi ad opus Archiepiscopi Cantuariensis pallium, tacita persona Anselmi, destinaret: quod ipse Rex, Anselmo à Pontificatu simul & regno dejecto, cui vellet cum Pontificatu vice Apostolici postmodum daret. Hoc quippe disposuerat apud se: hoc suspicatus est, non injuria sibi concedi posse: hoc indubitato fieri promittebat opinioni suæ.

a b Episcopus Albanensis ab Vrbano Papa missus in Angliam

2 Præfatus ergo Episcopus Angliam veniens, secum Archiepiscopatus stolam, Papa mittente, clanculo detulit; & silenter Cantuaria civitate pertransita, Anselmoq; devitato, ad Regem properabat; nulli de pallio quod ferebat quidquam dicens, nullum in absentia ductorum suorum familiariter alloquens. Rex deniq; præceperat ita fieri, nolens mysterium consilii sui publicari. Ille igitur cum nonnullis diebus Pentecostes ad Regem venisset, & ei ad singula quæ suæ voluntati accepta fore didicerat, bonæ spei fiducia respondisset; nil penitus ipsi pro Anselmo locutus est, quod pacem inter eos conciliaret, quod tribulationes in quibus pro fidelitate Sedis Apostolicæ desudabat mitigaret, quod eum ad sublevandum in Anglia Christianæ Religionis cultum roboraret. Super quo multi, qui prius, ex adventu ipsius, magni spe boni tenebantur, oppido admirati, Papæ! inquiunt, quid dicemus? Si aurum & argentum Roma præponit justitiæ, quid subventionis, quid consilii, quid solaminis ibi deinceps in sua oppressione reperient, qui pro adipiscenda suæ causæ rectitudine non habent quod dent?

Legatus neglecto S. Anselmo defert pallium ad Regem,

3 Sentiens itaque Rex Episcopum ex parte Urbani cuncta suæ voluntati convenientia nuntiare, & ea, si ipsum Vrbanum pro Papa in suo regno susciperet, velle Apostolica auctoritate sibi dum viveret in privilegium promulgare: acquievit placito, præcipiens Vrbanum in omni imperio suo pro Apostolico haberi, eique vice B. Petri in Christiana religione obediri. Egit post hæc quibus modis poterat ipse Rex cum Episcopo, quatenus Romani Pontificis auctoritate Anselmum ab Episcopatu, regali potentia fultus, deponeret, spondens immensum pecuniæ pondus ei & Ecclesiæ Romanæ singulis annis daturum, si in hoc suo desiderio satisfaceret. Verum cum id nulla ratione fieri posse, docente Episcopo, didicisset; deficiebat animo, reputans apud se nihil in requisitione vel susceptione Romani Antistitis se profecisse. Attamen immutabile considerans quod factum fuerat; consilio cum suis inito quærebat, qualiter, servata singulari celsitudinis suæ dignitate, viro saltem specietenus amorem suum redderet, cui crudeliter iratus nihil poterat cupitæ damnationis pro voto inferre.

qui declarat Vrbanum verum Papam,

sed nil impetrat depositionem S. Anselmi;

4 Instante igitur die, in quem induciæ datæ sunt inter ipsos, mandatum est Anselmo, tunc in villa sua quæ Murtelac dicitur consistenti, & ibi solennitatem Pentecostes celebranti, quatenus ad aliam villam suam, quæ Heisa vocatur, accederet; ubi Nuntii Regis, curiam suam in ipsa festivitate apud Windlesoram tenentis, ad eum venire, & verba Regis illi, & illius possent Regi deferre. Ivimus ergo illuc: & sequenti die veniunt ad illum pene omnes Episcopi Angliæ, qui præmissa pace sui, pedetentim explorare aggressi sunt, utrum aliquo modo illum ad hoc illicere possent, ut ipse jam tot ac tantis adversitatibus actus, vel tunc, data pecunia, Regis amicitiam sibi conciliaret. Ad quod cum illum more solito inflexibilem reperissent, tandem hujuscemodi quæstibus eum interpellare destiterunt, subjungentes hæc: Si ergo pro adipiscenda amicitia ipsius nil de tuis dare vis, dic, rogamus te, compendioso ac simplici verbo, quid velis? Ait: Dixi vobis jam, quod numquam Domino meo hanc contu-

His vero, nolens pecuniam Regi pro reconciliatione dare,

A contumeliam faciam, ut facto probem amicitiam ejus esse venalem. Sed si me, sicut debet, Patrem suum vult gratis diligere, & ut, more Archiepiscopi Cantuariensis sub obedientia Domini Papæ Urbani in Anglia vivam, permittere, gratiose suscipiam; eique pace ac securitate potitus, sicut Domino & Regi meo fideliter & opportune deserviam. Si hoc non vult, scitis quod in hunc diem convenit inter nos. Det scilicet mihi conductum, donec ad mare perveniam, & postmodum quod intelligam me facere debere, faciam. Nihilne nobis, inquiunt, aliud dices? Refert: Hinc, nihil. Dominus Papa Urbanus, aiunt, rogatu Domini nostri Regis, stolam illi Archiepiscopatus per Episcopum, qui de Roma venit, direxit. Tuum igitur erit considerare, quid tanto beneficio dignum Regi rependas: quod enim, sine multis periculis magnoque labore atque constamine, obtinere non posses; ecce nullo interveniente gravamine, si in te non remanserit, habes. Sensit in his Anselmus nimis implicitum negotium actitatum contra se, & anxiatus spiritu dixit: O beneficium! cujus æstimatio quænam sit apud me, novit Dominus, inspector conscientiæ meæ. Dixerunt; Quomodocumque facti hujus executio sedeat animo tuo, laudamus & consulimus, ut saltem quod in via expenderes, si pro hoc Romam ires, Regi des; ne, si nihil feceris, injurius judiceris. Nec hoc quidem, ait, nec omnino hujus rei gratia quidquam illi dabo vel faciam. Ad nihilum tenditur, Sinite. Præterea quæ quantave super istis facta sunt, enarrare piget.

ac ne pro Pallio quidem Roma allato,

B

tandemque gratis admissus,

5 Post quæ omnia Rex, ut diximus, Principum suorum consilio usus, posthabita omnis præteriti dissidii causa, Anselmo gratiam suam gratis reddidit; &, quemadmodum Patrem regni spiritualem & Episcopum Cantuariensem, quod sui officii foret, illum quaque per Angliam exercere concessit. Quod cum Pater gratiosus accepisset, & donatis hinc inde retroactis querelis, curiæ illius apud Windlesoram se præsentasset, ac familiari alloquio in conspectu Procerum & coadunatæ multitudinis ipsum detinuisset; ecce Walterus ille Romanus advenit: ingressusque, En, inquit, alludens, quam bonum & quam jucundum habitare fratres in unum. Et sedens, de pace quædam ex Dominicis verbis protulit, laudans eam inter illos revixisse, quam verecundabatur sua industria satam in eis non fuisse.

C

pallium de manu Regis suscipere renuit;

6 Cum autem de Pallii susceptione ageretur, & quidam pro captanda Regis gratia virum ad hoc ducere molirentur, ut, pro regiæ Majestatis honorificentia, illud per manum Regis susciperet, non acquievit; rationabiliter ostendens hoc donum, non ad regiam dignitatem, sed ad singularem B. Petri pertinere auctoritatem. Unde cum omnes silentio pressi conticuissent, statutum est, ut à quo Pallium in Angliam delatum est, ab eodem Cantuariam super Altare Salvatoris deferretur, & inde ab Anselmo, quasi de manu B. Petri, pro summi, quo fungebatur, Pontificatus honore, sumeretur. Acquievit istis multitudo omnis: & in quo ita fieret, præfixus est dies.

Episcopos quosdam reos absolvit.

7 Post hæc, Anselmum à Curia discedentem secuti sunt Episcopi duo Robertus *d* Herefordiensis, & Osmundus *e* Serberiensis, pœnitentiam apud illum agentes, pro culpa suæ abnegationis, quam cum aliis Coëpiscopis suis fecerant apud Rochinghenham. Qui misertus eorum, absolvit eos in quadam ecclesiola, quæ se nobis obtulit ambulantibus proposita via. Ibi etiam Wilfrido *f*, Episcopo Sancti David de Gualis, qui vulgo Dewi vocatur, ipsa hora reddidit Episcopale officium; à quo, exigente culpa ejus, jam antea ipsemet illum suspenderat.

Deinde Doroberniam properavimus, illuc adventum Romani Episcopi præstolaturi. Qui Episcopus, juxta condictum, die dominica, *g* quæ erat quarto Idus Junii, venit, pallium in argentea capsula decentissime deferens. Itumque est obviam à monachis, in ipsa metropoli Sede Domino Christo famulantibus, associato sibi Fratrum Conventu, vicinæ beatorum Apostolorum Petri & Pauli Abbatiæ, cum numerosa Clericorum necnon immensa laicorum diversi sexus ætatisque multitudine. Pater etiam ipse, Episcopis, qui ob hoc Cantuariam venerant, dextera levaque stipatus ac sustentatus, sacro beati Apostolorum Principis muneri nudis pedibus, sed indutus sacris vestibus, devotus occurrit. Tali devotionis cultu, pallium super altare delatum, ab Anselmo assumptum est, atque ab omnibus pro reverentia S. Petri suppliciter deosculatum. Indutus eo Pontifex dehinc summus, ad celebranda Missarum solennia, magno cum honore adductus, altario præsentatur: ad quam Missam recitata est pro officio ipsius diei illa Evangelii lectio, quam in consecratione ejusdem Pontificis diximus super verticem ejus inventam, hoc est, Homo quidam fecit cœnam magnam, & vocavit multos; & misit servum suum hora cœnæ dicere invitatis ut venirent; quia jam parata sunt omnia. Et cœperunt simul omnes excusare, &c. Quod sic evenisse nonnullis admirationi fuit, præsertim cum hoc, nullo præmeditante, nullo præordinante constiterit actum. Attamen quid quidam inde dixerint, quid *h* præconati fuerint dicere supersedemus. Verum ex his quæ pro rerum gestarum veritate suo loco, adjuvante Deo, dicemus, palam erit videre, ipsa verba Domini, nec primo in consecratione ejus super eo, casu occurrisse; nec secundo in confirmatione ipsius consecrationis coram populo, incassum lecta fuisse.

g

Pallium altari impositum accipit;

E

h

9 Revocato post hæc prædicto Balduino in Angliam, & rebus aliquanta pace sopitis, venit ad Anselmum quidam monachus cœnobii S. Albani, natione Hibernensis, nomine Samuel. Hic defuncto bonæ memoriæ Donato *i* Dublinæ Civitatis Episcopo, à Rege Hiberniæ *k* Murierdach nomine, necnon à Clero & populo in Episcopatum ipsius civitatis electus est, atque ad Anselmum, juxta morem antiquum, sacrandus cum communi decreto directus. Quorum electioni & petitioni Anselmus annuens, hominem aliquamdiu secum honorifice detentum, necnon qualiter in domo Dei conversare deberet diligenter instructum, sumpta ab eo de Canonica subjectione sua ex antiquo more professione, promovit in Episcopatus officium Wintoniæ, octava die subsequentis Paschæ *l*, ministrantibus sibi in hoc officio quatuor Episcopis suffraganeis suis. Qui novus Pontifex, tanti Principis benedictione ac literarum, præfato Regi, Clero quoque ac plebi Hiberniæ pro testimonio suæ consecrationis scriptarum, astipulatione roboratus, in patriam suam cum gaudio revertitur, atque in Sedem suam cum honore pro usu suscipitur terræ.

consecrat Episcopum Dublinensem;

i

k

F

l

10 Eodem, hoc est tertio, anno Pontificatus Anselmi, electus est Samson ad Episcopatum Ecclesiæ Wigornensis, & Girardus *m*, ad regimen Ecclesiæ Herefordensis. Qui cum ad summum promovendi Sacerdotium ad Anselmum pro more venissent, necdumque omnes inferiores Ordines habuissent; ordinavit eos pro instanti necessitate, ad Diaconatum & Presbyteratum unum, & alium ad Presbyteratum, in Sabbato jejunii quarti mensis, in Villa S. Andreæ de Roveceстra, *r* quæ prope Lundoniam sita, *n* Lambeta vocatur. In crastino autem sacravit eos Lundoniæ in Sede Episcopali ad Pontificatus

item 3 anno Pontificatus Episcopos Wigorniensem & Herefordensem,

m

n

AUCTORE EADMERO

tificatus honorem, ministrantibus sibi in hoc quatuor Suffraganeis suis, Thoma videlicet Archiepiscopo Eboracensi, Mauricio Episcopo Lundoniensi, Roberto Tydfordensi seu Norwicensi, & Gundulpho Roffensi.

Regi discessuro in Normanniam,

11 Eo tempore Robertus Comes Normanniæ in expeditionem Hierosolymitanam proficisci disponens, Fratri suo Willielmo Regi Angliæ, Normanniam spatio trium annorum pecuniæ gratia in dominium tradidit: quæ pecunia per Angliam partim data, partim exacta, totum regnum in immensum vastavit. Nihil Ecclesiarum ornamentis in hac parte indulsit dominandi cupiditas, nihil sacris altarium vasis, nihil reliquiarum capsis, nihil Euangeliorum libris auro vel argento paratis. Conventus est & Anselmus per id temporis, & ut ipse quoque manum auxilii sui in tam rationabili causa Regi extenderet, à quibusdam suis est amicis admonitus. Intellexit ille & rationis esse & honestatis hoc facere, sed propriarum rerum tenuitate constrictus, unde expleret, quod faciendum fore videbat, non habebat. Usus igitur consilio magnorum virorum, Walchelini videlicet Wentani Pontificis, & Gundulphi Roffensis, necnon aliorum, quorum in hujusce negotiis consilio par credi judicabatur; de thesauro Ecclesiæ Cantuariensis, partim in auro partim in argento, valens ducentas [libras] argenti, connivente majori parte conventus, accepit, quod præfato Regi, cum illis quæ de suis habere poterat, pro instanti necessitate, ut rebus consuleret, pariter contulit. Verum in hoc facto nullum successoribus suis, quod imitarentur exemplum relinquere volens, mox Dominicam villam suam quæ Pecchehami vocatur, spatio septem annorum ejusdem Ecclesiæ juri concessit, quatenus ex redditibus ipsius villæ, qui circiter triginta libræ denariorum illis diebus erant, illatum Ecclesiæ damnum restitueretur. Et quidem eodem spatio ipsa Ecclesia eadem villa potita est; & silva, & villæ, & toti redditus ejus in novo opere, quod à majori turre in orientem tenditur, quodque ipse Pater Anselmus inchoasse dignoscitur, consumpta sunt. Hæc ex gestæ rei veritate proponimus, ut ora obloquentium qui usque hodie Anselmo deprædatæ Ecclesiæ crimen intentant, si fieri potest, obturemus; optantes quatenus tanto viro detrahere desinant, ne quo se, quod sibi non prosit, peccati vulnere lædant. Ipso quoque tempore, eamdem Ecclesiam res suas, in majori quam solebat libertate, sua sanctione deinceps possidere constituit; & alia quædam, quæ antecessores ejus in dominio suo tenebant ipsi Ecclesiæ perpetuo jure possidenda concessit. His brevi per excessum, sed, ut reor, non superflue dictis, ad quod cœpimus revertamur. Igitur pacto inter Fratres, Regem videlicet Willielmum & Comitem Robertum, de præfato negotio facto, Willielmus mare transiit, & traditam sibi à Roberto Normanniam suæ ditioni subegit.

de thesauro Ecclesiæ, obtulit aliquam summam:

B

donans vicissim ecclesiæ villam suam cum nonnullis aliis:

C

Rogatus Episcopum Watefordiæ statuere,

o p

12 Quo cum demoraretur, Rex Hiberniæ, Murchertachus nomine, & o Dosnaldus Episcopus cum ceteris Episcopis, & quique Nobiles cum Clero & populo ipsius Insulæ, miserunt nuntios ac litteras ad Anselmum, innotescentes ei civitatem quamdam, p Watafordiam nomine, in una suarum Provinciarum esse, cui ob numerosam civium multitudinem expediret Episcopum institui; simulque petentes, quatenus ipse, Primatus quem super eos gerebat potestate, & qua fungebatur vicis Apostolicæ auctoritate, sanctæ Christianitati ac necessariæ plebium utilitati instituendo eis Pontificem subveniret. Jam enim secula multa transierant, in quibus eadem civitas absque providentia & cura Pontificali consistens, per diversa tentationum pericula jactabatur. Elegerant autem idem ipsi in hoc officium quemdam suæ gentis virum, vocabulo Malchum, eumque sacrandum cum communi Decreto ad Anselmum transmiserunt. Decretum autem hoc est.

D

per epistolam ab Hibernis Rege & Episcopis missam,

q 13 Anselmo Dei gratia Anglorum Archiepiscopo, Clerus & populus oppidi Watafordiæ, cum Rege Muchertacho & Episcopo Dosnaldo, salutem in Domino. Pater sancte, cæcitas ignorantiæ nos diu detrimenta salutis nostræ sustinere coëgit, quod magis elegimus serviliter Dominico jugo colla subtrahere, quam liberaliter Pastorali obedientiæ subesse. Nunc autem quantum proficiat Pastorum causa agnovimus, cum aliarum rerum similitudines ad mentem revocamus, quia sine regimine, nec exercitus bellum, nec navis marinum audet attentare periculum. Navicula ergo nostra, mundanis dedita fluctibus, sine Pastore contra callidum hostem qua ratione pugnabit? Propterea nos Rex noster Murchertachus, & Episcopus Dosnaldus, & Dermeth Dux noster frater Regis, eligimus hunc Presbyterum Malchum, Walkelini Wintonensis Episcopi monachum, nobis sufficientissime cognitum, natalibus & moribus nobilem, Apostolica & Ecclesiastica disciplina imbutum, fide Catholica prudentem, moribus temperatum, vita castum, sobrium, humilem, affabilem, misericordem, litteratum, hospitalem, suæ domui bene præpositum, non neophytum, habentem testimonium bonum in gradibus singulis. Hunc nobis petimus à vestra Paternitate ordinari Pontificem, quatenus regulariter nobis præesse valeat & prodesse, & nos sub ejus regimine salubriter Domino militare possimus. Ut autem omnium nostrorum vota in hanc electionem convenire noscatis, huic Decreto Canonico promptissima voluntate singuli manibus propriis roborantes subscripsimus. Ego Murchertachus Rex Hiberniæ subscripsi. Ego Dermeth Dux, frater Regis subscripsi. Ego Dosnaldus Episcopus SS. Ego Idunan Episcopus Midiæ SS. Ego Samuel Dublienensis Episcopus SS. Ego Ferdomnachus Laginiensium Episcopus SS. Subscripserunt his multo plures, quos nos brevitati studentes, notare non necessarium duximus.

cum Malcho Presbytero:

E

mundanis dedita,

14 Igitur Anselmus, considerans & intelligens eos justa & utilia petere, petitioni eorum libens annuit. Electum ergo Pontificem, diligenter in his quæ sacra iubet auctoritas examinatum, ac multorum cum vitæ suæ testimonio, dignum Episcopatu comprobatum, sumpta ab eo ex more de subjectionis suæ obedientia professione, sacravit eum Cantuariæ quinto Kal. Januarii; assistentibus & cooperantibus sibi in hoc ministerio suo, duobus Episcopis suis, Radulfo scilicet Cicestrensi, & Gundulpho Roffensi.

F

ANNOTATA.

a Albanensis *Ecclesiæ* Episcopus *unus ex septem collateralibus, Summo Pontifici propriori dignitatis gradu subservit.*

b Waltero *huic Legato Cardinali, tunc in Anglia existenti, binas scripsit S. Anselmus apud Raynaudum lib. 3, epistola 25 & 26.*

c *Teutonice* Kosten, *Gallis* Couster; *barbare* Constare *dicitur: hinc* Constamen, *expensæ & sumptus faciendi.*

d *S. Wulstano carissimus fuit hic* Robertus Herifordiensis, *ab eoque, anno 1097 mortuo, etiam ipse admonitus de propinqua morte sua, hoc suo lapsu declaravit quam sit difficile, non aliquando lædi eum, qui pendet ab aula.*

e Alias

A e *Alius* Sarisburiensis *sive* Sherbornensis: *colitur autem* Osmundus *ut* Sanctus 3 *Decembris. Ceteri autem novemdecim, qui sui Archiepiscopi obedientiæ renuntiaverant, ubi sunt? Hi scilicet duo viri sancti, primum emendandæ noxæ occasionem cupide amplexi sunt; ceteri quam parum curarent censuram commeritam, ipso absolutionis petendæ neglectu palam fecere.*

f *Hunc* Wilfridum Menevensem *in Wallorum Annalibus* Griffri *appellatum scribit Godwinus de Episcopis Angliæ: obiit anno* 1115: *de ejus absolutione quid censuerit Paschalis 2 indicatur infra lib.* 3 *num.* 17.

g *Anno supra indicato* 1095, *littera Dominicali* G.

h Præconare, *pro* prædicare *seu præconia voce edicere, dixere labenti Latinitate Hieronymus aliique: postea* Præconari *invaluit in eadem significatione: ac tandem hic eam vocem usurpatam invenis pro*, præsagire.

i Donato Dublinensi *Episcopo constituto postmodum scripsit epistolam* 72, *eumque reprehendit, quod* libros & vestimenta & alia ornamenta ecclesiæ (quæ Dominus Lanfrancus Archiepiscopus dedit avunculo ejus, Domino Douato Episcopo, ad opus Ecclesiæ, cui tua fraternitas præsidet) tu pro voluntate tua exponis, & ea extraneis das. *Traditur Donatus anno* 1085 *à Lanfranco ordinatus, obiisse anno* 1095. *Ne-*

B *pos autem ejus Samuel obiit, juxta Waraum an.* 1121.

k *Huic Regi* Murierdach *aliquot epistolas scripsit S. Anselmus; & inscribit* Muriardacho, glorioso Regi Hiberniæ.

l *Anno scilicet* 1096, *die* 20 *Aprilis.*

m *Additur in excuso, cujus supra meminimus: sed nulla uspiam mentio Giraldi tota historia procedenti: ergo sic corrige*, & Giraldus [nepos Walkelini Wentani Episcopi] cujus supra meminimus. *num.* 14. *Hic anno* 1101 *promotus est ad Archiepiscopatum Eboracensem.*

n Lambeta *Notum adhuc nomen trans Tamesin, in* Surreja *sive Australi ripa, secundo ab urbe milliario. Alia plura dominia, ut* Rochingeham, Ilingheham, Sæftesberia, *quæ jam ante occurrerunt, & plura secutura, potuissent designato locorum situ explicari; si opera pretium visum esset eorum causa totas Anglici Regni tabulas perlustrare; & esset qui exoleta jam nomina, ubi requirenda sint, indicaret. Poterit postea curiosior aliquis hunc defectum supplere.*

o Imo Domnaldus, *Episcopus Ardmachanus & Hiberniæ Primas, ab anno* 1091 *ad an.* 1105, *quo obiit juxta Colganum in indice Chronoleg. ad Triadē Sanctorū.*

C p *Rectius* Waterfordia, *sub Casseliensi Archiepiscopo urbs Episcopalis in Momonia, propter portum commoditatem hodie post Dublinium fere prima Hiberniæ, ad Siurii fluminis ostium.*

CAPUT II.

Novum odium Regis. Discessus in Gallias.

Novum odium Regis incurrit, quasi milites non aptos submisisset:

15 Post hos dies Rex, Normannia sibi ad votum subacta atque disposita, Angliam redit, ac interposito parvi temporis spatio, super Walenses, qui contra eum surrexerant, exercitum ducit, eosq; post modicum in deditionem suscipit, & pace undiq; positus est. Sed quid? Cum jam multi sperarent, quod hæc pax servitio Dei deberet militare, & attenti exspectarent aliquid magni pro emendatione Christianitatis, ex Regis assensu Archiepiscopum promulgare; ecce spei hujus & expectationis turbatorias litteras Rex, à Gualis reversus, Archiepiscopo destinat, mandans in illis se pro militibus, quos in expeditionem suam miserat, nullas ei nisi malas gratias habere; eo quod nec convenienter, sicut aiebat, instructi, nec ad bella fuerant pro negotii qualitate idonei: præcepitq; ut paratus esset de his, juxta judicium Curiæ suæ, sibimet rectitudinem facere, quandocumq; sibi placeret inde eum appellare. Ad quæ Anselmus, Exspectavimus, inquit, pacem & non est bonum; tempus curationis & ecce turbatio. Licet enim jam olim sciverit se, eodem Rege superstite, in Anglia Christo non adeo fructificaturum; tamen quod rogatus de subventione Christianitatis nonnumquam solebat respondere, se propter hostes, quos infestos circumquaque habebat, eo intendere non valere; jam tunc illum pace potitum cogitaverat super hac re convenire, & saltem ad consensum alicujus boni fructus exequendi, quibus modis posset attrahendo, delinire. Sed ne cordis ejus affectus perveniret ad effectum, orta est instinctu maligni, quam dixi, causa dissidii, utique non ex rei veritate producta, sed ad omnem pro Deo loquendi aditum Anselmo intercludendum malitiose composita. Quod ille dignoscens, & insuper cuncta regalis Curiæ judicia pendere ad nutum Regis, nilque in ipsis nisi solum velle illius considerari certissime sciens; indecens æstimavit pro verbi calumnia placitantium more contendere, & veritatis suæ causam Curiali judicio, quod nulla lex, nulla æquitas, nulla ratio muniebat, examinandam introducere. Tacuit ergo, nec quidquam nuntio respondit; reputans hoc genus mandati ad ea perturbationum genera pertinere, quæ jam olim sæpe sibi recordabatur illata, & ideo hoc solum ut Deus talia sedaret, supplici corde precabatur. Præterea videns ecclesias & monasteria solito intus & extra suis rebus spoliari, omnem in eis religionem exterminari, quosq; secularium tam majores quam minores corruptæ vitæ semitas tenere, multa mala ubique fieri, & ista de die in diem cessante disciplina multiplicari roborarique; verebatur ne hæc Dei judicio sibi damno fierent, si quibus modis posset eis obviare non intenderet. Sed obviare sibi impossibile videbat, quod totius regni Principem, aut ea facere aut eis favere, perspicuum erat. Visum itaque sibi est auctoritatem & sententiam Apostolicæ Sedis super his oportere inquiri.

AUCTORE EADMERO

& videns officiales curiæ corruptos, tacet:

decernit Romæ remedium quærere:

16 Cum igitur in a Pentecoste, festivitatis gratia, Regiæ Curiæ se præsentasset, & modo inter prandendum, modo alias, quemadmodum oportunitas se offerebat, statum animi regalis, quis erga colendam æquitatem esset, studiose perquisisset, eumq; qui olim fuerat omnimodo reperisset; nihil spei de futura ipsius emendatione in eo ultra remansit. Peractis igitur festivioribus diebus, diversorum negotiorum causæ in medium duci ex more cœperunt. Quærebatur etiam quo ingenio prælibata causa contra Anselmum sic ageretur, ut culpæ addictus, aut ingentem Regi pecuniam penderet, aut ad implorandam misericordiam ejus caput amplius non levaturus, se totum impenderet. Interea Anselmus, accersitis ad se quos volebat de Principibus Regis, mandavit per eos Regi, se summa necessitate constrictum velle, per licentiam ipsius, Romam ire. Ad quod ille stupefactus, Nequaquam, ait. Nec enim illum alicui tali peccato obnoxium credimus, ut necesse habeat inde singularem Apostolici absolutionem petere; nec ita cujuslibet consilii expertem, ut non magis illum sciamus Apostolico, quam Apostolicum sibi, in dando consilio posse succurrere. Relata sunt Anselmo hæc, & respondit: Potestas in manu sua est, dicit quod sibi placet. At si modo non vult concedere, concedet forsitan alia vice: ego preces multiplicabo. His pro licentia dictis, statim omnis commentatio implacitandi Anselmum compressa, omissa est, & nos immunes ab illa querela Curia discessimus.

E

F

sed facultatē eundi non impetrat:

17 In sequenti autem mense Augusto, cum de statu Regni acturus Rex, Episcopos, Abbates, & quosque Regni Proceres in unum præcepti sui sanctione egisset; & dispositis his quæ adunationis illo-

idem petens iterum,

AUCTORE EADMERO

iterumque patitur repulsam,

illorum causæ fuerant, dum quisque in sua repedare fategisset, Anselmus cœptæ petitionis suæ non immemor, rogavit Regem, quatenus quæsitam jam olim licentiam, vel tunc, repetitis precibus, non negaret. Sed secundo negat, sicut primo negarat. Postea conventu soluto, in Mense Octobri, Wintoniæ ad Regem ex condicto venimus. Instantius itaque tam per se quam per alios, Regem Pontifex orat, quatenus bono animo sibi concedat, quod se jam tertio postulare necessitas sua cogebat. Hinc ille tædio affectus iraque permotus, ait: Conturbat me, & intelligentem non concedendum fore quod postulat, sua graviter importunitate fatigat. Quapropter jubeo ut amplius ab hujusmodi precibus cesset: & qui me jam sæpe vexavit, prout judicabitur, mihi emendet. Ad hæc ille: Paratum me potius sciat ratione ostendere quod justa peto, & quod ipse mihi in his non debeat juste contradicere. Respondit: Rationes suas non admitto; sed si iverit, pro certo noverit, quod totum Archiepiscopatum in dominium meum redigam, nec illum pro Archiepiscopo ultra recipiam. Orta est igitur ex his quædam magna tempestas, diversis diversæ parti acclamantibus. Quamobrem quidam permoti, suaserunt in crastinum rem differri, sperantes eam alio modo sedari. Assensum est utrimque in istis, & divisi hospitium ivimus. Mane autem regressi, cum in loco apto sedissemus; ecce quidam Episcopi, cum nonnullis Principibus, ad Anselmum venientes, sciscitati sunt, quid secum ab heri de causa tractaverit. Dixit: Non ea re concessi causam, de qua agitis, hesterno induciari, quasi ignoraverim quid hodie inde responsurus fuerim; sed ne viderer tantum meo sensui credere, ut nec una nocte ad sui discussionem dignarer aliorum consilio cedere. Nunc ergo sciatur, quod in sententia qua fui, sum; & ideo precor Dominum meum, quatenus bona mente & alacri vultu, ut eum decet, mihi licentiam quam postulo det; indubitanter sciens, quod causa meæ salutis, causa sanctæ Christianitatis, & vere causa sui honoris ac profectus, si credere velit, ire dispono. Dixerunt: Si alia quæ dicas habes, profer. De licentia nempe supervacue loqueris. Non dabit. Si dare, ait, non vult, ego utique illam super me accipiam; eo quod scriptum est, Obedire oportet Deo magis quam hominibus. Ad hæc Walchelinus Wentanus Episcopus, aspiciens in eum, dixit; Et quidem Dominus meus Rex & Proceres sui credunt te esse hujusmodi moris, ut non facile ab iis quæ certo inceperis movearis. Verum in hoc, scilicet ut spreto tanti Pontificatus honore simul & utilitate, Romam petas, non leve est credere quod stabilis maneas. At ille sciens animum viri, vivido vultu, intentis in eum oculis, respondit: Vere stabilis. Quo dicto, ad Regem reversi, quæ audierant retulerunt. Rege igitur consilia sua protelante, & summo Pontifice cum suis sedente, occurrit animo, Episcopos æquius esse debere in suo, quod erat Dei, quam in consilio Regis terreni. Mittens ergo præcepit eos venire ad se. Erant autem hi, Walchelinus Episcopus Wintoniensis, Robertus Lincolniensis, Osmundus Serberiensis, Joannes *b* Bathoniensis. Qui cum dextera lævaque illius jussu cõsedissent, ait illis: Fratres, ideo feci vos venire ad me, quod vestri officii est ea quæ Dei sunt præ ceteris tractare, disponere, servare: Episcopi enim estis, Prælati in Ecclesia Dei estis. Si ergo ita fideliter & districte vultis in mea parte considerare atque tueri rectitudinem & justitiam Dei, sicut in parte alterius perpenditis atque tuemini jura & usus mortalis hominis, hocque mihi promittitis; exponam vobis, sicut fidelibus & filiis Dei, quo tendat hæc mei præsentis consilii summa, & audiam sequarque consilium quod mihi inde vestra fida Deo industria dabit. Dixere: Loquemur, si placet, ad invicem; & communem consensum referemus ad te. Surgentes itaque in partem sese tulerunt, & habitis inter se nonnullis verbis, miserunt Wentanum Pontificem & Episcopum Lincolinum ad Regem, percunctari de negotio voluntatem ac jussum illius. Edocti ergo propter quæ missi erant, ad socios reversi, docuerunt eos quæ didicerant. Quid plura? Placuit eis in commune sequi voluntatem hominis terreni, illicoque reversi una ad Anselmum, dixerunt ei: Domine Pater, scimus te virum religiosum esse ac sanctum, & in cælis conversationem tuam: nos autem impediti consanguineis nostris quos sustentamus, & multiplicibus seculi rebus quas amamus, fatemur ad sublimitatem vitæ tuæ surgere nequimus, nec huic mundo tecum illudere. Sed si volueris, ad nos usque descendere, & qua incedimus via nobiscum pergere, nos tibi sicut nobis ipsis consulemus, & negotiis tuis quæcumque fuerint, ubi opus fuerit, sicut nostris, opem feremus. Si vero te ad Deum solummodo, quemadmodum cœpisti, tenere delegeris; solus, quantum nostra interest, in hoc, ut hactenus fuisti, & amodo eris; nos fidelitatem quam Regi debemus non excedemus. At ille ait: Bene dixistis. Ite ergo ad Dominum vestrum; ego me tenebo ad Deum. Fecerunt ut dixerat, & remansit Anselmus quasi solus.

cum minis amittendi Episcopatus ni desistat:

B

certus nihilominus ire,

Act. 5, 29

C

requirit auxilium Episcoporum: *b*

D

qui negant se posse adesse,

E

18 Facta deinde aliquantula mora, & unoquoque nostrum, qui admodum pauci cum eo remansimus, ad imperium illius singulatim sedente, & Deum pro digestione ipsius negotii interpellante; veniunt prædicti Episcopi cum aliquibus Baronibus Regni, inferentes viro hæc: Mandat Tibi Rex, quod sæpe diversis eum querelis exagitasti, exacerbasti, cruciasti. Verum cum tandem post placitum quod totius Regni adunatione contra Te apud Rochingeham habitum est, cum tibi sicut Dominum tuum reconciliari sapienter peteres, & adjutus meritis & precibus plurimorum, pro te studiose intervenientium, petitioni tuæ effectum obtineres; pollicitus es ipsi, te usus ac leges suas usquequaque deinceps servaturum, & eas sibi contra omnes homines fideliter defensurum; quibus quidem credulus factus, sperabat se de cetero quietum fore. Sed hanc pollicitationem, hanc fidem, en tu patenter egrederis, dum Romam non expectata licentia ejus, te iturum minaris. Inauditum quippe in regno suo est, & usibus ejus omnino contrarium, quemlibet de suis Principibus, & præcipue te, quid tale præsumere. Ne igitur in hujuscemodi re ultra, vel à te vel à quovis alio, te forsan, cum in aliquo læsus fuerit, imitari volente, fatigetur; vult & jubet, quatenus aut jurejurando promittas, quod numquam amplius Sedem S. Petri vel ejus Vicarium pro quavis, quæ tibi queat ingeri, causa appelles; aut sub omni celeritate de terra sua recedas. Et si mavis, interposito hoc sacramento, remanere quam recedere; tunc te ad judicium Curiæ suæ præcepit sibi emendare, quod de re, in qua non eras certus te perseveraturum, ausus fuisti eum totiens inquietare. Dixerunt, & ad Regem protinus reversi sunt. Tunc Anselmus, cum suis pauca locutus, surrexit: atque ad Regem, nobis eum prosequentibus, ingressus, dexteram illius ex more assedit. Deinde mandatis quæ à nuntiis acceperat, in audientia ejus singulatim recapitulatis, percunctatus est, utrumnam à facie ipsius, eo quo sibi dicta fuerant modo, vere processerint. Et auditu re vera processisse, illico quid inde sentiret tali subintulit voce, dicens:

siquidem intendat pure sequi Deum:

F

ipse vero magis se Regi promisisse fidem

nisi secundum Deum & rectitudinem,

Quod

A Quod dicis, me tibi promisisse usus & consuetudines tuas servaturum, & eas contra omnes homines tecum fideliter defensurum; fateor, verum esse cognoscerem, si eo illas pacto distinguendo proferres, quo tunc temporis, quando promissio ipsa, de qua agis facta est, eas fuisse distinctas indubitanter recordor. Scio quippe me spopondisse consuetudines tuas, ipsas videlicet quas per rectitudinem & secundum Deum in regno tuo possides, me secundum Deum servaturum, & eas per justitiam contra omnes homines pro meo posse defensurum. In his verbis cum Rex & Principes sui cæca mente objicerent, ac jurisjurandi interjectione firmarent, nec Dei nec rectitudinis in ipsa sponsione ullam mentionem factam fuisse; rupit voces eorum Anselmus, & ait: Papæ! Si nec Dei nec rectitudinis mentio, ut dicitis, facta fuit; cujus tunc? Absit ab omni Christiano, absit, leges vel consuetudines tenere aut tueri, quæ Deo & rectitudini contraria esse noscuntur. Cum ad hæc illi summurmurantes, contra virum capita moverent, nec tamen quid certi viva voce proferrent; ad ea quæ cœperat subinferens Pater ait; Sed quod asseris consuetudinis tuæ non esse, ut ego, causa salutis animæ B meæ, causa regiminis Ecclesiæ Dei quod susepi, B. Petrum requiram & ejus Vicarium; pronuntio hanc consuetudinem Deo & rectitudini contraire, & idcirco ob omni servo Dei spernendam profiteor ac refutandam. Quod si per ista quæ dico, quisquam probaturum se dixerit, me fidem quam tibi debeo non servare; paratum me, sicut & ubi debeo, ad demonstrandum inveniet, magis in hoc me tibi esse fidelem, quam si secus agerem. At nunc ad hoc ostendendum non intendo. Scitur tamen quod omnis fides, quæ cuivis homini legaliter promittitur, ex fide Dei roboratur: sic enim spondet homo homini: Per fidem quam debeo Deo, fidelis tibi ero. Cum ergo fides, quæ fit homini, per fidem Dei roboretur; liquet quod eadem fides, si quando contraria fidei Dei admittit, enervetur. Sed disputatio rei hujus non est temporis hujus. Itaque fides, quam debeo Deo, & servitium ejus cogunt me ad caput Christianitatis Papam accedere, & ab eo pernecessarium Ecclesiæ Dei & mihi consilium petere: nec videtur quod aliquis, Deum offendere timens, hoc debeat prohibere. Nec C enim, tu Rex, æquanimiter ferres, si quilibet de hominibus tuis potens ac dives ullum suorum, fidelitati servitioque tuo intendentem, præpediret, ac præpeditum minis & terroribus ab exequenda utilitate tua prohiberet; verum debita in eum ultione violatæ, quam tibi debebat, fidei reatum punires. Tunc Rex & Comes de Mellento, Robertus nomine, interrumpentes verba ejus, O! ô! dixerunt, prædicatio est quod dicit, prædicatio est; non rei de qua agitur ulla quæ recipienda sit à prudentibus ratio. Quibus cum quique Procerum acclamarent, & os Patris suis vocibus oppilare laborarent, ipse inter ora perstrepentium, demisso vultu mitis sedebat, & clamores eorum quasi surda aure despiciebat. Fatigatis autem eis à proprio strepitu, sedatoque tumultu, Anselmus ad verba sua remeat dicens: Ad ea quæ jubes, ut, quo securus de me possis amodo esse, jurem tibi quod numquam amplius pro qualibet causa B. Petrum vel ejus Vicarium in Anglia appellem: dico hujusmodi jussionem tuam, qui Christianus es, omnimodis esse non debere: hoc enim jurare, B. Petrum est abjurare. Qui autem B. Petrum abjurat, Christum qui eum super Ecclesiam suam Principem fecit, indubitanter abjurat. Cum igitur propter te (ô Rex) Christum negavero; fateor, peccatum, quod in requirenda licentia

quia non aliter fides homini promittitur:

itaque ait impediri non posse quo minus eat,

neque debere exigi ut Papam abjuret.

admisi, judicio Curiæ tuæ non segnis emendabo. His verbis præfatus Comes indignando subjungens, ait, Eia, eia, Petro & Papæ se præsentabit, & nos equidem non transibit, quod scimus. Cui Pater respondit: Deus quidem novit quid vobis manebit; & mihi ad Apostolorum suorum limina properanti, si sibi placuerit auxiliari valebit.

19 Post hæc surrexit, atque ad locum unde exieramus reversos, è vestigio nuntii Regis subsecuti intulerunt viro hæc: Ecce ibis. Verumtamen scias Dominum nostrum pati nolle te exeuntem quidquam de suis tecum ferre. At ille; Equitaturas habeo, vestes quoque & suppellectilem, quæ forsassis dicet aliquis esse de suo. Hæc si non permittit ut mecum habeam; noverit quod potius pedes ac nudus abibo, quam cœpto desistam. In istis Princeps pudore suffusus, dictum suum non ita intellexisse se respondit: Nec enim dixi, ait, ut nudus aut pedes abiret: attamen die, qui erit undecimus ab isto, jubeo ut mare transiturus ad portum sit, & ibi nuntius meus ipsi obvius erit, qui dictabit ei, quid ex permissu meo ille vel sui discedentes secum ferant. His tali modo digestis, statim volebamus ad hospitium secedere. Sed Anselmus doctus in patientia possidere animam suam, jucundo & hilari vultu ad Regem revertitur, dicens ei, Domine, ego vado: quod si bono animo vestro fieri vobis placeret, utique & vos magis deceret, & omni bono homini acceptius esset. At nunc rem in contrarium lapsam, licet moleste, quantum ad vos, quod tamen mea refert, æquanimiter pro posse feram, nec ob hoc me ab amore animæ vestræ salutis, miserante Domino, auferam. Nunc igitur ignorans quando vos iterum visurus sim; Deo vos commendo, & sicut spiritualis Pater dilecto filio, sicut Archiepiscopus Cantuariensis Regi Angliæ, vobis Dei & meam benedictionem, antequam abeam, si eam non abjicitis, tribuere volo. Tunc Rex, Benedictionem, ait, tuam non abjicio. Mox ille surgens, levata dextra signum sanctæ Crucis super Regem, ad hoc caput humiliantem, edidit, & abscessit; viri alacritatem Rege cum suis admirante. Anno ab incarnatione Filii Dei millesimo nonagesimo septimo acta sunt hæc, feria quinta, quæ fuit Idus Octobris.

20 Venit dehinc Cantuariam Anselmus, ubi sedes Pontificalis, ubi totius regni caput est, atque Primatus. Postera die allocutis, & pro instanti negotio magnopere consolatis filiis suis, astante monachorum, clericorum, ac numerosa populorum multitudine, peram & baculum peregrinantium more coram altari suscepit, commendatisque omnibus Christo, ingenti fletu & ejulatu prosecutus, egressus est. Ipso die ad portum Dofris ivimus, ibique Clericum quemdam, Willielmum nomine, à Rege ex condicto, ut diximus, directum reperimus. Detenti autem ibi sumus quindecim diebus, vento nobis transitum prohibente. In qua mora idem Willielmus, cum Patre intrans & exiens, & in mensa illius quotidie comedens, nihil de causa pro qua missus fuerat agere volebat. Die vero quintodecimo, cum nos nautæ urgerent naves petere, & nos transire avidi ad hoc fatigaremur; ecce videres rem miserandam, Patrem patriæ, Primatem totius Britanniæ, Willielmus ille, quasi fugitivum, vel alicujus immanis sceleris reum, in littore detinuit; ac ne mare transeat ex parte Domini sui jubet, donec omnia quæ secum ferebat, sibi singulatim revelet. Allatæ igitur ante illum bulgæ & manticæ reseratæ sunt, & tota suppellex illius spe pecuniæ reperiendæ subversa & exquisita est; ingenti plebis multitudine circumstante, ac nefarium opus, pro sui novitate admirando spectante, & spectando execrante. Rebus

AUCTORE EADMERO

Tandem impetrat facultatem petitam,

B

& abiturus Regi benedicit,

Valedicit suis Cantuaria

E

discedit Dubris,

& à submisso Clerico excussis sarcinis:

bus

AUCTORE EADMERO

navigat Witsandum:

bus ergo eversis, sed nihil eorum quorum causa eversæ sunt, in eis reperto; delusa solicitudo perscrutantis est, & Anselmus cum suis abire permissus. Itaque navem ingredimur, ventis vela panduntur, & post modicum orta aliquanta difficultate, sed ea respectu clementiæ Dei in brevi sedata, prosperrime marinos fluctus evecti, *d* Witsandis pro voto appulimus. Rex autem Willielmus, ubi audivit Anselmum transfretasse, confestim præcepit cuncta quæ illius juris fuerant in suum transcribi dominium, & irrita fieri omnia, quæ per ipsum mutata vel statuta fuisse probari poterant, ex quo primo venerat in Archiepiscopatum. Desævit igitur quandoque per Episcopatum tam sæva tempestas, ut tribulationes, quæ factæ sunt in illo post mortem venerandæ memoriæ Lanfranci, ante introitum Patris Anselmi, parvipensæ sint, comparatione tribulationum quæ factæ sunt his diebus.

res ejus in Anglia confiscantur.

21 Nos igitur mane à Witsandis discedentes, & post *e* dies ad S. Bertinum venientes, magna plebis alacritate ac monachorum veneratione suscepti, quinque inibi dies morati sumus. Interea rogatus Anselmus à Canonicis S. Audomari ecclesiam suam visitare, ibique altare, quod in honorem S. Laurentii Martyris fecerant, dedicare; acquievit ille precibus eorum; ministerioque decenter expleto pransus, Abbatiam repetiit; objiciens Clericis, secum illum remorari petentibus, Domini dictum, quo discipulos suos jubet, de domo in domum non transire.

Audomaropoli altare consecrat:

B

Luc. 10, 7

22 Post hæc nobis cœptum iter accelerantibus, fama viri multo celerius præcurrebat, & multiplici populos voce replebat. Unde turbarum concursus, Clericorum cœtus, monachorum exercitus, ei quocumque veniebat, occurrunt; isti gaudio & exultatione concrepantes, illi vexillis & sonoris concentibus Deo pro illius adventu conjubilantes. Verum sicut quidam ad venerationem & ministerium ejus omni studio parabantur, ita quidam è diverso alio spiritu acti, eum capere, eum suis rebus spoliare moliebantur. Sed ubi adest Divina protectio, quid valet humana molitio? Transita Francia, Burgundiam intravimus. Percussæ autem fuerant aures Ducis illius terræ *f* diviti fama Archiepiscopi Cantuariensis, per terram suam transire volentis. Unde succensus amore pecuniæ, quam copiosam illum ferre rumor disperserat, proponit animo eam ipsi auferre. Quadam igitur die cum in itinere essemus, & refrigerandi gratia à via paulisper declinassemus; ecce Dux idem armata militum manu stipatus, in equis ocior advolat, & clamore valido, quis vel ubi esset Archiepiscopus, interrogat. Quem cum sibi designatum mox, equo sedentem, torvo fuisset aspectu intuitus; subito pudore percussus, demisso vultu erubuit, & quid diceret non invenit. Cui Pater: Domine, ait, Dux, si placet osculabor te. Et ille: Osculari & servire tibi Domine paratus sum, ac de adventu tuo in Deo gratiosus exulto. Dato igitur osculo pacis, dicit ad illum Pater: Causa Religionis Christianæ, vir venerande, Angliam exivi, & miserante Deo Romam ire dispoſui. Nunc autem videns te lætor & gaudeo, tum quia cognitionem & amicitiam tuam, tum quia securitatem & pacem in terra tua me & meos deinceps per te habere desidero. Respondit: Et quidem quod dicis multum amo & volo, meque tuis orationibus benedictionique committo. Quibus dictis præcepit cuidam, qui de suis ibi potentior aderat, quatenus virum per terram suam conduceret, eique ubi opus haberet non secus quam sibi ipsi ministraret. Discedens itaq; odium Dei omnipotentis omnibus imprecatus est, qui se ad insequendum hominem Dei concitaverant. Nec enim hominis, sed vultus, ait, Angeli Dei fulget in eo. Unde sciant omnes qui ei scienter infesti sunt, quod maledicti à Deo sunt. Nos, hinc Deo pro sua misericordia debitas ex corde gratias agentes, itinere cœpto perreximus.

magnifice in Francia excipitur,

f

etiam à Duce Burgundiæ,

C

execrante eos qui in ipsum se concitarant.

D

23 Venimus vero Cluniacum tertio die ante Nativitatem Domini, ibiq; à toto illius monasterii monachorum agmine, summa cum veneratione Pater suscipitur, & cuncta loci ipsius gaudio lætitiaq; replentur. Quid deinde? Donec ibi fuit, ut paucis dicā, singulari, præ omnibus id loci venientibus, reverentia habitus est. Mittit interea nuntium, qui suum venerabili *g* Hugoni Archiepiscopo Lugdunensi notificet adventum. Erat quippe idem vir Anselmo jam ex multis præcedentibus annis notus; & sanctæ dilectionis illius igne succensus, magno videndi eum desiderio fatigabatur: quem etiam Anselmus in tantum diligebat, ejusque prudentiam atque consilii auctoritatem tanti pendebat, ut statuerit apud se summam negotii sui considerationi & dispositioni ejus, necnon reverendi Hugonis *h* Cluniacensis Abbatis, ex integro commendare. Hic itaque Pontifex, audito Anselmum suis finibus accessisse, oppido lætatus est. Et dirigens ad eum quos familiariores ac digniores circa se habebat, quatenus Ecclesiam suam seque ipsum sine mora dignaretur invisere, obnixe deprecatus est. Mandavit insuper Episcopo *i* Matisconensi, ut viro decenti honore occurreret, & officiosissime deserviret: quod ipse diligenter executus est. Ubi vero Lugdunum venimus, qua veneratione ab ipso summo Pontifice & suis omnibus suscepti simus, & enarrare difficile, & dictu fortassis est incredibile. Quo cum demoraremur, didicit Anselmus ex iis quæ fama ferebat non multum suæ causæ profuturum, si ipse in ulteriora procederet. Imbecillitas quoque sui corporis residuæ viæ laborem perhorrebat; & insidiæ, quæ ab indigenis illarum regionum ea tempestate commeantibus, & maxime religiosi ordinis viris struebantur, eum nonnihil retardabant. Itaque Lugduni resedit, cunctis valde acceptus & honorabilis.

Cluniaci:

g præmittit nuntium ad Archiepisc. Lugdunensem:

h

E

i

tum Matisconæ & Lugduni exceptus,

ANNOTATA.

a *Anno* 1097, *ut infra indicatur.*

b Joannes Bathoniensis *ab anno* 1088 *ad* 1122 *sedit, & Sedem Episcopalem, ex Wellensi civitate, Bathoniam transtulit.*

c *Scilicet littera tunc Dominicali* D.

d Witsandis, *celebris olim portus, nunc humilis vicus, inter Bononiam & Caletum, vulgo* Vissan.

e *Sithiuense* S. Bertini *cœnobium, nunc iisdem cum castro S. Audomari mœnibus inclusum & munitissimum Artesiæ oppidum, à prænominato portu distat leucis Gallicanis circiter decem; ut forte legi debeat,* post diem, *aut,* post duos dies, *ut summum.*

F

f *Hic Dux fuit* Eudes primus, *à quo fundatum Cistercium anno sequente* 1098, *ut dicitur* 29 *Aprilis in Vita S. Roberti Abbatis Molismensis. Fuit autem* Eudes *natus patre* Henrico, *avo* Roberto, *Ducibus Burgundiæ, proavo* Roberto *Rege Francorum.*

g *Extant plures epistolæ S. Anselmi ad* Hugonem *Archiepiscopum & hujus ad S. Anselmum. Mortuus est anno* 1106.

h *Vitam S. Hugonis illustravimus ad diem* 29 *Aprilis, cum illustri mentione S. Anselmi.*

i *Distat Cluniacum Matiscone leucis circiter quinque quinque; & hinc secundo Rhodano die uno descenditur Lugdunum. Matisconensis autem Episcopus tunc erat* Raynaldus, *intra biennium vita functus.*

A

CAPUT III.

Post litteras præmissas, iter Romam, Telesam, Capuam. Acta cum Papa & Duce Apuliæ.

Lugduno scribit Urbano Papæ;

24 Scriptam dehinc epistolam unam Sedis Apostolicæ Præsuli destinavit, in qua quid illi de iis quæ acciderant suggesserit, quoque animi sui desiderium intenderit, tenor ipsius epistolæ, quam subscribimus, designabit. Domino & Patri, cum amore reverendo, & cum reverentia amando, summo Pontifici Urbano, frater Anselmus, servus Ecclesiæ Cantuariæ, debitam subjectionem & orationum devotionem. Novimus, Domine reverende & Pater diligende, quod Dominus noster Jesus Christus sublimavit Sanctitatem vestram in Ecclesia sua, ad consulendum & subveniendum his, qui ad supernæ patriæ requiem anhelantes, in hujus seculi exilio diversis fatigantur tribulationibus. Hac igitur spe & consideratione, ego humilis servus vester, in angustiis cordis mei, ad sinum Paternæ & Apostolicæ pietatis vestræ, per exhibitionem præsentiæ meæ, confugere disposui; sed hoc utique facere non possum, sicut desidero: cur autem non possim, per præsentium latorem cognoscetis. Quoniam ergo per memetipsum præsentiam vestram secundum desiderium meum adire nequeo, per litteras ut possum clementiæ vestræ angustias meas insinuo; quatenus ejus consolatione eædem angustiæ mitigentur; & anima mea desideratam tranquillitatem, per affectum vestræ compassionis, se adipisci gratuletur. Tanta enim est cordis mei tribulatio, ut nec verbis nec litteris sufficiam illam exprimere; sed oro Deum, qui novit occulta, ut eam vos intelligere faciat; & per viscera misericordiæ suæ, viscera vestra, ad ejus miserationem, secundum desiderium & necessitatem meam, commoveat. De hac tamen mea necessitate & meo desiderio aliqua aperio; per quæ vestram prudentiam posse intelligere quid mihi expediat, non dubito. Notum est multis, mi Pater pie, qua violentia & quam invitus & quam contradicens, captus sim & detentus ad Episcopatum in Anglia; & quomodo obtenderim repugnantiam ad hujusmodi officium, naturæ, ætatis, imbecillitatis, & ignorantiæ meæ: quæ omnino omnes seculi actiones fugiunt, & inconsolabiliter execrantur, ut nullatenus illas tolerare possim cum salute animæ meæ. In quo Archiepiscopatu jam per quatuor annos manens, nullum fructum feci; sed in immensis & execrabilibus tribulationibus animæ meæ, inutiliter vixi, ut quotidie magis desiderem mori extra Angliam, quam ibi vivere. Nam si ita vitam præsentem, sicuti eram, ibi finirem; plus videbam animæ meæ damnationem quam salutem. Videbam enim multa mala in terra illa, quæ nec tolerare debebam, nec Episcopali libertate corrigere poteram. Ipse quoque Rex faciebat quædam, quæ facienda non videbantur de Ecclesiis, quas post obitum Prælatorum aliter quam oporteret tractabat: me etiam, & Ecclesiam Cantuariensem multis modis gravabat. Terras namque ipsius Ecclesiæ, quas post mortem Archiepiscopi Lanfranci, cum in manu sua Archiepiscopatum teneret, militibus suis dederat, mihi sicut eas idem Archiepiscopus tenuerat non reddebat, sed insuper alias secundum libitum suum me nolente dabat. Servitia gravia & antecessoribus meis inusitata, ultra quam ferre possem aut pati deberem, à me exigebat. Legem auctem Dei & Canonicas & Apostolicas auctoritates voluntariis consuetudinibus obrui videbam. De his omnibus cum loquebar, nihil efficiebam; & non tam simplex rectitudo, quam voluntariæ consuetudines obtendebantur. Sciens igitur quod [a] si hæc ita usque in finem tolerarem, in damnationem animæ meæ, successoribus meis tam pravam consuetudinem confirmarem; nec de his placitare poteram (nullus enim aut consilium aut auxilium mihi ad hæc audebat dare) petii à Rege licentiam adeundi vestram Paternitatem; quatenus illi & cordis mei angustias ostenderem, & deinde ejus consilio & auxilio, quod salubrius esset animæ meæ agerem. Qua de re iratus petiit, ut de hujus licentiæ petitione, quasi de gravi offensa, illi satisfacerem; & securum illum facerem, me deinceps nullo modo requisiturum pro aliqua necessitate Apostolicum, nec saltem inde locuturum, aut si unquam hoc facturus eram, in præsenti hoc facerem. Sic itaque mare transii causa ad vos veniendi: quod, sicut dixi, facere non possum. Quoniam autem impossibile est me hujusmodi vitæ concordare, aut animam meam in tali Episcopatu salvari, tum propter rerum quas dixi qualitates, tum propter meas multimodas, & sensus, & morum, & naturæ, & ætatis imbecillitates; hæc est summa supplicationis meæ, propter quam ad vos ire volebam; ut, sicut Deum animæ meæ, & animam meam Deo desideratis; per Paternam & Apostolicam pietatem, quæ cor vestrum inhabitat, animam meam de vinculo tantæ servitutis absolvatis, eique libertatem serviendi Deo in tranquillitate reddatis; ne abundantiore tristitia, sicut jam nimis passa est, absorbeatur, & de dolore temporali ad æternum pertrahatur; deinde ut Ecclesiæ Anglorum, secundum prudentiam & auctoritatem Apostolatus vestri, consulatis. Omnipotens Dominus vestram Sanctitatem nobis in suæ gratiæ prosperitate diu servet incolumem, & conterat sathanam, & portas inferi sub pedibus vestris. Amen.

& excusat quod venire non possit,

B

indicat se invitum fuisse factum Archiepiscopum,

C

& toto quadriennio fructum nullum fecisse:

AUCTORE EADMERO proinde timens animæ suæ,

ideoque petere ut absolvatur ab officio.

E

25 Inter hæc Romam usque divulgatum est, Archiepiscopum Cantuariæ, Primatem Britanniæ, multo auri & argenti pondere onustum, mare transiisse, Romam pergere. Accensi ergo nonnulli cupiditate non bona, viam observant, exploratores ponunt, laqueos parant, ut eum capiant. His tamen quam maxime homines [b] Alamannici Regis intendebant, ob dissensionem quæ fuerat illis diebus inter Papam & ipsum. Superat quoque ea tempestate Wibertus Archiepiscopus Ravennas, qui de Apostolatu, quem contra jus invaserat, pulsus, omni Religiosæ personæ Romam petenti per se suosque, modis qualibus poterat, struebat insidias. Unde quidam Episcopi, monachi, & religiosi Clerici, ea sæviente persecutione capti; spoliati, multisque contumeliis affecti, necati sunt. Spe igitur maxima manus iniqua sibi confisa est, simili pœnarum genere sese Anselmum damnaturam. Sed ille, ut diximus, Lugduni remansit, reditum nuntiorum suorum ibi operiens. Cum vero malignantes illi moram, ex adventu ejus, extra spem paterentur, didicerunt à peregrinis eum valida corporis infirmitate teneri, à Lugduno amplius non promovendum. Quod dictum peregrinorum non fuit ex toto veritati contrarium: infirmatus nempe fuerat, ut de sanitatis illius recuperatione desperatio nos non parva teneret. Quo illi audito, consternati sunt animo, & quam de Anselmi disturbatione spem habebant, perdiderunt. Verum languore magna

F

Lugduni subsistendo irritas reddit structas sibi insidias:

AUCTORE EADMERO

recepta sanitate resumit iter;

magna ex parte sopito, & rumore, qui populos de processu ipsius repleverat, circumquaque extincto; ecce quos Romam miserat nuntii veniunt, & quod omni excusatione sublata eum ad se Papa properare præcepit, referunt. Quid moror? Nescius moræ, Apostolicis jussis obaudit: viæ se periculis, mortem pro Deo non veritus, tradit.

& in quodam monasterio pernoctans,

26 Discedentes igitur à Lugduno tertia feria, quæ ante Dominicam diem Palmarum erat, venimus in subsequenti Sabbatho ad villam quamdam quæ Aspera dicitur: in qua cum hospitati atque refecti fuissemus, visum Patri est decentius inter monachos, qui in eadem villa cohabitabant, quam inter villanos, nocte illa, nos conversari, tum propter religionem monachici ordinis, tum propter Officium imminentis noctis atq; diei. De re itaque mandatum monachis est; & alacres assenserunt. Eramus quippe tres monachi, qui hoc quærebamus, Dominus videlicet & Pater Anselmus, præfatus Balduinus, & ego qui hæc scribo Frater Eadmerus. Qui ita ibamus quasi pares essemus, nullo Patrem nostrum coram aliis dominandi jure sequente. Cum igitur monachi illi nobiscum, sicut peregrinis, vespertina hora loquerentur, & unde venissemus percunctarentur, respondimus, de Franciæ partibus nos advenisse, & Romam usque, si Deus concederet, ire velle. At illi: In nihili tenditis, inquiunt: nam viam istam, quam aggredimini, nullus in habitu religioso peragere potest, quin capiatur, multisque injuriis afficiatur: quod Archiepiscopus Cantuariensis intelligens, sapienti consilio usus est: proposuit namque idem vir se pro sua, ut ferunt, causa nuper Romam iturum; & venit usque Placentiam: verum cum illic sequentis viæ periculum didicisset, reversus est; & nunc Lugduni moratur. Ad hæc Balduinus ait: Et ille bene quidem fecit: & nos, quia servitio Dei & obedientia spiritualis Patris ire compellimur, quantum nobis licuerit ducente Domino progrediemur. Quando ultra non poterimus, salva obedientia nostra revertemur. Ducat vos, aiunt, benignus Deus. Celebrato igitur inter eos noctis officio atque diei, nos viæ reddidimus.

B *audit de se dici quod periculo territus Lugduni substiterit*

à Papa benigne excipitur:

27 Ex hinc cum Romam prospero itinere pervenissemus, & Anselmus à Papa decentissime susceptus, de sui adventus causa requisitus fuisset, eo illam ordine retulit, quo in Epistola sua quam à Lugduno, ut diximus, ei direxit, ipsam digessit. Audit ille quæ feruntur & subventionem pollicetur. Scribit litteras Willielmo Regi Angliæ, in quibus ut res Anselmi liberas in regno suo faceret, ac de illis omnibus illum revestiret, monet, hortatur, imperat. Scribit quoque Anselmus sub eadem materia litteras, & eas una cum litteris Papæ ipsi Regi destinat. Mansimus ergo Romæ decem diebus, in palatio Lateranensi cum Papa degentes.

C *& cum eo scribit ad Regem*

invitatus à Ioanne Abbate, suo olim monacho, d

28 Præerat eo tempore Abbas quidam, Joannes nomine, cœnobio Salvatoris, quod prope Telesinam Urbem situm est. Qui Joannes, Romanus genere, discendarum studio litterarum, jam olim Franciam venerat, ibique fama permotus Anselmi, qui tunc Becci Abbas erat, eum religionis proposito fervens adiit; eoque audito, Becci monachus factus est. Quod ubi, post aliquot annos, ad aures summi Pontificis Urbani pervenit; Joannem ipsum, ad se accersitum, præfati cœnobii Abbatem fecit. Hic itaque agnito Patrem suum Anselmum Romam venisse, missis nuntiis omni studio deprecatus est, quatenus ad se veniret; atque in sua quadam mansione, cui salubris aura favebat, ad evitandas Romanæ Urbis ægritudines, instanti dignaretur æstate conversari. Quibus ille auditis, supernæ pietati ac fraternæ solicitudini gratias egit, summoque Pontifici relatas preces innotuit. At ille, O, inquit Divinæ miserationis prædestinatio! Vere etenim præmisit Deus Joseph in Ægyptum ante Jacob patrem suum. Quapropter, licet omnia, quæ habeo, tuis, utpote viri propter justitiam, necnon B. Petri fidelitatem exulantis, proposuerim necessitatibus servitura; tamen quia urbis istius aër multis, & maxime peregrinæ regionis hominibus, nimis est insalubris; laudo, ut eas quo vocaris: ne quod superna dignatio tibi providit, negligere videaris. Acquiescit Anselmus dicto Pontificis, & expectaturus quid Rex Angliæ responderet litteris Papæ ac suis, partes ad quas invitabatur, petit. Occurritur ei cum lætitia & honore in omni loco ad quem ingreditur; & certatim ad ministrandum illi, quique parantur. Ubi vero loco ad quem ibat appropinquavit; adjuncta secum Patrum caterva, Joannes obviam vadit: & Patrem suum, more boni filii magna cum reverentia & exultatione susceptum, monasterio introducit. Exinde quoniam calor ibi cuncta torrebat, ducit eum in villam suam, Sclaviam nomine, quæ in montis altitudine sita, sano jugiter aëre conversantibus illic habilis extat.

D *& apud ... Papa.*

sanitatis causa migrat in villam Sclaviam.

29 His ferme diebus e Rogerius Dux Apuliæ, adunato grandi exercitu, Capuanam f civitatem, à sua ditione resilientem, obsidebat: & audita fama Anselmi, directis nuntiis, rogavit eum venire ad se; cupiens illum videre & alloqui, atque per eum, his quæ saluti suæ adminiculari poterant, informari. Ivit ergo Pater ad eum. Adhuc longe eramus; & ecce Dux ipse, copiosa militum multitudine septus, Patri occurrit, ac in oscula ruens, ei pro suo adventu, gratias egit. Plures exhinc dies in obsidione fecimus, remoti in tentoriis à frequentia & tumultu perstrepentis exercitus. Cum autem inter hæc Sedis Apostolicæ Pontifex Urbanus illo adveniret, & ei ab Anselmo ac Principibus totius exercitus obviam itum esset, ingenti secularis gloriæ pompa prosecutus, ductus est in tentorium, quod ei prope nos erat cæteris excellentius constitutum, Sicque donec civitas in deditionem transiit, obsidio illius Dominum Papam & Anselmum vicinos habuit, ita ut familia illorum magis videretur una quam duæ, nec facile quivis declinaret ad Papam, qui non diverteret ad Anselmum.

e E f *Rogerii Ducis Apuliæ in obsidione Capuæ adest.*

excipit cum aliis Urbanum Papam.

30 Sed quid faciam? Si dilectioni, si reverentiæ, si honori, qui Anselmo ab universis, inter quos habitabat eo tempore & veniebat, exhibebatur, scribendo singulatim immorari voluero, non immerito indiscretionis argui potero. Tantum dico, quod licet Rex Angliæ (qui illum, ut prædictum est, de regno suo pepulit) tam litteris quam largis muneribus omnes, quos ratus erat ei posse detrimento existere, conatus fuerit adversus eum commovere; tamen nihil profecit: quin potius ex his perspicaciter intellectum est, virum simplicis justitiæ viam tenere, & omnino contra æquum fatigari. Nam cum litteræ quæ directæ fuerant, nullam ipsi qua jure argui posset culpam referendo inveherent, nec latores earum à litteris ipsis pejora dicendo dissentirent; factum est ut & viri justitiæ firmius crederetur, & injustitia hominis, eum non æquo judicio fatigantis, magis ac magis publicata detestaretur. Quiq; igitur ex hoc illius cœperunt causæ favere, illius commodo, illius honori se suaque pro voto certatim impendere. Dux ipse, ad quem ipsa mandata præ cæteris lata fuerunt, non consideratis eis, Patrem multis precibus ad hoc flectere nisus est, quatenus secum dignaretur remanere; & optimas terrarum suarum, tam in villis quam in castellis seu civitatibus, juxta electionem suam dono accipere; easque in usus suos suorumque, dum viveret, proprio jure vindicare. Aliter

nihil illi suum & honorem

F *frustra, tentante Rege Angliæ*

igitur

A igitur molimina Regis in Anselmum processerunt ac ipse ratus fuerat. Obsidione dehinc soluta, Anselmus, cum Papa, ad g Aversanam civitatem vadit. Papa civitatem, Anselmus, multa prece invitatus, Abbatiam S. Laurentii, hospitandi gratia, petit. Igitur Anselmo ab ipsius Cœnobii Fratribus perfectæ caritatis obsequium exhibetur; & loquenti solito more quæ Dei sunt, auditus studiose præbetur.

31 Considerans itaque Anselmus apud se, quantam mentis inquietudinem & perturbationem fuerit passus in Anglia; & quomodo nullus, exceptis aliquibus monachis, eum gratia fructificandi Deo, audire voluerit; quantaque mentis tranquillitate potitus, & quam fructuoso studio sit à cunctis auditus, postquam exivit de Anglia; omni desiderio fervebat, curam Angliæ cum Pontificatu deserere, & eis perpetim abrenunciare. Huic quoque desiderio non parum roboris impendebat, quod omnium dubietate sublata, videbat impossibile fore, suos & Willielmi Regis mores in unum amplius concordare. Ad ea nempe quæ illum in Anglia positi facere solere cognoveramus, nova quædam quotidie, ab his qui inde veniebant, publice referebantur, in quibus, ita contra Dei justitiam obfirmatus intelligebatur, ut multi regionum illarum viri simul ac mulieres aliam de eo æstimationem haberent, quam de Christiano Christianos lex Christiana docet habere: de quibus pauca brevi perstringere placuit, ne solummodo nudis verbis quæ dicuntur dici putentur: quæ tamen sicut illa accepimus simpliciter ponam, non astruens vera an secus extiterint, an non. Ferebant igitur hi qui veniebant, quod eodem fere tempore, cum idem Rex Rotomagi moraretur, Judæi qui in civitate ipsa degebant, ad eum convenirent, conquerentes, nonnullos ex suis, spreto Judaismo, Christianos tunc noviter factos fuisse, atque rogantes, ut sumpto pretio, illos, rejecto Christianismo, ad Judaismum redire compelleret. Acquiescit ille, & suscepto pretio apostasiæ, jubet ex Judæis ipsis adduci ad se. Quid plura? Plures ex illis minis & terroribus fractos, abnegato Christo pristinum errorem suscipere fecit.

confirmatur in proposito dimittendi Episcopatus,

B *ob varia de Rege nuntiata*

tamquam Judæis favente,

32 Erat præterea illis diebus adolescens quidam Judæus, cui uno dierum per viam forte eunti apparuit alter juvenis, vultu ac veste decorus: qui interrogatus, unde vel quis esset, dixit se jam olim ex Judæo Christianum effectum, Stephanum Protomartyrem esse. Sed ea, inquit, causa nunc de cælo ad terras descendi, ut tu, abjecta superstitione Judaica, Christianus efficiaris & meo nomine baptizatus in Christo, appelleris. Dixit, & ab oculis ejus elapsus, non comparuit. Adolescens autem timore correptus, illico Presbyterum adiit, quid viderit, quidve audierit, clara voce innotuit; seque in Christum credere confessus, baptismi gratiam statim adeptus est. Quod factum cum pater ejus agnovisset, acri cordis dolore afficitur: & æstuans quonam modo suis sacris filium posset restituere, didicit quemadmodum Willielmus Rex Anglorum nonnullos hujusmodi, pecuniæ gratia, nuper Judaismo reddiderit. Ivit ergo ad illum, & qualiter perdidit filium suum, querula voce deprompsit. Orat sibi misereri, & unici more à se dilectum, paternis rogat legibus imperiali sanctione restitui. Tacet ille ad rogata, nondum audiens quamobrem tali negotio sese deberet medium facere. Advertit Judæus mysterium cur suis precibus non responderet, & è vestigio sexaginta marcas agenti se illi daturum, si Judaismo restitueret filium suum, pollicetur. Jubente igitur Rege, juvenis ipse in conspectum suum adducitur; & Rex illum hac voce alloquitur: Quæritur pater tuus de te, quod præter licentiam suam Christianus effectus es: hoc si ita est,

a *de quidam [illegible] eis conversum,*

C

pecunia corruptus a patre,

præcipio tibi quatenus voluntati ejus satisfaciens, omni ambage seclusa, Judaismo te sine mora restituas. Cui juvenis respondens: Domine Rex, ait, ut puto jocaris. At ille indignatus, Tecum inquit, jocarer, stercoris fili? Recede potius, & præceptum meum velocius imple: alioquin, per vultum de Luca, faciam tibi oculos erui. Tunc adolescens animæquior factus, voce constanti ita respondit: Utique non faciam. Verum noveris, quia si bonus Christianus esses, numquam de ore tuo talia protulisses. Christiani etenim est, eos qui à Christo per incredulitatem separati sunt, ei conjungere; non autem eos qui illi per fidem juncti sunt, ab eo separare. Confusus Princeps in istis, contumeliis affectum juvenem, cum dedecore jussit suis conspectibus eliminari. Qui expulsus, patrem suum, eventu rei pro foribus præstolantem, invenit: in quem animatus, Fili, ait, mortis, & pabulum æternæ perditionis, non sufficit tibi damnatio tua, nisi & me tecum præcipites in eam? Ego vero, cui jam Christus patefactus est, absit ut te unquam pro patre agnoscam, quia pater tuus diabolus est. Dum ista ita dicuntur, ad jussum Regis, introducitur ante eum Judæus, & ait illi Rex: Ecce feci quod rogasti, redde quod promisisti. At ille: Filius meus jam nunc & in Christi confessione constantior, & mihi est solito factus infestior: & dicis, feci quod petisti, redde quod promisisti? Immo quod cœpisti, primo perfice, & tunc demum de pollicitis age. Sic enim convenit inter nos. Feci, dixit, quantum potui: verum quamvis non perfecerim, minime tamen feram me sine fructu laborasse. Angustiatusq; Judæus ex his, vix obtinuit, ut, data medietate promissæ pecuniæ, alia sibi medietas laxaretur.

AUCTORE EADMERO

conatus sit ad illos reducere:

E

33 Præter hæc quoque, per id temporis ferebatur, eum in tantam mentis elationem corruisse, ut nequaquam patienter audire valeret, si quivis ullum negotium, quod vel à se, vel ex suo præcepto foret agendum, poneret sub conditione voluntatis Dei fieri: sed quæque acta simul & agenda suæ soli industriæ ac fortitudini volebat ascribi. Quæ mentis elatio ita excrevit in eo, ut, quemadmodum dicebatur, crederet & publica voce assereret, nullum Sanctorum cuiquam apud Deum posse prodesse: & ideo nec se velle, nec aliquem sapientem debere B. Petrum, seu quemlibet alium, quo se juvaret interpellare. Hac fide in ipso proficiente, ad hoc quoque lapsus est, ut Dei judicio incredulus fieret: injustitiæque illud arguens, Deum aut facta hominum ignorare, aut æquitatis ea lance nolle pensare astrueret. Exempli causa, quinquaginta circiter viri, quibus adhuc illis diebus, ex antiqua Anglorum ingenuitate, divitiarum quædam vestigia arridere videbantur, capti sunt, & calumniati, quod cervos b Regis ceperint, mactaverint, manducaverint. Negant illi. Unde statim ad judicium rapti, judicantur, injectam calumniam examine igniti ferri à se propulsare debere. Statuto itaque die, præfixi pœnæ judicii pariter subacti sunt, remota pietate & misericordia. Erat ergo, miseriam videre. Verum omnipotens Deus, cujus misericordiam & judicium canit Davidicus Psalmus, innocentiam eorum, servatis misericorditer ab exustione manibus omnium, cunctis ostendit; & malitiam hominum, eos impie destruere cupientium, quam injusta fuerit, justo judicio declaravit. Igitur cum Principi esset relatum, condemnatos illos tertio judicii die simul omnes inustis manibus apparuisse, stomachatus taliter fertur respondisse. Quid est hoc? Deus est justus Judex? Pereat, qui deinceps hoc crediderit. Quare, per hoc & hoc, meo judicio amodo respondebitur; non Dei; quod pro voto cujusque hinc inde plicatur. Hæc & hujusmodi plura his atrociora, quæ à diversis, non ignobilis

nec vellet audire, si Deo placeret,

Sanctosque & ipsum blasphemares.

F

b

i

k

AUCTORE EADMERO

famæ hominibus, de Willielmo illo tunc temporis nuntiabantur, magno, ut diximus, Anselmum desiderio accendebant Pontificatui Angliæ abrenuntiare; scientem videlicet mores suos moribus ipsius nulla posse ratione amplius concordare.

desiderium suum Papæ exponit,

34 Postulaturus igitur à summo Pontifice ipsius vinculi quo se nimis astringi gemebat, relaxationem, eum adit; ei sui cordis anxietatem innotuit, misereri sibi poposcit, id est ut ab onere curæ Pastoralis, quod importabile sibi quia infructuosum videbat, se relevaret, obnixe rogavit. Audit Papa quod ille postulat, & illico miratus, exclamat: O Episcopum! O Pastorem! Nondum cædes, nondum vulnera perpessus es; & jam Dominici curam ovilis subterfugere quæris? Christus in cura ovium suarum probat Petri amorem erga se; & Anselmus, Anselmus, inquam, ille sanctus, ille talis ac tantus vir, solummodo quiescere volens, oves Christi, & ante pugnam, luporum morsibus dilaniandas non veretur exponere? Ah quid dicam? Quo amore sperat Domino copulari, qui hoc fugit, quo ipse Dominus se teste probatur amari? Absint hæc à te, absint à tua religione, dilectissime frater Anselme. Potius ne me in istis ulterius inquietes; scias quod non solum non concedo tibi facere quod petis, immo ex parte Dei omnipotentis vice beatissimi Petri Apostolorum Principis tibi per sanctam obedientiam præcipio, quatenus curam Anglici regni tibi commendatam, quamdiu retinere, ut hactenus, poteris, non abjicias. Quod si propter tyrannidem Principis, qui nunc ibi dominatur, in terram illam redire non permitteris; jure tamen Christianitatis semper illius Archiepiscopus esto, potestatem ligandi atque solvendi super eam dum vixeris obtinens; & insignibus Pontificalibus, more summi Pontificis, utens ubicumque fueris. Ad hæc ille, Obedientiam, Pater, non abjicio; sed si non displicet, quid animo geram, paucis suggeram. Credat, si placet, excellentia vestra, quoniam si cædes, si vulnera, si mors ipsa, mihi pro tutela & defensione ovium Christi intenderetur, spero non aufugerem; si me conscientia mea non fallit. At nunc (ut de Rege ipso, qui me, sicut notum est, de regno suo expulit, taceam) ipsi quos oves, & Episcopi quos adjutores habere debebam, & qui mihi obedientiam professi sunt, omnes in commune ad hoc me ducere conabantur, quatenus sub obtentu justitiæ contra justitiam facerem, id est, obedientiæ B. Petri abrenuntiarem, ne fidem quam debebam Regi terreno violarem. Quibus dum niterer persuadere, me utrumque horum, altero inviolato, posse servare, (quandoquidem Dominus jubeat, quæ Cæsaris Cæsari, & quæ Dei sunt Deo reddi) objiciebant hoc apud se in usu non haberi, nec velle de Domino suo hanc injuriam sustinere, ut aliquis in regno ejus cuilibet intenderet, nisi ei vel per eum. Et ego, Pater, inter tales quid facerem? Respondit, Ratione duceris. Ego quoque ne de his atque aliis tibi non jure illatis videar non curare, eaque gladio S. Petri nolle vindicare, moneo quatenus Concilio quod apud Barum, ante corpus beati Nicolai, Kalendis Octobris celebrare constitui, præsentiam tuam exhibeas: ut quod de ipso Rege Anglico suisque ac sui similibus, qui contra libertatem Ecclesiæ Dei se erexerunt, mediante æquitatis censura, me facturum disposui, auditu visuque percipias. Dehinc ad habitaculum suum Sclaviam Anselmus revertitur, quietem & paupertatem, oblatis divitiis anteponens.

B *sed hic abdicationem prohibet,*

C

eique justitiam de Rege promittit.

D

ANNOTATA.

a Placitare *est, judicio experiri: &* placitum, *judicium:* implacitare, *in litem adducere.*

b Henricus *is fuit hoc nomine Rex Germaniæ* quartus, *Imperator* tertius: *contra quem anno* 1094 *in consilio Augustodunensi renovata excommunicatio fuerat, atque contra ceteros schismatis Guibertini fautores.*

c *Anno* 1098. *At quæ hic* villa Aspera *dicitur, in primi Vita dicitur* Secusia *vulgo* Susa, *ubi erat monasterium S. Iusti, ut ibidem annotavimus.*

d Telesia *urbs Samnii Episcopalis, sub Beneventano Archiepiscopatu, haud procul à confluentia Vulsutii & Sabari fluminum, in hodierna Terra-Laboris olim celebris, nunc fere deserta.*

e *Rogerius, filius Roberti Normanni, Ducis Apuliæ, successit illi anno* 1086.

f *Anno* 1098 comprehensa est Capua à Rogerio mense Martio. *Ita Lupus Protospata in Chronico. Sed videtur legendum esse* mense Majo: *alias enim non potuisset adesse Anselmus, qui mense Martio exeunte Romam solum attigerat.*

E

g Aversa *urbs inter Capuam & Neapolim.*

h Venationes, *inquit Malmesburiensis,* quas primo indulserat, adeo prohibuit, ut capitale esset supplicium, prendidisse cervum: *quam insaniam, perdentis* hominem pro bestiola, *egregie perstringit Ioannes Saresburiensis lib.* 1 *de nugis* Curialium *cap.* 4.

i *Similis examinis exemplum jam vidimus die præcedenti in vita B. Hildegundis. Seldenus autem in Spicilegio ad hunc locum notat hujus ac similis omnis judicii, quod* Ordallum *veteres Saxones dicebant (Alemanni* Urtheil, *Belgæ* Ordeel *nominant) exolevisse usum tempore Henrici III, atque hujus mandatum anno* 1219 *promulgatum exhibet, pro quo isto anno mandat Iustitiariis quibusdam suis quomodo agere debeant in iis criminibus,* quibus competeret Judicium ignis vel aquæ, si non esset prohibitum.

k Per hoc & hoc, *formula jurandi est, qua idem Rex infra etiam num.* 43 *utitur.*

CAPUT IV.

Consilia Barense & Romanum. Reditus in Gallias. Obitus Vrbani II & Wilhelmi Regis.

35 INstante autem termino Concilii, ad Apostolicum reversus est; & cum eo, Barum usque profectus. In ipso vero a Concilio, dum plurima de fide Catholica summus Pontifex, facunda ratione, rationabilique facundia disseruisset; mota est quædam quæstio ex parte Græcorum, Euangelica auctoritate probare volentium, Spiritum sanctū processionem non habere nisi tantum à Patre. Huic errori tum multis argumentis, tum plurimis rationibus Papa contraire nisus, inter alia quiddam de Epistola b sibi olim ab Anselmo, de Incarnatione Verbi, edita & directa, exempli gratia, intulit, quod suæ disputationi non parum claritatis ac firmitudinis attulit. Verum, cum nonnulla objicerentur, & redditæ rationes, quemadmodum instabilibus mos est, disquisitæ enucleatius exponi peterentur; imperatum silentium primus ipse Pontifex rupit, alta voce dicens; Pater & Magister Anselme, Anglorum Archiepiscope, ubi es? Sedebat enim idem Pater in ordine ceterorum inter primos Concilii Patres, & ego ad pedes ejus. Ubi ergo se requiri audivit, surrexit continuo, & respondit, Domine Pater, quid præcipitis? Ecce me. At ille: Quid quæso facis? Cur in aliorum silentio degis? Veni, veni, obsecro: ascende usque ad nos, & adjuva nos, pugnans pro Matre tua & nostra, cui suam integritatem vides Græcos istos conari adimere, & nos in id

a Ad Barum Concilium à Papa ductus

F

A In id ipsum nefas, si facultas eis tribuitur, praecipitare. Succurre igitur, quasi vere pro hoc à Deo missus huc. Videres itaque circa solium Papae quosque perstrepere, sedes mutare, locum sedendi viro parare, & sic demum honorifice levatum ad se prope Papam collocare; Concilio stupente ad haec, & percunctante, quis esset aut unde. Tum compresso tumultu, omnibus in commune viri sanctitatem atque industriam Papa exposuit; & quia propter justitiã multas persecutiones passus, atq; injuria de sua sit terra expulsus reverẽda voce innotuit. Cum igitur ad imperium ejus Anselmus praesto esset, motae quaestioni mox respondere; visum nonnullis est melius fore, in crastinum rem differri, quo liberioribus animis dicenda expeditius proponerentur. In crastino itaque maturius conventu disposito, Anselmus ex condicto debitum solvere postulatus est. Surrexit ergo, & coram universis in edito stans, sic de negotio, regente cor & linguam eius Spiritu sancto, tractavit, disseruit, absolvit, ut in ipso conventu nemo existeret, qui non inde sibi satisfactum consentiret. Sed quibus hoc argumentis, quibus rationibus, quibusve divinae Scripturae auctoritatibus & exemplis egerit, scribere supersedemus, eo quod ipsemet Anselmus postmodum inde diligentius atque subtilius tractans, egregium c opus scripsit: idque per multa terrarum loca, ubi ejusdem erroris fama pervenit, ab amicis suis rogatus, direxit. Ergo ubi finem dicendi fecit, intendens in eum summus Pontifex, ait, Benedictum sit cor & sensus tuus, & os & sermo oris tui sit benedictus. Hinc in laude viri demoratum est, & fides ejus atque prudentia divulgata ac magnificata; nec non eorum perfidia, si qui forent, qui ea quae de proposita quaestione docuit, suscipere & credere nollent, exprobrata ac perpetuo anathemate percussa atque prostrata.

praeclare disserit cõtra Graecos, de Spiritus S. à Patre & Filio processione.

B

c

36 Procedente deinceps oratione, de Rege Anglorum sermo conseritur, & sinistra quaedam de ipso publice praedicantur; Anselmo, inter illa, demisso vultu sedente, & loquentes nullo favore prosequente. Tandem de venditione & oppressione Ecclesiarum, de quibus inter alia vituperabatur, necnon de injuriis Anselmo illatis, Apostolicus acriter questus est. Quem propterea, inquit, etiam Regni sui fecit extorrem, quoniam à B. Petri fidelitate & obedientia nequivit separare. Et adjecit: Ecce vita illius tyranni, qualis ad Apostolicam Sedem saepe delata est. Cui pro correctione sui plura multotiens cohortatoria simul & castigatoria suasione verba mandavimus: sed afflictio atque depulsio tanti viri, quem coram videtis, satis innuit quantum profecimus. Ad haec, fratres, quid sentitis? Quid decernitis? Dixerunt: Sententia plana est & judicium evidens. Si enim semel, si secundo, si tertio vocasti, & renuit audire, renuit disciplinam accipere; restat ut gladio S. Petri sub anathematis ictu percussus, quod meruit, sentiat, donec à sua pravitate discedat. Respondit: Ita est. Audiens haec Anselmus illico surrexit, & flexis genibus coram Papa, praefatum Regem jam tunc excommunicare parato, vix obtinuit ne in Regem faceret, quod communis omnium sententia promulgavit. Qui ergo bonitatem viri solo prius fuerant auditu edocti, nunc eam facto se experiri gavisi sunt; dum illum & pro malo bonum reddere, & pro persequente se non ficta vident prece intercedere. Admirabilis itaque universis factus est.

deprecatur anathema in Regem Angliae

C

37 Inter haec ego Patri per omnia praesens aderam, paratus videlicet ad servitium ejus. Et quia mihi ab infantia hic mos erat, semper nova quae forte, sed maxime in Ecclesiasticis, occurrebant, diligenti intentione considerare, ac memoriae commendare, dispositum Concilium, loca & ordines personarum, modos & examinationes causarum, curiosa fortasse magis quam sagaci mente & oculo hinc inde, utpote qui numquam prius talia videram, modesto intuitu consideravi. Ecce autem, cum illis intenderem, occurrit, quem antea bene noveram, d Archiepiscopus Beneventanus, cappa prae omnibus qui conventui ipsi intererant, pretiosiori decoratus: Papa enim non cappa, sed casula & pallio desuper redimitus, Concilio praesidebat. Ego igitur, intuens cappam Antistitis Beneventani, & eam, ut dixi, ceteris praestare perspiciens, recordatus sum verborum, quae puer à senioribus Ecclesiae nostrae, Edwio scilicet magnifico viro, Blachemanno atque Farmanno aliisque nonnullis olim audieram. Solebant etenim iidem memorabiles viri saepe narrare, quod, ipsis adolescentiae primordia agentibus, e Imma Regina, cujus in capite hujus operis habita mentio est, inter multa bona, quae Ecclesiae Christi Cantuariensi contulit, Brachio beati Apostoli Bartholomaei, ipsam Ecclesiam, disponente Domino suo Cnud Rege Anglorum, sublimaverit. Quae res, qualiter acta fuerit, hoc modo (quod per excessum coeptae narrationis dici patienter quaeso accipiatur) uno sensu, pari ordine referebant. Tempore ajunt, quo ipsa Domina, sicut Regina, in regno Anglorum magna & praepotens habebatur, Pontifex Ecclesiae Beneventanae venit in Angliam; quem, sicut ipse ferebat, immanis fames, certis praesagiis totam Apuliã afflictura, illo deduxerat; cupiens aliquo modo, si non posset toti Provinciae, saltem suis civibus tantum malum propulsare. Is iter ingressus, brachium B. Bartholomaei Apostoli secum tulerat, spe sibi certa promittens, se per illud multa lucraturum. Idem quippe brachium, ob hujusmodi necessitudinum contrahenda subsidia, in ipsa Ecclesiã Beneventi à reliquo corpore servabatur remotum. Episcopus itaque, transita Italia, venit in Galliam, quae sibi dabantur, grataanter ubique bona suscipiens. Audita vero diviti fama regni Anglorum, ratus est sibi eo progrediendum, ex aliorum eventibus sperans se illic amplius ceteris regionibus acquisiturum. Praefata quoque Regina magni nominis & divulgatae famae habebatur: quam bonitas sua, & qua super Ecclesias respiciebat largitas, ei pepererat. Pontifex igitur Angliam veniens, ipsam Reginam adiit; & illius allocutione potitus, quid detulerit, quam ob causam tam remotas orbis adierit partes, insinuavit. At illa hominibus caritativo labore ad misericordiã flexa, de suis ei copiosa largita est: & illum patriam remeare, nec non eis, quibus imminens famis periculum formidabat, subvenire hortata est. Sed ipse intelligens non sufficere sibi ad suum negotium quae habebat, eos quos magis familiares in curia ipsi Dominae esse acceperat, percunctatus est, utrum Os quod attulerat, dato pretio, Reginae in jus proprium transferre curae esset. Quid multa? Investigatur de re animus Dominę, & invenitur promptissimus esse, certam se tantummodo Episcopus faceret, ipsum Os nominati Apostoli revera fuisse, & taliter, ut ipsamet testaretur, sibi, sublata omni ambiguitate, satisfactum. Ad quod ille: Quo, inquit, modo. Super corpus, ait, Dominicum & super Sanctorum reliquias, quas ei proponam, jusjurandum, reliquias de quibus agitur, veraciter esse de corpore beati Apostoli Bartholomaei, & id remota omni aequivocatione atque sophismate faciat. Haec, inquit Episcopus, secure me facturum polliceor. Veniens itaque Cantuariam cum brachio ipso, prout illi Rex & Regina dictaverant, decenter susceptus est. Astante igitur ipsa, monachorũ quoque ac Clericorum immenso agmine eam vallante, inter quos

AUCTORE EADMERO

Eadmerus Scriptor, videns Archiepisc. Beneventanũ praesidere Concilio cum pretiosiore cappa,

d

e

E

intersérit, qua occasione brachium S. Bartholomaei sit delatum Cantuariam.

F

AUCTORE EADMERO

quos etiam supra memorati viri, à quibus hæc accepimus, se præsentes fuisse testati sunt, numerosaque utriusque sexus & ætatis multitudine ob hoc convolante & audiente, jurando super altare & Corpus Christi, necnon Sanctorum reliquias (quas B. Gregorium S. Augustino, aliosque Romanos Pontifices aliis Archiepiscopis destinasse fertur) asseveravit, ipsum Os, de quo sermo habebatur, B. Bartholomæi Apostoli proprium fuisse, nec ipsi assertioni suæ aliquid omnino sophismatis aut æquivocationis inesse. Quo facto, memorabilis Domina quamplures argenti libras Antistiti contulit, & Osse potita illud Ecclesiæ Christi Cantuariensi solenni donatione, ex parte Regis Cnudi suaque, concessit. Illis quippe diebus hic mos Anglis erat, patrocinia Sanctorum, omnibus seculi rebus anteferre. Pontifex quippe Sedis ipsius, Ægelnothus nomine inter reliqua quæ homini dedit cappam illi valde pretiosam, aurifrigio ex omni parte ornatam, dedit; quæ & illius Ecclesiæ decori, & Ecclesiæ Cantuariensis futuris temporibus tantæ rei existeret testimonio & probationi. Ego igitur cum, ut dixi, Concilio præsens Antistitem Beneventanum, cappa reliquis præstante ornatum viderem, & eam ex his quæ olim audieram optime nossem, non modice lætatus, & cappam & verba, mihi puero exinde dicta, Patri Anselmo ostendi. Mox celebrato Concilio, ubi Beneventanum ipsum adii & inter alia mutuæ dilectionis colloquia cœpi de eadem cappa loqui, & unde illam haberet quasi nescius interrogavi; summam rei exposuit; & eam, ordine quo descripsi, suam Ecclesiam ab Ecclesia Cantuariensi adeptam esse declaravit. Qua de re certior effectus, putavi aliquibus gratum hoc ipsum huic opusculo indere, licet propositum narrationis tramitem me hoc agendo, non nescirem excedere. Quo peracto, ad cœptum redeamus iter.

& dicta cappa donata Beneventanæ Ecclesiæ

B

Abit cum Papa Romam

38 Finito Concilio à Baro discessimus, comitatum Papæ Romam usque non deserentes. Interea revertit nuntius, quem à Roma ad Regem Angliæ destinatum supra diximus, referens ipsum Regem, susceptis quidem quoquo modo litteris Papæ, litteras Anselmi nullo voluisse pacto suscipere; imo cognito illum esse hominem ejus, jurasse per vultum Dei, quia si festine terram suam non exiret, sine retractatione oculos ei eruí faceret. Verum post dies aliquot, ex quo Romam reversi fuimus, venit missus à Rege Willielmus, cujus in exitu Angliæ mentionem fecimus, Domino Papæ ad litteras, quas pro Anselmo miserat, responsurus. Dicebat ergo Pontifici: Mandat tibi Dominus meus Rex, sibi non parvæ admirationi esse, quod vel in mentem tibi cadere potuit, ut eum pro restitutione rerum Anselmi, interpellares. Et subdidit: Si causam quæris, hæc est. Quando de terra sua discedere voluit, aperte minatus est, se illo discedente totum Archiepiscopatum in dominium suum accepturum. Quoniam igitur nec his minis constrictus, quin exiret omittere noluit; juste se putat fecisse quod fecit, & injuria reprehendi. Ad hæc Papa; Accusat eum, inquit, aliunde? Respondit: Non. Papæ! ait, Quis unquam audivit talia? Pro hoc solo, Primatem Regni suis omnibus spoliavit, quia ne sanctam omnium Matrem Ecclesiam Romanam visitaret, omittere noluit? Vere & sine omni ambiguitate dicere possumus, à seculo tale quid non esse auditum. Et pro tali responso mirabilis homo huc te fatigasti? Redi, quantocius, redi; & præcipe illi ex parte B. Petri, quatenus muta omni contradictione illum suis omnibus integre revestiat, si excommunicari recusat. Itaque fac, ut quid hinc velit, scire me faciat ante

ubi nuntius Regi Angliæ, causam spoliati Anselmi reddens,

C

nec eam probare Papa valens,

Concilium, quod tertia hebdommada Paschæ *f* in hac urbe sum celebraturus: alioqui certissime noverit, se in eodem Concilio damnationis sententia puniri, quam promeruit. At ille: Priusquam abeam, tecum secretius agam. Mansit ergo ibi per dies plurimos idem Willielmus, prudenter operam dando hos & illos suæ causæ fautores efficere: ac, ut Domini sui voluntati satisfaceret, munera, quibus ea cordi esse animadvertebat dispertiendo, & pollicendo, parvi habere. Deductus ergo à sententia Romanus Pontifex est: ac pro voto Willielmi, inducias usque ad festum S. Michaelis dedit Regi. *g* Acta sunt hæc in ipsis solenniis Nativitatis Christi.

D

f

inducias Domino suo impetrat,

g

39 Quod videntes, vane nos ibi Consilium, nihil allaturum, auxilii operiri intelleximus; petitaque licentia Lugdunum remeare decrevimus: quam licentiam cum nullatenus impetrare potuissemus, remansimus Romæ usque ad præfinitum tempus Concilii, continue circa Papam degentes, & quasi in commune viventes: nec enim duæ, sed una videbatur amborum curia esse: unde & ipse Papa frequenter ad Anselmum veniebat, læte cum eo sese agendo, & curiam faciendo ei. Dedit quoque illi hospitium, in quo conversabamur, eo jure ut si aliquando Romam rediret, contra omnes hominesillud sibi vendicaret. Ipse in conventu Nobilium, in processionibus, in stationibus, semper & ubique à Papa secundus erat, præ cunctis honoratus, cunctis acceptus, & ipse cunctis simplici humilitate submissus.

Anselmus, negata abeundi licentia,

E

interest Concilio Romano

40 Cum vero ad Concilium ventum esset; & Episcopis, qui de Italia & Gallia venerant, suas Sedes ex consuetudine vendicantibus, nemo existeret qui se vel audisse vel vidisse Archiepiscopum Cantuariensem Romano Concilio ante hæc interfuisse diceret, vel scire quo tunc in loco sedere deberet, ex præcepto Papæ, in *h* Corona sedes illi posita est, qui locus non obscuri honoris in tali conventu solet haberi. Igitur dum in ipso Concilio multa tractarentur, multa disponerentur, multa observari decernerentur, nec tamen ab omnibus partim propter conventus immensitatem partim propter intrantium & exeuntium à corpore B. Petri strepitum & concrepationem, clare intelligerentur; præcepit ipse Pontificum summus Lucensi Episcopo Reingero nomine, quatenus in medio ceteris eminentior stans, sonora qua pollebat voce, quæ statuta erant, cunctorum auribus expresse deponeret. Paret ipse præsidentis Imperio. Verum nonnullis ab eo capitulis in audientia omnium diserte expositis, subito admirantibus cunctis, vultu, voce, ac gestu corporis in alium habitum demutatus est: unde suorum luminum acie in circumsedentes directa, vulneratæ mentis dolorem ultra dissimulare non potuit. Rupta igitur decretorum serie, quæ exponenda susceperat, intulit dicens; Sed videlicet quid faciamus? Præceptis subditos oneramus, & iniquis tyrannorum sævitiis non obviamus. Oppressiones namque, quas ipsi sua tyrannide Ecclesiis inferunt, & expoliationes personarum, quæ tuendis illis institutæ sunt, quotidie ad hanc Sedem referuntur; consilia & auxilia, sicut à Capite omnium, requiruntur: sed quo terminentur effectu, heu! totus mundus novit & inde conqueritur. De hujus mundi remotissimis partibus unus ecce inter nos, modesta taciturnitate quiescens, mitis residet; cujus silentium clamor magnus est, cujus humilitas & patientia quo declivior atq; mansuetior, eo sublimior est ante Deum & in nos ferventior; iste unus, unus inquam iste, quam crudelissime afflictus, quam injustissime suis omnibus expoliatus, venit huc, judicium & æquitatem Apostolicæ Sedis de negotio suo efflagitans. Jam annus secundus est à quo huc venit; sed numquid hucusque subventionis

h

F

in quo pro eo perorat Episcopus Lucensis:

i

A subventionis invenit? Si de quo dico non omnes agnoscitis, ipse est Anselmus Archiepiscopus Anglicæ regionis. His dictis, virgam Pastoralem quam manu tenebat, tertio pavimento illisit, indignationem spiritus sui, compressis exploso murmure labiis & dentibus, palam cunctis ostendens. Ad hæc Papa ei innuens ait, Frater Reingere, Sufficit, sufficit: de hac re bonum consilium erit. At ille, producto in eum spiritu, inquit, Et equidem expedit: nam aliter eum qui justa judicat non transibit. Deinde ad perdicenda Concilii Decreta monitus, verba resumpsit; ac in fine dicendi, ne parvi penderetur injuria Anselmo illata, repetiit, monuit, & sessum ivit. Hæc omnia, cum Pater Anselmus audisset, & tandem circa finem verborum de se dicta intellexisset, oppido miratus est; sciens se nec homini de re locutum fuisse, nec à se vel ullo suorum, ut talia diceret, processisse. Sedebat ergo uti solebat, silenter auscultans.

41 Inter ultima vero Synodi, jam recisis quæ recidenda, & statutis quæ visa fuerant constituenda; in adversarios sanctæ Ecclesiæ, excommunicationis sententiam cum toto Concilio, Papa intorsit; qua sententia omnes quoque laicos, investituras Ecclesiarum dantes, & omnes easdem investituras de manibus illorum accipientes, necnon omnes in officium sic dati honoris hujusmodi consecrantes, pari modo involvit. Eos nihilominus sub ipsius anathematis vinculo colligavit, qui pro Ecclesiasticis honoribus laicorum hominum homines fiunt, dicens nimis execrabile videri, manus, quæ in tantam eminentiam excreverint, ut, quod nulli Angelorum concessum est, Deum cuncta creantem suo ministerio creent, & eumdem ipsum pro redemptione & salute totius mundi summi Dei Patris obtutibus offerant; in hanc ignominiam detrudi, ut ancillæ fiant earum manuum, quæ die ac nocte obscœnis contagiis inquinantur, rapinis ac injustæ sanguinum effusioni additæ commaculantur. His præsentes fuimus; hæc conspeximus; his, ab universis, Fiat, Fiat, acclamari audivimus; & in his consummatum Concilium scimus.

& sub excommunicatione prohibentur Investituræ, B

42 Postera die, accepta licentia, Româ digredimur; nil judicii vel subventionis, præterquam quod diximus, per Romanum Præsulem nacti. Via vero redeundi tunc temporis multis erat periculis obnoxia; sed, protegente nos Domino, pericula cuncta evasimus, ac Lugdunum illæsi pervenimus: ubi cum summa veneratione gaudioque suscepti, & à Pontifice civitatis detenti, mansionem nostram illic firmavimus, amissa omni fiducia ulterius, tempore Willielmi Regis, Angliam remeandi. Habitus est ergo ibi Anselmus, non sicut hospes aut peregrinus, sed sicut indigena & vere loci Dominus; unde nusquam ipse ipsius urbis Antistes, eo præsente, suo volebat loco præsidere; sed, præsidente ubique Anselmo, inferioris & Suffraganei loco simul & officio, mira ductus humilitate, fungebatur. Anselmus festivitates, sacros Ordines, Ecclesiarum dedicationes celebrabat, & Pontificalia quæque officia administrabat. Sed cum multi agnita benevolentiæ ejus amplitudine, ad eum concurrerent; & Sacramentum impositionis manus Episcopi ab illa sibi ac suis conferri deposcerent; ipse, qui in Episcopalium officiorum administrationibus semper nutum Pontificis expectabat, leni affabilitate respondebat, suum non esse tale quid in Parochia alterius Episcopi, eo inconsulto, præsumere. In quo eum ratione agi intelligentes, mox ad suum Episcopum nuntios dirigunt: &, qua benignitate vir ad suas preces responderit, innotescentes, orant illum rogari pro se. De re ergo à Pontifice appellatus, immo per totam Parochiam suam hoc & aliis Pontificalibus officiis in illius voluntatis deliberatione positis, omnes admittere, neminem ab ipsius gratia Sacramenti patiebatur immunem discedere. Fiebat itaque frequens populorum concursus, & nonnumquam in hoc solo expendebatur dies totus, ita ut nos, qui ei ministrabamus, gravi tædio sæpe fatigaremur, ipso semper jucundo vultu & hilari existente. Crevit autem in eum mira quædam ex his & inaudita dilectio omnium, & bonitas ejus divulgabatur per circuitum.

S. Anselmus vadit Lugdunum: C

eximie ab Archiepiscopo honoratus

rogatur Pontificalia in ejus diœcesi exercere.

AUCTORE EADMERO

43 Inter hæc, per populos fama dispersit Urbanum sedis Apostolicæ, Præsulem, præsenti vitæ modum fecisse. Siquidem prius obiit, quam quæ à Rege Anglorum pro causis Anselmi expectabat responsa susciperet. Qui decessus vitæ, ubi ejusdem Regis auribus insonuit, respondit: Dei odium habeat, qui inde curat. Adjecitque, Ille vero qui modo Papa *l* est, cujusmodi est? Cui cum in aliquibus Anselmo Archiepiscopo similis diceretur, ait, Per vultum Dei, si talis est, non valet. Verumtamen sit modo ipse per se, quia per hoc & hoc, Papatus suus non ascendit hac vice super me: ego interim libertate potitus, agam quod libet: nec enim putabat Apostolicum orbis posse in regno suo esse cujuslibet juris, nisi permissus à se. Qualiter ergo deinceps sese habuerit ad alia festinanti, scribere opportunum non est. Attamen libertate qua se potitum gloriatus est, non diu frui permissus est: prius enim quam annus transiit, insperata & subita morte percussus, eam perdidit. October namque audivit eum gloriantem; secunda dies sequentis Augusti vidit eum expirantē. Siquidem illa die mane pransus in silvam *m* venatum ivit, ibique sagitta in corde percussus, impœnitens & inconfessus è vestigio mortuus est, & ab omni homine mox derelictus. Quæ sagitta utrum, sicut quidam aiunt, jacta ipsum percusserit; an, quod plures affirmant, illum pedibus offendentem superque ruentem occiderit, disquirere otiosum putamus, cum scire sufficiat eum justo judicio Dei prostratum atque necatum *n*. Hic occurrit animo quid Rex iste quondam, ut supra retulimus, Roffensi Episcopo dixerit: videlicet quod Deus numquam eum bonum habiturus esset pro malo quod sibi inferret; & perpendo, quid postmodum Deus erga illum egerit, donec vitæ præsenti superfuit. Scitur enim quia ex quo illa verba, depulso languore, quo notum est, illum fuisse gravatum, protulit; tantum in deprimendo & subjugando inimicos, in acquirendo terras, in excercendo voluptates suas prosperatus est, ut omnia sibi arridere putares. Ventus insuper, & ipsum mare videbantur ei obtemperare. Verum dico, non mentior; quia cum de Anglia in Normanniam transire, vel inde rursum, prout ipsum voluntas sua ferebat, redire volebat; mox, illo adveniente & mari appropinquante, omnis tempestas, quæ nonnumquam immane sæviebat, sedabatur, & transeunti mira tranquillitate famulabatur. Quid amplius? Ita fateor in cunctis erat fortunatus, ac si verbis ejus hoc modo respondisset Deus: Si te pro malo, ut dicis, numquam bonum habebo; probabo an saltem pro bono possim te bonum habere; & ideo in omni, quod tu bonum æstimas, velle tuum adimplebo. Sed quid? In tantum ex successibus suis profecit, ut (sicut hi, qui factis ejus die noctuque præsentes extiterunt, attestantur) numquam vel de lecto surgeret, vel in lecto se collocaret, quin seipsum aut collocante aut surgente semper deterior esset. Quapropter dum nec malo corrigi voluit, nec bono ad bene agendum attrahi potuit, ne in perniciem bonorum diutino furore sæviret; compendiosa illum & momentanea cæde æquus Arbiter huic vitæ subtraxit.

interim obiit Urbanus Papa l

& Gulielmus Rex Angliæ. E m

n

F

ANNOTATA.

a Mense Octobri Papa Urbanus universam Synodum congregavit in civitate Bari, in qua fuerunt 183 Episcopi. *Ita Lupus Protospata, sed perperam notato anno 1099, nisi more Græcorum annum auspicetur à Septembri.*

b *Hoc est opusculum, cujus est mentio in Vita num. 10. lib. 2. tamquam in Barensi concilio laudati.*

c *An illud cui titulus*, Cur Deus homo? *cujus in Campania elaborati mentio fit præcitato libro 2. num. 43.*

d *Hic erat Roffridus, ex Principibus Longobardorum, qui sedit ab anno 1076, usque ad annum 1107.*

e Imma mater S. Edwardi, *ad cujus Vitam 5. Ianuarii plurima, de eo & Rege Cnud dicta, legi possunt. Ceterum Eadmerus principio libri 1 eum nominat dumtaxat.*

f *Anno ergo 1099, quando Pascha fuit celebratum 10 Aprilis: & littera Dominali B Dominica 3 in 24 ejusdem mensis cadebat.*

g *Male ergo hic inducitur à quibusdam* Concilium *aliquod* Romanum anno 1098 *celebratum, in quo induciæ hæ concessæ fuerint: neque post Concilium Barense aliud Concilium videtur habitum coram Urbano fuisse, quam id in quo, post Pascha sequentis anni 1099 celebrando, sententiam excommunicationis se laturum minabatur* Pontifex; *ultra quod nihilominus inducias concessit usque ad festum S. Michaelis; an*
B
primum, 8 Maji recurrens? an vero solennius alterum, 29 Septembris? Existimo secundum: quia licet prior terminus sufficiebat ut nihil à Concilio timeri deberet: infra tamen de morte Urbani agens auctor, eamque dicens prius obitam quam responsum ex Anglia expectatum veniret; satis indicat, se hic posteriorem terminum intelligere: quandoquidem ille obierit duobus mensibus post primum, scilicet 29 Iulii.

h *Quæ pictura Tridentinam aut similes Synodos exhibent, repræsentant sedilia sic disposita, ut in capite sedeat Pontifex cum suis aut Legati Pontificii: ex utroque autem latere producta scamna demum in hemicyclum coeant: qui hemicyclus videtur hic*, Corona *appellari, atque adeo plane ex opposito Papa sedisse Anselmus: de quo scribit Gervasius Dorobernensis in Ms. apud Seldenum*, Alterius orbis Papam *vocatum ab Urbano.*

C
i Reingerus, *aliis* Ringerius *&* Rangerius *vixit usque ad annum 1112. Extant Mathildis Reginæ ad eum epistolæ.*

k *Secundus annus ab adventu S. Anselmi Romam, non finitus, sed inchoatus dumtaxat, hic intelligi debet; uti ex dictis apparet.*

l *Paschalis II, creatus 12 Augusti.*

m Novam forestam *auctores vocant.*

n *Pluribus rem describit Odoricus Vitalis lib. 10. Abbas autem* Sugerius *coævus, excusat operose Gualterum Tyrellum, nobilem Francum, cui ictum imputabant aliqui; suo juramento asserentem, quod illa die nec in illam silvæ partem venerit, nec Regem viderit.*

LIBER III.

CAPUT I.

Henrico Rege facto reditus ad Archiepiscopatum: nuptiæ Regis celebratæ: regnum contra Robertum fratrem stabilitum.

Secundo *a* itaque anno, ex quo à Roma Lugdunum venimus, qui erat nostri exilii annus tertius, venerunt ad Anselmum, jam tertium diem in cœnobio quod *b* Casa Dei dicitur agentem, duo monachi, unus Cantuariensis & alter Beccensis, nuntiantes ei jam sæpe memorati Willielmi Regis vitæ excessum. Quo ille vehementi stupore percussus, mox est in acerbissimum fletum concussus. Quod videntes admirati admodum sumus: at ille, singultu verba ejus interrumpente, asseruit in ipsa veritate, quam servum Dei transgredi non decet; quia, si hoc efficere posset, multo magis eligeret se ipsũ corpore, quam illum sicut erat, mortuum esse. *(S. Anselmus de fletu obitum Regis:)*

2 Nobis post hæc Lugdunum reversis, ecce alius è Fratribus Ecclesiæ Cantuariensis advenit, litteras deferens, preces offerens, quibus obnixe ab Anglorum Matre Ecclesia interpellatur, quatenus, extincto tyranno, filios suos, rupta mora revisere consolarique dignetur. Audito igitur de re consilio memorati reverendi Hugonis, ipsius urbis Episcopi, iter Angliam remeandi ingressus est; ipso Pontifice, & toto populo terræ super hoc dolente, & nisi rationi contrairet, modis omnibus, ne fieret, prohibere volente: magno namque solatio se in discessu ejus destitui videbant. Prosecuti autem illum sunt de villa in villam, per plures dies tam viri quam mulieres, singuli certatim currentes, & pro sua desolatione gemebundas voces edentes. Necdum pervenimus Cluniacum, & nihilominus alter nuntius, ex parte novi Regis Anglorum & Procerum regni, Patri occurrens, moras ejus in veniendo redarguit; totam terram in adventu ejus attonitam, & omnia negotia regni ad audientiam & dispositionem ipsius referens pendere dilata. Cujus verba litteræ Regis, quas attulerat, attestantes, & dicta plenius explanantes, preces & vota ipsius Regis, virum festinato venire magnopere postulantis, & seipsum regnumque suum ejus consilio ac moderamini se subjecturum pollicentis; continebant. Hæc, & hujusmodi plura quam dicere velim, nos ad patriam properare coëgerunt. E *(à Cantuariensibus revocatus,)* *(& litteris Regis Henrici invitatus)* F

3 Prosperrimo itaque cursu marina pericula trasvecti, nono Kal. Octobris Dofris appulimus, & ingenti gaudio totam terram in adventu Anselmi exultantem reperimus. Quædam etenim quasi novæ resurrectionis spes singulorum mentibus oriebatur, qua & ab oppressione calentis adhuc calamitatis se quisque liberandum, & in statum optatæ prosperitatis aditum sibi pollicebatur. Quæ spes inde maxime procedebat, quod Henricus, qui tunc noviter Fratri defuncto in regnum successerat, in ipso suæ consecrationis die, bonas & sanctas omni populo leges se servaturum; & omnes oppressiones & iniquitates, quæ sub fratre suo emerserant, in omni sua dominatione, tam in Ecclesiis quam in secularibus negotiis, prohibiturum & subversurum spoponderat; & hæc omnia jurisjurãdi interjectione firmata, sub monumento litterarũ, sigilli sui testimonio roboratarũ, per totum regnũ divulgatũ iri præceperat. Præsentia nihilominus cõmunis omnium Patris jam ipsi spei non parum roboris apud hominum mentes adjiciebat, *(Dubris venit 23 Sept. magno omnium gaudio.)*

A adjiciebat, constantem illius probitatem agnoscentium, & sancta quædam ad reformandum Christianæ Religionis statum, qui post obitum venerandæ memoriæ Lanfranci Archiepiscopi in multis deciderat, proxime ab eo prodire & statui arrectis sensibus expectantium.

Dissentit à Rege ob investituram:

4 Sed cum post paucos sui reditus dies Serberiam ad Regem venisset, & ab eo gaudenter susceptus, rationi illius e qua se excusavit, cur in suscipienda Regiæ dignitatis benedictione, illum, cujus juris eam esse sciebat, non expectaverit, acquievisset; postulatus est pro consuetudine antecessorum suorum Regi hominium facere, & Archiepiscopatum de manu ejus recipere. Quibus cum ille nequaquam se aut velle aut posse assensum præbere responderet; interrogantibus, Quare? statim quid super his & quibusdam aliis in Romano Concilio acceperit, manifesta relatione innotuit; itaque subinferens ait, Si Dominus Rex ista suscipere, & suscepta servare voluerit, bene inter nos & firma pax erit: sin autem, non video remanere meum in Anglia utile fore vel honestum, præsertim cum, si Episcopatus aut Abbatias dederit, privari me penitus tam à sui quam & eorum qui susceperint communione necesse sit. Nec enim ea de causa Angliam redii, ut si B ipse Romano Pontifici obedire nolit, in ea resideam. Unde quid velit, precor, edicat; ut sciam, quo me vertam. His Rex auditis graviter conturbatus est. Grave quippe sibi visum est Investituras Ecclesiarum & hominia Prælatorum perdere; grave nihilominus Anselmum à regno, ipso nondum in regno plene confirmato, pati discedere. In uno siquidem videbatur, sibi quasi dimidium regni perderet; in alio verebatur, ne fratrem suum Robertum, qui tunc de Jerusalem Normanniam redierat, Anselmus adiret, & eum in Apostolicæ Sedis subjectionem deductum, quod facillimum factu sciebat, Regem Angliæ faceret. De verbis igitur altrinsecus motis induciæ usque Pascha petitæ sunt; quatenus utrimque Romam mitterentur, qui Decreta Apostolica in pristinum regni usum mutarent; &, interim, Ecclesiis Angliæ in quo erant statu manentibus, Anselmus redditis terris, quas Rex mortuus Ecclesiæ Cantuariensi abstulerat, suis omnibus revestiretur; sicque fieret, ut si à sententia flecti Papa nequiret, totius negotii summa in eum quo tunc erant statum rediret. Hæc Anselmus, quamvis frivola esse, & in nihil utile tendere sciret, atque prædiceret; tamen ne novo Regi seu Principibus ullam contra se suspicionem de Regni translatione aut aliunde incuteret, precibus illorum passus est vinci; & quod volebant, annuit; dimissaq; curia in pace ad sua secessit.

inducias admittit dum Romæ responsum petatur.

C

In controversia conjugii regii prudenter progreditur,

5 Hinc paucis diebus interpositis, Mathildis, filia Malcholmi nobilissimi Regis Scotorum, & Margaretæ, quæ scitur exorta de semine Regum Anglorum, nupsit præfato Henrico Regi Anglorum. Ipsa quippe Margareta filia fuit Edwardi, filii Regis Edmundi, qui fuit filius Regis Ethelredi, filii gloriosissimi Regis Eadgari, cujus mox in capite hujus operis mentio facta est. Negotium itaque ipsius copulæ, licet propositi operis intentionem, ut quibusdam forte videtur, haudquaquam respiciat, tamen quia per Anselmum administratum est (nam & eos in conjugium benedixit, & illam pariter in Reginam consecravit) brevi autumo describendum qualiter actum sit. Hoc autem ea re nobis maxime in voluntatem cecidit, quoniam Anselmum in hoc à rectitudine deviasse nonnulla pars hominum, ut ipsi audivimus, blasphemavit. Siquidem eadem Mathildis, inter sanctimoniales in monasterio ab infantia nutrita & adulta, credebatur à multis in servitium Dei à parentibus oblata, eo quod publice visa fuerat earum inter quas vivebat more velata. Quæ res, dum illa jam olim, dimisso velo, à Rege amaretur, cum plurimorum ora laxaret, & eos à cupitis amplexibus retardaret; ipsa Anselmum, cujus in hoc nutum omnes expectabant adiit, consilium de negotio & auxilium summissa prece quæsivit. Cui ille famam quæ ferebatur injiciens, affirmabat nulla se unquam ratione in hoc declinandum, ut suam Deo sponsam tollat, & eam terreno homini in matrimonium jungat. Refert illa, & penitus se negat oblatam; negat etiam se vel semel aliquando sua voluntate fuisse velatam, & hæc si credere aliter nolit, offert se judicio totius Anglorum Ecclesiæ probaturam. Attamen, inquit, me velum portasse non abnego. Nam cum adolescentula essem, & sub amitæ meæ Christianæ, quam tu bene nosti, virga paverem; illa servandi corporis mei causa, contra furentem & cujusque pudori ea tempestate insidiantem Normannorum libidinem, nigrum panniculum capiti meo superponere, & me illum abjiciente acribus verberibus & nimium obscœnis verborum convitiis sæpe cruciare simul & dehonestare solebat. Quem pannum in ipsius quidem præsentia gemens ac tremebunda ferebam: sed mox, ut me conspectui ejus subtrahere poteram, arreptum in humum jacere, pedibus proterere, & ita quo in id odio fervebam, quamvis insipienter, consueveram desævire. Isto, non alio modo, teste conscientia mea, velata fui. Ac si me oblatam quisque dicet; & hoc quale sit ex eo colligi potest, quod, sicut plurimi qui adhuc super sunt noverunt, Pater meus cum me, quemadmodum dixi, velatam forte vidisset; furore succensus, injecta manu velum arripuit, & dissipans illud, odium Dei imprecatus est ei qui mihi illud imposuit; contestans se Comiti Alano e me potius in uxorem, quam in contubernium sanctimonialium prædestinasse. Hæc est unde calumnior ratio mea: quam quæso perpendat prudentia tua, & agat pro me sicut novit agendum paternitas tua. Quid plura? Differt Anselmus sententiam ferre, & causam judicio religiosarum personarum regni determinandam pronuntiat. Statuto itaque die coëunt ad nutum illius, Episcopi, Abbates, Nobiles quique, ac religiosi ordinis viri in villa S. Andreæ de Rovecestra, quæ Lambeta vocatur, quo & ipsum præsentis negotii tunc tenor adduxerat. Causa igitur juxta præscriptam seriem in medium deducta est. Prodeunt hinc inde idonei testes, verba puellæ, puræ veritati subnixa, protestantes. Accedunt istis Archidiaconi duo, Willielmus videlicet Cantuariensis, & Humbaldus Serberiensis, quos Pater Anselmus f Wiltuniam, ubi illa fuerat educata, pro hujus rei certitudine rimanda direxerat: qui publica voce testati sunt, se & rem à Sororibus diligentissime perquisisse, & nil quod relatæ rationi obsisteret, ab eis capere potuisse. Monet ergo Anselmus & per Christianam obedientiam omnibus imperat, ut nullum à veritate favor aut timor deflectat: sed sicut revera causæ Dei, quo juste determinetur, unusquisque pro viribus opem ferat: ne, quod absit, aiens, talis judicii sententia prodeat, cujus exemplo in superventuris temporibus, vel sua quilibet libertate non jure privetur; vel Deus his, quæ sui juris esse debent, injuria defraudetur. Acclamant omnes, ita faciendum, & se non aliter facturos spondent. Remoto itaque à Conventu solo Patre, Ecclesia Angliæ quæ convenerat in unum de proferenda sententia tractat. Deinde illo in medium reverenter adducto, expositum est quid de negotio communis omniũ consensus invenerit. Ratum aiunt perspecta re sibi videri, & ad hoc

AUCTORE EADMERO

Sponsa erat Mathildis, filia Regis Scotiæ.

in monasterio olim coacta velū capiti imponere:

E

e

F

f

quam coëtu Episcoporum,

AUCTORE EADMERO

hoc comprobandum paratos se asserunt, nulla sententia posse puellam pro causa sua jure constringi, quin libertate corporis sui, quocumque modo legaliter velit, valeat uti. Quod licet, inquiunt, levi argumento probare possemus, eo tamen cum opus non sit, supersedemus, nostris argumentis firmiorem tenentes parem judicii hujus sententiam à venerandæ memoriæ Prædecessore vestro, & Patre & Magistro nostro Lanfranco, simili de causa, promulgatam. Nam quando ille magnus Willielmus hanc terram primo devicit, multi suorum sibi pro tanta victoria applaudentes, omniaque suis voluntatibus atque luxuriis obedire ac subdi debere autumantes, non solum in possessiones victorum, sed & in ipsas matronas & virgines, ubi eis facultas aspirabat, nefanda libidine cœperunt insanire. Quod nonnullæ prævidentes, & suo pudori metuentes, monasteria virginum petivere, acceptoque velo sese inter ipsas à tanta infamia protexere. Quæ clades, cum postmodum sedata & pro temporis qualitate pax rebus data fuisset, quæsitum ab eodem Patre Lanfranco est, quid de his, quæ tali refugio suam pudicitiam servaverunt, ipse sentiret; essentne videlicet constringendæ in monasterio velum tenere quod acceperant, necne. At ipse quæstionem ipsam consilio generalis Concilii taliter solvit, ut eis pro castitate, quam se tam manifestæ rei ostensione amare testatæ fuerant, debitam magis reverentiam judicaret exhibendam; quam ullam servandæ religionis continentiam, nisi propria illam voluntate appeterent, violenter ingerendam. Et adjunxerunt. His interfuimus, hæc approbari à sapientibus viris audivimus, & hæc in præsenti negotio valere volumus ac roborari postulamus. Licet enim sciamus causam illarum istius esse leviorem, dum illæ sponte, ista coacta pari de causa velum portaverit; tamen ne quis nos favore cujusvis duci existimet; non ultra progredi in judicio volumus, hoc solo contenti, ut quod valuit in majori valeat in minori. Tunc Anselmus ad hæc: Scitis quid monuerim, quid præceperim, quidque polliciti sitis. Cum igitur secundum quod vobis visum est justius in commune judicaveritis, sicut asseritis, ego judicium vestrum non abjicio, sed eo securius illud suscipio, quo tanti Patris autoritate suffultum audio. Illa dehinc in medium ducitur, gesta comi vultu audit & amplectitur, auditum sibi præstari paucis precatur. Loquens ergo obtulit se vel sacramento vel alia quam magis eligerent ecclesiastica lege, probaturam, solidæ veritati subnixam esse jam definitam rationem suam. Quod non propterea facturam fatetur, quasi sibi non creditum esse putet; sed ut malevolis hominibus omnem deinceps blasphemandi occasionem amputet. Respondetur, nihil horum opus esse, quoniam si malus homo de malo thesauro cordis sui protulerit mala, dicto citius opprimetur ipsa veritate, jam tantarum personarum astipulatione probata & roborata. Allocutione posthæc & benedictione Anselmi potita abiit, & pauculis diebus evolutis fit, ut dixi, Regina & conjunx. Verum cum ipsa conjunctio juxta ritum Ecclesiæ fieri firmarique deberet, Pater ipse totam regni Nobilitatem populumque minorem, pro hoc ipso circumfluentem, necnon pro foribus Ecclesiæ Regem & illam circumvallantem, sublimius ceteris stans in commune edocuit, quo ordine causa virginis, quam fama vulgarat, per Episcopos & Religiosas personas ventilata fuit & determinata. Quo facto, monendo, autoritate Dei præcepit, quatenus si quis aliter de negotio illo sentiret, ac sententia tulerat (unde scilicet ipsam copulam, secundum legem Christianam, fieri non debere posset ostendi) nihil hæsitans, salva pace omnium, coram proferret. Ad quæ, cunctis una clamantibus, rem juste definitam, nec in ea quid residere, unde quis, nisi forte malitia ductus, jure aliquam posset movere calumniam; legitime conjuncti sunt, honore quo decuit Regem & Reginam. En ordinem gestæ rei, teste conscientiæ meæ veritate, sicut eam præsens audivi & vidi in nullam partem declinando descripsi, verba puellæ ita dumtaxat in medio ponens, ut non asseram vera extiterint necne. Si ergo quis in istis Anselmum contra æquum aliquid egisse dicere ultra voluerit, ipse viderit. Nos vero, qui cor ejus in hoc & in multis agnovimus, testimonium ei perhibemus, quia sicut ipse fateri solebat, nec scire nec posse illo tempore habuit, quomodo in hac re melius aut æquius faceret quam fecit. *g*

B *exemplo Lanfranci,*

declarat liberam:

C

& Anselmus post iteratũ bannum Regi conjungit.

6 Eodem anno venit in Angliam Guido Archiepiscopus Viennensis, functurus, ut dicebat, Legatione totius Britanniæ, ex præcepto & auctoritate Apostolicæ Sedis. Quod, per Angliam auditum, in admirationem omnibus venit: inauditum scilicet in Britannia cuncti scientes, quemlibet hominum super se vices Apostolicas gerere nisi solum Archiepiscopum Cantuariæ. Quapropter sicut venit ita reversus est, à nemine pro Legato susceptus, nec in aliquo Legati officio functus. Exinde, cum ad tempus induciarum *h* Pascha ventum esset, & qui Romam missi fuerant Nuntii necdum redissent, usque ad adventum illorum induciæ dilatæ sunt.

g

Legatus Apostolicus re infecta revertitur.

E *h*

7 In subsequenti autem solennitate Pentecostes, adventus Comitis Roberti, fratris Regis, in Angliam prævia fama totam Regalem Curiam commovit, & quorumdam animos, ut postmodum patuit, in diversa permovit. Rex igitur Principes, & Principes Regem suspectum habentes; ille scilicet istos, ne à se instabili, ut fit, fide dissilirent; & isti illum formidando, ne undique pace potitus, in se legibus efferatis desæviret; actum ex consulto est ut certitudo talis hincinde fieret, quæ utrimque quod verebatur excluderet. Sed ubi ad sponsionem fidei Regis ventum est, tota regni nobilitas cum populi numerositate Anselmum inter se & Regem medium fecerunt, quatenus ei vice sui, manu in manum porrecta, promitteret, justis & sanctis legibus se totum regnum quoad viveret in cunctis administraturum. Hoc facto sibi quisque quasi de securitate applaudebat. Postquam autem certitudo de adventu fratris sui Regi innotuit, mox ille, coacto exercitu totius terræ, ipsi bello occurrendum impiger statuit. Exercitus vero grandis erat atque robustus, & circa Regem fideliter cum suis in expeditione excubabat Pater Anselmus. At ubi Robertum ipsum cum sociis transfretasse insonuit; statim majores regni, quasi suæ sponsionis immemores, ad illum relicto Rege, semet transferre parabant. Quod sic esse Anselmus certo relatu agnoscens, doluit; eoque magis, ne quid adversi Regi accideret, intendere cœpit. Sed talis vir, quid de talibus ageret, ignorabat: nullum enim de tali crimine publice poterat calumniari, dum nulli testes adessent; & crimen ipsum non audebat reticendo nutrire, ne perjuri effecti Regem seducerent. Rex ipse, non modo de Regni amissione, sed & de vita sua suspectus, nulli credere, in nullo, excepto Anselmo, fidere valebat: unde sæpe ad illum venire, Principes quos magis à se labi timebat illi adducere; quatenus audito verbo illius, & ipse à formidine relevaretur, & illis metus, si à fide quam sibi spoponderant aliquatenus caderent, incuteretur. Ipse igitur Anselmo jura totius Christianitatis in Anglia exercendæ se relicturum, atque decretis & jussionibus Apostolicæ Sedis se perpetuo obediturum summopere promittebat. Quibus ita se habentibus Ansel-

Ne ad Robertum fratrem Regis

declinent Principes

F

nutus S. Anselmi auctoritate continentur,

A Anselmus adunatis Principibus cunctis, omnem circumfusi exercitus multitudinem simul & eos, i silita omni calumnia, quam execrabiles Deo & omni bono homini forent, qui fidem quam Principi suo debebant quoquo modo violarent, ita indissolubili verborum ratione edocuit; ut cuncti, perspecto ipsum via virtutis incedere, illico spreta vita non sequius eligerent morte procumbere, quam violata fide sua Regem seducere. Quapropter indubia licet assertione fateri, quoniam si post gratiam Dei fidelitas & industria non intercessisset Anselmi, Henricus Rex ea tempestate perdidisset jus Anglici regni. Robertus igitur amissa fiducia, quam in Principum traditione habebat, & non levem deputans excommunicationem Anselmi, quam sibi ut invasori (nisi cœpto desisteret) invehi certo sciebat; paci acquievit, & in fraternum amorem reversus est, exercitusque in sua dimissus.

ANNOTATA.

a *Anno Christi* 1100.

B b *De Casa-Dei, monasterio in Arvernis, infra agetur* 24 *Aprilis, ad Vitam S. Roberti, Abbatis primi & fundatoris.*

c *Causa rationabilis esse potuit metus à Roberto fratre primogenito, haud dubie aliquid molituro pro regni paterni recuperatione: Regem ergo benedixit Archiepiscopus Eboracensis Thomas, anno* 1100, 5 *Augusti, post obitum Guilelmi die tertia, qui & ipse sequenti mox Novembri obiit.*

d *Colitur S. Margareta Regina* 10 *Iunii, etiam Martyrol. Rom. inscripta.*

e *Celebris apud Historicos est* Alanus, Comes *Britonum Armoricorum, inter principia Normannici Dominatus in Francia, matre Normannica procreatus: videtur autem conjectura probabilis fundari in communi Anglorum Scotorumque odio adversus Britones, quod hic vel* Alanus Comes *dicatur proverbialiter, pro magno Scotici nominis hoste; vel aliquis primi illius fortasse nepos, & Scotis æque abominatus, significetur.*

f Wiltonia *Episcoporum sedes, antequam ea Saribuiriam sub Regibus Normannis transferretur. Hic Eadgarus Rex prænominatus monasterium Virginum magno studio condiderat, uti scribit Ethelredus Abbas Rievallensis in Genealogia Regum Anglorum, edita cum* x *scriptoribus.*

g *Herimannus, Abbas tertius S. Martini in civitate Tornacensi, in tractatu Ms. de sui monasterii restauratione, testatur adolescentem se adfuisse, audivisseque ea quæ ad hoc matrimonium dissuadendum dixit S. Anselmus, & quam* C *veraciter prophetaverit minime felix futurum. Verba ejus integre hic juvat attexere, quia aliquas circumstantias ab Eadmero diversas continent, & rem totam ad Anselmi laudem magis illustrant: sic ergo habet:* De quo Henrico quia mentionem feci & alius referendi locus non erit, licet multum à cœpta narratione digredi videar, quiddam tamen dignum memoria dicam. Hic ergo confirmatus in regno, voluit conjugem habere puellam quamdam, filiam Regis Scotiæ: dixitque D. Anselmo, tunc temporis Cantuariensis urbis venerabili Archiepiscopo, ut eam sibi benediceret, & solennibus nuptiis benedictam in conjugium sociaret. Respondit Archiepiscopus se nolle eam benedicere, nec suo consilio Regem in conjugium eam sibi sociaturum, cum velum sanctimonialium, sicut ipse pro vero audiverat, gestasset super caput suum, quo se cælestis potius quam terreni Regis monstrasset fore sponsam. Rex econtra dixit se promisisse ac etiam jurejurando confirmasse patri ejus, quod eam conjugem duceret; ideoque pro conservando juramento suo se eam non dimissurum, nisi canonico judicio fuisset determinatum: præcepitque ut ascito Eboracensi Archiepiscopo congregaretur concilium Episcoporum, Abbatum & ecclesiasticarum personarum totius Angliæ, ad definiendum ecclesiastica censura tantum negotium. In generali ergo concilio requisita est Abbatissa illa, in cujus monasterio puella illa fuerat nutrita, utrumne revera more sanctimonialium, velo capiti imposito, benedictione Episcopali fuisset consecrata. Respondit Abbatissa publice coram omnibus: Revera pater ejus mihi eam commendavit, non ut sanctimonialis fieret, sed solummodo ut in ecclesia nostra propter cautelam, cum ceteris puellis nostris extraneis, nutriretur & litteris erudiretur. Cum autem adolevisset, nuntiatum est mihi quodam die, Regem Guilielmum, Domini mei Henrici germanum, qui tunc vivebat, propter eam videndam venisse; jamque cum militibus suis ante januam ecclesiæ nostræ descendisse, utque januæ sibi orandi gratia aperirentur præcepisse. Hæc audiens nimiumque perterrita, ne forte illa, ut juvenis, [Regi placeret]; & Rex indomitus, qui omne quod sibi occurrisset illico facere volebat, visa pulchritudine puellæ aliquam ei illicitam violentiam faceret, qui tam improvisus & insperatus propter eam videndam advenisset; in secretius cubiculum E eam introduxi: rem sicut erat ei aperui, eaque volente velum unum capiti ejus imposui, quatenus eo viso Rex ab illicito complexu revocaretur. Nec me fefellit spes mea. Rex siquidem, propter inspiciendas rosas & alias florentes herbas, claustrum nostrum ingressus; mox ut eam vidit, cum ceteris puellis nostris velum capite gestantem, exivit, & ab ecclesia recessit; aperte ostendens, se non nisi propter eam venisse. Cum autem pater puellæ infra eamdem hebdomadam ad ecclesiam nostram venisset, velumque super caput filiæ suæ vidisset; iratus velum conscidit, & ad terram projectum pedibus suis conculcavit; filiamque suam secum reduxit. Inquisita deinde Abbatissa, quot annorum tunc fuisset puella; respondit, duodenûm esse potuisse. Tunc Rege monente Archiepiscopum, ut juberet juxta hoc judicium fieri; Episcopi & Abbates, consilio accepto lectisque diversis capitulis Canonum, in commune judicaverunt, pro hujusmodi facto non esse prohibendum conjugium; cum quamdiu infra legitimam ætatem sub tutela patris fuerat, nil ei sine assensu ejus facere licuerat. Finito judicio Rex interrogavit Archiepiscopum, si quid in eo vellet calumniari. Respondit D. Anselmus, se non illud calumniatarum, cum revera secundum canonum decreta judicassent. Tunc Rex, Quandoquidem, inquit, judicium laudatis, volo ut mihi puellam desponsetis. Sed D. Anselmus; F Judicium, inquit, non reprehendo; sed si Majestas vestra mihi credere vellet, ut eam non duceretis consulerem: cum quomodocumque contigit, tamen velum super caput portavit; & sufficienter de filiabus Regum aut Comitum vobis invenire possetis. Rege vero in eo quod conceperat perseverante, subjunxit ille vir sanctissimus: Vos quidem, Domine Rex, consilio meo prætermisso, facietis quod vobis placuerit: sed qui diutius vixerit, puto quod videbit Angliam non diu gavisuram de prole, quæ de ea nata erit. Hæc ego adolescens eum dixisse audivi, nunc vero magna ex parte video jam contigisse. Rex itaque de ea duos filios & unam filiam genuit, è quibus filii jam adolescentes, dum ex Normannia in Angliam redirent, fracta nave cum aliis multis in mari perierunt; filiam vero cum multis opibus sibi à patre transmissam Henricus Imperator conjugem duxit, nuptiasque Leodii cum magna gloria celebravit: sed uno filio ex ea genito, celeri morte præventus eam viduam reliquit, quæ viduata rursus Comiti Andegavensi nupsit. Cum subito patre ejus in urbe Rotomagensi defuncto, Anglorum proceres Stephanum

Marginalia: AUCTORE EADMERO. — *audita Abbatissa Wintoniensi,* — *occasionem impositi veli enarrante,* — *ex sententia Concilii* — *liberam puellam pronuntiaris, conjugium tamen dissuaserit;* — *de suscipienda prole vaticinatus ex vero,* — *Herimannus Abbas oculata fide* — *narrat quomodo Anselmus*

AUCTORE EADMERO

num Comitem Boloniensem, Theobaldi Comitis Campaniensis germanum, super se Regem constituunt. Unde Robertus, Henrici Regis ex concubina filius, graviter indignatus, contra eum palam rebellavit; eumque prælio captum in quodam castello, quod sibi pater suus dederat, vinctum reclusit; & sorori suæ, ut cum filio suo citius in Aangliam transiret & regnum paternum susciperet, mandavit. Illa putans se cuncta prospera reperturam, celeriter pertransivit: sed secus quam crediderat, invenit: nam conjux Stephani, Principibus sibi junctis, fortiter ei restitit. Ipse quoque Stephanus, post paucos dies quibusdam pactionibus Roberto reconciliatus & de vinculis eductus, rursus Anglorum regnum obtinuit. Sicque filia Regis Henrici, vana spe se delusam fore ingemuit. Et futurorum quidem incerti sumus: hoc vero unum aperte videmus, secundum Prophetiam D. Anselmi, non diu gavisam esse Angliam de prole illius Reginæ, quæ post velum portatum Henrico nupserat: imo diutina seditione vastaram ac oppressam, de pristinis divitiis ad magnam paupertatem devenisse. Non ergo contemnenda, sed potius reverenda & timenda sunt verba sapientium & Ecclesiæ Prælatorum; cum & supradictam prophetiam Leonis Papæ de Balduino Comite Flandrensi, qui consanguineam suam duxit; & sequentem D. Anselmi de Rege Anglorum, veras fuisse manifestum est. *Hactenus Hermannus, utique ante annum 1153 quo Stephanus Rex obiit: cujus verbis illustrandis immorari non vacat; unum dicimus ea habuisse nos transcripta ex originali à Iosepho Ignatio de S. Antonio Carmelita Discalceato, in iisque corrigendum fuisse errorem, quo identidem pater puella vocabatur* Rex David, *qui frater fuit; nec nisi anno ab obitu patris 24, ab hisce nuptiis 20, Christi vero 1121 regnum obtinuit, omnium filiorum Malcolmi natu minimus.*

non diu ea gavisuram Angliam.

B

h *Anno 1101 Pascha celebratum fuit 21 Aprilis.*

i Silitus, *participium passivum à* Sileo, *prisca Latinitati ignotum, etiam S. Augustinus usurpavit. de Civit. lib.* 16; Deinceps usque ad Abraham de justorum aliquorum commemoratione, qui pie Deum colerent, silitum est per annos amplius quam mille.

CAPUT II.

Orta dissensio apud Regem ob Investituram. Vtrimque missi nuntii Romam.

C

Roma allato responso Paschalis Papæ

8 ITaque posthac, dum omnes intenti expectarent aliquid tanto beneficio dignum in Anselmum à Rege processurum; ecce ad Curiam Regis venire mandatur, responsurus de negotio, quo de induciæ dilatæ fuerunt. Nuntii quippe jam Roma reversi, litteras à Paschale Papa, qui Urbano successerat, Regi destinatas attulerunt: quæ quid in se continuerint, textus earum subterannexus declarabit.

9 Paschalis Episcopus, Servus Servorum Dei, Dilecto filio Henrico Regi Anglorum, salutem & Apostolicam benedictionem. Legationis tuæ verba, fili charissime, gratanter excepimus; sed vellemus obedientiam promittentis. In quibus nimirum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ illa in tuo regno pollicebaris, quæ tempore tui patris habuerat; eos requirens honores, quos antecessorum nostrorum tempore pater tuus habuerat. Quæ profecto omnia grata in superficie viderentur: interius requisita, & Legati tui vocibus exposita, gravia & vehementissima paruerunt. Quærebas enim, ut tibi Episcoporum Abbatumque per investituram constituendorum jus & facultas à Romana indulgeretur Ecclesia, & quod per se solum fieri omnipotens Dominus perhibet, hoc Regiæ potestatis fieret: Ait enim Dominus, Ego sum ostium; per me si quis introierit salvabitur. Cum autem Ecclesiæ ostium Reges esse arrogant, fit profecto, ut qui per eos Ecclesiam ingrediuntur, non pastores, sed fures & latrones habeantur; eodem Domino dicente, Qui non intrat per ostium in ovile ovium, sed ascendit aliunde, fur est & latro. Et quidem si à nobis magnum aliquid tua dilectio postularet, quod cum Deo, cum justitia, cum nostri Ordinis salute concedi posset, gnaviter utique concederemus: hoc vero tam grave, tam indignum est, ut nulla ratione Catholica id admittat Ecclesia. Facilius ad extrema quælibet B. Ambrosius cogi potuit, quam Imperatori Ecclesiæ permittere potestatem. Respondit enim: Noli gravare te, Imperator, ut putes in ea quæ divina sunt Imperiale aliquod jus habere: noli te extollere; sed si vis diutius imperare, esto Dei subditus. Scriptum est, Quæ Dei Deo, quæ Cæsaris Cæsari. Ad Imperatorem palatia pertinent, ad Sacerdotem Ecclesiæ; publicorum tibi mœnium jus commissum est, non sacrorum. Quid tibi cum adultera? adultera est enim quæ non est legitimo conjugio copulata. Audis, ô Rex, adulteram Ecclesiam nuncupari quæ non legitime nupserit: Ecclesiæ siquidem sponsus unusquisque æstimatur Episcopus, juxta Scripturam illam, qua ex fratris uxore frater non sui nominis filios suscitare præcipitur, & sponsæ contemptor à futuro sponso discalceari mandatur. Vides igitur, ô Rex, quam ignominiosum, quam periculosum sit per filios suos matrem adulterio pollui! Si ergo Ecclesiæ filius es, quod utique omnis Catholicus Christianus est, permitte matri tuæ legitimum sortiri conjugium; ut non per hominem, sed per Deum & hominem Christum, legitimo sponso copuletur Ecclesia. Per Deum enim Episcopos eligi, cum canonice eliguntur, testatur Apostolus Paulus dicens, Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo tamquam Aaron. Et beatus Ambrosius, Merito, inquit, creditur quod divino esset electus judicio, quem omnes postulavissent. Et post pauca; Ubi universorum postulatio congruit, dubitare nos non oportet, ibi Dominum Jesum & voluntatis auctorem, & petitionis arbitrum fore, & ordinationis præsulem & largitorem gratiæ. Præterea Propheta David ad Ecclesiam loquens ait. Pro patribus tuis nati sunt tibi filii, constitues eos Principes super omnem terram. Ecclesia filios genuit, Ecclesia Principes statuit. Possemus alia de Scripturis sacris testimonia & exempla proponere, quibus constaret Ecclesiæ sponsos ac pastores Episcopos, non secularium potestatum nutu, sed Christi dispositione & Ecclesiæ judicio præponendos. Unde etiam Imperator Justinianus sanxit in legibus sic: Debet enim prius disceptari de vita Episcopi utrum bona sit, an reprehensibilis, & utrum bonis testimoniis muniatur, an non. Et infra: Fiat, inquit, facultas unicuique si velit contradicere: & siquidem ante consecrationem fuerit contradictio facta, non prius consecretur Episcopus, nisi disceptatio de contradictione sit facta, & undique appareat innoxius is qui ad Episcopatum vocatur. Ecce, quod populi totius esse, pronuntiat Imperator; hoc sui solius esse, Regia potestas incessit. Ipsius etiam Imperatoris lege cautum est, ut nec profectio, nec ingressus ad Imperatorem, sine Metropolitani litteris, pateret Episcopo. Quem ergo in Curia tua sine Metropolitani litteris admittere non debes, eum vis, ô Rex, in Ecclesia Principem constituere? Monstruosum profecto est, ut patrem filius generare, homo Deum creare debeat: Sacerdotes namque in Scripturis sanctis Deos vocari, tanquam Dei Vicarios, manifestum est. Unde sanctæ memoriæ Constantinus Imperator, de Episcoporum causis disceptare ausus non fuisse describitur. Propter hoc sancta Romana

improbantis investituras regias,

Joan. 10.9

D

ibid.

tamquam scriptum

Matt. 22. 21

E

Deut. 25. 5

Hebr. 5. 4

Psal. 44. 17

F

Legibus;

ac ratione contraria,

A mana Ecclesia & Apostolica, per prædecessores nostros, Regiæ usurpationi & investituræ abominabili vivaciter obviare curavit, & gravissimis persecutionibus per tyrannos affecta, usque ad tempora nostra non destitit. Confidimus autem in Domino, quoniam nec in Nobis confidentiæ suæ virtutem, Ecclesiæ Princeps Petrus & Episcoporum primus amittet. Porro secularium Potestatum & Regum in Ecclesia quod sit officium, exponit Apostolus Paulus dicens: Dei enim minister est tibi in bonum. Non enim sine causa gladium portat, Dei enim minister est, vindex in ira ei qui male agit. Et Petrus Apostolus in eadem verba consentiens, sive Regi, ait, quasi præcellenti, sive Ducibus, tamquam ab eo missis ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum. Inter ista, Rex, nullius tibi persuasio profana surrepat, quasi aut potestati tuæ aliquid diminuere, aut nos in Episcoporum promotione aliquid nobis velimus amplius vendicare. Imo si ab hoc propter Deum desistas, quod contra Deum esse manifestum est, quod cum Deo, nec tu exercere, nec nos concedere aut cum nostra seu tua salute possumus; quidquid deinceps postulaveris, quod cum Deo possumus, libentius indulgebimus, & honori tuo & sublimationi propensius insistemus. Nec existimes quod potestatis tuæ columen infirmetur, si ab hac profana usurpatione desistas: imo tunc validius, tunc robustius, tunc honorabilius regnabis, cum in regno tuo divina regnabit auctoritas. Tunc amicitiam & familiaritatem nostram firmius obtinebis, & regni tutores beatos Apostolos habere gaudebis. Nec tibi tunc in petitionibus tuis abesse poterimus, cui petitionum nostrarum fautorem Dominum adesse senserimus. Ipse omnipotens Deus, in cujus manu corda sunt Regum, adsit hortatui nostro, adsit auditui tuo; ut dum juxta præcepta ejus tuas disposueris actiones, ipse regnum tuum pacis & honoris sui stabilitate ac sublimatione disponat. Amen.

Rom. 13,4

1 Pet. 2. 14

& in aliis rebus honesti omnem favorem pollicentis;

B

10 Cum igitur ad curiam venissemus, Rex usus consilio fratris sui & amicorum illius, qui acerbo contra Anselmum, pro regni amissione, odio erant inflammati; exegit ab eo ut aut homo suus fieret; & eos quibus Episcopatus vel Abbatias se daturum dicebat, pro more antecessorum suorum consecraret; aut terram suam sine retractatione & festinanter exiret. Cui ille respondit: Dixi quemadmodum Romano Concilio interfuerim, quidque ibi à Sede B. Petri acceperim. Si ergo excommunicationi, cujus in hoc regno relator extiti, memet alicujus rei causa subjicio: cui quæso deinceps adhærere potero, meo judicio excommunicatus. Nuntii hæc ipsa mutare directi, infecto negotio reversi sunt. Horum igitur quæ cum salute & honestate mea nequeo transgredi, me transgressorem fieri, non videtur sani consilii. Refert: Quid ad me? usus antecessorum meorum nolo perdere, nec in regno meo, qui meus non sit, quemquam sustinere. Dixit: Audio quo tendant ista quæ dicuntur: exercitatus in ejusmodi sum. Attamen interim non extra terram, ut ipse jubet; sed ad Ecclesiam meam ibo, & faciendo quæ me debere facere intelligam, quisnam mihi vel meis aliquam velit violentiam inferre, considerabo. Acta sunt in hunc modum de his multa, sed eorum omnium hæc extitit summa. Episcopis regnique Proceribus, ut sub alio Rege solebant, verba hinc inde ferentibus, & in singulis Regiæ voluntati parere certantibus, immo ne Romani Pontificis obedientiæ subderentur summopere insistentibus; Reversus est Anselmus ad sua, Deo in cunctis placere studens, & oppressionibus Ecclesiarum Angliæ gravi contritione cordis ingemiscens.

offensus Rex, jubet ut Anselmus aut investituram accipiat, aut regno exeat:

C

Negat hic alterutrum se facturum,

& Cantuariam abit.

11 Non multum temporis fluxerat, & ecce cum Pater suarum securus injuriarum, Ecclesiæ damnis nonnihil metueret, litteræ sibi amicabiles à Rege transmissæ deferuntur: in quibus primo salutationis alloquio, cum perfectæ pacis oblatione soluto, rogatur venire ad Regem, gesti negotii sententiam alio consilio moderari volentem. Auditurus itaque, num forte Deus sua gratia cor ejus tetigerit; quo mandatur, Wintoniam vadit, ubi Episcopis terræque Principibus sub uno coactis, communi assensu apud Anselmum actum est, quatenus sub aliis induciis, alii nuntii prioribus excellentiores ex utraque parte Romam mitterentur, Romano Pontifici viva voce expósituri, illum aut à sententia necessario discessurum; aut, Anselmo cum suis extra Angliam pulso, totius regni subjectionem & commodum, quod inde singulis annis habere solebat, perditurum. Ab Archiepiscopo igitur missi sunt monachi duo, præfatus scilicet Balduinus Beccensis, & Alexander Cantuariensis; non quidem ut eorum instinctu Romanus Pontifex rigorem justitiæ causa Anselmi ullo modo exiret, sed partim ut Curialibus minis testimonium, cui Papa incunctanter crederet, ferrent; partim ut de negotio certam Apostolicæ Sedis sententiam Anselmo referrent. Ad ipsum vero negotium conficiendum directi à Rege sunt tres Episcopi, Girardus videlicet, de Herefordensi nuper factus Archiepiscopus Eboracensis, Herbertus *a* Theodfordensis, Robertus *b* Cestrensis. Sed horum Episcoporum duos sua quoque causa Romam agebat, Girardum scilicet adeptio pallii, & Heribertum intentio recuperandi ablatam Ecclesiæ suæ curam Christianitatis super Abbatiam S. *c* Eadmundi. Ante paucos siquidem annos Balduinus ipsius Cœnobii Abbas Romam adierat, & apud Alexandrum *d* Papam privilegium ipsi Abbatiæ acquisierat, per quod eam à subjectione omnium Episcoporum, salva Primatis obedientia, liberam effecerat. Quod factum Lanfrancus Archiepiscopus moleste accipiens, ipsum privilegium Abbati abstulit, nec illud ei, nisi circa finem vitæ suæ, multorum precibus motus, reddere voluit. Præfatus ergo Episcopus Episcopatū Theodfordensem seu Norwicensem, in cujus parochia eadem Abbatia esse scitur, suo jure non jure privatum esse ægre ferens, ut diximus, Romam ire; & si forte posset, in antiquam dignitatem Ecclesiam cui præsidebat restituere, adminiculante æquitate cogitabat. Hic itaque Herbertus, cum relictis sociis Burgundiam cum suis venisset, & partes Lugdunensis Provinciæ impiger attigisset; comprehensus à quodam Guidone viro præpotente ac fero est, & quod de Anglia Episcopus esset, quodque pro damno Domini sui Anselmi Cantuariorum Archiepiscopi Romam iret, ab eodem calumniatus. Negat ille; nec ei creditur. Instat negando & dejerando: sed nequidquam. Tandem prolatis Sanctorum reliquiis, super eas jurare cogitur & asseverare, se nulla omnino ratione Romæ scienter quid acturum, quod aut honori aut voluntati Patris Anselmi videri posset obnoxium. Post quæ, ut pace ac securitate viri comitatus viæ reddi mereretur, ferme quadraginta, sicut fertur, Marcas argenti non grata ei largitate reliquit, quas suo negotio super Ecclesiam S. Edmundi Romæ adminiculaturas, Angliam egrediens, mage putavit.

AUCTORE EADMERO

novis litteris evocatus,

Romam destinat duos monachos, Rex tres Episcopos:

E

a

b

c

d

F

12 Emensa dehinc longitudine viæ, Nuntii Romam una veniunt; sui adventus causam, pro eo quem præferebat tenore, Apostolicis auribus suggerunt; tanti mali dirimendi consilium promi deposcunt. Audit ille quæ feruntur, & non invenit verba quibus exprimat quantum inde miretur. Cum tamen ab Episcopis magnopere precaretur suis rebus præcavere, ac definitæ prædecessoris sui sententiæ rigo-

AUCTORE EADMERO

rigorem, ut undique pax esset, temperare; asseruit se nec pro capitis sui redemptione hoc facturum, Decreta, dicens indignando, & Institutiones sanctorum Patrum, minis actus unius hominis, dissiparem? Finierat in istis. Super hæc scriptas Epistolas Regi & Anselmo, cuique suam, destinavit: Regi inter alia Ecclesiarum investituras judicio sancti Spiritus interdicens; & Anselmum, ut quæ agebat ageret & quæ loquebatur loqueretur, affectuose deprecans; firmata & Apostolicæ sedis auctoritate roborata in omnibus sui Primatus dignitate. Quæ ut melius pateant, Epistolas ipsas legentiũ oculis ecce præfigimus.

caussam adventus indicant Papæ, qui rescribens

13 Paschalis Episcopus Servus servorum Dei, carissimo filio Henrico Regi Anglorum, salutem & Apostolicam benedictionem. Regi Regum Domino gratias agimus, qui te in regnum beneplacito suæ voluntatis evexit, & tamquam Christianum Regem in beneplacito suæ voluntatis ineffabili misericordia custodivit. Rogamus ergo ut bona regni tui exordia in melius augeat, & usque in finem sua in te dona custodiat. Deseruisti enim fratris tui Regis impietatem, quam divino conspicis judicio terribiliter vindicatam. Ecclesias libertati restituisti, Clerum honorare cœpisti, & Cleri Principes Episcopos, immo in his Christum Dominum venerari. Confidimus itaque quoniam usque in finem eadem sapies, & in eâdem probitate persistes; nisi sunt aliqui perversæ mentis homines, qui cor Regum, per Episcoporum & Abbatum investituras, divinæ indignationi aptare conantur. Quorum in hac parte consilia, tamquam virus, tibi sunt evitanda; ne illum offendas, per quem Reges regnant, & potentes justa decernunt. Quem profecto si propitium habueris, feliciter regnabis, potestatemque integram & divitias obtinebis. Quem si, quod absit, offendis; non Procerum consilia, non militum subsidia, non arma, non divitiæ, ubi te subvertere cœperit, poterunt subvenire. Porro in honore Domini, in Ecclesiæ libertate, nos familiares, nos adjutores habebis. Nec opineris quia quisquam nos à tua divellet amicitia, si ab investituris abstinueris, si honorem debitum & libertatem à Domino institutam Ecclesiæ conservaveris. Ecclesiarum siquidem investituras nos, sancti Spiritus judicio, Regibus & Principibus, immo laicis omnibus, interdicimus: nec enim decet ut à filio mater in servitutem addicatur, ut sponsum quem non optavit accipiat. Habet sponsum suum Regem ac Dominum nostrũ, qui te misericordia sua in potentia & probitate custodiat, & à terreno regno ad cæleste perducat. Amen.

B

Regem monet ut investituras sibi non arroget:

C

14 Paschalis Episcopus Servus servorum Dei, venerabili Fratri & Coepiscopo Anselmo, salutem & Apostolicam benedictionem. Non ignoras divinæ voluntatis esse consilium, quod religio tua in Anglici regni regione præsideat. Cum enim perversi Regis odia declinans secessum elegisses, & procul ab Anglicis tumultibus tecum habitans Deo viveres, de perverso Rege sua omnipotens Dominus judicia terribiliter perpetravit. Te autem totius populi postulatione vehementi, & nova Regis devotione mirabili, ad Cathedram, quam dimiseras pro Deo, revocavit. Deo autem gratias quia in te semper Episcopalis auctoritas perseverat, & inter barbaros positus, non tyrannorum violentia, non potentum gratia, non incensione ignis, non effusione manus à veritatis annuntiatione desistis. Rogamus itaque, ut quod agis, agas; quod loqueris, perloquaris. Non enim deficiet sermonum nostrorum operumque principium, qui in principio erat Verbum: neque nos in ipso deficiemus, qui est Dei virtus, & Dei sapientia. Eumdem enim cum Patribus nostris spiritum habentes, credimus, propter quod & loquimur. Et verbum quidem Dei non est alligatum; nos autem humiliamur nimis. Ceterum in hac humiliatione, cum Deo mente excedimus, in ejus veritate hominum mendacia intuemur. Qua de re in Synodo, nuper ad Lateranense *e* consistorium celebrata, Patrum nostrorum Decreta renovavimus; sancientes & interdicentes ne quisquam omnino Clericus de manu laici Ecclesias vel Ecclesiastica dona suscipiat. Hæc est enim Simoniacæ pravitatis radix, dum ad percipiendos honores Ecclesiæ secularibus personis insipientes homines placere desiderant. Idcirco Sanctorum Conciliorum veneranda majestas, secularium Principum potestatem ab Ecclesiasticis electionibus decrevit arcendam; ut sicut per solum Christum prima in baptismo Ecclesiæ janua, ultima in morte vitæ aperitur æternæ; ita per solum Christum ovilis Christi ostiarius statuatur, per quem Christi ovibus, non pro mercedibus ovium, sed pro Christo, ingressus & egressus ad vitam perducatur æternam. Hæc, frater carissime, prolixiori possent oratione & ratione tractari: sed sapientiæ tuæ pauca suggessisse satis est, quæ & orationibus divinis abundat, & ecclesiasticis est rationibus assueta. Hæc ita doceas, sicut scis tuo Primatui expedire: quem profecto ita fraternitati tuæ pleniter & integrum confirmamus, sicut à tuis constat prædecessoribus fuisse possessum. Hoc personaliter adjicientes, ut quamdiu regno illi religionem tuam divina misericordia conservaverit, nullius unquam *f* Legati, sed nostro tantum subesse debeas judicio.

S. Anselmi laudat constantiam,

D

& nuper in Synodo Lateranensi damnatam investituram indicat;

E

F

15 Scripsit quoque per idem tempus Epistolam unam Episcopo & Clericis Ecclesiæ *g* Execestrensis, quam huic opusculo indere non omnino alienum putamus, quandoquidem illam futuris temporibus alicujus negotio forte profuturam speremus. Est autem hæc. Paschalis Episcopus, Servus servorum Dei, Venerabili Fratri Osberno Episcopo & Clericis Execestrensis Ecclesiæ salutem & Apostolicam Benedictionem. Et Patrum sanxit auctoritas, & Ecclesiæ consuetudinis stabilitas exigit, ut sicut in claustris suis viventes religiosi monachi conversantur, ita & defunctorum corpora infra monasteriorum suorum ambitum requiescant, ut illud ex divino munere cum cordis valeant exultatione cantare: Hæc requies mea in seculum seculi, hic habitabo quoniam elegi eam. Vos autem, ut audivimus, monachos S. Martini de Bello, in vestra civitate conversantes, sepeliri infra monasterii sui ambitum prohibetis: & grave est, ut in eo loco quisquam cum devotionis gratia conversetur, unde cadaver suum prævidet omnimodis propellendum. Qua de re dilectioni vestræ præsentia scripta mandamus, præcipientes & prohibentes ne ulterius supradictis monachis cœmeterium ad sepeliendos suos interdicatis: sed sicut vobis per antecessoris nostri bonæ memoriæ Domini Urbani litteras præceptum est, concedatis. Tua autem, Frater Episcope Osberne, interest, eisdem Fratribus cœmiterium benedicere, & eorum Religionem ad omnipotentis Dei servitium confovere. Si quis autem huic institutioni contraire tentaverit, Venerabili Fratri & Coepiscopo Anselmo injunximus, ut in eum, tamquam Sedis Apostolicæ contemptorem, Apostolici rigoris ultionem exerceat.

Epist. cuidam mittit, cœmiterium quoddam Exoniæ concedendum.

Psal. 131. 14

16 Reversis Episcopis & aliis qui Romam, ut diximus directi fuerant; Rex adunatis Londoniæ Principibus Regni, Anselmum per internuntios ex more convenit, quatenus sibi aut consuetudines paternas ultra non negaret, aut regni sui cultor esse desineret. Respondit, Inspiciantur si placet litteræ quæ allatæ sunt, & salva honestate mea, salva Sedis Aposto-

A Apostolicæ obedientia, quantum potero voluntati ejus morem gerere prætentabo. Si vult, ait, suæ videantur; meæ, sciat, hac vice non videbuntur. Refert, Cum igitur, inquiens, alia vice sibi eas ostendere placuerit, tunc & me ad eas quas modo habet, promptum habebit. Respondit: Nequaquam de litteris ago vel agam; sed an meæ voluntati, omni ambage dimissa, in cunctis concurrere velit, edicat ut audiam. Quod auditum multis magnæ admirationi fuit, dicentibus inter se, quia si litteræ voto ipsius concordarent, eas, etiam nolente Anselmo, ultroneus publicaret. Non ergo nobis eo tempore innotuerunt. Attamen quo tum solicitius sunt celatæ, eo latius post aliquot dies sunt divulgatæ. Verum lectis atque relictis coram omnibus, auditum præbere volentibus, litteris Anselmo directis, subjunxerunt Episcopi, qui Roma venerant, se alia Romæ ab Apostolico verbis accepisse, quam litteræ ipsæ vel etiam illæ quas Regi detulerant continerent in se. Requisitique contestati sunt in Episcopali veritate, Papam ipsum Regi verbis puris mandasse per se, quoniam, quamdiu in aliis vitam boni Principis ageret, de Ecclesiarum investituris æquanimiter illum toleraret; nec eum ullo excommunicationis vinculo necteret, si religiosas personas per dationem virgæ Pastoralis eis investiret; cur autem hanc tanti doni

Non obstantibus litteris Apostolicis,

tres Episcopi testantur, à Papa investituras Regi permitti:

B dignitatem ei per chartæ inscriptionem noluerit delegare, eam ferebant caussam esse; videlicet, ne in aliorum notitiam Principum prolata, ipsi eam sibi usurparent, Romani Pontificis auctoritate contempta. Ad hæc cum hi, qui ex parte Anselmi missi fuerant, viva voce testarentur, Papam nil cuilibet verbis mandasse, quod litteris aliquatenus adversaretur, objecerunt Episcopi, se clam illis alia egisse, palam alia. Quod Baldwinus audiens, & infamem Apostolicæ Sedis inconstantiam, quæ notabatur, sustinere non valens; eos, sicut erat spiritu fervens, & boni amans, nonnihil etiam in istiusmodi dictis contra fidem & sacramenta, quæ se coram Romæ fecerant Apostolico, agere calumniatus est. Orta igitur dissensio non modica inter Proceres est. Hi etenim adstruere nitebantur, semoto verborum incerto, scriptis sigillo Papæ signatis, verbisque monachicis omnino credendum: illi econtra trium potius Episcoporum assertionibus, quam vervecum pellibus atramento denigratis, plumbique massula oneratis, fore credendum, abjecto monachellorum testimonio, qui ubi seculo se abrenuntiare professi sunt, omne, inquiunt, secularis negotii testimonium perdiderunt.

frustrà reclamante Baldwino monacho,

C Ast hoc, ait Baldwinus, negotium seculare non est. Aiunt: Et quidem te virum prudentem, & strenuum scimus, sed ipse ordo expostulat, ut Archiepiscopum unum Pontificesque duos majoris testimonii quam te esse judicemus. Et de litterarum, inquit, testimonio quid? Responderunt: Testimonium monachorũ contra Episcopos non recipimus, & ovinæ pellis reciperemus? Væ, væ, aiunt, ad ista quilibet religiosi, nonne & Euangelia pellibus ovinis inscribuntur? O hinc simultatis detecta confusio! Quid in his Anselmus ageret, quo se verteret, aliquamdiu dubitavit. Grave quippe judicavit, quomodocumque ostendere, fidem se litteris Apostolicis non habere; & fomitem gravis scandali vidit esse, verba tantarum personarum, in Episcopali veritate illa vera esse contestantium, adversa fronte refellere. Textus autem litterarum hic est.

17 Paschalis Episcopus Servus servorum Dei, venerabili Fratri Anselmo, Cantuariensi Archiepiscopo, salutem & Apostolicam benedictionem. Adversus illam venenosam Simoniacæ pravitatis radicem, Ecclesiarum videlicet investituram, quam valide,

& epistolam Papa proferente.

quam robuste, quam severe Patres nostri, præteritis temporibus obviaverint, Sapientiæ tuæ satis est manifestum. Reverendæ in Christo memoriæ prædecessoris nostris Domini Urbani tempore, apud Barum collecto venerabilium Episcoporum & Abbatum ex diversis partibus Concilio, in quo tua Religio & nos ipsi *b* interfuimus, sicut qui nobiscum aderant reminiscuntur, in eamdem pestem, excommunicationis est prolata sententia. Et nos eumdem cum Patribus nostris spiritum habentes, idem sapimus, & eadem testamur. De Sacerdotum & Levitarum filiis dudum nos tibi scripsisse reminisceris. Porro si promoti fuerint inventi, & spe promotionis adempta in eo quo reperti sunt ordine manere voluerint, quia illa eis macula non ex proprii culpa reatus inhæsit, non videtur, si alias digni fuerint, in eos depositionis sententiam dari, ut se iterum negotiis implicent secularibus; cum in eis ordinationis tempore propriæ voluntatis arbitrium nõ remanserit. Gualensis *i* Episcopi caussam sacris omnino canonibus obviare non nescis. Ceterum quia inter barbaros barbarice & stolide promotus est, in tuæ fraternitatis arbitrio ponimus: sic tamen ut de cetero in ea regione hujusmodi non præsumatur adversio. Quod super ejusdem Episcopi negotio & aliis rebus per fideles nuntios dirigimus, tamquam ex nostro ore audias. Munera, quæ B. Petro misisti, recepimus cum gratiarum actione; unde ab illo qui omnium bonorum est retributor mercedem recipias. Datæ Beneventi II Id. Decembris.

b

i

E

18 Rex itaq; ex his, quæ Episcopi dicebant, in sua sententia animosior factus, constanter insistere cœpir, faventibus simul & incitantibus eum Episcopis regniq; Proceribus, quatenus sine retractatione sibi Anselmus hominium faceret; & eos quibus se daturum protinus Episcopatus dicebat, consecraturum sponderet, servata in omnibus antecessorum suorum consuetudine. Tunc ille, Si suorum, dixit, verbis Episcoporum litteræ concordarent, intellecta ratione, forsan quod exigit facerem. Nunc autem ne in ullo decipiar, electius videtur Romanum super his Pontificem consulere, quam in re tam ambigua sententiam præcipitare. Ad quæ, qui Roma venerant Episcopi, respondere: Quæ diximus, dicimus; quæ testati sumus, confirmamus; inque his omnibus Apostolicæ Sedis testimonium si nobis non credis, appellamus. Super hæc quoque tibi, ex parte Domini Papæ, qui hoc jussit, denuntiamus, quatenus consilio nostro tu nihil hæsitans credas; quia, dum voles, nos paratos habebis reipsa probare, his quæ dicimus nihil duplicitatis inesse. At ille: Adversus ea quæ asseritis lites conserere nolo. Verum quia sentio ex illis quæ auditu secretius didici, voluntatem Procerum in hoc unam factam esse, scilicet ut, si Rex investituras Ecclesiarum, sicut se facturum minatur, dederit (licet id me nec approbante nec concedente faciet) ego caussa vestri nec danti nec accipienti meam quasi excommunicatis communionem subtraham, donec nuntiis, quos pro negotii hujus discussione Romam destinabo, reversis, pro certo sciam quid agam; solus ab eis discrepare nolo. Hoc interim observato penes me, ut nulla penitus ratione quemquam in officium sic suscepti honoris consecrem, aut cuivis alii consecrare præcipiam vel concedam. Soluta in istis controversia est, & utrimque res sopita. Tunc Rex, tamquam cupitæ potestati donatus, exultans & hilaris, per dationem virgæ Pastoralis illico duos de Clericis suis duobus Episcopatibus investivit, Rogerium videlicet *k* Cancellarium Episcopatu Serberiensi, & alium Rogerium, *l* Larderarium suum, Pontificatu Herefordensi.

Anselmus iterum destinat Romam nuntios,

F

interim circa investituras, nihil per se facturus.

k

l

AUCTORE EADMERO.

ANNOTATA.

a Herberti Norwicensis *Simoniacum ingressum, vera pœnitentia & meliori progressu emendatum, describit Malmesburiensis; mox infra Norwicensis appellatur, quia Sedem, quæ primo in Helmbam steterat (quam ante non multos annos Thetfordiam transtulerat Herfastus) ipse Norwici locavit, & obiit anno* 1119.

b *Robertus Cestrensis quoque Sedem, quam Lichfeldia Cestriam transtulerat suus decessor Petrus, jam an.* 1095 *transtulerat Coventriam; perrexit tamen, ut hinc apparet, uti titulo Cestrensi; qui deinceps extinctus, demum ab Henrico* VIII *in schismate renovatus est: & qui sub Cantuariensi fuerat, Eboracensi est subjectus.*

c Abbatia *hæc* S. Edmundi *Regis & Martyris est in agro Suffolciensi à Rege Canuto constructa, de qua vide monastici Anglicani tomum* 1 *pag.* 284. *Colitur dictus Edmundus* 20 *Novembris.*

d *Hoc privilegium datum anno Alexandri Papæ* XI *Christi* 1071 *exhibet hic in Notis Seldenus pag.* 206.

e *Celebrata est hæc Synodus Lateran. anno* 1102, *post mediam Quadragesimam, potissimum contra Henricum Imperatorem schismaticum.*

B f *Hoc adjecisse supplici suo libello videtur Anselmus, propter perturbationem nuper à Guidone Viennensi suscitatam, de qua supra num.* 6.

g Excestria *est Ecclesia & Episcopatus Exoniensis: urbs ea in Devonia ad Iscam fluvium, Anglis* Excester *dicta, supra lib.* 1 *num.* 13 *& hic infra num.* 19 *vocatur Episcopus Exoniensis.*

h Paschalis II, *tunc adhuc* Raynerius, *ex monasterio Cluniacensi assumptus à Gregorio* VII *ad regimen monasterii S. Laurentii extra muros, & Cardinalis tit. S. Clementis creatus.*

i *Wilfridus hic fuit: supra lib.* 2 *num.* 7, *dicitur Episcopus* S. David de Gualis *alias* Menevensis; *in quo, ut ibi dicitur absolvendo à suspensione, magis ex epikiæ indulgentia quam Canonum severitate processerat Anselmus.*

k Rogeri Sarisburiensis *pater Rogerus, ex paupere Presbytero ad Iustitiarii summi evectus potentiam sub hoc Henrico, cujus gratiam indignis artibus meruerat; Cancellarii quoque dignitatem notho suo obtinuit: qui nunc Episcopatu donatus, postea extremæ Henrici voluntati infidelis, auctor fuit, exclusa Mathilde filia, Stephanum Regem eligendi.*

l Larderarius *dicitur, Penu-præfectus*, à Larderio, *quod est penu, sic dictum quia in eo* lardum *conservatur. Non poterat à dignioribus inchoare tam indignus promotor,*

C

CAPUT III.

Concilium Londini anno MII *habitum.*

Concilium Londinense celebrat:

19 PEr idem tempus, celebratum est generale Concilium Episcoporum & Abbatum totius regni, in Ecclesia B. Petri Apostolorum Principis, quæ in occidentali parte Lundoniæ sita est. Cui Concilio præsedit Anselmus Archiepiscopus Dorobernensis, considentibus secum Archiepiscopo Eboracensi, Girardo; Mauritio, Episcopo Lundoniensi; Willielmo, electo Episcopo Wintoniensi; Roberto, Episcopo Lincolniensi; Samsone, Wigorniensi; Roberto, Cestrensi; Joanne, Bathoniensi; Herberto, Norwicensi; Radulpho, Cicestrensi; Gundulpho, Roffensi; Herveo, Bangorensi; & duobus noviter investitis, Rogerio scilicet Serberiensi, & Rogerio Herefordensi. Osbernus autem Exoniensis, a infirmitate detentus, interesse non potuit. In hoc Concilio multa Ecclesiasticæ disciplinæ necessaria servari Anselmus instituit, quæ postmodum Sedis Apostolicæ Pontifex sua auctoritate confirmavit. Cujus Concilii seriem sicut ab eodem Patre Anselmo descripta est, huic operi inserere non incongruum existimavimus. Scribit itaq; sic. D

Anno Dominicæ Incarnationis millesimo centesimo secundo, quarto autem Præsulatus Paschalis summi Pontificis, tertio regni Henrici gloriosi Regis Anglorum, ipso annuente, celebratum est Concilium in Ecclesia B. Petri, in occidentali parte juxta Lundoniam sita, communi consensu Episcoporum, & Abbatum, & Principum totius Regni. In quo præsedit Anselmus, Archiepiscopus Dorobernensis & Primas totius Britanniæ; considentibus venerabilibus viris Gerardo, Eboracensi Archiepiscopo; Mauritio, Lundoniensi Episcopo; Willielmo, Wintoniæ electo Episcopo; aliisque, tam Episcopis quam Abbatibus. Huic conventui affuerunt, Anselmo Archiepiscopo petente à Rege, Primates regni; quatenus quidquid ejusdem Concilii auctoritate decerneretur, utriusque Ordinis concordi cura & solicitudine ratum servaretur. Sic enim necesse erat: cum multis retro annis, Synodali cultura cessante, vitiorum vepribus succrescentibus, Christianæ Religionis fervor in Anglia nimis refrixerat.

anno 1102.

ubi multa bene constituta,

30 Primum itaque, ex auctoritate sanctorum Patrum, Simoniacæ hæresis surreptio in eodem Concilio damnata est. In qua culpa inventi, depositi sunt Guido Abbas *b* de Perscore, & Wimundus de Tavestoch, & Ealduinus de Rameseja, & alii nondum sacrati, remoti ab Abbatiis; scilicet Godricus de Burgo, Haimo de Cernel, Egelricus de Mideltune; absque simonia vero remoti sunt ab Abbatiis, pro sua quisque causa, Ricardus de Heli, & Robertus de S. Edmundo, & qui erat apud Micelenei. Statutum quoque est, ne Episcopi secularium placitorum officium suscipiant; & ut non sicut laici, sed, ut religiosas personas decet, ordinatas vestes habeant; & ut semper & ubique honestas personas testes habeant suæ conversationis. Ut etiam Archidiaconatus non dentur ad *c* firmam. Ut Archidiaconi sint Diaconi. Ut nullus Archidiaconus, Presbyter, Diaconus, Canonicus uxorem ducat vel ductam retineat. Subdiaconus vero quilibet, qui Canonicus non est, si post professionem castitatis uxorem duxerit, eadem regula constringatur. Ut Presbyter, quamdiu illicitam conversationem mulieris habuerit, non sit legalis, nec Missam celebret; nec si celebraverit, ejus Missa audiatur. Ut nullus ad Subdiaconatum aut supra ordinetur sine professione castitatis. Ut filii Presbyterorum non sint heredes Ecclesiarum Patrum suorum. Ne quilibet Clerici sint secularium præpositi, vel procuratores, aut Judices sanguinis. Ut Presbyteri non eant ad potationes, nec ad *e* pinnas bibant. Ut vestes Clericorum sint unius coloris, & calceamenta ordinata. Ut Monachi vel Clerici, qui ordinem suum abjecerunt, aut redeant aut excommunicentur. Ut Clerici patentes coronas habeant. Ut Decimæ non nisi Ecclesiis dentur. Ne Ecclesiæ aut Præbendæ emantur. Ne novæ Capellæ fiant sine consensu Episcopi. Ne Ecclesia sacretur donec provideantur necessaria & Presbytero & Ecclesiæ. Ne Abbates faciant *f* Milites; & ut in eadem domo cum monachis suis manducent & dormiant, nisi necessitate aliqua prohibente. Ne monachi pœnitentiam cuivis injungant sine permissu Abbatis sui; & quod Abbates eis licentiam de hoc dare non possunt, nisi de eis quorum animarum curam gerunt. Ne monachi compatres, vel monachæ commatres fiant. Ne monachi teneant villas ad firmam. Ne monachi Ecclesias nisi per Episcopos accipiant; neque

E *contra Simoniacos,* *b*

de decenti statu Episcoporum & Clericorum *c*

d

F

e

item circa decimas & ecclesias,

f

A neque sibi datas ita expolient suis redditibus, ut Presbyteri ibi servientes, in iis quæ sibi & Ecclesiis necessaria sunt, penuriam patiantur. Ut fides inter virum & mulierem, occulte & sine testibus de conjugio data, si ab alterutro negata fuerit, irrita habeatur. Ut criniti sic tondeantur, ut pars aurium apareat,& oculi non tegantur. Ne cognati usq; ad septimam generationem ad conjugium non copulentur, vel copulati simul permaneant; & si quis hujus incestus conscius fuerit,& non ostenderit, ejusdem criminis se participem esse cognoscat. Ne corpora defunctorum extra parochiam suam sepelienda portentur. Ut Presbyter parochiæ perdat quod inde illi juste debetur. Ne quis temeraria novitate corporibus mortuorum, aut fontibus, aut aliis rebus (quod contigisse cognovimus,) sine Episcopali auctoritate, reverentiam sanctitatis exhibeat. Ne quis illud nefarium negotium, quo hactenus homines in Anglia solebant velut bruta animalia venumdari, deinceps ullatenus facere præsumat. Sodomiticum flagitium facientes, & eos in hoc voluntarie juvantes, in hoc eodem consilio gravi anathemate damnati sunt, donec pœnitentia & confessione absolutionem mereantur. Qui vero hoc crimine publicatus fuerit, statutum est, siquidem fuerit persona religiosi Ordinis, ut ad nullum amplius

& circa gradus impedientes matrimonium,

pœna denique sodomitis statuta.

B gradum promoveatur; & si quem habet, ab illo deponatur: si autem laicus, ut in toto regno Angliæ, legali suæ conditionis dignitate privetur. Et ne hujus criminis absolutionem iis, qui se sub regula vivere non noverunt, aliquis nisi Episcopus facere præsumat. Statum quoque est ut per totam Angliam in omnibus Dominicis diebus excommunicatio præfata renovetur. Et hic quidem Lundoniensis Concilii textus est: qui post non multos institutionis suæ dies multos sui transgressores in omni hominum genere fecit. Sane quod ultimum de renovanda excommunicatione Dominicis diebus statutum fuit, ipsemet Anselmus rationabili dispensatione usus, postponi concessit. Finito Concilio Anselmus Lundonia discessit.

ANNOTATA.

a Osbernus, non paucis annis lumine captus, vixit ad annum 4 Regis Henrici. *Ita Malmesburiensis. Ex quo supra statuimus an.* 1403 *obiisse.*

b *Erant Abbatia*, de Pershore *in agro Wigorniensi*, de Tavestoch *in Devonia*, de Rameseja *in Huntindonensi Comitatu*, de Burgo *seu* Petroburgensis *in Northamtonia*, de Cernel *in agro Somersetensi*, de Middeltune *in agro Dorsetensi. De fundatione & aliis horum cœnobiorum rebus consulendum Monasticum Anglicanum.*

C c *Multa eruditissime colligit Spelmannus in Glossario, ut ostendat,* ad firmam dari *fundum aut beneficium, cum traduntur sub obligatione prabendi annue convivii seu epuli, ad certam pecunia summam certumque dierum numerum taxati: & hinc nomen* Firmæ, *non tantum pro villa seu pradio, sub annua pensione elocato, sed etiam pro convivio sumi apud auctores* Anglo-*saxonicos. Tale quid hic videretur prohiberi, utpote honestatem ecclesiasticam valde lædens, nisi mox infra simili phrasi & plane in sensu obvio prohiberetur monachis* tenere villas ad firmam, *id est sub annuo pretio conductas.*

d Legalis *dicitur, qui nullum habet impedimentum quo minus in curia possit ex lege postulare & postulari, quales non sunt excommunicati aut infames: hoc sensu in formulis judiciariis dicuntur* probi & legales homines: *& hinc ducitur* legalitas, *ad hujusmodi honestam qualitatem designandam.*

e Pinni *Anglis, significat aciculam aut etiam clavum ligneum: sed quid ea vox ad compotationem? Vereor ne librariorum vitio, truncata vox* popina *in* pinnas, *abierit. Certe Synodica Ratherii Episcopi Veronensis ad Presbyteros, Spicilegii Acheriani tomo 2 pag. 261, expresse hortatur Presbyteros dicens:* Nolite in tabernis bibere.

f *Quomodo illustriores Antistites jus sibi arrogarint cum solenni ceremonia cingendi Milites, sive in Ordinem equestrem adscribendi, late probat Seldenus ad hunc locum, docetque ex Malmesburiensi, Guilielmum Rufum favore B.Landfranci usum,* eo quod eum *ipse Landfrancus* nutrierat & Militem fecerat.

CAPUT IV.

Quæstio de Investitura recrudescens. Iter idea S. Anselmi Romam, e mandato Regis.

21 Præfatus ergo Rogerius, qui ut diximus, in Episcopatum Herefordensem assumptus erat, è vestigio in ipsa Civitate Lundoniæ gravi infirmitate percussus, ad extrema deductus est. Qui cum se proximum morti sentiret, misso nuntio cum epistola rogavit Anselmum, quatenus præciperet duobus Episcopis suis, Lundoniensi videlicet atq; Roffensi, ut eum, antequam moreretur, sub celeritate Episcopum consecrarent. Quod ipse audiens, insipientiam hominis admiratus, paululum subrisit; nihilq; respondens ad postulata, nuntium à se, sicut venit, vacuum emisit. Et ille quidem mox Lundoniæ mortuus est, & Cancellarius Reginæ. Reinelmus nomine, loco illius pari investitura subrogatus. Mittens ergo Rex rogavit Anselmum, quatenus pro suo jure hos noviter electos, cum Willielmo jam dudum Wentanæ Civitatis Episcopo electo, consecraret. Respondit: Equidem Willielmum libens consecrabo; sed quod de nuper investitis inter me & illum convenit, non mutabo. At ille, nonnihil ab animi tranquillitate mutatus, unum sine aliis illum se vivente non sacraturum, interposito sacramento asseruit. Erat quippe idem Willielmus in Episcopatum Wentanæ, ut prælibavimus, civitatis, Anselmo necdum ab exilio revocato, electus: sed ipse nec electioni consentire, nec baculum sibi à Rege porrectum suscipere, nec rebus vel causis Episcopalibus ullo volebat pacto intendere. Revocato autem Anselmo, clerus & populus ei insistere, ac ut Electum suum sibi præficeret, magno cœperunt opere postulare. Differt ipse, nec subitum præbet assensum: tandem tamen, & eorum assiduitate, & Ecclesiasticæ necessitatis consideratione promotus, connivente Rege, Willielmum in Ecclesiam, exultantibus cunctis & monachis ipsius Ecclesiæ festive procedentibus, adduxit, ac Wentani Pontificatus curam ei, sub præsentia totius multitudinis, dato baculo pastorali, delegavit. Hunc igitur ita electum, visum est Pontificali benedictione non esse jure defraudandum. Sed cum Rex illum sine aliis sacrari permittere nequaquam, nec Anselmus eos cum illo sacrare ullatenus acquiescere vellet; præcepit Rex ut Girardus Eboracensis simul omnes sacraret. Quod ubi Præfatus Reinelmus advertit, retulit Regi baculum & annulum, quos se injuria suscepisse dolebat; sciens quia maledictionem pro benedictione susciperet, si tali ordine benedicendus se manibus Girardi submitteret. Unde Rex nimis iratus eum gratia sua Curiaque privavit. Girardus itaque, sociatis sibi cunctis Episcopis Angliæ, residuos duos, id est, Willielmum atque Rogerium, spreta omni æquitate, statuto die Lundoniæ voluit consecrare, Anselmo in villa quæ non longe est, Murtclac nomine consistente, & eventum rei præstolante. Verum, Episcopis ad examinationem sacrandorū pro

Renuit Anselmus consecrare Episcopos a Rege investitos,

E

nec permittitur ordinare quem ipse investiturat:

F

hic autem cum aliis missus ordinandus ab Eboracensi,

AUCTORE EADMERO

mavult spoliatus in exilium agi.

pro more paratis, atque dispositis; Willielmus, amore compunctus justitiæ, mox inhorruit; & suis omnibus spoliari, quam tam infando ministerio sub tanti mysterii administratione collum inclinare delegit: quapropter Episcopi, sua confusione percussi, infecto negotio, ab invicem sunt illico divisi. Ad hæc, totius multitudinis quæ rei exitum spectare convenerat, clamor insonuit, una voce, Willielmum recti amatorem; & Episcopos, non Episcopos, sed justitiæ præcipitatores esse, concrepantis. At illi, mentis suæ rancorem ex vultus immutatione pandentes, Regem adeunt, illatæ sibi contumeliæ querimoniam coram illo depromunt. Willielmus in medium deducitur, patrati delicti reus accusatur, minis non levibus hinc inde concutitur. Ille stat, nec avelli potest à recto, & ideo suis omnibus expoliatus eliminatur à regno. Quærit Anselmus super istis à Rege judicium & justitiam, nequidquam: iterum atque iterum preces & querelas, pro qualitate negotii suggerit: sed ille nec prece nec querimonia motus cœpto desistere voluit.

Rogatus domino ut Regi permittat investituras,

B

22 Subsequenti dehinc media fere Quadragesima Rex Cantuariam venit, quædam, ut ferebatur, regni negotia Dofris cum Comite Flandriæ tractaturus. Moratus autem triduo Cantuariæ est, & quod de Comitis agebatur adventu, nihil fuisse agnitum est. Agnitum vero est quare venerit, & ipsius moræ occasio patuit. In illis quippe diebus per suos convenit Anselmum, quatenus sua jam diutina patientia delibutus, paternarum consuetudinum amplius sibi nil derogaret, ne irritatus cogeretur actu monstrare, qualiter ea quæ se contra faciebat sibi sederent in mente. Nam, sicut per eos qui secretorum illius cōscii erant nonnullis innotuit, disposuerat apud se, illum aut aliquo gravi corporis damno læsurum, aut certe inhoneste trans mare pulsurum, ac demum omnia juri Ecclesiæ competentia direpturum, si eum ad executionem suæ voluntatis de nota querela non reperiret omnino paratum. Quibus agnitis ita Pater Anselmus respondit: Nuntii, quos pro verbis quæ detulerunt Episcopi Romam direxi, jam reversi sunt, & veritati attestantes, ut aiunt, litteras attulerunt. Ipsæ quæso litteræ inspiciantur, si forte in illis aliquid quod me voluntati suæ condescendere sinat, inveniatur. Nequaquam, ait: ambages hujusmodi ultra non feram; finalem causæ volo habere sententiam. Quid mihi de meis cum Papa? Quæ antecessores mei hoc in regno possederunt, mea sunt: hæc si quis auferre mihi voluerit, quod inimicus meus sit, omnis qui me diligit certissime noverit.

constanter renuit.

C

Tunc Præsul ad ista: Nihil eorum quæ ipsius esse scio ipsi tollo, aut tollere volo: verumtamen noverit, quod nec pro redemptione capitis mei consentiam ei de iis, quæ præsens audivi in Romano Concilio prohiberi, nisi ab eadem Sede interdictorum absolutionis sententia prodeat, à qua constitutionis ipsorum vinculum prodiit. Multiplicata sunt ergo verba istius dissidii, tantumque gravata, ut filii Ecclesiæ magnò timerent, ne Patrem suum protinus perderent. Ipsos Principes, quorum consiliis Rex innitebatur, consideratione futurorum malorum ingemiscentes, lacrymis maduisse conspeximus. Fiunt preces & orationes ab Ecclesia ad Christum, & pio gemitu interpellatur quatenus suæ pietatis intuitu sedet instantia mala. Hæc inter, voce submissa Rex Antistiti mandat, & multis precibus obsecrat, quatenus ipse per se Romam ire; & quod alii nequiverant, sua sibi industria conetur acquirere; ne ipse perdendo suorum jura antecessorum, eis vilior fiat.

23 Sensit Pater, quo hæc vergerent, & respondit: Differantur hæc, si placet, usque in Pascha, ut audito Episcoporum regniq; Primatum consilio, qui modo nō assunt, respondeam hinc. Terminata in istis ea vice causa est, & ab invicem sunt in pace divisi. Igitur in *a* Pascha ad curiam venit, regni *b* Ingenuitatem de negotio præsens consuluit, communis consilii vocem unam accepit, æquum scilicet fore illum, tantæ rei gratia, viæ laborem debere non subterfugere. Refert: Dum in commune vultis ut eam, ego, corpore licet imbecillis, senioque confinis, iter aggrediar; iturus quo consulitis, prout vires concesserit Deus, omnium finis. Attamen, si ad Apostolicum pervenire potuero, noveritis, quod ipse nil, quod vel Ecclesiarum libertati, vel meæ possit obviare honestati, meo faciet vel rogatu vel consilio. Dixerunt: Legatum suum Dominus noster Rex, suas preces regniq; negotia Apostolicis auribus expositurum, tecum diriget: & tu solummodo iis quæ vera dixerit, attestare. Ait: Quod dixi, dico; nec vera dicenti, Deo miserante, contradictor existam,

D

Romā iturus pronuntiat solius inde veritatis testimonium à se referendum:

a b

24 Finitis itaque Paschalibus Festis, à curia discessit Anselmus, iter Angliam exeundi quantocius accelerans: vulneraverat enim quodammodo mentē ejus, quod Rex nec per se nec per suos, ut dixi, audire volebat, quid litteræ Roma nuper allatæ continerent in se. Quod ideo illum facere quidam opinati sunt, quoniam materiam earumdem litterarum ei jā revelatam, per unum illorum quos Anselmus Romā direxerat, sensim intellexerunt. Formidabat ergo Anselmus, ne si verbis Episcoporum in litteris ipsis Papa non concordaret, pro investituris Ecclesiarum quæ factæ fuerant, & etiam consecrationibus quorumdam Abbatum, quos ea tempestate investitos Robertus Lincolinus Episcopus & Joannes Bathoniensis sacraverant, sæpe dicta excommunicationis sententia tales nonnullos involverit, à quorum communione se nequaquam sine gravi scandalo cohibere valeret. Litteras etenim nondum inspexerat; præcavens, ne si forte, mutato consilio, Rex eas inspiciendas requireret, sigilloque exclusas reperiret; aliquid haberet quod earum auctoritati objicere non injuria posset. Festinato igitur ratus est Anglia exeundum, ne illic, excommunicatis communicando, aliqua excommunicationis culpa involveretur. Venimus ergo Cantuariam, ubi non ultra quatuor dies demorati, accepta sacræ benedictionis licentia à monachis, dilectissimis filiis suis, necnon à civium circumfluentiumque populorum numerositate, ingenti pietatis affectu prosecuti, ad portum maris properavimus. Itaque naves ingressi Witsandis appulimus. Acta sūt hæc anno incarnati Verbi millesimo centesimo tertio, v Kalend. Maji, Regia igitur pace suisq; omnibus investitus, mare transiit: & libera via, per Bononiā iter Normanniam veniendi assumpsit, quorumdam Nobilium terræ non vili obsequio fretus. Cum autem Becci fuisset (ubi qua devotionis, qua dilectionis, qua gaudii & omnis boni jucunditate susceptus sit, taceo, dum id nulli possibile dictu existimem) litteras ibi prænominatas sigillo absolvit. Quid itaq; in eis invenerit, textus earum quē subscribimus declarabit.

E

& sumpta secum epistola Paschalis Papæ adhuc clausa

F

discedit ex Anglia.

25 Paschalis Episcopus, servus servorum Dei, Anselmo Cantuariensi, venerabili Fratri & Coëpiscopo, salutem & benedictionem. Suavissimas dilectionis tuæ suscepimus litteras, caritatis calamo scriptas: neque enim aliud chartæ calamus indidit, quam quod de fonte caritatis intinxit, In his reverentiam devotionis tuæ complectimur; & perpendentes fidei tuæ robur, & pie sollicitudinis instantiam, exultamus, quia gratia Dei tibi præstante auxilium, te nec minæ concutiunt, nec promissa sustollunt. Dolemus autem quia cum fratres nostros Episcopos, Legatos Regis Anglorum, benigne suscepissemus; quæ nec diximus eis nec cogita-

tum litteras Pontificis aperit

A cogitavimus, redeuntes ad propria, retulerunt. Audivimus enim eos dixisse, quod si Rex in aliis bene ageret, nos investituras Ecclesiarum nec prohibere, nec factas excommunicare, sed quod id nolebamus chartæ committere, ne sub occasione & ceteri Principes in nos inclamarent. Unde Jesum, qui renes & corda scrutatur in animam nostram testem inducimus, si ex quo hujus sanctæ Sedis curam cœpimus gerere, hoc immane scelus vel descendit in mentem. Et hoc Deus avertat à nobis, ut [aliud dicamus quam] est; & subrependo non inficiat nos, ut aliud habeamus ore promptum, aliud corde reconditum: cum contra mendaces Propheta imprecetur, dicens; Disperdat Dominus universa labia dolosa. Si vero nostro silentio pateremur Ecclesiam felle amaritudinis & impietatis radice pollui, qua ratione possemus apud internum Judicem excusari? cum Dominus sub specie Sacerdotum dicat Prophetæ, Speculatorem te dedi Domui Israel. Non bene custodit urbem, qui in specula positus, dum non obsistit, eam hostibus deripiendam exponit. Si ergo virgam, Pastoralitatis signum; si annulum, signaculum fidei tradit laica manus; quid in Ecclesia Pontifices agunt? Ecclesiæ honor atteritur, solvitur disciplinæ vigor, & omnis religio Christiana conculcatur; si quod novimus Sacerdotibus solis deberi, laica patiamur temeritate præsumi. Non est laicorum Ecclesiam tradere, nec filiorum matrem adulterio maculare. B Jure ergo privandus est patrimonio, qui matrem polluit adulterio; nec meretur Ecclesiasticæ benedictionis consortium, qui eam impia infestatione insequitur. Laicorum enim est Ecclesiam tueri, non tradere. Ozias quidem cum illicitum sibi Sacerdotium vendicaret, lepra percussus est: filii quoque Aaron, quia alienum ignem imposuerunt, igne divino consumpti sunt. Alienum est ab Ecclesia, & à sacris Canonibus est inhibitum, ne Principes & seculares viri investituras, non solum dare, sed nec electioni Episcoporum se audeant violenter inserere. In septima quippe c Synodo, ut nostis, scriptum est: Sancta & universalis Synodus definivit, neminem laicorum Principum, potentumve semet inserere electioni Episcoporum vel promotioni eorum. Si ergo filii Aaron, quia ignem alienum intulerunt, corporaliter puniti sunt, isti qui à laicis, à quibus alienum est, Ecclesiam susceperunt, spirituali gladio feriuntur. Episcopos autem qui veritatem in mendacio invocarunt, ipsa veritate quæ Deus est in medium introducta, à B. Petri C gratia, & à nostra societate excludimus; donec Romanæ Ecclesiæ satisfaciant, & reatus sui pondus agnoscant. Quicumque vero intra prædictas inducias investituram seu consecrationem acceperunt, à consortio fratrum & ordinatores & ordinatos alienos habemus; nec eis ad excusationem deceptio sufficit, quia & Propheta ab alio Propheta deceptus, nec ideo mortem evasit. Rogamus interea caritatem tuam, Nos tuis sanctis precibus commendari; ut quanto propius ad Deum passibus virtutum acceleras, nobis orationum tuarum manus extendas. Omnipotens Deus, qui te ad hujus stadii cursum invitavit: felici consummatione perducat ad præmium. Datæ 11 Id. Decembr. apud Beneventum.

quibus declarabatur Episcopos mentitos fuisse,

Psal. 11. 4

Ezech. 3. 17

& nunquam permittendum ut Episcopi à laicis investiantur.

& si fiat utrosque pariter esse excommunicatos.

26 Cum autem de Becco Carnotum in festivitate Pentecostes, utpote propositum iter inde acturus, Anselmus venisset; accepit ab d Ivone civitatis Episcopo & à multis non spernendi consilii viris, satius fore cœptum iter in aliud tempus differendum, quam Italicis ardoribus ea se tempestate cum suis tradere cruciandum. Nimis etenim fervor æstatis ita ubique, sed maxime ut ferebatur in Italia, tunc temporis quæque torrebat, ut incolis vix tolerabilis, peregrinis vero gravis & importabilis esset. Quod Pater intelligens, consilio credulus Beccum revertitur. Resedit ergo illic usque ad medium mensis Augusti, monachorum ædificationi indefessus invigilans. Deinde posthæc, iter Carnotum reversus est. Quid agam? Si potentum occursus, si honores, si obsequia ei delata, & ultra quam recipere vellet oblata, singulatim describere manum imponerem, nimirum aliis occupatos tædio nimiæ prolixitatis afficerem. Quapropter paucis accipiatur dictum, eum, vallante ubique divino præsidio, summa pace ac prosperitate iter peregisse, atque incolumem cum suis omnibus Romam pervenisse. Itaque veniente illo, Willielmus quidam, à Rege directus Anglorum, aliquantis diebus prævenerat, Romanos in causam, quam agitandam sciebat, sua solicitudine pro voto traducturus Regis. Qui Willielmus, simili modo contra eumdem virum ab alio Rege missus, Romam venerat: & quemadmodum rei gestæ series supra designat, iis quæ tunc Ecclesiastica gerebantur, pro viribus opem impenderat.

d Becci aliquamdiu moratus propter calores,

AUCTORE EADMERO

prospere Romam venit,

post Willielmum à Rege præmissum,

27 Ubi ergo adventus Anselmi summæ Sedis Antistiti est nuntiatus, illico mandans, illum deprecatus est, quatenus diem illum atque sequentem à fatigatione sui apud S. Petrum quietos duceret, ac demum se ipsius præsentiæ Lateranis exhiberet. Ille paternæ pietatis mandatum gratiose suscipiens, paret; quodque sibi à Papa Urbano, ceu supra meminimus, in Palatio Lateranensi datum fuerat, die tertia hospitium subit. E Dein Papæ præsentatus, honorifice suscipitur, ac pro ejus adventu ipse, & quæ confluxerat Romana curia, vehementer se lætari fatetur. Die post hoc constituto, causa propter quam illo potissimum venerat, in medium duci jubetur. Adest & Willielmus, legationi qua fungebatur toto studio curam impendens, hoc est, ut Regi Henrico omnes patris & fratris sui consuetudines & usus, Apostolicæ Sedis auctoritate firmaret. Exponit etiam statum regni, Regiamque in Romanos munificentiam; unde ampliori quadam & digniori præ ceteris sublimitate, ex Apostolica largitione, Reges Anglorum probat antiquitus usos; eaque re nō solum molestum & indecens fore huic suorum antecessorum jura perdere; verum etiam, sicut se certo cognovisse ferebat, magno Romanis hoc ipsum damno futurum, si contingeret; & dum forte locum recuperandi inventuri non essent, ab eis sero lugendum. Quid plura? Ducti sunt iis atque aliis, necnon perducti in causam Regis, Romanorum nonnulli; admittendæ F rationis esse conclamantes, quæ ferebantur, neque vota tanti viri ulla consideratione postponenda. Inter ista silet Anselmus, operiens in omnibus examen summi Pontificis: nec enim verba sua dare volebat, ut mortalis homo Ecclesiæ Dei ostium fieret; ne, postposito Christo (qui se ostium ovium esse pronuntiat; & per quem, si quis intrat salvatur, & ingreditur atque egreditur & pascua invenit) ovile intrare volentes aliunde ascenderent, ac sic non oviū pastores, sed fures fierent atq; latrones. Ipse nihilominus Pontificum Pastor cum ad cuncta sileret, & quid quisque diceret, prudenti consideratione examinaret; æstimans Willielmus jamjam illum, pro favore Romanorum in se, nihil eorum quæ quærebat sibi negaturum, erupit & ait: Quidquid hinc indeve dicatur, volo norint quicumque assistunt, Dominum meum Regem Anglorum nec pro amissione regni sui passurum se perdere investituras Ecclesiarum. Tunc vir Apostolicus paucis hæc verba locutus est. Si, quemadmodum dicis, Rex tuus, nec pro Regni amissione patietur Ecclesiarum donationes amittere; sciasecce, coram Deo dico; quia nec pro redemptione sui capitis eas illi aliquando

ad Romanos in ejus sententiam inclinandos:

sed Pontifex in sententia firmus, negatis investituris.

AUCTORE EADMERO

Paschalis Papa impune permittit habere. Quod auditum oppido conturbavit Willielmum. Romanis autem dicto Pontificis acclamantibus, optatum in commune est, quatenus ista existimatio procul ab omnibus filiis Ecclesiæ fieret; Apostolicam videlicet Sedem unquam facturam ostium ovilis Dei laicum quemlibet. Quapropter aliud ajunt Regi respondeatur, quod & illum ad bene agendum paulatim demulceat, & aliorum offensam Principum exinde Roma non incurrat. Itaque, Romanorum consilio, Papa nonnullos paternos usus, interdictis omnino Ecclesiarum investituris, Regi concessit; eumque ab excommunicatione, quam antecessorem suum fecisse superius diximus, immunem ad tempus constituit; eis dumtaxat, qui à manu ipsius investituras susceperant, vel deinceps susciperent, usque ad dignam tanti reatus satisfactionem, pro servanda Ecclesiastici disciplina rigoris, sub excommunicationis catena retentis. Regia igitur causa, quæ agebatur, tali modo Romæ acta & determinata est. Satisfactionem sane investitorum, censuræ ac dispositioni Anselmi, Papa delegavit.

solum leviora quædam Regi concedit.

B

Anselmus dimissus cum litteris,

28 Post hæc Anselmus, actis cum Pontifice suis & aliorum de Christianæ Religionis observantia multiplicibus causis, quæ post principale negotium sui itineris non vilipendendæ causæ fuerunt, reditum suum Apostolica petiit benedictione tueri. Cui Papa: Benedictio, quam desideras, ita te comitetur ubique, sicut ipsemet optas. Et ne à liminibus Pastorum Ecclesiæ videaris immunis abscedere, en vice illorum tibi scripta, suæ auctoritatis sigillo roborata, manu nostra porrigimus; & ea quæ continent, sub illorum testimonio, tibi & successoribus tuis in perpetuum confirmamus. Datis ergo litteris, osculatus Patrem, & nos qui cum eo eramus, Deo commendavit, ac sic in pace dimisit. Litterarum autem series hæc est.

ejus jura omnia confirmantibus,

29 Paschalis Episcopus, Servus servorum Dei, Venerabili Fratri Anselmo, Cantuariensi Episcopo, salutem & Apostolicam benedictionem. Fraternitatis tuæ postulationibus nos annuere, tuæ sapientiæ & religionis persuadet auctoritas. Quondam enim in litteris, ab Apostolica tibi Sede directis, Cantuariensis Ecclesiæ Primatum, ita tibi plenum concessimus, sicut à tuis constat prædecessoribus fuisse possessum. Nunc autem petitionibus tuis annuentes, tam tibi quam legitimis successoribus tuis, eumdem Primatum, & quidquid dignitatis seu potestatis eidem sanctæ Cantuariensi seu Dorobernensi Ecclesiæ pertinere cognoscitur, litteris præsentibus confirmamus, sicut à têporibus B. Augustini prædecessores tuos habuisse Apostolicæ Sedis auctoritate constiterit. Datæ Lateranis, XVI Kal. Decembris, indictione e XII.

C

e

30 Nobis itaque Roma discedentibus, Willielmus remansit, asserens sese voto constrinxisse B. Nicolaum adire: re autem vera Romæ moraturus, & si posset, Anselmo absente, quod eo præsente nequiverat, Antistitem à data sententia traducturus. Quod quia nequaquam facere potuit, persuasorias litteras Regi deferêdas, ne nil videretur egisse, à Papa obtinuit, sicque Romanos fines remeandi via mutavit. Quem nos, ductu gloriosæ Machtildis f Comitissæ per Alpes g euntes, cum apud Placentiam repperissemus, tam velocem hominis cursum à B. Nicolao admirati admodum sumus. Epistolæ, quam Regi detulit, textus hic est,

Placentiæ reperit Willielmum Roma venientem,

f

g

Paschalis Episcopus, Servus servorum Dei, Illustri & glorioso Regi Anglorum Henrico, salutem & Apostolicam benedictionem. In litteris quas nuper ad nos per familiarem tuum, nostræ dilectionis filium, Willielmum Clericum, transmisisti, & personæ tuæ sospitatem cognovimus, & successus prosperos, quos tibi superatis regni adversariis benignitas Dominica concessit. Audivimus præterea optatam virilem sobolem ex ingenua & religiosa te conjuge suscepisse: quod profecto cum nos lætificavit, opportunum rati sumus, nunc tibi præcepta & voluntatem Dei validius inculcare, cum amplioribus beneficiis Deo te plurimum perspicis debitorem. Nos quoque divinis beneficiis benignitatem nostram penes te sociare optamus; sed grave nobis est quia id à nobis videris expetere, quod præstare omnino non possumus. Si enim aut consentiamus aut patiamur investituras à tua Excellentia fieri & nostrum proculdubio & tuum erit immane periculum. Qua in re contemplari te volumus, quid aut non faciendo perdas, aut faciendo conquiras. Nos enim in prohibitione hac nihil amplius obedientiæ, nihil liberalitatis per Ecclesias nanciscimur, nec Tibi debitæ potestatis aut juris subtrahere quidquam nitimur, nisi ut erga te Dei indignatio minuatur, & sic tibi prospera cuncta contingant. Ait enim Dominus, Honorificantes me honorificabo: qui me autem contemnunt, erunt ignobiles. Dices itaque; Mei hoc juris est. Non utique, non est Imperatorium, non est Regium, sed Divinum. Solius illius est qui dixit: Ego sum ostium. Unde pro ipso rogo te, cujus hoc munus est, ut ipsi hoc reddas, ipsi dimittas, cujus amori etiam quæ tua sunt debes. Nos autem cur tuæ obniteremur voluntati, cur obsisteremus gratiæ; nisi Dei, in hujus negotii consensu, sciremus voluntati obviare, gratiam amittere? Cur tibi quidquam negarem, quod cuiquã esset mortalium concedendum; cum beneficia de te ampliora sumpserimus? Perspice, fili carissime, utrum decus an dedecus tibi sit, quod sapientissimus ac religiosissimus Anglicanorum Episcoporum, Anselmus Cantuariensis Episcopus, propter hoc tuo lateri adhærere, tuo veretur in regno consistere. Qui tanta de te hactenus bona audierant, quid de te sentient, quid loquentur, cum hoc fuerit in regionibus divulgatum? Ipsi qui coram te tuos excessus extollunt, cum præsentia tua caruerint, hoc profecto validius infamabunt. Redi ergo, fili carissime, ad cor tuum. Propter misericordiam Dei, & propter amorem Unigeniti, deprecamur, revoca Pastorem tuum, revoca Patrem tuum: & si quid, quod non opinamur, adversus te gravius gesserit (siquidem investituras aversatus fueris) nos juxta voluntatem, quantum cum Deo possumus, moderabimur: tu tantum talis repulsæ infamiam à persona tua & regno amoveas. Hæc si feceris, etsi gravia quælibet à nobis petieris, quæ cum Deo præberi facultas sit, profecto consequeris; & pro te Dominum, ipso adjuvante, exorare curabimus; & de peccatis, tam tibi quam conjugi tuæ, sanctorum Apostolorum meritis absolutionem & indulgentiam faciemus. Filium etiam tuum, quem ex spectabili & gloriosa conjuge suscepisti, quem (ut audivimus) patris Willielmi vocabulo nominasti, tanta tecum imminentia confovebimus, ut qui vel te vel illum læserit, Romanam læsisse videatur Ecclesiam. Quid super his ad honorem Dei & Ecclesiæ gloriam exhibiturus sis, maturius nobis volumus responderi, interventu, videlicet, talium Legatorum, de quorum relationibus nec noster debeat nec vester auditus ambigere. Datæ Lateranis IX Kal. Decembris.

D

cum litteris Papæ ad Regem, omni benevolentia plenis,

E

1 Reg. 2, 30

Ioa. 10, 9

exhortationibusq; ad dimittendas investituras

F

& omnem possibilem favorem promittentibus.

31 Ac nos una cum Willielmo Placentinos fines deserentes, protecti gratia Dei, sani & incolumes Lugdunum usque pervenimus, acturi illic festum quod instabat Dominicæ Nativitatis. Sed cum Wil-

A

Lugduni celebrat festum Nativitatis Christi,

Willielmus festinaret, nec nobiscum Lugdunum divertere vellet, separando se à Patris comitatu, dixit ei: Putabam Romæ causam nostram alio eventu processuram, & idcirco distuli ea, quæ Rex Dominus meus tibi dicenda mandavit hucusque propalare. Nunc autem, quia citato gressu, ad eum redire dispono; quæ mandat, ulterius abscondere nolo. Dicit, quia si sic ad eum redieris, ut talem te illi per omnia facias, quales antecessoribus suis antecessores tui se fecisse noscuntur, tunc libenti animo tuum in Angliam reditum volet & amplectetur. Cui Pater: Ne amplius dicas. Prudenti loquor, ait, hac de re nil amplius dico. At ille: Scio quid dicas atque intelligo. Divisi ergo sunt in istis abinvicem; & Anselmus summo cum honore & gaudio à Venerabili Hugone Lugdunensi Archiepiscopo & toto Clero susceptus, in majorem Ecclesiam ductus est, ibique ut Pater & Dominus loci ab omnibus habitus. Directis interea nuntiis ac litteris ad Regem Angliæ, gesti negotii summam innotuit: & quid à Willielmo ex parte illius acceperit inter alia non celavit. Quæ litteræ sunt hæ.

intellecta voluntate Regis,

scribit eidem gestum Romæ quid sit,

32 Suo reverendo domino, Henrico Regi Anglorum, Anselmus Cantuariensis Archiepiscopus fidele servitium cum orationibus. Quamvis per Willielmum de Warelwast cognoscatis quid Romæ fecerimus, tamen quod ad me pertinet breviter ostendam. Romam veni; causam pro qua veneram Domino Papæ exposui. Respondit, se nequaquam velle dissentire à statutis antecessorum suorum, & insuper præcepit mihi ut nullam haberem communionem cum illis, qui de manu tua investituras acceperunt Ecclesiarum post hujus prohibitionis notitiam, nisi pœnitentiam agerent, & sine spe recuperationis quod acceperant desererent; neque cum Episcopis qui tales consecrarunt, nisi ad Apostolicæ Sedis judicium se præsentarent. Horum omnium testis esse potest prædictus Willielmus, si vult. Qui Willielmus, quando ab invicem discessimus, ex vestra parte commemorans amorem & benignitatem quam semper erga me habuistis; submonuit me, sicut Archiepiscopum vestrum, ut talem me facerem, quatenus sic intrarem in Angliam, ut sic esse possem vobiscum, sicut fuit antecessor meus cum patre vestro; & vos me eodem honore & libertate tractaretis, qua pater vester antecessorem meum tractavit. In quibus verbis intellexi, quia nisi me talem facerem, reditum meum in Angliam non velletis. De amore quidem, & benignitate gratias ago. Ut autem ita sim vobiscum, sicut antecessor meus fuit cum patre vestro, facere non possum: quia nec vobis homagium facere, nec accipientibus de manu vestra investituras Ecclesiarum, propter prædictam prohibitionem me audiente factam, audeo communicare. Unde precor ut mihi vestram, si placet, mandetis voluntatem; utrum sic, quemadmodum dixi, possim in pace vestra & officii mei potestate redire in Angliam. Paratus enim sum & vobis & populo, divina mihi dispositione commisso, officii mei servitium, pro viribus & scientia mea, servata regulari obedientia, fideliter exhibere. Quod si vobis non placuerit, puto quia si quod animarum detrimentum inde contigerit, mea culpa non erit. Omnipotens Deus sic regnet in corde vestro, ut vos per omnia regnetis in gratia ejus.

B

C

& quærit utrum se velit admittere, ut Papa jussit ad tantum.

Lugduni expectat responsum.

33 His ita gestis, ipse, paucis de suis secum retentis, Lugduni resedit; in summa pace & quiete, propriam prædicti Pontificis domum inhabitando; Nuntios suos expectans, &, ne ad horam quidem, ab iis quæ Dei sunt, verbo se vel actu elongans.

ANNOTATA.

a *Annus, ut mox dicetur, erat* 1103, *quando Pascha cadebat in* 29 *Martii.*

b *Quomodo soli nobiles dicebantur,* ingenui; *ita hic, Nobilitas universa, vocatur* Ingenuitas: *plura huc reducta vide apud Spelmannum in Glossario.*

c *Synodus* VII *fuit* Nicena II, *habita sub Adriano Papa an.* 787: *indicatur autem ejusdem Synodi Canon* 3.

d *Hic est ille scriptis & virtutibus celeberrimus* Ivo Carnotensis, *anno* 1092 *ordinatus &* 1115 *vita functus, cujus laudes breviter collectas ex Martyrologio Carnotensi habes apud Sammarthanos,*

e *Scilicet à Septembri inchoata.*

f *Hæc est celebris* Comitissa Mathildis, *Sedi Apostolicæ fidelissima: cujus Vitam Italice edidit Franciscus Maria Florentinius: de qua nos sæpe egimus, & potissimum* 18 *Martii ad Vitam S. Anselmi Episcopi Lucensis.*

g Per Alpes, *ut sæpe alibi, mons Apenninus intelligitur.*

LIBER IV.

E

CAPUT I.

Summa ira Regis, interveniente sorore ejus, in pacem vertitur: reditus tamen Anselmi in Angliam retardatur.

1 IGitur ubi Willielmus Angliam pervenit, & gesti negotii seriem Henrico Regi exposuit; Rex illico omnes reditus Archiepiscopatus Cantuariensis in suos usus redigi præcepit. Cura tamen ipsorum reddituum colligendorum duobus hominibus Archiepiscopi ab ipso Rege delegata est, ea videlicet, ut abs re credere non est, consideratione, ea pietate, ut tanto diligentius aliis, hominibus & rebus ipsius Domini sui studium impenderent, ne vexarentur, ne opprimerentur, ne deriperentur, quanto majori fide ac sacramento eo illi astrictos fuisse cognoscebantur. Verum sive obtemperatum tam consideratæ pietati & piæ considerationi sit ab illis, sive non sit, dum non multum mea intersit, vane scribendi operam insumerem: veniet namque Dominus, tenebrarum abscondita illuminaturus, & singulorum meritis æqua lance sua præmia retributurus. Ego, ducente Deo, cœpto narrandi calle progrediar.

Post reditus Archiepiscopales fisco addictos,

F

2 Evoluto igitur posthæc aliquanto tempore, venit ad nos unus ex monachis Cantuariensibus, nomine Everardus, deferens Anselmo litteras Regis, in quibus idem Rex plane testabatur, se eorum, quæ Willielmus dixerat discedens ab Anselmo, ut præfati sumus, auctorem esse; hoc est, ut Anselmus, Angliam non repedaret, nisi omnes patris ac fratris sui consuetudines se illi servaturum primo promitteret. Quod dum Anselmus facere noluit, suis spoliatus, Lugduni remansit, degens, circa sæpenominatum venerabilem Hugonem, ipsius Civitatis Antistitem, anno integro & mensibus quatuor. Quæ autem mala ex hoc diutino exilio ejus per Angliam quaque emerserint, vel cujusmodi studio illius ipsum exilium, multi reditum illius desiderantes, eaque, minus rei veritatem considerantes, ipsi ascripserint, melius puto liquebit, si aliqua ex iis quæ illi à religiosis viris ac Deum amantibus scripto mandata sunt, huic operi paucis insigo. Scribit itaque ei quidam servus Dei sic.

accipit litteras à Rege, ut non redeat in Angliam,

manet Lugduni 16 mensibus;

3 Domino venerabili & sancto Patri Anselmo, Cantuariensi Archiepiscopo, illius devotissimus & omnis familiæ Domini famulus, in Domino salutem.

AUCTORE EADMERO

a literis ad se ex Anglia missis,

tem, Considerata loci nostri & sensus inopia, merito decrevisse potuerim, Pater sancte, ne verbis simplicioris ingenii semel vel iterum impedirem studium sanctæ mentis tuæ, in quo religionis insigne refulget, & quidam splendet virtutis comes, nitor sapientiæ. Attamen extollit me, etiam supra me, tranquilla & beata gratia opinionis tuæ, quatenus tibi, qualiscumq; est, dirigatur sermo noster; non ut te doceam, qui vix humana indiges doctrina; sed ut tecum nostrũ & tuum reminiscar dolorem. In cujus nostri sermonis exordio ex pacto convenire postulo cum Reverentia tua, ut liceat mihi interim vindicare dulciores partes pie objurgantis, non amaras fraudes adulantis. Sanctitatem quippe tuam nosse velim, quod animos nostros, quorum in te affectus idem est, immoderatior tristitia absorbeat de absentia tua; qui, ni fallor, utilius nostro adesses periculo, ut saltem te consortem filiorum discriminis exhiberes; quam nostræ quodammodo & Ecclesiæ oblitus injuriæ, absens permittas nos turbari ab hostibus impuris & crudelibus, qui nec pudicitiæ parcant, nec saluti. Ego plane te, Pater sancte, eo ipso infelicem arbitror. Nam qui eras sanctæ spei fiducia in tuos, si nunc urgeri Angliam tam inopinato hoste pigeret, quantum ingemisceres, quantũ affectares succurrere, vel subire nobiscum nova acerbitatum genera? Sponte tua, nullo penitus cogente, ereptus es periculis nostris; fortasse ne sentires, quæ nos perpeti, &, quod gravius est, spectare cogimur: sublimari ad sacros Ordines quosdam de Curialibus, quibus nec Canonica electio, nec justitia consentit. Quoniã dubium nõ est, si eosdem verus Ecclesiæ Ostiarius, qui Christus est, in sacra jura admitteret, neque posse perpetrari, quæ quotidie cernimus in provincia nostra, Principum injustam & immitem tyrannidem, rapinas pauperum, damna Ecclesiarum, adeo ut locus Corporis & Sanguinis Domini libertatem amittat; gemere viduas, flere senes incommoda sua, eo quod eripiatur eis satis angusta, quam vix merentur, victus sui portio; rapi virgines & illicito incestari concubitu; quodq; omnium primum malum est ad dedecus honestatis nostræ, Sacerdotes uxores ducere; & exceptis his, alia perplura flagitia, quæ nefas est vel impossibile meminisse aut retulisse. Quod si dispensationis ecclesiasticæ regulam & antiquæ consuetudinis ordinem solicita studuisses consideratione pensare, nec tibi aliqua exulandi causa subreperet, nec alii occasione tuæ absentiæ tam grave discrimen incurrerent. Itane putas inimicorum Dei contumaciam inflectere, qui nec Deo credunt, nec veritati nisi inviti locum præbent? Qua vero ratione ad hoc Paternitas tua aspiret, ignoro: qui enim regendam navim suscepit, tanto amplius necesse est vigilet, quanto amplius procellas timet. Sed tunc fortassis pro sola voluntate invidentium fugisse pudebit, cum videris ante tribunal Christi ducentes choros animarum illos fortissimos divini gregis arietes, quibus nec lupus nocuit, nec alicujus terror in fugam vertit. Quam beata erit tunc memoria inter ceteros illius sanctissimi Patris nostri Ambrosii! qui, sicut narrat ecclesiastica historia, non erubuit Theodosio Imperatori in faciem restitisse, & pro reatu suo limina Ecclesiæ illi denegasse. Quid non impetraret talis affectus, & tanta constantia? Etiam, Pater sancte, si quispiam incarceratum & afflictum eviscerаret, hoc modo recessisse non debueras. Quanto magis cum nihil horum expertus fueris, nec sedes tua tibi negata sit; sed pro uno verbo cujusdam Willielmi fugere decrevisti, & relicto hoste dilacerandas impiis oves tuas dimisisti. Pudet ergo quod evenit recolere, quoniam omnes illi, vel pene omnes, quos Ecclesiarum præsens ærumna expectabat ad suæ necessitatis solatium, occasione timoris accepta, magis elegerunt tecũ succumbere quam frustra sine te resistere. Quid enim facerent, quibus Pater deerat, & quibus caput non suppetebat. Proinde admonenda est Sanctitas tua, non erudienda ut matures adventum, sanctæ Matris Ecclesiæ depellas opprobrium; & adversus hostes, nostris jã penetralibus insistentes, festinum prætẽdas auxilium. Licet adhuc morbum ejicere, dum in superficie vulnus videtur apertum. Scio namque, si ad Sedem tuam redire velis, in promptu multos, ut ajunt, reperies, qui tecum partes Dei viriliter defendãt, nisi enervaverit eos tuæ Paternitatis defectus. Si Angliam, uti audivimus, suspendere vel excommunicare volueris, quid ego Fratresque nostri faciemus, qui semper tibi obedire præsto fuimus, remandare quæso digneris. Vale.

intelligit miserias Ecclesiæ Anglicanæ: B

& scandala ibidem pullulantia

C

summque decessum deplorari.

D

& reditum optari,

4 Cum igitur hæc & nonnulla istis deteriora, exulante Anselmo, per Angliam fierent; & quidam malorum magnitudine afflicti Regi insisterent, ut ipsum, scilicet patriæ Patrem, qui ea corrigeret, revocaret; ipse tam religiositate viri inductus, quam & immanium malorum exuberatione animo consternatus, fieri quidem de reditu viri quod petebatur se libenter velle fatebatur, sic tamen ut paternarum cõsuetudinum nihil sibi ab eo ulterius derogari ulla ratione pateretur. Unde nobis adhuc Lugduni degentibus, Nuntii Romam ab ipso Rege directi sunt, qui modis omnibus elaborarent Apostolicum ad hoc deducere, ut Anselmum Angliam redire & Regiæ voluntati juberet in cunctis subdi & obedire. Ad quod dum minime illum flectere possent, sicut venerunt, infecto negotio reversi sunt.

Romam à Rege missi, spe vacui redeunt E

5 In diebus illis *a* Gualo Episcopus Parisiacensis, de Roma veniens ad nos, reliquias corporis beatæ Martyris Priscæ sibi Romæ datas attulit, & inde mihi in præsentia Patris Anselmi partem aliquantulam dedit. Quæ pars dum admodum parva mihi visa fuisset, rogantem me ut donum Antistes augeret, Anselmus compescuit, dicens sufficere quod habebam. Cum enim, inquiens, os ipsum de corpore illius sit, donec eo caruerit, integritatem sui non habebit. Quapropter si illud digne servaveris; & Dominæ, cujus est, qua potes devotione in illo servieris; tam gratanter officii tui munus accipiet, quam si toti corpori ejus deservires. Acquievi dicto, & quod acceperam diligenti custodia servo. In *b* secundo autem anno adventus nostri à Roma Lugdunum, ipse Papa coacto Lateranis generali Concilio, Comitem de Mellento, cujus sæpe superius habita est mentio, & complices ejus, qui Regem ad investituræ flagitium, sicut dicebatur, impellebant; necnon illos, qui ab eo investiti fuerant, à liminibus sanctæ Ecclesiæ judicio Spiritus sancti repulit: & hoc ipsum per Epistolam, quam ecce supponimus, Anselmo sub celeritate innotuit.

particulam reliquiarum magni æstimat S. Anselmus,

F

accipit à Papa litteras

6 Paschalis Episcopus *c*, Servus servorum Dei, Venerabili Fratri Cantuariensi Archiepiscopo Anselmo, salutem & Apostolicam benedictionem. De illata tibi injuria membra Ecclesiæ non modicum patiuntur, quia, sicut dicit Apostolus, si patitur unum membrum compatiuntur & cetera membra. Licet enim corporali separemur præsentia, unum tamen in capite sumus. Tuas namque injurias ac repulsas, æque ac nostras, portamus. Illud etiam nos vehementer affligit, quod tua Religio regno sublata est Anglico: quæ enim sunt sine Pastore oves, lupus rapit & dispergit. Idcirco de tua ad eas reversione modis quibus possumus laboramus. Unde in Concilio nuper habito, ex communi Fratrum & Coëpiscoporum sententia deliberatum est, & Regis Consiliarios, qui ad investituræ flagitium illum impellunt, & eos qui ab eo investiti sunt, ab Ecclesiæ

1 Cor. 12. 26

de excommunicatione invasorum Regis & investitorum ab eo.

A Ecclesiæ liminibus repellendos, quia de libera facere conantur ancillam. Quam nimirum sententiam nos sancti Spiritus judicio in Comitem de Mellento & ejus complices promulgavimus, & eamdem ipsam in eos qui sunt investiti à Rege ejusdem sancti Spiritus judicio confirmamus. Regis vero sententia ea ex causa dilata est, quia suos ad nos nuntios in præteritæ Paschæ tempore debuit destinare. Datæ Lateranis VII Kal. c Aprilis.

7 Hanc igitur Epistolam postquam Anselmus suscepit, inspexit; intellexit se amplius frustra Lugduni Romanam opem præstolari, præsertim cum jam sæpenumero ipsi Romanæ Sedis Antistiti Legatos & litteras de sui negotii consummatione transmiserit, & eo usque nil nisi quamdam quasi consolatoriæ expectationis promissionem, de termino in terminum, ab eo meruerit. Tertio quoque litteras suas Regi Angliæ, pro suarum rerum resaisitione direxerat, nec aliquid ab eo, nisi quod blandientem sibi dilationem ingereret, responsi acceperat. Consulto itaque venerabili præfato Lugdunensis civitatis Episcopo, Lugduno Franciam petiturus decessit, mœrente super hoc Pontifice ipso & omni populo terræ. *frustra etiã Regi scribit:*

B 8 Cum ergo Cluniacum ad Caritatem d, quæ cella Cluniacensis cœnobii est, venissemus; didicit Anselmus Comitissam Bleisensem, majoris Willielmi Regis filiam, nomine e Adalam, apud castrum suum f Bleisum infirmari. Vertit itaque iter, quo se Remis ire (sicut à Manasse g ipsius urbis Antistite multis erat & obnixis precibus per internuntios interpellatus) disposuerat, & Bleisum abiit ad Comitissam, omnem cujslibet vituperii notam pro suo more ubique devitans. Ipsa siquidem Comitissa in pluribus ei, tam in hoc quam & in alio exilio ejus, magnifica liberalitate ministraverat; eumque, sicut virum sanctum ac religiosum, vitæ suæ, post Deum, institutorẽ elegerat atque tutorem. Si itaque illam, extrema, ut dicebatur, agentem, paterna præsentia non visitaret, notam justæ reprehensionis non evaderet. Igitur ubi ad illam venimus, eamque languore sopito ferme convaluisse invenimus, detenti ab ea in ipso castro per aliquot dies decentissime sumus. In quibus diebus, cum verba sæpe inter se consererent Antistes & illa; Antistes, illam pro suo officio studiose ad bene agendum instigando; illa, Antistitem pro vitæ suæ qualitatibus, ut Patrem, quæ inquirenda esse sciebat, interrogando; Anselmus Comitissæ causam reditus sui Franciam, ab ea inquisitus, innotuit; & quia fratrem ipsius, Henricum videlicet Regem Anglorum, pro injuria, quam Deo sibique jam per biennium & ultra fecerat, excommunicare veniebat, non celavit. Quod illa audiens, fraternæ damnationi vehementer indoluit, ac, ut illum potius Pontifici concordaret, operam dare disposuit. Egit ergo apud virum, ut Carnotum secum pergeret. *invisit, Adalam Comitissam Bleisensem, ejus sororem,* C *cum illaque Carnotum vadit,*

9 Eo tempore ipse Rex in Normannia erat, ipsamque pene totam suæ ditioni subegerat. Potestas nempe Roberti Normannorum Comitis, fratris scilicet ejusdem Regis, ita cunctis ea tempestate viluerat, ut vix ullus pro eo quidquam facere vellet, quod pro terræ Principe quaque gentium fieri solet. Pium etenim cor & terrenarum rerum minima cupido, quæ in eo juxta vigebant, hoc ei pepererant. Omnes igitur ferme Normannorum majores, illico ad Regis adventum, spreto Comite Domino suo, & fidem quã ei debebant postponentes, in aurum & argentum Regis cucurrerunt, eique civitates, castra, & urbes tradiderunt. *& Rege tunc agente in Normannia,*

10 Cum itaque Rex, per Legatos Comitissæ, Anselmi adventum, & quamobrem relicta Burgundia Franciam venerit, accepisset, qualiter animum viri à proposita intentione deflectere posset, perquisivit. Inito igitur cum suis consilio, per nuntios deprecatus est Comitissam, quatenus ad loquendum sibi virum Normanniam duceret; pollicens se in multis de querela pristina voluntati ejus, pacis gratia, condescensurũ. Quid plura? Statuto termino Archiepiscopus & Comitissa in castrum, quod Aquila b vocatur, pro colloquio Regis, uti petiverat, una venerunt; & Regem vehementi gaudio pro adventu Anselmi exultare, ac non parum à pristina feritate descendisse, repererunt. Deinde habito inter eos colloquio, Anselmum Rex de redditibus sui Pontificatus revestivit, & in pristinam amicitiam utrimque recepti sunt. Quibusdam igitur ad hoc solicite operam dantibus, ut Antistes statim Angliam remearet, Rex annuit, sic tamen ut nulli eorum, qui à se investituras Ecclesiarum susceperant vel eos consecraverant, suam in aliquo communionem subtraheret. Cui conditioni Anselmus minime acquiescens (obedientiam videlicet Papæ in nullo prætergredi volens) extra Angliam manere delegit, donec illi qui ad ipsum negotium, & quædam alia, de quibus inter eos illa vice convenire non poterat, determinanda ex condicto Romam mittendi erant, reversi fuissent. Hæc autem inter ipsos acta sunt anno tertio exitus nostri de Anglia XI Kal. Augusti. *AUCTORE EADMERO* *Aquilam ad ipsum abit:* b *cum eoque reconciliatus* E

11 Pro magna itaque exultatione, quam ex hac reconciliatione Anselmi Rex concepit apud se, videres illum, quamdiu in præfato castro morabamur, non facile pati ad se venire Anselmum; sed quoties erat aliquid inter illos agendum, semper ipsum ire ad Anselmum. Jam enim multis in locis per Angliam, Franciam, atque Normanniam, fama vulgaverat, Regem ipsum ab Anselmo proxime excommunicandum; & idcirco ei, utpote potestati non adeo amatæ, multa mala struebantur, quæ illi à tanto viro excommunicato efficacius inferenda putabantur: quod ille sciens, versam à se viri sententiam magnifice lætabatur. Denique omne malum, quod eum expectabat averso Anselmo, ab eo versum est, reverso in amicitiam ejus Anselmo. Itaque ut homo citius in Episcopatum suum ad suorum exultationem ac totius Patriæ relevationem rediret, pollicitus est Rex ita se nuntios suos Romam destinaturum, ut in proxima Nativitate Christi curiæ suæ Anselmus in Anglia posset adesse. Misit super hæc in Angliam litteras, præcipiens, ut omnes res & homines Anselmi ubicumque essent, in pace essent & quiete, nec ullus eos gravaret aut implacitaret: sed ab omni debito liberi, quæ tenebant cum honore tenerent, ac in cunctis ad nutum Anselmi jussionemq; penderent. Hæc ergo dum hominibus ad Archiepiscopatũ pertinentibus innotuissent, mox quoddam quasi insperatum jubar solis illis emicuit, quod illos à pristinæ oppressionis immanitate & tenebris non modicum ejecit. *sæpe ab eo visitatus* *& in integrum restituitur:* F

12 Cum posthac Anselmus Beccense Cœnobium, & Rex Angliam remeasset; ortis quibusdam occasiunculis, Legati qui Romam mitti debuerunt, diu ultra statutum terminum morati sunt. Unde vehemens admiratio multorum corda concussit, arbitrantium, tantam de reditu viri dilationem diaboli esse seductionem, & aperte videntium immanem totius Christianitatis in Anglia esse destructionem. Quod melius, ut puto, liquebit, si quædam scripta de iis, quæ ad nos in hac mora à quodam non contemnendæ auctoritatis viro transmissa sunt, brevi subinferam. Scribit itaque inter alia sic: *qui Becci commorans*

13 Carissime Pater & Domine. Quamvis optime sciatis quid facere debeatis, & quid facere velitis; videtur tamen omni fere homini, sano sensu sapienti, omnino nihil aliud esse id, quod inter vos & Regem sub tam morosa expectatione agitur, nisi diabolicæ fraudis illusio, & illudens dilatio, & ut *accipit ex Anglia litteras,*

AUCTORE EADMERO

ut manifestius dicam, totius Anglorum Ecclesiæ, ac religionis ac legis Christianæ quotidiana diminutio, & summa destructio. Ecclesiarum namque quæ tam diu manent Pastoralibus viduatæ, possessiones diripiuntur; ordo sanctæ religionis in eis neglectus, annihilatur; legis Christianæ Rectores, non jam Rectores sed præcipitatores, ac juxta Regiæ voluntatis arbitrium & suum libitum, pene omnis justitiæ sunt effecti subversores. De Clericis quid dicam, qui circiter omnes revoluti sunt ad iniquitatem pristinam? Quid de laicis? Ipsi quippe, sed Principes maxime, vix nisi ex propria parentela conjuges sibi accipiunt, clam desponsant, desponsatas contra legem Ecclesiasticam scienter tenent & sibi defendunt. De Sodomitis vero, quos ipse in magno concilio usque ad pœnitentiam & confessionem excommunicastis; ac de crinitis, quos in Paschali postmodum solemnitate Pontificali Stola redimitus, coram universo populo à liminibus sanctæ Ecclesiæ removistis, quid dicendum? cum, ut deberetis, non subvenitis, nec vel unus in toto regno existat, qui hæc & alia multa Deo & omni servo Dei contraria, vice vestra reprehendere audeat, aut emendare contendat.

de fœdis sceleribus ibi succrescentibus,

B

Et si veritatem vultis audire, fateor omnia hæc multo deterius fieri, quam possint scripto edici; in tantum, ut ipse etiam Rex testetur, numquam tantæ fortitudinis nequitiam in patria ista fuisse, sicut modo est. Hæc autem omnia procul dubio vos solum respiciunt, & vestræ Sanctitati imputantur. Videte igitur & intendite oneri quod suscepistis, & cui curam ejus vestri loco disponendam commisistis; quando vos, qui talibus obviare constituti estis, pro nihilo, tam diu Regno, in quo exercentur, abestis. Considerate quoque, si vobis placet, si cor vestrum ita soli Deo vacat, & si in tanta securitate vestri jam conversamini, ut talibus animarum miseriis alia vigilantia condescendere non debeatis. Scio equidem, & bene scio, vos optime scire quid est quod facitis, sed ipsum scire vestrum perparum prodest nobis. Fructum etenim communis utilitatis, ex tam diuturno negotio vestro, nullum adhuc procedere videmus; mala autem, solius vestri occasione, in Ecclesia & populo Dei, undique succrescere, omni die conspicimus.

& incitatur ut cito veniat.

14 Et hæc quidem ille vir, tot mala exosus, scripsit, autumans Anselmum, non nisi propria voluntate, ab ingressu Angliæ remorari. Sed revera Rex Henricus nullo eum pacto ingredi patiebatur; nisi, postposita, ut supra meminimus, obedientia Papæ, Episcopis & Abbatibus excommunicatis communicaret. Attamen Anselmo Remis consistente (illuc enim obnixis precibus Antistitis & Canonicorum ipsius loci devictus iverat; & majori quam litteris queat exponi honore, festivoque occursu omnium id loci degentium susceptus, circa Pontificem Manassen magna & officiosa caritate detentus, per plures dies ibi morabatur) misit ei Epistolam unam idem Rex, quam ecce supponimus.

Remis honorifice exceptus, accipit litteras Regis:

C

15 Reverendissimo, & amantissimo Patri Anselmo, Cantuariensi Archiepiscopo, Henricus Dei gratia Rex Anglorum, salutem & totius bonæ voluntatis affectum. Venerabilis Pater, non tibi displiceat, quod eorum iter, quos Romam ad negotium meum peragendum dirigere decrevi, tamdiu detinui. Quod mox ut Willielmus de Warelwast ad te pervenerit, quem ad hoc negotium peragendum sicut decrevimus Romam dirigo, tibi expediet. Te supplex igitur deprecor & devotus exoro, uti cum eodem Willielmo, Baldwinum de Tornajo Romam dirigas, ad nostram rem tractandam, & Deo volente finiendam. Vale. Ad hanc scripsit Anselmus Epistolam hanc.

de mittendis utrimque Romam legatis:

16 Suo Carissimo Domino Henrico, glorioso Regi Anglorum, Anselmus Archiepiscopus Cantuariæ, fidele servitium cum orationibus. Quod vestra Magnitudo me in suis litteris tam honorifice, tanto bonæ voluntatis affectu salutat, gratias magnas, ago sicut debeo. Quod autem tam suppliciter me rogatis, ut non mihi displiceat, quod Legatus vester Romam mittendus tantum moratur; utique vestram precem, quantum in me est, contemnere non debeo: sed causa magis Dei est quam mea, unde corde fideli & benigno animo vobis dico quod tacere non debeo. Mihi quidem aliquid displicere, nisi cum propter Deum displicet, non est magnum; sed displicere Deo aliquid, nullatenus est contemnendum. Utique non parum displicet Deo, Episcopum spoliari rebus suis, quod jam gratia Dei vobis inspirante correxistis; sed Episcopum segregari à suo officio, & Ecclesiam à suo Episcopo, sine causa quam Deus approbet, nimis grave judicat. Expedit itaque animæ vestræ quatenus satagatis, ut ego, qualiscumque sim Episcopus, Ecclesiæ, quam Deus Regiæ vestræ potestati custodiendam commendavit, & Regno vestro in pace vestra celerius restituar; & mihi opportunitas utendi secundum possibilitatem meam officio, pro quo ibi positus sum, diutius non impediatur. Valde quoq; mihi timendum est ne Deo displiceat, & me Dominus Papa juste reprehendat, quia postquam vos & ego simul convenimus apud castrum quod vocatur Aquila, in tam longo tempore non illi misi Legatum nostrum; per quem quid de tanta re inter nos factum, & quid peragendum sit cognosceret, & ego ejus consilium & jussionem acciperem. Quapropter periculosum est mihi diu exspectare vestrum Legatum, quem ante proximã Nativitatem Domini, sicut in verbis vestris intellexi, Romam rediturum speravi; præsertim cum, nescio quo consilio quave ratione, nullum terminum modo mihi constituitis. Quoniam igitur plus mihi debet esse de hoc, quod ego Ecclesiæ mihi commissæ præsens esse nequeo, quam de ulla terrena possessione; precor ut mihi aliquem proximum terminum nominetis per litteras vestras, quando possim Legatum vestrum Romam iturum expectare; quia ego non audeo differre, ut multum dicam, ultra proximam Nativitatem Domini, quin meum Legatum mittam. Scripsit quoque sæpe memorato Roberto Comiti de Mellento tunc temporis in hunc modum, utpote illi, cujus consilio cuncta negotia sua Rex ipse disponebat.

D

respondet Regi,

conqueritur de mora injecta Legatis, & longa absentia à suo Episcopatu.

E

F

17 Anselmus Archiepiscopus Domino & amico Roberto, Comiti de Mellento, salutem. Vos scitis, quia quando Rex & ego convenimus apud castrum Aquilæ, dictum fuit, quod Rex mitteret Legatum suum Romam, pro iis in quibus concordare non poteramus, nisi per Dominum Papam. Quod intellexi ut ita fieret, quatenus ante proximam Nativitatem Domini Legatus rediret. Videtis autem, quia Dominus meus Rex, hoc quod tunc dixit, facere moratur. Sed hoc solum mandat mihi, qui Legatum meum cum ejus Legato mittere volebam; ne mihi displiceat, quia suus tantum moratur, nullum mihi constituens terminum quando venturus est. Unde quidam opinantur & dicunt, quod Rex non multum curat festinare, ut ego redeam in Angliam; & Ecclesia Dei, quam Deus illi custodiendam commendavit, quæ jam fere per tres annos desolata est suo vivo Pastore, ejus reditu & præsentia consoletur; & pro consilio animæ suæ, quo diu privata est, in illis qui hoc amant & desiderant, lætificetur. Quapropter dico vobis, quia valde timeo, ne ipse super se provocet iram Dei, & super eos quorum consilio differt, tam necessariæ rei, tam

idem negotiũ aliis litteris commendat Roberto de Mellento:

A tam rationabili succurrere; cum ad illum hoc pertineat & facere possit, ut nihil perdat de iis quæ secundum Deum ad Regiam pertinent potestatem. Sicut amicus & sicut Archiepiscopus, qualiscumque sim, consulo illi & iis qui circa illum sunt, ut non plus studeant satisfacere voluntati suæ quam voluntati Dei; quia Deus aliquando satisfaciet voluntati suæ, contra voluntatem illorum qui hoc faciunt. Consulite ergo illi & vobis, priusquam Deus ostendat iram suam, quam adhuc suspendit, expectans ut humiliemini ad voluntatem suam. Deus dirigat eum, & consiliarios ejus ad verum honorem & ad veram utilitatem ejus. Hæc idcirco ita describimus, ut quicumque ista legit vel audit, plane intelligat, cui mala, quæ in Angliam exulante Anselmo facta sunt, moramve exilii ejus potissimum ascribere debeat.

ANNOTATA.

a *Gualo seu Galo, ex Bellovacensi Episcopo, factus Parisiensis anno* 1105. *Consule Sanmarthanos: Ceterum hæc supra late relata sunt in Vita priore, & omnia simul deduximus* 18 *Ianuarii ad Vitam S. Priscæ.*

b *Fuit hic annus haud dubie* 1105, *quando nulla alibi ullius Concilii Lateranensis mentio, nisi apud auctorem* B *Chronici S. Petri vivi Senonensis, idque ad annum* 1109 *his verbis* Hoc anno in Lateran. ecclesia, præsidente D. Paschali II, Indictione tertia, Nonis Martii factum est Concilium: *ubi si in numero Indictionis errorem irrepsisse credas, qui scriptori imposuerit ita ut pro* tertia *legatur* decima tertia, *hic annus* 1105 *habebitur: quo etiam anno Sabellicus & Antoninus scribunt coactum Concilium* 340 *Episcoporum, sed Florentiæ, quod non facile credimus; multo minus errorem de jam tum nato Antichristo, qui ibi damnatus dicitur, fuisse* Fluentii Episcopi Florentini, *qui nullus umquam Florentiæ fuit, vivente & præsidente tum adhuc Rainerio, cujus alibi facta mentio.*

c *Hoc anno* 1105 *Cyclo lunæ* 4 *Litt. Dominicali A, Pascha celebratum fuit 9 Aprilis; quod cum hic præteritum nominetur, evidens fit, pro* VII Kal. Aprilis *legendum esse* VII Kal. Maji. *Vide autem hic eamdem technam, qua in priori Lateranensi Concilio usus fuerat Henrici decessor ac Frater Willelmus, ad evadendam excommunicationis sententiam, legatos præmittendo, qui post Concilium habitum solum essent adventuri, quasi ex occasione Comitiorum regni in Paschate celebrandorum.*

d *In Bibliotheca Cluniac. col.* 1711, *nominatur* Prioratus S. Mariæ caritatis ad Ligerim Antissiodorensis C diœcesis, *a Gaufrido Episcopo oblatus Hugoni Cluniacensi.*

e *Quanta jam pridem familiaritas inter Adalam & Anselmum intercesserit: ex hac ejus epistola disce, quæ est ultima libri* 1. Reverendæ Dominæ suæ Comitissæ Adalæ, Frater Anselmus Beccensis, vita peccator, habitu monachus, per præsentis vitæ diuturnam prosperitatem, transire ad futuræ æternam felicitatem. Quamvis me nihil apud vestram Celsitudinem meruisse, ut nostris precibus annuere debeat, cognoscam; nisi, quia ex quo parvitati meæ innotescere dignata est, semper eam coram Deo volui participem existere nostrarum orationum, qualescumq; sint; si tamen hoc dignum est vel memorari: tamen instat mihi Dominus Engelhardus de Castro, quod vulgo dicitur Lenis, amicus noster, ut illum apud vestram pietatem, ut ipse eam adjutricem habeat apud filiũ vestrum. Iam enim grandævus & fractæ ætatis homo, vult dimittere militiam, imo malitiam; quam, hactenus dum potuit, efficaciter exercuit; & hoc tantillum vitæ quod superest sic transigere, ut si bona non potest efficere, saltem a malis possit desinere; ne peccans usque ad finem puniatur sine fine. Quapropter sperat, desiderat, obsecrat, ut per me & vestrum adjutorium quietem prædiorum suorum a filio vestro obtineat. Sed vestra prudentia bene novit, omnes homines esse debere adjutores bonorum studiorum; & cooperatores bonorum operum, esse consortes præmiorum. Quapropter, licet nihil meruerim a vobis, non tamen impudenter ego servus vester rogo Sanctitatem vestram, ut præfatum virum propter Deum ad adipiscendum quod vult adjuveris, quia & vobis proderit, & hoc facere etiam non rogata debetis.

AUCTORE EADMERO

f Bleisum *vulgo* Blois, *inter Aurelianum & Turonas, ad prædictum Ligerim.*

g Manasses II *is fuit, Remis electus anno* 1096, *& circa* 1107 *defunctus.*

h Aquila, *vulgo* l'Aigle, *oppidum Normanniæ ad Rielam fluv. inter Mortaniam & Sagium.*

CAPUT II.

Ob nimias exactiones monita Regi submissa. Controversia de investitura apud Papam deposita. Capilli Deiparæ accepti.

18 Itaque posthac missi sunt Romam, ex parte quidem Anselmi, Baldwinus monachus, vir utique sanctæ libertatis Ecclesiæ & omnis boni non fictus amator; & ex parte Regis, Willielmus, sæpe superius memoratus, pro libertate Ecclesiæ sicut solebat acturus. E Quas vero quantasve oppressiones inter hæc tota Anglia perpessa sit, difficile dictu esse scio. Rex enim ipse a Normannia digressus, quia eam totam eo quo supradiximus modo sibi subjugare nequiverat, reversus in Angliam est, ut copiosiori pecunia fretus, rediens, quod residuum erat exheredato fratre suo, sibi subjiceret. In cujus pecuniæ collectione nullus in collectoribus pietatis aut misericordiæ respectus fuit, sed crudelis exactio super omnes (ut nobis qui inde veniebant testabantur) desæviit. Denique videres, sicut aiebant, eos quidem qui non habebant quid darent, aut a suis domunculis pelli, aut avulsis asportatisque ostiis a domorum penitus diripiendos exponi, aut ablata vili supellectile in summam penuriam redigi, aut certe aliis atque aliis miserabilibus modis affligi & cruciari. In eos autem qui videbantur aliquid habere, nova & excogitata quædam b forisfacta objiciebantur, & sic cum adversus Regem terræ defendendi se placitum ingredi non audebant, ablatis rebus suis, in gravem ærumnam dejiciebantur. Sed hæc ab aliquibus levia dictu fortassis æstimabuntur, eo quod ista non solum sub Rege Henrico, sed & horum similia multa facta F fuerunt sub fratre ejus, ut de patre taceam, Rege Willielmo. Attamen ista illis graviora & intolerabiliora visa sunt, quoniam multo minus solito, quod jam spoliatis & exhaustis auferretur, inveniebatur. Ad hæc in concilio Lundoniensi societas mulierum, ut in superioribus diximus, omnibus Presbyteris & Canonicis Angliæ interdicta erat, ipsumque interdictum, Anselmo exulante, retentis vel certe resumptis mulieribus, a pluribus eorum violatum fuerat. Hoc ergo peccatum Rex impunitum esse non sustinens, suos ministros eos implacitare, & pecunias eorum pro hujus peccati expiatione præcepit accipere. Sed ubi perplures eorum ab illa transgressione sunt immunes reperti, pecunia quæ ad opus Principis quærebatur, minorem, quam exactores sperare poterant, copiam administrabat. Quapropter mutata, immo super innocentes cum nocentibus sententia versa, omnes Ecclesiæ quæ parochias habebant sub debito positæ sunt, & unaquæque, indicta pecuniæ quantitate, per personam quæ in ea Deo serviebat redimi jussa est. Erat ergo miseriam videre. Cum enim exactionis istius tempestas ferveret, & nonnulli quid vel darent non habentes, vel rem inauditam execrati, nil pro tali causa dare volentes, contumeliose raperentur, incarcerarentur, cruciarentur;

a Inter summas & intolerabiles exactiones,

b

etiam a Clero extortus,

AUCTORE EADMERO

contigit Regem ipsum Lundoniam venire. Adunati ergo, ut dicitur, ferme ducenti Presbyteri, induti albis & Sacerdotalibus stolis, Regi ad palatium suum eunti nudis pedibus, occurrerunt, una voce misereri implorantes. At ille forte, ut fit, ad multa divisus, nulla ad preces eorum miseratione permotus est; vel saltem quavis eos, sicut homines omnis religionis expertes, responsi honestate dignatus, suis obtutibus festine abigi præcepit. Qui confusione super confusionem induti, Reginam adeunt, & interventricem flagitant. Illa, ut fertur, pietate mota, in lacrymas solvitur; sed timore constricta, ab interventione arcetur. Ferebantur eo tempore plura his, in hujusmodi per Angliam acta: sed nos brevitati studentes, pauca quæ dicta sunt pro intentione præsentis opusculi sufficere posse putamus.

post negatam Presbyteris audientiam,

19 Attamen dicendum, quod eo usque mala super Angliam ipsis diebus inundaverunt, ut ipsi Episcopi (qui semper libertatem Ecclesiæ & Anselmum eamdem libertatem sublevare tuerique nitentem, ut ex superioribus intelligi potest, cum Principe deprimere nisi sunt) tantorum malorum immensitate compulsi, mandata Anselmo cum epistola dirigerent, & opem subventionis ejus proni deposcerent, seque illum amodo secuturos in Dei rebus ut Patrem promitterent. Sed hæc, ut opinor, melius liquebunt, si epistola ipsa subscribatur quam ei miserunt. Est igitur hæc. Patri dilectissimo, Anselmo Cantuariensi Archiepiscopo, Girardus Eboracensis Archiepiscopus, & Robertus Cestrensis, & Herbertus Norwicensis, & Radulphus Cicestrensis, & Samson Wigorniensis Episcopi, & Willielmus Wintoniensis Electus, salutem. Sustinuimus pacem, & ipsa longius recessit: quæsivimus bona, & invaluit turbatio. Viæ Sion lugent, quia eas conculcant incircumcisi: templum mœret, quia intra Sancta sanctorum & ad ipsam aram irruperunt laici. Exurge; ut olim senex ille Mathathias. Habes in filiis tuis virtutem Judæ, strenuitatem Jonathæ, prudentiam Simonis. Hi tecum præliabuntur prælium Domini: & si ante nos appositus fueris ad Patres tuos, de manu tua suscipiemus hereditatem laboris tui. Sed jam non est tibi pigritandum. Ut quid enim peregrinaris, & oves tuæ sine pastore pereunt? Jam apud Deum nulla tibi remanet excusatio. Te enim non solum subsequi, sed & præire, si jusseris, parati sumus. Veni ergo ad nos, veni cito; vel nos aut ex nobis aliquos ad te venire jube: ne dum sejuncti à te sumus, in sinistram te partem inclinent eorum consilia qui sua quærunt. Nos enim jam in hac causa, non quæ nostra, sed quæ Dei sunt quærimus. Rescriptum Anselmi ad eos.

accipit epistolam ab Episcopis, ejus implorantibus auxilium & præsentiam:

B

C

20 Anselmus, Archiepiscopus Cantuariensis, Amicis suis & Coepiscopis, quorum litteras suscepit, salutem. Condoleo, & mente compatior tribulationibus, quas vos & Ecclesia Angliæ sustinetis: sed ad præsens, secundum meam & vestram voluntatem, subvenire nequeo; quia nondum quid & quantum confidere possim sum certus, donec per Legatos nostros, quos in proximo Roma redituros expecto, quid apud Dominum Papam effecerint cognoscam. Bonum tamen est & gratum mihi, quia tandem cognoscitis, ad quid vos perduxit, ut mitius dicam, vestra patientia; & quia promittitis mihi auxilium vestrum, non in mea sed in Dei causa, & invitatis me non pigriter venire ad vos. Quamvis enim hoc modo facere non possim, quia Rex non vult me esse in Anglia adhuc, nisi discordem à jussione Papæ & ejus concordem voluntati; & ego nondum certus sim quid possim, sicut dixi: tamen gaudeo pro vestra bona voluntate & Episcopali constantia quam promittitis, & exhortatione quam mihi facitis. Ut autem aliquos ex vobis ad me venire faciam, sicut poscitis, ne, dum sejuncti sumus ab invicem, pervertant consilium meum qui sua quærunt, ad præsens non opinor oportere. Spero enim in Deo, quia nullus cor meum à veritate, in quantum cognoscam, poterit avertere; & quia in proximo Deus mihi, quid facere queam, ostendet; & ego quam citius potero vobis notificabo. Quid autem vobis interim faciendum sit, prudentia vestra satis intelligit. Sed tamen dico, quia ego, in quantum sperando in Deo conscientiam meam sentio, pro redimenda vita mea non præberem assensum, neque ministrum aut executorem ejus mali me facerem, quod audio noviter super Ecclesias Angliæ promulgari. Valete.

respondet excusans, quod necdum possit venire:

laudat constantiam eorum, addicit suam.

D

21 Inter hæc crebris de Anglia nuntiis Normanniã venientibus, id quod de Presbyteris Angliæ Rex faciebat nimis divulgabatur; & non solum hos qui infamia ejus, verum & eos qui laude illius pascebantur, in odium & vituperium ejus adducebat. At Anselmus tam malam famam de Rege non ferens, eumque à tanta injuria revocare desiderans, scripsit ei de negotio semel & iterum, totiensque responsi ejus scripta recepit. Quæ scripta eo quo missa sunt ordine subter annotanda putavi, ratus ea futuris temporibus, exempli gratia, profutura, si altiori consilio Deus non sedaverit in regno Anglorum, quæ sub oculis ejus hodie fiunt maxima mala. In quo tamen ab iis qui ista legunt vel audiunt petitum iri optamus, ne nobis succenseant, quod scribendis Epistolis tantum occupamur. Negotii enim, quod manu versamus, quædam & magna pars est: nec totum alicujus rei, ignotis partibus ejus, sciri potest. Ipsarum igitur Epistolarum textus hic est.

ut autem faciat quod in se est,

E

22 Henrico, suo carissimo Domino, gratia Dei Regi Anglorum, Anselmus Archiepiscopus Cantuariæ, fideles orationes cum fideli servitio. Ad me pertinet, si audio quod faciatis aliquid quod animæ vestræ non expediat, ut hoc vobis non taceam; ne, quod Deus avertat, Deus irascatur, & vobis si facitis quod illi non placeat, & mihi pro taciturnitate mea. Audio quod vestra Excellentia vindictam exercet supra Presbyteros Angliæ, & forisfacturam exigit ab eis, qui non servaverunt præceptum Concilii, quod ego cum vestro favore tenui apud Lundoniam cum aliis Episcopis & Religiosis personis: quod hactenus inauditum & inusitatum est in Ecclesia Dei de ullo Rege & de aliquo Principe. Non enim pertinet secundum legem Dei hujusmodi culpam vindicare, nisi ad singulos Episcopos per suas parochias, aut si & ipsi Episcopi in hoc negligentes fuerint, ad Archiepiscopum & Primatem. Precor igitur vos, sicut carissimum Dominum, cujus animam diligo plus quam præsentem vitam corporis mei, & consulo sicut vere fidelis corpori & animæ vestræ, ne vos contra Ecclesiasticam consuetudinem in tam grave peccatum mittatis, & si jam incepistis, ut omnino desistatis. Dico enim vobis quod valde timere debetis, quod pecunia taliter accepta, (ut taceam quantum noceat animæ) non tantum cum expendetur, adjuvabit terrena negotia, quantum postea perturbabit. Deniq; vos scitis, quia me in Normannia in pacem vestram suscepistis, & de Archiepiscopatu meo me resaisistis, & quod cura & vindicta talis offensæ maxime pertinet ad Archiepiscopatum, quoniam plus sum Episcopus pro spirituali cura quam pro terrena possessione. Omnipotens Deus sic, & in hoc & in aliis actibus vestris, dirigat cor vestrum secundum voluntatem suam, ut post hanc vitam perducat vos ad gloriam suam. Amen.

monet Regem de potestate exercita circa Presbyteros, quæ est Episcoporum, & Primatis.

F

23 Henricus Dei gratia Rex Anglorum, Anselmo Archie-

A *qui excusat ejus causa fecisse quae fecit:*

Archiepiscopo Cantuariæ, Salutem. In die Sancti Gregorii apud Tunebrigge mihi fuerunt delatæ litteræ, repositæ in tuo sigillo. Et per eas mihi mandasti talia, unde multum miror; quia quod feci, credo me per te fecisse. Et in die Ascensionis Domini habebo omnes Barones meos mecum congregatos, & per consilium eorum ita convenienter tibi respondebo, quod cum tecum loquar non credo te me inde c blasphematurum. Et quidquid fiat alias, scito quod tui, quidquid ipsi fecerint, per omnes terras tuas in pace permanserint.

idque non admittenti Anselmo

24 Suo carissimo Domino Henrico, gratia Dei Regi Anglorum, Anselmus Archiepiscopus Cantuariensis fidele servitium & fideles orationes. Gratias ago Deo & dignationi vestræ, quæ in litteris suis promisit se convenienter responsuram mihi, de hoc unde precatus eam fueram in litteris meis, de Sacerdotibus Angliæ; & oro Dominum, cujus consilium manet in æternum, ut ipse vobis consulat respondere & facere quod illi placeat, & unde fideles dilectores animæ vestræ gaudeant. De hoc autem quod legi in litteris vestris, quod creditis vos facere per me quod facitis; pro certo scitote, mi Domine, quod non est per me, quoniam contra Deum facerem, si per me esset. Quapropter adhuc precor magno & fideli affectu, quatenus in tali incepto, nullius consilio persistatis. Valete.

B

respondit se coram satisfacturum,

25 Henricus Rex Anglorum, Anselmo Archiepiscopo Cantuariæ, salutem & amicitiam. De hoc quod mihi mandasti de Sacerdotibus, scias quod ita decenter feci, ut opinor, secundum quod facere debui. Nec tibi sit incognitum brevi intervallo temporis me transfretaturum. Et ex quo tecum locutus fuero, si qua commisi in his, omnipotentis Dei, & tuo consilio corrigam. Teste Waldrico Cancellario apud Merlebergam.

d *Interim Anselmus abit Rotomagum ad Synodum*

26 Dum hæc ita fiunt, ecce qui Romam missi fuerant redeunt. Suspensus autem fuerat ab officio Episcopali d jam olim Willielmus Archiepiscopus Rotomagensis, & per hos nuntios intercesserat pro eo apud Dominum Papam Anselmus Archiepiscopus Cantuariensis. Mandavit itaque ei Dominus Papa, ut de causa ipsa quod faciendum intelligeret sua vice faceret, sciens eum à Justitiæ semitis nullius rei interventu scienter flecti posse. Ivit ergo Rotomagum, & in Synodo Clericorum, quæ tunc erat adunata, adventus sui causam exposuit. Profert litteras Willielmus Legatus Regis, quas, ex parte Apostolici, de re Roma detulerat, & coram omnibus recitantur sic. Paschalis Episcopus, Servus servorum Dei, Venerabili Fratri Willielmo Rotomagensi Episcopo salutem, & Apostolicam Benedictionem. Licet causæ tuæ qualitas patientiam nostram plurimum gravet, pro reverentia tamen Fratris nostri Cantuariensis Episcopi, & dilectione latoris præsentium filii nostri Willielmi, qui pro te apud nos vehementius intercesserunt, paterna penes te benignitate movemur. Causam itaque tuam eidem Fratri Cantuariensi Episcopo commisimus, ut quod ipse indulserit indulgeamus. Eo nimirum intuitu, ea conditione, ut malos consiliarios, quorum instinctu multas pravitates incurristi, à tua familiaritate repellas. Datæ Beneventi V Kal. Aprilis. Misit quoque Dominus Papa Epistolam hanc Anselmo.

C

absoluturus Archiepiscopum ab officio suspensum:

Idem per breve Pontificium

27 Paschalis Episcopus, Servus servorum Dei, Venerabili Fratri Anselmo, Cantuariensi Episcopo, salutem & Apostolicam benedictionem. Quod Anglici Regis cor ad Apostolicæ Sedis obedientiam omnipotentis Dei dignatio inclinavit, eidem miserationum Domino gratias agimus, in cujus manu Regum corda versantur. Hoc nimirum tuæ caritatis gratia, tuarumque orationum instantia factum credimus, ut in hac parte populum illum, cui tua sollicitudo præsidet, miseratio superna respiceret. Quod autem & Regi, & iis qui obnoxii videntur, adeo condescendimus; eo affectu & compassione factum noveris, ut eos qui jacebant erigere valeamus. Qui enim stans jacenti ad sublevandum manum porrigit, numquam jacentem eriget nisi & ipse curvetur: ceterum quamvis casui propinquare inclinatio videatur, statum tamen rectitudinis non amittit. Te autem, Frater in Christo venerabilis & carissime, ab illa prohibitione, sive, ut tu credis, excommunicatione absolvimus, quam ab antecessore nostro sanctæ memoriæ Urbano Papa adversus investituras aut hominia factam intelligis. Tu vero eos qui investituras acceperunt, aut investitos benedixerunt, aut hominia fecerunt, cum ea satisfactione, qua tibi per communes Legatos, Willielmum & Balduinum, viros fideles ac veridicos, significamus, Domino cooperante suscipito, & eos vice nostræ autoritatis absolvito; quos vel ipse benedicas, vel à quibus volueris benedici præcipias, nisi aliud in eis forte repereris, propter quod à sacris sint honoribus repellendi. Ceterum Eliensi e Abbati tuæ communionis consortium subtrahes, quamdiu Abbatiam retinere præsumpserit; quam, concepto nostri oris interdicto quod præsens audierat, per repetitam investituram præsumpsit invadere. Si qui vero deinceps præter investituras Ecclesiarum, Prælationes assumpserint; etiamsi Regi hominia fecerint; nequaquam ob hoc à benedictiones munere arceantur, donec per omnipotentis Domini gratiam, ad hoc omittendum, cor regium tuæ prædicationis imbribus molliatur. Præterea super epistolis, qui falsum ut nosti à nobis rumorem retulerunt, cor nostrum vehementius aggravatur: quia non solum nos læserunt sed multorum simplicium animas deceperunt, & Regem adversus caritatem Sedis Apostolicæ impulerunt: unde & multum eorum flagitium, Domino cooperante, non patimur. Verumtamen quia filij nostri Regis instantia pro eis nos pulsat attentius, etiam ipsis f communionis tuæ participium non negabis, donec veniendi ad nos præceptum accipiant. Sane Regem & ejus Conjugem ac Proceres illos, qui pro hoc negotio circa Regem ex præcepto nostro laboraverunt & laborare nituntur, quorum nomina ex supradicti Willielmi suggestione cognosces, juxta sponsionem nostram à pœnitentiis suis & peccatis absolves. Igitur, quandoquidem omnipotens Dominus tantum nos in Angliæ regno, ad suum & Ecclesiæ suæ honorem, in hac prætitit correctione proficere; ea deinceps mansuetudine, dispensatione, sapientia, provisione circa Regem & Principes tua fraternitas satagat, ut quæ minus adhuc correcta sunt, auxiliante Domino Deo nostro per tuæ sollicitudinis studium corrigantur. Qua in re ita dilectioni tuæ nostrum sentias adesse præsidium, ut quæ solveris absoluamus, quæ ligaveris alligemus. Rotomagensis Episcopi causam & interdictum meum, justitia dictante prolatum, tuæ deliberationi commisimus. Quod ei indulseris, indulgemus. Fraternitatem tuam superna dignatio per tempora longa conservet incolumem. Data X. Kal Aprilis.

AUCTORE EADMERO

accipit facultatem absolvendi reos investitura

e

E

tresque falsarios,

f

ac Regem cum suis consiliariis.

F

28 His diebus venit Rotomagum Boemundus g unus de nominatissimis Hierosolymitanæ viæ Principibus, habens in comitatu suo, quemdam Romanæ Ecclesiæ Cardinalem, nomine Brunonem h. Huic erat magister militum i Ilgyrus nomine, vir strenuus, & non ignobilis famæ inter suos. Hic ab adolescentia sua notus Anselmo, multa fuerat ejus beneficia consecutus. Familiariter itaque cum eo agens, inter plurima quæ ipsi de superatis bellis, de urbibus

g

h i

AUCTORE EADMERO

agit cum Principe Boemundo aliisque Hierosolyma reversis:

urbibus captis, de situ locorum, aliisque nonnullis, quæ in expeditione Hierosolymitana acceperat, delectabili allocutione disseruit; quod multas Sanctorum reliquias haberet, quoque modo eas adeptus fuerit, aperuit. In quibus immo super omnibus quas habebat, præcipue gloriatus est de capillis beatæ Matris Dei Mariæ, quorum aliquos sibi datos ferebat à Patriarcha *k* Antiocheno, ubi magistratum militum ipse sub Boemundo agebat. Et ad hæc intulit; Hos capillos fateor suscipere ausus non fuissem, si me amor patriæ istius, in qua natus fui & educatus, ad hoc non animasset: sperabam enim me huc quandoque perventurum, & ipsis hanc meam patriam sublimaturum. Quoniam igitur illa spe, protegente Domino, fraudatus non sum, duos ex ipsis huic Ecclesiæ, quæ totius Normanniæ principatum obtinet Christianitatis, dare disposui; duos Abbatiæ B. Petri & S. Audoeni, duos monasterio ejusdem Virginis Virginum, in quo sub tuo patrocinio ad ætatem hominis provectus sum, & duos tibi. Duodecim enim numero de illis mihi præfatus Episcopus dedit, contestans illos ab ipsa Domina sibimet avulsos, *m* cum juxta Crucem filii sui stans, gladius animam ejus pertransivit, secundum quod in antiquarum monumentis litterarum, quæ magnæ auctoritatis apud illos habebantur, & in archivis Ecclesiæ cui præsidebat servabantur, sicut astruebat, scriptum reperit. Et hæc ille. Super quibus Anselmus admodum exhilaratus, actis cum Pontifice Rotomagensi & Boemundo ac Hierosolymitanis quæ videbantur agenda, Beccum revertitur. Ac crines de quibus prædictus miles locutus fuerat, quoniam Carnoti, (ubi familia & pene tota suppellex Boemundi reditum ejus præstolabatur) remanserant, missi ab Archiepiscopo Rotomagensi & Abbate *n* Beccensi religiosi Ordinis viri sunt, qui illos deferrent. Et factum est, appropinquantibus eis, qui, quos Rotomagus habere debebat, apportabant, ipsi civitati, adjunctis sibi Canonicis & omni Clero civitatis, cum monachis S. Audoeni, ac totius populi innumera multitudine, Pontifex longa processione devotus occurrit, & quanto potuit honore susceptos in Ecclesiam detulit, & sacratiori loco reposuit. Quatuor autem ex illis Beccum delati sunt, quorum duos ipsi loco residuos Anselmus reverenter sibi excepit; mihique, utpote qui capellæ illius custos eram atque dispositor, custodiendos commendavit, quod usque hodie facio. Quid itaque de istis aliorum sensus habeat nescio: ego tamen certissime scio, Dominum & reverendum Patrem Anselmum eos in magna semper veneratione habuisse, & meipsum sacro & grandi experimento sensisse, magnum quid & mundo amplectendum insigne sanctitatis illis inesse. De his ita.

B

ex allatis capillis Deiparæ Virginis

duos accipit & magni æstimat,

C

ANNOTATA.

a *Simile quid olim in Belgio usurpatum testatur præsens adhuc usus in fœderatis Provinciis, ut qui indictam publicitus contributionem pecuniariam non statim exhibet, saltem monitus, ejus ostium à cardinibus revulsum apparitores auferant, nec nisi pecunia vel cautione præstita restituatur.*

b *Id est, crimina enormia, & quasi foris seu extra omnem justitiam aut excusationem facta. Gallis* forfait: *de qua voce & quibusdam hinc ductis multa Spelmannus in Glossario, & alii plures: sed etymi rationem nullus attingit. Mox infra num. 22 dicitur* forisfactura, *pecuniaria multa pro forisfacto exacta.*

c Blasphemare *pro increpare, reprehendere, detrahere sæpe dictum invenias apud medii ævi Scriptores: hinc per contractionem, qua vocem hanc, alias Deum Divosque spectantem, ad humanas contumelias significandas restringit, dicitur lingua Francica* blame & blamer *vituperium, vituperare; unde Normanni, ex Gallia in Angliam traducti, accepere.*

D

d *Ab anno* 1094 *vel* 1095, *quando primum in nationali Augustodunensi (Ostionense quidam monstroso nomine appellant) deinde in Claromontano generali sub Vrbano Papa excommunicatus fuit* Philippus *Rex, propter Bertradam incestu nuptiis assumptam: quibus celebrandis si non adstitit Guillielmus; certissimum est tamen commeruisse, præ aliis multis tunc mutis canibus, cur nominatim postea à Paschali Papa suspenderetur; alias moribus inculpatis & de ecclesia sua bene meritus Episcopus.*

e *Nominatur is supra num.* 29 *libri* 3, Ricardus de Heli. *De hoc monasterio sæpe alibi actum & potissimum* 13 *Febr.* § 4 *de S. Ermenilda.*

f *Tres ii erant superiori libro num.* 11 *nominati, Girardus Eboracensis, Herbertus Theodfordensis seu Norwicensis, & Robertus Cestrensis, qui falsum de Pontificia voluntate & contrarium ipsius litteris testimonium dixerant num.* 16.

g *Boëmundus, Princeps Antiochiæ, duxit Carnoti anno* 1106 *post Pascha filiam Philippi Regis Francorum, Constantiam dictam, ante nuptam Hugoni Comiti Trecensi.*

h *Hic est S. Bruno Episcopus Signinus, colitur* 18 *Iulii, sed non videtur Cardinalis fuisse, vel ipse, vel alius eo tempore Bruno dictus.*

E

i *Nomen tamen hic* Ilgyrus *non habet, quod sciam, in Orientali historia.*

k *Capta anno* 1098 *Antiochia, relictus est in sua dignitate* Ioannes *Patriarcha, egregius sub Saracenis confessor: sed hoc intra biennium ultro cedente, quod se hominem Græcum videret non commode præesse Latinis, electus est Bernardus, Legati Apostolici Capellanus, Valentinas Francus, ut est apud Tyrium in fine lib. 6. Ab alterutro acceptæ Reliquiæ fuerunt.*

l *Beccense monasterium intelligit, ut infra liquet, in quo Priorem Abbatem Anselmus egerat.*

m *Licet hoc ut à rudi posteritate confictum, non credamus; ipsos tamen capillos cum reverentia honoramus.*

n Willielmus de Monteforti *hic fuit, Roberti Comitis de Mellento sæpe nominati consobrinus, ab ipso Anselmo per litteras Beccensibus monachis commendatus, ut ei Prælationi aptissimus; quam tenuit usque ad annum* 1124. *Plura vide in Neustria pia Arturi du Monstier.*

CAPUT III.

Post morbum reditus in Angliam. Præclara ibidem statuta. Varii Episcopi & Abbates ordinati.

F

Revocatur in Angliam

29 Itaque Willielmus, ubi ad Regem in Angliam venit, & ei quæ de negotio ejus ad Romanum Pontificem acta fuerant, enarravit; lætus ille ad audita, illico Anselmum ad Ecclesiam suam redire per eumdem Willielmum postulavit; qui Willielmus ad nos post paucos dies reversus, Anselmum infirmum invenit, & valde conturbatus est. Erat enim tunc jam ad libertatem Ecclesiæ Dei cor habens, & in quantum poterat solicite operam dans, ut Anselmus suæ Sedi in pace & honore restitueretur. Timens ergo ne virum loci ac fratrum amor, non minus quam ea qua gravabatur corporis invalitudo, ab itinere Angliæ præpediret; modis quibus poterat, tam per se quam & per nos qui secum eramus, agere cœpit, qualiter virum loco evelleret, & in iter quod desiderabat promoveret. Præmissis igitur precibus, quibus eum ex parte Domini sui Regis Anglorum interpellavit, quatenus Angliam, ejus absentia desolatam, citato reditu visitaret; affirmabat, & affirmando promittebat, Regem ipsum penitus ad voluntatem ipsius, in omne quod deinceps præciperet, promptissimam mentem habere; nec ulterius à Romana

non obstante morbo,

A

Gemeticum adit,

sed illo ingravescente,

redit Beccum

& convalescit:

rebusq; cum invisente se Rege compositis,

Romana Ecclesia velle dissentire. Et subjungens, ait, Propterea obsecro, ut omnem moram rumpatis in veniendo, ne forte ex adverso aliqua secularis aura prorumpat, quæ eum ab istis subvertat. Hæc ille audiens, Deo super admirabili dono ejus gratias egit; acceptaque licentia à Fratribus, inter quos jam diu magno cum amore & honore habiti fueramus, in Angliam iturus *a* Gemeticum venit. Ubi renovata infirmitate, qua ut memoravimus Becci gravatus fuerat, à loco progredi nequaquam potuit: quapropter missis in Angliam nuntiis, intimavit Regi quid sibi, ne rediret, obstabat. Turbatur ille ad audita & vehementer indoluit, jurans per Verbum Dei, omnia damna æquanimius toleraturum quam Anselmi decessum. Remissis ergo celerrime nuntiis, orat virum sibi ipsi parcere, ac omnimodis indulgere quieti. Præcepit quoque, ut de iis quæ sui juris in Normannia erant, pro voto acciperet, & sibi ac suis exinde ministrari sufficienter juberet, seque in proximo transfretaturum expectaret; quo ipse gratiose accepto, circiter mense uno ibi remansit. Mitigato deinde languore Beccum rediit, ratus sibi opportunius & honestius fore illic quam alias Regium præstolari adventum. Ubi omnibus mira alacritate de reditu ejus exultantibus, ecce lacrymabile malum concussit atque subvertit gaudium ipsum: nam tam gravis infirmitas iterum invasit Anselmum, ut de eo B præter mortem nihil expectaremus. Confluunt Episcopi & Abbates terræ illius; ac de funere ejus quique pertractant: sed omnipotens Deus, sua pietate, ipsum contra omnium opinionem, sanitati restituit, & multos magno exinde gaudio lætificavit.

30 Igitur in Assumptione B. Mariæ Rex Beccum venit, celebratoque ab Anselmo solenni Missæ officio, una Rex scilicet & ipse convenerunt, & tandem omnia quæ illos in diversa traxerant pacem & concordiam invenerunt. Siquidem Ecclesias Angliæ, quas Willielmus Rex, frater Regis Henrici, sub censum, ut longe superius retuli, primus redegerat, liberas ab eadem exactione Rex in manus Anselmi reddidit: & se de ipsis dum viveret nil accepturum, quamdiu essent sine Pastore, promisit. Pro pecunia autem, quam à Presbyteris ut præfati sumus acceperat, eam emendationem spopondit; ut ii, qui nondum inde quid dederant, nihil darent, & qui dederant tribus annis sua omnia in pace & quiete libera possiderent. Cuncta vero, quæ de Archiepiscopatu, C exulante Anselmo, suo jussu accepta fuerant, se redditurum cum in Angliam esset reversus, dato vadimonio, pollicitus est.

redit in Angliam: cum magna lætitia excipitur,

potissimum à Regina:

res Ecclesiasticas disponit:

31 His & aliis, quæ res expetebat, inter viros compositis, Anselmus iter Angliam remeandi ingressus est; &, divino juvamine fretus, sanus & alacer cum suis omnibus Dofris est appulsus. Qua vero exultatione, qua jucunditate, qua spe boni, in Angliam veniens, susceptus sit; reor ex consideratione malorum, quæ paucis tetigimus illic ante reditum ejus provenisse, aliquantulum subintelligi posse; unde, ut diversæ ætatis & ordinis hominum gaudia sileam, de ipsa Regina hoc breviter dixerim, quod nec terrena negotia, nec pompa sæcularis gloriæ ulla poterant eam detinere, quin virum loca diversa adeuntem præcederet; & monachis seu Canonicis ei pro more obviam procedentibus, ipsa præcederet, hospitiaque ejus sua providentia dignis apparatibus adornaret.

32 Itaque post hæc, ii qui Ecclesiis ac monasteriis, pro exigenda Regia pecunia, fuerant intromissi, ejecti sunt; & personis cujusque Ecclesiæ, res intus & extra, ad communem utilitatem commendatæ. Presbyterorum etiam causæ, sicut Regem Anselmo promisisse diximus, dispositæ sunt; atque id ipsum per totum Regnum divulgatum. Rex ipse inter hæc Normanniam sibi bello *b* subegit, & id Anselmo per Epistolam, quam ecce subscribimus, significavit.

AUCTORE EADMERO

b

intelligit ex litteris Regis eum obtinuisse totam Normanniam,

c

33 Henricus Rex Anglorum, Anselmo Cantuariensi Archiepiscopo salutem & amicitiam. Paternitati & Sanctitati vestræ significamus, Robertum Comitem Normanniæ, cum omnibus copiis militum & peditum, quos prece & pretio adunare potuit, die nominata & determinata, mecum ante Tenerchebraium *c* acriter pugnasse: & tandem sub misericordia Dei vicimus, & sine multa cæde nostrorum. Quid plura? Divina misericordia Ducem Normanniæ, & Comitem Moritonii, & Willielmum Crispinum, & Willielmum de Ferreris, & Robertum de Stutevile senem, & alios usque ad quadringentos Milites, & decem millia peditum, in manus nostras, & Normanniam dedit. De illis autem quos gladius peremit, non est numerus. Hoc autem non elationi vel arrogantiæ, nec viribus meis tribuo, sed dono Divinæ dispositionis attribuo. Quo circa, Pater reverende, supplex & devotus genibus tuæ Sanctitatis advolutus, te deprecor, ut supernum Judicem, cujus arbitrio & voluntate triumphus iste tam gloriosus & utilis mihi contigit, depreceris; ut non sit mihi ad damnum & detrimentum, sed ad initium bonorum operum & servitii Dei, & sanctæ Dei Ecclesiæ statum tranquilla pace tenendum & corroborandum; ut amodo libera vivat, & nulla concutiatur tempestate bellorum. Igitur ob pacem, quam Rex fecerat cum Anselmo, hac victoria eum potitum multi testati sunt.

E

Dilata ordinatione Ecclesiarum, ob adventum Papæ ad Concilium Trecense,

d

e

34 Normannia ergo sub Regia pace disposita, & Duce Roberto cum Comite Moritonii in Angliam sub captione præmissis, Rex ipse in Regnum suum reversus est. Adunatis autem ad Curiam ejus in Pascha *d* terræ Principibus, dilata est Ecclesiarum ordinatio, quam Rex se facturum disposuerat, eo quod summus Sedis Apostolicæ Pontifex Paschalis Franciam venerat, & sibi ad Concilium *e* quod Trecis erat celebraturus, à Rege Henrico & ab Anselmo Archiepiscopo sæpe supra memoratos viros, Willielmum & Baldwinum, mitti mandaverat. Ratus itaque Rex aliquid novi se in reditu illorum accepturum, in subsequens festum Pentecostes omnia distulit, quatenus, eis reversis, securius quæque, agnita Pontificis voluntate, disponeret. Soluta igitur Curia, Anselmus ad Abbatiam S. Eadmundi vadit, crucem magnam ibi consecraturus, & alia quædam Episcopalia officia administraturus. Quibus expletis, cum jam rediturum se putaret, gravi corporis infirmitate corripitur, & ingravescente languore ad extrema fere perducitur. Detentus autem est ibi propter ipsam infirmitatem usque ad octavas Pentecostes, & Concilium, quod sicut diximus dilatum erat, causa infirmitatis ejus, inducias in Kalendas Augusti accepit. Inter hæc, ex parte Apostolici allata est Anselmo Epistola ista.

F

& deinde ob morbum ipsius,

accipit facultatem dispensandi circa filios Sacerdotum:

35 Paschalis Episcopus, Servus servorum Dei, venerabili Fratri Anselmo, Cantuariensi Episcopo, salutem & Apostolicam benedictionem. De Presbyterorum filiis, quid in Romana Ecclesia constitutum sit, Fraternitatem tuam nescire non credimus. Ceterum quia in Anglorum regno tanta hujusmodi plenitudo est, ut major pene & melior Clericorum pars in hac specie censeatur, nos dispensationem hanc solicitudini tuæ committimus. Eos enim quos scientia & vita commendat apud vos, ad sacra officia promoveri, pro necessitate temporis & utilitate Ecclesiæ concedimus, ut in posterum constitutionis Ecclesiasticæ præjudicium caveatur. De persona

AUCTORE EADMERO & Abbatem Eliensem.

sona quoque Richardi Heliensis Abbatis, petentibus filiis nostris, Henrico Rege & Willielmo de Warelwast, permittimus ut eam in communionem tuam, præmissa satisfactione, suscipias; & si ad monasterii regimen utilis ejus persona conspicitur, tuæ dispensationi committimus; cetera etiam quæ in regno illo pro necessitate temporis dispensanda sunt, juxta gentis barbariem, juxta Ecclesiæ opportunitates, sapientiæ ac religionis tuæ solicitudo dispenset. Data III Kal. Junij.

Rege investituras dimittente,

36 In Kalendis ergo Augusti, conventus Episcoporum, Abbatum, Procerum Regni, Lundoniæ in Palatium Regis, factus est; & per tres continuos dies, absente Anselmo, inter Regem & Episcopos satis actum de Ecclesiarum investituris; quibusdam ad hoc nitentibus, ut Rex eas faceret more patris ac fratris sui, non juxta præceptum & obedientiam Apostolici. Nam Papa in sententia quæ exinde promulgata fuerat, firmus stans, concesserat hominia quæ Urbanus Papa æque ut investituras interdixerat, ac per hoc Regem sibi de investituris consentaneum fecerat, ut ex epistola, quam supra descripsimus, colligi potest. Dehinc, præsente Anselmo, astante multitudine, annuit Rex & statuit, ut ab eo tempore in reliquum numquam per dationem baculi Pastoralis vel annuli quisquam Episcopatu vel Abbatia, per Regem vel quamlibet laicam manum, investiretur in Anglia; concedente quoque Anselmo, ut nullus in Prælationem electus, pro hominio, quod Regi faceret, consecratione suscepti honoris privaretur. Quibus ita dispositis, pene omnibus Ecclesiis Angliæ, quæ suis erant Pastoribus diu viduatæ, per consilium Anselmi ac Procerum Regni, sine omni virgæ Pastoralis aut annuli investitura, Patres à Rege sunt instituti. Instituti quoque sunt ibidem & eodem tempore ab ipso Rege quidam ad regimen quarumdam Ecclesiarum Normanniæ, quæ similiter suis erant Patribus destitutæ.

concedit hominia,

B

& curat Prælatos ordinari.

exigit professionem obedientiæ ab Archiepiscopo Eboracensi.

37 Inter ista cœpit Anselmus, coram Rege regnique Episcopis atque Principibus, exigere à Gerardo Archiepiscopo Eboracensi, professionem de sua obedientia & subjectione, quam non fecerat ex quo de Episcopatu Herefordensi in Archiepiscopatum Eboracensem, ut supra meminimus, translatus fuerat. Ad quæ cum Rex ipse diceret, sibi quidem non videri necesse esse, ut professioni, quam ordinationis suæ tempore Girardus fecerat, aliam superadderet; præsertim cum, licet Ecclesiam mutaverit, idem tamen qui fuerat in persona permanserit, nec à prima professione absolutus extiterit, Anselmus, in præsenti quidem Regiis verbis acquievit, ea conditione, ut Girardus in manum sibi daret, se eamdem subjectionem in Archiepiscopatu ei servaturum quam in Episcopatu professus fuerat. Annuit Girardus, & sua manu imposita manui Anselmi, interposita fide sua, pollicitus est se eamdem subjectionem & obedientiam ipsi & successoribus suis in Archiepiscopatu exhibiturum, quam Herefordensi Ecclesiæ ab eo sacrandus Antistes promiserat.

C

consecrat quinque Episcopos;

38 Exin statutum est, ut qui ad Episcopatum electi erant, Cantuariam irent, & ibi dignitatis ipsius benedictionem ex more susciperent. Willielmus itaque Wintoniensis, & Rogerius Serberiensis, ac Reinelmus tunc nuper Ecclesiæ Herefordensi restitutus Episcopus, quorum supra meminimus, necnon Willielmus qui Legatione Regis fungi solebat, tunc autem Excestrensi Ecclesiæ electus Episcopus, Urbanus quoque Glamorgatensi *f* Ecclesiæ, quæ in Gualis, est similiter electus Episcopus, simul Cantuariam venerunt, & in Dominica die quæ fuit *g* tertio Idus Augusti pariter ab Anselmo consecrati sunt, ministrantibus & cooperantibus sibi in hoc officio suffraganeis ipsius Sedis, Girardo videlicet Archiepiscopo Eboracensi, Roberto Lincolniensi Episcopo, Joanni Bathoniensi, Herberto Norwicensi, Roberto Cestrensi, Radulfo Cicestrensi, Ranulfo Dunelmensi. Ipso die priusquam eorumdem Episcoporum consecrationem Anselmus faceret, præsentibus eis & Episcopis qui convenerant, juxta mandatum Domini Papæ (nam hoc ei per litteras olim mandaverat) reddidit Ealdwino virgam Pastoralem Abbatiæ de Ramesei, quam, ut supra meminimus, perdiderat in Concilio Lundoniensi. In subsequenti etiam quinta feria, sacravit in ipsa sede Robertum Monachum cœnobii Sancti Petri Westmonasterii, ad regimen Abbatiæ S. Eadmundi.

D

& electum Abbatem S. Augustini,

39 Ordinatio autem Abbatis S. Augustini per id temporis ea causa, ut ita dixerim, dilata est, quod ipse qui in Abbatem, scilicet Hugo Monachus Beccensis, electus erat, nondum sacros Ordines habebat. Ordinatus vero est ad Diaconatum ab Archiepiscopo in Capella sua Cantuariæ cum multis aliis, in jejunio septimi mensis, & item ad Presbyteratum à Willielmo Exoniensi Episcopo in eadem Capella, jejunio *h* decimi mensis. Anselmus enim infirmabatur, & partim ea re partim, propter imminens festum Nativitatis Christi, Cantuariam ad Anselmum idem Episcopus jussus venerat. Post hæc cum Anselmus ordinationem ipsius Abbatis accelerare vellet, eo quod res Ecclesiæ pessum ibant, & quotidie in sui diminutionem intus & extra decidebant; voluit ut prædictus Episcopus eum in Abbatem ad altare Christi Cantuariæ solenniter se astante consecraret. Sed ubi monachis S. Augustini res innotuit, ad contradicendum animati sunt. Nam Ecclesiam suam privilegia habere commentati sunt, per quæ Abbatem suum non nisi in Sede sua ordinari debere, manifesta allegatione se probaturos asseruerunt. Duravit autem hæc fabula illorum diebus nonnullis; Anselmo nullatenus assertioni eorum cedere volente. Tandem in initio *i* Quadragesimæ, cum Anselmus juxta Lundoniam pro colloquio Regis venisset; quidam ex ipsis monachis, quos ad rem exercendam ii qui domi remanserant pari voto selectos eo direxerant, omissis privilegiis suis (quæ nulla vel non rata à Rege & Principibus comprobata sunt & damnata) per suos Advocatos Regi persuaserunt, ut Anselmo mandaret, Abbatem in Ecclesia S. Augustini, ex antiqua consuetudine consecrare. Hujus mandati Nuntii fuerunt Willielmus Episcopus Wintoniensis, & Rogerius Serberiensis, & Willielmus Exoniensis, cum Gisleberto Abbate Westmonasterii, à Rege ad Anselmum. Respondit ergo Anselmus, Si Rex me rogaret quatenus pro suo amore ipsum Abbatem in Ecclesia sua ordinarem, fortassis facerem, ea consideratione, eo intuitu, quod antecessorum meorum juris fuit & mei est, indifferenter per Angliam, ubicumque voluntas tulit, Episcopale officium administrare. Nunc autem quia mandat ut id faciam ex consuetudine, dico consuetudinis illud non esse. At illi: Si contra fidem non esse dignoscitur, omnino vult ut in sua Sede consecretur. Refert: Non omnia facienda sunt quæ fidei contraria non sunt; alioquin plura inconvenientia fierent: hoc quoque unde agitur, quamvis, si fieret, fidei contrarium non esset, fieri tamen ex consuetudine non debet; eo quod nimis inconveniens esset: ei quippe, qui canonice mihi & Ecclesiæ nostræ per omnia subjici debet, subditus in hoc contra ordinem fierem. Ad hæc, Archiepiscopus Cantuariensis Primas est totius Angliæ, Scotiæ, Hiberniæ, & adjacen-

b

E

prætendunt quod ordinari debeant in sua ecclesia,

i

F

k

audire renuit, etiam ad Regis intercessionem,

f

g

A *nolens suo juri regioque honori prajudicare:* adjacentium Insularum, nec pro alicujus personæ consecratione, nisi solummodo Regis ac Reginæ, Sedem suam ex consuetudine egreditur. Si ergo Rex vult ut ego eumdem honorem exhibeam Abbati S. Augustini quem sibi, parem eum vult in regno suo facere sibi. Quod ne fiat consulo, sicut ei cui fidem debeo, quatenus se ab hac voluntate cohibeat. Re etenim vera dico, quia si unquam tanta inordinatio in Anglia facta fuerit, non modo Regi, sed Archiepiscopis, Episcopis, Principibus, & toti regno grande opprobrium erit. Dixerunt: Eja, si eum in Sede sua ordinare, istis rationibus actus, non vis; mandat ut in sua Capella se præsente, illum ordinari permittas ab aliquo Episcoporum cui ipse præceperit. Respondit: Cur illum ab alio Episcopo ordinari permitterem, quem ego gratia Dei, pro meo jure, uti debeo, ordinare potis sum? Et hoc quidem, ajunt, mallet, ut illic eum tu ipse consecrares. Dixit: Si hoc fecero nonnullam injuriam faciam ipsi Domino meo, meum quippe non est, in Capella ejus Missam celebrare, nisi quando ipse debet à me coronari. Itaque si hoc facio pro Abbatis consecratione, Regius honor vilescet, & B deinceps mei exemplo exigetur pro consuetudine, quod hactenus fiebat statuto tempore pro solo Regis honore. Verum quia ipse vult ut proxime consecretur, eo quod nondum confirmato Abbate fluctuant res Abbatiæ; Si voluerit, hic in Capella hospitii mei eum ordinabo, quoniam quidem mihi facile non est, pro tam levi re, hac vice Cantuariam ire. Relata sunt ista Regi, & approbata ratione Anselmi, laudavit ut omissis cunctis objectionum ambagibus Abbas sacraretur, uti dixit, Anselmus. *& causa Regi probata ordinat eum in suo hospitio.* Ordinavit igitur illum IV Kal. Martii, quinta feria primæ septimanæ Quadragesimæ apud Lambetham in capella Roffensis Ecclesiæ, ubi tunc Anselmus erat hospitatus. Accepta ab eo professione ex more, qua se Ecclesiæ Dorobernensi & Archiepiscopis ejus canonice per omnia obediturum promisit. Ii ergo qui affuerunt multo honestius ipsum Cantuariæ potuisse sacrari dixerunt, & quod major honor esset Abbati, requirere Patrem patriæ pro benedictione sua in Metropoli Sede, quam in Capella Roffensis Ecclesiæ. Inter hæc Anselmus misit Domino Papæ Epistolam hanc.

40 Paschali, Domino Patrique reverendo, summo Pontifici, Anselmus servus Ecclesiæ Cantuariensis, debitam obedientiam cum orationum assiduitate. *Papa indicat Regis subjectionem quoad investituras* Non debeo tacere Excellentiæ vestræ, quod per eam Dei gratia operatur in Anglia & in Normannia. C Rex qui dominatur Anglis & Normannis, obedienter suscipiens vestram jussionem, investituram Ecclesiarum, renitentibus multis, omnino deseruit; quod ut faceret, Robertus Comes de Mellento & Richardus de Redueris, ut fideles vestri & filii Ecclesiæ, veritatis attracti monitis, vehementer instituerunt. Rex ipse in personis eligendis nullatenus propria utitur voluntate, sed religiosorum se penitus committit consilio; de me autem quantas debeo gratias paternæ benignitati vestræ, scribendo non sufficio reddere, sed eas in charta cordis mei scriptas lego assidue. Cum enim, sicut servi vestri, dilecti Fratres nostri, Willielmus & Baldwinus, retulerunt, vitæ meæ corruptibilis curam ne cito deficiat tam benigna solicitudine mihi gerere præcipitis, non modicum pietatis affectum magnitudinem vestram erga parvitatem meam habere monstratis. *& gratias agit de cura sui* Omnipotens Deus vitam vestram vobis in omni prosperitate diu custodiat. Hanc Epistolam idcirco placuit huic operi admiscere, ut ea teste monstraremus, quæ de investituris Ecclesiarum diximus rata esse. *non sine commendatione Comitis de Mellento.* Ad quam etiam correctionem Mellentinus Comes pro litteris, quas ei, ut supra scripsimus, Papa direxerat, perductus fuerit, hujus testimonio designare, pari voto cordi fuit. Re etenim vera ab iis, in quibus olim versatus fuerat, quadam ex parte mutatus erat: siquidem justi amator, istis consilium, illis auxilium, aliquibus utrumque, juxta quod ratio exigebat, sæpe exhibebat. Rex ipse Henricus, illius consilio in regni negotiis præstantius & efficacius ceteris credens, defuncti fratris sui Regis vestigia sequi, sicut fatebatur, derhorrebat. Attamen præfatus Comes nec Anglos diligere, nec aliquem illorum ad Ecclesiasticam dignitatem provehi patiebatur.

41 Supra memorato Gundulpho Roffensi Episcopo de hac vita sublato, Anselmus ad eum sepeliendum Rofam ivit; *procurat exequias Episcopi Roffensis.* qui, obsequio sub magna lugentium monachorum, clericorum ac laicorum multitudine decenter expleto, res ipsius Episcopii sicut expedire melius intelligebat, ad opus Ecclesiæ intus & extra, suas videlicet, ordinavit. Baculus autem Episcopalis Cantuariam ab Ernulfo monacho Roffensi, qui ejusdem Episcopi Capellanus extiterat, pro more delatus est, & in præsentia Fratrum super altare Domini Salvatoris præsentatus.

42 Inter ista Rex Henricus, considerans totum pene Regnum in gravem ærumnam multis ex causis decidisse, E *Rex consulto Anselmo providet pauperum oppressioni* per consilium Anselmi & Procerum regni, operam dare instituit, qualiter aliquo modo mala, quæ pauperes maxime deprimebant, mitigarentur: cujus boni exordium gnarus à sua Curia cœpit. Tempore siquidem fratris sui Regis hunc morem multitudo eorum, qui Curiam ejus sequebatur, habebat; ut quæq; pessumdarent, diriperent; & nulla eos cohibente disciplina, totam terram, per quam Rex ibat, devastarent. Accedebat his aliud malum; plurimi namque eorum sua malitia debriati, dum reperta in hospitiis quæ invadebant, penitus absumere non valebant; ea aut ad forum, per eosdem ipsos quorum erant, pro suo lucro ferre ac vendere; aut supposito igne cremare; aut si potus esset, lotis exinde equorum suorum pedibus, residuum illius per terram effundere; aut certe aliquo alio modo disperdere solebant. Quæ vero in patresfamilias crudelia, quæ in uxores ac filias eorum indecentia fecerint, reminisci pudet. Has ob causas quiqui, præcognito Regis adventu, sua habitacula fugiebant: sibi suisque quantum valebant, in silvis vel aliis locis, in quibus se tutari posse sperabant, consulentes. Huic malo Rex Henricus mederi desiderans, indicto edicto, omnibus qui aliquid eorum quæ dixi, fecisse probari poterat; aut oculos erui, aut manus vel pedes vel alia membra constanti justitia strenuus faciebat amputari. F Quæ justitia in pluribus visa, ceteros integritatem sui amantes, ab aliorum læsione deterrebat. *& correctioni Monetæ;* Item moneta corrupta & falsa multis modis multos affligebat: quam Rex sub tanta animadversione corrigi statuit, ut nullus qui posset deprehendi falsos denarios facere, aliqua redemptione, quin oculos & inferiores corporis partes perderet, juvari valeret. Et quam sæpissime dum denarii eligebantur, flectebantur, rumpebantur, respuebantur, statuit ut nullus denarius vel obolus integer esset. Ex quo facto magnum bonum ad tempus toti Regno creatum est. Hæc in secularibus, ad relevandas terræ ærumnas, interim Rex faciebat.

43 Divina nihilominus officia, quoniam indigne per quorumdã Sacerdotum manus eo usq; tractabantur, solicitus instituit, ut ipsa suo ritu caste celebrarentur. Multi nempe Presbyterorum statuta Concilii Lundoniensis, necnõ vindictã quã in eos Rex exercuerat, quorũ superius mentionem fecimus, postponentes, suas feminas retinebant, aut certe duxerant quas prius non habebant. Quod incontinentiæ crimen

AUCTORE EADMERO

exponis in Concilio, Lundinensi

men Rex subvertere cupiens, adunatis ad curiam suā in solennitate Pentecostes apud Lundoniam cunctis majoribus Regni, de negotio cum Anselmo Archiepiscopo & ceteris Episcopis Angliæ tractavit, eosque ad malum illud extirpandum, regali auctoritate atque potentia fultos, roboravit. Unde Anselmus Archiepiscopus Cantuariensis, & Thomas electus Archiepiscopus Eboracensis (nam Girardus tunc nuper ad eamdem curiam tendens abierat) & omnes alii Angliæ Episcopi, statuerunt in præsentia ejusdem gloriosi Regis Henrici, assensu omnium Baronum suorum, ut Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi, caste viverent, & feminas in domibus suis non haberent, præter proxima consanguinitate sibi junctas, secundum quod sancta Nicena Synodus definivit. Illi vero Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi, qui post interdictum Lundoniensis Concilii feminas suas tenuerunt, vel alias duxerunt, si amplius Missam celebrare vellent, eas omnino à se facerent sic alienas, ut nec illæ in domos eorum, nec ipsi in domos earum intrarent; sed neque in aliqua domo scienter convenirent, neque hujusmodi feminæ in territorio ecclesiæ habitarent; si autem, propter aliquam honestam causam, eos colloqui oporteret; cum duobus ad minus legitimis testibus, extra domum colloquerentur. Si vero in duobus aut in tribus legitimis testibus, vel publica parochianorum fama, aliquis eorum accusatus esset, quod hoc statutum violasset; purgaret se adjunctis sibi secum ordinis sui idoneis testibus sex, si Presbyter; quinque, si Diaconus; quatuor, si Subdiaconus esset: cui autem hæc purgatio deficeret, ut transgressor sacri statuti judicaretur. Illi autem Presbyteri, qui divini altaris & sacrorum Ordinum contemptores præeligerent cum mulieribus habitare, à divino officio remoti, & omni ecclesiastico beneficio privati, extra chorum ponerentur, infames pronuntiati. Qui vero rebellis & contemptor feminam suam non relinqueret & Missam celebrare præsumeret, vocatus ad satisfactionem, si negligeret, octavo die excommunicaretur. Eadem sententia Archidiacones & Canonicos omnes complectebatur, tam de mulieribus relinquendis quam de vitanda earum conversatione, & de districtione censuræ, si statuta transgressi fuissent. Jurarent insuper Archidiaconi omnes, quod pecuniam non acciperent pro toleranda transgressione hujus statuti; nec tolerarent Presbyteros, quos scirent feminas habere, cantare vel vicarios habere; & si eos audirent calumniari, veritatem inde inquirerent. Similiter & Decani hæc eadem per omnia jurarent: qui vero Archidiaconus vel Decanus hoc jurare nollet, Archidiaconatum vel Decanatum irrecuperabiliter perderet. Presbyteri vero, qui relictis mulieribus, Deo & sacris altaribus servire eligerent, quadraginta dies pro transgressione præfati concilii ab officio cessantes, pro se interim vicarios haberent; injuncta eis pœnitentia, secundum quod Episcopis eorum visum esset. Omnia vero mobilia lapsorum post hac Presbyterorum, Diaconorum, Subdiaconorum & Canonicorum traderentur Episcopis, & concubinæ cum rebus suis velut adulteræ.

decreta cōdita pro extinguendo usu concubinarum inter viros sacros,

B

& in transgressores graves pœnas decerni;

C

nec non in Decanos aut Archidiaconos cum iis conniventes.

44 His diebus sermo habitus est de Parochia Episcopi Lincolniensis, quæ in nimium tendebatur, eoque processit, ut, cum ratio Christianitatis id utile fore suadebat, Regi & Archiepiscopo ceterisque Principibus regni visum fuerit, de ipsa Parochia sumendum quo fieret alter Episcopatus, cujus Cathedræ principatus poneretur in Abbatia de Heli. Sed Anselmus, quem ipsius negotii summa respiciebat, sciens, præter consensum & Romani Pontificis auctoritatem, novum Episcopatum nusquam rite institui posse, scripsit ei sic: Domino & Patri reverendo Paschali, Summo Pontifici, Anselmus Ecclesiæ Cantuariensis, debitam obedientiam cum fideli obsequio & orationibus. Quoniam robur dispositionum, quæ utiliter fiunt in Ecclesia Dei, de vestræ pender auctoritate prudentiæ; quando fiunt, ad vestrum referendæ sunt notitiam & judicium: ut, cum Apostolico assensu fuerint confirmatæ, nulla præsumptione à posteris, quæ salubriter statuta sunt, queant violari, sed rata permaneant in perpetuum. In Anglia est quidam Episcopatus, scilicet Lincolniensis, cujus diœcesis tam ampla est, ut ad ea, quæ non nisi ab Episcopali persona fieri queunt, unus Episcopus plene sufficere non possit. Quod cum consideraret Rex & Episcopi & Principes, & alii rationabiles & religiosi viri regni Anglorum, ad utilitatem Ecclesiæ visum consilium est, Episcopatum præfatum in duos dividere; ita ut Sedes Episcopalis in quadam Abbatia, quæ sita est in Insula vocata Heli, & est intra præfatam diœcesim, constituatur, monachis ibidem permanentibus: sicut sunt multi Episcopatus, qui monachos in matre Ecclesia habent, non Canonicos. Quod libenter concedit ipse Episcopus Lincolniensis, Robertus nomine, quia pro iis quæ assumuntur de sua Ecclesia ad instaurandum novum Episcopatum in Heli, tantum Ecclesiæ Lincolniensi restauratur *l*, ut ipse sufficiens & gratum sibi esse fateatur. Cui rei mihi, tum propter prædictam necessitatem, tum propter multitudinem prædictorum qui in hoc consentiunt, visum est, ut, salva vestra auctoritate, assensum præberem. Precatur igitur suppliciter mea parvitas, quatenus hoc, quod pro utilitate Ecclesiæ sic dispositum est, vestra auctoritate in perpetuum roboretur, ne à posteris ulla præsumptione quod bene statutum fuerit violetur. Oramus Dominum omnipotentem ut Ecclesiæ suæ vos in diuturna prosperitate custodiat. *m*

ut novus Episcopatus erigatur in monasterio Heli

D

Pontifici scribit Anselmus:

45 Soluta Curia, Anselmus ad villam suam, Murtelac nomine, ivit; ibique in subsequenti jejunio quarti mensis; multos ad sacros Ordines promovit. Inter quos Richardum quoque, in præcedenti proxima solemnitate Pentecostes electum ad Pontificatum Ecclesiæ Lundoniensis, ad Presbyteratum ordinavit. Deinde ad festivitatem gloriosiorum Apostolorum Petri & Pauli Cantuariam veniens, die ipsius festivitatis, in Capitulo, præsentibus Ecclesiæ Fratribus & multis aliis tam monachis quam clericis, necnon & laicis, dedit Radulpho Abbati *n* Sagii, viro equidem bono & religioso, & ipsi Ecclesiæ valde familiari, Episcopatum Roffensem, accepto prius ab ipso coram omnibus hominio ac fidelitate. Quam fidelitatem se illi & cunctis legitimis successoribus ejus Ecclesiæque Cantuariensi perpetuo servaturum promisit, & hoc super quatuor Evangelia jurando confirmavit. In crastino autem misit eum Roveceftram, & cum eo Willielmum Archidiaconum suum, ut illum ex sua parte ipso Episcopatu investiret. Ejusdem quoque negotii causa misit & Antonium monachum illuc, qui Subprioris officio in monasterio Cantuariensi fungebatur. Nam ex quo Arnulphus ipsius Ecclesiæ Prior apud Burgum *o* Abbas fuerat factus, usque id temporis nullus in Prioratum successerat.

varia ex officio suo agit:

F

46 Eodem tempore Rex Normanniam ire parabat. Anselmus autem ad benedicendum illi, portum maris ubi transire debebat, ab eo invitatus advenit. Sed nocte, cum sequenti mane brachiolum maris, quo Regis hospitium ab hospitio Anselmi dirimebatur, Regi locuturus transire deberet, adeo infirmatus est, ut ad Regem accedere nullo pacto valeret. Quod ubi nuntiatum est Regi, ei per Willielmum Episcopum Wintoniensem, & ejusdem nominis Episcopum Excestrensem præcipiendo mandavit, ne ad se ullatenus iret, sed plenæ indulge-

jubetur pro absentem Regis habere curam regni

A ret quieti. Per eosdem quoque semetipsum, quo pergebat, & filium suum quem in regno relinquebat cum toto regno commendavit tuitioni ejus, ut quidquid statueret, ratum esset; irritum, quod prohiberet. Rogavit etiam illum propter amorem sui, consecrare supra memoratum Richardum Lundoniensi Ecclesiæ electum Pontificem, apud Cicestram; quoniam prope erat, & Episcopi quos adjutores ac ministros in officio ipso haberet, præsto. Causa autem, propter quam hoc ita festinato fieri volebat, illa dicebatur esse, quia eumdem Richardum, in secularibus multum valentem, longe versus Occidentales Angliæ fines, ad sua negotia exercenda transmittere sub celeritate disponebat. At Anselmus, consideratis quibusdam rationabilibus causis, renuit; nec Episcopum sacrare in Cicestra, sicut petebatur, acquievit. Verumtamen, ne nihil pro

B Rege, qui cuncta, quæ tunc petebatur pro Anselmo faciebat, facere videretur, eumdem Episcopum pro amore illius in Capella sua apud Pagaham consecravit, VII Kal. Augusti, ministrantibus ei in hoc officio Willielmo Episcopo Wintoniensi, Rogerio Serberiensi, Radulfo Cicestrensi, & Willielmo Excestrensi, accepta prius ab eo pro more, de obedientia & subjectione sua, professione. Posthæc venit Anselmus Cantuariam, & ibi cum magno honore sacravit præfatum Radulfum Roffensi Ecclesiæ electum Episcopum, quinto Idus Augusti, ministrantibus sibi in hoc Willielmo Episcopo Wintoniensi, Radulfo Cicestrensi, & Richardo Lundonensi. Qui Richardus, antecessorum suorum morem secutus, honesto munere honoravit ipso die Matrem suam Ecclesiam Cantuariensem, juxta quod statutum fuerat à Rege, quando impetravit ab Anselmo ut eum sacraret apud Pagaham, sicut diximus.

consecrat Lundo..ensem

& Roffensem Episcopos.

ANNOTATA.

a Gemmeticum *vulgo* Jumiege *infra Rotomagum. monasterium amplum, ubi verosimiliter navim conscensurus erat in Angliam trajiciendus* Anselmus.

b *In autumno ejusdem anni* 1106. *Consule Ordericum Vitalem ad dictum annum ubi etiam captivos recenset, uti & Simon Dunelmensis aliique scriptores.*

c *Moritonii Comitis castrum hoc fuit: quod obsidentem Regem aggressi hostes in Vigilia S. Michaelis, istam de se victoriam dedere, ut scribit jam citatus Simon Dunelmensis.*

C d *Anno sequenti* 1107, *Pascha fuit* 14 *Aprilis.*

e *Celebratum id est Id. Maii, sive circa Ascensionē Domini.*

f *Wallia pars meridionalis* Glamorgania *est, ad Sabrinæ æstuarium. Sedes Episcopalis* Landavia fuit *(unde sub nomine* Landavensium Episcoporum *de his alii agunt) de qua actum* 9 *Februarii, ubi de S. Teliao ejus loci Episcopo.*

g *Scilicet littera Dominicali* F.

h *Nunc passim* Quatuor temporum *nuncupantur ista jejunia, eo quod quater in anno habeantur*: septimi *autem &* decimi mensis *nominibus indicantur September & December: & infra nomine* quarti mensis *Iunius.*

i *Anno* 1108 *Bissextili, quando Pascha incidit in* 5 *Aprilis, & dies* Cinerū *in* 19 *Februarii litteris Dominicalibus* ED.

k Debriare *pro* inebriare *sæpius in Sanctorum Actis occurrit, vox utique apta licet aureo seculo ignota, siquidem* Bria; *ut volunt quidam, certam vini mensuram significabat; ut* ebrius *&* debrius *dicantur, quasi de vel extra mensuram potus*; sobrius, *sub mensura.*

l *Dato scilicet uno Eliensis* Abbatiæ *Manerio* Spaldwich, *de quo infra ad cap* 5. *Godwinus de Episcopis Angliæ duo alia addit* Biccleswort *&* Bokden; *asserens Abbatiam Eliensem tam divitem fuisse, ut suo Abbati plus redderet, quam Episcopis suis bina ternave nonnullarum sedium Anglicanarum.*

m *Postulationi Pontifex annuit: sed obierat Anselmus antequam negotium conficeretur.*

n Abbatia Sagiensis *in Normannia est, vulgo* S. Martin de Seez, *de cujus fundatione facta anno* 1050 *vide Neustriam piam Arturi.* Radulfus *autem anno* 1114 *ad Archiepiscopatum Cantuariensem translatus fuit.*

o Petroburgense *in agro Northamtoniensi monasteriū, de quo multis 6 Martii, ubi de SS. Kineburga & Kineswitha filiabus Pendæ, sororibus Peadæ, Regum Merciorum.*

AUCTORE EADMERO

CAPUT IV.

Controversia de subjectione Ecclesiæ Eboracensis, post obitum S. Anselmi feliciter terminata.

47 INter hæc electus est ab Alexandro Rege Scotiæ & Clero & populo monachus quidam Dunelmensis, nomine *a* Turgodus, ad Episcopatum S. Andreæ de Scotia. Cujus consecratio dum ultra quam expediret demoraretur, tum propterea quia Thomas Eboracensis Ecclesiæ Antistes electus necdum fuerat consecratus, tum propter quædam alia, quæ longum est enarrare; Ranulfus Dunelmensis Episcopus proposuit eumdem Electum, in præsentia ipsius Thomæ, apud Eboracam consecrare, associatis sibi Episcopis Scotiæ & Orcadarum insularum. Verum, quia id præter consensum &

a

Vt Episcopus S. Andreæ ab aliisquam Eboracensis aut à se ordinetur

E auctoritatem Cantuariensis Episcopi rite fieri non posse sciebat; mandavit ei de negotio per Militem quemdam, & ut ejus consilio & concessione sacraretur, deprecatus est. Ad quæ scripsit ei epistolam hanc: Anselmus Archiepiscopus Cantuariæ, Ranulfo Episcopo Dunelmensi salutem. Mandastis mihi per quemdam Militem, Scollandum nomine, quod volebatis, ut electus Episcopus Ecclesiæ S. Andreæ de Scotia sacraretur, & hoc volebatis fieri meo consilio & mea concessione. Sed hoc nec debet nec potest canonice fieri ab eodem electo Archiepiscopo, nec ab alio per illum, priusquam ipse fiat Archiepiscopus Canonica consecratione. Quapropter nec consulo nec concedo, immo interdico, ne fiat ante consecrationem ejusdem electi Archiepiscopi, nisi à me, si forte hoc necessitas exegerit. Vale.

non permittit:

48 Post hæc Anselmus, considerans Thomam Episcopalem suam benedictionem non ita expetere, sicut debebat, scriptam hanc Epistolam ei direxit. Anselmus Archiepiscopus Cantuariensis, Amico suo Thomæ, electo Archiepiscopo Ecclesiæ Eboracensi, salutem. Canonica auctoritas præcipit, ut Ecclesia Episcopatus ultra tres menses non moneat sine Pastore. Quoniam autem Regi

monet Electum Eboracensem,

F placuit, consilio Baronum suorum & nostra concessione, ut vestra persona eligeretur ad Archiepiscopatum Eboracæ; non debet per vos terminus salubriter constitutus diutius differri. Unde miror, quia post electionem vestram non requisistis ut consecraremini, ad quod electus estis. Mando itaq; vobis ut octavo Idus Septembris sitis apud Matrem vestram ecclesiam Cantuariensem, ad faciendum quod facere debetis, & ad suscipiendam consecrationem vestram. Quod si non feceritis, ad me pertinet ut ego curam habeam, & faciam quæ pertinent ad Episcopale officium in Eboracensi Archiepiscopatu. Præterea audivi, quod vos, priusquam consecremini, facere vultis, ut electus Episcopus S. Andreæ de Scotia apud Eboracam consecretur. Quod nec vos facere debetis, nec ego concedo, sed omnino interdico ne fiat, aut de illo aut de aliqua persona quæ in regimen animarum debet provehi ab Archiepiscopo Eboracensi; quia non pertinet ad vos dare, vel concedere alicui regimen aut curam animarum: quia nondum accepistis. Valete. Ad illam scripta est Epistola hæc,

ut se sistat Cantuariæ consecrandum,

49 Dilectissimo Patri & Venerabili Domino Anselmo, sanctæ Cantuariensis Ecclesiæ Archiepiscopo, Thomas

AUCTORE EADMERO

Thomas Eboracæ Metropoli Electus, licet indignus, salutam & amicæ fidelitatis obsequium. Gratias ago vobis, Reverende Pater, quod me semper dilexistis & audivistis, & de proventu meo exultavit & lætatum est cor vestrum in Domino: Dominus Deus retribuat vobis pro me. Quod ad consecrationem meam venire distuli; causa fuit non una nec parva quæ me detenuit. Pecuniam, quam pro facultata mea magnam causa veniendi ad vos contraxeram, ultra spem meam & nimium diu moratus, totam dispendi Wintoniæ, à qua citius discedens ad vos venire disposueram. Placuit autem Domino nostro Regi, ut cum ille Legatos Romam pro causa sua mittebat, ego cum eis meum mitterem ad requirendum Ecclesiæ nostræ Pallium. Festinanter igitur consilio Regis ad propria reversus, ad hoc opus quæsivi, & adhuc quæro pecuniam; sed parum, nisi graviter mutuatam, invenio; quoniam Dominus Girardus Archiepiscopus Ecclesias nostras & homines & ipsum dominium nostrum multum pauperavit. Et certe Rex promisit mihi, quod vobis colloqueretur, & dilationem meam apud vos excusaret. Termino à vobis constituto (Domino auxiliante) ero apud sanctam Cantuariensem Ecclesiam, si opportune potero, suscepturus & facturus quæ debeo. Quod si non potero, cum mihi Paternitas vestra mandavit ut quindecim diebus, ante vobis renuntiarem, *b* precor benignitatis vestræ sanctitatem, ut decē diebus ante vobis renūtiare possim, mihi cōcedatis. Litteras vero Paternitatis vestræ requiro in testimonium personæ & electionis nostræ quales debetis & scitis oportere. Hoc modo vestra Sanctitas meæ parvitati debet; hoc vestra Ecclesia nostræ denegare nō debet. De electo Episcopo S. Andreæ de Scotia, quod audistis, rumores sunt, quibus credere non oportet. Facile ergo est interdici, quod ut fieret non à me excogitatum est. Vivere vos sanum lætumque, diuque, Deoq; Domino nostro, nostra supplicat Ecclesia. Sanctæ Cantuariensis Ecclesiæ congregationem saluto, & oro ut pro me oret. Valete. Rescriptum Anselmi ad eumdem Thomam.

accipit responsum, quare non venerit;

B

b & rogatus dare litteras testimoniales,

30 Anselmus Archiepiscopus Cantuariensis, amico suo Thomæ, electo Archiepiscopo Eboracensi, salutem. Mandastis mihi in litteris vestris quod termino à me vobis constituto Deo auxiliante Cantuariæ eritis, si opportune poteritis, suscepturus & facturus quod debetis. Rogastis quoque, ut si id efficere non valetis, concederem quatenus id mihi decem diebus ante renuntiare possetis: sed & Willielmus Clericus nuntius vester precatus est me ex vestra parte, quatenus ego ipsum terminum adventus vestri aliquantum extenderem, ut ad nos opportunius possetis venire. Quod & ego, causa vestri amoris & opportunitatis, libenter facio. Ne itaque opus sit vos mihi quidquam ante, de vestro adventu renuntiare, summoneo vos, ut die Dominico qui erit quinto Kal. Octobris Cantuariæ sitis, ad faciendum quod facere debetis, & ad suscipiendam consecrationem vestram. Præterea quod dicitis in litteris vestris vos pecuniam quærere, ut Romam mittatis pro Pallio Ecclesiæ vestræ, non concedo: & puto quod id frustra faceretis, quoniam nullus debet habere Pallium antequam sit consecratus. Litteras quas requiritis, in testimonium personæ & electionis vestræ, cum mihi locuti fueritis & ostēderitis cui eas dirigere debeo, libenter faciam pro vobis, sicut pro amico, quod facere debebo. Valete. Ratus ergo Anselmus non esse abs re præmunire Dominum Papam de negotio Pallii, quod sibi Thomas se mandaverat requisiturum, scripsit ei Epistolam hanc.

C

terminum ampliat,

& monet ne ante consecrationem petat Pallium.

31 Domino & Patri vere diligendo & reverendo Paschali, Summo Pontifici, Anselmus, Servus Ecclesiæ Cantuariensis debitam obedientiam cum fidelibus orationibus. Quoniam fortitudo & directio Ecclesiarum Dei maxime pendet ex auctoritate Paternitatis vestræ post Dominum, quando ratio exigit ad ejus libenter recurrimus auxilium & consilium. Archiepiscopus Eboracensis, Girardus nomine, migravit de hac vita: & alius, Thomas nomine, loco ejus electus est: de quo rumor est quod quæritur ei Pallium, antequam sit consecratus, & mihi faciat professionem secundum antiquam consuetudinem antecessorum meorum & suorum. Hæc est igitur summa precum mearum in hac re: ut antequam consecretur & mihi debitam obedientiam (sicut dixi) profiteatur, & hoc factum esse litteris nostris cognoscatis, à vestra Excellentia Pallium non suscipiat. Quod non dico idcirco, quod illi Pallium invideam; sed quoniam quidam autumant, & etiam procurant, ut si hoc à vobis concessum fuerit, confidat se professionem debitam mihi posse denegare. Si enim hoc contingeret, scitote, quia Ecclesia Angliæ scinderetur, & secundum sententiam Domini dicentis, Omne regnum in seipsum divisum desolabitur, desolaretur, & vigor Apostolicæ disciplinæ in ea non parum debilitaretur: ego quoque nullatenus remanerem in Anglia. Non enim deberem aut possem pati, ut me in ea vivente Primatus Ecclesiæ nostræ destrueretur. Hoc ipsum & eodem affectu suggero, Reverentiæ vestræ de Lundonia, si ejus Episcopo Pallium petitur, quod numquam habuit: ut scilicet ad hoc nullatenus assensum præbeat. Quidam namque concinnant, sub hac specie boni, Primatus Cantuariæ dignitatem, quemadmodum non oportet, humiliare. Misi Sanctitati vestræ in hoc anno post Pentecosten litteras, per Bernardum servientem Domini Petri Camerarii vestri, quod Rex Angliæ conqueritur, quod sustinetis Regem Teutonicum dare investituras Ecclesiarum sine excommunicatione: & ideo minatur, sine dubio se resumpturum suas investituras, quoniam ille suas tenet in pace. Videat igitur Prudentia vestra sine dilatione quid inde agere debeatis; ne quod tam bene ædificastis, irrecuperabiliter destruatur. Rex enim noster diligenter inquirit, quod de illo Rege facitis. Oramus Dominum Deum, ut nos lætificet de diuturna prosperitate vestra. Rescriptum Domini Papæ ad Anselmum.

D

monet etiam eu de re Pontificem,

ne prejudicetur Cantuariensi Primatui,

Luc. 11, 17

E

& indicat agre ferri à suo Rege investituras permitti Regi Germaniæ.

32 Paschalis Episcopus, Servus servorum Dei, dilecto Fratri Anselmo, Cantuariensi Archiepiscopo, salutem & Apostolicam benedictionem. Litteras tuæ Dilectionis recepimus, per quas affabilitatis tuæ, dulcedinem recognovimus. Bene autem & sapienter egistis, quod nos de causa & honore Cantuariensis Ecclesiæ præmonitos & cautos reddidistis. Nos siquidem in te ipsius B. Augustini, Anglorum Apostoli, personam venerabilem intuemur; & ideo honori tuo vel Ecclesiæ tuæ aliquid detrahere omnino refugimus; unde quæ rogasti libenter suscepimus, &, ad servandum tuum & Ecclesiæ tuæ honorem, custodiam & solicitudinem adhibemus. Porro quod in eisdem litteris significasti scandalizari quosdam, quod Regem Teutonicum dare investituras Ecclesiarum toleramus; nec tolerasse nos aliquando, nec toleraturos scias. Expectavimus quidem ut ferocia gentis illius edomaretur: Rex vero si in paternæ nequitiæ tramite perseveraverit, B. Petri gladium, quem jam educere cœpimus, proculdubio experietur. *d* Datæ Beneventi IV Idus Octobris.

F

accipit benevolum responsum.

33 Supra memoratus Thomas inter ista, mutato priori consilio Cantuariam statuto sibi termino, prohibitus à Canonicis suis, sicut per litteras Anselmo manda-

A

Ob moram à Canonicis Eborac. injectam

mandavit, venire non potuit, & ob hoc quid sibi inde foret agendum, consilium ab eo petivit. Ipsi quippe Canonici, scientes Anselmum ætate simul & debilitate fatigari, rati sunt eum citius huic vitæ subtrahendum, & ideo mota calumnia, Ecclesiam Eboracensem parem esse Cantuariensi, Anselmo scripserunt. In quo tamen electum Antistitem Ecclesiæ suæ Cantuariam ire debere pro benedictione sua cognoverunt, sed professionem de subjectione sua Pontifici Cantuariensi eum facere debere negaverunt; ac ne faceret, quantum in eis fuit, ex parte Dei & Romanæ Ecclesiæ prohibuerunt. Quod quali fama ipsos Canonicos apud multorum mentes notaverit, & me tacente conjicere possunt, qui quid juris ex antiquo Ecclesia Cantuariensis super Eboracensem semper habere consueverit, sciunt. Anselmus autem postponens Clericorum litteris respondere, ad litteras Thomæ scripsit hæc. Anselmus Archiepiscopus Cantuariensis, amico suo Thomæ, electo Archiepiscopo Eboracensi salutem. Mandavi vobis caritative plusquam semel, quatenus ad matrem vestram Ecclesiam Cantuariensem veniretis, ad suscipiendam benedictionem vestram, & ad faciendum quod debetis, & non venistis. Quapropter eadem dilectione vobis adhuc mando, quatenus apud ipsam Matrem vestram sexto Idus Novembris sitis, ut faciatis quod debitis, & suscipiatis benedictionem nostram. Præterea, quia consilium petitis, consulo vobis ut non incipiatis aliquid quod non debetis contra Cantuariensem. Nam pro certo sciatis, quia omnibus modis quibus possum ad hoc me impendam, ut de sua dignitate Ecclesia ipsa meo tempore nihil perdat. Valete. Non venit, sed directa Epistola hæc inter alia scripsit. Causam qua differtur sacratio mea, quam nemo studiosius quam ego vellet accelerare, qui protulerunt non desistunt corroborare. Quamobrem quam periculosum, quam turpe sit contra consensum Ecclesiæ (cui præfici debeo) regimen ipsius invadere, vestra descretio noverit. Sed & quam formidabile, quam sit evitandum sub specie benedictionis maledictionem induere.

eorum Electo ampliat iterum terminū

B

Atque etiam sic excusantem

54 Ex his, Anselmus advertens, Thomam Clericorum suorum magis quam suo, quod petiverat, consilio inhærere; fecit Episcopos venire ad se, & cum eis de negotio tractans, quid præcipue foret agendum, disquisivit. Probant illi duos adhuc Episcopos ad eum dirigi, qui illum ex parte Anselmi & omnium Episcoporum Angliæ moneant, cœptæ rebellioni renuntiare, & siquidem id facere nolit, suadeant ei Cantuariam pro benedictione sua, secundum quod se facere debere cognoverat, venire; ibique si possit, probet se à subjectione, quam Anselmus exigebat, debere liberum esse; & hoc si queat efficere, sacratus redeat in sua cum pace. Placuerunt ista Patri. Et hæc agere missi sunt Episcopi duo, Lundoniensis videlicet, qui Decanus Ecclesiæ Cantuariensis, & Roffensis qui ejusdem Ecclesiæ proprius atque domesticus esse dignoscitur. Hi ergo iter aggressi, mandaverunt Thomæ, & occurrit eis apud Suthwellam villam suam. Exponunt ei, pro quibus venerint: at ipse nuntium suum, quem Normanniam ad Regem miserat, & plures de suis, quos ad se longe inde pervenire mandaverat, se expectare respondit: qui cum venerint, inquit, audito eorum consilio, faciam quod potissimum mihi faciendum laudaverint. Reversi in istis Episcopi sunt. Post hæc, brevi temporis spatio interposito, Nuntius ex parte Thomæ ad Anselmum directus, litteras, quas ecce scribimus, sigillo Regis inclusas ei porrexit. Henricus Dei gratia Rex Anglorum Anselmo Cantuariensi Archiepiscopo, caro Patri suo salutem & amicitiam. Mando vobis ut exspectetis æquo animo & bona voluntate benedictionem Thomæ Eboracensis Archiepiscopi, usque ad Pascha; & quidquid inter vos inde actum est: ego enim, si infra prædictum terminum in Angliam rediero, consilio Episcoporum & Baronum meorum vos juste & honorifice inde concordabo. Quod si tam cito non rediero, taliter inde agam, quod fraterna pax & bona concordia inter vos erit.

invitat ad controversiā ex judicio Episcopali componendā.

C

Pro eodem inducias ad Pascha rogatus à Rege,

AUCTORE EADMERO

35 Ad hæc, Nuntio petenti quid Anselmus vellet dare responsi; dixit, Se Regi, qui sibi litteras misit, non Thomæ responsurum. Delegata igitur legatione hujus rei Odoni, Decano Ecclesiæ Cicestrensis; & Alboldo, monacho Cœnobii sanctæ Mariæ Beccensis; destinavit eos in Normanniam ad Regem, narrare illi totum, quod præsentis dissidii tenore inter se & Eboracenses actum extiterat. Rogarent etiam illum, quatenus suæ auctoritatis ingenuitate & provisione satageret, ne integritas Christianitatis in duo divisa scinderetur in Anglia; certus existens, quod scissionem juxta Domini dictum desolatio sequeretur. De induciis autem quas Thomæ Eboracensi Archiepiscopo dari mandaverat, pro certo sciret, quod prius pateretur totus membratim dissecari, quam de negotio, in quo illum contra antiquas Sanctorum Patrum sanctiones, se injuste & adversus Deum erexisse sciebat, vel ad horam illas aliquando daret. Reversi nuntii, referunt Regem æquo animo ac benigno verba Anselmi suscepisse, pollicitumque se per auxilium & misericordiam Dei re ipsa ostensurum, quod integritatem Christianitatis diligeret in Anglia, non scissuram.

easdem humaniter sed fortiter negat,

E

36 Inter hæc languor, qui corpus Patris Anselmi graviter affligebat, gravior sibi ipsi de die in diem fiebat. Notæ tamen rebellionis non immemor, Scripsit Thomæ Epistolam hanc. Anselmus, Minister Ecclesiæ Cantuariensis, Thomæ electo Archiepiscopo Eboracensi. Tibi Thoma, in conspectu Omnipotentis Dei, Ego Anselmus Archiepiscopus Cantuariensis & totius Britanniæ Primas, loquor. Loquens ex parte ipsius Dei, Sacerdotale officium, quod meo jussu in parochia mea per Suffraganeum meum suscepisti, tibi interdico: atque præcipio, ne te de aliqua cura Pastorali ullo modo præsumas intromittere, donec à rebellione quam contra Ecclesiam Cantuariensem incepisti, discedas; & ei subjectionem, quam antecessores tui, Thomas videlicet & Girardus Archiepiscopi, ex antiqua antecessorum consuetudine, professi sunt, profitearis. Quod si in iis, quæ cœpisti magis perseverare, quam ab eis desistere, delegeris, omnibus Episcopis totius Britanniæ sub perpetuo anathemate interdico, ne tibi ullus eorum manus ad promotionem Pontificatus imponat, vel, si ab externis promotus fueris, pro Episcopo vel in aliqua Christiana communione te suscipiat. Tibi quoque Thoma, sub eodem anathemate ex parte Dei interdico, ut numquam benedictionem Episcopatus Eboracensis suscipias, nisi prius professionem, quam antecessores tui Thomas & Girardus Ecclesiæ Cantuariensi fecerunt, facias. Si autem Episcopatum Eboracensem ex toto dimiseris, concedo, ut officio Sacerdotali, quod jam suscepistis, utaris. Hanc Epistolam omnibus Episcopis Angliæ, singulam singulis, cum suo sigillo direxit; unicuique mandans atque præcipiens per sanctam obedientiam, quam Ecclesiæ Cantuariensi debebant, ut secundum quod in illa scriptum erat, se erga ipsum Thomam deinceps tenerent.

& infirmatus eum à Sacerdotali officio suspendit

F

ac nisi paruerit vetat ne à quoquā ordinetur.

57 Post hæc xi Kal. Maji defunctus est Cantuariæ in Metropoli Sede Gloriosus Pater Anselmus, & die

AUCTORE EADMERO & moritur 21 Aprilis, anno 1109.

die sequenti (quæ fuit Cœna Domini) in Majori ecclesia, ad caput venerandæ memoriæ Lanfranci prædecessoris sui, honorifice sepultus, anno incarnati Verbi millesimo centesimo nono, regni vero Henrici gloriosi Regis Anglorum nono, Pontificatus autem ipsius Anselmi decimo sexto, ætatis vero septuagesimo sexto.

Post adventum Legati pallium ferentis. f

38 Itaque post hæc, paucis diebus evolutis, venit Angliam, missus à venerando summo Pontifice Paschale, Clericus quidam, *f* Ulricus nomine, Cardinalis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ. Hic Pallium Eboracensi Ecclesiæ secum ferens, ubi didicit Anselmum vitam finisse (nam obitum ejus, quia tunc nuper acciderat, non longe extra Angliam famæ certitudo pertulerat) consternatus animo, quid potissimum sibi foret agendum, dubitabat. Pallium etenim ipsum Anselmo primitus deferendum à Romano Pontifice sumpserat; & ut demum juxta consilium ac dispositionem ipsius, inde ageret, ab eodem præceptum acceperat.

39 In subsequenti festivitate Pentecostes, Rex Henricus Curiam suam Lundoniæ in magna mundi gloria, & diviti apparatu celebravit. Qui transactis coronæ suæ festivioribus diebus, cœpit agere cum Episcopis & regni Principibus, quid esset agendum de consecratione Electi Ecclesiæ Eboracensis. Ad quod recitata est coram eo epistola, quam proxime suprascripsimus, ipsi Electo ab Anselmo destinata, interdicendo videlicet illi benedictionem, si primo non faceret Ecclesiæ Cantuariensi professionem. Quam Robertus Comes de Mellento sibi expositam, ubi intellexit, sciscitatus est, quisquam Episcoporum eamdem Epistolam suscipere ausus fuerit, præter assensum & imperium Domini Regis. In qua interrogatione Episcopi advertentes, Comitem velle calumniam movere, qua eos regiæ Majestati obnoxios faceret; remoti à multitudine, habito consilio, statuerunt apud se suis omnibus, si regia sententia hoc forte Comitis instinctu dictaret, se malle despoliari, quam iis quæ Anselmus de præsenti querela præceperat non obtemperare. Erant autem hi, Richardus Lundoniensis, Willielmus Wintoniensis, Robertus Lincolniensis, Herbertus Norwicensis, Rogerius Serberiensis, Radulfus Roffensis, Reinelmus Herefordensis, Robertus Cestrensis, Joannes Bathoniensis, Radulfus Cicestrensis, Willielmus Exoniensis. Istis ergo firmato consilio, ut diximus, inter se, visum est Samsonem Wigornensem Episcopum accersendum, & quam de negotio sententiam ferret etiam ipse, perquirendum. Factum est, & respondit: Licet hunc, qui in Pontificatum Eboracensem electus est, olim ex conjuge filium susceperim; eique juxta seculum & carnis naturam, honoris ac dignitatis provectum jure æquissimo debeam; multo maxime tamen id Matri meæ Ecclesiæ Cantuariensi debeo, quæ me in eum, in quo sum, honorem provexit; & gratiæ, quam à Christo Domino meruit, me per Pontificale ministerium participem fecit. Quapropter notum omnibus esse volo, me & litteris Patris nostri Anselmi, de causa quæ nunc inter nos agitur factis, modis omnibus obediturum, nec unquam assensum præbiturum, ut is, qui electus est in Episcopatum Eboracensem aliquatenus consecretur, donec de subjectione sua Ecclesiæ Cantuariensi debitam & canonicam obedientiam profiteatur. Ipse enim præsens fui, quando frater meus Thomas Archiepiscopus Eboracensis, tum antiquis consuetudinibus, tum invincibilibus allegationibus actus, eamdem professionem Lanfranco Archiepiscopo Cantuariensi & cunctis ejus successoribus fecit. His dictis, illico simul omnes

B interpellati de causa Episcopi 12

C Samsonis Wigorniensis sententiam exquirunt:

& eum eo negant se recessuros ab Anselmi mandato:

D Episcopi ad Regem reversi sunt, constanter, & litteras super quibus Comes sciscitatus fuerat, se suscepisse; & contra eas nulla ratione quidquam acturos, asserentes. Ad quæ, cum idem Comes caput agitaret, autumans jam in illos quasi de contemptu Regis crimen injiciendum, dixit Rex; Quidquid in iis aliorum sententia ferat, de me constat, quia cum Episcopis sentio, nec vel ad horam excommunicationi Anselmi subjacere aliquatenus volo. Quibus auditis, gavisi sunt omnes. Et agentes Domino grates pariter conclamaverunt, Anselmum adesse; & quam, non poterat in corpore degens, jam mundo absentem causam Ecclesiæ suæ determinasse. Deinde, in laudibus eximii Principis demoratum est, ac ut ipse dignitatem Primatus Ecclesiæ Cantuariensis humiliari à nullo permitteret postulatus; siquidem in hoc, dicunt, consuetudines antiquæ & earum confirmationes, astipulatione totius regni sub magno Rege Willielmo factæ, necnon privilegia quæ his priora existunt ab Apostolica Sede ipsi Ecclesiæ collata, corrumperentur, scinderentur, annihilarentur Acquievit istis Rex, & jussit ipsarum quoque scripta auctoritatum, quæ Ecclesia Cantuariensis habebat, sub celeritate afferri, allata recitari, Quod ubi factum est, intulit: Quid amplius quæritur? Auctoritates & privilegia Apostolicæ Sedis, & quæ in præsentia patris & matris meæ, sub testimonio & confirmatione Episcoporum, Abbatum, & Procerum regni definita sunt (ut quasi de epistola Anselmi penitus taceatur) ego in quæstionem mitterem? ego novis ambagibus agitari permitterem? Immo sciat Thomas, se aut subjectionem & obedientiam Ecclesiæ Cantuariensi ejusque Primatibus, ut antecessores sui professi sunt, professurum, aut Archiepiscopatui Eboracensi ex toto cessurum. Eligat ergo, quod vult. Consideratis itaque Thomas auctoritatibus, quibus Ecclesiam Dorobernensem niti & circumvallari videbat, spretis Clericis suis, (quorum se consilio credidisse sero dolebat) se contra ipsas auctoritates nolle stare, sed morem antecessorum suorum sequendo, & ipsis acquiescere, & Ecclesiam ipsam deinceps semper diligere velle dixit & honorare. Præcepit igitur Rex ut professio, quam Thomas erat facturus in sui præsentia dictaretur, scriberetur, sigilloque suo, nequid in ea quovis molimine, antequam eam profitendo Thomas legeret, mutaretur, servaretur inclusa. Quod & factum est.

quod cum etiam Rex probasset,

E & Eboracensis ecclesiæ subjectio esset evidenter probata;

40 Dominica ergo die, quæ fuit v *g* Kal. Julii, convenerunt, jubente Rege, Richardus Lundoniensis, Willielmus Wintoniensis, Radulphus Roffensis, Herbertus Norwicensis, Radulphus Cicestrensis, Ranulphus Dunelmensis, & Herveus Pangornensis Episcopi, in Ecclesia beati Pauli Lundoniæ, pro consecratione Thomæ. Inter solitam ergo examinationem, suo loco professionem, de subjectione & obedientia sanctæ Ecclesiæ Dorobernensi exhibenda, Richardus Lundoniensis Episcopus, qui Thomam erat sacraturus, ab illo exegit. Professio igitur, sicut erat sigillata, sibi coram omnibus oblata est, fractoque sigillo evoluta & lecta ab eo est ita. Ego Thomas, Eboracensis Ecclesiæ consecrandus Metropolitanus, profiteor subjectionem & Canonicam obedientiam sanctæ Dorobernensis Ecclesiæ Primati canonice lecto, & consecrato, & successoribus suis Canonice inthronizatis, salva fidelitate Domini mei Regis Henrici Anglorum, & salva obedientia ex parte mea tenenda, quam Thomas antecessor meus sanctæ Romanæ Ecclesiæ ex parte sua professus est. Intererat huic officio Prior Ecclesiæ Dorobernensis, Conradus nomine, & ex monachis ejusdem loci quamplures, qui

F g obedientiam Cantuariensi Ecclesiæ profitetur Thomas,

A qui pro hoc ipso, quoniam res eos maxime respiciebat, illo convenerant. Lectam itaque professionem cum à Thoma sibi oblatam Richardus Antistes Lundoniensis accepisset, eam nominato Priori & Fratribus tradidit, dicens; Hanc, Fratres & Domini mei, in testimonium auctoritatis vestræ Ecclesiæ suscipite, & ipsam vobis factam in memoriam posteritatis servate. Deinde à Radulpho Cicestrensi Episcopo dictum in populo est, ipsam consecrationem ex recta & antiqua consuetudine debere fieri Cantuariæ. Et adjecit: Verum quia ipsa Civitas, defuncto Patre nostro Anselmo, nunc quidem Pontifice caret; visum Regi sacratisque ordinibus regni est atque Principibus, eam hic atque ab hujus Sedis Episcopo præ aliis potissimum celebrandam, eo intuitu, ea ratione, quod Episcopus Lundoniensis inter alios Episcopos est Decanus Ecclesiæ Cantuariensis, & ideo speciali quadam dignitate ceteris anteponendus. Ita ergo in Episcopatum Eboracensem Thomas consecratus est, suscipiens à ministro, quod suscipere detrectavit à magistro. Dum ergo vitæ præsenti *b* superfuit, pœnitudo hujus facti ab animo ejus non recessit; se infelicem, nec tanti Patris benedictione dignum fuisse pronuntians. Quibus peractis, præfatus Ecclesiæ Romanæ Cardinalis, audito Rege Curiæque Regis consilio, Pallium, quod detulerat, Eboracam detulit, ipsoque Pontificem ejus investivit, sicque Romam redeundi iter repetiit.

à Lundonensi Episcopo consecratur

b

& pallium accipit.

B

ANNOTATA.

a *Hic est* Turgotus, *ante Prior Dunelmensis, cui Historiam Dunelmensem, sub nomine Simeonis Dunelmensis editam, vindicavimus 20 Martii ante Translationem corporis S. Cuthberti pag. 125.*

b *Id vel aliis litteris vel per nuntios verbotenus factum oportuit: quando hac limitatio supra non exprimitur.*

c *In Concilio scilicet Guastallensi ad Padum, anno 1106 mense Octobris, ubi sic actum est de tollendo Germaniæ schismate, ut tamen investituræ fuerint omnino prohibitæ.*

d *Et expertus est, non quidem à Paschali, à quo captivo investituras extorsit Henricus V, Rex Germaniæ anno 1111, eodem cum liber fuit nequidquam Sutrinæ Acta retractante: sed à Callisto II, cui eas ipse coactus est restituere, anno 1122 in Concilio VVormatiensi.*

e *Mallem legere* injussu: *alias non apparet cur potuerit ab exercitio Presbyterii canonice suscepti prohiberi: necdum enim pro contumaci damnabatur.*

G f Ulricus, *sive* Ulfricus, *creatus Cardinalis dicitur anno 1105, & natione Anglus.*

g *Erat perperam excusum* IV Kal. Julii, *qui anno 1109 littera Dominicali* C *incidit in feriam secundam.*

h *Superfuit autem Thomas usque ad Februarium anni 1114, etiam hinc laudandus, quod cum letalem ejus morbum negarent medici posse sanari absque usu feminæ, castus maluerit mori, quam Episcopalem dignitatem tali macula contaminare.*

CAPUT V.

Varia post obitum S. Anselmi acta.

62 INter hæc Erveus Episcopus Pangornensis (cujus supra meminimus) ab Ecclesia sua, quam olim dimiserat, penitus translatus est, & novo Episcopatu, quem Rex & Principes dudum in Heli statuendum, juxta mentionem inde superius factam, decreverant, inthronizatus. Quod quidem ut adipisci mereretur, multa prece, multis multarum rerum promissionibus, multorum quoque officiorum exhibitionibus, vix post obitum strenuissimi Patris Anselmi obtinere potis fuit. *a* Ipso anno apparuit stella, quam cometam quamplurimi nominabant. Visa est autem in mense Decembri, circa lacteum circulum, crinem in Australem cæli dirigens plagam.

Statuitur primus Episcopus Heliensis.

a

AUCTORE EADMERO

63 In subsequenti Nativitate Domini Christi, Regnum Angliæ ad Curiam Regis Lundoniæ pro more convenit, magna solennitas habita est atque sublimis. Ipsa die Archiepiscopus Eboracensis, se loco Primatis Cantuariensis Regem coronaturum, & Missam sperans celebraturum, ad id omnino paratum semet exhibuit. Cui Episcopus Lundoniensis non acquiescens, coronam capiti Regis imposuit, eumq; per dexteram induxit Ecclesiæ, & officium diei percelebravit. At cum ad mensam Regis ventum esset, & de loco sessionis inter eosdem Episcopos dissensio mota fuisset; noluit eos Rex audire, sed utrumque à prandio suo remotum, pransuris hospitia sua præcepit adire. Et quidem quod Episcopus Lundoniensis ita fecit, ut alia taceam, ea ratione usus est, quod & Decanus Ecclesiæ Cantuariensis, & item juxta institutionem B. Gregorii Anglorum Apostoli, tunc prior alterius extitit, quia prius eo fuerat ordinatus. Cujus nimirum prioratus gratia, se sub tanta festinatione, ut supra diximus, licet aliud in populo prædicaretur, in Pontificatum ordinari gnarus expetiit; quemadmodum nobis testati sunt qui animi ejus absque dubio secreta noverunt, & ipsemet à me percunctatus familiari affatu asseveravit. Sed de sessione prandii Regalis tunc inter Episcopos, res ita remansit, determinanda judicio futuri Pontificis Cantuariorum.

Regi coronam imponit & Missam celebrat Episcop. Londinensis,

E

64 Per id temporis acta est causa Presbyterorum Angliæ, & districtius, quam tempore Patris Anselmi, à consortio mulierum coërciti sunt. Quamplurimi namque illorum, ex obitu Patris Anselmi non modicum exhilarati, promiserant sibi, eo de medio sublato licitum fore, quod ipso superstite, sibi illicitum fuisse condoluere. Sed in contrarium res lapsa est. Rex enim qui plus Deo à multis timebatur, sua lege eos constrinxit, quatenus, vellent nollent, Concilii Lundoniensis, quod supra notavimus, saltem oculis hominum fierent executores. At si ipsi Presbyteri deterius agere, quasi in damnationem & contumeliam Anselmi pro hoc elaboraverunt, ipsi viderint: onus suum quisque portabit. Scio quippe, quoniam, si fornicatores & adulteros judicabit Dominus; consanguinearum, ne dicam sororum vel filiarum, stupratores non effugient judicium ejus. Nec quod eos Anselmus ab illicitis amplexibus prohibuit, ulla suarum iniquitatum excusatio erit; sed nimirum unusquisque recipiet, prout gessit. Quod si aliquis dixerit, Anselmum melius fecisse si tacendo toleraret, quod prohibitum in pejus pullulaturum fortasse procederet; dicere poterit, divitem illum Euangelicum, qui ad cœnam quam præparavit, multos vocavit, servum suum non debuisse ad convocandum invitatos destinare, eo quod contigit simul ne venirent omnes excusare. Et hanc ipsam Euangelii lectionem tam in consecratione ipsius Anselmi super eum repertam, quam & in Pallii ejus susceptione in populo lectam, ea forsitan præsignasse, non alienum à veritate est credere: quoniam pene omnibus, quæ prædicando docuit vel docendo prohibuit, excusatio objecta est, & in nullo verbis ejus efficaciter obtemperatum. Legat, qui vult, textum Concilii Lundoniensis, & inspectis statutis ejus atque præceptis, perpendat quis eis obediat, quis eorum executor existat, quis non ea quasi inania ducat. Ecce, ut plu-

præclara à S. Anselmo constituta, jussu Regis post mortem illius executioni mandantur.

F

AUCTORE EADMERO

sed mox in pejus dilabuntur, pleraque.

plurima taceantur; Abbates quidam, qui in ipso Concilio pro simonia depositi fuerunt, aut illas quas perdiderunt aut alias Abbatias dato pretio per laicos adepti sunt. Item qui Presbyteri dicuntur sive Canonici, jam tepescente Regis edicto, apud Episcopos suos & Archidiaconos infami commercio id effecerunt, ut aut suas quas reliquerant, aut alias, quæ magis placeant, spretis prioribus, libere meretriculas ducant. Ad hæc criniti, quos à Patre Anselmo à sanctæ Ecclesiæ liminibus certissime novimus excommunicatos, intantum abundant tantumque se de crinium suorum feminea & ignominiosa longitudine jactitando magnificant, ut qui crinitus non est, rustici vel Presbyteri probroso vocabulo denotetur. Cetera horum indignitate non minus indigna, ne eorum amatores, cum mea nihil intersit, gratis offendam, silentio premam. Tantum dico, quia quid futura dies sit paritura nescio, in præsenti scio quam pauci (de secularibus dico) inveniuntur, qui via, quam illustris Pater Anselmus docendo monstravit, ad cœnam Domini puro ac simplici corde properare contendant. Exivit Angliam semel, exivit secundo, ad modum videlicet præcepti, quod Euangelico servo suo Dominus fecit: B in quibus exitibus quod ingentem multitudinem prædicando, admonendo, castigando, cœnæ Dominicæ de alienigenis introduxerit, nos qui itineris ejus & laboris comites fuimus, omni remoto ambiguo scimus. Avertat igitur omnipotens Deus ab illis vocatis, ad quos adducendos primo missus est, sententiam quam idem Dominus intulit, Dico scilicet vobis, quod nemo virorum illorum, qui vocati sunt, gustabit cœnam meam. Luc. 14, 24

64 His ita digestis, præsens opus (cui quidem, ut operam darem, sincera dilectio, quam erga beatæ memoriæ Patrem Anselmum superna pietas mihi indigno concessit habere, maxima inter alias causa fuit) fini addicam: prius tamen, & ab iis qui modo sunt, & ab eis qui post nos, filii Ecclesiæ Cantuariensis, id est Dorobernensis, Deo donante futuri sunt, paucis petitum iri precamur; ne nobis, qui ista scripsimus, quasi in re nihili laboraverimus, ipsi succenseant; judicantes fortassis apud se, ea quæ gloriosum & magnificum Patrem Lanfrancum suo tempore constat fecisse, ad tuendam conservandamque nominatæ Ecclesiæ dignitatem, satis sufficere & superabundare. Et nobis utique de illis quæ ipse fecit (quantum quidem ad negotia spectat, quorum gratia illa fecit) nullum C aliud quam illorum judicium est vel aliquando fuit. Unde ut tantum onus scribendi assumeremus, quasi nostro opere, opera ejus aliquatenus fulcire cogitaverimus, amentia esse videtur, in mentem alicui cadere; præsertim cum nostra, quæ illis continuantur, non nisi per illa robur unde subsistant, salva rerum quas descripsimus veritate, sortiantur. Attamen (quod pace omnium dictum est) quæso accipiatur, non parum ad exterminandum scandalum, quod Eboracenses super ipsam Ecclesiam moverunt & confirmare nisi sunt, ut de aliis taceam, ipsa Epistola profuit, quam piæ recordationis Paschalis Papa, Girardo Pontifici Eboracensi, de professione quam Episcopo Cantuariensi facere debebat, pro Anselmo direxit. Siquidem, eadem Epistola Cantuariæ cum sigillo Papæ remansit, quam Girardus, ut vir in Ecclesiasticis disciplinis educatus, illius auctoritatis præcepto non egens, factam in Episcopatu professionem Anselmo (sicut mentio inde superius habita declaravit) interposita fide sua, firmaverat. Textum autem ipsius Epistolæ hic (ut omnibus, qui legere vel audire ista dignantur, innotescat) subscribemus,

auctor ostendit utiliter hanc à se scriptam historiam,

saltem adhoc ut intelligatur Eboracensis subjectio

& eum in laudem nominis Dei terminum hujus operis constituemus. D

65 Paschalis Episcopus, Servus servorum Dei, Venerabili fratri Girardo, Eboracensi Episcopo, salutem & Apostolicam benedictionem. Quamquam prave adversus nos, immo contra Matrem tuam Sanctam Romanam Ecclesiam, te non ignoremus *b* egisse, præsentibus tamen litteris tibi mandamus, ut professionem tuam venerabili fratri nostro Anselmo Cantuariensi Episcopo facere non negligas. Audivimus enim Thomam *c* quondam prædecessorem tuum, ex hac eadem re contentionem movisse; & cum in præsentia Domini Alexandri secundi Papæ ventilata esset, ex præcepto ejus, diffinitione habita, post varias quæstiones Lanfranco prædecessori suo & successoribus suis eamdem professionem fecisse. Unde & nos quod tunc temporis definitum est, volumus auctore Deo firmum, illibatumque servari. Datæ Beneventi pridie Idus Decembris. *d* Hinc igitur & in omni opere suo laudetur ipse, & benedicatur, qui idem in se manens innovat omnia, transfert regna, & quem vult super illa constituit, vivens & regnans ante & ultra omnia secula Deus. Amen. E

quam etiam Girardus Archiep. jussu Papæ cognovit.

ANNOTATA.

a *Ne qua etiam hujus historiæ parte frauderis, lector, atque ut intelligas quantum Anselmi intercessioni tribuerit Pontifex; ex Seldeni Spicilegio accipe pleniorem rei narrationem, prout eam in duplici Eliensi Ms. ante annos trecentos exarato, ipse invenit: namque hic de Ervei molitione dicuntur manifestissime explicat, & Godwinum refellit, qui Richardi Abbatis ambitioni hanc mutationem adscribit: ipsum tale est.* Post mortem Richardi Abbatis (*quæ anno 1208 videtur contigisse*) mittitur à Rege ad Eliense Cœnobium Hervæus, Pangorensis Episcopus, à suo Episcopatu per violentiam ejectus, ut ibi de rebus Ecclesiæ ad tempus sustineretur, donec plenius deliberasset quid de eo esset facturus. Est autem Pangor Monasterium in Walliis, tot habitationibus plenum, ut (sicut Beda refert) si in septem partes divideretur, non minus quæque portio quam trecentos homines haberet. Hic cum Episcopatu fungeretur Hervæus, gentem efferam nimia austeritate tractabat: videns enim tantam in moribus eorum perversitatem (quam nemo facile posset tolerare, undeque Episcopali timori nullam servabant reverentiam) gladium bis-acutum ad eos domandos exeruit, nunc crebro anathemate, nunc propinquorum & aliorum hominum eos coercens multitudine. Nec minor fuit eorum contra eum rebellio: tanto enim periculo ei insistebant, ut fratrem ejus perimerent, simili modo eum perempturi si possent in eum manus injicere. Expavit Episcopus ingruens infortunium; plurimisque suorum interfectis aut graviter vulneratis, videns quod anima sua quæreretur, nec congruos haberet defensores, ad Regis Angliæ confugit patrocinium, utile sibi consecutus exilium. Rex autem ejus adventum, ut famosi tunc temporis & religiosi Episcopi, benigne suscipiens, ad Eliensem Ecclesiam destinatum procurationem inde accipere eum constituit. Ipse vero illuc veniens, gratia, conversatione & mirabili prudentia, omnium pene monachorum sibi alligavit affectum, ut si fieri posset, eum sibi Episcopum adoptarent. Quam circa se affectionem aspiciens, cœpit paulatim quibusdam circumlocutionibus loci utilitatem eis proponere, Fratrum animos attentare & multa jucunda promittere, si Ab-

Hervæus Pangorensis Episcopus,

suorum violentiam fugiens, F

recipitur ab Eliensibus monachis,

A

eisque persuadet Abbatiam in Episcopatum convertere:

quod cum Episcopi Lincolniensis assensu

B

permittit Paschalis Papa, litteris scriptis ad Regem,

C

& ad Episcopos Angliæ.

si Abbatiam in Episcopatum promovere, & seipsum vellent in Episcopum suscipere; ad quod efficiendum, suum quoque eis promisit auxilium dum tamen illi suum præberent assensum. Ipsis autem facile ad eum conversis, ipse Regem adiit. Rex petita concessit, Robertum Lincolniensem Episcopum ad colloquium invitavit, ut (quod ille locus in ejus Episcopatu esse videbatur) sine ejus conniventia non fieret ista mutatio, ne diœcesis ejus pateretur injuriam, si inconsulto suo Episcopo, alius in eam induceretur Episcopatus. Præterea oportuit ut futurus Episcopatus aliquam haberet Parochiam, quam sibi impertiri de Lincolniensi Ecclesia, canonica justitia cum æqua compensatione postulabat. Datum est itaque manerium de Spaldewic Lincolniensi Ecclesiæ in jus perpetuum, pro commutatione Episcopalis curæ super pagum Grantebregensem: & finito hoc inter Regem & Robertum Episcopum secreto negotio (monachis Ecclesiæ filiis omnino inconsultis & ignorantibus) Hervæus Episcopus, cum litteris Regis ad confirmandum hoc propositum, Romam destinatur. Quo veniens impetravit quæ petiit; ad Regem & Archiepiscopum & comprovinciales Episcopos, litteras Apostolicas super sua causa, quales optabat, reportans. Quarum textum hic subscribi, nec otiosum est nec onerosum. Paschalis Episcopus, Servus servorum Dei, dilecto in Christo filio Henrico, glorioso Regi Anglorum, salutem & Apostolicam benedictionem. Omnipotenti Deo gratias agimus, qui talem te Regem nostris temporibus constituit, qui & terrenum regnum sapienter ad honorem Dei gubernas, & æterni Regis solicitudinem ante oculos mentis portas. Postulasti siquidem à nobis per litteras, ut in loco, qui Ely dicitur, novus ex Apostolica auctoritate Episcopatus constituatur; quia Lincolniensem Episcopatum tantæ magnitudinis esse dixisti, ut ad peragenda ea quæ Episcopalis sunt officii, unus Episcopus nullatenus sufficere possit. Pro quo & devotionem tuæ voluntatis laudamus, & dispositioni assensum præbemus, ita tamen ut in celebri loco constituatur; ne nomen Episcopi, quod absit, vilescat. Ad hoc enim Episcopus constituitur, ut populum Dei & verbo doceat & vita informet, & ad verum Pastorem Domini commissarum sibi animarum lucra reportet. In iis quoque de quibus rogasti, licet quædam ibi inordinata videantur, tuæ tamen voluntati refragari nequaquam valemus. Novit præterea gloria vestra, Domnum Hervæum Episcopum, quem vita & scientia commendat non modica, nimia barbarorum ferocia & persecutione de Sede sua expulsum, & multa fidelium fratrumque suorum cæde fuisse fugatum: cujus ut scientia fructum qui non perit afferre, & vita bonum valeat Dei populo exemplum præbere; volumus & rogamus, ut si qua eum apud vos vacans Ecclesia vocaverit, ibi auctoritate Apostolica constituatur; ne infructuoso diu silentio torpeat, qui vitæ cælestis documenta in scientia & moribus portat. Omnipotens Deus Apostolorum suorum precibus & vos & prolem vestram custodiat, & cæleste post terrenum vobis regnum concedat. Data XI Kal. Decembris.

Alias quoque litteras misit Papa eidem Regi, quarum hic textus est. Paschalis Episcopus, Servus servorum Dei, venerabili Fratri Anselmo, Cantuariensi Archiepiscopo & ceteris comprovincialibus Episcopis, salutem & Apostolicam benedictionem. Inter cetera regna terrarum, ad Apostolicæ Sedis dilectionem atque obedientiā Anglorum regnum specialiter pertinere, Apostolicæ Sedis scripta & Anglicarum historiarum series manifestant. Quæ nimirum causa sollicitudinem nostram propensius impellit, illius regni Ecclesias familiarius confovere, & earum dispositionibus solicitius invigilare. Lincolniensem itaque Episcopatum, tam spatiosum ex filii nostri Regis vestrisque litteris agnovimus, ut ad ea quæ Episcopalis sunt officii peragenda, unus nullatenus sufficere possit Episcopus. Quapropter ex voluntate Lincolniensis Episcopi, postulat à nobis idem carissimus filius noster & Christianissimus Rex Anglorum Henricus, quatenus in parte una Episcopatus ipsius, ex Apostolicæ Sedis permissione, novus Episcopatus constituatur, in loco videlicet qui Ely vocatur. Cujus nos petitionibus, quia religiosæ videbantur, assensum libenter præbuimus; & Episcopatum in loco præfato constituendi, ex Apostolica auctoritate, licentiam damus; statuentes, ut Sedes Episcopalis, in loco prædicto constituta, omni deinceps tempore perseveret: parochiam quoque, quam vestra fraternitas, cum prædicto Fratre Lincolniensi Episcopo & Regis providentia, eidem Episcopatui assignaverit, perpetuo possideat. Porro de monasterio, in quo Sedes Episcopalis constituitur, Anglicorum Monasteriorum, in quibus Episcopi constituti sunt, consuetudo servabitur. Hujus constitutionis conservatores Omnipotentis Dei & Apostolorum suorum benedictione perpetuo perfruantur. Amen.

AUCTORE EADMERO

E

Charta Regia super hac eadem re

multiplicis impostura convicta.

F

His suæ Confirmationis Hervæus susceptis epistolis, Angliam cum Apostolica benedictione properavit; Regem & Archiepiscopum adiit; litteras eis ostendit; assensum eorum obtinuit; & in sequenti anno totum negotium consummavit. *Hactenus historia, ut credimus, antiqua: cui collector adjecit laciniam de anno gestæ rei, deceptus supposititio quodā Henrici Regis diplomate quod consequenter subnectitur hoc exordio:* Anno ab Incarnatione Dom. MCVIII, Indictione .... anno Pontificatus Domini Paschalis Papæ secundi decimo, Regni quoque mei similiter decimo, Ego Henricus, providente divina clementia, Rex Anglorum & Normannorum Dux, Willielmi Magni Regis filius, qui Edwardo Regi hereditario jure successit in regnum, &c. *In quibus Seldenus observat insolitam verborum pompam, forensi istius ævi stylo nequaquam accommodatam: neque enim Pontificum Romanorū annos suis in diplomatis notabant Reges Angliæ. Deinde paterna successionis commemoratio, non tantum imposturā arguit, quia insolens; sed etiam ignorantiam auctoris, quia falsa: nec enim Henricus filius fuit Willelmi Magni, id est Conquestoris, sed nepos & filius Willielmi II sive Rufi. Tertio vacillat fœde chronologia, quando annus* 1108 *componitur cum* 10 *anno Paschalis Papæ, & Henrici Regis: quorum hic regnare cœpit anno dumtaxat* 1100, *iste electus est* 1099, 12 *Augusti. Simile fortasse vitium in numero Indictionis obrepserat, quod deprehendens librarius non præsumpsit corrigere, sed omittere elegit, tamquam non satis legibilis character fuisset. Capitale porro est, quod charta*, IX Kal. Novembri *anno jam dicto signata, id est fere sex mensibus ante obitum S. Anselmi, de eo loquatur tamquam de mortuo* Beatæ memoriæ. *Sed nempe revera mortuus, licet non eo anno, erat Anselmus, cum res peracta fuit: levius igitur hoc, quam quod loquens de Roberto Lincolniensi, qui usque ad annum* 1122 *vivendo pervenit, tamquam de jam mortuo dicat,* qui tunc Ecclesiæ prædictæ præsidebat. *Quod negotium peractum dicatur* in die Translationis B. Etheldredæ, Virginis sedis ejusdem *Eliensis*, IX Kal. Novembris, *quo modo diem numquam signasset Notarius aliquis regius; arguit hujus figmenti auctorem fuisse monachum Eliensem: qui etiam ex usu seculi, non* XII, *sed* XIV *loquitur; quando expressurus Ordinum Anglicanorū gradus, quorum consensu res decreta fuit, nominat Duces, veluti nomen honorarium, idque à Comitibus plane distinctum,* cum certissimum sit, *inquit Seldenus*, neminem, post Guillielmi I tempora usq; ad Edwardū tertium *id est usque ad annum* 1326, ejusmodi dignitatis vocabulo apud nos esse insignitum. *Denique addit idem Seldenus*, Nec

AUCTORE EADMERO

Nec in Archivis Regiis, ubi sæpius vetustorum, quæ Episcopio Eliensi, uti etiam quæ aliis indulgentur, privilegiorum instrumenta iterantur; hujusmodi quid, diligenter licet anquisiverim, reperio. *Hæc autem ideo notare voluimus, ut magis confirmaretur quod in Tractatu ad hunc secundum tomum præliminari conati sumus persuadere, videlicet cum magna cautela & examine ad rem historicam adhibenda esse diplomata antiqua; & curioso oculo tam esse facile vera dignoscere à suppositiis, quam horum fabricatores fuerunt plerumque temerarii pariter & ignorantes. Ejusdem porro cum prædicta charta imposturæ est privilegium Edgari Regis, pro monasterio Eliensi & pro anno 970 fabricatum, quod pariter extat Tomo 1 Monastici Anglicani pag. 87.*

b *Quando scilicet, uti lib. 3. cap. 2. dictum, falso retulit indulgere Papam verbotenus Regi, id cujus contrarium continebant litteræ, velut solum in speciem scriptæ forent.*

c *De Thoma hujus nominis primo Archiepiscopo Eboracensi pluribus agitur in libro hujus operis primo parte prima, quæ tota est de Landfranco, danda mense Majo: supra quoque lib. 1. parte 2 num. 14 facta est illius mentio.*

d *Anno 1106, ut liquet ex dictis hoc libro num. 37.*

B

APPENDIX APOLOGETICA.

Ex initio libri quinti.

Historia Novorum ex amore S. Anselmi est scripta.

66 TErminus quarti Libri Historiæ, cui Novorum in Anglia notam indidimus, plane indicat nos ibi deliberasse totius operis metam ponere; immo modis omnibus posuisse. Translato etenim eo de hac vita, cujus amor ipsius Historiæ describendæ causa præcipua fuit, videlicet Domino & gloriosissimo Patre Anselmo, Anglorum summo Pontifice, ratus sum, visa mora Pontificis substituendi, me si ultra procederem in scribendo, aut inania forte scripturum, aut in privato conversantem, non multa, quæ scribenda ratio expeteret, pleniter agniturum, tacita incertitudine vitæ meæ, quæ nunc quidem mihi non certior est quam tunc fuit. Verum inter hæc, ex his quæ scripseram, certo comperiens me multorum voluntati, ac dilectioni morem gessisse; placuit seriem rerum describendo illis annectere, juxta quod Deus, omnium finis dignabitur inspirare: eo siquidem respectu, quo illa pluribus accepta esse deprehendi, sperabam & ista oneri non affutura. Prius tamen quam illa aggrediar, quibusdam, qui adhuc præfato Pontifici, vere Sancto, detrahere non verentur, eo scilicet quod nec secularium, nec Ecclesiasticarum rerum extructionibus, ipse (ut dicunt) in sua manu omnia tenens, ita studium impenderit, sicut antecessor illius venerandiæ memoriæ Pater Lanfrancus suo tempore fecit; paucis rationem ostendere in mentem venit, quatenus, inspecta negotii qualitate, ex ipsa veritate perpendant, an amodo sit eis silendum super hoc, an non.

excusat eum quod nihil publici operis struxerit,

C

utpote qui ecclesiam spoliatam acceperit,

67 Utique cum idem Anselmus primo Pontificatum Cantuariensem regere suscepisset, ita omnes terras ad ipsius honorem pertinentes, vastatas invenit, & omnes redditus à Willielmo, filio majoris Willielmi Regis, direptos, ut unde subsisteret (nota loquor) non haberet. Quamobrem fraudatus redditibus, quibus à festo sancti Michaelis (nam paulo ante hoc festum Cantuariam venerat) usque in Nativitatem Domini vivere debuit, summa necessitate coactus, de iis quibus ab ipsa solennitate usque in Pascha victurus erat, victum sibi ministrari faciebat: sicque subsequentium terminorum redditus, in præcedentibus terminis paulatim & discreto moderamine sumens, vix tertio sui introitus anno, ad statum à prædecessoribus suis statutum in his pertingere potuit. Quid autem angustiarum, præter has, à Rege Willielmo & suis passus sit, per illos tres & quarto qui subsecutus est anno, in primo & secundo nominatæ historiæ libro, utpote qui eis affuimus, nonnullis digessimus. Ita igitur in tribulatione & atroci persecutione quatuor annis in Anglia degens, quinto pulsus ab eodem Rege est, & totus Archiepiscopatus invasus, ac per tres continuos annos (hoc est donec Rex idem sagitta interiit) usque in immensum vastatus. Anselmus vero inter hæc patria eliminatus, dum unde se suosque procuraret, de suis ab Anglia nil habere mereretur, ab externis necessaria mutuatus est; nolens quidem gravis esse his inter quos morabatur, nec gratis accipere omnia quæ sibi offerebantur. Deinde revocatus à Rege Henrico, qui in regnum fratri successerat; & res suas in supremam paupertatem redactas reperit; & exactores pecuniarum, quas mutuo acceperat, de trans mare quotidie venientes, vacuos à se dimittere, considerata æquitate, honestum esse non judicabat. Si in istis angustiabatur, nulli mirandum. Super hæc, pax inter illum & Regem diutinâ firmitate non duravit. Vexatus itaque gravi modo per biennium est, ac demum extra terram exire seductus. Exivit, nec nisi quarto sui exitus anno pene peracto, redire (sicut descripsimus) potis fuit. Tandem reversus duobus annis supervixit, tertio transiit; debitis, quibus se in peregrina patria sustentaverat, vix solutis. His ita se habentibus, qua quæso ratione poterat terrenis operibus operam dare, quem tam assiduæ oppressiones & suarum rerum destructiones non cessabant fatigare?

D

graves persecutiones per quadriennium toleris,

triennio exulaverit,

E

debita solvenda habuerit,

68 Ea tamen quæ per se ipsum non valebat, per fideles Ecclesiæ suæ filios, livore carens, & nihil usque secularis gloriæ quærens, exercebat. Nam res monachorum posuit in dispositione eorum, constituens eis in Priorem post Henricum, Ernulfum, post Ernulfum, Conradum; ipsius loci monachos: ad quorum nutum negotia Ecclesiæ cuncta referrentur, & communi consilio Fratrum tractarentur, disponerentur, terminarentur. Ex libertate igitur, qua in res suas monachi per bonum Anselmum potiti sunt, multum per omnem modum Ecclesia aucta est: in recuperatione videlicet plurimarum terrarum, quas quidam laici tenentes, in hereditatem sibi vendicabant; in diversis ornamentis, inque omni decore domus Dei; ita ut pauca & indecora visa fuerint Ecclesiæ ornamenta, comparatione decoris & multitudinis illius, quo in his diebus perducta sunt. Super hæc, ipsum oratorium, quantum à majore turri in Orientem porrectum est, ipso Patre Anselmo providente, disponente, auctum est. Et hæc quidem omnia de rebus Ecclesiæ acta sunt, sicut & multa quæ per Lanfrancum facta fuerunt; Anselmo de suis præter illa plurimam pecuniæ quantitatem in augmentum domus Dei conferente. Ex his vero quæ in dominio suo possidebat, & ex offerenda majoris altaris medietatem (aliam medietatem enim Pater Lanfrancus contulerat) & quasdam terras ad subsidium monachorum antiquitus pertinentes, tunc autem in alios usus distractas, & pallia valde bona quamplurima, ac nonnulla alia decori domus Dei competentia, juri Ecclesiæ perpetuo possidenda concessit. Ad hæc, postquam de secundo exilio revocatus est, & quadam pace potitus; dedit in opera Ecclesiæ denarios, qui singulis annis de Parochianis ecclesiis, in Pascha Matri Ecclesiæ pendi solent. Æquius enim esse judicavit eos ab Ecclesia, cui pro signo debitæ subjectionis conferuntur, possideri; quam à seculari potestate, quasi suos, obeunte

nec tamen parum profuerit ecclesiæ, etiam in temporalibus,

F

A obeunte Episcopo, auferri; eo quod illos quoq; Pontifices, pro suo officio, antehac juri proprio vindicabant. Nec eo defuncto aliter ac ipse disposuerat, in his à Rege actum est; sed in eo statu quo Ecclesiam Pater ipse moriens reliquit, toto temporis spatio, quo Pastore carebat, ejus instituta mutare consilii esse non autumans, eam conservabat. Pax igitur, qua potita est, cui, post Deum, ascribenda sit, satis elucet. Detractores itaque tanti Viri, & tam magnifici benefactoris Ecclesiæ Christi, parcant obsecro linguæ suæ; parcant obsecro animæ suæ: nam si hos, qui secrete detrahunt proximo suo, persequitur Deus; timendũ fateor, ne illos, qui publice & contra æquum pravis verbis corrodunt Patrem suum, destruat Deus. D

DE B. IOANNE SEV IOAGNOLO

TERTIARIO ORDINIS S. FRANCISCI

CALLII APUD URBINATES IN ITALIA.

D. P.

CIRCA AN. MCCCLXX



Primis Christianismi efflorescentis temporibus, Episcopali dignitate ornata Callis, *nunc* Callium, *Gratianum Episcopum misit ad Concilium Ariminense, cujus immediati successores ignoti plerique, decessores omnes oblivioni sunt traditi. Mansit sua nomini dignitas, etiam postquam civitas ex priori loco translata in alium vicinum est, ex mandato Nicolai IV anno* MCCLXXXIX; *& ut ipsa* S. Angelus-Papalis, *quod idem Pontifex jusserat, deinceps nominaretur, non potuit in vulgo stabiliri. Cum civibus migrantibus migraverunt etiam Religiosi plerique, & in his sacer D. Francisci Ordo, postquam annos viginti sex esset donatus civitate: cui deinde nonnullos Episcopos dedit, ab optima muneris sui administratione & morum sanctitate commendatos. Horum unus fuit Fr. Thomas Sferratus, ex Civitatensi Episcopatu huc translatus an.* MCCCLIII, *& post absolutam insigni opere cathedralem defunctus anno* MCCCLXXIX. Dum viveret, *inquit Ughellus in Episcopis Calliensibus*, evolavit ad superos B. Joannes de Satiatis, ex Ordine S. Francisci, miraculorum gloria insignis.

B *Tempore Thomæ Sferrati Episcopi Calliensis*

2 *Eum Arturus in suum Franciscanum Martyrologium retulit ad hunc* XVI *Aprilis, citatis ad annum* MCCCLXXIX *Lucæ Waddinghi Annalibus. Qui licet nusquam diei meminerit, ipsique Callienses negent aut notum esse obitus diem, aut certum aliquem festivius in ejus honorem coli; ea tamen suggerunt, quæ perpetuum quemdam illius cultum inter Callienses probent; neque inter Callienses tantum, sed etiam inter vicinos populos. Nam* singulis annis venit Confraternitas quædam Eugubio, ad sacra ejus ossa veneranda: *quemadmodum anno* MDCXLIX *ad nos scripsit Henricus Lindanus noster, tunc Laureti Pœnitentiarius pro Belgis, postea Apostolicis laboribus & gloriosa inter milites Catholicos morte clarus in Dania, ipsique Regi, quamvis acatholico, caritatis indefessa & sanctitatis eximia titulo carissimus. In hujus manus cum venissent Doctoris Francisci Bricchi, Episcopalis Theologi tunc viventis, Annales Callienses, ex eorum tomo I transcripsit, quæ ibi legerat ad annum* MCCCLXXII, *quasi eo mortuus Beatus fuerit, & eodem ipso anno corpus ejus sub altari compositum: quod nobis minus probabile videtur. Eumdem tamen annum notamus, quia nescimus quamdiu illum moriendo prævenerit. Verba Annalium ex Italico Latine reddita, & cum Waddinghi contextu valde conformia, hæc sunt.*

mortuus cum magna sanctitatis opinione,

C *ut Beatus colitur,*

3 Hic ipse annus memorabilis fuit morte Joannini de Satiatis, cum opinione magnæ virtutis & perfectionis Christianæ defuncti: unde & procedente tempore pro Beato habitus publicam hodieque obtinet venerationem. Natus erat Callii in regione S. Augustini, cujus parentes si conditione ac genere fuerunt humiles, fuit ipse meritis moribusque sublimis, ac vitæ religiosæ æmulator, ut potuit, sub habitu tertii Ordinis S. Francisci. Per intercessionem demortui impetratæ divinitus sunt complures gratiæ & sanitates miraculosæ à variis, eum pie invocantibus; ac potissimum tempore pestilentiæ, Callii grassantis; quando plurimi spem recuperandæ valetudinis minime vanam in eo habuere, & preces suas exauditas sensere, æque ac varii alii in diversis necessitatibus suis ad eumdem recurrentes: quemadmodum patet ex processu authentico, qui anno MCCCLXXIV scriptus manu Bartholomæi Guidonis de Imola, conservatur in archivio conventus S. Francisci in civitate nostra.

& miraculis claret:

4 Corpus in ejusdem conventus ecclesia requiescit supra quoddam altare, ubi hujusmodi inscriptio legitur, concepta versibus, ut ævi, sic styli rudioris.

E *corpus in altari Caussidicorum*

Miraculis claret hic Sanctus, ut semper aparet:
Quem Deus Deorum vocavit ad regna polorum.

Hoc opus fecit Magister Antonius de Castro, ad honorem B. Joannini, tempore Guardianatus Semperini de Urbino MCCCLXXII. Magister Antonius de Castro, petrarum lapidumque excisor ac sculptor celeberrimus, ut hic supra de anno MCCCLXXII.

5 Ipsum altare hoc anno MDCXLI auctius & ornatius evasit impensis Dominorum Caussidicorum, qui capellam, à se dotatam jam olim, ut sibi propriam vendicant, in sinistro latere altaris majoris; estque prima secundum murum ecclesiæ, ducentem ab altari ad portam. Ibi, priusquam accessisset novus hic speciosusque ex marmore & picturis splendor, fenestella erat, intra quam sæpissime ardebat lampas, accensa in honorem B. Ioannini, vulgo dicti Ioannioli: cujus corpus requiescit ad pedem novæ iconis, supra altare prædictum, in capsa artificiose laborata. Ornatur autem ipsum altari pulchra & grandi marmorea machina, quæ basibus, columnis, epistyliis, coronide] operis Corynthii, imaginem circumit, ex designatione Benedicti Genestræ Forosemproriensis, in ejusmodi operibus ad prospectus elegantiam formandis versatissimi.

nunc splendidius renovato.

F

6 *Hactenus Annalium Auctor, qui & gratias Beati intercessione obtentas clarius distinctiusque explicat, & aliquanto diffusius quam Waddinghus: sed more nostro ipsa originalia Acta Callio petiimus, & per nostros nunc Laureti Pœnitentiarios, Hectorem ab Albada & Christophorum Grinum, hunc pro Teutonica istum pro Anglica natione, effectum est, ut adm. R. D. Antonius Gucci, qui tum forte cum hac quærebantur Laureti aderat, Callio devotionis causa advectus, seque ex cognatione & familia Beati esse dicebat, susciperet in se curam quærendorum istiusmodi documentorum: quæ tandem feliciter reperit, & ex eo quod unicum superest exemplari descripta dantur.*

MIRACULA SEX,

Publicis instrumentis consignata.

Anno 1373 coram Bartholomeo Guidonio Notario

1 IN nomine Domini. Amen. Pateat cunctis præsentem publicam paginam inspecturis, quod anno à nativitate ejusdem Domini MCCCLXXIII, Indi-

EX MS.

Indictione XI, die XXIII mensis Novembris, tempore sanctissimi in Christo Patris & Domini nostri D. Gregorii divina providentia Papæ XI, D. Clara, filia Matthæi Amadoris de Castro Honesti, & uxor Stephani Alexii de villa Mulionis, Comitatus civitatis S. Angeli papalis; una cum dictis ejus patre, viro, & D. Gilia uxore d. Matthei & matre d. D. Claræ, personaliter existens in ecclesia S. Francisci de dicta civitate, ante venerabile corpus B. Joagnoli de d. civitate, volens cognoscere gratiam, quam ab Omnipotente ob preces d. Beati receperat, ut ipsum miraculum ad perpetuam rei memoriam unicuique valeat propalari; suo juramento, in manibus mei Notarii infrascripti personaliter præstito, verbo dixit: Quod dum de mense Octobris proxime præterito, ex maxima febre & duobus anguinibus in corpore ipsius, ex epidimia tunc concurrente, in extremis laboraret; propter quæ visum oculorum & loquelam amiserat, credens pro certissimo tunc migrare; & dictis ejus patre & matre & viro ibidem adstantibus, in domo d. ejus viri in villa Mulionis prædicta, credentibus ipso instanti eamdem D. Claram vitalem spiritum amittere (prout ipsi pater, mater, & maritus eorum juramentis, in manibus mei Notarii infrascripti corporaliter & personaliter præstitis, in verbo veritatis dixerunt & affirmaverunt) ipsi D. Claræ in memoriam veniente de Beato prædicto, in corde ipsius preces cordialiter eidem Beato porrexit: videlicet quod supplicare dignaretur Jesu Christo, quod ipsam liberaret à morte & infirmitate prædictis: & quod, cum esset liberata, veniret ad ecclesiam prædictam, ad corpus ejusdem Beati visitandum: & eidem offerret tunicam & alios pannos existentes tunc circa corpus ipsius, quos mater ipsius & aliæ mulieres ipsam D. Claram vestiverant, ut cum ipsis sepeliretur. Et dictis precibus & voto factis, statim D. Clara prædicta incepit videre & loqui ac convalescere: & ab illa hora in antea de die in diem convaluit; & sana ac alacri facie ad tumulum d. Beati, cum maxima devotione & cordis contritione, obtulit & dimisit tunicam, interolam, pannicellum, frontale, calceamenta, quamdam pulchram bursam cum cincta, & unum duplerium ceræ novum: rogantes me D. Clara, ejus pater, mater, & vir, quod de prædictis ad futuram rei memoriam publicum conficerem documentum.

mulier quæ peste laboraverat,

B

voto ad Beatum facto liberata,

eodem se exolvit

C

Et hæc acta fuerunt in ecclesia prælibata, in præsentia religiosorum virorum Fratrum, Stephani & Antonii vicarii loci d. ecclesiæ de d. civitate, & aliorum Fratrum d. loci, ac etiam Antonii Bernardi de villa Mulionis prædicta, & Vannis Cursii de Aqua-viva-montis comitatus d. civitatis, & aliorum plurium testium ibidem existentium, ad hæc vocatorum & rogatorum. *Et sub hac forma attestantur exceptioni sequentis miraculi præter prædictos Fratres,* Dominicus Angelucii & Sanctes Nannis, de Callio. *Instrumento tertio* Fr. Stephanus, Vannes Pelonghe, Nannes Justini de Fano, Marianus Vannis de quarterio S. Angeli, Dominicus Venturellæ de quarterio S. Francisci de d. civitate S. Angeli: *qui iidem aut aliqui eorum etiam sub quarto, quinto, & sexto instrumento notati inveniuntur. Singula autem sigillatim concluduntur subsignatione Notariali hoc modo:* Ego Bartholomeus Guidonis de Imola, Imperiali auctoritate Notarius (*additur in ceteris, præterquam in primo*, & nunc Cancellarius prædictæ civitatis Callii) prædictis omnibus & singulis, dum sic in d. ecclesia agerentur præsens fui, & rogatus scribere, scripsi & publicavi, & signum meum apposui consuetum, in testimonium veritatis. ✠

2 In nomine Domini. Amen. Anno à nativitate ejusdem MCCCLXXIV, Indictione XII, die XI mensis Septembris... Pateat... quod veniens personaliter in ecclesiam S. Francisci de civitate Callii, Benedictus Jacomitti de castro Vallis, comitatus Spoleti, in præsentia honesti viri Fr. Jacobi de civitate S. Leonis, Guardiani loci d. ecclesiæ, Fr. Franciscini Brocardi de Callio, & Fr. Pauli Vannis de S. Angelo in vado, Conventualium d. loci, ante tumulum & corpus B. Joagnoli de Callio, ejus sacramento præstito in manibus mei Notarii infrascripti, cum magna devotione, dixit: Quod cum, jam sunt octo anni vel circa, idem Benedictus tempore mortalitatis in dicto tunc ejus castro vigentis, pateretur anguinem in tibia seu coscia ex parte sinistra juxta corpus, & febrem magnam, & esset in extremis, ita quod jam loquelam amiserat, & eo adunatæ jam essent gentes, cum D. Jacobetta ejus matre, credentes ipsum tunc spiritum emittere; & Presbyter illuc venisset cum Unctione ad eum; & audiente ipso Benedicto dictam ejus matrem dicentem tunc quod ipse Benedictus mortuus, erat: idem Benedictus, reducens sibi ad memoriam de miraculis auditis jam per ipsum de d. Beato, vovit se tunc d. Beato, & in ejus corde cum devotione dixit supplicando, quod d. Beatus supplicare dignaretur Jesu Christo, quod ipsum Benedictum liberaret à dicto malo; & quod si liberaretur, ipse veniret ad d. civitatem Callii, ad visitandum corpus ejusdem Beati, & eidem offerret duas uncias ceræ. Et d. voto facto præd. Benedictus, sentivit se aliqualiter melius stare, & ab illa hora in antea convalescere: & inde ad paucos dies liberatus fuit, & cum magna devotione ad tumulum & corpus d. Beati obtulit tres candelas ponderis duarum unciarum ceræ & ultra; rogans me &c.

D

Anno 1374 idem testatur 11. Sept.

Benedictus quidam jam ad mortem inunctus,

E

3 XI Maji... pateat, ... quod Dominicus Joannini, olim de Faventia & nunc habitator Fani, veniens in ecclesiam B. Francisci civitatis S. Angeli-papalis, coram tumulo & corpore B. Joagnoli de d. civitate, & coram Fr. Stephano de d. civitate, de Ordine S. Francisci, conventuali loci d. ecclesiæ, ejus sacramento corporaliter præstito in manibus mei Notarii, dixit: Quod dum, jam sunt quatuor anni vel quasi, pateretur febrem immensam & dolorem capitis acutum in d. civitate Fani, ex devotione quam habebat in d. B. Joagnolo, vovit se d. B. Joagnolo quod dignaretur ipsum Dominicum liberare: & quod veniret ad d. civitatem S. Angeli ad d. ecclesiam, ad visitandum corpus ipsius Beati: & offerret ad tumulum ipsius Beati unum caput ceræ pulcrum. Et d. voto facto, d. Dominicus statim cœpit quiescere & dormire: & sic quiescendo visum fuit sibi, quod quidam auferret eidem capucium de capite: & statim se excitavit, & sentivit se liberatum à febre & dolore capitis. Et coram d. Fratre, quia idem Dominicus non potuit tunc habere aliquam imaginem capitis ceræ in d. civitate S. Angeli, dedit & obtulit ad dictum tumulum denarios, pro valore dicti capitis, ut dixerunt Fr. Stephanus & Dominicus prædictus, rogans &c.

11 Maji quidam civis Fanensis

4 Die X mensis Decembris... pateat, ... quod Antonius Ciccoli Rigusii de civitate S. Angeli-Papalis & quarterio S. Augustini, veniens in ecclesiam S. Francisci de d. civitate, personaliter præsentavit Paulum ejus natum, ætatis quatuor annorum vel quasi, sanum & lætum: & ibidem in præsentia venerabiliũ virorum FF. Stephani & Ascanii, Vicarii loci d. ecclesiæ de civitate præd. & multorum aliorum Fratrum & hominũ de d. civitate ibidem congregatorum, spoliavit eumdem Paulum de omnibus pannis & calceamentis, quæ circa dorsum puer præd. habebat: ipsaq; ac quamdam candelam ceræ accensam longitudinis staturæ d. pueri obtulit, & dimisit, in honorem corporis d. Beati: & suo juramento corporaliter in mani-

10 Decemb. Angelopolitanus olim Calliensis de suo filiolo

A *qui tres pestiferos anthraces habuerat,* manibus mei Notarii infrascripti præstito, tamquam publicæ personæ, verbo receptibili dixit: Quod dum ejus natus suprad. de mense Novembri proxime præterito pateretur morbo mortalis epidemiæ, tunc concurrentis in hujusmodi civitate, videlicet tribus anguinibus, uno videlicet ex utraque parte pectinis, & alio in corpore ipsius, ac etiam febre acutissima; & in extremis laboraret, taliter quod nullatenus sperabat ipsum ex hoc evadere; ex affectione maxima, qua Antonius prælibatus Beato præd. dum in humanis agebat, tamquam vicino ipsius Antonii & amico, ac propter ejusdem Beati bona ac sancta opera, & miracula post ejus migrationem, in reducentibus se cum devotione ad eumdem palam ostensa, se cordialiter & affectuose reduxit ad Beatum præd. & humiliter supplicando dixit hæc verba, videlicet, Beate Joannes, te deprecor, ut hunc natum meum à pestifero morbo præd. & ne ex ipso moriatur liberare digneris: quoniam promitto tibi quod ipso liberato, coram tuo corpore ad ecclesiam præd. ipsum personaliter præsentabo, & ibidem in tui reverentiam cunctis videre volentibus spoliabo, & ejus pannos, calceamenta & unam candelam B ceræ longitudinis staturæ prædicti offeram & dimittam. Hisque dictis paulùlum stando, puer visibiliter cœpit convalescere, & febris cessare: & inde ad tres dies tunc sequentes dicti duo anguines pectinis à se ipsis aperuere, aliusque in corpore existens evanuit: & de die in diem convaluit taliter, quod ipsum ut supra præsentavit. Et ut de hujusmodi vero miraculo perpetualis mentio habeatur idem Antonius rogavit me Notarium infrascriptum, quatenus publicum de præmissis conficerem documentum.

12 Aug. Fr. Guilielmus à quartana liberatus. 5 Die XII mensis Augusti... Pateat... quod Fr. Guilielmus Joannis Tavernarii de terra Mondæ Ducatus Valentinensis, veniens in ecclesiam S. Francisci de Callio, coram tumulo B. Joagnoli de Callio, ante præsentiam Fr. Joannis Massii, & Fr. Ascanii Batis de Callio, conventualium loci d. ecclesiæ, ejus juramento præstito in manibus mei Notarii infrascripti, sponte & cum magna reverentia dixit, quod dum pateretur febrem quartanam in ejus persona, per annum jam proxime elapsum; & de mense Julii proxime præteriti appulisset in d. civitate Callii, ipso tunc eunte Assisium ad B. C Franciscum; audita fama B. Joagnoli prædicti, cum devotione maxima se vovit d. Beato, ipso Fr. Gulielmo tunc patiente febrem præd. & dixit quod rogavit d. Beatum, quod supplicaret Jesu Christo, quod dignaretur ipsum Fr. Gulielmum liberare à febre præd. & si hanc gratiam reciperet, quod de Assisio rediret Callium, ad corpus d. Beati visitandum, peregrinando in reverentiam ipsius Beati; & offerret sibi ad ejus tumulum unam candelam ceræ, & valoris sex denariorum. Et d. voto facto, tunc intravit d. ecclesiam, & orationes suas fecit ante tumulum & corpus d. Beati: & statim sentivit se convalescere, & ab illa hora in antea ipsam febrem idem Fr. Gulielmus passus non fuit. Et deinde discessit Assisium ad B. Franciscum: & exinde rediens venit in d. civitatem Callii in d. ecclesiam coram d. tumulo & corpore B. Joagnoli, ante præsentiam dictorum Fratrum: & cum maxima reverentia & devotione revelavit prædicta, & obtulit ante d. tumulum unam candelam ceræ valoris sex denariorum. EX MS.

6 Die XXVI mensis Aprilis ... Pateat ... quod Christophorus Petri de castro Honesti, comitatus civitatis S. Angeli-Papalis, & D. Ceccha, uxor quondam Angeli de d. castro, venientes personaliter ad ecclesiam S. Francisci de d. civitate, coram tumulo & corpore B. Joagnoli de d. civitate, in d. ecclesia existente, se personaliter præsentaverunt, coram venerabilibus viris Fr. Antonio Baldachini de d. civitate Guardiano loci d. ecclesiæ, & Fr. Antonio Batis de d. civitate, conventuali d. loci: & eorum juramento corporaliter præstito dixerunt: Quod dum Christophorus pateretur febrem maximam & unum anguinem subtus sustellam dexteram & dolorem capitis, & esset in procinctu mortis, & diffisus esset à medico d. Domina venit ad d. Christophorus, & vovit ipsum Christophorum B. Joagnolo præd. quod dignaretur rogare D. N. Jesum Christum ut d. Christophorum liberaret à d. infirmitate. Et tunc d. Christophorus, intelligens verba præd. per d. Dominam prolata, se vovit ex corde puro d. Beato, & obtulit se oblaturum d. Beato unum brachium ceræ: & d. Domina obtulit se daturum unum pannicellum pulchrum. Et statim d. Christophorus facto d. voto sentivit se convalescere: & ab illa hora in antea d. Christophorus de die in diem convaluit & liberatus fuit inde ad paucos dies. Et pannicellum præd. quem d. Domina promiserat dedit & præsentavit ad tumulum & corpus Beati prælibati. *26 Aprilis alius a peste.* E

Hactenus instrumenta eo quo collecta, non quo facta sunt, ordine; omnia præter primum spectantia ad annum MCCCLXXIV, *in quibus* anguines *dici pro pestiferis anthracibus,* sustellam *pro axilla clarum est.* F

DE B. BARTHOLOMÆO DE CERVERIIS

MARTYRE ORD. PRÆDICATORUM

SAVIGLIANI IN PEDEMONTIO.

D. P.

ANNO MCCCCLXVI

Ex inquisitoribus fidei sanctitate claris.



œde Subalpinorum hæreticorum colluviei reprimendæ, in Pedemontio, Liguria, Lombardia, atque Sabaudia, multam & fidelem operam navavit sacer Ordo Prædicatorum, destinatis ad loca varia, eorumdem veneno infecta, fidei Inquisitoribus; quorum varii variis locis & annis martyrii lauream retulere, alii Confessorum gloriam meruere per multos in tam bona causa exantlatos labores. Hujusmodi tres Heroes Saviglianum veneratur, in ecclesia S. Dominici venerabiliter compositos, & miraculis claros; videlicet B. Antonium Pavum, B. Bartholomæum de Cerveriis, Martyres; & B. Aimum, ex clarissima Taparellorum familia genitum, Confessorem: quorum sepulcra istius ac vicinorum locorum incolæ devote visitant, propter miraculorum famam, quibus vivi mortuique feruntur claruisse. De his ut distinctius clariusque possemus agere, Augustam Taurinorum varias scripsimus litteras, Saviglianensis Conventus Priori tradendas; quibus ut responderetur, non tantum per Taurinensis Collegii Rectorem nostrum, sed etiam per Taurinensem Inquisitorem Dominicanum, actum est studiose; impetratum nihil: tantus est quorumdam hominum, licet religiosorum, torpor in procuranda Sanctorum, etiam domesticorum, gloria. Viderit ipse, quomodo desidiam istam suam excuset Ordini; nos sicut IX Aprilis dedimus, historiam martyrii ab Antonio Pavo tolerati, qualem Medio- *tres Savigliani quiescunt,*

 lani

AUCTORE D. P.

lani reperimus in codicibus Mss Ambrosii Taëgii; ita nunc ex iisdem damus, quod solum possumus, passionem B. Bartholomæi. Eamdem Italice habet Michael Pius ex prædicto Taegio, parte I, *l.* 3, §, 38, *& erroris redarguit Antonium Senensem in Chronico, qui circa annum* MCCXXX; *& alios apud eumdem, qui circa* MCCL, *passum Bartholomæum existimant: multo autem majoris exorbitantiæ accusat Castilionæum, qui paulo post mortem S. Dominici, obitam* MCCXXI, *coronatum Bartholomæum credidit, & capitis abscißione agonem suum finivisse: quæ omnia ex certiori relatu corruunt: est autem talis.*

quorum unus Bartholomæus

2 Frater Bartholomæus de Cerveriis, ex conventu Saviglianensi provinciæ Lombardiæ, ab hæreticis interemptus pro defensione fidei catholicæ, martyrium subiit anno Domini MCCCCLXVI, XI kal. Maji. Hic fuit Magister in Theologia, preclarus vita, sanctus fama, & opinione clarus: prædicator ferventissimus, hæreticæ pravitatis Inquisitor invictus, Catholicæ fidei defensor strenuus, & hæreticorum expugnator acerrimus. Hic Beatus mortem suam prævidit & prædixit. Nam cum Cerverias pro exequenda inquisitione, sibi auctoritate Apostolica commissa contra hæreticos, pergere deberet, Fr. Christophoro Caramaniensi diligenter & devote confessus est, & post confessionem talia ei dixit verba: Ego vocor Fr. Bartholomeus de Cerveris, & tamen numquam Cerveriis fui: nunc vero illuc iturus sum pro Inquisitionis officio, & ibidem moriens vitam finiam: quod & factum est. Nam cum ex Brayda per dimidium fere milliare prope Cerverias cum duobus sociis, videlicet Fr. Joanne Boscato & Fr. Joanne Petro de Richardis veniret; quinque hæretici, diaboli membra, eos aggressi sunt: ex quibus duo beatum virum in ventre cum lanceis, in modum crucis, transfixerunt; ipso libenter & voluntarie pro fide Catholica martyrium suscipiente, nulloque modo se defendente. Fr. Joannes, socius ejus, fuit in spatula & coxa graviter vulneratur, tandemque evasit: Fr. vero Joannes Petrus in totum illæsus evasit. Ex corpore autem sancti Martyris in hora mortis sanguis non exivit, donec venirent Fratres sui Conventus in ecclesiam Cerveriarum, ubi sacrum corpus ejus repositum fuerat: & tunc immediate ex ejus vulneribus maximi sanguinis emanaverunt rivuli. In hora etiam passionis ejus, cum sol pene occidisset, visus est à populo Saviglianensi alius sol versus Cerverias, ubi Beatus vir martyrium passus est. In loco etiam ubi exspiravit, nux postmodum orta est, quæ ramos omnes & folia in modum crucis, velut oliva produxit.

suam ipse mortem prædixit,

B

in qua varia prodigia acciderе:

C

eo invocato liberatur captivus.

3 Multa & prope infinita ex post, sua oratione fecit miracula: ex quibus unum, satis manifestum, narrabimus. Decanus quidam de Savigliano, cum in castro Summarippæ de bosco incarceratus fuisset, & ferreis compedibus vinctus, in dicto carcere haud modico moratus fuisset tempore; memorque esset hujus sancti Martyris; votum vovit Deo & Beato Martyri Bartholomæo, quod si ejus meritis ex prædictis carceribus evaderet [cereum unum] ad ejus sepulcrum apponere curaret. Mira res! nocte sequenti, cum esset quodammodo sopitus, extra Sommarippam in finibus dicti oppidi cum ferreis compedibus se invenit: quas faciliter ex tibiis suis amovens, venit Saviglianum, & ipsas compedes cum ipso cereo promisso ad sancti Martyris tumulum apponi fecit: & tam stupendum miraculum publicari fecit, ad Dei laudem & sancti Martyris gloriam & honorem. Ipso namque die gaudium magnum in castro memorato Savigliani factum est, cum campanarum sonitu & canticis spiritualibus.

D

Passus est anno 1466

4 *Est etiam in ejusdem Taegii codicibus unus, cum titulo* Chronici *scriptus, in quo fol.* 289 *inserta habetur originalis narratio.* Anno Domini 1466, die 21 Aprilis, Reverendus quondam Magister Bartholomæus de Cerveriis, hæreticorum Inquisitor fuit interfectus prope Cerverias, videlicet à Joanne Baridon, Andrea Jayme, Francisco Conaza, Michaele Morella, & uno alio de Cerveriis, hæreticis. *Cetera pene verbotenus sequuntur ut supra retulimus: ad quæ nihil aliud addendum occurrit, quam quod* Cerveriarum *locus, pagus sit Stura flumini adjacens, sexto septimove à Savigliano versus Orientem milliario, vulgo* Cervire *dictus: cui ad septentrionem colliculus adjacet & in eo pagus seu castrum,* Bra *dictum in topogographicis tabulis, hic autem* Brayda. Summa ripa de Bosco, *ubi miraculum contigit, Savigliano versus Astensem urbem eunti occurrit milliario circiter decimo; ac deinde alterius ejusdem nominis castrum, à vicino ipsi loco cognominatum* de Perno. *Sed memoratu & laude dignum imprimis est ipsum* Saviglianum, *inter Mairam & Maleam fluviolos, qui istic sese Pado miscent, ubi medium fere intervallum est Taurinum inter & Saviglianum, passuum millia vix plura quam viginti distantia. Est autem locus situ tam commodus,* ut illac transiens Carolus V cum exercitu versus Provinciam, dixerit, numquam se vidisse locum magis aptum ad quantumvis exercitum alendum; & Dux Emmanuel Philibertus aliquando in animum induxerit, sedem suam ibi figere, & urbem provinciæ metropolim facere, *uti in novißima Pedemontii descriptione in Atlante Blaviano legitur.*

prope Cerverias,

E

& sepultus Savigliani,

5 *Corpus Savigliani jacet religiose conditum sub quodam altari: sub quo etiam honoratur* corpus B. Aymi Tapparelli, *incertum quo die aut anno defuncti: qui cum B. Antonii Pavi translationem curaverit, credibile est fuisse ipsius conventus Priorem, circa finem seculi* XIV *aut* XV *initium. Laudat eum Michael Pius à summa vitæ austeritate, & imaginem pluribus Pedemontii locis sic pingi ait, ut radiis caput cinctus, crucifixum dextera, sinistra librum teneat, eum scilicet quem, jacens in feretro, adeo arcte strinxit compressa manu, ut eum non dimiserit quantavis adhiberetur violentia. Inter miracula ejus nominatur, quod mulieri, cujus lacte ex medicorum imperio fuerat in decrepita ætate usus, exulceratam & omnino resecandam mamillam curaverit pie invocatus post mortem.*

F

sub altari sub quo & B. Aymus.

ADDEN-

ADDENDA ET EMENDANDA
AD SECVNDVM TOMVM APRILIS,
AD DIEM. XI.


Ag. 2. col. 1 circa medium; ante Didymum, *adde* S. Principini Martyris translatio ad Silviniacense monasterium, *cum Reliquiis Sanctorum Leodegarii, Majoli & Odilonis, celebratur à Saussajo in Martyrol. Gallicano. Necdum comperimus quis hic Principinus sit, unde nec de eo plus dicere possumus, quam* XVIII *Martii, ubi inter Prætermissos retulimus & pro* XI Aprilis, *per errorem notavimus* XVIII.

DE S. LEONE PAPA I.

Pag. 15 *num.* 6 *lin.* 2 post verba *in Concilio Constantinopolitano*, dele, *Oecumenico*.

B *Pag.* 20 *titulum Cap.* 4, *turpissima transpositione vitiatum à typothetis, sic restitue:* Illustris Epistola ad S. Flavianum; furor Genserici Regis in direptione urbis mitigatus: templa restaurata, obitus.

Pag. 22 *Annot.* f sic ordire. *Hoc loco sequebatur imago: quæ si comparetur cum descriptione præcedenti, apparet delineatore Romanū aliquam carnositatis speciem faciei pedibusque dedisse: & hunc errorem non correxit sed auxit sculptor Belga; cum præter intentionem nostram, reddidit speciem etiam quam in Romana delineatione erat perfectiorem, non tantùm in facie & pedibus, sed etiam in cruribus; quas simplicissimis lineolis designatas acceperat: deinde ex spinula, quæ in medio pectoris jacebat, & lineola unica fuerat exprimenda, fecit crucem. Erunt igitur mutanda hæc omnia, si quando iterum excudatur hæc imago, & exigenda saltem ad fidem originalis delineationis: in qua cum supra brachium dextrū expressè notetur crucula † velut reliqua ab extrema parte pallii ad cingulum usque dependentis; miramur nullam ejus factam in scripta relatione mentionem.*

DE S. BARSANUPHIO.

Pag. 24 *num.* 11 *Indicatur aliquid ad Acta S. Alberti Hierosolymitani inveniendum de Vita vulgata S. Angeli Carmelitæ, prout scilicet ea Acta erant, quando undecimus*

C *dies imprimebatur: nam uno fere eodemque tempore sub triplici prælo trium simul tomorum procedebat impressio. Sed quia prius quam usque ad octavum diem procederet primus tomus, placuit totum nostrum de isto S. Alberto commentarium reformare, & multa omittere quæ tali loco videbantur posse præteriri; inter cetera omissus fuit etiam locus iste de Vita S. Angeli, dilatus in Majum. Ergo expungantur hic sex lineæ eo pertinentes; & post lineam* 14, *omissis inter mediis, subjungantur cetera incipiendo à lin.* 20 *hoc modo.* ubi dissimulationi diuturniori nulla amplius relinquitur excusatio. Quod cum facimus &c.

Pag. 25 *ante cap.* 3 *hæc addantur.*

His ita digestis venit in manus nostras, nescio ex quo Gallicano Ms. ad R. P. Lucam Acherium missa Vita S. Barsanorii Abbatis *pro* XIII *Septembris; & ab eo nobis donata, utpote ad Sanctorum Benedictinorum Acta, quibus colligendis intendebat, nihil faciens. Ad hujus calculum sic legebatur.* Hæc historia, quam de vita & miraculis venerandi Patris Barsanorii, Joseph discipulus ipsius, stylo Græco edidit; [ea continet] quæ & ipse præsenti visu, utpote comes individuus, cuncta perspexerat, & postmodum de Argolicis commentariis in Latinum sermonem Marcus Christi servus transtulit. Tempore autem elapso, quidam ab oriente venerabilis vitæ monachus, Adriatici maris transmisso æquore, usque ad urbem Oriæ, cui beatæ memoriæ Præsul Theodosius eo tempore præsidebat, pervenit; ferens secum reliquiarum venerandi Patris non ignobilem thesaurum, quod Episcopo per nuntium maturius intimare curavit. Lætus Episcopus insperatæ rei nuntio, sumpta secum Cleri & plebis multitudine, obviam processit cum crucibus, cereis, & omni solenni ornatu: exultantibus turbis, ac velut quondam Hebræorum pueris conclamantibus in occursum Salvatoris. Assumens itaq; venerandus Præsul sacras Reliquias, & super adstantem Clerum elevans, benedixit Clerum & populum. Erat ab antiquo basilica, divinis cultibus dicata ante portam civitatis, quæ ab incolis Hebræa vocabatur, arcta quidem, sed interim grata sedes pignoribus sanctis. In hac pretiosum thesaurum vir providus locavit, velut quoddam præsidium ac munimentum urbis, & quasi quoddam antemurale ad repellendas hostiles incursiones & insidias E spirituales. Quo in loco postmodum amplificatis ædificiis, monasterium maximi ambitus & mirabilis pulcritudinis fundavit; terrisque & possessionibus, in usum [Deo & Sancto] famulantium maxime dotavit: in quo, B. Barsanorii meritis adjuvantibus, divina præstantur beneficia, ad laudem & honorem Dei Patris & Salvatoris nostri Jesu Christi.

Vita fingitur Græce scripta à Ioseпho discipulo

corpus in pomerio collocatum, ibique fundatum cœnobium.

De corporis Translatione plenius agemus capite sequenti: de historia per Iosephum, ut præfertur, scripta, & per Marcum Latine reddita, noto, rem fere eamdem esse quæ est in Ms. Bodecensi, sed ordine prorsus alio deductam: Bodecense enim in rebus narrandis ordinem sequitur temporis; priusque exponit, quomodo Barsanofius (sic enim appellat) parentibus mortuis cum Ammonio & Ackario, divinitus sibi additis, ad loca sancta peregrinatus, ibi invenerit sanctum senem Marcellum, à quo monachus & Abbas consecratus, alios duos Iosephum & Theodorum asciverit; atque ita quinque simul interiorem Ægypti eremum, itinere dierum quadraginta petierint, ubi post quadraginta annos quæsierit inveneritque eos B. Siridus, secumque reduxerit in Palæstinam ad cœnobium suum, itinere dierum viginti. F *Interim suscitatam persecutionem à Iustiniano; ad quem rogatu Theodori Archiepiscopi Hierosolymitani legationem suscipiens Barsanofius, cum Georgio Archidiacono & Theodoro ac Constantino Presbyteris, duodecimo itineris die pervenerit ad urbem Galatiam: ubi in domo Episcopi Athanasii miraculo annona penuriam levarit, tum ad vicinam loco Antiochiam navi conscensa pervenerit Constantinopolim; indeque rebus ex sententia peractis Hierosolymam regressus, post visitatam Bethleem, resederit in Gethsemani; & Sacramentis à Theoctisto ad mortem communitus, ad Calvariam abierit, istic à discipulo Ioanne in præparato ad id sepulcro tumulandus, quod factum, cum* XIII *Septembris expirasset.*

diversitas Mss. Bodecensis

Hæc summa Vitæ in Ms. Bodecensi: ast ea quam sub Iosephi nomine haberi diximus, narrationem exorditur à Iustiniani persecutione, sub Archiepiscopo Theodoro Palæstinis nuntiata, sicut ea Barsanorio cuidam fuerat præmonstrata à Christo, in discissa tunica sese ostendente. De S. Petro Alexandrino, Arianum schisma prædicente, id scimus; hic vero de Barsanorio idipsum dicuntur scriptum reliquisse Patres) hic autem Barsanorius dicitur fuisse Ægyptius, ex villa Petredi matre Eulampia; & habuisse sorores, Theoctistam ac Iulianam: cujus fama illectus ipse Ioseph, cum sociis Theodoro, Ammonio, Moyse, Acatio, Leontio, ab eodem secum familiarius agente intellexerit, quomodo, rejecta quam mater

& Gallicanis

ter offerebat conjugii opportunitate, cum sociis Ammonio & Achaio, Marcellum, ex eremo ad se directum, secutus sit in terram sanctam. Tum idem Ioseph narratum sibi ab eo dicit, quam sancto fine parentes sui obierint, & quomodo dictos duos socios ex Britannia advectos divinitus agnoverit, ipsumque Iosephum tandem invitarit ut secum recederet in eremum: itaque ordinatis qui in loco priori remansuri erant Fratribus, venisse ad cœnobium Euage, cui præerat Sirinus, ubi inter alios erat quidam Ioannes, olim Barsanorii discipulus. Hic vero Barsanorii precibus impetratam qua toto anno caruerant pluviam, & præfectum Fratribus quemdam Antiochenum Dorotheum, ut cum Abbate Sirino in vicina eremo solitarius viveret aliquamdiu, donec ad Calvariam visitandam digressurus à Sirino, prædixerit morbum Marii, ad persecutionem exercendam venientis; ultroque se offerens ad Palatium ire, in itinere Antiochiam versus, quod unius diei fuerit, triginta novem ægrotos sibi oblatos curarit; & in Antiochena quadam villa Galaßia diverterit ad Episcopum Athanasium, panes apud eum multiplicarit, ac denique Byzantium appulsus Iustinianum converterit ad pœnitentiam & reparationem male actorum; moxque regressus in Palæstinam, Præfecto urbis Antiochenæ exhibuerit rescriptum Imperatoris ad relaxationem Sanctorum captivorum, & tandem Hierosolymam regressus, obierit ut supra dictum est.

B *& utriusque communia errata.* Absunt quidem ab hac Vita enormia illa itinerum spatia, quæ in Bodecensi aßignantur: sed tamen inducere non possumus animum, ut ipsi fidem aliquam habeamus, quamdiu Theodori Archiepiscopi Hierosolymitani & Iustiniani Imperatoris conjuncta tempora, manifestam faciunt imposturam ejus, qui primus vitam composuit, Iosephi discipuli personam mentitus: quidni enim timeamus, ne totam historiam simili fide conscripserit aut potius confinxerit? Alias si auctor non studiose mendax, aliquot seculis post obitum Sancti, scripsisset quæ majorum traditione exceperat; nonnulla temporum rerumque confusio, decursu temporum facillime obrepere solita hujusmodi scriptionibus, ignosci potuisset; & verosimiliter credi, Barsanorium seu Barsanophium aliquem Ægyptium, à Gazensi, de quo Euagrius, diversum, & in Hierosolymitana eremo monachum, aliquid opera non prorsus inutiliter posuisse apud Iustinianum pro sublevandis Palæstinis orthodoxis; & si non cum tam ampla quam describitur fructu; idque etiam evaderet verosimilius, quando inveniretur monasterium Euage, hic nominatum, revera fuisse in Palæstina aut Syria.

Pag. 37 *in titulo* Croylandia, *lege*, Croylandiæ.

Pag. 52 *num*, 8 *lin.* 21 debere primi proponi, *lege*, primitus.

C

AD DIEM XII.

Pag. 70 *num.* 4, *lin.* 4 *à fine*, pro *Blatunensis cœnobii*, lege, *Blabutensis.*

Pag. 74 *num.* 3 adde: *Denique in Diario Reliquiarum, in Metropolitana ecclesia Pragensi asservatarum, notatur* S. Zenonis Episcopi frustum insigne, allatum per *Carolum Imperatorem anno* MCCCLXX.

AD DIEM XIII.

Pag. 120 *num.* 2, *lin.* 4 pro, *passus forte*, lege, *passus foret.*

Pag. 122 *col.* 1 *lin.* 18, aliam majorem prolationem, *lege*, probationem.

Pag. 130 *num.* 2. *lin.* 5 *dele & lege*, sic liber stetisse ad gladiatoriam palestram: *& in fine distichi Græci pro* πάλιν, iterum, *lege*, πάλην palæstram.

Pag. 149 *in titulo cap.* 3 Bertimano, *lege* Bertiniano,

Pag. 159 *num.* 4 *lin.* 20 verberum injuriosa cæde, *lege*, verborum.

Pag. 175 *col.* 1. *lin.* 9 *à fine* Nunc se, *lege*, Nunc.

Pag. 192 *num.* 7, *lin* 25, mespisorum magnitudine, *lege*, mespilorum.

AD DIEM XIV.

Pag. 209 *ante* § 2 adde. *Ab hac translatione oportet reservatas fuisse* duas insignes partes Sanctorum Tiburtii & Valeriani, *quarum meminit Diarium Pragense ad hunc diem, ut quæ fuerint* allatæ Roma per Carolum *Imperatorem, anno* MCCCLXX, *si verè horum Martyrum reliquiæ sunt: quod ex ipsis donationum tabulis certius discere optaremus.*

Pag. 210 *in marg. ad* E *facta aliqua apparitio*, lege, *facta aliqua apparitione.*

Pag. 212 *post num.* 7 adde. *Pragæ in Metropolitana S. Viti ecclesia, inter plurimas istic coacervatas reliquias, alicujus* S. Proculi Martyris dens & particula *asservatur*; per Carolum *Imperatorem* allata ex Italia; *uti indicatur in Diario istius ecclesiæ prædicato: sed nescio quo fundamento præsumatur, Reliquias hasce Interamnensis* Proculi *esse.*

Pag. 220 *num.* 2 *lin.* 10 dele semel, *testatur.*

Pag. 240 *Annot.* f *lin.* 1 Mortaigmi, *lege*, Mortaigny.

DE S. BENEDICTO AVENION.

B

Pag. 258 *Annot.* s *lin.* 6 cæcis restitu, lumina, *lege*, restitui.

Pag. 261 *num.* 27 *lin.* 10, vetus antiqua consuetudo, *lege*, vetus & antiqua.

Pag. 264 *post num.* 49 *subjunge de tertia corporis sancti Translatione, recentißime facta, relationem ex Gallico Latine redditam.*

40 Cum S. Benedicti corpus anno MDCLXX, ex sua supra pontem capella, delatum ad ecclesiam Hospitalis, & anno MDCLXXII die III in locum priorem esset relatum; non desponderunt animum Patres Cælestini Avenionenses, sed tanta instantia egerunt per præcipuæ dignitatis atque auctoritatis viros apud Majestatem Regiam, ut demum expresserint gratiam desideratam: nam etiam exhibuerunt libellum supplicem nomine Consulum Avenionensium, quo petebant, ut Rex dignaretur aliquem intra urbem locum designare, in quo prædictum corpus deponeretur. His ergo rescribens Rex, ita annuit postulatis, ut nollet alium locum sumi quam ecclesiam regii sui Cælestinorum monasterii, usque dum refecto ponte tuta & secura foret capella Sancti. Et tunc cœptus fieri apparatus, ut quam solennissimâ pompâ ea Translatio perageretur; & de mandato D. Hyacinthi Libelli Avenionensis Archiepiscopi electus dies XXVI Martii, cum feria secunda Paschali concurrens, anno MDCLXXIV. Tum vero summo mane accessit ipse ad capellam Pontis, & coram Episcopo Arausionensi, Vicario, Consulibus urbis & Rectoribus Hospitalis, sexque delectis è Nobilitate viris, è tumba efferri corpus jussit; cognoscique ipsum esse quod illuc antea relatum & in ea tumba fuerat collocatum; Processum verbalem de re tota conscribentibus officialibus ad id vocatis.

Cælestini Avenionenses transferendi ad se corporis impetrant facultatem:

quod an. 1674. 26 Martii,

E

41 Post meridiem ad Processionem generalem in ædem metropoliticam convenerunt omnes civiles & ecclesiastici ordines, quos Archiepiscopus recta ad Pontem ire jussit, subsequens ipse cum Arausionensi Episcopo totoque Capitulo suo. Ordo supplicantium & à Pôte redeuntium hic fuit! Tubicines agmen universum ducentes, sequebantur pueri fere infiniti, vexilla, imagine Sancti notata portantes: tum alii circiter centum duodennes pastoritio habitu, quorum ultimus ipsum repræsentans Sanctum, grandis lapidis speciem subvectabat humeris. Reliquus ordo Confraternitatum civilium, Religiosarum Communitatum, & Collegiorum Canonicalium eo modo processit, quo in aliis ejusmodi processionibus;

cum solemni processione factum.

A nibus fieri solet: sed notabilis fuit & solito major numerus spectabilium virorum, faces nudo vertice ferentium; post quos & Cathedralis ecclesiæ Canonicos, per octo Presbyteros linteatos & quatuor Canonicos pluvialibus indutos, portabatur feretrum S. Benedicti, sub divite umbella sex hastarum, per Præpositum, Vicarium, atque Consules delatarum, incensantibus continuo Cælestinis duobus, & aliis duodecim faces gestantibus circum venerabile pignus. Archiepiscopo vero Avenionensi & Episcopo Arausionensi, in ornatu Pontificali, cum assistentium cuique ministrorum ordine subsequentibus; præsidiario vero milite applaudente festivis bombardarum & mortariolorum explosionibus, & campanis tota urbe consonantibus, ad ingressum sancti corporis in urbem.

quam secura corporis collocatio honorifica,

42 Inter procedendum deposita est sacra sarcina ad veterem portam Ferrutiam, ubi blasphemantes redarguens Sanctus, alapam olim retulit, super ornatissimo altari: ingredientibus vero Cælestinorum ecclesiam, magnificentissime ornatam, occurrit Prior P. Carolus Guillet, cum suis Religiosis pluvialia indutis: & corpori supra aram principem per eos locato incensum obtulit Archiepiscopus, atque post decantatam de communi Confessoris non Pontificis Antiphonam, Similabo, cum versiculo, succinens Orationem, Adesto Domine, imposuit finem festivitati istius diei, populo benedicens cum Venerabili: cum prius tamen sanctum corpus collocasset in armario, ad id præparato ex latere altaris, quod erat in sacello, Sancti nomen gesturo deinceps; & armarium crate ferrea obserasset sub triplici clave, quarum unam sibi retinuit, alteram Consulibus tradidit, & tertiam P. Priori. Obtenditur nihilominus eidem crati ostium cypressinum, cujus clavis penes Sacristam remanet, ut satisfacere possit eorum desiderio, qui pie expetunt sanctum corpus vel per obtentam cratem spectare. Fuerunt eo die plura quam viginti millia peregrinorum Avenione numerata, quorum aliqui à leucis viginti & amplius per circuitum confluxerant.

B

& solennitas per octavam continuata,

42 Postera die, quamvis tertia feria Paschalis esset, tamen sacrum de Sancto Archiepiscopus cecinit una cum Capitulo suo, atque post prandium Vesperas, quibus successit panegyricus sermo: quales item reliquis per octavam diebus ab invitatis ex omni ordine præstantissimis oratoribus dicti sunt, subsequente semper benedictione populi cum Venerabili: similiter Capitula Canonicalia, suo quæque die infra Octavam Missas Vesperasque cecinere: Dominus autem Vicelegatus sæpius ad visitationem sacri corporis accessit; Archiepiscopus autem Avenionensis, audito postremo Panegyrico, solennitatem conclusit octavæ diei, suis ipse manibus populo benedicens cum Venerabili. Quot votivæ missæ per eamdem octavam in eadem ecclesia dictæ sint, quantus cereorum numerus, quanta anathematū propter petita acceptave beneficia oblatorū varietas, grave esset minutim explicare: satis sit dicere, nihil fuisse prætermissum quod hujus Translationis actum potuisset facere quam ornatissimum. Quam magnifico autem apparatu resplenduerit ecclesia Cælestinorum, non est explicabile verbis; unum consideratione præcipua dignum hic non omisero, requiescere in eadem ecclesia corpus B. Petri Luxemburgii Cardinalis, qui quam fuerit S. Benedicto devotus, indicat hæc precatiuncula, inter varias precum formas per ipsum descripta, Sanctissime Benedicte & gregis pastor inclyte, perduc me ad vitam rectam & ad regionem sanctam. Amen.

C

Pag. 264 DE S. HADWIGE, *lege*, DE B. HADWIGE.

Pag. 320 *post Annot.* c *adde. aut potius retineatur prapositio* ver, *qua idem valet quod Latinis* re; *ita ut significetur iterata humectatio, per quam coloribus novus splendor additur.*

AUCTORE D. P.

Pag. 322 *num.* 84 *lin.* 11 quo nullum præstantius liberat, *lege*, biberat.

Pag. 334 *num.* 143 *lin.* 4 contumeliis eam affecit, *lege*, affecerit.

Pag. 354 *num.* 342 *lin.* 8 arctant angoris cordis, *lege*, angores cordis.

Pag. 364 *col.* 1 *lin. ult.* Chombis quibusdam picturatis, *lege*, rhombis.

AD DIEM XV.

Pag. 370 *col.* 1 *ante medium, ad ea quæ ibi notantur de* Cæsare de Bus, *adde.*

B. P. Cæsaris de Bus cultus Avenione.

Vita extat scripta à variis, quorum novissimus Iacobus Beuvais, in ea quam Parisiis vulgavit anno 1642, continue appellat Beatum Patrem. Corpus (*ut nobis Avenione scriptum nuperrime*) prorsus integrum & incorruptum, ac Sacerdotali ornatum habitu, conspicitur in arca cupressina per transparentes crystallos, in una capellarum ecclesiæ dictæ S. Joannis antiqui, qua Patres istius Congregationis utuntur: ubi ante illud continuo ardent complures lampades, & parietes toti conteguntur votivis tabellis, item crocciis, figurisque ex argento & cera, facibusque & candelis ex voto oblatis, propter receptas sperataſque gratias: quarum multæ valde illustres & miraculosæ narrantur, magnamque spem faciunt obtinendæ Beatificationis, ad quam ut omnis adhiberetur conatus decrevere Patres in suo generali Capitulo Parisiis anno 1673. Ipso autem die mortis, XV Aprilis, ornantur albis paramentis altaria, & sacra dicuntur de Trinitate, institutumque est jam inde ab anno 1643, ut eodem die solennis habeatur panegyricus, per aliquem ex præstantioribus Concionatoribus: & ea solennitas toto continuatur octiduo, cum maximo affluxu Avenionensium. *Qua si ab immemorabili facta tempore niterentur privilegio, prascriptionis diuturna, facerent haud dubie, ut locus eidem inter Beatos daretur in hoc opere 1 nunc, cum ipse primum anno 1607 obierit, adeoque intra terminos constitutionis Vrbaniana, speramus non agre laturos Patres istos, si eadem ex consideratione ipsum pratermittamus, usque dum Apostolica super beatitudine & cultu sententia emanarit, ex qua similes nostra Societatis aliorumque Ordinum viros, sanctitatis opinione claros aut etiam martyrio coronatos, & in loco sepultura nihilo minus veneratos, pratermittimus; optantes ut quam citissime debitus eorum sanctimonia honor decernatur ab ecclesia, & ut processuum informativorum exempla nobiscum communicentur; ut quemadmodum in S. Francisco de Paula ejusmodi Processibus & authenticis instrumentis usi sumus, ita & circa illos possimus facere, quam primum id Sedes Romana permiserit.*

B

C

Pag. 375 *post num.* 5 adde. *In Mss. Martyrologiis Florentinis & alio ibi excuso notatur ad* XVII Martii, Passio SS. Olympiadis & Maximiani sub Decio Imperatore, *quos apparet omnino hos eosdem esse, nescio cur ad talem diem relatos.*

Pag. 390 *col.* 1 *lin.* 5, *cujus dies octava sine Dominica in Albis*, lege, *sive*.

AD DIEM XVI.

DE SS. MARTYRIBUS CÆSARAUGUSTANIS.

Pag. 408 *col.* 1 *dua ultima linea pristino & vero sensui ac lectioni restituantur hoc modo:*

Nec furor quisquam sine laude nostrum
Cessit, aut clari vacuus cruoris.

MS. *Sensus est enim, quod nulla transierit persecutio, qua aliquis Cæsar-Augustanorum sanguinem suum non fuderit: & huic sensui consonat reliqua pars hujus strophe:*

Martyrum semper numerus sub omni
Grandine crevit.

Hæc tam universalis assertio, de omni persecutione, quatenus vera sit aut probari possit (si de Neroniana aliisque è prioribus sermo sit) hic non inquiro: plura Martyria istius urbis vel scivisse Prudentius vel populi memoria celebrari potuerunt, quam quorum nunc habeatur notitia: interim inhærendum certæ & minime dubiæ locutioni Poetæ nostri, licet forte grandiori hyperbole usi: quare pag. 413, ubi de SS. Caio & Crementio agitur, expungi velim reprehensionem Tamaji, eo quod diversam à priori lectionem, seu verius conjecturam, secutus non sit: satis est, ejus alia circa eosdem Martyres asserta repudiari, quæ non ex Prudentio, sed ex suo hausit cerebro. Deleantur ergo in columna 2 lineæ 9, 10, 11, 12.

B *Porro pro historia Passionis, quam ex Ms. Longipontano dedimus, reponatur alia, missa Madrito à viro amplissimo & eruditissimo viro D. Ioanne Luca Cortes; prout ea extensior multo, & primigenio stylo habebatur in ejusdem Domini magno & pervetusto codice membranaceo, sub hoc titulo:* Passio Sanctorum innumerabilium Cæsaraugustanorum Martyrum, qui passi sunt sub Diocletiano & Maximiano Imperatoribus, die III Kalendas Novembris: *ubi* III Kalendas *videtur poni pro* die III *mensis, haud novo medii ævi solœcismo. Transcripsit autem D. Ioannes Lucas hæc Acta* manu propria, Madriti, anno MDCLXXIV, ipsamet VI die mensis Novembris, qua Carolus secundus noster Rex maximus (quem Deus per secula multa incolumen feliciter & gloriose conservet) decimum tertium suæ ætatis annum complevit, & decimum quartum bono omine faustisque auspiciis ingressus est.

PASSIO

Ex MS. D. Ioannis Lucæ Cortes.

Præ militum secularium gestis

1 PRiscorum mundialium gesta virorum, quorum obstinatio extitit irrumpere acies bellatorum, cruoremque effundere innoxium, suarum rite servantium jura terrarum tectaque vel claustra do-
C morum, non solum Græcorum gymnasia concrepabant Philosophorum, sed etiam & Ethnicorum studia personarunt Latinorum. Celebritatem quippe nominis eorum tam monumenta a Storicorum, quã etiam libri concinunt Poëtarum. Hinc, (ne fortasse peritura foret temporum prolixitate materies librorum diversorum) tabulis metallorum, marmoreorum scilicet aut æneorum, sculptos impresserunt apices litterarum .... ut suorum civium triumphalia multarum laudum præconiis efferentes, in futuris retro generationibus eorum facta vel gesta scriptis transmitterent legenda, ne eorum, quoscumque labenti seculo dilexerunt, memoria funditus laberetur.

referenda sunt Martyrum certamina.

2 Igitur si Gentiles ac sacrilegi homines, nihilo minus perituri, in eis qui perituri forent, aut fortasse post humanorum effusionem sanguinum horribili morte interiere, tanta ac talia oracula, veluti miracula conscripserunt, ut post eorum mortem quædam consolationis auspicia fungerentur: quid nos oportet actitare Christianos, de Christianis parentibus ortos, nisi ut militum Christi victoriis officia linguæ nostræ deserviant, & laudibus Imperatoris nostri, qui triumphali vexillo, ut acerrime contra hostem dimicarent & vincerent, suos Martyres perarmavit, resonent modulatis vocibus organa cor-
D dium nostrorum; quatenus dum Passionibus eorumdem compatiendo adjungimur, orationibus ipsorum, Christo Domino opitulante, in mansionibus æternis adsociari mereamur. Nunc igitur ordinem occeptæ narrationis prosequens, ad ea gressu propero percurram, quæ priscorum temporum fama, relatione Ethnicorum, ad nos usque delata sunt.

post edicta Diocletiani in Christianos,

3 Temporibus Diocletiani & Maximiani Imperatorum, in mundi ambitu sacrilegarum institutionum jussa manarunt, ut conventus omnium Christianorum non solum de urbibus pelleretur, sed licentiam quisque poneretur eorum vitam persequendo necare: primo quidem ut multis blanditiis ac persuasionibus eorumdem mentium intentionem ad culturas dæmonum inclinarent; ac deinde, si nollent Imperialia jussa complere & diis cerimonias immolare, Christiani nominis religionem cum sectatoribus suis funditus extirparent. Illico turmæ satellitum complent Principum feralia jussa, & officiis diabolicis adsumptis percurrunt apparitorum sævientium turmæ totius orbis spatia, veluti leonum catuli inediæ necessitate coacti, sanctorumque Marty-
E rum corpora laniando corrumpunt. Sed quo atrocius eorum impietas sæviebat, eo Militum Christi religio ardentius accrescebat. Inter quos quidam eorum Signifer, cunctis admodum pestilentior, profanæ ac sacrilegæ mentis Datianus, ab eisdem impiissimis Imperatoribus, ut in Spaniam proficisceretur, Præsidis nomen indeptus est, quo mentis suæ rabies erga membra Christi ferocius desæviret.

sævit in Hispania Datianus;

4 Cum igitur Spaniæ provinciam properans attigisset, immanitatis ejus sævities latere non potuit, sed acerbitate suæ infaustæ crudelitatis, velut leo rabidus cœpit Christianos quoscumque perquirere eorumque corpora cruentis dentibus laniare. Sed Omnipotentis Domini actum est providentia, ut pro illustratione vel patrocinio nonnullarum urbium, sacrilego spiritu, sacro altari sanctas hostias Christo Domino dedicaret; *b* quorum intercessione frequens Civibus gratia Domini proveniret. Cum-

b occidit S. Vincentium

que his sacrilegii fungeretur officiis, Cæsar-Augustanam ingrediens civitatem, diabolico peratmatus spiritu, insignem nobis Sanctum, Triumphatorem gloriosum, Vincentium Martyrem dedicavit: qui beatissimæ illustrationis apice, non solum Cæsar-
F Augustanam urbem, sed etiam Valentiam corporis sui decoravit insigni; ac deinde illustrium virorum decem & octo, vesanæ crudelitatis adspiratione, affudit sanguinem innocentem, scilicet

deinde 18 hic nominatos

Quintiliani, *c*	Cassiani,
Matutini,	Publii,
Urbani,	Martialis,
Fausti,	Successi,
Felicis,	Januarii,
Primitivi,	Evoti,
Cæciliani,	Obrati,
Frontoni,	Luperci, &
Apodemi,	Julii.

Addens etiam adhuc, copiosissimam martyrio, sacram Dei Virginem, gloriosam Engratiam, purpurei sanguinis sui rore conspersam.

& S. Engratiam:

5 Cum igitur sanctæ devotionis intentionem Christo Domino dedicatarum mentium Datianus vincere nequiret; sed pro amore Regis æterni sacri Milites sacrum libentius funderent sanguinem; ad aliarum artium argumenta consulens cum diabolus peramavit. Denique advocatis (ut fert priscorum temporum haud dubia fama) suis satellitibus, turbulentis his verbis callidus serpens sui cordis propalavit insaniam. Nihil inquit, O milites Principum nostrorum, in hac certaminis acie laborando pro-

A *dolensque se virtute superari,* proficimus, nec fortitudinem Christianarum mentium ad deorum nostrorum culturam conflectere possumus; & dum cupimus eos atrocius sæviendo vincere, eorum victoriis affatim deservimus. Sit itaque occultũ nostræ dispositionis consilium. Nullus vestrorum proditor aut propolator; nec quisquam eorum temporaneam, vel serotinam consilii nostri audiat dispositionem. Innumerabilis hæc multitudo Christianorum, quæ hujus civitatis ambitu continetur, consilio potius clandestino quam virtutis atrocitate perimenda est: quibus si sigillatim pro deorum nostrorum culturis, tormentorum genera inferre decrevimus, dum intentionem cordis eorum vincere nequimus, nobis potius, quam illis, periculorum exitium procuramus.

statuit omnes sub figmento libertatis ex urbe ejectos mactare, 6 Sed procurrant officia præconantium totius ambitum civitatis, ut multitudo eorum, quæ ædificiorum parietibus occulitur, ab hac urbe quantocius propellatur; quasi concessa licentia liberalitatis *d*, ubi manendi laremque fovendi uniuscujusque voluntas extiterit; ita ut nullus religionis eorum, à dominis usque ad servos in mansiunculis hujus urbis reperiatur, nostro contubenio sociandus. B Vos denique, commilitones nostri, ex armamentariis publicis arma proferte, ensibus bisacutis vestrorum compages lumborum astringite, abditorum locorum latibula quantocius procurate, & contra inermem hostem bellaturi ex locis occultis subito prosilientes, eorum multitudinis aciem certatim obruere festinate, & quoscumq; repereritis acutis ensibus obtruncate. Nos igitur portarum omnium aditus obserare præcipimus: ut si fortasse quisquam mucronis aufugiens aciem redire ad civitatem voluerit, omnia obserata reperiat; gladio nihilominus periturus, qui ante ensis aciem extiterit fugitivus: & quos ad Deorum nostrorum nequimus inflectere cultum, nullus eorum, qui Christum colere maluit, supersit qui remaneat inultus.

Hi propere egrediuntur portis, 7 Deniq; percurrunt Satellitum turmæ totius civitatis auspicia, præconum concrepantium reboant raucisona vocum officia; reserantur portarum Occidentalium claustra, gaudentque turbæ piorum utriusque sexus; catervatim prodeunt agmina populorum; senes vacillantia membra tremulis manibus baculis sustentare festinant, ne suorum *e* relinquantur solatio Catholicorum; C multitudo juvenum vel adolescentium suarum sponte aperta relinquunt claustra domorum; mulierum quoque sexus infirmior, fortiores animo quam imbecillitate, properat cum vagientium turmis infantium ac servulorum perstrepentium; ita ut crederes totius funditus migrare populum civitatis, ad spectaculum seculi furentis, sicut ait egregius Prædicator, Spectaculum facti sumus huic mundo, Angelis & hominibus. Quid multa? exiit omnis turba Christianorum lætantium videlicet ac canentium: Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.

quibus post eos clausis, cuncti occiduntur: 8 Itaque obserantur ab officiis portæ totius civitatis, ne quisquam eorum reperiret ingressum pietatis: ex occultis locis subito prosiliunt cunei armatorum, funestis ensibus impetunt turmas Christianorum, & veluti copiam magnæ multitudinis agnorum, ita prosternunt non resistentium corpora Catholicorum; madefiunt dæmonum spiculatores sanguine innocentium; crassantur cadaveribus mortuorum, & nec sic quoque satiantur crudelitate multimoda defunctorum. Tunc feralis ille ac

corpora cum reorum corporibus cremantur: tortuosissimus draco Datianus Præses præcepit multitudini Paganorum, ut ante totius civitatis conspectum congesta corpora occisorum, ignibus traderent: & ne fortasse quisquam procul aut prope in latibulis situs Christianorum sibimet raperet cineres Martyrum sanctorum, omnes diversorum criminum reos quos civitatis occulta ergastula retinebant, propere produci jussit à carceribus, eorumque capitibus amputatis, infausta corpora jussit Sanctorum corporibus sociari, & ita ignibus concremari. Cremantur venusta corpora Martyrum cum corporibus latronum parricidalium; capitis nostri, scilicet veri Dei & hominis, exemplum sequentes, qui inter duos latrones pro nostra salute noscitur crucifixus; justis nihilominus tribuens cælestis Paradisi gaudia sempiterna, illis vero meritorum suorum supplicia numquam finienda.

Insultat Datiano auctor & Martyribus plaudit; 9 Væ tibi minister diaboli, Datiane! non sufficit ad augmentum tuorum scelerum viventium meritis invidere, innocentium civium vitam contra jussa legum extinguere, nisi hujus nefandi causam criminis addere procurares? E Quid tibi profuit tantatum sævities immanitatum? vel insaniens rabies istarum crudelitatum? Peremisti terrenæ civitatis plebem innocentem, & dedicasti populum civitatis nostræ Jerusalem semper cum Christo gaudentem. Nunc igitur justorum animæ in manu Dei sunt, & non tanget, illos tormentum mortis; teque retinent vinctum numquam finiendorum infernalium ignium cruciatus: illi occisorum corporum suorum *f* receptionem magno opere præstolantur, ut inter reliquas Martyrum catervas duplici remuneratione coronentur; tu *g* copiam scelerati corporis tui tecum nullo modo vis recipere, ne duplici contritione, animæ scilicet & corporis, cum diabolo & angelis ejus æternis incendiis manciperis.

gratulatur urbi Cæsaraugustanæ 10 In cineres innumerabilium sanctorum Martyrum oculis nostris aspicientes, summa cum exultatione veneramur, eorumque triumphis lætantes compatiendo conjungimur. Aulam denique ob Sanctorum honorem Omnipotenti Deo consecravimus, ut quibus tua sævities nomen funditus maluit stirpare, Christianorum populus tripudiando non sinat eorum festis gaudiis adsociari. O felix, & nimium felix Cæsar-Augusta, Beatorum sanguine circumlita, quæ tot millia Martyrum oblationes Domino dedicasti. *totique Hispaniæ;* Gaudeant igitur tecum totius mundi urbes pretioso Martyrum sanguine decoratæ: gaudeat F denique ipsa caput gentium nobilissimarum urbium aurea Roma, quæ cum duobus magnis Christi consulibus, Sanctis scilicet Apostolis Petro & Paulo, gestat innumerabilium Martyrum suaveolentium incrementa rosarum. Gaudeat etiam nobiscum totius Spaniæ regionis populi multitudo, secum gestans Christiani nominis dignitatem. Et licet nonnullarum urbium incolæ paucorum suffragiis Martyrum potiuntur, singulis videlicet, binis aut ternis forsan & quaternis, tu copiosius exuberas innumerabilium Martyrum incrementis. Sed dum nostrorum Sanctorum festis adsociantur, qui paucorum Martyrum patrociniis perfruuntur, & in merito nobiscum eorum conturbernio potiuntur.

seque & suos ad devotionem excitans. 11 Nos autem, quos præsentium Sanctorum Martyrum meritis, fidei sanctæ Catholicæ unitas adsociavit, annuo eorum cursu festis atque triumphis congaudeamus, cum summa devotione excubias celebremus, ut eorum vitæ meritis participari mereamur. Exultemus in Domino, jubilemus Deo salutari nostro, præoccupemus faciem ejus in confessione & in Psalmis jubilemus ei. Quoniam nos populus ejus & oves gregis ejus;

ejus; ut qui Sanctis Martyribus suis contulit victoriæ triumphum, nobis donare dignetur eorum imitari exemplum: & qui illis mansiones æthereas in sui regni præparavit potentia, nobis properam misericordiæ suæ tribuat indulgentiam, ut supernis mansionibus sortiri mereamur refrigeria sempiterna; concedente ipso Domino Jesu Christo qui cum Deo Patre & Spiritu sancto vivit & regnat in secula seculorum. Amen.

ANNOTATA.

a Storici *dicuntur pro* Historicis, *uti infra* Spania *pro* Hispania, stirpare *pro* extirpare.

b *Ms.* dedicarent, *quod Longipontana epitomes auctorem in sensum longe diversum abduxit.*

c *In duplici columna descriptos Martyres, describimus quo accepimus ordine: quidam sic legisse videntur, ut alternatim assumpti compositique, continuo ordine sic recitarentur* S. Quintilianus, S. Cassianus *&c.*

d *Mallem legere*, libertatis.

e Reliquantur, *idest*, destituantur: *in Ms. ecgrapho sic habebatur*, Nervorum relinquuntur solatio Catholicorum.

f *Ita lege pro* deceptione, *quod erat in ecgrapho nostro.*

g *Scriptum erat* tu quoque scelerati corporis.

Pag. 438 *col.* 2 *lin.* 5 confundavit, *lege*, confundunt.

Pag. 466 *num.* 3 *lin.* 7 *de vita hac stylo mittenda*, lege, *stylo primigenio mittenda.*

AD DIEM XVII.

Pag. 478 *num.* 7 *lin.* 6 post hæc verba, *eo quod habeant caput integrum*, expunctis sequentibus hæc substitue; *allatum Roma ex Catacumbis per Minutium de Minutiis, Archiepiscopum Iaderensem & Bavari Ducis Guilielmi Consiliarium intimum, anno* MDXC, *cum instrumento Romano, quod totum damus in Appendice ad* XXII *Aprilis, propter S. Caium, ejusque corpus pro majore parte simul translatum; ubi nominatur primo* caput S. Aniceti Papæ & Martyris.

DE S. LANDRICO EP. AB.

Pag. 489 *post num.* 9 *adde*

Ad ejusdem S. Landrici cultum spectat, sacellum elegans, haud longe ad oppido Vilvordia, ad eum canalem quo Bruxellis Antverpiam commeatur: ibi enim ab omni retro memoria ager in collem elevatus erat, vulgo S. Landerici mons dictus, & vetus sacellum sub ejus nomine, insigni accolarum devotione celebre: qui locus cum pertineret ad jura familia de Bejar, inter Antverpienses veteres familias Equestris & Consularis, ratione amœnissima ibidem domus seu castri feodalis Crayenhoven dicti, & tutelari cura adm. R. D. Ioannes de Bejar, nunc Gandavensis in ecclesia Cathedrali Canonici, esset commissus, dum adolesceret unica ex fratre neptis eademque heres Anna Isabella de Bejar, modo nupta Illustri viro D. Petro de Coloma Baroni de Moriensart; is pro sua erga Sanctum pietate, praclare exornandum sacellum curavit: in cujus ara spectatur S. Landericus pictus, cum gallo cucuriente ad latus, ex quadam ad nomen Crayenhoven allusione, fortasse ut loci à cucuritione dicti esse Patronus significetur nisi opinari velimus miraculum aliquod in ejusmodi ave patratum, cujus memoria nunc exciderit, ejusmodi pictura occasionem dedisse majoribus.

Pag. 490 *num.* 5 *lin.* 20 gustum exacerabat, *lege*, exacerbabat.

AD DIEM XVIII.

Pag. 522 *col.* 1 *inter Pratermissos circa finem adde* Maria de Incarnatione, laica Theresiana, *Beata dicitur ab Arturo, in Martyrologio Gallicano. Amplum ejus elogium (sed inter Pios) habet Saussajus. Obiit anno* 1618. *Causa Beatificationis vertitur in Rota Romana, valdeque promota erat an.* 1629 *ad instantiam Regina Matris, qua Pontœsia eidem fabricari curabit insigne Mausoleum; uti nobis constat ex summario Processus, fabricati auctoritate Rotomagensis Archiepiscopi, adeo ut pro relatione desuper facienda deputatus fuerit Cardinalis Mutus. Quid porro actum sit nescimus: optamus autem, ut per Apostolica Sedis sententiam nobis liceat, ejus Vitam in hujus operis Supplemento locare, ipsumque illum Processum quem dixi, eo quo alios dedimus modo digestum, vellemus interim accipere, ad posterorum nostrorum instructionem.*

Pag. 562 *num.* 9 *lin.* 5 S. Arminni, *lege*, S. Arminoni.

Pag. 573 *Annot*, d *lin.* 6 noctua visione, *lege*, nocturna visione.

Pag. 579 *ad finem Capitis* I adde, *Desumpta sunt hac ultima fere verbotenus ex Annalibus Hannonia Gudberti Guisii, ubi libri* XI *caput* IV *hunc prafert titulum:* de quodam miraculo à S. Aya perpetrato, & recommendatione villæ Montensis.

Pag. 582 *col.* 1 *lin.* 2 *dua Deo devota Virgines*, lege, *dua nobiles ac devota virgines.*

Pag. 587 *ad commentarium ante Vitam S. Idesbaldi*, adde, *Henriquez & Bucelinus primam Translationem factam anno* MCXXXIX, *fastis suis inscripserunt* IX *Martii, ut ibi inter Pratermissos diximus.*

Pag. 600 *num.* 2 *lin.* 12 apud Hieronymum Sommativa, *lege*, Sommariva.

Pag. 607 *num.* 38 *lin.* 1 Aliæ mulieri, *lege*, Alteri.

Pag. 611 *col.* 2 *lin. ult.* σανῶις τισο ἢ νάνοις, lege. τισι ἢ.

AD DIEM XIX.

Pag. 617 *col.* 2 *post* S. Elphegum, *ponatur*, S. Emma in Saxonia inferiori.

Pag. 627 *qua male notatur* 619 *num.* 2 *lin.* 7 *annum Christi* DCCCCLXIII, lege, DCCCCXLIII.

Pag, 623 *num.* 6 *lin.* 15 exanimavit, involit, occidit. *lege*, involvit.

Pagina 637 *&* 638 *bis numerantur, quod excusandum: primo autem loco num.* 21 *lin.* 17 absit ut immortalitatem ... timore mortis evandam, *lege*, evendam.

Pag. 642 *post Acta S. Elphegi ante S. Leonem, ponantur sequentia.*

DE SANCTA EMMA.

IN SAXONIA INFERIORI.

CIRCA AN. MXL. Manus incorrupta Werthinæ

R*Everendus Dominus Adolfus Overham, Ordinis S. Benedicti monachus, quicum, Amstelodami Monumentorum Paderbornensium editionem curante, contracta mihi amicitia fuit; postquam ad Principem suum Nihusium rediit, & hujus Aprilis impressionem tendere ad finem inaudiit, recordatus eorum qua de S. Emma contuleramus aliquando, hanc ad me notitiam misit.* Werthinæ ad Ruram, in monasterio Episcopali S. Ludgeri Episcopi, adservatur inter reliquias sacras manus incorrupta, cui addita membrana cum hac epigraphe: XIII Kalend. Maji obitus S. Emmæ

A

mæ ancillæ Christi. Ita ille, in Werthinensi monasterio multis annis versatus, ibidemque monachum, nisi fallor, professus: qui cum eadem oretenus mihi referret, memini quæsitum inter nos fuisse, quænam esse posset hæc S. Emma, Werthinæ prorsus ignota. Mihi ea ipsa ignorantia argumento fuit, ejusmodi reliquiam non tantum aliunde allatam esse; sed ipsam etiam citra testatam donationem, citra exceptionis celebritatem, pervenisse Werthinam, turbulento aliquo tempore, ac fortassis superiori primum seculo, cum in Saxonia inferiori sus deque versa religio est, per Lutheranorum & Calvinistarum invalescentes hæreses.

cum titulo Sanctæ & nota diei

2 *Visum etiam est notatu dignum, prædictam epigraphen, non ea conceptam forma, qua solent ejusmodi Sanctorum lipsana notari; sed quomodo vetustis ecclesiarum Martyrologiis inscribuntur nomina Sanctorum, eisdem magis propriorum; quando ea cum titulo* Sanctitatis *ex communi Necrologio in Martyrologium transferuntur. Cum igitur tunc forte sub prælo Blaviano versaretur primus dies Aprilis (sub eo enim inchoata mensis hujus impressio fuit, continuataque per sesquimensem, donec illius ibidem prosequendæ spem omnem abstulit funesta instructissimæ typographiæ conflagratio) animum adverti ad* Emmam Viduam, *dicto die inter Prætermissos relatam, & ab Arturo cum titulo* Beatæ *inscriptam sacro Gynæceo, tamquam* genere, caritate, & pietate clarissimam Bremæ in Saxonia; *& censui non absurdam fore conjecturam, qua opinaretur quispiam, illius ipsam esse manum; nihilque obstare quod alium diem notasset Arturus, quam qui indicatur in schedio manui juncto. Etenim, ut sæpe dixisse memini, auctor iste, tam in Gynæceo præfato quam in suo Martyrologio Franciscano, quotquot aliqua sanctitatis fama illustrium sive mulierum sive Franciscanorum reperit nomina, non expressis obitus cultusve diebus, ipsa quasi sortito distribuit per dies magis vacuos: atque ita fors tulit, ut Kalendæ Aprilis, a sanctis mulieribus non admodum instructæ, obtigerint Emmæ; de qua loquentem Krantzium libro 4 Metropolis cap. 26 ad ultimos Bezelini Archiepiscopi annos, Arturus legerat.*

B

quem ignorans Arturus I Aprilis elegerit,

3 *Locum Krantzii non describo, quia antiquior & potior nobis est Adamus, Bremensis Canonicus, qui eodem, quo Emma obiit, seculo Christi* XI *floruit, & historia sua Ecclesiastica libro 2 cap. 60 ita scripsit:* In diebus illis (*scilicet circa annum* MXLI, *Bezelini Bremensis Archiepiscopi antepenultimum*) nobilissima Senatrix Emma obiit, uxor quondam Liudgeri Comitis, & Soror Meginwerki Episcopi Padarburnensis, sed vidua jam per annos XL; quæ ingentem thesaurum quem habuit, totum fere pauperibus & ecclesiis dispersit: cujus corpus requiescit in Bremensi ecclesia, anima vero gaudet in cælesti requie: quæ, dum adhuc viveret, Bremensi ecclesiæ cortem Stiplaga juxta Rhenum dedit: Lismona vero, nescio pro quo * filiæ delicto, in partem cessit Imperatoris Conradi: pro qua re Gisla Regina eo tempore Bremam accedens multa bona fecit Fratribus, Ecclesiæ & omnibus indigenis: deinde Lismonam cum Archiepiscopo visitavit. *Hæc Adamus, ad quæ dum prædictam manus incorruptionem confero, ingeritur mihi cogitatio, quod sepulcrum Emmæ uno alterove seculo post reseratum, munificam ejus manum, reliquo corpore in cineres & ossa resoluto, integram exhibuerit; exindeque ea cœperit coli ut Sancta & miraculis clarescere: quodque eadem manus seorsim reservata ad specialem venerationem, tandem aliquo publici motus turbine potius quam pacato consilio perlata sit Werthinam.*

pro ea quam Bremæ sepultam laudat Adamus Brem.

C

* *an potius illius*

4 *Adami verba in suum Chronicon Albertus Stadensis transtulit, dubiis fere seculis Adamo junior, nec quidquam ultra curavit addere, nequidem appellationem* Sancti, *Meginwerko debitam, ipsique etiam, ut opinamur, Emmæ. Krantzius de suo adjecit, quod Emmæ maritus* patrem habuisset Hermannum, primum ejus familiæ Ducem, fratrem autem Bennonem: *quæ tenebras potius quam lucem conferunt; cum ipsemet libro 3 cap. 36 dicat, quod circa finem seculi* X Hermannus Dux Saxoniæ finem vivendi fecit, relictis filiis Bennone & Hermanno: quorum alter, *scilicet Benno*, Ducatum, alter Comitatum tenuit. *Sed forte Liudgerus Hermanni primogenitus fuit, adhuc vivente patre Comes dictus, atque ante eum sublatus e vivis; quippe cui uxor sua totis* XL *annis superfuit; atque ita nodus hic suam haberet solutionem.*

ex eoque Albertus Stadensis & Krantzius.

5 *Difficilior alius objicitur ex vita* S. Meinwerci, *a Browero edita & nobis ab* V *Junii illustranda, in qua dicitur Meinwerci pater Imadus, ad Rhenum in Trajectina ditione natus, uxorem duxisse de terra Saxoniæ, Athelam nomine,* de qua processu temporis genuit Thiedericum & Meinwercum, Glismod & Azelam; *ex quibus* Azela sanctimonialium cœtui Eltenæ associatur, Glismod autem cujusdam nobilis Principis in Bajoaria matrimonio copulatur. *Si hujus Vitæ auctor esset cum Adamo Bremensi comparandus, fateor difficillimus ac pene insolubilis nodus hic videretur. Sed Browerus initio Scholiorum ostendit, eum infra* Meinwerci ætatem longius amandandum; *quod evidentioribus aliis, quam quibus utitur ipse argumentis, quæque eum dumtaxat ad initium seculi* XII *retruderent, ostensuros aliquando nos puto. Et vero qui posset non aliquot post secula scripsisse videri, qui in referenda ipsa Sancti morte, pridie Pentecostes anno seculi* XI *quinquagesimo obita; adeo turpiter exerraverit, ut, quoniam Idibus Junii S. Meinwercus colitur, iisdem etiam obiisse crediderit; non animadvertens quod eo anno, juxta Paschales cyclos, Pentecoste celebratum fuerit* III *Idus Junii: qui dies cum minime idoneus esset faciendis exequiis pridie defuncto Episcopo, dilatæ sunt hæ usque in feriam* III *Pentecostalis hebdomadæ, in ipsas Idus cadentem: & sic eæ annuo illius festo deinceps obligatæ manserunt.*

Eadem S. Meinwerci soror fuit

E

licet id taceatur in hujus Vita

6 *Talis igitur auctor, in re tam obvia sic hallucinatus, quid mirum si non omnes Meinwerci Sorores expressit? Emmam vero ab ipso ignoratam minus etiam mirum foret, si præsumere libeat, ipsam, ex priori aliqua conjuge natam, nequaquam fuisse sororem germanam. Sed propter ejus, quem dixi, auctoris silentium, nihil opus est illuc recurrere: ipsa autem curtis* Stiplaga ad Rhenum, *Bremensi donata ecclesiæ, argumento est ex Ultrajectina diœcesi genus duxisse Emmam: ubi natus, uti dixi, Meinwerci pater, multorum istic fundorum dominus, a quo istum Emma potuerit accepisse in dotem, cum pro portione hereditatis maternæ Lismonam in Saxonia ad Wirrahami flumen possideret. Stiplagæ nomen nusquam nunc apparet, sed ejusdem terminationis viculus alius, ad veterem Rhenum inter Woerdam & Leydam via media,* Kalslaga *dictus: a qua verosimile est, haud longe abfuisse* Stiplagam: *ut solet sæpe vicinorum locorum commune nomen, quod* Laga *fuerit in nostro casu, præposito diverso genitivo vel adjectivo distingui. Atque hæc non tam asseverandi causa velim dicta existimari, quam ut Saxonicarum rerum curiosis occasio præbeatur plura requirendi de Emma, vel una vel duabus, prout magis videbitur ex monumentis, forsitan adhuc inveniendis, probari.*

parum accurate scripta:

F

Stiplagam donat Bremensi ecclesiæ.

Pag. 648 *num.* I *lin.* 2 vir talium prærogativa, *lege*, natalium.

Pag. 652 *num.* 16 *lin. penult.* quam trimodam comperaret, *lege*, comperaverat.

Pag. 663 *Annot.* b *ita hodierna Albania*, *lege*, *in hodierna.*

Pag. 669 *num.* 13 *lin.* 19 qui vernis contractis, *lege*, nervis.

Pag. 697 *num.* 72 *lin.* 12 corpus rigidum nunc faciebant, *lege*, *nunc fricabant*.

Ibid. in titulo lin. 2 WESALÆ *lege* WESALIÆ.

Pag. 702 *Annot.* a *lin.* 7 *cap.* 1.*Num.* 32 *Apologia Præliminaris*, lege, *num.* 69 *Propylæi antiquarii*, *huic tomo præpositi*.

Pag. 705 *num.* 18 *lin.* 13 Hermanno Doirenrember, *lege*, Doirenkember.

Pag. 708 *num.* VII *lin.* 9 Almannus Bettendorffer, *lege*, Bettendorffer.

Ibid. in titulo lin. 3 & duabus sequentibus, *lege*, duobus.

AD DIEM XX.

Pag. 744 *col.* 2 *ante medium post* Jacobum de Florentia *&* Stephanum à Borda, *ex Arturo, ponantur etiam sequentes per incuriam typothetarum omissi.*

Franciscus Torallus, Mexici anno 1571,
Mattheus de Castellione-Aretino, laicus.
Franciscus à Libra, prope Fabrianum,
Alphonsus Auriensis, in Lusitania,
Matthias Beccher, Groningæ in Frisia,
Ludovicus à Cruce, Bellalcazari in Hispania.
Joanna Pacieca, Scalone in Castella,

} *in ordine Minorum aliquod nomen habuere majoris vulgo sanctitatis; quos absque alia auctoritate invenias Beati titulo ornatos in jam dicto Martyrologio; quamvis alii tali titulo fere abstineant, & primum atque postremos duos ipsum tempus quo vixere vetet illo affici, nisi Sedes Apostolica consulta permiserit.*

Pag. 761 *Annot.* a *lin.* 3 *Fontanetum*, lege, *Fontanetum*.

Pag. 767 *Annot.* b *lib.* 3 *Cente mansus est fundus*, lege, *Certe*.

Pag. 769 *num.* 20 *lin.* 2 ejusdem loci indigna, *lege*, indigena.

Pag. 795 *Annot.* f Sacchinus panus, *lege*, pannus.

Pag. 836 *num.* 5 *lin.* 19 udaicorum, *lege*, Judaicorum.

Pag. 838 *col.* 2 *decerpto*, lege, *decerpo*.

AD DIEM XXI.

Pag. 840 *col.* 1 *lin.* 6 *à fine*, *juxta Anglicum scripto aliquod exemplar*, lege, *scripto juxta Anglicum aliquod exemplar*.

Pag. 842 *col.* 2 *dele lineas* 9, 10, 11, *superflua*.

Pag. 854 *in titulo* DE S. ANASTASIO SINAITA *lege* DE S. ANASTASIO PATR. ANTIOCH.

Pag. 857 *col.* 1 *in margine, patre prodiga*, lege, *prodigo*.

Pag. 876 *num.* 44 *lin.* 28 *post hac verba* pro Christo moritur, *adde*; qui autem pro Christo moritur,

Pag. 909 *Annot.* f *lin.* 2 Griffri, *lege*, Guiffri.

Pag. 910 *col.* 2 *lin. penult.* & auditu revera processisse, *lege*, audito.

Pag. 916 *Ann.* d *lin.* 2 *Vulsutii*, lege *Vulturii*.

Pag. 957 *col.* 2 *lin.* 4 *à fine: ex villa Petredi* lege *Petrodi*.

MENSIS APRILIS
EPHEMERIS
EX MAGNIS GRÆCORUM MENÆIS COLLECTA.

Πρώτῃ Ἀπριλλίυ Μαρίη θάνεν, εὖχος ἐρήμυ.
Δευτερίῃ Τίτοιο ψυχὴν ἄνω νόες ἦραν.
Νικήταν καλέυσι τρίτῃ ἐπὶ δῶμα Θεοῖο.
Ἀγαθόπυς Θεοδύλῳ συνέδυόν γε τετάρτῃ.
Πέμπτῃ Κλαυδίυ κεφαλὴν τάμε χεὶρ φονόεσσα.
Ψυχὴν Εὐτυχίοιο πύλη γε πόλυ ἄγεν ἕκτῃ.
Ζωὰν δ᾽ ἐκ θανάτοις Γεώργιος ἑβδόμῃ εὗρεν,
Ἔξελεν ὀγδοάτῃ γῆς Ἡρωδίων φίλον ἦτορ.
Φάσγανον ἀμφ᾽ ἐνάτῃ Εὐψύχιυ ἔκλασε λαιμόν.
Φασγάνῳ δεκάτῃ ὁ Τερέντιος εὕρατο τέρμα.
Χάλκεον ἐνδεκάτῃ βληθεὶς φλέγει Ἀντίπα εἰς βῦν.
Δωδεκάτῃ, Βασίλειε, ταφήϊα δύσσαο νεκρός.
Ἀμφὶ τρίτῃ δεκάτῃ θάνε Μαρτῖνος πέρα Πόντυ.
. . . .
Κάτθανε κ) Κρήσκης πέμπτῃ δεκάτῃ πυρὶ λαύρῳ.
Χιονίαν, Ἀγάπην ἑκδεκάτῃ κατέκαυσαν.
Ἑβδομάτῃ Συμεὼν δεκάτῃ ἀπὸ αὐχένα τμήθη.
Ὀγδοάτῃ δεκάτῃ ποταμῦ Σαββᾶν κλάσε ῥεῖθρον.
Ἀμφ᾽ ἐνάτῃ δεκάτῃ Θεοδώρῳ σαυρὸς ἄεθλος.
Εἰκάδι σὸς Θεόδωρε λίπ᾽ ὄστεα θυμὸς ἀγήνωρ.
Ἰαννυαρίοιο κάρην τάμον εἰκάδι πρώτῃ.
Εἰκάδι δευτερίῃ Συκεώτην θύμβος ἔκρυψε.
Ἦρε Γεωργίυ εἰκάδι τετάτῃ αὐχένα χαλκός.
Εἰκάδι πνῖξε Σαβᾶν ποταμῦ ῥόος ἀμφὶ τετάρτῃ.
Εἰκάδι πέμπτῃ Μάρκον ἐπὶ χθονὶ ἄφρονες εἷλκον.
Εἰκάδι ἀμφ᾽ ἕκτῃ Βασιλεὺς ξίφει αὐχένα τμήθη.
Ξύλῳ ἑβδομάτῃ Συμεὼν πάγη εἰκάδι μάκρῳ.
Εἰκάδι ὀγδοάτῃ τε λάβεν Μέμνονά γε πότμος.
Εἰκάδι ἠδ᾽ ἐνάτῃ Ἰάσων ἀπεβήσατο γαίης.
Κτεῖνε μάχαιρα φόνυ Ἰάκωβον ἐν τριακοστῇ.

Primâ Aprilis obit Maria, gloria eremi.
Titi animam sursum Superi vexere secundâ.
Tertia Nicetam jubet aulam intrare Tonantis.
Mergitur Agathopus quartâ simul & Theodulus.
Cruda manus quintâ ClaudI caput ense rescidit.
Fert animam Eutychii cælorum janua sextâ.
Septenâ vitam invenies pro morte, Georgi.
Octavâ Herodion carum cor intulit astris.
Eupsychii nonâ secuit pia guttura ferrum.
Per gladium decimâ finem sortire Terenti.
Undecimâ injectus tauro ardes, Antipa, aëno.
Mortuus in tumulum Basilius abit duodenâ.
Martinus ternâ decimâ trans æquor obivit.
. . . .
Et quintâ decimâ, Crescens, extingueris igni.
Exurunt Agapen decimâ sextâ atque Chioniam.
Septenâ decimâ Symeon dat colla securi.
Octavâ decimâ Sabbam hausit fluminis unda.
Crux decimâ nonâ certamen fit Theodori.
Mens tua vicenâ, Theodore, est carne soluta.
Vicenâ primâ caput amittis Ianuari.
Syceoten abdit vicena secunda sepulcro.
Vicenâ & ternâ scinduntur colla GeorgI.
Suffocat Sabam vigesima quarta fluento.
Per terram Marcum quinta & vigesima raptat.
Vicenâ quintâ feriunt Basilea securi.
Vicenâ sextâ, Symeon, configere ligno.
Vicenâ octavâ mors aufert Memnona nobis.
Vicenâ nonâ terras dimittit Iason.
Jacobum gladio trigesima mactat iniquo.

ΜΑΡΤΥΡΙΟΝ
ΤΟΥ ΑΓΙΟΥ ΑΝΤΙΠΑ,

ΠΡΟ ΤΡΙΩΝ ΕΙΔΩΝ ΑΠΡΙΛΛΙΩΝ ΕΝ ΠΕΡΓΑΜΩ ΤΗΣ ΑΣΙΑΣ.

ex MS. Bibliothecæ Vaticanæ num. 1660.

Mota sub Diocletiano persecutione,

Διωγμοῦ κινηθέντος ὑπὸ Δομετιανοῦ, τοῦ κατὰ τοὺς χρόνους τῶν Ἀποστόλων ἐνακμάσαντος ἐν τῇ τῆς βασιλείας Ῥωμαίων ἀρχῇ, πάντοτε πανταχοῦ κατ' ἐκείνου καιροῦ τῶν τὴν ἀρχοντικὴν ἐξουσίαν διεπόντων εἰς πάντα τόπον γράμματα διαπεμπομένων, ἄνευ τινὸς ἐνδοιασμοῦ τοὺς Χριστιανοὺς τῷ τοῦ Βασιλέως προστάγματι ὑποθορθοῦς, τὴν τῶν εἰδώλων ματαίαν θρησκείαν σέβειν, καὶ τοὺς τούτων ναοὺς πάσῃ τιμῇ περιέπειν· πιστῶν μὲν ὁμολογητῶν πλῆθος παραχρῆμα καὶ οὐκ εἰς μακρὰν ἀνεφαίνετο, πολλὴ δὲ καὶ Μαρτύρων ἀνδραγαθία εἰς πάντα τόπον ἐπὶ τῇ ὑπὲρ τοῦ Σωτῆρος παρρησίᾳ διεδίδοτο. Τότε δὴ καὶ ὁ κρηπὶς τῆς Ἐκκλησίας καὶ πίστεως καὶ τὸ ἑδραίωμα τῆς εἰς Χριστὸν ἀληθείας, ὁ κήρυξ τῆς προαιωνίου θεότητος τοῦ μονογενοῦς, Ἰωάννης ὁ πρόκριτος τῶν Ἀποστόλων, Πάτμον τὴν νῆσον ἐξορισμῷ παραδοθεὶς οἰκεῖν προστάττεται. Ὅτε δὴ καὶ πρὸς τὸν μέγαν στῦλον τῶν Μαρτύρων τοῦ Χριστοῦ, διὰ μιᾶς τῶν ἑπτὰ παραγγελιῶν τῶν γραφεισῶν αὐτῷ περὶ τῶν Ἐκκλησιῶν, διεβεβαιοῦτο, Ἀντίπας ὁ μάρτυς μου, λέγων, ὁ πιστὸς ἐκεῖ κατοικῶν, ὅπου ὁ θρόνος τοῦ Σατανᾶ. Τεκμήρασθαι τοίνυν χρὴ ἐκ τῆς αὐτῆς τῆς διαμαρτυρίας τοῦ μακαρίου Ἀποστόλου, πῶς καὶ τίνα τρόπον περὶ τὴν δεισιδαίμονα πλάνην ἐπτόηντο τὰ πλήθη τῶν ἐν τῇδε τῇ πόλει τὴν κατοίκησιν ἐχόντων· οὐ γὰρ ἦν θεσμὸς φύσεως παρ' αὐτοῖς φυλαττόμενος, οὔτε πραγμάτων διάκρισις ἀρχοντικῶν δικαστηρίων ἀναμνοῦσα παρόδους· ἕκαστος δὲ νόμον δικαιοσύνης τὴν ἰδίαν ἰσχὺν προβαλλόμενος, ἐπαρκεῖν ᾤετο πρὸς ἀπολογίαν, τὸ δυνηθῆναι, Χριστιανὸν ἄνδρα καταγωνισάμενον, ὥσπερ ἐπίδειξιν ἀγαθοῦ τινος πεποιημένον, τοῖς πᾶσιν ἀγαθὸν ἑαυτὸν συστῆσαι καὶ ἀνδρεῖον.

Antipas Pergami

2 Κλόνου τοιγαροῦν καὶ θορύβου μεγάλου καταλαβόντος τὸ Χριστιανὸν φῦλον, ἀκλινῆ τὴν πρόθεσιν ἔχων οὗτος ὁ ἀνὴρ, οὐ δὲ ὀκνοῦν ἐταράττετο· ἀλλ' ὥσπερ εἰς Ἀγγέλου φύσιν ἐντεῦθεν ἤδη μετασχηματιζόμενος, γενναίως ἠγωνίζετο, ἐν μηδενὶ δεδιὼς τὸ παράπαν, ὡς καὶ τὰς προελεύσεις συχνοτέρως ποιούμενος, μὴ δὲ οὖν τινα φροντίδα τῶν ἀπειλουμένων βασανιστηρίων ἔχειν. Ἐν μέσοις γὰρ αὐτοῖς διέλαμπεν ἐξαστράπτων, τὸ ζοφῶδες τῆς εἰδωλολάτρου πλάνης, διὰ τῆς ἐν αὐτῷ καθαρᾶς καὶ ἀδόλου πίστεως, καταμαραίνων, ὥστε φυγαδεύεσθαι μὲν πάντα θεὸν παρ' αὐτοῖς νομιζόμενον, μηδένα δὲ ἵστασθαι τολμᾶν ἐν τῇδε τῇ πόλει ἐν ᾗ ἐτύγχανεν ὁ Μακάριος· ὡς λοιπὸν τοῖς τὰς θυσίας ἐπιτελοῦσι δι' ὀνειράτων ἑαυτοὺς ἐμφανίζειν, ἐν τῷ αὐτῷ συναχθέντας τοὺς δαίμονας λέγοντας, ὅτι ὧν προσφέρουσιν αὐτοῖς θυμάτων οὐδὲ μεταλαμβάνοιεν, οὐδὲ γοῦν τῆς κνίσης ποτὲ ἔτυχον, οὕτως κατὰ κράτος ἐλαυνόμενοι ὑπὸ τοῦ Χριστιανῶν κορυφαίου, τοῦ λεγομένου Ἀντίπα.

dæmones ab idolis fugans

3 Καὶ δὴ λοιπὸν ἀγανακτήσαντα τὰ πλήθη, ὥρμησαν ἐπ' αὐτὸν, καὶ συλλαβόντες αὐτὸν, ἄγουσιν ἔνθα ἦν αὐτοῖς ἔθος τὰς ἱερουργίας ἐπιτελεῖν, καί φησι πρὸς αὐτὸν ὁ Στρατηγὸς, Σὺ εἶ Ἀντίπας ὁ τὰς τοῦ Βασιλέως διατάξεις μήτε αὐτὸς προσιέμενος, μήτε μὴν ἑτέρους ἐπιτελεῖν παρακελευόμενος· ἀλλὰ καὶ ὡς ἔθος ἡμῖν ἀνάγειν τοῖς θεοῖς θυσίας διαταράττων, οὐδένα κινεῖς ἢ ἐπιμελὴς αὐτὴν ἐμφορεῖσθαι συγχωρεῖς, ἐκ τοῦ τυραννικόν σε καὶ κορυβαντιῶντά τινα παρ' αὐτῶν διαβάλλεσθαι· ὡς ἀπεληλάσθαι μὲν ἐντεῦθεν τὴν τῶν θεῶν ἐπιστασίαν, ἐν μεγάλῳ δὲ κινδύνῳ μέλλειν περιέρχεσθαι τὴν πόλιν ἡμῶν, τῶν θεῶν τὴν κηδεμονίαν μὴ κεκτημένην. Τοίνυν θέλησον οὖν ἀρκεσθῆναι τῇ μέχρι σήμερον ἐπιτετηδευμένῃ σοι λατρείᾳ τοῦ Χριστιανισμοῦ, καὶ μεταμεληθεὶς τοῖς ἡμετέροις ἔθεσιν ἕπεσθαι, ἵνα καὶ οἱ προεστῶτες ἡμῶν τῆς δε τῆς περικαλλοῦς πόλεως θεοὶ τὴν προσήκουσαν κηδεμονίαν εἰς ἡμᾶς ποιῶνται· εἰ δὲ μή γε, περὶ πλείστου σου ποιούμενος τὴν ματαίαν αἵρεσιν, καὶ μὴ τῇ τῶν θεῶν θρησκείᾳ προσέχοντος, τοῖς Ῥωμαίων ὑποβληθείσης νόμοις, καὶ κάκιστα τὴν ἰδίαν σου ζωὴν διεξαγάγῃς. Ὁ δὲ Μακάριος πρὸς αὐτοὺς ἀπεκρίνατο. Ἐν μὲν τοῦτο γινώσκετε, ὅτι Χριστιανός εἰμι, καὶ τῇ τοῦ Βασιλέως διατάξει, ἀνοσίᾳ τυγχανούσῃ καὶ παντάπασιν ἀλογίστῳ, πειθαρχεῖν οὐδαμῶς διέγνωκα· ἐπειδὴ δὲ χρὴ πρὸς τὰς πεύσεις τὰς παρ' ὑμῶν προτεθείσας ἀποκρίνασθαι, οὐκ ἂν ὀκνήσαιμι· εἰ γὰρ οἱ παρ' ὑμῶν προσκυνούμενοι θεοὶ, καὶ τὸ κράτος καθ' ὅλης τῆς οἰκουμένης ἔχειν ἐπαγγελλόμενοι, οὗτοι ὑπὸ θνητοῦ τὴν φύσιν ἀνθρώπου φυγαδεύεσθαι φάσκουσιν, ὥστε καὶ ὑπερασπιστὰς καὶ ἀντιλήπτορας εἰς τὴν ἑαυτῶν βοήθειαν ὑμᾶς αὐτοὺς προβάλλεσθαι, σκοπεῖν ὑμᾶς χρὴ τῆς τοσαύτης ἀλογίας τὴν ἄγνοιαν· οἱ γὰρ πρὸς τὴν ἑαυτῶν ἄμυναν ἐπαρκεῖν ἑαυτοὺς μὴ δυνάμενοι, ἀλλ' ὑφ' ἑνὸς ἀνθρώπου καταδυναστεύεσθαι φάσκοντες, πῶς δυνήσονται ἔθνους ὁλοκλήρου ἐν πείρᾳ δεινῶν γινομένου ἢ καὶ τῆς πόλεως ὅλης περσασίαν τὴν παρ' αὐτῶν ἐπιδεῖξαι, οἵτινες καὶ πρὸς τὴν ἰδίαν ἰσχὺν ἀπειρηκότες τυγχάνουσιν; Ὅθεν ἐκ τούτου στοχαζομένους ὑμᾶς προσήκει, κἂν νῦν γοῦν ἀνανεύσαντας ἐκ τῆς τοῦ ὀλεθρίου πλάνης, πιστεύειν ἐπὶ τὸν ἐκ τῶν οὐρανῶν κατεληλυθότα ἐπὶ διορθώσει τοῦ τῶν ἀνθρώπων γένους Χριστὸν, καὶ τοῦτον ἀποδέχεσθαι, ἐπὶ συντελείᾳ τῶν αἰώνων κριτὴν ἁπάντων ἐπιστήσεσθαι, τὰ ἐπίχειρα ὧν ἕκαστος ἔπραξε παρ' αὐτοῦ ἀποληψομένους.

Præfecto sistitur,

& Deorum impotentiam arguit:

4 Ὁ δὲ Ἡγεμὼν πάλιν ἀπεκρίνατο· Ἔθεσιν ὑφ' ὑμῶν κενοτομηθεῖσι πιστεύειν τοὺς ἀνθρώπους θέλετε, παρ' οὐδὲν ἡγησάμενοι τὴν τῶν θεῶν θρησκείαν, ἥνπερ κατὰ διαδοχὴν ἄνωθεν καὶ ἐκ ἀρχῆς οἱ πρὸ ἡμῶν διεδέξαντο, παρ' ὧν καὶ εἰς ἡμᾶς διαβέβηκεν ἡ τούτων κληρονομία, ἐκδήλων τῶν κατὰ τοὺς θεοὺς γεγονότων θαυμάτων· τούτοις οὖν καὶ ἀκολουθοῦντες καὶ ἡμεῖς, οὐχ ἡγούμεθα μετατίθεσθαι τὴν γνώμην εἶναι ἀσφαλές· ὁ γὰρ ἀρχαϊσμὸς τοῦ νεωτερισμοῦ βελτίων, καὶ τὰ μήκει χρόνου παραδοθέντα συγκρινόμενα τοῖς μετέπειτα βεβαιοτέραν τὴν κρίσιν τῶν καλῶν ἔχει. Σὲ τοίνυν μεταβάλλεσθαι προσήκει τὴν προαίρεσιν, καὶ μὴ τῷ ἐναγχος φανέντι ἀνθρώπῳ, καί τισιν ἀπάταις χρησαμένῳ ἐπὶ διαστροφῇ τοῦ βίου, τούτῳ τὴν ἑαυτοῦ ζωὴν παρα-

& imperantem quod nova sit Christiana religio

EX MS. VATICAN.


παρακαταθέσθαι σε, τῷ καὶ σταυρωθέντι ἐπὶ Ποντίου Πιλάτου τοῦ Ἡγεμόνος· πειθήνια δὲ τῇ τοῦ Αὐτοκράτορος διαταγῇ, σὺν ἡμῖν ὑπάρχειν καὶ μεθ' ἡμῶν τὸν πάντα σου βίον ἀκινδύνως διανύειν· ἕξεις γὰρ ἡμᾶς εἰς πᾶν ὅτι θέλεις χρησίμους σοι γινομένους, ἐπειδήπερ καὶ ἡ τῶν ἡμῶν πρὸς πατέρα στοργὴ παρ' ἡμῶν σε σώζεσθαι ὀφείλει, διὰ τὸ προβεβηκὸς τῆς ἡλικίας σου. Ἀπεκρίνατο δὲ καὶ αὐτὸς καί φησι· Κἂν μυρίοις ἐπὶ μυρίοις πιθανωτέροις λόγοις περιαντλήσῃς μου τὰς ἀκοάς, οὐχ οὕτως ἄφρων καὶ ἀσύνετος τυγχάνω, ὥστε με εἰς λιπαρὸν γῆρας ἐληλυθότα, καὶ πρὸς αὐτὴν τὴν ἔκβασιν τοῦ βίου φθάσαντα, νῦν μεταβάλλεσθαι, καὶ τὴν εἰς ἐμὲ ἑδραιωθεῖσαν πίστεως ὁμολογίαν ταύτην προΐεσθαι οἰκτρᾶς ἕνεκεν ζωῆς, καὶ ταύτης ἐπονειδίστου. Μὴ τοίνυν περιήχει μου τὸν νοῦν, θείοις πάντοτε ἐσπουδακότα προσανέχειν λόγοις· οὐ γὰρ ἐξ ἀρχῆς γέγονέ τις τῶν θεῶν ὑμῶν, οὔτε μὴν ὀνησιφόρον ἔργον εἰς ὑμᾶς ὤφθη πώποτέ τις τούτων διαπραξάμενος· αἰσχροῖς δὲ καὶ ἀκολάστοις ἀνθρώποις φθοροποιὸν ὕλην τῷ βίῳ εἰσενηνεγμένοις, καὶ ἡδυπαθοῦς καὶ ῥυπαρᾶς ζωῆς ὑπογραμμοὺς παραδεδωκόσι, τὰς ἐλπίδας ὑμῶν ἀνατεθείκατε. Εἰ γὰρ τῆς ἀρχαιότητος τὸν θεσμὸν φυλάσσειν ἐσπουδάκατε, προσήκει καὶ τῷ Κάϊν ἐπακολουθεῖν ὑμᾶς, ἀδελφοκτονίαν εἰσηγησαμένῳ, καὶ τὰ ὅμοια διαπραττομένοις, καὶ τοῖς μετ' αὐτὸν εἰς οὐρανὸν ἀνάβασιν ποιήσασθαι ἐπιποθήσασι, καὶ τοῖς σφετέρων θυγατέρας a παρανόμως ἐκβακχεύσασι κατὰ πάντα ἀφομοιοῦσθαι, δι' οὓς ὁ κατακλυσμὸς ἐπελθὼν ἀπώλεσε τὴν ἐκείνων γενεάν, ἐπειδήπερ οὐχ ὁσίους στήλας τῷ βίῳ εἰσενέγκασθαι ἐσπούδασαν. Ὅθεν εἰ τῇ τούτων ἀρχαιότητι πεποίθατε καὶ τὰς τούτων ἀκολασίας ἐκπληροῦν σπουδάζετε, οὐκ ἔτι μὲν δι' ὕδατος, διὰ δὲ πυρὸς ἀφθάρτου καὶ σκώληκος ἀκοιμήτου καταδαπανηθήσεσθε, εἴ γε μὴ μεταμεληθῆτε. Ταῦτα εἰπόντος τοῦ δικαίου, καὶ ἕτερα πολλῷ πλείονα, ἁρπάσαντες αὐτόν, ἄγουσιν ἐπὶ τὸ ἱερὸν τῆς Ἀρτέμιδος, ἔνθα ὑπῆρχεν ἀφίδρυμα βοὸς χαλκοῦ ἑστῶτος· ὃ δὴ καὶ ἐπὶ πολὺ ἐκκαύσαντες πυρί, ὡς ἐοικέναι φλογί, ἐνέβαλον ἔνδον τὸν μακάριον Μάρτυρα. Ὁ δὲ τὴν ἐν Χριστῷ σφραγῖδα ποιήσας, ἐπὶ πολὺ ἤθλει. Μόλις οὖν ἀπὸ τῆς συνεχούσης φλογὸς διανυξάμενος, εὐχὰς τῷ τῶν ὅλων Πατρὶ ἀνέπεμπε λέγων, Ὁ τὸ μυστήριον, καὶ τὸν ἐν ἀποκρύφοις τῶν ἀγαθῶν θησαυρὸν πρότερον ὑπάρχοντα, ἀποκαλύψας αὐτόν, τὸν Κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστόν, δι' οὗ καὶ τὰ ἀπόρρητα τῆς σῆς βουλῆς σαφηνίσας ἡμῖν, καὶ δι' αὐτοῦ τὴν πᾶσαν συνεστήσω κτίσιν, Δέσποτα καὶ Κύριε τῶν ἁπάντων, εὐχαριστοῦμέν σοι, ἐφ' οἷς εὐεργετῶν διαμένεις καὶ σώζεις ἡμᾶς, εἰς τὸ διηνεκὲς τοὺς ἐπὶ σὲ ἐλπίζοντας, δι' ὃν καὶ τῆς ὥρας ταύτης κατηξίωσας, ὥστε με ἰσάριθμον κλῆρον ἀπενηνέχθαι τοῖς μεμαρτυρηκόσιν ὑπὲρ τοῦ ὀνόματος τοῦ ἁγίου σου· δέξαι ἐμοῦ τὸ πνεῦμα ἐν ταύτῃ τῇ ἡμέρᾳ ἀπαλλασσόμενον τοῦ βίου, καὶ δὸς χάριν εὑρεῖν παρὰ σοὶ τῷ Θεῷ καὶ τῷ μονογενεῖ σου παιδί, Κυρίῳ δὲ ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστῷ, ἵνα καὶ οἱ μετ' ἐμὲ ἐφόδια φιλανθρωπίας τῆς παρὰ σοῦ λαβόντες, δοξάσωσι τὸ τίμιον ὄνομά σου ἐν Χριστῷ, διὰ γὰρ αὐτοῦ σοι ἡ τιμὴ ἀναφέρεται εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων ἀμήν. Ὡς δὲ ταῦτα προσηύξατο, τέλος ὥσπερ ὑπὸ βαθέος ὕπνου ληφθείς, οὕτως ἀπέδωκε τὸ πνεῦμα, καὶ τὸν εὐκλεῆ τῆς μαρτυρίας ἀναδησάμενος στέφανον εἰς τοὺς οὐρανοὺς ἀνῆλθεν. Τότε γοῦν τινες τῶν Χριστιανῶν τὰ λείψανα αὐτοῦ μόλις ἀνελόμενοι, ἐν τῷδε τῷ τόπῳ κατέθηκαν ἐν Περγάμῳ· ἔνθα συνιόντες τὰς προσευχὰς ἐπιτελοῦμεν, δοξάζοντες τὸν Θεὸν ἐφ' οἷς καὶ εἰς ἡμᾶς ἐνεδείξατο καλοῖς, τούτου τοῦ Μάρτυρος κατηξιωκὼς ἡμᾶς ἐν ἐπιτυχίᾳ γενέσθαι. Τοσαύτης γὰρ θείας δυνάμεως περιουσία προσῆν, ὡς καὶ αὐτὸν τὸν τόπον, ὅπου ἐμαρτύρησε, θείας πεπληρῶσθαι δυνάμεως, ἰάσεις τε πολλὰς καὶ μεγάλας ἄχρι καὶ ἡμῶν διαμένειν ἐπιτελουμένας, δι' ὧν δοξάζεται μὲν ὁ ἐπὶ πάντων Θεός, δοξάζεται δὲ καὶ ὁ μονογενὴς τούτου υἱὸς ὁ Κύριος ἡμῶν Ἰησοῦς ὁ Χριστὸς σὺν ἁγίῳ πνεύματι· μνήμη δὲ δι' αἰῶνος ῥέουσα ὁσία τοῦ στύλου τῶν ἐν Χριστῷ Μαρτύρων, τὰς πάντων ἡμῶν ψυχὰς ἀναχωννύζει, ἐπὶ τὸ καθεκάστην ἡμέραν ἐπακολουθεῖν αὐτοῦ κατ' ἴχνος τῆς πολιτείας, αὐταῖς ὡς εἰπεῖν φωναῖς ἐπικελευομένου, ᾧ ἡ δόξα καὶ τὸ κράτος εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Ἀμήν.

sapienter confundit: — B — a — *atque in bovem aeneum inclusus* — D — *Martyr obit:* — E — *& sepulcri miraculis claruit.*

a *Zinus habet* sorores: *& forte in Ms. Veneto legitur* ἀδελφάς: *magis placet lectio Ms. Vaticani: quia* filiabus *propriis commisceri legi naturæ repugnat, omnium consensu gentium,* sororibus *non item.*

ΜΑΡΤΥΡΙΟΝ
ΤΟΥ ΑΓ. ΣΑΒΑ ΤΟΥ ΓΟΤΘΟΥ,

Ex MS. Bibliothecæ Vaticanæ num. 1660.



Ἐκκλησία τοῦ Θεοῦ, ἡ παροικοῦσα Γοτθίᾳ, τῇ Ἐκκλησίᾳ τοῦ Θεοῦ τῇ παροικούσῃ Καππαδοκίᾳ καὶ πάσαις ταῖς κατὰ τόπον τῆς ἁγίας καθολικῆς Ἐκκλησίας παροικίαις, ἔλεος, εἰρήνη, ἀγάπη Θεοῦ Πατρὸς καὶ τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ πληθυνθείη.

1 Τὸ εἰρημένον τῷ μακαρίῳ Πέτρῳ, καὶ νῦν κραταιῶς ἀποδέδεικται, Ὅτι ἐν παντὶ ἔθνει ὁ φοβούμενος τὸν Κύριον, καὶ ἐργαζόμενος δικαιοσύνην, δεκτὸς αὐτῷ ἐστιν· ἐπιστώθη γὰρ τοῦτο καὶ ἐν τοῖς τοῦ μακαρίου Σάβα, ὃς ἐστιν μάρτυς Θεοῦ καὶ Σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ. Οὗτος γὰρ Γότθος ὢν τῷ γένει, καὶ διατελῶν ἐν τῇ Γοτθίᾳ, ἐν μέσῳ γενεᾶς σκολιᾶς καὶ διεστραμμένης, ἐφάνη ὡς φωστὴρ ἐν κόσμῳ, μιμούμενος τοὺς ἁγίους, καὶ μετ' αὐτῶν ἐν τοῖς κατὰ Χριστὸν κατορθώμασιν διαπρέπων. Οὐ γάρ τινος ἑτέρου γέγονεν ἔτι νηπίου ζηλωτής, ἀλλὰ τῆς εἰς τὸν Σωτῆρα καὶ Κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστὸν εὐσεβείας, ταύτην ἡγησάμενος ἀρετὴν τελείαν, φθάσαι εἰς ἄνδρα τέλειον πρὸς ἐπίγνωσιν τοῦ Υἱοῦ τοῦ Θεοῦ. Ἐπεὶ δὲ τοῖς ἀγαπῶσι τὸν Θεὸν πάντα συνεργεῖ εἰς ἀγαθόν, ἔφθασεν εἰς τὸ βραβεῖον τῆς ἄνω κλήσεως, ὅπερ ἐκ νεότητος ἐπόθει, εἶτα ἀγωνισάμενος ἄντικρυς κατὰ τοῦ ἀντικειμένου, καὶ περιγενόμενος τῶν κατὰ τὸν βίον κακῶν, πρός τε πάντας εἰρηνικὸς γενόμενος.

2 Μνήμης καὶ οἰκοδομῆς τῶν θεοσεβῶν χάριν, μετὰ τὴν ἐν Κυρίῳ ἀνάλυσιν αὐτοῦ οὐκ ἠρέμει ἡμῖν ἐπιτρέψαι, ἀλλὰ γράψαι τὰς ἀριστείας αὐτοῦ· γεγένηται γὰρ ὀρθὸς τῇ πίστει, εὐλαβής, πρὸς πᾶσαν ὑπακοὴν τὴν ἐν δικαιοσύνῃ ἕτοιμος, ἐπιεικής, ἰδιώτης τῷ

Genere Gotthus, — *sed ab infantia Christianus.* — *in omni virtute exercitatus*

EX MS. VATICANO.

A τῷ λόγῳ ἀλλ' οὐ τῇ γνώσει, ὑπὲρ ἀληθείας φθεγγόμενος, ἐπιστομίζων τοὺς εἰδωλολάτρας, καὶ οὐχ ὑπεραιρόμενος, ἀλλ' ὡς πρέπον τοῖς ταπεινοῖς συναπαγόμενος, ἡσύχιος, καὶ οὐ προπετὴς λόγῳ, πρὸς πᾶν ἔργον ἀγαθὸν σπουδαιότατος, ψάλλων ἐν Ἐκκλησίᾳ καὶ τοῦτο πάνυ ἐπιμελῶς, οὐ χρημάτων, οὐ κτημάτων πλὴν τῶν πρὸς τὴν χρείαν φροντίζων, νηφάλεος, ἐγκρατὴς ἐν πᾶσιν, γυναικὸς ἀμύητος, ἀπεχόμενος, νηστεύων παρέκασα, δεήσεσιν ἀκενοδόξως παραμένων, καὶ τῇ ἀγαθῇ προθέσει πάντας ὑποτάσσων, ἐργαζόμενος τὰ καθήκοντα, καὶ μὴ περιεργαζόμενος τὰ μὴ συμφέροντα, καὶ τὸ ὅλον ἄμεμπτον πίστιν ἔχων δι' ἀγάπης ἐνεργουμένην, ὡς μηδὲν διστάζοντα αὐτὸν παρρησιάζεσθαι πάντοτε ἐν Κυρίῳ.

dissuadet Christianis ne gentilium fraudi consentiant,

3 Οὐχ ἅπαξ γὰρ ἀλλὰ πλεονάκις, πρὸ τοῦ τελειωθῆναι αὐτὸν, ἐν πίστει ἔργον ἐπεδείξατο εὐσεβές· πρῶτον μὲν γὰρ ὡς ἤρξαντο οἱ κατὰ τὴν Γοτθίαν Μεγιστᾶνες κινεῖσθαι κατὰ τῶν Χριστιανῶν, ἀναγκάζοντες αὐτοὺς ἐσθίειν εἰδωλόθυτα, ἔδοξέν τισιν ἐθνικοῖς τῶν κατὰ τὴν κώμην, ἐν ᾗ διῆγεν ὁ Σάβας, ἵνα κρέα μὴ εἰδωλόθυτα ἀντὶ εἰδωλοθύτων
B ποιήσωσιν τοὺς προσήκοντας αὐτοῖς Χριστιανοὺς φα-
a γεῖν, ἐπὶ τῷ a διωκτῶν δημοσίᾳ, ἐπὶ τὸ τοὺς μὲν ἰδίους ἀμώμους φυλάξαι, τοὺς δὲ διώκτας ἀπατῆσαι· ὅπερ γνοὺς ὁ μακάριος Σάβας, οὐ μόνον αὐτὸς οὐκ ἔφαγεν τῶν ἀπηγορευμένων βρωμάτων, ἀλλὰ καὶ παρελθὼν εἰς τὸ μέσον διεμαρτύρατο τοῖς πᾶσι λέγων, Ἐάν τις φάγῃ ἐκ τῶν κρεῶν ἐκείνων, Χριστιανὸς οὗτος εἶναι οὐ δύναται, καὶ διεκώλυσεν τοὺς πάντας μὴ ἐμπεσεῖν εἰς τὴν παγίδα τοῦ διαβόλου. Τούτου γοῦν ἕνεκεν οἱ τὴν τοιαύτην ἀπάτην μηχανώμενοι ἐξέβαλον αὐτὸν τῆς κώμης, εἶτα δὲ μετὰ χρόνον τινὰ ἐπέτρεψαν αὐτὸν ἐπανελθεῖν. Πάλιν δὲ κι-
b νηθέντος πειρασμοῦ b, κατὰ τὸ εἰωθὸς ὑπὸ τῶν Γότθων, τινὲς τῶν ἐκ τῆς προειρημένης κώμης ἐθνικῶν, θυσίας τοῖς δαιμονίοις προσάγοντες, ἔμελλον ὀμνύειν τῷ διώκτῃ, μὴ εἶναί τινα Χριστιανὸν ἐν τῇ κώμῃ αὐτῶν. Ὁ δὲ Σάβας παρρησιασάμενος πάλιν, καὶ παρελθὼν ἐν μέσῳ τοῦ συνεδρίου ἔλεγεν, Ὑπὲρ ἐμοῦ μηδεὶς ὀμόσῃ, ἐγὼ γὰρ Χριστιανός εἰμι. Τότε, ἐπιστάντος τοῦ διώκτου, ὤμωσαν οἱ κωμῆται, τοὺς ἰδίους ἀποκρύπτοντες, μὴ εἶναι ἐν τῇ κώμῃ αὐτῶν

seque publice fatetur Christianum.

C Χριστιανὸν πλὴν ἑνός. Ἀκούσας δὲ ὁ ἄρχων τῆς ἀνομίας, ἐκέλευσεν παραστῆναι τὸν Σάβαν. Ὡς δὲ παρέστη, ἐπηρώτα τοὺς παραστήσαντας, εἰ ἔχοι τι ἐν τοῖς ὑπάρχουσιν αὐτῷ. Τῶν δὲ, μηδὲν ὧν περικέκληται πλεῖον, εἰπόντων, ἐξουδενώσας αὐτὸν ὁ ἄνομος, εἶπεν· Οὔτε ὠφελῆσαι, οὔτε βλάψαι δύναται ὁ τοιοῦτος· καὶ τοῦτο εἰπὼν, ἐκέλευσεν αὐτὸν ῥιφῆναι ἔξω.

et apud Sansalam Presb. Pascha celebrans,

4 Μετέπειτα δὲ διωγμοῦ μεγάλου κινηθέντος ὑπὸ τῶν ἁμαρτανόντων ἐν τῇ Γοτθίᾳ κατὰ τῆς τοῦ Θεοῦ Ἐκκλησίας, ὡς ἡ ἁγία ἡμέρα τοῦ Πάσχα ἤγγικεν, ἐβουλήθη ἀπελθεῖν εἰς ἑτέραν πόλιν πρὸς Γουθθικᾶν τὸν Πρεσβύτερον, μετὰ τοῦ ἐπιτελέσαι τὴν ἑορτήν. Πορευομένου δὲ αὐτοῦ κατὰ τὴν ὁδὸν, ὤφθη ἀνήρ τις, ὑπερμεγέθης καὶ λαμπρὸς τῇ εἰδέᾳ, εἶπεν δὲ αὐτῷ, Ὑπόστρεψον καὶ ἄπελθε πρὸς Σανσαλᾶν τὸν Πρεσβύτερον. Ὁ δὲ Σάβας ἀπεκρίθη λέγων αὐτῷ, Σανσαλᾶς ἀποδημεῖ· ἦν δὲ ὁ Σανσαλᾶς διὰ τὸν διωγμὸν φυγὼν, καὶ χρονίσας ἐν τῇ Ῥωμανίᾳ· τότε οὖν, διὰ τὴν ἁγίαν ἡμέραν τοῦ Πάσχα, ἐληλύθει προσφάτως εἰς τὰ ἴδια· διὸ μὴ εἰδὼς ὁ Σάβας περὶ τῆς ἐπανόδου αὐτοῦ, ταῦτα ἀπεκρίθη τῷ φανέντι αὐτῷ, καὶ ἐπολέμει πορευθῆναι πρὸς Γουθθικᾶν τὸν Πρεσβύτερον. Μὴ βουλομένου δὲ αὐτοῦ πεισθῆναι τῷ προστάγματι, ἄφνω εὐοδίας οὔσης κατὰ τὴν ὥραν ἐκείνην, ὤφθη πλῆθος ἄπειρον χιόνος ἐπὶ τὸ πρόσωπον τῆς γῆς, ὡς ἐμφραγῆναι τὴν ὁδὸν, καὶ μὴ δύνασθαι αὐτὸν διελθεῖν. Τότε συνῆκεν θέλημα Θεοῦ εἶναι τὸ κωλύον αὐτὸν, περαιτέρω διαβῆναι κελεῦον, ἀλλὰ ἀναλῦσαι πρὸς τὸν Πρεσβύτερον Σανσαλᾶν· καὶ εὐλογήσας τὸν Κύριον ὑπέστρεψεν, καὶ θεασάμενος τὸν Σανσαλᾶν ἐχάρη, καὶ ἀπήγγελεν αὐτῷ καὶ ἄλλοις πλείοσι τὴν ὀπτασίαν, ἣν εἶδεν κατὰ τὴν ὁδόν. Ἐτέλεσαν δὲ τὴν ἡμέραν τοῦ Πάσχα ἐπὶ τὸ αὐτό· τῇ δὲ τρίτῃ νυκτὶ μετὰ τὴν ἑορτὴν, ἰδοὺ ἐκ τοῦ τάγματος τῶν ἀσεβῶν, Ἀθάριδος υἱὸς Ῥωθεστέου τοῦ Βασιλίσκου, μετὰ φάλαγγος ἀνόμων λῃστῶν, ἐπέστη εἰς τὴν κώμην ἐκείνην, καὶ εὑρὼν τὸν Πρεσβύτερον ἐν τῷ οἴκῳ αὐτοῦ καθεύδοντα, ἐποίησεν δεθῆναι· ὁμοίως καὶ τὸν Σάβαν, γυμνὸν ἁρπαγέντα ἀπὸ τῆς στρωμνῆς δεσμοῖς περιέβαλεν. Καὶ τὸν Πρεσβύτερον ἐπ' ἁμάξης κατεῖχον· τὸν δὲ Σάβαν, γυμνὸν ὡς γεγέννητο· καὶ ἀπήγαγον αὐτὸν διὰ τῶν νάπων, ἃς προσφάτως ἦσαν φλογήσαντες, διώκοντες καὶ τύπτοντες ξύλοις καὶ φραγέλλαις, ὠμῶς καὶ ἀνηλεῶς φερόμενοι κατὰ τῶν δούλων τοῦ Θεοῦ.

rapitur nudus e lecto,

D

et tota nocte cruciatur axibus alligatus.

5 Ἀλλὰ τὸ ἀπηνὲς τῶν ἐχθρῶν τὴν ὑπομονὴν καὶ πίστιν συνέστησεν τοῦ δικαίου· ἡμέρας γὰρ γενομένης ἔλεγεν, ἐν Κυρίῳ καυχώμενος τοῖς διώξασιν αὐτὸν, Οὐχὶ διὰ χέρσων κεκαυμένων ἐπὶ τὰ ὀξέα τῶν σκολόπων τύπτοντες ἠλάσατέ με γυμνὸν καὶ ἀνυπόδετον, ἴδετε εἰ ἐβλάβησαν οἱ πόδες μου, καὶ εἰ ἐν τῷ σώματί μου ἔχω μώλωπας, καὶ ἀπὸ τῶν πληγῶν, ὧν ἐπενέγκατέ μοι. Ἰδόντες οὖν ὡς οὐδὲν ἐφαίνετο εἰς τὴν σάρκα αὐτοῦ ἐξ ὧν ἀνηλεῶς πεποιήκησαν, ἄραντες ἄξονα ἁμάξης, καὶ ἐπιθέντες τοῖς ὤμοις αὐτοῦ, διέτειναν τὰς χεῖρας αὐτοῦ εἰς τὰ ἄκρα τοῦ ἄξονος, ὁμοίως καὶ τοὺς πόδας διατείναντες ἑτέρῳ ἄξονι προσέδησαν, καὶ τέλος ἐπὶ τοὺς ἄξονας ῥίψαντες αὐτὸν, εἴων κεῖσθαι ὕπτιον ἐν τῷ ἐδάφει, καὶ μέχρι πλείστου τῆς νυκτὸς μέρους οὐκ ἐφείσαντο βασανίζοντες αὐτόν. Ἀποκαθευδησάντων δὲ τῶν δημίων, προσελθοῦσα γυνή τις ἔλυσεν αὐτὸν, ἥτις ἦν ἐγερθεῖσα νυκτὸς, ἵνα ἑτοιμάσῃ
E βρώματα τοῖς ἐν τῷ οἴκῳ. Ὁ δὲ λυθεὶς διέμεινεν ἐν τῷ τόπῳ ἀφόβως, μετὰ τῆς γυναικὸς ἐργαζόμενος τὸ ἔργον αὐτῆς· ἡμέρας δὲ γενομένης γνοὺς τοῦτο ὁ ἀσεβὴς Ἀθάριδος, ἐκέλευσεν δεθῆναι αὐτοῦ τὰς χεῖρας, καὶ προσκρεμασθῆναι αὐτὸν τῇ δοκῷ τῆς οἰκίας.

recusantis immolatis vesci

6 Καὶ μετ' οὐ πολὺ ἦλθον οἱ ἀποσταλέντες παρὰ τοῦ Ἀθαρίδου, φέροντες βρώματα εἰδωλόθυτα· εἶπον δὲ πρὸς τὸν Πρεσβύτερον καὶ τὸν Σάβαν, Ταῦτα Ἀθάριδος ἐκέλευσεν ὑμῖν κομισθῆναι, ἵνα φάγητε, καὶ ῥύσησθε ἐκ θανάτου τὰς ψυχὰς ὑμῶν. Ἀποκριθέντος δὲ τοῦ Πρεσβυτέρου καὶ λέγοντος, Ταῦτα ἡμεῖς οὐκ ἐσθίομεν, οὐ γὰρ ἔξεστιν ἡμῖν, ἀλλὰ παρακαλέσατε Ἀθάριδον ἵνα κελεύσῃ ἡμᾶς σταυρωθῆναι, ἢ ἄλλως ὅπως βούλοιτο ἀναιρεθῆναι. Εἶπεν δὲ καὶ ὁ Σάβας, Τίς ὁ ἀποστείλας ταῦτα; Οἱ δὲ εἶπον, Ὁ δεσπότης Ἀθάριδος. Ὁ δὲ Σάβας εἶπεν· Εἷς δεσπότης Θεὸς ἐν οὐρανοῖς ἐστιν, Ἀθάριδος δὲ ἄνθρωπος ἀσεβὴς καὶ ἐπικατάρατος· καὶ ταῦτα ἀκάθαρτά ἐστιν καὶ βέβηλα τῆς ἀπωλείας τὰ βρώματα, ὡς καὶ ὁ ἀποστείλας ταῦτα Ἀθάριδος. Λέγοντος δὲ ταῦτα τοῦ Σάβα, ἐκκαυθείς εἷς τῶν

EX. MS. VATICAN.

pilum intorquet barbarus: τῶν παίδων Ἀθαρίδου ἐν ὀργῇ, καὶ λαβὼν ὕπερον, ἔρριψεν εἰς τὸ στῆθος τοῦ Ἁγίου, ἀκοντίσας εἰς ὀξὺ, ὡς τοὺς παρόντας νομίσαι ὅτι τῷ ῥύματι τῆς πληγῆς συντριβεὶς τεθνήξεται παραχρῆμα. Ὁ δὲ τῷ τῆς εὐσεβείας πόθῳ νικήσας τὸν τῶν ἐπιφερομένων πόνον, εἶπεν τῷ δημίῳ, Νῦν σὺ νομίζεις ὅτι ἔπληξάς με τῷ ὑπέρῳ, τοῦτο δὲ γίνωσκε, ὅτι εἰς τοσοῦτον οὐκ *eoque nil læsum* ἤλγησα, ὡς νομίζειν με ὅτι μήρυμα ἐρίου ἠκόντησας κατ' ἐμοῦ. Καὶ φανερὸν τεκμήριον τῶν εἰρημένων ἔργῳ παρέστησεν· οὔτε γὰρ ἀνέκραξεν, οὔτε ἐστέναξεν ὡς ἐν πόνῳ, οὔτε πληγῆς ὅλως ἴχνος ἐν τῷ σώματι αὐτοῦ ἐφάνη.

7 Τότε γνοὺς ταῦτα πάντα Ἀθάριδος, κελεύει ἀναιρεθῆναι αὐτόν. Οἱ γοῦν ὑπηρέται τῆς ἀνομίας, *flumine mergi jubet tyrannus:* ἐάσαντες τὸν Πρεσβύτερον Σανσαλὰν δέσμιον, παρέλαβον τὸν Σάβαν, καὶ ἀπήγαγον πνῖξαι παρὰ τὸν ποταμὸν τὸν καλούμενον Μουσέον. Ὁ δὲ Μακάριος μεμνημένος τῆς ἐντολῆς τοῦ Κυρίου, καὶ ἀγαπῶν τὸν πλησίον ὡς ἑαυτὸν, εἶπεν· Τί ἥμαρτεν ὁ Πρεσβύτερος, ὅτι σὺν ἐμοὶ οὐκ ἀποθνήσκει; Ἀπεκρίθησαν δὲ αὐτῷ, Οὐ σόν ἐστι περὶ τούτων B διατάσσεσθαι. Τοῦτο εἰπόντων αὐτῶν, ἀνέκραξεν ἐν ἀγαλλιάσει πνεύματος ἁγίου, καὶ εἶπεν· Εὐλογητὸς εἶ Κύριε, καὶ δεδοξασμένον τὸ ὄνομά σου Ἰησοῦ, εἰς τοὺς αἰῶνας, ἀμήν, ὅτι Ἀθάριδος μὲν ἑαυτὸν θανάτῳ αἰωνίῳ καὶ ἀπωλείᾳ περιέπειρεν, ἐμὲ δὲ εἰς ζωὴν τὴν ἀεὶ μένουσαν παραπέμπει, ὅτι οὕτως εὐδόκησας ἐν τοῖς δούλοις σου, Κύριε ὁ Θεὸς ἡμῶν. Καὶ δι' ὅλης τῆς ὁδοῦ ἀπαγόμενος, ηὐχαρίστει τῷ Θεῷ, οὐκ ἄξια ἡγούμενος τὰ παθήματα τοῦ νῦν καιροῦ πρὸς τὴν μέλλουσαν εἰς τοὺς ἁγίους ἀποκαλύπτεσθαι δόξαν. Ἡνίκα δὲ ἤχθη ἐπὶ τὴν ὄχθαν τοῦ ποταμοῦ, *ministros Sanctum volentes dimittere,* οἱ κατέχοντες αὐτὸν ἔλεγον πρὸς ἀλλήλους, Δεῦτε τὸν ἀθῷον τοῦτον ἀπολύσωμεν· πόθεν γὰρ γνώσεται τοῦτο Ἀθάριδος; Ὁ δὲ μακάριος Σάβας εἶπεν πρὸς αὐτοὺς, Τί ματαιολογεῖτε, καὶ οὐ ποιεῖτε τὸ προστεταγμένον ὑμῖν; ἐγὼ ὁρῶ ὅπερ ὑμεῖς οὐ δύνασθε ἰδεῖν· ἰδοὺ ἄντικρυς ἑστήκασιν ἐν δόξῃ οἱ ἐλθόντες ὑποδέξασθαί με. *ipse ne sibi parcant deprecatur.* Τότε κατάγουσιν αὐτὸν εἰς τὸ ὕδωρ εὐχαριστοῦντα καὶ δοξάζοντα τὸν Θεὸν (μέχρι τέλους γὰρ ἐλειτούργησεν αὐτῷ τὸ πνεῦμα) καὶ ῥίψαντες αὐτὸν καὶ C ἐπιθέντες αὐτῷ ξύλον κατὰ τοῦ τραχήλου, ἐπίεζον εἰς τὸ βάθος· καὶ οὕτως τελειωθεὶς διὰ ξύλου καὶ ὕδατος, ἄχραντον ἐφύλαξεν τῆς σωτηρίας τὸ σύμβολον, ὢν ἐτῶν τριάκοντα ὀκτώ. Ἐτελειώθη δὲ πέμπτῃ τοῦ σαββάτου τῇ μετὰ τοῦ Πάσχα, ἥτις ἐστὶν πρὸ μιᾶς εἰδῶν Ἀπριλλίου c, ἐπὶ Οὐαλεντινιανοῦ καὶ Οὐάλεντος Αὐγούστων d, ὑπατεύοντος Μοδέστου καὶ Ἀρινθέου.

8 Εἶτα ἐξελκύσαντες αὐτὸν ἐκ τοῦ ὕδατος οἱ φονεῖς, ἀφῆκαν ἄταφον, καὶ ἀνεχώρησαν. Ἀλλ' οὔτε κύων οὔτέ τι θηρίον τὸ σύνολον ἥψατο αὐτοῦ, ἀλλὰ διὰ χειρὸς τῶν ἀδελφῶν συνεστάλη καὶ ἀπετέθη τὸ λείψανον, ὅσπερ e Οὐΐνιος Σωρανὸς, ὁ λαμπρότατος Δοὺξ τῆς Σκυθίας, τιμῶν τὸν Κύριον, ἀποστείλας ἀξιοπίστους ἀνθρώπους, ἐκ τοῦ βαρβαρικοῦ εἰς τὴν Ῥωμανίαν μετήνεγκεν· καὶ χαριζόμενος τῇ ἑαυτοῦ πατρίδι δῶρον τίμιον, καὶ καρπὸν πίστεως ἔνδοξον, εἰς τὴν Καππαδοκίαν, πρὸς τὴν ὑμετέραν ἀπέστειλεν θεοσέβειαν, *corpus in Cappadociam mittitur.* διὰ θελήματος τοῦ Πρεσβυτερίου, οἰκονομοῦντος τοῦ Κυρίου τὰ πρὸς χάριν τοῖς ὑπομένουσιν αὐτὸν καὶ φοβουμένοις ἀδελφοῖς. Ἐπιτελοῦντες οὖν, ἐν ᾗ τὸν στέφανον ἀγωνισάμενος ἀπείληφεν ἡμέρᾳ, σύναξιν πνευματικὴν, καὶ τοῖς ἐπέκεινα ἀδελφοῖς σημάνατε, ἵνα ἐν πάσῃ καθολικῇ καὶ ἀποστολικῇ Ἐκκλησίᾳ ἀγαλλιάσεις ἐπιτελῶσιν, δοξάζοντες τὸν Κύριον τὸν ἐκλογὰς ποιούμενον τῶν ἰδίων δούλων αὐτοῦ. *annuo festo honorandum.* Προσαγορεύεται πάντας τοὺς ἁγίους· ὑμᾶς οἱ σὺν ὑμῖν δεδιωγμένοι προσαγορεύουσιν. Τῷ δὲ δυναμένῳ πάντας ἡμᾶς εἰσαγαγεῖν τῇ ἑαυτοῦ χάριτι καὶ δωρεᾷ εἰς τὴν ἐπουράνιον βασιλείαν, δόξα, τιμὴ, κράτος, μεγαλωσύνη σὺν Παιδὶ μονογενεῖ, καὶ ἁγίῳ Πνεύματι, εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Ἀμήν.

a Publice coram persecutoribus, *quod omissum in Latina Zini versione, uti & alia quædam æque levis momenti, quæ piget annotare.*

b Prout Gotthis in usu erat: *quo videtur indicari velut annua persecutio, circumeuntibus inquisitoribus de fide.*

c *Delevi sequentia verba, ut sensum non facientia,* ἐπὶ ὑπατείας Φλαβίου.

d *Item hæc* ἐνεστηκότι ἔτει.

e *In MS. Veneto Zinus legit* Ἰούνιος, *quod magis placet.*

ΜΑΡΤΥΡΙΟΝ ΤΩΝ ΑΓΙΩΝ ΜΑΡΤΥΡΩΝ

ΚΑΡΠΟΥ, ΠΑΠΥΛΟΥ, ΚΑΙ ΤΩΝ ΣΥΝ ΑΥΤΟΙΣ.

Ex MS. Medicæo Regis Franciæ

collato cum alio Bibliothecæ Cæsareæ.

Μεμνῆσθαι τῶν ὑπὲρ Χριστοῦ παθόντων, εἴπερ ἄλλο τι λυσιτελὲς καὶ ὠφέλιμον· ἱκανὴ γὰρ καὶ μόνη Μαρτύρων μνήμη πρὸς Θεοῦ ἔρωτα ψυχὴν διεγεῖραι, καὶ οἱονεί τι πτερὸν εἰς ἀρετὴν γενέσθαι, καὶ τοὺς αὐτοὺς τοῖς Μάρτυσιν ἄθλους νοερῶς ὑπομένειν παρασκευάσαι, διὰ τῶν ἐκεῖθεν ἀμοιβῶν τὴν ἀπόλαυσιν. Τῶν γοῦν τοὺς μαρτυρικοὺς τούτους ἀγῶνας διηνυκότων εἰσὶ καὶ οἱ στερροὶ τῆς Ἐκκλησίας στῦλοι τε καὶ θεμέλιοι, Κάρπος καὶ Πάπυλος· *Pergami nati,* οἱ πατρίδος μὲν ὑπῆρχεν περιφανοῦς τῆς Περγαμηνῶν πόλεως, πατέρων δὲ σφόδρα φιλαρέτων γενόμενοι, κατάλληλον ἐπεδείκνυντο καὶ τὴν ἀγωγὴν, οἷά τινος ῥίζης εὐγενοῦς εὐγενῆ βλαστήματα, ὡς δῆλον ἐκ τοῦ καρποῦ τὸ δένδρον γίνεσθαι, καὶ τῷ ῥείθρῳ μακαρίζεσθαι τὴν πηγήν. Σῶμα μὲν γὰρ μόνοις ἐποίουν ἀρκεῖσθαι ἀναγκαίοις, πᾶν τὸ ποικίλον καὶ περίεργον ἀπωθούμενοι· οὕτω δὲ καὶ τοῖς ἀναγκαίοις ὀλίγα χρώμενοι, ὡς σώματι μὲν παρὰ πολὺ τῶν Ἀγγέλων ἀπολελεῖφθαι, τῷ δὲ περιόντι τῆς ἐγκρατείας μικροῦ καὶ παραφαίνειν τοῦ ἀσωμάτου. *& Thyatiris Episcopatu ac Diaconatu fungentes,* Ἐντεῦθεν εἰς ὕψος ἀρετῆς ἀναχθέντες, ἄξιοι ἐκρίθησαν εἶναι καὶ προστασίαν λαοῦ πιστευθῆναι· καὶ Κάρπος μὲν Ἀρχιερωσύνης ἐπιβὰς, τὰ τῆς εὐσεβείας μυστήρια διήγγελλε τοῖς ἐν Θυατείροις,

A Θυατείραις· Πάπυλος δὲ τῷ τῆς Διακονίας βαθμῷ τιμηθεὶς, ἰσόῤῥοπον ἑαυτῷ τὴν σπουδὴν ἐν τοῖς ἴσοις ἐποιεῖτο πόνοις.

alios instruunt in pietate: 2 Ἐπεὶ οὖν ὁ περὶ αὐτῶν λόγος πανταχοῦ διεδίδοτο (οἷα μηδὲ λανθάνειν φύσει τῆς ἀρετῆς δυναμένης, ἀλλ' ἑαυτὴν ἀεί ποτε κηρυττούσης) πολύ τι πλῆθος παρὰ τούτους συνέῤῥεον, καὶ τῆς παρ' αὐτῶν ἀπολαύοντες διδασκαλίας, ἄσμενοι προσεχώρουν τῇ εὐσεβείᾳ. Ἀλλ' οὐκ ἦν πάντως τὸν τῆς ἀρχῆς ἀντικείμενον τοῖς ἀγαθοῖς, τούτων οὕτω γινομένων ἡσυχίαν ἄγειν· οὔκουν οὐδὲ ἡσύχασεν, ἀλλὰ τῆς αὐτοῦ κακίας ὑπουργοὺς οὐκ ἀγεννεῖς εὑρηκὼς, ἐνδιαβάλλειν ἀναπείθει Δεκίῳ τοὺς Μάρτυρας, ὅτι τε ἀσεβεῖς τὰ πρὸς τοὺς θεούς εἰσι, καὶ ὅτι τὴν καινὴν τῶν Χριστιανῶν πρεσβεύουσι δόξαν. *contra hos in Asiam à Decio missus Valerius,* Ὁ δὲ χαλεπώτατα πρὸς τοῦτο διατεθεὶς, Οὐαλέριόν τινα σύγκαθεδρον, ὃς καὶ τῶν ὅλων αὐτῷ ἐκοινώνει, φιλοδαίμονα καὶ ἄγριον ἄνδρα, πρὸς τὴν Ἀσίαν ἐκπέμπει, ἅ τε περὶ τῶν Ἁγίων αὐτῷ ἀνηγγέλη γνωρίσας, καὶ τὴν κατ' ἐκείνων ἐξουσίαν αὐτῷ ἐπιτρέψας. Αὐτίκα γοῦν Οὐαλέριος τὴν ὁδὸν εἰς τάχει ἀνύει, καὶ ἐπειδὴ ἐν ᾧ οὗτοι διῆγον γέγονε τόπῳ, ὁ μὲν εὐθὺς τοῖς ματαίοις τὰς συνήθεις προσῆγε θυ-

B σίας, πρόσαγμα δὲ αὐτοῦ πᾶσαν ὅσην οἱ Θυατειρῶν ἐπεῖχον ὅροι κατὰ σπουδὴν διελάμβανεν, ὥστε τοὺς ἐν αὐτῇ πάντας ἔνθα ἡ θυσία γένοιτο μηδὲν μέλλοντας ἀπαντᾶν, τὰς χαριστηρίους εὐχὰς καὶ *in sacrificio publico non repertos,* αὐτοὺς τοῖς ἐκείνου θεοῖς συνοίσοντας, ὥσπερ οὐκ ἐθέλοντος μόνου νοσεῖν, ἀλλὰ καὶ τοὺς ἄλλους παραπολαύειν αὐτῷ τοῦ νοσήματος. Τοῦτο δὲ ἄρα τεκμήριον ἱκανὸν τῆς τῶν Μαρτύρων ἐποιεῖτο γνώμης· ἔλεγε γὰρ ὡς εἰ μὲν καὶ αὐτοὺς συνερχομένους τῷ πλήθει, καὶ κοινῇ τὰς θυσίας προσφέροντας ἴδοι, ψευδῆ πάντως ἃ πρὸς τὸν Δέκιον κατεῖπον αὐτῶν εἶναι· εἰ δὲ μὴ, μὴ πίστιν ἑτέραν ἀναμένειν μείζονα.

3 Ἐπεὶ οὖν πάντες συνδραμόντες ἦσαν ὥστε τὰς θυσίας ἐπιτελέσαι, μόνη δὲ θαυμαστὴ τῶν Μαρτύρων ἀπολείφθη δυὰς (ἵσταντο γὰρ ἔξω, τῷ Θεῷ τὰς *sisti sibi imperat:* εὐχὰς τὴν ἀληθῆ θυσίαν ἀποδιδόντες) παραστησάμενος αὐτοὺς σχήματι βαρυτέρῳ τὴν αἰτίαν ἠρώτα τῆς ἀπολείψεως. Εἶτα καὶ προσετίθει, Ὅτι κἂν γοῦν ἐπ' ὄψεσι ταῖς ἐμαῖς τὸ ὑστέρημα καλῶς ἀναπληρωθήτω, ἵνα καὶ τοῖς κατηγόροις εἰς κεφαλὰς ὁ φθόνος μεταχωρήσῃ, ὑμῖν λαμπρότερον ἢ τὸ πρόσθεν τὸ κλέος ἀναφανῇ. Πρὸς ταῦτα οἱ Ἅγιοι, καὶ

C φόβου καὶ περιφανείας πάσης ἀνθρωπίνης ἀνώτεροι γεγονότες, Ἀλλ' αἰσχύνη, Βασιλεῦ, εἶπον, αἰσχύνη σαφὴς, βοῦν ἔχειν καὶ ὄνον, κατὰ τὸν μέγαν Ἡσαΐαν εἰπεῖν, μεγάλης ἀγνωμοσύνης ἔλεγχον· εἴπερ ἐκεῖνα μὲν ἔγνω τὸν κεκτημένον καὶ τρέφοντα, ἡμᾶς δὲ φαίνεσθαι ἀγνοοῦντας, εἴγε τὸν ἀληθῆ *& idolorum ruina ac terraemotu nil mutatus,* δεσπότην καταλιπόντες ψευδωνύμοις προσεθῶμεν θεοῖς. Ταῦτα εἶπον καὶ ἅμα Θεὸς τοῖς εἰρημένοις ἐπεψηφίζετο· καὶ σεισμοῦ τι μέγα χρῆμα ἐπενεχθὲν, εἰς χόνιν ἐλέπτυνε τὰ τῶν ἀφρόνων σεβάσματα. Καὶ τὰ μὲν ἄψυχα οὕτως εἶχε καὶ διώλλυτο· Οὐαλερίῳ δὲ πάγιος ἡ κακία καὶ ἀμετάθετος (δέον γὰρ θαυμάσαι τὴν ἄφατον τοῦ Θεοῦ δύναμιν, καὶ τῆς πολλῆς τῶν αὐτοῦ θεῶν ἀσθενείας καταγελάσαι, ὅπερ ἂν ἐποίησε νοῦν ἔχων καὶ συνιὼν ἄνθρωπος) ὁ δὲ θρασύτερος ἐδείκνυτο μᾶλλον, καὶ αὐτὴν ὡς εἶχε τὴν μανίαν ἐγύμνου. *raptari nudos per urbem jubet:* Ἀλλ' ἐπεὶ τὸ εὐγενὲς καὶ κόσμιον τῶν ἀνδρῶν αἰδούμενος βασάνων τέως ἀπείχετο τιμωρίας, κελεύει κλοιοῖς σιδηροῖς περιαυχενισθέντας, γυμνοὺς ἀνὰ μέσον τὴν ἀγορὰν περιάγεσθαι.

EX MS. REGIS FRANCIÆ

4 Ἤγοντο τοίνυν οἱ ἀθληταὶ γυμνοὶ, περιαυχενίῳ δεσμῷ βαρυνόμενοι, καὶ περιῄεσαν ἀτίμως τὴν ἀγορὰν οἱ ἀληθῶς τίμιοι, μυκτηρισμὸς καὶ γέλως οἱ μυρίων ὄντως ἐπαίνων ἄξιοι. Ὁ δικαστὴς οὖν τὴν ἄτιμον περιαγωγὴν ταύτην, αἰσχύνην ὑπολαβὼν ἐμποιῆσαι τοῖς Ἁγίοις, καὶ οὕτω μαλακωτέρους αὐτοὺς παρασκευάσαι περὶ τὴν ἔνστασιν, ἁπαλωτέροις ἔκρινε λόγοις αὐτοὺς ὑπελθεῖν, καὶ ταύτῃ κλέψαι τῆς προαιρέσεως τὴν εὐγένειαν, Καὶ εἰ μὲν ἑώρων ὑμᾶς, φησι, μὴ φρονήματος ὑγιοῦς σαφῆ γνωρίσματα φέροντας, *dein ad defectionem blandius solicitat:* ἀπεσχόμην ἂν τῆς πρὸς ὑμᾶς συμβουλῆς (ἔξεστι γὰρ καὶ διὰ βασάνων ὑμᾶς ἑλεῖν, εἰ θελήσαιμεν, καὶ τὴν ἡμετέραν ἄκοντας καὶ μὴ βουλομένους μεταδιδάξαι θρησκείαν) ἐπεὶ δὲ καὶ ἡ ὄψις καὶ ἡ τῶν ἠθῶν εὐκοσμία τὴν τῆς γνώμης δηλοῦσιν ἐλευθερίαν, πείθομαι σύμβουλος ἀγαθὸς ὑμῖν καταστῆναι· οὐ δὲ γὰρ οἶμαι διαλανθάνειν ὑμᾶς, ὡς ἐκ μακροῦ τοῦ χρόνου τά γε τῆς πρὸς τοὺς ἀθανάτους θεοὺς ἀρξάμενα δόξης καὶ τιμῆς καὶ εἰς δεῦρο καὶ ἔτι μένει, οὐ παρ' ἡμῖν γε μόνοις τοῖς τὴν ἑλλάδα γλῶτταν εἰδόσιν, ἀλλὰ καὶ τοῖς βαρβάροις αὐτοῖς. Ἔξεστιν οὖν δι' αὐτῆς ὁρᾶν πόλεις εὐνομίαν ἀγούσας, πολεμίων ὄφρυν πίπτουσαν καὶ

E εἰρήνην ἰθυνομένην· ἢ πόθεν Βασιλεῖς καὶ Δυνάσται, πολλοὶ μὲν καὶ πρότερον, Ῥωμαίων δὲ νῦν εἰς τοσοῦτον δόξης προῆλθον, ὡς καταστρέψασθαι μὲν ἔθνη, καταστρέψασθαι δὲ πόλεις, ὑποχειρίους δὲ ποιήσασθαι πᾶν τὸ ἀντίπαλον. Εἰ τοίνυν ἀμαθῶν λόγοις πρὸς τὴν ἄλογον ταύτην καὶ ἀρτιφανῆ τῶν Χριστιανῶν δόξαν ἀπήχθητε, οὐ μέμφομαι· τῆς ἁπλότητος γὰρ εἶναι τοῦτό φημι· ὑμεῖς δὲ ἀλλ' ἀναλαβόντες ἑαυτοὺς μετάθετε πρὸς τὸ βέλτιον, ὡς ἂν οἵ τε θεοὶ ὑμῖν ἵλεῳ γένωνται, πλειόνων τε ἀπολαύσητε τῶν παρ' ὑμῖν ἀγαθῶν, καὶ τὸ τοῦ Βασιλέως οὕτω φιλότιμον περὶ τὰς εὐποιΐας κερδήσητε· εἰ δὲ τοῖς προτέροις μέχρι παντὸς ἐπιμείνητε, τὰ τούτων ἐνάντια ὑμῖν συμβήσεται, ἀλλὰ καὶ ἡμῶν αὐστηροτέρων, ὅπερ ἀπεύχομαι, πολλὴ ἀνάγκη πάντως ὑμᾶς πειραθῆναι.

5 Ταῦτα ἐπειδὴ οἱ Μάρτυρες ἤκουσαν, τὰ ὄμματα εἰς οὐρανοὺς ἀνασχόντες, καὶ ὅλους ἑαυτοὺς τῇ τοῦ σταυροῦ σφραγῖδι σημειωσάμενοι, Ἔοικας, εἶπον, ὥσπερ τινὰς τῶν ἀφελεστέρων μηδὲ βραδέως, ἀλλ' εὐκόλως οὕτω πείσειν ἡμᾶς οἴεσθαι *refutant Sancti objectam sibi idololatriæ vetustatem.* μεταμαθεῖν τὴν εὐσέβειαν· ἀλλ' οὐκ ἀνδράσιν ἀγεννέσιν ἴσθι περιτυχὼν, οὐ, μὰ τὸν ὑπὲρ Χριστοῦ

F τοῦτον ἀγῶνα, καὶ τὴν ἡμετέραν ἐκ παίδων περὶ τὴν εὐσέβειαν ἄσκησιν· οὐ γὰρ παρὰ τὴν τοῦ χρόνου ἀρχαιότητα τιμῆς ἀξίαν εἴποιμεν ἂν εἶναι τὴν ὑμετέραν θρησκείαν· οὐδὲ γὰρ εἴ τι ἀρχαῖον, τοῦτο καὶ τιμῆς ἄξιον, ἐπειδὴ παλαιὰ μὲν πάντως καὶ ἡ κακία, ἀλλ' οὐχὶ τιμᾶσθαι διὰ τὸν χρόνον ἀξία· οὐ τοίνυν εἰ ἀρχαία δεῖ σκοπεῖν ἡ θρησκεία ὑμῶν, ἀλλ' αὐτὸ τοῦτο, εἰ δέον αὐτῇ προσίεσθαι, ἣν ἐβουλευσάμεθα ἂν ἡμεῖς ἐκκλίνειν ὁπόση δύναμις καὶ ἐκ τοῦ μέσου ποιεῖν, οὕτω φρικτὴν πυρὸς γέενναν τοῖς ἀγαπῶσιν αὐτὴν θησαυρίζουσαν· ὅλως δὲ εἰ χρὴ μετὰ ἀκριβείας προσέχειν, εὑρήσεις πάντως καὶ σὺ τοὺς ὑπὲρ ὑμῶν τιμωμένους θεοὺς οὐδὲν ἕτερον ἢ ἔργα χειρῶν ἀνθρώπων ἄψυχα καὶ κωφὰ, οὐ μόνον ἄλλοις οὐ δή ὁτιοῦν, ἀλλὰ καὶ ἑαυτοῖς βοηθῆσαι τὸ *ejusque vanitatem ostendunt;* παράπαν οὐ δυναμένους. Εἰ τοίνυν ἄνθρωπος μὲν πλάσμα Θεοῦ, ἃ δὲ ὑμεῖς εἴδωλα προσκυνεῖτε ἀνθρωπίνης εἰσὶν ἔργα χειρὸς, πῶς ἄν τις, εἰ μὴ λίαν ἀναίσθητος

EX MS. REGIS FRANCIÆ.

εἴη καὶ βοῦς αὐτόχρημα καὶ ὄνος, τοῖς παρ' αὐτοῦ δεδημιουργημένοις τὴν τιμὴν ἀπονέμει; δέον ἐκεῖνα μᾶλλον τοὺς οἰκείους τιμᾶν δημιουργοὺς, εἴ τις αὐτοῖς αἴσθησις. Ἐπειδὴ τοίνυν συνετοὺς ἡμᾶς ὡμολόγησας καὶ οἶδας, ὡς οὐκ ἄν ποτε φρενὸς ὑγιοῦς ἄνθρωπος ψεῦδος ἀντὶ τῆς ἀληθείας προέλοιτο, ἐπίστησον τὴν διάνοιαν, καὶ τὰ περὶ τοῦ ὄντως δημιουργοῦ τῶν ὅλων Θεοῦ ὑπὸ ἀληθῶν χειλέων διδάχθητι.

& unam Deitatem

6 Θεὸς οὐ πέφυκε περιγράφεσθαι, ἀπερίγραπτος γὰρ πάντη καὶ ὑψηλότερος χρονικῆς ἁπάσης ἐννοίας· ποιητὴς γὰρ χρόνων οὐχ ὑπὸ χρόνον· ὅθεν οὐδὲ τοῦ εἶναι ἤρξατο, πάντα δὲ τά τε ὁρατὰ καὶ νοούμενα εἰς τὸ εἶναι αὐτὸς παρήγαγεν. Ὁ τοίνυν ἄνθρωπος, πλάσμα Θεοῦ γεγονὼς, τὸν παράδεισόν τε οἰκεῖν κληρωθεὶς, καὶ λαβὼν ἐντολὴν πρὸς γυμνασίαν προκοπῆς μείζονος, φθόνῳ διαβόλου παρακοὴν νοσήσας τὴν φθορὰν τῆς ἀφθαρσίας ἠλλάξατο, καὶ θελήματα σαρκὸς ὑποκύψας ὑπὸ χεῖρα γέγονε τῷ θανάτῳ. Κἂν ὁ βασκανίας πατὴρ οὐ δὲ τούτῳ μόνῳ τοῦ φθονηθέντος ἠρκέσθη τῷ πλάσματι, ἀλλὰ κἂν εἰς λήθην, οἴ μοι! Θεοῦ τοὺς ἐκ τοῦ αὐτοῦ φωτὸς γένους ὕστερον ἤγαγεν, ὡς μὴ
B
σωμάτων μόνον ἀλλὰ καὶ ψυχῶν αὐτῶν κυριεύειν τὸν θάνατον. Ἀμέλει καὶ τὸν ἀληθῆ Θεὸν ἀπολιπόντες, καὶ πρὸς τὸ φέγγος τῆς ἀληθείας ἑκοντὶ μύσαντες, τὸν τῆς εἰδωλολατρίας σκότον ὑπῆλθον. Διὰ ταῦτα τοίνυν αὐτὸς ὁ τοῦ ἡμετέρου γένους δημιουργὸς, ὁ φιλανθρώποις σπλάγχνοις ἡμᾶς ἐκ τοῦ μὴ ὄντος παραγαγὼν, μὴ φέρων ὑπὸ τοῦ πονηροῦ τὸν ἄνθρωπον ὁρᾷν τυραννούμενον· τῶν τε πατρικῶν οὐκ ἐξέστη κόλπων, καὶ πάντα πλὴν μόνης τῆς ἁμαρτίας καθ' ἡμᾶς γεγονὼς, σταυροῦται καὶ θνήσκει, τῷ τῆς ἁμαρτίας πτώματος ἐθέλων ἡμᾶς ἀνασώσασθαι. Τῷ ἑαυτοῦ τοιγαροῦν θανάτῳ τὸν αἴτιον τοῦ ἡμετέρου πτώματος καταβεβληκὼς, αὐτός τε εἰς οὐρανοὺς ἀνεληλύθη ἀφ' ὧν κατῆλθε, καὶ ἡμᾶς ἐκεῖσε καλεῖ, τὴν πρὸς αὐτὸν ἡμῖν ἄνοδον ὑποδείξας. Ἔχεις τι καὶ αὐτὸς τοιοῦτον ἀντεπιδεῖξαι παρὰ τῶν ὑμετέρων θεῶν γενόμενον; ἢ καὶ τὸ θεοὺς ἤδη τούτους καλεῖν μεταμέλει σοι. Κτημάτων δὲ καὶ χρημάτων καὶ τῆς παρὰ βασιλεῦσι τιμῆς, τῶν ὑμετέρων ὡς φατὲ καλῶν, λόγος ἡμῖν ὀλίγος, οὐχ ἑστῶτα κρίνειν, ἀλλ' ὡς φεύγοντα καλῶς ὑπὸ τοῦ Προφήτου ταῦτα πεπαιδευμένοις· ἄλλωστε δὲ καὶ εἰς Θεὸν
C
ἤδη τὴν ἐλπίδα θεμένοις, καὶ τῆς ἐκεῖθεν δόξης ἐξεχομένοις, δι' ὃν καὶ τὸ παθεῖν εὐψύχως αἱρούμεθα.

& Verbi incarnationem prædicant.

CAP. II.

Bonis spoliati

7 Τούτων ἀκούσας Οὐαλέριος ἀθυμίᾳ τε εἴχετο καὶ πυρὶ μανίας ἐφλέγετο, καὶ παραχρῆμα τὸ περίπλασον τῆς ἡμερότητος προσωπεῖον ἀποβαλὼν τὴν ἔνδον ἀγριότητα ἐγύμνου· καὶ τὴν μὲν ὕπαρξιν τῶν Ἁγίων εἰς διαρπαγὴν τοῖς κατηγορήσασιν ἐξέδιδου, πρᾶγμα τὸ λίαν ὑπ' ἐκείνων περιφρονούμενον τοῖς πάνυ μέγα τοῦτο λογιζομένοις· αὐτοὺς δὲ δι' ἵππων τινῶν ἀγρίων ἀποδεθέντας ἐκέλευσεν ὅτι τάχος ἐπὶ τὰς Σάρδεις ἐλαύνεσθαι. Τὰς μὲν οὖν ἵππους, ἀπὸ Θυατείρων τρέχειν ἀρξαμένας, ἑσπέρας ἤδη καταλαβούσης, αἱ Σάρδεις μόλις τοῦ δρόμου παύουσιν· ἀλλὰ τοῖς Μάρτυσιν, καίτοι τῇ πικρᾷ ταύτῃ τιμωρίᾳ διημερεύσασιν, ὅμως οὐδὲ ἡ νὺξ ἀμοχθὴς ἦν, ἀλλ' εἰς ὕμνους θείους τὸ πλεῖστον αὐτῆς μέρος ἐδαπανᾶτο· εἰ δέ που βραχὺ καὶ ὕπνου μετέλαβον, Ἄγγελοι αὐτοῖς ἐφιστάμενοι πεπονηκότας τε ἀνελάμβανον καὶ πρὸς τὰς μελλούσας ἔτι βασάνους προθυμοτέρους ἐποίουν.

Sardes rapiuntur,

ibique confortati ab Angelis

D
Τῇ δὲ ὑστεραίᾳ τοῦτο μὲν ἀλλήλοις, τοῦτο δὲ καὶ τοῖς πᾶσι τὴν θείαν ἐκείνην ἐπιστασίαν οἱ Ἅγιοι διηγοῦντο, καί ποτε Οὐαλέριος ἥξει ἐπανεξετάζων αὐτοὺς περιέμενον, ὥσπερ τινὲς ἀξιόμαχοι στρατιῶται ἀγώνων ἐπιθυμοῦντες, καὶ πρὸς τὸν μετὰ δόξης θάνατον εὔτολμόν τι καὶ εὐγενὲς βλέποντες.

8 Ἐκεῖνος δὲ τὰς Σάρδεις καταλαβὼν, ὥσπερ νῦν εἰ καὶ μὴ πρότερον εὐπειθεστέροις τοῖς Μάρτυσι καὶ εὐχειρώτοις ἤδη γενομένοις περιτυχεῖν (τὰ μὲν γὰρ τῆς τιμωρίας ἐγίνωσκε μόνον, τὰ δὲ τῆς παρακλήσεως πόθεν ἡ γεώδης ἐκείνη ψυχὴ καὶ ξένη θείας ἐπιφανείας καὶ ἀγαθότητος ἐπεῖδε;) ἐπειδὴ πλέον νῦν ἤπερ ἔμπροσθεν χαριεστάτους μὲν τὴν ὄψιν, εὐσταθεῖς δὲ τὸ φρόνημα καὶ ἀταπεινώτους τὴν ψυχὴν ἐθεάσατο, ἀπογνοὺς τὸ διὰ βασάνων ἑλεῖν, τιμαῖς πάλιν καὶ δωρεῶν μειζόνων ἐπαγγελίαις τὴν τῶν γενναίων ἔνστασιν ὑποχαυνοῦν ἐπεχείρει. Ὡς δὲ ἐπὶ πλεῖον ἐπεῖρα, καὶ πλείονα ἔτι τὴν στερρότητα κατενόει, πρὸς τὸ αὐστηρὸν αὖθις ἐχώρει, τῷ συνεχεῖ τῆς μεταβολῆς καὶ τῷ ποικίλῳ τῆς ὁμιλίας θηρᾶσαι τὴν ἐν Χριστῷ ἁπλότητα ὁ σκολιὸς μηχανώμενος. E

rursus sinistra solicitantur blanditiis,

9 Ἐπεὶ δὲ καὶ οὕτως νικώμενος ἦν, καὶ οὐδὲ μικρὸν ὑπενδιδόντας ἑώρα τοὺς Μάρτυρας, ἀλλ' ὥσπερ τις ἀλώπηξ ἐφάνη διαμαχομένη πρὸς λέοντας, ἀπορῶν τοῖς ὅλοις ὑπέρχεται τέχνην ἑτέραν, καὶ Κάρπον μὲν καὶ Πάπυλον ἀποπέμπεται, τοὺς γενναίους ἀσφαλῶς τηρεῖσθαι κελεύσας· τὸν δὲ θαυμαστὸν Ἀγαθόδωρον (ὡς τοῖς Μάρτυσι διέκειτο καὶ τὰ τῶν οἰκετῶν ἔπραττε, Μάρτυς ἤδη καὶ αὐτὸς τελεσθεὶς, καὶ τῷ περὶ αὐτοὺς φίλτρῳ τῶν αὐτῶν ἐκείνοις ἐκοινώνει κολάσεων) τοῦτον ἐκέλευσε τανύσαντας βουνεύροις ἀνηλεῶς τύπτεσθαι, ἅμα μὲν λυπεῖν τοὺς Ἁγίους διὰ τῆς πρὸς τὸν ὁμόπιστον τιμωρίας, ἅμα δὲ καὶ φοβεῖν βουλόμενος. Ἡμιλλῶντο οὖν ἀλλήλοις ἑκάτεροι, ὅ τε κολάζων δικαστὴς, καὶ ὁ Μάρτυς· ὁ δικαστὴς μὲν, ὥστε τῷ πλήθει τῶν πληγῶν τὸν ἄνδρα ἑλεῖν· ὁ δὲ Μάρτυς ἡδέως οὕτως τὰς πληγὰς δεχόμενος, ὡς δῆλον εἶναι τοῦτο δι' εὐχῆς τίθεσθαι τὸ διαρκεῖν τὴν τιμωρίαν καὶ μὴ ἀπαγορεῦσαι τοὺς κολαστὰς παίοντας. Ὡς οὖν τὸ μαρτυρικὸν ἐκεῖνο σῶμα πολὺν ἤδη ταῖς μάστιξιν ἐκόπτετο χρόνον, αἵματος μὲν ὥσπερ ἐκ πηγῆς τινος κρουνοὶ ἀνεδίδοντο, σπλάγχνα δὲ τῆς οἰκείας περιβολῆς ἐγυμνοῦντο, μύες τῶν ἁρμονιῶν διεσπῶντο, καὶ ἡ τῆς ὀδύνης αἴσθησις πολλή τις ἀτεχνῶς καὶ δριμεῖα τὸν γενναῖον εἰσῄει· ὁ δὲ καθάπερ τῶν λυπούντων πάσχων οὐδὲν οὕτως ἐν τοῖς δεινοῖς διέκειτο, ἡσυχῇ φέρων τὰς τῶν μαστίγων νιφάδας, καὶ τὸ διὰ Χριστὸν πάσχειν ἀρκοῦν ἔχων τῶν ὀδυνῶν παραμύθιον. Ὡς δὲ ἀπείρηκε δὲ Οὐαλέριος ἤδη, ἔκαμνον δὲ οἱ δήμιοι παίοντες, τὸν δὲ καὶ ἠγάλλον οἱ βάσανοι μᾶλλον· μετακαλεῖται μὲν εἰς οὐρανοὺς Χριστὸς ἀξίως στεφανῶσαι τὸν ἀθλητὴν, οὗτος δὲ τὸ πνεῦμά τε εἰς χεῖρας εὐθὺς τοῦ καλέσαντος, καὶ τὸ σῶμα νεκρὸν τοῖς ἀγχίζουσι παρετίθει· ὅπερ ἄταφον μὲν παρερρίπτετο, δεῖπνον ἕτοιμον θηρίοις καὶ πετεινοῖς ἐκκείμενον, οὕτω προσταγὲν ὑπὸ τοῦ Οὐαλερίου· ὀψίας δὲ γενομένης τινὲς τῶν ἐκεῖ προσοικούντων κρύπτουσι τοῦτο ἔν τινι γειτονοῦντι σπηλαίῳ, ἔργον φιλανθρώπου ψυχῆς ποιοῦντες, ἢ καὶ θείας οὕτω προνοίας οἰκονομούσης. F

eorum famulus Agathodorus

flagris cæsus,

supplicio immoritur.

10 Τὸ δὲ μετὰ ταῦτα Οὐαλέριος ὁ Ἡγεμὼν, ἢ παλίμβολος τῷ ὄντι καὶ δολερὰ ἀλώπηξ, πάλιν

A *ipsi vero constantes in fide*

λιν ἠπιωτέροις τοὺς Ἁγίους ὑπέρχεται λόγοις, φοβηθεὶς ἴσως μὴ καὶ αὐτοὺς ὥσπερ δὴ καὶ Ἀγαθόδωρον ἤδη ζημιωθείη· ἔλεγε γὰρ ὡς ἐκεῖνος μὲν ἄξιον ἀπονοίας τοιαύτης θάνατον εὗρε, μὴ πεισθεὶς θῦσαι τοῖς ἀθανάτοις θεοῖς· αὐτοὶ δὲ συνετοὶ ὄντες, τινός ἂν χάριν οὐ πρὸς τὸ σύμφορον ἡμῖν ἀποβλέψητε, ἀλλ' ἐξομοιωθῆναι θελήσητε ἀνθρώπῳ δεινῶς κακοδαίμονι, ἀντὶ τοῦ ζῆν καὶ χαίρειν ἀνοήτως βίαιον θάνατον ἑλομένῳ; Καὶ ταῦτα μὲν Οὐαλέριος· ἐπεὶ δὲ καὶ τοὺς Ἁγίους ἤκουσε πολλὴν μὲν αὐτοῦ καταγινώσκοντες ἄνοιαν, ἕνεκα τῆς ἀλόγου συμβουλῆς ταύτης, αὐτοὺς δὲ τότε ζηλωτοὺς μᾶλλον καὶ μακαρίους ὀφθήσεσθαι, ὅτε τὸν δοκοῦντα παρ' αὐτῷ βίαιον θάνατον τοῦ Ἀγαθοδώρου μιμήσονται, ἀπολιπὼν πάλιν τὴν ἐψευσμένην φιλανθρωπίαν, πρὸς τὴν αὐτῷ συνήθη καὶ φίλην ἐπανῆλθε θηρίαν, καὶ τὰ προσέκοντα ταύτῃ ποιεῖ.

Pergamum reducuntur,

11 Μακρὰν γὰρ ὁδοιπορίαν στέλλεσθαι μέλλων, ἀπὸ τῆς Σαρδιανῶν πόλεως πρὸς τὴν Πέργαμον, ἀκολουθεῖν αὐτῷ κελεύει καὶ τοὺς Ἁγίους, καὶ τῷ τάχει τῶν ἵππων συντρέχειν ἐκ ποδὸς ἀναγκάζει, ἵνα

B

πρὸς τὸν ἐκ τοῦ δρόμου κόπον ἀπαγορεύσαντες, τί γε ἄλλο ἢ καὶ ἄκοντες μεταβάλλοιντο, καὶ πεισθεῖεν εἴδωλα προσκυνεῖν. Οἱ Ἅγιοι δὲ, ὅτι μὴ καὶ πλείων ὁ δρόμος ἦν, ἡδονῆς ὕφεσιν τὸ πρᾶγμα ἡγοῦντο· οὕτω πᾶν τὸ διὰ Χριστὸν ἐπαγόμενον οὐ λύπην, ἀλλὰ πολλὴν μᾶλλον ἐνεποίει τὴν εὐφροσύνην, καθάπερ ἀπόδειξις αὐτοῖς τοῦ πολλοῦ πόθου τοῦ πρὸς τὸν Ἰησοῦν γενόμενον. Τῷ γοῦν τοῦ τοσούτου δρόμου καμάτῳ διημερεύσαντες, ἐπὶ τῷ ἄλγει τε τῶν τραυμάτων αὐτῶν, κατὰ τὸν θεῖον φθάναι Δαβίδ, καὶ τούτου προστεθέντος αὐτοῖς· εἶτα καὶ φυλακῆς ταῦτα

biduo currere post equos coacti.

διαδεξαμένης, νυκτὸς ἐπειγομένης ἤδη, ἀγγελική τις καὶ θειοτέρα δύναμις ἐπιστᾶσα ἐθεράπευσέ τε αὐτοῖς τὰς πληγὰς, καὶ μείζονα πρὸς τοὺς ἀγῶνας τὴν προθυμίαν ἐνέθηκεν. Οὐαλέριος τοίνυν ἕωθεν ἀναστὰς βαδίζειν αὐτοὺς ἐκέλευσε, πρὸς τὸν πόνον ἁπλῶς καὶ τὴν ταλαιπωρίαν τῆς χθὲς ἡμέρας ἀποσκοπῶν, καὶ οἰόμενος μόλις ἂν καὶ βασταζομένους τὴν ὁδὸν ἀνῦσαι. Ὡς δὲ οὕτως ἔχοντας ἐῤῥωμένους ἑώρα, καὶ τὰ τούτων πρόσωπα θάλλοντα μᾶλλον τῶν λουτροῖς καὶ ἀνέσεσιν καὶ σκιατραφίᾳ διηνεκῶς προσκειμένων, γοητείαν τὸ πρᾶγμα ἐκάλει ὁ δαιμόνων

C

ἀληθῶς ἔμπλεως· καὶ διὰ τοῦτο προστίθει τοῖς ἐπιπόνοις, θεραπεύων ἑαυτῷ τὸν θυμὸν, καὶ σιδήρῳ τὰ μέλη πανταχόθεν βαρυνόμενος, ἐκέλευε πάλιν ὁδεύειν.

CAP. III.

S. Carpus seorsim sollicitatus

12 Ἐπεὶ δὲ οὗτός τε κἀκεῖνοι ἐν τῷ ὡρισμένῳ γεγόνασι τόπῳ, θύσας δαίμοσιν Οὐαλέριος, ἐπὶ δικαστικοῦ βήματος προκαθίζει· καὶ τὸν μακάριον παραστησάμενος Κάρπον, καὶ πρόσωπον ἑαυτῷ περιθεὶς πιστοῦ τινος φίλου καὶ θερμὴν ἔχοντος τὴν περὶ αὐτὸν μέριμναν, Ἐχρῆν μὲν, εἶπεν, αἰδέσιμόν σε τὴν πολλὴν ἡλικίαν ἐπιεικείᾳ αὐτόματον ὁρμῆσαι πρὸς τὸ καλὸν καὶ τοῖς μεγίστοις θῦσαι θεοῖς· νῦν δὲ καὶ παρακελευόμενος πρὸς τοῦτο καὶ εὐεργετούμενος, ὡς ὁρῶ, οὐ δὲ βραχεῖάν τινα χάριν αὐτοῖς ἀπονέμεις, ἀλλὰ τοῦ οἰκείου συμφέροντος ἀμελεῖς· ἰδοὺ γὰρ οὗτοί σε τοῦ γήρως οἰκτείραντες ἀταλαίπωρόν σοι ἔστησαν τὴν πορείαν· αὐτὸς δὲ, οὐκ οἶδ' ὅ, τι παθὼν, ἀγνώμων τε περὶ τοὺς εὐεργέτας ἐλέγχῃ, καὶ ἡμᾶς ἐν μηδενὶ τιθέμενος πρὸς τὴν ἐκείνων ὀλιγωρεῖς θεραπείαν. Θέλησον οὖν κἂν ἄρτι κατανεῦσαι, καὶ συμβουλεύοντί μοι τὰ λυσιτελῆ πεισθῆναι, ὡς

ἐμὲ ἡ σὴ δυσωπεῖ πολιὰ καὶ λύπῃ δεινῇ συνέχομαι, καὶ ὥσπερ οὐκ ἀλλοτρίαν ἀλλ' ἐμαυτοῦ συμφορὰν τὸ σὸν κλαίομαι. Ἀλλὰ τί πάθω; οἶδας γὰρ ὅτι λίαν οὕτως ὑπερορώμενος οὐκ ἀνέξομαι, εἰ καὶ μὴ δι' ἐμαυτὸν, ἀλλά γε διὰ τὴν εἰς τοὺς θεοὺς ὕβριν.

EX MS. REGIS FRANCIÆ

constanter resistit,

Πρὸς ταῦτα ὁ θεῖος Κάρπος, Συμβουλὴν ἀπὸ φωτὸς, ἔφη, πρὸς σκότος, καὶ ἀπὸ ζωῆς πρὸς θάνατον ἄγουσαν, οὐκ ἂν λογισμοῦ κύριος συμβουλὴν, ἀλλ' αὐτὸ τοῦτο ὅπερ ἐστὶ, ἐπιβουλὴν ὀνομάσοι· εἰ δὲ καὶ ἡ ἐμή σε δυσωπεῖ πολιὰ, τί τὸ ἐμποδίζον μὴ καί σε πεισθῆναι μᾶλλον ἐμοὶ πατρικῶς συμβουλεύοντι; ὅτι δέ σε τὰ ἐμὰ λύπει, ἐγώ σε μᾶλλον οἰκτείρω τῆς ἀπωλείας, καὶ δῆλός εἰμι, ἡ φίλη ἴσω ἀλήθεια, συναχθόμενός σου τῇ συμφορᾷ, τοιούτοις προσκειμένου θεοῖς καὶ ψεῦδος τὴν ἐλπίδα θεμένου, τὸ τῆς θείας φάναι γραφῆς, οἵ γε πῶς ἂν ποτε δικαίως νομισθεῖεν θεοὶ, ὕλης ἀψύχου ὄντες, καὶ τὴν εἰς τὸ εἶναι παραγωγὴν ἐκ ἀνθρωπίνης χειρὸς ἔχοντες;

flagris diro caditur

13 Οὐαλέριος οὖν οὕτως ἐπὶ Κάρπου τοὺς αὐτοῦ θεοὺς, κἂν ὁ λόγος ἀληθὴς ἦν, ὑβριζομένους οὐκ ἐνεγκὼν, ἀγαθῶν λόγων πονηρὰν ἀντίδοσιν ἐποιεῖτο· ἐμίσησε γὰρ ἐν πύλαις ἐλέγχοντα, κατὰ τὸν θεῖον

E

Ἄμως, καὶ λόγον ὅσιον ἐβδελύξατο· ἐκέλευσε δὲ εὐθέως, καὶ ὁ θυμὸς ἄμετρος ἦν, καὶ δημίων χεῖρες εἶχον τὸν Ἅγιον, ῥάβδοι τε αὐτὸν ἀκανθώδεις ἀνηλεῶς ᾔκιζον, καὶ αἱ σάρκες ξαινόμεναι συνεχῶς εἰς ἀέρα διεσκεδάζοντο· καὶ κόρον ἐν τούτοις οὐκ ἐλάμβανεν ὁ θυμὸς, ἀλλὰ καὶ πάλιν ἕτεροι τῶν δημίων, οἱ μὲν λαμπάδας αὐτοῦ ταῖς πλευραῖς ὑπανῆπτον, οἱ δὲ ἄλας τοῖς μώλωψιν ἀπανθρώπως ἐπέταττον, ἐντεῦθεν αἱμάτων μὲν ῥύακες κατὰ τοῦ ἐδάφους ἐφέροντο, ἶνες δὲ διασπώμεναι δριμυτάτην τῷ Μάρτυρι αἴσθησιν ἐνεποίουν.

& lampadibus ustulatur,

14 Ἔκαμεν ἂν ἐν τούτοις, εἴ τι καὶ τῶν ἀψύχων ἦν τὸ αἰκιζόμενον, ἠλγήσατε δὲ καὶ ὑμεῖς πάντως καὶ πρὸς μόνην τὴν ἀκοήν· ἀλλ' ὁ Μάρτυς ὅσῳ τὸ πλῆθος τῶν κολάσεων ἐπετείνετο, τοσούτῳ καὶ αὐτὸς μᾶλλον τῷ πρὸς Θεὸν ἡλίσκετο ἔρωτι, καὶ ὥσπερ τινὸς ἡδίστου κατετρύφα τῶν ὀδυνῶν, ἕως πρὸς τὸ τοῦ ἀνδρὸς γενναῖον ἀποκαμὼν Οὐαλέριος, τοῦτον μὲν παρέπεμψε τῇ εἱρκτῇ· τὸν δὲ θεῖον παραστησάμενος Πάπυλον, ὥσπερ νῦν πρῶτον αὐτὸν θεασάμενος, ἠρώτα, τίνες οἱ γενέται, τίς ἡ πατρὶς, καὶ τίς ἄρα ἡ ἐπιστήμη τῷ Μάρτυρι. Ὁ δὲ Ἅγιος,

Interrogatus etiam Papylus

F

Μεμάθηκας ἤδη, φησὶν, ὅτι ἐλευθέρων πατέρων ἐγὼ παῖς, ἐκ Θυατείρων δὲ ὥρμημαι, μέτειμι δὲ ἰατρικὴν, οὐχ ὁπόση γένοιτο ἂν ἐκ βοτανῶν τῶν ἐκ γῆς φυομένων, ἀλλ' ὅση ἄν τινι ἀπὸ Θεοῦ δοθείη· καὶ γὰρ οὐ μέχρι σωμάτων περιορίζομεν τὴν ὠφέλειαν, ἀλλὰ καὶ τῶν ψυχικῶν ἀῤῥωστημάτων ποιούμεθα τὴν διόρθωσιν. Εἶτα ὁ δικαστὴς, Οὐκ ἄνευ ἀσκήσεως τῶν Γαληνοῦ, ἔφη, καὶ Ἱπποκράτους ταῦτ' ἂν γένοιτο, οἳ παρὰ τῶν θεῶν τῆς ἐπιστήμης τὸ κεφάλαιον ἔλαβον. Καὶ ὁ Πάπυλος, Γαληνὸς μὲν καὶ Ἱπποκράτης καὶ οἱ τὴν ἐκείνων μετιόντες τέχνην, τότε ἄν τινα θεραπεύσειαν, ἡνίκα τῆς ἑαυτοῦ φιλανθρωπίας τὴν χάριν καὶ ὁ ἐμὸς παράσχοι Θεός· εἰ δ' οὖν οἴχεται αὐτοῖς ἡ σπουδὴ, μηδὲν τῆς περὶ τὴν τέχνην ἀσκήσεως ἀπολαύσασα· οὓς δέ γε ὀνομάζεις θεοὺς, οὐ δὲ ἑαυτοὺς ὀνῆσαί τι δυνάμενοι, πῶς ἂν τῆς ἑτέρων οὗτοι φροντίσωσι θεραπείας; Εἰ δὲ καὶ μαθεῖν ἔργῳ τὸ πρᾶγμα ἐθέλεις, τὸν παρὰ σοὶ καθήμενον, πεπηρωμένον ὡς ὁρᾷς ὄντα τὸν ἕτερον τῶν ὀφθαλμῶν, ἀναβλέψαι ποιησάτωσαν, κἀμοὶ λόγος τὸ

provocat ad miraculum.

 μετὰ

EX MS. REGIS FRANCIÆ.

μετὰ ταῦτα οὐδείς. Εἰ δὲ ἄν τις, εἶπεν ὁ Οὐαλέριος, ὁ τοσοῦτον ὑγιῶσαι δυνάμενος; Οὐ τοῦτο μόνον, ὁ Ἅγιος ἔφη, ἀλλὰ κἂν νόσος ἄλλη τις ᾖ, κἂν πάθος οὐδὲ παρ' ὀλίγον ἰάσιμον, ῥᾳδίως ἅπαντα θεραπεύσειεν ὃς ἂν τὸν ἰώμενον πᾶσαν νόσον καὶ πᾶσαν μαλακίαν ἐπικαλεῖτο Χριστόν. Καὶ τὸν Οὐαλέριον φάναι, Ἴδωμεν ἐν τῷ παρόντι ὃ λέγεις. Οὐκ ἐγώ, φησιν ὁ Πάπυλος, ἐγχειρίσω πρῶτος· δέδοικα γὰρ μὴ τὸ πρᾶγμα νοθεύσας αὐτὸς τοῖς δαίμοσι τὰ τοῦ θαύματος ἐπιγράψῃς· ἀλλ' οἱ σοὶ πρότερον ἣν βούλονται τῶν θεῶν ὑμῶν ἐπίκλησιν ποιησάτωσαν, καὶ τότε πάλιν αὐτὸς τὴν τοῦ ἐμοῦ Χριστοῦ δύναμιν ἐπιδείξω.

in cœlite patrandum:

15 Τότε θεραπευτάς τινας καὶ θύτας παραγαγὼν Οὐαλέριος, τοὺς ἑαυτῶν ἐκέλευσε ἐπικαλεῖσθαι θεούς, μηδὲ τέχνης, μηδὲ ἐπινοίας, μηδὲ ἄλλης τινὸς μεθόδου πρὸς τοῦτο μεθιέντας μηδέν. Οἱ δὲ ἄλλος ἀλλαχῆ περιόντες, ὁ μὲν Ἀπόλλωνα, ὁ δὲ Ἀσκλήπιον, ἄλλος δὲ ἄλλον τῶν κιβδήλων ἐκάλει θεῶν, ἀδυνάτους κατὰ ἀδυνάτου πράγματος, ὅσα γε εἰς ἀνθρώπους ἧκεν, ἐπικαλούμενοι. Καὶ ἦν τὸ χρῆμα κομιδῇ γέλως, αἰσχύνη σαφής· τί γὰρ περὶ τῶν ζώντων, Ἠσαΐας φησὶν ὁ μέγας, ἐκζητήσουσι τοὺς νεκρούς; Ἡμέρα γοῦν διῆλθεν ὅλη· καὶ οἱ μὲν ἐδέοντο, ἱκέτευον, ἐθυσίαζον, πᾶσαν περὶ τὰ μάταια ἐποιοῦντο τὴν προσεδρείαν· τὰ δὲ κωφά, κωφὰ ἦν, καὶ τῷ ἐκ μέρους τυφλώττοντι οὐδεμία βοήθεια παρὰ τῶν ὅλως πεπηρωμένων. Τί οὖν ὁ τοῦ Χριστοῦ Μάρτυς; Ὁμοῦ σὺν τοῖς ὄμμασι τῆς σαρκὸς καὶ τὰ τῆς ψυχῆς εἰς οὐρανοὺς ἄρας, τὸν ἑαυτοῦ πρὸς ἔλεον ἐκάλει δεσπότην. Εἶτα τί; Τὸ τοῦ σταυροῦ σημεῖον ἐπιβάλλει ταῖς ὄψεσιν, ἅπτεται τῇ χειρί, τὸ φῶς ἠκολούθει, καὶ ὁ σβεσθεὶς ὀφθαλμός, ῥᾷον ἢ πρὸς ὕπνον συγκαλυφθείς, ἀνεῴγνυτο· καὶ τὸ δὴ μεῖζον, καὶ ἡ τῆς ψυχῆς ἐλύετο πήρωσις· καὶ πιστεύων ἦν, καὶ τὸ φῶς τὸ ἀληθινὸν ἑώρα, ὃ φωτίζει πάντα ἄνθρωπον ἐρχόμενον εἰς τὸν κόσμον· καὶ ἅμα πολύ τι πλῆθος ἀνθρώπων πρὸς τῆς ἀληθείας ἐπίγνωσιν ἐχειραγωγεῖτο.

pro quo frustra invocantur Dei,

B

non item frustra Christus.

16 Τίνα ἂν οὐ μετέβαλον ταῦτα; καὶ τίς ὁ τὴν ἰσχὺν ἔχων ταύτην ἐκζητῆσαι καὶ μαθεῖν παρεσκεύασεν; ἀλλ' εἰ καὶ πάντας, Οὐαλέριον γοῦν οὐδαμῶς, ἀλλὰ καὶ πολὺ μᾶλλον ἀπηνέστερον ἑαυτοῦ πεποιήκασι, καθάπερ ἐνδιδόμενον τῇ ἀπωλείᾳ τῆς πλάνης, καὶ οὐδαμῶς ἐκκαλυφθῆναι τὴν ἀλήθειαν ἀνεχόμενον· ὅθεν καὶ τὸν μάρτυρα ταύτης ἐπὶ ξύλον μετεωρίσας αἰκίζεται δριμύτατα, τοιαύτας τὰς ἀμοιβὰς τῆς εἰς τὸν συγκάθεδρον εὐεργασίας ἀποδιδούς. Ἐξαίνετο μὲν οὖν τὸ καλὸν ἐκεῖνο σῶμα ταῖς μάστιξι, Πάπυλον δὲ οὐ τοῦτο ἐλύπει, ἀλλ' ὅτι μὴ χαλεπώτεραι μᾶλλον ἐπήγοντο βάσανοι δεινῶς ἤσχαλλεν. Ὥσπερ γοῦν ἀπ' ἐναντίας καὶ Οὐαλέριος ἠττωμένας ὁρῶν πάλιν τὰς αὐτοῦ βασάνους πρὸς τὴν τοῦ Μάρτυρος εὐψυχίαν, πάθος ἴδιον εἶχε τοῦτο, καὶ πικρῶς ἔφερε. Τοιγαροῦν προστίθει; Καὶ ἄλας .... καὶ πῦρ ταῖς αὐτοῦ πλευραῖς ὑπανάπτει, καὶ λίθοις βάλλεσθαι κελεύει· ἀλλὰ καὶ πρὸς τὸ πῦρ ὁ Μάρτυς οὐδὲν ἔπαθεν ἀγεννές, καὶ οἱ λίθοι καθάπερ αἰδούμενοι τὸ διὰ Χριστὸν οὕτως αἰκιζόμενον σῶμα, ἀλλαχοῦ μὲν ἠκοντίζοντο, κατ' αὐτοῦ δὲ οὐδαμῶς ἐφέροντο.

tum flagellato Papylo

C

nec ignis nec lapides nocent.

17 Ἐπεὶ οὖν ἀπηγόρευσεν Οὐαλέριος ἤδη καὶ οὐδὲν εἶχεν ὃ ἐπαγάγοι τοῖς Ἁγίοις εἰς τιμωρίαν, καιρὸν ἐδίδου τοῖς μώλωψι, λογιζόμενος ἴσως, ὡς εἴγε καὶ μικρὸν οὕτως ἀνεθεῖεν οἱ Μάρτυρες, δριμυτέραις αὐτοὺς αἱ μώλωπες περιβαλοῦσιν ὀδύναις ἤδη φλεγμήναντες, καὶ οὕτω χαυνοτέρους πρὸς τὰς μελλούσας ἐξετάσεις παρέξονται. Ἀλλ' οὗτοι τὸν ἰατρὸν ἐγγὺς ἔχοντες, δι' ὃν καὶ τὰς πληγὰς ἡδέως ἐδέχοντο, οὐ τῶν ὀδυνῶν μόνον ἀλλὰ καὶ τῶν τραυμάτων αὐταῖς οὐλαῖς ἀπηλλάττοντο, μηδὲ ἴχνος τι τούτων ἐφ' ἑαυτῶν περιφέροντες· ὥστε ἐλάνθανεν πλήττων ἑαυτὸν ὁ Οὐαλέριος, οὐ τοὺς Μάρτυρας· ὅσῳ γὰρ ἐκουφίζοντο τῶν πόνων ἐκεῖνοι, τοσοῦτον τὴν καρδίαν αὐτὸς ἐμαστίζετο καὶ θυμὸς αὐτὸν ἴσα καὶ πυρὶ κατεπίμπρα.

& uterque Sanctus divinitus sanatur.

D

18 Βραχὺ τὸ μεταξύ, καὶ πάλιν ὁ μὲν ὑψηλοῦ προκάθηται βήματος, φόνιόν τι καὶ μανικὸν βλέπων, καὶ διὰ τοῦ τῆς ψυχῆς κατόπτρου τῶν ὀφθαλμῶν τὴν ἔνδον ὑποφαίνων πικρίαν, καὶ οὐ δὲ πρόσιτος τοῖς πλείοσιν ὤν, περιίσταται δὲ αὐτὸν πᾶν ὅσον ὑπηρετικὸν εἶχε τῆς σφετέρας ἀλαζονείας. Εἰσάγονται δὲ οἱ γεννάδαι, μᾶλλον δὲ εἰσίασι πρόθυμοι, ὥσπερ ἂν αὐτοὺς εἰς εὐωχίαν οὐκ εἰς ἀγῶνα καλεῖσθαι· καὶ ὁ μὲν καταπλήξειν αὐτοὺς καὶ πρὸ τῶν ἀπειλῶν ἐδόκει μόνῃ τῇ θέᾳ, καὶ ἠρώτα τῆς γνώμης ἀπειρώμενος τῶν Ἁγίων καὶ μεταβολὴν ἐφαντάζετο· οἱ δὲ τοσοῦτον ἀπέσχον τοῦ τι τοιοῦτον παθεῖν, ὥστε καὶ ὠνείδιζον αὐτῷ τὴν περὶ τὴν ἀπόφασιν βραδύτητα καὶ ὅτι μὴ ταχέως ἀπέθνησκον. Τί πράγματα, λέγοντες, καὶ σαυτῷ καὶ τοῖς ὑπηρέταις παρέχεις, ἀγωνίμους μὲν ὑμᾶς πολλάκις ποιῶν, τῆς δὲ τελευταίας ψήφου φειδόμενος, ἐλπίζων τάχα μεταβαλεῖν ἡμᾶς καὶ πεῖσαι ἀποστῆναι Χριστοῦ καὶ τῆς ἀληθείας; ὅπερ τότε ἂν ἐθεάσω, ὅτε ὁμοίως τοῖς σοῖς θεοῖς ἀναισθήτους ἡμᾶς ἑώρακας καὶ κωφούς. Ταῦτα οὐκ ἔφθασαν εἰς τέλος εἰπεῖν· καὶ σιδηροῖ μὲν κατὰ γῆς ἐσπείροντο τρίβολοι, ἠκοντίζοντο δὲ οἱ γενναῖοι γυμνοί, καὶ ὕπτιοι ἐπάνω τούτων ἀφειδῶς εἵλκοντο· πρᾶγμα πικρότατον εἰς τιμωρίαν καὶ μόνον εἰς ὀφθαλμοὺς ἐρχόμενον. Ἀλλ' οὐδὲ ἐν τούτῳ Θεὸς τῶν ἐκείνου ἠμέλει θεραπευτῶν, ἀλλ' εὐθέως (δεῖ γὰρ καὶ αὖθις τὸ τῆς θείας φάναι γραφῆς) ἀνέβη ὁ ἐμφυσῶν εἰς πρόσωπον αὐτῶν καὶ ἐξαιρούμενος αὐτοὺς ἐκ θλίψεως· καὶ παραχρῆμα οἱ τρίβολοι ἀφανεῖς ἦσαν, καὶ αὐτοὶ κακῶν ἀπαθεῖς ἐφυλάχθησαν. Τοῦτο πρὸς πλείονα μανίαν ἐξῆπτε τὸν δικαστήν, καὶ ξυστῆρες πάλιν τὰς πλευρὰς ὑπέξεον τῶν Ἁγίων οὕτως ἀγρίως, ὡς ἀμφοτέρους αὖθις ἔξω τῶν φυσικῶν ὅρων γενέσθαι, καὶ τοὺς δημίους ἐν τῷ κολάζειν ἀσυμπαθῶς, καὶ τοὺς Ἁγίους ἐν τῷ φέρειν εὐψύχως τὰ λυπηρά.

CAP. IV.

Exprobrantes Iudici mortis inferendæ tarditatem

E

tripliciter supra tribulos ferreos,

laceratur scorpionibus,

F

19 Μετὰ ταῦτα πάλιν τὰ τῶν θηρίων ὠμότατα συναθροίζει, θέατρόν τε συνίστησι τοῖς Ἁγίοις, καὶ θεατὴς αὐτὸς κάθηται· εἰς μέσον τε τοὺς Μάρτυρας ἀγαγών, ἄρκτον αὐτοῖς ἐπαφίησι. Καὶ νομίσας ὁμοῦ τε ἀφεθῆναι καὶ τοῖς γεννάδαις διασπαράξαι τὰ σώματα, τῶν ἀλόγων μᾶλλον ἑώρα τὴν φύσιν παραδόξως τοὺς λογικοὺς συνετίζουσαν· ἡ γὰρ ἄρκτος, ὥσπερ αἰδουμένη τοὺς ὡραίους αὐτῶν πόδας καὶ εἰρήνην ἀληθῶς εὐαγγελιζομένους, οὐ μόνον ἐπιβλαβὲς οὐδὲν καὶ ἄγριον καὶ τὸ ὅλον φάναι θηριῶδες εἰργάσατο, ἀλλὰ καὶ προσέπιπτεν αὐτοῖς μᾶλλον καὶ φιλικῶς ἠσπάζετο. Οὐ δὲ τοῦτο ἤρκεσε τῷ ἀσυνέτῳ νοῦν ἐμβαλεῖν, ἀλλὰ καὶ λέων εὐθὺς ἐπαφίεται, καὶ αὐτὸς ὁμοίως τῇ ἄρκτῳ τοῖς θείοις νεύμασι πειθαρχῶν ἦν, καὶ τοὺς ὑπὲρ τοῦ κοινοῦ Δεσπότου τὰ χαλεπὰ πάσχοντας, οὐχ ὅπως δρᾶσαί τι πονηρὸν βουλόμενος. Οὐαλέριος τοίνυν, ὥσπερ αὐτὸς ἑαυτὸν ὑπερβαλεῖν ἐν κακίᾳ πειρώμενος, ἔν τινι λάκκῳ

objiciuntur feris

vinculati per triduum immerguntur.

τιτάνου

A

viva calci per triduũ immerguntur,

τιτάνου πεπληρωμένῳ, ὃν συνήθες ἄσβεστον ὀνομάζειν, νεαροῦ καὶ ἄρτι σβεσθέντος, ἢ μᾶλλον ἀναφθέντος εἰπεῖν, εἰσαχθῆναι τοὺς Ἁγίους προσέταττε, καὶ ὅλας τρεῖς ἐν αὐτῷ διάγειν ἡμέρας, τρόπῳ τινὶ τούτῳ νικῆσαι τοὺς ἀηττήτους ὁ δυσσεβὴς μηχανώμενος. Ἀλλ' ἔκαμνε μάτην ἀντιμαχόμενος ἀληθεῖ Θεῷ· θεία γάρ τις χάρις καὶ δύναμις τοῖς δι' αὐτοῦ Μάρτυσιν ἐν τῷ λάκκῳ παρῆν, ἀναβλύουσα μὲν τὴν ἐνέργειαν τοῦ τιτάνου, κακοῦ δὲ ἀπαθεῖς τοὺς ἀθλητὰς συντηροῦσα.

crepidis clavatis calceantur.

19 Οὐαλέριος δὲ ὅσῳ πλείονα τὴν χάριν ἐν τοῖς Ἁγίοις διαφαινομένην ἑώρα, τοσούτῳ μᾶλλον αὐτὸς ἐνεανιεύετο, ἰσχυρότερος ὁ ἄφρων καὶ Θεοῦ γενέσθαι φιλονικῶν. Κρηπῖδας οὖν σιδηρᾶς, περόναις μακραῖς διαπεπαρμένας τοῖς μαρτυρικοῖς ἐκείνοις ποσὶν ὑποδεθῆναι προσάττει, καὶ ὑποδεθέντας τρέχειν τοὺς Μάρτυρας, ἵνα κἂν γοῦν τῆς βασάνου ταύτης ἡττηθέντες ὀφθεῖεν. Ἀλλ' εἰκῇ καὶ πάλιν ἐπόνει· ὅσῳ γὰρ χαλεπώτερα ἐπενόει, τοσούτῳ καὶ δευτέρα δύναμις ἐπισκιάζουσα τοὺς Ἁγίους κρείττους τε τῶν ἐπαγομένων ἐποίει, καὶ ῥωμαλεωτέρους μᾶλλον πρὸς τὰ δεινὰ παρεσκεύαζεν. Ὁ δὲ καὶ ἐπειρᾶτο μεταπείσειν, οὕτως ἀπὸ τῆς θείας χάριτος ἐπιδήλως βοηθουμένους, καὶ θύσιν ἠξίουν τοῖς βδελυκτοῖς, τοσαύτῃ φρενοβλάβειᾳ κατεῖχε τὸν ἀσεβῆ. Μὴ ἔχων οὖν ὅ, τι χρήσαιτο, κατῃσχυμμένος ἤδη καὶ φανερῶς ἡττημένος, κάμινον ὕλῃ πολλῇ τρεφομένην ἀνάπτει, καὶ κατὰ μέσης αὐτῆς ἐμβάλλει τοὺς Μάρτυρας· ἡ δὲ ἐσβέννυτο εὐθέως, καὶ τοὺς Ἁγίους ἀνέψυχεν· ὅτε καὶ ἡ σεμνοτάτη Ἀγαθονίκη, Μάρτυρος ὄντως ἀδελφὴ οὖσα, τοῦ θείου φημὶ Παπύλου, τὴν φλόγα τε σὺν αὐτοῖς εἰσῆλθε, καὶ τῶν ἀγώνων ὥσπερ δὴ καὶ τῶν στεφάνων κοινωνὸς γέγονεν. Πάλιν οὖν ἡ φρουρὰ αὐτοὺς εἶχε, καὶ πάλιν οὗτοι τῶν πρὸς Θεὸν ὕμνων καὶ τῆς εὐχῆς εἴχοντο.

conjiciuntur in fornacem

B

quam ultro ingreditur Agathonica

EX MS. REGIS FRANCIÆ.

21 Ἐπεὶ δὲ ἠπόρει τοῖς ὅλοις ὁ δικαστής, μόλις ποτὲ τὸ διὰ ξίφους αὐτῶν κατακρίνει τέλος. Ἡγοῦντο γοῦν οἱ Μάρτυρες ἐπὶ τὸν τῆς τελειώσεως τόπον χαρᾶς ἔμπλεῳ, οὐ δὲ τῆς γενναίας Ἀγαθονίκης ἀπολειφθῆναι τούτων ὑπομενάσης· εἶτα χεῖρας ὁσίας ἄραντες πρὸς τὸν Θεόν, οὐχ ἑαυτῶν ὑπερηύχοντο μόνον, ἀλλὰ καὶ τοὺς αὐτῶν φονευτὰς ῥυσθῆναί τε τῆς πλάνης καὶ μεταβαλεῖν πρὸς εὐσέβειαν. Τοιαύταις ἀμοιβαῖς ἠμοίβοντο τοὺς ἐχθροὺς οἱ τοῦ ἀγαθοῦ μαθηταί, καὶ ἄφεσιν τολμήματος εὐξαμένου τοῖς φονευταῖς· ἄλλως τε δὲ καὶ αὐτοὶ μεγάλην ἐκείνοις ᾔδεσαν χάριν, ἀνθ' ὧν δι' αὐτῶν ἐξεδήμουν πρὸς τὸν ποθούμενον. Ἐπευξάμενοι δὲ τὰ λυσιτελῆ πᾶσι τὰς κεφαλὰς ἀπετμήθησαν, τρισκαιδεκάτην ἄγοντος τοῦ Ὀκτωβρίου μηνός. Τὰ γοῦν τίμια τούτων λείψανα, οὕτως ἀτίμως καὶ ἀμελῶς κείμενα, Χριστιανῶν ἀνελόμεναι χεῖρες, μετὰ λαμπάδων ὁμοῦ καὶ ὕμνων ἐν ἐπιφανεῖ κατέθεντο τόπῳ· πλοῦτον Χριστιανοῖς ἄσυλον, πνεύμασι πονηροῖς φοβερὰν μάστιγα, καὶ νοσοῦσι πᾶσι δρόσον καὶ ἀψευδὲς ἴαμα, εἰς δόξαν Θεοῦ Πατρὸς καὶ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, ᾧ πρέπει τιμὴ καὶ κράτος σὺν τῷ παναγίῳ καὶ ζωοποιῷ Πνεύματι, νῦν καὶ ἀεί, καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Ἀμήν.

& gladio denique cum illis plectitur:

corpora honorifice sepeliuntur.

E

ELOGIVM EORVMDEM

ex Synaxario MS. Collegii Claromontani S. I. Parisiis.

ΜΗΝΙ ΟΚΤΩΒΡΙῼ ΙΓ'.

θλησις τῶν ἁγίων Μαρτύρων Κάρπου καὶ Παπύλου, Ἀγαθοδώρου καὶ Ἀγαθονίκης. Οὗτοι ὑπῆρχον ἐπὶ Δεκίου Βασιλέως, ἰατροὶ τὴν τέχνην. Καὶ ὁ μὲν ἅγιος Κάρπος Ἐπίσκοπος τῆς Περγάμων Ἐκκλησίας, μετὰ τὴν ἄφιξιν Ἰωάννου τοῦ Θεολόγου καὶ Εὐαγγελιστοῦ, καθίσταται· ὁ δὲ Πάπυλος Διάκονος ὑπὸ τοῦ Κάρπου χειροτονεῖται. Κρατηθέντες οὖν παρὰ Οὐαλλεριανοῦ Ἀνθυπάτου, Ἄρχοντος τῆς Ἀσίας, καὶ ὁμολογήσαντες τὸν Χριστὸν προσεδέθησαν ἵπποις· καὶ περιεπάτουν ἔμπροσθεν τοῦ Ἄρχοντος, συρόμενοι πρὸς τὰς Σάρκας, κἀκεῖ κρεμασθέντες ἐπὶ ξύλων ἐξέοντο. Ὁ δὲ Ἀγαθόδωρος, δοῦλος ὢν τοῦ ἁγίου Παπύλου καὶ ἀκολουθῶν αὐτῷ, διὰ ῥάβδων ὑπερβολικῶς τυφθεὶς, ἐτελειώθη. Κρεμάμενος δὲ ὁ ἅγιος Κάρπος, ὑπεμειδίασε· καὶ ἐρωτηθεὶς παρὰ τοῦ Ἄρχοντος, Τίνος χάριν ἐγέλασας, ὦ Κάρπε· εἶπεν, Ὅτι εἶδον τὴν δόξαν τοῦ Θεοῦ καὶ ἐχάρην. Εἶτα καταβιβασθέντες ἀπὸ τῶν ξύλων ἐνεβλήθησαν εἰς τὸ πῦρ. Παροῦσα δὲ ἡ ἀδελφὴ τοῦ Παπύλου Ἀγαθονίκη, καὶ ἰδοῦσα τὸν ἀδελφὸν πρὸς τὸ πῦρ ἀνδριζόμενον, καὶ τὴν γυναικείαν ἀσθένειαν μετὰ τῶν ἱματίων ἀποῤῥίψασα, ἐφήπλωσε καὶ αὐτὴ ἑαυτὴν ἐπὶ τοῦ πυρός· καὶ ἀμφότεροι παρέδωκαν τὰ πνεύματα αὐτῶν τῷ Κυρίῳ. Τελεῖται δὲ ἡ αὐτῶν Σύναξις ἐν τῷ ἁγιωτάτῳ αὐτῶν μαρτυρείῳ, τῷ ὄντι πλησίον Ἑλενιανῶν.

C


E

ΜΑΡΤΥΡΙΟΝ ΤΩΝ ΑΓΙΩΝ

ΜΑΞΙΜΟΥ, ΔΑΔΑ, ΚΑΙ ΚΥΝΤΙΛΛΙΑΝΟΥ.

Ex MS. Bibliothecæ Vaticanæ num. 1660.

Persecutione mota



Ἀσιλευόντων τῶν ἀσεβεστάτων Διοκλητιανοῦ καὶ Μαξιμιανοῦ, ἐπὶ τῆς ὑπατείας Ταρκυινίου καὶ Γαβινίου, ἐν τῇ δευτέρᾳ αὐτῶν ἀρχῇ, ἡ τοῦ διαβόλου κατὰ τῶν Χριστιανῶν ἐξέρρηξεν μανία. Ποιουμένων οὖν αὐτῶν τὴν φροντίδα τῆς οἰκουμένης, ἐπεφύει δόγμα παρ' αὐτῶν, ὃ ἔθεντο ἀπὸ τοῦ αὐτοῦ [a] ἐνιαυτοῦ, οὕτω λέγοντες. Πάντας μὲν ὑμᾶς ἀφιερωμένους εὑρίσκομεν, τοὺς ὑπηκόους ἡμῶν, περὶ τὴν θρησκείαν τῶν θεῶν, νῦν δὲ ἐν τῇ δευτέρᾳ ἡμῶν ἀρχῇ φροντίδα εἰληφότες, δεόμεθα καὶ παρακαλοῦμεν τοὺς οἰκοῦντας τὴν χώραν ταύτην ἐπὶ τῶν ἡμετέρων χρόνων, B περὶ τὸ σέβας καὶ τὴν ἀγάπην τῶν θεῶν παντὶ τρόπῳ μετὰ σπουδῆς πάντας ἑτοιμασθῆναι· εἰ γὰρ εὑρεθείη τις ὀνομάζων τὴν δύναμιν τοῦ Χριστοῦ ἐν ᾧ δή ποτε μέρει, καθ' ἑαυτοῦ τὴν ἡμετέραν διεγείρει ὀργήν.

& edicto proposito,

Ταῦτα δὲ ὁ λαὸς ἀκούσας, συνέδραμεν εἰς τὸ πληρῶσαι τὰ ὑπ' αὐτῶν διατετυπωμένα, ἐν δὲ τῇ ὁρισθείσῃ ἡμέρᾳ ἠσπάσαντο τοὺς οἰκείους Ἄρχοντας, λέγοντες, Χαρίτωσαν ἡμῶν οἱ δεσπόται, οἱ τοιαύτην φροντίδα θέμενοι ὑπὲρ τοῦ σεβάσματος τῶν θεῶν. Ταρκυίνιος ὁ Ὕπατος εἶπεν· Ἐπειδὴ τοσαύτην προθυμίαν ἐν ὑμῖν εὗρον, κρίνω καὶ παρακαλῶ ὑμᾶς, ἵνα τῇ αὔριον ἡμέρᾳ προσέλθητε, καὶ θυσίαν προσαγάγετε τοῖς θεοῖς· ἐπειδὴ οὖν μακρόθεν συνήλθετε, μεθ' ἡμῶν εὐφράνθητε, καὶ οὕτως εἷς ἕκαστος ὑμῶν εἰς τὴν ἰδίαν πόλιν ἐπανελύθη.

omnique populo ad sacrificium concurrente

Ἐν δὲ τῇ ἄλλῃ ἡμέρᾳ πάντες προσῆλθον θῦσαι τοῖς θεοῖς αὐτῶν, καὶ οὕτως ὡς ὑπέσχετο αὐτοῖς Ταρκυίνιος ὁ Ὕπαρχος ἀπέλυσεν αὐτοὺς ἀπελθεῖν.

delati hi Sancti & comprehensi,

2 Τῇ δὲ ἐπαύριον ἄνθρωπός τις μανιώδης προσελθὼν τῷ Ταρκυινίῳ εἶπεν· Εἰσὶν τρεῖς ἄνδρες, οἵτινες τῇ χθεσινῇ ἡμέρᾳ οὐκ ἠθέλησαν πειθαρχῆσαι τοῖς προστάγμασί σου, καὶ θῦσαι τοῖς θεοῖς, λέγοντες ἑαυτοὺς προσκυνεῖν μόνῳ τῷ Θεῷ τῷ ἐν τοῖς οὐρανοῖς. C Ταῦτα ἀκούσας ὁ Ταρκυίνιος, ἀπέστειλεν πρὸς αὐτοὺς οἰκείους ὑπηρέτας εἰς τὸ συσχεθῆναι αὐτούς. Ἀπελθόντες δὲ οἱ ὑπηρέται πρὸς αὐτοὺς ἐν τῷ κλίματι, οὕτω προσαγορευομένῳ Ὀζωβία, εὗρον αὐτοὺς εὐχὰς τῷ Θεῷ προσάγοντας· οὕς τινας συσχεθέντας, καὶ ἁλύσεσι σιδηραῖς δεθέντας, ἤγαγον αὐτοὺς συντόμως ἐν Δωροστόλῳ.

noctem in carcere traducunt orantes,

Καὶ εἰσελθόντες, ἑσπέρας καταλαβούσης, ἀπήγγειλαν τῷ Ταρκυινίῳ λέγοντες, Ὅτι συνεσχέθησαν οἱ ἄνθρωποι ἐκεῖνοι, οἱ λέγοντες ἑαυτοὺς εἶναι Χριστιανούς. Ταρκυίνιος ὁ Ἔπαρχος εἶπεν· Ἐν ταύτῃ τῇ ὥρᾳ προπετῶς οὐ δέχομαι αὐτούς, ἀλλὰ τῇ ὑμετέρᾳ πίστει τούτους φυλάξατε ἕως πρωΐ. Οἱ δὲ στρατιῶται, κατὰ τὸ προσαχθὲν αὐτοῖς, ἐφύλαξαν αὐτοὺς ἕως πρωΐ. Ἐκεῖνοι δὲ δι' ὅλης τῆς νυκτὸς προσηύχοντο λέγοντες, Παράσχου ἡμῖν, Κύριε Ἰησοῦ Χριστέ, τὴν σὴν ἐπουράνιον δύναμιν εἰς συμμαχίαν, ἵνα δυνηθῶμεν νικῆσαι τοὺς ἐναντίους ἡμῶν, καὶ πρὸς τὴν σὴν χρηστότητα ἀξίους ἡμᾶς ποίησον κομίσασθαι τὸν στέφανον τῆς νίκης.

3 Διαφάμματος [b] δὲ γενομένου, κελεύει ὁ Ταρκυίνιος ἀχθῆναι ἔμπροσθεν αὐτοῦ τοὺς Ἁγίους, καὶ ἑωρακὼς καὶ κατανοήσας αὐτοὺς εἶπεν· Οὗτοί εἰσιν οἱ καταφρονήσαντες τῶν ἡμετέρων προσταγμάτων, καὶ λατρεύοντες κατὰ τὸ ἴδιον θέλημα;

Postera die coram Proconsulibus

Καὶ εἶπεν πρὸς αὐτούς, Πρῶτον εἴπατέ μοι τὰ ὀνόματα ὑμῶν. Ὁ ἅγιος Μάξιμος εἶπεν· Ἐγὼ μέν, κατὰ τὴν πίστιν ἡμῶν ἐν Κυρίῳ Ἰησοῦ Χριστῷ, Χριστιανός εἰμι μετὰ τούτων τῶν ἀδελφῶν μου· κατὰ δὲ ἀνθρώπους, Μάξιμος λέγομαι. Ταρκυίνιος ὁ Ἔπαρχος εἶπεν· Ὡς πρέπει κληρικὸν ὑπουργοῦντα, οὐ τοῖς θεοῖς, ἀλλ' ἑτέρῳ τινὶ οὕτως ἀπεκρίθης· ὁ δὲ ἄλλος ὁ ἑπόμενός σοι, ὁ εἰς τοῦτο ἀνθιστάμενός μοι, τίς λέγεται;

nomine suo & fidem professi,

Ὁ δὲ ἀπεκρίθη αὐτῷ, Δάδας, καὶ ἡμεῖς δὲ οὕτως ἐσμὲν ὡς καὶ ὁ ἀδελφὸς ἡμῶν εἶπεν ὁ πρότερος. E Ταρκυίνιος εἶπεν· Καὶ ὁ τρίτος τίς λέγεται; Ὁ ἅγιος Κυντιλλιανὸς εἶπεν· Κυντιλλιανὸς λέγομαι, Χριστιανὸς δέ εἰμι.

4 Μαγνιλλιανοῦ δὲ τοῦ νοταρίου ἐκλαμβάνοντος τοὺς ἑκατέρων λόγους, Γαβίνιος ὁ Ὕπατος εἶπεν· Ἐξέλαβες πάντων τὰ ὀνόματα; Μαγνιλλιανὸς ὁ νοτάριος ἀπεκρίθη, Ἐὰν κελεύει ἡ ἐξουσία ὑμῶν, ἀναγνωσθήτω τὸ ὕφος. Γαβίνιος ὁ Ὕπατος εἶπεν· Ἀνάγνωθι. Τότε Μαγνιλλιανὸς ὁ νοτάριος ἀναγνοὺς εἶπεν· Ἃ ἐξέλαβον ὀνόματα ἐπὶ πάντων ταῦτά ἐστιν, Μάξιμος, Δάδας, καὶ Κυντιλλιανός.

respuunt oblatum matris deorum sacerdotium,

Τότε εἶπεν Ταρκυίνιος ὁ Ἔπαρχος, Ἰδοὺ ἐν ταῖς χερσὶν ἡμῶν παρεγένετο ἡ ὑμετέρα ἀγάπη· εἰ οὖν θέλετε ζῆσαι, ἀπέλθετε καὶ θύσατε τῇ μητρὶ τῶν θεῶν, καὶ ἔσεσθε ἱερεῖς αὐτῶν, ἐπειδὴ ὁ ἱερεὺς ὁ τιμῶν αὐτὴν ἀπέθανεν, καὶ πρὸς τὸν μέγαν Δία καὶ ἐπουράνιον βασιλέα ἀπῆλθεν εἰς τὸ ἐκείνῳ ὑπουργεῖν. Ὁ ἅγιος Μάξιμος εἶπεν· Κάκιστε καὶ ἀναιδέστατε, οὐ δὲ φοβῇ σὺ τὸ ὄνομα τοῦ Κυρίου, ἐπονομάζων τὸ ὄνομα τοῦ Θεοῦ, μοιχὸν βασιλέα εἶναι ἐπουράνιον; γνῶτε ὦ ἀναίσθητοι ὅτι ὁ Χριστός ἐστιν βασιλεὺς ἐπουράνιος, ὁ πάντων προνοούμενος καὶ πάντα κατέχων τῇ ἰδίᾳ παλάμῃ. E Ἵνα οὖν γινώσκητε ὅτι ἡμεῖς ταύτην τὴν φθοροποιὸν κέλευσιν ποιεῖν οὐ δυνάμεθα· ἡμεῖς γὰρ κατὰ πάντα τρόπον τῷ Θεῷ τοῦ οὐρανοῦ λατρεύομεν, ὡς καὶ πλάσμα ὄντες τῆς χειρὸς αὐτοῦ.

& judicum insaniam redarguunt,

5 Γαβίνιος δὲ ὁ Ὕπατος προσκαλεσάμενος Δάδαν καὶ Κυντιλλιανόν, συνεβούλευεν αὐτοῖς διὰ πολλῶν ματαίων λόγων, εἴγε δυνηθείη τούτους δελεάσαι ἐπ' ὀλεθρίᾳ εἰς τὸ οἰκεῖον θέλημα. Οἱ δὲ ἅγιοι Δάδας καὶ Κυντιλλιανὸς εἶπον πρὸς αὐτόν, Ἡμεῖς συναινοῦμεν τοῖς παρὰ τοῦ ἀδελφοῦ ἡμῶν Μαξίμου λεχθεῖσιν, ἐπειδὴ οὗτος τῆς καθολικῆς Ἐκκλησίας Ἀναγνώστης ἐστίν, καὶ αὐτὸς καλῶς ἐπίσταται τὴν θείαν γραφήν, καὶ οἶδεν τὸ τί ἡμῖν συμφέρει πράττειν· σὺ δὲ τῇ δαιμονικῇ μανίᾳ ἀπαλόμενος, ἀγνοεῖς τὸ τί σοι συμφέρει· εἰ γὰρ ἠθέλησας τὸ συμφέρον σοι ὑπακοῦσαι, ἐθεώρησας ἂν ἐν οὐράνιον φῶς. Γαβίνιος Ὕπατος ἅμα τῷ Ταρκυινίῳ εἶπεν· Ἰδοὺ πόσοις τρόποις συμβουλεύομεν ὑμῖν, καὶ οὐ θέλετε πειθαρχῆσαι, ἀλλ' ἐπιμένετε μαινόμενοι. Ὁ ἅγιος Μάξιμος εἶπεν· Ὑμᾶς μαίνεσθε, οἵτινες ἀνθρώπους καλῶς βιοῦντας, καὶ τῷ μόνῳ Θεῷ λατρεύοντας, βούλεσθε εἰς θρησκείαν δαιμόνων ἑλκύσαι· τὸ οὖν δοκοῦν ὑμῖν ποιήσατε, ἡμᾶς γὰρ οὐδαμῶς τῆς οἰκείας ἀποστήσετε προθέσεως.

6 Γαβί-

A

& Angelico confortati alloquio

6 Γαβίνιος δὲ καὶ Ταρχυΐνιος Ὕπατοι διελογίζοντο πρὸς ἀλλήλους περὶ τῶν πρὸς αὐτοὺς λεχθέντων ὑπὸ τῶν Ἁγίων, καὶ κελεύουσιν τοὺς ἁγίους Μάρτυρας εἰς φυλακὴν ἀποκατασταθῆναι· Οἱ δὲ Ἅγιοι ἐπορεύοντο, διαλεγόμενοι περὶ τῆς οἰκείας σωτηρίας. Περὶ δὲ τὸ μεσονύκτιον ὁ ἅγιος Μάξιμος ἀναγινώσκων, Δάδαν καὶ Κυντιλλιανὸν ἐπαίδευεν ἐν πολλῇ διδασκαλίᾳ τῆς θείας γραφῆς· ὑπνώσαντες δὲ εἶδον τὸν διάβολον ἐζωσμένον ὅπλα, καὶ κατ᾽ αὐτῶν μαχόμενον. Ἐγερθέντων δὲ αὐτῶν ἀπὸ τοῦ ὕπνου, ἐφάνη αὐτοῖς Ἄγγελος Κυρίου λέγων αὐτοῖς, Μὴ φοβεῖσθε, ὁ γὰρ Θεός, ᾧ τινι ἑαυτοὺς δεδώκατε, ἐκδέχεται ὑμᾶς, καὶ οὐκ ἔστιν μακρὰν ἀφ᾽ ὑμῶν. Τούτῳ δὲ τῷ λόγῳ ἐνδυναμωθέντες, εὐλόγουν τὸν Θεὸν ἕως πρωΐ. Οἱ δὲ Ὕπατοι ἐκέλευσαν τοὺς Ἁγίους ἀχθῆναι, καὶ παραστῆναι ἔμπροσθεν αὐτῶν. Τῶν δὲ ὑπηρετῶν παραστησάντων αὐτούς, Γαβίνιος ὁ Ὕπατος εἶπεν, Ἰδοὺ ἐνώπιον ἡμῶν ἵστασθε, νῦν οὖν παρακαλοῦμεν ὑμᾶς, ἵνα ἀπελθόντες θύσητε τοῖς θεοῖς, οὐ γὰρ μικρὰς τιμὰς λήψεσθε παρ᾽ ἡμῶν· εἰ δὲ οὐ θέλετε πεισθῆναι ἡμῖν, θάνατον ἑαυτοῖς προσπορήσεσθαι, ἐπειδὴ καὶ οἱ θεοὶ ἡμῶν τοῦτο ἡμῖν ἐν τοῖς ὕπνοις ἐν ταύτῃ τῇ νυκτὶ εἶπον. Οἱ δὲ ἅγιοι Μάρτυρες εἶπον· Καὶ ἡμῖν Κύριος ὁ Θεὸς ἡμῶν ἐν τοῖς ὕπνοις οὕτως ἠξίωσεν ἀποκαλύψαι, ἵνα ὑπὲρ τοῦ ὀνόματος αὐτοῦ πάσας τὰς βασάνους ὑπομείνωμεν. Τότε ὁ Ταρχυΐνιος πρὸς Γαβίνιον c εἶπεν· Οὗτοι εἰ μὴ τιμωρίαις παραδιδῶσιν, οὐδαμῶς αὐτοὺς δυνάμεθα πεῖσαι. Γαβίνιος εἶπεν· Ἐὰν τοῦτο ἐπιλέγονται, αὐτοὶ ἑαυτοῖς ἐπιγράψωσι τὴν αἰτίαν.

spernunt intentata sibi supplicia.

B

c

post illata verbera

7 Τότε ἐκέλευσαν τοῖς ὑπηρέταις, ἵνα ἀποδύσωσιν αὐτούς. Ἀποδυθέντων δὲ αὐτῶν, εἶπεν Γαβίνιος τοῖς ὑπηρέταις, Δήσαντες τείνατε αὐτοὺς εἰς τὴν γῆν, καὶ οὕτως αὐτοὺς μαστίξατε. Ὅπερ ἀκούσαντες οἱ ὑπηρέται, τάχειον ἐποίησαν τὸ κελευσθὲν αὐτοῖς. Ταρχυΐνιος εἶπεν· Ἐπερωτήσατε αὐτοὺς ἐὰν θέλωσιν πεισθῆναι ἡμῖν, καὶ θῦσαι τοῖς θεοῖς, εἰ δὲ μὴ ἑτοιμάσωμεν αὐτοῖς ἄλλας τιμωρίας, ὥστε διὰ κακίστων βασάνων ἀπαλλαγῆναι αὐτοὺς τοῦ ζῆν. Ἐπερωτηθέντες δὲ ἐκ τῶν ὑπηρετῶν οἱ ἅγιοι Μάρτυρες, ὡς ἐξ ἑνὸς στόματος εἶπον, Ἡμεῖς ὑπὸ τοῦ Θεοῦ ἐνδυναμωθέντες, κατεφρονήσαμεν τῶν ὑμετέρων βασάνων, καὶ οὐ δὲ συναινοῦμεν τοῖς φαύλοις ὑμῶν βουλεύμασιν εἰς τὸ θῦσαι δαίμοσιν. Οἱ δὲ ὑπηρέται ταῦτα ἀκούσαντες ἐξ αὐτῶν, ἀπήγγειλαν αὐτοῖς. Ταρχυΐνιος Ὕπατος εἶπεν· ἐὰν μὴ θέλωσι πεισθῆναι, βάλετε αὐτοὺς εἰς φυλακήν, ἐπειδὴ λοιπὸν ὥρα ἀρίστου ἐστίν.

C

constantes in sua confessione.

8 Ὥρας δὲ ἑβδόμης περαιωθείσης, ἐκέλευσαν ἀχθῆναι τοὺς Ἁγίους ἐπὶ τοῦ βήματος· παρασάντων δὲ αὐτῶν, εἶπεν πρὸς αὐτοὺς Γαβίνιος ὁ Ὕπατος. Τί Μάξιμε, ἐβουλεύσω τί ποτε ὑγιὲς εἰς τὸ θῦσαι τοῖς θεοῖς; Ὁ ἅγιος Μάξιμος εἶπεν· Ἡμεῖς τοιαύτην βουλὴν οὐκ ἔχομεν· ὥσπερ οὖν καὶ πρὸ τούτου εἴπομέν σοι ὅτι ἄλλῳ τινὶ ἡμεῖς οὐ προσκυνοῦμεν, εἰ μὴ τῷ Κυρίῳ ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστῷ, μετὰ τοῦ Πατρὸς καὶ τοῦ ἁγίου Πνεύματος. Τότε Γαβίνιος ὀργισθεὶς εἶπεν πρὸς τοὺς ἁγίους Μάρτυρας, Ἐὰν μὴ θελήσητε στῆναι σωφρόνως καὶ προσκυνῆσαι τοῖς θεοῖς, ἀπολέσω ὑμᾶς, καὶ εἰς τόπους βαρβαρικοὺς ποιῶ ὑμᾶς ἀπελθεῖν, κἀκεῖ τὰς κεφαλὰς ἀποτμηθῆναι κελεύω. Ταῦτα δὲ οἱ ἅγιοι Μάρτυρες εἶπον, Ἐνορκοῦμέν σε ἵνα τοῦτον τὸν λόγον πληρώσῃς, ὃν ἐβουλεύσω. Τότε ἐκέλευσαν οἱ Ὕπατοι ἀπενεχθῆναι αὐτοὺς εἰς τὸν ἴδιον τόπον, κἀκεῖ τοὺς Ἁγίους ἀποκεφαλησθῆναι. Οἱ δὲ ἅγιοι Μάρτυρες λαβόντες τὴν ψῆφον, ἐδόξαζον τὸν Θεόν, λέγοντες, Κύριε Ἰησοῦ Χριστέ, ὁ ῥυσάμενος ἡμᾶς ἐκ τοῦ παρόντος κακίστου αἰῶνος τούτου, εἰς τὴν σὴν ἀνάπαυσιν Κύριε καταξίωσον ἡμᾶς ἐλθεῖν, ἵνα καὶ ἡμεῖς καταξιωθῶμεν τυχεῖν τῆς ἀκηράτου καὶ ἐπουρανίου σου βασιλείας, ὁ ὑπερευλογημένος εἰς τοὺς αἰῶνας. Ἀμήν. d Μετὰ δὲ τὸ λαλῆσαι αὐτοὺς ταῦτα, ἔλαβον τὴν ψῆφον, καὶ ἐβουλεύσαντο, ὥστε τὴν κεφαλὴν τοῦ ἁγίου Μαξίμου μανιάκην σιδηροῦν ἐμβαλεῖν, μεθ᾽ ὃν ἐμπαγῆναι πρὸς τὸ ἑαυτὸν σὺν αὐτοῖς ἀποκεφαλεσθῆναι, ὡς πολλὰ αὐτὸν λαλῆσαι πρὸς αὐτούς.

EX MS. VATICAN.

capite damnantur.

d

9 Ἐλθόντες δὲ οἱ Ἅγιοι ἐν τῷ τόπῳ τῷ οὕτω προσαγορευομένῳ Ὀζωβίᾳ, τῇ τοῦ Χριστοῦ σφραγῖδι τὰ οἰκεῖα σώματα σφραγισάμενοι, καὶ στηριχθέντες τῷ ἁγίῳ Πνεύματι, ἀπεκεφαλίσθησαν ὑπὸ τοῦ σπεκουλάτορος e, κατὰ τὸ ψηφισθὲν ὑπὸ τῶν Ὑπάτων, καὶ οὕτως τῷ Θεῷ, ᾧ τινι ἐπίστευσαν, ἀπέδωκαν τὰς οἰκείας ψυχάς. Ἔπαθον δὲ οἱ ἅγιοι Μάρτυρες Μάξιμος, Δάδας, καὶ Κυντιλλιανὸς μηνὶ Ἀπριλλίῳ, εἰκάδι ὀγδόῃ, ἐν τῇ χώρᾳ τῇ Ὀζωβίᾳ, βασιλευόντων Διοκλητιανοῦ καὶ Μαξιμιανοῦ, καὶ ὑπατευόντων Ταρχυΐνου, καὶ Γαβινίου, κατὰ δὲ ἡμᾶς βασιλεύοντος τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, ᾧ ἡ δόξα καὶ τὸ κράτος εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Ἀμήν.

& decollantur in suo prædio 28 Aprilis.

E

e

a *Ms.* αὐτῶν, *sed correctionem requirebat sensus, aut addi debebat adjectivum numerale* δευτέρου: *cur autem in ipso principio hic pro* Maximi *nomine, quod similiter erat in Ms. positum sit nomen* Diocletiani, *& omissa vox* ὑπατείας *ad versionem Latinam dictum est.*

b *Vereor ne mendum subsit, & suspicor legi debere* διαυγάσματος: *nec enim apparet unde derivari possit* διάφαυμα, *saltem regulariter.*

c *Abhinc non* Γαβίνιος *sed* Γαβῖνος *scriptum invenio, usque ad num.* 8.

d *Sequentia ut diximus omisit Sirletus, quod implexus omnino esset sensus, qualem nobis quoque esse fatemur: & quidem quod dicitur* susceperunt sententiam, *id nunc mallem referri ad ipsos Sanctos, cetera ad Proconsules, qui jusserint caput S. Maximi ferreo reticulo inclusum ad se reportari. Ipsum verborum contextum, non levi correctione egentem, haud præsumo mutare absque alterius Ms. subsidio: vereor enim ne non solum distorta sed & omissa sint aliqua, quæ non est facile per conjecturam restaurare.*

F

e Σπεκουλάτωρ *etiam apud Marcum cap.* 4 *pro lictore sumitur. Suidas, origini Latinæ se conformans,* δορυφόρον Hastigerum *vertit: ut intelligas à* Spiculo *sive* lancea, *per satellites præferri magistratibus solita, nomen sumptum, & Latine vertendum esse* Spiculator *non* Speculator.

ΑΘΛΗΣΙΣ

ΤΟΥ ΑΓΙΟΥ ΚΑΙ ΕΝΔΟΞΟΥ ΙΕΡΟΜΑΡΤΥΡΟΣ

ΕΛΕΥΘΕΡΙΟΥ.

Auctore Simeone Metaphraste.

Ex MS. Bibliothecæ Vaticanæ 1190 fol. 682.

Roma nobiliter natus,

ἰλίου Ἀδριανοῦ Ῥωμαίων μὲν βασιλεύοντος, δαίμοσι δὲ καὶ εἰδώλοις ἐπιμελῶς δουλεύοντος, καὶ ὁ θαυμαστὸς Ἐλευθέριος κατ' ἐκεῖνο καιροῦ, οἷά τις ἡμερολαμπὴς ἀστὴρ ἐγνωρίζετο· ᾧ πατρὶς μὲν ἡ μεγάλη καὶ περιφανὴς ἐτύγχανε Ῥώμη, πατέρες δὲ, γένει, πλούτῳ τε, καὶ δόξῃ περιφανέστατοι καὶ λαμπρότατοι· Τρισύπατον γὰρ αὐτοῦ τὸν πατέρα γενέσθαι φασίν. Ἀλλὰ καὶ οὕτω περιφανείας ἔχοντες, οὐδὲ τῆς κατ' εὐσέβειαν ἀπελείποντο εὐγενείας· ἡ μήτηρ γὰρ αὐτοῦ

B *& pie educatus à matre*

Εὐανθία, ταῖς τοῦ θείου Παύλου ἀποστολικαῖς παραινέσεσι τὴν πίστιν ἐκμαθοῦσα, πολλὴν ὑπῆρχε σὺν τῇ ἀρετῇ πλουτοῦσα καὶ θεοσέβειαν. Αὕτη τὸν ἱερὸν τοῦτον ἀποτεκοῦσα παῖδα, Ἐλευθέριον μὲν ὠνόμασεν, ἐλευθερίως δὲ οὕτω καὶ καλῶς ἀναθρέψασα, ὥστε τῇ κλήσει συμφωνεῖν καὶ τὰ πράγματα· Τραφέντα γοῦν καὶ ἀνδρωθέντα, τῷ Ἀρχιερεῖ τῆς Ῥωμαίων Ἐκκλησίας * Ἀνικήτῳ, δῶρον ἄξιον δίδωσιν, ὃς τὸ τοῦ ἤθους αὐτοῦ κόσμιον καὶ τὴν ἄλλην ὁρῶν ἀρετὴν, Διάκονον μὲν πρῶτον, εἶτα Πρεσβύτερον, καὶ τελευταῖον Ἐπίσκοπον χειροτονεῖ τοῦ Ἰλλυρικοῦ.

* corrige Ἀνακλήτῳ

Illyrici Episcopus ordinatur.

2 Καὶ οὕτω δὴ τοῦ λύχνου εὐαγγελικῶς εἰπεῖν ἐπὶ τὴν λυχνίαν τεθέντος, καὶ πολλῷ τῷ τοῦ βίου, καὶ τῷ τοῦ λόγου φωτὶ, τὰς τῶν πολλῶν διανοίας περιαστράπτοντος, καὶ καθοδηγοῦντος πρὸς θεοσέβειαν· οὐκ ἦν ταῦτα πρᾴως τὸν πονηρὸν ἐνεγκεῖν, ἀλλὰ κατ' αὐτοῦ καὶ τῆς εὐσεβείας δεινὸν ἔπνει καὶ μανικὸν, ὅθεν καὶ τὸν Ἀδριανὸν ὑποδὺς ὅλον, πρὸ τῶν ἄλλων ἁπάντων, τὸν Ἐλευθέριον ἑλεῖν ἀγωνίζεται, τοὺς ἐπισημοτέρους τῶν εὐσεβῶν σπεύδων ἀποθερίζειν, ὥσπερ δή τινας τῶν ἀσταχύων προέχοντας. Εὐθὺς οὖν Φίληξ τις τῶν στρατιωτῶν πέμπεται, τὸν Ἐλευθέριον τῷ βασιλικῷ βήματι παραστῆσαι κεκελευσμένος.

C *Felicem contra se missum*

Ὁ δὲ τὴν Ἐκκλησίαν καταλαβὼν, πλήθει τε περικυκλωσάμενος στρατιωτῶν, καὶ τὸν Ἅγιον ἔνδον ἀπολαβὼν, εἶτα καὶ εἰσελθὼν, καὶ ἀγρίῳ μὲν ὄμματι, ἀγριωτέρῳ δὲ φρονήματι τοῖς ὁρῶσι φανείς· ὡς δὲ εἶδον αὐτὸν τὸ τῆς διδασκαλίας ἥδιστον νᾶμα προχέοντα, καὶ σὺν εὐκοσμίᾳ πολλῇ τοῖς συνοῦσι τὴν εὐσέβειαν καταγγέλλοντα, τὴν τοῦ Χριστοῦ δύναμιν θαυμάζων ἦν. Καὶ μεταβαλὼν αὐτίκα τῆς ἀγριότητος, πρόβατον ἀντὶ λύκου, καὶ μαθητὴς ἀντὶ διώκτου γίνεται· καὶ ὑπερορᾷ μὲν αὐτοῦ Βασιλέως,

convertit

προσπίπτει δὲ τοῖς ποσὶ τοῦ Ἁγίου, καὶ τὸ ἀπὸ τοῦδε σὺν αὐτῷ τοῖς ἐκείνου λόγοις πρὸς τὴν εὐσέβειαν στηριζόμενος. Ἀλλ' οὕτω μὲν ὁ Φίληξ ἐποίει, καὶ πρὸς τὸν ἀποστείλαντα οὐδαμῶς ἀναστρέφειν ἠγάπα· ὁ θεῖος δὲ Ἐλευθέριος παρρησιάσασθαι τὴν εὐσέβειαν προθυμούμενος, πορείας εὐθὺς εἴχετο, καὶ τὸν Φίληκα συνεπόμενον ἔχων.

& cum eo Romam abit.

Ὡς δὲ κατὰ τὴν ὁδὸν ὕδατι περιέτυχον, ἄλλος οὗτος Κανδάκης ὁ Φίληξ γίνεται, καὶ παρὰ Φιλίππου τοῦ θείου Ἐλευθερίου βαπτίζεται, τὴν εἰδωλολατρείαν τε ἀποβάλλεται.

3 Ἐπεὶ δὲ καὶ τὴν Ῥώμην κατέλαβον, Φίληξ μὲν τοῖς ἐν Ῥώμῃ πιστοῖς τὰ κατὰ τὸν Ἐλευθέριον ἀπαγγέλλει, Ἐλευθέριον δὲ ὁ Βασιλεὺς τῷ ἑαυτοῦ παρίστησιν βήματι· ὃν καὶ ἰδὼν νέον τε καὶ περικαλλῆ, καὶ τῷ τῆς ἀρετῆς κόσμῳ ψυχὴν ἅμα καὶ ὀφθαλμοὺς ἀγλαΐζοντα, Ἵνα τί φησιν, Ἐλευθέριε, τὴν πατρῴαν θρησκείαν ἀπολιπὼν, καινόν τινα πρεσβεύεις Θεὸν, καὶ τοῦτον ἐσταυρωμένον;

Imperatori ad defectionem sollicitanti,

Ἐλευθέριος δὲ πρὸς οὕτως ἀσυνετοῦντα μὴ δὲ ἀποκρίνεσθαι θέλων, ἄλλως τε δὲ καὶ αὐτὰ δὴ τὰ τοῦ Χριστοῦ ἐν τοῖς ὑπὲρ Χριστοῦ μιμούμενος, σιωπῶν ἑστάκει. Ἀλλ' ἀπόκρινε, καὶ αὖθις ὁ Βασιλεὺς ἔφη, περὶ ὧν ἠρωτήθης. Εἶτα καὶ τῆς πικρίας ἐνθοὺς, Πείσθητί μοι, ἔλεγεν, καὶ τοῖς ἀηττήτοις θῦσον θεοῖς· εἰ δὲ οὔ, χαλεπὰς ἐπάξω σοι τιμωρίας, πειθομένῳ δὲ τὰς μεγίστας παρέξω τιμάς. E

Καὶ ὁ Ἐλευθέριος εὐπαρρησιάστως· Καὶ πῶς ἂν ἔφη τοιούτοις λατρεύσω θεοῖς; ἢ ἄλλῳ ἀνεχομένῳ συνθήσομαι; Πῶς δὲ οὐ μᾶλλον ἀποστῆναι τούτων καὶ ὑμῖν συμβουλεύσαιμι; ἀπειθοῦντας δὲ δακρύσω τῆς ἀπονοίας, ὅτι λόγῳ πρὸς Θεοῦ τιμηθέντες, ξύλων καὶ λίθων ἀτιμότεροι καθεστήκατε, θεοὺς ταῦτα ἡγούμενοι, καὶ τὸν ἀληθῆ Θεὸν ἀφρόνως ἀποστρεφόμενοι, ὃς τὰ πάντα ῥήματι συνεστήσατο· καὶ ἡμᾶς * δὲ, τῶν αὐτοῦ κτισμάτων τὸ κάλλιστόν τε καὶ τιμιώτατον, εἰ καὶ ὥσπερ ἐν νυκτομαχίᾳ, τὸ φίλον τε καὶ πολέμιον ἀγνοοῦμεν, καὶ πρὸς μὲν τὸν ἡμέτερον δεσπότην ἐκπολεμούμεθα, τοὺς δὲ ἀληθῶς πολεμίους τοὺς δαίμονας τιμαῖς θεραπεύομεν καὶ θυσίαις. Ἔγω γε οὖν τοῦ ἐμοῦ δεσπότου ἀεὶ περιέχομαί τε καὶ περιέξομαι, ἀτιμίας ὑμῶν περιφρονῶν καὶ τιμὰς, καὶ τὸ ἀποθανεῖν ὑπὲρ Χριστοῦ τρυφὴν καὶ ἀγαλλίασιν ὄντως ἡγούμενος.

Deum unum prædicat;

* videtur aliquid deesse.

4 Θυμοῦ πλήρης ὁ Βασιλεὺς ἐν τούτοις γίνεται, καὶ κράβατον ἐνεχθῆναι κελεύει χαλκοῦν, οὗ κάτωθεν μὲν πῦρ ὑποστρωθῆναι πολὺ, ἄνωθεν δὲ γυμνωθέντα διαταθῆναι τὸν ἀθλητὴν, ἕως ἂν καὶ εἰς τέλος διαφθαρῇ. F

ejus jussu super lectum ignitum extensus,

Ὡς δὲ ταῦτα θᾶττον ἐγίνετο, καὶ ὁ Μάρτυς ὅλως ὅλῳ τῷ κραβάτῳ ἐφήπλωτο, οἱ κατὰ θέαν ἀθροισθέντες, βαρέως ἐνεγκόντες τὸ γεγονὸς, εἰς ὠμότητα ἐλοιδόρουν τὸν Βασιλέα, Ἵνα τί λέγοντες ἀνὴρ, οὕτω γένει τε καὶ σοφίᾳ περίβλεπτος, οἷά τις τῶν ἀτίμων κακῶς ἀπόλλυται. Θεὸς δὲ ἄνωθεν ἐπεκούφιζε τὰς ὀδύνας, καὶ ὥσπερ τινὶ μαλακῇ πόᾳ καὶ δροσώδει κατακείμενος, οὕτως ὁ Μάρτυς εὐπαθῶν ἦν. Ὃν ὁ τύραννος τεθνάναι ὑπολαβὼν, ἀρθῆναι τὸ ἐκείνου νεκρὸν ἐκέλευεν· ὡς δὲ τῆς σιδηρᾶς κλίνης ἐκείνης ἀναστὰς ὁ Μάρτυς, ἀπαθὴς ἦν καὶ εὔθυμος, Ὑψώσω σε, ὁ Θεός μου, ὁ Βασιλεύς μου, μεθ' ἡδονῆς ἔψαλλε, καὶ αἰνέσω τὸ ὄνομά σου διὰ παντός. Ἐπεὶ δὲ τὸν Θεὸν οὕτω δοξάζων θαρραλεώτερος ἑξῆς τῷ τυράννῳ παρέστη, Βλέψον εἰς ἐμὲ, Βασιλεῦ, ἔφη, ὃν σὺ πυρὸς ἔργον γενέσθαι νενόμικας, καὶ συνιὲς μὲν τὸν ὑπ' ἐμοῦ κηρυττόμενον Θεὸν, ἐπίγνωθι δὲ καὶ τῶν σῶν θεῶν τὴν ἀσθένειαν.

ab eoque illæsus insultat tyranno:

5 Ὁ δὲ τύραννος, νομίσας ὑβρίζεσθαι τῇ παρρησίᾳ τοῦ Μάρτυρος, καὶ ἡττηθῆναι δόξας τῷ περιφρονητῷ τῆς κολάσεως, μείζονα ταύτης καὶ σφοδροτέραν ἐπι-

A *similiter craticulam*

ἐπιπνοῖ. Ἐσχάρα γοῦν ἐν μέσῳ πρόκειται, πυρὶ μὲν κάτωθεν διακαιομένη, ἐλαίῳ δὲ ἄνωθεν διαβρεχομένη, καὶ τὴν φλόγα δεινῶς ἐξάπτουσα. Πλὴν οὐδὲ τότε τοῦ Μάρτυρος ἡ χάρις ἠμέλει· ὡς γὰρ ἐπετίθετο τῇ ἐσχάρᾳ, τὸ πῦρ εὐθέως ἐσβέννυτο, καὶ οἱ ἄνθρακες ἐμαραίνοντο· ἡ ἐσχάρα δὲ, ὡς οὐκ ἐλαίῳ μᾶλλον ἀλλ' ὕδατος ἐπιχεομένου, ψυχρὰ καὶ αὐτὴ ἦν, κακῶν ἀπαθῆ διατηροῦσα τὸν Ἅγιον. Τί δὲ, συνέσβεστο τούτοις ἄρα καὶ ὁ τοῦ Βασιλέως θυμός; Οὐ μὲν οὖν· αὖθις γὰρ ἐνεχθῆναι τήγανον προστάττει, κηρόν τε καὶ πίσσαν καὶ στέαρ ἐν αὐτῷ ἐμβληθῆναι, πυρὶ δὲ πολλῷ ἐκκαῆναι κάτωθεν, καὶ οὕτως ἐν αὐτῷ πάλιν διατεθῆναι τὸν Μάρτυρα. Ὡς οὖν ἔργον γέγονε τὸ κεκελευσμένον, καὶ τὸ τήγανον ὅλον ἀνθρακῶδες ἦν, ἵστατο δὲ καὶ ὁ Μάρτυς τὴν τιμωρίαν ὑποδεξόμενος, ὁ τύραννος πολλὰ παραινέσας αὐτῷ, ποικίλαις τε κολακείαις ὑπελθὼν, ἐπεὶ ἀπειθοῦντα ἑώρα, καὶ τὰς κολακείας εὐστόχως ὕβρεσιν ἀμειβόμενον (λύκον γὰρ ἀραβικὸν τοῦτον ἐκάλει, ἅτε τοῖς τοῦ Χριστοῦ προβάτοις ἐπιβουλεύοντα) τῷ τηγάνῳ αὐτὸν κελεύει διατεθῆναι. Εὐθὺς οὖν τὰ αὐτὰ τοῖς προτέροις ἐπηκολούθει, καὶ μεταβάλλεται μὲν εἰς δρόσον τὸ πῦρ, αὔρα δέ τις ἡδίστη τὸν γενναῖον ἀνέψυχεν.

& sartaginem vincit.

B *suggerente Coremone Præfecto*

6 Ἀδριανὸς δὲ πάντων αὐτῷ πρὸς τοὐναντίον μεθισταμένων, ἀπορῶν ἐκάθητο, βαθείᾳ λύπῃ τὴν γλῶτταν πεπεδημένος· ὃν ἰδὼν οὕτως ἔχοντα ὁ τηνικαῦτα τῆς πόλεως Ἔπαρχος, Κορέμων αὐτῷ ὄνομα, δεινὸς δὲ οὗτος βασάνους ἐξευρεῖν χαλεπωτέρας, ἀλλὰ καὶ τὰ κατὰ τὸν στρατηλάτην Φήλικα μαθὼν, καὶ ἤδη μὲν σπέρματα τῆς τῶν Χριστιανῶν πίστεως εἰς καρδίαν δεξάμενος, ἔτι δὲ τῶν ἑλληνικῶν ἐχόμενος, καὶ τῷ Βασιλεῖ χαριζόμενος· οὗτος δὴ τότε τὸν Ἀδριανὸν διαποροῦντα ὁρῶν, προσελθὼν, Ἐγώ σε, φησὶ, Βασιλεῦ, ἀπαλλάξω πραγμάτων, καὶ τουτονὶ τὸν νέον διδάξω τὸν ἀπειθοῦντά σοι μὴ τοιούτοις ἐπιχειρεῖν, ἀλλὰ καὶ κλίβανος μὲν ἐνεχθήτω χαλκοῦς, ὀβελίσκοι δὲ ὀξεῖς ἐφ' ἑκάτερα τῶν μερῶν αὐτοῦ ἐμπαγήτωσαν, καὶ ὄψει ὅσον οὔπω τὸν Ἐλευθέριον ἢ πειθόμενον ἢ κακῶς ἀπολλύμενον. Ταῦτα δὲ λέγων ἐλάνθανε, τὸν λέοντα φοβεῖν καλάμου πληγαῖς οἰόμενος. Ὅμως ἤρεσκε ταῦτα τῷ Βασιλεῖ, καὶ τοῦ μηχανήματος σπουδῇ τελεσθέντος, ἄρας τοὺς φαινομένους ἅμα καὶ τοὺς ἀφανεῖς ὀφθαλμοὺς, καὶ τὸν νοῦν ὅλον εἰς οὐρανοὺς ἀπερείσας, Εὐχαριστῶ σοι, ἔφη, Κύριε Ἰησοῦ Χριστὲ καὶ Θεὲ, ὅτι τοιούτων με καὶ τοσούτων ἀγαθῶν ἠξίωσας, ὅτι χειρὶ κραταιᾷ σου δύναμιν περιέζωσας, ὅτι ὑπὲρ σοῦ τοιαῦτα πάσχειν εὐδόκησας· καὶ νῦν ἐπίβλεψον ἐξ οὐρανοῦ, καὶ ἴδε οἷα τεχνάζουσιν οἱ μισοῦντές σε κατ' ἐμοῦ, καὶ ῥῦσαι ἀπὸ βέλους αὐτῶν τὴν ψυχήν μου, ἵνα ἴδωσι πάντες, ὅτι πλὴν σοῦ οὐκ ἔστι Θεός. Εἶτα καὶ ὑπὲρ τῶν κολαζόντων, ὥσπερ ἄλλος τις Στέφανος ὑπὲρ τῶν λιθαζόντων εὐχόμενος, Ἅψαι τῆς αὐτῶν ἔλεγε, καρδίας, πολυέλεε Δέσποτα, καὶ πρὸς τὸ σὸν καθοδήγησον θέλημα, ἵνα γνῶσί σε τὸν μόνον ἀληθινὸν Θεὸν, καὶ τῆς ὀλεθρίου τῶν εἰδώλων ἀποστῶσι λατρείας, ὅτι εὐλογητὸς εἶ εἰς τοὺς αἰῶνας, Ἀμήν.

mittendus in clibanum, Deũ invocat:

C

7 Οὕτως εὐξαμένῳ τῷ Μάρτυρι, προσχὼν ὁ Κορέμων, καὶ τὸν προαποκείμενον αὐτῷ τῆς θεοσεβείας ἄνθρακα ὥσπερ ἀναζωπυρηθεὶς, ἄφνω μεταβολὴν μεταβάλλεται τὴν καλλίστην, καὶ τῷ Βασιλεῖ προσελθὼν, Ποίῳ, φησὶν, ἀδικήματι χάριν ὁ πικρὸς οὗτος Ἐλευθερίῳ καταψηφίζεται θάνατος; Καὶ ὁ Βασιλεὺς, τῷ παραδόξῳ τοῦ ἀκούσματος ἐκπλαγεὶς, γοργόν τι καὶ βλοσυρὸν πρὸς τὸν Κορέμονα βλέψας, Σὺ αὐτὸς εἶ, ἔφη, ὃν ἐγὼ γινώσκω Κορέμωνα; καὶ τί πάθοις; Μή τι σε χρυσὸς εἷλεν ὑπὸ τῆς αὐτοῦ δεδομένος μητρός; καὶ πόσα ἄν σοι καὶ παρὰ πολλῶν ἑτέρων διδόμενα, τῶν ἐμῶν δωρεῶν ἀνάξια

ad cujus preces conversus Coremon,

PER METAPHRAS. EX MS. VATICAN.

γένοιτο, ὃν ἐγὼ καὶ πλούτῳ καὶ δόξῃ καὶ τῇ πρὸς ἐμὲ οἰκειώσει ζηλωτὸν ἐν Ῥώμῃ κατέστησα; ἀλλ' εἰ καὶ πλειόνων ἐρᾷς, οἱ ἐμοὶ πάντες ἀνέῳνταί σοι θησαυροί, τούτων ἀμφοτέραις ἄντλει, καὶ μὴ οὕτω καταπροδῷς σεαυτὸν, κλέμμα γυναικὸς καὶ ὀλίγου χρυσοῦ γενόμενος ὤνιον. Ὁ δὲ Κορέμων, ἤδη τῇ τοῦ Μάρτυρος εὐχῇ τὴν ψυχὴν φωτισθεὶς, τὸ θαυμαστὸν καὶ ἀξιύμνητον ἐξεβόησεν, Ἔστω λέγων ἡ τιμή σου σὺν σοὶ εἰς ἀπώλειαν, τὰ δὲ χρήματά σου ὑπέκκαυμα τῷ περιμένοντί σε πυρὶ γένοιντο· τί γὰρ δὴ καὶ ἑκὼν τυφλώττεις, καὶ ταῦτα πείρᾳ μαθὼν, ὅτι τῶν μὲν σῶν θεῶν οὐδεὶς τὸν ἐμβληθέντα πυρὶ σῶσαι δύναται, ὃν δὲ ὁ Ἐλευθέριος οὗτος σέβεται, καὶ πυρὸς αὐτὸν δείκνυσι καὶ πάσης ἄλλης κολάσεως ἰσχυρότερον;

Tyrannum increpat,

8 Τούτοις οὐκ ἔστιν εἰπεῖν ὅσης ὀργῆς καὶ μανίας ἐπλήσθη ὁ τύραννος· εἰώθασι γὰρ αἱ ἰσχυραὶ φιλίαι ἰσχυρὰς ὁμοίως ἔχθρας ἀπογεννᾶν· ὅθεν καὶ αὐτῷ τούτῳ κελεύει τῷ κλιβάνῳ τιμωρηθῆναι τὸν Ἔπαρχον, ᾧπερ αὐτὸς κολασθῆναι τὸν Ἐλευθέριον συνεβούλευεν. Ὡς δὲ τῇ βασάνῳ προσήγγισεν, Εὖξαι ὑπὲρ ἐμοῦ, ὁ Κορέμων τῷ Μάρτυρι ἐπεβόησε, καὶ τῇ τοῦ Χριστοῦ με σφραγῖδι καθόπλισον, ᾗ καὶ τὸν στρατηλάτην περιετύχησας Φήλικα. Οὕτως οὖν ὁ Κορέμων ὑπὸ τοῦ Μάρτυρος ὁπλισθεὶς, καὶ τῷ ὀργάνῳ βληθεὶς, ἀνάλωτος πυρὶ καὶ αὐτὸς ἦν. Ἀδριανὸς δὲ τὰ τῶν βασάνων ἀπειρηκὼς, ξίφει τὴν κεφαλὴν αὐτοῦ ἐκτμηθῆναι κελεύει. Καὶ Κορέμων μὲν οὗτος ἐν βραχεῖ τὸν πολλοῖς ἐξ αἰῶνος ποθούμενον ἥρπασε θησαυρόν· τὰ δὲ μετὰ ταῦτα τίνα; Καὶ Ἐλευθέριος τῷ κλιβάνῳ ἐμβάλλεται, καὶ τοῖς ὀβελίσκοις τε τὸ δοκεῖν περιπείρεται· ἀλλ' εὐθὺς ὁ μὲν κλίβανος σβέννυται, στρέφονται δὲ καὶ αἱ τῶν ὀβελίσκων ἀκμαὶ, τιμῶσαι ὥσπερ σάρκας μαρτυρικὰς, καὶ ψυχῆς τύφλωσιν ἐλέγχουσαι τοῦ κολάζοντος· ἀλλὰ καὶ πολλοὺς τῶν παρεστώτων εἰς ἐπίγνωσιν Θεοῦ τοῦ ταῦτα θαυματουργοῦντος εἵλκυσαν, οἳ καὶ, Μέγας ὁ Θεὸς τῶν Χριστιανῶν ἐβόων, ὁ δι' Ἐλευθερίου ἡμῖν χρηματιζόμενος.

& in clibanum mittitur:

E *eoque nil læsus capite plectitur.*

Eleutherio similiter salvato multi convertuntur.

9 Αὖθις οὖν ἀπορία καὶ λύπη λαμβάνει τὸν τύραννον, καὶ τότε μὲν τῇ φρουρᾷ τὸν Μάρτυρα δίδωσιν, ὕστερον δὲ δι' ὅλης ἡμέρας σκεψαμένῳ μετὰ τῶν ὑπ' αὐτῷ, πῶς καὶ ὅπως Ἐλευθέριος ὑπόσχῃ τὴν τιμωρίαν, ἔδοξε. Τόπος μὲν ἡ φρουρὰ, τρόπος δὲ οἰκτρὸς ὁ διὰ λιμοῦ. Συχνὰς οὖν ἡμέρας ἐν τῇ εἱρκτῇ ἐπυκτεύετο τῷ λιμῷ· ἀλλ' ὁ τῷ Δανιὴλ ποτὲ, καὶ τῷ Ἠλίᾳ μετὰ ταῦτα, τροφὴν διὰ πτηνοῦ χορηγήσας, καὶ τοῦτον τρέφει διὰ περιστερᾶς. Καὶ ὁ μὲν εὐχαρίστει Θεῷ, ὅτι τῶν ἴσων τοῖς μεγάλοις τούτοις ἠξίωται· ὁ δὲ τύραννος ἐμεμήνει, ὡς ἀσθενοῦς αὐτῷ ἐλεγχθέντος τοῦ μηχανήματος· ὅθεν καὶ ἵππους ἀγρίους ὑπὸ ζυγὸν κελεύει δεθῆναι καὶ τὸν Ἐλευθέριον, ἵνα τῶν ἵππων ἀμαθῶν ὄντων ζυγοῦ καὶ ἀγρίων, τῷ ῥοίζῳ τε τοῦ ἅρματος ἄγαν ἐκταραχθέντων καὶ πλημμελῶς φερομένων, ὁ Μάρτυς πέτραις καὶ ἄλλοις προσαρασσόμενος, τὰς σάρκας διασπασθῇ, καὶ μεληδὸν κατακοπεὶς ἀπορρήξειεν τὴν ψυχήν. Ἀλλ' ὥσπερ ἐκεῖνος οὐκ ἔκαμνε τὰ πρὸς διαφθορὰν ἐνεργῶν, οὕτως οὐδὲ Χριστὸς τὰ πρὸς σωτηρίαν οἰκονομῶν· ἄγγελος γὰρ ἐξ οὐρανοῦ ἐπιστὰς, τοὺς ἀγρίους ἵππους ἐκείνους ἡμέρους ἄφνω ἐποίει, καὶ τὸν Ἐλευθέριον λύσας, ἐπιβιβάζει τῷ ἅρματι, καὶ πρὸς τὸ τῇ πόλει γειτονοῦν ὄρος τοὺς ἵππους ἰθύνας, ἀλύπως καὶ ὁμαλῶς ἀνελθεῖν τὸν Μάρτυρα παρεσκεύασε. Προσγίνεται δὲ τούτῳ, καὶ ἕτερόν τι τῶν παραδόξων. Ἐν τῷ ὄρει γὰρ γενομένου τοῦ Μάρτυρος, καὶ τὸν Θεὸν συνήθως αἰνοῦντος, ἄρκτοι καὶ λέοντες, καὶ ἔτι ἄλλο τῶν ἀνημέρων θηρίων προσελθόντες, κυκλοῦσί τε τὸν τοῦ Θεοῦ δοῦλον καὶ περισαίνουσι, καὶ οἷα τῆς ἐκείνου συνιέντα φωνῆς, συνευλογεῖν τε καὶ προσκυνεῖν ὥρμηντο, καὶ τοῦτο ἐδήλου τῇ τε πρὸς γῆν νεύσει, καὶ τῇ πρὸς ἀέρα τῶν ποδῶν ἐπάρσει, καὶ τῇ ἄλλῃ διατυπώσει τοῦ σώματος.

Ille in carcere divinitus pascitur,

F *& indomitis equis alligatus,*

ab Angelo solvitur duciturque in montem,

ubi cum collectis ad se feris Deum laudat.

PER METAPHRAS. EX MS. VATICAN.

10 Ἀλλὰ τὰ μὲν θηρία οὕτω τὴν χορείαν ἐπλήρουν· ὥσπερ χορολεκτοῦ καὶ προστάτου τυχόντα τοῦ μάρτυρος· Ἀδριανὸς δὲ οὐχ ὅτι τούτου, ἀλλ᾽ οὐδὲ τῶν θηρίων αὐτῶν ᾔδετο τὴν σύνεσιν· εἰς ἀκοὴν γὰρ ἐκείνων ἐλθὼν, Ἀδριανὸς ἦν ὁ αὐτὸς, πολλῷ καὶ θηρίων καὶ ὄνων ἀνοητότερός τε καὶ ἀγριώτερος· οὐ μόνον γὰρ βελτίων οὐδὲν ἀπὸ τοῦ θαύματος γέγονεν, ἀλλὰ καὶ στρατιώτας ξιφήρεις ἔπεμπε, θᾶττον συλληψομένους τὸν Ἐλευθέριον, τὰ δὲ θηρία, ὡς ἂν ἀκριβῶς εἰδότα καὶ φίλους κρίνειν τοῦ ἑαυτῶν δεσπότου καὶ πολεμίους, ὡς μόνον εἶδον τοὺς στρατιώτας, ταχέως ἐφέροντο, καὶ μικροῦ ἂν καὶ διεσπάσαντο τούτους κέρασι καὶ ὀδοῦσιν, εἰ μὴ ὁ Μάρτυς τοῖς μὲν ὥς περί τινα χαλινὸν τὸν λόγον ἐμβαλὼν, ὅθεν ἦλθον ἐπανιέναι προσέταττε, τοῖς δὲ στρατιώταις λύσας τὸν φόβον, καὶ τὴν μεθ᾽ ὅπλων ἔλευσιν ὀνειδίσας· Οὐ γὰρ ἐπί τινα, φησὶν, ἀνδροφόνον ἢ λῃστὴν ἤλθετε, οὓς ἔδει νεύματι μόνῳ σημάναντας τὸν ζητούμενον ἔχειν ἑπόμενον. Οὕτως εἰπὼν προθύμως ἠκολούθει· πολλὰ δὲ κατὰ τὴν πορείαν τούτοις διαλεγόμενος, ἐπιεικῶς τε παραινῶν καὶ διδάσκων, πολλοῖς αὐτῶν τὸ τῆς ἀληθείας ἐπέλαμψε φῶς.

ab iisque contra immissos milites defensus,

multos eorum convertit,

11 Ὡς δὲ τὴν Ῥώμην κατέλαβεν, ὁ Βασιλεὺς B θέατρον μέγιστον συνιστᾷ, μάρτυρας πλείστους ἔχειν βουλόμενος τῆς τοῦ Μάρτυρος ἀπωλείας. Τοὐναντίον δὲ μᾶλλον ἐπέβαινεν ἢ ἐδόκει τῷ Βασιλεῖ· οἱ γὰρ παρόντες οὐ τῆς τοῦ Μάρτυρος ἀναιρέσεως, ἀλλὰ τῆς ἐπ᾽ αὐτῷ δυνάμεως τοῦ Χριστοῦ μᾶλλον μάρτυρες ἦσαν φανερῶς ἀπαράγραπτοι. Λέαινα μὲν γὰρ αὐτῷ ἐπαφίεται πάνυ ἀγρία, ἥτις σφοδρῶς μὲν ἔπεισι τῷ Ἁγίῳ, οὐ μὴν ὥστε λαφύξασθαι ἢ ὀλίγῳ δήγματι λυπῆσαι, ἀλλ᾽ ὥστε τοὺς ἐκείνου πόδας εὐνοικῶς περιπτύξασθαι· ἔκλινε μὲν γὰρ αὐτοῖς τὸν αὐχένα, ὑπένιξε δὲ τῇ γλώττῃ τὰ ἴχνη, καὶ ὥσπερ ἤχθετο ὅτι μὴ καὶ φωνὴν ἀνθρωπίαν εἶχε συμφθεγγομένην ὑπὲρ εὐσεβείας τῷ Μάρτυρι. Οὐ δὲ ταῦτα πάθουσι τὸν κατὰ τὸν Φαραὼ σκληροκάρδιον Βασιλέα μεταμαθεῖν τὴν εὐσέβειαν, ἀλλ᾽ ὥσπερ ἀσθένειαν, ὅτι θῆλυ, καταγνοὺς τοῦ θηρίου, καὶ ἄρρενα τῷ Μάρτυρι συναφεθῆναι κελεύει· κάπρος οἱονεὶ πρὸς τὴν θηλείαν ἁμιλλώμενος, ἀπωθεῖται μὲν ταύτην, οὗτος δὲ τῷ Μάρτυρι προσδραμὼν D περιπλέκεται τοῖς ποσὶν, περιφύεται, σαίνει, σκιρτᾷ, σχήμασί τε καὶ νεύμασι, καὶ κινήμασι, τὴν εὔνοιαν ἀπαγγέλλει. Τῶν δὲ ταῦτα βλεπόντων, οἱ μὲν πως ὁρῶντες τοῖς τῆς ψυχῆς ὀφθαλμοῖς, εὐθὺς ἐβόων μέγαν εἶναι τὸν Ἐλευθερίου Θεὸν, οἱ δὲ τυφλώττοντες διὰ τὴν ἀσέβειαν, πλάνον καὶ φαρμακὸν τὸν Ἅγιον ἀπεκάλουν. Ἀλλ᾽ ἐμφραγῆναι πάντως ἔδει τὰ χείλη τὰ δόλια, ὡς ὁ θεῖος ἔφη Δαυὶδ, τὰ λαλοῦντα κατὰ τοῦ δικαίου ἀνομίαν, ἐν ὑπερηφανείᾳ καὶ ἐξουδενώσει, ὥσπερ ἄρα καὶ ἐνεφράγησαν, καὶ τὴν ἐσχάτην σιωπὴν ἐσιώπησαν, μεταξὺ γὰρ τῶν λόγων ἀοράτως πληγέντες, θάνατον εὐθὺς εὗρον τὰ τῆς βλασφημίας ἐπίχειρα.

feris objectus easdem cicures experitur,

cum vario spectantium motu;

12 Ὁ μέν τοι παράνομος Βασιλεὺς τοῖς ὅλοις ἀπορηθεὶς, ἐπεὶ καὶ πάντα ἑώρα τῆς τοῦ ἀθλητοῦ γνώμης ἡττώμενα, θάνατον αὐτοῦ κατακρίνει τὸν διὰ μαχαίρας. Αὐτὸν μὲν οὖν εὐθὺς οἱ πρὸς τοῦτο διακονοῦντες ἀναιροῦσι τῷ ξίφει· ἔπειτα καὶ τὴν μητέρα περιπλακεῖσαν αὐτοῦ τῷ τραχήλῳ, καὶ καρδίᾳ μᾶλλον ἢ στόματι περιπτυσσομένην, γυναικεῖον οὐδὲν ἢ μητρικὸν ἐπιφθεγγομένην, οὐ δὴ ἀνάξιόν τι τοιοῦδε παιδὸς, ἀλλὰ καὶ τοῖς ἀγῶσιν αὐτοῦ μᾶλλον φαιδρυνομένην, ἀνηλεῶς οἱ δυσσεβεῖς ἐχομένην τοῦ παιδὸς ἐπισφάττουσιν· τί δὲ E καὶ ἄλλο ἦν οἰκειότερον, ἢ αὐτοὺς δρᾶσαι πονηροὺς ὄντας, ἢ ἐκείνην παθεῖν, φιλόθεον ὑπάρχουσαν καὶ φιλόπαιδα, ἢ οὕτω θνήσκοντι τῷ υἱῷ συναποθανεῖν, καὶ μὴ ἀπολειφθῆναι γερῶν υἱοῦ, καλῶς μητέρα παιδαγωγήσασαν, ἀλλὰ κοινῇ τούτους τῷ κοινῷ δεσπότῃ ἐμφανισθῆναι, καὶ παρ᾽ αὐτῷ μένειν, κατὰ τὸ ἱερὸν λόγιον, μητέρα ἐπὶ τέκνοις εὐφραινομένην; Οἱ δὲ παρόντες ἐκ τοῦ Ἰλλυρικοῦ εὐσεβεῖς, σπουδῇ τὰ αὐτῶν ἀνελόμενοι λείψανα, τοῖς ἐν Ῥώμῃ πιστοῖς περὶ τούτων φροντίζουσιν, γνωρίζουσί τε αὐτὰ καὶ κοινὰ τίθενται, καὶ οὕτως ἄμφω ταῦτα μυρίσαντες, καὶ τὰ εἰκότα τιμήσαντες, θάπτουσι φιλοθέως, Χριστιανοῖς πλοῦτον ἄσυλον, τοῖς ἐν νόσοις τε καὶ πονηροῖς πνεύμασιν χρῆμά τι ἀλεξίκακον, εἰς δόξαν Πατρὸς, καὶ Υἱοῦ, καὶ ἁγίου Πνεύματος, τῆς μιᾶς ἁπλῆς καὶ ἀκτίστου θεότητος, ᾗ πρέπει δόξα, κράτος, τιμὴ, καὶ προσκύνησις, νῦν καὶ ἀεὶ καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Ἀμήν.

denique gladio caeditur

uti & mater filio circumfusa.

corpora sepeliuntur a fidelibus.

ΤΕΛΟΣ.



INDEX

INDEX HISTORICVS
IN VITAS SANCTORVM
TOMI II APRILIS

Continet hic Index propria fere nomina hominum aut populorum, non tamen Sanctorum, quorum in hoc Tomo memoriæ aut res gestæ ex professo illustrantur, de quibus peculiaris index confectus sub initium Tomi proponitur. Nota præposita aliquibus, indicat Sancti aut Beati titulum illis tribui.

A.

B

C

Ca-

D

E [illegible]

E.

F.

I

K.

L.

M.

N.

O

P.

Q.

Rabodo

R

S.

Z.

INDEX
TOPOGRAPHICVS.

A

B.

Bracara

C.

D.

E.

F.

G.

H.

I.

L.

M.

Sardis

T.

V.

W.

INDEX ONOMASTICVS.

A

B.

C.

Casa-

D

E

Ligna-

Præ-

Tenacia,

IN TOMVM II DE SANCTIS APRILIS

INDEX MORALIS.

A

B

In

F

G

Græca

P

Pir

FINIS.

